3 1761 07833951 2

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/commentariainpri01fagn

PROSPERI
FAGNANI
COMMENTARIA
In Quinque Libros
DECRETALIUM.

PROSPERI
FAGNANI
COMMENTARIA IN PRIMUM LIBRUM DECRETALIUM,

CVM DISCEPTATIONE DE GRANGIIS, QVÆ IN ALIIS Editionibus deſiderabatur; ac ipſo Textu ſuis locis aptè diſpoſito.



VENETIIS, MDCCXXIX.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

LIBRARY
NOV 7 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

BX
1935
F3
t.1

JURISPRUDENTIÆ STUDIOSIS.

SI quid glorioſum, ſplendidumque de horum voluminum præſtantia & celebritate præfari voluero, Studioſe Lector, nil ſanè ſplendidius fore duxerim, quàm ipſum Auctoris nomen pro ingenti totius Operis ornamento, hujuſmodi librorum fronti, atque faſtigio apponere.

Per tot enim, tantorumque virorum ora, & encomia Illuſtriſs. ac Reverendiſs. PROSPERI FAGNANI *gloria aucta fuit, cumulataque ſemper in diem; ut meritò crediderim illum pro norma rectè, ſapienterque divini, humanique Juris interpretandi regulas orthodoxæ Poſteritati à Deo Optimo Maximo datum fuiſſe.*

Quis etenim ſi Virum illum tanta præditum indolis ſublimitate, tanta mentis perſpicacia, tanta morum innocentia, ac pietate perſpexerit, eum in commune ſacrarum literarum bonum natum fuiſſe negabit?

Educatus nimirum per omnem honeſtarum artium cultum, vix prætergreſſus ephebos, tot vetuſtiſſimæ Fagnanorum Gentis avita decora non ad fortunæ ſupercilium, ſed ad virtutis imitamentum ſuſpiciens, ita pueritiam, adoleſcentiamque tranſegit, ut vigeſimo ætatis ſuæ anno nondum expleto, juris univerſi methodum tercentum problematis propoſitam pro doctorali laurea Peruſino in Lyceo contra inopinata impugnantium argumenta in utramque partem diſcutienda expoſuerit.

Hinc eſt, quòd præclariſſimi hujus facinoris fama Romanam etiam Aulam mirabiliter commovente, PAULUS V. *Pontifex Maximus loco celebris Joannis Franciſci Fagnani ejus Patrui, illum Sacræ Tridentini Concilii Congregationi à Secretis anno ætatis ſuæ ſecundo ſupra vigeſimum ſuffecit; à ſubſequentibus inſuper Summis Pontificibus Sacræ Congregationi ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium, deinde Apoſtolicæ viſitationis, alteriuſque ſuper ſtatu & reformatione Regularium, Indulgentiarum itidem & aliarum eodem Secretarii munere decoratus; demandata quoque illi explicandorum Canonum in Summo Sacræ Pœnitentiariæ Tribunali provincia, poſteà verò ejuſdem Tribunalis Sigillo eidem collato, ut eodem tempore undecim ſacris conſeſſibus, quamvis cæcitatis infortunio affectus, inſerviret.*

Quæ omnia quanta vigilantia, quanta ſedulitate, quanta animi probitate, cum omnium laude exercuerit, tot, tantaque negotiorum momenta nos docent, quibus eum Summi Pontifices URBANUS VIII., INNOCENTIUS X., ALEXANDER VII. CLEMENS *uterque* IX. & X. & INNOCENTIUS XI. *uſque ad annum ætatis ſuæ nonageſimumprimum, quo ultimam vitæ periodum clauſit, aſſiduè, inceſſanterque cumulavere, maximique fecere.*

Quinimò funebri ſuperſtes rogo, & ſupremo cineri vivax, aurea hæc in quinque Decretalium libros Commentaria, quæ nunc cum ipſomet Textu atque Diſceptatione de Grangiis prodeunt è meis typis, in Eccleſiaſticæ Reipublicæ felicitatem, ſacrarum literarum amatoribus, ac præcipuè Tibi, benigne Lector, tamquam ingens ſuæ prudentiæ doctrinæque monumentum reliquit. Vale.

AUCTORIS MONITIO
AD LECTOREM.

QUÆ in his Commentariis Reſponſa S. Congregationis Eminentiſſimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum ſparſim pro re nata referuntur, quamquam ferè omnia exſcripta fideliter, dum eidem S. Congregationis eſſem à Secretis; ea tamen minimè habenda pro authenticis, ſcire debes, quando Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, & Secretarii ſubſcriptione ſignoque carent. Neque aliud mihi conſilium, aut voluntas alia; imò ſi quid fortaſſe vel Amanuenſis incuria, vel imperitia Typographi, vel imbecillitate humanæ mentis exciderit, nota & animadverſione dignum, id totum ejuſdem Sacræ Congregationis auctoritati, judicio, cenſuræ ultrò ſubjicimus.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per atteſtato del Segretario noſtro, nelli ſette Tomi ſtampati in Roma l' anno 1661. il titolo de' quali s' è: *Proſperi Fagnani Commentaria in Quinque Libros Decretalium*, non eſſervi cos'alcuna contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſſere riſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle Librarie di Venetia, e di Padova.

Data dal Magiſtrato 21. Febraro 1695.

Ferigo Marcello Proc. Riform.

Aſcanio Giuſtinian 2. Cav. Riform.

Agoſtino Gadaldini Segr.

Adi 3. Marzo 1696.

Regiſtrata nel Magiſtrato Eccellentiſs. de gli Eſſecutori contro la Biaſtema.

Antonio Canal Nod.

RUBRICÆ ET CAPITULA HUJUS PRIMI LIBRI DECRETALIUM.

de *Ætate, & qualitate, & ordine Præficiendorum.* pag. 386.

ACcepimus. pag. 430
Cùm contingat. 415
Cùm ſit ars. 434
Eam te. 402
Indecorum. 397
Præterea. 409
Quæris. 410
Ut Abbates. 386

de *Arbitris.* 689

Contingit. 698
Cùm tempore. 694
Ex parte. 701
Non ſine. 689

de *Auctoritate, & uſu Pallii.* 325

Quia nos. 325

de *Bigamis non ordinandis.* 496

Nuper à nobis. 502
Super eo. 496

de *Conſtitutionibus.* 13

Canonum ſtatuta. 13
Cùm acceſſiſſent. 106
Cùm M. 110
Cùm omnes. 91
Eccleſia S. Mariæ. 118
Ex parte. 124
Ne innitaris. 24
Quæ in Eccleſiarum. 96
Quoniam. 128

de *Conſuetudine.* 191

Conſuetudines. 191
Cum dilectus, 202
Cùm venerabilis. 201
Quanto. 197

de *Electione, & Electi poteſtate.* 216

Cauſam. 258
Cùm ad noſtram. 283
Cùm cauſam. 275
Cùm Eccleſia Vulterana. 278
Cùm in cunctis. 240
Cùm in cunctis, §. inferiora. 255
Cùm in Magiſtrum. 300
Cùm terra. 265
Dudum, il ſecondo. 267
Licét de vitanda. 230
Maſſana. 303
Nihil. 297
Noſti. 262
Nullus. 216
Publicato. 207
Qualiter. 266
Querelam. 271
Quia propter. 286
Quia propter, §. illud autem. 292
Quiſquis. 293
Significaſti. 221

de *Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.* 460

Ad abolendam. 474
Ad extirpandas. 469
Conſtitutus. 481
Ex tranſmiſſa. 466
Nimis. 474
Veniens. 644
Ut filii. 460

de *His, quæ vi, metusve cauſa fiunt.* 674

Perlatum. 674
Sacris. 682

de *In integrum reſtitutione.* 685

Requiſivit. 685

de *Majoritate, & obedientia.* 606

Cùm certum. 606
Cùm in Eccleſiis. 614
Cùm olim. 623
His quæ. 616
Quod ſuper his. 610

de *Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.* 483

Magnus. 483

de *Officio Archidiaconi.* 508

Ad hæc. 508
Dilecto. 516
Significaſti. 512

de *Officio Archipresbyteri.* 517

Ut Archipresbyter. 517

de *Officio Cuſtodis.* 517

Cuſtos Eccleſiæ. 517

de *Officio Vicarii.* 518

Ex parte. 518

de *Officio & poteſtate Iudicis d. legati.* 521

Cùm in jure. 532
Ex parte, il primo. 527
Quoniam. 529
Sanè, il ſecondo. 521
Significantibus. 536

de

de *Officio Legati.* 543

Studuiſti. 543

de *Officio Iudicis ordinarii.* 549

Conquerente. 585
Cùm ab Eccleſiarum. 555
Cùm vos. 559
Dilectus. 595
Grave. 597
Inter cætera. 581
Irrefragabili. 572
Irrefragabili, §. exceſſus. 573
Irrefragabili, §. cæterùm. 578
Pernicioſam. 549
Quanto. 564
Ut juxta. 591

de *Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.* 375

Requiſivit. 375

de *Pactis.* 638

Accepimus. 660
Antigonus. 638
Cùm pridem. 644

de *Poſtulatione Prælatorum.* 209

Bonæ memoriæ. 209
Et ſi unanimiter. 215

de *Poſtulando.* 669

Clerici. 669
Cùm Sacerdotis. 672

de *Renunciatione.* 327

Admonet. 329
Ad ſuplicationem. 332
Dilecti. 345
Ex tranſmiſſa. 327
Niſi cùm pridem. 334
Poſt translationem. 343

de *Reſcriptis.* 140

Ad audientiam, il primo. 154
Ad audientiam, il ſecondo. 172
Cauſam quæ. 155
Cæterùm. 140
Dilectus, il primo. 187
Eam te. 151
Edoceri. 186
Inter cæteras. 146
Nonnulli. 165
Super litteris. 157

de *Sacramentis non iterandis.* 454

Presbyter. 454

de *Sacra Unctione.* 440

Cùm veniſſet. 440
Cùm veniſſet, §. per frontis. 453

de *Summa Trinitate, & Fide Catholica.* 1

Damnamus. 9
Firmiter. 1

de *Supplenda negligentia Prælatorum.* 349

Statuimus. 349

de *Temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.* 355

Ad aures. 361
De eo. 355
Dilectus. 371
Ex parte. 366
Ex tenore. 358
Litteras. 366
Nec Epiſcopi. 365
Si Archiepiſcopus. 364
Vel non eſt compos. 367

de *Tranſactionibus.* 666

Veniens. 666

de *Translatione Epiſcopi.* 314

Cùm ex illo. 314
Quanto. 316

de *Treuga, & Pace.* 630

Innovamus. 637
Treugas. 630

PRO-

PROSPERI FAGNANI COMMENTARIA In Primum Librum DECRETALIUM.

DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT I.

FIrmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: tres quidem perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omninò: Pater à nullo, Filius à Patre ſolo, ac Spiritus ſanctus pariter ab utroque; abſque initio ſemper, ac ſine fine: Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus ſanctus procedens, conſubſtantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: unum univerſorum principium: creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium: qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Diabolus enim & alii dæmones à Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali: homo verò diaboli ſuggeſtione peccavit. Hæc ſancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam individua, & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta, primò per Moyſen & ſanctos Prophetas, alioſque famulos ſuos, juxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem. Et tandem unigenitus Dei Filius Jeſus Chriſtus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria ſemper Virgine Spiritus ſancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compoſitus, una in duabus naturis perſona, viam vitæ manifeſtiùs demonſtravit. Qui cùm ſecundùm divinitatem ſit immortalis & impaſſibilis, idem ipſe ſecundùm humanitatem factus eſt paſſibilis & mortalis. Qui etiam pro ſalute humani generis in ligno crucis paſſus & mortuus, deſcendit ad inferos, reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum; ſed deſcendit in anima, & reſurrexit in carne, aſcenditque pariter in utroque: venturus in fine ſæculi, judicaturus vivos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundùm opera ſua tam reprobis, quàm electis: qui omnes cum ſuis propriis reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant, ut recipiant ſecundùm opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala; illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

Una verò eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſalvatur. In qua idem ipſe Sacerdos eſt ſacrificium Jeſus Chriſtus, cujus corpus & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, transſubſtantiatis pane in corpus & vino in ſanguinem poteſtate divina: ut ad perficiendum myſterium unitatis, accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere niſi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus. Sacramentum verò baptiſmi (quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, conſecratur in aqua) tam parvulis, quàm adultis in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum proficit ad ſalutem. Et ſi poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari. Non ſolùm autem virgines & continentes, verùm etiam conjugati, per fidem rectam & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

SUMMARIUM.

1 *Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cur ſimpliciter Generale Concilium fuerit appellatum, & num.* 11.

2 *Conciliorum generalium præſtantia quibus ex cauſis ſit deſumenda.*

3 *Nicæni Concilii authoritas & praeminentia quæ, & n.6.*

4 *Fides una eſt ſimplex & incommutabilis, quæ in omnibus univerſalibus Conciliis declaratur.*

5 *Conciliorum quatuor univerſalium dignitas.*

6 *Miraculum in Nicæna Synodo.*

7 *Concilia nationalia, quibus Summi Pontifices, vel eorum Legati præfuerunt, an & quomodo univerſalia, ſeu generalia nuncupari poſſint.*

8 *Oecumenicum Concilium quod dicatur.*

9 *Concilia Oecumenica quæ, & quot in Eccleſia fuerint hactenus celebrata.*

10 *Concilia omnia univerſalia ſolius Romanæ Eccleſiæ authoritate fiunt, & roborantur.*

12 *Firmitas quid ſit.*

13 *Fidei diffinitio quæ, & num. ſeqq.*

14 *Spes eſt cupidorum.*

15 *Fidei articulos explicitè credere an neceſſarium ſit ad ſalutem cuilibet habenti uſum liberi arbitrii, an verò ſufficiat illos credere implicitè, & n.ſeqq.uſq; in finē.*

16 *Pueris, & ſtultis baptizatis ſuffragatur meritum Chriſti, cujus facti ſunt participes in perceptione Sacramenti.*

17 *Fides implicita & explicita quid ſit.*

18 *Adulti omnes etiam ſimplices & laici tenentur explicitè credere Deum eſſe, & eſſe remuneratorem omnium bonorum.*

19 *Laicis & ſimplicibus an ſufficiat implicitè credere articulos fidei, & num.* 41. *& ſeqq.*

20 *Erranti in fide non imputatur, ſi ex ſimplicitate deficiat, & fidem ſuam ſupponat fidei Eccleſiæ.*

Hæreticus, & erraticus qualiter differant, ibid.

21 *Clerici inferiores qualiter teneantur laicos excedere in cognitione diſtincta fidei, & num.* 50.

22 *Clericis an liceat explicitæ cognitioni articulorum fidei præponere alia opera pietatis, aut alias ſcientias.*

23 *Prælati Eccleſiarum, & alii curam animarum habentes, & officium docendi fidem, tenentur explicitè ſcire articulos Symboli Patrū, & Athanaſii, n.ſeqq.& n.49.*

24 *Epiſcopi tenentur de fidei articulis reddere rationem omni poſcenti, & hæreticos perſequi, & confutare.*

25 *Epiſcopus ordinandus ſuper quibus examinari debeat, ex decreto Concilii Carthaginenſis IV.*

26 *Symbolum quid ſit, & quotuplex.*

27 *Symbolum Apoſtolorum ubi, quando, & cur ab Apoſtolis compoſitum fuerit.*

28 *Symbolum unde dictum.*

29 *Fidei articuli in Symbolo Apoſtolorum comprehenſi quot numerentur, & qualiter ſinguli ſingulis Apoſtolis attribuantur.*

30 *Symbolum Nicænum ubi, quando, & cur dictum.*

31 *Spiritum ſanctum à Filio procedere, quando & cur ab Eccleſia diffinitum fuerit, & num. ſeqq.*

32 *Symbolum majus cujus authoritate decantetur in Miſſa.*

33 *Symbolum,* Quicumque vult, *ubi & cur editum ab Athanaſio, & quomodò Eccleſiæ authoritate receptum fuerit.*

34 *Symbolum fidei ordinare Summi Pontificis munus eſt, non privatorum Patrum, & num.* 38.

35 *Symbolo Apoſtolorum alia Symbola à diverſis Conciliis fuerunt addita ad explanationem veritatis, & excluſionem errorum inſurgentium, & num. ſeqq.*

36 *Conſtitutio, de qua hìc, an congruè dici poſſit quartum Symbolum.*

37 *Fidei profeſſionis formula à Pio IV. præſcripta Symbolum appellari poteſt.*

38 *Papa poteſt fidei Symbolum ordinare etiam ſine Concilio.*

39 *Articulus fidei quid ſit.*

40 *Articulus fidei tripliciter accipitur.*

41 *Fidei articulos, qui continentur in Symbolo Apoſtolorum, explicitè credere unicuique neceſſarium eſt ad ſalutem.*

42 *Laicos non teneri ad aliquem fidei articulum explicitè credendum, eſt hæreſis.*

43 *Fidei objectum duplex.*

44 *Myſteria Chriſti, præcipuè quæ ab Eccleſia ſolemnizantur, tam majores, quàm minores tenentur explicitè credere.*

45 *Symbolum Apoſtolorum & Orationem Dominicam omnis Chriſtianus ex neceſſitate ſalutis tenetur memoriter retinere; Symbolum vero Patrum Sacerdotes, & omnes gradus Eccleſiæ, & num.* 50.

46 *Concilii Foro-Julienſis decretum de Symbolo fidei expenditur.*

47 *Confeſſores ex Concilio Provinciali Mediolanenſi quomodo prohibeantur abſolvere pœnitentes, qui memoriter neſciunt Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum fidei, & præcepta Decalogi.*

Compatres fidei rudimenta ignorantes quomodo ex Concilio Mediolanenſi prohibeantur infantes de ſacro fonte ſuſcipere, ibid. verſ. Item in Concilio.

48 *Concilia Provincialia Mediolanenſia approbantur per litteras in forma Brevis. Alia recognoſcuntur, & emendantur à Sacra Congregatione Concilii.*

49 *Epiſcopi legem ſcire debent ſcrutabiliter, non perfunctoriè.*

50 *Clericis an ſufficiat habere fidem implicitam de articulis ab Eccleſia diffinitis.*

51 *De articulis circa fidem continentibus ſententiam veram, ſed ab Eccleſia non diffinitam, an liceat dubitare, aut contrarium aſſerere.*

52 *Propoſitionum in fide peccantium gradus varii.*

53 *Errare, ideſt, aliud pro alio putare in his, quæ ad fidem, aut mores non pertinent, an & quando liceat.*

54 *Propoſitiones multæ ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis cenſura temeritatis notantur in articulis non diffinitis, ſi ratione & authoritate ſint deſtitutæ.*

55 *Actus fidei duplex.*

F*Irmiter*. Hæc Conſtitutio inſcribitur, *Innocentius III. in Concilio Generali*, id eſt, in Concilio Lateranenſi IV. 1
Ubi enim in ſacris Canonibus ſimpliciter fit mentio de Generali Concilio, etiamſi nomen Pontificis non exprimatur, intelligitur de hoc Lateranenſi, ut in *c.Quia nonnulli, infrà de Cler. non reſid. in c.2. de ſtat. Monach.* utrobique in ſuprascriptione, & ſæpè alibi; & in corpore in *c. Eccleſia veſtra, il 2. de elect. in c. Quamquam, in c. Si cui, eod. tit. lib.6. & in c. final. de Capell. Monachor. ubi gloſ.2.* dicit Concilium Innocentii ſic ſemper appellari. Non tamen putes ita appellatum fuiſſe ex præeminentia, ſeu prærogativa authoritatis, ut aliqui perperam opinati ſunt. Nam etſi hæc Synodus, ut ait Surius in illius præfatione, imprimis inſignis fuerit, & verè Oecumenica, eique interfuerint Epiſcopi quadringenti duodecim, inter quos Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus, Archiepiſcopi tum Latini, tum Græci ſeptuaginta, ac prætereà Abbates & Priores ultra octingentos: tamen ſi præſtantia Conciliorum ſumenda 2
eſſet ex numero Patrum, Concilium hoc præferendum eſſet Nicæno, & ex quatuor Lateranenſibus prima authoritas tribuenda eſſet Lateranenſi II. ſub Innocentio II. in quo fuerunt Epiſcopi circiter mille, ut teſtatur Abbas Urſpergenſis in *Chronic.* & habetur in hiſtoria ejus Concilii *tom.3. Conciliorum part.2. pag.489.* Et tamen, ut de Nicæna Syno- 3
do ſcribit Leo *epiſt. 53. ad Anatolium; Nulla ſibimet de multiplicatione Congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum vel comparare ſe audeat, vel præferre, cùm tanto divinitùs privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus authoritate ſit vacuum, quidquid ab illorum fuerit Conſtitutione diverſum.* Ex parte autem materiæ, tametſi una 4
& eadem ſit fides, ſimplex & incommutabilis, quæ in omnibus univerſalibus Conciliis declaratur, ac diffinitur, ut infrà in §.*Una verò*, & in Extravag. *Unam ſanctam de major. & obed.* & explicat Divus Thomas in 1. *part. quæſt.* 36.

art.

art.2.ad 2.& Turrecrem.*in c. Domino Sancto num.* 2. *&* 7.
verſ. Nobis autem videtur 50. *diſtinct.* Tamen præſtat au-
5 thoritas quatuor Conciliorum Nicæni, Conſtantinopoli-
tani, Epheſini, & Chalcedonenſis, quæ ut Iſidorus ait *lib.*
1. *etymolog.cap.*16.totam principaliter fidem complectun-
tur, quaſi quatuor Euangelia, vel totidem Paradiſi flumi-
na. In eis enim diffinita ſunt altiora fidei principia, & Re-
ligionis Catholicæ fundamenta, majoreſque & pernicioſio-
res fidei hoſtes convicti, & proſtrati fuerunt, Arius, Eu-
nomius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, & Dioſco-
rus, impiaque eorum dogmata condemnata, ut *in c. Ca-
nones*, & ibi Turrecrem. *in* 2. *par. num.* 1. *verſ. In oppoſi-
tum, & in cap.Sancta Romana* 15. *diſtinct.* Ac propterea ſi-
cut Euangelii quatuor libros, ita quatuor hæc Concilia ſe
ſuſcipere, & venerari fatetur Gregorius *lib.*1.*Regeſt.Epiſt.*
24. quia in eis veluti in quadrato lapide fidei ſtructura con-
ſurgit, ut refertur *in cap.Sicut ead.diſtinct.*Quòd ſi in præe-
6 minentia Conciliorum, ſicut arguit Turrecrem.*loc.citato*,
habenda ſit ratio Sanctitatis Patrum, in Nicæna Synodo,
ut Ambroſius inquit *lib.*1.*cap.* 1. *de fid. ad Gratian. Augu-
ſtum*, trecenti decem, & octo Sacerdotes, tanquam Abra-
hæ electi judicio conſona fidei virtute victores velut tro-
phæum toto orbe ſubactis perfidis extulerunt, & inter hos
quamplurimi Confeſſionis gloria, martyrio, & miraculis
clari, ut videre eſt in hiſtoria ejus Concilii *tom.*1.*Concilio-
rum par.*1.*pag.*263.& in notis *pag.*298.& uberiùs apud Car-
dinalem Baronium *ad annum* 325.*à n.*20. *uſque ad num.* 48.
Ex quibus duo Epiſcopi jam vita functi à reliquis Patribus
ad ſepulchrum requiſiti propria manu ſubſcripſerunt Syno-
do in hæc verba: *Chryſanthus, & Mauſonius, qui cum Pa-
tribus omnibus in ſancta prima Oecumenica Nicæna Synodo
conſentimus, quamvis corpore translati, manu tamen pro-
pria nos quoque libello ſubſcripſimus*, ut refert Nicephorus
*lib.*8.*Hiſtoriæ Eccleſi.cap.*23.Unde non mirum, ſi hæc Sy-
nodus ab Euſebio *lib.* 3. *de vita Conſtantini*, & Auguſtino
*lib.*1.*de Bapt.c.*18.Orbis terræ Concilium appellatur, & ali-
bi, Verbum Domini, Divinum, & Sanctiſſimum Oracu-
lum Spiritus ſancti, ut apud Athanaſium *epiſt. ad Epiſcop.
Afric.*Leonem *Epiſt.*53. *ad Anatolium*, & Cyrillum 1. *de
Trinitate*, & ſimpliciter Magnum Concilium *in c. Non
oportet* 7.*q.*1.*& in VI.Synodo act.* 18. Denique ſi in dignita-
7 te Conciliorum ſpectanda ſit antiquitas, juxta textum in *c.
Domino Sancto in fin.* 50. *diſt.* eodem modo inter omnia
Concilia univerſalia ſupremum locum obtinuit Nicænum,
quod fuit primum Oecumenicum in Eccleſia celebratum.
Nam quatuor Apoſtolorum Concilia, quorum prima eſt au-
thoritas, & Concilia nationalia, quibus Summi Pontifices
per ſe, vel per ſuos legatos aliquando præfuerunt, quamvis
univerſalia, ſeu generalia appellari poſſint ſecundùm hoc,
quòd ab univerſalis Eccleſiæ capite congregata de univerſa-
libus rebus tractent, & generaliter omnes fideles ad legum
ſuarum obſervantiam adſtringant, ſecundùm Turrecrem.
in d.c.Canones in 1.*par.num.* 3. *diſtinct.* 15. ideòque Conci-
lium Turonenſe ſimpliciter dicatur Generale Concilium *in
c.*1.*de Uſur. ut ibi per gloſſ. in ver. Concilii*, & Cardin. *in
Clem.unic.n.*6.*de Imm.Eccl.* & Athanaſius *Apolog.* 2. gene-
rale Concilium appellet primam Synodum Alexandrinam,
cui tantùm interfuerunt Epiſcopi, qui Alexandrino Prima-
8 ti parebant, unà cum Oſio Cordubenſi Epiſcopo Silveſtri
Papæ legato: tamen dici non poſſunt Oecumenica, ſeu uni-
verſalia ab univerſitate orbis; quia Oecumenicum Conci-
lium eſt, cui Epiſcopi totius orbis, niſi legitimè impedian-
tur, intereſſe poſſunt, ac debent, cuique nemo alius,
quàm Romanus Pontifex per ſe, vel per Legatos ſuos præ-
ſidet. Quod etiam ab Auguſtino plenarium Concilium
appellatur, ut per Turrecrem. *in d. cap. Canones in* 1. *par.*
9 *num.*3. In præcedentibus autem annis, ut inquit Iſidorus
ibidem relatus, perſecutione fervente, docendarum ple-
bium minimè dabatur facultas; inde Chriſtianitas in
diverſas hæreſes ſciſſa eſt, quia non erat licentia Epiſcopis
in unum conveniendi, niſi tempore Conſtantini Impe-
ratoris, ſub quo Sancti Patres in Nicæno Concilio de
omni terrarum orbe convenientes ſecundum poſt Apo-
ſtolos Symbolum tradiderunt. Itaque quod ſpectat ad
antiquitatem, Concilium Innocentii III. fuit habitum
anno Domini M.CCXV. Pontificatus illius decimo octa-
vo, & fuit duodecimum Oecumenicum. Nam ante
illud præceſſerant Nicænum ſub Silveſtro, Conſtantino-
politanum ſub Damaſo, Epheſinum ſub Cœleſtino, Chal-
cedonenſe ſub Leone, Conſtantinopolitanum II. ſub Vi-
gilio, Conſtantinopolitanum III. ſub Agathone, Nicæ-
num II. ſub Adriano I. Conſtantinopolitanum IV. ſub
Adriano II. quæ octo ex ordine recenſentur *in cap. Sancta*
16. *diſtinct.* & collecta fuerunt intra quingentos quadra-
ginta quinque annos, ſecundùm Cardin. Alban. *in tract. de
poteſtate Papæ, & Concilii par.*2. *num.*33. Concilium enim
Sardicenſe in numero univerſalium Conciliorum non
computamus; quia etſi fuerit verè Oecumenicum ſub Ju-
lio I. ex 376. Epiſcopis congregatum, ut probant Baronius
*ad ann.*347.*num.*7.8. *&* 9. & Bellarminus *lib.* 2. *de Roman.
Pont.c.*21.tamen fuit appendix Nicænę Synodi, & tantum-
modò illius Canones explicavit, ut patet ex notis ad illud
Concilium *tom.*1.*par.*1.*pag.*445.& idem dicimus de Oecu-
menico Ariminenſi ſub Liberio I. in quo tantùm Nicæna fi-
des fuit confirmata, ut in notis ad idem Concilium *eodem
tomo pag.*482.Item Concilium Innocentii præceſſerunt La-
teranenſia ſub Calliſto II. Innocentio II. & Alexandro III.
Poſt illud verò ſex tantùm celebrata fuerunt, nempè duo Lu-
gdunenſia ſub Innocentio IV. & Gregorio X. Viennenſe ſub
Clemente V. Florentinum ſub Eugenio IV. Lateranenſe no-
viſſimum ſub Leone X. & Tridentinum, quod fuit deci-
mum octavum, & ultimum Oecumenicum ſub Paulo III.
Julio III. & Pio IV. Omittimus enim Conſtantienſe ſub Mar-
tino V. & Baſileenſe ſub Eugenio IV. quia etſi fuerint Oecu-
menica, tamen ex parte reprobata fuerunt, ut dixi *in c. ſi-
gnificaſti infrà de elect. & in cap.*1.*de ſchiſmat.*Hæc de ratio- 10
ne antiquitatis. In reliquis verò una, & eadem eſt authori-
tas, qua univerſa Concilia congregantur, & roborantur, *d.
cap.Significaſti*, ibi: *Cum omnia Concilia per Romanæ Ec-
cleſiæ authoritatem & facta ſint, & robur acceperint*, *c.*1.*&
per totam* 17.*diſt.*& docet D.Thomas *in* 2.2.*qu.*1. *art.* 10. &
Turrecrem.*in c.Sancta Romana num.*3.15.*diſt.*idemque, &
unus Spiritus Sanctus, utpotè magiſter veritatis, eſt inſpi-
rator mentium Patrum in Concilio, ac illuſtrator, & do-
ctor, ſecundum illud ad Hebr.11.*Viſum eſt Spiritui Sancto,
& nobis*. Unde & eodem Spiritu Sancto Canones univerſa-
lium Conciliorum conditi ſunt, *c.Violatores* 25.*q.* 1. Quare
hoc reſpectu inter Concilia univerſalia non conſtituitur
differentia, Turrecrem.*loc.cit.*Dicendum eſt igitur hac tan- 11
tùm ratione Concilium hoc Innocentii ſimpliciter fuiſſe ap-
pellatum generale, quia cùm paulò ante fuiſſet celebratum
aliud Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. idque
jam ubique appellaretur Concilium Lateranenſe, etiam
ſine ulla Pontificis mentione, *ut in cap.* 2. *in inſcript. de
Stat. Monach. & in c. Quod Dei timorem in corpore eodem
tit.* & alibi ſæpè; ad conſtituendam differentiam inter hæc
duo Concilia, & majoris facilitatis gratia, hoc poſterius
fuit ſimpliciter nuncupatum generale, quod inſinuatur
in Clem. unic. de Immunit. Eccleſiarum, in illis verbis: *In
Lateranenſi, & Generali Conciliis*, ubi in ſpecie hoc obſer-
vat Cardin.*num.*6. & ante eum Hoſtienſis in *c. fin. de Ca-
pell. Monach. num.*1. dicens: *Et Lateranenſe generale fuit,
quod Dominus Alexander III.tenuit, & ſimpliciter genera-
le fuit, quod Dominus Innocentius III. celebravit.* Utrum-
que ergo ſic appellari poteſt. Ad differentiam autem Conci-
lium Alexandri vocatur Lateranenſe propriè, & Conci-
lium Innocentii Generale. Hæc de nuncupatione gene-
ralis Concilii.

An autem Conſtitutiones in Concilio editæ denomi-
nandæ ſint à Papa, vel à Concilio, dicam *infrà in c.* 1. *de
Pact.* ubi Abb. & DD. tractant materiam. Rurſus an Con-
ſtitutiones editæ à Papa in Concilio cenſeantur conciliares
ad effectum derogationis, examino in *c.Ex parte de Capell.
Monach.*

His circa inſcriptionem expeditis, hæc Conſtitutio di- 12
viditur in duas partes principales. In prima uſque ad
§. *Una verò*, tractat *de Summa Trinitate, & ejus operibus;
de fide Catholica, & articulis fidei.* In 2. *de Sacramentis
Euchariſtiæ, Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Conjugii*; nec ali-
ter ſolet ſummari.

In principio textus nota illud verbum, *firmiter*, id eſt,
conſtanter, & ſine ulla hæſitatione, ſecundùm illud Jaco-
bi 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Fides enim am-
biguum non habet; aliàs ſi habet, fides non eſt, ſed opinio,
ut Bernardus inquit *lib.* 5. *de conſideratione ad Eugenium
III.* & Turrecrem. *in Summ. de Eccleſ.lib.* 2. *c.* 99. & du-

A 2 bius

bius in fide infidelis eſt, *c.* 1. *infrà de Hæret. c. Apertè*, & ibi gloſſ. *in ver. Titubabat.* 24. *quæſt.* 1. *gloſſ.* 2. & Hoſtienſ. hìc *in*
13 *princip.* Jo. Andr. *ſup. in rubr. n.* 11. & Bald. *n.* 5. Firmitas autem ſecundùm Iſidorum hic relatum à Jo. Andr. & Bellam. *in princ.* eſt animæ conſtantia, qua quis rei apprehenſæ ita tenaciter adhæret, ut ab ea aliquo impulſu evelli, vel ſeparari non poſſit. Tanta enim debet eſſe fidelium conſtantia, ut priùs auferatur vita, quàm fides, *c. Convenior* 23. *q.* 8. Unde fides, prout accipitur hic, ita diffinitur per gloſſ. Hoſtienſ. & Jo. Andr. *ſup. in rubr. Fides eſt voluntaria certitudo abſentium infrà ſcientiam, & ſupra opinionem conſtituta*; quam quidem certitudinem, ac firmitatem inſinuat Apoſtolus *ad Hebr.* 11. cùm ait: *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Nam per *argumentum*, intellectus inducitur ad alicui firmiter adhærendum. Unde alia littera habet, *convictio*, quia ſcilicet per authoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad aſſentiendum his, quæ non videt, ut explicat D. Thom. *in* 2. 2. *q.* 4. *art.* 1. Quod enim fide tenetur, propter fidei certitudinem exiſtimatur impoſſibile aliter ſe habere, ut idem ait *q.* 1. *art.* 5. *ad* 4. Declaratio tamen Apoſtoli non videtur propriè diffinitio, ſed quædam notificatio fidei, cùm non ſit convertibilis cum ſuo diffinito, ſecundùm gloſſ. *ſuprà in rubr.* & Hoſtienſ. *num.* 4. Nam ſpes ſimiliter eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, & tamen non eſt fides. Deindè diffinitio hæc videtur tantùm loqui de futuris; cùm tamen fides ſit tam de præſentibus, quàm de præteritis, & futuris, eo quòd habet ſe ad omnia. Ad præterita, quia credendum eſt Chriſtum fuiſſe natum, & paſſum. Ad præſentia, quia credendum eſt in Sacramento Altaris Chriſti corpus, & ſanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter contineri. Ad futura, quia credere debemus ipſum venturum,
14 & judicaturum vivos, & mortuos. Addo, quòd multa ſunt credenda, quæ tamen non ſunt ſperanda, ut infernus, & alia id genus, de quibus non poteſt eſſe ſpes, ſed timor, ut per D. Thomam in 1. 2. *qu.* 23. *art.* 2. Quia ſpes eſt cupidorum, *c.* 1. §. *fin. de elect. lib.* 6. ubi id notat Archid. *in ver. Spem num.* 7. & dicit extenſionem appetitus in id, quod appetibile eſt, ut idem S. Thom. declarat *in* 3. *diſt.* 26. *qu.* 1. *art.* 1. Doctores tamen communiter ſalvant diffinitionem Apoſtoli, ut dicit Abb. *ſuprà in rubr. num.* 1. eamque in ſpecie tuentur ibi Jo. Andr. *num.* 15. Anton. de Butr. *num.* 3. Bellam. *n.* 5. & Card. *n.* 6. qui ampliùs in quæſtione ſequenti impugnat ſupradictam diffinitionem gloſſæ Bernardi. Verùm ſolutiones eorum non adæquant intellectum quoad præterita, & inappetibilia, de quibus quamvis eſſe poſſit argumentum non apparentium, non tamen poteſt eſſe ſubſtantia ſperandarum rerum. Unde de his conſule Theologos *in* 3. *diſt.* 23. & præſertim S. Thomam ibi *qu.* 2. *art.* 1. ubi ait, prædictam aſſignationem Apoſtoli eſſe rectam, & propriam diffinitionem fidei quantum ad ea, quæ exiguntur ad modum diffinitionis; *& in* 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 1. ubi oſtendit illam eſſe perfectiſſimam diffinitionem, & omnes alias diffinitiones, quæ de fide dantur, ut ab Auguſtino *tract.* 40. *in Joan. à medio tom.* 1. a Damaſceno *lib.* 4. *c.* 12. & a Dionyſio *c.* 7. *de divin. nominib.* eſſe explicationes hujus, quam ponit Apoſtolus. De variis autem acceptionibus fidei, vide *ſuprà in rubr.* per gloſſ. Hoſt. *num.* 3. Jo. Andr. *num.* 14. Bellam. *num.* 4. Card. *num.* 5. *in* 5. *qu.* & per Silveſtrum, & Summiſtas *in ver. Fides.*

15 In textu, ibi, *Credimus.* Quæro, an cuilibet habenti uſum liberi arbitrii neceſſarium ſit ad ſalutem explicitè credere articulos fidei, an verò ſufficiat illos credere implicitè?

Extra controverſiam eſt, cuilibet uſum rationis habenti neceſſarium eſſe ad ſalutem articulos fidei credere, ut in Symbolo Athanaſii: *Quicumque vult ſalvus eſſe, & in verſ. Hæc eſt fides, quam niſi quiſque, &c.* Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, *ad Hebr.* 11. & prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, *c. Prima ſalus* 25. *quæſt.* 1. Di-
16 xi cuilibet uſum rationis habenti, quoniam, ut inquit D. Thomas *in* 3. *diſtinct.* 25. *qu.* 2. *art.* 1. *qu.* 1. pueris, & ſtultis baptizatis ſuffragatur meritum Chriſti, cujus facti ſunt participes in perceptione Sacramenti, quia meritum proprium habere non poſſunt, cùm non habeant uſum liberi arbitrii, quod exigitur ad meritum. At verò quicumque uſum liberi arbitrii habent, tenentur ad merita Chriſti & meritum proprium addere: meritum autem conſiſtit in actu virtutum; unde ad ſalutem ipſorum oportet, ut ſit & actus, & habitus virtutum. Actus autem virtutum dependet ab actu fidei, quæ intentionem dirigit; unde in omni, qui habet liberum arbitrium, exigitur ad ſalutem ejus, ut habeat actum fidei, & non ſolum habitum. Hæc D. Thomas. In modo tamen credendi eſt diverſitas ſecundùm perſonarum diverſitatem, ut hìc per Compoſt. in princ. Unde dubitant hìc Doctores, an cuilibet adulto neceſſarium ſit articulos fidei explicitè credere.

Ad evidentiam præmittendum eſt cum Archid. *in c. Canones num.* 7. 15. *diſtinct.* implicitè credere eſſe generaliter credere, quod Catholica tenet, vel credit Eccleſia; & in hoc conveniunt omnes. Explicitè autem credere eſt ſpecialiter, & actualiter credere, ſecundum eum; quod fuſiùs explicat Cajetanus *in* 2. 2. *qu.* 2. *art.* 5. Sed Joan. Andr. *ſuprà in rubr. num.* 25. Bellam. *num.* 3. Cardin. *num.* 13. Abb. *num.* 5. dicunt: Explicitè credere eſt ſcitè articulos explicare, diſtinguere, & defendere. Verùm magis videtur congruere declaratio Archidiac. quia multi ſunt articuli, quos etiam rudes, & ſimplices tenentur explicitè credere, ut inferiùs patebit, & tamen nec ſciunt, nec poſſunt illos explicare, aut defendere. Unde, ut inquit S. Thomas *in* 3. *diſt.* 25. *qu.* 2. *art.* 1. *qu.* 1. *ad* 4. ea, quæ ſunt ſupra rationem ad fidem pertinentia, non proponuntur hominibus ſimplicibus, ita quòd res ipſa diſcutiatur, ſed in verborum ænigmate, quibus aſſentiant. Præterea reſpondere, & confutare circa fidei articulos, eſt peculiaris obligatio Epiſcoporum, *c. Excommunicamus il* 1. *infrà de Hæret.* & patebit paulò *infrà in* 5. *concl. nu.* 24. reliqui verò id non tenentur, & tamen obligantur ad credendum explicitè, ut inferiùs dicemus *num.* 41. Ergo explicitè credere non eſt ſcitè articulos fidei explicare, & defendere, ut dicunt Jo. Andr. & alii ſuprà relati.

His præcognitis, quoad quæſtionem propoſitam, gloſſ. 1. *ſuprà in rubr.* ſic ait: Principales autem articuli fidei noſtræ ſunt ſeptem, ſecundùm quòd ſeptem ſunt dona Spiritus Sancti, quos quilibet Chriſtianus ſcire tenetur, Clerici explicitè, Laici implicitè, & credere ſicut tenet Eccleſia, & ſunt hi: Incarnatio, ſive Nativitas, Baptiſmus, Paſſio Chriſti, ſive Mors ejus, Deſcenſus ad inferos, Reſurrectio, Aſcenſus in cœlum, Adventus ejus in judicium. Innocentius verò hìc latiùs diſtinguit, ex cujus dictis eliciuntur concluſiones infraſcriptæ.

Prima concluſio eſt; Omnes adulti etiam ſimplices, & 18
laici tenentur explicitè credere Deum eſſe, & eſſe remuneratorem omnium bonorum. Ita Innocentius hìc, & Jo. Andr. *ſuprà in rubr. n.* 27. Card. *n.* 15. & Abb. *n.* 6. Hæc enim ſunt mentibus hominum infixa, ut in Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; ſecundùm Compoſt. hìc *num.* 4. & hæc prima concluſio nullam habet dubitationem: nam, ut inquit Apoſtolus ad Hæbreos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt.* Addit Hoſtienſ. *ſup. in rubr. n.* 12. *Et punitor omnium malorum*: & benè, quia contrariorum eadem eſt ſcientia, ſeu ratio cognoſcendi, ut habetur 1. *Topic. c.* 12. *& inſtit. de his, qui ſunt ſui, vel alieni juris, in princ. verſ. Nam ſi cognoverimus*, & ibi Aretin. id quod aliis verbis explicat Sylveſter *in ver. Fides n.* 6. ex mente S. Thom. *in* 2. 2. *qu.* 2. *art.* 8. *ad primum*, dicens, teneri quemlibet Chriſtianum explicitè credere Deum eſſe, & providentiam ejus.

Secunda concluſio: Simplices & fortè omnes laici non tenentur alios fidei articulos à ſupradictis explicitè credere, ſed ſatis eſt, ut credant verum eſſe, quidquid credit Eccleſia Catholica. Quod procedit etiam quoad laicos, quibus Deus dedit talentum perſpicacis ingenii; nam quamvis meliùs faciant, ſi ſuum ingenium impendant in cognitione diſtincta fidei; tamen, ut inquit Innocentius hìc *n.* 6. non videntur peccare, ſi ei non intendant; ſed videtur eis ſufficere, ut talenta eis credita non abſcondant in terra, id eſt, in terrenis, ſed bonis operibus inſiſtant. Cujus dictum totidem verbis ſequuntur ſuprà in *rubr.* Hoſtienſ. *n.* 17. Jo. Andr. *n.* 27. *&* 31. Butr. *n.* 10. *verſ. Imo*, & ſecundùm eos Card. *n.* 16. *verſ. De laicis autem*, Imol. *n.* 12. *verſ. De laicis*, Abb. *n.* 7. & Bellam. *hic n.* 9. *ver. Verum tamen dicit.* Idemque de Laicis litteratis concludit hìc Compoſt. *n.* 11. Nam etſi ex dono ſcientiæ, quam à Deo habent, & ex debito rationis videantur teneri ad diſtinctam cognitionem articulorum fidei; tamen non peccant mortaliter, ſi ignorent, vel ſi de his quærendis non ſint ſoliciti; quia

eorum

eorum profeſſio ad hoc non eſt. Ita Compoſt. quem referunt, & ſequuntur Jo. Andr. *d. num.* 31. Butr. Card. Imol. & Bellam. in locis proximè citatis. Verùm hæc ſecunda concluſio cum prædictis ampliationibus quàm ſit periculoſa, patebit ex his, quæ dicemus *infrà num.* 41. *& ſeqq.*

20 Tertia concluſio, ſecundùm Innoc. hìc *num.* 7. Si quis habeat fidem implicitam, eo quòd credat, quidquid Eccleſia credit, ſed falsò opinetur, ratione naturali motus, Patrem eſſe majorem, ſeu priorem Filio, vel tres perſonas eſſe tres res à ſe invicem diſtinctas, non eſt hæreticus, nec peccat, dummodò errorem ſuum non defendat, & hoc ipſum credat, quia credit Eccleſiam ſic credere, & ſuam opinionem fidei Eccleſiæ ſupponit; nam etſi malè opinetur, tamen hæc non eſt fides ſua, imò fides ſua eſt fides Eccleſiæ, ut infrà eod. *c. Damnamus circa fin. Ad hoc, c. Dixit Apoſtolus*, & ibi gloſſa in *ver. Pertinaci* 24. q. 3. & idem hìc repetit Compoſt. *num.* 16. Bellam. *num.* 10. *verſ. Item quæro, & ſup. in rubr.* Hoſtien. *num.* 18. Jo. Andr. *n.* 20. Bald. *nu.* 12. Card. *num.* 14. Butr. *n.* 11. & Abb. *num.* 7. & in hoc ultimo conſentit B. Thomas in 2. 2. *qu.* 2. *artic.* 6. *ad* 2. dum ait, non imputari laicis, ſi non inveniantur pertinaciter perverſæ doctrinæ adhærere, ſed in talibus ex ſimplicitate deficiant; & ibi Cajetanus, & idem S. Thomas 1. *Corinth. c.* 11. *lect.* 4. *& in* 3. *ſentent. diſtinct.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 1. *qu.* 3. *ad primam, & ſæpè alibi.* Direct. Inquiſ. *par.* 1. *q.* 4. Alphonſ. Caſt. *lib.* 1. *c.* 9. *de juſta Hæret. punit.* Albertin. *tract. de agnoſcend. Aſſert. q.* 12. *n.* 4. *& q.* 23. *n.* 3. Navar. *in manual. prælud.* 1. *n.* 10. *verſ. Nono infertur*. Unde Bald. hìc *num.* 1. dicit eſſe differentiam inter erraticum, & hæreticum; nam ſimplices homines ſunt erratici, quia errant, & tamen non ſunt hæretici, quia nolunt diſcedere à Chriſto. Super quibus tamen conſule Franciſcum Pegniam in *direct. par.* 1. *in q.* 7. *ſchol.* 20. ubi in hac materia diſtinctè tradit regulas, quibus in foro exteriori utendum ſit in caſibus contingentibus.

21 Quarta concluſio. Clerici inferiores ſi ſint pauperes, quos oportet victum propriis manibus quærere, *c. Clericus* 12. *diſtinct.* & ideò non poſſunt ſtudiis vacare, quia non habent magiſtros, vel expenſas; ſatis eſt, ut ſciant fidei articulos ſicut ſimplices laici, & aliquantulùm plus, *arg. c. Clericus in fin.* 21. *diſt.* ſicut de Sacramento Altaris, quia oportet eos credere in eo Sacramento confici verum Corpus Chriſti; & hoc ideò, quia circa illud quotidie verſantur pluſquam laici. Ita Innoc. hìc *n.* 4. Compoſt. *n.* 8. & Bellam. *n.* 9. *verſ. Si verò loquimur, & ſuprà in rubr.* Hoſtienſ. *n.* 16. adjiciens turpe eſſe, & opprobrioſum ignorare id, circa quod quis quotidiè verſatur, *l.* 2. §. *Servus autem Sulpitius, ff. de origine juris*, Jo. Andr. *n.* 30. Butr. *n.* 10. Card. *n.* 15. *verſ. De Clericis verò inferioribus*, Imol. *n.* 12. & Abb. *n.* 6. Sin autem Clerici habeant magiſtros, & expenſas ad diſcendum, tunc peccant, niſi in cognitione diſtincta fidei magis proficiant, quàm laici, ſecundùm Innocentium, & alios locis citatis. Gemin. in *c. Canones* 15. *diſtinct.* dicens peccare Clericum, qui habet unde vivat, ſi magis explicitè neſciat,
22 quæ ſunt fidei, quàm laici; quem refert, & ſequitur ibi Præpoſitus *nu.* 11. Quod tamen procedit, niſi ſubſit aliqua rationabilis cauſa, cur Clerici habentes magiſtros, & expenſas, non profecerint in cognitione diſtincta fidei, puta propter duritiem ingenii, vel quia oportuit eos circa alia opera pietatis intendere, veluti circa exhibita neceſſaria confratribus pauperibus, vel hoſpitibus, aut circa alia opera charitatis. Ratio eſt ſecundùm Innocentium hìc *num.* 5. quia cùm ejuſmodi Clerici non teneantur ad explicitam cognitionem articulorum, benè licet eis explicitæ cognitioni præponere alia opera pietatis. Codex enim eſt mendoſus in *ver. Poſtponere*, & corruptè etiam refertur ab Eymerico in *Direct. Inquiſ. par.* 1. *in princ. pag.* 19. legendum eſt enim *Præponere*: alioquin ratio illa, *Cum non teneantur*, non congrueret, & Innocentius eſſet ſibi contrarius: unde ſic refertur à Jo. Andr. *ſup. in rubr. num.* 30. Butr. *nu.* 10. Card. *num.* 16. & Bellam. hìc *num.* 9.

Debebit autem Sacerdos ſecundùm Innocentium diligenter ſcrutari cauſam, cur Clerici non proficiant, & pro modo ignorantiæ, vel negligentiæ eis pœnitentiam injungere. Addit Innocentius, ex cauſa poſſe Clericos ſine peccato ſcientiæ fidei præponere alias ſcientias, ut ſi velint addiſcere ſcientiam Juris, ut pauperes in judicio defendant, ne opprimantur. Et ſequitur hìc Compoſt. *num.* 10. dicens, Clericos teneri magis intendere circa cognitionem fidei, quàm Juris, & aliarum ſcientiarum, niſi obediendo Superiori, vel ex alia cauſa circa alias ſcientias intendant; & conſentiunt alii locis citatis. Verùm hæc quarta concluſio, dum in ſua diſtinctione, & declaratione excuſat Clericos à cognitione explicita, ſeu diſtincta articulorum fidei, ſi ita generaliter accipiatur, itidem non vacat periculo, & confunditur in his, quæ dicemus infrà *n.* 41. *& n.* 50.

Quinta, & ultima concluſio ex Innocentio *n.* 2. & Compoſt. 23 *num.* 5. Prælati Eccleſiarum quicumque curam animarum habentes debent excedere hanc fidei menſuram: oportet enim eos explicitè, & diſtinctè ſcire articulos fidei, qui continentur in Symbolo, *Credo in unum Deum*, & in Symbolo, *Quicumque vult*, *c.* 1. *& per tot.* 38. *diſt.* idemque de omnibus habentibus officium docendi fidem, ſcilicet Sacerdotibus, Profeſſoribus, Doctoribus, & Prædicatoribus, ex D. Thoma in 3. *diſtinct.* 25. *qu.* 2. *art.* 1. *qu.* 3. S. Bonav. & Richar. tradit Silveſt. *in ver. Fides nu.* 6. *verſ. Quilibet autem habens officium docendi*. Inter hos autem Epiſcopi debent alios excedere in hujuſmodi cognitione, quia 24 tenentur de his articulis reddere rationem omni poſcenti, §. *Ecce* 36. *diſtinct. c. Omnes* 38. *diſtinct.* &, ut inquit Hoſtienſis *ſup. in rubr. num.* 13. ſcire debent circa prædicta opponere, & reſpondere, & Hæreticos perſequi, & confutare, *c. Excommunicamus il* 1. §. *Adjicimus, & §. penult. infrà de Hæret.* quamvis non teneantur ex tempore ad omnia reſpondere, ſed ex deliberatione, ac ſi oportuerit etiam cum aliorum conſilio, ſecundùm prædictos; cum quibus concordant Jo. Andr. Butr. Card. & alii locis præallegatis. Rationem reddit D. Thomas in 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 6. quia ſicuti ſuperiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus divinis, quàm inferiores, ut dicit Dionyſius *c.* 12. *cœleſtis Hierarchiæ*: ita etiam ſuperiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere: & ſequitur Direct. Inquiſ. *par.* 1. *quæſt.* 4. Quid autem in ſpecie oporteat Epiſcopos explicitè ſcire, conſtat 25 ex Concilio Carthaginenſi IV. *c.* 1. ſub Anaſtaſio ab Epiſcopis 214. (inter quos Auguſtinus) celebrato, & approbato à Leone III. quod habetur *tom.* 1. *Conciliorum part.* 1. *pag.* 588. & plenius ex Pontificali Romano in *rubr. de ordinatione electi in Epiſcopum*.

Cæterùm etſi cum Innocentio in prædictis concluſionibus tranſeant communiter Canoniſtæ, tamen quia illius doctrina in aliquibus patitur difficultatem; pro clariori quæſtionis ſolutione obſervandum eſt ante omnia, quid, & quotuplex ſit Symbolum. Item quid ſit articulus, & quot modis accipiantur.

Symbolum, quod ſpectat ad rem præſentem, nihil eſt 26 aliud, quàm collectio ſententiarum fidei, ut patet ex D. Thoma in 2. 2. *quæſt.* 1. *artic.* 9. & S. Antonino *part.* 4. *tit.* 8. *c.* 4. §. 3. vel ſecundùm Jo. Gerſonem *in Compendio Theologiæ*, eſt omnium credendorum ad ſalutem ſpectantium compendioſa collectio: nam, ut ait Caſſianus *lib.* 6. quidquid per univerſum divinorum voluminum corpus immenſa diffunditur copia, totum in Symbolo colligitur brevitate perfecta. Et eſt triplex ſecundùm Præpoſitum in *c. Canones n.* 8. 15. *diſt.* & Concilium Lingonien. *anno* 1404. ut in Decretis Eccleſiæ Gallicanæ Laurentii Bucchelli *lib.* 1. *c.* 24. *de Symbolis fidei pag.* 11. *littera B.*

Primum Symbolum eſt Apoſtolorum, videlicet ab Apo- 27 ſtolis compoſitum in conventu habito in Judæa *anno Chriſti* 44. ut apud Cardinalem Baronium *eodem anno num.* 14. Nam, ut ſcribit Beatus Clemens in *epiſtola ad Jacobum fratrem Domini*, Chriſto reſurgente, & aſcendente in cœlum, miſſo S. Spiritu, collata Apoſtolis ſcientia linguarum, adhuc in uno poſiti Symbolum, quod fidelis nunc tenet Eccleſia, unuſquiſque quod ſenſit docendo condiderunt, ut diſcedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Unde ſecundùm gloſſam *ſuprà in rubr.* 28 *circa fin.* & Hoſtienſ. *n.* 21. & gloſſ. *in c. Canones in ver. Apoſtolos*, & ibi etiam Archidiac. *nu.* 15. *diſtinct.* dictum eſt Symbolum, quia unuſquiſque Apoſtolorum partem ſuam contulit. Symbolum enim Græcè, Latinè collatio dicitur, ut patet ex eadem epiſtola Clementis, ex Caſſiano *lib.* 3. *de Incarnatione c.* 3. & Ruffino in *expoſitione Symboli*. Ideòque in *c.* 13. *ſeſſ.* 24. Concilii Tridentini Parochianorum Symbola appellantur contributiones illæ, quas Parochiani pro ſua quiſque parte tenentur in unum conferre pro augen-

augendis redditibus exiguis Parochialium Eccleſiarum.

29 Quam ob cauſam reſpectu cauſæ efficientis, id eſt, duodecim Apoſtolorum, qui eadem hora inſtinctu Spiritus Sancti Symbolum ediderunt, fidei articuli dicuntur eſſe duodecim, ſecundùm Hoſtienſ. *ſup. in rubr. n.* 21. Butr. *n.* 15. Card. *num.* 11. & alios communiter. Nam Petrus dixit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.* Andreas: *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum.* Jacobus: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Joannes: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.* Thomas: *Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.* Jacobus Alphæi: *Aſcendit ad cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Philippus: *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos.* Bartholomæus: *Credo in Spiritum Sanctum.* Matthæus: *Sanctam Eccleſiam Catholicam.* Simon: *Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum.* Judas Jacobi, aliàs Thaddæus (Judam vocat Lucas 6. Thaddæum Matthæus 10. & Marcus 3. & 10.) *Carnis reſurrectionem.* Mathias: *Vitam æternam.* Alii verò aliter prædictos articulos attribuunt Apoſtolis, ut patet in verſibus, quos recenſet Card. *ſuprà in rubr. n.* 11. *in fin.* qui conſonant cum ſententia D. Thom. *in* 3. *diſtinct.* 25. *qu.* 1. *art.* 2. Sed in hoc ſecundùm B. Thomam non eſt magna vis. Reſpectu autem cauſæ materialis, fidei articuli à Theologis & Canoniſtis communiter dicuntur eſſe quatuordecim, quorum ſeptem reſpiciunt Divinitatem, & alii ſeptem Humanitatem, ut per Hoſtienſ. *ſuprà in rubr. n.* 26. Butr. *n.* 15. Card. *n.* 12. Et hanc diviſionem ponit etiam D. Thom. *loco citato*, dum ait, articulos fidei dupliciter diſtingui; Uno modo, quantum ad ipſa credibilia, & ſic ſunt quatuordecim: Alio modo, quantum ad ipſos, qui articulos diſtinxerunt, & ſic ſunt duodecim Apoſtolorum. Sed alii aliter dividunt, ut per Hoſtienſ. *in ſumma hujus tit.* §. *Quoties.* In hac tamen diverſitate videtur ſufficere Catholicis ſtare Symbolo, prout jacet, & ſic ponere tantùm duodecim articulos, ut inquit Card. *num.* 12. *in fin.*

30 Secundum Symbolum eſt Nicænum, quod ſcilicet trecenti & octodecim Patres authoritate B. Silveſtri Papæ in Nicæa Bithyniæ urbe congregati, in prima univerſali Synodo ediderunt adverſus Arii impietatem, qui coæternum Patri Filium non agnoſcens, diverſas in Trinitate ſubſtan-
31 tias aſſerebat, ut in *c. Quidam, verſ. Ariani* 24. *quæſt.* 3. & in *d. c. Canones* 15. *diſtinct.* non autem adverſus Græcos, qui non credebant Spiritum Sanctum à Filio procedere, ut incautè ſcripſit gloſſa Bernardi *ſuprà in rubr. circa fin.* & Hoſtienſ. *n.* 21. Hoc enim primum explicitè diffinitum fuit in tertia Synodo univerſali, id eſt, Epheſina contra Neſtorium, ut refertur in *c. de Spiritu de conſecr. diſt.* 5. Nimirum quia hic error de proceſſione Spiritus Sancti priùs nondum irrepſerat, & ideò in Nicæno Symbolo, quod incipit: *Credimus in unum Deum*, nulla de hoc fit explicita mentio; & in Symbolo ſecundæ Synodi univerſalis, id eſt, primæ Conſtantinopolitanæ, tantùm legitur: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum.* Sed hæc verba, *Filioque*, apud Latinos authoritate Leonis I. ab Hiſpanis Epiſcopis primùm fuerunt in Symbolo expreſſa ad confutandos Hæreticos Priſcillianiſtas, ut patet in notis ad Concilium Conſtantinopolitanum I. *tom.* 1. *Conciliorum par.* 1. *pag.* 544. *col.* 1. quod dilucidè poſt gloſſam in *d. c. De Spiritu in ver. Ex Deo Patre*, explicat D. Thom. in 1. *part. quæſt.* 36. *artic.* 2. *ad* 2. dicens: *Quia in tempore antiquorum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium, Spiritum non procedere à Filio, non fuit neceſſarium, ut hoc explicitè poneretur. Sed poſteà inſurgente errore quorundam, in quodam Concilio in occidentalibus partibus congregato, expreſſum fuit authoritate Romani Pontificis, cujus authoritate etiam antiqua Concilia congregabantur, & confirmabantur: continebatur tamen implicitè in hoc ipſo, quod dicebatur Spiritus Sanctus à Patre procedere.* Hæc D. Thomas. Unde in Concilio Florentino *ſeſſ.* 6. diffinitum eſt, explicationem verborum illorum, *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè, ac rationabi-
32 liter Symbolo fuiſſe appoſitam. Itaque hoc Symbolum Nicænum eadem ferè verborum ſerie, & ſententia penitùs eadem ſervata in Synodo Conſtantinopolitana prima adverſus Macedonium repetitum eſt, & ex Decreto ipſius Synodi Damaſus Papa conſtituit, ut cancretur in Miſſa poſt Euangelium, ut referunt Rupertus Tungren. *de Canon. obſer. prop. ult.* & Archid. in *d. c. Canones*, & ibi etiam Præpoſitus *num.* 9. *verſ. Et notandum, quod Damaſus Papa conſtitut.* 15. *diſtinct.* Sed in hoc graviter aberrant, quia ut ſcribit Magiſter in 1. *ſentent. diſtinct.* 11. cùm Leo III. à Carolo Magno rogatus fuiſſet, ut verba prædicta, *Filioque*, ad Symbolum adderentur; non modò renuit id facere, ſed etiam Symbolum abſque eo additamento in argentea tabula exaratum in Altari poſt corpus Sancti Pauli cuſtodiri voluit, ne quibuslibet liberum eſſet aliquid ad ſanctum Symbolum ſuperaddere. Sed cùm poſteà Franci, aliique omnes Boreales populi offenderentur, & periculum Schiſmatis ſubeſſet, quòd Romana Eccleſia publicè confiteri nollet eam doctrinam, quam ad probandos Catholicos, & confligendos Hæreticos, Magnus Leo ante tot ſæcula Hiſpaniarum Epiſcopis tradidiſſet: placuit tandem Benedicto VII. ut idem Symbolum cum expreſſione eorumdem verborum, *Filioque*, ad petitionem Henrici Imperatoris Romæ publicè decantaretur in Miſſa; & incipit: *Credo in unum Deum*, ut teſtatur Bernardus Abbas Augienſis *de rubr. ad Miſſam ſpectant.* Vide Cardinalem Baronium *anno* 447. *num.* 12.

Tertium eſt Symbolum Athanaſii, quod canitur inter 33
Horas Canonicas, ſcilicet in Prima Dominicali, & incipit, *Quicumque vult.* Siquidem Athanaſius Romam à Julio Pontifice vocatus, ut judicaretur, cùm Euſebianorum adventum annum integrum, & ſex menſes expectaret, hoc fidei Symbolum Romæ ſcripſit, ac tanquam Catholicæ fidei ſuæ profeſſionem publicè edidit: fabula enim eſt, quod ab aliquibus aſſeritur, hoc Symbolum ſcriptum fuiſſe ab Athanaſio Treviris in puteo latitante, Baronius *anno Chriſti* 340. *n.* 14. Quod quidem Symbolum unà cum actis Nicænæ Synodi in Archivio Romano diu aſſervatum, tandem poſt multa annorum curricula tradi meruit Eccleſiæ recitandum, ut in notis ad Concilium Romanum II. *to.* 1. *par.* 1. *Concil. pag.* 420. *col.* 1. Atque ita, quamvis Athanaſius, cùm 34
non eſſet Summus Pontifex, ſed Alexandrinus Patriarcha, authoritatem non haberet Symbolum ordinandi; tamen ut advertit D. Thomas *in quæſtione de potentia Dei qu.* 10. *art.* 10. & Præpoſ. in *c. Canones n.* 10. 15. *diſt.* hoc non fecit per modum cujuſdam doctrinæ, ut ex ipſo modo loquendi apparet; ſed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, authoritate Sedis Apoſtolicæ recepta eſt, ut quaſi regula fidei habeatur. Et propterea in omnibus codicibus legitur, Regula, non Symbolum, & Regulam fidei vocat Eugenius IV. in decreto fidei edito in Concilio Florentino, §. *Sexto*, ibi, *Compendioſam illam fidei regulam.* Quoniam Symbolum fidei edere Summi Pontificis munus eſt, non privatorum Patrum, S. Antoninus *p.* 4. *tit.* 8. *c.* 4. §.
3. Symbolo autem Apoſtolorum addita ſunt duo Symbola 35
antedicta, ut inquit D. Thomas in 2. 2. *qu.* 1. *art.* 9. non quia minùs plenè, aut inſufficienter fides Catholica continetur in Symbolo Apoſtolorum; ſed ad explanationem veritatis, & excluſionem errorum. Undè gloſſa *ſup. in rubr.* & Hoſtienſis *num.* 21. dixerunt, Conſtitutionem, de qua hic, eſſe quartum Symbolum, quod ab Innocentio in generali Concilio editum fuit contra Albigenſium, & Almerici hæreſes, & Abbatis Joachimi errores. Etenim, ut ait S. Thomas in 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 9. *ad* 2. & Turrecrem. in *c. Canones num.* 15. *diſt.* 15. in omnibus Symbolis eadem fidei docetur veritas, ſed ibi oportet populum diligentiùs inſtrui de fidei veritate, ubi errores inſurgunt, ne fides ſimplicium per Hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit cauſa, quare neceſſe fuit edere plura Symbola, quæ in nullo alio differunt, niſi quòd in uno pleniùs explicantur, quæ in alio continentur implicitè; ſecundùm quòd exigebat Hæreticorum inſtantia. Itaque gloſſa, & Hoſtienſis Conſti- 36
tutionem, de qua hic, congruè appellant Symbolum, ſed non benè dicunt eſſe quartum, quia alia quoque in præcedentibus Conciliis edita fuerunt, & quinque Symbola univerſalium Conciliorum fuerunt recitata in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. ut patet *tom.* 2. *par.* 2. *Concil. pag.* 452. Et propterea S. Thomas in 1. *par. quæſt.* 36. *art.* 2. *ad* 2. ſcripſit, in ſingulis ferè Conciliis inſtitutum fuiſſe Symbolum aliquod propter aliquem errorem, qui in eo Concilio damnabatur; ſequens tamen Concilium non faciebat aliud Symbolum, quam primum; ſed id, quod implicitè continebatur in uno Symbolo, in alio explanabatur contra

hæreſes

37 hæreſes inſurgentes. Unde non incongruè Symbolum ap-
pellari poteſt etiam forma profeſſionis fidei à Pio IV. præ-
ſcripta in Conſtitutione, quæ incipit, *In ſacroſancta*, edita
idibus Novembr. 1564. in ea enim inſertum eſt ad litteram
Symbolum majus, & alii multi articuli explicitè poſiti, &
in fine, ſicut in Symbolo Athanaſii, dicitur: *Hæc eſt fides*,
&c. Nam & Symbolum appellatur fides, ut in *c. Quiſque*,
juncta gloſſa in *ver. ad fidem de vita*, *& honeſtate Clerico-
rum*, Jo. Andr. *ſup. in rubr. n.* 14. & Bellam. *n.* 24. Fides, id
eſt, collectio articulorum fidei, *cap. Hæc eſt fides* 2. *quæſt.* 1.
38 ſecundùm gloſſam *ibid.* & Hoſtienſ. *n.* 4. Spectat enim ad
S. Romanum Pontificem, etiam ſine Concilio, fidei Sym-
bolum ordinare, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 10.
Quoniam ad ejus authoritatem pertinet editio Symboli, ad
cujus authoritatem finaliter pertinet determinare ea, quæ
ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneantur. Hoc
autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem
majores, & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur,
c. Multis 17. *diſt. c. Hæc eſt fides*, *c. Et eſt aliud*, *c. Quo-
ties*, *& per tot.* 24. *quæſt.* 1. & *c. Majores in princ. de Bapt.*
& patet in Symbolo Athanaſii, quod non authoritate alicu-
jus generalis Concilii, ſed Romani Pontificis tantummodò
traditum eſt. Idipſum docuit idem S. Thom. *in opuſc. con-
tra errores Græcorum*, ut refert Sylveſt. in *ver. Fides n.* 2.
Atque ita Symbolum dicit eſſe fidei profeſſionem, Turrecr.
in c. Canones p. 1. *n.* 9. *ad* 3. 15. *diſt.* Hæc de Symbolis.
39 Articulus verò fidei eſt individualis veritas de Deo ſupra
rationem nos arctans ad credendum, ut diffinit Richardus
de S. Victore relatus *ſuprà in rubr.* à Jo. Andr. *n.* 22. Bellam.
n. 5. & Card. *n.* 11. & à D. Thoma in 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.*
1. niſi quòd S. Thomas omittit verba: *Supra rationem*, quæ
tamen videtur ſupponere in 3. argumento contrario, & lo-
co illius verbi, *individualis*, ponit, *indiviſibilis*. Nam ar-
ticulus nomen Græcum eſt, & importat indiviſionem; un-
de membra, quæ non dividuntur in alia membra, dicuntur
articuli; & ſecundùm iſtum modum concluſiones, quæ in-
quiruntur in aliqua ſcientia, vel aliquo tractatu, dicuntur
articuli, quia ex eis ſicut ex quibuſdam principiis indiviſi-
bilibus conſurgit tota collectio, quæ tractatum perficit; &
ſic in judiciis ea, quæ per teſtes probata ſunt, vel probanda,
dicuntur articuli, prout hæc notantur in *c.* 2. *in gloſſ. in
ver. articulis de teſtib. lib.* 6. & à D. Thoma *loco citato*, &
latiùs in 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 6. ubi etiam poſt gloſſ. præalleg.
explicat, quot modis dicatur fidei articulus.
40 Accipitur autem fidei articulus tripliciter ſecundùm Vin-
centium, & Alanum in *c. Cùm Chriſtus infr. de Hæreticis*,
quos ibi ſequuntur Hoſtien. Joann. Andr. Butr. Card. &
reliqui omnes, & Archid. in *cap. Canones n.* 6. & ibi etiam
Præpoſ. *num.* 11. 15. *diſt.*
Primò ſtrictè, & ita dicuntur fidei articuli illi tantùm,
qui in Symbolo Apoſtolorum continentur.
Secundò largiùs, prout accipitur in prædicta Decr. *Cùm
Chriſtus*; & ſecundùm hoc comprehendit omnia, quæ ſunt
determinata, ſeu diffinita à Summis Pontificibus, vel ge-
neralibus Conciliis, qualis eſt articulus, tres perſonas eſſe
æquales, & alii plures, de quibus hìc in textu, & in *c. prox.
infr. eod. in cap.* 1. 2. *&* 3. *diſt.* 15. *& in cap. penult. & ult.
de conſecr. diſtinct.* 3.
Tertiò largiſſimè, ſecundùm quòd comprehendit om-
nem ſententiam veram circa fidem, ſive ſit diffinita, ſive
non, quem aliter articularia fidei appellat Speculat. *in tit.
de Diſpenſ. legat.* §. *Nunc breviter*, *ver.* 2. *Contra*, ut re-
ferunt Jo. Andr. & alii *in d. cap. Cùm Chriſtus*.
41 Quibus ſuppoſitis, ut jam ad propoſitam quæſtionem
accedamus, fidei articulos ſtrictè ſumptos, qui ſcilicet
continentur in Symbolo Apoſtolorum, Alanus, & Vincen-
tius in *d. c. Cùm Chriſtus*, affirmant unicuique intellectum
habenti neceſſarium eſſe ad ſalutem explicitè ſcire, *c. Ante
viginti*, *c. Baptizandos*, *& c. Prima igitur de conſecr. diſt.* 4.
Quorum ſententiæ accedunt in eod. *c. Cùm Chriſtus*, Joan.
Andr. *num.* 2. Card. *num.* 3. Butr. *num.* 4. Anchar. *n.* 2. Ita-
que ut vides Vincentius & Alanus non diſtinguunt inter
articulum, quòd Deus ſit, & ſit remunerator omnium bo-
norum, & alios articulos Symboli Apoſtolorum, ſicuti fa-
ciunt Innocent. Compoſt. & alii, de quibus *ſupra in* 1. 2.
& 3. *concluſ. num.* 18. *& ſeq.* ſed abſolutè aſſerunt hos ar-
ticulos explicitè credere neceſſarium eſſe ad ſalutem uni-
cuique intellectum habenti.

Porrò prima opinio, quòd omnibus Laicis ſufficiat cre-
dere Deum eſſe, & eſſe bonorum remuneratorem, alios
verò articulos ſufficiat illis implicitè credere; item opi-
nio gloſſæ Bernardi ſuprà in rubr. quòd Incarnationem,
Paſſionem, & Reſurrectionem, & alia Chriſti myſteria
Laici non teneantur credere, niſi implicitè, non vacat pe-
riculo erroris, ut propterea non ſine cauſa Innoc. & Com-
poſt. uſi fuerint dictione illa: *Fortè ſimplices, & fortè omnes
Laici*, quam poſteà repetierunt Hoſtienſ. Jo. Andr. & reli-
qui Canoniſtæ citati ſuprà in 2. *concluſ. num.* 19. Quoniam,
ut efficaciter probat S. Thomas in 3. *diſtinct.* 25. *qu.* 2. *art.* 1.
qu. 1. in quocumque habente uſum liberi arbitrii exigitur
ad ſalutem ejus, ut habeat actum fidei, & non ſolùm habi-
tum; fides autem non poteſt exire in actum, niſi aliquid
determinatè, & explicitè cognoſcendo, quod ad fidem
pertineat. Et ideò omni ei, qui habet uſum liberi arbitrii,
habere fidem explicitam quantum ad aliquid, eſt de neceſ-
ſitate ſalutis. Quod clarè etiam ſupponit Tridentina Sy-
nodus, dum in *c.* 2. *ſeſſ.* 5. præcipit quibuſcumque curam
animarum habentibus, ut per ſe, vel alios idoneos, ſi legi-
timè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis
ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capa-
citate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omni-
bus neceſſarium eſt ad ſalutem. Unde non immeritò Ey- 42
mericus in *direct. Inquiſ. par.* 2. *qu.* 10. de Hæreſibus ab In-
quiſitoribus Aragoniæ damnatis D. Papæ mandato: Octa-
va, inquit, hæreſis eſt, quòd Laicus non tenetur ad aliquem
fidei articulum explicitè credendum, ſed ſufficit ſibi iſta
concluſio in genere, quòd credat omne illud, quod credit
ſancta Mater Eccleſia Dei. Hæc autem determinatio, &
explicita cognitio eſſe debet principaliter quantum ad ea,
quæ ſunt veluti univerſalia principia, ac prima Catholicæ
fidei fundamenta. Stultum enim eſt dicere, ut inquit Syl-
veſter redarguens errorem Summæ Roſellæ in *ver. Fides
num.* 6. *in fin.* quòd ſcilicet liceat utenti ratione, & adulto
ignorare Chriſti nativitatem, & mortem Crucis, quam
impoſſibile eſt talem ignorare, niſi omninò ſuam contemnat 43
ſalutem, & aures verbis divinis obturet. Quamobrem S.
Thomas in 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 5. Objectum, inquit, fidei
per ſe eſt id, per quod homo beatus efficitur; per accidens
autem, & ſecundariò ſe habent ad objectum fidei omnia,
quæ in ſacra Scriptura divinitùs tradita continentur, ſicut
quòd Abraham habuit duos filios, quòd David fuit filius
Iſai, & alia hujuſmodi. Quantum ad prima credibilia,
quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, ſi-
cut & tenetur habere fidem. Quantum autem ad alia cre-
dibilia, non tenetur homo explicitè credere, ſed ſolùm im-
plicitè, vel in præparatione animi, in quantum paratus
eſt credere quidquid Divina Scriptura continet: ſed tunc
ſolùm hujuſmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei
conſtiterit in doctrina fidei contineri. Et in 2. 2. *quæſt.* 2.
art. 7. Poſt tempus autem gratiæ revelatæ tam minores, 44
quàm majores tenentur habere fidem explicitam de myſte-
riis Chriſti, præcipuè quantum ad ea, quæ in Eccleſia ſo-
lemnizantur, & publicè proponuntur. Idemque de myſte-
rio Sanctiſſimæ Trinitatis docuit *art.* 8. Itaque S. Thomas
concordat cum 2. opinione Vincentii, & Alani, dum do-
cet tam majores, quàm minores, id eſt, tam Clericos,
quàm Laicos, & tam litteratos, quàm rudes, teneri ex ne-
ceſſitate ſalutis explicitè credere articulos fidei, & præci-
pua myſteria, quæ ab Eccleſia ſolemnizantur, ut explicat
Turrecrem. in *c. Symbolum n.* 4. *de conſecr. diſt.* 4.
Sed ne in re tam gravi tam inſignis diſcrepantia inter pri- 45
marios Canoniſtas ullum dubitandi locum relinquat, jam
proferamus, quid ſuper hoc diffinitum fuerit probatorum
Conciliorum, & Sanctorum Patrum decretis. In Concilio
Foro-Julienſi in cauſa Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarna-
tionis Verbi Divini, habito ſub Adriano Papa I. *Anno Do-
mini* 791. & Caroli Magni 13. *tom.* 3. *Concil. part.* 1. *ſect.* 2.
pag. 137. *col.* 1. poſt declarationem articulorum fidei ita ſcri-
ptum eſt: *Hanc igitur Catholicæ fidei ſinceriſſimam puritatẽ
volumus omnes Dei Sacerdotes, omneſque gradus Eccleſiæ
ſummo cum ſtudio, & abſque ullo vitio, ita ut ne unus quidem
apex intermittatur, vel augeatur, diſtinctè, & ſenſatim
diſcendo memoria retinere, & poſteris diſcenda relinquere*:
& paulò infrà: *Symbolum verò, & Orationem Dominicam
omnis Chriſtianus memoriter ſciat, omnis ætas, omnis ſexus,
omniſque conditio, maſculi, fœminæ, juvenes, ſenes, ſervi, li-*

beri, pueri, conjugati, innuptæque puellæ; quia ſine hac benedictione nullus poterit in cælorum regno percipere portionem. Hæc ibi. Per *Symbolum* autem fidei intellige Symbolũ Apoſtolorum, ad quod omnia alia Symbola tamquam Catholicæ poſitiones reducuntur, & quod implicitè continet, quidquid ab aliis explicitè digeſtum poſteà fuit, S. Thom. in 3. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 2. Cùm enim ad hoc memoriter tenendum Synodus obliget omnem ætatem, ſexum, conditionem, videtur ſolùm intellexiſſe de Symbolo Apoſtolorum, quod faciliùs addiſcitur, quàm Symbolum Patrum Nicænæ Synodi, quod vix memoria retinetur ab hominibus provectis. Ac propterea cùm in Symbolo Apoſtolorum contineantur omnia neceſſaria pro omnibus, non videtur Concilium, loquens de omnibus hominibus, voluiſſe obligare ipſos ad Symbolum continens neceſſaria ad explicitè credendum ſolummodò à majoribus. Adde quòd Synodus loquitur adverſativè, ibi, *Symbolum verò*, atque ita contradiſtinguit Symbolum Patrum, de quo priùs mentionem fecerat, ab alio Symbolo, obligando ad illud memoriter retinendum Sacerdotes, & gradus Eccleſiæ tantùm; ad hoc verò indifferenter omnes. Quæ diſtinctio inepta eſſet, ſi omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio teneretur Symbolum Patrum addiſcere; atque ita uſus univerſalis obtinuit, quia minores & Laici addiſcere non conſueverunt, niſi Symbolum Apoſtolorũ. Quod advertendum duxi, ne alicui ſuboriatur ſcrupulus, quòd cùm Synodus initio expreſſerit de Symbolo Patrum, poſteà ſimpliciter repetendo verbum *Symbolum*, videatur de eodem Symbolo Patrum intellexiſſe. In Concilio itidem Moguntiaco I. celebrato *anno ſalutis* 813. tempore Leonis Papæ III. & Caroli Magni Imperat. *c.* 45. *t.* 3. *Concil. par.* 1. *ſect.* 2. *p.* 201. *col.* 2. ſic legitur: *Symbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & Orationem Dominicam diſcere ſemper admoneant Sacerdotes Populum Chriſtianum; volumuſque ut diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt, ſive in jejunio, ſive in alia caſtigatione emendentur. Propterea dignum eſt, ut filios ſuos mandent ad ſcholam, ſive ad monaſteria, ſive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè diſcant, & Orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant, & qui aliter non poterit, vel in ſua lingua hoc diſcat.*

Et in Concilio Rhemenſi habito eodem anno ſub eodem Pontifice & Imperatore, *c.* 1. *eodem tom.* 3. *par.* 1. *ſect.* 2. *pag.* 203. *col.* 1. *Eſt de fidei ratione, ut unuſquiſque juxta intellectum ſuæ capacitatis Domino largiente diſceret, & intelligeret, atque operibus pleniter obſervaret, & c.* 2. *Ut Orationem, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus diſcipulos ſuos orare docuit, verbis diſcerent, & ſenſu benè intelligerent, quia illam ignorare nulli Chriſtiano licet.* Item Iſidor. *lib.* 2. *de offic. c.* 11. quem refert Ivo *par.* 1. *de Bapt. c.* 88. (Competentibus ſalutare Symbolum traditur quaſi commonitorium fidei, & ſanctæ confeſſionis indicium, quo inſtructi agnoſcant, quales jam ad gratiam Chriſti exhibere ſe debeant.) Et Auguſtinus *lib.* 1. *de Symbol. c.* 1. relatus itidem ab Ivone *par.* 1. *c.* 8. *Accipite regulam fidei, quod Symbolum dicitur, & cum acceperitis, in corde ſcribite, & quotidie diſcite apud*
47 *vos: antequam dormiatis, Symbolo veſtro vos munite.* Ampliùs in Concilio Mediolanenſi V. *in tit.* Quæ ad prædicationem verbi Dei, & Doctrinam Chriſtianam pertinent, ſtatutum eſt his verbis: *Ad ſalutem cùm omnibus fidelibus neceſſariũ ſit Chriſtianæ fidei rudimenta ſcire, omnibus, ſingulisque animarum curatoribus, & cæteris Confeſſariis ſive Sæcularibus, ſive Regularibus in virtute ſanctæ obedientiæ id præcipimus, ut faciant, antequam confeſſiones audiant, orationem Dominicam, Angelicam ſalutationem, Symbolum fidei, & decem præcepta Dei, quæ in Decalogo continentur, ut pœnitentes recitent, ac ipſis audientibus referant. Quarum rerum ſi quos ignaros rudeſque offenderint, hanc eorum ſpiritualem ſocordiam acriter reprehendant, oſtendantque quàm gravis eſſe debeat illorum conſcientiæ ignoratio rerum ad ſalutem quæ tantoperè neceſſariæ ſunt. Cùm autem eos abſolvunt, præter alias pœnitentias, id etiam imponant, ut quatuor hæc ſaltem potiſſima doctrinæ Chriſtianæ capita impoſterum accuratè ediſcant, certo illis pro arbitratu ſuo præfinito congruo tempore, quod tantùm ob neceſſariam aliquam cauſam ſemel, aut ad ſummum iterùm prorogari liceat: eo autem temporis ſpatio cõfecto, ſi eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc ne illorum confeſſionem audiant, niſi conſilio, & aſſenſu, aut Vicarii foranei, ſi Diœceſani ſunt, aut illorum, quos huic curæ in civitate Epiſcopus præfecerit, ſi in civitate vivunt. Si qui verò ſemel ita admiſſi ad Sacramentum Pœnitentiæ, eos poſtea in rudi hac craſſaque ignorantia perſiſtere compertum erit, de iis ad Epiſcopum ipſum referatur, antequam ampliùs admittantur, qui illorum ſaluti diligentiùs, & efficaciùs conſulat, ut viderit in Domino expedire.* Hæc ibi.

Item in Concilio Provinciali Mediolanenſi II. *Decreto* 10. ſtatutum eſt, ut ea cura ſit Parochis, ut quos Compatres ita imperitos noverint, ut Symbolum fidei, ſive ea, quæ in Symbolo continentur, ignorent, illos eo officio ſuſcipiendi de baptiſmo infantes fungi ne patiantur. Et cùm actum eſſet in Sacra Congregatione Concilii de correctione hujus Decreti, Patres cenſuerunt addendum, quando in ipſo actu baptiſmi commodè haberi poſſet copia peritorum: his rationibus, quia Compatres docere tenentur infantes fidei rudimenta; unuſquiſque enim obligatus eſt munus, ad quod obligatur, exercere, *c. Vos ante omnia de conſecr. diſt.* 4. hujus enim ſacræ tutelæ adminiſtratio non eſt committenda iis, qui eam gerere aut fideliter non valent, aut ſedulò, ſeu accuratè non quærunt. Levatio enim ſi non eſt de neceſſitate Sacramenti, eſt tamen de rationabili admodùm convenientia. Sed cùm baptizati nutriantur inter fideles, ubi hujuſmodi, quæ pertinent ad Chriſtianam fidem, publicè, & omnibus nota ſunt; ideò excuſantur Compatres, quia parentes præſumuntur hæc diligentiùs docere pueros ſuos, & ideò hujuſmodi pædagogia non indigemus, Turrecrem. in *d. c. Vos autem de conſecr. diſt.* 4.

Quo loco omittendum non eſt, Concilia Provincialia 48
Mediolanenſia conſueviſſe approbari à Summo Pontifice per litteras in forma Brevis, cùm tamen alia Provincialia Concilia non confirmentur, ſed tantummodò recognoſcantur, & emendentur à S. Congreg. Concilii, ad præſcriptum Conſtitut. Sixti V. ſuper inſtitutione ejuſdem Congreg.

Ex quibus dilucidè apparet, omnes Chriſtianos uſum rationis habentes teneri explicitè ſcire ſaltem Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam ex neceſſitate ſalutis, & quoad hoc nullam eſſe conſtituendam differentiam inter Clericos, & Laicos, inter litteratos, ac rudes. Hactenus de articulis ſtrictè ſumptis.

Quòd ſi fidei articuli accipiantur ſecundo modo, id eſt, 49
largiùs, prout comprehendunt omnia, quæ à Pontifice Maximo, vel generalibus Conciliis ſunt diffinita; Prælati quidem, & alii curam animarum, vel officium docendi habentes, tenentur hujuſmodi articulos explicitè ſcire; cùm legem ſcire debeant non perfunctoriè, ſed ſcrutabiliter, *c. Omnes* 38. *diſtinct. c. Qui Epiſcopus* 28. *diſtinct.* ſecundùm Innocentium, & alios ſuprà relatos in 5. *concluſ. n.* 23. & in hoc conveniunt omnes tam Canoniſtæ, quàm Theologi.

Reliquis verò ſufficit fides implicita, dummodò in con- 50
trarium ſpecialiter non ſentiatur, ſecundùm Archid. in *c. Canones num.* 7. 15. *diſtinct.* & conſentit gloſſa in *c. Cùm Chriſtus*, in ver. *Sub anathemate infrà de Hæret.* Itaque Archid. ſimpliciter, & abſolutè tenet, ſatis eſſe hos articulos ab Eccleſia diffinitos implicitè credere, nulla facta diſtinctione inter Laicos, & Clericos. At Innocentius conſentit quoad Laicos, ut non teneantur explicitè: ſed quoad Clericos dicit, ſi ſint pauperes & rudes, ſatis eſſe, ut ſciant fidei articulos ſicuti ſimplices Laici, & aliquantulum plus; & exemplificat in articulo de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, qui explicitè non habetur in Symbolo Apoſtolorum, ſed *infr. in* §. *Una verò.* Si verò habeant Magiſtros & expenſas, dicit eos peccare, niſi magis proficiant quàm Laici in explicita cognitione fidei. Diſtinctio Innocentii abſque dubio eſt tutior, & magis etiam conſonat verbis Concilii Foro-Julienſis paulò ſuperiùs relatis *num.* 45. quæ obligant non tantùm Dei Sacerdotes, ſed omnes gradus Eccleſiæ ad diſcendum diſtinctè, & ſenſatim, ac memoriæ retinendum Symbolum Patrum, Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & alios articulos ibi declaratos. Verba enim illa: *Omnes gradus Eccleſiæ*, comprehendunt non tantùm Diaconos, & Subdiaconos, ſed etiam Clericos inferiores, *c. Cleros* 21. *diſt. c. Si officia*, & *c. Ordinatos* 59. *diſt.* cum multis ſimilibus. Et eodem modo Concilium Rhemenſe *c.* 1. de quo ſupra *num.* 46. *verſ. Et in Concilio*, per illa verba: *Juxta intellectum ſuæ capacitatis*, deſignat differentiam inter majores, & minores.

Demum ſi fidei articuli accipiantur tertiò modo, id eſt, 51
largiſſimè, ſecundùm quòd comprehendunt omnem ſenten-

ten-

tentiam veram circa fidem, ſive ſit diffinita, ſive non; Alanus & Vincentius *in d. c. Cùm Chriſtus, de Hæret.* dicunt ſecundùm hanc acceptionem licitum eſſe de articulis fidei dubitare, ſi nondum diffiniti fuerint, quemadmodum licebat dubitare de jam diffinitis ante diffinitionem, allegant *c. Dixit Apoſtolus* 24. *q.* 1. inferentes propterea ante diffinitionem prædictæ Decretalis, *Cum Chriſtus*, videlicet quòd Chriſtus ſit verus Deus, & verus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens, licuiſſe contrarium aſſerere. Quibus videtur ſuffragari, quod ait Auguſtinus relatus à Præpoſ. *in c. Sicut.* 15. *diſt.* Euangelio non crederem, niſi Eccleſia illud reciperet: Unde enim nobis conſtaret, quòd illud Chriſti Euangelium foret, niſi propter Eccleſiæ approbationem? Et cum opinione Alani & Vincentii tranſit gloſ. *in c. Canones, in ver. Eutychem* 15. *diſt.* Archid. *n.* 7. & Præpoſ. *n.* 11. *& in d. c. Cùm Chriſtus*, Jo. Andr. *n.* 2. *in fin.* ubi exemplificat in Extravag. Benedicti XI. incipien. *Benedictus Deus*, qua diffinitum eſt animas juſtorum, ſimul atque è corporibus migraverint, divinam eſſentiam clarè videre, ſi nihil tamen habeant, quod pœnis Purgatorii expiandum ſit. Et ſequuntur Butr. *num.* 4. Anchar. *num.* 2. & Cardin. *num.* 3.

Verùm hæc doctrina eo modo, quo proponitur à Canoniſtis, niſi aliqua explicatione vel interpretatione adjuvetur, eſt valdè periculoſa. Primò igitur Vincentius, & Alanus ſupponunt hunc articulum de duabus naturis, & quòd Chriſtus ſit verus Deus, & verus homo, non fuiſſe diffinitum ante *d. c. Cum Chriſtus, de Hæret.* quod tamen eſt falſum, quia multa ante ſæcula fuit diffinitum in quarta univerſali Synodo Chalcedonenſi, cujus diffinitio in quinto poſteà, & ſexto univerſalibus Conciliis renovata fuit, prout refertur in Decreto fidei edito ab Eugenio IV. in Concilio Florentino in unione Armenorum cum Eccleſia Latina, §. *Secundò tradimus eis diffinitionem, tom.* 4. *Conciliorum par.* 1. *pag.* 612. *col.* 2. Idemque habetur in Concilio Carthaginenſi IV. *cap.* 1. cujus verba ſuperiùs retulimus *n.* 25.

52 Deindè, quia propoſitionum contra articulos in hac latiſſima ſignificatione plures ſunt gradus; hæretica, erronea, ſapiens hæreſim, piarum aurium offenſiva, temeraria, ſcandaloſa, bonis moribus contraria, blaſphema, ſchiſmatica, ſeditioſa, injurioſa, hæreticis favens, ac ſi quæ ſunt ſimiles, quarum cognitio magna ex parte à Theologis petenda eſt, quorum eſt propoſitionum qualitates, & gradus dijudicare, & expendere; & de his conſule Turrecrem. *in Summa de Eccleſ. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 11. Albertin. *in tract. de agnoſc. aſſer. q.* 6. Melchiorem Canum *lib.* 12. *cap.* 11. *de locis Theologicis*, Alphonſum Caſtrum *lib.* 1. *cap.* 3. *de juſta hæretic. punit.* Simancam *Cathol. Inſtit. tit.* 54. Et præter hæreſim multæ propoſitiones notantur cenſura in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. *contra Vvicleff. & ſeſſ.* 15. *contra Joannem Hus*, & in Conſtitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. contra Michaelem Bajum. Ideòque Bald. *in c. Ne innitaris n.* 14. *de Conſtitut.* dixit hodie eſſe proximum hæreſi affirmare corpus Beatiſſimæ Virginis non fuiſſe aſſumptum in cœlum. Præterea aliæ dantur propoſitiones hæreticæ etiam in articulis ab Eccleſia non diffinitis, quales ſunt propoſitiones contra traditiones Apoſtolorum, *ut in Decreto de Canonicis Scripturis ſeſſ.* 14. Concil. Trident. & contra ea, quæ de fide ſancti Patres unanimi conſenſu docuerunt, ut declarat Turrecrem. *in Summa de Eccleſ. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 10. & Melchior Canus *de locis Theologicis lib.* 12. *cap.* 7. Non ergo ſequitur: Articulus non eſt ab Eccleſia diffinitus: ergo licet contrarium aſſerere, aut de eo dubitare.

53 Imò quod magis eſt, etiam in his, quæ ad fidem, aut mores non pertinent, ita demum licitum eſt quidquid libet affirmare, ſi materia ſit indifferens. Quo ſenſu Auguſtinus *in c. In quibus*, 22. *q.* 2. ait: In quibus rebus nihil intereſt ad capeſſendum regnum Dei, utrum credantur, an non; utrum vera putentur, an falſa: in his errare, id eſt unum pro alio putare, non arbitrandum eſt eſſe peccatum: aut ſi eſt, minimum eſſe, atque leviſſimum; ubi gloſſa 1. id explicat duobus exemplis, & Turrecrem. addit tertium, An cœlum ſit rotundum, & alia plura Auguſtinus *in Enchirid. cap.* 21. 54 At verò in materia gravi Theologica etiam non diffinita, nec ad mores ſpectante, aliquid affirmare, quod ſit deſtitutum ratione, & authoritate, ex ſolo proprio judicio, imprudentia, negligentia, inconſideratio, præcipitatio, & temeritas eſſe poteſt, quia in rebus momenti leviter, & temerè abſque rationis regula judicatur, ut patet ex D. Thoma in 2. 2. *quæſt.* 53. *&* 54. Ideòque in officio S. Inquiſitionis cenſura temeritatis notantur multæ propoſitiones conſimiles, ſi ſolo proprio judicio ſine authoritate, & ratione excogitatæ ſint, ut apud Cordubam *lib.* 1. *part.* 17. §. 13. veluti ſi quis aſſereret locum Paradiſi terreſtris eſſe extra portam Pincianam, aut Judicium finale intra decennium futurum, licèt ignoretur qua hebdomada. Quo exemplo utitur Suarez *tom.* 2. *de Gratia, diſput.* 19. *ſect.* 2. *n.* 20. Quod igitur dixerunt Doctores *in d. cap. Cùm Chriſtus, de Hæret. & in d. cap. Canones* 15. *diſtinct.* de articulis continentibus omnem ſententiam veram circa fidem licitum eſſe dubitare, aut etiam contrarium affirmare, ſi nondum fuerint diffiniti; declarandum eſt procedere quoad hoc tantùm, ut ſic dubitare, vel affirmare, non ſit formaliter hæreſis, ſecundùm ea, quæ ex mente S. Thomæ *in* 1. *part. qu.* 32. *art.* 4. *& in* 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 1. *&* 2. explicat Eymericus *in Direct. Inquiſ. part.* 2. *quæſt.* 2. non autem intelligi debet procedere quoad hoc, ut liceat contrarium aſſerere abſque peccato, aut cenſura erroris, vel temeritatis, &c. ut ex prædictis conſtat. Sed hæc meſſis Theologorum. Quocirca nos Canoniſtæ decidamus quæſtiones noſtras, & Theologi decidant quæſtiones ſuas, quia non eſt ſine culpa ponere falcem in meſſem alienam, ut de Legiſtis, & Canoniſtis dicebant *in cap. fin. infrà de condit. appoſit.* Butr. *numer.* 8. *in fin.* & Alex. de Nævo *num.* 26.

55 In textu ibi, *Confitemur*, nota actum fidei duplicem eſſe, ut docet hìc D. Thomas, ſcilicet corde credere, & ore profiteri, ſecundùm illud ad Roman. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ad primum referuntur verba illa hujus Conſtitutionis, *firmiter credimus.* Ad ſecundum referuntur immediatè ſequentia, *Simpliciter confitemur.*

Reliqua ad expoſitionem hujus Conſtitutionis vide hìc per Hoſtienſem, Jo. Andr. & Collectar. & præcipuè per D. Thomam in ſua gloſſa, quæ habetur *opuſc.* 23. Nam, ut inquit hìc Bald. in princ. ea, quæ continentur in hoc capitulo, pertinent ad apicem Theologiæ, contra quam perniciosè erratur.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

Idem Innocentius III. in eodem Concilio generali.

CAPUT II.

DAmnamus ergo, & reprobamus libellum, ſeu tractatum, quem Abbas Joachim edidit contra magiſtrum Petrum Lombardum de unitate, ſeu eſſentia Trinitatis, appellans ipſum hæreticum, & inſanum, pro eo quòd in ſuis dixit ſententiis, quoniam quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, neque genita, neque procedens: unde aſſerit, quòd ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem aſtruebat in Deo, videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam; manifeſtè proteſtans, quòd nulla res eſt quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, nec eſt eſſentia, nec ſubſtantia, nec natura: quamvis concedat, quòd Pater, & Filius, & Spi-

ritus

ritus ſanctus ſunt una eſſentia, una ſubſtantia, unaque natura : verùm unitatem hujuſmodi non veram, & propriam, ſed quaſi collectivam, & ſimilitudinariam eſſe fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Eccleſia; juxta illud, Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una : &, Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum illo. Item, Qui plantat, & qui rigat, unum ſunt; &, Omnes unum corpus ſumus in Chriſto. Rurſus in libro Regum : Populus meus, & populus tuus unum ſunt. Ad hanc autem ſuam ſententiam adſtruendam illud potiſſimùm verbum inducit, quod Chriſtus de fidelibus inquit in Euangelio : Volo Pater, ut ſint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus, ut ſint conſummati in unum. Non enim (ut ait) fideles Chriſti ſunt unum, id eſt quædam una res, quæ communis ſit omnibus; ſed hoc modo ſunt unum, id eſt una Eccleſia, propter Catholicæ fidei unitatem, & tandem unum regnum propter unionem indiſſolubilis charitatis, quemadmodum in Canonica Joannis Apoſtoli epiſtola legitur, Quia tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. Statimque ſubjungitur, Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt; ſicut in quibuſdam codicibus invenitur. Nos autem ſacro approbante Concilio credimus, & confitemur cum Petro, quòd una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſigillatim quælibet earumdem; & ideò in Deo ſolummodò Trinitas eſt, non quaternitas, quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura divina, quæ ſola eſt univerſorum principium, præter quod aliud inveniri non poteſt; & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed eſt Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus ſanctus, qui procedit, ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura. Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud, ſed id quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus ſanctus idem omninò, ut ſecundùm orthodoxam, & Catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, juxta quod ipſe teſtatur : Pater quod dedit mihi, majus omnibus eſt. At dici non poteſt, quòd partem ſubſtantiæ ſuæ illi dederit, & partem ipſe ſibi retinuerit, cùm ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit, utpotè ſimplex omninò. Sed nec dici poteſt, quòd Pater in Filium tranſtulerit ſuam ſubſtantiam generando, quaſi ſic dederit eam Filio, quòd non retinuerit ipſam ſibi, alioquin deſiiſſet eſſe ſubſtantia. Pater ergo, quòd ſine ulla diminutione Filius naſcendo ſubſtantiam Patris accepit, & ita Pater, & Filius habent eandem ſubſtantiam, & ſic eadem res eſt Pater, & Filius, nec non & Spiritus ſanctus ab utroque procedens. Cùm ergo Veritas pro fidelibus ſuis orat ad Patrem : Volo (inquiens) ut ipſi ſint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus : hoc nomen, unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia : pro perſonis verò divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait : Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt; ac ſi diceret manifeſtiùs : Eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ : utraque videlicet ſuo modo : quia inter creatorem, & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos major ſit diſſimilitudo notanda. Si quis igitur ſententiam, vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere, vel approbare præſumpſerit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur. In nullo tamen propter hoc Florenſi monaſterio (cujus ipſe Joachim extitit inſtitutor) volumus derogari : quoniam ibi & regularis eſt inſtitutio, & obſervantia ſalutaris : maximè cùm ipſe Joachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandaverit, Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda, dictans epiſtolam, quam propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ (diſponente Domino) cunctorum fidelium mater eſt, & magiſtra. Reprobamus etiam, & condemnamus perverſiſſimum dogma impii Almarici, cujus mentem ſic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana.

S U M M A R I U M.

1 *HÆreticus cenſeri non debet errans in fide, ſi Romanæ Eccleſiæ fidem ſuſcipere ſit paratus, & num. 20.*
2 *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vera unione, & non ſimilitudinaria, vel collectiva, ſunt una ſubſtantia, quæ non eſt generans, nec genita, nec procedens, & n. 27.*
3 *Nec per hoc in Trinitate Dei eſt quaternitas, & num. 27.*
4 *Damnare, & reprobare an, & in quo differant.*
5 *Nullum ſimile eſt idem.*
6 *Veritas quid ſit.*
7 *Errorem in fide nulli fas eſt defendere.*
8 *De fide publicè diſputare an, & quando liceat.*
9 *Joachimus Abbas dicitur habuiſſe ſpiritum Prophetiæ, & num. ſeqq.*
10 *Prædixit Ordines Prædicatorum, & Minorum.*
11 *De illius vaticiniis judicium, & n. ſeqq.*
12 *Non prophetico ſpiritu aliqui futura prædicunt, ſed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.*
13 *Prout fecit Abbas Joachimus ex ſententia Divi Thomæ.*
14 *Hæreſes plures Joannis de Parma de doctrina Abbatis Joachimi.*
15 *Libro damnato, non cenſetur damnatus illius author, ſi librum ſupponat correctioni Romani Pontificis.*
16 *Sed damnato authore, ejus quoque libri cenſentur damnati.*
17 *Etiamſi aliàs ſint boni.*
Declaratur, num. 18.
18 *Hæretici dictum, & ſi bonum ſit, reprobatur quantum ad hoc, ut authoritatem in ſe contineat : aliàs quaſi verum, non tamen authorizabile, approbatur.*
19 *Libros Hæreticorum continentes hæreſim, vel de Religione tractantes, qui legunt, aut retinent, excommunicantur in Bulla Cœnæ.*
20 *Joannes de Poliaco Doctor Pariſienſis non fuit hæreticus, quia licèt errorem ſuum defendere niteretur, tamen ſe ſubmiſit definitioni Apoſtolicæ Sedis.*
21 *Hæreſis initium eſt error in intellectu : hæreſis complementum eſt pertinacia in voluntate.*
22 *Pertinax quis.*
23 *Doctores Catholici in principio, vel in fine librorum ſuorum, quam faciant proteſtationem ad evitandam hæreſim, & n. ſeqq.*
24 *Joachimus Abbas non fuit hæreticus, ſed erraticus, & num. 26.*
25 *Ejuſdem epiſtola, qua ſcripta ſua Apoſtolico ſubjecit examini, refertur.*
26 *Joachimus declaratur Catholicus ab Honorio III. licèt ejus libellus fuerit à Concilio damnatus.*

27 *Er-*

27 *Errores illius qui fuerint.*
28 *Almarici hæreſes quæ.*

1 **D***Amnamus.* Licèt quis erret in fide, non debet hæreticus cenſeri, dum tamen fidem Romanæ Eccleſiæ ſuſcipere ſit paratus, vel ſe illam tenere fateatur. Hoc dicit ſecundùm Abb. Antiq. *num.*3. Sed ſecundùm Jo. Andr. cum quo concordant Bellamer. Butr. Cardin. Anch. Imol. Abb. Sicul. & Joann. de Anan. ſummatur ſic : Pater, & Filius,
2 & Spiritus ſanctus vera unione, & non ſimilitudinaria, vel collectiva, ſunt una ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura; quæ ſubſtantia non eſt generans, nec genita, nec procedens, quia illi actus non ſubſtantiæ, ſed perſonis debent
3 attribui. Neque per hoc in Trinitate Deì eſt quaternitas. Contrarium ſentientes Hæretici ſunt, niſi ſe Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubmittant Hoc dicit. Dividitur in duas partes principales. Prima damnat doctrinam Abbatis Joachim. Secunda ibi, *Reprobamus*, damnat doctrinam Almarici. Item prima pars facit quinque. Primò reprobat opinionem ipſius Joachim contra Magiſtrum Sententiarum, quam proſequitur exprimens motiva, & rationes ipſius. Secundò ibi, ***Nos autem***, approbat, & probat illam ſententiam Magiſtri, quam damnabat Joachim. Tertiò ibi, *Cùm ergo*, reſpondet illi authoritati, qua Joachim principaliùs movebatur. Quartò ibi, *Si quis*, damnat tenentes illam opinionem reprobatam. Quintò ibi, *In nullo*, proteſtatur pro Monaſterio ipſius Abbatis Joachim : & pro intellectu hujus capituli, vide Archidiaconum *in cap. in Chriſto Pater*, *num.* 1. *de conſecrat. diſtinct.* 2. & Melchiorem Canum *de locis Theologicis lib.* 12. *cap.* 7. *verſ. Secunda præſcriptio.*

4 Nota primò, ex principio textus, verba *Damnamus, & reprobamus*, hìc poni tamquam diverſa. Nam damnare eſt rem perpetuò, ſine ſpe ſublevandi, tormentis, & ignominiæ ſententialiter deputare. Reprobare autem eſt rem evidentibus rationibus ream probare, ſeu demonſtrare; unde dicunt quidam, damnat ſententiam, vel opinionem, & reprobat rationes, ſecundùm Jo. Andr. *hìc num.* 6. & Bellam. *num.* 1. & Abb. *in* 1. *notab.* Licèt alii exiſtiment hæc verba fuiſſe hìc inculcata ad majorem exaggerationem, ſeu aggravationem.

5 Secundò nota ibi, *Unitatem hujuſmodi non veram, ſed ſimilitudinariam*, illud, quod eſt per ſimilitudinem, non eſſe per eſſentiam, & veritatem, quia nullum ſimile eſt idem, *l. actionis verbo* §. 1. *cum gloſſ. in verb. obtinent. ff. de verborum obligat.* & veritas ſecundùm Jo. Andr. hìc *num.* 11. eſt perpetuæ exiſtentis reì tanta ſoliditas, ut cæteris defluentibus, ipſa in ſuo eſſe remaneat inconcuſſa; imò
6 concuſſionibus, ſi dici fas ſit, ampliùs roboratur. Alias veritatis definitiones recenſet S. Thomas *in* 1. *par. quæſt.* 16. *art.* 1. *in corp.*

7 Tertiò nota ibi, *Defendere, & approbare præſumpſerit*, nulli fas eſſe defendere errorem in fide, ut hìc, *& in cap. Qui aliorum*, 24. *quæſt.* 3. & *in cap. Excommunicamus il* 2. §. *Credentes de hæreticis.* Imò nec diſputare de fide publicè turbis coadunatis, tumultus, ſive perfidiæ defendendæ cauſa, ut *l. penult. C. de Summa Trinitate*, Innocentius *hìc n.* 1. & Jo. Andr. *n.* 31. Sin autem ad confuſionem hæreticorum, vel ad fidem clarificandam, de fide aliquis diſputaret, ut fecit B. Silveſter, non eſſet malum, ut hìc dicunt Compoſtell. *in fin.* Hoſtienſis *n.* 21. *in verb. Defendere*, qui ad hoc allegat *cap. Inter*, §. *Præcipias de purgat. Canon.* Jo. Andr. *d. n.* 31. & Bellam. *n.* 6. *in verb. Defendere*, Butr. *n.* 25. facit ſecundùm eos *cap.* 2. §. 1. *de Hæret. lib.* 6. & eſt ex mente D. Thomæ *in* 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 7. *ad* 2. dum dicit *d. l. penult.*
8 Martiani Auguſti per Canones confirmatam prohibere publicam diſputationem de fide, quæ procedit ex dubitatione fidei, non autem illam, quæ eſt ad fidei confirmationem, de quo dic pleniùs, ut hìc per Bellam. *nu.* 11. An autem hoc vendicet ſibi locum in Clericis tantùm, an verò etiam in laicis, pendet ex intellectu text. *in d. cap.* 2. §. *Inhibemus de Hæret. lib.* 6. ad quod vide, quod ſcripſi in *cap. Cum veniſſent*, *num.* 113. *de Judiciis.*

9 Quartò nota in *verſ. In nullo tamen*, Abbatem Joachim fuiſſe inſtitutorem celebris Monaſterii Florenſis, quod eſt in Calabria, unde ille fuerat oriundus, qui etiam multos libros compoſuit, & futura prædixit, & fuit tempore Urbani III. *In Martiniana* 1188. ut refert Albericus de Roſate *in ſuo Dictionario in ver. Abbas*, & ſic annis 27. ante Concilium Innocentii III. qui illius errores damnavit, ut hìc in littera. De iſto Joachim, ut inquit Jo. Andr. hìc *num.* 9. quomodo divinitùs habuit donum intelligentiæ, & ſpiritum Prophetiæ, vide in hiſtoriis *lib.* 30. *cap.* 40. & ſuper Daniele prophetavit Ordinem Prædicatorum, & 10
Minorum. De eodem ſic legitur in Regiſtro mundi impreſſo Norimbergæ *anno Salutis* 1493. *ad annum à creatione Mundi* 6344. *fol.* 204. *Joachim Abbas Calaber ad Urbanum Pontificem Veronæ acceſſit. Is maximæ doctrinæ, & excellentiſſimi, ac propè divini ingenii vir, hac ipſa tempeſtate apud Guillelmum Regem, & Calabros omnes clarus, & inclytus fuit. Qui ſpiritu Prophetiæ, ut ajunt, repletus, futura quaſi præſentia diſſerebat, cùm prius non multum ab homine Doctore didiciſſet. Donum intelligentiæ, ut ferunt, divinitus accepit; adeò ut facundè Scripturarum difficultates enodaret, & cùm plurimùm eruditus eſſet, nonnullos in ſacros Codices edidit Commentarios, & quàm maximè in Apocalypſim, ubi & multa prædixit, & potiſſimum de Ordinibus Mendicantium. Item contra Petrum Lombardum Theologum librum compoſuit, qui poſtea damnatus, & reprobatus fuit, ſicut patet in principio Libri Decretalium. Fertur quoque multa ſcripſiſſe, libroſque ſuos Domino Papæ emendandos obtuliſſe : & ei multa de futuris reſerata ajunt de duobus Regibus Franciæ & Angliæ apud Meſſanam hyemantibus. Aliquando interrogatus, quid ſibi de expeditione Saracenorum ſperandum eſſet, reſpondit : Nondum adeſſe tempus, quòd Jeruſalem recuperari poſſet. Super his autem, quæ ſcripſit de futuris temporibus, nos rerum incertarum præſagium relinquere convenit judicio poſteriorum. Alia quoque perpulcra ſcripto mandavit.* Hæc ibi. Similiter Cardinalis Bellar- 11
minus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis : Joachimus*, inquit, *Abbas Florenſis Monaſterii vivebat anno* 1198. *Scripſit in Iſajam, & Jeremiam, & Apocalypſim, & concordiam Teſtamenti veteris, & novi, quæ omnia extant. Circumferuntur quædam vaticinia ſub ejus nomine de futuris Pontificibus Romanis, quæ quam fidem mereantur, aliorum ſit judicium. Illud mirum eſt, quòd, cùm ea vaticinia ad ſolos quindecim Pontifices pertineant, tamen curioſitas humana ad noſtra uſque tempora extendere illa conatur.* Hæc ille. Ve- 12
rùm S. Thomas *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 43. *art.* 3. *qu.* 2. *ad* 3. relatis verbis Auguſtini 18. *de Civitate Dei*, dicentis aliquos exquiſitè, & ingenioſè futura prædicere, non Prophetico ſpiritu, ſed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur; ſic ait: *Et* 13
ſimiliter videtur eſſe de dictis Abbatis Joachim, qui per tales conjecturas de futuris aliqua vera prædixit, & in aliquibus deceptus fuit. Hæc Sanctus Thomas. Romæ Alexander IV. 14
condemnavit librum quemdam, Euangelium æternum, communiter appellatum, cujus author, ut fertur, fuit quidam Jo. de Parma Monachus, in quo libro plures hæreſes ſunt repertæ, & in ſpecie, quòd doctrina Abbatis Joachim excellit doctrinam Chriſti, & conſequenter novum, & vetus Teſtamentum. Item quòd adveniente Euangelio Spiritus ſancti, ſive clareſcente opere Joachim, quod ibidem dicitur Euangelium æternum, ſive Spiritus ſancti, evacuabitur Euangelium Chriſti. Refertur ab Eymerico *in Directorio Inquiſit. part.* 2. *q.* 9. *pag.* 288. *col.* 2. *litt. C.* & ibi vide de Joachimo aliam inſaniam in vigeſima hæreſi.

Quintò nota ibi, *Cum ipſe Joachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandaverit*, & ſigna regulam, quòd damnato 15
libro, non cenſetur damnatus illius Author, ſi librum ſupponat correctioni Romani Pontificis, ut hìc apertè probatur. Nam libellus Abbatis Joachim damnatur à Concilio, ut in principio textus; & tamen ipſe Joachim non damnatur, quia libellum ſuum ſubjecit cenſuræ Apoſtolicæ Sedis, ut hìc patet, & latiùs dicam infra *in* 6. *notabili*. Verùm hæc regula non convertitur, quia damnato Authore, ejus quo- 16
que libri cenſentur damnati, *ut cap. Fraternitatis de hæretic.* Nam, ut ibi dicitur, cùm Cœleſtinus atque Pelagius in Epheſina Synodo ſint damnati, quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur Authores? Concordat *cap. Nullus* 3. *quæſt* 4. & *cap. Canones*, 16. *diſtinct.* 17
Quod locum habet, etiamſi eorum libri aliàs ſint boni, quia nihilominùs non ſunt recipiendi, ut firmat gloſſa unica *in d. cap. Fraternitatis*, cùm qua concordant ibi Innocentius *num.* 1. *verſ. Si tamen publica perſona accuſata*, Butr. *num.* 3. *verſ. Solutio.*

Ver-

18 Verùm, ut inquit Hoſtienſis hîc *n.* 19. licet etiam ex dictis hæreticorum partem ſumere, ubi benè dixerunt, ut *cap. Si quid veri* 37. *diſt. & cap.* 1. *in princ.* 19. *diſt.* dictum tamen hæretici reprobatur, etſi bonum ſit, quantùm ad hoc, ut pro jure habeatur, quaſi authoritatem in ſe contineat: aliàs quaſi verum, non tamen authorizabile, approbatur. Et ita intelligas jura, quæ in hoc contraria videntur, ſecundùm Goffred. & Hoſtienſem, cum quibus concordant hic Joan. Andr. *num.* 44. Bellamer. *num.* 13. *circa fin. verſ. Dictum tamen hæretici.*

19 Sed hodie in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ excommunicantur hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore. Et ita ad hanc excommunicationem incurrendam quatuor conditiones requiruntur. Prima ſcilicet, ut libri ſint hæreticorum. Secunda, ut hæreſim contineant, vel de Religione tractent. Tertia, ut ſcienter legantur, retineantur, imprimantur, vel defendantur. Quarta, ut id fiat ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.

20 Sextò nota ibi, *Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, & corrigenda*, errantem in fide non eſſe hæreticum, ſi errorem ſuum ſupponat judicio Sedis Apoſtolicæ, vel fidem Romanæ Eccleſiæ ſe tenere confiteatur. Ad idem *cap. Hæc eſt fides* 24. *q.* 1. *cap. Dixit Apoſtolus*, *q.* 3. ubi dicitur: Qui ſententiam ſuam quamvis falſam, atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi. Ideòque in Extravag. *Vas electionis, de Hæreticis*, Joan. Poliach. Doctor Pariſienſis non fuit hæreticus, quia licèt in Conſiſtorio Papæ articulos, quos docuerat, defendere niteretur, aſſerebat tamen ſe paratum credere, & tenere in præmiſſis, & aliis, quæ credenda, & tenenda eſſe Sedes Apoſtolica definiret, ut ibi legitur, & hic notant gloſſa *in verb. Corrigenda*, Abb. Antiq. *n.* 3. Hoſtienſis *n.* 18. Jo. Andr. & Bellam.

21 *in princ.* Butr. *n.* 27. Abb. Sicul. *n.* 5. & reliqui omnes. Ratio hujus aſſertionis eſt, quia hæreſis eſt error in fide cum pertinacia, *cap. Qui in Eccleſiam*, 24. *q.* 3. Archid. *in cap. Hæreſis num.* 1. *eadem cauſa, & quæſt.* Sylveſt. *in verb. Hæreſis* 1. *nu.* 1. Unde ſecundùm Archidiaconum ad rationem hæretici duo concurrunt: unum eſt error in intellectu, quod eſt hæreſis initium; alterùm pertinacia in voluntate, quod

22 eſt hæreſis complementum. At pertinax dici non poteſt, qui errorem ſuum corrigere paratus eſt, & profitetur ſe credere, quod credit Sancta Mater Eccleſia, Turrecrem. *in Summa de Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 1. *part.* 2. Sanctus Antonin. *in* 2. *part. tit.* 12. *cap.* 1. Pertinax enim idem eſt, ac durus, irrevocabilis, indocilis, obſtinatus, ut dicit gloſſa *in Clement. unic.* §. *Porrò, in verb. Pertinaciter, de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, & dicitur pertinax quaſi propoſiti tenax, ſeu multùm tenax. Facit text. *in l.* 3. §. *Tutore, ff. de ſuſpect. Tutor.*

23 Hinc Doctores Catholici cautè in principio, vel in fine librorum ſuorum conſueverunt apponere proteſtationem, quòd omnia eorum dicta, aut ſcripta correctioni Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ ſubjiciunt; & per hoc evitant omne periculum hæreticæ pravitatis, licèt in eorum ſcriptis aliqui ſint errores ab Eccleſia damnati, prout fecit Abbas Joachi-

24 mus dictans epiſtolam propria manu ſubſcriptam, in qua firmiter confeſſus fuit, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ, diſponente Domino, cunctorum fidelium Mater eſt, & Magiſtra, ut dicitur in textu *ad fin.* & notant Butr. hîc *num.* 27. plenè Cardin. *in Clement.* 1. §. *Porrò, num.* 50. *de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, Dec. *conſ.* 8. *Gravia ſunt*, *num.* 128. *vol.* 1. dicens de hoc eſſe textum apertum, & ad literam in hoc cap. Navarr. *conſ.* 6. *Hypotheſ. nu.* 14. *de Hæretic.* Jo. à Royas *in tract. de Hæretic. par.* 1. *num.* 62. & hanc cautelam tradidit Barthol. Veronenſis cautela 155. Tenor autem epiſtolæ Abbatis Joachimi eſt ejuſmodi.

25 *Univerſis, quibus literæ iſtæ oſtenſæ fuerint, Frater Joachim, dictus Abbas de Flore, æternam in Domino ſalutem.*

Sicut ex literis D. Papæ q. Clementis, quæ apud nos ſunt, per ipſi poſt , ex mandato D. Papæ Lucii, & D. Papæ Urbani niſus ſum aliqua ſcriptitaſſe, & hucuſque, quod occurrit ad gloriam Dei ſcriptitare non deſino. Denique librum concordiæ quinque luminibus comprehenſum, expoſitionem Apocalypſis octo partium titulis inſignitam, Pſalterium decem chordarum tribus voluminibus inciſum, prout Deus melius inſpiravit, & facultas ingenii affecit, ad conſummationem conduxi, præter alia, quæ in parvis libellis, ſeu contra Judæos, ſeu contra Catholicæ fidei adverſarios comprehendi. Et dum ſum in hoc corpore præſervatus, ad ædificationem fidelium Chriſti, & maximè Monachorum, dare operam non poſtpono. Quia verò pro anguſtia temporum non potui hucuſque opuſcula ipſa præter librum concordiæ Apoſtolico culmini præſentare, ut ab eo corrigerentur, ſi qua ibi (quod non abnuò, et ſi mihi conſcius non ſim) occurrerint corrigenda, & incertus eſt homini numerus dierum ſuorum: ſi me contigerit prius egredi ex hac luce, quàm poſſim ſecundum quod accepi in mandatis; ſiquidem ea conditione ſuſcepi dictanda, ut omnes quidem libros ei, cui datum eſt omnimodè magiſterium, præſentarem: Rogo ex parte Dei omnipotentis Coabbates meos, & Priores, & cæteros Fratres metuentes Deum, & ea quæ poſſe videtur authoritate præcipio, quatenus præſens ſcriptum, aut exemplar habentes ſecum, ac ſi pro teſtamento opuſcula, quæ hactenus confeciſſe videor, & ſi quid me de novo uſque ad diem obitus mei contigerit ſcriptitare, quàm citiùs potuerint collecta omnia, relictis in ſalva cuſtodia exēplaribus, Apoſtolico culmini repræſentent, recipientes ab eadem Sede vice mea correctionem, & exponentes ei meam circa ipſam devotionem, & fidem, & quòd ea ſemper paratus ſim, quæ ipſa ſtatuit, vel ſtatuerit, obſervare; nullamque meam opinionem contra ejus defendere ſanctam fidem, credens ad integrum quæ ipſa credit, & tam in moribus, quàm in doctrina ſuſcipiens correctionem, abjiciens quod ipſa abjicit, ſuſcipiens quod ſuſcipit ipſa, credens firmiter non poſſe portas inferi prævalere adverſus eam; & ſi ad horam turbari, & procellis agitari contingat, non deficere fidem ejus uſque ad conſummationem ſæculi.

Hoc ſcriptum feci ego Joachim Abbas, & propria manu roboravi, Anno Dominicæ Incarnationis 1200. *& ſic me tenere confiteor, ſicut in eo continetur.*

Stante igitur hac proteſtatione, Joachim non fuit hæreticus, ſed erraticus, quia noluit diſcedere à Chriſto, ſecundùm ea, quæ tradit Bald. *in cap.* 1. *num.* 1. *ſuprà eod.* & ita declaravit Honorius Papa III. anno Domini 1221. ad ſupplicationem Abbatum, & Conventuum de Ordine Floris, cujus declaratio extracta ex Regiſtro ejuſdem Honorii in Bibliotheca Vaticana, ſic ſe habet: *Honorius, &c. Cuſentino Archiepiſcopo, & Epiſcopo Biſiniacenſi. Ex parte, & infra. Licèt igitur prædictus libellus, ſive tractatus condemnatus fuerit in Concilio memorato; quia tamen idem Joachim omnia ſcripta ſua Romano mandavit Pontifici aſſignari, Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda, dictans epiſtolam, cui propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter eſt confeſſus, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ diſponente Domino cunctorum fidelium mater eſt, & magiſtra: Fraternit. V. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publicè nuntiari, quòd eum verum Catholicum reputamus, & Regularem obſervantiam, quam inſtituit, ſalutarem; eos, qui Ordini memorato ex hoc detrahere, vel inſultare præſumpſerint, modo præmemorato ſub Apoſtolica obſervantia caſtigantes. Datum Later.* 13. *Kal. Januarii anno* 5. 26

Septimò nota ex prima parte textus duos errores iſtius Abbatis Joachim. Primus error fuit, quia redarguebat de hæreſi Petrum Lombardum Sententiarum Magiſtrum, qui *lib.* 1. *ſent. diſt.* 5. dixerat, quòd ſumma quædam res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, neque genita, neque procedens: ex hoc enim Jachimus arguebat Petrum adſtruere quaternitatem, quod eſt falſum. Secundus error fuit in unione ſubſtantiæ Divinæ quoad perſonas Trinitatis, quam unionem ipſe Joachim aſſerebat non veram, & propriam, ſed quaſi collectivam, & ſimilitudinariam: & utrumque errorem damnat Concilium, & Joachimi fundamenta evertit, ut in text. & notat Hoſtienſ. in princip. & Jo. Andr. *n.* 19. *in verb. Quaternitas*, ubi de primo errore, *& n.* 6. *in verb. Potiſſimum*, ubi de 2. 27

Ultimò nota ex 2. par. text. doctrinam impii Almarici fuiſſe 28

fuiſſe damnatam à Concilio, quod ea potiſſimùm de cauſa fuit ab Innocentio III. celebratum. Cur autem Concilium appellet hanc doctrinam non tam hæreticam, quàm inſanam, facilè intuebitur, qui ipſius Almarici errores legerit. Fuit Almaricus natione Gallus, patria Carnotenſis, Lutetiæ Pariſiorum impietatis Doctor: inter veſanos mentis ejus errores recenſentur præcipui, qui ſequuntur: Primò dicebat corpus Chriſti non aliter eſſe in pane Altaris, quàm in alio pane, & in qualibet alia re, tranſubſtantiationem denegans. Secundò, Deum ſic locutum fuiſſe in Ovidio, ſicut in Auguſtino. Tertiò, negabat reſurrectionem corporum, Paradiſum, & Infernum; ſed qui in ſe Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in ſe Paradiſum; qui contrà mortale peccatum haberet, eundem Infernum habere in ſe, non aliter, quàm dentem putridum in ore. Quartò, Altaria Sanctis dicata, & Imagines thurificare, Sanctorumque invocationes idololatriam eſſe aſſerebat. Quintò, non ſolùm cum Armenis Adam, & Hevam nunquam carnali copula jungendos, ſi permanſiſſent in ſtatu illo, in quo Deus illos creavit; verùm etiam ſexuum differentiam nullam, ſed hominum multiplicationem æquè, ac Angelorum futuram affirmabat. Sextò, aſſerebat Deum non videri in ſe, ſed in creaturis, ſicut lumen in aere. Septimò, illud quod aliàs eſt peccatum mortale, factum in charitate non eſſe peccatum, impunitatem peccatorum promittens. Octavò, affirmabat ideas, quæ ſunt in mente Divina, & creare, & creari poſſe, cùm tamen ſecundùm Auguſtinum in mente Divina nihil ſit niſi æternum, & incommutabile. Nonò, ſomniabat mentem contemplativi, vel beati perdere ſuum eſſe in proprio genere, & redire in illud eſſe ideale, quod habuit in mente Divina. Decimò, docebat omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipſum converti, ut ſint unum individuum cum ipſo; unde per conſequentiam negabat in reſurrectione duplicem fore ſexum. De his, & pluribus aliis veſanis erroribus, unà cum complicibus, ab Epiſcoporum, & Theologorum Pariſienſium Concilio convictus, ex mœrore animi interiit, ejuſque cadaver juſſu Philippi Gallorum Regis poſteà exhumatum, & flammis exuſtum eſt anno Domini 1208. Supraſcriptas hæreſes recenſet Prateolus *de Sectis hæretic. l.* 1. & ex Chronico Summorum Pontificum viginti errores hujus Almarici colliguntur. Sex refert Vincentius in *Speculo Hiſtoriali lib.* 30. *c.*7. quorum etiam meminit Eymericus *in Director. Inquiſit. part.*2. *q.* 7. *n.* 3. & nonnullos referunt Genebrardus *l.* 4. *Etymologiarum*, S. Antoninus 4. *p. tit.* 11. *cap.* 7. §. 1. *verſ. Reprobatur etiam*, Hoſtien. hic *nu.* 16. *&* 22. Jo. Andr. *n.* 36. *&* 37. Bellam. *n.* 9. & Butr. *n.* 29. Vide notas ad Concilium Lateranenſe IV. *tom.* 3. *Conciliorum*, *par.* 2. *pag.* 697. *littera F.*

DE CONSTITUTIONIBUS.

Ex Concilio Meldenſi.

CAPUT I.

CAnonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus, vel judiciis Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur.

SUMMARIUM.

1 *INtellectus varii ad hoc Capitulum, & n. ſeqq. uſque ad num.* 10.
Canonum ſtatuta, de quibus loquitur hæc Conſtitutio, quot modis accipiantur, ibid.
2 *Præcepta moralia legis veteris immutabilia ſunt.*
3 *Præcepta cæremonialia fuerunt viva uſque ad paſſionem Chriſti, mortua deinceps, & mortifera poſt divulgationem Euangelii.*
4 *Præcepta judicialia evacuata ſunt per adventum Chriſti, & quamvis non ſint mortifera, ſunt tamen mortua.*
5 *Infideles ad fidem, & obſervantiam novæ legis non coguntur inviti, & n.* 78. *&* 88.
6 *Conſtitutiones Canonum ligant omnes, & eorum ritu tam in procedendo, quàm in decidendo judicia ſunt regulanda.*
7 *Actionis verbum hic poſitum quo ſenſu accipiatur, & num.* 9.
8 *Canones tranſgredi non licet in Eccleſiaſticis negotiis, vel judiciis, & proprium ſenſum ſequi.*
9 *Conſtitutiones Canonicæ ab omnibus ſunt ſervandæ tam in foro externo, quàm in foro conſcientiæ.*
10 *Meldenſis Concilii cauſa, & authoritas quæ.*
11 *Canonis appellatione in latiori ſignificatione venit omnis Conſtitutio Eccleſiaſtica, & n.* 18.
12 *Rex Angliæ ſi de Jure faciat mentionem, de ſuo Jure Regio intelligitur.*
13 *Conciliorum Provincialium decreta in Gregoriana compilatione inſerta vim habent generalium Conſtitutionum.*
14 *Concilia Provincialia etiam per Sedem Apoſtolicam confirmata, regulariter non obligant extra provinciam, & n. ſeqq.*
15 *Confirmatio dat robur actui confirmato, ſed illum non extendit.*
16 *Rex in ſuo regno eſt Monarcha, & totum continens.*
17 *Papæ juriſdictio non reſtringitur ad limites alicujus territorii.*
18 *Decretalis epiſtola, decretum, dogma, mandatum, interdictum, & ſanctio, in quibus differant.*
19 *Canon ſtrictè accipitur pro Conſtitutione in generali Concilio edita.*
20 *Canones qui dicantur ex ſtylo Concilii Tridentini.*
21 *Canonis nomine frequentius uſurpantur Conſtitutiones in corpore juris clauſæ, & n. ſeqq.*
22 *Juris Canonici corpus quæ complectatur, & n.* 46.
23 *Clauſula,* In his, quæ ſacris Canonibus, Tridentini Concilii Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis non adverſantur, *de quibus Canonibus intelligatur.*
24 *Declarationes Apoſtolicæ an dicantur Statuta Canonum, & n. ſeqq. uſque ad n.* 27.
Statuere ex propria ſignificatione eſt jus novum inducere, ibid.
25 *Canones fidei non continent jus novum, ſed juris divini declarationem.*
26 *Statuere, & decernere ſe compatiuntur etiam cum verbo declarare.*
27 *Canonum appellatione an veniant ſtatuta Epiſcopi, & n. ſeq. uſque ad n.* 37.
28 *Quid in materia odioſa, & pœnali. Et quid in materia favorabili, n.* 30.
29 *Jus municipale non eſt jus commune.*
31 *Canonis appellatione in materia favorabili venit etiam Conſtitutio Capituli, & n.* 33.
32 *Abſolvere poteſt inferior ab excommunicatione lata à Canone tam Papæ, quàm Epiſcopi, ſi illius conditor abſolutionem ſibi non reſervavit.*
33 *Diſpenſare qui poteſt ſuper irregularitate impoſita à Canone, poteſt diſpenſare cum Monacho irregulari ex celebratione poſt incurſam excommunicationem latam ex Conſtitutione Ordinis.*
34 *Conciliorum Provincialium Decreta an poſſint Canones appellari.*
35 *Canonis appellatione indiſtinctè venit Statutum Epiſcopi, ſi à Papa ſit confirmatum.*
36 *Et idem ſi Statutum ſit ſecundùm terminos Juris communis.*
37 *Gratiani dicta non ſunt pro Canonibus recipienda.*

28 *Le-*

38 Leges civiles in volumine Decreti inſertæ, ſi ſint contrariæ Canonibus, non ſunt ſervandæ in foro Eccleſiæ, & n. 45.
39 Nec cenſentur canonizatæ, niſi quæ à Papa Canonibus inſeruntur.
40 Rubricæ Decreti non ſunt authenticæ, excepta prima, & num. ſeqq.
41 An illarum author fuerit Gratianus.
42 Rubrica prima Decreti quo ſenſu dicatur authentica.
43 Paleæ non habent Canonis authoritatem, unde dictæ, & quis fuerit illarum author.
44 Gratianus quid egerit coram Pontifice, ut ſe Decreti authorem oſtenderet.
45 Leges Civiles Canonibus non contrariæ ſervari debent etiam in foro Eccleſiæ.
46 Decreti liber in quibus hodie intelligatur approbatus.
47 Canones omnes ſunt in præcepto.
48 Canonum tranſgreſſores ex contemptu, vel neglectu, aut concupiſcentia, qualiter peccent, & puniantur.
49 Cauſæ Eccleſiaſticæ decidendæ ſunt ſecundùm Canones, & non ſecundùm leges.
50 Cauſa etiam in foro ſæculari ſecundùm Canones eſt decidenda, ſi de re eccleſiaſtica agatur actione reali, ſecùs ſi actione perſonali.
51 Sed in præparatoriis judicii indiſtinctè ſervandæ ſunt leges fori, ubi cauſa ventilatur.
52 Judex an debeat judicare ſecundùm conſcientiam, an verò ſecundùm acta, & probata, & n. ſeqq.
53 Judicis conſcientia triplex.
54 Princeps judicare poteſt ſecundùm conſcientiam, adhibita tamen cautela hìc poſita.
55 Conſtitutiones Canonicæ ligant omnem creaturam.
Et an hoc ſit reſtringendum ad ſubditos, ibid. & num. ſeqq. uſque ad n. 93.
56 Canonum conditori, & vicario Creatoris, ſubjecta eſt omnis creatura.
57 Princeps non adſtringitur legibus ſuis, vel Prædeceſſorũ, vi coactiva; adſtringitur tamẽ vi directiva rationis jure naturali, & divino, & n. ſeqq. uſque ad n. 64.
58 Prædeceſſorum ſuorum ſtatuta cuſtodiat, qui ſua à ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari.
59 Lex non habet vim coactivam, niſi à Principis poteſtate.
60 Papa quamvis non conſtringatur lege poſitiva, aſtringitur tamen mente legis, & æquitate naturali determinante aliquid circa peccatum.
61 Papa an ligetur c. Omnis utriuſque, de pœnit. & remiſſ.
62 Nemo cogitur à ſeipſo, ſed tamen à ſeipſo dirigitur, & obligatur.
63 Nulla authoritas, vel Senatus poteſt facere, quin Princeps ſit animal rationale, vel ut ſit ſolutus legibus naturæ.
64 Pagani, & infideles an, & in quibus ſubſint juriſdictioni Eccleſiæ, & n. ſeqq. uſque ad n. 93.
65 Oves Chriſti ſunt omnes tam fideles, quàm infideles per creationem, licèt non ſint de ovili Eccleſiæ.
66 Papa non ſolùm ſuper fideles, ſed etiam ſuper infideles juriſdictionem habet de jure, licèt non de facto.
67 Gentilis poteſt licitè puniri per Papam, ſi contra legem naturæ faciat, ut ſi colat idola.
68 Judæi poſſunt per Papam judicari, ſi contra Evangelium faciant in moralibus, vel hæreſes circa ſuam legem inveniant, & n. 83.
69 Thalmud Judæorum librum plures Romani Pontifices juſſerunt concremari.
70 Infidelibus detinentibus terram, in qua juriſdictionem habuerunt Chriſtiani Principes, Papa poteſt prohibere, ne injuſtè divexent Chriſtianos, & contrafacientes juriſdictione & dominio privare.
71 Item poteſt infidelibus præcipere, ut admittant Prædicatores Evangelii in terris eorum juriſdictioni ſubjectis.
72 Papa contra infideles mandatis ejus inobedientes poteſt juſtè bellum indicere.
73 Papa in criminibus eccleſiaſticis exercere poteſt juriſdictionem contra infideles, ſicut contra fideles.
74 In mixtis verò locus eſt præventioni inter Papam, & Imperatorem.
74 Infidelium dominium, ſeu prælatio ſuper fideles poteſt juſtè tolli per ſententiam, & ordinationem Eccleſiæ.
76 Eccleſia authoritatem Dei habet ſuper regna.
77 Infideles non ſunt directè de foro Eccleſiæ, ſed alieni à Chriſto, & ſervi diaboli.
78 Infideles Eccleſia non excommunicat.
79 Forum ſortiri, & ſtatutis ligari, à pari procedunt.
80 Statuendi poteſtas à juriſdictione dependet.
81 Juris Canonici ſtatuta ligant omnem creaturam in materia eidem adaptabili.
82 Præſcribens contra juriſdictionem Imperatoris non remanet acephalus, ſed ſubeſt Papæ.
83 Judæi delinquentes contra legem Moyſis, per Legem Canonicam puniuntur.
84 Item ſi obſint fidelibus, vel delinquant in opprobrium Chriſtianæ Religionis.
Item ſi Dominicis, & feſtis diebus mercimonia vendant, & artificia, ſeu opera mechanica exerceant, num. 85.
Item ſi in die Paraſceves oſtia, vel feneſtras apertas habeant, aut in publicum proſiliant, & n. 86.
85 Palentinum Concilium tempore Urbani VI. celebratum nullam habet authoritatem.
87 Judæi non ligantur c. Omnis utriuſque, de pœnit. & remiſſ.
88 Judæi ſi matrimonium contrahant in gradibus lege Canonica tantùm prohibitis, ad fidem converſi non ſeparantur, & eorum proles legitima eſt.
89 Nec tenentur ſervare formam à Concilio Tridentino præſcriptam in matrimoniis contrahendis.
90 Matrimonium validè ab infidelibus contractum, poſt converſionem non eſt iterandum coram Parocho, & teſtibus.
91 Judæi in ſucceſſionibus utuntur lege veteris Teſtamenti.
92 Laici in merè temporalibus & prophanis non ligantur Conſtitutionibus Canonicis, niſi in terris Eccleſiæ.
93 Conſtitutiones Eccleſiaſticæ ante publicationem non ligant.
94 Conſtitutiones particulares reſpectu certorum locorum, vel perſonarum, ad alia loca, vel alias perſonas non extenduntur.
95 Conſtitutiones per contrariam legem, vel conſuetudinem abrogatæ, non ſunt ſervandæ.
96 Et illis utentes incidunt in pœnam falſi.
97 Conſilii lex regulariter non eſt obligatoria.
98 Conſilii legem non ſervans ex contemptu, mortaliter peccat.
99 Conſilium reverentiæ quod dicatur.
100 Verba hortatoria impropriantur, quando ſubjecta materia eſt de præcepto.
101 Reſidere tenentur Epiſcopi apud ſuam Cathedralem temporibus Adventus, Quadrageſimæ, &c. nec ſufficit, ut in Diœceſi reſideant.
102 Eccleſia Romana authoritatem Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur.
Declaratur, num. 106.
103 Papa an poſſit ſolo verbo facere Sacerdotem, vel Epiſcopum, & n. ſeqq.
104 Imperator unico verbo, etiam procedendo, & extra ordinem prolato, poteſt facere quem Doctorem.
105 Proviſus ante conſecrationem non dicitur Epiſcopus, ſed electus.
107 Lex eſt omne, quod in ratione conſiſtit.
108 Judex ex magna cauſa poteſt tranſgredi Canones.
Contrarium, n. 114. uſque in fin.
109 Pœna mortis ex ſtatuto impoſita commutari poteſt ratione ætatis in pupillo, qui homicidium perpetravit, & num. 117.
110 Pœnas legum licet exacerbare propter caſum terribilem.
111 Degradari an poſſit Clericus, & tradi curiæ ſæculari pro crimine parricidii, ſi non ſit incorrigibilis.
112 Mortuus ob criminis immanitatem poteſt tradi beſtiis in cibum.
113 Diſpenſare poteſt Epiſcopus ex magna cauſa neceſſitatis, & utilitatis contra generale Concilium ex ſententia Rotæ.

Con-

Contrarium num. 121.
Declaratur, num. 122.
114 *Epicheja an & quando Judicibus uti liceat.*
115 *Innocentii doctrina de arbitrio tranſgrediendi leges expenditur, & n. ſeqq. uſque ad n.* 121.
116 *Judices poteſtatem habent ex cauſa pœnas temperandi, & exacerbandi.*
117 *Minor etiam proximus pubertati pro homicidio nunquam poteſt affici ultimo ſupplicio.*
118 *Minor viginti quinque, & major quatuordecim annis pro atrocibus delictis non punitur pœna mortis.*
Et quid in atrocioribus, ibid.
119 *Et quid in atrociſſimis.*
120 *Parricidium dolo malo, aut ex inſidiis patratum, ruſticitatis, vel ætatis excuſatione non eſt velandum.*
121 *Diſpenſare nequeunt Epiſcopi contra Canones, niſi quatenus reperiatur eis à jure permiſſum.*

1 CAnonum Statuta. Varias habet lecturas, quarum tres recenſet Abb. Antiq. hìc in princip. Prima lectura eſt, eorum, qui intellexerunt Statuta Canonum de præceptis Legis veteris, de quatuor Euangeliis, & quatuor Conciliis Generalibus, quæ ſicut quatuor Euangelia Catholica veneratur Eccleſia, *cap. Sicut* 15. *diſt.* Quo ſenſu verba textus ibi ab omnibus exponuntur ſine ulla exceptione, & ceſſat contrarium, de quo hìc in gloſſ. 4. quia etiam Papa, & Imperator legem, & Euangelium ſervare tenentur, *c. Sunt quidam* 25. *q.* 1. & ſecundùm hoc Decretalis ſic ſummari poteſt: Canones veteris, & novi Teſtamenti, & quatuor univerſalium Conciliorum, ab omnibus ſervari debent.

Verùm hic primus intellectus nullatenùs videtur recipiendus. Primò, quia nimis reſtringit hanc litteram, quæ generaliter loquitur de Statutis Canonum, quorum appellatione in ſui latitudine comprehenduntur omnes Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, ut in *Summa* 3. *diſt.* & ex communi uſu loquendi, quæ in corpore juris ſunt clauſæ, ut dicam infra *in* 1. *notab.* Secundò, quia eſſet de indubitabili. Nemini enim dubium eſſe poteſt, quin omnes lege divina adſtringantur, *c. Quæ contra* 8. *diſtinct.* Tertiò, quia eſſet contra mentem Gregorii IX. qui propterea ſuæ compilationi præpoſuit hunc Canonem in his, quæ pertinent ad jus humanum, ut omnes intelligerent Decretales in hoc volumine inſertas ab omnibus eſſe cuſtodiendas, ut ſuprà in
2 *proœmio in fin.* Quartò, quia non omnia præcepta veteris legis obligant poſt legem Euangelicam, ſed moralia dumtaxat, quæ immutabilia ſunt, §. *His itaque*, & ibi gloſſa 1. 6. *diſt.* S. Thomas *in* 4. *ſent. diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 1. *ad* 2. Cære-
3 monialia enim fuerunt viva uſque ad Paſſionem Chriſti, mortua deinceps, & mortifera poſt divulgationem Euan-
4 gelii: Judicialia verò ſunt evacuata per adventum Chriſti. Et quamvis non ſint mortifera, ſunt tamen mortua, ut idem
5 docuit in 1. 2. *q.* 103. *art.* 4. & *q.* 104. *art.* 3. Quintò & ultimò, aliis omiſſis, quia nihilominùs hic intellectus non ſolvit contrarium de infidelibus, qui ad fidem, & obſervantiam novæ legis non compelluntur inviti, *c. De Judæis, & c. Ad fidem* 45. *diſt. cap. Sicut infrà de Judæis.* Ad quod vide, quod dicam infra *n.* 78. & 88.

6 Secunda lectura eſt Vincentii, qui intellexit hoc capitulum de Statutis localibus, itaut exponatur, ab omnibus, ſcilicet ſubditis juriſdictioni Judicis ſtatuentis, ut *cap. Cùm longè* 61. *diſt. & cap. Nihil infrà de elect.* Sed huic lecturæ a fortiori obſtant prima, & tertia conſideratio, de quibus in præcedenti intellectu. Licèt probabiliter dici poſſit has duas lecturas fuiſſe poſitas à Doctoribus non excluſivè ad Conſtitutiones Eccleſiaſticas generales, ſed comprehenſivè, itaut ſit ſenſus, ut Canones tam juris divini, quàm juris poſitivi Eccleſiaſtici, ſive ſint generales, ſive locales, reſpectivè ab omnibus ſint ſervandi.

Tertia, & communis lectura eſt, ut textus intelligatur de ſtatutis ab Eccleſia generaliter editis, ut per gloſſam 1. & Hoſtienſem *in princ.* & hoc modo ſecundùm Joan. Andr. Cardin. & Anchar. hoc dicit: Conſtitutiones Canonum ab omnibus ſunt ſervandæ. Vel pleniùs ſecundùm Anton. de Butr. Joan. de Imol. Abb. Joan. de Anan. Alexand. de Nævo, Felin. & Dec. Juris Canonici ſtatuta omnes ligant, & eorum ritu tam in pronuntiando, quàm in decidendo judicia ſunt regulanda. Et quamvis hoc ſummarium impugnet Auguſtinus Bero. eò quòd etiam in procedendo à judicibus Eccleſiaſticis ſervandi ſint Canones: tamen revera hunc ſenſum habuerunt Doctores, dum dixerunt tam in pronunciando, quàm in decidendo, hoc eſt tam interloquendo, quàm diffiniendo; & ſic tam in ordinatoriis judiciis, quàm in deciſoriis. Ad hoc *l. Quod juſſit*, cum ibi notatis per Bart. *ff. de re judicat.* Præterquamquòd non ſemper in præparatoriis ſervandi ſunt Canones, ſed leges fori, ubi judicium ventilatur, ut dicam infra in 3. *notab.* Clariùs tamen ſic ſummat Aretin. & benè: Statuta Canonica ligant omnes, & ſecundùm ea debent Judices procedere, & judicare, non ex ſuo capite. Quod ultimum eſt ex mente gloſſæ, & Innocentii, qui exponunt verba ſuo ſenſu, ſcilicet malo.

Quarta lectura eſt Petri de Anchar. *in repetit. hujus cap.* 7
num. 31. qui expoſuit verbum, *Actionibus*, non prout ſonat in jus, id eſt, pro jure proſequendi in judicio, quod ſibi debetur, ut in *l. Extat, ff. Quod met. cauſ.* & Inſtit. *de action. in princ.* quemadmodum intellexerunt gloſſ. Innoc. & Joan. Andr. qui expoſuerunt verbum, *Actionibus*, ſcilicet civilibus, & *judiciis*, ſcilicet criminalibus: hoc enim eſſet nimis reſtringere hunc textum, ſcilicet ad civiles, & criminales cauſas in judicio ventilandas, & ad judicem tantùm, ut in ipſis judiciis non ducatur ſuo ſenſu: ſed expoſuit verbum, *Actionibus*, prout ſonat in factum, & in exercitio facti, & in actibus hominum explicandis, etiam cum privatis perſonis extra judicium, ut in teſtamentis, contractibus, & aliis quibuſcumque diſpoſitionibus occultis, ut in eis ducatur quis authoritate Canonica, & non ſpiritu ſuo, cùm privata diſpoſitio non poſſit generalem Conſtitutionem Canonis immutare, *cap. Requiſiſti, de teſtamen. & l. Nemo poteſt, ff. de legat.* 1. Verbum autem, *Judiciis*, intellexit in ſua propria ſignificatione, prout refertur ad civiles, & criminales cauſas, in quibus nec litigatores, nec Judices duci debent privato ſenſu, ſed Canonum authoritate, *c. Ne innitaris infrà eod.* Et ita 8
de decretis Concilii Tridentini ſanxit Pius IV. *in Bulla Confirmationis*, quæ incipit, *Benedictus Deus*, ibi, *Eadem decreta, & ſtatuta in judicio, & extra illud diligenter obſervent.* Et hoc ſenſu ſecundùm Anchar. tex. ſummatur ſic: Nemini licet in Eccleſiaſticis negotiis, vel judiciis tranſgredi Canones, & proprium ſenſum ſequi. Vel aliter ſecundùm Berojum: Statuta Canonum in omnibus negotiis Eccleſiaſticis ab omnibus ſervanda ſunt: intelligendo verbum, *Negotiis*, largè pro quibuſcumque actibus tam extrajudicialibus, quàm judicialibus, juxta textum in *c. Forus*, §. *Negotium infrà de verborum ſignific.*

Et hinc ſumi poteſt quinta, & nona lectura ad hunc 9
textum, accipiendo verbum, *Actionibus*, adhuc in latiori ſignificatione, non ſolùm pro actibus humanis extrajudicialibus externis, *ut in l. Hæredes palam*, & ibi gloſſ. *in ver. Actionis, ff. de teſtament.* & in Auth. *Hoc jus porrectum, C. de Sacroſanct. Eccleſ.* ſed etiam pro actibus internis, ſecundùm ea, quæ ſcripſi *in c. Dolentes num.* 58. & 64. *infra de celebratione Miſſarum*, itaut Conſtitutiones Eccleſiaſticæ obligent etiam ad culpam, ut *in cap. Nulli fas* 19. *diſtinct. & in cap. Violatores* 25. *qu.* 1. cum aliis adductis per Archid. *in c. Deteſtanda num.* 4. *de conceſſ. præb. lib.* 6. & latiùs dicam infra *n.* 47. & *n.* 107. in ſeptima declaratione: & meritò, quia legum Eccleſiaſticarum præcipuus finis eſſe debet ad æternam felicitatem, & ſalutem dirigere, ut per D. Thomam in 1. 2. *q.* 90. *art.* 2. & alios, quos ſequitur Rota *deciſ.* 107. *n.* 16. *part.* 7. *recent.* & ſecundùm hunc intellectum textus hoc intendit: Conſtitutiones Canonicæ ab omnibus ſunt ſervandæ tam in foro externo, quàm in foro conſcientiæ.

Dividitur in duas partes juxta tertiam, & communem lecturam. Prima ponit dictum in genere. Secunda illud declarat, & exponit in ſpecie, ibi, *Et nemo.*

Deſumpta eſt hæc Conſtitutio ex Concilio Meldenſi 10
cap. 34. alias 10. ſub Sergio II. ab Epiſcopis Galliæ, Meldis inchoato anno 845. & abſoluto Pariſiis anno ſequenti; eò quòd cùm Reges Francorum res Eccleſiaſticas laicis poſſidendas tradidiſſent, ea recognita, Epiſcopi Galliæ ad divinam indignationem avertendam, & miſericordiam implorandam, hanc Synodum congregarunt: in qua temporum iniquitatem in primis deplorarunt, tribuentes huic ſacrilegio cauſam malorum, quibus eo tempore univerſa Gallia à Northmannis, aliiſque Barbaris nationibus inte-

infeſtabatur. Mox pro rebus Eccleſiæ conſervandis plura decreta ediderunt, ut patet ex Synodi præfatione *tom.3.Concilior.p.1.ſect.2.pag.345.& 350.* Quæ quidem decreta à Sede Apoſtolica confirmata fuiſſe fatetur in ſua Præfatione Benedictus Levita, & patet ex inſcriptione, quæ habetur poſt Præfationem Concilii *pag.346.* Quare dum Berojus hìc *n.3.* aſſeruit Papam huic Concilio Meldenſi interfuiſſe, lapſus eſt ignorantia Hiſtoriæ, quia Sergius II. numquam legitur profectus in Galliam, ubi Synodus coacta fuit, ut patet ex Anaſtaſio Bibliothecario in illius vita, quæ refertur eodem *to.3.Concil.p.1.ſect.2.pag.341.* ex Platina, & aliis Hiſtoricis.

11 Nota primò ex principio textus, appellatione Canonis in latiori ſignificatione venire omnem Conſtitutionem Eccleſiaſticam, ut patet in Summa 3.*diſt.* ibi, *Conſtitutio Eccleſiaſtica Canonis nomine cenſetur*, & ibi hoc notat gloſſa ab omnibus approbata *in cap. De libellis, verſ. Quam ob cauſam 20. diſt.* & firmant hìc Card. Imol. Abb. Aret. Alex. de Nævo, Felin. & Bero. omnes *in 1. notab.* poſt Jo. Andr. *n. 2.* & ſic Canones appellantur omnes leges Eccleſiæ, ſicut Conſtitutiones Juris civilis dicuntur leges ſæculi, ſecundùm Abbat. *n. 1. in fin.*

12 Sed adverſus hanc expoſitionem inſurgit Decius hìc *in 1. notab.* quia cùm textus ſimpliciter de Canonibus loquatur, & hæc Conſtitutio edita fuerit in Concilio Meldenſi, ut patet ex ſupraſcriptione, conſonat, ut ſecundùm qualitatem Concilii loquentis intelligatur, & ſic de Canonibus Conciliaribus, per id, quod notat Bald. *in c. Cum veniſſent nu. 2. infrà de eo qui mittit in poſſeſſ.* ubi quòd ſi Rex Angliæ faciat mentionem de jure, de ſuo regio intelligitur. Et quamvis ſubdat, propter ſubjectam materiam, quod hìc ſtatuitur, locum habere in qualibet Conſtitutione Eccleſiaſtica; tamen contendit hoc non probari per hoc capitulum ob præmiſſam rationem.

13 Verùm huic objectioni reſpondeo, hunc Canonem vim habere generalis Conſtitutionis, non ex Concilio Meldenſi, ſed ex hac Gregoriana compilatione, ut ſupra in proœmio: quod inde etiam convincitur, quia in hoc volumine inſerta ſunt multa decreta Conciliorum Provincialium, ut ſcripſi *in cap.1. num.1.& num.75. infrà de pactis.* Quæ qui-
14 dem decreta etſi Canonum nomine cenſerentur, *ut in cap. Regula, §.Porro 3.diſtinct.* & latiùs dicam infrà *n.34.* tamen non habent vim obligandi extra Provinciam, *cap. 1.5.q.2. cap. Decernimus 3. qu. 9.* etiamſi poſteà fuerint per Sedem
15 Apoſtolicam confirmata, quia confirmatio, niſi aliud in litteris ſit expreſſum, dat robur, ſed non extendit actum confirmatum, *l. Aurelius, §. Teſtamento il 1. ff. De liberat. legat.* & notat Bald. per illum textum *in l. 1. in fin. C. Si adverſ. rem judic.* Paul. de Caſtr. *in conſ. 187. Notandum eſt in princip. lib.2.* Rot. *in recent. deciſ.175. n.8. par.5. & dec.58. n. 30. part.6.* & coram Gregor. XV. *deciſ. 267. num. 1.* Unde Concilia Provincialia Mediolanenſia, quamvis fuerint confirmata per litteras in forma Brevis, receptum eſt, ut vim obligandi non habeant extra illam Provinciam; & nihilominus Canones Provinciales, ſicut & aliæ Conſtitutiones particulares in corpore juris clauſæ, non controvertitur quin habeant vim generalium Conſtitutionum, niſi appareat de contraria Principis voluntate, prout apparet *in cap. Non autem 7. q. 1. & in cap. Et temporis qualitas 16. q. 1. & in cap. Sciendum 19. diſtinct.* & ſæpè alibi; & ita declarat Hoſtienſ. *in c. Cùm ſuper num. 1. de ſepultur. allegat. §. Sed & quod Principi inſtit. de jur. natur. l. Si Imperialis, C. de legib. c. Conſtitutus in fin. de conceſſ. præben.* Idemque firmant *in d. c. Cùm ſuper*, Jo. Andr. & Anton. de Butr. quos refert, & ſequitur ibi Felin. *n. 16. verſ. Hanc fallentiam intellige*,
16 Archid. poſt Hug. *in c. De his il 2. in princ. 50. diſt.* Et proptereà non applicatur doctrina Baldi, quia Rex Angliæ poteſt jus condere in ſuo Regno dumtaxat, in quo, ut Baldus inquit, eſt Monarcha, & totum continens; ſed non extra illud, *l. fin. ff. De juriſd. omn. judic.* & notat idem Bald. *in Auth. Hoc amplius n. 10. verſ. Quæro, an filii Regis, C. de fideicomm.* Bart. *in l. 1. in princ. ff. Quod quiſque jur.* But. *in c. Tuam in 2. notab. infrà de ordin. cognit.* & docet S. Th. in 1.
17 2. qu. 96. art. 5. At Summus Pontifex poteſt Conſtitutiones facere in univerſo orbe etiam ſine Concilio, *c. Cuncta per mundum*, ibi, *Etiam ſine ulla Synodo præcedente 9.q.3. c. Ad Apoſtolicæ de re judic. lib.6.* & ibi notat gloſſa 1. Gemin. *col. 3. verſ. In ea gloſſa*, & Philipp. Franc. *n.3. verſ. In gloſſa*, ibi, *Præſente*, cum juriſdictio Papæ non reſtringatur ad limites alicujus territorii, ut poſt Innocen. *in c. 1. n. 2.* & Butr. *n. 31. de offic. deleg.* dixit Marian. Soccin. *conſ. 237. Difficultatem num. 1. col. 2. verſ. Quia cùm juriſdictio libr. 2.* & Aymon. *conſ. 128. Proponitur n. 2.*

Non igitur mirum, ſi Canonis nomen hìc largè accipia- 18
tur pro omni Conſtitutione Eccleſiaſtica, quæ variis nominibus nuncupatur: nam aliquando dicitur decretalis epiſtola, aliquando decretum, aliquando dogma, aliquando mandatum, aliquando interdictum, aliquando ſanctio. Ad hoc *c. Si quis dogmata 25. qu. 2.* Epiſtola decretalis dicitur, quam Papa ſtatuit ſolus, vel cum Cardinalibus, ad conſultationem alterius. Decretum verò id, quod ſtatuit Papa de Cardinalium conſilio, ad nullius conſultationem. Dogma eſt id, quod conſiſtit in doctrina fidei Chriſtianæ. Mandatum, quod conſiſtit in doctrina morum. Interdictum, quando fit prohibitio, nulla pœna adjecta. Sanctio verò, cùm pœna adjicitur: & ita hæc ſingula explicat, & juribus comprobat gloſſa 1. *in Summa 3. diſtinct.* & ſequitur Imol. hìc *nu. 1.* licèt hæc multoties confundantur, & unum pro altero uſurpetur, ut ibi notat Hugo, & Præpoſ. *in fine.*
Canon ſtrictè ſumitur pro Conſtitutione in generali Conci- 19
lio edita, *ut cap. Habeo 16. diſtinct.* ibi, *Oportebat enim, ut Synodus Canones Eccleſiaſticos promulgaret, cap. Nicæna Synodus 31. diſt.* ibi, *Poſuit leges, quas Canones vocamus*, §. 1. *in princ. 21. diſtinct.* & notat gloſſ. prælleg. *in Summa 3. diſt. verſ. Canon dicitur*, & ibi Archid. Bellam. hìc *n. 1.* Abb. Aret. & alii *in 1. notab.* & cum hac opinione omnes tranſire teſtatur Anton. Burgos *in repet. hujus cap. num. 1. tom. 2. Repeten. fol. 76.* licèt Joan. Baptiſta Ferret. *in ſua repet. num. 1.* pluribus contendat, Canonis appellatione propriè loquendo comprehendi omnem Conſtitutionem Eccleſiaſticam generalem. Canon autem Græcè, Latinè regula nuncupatur, *c. Canon 3. diſt.* & regula dicta eſt, eò quòd rectè ducat, vel quòd regat, & normam rectè vivendi præbeat, vel quòd diſtortum pravumque corrigat, ut legitur *in c. Regula ead. diſt.*

Ex ſtylo Concilii Tridentini Canones appellantur, qui 20
continent diffinitiones in materia dogmatum, ut patet *ex ſeſſ. 6. 7. 14. & 21. cum trib. ſeqq.* in quibus diſtinguuntur, & ſeorſim ponuntur Canones fidei, & Decreta de Reformatione; licèt à Concilio quandoque dicantur Canones etiam extra materiam fidei, ut patet in fine proœmii *cap. 1. ſeſſ. 14.* ibi, *Hos qui ſequuntur, Canones ſtatuendos, & decernendos ducit.* Nam quatuordecim capita, quæ ſequuntur, non ad fidem, ſed ad reformationem ſpectant. Ad idem *cap. 16. ſeſſ. 23.* ibi, *Veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo.*

Cæterùm Canonis nomine frequentiùs uſurpantur illæ 21
tantùm Conſtitutiones, quæ in corpore juris ſunt clauſæ, *ut cap. Si Romanorum 19. diſt.* At verò Bullæ, Motus proprii, Brevia, Regulæ Cancellariæ, Decreta Conſiſtorialia, & alia hujuſmodi, quæ eduntur à Summis Pontificibus ſine Concilio, & ſunt extra corpus juris, non conſueverunt Canones appellari. Et proptereà Gregorius XIII. in Conſtitu- 22
tione, quæ incipit, *Cum pro munere*, edita die 1. Julii 1580. ſub corpore Juris Canonici complectitur tantummodò Decretum Gratiani, unà cum Decretalibus Gregorii IX. in hac compilatione inſertis, librum Sexti, Clementinas, & Extravagantes. Sed & Franciſ. Boatinus Doctor antiquus, relatus hìc per Jo. Andr. *n. 1.* dicebat, poſt tractatum fidei poſitam fuiſſe hanc Conſtitutionem, quæ oſtendit ſervandas Conſtitutiones infrà ſcribendas: & ita intellexit verba illa, *Canonum ſtatuta*, pro Conſtitutionibus clauſis in corpore juris. Prout etiam intellexit Tridentina Synodus *in cap. 20.* 23
ſeſſ. 25. de reformat. dum diſtinxit ſacros Canones à generalibus Conciliis, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis. Unde etiam in confirmationibus Privilegiorum, & Statutorum, quæ hodie à Sede Apoſtolica conceduntur in forma communi, conſuevit apponi hæc clauſula, *Dummodo tamen ſacris Canonibus, Tridentini Concilii Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolis non ſint contraria.* Canonibus, id eſt, redactis in corpus juris; Conſtitutionibus Apoſtolicis, id eſt, Extravagantibus in corpore juris non inſertis: non enim ſunt audiendi, qui dixerunt illa verba, *Sacris Canonibus*, eſſe intelligenda de Canonibus Concilii Tridentini, ut probavi *in c. Tuorum n. 26. infrà de privil.*

QUÆRO, quid de declarationibus Apoſtolicis, an di- 24
cantur ſtatuta Canonum?

Non videtur, quia ſtatuere ex propria ſignificatione eſt
jus novum inducere, Clement. *fin.§. final.de reſcript.* gloſ-
ſa *in Extravag. Suſcepti in verb.Statuimus*, Joan.XXII. *de
elect.*Aret.*conſil.*72. in caſu ſupradicto, *col.fin. verſic.Nam
iſta duo*, *n.* 46. ubi quòd ubicumque Princeps utitur verbo,
Statuimus, vel *Sancimus*, ſemper inducit jus novum. At
declaratio jus novum non inducit, ſed tantùm explicat jam
ſtatutum, *l. Hæredes palam*, §.*Quod verò*, & §. *Sed et ſi no-
tam*, & ibi Bart. Bald. Paul. de Caſtr. & cæteri notant, *ff.
de teſtamen. c. Cùm tu*, cum ibi notatis, *de Uſur.* & dicam
pleniùs in *c. fin. n.* 12. *infra eodem*.

Reſpondeo dicendum: Si declarationes edantur imme-
diatè à Summo Pontifice, abſque dubio veniunt Canonis
appellatione, & faciunt jus quoad omnes, *cap.* 1. *de bigam.
lib.6. cap.*1.*de privileg. eod. libr. d. c.fin.* & *l.fin. Cod.De le-*
25 *gibus*. Quinimò in Concilio Tridentino Canones propriè
accipiuntur pro declarationibus: nam diffinitiones fidei,
quæ à S. Synodo Canones appellantur, non ſunt jus no-
vum, ſed juris divini declarationes, *c. Sunt quidam*, 25.
q. 1. *d. c. Cùm tu*, & ibi gloſſ. *in verb. Sive poſt*, *de uſur.* Jo.
Andr. Butr. & Anchar. in *c. Cùm Chriſtus*, *omnes in princ.
de Hæret.* & fuſiùs dicam in eod. *c. fin. num.* 55. *infra*, *hoc*
26 *tit.* Nec obſtat verbum, *Statuere*, quia conſonat etiam
cum verbo, *Declarare*, *cap.Conſtitutionem*, ibi, *Decla-
rantes decernimus*, *de ſent. excomm. lib.6.* & *c.* 1. & ibi Ge-
min. *in 2.notab. de Cler. ægrot. eod. lib. Clem.* 2. & ibi gloſſa
in ver. Decernimus, *de appellat.* Quamobrem declaratio-
nes hujuſmodi non incongruè dici poſſunt Statuta, ſeu
Conſtitutiones declaratoriæ, ut notat Jo.Andr. in *cap.*1. *in
princ. in ver.Diffinimus*, *de privileg. lib.* 6. dicens non eſſe
curandum, quòd ille textus dicat, *Decernimus*, quia licèt
ſit declaratio, tamen eſt Conſtitutio; & cum eo tranſeunt
ibi Gemin. & alii. Quòd ſi declarationes emanaverint non
ab ipſomet Summo Pontifice, ſed ab alio, Apoſtolica ta-
men authoritate, ut ſunt declarationes S. Congregationis
Concilii, dicam pleniſſimè in *præallegat. capit. final. in-
fra eodem*.

27 QUÆRO. Quid de ſtatutis Epiſcopi, an veniant Ca-
nonum appellatione?

28 Pro ſolutione diſtingue. Nam aut verſamur in materia
odioſa, aut in materia favorabili. Primo caſu Canonum
appellatione propter excellentiam comprehenduntur tan-
tummodò promulgati à Papa, non autem ab inferioribus,
ut probat textus in *Clem.* 1. *poſt princ. de privileg.* ubi Ca-
non, & ſtatuta inferiorum ponuntur tanquam diverſa, &
materia eſt pœnalis, & ita ibi hoc notat Paulus de Elea-
29 zar. & reputat ſingulare Cardin. in 26. *quæſt.* & in hoc pri-
mo caſu intelligi debet Baldus hìc *num.* 4. dum ait ſtatutum
Epiſcopi non poſſe dici ſtatutum Canonum, quia aliàs ſe-
queretur, ut jus municipale eſſet jus commune; quod eſt
falſum. Et quamvis hoc Baldi argumentum pluribus hic
impugnet Andreas Barbatia, contendens non eſſe abſo-
num, ut jus municipale dicatur jus commune; tamen il-
lius objectis cumulatè reſpondet Anton. Burgos *in repetit.
hujus cap. num.* 7. & ante eum Dec. *num.* 4. qui tamen limi-
tat hoc primum membrum, ut non procedat, ubi con-
currit omnimoda ſimilitudo, & identitas rationis, eo præ-
cipuè fundamento, quia tunc etiam in materia odioſa fit
extenſio ad caſum, qui ſublata ſignificatione vocabuli con-
tinetur, *l. Filium habeo*, *ff. ad Macedon. leg.* 2. §. *Quod ſi
Curatores*, *ff. ad Tertyll.* & notat Butr. *in c. final. in mate-
ria extenſionis in* 1.*fallen. infra de conſuet.*Gemin.in *cap.*1.
col. 3. *circa med. verſ. Fallit primò hæc regula*, *de tempor.
ordinat. lib.* 6. & cum Decio conſentit hìc Alexand. de Næ-
vo *num.* 7.

30 In ſecundo caſu, videlicet cùm materia eſt favorabilis,
ſtatutum Epiſcopi largè poteſt dici Canon; & ita notabi-
liter diſtinguit, & declarat Cald. *in conſ.* 16. *incip. An Ca-*
31 *nonis appellatione*, *hoc tit.* ubi ex facto reſpondit, appella-
tione Canonis largè comprehendi etiam Conſtitutionem
Capituli in materia illa favorabili abſolutionis, licèt ſecus
dicat eſſe, ſi materia ſit prohibitoria, & pœnalis, ſicut
32 eſt dicta Clem. 1. *de privil.* & conſentit Abbas in *c. Nuper*,
n. 5. *infra de ſent. excomm.* ubi tenet, regulam illius textus,
quòd ab omni excommunicatione lata à Canone poſſit
quis inferior abſolvere, quoties conditor Canonis abſolu-
tionem ſibi non reſervavit, habere locum tam in Canone
Papæ, quàm in Canone, ſeu ſtatuto cujuſcunque Epiſ-
copi, vel alterius Prælati. Neque verò ex hoc læditur ju-
riſdictio Epiſcopi, ut putavit hic Anton. de Burgos *nu.* 22.
Etenim cùm Epiſcopus ſtatuti conditor abſolutionem ſibi
non retinuerit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis
relaxandi, ut dicitur ad literam in *d. c. Nuper*, & ſic iſta
relaxatio procedit ex tacita voluntate Epiſcopi; volenti au-
tem non fit injuria, *l.* 1. §. *Uſque adeò*, *ff. de injur.* gloſſ. *in
Extravag. Dierum*, Jo. XXII. *in ver. Detinuit*, *de pœnis*: 33
& ob eamdem rationem cùm facultas diſpenſandi ſit favo-
rabilis, & latè interpretanda, ut notat Joan. Andr. in *cap.
fin. num.* 3. & ibi etiam Felin. *nu.* 6. *infra de ſimon.* habens
facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate impoſita à Ca-
none, poteſt diſpenſare cum Monacho irregulari ex cele-
bratione poſt incurſam excommunicationem latam ex Con-
ſtitutione Ordinis, ut idem Calderin. conſuluit in *conſ.* 19.
incip. Abbas habet privilegium, *in tit. De regular.* Eamdem
diſtinctionem, an materia ſit favorabilis, vel odioſa, pro-
barunt hìc Alex. de Nævo *n.* 13. Felin. *n.* 2. & Dec. *n.* 7. Et
quamvis Berojus *nu.* 14. illam impugnet ductus authoritate 34
gloſſæ in *Summa* 3. *diſtinct.* & gloſ. 1. *in cap.* 2. *de major.* &
obed. quæ ſimpliciter dicunt Epiſcopos poſſe condere Ca-
nones Epiſcopales, & Archiepiſcopos Provinciales: tamen
illæ gloſſæ accipiunt Canones largè ſumpto vocabulo; quod
patet ex ratione, quam immediatè ſubjiciunt, videlicet,
quia quilibet populus, vel Eccleſia poteſt ſibi ſtatuere ali-
quod jus. Nec obſtat textus, in quo præcipuè ſe fundat Be-
rojus in *cap. Regula*, §. *Porrò*, 3. *diſtinct.* Quoniam dum
dicitur ibi, Canonum alii ſunt Decreta Pontificum, alii
Conciliorum; & Conciliorum alia ſunt univerſalia, alia
provincialia: hoc non probat Conciliorum provincialium
ſtatuta eſſe Canones, nec ille §. hoc dicit; ſed Gratia-
nus ibi diſtinxit, quia illa provincialia interdum fiunt
authoritate Papæ, quo caſu non ambigitur, quin ſint
Decreta Pontificum, aliàs non, ut ibi apertè ſentit Ge-
min. *num.* 3. *in fin.* Sed ſtatuta illorum Conciliorum, ubi
non intervenerit authoritas Papæ, non eſſe Canones,
oſtendit littera ibi in fine, dum dicit, *Hæc de generalibus
regulis ſunt*, &c. & ita illum text. ad hoc ponderant An-
ton. Burgos *in repet. hujus cap. n.* 14. & Jo. Baptiſta Ferrett.
n. 3. *verſ. Non obſtat tertia ratio*.

Et hinc collige primam limitationem ad prædictam con- 35
cluſionem Baldi, quòd appellatione Canonis non veniat
ſtatutum Epiſcopi, ut ſcilicet non procedat, ſi ſtatutum à
Papa ſit confirmatum, quia ratione confirmationis effi-
citur ſtatutum Papale, ut notant Bald. & Salic. in *l. Ex pla-
cito*, *C. de rerum permut.* & in ſpecie noſtra poſt Gemin. ubi
ſuprà firmant hìc Alex. de Nævo *n.* 8. & Ant. Burgos *n.* 4. ex
cujus dictis *n.* 9. collige & aliam limitationem, videlicet ut 36
non procedat, ſi ſtatutum Epiſcopi ſit ſecundùm terminos
juris communis, quia tunc dicitur jus commune, *l. Jus
autem civile*, *ff. de juſt.* & *jur.* gl. notab. *in c.* 1. *in ver. Fa-
cti*, *de Conſt. lib.* 6.

3. QUÆRO. Quid de dictis Gratiani, an veniant Ca- 37
nonum appellatione?

Breviter negat Jo.Andr. *in c.*2. *n.* 24. *infra de reſcript.* di-
cens Gratiani dicta non eſſe pro Canonibus recipienda,
& quotidiè reprobari; & ſequuntur ibi Abb. *nu.* 9. & com-
muniter DD. Petr. de Anchar. *in repet. hujus cap. nu.* 48. &
Gratiani errores plures commemorat Bart. Cæpol. *de co-
gnit. librorum Jur. Canon. n.*14. *inter tract. commun. tom.*1.
*fol.*185. & noviſſimè Cardinal. Bellarminus *de Scriptor. Ec-
cleſ. in verb. Gratianus*, *pag.* 319. & gloſſas plurimas, quæ
Gratiani opiniones reprobant, cumulat Felin. in *d. cap.* 2.
*num.*43. *ver. Opinionem Gratiani*. Unde ſecundùm eos le- 38
ges civiles in volumine Decretorum inſertæ, ſi ſint con-
trariæ Canonibus, non ſunt ſervandæ in foro Eccleſiæ.
Generaliter enim decreta Conciliorum, decretales, &
leges civiles à Gratiano ibidem inſertæ, non aliam habent
authoritatem, quàm leges ipſæ, decreta, vel decretales, ut
notat idem Jo.Andr. ubi ſupra, & *in addit. ad Specul. in tit.
de appellat.* §. *In quibus*, *verſ. Sed pone*: & illæ tantùm leges 39
cenſentur canonizatæ, quæ à Papa Canonibus inferuntur,
ut in *cap. In primis*, & ibi notat gloſ. *in ver. Capitali*, 2.
qu. 1. & Jo. Andr. in *d. c.* 2. *n.* 25. Præpoſ. *in proœm. Decreti
n.* 2. poſt Archid. *in c. Quicumque*, 11. *q.* 1. Rota *dec.* 353.
n. 59. *par.* 6. *rec.*

Ex his deducitur primò, ut rubricæ, quæ ſingulis capi- 40
tulis Decreti reperiuntur præpoſitæ, Canonis authorita-

41 rem non habeant: & hoc multiplici ratione. Prima ratio, quia alius fuit conditor Decreti, alius Rubricarum, ut inquit Speculat. *in tit. de diſputat. & allegat. Advocat.* §. *fin. nu.* 15. quibus verbis non obſcurè inſinuavit, Canones Decreti fuiſſe Summorum Pontificum, & Conciliorum; Rubricas verò ipſius Gratiani. Quod patet ex eo, quia dixit, conditor, & non compilator, ut ibi accuratè obſervat Jo. Andr. in *addit. littera H.* Idemque ſenſit Gemin. in *c. Quis neſciat*, *n.* 3. 9. *diſt.* Et quamvis nonnulli opinentur Rubricarum authorem fuiſſe quemdam Gratiani diſcipulum, qui vocabatur Palea, vel alium, ut refert Jo. Andr. *ubi ſupra*; idque verius putet Bart. Cæpol. in *d. tract. de cognit. librorum Jur. Canon. num.* 17. *verſ. Sed advertendum*, poſt Felin. *in c.* 2. *n.* 44. *verſ. Rubricæ infra*, *de reſcript.* tamen quiſquis fuerit illarum author, certè neuter potuit illis tribuere Canonis authoritatem, quam non habebant, *c. Tranſlato*, *infr. eod. l. fin. C. de legib.* & in hoc conſentiunt omnes ſuprà citati; quibus adde Baptiſtam de S. Blaſio *in rubr. Decreti n.* 15. & 16. *tom.* 1. *Repeten. fol.* 3. Secunda ratio, quia aliquæ ex prædictis rubricis ſunt falſæ, & non convenientes Magiſtro ſuo, ut patet in *c. Chartæ*, 2. *qu.* 9. & *in c. Placuit*, *il* 2. 16. *q.* 3. Tertia ratio, quia non ſunt poſitæ per omnia, & ubique in eodem libro, ut dicunt Jo. de Imol. *in rubr. ff. de verb. oblig.* & Jo. de Anan. *in rub. infra de teſtam.* quos refert Cæpol. *d. n.* 17. Ultima ratio, quia ſecundùm eos ſummaria ſunt, & non rubricæ, & ideò multi appellant rubrum, & non rubricam; ad quod allego Laurentium *ad fin. Commenti ſui ſupra rubricas Decreti.* Ad hoc tamen vide quod notat ibi Baptiſta de S. Blaſio *n.* 5. *verſ. Tu autem dicas.* Ab his excipe primam rubricam Decreti, quæ à DD. habetur pro authentica, cùm ſit generalis ad totum decretum, ut notant Specul. & Joann. Andr. *locis ci-*
42 *tatis*, & Butr. *ſupra in proœmio* §. *Sanè*, *nu.* 10. & intellige authentica, id eſt, vera rubrica compoſita à Gratiano Decreti Authore, non autem authentica, id eſt, habens Canonis authoritatem, ut declarat Abb. *ſupra in proœm. circa fin.* & Baptiſta de S. Blaſio *ubi ſupra n.* 15. *verſ. Adde tamen.* Aliæ autem rubricæ Decretalium, Sexti, Clementinarum, & Extravagantium, necnon legum civilium, proculdubio ſunt authenticæ, & allegari poſſunt ad deciſionem cauſarum, ſi orationem perfectam habeant, ut ſcripſi in *c. Cùm creatura*, *n.* 30. *infra de celebr. Miſſar.* ubi etiam *num. præced.* idem firmavi *de rubric. Miſſalis Romani.*

43 Deducitur ſecundò, ut illa capitula Decreti, quæ inſcribuntur *Palea*, non ſint pro Canonibus recipienda: etenim illorum Author ab aliquibus fuiſſe dicitur quidam Gratiani diſcipulus, qui vocabatur Pochapalea; unde à nomine Authoris Palea ſunt appellata, ut refert Joann. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de diſputat. & allegat. Advocat.* §. *final. litera H.* Baptiſta de S. Blaſio *in rubricas Decreti in* 24. *quæſt. numer.* 42. Alii dicunt hujuſmodi capitula ab interpretibus fuiſſe ad marginem Gratiani adſcripta, & plerumque in emendatioribus & antiquioribus exemplaribus omiſſa, ut obſervat Anton. Cont. *in emendatione Decreti*, & poſt eum Joannes Calvinus in *Lexic. in verb.*
44 *Palea.* Alii demum referunt negotium ſic proceſſiſſe, videlicet: Cùm Gratianus Romam veniſſet pro confirmatione ſui Decreti obtinenda, librumque tradidiſſet cuidam Cardinali, ut Summo Pontifici probandum præſentaret; Cardinalis alienæ gloriæ avidus, perſpecta operis nobilitate ſe illius Authorem oſtendere animo inſtituit, & propterea multa Sanctorum Patrum & Pontificum dicta Decreto addidit. Itaque mota de Authore operis quæſtione, ſiſtitur uterque coram Pontifice. Gratianus ut ſe Authorem oſtendat, ſummatim Decreti ordinem, ſingulas partes, & Capitula memoriter recitat. Sed cùm additiones ſibi ignotas prætermitteret, & ex hoc Cardinalis argueret eum convinci, quòd libri Author non eſſet: Gratianus reſpondit: Ubi hujuſmodi capitula reperiuntur, palea eſt, nec de grano meo. Indeque factum, ut nomen paleæ ſortita fuerint. Et quamvis alii aliter ſentiant, hanc tamen dicit veriorem ſententiam Bartol. Cæpol. *in tractat. de cognitione librorum Jur. Canon. in princip.* Sanè de his nihil certi affirmare poſſumus. Illud tamen ferè apud omnes in confeſſo eſt, Gratianum non fuiſſe illarum Authorem. Quod inde convincitur, quòd in vetuſtis & emendatioribus Codicibus, ut prædixi, non reperiuntur. Sed quiſquis fuerit illarum Author, ſive Gratianus, ſive illius diſcipulus, ſive interpretes, illud certum eſt, nullum ipſorum potuiſſe paleis conferre authoritatem Canonis, ut de rubricis Decreti dictum eſt ſupra *n.* 41. & propterea Paleæ non habent gloſſas, nec ſuper illis Hugo, Archid. & alii Commentaria ediderunt. Quod ſignum eſt ab illis non fuiſſe habitas pro authenticis, ut arguit Baptiſta de S. Blaſio *ſuper rubricis Decreti in* 6. *quæſt. nu.* 9. Et quamvis aliqui etiam Canones reperiantur ſine gloſſis, ut patet in *cap. Si quis laicus*, & *cap. ult.* 22. *quæſt.* 5. hoc tamen in Paleis regulare eſt, arg. *l. Nam ad ea*, *ff. de legibus.* Neque dicas Joannem Theutonicum Paleas non gloſſaſſe, eò quòd in ſuo libro illas non haberet. Hoc enim eſt falſum, quia de illis mentionem fecit in *c. Precariæ*, *in gl.* 1. 10. *quæſt.* 2. Quo fit, ut minoris etiam authoritatis habitæ fuerint, quàm dicta Gratiani, ſuper quibus expoſitores gloſſas edere non ſunt dedignati. Quare Paleas non eſſe pro Canonibus recipiendas cenſuit Thomas Conanus in *proœmio Decreti num.* 624. *tom.* 1. *Repeten. fol.* 22. allegat Abb. & Felin. in *cap.* 2. *infra*, *de reſcript.* qui tamen loquuntur de dictis Gratiani, & non de Paleis. Adde quòd Archid. & alii Decreti interpretes paſſim dicunt, Palea eſt non habens legis authoritatem; & plerique illas non allegant tamquam Capitula, ſed dicunt: Ut in illa Palea, ut gl. 1. *in d. cap. Precariæ*, Hoſtienſis *in cap. Naviganti*, *nu.* 5. *de uſur.* & alibi ſæpè Doctores. Sed & Archid. in *c. Presbyter*, *in princ.* 91. *diſt.* dicit: Hoc Capitulum habetur hìc pro Palea, ſed pro grano ponitur extra *de celebrat. Miſſarum cap.* 1.

Verumtamen Præpoſ. in *c. In primis*, §. *De perſona n.* 14. 45
2. *q.* 1. affirmat Paleis, & textibus Paleæ, niſi detur jus in oppoſitum, communiter credi, ex notatis per Jo. Andr. & communiter Doctores in *d. c.* 2. *de reſcript.* Sed certè Jo. Andr. ibi *num.* 2. Abb. *n.* 9. & alii non loquuntur de Paleis, ſed de legibus civilibus à Gratiano volumini Decreti inſertis, quæ non ex vi inſertionis, ſed quia etiamſi ſint extra corpus Decreti, tamen ſervari debent etiam in foro Eccleſiæ, ſi Canonibus non ſint contrariæ, argum. *c. Paſtoralis*, *infra de fid. Inſtr.* & tenent in *c.* 1. *infra*, *de novi oper. nunc.* Abb. Antiq. *n.* 2. Jo. Andr. *nu.* 5. & communiter Doctores, Anchar. hic *in* 1. *quæſt. n.* 44. Rot. *deciſ.* 172. *n.* 58. *part.* 1. *recent.* Et quamquam hodie Decretum Gratiani, ut pars 46
Juris Canonici, ſit approbatum per Gregorium XIII. ut dixi ſuprà *nu.* 22. tamen videtur intelligendum quoad dicta Sanctorum Patrum, & Romanorum Pontificum, *c. Si Romanorum*, 19. *diſt.* ſed quoad leges civiles Canoni non inſertas, quoad rubricas, & dicta Gratiani, vel alterius non habentis poteſtatem condendi Canones, liber non videtur authenticus, licèt ſit magiſtralis, ut notat Jo. Andr. in *d. c.* 2. *nu.* 2. *ſupra de reſcript.* quem ibi communiter DD. ſequuntur, & Baptiſta de S. Blaſio in *rubricas Decreti in* 6. *quæſt. num.* 10.

Secundò nota, Canones omnes eſſe in præcepto, ut hìc 47
probatur, ponderando verbum imperativum, *Cuſtodiantur.* Nam quod imperatur, præcipitur; & quod præcipitur, imperatur, *c. Quiſquis præceptis*, 14. *qu.* 1. & *cap. In his*, *de verborum ſignific.* ut hìc per Ægid. Bellamer. *in* 2. *notab.*
& Anchar. *n.* 90. Unde infertur, ut Canones obligent non 48
tantùm ad pœnam, ſed etiam ad culpam. In quo tamen ſic poteſt diſtingui ſecundùm Collect. hìc *n.* 21. & Bellamer. in 22. *q.* Nam aut quis venit contra Canones ex contemptu, credens Eccleſiam non habere condendi poteſtatem: & punietur ut hæreticus, *c. Nulli fas*, 19. *diſt.* & melius in *c.* 1. 22. *diſt.* Aut quis venit contra Canones præcipientes, vel prohibentes, quia non curat ſe legi ſubjicere: & tunc eſt propriè contemptus, & inobedientia, & mortale peccatum: & talis dicitur tranſgreſſor, & punitur pœna depoſitionis, *c. Dudum il* 2. *de elect.* & §. *ult.* 4. *diſt.* & conſentit gl. in *c. Generali*, *in ver. inhibemus*, *de elect. lib.* 6. & Anch. hìc *nu.* 82. Subdunt tamen Collectar. & Bellam. hujuſmodi contemptum non convinci de æquitate niſi poſt monitionem, ſecundùm ea, quæ colligit idem Collect. in *c. Novit de judic.* Aut denique venit quis contra Canones propter concupiſcentiam, vel iram, aut negligentiam: & non dicitur tranſgreſſio, nec per conſequens peccatum mortale, ut poſt D. Th. notat Archid. in *cap. Quicumque*, 81. *diſt.* Sed ad hoc vide tu Abb. hìc *n.* 9. & quod infra attingam, *n.* 107. in ſeptima declaratione, & adde ſecundum Compoſtell. hìc *n.* 1. quòd qui Canones non habet, redarguendus eſt de neglectu: qui habet, & non ſervat, de temeri-

meritate increpandus eſt, *c. Si decreta*, 20. *diſt.* Qui verò in contemptum Eccleſiæ Romanæ non ſervat Canones, hæreticus eſt cenſendus, *c. De libellis*, *ead. diſt.*

49 Tertiò nota ibi, *Et Judiciis Eccleſiaſticis*, cauſas Eccleſiaſticas, vel Eccleſiæ, decidendas eſſe ſecundùm Canones,
50 & non ſecundùm leges. Unde deducebat Gulielmus Naſo, ut ſi de re Eccleſiaſtica ageretur in foro ſæculari, ſecundùm ea, quæ notantur in *c. Cùm ſit generale*, *infra de foro compet.* Judex deberet judicare non ſecundùm leges Civiles, ſed ſecundùm Canones, ut in præſcriptione, per hunc textum, & per *c. Lege Imperatorum*, 10. *diſt.* & *cap.* 1. *de novi operis nuntiat.* & ſequuntur hìc Jo. Andr. *num.* 7. Bellam. *ante n.* 1. *in ver. Eccleſiaſticis*, Anchar. *n.* 2. & Jo. de Imol. *num.* 2. *verſ. Nota quod Canones*. Hoc tamen intelligunt Doctores verum eſſe, ſi agatur actione reali de re jam quæſita Eccleſiæ. Secùs ſi ageretur ſimpliciter actione perſonali, ſeu de re acquirenda, quia tunc judicandum eſſet ſecundùm leges fori, ubi judicium agitatur: & ita dictum Gulielmi declarant, & diſtinguunt hìc Butr. *num.* 11. *in fin. verſ. Unum non omitto*, Aretin. & Alexand. de Nævo, ambo *nu.* 6. & Decius in *ſecunda lectura n.* 8. allegans Hoſtienſem in *Summa de conſuet.* §. *fin. ver. Sed quid ſi Cle-*
51 *ricus*, qui tamen loquitur in alio caſu, ut inferiùs attingam. Cæterùm hæc diſtinctio vendicat ſibi locum in deciſoriis Judicii dumtaxat, non autem in præparatoriis, in quibus ſemper & indiſtinctè ſervandæ ſunt leges fori, ubi cauſa ventilatur, ut plenè tractatur in *c. Quod Clericis*, *infra de foro compet.* & per Jo. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de conſtit. in princ.* & hìc notant Abb. *nu.* 3. Butr. Aretin. & Alexand. de Nævo *locis citatis*, & de communi teſtatur Dec. *d. n.* 8. & in hoc caſu loquitur Hoſtienſis *ubi ſuprà*, videlicet in oblatione libelli, & ſic in præparatoriis Judicii, non autem in deciſoriis, prout loquuntur Doctores in præcedenti declaratione. Hanc tamen materiam latiùs proſequere, ut per Anchar. *in repert. hujus capitis in* 1. *quæſt.* & per Jo. Andr. & Doctores in *d. c.* 1. *de novi operis nuntiat.*

52 Quartò nota ibi, *Non ſuo ſenſu*, argumentum, quòd judex non debet judicare ſecundùm conſcientiam, ſed ſecundùm allegata, & probata, ut *c. Judicet*, 3. *quæſt.* 7. & §. *Si quando autem*, 2. *quæſt.* 1. *c. Paſtoralis*, §. *Quia verò*, ubi gloſ. *ult. infra*, *de off. deleg. l. Illicitas*, §. *Veritas*, & ibi Bart. & Legiſtæ, *ff. de offic. præſ.* gloſ. *in cap. Summoperè*, *in ver. Et contra*, 11. *quæſt.* 3. Specul. *in tit. De diſput. & allegat. Advoc.* §. *Satis*, *num.* 13. Hæc tamen eſt ardua quæſtio, in qua, ut inquit Jo. Andr. *ibidem in addit. littera F.* Doctores ſacræ paginæ tenent contraria, & Legiſtæ in varias ſcinduntur opiniones, quas ibi ſummatim recitat.
53 Ipſe tamen diſtinguit in Judice triplicem conſcientiam. Prima eſt, quam Sacerdos habet ut Deus per confeſſionem ſibi factam in foro Sacramentali. Secunda eſt, quam habet ut homo ex aliquo ſenſu corporeo. Tertia eſt, quam habet ut Judex per probata coram ipſo. Primam ſequi debet indiſtinctè, in foro ſcilicet pœnitentiali, nec illam poteſt prodere propter veritatem ſibi notam ut homini, *c.* 1. *de offic. ordin.* & *c. Omnes*, *de pœnit. & remiſſ.* Secunda & tertia ſi ſibi invicem adverſentur, quia veritas aliter ſibi nota eſt ut homini, aliter nota ut Judici ex probationibus in cauſa factis; in hac perplexitate conſuluit Joann. Andr. ut pro viribus nitatur veritatem, quam novit ut homo, ad concordiam reducere cum veritate, quam novit ut Judex. Quòd ſi ad hanc concordiam pervenire non poſſit, tunc ſi eſt ordinarius, vel delegatus à Principe, cauſam alteri ſubdeleget, ut *c. Paſtoralis*, *de offic. deleg.* Si verò ſit delegatus ab alio, quàm à Principe, vel exequutor, vel natura cauſæ ſubdelegationem non patiatur, inſtet quantum poteſt apud ſuperiorem, ut ipſum exoneret à judicando, vel exequendo, *d. c. Paſtoralis*, §. *Quia verò*, & eſt communis opinio, ut ibi teſtatur Imola *num.* 49. *in fin.* Sin autem nec id aſſequi poſſit, tandem ſequatur jura, & judicet ſecundùm acta, & probata, nec ſit clementior lege. Facit *c. Judicantem*, 30. *quæſt.* 6. & §. *Si verò*, *Auth. de Judic.* & in hoc reſidet hìc Petr. de Anchar. *num.* 41. & fuſiùs in repet. *c. Poſſeſſor*, *in* 6. *quæſt. principali*, *de reg. jur. lib.* 6. Et quamvis Joan. Andr. ubi ſuprà ſubdat in hac perplexitate tolerabilius eſſe non pronuntiare, & patienter pœnam pati, *c. Inquiſitioni*, *de ſentent. excomm.* quàm contra conſcientiam judicare: & Joann. Calder. & Abb. in *d.* §. *Quia verò*, dicant tutius eſſe ſequi conſcientiam informatam de veritate, quàm allegata, & probata: tamen prima opinio vera eſt, & tenenda, quia judicare pertinet ad Judicem, ſecundùm quòd fungitur publica poteſtate; & ideò informari debet in judicando non ſecundùm id, quod ipſe novit tanquam privata perſona, ſed ſecundùm id, quod ſibi innoteſcit tanquam perſonæ publicæ, ut docet S. Thomas in 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 2. Cujus ſententiam ex principiis more ſuo probat egregiè, & ab objectis tuetur Cardinalis Cajetanus, dicens eam deduci ex Ambroſio, & Auguſtino, & teneri ab Alexandro de Ales, Richardo, Petro de Palude, Petro de Tarantaſia, & aliis Magiſtris. Quam etiam magis communiter ſequuntur Doctores noſtri, ut atteſtantur complures, quos refert Covarruvias *variarum reſolutionum lib.* 1. *c.* 1. *poſt n.* 6. & Jul. Clar. *in Praxi crimin.* §. *fin. q.* 8. *nu.* 5. *verſ. Sed pone*, & latiùs *quæſt.* 66. *num.* 2. *verſ. Scias autem*. Eam tamen limita, ut locum non habeat in ſupremo Principe, qui 54
poteſtatem habet legis condendæ, & conditis derogandi. Is enim utique poterit, imò & debebit ſententiam dicere juxta propriam & particularem ſcientiam, contra allegata, & probata, ut firmant Cyn. Bart. & alii in *l.* 1. *C. ut quæ deſ. Advoc.* Alber. *in l. Illicitas*, §. *Veritas*, *ff. de off. Præſid.* Felin. *in d.* §. *Quia verò*, *n.* 23. *verſ. Secundo limita*, Dec. *conſ.* 463. *n.* 24. & *ſeqq.* Rolan. *conſ.* 70. *n.* 20. *lib.* 1. Cacheran. *deciſ. Pedemon. dec.* 1. *n.* 44. & Covarruvias *variarum reſolutionum c.* 1. *n.* 7. *ad fin. verſ. Princeps*. Conſulit tamen Cajetan. *d. art.* 2. ut Princeps veritatem ſibi notam palam teſtetur, ut evitet ſcandalum, & populo ſatisfaciat; vel certè condemnet culpabilem ſecundùm acta, eique gratiam faciat, ut conſulit Covarr. *loco citato*.

Ultimò nota principalem regulam hujus textus, videli- 55
cet Conſtitutiones Canonicas ligare omnem creaturam. Concordat *c. Si quis omnem*, 1. *quæſt.* 7. *c. Si Romanorum*, 19. *diſtinct.* & *c. fin. infr. eod.* Et quamvis gloſſa exponat 56
verba illa, *Ab omnibus*, ſcilicet ſubditis: tamen, ut inquit Innocentius *hìc num.* 1. hæc non eſt bona gloſſa, quia conditori Canonum, & Vicario Creatoris, omnis creatura ſubjecta eſt. Et hoc dictum Innocentii quotidiè à Doctoribus allegatur, & probatur, ut per Abb. *hìc n.* 2. Idque eſſe ex neceſſitate ſalutis, diffinitum eſt in *Extravag. Unam ſanctam*, *de majorit. & obed.* docet S. Thomas *contra errores Græcorum quæſt.* 72. & poſt eum gloſſa in *Clem. fin. in ver. Eccleſiæ*, *de Hæret.* & plura Doctorum dicta ad hoc cumulat more ſuo Felin. *hìc in* 2. *notab. num.* 5. *in fin.* Verùm Hoſtienſis *num.* 5. ſentit cum gloſſa, quia per eam excludendi excluduntur, ſcilicet ſucceſſores, ut in *c. Innotuit*, §. *Quamvis*, *infra*, *de elect.* & ipſe legislator, *c. Cuncta per mundum*, 9. *quæſt.* 3. & *l. Princeps*, *ff. De legib.* item pagani, & infideles, qui in ſpiritualibus non ſunt ſubjecti, *c. Gaudemus*, *in* 1. *reſponſ. de Divort.* ſed ſubſunt tantùm in temporalibus. Aliis igitur, quam ſubditis, non poteſt quis legem imponere, *l. Neminem*, *C. de inceſt. nupt.* unde nec par aſtringitur, *d. c. Innotuit*, & *l. Nam magiſtratus*, *ff. De arbitr.* Tu adverte, quia verba hujus Conſtitutionis, 57
Canonum ſtatuta ab omnibus cuſtodiantur, conveniunt legislatori, & ſucceſſoribus, §. *His ita* 25. *quæſt.* 2. Nam quamvis Princeps ſit ſolutus legibus quoad vim coactivam, tamen ad illarum obſervantiam adſtringitur vi directiva rationis, quia & ipſe tenetur ex rationis dictamine cuſtodire leges tam à ſeipſo, quàm à ſuis Prædeceſſoribus latas, ut de utriſque eſt textus in *l. Digna vox*, *C. de legibus*, *de legislatore*, ibi: *Majeſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem profiteri, adeo de authoritate juris noſtra pendet authoritas; & reverà majus imperio eſt ſubmittere legibus principatum*. Et de ſucceſſoribus ibi: *Quod nobis licere non patimur*, *aliis indicamus*, id eſt, ſucceſſoribus, ut exponit gloſſa fin. & eſt expreſſum in *c. ult. de reſcript. lib.* 6. ibi: *Quod nobis licere non patimur, noſtris ſucceſſoribus indicamus*, & notat Calder. *conſ.* 256. *circa medium*, *aliàs* 11. *de privileg.* Juſtitiæ enim, ac rationis ordo ſuadet, ut qui ſua à 58
ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui proculdubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiat, *c. Juſtitiæ*, 25. *quæſt.* 1. *c. Juſtum*, 9. *diſt. c. Deceſſorum*, 25. *quæſt.* 2. alioquin, ut Gregorius ait: *Si ea deſtruerem, quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed everſor eſſe juſtè comprobarer, teſtante Veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in ſeipſo diviſum non ſtabit, & omnis ſcientia, & lex adverſum ſe diviſa deſtruetur*; refertur in *c. Si ea deſtruerem*,

59 rem, eadem cauſa, & quæſtione. Unde Sanctus Thomas
in 1. 2. quæſt. 96. art. 5. ad 3. *Princeps*, inquit, *dicitur eſſe*
ſolutus à lege quantum ad vim coactivam legis; nullus enim
propriè cogitur à ſeipſo. Lex autem non habet vim coacti-
vam, niſi à Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur
eſſe ſolutus à lege, quia nullus in ipſum poteſt judicium con-
demnationis ferre, ſi contra legem agat. Sed quantum ad
vim directivam legis, Princeps ſubditur legi propria volun-
tate, ſecundùm quod dicitur extra de Conſtit. c. Cùm om-
nes: *Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem jure*
uti debet: & Sapientis dicit authoritas: Patere legem, quam
tu ipſe tuleris. *Improperatur enim his à Domino*, qui di-
cunt, & non faciunt, & qui aliis onera gravia imponunt,
& digito nolunt ea movere, *ut dicitur Matth.* 23. 4. *Unde*
quantum ad Dei judicium Princeps non eſt ſolutus à lege,
quantum ad vim directivam ejus, ſed debet voluntarius, non
coactus, legem implere. Hæc Sanctus Thomas, cui ſubſcri-
bit ibidem Cajetanus, oſtendens legem humanam habere
vim obligativam Principis ab æterna lege, à qua derivatur,
& Principem teneri ſuas leges in foro conſcientiæ obſerva-
re jure naturali, & divino: & ſequuntur Sot. *de juſtitia, &*
jure lib. 1. *art.* 7. *concluſ.* 3. Coraſ. *l.* 2. *Miſcell. c.* 25. Navar-
rus in *c. Si quando, except.* 8. *n.* 12. *&* 13. *de reſcript.* & Co-
varruvias in *c. Alma mater, par.* 1. §. 1. *num.* 3. *&* 4. *de ſen-*
60 *tent. excomm. lib.* 6. Et propterea quamvis Papa non con-
ſtringatur lege poſitiva, adſtringitur tamen mente legis, &
61 æquitate naturali determinante aliquid circa peccatum, ut
videtur ſentire Jo. Andr. in *c. Significaſti de foro compet. ſu-*
per verb. Juriſdictioni, dum dicit mentem *c. Omnis utriuſ-*
que ſexus, de pœnit. & remiſſ. fortè adſtringere Papam quo-
ad Deum; & conſentit Imol. hìc *n.* 8. dicens, Papam malè
facere, ſi prædictum canonem non ſervet, licèt in eo non
habeat locum pœna ibi ſtatuta: & expreſſiùs Gemin. in *d. c.*
Juſtum, 9. *diſtinct.* ubi affirmat Papam peccare, ſi canonem
illum non ſervet, ex quadam ratione naturali, quæ ita
aſtringit Papam, ſicut alium. Licèt aliud videatur ſentire
Ant. de Butr. in *d. c. Omnis utriuſque, n.* 18. Ex quibus appa-
ret etiam Principem comprehendi ſub verbis generalibus
hujus Conſtitutionis, cùm & ipſe teneatur ſuas, & ſuorum
prædeceſſorum leges cuſtodire ex vi dictaminis rationis na-
62 turalis; & proptereà non benè gloſſa propter Papam & Im-
peratorem reſtringit hunc Canonem ad ſubditos. Nam, ut
63 Cajetanus inquit *loco citato*: *Quamvis nemo cogatur à ſeip-*
ſo, tamen à ſeipſo utique dirigitur, & obligatur; & ut ver-
bis Baldi utar in *l.* 2. *Cod. de ſervit. & aqua*: *Nulla autho-*
ritas, vel Senatus poteſt facere, quin Princeps ſit animal
rationale, vel ſolutus legibus naturæ. Ad hoc *cap. Nos ſi*
incompetenter, 2. *quæſt.* 7.

64 Quo verò ad Paganos, & Infideles, primùm omnium
expendenda eſt litera ſacri Concilii Tridentini *ſeſſione*
14. *cap.* 2. *De differentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Ba-*
ptiſmi, ibi: *Cum Eccleſia in neminem judicium exerceat,*
qui non priùs in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus.
Deinde libet referre ad literam verba Innocentii in *cap.*
Quod ſuper his, n. 3. *infra de voto*, quia ſunt magni pon-
deris, & valdè exemplaria: *Credimus*, inquit Innocen-
tius, *imo ſcimus, ſecundùm Hoſtienſem, & Jo. Andr.* quòd
Papa, qui eſt Vicarius Jeſu Chriſti, poteſtatem habeat non
tantùm ſuper Chriſtianos, ſed etiam ſuper Infideles. Et-
enim cùm Chriſtus plenam receperit poteſtatem, unde in
Pſalmo: *Deus judicium tuum Regi da*; non videretur dili-
gens Paterfamilias, niſi Vicario ſuo, quem in terra dimit-
65 tebat, plenam poteſtatem ſuper omnes dimiſiſſet. Item Pe-
tro, & ſucceſſoribus ejus dedit claves regni cœlorum, &
dixit: *Quodcunque ligaveris.* Item alibi: *Paſce oves meas.*
Omnes autem tam fideles, quàm infideles oves ſunt Chri-
ſti per creationem, licèt non ſint de ovili Eccleſiæ; & ſic per
66 prædicta apparet, quòd Papa ſuper omnes habeat juriſdi-
ctionem, & poteſtatem de jure, licèt non de facto. Un-
67 de per poteſtatem, quam habet Papa, credo quòd Genti-
lis, qui non habet legem niſi naturæ, ſi contra legem na-
turæ facit, poteſt licitè puniri per Papam. Arg. *Geneſ.* 19.
ubi habes, quòd Sodomitæ, qui contra legem naturæ
peccabant, puniti ſunt à Deo. Cùm autem Dei judicia ſint
nobis exemplaria, non video, quare Papa, qui eſt Vica-
rius Chriſti, hoc non poſſit, & etiam debeat, dummo-
dò facultas adſit. Et idem dico, ſi colant idola: naturale
enim eſt, unum, & ſolum Deum Creatorem colere, & non
creaturas. Item Judæos poteſt judicare Papa, ſi contra le-
gem Euangelii faciant in moralibus, ſi eorum Prælati eos 68
non puniant; & eodem modo ſi hæreſes circa ſuam legem
inveniant. Et hac ratione motus Papa Gregorius, & In- 69
nocentius (loquitur de ſeipſo) mandaverunt comburi
librum Thalmud, in quo multæ continebantur hæreſes, &
mandaverunt puniri illos, qui dictas hæreſes ſequerentur,
vel docerent. Hunc librum, teſte Hoſt. in *d. c. Quod ſuper*
his, Judæi vocant *Calchamuth*, ſeu *Thalmuth*, ſecundùm
Joan. Andr. & Anton. de Butr. vel *Calmochani*, ſecun-
dùm Petr. de Anchar. de quo Cardin. teſte habetur in Spe-
cul. Hiſtorial. *c.* 27. *num.* 128. *& ſequent.* Thalmud appella-
tur in Conſtitutione Innocentii IV. quæ incipit: *Impia*
Judæorum perfidia; in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 62. ubi plenè vi-
deas de hoc execrabili libro, & in Conſtitutione Julii III.
Cùm ſicut nuper, eodem tomo 1. *pagin.* 716. & Clementis
VIII. *Cum Hebræorum, tom.* 3. *pag.* 25. Proſequitur Inno-
centius: Et licèt aliquando Papa omittat pœnas juſtas, &
debitas omnibus prædictis inferendas, eſt vel quia faculta-
tem non habet (ſcilicet de facto) vel propter pericula,
& ſcandala, quæ inde obveniunt, vel evenire timerentur;
poteſtas tamen faciendi eſt apud eum; & infra: Contra 70
Infideles, qui nunc tenent terram, in qua juriſdictionem
habuerunt Chriſtiani Principes, poteſt Papa juſtè facere
præceptum, & conſtitutionem, quòd non moleſtent
Chriſtianos injuſtè, qui ſubſunt eorum juriſdictioni. Imò,
quod plus eſt, poteſt eos eximere à juriſdictione eorum,
& dominio in totum, *cap. Cùm ſit, cap. Ex ſpeciali, c.* 1.
& fin. infra de Judæis, cap. Mancipia, & cap. ſeqq. 54. *di-*
ſtinct. Imò ſi malè tractarent Chriſtianos, poſſet eos priva-
re per ſententiam juriſdictione, & dominio, quod ſuper
eos habent, quamvis id facere non debeat, niſi magna
ſubſiſtente cauſa. Item licèt non debeant Infideles cogi ad 71
fidem, quia omnes libero arbitrio relinquendi ſunt, & ſo-
la Dei gratia in hac vocatione valeat, *c. De Judæis*, 45. *di-*
ſtinct. tamen mandare poteſt Papa Infidelibus, ut admittant
Prædicatores Euangelii in terris ſuæ juriſdictionis. Nam
cùm omnis creatura rationabilis facta ſit ad Deum laudan-
dum, ut in 2. *ſentent. diſtinct.* 1. *c. Et ſi quæritur*, ſi ipſi pro-
hibent Prædicatores prædicare, peccant contra Deum, &
legem naturæ, ut Anton. de Butr. interpretatur; & ideò
puniri poſſunt. In omnibus autem prædictis caſibus, &
aliis, ubi licet Papæ aliquid mandare, ſi non obediant, 72
compellendi ſunt brachio ſæculari, & indicendum eſt bel-
lum per Papam, & non per alios, ubi quis de jure ſuo con-
tendit. Ita Innocentius, quem totidem verbis referunt, &
ſequuntur in eodem *cap. Quod ſuper his, de voto*, Hoſtienſis
n. 14. Joan. Andr. *n.* 10. Anton. de Butr. *n.* 9. Cardin. *n.* 14.
Petr. de Anchar. *n.* 23. Joan. de Anan. *n.* 13. & Abb. *nu.* 12.
qui ampliùs diſtinguit, an crimina ſint Eccleſiaſtica, & in 73
his affirmat Papam poſſe exercere juriſdictionem contra In-
fideles, ſicut contra Fideles, ideòque Eccleſiam poſſe in
Judæos animadvertere, ſi delinquant contra matrimonium,
ut in *c. In nonnullis, de Judæis.* Si autem crimina non ſint
Eccleſiaſtica, Imperator exercebit juriſdictionem: in mix- 74
tis verò locus erit præventioni, ad notata per eum in *c.*
Cùm ſit generale, de for. competen. Ideòque in crimine uſu-
rarum ſe ingerit Eccleſia etiam contra Infideles, ut in *c.*
Poſt miſerabilem, & c. fin. infra de uſur. Et cum prædicta 75
Innocentii doctrina conſentit etiam D. Thomas in 2. 2. *qu.*
10. *art.* 10. ubi docet jus dominii, vel prælationis, quod ha-
bent Infideles ſuper Fideles, poſſe juſtè tolli per ſententiam,
vel ordinationem Eccleſiæ, authoritatem Dei habentis.
Ubi Cajetanus in 3. *concluſ.* dicit ſemper eſſe memorandum 76
hoc S. Thomæ dictum, ſcilicet quòd Eccleſia authoritatem
Dei habet ſuper regna. Subdit tamen S. Th. quod & Inno-
centius advertit, Eccleſiam quandoque hoc facere, &
quandoque non. In illis enim Infidelibus, qui etiam tem-
porali ſubjectione ſubjiciuntur Eccleſiæ, & membris ejus,
hoc jus Eccleſia ſtatuit: in illis verò Infidelibus, qui tem-
poraliter Eccleſiæ, vel ejus membris non ſubjacent, præ-
dictum jus Eccleſia non ſtatuit ad ſcandalum vitandum,
licèt poſſet inſtituere de jure.

Neque obſtat, quòd ſecundùm Apoſtolum 1. *ad Corint.* 77
3. ad Eccleſiam non ſpectet de his, qui foris ſunt, judica-
re, *c. Multi*, 2. *q.* 1. *Foris*, id eſt, extra Eccleſiam, ſecun-
dùm gloſſ. Hugon. Archid. & Turrecrem. Infideles enim
ſecundùm D. Thom. relatum ibi à Turrecremat.
num.

*n.*10. non ſunt directè de foro Eccleſiæ, ſed alieni à Chriſto, & ſervi diaboli; ideòque divino judicio relinquuntur. Id,
78 inquam, non obſtat, quia, ut reſpondet Innocentius, quem cæteri ſequuntur, in *d. c. Quod ſuper his*, *nu.* 9. *de Voto*, & Dec. hic *n.* 59. illa authoritas ita debet intelligi, ut non debeamus infideles judicare excommunicando, vel compellendo ad fidem, ad quam ſola Dei gratia vocantur, *c. De Judæis*, 45. *diſt.* Eodem modo reſpondet gloſ. in *dict. c. Multi*, *in verb. Judicare*, 2. *qu.* 1. & Turrec. *nu.* 10. ubi reddit rationem, quia tales Infideles judicium, & pœnam, qua excluderentur à communicatione Fidelium, & Eccleſiæ, non multùm curarent, tanquam illi, qui Eccleſiam non vene-
79 rantur. Cùm igitur, ut ex prædictis apparet, Apoſtolico omnis anima ſive fidelis, ſive infidelis ſubjecta ſit; conſequitur hinc, ut omnes ligentur ejus ſtatutis, quia forum ſortiri, & ſtatutis ligari, à pari procedunt, *c. Ut animarum*, *de Conſt. lib.* 6. & notat Archid. in *c. Quo jure*, *n.* 18. 8. *diſt.* Specul. in *tit. de Conſt.* §. 1. Et hanc regulam poſuit Cald. *conſ.* 34. *quod incipit*, *Statuto*, *de teſtamen.* Ant. de Butr. *in rubr. de conſuet. n.* 7. Dec. in *c. Decernimus*, *n.* 197. *de Judic.* Card. Seraph. *dec.* 1018. *n.* 6. & ſtatuendi poteſtas à juriſdi-
80 ctione dependet, *c. A nobis*, *il* 1. *de ſent. excomm. d. c. Ut animarum*, *l. fin.* & ibi notat Bald. *ff. de juriſdict. omn. Judic.* Bart. *in l. Omnes populi*, *in* 1. *qu. in princ. ff. de juſtit. & jur.* Abb. in *cap. Eccleſia S. Mariæ*, *n.* 10. *infra eod.* & ideò quicunque poteſtati ſubjecti ſunt, ſubduntur legi, quam fert illa poteſtas, ut inquit S. Th. in 1. 2. *q.* 96. *art.* 5.
81 Concludendo pro conciliatione gloſſæ, & Innocentii, arbitror ſic diſtinguendum: Aut quæritur, an Conſtitutiones Canonum ligent omnes in univerſum in materia eis adaptabili: & tenendum eſt ligare omnem creaturam; & in hoc rectè Innocentius redarguit gloſſam, quòd reſtringit textum ad ſubditos; in hoc enim gloſſa ſupponit extare aliquos, qui non ſint ſubditi: at hoc eſt manifeſtè falſum, quia nullus in orbe reperitur, qui non ſubſit Apoſtolico, & in materia ſibi adaptabili ejus Conſtitutionibus non ligetur, ſive Eccleſiaſticus, ſive Laicus; ſive Princeps, ſive ſubditus; ſive Chriſtianus, ſive Infidelis. Ad hoc *c. Novit*, *de Jud. c. Solitæ*, *de major. & obed. cap. Pro humani*, *de homic. lib.* 6. & quod notat Innocentius in *cap.*
82 *Ad Apoſtolicæ*, *de re judic. eodem libro*. Ideòque procedit præſcriptio exemptionis ab Imperatore, nec præſcribens remanet acephalus, quia ſubeſt Papæ, & ad eum recurritur pro juſtitia obtinenda adverſus eos, qui in terris ſuperiorem non habent, ut tradit Cardin. in Clemen. *Paſtoralis*, §. *Rurſus*, *in* 2. *notab. de re judic.* Abb. *in c.* 1. *num.* 2. &
83 6. & ibi etiam Felin. in 2. *notab. de probat.* & idem Felin. hic *nu.* 10. *verſ. Et pro iſtis facit.* Et propterea ſi Judæi delinquant contra legem Moſaicam, per legem Canonicam puniuntur, ut per Petr. de Anchar. *in repet. c. Ea*, *quæ de regul. jur. lib.* 6. quem refert, & ſequitur Felin. hic *num.* 38.
84 & idem ſi obſint fidelibus, *cap. Si inimicus*, 93. *diſt.* Petr. Brixien. in *Repert. in verb. Infidelis*. Aut ſi delinquant in opprobrium Chriſtianæ religionis, ut in *cap. Sæpè*, 28. *diſtinct.* & notat Ancharan. *ubi ſupra verſic. Sextò quæro*, &
85 *in conſ.* 15. *incipien. Spiritualis judex*. Alios caſus recenſent Gemin. in *cap. Multi*, 2. *quæſt.* 1. & Silveſt. in *ver. Judæus*, *verſ. Quartò quæro*, *num.* 7. & *ſequentibus*. Unde in Concilio Palentino celebrato anno Domini 1388. tempore Urbani Papæ VI. in rubrica de feriis per infideles colendis ſic legitur: *Cedit in opprobrium Religionis Chriſtianæ, quòd Judæi & Saraceni inter Chriſticolas habitantes, diebus Dominicis & feſtivis mercimonia vendere, & artificia, ac mechanica opera exercere publicè non verentur. Cùm autem in divinæ Majeſtatis offenſam non ſint à Chriſti fidelibus aliquatenùs tolerandi, ipſis Judæis, & Saracenis, ne mercimonia vendere, aut qualitercumque artificia, ſeu opera mechanica exercere præſumant diebus Dominicis, & feſtivis, qui per Chriſtianos coluntur, diſtrictiùs inhibemus, & ad id compelli per locorum Ordinarios, ac Judices ſeculares, ſub quorum juriſdictione Judæi & Saraceni vivere dignoſcuntur, per ſubtractionem communionis fidelium, & alias pœnas temporales, authoritate, qua fungimur, præcipimus, & mandamus. Quod ſi ſeculares Judices negligentes fuerint in præmiſſis, ad hoc per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur.* Hæc ibi. Adverte tamen, quia hujus Concilii, ſeu potiùs Conciliabuli nulla eſt authoritas. Fuit enim celebratum à Petro de Luna Pſeudo-Cardinali in Hiſpaniarum partibus Legato Clementis VII. Antipapæ, ut patet ex illius præfatione, & ſubſcriptione *tom.* 7. *Concil. pag.* 975. & 978. Ex rationabili tamen conſuetudine receptum eſt, ut infideles apud Chriſtianos commorantes ad dies feſtos ſervandos teneantur, ut teſtatur Bertach. in *tract. de Gabell. part.* 7. *quæſt.* 1. & pro ſtatu Eccleſiaſtico extat Conſtitutio 86
Pauli IV. *Cùm nimis abſurdum* §. 5. *in Bullar. tom.* 1. *pag.* 721. facit textus in *c. Quia*, & *in c. In nonnullis*, *infra de Judæis*, ubi interdicitur Judæis, & Saracenis, ne in die Paraſceves oſtia, vel feneſtras apertas habeant, aut in publicum proſiliant; & præcipitur, ut præſumptores hujuſmodi condigna animadverſione compeſcantur.

Aut quæritur, an ſingulæ Conſtitutiones Canonicæ li- 87
gent omnes in materia eis non adaptabili. Et dicendum eſt, non ligare, non quia ſubditi non ſint, ſed quia materia eis non congruit, ideòque in eo particulari caſu non ſubjiciuntur legi. Nemo enim dixerit Judæos & Paganos ligari edicto generalis Concilii de confitendo ſemel in anno, & communicando in Paſchate. Quod accidit, non quia infideles non ſint ſubditi Eccleſiæ; ſed quia Sacramentorum perceptio eis non adaptatur, *cap. fin. cum ibi notat. de Presbyt. non baptiz.* cùm Baptiſmus ſit janua omnium Sacramentorum, §. *Verum*, 32. *diſtinct.* Unde meritò illa Conſtitutio reſtringitur ad fideles. Et propterea ſi 88
Judæi matrimonium contrahant in gradibus lege Canonica tantùm prohibitis, ad fidem converſi non ſeparantur, *c. Gaudemus*, *infra de divort. c. De infidelibus*, *de conſang. & affinit.* & eorum proles legitima eſt, *c. fin. Qui fil. ſint legit.* nam cùm habeant legem veteris Teſtamenti, cui ſubjiciuntur, non tenentur ſervare Canones de matrimonio loquentes, ſecundùm Archid. poſt Hug. *c. Multi*, *nu.* 6. 2. 89
quæſt. 1. ac proindè non tenentur ſervare formam à Concilio Tridentino præſcriptam in *c.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reformatione matrimonii*. Imò nec poſt converſionem tenentur 90
iterùm contrahere coram Parocho, & teſtibus, quia non contrahunt de novo, ſed perſiſtunt in jam contracto, ut conſuluit Navar. *conſ.* 4. *de pact. in antiq. impreſſ. & in nov. conſ.* 2. *incip. Judæus*, & *Judæa*, *de converſ. infidel.* Et in ſuc- 91
ceſſionibus ſimiliter utuntur lege veteris Teſtamenti, ut per Florian. in *l. Maximum vitium*, *C. de liber. præterit.* ubi teſtatur ita fuiſſe conſultum in hæreditate Judæi triginta millium ducatorum, ut refert hìc Felin. *num.* 37. adjiciens idem procedere in Catechumenis, poſt Gemin. in *c. Audite*, *in* 2. *notab.* 34. *diſt.*

In his igitur caſibus, & aliis conſimilibus, infideles non 92
ligantur ſtatutis Canonum, quia materia eis non congruit. Nec mirum; nam nec Laici fideles in merè temporalibus & prophanis ligantur Conſtitutionibus Canonicis, niſi in terris Eccleſiæ, *c. Quoniam*, 10. *diſtinct. cap. Si duobus*, *de appellat. gloſ. in cap. Per venerabilem*, in verb. *Habeat poteſtatem*, *qui fil. ſint legit.* Anton. de Butr. in *c. fin. num.* 13. *infra eod.* & ſcripſi in *c.* 1. *num.* 26. & *ſeqq. infra de pact.* & tamen non propterea vitiatur regula hujus textus, nec licet abſolutè affirmare laicos Chriſtianos non ſubeſſe Romano Pontifici, aut non adſtringi ſtatutis Canonicis. Quæ diſtinctio in effectu eſt ex mente Baldi hic *n.* 5. dicentis: Aut eſt talis Conſtitutio, quæ poſſit adaptari omnibus; & tunc eſt verum, quod dicit Innocentius; Aut non poteſt adaptari omnibus, puta infidelibus; & tunc bona eſt dicta gloſſa.

Nunc principalis regula hujus textus, quòd Conſtitutio- 93
tiones Canonum ab omnibus ſint ſervandæ, multipliciter declaratur hìc à gloſſa, & Doctoribus.

Primò enim declaratur, ut procedat, dummodò Conſtitutiones ſint publicatæ, quia aliàs non ligant, §. *Leges*, 4. *diſtinct. cap.* 1. & ibi gloſſa in verb. *Solemniter*, *de poſtul. Prælat. cap.* 1. ubi etiam gloſſa in verb. *Duos menſes*, *de ſentent. excommun.* DD. & præſertim Felin. *num.* 7. *in cap.* 2. *infra eod.* Quinimò publicationem eſſe de eſſentia legis, docet S. Thomas in 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. & Navar. *conſ.* 1. *verſ. Quintò dico*, *hoc tit. de conſtitut.* & tenent Paul. & Matth. relati à Cardin. in *proœmio Clementin. in verb. Univerſitati*, *num.* 1. De hoc ſcripſi latiùs in *dict. capit. fin. nu.* 43. & *ſeqq. infra eod.* ubi etiam poſui, an declarationes requirant publicationem.

Declaratur ſecundò, ut procedat in Conſtitutionibus 94
generalibus tantùm, non autem in Conſtitutionibus particularibus reſpectu certarum perſonarum, vel locorum, *cap.*

cap. Cum longè, 63. *diſt. cap. Nihil*, *infrà de elect.* & no-
tant hìc gl. 1. & omnes. Quomodo autem agnoſcatur, an
Conſtitutio ſit generalis, declarat gl. in *c. Ut circa*, *in ver.*
Perpetuo, *de elect. lib. 6.* & proſequitur Bald. *in l. 3. nu. 2.*
Cod. De legib. & Felin. hic *n. 15.*

95 Declaratur tertiò, ut non procedat in Conſtitutionibus
abrogatis per contrariam legem, vel conſuetudinem: illæ
enim non ſunt ſervandæ, *cap. 1. 26. diſt. c. ult. 36. quæſt. 2.*
gloſſ. 2. Innocent. *in princ.* Abb. *n. 3. in gloſſ. 2.* & Doctores
96 hìc, Imò utens Conſtitutionibus à lege abrogatis incidit in
pœnam falſi, ut eſt textus in §. *Hinc igitur*, *in prima Con-
ſtitutione Cod.* & notat gloſ. & Bart. in *leg. fin. ff. de falſis*,
Aretin. *in §. In perſonam*, & ibi etiam Jaſ. *n. 19. Inſtitut. de
action.* Dec. hic *in prima lectura*, *num. 37.* Prætèrquàm in
aliquibus caſibus, quos poſt Butr. & Imol. recenſet hìc Fe-
lin. *n. 19.* & Dec. *dict. nu. 37. verſic. Et procedit dicta con-
cluſio*, *& num. ſequentib.* An autem Conſtitutio Eccleſia-
ſtica liget ab initio, antequam à ſubditis recipiatur, anne
tollatur per non uſum; relatis octo Canoniſtarum opinio-
nibus, examinavi latiſſimè in *cap. 1. à num. 16. uſque in fi-
nem infra*, *de treuga*, *& pace*.

97 Declaratur quartò, ut locum habeat in Conſtitutioni-
bus, quæ præcipiunt, aut prohibent; ſecùs ſi ſimplici-
ter conſulant, vel adhortentur, quia lex conſilii regulari-
ter non eſt obligatoria, *c. ult. §. Quod præcipitur*, *14. quæſt.
1. §. Hæc etſi legibus*, *4. diſtinct.* gloſ. 2. Abb. & omnes hìc;
niſi in tribus caſibus, Primus eſt, cùm quis adſtrinxit ſe
conſilio, ut in Religioſis ſolemniter profeſſis, *c. Cùm ad
monaſterium*, *de ſtatu Monachorum*; qui tamen non obli-
gantur ex vi Canonis conſulentis, ſed ex vi voti, ſecun-
98 dùm Butr. Imol. & Felin. hìc. Secundus eſt, cùm quis ve-
nit contra legem conſilii ex contemptu; quia mortaliter pec-
cat, ut notat gl. *un. in c. Quis autem*, *10. diſtinct.* Tertius
eſt, cùm lex continet conſilium reverentiæ, *c. Ad aures*,
99 & ibi gl. in verb. *Conſilio*, *de ætat. & qualit.* Dicitur autem
conſilium reverentiæ, quando materia eſt neceſſitativa,
ſed lex ob reverentiam ejus, cui loquitur, utitur verbis
conſultivis, non præceptivis, ut hìc declarant Doctores,
& in ſpecie Abb. *num. 4.* Felin. *num. 23.* Exemplum ſumi po-
teſt ex decretis Concilii Tridentini in *cap. 5. verſ. Quod au-
xilium*, *ſeſſ. 25. de Regular. & in c. 20. ſeſſ. 25. de reform. &
ex decreto de recipiendis*, *& obſervandis decretis Concilii*,
verſ. Supereſt nunc, *ut Principes omnes*; & ex Bulla Pii IV.
confirmationis Concilii, quæ incipit; *Benedictus Deus*,
verſ. Ipſum verò chariſſimum filium noſtrum Imperatorem.
100 Cæterùm his caſibus obligatio non oritur ex conſilio, ſed
ex natura rei: nam verba hortatoria impropriantur, quan-
do ſubjecta materia eſt de præcepto, ut eſt text. in *c. Rogo*,
& ibi notat gloſſ. *1. 11. quæſt. 3. & in c. 1. in verb. Hortamur*,
ubi gloſſa exponit, id eſt, præcipimus, *infra de teſtibus*,
& ſequitur Abb. *in cap. Nam concupiſcentiam*, *num. 3. in-
fra hoc tit.* Vel certè, ut ait ibi Dec. *num. 21.* verba hortato-
ria tunc non impropriantur, quia non eſt inconveniens
aliquem hortari ad illud, quod facere tenetur, *c. Perve-
nit*, 84. *diſt.* & ideò verbum, *Rogo*, & verbum, *Horta-
mur*, in locis præallegatis propriè intelliguntur, & non
inducunt præceptum, ſed per alia jura materia præcepti
eſſe dicitur, ut ibi per eum.

101 Hinc Sacra Congreg. Concilii alìàs declaravit Epiſcopos
temporibus præſcriptis in *cap. 1. verſ. Eoſdem interim ad-
monet*, *ſeſſ. 23.* teneri apud ſuam Cathedralem Eccleſiam
reſidere, nec ſatis eſſe, ut in Diœceſi reſideant: nam etſi
decretum illud utatur verbo, *Admonet*, quod eſt conſilii,
non præcepti; tamen obligatio reſidendi in Cathedrali Ec-
cleſia ſurgit ex diſpoſitione antiquorum Canonum, quos
Tridentina Synodus ibi penitùs non ſuſtulit, ſed tantùm
moderata eſt: nempè ex *cap. Placuit*, *7. quæſt. 1.* & ex *c.
Epiſcopus*, *de conſecr. diſtinct. 3.* ut ſcripſi plenè in *c. Qua-
liter*, *à n. 27. uſque in fin. infra de Clericis non reſiden.*

102 Declaratur quintò regula hujus textus, ut locum non
habeat in Summo Pontifice: ipſe enim non ligatur ſtatutis
Canonum, cùm ſit ſupra omne jus humanum poſitivum,
c. Propoſuit, de conceſſ. præb. §. His ita, 25. *q. 1.* ubi ſic legitur:
*Sacroſancta Romana Eccleſia jus & authoritatem Sa-
cris Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur. Habet
enim jus condendi Canones, utpotè quæ caput eſt, & cardo
omnium Eccleſiarum, à cujus regula nemini diſſentire li-
cet. Ita ergo Canonibus authoritatem præſtat, ut ſeipſam
non ſubjiciat eis.* Hæc ibi. Et docet Sanctus Thom.
quodlib. 4. art. 13. Unde Bald. in *cap. 1. circa fin. verſ. Secun-
do caſu de alien. feudor. Deus*, inquit, *Papæ, & Imperato-
ri leges ſubjecit, & eorum celſitudini nulla lex imponi po-
teſt*; allegat textum in *Authen. de Conſul. & in l. fin. C. De
legib.* Et propterea Papa poteſtatem habet diſpenſandi pro
loco & tempore in omnibus ſtatutis Eccleſiæ, ut per Di-
vum Thomam *ubi ſupra*, *& in 1. 2. quæſt. 96. artic. 5. ad 3.*
Unde etiam ſimplici Sacerdoti committere poteſt, ut con-
ferat Chriſma, ut per Doctores in *cap. Quanto*, *infra de
conſuetud.* & eſt diffinitum in Concilio Florentino in De-
creto fidei Eugenii IV. §. *Secundum Sacramentum*, de quo
articulo ſcripſi plenè in *cap. unico*, §. *Per frontis Chriſma-
tionem*, *infra de Sacra Unctione*; & complura his ſimilia
in propoſito congerunt hìc Felin. *num. 23. verſ. Fallit quar-
tò*, & Dec. *num. 50.* qui ampliùs affirmant Papam poſſe 103
unico verbo facere Sacerdotem, vel Epiſcopum, allegant
Angelum hoc dicentem de Sacerdote in *l. 2. in princ. Cod.
de crimin. ſacrileg.* & de Epiſcopo in *l. 1. num. 2. in fin. Cod.
de ſent. parſ.* exemplo Imperatoris, qui unico verbo etiam 104
procedendo, & extra ordinem prolato, poteſt facere quem
Doctorem, ut in prædictis Juribus; & de ſervo liberum,
ut in *leg. Apud eum*, *ff. de manumiſſ. vindicta.* Sed ad-
verte, quia hoc dictum Angeli eſt erroneum: nam Sacra-
menta omnia, & conſequenter eorum eſſentialia inſtituta
ſunt immediatè à Chriſto, ut docet Sanctus Thomas in 1.
part. quæſt. 60. art. 3. & 5. & eſt hodie diffinitum à Triden-
tina Synodo *de Sacramentis in genere*, *ſeſſ. 7. de Sacra-
ment. can. 1. & in ſpecie de Sacra Ordinatione ſeſſ. 23. de
Sacrament. Ordin. can. 3.* & ideò in Sacramentis requirun-
tur res & verba determinata ex ipſa Chriſti inſtitutione,
ut per eumdem D. Thomam *dict. quæſt. 60. art. 7.* Unde ſine 105
materia & forma Sacramenti eſſentia non perficitur, ut
ſimiliter diffinitur in Concilio Florentino in Decreto fidei
Eugenii IV. §. *Quinto*, & in Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 2. de
differen. Sacramen. Pœniten. & Baptiſ.* ibi, *Materia, &
forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur.* Neque Ec-
cleſiæ relicta eſt poteſtas à Domino ſuper Sacramentorum
ſubſtantia, *cap. Sunt quidam 25. quæſt. 1.* & conſtat ex de-
creto Concilii Tridentini in *cap. 2. in princ. ſeſſ. 21. de com-
mun. ſub utraque ſpecie.* Unde hanc doctrinam plenè con-
futavi in *cap. un. num. 19. & 67. de Sacramento Unctionis.*
Porrò reſpectu Epiſcopi dictum Angeli ſalvari poteſt tan- 106
tummodò in non conſecrato. Poteſt enim Papa unico ver-
bo eum facere Epiſcopum, id eſt, conferre illi Cathedra-
lem Eccleſiam, ut quotidie facit per propoſitionem in Con-
ſiſtorio. Sed tamen ſic proviſus ante conſecrationem non
dicitur Epiſcopus, ſed electus, ut notat Abb. in *c. Tua nu-
per*, *num. 2. de his*, *quæ fiunt à Prælatis*, Anton. de Butr.
conſ. 19. incip. Quia hìc agitur, *n. 3. verſ. Hoc enim verbo*:
habet enim poteſtatem juriſdictionalem, quæ ex ſimplici
injunctione hominis confertur, non autem poteſtatem Sa-
cramentalem, quæ non confertur niſi per conſecrationem,
c. Tranſmiſſam, *& c. Quod ſicut*, §. *Super eo*, *de elect.* &
declarat S. Thomas in 2. 2. *q. 39. art. 3.* Sed reſpectu Sacer-
dotis dictum Angeli de Peruſio nullo modo ſalvari poteſt.
Ignoſcendum eſt tamen Legiſtæ, quia in hoc articulo lapſi
ſunt etiam graviores Canoniſtæ, quorum opiniones retu-
li in *d. c. unico de ſacra Unctione.* Cæterùm quod pertinet
ad hanc quintam declarationem, dic etiam Summum Pon-
tificem comprehendi ſub regula hujus textus, ſecundùm
quòd ei proportionabiliter convenit: & ita non quoad vim
coactivam, cùm nemo cogi poſſit à ſeipſo, vel a pari; ſed
benè quoad vim directivam, quia poteſt quis dirigi, vel
obligari etiam à ſeipſo, ut latè oſtenſum eſt ſuprà *nu. 57. &
ſeqq.* & cùm Princeps ſubjiciatur rationi, conſequens eſt 107
ut ſubjiciatur & legi, quia lex eſt omne, quod ratione
conſiſtit, *c. Conſuetudo*, *1. diſt.* Unde Seneca in *Epiſt. ad
Lucillum*, relatus à gl. in *c. Ex eo*, *in ver. Quam rationis*,
de elect. lib. 6. Si vis, inquit, omnia tibi ſubjicere, te ſub-
jicias rationi.

Declaratur ſextò principalis regula hujus tex. ut non pro-
cedat in infidelibus, ſecundùm Hoſt. & alios hìc. Sed hæc
declaratio non eſt vera, quia in materia eis adaptabili
etiam infideles ſubjiciuntur Conſtitutionibus Canonum,
ut patet ex dictis ſupra *à n. 64. uſque ad n. 93.*

Declaratur ſeptimò, ut non procedat in foro conſcien-
tiæ, ut videtur tenere Abb. in *c. 1. nu. 19. de reſtit. in inte-
grum.*

grum. Sed hanc declarationem oſtendi falſam eſſe in *c. fin. n. 22. & ſeqq. infra eodem*, *& in cap. 2. à n. 20. de regular.* ubi fusè probavi Decreta Apoſtolica habere vim obligandi in foro conſcientiæ etiam ſub reatu mortalis peccati.

108 Declaratur ultimò prædicta regula, ut non procedat, ſi judices ex magna cauſa tranſgrediantur Canones, ut videtur ſentire Innoc. hìc *n. 2. verſ. Quamvis & idem credimus*. Quod ex ſequentibus confirmatur: nam Legatus ex juſta cauſa ſeveritati juris communis derogare poteſt, ut eſt expreſſum in *c. fin. de translat. Epiſc.* Et Magiſtratus propter metum periculi, vel ſcandali, poteſt legem tranſgredi, ſecundùm Bald. in *l. Si quis filio*, §. *Hi autem*, *n. 4. ff. de injuſt. teſtam.* Et excuſatur in Syndicatu, qui ob multorum ſalutem tranſgreditur ſtatuta, ut idem tradit in *l. Obſervare*,
109 *in 10. q. ff. de offic. Proconſul.* Item ratione ætatis poteſt commutari pœna mortis ex ſtatuto impoſita in pupillo, qui homicidium perpetravit, ut per eumdem in *l. Et ſi ſeverior*,
110 *nu. 10. C. de infam.* Et è converſo propter caſum terribilem licere pœnas legum exacerbare ſcripſit idem Bal. in *c. Ober-*
111 *tus. Qualiter olim feudum alien. poſſet*. Ideòque propter homicidium horribile, puta parricidium, clericus degradari poteſt, & tradi Curiæ ſæculari, etiamſi non ſit incorrigibilis, & ſic non ſervata forma *c. Cùm non ab homine*, *de judic.* ut concludit Petr. de Anch. *conſ. 158. Ex narratis*, *n. 5. & ſeqq. & in c. Ea quæ*, *in 19. q. de reg. jur. lib. 6.* Abb. in *c. At ſi clerici*, *n. 41. de judic.* & Felin. hìc *n. 49.* Qui tamen articulus eſt admodùm controverſus, & extant utrinque DD. de communi & veriori opinione atteſtantes, ut refert Bern. Diaz. in *Pract. Crim. Canon. c. 90. de Parricid.* & dicam latiùs in *d. c. Cùm non ab homine*, *à num. 36. uſque ad num. 105*.

112 Et eodem modo propter immanitatem criminis fertur ſententia contra mortuum, ſecundùm gloſ. in §. *Interdum autem*, *in verb. Damnata*, *inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. defer.* Et propter eamdem immanitatem reus mortuus tradi poteſt beſtiis in cibum, ut per gloſſam un. in *l. un. ff. Arbor. furt. cæſar.* Sic noſtris temporibus vidimus cadaver Marci Antonii de Dominis olim Archiepiſcopi Spalatren. Hæreſiarchæ relapſi, in Arce S. Angeli vita functi, poſteà in Acie Campi Floræ unà cum illius imagine publicè concrematum fuiſſe; ob quam immanitatem etiam pecus traditur morti, ut in *c. Mulier*, 15. *q.* 1. Alia his ſimilia ponit Ludov. Roman. *conſ. 428. incipit: In terminis propoſitæ conſultationis*, *nu. 13. & in l. Si vero*, §. *De viro*, *in 42. fall. ff. ſol. matrim.*

113 Et eadem ratione Epiſcopum ex magna cauſa neceſſitatis & utilitatis poſſe contra Conſtitutiones Canonum etiam Generalis Concilii diſpenſare, decidunt Domini de Rota *dec. 262. incip. In religioſo*, *alias eſt 5. de jure patr. in nov. per c. Tali*, *& c. Exigunt*, 1. *q.* 7. *& c. Propoſuiſti*, *de præben.* allegant Joan. de Lignano in *c. At ſi clerici*, *de judic.* & eos ſequuntur Roman. *conſ. 325. incip. Quoad primum conſultationis articulum*, *n. 7. verſ. Hinc eſt*, *quod notabiliter concludunt Domini de Rota*, *& d. conſ. 428. & n. 14.* Abb. in *c. Cùm dilectus n. 5. de eleg.* & Felin. hìc, qui à *nu.* 48. longam ſeriem cumulat caſuum conſimilium, & latiùs Hippol. de Manil. in *l. 1. col. 9. §. fin. ff. de quæſt.* & Jaſ. in *leg. Omnes populi*, *n. 11. ff. de juſtit. & jur.* Generaliter autem, quæ veniant conſideranda in pœnis temperandis, vel exacerbandis, luculenter declarat Marian. Soc. in *c. Licèt*, *à nu. 22. infrà de pœnis*, & ante eum Henric. Boich. in *c. In Archiepiſcopatu*, *col. 2. verſ. Et in hac cauſæ conſideratione*, *de raptor.*

114 Cæterum adverte, quia in his caſibus Judices propriè non tranſgrediuntur Canones, ſed potiùs interpretantur mentem & rationem legis ad illum caſum non extendi. Quod egregiè explicat S. Th. in 2. 2. *q. 120. art. 1.* ait enim: *Quia humani actus, de quibus leges dantur, in ſingularibus continentibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari poſſunt, non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret; ſed legiſlatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, ſecundùm hoc legem ferentes; quam tamen in aliquibus caſibus ſervare eſt contra æqualitatem juſtitiæ, & commune bonum, quod lex intendit. Sicut lex inſtituit, ut depoſita reddantur, quia hoc ut in pluribus eſt; contingit tamen aliquando eſſe nocivum, puta ſi furioſus depoſuit gladium, & eum repoſcat, dum eſt in furia: vel ſi aliquis repoſcat depoſitum ad patriæ impugnationem. In his ergo & ſimilibus caſibus malum eſt ſequi legem poſitam: bonum autem eſt, prætermiſſis verbis legis ſequi id, quod poſcit juſtitiæ ratio, & communis utilitas. Et ad hoc ordinatur Epicheja, quæ apud nos dicitur æquitas.* Hactenùs D. Th. ubi Card. Cajetan. latiùs explicat quid ſit Epichejâ: & ſubdit his caſibus legis interpretationem authoritativè quidem ad Principem pertinere, ſed doctrinaliter ad legis peritos. Idipſum docuit idem S. Th. in 2. 2. *q. 147. art. 4.* dicens: *Statuta communia proponuntur, ſecundùm quòd multitudini conveniunt; & ideo legiſlator in eis ſtatuendis attendit id, quod communiter habetur, & in pluribus accidit. Si quid autem ex ſpeciali cauſa in aliquo inveniatur, quod obſervantiæ ſtatuti repugnet, non intendit talem legiſlator ad ſtatuti obſervantiam obligare.* Hæc ibi. Itaque in his tantùm abeſt, ut Judices faciant contra leges, ut potiùs contra eas facerent, ſi poſthabita ratione ſequerentur corticem verborum; quia non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, ut in *l. Non dubium*, *C. de legibus*, quem textum ad hoc adducit S. Th. *d. q. 120. art. 1. ad primum*: & hoc eſt, quod ſenſit hìc Innocentius *n. 2.* non enim dicit Judices poſſe ex cauſa leges tranſgredi, ut refertur à Felin. hìc *num. 48.* quinimò eodem *num. 2.* recenſet opinionem illorum, qui dixerunt adminiſtratores, & ordinarios quandoque licitè tranſgredi leges ratione caſuum emergentium, & ſic ex rationabili cauſa, per textum in *Authent. Juſjurandum, quod præſtatur ab his, circa princip. collat.* 3. & hanc opinionem reprobat dicens: Hoc non placet; nam ſicut in eadem Authent. continetur, utrique parti tam in privatis, quàm in publicis contractibus jurant ſervare juſtitiam. Unde dicimus, quòd adminiſtratori non licet à juſtitia diſcedere. 115
Non obſtat prædicta Authentica, ubi dicit: Servabo æquitatem, ſecundùm quòd mihi viſum fuerit juſtum. Quia illud intelligitur extra judicium, ut in officiis dandis; vel etiam in Judiciis in his, quæ commiſſa ſunt ejus arbitrio, ut induciis dandis, & ſimilibus, *l. 1. ff. de jure deliber. & cap. De induciis*, 3. *quæſt.* 3. & in diſpenſationibus, *c. Exigunt*, 1. *quæſt.* 7. & in pœnis, ſaltem in extraordinariis criminibus. Ita Innocentius, qui, ut vides, reſtringit ſe ad ea, quæ commiſſa ſunt Judicis arbitrio. Et ſequitur totidem ferè verbis Compoſtell. *n.* 3. Et quamvis poſteà ſubdant 116
ſe idem credere in criminibus ordinariis, ſi Judex ex cauſa viderit pœnas temperandas: hoc tamen ideò dixerunt, quia jura tribuunt Judicibus hanc facultatem pœnas temperandi, & augendi, ut in juribus per eos citatis. Nam in *l. Aut facta*, §. *fin. d. l. ff. de pœnis*, legitur: *Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimirùm multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit.* Et in *c. Ut conſtitueretur*, 50. *diſtinct.* dicitur: *Detrahendum eſſe aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat.* In *c. Tanta*, 86. *diſtinct.* parcitur ſenectuti, & ſimplicitati, *& in c. Circumcelliones*, 23. *quæſt.* 5. Auguſtinus ait: *Imple Chriſtiane Judex pii patris officium. Sic ſuccenſe iniquitati, ut conſulere humanitati memineris: nec in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciſcendi libidinem, ſed peccatorum vulneribus curandis adhibeas voluntatem.* Ad idem textus in *l. Reſpiciendum*, *ff. de pœnis*, *& in l. Et ſi ſeverior*, *C. De infam. cum concordan.* de quibus ibi per gloſſam, & Doctores, & generaliter ſtatuitur in *l. Hodie*, *ff. de pœnis*. Unde Bald. in *d. l. Et ſi ſeverior*, *nu.* 3. Videtur, inquit, ſervare legem, qui ex generali poteſtate ſibi conceſſa per *d. l. Hodie*, alterat pœnam.

Et ſecundùm hæc Judex, qui in crimine homicidii non procedat ad pœnam mortis contra pupillum, 117
ut in exemplo ſuperiùs relato per Bald. & per Felin. hìc *numer.* 48. non tranſgreditur, quin potiùs exequitur leges, quia minor etiam proximus pubertati, & doli capax, pro homicidio numquam debet affici pena capitis, ſed mitiori citra mortem, & membri mutilationem, text. eſt in *cap. 2. in fin. de delict. puer.* & ibi notat gloſſ. in verb. *Inultum*, & alii communiter, Dec. in *l. Ferè in omnibus*, *nu. 2. ff. de reg. jur.* & in caſu contingenti conſuluit Anchar. *conſ. 283. incip. Jure ſtricto*, Aug. ad Ang. *de malef. in ver. Scienter dolosè*, *poſt n. 6.* ubi refert ſe liberaſſe quendam, qui in ripa Padi bajulum interfecerat, & alia exempla recenſet Clar. *in practic. crim. §. fin. q. 60. verſ. Sed in omnem caſum*. Quinimò nec 118
major 14. annis, & minor 25. pro atrocibus delictis plecti

poteſt pœna ordinaria mortis, & in atrocioribus ſuccurritur ei, quatenùs interdum ad mediocrem pœnam miſeratio ætatis Judicem perduxerit, ut eſt caſus in *l. Auxilium*, §. *In delictis*, *ff. de minor.* & in homicidio voluntario reſpondit Rolan. à Valle *conſ.* 77. *Quia formata*, *n.* 3. *& ſeqq. lib.* 3. Theſ. *dec. Pedemont.* 161, *n.* 4. ubi reprobat contrariam obſervantiam Senatus Pedemontani, affirmans illam eſſe nimis rigoroſam, & humano Judice indignam, & *n.* 5. dicit concluſionem minorandæ pœnæ procedere etiam in atrocibus, Gramm. *dec.* 22. *n.* 11. ubi allegat Dec. *conſ.* 535. loquentem in pluribus abortibus, & *num.* 12. atteſtatur de
119 communi. In criminibus tantùm atrociſſimis major 14. annis non ſuccurritur, ut probat textus in *dict.* §. *In delictis*, *verſ. Sed tu ad legis*, & tenet gl. *in d. l. Ferè in omnibus*, *ff. de reg. jur. & in d.* §. *In delictis*, *in verb. Atrocioribus*, quæ ita exponit textum illum, prout etiam exponunt Alber. *n.* 3. Jo. de Anan. *in d. c.* 2. *n.* 8. *verſ. in gloſ. fin. de delict. puer.* & Franc. Cald. *in repet. l. ſi Curatorem*, *in verb. Vel adverſa-*
120 *rii dolo*, *n.* 61. *C. De in integr. reſtit.* & in parricidio exemplificat D. Auguſt. in libro quæſtionum novi & veteris Teſtamenti, in hæc verba: *Non enim velandum eſt excuſatione ruſticitatis, vel ætatis, parricidium, quod dolo malo, aut ex inſidiis patratum probatur.* Unde Vinc. de Franch. *dec.* 230. *incip. Minori non ſuccurritur*, refert quemdam nobilem, qui parricidium veneno commiſerat, quamvis 18. annum non compleviſſet, tamen à magna Curia condemnatum fuiſſe amputatione capitis, utque illius corpus includeretur in ſacco, ſeu dolio, & in mare projiceretur, itaut ſepultura careret, juxta textum in *l. Pœna parricidii*, *ff. ad leg. Pomp. de parricid.* & Conſilium confirmaſſe hujuſmodi ſententiam, quæ ob criminis immanitatem in die feſto ipſorum Tribunalium fuit executioni demandata quoad capitis amputationem ſub die 16. Junii 1580. cætera Prorex remiſit ad quorumdam nobilium ſupplicationem. Sequitur prædictam deciſionem Menoch. *de arbitr. Judic. lib.* 2. *cent.* 4. *caſu* 356. *n.* 18. & noviſſimè Farin. in *Praxi crim.* *q.* 92. *n.* 107. *& ſeqq.* ubi pluribus relatis affirmat hanc opinionem eſſe communiter receptam, & ſervari poſſe in judicando duobus concurrentibus, videlicet ut delinquens ſit major annis 14. & Principe conſulto. Hunc articulum plenè examino in *d. c. Cùm non ab homine*, *de Judic. in qu.* an Novitius minor 25. annis, qui Superiorem Regularem interfecit, à Religione tradi poſſit aut debeat Curiæ ſæculari.

Tenendum eſt igitur, Ordinariis, & Epiſcopis nulla- 121
tenùs licere jura tranſgredi, aut contra Conſtitutiones Canonum diſpenſare, niſi à jure reperiatur illis expreſsè permiſſum, ut eſt text. in *c. Dilectus*, *infrà de temp. ordinat.* ubi poſt Laur. & Jo. hanc regulam ponunt Innoc. *n.* 2. *in ver. Diſpenſatio*, Abb. Antiq. in *ver. Permiſſa*, Hoſt. *num.* 2. *in ver. Hujuſmodi diſpenſatio*, Jo. And. *n.* 7. Bellam. *n.* 1. Butr. *n.* 6. *verſ. Quintò nota regulam*, Card. *n.* 2. Abb. *n.* 3. latè Archid. in *c. Licèt Canon*, *n.* 3. *verſ. Et ibi aſſertivè dixit*, *de elect. lib.* 6. & ita communiter teneri teſtatur Abb. in *c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis*, *n.* 6. *verſ. Quandoque Conſtitutio loquitur generaliter*, *de Judic.* Epiſcopi enim ſunt cuſtodes Canonum, & magiſtri, *c. Cùm quibus*, 24. *q.* 3. & debitores ſacras regulas cuſtodire, *cap. Cùm ſimus*, 9. *q.* 3. ad idem jurejurando ſe adſtringunt, *c. Ego N. de jurejur.* Unde nulli Pontificum licet Sedis Apoſtolicæ decreta in totum, vel in partem qualibet occaſione convellere, vel mutare, ut legitur in *c. Inſtitutionis*, 25. *q.* 2. *cum concord.* de quibus per Archid. *loco cit.* per Feder. de Sen. *conſ.* 17. *incip. Quæſtio talis eſt*, *per tot.* & Petr. de Anchar. *hic num.* 188. *verſ. In contrarium*, *& nu.* 190. *verſ. Accedit his utilis quæſtio*, & ſcripſi pleniùs in *eod. cap. Dilectus*. Hactenùs de opinione Innocentii.

Deciſio autem Rotæ ſupra de *jure patr. in nov.* quòd Epi- 122
ſcopus ex magna cauſa neceſſitatis & utilitatis poſſit contra Canones generalis Concilii diſpenſare, an, & quando procedat, dixi latè in *capit. final. infrà de fil. Presbyter.* ubi poſui octo requiſita, quæ debent ſimul concurrere ad hoc, ut prædicta doctrina tutò ſervari poſſit in practica.

DE CONSTITUTIONIBUS.

D. Hieronymus in parabolis.

CAPUT V.

NE innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit.

SUMMARIUM.

1 *COnſtitutiones decretorum ſingularibus ſunt opinionibus præferendæ.*
2 *Prudentiæ ſuæ inniti quis dicatur.*
3 *Sapientia, vel ſtultitia hominis ex dictis, vel factis dignoſcitur.*
4 *Facta magis ſpectanda ſunt, quàm verba.*
5 *Sanctorum Patrum dictis an, & quando ſit ſtandum.*
6 *Papæ interpretatio prævalet dictis Sanctorum Patrum, & contraria opinio Abbatis refellitur tamquam erronea.*
7 *Eccleſiæ Romanæ doctrina eſt regula fidei.*
8 *Hieronymi authoritas cur prævaluerit ſententiæ Concilii.*
9 *Sanctorum Patrum dicta in philoſophicis non ſunt majoris authoritatis, quàm dicta Philoſophorum quos ſequuntur.*
10 *Judex non debet judicare ſecundùm propriam opinionem, ſed ſecundùm decreta Patrum, & aliorum habentium authoritatem legis condendæ.*
11 *Opinio propria, & ſingularis, erronea eſt, & potiùs eſt quædam ſuperſtitio.*
12 *Captioſi, & nimiùm de ſe præſumentes, volunt omnes opiniones ſuas aliis prævalere.*
13 *Opinionem probabilem an ſequi liceat in quacunque materia, latiſſimè diſcutitur, & nu. ſeqq. uſque ad numer.* 403.
14 *Diviſio tractatus de opinione probabili.*
15 *Opinio etiam minùs probabilis eligi poteſt in materia ad fidem aut mores non pertinente, & num.* 19.
Declaratur, num. 117.
16 *Opiniones diverſas ſi Sancti inter ſe habeant in his, quæ ab Eccleſia non ſunt definita, licitum eſt cuilibet, quod vult, dicere.*
17 *Mariæ Virginis corpus aſſerere non fuiſſe aſſumptum in Paradiſum, hodie eſt proximum hæreſi.*
18 *Opiniones non probabiles an ſequi liceat in articulis non diffinitis, remiſſivè, & n.* 117.
20 *Opinionem alicujus Magiſtri eligens contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publicè tenetur ſecundùm Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari.*
21 *Opinio illa ſemper eſt præferenda, quæ habet pro ſe legem, vel probatam conſuetudinem.*
22 *Opinio quid ſit, n.* 78. *&* 91. *& ſeq. n.* 127.

23 *Do-*

23 Doctrinæ de libera electione opinionis probabilis origo & progreſſus, & n. ſeq.
25 Probabilitatis gradus tres.
26 Referuntur authores doctrinæ de libera electione opinionis probabilis, & eorum aſſertiones, ibid. & num. ſeqq. uſque ad n. 44.
27 Videlicet licere omnibus illam ſequi, & in omni materia.
28 Et in ſpecie id licere Lectoribus, & Magiſtris.
29 Item Advocatis, etiam in cauſa ſanguinis, num. 381. & 390.
30 Item Conſiliariis, & Conſultoribus animarum, num. 354.
31 Item Judici etiam contra communem, num. 298. & nu. 355.
32 Itaut reo non liceat appellare, etiamſi pro ſe habeat probabiliorem.
33 Item Medico, n. 293. & n. 373.
34 Item Regi in bello gerendo, n. 306. & n. 375.
35 Item Sacerdotibus in eſſentialibus Sacramentorum, & illorum adminiſtratione, n. 303. & n. 376.
36 Itaut liceat conſecrare in materia incerta.
37 Et Confeſſarius teneatur ſequi opinionem probabilem pœnitentis, etiamſi credat eam eſſe falſam, nu. 305.
39 Et Eccleſia tribuat juriſdictionem ad abſolvendum Sacerdoti eligenti opinionem probabilem, n. 380.
40 Et ſequi liceat opinionem minùs tutam.
Etiam in articulo mortis.
41 Doctrina de libera electione probabilium opinionum eſt valdè utilis Chriſtianæ Reipublicæ, & ſaluti animarum, & n. ſeqq.
Imò valdè pernicioſa, ut latè oſtenditur, n. 293. & n. ſeqq. uſque ad n. 340. & n. 401.
42 Reſtitutio pecuniæ an poſſit fieri per partes invito domino.
43 Famulus an poſſit ducere concubinam in domum heri abſque peccato.
44 Opinionem probabilem ſecundùm ſe an in moralibus ſequi liceat, præſcindendo à quacumque probabilitate opinionis oppoſitæ, latè diſcutitur, ut numeris ſequentibus, uſque ad n. 121.
45 Referuntur fundamenta pro opinione affirmativa, & n. ſeqq. uſque ad n. 59.
Referuntur fundamenta pro opinione negativa à nu. 59. uſque ad n. 111.
Solvuntur contraria à n. 111. uſque ad n. 121.
Et quid ſi fiat reflexus ad opinionem oppoſitam, num. 109.
46 Opinionem probabilem eligens in actionibus humanis non agit temerè, ſed prudenter, n. 56.
Contrarium n. 66. & 69. 70. & ſeqq. n. 111.
47 Certitudo moralis de honeſtate operationis ſufficit ad honeſtè operandum.
48 Certitudo alia ſupernaturalis, alia naturalis, & alia moralis.
49 Leges illæ optimè ſunt conſtitutæ, quæ quàm pauciſſima reliquerunt arbitrio judicantium.
50 Certitudinem mathematicam non oportet in cunctis quærere.
51 Moralis materia non nititur certa demonſtratione, ſed conjecturis groſſis, & figurantibus.
Declaratur num. 99.
52 Certitudo eſt determinatio intellectus ad unum.
53 Prudentia eſt de non neceſſariis.
Declaratur n. 116.
54 Prudentia hominis non eſt omninò certa propter variabilitatem ſingularium.
55 Deus, & lex non obligant ad impoſſibile.
57 Opinio tutior ex Canonum præſcripto non eſt eligenda, niſi res dubia ſit.
Declaratur num. 118.
58 Opinionem probabilem eligens non eſt in dubio, licèt ſit cum formidine partis oppoſitæ.
Declaratur num. 71.
60 Actus humanos, ut ſint recti, & habeant bonitatem moralem, præcedere debent verbum verax, & conſilium ſtabile, n. 87.
61 Veritas eſt indubitata rei certitudo.
62 Opinio probabilis indubitatam rei certitudinem habet, num. 71.
63 Veritas nec fallit, nec fallitur: opinio ſecus.
64 Veritas manet, & invaleſcit in æternum.
65 Opinio ſtabilitatem habet, ſed variabilis eſt.
66 Prudentia quid ſit.
Opinio intellectus & fides in quibus differant, ibid.
67 Prudentia eſt generalis regula humanorum actuum, & completiva omnium virtutum moralium.
68 Intellectus rectus eſt, qui dirigitur à prudentia, ſcientia & opinione vera; non rectus verò, qui dirigitur ab eorum contrariis.
69 Opinio contradiſtinguitur à virtutibus intellectualibus, n. 85. & 87.
70 Certitudo ſaltem moralis de rectitudine & honeſtate operationis requiritur ad rectè & honeſtè operandum, num. 98.
71 Opinio probabilis moralem certitudinem non habet, num. 72. & 76.
78 Opinionis diffinitio quæ, nu. 91. & 92.
79 Intellectus rectus, & non rectus, qui dicatur ex ſententia Alexandri de Ales, & D. Thomæ, n. 80.
81 Judicium duplex in quolibet ratiocinato.
83 Intellectus inclinatur in objectum ſuum per modum naturæ.
84 Veritatem amat omnis homo natura non degenerans, & eam ſcire ſuper omnia deſiderat, n. 115.
86 Intellectus ſpeculativi & practici virtus in quo conſiſtat.
87 Judicii bonitas non conſiſtit in ſola veritate, ſed in eo, quòd ſit firmum & ſtabile.
88 Scrupulus mors eſt conſcientiæ, ſi applicatio ad opus fluctuat circa rectum & obliquum, n. 96.
89 Fluctuans quantum ſapit fluctuationis, tantum ſapit indeterminationis, n. 96.
91 Opinio probabilis habet inſeparabiliter annexam formidinem.
92 Opinio eſt credulitas cum aliqua levi dubitatione, & tenet medium inter ſuſpicionem & plenam probationem, num. 261.
93 Formido quid ſit.
94 Suſpicio eſt credulitas ex levibus conjecturis, & tenet medium inter dubitationem & opinionem, num. 261.
95 Scrupuloſa cum conſcientia operari peccatum eſt, niſi priùs error deponatur, nu. ſeqq. & n. 246.
96 Conjux, qui habet conſcientiam impedimenti ex credulitate levi, non poteſt exigere debitum, niſi priùs deponat ſcrupulum, n. 241.
97 Opinionibus contrariis ſi quis adducatur in ſuſpicionem, quòd actus ſi illicitus, ex ſententia D. Thomæ non poteſt actum illum explicare abſque peccato.
99 Certitudinem ex probabilibus ſufficere in moralibus quomodo ſit intelligendum, plenè explicatur, ut nu. ſeqq. uſque ad nu. 111.
100 Ariſtoteles in 1. Ethicor. c. 3. expenditur.
101 Salomonis judicium non fuit probabile, ſed omninò certum.
102 Sententia diffinitiva fertur ex violenta præſumptione.
103 Probationes plures imperfectæ ſimul junguntur ad faciendam plenam & perfectam probationem.
104 Probationes duæ ſemiplenæ faciunt unam plenam.
105 Teſtis unus, & confeſſio facta, abſente parte, plenè probat.
106 Probatio plena conficitur ex diverſis probationibus imperfectis, cùm tendunt ad eundem finem.
107 Probatio plena conſurgit ex pluribus præſumptionibus ad idem tendentibus, & ex pluribus adminiculis, quando unum alteri adminiculatur.
108 Judex inquiſitor veritatis debet cuncta rimari, nec ſe adſtringere ad unam ſpeciem probationis.
109 Opinio probabilis poteſt amplecti, quando contraria, utcumque tutior, eſt rationibus deſtituta.
110 Opinio probabilis reſpectu non probabilis poteſt dici probabilior.
112 Certitudinem moralem habere de omnibus eligibilibus eſt ſupra humanam facultatem, & nu. ſeqq.
113 In moralibus periculum eſt diverſa ſentire, & admodum

modum utilem veritatem inveſtigare.

114 *Ad veritatem nati homines, & ut plurimum veritatem conſequuntur.*

116 *Prudentiæ materia ſunt agibilia, ſecundùm quòd ſunt objectum rationis, ſcilicet ſub ratione veri.*

118 *Opinionem tutiorem ſequi tenetur non tantùm qui dubius eſt, ſed etiam qui formidat.*

121 *Ex opinionibus duabus oppoſitis æquè probabilibus an liberum ſit cuilibet ſequi utramque, vel alteram, quam maluerit. Latè diſcutitur, ut nn. ſeqq. uſque ad n. 253.*

122 *Referuntur fundamenta pro opinione affirmativa.*

Referuntur fundamenta pro opinione negativa à n. 123. uſque ad n. 252.

Solvuntur contraria, nu. 252.

Propoſitiones duæ contradictoriæ poſſunt eſſe probabiles, n. 122. & n. 131.

125 *Opiniones oppoſitas qui judicat eſſe æqualiter probabiles, vel quaſi æqualiter, non eſt moraliter certus, ſed dubius. Latè firmatur, ut nn. ſeqq. uſque ad n. 171.*

126 *Opiniones contrarias æquè probabiles eundem intellectũ poſſe ſimul opinari, non tantùm moraliter, ſed etiam naturaliter, & phyſicè eſt impoſſibile, & nn. ſeqq.*

127 *Opinari quid ſit.*

128 *Intellectus c. Ego ſolis 9. diſt.*

129 *Opinari non eſt in nobis, neceſſè enim falſum, aut verum dicere, n. 136. & 139. n. 154. & ſeqq.*

130 *Propoſitionem judicare probabilem, & judicare propoſitionem probabiliter eſſe veram, multùm differunt, & in quibus, & nn. ſeqq.*

131 *Opiniones duæ contradictoriæ poſſunt judicari probabiles, ſed non poſſunt judicari probabiliter eſſe veræ, & n. ſeqq.*

132 *Probabile eſt hoc eſſe verum, vel licitum, & probabile eſt hoc eſſe falſum, vel illicitum, non ſunt contradictoria.*

133 *Contradictoriæ propoſitiones non poſſunt unquam verificari etiam reſpectu duarum cauſarum, & nn. ſeqq.*

134 *Contradictoria ſimul eſſe vera, non poteſt eſſe in mente hominis, etiamſi voce proferatur.*

135 *Contradictoria duo judicari non poſſunt ſimul probabiliter eſſe vera, etiam ex diverſis principiis; & refellitur contraria opinio.*

136 *Aſſenſus duo contrarii opinativi ſimul eſſe non poſſunt in eodem intellectu, unus ſcilicet ex principiis intrinſecis rationum, & alter ex principio extrinſeco authoritatis.*

137 *Intellectus ſpeculativus, & practicus, an & in quibus differant, n. 218.*

138 *Opiniones diverſæ in nobis quotidiè generantur propter diverſa phantaſmata.*

Doctorem non eſſe ſibi aliquando contrarium, eſt ferè impoſſibile, ibid.

139 *Opiniones contrarias qui judicat eſſe æqualiter probabiles, non poteſt earum alteram opinari, & n. ſeq.*

Imaginari quidem poſſumus, ut volumus, ſed non opinari, ibid. & 140.

140 *Fingere aliud eſt, & aliud opinari, n. 141.*

142 *Problema quid ſit.*

143 *Intellectus non habet libertatem opinandi, ut libet, ſed cogitur objecto ſe conformare, n. 154. & ſeqq.*

144 *Sententia certa in re dubia ferri non poteſt.*

145 *Problemata quomodo intelligantur dubitationẽ habere.*

146 *Dei judicium ſemper innititur veritati, quæ nunquam fallit, nec fallitur.*

147 *Dubitatio unde oriatur, & nn. ſeqq. & n. 162.*

150 *Dubitatio quid ſit, n. 153. & 159.*

151 *Dubium quid, n. 158.*

152 *Dubius ſimile quiddam ligatis patitur.*

154 *Quieſcere oportet in paritate contrariorum motuum; quod pluribus exemplis oſtenditur.*

155 *Intellectus ita movetur ab objecto veri, ut appetitus ſenſitivus bruti ab objecto delectabili.*

156 *Voluntas habet libertatem contrarietatis: intellectus ſecus.*

157 *Dubitans applicat animum ſuum ad plura, & neſcit quid eligat.*

158 *Dubium eſt motus indifferens in utramque partem contradictionis.*

160 *Probationes etiam certæ & liquidæ per contrarias ſimiles conquaſſantur.*

161 *Legatum Sempronio amico relictum, ſi duo ſint Sempronii æqua charitate conjuncti, cui debeatur.*

162 *Dubitatio fit ex principiis tam intrinſecis rationum, quàm extrinſecis authoritatum, ſi utrimque ſint æquales, & nn. ſeqq. uſque ad n. 171.*

163 *Innocentii, Hoſtienſ. & Jo. Andr. authoritas quanta ſit.*

164 *Archidiaconi opinio ſuper ſexto libro decretalium prævalet communi.*

165 *Gloſſæ authoritas quæ, n. 352.*

166 *Doctoris unius authoritas per contrariam authoritatem alterius enervatur.*

167 *Opinionum veritas aut falſitas non ſeorſim eſt perpendenda, ſed per differentiam, & comparationem ad oppoſita.*

168 *Intellectus Divinus, & Angelicus cognoſcunt compoſitionem, & diviſionem per intellectum ſimplicis quidditatis.*

Intellectus humanus cognoſcit componendo, dividendo, & ratiocinando, ibid.

169 *Dubium juris dicitur, cùm rationes pro & contra congruunt, vel ubi ſunt diſcordes Doctorum opiniones, nec conſtat de communi, n. 183.*

170 *Judex, cùm variæ ſunt opiniones, nec diſcernitur, quæ ſit verior, ſi unam ſequatur, an faciat litem ſuam.*

171 *Opinionem tutiorem in dubio eſſe eligendam, eſt velut quoddam Sacrorum Canonum axioma, & nn. ſeqq. uſque ad n. 191.*

172 *Et refellitur illorum opinio, qui dicunt hoc non eſſe in præcepto, ſed in conſilio tantùm, & nn. ſeqq. uſque ad n. 191.*

173 *Poſſidentis melior eſt conditio in materia juſtitiæ, & in foro judiciali; non autem in materia aliarum virtutum, & in foro conſcientiæ; & refellitur opinio contraria, ut n. 191. uſque ad n. 211.*

174 *Referuntur aliquot Theologorum aſſertiones de conſcientia dubia, videlicet*

Dubitans, an ſit excommunicatus, ſive dubium ſit juris, ſive facti, non debet ſe habere pro excommunicato, nec tenetur petere abſolutionem, ibid.

175 *Item dubitans, an lex imponens pœnam excommunicationis ſit uſu recepta, poteſt exiſtimare non eſſe receptam.*

176 *Item dubitans, an caſus ſit reſervatus, poteſt ab illo abſolvere.*

177 *Item dubitans, an commiſerit peccatum mortale, non tenetur illud confiteri.*

178 *Item dubitans de legitima poteſtate Prælati, non tenetur illi obedire.*

179 *Item dubitans, an beneficium ſit tenue, non tenetur officium recitare.*

180 *Item dubitans in die Jovis, an media nox ſit tranſacta, poteſt comedere carnes; ſecus ſi dubitet in die Sabbati.*

181 *Aſſertiones ſupraſcriptæ confutantur, & nn. ſeqq. uſque ad n. 212.*

182 *Dubia cum conſcientia operari non licet, niſi priùs dubium deponatur.*

183 *Cardinales, cùm rationes ſunt utrimque probabiles, quomodo debeant in Conſiſtorio reſpondere.*

184 *Opinio tutior in dubio debet eligi ex præcepto, & nn. ſeqq. uſque ad n. 191.*

185 *Excommunicatum vitare jubetur Epiſcopus, quoties abſolutio eſt dubia.*

186 *Dubitans de validitate ſponſalium cum puella ſeptennio proxima, ſeparatur ab illius conſobrina, quam poſteà duxit in uxorem.*

187 *Presbyteri ordinati ab Epiſcopis incognitis, de quibus dubium eſt, an ſint Epiſcopi, ſunt iterùm ordinandi.*

188 *Parvuli à parentibus ſubtracti, de quibus dubitatur, an ſint baptizati, ſunt iterùm baptizandi.*

189 *Eccleſia, de qua incertum eſt, an fuerit conſecrata, iterùm conſecrari debet.*

190 *Matrimonium, de quo dubitatur, an valeat, non eſt iterùm contrahendum, ſed præſumitur pro illius validitate.*

192 *Epiſcopus, quamvis ſit in poſſeſſione communicandi cum*

fide-

fidelibus, tamen dicitur deponendus, eò quòd in dubio non geſſit ſe pro excommunicato.

193 *Mulier dubitans de morte prioris conjugis, non poteſt pergere in poſſeſſione debitum exigendi à ſecundo marito.*

194 *Interdictum*, uti poſſidetis, *datur vel cùm poſſeſſor ab alio turbatur, vel cùm duo contendunt de poſſeſſione.*

195 *Interdictum*, retinendæ, *ut locum habeat, quæ ſint probanda.*

196 *Opinio tutior in dubio eligenda in foro pœnitentiali, vel quaſi pœnitentiali tantùm: in foro autem judiciali, ubi agitur ad pœnam, eligenda eſt benignior, nn. ſeqq. uſque ad n.* 201.

Declaratur, n. 204.

197 *Judex in dubio non debet judicare quemquam irregularem, ſed quilibet in dubio tenetur ſe irregularem judicare.*

198 *Opinio tutior cur eligenda ſit in foro conſcientiæ, non autem in foro fori.*

199 *Interpretatio in dubio contra tertium facienda eſt in meliorem partem, contra ſeipſum in deteriorem, & cur.*

200 *In obligationibus, quæ concernunt Deum, tutius eſt præſumere quem ligatum, quàm ſolutum.*

201 *In judicio propriè non eſt reperire partem tutiorem.*

Judex condemnando innocentem, peccat contra proximum; abſolvendo nocentem, peccat contra Rempublicam, ibid.

202 *Satius tamen eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari, n.* 267.

203 *Pars tutior in foro conſcientiæ eſt etiam favorabilior.*

204 *Judex an aliquando teneatur ſequi opinionem tutiorem.*

205 *Poſſeſſorium datur etiam in corporalibus, in cauſis tamen civilibus, non autem criminalibus.*

206 *Pars tutior in moralibus eſt eligenda de jure naturali, & divino, contra quod nulla poſſeſſio, aut præſcriptio, vel conſuetudo ſuffragari poteſt, & nn. ſeqq. uſque ad n.* 211.

207 *Periculo mortalis peccati ſe exponere eſt peccatum mortale.*

208 *Etiam ubi actus de genere ſuo non eſt peccatum mortale, & n.* 213.

209 *Interdictum*, uti poſſidetis, *non datur in materia nutritiva peccati.*

210 *Nec quando jus reſiſtit.*

211 *Poſſeſſio in foro conſcientiæ non ſtat pro libertate humana, ſed pro obligatione abſtinendi ab actu illicito.*

212 *Opinio tutior in dubio eligenda eſt, ſive dubium ſit facti, ſive juris, vel perſonæ, & n. ſeqq. uſque ad n.* 218.

Et tam in dubio juris practico, quam ſpeculativo, n. 218.

Et in omni materia etiam extra caſum irregularitatis, n. 220.

213 *Cum conſcientia erronea etiam erroneitate juris operari non licet abſque peccato.*

214 *Dubium juris habens, an ſit excommunicatus, tenetur ſecuriorem partem eligere.*

215 *Amylum an ſit materia conveniens ad faciendum panem conſecrabilem.*

216 *In dubiis omnibus tres maximæ ſunt ſervandæ ex ſententia Scoti.*

217 *Dubium perſonæ quo ſenſu accipiatur à juriſperitis.*

219 *Intellectum eſſe certum practicè, & dubium ſpeculativè, vel è converſo, non eſt poſſibile.*

220 *Opinio tutior in dubio eligenda eſt in omni materia, ubi vertitur ſalutis periculum, & refellitur contraria opinio.*

221 *Furioſus habens lucida intervalla ad Subdiaconatum promotus, an teneatur continere.*

222 *Ratio generalis ampliat dictum ſpeciale.*

223 *Lex etiam pœnalis dicitur favorabilis, & extendenda, ubi agitur de ſecuritate animæ.*

224 *Ratio ſi ſit expreſſa in Canone, ubicumque ratio illa viget, caſus dicitur à jure expreſſus.*

225 *Certus eſt moraliter, non autem dubius, qui judicat unam opinionem eſſe altera probabiliorem.*

Opinio vehemens pro certitudine habetur, ibid.

226 *Circumſtantiæ notabiliter aggravantes an ſint neceſſariò in confeſſione aperiendæ ab eo, qui putat utramque opinionem eſſe probabilem, vel unam altera probabiliorem.*

227 *Confiteri ſtatim an ſit in præcepto poſt lapſum in mortale.*

228 *Opinio probabilior eligi poteſt, quamvis contraria ſit tutior, dummodò deponatur conſcientia opinionis oppoſitæ.*

229 *In opinione deligenda ſervandæ ſunt regulæ juris, cùm nõ apparet, quæ opinio ſit tutior, & n. ſeq. uſq; ad n.* 242.

Et quæ ſint ejuſmodi regulæ, n. 231.

230 *Pars tutior in dubio quæ dicatur.*

231 *Præſumptio validitatis actus eſt aliarum præſumptionum regina.*

232 *Opinio favens matrimonio, vel poteſtati Clavium, præferenda eſt opinioni contrariæ etiam communi.*

233 *Judex tenetur ſequi communem opinionem, aliàs facit litem ſuam, & nn. ſeqq. n.* 275.

234 *Opinio communis habet vim conſuetudinis, n.* 277.

235 *Opinionibus diſcrepantibus, ſi res prorſus ambigua ſit, abſtinendum eſt à conſilio, & judicio, & conſulendus eſt Princeps, n.* 244.

236 *Opinio & veritas ſi invicem ſe confundant, poteſt Judex differentiam dividere.*

237 *Opiniones ſi utrimque ſint probabiles, inducendæ ſunt partes ad concordiam.*

238 *Arbitrium liberum, & abſolutum, nullis ſubjacet regulis juris poſitivi.*

239 *Arbitrii verbum in dubio, viri boni, & à jure regulatum ſignificat.*

240 *Clauſula*, Arbitrio Rotæ, *quid importet.*

241 *Intellectus c. Inquiſitioni, de ſent. excomm.*

242 *Intellectus c. Illud, de Cler. excomm. miniſtran.*

243 *Depoſitionis pœna infligi non poteſt, niſi pro culpa mortali.*

245 *Intellectus c. Veniens, de Presbyt. non baptiz.*

Ordinatus ante baptiſmum an recipiat characterem, ibid.

246 *Opinionem habens, quòd actus ſit licitus, ſi etiam habeat ſcrupulum de oppoſito, agit contra dictamen conſcientiæ, n.* 249.

247 *Et multò magis ſi de oppoſito habeat opinionem æquè probabilem, & nn. ſeqq.*

248 *Scrupulus eſt credulitas ex levibus conjecturis, & plus credulitatis habet, quàm dubitatio, & minus, quàm opinio, n.* 261.

250 *Medicus peccat, ſi propinet medicinam dubitans, an ſit profutura, vel nocitura, etiamſi magis credat eam proficere debere, n.* 293.

251 *Scrupulos vincendi ſaluberrimum eſt remedium, contra illos operari.*

Declaratur, ibid.

253 *Opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, an ſequi liceat, relicta probabiliori, ac tutiori, plenè examinatur, & nn. ſeqq. uſque ad n.* 403.

254 *Referuntur Authores, & fundamenta pro opinione affirmativa, & n. ſeqq.*

Referuntur quadraginta duo fundamenta pro opinione negativa, à n. 256. *uſque ad n.* 392.

Referuntur, & expenduntur Authores pro eadem ſententia, à n. 340. *uſque ad n.* 392.

Solvuntur contraria, n. 392. *uſque ad n.* 402.

255 *Nemo tenetur ad id, quod perfectius eſt; ſed ſufficit, ut ſequatur perfectum ac tutum.*

258 *Declaratur, n.* 293.

Formido non præjudicat morali certitudini, d. n. 255. *verſ. Moventur ſeptimò.*

Contrarium, n. 398. *verſ. Ad ſeptimum.*

Declaratur, ibid. verſ. Ad rationem quintam.

257 *Intellectus non habet libertatem opinandi ut libet, ſed violenter inclinatur in eam partem, in qua ſunt fortiora motiva.*

279 *Dictamen rationis quid ſit.*

259 *Ratio eſt dux intellectus.*

260 *Conſcientia quid, & n. ſeq.*

261 *Credulitas quotuplex, & per quos gradus ad plenam credulitatem perveniatur.*

Fides, opinio, ſuſpicio, & dubitatio, in quibus differant, ibid.

262 *Ignorantia vincibilis & affectata æquiparatur ſcientiæ,*
263 *Argumentum à communiter accidentibus validum eſt.*
264 *Quæſtio omnis, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur.*
265 *Roboam reprehenditur, quòd ſecutus fuerit conſilium juvenum, derelicto conſilio ſeniorum.*
266 *Senum gloria eſt canities.*
267 *Lex naturæ eſt impreſſio divini luminis in rationali creatura.*
268 *Lumen naturale intellectus eſt manifeſtatio veritatis.*
269 *Opinionem erroneam ſequens alicujus Magiſtri ex ſimplicitate, non excuſatur.*
270 *Dubiis in rebus non eſt de facili præſtandus aſſenſus.*
271 *Doctor referens plures opiniones, in dubio quam cenſeatur approbare.*
272 *Doctor, qui ſimpliciter approbat unam opinionem, cenſetur contrariam refellere.*
273 *Idem ſi dicat unam opinionem eſſe probabiliorem, ſeu veriorem, & n. ſeqq.*
274 *Intellectus c. Cum Martha, §. Quæſiviſti, de celebr. Miſſarum.*
275 *Opinio communis eſt probabilis, & amplectenda in judicando, & conſulendo.*
276 *Niſi contraria ſit probabilior, ſeu verior, n. 438.*
278 *Rationem dimittens propter authoritatem humanam, incidit in inſipientiam beſtialem.*
279 *Opinionem communem ſequens, poſthabita veriori, excuſatur à pœna in foro externo, ſed non excuſatur in foro conſcientiæ.*
Opinio communis inducit errorem probabilem, ibid.
280 *Theodoſii Imperatoris edictum de opinione præferenda in diſcordia Juriſconſultorum.*
281 *Probatio plenior abſorbet & confundit minùs plenam directè oppoſitam, & n. ſeqq.*
282 *Teſtes plures in concurſu prævalent paucioribus.*
283 *Rationes duæ vincunt unam, & ratio fortis minùs fortem tollit.*
284 *Opinio in concurſu probabilioris non eſt probabilis, ſed reprobabilis.*
285 *Pars major ac ſanior prævalet in omnibus actibus univerſitatis.*
286 *Conſtitutiones nonnullorum Ordinum præcipiunt ſuis ſubditis Regularibus, ut in controverſiis moralibus ſequantur opiniones magis probabiles.*
287 *Epiſcopi Graſſenſis Synodalis admonitio ad Confeſſarios nimis indulgentes, qui laxiores, minùſque probabiles opiniones ſequuntur.*
288 *Opinio ſemper eligenda, per quam Deus magis glorificatur, & quæ majorem habet conformitatem cum arcta via Evangelii.*
289 *Immunis eſt à peccato relinquens opinionem, quam veram credit, & magis tutam, ut ſequatur contrariam, eſt propoſitio non toleranda.*
290 *Certis incerta præponens in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, graviter peccat.*
291 *Periculum qui non æſtimat, imprudens, ac temerarius eſt, quod pluribus exemplis oſtenditur.*
292 *Doctrina de electione opinionis minùs probabilis continet multa abſurda, quæ hìc referuntur à num. 293. uſque ad n. 340.*
293 *Medicus præbens ægroto medicamentum, quod probabiliùs poſſet obeſſe, peccat contra juſtitiam, & contra charitatem, & nn. ſeqq.*
294 *Periculo ſe committens, ſtultus, & fatuus dicitur.*
295 *Medicus ſalutis gratia eſt.*
296 *Sacerdotes, & Paſtores Eccleſiæ ſunt Medici ſpirituales, qui medentur languoribus animæ.*
297 *Mors æterna longè magis eſt formidanda, quàm mors temporalis.*
298 *Judicem poſſe judicare pro parte minùs probabili oſtenditur eſſe abſurdum, & nn. ſeqq. & n. 355.*
299 *Judex eſt miniſter Dei, & debet conformare judicium cum veritate.*
300 *Nec poteſt contra eam pronunciare cum libera conſcientia, & ſecura.*
301 *Judicium fori contentioſi non differt à judicio in foro animæ quoad obligationem eligendi opinionem magis probabilem.*
302 *Acceptio perſonarum gravius eſt peccatum in diſpenſatione rerum ſpiritualium, quàm temporalium.*
303 *Opinionem nedum probabilem, ſed nec probabiliorem ſequi licet in adminiſtratione Sacramentorum, quando ſuppetit materia certa.*
304 *Doctrina de libera electione opinionis probabilis invertit ordinem judicii in foro pœnitentiali, & n. ſeqq.*
305 *Confeſſor ſecundùm aliquos non poteſt denegare abſolutionem eligenti opinionem minùs probabilem, & minùs tutam; & denegando peccat mortaliter, etiamſi credat pœnitentis opinionem eſſe falſam, ibid.*
306 *Bellum ex utraque parte juſtum non datur, n. 318.*
307 *Poſſeſſor dicitur habere potiora jura, etiamſi nullum jus habeat.*
Rex, qui pacificè regnum poſſidet, in paritate opinionum utrimque probabilium, iniquum eſt, ut de ſua poſſeſſione vi dejiciatur, ibid.
308 *Bellum à ſpoliato moveri poteſt ſolùm incontinenti, non autem ex intervallo.*
309 *Doctrina de libera electione opinionis probabilis publicam pacem multoties turbat, & inflammat Principes ad bella gerenda.*
310 *Bellum eſt perditio animæ, corporis, & ſubſtantiæ.*
311 *Opinionum oppoſitarum utcumque probabilium oportet unam eſſe veram, & alteram falſam, & qui conſulit, vel judicat ſecundum utramque, neceſſariò pro una parte eligit falſum tam materialiter, quàm formaliter, & n. ſeqq.*
312 *Probabilitas indifferenter ſe habet ad verum, & falſum.*
313 *Advocato non licet pro utraque parte ſcienter patrocinari, n. 315.*
314 *Doctrina de libera electione probabilium opinionum vix ad praxim deduci poteſt ſine ſcandalo.*
315 *Contrarietas turpis eſt in Doctore.*
316 *Amicis duobus in contrariis opinionibus exiſtentibus, ſanctum eſt pro veritate pugnare.*
317 *Opinionibus diſcrepantibus, conari quis debet habere Judicem propitium, non tamen claudicantem.*
318 *Defenſio non competit ei, qui poteſt juſtè & impunè offendi.*
319 *Doctrina de libera electione opinionis probabilis convellit libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam.*
320 *Reddit homines ignavos, eoſque ab omni ſtudio contemplandæ veritatis abducit.*
Relaxat fidelium conſcientias, n. 322. & 337.
Parit effrænatam opinionũ multitudinem, n. 330. & 338.
Aperit viam opinionibus falſis, temerariis, & ſcandaloſis, n. 335. & 338.
Non tollit ſcrupulos, ſed hebetat conſcientias, n. 401.
321 *Actus argumentandi eſt apud infinitos, concluſio reſpondendi, & medicina ſanandi apud paucos.*
322 *In occaſione proxima peccati ex ſententia cujuſdam Theologi licitum eſt perſeverare ob ſui, vel alterius commodum ſpirituale, vel temporale.*
324 *Concubinarius ex cujuſdam Theologi ſententia non tenetur concubinam è domo expellere, ſed tantùm polliceri ſe cum ipſa non peccaturum, quando ea dimiſſa triſtiùs vitam duceret.*
325 *Miſſam audiens, & divinum officium recitans cum diſtractione volũtaria, nõ ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*
326 *Regularibus nefas eſt reluctari Papæ reformationem indicenti.*
327 *Opinionem minùs probabilem Confeſſor poteſt eligere, cùm per eam eximit pœnitentem ab aliqua obligatione, ex quorundam Theologorum ſententia.*
328 *Et tenetur opinionem liberantem & laxiorem indicare pœnitenti de illa interroganti.*
329 *Propoſitum habens varios Doctores conſulendi, donec aliquem juxta deſiderium ſuum reſpondentem inveniat, an ſit tutus in conſcientia.*
330 *Opinionum probabilium hodiè tam ingens eſt numerus, ut libera illarum electio videatur fovere quandam veluti libertatem conſcientiæ, & nn. ſeqq.*
331 *Doctoris unius authoritas an faciat opinionem probabilem ex eo, quòd generaliter ſic doceant quatuor, vel quinque Doctores.*
332 *Opiniones probabiles efficere, ut quod olim peccatum erat,*

erat, hodie ampliùs non ſit, aſſertio eſt non toleranda.

333 *Opinionem erroneam ſequens alicujus Magiſtri, à peccato non excuſatur.*

334 *Probabilitatum uſus eſt commentum Diaboli ad enervandam vim præceptorum, n.* 337.

335 *Opiniones plurimæ hìc referuntur, quæ non ſunt tolerandæ, & tamen hodie à quibuſdam Theologis probabiles reputantur.*

336 *Aſſertiones multæ, quas Parochi Pariſienſes, & Rothomagenſes, Clero Gallicano authoritate Superiorum damnandas propoſuerunt, referuntur.*

337 *Mechlinienſis Archiepiſcopi Epiſtola ad Sacram Congregationem Inquiſitionis adverſus Confeſſores, qui nimis laxant habenas peccatoribus, innixi pernicioſis opinionibus quorundam Theologorum, refertur, & nn. ſeqq.*

339 *Aſſertiones ſeptemdecim referuntur excerptæ ex libris nonnullorum Theologorum, quas facultas Theologica Lovanienſis judicavit in praxi non tolerandas, & authoritate Superiorum prohibendas.*

Gandavenſis Epiſcopi Epiſtola, & aſſertiones viginti ſex ad ejus requiſitionem cenſuratæ à facultate Theologica Lovanienſi, ſub d. n. 339. *verſ. His addimus.*

340 *Propoſitiones ſex à Congregatione S. Officii qualificatæ, ſub d. n.* 339. *verſ. His demum adjicimus.*

341 *Agere incertum, & dimittere certum, in materia morali eſt peccatum mortale.*

342 *Pars periculoſa in controverſiis moralibus quæ dicatur ex ſententia Henrici Gandavenſis.*

343 *Judex, gloſſis diſcrepantibus, eligere debet opinionem, cui magis ratio intellectus ſui conſentit.*

344 *Sententia judicis ſequentis unam opinionem in materia, in qua eſt magnus conflictus, valet, ſi non appareat, quæ ſit communior, & illa non ſit apertè falſa.*

345 *Opinio verior & probabilior à Juriſperitis pro eodem accipitur.*

346 *Opinio tutior ſequenda eſt, ubi agitur de periculo animæ, etiamſi oppoſita ſit ſatis probabilis, ex ſententia Henrici Boich, & Bellameræ.*

347 *Opinionem communem Curia non ſequitur, ubi contraria eſt verior.*

348 *Opinio communis judicanda non eſt ex multitudine, ſed ex pondere Authorum materiam diligenter inquirentium.*

349 *Doctoribus antiquis magis deferendum eſt, quàm modernis, & quatuor numeris ſeqq.*

350 *Antiqui magni, & veræ Philoſophiæ Authores.*

351 *Doctores antiquos relinquens, ut modernis adhæreat, non rectè ſapit.*

352 *Gloſſæ authoritas omnes alias antecedit.*

353 *Intellectus Clement.* 1. §. *final. de Summ. Trinit. & fide Cathol.*

354 *Opinionem probabilem relicta probabiliori ac tutiori ex ſententia multorum Theologorum noſtri temporis ſequi non licet conſiliario, ſeu conſultori animarum.*

355 *Item nec Judici, & nn. ſeqq. uſque ad n.* 373.

Item nec Medico, n. 373. *& nn. ſeqq.*

Item nec Regi in bello gerendo, n. 375.

Et multò minùs in eſſentialibus Sacramentorum, num. 376. *& nn. ſeqq. uſque ad n.* 381.

356 *Judex in cauſis criminalibus ſequi poteſt opinionem probabilem, quæ favet reo, relicta probabiliori, quæ favet fiſco, ſi probabilitas verſetur circa factum.*

357 *Imò tenetur eo caſu reum abſolvere, ex ſententia nonnullorum Theologorum.*

Contrarium defenditur, ſive probabilitas verſetur circa factum, n. 358. *& nn. ſeqq. ſive circa jus, n.* 366. *& nn. ſeqq. uſque ad n.* 373.

358 *Judex ſpectare non debet, an probationes Fiſci præponderent probationibus rei, ſed an ex proceſſu reſultet probatio ſufficiens ad condemnandum, & nn. ſeqq.*

359 *Accuſatore non probante, reus abſolvitur.*

360 *Etiamſi reus nihil probaverit.*

361 *Exceptio negativa pro parte rei non eſt probanda.*

362 *Accuſatus, vel inquiſitus, etiam poſt accuſationem, vel inquiſitionem, non præſumitur culpabilis, niſi delictum probetur.*

363 *Judex, a ſuo proceſſu offenſivo, ac defenſivo, quomodo ſe debeat gerere in reo condemnando, vel abſolvendo.*

364 *Probationes in criminalibus debent eſſe luce clariores.*

365 *Indicia etiam vehementia ad infligendam pœnam ordinariam non ſufficiunt.*

367 *Judices proniores eſſe debere ad abſolvendum, quàm ad condemnandum, & conſimiles regulæ quando habeant locum.*

368 *Læſæ Majeſtatis crimen an committat occidens Conſiliarium Principis.*

369 *Andreas de Iſernia Reginæ Joannæ Conſiliarius Neapoli trucidatur.*

370 *Fur de jure an ſit ſuſpendendus pro unico furto magnæ quantitatis.*

371 *Rapiens publicam meretricem an incidat in pœnam raptus.*

372 *Et quid de muliere rapiente virum.*

373 *Medicus peccat, ſi ſcienter applicet infirmo medicamenta dubia, etiamſi credat ea probabiliùs profutura.*

374 *Ægrotum melius eſt in manu Creatoris relinquere, quàm periculo exponere dubitabilis medicinæ.*

376 *Opinione probabili uti non licet in eſſentialibus Sacramentorum, niſi in caſu extremæ neceſſitatis.*

377 *Periculum grave facit, ut formido præponderet opinioni.*

378 *Baptizandus eſt puer in periculo mortis conſtitutus, ſi quid appareat extra uterum.*

379 *Sacerdos exiſtens in peccato mortali, ſi tempus ita urgeat, ut non ſit locus pœnitentiæ, poteſt miniſtrare Sacramentum abſque peccato.*

380 *Sacerdoti eligenti opinionem probabilem Eccleſia minimè tribuit juriſdictionem ad abſolvendum, niſi error ſit communis, & titulus putativus proveniat à legitimo Superiore.*

381 *Advocato an & quando liceat patrocinari ſecundùm opinionem probabilem, & nn. ſeqq. uſque ad n.* 392.

382 *Advocatus in cauſa, in qua utrimque ſunt opiniones æquè probabiles, ſi proponat clientulo rem tamquam certam, mentitur, & tenetur ei ad damna & intereſſe.*

383 *Sed non prohibetur in cauſa dubia patrocinari, ſi aperiat clientulo rem dubiam eſſe.*

384 *Temerè litigare non dicitur, qui dubius eſt, ſed qui ſcit jus non habere.*

385 *Lites plerumque de re dubia inſtituuntur.*

386 *Advocati recti meliorem vitam faciunt, quàm Fratres Prædicatores, vel alii Religioſi.*

387 *Advocato non licet patrocinari pro parte minus probabili contra probabiliorem.*

388 *Etiamſi pandat clientulo rationes adverſarii eſſe probabiliores.*

Etiamſi non ſit cauſa ſanguinis, vel majoris partis bonorum, n. 390.

389 *Advocatus, qui in principio litis credidit rationes ſui clientuli eſſe probabiliores, ſi in proceſſu appareat contrarium, tenetur cauſam deſerere, aut illum ad concordiam inducere.*

391 *Furti actio datur etiam pro re minima.*

392 *Opinionem minus probabilem ſequens, ac minus tutam, relicta probabiliori, ac tutiori, eſt maximè imprudens, ac temerarius.*

394 *Verum eſt bonum intellectus; falſum autem eſt malum ipſius.*

395 *Veritas potiſſimùm indaganda eſt in foro conſcientiæ, qui dicitur forus veritatis.*

396 *Conſcientia eſt quædam conſonantia & harmonia cum veritate.*

397 *Lex conſcientiæ debet dici lex Euangelica, à Patre luminum oriens.*

Conſcientia eſt Angelus mentis præſes, ibid.

398 *Ratio naturalis ſeipſam oſtendit, & veritatem occultam non ſinit.*

Formido duplex, ibid. verſ. Ad rationem quintam.

399 *Intellectus c. Litteras, de reſtit. ſpol. & n. ſeq.*

400 *Opiniones diſtinguens, & ad concordiam reducens, non videtur alias opiniones reprobare.*

Medium non opponitur extremis, ſed extrema ipſa invicem opponuntur, & mutuò ſe perimunt, ibid.

402 *Epilogus principalium trium quæſtionum, & praxis ſervanda in opinione deligenda cum ſecuritate conſcientiæ.*

403 *Opinionem probabilem an faciat authoritas unius Doctoris, latè diſcutitur, & nn.ſeqq. uſque in finem.*
Quid ſi authoritas illa ſit rationibus deſtituta, num. 406. & nn.ſeqq. uſque ad n. 418.
Et quid ſi nitatur gravi aliquo fundamēto, n. 417. & ſeq.
Et quid de authoritate alicujus, qui ſit princeps in aliqua facultate, n. 420.
Et quid ſi opinio unius Doctoris ſit contra legem Dei, vel Eccleſiæ, n. 425.
Et quid ſi contra communem aliorum opinionem, num. 433. & 442.
Et quid ſi opinio ſingularis ſit verior, quàm opinio communis, n. 438.
Et quid ſi ab utraque parte ſint totidem Authores æqualis ponderis, & rationes æquè ſuaſibiles, n. 444.
Et quid ſi pro una parte ſint Doctores numero plures, & pro contraria graviores, n. 445.
Et quid ſi utrimque Doctores ſint æquales numero, ſed pondere inæquales, nu. 447.
Et quid ſi pro una parte ſtet authoritas unius gravis Doctoris, & pro contraria nullus occurrat Doctor, & rationes utrimque ſint æquales, n. 448.

405 *Opinionem probabilem facit authoritas unius Doctoris, etiamſi contineat errorem contra jus divinum. Contrarium, n. 412. & n. 425. & n. 432.*

406 *Opinionem probabilem in moralibus non facit ſola authoritas unius Doctoris utcumque gravis & probi.*

407 *Probabilia ſunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, n. 421. & 434.*

408 *Doctorum dictis in tantum eſt credendum, in quantum Canonicis ſcripturis deſerviunt.*

409 *Vox unius, vox nullius.*

410 *Doctori atteſtanti de conſuetudine, vel de communi uſu loquendi, non creditur.*

411 *Cardinalis Zabarella nunquam voluit in opinionibus cedere niſi urgente ratione.*

415 *Teſti unico atteſtanti de morte mariti non eſt credendum.*

416 *Ingenio non procedendum, ſed auctoritatibus inſiſtendum.*

417 *Opinionem probabilem facit authoritas unius Doctoris probi & docti, ſi nitatur gravi aliquo fundamento, & in contrarium nulla occurrat ratio, vel authoritas movens.*

418 *Opinionem ſequens alicujus Magiſtri non ſubtiliter indagatam, quæ poſtmodum apparet falſa, excuſatur à peccato, quamdiu falſa non apparuerit.*

419 *Nec peccat mortaliter, qui ſequitur intellectum alicujus gravis Authoris, etiamſi erret, dummodò error verſetur circa ſubtilitates legum.*

420 *Opinionem probabilem facit ſola authoritas unius Sapientis clariſſimi & principis in aliqua facultate.*

422 *Locus ab authoritate infirmus & inartificialis.*

423 *Authoritatis pondus inclinat ad actum, præcipuè ſi grave ſit.*

424 *Authoritas magni Doctoris in tantum facit aliquam probabilitatem, in quantum præſupponitur in ſcientia verſatus, vel ſapienter loquutus.*

425 *Opinio unius Doctoris quantumvis gravis & pii, ſi ab Eccleſia ſit reprobata, aut ſit contra jus divinum, eſt improbabilis & falſa.*

426 *Jus ignorare licet indoctis ac rudibus, non autem eis, qui ſua prudentia inſtructi ſunt.*

427 *Illiteratus debet conſulere peritiores, alioquin ex juris ignorantia non excuſatur, & n. ſeq.*

428 *Simoniam committens non excuſatur ex eo, quòd ſe peccare non crediderit.*

429 *Ignorantia nulla invincibilis eſt peccatum.*

430 *Ignorantia craſſa & ſupina neminem excuſat.*

431 *Et quæ dicatur hujuſmodi ignorantia.*

432 *Opinionem ſequens errantis Magiſtri in ſpectantibus ad fidem & bonos mores ex ſimplicitate, & juris ignorantia, non excuſatur.*

433 *Opinionem probabilem non reddit ſola authoritas unius Doctoris, ſi in contrarium ſit communis opinio.*
Niſi ille Doctor ita ſolveret argumenta contraria, & confirmaret ſua, ut ſuam redderet aut certam, aut longè probabiliorem, n. 438.

434 *Vox communis præfertur dictis paucorum.*
Rarò benè loquitur, qui contra omnes loquitur, ibid.

435 *Opinio communis non dicitur, quæ plures Doctores habet eam ſequentes perfunctoriè.*

436 *Opinionem probabilem non facit multitudo Doctorum, ſi eam non confirment optimis rationibus.*

437 *Opinio probabilis communiter cenſetur, ſi ſit approbata à ſex Doctoribus claſſicis rem ex profeſſo tractantibus, quàm ſi à quinquaginta ſola ferè authoritate priorum ductis.*

439 *Opinioni, quæ melioribus rationibus fulcitur, juſtius & æquius eſt inhærere, licèt Imperator ſit in opinione contraria.*

440 *Verbo credendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum.*

441 *Ab opinione communi recedere non licet, niſi habenti pro ſe rationem certam & convincentem.*

442 *Opinionem probabilem non facit authoritas unius Doctoris, quando in contrarium ſunt plures æqualis, vel majoris ponderis.*

443 *Niſi opinio paucorum eſſet validioribus rationibus munita.*

444 *Opinionem unius, vel alterius, aut etiam plurium Doctorum ſequi non licet, quando in contrarium ſunt totidē DD. æqualis ponderis, & rationes utrimque pares.*

445 *Idem ſi pro una parte ſint Doctores numero plures, & pro contraria graviores.*
Secus ſi Doctores utrimque ſint pares numero, ſed graviores pro una parte, n. 447.

446 *Dignitas perſonarum compenſatur cum numero.*

448 *Opinionem probabilem reddit authoritas unius gravis Doctoris, ſi pro contraria nullus occurrat Doctor, & rationes utrimque ſint æquales.*

449 *Probationes cùm utrimque ſunt æquales, quælibet minima præſumptio pro una parte facit eam prævalere.*

NE *innitaris*. Conſtitutiones decretorum ſingularibus ſunt opinionibus præferendæ. Hoc dicit ſecundùm 1
Jo. Andr. Butr. Card. Imol. Anchar. Abb. & alios communiter; vel ſecundùm Aret. In judicando non debet quis ſequi ſenſum proprium, ſed regulas Patrum, ſive Conſtitutiones; vel generaliùs: In quocumque negotio debent magis ſervari Conſtitutiones, quàm ſenſus proprius. Sunt duæ partes. Prima ponit verba Salomonis *Proverb.* 3. Secunda expoſitionem Hieronymi, ibi, *Prudentiæ tuæ*.

Nota primò ſecundùm Anton. Butr. ſignificatum horum verborum: *Non facias ſecundùm prudentiam tuam*. Intelli- 2
guntur enim de prudentia à jure non informata. Unde gloſ. 3. Hoſtien. Jo. Andr. Imol. & Abb. interpretantur verba, *Prudentiæ tuæ*, id eſt, in malo, ut in *c. Sciendum* 8. *q.* 1. Exemplificant Abb. Antiq. & Jo. Andr. ſi alicui dicatur: Non debes hoc facere, quia contra jus eſt; & reſpondeat ille: Non curo, quia mihi videtur ita fieri debere: hic proprium ſenſum præponit Patrum conſtitutis; contra quem Auguſtinus in *lib.* 50. *homiliarum*, *homilia* 28. *Vis videre*, inquit, *quid ſit homo? omnis homo mendax. Homo ergo ſi vult eſſe aliquid boni, non ſit de ſuo: ſi de ſuo eſſe voluerit, mendax erit: ſi verax eſſe voluerit, de Deo, non de ſuo erit*. Et in lib. de vera innoc. cap. 311. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum; ſi quid autem habet homo veritatis & juſtitiæ, ex illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrigati, non deficiamus in via*.

Secundò nota, ex illis verbis, *Quæ ſibi agenda, vel dicenda videntur*, ex dictis, vel factis cognoſci hominis ſapien- 3
tiam, vel ſtultitiam. Ad hoc *leg. Quidam in ſuo, ff. de condit. inſtit.* ut hic per Butr. in 3. *notab.* Magis tamen in hoc ſpectanda ſunt facta, quàm verba, *l. Si tamen*, §. *Ei qui*, *ff. de ædil. edict. l. De quibus, in fin. ff. de legib. c. Dilecti, in-* 4
fra, de appellat. cum concordant. de quibus ibi plenè per gloſ. in *ver. Facto provocare*.

Tertiò nota, ſtandum eſſe dictis SS. Patrum. Intellige ſecundùm Innocent. & Compoſtell. ſi ſint ab Eccleſia re- 5
cepta; & qui dicit, quod ipſi dicunt, non poteſt de temeritate

ritate redargui, niſi ab ipſiſmet fuerint retractata, ſicut Au-
guſtinus multa de dictis ſuis retractavit; vel niſi ſint per Ec-
cleſiam correcta. *c.1.16.diſt.* Et cum Innoc. & Compoſtell.
transeunt hic Hoſtien. Jo.Andr.Butr.Card. Imol. & reliqui
6 omnes. Unde patet erroneum eſſe, quod Abb. dixit *n.3.verſ.*
Ultimo quæritur, videlicet dictum unius Sancti adjutum
authoritate novi, vel veteris teſtamenti, prævalere Papæ
interpretationi. Et quod dixi in *c.ſignificaſti*, *n.* 3. *de elect.*
in concernentibus fidem, etiam dictum unius privati præ-
ferendum eſſe dicto Papæ, ſi ille moveretur melioribus ra-
tionibus & authoritatibus novi & veteris teſtamenti. Imò
7 enim in dubiis doctrina Eccleſiæ Romanæ, quæ principali-
ter eſt in Papa, eſt regula fidei, *cap.Omnes*, 22.*diſt.c.Quis,*
*in fin.*11.*diſt.c.*1.*& ſeq.* 12. *diſt.* & ad ipſum pertinet hujuſ-
modi dubia determinare, *c.Multis*, 17.*diſt.c.Hæc eſt fides,*
*cap.Et eſt aliud,cap.Quoties,& per totam,*24.*q.*1.*cap.Majo-*
res,infr.de Baptiſ.& docet S.Thom.2.2.*qu.*1. *art.* 10. Unde
meritò hanc Abbatis doctrinam confutat Sylveſt.in *ver. O-*
8 *pinio n.2.in fin.verſ.Quod autem dicit Panorm.* Nec obſtat,
quòd authoritas Hieronymi prævaluerit ſententiæ Conci-
lii, ut in *c.Tria*, 36.*q.*2. Nam ut notat gloſ. & Turrecrem.
in *cap.Placuit*, *ead. cauſ. & qu.* hoc provenit, quia dictum
Hieronymi non ſolùm fundatur & roboratur veritate vete-
ris teſtamenti, ſed etiam innititur authoritati Meldenſis
Concilii. In philoſophicis verò, quæ ad fidem non ſpectant,
9 dicta SS.Patrum non ſunt majoris authoritatis, quàm dicta
Philoſophorum, quos ſequuntur, ut per D. Thom. in 2.
*ſentent.diſt.*14.*art.*2.*in corp.& in reſponſ.ad* 1.
10 Ultimò nota, Judicem non debere judicare ſecundùm
propriam opinionem, ſed ſecundùm decreta Patrum, &
aliorum habentium poteſtatem legis condendæ. Concor-
dat text. in *c.*1.*ſup.eod.* ibi: *Et nemo in actionibus, vel ju-*
diciis Eccleſiaſticis, ſuo ſenſu, vel eorum authoritate ducatur.
11 Nam, ut inquit hìc Bald. *n.* 2. erronea eſt conſcientia pro-
pria & ſingularis, quæ eſt potiùs quædam ſuperſtitio, *leg.*
12 *Quæ ſub conditione*, *ff. de condit. inſtitut.* Unde Anton. de
Butr.Joan.de Imol. & Alex. de Nævo dicunt, hunc textum
eſſe allegabilem contra captioſos, qui plus de ſe præſumunt,
quàm ſit in rei veritate, & volunt omnes opiniones ſuas
aliis prævalere.
13 QUÆRO generaliter, utrum in omni materia ſequi li-
ceat quamcumque opinionem probabilem?
14 Præſens diſputatio, ſeu potiùs tractatus de opinione
probabili, dividitur in quinque partes principales. In pri-
ma *num.* 13. proponitur quæſtio generalis ut ſuprà, videli-
cet: Utrum in omni materia ſequi liceat quamcumque
opinionem probabilem. Et *n.* 15. diſcutitur, quid tenen-
dum in materia ad fidem aut mores non pertinente: Et
n. 19. quid in articulis ab Eccleſia diffinitis. Et *num.* 23.
quid in materia morum; & ponitur origo & progreſſus
doctrinæ de libera electione opinionis probabilis. Et à
*n.*25. uſque ad *n.* 44. recenſentur Authores probabilitatum
& eorum variæ opiniones. In ſecunda parte principali à
*n.*44. uſque ad *n.* 121. ponitur prima quæſtio: An in
moralibus ſequi liceat opinionem probabilem ſecundùm
ſe, præſcindendo à quacumque probabilitate opinionis
oppoſitæ. Et à *d.n.* 44. uſque ad *n.* 59. ponuntur undecim
argumenta pro opinione affirmativa. Et à *n.* 59. uſque ad
*nu.*98. ponuntur viginti ſex argumenta pro opinione nega-
tiva. Et à *n.* 98. uſque ad *n.* 111. explicatur, quomodo in-
telligendum ſit illud principium, quòd in moralibus ſuf-
ficiat certitudo ex probabilibus. Et à *n.* 111. uſque ad *n.*
121. ſolvuntur argumenta contraria. In tertia parte prin-
cipali à *n.* 121. uſque ad *n.* 253. ponitur ſecunda quæſtio:
An ex duabus opinionibus oppoſitis æquè probabilibus li-
berum ſit cuilibet ſequi utramque, vel alteram quam ma-
luerit. Et *d.n.* 121. ponuntur argumenta pro opinione
affirmativa. Et à *n.* 123. uſque ad *n.* 252. ponuntur ſex fun-
damenta principalia pro opinione negativa. Et à *nu.* 125.
uſque ad *n.*171. ponitur prima concluſio, quòd is, qui ju-
dicat duas opiniones oppoſitas eſſe æqualiter probabiles,
non eſt moraliter certus, ſed dubius. Et hæc concluſio
probatur ſeptemdecim argumentis. Et à *nu.* 171. uſque
ad *num.* 229. ponitur ſecunda concluſio, quòd is, qui du-
bius eſt, in moralibus tenetur ſequi partem tutiorem. Et
à *n.* 172. uſque ad *n.* 191. ſolvitur prima objectio, quòd ſe-
qui partem tutiorem non ſit in præcepto. Et à *n.* 191. uſque
ad *n.*211. oſtenditur, in moralibus, & in foro conſcientiæ,
non habere locum regulam juris, quòd in pari cauſa melior
ſit conditio poſſidentis. Et à *n.* 212. uſque ad *n.*218. ſolvitur
ſecunda objectio, quòd regula de tutiori parte in dubio
eligenda non habeat locum in dubio juris. Et *num.*218. ſol-
vitur tertia objectio, quòd non habeat locum in dubio ju-
ris ſpeculativo. Et *nu.* 220. ſolvitur quarta objectio, quòd
procedat tantùm in materia irregularitatis. Et *n.*225. ſolvi-
tur quinta objectio de opinione probabiliori. Et à *num.*229.
uſque ad *n.*242. ponitur tertia concluſio, quòd, ubi non con-
ſtat, quæ opinio ſit tutior, ſervandæ ſunt regulæ à jure præ-
ſcriptæ. Et à *n.*242. uſque ad *n.* 252. ponuntur alia quinque
fundamenta principalia pro eadem opinione negativa. Et
num. 252. ſolvuntur contraria. In quarta parte principali à
*nu.*253. uſque ad *n.* 403. ponitur tertia quæſtio: An ſequi li-
ceat opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relicta
probabiliori, ac tutiori. Et *n.*254. & 255. ponuntur ſeptem
argumenta pro parte affirmativa. Et à *n.*256. uſque ad *n.*402.
ponuntur quadraginta duo fundamenta pro parte negativa
Et à *n.* 292. uſque ad *n.* 340. ponuntur duodecim abſurda,
quibus oſtenditur, quàm ſit pernicioſa Chriſtianæ Reipu-
blicæ & ſaluti animarum hæc doctrina de libera electione
opinionis probabilis. Et à *n.*335. uſque ad *n.*340. recenſentur
quamplurimæ opiniones modernorum Theologorum,
quas dicunt eſſe probabiles, cùm tamen non ſint tolerandæ.
Et à *n.*340. uſque ad *nu.* 392. referuntur & expenduntur Au-
thores antiqui & moderni pro hac ſententia negativa. Et à
n. 392. uſque ad *n.* 402. ſolvuntur argumenta contraria. Et
d.n. 402. ponitur epilogus præcedentium quæſtionum, &
praxis ſervanda in opinione deligenda cum ſecuritate con-
ſcientiæ. In quinta & ultima parte principali à *n.*403. uſque
in finem ponitur quarta queſtio: An authoritas unius Do-
ctoris reddat opinionem probabilem; & abſolvitur per octo
concluſiones.

Pro clariori ſolutione hujus graviſſimæ, ac perdifficilis 15
quæſtionis, duo membra principalia ſunt diſtinguenda. Pri-
mum eſt, cùm verſamur in materia, quæ ad fidem, aut mo-
res non pertinet. Et tunc abſolutum eſt licere unicuique
eligere opinionem etiam minùs probabilem, ut declarat
S. Thom. *quodlib.* 3. *art.* 10. dicens hoc caſu habere locum,
quod Apoſtolus dicit ad *Roman.*14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu*
abundet. Et ſequitur Sylveſter in *Summ.in ver. Opinio n.* 1.
Ideòque in quæſtionibus Scholaſticorum, De numero An-
gelorum, De loco Paradiſi terreſtris, De tempore Judicii fi-
nalis, Si Adam non peccaſſet, utrum Chriſtus incarnatus
fuiſſet, An major ſit numerus electorum, an reproborum,
& his ſimilibus, poteſt quilibet ex probabilibus opinionibus
eligere quam maluerit, licèt minùs probabilem. Et propte-
rea in *c.Cùm Marthæ*, §.*Quæſiviſti*, *de celebr.Miſſar.* quam-
vis inter varias Scholaſticorum ſententias illa probabilior
judicetur, quæ aſſerit in conſecratione Calicis aquam cum
vino in ſanguinem tranſmutari: tamen dicitur non eſſe in-
conveniens, ſi aqua in corpore Chriſti eſſe credatur. Et In- 16
nocentius hìc affirmat, ſi Sancti diverſas opiniones inter ſe
habeant, in his, quæ ab Eccleſia non ſunt diffinita, licitum
eſſe cuique quod vult dicere. Et hoc dictum Innocentii ſe-
quitur hìc Hoſtienſis *n.*3. & Bart. in *l.fin.Cod.de pœn.judic.*
qui malè judicat, Oldrad. *conſ.*286.*incipien.In electionis*,*n.*5.
verſ.Licitum erat eis, & Sylveſter in *ver.Opinio n.*2. Exem- 17
plificat Innocentius in Salomone damnato, & in corpore
B.Mariæ aſſumpto. Sed quoad hoc ultimum hodie commu-
nis opinio eſt in contrarium, & meritò, ut dicunt hìc Ho-
ſtien.*n.*3.& Joan.Andr.*n.*5. Unde Baldus *nu.* 14. ait, olim
non fuiſſe hæreticum credere corpus B. Mariæ non eſſe in
Paradiſo, propter varias opiniones Sanctorum Patrum: ho- 18
die verò eſſe proximum hæreſi, quia ſolemniſſimum feſtum
ſit de Aſſumptione Sanctiſſimæ Virginis, cujus corpus &
anima, ut verbis Baldi utar, piè creditur eſſe in Paradiſo
apud pedes Jeſu Chriſti; vel à dextris Chriſti, ut loquar cum
Ugone de S.Victore, Petro Damiano, D.Thom. & Cardi-
nale Bellarmino, ita exponentibus Pſalmum, *Aſtitit Regi-*
na à dextris tuis, *&c.* Cæterùm an, & quando in his, & con-
ſimilibus quæſtionibus ad fidem, aut mores non pertinenti-
bus ſequi liceat opiniones non probabiles, ad rem præſen-
tem non ſpectat, & dixi in *c.*1. *ſup. de Summa Trinitate &*
fide Catholica.

Secundum membrum principale eſt, cùm verſamur in 19
his, quæ ſpectant ad fidem, aut mores; & tunc ſubdiſtingue-
re oportet duos caſus. Primus eſt, cùm articuli ſunt deter-
mina-

minati à lege, aut publicè tenentur ſecundùm Eccleſiæ authoritatem; & habet locum, quod Auguſtinus ait in *lib.* 3. *de Doctrina Chriſtiana; Conſulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & de Eccleſiæ authoritate percepit.* Et quod ait Hieronymus in Parabol. *Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ agenda, vel dicenda videntur, Patrum Decretis præponit,* ut hìc in littera. Ad idem ſunt textus in *c. Si inter 6. quæſt.* 4. & in *c. Summoperè*
20 11. *q.*3. *cum multis concordan.* Unde ſecundùm D. Thom. *d. quodlib.* 3. *art.* 10. qui aſſentit opinioni alicujus Magiſtri, contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publicè tenetur ſecundùm Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari. Itaque ſemper præferri de-
21 bet opinio, quæ habet pro ſe legem, vel probatam conſuetudinem, ut ait Silveſter in *ver. Opinio eodem n.* 2. Et idem eſt, ſi intellectus moveatur ab ipſo objecto, ſive quia ſit per ſeipſum cognitum, ut in primis principiis, quorum eſt intellectus; ſive per aliud, ut patet de concluſionibus, quarum eſt ſcientia, ut idem D. Thomas declarat in 2. 2. *qu.* 1. *art.*4. Sed hic non eſt caſus noſter, quia verſamur in opinio-
22 ne; opinio autem dicitur, cùm intellectus declinat in unam partem contradictionis, cum formidine tamen alterius; nam ſi id fieret cum certitudine, non eſſet opinio, ſed fides, ut per D. Thomam *d. art.* 4. & Silveſtrum *loc. cit.*

23 Secundus caſus eſt, cùm articuli non ſunt à lege determinati, nec publicè tenentur ſecundùm authoritatem Eccleſiæ. Et tunc quæſtio eſt ardua, noſtris temporibus excitata, & valdè periculoſa, An in materia morum ſequi liceat quamcumque opinionem probabilem. Dixi, noſtris temporibus, quia doctrina de libera electione opinionis probabilis in moralibus hoc ſæculo introducta eſt, & quaſi parva ſcintilla in magnum incendium excrevit. Nam illius ſectatores nullum afferunt ex Magiſtris, qui ante centum annos eam tradiderit: non quia Scriptores illorum temporum de tali doctrina non cogitaverint; incredibile enim eſt tot viros illuminatiſſimos, ac acutiſſimi ingenii, qui de humanis actibus, & virtutibus moralibus ex profeſſo diſſeruerunt, vim probabilitatum per tot ſæcula non agnoviſſe; ſed quia cognoverunt judicium probabile non poſſe aſſumi pro regula rectè operandi. Quare hæc doctrina ex hoc ſolo redditur valdè ſuſpecta, quòd ſit nova, & à conſuetudine Eccleſiæ exorbitans, dicente Apoſtolo *ad Hebræos* 13. 9. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*; & Hieronymo *in Epiſtola Apologetica contra Origenem*, quæ eſt 33. *lib.*1. *Cur poſt quadringentos annos nos docere niteris, quod ante neſcivimus? Cur profertur in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Uſque ad hanc diem ſine hac doctrina Mundus Chriſtianus fuit.* Hæc Hieronymus. Ad hoc *c. Quis neſciat* 11. *diſt. c. Quod dilectio in fin. de conſang. & affinit.* & *c. Cùm conſuetudines de conſuet.* ubi Joan. Andr. *num.* 7. Mutationes, inquit, periculoſæ ſunt, ut docet Aphoriſmus; & eſt contra Doctores, qui pernicioſas novitates inveniunt. Confert text. *in l.*1. *in fin. ff. de Senator.* per quem Bald. in *l. ult. n.*9. *ff. De pœn. judic. qui malè judicat*, dicit præſumi imperitiam in eo, qui tenet novas & inſolitas opiniones; & eum ſequitur Andreas Siculus in *Repet. rubr. de fid. inſtrum. col.*7. *verſ. Quot autem modis.* Porrò concors antiquorum ſententia fuit, ad hoc, ut quis rectè & prudenter operetur, neceſſariò requiri, ut habeat certitudinem, ſaltem moralem, de rectitudine & honeſtate operationis, eamque certitudinem nullatenùs reperiri in opinione probabili, quæ fallibilis eſt, & ſe habet ad verum, & falſum; ac proindè vitioſum eſſe illam aſſumere pro regula, & fine humanorum actuum, itaut, cùm primùm pervenerimus ad gradum probabilitatis, illicò ſiſtamus pedem, nec ulteriùs progrediamur: quin potiùs in controverſiis moralibus, in quibus vertitur ſalutis periculum, ſumma ope nobis enitendum eſſe, ut certitudinem, exploſa omni formidine, habeamus, & veritatem aſſequamur. Et hanc theoricam tradiderunt plurimi ex claſſicis, & primariis Magiſtris, quorum verba ad calamum referemus infrà *a nu.* 79. *uſque ad n.* 98.

24 Verùm poſt multa ſæcula irrepſit alia doctrina, videlicet, ad rectitudinem operationis non requiri judicium certò & evidenter dictans actionem licitam eſſe, ſeu honeſtam, ſed ſufficere probabile judicium cum formidine partis oppoſitæ. Et in hac ſententia dicitur fuiſſe Jo. Gerſon Cancellarius Pariſienſis in *tract. de præpar. ad Miſſam conſider.* 3. *Alphab.* 37. *litt. S.* & eam probarunt Gabriel Vaſquez in 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. *diſp.* 62. *c.*5. *n.* 26. Joan. Salas *ibid. quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. unic. ſect.*4. *n.*4. & Thomas Sanchez in *Decal. lib.*1. *c.* 9. *n.*18. Et pluribus tuetur noviſſimè Candidus Philalethus, ſeu potiùs Andreas Blancus è Societate Jeſu de opinionum praxi in prima quæſtione. Et poſito hoc principio recentio- 25
res Theologi ſtatuerunt tres gradus probabilitatis.

Primus gradus eſt, cùm quis in aliquo articulo, ſeu controverſia morali, agnoſcit unam opinionem eſſe probabilem, nempè illam, quæ affirmat actum eſſe licitum, & ſubeſt peccati periculo; nec ulteriùs inquirit, an opinio contraria ſit æquè probabilis, aut probabilior; poteſt tuta conſcientia opinionem illam probabilem ſequi. Et in hoc primo gradu conveniunt Theologi noſtri temporis ferè omnes. Sed ab hoc primo gradu probabilitatis noſtro ſæculo factus eſt tranſitus ad ſecundum multò laxiorem, & gravioribus difficultatibus & periculis involutum; videlicet, cùm in aliqua morali controverſia duæ ſunt opiniones oppoſitæ æquè probabiles, vel quaſi, liberum eſt unicuique amplecti alterutram, quam maluerit, etiam poſthabita opinione tutiori, & ſpecificante actum pro illicito.

Et quia abyſſus abyſſum invocat, ab hoc ſecundo probabilitatis gradu Scholaſtici noſtri ſæculi proceſſerunt ad tertium, diſſeminantes doctrinam novam, & anteactis ſæculis inauditam; nempè cùm in aliqua quæſtione de moribus duæ ſunt opiniones contrariæ, quarum una eſt probabilis, & minùs tuta, quia affirmat actum eſſe licitum, & ideò ſubeſt peccati periculo; altera verò eſt probabilior, ac tutior, quia affirmat, & ſpecificat actum pro illicito; integrum eſt cuilibet amplecti oninionem minùs probabilem, & minùs tutam, poſtpoſita opinione probabiliori, ac tutiori. Et hujus ſententiæ Authores ſunt Medina, qui pri- 26
mus videtur ſcripſiſſe in defenſionem probabilitatum, in *c.*2. *qu.*19. *art.*6. *dub. penult.* Vaſquez, Suarez, Gregorius de Valentia, Azorius, Ledeſma, & alii ad numerum ſeptemdecim, quos refert & ſequitur Sanchez in *Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 9. *num.* 4. Idque hoc tempore receptum eſſe teſtatur Petrus de Lorca in 1. 2. *tom.* 1. *de actibus humanis diſp.* 39. *memb.* 1. Quinimò ita tenere omninò ferè omnes Scho- 27
laſticos affirmat noviſſimè Ludovicus à Cruce *ſuper Bulla Cruciatæ in tract. de opinione probabili dub.* 1. *num.* 6. & hoc procedere non ſolùm in materia juſtitiæ, ſed etiam in alia quacumque, ſcripſerunt Vaſquez in 1. 2.. 19. *art.* 6. *diſp.* 63. *num.* 1. *in princ.* & Sanchez *d. c.* 9. *num.* 22.

Mirum autem eſt, quàm longè latèque hos gradus po- 28
ſteà dilataverint. Nam in ſpecie diſſerunt licere uti hac doctrina tam Lectoribus, & Magiſtris in Scholis, ut Salas in 1. 2. *diſp. unic. ſect.*6. *n.* 69. & Sanchez *ubi ſuprà num.* 26. quàm Advocatis, quos poſſe patrocinari ſecundùm opi- 29
nionem probabilem, omiſſa probabiliori, etiam in cauſa ſanguinis, vel civili omnium bonorum, tradiderunt Villalob. in *Sum. tom.*1. *tract.*1. *diff.* 14. *num.*5. Turrian. *in* 2. 2. *tom.*2. *qu.*71. *art.*3. Lorca in *par.*2. *tom.*1. *diſp.*39. *membr.*2. Vaſquez in 1. 2. *diſp.*19. *art.* 6. *& diſp.*64. *c.* 1. *nu.*3. & alii, quos refert, & ſequitur Sanchez in *Decal. lib.*1. *d. c.*9. *n.*53.

Idipſum de Conſiliariis, & Conſultoribus animarum 30
cenſuerunt Vaſquez in 1. 2. *diſp.*62. *c.*9. *num.*47. & Salas in 1. 2. *tract.*8. *diſp. unic. ſect.*9. *n.*85. Imò Sanchez *d. c.*9. *num.* 20. dicit poſſe Conſultores animarum modò juxta unam, modò juxta aliam opinionem conſulere, & quandoque prudenter facere minùs probabilem, & minùs tutam opinionem conſulendo, quando judicant probabiliorem difficilem fore pœnitenti, vel conſilium petenti; & citat in eamdem ſententiam Vaſquez *d. diſp.*62. *c.*9. *num.*67. Addit Sanchez *d. c.* 9. *nu.* 29. in conſcientia tutum eſſe illum, qui propoſitum habet varios Doctores conſulendi, donec aliquem juxta deſiderium ſuum reſpondentem inveniat.

Judicem quoque ſequi poſſe opinionem probabilem 31
etiam contra communem, & probabiliorem, tenet Ledeſma, aſſerens hanc eſſe ſententiam multorum noſtræ ætatis, *tom.*2. *tract.*8. *c.* 22. *poſt* 11. *diffinit.* & alii apud Sanchez *in præalleg. c.*9. *n.*46. qui hanc opinionem dicit probabilem, & ſequuntur ſex alii diligenter conquiſiti ab Antonino Diana, ut ipſe ait in *tract.* 13. *reſol. moral. reſol.* 3. ubi propterea poſt multos refert liberum eſſe judici ex duabus opinionibus probabilibus, quam maluerit eligere, & ſecundùm eam judicare pro amico; imò ſecluſo ſcandalo, nunc ſecundùm unam, nunc ſecundùm aliam, etiam omiſſa probabilio-

liori, & communiori, nec teneri in ſyndicatu, & exemplificat in decem caſibus congeſtis à Joanne Sancio *in practica diſp.* 44. *n.* 72. *in fin.* & allegat Jo. Valerium cum aliis ab eo relatis in differentiis utriuſque fori *in ver. Opinio differ.* 3. *n.*
32 1. & idem tenet Sanchez ubi ſuprà *n.* 45. ſi utraque opinio ſit probabilis. Sunt etiam qui opinantur, quotieſcumque Judex fert ſententiam ſecundùm opinionem etiam minùs probabilem; non eſſe licitum reo, qui habet pro ſe probabiliorem opinionem, appellare, ut apud eundem Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 104.

33 Similiter & Medicum, quamvis probabilius judicet medicinam fore noxiam ægroto, tamen ſi contrarium quoque putet probabile, dixerunt poſſe illam abſque peccato propinare; idque non ſolùm ſi aliud certum remedium non ſuppetat, & ſalus ægri ſit deſperata, ut Gregorius de Valentia in 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 10. *punct.* 2. *col. ult.* paulò ante, *verſ. Altero modo*, ubi ait, hoc caſu eſſe intelligendum, quod fertur ex Galeno, Interfice audacter, & Sanchez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *d. cap.* 9. *num.* 39. addens in fine hoc caſu Medicum non ſolùm poſſe, ſed teneri medicamentum hoc minùs tutum, & periculoſum adhibere: verùm etiamſi præſto ſit aliud certum medicamentum, ut tenet Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *Inſtit. moral. c.* 17. *q.* 11. Aragon. in 2. 2. *q.* 64. *art.* 4. *dub. penult.* Salas in 1. 2. *q.* 2. *art.* 8. *diſp. unic. ſect.* 15. *nu.* 158. quos refert, licèt non ſequatur, Sanchez *loco proximè cit. n.* 41.

34 Sed & Regem poſſe bellum gerere, ſi utrinque ſint opiniones probabiles, & probabilitas verſetur circa jus, pluribus nititur probare Jo. Sancius *in pract. diſp.* 44. *n.* 58.

35 Quinimò propoſitam doctrinam putarunt multi habere locum etiam in eſſentialibus Sacramentorum, & illorum adminiſtratione; adeò ut in ordine ad Deum, & virtutem
36 Religionis, vel reverentiam debitam Sacramento, tradiderint in Sacramentis omnibus fas eſſe uti opinione probabili, & minùs tuta; ac propterea licere Sacerdoti conſecrare etiam in materia incerta, eò quòd probabile à nonnullis id reputetur, tametſi contrarium ſit probabilius, & Miniſter ſe exponat periculo faciendi irritum Sacramentum, ut inter alios cenſet Petrus de Lorca *in p.* 2. *de actib. hum. diſp.* 39. *memb.* 2. Nec diſſentit Sanch. *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *d. c.* 9. *n.* 33. ait enim, probabilius eſſe in Sacramentorum adminiſtratione licere uti opinione minùs probabili, relicta probabiliori, ac tuta, non obſtante irritandi Sacramenti periculo, dummodò non ſit contra communem Eccleſiæ conſuetudinem, aut contra obligationem charitatis erga proximum, ut explicat *n.* 33. adducens pro eadem ſententia Vaſquez, Salon. Salas, & Sayr.

37 Amplius ſcripſerunt aliqui, Sacerdotem teneri in Sacramento Pœnitentiæ ſequi pœnitentis opinionem, etiamſi pœnitens eligat minus probabilem, & minus tutam, & denegantem ex hoc capite abſolutionem, mortaliter peccare, ut Sanchez in ſæpiùs citat. *c.* 9. *n.* 27. *&* 29. & Jo. Sancius in
38 *Selectis diſp.* 33. *n.* 54. quamvis credat pœnitentis opinionem eſſe falſam, ut dicemus infra *in* 3. *qu.* 32. *fundamento n.* 305.

39 Quid plura? non dubitarunt aliqui affirmare, Sacerdoti eligenti opinionem minus probabilem circa ſuam juriſdictionem, poſthabita probabiliori, Eccleſiam aſſiſtere, ac juriſdictionem tribuere ad abſolvendum ſacramentaliter, licèt Sacerdos verè juriſdictionem non habeat, eò quòd ex electione illius opinionis oriatur titulus putativus cum communi errore tribuente juriſdictionem, ad præſcriptum *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* adeò ut Ludovicus à Cruce *in ſuis diſputationibus moralibus ſuper Bulla Cruciata in tit. de opin. probab. dub. ult.* glorietur ſe, dum eſſet Compluti, ſuaſiſſe hanc opinionem Patri Suarez, qui in eam uſque diem ſenſerat non licere in Sacramento Pœnitentiæ uti juriſdictione probabili; eumque poſteà illam typis mandaſſe 4. *tom. de Pœnit. diſput.* 26. *ſect.* 6. *num.* 7. Quam tamen opinionem Suarez dicit tantùm eſſe probabilem, non autem ſequitur: ſed multi alii ſequuti ſunt, nempè Villalob. *in Summ. tom.* 1. *tract.* 1. *dub.* 13. *nu.* 5. Leſſius *lib.* 2. *de juſtitia, & jure c.* 29. *dub.* 8. *n.* 68. Sanchez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *d. cap.* 9. *num.* 35. *& de matrim. lib.* 3. *diſp.* 22. *num. ult.* & alii apud Dianam *reſol. moral. tract.* 13. *reſol.* 2. *verſ. Et tandem*, ubi proptereà infert non peccare Sacerdotem non approbatum, qui præſente approbato abſolvit pœnitentem in articulo mortis conſtitutum: nec Parochum audientem confeſſiones ſibi non ſubditi, in alia Diœceſi abſque approbatione Ordinarii ejuſdem Diœceſis: item nec Sacerdotem, qui ex opinione probabili abſolvit à reſervatis.

Nec deſunt, qui putant licere ſequi opinionem minùs 40
probabilem, & minùs tutam in Sacramento Pœnitentiæ, etiam in mortis articulo, ut contra Sanchez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 6. firmat Jo. Sancius *in Selectis diſp.* 19. *n.* 8.

Ex quibus vides, quàm largè propalata ſit hæc doctrina 41
probabilitatum in perniciem animarum. Et nihilominùs illius defenſores paſſim conclamant, eam eſſe valdè utilem, ac proficuam Chriſtianæ Reipublicæ, & quaſi antidotum ſaluberrimum conſcientiis fidelium curandis; audivimus enim nonnullos Theologos affirmare gratulandum eſſe huic ſæculo, quòd inventa ſit via medendi morbis animarum longè uberiori ac feliciori ratione, quàm medeatur corporibus medicina naturalis: quandoquidem Medicus corporis, ſi ægroto egenti remediis calidis applicet frigida, vel è converſo, non minuit vim morbi, ſed auget; at non ſic in Medico ſpirituali animarum, qui poteſt applicare contraria remedia probabilium opinionum, quæ omnia ſint profutura. En tibi exempla. Tenetur pœnitens reſtituere 42
aureos centum: Confeſſor ſuadet, ut ſtatim integrè reſtituat; neque enim eſt capax abſolutionis, qui cùm poſſit totum reſtituere, ſine juſta cauſa vult differre, aut facere reſtitutionem per partes, ſecundùm veram opinionem, de qua per Archid. *in cap. Si res num.* 5. 14. *q.* 6. Joan. Major in 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 26. & Sotum *de juſtitia, & jure lib.* 4. *quæſt.* 7. *art.* 4. poſt D. Thomam in 2. 2. *quæſt.* 62. *artic.* 4. Concilium Senonenſe anno 1542. ibi: *Non abſolvantur, niſi promittant reſtituere bona fide quàm citiſſimè poterunt alienum*, ut in Decretis Eccleſiæ Gallicanæ *lib.* 2. *tit.* 7. *de Pœnitentia cap.* 116. *& cap.* 117. At pœnitens vix ad hanc reſtitutionem inducitur. Quare Medicus ſpiritualis applicat illi contrarium remedium opinionis probabilis, dicens poſſe eum differre, aut per partes reſtituere, ut intereà aliquid inde emolumenti ſibi percipiat, ſi dominus nolit dilationem parùm ſibi noxiam concedere; quod tenet Navarr. *in Manual. cap.* 17. *num.* 63. *verſ. Infertur nonò*. Imò eum poſſe abſolvi, etiamſi abſque ulla juſta cauſa diu differat reſtitutionem, dummodò habeat animum reſtituendi, cenſet Molina *de juſtit. tom.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 153. *num.* 1. quem refert, & ſequitur Diana *reſol. moral. tract.* 17. *num.* 1. *reſol.* 3. ubi ait ſe liberaſſe pœnitentem, qui ſæpiùs confeſſus fuerat ſe animum reſtituendi habere, ſed tamen cum poſſet, nunquam reſtituerat, adjiciens: Notent hanc Deciſionem Confeſſarii, nam multos tollit ſcrupulos maximè in confeſſione Nobilium, qui per multos menſes ſine aliqua juſta cauſa differunt reſtitutionem. Similiter 43
Confeſſor præcipit famulo, ne de cætero ducat concubinam in domum heri, ne præbeat illi occaſionem ruinæ, cùm id nefas ſit ſecundùm opinionem, quæ proculdubio verior, ac tutior eſt, arg. *cap. Nullus*, ibi, *Subintroductam mulierem*, *cap. Præter hoc*, *& cap. Interdixit* 32. *diſtinct. & cap.* 1. *de cohabit. Cleric. & Mulier.* & colligitur ex D. Thoma *in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 4. *& in* 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 1. *ad* 3. & Sylveſtro *in verbo Occaſio*. Sed ægrè hoc præceptum fert famulus, timens, ne ejiciatur à domino. Unde Medicus animarum porrigit illi contrarium medicamentum opinionis, quam tenet Azorius *tom.* 2. *Inſtit. moral. lib.* 12. *cap. ult. quæſt.* 8. id eſt, licere famulo bona intentione deducere concubinam hora certa in domum heri, vel in alium locum, ubi ſcit eam ſolitam cum illo peccare. Quinimò idem de iis, qui lucri cauſa non ſolùm aſſociant, ſed etiam ſella geſtatoria portant meretrices in domum Amaſii, dicit ſe conſultum reſpondiſſe Diana, alios referens *reſol. moral. par.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 11. Utrumque igitur remedium ſecundùm eos liberat pœnitentem à ſcrupulis, affertque illi ſerenitatem conſcientiæ. Hinc Baſſæus *in ver. Conſcientia*, apud Caramuelem *in Theol. Regular. diſp.* 6. *Ex opinionum varietate*, inquit, *jugum Chriſti ſuaviter ſuſtinetur: poſſet namque evenire pleroſque hominum rebelles ſe prodere, ſi ad aliquid determinatè agendum, vel committendum conſtringerentur eo modo, quo tenemur mandata naturalia Dei implere, quòd in illis decretum jam ſit determinatè, & abſque opinionum varietate, quod agere oporteat, vel minùs. Providentia ergo ſuperna cautum eſt, unicam tantùm viam operationum moralium non dari, ſed rectam inveniri*

poſſe actionem, ſive juxta unam, ſive alteram opinionem operentur mortales, ſicuti eſt melius herculè plures eſſe vias Madritum ducentes, quàm ſi unica tantùm reperiretur: nam illam vel nimis latam eſſe oporteret, aut per eam tranſeuntes impediri, & cum moleſtia pergere eſſet opus: hanc non ſolùm moleſtiam inveniendam eſt notum, conſtringendo homines unicam tantùm opinionem in ſuis actionibus, ſive omiſſionibus amplexari; verùm non navaturos operam, & conſequenter peccaturos potiùs, quàm ſibi placitam rem deſinerent, vel à ſibi exoſa abſtinere retraherentur. Huic damno bonitas divina medens diverſa ingenia hominibus contulit, quibus diverſa inter ſe judicia rerum ferrent, & ſe rectè operari arbitrarentur; Deo namque nullum emolumentum accreſcit, quòd quis operetur juxta unam, vel aliam opinionem; ſolùm deſiderat mandatum ſuum non infringi. Cùm igitur juxta opinionem probabilem operans Dei præceptum non infringat, Dei non intereſt quidquam, quòd juxta unam, vel aliam opinionem operatio deducatur. Ita Baſſæus. Et idem Caramuel ubi ſuprà: *Ergo*, inquit, *Eccleſia Catholica felicior debet dici, quòd exuberet ſanctiſſimis & doctiſſimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones, quia damnarentur plurimi, quos ſententiæ probabilitas ſalvat; nec inde Eccleſia infelix, quòd Doctores opinentur paſſim; ſed & inde felicior, quòd benigniùs & faciliùs ſuos poſſit ad lauream empyream promovere.* Idipſum & iiſdem ferè verbis repetit Spinula, *De libera & prudenti electione diſp.* 3. *in fin.* & allegat Henriquez *in proœm. Summæ*.

Ego verò quamvis agnoſcam, quàm durum ſit impetum fluminis ſiſtere, & doctrinam hanc prurientem auribus Principum, & privatorum, ac ferè omnium mentibus infixam convellere: tamen fretus clementia Dei, qui veritatem diu latere non ſinit, in medium afferam, quæ magis conducere videbuntur ad illius manifeſtationem. Et quia ſuperiùs *num.* 25. diſtinxi tres gradus probabilitatis, proſequendo ordinem ibi propoſitum, totam hanc materiam ad mores pertinentem ſubdividam in quatuor principales quæſtiones, ex quarum reſolutione, ni fallor, clarè apparebit, quantum à ſemita veritatis receſſerint Novatores probabilitatum. In prima examinabitur, quid dicendum, ſi in aliqua controverſia morali quis agnoſcat unam tantùm opinionem eſſe probabilem, non reflectendo ad contrariam. In ſecunda, quid ſi agnoſcat duas opiniones oppoſitas eſſe æquè probabiles, vel quaſi. In tertia, quid ſi agnoſcat unam opinionem eſſe probabilem, & alteram probabiliorem. In quarta diſcutietur, an authoritas unius, vel alterius Doctoris reddat opinionem probabilem.

44 QUÆRO igitur primò, an in moralibus ſequi liceat opinionem probabilem ſecundùm ſe, præſcindendo à quacumque probabilitate opinionis oppoſitæ. Quod eſt quærere, an opinio probabilis per ſe ſit regula morum, ſeu an in morali materia licitum ſit opinari.

45 Sententiam affirmativam ſequuntur recentiores Theologi ferè omnes, ut conſtat ex dictis ſuprà *n.* 24. & *n.* 25. nec non Juriſperiti, qui ſcripſerunt non peccare eum, qui agit, conſulit, aut judicat ſecundùm opinionem probabilem, Oldrad. *conſ.* 286. *In electionis, num.* 5. *ver. Sed qui admittunt*, Gemin. *conſ.* 66. *Pro declaratione n.* 6. Et pro ea adducuntur præcipuè fundamenta infraſcripta.

46 Et primò, in actionibus humanis qui eligit quod probabile eſt, non agit temerè, ſed prudenter, *c. Ego ſolis, verſ. Vel probabiles rationes*, 9. *diſt. c.* 1. *de homic. lib.* 6. ibi, *Probabilibus conſtiterit argumentis*, *l. Nam de ætate, ff. de probat. l. Ob carmen*, §. *fin. ff. de teſtib. l. Milites, C. de quæſtion.* cum ſimilibus, & probatur apertiùs *in l.* 4. *Cod. Manda*, *juncta l. Eum quem temerè, ff. de judiciis*.

47 Secundò, ad hoc, ut quis licitè, & honeſtè operetur, ſatis eſt, ut moralem certitudinem habeat de rectitudine & honeſtate operationis: Sed qui ſequitur opinionem probabilem, habet certitudinem hanc moralem de rectitudine & honeſtate ſuæ operationis: Ergo licitè & honeſtè operatur.

48 Major probatur, quia certitudo eſt in triplici differentia, ut notat S. Antoninus *part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. *reg.* 4. & poſt eum Angelus & Sylveſter *in ver. Opinio*, & Card. Paleottus *de Sacri Conſiſtorii conſul. part.* 5. *q.* 13. *verſ. Attamen.* Alia enim eſt ſupernaturalis, id eſt fidei, alia naturalis, alia moralis, ſeu civilis. Quod etiam innuit S. Thomas in 3. *ſent. diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. & *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *art.* 1. Et quidem ad ſupernaturalem certitudinem impoſſibile eſt cuncta referre, quia non omnes articuli ſunt ab Eccleſia diffiniti, *c. Canones*, & ibi gloſſ. *in ver. Eutychen.* Archid. *n.* 7. & Præpoſ. *n.* 11. 15. *diſt. cap. Cum Chriſtus*, & ibi Joan. Andr. *n.* 2. *in fin.* Butr. *n.* 4. Anchar. *n.* 2. & Card. *n.* 3. *infr. de hæret.* Et ſcripſi pleniùs *in cap.* 1. *num.* 51. *ſup. de Summ. Trinit. & Fide Cathol.* Quod etiam patet exemplo legum civilium. Nam etſi leges illæ optimè ſint conſtitutæ ſecundùm Ariſt. 1. *Rethor.* quæ in omnibus, qui incidere poſſunt, caſibus ſancitæ ſunt, quæque quàm pauciſſima reliquerunt iis, qui judicant: tamen omnia lege comprehendi non potuerunt. Quod & ante ipſum docuit Plato *lib.* 9. *de legib.* 49
affirmans, impoſſibile eſſe magna parvaque omnia lege determinare. Itaque neque leges, neque ſenatus-conſulta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, ut & Julianus ait in *l. Neque leges*, & *in l. non poſſunt, ff. de legib.* Similiter ad naturalem certitudinem impoſſibile eſt omnia referre, quia non omnia patent per rei evidentiam; nam teſte Philoſopho *in* 4. *Metaph. cap.* 2. *in princip.* impoſſibile eſt omnium habere demonſtrationem; ideòque, ut idem ait in 2. *Metaph. text.* 16. certitudinem mathematicam non oportet in cunctis quæ- 50
rere, ſed in iis, quæ non habent materiam, id eſt, in mathematicis, quæ abſtrahunt à materia. Neceſſe eſt igitur pleraque referre ad certitudinem civilem, ſeu moralem. 51
Hujuſmodi autem certitudinem non oportet eſſe demonſtrativam, ſeu mathematicam, cùm moralia ſaltem ut in pluribus non ſint demonſtrabilia; unde ſatis eſt, ut ſit talis, qualem requirit moralis materia; nam ut habetur in 1. *Ethic. cap.* 3. diſciplinati eſt in unaquaque re certitudinem requirere juxta exigentiam materiæ; ſimile enim vitium eſt, mathematicum quærere perſuadentem, & moralem demonſtrantem. Et concordat S. Thomas in 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. *in reſp. ad* 1. dum ait: In humanis actibus invenitur aliqua certitudo, non quidem ſicut in demonſtrationibus, ſed ſecundùm quòd convenit tali materiæ.

Minor probatur, quia cùm in moralibus haberi non poſſit omnimoda certitudo per rei evidentiam, ut proximè oſtenſum eſt, ſufficit certitudo ex probabilibus, ſecundùm Philoſ. 1. *Ethic. d. cap.* 3. ubi habetur in morali materia ſatis eſſe, pingui quadam Minerva & adumbrata figuratione verum oſtendere, atque de iis, quæ plerumque eveniunt, ratiocinari, & ex iis ſimilia etiam concludere. Et idem tetigit *in* 2. *Ethic. cap.* 2. & conſonant jura civilia *in l. Non poſſunt, ff. de legib.* & *in l. In obſcuris, ff. de regul. jur.* & notat Nicolaus de Lyra *ſup. cap.* 9. *Sapientiæ*, in hæc verba: *Agibilia humana ſaltem ut in pluribus talia ſunt, ut quoad ea non habeatur demonſtratio, ſea tantùm probabilis ratio, quæ non facit intellectum aſſentire ſimpliciter uni parti, ſed cum formidine alterius:* & ſequuntur S. Antoninus, Angelus, Sylveſter & Paleottus in locis proximè citatis: *Non enim*, inquiunt, *conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis figurantibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus*; & idem Sylveſter *in ver. Opinio ante num.* 2. ubi ait: *Non eſt in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem, & tenet iſte certum ſibi moraliter, cùm in moralibus ſufficiat certitudo ex probabilibus.* Ergo qui opinionem probabilem ſequitur, moralem habet certitudinem de rectitudine & honeſtate ſuæ operationis, & conſequenter rectè & cum virtute operatur.

Tertiò, certitudo nihil eſt aliud, quàm determinatio 52
intellectus ad unum, ut diffinit S. Thomas *in* 3. *ſentent. diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 2. *q.* 3. ſolus autem ille, qui dubius eſt, manet ſuſpenſus, & ad neutrum ſe determinat, ut dicemus infrà *nu.* 151. cum duobus ſequentibus, & *nu.* 158. formido autem, quæ ineſt judicio probabili, non eſt tantæ potentiæ, ut excludat aſſenſum determinatum ad partem oppoſitam; ſed hoc tantùm operatur, ut intellectus per actum reflexum judicet rationes illius partis, cujus aſſenſum habet, non eſſe evidentes, ſeu infallibiles, ſed tantùm probabiles.

Quartò, judicium probabile in actibus humanis ad 53
mores non pertinentibus reputatur ſufficiens ad prudenter agendum; aliàs enim vix quidquam rectè ageretur propter incertitudinem rerum practicarum, & patet ex dictis

ſuprà

ſuprà in primo argumento. Ergo debet etiam in moralibus reputari ſufficiens ad honeſtè operandum, cùm nulla afferri poſſit ſufficiens ratio diverſitatis, vulgata *lege Illud, ff. Ad l. Aquiliam, cum ſimil.*

Quintò, prudentia eſt de non neceſſariis, ut dicitur in 6. *Ethic. c.* 5. & eſt in opinativa parte animæ, & circa objectum contingens aliter ſe habere, ut docet S. Thomas in 1. 2. *q.* 57. *art.*4. *ad* 2. & conſiderat non ſolùm univerſalia,
54 ſed etiam ſingularia, ut idem docuit in 2. 2. *qu.* 47. *art.* 3. Ideòque prudentia hominis non eſt omninò certa propter variabilitatem ſingularium, ut dixit *in eodem art.* 3. *ad* 2. Ergo habere certum & infallibile judicium de omnibus eligibilibus, eſt ſupra humanam facultatem; ac proindè dicendum eſt ſufficere judicium probabile de rectitudine operationis.

55 Sextò, Deus & lex non obligant nos ad impoſſibile, *cap. Erit autem lex.* 4. *diſt. l. Titius*, §. *fin. ff. de excuſ. tutor. l. Quæ ſub conditione*, §. *Quoties*, *ff. de condit. inſtit. cum ſuis concordant.* Sed in moralibus non poſſumus eligere certò ſcita, ut oſtenſum eſt ſupra *num.* 51. Ergo ſatis eſt, ut eligamus probabiliter opinata.

56 Septimò, in ſpeculativis licet abſque periculo erroris & deceptionis opinari, & defendere quaſcumque opiniones, modò illæ ſint probabiles, *cap. In quibus*, 22. *quæſt.* 2. & dictum eſt ſuprà *n.* 15. Ergo & in moralibus idem licet abſque periculo peccati, cùm de ſimilibus idem judicium ſit habendum, *cap. Inter corporalia*, §. *Sicut enim*, *de tranſlat. Epiſcopi.*

57 Octavò, cùm objectum prudentiæ ſit variabile, & contingens aliter ſe habere, ut paulò ſuprà oſtenſum eſt in quinto argumento, neceſſè eſt, ut intellectus, qui à tali objecto movetur, ſit cum formidine, quòd aliter ſe habere poſſit; & conſequenter qui eligit, quod eſt probabile, prudenter agit, quamvis ſit cum formidine partis oppoſitæ.

58 Nonò, ex Canonum præſcripto ille ſolùm tenetur ſequi partem tutiorem, qui verſatur in dubio, nempè quia ſuſpenſus manet, & neutri extremo aſſentitur, *ut cap. Ad audientiam*, ibi, *Cùm in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem*, *c. Significaſti*, ibi, *In hoc dubio*, *& c. Petitio*, ibi, *In hujuſmodi dubio*, *de homicid. cum concord.* de quibus infrà *n.*113. Sed ille, qui adhæret opinioni probabili, non verſatur in dubio, quia non manet ſuſpenſus; imò aſſentitur uni parti contradictionis, licèt cum formidine alterius, ut patet ex diffinitione opinionis, & notat Baldus *in l. Cùm antiquioribus*, *in* 3. *quæſt. n.* 6. *C. de jur. deliber.* Ergo non tenetur ſequi partem tutiorem, & conſequenter poteſt adhærere opinioni ſpecificanti probabiliter actum pro licito, quamvis habeat formidinem partis oppoſitæ, quia non exponit ſe periculo peccati, quæ ſola ratio conſideratur in electione partis tutioris, *ut in d. cap. Significaſti*, ibi, *Pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur*, *c. Si quis poſitus*, *& c. Si quis autem de pœnit. diſt.* 7. Et hanc differentiam inter eum, qui dubius eſt, & eum, qui opinatur probabiliter, & cum formidine, conſtituunt præter alios modernos Petrus de Lorca in 1. 2. *tom.* 1. *de actib. human. diſput.* 39. *membr.* 1. & Suarez *tom.* 5. *de Cenſur. diſp.* 40. *ſect.* 5.

Ultimò, niſi liceret quamcumque opinionem probabilem eligere, peccarent docentes opiniones probabiles pro parte minùs tuta, quia præberent occaſionem, ut qui eorum opinionibus uterentur, errarent, *cap. Error*, & ibi Hugo, Archid. & Præpoſ. *cap. Quid enim prodeſt*, *& c. Conſentire* 83. *diſt. cap. Quod autem* 24. *q.* 3. Eſt autem abſurdum viros doctos & pios condemnare, cùm ſcholæ plenæ ſint probabilibus ſententiis contrariis & diſſentientibus. Integrum enim eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur, *c. Prudentiam*, *de offic. deleg.* & quod à pluribus quæritur ſapientibus, faciliùs invenitur, *c. De quibus*, 10. *diſt.* & per ampliores homines perfectiſſima veritas revelatur, *l. ult. ad fin. c. de fideicomm. & c. Extra conſcientiam* 64. *diſt.* Et confirmatur, quia illa regula morum eſt tuta, quæ ab omnibus Doctoribus comprobatur, *Arg. c. In Canonicis*, *cum gloſſ. in verb. Præponat.* 19. *diſt.* S. Th. in 1. 2. *qu.* 5. *art.* 3. *in tertio argumento contrario.* Sed omnes Doctores in materia morali videntur admittere doctrinam probabilem cum rectitudine conſcientiæ, ut proximè dictum eſt. Ergo probabilis doctrinæ uſus eſt admittendus.

Sed prædictis minimè obſtantibus, adhærendum videtur 59
contrariæ ſententiæ, quæ licèt Authoribus modernis ſit ferè deſtituta, innititur tamen ſapientiæ antiquorum, & fulcitur ſolidiſſimis fundamentis.

Primò enim roboratur authoritate divinæ Scripturæ, 60
Eccleſ. 32. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Ex quo loco expoſitores deſumunt duo eſſe neceſſaria in judicio, quod præcedit imperium prudentiæ, ad hoc, ut opera noſtra ſint recta, & habeant bonitatem moralem. Primum eſt veritas, deſignata per illa verba, *Verbum verax*; ſecundum ſtabilitas, ſeu firmitas rationum, ſignificata per verba ſequentia, *Conſilium ſtabile*, ſecundùm Janſenium. Utrumque autem requiſitum deficit in opinione utcumque probabili. Ergo noſtra opera, quæ opinioni probabili innituntur, nec recta ſunt, nec bonitatem habent moralem.

Minor probatur, quia veritas eſt indubitata rei certitu- 61
do, ut diffinit gloſſ. *in Extravag. Jo. XXII. Sedes Apoſtolica*, *in ver. Veritatem*, *de conceſſ. præbend.* Opinio autem 62
utcumque probabilis indubitatam hanc certitudinem non habet; imò quod opinamur, incertum eſt, ut ex Donato ſcribit *Jo. Calvinus in ver. Opinari*, & habetur *in primo poſter. c.* 26. Item veritas nec fallit, nec fallitur: opinionem verò fallere ſæpè contingit, & falli, quæ ſunt verba text. *in cap. A nobis*, *il* 2. *de ſent. excom.* Item ad veritatem cogni- 63
tam ſe determinat intellectus ſimpliciter, & abſque ulla formidine, & in illa totaliter quieſcit tanquam in ſuo fine, ut patet in 2. *Metaphyſ. text.* 3. opinioni verò & probabilitati intellectus non aſſentitur ſimpliciter, ſed cum formidine partis alterius, ut ait Nicolaus de Lyra, de quo infrà *in ſeptimo fundamento num.*72. & D. Thomas in 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. & Bald. *in l. Cùm antiquioribus*, *in* 3. *quæſt. num.* 6. *C. de jure deliber.* nec quieſcit in illa, ſed fluctuat, ſecundùm Card. Cajet. infrà *alleg. in* 20. *fundamento*; & ubi eſt opinio, ibi eſt vacillatio, inquit S. Bonaventura *in ſent. diſt.* 24. *quæſt.* 24. *verſ. Item opinio*, *ante num.* 33. & probatur clarè *in primo Magnorum moralium cap.* 33. *ante medium*, ubi ſic legitur: *Exiſtimatio eſt, qua in omnibus ferimur ancipites, ea ne ita, an ſecus.* Unde opinionem à veritate meritò contradiſtinxit Innocentius III. *in d. cap. A nobis*, & ibi Canoniſtæ, & Ariſtoteles *in* 6. *Ethic. c.* 3. *in princ.* Igitur in opinione probabili deeſt primum requiſitum veritatis, deeſt etiam ſecundum ſtabilitatis, *quia veritas manet, & invaleſcit in æternum, & vivit, & obtinet in ſæcula ſæ-* 64
culorum, 3. *Eſdræ* 4. 38. *cap. Conſuetudo*, 8. *diſtinct.* opinio 65
verò variabilis & fallibilis eſt, *ut in d. cap. A nobis*, *& in* 6. *Ethic. d. cap.* 3. *&* 5. *& in primo poſter. d. cap.* 26. ubi dicitur opinionem eſſe circa verum, aut falſum, contingens aliter ſe habere. Unde opinio, quæ hodie videtur vera, tractu temporis fortè apparebit falſa, ſicut accidit in pluribus opinionibus, quæ olim reputabantur probabiles, & poſtea detectæ ſunt falſæ. Ad hoc *c. In multis*, *de ætat. & qualit. c. unic. in princ. de Bigam. lib.* 6. *d. l. Cùm antiquioribus*, *C. de jure deliber.* cum multis ſimilibus. Quinimò de pluribus articulis ad fidem pertinentibus, antequam diffinirentur ab Eccleſia, extabant opiniones diverſæ inter ſanctos Patres, & liberum erat unicuique quicquid vellet dicere, ut ait hìc Innocentius, & poſt eum Hoſtienſis *nu.* 3. & alii ſupracitati *n.* 16. Et tamen, poſteaquàm articuli fuerunt ab Eccleſia diffiniti, vel approbati, opiniones illæ apparuerunt falſæ & erroneæ, ut de corpore B. Mariæ in cœlum aſſumpto notat Bald. hìc *n.*14. & de duabus naturis in Chriſto notat Canoniſtæ in *cap. Cùm Chriſtus*, *de hæret.* Declaratio enim Eccleſiæ novum jus non induxit; ſed quod priùs latebat, manifeſtavit, *l. Hæredes palam*, §. *Quod verò*, *& §. Sed et ſi notam*, *ff. de teſtam.* Gemin. *conſ.* 72. *n.* 1. plenè Philippus Probus ad *Monach. in c.* 1. *de privil. lib.* 6. Quare cùm opinio probabilis nec veritatem habeat, nec ſtabilitatem, conſequens eſt, ut opera humana, quæ fundantur in judicio probabili, non ſint recta, & Deo grata, nec habeant bonitatem moralem, cùm contradicant Divinæ Scripturæ, *cap. Quiſquis præceptis*, 14. *q.* 2.

Et confirmatur ex verbis D. Bernardi *in regulam S. Benedicti cap.* 38. ubi propoſita quæſtione, an ſicut peccat qui operatur bonum, quod putat malum, ita mereatur qui operatur malum, quod putat bonum, ſic fatur: *Ego, ut interior oculus verè ſimplex ſit, duo illi eſſe neceſſaria arbitror, charitatem in intentione, & in intellectu veritatem.*

Ex quibus verbis arguitur ſic: Ad rectitudinem conſcientiæ ex D. Bernardo exigitur electio veritatis: Sed qui pro regula morum eligit opinionem probabilem, non eligit veritatem, cùm judicium probabile, ſeu opinativum, indifferenter ſe habeat ad verum, & falſum, ut ſuprà proximè monſtratum eſt; Ergo qui pro regula morum utitur opinione probabili, non agit ſecundùm rectitudinem conſcientiæ. Præterà oculus agentis rectè debet eſſe cautus, ut falli non poſſit, ſecundùm D. Bernardum: Sed eligens opinionem probabilem non eſt cautus, ut falli non poſſit, cùm opinionem fallere ſæpè contingat, & falli, ut in *d. c. A nobis il 2. de ſent. excomm.* Ergo qui pro regula morum utitur opinione probabili, non agit rectè.

66 Secundò. Probatur hæc ſententia authoritate Ariſtotelis *6. Ethic. cap.* 5. ubi diffinit prudentiam eſſe habitum cum ratione vera circa bona humana activum: Opinio autem probabilis non fundatur in ratione vera, ſed fallibili, cùm ſe habeat ad verum, & falſum, *ut primo Magnorum moral. cap.* 33. *& in* 6. *Ethic. cap.* 3. *& in d. cap. A nobis*, & generatur argumentis inevidentibus, & rationibus, quæ non concludunt omninò, ſed perſuadent dumtaxat, ut fatentur ſequaces probabilitatum, inter quos Petrus de Lorca *tom.* 1. *diſp.* 39. *in princip.* & utitur conjecturis groſſis, & figurantibus, ut aſſerunt S. Antoninus, & alii ſupracitati *in ſecundo argumento contrario num.* 51. Hinc præclarè S. Bernardus *de Conſideratione ad Eugenium lib.* 5. *cap.* 2. *Intellectus*, inquit, *rationi innititur, fides authoritati, opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur. Habent illa duo certam veritatem, ſed fides clauſam, & involutam, intelligentia nudam, & manifeſtam; cæterùm opinio certi nihil habens verum per veriſimilia quærit potius, quàm apprehendit. Omnino in his cavenda confuſio, ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixumque eſt fidei, opinio revocet in quæſtionem. Et hoc ſciendum, quia opinio, ſi habet aſſertionem, temeraria eſt; fides, ſi habet hæſitationem, infirma eſt; item intellectus, ſi ſignata fidei tentet irrumpere, reputatur effractor, ſcrutator majeſtatis. Multi ſuam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt. Et quidem opinio poteſt putari intellectus, intellectus autem opinio non poteſt. Unde hoc accidit? Profectò quia hæc falli, & fallere poteſt, ille non poteſt; aut ſi falli potuit, intellectus non fuit, ſed opinio; verus nempè intellectus certam habet non modò veritatem, ſed notitiam veritatis. Poſſumus ſingula hæc ita diffinire; Fides eſt voluntaria quædam, & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis; Intellectus eſt rei cujuſcumque inviſibilis certa & manifeſta notitia; Opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias. Ergo, ut dixi, fides ambiguum non habet, aut ſi habet, fides non eſt, ſed opinio*. Hæc D. Bernardus. Ergo judicium probabile, ſeu opinativum, eſt extra ſphæram prudentiæ, ac proindè qui pro regula ſuorum actuum aſſumit opinionem probabilem, non
67 agit prudenter, nec habet virtutem moralem, cùm prudentia ſit generalis regula humanorum actuum, & completiva omnium virtutum moralium, ut dicitur in 6. *Etich. d. cap.* 5. & docet S. Thomas in 2. 2. *q.* 166. *art.* 2. *ad* 1. *& in* 3. *ſent. diſtinct.* 9. *q.* 1. *art.* 1. *& diſt.* 27. *q.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 2.

68 Tertiò. Probatur ex eod. Ariſt. in 2. *de Anima text.* 152. ubi ait: *Intelligere, in quo eſt rectè quidem prudentia, & ſcientia, & opinio vera; non rectè autem contraria horum;* id eſt, intellectus rectus eſt, qui dirigitur à prudentia, ſcientia, & opinione vera: non rectus verò, qui dirigitur ab eorum contrariis, ut ex mente Alexandri de Ales, & S. Thomæ patebit infrà in 12. *&* 13. *argumento*.

Dixit autem, *opinio vera*, ut excluderet opinionem probabilem, de qua dubium eſt, an vera ſit, vel falſa, cùm ſe habeat indifferenter ad utrumque, ut ex dictis patet. Ergo intellectus, qui dirigitur ab opinione probabili, eſt non rectus, & à ratione virtutis excluditur. Hinc Lactantius Firmianus *lib.* 3. *Inſtitut. cap.* 25. *in princip. Stultiſſimum*, inquit, *eſt præceptis velle parere, quæ utrum vera ſint, an falſa, dubitatur*.

Quartò. Prudentia, quæ virtus eſt intellectualis, habet pro objecto verum, & utitur mediis pro ſe ducentibus ad ipſum, non autem per accidens, quia ut dicitur in 6. *Ethic. c.* 5. eſt habitus cum ratione vera: ergo non poteſt uti principio, quod ſit ſibi cognitum probabiliter tantùm, cùm probabilitas ſe habeat ad verum, & falſum, ut habetur *in* 6. *Ethic. c.* 3. *& in* 1. *Magnor. moral. d. c.* 33.

Quintò, Opinio, ſeu judicium probabile non eſt virtus, 69
nec inter virtutes à Philoſopho connumeratur, ut patet in 1. *Poſterior. c.* 26. *& in* 6. *Ethic. c.* 3. ubi opinio contradiſtinguitur à virtutibus intellectualibus ob eam rationem, quia fieri poteſt, ut in opinionem mentiamur: Item, ut diſſerit Franciſcus Piccolomineus *in Philoſophia morali gradu* 5. *cap.* 54. *Prudentia eſt prima & communis regula omnium actionum, & propterea ſupra ſe aliam regulam non habet; rectus enim cæterarum uſus prudentiæ ſubjicitur: probabile autem habet ſupra ſe probabilius & certitudinem moralem, ac proinde ad prudentiam non pertinet*. Ergo qui in actibus humanis utitur opinione probabili, non agit prudenter, & cum virtute.

Sextò. Ad hoc, ut quis rectè & prudenter operetur, ne- 70
ceſſariò requiritur, ut habeat certitudinem ſaltem moralem de rectitudine & honeſtate operationis, *c. Si quis poſitus, & c. Si quis autem, in fin. de pœnit. diſtinct.* 7. *c. Juvenis, verſ. In his, de ſponſal.* Medina in 1. 2. *qu.* 19. *art.* 5. Suarez *de actibus humanis, diſp.* 2. *ſect.* 2. Salas in 1. 2. *tract.* 8. *ſect.* 4. Leſſius *de juſtitia & jure, cap.* 1. & eſt communis ſententia; imò nonnulli exiſtimant eſſe de fide, propter illud: *Rom.* 14. *Omne quod non eſt fide, peccatum eſt*. Ubi gloſſa dicit, Fides noſtra vult, ut homo agat hoc, quod benè intelligit eſſe agendum; & peccatum eſt, quod aliter fit, quàm probatum eſt. Ad idem *c. Quoniam omne, de præſcript. & §. Ex his* 28. *q.* 1. S. Thomas *in prælleg. loco Apoſtoli, & quodlib.* 8. *art.* 13. Sed qui utitur opinione probabili, non habet hanc moralem certitudinem. Ergo non agit rectè & prudenter.

Minor probatur, quia opinio incerta eſt, cùm ſe habeat 71
ad verum & falſum: nam, ut inquit Ariſtoteles ſæpiùs allegatus *in* 1. *Magnor. moral. cap.* 33. Exiſtimatio eſt, qua in omnibus ferimur ancipites ea ne ita, an ſecus. Quem locum exponens Jo. Calvinus ait, Opinionem eſſe, qua ad utramque partem declinamus, puta ad hoc ita eſſe, & non eſſe. Unde exiſtimatione & opinione fieri poteſt, ut mentiamur, ut dicitur *in* 6. *Ethic. d. cap.* 3. Eamque fallere ſæpè contingit, & falli, *ut in d. c. A nobis, il* 2. *de ſent. excomm.* Item ſemper eſt cum formidine partis oppoſitæ, ut patet ex illius diffinitione; formidans autem, ſe omninò ad unam partem non determinat, ſed fluctuat, & titubat, ut eſt textus *in l. fin.* ibi, *Mente titubanti, & ancipiti animo, C. de condict. indebit.* & oſtenſum eſt ſuprà *num.* 63. & conſequenter moralem certitudinem non habet, cùm certitudo ſit determinatio intellectus ad unum, ut per D. Thomam ſupracitatum *in* 3. *ſent. diſt.* 23. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 3. & apertius *de veritate q.* 14. *art.* 1. ubi ſic fatur: *Quandoque intellectus inclinat magis in unam, quàm in aliam; ſed tamen illud inclinans non ſufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipſum ad unam partem totaliter*. Unde accipit quidem unam partem, tamen ſemper dubitat de oppoſita; & hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.

Et confirmatur, quia dictamen rectæ rationis debet conformari legi æternæ tanquam primæ regulæ, S. Thom. in 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. Sed dictamen cum formidine morali repugnat conformari legi æternæ, quia hæc eſt immutabilis, *diſt.* 5. *in princip. & diſt.* 6. *§. His itaque*: Judicium vero opinativum in ſuo conceptu formali eſt variabile, & fallibile, habetque defectibilitatem moralem, quia ita creditur verum, ut etiam moraliter poſſit eſſe falſum, ut in ſuperioribus monſtratum eſt. Ergo dictamen opinativum moralem certitudinem non habet, & conſequenter non eſt per ſe conforme rectæ rationi.

Septimò, In actibus humanis judicium, quod eſt incer- 72
tum, non poteſt habere moralem certitudinem: ſed judicium probabile propter formidinem, quam intrinſecùs habet infixam, eſt incertum: ergo moralem certitudinem habere non poteſt. Major patet, quia repugnat in humanis actibus aliquid eſſe ſimul certum & incertum, *c. Si quis autem, in extremis verbis de pœnit. diſtinct.* 7. *& d. §. Ex præmiſſis*, 30. *q.* 5. ſicut repugnat, ut quis ſimul ſit ſecurus, & timidus, tutus, & formidans, ſtabilis, & fluctuans. Hæc enim ſunt oppoſita, quæ ſe mutuò deſtruunt, *l. Ubi repugnantia, ff. de regul. jur.* & ibi declarat Cagnol. *n.* 2. Decian. *conſ.* 49. *n.* 11. *lib.* 3. & patet ex Philoſ. *in* 4. *Metaphyſ. c.* 6. *circa medium*.

Minor eſt Nicolai de Lyra in oppoſitum mutilatè relati *in ſecundo argumento contrario ſub num.* 51. nam poſtquam

dixit

dixit probabilem rationem non facere, ut intellectus aſſentiatur uni parti ſimpliciter, ſed cum formidine alterius immediatè ſubjungit: *Et hoc eſt quod dicit: Cogitationes enim mortalium ſunt timidæ; quia ſunt obnoxiæ formidini, & per conſequens ſunt incertæ providentiæ noſtræ, niſi dirigantur dono ſapientiæ divinæ*. Hæc ille. Pondera illa verba, *Et per conſequens*, quæ clarè demonſtrant judicium probabile ex eo, quòd ſit obnoxium formidini, in neceſſariam conſequentiam eſſe timidum, & incertum, & ſic non habere moralem certitudinem requiſitam ad honeſtè operandum. Hinc rectè Breſſerus *de Conſcientia lib. 3. cap. 5. n. 64. Omnis opinio*, inquit, *etiam probabilis, eſt incerta, quatenus incertum eſt abſolutè quod opinamur*. Quinimò opinionem probabilem definiunt aliqui ex modernis eſſe illam, quæ ex rationabili motivo procedit citra certitudinem, ut noviſſimè Honoratus Fabri *de opin. prob. pag. 11.*

73 Octavò. Qui facit actum probabiliter illicitum, diſcrimini ſe committit, & mortaliter peccat, ut eſt text. *in cap. Inquiſitioni de ſent. excommun.* ubi eſt expreſſum mortaliter peccare eum, qui facit actum illicitum ex conſcientia credulitatis probabilis. Et probatur à fortiori *in c. Ad audientiam, in c. Significaſti il 2. & in c. Petitio de homicid.* Sed qui facit actum probabiliter licitum, facit actum probabiliter illicitum, cùm probabilitas ſe habeat indifferenter ad utrumque extremum, ut in 6. *Ethic. c. 3. & 5. & in 1. Magnor. moral. c. 33. & in 1. Poſter. text. 44.* ubi probabile, ſeu opinabile diffinitur eſſe illud, quod ita creditur eſſe, quòd tamen aliter ſe habere poteſt. Ergo qui facit actum probabiliter licitum, committit ſe diſcrimini, & mortaliter peccat. Quo argumento utitur in effectu Card. Cajet. ut patebit infrà in 21. *Fundamento*.

74 Nonò. Si dominus adminiſtrationem, & diſpenſationem bonorum ſuorum committeret ſervo, qui ex imprudentia, vel infidelitate ſolitus eſſet falli, & fallere: utique ab omnibus judicaretur imprudens, ejuſque fatuitati imputaretur, ſi ſervus ſubſtantiam diſſiparet. Et idem eſſet in ægroto, ſi pro cura ſui corporis uteretur opera Medici imperiti, & infidelis; & in navigante, ſi navis regimen committeret nautæ, qui ex imperitia rei nauticæ, vel dolo malo ſolitus eſſet falli, & alios fallere, & quandoque mentiendo navigantes in interitum perducere: Ergo multò magis judicandus eſt imprudens Chriſtianus, qui pro directione, & regula conſcientiæ ſuæ utitur medio opinionis probabilis, quam mentiri, & fallere ſæpè contingit, & falli, ut legitur in ſæpiùs allegato *cap. A nobis il 2. de ſent. excomm. & in 6. Ethic. d. c. 3. in princ.* cùm anima corporis, ac rebus omnibus ſit præponenda, *c. Sedulò 38. diſt. & l. Sancimus, C. de Sacroſ. Eccleſ.*

75 Decimò. Ex ſententia eorum, qui defendunt probabilitates, authoritas unius gravis Doctoris facit opinionem probabilem, *l. Septimo menſe, ff. de ſtat. homin.* ut dicemus infra *in 4. quæſt. princ.* & tamen text. *in l. fin. C. de inſtit. &*
76 *ſubſtitut.* opinionem graviſſimi Juris conſulti Papiniani dubitationem appellat. Ergo opinio utcumque probabilis certitudinem non habet: alioquin textus ille incongruè dubitationem appellaret opinionem tanti Juris conſulti, cujus
77 quanta eſſet authoritas, patet ex edicto Theodoſii inferiùs relato *n. 280.* Et ita illum textum, ad oſtendendum in opinione probabili non adeſſe certitudinem, ponderat Bald. *in l. Cum in antiquioribus in 3. q. n. 6. C. de jur. deliber.* Ad idem text. *in c. Fraternitatis de frigid. & malef.* ubi articulus dicitur dubitabilis non obſtante opinione probabili, ponderando eum, ut dicam infrà in *2. quæſt. principali nu. 14. verſ. Probatur quinto.*

Undecimò. Omnis opinio probabilis ſecundùm Authores contrariæ ſententiæ eſt eligibilis: Sed omnis opinio controverſa eſt probabilis: Ergo omnis opinio controverſa eſt eligibilis. Minor eſt eorundem adverſariorum, quia omnis opinio controverſa habet aliquos Doctores pro ſe. Doctores autem non modò plures, ſed etiam unus ſecundùm eos facit opinionem probabilem, ut dictum eſt in præcedenti argumento; & conſequenter ſi licet ſequi quamcumque opinionem probabilem, licet etiam ſequi quamcumque opinionem controverſam: At abſurdiſſimum eſt Chriſtianos in moralibus, in quibus vertitur ſalutis periculum, poſſe eligere quamcumque opinionem, de qua inter Doctores ſit controverſia; cùm præſertim ex opinionibus controverſis ſemper altera ſit falſa, ut in 4. *Metaph. c. 1. & 6.*

Duodecimo. Et fortiùs, ſi liceret ſequi quamcumque 78
opinionem probabilem, liceret ſequi abſolutè quamcumque opinionem, quia opinabile, & probabile pro eodem accipiuntur, nec poteſt eſſe opinio propriè, niſi ſit probabilis. Quod ſic oſtendo. Omnis opinio eſt aſſenſus intellectus pro una parte contradictionis cum formidine alterius, ut communiter diffiniunt Philoſophi. Non poteſt autem quis uni extremo aſſentiri, niſi ex probabilibus rationibus, quia intellectus movetur ab objecto, nec eſt ei liberum opinari, ſecundùm Ariſtotelem *in 2. de Anima text. 153.* & latiùs explicabitur infrà *in 2. qu. n. 129.* Unde & Bald. *in d. l. Cùm in antiquioribus in 3. quæſt. n. 6. C. de jur. deliber.* dicit opinionem eſſe, quando quis ex probabilibus conjecturis credit id, quod eſt verum, licèt certitudinariè non noverit. De natura igitur opinionis eſt, ut habeat pro ſe rationes moventes intellectum ad aſſentiendum, & conſequenter ſi licet ſequi quamcumque opinionem probabilem, licet etiam ſequi abſolutè quamcumque opinionem. Quid autem abſurdius, quàm inter Catholicos liberam eſſe quamcumque opinionem ſequi pro libito voluntatis? eſſet enim quaſi renovare errorem Protagoræ, qui dicebat opinione omnia conſtare; quem errorem confutat Ariſtoteles in 4. *Metaph. c. 3.*

Decimotertiò. Probatur hæc ſententia ab aliis pluribus abſurdis, & inconvenientibus, quæ ex doctrina de libera electione opinionis probabilis conſequuntur in detrimentum conſcientiarum, ut diffusè patebit infrà *in 3. q. à nu. 293. uſque ad n. 340.*

Decimoquartò. Probatur ex Alexandro de Ales *in Sum.* 79
part. 1. q. 16. de falſit. membr. 2. in reſponſ. ad quæſt. collateralem, ubi ſic ratiocinatur: *Ad ſecundum eſt dicendum, quòd eſt intellectus rectus, & non rectus: rectus eſt, cùm eſt ad quod natus eſt, ſcilicet ad cognoſcendam rem ſecundùm quod eſt. Unde intellectus dicitur ab intus loquendo, quia intuetur, prout ſe habet veritas interiùs; & hoc modo nihil contemplatur intellectus, quod non ſit verum. Intellectus non rectus eſt, cùm incidit in quod natus non eſt; non eſt autem natus, ut judicet per veri apparentiam*. Hæc ille. Sed intellectus, qui judicat ſecundum opinionem probabilem, non intuetur veritatem interiùs, nec cognoſcit rem ſecundùm quod eſt, ſed ſecundùm veri apparentiam, cùm probabilitas indifferenter ſe habeat ad verum, & falſum, ut patet in 6. *Ethic. cap. 3. & in 1. Poſter. cap. 26.* Ergo intellectus judicans ſecundùm opinionem probabilem eſt non rectus, & non rectè judicat.

Decimoquintò. Probatur ex D. Thoma in 2. 2. *quæſt. 51.* 80
art. 2. ad 2. ubi ad modum Alenſis Magiſtri ſui ratiocinatur dicens: *Rectum judicium in hoc conſiſtit, quòd vis cognoſcitiva apprehendit rem aliquam, prout in ſe eſt; quod quidem provenit ex recta diſpoſitione virtutis apprehenſivæ; ſicut in ſpeculo, ſi fuerit benè diſpoſitum, imprimuntur formæ corporum ſecundùm quod ſunt; ſi verò ſpeculum fuerit malè diſpoſitum, apparent ibi imagines diſtortæ, & malè diſpoſitæ.* Hæc S. Thomas. Sed judicium, quod innititur opinioni probabili ex vi cognoſcitiva, non apprehendit rem, prout in ſe eſt, nec ſub ratione veri, cùm res poſſit aliter ſe habere, ut in 1. *Poſter. d. c. 26.* & ſuprà proximè dictum eſt. Ergo judicium, quod innititur probabilitati, ex mente D. Thomæ rectum non eſt, ſed potiùs diſtortum, & malè diſpoſitum.

Decimoſextò. Probatur ex ſimilibus verbis D. Bonaven- 81
turæ *in 2. ſent. diſt. 7. art. 3. q. 1. num. 52.* quæ ſic ſe habent: *Dicendum, quòd deceptio, & error oritur ex deordinatione, ſive deviatione judicii. Judicium autem eſt duplex in quolibet ratiocinato; unum quod eſt cognoſcendorum, quod eſt veri ſub ratione veri; aliud agendorum, quod eſt veri ſub ratione boni.* Hæc ibi. Sed judicium de rectitudine operationis, quod fundatur in opinione probabili, non cognoſcit verum ſub ratione veri, quia opinio poteſt eſſe falſa; nec cognoſcit verum ſub ratione boni, quia operatio, quæ innititur opinioni fallibili, poteſt in ſe eſſe mala. Ergo judicium de rectitudine operationis, quod fundatur in opinione probabili, deviat à recto, & ex mente S. Doctoris deceptionem & errorem inducit.

Decimoſeptimò. Probatur ex Scoto *quodlib. 18. ſub litte-* 82
ra E. ubi ait: *Alia agunt ex cognitione intellectiva, quæ ſola propriè eſt judicativa de tali convenientia. Et talia nata ſunt habere regulam intrinſecam rectitudinis in ſuo actu, & in ſolis iſtis poteſt eſſe actus bonus habens bonita-*

tatem moralem. Ita Scotus. At judicium probabile non habet regulam intrinſecam rectitudinis in ſuo actu, ſed utitur principio fallibili, & indifferenter ſe habente ad rectum, & obliquum, teſte Philoſoph. *in* 1. *Poſter. cap.* 26. *& in* 6. *Ethic. cap.* 3. Ergo in tali judicio non poteſt eſſe actus bonus habens bonitatem moralem.

83 Decimooctavò. Probatur ex eodem Scoto *in collat.* 12. *poſt princip.* cujus hæc ſunt verba: *Intellectus inclinatur in objectum ſuum per modum naturæ: Ergo ſicut natura determinatur ad unum, ita intellectus ad unum objectum præciſè inclinatur. Ergo ſicut natura non quietatur, niſi in illo, ad quod determinatur; ita nec intellectus, quouſque habeat illud, ad quod ſummè, & maximè inclinatur.* Hactenus verba Scoti. Sed intellectus ſummè & maximè inclina-
84 tur ad cognitionem veritatis, quia ut inquit S. Thomas *in princip. Opuſc.* 73. *de Uſuris: Omnis homo natura non degenerans veritatem amat, & eam ſcire ſuper omnia deſiderat*: Ergo quamdiù intellectus non habet id, ad quod inclinatur, ſcilicet veritatem, manet inquietus, & fluctuans, nec præciſè ſe determinat, & per conſequens non habet moralem certitudinem requiſitam ad rectè operandum, cùm certitudo ſit determinatio intellectus ad unum, ut per D. Thomam ſæpiùs citatum *in* 3. *ſent. diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3.

85 Decimononò. Probatur ex Patribus Salmanticenſibus *tom.* 1. *ſup.* 1. 2. *D. Thomæ ad quæſt.* 57. *art.* 5. *num.* 8. ubi ſic diſſerunt: *Quoniam judicium omninò practicum præcedens immediatè imperium prudentiæ eſt actus virtutis intellectualis, nempè ſyneſis, vel gnome, quæ junguntur prudentiæ ad rectè judicandum, eadem ratio eſt de conſilio, quod eſt actus eubuliæ deſervientis ad rectè judicandum. Ergo debet eſſe perpetuò verum, aliàs prædicta virtus non eſſet diſpoſitio ad optimum, nec differret ab opinione, quæ eſt aliquan-*
86 *do ad falſum, ob idque à ratione virtutis excluditur.* Et in eodem articulo *num.* 4. *Sicut ergo virtus intellectualis ſpeculativè in eo conſiſtit, ut intellectus per ſe fallibilis, rebus neceſſariis, & infallibilibus conformetur: ita virtus practica in eo ſita eſt, ut res, ſeu actiones ex ſe contingentes, formæ infallibili, per quam intellectus practicus in eas*
87 *influit, adæquentur.* Et in articulo ejuſdem quæſtionis *nu.* 8. *Judicium ſtrictè ſumptum eſt determinatè de unico medio, & ideo bonitas ejus non conſiſtit in ſola veritate, ſed in eo, quòd ſit firmum, & ſtabile.* Hactenus verba Salmanticenſium. Sed judicium probabile non eſt perpetuò verum, & infallibile, nec habet ſtatum, quia eſt aliquando ad falſum, ut habetur ex Philoſ. in 1. *Poſter. c.* 26. ideòque opiniones plurimæ, quæ olim æſtimabantur probabiles, poſteà apparuerunt falſæ, ut fuſiùs oſtenſum eſt ſupra *in* 1. *argumento*. Ergo judicium probabile ſicut opinio ex mente eorundem Patrum à ratione virtutis excluditur.

88 Vigeſimò. Probatur ex Cardinale Cajetan. *in opuſc. tom.* 1. *tract. ult. reſponſ.* 13. *dub. ult.* ubi hæc ſcribit: *Si applicatio ad opus fluctuat circa rectum, vel obliquum, mors ſcrupulus eſt conſcientiæ, contra quem illicitè agitur, & obliquitas mortalis incurritur*, & infrà: *Hinc enim fit, ut vacillatio conſcientiæ in applicatione deformem reddat actionem, quoniam fit applicatio modo quo non debet; debet enim potentia rationabilis determinari ad unum, ſi rectè exire debet in actum: alioquin diſcrimini exponitur utriuſque oppoſiti, ſi fluctuante illa quis utitur. Fluctuans enim quantum ſapit flu-*
89 *ctuationis, tantum ſapit indeterminationis, ac per hoc indebiti modi operandi.* Hæc Cajetanus. Sed potentia rationabilis, quæ in applicatione ad opus utitur opinione probabili, utique fluctuat, & vacillat circa rectum, vel obliquum, cùm probabilitas ſit cum formidine, & indifferenter ſe habeat ad utrumque extremum. Nam, ut inquit Ariſtoteles aliàs citatus *in* 1. *Magnorum moralium c.* 33. *Exiſtimatio, ſeu opinio eſt, qua in omnibus ferimur ancipites, ea ne ita, an ſecus.* Et ubi eſt opinio, ibi eſt vacillatio, ut inquit S. Bonaventura *ſupracit. nu.* 63. Ergo formido illa, ſeu ſcrupulus eſt mors conſcientiæ, & qui cum tali indeterminatione operatur, ſecundùm Cajetanum exponit ſe diſcrimini, & indebito modo operatur, ideòque deformitatem moralem incurrit.

90 Vigeſimoprimò. Probatur ex eodem Cajetano *in Sum. in ver. Opinionis uſus ad fin.* ubi diſertis verbis aſſerit, judicium practicum ad operandum debere eſſe certum, itaut omnem contrariæ partis formidinem excludat, etiamſi ſecundùm propriam opinionem quis operetur; idque probat efficaciter hoc argumento: *Quando potentia rationabilis ſolum practicè probabiliter judicat aliquid eſſe licitum, judicat etiam probabiliter aliquid eſſe illicitum: At judicans probabiliter aliquid illicitum eſſe, & id faciens peccat, utpotè qui peccandi periculo ſe exponit: Ergo &c.* Et cum Cajetano concordant Jacobus Almaynus *tract. moral. c.* 14. Summa Armill. *in ver. Opinio, n.* 2. Navar. *in c. Si quis autem, n.* 58. *& ſeqq. de pœnit. diſt.* 7.

Vigeſimoſecundò. Probatur ex verbis Gregorii de Valentia *tom.* 2. *diſput.* 2. quæ ſunt hujuſmodi: *Ad rationem virtutis intellectualis pertinet, ut habitus ſecundùm rationem ſuam ſpecificam inclinet determinatè ad verum; quod non convenit opinioni acquiſitæ, etiamſi contingat eſſe veram. Nam etiam tunc conſiderata ſecundùm ſuam ſpeciem, circumſcripta differentia individuali, indifferens eſt ad verum & falſum oſtenſum.*

Vigeſimotertiò. Probatur ex Leonardo Leſſio *de juſtit. & jur. lib.* 1. *de Prudentia dub.* 2. ubi ait: *Opinionem honeſti non eſſe judicium prudentiæ, quia non ita fertur in ſuum objectum, ut non poſſit eſſe falſa, quam ob cauſam non eſt virtus, ut rectè Ariſtoteles in* 6. *Ethic. cap.* 3. *Non obſtat, quòd opinio interdum ſit vera, quia id non habet ex intrinſeco modo tendendi in ſuum objectum, ſed per accidens, & fortuitò; nam ſicut eſt vera, ita poterat eſſe falſa, nulla facta in ea variatione.* Et paulò ante dub. 1. num. 2. *Certa*, inquit, *eſt notitia honeſti & turpis: ita enim prudentia fertur in ſuum objectum, ut ex modo judicandi falli non poſſit circa proprium objectum, quia evidenter cognoſcit eſſe turpe: cujus ſignum eſt, quòd is, qui judicat aliquid eſſe honeſtum, vel utile, de quo dubitat, vel formidat, an in eo peccet, ſit imprudens, & imprudenter judicet, nempè quia judicium prudentiæ debet eſſe certum, excludens omnem rationabilem formidinem.*

Vigeſimoquartò. Probatur, quia opinio probabilis eſſen- 91
tialiter & inſeparabiliter habet annexam formidinem, ut admittunt Authores contrariæ ſententiæ, & probatur *in* 1. *Magnor. moral. c.* 33. *&* 5. *Ethic. c.* 3. *in princ. in ſæpius citato c. A nobis, il* 2. *de ſent. excom. in l. fin. Cod. De inſt. & ſubſt.* & patet ex illius diffinitione, quam communiter tradunt Philoſophi. Opinio enim dicitur aſſenſus intellectus pro una parte contradictionis non omninò firmus & certus, ſed cum formidine alterius, ut per D. Antoninum in 1. *par. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. Sylveſt. *in ver. Opinio, in princ.* Sotus *in* 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. *verſ. Tunc ergo*, Navarr. *in cap. Si quis autem, num.* 11. & ante eos D. Bonaventura *in* 3. *ſentent. diſtinct.* 24. *quæſt.* 24. *verſ. Item opinio, ante n.* 33. *Opinio*, inquit, *eſt acceptio unius partis cum formidine alterius, & ubi eſt opinio, ibi eſt vacillatio.* Et ſe- 92
cundùm Legiſtas *in l. Admonendi, ff. de jurejur.* Opinio eſt credulitas cum aliqua levi dubitatione, & tenet medium inter ſuſpicionem & perfectam probationem, ut ibi per Bart. *num.* 21. *&* 22. Alioquin excluſa formidine non eſſet opinio probabilis, ſed veritas & certitudo, ſeu opinio vera, ut patet *in* 2. *de Anima text.* 152. Nec eſſet ſecundus gradus probationis, ut dicunt Legiſtæ, ſed eſſet perfecta credulitas, ſeu perfecta probatio, ſecundùm Bart. *ubi ſuprà num.* 23. Itaque quiſquis habet opinionem, neceſſariò habet formidinem, quia cui convenit diffinitio, convenit 93
& diffinitum, *l.* 1. *§. Dolum, ff. de dolo*, & notant omnes *in l. Omnis diffinitio, ff. de regul. jur.* Quod cùm ita ſit, inquiro, quid ſit formido illa, quæ intrinſecè ineſt opinioni? Ariſtoteles paulò ſuprà citatus *in* 1. *Magnorum moral. c.* 33. *Exiſtimatio*, inquit, *ſeu opinio eſt, qua in omnibus ferimur ancipites, ea ne ita, an ſecus.* Quare ſecundùm eum formido, quæ ineſt opinioni, eſt paſſio, quæ nos facit ancipites, id eſt, ambiguos & titubantes, an res ita ſe habeat, nec ne, juxta text. *in l. fin. C. De condit. indeb.* Unde in effectu talis formido nihil eſt aliud, quàm dubium poſitivum, & formale, aut ſaltem ſuſpicio quædam, ſeu ſcrupulus, & levis credulitas, ne pars oppoſita ſit vera, ut explicant Theologi, & patebit infrà *num.* 261. hæc enim ſunt ſyno- 94
nyma, & idem importantia: & ſuſpicio illa, ſeu formido tenet medium inter dubitationem, & opinionem; plus enim credulitatis habet, quàm dubitatio, & minus, quàm opinio, cùm ſit credulitas ex levibus conjecturis, ut inquit Sylveſt. *in verb. Opinio, in princ.* & notant Bart. *d. l. Admonendi, n.* 21.

His

95 His poſitis probatur hæc ſententia inevitabili hoc argumento. Quiſquis habet ſuſpicionem, formidinem, ſcrupulum, ſeu levem credulitatem, quòd aliqua actio ſit illicita, non poteſt manente tali formidine abſque peccato operari, & actionem illam ad praxim deducere. Sed qui habet opinionem probabilem affirmantem actum eſſe licitum, neceſſariò habet ſuſpicionem, formidinem, & ſcrupulum, ſeu levem credulitatem de oppoſito, id eſt, quòd ille actus ſit illicitus, ut evidenter oſtenſum eſt ſuprà, & admittitur ab adverſariis. Ergo qui habet talem opinionem probabilem, non poteſt ſecundùm eam licitè operari, & actum illum ad praxim deducere abſque peccato.

96 Major propoſitio probatur per textum rotundum, qui cavillari non poteſt, *in c. Per tuas, il 2. de ſimon.* ubi deciditur eſſe peccatum mortale operari contra conſcientiam ſcrupuloſam, ſeu ex credulitate levi, niſi priùs formido, ſeu error deponatur, ut pleniùs explicabitur infrà *in 2. q. in 6. principali fundamento pro opinione negativa num.* 249. & tradunt Innocen. Joan. Andr. & alii ibi allegati. Ecce igitur ibi textus expreſſus, quòd agens contra conſcientiam ſcrupuloſam, & cum formidine, mortaliter peccat; hoc enim important illa verba, *Ædificat ad gehennam*, ut notat Abbas *in c. Litteras de reſtit. ſpoliat.*

Ad idem eſt textus apertus *in cap. Inquiſitioni de ſentent. excomm.* ubi proponitur dubium, an conjux, qui habet conſcientiam de impedimento dirimente, poſſit reddere, & exigere debitum conjugale. Et diſtinguitur, an talis habeat hujuſmodi conſcientiam ex credulitate probabili, & diſcreta, an verò ex credulitate levi, & temeraria. Et in hoc ultimo caſu textus dicit: Ad Paſtoris ſui conſilium, *conſcientia levis & temerariæ credulitatis exploſa*, licitè poterit non ſolùm reddere, ſed exigere debitum conjugale. Pondera illud verbum, ***Exploſa***, quod clarè innuit, ut qui habet conſcientiam ex credulitate levi, ſeu formidine de nullitate matrimonii propter impedimentum dirimens, minimè poſſit abſque peccato exhibere debitum conjugale, niſi priùs formidinem illam, ſeu levem credulitatem explodat, id eſt, deponat, ſeu abjiciat, & repellat, ut ibi per gloſſ.

97 Et ratio deciſionis eſt, quia ſecundùm Cajetanum ſupracitatum *n.* 88. qui formidat, vacillat, & fluctuat, ad neutram partem ſe determinat: qui autem ſine hac determinatione operatur, certitudinem non habet de honeſtate ſuæ operationis, cùm certitudo nihil ſit aliud, quàm determinatio intellectus ad unum, ut per D. Thom. *ubi ſuprà n.* 52. & ſine hac certitudine exponit ſe diſcrimini, & levis illa credulitas, ſeu ſcrupulus eſt mors conſcientiæ. Patet igitur apertiſſimè, peccare eum, qui operatur cum ſuſpicione, ſeu formidine, quòd actus ſit illicitus, & conſequenter eodem modo peccare eum, qui operatur ſecundùm opinionem probabilem affirmantem actum eſſe licitum, cùm neceſſariò habeat formidinem de oppoſito, id eſt, quòd actus ille ſit illicitus, ut ſuprà proximè oſtenſum eſt.

98 Vigeſimoquintò. Cum juribus ut ſuprà ponderatis concordat S. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. ubi in puncto videtur determinare hanc quæſtionem; nam ſecundùm eum is, qui habet certitudinem, quòd ſibi liceat habere plures præbendas, & ex contraria opinione Magiſtrorum in quamdam dubitationem inducitur, ſi manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccato, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Ibi enim Doctor Angelicus pro dubitatione videtur intelligere non verum dubium, ſed formidinem, quæ aliquo modo certitudinem tollat: ait enim, *Ex conſcientia quem obligari ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione: at cum opinione non ſtat dubitatio vera, & propria, ſed tantùm formido, cùm opinio includat aſſenſum pro una parte contradictionis cum formidine alterius, dubitatio verò excludat aſſenſum ab utroque extremo; nam ut habetur in* 3. *Metaphyſ. c.* 1. *quatenus dubitat, eatenus ſimile quiddam ligatis patitur; utroque enim modo impoſſibile eſt ad ulteriora procedere.* Hæc ibi. Et propterea S. Th. cum myſterio non dixit ſimpliciter, in dubitationem inducitur, ſed, in quamdam dubitationem; innuens per hoc ſe non loqui de dubitatione propriè ſumpta, ſed de formidine, quæ ineſt opinioni: ſed hunc locum latiùs expendemus *infrà n.* 270.

Vigeſimoſextò & ultimò. Pro majori dilucidatione veritatis ante omnia ſupponendum eſt illud principium, tanquam certum, & infallibile, videlicet, in actibus humanis, ad hoc, ut quis rectè, & cum virtute operetur, requiritur, ut habeat certitudinem ſaltem moralem de rectitudine, & honeſtate operationis, ſecundùm illud Auguſtini: *Tene certum, & dimitte incertum, ut in c. Si quis autem in fin. de pœnit. diſt.* 7. Idque apud omnes eſt in confeſſo. Sed defen- 99
ſores probabilitatum enixè contendunt in moralibus ſufficere certitudinem ex probabilibus, idque potiſſimùm deducunt ex Ariſtotele *ſupracit. in* 1. *Eth. cap.* 3. Et ex hoc fundamento apud eos ſolido & inconcuſſo deducunt omnes ſuas concluſiones, videlicet, qui in actibus humanis eligit quod eſt probabile, non agit temerè, ſed prudenter: eligit perfectum, ac tutum: non committit ſe diſcrimini: ſequitur dictamen rationis, & alia plura id genus. Quare vis tota præſentis diſputationis verſatur in intelligentia aſſerti principii, quòd in moralibus ſufficiat certitudo ex probabilibus; nam everſo hoc fundamento totam hanc machinam probabilitatum corruere neceſſe eſt. Et quidem nos credimus in eo magnam latere fallaciam, ſeu æquivocationem. Quod ut pro noſtri ingenii tenuitate, quantum Deus dederit, dilucidè oſtendamus, accuratè obſervandum proponimus, aliud eſſe in moralibus ſufficere certitudinem ex probabilibus, & aliud in moralibus ſufficere certitudinem probabilem. Hæc enim duo differunt, ut cauſa & effectus. Nam primum denotat cauſam, per quam certitudo moralis in nobis generatur, & in eſſe producitur: ſecundum verò denotat effectum, id eſt, ipſam moralem certitudinem in nobis jam generatam, & in eſſe productam. Itaque cùm dicimus, in moralibus ſufficit certitudo, quæ oritur, & generatur in intellectu ex argumentis, & rationibus probabilibus, propoſitio vera eſt, quia plures rationes probabiles ſunt aptæ natæ producere, ac generare in potentia rationabili moralem certitudinem de honeſtate operationis abſque ulla formidine partis oppoſitæ, ſi rationes illæ ſint tanti ponderis, ut efficaciter moveant intellectum ad judicandum rem ita ſe habere, ut probatur *in cap. Ego ſolis, verſ. Alios autem 9. diſtinct.* Et hæc eſt illa certitudo ſurgens ex probabilibus, quæ in morali materia ſufficit ad rectè operandum. Cùm verò dicimus, in moralibus ſufficit certitudo ex probabilibus, ſi intelligamus, id eſt, in moralibus ſufficit certitudo probabilis, propoſitio eſt falſa, quia iſta certitudo probabilis non datur, imò implicat contradictionem, ut ſit certitudo, & ſit probabilis, quia certitudo eſt præciſa determinatio intellectus ad unum, ut in ſuperioribus dictum eſt; probabilitas autem indeterminatè, & indifferenter ſe habet ad rectum, & obliquum. Unde judicium probabile non eſt judicium prudentiæ, cùm non habeat pro objecto verum, & ſub ratione veri; ſed eſt judicium obnoxium formidini, timidum, & incertum, atque indeterminatum, fluctuans, & inſtabile, quod non intuetur veritatem interiùs, nec cognoſcit rem ſecundùm quod eſt, ſed ſecundùm veri apparentiam, & ideò fallit, & fallitur, & à ratione virtutis excluditur, non habens bonitatem moralem, ut ex authoritatibus Sanctorum Patrum, & Magiſtrorum primæ claſſis diffusè oſtenſum eſt ſuprà. Quapropter tantùm abeſt, ut in moralibus ſufficiat certitudo probabilis, ut potiùs opponantur, ac mutuò ſe deſtruant certitudo, & probabilitas. Nec aliud ſenſit Ariſtoteles ex adverſo citatus
in 1. *Ethnic. cap.* 3. ſi ſedulò expendantur illius verba; ait 100
enim: *In morali materia ſatis eſſet, ut verum oſtendatur pingui quadam Minerva, & adumbrata figuratione, atque de iis, quæ plerumque eveniunt, ratiocinari, & ex iis ſimilia etiam concludere.* Quibus verbis tantùm intendit, ut in materia morum non requirantur probationes per rei evidentiam, ſeu demonſtrationem, ſed ſatis ſit verum oſtendere per conjecturas probabiles, arguendo etiam à communiter accidentibus, & à ſimilibus. Quod & nos fatemur. Verùm tamen oportet ſecundùm Ariſtotelem, ut his conjecturis, & argumentis probabilibus oſtendatur verum, & ſic non ſufficit, ut oſtendatur probabile, quod longè diſtat, & contradiſtinguitur à vero, ut pluribus monſtratum eſt ſuprà *in* 1. *fundamento num.* 60. Quare ſi tu probabilibus tuis ratiocinationibus oſtendis opinionem probabilem, non ſatisfacis mentis Ariſtotelis requirentis, ut oſtendas verum, quia loco veri, quod eſt objectum virtutum intellectualium, & eſt immutabile, æternum, & in-

infallibile, atque excludens omnem formidinem, ut ex dictis conſtat; tu oſtendis opinionem probabilem, quæ à ratione virtutis excluditur, & eſt fallibilis, & cum formidine. Unde perperam ex eo loco deducunt defenſores probabilitatum, in moralibus ad rectè & prudenter operandum ſufficere opinionem probabilem; hoc enim nunquam ſomniavit Ariſtoteles, quin potiùs opinionem excluſit, & contradiſtinxit à prudentia, & aliis virtutibus intellectualibus, ea ratione, quia in opinione fieri poteſt, ut mentiamur. Quocirca ex mente ipſius in morali materia uti poſſumus rationibus, & argumentis probabilibus tamquam mediis, & inſtrumentis ad oſtendendum verum, & tanquam cauſis generantibus in nobis moralem certitudinem. Sed tamen illud verum oſtenſum, & certitudo ex probabilibus conſurgens debet eſſe ſine omni formidine partis alterius, cùm veritas, & certitudo formidinem non admittant; ideòque non ſufficit in ſententia Ariſtotelis judicium probabile, quod ſe habet ad verum, & falſum, & de cujus ratione intrinſeca eſt, ut formidinem, & fluctuationem includat. Similiter cùm S. Antoninus, & alii exadverſo citati *num.* 51. dicunt moralem certitudinem conſurgere ex conjecturis probabilibus, groſſis, & figurantibus: hæc verba non important, ut in moralibus ſufficiat certitudo probabilis; ſed tantùm, ut in moralibus ſufficiat illa certitudo, quæ conſurgit, id eſt, naſcitur, ſeu generatur ex hujuſmodi probabilibus conjecturis, & argumentis. Et eodem modo dum leges, & Canones decidunt quæſtiones, & cauſas ex argumentis probabilibus, non intendunt, ut ſufficiat judicium probabile ad judicandum, & decidendum; ſed tantùm, ut ex probabilibus rationibus ſimul junctis poſſit Judex ita illuminatus formare judicium certum, & infallibile de rei veritate; quia nimirum etſi argumenta hujuſmodi ſeorſim conſiderata non concludant omninò, nec ſint evidentia, ſed tantùm probabilia; tamen ſi ſimul jungantur, & ſint multi ponderis, ſunt apta nata generare talem certitudinem, ut virtus apprehenſiva cognoſcat, & apprehendat abſque ulla trepidatione rem ita ſe habere, atque ita cauſæ ſunt probabiles, ſed effectus ex illis reſultans eſt omninò certus, & infallibilis. Et hoc innuit textus in *cap. Judicantem* 30. *quæſt.* 5. in illis verbis, *Ut ibi actio ambarum partium illuminata ſit plenior*. Itaque ſi rationes probabiles ſint plures, & tanti ponderis, atque momenti, ut in illis intellectus ſine ulla formidine acquieſcat, & judicet rem ita ſe habere; hæc eſt moralis certitudo, quæ ſufficit ad rectè operandum: ſi verò rationes illæ ſint quidem plures, & probabiles, ſed tamen non adeò firmæ, & efficaces, ut adæquent omninò intellectum, ſed tantùm perſuadeant, adeò ut intellectus eis non aſſentiatur ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm cum formidine, & fluctuatione, ne pars oppoſita ſit vera; hæc eſt opinio probabilis, quæ non ſufficit ad bonitatem moralem, ut ſolidis fundamentis, & authoritatibus majorum noſtrorum in ſuperioribus monſtratum eſt. Quare non eſt bona conſequentia: Certitudo moralis conſurgit, id eſt, naſcitur & generatur in nobis ex probabilibus: Ergo probabilia ſunt moraliter certa. Quia in primo caſu conſideratur illud totum, & aggregatum perfectum, quod reſultat, & emergit ex pluribus ſingularibus imperfectis: in ſecundo autem caſu conſiderantur ipſa ſingularia per ſe imperfecta, & inſufficientia. Quo fit, ut ſi aliqua propoſitio haberet pro ſe unam tantùm rationem, ſeu præſumptionem non convincentem, ſed ſolùm probabilem, propoſitio illa non eſſet moraliter certa, quia eſſet cum formidine partis oppoſitæ: ſecus verò ſi ratio, ſeu præſumptio illa eſſet convincens, quia etſi non haberet evidentiam demonſtrationis, tamen ſufficeret ad generandam moralem certitudinem, ut eſt textus *in cap.*
101 *Afferte de præſumpt.* ubi proponitur judicium Salomonis, qui ex præſumptione violenta pronuntiavit pro matre, dicens: *Date huic infantem vivum, & non occidatur; hæc eſt enim mater ejus*. Unde judicium Salomonis non fuit probabile, ſed omninò certum, non quidem certitudine
102 mathematica, ſed morali. Ideòque Joan. Andr. & cæteri Canoniſtæ poſt eum ſic ſummant illum textum, videlicet Ex violenta præſumptione fertur diffinitiva, concordat textus *in cap. Litteris eod. tit.* ibi, Ex hujuſmodi violenta, & certa ſuſpicione fornicationis poteſt ſententia divortii promulgari. Surgit igitur certitudo moralis ex unica præſumptione violenta, vel ex pluribus rationibus, & argumentis probabilibus ſimul junctis, quæ tamen ſeorſim conſiderata non ſunt certa, ſed ſolùm probabilia, & cum formidine partis oppoſitæ. Et hæc eſt ipſa veritas, nam 103
& in judiciis plures probationes imperfectæ ſimul junguntur ad faciendam plenam, & perfectam probationem, ſecundùm illud vulgatum: *Et quæ non proſunt ſingula, multa juvant, l.*2. *§. Ætas*, & ibi gloſſ. *in ver. Legitimis, ff. De excuſ. tutor. l. Inſtrumenta*, ubi etiam gloſſ. *in verb. Aliis quoque, Cod. de probat.* gloſſ. *in c. Cùm cauſam in verb. Adminicula eod. tit. de teſtib.* Et duæ probationes ſemiplenæ etiam 104
diverſi generis ſimiliter junguntur ad faciendam unam plenam probationem, ut notat Bart. in *l. Admonendi, num.*48. *verſ. Veritas eſt, quod duæ ſemiplenæ faciunt unam plenam, ff. de jurejurando*. Unde unus teſtis, qui facit ſemiplenam, 105
& confeſſio facta abſente parte, quæ facit aliam ſemiplenam, ſimul juncta plenè probant. Caſus eſt in *cap. Cùm dilectus, de ſucceſſ. ab inteſt.* & notat Bart. *ubi ſuprà*. Item unus teſtis & fama publica eo caſu, quo faceret ſemiplenam, ut in *cap.* 1. *de Appellat.* & notatur in *l.* 3. *§. Iiſdem quoque principiis, ff. De teſtib.* & per Bart. *loco citato*. Et idem patet in fama & ſcriptura privata recognita per comparationem, quæ tamquam ſingula non faciunt niſi ſemiplenam, & tamen conjuncta faciunt unam plenam, ut per Alex. *conſ.* 103. *Inſuper eo, num.*5. *verſ. Tertio præſuppono, lib.* 7. & in aliis pluribus exemplis, quæ cumulat Antonius
Gabriel *commun. concl.* 1. *per tot.* Plena enim probatio con- 106
ficitur ex diverſis probationibus imperfectis, cùm tendunt ad eumdem finem: nam junguntur ſcripturæ plures, teſtes, fama, confeſſio, & alia adminicula ad unum perfectum, ut notat Bald. *conſ.* 397. *Punctus talis, num.* 2. *verſ. Prædictæ*
conſultationi, lib. 3. Sed & ex pluribus præſumptionibus 107
tendentibus ad idem conſurgit plena probatio, *leg. Excipiuntur, ff. ad Sillan.* cum concordantibus, ut per Ludovic. Roman. *conſ.* 7. *Viſis neceſſariis, nu.* 3. & Cravettam *conſ.* 158. *nu.* 11. Quinimò plena probatio reſultat etiam ex pluribus adminiculis, quando unum alteri adminiculatur, Socin. *conſ.* 98. *col.*6. *lib.* 1. Et quòd ex pluribus vehementibus adminiculis Judex reddatur certus, ita ut poſſit cauſam decidere, eſt textus in *d. c. Cùm dilectus, de ſucceſſ. ab inteſt.*
Nam ut formaliter ait Bald. in *d. cap. Cùm cauſam nu.* 1. *&* 108
2. *de probat.* Judex inquiſitor veritatis debet cuncta rimari, nec adſtringere animum ſuum ad unam ſpeciem probationis, quia una ſpecies coadjuvat alteram, & confirmat, ut *l.* 3. *§.* 1. *ff. De teſtib.* Sicut in corpore humano ex membris multis ſibi invicem cohærentibus fit perfectum corpus, ut *l. Rerum mixtura, ff. de uſucap.* & in melodiis ex multis conſonantiis conſtat harmonia. Unde in probationibus ſurgit certitudo ex diverſis conjecturis, quia cedunt ad eamdem concluſionem finalem, & habent cauſas, & ſimilitudines, & conſonantias contextas, & invicem colligatas, *l. Qui ſententiam, C. de pœn.* in illis verbis; *Conſpirantes, concordanteſque in unum rei finem tendunt*. Quamobrem ſicut in judiciis plures probationes ſemiplenæ, & imperfectæ præſumptiones, & adminicula disjunctim conſiderata, & tamquam ſingula plenam probationem non faciunt, neque ex illis Judex informat cum certitudine animum ſuum, ſed dubius remanet; nam, ut ait Bald. *leg. In bonæ fidei, num.* 15. *C. de reb. cred.* dubius eſt, qui applicat animum ſuum ad ſemiplenam probationem; & tamen ex illis ſimul junctis conſurgit plena probatio, & certitudo judicialis ſufficiens ad cauſam ſine ulla trepidatione decidendam, juxta textum in *d. c. Cùm dilectus*; ita & in moralibus plures conjecturæ & argumenta probabilia, quamvis per ſe ſingula non generent in nobis aſſenſum omninò certum, ſed ſolùm cum formidine contrarii; tamen ex omnibus ſimul junctis conſurgit certitudo moralis, quæ licèt non ſit demonſtrativa, nihilominùs excedit limites probabilitatis, & eſt extra omnem formidinem. Et hoc ſenſu veriſſima eſt propoſitio, quòd in moralibus ſufficiat certitudo ex probabilibus, id eſt, certitudo illa, quæ reſultat, generatur, & in eſſe producitur ex pluribus conjecturis imperfectis, & argumentis probabilibus, quæ per ſe ſola, & tanquam ſingula, non ſunt moraliter certa, nec ſufficiunt ad honeſtè operandum. Atque hanc ſententiam ex recentioribus amplectitur Antonius Merenda in ſuo opere de conſilio, ubi innumeris ferè Sacræ Scripturæ locis juxta Sanctorum Patrum interpretationem accurato ſtudio impugnat, &

prorſus

prorſus damnat uſum probabilitatum eo modo, quo admittitur à modernis; & concordant Carena *de offic. Sanct. Inquiſit. part. 2. tit. 5. §. 4.* & Julius Mercorus in tractatu poſt ſcripta noſtra impreſſo *de probabilitate opinionum part.* 1. ubi facili, & clara methodo eruditè, ac ſtrenuè pro eadem ſententia pugnat.

109 Supereſt nunc, ut reſpondeamus ad argumenta contraria, pro quorum ſolutione primum omnium advertere oportet, duobus modis poſſe contingere, ut ex opinionibus oppoſitis aliquis judicet unam tantùm eſſe probabilem. Primò, ſcilicet cùm examinatis accuratè motivis utriuſque partis, agnoſcit rationes ſuaſibiles, & authoritates moventes ſtare pro illa tantùm opinione, quæ affirmat actum eſſe licitum, contrariam verò eſſe rationibus, & authoritatibus deſtitutam. Et hoc primo caſu admittimus licere opinionem illam ſequi, quamvis oppoſita ſit tutior. Ratio eſt, tum quia opinio illa propriè non debet dici probabilis, ſed magis opinio vera, de qua loquitur Philoſophus in 2. *de anima text.* 152. Non enim poteſt eſſe cum formidine, ne pars oppoſita vera ſit, cùm intellectus cognoſcat oppoſitam eſſe deſtitutam rationibus, & authoritatibus; & ideò illi non convenit diffinitio opinionis, quæ eſt acceptio unius partis cum formidine alterius, ut per D. Bonavent. in 3. *ſent. diſt.* 24. *quæſt.* 24. *verſ. Item opinio, ante n.* 33. Tum quia cùm in moralibus non requiratur certitudo evidens, ſeu mathematica, imò vitioſum ſit illam quærere, teſte Philoſopho in 1. *Ethic. c.* 3. & pleniùs dictum eſt *ſup. n.* 50. *&* 51. is, qui determinat ſe ad unum ſine ulla formidine contrarii, utique moralem habet certitudinem requiſitam ad rectè operandum, ut per D. Thom. in 3. *ſentent. diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. Tum quia alioquin nihil agere poſſemus, & Deus requireret à nobis impoſſibilia: etenim omninò impoſſibile eſt omnium eſſe demonſtrationem, ut legitur in 4. *Metaph. c.* 2. *poſt princ.* Tum quia cùm ex duabus opinionibus de eodem oporteat unam eſſe veram, alteram falſam, ut per D. Thom. *quodlib.* 8. *art.* 13. is, qui judicat unam partem eſſe falſam, eò quòd non habeat pro ſe ullas rationes ſuaſibiles, vel authoritates alicujus momenti, in neceſſariam conſequentiam
110 judicat eſſe veram illius contradictoriam. Tum denique, quia ſi licitum eſt ſequi opinionem probabiliorem, cujus oppoſita eſt probabilis, ut patebit infrà in 3. *quæſt. principali*; multò fortiùs licitum eſt ſequi probabilem, cujus oppoſita eſt improbabilis: nam reſpectu improbabilis, opinio probabilis dici poteſt probabilior, Clem. *unic. §. fin. verſ. Opinionem ſecundam, de Summa Trinitate, & fide Catholica, c. Capellanus, verſ. Sed poſterior ſententia, de feriis, cum concordantibus, de quibus infrà nu.* 270. *verſ. Decimumnonum fundamentum.* Et hoc primo caſu, qui ſequitur opinionem ſpecificantem actum pro licito, non eſt imprudens, nec exponit ſe diſcrimini, neque ex contrarietate opinionum in aliquam dubitationem adducitur; ſed eſt certus moraliter, & ſine omni formidine. Unde non intrant doctrinæ S. Thomæ, Scoti, & aliorum, quos ſuperiùs citavimus pro opinione negativa, nec vendicant ſibi locum rationes in ea ponderatæ. Et quamvis opinio oppoſita ſit tutior, tamen non tenetur aliquis eam ſequi quando eſt falſa, ſeu improbabilis; imò ſi eam ſequeretur, eſſet ridiculus tanquam vir modici judicii, & trepidans, ubi non eſt timor. Unde idem S. Antoninus in 1. *par. tit.* 3. *c.* 10. curans ſcrupuloſos, ait non obligare ita Dei & Eccleſiæ præcepta, ut eorum obſervantia quis fiat ridiculoſus, ſaltem apud diſcretos, & bonos. Et S. Ambroſius in *Pſalm.* 118. *Non ſit ergo*, inquit, *irrationabilis timor, nec eſt ſapientia ſine timore Dei, ita timor ſine ſapientia eſſe non debet.* Huc etiam ſpectat illud Eccleſiaſt. 7. *Noli eſſe juſtus multùm.* Et in terminis hujus primi caſus non reperi quemquam contradictorem ex antiquis aut modernis Scriptoribus. Secundo modo poteſt una tantùm opinio judicari probabilis, quando intellectus flectitur ad unam partem dumtaxat propter rationes, quas habet ſuaſibiles, vel authoritates moventes, nec convertit ſe ad partem oppoſitam, diſcutiendo, & examinando illius motiva; ſed dicit: Sufficit mihi, ut opinio, quam ſequor, probabilis ſit ad hoc, ut rectè, ac prudenter agam, vel ſaltem, ut errorem declinem: de oppoſita nihil curo, nec volo indagare, an illa etiam ſit probabilis, vel probabilior. Et hic quidem aſſumit probabilitatem pro fine, & regula ſuarum operationum, quod minimè licet. Et in hoc ſecundo caſu procedit quæſtio ſuperiùs diſcuſſa, & concluſiones in ea firmatæ. Quibus ita conſtitutis, non obſtant contraria.

Ad primum namque reſpondetur negando aſſumptum: 111
imò enim, qui in actibus humanis ad mores pertinentibus eligit quod probabile eſt, imprudenter agit, quia tenetur pro regula ſuorum actuum eligere verum, quod eſt objectum prudentiæ; & tamen eligit probabile, quod ſe habet ad verum, & falſum. Item tenetur eligere quod eſt perpetuò verum, & ſtabile: & nihilominùs eligit opinionem probabilem, quæ hodie videtur vera, & aliquando poterit detegi falſa. Item ut prudenter agat, tenetur judicare de re ſecundùm quod eſt: & tamen judicat ſecundùm quod putatur eſſe probabiliter, & ſecundùm apparentiam. Item debet eſſe certus ſaltem moraliter de rectitudine ſuæ operationis; quam tamen certitudinem non habet judicium probabile, ſed fluctuat, & vacillat cum trepidatione, & ſcrupulo. Item debet uti principio infallibili; & utitur opinione probabili, quam mentiri, & fallere ſæpè contingit, & falli. Item ex prudentia tenetur eligere certum, & dimittere incertum; & tamen eligit judicium probabile, quod eſt obnoxium formidini, & ideò eſt timidum, & incertum. Item tenetur agere cum virtute; & ſequitur opinionem, quæ à ratione virtutis excluditur. Item utitur judicio probabili, ſeu opinativo, quod tanquam incertum, & indifferens ad verum, & falſum, non poteſt eſſe objectum prudentiæ. Item tenetur eligere bonum, & rectum; & tamen eligit probabile, quod ſe habet indifferenter ad rectum, & obliquum. Item ne ſit imprudens, tenetur cavere periculum; & nihilominùs eligendo, quod probabile eſt, exponit ſe diſcrimini: prout hæc omnia, & alia plura his ſimilia patent per viginti ſex fundamenta ſuperiùs allata. Igitur hæc propoſitio; Qui in actibus humanis eligit, quod probabile eſt, non agit temerè, ſed prudenter, eſt omninò falſa. Et ad Jura civilia, & canonica, quæ decidunt cauſas, & quæſtiones ex argumentis probabilibus, reſponſum eſt ſuprà *in ultimo fundamento, num.* 100. *verſ. Et eodem modo dum leges, & Canones.*

Ad ſecundum reſpondetur negando minorem, quia judicium probabile moralem certitudinem non habet, ut plenè probatum eſt ſuprà in 6. *&* 7. *fundamento*, & in 20. *cum quatuor ſequentibus.* Ad id verò, quod ſubjungitur, in moralibus ſufficere certitudinem ex probabilibus, latiſſimè reſponſum eſt ſuprà in *ultimo fundamento, à num.* 98. *uſque ad num.* 111. ubi evidenter oſtenditur æquivocatio, quæ irrepſit in intelligentia hujus propoſitionis, *& n.* 100. explicatur locus Ariſtotelis in 1. *Ethic. cap.* 3. Diſcrimen igitur eſt inter judicium certum moraliter, & opinionem; quia judicium certum moraliter nullam formidinem habet de falſo. Unde ſi errat, hoc eſt omninò per accidens, & præter intentionem. At opinans, ratione formidinis, quam habet, quòd res poſſit aliter ſe habere, quàm appareat, aliquo modo prævidet errorem, qui etiamſi rarò accidat, non poteſt dici per accidens, & præter intentionem evenire. Ita Julius Mercorus poſt ſcripta noſtra viſus in *Tractatu de probabilitate opinionum part.* 1. *art.* 14. *verſ. Verum.*

Ad tertium reſpondetur negando minorem. Nam qui opinatur probabiliter unam partem contradictionis, ad illam ſe non determinat ſimpliciter, & abſolutè, prout requiritur ad hoc, ut ejus operatio ſit recta; ſed ſolùm illi aſſentitur cum formidine, & fluctuatione, quæ moralem certitudinem tollit, ut in ſuperioribus probatum eſt, & præſertim in 7. & 20. fundamento.

Ad quartum reſpondetur negando antecedens: imò enim etiam in his, quæ ad mores non ſpectant, incautè, & imprudenter agit, qui pro regula ſuorum actuum utitur judicio probabili, quod ſæpè fallit, & fallitur. Deinde reſpondetur negando conſequentiam, quia ab aliis actibus humanis non rectè infertur ad actus morales, in quibus vertitur periculum ſalutis æternæ. Ad hoc bonus textus in *d. cap. Significaſti, il* 2. *de homic.* ibi: *Pro eo, quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.*

Ad quintum, & ſextum reſpondetur, negando eſſe ſu- 112
per humanam facultatem habere moralem certitudinem de omnibus eligibilibus. Primùm enim hoc eſt contra Di-
vinam

vinam Scripturam, quæ *Eccleſ.* 32. requirit, ut ante omnia opera præcedat nos, & ante omnes actus conſilium ſtabile, ut fuſè explicatum eſt ſuprà in 1. *fundamento num.* 60. Quare ſi Deus non requirit à nobis impoſſibilia, ut dicitur in argumento contrario, & tamen requirit, ut ante omnia opera ad veritatem perveniamus, conſequens eſt, ut ad veritatem pervenire in actibus humanis nequaquam ſit impoſſibile, ſeu ſupra humanam facultatem. Atque ita argumentum adverſariorum in oppoſitum retorquetur. Deinde hoc eſt contra Cyprianum in *ſermone de Baptiſmo*, ubi ait: *Neque lex tua ſcripta à lege naturali in aliquo diſcrepat; ſed reprobatio mali, & electio boni ſic animæ rationali infixæ ſunt divinitùs, ut de hoc nemo rectè cauſetur, quia nulli ad harum rerum proſequutionem deeſt ſcientia, ſive potentia; quia & quod agendum eſt, ſcimus, & quod ſcimus, facere poſſu-*
113 *mus*. Hæc Cyprianus. Prætereà hoc eſt contra Scholaſticos primæ claſſis, quos ſupra retulimus in 14. *& in ſeqq. fundamentis*, qui uno ore affirmant, veritatem in omnibus quærendam eſſe, ac certum eſſe tenendum ad hoc, ut actus noſtri ſint recti, & habeant bonitatem moralem. Quibus addimus D. Thomam *in opuſc.* 73. *de Uſuris poſt princ.* ubi ſic ait: *Quoniam verò in dubiis, quorum veritas agnita ſalutaris eſt, & incognita periculum ingerit humanæ ſalutis, admodum utile eſt veritatem inveſtigare: & temporibus noſtris audivimus multas controverſias inter Doctores, non ſolùm in naturalibus, verùm etiam in moralibus, in quibus periculum eſt diverſa ſentire, & opinari, & præcipuè in illa parte juſtitiæ, quæ commutativa dicitur à Philoſophis*. Hæc ibi. Rursùs hoc eſt contra Philoſophorum traditiones; ut quid enim diffinirent prudentiam eſſe habitum cum ratione vera circa bona humana activum, & illius objectum eſſe verum, ſi eſſet ſupra vires
114 humanas verum attingere? Quippe ad veritatem nati homines, & ut plurimùm veritatem conſequuntur, ut inquit Ariſtoteles *lib.* 1. *Rhetoricor. cap.* 1. Faciat ergo unuſquiſque, quod in ſe eſt, ut verum aſſequatur, id eſt, utatur ratione, per quam poteſt comprehendere verum, & invocet adjutorium Dei, prout hæc verba exponit Alex.
115 de Ales 2. *part. Summ. quæſt.* 29. *numer.* 8. §. 1. Demùm imaginariam hanc impoſſibilitatem aſſequendi veritatem funditùs evertunt aurea verba Sancti Thomæ *in princ. opuſc.* 73. *de Uſuris*, quæ ſic ſe habent: *Omnis homo natura non degenerans veritatem amat, & eam ſcire ſuper omnia deſiderat, quam ſi quis concupiſcat vero corde, & eam quæſiverit in ſimplicitate cordis, ipſa ſeipſam manifeſtabit: & Deus, qui hoc promiſit, verax eſt, & eam præbet diligentibus ſe, ſicut ſcriptum eſt, Sap.* 6. *Præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Eccleſ.* 1. *Fili concupiſcens ſapientiam accede ad illam, & Dominus præbebit illam tibi. Invoco ipſam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum, ſed illuminare dignetur oculos caliginoſos ipſo ſuo lumine, ſine quo nemo valet ad lumen veritatis uſquequaque pertingere. Amen*. Hactenus verba S. Thomæ. Confundantur ergo, & erubeſcant ſequaces probabilitatum, qui aſſerunt eſſe ſupra facultatem humanam habere certitudinem de eligibilibus, & ad veritatem pervenire, & ideò Deum ad hoc non obligare, ne requirat à nobis impoſſibilia. Imò enim ex prædictis convincitur, id non modò eſſe poſſibile, ſed etiam facile, ut plurimùm contingens, & ſecundùm naturam. Et hìc junge, quæ dicentur *infrà in* 3. *quæſt. in re-*
116 *ſponſione ad* 6. *argumentum num.* 394. *& ſeqq.* Neque obſtat, quòd prudentia ſit de non neceſſariis, & verſetur circa objectum contingens, potens aliter ſe habere, & circa particularia, quæ non ſunt ſcibilia. Quoniam, ut inquit *S.* Thomas in 2. 2. *quæſt.* 47. *art.* 5. *ad* 3. agibilia ſunt materia prudentiæ, ſecundùm quòd ſunt objectum rationis, ſcilicet ſub ratione veri. Prætereà etſi agibilia ſint contingentia, tamen, ut inquit Schola Salmanticenſis ſuperiùs relata in 19. *fundamento*, *num.* 85. virtus intellectus practici in eo ſita eſt, ut res, ſeu actiones ex ſe contingentes, formæ infallibili, per quam intellectus practicus in eas influit, adæquentur. Habet igitur prudentia aliquod judicium certum, & infallibile, quo etiam in objecta fallibilia infallibiliter tendat. Atque ita objectum prudentiæ eſſe certum, tenent communiter Doctores, & in ſpecie Cajetanus in 2. 2. *quæſtion.* 47. *artic.* 3. Medina *in* 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. Azor. *inſtitut. moral. part.* 1. *lib.* 3. *c.* 25. *quæſt.* 2. poſt Alexandrum de Ales in *Summ. p.* 1. *quæſt.* 16.

Ad ſeptimum reſpondetur diſtinguendo antecedens. 117
Nam aut quærimus de Lectoribus, & Magiſtris, qui habent onus docendi in ſcholis: & tales ſi pro regula eorum doctrinæ ſpeculativæ aſſumerent & docerent opiniones probabiles, quæ ſe habent ad verum, & falſum, & multoties falluntur, & fallunt, vix poſſent à deceptionis periculo excuſari, ex his, quæ ſcripſit S. Bonaventura ſupracit. in 16. *fundamento*. Aut quæritur de aliis, qui onus docendi non habent: & hi nil mirum ſi poſſunt amplecti quaſcumque opiniones probabiles, quia in ſpeculativis, ubi de nullius præjudicio agitur, licitum eſt eligere opiniones nedum probabiles, ſed etiam falſas; ut eſt text. *in cap. In quibus*, 22. *quæſt.* 2. & ſcripſi pleniùs *in c. Firmiter*, *à n.* 53. *ſup. de Summ. Trinit. & Fide Catholic.* Quæ diſtinctio in effectu eſt S. Thomæ in *quodlib.* 3. *art.* 10. Deinde reſpondetur, à ſpeculativis non poſſe inferri ad moralia, in quibus agitur de peccati periculo, ut dictum eſt *ſupr. in reſponſ. ad* 4. *argum.*

Ad octavum patet reſponſio ex dictis *ſup. in reſponſ. ad* 5. *&* 6. *verſ. Neque obſtat, quòd prudentia*.

Ad nonum reſpondetur negando majorem, quia ex 118
præcepto Sacrorum Canonum tenetur eligere partem tutiorem non ſolùm is, qui dubius eſt, ut in juribus in contrarium allegatis; ſed etiam is, qui habet formidinem ex credulitate levi, ut ſunt textus clari in *c. per tuas, il* 2. *de Simon.* & *in c. Inquiſitioni, de ſentent. excommun.* ponderando illos, ut dixi *ſuprà in* 24. *fundamento*, *num.* 95. *&* 96. Ratio eſt, quia etiam ſic formidans, & fluctuans, exponit ſe diſcrimini, ut ibi dixi *verſ. Et ratio deciſionis eſt*, & conſtat ex dictis in 6. *&* 7. *fundamento:* & in hoc caſu etiam loquitur S. Thomas *quodlib.* 8. *artic.* 13. ut plenè oſtenſum eſt in *fundamento* 25. *num.* 77.

Ad ultimum reſpondetur, doctrinam hanc de libera ele- 119
ctione opinionis probabilis eſſe novam in Eccleſia, & noſtro ſæculo introductam, ut ſup. diximus *num.* 23. Nam 120
veteres Scholaſtici oppoſitum docuerunt, tradentes theoricas, quæ uſui probabilitatum omninò adverſantur, ut conſtat ex dictis ſupr. in 14. *fundamento cum pluribus ſequentibus*. Quocirca non poſſumus doctrinam recentiorum Theologorum approbare, quin redarguamus & improbemus doctrinam antiquorum Sapientum, conſuetudine Eccleſiæ per tot ſæcula roboratam, qui contrarias regulas tradiderunt. Conſultius autem eſt à modernis recedere, & veteribus numero pluribus adhærere, ſecundùm illud Job 12. 13. *In antiquis eſt ſapientia*, & fuſè patebit infrà *num.* 349. Atque ita regula, Quod à pluribus quæritur ſapientibus, faciliùs invenitur, & aliæ in argumento contrario adductæ, in oppoſitum retorquentur. Et ex his expedita ſit hæc prima quæſtio.

Venio nunc ad ſecundam quæſtionem principalem, vi- 121
delicet: An ex duabus opinionibus oppoſitis æquè probabilibus, vel quaſi, liberum ſit cuilibet ſequi utramque, vel alteram, quam maluerit.

Pro ſententia affirmativa, quam ſequuntur recentiores 122
Theologi ſupracitati per diſcurſum à *num.* 25. & præſertim *n.* 30. *&* 31. ſupponendum eſt, non implicare duas contradictorias opiniones eſſe probabiles; nam probabilem eſſe nihil eſt aliud, quàm veram apparere ex aliquo fundamento non levi. Poteſt autem utraque contradictoria per diverſa motiva, ſive media cognoſcendi, apparere vera, & ſic à potentia rationabili judicari probabilis. Et quamvis Vaſquez in 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 62. *c.* 3. *n.* 10. & Azor. *Inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 16. *quæſt.* 2. *&* 3. *& c.* 17. *q.* 7. dicant non poſſe eumdem intellectum per propria, & intrinſeca rei principia, id eſt, per cauſas rei, aut effectus illius, aut abſurda, & impoſſibilia inde deducenda, judicare utramque opinionem probabilem, quia id eſſet intellectum duobus contradictoriis aſſentiri; ſed benè poſſe per extrinſeca principia, id eſt, Doctorum authoritatem, judicare contrariam opinionem eſſe probabilem: tamen eos refellit Sanchez in *Decal. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 12. ubi aſſerit etiam ex principiis intrinſecis poſſe intellectum utramque partem contradictionis opinari, ſeu illi aſſentiri, quia non repugnat ex eiſdem principiis diverſimodè intellectis, ſeu applicatis, contrarias opiniones oriri.

Et poſito hoc fundamento probatur hæc ſententia ex omni-

omnibus argumentis ſuperiùs adductis in præcedenti quæſtione pro parte affirmativa à *nu.* 45. *uſque ad num.* 59. Nam unumquodque illorum, videlicet, qui eligit probabile, prudenter agit, non exponit ſe diſcrimini, habet certitudinem in moralibus requiſitam ad honeſtè operandum, & reliqua omnia vendicant ſibi locum, etiamſi utraque opinio ſit æquè probabilis; ſiquidem qui eligit alteram, vel utramque, adhuc eligit quod probabile eſt. Non enim una deſinit eſſe probabilis ex eo, quòd contraria ſimiliter probabilis ſit, cùm non implicet utramque partem contradictionis eſſe probabilem, ut dictum eſt ſup. proximè in ſuppoſito.

123 Verùm his non obſtantibus, contrarium videtur tenendum, videlicet ex duabus opinionibus oppoſitis æquè probabilibus, vel quaſi, nequaquam eſſe liberum ſequi alterutram, & longè minùs utramque. Probatur autem hæc ſententia 26. fundamentis ſuperiùs adductis in 1. *qu.* pro parte negativa à *n.* 59. *uſque ad n.* 111. cùm enim ſingula probent non eſſe licitum ſequi opinionem ſpecificantem actum pro licito, quando illa ſola agnoſcitur eſſe probabilis, eò quòd intellectus non reflectat ad contrariam, nec conſideret, an pro illa extent rationes, vel authoritates moventes: a fortiori probant non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem, quando oppoſita agnoſcitur eſſe æquè probabilis. Unde ſuppoſita veritate concluſionis firmatæ in 1. *quæſt.* hæc 2. quæſtio eſt de indubitabili.

Sed nihilominùs quatenus etiam ejus veritas revocaretur in dubium, adhuc tamen ex illa non liceret inferre ad caſum præſentem. Ratio diverſitatis eſt, quia cùm una tantùm opinio judicatur eſſe probabilis juxta terminos quæſtionis præcedentis, intellectus non eſt propriè dubius, ſed illi aſſentitur, licèt opinativè, & cum formidine partis alterius. At verò, cùm utraque opinio eſt probabilis juxta terminos hujus quæſtionis, intellectus propter æquilibrium rationum manet ſuſpenſus, & dubius, ac neutri aſſentitur, ut mox probabitur latiſſimè à *num.* 125. *uſque ad num.* 171.

124 Primum igitur, & principale fundamentum pro hac ſententia conſtituitur in tribus concluſionibus infraſcriptis.

Prima Concluſio eſt: Qui judicat duas opiniones oppoſitas eſſe æqualiter probabiles, vel quaſi æqualiter, non eſt certus moraliter de illarum veritate, ſed dubius.

Secunda Concluſio: Qui dubius eſt in morali materia, in qua vertitur ſalutis periculum, tenetur ex præcepto ſequi opinionem tutiorem.

Tertia Concluſio: Si minimè appareat, quænam opinio ſit tutior, tenetur ſequi regula[illegible] præſcriptas. Hæ tres Concluſiones, in quibus con[illegible]ota præſentis diſputationis, ſunt ſingillatim probandæ.

125 Prima Concluſio, id eſt, qui judicat duas opiniones oppoſitas eſſe æqualiter probabiles, vel quaſi æqualiter, non eſt moraliter certus, ſed dubius.

126 Probatur primò. Quia, ut idem intellectus ſimul opinetur duas opiniones contrarias æquè probabiles, non tantùm moraliter, ſed etiam naturaliter, & phyſicè eſt im-
127 poſſibile. Quod ſic oſtenditur; nam opinari nihil aliud eſt, quàm ex probabilibus conjecturis credere, ſeu judicare, rem veram eſſe, illique aſſentiri, non quidem cum omnimoda certitudine, ſed cum formidine partis oppoſitæ, id eſt, formidando, ne pars oppoſita vera ſit. Quod ſatis clarè adnotavit Bald. in *l. Cum in antiquioribus*, *in* 3. *quæſt. num.* 6. *C. de jur. deliber.* dicens: Opinio eſt, quando quis ex probabilibus conjecturis credit id, quod eſt verum, licèt certitudinariè non noverit; & docuit S. Bernardus *lib.* 5. *de conſideratione*, *c.* 2. ibi, *Cæterùm opinio certi nihil habens verum, per veriſimilia quærit potius, quam apprehendit*. Et apertiùs ibi: *Opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias*. Unde in effectu opinio aliud non eſt, quàm judicium probabile de veritate
128 alicujus rei. Et probatur in *c. Ego ſolis*, 9. *diſt.* ponderando illa verba: *Non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt*. Nam verbum, *putem*, deſignat judicium, quod fit de propoſitionibus Scriptorum, & ſequentia verba, *per probabiles rationes perſuadere potuerunt*, denotant hoc judicium non eſſe ſcientificum, ſed opinativum, & probabile, cùm nitatur rationibus probabilibus, quæ non convincunt omninò, ſed perſuadent dumtaxat. Demùm verbum illud, *verum*, nec non verba, *quod à vero non abhorreat*, demonſtrant tale judicium eſſe de veritate rei, quia intellectus credit, quod eſt verum, ſeu putat eſſe verum, quamvis certò non noverit; ſicut enim propoſitio neceſſaria generat aſſenſum neceſſarium de veritate illius, ita probabilis propoſitio generat aſſenſum probabilem de ejuſdem veritate. Idque non ob- 129
ſcurè innuit Ariſtoteles in 2. *de Anima text.* 153. dum ait: *Opinari non in nobis eſt; neceſſe enim falſum, aut verum dicere*. Quæ ratio inepta eſſet, niſi judicium opinativum penderet à veritate objecti. Atque hinc notabiliter 130
deducitur, ut aliud ſit propoſitionem judicare probabilem, & aliud eam opinari, ſeu judicare probabiliter eſſe veram. Inter hæc enim quatuor ſunt differentiæ, ad quas oportet diligenter advertere, quia illarum confuſio multos traxit in errorem. Prima differentia eſt, quia cùm judicamus propoſitionem eſſe probabilem, hoc judicium non cadit ſuper illius veritate, ſed ſuper probabilitate; non enim judicamus eam eſſe veram, ſed tantùm eſſe probabilem. At contra, cùm propoſitionem opinamur, judicium noſtrum eſt de illius veritate, quamquam cum formidine partis oppoſitæ, quia opinando quis credit quod verum eſt, ſeu putat eſſe verum, quamvis, ut cum Baldo loquar, certitudinariè non noverit. Secunda differentia eſt, quia propoſitionem judicare probabilem, non eſt illi præbere aſſenſum opinativum, ſeu probabiliter ei aſſentiri tanquam veræ, cùm hoc judicium, ut prædixi, non ſit de veritate propoſitionis, ſed tantùm de illius probabilitate: ideòque multas opiniones probabiles judicamus, & tamen eas non ſequimur, ut docet experientia, & patet in exemplo P. Suarez, de quo *ſuprà num.* 39. Sed è converſo, propoſitionem opinari, ſeu judicare probabiliter veram eſſe, utique eſt illi aſſenſum præbere, licèt non cum omnimoda certitudine, cùm opinio ſit aſſenſus pro una parte contradictionis cum formidine alterius, ut diffiniunt Philoſophi. Tertia differentia, quia cùm judicamus propoſitionem probabilem eſſe, hujuſmodi judicium eſt evidens, & ſcientificum, non opinativum: certò enim cognoſcimus rationes illius eſſe ſuaſibiles, & non convincentes; unde non opinamur eſſe probabiles, ſed ſcimus; neque enim opinari ſimul idem, & ſcire contingit, ut dicitur in 1. *Poſter. cap.* 26. idque fatentur vel ipſi defenſores probabilitatum, ut apud Sanchez in *Decal. lib.* 1. *c.* 9. *num.* 18. *in fine*, dum aſſerunt, ad hoc, ut liceat ſequi opinionem probabilem, neceſſariò requiri, ut omninò certum ſit eam probabilem eſſe; alioquin, ſi ſufficeret judicium opinativum de probabilitate illius, daretur opinio opinionis, & probabilitas probabilitatis, & fieret proceſſus in infinitum. Contrà verò, cùm propoſitionem opinamur, ſeu veram eſſe credimus, eique aſſentimur cum formidine partis alterius, certum eſt hoc judicium non eſſe ſcientificum, quia opinio contradiſtinguitur à ſcientia, & aliis virtutibus intellectualibus, ut in 6. *Ethic. c.* 3. *in princ.* & in 1. *Poſter. cap.* 26. & fuſius probatum eſt *ſup. num.* 69. *&* 85. *&* 87. Quarta de- 131
mùm differentia, conſurgens ex prædictis, eſt, quia cùm unam partem judicamus eſſe probabilem, poſſumus ſimiliter probabilem judicare illius contradictoriam. Ra- 132
tio eſt, quia cùm hoc judicium non ſit de veritate propoſitionis, ſed de illius probabilitate, ut dictum eſt in prima differentia, & probabilitas æquè convenire poſſit utrique parti contradictionis; conſequens eſt, ut nihil repugnet, quò minùs intellectus judicare poſſit duas contradictorias ſimul eſſe probabiles: quanquam enim impoſſibile ſit, ut idem intellectus ſe determinet ad contradictoria, putans aliquid eſſe verum, & falſum, licitum, & illicitum; tamen hæ duæ propoſitiones: Probabile eſt hoc eſſe verum, vel licitum; & Probabile eſt hoc eſſe falſum, vel illicitum; non ſunt contradictoriæ, quia utrumque ſimul poteſt eſſe probabile, cùm probabilitas, ut prædixi, æquè conveniat vero, & falſo; ac proinde non implicat, quin intellectus poſſit utramque partem contradictionis ſimul judicare probabilem; idque admittunt Authores utriuſque ſententiæ. At è converſo cùm opinamur unam partem contradictionis, eique aſſentimur opinativè, & probabiliter, minimè poſſumus illius contradictoriam ſimul opinari, & in praxi ſequi, quia cùm judicium

dicium opinativum cadat ſuper veritate propoſitionis, ut diximus in *prima differentia*, ſicut eſt impoſſibile, ut duæ contradictoriæ ſint veræ; ita impoſſibile eſt, ut illas ſimul opinemur, ſeu veras eſſe judicemus, etiam probabiliter, & cum formidine: idque clarè docuit Ariſtoteles in 4. *Metaph. c.* 1. *circa med.* ubi ſic ait: *Impoſſibile namque eſt quempiam idem putare eſſe, & non eſſe.* Loquitur ergo ibi Philoſophus de judicio opinativo, & cum formidine, ponderando illud verbum, *Putare*; nam quod opinamur, putamus; quod putamus, incertum eſt, inquit Donatus apud Joannem Calvinum in *verb. Opinari*. Igitur ſecundùm Ariſtotelem non eſt poſſibile, ut idem intellectus ſimul opinetur, ſeu judicet cum formidine utramque partem contradictionis eſſe veram. Et *propè finem*, idem docuit apertiſſimè his præciſis verbis: *Impoſſibile eſt ſimul eundem idem arbitrari eſſe, & non eſſe; ſimul etenim haberet opiniones contrarias, qui de ea re haberetur mendax.* Patet ergo evidenter in ſententia Ariſtotelis eſſe impoſſibile, ut quis ſimul habeat duas contrarias opiniones, & opinetur, ſeu judicet etiam cum formidine duo contradictoria eſſe vera. Præterea impoſſibile eſt, ut judicemus ſive cum formidine, ſive ſine formidine, aliquid eſſe, quod certò ſcimus non ſic eſſe, ut patet in 4. *Metaph. c.* 6. Sed certò ſcimus utramque contradictoriam non eſſe veram, ut in *eod. c.* 6. Ergo ſive cum formidine, ſive non, utramque veram judicare non poſſumus; & conſequenter ſi cum formidine judicamus unam determinatè veram, neceſſe eſt, ut cum formidine judicemus alteram determinatè falſam. Quod adeò verum eſt, ut nec per diverſa media poſſimus utrique
133 ſimul aſſentiri. Ratio eſt, quia utraque per diverſa media vera eſſe non poteſt: nam ut ratiocinatur Gregor. Ariminen. *quæſt.* 2. *prolog. in princ. Propoſitiones contradictoriæ non poſſunt unquam verificari, etiam reſpectu duarum cauſarum, quia alioquin tu & ego poſſemus facere, ut duo contradictoria eſſent vera, quod nec Deus facere poteſt cum toto mundo.* Unde ſicut utraque etiam per diverſa media, vera eſſe non poteſt, ita neque per diverſa media utraque credi poteſt, quia id, quod non poteſt eſſe, neque poteſt verum judicari, ut in 4. *Metaph. d. c.* 6.

134 Ideòque Durandus in *prolog. quæſt.* 1. *n.* 21. ait: *Æſtimare contradictoria ſimul eſſe vera, non poteſt eſſe in mente hominis, etiamſi voce proferatur*, & Angelus *in conſ.* 87. *incipien. Hic punctus, circa fin. Nec legiſlator*, inquit, *nec Deus ipſe poteſt actum repugnantem in eſſe producere*, cujus dictum ſe-
135 quitur Decius in *l. ubi repugnantia, ff. de regul. jur.* Atque ita non poſſe intellectum, phyſicè & naturaliter loquendo, utramque partem contradictionis opinari, neque ex principiis intrinſecis rationum, neque ex principiis extrinſecis authoritatum, tradiderunt idem Gregorius de Arimino in *Prolog. art.* 1. *quæſt.* 2. & Durandus *loco citato*, qui ad hoc citat etiam Ariſtotelem, & S. Thom. & in hoc æquivocarunt Vaſquez in 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 62. *cap.* 3. *n.* 10. & ex illo Azor. *Inſtit. moral. lib.* 2. *c.* 16. *quæſt.* 2. & 3. & *c.* 17. *quæſt.* 7. qui ſcripſerunt, duos contrarios probabiles aſſenſus circa eandem propoſitionem moralem haberi à nobis poſſe, alterum ſcilicet ex principiis intrinſecis rationum, alterum verò ex principiis extrinſecis authoritatum. Et Sanchez in *Decal. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 12. qui confutando Vaſquez ampliùs affirmavit etiam per intrinſeca principia poſſe intellectum utramque partem contradictionis opinari, & utrique aſſentiri, quia non repugnat ex eiſdem principiis diverſimodè intellectis, ſeu applicatis, contrarias opiniones oriri. In hoc, inquam, æquivocarunt, quia pro eodem acceperunt poſſe intellectum præbere opinativum aſſenſum utrique parti contradictionis, & poſſe utramque partem contradictionis judicare probabilem, cùm tamen hæc duo multùm differant, ut in ſuperioribus monſtratum eſt. Nam primum intellectus nullo modo poteſt, etiam naturaliter & phyſicè; poteſt autem ſecundum, quia, ut prædiximus, præbere aſſenſum opinativum uni parti contradictionis, ſeu unam partem opinari, eſt judicare illam eſſe veram, licèt cum formidine partis alterius: nam aſſenſus opinativus eſt judicium probabile dictans rem ita eſſe. Non poteſt autem quis ſimul judicare rem probabiliter eſſe, & probabiliter non eſſe; ſed cùm unam partem judicat probabiliter eſſe veram, neceſſe eſt, ut ejus contradictoriam judicet probabiliter eſſe falſam: quia ſicut duæ contradictoriæ veræ ſimul eſſe non poſſunt, ita nec poteſt intellectus judicare ſive per aſſenſum probabilem, ſive per aſſenſum neceſſarium illas veras eſſe; ſed ſi uni aſſentitur tanquam veræ, oportet, ut alteri aſſentiatur tanquam falſæ. At verò judicare propoſitionem probabilem, non eſt præbere illi aſſenſum opinativum, quia hoc judicium non eſt de veritate propoſitionis, ſed de illius probabilitate; quæ tamen confundunt Vaſquez & Sanchez, non conſtituentes inter hæc duo aliquam differentiam, ad quod ſi advertiſſent, in prænominatam æquivocationem non incidiſſent. Unde jure optimo illorum errorem redarguit, & latè confutat Andr. Blancus ex eadem Societate Jeſu, ſub nomine Candidi Philalethi, in libello, ſeu tractatu *de opinionum praxi quæſt.* 3. *per totam*, & præcipuè *pag.* 48. *verſ. Dicendum*, & *quæſt.* 57. *pag.* 77. *verſ. Adverte primò*, & *pag.* 84. *verſ. Confirmatur, & verſ. Secundò*, & *in* 3. *Corollario, pag.* 171. *verſ. Nam quoad illud.* Cui libello præter ipſum Andream ſubſcripſerunt, ejuſque doctrinam probarunt alii octo non obſcuri nominis Sacræ Theologiæ Profeſſores, & Magiſtri, ut patet in 136
princ. libelli: & ante eum idipſum advertit Caſtro Palao *part.* 1. *diſp.* 2. §. 2. *num.* 4. ubi impugnando Sanchez, ait: *Neque ab intrinſecis, neque ab extrinſecis motivis procedere poſſunt in eodem intellectu duo aſſenſus probabiles contrarii, quia intellectus non habet libertatem, propoſita veritate objecti, niſi ut aſſentiatur parti, quam veram exiſtimat, qualis eſt una tantùm pars, & hæc ſola probabilior. Et Sanchez æquivocavit, dum fecit tranſitum à probabili objecto ad probabile judicium: nam ſtat quidem de objecto contrario, ſeu in contrarium movente formari poſſe judicium, quòd tale objectum ſit ex utraque parte probabile; ſed hoc eſt judicium evidens de probabilitate honeſtatis, quod eſt inſufficiens ad honeſtè agendum, & non eſt illud judicium probabile de veritate honeſtatis, quod tamquam neceſſarium ad honeſtè agendum requiritur ab omnibus; quod cùm haberi non poſſit, niſi de una parte contradictionis, manifeſtum eſt nondum inveniſſe Sanchez, quomodo utramque poſſit quis opinari, & in praxi ſequi.* Hæc ille. Et concordant Layman *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 1. *c.* 5. Breſſerus *lib.* 3. *de conſcientia*, & noviſſimè Julius Mercorus in *tract. de probabilitate opinionum, part.* 2. *art.* 1. ubi pluribus oſtendit repugnare rationi, ut idem intellectus ſimul poſſit aſſentiri aſſenſu opinativo utrique parti contradictionis. Et pro hac ſententia allegat etiam D. Card. de Lugo *diſput.* 10. *de fide, ſect.* 1. *n.* 14. affirmantem, *æquivocationem pati, qui confundit hæc duo, credere concluſionem illam eſſe probabilem, & credere probabiliter illam: quæ ſunt valdè diverſa; nam qui tenent aliquam propoſitionem probabilem, concedunt ſimul contrariam eſſe probabilem, non tamen credunt veram etiam aſſenſu probabili, alioquin haberent aſſenſus duos probabiles de objectis contradictoriis.* Hæc ibi. Nec admittenda eſt 137
conſideratio Vaſquez, quòd licèt intellectus ſpeculativus opinetur ex intrinſecis principiis unam opinionem eſſe veram, tamen intellectus practicus hìc & nunc poteſt aſſentiri opinioni oppoſitæ, & in praxi illam ſequi ex principio extrinſeco, eò quòd probati Authores eam ſequantur. Quoniam, ut inquit S. Thomas in 1. *part. quæſt.* 79. *art.* 11. *Intellectus practicus, & ſpeculativus non ſunt diverſæ potentiæ, quia, ut dicitur in* 3. *de Anima, intellectus ſpeculativus per extenſionem fit practicus: una autem potentia non mutatur in aliam*, & infrà: *Secundùm autem hoc differunt intellectus ſpeculativus, & practicus: nam intellectus ſpeculativus eſt, qui, quod apprehendit, non ordinat ad opus, ſed ad ſolam veritatis conſiderationem: practicus vero intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus: & hoc eſt, quod dicit Philoſophus, ubi ſuprà, quòd ſpeculativus differt à practico fine; unde à fine denominatur uterque, hic quidem ſpeculativus, ille verò practicus.* Hactenus verba D. Thomæ. Cùm ergo intellectus ſpeculativus ex ſola veritatis conſideratione ſecundùm propria & intrinſeca rei principia apprehendit unam opinionem probabiliter eſſe veram, non poteſt intellectus practicus ſimul apprehendere probabiliter eſſe veram illius contradictoriam, eamque ad opus ordinare ex principio extrinſeco, eò quòd eam ſequantur probati Authores, ut putat Vaſquez; tum quia hoc modo eadem potentia intellectus ſpeculativi, & practici apprehenderet, & opinaretur duo contradictoria eſſe ſimul vera, quod nec Deus etiam per diverſa media facere poteſt, ut inquiunt

Du-

Durandus,& Gregorius de Arimino ſupracitati *n.* 133. Tum quia intellectus practicus hoc modo non ordinaret ad opus opinionem, quam intellectus ſpeculativus apprehendit probabiliter eſſe veram; ſed potiùs illam deſtrueret opinando, & ad praxim ordinando illius contradictoriam; nec iſto modo practicus intellectus eſſet extenſio intellectus ſpeculativi, ſed magis eſſet illius deſtructio, & una potentia in aliam tranſiret, contra doctrinam Ariſtotelis, & S. Thomæ.

138 Fateor quidem intellectum poſſe ſucceſſivis temporibus nunc adhærere uni opinioni, & paulò poſt, relicta illa, adhærere oppoſitæ, *c. Certa*, 12. *quæſt.* 1. *c. Beatus*, 22. *q.* 2. & habetur 35. *quæſt.* 9. *per tot. cap.* 1. *de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct. c. Non debet*, *de conſang. & affinit.* & tradit Anchar. *conſ.* 210. *Inter contraria*, *num.* 1. quia propter diverſa phantaſmata quotidie generantur in nobis opiniones diverſæ, ſecundùm Philoſ. 3. *de Anima*, cujus authoritate ſe excuſat Quintilianus Mandoſius, quòd à priori ſententia deſciverit, in *reg.* 32. *de impetr. benef. vac. per obit. famil. Card. quæſt.* 21. *num.* 5. Quinimò ut Socinus ait *conſ.* 150. *num.* 1. *lib.* 1. variabilis eſt opinio ſpeculativa, & ideò quaſi impoſſibile eſt Doctorem non eſſe ſibi contrarium aliquando. Verùm, ut ſimul & ſemel idem intellectus opinetur, & in praxi ſequatur duas contrarias opiniones æquè probabiles, non tantùm moraliter, ſed etiam naturaliter, & phyſicè eſt impoſſibile, ut ex prædictis conſtat; & conſequenter in æqualitate contrariarum opinionum intellectus eſt in pendenti, & manet ſuſpenſus, ac dubius, *l. Duo Judices dati*, juncta gloſſa 1. *ff. De re Judic. l. In ambiguo*, *ff. De reb. dub. l. fin. C. de condit. indeb. gloſ.* 1. & Bald. *num.* 1. *in l. De ſtatu*, *ff. de teſtam.* Bart. *in l. Admonendi*, *nu.* 20. *ff. De jurejur.* S. Thom. *in* 3. *ſentent. diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 4. Durand. *ibidem*, *q.* 2. *ad* 2. S. Anton. *in* 1. *p. tit.* 3. *c.* 10. §. 9. Sotus in 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 4. Navar. in *c. Si quis autem*, *num.* 12. *de pœnit. diſt.* 7.

139 Probatur ſecundò hæc prima concluſio, quia ſecundùm Philoſophum opinari non eſt liberum: neceſſe eſt enim, ut potentia rationabilis moveatur ab objecto; unde ſi motiva intellectum moventia perſuadent aliquid eſſe verum, non poteſt intellectus exiſtimare, ſeu opinari illud eſſe falſum, neque è converſo: & cùm ex duabus opinionibus oppoſitis oporteat unam eſſe veram, alteram falſam, ut inquit S. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. naturaliter impoſſibile eſt, ut intellectus ſimul opinetur utramque, ut evidenter monſtratum eſt in præcedenti argumento. Et ſimiliter impoſſibile eſt, ut opinetur earum alteram, quam maluerit, quia cùm rationes utrinque ſint æqualis ponderis, intellectus inſtar ſtateræ habentis ab utraque parte pondera æqualia, ſtat in pendenti, ut dicta *l. Duo judices*, ibi, *Utramque in pendenti eſſe*, *ff. De re judic.* nec poteſt flecti, & inclinari magis in unam partem, quàm in alteram, quia non habet ſufficientia motiva ad judicandum probabiliter veram magis hanc, quam illam; quod eſt opinari: unde oportet intellectum quieſcere; quod evidentiùs monſtrabitur infrà in 14. *argumento primæ concluſionis à num.* 154. Hoc poſito, ſi quis, reluctante rationabili potentia, adhuc vellet opinari, & ſequi utramque opinionem æquè probabilem, aut earum alteram: hic ſanè proditor eſſet perſpicaciæ ſui intellectus, nec putaret ſic componendo ſe verum dicere, ideòque non opinaretur, ſed fingeret, quia non moveretur ab objecto, ſed à voluntate, ut patet exemplo ſtateræ exiſtentis in æquilibrio, quæ ſi pauliſper à manu moveretur, jam non libraret æqua lance, nec verum diceret, ſed magis fingeret. Quippè tam in ſtatera, quàm in intellectu, pondera

140 ſunt independenter à libertate. Nam imaginari quidem poſſumus, ut volumus, non autem opinari, quia imaginari eſt fingere pro libito voluntatis, & componere ad ipſius imperium: ſed opinari eſt non pro arbitrio fingere, ſed examinare, & ſequi rationum momenta, à quibus intellectus determinatur ad hoc, vel illud opinandum, ita ut non ſit in voluntatis arbitrio. Idque apertè docuit Ariſtoteles 2. *de Anima*, *text.* 153. nam ſecundùm eum: *Non eſt eadem imaginatio, & opinio: hæc enim paſſio in nobis eſt, cùm volumus; licet namque, cùm libet, fingere quidquid volumus, ſicut qui in memorativis verſantur, & ſimulacra faciunt: opinari autem non in nobis eſt, neceſſe*

141 *enim eſt, aut falſum, aut verum dicere.* Hæc ibi. Porrò intellectus in intelligendo eſt veluti pictor, qui efformat rerum imagines: Et quidem interdum eſt pictor fingendo ad libitum, ſecundùm illud Horatii:

Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

& tunc neque verum, neque falſum dicit, ſed fingit, ut libet; ideòque nec dicitur falſa imago Chimæræ, ſeu Hippocentauri: interdum verò eſt pictor imitando, puta hominis, vel leonis imaginem exprimendo: & tunc dicitur ſemper verum, vel falſum exemplar, ſecundùm quòd conformatur, vel non conformatur prototypo; & in hoc ſecundo caſu non eſt liber, ſed omninò ſequi debet prototypum; quòd ſi non ſequatur, ſed ad libitum voluntatis pingat, jam non imitatur, nec exprimit verum, ſed fingit. Nam exemplatum, quatenus diſcrepat ab originali, eſt adulterum, & falſum, ut in Authen. *de Tabellion.* §. *Illud quoque*, juncta gloſſa *in ver. Adulterum*, & notant Bald. *conſ.* 405. *Punctus quæſtionis*, *circa fin. verſ. Ex his apparet*, *lib.* 4. & *conſ.* 307. *Proponitur quid*, *in fin. lib.* 5. Angelus *conſ.* 347. *Pater ſtipulatus*, *nu.* 1. Ergo ſimiliter, cùm motiva ad judicandum utrimque ſunt æqualia, ſi intellectus non vult fingere, ſed verum dicere, & judicium ſuum objecto conformare, tunc neceſſariò dubitat.

Probatur tertiò eadem concluſio authoritate Ariſtotelis 142
1. *Topic. c.* 9. *in princ.* ubi ſic diſſerit: *Sunt autem problemata, & de quibus contrarii ſunt ſyllogiſmi; dubitationem enim habent, utrum ſic ſe habeant, an non, eò quòd de utriſque ſunt rationes ſuaſibiles.* Hæc ibi. Ecce igitur textus clarus à defenſoribus probabilitatum, quod ſciam, adhuc non ponderatus, in quo propoſitio dicitur dubitationem habere, cùm pro utraque parte ſunt rationes probabiles, ſeu quod idem eſt, ſuaſibiles. Nec obſtat, ſi Authores contrariæ ſententiæ dicant hunc locum Ariſtotelis non procedere, quando intellectus præbet aſſenſum opinativum propoſitioni problematicæ, & ex probabilibus rationibus ſe determinat ad utramque partem, vel ad alteram, quam maluerit, quaſi tunc, quamvis propoſitio ſit in ſe dubia, tamen intellectus in illius apprehenſione, & intelligentia non ſit dubius, ſed moraliter certus. Id, inquam, non obſtat, tum quia naturaliter eſt impoſſibile, ut intellectus præbeat aſſenſum opinativum duabus propoſitionibus contradictoriis, vel earum alteri, quando rationes utrinque ſunt pares, ut evidenter monſtratum eſt in duobus argumentis præcedentibus. Tum quia cùm propoſitio propter æquilibrium rationum ſit in ſe dubia ſecundum Theoricam Ariſtotelis, oportet & intellectum in illius intelligentia eſſe dubium. Ratio eſt evidens, 143
quia cùm intellectus non habeat libertatem opinandi ut libet, ſed cogatur objecto ſe conformare, ut ex Philoſopho oſtenſum eſt in præcedenti argumento, & docet S. Thomas in 1. *ſentent. diſt.* 48. *art.* 3. *ad* 1. utique propoſitioni in ſe dubiæ minimè poteſt aſſentiri, nec eam judicare probabiliter veram eſſe, quod eſt opinari, ſed violenter cogitur eam judicare, ſicut in ſe eſt; alioquin judicaret eſſe quod non eſt, nec opinaretur, ſed fingeret. Si igitur vult objecto ſe conformare, & non fingere, neceſſe eſt ut dubitet, quia in re dubia non poteſt eſſe moraliter
certus. Et hoc eſt, quod Canones atteſtantur, in re dubia 144
ſententiam certam ferri non poſſe, *c. Habuiſſe*, 33. *diſt. c. Grave*, 11. *quæſt.* 3. gloſ. in *c. Ad audientiam*, *in verb. In dubiis*, *de homic.* & in *c. Licèt cauſam*, *in verb. Uti poſſidetis*, *de probat.* Vel dic meliùs, Problemata dubitationem 145
non habent intrinſecè, & ſecundùm rei veritatem, ſed ſecundùm apprehenſionem, & intelligentiam humanam, *c. Intelligentia*, *de verb. Signif.* Unde cùm dicimus res eſſe dubias, ut in *titulo*, *ff. De reb. dub.* hoc non ideò dicimus, quòd verè, & intrinſecè ita ſit; ſed impropriè loquimur, & ſecundùm noſtrum modum intelligendi: nam veritas cujuſque rei in ſe eſt certa, & infallibilis; ſed intellectus humanus eſt dubius, quia propter ejus imbecillitatem non intuetur rem ſicut in ſe eſt, & ideò contraria ratiocinatur, & dubitat: & hoc eſt, quod ait Philoſophus loco citato, dum dixit: *Sunt autem problemata, de quibus contrarii ſunt ſyllogiſmi*, id eſt, de quibus intellectus contrarios format ſyllogiſmos: nam ſyllogizare, & ratiocinari eſt operatio intellectus humani. Quo fit, ut in Deo, cui nihil eſt abſconditum, ſed omnia ſunt plana, & aperta, *c. Deus omnipotens* 21. *quæſt.* 1. *c. Novit. de Judiciis*, non ſint problemata, neque probabilia, neque ſyllogiſmi,

quia

quia intellectus divinus cognoſcit per intellectum ſimplicis quidditatis, non autem componendo, & ratiocinando, ut docet Sanctus Thomas in 1. *par. quæſt.* 85. *art.* 5. &
146 ſicut legitur in *c. A nobis*, *il* 2. *de ſentent. excommun.* judicium Dei ſemper innititur veritati, quæ nunquam fallit, nec fallitur: judicium verò Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quam fallere ſæpè contingit, & falli. Et patent exempla in *c. Lator*, & in *c. Conſanguinei*, *de re judic.* & in *c. Fraternitatis*, *de frigid. & malef.* & in *c. Si quis non recto*, 24. *quæſt.* 3. Dum ergo Ariſtoteles dixit, problemata dubitationem habere propter rationes utrinque ſuaſibiles, nihil aliud ſenſit, quàm intellectum in apprehenſione & intelligentia problematum eſſe dubium propter rationes, quas cognoſcit eſſe ex utraque parte probabiles, & de quibus contrarios format ſyllogiſmos. Quare ibi eſt textus inevitabilis, quòd is, qui judicat duas opiniones oppoſitas eſſe æqualiter probabiles, non eſt moraliter certus, ſed dubius. Idque diſertis verbis docuit S. Thomas *de Veritat. quæſt.* 14. *art.* 1. ait enim: *Intellectus noſter reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimodè: quando enim non magis inclinatur in unam, quàm in aliam, vel propter defectum moventium, ſicuti in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apertam æqualitatem earum, quæ movent ad utramque partem; & ita eſt dubitantis diſpoſitio, quæ fluctuat inter duas partes*
147 *contradictionis*. Hæc S. Doctor. Sed & Silveſter in *Summ. in verb. Dubium*, *in princ.* inquit: *Primò dubitat de aliquo, vel circa aliquod, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quaſi æqualiter moventes, ita quòd non inclinatur ad hoc magis, quàm ad illud notabiliter:* & Cardin. Paleottus *de ſacr. Conſiſtor. conſult. part.* 4. *quæſt.* 4. poſtquam declaravit quid ſit ſcientia, ſuſpicio, & ſcrupulus, *in verſ. Et tamen*, ſic ait: *Aliquando rationes utrimque æquales ſeſe offerunt, ita ut animus non magis in unam, quàm in alteram inclinet partem: & tunc oritur propriè dubitatio*; & infrà: *Poteſt dubitatio ex ipſiſmet rationibus oriri, quæ utrimque probabiles occurrunt; perſæpè enim accidit, ut parem vim habere videantur, diſtrahiturque animus in deliberando, utrum hanc, an illam partem amplecti debeat.*

148 Probatur quartò hæc prima concluſio in *c. Nervi*, 13. *diſt.* ubi pluribus exemplis oſtenditur, eum, qui agitatur contrariis opinionibus, & per rationes ſuaſibiles impellitur in utramque partem, propriè habere conſcientiam dubiam atque perplexam. Quem textum ad propoſitum noſtrum ponderat Petrus de Ancharano *conſ.* 210. *incip. Inter communia*.

149 Probatur quintò in *c. Fraternitatis*, *de frigid. & malef.* ubi lata fuerat ſententia ſeparationis thori ex errore probabili, ut patet ibi: *Sententiam divortii per errorem licèt probabilem novimus eſſe probatam:* & tamen Innocentius III. dicit rem tunc temporis fuiſſe dubiam, ut conſtat ex illis verbis: *Quamdiu articulus iſte dubitabilis erat*. Quem textum ad hoc ſimiliter ponderat Oldrad. *conſ.* 286. *incipien. In electionis*, *num.* 5. *verſ. Sed qui admittunt*.

Probatur ſextò in *c. Illud*, *de Præſumpt.* ubi in articulo, an inter liberam & ſervum fuiſſet contractum Matrimonium, nec ne, ponderantur rationes pro utraque parte probabiles; & tamen res dubia æſtimatur, ut patet ibi, *In hujuſmodi dubitatione*

Probatur ſeptimò efficaciter in *c. Inquiſitioni*, *de ſent. excomm.* inducendo illud, ut patebit infrà in *ſecundo fundamento* principali pro hac ſententia.

Probatur octavò in *c. Illud de cler. excommun. miniſtr.* & in *c. Per venerabilem*, §. *Rationibus*, *qui fil. ſint legit.* necnon in *c. Veniens*, *de Presbyt. non baptizat.* quos Canones itidem expendimus infrà in 3. 4. & 5. *fundamento*.

Probatur nonò in *c. Literas*, *de reſtitut. ſpoliat.* ubi Papa, quamvis habeat omnia jura in ſcrinio pectoris, *c.* 1. *hoc titulo*, *lib.* 6. & *l. Omnium*, *C. de Teſtam.* tamen ubi videt opiniones Doctorum probabiles, reputat illam materiam dubiam, nec libenter illis detrahit. Atque ita illum textum ad hoc allegat Petrus Epiſcopus Brixienſis in *Repert. in verb. Opinio*.

150 Probatur decimò, quia ut ex Ariſtotele deducit Bald. in *l. De ſtatu*, *num.* 1. *ff. De teſtam.* dubitatio eſt æqualitas contrariarum ratiocinationum: nam ut ait Silveſter in *verb. Opinio*, *num.* 1. dubitatio non habet rationem probabilem ad alteram partem tantùm, ſed ad utramque æqualiter, vel quaſi; & ſecundùm D. Thomam in 3. *ſent. diſt.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 4. ſignat motum rationis ſuper utraque parte contradictionis cum formidine ſe determinandi alterum: Sed qui judicat æquè probabiles eſſe opiniones inter ſe oppoſitas, æqualiter ratiocinatur contraria, cùm pro utraque parte formet argumenta, & ſyllogiſmos, ſecundùm Philoſophum ſupracitatum 1. *Topic. c.* 9. *in princ.* vel certè utrinque habet rationes æquales cum formidine ſe determinandi ad alterum, ſecundùm S. Thomam: Ergo dubitationem habet.

Probatur undecimò, quia dubium eſt, cùm intellectus 151
inter duas partes conſtitutus, quarum altera affirmat, altera negat, remanet ſuſpenſus, & neutri aſſentitur, quia non habet ſufficientia motiva pro una parte magis, quàm pro altera, quæ inclinent & moveant ad aſſenſum, *c. In Canonicis*, *verſ. Si autem*, 19. *diſtinct. l. In ambiguo*, *ff. De reb. dub.* & notat gloſ. *in Rubrica*, *ff. De jur. & fact. ignoran.* & Bart. *in l. Admonendi*, *num.* 19. & 20. *ff. De jurejur.*
Ideòque, ut inquit Ariſtoteles 3. *Metaph. c.* 1. quatenus 152
dubitat, eatenus ſimile quiddam ligatis patitur; utroque enim modo impoſſibile eſt ad ulteriora procedere. Ubi S. Thomas: *Dubitatio*, inquit, *de aliqua re hoc modo ſe habet ad mentem, ſicut vinculum corporale ad corpus, & eumdem effectum demonſtrat; in quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid ſimile his, qui ſunt ſtrictè ligati: ſicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non poteſt in anteriora procedere ſecundum viam corporalem; ita ille, qui dubitat, quaſi habens mentem ligatam, non poteſt ad interiora procedere ſecundùm viam ſpeculationis*. Hæc B. Th. Sed inter duas opiniones oppoſitas æquè probabiles intellectus non habet ſufficientia motiva, cur magis flectatur ad unam, quàm ad alteram, propter æquilibrium rationum: Ergo dubitat, & ſimile quiddam ligatis patitur.

Probatur duodecimò, quia, ex communi Theologorum ſententia, in actibus humanis ad hoc, ut quis honeſtè operetur, neceſſe eſt, ut habeat certitudinem ſaltem moralem de honeſtate operationis, *c. Si quis poſitus*, & *c. Si quis autem*, *in fin. de pœnit. diſtinct.* 7. & conſtat ex dictis ſuprà in præcedenti quæſtione in 6. *fundamento*, *n.* 70. & *num.* 98. Talis autem certitudo haberi non poteſt de utraque contradictoria, in qua ex una parte affirmatur honeſtas operationis, ex altera negatur, quando utraque eſt æquè probabilis, quia de neutra poteſt haberi, & intellectus fluctuat inter utramque, ut inquit Boerius *deciſ.* 11. *num.* 28. Ergo remanet conſcientia æquilibris, ut loquitur Joannes Gerſon apud Gabriel. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 8. *art.* 2. *dub.* 2. vel ut Silveſter loquitur in *verb. Dubium*, & in *ver. Opinio*, tunc ſumus in dubio probabili, prout hoc diſtinguitur à dubio ſcrupuloſo. Ad hoc bonus text. in *c. Inquiſitioni*, *verſ. In ſecundo autem caſu*, *de ſent. excomm.*

Probatur decimotertiò, quia ubi eſt contrarietas opinionum, non poteſt quis utrique aſſentiri; cùm impoſſibile ſit, ut ſe determinet ad oppoſita etiam probabiliter, & cum formidine, ut ſæpiùs repetitum eſt, & probatur in 4. *Metaph. c.* 6. & in *l. In ambiguo*, *ff. De reb. dub.* in *l. Inter me, & te*, *ff. De except. rei judicatæ*, in *l. Pomponius*, §. *Si is*, *in fin. de Procurat.* & in *l.* 1. & ibi gloſ. ult. *c. De furtis*. Unde cùm non poſſit eſſe certus & determinatus ad pugnantia, neceſſariò ſequitur, ut ſit dubius, *l. Si quidem*, *C. de except.* & hoc eſt, quod voluit Bald. in *rubr. C.* 153
de probat. dum dixit, dubitationem nihil aliud eſſe, quàm paſſionem animi cum præciſa ignorantia extremorum. Verè enim, qui agnoſcit motiva ab utraque parte eſſe æqualiter moventia, agitatur inter duo extrema, & præcisè ignorat utramque, cùm nemo poſſit intelligere contradictoria eſſe ſimul vera, ſecundùm Ariſtotelem in 4. *Metaph. cap.* 1. *circa med. & propè fin.* & *d. c.* 6. Facit textus in *l. Ubi repugnantia*, & ibi Decius *num.* 4. *ff. De regul. jur.*

Probatur decimoquartò hæc prima concluſio, quia in 154
paritate contrariorum motuum oportet quieſcere; ideòque corpus in vacuo nunquam movebitur, ut dicitur 4. *Phyſicor.* quoniam non eſt, cur magis determinetur ad hanc partem ſpatii, quàm ad alteram: & corpus ſi eſſet ex æquo grave, & leve, neque aſcenderet, neque deſcenderet,

deret; ſiquidem non eſſet potior ratio, cur determinaretur ad aſcenſum, quàm ad deſcenſum. Et ob eamdem rationem, ſi bruto eſurienti proponerentur duo pabula in æquali diſtantia, ita ut omnia eſſent paria, brutum ad nullum pabulum moveretur, & fame periret. Quod clarè docuit Ariſtoteles aſſignans rationem quietis terræ in medio, *lib.2. de cœlo, text.93.* in hæc verba: *Quemadmodum de capillo eſt ſermo validè quidem, ſed ſimiliter undique extenſo, quod non diſrumpetur: & de eſuriente ac ſitiente vehementer quidem, ſimiliter autem & ab eſculentis, & poculentis æqualiter diſtante; etenim hunc quieſcere neceſſarium eſt.* Hæc ibi. Quod evidenti etiam experientia comprobatum eſt, ut dicitur in Aſino Buridani. Et Bartholomæus Medina in 1.2. *qu.*13. *art.*2. in ſolutione primi, teſtatur ſe noviſſe hominem quemdam dementem, qui propoſitis duobus pomis in æquali diſtantia cruciabatur, ut comederet, & non poterat, niſi ab alio applicaretur potiùs ad unum, quàm ad aliud. Ergo ſimiliter neceſſarium eſt intellectum quieſcere, ubi rationes utrinque ſunt æquales, cùm non ſit potior ratio, quare flectatur in unam, quàm in aliam partem: intellectus enim ita movetur ab objecto veri, ſicut appetitus ſenſitivus bruti ab objecto de-
155 lectabili. S.Thomas in 1.2. *quæſt.*13. *art.*2. *in corp. & ad* 2. Et quemadmodum brutum non agit liberè, ſed naturaliter, cùm ſit determinatum ad unum particulare ſecundùm ordinem naturæ, ut ibi dicitur: ſimiliter & intellectus, quoniam patitur ab intelligibili, ut ſenſus à ſenſibili, ut patet in 3. *de Anima, text.*3. Unde ſicut ſenſum factum in actu per ſpeciem ſenſibilem neceſſe eſt ſentire, ita & intellectum factum in actu per ſpeciem intelligibilem neceſſe
156 eſt intelligere, ut inquit S. Thomas *contra Gentiles lib.*1. *cap.*46. *in* 2. *notab.* Et quamvis voluntas propoſitis duobus bonis per intellectum poſſit unum eligere, & alterum refutare, cùm habeat libertatem contrarietatis, *l. Libertas, ff. De ſtat. homin.* & docet S.Thomas in 1. *par. qu.*83. *art.*1. tamen ſecùs eſt in intellectu, quia non agit liberè, ſed cogitur ab intelligibili, licèt voluntas non cogatur ab appetibili, ut idem docuit in 1. *ſent. diſt.* 48. *artic.* 3. *ad* 1. ait enim: *Defectus intellectus non eſt in poteſtate noſtra, ſicut defectus voluntatis, quia intellectus violenter cogitur quandoque rationibus, ut in 5. Metaph. non autem voluntas.* Quamobrem ſicut brutum, cum objectum delectabile utrinque eſt æquale, neceſſariò quieſcit, ut dictum eſt; ita & intellectum præ dubio quieſcere oportet, cùm objectum veri ex utraque parte eſt æquale: nam dubitatio ligat rationem, ne poſſit procedere, ut habetur in 3. *Metaph. text.* 1. & tradit idem S.Thomas in 3. *ſentent. diſt.*17. *quæſt.*5. *artic.*4. Quod enim in appetitu eſt proſecutio, & fuga, in intellectu eſt affirmatio, vel negatio, ut docet Ariſtoteles *lib.* 6. *Moral. cap.*2. Unde ſicut appetitus in objectorum ſenſibilium æqualitate nec perſequitur, nec fugit, ſed quieſcit; ita & intellectus in æqualitate objectorum intelligibilium nec affirmat, nec negat, ſed neceſſariò hæret.

157 Probatur decimoquintò, quia certitudo nihil eſt aliud, quàm determinatio intellectus ad unum, ut diffinit S.Thomas aliàs citatus in 3. *ſent. diſt.* 23. *qu.* 2. *art.*2. *quæ.* 3. Non poteſt autem intellectus ad unum ſe determinare, cùm motiva hinc inde ſunt æqualia, quia non eſt ratio, cur ſe determinet ad unam partem magis, quam ad alteram; & ideò cogitur quieſcere, ut ſupra proximè probatum eſt. Ergo certitudinem non habet, ſed dubitat: nam, ut ait gloſ. prima in *l. De ſtatu, ff. de teſtament.* dubitans applicat animum ſuum ad plura, & neſcit quid eligat, & Bart. in *l. Admonendi, ff. De jurejuran. Dubius*, inquit, *dicitur, qui non certitudine ſcit, ſed applicat animum ſuum ad ſemiplenam probationem*, & eum ſequitur Bald. in *l. In bonæ fidei, num.* 15. *C. de reb. cred.*

158 Probatur decimoſextò, quia judicare utramque partem contradictionis eſſe æqualiter probabilem, eſt judicare utramque non minùs apparere veram, quàm falſam: nam quælibet ex proprio motivo apparet vera, & ex motivo ſuæ oppoſitæ apparet falſa; unumquodque enim motivum quantò magis ſuam partem facit apparere veram, tantò magis ſuam oppoſitam facit apparere falſam, *c. Hoſpitiolum, in fin.* 32. *diſtinct. l.* 1. *ff. De his, qui ſunt ſui, vel alien. jur.* & docet Card. Cajetan. *ſupracit. num.*88. Cùm igitur ex utraque parte motiva ſint æqualia, utraque pars æqualiter apparebit vera, & æqualiter apparebit falſa. Sed nullus poteſt opinari de propoſitione, quæ ſibi æqualiter apparet vera, & æqualiter ſibi apparet falſa, cùm opinari ſit judicare propoſitionem veram cum ſola formidine, quòd ſit falſa, ut oſtenſum eſt *ſup. num.* 127. Ergo cùm intellectus judicat utramque partem contradictionis eſſe æqualiter probabilem, de neutra poteſt opinari, ſed neceſſariò dubitat.

Probatur decimoſeptimò, & ultimò eadem Concluſio, 159
quia, ut Iſidorus ſcripſit in *lib. Etymol.* dubium eſt motus indifferens in utramque partem contradictionis: vel, ut ait Bald. in *d.l. De ſtatu, num.* 1. *De teſtam.* dubitatio eſt æqualitas contrariorum motuum mentis, & tenet medium inter errare, & ſcire. Quamvis autem aliqua opinio per ſe ſolum conſiderata videatur probabiliter vera, eò quòd habeat pro ſe rationes congruas, & ſuaſibiles; tamen cùm primùm apparet, oppoſitam quoque eſſe probabilem, rationes illius confunduntur per rationes alterius, & fit æqualitas contrariorum motuum mentis, & ſic dubitatio, quæ nihil aliud eſt, quàm æquilibrium intellectus inter duo extrema. Textus eſt clarus in *l. Si pater, ff. De hæred. inſti-* 160
tut. Quemadmodum probationes etiam certæ, & liquidæ, per contrarias ſimiles conquaſſantur, ſecundùm gloſſam communiter approbatam in *cap. Licet cauſam: in ver. Uti poſſidetis, de probation.* Felin. & Dec. in *cap. In præſentia, ſub num.* 12. *eod. tit.* Seraph. *deciſ.* 619. *ſub num.* 3. *&* 9. Exemplum deſumi poteſt ex quæſtione facti in *l. Si ita fuerit* 161
legatum, ff. de reb. dub. Si legatum Sempronio amico fuerit relictum, & duo ſint Sempronii æqua charitate conjuncti, quæritur, cui legatum debeatur? Unus Sempronius deducit aſſiduam cum teſtatore familiaritatem, mutua obſequia, & beneficia, & alia plura his ſimilia. Habet ergo hic Sempronius rationes probabiles, ob quas ei legatum adjudicari debeat. Sed & alter Sempronius probat amicitiam pluribus argumentis ejuſdem ponderis; unde & hic habet pro ſe rationes ſuaſibiles, ſi ſeorſim expendantur. Verùm ſi conferantur invicem rationes utriuſque, res prorsùs dubia eſt. Vis cognoſcere quam dubia? Legatum præ omnimoda ambiguitate, & incertitudine vitiatur, & neutri debetur, ut ibi deciditur, & concordat text. *l.*3. §. *Si duobus, ff. De adimen. lega.* Simile in *l. Si duo, ff. Uti poſſidetis*, & in *cap. Tuæ fraternitatis, de præbend.* Sic cùm duo Judices dati contrarias ſententias dederunt, Modeſtinus ait, utramque ſententiam in pendenti eſſe, *l. Duo Judices dati*, juncta gloſſa 1. *ff. de re Judic.* & ſcripturæ diverſæ fidem ſibi invicem derogantes, ab una eademque parte prolatæ, nihil firmitatis habere poterunt, dicit text. in *l. Scripturæ, C. de fid. inſtrum.*

Quemadmodum autem fit æquilibrium intellectus, & 162
dubitatio ex principiis intrinſecis rationum utrimque parium, ut plenè oſtenſum eſt ſuprà; ita & ex principiis extrinſecis authoritatum, ſi ex utraque parte ſint æquales, *cap. In Canonicis, verſ. Si autem,* 19. *diſtinct.* Accipe 163
exempla. Tenet aliquam opinionem Innocentius Pater, & Organum veritatis, ut ait Archid. in *c.* 1. *col.*2. *propè fin. verſ. Quamvis Hoſtienſis, de except. lib.* 6. item Pater Juris, & Canoniſtarum, ſecundùm Speculat. in *Proœmio Specul.* & Roman. in *repetit. l. Si vero*, §. *De viro in* 54. *fallent. ff. ſol. matrimon.* Tu illicò acquieſcis illius authoritati, & opinionem illam probabilem reputas, ad text. in *l. Septimo menſe, ff. de ſtat. homin.* At poſteà reperis oppoſitum ſentire Hoſtienſem, quem idem Speculat. *ubi ſuprà*, Lumen Juris appellat: vel Joannem Andream, qui Juridicæ ſcientiæ Juris Canonici Pater dicitur à Bald. in *princ. lectur. feudor.* Pater & Illuminator Juris Canonici à Federico de Sen. *conſ.*14. *incip. Monachus Peruſinus, in fin.* Princeps Canoniſtarum, & fons, & tuba utriuſque Juris à Jaſ. in *l.* 1. *in* 2. *lectur. C. de Summ. Trinitat. & Fide Cathol.* & in *l. Sancimus, C. De teſtam.* poſt Card. in *Proœm. Clem.* §. *Cupiunt, in princ.* Jam ergo authoritate quoque Hoſtienſis, & Joannis Andreæ, tu æqualiter perſuaſus neſcis quò flectas animum, ſed fluctuas inter utramque, ut inquit Boerius *deciſ.* 55. *num.* 28. & dubiam reputas Innocentii opinionem, quam ob illius authoritatem anteà probabilem judicaveras. Rurſus vides unam ſententiam pro- 164
bari ab Archidiacono, cujus dicta non in gloſſa, ſed in textu profitetur ſe recipere Joannes Andreas in *proœmio, Sexti in gloſ.* 1. & cujus opinio etiam ſingularis ſuper Sexto

libro

libro Decretalium prævaleat communi, ſecundum Felinum in *c.* 1. *num.* 54. *in* 4. *limit. ſup. eod.* ubi allegat *deciſ.*
165 *Rotæ* 348. *in antiq.* Sed deinde occurrit gloſ. contrarium ſentiens, cujus opinio ſimiliter communi opinioni dicitur eſſe præferenda à Jacobo Butrigar. in *lib.* 1. *C. Qui pro ſua juriſdictione*, & notat Bald. in *l. cùm hæreditas*, *C. De-*
166 *poſit.* & Felin. poſt alios *loco citato in* 2. *limit.* Ecce jam vides authoritatem unius enervari per contrariam authoritatem alterius, & jus eſſe turbidum, *l.* 1. §. *Noſtrum*, ibi: *Cùm per contrarias interpretantium ſententias totum penè jus conturbatum eſt*, *C. de veter. Jur. enuclean.* Unde jure optimo Capyc. *deciſ.* 10. *num.* 18. *in fin. Ex quo*, inquit, *ſaltem de jure articulus principalis cauſæ eſt intricatus ob varias Doctorum opiniones, jus ipſum redditur incertum*, *&*
167 *dubium*. Et eum ſequuta eſt Rota *deciſ.* 659. *part.* 2. *recent.* Opinionum igitur veritas aut falſitas non ſeorſim eſt perpendenda, ſed per comparationem ad oppoſita, ut habetur in 3. *Metaph. c.* 1. maximè in extremis verbis, & probatur in *d. c. In Canonicis*, 19. *diſt. in c. Capellanus*, *de feriis*, *in l.* 1. *ff. De contrahen. empt. & in* §. *Item pretium inſtit. eod. in c. ult. de Presbyter. non baptiz. & in c.* 1. *de ſent. & re judic. lib.* 6. ibi: *Stateram geſtent in manibus*, *lances appendant æquo libramine*; & tradit Card. Paleot. *de Sacr. Conſiſtor. conſul. par.* 4. *quæſt.* 4. ait enim: *Si conſiliarius perplexitatem inde profluere ſentiat, quòd in utramque partem pares ſe offerant rationes, poterit tunc rationes ipſas inter ſe conferre*, *& tanquam in libra lances impoſitas*, *utra*
168 *lanx deprimat*, *conſiderare*. Ratio eſt, quia, ut ait D. Thomas *in* 1. *q. quæſt.* 85. *art.* 5. *ſolus intellectus Divinus, & Angelicus cognoſcunt compoſitionem*, *& diviſionem*, *& rationem*, *non componendo*, *& ratiocinando*, *ſed per intellectum ſimplicis quidditatis*: *Intellectus autem humanus cognoſcit componendo*, *& dividendo*, *ſicut & ratiocinando*. Et infrà in reſponſione ad primam: *Compoſitio*, inquit, *& diviſio intellectus per quamdam differentiam*, *vel comparationem fit*, *& art. ſeqq. in reſp. ad* 1. ſimiliter docet veritatem, & falſitatem, item opinionem, & ratiocinationem eſſe in intellectu ſecundùm compoſitionem, & diviſionem.
169 Unde rem dubiam eſſe, cùm rationes pro, & contrà concurrunt, dixit Alberic. in *Diction. in verb. Dubitabile*; aut ubi ſunt conſilia, & diſcordes Doctorum opiniones, ut inquit Bart. in *l. Qui Romæ*, §. *Duo fratres*, *num.* 9. *ff. De verborum obligat. in* 1. *oppoſit.* per notata in *l. Ideò*, *ff. de legib. in l. Cùm de novo*, *C. eod. in prima Conſtitutione Codicis*, *in* §. *Quibus*, in gloſ. *in ver. Et ita*; & ſequuntur Antonius de Butrio, & Petr. de Anchar. *conſ.* 210. *Inter conſilia Ancharani*, *incip. Inter contraria*, *per tot.* ubi pluribus probant rem dubiam eſſe, cùm pro utraque parte ſunt opiniones, & rationes æquè probabiles, Alex. *conſ.* 222. *Viſa facti narratione*, *num.* 10. *verſ. Et opiniones Doctorum faciunt rem ambiguam*, *lib.* 2. Raphael. Cuman. *conſ.* 154. *Viſis in fin.* & Marcabr. ab Anguil. *conſ.* 66. *num.* 442. ubi ait, dubium probabile Juris dici, cùm variæ ſunt opiniones Doctorum, & non conſtat de communi, & Cardin. Paleot. *de Sacr. Conſiſtor. conſult. par.* 5. *quæſt.* 13. *verſ. Primò igitur*, ubi itidem affirmat ſtatum quæſtionis dubium à Doctoribus conſtitui, cùm utrimque habet rationes, ſive authoritates. Et eſt text. in *l. Sed et ſi lege*, §. *Adeò autem*, *ff. de petition. hæred.* Unde mos eſt Doctorum in his caſibus dicere hæc, vel ſimilia verba: Negari non poteſt, quin articulus ſit dubius; cùm rationes, & authoritates urgeant pro utraque parte, ut per Cuman. & Alex. *locis citatis*, & per alios Doctores paſſim in conſiliis, & lecturis; idque haud obſcurè inſinuat Concilium Trident. *ſeſſ.* 18. *in princ.* ibi: *Catholicæ fidei doctrinam multorum inter ſe diſſidentium opinionibus pluribus locis inquinatam*, *& obſcuratam*. Igitur ob contrarias rationes, vel authoritates æqualis ponderis, animus indifferenter ſe habet ad utramque partem contradictionis. Quæ quidem indifferentia, & rationum, vel authoritatum æqualitas, neceſſariò parit dubitationem, ſecundùm Iſidorum, S. Thomam, & alios præcitatos.

Veriſſima eſt igitur prima concluſio ſuperiùs propoſita *num.* 125. id eſt: Qui judicat duas opiniones oppoſitas eſſe æqualiter probabiles, vel quaſi æqualiter, non eſt morali-
170 ter certus, ſed dubius: licèt fateamur, cùm variæ ſunt opiniones Doctorum, nec diſcernitur, quæ ſit verior, & magis recepta in foro externo, judicem, qui unam ex his opinionibus ſequutus eſt, non eſſe puniendum, licèt alter eo prudentior & doctior forte ſecundum aliam judicaſſet: nam opinionum multiplicitas excuſat, ne litem ſuam feciſſe dicatur, ut in ſpecie declarat Baldus in *cap.* 1. §. *Judices*, *n.* 4. *de pace tenen. in uſibus feudorum*, *& in l. Obſervare*, §. *Proficiſci*, *quæſt.* 30. *de offic. Proconſ.* tametſi adjiciat eſſe arbitrarium judicibus ſyndicantibus, an eo caſu, qui ſic judicavit, excuſatione dignus ſit. Et ſequitur Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *quæſt.* 33. *n.* 19.

Secunda autem concluſio, videlicet: Qui dubius eſt in 171
morali materia, in qua vertitur ſalutis periculum, tenetur ex præcepto ſequi partem tutiorem, apud ſacros Canones eſt veluti quoddam axioma, & habetur diſertis verbis in *c. Ad audientiam*, *de homic.* ibi: *Quia verò, utrum ex occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium habetur, cùm in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem*, *vos convenit injungere Presbytero memorato*, *ut in ſacris Ordinibus non miniſtret*. *In cap. Significaſti il* 2. *eod. tit.* in illis verbis: *Quod ſi diſcerni non poſſit*, *ex cujus ictu percuſſus interiit, in hoc dubio tanquam homicida haberi debet ſacerdos*; *& ſi fortè homicida non ſit*, *à ſacerdotali officio abſtinere debet*, *cùm in hoc caſu ceſſare ſit tutius*, *quàm temerè celebrare*. Et in *c. Petitio*, *eod. tit.* ibi: *Si de interfectione cujuſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordet*, *à miniſterio Altaris abſtineas reverenter*, *cùm ſit conſultius in hujuſmodi dubio abſtinere*, *quàm temerè celebrare*. Ad idem text. *in cap. Si quis poſitus*, *de pœnit. diſtinct.* 7. ubi Auguſtinus ait: *Vis ergo à dubio liberari? Vis*, *quod incertum eſt*, *evadere? Age pœnitentiam dum ſanus es*: *& in c. Si quis autem*, *ead. diſt. Duæ res ſunt*: *Aut ignoſcitur tibi*, *aut non ignoſcitur*: *quid horum tibi futurum ſit*, *neſcio*. *Ergo tene certum*, *dimitte incertum*: & concordat *c. Juvenis*, *de ſponſal.* ibi: *In his*, *quæ dubia ſunt*, *quod certius exiſtimamus*, *tenere debemus*.

Sed inſignem hanc regulam Canonum plures Theologi ex recentioribus multifariàm conantur evertere. Obji- 172
ciunt enim primò, quòd in re dubia tutiorem partem eligere non ſit præcepti, ſed conſilii tantùm. Sic Suarez *de conſecrat. part.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 6. *num.* 9. *& ſeqq.* Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 11. *&* 64. Malder. in 1. 2.
diſput. 84. *quæſt.* 19. *art.* 5. Moventur præcipuè hoc funda- 173
mento, quia cùm quilibet ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, & famæ, in dubio non debet ſpoliare ſe hac poſſeſſione judicando ſe culpabilem, aut nexu alicujus obligationis innodatum, cùm ſecundùm regulam Juris, in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis, *l. Res alienas*, *C. de rei vendicat. l. Sive autem*, §. *Si duobus*, & ibi Bald. *ff. de public. in rem act. c. Si à Sede*, *de præben. cum concordan.* de quibus per Dec. in *l. In pari*, *ff. de regul. jur.* Quam regulam habere locum non ſolùm in materia juſtitiæ, ſed etiam in materia aliarum virtutum, & in foro animæ, putat idem Sanchez *ubi ſuprà num.* 10. Suarez *de Relig. par.* 2. *lib.* 4. *de voto*, *c.* 5. *num.* 7. Henriquez in *Summ. lib.* 8. *c.* 3. *in gloſſa litera P.* & alii multi.

Mirum autem eſt, tam levi fundamento quàm graves 174
& periculoſas quæſtiones decidant, inter quas non parvi ſunt ponderis infraſcriptæ. Qui dubius eſt, an inciderit in excommunicationem, ſive ſit dubium juris, ſive facti, non debet ſe habere pro excommunicato, nec tenetur petere abſolutionem, quia, cùm ſit in poſſeſſione communicandi cum fidelibus, non debet in dubio ea poſſeſſione privari, Sanchez *loco citato num.* 56. Layman *lib.* 1. *tract.* 5.
c. 5. §. 4. *num.* 38. Et eadem ratione dubitans, an lex im- 175
ponens pœnam excommunicationis ſit uſu recepta, poteſt judicare non eſſe uſu receptam, & contra legem operari, nec propterea incidit in excommunicationem, Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 2. *c.* 19. *quæſt.* 12. quem citat Salas *part.* 2.
quæſt. 21. *tract.* 8. *diſput. unic. ſect.* 18. *num.* 169. Item dubi- 176
tans, an caſus ſit reſervatus, poteſt ab illo abſolvere, Suarez *de cenſur. tom.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 6. *num.* 4. *& de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 15. Emmanuel Sà in *ver. Caſus reſervati num.* 5.
Item qui dubitat, an commiſerit peccatum mortale, non 177
tenetur illud confiteri, Jo. Præpoſ. in 3. *part.* D. Thom. *quæſt. de integrit. Confeſſ. dub.* 3. *n.* 17. Henriquez *in Sum.*
lib. 8. *de Euchariſtia c.* 45. *num.* 3. *in gloſ. littera P.* Item du- 178
bitans de legitima poteſtate Prælati, non tenetur illi obedire, Vaſquez in 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 62. *c.* 6. *in fin.* Salas
in 1. 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. unic. ſect.* 8. *nu.* 78. Item dubi- 179
tans, an beneficium ſit tenue, nec ne, non tenetur offi-
cium

cium recitare, Salas *d. tract.8. diſp. unic. ſect.17. n.* 154. *in*
180 *fin.* Item dubius in die Jovis, an tranſacta ſit media nox,
poteſt tuta conſcientia commedere carnes: At verò in die
Sabbathi dubitans ſimiliter, an media nox exceſſerit, car-
nes comedere non poteſt, Sanchez *de matrimonio, tom.* 1.
lib. 2. *diſp.* 41. *n.* 40. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §.4. *nu.*36.
Villalob. in *Summ. tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 21. *n.* 7. Rationem
diverſitatis afferunt planè ridiculam, quia in primo caſu,
cùm in die Jovis unuſquiſque poſſideat ſuam libertatem ve-
ſcendi carnibus, in dubio manuteneri debet in ea poſſeſ-
ſione contra diem Veneris, ſeu contra præceptum abſti-
nentiæ, pro quo nulla eſt poſſeſſio, & propterea comedens
non peccat, cùm in pari cauſa melior ſit condictio poſſi-
dentis. In ſecundo autem caſu in die Sabbathi poſſeſſio ſtat
pro præcepto, unde peccat, qui carnes comedit, quia
ſpoliat Sabbathum, ſeu præceptum, ſua poſſeſſione abſti-
nentiæ à carnibus.
181 Porrò hæc doctrina multò pernicioſior eſt ſaluti anima-
rum illa, quam nunc tractamus de electione opinionis
probabilis, quia in contrarietate probabilium opinionum
habet quis aliquam rationem apparentem exiſtimandi
182 rem non eſſe dubiam, ſed moraliter certam. At hæc theo-
rica liberè profitetur licitum eſſe operari cum conſcientia
abſolutè dubia, contra manifeſtum Sacrorum Canonum
teſtimonium, & contra unanimem Theologorum, & Ca-
noniſtarum ſententiam, *c. Nervi*, 13. *diſtinct. c. Illud de
Cler. excomm. miniſtr. cum multis concordan.* Innoc. Joan.
Andr. & DD. in *c. Per tuas, il* 2. *de Simon.* Butr. & Anchar.
conſ. 120. *inter conſilia ipſius Ancharani per tot.* Navar. in
manual. c. 27. *nu.* 228. *verſ. Primum quod Judex.* Ideòque
183 Card. Paleot. *de Sacr. Conſiſtor. conſultat. par.*4. *quæſt.*4. *po-
ſteaquam in verſ.* Et tandem aliquando docuit dubitatio-
nem propriè oriri, quando in utramque partem ſe offerunt
rationes æquè probabiles: in verſ. *Sed patet*, ſic ait:
*Conſiliarius dubitationem, qua anteà detinebatur, quærat
ab animo ſuo expellere, priuſquam ſententiam ferat, ſimul-
que ſtudeat ſibi in mentem inducere, aut certè opinari, ſecun-
dum quam ſuffragium ferre ſtatuit veram eſſe: alioquin
conſcientiæ dubiæ contraveniens peccato ſe involveret, ut
Doctores affirmarunt, & infrà verſ. Certè, Cùm res pror-
ſus dubia eſt propter rationes utrinque probabiles, & Con-
ſiliarius non poteſt dubitationem depellere, conſulit, ut in
Conſiſtorio reſpondeat, ſibi non liquere*; & eſt doctrina
D. Thomæ in ſæpiùs citato *quodl.* 8. *art.* 23. dicens, *ex con-
ſcientia aliquem obligari ad peccatum, ſive habeat certam
fidem de contrario ejus, quod agit, ſive etiam habeat opinio-*
184 *nem cum aliqua dubitatione.* Veritas igitur eſt, regulam de
tutiori parte in dubio eligenda in his, quæ animæ ſalutem
reſpiciunt, eſſe abſolutè in præcepto. Quod ſatis probant
Canones præallegati *num.* 171. & proximè citandi, qui
utuntur verbis non ſimplex conſilium, ſed obligationem
importantibus, videlicet: Via eſt tutior eligenda: Pars
ſecurior eſt tenenda: Semitam debemus eligere tutiorem:
Quod certius exiſtimamus, tenere debemus; & aliis hu-
juſmodi. Præterea in *c. Illud, de Cler. excomm. miniſtr.* de-
ciditur de rigore deponendum eſſe Epiſcopum, qui in du-
bio illo tutiorem partem non elegit. Ergo electio hujuſ-
modi eſt in præcepto, quia pro tranſgreſſione conſilii Epiſ-
copus deponi non potuiſſet, *c. Quiſquis præceptis*, 14. *quæſt.*
185 1. Rursùs in *c. Sicut nobis de ſent. excomm.* Epiſcopus jube-
tur excommunicatum vitare, quoties abſolutio eſt dubia.
186 Et concordat textus in *c. Per tuas, eod. tit.* Similiter in *d. c.
Juvenis de ſponſal.* vir, qui contraxit matrimonium cum
puella nondum ſeptenni, de qua propterea dubitatur, an
eſſet viri potens, nec ne, jubetur ſeparari ab ejuſdem puel-
læ conſobrina, quam poſteà duxit in uxorem. Et redditur
principalis ratio, quia in his, quæ dubia ſunt, quod cer-
tius exiſtimamus, tenere debemus. Ergo hæc regula abſ-
que dubio eſt in præcepto, quia, ſi eſſet in conſilio tantùm,
vir non potuiſſet à ſecunda uxore judicio Eccleſiæ ſeparari.
Item ſuadetur in *d. c. Ad audientiam, de homic.* in illis ver-
bis: *Poteris concedere, ut minoribus Ordinibus ſit conten-
tus*; quæ ſatis apertè indicant neceſſitatem diſpenſationis,
ſine qua non licuiſſet in minoribus Ordinibus miniſtrare.
187 Hinc jura præcipiunt, ut Sacerdotes ordinati ab Epiſcopis
incognitis, de quibus dubium eſt an ſint Epiſcopi, nec ne,
debeant iterùm ordinari, ut Gregorius III. ſanxit in *cap.*
188 *Presbyteris*, 68. *diſtinct.* & idem ſtatuit in *c. Parvulos, de
conſecrat. diſtinct.* 4. de parvulis, qui à parentibus ſubtracti
ſunt, & ignoratur an ſint baptizati, ut ſcilicet iterùm ſint
baptizandi: utroque enim caſu abſque dubio tutius eſt, ut
propter periculum ſalutis animæ Sacramentum iteretur.
Hinc etiam cùm Sanctiſſimus rejeciſſet ad Sacram Congre-
gationem Concilii infraſcriptum dubium Vicarii Viennen-
ſis, videlicet: An conſtitutus in minoribus Ordinibus de
Baptiſmo dubitans, iterùm baptizatus ſub hac conditione,
ſi baptizatus es, non te baptizo, in Ordinibus priùs ſuſcep-
tis miniſtrare, aut ab integro ordinari debeat. Sacra Con-
gregatio cenſuit debere ei iterùm Ordines conferri, ex *c.
Veniens, de Presbyter. non baptizat.* ſed ſub conditione, ſi
non erat baptizatus, quando primùm eidem collati fuerunt.
Et eodem modo iterùm conſecrari debet Eccleſia, de qua 189
incertum eſt, an fuerit conſecrata, *cap. Solemnitates, de
conſecrat. diſtinct.* 1. At è converſo cùm dubium eſt, an ma- 190
trimonium ſit validum, non eſt iterùm contrahendum, ſed
præſumitur pro matrimonio, *c. Si quis acceperit*, 33. *quæſt.*
1. Cujus differentiæ rationem aſſignans gloſſa in *d. c. Pres-
byteris, in ver. Et conſecrentur*, quia, inquit, ſine omni
periculo eſt, ſi Sacramenta illa iterentur: ſed periculum eſ-
ſet, ſi judicaretur non eſſe matrimonium, ubi eſt. Indiſtin-
ctè igitur in dubio pars tutior eligenda eſt; quæ neceſſitas
ſurgit principaliter ex obligatione, qua quis tenetur vitare
periculum peccati, ut mox dicemus.
Nec quidquam obſtat, quòd in pari cauſa melior ſit con- 191
ditio poſſidentis. Siquidem hæc regula procedit in mate-
ria juſtitiæ, & in foro judiciali dumtaxat, non autem in
materia aliarum virtutum, & in foro conſcientiæ, ſecun-
dùm veriorem ſententiam, quam ex recentioribus tuen-
tur Vaſquez in 1. 2. *diſput.* 65. *c.* 3. & *diſp.* 66. *c.* 1. Sayr. in
Clavi regia, lib. 1. *c.* 13. *num.* 9. & 36. Salas in 1. 2. *quæſt.* 21.
tract. 8. *diſp. unic. ſect.* 25. *nu.* 252. Azor. *Inſtit. moral. tom.*
1. *lib.* 2. *c.* 18. *quæſt.* 4. & *lib.* 11. *c.* 15. *quæſt.* 2. Et tenent com-
muniter Canoniſtæ, quos inferiùs citabimus *num.* 196.
Eamque probant textus expreſſi 1. in *d. c. Illud, de Cler.* 192
excomm. miniſtr. ubi quamvis Epiſcopus ille eſſet in poſſeſ-
ſeſſione libertatis communicandi cum fidelibus, tamen
dicitur deponendus propterea, quòd in dubio non geſſit ſe
pro excommunicato, nec abſtinuit à Divinis. Secundò 193
in *c. Dominus, de ſecundis nuptiis*, ubi deciditur, mulierem
dubitantem de morte prioris conjugis non poſſe pergere in
poſſeſſione debitum exigendi à ſecundo marito. Tertiò
in *c. Inquiſitioni, de ſent. excommun.* ubi conjux, dubitans
probabiliter de impedimento dirimente, ſimiliter prohi-
betur debitum exigere, non obſtante exigendi poſſeſſio-
ne. Quartò in *d. c. Significaſti, il* 2. *de homic.* ubi non ob-
ſtante ratione adducta, quòd in dubio nemo debeat ſe ju-
dicare culpabilem, & ſpoliare ſe ſua poſſeſſione, ſtatui-
tur, ut ſi diſcerni non poſſit, ex cujus ictu percuſſus inte-
riit, in hoc dubio tanquam homicida haberi debeat Sacer-
dos, etſi fortè homicida non ſit, &c. Et concordant textus
præallegati *num.* 171. in quibus deciditur, in dubio Sacer-
dotes debere ſe reputare irregulares, & à miniſterio Al-
taris abſtinere, nec ulla habetur ratio poſſeſſionis ſuæ li-
bertatis, quæ profectò ſi attendenda eſſet, nunquam da-
retur caſus, ut quis teneretur tutiorem partem eligere, &
hoc præceptum, tam crebrò à Sacris Canonibus inculca-
tum, eſſet ludibrio poſitum, ut cum Baldo loquar in *c.* 1.
num. 1. *in fin. de pace juram. firman.* Præterea in interdicto, 194
Uti poſſidetis, ſeu *Retinendæ*, Prætor tuetur poſſeſſorem,
ne à litigatore de ſua poſſeſſione vi dejiciatur, *l.* 1. *in princ.
ff. Uti poſſidetis*, & datur hoc interdictum, vel cùm poſ-
ſeſſor ab alio turbatur, *l. unic. C. eod.* Lap. *allegat.* 73. *in q.
num.* 3. *verſ. Iſte videtur*, & *num.* 4. *verſ. Tertium probat.*
vel cùm duo contendunt de poſſeſſione, Bartol. in *d. l.* 1.
§. *Hujus autem interdicti*, Anchar. *conſ.* 274. *Ad declara-
tionem in princ.* Ergo hoc habet locum dumtaxat in materia
Juſtitiæ, quæ eſt in ordine ad alium, non autem in aliis
virtutibus, quæ ſunt in ordine ad ſeipſum, quia nemo
in ſua poſſeſſione à ſeipſo perturbatur, nec de illa ſecum
contendit, aut litigat. Nec, ut ait Vaſquez in 1. 2. *diſp.*
65. *c.* 3. *verſ. Qui verò priorem*, poteſt quis contra Deum
opponere, quòd melior ſit conditio poſſidentis. Et ſa-
nè, quis imaginari unquam poterit Deum litigare,
& contendere nobiſcum de anterioritate, & potiori-
tate poſſeſſionis, quinimò & ſuccumbere in cauſa, ſi
noſtra poſſeſſio anterior ſit? Ad hæc, quæ traduntur 195

Doctoribus de hoc interdicto, *Uti poſſidetis*, veluti quòd
in eo probanda ſint duo extrema : alterum, ut actor poſſi-
deat ante litem conteſtatam : alterum, ut inquietetur ab
adverſario, Angel. Aret. *conſ.* 19. *Videtur omninò, in princ.*
Quòd uterque ſit actor, & uterque reus, *d. l.* 3. & §. *pe-*
nult. Inſtit. de Interdict. Alex. *conſ.* 88. *Quoniam in princ. l.*
5. & alia his ſimilia. Item regulæ, quòd cùm ſunt partium
jura obſcura, reo favendum ſit potiùs, quàm actori, *cap.*
Cùm ſunt partium, de reg. jur. lib. 6. & *l. Favorabiliores, ff.*
eod. & quòd, accuſatore non probante, abſolvendus ſit
reus, etiamſi nihil præſtiterit, *c. un. ut Eccleſiaſtica beneficia.*
Hæc, inquam, omnia nullatenus verificari poſſunt in foro
conſcientiæ, ſed in materia juſtitiæ, & in foro fori dumta-
196 xat. Ac propterea in dubio tenetur quis ſequi partem tu-
tiorem, & æſtimare ſe culpabilem tantummodò in foro
pœnitentiali, vel quaſi pœnitentiali, ubi non agitur ad pœ-
nam propriè; non autem in foro contentioſo, ubi agitur
merè ad pœnam imponendam, ut diſtinguit Abb. in *c. Ad*
audientiam, num. 2. *de homic.* ubi etiam Marian. Socin. *q.*
3. *num.* 18. *& ſeqq.* & Felin. *num.* 1. Et in *c. Significaſti, il* 2.
eod. tit. Idem Abb. *num.* 4. Jo. de Anan. *num.* 23. Marian.
Socin. *num.* 4. & *in verb. Dubium*, Roſella *in princ.* Angel.
197 *num.* 2. Silveſter *quæſt.* 4. *num.* 7. & eſt ex mente aliorum in
d. c. Ad audientiam, qui in hac materia conſtituunt duas
regulas : alteram negativam, id eſt, Judex in dubio non
debet judicare quemquam irregularem : alteram affirma-
tivam, id eſt, quilibet in dubio tenetur judicare ſe irre-
gularem, & abſtinere à miniſterio Altaris, ut Hoſtienſis
in fin. Jo. Andr. *num.* 5. Anton. de Butr. *in fin.* Anchar. *num.*
15. Jo. de Anan. *in fin.* Prima enim regula procedit in ma-
teria juſtitiæ, & in foro judiciali, ubi agitur ad pœnam.
Secunda verò in foro pœnitentiali, vel quaſi, in quo ne-
ceſſariò ad evitandum periculum pars tutior eſt eligenda,
ut declarat ibi Card. *num.* 77. Majol. *de Irreg. lib.* 4. *c.* 2. *nu.*
3. *reg.* 7. & *lib.* 5. *c.* 51. *num.* 10. *verſ. Secundo limitatur.* Na-
varr. in *Manual. c.* 27. *num.* 194. Unde patet non conclu-
198 dere illationem Suarez *de cenſur. d. diſp.* 40. *ſect.* 6. *num.* 3.
& Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 42. videlicet
Judex non cogitur imponere pœnam, quæ per ſententiam
imponenda eſt, donec in ſuo foro certus ſit de delicto.
Ergo nec reus cogetur in conſcientia exequi in ſe pœnam
legis, donec in eodem foro conſcientiæ ſit certus de
199 delicto. Quandoquidem plurimum intereſt inter utrum-
que caſum; & rationem differentiæ dilucidè aſſignat D.
Thomas in 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 4. dicens : *Ubi non apparent*
manifeſta indicia de malitia alicujus, debet unuſquiſque
eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando,
quod dubium eſt; alioquin injuriatur ei, & contemnit ip-
ſum. Nullus autem debet alium contemnere, aut nocu-
mentum quodcumque inferre abſque cauſa cogente. At verò
circa ſeipſum homo debet dubia interpretari in pejorem par-
tem, ſecundum illud Job. 9. *Verebar omnia opera mea. Eò*
quòd, cùm debemus noſtris malis adhibere remedium, expe-
dit ad hoc, ut ſecurius remedium apponatur, ut ſuppona-
tur id, quod eſt deterius. Hæc D. Thomas. Idem voluit
gloſſa in *c. unic. in ver. Æſtimare, de ſcrutinio*, quæ conci-
liando jura in articulo, An quis in dubio præſumatur culpa-
lis, necne, hoc, inquit, generale eſt, ut, ubi vertitur peri-
culum animæ, præſumatur in deteriorem partem, *de ſpon-*
ſal. c. juvenis, & 68. *diſtinct. c. Presbyteri.* Sed circa judi-
cia præſumitur potiùs juſtum, vel bonum, quàm è conver-
ſo, 86. *diſt. c. Si quis*, 11. *quæſt.* 3. *c. In cunctis*, 22. *quæſt.* 4. *c.*
Innocens, & *ff. De probat. l. Ab ea parte.* Quam gloſſam
dicunt notabilem, Abb. in *d. c. Ad audientiam, num.* 2. &
200 Marian. Socin. *num.* 20. *de homic.* Et idem notat Petrus de
Anchar. in *c.* 2. *n.* 2. *in* 3. *notab. infrà de obſer. jejun.* dicens:
Licèt in aliis facienda ſit benigna interpretatio, ne quis ſit
obligatus in dubio, ut l. Arrianus, de act. & obligat. & *c. Ex*
literis, de probat. tamen in obligationibus, quæ concernunt
Deum, tutius eſt præſumere quem ligatum, quàm ſolutum, ut
201 *ibi notat Hoſtienſis.* Ad hæc in judicio neutra pars periculo
vacat; nam ſi judex damnat innocentem, peccat contra
proximum, cui ſine cauſa injuriatur, *l.* 1. *ff. De injuriis.*
S. Thomas *ubi ſuprà.* Si abſolvit criminoſum, peccat con-
tra Rempublicam, cujus intereſt, ne delicta remaneant
impunita, *c. Ut famæ, de ſentent. excommun.* Ergo cum in
Judice non ſit propriè reperire partem tutiorem, in du-
bio ſervandæ ſunt regulæ à jure præſcriptæ, ut dicemus
infrà in 5. *concluſ. num.* 235. & præferendum quod eſt be-
nignius, & favorabilius, *l. Majorem, ff. De pact.* ibi:
Sin autem omnia undique in unam æqualitatem concur-
rant, humanior eſt ſententia à Prætore eligenda, *l. Sem-*
per in dubiis, ff. De regul. jur. c. In pœnis, eodem tit. lib. 6.
ſecundùm Innocentium in *d. c. Ad audientiam, in fin.* 202
nam ſatius eſt impunitum relinqui facinus nocentis,
quàm innocentem damnari, ut legitur in *l. Abſentem, ff.*
De pœnis. Et quamvis Covarruvias, & multi Theolo-
gi appellent tutiorem partem illam, cui ineſt minus
mali; propriè tamen illa dici non debet pars tutior, quia
verè utrinque imminet periculum, licèt inæquale, ut di-
cam *infra num.* 229. At verò in foro animæ periculum re-
gulariter eſt ex una parte dumtaxat, *c. Significaſti, il* 2.
de homic. ibi : *Pro eo quòd in altero nullum, in reliquo ma-*
gnum periculum timeatur; nam reus, judicando ſe culpa-
bilem, nulli periculo ſe exponit, nec cuiquam infert in-
juriam, quæ non fit volenti, & conſentienti, *l. Cùm do-*
nationis, C. De tranſ. l. 1. §. *Uſque adeò, ff. De injur. cum*
concordan. Sed judicando ſe innocentem, exponit ſe peri-
culo peccati, & infert injuriam Deo, cujus præceptum
contemnit ſecundùm D. Thomam *quodlib.* 8. *art.* 13. Ergo
tenetur abſolutè ſequi partem tutiorem. Quam differen-
tiam clarè etiam poſuit Abb. in *d. c. Significaſti, num.* 4.
dicens : In foro conſcientiæ debere quem cenſeri irregu-
larem, quia in ceſſatione à miniſterio altaris nullum ſub-
eſt periculum : ſed ſi ageretur ad pœnam, ibi ſubeſt peri-
culum, quia innocens non debet puniri, ut alius nocens
relinquatur impunitus. Et idem dixit in *d. c. Ad audien-*
tiam, num. 2. *eod. tit.* Unde Innocentius in *c. Cùm tu, in*
fin. de teſtibus, docet abſolutè in foro externo amplecten-
dam eſſe partem benigniorem; in foro autem conſcientiæ
tutiorem; & ſequuntur ibi Hoſtien. *num.* 2. Jo. Andr. *in*
fin. Card. *n.* 1. *in* 1. *oppoſ. in fin.* Boich. *num.* 2. & Bellamer.
num. 2. Nec prædictis adverſatur *c. Eſtote miſericordes, in-*
frà de regul. jur. ubi indiſtinctè cavetur, ut dubia in me-
liorem partem ſint interpretanda. Quoniam vel intelligi-
tur in foro externo juxta primum membrum Innocentii:
vel ſi intelligatur in foro conſcientiæ, verbum illud, *melio-*
rem, exponi debet, id eſt, *ſecuriorem*, pro eo, quòd in al-
tero nullum, in altero verò magnum periculum timeatur:
ut ibi declarat gloſſa 1. communiter approbata. Imò ſi 203
benè advertatur, pars tutior in foro conſcientiæ eſt etiam
favorabilior; negari enim non poteſt, quin utilius, &
favorabilius ſit incedere per viam tutam, quàm per viam
periculoſam, ut ex ſe patet. Unde gloſſa in *c. unic. in ver.*
Æſtimare, de ſcrutinio, poſteaquam dixit generale eſſe,
ut, ubi vertitur periculum animæ, præſumatur in dete-
riorem partem, ſtatim ſubdit : ſed licèt videatur deterior,
tamen melior, & tutior eſt; allegat ſimile *de conſecrat.*
diſt. 4. *c. Parvulos.* Porrò ſi daretur caſus, ut etiam re- 204
ſpectu Judicis verè una pars eſſet tutior, ita ut altera pars
vacaret omni periculo, tunc electio tutioris partis eſſet
in præcepto, etiam in foro judiciali propter identitatem
rationis. Et in hunc ſenſum admitti poteſt opinio illo-
rum Theologorum, qui ſcripſerunt regulam de tutiori
parte eligenda procedere in utroque foro, ut Vaſquez in
1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſput.* 65. *c.* 3. *verſ. Qui vero prio-*
rem. His accedit, quòd etſi in quæſtione illa, An poſſeſ- 205
ſorium detur in incorporalibus, prævaluerit opinio af-
firmativa Innocentii, & Canoniſtarum in *c. Querelam*
de elect. contra opinionem negativam Legiſtarum, de
qua per Speculat. in *tit. De reſt. ſpoliat. in* 4. *p.* §. *Nunc di-*
camus, tamen controverſia hæc procedit in cauſis civili-
bus tantùm. At verò in criminalibus, quamvis inquiſiti
allegare ſoleant, delictum non præſumi, niſi probetur, eò
quòd unuſquiſque præſumatur bonus, quamdiu non pro-
betur malus, & alia id genus : tamen non eſt hactenus
auditum apud Juriſconſultos, ut in hac materia allegave-
rint poſſeſſionem; imò ſi reus accuſatus, vel inquiſitus
de homicidio, furto, vel rapina, peteret ſe abſolvi, eò quòd
ſit in poſſeſſione non committendi hujuſmodi facinora, &
Judex pronunciaret eum eſſe manutenendum in dicta poſ-
ſeſſione, eſſet profectò ridiculus. Quare ſi, ubi agitur
de crimine, ineptè allegatur poſſeſſio in materia juſtitiæ,
etiam in foro judiciali; multò ineptiùs allegatur in mate-
ria aliarum virtutum, & in foro conſcientiæ, in quo non be-
nignior, ſed tutior pars eligenda eſt, ut oſtenſum eſt ſupra.

Præ-

Præterea vis agnoſcere in quantas abſurditates te conjiciat aſſertio tua, quòd in foro conſcientiæ homo ſit manutenendus in poſſeſſione ſuæ libertatis, & famæ contra Deum, & legem? attende diligenter.

Judicium conſtat ex tribus perſonis, id eſt, judice, actore, & reo, *c. Forus*, §. *In omni, de verborum ſignificat. l. Ubi, C. Ad legem Corneliam, de falſ. l. Inter litigantes, ff. De judic.* Tu dicis hoc judicium de poſſeſſione agi inter Deum, & hominem. Inquiro, quis erit judex, qui in hac cauſa pronunciet, & hominem in ſua poſſeſſione contra Deum manuteneat? Bart. in tract. quæſtionis ventilatæ coram Jeſu Chriſto inter Virginem Mariam ex una parte, & Diabolum ex altera, facit Diabolum actorem, & humanum genus reum, ejuſque Advocatam SS. Virginem, & Judicem Jeſum Chriſtum: Tu verò conſtituis Deum actorem, & hominem reum, ſed judicem non deſignas.

Item interdictum retinendæ datur, cùm duo contendunt de poſſeſſione, ne veniant ad arma, *l. Æquiſſimum, ff. De Uſufruct.* Jaſ. in *l. Quidam exiſtimarunt, col. 3. nu. 4. ff. Si cert. pet.* Tu verò, qui dicis hoc interdictum habere locum inter Deum, & hominem, de poſſeſſione contendentes in foro animæ, conſidera, an inter tales perſonas, & in tali foro ſubſit hujuſmodi periculum ad arma veniendi.

Item judicium retinendæ eſt ſummariiſſimum. Rota *diverſ. deciſ. 641. num. 8. par. 1.* & momentaneum. Cagnol. in *l. In pari, num. 6. ff. De reg. jur.* Cæſar de Graſſis *deciſ. 22. alias 2. num. 5. de reſtit. ſpoliat.* & eſt præparatorium judicii poſſeſſorii principalis atque plenarii. Bero. *conſ. 11. num. 1. lib. 1.* & datur quouſque cauſa cognoſcatur in pleno poſſeſſorio, vel petitorio, & ideò alicubi appellatur, *l. Interim*, quia expectat aliud judicium poſt ſe. Rota in *Tiraſonen. Decimarum coram Cardinale Marquemontio impreſſa apud Marcheſanum de Commiſ. p. 1. fol. 1262. num. 2.* Covarruvias *pract. quæſt. c. 17. in Rubr. & num. 2.* Dic ergo tu, qui aſſeris hoc judicium agitari inter Deum, & hominem, ſi in eo Deus ſuccumbat, & potior ſit conditio hominis ſuam libertatem poſſidentis, quo pacto ſuccurratur Deo, & coram quo jus ſuum proſequetur in pleno poſſeſſorio, vel in petitorio judicio, ad præſcriptum legis *Exitus, ff. de acquirend. poſſeſſ.*

Item regula juris, quòd potior ſit conditio poſſidentis, procedit tantùm in dubio, ut notat gloſſa 1. *ad fin. in c. fin. pari, de reg. jur. lib. 6.* & cùm jura partium ſunt obſcura, ut *c. Inter dilectos, de fide inſtrum.* Idque ſatis clarè admittunt adverſarii, dum ad elidendam regulam, quòd in dubio pars tutior ſit eligenda, opponunt ei contrariam regulam, quòd imò in dubio ſit melior poſſidentis conditio. At quomodo fieri poteſt, ut res dubia ſit, & obſcura ex parte Dei, cui omnia ſunt plana, & aperta? *c. Deus omnipotens, 2. quæſt. 1. c. Novit, de offic. Delegati.* Neque inſiſtas dicendo rem eſſe obſcuram ex parte hominis; quoniam hoc non ſufficit, cùm prædicta regula non intret, niſi quando jura ſunt obſcura ab utraque parte; alioquin ſi jus actoris ſit clarum, & liquidum, & jus rei conventi ſit dubium, ac turbidum; non pro reo, ſed pro petitore eſt pronunciandum. Arg. *d. c. Inter dilectos, de fide inſtrum.* & *l. Res alienas, C. De rei vendic.* à contrario ſenſu, & notat Baldus *conſ. 459. Qualiter probentur, n. 2. verſ. Sed quid eſt, lib. 3.*

Item poſſeſſorium non datur contra titulo poſſidentem, quando titulus eſt juſtus, & cum bona fide, *c. Licèt cauſam de probat.* Alexand. *conſ. 89. Excelllentiſſimi, num. 7. verſ. Accedo ad poſſeſſorium, lib. 5.* Unde etiam ſi ſolo poſſeſſorio agatur, qui juſtificat poſſeſſionem ſuam cum titulo, præferri debet. Baldus *conſ. 161. in fin. verſ. Illud etiam, lib. 3.* Quinimò poſſeſſio titulata quantumcumque junior præfertur non titulatæ, quia magis dicitur juſtificata per punctum rationis, *d. c. Licèt cauſam.* Bart. in *l. Si duo, col. 2. ff. Uti poſſidetis.* Bald. in *l. Qui accuſare, in ult. notab. col. fin. C. de edendo.* Poſſeſſio autem ex parte Dei præterquàm quod eſt antiquior, ut inferiùs dicemus, ſemper eſt cum titulo juſto, & cum bona fide, quia *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo*, ut in *Pſalm. 23.* Nullo igitur caſu dari poteſt contra Deum potioritas poſſeſſionis ex parte hominis.

Item regula, quòd melior ſit conditio poſſidentis, non obtinet, niſi cùm jura utrinque ſunt paria, ut *l. In pari cauſa, ff. De reg. jur. c. In pari, eod. tit. lib. 6. l. Si autem, §. Si duobus, ff. De public. in rem act. l. Si ſervum ſtipulatus, §. Sequitur, in fin.* ibi: Cùm par utriuſque cauſa eſt, quare non potentior ſit qui tenet, quàm qui proſequitur? *ff. De verborum obligat.* At quomodo poteſt eſſe par cauſa inter Deum, ſeu legem præcipientem, & libertatem hominis, cùm Deus & lex, imperium, & poteſtatem habeant conſtringendi libertatem hominis, *l. Leges ſacratiſſimæ, C. De legib.* & homo cum tota ſua libertate vim nullam habeat reſiſtendi, ſecundùm illud Geneſis 50. 19. *Num Dei poſſimus reſiſtere voluntati? c. Qui reſiſtit, 11. quæſt. 3. c. Quiſquis præceptis, 14. q. 1.*

Item interdictum retinendæ non datur contra ſupremum Superiorem. Menochius *de retinend. quæſt. 2. num. 152.* numquid ergo dabitur homini contra Deum, qui, ut dicitur Deuter. 10. 17. *eſt Deus deorum, & Dominus dominantium?*

Item hoc interdictum datur poſſeſſori quantumcumque injuſto, quia etiam prædo in ſua poſſeſſione eſt manutenendus, *c. In literis, cum materia, de reſtit. ſpoliat. d. l. Res alienas, C. De rei vendic.* Prædo autem, & qui rem alienam injuſtè detinet, utique eſt in peccato mortali, quamdiu non reſtituit, ut in regula Sexti, *Peccatum non dimittitur, &c.* At quomodo poteſt cadere in mentem hominis, ut in quæſtione inter Deum, & hominem, & in foro conſcientiæ, homo ſit manutenendus in poſſeſſione mortalis peccati? Certum eſt enim non dari poſſeſſionem cauſativam peccati; quinimò Judex etiam ex officio, & nemine petente, debet amovere à tali poſſeſſione. Gemin. *conſ. 76. in princ.* Plenè Menoch. *de retinend. remed. 3. n. 156.* Ruin. *conſ. 28. lib. 4.* Igitur interdictum retinendæ in foro conſcientiæ locum non habet.

Item Regula Sexti, de qua in *d. c. In pari*, eſt complicata; ſic enim ſe habet: In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis. Et quoad delictum gloſſa exemplificat in duobus caſibus. Primò in eo, qui repetit pecuniam, quam dedit pro iniquo judicio, *c. Non ſanè, 14. quæſt. 5.* Secundò in eo, qui uſuras, quas ſolvit, repetit, *c. Quia fruſtrà, de uſur.* At hi duo caſus locum non habent in foro conſcientiæ; nam quoad primum, quamvis ille, qui dedit pecuniam pro iniquo judicio, repetere non poſſit, & potior ſit conditio Judicis poſſidentis in foro externo; tamen ſecùs eſt in foro animæ, quia non poteſt pecuniam malè acceptam ſibi retinere, ut in *Extravag. prima Bonifacii VIII. de ſent. excom. & in Bulla Santiſſ. Domini noſtri Alexandri VII. de datis, & promiſſis.* Et quoad ſecundum, Uſurarius quamvis uſuras, quas ſolvit, repetere non poſſit; tamen ille, qui accipit, non poteſt eas ſibi retinere in foro conſcientiæ, ſed tenetur pauperibus erogare; ut in *c. Cùm tu, de uſur.* Quare cùm regula in pari delicto non habeat locum in foro conſcientiæ; ergo nec in pari cauſa, quia una determinatio reſpiciens duo determinabilia debet utrumque æqualiter determinare, vulgata *l. Jam hoc jure, ff. De vulgar.*

Item cùm hæc regula, ut prædixi, locum habeat tam in pari delicto, quàm in pari cauſa: Si tu pertinaciter contendis eamdem regulam habere locum etiam in foro conſcientiæ, & cùm vertitur quæſtio inter Deum, & hominem: Ergo ſupponis in Deo poſſe cadere delictum. Quod eſt non tam impium, quàm impoſſibile, cùm potentia Dei non ſe extendat ad peccatum, gloſ. in *c. Firmiter, in ver. Omnipotens, ſupr. de Summa Trinitate, & Fide Catholica.* S. Thomas in *1. par. quæſt. 25. art. 3. ad 2.* Card. Bellam. in *c. Per principalem, n. 87. verſ. Secundò igitur hoc probo, 9. quæſt. 3.*

Item ut dicunt adverſarii, In dubio nemo debet ſpoliari ſua poſſeſſione. Inquiro, à quo? Non à Deo, quia Deus neminem ſpoliat, nec nocet, nec nocere patitur aliquem injuſtè, *c. Secundum, 11. quæſt. 3.* Cùm non ſit auctor mali, gloſſa in *c. Nabuchodonoſor, in ver. Cum verò, 28. q. 4.* ſed ſumma juſtitia, *c. Quicumque, 11. quæſt. 3.* Neque à ſeipſo ſpoliari quis poteſt invitus; quia nemo cogitur à ſeipſo. S. Thomas in *1. 2. quæſt. 96. art. 5. ad 3.* Facit textus in *c. Debitum, cum concord.* de quibus ibi in gloſ. *1. de Baptiſ.*

Ac demum, aliis omiſſis, regula de tutiori parte in du- 206
bio eligenda habet fundamentum in jure naturali divino,
quo prohibentur omnes exponere ſe periculo divinæ of-
fenſæ, ſeu propriæ ſalutis, ſecundùm illud Eccleſ. 3. 27. *Qui*
amat periculum, in illo peribit. Unde S. Thomas *quodlib. 8.* 207
art.

art. 13. *in princ.* ait : *Quicumque committit ſe diſcrimini in his, quæ ſunt ad ſalutem, peccat* ; & *quodlib.* 9. *art.* 15. *in* 4. *argumento contrario : Quicumque*, inquit, *committit ſe diſcrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter* ; & *quodlib.* 3. *art.* 9. *ad* 3. *Quicumque non cavet pericula, videtur contemnere id, cujus detrimentum pericula inducere poſ-*
208 *ſunt*. Et Scotus in *fine ſecundæ quæſtionis prologi ſententiarum* notabiliter ait : *Multa in actibus humanis ſunt dubia, utrum ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum, & Expoſitorum ; tamen non eſt dubia via ſalutis, quia à talibus tamquam periculoſis debet homo ſibi cavere, & ſe cuſtodire, ne, dum exponit ſe periculo, incidat in peccatum. Quod ſi noluerit quærere ſalutem, ſed non curando, exponit ſe periculo, ubi fortè actus de genere ſuo non eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter ſeſe periculo exponendo*. Et in 4. *diſt.* 17. *quæſt. unic.* dicit : *Ubi via eſt facilior, id eſt, magis in poteſtate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam, ita quod, omiſſa illa, non attentet aliam difficiliorem, & incertiorem, quia tunc ſe exponeret periculo ſalutis ſuæ, & videretur eſſe contemptor propriæ ſalutis*. Hactenus verba Scoti. Et hanc rationem periculi conſiderant Sacri Canones in præcepto de electione partis tutioris, ut patet ex verbis *dicti cap. Significaſti, il* 2. *de homic.* pro eo, quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur ; & in *cap. Inquiſitioni, de ſent. excomm.* ibi : *Ne contra judicium conſcientiæ committat offenſam* ; & in Clem. *Exivi*, §. *Item præterea, de verborum ſignificat*, ibi : *In his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad evitandos graves remorſus conſcientiæ pars tutior eſt tenenda*. Et hæc eſt ratio, cur non liceat operari cum conſcientia dubia ſecundùm communem opinionem, de qua ſupra *nu.* 182. At contra jus divinum, & ubi agitur de materia peccati, certum eſt, nullam poſſeſſionem, imò nullam præſcriptionem, aut conſuetudinem ſuffragari poſſe, *c. fin.* ubi DD. de conſuetudine. Et propterea ſecundùm S. Thomam *quodlib.* 8. *art* 13. qui poſſidet plures præbendas, & propter contrarietatem opinionum in dubitationem adducitur, non poteſt, manente tali dubitatione, ſe in ea poſſeſſione conſervare, quia periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccato, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Ergo perperam allegatur poſſeſſio ad vitandum præceptum Sacrorum Canonum de
209 tutiori parte in dubio eligenda. Neque enim interdictum, *Uti poſſidetis*, dari poteſt in materia nutritiva peccati, &
210 contra jus divinum, Menoch. *de retinend. q.* 24. *n.* 156. Nec quando jus reſiſtit, Seraph. *dec.* 1463. *n.* 2.

Vides ergo quàm multæ ſequantur ineptiæ, & abſurditates ex tua aſſertione, quòd homo in foro conſcientiæ ſit manutenendus in poſſeſſione ſuæ libertatis contra Deum, & legem, adeò ut valdè mirandum ſit, quòd nonnulli Confeſſores in foro Sacramentali talem theoricam in praxi ſervare, & docere non vereantur in perniciem anima-
211 rum. Et nihilominus etiamſi concederemus in dubio judicandum eſſe pro poſſeſſore, non ſolùm in materia Juſtitiæ, & in foro judiciali, ſed etiam in materia aliarum virtutum, & in foro conſcientiæ, quod eſt omninò falſum : tamen obſervandum eſt, in foro interno, & in materia aliarum virtutum poſſeſſionem non ſtare pro libertate humana, ſed pro Deo & lege : quandoquidem in ipſo inſtanti, in quo homo incipit habere uſum rationis, & eſſe doli capax, reperitur ligatus nexu obligationis ſervandi præcepta divinæ legis, & contra eam non peccandi, ut legitur & notatur in *cap.* 1. *De delict. pueror.* & conſequenter non exponendi ſe peccati periculo. Lex autem præcedit peccatum, quia, ut dicitur 2. ad Romanos 8. *ſine lege peccatum mortuum erat*. Ergo poſſeſſio ſemper eſt pro Deo, & lege, non autem pro libertate hominis ; ac proinde ineptè allegatur ex parte hominis, quòd potior ſit conditio poſſidentis, quia poſſeſſio ſtat ſemper pro obligatione abſtinendi ab actu, de quo dubium eſt an ſit licitus, vel illicitus, ut optimè deducit Candidus Philalethus in *prædlleg. tract. de opinionum praxi, quæſt.* 7. *ver. Dico quintò pag.* 148. *& verſ. Dices in materia Juſtitiæ pag.* 149. *& verſ. Minor probatur pag.* 151. Exemplificat in eo, qui emiſit votum, & dubius eſt an illud adimpleverit, necne : poſſeſſio enim ſtat pro præcepto, & non pro libertate, cùm præceſſerit obligatio. Et quamvis contrarium putet in eo, qui dubius eſt, an votum emiſerit, quia tunc ſecundùm eum poſſeſſio ſtat pro libertate, & non pro præcepto ; tamen hoc ſtare non poteſt : ponamus enim re vera hominem emiſiſſe votum, ſed poſteà non bene recordari, & dubitare an illud emiſerit, nec ne ; ſanè ſi dicat homo, ego protsùs ſum dubius an votum emiſerim, & in hoc dubio nolo me ſpoliare poſſeſſione meæ libertatis, cùm nulla lex me conſtrinxerit ad vovendum, *c. Integritas*, 32. *quæſt.* 1. Quia Dominus exigit oblatum, ſed non exigit offerendum, *c. Nuptiarum, in fin.* 27. *quæſt.* 1. Contra Deus dicit, ſi tu es dubius, ego certus ſum te voviſſe, & ideò nulla eſt poſſeſſio ex parte tua : *Sequere ergo in tuo dubio partem tutiorem, & redde Altiſſimo vota tua*, ut in Pſalmo 49. 14. & in *cap. Per tuas, de voto*. Quod ſi adhuc inſiſtat homo, & dicat, fortè ego non vovi, & Deus ſcit me non voviſſe, & ideò volo pergere in poſſeſſione libertatis meæ. Contra eſt, quia fortè tu voviſti, & Deus ſcit te voviſſe, & ſic incerta eſt tua poſſeſſio ; quia ſi voviſti, poſſeſſio ſtat pro Deo, & præcepto, ſecundùm illud Pſalm. 75. 12. *Vovete, & reddite*. Si non voviſti, poſſeſſio ſtat pro tua libertate : tu dubius es quid egeris, & incertus es ita ne ſit, vel non ; quomodo ergo potes perſeverare in poſſeſſione, ſi dubitas te poſſidere ? cùm & poſſeſſionem amittat, qui ſuſpicatur ſe poſſe repelli, *l.* 3. §. *Si quis nuntiet*, & ibi gloſ. in *verb. amiſiſſe*, & *l. Si id, quod in princ. &* §. *fin. ff. de acquirend. poſſeſ. l.* 1. §. *ſive autem, ff. de vi & vi armata*. Quare ſi tu facis actum, de quo dubitas, an ſit contra votum, nec ne, utique exponis te periculo mortalis peccati ; & ideò mortaliter peccas, etiam ſi actus ex ſuo genere non ſit malus, ſecundùm D. Thomam, & Scotum proximè citatos ; nec tibi ſuffragari poteſt prætenſa poſſeſſio libertatis, cùm incerta ſit, & dubium non tollat. Quod tamen ex abundanti dictum ſit, quia re vera ineptiſſima eſt hæc contemptio de potioritate poſſeſſionis inter Deum, & hominem, & ideò nihil obſtat regulæ Sacrorum Canonum de optione partis tutioris.

Objiciunt ſecundò, quòd prædicta regula de tutiori parte in dubio eligenda procedat tantùm in dubio facti, in quibus terminis loquuntur, *c. Ad audientiam, c. Significaſti, il* 2. *& c. penult. de homic.* non autem in dubio juris. Quod tenent Suarez *tom.* 5. *de conſecrat. diſput.* 40. *ſect.* 5. & Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 37. Cæterùm nullam rationem diverſitatis aſſignant, & in contrarium eſt textus in *c. Illud de Cler. excomm. miniſtr.* ubi in dubio juris, an ſententia excommunicationis lata à Delegato, non præmiſſa monitione, & ante intimationem liget, nec ne, deciditur tutiorem partem eſſe eligendam. Nec refert, quòd ille textus procedat in dubio juris perſonæ, id eſt, cùm jus eſt quidem certum in ſeipſo, ſed quis putat illud eſſe dubium, & habet conſcientiam erroneam, ut videtur ſentire ibi gloſſa in fin. non autem in dubio juris abſoluto, ut diſtinguit Suarez *d. quæſt.* 5. *verſ. Ulterius advertere oportet*, & Sanchez *ubi ſuprà*. Siquidem neque inter hos duos caſus aſſignari poteſt ulla ſufficiens ratio differentiæ : nam cùm jus eſt abſolutè dubium, aut quis credit illud eſſe certum, aut credit eſſe dubium : ſi credit eſſe certum, tunc res eſt extra terminos præſentis controverſiæ, quia is non verſatur in dubio, & ideò poteſt ſequi opinionem minùs tutam, etiam ſi illa ſit falſa, quia excuſatur propter ignorantiam juris obſcuri, & intricati, ſecundùm Innocentium in *cap. Per tuas, il* 2. *de Simon.* aut credit illud eſſe jus dubium ſicuti eſt, & tunc dubium juris abſolutum concurrit cum dubio perſonæ, cum quo operari non licet abſque peccato, ut fatentur iidem Suarez, & Sanchez. Imò etiamſi jus ſit certum, & clarum, & quis 213
operetur ſecundùm illud : tamen ſi opinetur eſſe dubium, peccat propter conſcientiam erroneam, & ſcrupuloſam, ut eſt textus ſecundùm verum, & communem intellectum in *d. c. Per tuas*, ex quo Butr. colligit in 3. *not.* peccare agentem contra conſcientiam ſcrupuloſam etiam erroneitate juris. Ergo multò magis peccat, ſi non ſolùm conſcientia, ſed etiam jus ipſum ſit dubium, quia in primo caſu agit contra conſcientiam, quæ dubia eſt, ſed non contra legem, quæ in ſe eſt clara. At in 2. cùm dubium ſurgat ex utroque capite, agit non ſolùm contra conſcientiam, ſed etiam contra legem, ut declarat S. Thomas *quodlib.* 3. *quæſt.* 12. *art.* 27. & *quodlib.* 8. *art.* 13. Quamobrem Petrus de Lorca in 1. 2. *diſput.* 38. *membr.* 2. dicit

hanc

hanc doctrinam de opinione partis tutioris eſſe univerſalem tam in dubiis juris, quàm in dubiis facti, vel perſonæ, propter identitatis rationem periculi vitandi, & eſſe unanimem omnium ſententiam, quam tradit S. Thomas *d. quodlib.* 8. *art.* 13. Adrian. *quodlib.* 2. Covarruvias in *Clem. Si furioſus, in princ. n.* 3. & omnes Summiſtæ in *verb. Dubium*, Majol. *de Irreg. lib.* 5. *c.* 51. *nu.* 2. *verſ.* 2. *limitatur*, Paulus Burgos *eod. tract. par.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 10. Et tuetur Vaſquez in 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 65. *n.* 9. & 13. & *diſp.* 66. *c.* 1. *per totum*. Præterea etiam in dubio juris abſoluti tutiorem partem eſſe eligendam probant quatuor textus ad literam. Primus eſt in Clem. *Exivi*. §. *Item præterea, de verborum ſignificat.* ubi in quæſt. meri juris, an Fratres Minores teneantur ſub præcepto mortalis peccati ad ea obſervanda, quæ in Regula verbo imperativi modi negativè, vel affirmativè appoſito inſeruntur, Pontifex utitur eadem regula, ibi: *Nos itaque attendentes, quòd in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda*. Secundus eſt in *c. Veniens de Presbyter. non baptiz.* ubi ſimiliter in dubio juris abſoluti, an ordinatus ante Baptiſmum receperit characterem; Innocentius III. reſpondit: *In hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt ſequentes mandamus, quatenus ipſum per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures*. Tertius in *c. Cùm deſideres, verſ. ſecundæ quæſtionis, de ſent. excom.* ubi conſultus Pontifex de dubio juris meri, an communicare liceat cum eo, quem fama vulgarat percuſſiſſe clericum, reſpondit in tutiorem partem ab ejus participatione abſtinen-
214 dum eſſe. Quartus eſt in *c. fin.* 14. *diſt.* ibi: *In iis, quæ dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum*. Et propterea in dubio Juris debere quem ſecuriorem partem eligere, & reputare ſe excommunicatum, tenet gloſſa *fin. in c. Conſulti de reg.* quæ quamvis de dubio generaliter loquatur, tamen propriè intelligenda eſt de dubio juris, cùm alleget jura, quæ de dubio Juris loquuntur, nempè *d. c. Illud*, & *c. Per tuas de ſent. excomm.* Idem tenent Hoſtienſis, & Jo. Andreas in *c. fin. ambo nu.* 3. *de bigam.* Butr. in *d. c. Illud in fin.* Card. in *Clem.* 1. *quæſt.* 15. *num.* 19. *in fin. de Sepult.* Soc. in *d. c. Per tuas, nu.* 18. Silveſter in *ver. Abſolutio* 3. *nu.* 14. *dub.* 10. Rota *deciſ.* 1. *n.* 5. *in fin. de bigam. in novis*. De dubio Juris, videlicet, an liceat habere plures præbendas, ſimi-
215 liter loquitur S. Thomas *in prealleg. quodlib.* 8. *ar.* 13. & *quodlib.* 9. *art.* 15. prout etiam loquitur Scotus in 4. *dictinct.* 11. *quæſt.* 6. cujus hæc ſunt verba: *Hic breviter poteſt dici, quòd cùm certum ſit farinam tritici purgatam ſecundùm communem purgationem eſſe materiam convenientem ad faciendum panem conſecrabilem, & dubium ſit, an amylum ſit hujuſmodi materia, & pars negativa multis ſit probabilior: non ſine peccato quis ſe exponit tali dubio, maximè ille, qui præparat*
216 *hoſtias conſecrandas*. Et *diſt.* 13. *quæſt.* 2. ubi ſic diſſerit: *Et univerſaliter in omnibus dubiis, quantum ad materiam, & formam, ſunt tres maximæ. Prima eſt iſta, Si poſſibilitas adeſt, tutiſſima via eſt eligenda. Secunda, Si non adeſt poſſibilitas, viæ tutiſſimæ proxima eſt eligenda. Tertia eſt iſta, Ceſſante impoſſibilitate, cautè eſt ſupplendum, quod impoſſibilitas prohibebat*. Hæc Scotus. Et pondera illa verba *univerſaliter in omnibus dubiis*, quæ proculdubio includunt etiam dubium juris, & non reſtringuntur ad materiam, & formam Baptiſmi, de quo Scotus loquitur. Et ita hunc locum intellexit Tartaretus, hanc quæſtionem exponens in §.
217 *ſi quis quærat à Scoto*. Quo loco omittendum non eſt, diſtinctionem inter dubium juris, facti & perſonæ, ad alios effectus admitti etiam à Juriſperitis, ut notatur in *c. ult. in gloſ. in ver. Ambiguis*, 33. *diſtinct.* & per Card. Mantic. *de tacit. & amb. conven. lib.* 1. *tit.* 15. *n.* 16. ſed tamen dubium perſonæ apud eos non dicitur, cùm perſona dubitat, ſed cùm perſona dubitatur, juxta textum in *cap. Quidam*, 5. *quæſt.* 1.
218 Objiciunt tertiò, quòd regula de electione partis tutioris procedat in dubio juris practico, non autem ſpeculativo, ita ut ſpeculativè, & in abſtracto ſi quis dubitet, an contractus aliquis ſit licitus, nec ne, liberè amplecti poſſit opinionem minùs tutam: ſed ſi poſteà velit hic, & nunc eumdem contractum celebrare, tunc omninò teneatur ſequi partem tutiorem: & è converſo, ſi practicè ſit certus, licitè poſſit illum celebrare. Ita Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 2. & *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 41. *n.* 6. Laym. in *Theologia morali lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 2. *n.* 8. Becanus in 1. 2. *tract.* 1. *c.* 4. *quæſt.* 9. *n.* 4. & conſentit Suarez *de cenſ. diſp.* 40. *ſect.* 6. *n.* 8. Sed profectò ſecundùm hanc doctrinam licitum eſt aliud ſentire, & aliud operari, & poteſt Magiſter 219
in ſcholis ſpeculativè docere opiniones illas, quas nec ipſe, nec auditores in practica ſequi poſſunt abſque peccato, quod valdè abſurdum eſt, & contra text. in *c. Error*, *c. Quid enim*, & *c. Conſentire*, 83. *diſt.* Item ſupponit hæc doctrina ex diverſis principiis poſſe aliquem eſſe certum practicè, licèt ſpeculativè ſit dubius; quod eſt impoſſibile, cùm intellectus practicus nihil aliud ſit, quàm extenſio intellectus ſpeculativi, nec differat ab eo niſi reſpectu finis, ſecundùm S. Thom. in 1. *par. quæſt.* 79. *art.* 11. Unde hanc diſtinctionem latè confutavimus ſuprà *n.* 126. & præſertim *n.* 136. & *n.* 137. eamque reprobat Corduba *lib.* 3. *quæſt.* 5. & ineptam dicit, ac ſimiliter refellit efficaciter Petrus de Lorca in 1. 2. *de actibus humanis diſp.* 38. *membr.* 1.

Objiciunt quartò, quòd eadem regula de tutiori opi- 220
nione in dubio eligenda limitanda ſit ad terminos *c. Ad audientiam*, & *c. Significaſti, il* 2. & *c. penult. de homic.* ut procedat tantùm in irregularitate, aſſerentes ita Pontifices ſtatuiſſe in odium homicidii, & propter ſpecialem indecentiam, quam habet ad miniſterium ſacrum. Ita Suarez *d. diſp.* 40. *ſect.* 6. *num.* 4. & 13. & Sanchez *d. c.* 10. *num.* 48. & videtur ſenſiſſe Navar. in *c. Si quis autem, de pœnit. diſt.* 7. *num.* 41. dum ſcripſit, tam in foro conſcientiæ, quàm exteriori, in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam vi præcepti in caſibus à jure expreſſis: quaſi ſentiat extra illos non ſemper eſſe præceptum, ſed conſilium, ut dixerat *num.* 34. Verùm hæc objectio facilè diluitur. Primò, quia Canones præcipiunt, ut eligatur pars tutior in omni materia, ubi vertitur ſalutis periculum, ut in excommunicatione eſt textus in *d. c. Illud, de cler. excomm. miniſtr.* In matrimonio in *c. Juvenis, de ſponſal.* In Pœnitentia in *c. Si quis poſitus*, & in *c. Si quis autem, de pœnit. diſtinct.* 7. In Sacramento Ordinis in *c. Veniens, de Presbyter. non baptiz.* In Baptiſmate in *c. Parvuli, de conſecr. diſtinct.* 4. & generaliter ubi agitur de præcepto ſub culpa mortali, in Clem. *Exivi*, §. *Item præterea, de verb. ſignif.* & in 221
aliis juribus ſupracitatis. Unde & Sacra Congregatio Concilii aliàs conſulta: An furioſus habens dilucida intervalla ad Subdiaconatus Ordinem promotus continere teneatur, reſpondit, Aut tempore ordinationis non agitabatur furore, durantibus nempè dilucidis intervallis; & teneri: aut agitabatur; & non teneri, niſi ante furorem habuiſſet animum ſuſcipiendi: aut non conſtat ſanæ, an inſanæ mentis tunc eſſet; & item teneri. Deinde quia 222
etſi prædicti Canones, *Ad audientiam. Significaſti, & penult. de homic.* loquantur in materia irregularitatis, quia ita contigit caſus: tamen non deducunt deciſionem ex indecentia miniſtrandi in ſacris Ordinibus cum dubio irregularitatis, prout facere debuiſſent, ſi deciſionem deduxiſſent ex natura Sacramentalium: ſed fundantur in principio illo, & ratione univerſali, quòd ubi vertitur ſalutis periculum, in dubio pars tutior eſt eligenda. Unde extendendi ſunt ad latitudinem ipſius rationis, quia quandocumque ratio Legis, vel Canonis eſt amplior, vel generalior dicto, ſeu diſpoſito, tunc ad amplitudinem rationis extenditur ipſa diſpoſitio. Textus eſt in *l. Regula*, §. *fin.* & ibi Bart. & Bald. notant *ff. De juris, & facti ignor.* & in *l. Nomen debitoris*, §. *fin. ff. De lega.* 3. *cum concord.* de quibus per Abb. in *c. Sicut, num.* 8. *de teſtib.* & Everardum in *ſua Centuria legali, in loco à ratione legis larga*, &c. Præ- 223
ſertim quia cùm hoc caſu agatur de ſecuritate animæ, lex etiam pœnalis dicitur favorabilis & extendenda ex rationis identitate, ut in *c. penult. qui filii ſint legit.* adnotarunt Hoſtien. *in fin.* Jo. Andr. *nu.* 5. Anton. de Butr. *num.* 9. Anchar. *n.* 5. Abb. *nu.* 5. & *ſeqq.* Præpoſ. *n.* 3. Bart. & DD. in *Authent. Sacramenta puberum, C. Si adverſus vendit.* Et ita jura illa intelligunt Expoſitores, dum ex eis colligunt regulam generalem, quòd in dubiis ſpectantibus ad ſalutem animæ, & ubi agitur de materia peccati, pars tutior eſt eligenda, ut in *d. c. Ad audientiam, de homic.* Hoſtien. *n.* 3. *in fin.* & *n.* 4. Butr. *num.* 2. Abb. *eod. num. verſ. Aut agitur in foro pœnitentiali*. Jo. de Anan. *nu.* 1. *verſ. Aut agitur*, Marian. Socin. *num.* 4. 18. 19. & 20. & Felin. *num.* 1. & in *d. c. Significaſti, il* 2. *eod. tit.* Idem Hoſtien. *num.* 9. *in fin.* 10. & 15. & Marian. Socin. *num.* 4. Et in *verb. Dubium*, Angel. *num.* 2. Silveſt. *quæſt.* 4. *num.* 7. Tabien. *quæſt.* 2. *n.* 3. & generaliter in omni dubio etiam extra materiam irregularitatis

loquuntur S. Thomas, & Scotus, quorum verba ſuperiùs retulimus *nu.* 207. *&* 208. *&* 216. Nec diſſentit Navar. *loco*
224 *præallegato*, quia cùm ratio illa de tutiori parte eligenda ad evitandum periculum peccati ſit expreſſa in Canone, ubicumque viget illa ratio, caſus dicitur à jure expreſſus, ut per Calder. *conſ.* 147. *in princ. aliàs unic. Ut lite pendent.*
225 Objiciunt denique, quòd ſi hæc ratio periculi indiſtinctè eſſet attendenda, non liceret ſequi opinionem etiam probabiliorem, quando contraria eſt tutior. Et tamen hoc licitum eſſe fatentur omnes tam Theologi, quàm Juriſperiti. Et conſtat ex *c. Placeat*, *in fin. de Converſ. conjugat.* & *c. Nicena*, 31. *diſtinct.* cum multis ſimilibus. Sed & hæc objectio facilè diluitur, quia idcircò non tenemur ſequi opinionem tutiorem, quando oppoſita eſt verior, ſeu probabilior, quia tunc nullo modo verſamur in dubio, ſed flectimur ad illud extremum, quod probabilius judicamus, & ſumus moraliter certi; nam & opinio vehemens pro certitudine habetur, ſecundùm gloſſam in *l. Irrepudianda*, *in ver. Certus*, *ff. De acquiren. hæred.* Bald. in *l. Si quis extraneus*, §. *Sciendum*, *ff. eod.* & in *l. Cum in antiquioribus*, *in* 3. *quæſt. num.* 6. *C. De jur. deliber.* Anchar. *conſ.* 354. *Viſis diligenter*, *num.* 4. *verſ. Et quod vehemens opinio*. Facit textus in *c. Veniens*, *in fin.* ibi: *Et hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda*, *de Presbyter. non baptiz.* & in *c. Dixit Dominus*, 32. *quæſt.* 1. & in *c. Afferte*, *de præſumpt.* cum multis ſimilibus. Non igitur mirum, ſi eo caſu non ſit locus diſpoſitioni Sacrorum Canonum, qui non arctant ad electionem ſecurioris opinionis, niſi cùm res dubia eſt, ut patet ex dictis ſuprà *num.* 57. vel cùm intellectus fluctuat inter utrumque extremum, ut dictum eſt *num.* 118. At ſecùs eſt, cùm quis judicat æquè probabilem utramque opinionem, quia tunc, cùm ſit dubius, ut abundè probatum eſt ſuprà in prima Concluſione à *nu.* 125. *uſque ad num.* 171. tenetur omninò ſequi opinionem tutiorem. Ita Silveſter in *ver. Opinio*, *num.* 1. *juncto verſ. Non obſtat*, *paulò antè nu.* 2. & clariùs in *ver. Dubium*, *quæſt.* 2. *n.* 2. dicens: *Si detur caſus*, *quòd opinio ſecurior ſit minùs probabilis notabiliter*, *non eſt eligenda neceſſariò*, *quia jam ceſſat ratio dubii*; *ſi autem probabilitas hinc inde eſſet æqualis*, *tutior eligenda eſt neceſſariò*, *quando ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis*. Hæc ille. Et ſequi-
226 tur Navar. in *manual. c.* 27. *num.* 184. Hinc in quæſtione illa, An circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſint neceſſariò in confeſſione aperiendæ, cùm res ſit admodùm controverſa, eò quòd partem affirmantem teneant Antiſiodorus, Alenſis, Marſilius, Cajetanus, Victoria, Sotus, Suarez, & alii multi: partem verò negantem ſequantur S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Adrianus, Turrecremata, S. Antoninus, Silveſter, Covarruvias, & plerique alii: utique in hoc conflictu qui judicat æquè probabilem eſſe utramque opinionem, tanquam dubius tenetur omninò ſequi tutiorem, ne in re graviſſima exponat ſe ſalutis periculo. At verò ſi judicet probabiliorem eſſe ſententiam D. Thomæ, quam communiorem & probabiliorem dicit Navar. in *manual. c.* 6. *num.* 6. *verſ. Infertur octavo*, & cui apertè hodie ſuffragatur Decretum Conc. Trident. *ſeſſ.* 14. *de Pœnitentiæ Sacramento c.* 5. ut ſcripſi pleniùs in *c. Omnis utriuſque*, *num.* 48. *infrà de pœnit. & remiſſ.* utique poterit illi tutò adhærere, licèt contraria ſit tutior, quia cùm ſit certus morali-
227 ter, jam ceſſat ratio periculi, ut ex prædictis patet. Similiter B. Thomas tenet poſt lapſum in mortale non oportere confiteri ſub præcepto ſtatim, habita copia Confeſſoriis, niſi in pauciſſimis caſibus, qui ab ipſo recenſentur in 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 4. & cum eo tenet Riccardus. Sed Ugo de S. Victore, & B. Bonaventura ſunt in hoc contrariæ opinionis. Neutra autem illarum reprobatur, etſi B. Thomæ opinio communiter teneatur, quæ tamen minùs tuta videtur. Qui ergo ſequitur opinionem S. Thomæ tanquam probabiliorem utcumque minùs tutam, non peccat. Ita
228 formaliter B. Antoninus in 1. *par. tit.* 3. *c.* 10. *de conſcientia*, *reg.* 4. In varietate igitur opinionum indiſtinctè poteſt quilibet amplecti probabiliorem, dummodò tamen non habeat conſcientiam opinionis oppoſitæ, ſed credat eam ſolam, quam ſequitur, eſſe veram; Si enim contingeret, ut is, qui ſequitur opinionem probabiliorem ſpecificantem actum pro licito, ex reflexu ad contrariam opinionem probabilem, inciperet fluctuare, ac formidare de veritate probabilioris, manente tali fluctuatione ac formidine, non poſſet opinionem illam utcumque probabiliorem amplecti, ſed teneretur ſequi partem tutiorem, ut à peccati periculo ſe eximeret: alioquin haberet conſcientiam ex credulitate probabili, ſeu ex credulitate levi, qua manente, operari non licet, *c. Inquiſitioni*, *de ſent. excom.* & *c. Per tuas*, *il* 2. *de Simon.* ubi hoc tenet Jo. Andr. *col.* 3. *ſub n.* 7. *verſ. Dicendum eſt igitur*, & ibi etiam Butr. *num.* 9. Abbas in *c. Literas*, *num.* 4. *de reſtit. ſpoliat.* ubi, *Nota*, inquit, *quòd etiam ad Eccleſiæ præceptum non debet quis venire contra conſcientiam probabilem*, *& quòd veniens contra conſcientiam ædificat ad gehennam*, *id eſt*, *peccat mortaliter*, & fuſiùs dictum eſt ſuprà *n.* 95. *&* 96. Et in hoc præciſo caſu loquitur S. Thomas in *præalleg. quodlib.* 8. *ar.* 13. ſi ſedulò illius verba expendantur. Agit enim de illo, qui ex conſcientia habet certitudinem de opinione, quòd liceat habere plures præbendas; & tamen ſi ex contraria opinione Magiſtrorum adducatur in quamdam dubitationem, id eſt, formidinem, & ea manente, plures præbendas habeat, exponit ſe diſcrimini, & proculdubio peccato, ut latiùs dictum eſt ſuprà in 25. *fundamento num.* 97. Ex quibus itidem conſtat de veritate ſecundæ concluſionis, id eſt, in dubiis, ubi vertitur ſalutis periculum, pars tutior neceſſariò eſt eligenda.

Tertia nunc ſequitur concluſio, videlicet, cùm ex dua- 229
bus opinionibus oppoſitis non apparet quæ ſit tutior, in ea deligenda ſervandæ ſunt regulæ à jure præſcriptæ. Quo 230
loco præmittendum eſt, à Theologis partem tutiorem appellari non tantùm illam, in qua nullum peccatum eſt, ſed etiam illam, in qua minus malum reperitur, ſi neceſſarium ſit ex duobus unum eligere, ut explicat Covarruvias in 2. *par. de matrim. c.* 7. §. 2. *num.* 7. Cæterùm propriè illa dici non debet pars tutior, ſed potiùs minùs periculoſa, quia verè utrinque imminet periculum, licèt alterum ſit altero gravius, ſicut ex duobus malis, quod levius eſt, non dicitur melius, ſed minus malum, ut in *c. Duo mala*, & *c. Nervi*, 13. *diſtinct.* Et cùm nihil ſine captione inveſtigari poteſt, quod minus habet captionis non dicitur æquius, ſed minùs captioſum, vel minimum habens iniquitatis, *l. Quoties nihil*, *ff. De reg. jur.* & notat gloſ. in *d. c. Nervi*, *in ver. Minimis*. Præterea ſæpè contingit, ut pro utraque parte ſubſit æquale periculum peccati, veluti cùm dubium eſt, an valeat primum, vel ſecundum matrimonium: quis ex concurrentibus præeligendus ſit tanquam dignior: cui facienda ſit reſtitutio, ſi duo contendant de dominio rei furto ſubtractæ; cujus ſumptibus Eccleſia ſit reparanda: & in aliis hujuſmodi caſibus.

Quibus præhabitis ſtatuitur tertia concluſio, videlicet cùm res dubia eſt (quemadmodum oſtendimus eſſe, cùm ſunt opiniones utrinque probabiles) liberum non eſt alterutram eligere. Sed in optione opinionis, ſi non appareat quæ tutior ſit, ſervandæ ſunt regulæ à jure præſcriptæ. Jura enim in his quaſdam regulas tradiderunt, quas in dubiis ſequi oporteat, quæ paſſim habentur in titulis *de reg. jur. de reb. dub. de legib.* & paſſim alibi. Quales ſunt: In du- 231
bio judicandum, ut actus valeat potiùs, quàm pereat, *l. Quoties*, & *l.* 2. *ff. De reb. dub.* quam reginam omnium interpretationum appellat Card. Mant. *de conjectur. ultim. volunt. lib. ult. tit. ultim. n.* 13. Item in dubiis præferendum, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur, *l. Semper in ſtipulationibus*, *ff. De regul. jur.* Imò in opinionibus deligendis primo loco ſpectandam eſſe antiquam, & probatam conſuetudinem, quia minimè mutanda ſunt, quæ certam ſententiam ſemper habuerunt, *l. Minimè*, *ff. De legib.* cenſet Matthæus Matthesil. in *ſuo opuſculo electionis verioris opinionis*, & Silveſter in *ver. Opinio*, *n.* 2. Item ubi contrariæ extant ſententiæ, pronunciandum eſt pro poſſeſſore, *l. Res alienas*, *C. De rei vendic.* Et potiùs pro reo, quàm pro 232
actore, niſi in cauſa favorabili, puta matrimonii libertatis, dotis, ſeu teſtamenti, ut legitur in *c. fin. de re judic.* per quem textum præferendam eſſe opinionem, quæ favet matrimonio, etiam contra communem, ſcripſerunt Hoſtienſ. & Abb. in *c. Si vir. de cognat. ſpirit.* Barboſ. *conſil.* 60. *Scriptum*, *lib.* 7. & Dec. in *c.* 1. *nu.* 95. *ſup. eod.* Idemque de opinione, quæ favet poteſtati Clavium, ſcripſit idem Hoſtienſis in *c. Rurſus*. *Qui Clerici*, *vel voven.* & ibi etiam Joan. Andr. *Propè fin.* & Felin. in *d. c.* 1. *nu.* 54. *verſ. Quinto limita*.

Alias ubi ſunt opiniones diſcordes, Judex tenetur ſequi 233
com-

communem, *cap. Novimus*, ibi: *Et quorundam ſit opinio à pluribus approbata, de verb. ſignific. cap. De judiciis*, ibi: *In quo plurimi concordant*, 3. *quæſt.* 3. *cap. In canonicis*, 19. *diſt.*
234 *& l.* 1. *de off. quæſt.* Bald. poſt Joan. Andr. *hic n.* 8. ubi reddit rationem, quia communis opinio habet vim conſuetudinis, Gemin. *conſ.* 48. *Pro examinatione n.* 5. *verſ. Item quia major numerus Doctorum*, Dec. poſt alios in *d. cap.* 1. *n.* 93. *ſup. eod.* Alloquin facit litem ſuam, ſecundùm Angel. Aret. in *conſ.* 9. *Videtur primò*, *num.* 10. *verſ. Et clarum eſt in jure*, Decian. *conſ.* 111. *n.* 17. *lib.* 7. Felin. in *d. cap.* 1. *n.* 54. *verſ. Et ubi DD. diſcrepant*, & dicitur per imperitiam judicare, Bald. in *leg. Propterea per illum textum*, *ff. de Senat.* & Alexan. *conſ.* 95. *Viſis proceſſibus*, *num.* 6. *lib.* 2. Rursùs in dubiis præferendum, quod benignius eſt, quod veriſimilius, quod plerumque fieri ſolet, *l. Semper in dubiis*, *l. In obſcuris*, *& l. Quoties idem*, *ff. de reg. jur.* & quamplures aliæ his conſimiles, quæ compendioſè recenſentur à Matth. Mattheſil. in *d. opuſc. electionis verioris opinionis inter tractatus communes*.

Sed hujuſmodi regulæ funditùs everterentur, & fruſtrà legiſlatores in iis præſcribendis tantoperè laboraſſent, ſi pro cujuſque arbitratu liceret ſequi quamcumque opi-
235 nionem probabilem. Et tamen, ut Ambroſius ait in *c. Judicet*, 3. *quæſt.* 7. *Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis; ſed juxta leges & jura pronunciat.* Quod adeò verum eſt, ut Matth. Mattheſil. *ubi ſuprà num.* 10. ſi res prorsùs ambigua ſit, cenſeat, aut Principem eſſe conſulendum, aut omninò abſtinendum à conſilio & judicio: Sed ſi omninò, inquit, ſint penitùs paria, quod raró accidit, dimittas conſulere cum ſigillo in tali dubio, & ſi ſis Judex, neutram opinionem ſequaris.
236 Idem ſenſit gloſſa in *cap. Licet cauſam*, *in ver. Uti poſſidetis*, *de probat.* Et in his caſibus, cùm veritas, & opinio invicem ſe confundunt, poſſe judicem dividere differentiam propter conflictum argumentorum, declarat Julianus in *leg. Si Pater*, *ff. de hæred. inſtitut.* ubi Bald. Imol. & alii, quemadmodum Tiberius Imperator feciſſe dicitur in *l. Et hoc Tiberius*, *ff. eod.* & ubi probationes hinc inde factæ ſe obſcurant, & confundunt, tranſigi debere ſcripſit Baldus *conſ.* 352. *in fin. lib.* 4. latè Boerius *deciſ.* 42. *nu.*
7 39. Quinimò partes eſſe reducendas abſolutè ad concordiam, & diviſionem, cùm utrimque ſunt opiniones probabiles, ſi materia ſit diviſibilis, ex facto in terminis noſtris reſponderunt Anton. de Butr. & Petrus de Anchar. *conſ.* 210. *inter conſ. Anchar. incipien. Inter contraria*, *per totum*. Sequitur Felin. in *cap.* 1. *num.* 55. *verſ. Secundo nota*, *ſup. eod.* & Boer. *deciſ.* 155. *num.* 24. *verſ. Ideo in tanto diſcrimine opinionum*, poſt Bald. quem citat in *conſ.* 164. *Quædam nomine Catharina*, *ante finem exordii*, *lib.* 3. Idque exemplo Salomonis, qui dubius, cujus eſſet filius, qui petebatur, dixit: *Date dimidiam partem uni, & dimidiam alteri*, ut in *cap. Afferte*, *de præſumpt.* Quamvis enim, ut advertunt Butr. & Anchar. *loco citato*, *num.* 3. Salomon reſpectu diviſionis pueri hoc tentando dixerit, tamen reſpectu juſtitiæ ſententiæ ſuæ hoc ſenſit, quòd ubi dubia ſunt jura partium propter conflictum opinionum, per medium dividere æquitatem habet. Ex quibus conſtat, quam variè loquantur moderni Theologi à Juriſtis: illi enim cenſent poſſe judicem indiſtinctè eligere quamcumque opinionem, modò ſit probabilis; quin etiam hodiè judicare ſecundùm unam, & cras ſecundùm aliam, ut dictum eſt *ſup. num.* 31. hi verò contrà affirmant, cùm omnia utrimque ſunt paria, neutram ſequi licere, ſed potiùs eſſe conſulendum Principem, aut controverſiam tranſactione dirimendam. Neque obſtat, quòd in quamplurimis caſibus jura decernant eſſe locum judicis arbitrio, *cap. De cauſis*, §. 1. *de off. deleg. l.* 1. *ff. de*
238 *jur. deliber.* cum multis ſimilibus: quoniam etſi in abſoluto & libero arbitrio nullam regulam, nullam normam, nullam legem, ſaltem poſitivam, obſervare neceſsè ſit, ſecundùm Bartol. in *Extravag. Ad reprimen. in ver. Videbis*, *num.* 2. & Dec. in *l.* 1. *num.* 14. *ff. de juriſd. omn. jud.* ita ut, qui plenum habet arbitrium, poteſtatem habeat præferendi iniquum æquo, juxta *leg. Fideicommiſſa*, §. *Quamquam*, *de leg.* 3. ac proinde non habeat hic neceſsè ſequi juris, rationis & æquitatis canones, ut inquit Jaſ. in *l. Si ſic legatum*, *num.* 22. *&* 26. *de leg.* 1. aliud tamen dicendum eſt in arbitrio boni viri, quod non abſolutum, ſed regulatum dicitu., ut per Jaſ. & alios ſupracitatos. Unde Baldus in *cap.* 1. §. *Judices*, *num.* 5. *de pace juram. firma.* ſcriptum reliquit, judicem hunc arbitrari debere ſecundùm mentem legis, juris, ac rationis, ac demùm ſecundùm æquitatem. Non ergo ſequitur; Judex in articulis à lege 239
non diffinitis habet arbitrium: ergo poteſt ad libitum ſequi hanc, vel illam opinionem; etenim arbitrii verbum, viri boni arbitrium, & à jure regulatum ſignificat, Aret. in *leg. Videamus*, §. *Deferre*, *num.* 7. *ff. de in litem jur.* Jaſ. poſt multos in *d. l. Si ſic legatum*, *nu.* 10. *de leg.* 1. Felin. in *cap.* 1. *col.* 7. *circa med. ſup. eod.* ſemperque bonum, & æquum ſignificat, ſecundùm Bald. in *cap. Niſi cum pridem*, *col. ult. de renunc.* Et quotieſcumque committitur per clauſulas, *Prudentiæ tuæ*, *Judicio tuo*, *Diſcretioni tuæ*, quod frequentiſſimum eſt apud ſacros Canones, boni viri arbitrium intelligitur eſſe collatum, ut pluribus exemplis comprobat Menoch. *de arbitr. judic. lib.* 1. *quæſt.* 8. *per totam*. Et in dubio cenſeri conceſſum arbitrium à jure regulatum, non autem liberum, ſeu plenum, crebrior ſententia eſt, ut multis relatis teſtatur idem Menoch. *quæſt.* 9. *num.* 1. Et propterea, 240
cùm à Signatura committitur cauſa cum clauſula, *Arbitrio Rotæ*, ſervatur, ut arbitrium hujuſmodi debeat eſſe juri & legibus conſonum, ut in terminis hujus clauſulæ fuit reſolutum in cauſa Hiſpalenſis penſionis coram de Graſſis 4. Novembris 1575. in *impreſſ. deciſ.* 100. *aliàs* 7. *de ſent. & re judic.* & coram Card. Seraphin. *deciſ.* 1017. *n.* 1. Stat igitur pro hac ſententia primum, & principale fundamentum, videlicet: Qui judicat duas opiniones eſſe æqualiter probabiles, vel quaſi, non certus moraliter, ſed dubius eſt, ut probatum eſt in prima concluſione à *n.* 125. *uſque ad n.* 171. Qui autem dubius eſt, tenetur ex præcepto ſequi opinionem tutiorem, ut oſtenſum eſt in ſecunda concluſione à *n.* 171. *uſque ad n.* 229. Quòd ſi non appareat, quæ tutior ſit, in opinione deligenda tenetur ſervare regulas à jure præſcriptas, ut conſtat ex dictis in tertia concluſione à *n.* 229.

Secundò principaliter pro hac ſententia ponderandus eſt 241
textus in *c. Inquiſitioni*, *de ſent. excomm.* qui apertè probat omnes tres concluſiones ſuperius firmatas. Ibi enim proponitur quæſtio, an conjux, qui habet conſcientiam impedimenti dirimentis, poſſit exigere, ac reddere debitum conjugale: & diſtinguuntur tres caſus. Primus eſt, cum pro certo ſcit impedimentum. Secundus eſt, cùm de impedimento habet credulitatem levem, & temerariam. Tertius eſt, cum de illo habet credulitatem probabilem, & diſcretam. Prima igitur concluſio id eſt; Qui verſatur inter contrarias opiniones probabiles, non eſt certus, ſed dubius; probatur clarè in ea decretali, tum quia certitudo impedimenti, quæ ponitur in primo caſu, contradiſtinguitur à credulitate, ſeu opinione probabili, quæ ponitur in tertio caſu; tum quia conjux, qui habet conſcientiam impedimenti ex credulitate probabili, in hac fluctuatione animi, an matrimonium ſit validum, vel nullum, poteſt reddere debitum, licèt poſtulare non debeat, ut ibi eſt deciſum in ultimo caſu. Ergo non eſt moraliter certus, ſed dubius. Conſequentia patet, quia ſi certus eſſet de impedimento dirimente, nec poſſet debitum exigere, nec reddere ſine mortali peccato, ut ibi deciditur in princ. & in *cap. Litteras*, *de reſtitut. ſpoliat.* Secunda itidem concluſio, quòd in concurſu opinionum probabilium eligenda ſit tutior; probatur ibidem, quia conjux, qui pro una parte probabiliter putabat matrimonium à ſe legitimè contractum eſſe validum, & pro alia habebat conſcientiam impedimenti dirimentis ex credulitate probabili, debitum exigere non poteſt, cùm hoc proculdubio ſit tutius; ne, ut ibi dicitur, contra legem conſcientiæ committat offenſam. Tertia demum concluſio, quòd, ubi non conſtat, quæ opinio ſit tutior, in eligenda opinione ſervandæ ſint regulæ juris; in eo textu probatur, quia conjux in conflictu probabilium opinionum nullitatis, & validitatis conjugii, debitum conjugale reddere poteſt, ne contra legem conjugii committat offenſam. Ergo quamvis peccatum eſſe poſſet tam in reddendo, quàm in denegando debitum conjugale, quia ſi matrimonium erat validum, non licebat denegare; ſi matrimonium erat nullum, non licebat reddere: tamen, cùm utrimque eſſet probabilis opinio validitatis, & nullitatis conjugii, in eo dubio Pontifex decidit eſſe eligendum, quod favorabilius eſt matrimonio, juxta regulam *cap. fin. de re judic.* ideòque debi-

tum eſſe reddendum, ne contra legem conjugii committatur offenſa. Ad idem eſt textus Lucii III. in *c. Dominus, de ſecund. nuptiis*, ibi: *Si verò aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, qui ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen noverit nullatenus exigendum*. Affirmare etiam poſſumus, eo caſu tutiorem partem eſſe, ut reddatur debitum, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *n.* 230.

242 Tertiò principaliter pro eadem ſententia eſt text. in *præalleg. cap. Illud, de Cler. excomm. miniſtr.* ubi Epiſcopus credidit ſe non fuiſſe ligatum excommunicatione Delegati Apoſtolici, eò quòd ſententia lata fuerat, non præmiſſa monitione, & ad ejus notitiam non pervenerat niſi per famam, ac propterea probabiliter opinatus fuit ſibi licere divina officia etiam ſolemniter celebrare. Et tamen textus decidit eum de rigore juris eſſe deponendum: *Quia*, inquit, *cùm in dubiis via tutior ſit eligenda, & ſi de lata in eum ſententia dubitaret, debuerat tempore potius ſe abſtinere, quàm Sacramenta Eccleſiaſtica pertractare, licet cum ipſo tamquam non omnino culpabili propter hujuſmodi proba-*
243 *bilitatem miſericorditer diſpenſetur*. Patet igitur ex ea decretali, credulitatem, ſeu opinionem probabilem non excuſare à mortali peccato eum, qui tutiorem partem non eligit: pœna enim depoſitionis infligi non poteſt, niſi pro culpa mortali, ut notat gloſ. 1. in *c. Sicut noſtris*, & ibi Hoſtien. *nu.* 5. & DD. *infra de jurejur.*

244 Quartò principaliter adferuntur verba Deuteronomii 17.8. relata in *c. Per venerabilem*, §. *Rationibus, qui fil. ſint legit. Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, & judicium inter portas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, &c. & facies quæcumque dixerint, ſequeriſque eorum ſententiam*. Ex prioribus enim verbis apparet, rem ambiguam cenſeri, cùm judicium, ſeu intellectus in varios ſenſus, ſeu opiniones diſtrahitur, juxta text. in *c. Nervi*, 13. *diſt.* Et ex poſterioribus conſtat, in hac opinionum varietate non eſſe liberum amplecti quamcumque, ſed opus eſſe ad Sedem Apoſtolicam recurrere, ut ibi exponitur, & illius ſententiam ſequi. Quo loco in hac ipſa materia opinionum utitur S. Thom. *quodlib.* 4. *art.* 14. de quo tamen dic, ut ſcripſi in *c. Cùm veniſſent num.* 42. & 51. *infrà de judic.* & adde, quod dictum eſt ſupra *n.* 235.

245 Quintò principaliter adducitur textus in *cap. Veniens, de Presbyt. non baptiz.* ubi in artic. An ordinatus ante Baptiſmum receperit Ordinis characterem, pro parte negativa affertur ratio, quòd, cùm Baptiſmus ſit fundamentum omnium Sacramentorum, ante illius ſuſceptionem, deficiente fundamento, non ſuſcipiatur aliud Sacramentum. Et hæc ratio proculdubio eſt probabilis; imò certa, cùm ſit fundamentum illius deciſionis. Contrà verò adducitur, quòd non ſolùm per Sacramentum fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti efficiatur quis membrum Chriſti; & reſpondetur argumento oppoſito, tum quia qui Chriſtum habet per fidem, etiamſi Baptiſmum non habeat, habet utique fundamentum, quod eſt Chriſtus Jeſus: tum quia contraria ratio non eſt generaliter vera, cùm & Sacramentum conjugum, & Euchariſtiæ recipi poſſit à non baptizatis, ſcilicet Baptiſmate fluminis, ſed tamen Baptiſmo flaminis baptizatis, ut ibi exponit gloſſa. Et hæc ratio itidem negari non poteſt, quin ſit probabilis, quia per eam ſolvitur argumentum contrarium, & niſi eſſet probabilis, quæſtio propter primam rationem eſſe indubitabilis; & tamen Pontifex reſpondit: *In hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt, ſequentes mandamus, quatenus ipſum per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures*. Conſtat ergo evidenter ex eo textu, articulum effici dubium ex contrarietate probabilium rationum, & in eo dubio non utramlibet opinionem probabilem, ſed tutiorem tantùm eſſe eligendam.

246 Sextò & ultimò efficaciter probatur eadem ſententia, quia qui judicat probabiliter aliquid eſſe licitum; tamen ſi habeat etiam ſcrupulum de oppoſito, agit contra dictamen conſcientiæ, & peccati, niſi deponat ſcrupulum, &
247 conſcientiam erroneam. Ergo multò magis peccat, ſi de oppoſito non ſolùm habeat ſcrupulum, ſed etiam opinio-
248 nem æquè probabilem. Conſequens eſt manifeſtum, quia plus eſt habere opinionem, quàm ſcrupulum, ut patet apertè in *d. c. Inquiſitioni, de ſent. excomm.* nam in ſcrupulo
249 quis habet conſcientiam ex credulitate levi, & temeraria: in opinione verò conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, ut ibi deciditur, & declarat Silveſter in *verb. Opinio, in princip. Scrupulus*, inquit, *plus aliquid credulitatis habet, quàm dubitatio, & minus, quàm opinio, cùm ſit credulitas ex levibus conjecturis, quæ idem eſt quod ſuſpicio*; ſeu, ut idem ait in *verb. Scrupulus, in princ.* puſillanimitas ſpiritus; & ſequuntur Legiſtæ in *l. Admonendi, ff. de jurejurand.* & ibi in ſpecie Bart. *num.* 21. ubi ait: *Poſt dubitationem autem poteſt incipere Judex inclinare animum ſuum ad aliquam partium; & tunc ſi hoc faciat ex aliquo levi indicio, vel ex aliquo levi argumento, iſta appellatur ſuſpicio, quæ aliqualiter movet animum Judicis, non tamen in totum removet dubietatem; & hic eſt primus gradus probationis, ſeu credulitatis, quia jam incipit animus Judicis adhærere uni parti, licet remaneat dubius. Poſt iſtam autem ſuſpicionem, cum Judici apparent argumenta fortiora, tunc Judex incipit opinari, cum adhuc dubitat, ne ſit contrarium, modicum tamen dubium remanet, & iſta vocatur opinio*. Hactenus verba præciſa Bartoli, cum quo tranſeunt communiter DD. ut ibi teſtatur Jaſ. in 2. *lect. num.* 66. Ergo ſi non poteſt quis operari ſecundùm opinionem ſuam probabilem, ſi in contrarium habeat ſcrupulum ex credulitate levi, & temeraria, quod minus eſt; longè minùs poterit operari ſecundùm eamdem probabilem opinionem, ſi in contrarium habeat aliam opinionem, ſeu conſcientiam ex credulitate probabili, & diſcreta, quod magis eſt, *c. Cùm illorum, verſ. Cùm majora, de ſent. excomm. cum concord.* de quibus ibi in gloſſa in *ver. Minora*. Antecedens probatur per textum ſingularem in *c. Per tuas, il 2. de Simon.* ubi de Monacho ordinato ab Epiſcopo, quem credidit ſimoniacum, & propterea formidabat ab eodem ad ſuperiores Ordines promoveri, deciditur, ut *contra conſcientiam ad ſuperiores Ordines non aſcendat, ne fortè ædificet ad gehennam, licèt ex eo, quod conſcientiam habuerit nimis ſcrupuloſam, in difficultatem hujuſmodi ſit collapſus, quam utique non evadet, niſi deponat errorem*. Hæc ibi. Ad idem textus in *d. c. Inquiſitioni, de ſent. excomm.* ubi conjux, qui ſuſpicatur adeſſe impedimentum dirimens ex credulitate levi & temeraria, ad ſui Paſtoris conſilium, conſcientia hujuſmodi exploſa, poteſt reddere & exigere debitum conjugale. Requirit ergo textus, ut ante copulam explodat, ſeu expellat, & ibi explicat gloſſa conſcientiam ſcrupuloſam, id eſt, credulam, & de facili prurientem, ſecundùm Joan. Andr. Atque ita non licere operari cum conſcientia ſcrupuloſa, niſi priùs deponatur ſcrupulus, quidquid contra ſcripſerit Silveſter in *ver. Scrupulus, nu.* 5. clarè ſentit Innocentius in *c. Tua nos, nu.* 1. *de homic.* dum determinat
Medicum peccare non ſolùm, cùm adhibet medicinam du- 250
bitans, an illa ſit nocitura, vel profutura; ſed etiam cùm vehementer credit eam profuturam, ſi aliquid dubitationis habeat, vel habere debeat, ne noceat, quia ſemper in tutiorem partem inclinandum eſt. Ita Innocentius, cum quo concordat Jo. Andr. *circa princ.* dicens: *Peccat Medicus, ſi propinat ſcienter medicinam nocituram, & etiam ſi dubitet, ut non debeat proficere, vel nocere, etiam ſi magis credat eam proficere debere, quia in dubiis, &c.* Et ſequuntur ibi Anchar. *num.* 3. Jo. de Anan. *nu.* 5. & alii communiter. Et eſt ſententia D. Thomæ *quodlib.* 8. *art.* 13. Et quamvis Jo. Gerſon in 2. *part. tract. de præpar. ad Miſſam, alphab.* 37. *littera ultima*, doceat, ſaluberrimum remedium ſcru-
pulis vincendis eſſe frequenter contra illos operari; tamen 251
per hæc verba ſenſit dumtaxat, optimum remedium contra ſcrupulos eſſe illos parvi pendere, & ſic deponere, audacter operando contra illos; non autem licere operari, retenta conſcientia ſcrupuloſa, quia ſic loqueretur contra *d. c. Inquiſitioni*, & contra determinationem prædictæ decretalis *Per tuas*, ſecundum intellectum Innocentii, ibi *in fin.* contra communem Canoniſtarum ſententiam, & contra naturalem rationem, quia ſcrupulus eſt mors conſcientiæ, teſte Cardin. Cajet. ſuperiùs relato in 1. *q. n.* 88. & *n.* 96. *verſ. Et ratio deciſionis eſt*. Patet igitur apertiſſimè, contra conſcientiam ſcrupuloſam, ſeu ex credulitate levi & temeraria, non eſſe licitum operari abſque peccato; & conſequenter multò minùs eſſe licitum operari contra conſcientiam ex opinione, ſeu credulitate probabili, atque diſcreta, ut ſuperiùs eſt oſtenſum.

De-

Demùm pro hac ſententia ſunt Ariſtoteles, cujus verba retulimus, & expendimus ſupra in 1. 2. *& 13. fundamento num.* 124. *n.* 126. *& n.* 154. dum enim docuit non eſſe liberum opinari, & in paritate contrariorum motuum oportere intellectum quieſcere; apertè ſenſit in æquilibrio opinionum non eſſe in nobis hanc, vel illam opinari. S. Thomas in præall. *quodlib.*8. *art.* 13. qui apertè ſolùm concedit, in contrarietate opinionum eſſe licitum ſequi illam tantùm, quæ ita judicatur vera, ut ab altera oppoſita nihil intellectus moveatur per illius rationes, & motiva. Unde ſi utraque eſt æquè probabilis, ex ſententia S. Doctoris, nequaquam licet utramque eligere, cùm in altera eſt peccandi periculum. Et *quodlib.* 3. *art.* 10. admittit in aliis, quæ ad mores non pertinent, eſſe liberum ſequi, atque defendere utramque opinionem: non autem in his, quæ ſpectant ad mores, in quibus ſcilicet eſt periculum peccati. Scotus infra citatus in 3. *quæſt. in* 10. *fundamento pro ſententia negativa poſt n.* 264. cùm enim ſunt duæ opiniones, quarum una eſt probabilior altera, dicit non ſine peccato aliquem ſe exponere dubio, ſequendo ſcilicet minùs probabilem. Eadem autem eſt ratio dubii, atque periculi, cùm ambæ ſunt æquè probabiles, & non æquè tutæ. Jo. Gerſon Cancellarius Pariſienſis, cujus verba referuntur infra in 3. *quæſt. in* 42. *fundamento num.* 342. Gabriel. in 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 8. *art.* 13. *dub.* 2. Jo. Major in 4. *q.* 2. *Prolog.* Conradus *de contract. quæſt.* 100. ubi admittit poſſe quem in contrarietate opinionum alteram ſequi, dummodò formet ſibi bonam conſcientiam; & mox ſubdit, bonam conſcientiam, quæ formanda eſt, ſtare non poſſe cum æquilibri conſcientia dictante pariter, & quòd ſit peccatum ſecundùm aliquas rationes, & ſecundùm alias quòd non ſit peccatum, quia in tali dubio non poteſt formari bona, & non dubitativa conſcientia: & *concl.* 1. ait: *Quando agens habet æquilibrem conſcientiam, quod peccet, & quod non peccet, peccat.* Silv. in *ver. Dubium, & in ver. Opinio*, ubi in hanc rem multa egregiè colligit ex D. Thom. & aliis Theologis; ait enim: *Dubium probabile, quod diſtinguit à ſcrupuloſo, eſt quando rationes probabiles ex utraque parte ſunt quaſi æquales, & in tali dubio operando quis peccat.* Et iterum ſubdit: *Si probabilitas hinc inde eſſet æqualis, tutior eſt eligenda neceſſario, quando ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis.* Similiter ait ibidem ſecundùm Philoſophum, & S. Thom. in 3. *ſentent. diſt.* 17. *Dubium eſt contrariarum rationum æqualitas: & diſt.* 18. *art.* 14. *ad* 2. *Dubitatio*, inquit, *cauſatur, quando aliquis rationem ejus, quod quærit, & de quo contraria apparent, videre non poteſt:* & alibi idem S. Doctor: *Dubium eſt, cùm intellectus non habet ſufficientia motiva ad veritatem cognoſcendam.* Unde ſubdit Silveſter: *Propriè homo dubitat de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, vel quaſi æqualiter moventes. Opinio*, inquit, *eſt, quæ habet credulitatem fundatam in humana ratione inſufficienti, & non concludenti neceſſariò, ſed probabiliter pro una parte, & non pro alia; nam ſi habet rationem ad utramque partem æqualiter, non opinio, ſed dubitatio eſt, in qua non poteſt quis licitè operari.* Cordubenſis in *ſuo Quæſtionario lib.*2.*q.*3. Paul. Comitol. *Reſpon. moral. lib.*5.*q.*17. Tolet. in *Sum. de ſeptem peccat. mortal. c.* 20. & alii complures.

252 Non obſtat modò fundamentum ex adverſo ponderatum ſupra *n.*122. quia magnam continet æquivocationem; quamvis enim non implicet duas contradictorias opiniones eſſe probabiles, & ab intellectu probabiles judicari; tamen benè implicat, ut idem intellectus præbeat utrique aſſenſum opinativum, & judicet utramque probabiliter eſſe veram, quod eſt opinari. Unde licèt in terminis primæ quæſtionis vera eſſet prima ſententia, quæ affirmat eſſe licitum ſequi opinionem, quæ ſola probabilis eſt, eò quòd contraria nullas habeat rationes, & authoritates moventes; tamen illi non liceret inferre, ut licitum eſſet ſequi opinionem probabilem, quando oppoſita eſt æquè probabilis. Inter hæc enim magna eſt ratio diverſitatis, quia in primo caſu intellectus præbet aſſenſum opinativum uni tantùm parti contradictionis, in quo nulla eſt repugnantia: at in ſecundo præbet aſſenſum opinativum duobus contradictoriis, & judicat utrumque probabiliter eſſe verum, quod non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè, & naturaliter eſt impoſſibile, ut latiſſimè probatum eſt ſupra in prima concluſione, verſ. *Probatur primò, à n.* 126.

Præterea ſententia illa, quæ affirmat eſſe liberum ſequi opinionem ſpecificantem actum pro licito, quando illa ſola agnoſcitur eſſe probabilis; non eſt vera, eamque pleniſſimè confutavimus in 1.*quæſt.*26. irrefragabilibus fundamentis *à num.*44. *uſque ad num.*111. Quare ſi non licet eam ſequi, quando illa ſola eſt probabilis, longè minùs eam ſequi licet, quando habet oppoſitam æquè probabilem, ut oſtendimus *num.* 123. exemplo ſtateræ, quæ à pondere facillimè inclinatur, ſi ab alia parte nihil obeſt; at non movetur, ſi à parte contraria obſtet tantundem ponderis. Hactenùs de ſecunda quæſtione.

Progredior nunc ad tertiam quæſtionem principalem, 253
videlicet: Cùm in aliquo articulo, ſeu controverſia morali duæ ſunt opiniones oppoſitæ, quarum una eſt probabilis, & minùs tuta, quia affirmat actum eſſe licitum, & ideò ſubeſt peccati periculo; altera verò eſt probabilior, ac tutior, quia affirmat, & ſpecificat actum pro illicito; an ſit liberum unicuique amplecti opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, ac tutiori.

Affirmant ſeptemdecim ex modernis Theologis, quos 254
refert, & ſequitur Thomas Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.*9. *n.*4. Idque hoc tempore receptum eſſe teſtatur Petrus de Lorca in 1.2. *tom.*1. *de actib. human. diſp.*39. *membr.*1. Imò ita tenere omninò ferè omnes Scholaſticos, affirmat Ludovicus à Cruce *ſuper Bulla Cruciatæ in tract. de opinione probab. dub.* 1. *n.* 6. & Candidus Philalethus in *tract. de opinionum praxi q.*5. *in princ.* dicens, hanc ſententiam eſſe multorum Theologorum hujus ferè ſæculi; nam ex antiquioribus ait vix aliquem ſe legiſſe, aut citatum ab aliis reperiſſe. Et noviſſimè Julius Mercorus in ſuo opere *de probab. opin. p.*2. *art.*26. recenſet pro hac ſententia catalogum Theologorum hujus temporis pluſquam ſexaginta, inter quos tamen non pauci numerantur inferioris notæ. Quàm verò longè latèque defenſores probabilitatum hanc materiam poſteà dilataverint, plenè ſcripſi ſupra à *n.* 23. *uſque ad n.*44.

Moventur primò, quia in actibus humanis, qui eligit, quod probabile eſt, non agit temerè, ſed prudenter, *c. Ego ſolis, verſ. Vel probabiles rationes 9. diſt. cum concordant. ſupracit. in* 1. *q. n.*46. Sed qui ſequitur probabilem opinionem, omiſſa probabiliori, adhuc eligit, quod probabile eſt ut per ſe patet. Ergo non temerè, ſed prudenter agit. Et confirmatur, quia Deus nobis conſtituit pro regula morum dictamen rationis, ut homo id poſſit licitè agere, quod ſibi probabiliter apparet honeſtum; itaut formalis ratio certitudinis humanæ operationis conſtituatur in ipſa probabili apparentia honeſtatis, ut innuunt præcitata jura. Sed qui ſequitur minùs probabilem in concurſu probabilioris, adhuc ſequitur id, quod ſibi apparet honeſtum. Ergo conformatur regulæ divinitùs traditæ, & ſic non peccat, *can. Qui peccat* 23. *quæſt.* 4.

Moventur ſecundò, quia is, qui moralem habet certitudinem de rectitudine operationis, rectè & cum virtute operatur; & in hoc conveniunt Authores utriuſque ſententiæ, ut conſtat ex dictis ſuprà in 1. *q. n.*47. Sed is, qui ſequitur opinionem probabilem, utique habet hujuſmodi moralem certitudinem, licèt oppoſita ſit probabilior. Ergo ſequendo opinionem illam probabilem, rectè, & cum virtute operatur.

Minor probatur, quia certitudo nihil eſt aliud, quàm determinatio intellectus ad unum, ut ex D. Th. dictum eſt ſupra *n.*57. Solus autem ille, qui dubius eſt, manet ſuſpenſus, & ad neutrum ſe determinat, ut ibidem diximus. Formido autem, quæ ineſt opinioni probabili propter oppoſitam probabiliorem, non eſt tantæ virtutis, ut excludat aſſenſum determinatum ad partem oppoſitam; ſed, ut aliàs diximus, hoc tantùm operatur, ut intellectus per actum reflexum judicet rationes illius partis, cujus aſſenſum habet, non eſſe convincentes, ſeu infallibiles, ſed probabiles tantùm.

Moventur tertiò, quia cùm in moralibus haberi non poſſit omnimoda & infallibilis certitudo per rei evidentiam, ſufficit certitudo ex probabilibus, ut patet ex Philoſopho in 1. *Ethic. c.*3. & fuſius oſſenſum eſt ſuprà *n.* 47. Sed talis certitudo reperitur in opinione probabili, quamvis oppoſita ſit probabilior, ut probatum eſt *n.* 51. *& ſeqq.* Ergo ſufficit in moralibus ad rectè operandum.

Moventur quartò, quia in ſpeculativis licet abſque periculo erroris & deceptionis operari, & defendere qua-

quaſcumque opiniones, modò illæ ſint probabiles, quamvis oppoſitæ ſint probabiliores, ut conſtat ex dictis in 1. *qu. nu.* 55. Ergo & in moralibus idem licet abſque periculo peccati, cùm de ſimilibus idem ſit judicium, *c. Inter corporalia de transl. Epiſc.*

255 Moventur quintò, quia quamvis ſequi probabiliorem, ac tutiorem ſit majoris perfectionis; tamen nemò tenetur ad id, quod perfectius eſt; ſed ſufficit, ut ſequatur perfectum, ac tutum, *c. Aliud* 11. *q.* 1. *c. Integritas* 32. *q.* 1. *cap. Qui ſitit*, & ibi gl. *in verſ. Nolitis* 33. *q.* 5. opera enim majoris perfectionis non ſunt præcepti, ſed conſilii tantùm, quod non eſt obligatorium, *c. Quiſquis præceptis* 14. *q.* 1. & Clem. *Exivi*, §. *Cùm igitur in primis de verborum ſignific.* ſecundùm illud Matth. 19. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, & declarat S. Thomas in 1. 2. *qu.* 108. *art.* 4. Sed qui ſequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori, ſequitur quod eſt perfectum, ac tutum; judicium enim probabile non deſinit eſſe tale ex eo, quòd contrarium ſit probabilius, nec via per ſe perfecta, ac tuta dicitur eſſe imperfecta, & periculoſa ex eo, quòd alia ſit planior, ac ſecurior; imò comparativum præſupponit poſitivum, *leg. Ubi autem non oportet, ff. de verb. oblig.* Jo. Andr. in *c. Cùm dilectus, ver. Digniores de elect.* & comparativi natura eſt relinquere formam poſitivi in extremo, *l. Cùm filius*, §. *Cùm pater, ff. de leg.* 2. Ergo licitum eſt ſequi opinionem probabilem, omiſſa probabiliori, ac tutiori.

Moventur ſextò, quia intolerabile onus eſſet, & multis ſcrupulis obnoxium, ſi in omni materia teneremur inveſtigare opiniones magis probabiles: Eccleſia autem, cùm ſit pia mater, non debet alicui laqueum injicere, *cap. De viduis*, *il* 2. 27. *q.* 1. nec quemquam oneribus importabilibus alligare, *c. Alligant*, 26. *quæſt. ult.* & notant Jo. Andr. & Anton. de Butr. in *c. Dolentes circa fin. de celebr. Miſſarum*. Adde, quòd *Jugum Chriſti ſuave eſt, & onus leve*, ut legitur Matth. 11. *& Mandata ejus gravia non ſunt*, Jo. Epiſt. 1. *c.* 5. *& Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui*, Prover. 4. At ſi nobis neceſſarium eſſet in noſtris actibus ſemper adinvenire probabiliores ſententias pro regula noſtrarum operationum, jugum Chriſti nimis grave redderetur, & admodum difficilia forent illius mandata, atque in via Euangelii multùm arctarentur greſſus noſtri. Præſertim verò, quia lex Chriſti videtur eſſe lex libertatis, ſecundùm illud Apoſtoli ad Galatas 4. 31 *Jam non ſumus filii ancillæ, ſed liberæ, qua libertate vocavit nos Dominus*, & Jacob. 1. 25. *Qui perſpexerit in legem perfectam libertatis*. Servitus autem perquàm dura eſſet, ſi præcepto adſtringeremur ad inveſtigandum ſemper ſententias magis probabiles, ut opera noſtra eſſent recta.

Moventur ſeptimò, quia fundamenta omnia, quotquot ab impugnantibus uſum probabilitatum afferuntur, ad hoc unum tandem reduci videntur tamquam ad ſuum principium, nempè ad formidinem, quæ probabilitati inſeparabiliter annexa eſt. Ex hac enim formidine tanquam ex radice deducunt, judicium probabile, ſeu quod idem eſt, opinativum, non habere certitudinem moralem ſecundùm omnes requiſitam ad rectè operandum; quin potiùs eſſe incertum, variabile, & expoſitum periculo divinæ offenſæ; ideòque non eſſe regulam operandi rectè, & cum prudentia. Quamobrem ſi deſtruatur hoc fundamentum formidinis, totum ædificium exadverſo conſtructum corruere neceſſe eſt, *cap. Cùm Paulus* 1. *q.* 1. *c. Veniens de presbyt. non bapt.* Conantur autem propugnatores probabilitatum hoc fundamentum evertere multiplici ratione.

Prima ratio eſt, quia Job proculdubio rectus fuit in ſuis operationibus: nam de ipſo legitur Job 1. *Erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*; & tamen de illis habebat formidinem, ajebat enim *c.* 4. *Verebar omnia opera mea, ſciens quia tu non parcis delinquenti*. Ergo poteſt quis habere formidinem de rectitudine ſuæ operationis, & ſimul operari ex conſcientia recta.

Secunda ratio, quia eatenùs dubium poſitivum & formale repugnat conſcientiæ rectæ, quatenùs agens cum tali dubio ſe exponit ſe periculo divinæ offenſæ, *cap. Ad audientiam, ver. Pro eo de homic.* S. Th. *quodlib.* 8. *art.* 13. Sed qui operatur cum formidine, non exponit ſe hujuſmodi periculo, ut patet ex dictis ſup. *nu.* 52. Ergo formido non repugnat rectitudini conſcientiæ.

Tertia ratio, quia ſi intellectus non eſt moraliter dubius, eſt moraliter certus, arg. *c. Hoſpitiolum in fin.* & ibi gl. un. *in princ.* 32. *diſt. & l.* 2. *ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. jur.* Sed quando intellectus habet judicium probabile, ſeu opinativum de aliquo opere, quòd ſit licitum, non eſt moraliter dubius, ut notat Bart. in *l. Admonendi n.* 18. *ff. de jurejuran.* Ergo quando habet judicium probabile, eſt moraliter certus; & conſequenter judicium opinativum, ſeu probabile, de cujus eſſentia eſt formido, ſufficit ad rectitudinem operationis.

Quarta ratio, quia is, qui ſequitur dictamen rationis, tuta conſcientia operatur; cùm enim lex æterna, quæ eſt prima regula morum, ignota nobis ſit, fuit datum nobis à Deo præceptum naturale ſequendi dictamen rationis tamquam ſecundam regulam nobis notam, qua mediante conformaremur legi æternæ, S. Th. in 1. 2. *q.* 19. *artic.* 4. *&* 5. conſcientia enim dicitur ſpiritus corrector, & pædagogus animæ, id eſt, dictamen rationis, ut ex Origene inquit idem S. Th. in *p.* 1. *q.* 79. *art.* 13. Sed ſequens dictamen probabile, cui inſeparabiliter ineſt formido, ſequitur dictamen rationis, quia formido de oppoſito non impedit, quin intellectus determinatè dictet hoc opus eſſe rectum, ut conſtat ex dictis ſupra eod. *n.* 52. Ergo ſequens judicium probabile, formidine hujuſmodi non obſtante, tuta conſcientia operatur.

Quinta ratio, quia ſi ab humanis actibus oporteret excludere omnem formidinem de ipſorum rectitudine, vix eſſet, qui tuta conſcientia poſſet operari: nam cogitationes hominum ſunt obnoxiæ formidini, ut inquit gloſ. Nicolai de Lyra *ſuper c.* 9. *Sapientiæ*. Ergo formido non præjudicat conſcientiæ rectæ.

Sexta & poſtrema ratio ſumitur ab exemplis: nam præfectus militum multoties cum prudentia prælium tentat, quamvis formidet ſe poſſe ab hoſte ſuperari, eò quòd dubius ſit belli eventus, ut notat Paris à Puteo *de re militar. lib.* 6. *cap.* 31. *nu.* 11. *inter tractat. comm. tom.* 12. *fol.* 141. Item Mercator ſæpè emit merces, & prudenter agit etiam cum formidine damni ex tali contractu, ut *ff. de periculo, & commodo rei venditæ, & de nautico fœnore quaſi per tot.* Item Medicus præbet ægroto medicamentum, quamvis formidet non profuturum, ut notatur per Innocentium in *cap. Tua nos n.* 1. *de homicid.* Imò Medici hoc ſæpiùs faciunt, ut de ſuis pharmacis experimentum capiant. Item Advocatus rectè patrocinatur clienti cum formidine ſuccumbendi, eò quòd ambigua ſint facta cauſarum, *l. Advocati in princ. c. De Advocatis diverſo Judic. leg. Quod debetur, ff. de pecul.* Nec temerè dicitur litigare, qui formidinem habet de litis eventu, gl. 1. in *l. Eum quem temerè, ff. de Judic.* Item Judex juſtè condemnat reum, nec convictum, nec confeſſum, pœna extraordinaria, quando contra ipſum urgent indicia violenta, Grammat. *dec.* 42. Julius Clarus in §. *fin. quæſt.* 20. *propè finem*; & tamen de delicto per talem reum patrato Judex non habet niſi cognitionem probabilem, de cujus ratione intrinſeca eſt formido. Ergo talis formido non impendit, quo minùs operatio ſit juſta, & recta.

Octavum & ultimum fundamentum pro hac ſententia deduci poteſt ex *c. Literas de reſtit. ſpol.* ubi Innoc. III. in articulo reſtitutionis uxoris, quæ à viro abſque judicio Eccleſiæ diverterat propter occultum impedimentum, recenſet diverſas ſententias, & adductis pro unaquaque probabilibus rationibus, eligit ſententiam diſtinguentem tanquam veriorem; & tamen declarat per hoc ſe nullam de prædictis ſententiis reprobare, nec cuiquam illarum ex ſua reſponſione aliquod præjudicium generare. Ex quo contextu colligitur, in uno & eodem articulo poſſe concurrere plures opiniones, quarum una ſit probabilis, & alia ſit probabilior, ſeu verior, & eſſe licitum ſequi etiam minùs probabilem, cùm Pontifex ibi declaret ſe illam non reprobare, nec ei præjudicium aliquod generare ex electione probabilioris. Unde ſicut in illo caſu Papa declaravit liberum eſſe unicuique amplecti quamcumque ex opinionibus probabilibus, etiam poſthabita veriori, ſeu probabiliori; ita & in aliis caſibus hoc debet ſimiliter eſſe liberum, quia declaratio Papæ, quamvis edita in aliquo ſpeciali caſu, facit jus commune. Caſus eſt in *c. Ex multa de voto*, per quem text. ſic tradit gl. in *c. Ex tua in ver. Conſultationem de fil. Presbyter.* & Felin. in *c.* 1. *n.* 17. *de Conſtit.* Ad idem text. in *l. fin.* & ibi Bald. *n.* 1. *C. de legib.*

Qui-

256 Quibus tamen minimè refragantibus contrarium eſt dicendum, id eſt, minimè licere amplecti opinionem minùs probabilem, ac minùs tutam, ſed omninò eligendam eſſe probabiliorem, ac tutiorem.

Nititur autem hæc ſententia authoritate Ariſtotelis, S. Auguſtini, S. Jo. Chryſoſtomi, S. Th. Scoti, & aliorum plurium tam Theologorum, quàm Canoniſtarum primæ claſſis, de quibus infrà in 42. *fundamento à n.* 340. *uſque ad nu.* 348. Nec eſt deſtituta Authoribus modernis, ut patebit *nu.* 354. *uſque ad n.* 392. Et probatur efficaciter 26. *fundamentis ſuprà adductis in* 1. *quæſt. pro parte negativa à n.* 59. *uſque ad num.* 111. quibus latiſſimè oſtenſum eſt non licere amplecti opinionem ſpecificantem actum pro licito, quando intellectus apprehendit illam ſolam eſſe probabilem, eò quòd non reflectat ad opinionem contrariam, nec diſcutiat, an illius motiva ſint probabilia, necne. Hujuſmodi enim fundamenta omnia à fortiori convincunt, non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem, quando intellectus agnoſcit oppoſitam eſſe probabiliorem, ac tutiorem, juxta terminos præſentis quæſtionis. Quandoquidem hoc caſu qui eligit minùs probabilem, & minùs tutam, proculdubio majorem habet incertitudinem de honeſtate ſuæ operationis, & graviori periculo ſe exponit, atque imprudentiùs agit, quàm ille, qui non diſtrahitur inter contrarias opiniones, ſed flectitur ad unam tantùm, licèt cum formidine partis oppoſitæ, ſecundùm terminos primæ quæſtionis. Quippè in caſu illo, qui eligit opinionem, quam ſolam putat eſſe probabilem, habet conſcientiam de contrario ex credulitate levi dumtaxat, propter formidinem, quam habet, ne pars oppoſita ſit vera. At in caſu præſenti eligens minùs probabilem, & minùs tutam, habet conſcientiam de contrario ex credulitate nedum probabili, ſed probabiliori. Unde abſque dubio magis peccat, cùm majori diſcrimini ſe exponat, ut eſt textus clarus in *c. Inquiſitioni de ſent. excommun.* & fuſiùs dicetur infra in 28. *fundamento*.

Quare, ſuppoſita veritate concluſionis firmatæ in 1. *quæſt.* hæc tertia quæſtio indubitabilis eſt, ut *de* 2. *quæſt.* dictum eſt ſuprà *num.* 123. Præterea pro hac ſententia afferri poſſunt etiam fundamenta ſuperiùs allata in 2. *quæſt. pro parte negativa a num.* 123. *uſque ad nu.* 252. cum enim ſingula plenè probent, inter duas opiniones æquè probabiles non eſſe liberum ſequi alteram, vel utramque, ſed omninò eligendam eſſe magis tutam; utique multò fortiùs probant, non eſſe liberum ſequi opinionem probabilem, quando oppoſita eſt probabilior, ac tutior. Unde poſita illius veritate, præſens quæſtio ſimiliter eſt de indubitabili. Sed quatenus aliquis pertinaciter adhuc vellet illarum veritatem in dubium revocare, nihilominùs hæc ſententia nititur ſuis peculiaribus fundamentis.

257 Et quidem primum & principale fundamentum deducitur ex authoritate Ariſtotelis alias citati, quod tanquam deſumptum ex intimis rei viſceribus, aliarum quoque rationum in hac materia fundamentum eſt. Sic igitur liceat ratiocinari. Intellectus humanus non habet libertatem opinandi: quia, ut legitur in 2. *de Anima text.* 153. *non eſt eadem phantaſia, & opinio; imaginari namque poſſumus cum libet, & fingere quidquid volumus; opinari autem*, ſunt præciſa verba Ariſtotelis, *non in nobis eſt, neceſſe enim eſt, aut falſum, aut verum dicere.* Ergo intellectus non habet libertatem opinandi partem minùs probabilem, ſed cogitur ſequi plura & fortiora motiva partis probabilioris. Nam ſicut ſtatera violenter inclinatur in eam partem, in qua gravius eſt pondus; ita intellectus, dum æqua lance librat rationes utriuſque opinionis, violenter attrahitur in partem illam, in qua præponderant graviora motiva. At hoc *c.* 1. *& c. Abbate*, §. *Præfatus igitur de ſent. & re judic. lib.* 6. Alioquin, ſi flecteret ſe ad leviora motiva opinionis minus probabilis, haberet libertatem opinandi pro libito voluntatis contra authoritatem Philoſophi, nec veritati objecti ſe conformaret, neque opinaretur, ſed fingeret. Ob quam rationem in præcedenti *quæſt. in* 2. *&* 14. *fundamento pro parte negativa num.* 139. *& num.* 155. firmatum eſt in paritate contrariorum motuum oportere intellectum quieſcere, quia cùm motiva utrinque ſint æqualia, non eſt ratio cur magis moveatur in partem unam, quam in aliam, ut *l. Sed etſi lege*, §. *Adeò autem*, *ff. de petition. hæredit. c. In Canonicis*, *verſ. Si autem* 19. *diſt. l. fin. C. de condit. indeb.* Ergo viceverſa in imparitate contrariorum motuum neceſſe eſt intellectum moveri in eam partem, quæ fortioribus & validioribus rationibus eſt munita, §. *Item pretium*, *verſ. Sed Proculi ſententia Inſtit. de empt. & vendit. c. Capellanus*, *verſ. Poſterior de feriis*, *c. Vides* 23. *quæſt.* 6. & conferunt, quæ dicta ſunt ſuprà in tertio argumento pro eadem parte negativa ſecundæ quæſtionis principalis, *num.* 142. *verſ. Nec obſtat.*

Secundum fundamentum eſt, quia, ut quis prudenter & rectè operetur ſecundùm Authores contrariæ ſententiæ, debet habere ſaltem probabile judicium practicum, quòd licitum ſit illud, quod operatur, ut apud Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 18. Sed qui ſequitur minùs probabilem, non poteſt formare hoc probabile judicium practicum, quòd actus ſit licitus, quia cùm habeat fortiora motiva pro illicito, impoſſibile eſt, ut habeat judicium practicum de licito, cùm opinari, ſeu judicare aliquid probabiliter eſſe verum, in nobis non ſit, teſte Philoſopho proximè citato, ſed oporteat ſequi motiva fortiora, qualia non ſunt in minùs probabili, ſed in oppoſita. Ergo qui minùs probabilem ſequitur, non agit rectè, ac prudenter.

Tertium fundamentum eſt, quia ad hoc, ut actus noſtri ſint recti, & habeant bonitatem moralem ſecundum veriorem ſententiam, non ſufficit in judicio practico, ut ſequamur illud, quod judicamus eſſe probabile; ſed neceſſe eſt, ut ſequamur quod opinamur verum, cùm opinari nihil aliud ſit, quam judicare propoſitionem probabiliter veram eſſe, ut fusè oſtenſum eſt ſuprà in 2. *quæſt. à n.* 127. Sed non eſt poſſibile, ut opinemur veram utramque, tum quia ex Philoſopho proximè allegato non eſt nobis liberum opinari, ſed violenter flectimur in eam partem, in qua ſunt validiora motiva: tum quia ex duabus opinionibus oppoſitis oportet alteram eſſe veram, alteram falſam, inquit S. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. & cùm cogamur judicare veram eſſe opinionem, quæ melioribus eſt rationibus fulcita, ut oſtenſum eſt ſupra in 1. *fundamento n.* 257. conſequenter adſtringitur ad judicandum illius contradictoriam eſſe falſam. Facit text. in *l. Ubi repugnantia*, *ff. de regul. jur.*

Et confirmatur, quia opinari propoſitionem, non eſt judicare eam eſſe probabilem, ſed eſt judicare probabiliter eſſe veram, ut proximè dictum eſt. Sed duas contradictorias non poteſt quis judicare ſimul eſſe veras etiam probabiliter, & cum formidine, quia cùm utraque vera eſſe non poſſit, ita nec poteſt aliquo modo vera judicari, ut patet ex Philoſopho in 4. *Metaph. cap.* 6. & validè probatum eſt ſuprà *num.* 131. *& ſeqq.* Similiter non poteſt intellectus ex duabus contradictoriis opinari, ſeu veram probabiliter judicare alterutram quam maluerit, cùm juxta Philoſophum *d. text.* 153. non ſit liberum opinari. Neceſſe eſt igitur, ut opinetur illam partem, quæ nititur melioribus rationibus, *d. c. Capellanus de feriis cum concordan.* de quibus infra in 19. *fundamento*.

Quartum fundamentum eſt, quia ille non licitè agit, 258
qui non ſequitur dictamen rationis, *c. Conſuetudo* 1. *diſt. c. Fruſtrà* 8. *diſt. c. Ex eo*, *verſ. Cùm tam juris, quàm rationis*, cum ibi notatis per gloſſam *de elect. lib.* 6. *l. Quod non ratione*, *ff. De legib.* Nam, ut Baldus inquit in *l.* 1. §. *In primo c.* 1. *C. De caduc. tollen.* quod ratio naturalis dictat, intactum atque illibatum perpetuò cuſtodiri debet. Sed qui ſequitur minùs probabilem, relicta probabiliori, non ſequitur dictamen rationis. Ergo non agit licitè.

Minor probatur, quia dictamen rationis nihil eſt aliud, quàm inclinatio potentiæ rationabilis ad aſſenſum; nam illud dictat ratio faciendum eſſe, ad cujus aſſenſum intellectus ſufficienter inclinatur ex motivis rationabilibus, *c. Ego ſolis*, *verſ. Alios autem ita lego* 9. *diſt.* & patet ex D.
Thoma in *part.* 1. *quæſt.* 79. *art.* 13. Ratio enim eſt dux in- 259
tellectus, ut inquit Baldus in *l. Princeps num.* 101. *ff. De legib.* ſeu intellectus fundamentum, ut idem ait in *c.* 1. *nu.* 24. *de probat.* & eſt motus intellectus præcedens per cauſas ſenſitivas, vel intellectivas, ſecundùm ſubjectam materiam ad aliquod neceſſariò concludendum, vel diſponendum, ut idem Baldus diffinit in *l. non omnium num.* 3. *ff. De legib.* Qui autem ſequitur minùs probabilem, poſthabita probabiliori, minimè ſequitur inclinationem rationis, ſeu potentiæ rationabilis ad aſſenſum, quòd hoc ſit faciendum, vel non faciendum; quandoquidem inclinatio ad aſſenſum fit neceſſariò ad illam partem contradictionis, in qua ſunt plura, vel fortiora motiva, quia intellectus non

habet libertatem opinandi, ut libet, ſecundum Philoſophum ſupracitatum in primo fundamento, ſed cogitur ab intelligibili, ut ſenſus à ſenſibili, ut habetur in 3. *de Anima text.* 3. & quamvis voluntas, propoſitis duobus bonis, per illum poſſit unum eligere, & alterum refutare, cùm habeat libertatem contrarietatis, *l. Libertas, ff. de ſtat. homin.* tamen ſecus eſt in intellectu, quia non agit liberè, ſed cogitur ab intelligibili, licèt voluntas non cogatur ab appetibili. Ita S. Thom. in 1. *ſent. diſtinct.* 48. *art.* 3. *ad* 1. & pleniùs dictum eſt ſuprà in 2. *quæſt. n.* 155. *&* 156. Itaque intellectus violenter rapitur in eam partem, in qua rationes graviores præponderant. In opinione autem minùs probabili, ſi comparetur cum magis probabili, non ſunt plura & fortiora motiva, nec præponderant rationes graviores, quin potiùs illæ præponderant in magis probabili. Unde qui ſequitur minùs probabilem, poſthabita probabiliori, non ſequitur inclinationem intellectus ad aſſenſum, ſeu ad diſſenſum ipſum; neceſſe eſt enim, ut intellectus illi aſſentiatur, in quod fortiùs inclinatur, cùm liberum non ſit opinari, ut ſæpiùs repetitum eſt. Ergo à primo ad ultimum is, qui ſequitur minùs probabilem, relicta probabiliori, non ſequitur dictamen rationis, & conſequenter illicitè agit: quod argumentum in effectu eſt Henrici Gandavenſis, Conradi & Cordubæ, quorum verba referuntur infrà *n.* 342.

260 Quintum fundamentum eſt, quia is, qui facit actum ex ſuo genere licitum, ſi conſcientiam habeat quòd ſit illicitus, abſque dubio peccat, ſive talis conſcientia ſit dubia, ut *c. Nervi* 13. *diſt. & c. Illud de Cler. excom. miniſtr.* ſive ſit ex credulitate levi & ſcrupuloſa, *c. Per tuas, il* 2. *de Simon. c. Inquiſitioni, verſ. in ſecundo de ſent. excomm.* Ponderando hæc jura, ut dixi ſuprà *nu.* 95. *& num. ſeqq. & num.* 246. ſive ſit ex credulitate, ſeu opinione probabili, ut in *d. c. Inquiſitioni, verſ. Verum.* Ergo multò magis peccat, ſi habeat conſcientiam, quòd actus ſit illicitus ex credulitate, ſeu opinione magis probabili. Quod ſic oſtenditur evidenter. Conſcientia, quod ſpectat ad rem præſentem, nihil eſt aliud, quàm credulitas, ſeu judicium de bonitate, vel malitia actus, ut colligitur ex D. Thoma in 1. *par. quæſt.* 79. *art.* 13. *in corpor.* & ex D. Bonaventura in 2. *ſent.*
261 *diſt.* 39. *num.* 19. Ad hujuſmodi autem credulitatem pervenitur per quatuor gradus, ut optimè declarat Bartolus in *l. Admonendi num.* 19. *cum trib. ſeqq. ff. De jurejur.* & ex illo Baldus in *l. In bonæ fidei num.* 14. *C. De reb. cred.* Primus gradus eſt, cùm quis incipit dubitare, an actus ſit malus, ſeu illicitus, vel non, & iſte nihil habet credulitatis; nam dubitare quis dicitur, ſecundùm Bartolum, quando non applicat magis animum ſuum ad unam partem, quàm ad aliam; ideòque talis dubitatio non eſt gradus probationis, ſeu credulitatis, ſed eſt illud, per quod pervenitur ad inveſtigationem, quæ ad credulitatem perducit. Secundus gradus, qui dicitur primus probationis, eſt, cùm quis ex aliquo levi judicio, vel ex aliquo levi argumenro incipit inclinare animum ſuum in eam partem, quòd actus ſit malus; & talis appellatur ſuſpicio, ſeu ſcrupulus, qui nihil eſt aliud, quàm credulitas ex levibus conjecturis; & ideò plus habet credulitatis, quàm dubitatio, ſed minùs, quàm opinio; & hæc dicitur conſcientia ex credulitate levi, ſeu temeraria, in *d. c. Inquiſitioni de ſent. excommun.* & conſcientia ſcrupuloſa appellatur in *c. Per tuas, il* 2. *de Simon.* Tertius gradus, qui dicitur ſecundus probationis, eſt, cùm quis ex fortioribus argumentis credit actum eſſe illicitum, non tamen eſt omninò certus: & hæc eſt opinio, quæ plus credulitatis habet, quàm ſuſpicio, & minus, quàm plena credulitas: & hæc appellatur conſcientia ex credulitate probabili & diſcreta in *d. c. Inquiſitioni.* Quartus & ultimus gradus, qui dicitur tertius probationis, eſt, cùm quis habet certam credulitatem quòd actus ſit illicitus: & hæc appellatur fides & plena credulitas, ut in *d. c. Inquiſitioni in princ.* Conſtat autem apud omnes eum, qui actum ex ſuo genere licitum credit eſſe peccatum mortale, ut levare feſtucam de terra, mortaliter peccare contra conſcientiam, quamvis non contra legem Dei, ſi faciat actum illum, quia ſecundùm Apoſtolum: *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, c. Quoniam omne de præſcript. c. Litteras de reſtit. ſpoliat.* & omne, quod contra conſcientiam fit, ædificat ad gehennam, quæ ſunt verba textus in §. *Ex his, poſt c. Omnes* 28. *quæſt.* 1. & declarat S. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. & egregiè S. Bonaventura in 2. *ſent. d. diſtinct.* 39. *num.* 19. Quo fit, ut quantò proximiùs accedit aliquis ad certam fidem, ſed plenam credulitatem quòd actus ſit malus, tantò magis peccet contra conſcientiam, ſi actum illum faciat; quia majori periculo ſe exponit, & quantum ſapit credulitatis, tantum ſapit determinationis ad peccatum. Quare ſi peccat is, qui agit cum conſcientia dubia, nihil habens credulitatis, utique magis peccat, qui agit cum conſcientia ſcrupuloſa, cùm habeat aliquid credulitatis quamquam levis: & adhuc magis peccat, qui agit cum conſcientia ex credulitate, ſeu opinione probabili & diſcreta, cùm talis plus habeat credulitatis de malitia actus, quàm ille, qui ſimplicem habet ſuſpicionem. Ergo fateri oportet, longè magis peccare eum, qui de peccato habet conſcientiam, ſeu opinionem magis probabilem, quia talis abſque dubio propiùs accedit ad certam fidem, ſeu plenam credulitatem quòd actus ſit malus, & ideò ſe exponit majori diſcrimini, & graviùs offendit Deum, cujus præceptum magis contemnit, prout hi gradus diſtinguuntur, & efficaciter probantur in præallegata decretali Inquiſitione. Ubi conjux, ſi habet conſcientiam impedimenti dirimentis ex credulitate levi & temeraria, poteſt exigere & reddere debitum conjugale, dummodò tamen priùs hujuſmodi conſcientiam explodat, ſeu deponat. Sed ſi habeat talem conſcientiam ex credulitate probabili & diſcreta, poteſt reddere, ſed non exigere debitum, ne contra legem conſcientiæ committat offenſam, ut ibi patet in 1. & 2. membro diſtinctionis. At verò ſi habeat certam fidem, ſeu plenam credulitatem de impedimento non poteſt debitum exigere, nec reddere ſine mortali peccato, ut ibi deciditur in princ. & concordat textus in *c. Litteras de reſtit. ſpoliat.*

Sextum fundamentum eſt, quia in agibilibus quicum- 262
que non adhibet moralem diligentiam, quam debet, ad cognoſcendum quod ſit verum, vel falſum, abſque dubio peccat, ut docet S. Thomas in 1. 2. *quæſt.* 76. *artic.* 2. talis enim ignorantia cùm ſit eorum, quæ ſcire poteſt, & debet, dicitur vincibilis & affectata, quæ æquiparatur ſcientiæ, ut *c. ult.* 37. *diſt.* & ideò non excuſat à peccato omiſſionis, *c. Cùm inhibitio de clandeſt. deſponſ. c.* 2. & ibi gloſſa *in ver. affectata de tempor. ordin. lib.* 6. & optimè declarat idem S. Thomas *ubi ſuprà.* Sed qui ſequitur minùs probabilem, relicta probabiliori, non adhibet moralem diligentiam quam debet, & poteſt, ad cognoſcendum quid ſit verum, vel falſum. Ergo à peccato non excuſatur.

Minor probatur, quia minimè dicitur adhibere moralem diligentiam ad aliquod negotium rectè peragendum is, qui ſponte utitur mediis minùs probabilibus & congruis ad illud rectè expediendum: hic enim ut plurimum à fine aberrat, ad quem non pervenitur niſi per medium, *l.* 1. *de orig. jur. cum ſimilibus.* Quis enim dixerit illum diligentiam adhibere, ut cognoſcat peccatum, ſeu errorem, aut falſitatem, qui dedita opera ſequitur id, quod magis apparet peccatum, & error, & falſitas, quàm contrarium? Nam ſi magis probabilis apparet magis vera, oportet ut illius contradictoria minùs probabilis appareat magis falſa, quàm vera, quia unam falſam eſſe neceſſe eſt, ut in 4. *Metaph. c.* 6. Ideòque S. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. ait *quem peccare ſi faciat contra legem, etiamſi non arbitretur facere*: quod intelligendum eſt, ſi non adhibuerit debitam diligentiam, ut veritatem cognoſceret.

Septimum fundamentum eſt, quia in nullo alio humano gravi negotio, in quo agatur de proprio cujuſque commodo, ſeu intereſſe, ſequitur quis minùs probabilem partem, aut minùs veriſimilia ad illius finem conſequendum; & ſi quis illa ſequatur, negligentiæ, ſeu culpæ ipſius imputabitur, §. *Igitur cùm quis in fin. inſtit. de obligat. quæ ex quaſi contractu, l. Heredes,* §. *Non tantùm, ff. Familiæ erciſcundæ, l. In rebus, ff. De jur. dot. l. Si conſtante,* §. *Si maritus, ff. ſolut. matrim.* Ergo multò minùs id faciendum eſt in negotio animæ, in quo agitur de offenſa Dei, & de vita æterna; ac ſi id fiat, majori negligentiæ & culpæ erit imputandum, ad tradita per gloſſam 2. in *l.* 1. *ff. De pact.* & in Authent. *Ut cum de appellat. cognoſc.* §. *Si quis de prædictis in ver. Si enim, & in* §. *Sacra in ver. excepta inſtit. de rerum diviſ.* Et conſtat ex D. Thoma *d. quodlib.* 8. *in fin. art.* 13. ibi: *Periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccato, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem.* Confert text. in *c. Ubi periculum de elect. lib.* 6.

163 Octavum fundamentum eſt, quia in morali materia verum, vel falſum ſufficienter oſtenditur ex iis, quæ plerumque eveniunt, ut habetur in 1. *Ethic. c.3.* prout enim communiter & frequenter accidit, ita exiſtimatur veritas ſe habere, *l. Evidens abeſt, ff. De ædil. edict. l. Eum qui probabilem, C. De Epiſc. & Cleric. l. Ideò quia*, & ibi gloſſa 1. *ff. De legib. c.* 1. & ibi notant Jo. Calder. Card. Jo. de Imol. Abb. & DD. *de Cler. non reſident.* Sed frequentiùs & plerumque evenit, ut opinio minùs probabilis ſit falſa. Ergo qui in materia morali ſequitur minùs probabilem, poſthabita probabiliori, ſequitur id, quod oſtenditur eſſe falſum.

Minor propoſitio patet, quia cùm ex duabus opinionibus oppoſitis oporteat alteram eſſe falſam, ut in 4. *Metaph. c.6.* & per D. Th. in ſæpiùs citato *quodlib. 8. art.* 13. neceſſe eſt fateri falſitatem potiùs ineſſe illi opinioni, quæ minus habet rationis & probabilitatis, quàm illi, quæ rationabilior & probabilior eſt, *c. Capellanus de feriis*. Et cùm in exiſtimatione & opinione fieri poſſit, ut mentiamur, ut dicitur in 6. *Ethic. c.* 3. *in princ.* & judicium, quod innititur opinioni, ſæpè fallatur, & fallat, ut habetur in *c. A nobis, il 2. de ſent. excom.* Quantò magis fallit, & fallitur judicium, quod innititur opinioni minùs probabili, cujus oppoſita validioribus, & probabilioribus fulcitur rationibus?

Nonum fundamentum eſt, quia, ut inquit S. Thomas *quodlib. 9. art.* 15. *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur.* Sed qui conſulit opinionem minùs probabilem, non habet expreſsè veritatem, quin potiùs conſulit id, quod plerumque contingit eſſe falſum, ut oſtenſum eſt in præcedenti fundamento. Ergo qui eam conſulit, quæſtionem periculosè determinat, & conſequenter exponendo ſe periculo peccati mortalis, mortaliter peccat, ut diſertis verbis inquiunt S. Thomas & Scotus ſupracitati *n.* 207.

Decimum fundamentum deducitur ex verbis Scoti aliàs relati in 4. *ſent. diſt.* 17. *quæſt. unic.* videlicet: *Ubi via eſt facilior, id eſt, magis in poteſtate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam, ita quod, omiſſa illa, non attentet aliam difficiliorem, & incertiorem, quia tunc ſe exponeret periculo ſalutis ſuæ, & videretur eſſe contemptor propriæ ſalutis.* Ita Scotus. Sed abſque dubio via eſt facilior, & magis in poteſtate hominis, & certior ad peccatum vitandum ſequi opinionem magis probabilem, & magis tutam, ad quam intellectus magis flectitur propter rationes validiores, quàm ad contrariam minùs probabilem, & minùs tutam. Ergo tenetur quis ſequi magis probabilem, nec poteſt, omiſſa illa, attentare aliam minùs probabilem, & minùs tutam, quæ proculdubio incertior, ac difficilior eſt, cùm ad eam difficiliùs flectatur intellectus, quàm ad oppoſitam: alioquin, ex ſententia Scoti, exponit ſe periculo ſalutis ſuæ, & videtur eſſe illius contemptor. Ad hoc *cap. Si quis poſitus, & c. Si quis autem de pœnit. diſtinct.* 7.

Undecimum fundamentum eſt, quia cùm utrinque ſunt opiniones æquè probabiles, tenetur quis ex præcepto ſequi partem tutiorem. Ergo multò magis tenetur quis ex præcepto tutiorem partem amplecti, quando oppoſita eſt minùs probabilis. Ut autem cum evidentia percipias vim hujus argumenti, apprehende ſtateram intellectus, qui lances appendit æquo libramine, ut dicitur in *c.* 1. & in *c. Abbate*, §. *Præfatus de ſent. & re judic. lib. 6.* & pone in lance dextera opinionem probabilem affirmantem actum eſſe illicitum, quæ periculo vacat, ac tutior eſt: & in lance ſiniſtra pone alteram opinionem æqualiter probabilem, quæ affirmat actum eſſe licitum, & ſubeſt peccati periculo. Jam ſtatera ſtat in æquilibrio, cùm pondera utrinque ſint æqualia, & intellectus in neutram partem poteſt declinare; quia cùm non ſit ratio, cur magis declinet in partem dexteram, quàm in ſiniſtram, in hac paritate contrariorum motuum cogitur quieſcere, & ſtat ſuſpenſus, ac dubius, ut ſexdecim ſolidiſſimis fundamentis monſtratum eſt in quæſtione præcedenti in 1. concluſione à *num.* 125. *uſque ad num.* 171. & ideò in tali dubio tenetur ex præcepto ſequi partem affirmantem, actum eſſe illicitum, quæ tutior eſt, ut ſimiliter probatum eſt in eadem quæſtione in 2. concluſione à *d. num.* 171. *uſque ad num.* 191. Pone modò in lance dextera ſtateræ opinionem probabiliorem, ac tutiorem, & in lance ſiniſtra opinionem minùs probabilem, ac minùs tutam. Certè lanx ſiniſtra, quæ propter leviora motiva minùs habet ponderis, minus etiam habet inclinationis, quàm habeat, quando rationum pondera utrinque ſunt æqualia. Item quantum aſſenſus & applicatio intellectus augetur in lance dextera, in qua ſunt graviora motiva, tantum minuitur in lance ſiniſtra, in qua motiva ſunt leviora: ac proindè reſpectu partis ſiniſtræ intellectus magis fluctuat, & vacillat circa veritatem opinionis minùs probabilis, ac minùs tutæ, quàm faciat, quando rationes in utraque lance ſunt æqualis ponderis; & conſequenter cùm reſpectu partis ſiniſtræ plus habeat fluctuationis, plus etiam habet indeterminationis, & indebiti modi operandi, ſecundùm Cajetanum aliàs citatum in *opuſc. tom.* 1. *reſponſ.* 13. *dub. ult.* Ergo, ſi intellectus non poteſt inclinari in opinionem probabilem & periculoſam, quando eſt in dubio propter æquilibrium rationum utrinque probabilium, multò minus poteſt in eam inclinari, quando illa eſt minùs probabilis. Et per conſequens cùm magis probabiliter opinetur illicitum eſſe actum, & faciat illum contra inclinationem intellectus, & ſic contra conſcientiam, & dictamen rationis, & ex perverſitate voluntatis utique magis peccat, quàm qui agit cum dubio. Prætereà ſi in dubio non eſt liberum, neque licitum opinari partem, quæ non movet ad aſſenſum, quando propter æquilibrium neutra movet, multò minùs erit liberum, aut licitum opinari unam partem non moventem, quando movet contraria, ſicut contingit in magis probabili: nam illa tantùm, non autem oppoſita movere poteſt, ut patet in duobus trahentibus pondus in contrarium, quorum unus ſit validior altero, quia validior ſolùm movet. Ac demum, qui agnoſcit unam opinionem eſſe probabilem, & aliam probabiliorem, in ordine ad ſequendam licitè minùs probabilem eſt in deteriori conditione, quàm is, qui eſt in dubio, quia dubitans non inclinatur in hanc partem magis, quàm in illam, *l. In ambiguo, ff. De reb. dub.* gloſ. in *rubr. ff. De jur. & fact. ignor.* Bart. *in l. Admonendi num.* 20. *ff. De jurejur.* & conſtat ex dictis in 1. *quæſt. à d. num.* 125. *uſque ad num.* 171. At, qui agnoſcit unam eſſe probabilem, & aliam probabiliorem, magis inclinatur ad aſſenſum probabilioris tanquam veræ, & minùs probabilis tanquam falſæ. Neque aliter, rebus ſic ſtantibus, inclinari poteſt, cùm non habeat libertatem ad libitum opinandi, ſed violenter trahatur à fortioribus motivis, ut in 2. *de Anima text.* 153. & pleniùs oſtenſum eſt ſuprà in 1. *fundamento* pro hac ſententia *num.* 257. Ergo qui falſam, opinatam & periculoſam ſequitur, contra conſcientiam agit, & plus peccat, quàm qui eſt in dubio. Ac demum in dubio tutior pars eſt eligenda, & uſus hujus regulæ neceſſarius eſt in dubio æquilibri, ut latiſſimè probatum eſt ſuprà in 2. *quæſt.* Ergo multò magis eſt neceſſarius, quando dubium augetur ex parte illius opinionis, quæ affirmat actum eſſe licitum: ratio enim, quare hæc opinio in dubio æquilibri non poteſt eligi, eſt quia habet annexum periculum, ut ibi demonſtratum eſt. Ergo minùs eligenda eſt, quando majus habet periculum; quod tunc utique accidit, quando de ea magis poteſt dubitari, quàm de ſua contradictoria. Certum autem eſt magis de ea dubitari, quando minùs eſt probabilis, quàm ſua oppoſita; ſi ergo, quando eſt æquè probabilis, non poteſt eligi, utique multò minùs eligi poteſt, quando eſt minùs probabilis.

Duodecimum fundamentum deſumitur ex illo Eccleſ. 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Quem locum citant in noſtro caſu plerique ex Theologis; ex quo ſic formatur argumentum. Qui non vitat, quantum poteſt, periculum peccandi materialiter, quod quantum poteſt, id eſt, adhibita morali diligentia, vitare tenetur, ipſe amat periculum, & perit in illo, ſeu peccat formaliter. Sed qui minùs probabilem ſequitur, relicta probabiliori, non vitat, quantum poteſt, periculum peccandi materialiter, quod quantum poteſt, ſeu adhibita morali diligentia, vitare tenetur. Ergo formaliter peccat. Major eſt evidens, & eſt S. Thomæ, & Scoti, quorum præciſa verba ſuperiùs retulimus *num.* 207. & conceditur ab omnibus: nam omnes fatentur debere fieri moralem diligentiam in agibilibus, ut verum & rectum cognoſcatur, & falſum & obliquum vitetur; & niſi quis illam adhibeat, non excuſari ex ignorantia, quia eſt vincibilis & affectata, quæ non excuſat à peccato, *c.2. de tempor. ordin. lib.6.* S. Thom. in 1.2. *quæſt.*

quæſt. 70. *art.* 2. & fuſius dictum eſt ſupra in 6. *fundamento* pro hac ſententia, & patet etiam *num.* 70. *&* 98.

Minor propoſitio ſimiliter patet, quia cùm ex duabus opinionibus oppoſitis oporteat alteram eſſe falſam, ut ſæpiùs repetitum eſt ex Philoſopho in 4. *Metaphyſ. c.* 6. & D. Thoma *d. quodlib. art.* 13. & falſitas veriſimiliùs inſit minùs probabili, quæ debilioribus nititur fundamentis: utique qui illam eligit, relicta probabiliori, non vitat, quantum poteſt, periculum eligendi falſum, quod quantum poteſt, id eſt, adhibita morali diligentia, tenetur vitare. Et hìc junge, quæ in propoſito dicentur infrà in 28. *fundamento*.

265 Decimumtertium fundamentum deducitur ex lib. 3. Regum cap. 12. videlicet: *Reſpondit Rex populo dura, derelicto conſilio Seniorum, quod ei dederant, & locutus eſt eis ſecundùm conſilium juvenum.* Ex quo loco arguitur ſic. Reprehenditur Roboam, quòd ſecutus ſit conſilium deterius; non enim apparet hoc ideò factum fuiſſe, quia conſilium illud aliquam probabilitatem non haberet, videlicet populum eſſe tractandum durè, ne aſſueſceret ſic liberè loqui, & ſeditionem excitare: Sed quia juniorum conſilium prætulit conſilio ſeniorum, non alia ſanè de cauſa, niſi quia melius hoc, quàm illud, cenſendum eſt. Ad hoc bonus textus in *c. De quibus* 20. *diſtinct.* ibi: *Seniores provinciæ congrega, & eos interroga*, & pulcher textus in *c. ult.* 84. *diſt.* ibi: *Gloria ſenum canities*; hæc verò canities ſapientiam deſignat, de qua ſcriptum eſt: *Canities hominum prudentia eſt.* Et ibi gloſſa 1. dat concordantes: Sed qui ſequitur minùs probabilem, probabiliori relicta, conſilium ſequitur deterius, & minùs ſapientum. Nam teſte Philoſopho in 1. *Topic. cap.* 1. *Probabilia ſunt, quæ videntur ſapientibus, & maximè notis.* Et probatur in *cap. Quis neſciat*, ubi Præpoſitus *n.* 7. *diſtinct.* 9. Ergo qui ſequitur opinionem minùs probabilem, poſthabita probabiliori, eſt meritò reprehendendus. Et ſanè ſi licet amplecti minùs probabiles opiniones, licet etiam vivere ſecundùm conſilium minùs ſapientum, imò plerumque deſipientium, ſeu errantium; nam ex contradictoriis unam tantùm eſſe veram neceſſe eſt, ut in 4. *Metaph. d. c.* 6. & ut plurimùm debet eſſe probabilior, & magis ſapiens dicitur, qui de rebus judicat juxta earum pondera, quæ ſunt momenta rationum, *c. Ego ſolis* 9. *diſtinct. c. Judicantem* 30. *quæſt.* 5.

266 Decimumquartum fundamentum deducitur ex Ariſtotele in 2. *de Anima text.* 152. ubi ait: *Intelligere, in quo eſt rectè quidem prudentia, & ſcientia, & opinio vera, non rectè autem contraria horum.* Ex quo loco arguitur ſic: Rectè intelligere, & ſapere, eſt ſequi opiniones veras: Sed qui ſequitur minùs probabiles, ut plurimùm ſequitur falſas, quia ut plurimùm ratio humana poſt diligentem diſcuſſionem non fallitur. Nam ratione naturali diſcernimus quid ſit bonum, & quid ſit malum: ſignatum eſt enim ſuper nos lumen vultus Dei, & hoc lumen eſt lex naturæ, quæ eſt impreſſio divini luminis in rationali creatura, ut inquit S. Thomas in 1. 2. *quæſt.* 91. *art.* 2. & ex

267 illo Fortunatus Garzia *de ultim. fin. utriuſque juris, c.* 1. *num.* 80. *tract. com. tom.* 1. *pag.* 130. & lumen naturale intellectûs nihil eſt aliud, quàm manifeſtatio veritatis, ut idem S. Thomas docuit in 1. 2. *quæſt.* 67. *art.* 1. Unde vix aliquid reperitur contra naturalem rationem, quod non remordeat conſcientiam, ut ait Baldus in *conſ.* 38. *incip. D. Thomas in fin. lib.* 1. Item argumenta rei indicant ipſam rem, *c. Intelligentia de verborum ſignificat.* Ergo qui ſequitur minùs probabiles, ut plurimùm non rectè intelligit, neque ſapit, unde nec prudens cenſeri poteſt, nec bonus, quia cùm ex duabus contradictoriis neceſſariò una ſit vera, altera falſa, & plerumque falſa ſit minùs probabilis, utique talis voluntariè, ac reluctante conſcientia ſequitur id, quod plerumque eſt contra veritatem. Ad hoc bonus text. in *c. Abbas ſanè, §. Cæterùm*, ibi: *Nec etiam Judex ipſe, cognita realiter veritate, pronuntiare in contrarium poſſet cum libera conſcientia & ſecura, de ſent. & re judic. lib.* 6.

268 Decimumquintum fundamentum deducitur ex *c. In canonicis* 19. *diſtinct.* ubi Auguſtinus ait: *In illis ſcripturis, quæ non ab omnibus recipiuntur, præponendas eas eſſe, quas plures graviore ſque recipiunt, eis, quas pauciores minoriſque authoritatis Eccleſia tenent*: Ergo, ex ſententia Auguſtini, juxta plura & graviora motiva eſt judicandum; ac proinde opinio probabilior ſemper eſt ſequenda.

Decimumſextum fundamentum ſumitur ex S. Joanne Chryſoſtomo, ſive Auctore imperfecto in *Matth.* cujus tamen authoritas gravis eſt apud Theologos, & crebrò ab illis citatur; ait enim *Homilia* 44. *in cap.* 23. *Si veſtimenta empturus gyras unum negotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: Quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi ſincera veritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum?* Et ſuperiùs dixerat tales eſſe inexcuſabiles, ſi errant in fide. Cujus teſtimonium valdè etiam redarguit Authores modernos, qui auſi ſunt affirmare tutum eſſe in conſcientia eum, qui propoſitum habet varios Doctores conſulendi, quouſque inveniat aliquem reſpondentem juxta deſiderium ſuum, ut dixi ſuprà *num.* 30.

Decimumſeptimum fundamentum ſumitur ex Tullio in 269 *lib. de Senectute*; ait enim: *Magnæ felicitatis eſt veras opiniones in ſenectute ſaltem aſſequi.* Sed veras opiniones per rei evidentiam aſſequi non poſſumus, cùm moralia, ſaltem ut in pluribus, non ſint demonſtrabilia, ut ex Philoſopho dictum eſt *n.* 50. *&* 51. Ergo ut veras aſſequamur, magis probabiles ſequi debemus, non autem minùs probabiles, quæ plerumque ſunt falſæ, ut dictum eſt in 14. *fundamento*.

Decimumoctavum fundamentum ſumitur ex D. Tho- 270 ma *quodlib.* 3. *artic.* 10. ubi docet: *In his, quæ ad fidem & mores pertinent, nullum excuſari ex ſimplicitate, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri*; & reddit rationem, dicens: *In rebus enim dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus.* Intelligit ergo S. Doctor de dubio, quod oritur ex diverſitate opinionum, ideòque peccare illum, qui eas non examinat, ut ſequatur veras, ſed facilè ſequitur alterutram propter authoritatem alicujus Doctoris. Et *quodlib.* 8. *art.* 13. affirmat, *Cùm ſunt contrariæ opiniones de aliquo articulo, oportet ad hoc, ut quis excuſetur à peccato, ut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducatur, & poſt adhibitam diligentiam non inveniat aliquid, quod eum moveat ad credendum eſſe illicitum id, quod agere intendit.* Sed qui ſequitur minùs probabilem, relicta probabiliori, utique invenit aliquid, quod eum movet ad opinandum illud eſſe illicitum, imò quod magis movet, quàm moveat ad opinandum illud, quod putat eſſe licitum, & ex contrarietate opinionum in dubitationem adducitur: imò in pejori ſtatu reperitur, & magis culpabiliter agit, quàm ille, qui eſt in dubio, quia agit contra inclinationem intellectus in alteram partem, & ſic contra dictamen rationis propter fortiora motiva, quæ ſunt in magis probabili, quam relinquit, ut evidenter monſtratum eſt ſuprà in *undecimo fundamento* pro hac ſententia: Ergo iſte præſtat facilem aſſenſum his, quæ dubia ſunt, quin potiùs his, quæ magis apparent falſa, quàm vera, contra Angelicum Doctorem; & citò credit, ideòque levis eſt corde, contra divinum teſtimonium, *Eccleſ.* 19. id eſt, imprudenter agit, & peccat.

Et confirmatur, quia S. Thomas vult in contrarietate opinionum, ſi una amplectenda eſt, ita nobis alteram improbabilem videri, ut nihil nos moveat, quin noſtram indubitatam teneamus. Quantò minùs igitur ille concederet nos poſſe illam amplecti, cujus contraria ita nos moveat, ut ſolidiora argumenta veritatis illam habere exiſtimemus? Quàm longè, quæſo, diſtant à ſenſu tanti Doctoris illi, qui, quantumvis reluctante conſcientia, quæ ſequitur validiores rationes & fortiora motiva, nituntur eam detorquere in eam partem, in quam, præponderante parte contraria, nullo modo, neque etiam phyſicè inclinari poteſt? Nonne hoc eſt formare conſcientiam contra conſcientiam, & opinari non ſecundùm apparentiam rei, ſed fingere verum ex noſtro arbitrio, adverſus ea, quæ diximus ſuprà in 1. *fundamento* pro hac ſententia?

Decimumnonum fundamentum eſt, quia jura expreſsè determinant in varietate opinionum eligendam eſſe magis probabilem, *Clem. unic. §. fin.* ibi: *Opinionem ſecundam tanquam probabiliorem, & c. duximus eligendam, de Summa Trinitate, & fide Catholica, c. Capellanus*, ibi. Sed poſterior ſententia meliori & ſubtiliori nititur ratione, atque ibidem notant Abb. & Doct. *de feriis, l. Idem cum eodem in fin.* cum ibi notatis per Bald. Angel. & Doctores, *ff. De juriſdict. omn. judic. l. Æmilius, ff. De minor. l. Pater, ff. De evict.* & textus fortis in §. *Item pretium inſt. de empt. & vend.* ibi: *Sed Proculi ſententia dicentis, permuta-*

tio-

tionem propriam eſſe ſpeciem contractus, meritò prævaluit, cùm & ipſe aliis Homericis verſibus adjuvaretur, & validioribus rationibus argumentaretur. Pondera illud adverbium, *meritò*, quod idem importat quod rationabiliter, & de jure, ut *l. Cùm de lege, ff. De probat. l. Meritò, ff. Pro ſocio, l. 3. ff. De penu legata, l. 1. §. De loco public. fruen.* Unde ille textus efficaciter probat, rationis & juris eſſe, ut in contrarietate opinionum prævaleat probabilior, & ſolidioribus argumentis vallata, & ideò jure optimo ſententia illa Proculi dicitur eſſe verior in *l. 1. propè fin. verſ. Sed verior, ff. De contrahen. empt.*

271 Vigeſimum fundamentum deducitur ex formulis loquendi, quibus utuntur Doctores claſſici in opinionibus eligendis, & in decidendis quæſtionibus. Nam gloſſa, Innocentius, Speculator & alii eo celebriores Canoniſtæ hoc ferè obſervant. Aliquando enim ſimpliciter referunt plures opiniones, & nullam expreſsè approbant: & tunc cenſentur tranſire cum illa, quam recenſent ultimo loco, gloſ. in *l. Qui filium circa fin. ff. Ad Trebellian.* Hoſtienſis, qui loquitur de opinionibus Innocentii in *c. 1. de pœn. lib. 6.* Et de opinionibus gloſſæ, Innocentii & Speculatoris ſcripſerunt Bald. & Angel. in *l. Si idem cum eodem, §. fin. ff. De juriſdict. omn. judic.* Niſi primò gloſſa ponat aliquam opinionem, & poſteà ſubjiciat, alii dicunt, ſeu quidam dicunt: quia tunc prima cenſetur opinio gloſſæ, ut per Jaſ. in *d. §. fin. nu. 3.* & Dec. in *c. 1. propè fin. ſup. eod.* ubi limitant etiam duobus aliis modis. Aliquando cogitandum relinquunt, cùm præ dubio non audent aliquid determinare. Plerumque autem, aut
272 unam opinionem refellunt, & aliam expreſsè approbant, aut ſimpliciter uni adhærent, & cenſentur contrariam reprobare, licèt id clarè non explicent, ut notant Legiſtæ in *d. l. Si idem cum eodem, §. fin. ff. De juriſdict. omn. judic.* & Canoniſtæ in *d. c. 1. ſup. eod.* Porrò Juriſtæ, præſertim in lecturis, ex duabus opinionibus nonnunquam unam dicunt communem, aliam melioribus rationibus fulcitam, unam veriorem eſſe, æquiorem alteram: unam defendi poſſe in via diſputativa, ſeu in puncto juris, ſed contrariam ſequendam eſſe in conſulendo, & judicando, & alia his ſimilia. At vix reperies claſſicos Canoniſtas in moralibus, & ſpectantibus ad ſalutem animæ, unam ſententiam ſequutos fuiſſe, & aſſeruiſſe oppoſitam eſſe probabilem, & ad praxim
273 deduci poſſe. Et quamvis ſæpè affirment aliquid eſſe probabilius, ſeu verius; non tamen indè licet inferre, ut ſenſerint contrarium eſſe probabile, aut verum, quemadmodum perperam deducunt aliqui ex recentioribus. Quinimò per ea verba cenſentur approbare opinionem, quam dicunt probabiliorem, & contrariam refellere, ut per Jo. Andr. in *c. Litteras col. 2. in ver. Melius*, & in gloſſa *ſup. eod. ver. De reſtit. ſpoliat.* & probatur in *Clem. unic. in fin. de Summa Trinitate & fide Catholica*, ubi in articulo illo, *An infantibus in Baptiſmo infundantur virtutes*, relatis duabus opinionibus, eligitur affirmativa tanquam probabilior. Et tamen gloſſa ibi in *ver. Dirigendam*, & Doctores communiter aſſerunt ſententiam illam eſſe ab omnibus tenendam, & contrariam rejectam cenſeri. Ad idem textus in *c. Tertio loco in ver. Conſultius de præſumpt.* Imò Juriſconſultus in *d. l. Si idem cum eodem*, ſimpliciter recenſet duas oppoſitas Juriſconſultorum ſententias, & neutram ex illis approbat, ſed tantùm in fine ait: illorum ſententia probabilior eſt. Et tamen per hæc verba opinionem illam cenſeri approbatam, nec quemquam poſſe contrariam ſequi, firmant ibi Bald. Angel. Jaſ. & cæteri Doctores. Et concordat textus in *l. Pater, verſ. Sed videamus ne pro-*
274 *babilius dicatur, ff. De evict.* Nec refragatur textus in *cap. Cum Marthæ, §. Quæſiviſti de celebratione Miſſarum.* Nam reſpondetur, articulum, de quo ibi, videlicet: Utrum in Sacramento Altaris aqua cum vino tranſmutetur in ſanguinem, neque ad fidem, cùm non ſit diffinitum ab Eccleſia, neque ad mores pertinere. Unde non mirum, ſi inter opinionem Scholaſticorum illa probabilior judicetur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, & tamen dicatur non eſſe inconveniens, vel abſurdum, ſi aqua in corpore Chriſti eſſe credatur. In his enim licitum eſt ſequi opinionem minùs probabilem ſecundùm S. Thomam, Innocentium & alios ſupracitatos *num. 16. & ſeqq.* Præterea in *d. §. Quæſiviſti*, ex eo, quòd Pontifex dicat unam ſententiam eſſe probabiliorem, non cenſetur contrariam reſpuere, quia hoc expreſsè declarat in *verſ. Sed nec conveniens*, ſicut fit in *c. Litteras*, ibi: *Nos autem ad præſens nullam de prædictis ſententiis reprobamus, de reſtit. ſpoliat.* Ergo oppoſitum eſt dicendum, cùm Canon expreſsè non declarat ſe non damnare ſententiam contrariam, ſed ſimpliciter unam eligit tanquam probabiliorem, juxta terminos dictæ *Clement. unicæ*, quæ hoc modo conciliatur cum *d. §. Quæſiviſti*. D. Thomas verò, adductis hinc inde argumentis, ſemper ultimo loco docet quid tenendum, & reſpondet objectis; idemque ferè obſervant reliqui graviores Theologi. Sed & Patres ubique docent quid nos tenere oporteat, nec unquam in ſpectantibus ad mores memini me legiſſe eos relinquere nobis libertatem eligendi opinionem, quam maluerimus. Imò Auguſtinus *de unico Baptiſmo lib. 7. c. 35.* in re gravi, & dubia, non auſus quidquam diffinire, cenſet divinum judicium concordi oratione, & impenſis ſupplici devotione gemitibus eſſe implorandum. Quod refertur in *c. Solet de conſecr. diſt. 4.*

Vigeſimumprimum fundamentum eſt, quia opinio com- 275
munis proculdubio eſt probabilis, nam ſecundùm Philoſoph. 1. *Topic. c. 1. Probabilia ſunt quæ videntur omnibus, vel pluribus.* Ideòque eſt amplectenda in judicando, & conſulendo, ut eſt text. qui ad hoc communiter allegatur in *l. 1.* ibi: *Sanè crebrior apud veteres opinio eſt.* Ubi Bald. notat *ff. De off. quæſtor.* & in *c. Novimus de verbor. ſignific.* & tradit Alexander *conſ. 134. Præviſo themate in fin. lib. 1. & conſ. 22. Viſo proceſſu circa fin. lib. 2.* Felin. in *c. 1. col. penult. verſ. Nono fallit. ſup. eod.* Dec. *conſ. 131. Revocatur in extremis verbis.* Idque facilè admittunt Theologi illi, qui 276
ut dicemus in *ult. quæſt. in princ.* putant opinionem reddi probabilem etiam ex ſola authoritate unius Doctoris. Et tamen non licet opinionem communem ſequi, ſi contraria ſit probabilior, ſeu quod idem eſt, verior, & melioribus rationibus ſubnixa, ut eſt textus in *c. 1. de iis, quæ fiunt à major. par. cap. in c. Sanè quippè 9. diſt.* & in *l. 1. §. Sed neque, C. de veter. Jur. enuclean.* ubi Juſtinianus ait: *Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, aut æquius eſt judicatote, cùm poſſit unius forſan, & deterioris ſententia, & multos, & majores aliqua in parte ſuperare.* Et tenet Hoſtien. in *c. 1. in fin. ſup. eod.* dum ait: *Communem opinionem ſemper eſſe tenendam, niſi notoriè malè dicat, vel rationabiliter convincatur, quod bonus Judex, & acutiſſimi ingenii æſtimabit:* & ſequitur ibi totidem verbis Jo. Andr. *itidem in fin.* & alii communiter. Ideòque in Nicæna Synodo etſi aliquibus videretur ſtatuendum eſſe, ut Epiſcopi, & Presbyteri ab uxoribus, quas ante conſecrationem duxerant, abſtinerent; tamen Synodus laudavit ſententiam ſolius Paphnutii tanquam probabiliorem, licèt nuptiarum eſſet in- 277
expertus, ut refertur in *c. Nicæna 31. diſt.* quem textum ad hoc propoſitum ponderat gloſ. in *c. Capellanus in ver. Rationabiliter de feriis.* Et eſt communis opinio, ut dicemus infrà *n. 347.* Ratio eſt, quia ad ſummum opinio communis habet vim conſuetudinis, ſecundùm Bald. *hic n. 8.* At conſuetudo rationem non vincit, *l. 2. C. Quæ ſit longa conſuetudo, l. Quod non ratione, ff. De legib. c. fin. de conſuet.* Ergo 278
nec opinio communis. Imò ut dicebat Durandus in prologo, dimittens rationem propter authoritatem humanam incidit in inſipientiam beſtialem. Ad hoc bonus text. in *c. Ego ſolis*, juncta gloſ. in *ver. Quantalibet.* & in *c. Neque quorumlibet 9. diſt.* Et quamvis ſequens communem opinio- 279
nem, poſthabita veriori, excuſetur à pœna in foro externo, eò quòd opinio communis inducat errorem probabilem, ut eſt text. cum gloſſ. in *c. Unico de poſtul. Prælat. lib. 6.* tamen non excuſatur in foro conſcientiæ, ut ex mente Innocentii declarat Bart. in *l. fin. C. De pœn. judic. qui malè judicant;* quia debuit eligere eam, quæ validioribus rationibus firmatur, *§. Item pretium inſt. de empt. & vendit.* & *l. Edicto, C. de edict. D. Adriani toll.* ſecundùm eum, & ſequitur Silveſt. in *ver. Opinio num. 2.* Quamobrem ſi opinio communis eſt probabilis, & tamen non licet eam ſequi, ſi oppoſita ſit magis probabilis: Ergo non licet ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.

Vigeſimumſecundum fundamentum ſumitur ex Baro- 280
nio *ad annum* 435. ubi refert edictum Theodoſii, tenoris infraſcripti, videlicet: *Ubi diverſæ ſententiæ proferuntur, potior numerus vincat Authorum, vel ſi numerus æqualis ſit, ejus partis præcedat authoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut ſingulos vincit, ita cedit duobus.* Hæc ibi. Si igitur ex edicto tanti Imperatoris ſequenda eſt

eſt opinio, quæ probabilior eſt ex principio extrinſeco authoritatis, cur itidem non ſit ſequenda, ſi probabilior ſit ex principio intrinſeco rationum, aut ex intrinſecis, & extrinſecis ſimul junctis? Confert textus in *c. Prudentiam*, §. *Ille quippè de off. deleg.* & in *l. Duo ex tribus*, *ff. De re judic.* & quod notat Feder. de Sen. *conſ.* 1. *num.* 2. *verſ. Prætereà ſive dicamus*, *& num.* 3. *verſ. Prætereà ad hoc*.

281 Vigeſimumtertium fundamentum eſt, quia probatio plenior abſorbet, & confundit minùs plenam directè oppoſitam, *c. Propoſuit, de Cler. excom. miniſtr.* gloſſ. in *c. In noſtra in verb. Mentionem de Procurat.* Gemin. *conſ.* 27. *Su-*
282 *per dubiis in princ. & num.* 11. Et ideò teſtes numero plures in concurſu prævalent paucioribus, *c. Licet de probat. c. In noſtra de teſtib.* Feder. de Sen. *conſ.* 185. *Super eo in princ.* & prævalet probatio, quæ majori numero teſtium eſt munita, Bald. *conſ.* 452. *Quis meliùs in princ. lib.* 4. Et eſt regulare, quòd probatio potentior extinguat minùs potentem, Socin. *conſ.* 54. *n.* 13. *& n.* 18. *lib.* 4. Alex. *conſ.* 84. *n.* 7. *lib.* 7. Cravet. *conſ.* 6. *num.* 50. Rurſus in diſcordia prævalet judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur, *c. Prudentiam de off. Deleg. c. In canonicis* 19. *diſt.* Anchar. *conſ.* 157. *Summæ prudentiæ num.* 3. ideòque Doctores numero plures prævalent paucioribus, *l.* 1. ibi: *Sanè crebrior apud veteres opinio eſt*, *ff. De off. quæſt. c. Novimus*, ibi: *Et quorundam ſit opinio à pluribus approbata*, *de verb. ſignific.* &
283 dictum eſt ſuprà in 21. *fundamento nu.* 275. Rurſus duæ rationes vincunt unam, *l. Nam & ſi*, & ibi communiter ſcribentes, *ff. De inoff. teſtam.* Bart. *in Authent. Itaque num.* 1. *Cod. cum de ſucceſſio*, & ratio fortis minùs fortem tollit, argum. *l. Si duo Patroni*, §. *Marcellus*, *ff. De jurejur.* & argum. gloſſ. *in c. Cum inter R. in ver. Epiſcopus munus de elect.* & tradit Barbat. *in repet. l. Cum acutiſſimi col.* 2. *Cod. de fideicommiſſ.* & Antonius Nicellus *de concordia gloſſar.*
284 *n.* 32. *tract. com. tom.* 1. *fol.* 211. Sive igitur ſumatur probabilitas ex principio extrinſeco authoritatis, ſive ex principiis intrinſecis rationum, ſemper opinio probabilior, quæ pluribus nititur Authoribus, aut validioribus fundamentis, abſorbet, confundit, ac deſtruit minùs probabilem, quæ pauciores habet Authores, ac leviora motiva. Ad quod eſt textus optimus in *d.* §. *Item pretium inſtit. de empt. & vendit.* & in *l.* 1. *ff. eod.* & ſic in concurſu probabilioris, opinio non eſt probabilis, ſed reprobabilis.

285 Vigeſimumquartum fundamentum deducitur ex more & conſuetudine civitatum, rerumpublicarum, & regnorum totius Orbis, ſecundùm quam decidi ſolent, ac terminari cauſæ, & controverſiæ ex pluralitate ſuffragiorum; & ſic ſequendo magis probabilem ex principio extrinſeco authoritatis. Quæ conſuetudo eſt etiam juri communi conformis, quo ſtatutum eſt, ut in omnibus actibus univerſitatum ſemper prævaleat ſententia majoris, ac ſanioris partis, ut de electionibus eſt cautum in *c. Licet de vitanda in fin.* & in *c. Quia propter de elect.* cum multis ſimilibus: & de poſtulatione in *c. Scriptum eodem tit.* & de præſentatione in *c. Quoniam de jur. patron.* & de collat. tradit Feder. de Sen. *d. conſ.* 1. *num.* 3. *verſ. Et hoc etiam declarat*, & de actibus capitularibus in *c. Cum in cunctis de his, quæ fiunt à major. par. cap. & cap. fin.* & generaliter de omnibus actibus Univerſitatum, in *l. Quod major. ff. Ad municipalem in l. Nulli*, *ff. Quod cujuſque univerſit. nomin.* & in *l. Nominationem*, *C. De Decurion. lib.* 10. Feder. de Sen. *d. conſ.* 1. *in princip. verſ. Hoc præſuppoſito*. Cur ergo non idem dicendum in controverſiis moralibus, ut ſententia probabilior prævaleat minùs probabili? Quippè pars probabilior poteſt dici pars major ex principio extrinſeco, cùm habeat Authores numero plures, & graviores, ut *c. In canonicis* 19. *diſt.* Item dici poteſt pars ſanior ex principiis intrinſecis rationum, tum quia nititur motivis magis rationabilibus, tum quia propter majorem conſcientiæ ſecuritatem præſefert majorem Dei zelum, quàm oppoſita minùs probabilis, & minùs tuta. Ad text. in *c. In Geneſi de elect.*

286 Vigeſimumquintum fundamentum ſumitur ex Decretis Capitulorum Generalium, & Conſtitutionum nonnullarum Religionum, quæ præcipiunt ſuis ſubditis Regularibus, ut in controverſiis moralibus ſequantur opiniones magis probabiles, ut in ſpecie ex Decreto Quinti Capituli Generalis Clericorum Regularium Theatinorum, & ex duabus epiſtolis paſtoralibus Generalis ejuſdem Religionis; quas quidem Conſtitutiones obligare ſub reatu peccati mortalis defendit noviſſimè Antonius Merenda in *ſuo tractatu de hac materia in Præfat. pag.* 174. *nu.* 485. *&* 486. & ſuperiùs *pag.* 4. *n.* 8. redarguit Authorem, qui evulgavit libros de caſibus conſcientiæ, in quibus profitetur ſe ſequi modum determinandi probabilitatem opinionum Conſtitutionibus ſui Ordinis minimè congruentem. Idem conſtat ex Conſtitutionibus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, *cap.* 3. *de off. Patrum Lectorum*, ubi ſic legitur: *In opinionum delectu habeant Patres Lectores ſpecialem advertentiam, & enixè ſtudeant communiores, magiſque probatas ſententias tueri, nec ad oſtendendam ingenii ſubtilitatem adducant opiniones obſoletas, abſurdas, inutiles, præcipuève falſas, aut minus probabiles.*

Vigeſimumſextum fundamentum deducitur ex inſtru- 287
ctionibus Synodalibus R. P. D. Antonii Godeau Epiſcopi Graſſenſis ex Gallico idiomate tranſlatis in hæc verba: *Si Confeſſores omnes unanimiter abſtinerent à tanta indulgentia, qua peccatores abutuntur, eiſque eandem viam oſtenderent pravos habitus dimittendi, atque ad Cœlum perveniendi: ambigendum non eſſet, quin in Chriſtianis cerneretur notabilis mutatio. Cenſeo abſtinendum quidem eſſe à ferro, & igne extra caſus extremitatis: ſed ubi extremitas advenerit, negari non poteſt, quin ferro, & igne utendum ſit, & conſultiùs ægrum impellere ad gemitus, & clamores, quàm ſinere ut moriatur. Quoties Judæi ſcandalizati ſunt ex ſermonibus Chriſti Salvatoris noſtri? nunquid propterea immutati ſunt? lenivit præcepta ſua abnegatione ſui ipſius, crucis amore, mundi abrenunciatione, & odio rerum omnium, quæ ſæculum redolent. Nunquid Chriſtianus eſt vir deliciarum? Quippè illius vita, ut Tridentinum Concilium adſtruit, perpetua pœnitentia eſſe debet. Quod ſi verum eſt de Chriſtiano, quid de peccatore, qui Chriſtiani nihil habet præter nomen, & qui glorioſam hanc qualitatem ſæpiùs fœdavit? Quomodo arcta erit via, quæ ducit ad Cœlum, & à paucis inventa, ſi maximæ, quæ hodie vigent, ſunt veræ, quibus mediantibus, hæc via tantoperè eſt prolatata, per quam nemo eſt, qui incedere non poſſit percommodè cum ſuis ambitionibus, uſuris, luxibus, ſuperfluitatibus, ac deliciis? Nonnè verum eſt hodie in multis occaſionibus ſatis eſſe, ut quis ingenium habeat ad rectificandas cum dexteritate ſuas intentiones ad multa peccata vitanda? Chriſtus ait Cœlum eſſe pro idiotis, & parvulis, id eſt, pro humilibus, & ſimplicibus. Verum hoc noſtro ſæculo juxta magis communes magiſque receptas propoſitiones, Cœlum eſt tantummodo pro ingeniis ſubtilibus, & pro magnatibus, pro quibus aſſiduè conclamatur pax, pax, & qui in vita canonizantur in ſtatu longè diſſito à ſanctitate. Quam menſuram accipiunt majori ex parte directores conſcientiarum, qui ſi non pro commoditate pœnitentium, certè pro ſua exiſtimatione, & mundi judicio, minimè reſpiciunt ad veram Dei gloriam, nec ad regulas Evangelii, nec ad Sanctorum exempla, nec ad proximi detrimentum, ut meritò dicere poſſimus cum Pſalmiſta:* Salvum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus, & diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. *Ex recta adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ dependet inſtauratio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac morum reformatio in Chriſtianis. In* 288
declarationibus caſuum contingentium ſequimini hoc generale axioma, ut eligatis ſemper eam opinionem, per quam Deus magis glorificatur, & quæ majorem habet conformitatem cum arcta via Evangelii. Maxima valdè periculoſa eſt illa, quæ hodie currit inter nonnullos Confeſſores, quod poſſumus relinquere probabiliorem opinionem, ut ſequamur minus probabilem: & probabilem cenſeri, ſi duo Authores illam doceant, imò & ſi unus dumtaxat. Etenim aperta hac via, vix reperies actionem ullam pravam, quæ non ſit licita.

Vigeſimumſeptimum fundamentum ſumitur ex quam 289
plurimis aſſertionibus, quas Parochi Pariſienſes, & Rothomagenſes univerſo Clero Gallicano paucis ab hinc annis propoſuerunt non tolerandas, & authoritate Superiorum prohibendas, inter quas primo loco tanquam aliarum præcipuam collocarunt hanc, de qua nunc diſputamus, videlicet, à peccato immunem eſſe, qui relicta opinione, quam veram credit, & quæ magis tuta, contrariam ſequitur minùs probabilem, minùſque ſecuram, ut fuſiùs patebit infra *nu.* 336. Judicium autem tam magni cœtus Presbyterorum, qui in Urbibus Regni præcipuis animas regunt, & conſcientias dirigunt, parvi non eſt faciendum, *c. Prudentiam*, §. *Illa quippe*, *verſ. Integrum enim eſt*

judi-

judicium de off. deleg. cum concordantibus; de quibus ibi per gloſſam *in ver. Plurimorum*.

Vigeſimumoctavum fundamentum eſt, quia imprudenter agit, qui pro regula ſuarum operationum utitur judicio probabili, ſequiturque opinionem, quam ſolùm putat probabilem eſſe, minimè reflectens ad motiva partis oppoſitæ, ut probatum eſt vigintiſex fundamentis *in* 1. *quæſt.* 1. *nu.* 59. *uſque ad nu.* 111. præſertim *num.* 66. *& 69. & 70. & ſeqq.* Agit autem imprudentiùs, qui ex duabus opinionibus æquè probabilibus ſequitur minùs tutam, ut ſimiliter eſt probatum latiſſimè in 2. *quæſt. à num.* 171. *uſque ad* 229. Ergo agit imprudentiſſimè, qui ſequitur minùs probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, ac tutiori, quia tunc magis accedit ad illud extremum, quod probabiliùs poteſt eſſe falſum, cùm ejus contrarium probabiliùs ſit verum: opinio enim minùs probabilis in concurſu probabilioris magis habet ſpeciem mali, quàm boni; nam quantò ſua contradictoria magis apparet vera, tantò hæc minùs probabilis apparet falſa, ut conſtat ex dictis ſuprà in 11. fundam. In rebus autem ad ſalutem animæ pertinentibus, ut
290 dicit Auguſtinus *in l.* 1. *Baptiſ. cap.* 3. *graviter peccat, qui certis incerta præponit; & magis incautè agit, qui majori periculo ſe exponit, cap. Ubi periculum de elect. lib.* 6. *gloſſ.* 1.
291 *in cap.* 2. *de Juram. cal. gloſſ. fin. in cap. Venerabilis de teſtib. Et profectò numquid non imprudens ac temerarius dicendus eſſet, qui ſpontè ingrederetur ſylvam, quam probabiliùs crederet obſeſſam eſſe à latronibus, & graſſatoribus?* ut per D. Ambroſium Pſalmo 1. *Quive ultro ſe in altum puteum dimitteret per funem, quem probabiliùs judicaret protinus confractum iri? Aut qui cùm medicamentum tutum haberet, tamen illud ſumeret, quod probabiliùs putaret eſſe mortiferum? Aut qui in duello pugnaret cum milite ſtrenuo, ac forti, à quo probabiliùs opinaretur ſe fore interficiendum? Aut qui cum decem millibus bellum committeret adverſus Regem, qui cum viginti millibus veniret ad ſe?* ut Lucæ 14. *Rurſus tranſeundum eſt mihi flumen: conſulo aliquot viros fide dignos, an vadum ſit tutum: reſpondent illi eſſe tutum, & plures ſæpè tranſmeare, nec alicui umquam aliquid mali accidiſſe. Si ergo illorum auctoritate, & probabilibus rationibus adductus flumen ingrediar, non ſum dicendus imprudens, aut temerarius, licèt ſecuriùs poſſim per pontem tranſire. At ſi volenti mihi flumen ingredi occurrant viri multò plures, & majoris auctoritatis, ac fidei, obteſtantes flumen eſſe profundum, ac rapidum, & multos in eo periiſſe, ac proindè periculoſum eſſe illi ſe committere: certè ſi eorum teſtimonio, & rationibus validioribus auditis flumen intrarem, non ſolùm imprudens, ac temerarius, ſed etiam fatuus dicendus eſſem, & meritò culpæ meæ omnes adſcriberent, ſi quid in aquis mihi deteriùs contingeret.* Alia periculorum exempla his ſimilia habes apud S. Baſilium *de Inſtit. Monach. cap.* 74. & S. Jo. Chryſoſt. *hom.* 9. *ſup. Epiſtolam ad Theſſalonic. Porrò quiſquis periculum non æſtimat, temerarius dicitur;* Archid. & Jo. Andr. *in cap. Quia plerique in princip. de off. ordinar. lib.* 6. imò ſtultus, & fatuus, ſecundùm gloſſ. *in cap.* 1. *in ver. temerarius*, & ibi Joan. Monach. & Jo. Andr. *de ſent. excomm. eod. lib.* Quæ cùm ita ſint in periculo ſalutis corporis, longè magis vendicant ſibi locum in periculo ſalutis animæ, quæ corpori eſt præponenda, ut arguit gloſſ. *fin. in c. Ille autem* 32. *q.* 5. *Ad hoc c. Sedulò* 38. *diſt. cap. Præcipimus* 12. *q.* 1. *& c. Sollicitè de major. & obed.* Pulchrè Abb. *in c. Litteras n.* 25. *reſtit. ſpoliat.* Itaque maximè imprudens eſt, ac temerarius, ne dicam fatuus, quiſquis eligit opinionem minùs probabilem, ac minùs tutam, & exponit ſe ſalutis periculo, *c. Significaſti, il* 2. *& cap. Petitio de homic.* & proptereà lethaliter peccat ſecundùm S. Th. *quodlib.* 8. *art.* 13. Scotum ſuperiùs relatum *n.* 208. Sylveſt. *in ver. Dubium q.* 2. *n.* 4. Cajetan. *in opuſc. tom.* 1. *tract. ult. & in Sum. in ver. Opinio*, Paleot. *de Sacr. Conſiſt. Conſult. part.* 5. *quæſt.* 13. *verſ. Quod verò:* facit text. *in c. Quia periculoſum, de ſent. excom. lib.* 6. ubi Archid. *in princ.* ait: Quia periculoſum, ideò vitandum, *in c. Maritus* 93. *diſt. & in l.* 1. *§. Si quis*, ibi: *Nam magis conſulendum*, de Carboniano edicto. Et his adde, quæ dicta ſunt ſuprà in 12. fundamento pro hac ſententia.

292 Vigeſimumnonum fundamentum deducitur ex pluribus abſurdis, quæ ſequuntur ex doctrina de libera electione opinionis minùs probabilis: quæ quidem abſurda ſunt adeò gravia, ut diviſerint ab invicem auctores contrariæ ſententiæ, & inter ſe pugnare coegerint: nam alii abſurda illa ingenuè fatentur, ſed rationem aliquam conati ſunt invenire, ſecundùm quam hæc doctrina generaliter propoſita ſit limitanda in certis caſibus, & cum aliquibus declarationibus intelligenda. Alii verò contrà animadvertentes, hujuſmodi limitationes afferri ſine ullo fundamento veræ rationis, audacter negant illa eſſe abſurda, quamquam reluctante conſcientia; quod enim aſſerunt abſurdum non eſſe, imò prudenter & licitè fieri, id ipſi agi ſecum nullo modo vellent, nempè ſi ægrotarent, quærere Medicum, qui viam minùs probabilem ſequeretur in eis curandis, aut ſi litigarent, putantes ſe litigare pro juſtitia, habere judicem, qui pro minùs probabili contra magis probabilem judicaret, & alia ejuſmodi, quæ ore tenus tantùm concedere poſſunt ut vera, ad text. *in l.* 1. ibi, *non verbotenus, ff. Quod quiſque juris.*

Itaque vigeſimumnonum fundamentum deducitur ex primo abſurdo, quod eſt de Medico. Nam ex libera electione opinionis minùs probabilis, ac minùs tutæ, ſequitur, ut Medicus curans ægrotum, cui magis probabile ſit medicamentum non profuturum, minùs verò probabile profuturum, cùm habeat aliud in promptu, quod magis probabile eſt profuturum fore, poſſit licitè tunc dare illud medicamentum, quod minùs probabiliter eſſet profuturum, relicto eo, quod probabiliùs poſſet prodeſſe. Rurſus poſſet dare medicamentum, quod magis probabiliter obeſſet, & minùs probabiliter prodeſſet, & ſic probabiliùs occideret. Hoc autem eſſe perquàm abſurdum, vel ex eo manifeſtum eſt, quia nemo vellet talem Medicum, Arg. *l.* 1. *ff. de decr. ab Ordin. facien.* & ſatis conſtat ex dictis Innocentii, Joan. Andr. & aliorum, quos ſuprà retulimus *num.* 250. Et quamvis negent id eſſe abſurdum, Azor. *inſtitut. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 11. Aragonius 2. *quæſt. quæſ.* 63. *ad dubium penultimum*, Salas 1. 2. *quæſt.* 21. *tractat.* 8. *diſp. unic. ſect.* 15. *à num.* 156. tamen convincitur ratione illa naturali, & evidenti, quia, ut prædixi, nemo eligeret ſibi Medicum, qui probabiliùs occideret, quàm ſanaret; & ſi quis talem eligeret, aut probaret, hunc ego cenſerem magis ægrum mente, quàm corpore; ſtultus enim, & fatuus dicitur, qui diſcrimini ſe committit, *gloſſ. in cap.* 1. *in ver. Temerarius*, & ibi Joan. 293
Monach. & Joan. Andr. *de ſent. excomm. lib.* 6. Talis igitur 294
eſt meritò reprobandus, idque non propter ignorantiam, ſed propter malitiam, quia non Medici officium implet, ſed homicidam agit, juxta text. *in cap. Abſis* 50. *diſt. in fin.* ubi dicitur: *Hoc non eſt curare, ſed ſi dicere verum volumus, occidere.* Et hoc non alia ex cauſa, niſi quia minùs probabilem ſequitur, relicta probabiliori, atque tutiori. Alii verò, ut vitent abſurdum, ſibique & ægroto conſulant, reſpondent, teneri Medicum ſequi partem magis probabilem, & magis tutam, ut Suarez, Sanchez, & alii apud eum in Decalog. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 41. Et ſic limitant generalem doctrinam, ut non procedat in Medico. Hujuſque limitationis duplicem afferunt rationem; una eſt Suarez, quam reprobat Sanchez, & nos paulò infra examinabimus; altera eſt ipſius Sanchez, videlicet quia Medicus tenetur ſequi partem tutiorem, non quidem ex obligatione juſtitiæ, & ſui officii, ſed ex debito charitatis, quæ poſtulat, ut certiori modo, quo poſſumus, ægro ſubveniamus. Sed contra hanc rationem urget primò, quia Medici officium eſt adhibere medicamenta, quæ opinatur eſſe profutura, & non nocitura; nam Medicus ſalutis gratia eſt, ut dicitur 8. Phyſicor. *cap.* 2. *de reſpiratione, verſ. Opportet enim*, & notant Innoc. Joan. Andr. & alii *in cap. Tua nos de homic.* Et quamquam non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger; tamen nihil debet omittere, ut, quantum in ſe eſt, ſanitatem inducat. Sic docuit Ariſtoteles 1. Topic. *cap.* 2. ait enim: *Nam nec Rhetor omni ex modò perſuadebit, neque Medicus ſanabit; ſed ſi ex iis, quæ contingunt, nihil omiſerit, ſufficientem diſciplinam eum habere dicemus.* Idemque repetit 1. Rhetor. *cap.* 1. dicens: *Neque enim Medici eſt ſanitatem inducere, ſed quoadusque poſſibile ſit, ad hoc uſque perducere.* Et Boetius de Trinitate: *Neque enim*, inquit, *Medicus ſemper ægris affert ſanitatem, ſed nulla culpa erit medentis, ſi nihil eorum, quæ fieri oportebat, omiſerit.* Non poteſt autem Medicus opinari profuturum eſſe medicamentum, quod probabiliùs eſt nociturum, cùm opporteat opinari illam partem, quæ habet fortiora motiva, ut conſtat ex dictis ſuprà in 1. funda-

damento *num.* 257. & ſæpius repetitum eſt: Ergo Medicus, qui ſequitur partem minùs probabilem, non ſatisfacit officio ſuo; & ſic peccat contra juſtitiam, *l. Idem juris, ff. ad l. Aquiliam*, *l. Medicus*, *ff. de var. & extraor. cognit. l. Illicitas*, §. *Sicuti*, *ff. de offic. Præſid.* Deinde contra prædictam rationem urget, quia ſi charitas, aut amor proximi poſtulat, ut certiori modo, quo poſſumus, ægro ſubveniamus, ſicut fatetur Sanchez: cur etiam amor veri, & recti, quod in omnibus actionibus noſtris ſpectare debemus, *l.* 1. *ff. de juſt. & jur.* non itidem poſtulat, ut certiori modo, quo poſſumus, illud aſſequamur? Quippè verum & rectum eſt participatio quædam, & ſumma ſimilitudo divini eſſe, & ſummè à Deo diligitur, ſecundùm illud Pſalmi 50. *Ecce enim veritatem dilexiſti*, & Oſeæ 14. 10: *Rectæ viæ Domini*: ac proindè anteferendum eſt omnibus temporalibus, & humanis commodis, quia eſt bonum quoddam præcellens, atque divinum, *cap. Conſuetudo* 8. *diſtinct. cap. Nolite timere* 11. *quæſt.* 3. *cap. Qui ſcandalizaverit*, cum ibi notatis, *de reg. jur.* Ergo ſi ex charitate erga infirmum tenemur uti medio certiori, ut ei ſubveniamus: certè non minùs ex amore veri, & recti, quod à nobis diligi, & omni ſtudio inquiri debet, & quod niſi ſic inquiramus, & amemus, peccamus formaliter, non tantùm materialiter, neque excuſamur ex ignorantia, tenemur certiori uti medio, ut illud aſſequamur. Et quemadmodum qui non utitur certiori modo ad ſubveniendum infirmo, convincitur, ex Sanchez, & Vaſquez, non diligere infirmum, & peccat: ita quicumque non utitur medio certiori ad aſſequendum verum, & rectum, ſeu honeſtum, convincitur ex hoc ipſo eſſe malus, & non diligere Deum, qui eſt ipſa veritas, Joan. 14. *cap. Si conſuetudinem* 8. *diſtinct. gloſſ. in Extravag. Sedes Apoſtolica in ver. Veritatem de offic. deleg.* Præterea Sacerdotes, & Pa-
296 ſtores Eccleſiæ ſunt Medici ſpirituales, qui medentur languoribus animæ, *cap. Inferiorum* 86. *diſtinct. & cap. ſeqq. cap. Non vos* 5. *quæſt.* 5. *cap. Recedite* 45. *diſtinct. cap. Quod faciet* 23. *quæſt.* 4. & innuit Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *de Pœnitentia Sacramento*, *cap.* 5. *verſ. Si enim erubeſcat ægrotus.* Quare ſi Medicus corporalis, ut dicunt Sanchez, & Vaſquez, ex charitate tenetur uti certiori medio ad ſubveniendum proximo in ægritudine corporis: cur itidem Medicus ſpiritualis non teneatur ex præcepto charitatis uti certiori medio ad ſubveniendum proximo in ægritudine animæ, quæ pretioſior eſt corpore? Item, ſi cavendum eſt à
297 Medico corporali, qui propinando medicinam probabiliùs nocituram occidit corpus, ut fatentur Adverſarii: quantò magis cavendum eſt à Medico ſpirituali, & conſultore animarum, qui præbendo pernicioſum conſilium opinionis minùs probabilis, ac minùs tutæ, occidit animam, cùm mors æterna magis ſit formidanda, quàm mors temporalis? *cap. Faciat homo*, *cap. Omne genus*, *& cap. Si quis* 22. *quæſt.* 1. Quinimò ait Dominus in Euangelio: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Matthæi 10. 28. *d. c. Nolite timere* 11. *q.* 3. Et ſanè plurimùm dolendum eſt, quòd in cauſis noſtris, ubi agitur de periculo corporis, aut rerum temporalium, minùs probabilem, ac minùs tutam opinionem ſequi non liceat ſecundùm prædictos Doctores; & tamen id liceat in cauſis, ubi agitur de ſalute animæ, & peccati periculo.

298 Trigeſimum fundamentum ſumitur ex ſecundo abſurdo, quod eſt de Judice, qui ſecundùm hanc doctrinam poteſt ſequi minùs probabilem partem contra probabiliorem, ferendo ſententiam in favorem ejus, qui pro ſe habet rationes levioris momenti, adverſus illum, pro quo militant rationes validiores. At hoc eſſe abſurdum nemo non videt, tum quia ſententia debet ſequi judicium intellectus, ut tradit Bald. *in cap. Canonum ſtatuta nu.* 35. *ſuprà eodem*, quod quidem judicium minimè flecti poteſt in illam partem, pro qua ſunt leviora motiva, cùm opinari non ſit in nobis, ut ex Ariſtotele probatum eſt ſup. in 1. & 11. fundamento pro hac ſententia; & ideò non poteſt eligere opinionem, quæ minus habet rationis, ut notat idem Bald. *in d. cap. Canonum ſtatuta num.* 33. Quare ſi ſententia fertur pro parte debiliori, fertur contra judicium, & dictamen rationis; & ſic omninò iniqua eſt: quod ſatis conſtat ex dictis ſup. in 4. fundamento. Tum quia talis ſententia eſt contra potiora jura alterius ex litigatoribus, & ideò injuſta, *l. Edicto*, §. 1. *C. de edict.* D. Adrian. tollend. & notat Bald. *in conſ.* 420. *Verba principis num.* 2. *verſ. Et revertendo lib.* 1. Tum denique quia judex eſt miniſter Dei in terris, *cap. Nec is* 14. *quæſt.* 1. *cap. Non ſolum* 23. *quæſt.* 5. Ut igitur ipſius judicium 299
prodeat de vultu Dei, qui eſt via, veritas, & vita, *cap. Ut noſtrum de appellat. cap.* 1. *in princip. ut Eccleſ. benef.* debet conformare judicium ſuum cum veritate, & ipſam ſummoperè juvare, & ad lucem perducere, *l. penult. in fin. de probat. l. Illicitas*, §. *Veritas*, *ff. de offic. Præſid.* cum ſimilibus, ut per Paulum de Caſtro *in conſ.* 380. *incip. Judex eſt miniſter De volum.* 1. Item debet ſequi veritatem, & legum, & juſtitiæ veſtigia, *l. Nemo*, *C. de ſent. & interloq. omn. Judic.* Imò judicantem oportet cuncta rimari, & tandiu actionem ventilare, quouſque ad veritatem perveniatur, *cap. Judicantem* 30. *quæſt.* 5. *gloſſ. fin. in l.* 2. *Cod. de edend.* Et contrà veritatem pronuntiare non poteſt cum libera con- 300
ſcientia, & ſecura, ut dicitur *in cap. Abbas ſanè*, §. *Cæterum in fin. de ſent. & re judic. lib.* 6. Non ergo audiendi ſunt illi, qui apud Sanchez loco cit. putant, abſurdum non eſſe, ut judex pronuntiet pro parte minùs probabili: nam profectò hoc ſibi nollent in ſua cauſa, & de injuſtitia conquererentur. Unde nec velle debent in cauſa aliorum contra præceptum juris naturalis, ac divini, ut legitur *in princip. Decreti*, *& in l.* 1. *ff. quod quiſque juris*. Quamobrem reſ- 301
pondent alii, & præſertim Sanchez, Vaſquez, & D. Cardin. de Lugo, generalem doctrinam de libertate eligendi opinionem minùs probabilem eſſe limitandam in judice, aſſignantes triplicem rationem diſparitatis. Prima eſt, quia judex tenetur reddere unicuique jus ſuum ſecundùm merita cauſæ, & neminem lædere, *cap. Forus*, §. *in omni de verb. ſignific. cap.* 1. 23. *quæſt.* 2. *& d. cap. Judicantem* 30. *q.* 5. Secunda, quia reſpublica conſtituit judicem ad lites dirimendas, ſecundùm quòd ei meliùs videbitur, *l. Quidam exiſtimaverunt*, *& ibi gloſſ. fin. ff. ſi certum petatur.* Tertia, quia videtur acceptio perſonarum, *cap. Neceſſe* 3. *quæſt.* 9. ſicut cùm beneficium, digniori poſthabito, confertur minùs digno, S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 2. Cæterùm etſi hujuſmodi rationes ſint in ſe veræ, nullam tamen diſparitatem inducunt inter regulam, & limitationem. Nam quoad primam, non eſt minoris, imò pluris æſtimanda læſio recti, & offenſa Dei, quàm læſio partis in foro judiciali, *cap. Sicut qui Eccleſiam*, ibi: *Majus eſt peccatum, quod in Deum committitur, quàm quod in hominem*, 17. *quæſt.* 7. *cap. Vergentis*, *cum gloſſ. in ver. Longè ſit gravius de hæret.* Læditur autem rectum, & Deus offenditur, quando non adhibetur debita diligentia, ut rectum cognoſcatur, S. Thom. *in* 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 2. & latiùs probatum eſt ſup. in 6. fundamento *à num.* 262. qualem diligentiam utique non adhibet, qui minùs probabilem ſequitur, ut ibidem oſtenſum eſt, *verſ. Minor probatur.* Similiter quoad ſecundam rationem nulla eſt diſparitas, quia ſi Reſpublica exigit judicium magis probabile in cauſis minoris momenti, quales ſunt res temporales; cur Deus tale judicium à nobis non exigat in cauſis longè gravioribus, quales ſunt animæ, & æternæ vitæ? Ad hoc *cap. Faciat homo cum duobus capitulis ſeqq.* 22. *quæſt.* 2. Et eodem modo quoad tertiam rationem nulla diſparitas conſiderari poteſt; imò in hoc judicio, in quo quæritur, an actus ſit bonus, vel malus, quoties eligitur opinio minùs probabilis, quòd actus ſit bonus ſecundùm opinionem minùs probabilem, habetur acceptio perſonæ hominis contra Deum, & legem, cui favet opinio magis probabilis, quòd actus ſit malus; & ſic eſt peccatum acceptionis perſonarum multò deterius, quàm ſit inter hominem, & hominem. Præterea Sacerdos in Sacramento pœnitentiæ eſt propriè judex, ut in Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de caſ. reſerv.* & fuſiùs patebit infrà 32. fundamento. Et propterea in pœnitentiis injungendis perſonarum acceptio non 302
eſt habenda, *cap. Sacerdos* 26. *quæſt.* 7. Quinimò gravius eſſe peccatum acceptionis perſonarum in diſpenſatione rerum ſpiritualium, quàm in diſpenſatione rerum temporalium, docet S. Thom. proximè citat. *in* 2. 2. *qu.* 63. *d. art.* 2.

Trigeſimum primum fundamentum ſumitur ex tertio 303
abſurdo, quod eſt de adminiſtratione Sacramentorum, in quo ſequendo opinionem minùs probabilem, quis exponit ſe periculo faciendi irritum Sacramentum. At in re tanti momenti exponere ſe periculo errandi, cùm poſſit quis tale periculum vitare eligendo opinionem magis probabilem, nemo negaverit grave eſſe peccatum, & ſatis con-

ſtat

ſtat ex verbis Scoti ſuperiùs relati *n.*210. *&* 215. Sed nihilominus reſpondent nonnulli, ut Sanch. in *Decal. to.* 1. *lib.*1. *c.* 9. *num.* 33. & Vaſquez in 1. 2. *diſp.* 29. *quæſt.* 43. hoc non eſſe abſurdum, nec inde ullam irreverentiam Sacramento exhiberi. Primò, quia partem probabilem ſequi poſſumus in materia ſacramentali, ſicut in aliis caſibus, in quibus periculum eſt, ne ſaltem materialiter peccemus contra præceptum divinæ legis: & tamen quia ſequimur minùs probabilem, non arguimur tanquam rei, & inobedientes præceptis divinis. Deinde quia etiam is, qui ſequitur magis probabilem, aliquomodo diſponit ſe diſcrimini faciendi irritum Sacramentum, cùm fieri poſſit, ut illa opinio probabilior ſit falſa. Tandem ſubjungunt iſti, quòd ſi ſubveniendum eſſet proximo indigenti effectus illius Sacramenti, tunc non ſolùm ſequi non liceret minùs probabilem, ſed nec probabiliorem, ſi ſuppeteret aliqua alia ratio certa, & tuta conficiendi Sacramentum, quia ex lege charitatis eo caſu eſſet amplectenda. Sed contra prædicta eſt, quia multùm intereſt inter quæſtionem, An aliquid liceat, & quæſtionem, An aliquid fiat: nam cùm quæritur, An aliquid liceat, tunc ſufficit judicium probabile, quòd ſit licitum, ex regula illi generali, quòd in moralibus ſufficiat certitudo ex probabilibus, de qua tamen regula latè diſſeruimus ſuprà in 1. *quæſt. à n.* 99. *uſque ad n.* 111. At cùm quæritur, An aliquid fiat, quia effectus non tam pendet à judicio noſtro, quàm à determinatione, ſeu operatione alterius: non ideò illud fiet, quia ita judicamus, ſi determinatio, ſeu operatio alterius aliter ſe habeat; nam ſolum judicium non ſufficit, ubi factum requiritur, *c. Paſtoralis in fin.* ubi gloſſ. ult. *de off. Ordinar. cap.*1. & ibi gloſſ. in *ver. Voluntatem de eo, qui mit. in poſſeſ.* Unde in primo caſu, ſcilicet in quæſt. An liceat, qui ſequitur magis probabilem, non exponit ſe periculo faciendi actum illicitum, ut conſtat ex dictis *ſup. nu.* 228. At in ſecundo, id eſt in quæſt. An fiat, exponit ſe periculo non faciendi, ſive minùs probabilem ſequatur, ſive magis probabilem, & imprudenter agit, atque in re gravi, qualis eſt confectio Sacramenti, graviter peccat, quia cùm poſſit ſequi partem certam, ac tutam illud conficiendi, ſequitur probabilem, & non tutam. In primo igitur caſu non peccat, quia ſequitur tutam, licèt non tutiorem; ſed in ſecundo peccat, quia in re graviſſima non ſequitur tutam, ſcilicet in ordine ad conficiendum: in hac enim materia, nedum tuta, ſed tutior, & tutiſſima via eſt eligenda, ut Scotus docuit ſuprà relatus *n.* 216. Quamobrem non tantùm ex charitate, ſed etiam ex reverentia, quæ debetur Sacramento, ſemper tenetur quis ſequi partem omninò tutam, nempè certam non faciendi irritum Sacramentum. Et ita præter Scotum tradit etiam expreſsè Suarez poſt alios *tom.* 4. *in* 3. *par. diſt.* 26. *ſect.* 6. *nu.* 5. Unde patet reſponſio ad duas rationes Vaſquez, & Sanchez, qui contrarium aſſerebant, quia in caſu conficiendi Sacramentum, neque minùs, neque magis probabilem ſequi licet, cùm alia eſt certa, quia hæc ſola tuta eſt, ut Sacramentum conficiatur. In cæteris verò caſibus, in quibus quæritur, An quid liceat, opinio probabilior eſt tuta, & ideò licet illam ſequi, ut fuſiùs oſtenſum eſt ſuprà *eod. num.* 228.

304 Trigeſimumſecundum fundamentum ſumitur ex quarto abſurdo, quod eſt in ſpecie de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ. Nam cùm abſolutio Sacramentalis ſit actus judicialis, & ſacerdos ſit verè, & propriè judex, ut diffinitur à Trident. Synodo *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de caſ. reſer.* & ad eum ſpectet diſcernere inter lepram, & lepram, & pœnitentem ſolvere, vel ligare, eique pro modo culpæ pœnitentiam injungere, *c.*2. *de pœnit. & remiſſ. lib.*6. *c. Omnis utriuſque infr. eod.* per hanc doctrinam ſacerdos non fungitur ampliùs Judicis officio, ſed ſubditus ordine inverſo aſſumit ſibi judicium conſcientiæ ſuæ, & eligit ſuo arbitratu ſententiam ligantem, vel ſolventem: Nam cùm ſacerdos judicat eſſe reſtituendum, negotiationem dimittendam, votum adimplendum, occaſionem peccati relinquendam, aut quid ſimile: ſtatim pœnitens objicit, extare ſuper hoc opinionem probabilem ſibi faventem, & eſſe in facultate ſua illam eligere. Unde in foro animæ judex ſequi cogitur judicium rei, non reus judicium ſacerdotis: quod quàm ſit abſurdum, nemo non videt.

305 Sunt enim qui putant ſacerdotem non poſſe hoc caſu denegare beneficium abſolutionis, eò quòd teneatur ſequi pœnitentis opinionem. Ita Suarez in 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 32. *ſect.* 5. *nu.* 4. Baſilius Pontius *de matrimon. lib.*4. *cap.*25. *n.* 8. Gregor. de Valent. *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.*7. *punct.* 4. *in fin.* Imò abſolutionem non eſſe denegandam, etiamſi pœnitens eligat opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, tenet Thomas Sanchez alios referens in *Decalog. tom.*1. *lib.*1. *cap.*9. *num.*27. *&* 29. qui ampliùs opinatur, confeſſorem ex hoc capite denegantem abſolutionis beneficium, mortaliter peccare. Et ſequitur Joan. Sancius *ſelect. diſp.* 33. *n.* 54. Quid plura? Confeſſorem ſequi debere pœnitentis opinionem, etiamſi credat illam eſſe falſam, dummodò probabilis reputetur inter Doctores probatæ authoritatis, confidenter affirmant Gregor. de Valent. in 2.2. *diſp.* 1. *quæſt.*7. *punct. ultim. in fin.* Thomas Sanchez, & Jo. Sancius locis citatis. Quod abſurdum eſſe, & contra legem conſcientiæ reluctantis, apertè conſtat ex doctrina D. Thomæ *quodlib.* 3. *art.* 27. *& quodlib.* 8. *art.* 13. & S. Bonaventuræ in 2. *ſentent. diſtin.* 39. *nu.* 19. & Scoti *quodlib.*18. *ſub litt. E.* ubi ſic ait: *Non ſufficit ad bonitatem moralem, ut in agente ſit potentia judicativa de ſcientia ſui actus; ſed oportet, quod actu rectè judicet de actu, & ſecundum illud rectum judicium actus fiat. Si enim cognitio propria ſit erronea, licèt agat conformiter cognitioni rectæ alterius cognoſcentis, quia tamen tale agens natum eſt regulari in ſuo actu per propriam cognitionem, & ſecundùm illam non agit, ſed contra illam, ideò non rectè agit.* Hæc Scotus. Atque ita hunc errorem pluribus confutat Candidus Philalethus *de opinionum praxi quæſt.* 5. *verſ. Adverte tertiò pag.* 79. & conſtat ex iis, quæ dicta ſunt ſuprà in 5. fundamento pro hac ſententia.

Trigeſimumtertium fundamentum ſumitur ex quinto abſurdo, quod eſt de bello. Nam defenſores probabilitatum contendunt licere invicem bellare, ſi utrinque ſint opiniones probabiles, quòd bellum ſit juſtum, ut Joan. Sancius aliàs citatus in *pract. diſput.* 44. *num.* 58. Hoc autem abſurdum eſt, quia bellum ex utraque parte juſtum non datur: nam, ut ſcripſit Angel. Aretin. *conſ.* 96. *In themate num.* 44. *in fin.* cùm bellum ſit contrariorum, neceſſe eſt, ut una pars foveat injuſtitiam, quia ſi unum contrarium eſt æquum, neceſſe eſt, ut aliud ſit iniquum, *l.* 1. *ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni juris.* Unde contra Joan. Sancium tenent Vaſquez, & Villalob. *infrà allegat. num.* 375. Id quod ſpecialem etiam habet rationem, 306

quia cùm in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis, *l. Qui accuſare, Cod. de edendo*, cum concordan. & poſſeſſor dicatur habere potiora jura, etiamſi nullum jus habeat, *l. Uti frui*, §. *Fortè*, *ff. Si uſufruct. petat.* Paul. de Caſtro *conſ.* 76. *In facto iſto lib.*2. iniquum eſt, ut Rex qui pacificè regnum poſſidet, in paritate opinionum utrinque probabilium, & longè magis ſi pro ſe habeat opinionem magis probabilem, de ſua poſſeſſione vi dejiciatur: nam & injuſtus poſſeſſor debet conſervari in ſua poſſeſſione, *c. In litteris de reſtitut. ſpoliat.* Imò nec ſpoliatus de facto poteſt propria authoritate poſſeſſionem accipere contra ſpoliantem, *l. Si quis ad ſe fundum, ff. De vi, & vi armata.* 307

Ideòque ſpoliatum poſſe tantùm incontinenti, non autem ex intervallo bellum movere, ſcripſit Angel. Aretin. *d. conſ.* 96. *num.* 50. *verſ. Et benè facit*, poſt Bart. in *l. Idem*, §. *Cùm igitur per illum textum*, *ff. De vi, & vi armata*; quamquam præſcriptio nulla dari poſſit etiam poſt decurſum tempus mille annorum, ſi à principio ſpoliator fuit doloſus, vel violentus, juxta receptiſſimam Canoniſtarum opinionem, ut atteſtatur Cardinalis Seraphin. *deciſ.* 1360. *num.* 2. Præterea cùm abſtinere à bello inferendo abſque dubio ſit tutius, & res dubia ſit propter æqualitatem contrariarum rationum, ut oſtenſum eſt ſuprà in 2. *quæſt. à num.* 125. *uſque ad num.* 171. in hoc dubio Rex tenetur ſequi opinionem, quæ periculo vacat, ut pariter conſtat ex dictis à *d. num.* 171. *uſque ad num.* 252. 308

Ex quibus patet, quàm ſit pernicioſa Chriſtianæ Reipublicæ hæc doctrina probabilitatum, quæ publicam pacem ſæpè ſæpiùs turbat, & inflammat Reges ad bella gerenda. Timorati enim Principes priuſquam rem tam arduam aggrediantur, conſueverunt exquirere à ſuis Theologis, & Directoribus conſcientiæ, quid ſibi liceat: à quibus audientes ſibi favere in puncto juris opinionem probabilem, quam tuta conſcientia ſequi poſſint, licèt oppoſita ſit probabilior, ac tutior; huic damnabili conſilio acquieſcentes, bellum movent, 309

quod eſt perditio animæ, corporis, & ſubſtantiæ, ut in *Authen. de Armis in princip.* & notat. gloſſ. 1. *in l. unic. Cod. publica lætitiæ lib.* 12. quo etiam fit, ut hæc doctrina pariter non ſit à Chriſto, qui venit in mundum, ut pacem doceret, *c. Niſi bella* 23. *quæſt.* 1. ſed potiùs ex Diabolo, qui eſt pacis æmulus, & ſator zizaniæ, ut in Extravag. *Super cathedram*, §. *Ab olim de ſepult.*

311 Trigeſimumquartum fundamentum ſumitur ex ſextò abſurdo, nempè quia ſecundùm hanc doctrinam licitum eſt ſequi opiniones oppoſitas, modò illæ ſint probabiles; & ſecluſo ſcandalo, modò judicare ſecundùm unam, modò ſecundùm aliam, ut tenent Authores ſupracitati *nu.* 31. Hoc
312 autem eſſe perquàm abſurdum ſic oſtenditur evidenter. Ex contrariis opinionibus oportet unam ſemper eſſe veram, & alteram falſam, ut patet in 4. *Metaph. cap.* 6. & docet S. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. Quamvis autem qui flectit ſe ad unam tantùm partem, quam putat eſſe probabilem, poſſit eligere falſum, quia humanum judicium fallere ſæpè contingit, & falli, *c. Lator, & c. Conſanguinei de re judic. c. Si quis non recto* 24. *quæſt.* 3. *c. A nobis*, *il* 2. *de ſent. excomm.* tamen poteſt etiam eligere verum, cùm probabilitas indifferenter ſe habeat ad verum, & falſum, ut in 1. *Magnor. moral. c.* 33. & conſtat ex dictis *ſup. n.* 73. *&* 90. Idque veriſimilius eſt, ſi rationes utriuſque opinionis æquo libramine expendat, juxta textum in *c.* 1. *de ſentent. & re judic. lib.* 6. & eligat probabiliorem, & melioribus rationibus ſubnixam, ut in *c. Capellanus de feriis, & in* §. *Item pretium inſtitut. de empt. & vend.* juncta *l.* 1. *ff. eod.* Verùm qui conſulit, & judicat ſecundùm utramque, in rei veritate neceſſariò ſequitur falſum, ut patet ex Philoſopho in 2. *Periherm.* & docet idem D. Thom. in 1. *p. qu.* 17. *art.* 4. Etenim probabilitates harum opinionum oppoſitarum conſiſtunt in lineis contradictoriis, ut patet in 4. *Metaph. cap.* 6. Nam probabilitas opinionis in ſe veræ eſt in linea veritatis, ſaltem ex parte rei: probabilitas verò opinionis in ſe falſæ eſt abſolutè in linea mendacii: non enim habet fundamentum in re, ſed in obſcuritate intellectus circa eam ſpeculantis: atque ita ex tenebris intellectus deducitur ſupponentis pro vero id, quod in ſe eſt falſum; & ideò nec eſt duratura, niſi quamdiu duraverint tenebræ intellectus, ut in 1. *Poſter. cap.* 26. Non eſt igitur credendum voluiſſe Deum in Eccleſia hanc deceptionem permittere, ut ferè in qualibet materia fas ſit cuilibet ſequi, quod neceſſariò eſt falſum non ſolùm materialiter, & quoad divinum judicium, quod veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur, ut habetur in *d. c. A nobis*, & in *c. Spiritus Sanctus* 1. *qu.* 1. ſed etiam formaliter reſpectu intellectus humani, qui quamvis non diſtinguat, quænam opinio ex duabus oppoſitis ſit falſa, tamen certus eſt naturaliter in una ipſarum falſum latere, cùm impoſſibile ſit utramque eſſe veram, ut in 4. *Metaph. d. c.* 6. & per D. Thom. *loc. cit.* Unde ſequendo utramque ſequitur neceſſariò id, quod certò ſcit eſſe falſum. Et quemadmodum qui miſcuit venenum in una ex duabus potionibus, & oblitus eſt, in qua potione illud miſcuerit, quamvis ſeorſim poſſit probabiliter æſtimare hanc, vel illam non eſſe veneno admixtam, tamen ſi ſumat utramque certus eſt formaliter ſe ſumere venenatam: ita qui conſulit, vel judicat ſecundùm oppoſitas opiniones probabiles, formaliter certus eſt ſe pro una parte ſequi falſum, licèt propter imbecillitatem intellectus humani non diſcernat, qua in parte falſitas reperiatur, ut egregiè declarat Bart.
313 in *l. In ambiguo num.* 2. *ff. de reb. dub.* Et hæc eſt ratio, cur advocato non liceat pro utraque parte ſcienter patrocinari, quia ſcilicet ex una parte ſemper tueretur injuſtam cauſam ſcienter. Et hæc eſt veritas, ut inquit Silveſter in *ver. Advocatus num.* 7. §. 13. Quamobrem doctrina hæc nova, quæ docet ſequi falſum, non eſt a Deo, quia Deus nec formaliter, nec materialiter poteſt eſſe author falſitatis, cùm ſit ipſa veritas: Jo. 14. *c. Si conſuetudinem* 8. *diſtinct.* ſed potius ex Diabolo, qui eſt pater mendacii: Jo. 8. 44. Arch. in *c. Nervi num.* 1. 13. *diſt.*

314 Trigeſimumquintum fundamentum ſumitur ex ſeptimo abſurdo, quod eſt de ſcandalo, quia hæc doctrina vix ad praxim ſine ſcandalo deduci poteſt: nam ſecundùm eam fas erit marito modò adhærere uxori ſuæ, & ab ea debitum exigere ſequendo ſententiam probabilem validitatis matrimonii; modò ei debitum denegare, illamque dimittere ut concubinam, & aliam ducere pro libito ſuæ voluntatis, ſequendo contrariam opinionem æquè, vel magis probabilem nullitatis matrimonii, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur in *c. Inquiſitioni de ſentent. excomm.* & in *c. Litteras de reſtit. ſpoliat.* frequentiſſimè enim qui nuper ſcripſerunt tractatus de matrimonio, recenſent oppoſitas opiniones, aſſerendo utramque eſſe probabilem, aut unam probabilem, & alteram probabiliorem, etiam ubi de fœdere matrimonii agitur, Item licebit Advocato in 315
eadem cauſa patrocinari tam pro actore, quàm pro reo, ſi uterque habeat pro ſe rationes ſuaſibiles, contra text. in *l.* 1. *C. de Advoc. diverſ. judic. in l. Athletas*, §. *Penult. ff. de his, qui notantur infamia*, & in *c. fin.* 2. *quæſt.* 3. Gloſſ. Geminian. & Præpoſitus in *c. Diſciplina* 45. *diſt.* Et tamen Bald. *conſ.* 94. *Sciendum eſt in fin. lib.* 4. quia ſuſpicabatur in eodem articulo priùs conſuluiſſe, & copiam conſilii non invenerat, ne ſibi eſſet contrarius, noluit conſulere etiam pro ea parte, in quam ex probabilibus rationibus inclinabat; quia, inquit, contrarietas turpis eſt in Doctore. Item licebit judici in eodem articulo nunc proferre ſententiam abſolutoriam, nunc condemnatoriam, & judicare pro amico, adverſus ea, quæ dicentur infrà *num.* 355. cùm tamen non deſit, qui ex antiquis ita hortetur: Si vis æquam ſententiam ferre, neminem eorum, qui judicio aſſiſtunt, cognoſce, ſed nudam ipſam, ſimplicemque veritatem; ut ex Conſtantino Armenopolo refert Menoch. *de arbit. jud. in princ. tractatus in cohortatione ad judices.* Unde Baldus relatus à Boer. *deciſ.* 155. *nu.* 27. *Duobus*, inquit, *amicis in duabus* 316
contrariis opinionibus exiſtentibus, ſanctum eſt pro veritate pugnare. Et quamvis, ut idem Bald. refert in hoc *cap. n.* 10. 317
Jo. Andr. det unum prudens conſilium, ut quando opiniones ſunt ita diverſæ, ut in utramque partem poſſit probabiliter inclinari, debeat quis conari, ut habeat judicem propitium: hoc tamen non ideò dixit, quod liberum ſit judici pro utraque opinione ſententiam ferre; ſed quia hoc caſu probabiliter poteſt contingere, ut judex amicitia ductus declinet in unam tanquam probabiliorem, c. Quatuor modis, & c. Quicumque 11. qu. 3. *Nam cùm in dubio eſt animus, &c.* ut advertit Boer. *loc. cit.* Et propterea Bald. *ubi ſup.* poſt illa verba: *Debet quis conari, ut habeat judicem propitium;* immediatè ſubjunxit: *Non dico claudicantem, quia judex, & judicium claudicare non debent.* Licebit denique conſiliario ſecundum hanc do- 318
ctrinam conſulere Regi, ut bellum gerat contra rebellem, & ſimul conſulere rebelli, ut vi armata reſiſtat Regi bellum gerenti, ſi uterque habeat opinionem probabilem ſibi faventem; & tamen certum eſt, bellum ex utraque parte juſtum non dari, ut oſtenſum eſt ſuprà in 33. fundamento, & defenſionem non competere illi, qui poteſt juſtè & impunè offendi, ſecundùm communem ſententiam, de qua teſtatur Claudius de Seyſel. in *l. Ut vim in lectura n.* 26. *ff. de juſt. & jur.* Quæ ſanè omnia, & ſexcenta alia ſimilia, nemo ſani capitis inficiabitur abſurda eſſe, & ſcandaloſa, & ideò vitanda, *c.* 2. *de præſcript. c. Ad aures de temp. ordinat. cum concord.* de quibus in gloſſ. in *ver. Scandalo.*

Trigeſimumſextum fundamentum ſumitur ex octavo 319
abſurdo, nimirùm quia quàm enormiter hæc doctrina in dies lædat libertatem, immunitatemque Eccleſiaſticam Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam, deplorandum eſt magis, quàm commemorandum; quandoquidem ſuborta aliqua de his controverſia, Principes ſæculares nihil ex arbitrio ſuo faciunt, ſed quid ſibi liceat, percunctantur à Theologis, quos ad ſua deſideria coacervant ſibi magiſtros. Hi verò ut ſe præbeant zelatores laicalis juriſdictionis, prurientes auribus, & quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, ut plurimum quid Divina Scriptura, Sacri Canones, & probata Concilia ea de re ſtatuant parùm inveſtigantes, tantùm laborant in perquirendo aliquem Doctorem, qui in eo articulo amplectatur opinionem juriſdictioni ſæculari faventem, aut ſaltem affirmet illam eſſe probabilem: eoque modica cum difficultate reperto (in tanta enim Scriptorum hujus ſæculi multitudine nunquam deſunt, qui palam Potentatibus adulentur, & juriſdictioni Eccleſiaſticæ ſint infenſi) protinus cōſulunt, ſuadentque Principibus, & Magiſtratibus ſæcularibus, ut opinione illa liberè utantur. Et ex hac potiſſimum radice, ni fallor, provenit, ut multi cenſuris Eccleſiaſticis irretiti, deſpiciant abſolutionē à Sede Apoſtolica obtinere, nec abſtineant à perceptione Sacramentorum, exiſtimantes ſe tutos eſſe in conſcientia; & tamen manifeſtum eſt, magiſtrorum conſilia, quæ dan-

dantur contra præcepta legis, aut contra id, quod publicè tenetur per Eccleſiæ authoritatem, à peccato erroris non excuſare, ut per D. Thom. *d. quodlib.* 3. *art.* 10. *&* *quodl.*8. *art.* 13. Unde fateri oportet hanc doctrinam non eſſe à Deo, cùm tam crebrò occaſionem præbeat convellendi jura, & privilegia Eccleſiæ. Ad hoc *c.Concilia*, §.*hinc* 17.*diſt.* *c.Quis dubitet*, *c. Duo ſunt*, *&* *c. fin.* 96. *diſt. &* *c.* 1. *De immunit. Eccleſ. lib.* 6. *cum multis concordantibus*.

320 Trigeſimumſeptimum fundamentum deducitur ex nono abſurdo, nempè quia hæc doctrina reddit homines ignavos, eoſque ab omni ſtudio contemplandæ veritatis abducit. Nam ubi primùm quis in aliqua controverſia morali intelligit extare opiniones probabiles, & ſe habere libertatem ſequendi quam maluerit, licèt minùs probabilem, ac minùs tutam, non laborat pro veritate ulteriùs aſſequenda: quo fit, ut hoc ſæculo pauci inveniantur profundæ ſcientiæ, qui velut ſplendor effulgeant firmamenti, & velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri ad juſtitiam valeant plurimos erudire, ſecundùm quod legitur in *c. Super ſpecula de Magi-*
321 *ſtris*. Imò ut ait Bald. *conſ.* 343. *n.* 4. *lib.* 1. actus argumentandi eſt apud infinitos, concluſio reſpondendi, & medicina ſanandi apud paucos. Confert textus in *c. Nec mirum*, *verſ. Nec poteſt. is*, ibi: *Semper diſcentes*, *& numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*, 26. *quæſt.* 5. Addit Julius Mercorus *de probabilitate opinionum part.* 3. *art.* 4. futurum eſſe, ut admiſſo uſu probabilitatum, libri qui tractant de morali materia, brevi tempore contemptibiles fiant, imò tota ſcientia moralis contemptui habeatur; nam caſus qui poterit unicuique occurrere, aut erit facilis, aut difficilis: ſi facilis, non erit opus ſtudio, nec revolutione librorum pro ejus reſolutione: ſi difficilis, jam experimur difficultatem propoſitionis ex eo provenire, quia utrinque ſunt rationes ſuaſibiles, ut habetur 1. *Topicor. cap.*9. *in princ.* Unde ſtatim atque aliquis apprehendit caſum propoſitum eſſe difficilem, ſimul etiam apprehendit illum eſſe pro utraque parte probabilem, & ſine alio ſtudio ad quam maluerit partem tuta conſcientia ſe applicat. Ad quid ergo pro dirigendis conſcientiis deſudare, ac libros volvere labore ſupervacuo: *c. fin.*7. *q.* 1. gloſ. ult. in *c.Charitatem* 12. *qu.* 2.

322 Trigeſimumoctavum fundamentum ſumitur ex decimo abſurdo, quod eſt de relaxatione conſcientiæ. Nam cùm ſenſus hominis proni ſint ad malum, Geneſ.8.*c.Omnis ætas* 12.*qu.*1. ex libertate eligendi quamcumque opinionem probabilem fit, ut plerique eligant opiniones prurientes auribus, & indulgentes ſenſui, *c. Nec mirum*, *verſ. Hæc poteſtas* 26. *quæſt.* 5. Unde plurimum relaxantur fidelium conſcientiæ, & frangitur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, *c. Diſciplina* 45. *diſt.* gloſſ. in *c.*2. §.*Nulla quoque in ver. Conſuetudine de pœnit. & remiſſ. lib.*6. *& in c. fin. in ver. Rationabilibus propè fin.* De conſuetudine obſervatum eſt namque homines alioquin in jejuniis auſteros, à ſancta obſervatione deſtitiſſe, auditis Scriptorum noſtri temporis opinionibus jejunandi obligationes relaxantibus, ut dicemus infrà in 40. fundamento ſub *n.* 336. *verſ. Obligationes*, contra ea, quæ in hac ipſa jejunii materia conſulit Pontifex in
323 *c.*1. *de obſerv. jejun.* Et nonnulli, qui parati erant relinquere occaſionem proximam peccandi, modum invenerunt in ea perſeverandi, poſteaquam audierunt ſententiam Authoris affirmantis non modò eſſe licitum in hujuſmodi occaſione manere, ſed etiam in eam ultrò ſe conjicere, ob ſpirituale, aut temporale ſuum, aut proximi bonum, ut patebit eod.
324 *n.*336. *verſ.Tametſi*. Et ſimiliter alii, qui propoſuerunt è domo concubinam ejicere, à propoſito receſſerunt, audita alterius Theologi ſententia aſſerentis concubinarium non teneri eam repellere, ſed tantùm polliceri ſe cum ipſa non peccaturum, quando ea dimiſſa triſtiùs vitam duceret, ut pariter inferiùs patebit eod. *num.*336. *verſ. Concubinarium*. Item alii, qui (quantum humana fragilitas patitur) conſueverunt cum interna attentione Miſſam audire, atque
325 Officium Divinum recitare, faſſi ſunt omnem ſolicitudinem & ſcrupulum depoſuiſſe, poſteaquam intellexerunt ſatisfieri præcepto Eccleſiæ Miſſam audiendo, & Officium recitando etiam cum diſtractione voluntaria, eò quòd Eccleſia non poſſit præcipere, ut aſſiſtant, & recitent cum attentione, ſeu devotione interna, quod affirmarunt Ægidius Coninch. *de Sacram. in* 31.*qu.*83. *art.*6. *n.*291. *&* 297. Paulus Laym. *tract.*7. *c.*3. *n.*2. Henriq. *in Sum. lib.*9. *c.*25.*n.*3. *in gloſ. littera P.* Quorum tamen opinionem nec veram, nec
Fagnan. in I. Lib. Decretal.

probabilem eſſe, latiſſimè oſtendimus in *c. Dolentes a n.* 17. *uſque ad n.*67. *de celebr. Miſſar.* Rurſus paucis ab hinc annis 326
quidem Regulares audita opinione, quam nonnulli Authores probabilem dicunt, quòd Summus Pontifex non poſſit Regularibus ad præſcriptum Regulæ reformationem indicere præter conſuetudinem, quæ in Religione vigebat tempore profeſſionis emiſſæ, auſi ſunt debitam mandatis Apoſtolicis obedientiam denegare. Et tamen nedum hoc caſu, in quo hujuſmodi opinio eſt manifeſtè falſa, & contra *c. Ex parte de Regular. c. Recolentes*, & ibi dixi *n.*7. *&* 9. *& c. fin. de ſtat. Monac.* & contra *Concil. Trid. c.*1. *ſeſſ.*25. *de Regular.* ſed etiam ſi eſſet dubia, nihilominùs parendum eſſet propter bonum obedientiæ, *c.Quid culpatur in fin.* 23. *qu.* 1. gloſſ. *fin. in c.* 2. *De major. & obed.* Et profectò ſi quis intelligat ſecundùm unam opinionem ſe non teneri votum Religionis adimplere, aut damnum illatum reficere, aut uſuras acceptas reſtituere, vel quid ſimile, & liberum ſibi eſſe utramlibet opinionem amplecti cum ſecuritate conſcientiæ, quis credat eum velle ſervituti Religionis ſe mancipare, aut reputare ſe reſtitutioni obnoxium, cùm ab his poſſit ſe eximere eligendo opinionem minùs probabilem ſibi faventem, relicta contraria probabiliori, ac tutiori? Præſertim verò quia multi affirmant in conflictu 327
opinionum probabilium poſſe virum doctum, relicta opinione, quam probabiliorem credit, juxta probabilem conſulere, quando pœnitentem eximit ab obligatione reſtitutionis, & alia quacunque: ſecus autem quando ipſum ad quippiam obligat. Atque ita ſecundùm hanc Theoricam conſultores, & judices animarum ſequi non poſſunt opinionem minùs probabilem, quando illa eſt ſtrictior, & ſecurior pro ſalute animæ pœnitentis, ſed ſolùm quando eſt laxior, & periculoſa. Quod affirmarunt Vaſquez *in* 1. 2. *diſp.* 62. *c.*9. *num.*47. & Salas *in* 1. 2. *tract.*8. *diſp. unic. ſect.*9. *num.* 85. Quinimò (quod hactenus non eſt auditum) 328
Confeſſorem teneri opinionem liberantem & largiorem, minùſque tutam declarare pœnitenti de illa interroganti, ſcripſerunt idem Salas *ubi ſup.* & Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 9. *num.* 47. Ac demum in conſcientia tutum eſſe 329
illum, qui propoſitum habet varios Doctores conſulendi, donec aliquem juxta deſiderium ſuum reſpondentem inveniat, author eſt idem Sanchez *d. c.* 9. *num.* 29. licèt hunc in peſſimo ſtatu eſſe rectiùs affirmet Adrianus in 4. *de reſt. quæſt. de præſcript. dub.*1. *verſ. His præmiſſis*, & Navar. in *manual. c.*17. *n.*83. Vides ergo per quam latam viam ducantur pœnitentes à defenſoribus probabilitatum: & tamen Dominus ait Matth. 7. 14. *Quàm anguſta porta*, *& arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*, *& pauci ſunt qui inveniunt eam*. Quare noſtro ſæculo verificata videntur verba Apoſtoli 2. ad Timoth. 4. *Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*, *&c.* Quem locum præclarè ad rem noſtram explicans Beatus Dionyſius Carthuſianus ait: *Erit enim tempus, cùm homines ſanam, id eſt animarum languores ſanantem, doctrinam non ſuſtinebunt, id eſt, patienter non audient: ſed ad ſua deſideria, id eſt, ut ea audiant, & faciant, quæ deſiderant vitioſo affectu, coacervabunt, ideſt, congregabunt ſibi magiſtros pro eorum beneplacito docentes*, *& operantes*.

Trigeſimumnonum fundamentum elicitur ex undeci- 330
mo abſurdo, quod eſt de effrænata multitudine probabilium opinionum. Cùm enim nulla ferè ſit veritas moralis, quæ plauſibili aliqua ratione oppugnari non poſſit, nulli dubium eſt, quin omnis regula morum poſſit everti ex libertate opinandi, non modò in præceptis humanis, verùm etiam in divinis, & naturalibus, dum de ipſis interdum non occurrunt nobis rationes demonſtrativæ. Unde his temporibus eò res perducta eſt, ut nullus ferè ſit articulus in moralibus, in quo non ſit varietas, vel contrarietas opinionum, adeò ut in ſolo opere non ita pridem impreſſo reſolutionum moralium Antonini Dianæ numerentur in unum collectæ quæſtiones ſupra ter mille cum opinionibus, & Authoribus pro utraque parte plerumque affirmantibus, aut ambas eſſe probabiles, aut unam probabilem, & alteram probabiliorem, & in quibus ferè omnibus agitur de mortali peccato, ut de Sacramentis, de Cenſuris, de Votis, de Jejunio, de reſtitutione, & aliis hujuſmodi, quæ amplectuntur univerſam ferè materiam ad forum conſcientiæ pertinentem. Quem ſcribendi morem paſſim obſervant & alii plures ex recentioribus Theologis. Quinimò apud multos receptum videtur, ut probabilitas 331

opinionis non ſolùm eliciatur ex rationibus, & argumen-
tis congruentibus, ſed etiam ex ſimplici authoritate unius
docti & pii Doctoris, ut tenent Gregor. de Valent. 1. 2.
diſp.2. qu.12. punct.4. qu.4. Emmanuel Sà in *Summ. in ver.
Dubium n.1.* Sanchez in *Decal. tom.1. lib.1. c.9. n.7.* Filliuc.
tom.2. tract.21. c.4. n.134. & alii apud Dianam *reſol. moral.
par.4. tract. 4. Miſcell. reſol.* 30. Quod tamen vix dixerunt
Doctores noſtri de opinionibus gloſſarum, ut notat Decius
in *c.1. n.94. ſup.eod.* Et quamvis hæc opinio ita generaliter,
& abſolutè concepta ſuſtineri non poſſit, ut dicemus infra
in 4. quæſt. tamen quidam Author modernus viam quam-
dam adinvenit eam defendendi veriſimiliter quidem, ſed
non verè, ut loquar cum Ariſtotele in 4. *Metaph. c. 3. poſt
med.* ſic enim ratiocinatur: Sententia illa proculdubiò eſt
probabilis, quæ pro ſe habet quatuor ſaltem Doctores pro-
bos, & doctos; Sed hæc ſententia quæ docet opinionem
reddi probabilem ex authoritate unius Doctoris, habet pro
ſe quatuor ſaltem authores doctos, & probos, videlicet
quos ſuprà proximè retulimus: Ergo probabilis eſt. Quam-
obrem ſi unicuique licet ſequi quamcumque opinionem
probabilem, & probabilitas oritur etiam ex authoritate
unius Doctoris; jam licet ſequi opiniones ferè omnes,
etiam erroneas, ac temerarias, cùm hodie in moralibus
nullum quaſi ſit paradoxum, quod non nitatur authoritate
alicujus Doctoris; aut certè negari non poteſt, quin erran-
di occaſio hinc præbeatur minùs doctis, qui veritatem pro-
fundius ſcrutari nec ſolent, nec ſciunt. Non enim deſunt,
ut ſæpè audivimus, qui dicant: Sufficit mihi, ut pro meæ
conſcientiæ quiete ſic doceat talis, vel talis Theologus ex
neotericis, quibus magis deferendum eſſe, quam antiquis,
quorum opiniones poſſunt eſſe antiquatæ, confidenter
affirmat Thomas Sanch. in *Decal. tom.1. d.c.9. n.11.* Qua-
re hæc doctrina probabilitatum videtur fovere veluti quam-
dam libertatem conſcientiæ; ac proindè magnoperè indi-
gere dextera Dei, & Beatiſſimi Romani Pontificis provi-
ſione, ne venenum jam plus nimio dilatatum ulteriùs ſer-
pat. Etenim ſi optimæ ſunt leges, quæ quam pauciſſima
judicis arbitrio reliquerunt, ſecundùm Philoſophum 1.
Rhetor. fateri oportet peſſimam eſſe hanc doctrinam, quæ
ferè omnia relinquit libero cujuſque arbitratui. Nam qui
legem imperare jubet, is legem, & Deum imperare jubet:
qui vero hominem, belluam adjungit, ut idem docuit 3.
332 *Politicor.* Præſertim verò quia idem Author Modernus non
erubuit ſua epiſtola diſſeminare hanc propoſitionem, vide-
licet, Opiniones probabiles efficere, ut quod olim pecca-
tum erat, modò amplius non ſit. Quod ſi verum eſt, jam
opiniones probabiles ſunt ſupra legem Dei, & naturæ; &
333 tamen D. Thomas *quodlib. 8. art. 13. & quodlib. 3. art. 10.*
palam docuit opiniones magiſtrorum minimè efficere, ut
quis excuſetur a peccato, ſi agat contra legem Dei, ſicut
etiam tetigimus ſupra *num.* 319. Nam, ut dicitur Matthæi
15. *Si cæcus ducatum cæco præſtet, ambo in foveam cadunt.*
Sed quicumque errat, cæcus eſt in quantum errat, *c. Hinc
etenim 49. diſt.* Ergo quicumque ſequitur opinionem erran-
tis magiſtri, in foveam peccati cadit. Ad idem *c. Cùm ſit
334 ars in fin. de ætat. & qualit.* Quapropter non immeritò An-
tonius Merenda in *ſuo tractatu de hac materia noviſſimè im-
preſſo in Præfatione pag. 7. nu.* 14. rotundis verbis affirmat,
uſum probabilitatum eſſe commentum Diaboli ad enervan-
dam vim præceptorum. Ad quod vide Epiſtolam Archiepiſ-
copi Mechlinienſis inferiùs relatam *n* 337. necnon Epiſtolam
fratris Vincentii Baronii Diffinitoris Toloſæ Ordinis Præ-
dicatorum impreſſam initio Tractatus de probabilitate
opinionum fratris Julii Mercori ejuſdem Ordinis, in qua
refertur SS. D. N. Alexandri præceptum, ſeu conſilium in
Generali Capitulo evulgatum, ac Theologis Thomiſtis
quotquot ſunt in Orbe Chriſtiano a Diffinitoribus deferen-
dum, videlicet: Tædere Beatiſſimum Patrem tot novarum
opinionum hoc ſæculo in Theologiam moralem inducta-
rum, quibus diſciplina Euangelica reſolvitur, ac conſcien-
tiis cum gravi animarum periculo illuditur, & ſe maximè
velle a Theologis noſtris, in Eccleſiæ hoc morbo occulto la-
borantis remedium, opus parari ex ſeveriori & tuta Sanctiſ-
ſimi Præceptoris doctrina, quo hæc morum & opinionum
licentia, quæ in dies graſſatur, quaſi cauterio cohiberetur.
335 Quadrageſimum fundamentum deſumitur ex duodeci-
mo abſurdo de innumeris ferè opinionibus falſis, temera-
riis, & ſcandaloſis, quæ ex libertate eligendi qualcumque
opiniones probabiles, tanquam ex equo Trojano in dies prodeunt, & quàm plurimæ pallio probabilitatis tectæ, traduntur à Scriptoribus noſtri temporis, quæ revera non ſunt tolerandæ. Ex quibus libet referre infraſcriptas, ut ex iis poſſit unuſquiſque intelligere, quouſque progreſſi fuerint in morali materia hodierni conſultores animarum.

Ut leges etiam Pontificiæ obligent, requiritur conſenſus, & acceptatio Populi, qui propterea non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam, Azor. *inſtit. mor. par. 1. lib.5. c.4. qu.1.* Villalob. in *Sum. tom. 1. tract. 2. dub. 16. nu. 6.* & alii quos ſequitur Antonin. Diana *reſol. moral. lib. 1. tract. 10. reſol. 1.*

Poteſt Epiſcopus jure ordinario diſpenſare contra legem Concilii generalis, vel Summi Pontificis, quoties diſpenſandi facultas illi non adimitur, etiamſi facilis ſit aditus ad Papam, Baſil. Pont. *de matrim. lib.6. cap. 8. nu.* 11. allegat Sotum *in 4. diſt. 32. qu. unic. art. ult.*

Qui perdidit aliquam authenticam ſcripturam, licitè poteſt aliam ſimilem falſam confingere, Emmanuel Sà in *Sum. ver. Falſarius.*

Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ: Probabilem dicit Fagundez *reſol. mor. precept. 2. lib. 1. c. 4. num. 4. in fin.*

Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendentem per feneſtram ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem inſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, Caſtr. Palao, Merula, Hurtad. & Alphonſus de Leon. apud Dianam *par. 5. tract. 7. reſol.* 23. & Julium Mercorum de Probabilitate opinionum *par. 3. art. 9. verſ. Famulus.*

Titius decies ingreſſus eſt domum cujuſdam mulieris, quinquies peccavit, & quinquies non peccavit. Si iterum ingrediatur, quamvis probabiliter timeat ſe peccaturum, non peccat, ſi etiam ſperet ſe non peccaturum, quia nemo tenetur vitare periculum probabile peccandi, ſed ſolùm periculum proximum, quod tunc eſſet, quando Titius decies acceſſiſſet ad illam domum, & octies peccaviſſet. Ita Caramuel in *Theol. Regul. diſp.* 70. apud Julium Mercorum *d. part.3. art. 24. verſ. Secundus caſus.*

Clericus, ſi res ei ſubreptæ excedant valorem trium, quatuor, aut quinque ducatorum, poteſt ſine peccato, & incurſu irregularitatis, occidere furem cum dictis rebus fugientem, catapulta in eum exploſa, Valerius Reginaldus in *praxi fori pœnitentialis tom. 2. lib. 2. & totius operis lib. 21. c. 5. n. 64. & ſeqq. & præcipuè nu.* 68. poſt Molin. quem citat, *de juſt. & jur. tract. 2. diſp.* 16.

Regulares in foro conſcientiæ poſſunt uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concil. Trid. Henriq. in *Sum. de pœnit. Sacram. c. 6. n. 6.* Rodriquez *in quæſt. regular. tom.1. q.8. art.9.* Sanch. in *Decal. tom.2. lib.5. c.4. n.* 18.

Prælati Religionum, ut ſunt Priores, Guardiani, Miniſtri, & ſimiles, licèt non habeant approbationem, & licentiam ab Epiſcopis, poſſunt nihilominùs audire confeſſiones ſæcularium, quia quamvis non habeant beneficium Parochiale, largo tamen modo dicuntur ipſum habere, quia habent curam animarum, & ſunt communiter probatiores, & digniores pleriſque ſæcularibus habentibus curam, & conſequenter per eos ſatisfit menti Concilii Tridentini. Sunt verba Joannis Valerii *in differ. utriuſque fori, in ver. Nullitas differ. 5. num.* 3.

Cum ſubditis, qui ob paupertatem ad Urbem accedere non valent, poſſunt Epiſcopi diſpenſare in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, Sanchez in *Decal. tom.1. lib.4. c.40. n.39.* & Salas *de legib. diſp.20. ſect.3. num.* 27.

Moniales exire poſſunt à Monaſterio non ſolùm in tribus caſibus magni incendii, epidimiæ, & lepræ, juxta Bullam Pii V. ſed etiam dum imminet periculum probabile gravis, & diuturni morbi, Bonac. in *tract. de leg. diſput. 1. qu. 1. punct. 3. n.* 19. & alii apud Dianam *reſol. moral. lib. 1. tract. 1. reſol.* 13. ubi addit non obſtare declarationem Sacr. Congreg. ab eo relatam, quia de ea non conſtat authenticè.

Licet jurare falſum etiam in judicio, ſi jurans gerat aliquid in mente, quod efficiat ſenſum verum, Filliuc. *in qu. moral. tom.2. tract.25. c.1. n.* 236. Sanchez in *Decal. tom. 1. lib.3. c.6.* Leſſius *lib. 2. c.31. dub. 3. num.* 14. Exempla plura habentur apud eoſdem Authores.

Diſpenſatio inter conſanguineos vel affines non eſt ſubreptitia non facta mentione de copula habita inter eos ante,

vel

vel poſt matrimonium, ſtylo Curiæ non obſtante, Baſil. Pont. *de matrimon. lib.8. cap.17.* Probabilem dicit Sanchez *eod. tract. tom.3. lib.8. diſp.25. n.12.* & probabiliſſimam,& tutam in praxi Diana *reſol. moral. tom.1. tract.10. de leg. reſol.* 44. addens in tali caſu non teneri obtinentes diſpenſationem reſpondere Epiſcopo de copula interroganti, ſed poſſe ſine peccato negare, retinendo in mente, Ut tibi dicam.

Epiſcopi poſſunt ex magna neceſſitate diſpenſare etiam ante matrimonium contractum in impedimentis dirimentibus, Sanchez *de matrim. lib. 2. c. 7. num.* 40. Baſil. Pont. *eod. tract. lib.8. cap. 13. n. 6.* qui citat Vaſquez & Salas, & exemplificat; Si morti proximus vellet contrahere ad legitimandos liberos, vel reſtaurandum honorem, aut pro bono pacis.

Principes ſæculares ex genere, & natura ſuæ poteſtatis poſſunt impedimenta matrimonium dirimentia fidelibus ſibi ſubditis ex juſta cauſa ſuis legibus indicere eo modo, quo Summus Pontifex id poteſt, Thomas Sanchez *de matrim. lib.7. de imped. d. 4. qu.... num.* 2.

Bulla Sixti V. contra Aſtrologos non obligat in foro conſcientiæ, ſed in foro externo tantùm. Probabilem dicunt Suarez, Valentia, & Rodriquez apud Sanchez in *Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 38. num.* 34.

Judices laici advocantes ad ſe cauſas Eccleſiaſticas, excuſantur ex tolerantia Summi Pontificis, Coriolan. *in Bulla Cœnæ ad fin.* & alii, quos refert, & ſequitur Ceval. *in tract. de cognit. per viam violentiæ gloſ.* B. *num.* 42.

Regulares qui ſub pœna excommunicationis prohibentur colloqui cum Monialibus, non prohibentur colloqui cum Abbatiſſa, quia non venit appellatione Monialium, Diana *reſol. moral. par.3. reſol.48. in 3. notab.* ſubdens, nec incidere in pœnas Decreti Sac. Congreg. ſi explicent alicui Moniali caſum conſcientiæ, cùm talis locutio ſpeciem habeat ſermonis, & exhortationis. Allegat Laurentium de Peyrinis *in privil. Minimor. tom.2. conſt.6. Pii V. §.10. n.*36.

Confeſſor ob ſolatium ſcrupuloſi anxiè petentis abſolutionem, cùm tamen indiſpoſitus ſit, poteſt verba abſolutionis ſine intentione proferre. Et licet ſacerdoti miniſtrare hoſtiam non conſecratam pro conſecrata mulieri, quam cogit maritus ad communicandum, quæ ſine jactura famæ non poteſt communionem omittere, Jo. Sanc. in *ſelect. diſp.35. num.6.* Ludovic. de S. Jo. in *Sum. tom.1. quæſt. 7. de Euchar. art. 8. differ.* 3.

336 Libet etiam hìc referre aſſertiones periculoſas plurimorum recentiorum in materia Theologiæ moralis, quas Parochi Urbis Pariſienſis, & Rothomagenſis, ut mihi relatum fuit, univerſo Clero Gallicano authoritate Superiorum damnandas propoſuerunt, excerptas ex eorum libello ſupplici oblato in Novembri 1656. Cùm perſpicuè D. Thomas ſentiat *quodlib.3. art.10. & quodlib. 8. art.13.* opiniones Doctorum minimè impedire, quominùs quis reus fiat, dum agit contra legem Dei. Contrà aſſerunt hi recentiores, opinionem aliquam probabilem eſſe, cùm ab uno ſolo Doctore gravi ſuſtinetur; & à peccato immunem eſſe, qui relicta opinione, quam veram credit, & quæ magis tuta, contrariam ſequitur minùs probabilem, minùſque ſecuram, Filiuc. *moral. quæſt. tract.21. cap.4. num.*128. Tannerus *Theol. ſchol. tom. 2. diſp.2. quæſt.6. dub.* 3. Sanch. in *Sum. lib.1. cap.9. n.*7. Layman *Theol. moral. lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 2. num. 6.*

Opiniones probabiles efficere, ut quod olim peccatum erat, modò ampliùs non ſit. Vide Caramuel. *Epiſt. ad Antonin. Dianam.* Poſſe Caſuiſtas reſpondere juxta opiniones non ſuas, tametſi eas falſas credant, ut ſuis conſultoribus faveant, atque adeò eoſdem reſpondere poſſe juxta ſententiam unam, atque oppoſitam, Laym. *Theol. mor. lib. 1. tract.1. c.5. §.2. num.*7. Eſcobar *Theol. moral. tract.1. cap.3. num.* 24. Conditiones ad actum peccandi tot, atque tantas ab iis requiri, ut innumera crimina excuſari poſſint, Baunii *Sum. peccat. cap. 39. p. 906. edit.* 6.

Enervare eoſdem Eccleſiæ Canones in molliſſima punitione criminum quantumvis atrocium, Eſcobar *Theol. moral. tract. 1. exemp. 8. cap.* 3.

Poſſe quempiam occidi, ut ejus impediatur alapa, aut percuſſio fuſtis, Azor. *Inſtit. moral. art.3. lib. 2. p.* 105. Filliuc. *tom.2. tract.29. cap.3. n.*50. Leſſius *de juſt. & jur. lib.2. c.9. d.12. n.*77. Eſcobar *Theol. mor. tract. 1. exemp. 7. cap.*3. Becanus *Summ. par. 3. tom. 2. cap. 69. de homicid. quæſt.* 8. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

Etiam Eccleſiaſtico, uti & Religioſo, licere ſententia, ac virtute partum honorem tueri, hominem perimendo, qui contumeliis, atque calumniis illum appeteret, Amicus *tom. 5. diſp. 36. num.* 118.

Doctrinam hanc Amici, quæ dat facultatem Religioſo hominem perimendi, qui calumniam illi comminatur, à Caramuel propugnari tanquam omnium communem, cujus contraria neque ſit probabilis, *Theol. fundamental. fundamen. 55. §. 6. pag.* 544.

Jure ambigi poſſe, ſi Religioſo mulierem à ſe turpiter cognitam occidere haud liceat, quando factum vulgat, Caramuel *ibid. §. 7. pag.* 551.

Sicut haud eſt nefas tueri honorem contra invadentem, falſum crimen illi impingendo, & fas eſſe illum occidendo, Caramuel *Theol. fundamental. fundam.55. §. 6. pag.*550.

Licitum eſſe juxta quoſdam (ſpeculativè) aut juxta alios etiam (practicè) ſauciare, ac interimere, qui colaphum impegerit, tametſi aufugiat, Leſſius *de juſt. & jur. lib.2. c.9. dub.12. num.*79. Reginaldus *in praxi lib.21. num.*62. Filliuc. *tract.29. cap.3. n.*5. Layman *lib.3. tract.3. par.3. tom.3. n.*3. Eſcobar *Theol. moral. tract.1. exemp.7. c.* 3. *Praxis*, Caramuel *Theol. fundamental. fundam. 55. §. 8. pag.* 551.

Falſum accuſatorem, atque adeò teſtes, & judicem licere occidere, quando aliter oppreſſio innocentis impediri nequit, Tannerus *tom.3. diſp.4. qu.8. d.4. num.*83. Sanchez *oper. moral. in Decal. lib.2. cap. 39. num.* 7.

Procurare abortum licere ante animationem fœtus, ut conſulatur vitæ, & honori puellæ, Ægidius Trullench in *Decal. tom.3. lib.5. c.1. dub.4. num.*1. Et quidam Theologus apud Dianam *par.6. tract.8. reſol.* 37.

Jure poſſe occidi, qui dicit, Mentiris, aut injurias profert, Eſcobar *Theol. moral. tract. 1. exemp. 7. c.* 3. Reginaldus *lib. 21. c. 5. num.* 60.

Poſſe quoque occidi, qui bona noſtra eripit, etiam fugientem, dummodò pretioſum quid auferat, Leſſius *de juſt. & jur. lib. 2. c. 9. d. 11. num. 66. &* 72. Eſcobar *Theol. moral. tract. 1. exempt. 7. c.* 3.

Quibuſdam caſibus permitti acceptationem duelli, Eſcobar *Theol. moral. tract. 1. exempl. 7. c.* 3. Layman *lib.3. tract.3. par.3. c. 3. n. 2. &* 3. Hurtado de Mendoza in 2. 2. *diſp.* 170. *ſect.9. §.82.* apud Dianam *par.5. tract. 19. Miſcell. 2. reſol.* 99. Simoniam non eſſe, dare, aut recipere bonum temporale pro ſpirituali, quando datur ut motivum, & non quaſi pretium, Greg. de Valent. *diſp.6. qu.16. punct. 3. pag.* 2039. *& ſeq.* Eſcobar *Theol. moral. tract. 6. exemp. 2. c. 6. nu.* 40. Milhardas in *Manuductione Curatorum c. 63. inſt. 1. n.2.*

Item ſimoniam non eſſe, Beneficium acquirere promittendo pecuniam, quando intentio numerandi deeſt, Eſcobar *Theol. moral. tract.6. exemp.2. c.2. num.*19.

Divinatorem teneri ad reſtituendam rem acceptam pro divinatione, ſi ſolùm conſuluit aſtra; ſi dæmonem, non item, Sanchez *Sum. Caſuum l.2. c.38. num.* 96.

Neminem teneri, aut jure naturæ, aut legum, reſtituere acceptum pro proferenda ſententia injuſta, aut aſſaſſinatu committendo, vel adulterio; verùm licitè illud retinere, Leſſius *de juſt. lib.2. c.19. dub.8. num.*52.

Lata janua aperta furtis domeſticis per Baunii *Sum. peccat. p. 213. & 219. edit.* 6.

Reſtituenda non eſſe damna, quæ tertius fecit nobis authoribus, Baunii *Sum. peccat. p. 307. edit.* 6.

Sub pœna peccati mortalis obligationem non eſſe ad reſtituendam totalem ſummam per minutiora plurima furta acquiſitam, Baunii *Sum. peccat. p. 220. edit.*6.

Uſura palliata ab iſtis Caſuiſtis ſub nomine Majoris, cui perperam imponunt, Baunii *Summ. peccat. p. 33. & ſeq. edit.* 6.

Invidiam non eſſe peccatum mortale ob proximi bonum temporale conceptam, Baunii *Sum. peccat. p. 123. edit.* 6.

Quòd ſacerdos pecunia accepta pro Sacrificio Miſſæ celebrando, aliam poſſit recipere pro Sacrificii parte ad ipſum ſpectante, Eſcobar *Theol. moral. tract. 1. exam. 11. c.* 9.

Miſſam ritè audiri, dum quatuor ejuſdem partes eodem tempore audiuntur, Eſcobar *Theol. moral. tract. 1. exam. 11. c.9. p.146. edit. Lugdunen.*1644. Baunii *Theol. moral. p. 1. tract.6. de præcepto audiendæ Miſſæ qu. 9. p.* 312.

Obligationes jejunandi relaxat Eſcobar *Theol. moral. tract. 1. exam. 13. c. 3.*

Curam Confeſſarii de judicando ſtatu pœnitentis huc

demum reduci, ſi petenti, num doleat de peccatis cum propoſito non ampliùs ea perpetrandi, id verbulo affirmet, eique Confeſſarium credere oportere, Filliuc. *moral. qu. tom.* 1. *tract.* 7. *n.* 359. Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 32. *ſect.* 2. *n.* 2.

Quòd pœnitens, tametſi interrogatus a Confeſſario, non ſit obligatus ei confiteri, peccatum, de quo ſe accuſat conſuetudinis eſſe, ſeu in quod frequentiùs labatur, Baunii *Theol. moral. par.* 1. *tract.* 4. *de pœn. qu.* 15. *par.* 137.

Tametſi occaſio proxima peccandi dicenda ſit, quæ per ſe ad peccatum ducit, & in qua homo conſtitutus nunquam, aut ferè nunquam immunis eſt à lapſu; poſſe nihilominùs in ea manere, imò ſeſe ultrò in hanc conjicere ob ſpirituale, aut temporale ſuum, aut proximi bonum, Baunii *Theol. moral. par.* 1. *tract.* 4. *de pœn. q.* 1. *p.* 93. *&* 94.

Concubinarium haud teneri pellere domo concubinam, verùm ſolùm polliceri ſe non deinceps cum ea peccaturum, quando ea relicta triſtiùs vitam tranſigeret, Sancius *in Select. diſp.* 10. *n.* 20. apud Dian. 5. *part. tract.* 19. *reſol.* 108.

Quòd ratio damni temporalis facit, ut abſolvi queat conſtitutus in proxima occaſione peccandi, tametſi eam non relinquat, Baunii *Theol. moral. par.* 1. *tract.* 9. *de pœn. qu.* 19. *par.* 94.

Abſolvendos eſſe, qui ſunt in proxima occaſione peccandi, tametſi inceſtus, abſque obligatione, ut ſeſe ſejungant, quando horum lapſus frequentes non ſunt, aut ferè quotidiani, ſed ſolùm quoto menſe ſemel, atque iterùm. Imò abſolvendum toties quoties filium familias, qui domum paternam deſerere nequit, aut pellere ancillam è domo, qua ſæpè abutitur, etiamſi ſpes nulla effulgeat à peccato eum abſtenturum, quamvis promittentem, Baunii *Sum. peccat. cap.* 46. *p.* 1084. *edit.* 6.

Toties quoties item abſolvendos eſſe juniores, qui ſeſe polluunt, atque reincidunt ſemper in eadem mortalia peccata, etiamſi non conantes ab his abſtinere, Baunii *Theol. moral. par.* 1. *tract.* 4. *de pœn. qu.* 15. *p.* 96.

Neque denegandam, neque differendam abſolutionem eſſe iis, qui ſolent ex habitu mortaliter peccare contra legem Dei, naturæ, & Eccleſiæ, tametſi nulla ſpes appareat horum emendationis, Baunii *Theol. moral. par.* 1. *tract.* 4. *de pœnit. qu.* 22. *p.* 109.

Quòd dolor de peccato admiſſo conceptus ratione mali temporalis, quod propterea incurſum ſit ob jacturam factam ſanitatis, aut pecuniæ, ſufficiat ad recipiendam gratiam abſolutionis, modò in animum inducat hoc malum à Deo immiſſum fuiſſe, Eſcobar *par.* 1. *tract.* 7. *exam.* 9. *n.* 9. Amicus *tom.* 8. *diſp.* 3. *num.* 13.

Homines non obligari præcepto Charitatis unicum amoris Dei actum elicere, aut aliquod præceptum obſervare motivo ejuſdem amoris, quòdque non tam injunctum ſit Deum diligere, quàm hunc non odiſſe, Anton. Sirmond. in *defenſ. vir. tract.* 2.

337 Quadrageſimumprimum fundamentum ſumitur ex Epiſtola typis excuſa Archiepiſcopi Mechlinienſis ad Eminentiſſ. Cardinales Inquiſitionis Romanæ Præfectos, cujus tenor talis eſt.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Patres ac Domini.

Sacræ Veſtræ Congregationis litteras die 18. *Aprilis ſignatas, ſequentis Maji die* 21. *recepi, quibus indicat ſe precibus N. inclinatam, cenſuiſſe injungendum mihi, ut Presbyteris....alioquin examinatis & approbatis, licentias audiendi Confeſſiones perſonarum ſæcularium concedere non prætermittam; niſi forſan aliquid in hoc ſubſit, quod animam meam contriſtet, juſtaſque cauſas intra trimeſtre coram ipſa Sacr. Congregat. allegandas, hujuſmodi licentias denegandi habeam: futurum alioquin, ut alteri Epiſcopo facultas demandetur eoſdem examinandi, atque approbandi, ſi intra præfixum ſpatium congruas denegationis meæ rationes proferre neglexero. Hoc eſt, Eminentiſſimi Patres, quod urgente extrema ſenecta mea ad dandam ſupremo Judici totius villicationis meæ rationem, ſupra quàm dici poteſt animum meum contriſtat, quod non tantum mundum in maligno eſſe poſitum, ſed quotidiè videam in pejus & pejus refrigeſcente charitate declinare. Hujus miſerandæ declinationis cauſa (ut partim experientia propria obſervavi, partim ex judicio & relatu virorum, qui mihi ab integritate morum, zelo animarum, doctrina & rerum uſu probati ſunt, ſæpius cognovi) prima & potiſſima eſt hodierna multorum Confeſſariorum indulgentia, quæ nimis laxant habenas peccatoribus, fidentes quibuſdam noviter inventis opinionibus quorundam Theologorum, quorum ſtudium non tendit ad ſectandam Euangelicam veritatem, & traditam nobis à Sanctis Patribus vitæ normam; ſed ad excuſandas excuſationes in peccatis, & eorum turpitudinem pallio probabilitatis obvelandam. De quibus Propheta Ezechiel:* Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. *In ejuſmodi* 338
pernicioſis exceſſibus eò uſque proceſſum eſt, ut ſi quis omnia inſolentia paradoxa ex quorundam libris & praxi excerpere velit, quibus hodie Eccleſiæ præcepta de obſervandis jejuniis, feſtis, lectione Horarum Canonicarum eluduntur, ſimoniæ, privatæ vindictæ, mendacia, perjuria palliantur, obligatio vitandi occaſiones peccatorum extenuatur, Sacramentorum valor & effectus evidenti periculo nullitatis exponũtur, non epiſtola una, ſed liber integer conſcribendus foret. Cùm autem laxæ regulæ, quæ depravatis hominum affectibus allubeſcunt, facilè eorum judicio probentur, vel ſibi hoc ſucceſſu earum authores utilem Eccleſiæ operam præſtitiſſe, & auſi petulanter gloriari, ſe probabilitatũ rotis quotidie cœli viam ampliare, hoc eſt, ſe terminos arctæ viæ, quæ ducit ad vitam, ſemel à prima, & inflexibili veritate fixos, denuè propriis ſuis adinventionibus refigere. Dum adverſus adulterinam hanc Theologiam ſolidioris doctrinæ, Chriſtianæque diſciplinæ cultorum querelas audivi, & non ceſſant hæretici nobis vicini improperare Eccleſiæ noſtræ Catholicæ, talia à quibuſdam ejus Doctoribus circa mores tradi, qualia nec inter gentes audiuntur, laxiores & pericuſioſiores articulos, quorum copia hiſce jungitur, partim ex libris publicè editis, partim ex obſervatione praxis quorumdam mihi fideliter relata, colligi curavi, deſuperque eruditorum meæ diœceſeos tum ſæcularium, tum regularium judicium & cenſuram exquiſivi. Quibus viſis & expenſis conatus ſum mollioribus remediis huic malo occurrere per me, & examinatores meos, monendo admittendos ad excipiendum Confeſſiones, ut ſibi à laxiori doctrina caverent; ſubindè quoque erudito aliquo ſcripto curavi unum, vel plures ex hujuſmodi articulis refutari. Sed cùm obſervaverim, hanc cautelam nequaquam ſufficere, & acrioribus remediis opus eſſe, propoſui non admittere vel ſæculares, vel regulares ad munus Confeſſarii, niſi promitterent etiam juramento, quòd à dictorum articulorum praxi ſibi caverent. Contigit ſub hoc tempus, hoc eſt, anno 1652. *die* 28. *Aprilis ſeſe præſentare examini plures Regulares....judicavi me opportunè tunc poſſe exequi, quod animo conceperam, & ſiquidem inchoando à dictis Religioſis: tum quia exiſtimabam, quòd dum illi ad dictam promiſſionem præſtandam & obſervandam eſſent voluntarii, aliorum quoque Ordinum Religioſi non eſſent refractarii: tum quia ipſi laxioribus doctrinis inveniendis & practicandis præ cæteris eſse addictos, certis experimentis didici: è quorum multis unum obſervatum eſt in examine anno, & die ſupradictis coram Examinatoribus à me deputatis inſtituto; in illo enim dicti Religioſi ex propoſito circa articulos pericuſoſos examinati, multos ex illis mordicùs ſuſtinuerunt, nominatim illum, quem etiam aliundè mihi conſtat ab iiſdem Religioſis fuiſſe practicatum, quòd liceat Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ feſtivitatis, aut indulgentiæ. Quo ſemel admiſſo, paſſim confeſſiones non integræ erunt, cùm dicti Religioſi ad ſua Tẽpla trahant magnam populi frequentiam, & inſuper graves peccatores metu explicandi graviora ſua crimina, avidè arrepturi ſint opportunitatem obtinendi abſolutionem, præmiſſa tantum explicatione unius, alteriuſve levioris delicti. Hinc ſeptem ex dictis Religioſis, qui cæteroquin ſpecimen ſufficientis doctrinæ dederant, diſtuli admittere ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, donec cum juramento promitterent, quòd non conformarent ſe præfatis articulis in dirigẽdis conſcientiis. Quia verò prævidebam fore, quòd juramentum non præſtarent ſine Superiorum ſuorum aſſenſu, hinc dictam copiam articulorum illis tradidi, ut Superioribus ſuis exhiberent, promiſeruntque ſe illis exhibituros. Sed nullum hactenus reſponſum vel illi, vel Superiores eorum mihi dederunt, niſi quòd ab uno ex .... quem indicabam eſſe* 339
Profeſſorem in eorum .... Lovanienſi, mihi dictum ſit aliquos

qui-

quidem ex dictis articulis editos eſſe à ..... in Francia : ſed Belgas ad ea non attendere. Ad quod replicabam, quod cum non ſolerent permitti impreſſiones librorum..... niſi poſtquam à tribus Theologis per Provincialem deputatis approbati eſſent, nemini dubium eſſe poſſet, quin omnes de ..... haberent pro probabili id, quod tot Theologis cum Authore libri viſum fuiſſet, imprimi poſſe. Quibus omnibus conſideratis, hucuſque non potui comprehendere, cur per exactionem dictæ promiſſionis dicti Religioſi ſibi per me aliquod gravamen inferri exiſtimarent. Quod ſi prætenſa ſua gravamina allegaſſent, ea maturè expendiſſem; & ſi juſtas aliquas querelas propoſuiſſent, nequaquam inhærere propoſito meo voluiſſem; non enim mihi mens fuit quidquam iniquo animo adverſus illos ſtatuere, ſeu ruinam ſalutis ovium mihi commiſſarum ab invaleſcente hodie laxitate quorundam Confeſſariorum, quam præſertim à ....verebar, avertere. Quia verò ſuſpicari non potui, alio ipſos prætextu ad ſubterfugiendum uti, quàm quia fortè inter cenſuratos articulos aliqui ſunt, quos forſan exiſtimant benigna interpretatione ſe poſſe in meliorem partem trahere, vel plauſibilibus argumentis ita ſtabilire, ut non videantur tam acrem cenſuram mereri; ne multas intricatas diſputationes ſine ſpe utilitatis cogerer ingredi, eoſdem articulos tranſmiſi facultati Theologicæ Academiæ Lovanienſis maturius expendendos, ut tantummodo excerptis inde aſſertionibus, quæ planè evidentis ſunt abſurditatis, digna eos cenſura perſtringeret : & ſi quas alias paris abſurditatis vel ex libris, vel ex praxi Confeſſariorum comperiſſet, illis excerptis adjiceret; prout factum eſt partim 30. Martii, partim 26. Aprilis 1653. dum aſſertiones numero 17. judicavit in praxi non tolerandas, & authoritate Superiorum meritò prohibendas, ut ex adjuncta copia videri poteſt. Ut igitur, Eminentiſſimi Domini, mandato veſtro in omnibus paream, quantum poſſum, & interim in eliminandis pernicioſis doctrinis, id quod Epiſcopalis eſt muneris non prætermittam, paratus ero Religioſos prædictos, quando nihil obſtabit aliundè, ad excipiendum confeſſiones admittere, dummodo cum juramento debitæ auctoritati promittant, quod ſaltem iſtis 17. aſſertionibus, quas ſimiliter aliis tam ſæcularibus, quam Regularibus proponam, nunquam in praxi ſe conformabunt : quod confido Eminentias Veſtras æquiſſimum judicaturas. Duo inſuper ſunt, de quibus Eminentias Veſtras hac occaſione certiores reddere volui : nimirum, quod à Regularibus non obſervetur Decretum Sacræ Congregationis negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præfectæ de die 15. Junii anni 1647. quo declaratur Regularibus non competere licentiam abſolvendi à caſibus Ordinario loci reſervatis, aut impoſterum reſervandis; proindè non poſſe illa facultate uti ſine licentia ab Ordinario obtenta : tametſi dictum Decretum curaverim tertia menſis Octobris 1647. omnium Ordinum Regularium Superioribus inſinuari. Nam unus tantum Regularis ex Ordine S. Auguſtini facultatem illam à me petiit, cui etiam tanquam viro cordato & timorato eandem conceſſi. Cæteri prætendunt neſcio quæ privilegia, aut privilegiorum communicationes, inſuper decreti nullitatem, quia ipſis inauditis emanarit. Alii dicunt illud tantùm eſſe declaratorium, proindeque non valere adverſus ſua privilegia, quæ non ceſſant ſine Decreto, ut ajunt, abrogatorio. Quin etiam aliqui ſunt tam temerarii, ut audeant dicere, ne quidem Sanctiſſimum Dominum ipſorum privilegia revocare, aut limitare poſſe, cùm ſint eis conceſſa ob ſua merita. Alterum eſt, quod Regulares plurimi in ea Diœceſi confeſſiones excipiunt, etſi nec à me, nec à prædeceſſoribus meis approbati ſint, prætendentes ſatis eſſe, quòd approbati ſint ab alterius Diœceſis Epiſcopo. Ideoque nuper mandavi, ut ex copia mandati adjuncta patet, omnibus Regularibus, ut nomina, & tempus approbationis à me, aut prædeceſſoribus meis data exhiberent : quod à pleriſque factum eſt, & deprehenſum quoque multos ſe intruſiſſe in munus Confeſſarii in mea Diœceſi ſine dicta approbatione. Sed quod non ſatis mirari potui, ubi mandatum illud venit ad notitiã Abbatis S. Angeli in Belgio Suæ Sanctitatis Internuntii, voluit, & mihi inſinuari curavit, ut dictum mandatum revocarem : cùm tamen, præterquàm quòd antiquitùs id obſervatum ſit, & in Synodo provinciali Mechlinienſi à Summo Pontifice Paulo V. confirmata, pro regula conſtitutum ſit tit. 5. cap. I. de Sacramento pœnitentiæ, verbis comprehenſis articulo hìc juncto, etiam Sanctiſſimus Dominus noſter nuper ſuo Brevi expedito anno Domini 1648. 14. Maji, in cauſa Epiſcopi Angelopolitani idipſum voluerit obſervari, decernens Regulares etiam Societatis Jeſu in una Diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam poſſe in alia diœceſi hujuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi diœceſani, prout Eminentiis Veſtris ſcio eſſe notorium. Hæc ſunt, Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Patres, ac Domini, quæ pro diſciplinæ eccleſiaſticæ bono, S. Congregationi Veſtræ ſignificare volui, confidens pio ejus zelo, & vigilantia, quod non gravabitur mihi adhuc alios efficaciores modos, & media præſcribere, quibus ejuſmodi non negligendis abuſibus obviare poſſim, & cum omni ſubmiſſione venerando purpuras veſtras, maneo

Em. Dominationibus Veſtris

Bruxelles 17. *Julii* 1654.

Humillimus famulus

Jacobus Archiepiſcopus Mechlinienſis.

Subſequuntur ſeptendecim aſſertiones non tolerandæ in praxi, & authoritate Superiorum meritò prohibendæ.

1. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis futuræ ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.

2. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ſe ingerit.

3. Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium. Et mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; adeòque ſufficit in primo caſu dicere in confeſſione, ſe eſſe fornicatum; & in ſecundo, ſe procuraſſe pollutionem.

4. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut indulgentiæ.

5. Licitum eſt tam in judicio, quàm extra judicium jurare cum reſtrictione mentali, non habito reſpectu ad intentionem ejus, qui petit juramentum.

6. Licet aliquando interficere adverſarium, aut illum infamare, (etiam imponendo illi falſa crimina) ſine peccato mortali.

7. Licet Clerico, vel Religioſo calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione minantem, occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus ea vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, ac coram graviſſimis viris impingere, niſi occidatur.

8. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

9. Quidam putant probabiliter, nondum animato fœtu licere abortum ad vitandum ſcandalum aut mortem procurare. Ex quo apparet, non condemnandam facilè puellam abortum facientem, cùm nondum eſt animatus fœtus, ne, deprehenſa gravida, occidatur, aut infametur.

10. A parato maleficium maleficio ſolvere licet idipſum petere.

11. Qui apud Mendicantes communicant intra dies Paſchales, ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ de communione annua, nec tenentur illi in ſua Parochia communicare.

12. Peccata in confeſſione omiſſa ob inſtans periculum vitæ, aut aliam cauſam, non tenemur poſteà in confeſſione exprimere.

13. Non ſolùm licitum eſt defendere (defenſione occiſiva) quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus : quare licitum eſt tam hæredi, quàm legatario, contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam, contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

14. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt

tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

15. Ad defendendum honorem ſuum acceptare duellum, & occidere provocantem, non eſt mortale peccatum.

16. Non tenetur quis ſub pœna mortalis peccati reſtituere quod ablatum eſt per parva furta, quantacumque ſit ſumma totalis.

17. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam quoque culpabilem neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Supraſcriptas aſſertiones numero ſeptendecim, ſacra facultas Theologica in ſtudio generali oppidi Lovanienſis congregata in Curia Academica 30. Martii, & 26. Aprilis 1653. judicavit, & reſolvit in praxi non tolerandas, & Superiorum authoritate meritò prohibendas.

His addimus aliam conſimilem epiſtolam Epiſcopi Gandavenſis ad facultatem Theologiæ Lovanienſem tenoris infraſcripti, videlicet:

Admodum Reverendi, ac eximii Domini.

Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Mechlinienſis nuper defunctus piæ, & recolendæ memoriæ, pro ſingulari ſua erga gregem ſibi commiſſum vigilantia, & ſolicitudine, miſerat ante annos aliquot ſacræ veſtræ Facultati nonnullas propoſitiones morales admodum laxas, & pernicioſas examinandas, ac cenſurandas, ut ſi ita judicium ferret, earundem praxim in diœceſi ſua prohiberet, & animarum Rectoribus, ac Confeſſariis expreſsè mandaret, ne ullo pacto eas ſequerentur, admitterent, aut docerent: quod & juxta cenſuram veſtram præſtitit, ac facti ſui rationem Sacræ Congregationi Cardinalium S. Conc. Trident. Interpretum aperuit; dictaſque propoſitiones, ut præfertur, cenſuratas tranſmiſit, ut authoritate ſua ſuperiori pium illud incœptum promovere dignarentur. Eminentiſſimi Patres zelum atque prudentiam ipſius, ut accepimus, ſummoperè laudarunt, literis ad ipſum datis Romæ 14. Novembris 1654. & renuntiarunt dictas propoſitiones à ſe remiſſas ad S. Congregationem generalis Inquiſitionis examinandas, & qualificandas, ut eo peracto opportunè tanto malo proſpiceretur. Remedium illud Chriſtianæ Religioni, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ perneceſſarium hactenus expectatum eſt, nondum tamen obtentum. Intereà experimur ſummo animi nôſtri, & proborum omnium dolore nimiam illam quorundam recentiorum licentiam in excogitandis vanis, & inutilibus quæſtionibus, quæ proficiunt potiùs ad impietatem, & ſerpunt ut cancer, ſtabiliendiſque novis opinionibus, & commentis, continuè augeri, & invaleſcere; probabilitates, quibus ſolis innititur, magis, magiſque recipi, & confirmari, Eccleſiaſticam diſciplinam paulatim peſſundari, dogmata Euangelica negligi, mores perverti, virtutes ſperni, vitia ſpecioſis prætextibus obvolvi, & à corrupta natura paſſim magnis amplexibus arripi, ac ſenſim omnem ſolidæ, & ſinceræ pietatis normam à fidelium cordibus exulare: quibus enim modis, & Authoribus, quæ vix fermè jam ſunt probabilia, iiſdem fiunt & licita; mendacia, fraudes, perjuria, calumniæ, homicidia, uſuræ, furta, ſimoniæ, & ſi quid nefandi ipſa quoque natura abhorret, nonniſi à rudibus, & idiotis modò perpetrari videntur. Acutiores vero, & ſagaciores illi rerum inſpectores tot circumſtantiis, ſuppoſitionibus, modis, conditionibus, involucris iſta vitia norunt obducere, & fucata malitia in virtutes quodammodo transformare, ut non ſolùm hominibus, ſed ipſimet Deo facilè imponerent, ſi poſſent. Imò verò principiis ipſorum inhærendo leges omnes, & jura tam poſitiva, quàm naturalia probabilitatibus tandem cedere debebunt: docent enim nonnulli authoritatem unius Doctoris probi, & docti reddere opinionem probabilem; & hanc unicuique licitum eſſe, etiam reluctante conſcientia, ſequi: cui præmiſſæ ſi ſubſumantur aliæ duæ ſequentes opiniones, quòd nempè Confeſſarius teneatur ſub peccato mortali abſolvere eum, qui juxta probabilem ſententiam operatus eſt, quamvis à parte rei ſit falſa, & talis à Confeſſario judicetur, neque Judex ſæcularis poſſit talem illæſa conſcientia punire: quid quæſo inde ſequetur, niſi graviſſimorum etiam criminum reos, modò doceant ſe unius Doctoris probi, & docti opinionem ſecutos, ab omni lege, & pœna tam in foro poli, quàm in foro fori immunes eſſe, & liberos? Et hæc quidem fuſiùs fortaſſis, quam neceſſe erat, apud eximias DD. Veſtras depoſuimus, ut doloris noſtri, & ſcriptionis unius cauſas cognoſcant: quæ animum noſtrum eo penitiùs feriunt, quòd intelligamus laxas, & pernicioſas hujuſmodi opiniones non modò nimis liberè per diœceſim noſtram diſſeminari, & practicari, verùm etiam quandoque pro concione plebi, non ſine prudentiorum, & cordatorum ſcandalo, publicè tradi, doceri, & inculcari. Quid autem in privatis colloquiis, & præſertim ſacris confeſſionibus agatur, ſupremus animorum ſcrutator, & arbiter noſcit, pravos ſaltem effectus, & conſcientiarum corruptelas Confeſſarii plurimi, aliique viri probi quotidiè experiuntur, ac deplorant. Urget interim ſubditarum ovium cura à ſupremo Paſtore Chriſto Domino nobis commiſſa, premit officii debitum, & inſtat reddenda miniſterii ratio, ut pro viribus noſtris opportunum quantocitiùs remedium adferamus; à nobis enim illam exiget, non ab illis, ad quos non pertinet de ovibus: ſed ſi ſpeculator, id eſt, Epiſcopus, viderit gladium etiam perverſæ doctrinæ venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram, inquit Dominus apud Prophetam ſuum Ezechielem. Neque enim ſolummodò conqueritur paulò inferiùs, quòd Paſtorum incuria, & deſidia greges facti ſint in rapinam luporum, ſeu hæreticorum, verùm etiam quòd oves factæ ſint in devorationem omnium beſtiarum agri, quæ licèt apertè non invadant, aut rapiant, occultè tamen inficiunt, & devorant gregem. Ac per eas non incongruè intelligi poſſent pernicioſarum iſtarum opinionum magiſtri, qui ſpeculationibus ſuis non niſi terrena, & carni allubentia ſapere videntur, animos autem ad cœleſtia, & verè Chriſtiana non dirigunt; & cùm puriſſimam aquam biberint, reliquam pedibus ſuis turbant, & ovibus præbent bibendam, quod omnes hæretici faciunt, inquit S. Hieronymus in hunc locum, ut carpant eloquia ſcripturarum, & quantum in ſe eſt, maculent. Sed & Eccleſiaſtici viri, qui dogmatum non cuſtodiunt veritatem, ſed de ſuo corde confingunt, magiſtramque habent præſumptionem ſuam, ſimili errore tenentur, qui cùm populo perſuaſerint vera eſſe quæ fingunt, & in theatralem modum plauſus concitaverint, & clamores, immemores fiunt imperitiæ ſuæ, & adducto ſupercilio, libratiſque ſermonibus, atque trutinatis, magiſtrorum ſibi aſſumunt authoritatem. Ut itaque conſcientiæ meæ, & officio hac in re ſatisfaciam, præter antedictas propoſitiones nuper 30. Maji, & 26. Aprilis 1653. à veſtra facultate cenſuratas, nonnullas alias hiſce injungo ad me delatas, atque judicio meo, & virorum doctorum ſæcularium, & regularium, quos ſuper iis conſului, pernicioſas; eaſque, ne temerè, aut leviter in re tanti momenti procedam, ad eximias DD. Veſtras tranſmitto, & unicè rogo, ut dignentur pro ſingulari ſuo in Religionem, & veritatem Catholicam zelo jam toties comprobato dictas propoſitiones, prout hic jacent expreſſæ, maturè perpendere, & examinare: & quas in praxi pernicioſas, aut non tolerandas judicaverint, cenſura ſua ſingulis vel junctim appoſita notare, ut ego deindè, quod muneris mei fuerit, ſtatuam, & eaſdem ad Sanctam Sedem tranſmittam, opemque denuò pro univerſali remedio implorem, ſi eximiis DD. Veſtris operæ pretium aut neceſſe videatur, ſuper quo earum judicium gratum quoque erit intelligere, & non ſolùm mihi, ſed & fidelibus univerſis ſingulare beneficium præſtabunt. Deus ſacrum veſtrum cœtum Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ diutiſſimè ſervet, quod animitùs vovet, & precatur. Inferiùs habebatur: *Admodum Reverendarum, & eximiarum DD. Veſtrarum humilis ſervus,* ſignabat *Antonius Epiſcopus Gandavenſis. Gandavo 9. Aprilis 1657.*

Reſponſum ſacræ Facultatis Theologicæ Lovanienſis ad prædictas litteras.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine.

QUandoquidem Illuſtriſſimæ gratiæ veſtræ pro pio, & ſancto illo zelo, quo gregi ſibi commiſſo diu, noctuque ſollicitè (uti Præſul, & Paſtor bonus) invigilat, noſtrum judicium expoſcere placuerit ſuper ſuſpectis quibuſdã, quæ in diœceſi ſua invehi incipiunt, dogmatibus: nolentes

vel officio noſtro, vel obſervantiæ, quam Ill. G. V. debemus, deeſſe, eadem iſta dogmata attentè, & iteratis ſæpe vicibus, tam collegialiter, quàm ſeorſim ante pro materiæ gravitate perpendimus, & examinavimus; ac deprehendimus (uti ſchedæ hiſce junctæ indicabunt) quod tantoperè ab orthodoxis Doctrinæ Chriſtianæ principiis exorbitent, tamque latam portam varii generis vitiis aperiant, ut omnes in ea unanimiter ſimus ſententia, Præſulum Eccleſiæ eſſe illa tanquam ſalutari Chriſti doctrinæ diſſentanea profligare, & à Diœceſibus ſuis omni convenientiori, quo id expedire judicaverint, modo eliminare; recurrendo etiam in iſtum finem ad Sanctam Sedem, eique ſupplicando, ut & ipſa manum ſalutarem huic tam pernicioſo utrique Reipublicæ malo adhibere dignetur. Neque enim dubitare de ea poſſumus, quin viſa enormitate, poteſtate ſibi à Domino in ædificationem conceſſa, uſura ſit, & ne illud peſtilenti ſuo afflatu latiùs in Eccleſia, pretioſo Chriſti ſanguine redempta, proſerpat, efficaciter præpeditura. Intereà preces noſtras apud D. D. M. enixè interponemus, ut Ill. S. G. in adulto hoc ſenio renovari faciat ut aquilæ juventutem ſuam, eamque Eccleſiæ & nobis multis adhuc annis ſoſpitem conſervet, & incolumem. Infra habebatur: *Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Gratiæ Veſtræ ad omne obſequium devotiſſimi famuli, Decanus, & Facultas S. Theolog. in Acad. Lovan.* Signabat *Gerardus Vanuerm pro tempore Decanus, ſuo & totius S. Facultatis nomine. Lovanii 5. Maji* 1657.

Aſſertiones quædam doctrinæ moralis per Facultatem Theologicam Lovanienſem ad requiſitionem Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Gandavenſis examinatæ, & ſuis ſigillatim cenſuris perſtrictæ, die 4. Maji anni 1657.

Aſſertio I.

Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, aut temporali, noſtro, vel proximi.

Cenſura.

Falſa, temeraria, pernicioſa, atque ab auditu fidelium procul arcenda aſſertio.

II.

Nemo tenetur occaſionem proximam peccati vitare cum magno ſuo detrimento; unde nec concubinarius tenebitur dimittere concubinam, quæ ipſi nimis utilis eſt ad lucrandum bona temporalia media negotiatione, vel etiam ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*, dum deficiente illa, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur.

Cenſura.

Præcedenti aſſertioni conſectaria, & ſimilibus notis inurenda aſſertio, continens prætereà corollarium, uti Epicureorum placitis conſonum, ita Chriſtianorum regulis, quibus manum, pedem, & oculum quoque dextrum ſcandalizantem abſcindere, atque à nobis abjicere præcipimur adverſum.

III.

Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat; & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

Cenſura.

Ne umbram quidem præfert probabilitatis, ſed cumulum complet temeritatis, ſpatioſam calumniatoribus, & impoſtoribus portam aperiens.

IV.

Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui fuſtem vel alapam nititur impingere, vel calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque licet, quamvis poſt illatam fugiat.

Cenſura.

Prior pars ſub indiſcreta ſua generalitate nefariam, & humanæ vitæ injurioſam continet doctrinam. Poſterior quoque non tam juſtam violentiæ repulſionem, quàm privatæ vindictæ executionem ſpirat.

V.

Licitum eſt occidere calumnioſum actorem, teſtes, & injuſtum Judicem, ad ſervandam vitam, honorem, & res familiares.

Cenſura.

Abominanda, execrandaque aſſertio, aſſaſſinatibus, ſicariatibus, aliiſque publicis juſtitiæ miniſtris, quin & ipſis quoque Principibus præſentiſſimum procreans periculum.

VI.

Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur; ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

Cenſura.

Falſa, & Philoſophiæ ac Theologiæ principiis diſſentanea aſſertio, pernicioſè quoque concludens; ſiquidem ut in *Apologetico pro Chriſtianis, cap.* 9. monet Tertullianus: *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert, natam quis eripiat animam, aut naſcentem diſturbet: homo eſt, & qui futurus eſt, & fructus omnis jam in ſemine eſt.* Quapropter ad homicidii reatum quod attinet, inculcanda potiùs fuerit fidelibus Auguſtini ſententia iſta *Serm.* 244. *de tempore: Mulier quæcunque fecerit hoc, per quod jam non poſſit concipere, quantoſcunque parere poterat, tantorum homicidiorum ream ſe eſſe cognoſcat.*

VII.

Clarum, & certum eſt, Judicem non poſſe punire aliquem, qui ſecutus eſt opinionem probabilem.

Cenſura.

Aſſertio relata ad eam probabilitatem, quam aſſertio 26. ſeu ultima obtendit, prorſus falſa eſt, & judiciariæ poteſtatis perperam coarctiva, ſeditionum, ac rebellionum invectiva, publicæ tranquillitatis turbativa, nec in Republica rectè ordinata ullatenùs toleranda.

VIII.

Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

Cenſura.

Furari nullo caſu permiſſum eſt, quia intrinſecè malum; ſurripere autem alienum, permiſſum quidem eſt in extrema neceſſitate, quando aliter haberi non poteſt; ſed illud extendere indiffinitè ad neceſſitatem gravem, eſt dare anſam pauperibus ad paſſim furandum.

IX.

Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

Cenſura.

Hæc aſſertio falſa eſt, naturam hominis de ſe pronam ad malum præcipitans in furta, ac domeſticam pacem perturbans, eò vel potiſſimùm, quòd iſta compenſatio ipſorum famulorum & famularum judicio relinquatur.

X.

Qui ceſſit foro, poteſt ſibi retinere bona, quibus indiget ad ſuſtentationem familiæ, ne indecorè vivat, licèt debita, pro quibus cedit, ſint ex injuſtitia, & notorio delicto contracta.

Cenſura.

Hæc aſſertio in ſua generalitate falſa eſt, & pernicioſæ ſequelæ, utpotè pleroſque fures, & alienorum bonorum uſurpatores liberans à reſtitutione.

XI.

In cauſa æquali poteſt Judex aliquid ab una partium accipere, ut ſententiam in ejus favorem ferat.

Cenſura.

Falſa eſt, juſtitiæ perverſiva, & immanibus, ac quotidianis corruptelis viam ſternens.

XII.

Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

Cenſura.

Apertè falſa eſt, & receptiſſimis juſtitiæ regulis contraria.

XIII.

Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.

Cenſura.

Hæc aſſertio pericoloſa eſt, & ſerviens ad excuſandum, & palliandum uſuras de jure præſumptas.

XIV.

XIV.

Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu venditionis prævie inito cum intentione lucri.

Cenſura.

Falſa eſt, & palliativa uſurarum, præſertim cùm emptori imponitur onus revendendi, ut in aſſertione.

XV.

Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando per temporale fit ſolùm compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contra. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

Cenſura.

Variæ iſtæ formalitates, ut plurimum pallia ſunt latentis ſimoniæ; & quamvis fieri ſubindè poſſit, ut nulla propriè dictæ ſimoniæ labes ſubſit, plerumque tamen ſubſunt ſordes ſimoniæ affines.

XVI.

Pro interceſſione ad beneficium obtinendum poteſt aliquid dari ſine ſimoniæ ſuſpicione.

Cenſura.

Falſa eſt, & pernicioſa, hominibuſque ambitioſis & indignis aditum aperiens ad beneficia per pecuniam promiſcuè procuranda.

XVII.

Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.

Cenſura.

Falſa eſt, & præceptorum Eccleſiæ eluſiva, nec majorem habet apparentiam de quatuor Sacri partibus, quàm de viginti.

XVIII.

Urgens metus gravis, eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

Cenſura.

Irreligioſa eſt, & Sacramentis Chriſti injurioſa.

XIX.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Cenſura.

Patrocinatur humanæ ambitioni, juſtificat perjuria, & mandatum regium inutile reddit.

XX.

Superfluum non eſt, quod homines ſervant pro ſtatus ſui, vel parentum qualitate, habita, vel adipiſcenda; ideòque vix poterunt inter ſæculares inveniri, qui ſuperfluum habeant.

Cenſura.

Prior pars in ſua generalitate falſa eſt, & cum poſteriori, quæ inde deducitur, elidit obligationem eleemoſynæ, & miſericordiæ impendendæ, à Scriptura ſacra crebrò inculcatam.

XXI.

Non eſt niſi veniale, etiam abſque utilitate ſe cibo, & potu uſque ad vomitum ingurgitare, niſi ex hujuſmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.

Cenſura.

Scandaloſa eſt, & falſa in ſua generalitate, ac laxans habenas potatoribus ad ſe liberaliter ingurgitandum, & inebriandum.

XXII.

Qui dormire nequit niſi veſperi ſumpta cœna, non tenetur jejunare; imò neque in prandio collationem ſumere, quamvis hoc modo iſti incommodo obviare poſſet, quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.

Cenſura.

Falſa eſt, & fundata ſuper frivolo prætextu.

XXIII.

Defeſſus ex quocumque labore licito, vel illicito, verb. gr. cum fœminis commixtione, liberatur à lege jejunii.

Cenſura.

Falſa, & caſtis auribus horribilis.

XXIV.

In rigore loquendo, videtur, quòd homo non teneatur unquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei.

Cenſura.

Impia, & primam legem Chriſtianæ vitæ evertens.

XXV.

Ut actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet, ut procedat ab homine qui noſcit, & percipit, quid boni malive in ea ſit; & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona eſt, neque mala.

Cenſura.

Eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat, cum pernicie animarum.

XXVI.

Authoritas unius Doctoris probi, & docti, reddit opinionem probabilem.

Cenſura.

Pernicioſa eſt, & innumeras abſurditates invehens in omni materia doctrinæ moralis.

Inferiùs habebatur.

Ita judicatum per Collegium S. Facultatis Theologicæ Univerſitatis Lovanienſis die 4. Maji 1655. ac de mandato DD. Decani, & reliquorum Magiſtrorum ejuſdem Facultatis ſubſcripſit. Signatum. Gregorius Lipſius, iſtius Facultatis Bedellus, & Notarius publicus.

His demum adjicimus ſex alias propoſitiones, in Urbe noviſſimè qualificatas, ut ſequitur.

Decretum die 30. Januarii 1659.

In Congregatione generali S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. D. Alexandro VII. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis D. D. S. R. E. Cardinalibus in univerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Cùm nuper à Regularibus Mendicantibus diœceſis Andegavenſis judicio Sedis Apoſtolicæ (ad quam dumtaxat fidei controverſias, & morum univerſalis Eccleſiæ pertinet definire) infra inſertæ propoſitiones fuerint oblatæ: de mandato Sanctiſſimi D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. plurium Theologorum, & Canoniſtarum à Sanctitate ſua ad id ſpecialiter deputatorum examini ſint commiſſæ: quo peracto, ac relata Sanctitati ſuæ unanimi eorumdem Theologorum atque Canoniſtarum cenſura; idem Sanctiſſimus, auditis votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum D. D. Cardinalium generalium Inquiſitorum, eaſdem propoſitiones prout infra qualificatas autoritate Apoſtolica declaravit, & declaratas decrevit, & tales ab omnibus haberi præcepit.

I.

Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium confeſſiones audire poſſint: neque de illius Concilii auctoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cùm id in Gallia receptum non ſit, præterquàm in deciſionibus fidei. Neque etiam Bulla Sixti IV. pro illius confirmatione promulgata.

Eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, in hæreſim & ſchiſma inducens, Sacro Concil. Trident. & Sedi Apoſtolicæ injurioſa.

II.

Ubi Concilium Tridentinum eſt receptum, non poſſunt Epiſcopi reſtringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas: neque illas ulla ex cauſa revocare. Quinimò Ordinum Mendicantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur. Et ſi ab Epiſcopis Religioſi non probentur, rejectio illa valet tantum, ac ſi approbatio conceſſa fuiſſet.

Com-

Complexè accepta eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & erronea.

III.

Regulares Ordinum Mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad Confeſſiones audiendas in ſua diœceſi, habentur pro approbatis in aliis diœceſibus, neque nova indigent Epiſcoporum approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi à peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo authoritas iſta ipſis indulta non fuerit.

Quoad primam partem eſt falſa, & ſaluti animarum pernicioſa. Quoad ſecundam partem eſt falſa, auctoritati Epiſcoporum ac Sedi Apoſtolicæ injurioſa.

IV.

Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam Confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catecheſibus annuntiantur, & docentur.

Quoad primam, & ſecundam partem, ſimpliciter accepta eſt erronea, & temeraria. Suppoſitis verò privilegiis Apoſtolicis, nullam meretur cenſuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei, ſervetur diſpoſitio S. Concilii Tridentini.

V.

Talem legem in hac materia nec Epiſcopi, nec Concilia provinciarum, nec nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.

Suppoſitis itidem privilegiis Apoſtolicis, nullam meretur cenſuram. Verùm iſta non eſt prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

VI.

Regulares Mendicantes petere poſſunt licitè à judicibus ſæcularibus, ut injungant Epiſcopis, quatenus ipſis mandata concedant ad prædicandum in Adventu, & Quadrageſima. Quod ſi renuant facere Epiſcopi, decretum judicum ſæcularium tantundem valet, ac ſi permiſſio dictis Religioſis conceſſa fuiſſet.

Eſt falſa, erronea, & in hæreſim & ſchiſma inducens.

Hanc ergo qualificationem, & declarationem à cunctis tenendam, & ſequendam, & in praxi obſervandam Sanctitas ſua declaravit, & mandavit ſub pœnis contra ſchiſmaticos, temerarios, ſeditioſos, ac de hæreſi ſuſpectos impoſitis, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Joannes Lupus S. Romanæ, ac Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

340 Quadrageſimum ſecundum, & ultimum fundamentum pro hac ſententia, aliis omiſſis, ſumitur ex authoritate graviſſimorum Patrum, & Magiſtrorum primæ claſſis, qui eam ſuis ſcriptis probarunt, inter quos primo loco affertur Ariſtoteles ſupracitatus in 1. fundamento *n.* 257. Nam cùm docuerit intellectum non habere libertatem opinandi ad libitum, ſed violenter cogi à motivis falſis, aut veris; quia neceſſe eſt aut falſum, aut verum dicere: apertè ſenſit non eſſe poſſibile, ut opinetur partem minùs probabilem, in qua ſunt leviora motiva; quin potiùs violenter eum adſtringi ad opinandum partem magis probabilem, in qua ſunt motiva gravioris ponderis, ut ibi latiùs deduximus. Item huic ſententiæ adſcribuntur

Sanctus Auguſtinus *in 2. de Doctrina Chriſtiana*, relatus *in c. In Canonicis*, *diſt.* 19. ponderando eum ut dixi ſupra in 15. fundamento.

S. Joannes Chryſoſtomus *in Matth. homil.* 44. *c.* 23. cujus verba ſuperiùs retulimus, & expendimus in 16. fundamento.

S. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. ubi vult, ut cùm de eodem ſunt opiniones contrariæ, liceat ſequi alteram, dummodò non habeatur opinio de oppoſita, & modò non habeatur aliquod motivum ad contrarium opinandum, & ad dubitandum de ſua: quæ omnia manifeſtant, relinqui non poſſe opinionem probabiliorem: & eſt adeò evidenter in hac ſententia, ut omninò pertinax ſit in ſuo errore, qui id negaverit. Quinimò Adrianus & Corduba in locis proximè citandis explicant quædam dicta S. Thomæ, ex quibus colligitur, eum ſequi viam adhunc ſtrictiorem, quàm ſit iſta, ſicut & nos ſuprà diximus *n.* 269. & *n.* 270.

Scotus *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 6. in illis verbis: *Cùm multis probabilior ſit pars negativa, non ſine peccato aliquis ſe exponit dubio, ſequendo ſcilicet affirmativam minùs probabilem.*

Joannes Major *in* 4. *ſent. q.* 2. *prolog.* 3. & 5. & contra quintam concluſionem circa finem, ubi latè, ac ſtrenuè pro hac ſententia pugnat.

Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 8. *art.* 13. *dub.* 2. ubi etiam citat Jo- 341 annem Gerſonem Cancellarium Pariſienſem *in regulis moralibus*, ubi ponit regulam infraſcriptam, videlicet: *Agere incertum, & dimittere certum in materia morali, eſt peccatum mortale*; & ſpecificat eamdem regulam, ſubjungens: *Si tale ſit incertum, quod ſit mortale, non ſolum per conjecturas leves, aut ſuſpicione trepida, & ſcrupuloſa proveniente ex nimio timore cadendi in viam Domini; ſed intelligitur, dum eſt tale vehementer, & probabiliter incertum æquè ſicut oppoſitum, vel magis; tunc illud quod agitur, non carebit peccato mortali.* Hæc Gerſon.

Henricus Gandavenſis *quodlib.* 4. q. 33. ubi ait: *Si peritus* 342 *vir novit ſtatum Doctoris, qui ſententiat contra partem periculoſam, nempè in qua poteſt eſſe peccatum, ſi ponatur in actu habere omnes bonas conditiones prædictas, aut plures ex eis, quàm alius, nempe qui ſententiat pro parte periculoſa, ut v.g. ſi quæratur: An liceat habere plura beneficia; periculoſa vocatur illa, quæ affirmat; nam in illa poteſt eſſe peccatum, non in oppoſita; novit etiam rationes ejus eſſe efficaciores, & expreſſiores authoritates, quas adducit: iſte proculdubio exponens ſe illi periculo, mortaliter peccat: quia quod agit, non eſt ex fide, ſive conſcientia, ſed contra dictamen conſcientiæ, & rationis rectæ.* Conradus *de contractib. q.* 100. ubi ſic habet: *Si cauſæ adhærendi opinioni damnanti actum ſunt magis prægnantes, tunc ſunt natæ inducere eum ad magis credendum, quod ſi illicitus, quàm quòd ſit licitus: modò intellectus eſt potentia rationalis non potens non credere id, quod ſibi oſtenditur, ut magis credibile: igitur talis magis credit, quod ſit damnatus actus; & ſic agens agit contra conſcientiam reclamantem, & peccat.*

Antonius Cordubenſis *lib.* 2. *Quæſtionarii*, *q.* 3. ubi citans Adrianum *in* 4. *de reſt.* ſic diſſerit: *Agendo contra rectam rationem peccatur; ſed agens contra probabiliorem opinionem agit contra rectam rationem, quia agit contra rationem, & authoritatem, cui reſiſtere non licet; nam ideò eſt probabilior opinio, quia rationabilior, & quia validioribus innititur rationibus, & fundamentis, quibus naturaliter convincitur intellectus, ut huic parti potiùs, quàm oppoſitæ aſſentiat.* Sanctus Antoninus *par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. *reg.* 4. *verſ. Revertendo*, cujus hæc ſunt verba: *Notandum, quod cum bona conſcientia poteſt quis tenere unam partem alicujus opinionis, & ſecundùm eam operari, ſecluſo ſaltem ſcandalo, quæ ſcilicet pars habeat pro ſe notabiles Doctores, dummodo talis opinio non ſit contra authoritatem expreſſam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ, & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam & credulitatem formet de eo, quod credit, tanquam de probabiliori parte, & præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendò, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat ad hoc, quod ſit illicitum.* Sylveſter *in verb. Dubium*, *num.* 4. Cajetan. *in Summ. in verb. Opinio*, Sot. *lib.* 3. *de juſt. & jur. quæſt.* 5. *art.* 5. Navar. *in c. Si quis autem*, *num.* 53. *de præſcript. & in Sum. c.* 27. *num.* 286. *verſ. Quintò*, & alii, quos refert & ſequitur Paulus Comitolus in reſponſis moralibus *lib.* 5. *qu.* 15. Card. Paleot. *de Sacr. Conſiſt. conſul. part.* 5. *q.* 13. *verſ. Quod verò.* Et ex Canoniſtis Innocentius, Jo. Andr. Abbas, & alii *in cap. Per tuas*, *il* 2. *de ſimon. & in c. Tua nos*, *de homic.* Hoſtienſ. *in proœmio Summæ col.* 2. ubi ait: *Tu ergo, perlectis, & intellectis juribus, & rationibus, quibus unaquæque fulcitur opinio, amplectere quam malueris, & elige, cui dicas, Tu mihi ſola places.* Ex mente igitur Hoſtienſis non poteſt eligi minùs probabilis, quia illa non eſt talis, cui poſſit dici, Tu mihi ſola places: & ſi quis hoc diceret, utique non opinaretur, ſed fingeret. Bald. *in l. Ab eo*, *num.* 11. *C. Quomodo, & quando Judex*, ubi quamvis dixerit; *Si propter intricationes probationum hinc inde judex dubitet, & ſtatutum municipale eum cogat pronuntiare, poſſe illum pronuntiare, quod ſibi videbitur*: nihilominùs ſtatim hoc temperavit, dicens: *Tamen in ſententia exprimat qualitatem probationum, ex quibus movetur, & reſpondeat quibus non movetur.* Et idem Bald. *in cap.* 1. *n.* 35. *ſup. eod.* ubi 343
ait;

ait, *gloſſis diſcrepantibus judicem eligere debere opinionem, cui magis ratio intellectus ſui conſentit*. Et Abb. *in cap. 2. de*
344 *ſent. & re judic.* relatus ibi à Felino *num. 15. in 7. fallent.* dum ait: *Sententiam judicis ſequentis unam opinionem in materia, in qua eſt magnus conflictus, valere, ſi non appareat, quæ ſit opinio communior, & illa non ſit apertè falſa*. Ergo à contrario, ſi appareat, quæ ſit communior, ſeu probabilior ex principio extrinſeco authoritatis, illa eſt ſequenda, Navar. *Summ. Hiſpan. cap. 28. addit. ad nu. 282. c. 27.* Et pro hac parte ex profeſſo conſuluerunt Antonius de Butrio, & Petrus de Ancharano inter conſilia ipſius Ancharani *conſ. 210. incip. Inter contraria, per totum*, Bald. Angel. & Legiſtæ *in l. Si idem cum eodem, §. fin. ff. de juriſd. omn. judic.*

345 Eidem ſententiæ adſcribendi ſunt Juriſconſulti, qui affirmant, in opinionum diſcrepantia eligendam eſſe veriorem; pro eodem enim uſurpatur à Doctoribus noſtris opinio verior, & opinio probabilior, ut probatur *in l. 1. propè fin. verſ. Sed verior, ff. de contrahend. empt. juncto §. Item pretium, verſ. Sed Proculi ſententia, Inſtit. de empt. & vendit.* inter quos numerantur Gemin. *conſ. 48. Pro examinatione, num. 4. verſ. Primum quia*, & Matth. Mattheſil. *in ſuo Opuſculo de elect. verioris opinionis, inter tract. communes*
346 *volum. 6. fol. 203.* Quinimò Henric. Boich. *in cap. Quæſitum, circa med. verſ. Et licèt iſta opinio, de tempor. ordin.* dicit ſequendam eſſe opinionem tutiorem, ubi agitur de periculo animæ, etiamſi contraria opinio ſit ſatis probabilis. Et idem repetit ibi Cardin. Bellam. *in 2. oppoſ. nu. 12. verſ. Et dicit hic Dominus Henricus*. Nec diſcrepat Navar. *in Manual. cap. 27. num. 185.* dum ait: *Ad ſerenitatem conſcientiæ eligendam eſſe ex variis bonam opinionem, & quieſcendum in ea*.

347 Quibus adjungi poſſunt Doctores omnes, qui ſentiunt ex duabus opinionibus, quarum una ſit communis, alia ſit verior, eligendam eſſe veriorem, & melioribus rationibus fulcitam. Nam cùm communis opinio ſit probabilis, *cap. Novimus, de verb. ſignif.* & latiùs dictum eſt ſuprà in 21 fundamento; hi proculdubiò cenſent non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, ſeu (quod idem eſt) veriori. Cujus ſententiæ ſunt gloſſ. *in cap. 1. in ver. Rationabiliter, per illum textum*, & Abb. *in penult. notab. de his, quæ fiunt à major. part. Capituli*, Bald. hic, *& in cap. 1. §. Judices, col. pen. de pac. juram. firman.* Gemin. *in cap. 1. in 1. col. in 3. notab. de Summ. Trinit. lib. 6.* Joan. de Anan. *in cap. Tua, in 1. col. de uſur.* Abb. *conſ. 1. in fin. lib. 1. & in cap. Capellanus in 2. col. per illum textum de feriis*, Imol. *in l. Cum quidam la 2. ff. de acquir. hæred.* Præpoſitus *in cap. Quis neſciat num. 7. 9. diſt.* Angel. *conſ. 100. Sanctiſſima, col. 6.* Dec. *conſ. 259. Viſis his, in princ.* Surd. *conſ. 294.* Menoch. *de arbitr. Judic. lib. 2. centur. 4. caſ. 339. num. 21.* Sylveſter *in ver. Opinio, num. 2.* Navar. *conſ. 9. An nepotes, num. 2. de fil. Presbyter.* Et eſt communis opinio, teſte Riminaldo Junior. *conſ. 405. n. 20.* Imò eam tenent Joan. Andr. *in fin.* Abb. *n. 15.* & Canoniſtæ omnes *in cap. 1.* ſupra eodem, ut ibi teſtatur Felinus *nu. 54. in 1. limit.* Quæ etiam de jure veriſſima eſt, & conſtat ex dictis ſupra in eod. 21. fundamento; & ſervatur tam in Rota, quæ communem opinionem non ſequitur, quando apparet contrariam eſſe veriorem, & validioribus ſubnixam rationibus, quam in Sac. Congregatione Concilii, quæ propterea in caſibus contingentibus ſæpiùs mandavit, ut videretur de veritate communis opinionis.

Unde his authoritatibus ſimul junctis, ſatis ſuperque patet, hanc poſteriorem ſententiam videri magis communem, ſive gravitatem, ſive numerum Doctorum
348 conſideremus. Et tamen ut inquit Paulus Comitolus *ſupracit. lib. 5. in reſponſis moralibus, quæſt. 15. Non ſunt in delectu opinionum attendendi plures numero, qui ſequuntur tanquam oves aliæ aliam; ſed exiſtimanda communior illa, quam ſex, vel ſeptem Authores Claſſici rem ex profeſſo tractantes aſſerunt, quàm probata à quinquaginta ſola authoritate aliorum ductis*; quod ante eum dixerat Joan. Major. *loc. cit.* in hæc verba: *Non ſemper habendus eſt oculus ad multitudinem dicentium, ſed ſapientiam cum numero conſiderabis; quia ſicut duos, vel tres debiliores valet unus fortis, ſic unus oculatus materiam diligenter inquirens tres alios inferiores valet*. Hæc ille. Confert optimè illud Exodi 23. *Ne ſequaris turbam ad faciendum judicium*. Eſt bonus text. in *l. 1. §. Neque ex multitudine authorum, C. de vet. jur. enucleand.* & *c. In noſtra de teſtibus*, & concordant Alexander *conſ. 202. in fin. in ver. Numerus, lib. 7.* poſt Baldum in *l. Magiſtratus, in fine, C. Quando provocare non eſt neceſſe*, & alii plures, quos adducemus *infra in 4. quæſt. poſt tertiam concluſionem, verſ. Verùm tamen oportet advertere*.
Negari autem non poteſt, quin Authores, qui hanc ſen- 349
tentiam probarunt, ſint ex antiquis ſapientibus, quibus quidquid contra ſcripſerit Sanchez in *Decal. tom. 1. lib. 1. c. 9. num. 11.* ſtando limitibus authoritatis, magis eſt deferendum, quàm Doctoribus modernis, ſecundùm illud Job. 12. 13. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia*. Et Eccleſ. 39. 1. 4. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens*. Et Eccleſ. 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis*. Et notat Hoſtien. in *c. unic. num. 51. & 52.* & ibi etiam Jo. Andr. *n. 40. & 41. de Sacr. unct.* quia temporis diuturnitas videtur eis authoritatem attuliſſe, Silveſt. *in ver. Opinio, nu. 2. in fin.* Pract. Papien. *in form. c. Quando teſt. præd. ad æternam rei memoriam, in fin.* Everar. *in loco ab authoritate, nu. 16.*
verſ. Ad unum tantùm adverte. Ideòque antiqui Docto- 350
res magni, & veræ Philoſophiæ authores appellantur à Baldo *conſ. 327. nu. 2. verſ. Sed in hoc non conveniunt, lib. 3.* & Speculat. *in proœmio num. 15. Tanta*, inquit, *nobis antiquitati habita eſt reverentia, ut nomina ſapientum taciturnitati tradere nullo patiamur modo*. Item, *Antiquos cum reverentia lego, ſine injuria recentes*, dicebat Lampridius à Sidonio relatus. Et Plinius: *Sum*, inquit, *ex his, qui miror antiquos, non tamen, ut quidam, noſtrorum tempo-*
rum ingenia deſpicio. Imò eum qui relinquit antiquos Do- 351
ctores, ut modernis adhæreat, non rectè ſapere, ſcripſit Si-
gnoroll. de Odmod. *conſ. 245. n. 45.* Quod maximè procedit 352
in opinionibus gloſſæ, cujus authoritas omnes alias antecedit, ſi credimus Baldo in *l. Cum hæreditas, C. Depoſ.* & propterea idem Bald. *in l. fin. §. Neceſſitatem, C. de bonis, quæ liber. Adhæreas*, inquit, *Odofredi veritati, id eſt gloſſæ, & in perpetuum non errabis*. Et in *c. Contingit, de dol. & contum.* aſſerit Baldum ſomniaſſe, ſicut accidit Doctoribus volentibus infringere opiniones gloſſarum, & Cynus in *l. Non mortuum, C. de contrahen. & committen. ſtipul. Advocate*, inquit, *audi idolum tuum, id eſt gloſſam*. Et plura de veterum Doctorum authoritate congerit Jo. Andr. ad Speculat. *in princ. & in Proœmio hujus compilationis*, Petrus de Anchar. *in proœmio 6.* & Cardinalis *in proœmio Clem.* & alii paſſim. Facit text. in *lib. 1.* ibi: *Et ſanè crebrior apud veteres opinio eſt, ff. De off. quæſt.* & in *c. De quibus, 20. diſt.* ibi: *Facilius namque invenitur quod à pluribus Senioribus quæritur*. Et in *c. Domino Sancto, 50. diſt. in fin.* ibi: *Quotieſcumque in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius Concilii magis teneatur ſententia, cujus antiquior, aut potior extat authoritas*.

Nec refragatur textus in *Clem. 1. §. fin. de Sum. Trinit.* 353
& Fide Cathol. ibi: *Opinionem ſecundam tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam*. Etenim ex facto tunc accidit, ut ſecunda opinio, quam moderni Theologi ſequebantur, probabilior eſſet, & magis conſona dictis Sanctorum. Unde ex eo, quòd Clemens V. cum Concilio eam elegerit tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, & modernorum Theologorum magis conſonam, non licet generaliter arguere, ut majoris ſit ponderis authoritas modernorum, quàm antiquorum. Nam veriſimiliter Papa eo modo meminiſſet de Theologis antiquis, ſi eamdem opinionem fuiſſent amplexi, ſicut meminit de dictis Sanctorum, quod ad veteres referendum videtur. Et Auguſtinum adducit ibi gloſ. *in ver. Sanctorum*. Præterea paulò ante Concilii Viennenſis celebrationem, de articulo illius Clementinæ, id eſt de virtutibus, quæ in Baptiſmo parvulis infunduntur, ſcripſerunt Alexand. de Ales, Albertus Magnus, S. Thomas, & ante eos Petrus Lombardus Magiſter Sententiarum, quos citat ibi gloſ. præallegata, & ad quos veriſimiliter reſpexerunt Patres Concilii Viennenſis. An autem ex authoritate tantorum Theologorum ſit inferendum ad ſcriptores hujus ætatis, judicent alii.

Sed tamen, ut Theologis modernis alios itidem moder- 354
nos Theologos opponamus, non pauci ex his numerantur, qui exiſtimant eſſe peccatum ſequi opinionem minus

pro

probabilem, & minùs tutam in concurſu probabilioris, ac tutioris, inter quos, præter Cajetanum, Navarrum, Cordubam, Corradum, Comitolum, Gravinam, & alios ſupracitatos, recenſentur Sotus *de juſt. & jur. lib.* 3. *q.* 5. *&* 6. Henricus *quodlib.* 4. *quæſt.* 33. Paulus Freſanellus *de oblig. Miſſæ*, Pejerinus *tom.* 3. *cap.* 1. *nu.* 10. Antonius Perez *in Laurea Salmantina certamine* 10. *num.* 55. & ex profeſſo tuentur Candidus Philalethus, qui primus libertatem opinandi in materia morum fortiter compeſcuit, *in ſuo Opuſculo de opinionum praxi*, *quæſt.* 5. Antonius Merenda probabilitatum impugnator acerrimus in tractatu de conſilio, &c. ferè per totum, & Julius Mercorus *de Probabilitate Opinionum*, *part.* 2. *præſertim art.* 4. 7. *&* 8. cum pluribus ſequentibus uſque in finem. In ſpecie autem id non licere conſiliario, ſeu conſultori animarum, contra Vaſquez, & Salas, de quibus ſup. *num.* 30. tradit Thomas Sanchez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 21.

355 Item nec judici, ut contra Authores relatos *numer.* 31. tenet idem Sanchez ubi ſuprà *c.* 10. *num.* 46. quamvis affirmet, contrariam quoque opinionem eſſe probabilem; Villalob. *in Sum. tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 15. *num.* 6. Bannes in 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *dub.* 1. *ad* 2. ubi refellit ſententiam illorum, qui dixerunt, in concurſu opinionum probabilium poſſe judicem judicare pro amico, & nunc ſecundùm unam, nunc ſecundùm aliam; Layman *in Theolog. moral. lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 3. *num.* 16. Malderus *in* 1. 2. *qu.* 19. *art.* 5. *diſp.* 86. *propè fin.* Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *c.* 4. *n.* 144. Becan. *in Sum. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 9. *num.* 13. Tanner. *in* 2. 2. *diſp.* 4. *qu.* 4. *dub.* 6. *num.* 128. Et probatur efficaciter: nam certum eſt, judicem in dubio non poſſe ſententiam ferre, ut tenent communiter Theologi cum D. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 2. & Juriſperiti in *l. Admonendi*, poſt Bart. ibi *num.* 19. *ff. De jur. juran.* Sed quando partium jura ita ſe habent, ut ſtent probabiliter pro una parte, & probabiliùs pro altera, judex dubitat tunc de minùs probabili, imò magis dubitat, quàm ſi rationes pro utraque parte eſſent æquè probabiles: magis enim dubitat de illa parte, quæ licèt ſit probabilis, tamen contra eam urgent fortiora motiva, ut evidenter monſtratum eſt ſuprà in 11. fundamento: Ergo in tali caſu Judex non poteſt ſententiam ferre pro parte minùs probabili.

356 Non me latet, in cauſis criminalibus, quando opinio circa factum eſt probabilis pro reo, & probabilior pro fiſco, pleroſque ex Theologis modernis arbitrari eo caſu judicem ſequi poſſe probabilem, quæ favet reo, omiſſa probabiliori, quæ favet fiſco, ſeu accuſatori. Sic Sayr. *in clavi regia lib.* 1. *c.* 11. *num.* 13. Salon. *in* 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *controver.* 2.
357 *concl.* 2. Imò in tali caſu judicem teneri reum abſolvere, cenſent Salas *in* 1. 2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *controver.* 2. *concl.* 2. & alii, quos cumulat Diana *reſol. moral. in* 2. *addit. reſol.* 13. Moventur, quia judex ſequi non poteſt probabiliorem opinionem pro fiſco, cùm ad condemnandum requirantur probationes luce meridiana clariores, juxta text. in *l. Sciant cuncti*, *C. de probat.*

358 Verùm obſervandum eſt diligenter, judicem hoc caſu minimè ſequi opinionem minùs probabilem pro reo: nam ad ferendam ſententiam ſpectandum non eſt, an probationes fiſci præponderent probationibus rei; ſed attendi debet, an ex proceſſu in univerſum reſultet talis probatio, quæ ſufficiat ad condemnandum, ut declarat Clarus
359 *in* §. *fin. qu.* 22. *&* 63. Et quidem ſi probatio non ſit omninò plena, & concludens, reus eſt in cauſa abſolutionis: nam regula *l. Eum qui accuſare*, *ff. De eden.* id eſt, actore non probante, reus abſolvitur, maximè procedit in judicio criminali. Dyn. *conſ.* 48. *in quæſt. num.* 2. *verſ. Super* 2. *&* 3. Angel. Aret. *conſ.* 63. Clarus *num.* 20. *verſ. Se-*
360 *cundò principaliter*. Et eſt communis opinio, teſte Jaſone, *in l. Non eſt novum*, *num.* 5. *C. De eden.* & Clar. *in* §.
361 *fin. q.* 62. *in princ.* Et habet locum etiam reo nihil probante, *cap. unic. Ut Eccleſiaſtica beneficia*, Bald. *conſ.* 285. *Caſus*, *in princ. verſ. reſpondeo*, *lib.* 2. Ratio eſt, quia exceptio negativa pro parte rei non eſt probanda, *cap. Quoniam contra*, ubi Lanfranc. *de probat.* Unde judex qui accuſatore minùs ſufficienter probante, abſolvit reum, qui nihil prorſus probavit, non judicat pro reo ſecundùm opinionem minùs probabilem, ſed ſecundùm id, quod eſt certum, & à legibus determinatum, gloſ. *in c. Juvenis*, *in ver. Dubia*, *verſ. Sed non dicitur dubia res*, *quia actor non probavit clarè*, *&c. de ſponſal.* Bartol. *in l. Quoties*, *nu.* 1. *ff. Si quis caution.* Nam etiam poſt accuſationem, & inquiſitionem ſuper delicto, niſi delictum probetur, non præſumitur accuſatus, vel inquiſitus culpabilis, ut ait Bald. *conſ.* 410. *in cauſa*, *& in quæſtione n.* 1. *in fin. verſ. Sed quia non ſtatim*, *lib.* 2. 362

In practica tamen, quæ ſuprà proximè dicta ſunt, aliter ſe habent, quàm ſpeculativè differantur: *Nam* (ut ait Clar. *d. q.* 62.) *ubi nihil ulteriùs ſupereſt ad agendum tam ex parte accuſatoris, quàm ex parte accuſati, tunc debet judex diligenter conſiderare proceſſum tam offenſivum, quàm defenſivum, & recta trutina perpendere, quid ex ipſo proceſſu reſultet, & qualia contra reum extent judicia, ſeu probationes, quæ per ejus defenſiones eliſæ non fuerint; ſi enim reus ex eis eſt planè convictus, vel confeſſus, debet condemnari; ſi ſemiplena tantùm reſultat contra eum probatio, eſt torturæ ſubjiciendus; quam ſi ſuſtinuerit, purgatis indiciis, eſt abſolvendus, non quidem diffinitivè ex capite innocentiæ, ſed rebus ſic ſtantibus.* Et hanc practicam ſervari in Hiſpania, teſtatur Covar. *variar. reſol. lib.* 1. *c.* 1. *poſt num.* 8. & in Gallia Rebuff. *in procœm. Conſt. Franc. gloſſ.* 5. *num.* 18. & in Senatu Mediolanen. Clar. *loc. cit.* Judices noſtri abſolvunt tanquam non repertum culpabilem, nec de jure punibilem. Atque ita judex, qui eo caſu reum abſolvit, ſequitur omninò quod juſtius & probabilius eſt. Quamobrem ineptè aſſeritur, in cauſis criminalibus judicem ſequi debere opinionem pro reo minùs probabilem. Imò enim ſtat pro reo opinio probabilior, quotieſcumque probationes pro fiſco vel accuſatore non ſunt planæ, & concludentes, juxta *d. l. Sciant cuncti*, *Cod. de probat. &* §. *Sciant cuncti*, 2. *q.* 8. Neque enim ad infligendam pœnam ordinariam ſufficiunt indicia etiam vehementia, *c. Litteras*, *de præſumpt.* Alex. *conſ.* 2. *Viſo proceſſu*, *in princ. lib.* 7. Et probabilitas opinionis non eſt ſumenda ex probationibus rei, qui multoties eſt abſolvendus, etiamſi nihil probaverit; ſed ex probationibus fiſci, vel accuſatoris, ex cujus perſona jus metimur, *l.* 1. *in princ. ff. ſi pars hæred. petat. l. fin. de rei vendic.* Paul. de Caſtr. *conſ.* 76. *In facto iſto*, *numer.* 2. *in fin. verſ. Et poſito lib.* 2. Surd. *conſ.* 150. *num.* 89. 363 364 365

Sed & ſi opinio probabilis pro reo verſetur circa jus, tamen quidquid in contrarium ſenſerit Villalob. *in Summ. tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 15. *nu.* 3. *&* 4. & alii plures, tenendum eſt omninò, judicem ſequi debere probabiliorem opinionem, etiam contra reum. Ratio eſt, quia cùm in difficultatibus juris rarò accidat, ut judices ſint certi per rei evidentiam, neceſſe eſt, ut judicent ſecundùm id, quod eſt certum moraliter, ſeu civiliter, ſive pro reo, ſive pro accuſatore: Nam jura, quæ dicunt judices proniores eſſe debere ad abſolvendum, quàm ad condemnandum, *cap.* 3. *de probat.* eo quòd ſanctius ſit nocentem abſolvere, quàm condemnare innocentem, *l. Abſentem*, *ff. de pœn.* item diſpoſitio *l. Reſpiciendum*, *ff. eod.* quam Bald. ibi dicit eſſe philoſophicam, procedunt tantùm, cùm judex verſatur in dubio. At cùm contra reum eſt opinio magis probabilis, judex non eſt dubius, ſed moralem, ſeu civilem habet certitudinem, quam Doctores plenam credulitatem appellant, ut notat Bartol. communiter receptus in *l. Admonendi*, *num.* 21. *&* 22. *ff. de Jurejuran.* & probatum eſt *ſup. nu.* 225. *& num. ſeqq.* Ergo etiam pro fiſco tenetur ſequi opinionem magis probabilem, & melioribus rationibus fulcitam, ne alioquin agat contra dictamen conſcientiæ, ut ſimiliter oſtenſum eſt ſuprà in 4. fundamento pro hac ſententia. Id quod aliquibus exemplis evidentiùs confirmari poteſt. 366 367

Inquiſitus eſt aliquis de crimine læſæ majeſtatis, eò quòd occiderit Conſiliarium Principis. Opinio minùs probabilis quorumdam eſt, quos tacito nomine refert Clarus *in* §. *Læſæ majeſtatis*, *verſ. Quæro etiam*, homicidam in hoc caſu non eſſe reum læſæ majeſtatis, ſi homicidium patraverit ex privato odio ipſius Conſiliarii, non autem in odium Principis. Tamen probabilior eſt opinio, homicidam indiſtinctè incidere in crimen læſæ majeſtatis; pro qua in facti contingentia conſuluit Rubeus *conſ.* 254. Nemo autem hoc caſu juſtè reprehenderet judicem, qui contra reum ſequeretur opinionem probabiliorem, pro qua fuit judicatum Neapoli contra reum, qui trucidavit Andream de Hernia celebrem feudiſtam, Reginæ Joannæ con- 368

filiarum, ut refert Paris de Puteo *de Syndicatu fol.* 124. *num.* 14. & Afflict. *ſup.* 1. *part. Conſtit. Regni*, *rubric.* 29. *num.* 6.

370 Item quamvis ſecundùm communem opinionem pro unico furto magno fur ſuſpendi non poſſit, ſecundùm Angel. de Ubaldo inter conſilia criminalia diverſ. *conſ.* 71. *nu.* 2. *lib.* 2. tamen contrariam opinionem docuit Bald. *in Auth. ſed novo jure poſt nu.* 3. *C. de ſerv. fugit.* Nec eſſet damnandus Angel. qui *in tract. de malefic. in ver. Veſtem cæleſtem n.* 13. dicit ſe illam ſemel practicaſſe, dum Peruſii aſſideret, quam etiam ex conſuetudine invaluiſſe in Hiſpania, affirmat Diaz *in practica criminali Canonica*, *cap.* 84. *poſt nu.* 2.

371 Rurſus probabilis opinio eſt, pœnam *l. Unica, C. de raptu virginis*, non habere locum in rapiente publicam meretricem; atque ita tenere Doctores, teſtatur Hyppol. de Marſil. *in d. l. unic. n.* 26. & conſuluit Cæphal. *conſ.* 140. *lib.* 1. Verumtamen non eſſet condemnandus judex, qui ſequeretur contrariam opinionem, ſecundùm quam Cyn. *in ead. l. unic.* aſſerit, ſe vidiſſe aliquos ultimo ſupplicio puniri, prout illam refert Afflict. *ſuper* 1. *part. Conſtit. Regni*, *rubr.* 20. *num.* 27. & ſecundùm quam teſtatur etiam Grammaticus *in Conſt. Regni fol.* 19. *col.* 1. *num.* 2. cùm plures juvenes quamdam meretricem è proſtibulo violenter rapuiſſent, unum ex eis Florentinum, qui fuit principalis, fuiſſe furca ſuſpenſum, & alios ſocios per triennium ad triremes damnatos.

372 Et eodem modo quamvis probabilis & communis opinio ſit, pœnam *d. l. unic. C. de rapt. virg.* non habere locum in muliere rapiente virum, ut teſtatur Grilland. *de diverſ. crimin. lib.* 3. *q.* 10. *num.* 23. non tamen eſſet de injuſtitia redarguendus, qui in judicando ſervaret opinionem gloſſæ in *d. l. unic. in verſ. Sponſam*, quam itidem tenent communiter Doctores, teſte Marſil. *ibidem*, *numer.* 23. & etiam practicatur in Gallia, ut refert Papo *lib.* 22. *tract.* 6. *areſtò*, 3. ſecundùm quam & Angel *in d. l. unic.* teſtatur ſe Florentiæ vidiſſe comburi quamdam meretricem, quæ adoleſcentulum libidinis cauſa rapuerat. Hæc atque alia innumera paſſim reperiuntur apud Doctores, ex quibus licet intelligere, juſtè agere judicem, qui ſequitur opinionem, quam putat veriorem, ac probabiliorem, etiam contra reum, & in cauſis capitalibus. Et hìc junge, quæ de obligatione judicandi ſecundùm opinionem magis probabilem generaliter dicta ſunt ſupra in 29. fundamento.

373 Similiter nec Medico licere uti opinione probabili, abſque reatu mortalis peccati, contra Theologos citatos ſup. num. 33. ſcripſerunt Sot. *lib.* 3. *de juſt. & jur. quæſt.* 6. *art.* 6. *ad* 4. Suarez 4. *tom. in* 3. *par. diſp.* 26. *ſect.* 6. *num.* 32. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 1. *num.* 6. Vaſquez *in* 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 64. *c.* 4. *in fin.* Sanchez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 9. *nu.* 41. Bonacin. *de legib. diſp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 4. *n.* 22. Becan. *in Sum. tom.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 9. *nu.* 13. & ex Canoniſtis noſtris tenent in *c. Tua nos*, *de homic.* Innoc. *num.* 1. Joan. Andr. *circa princ.* Anton. de Butr. *numer.* 15. Anchar. *numer.* 3. Jo. de Anan. *num.* 5. Abb. *in* §. *Ad ultimum*, *numer.* 4. Felin. *verſ. Poſtremo ſcias*, Angel. *in verſ. Medicus*, *num.* 2. Silveſt. *eod. ver. quæſt.* 4. *dub.* 1. quibus in locis affirmant peccare Medicum, qui ſcienter applicat infirmo medicamenta dubia; & aliqui ex eis, etiamſi Medicus probabiliùs
374 credat ea profutura, ut dictum eſt ſup. num. 250. Reddunt rationem Butr. & Anchar. quia melius eſt ægrotum relinquere in manu Creatoris, quàm ipſum periculo exponere, ſupponendo eum dubitabili medicinæ. Quinimò adjiciunt Innoc. & Jo. de Anan. id vendicare ſibi locum, etiamſi Medicus vehementer opinetur, fore ut remedium hoc dubium proficiat infirmo. Mirum eſt tamen pleroſque ex Theologis ſuprà proximè citatis ita ſentire in Medico corporum, cùm oppoſitum ſenſerint in Medico animarum, quaſi majori charitate obſtringamur ad procurandam valetudinem corporis, quàm ſalutem animæ, contra ea quæ in propoſito dicta ſunt ſup. in 19. fundamento.

375 Sed nec Regem poſſe bellum indicere, ſi pro utraque parte ſint opiniones probabiles, & longè minùs ſi contra eum ſtet opinio probabilior, contra authores ſupra citatos n. 34. cenſent Vaſquez 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 29. *q.* 5. *n.* 224. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 17. *n.* 6. & 7. & alii multi. Et hìc junge quæ dicta ſunt ſuprà in 33. fundamento.

Longè autem minùs licitum eſſe uti opinione probabili
in adminiſtratione Sacramentorum, adverſus Theologos ſu- 376
prà allegatos num. 35. ſcripſerunt Medina *in* 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. §. *Ad argumenta in contrarium*, Henriquez *de Sacramentis in genere cap.* 9. *num.* 5. Bartholomæus à Ledeſma *de Sacram. in gener. dub.* 5. *concl.* 4. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 20. *num.* 4. & proptereà Petrus à Soto *in inſtitut. Sacerdotum*, *lect.* 2. *de Euchariſtia*, & Alanus *lib.* 1. *de Euchariſtia c.* 19. affirmant, inter diverſas opiniones de materia Sacramenti Euchariſtiæ eligendam eſſe tutiorem, & peccare eum, qui utitur materia non certa; idemque vult Scot. *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 6. Et contrariam ſententiam tantùm admitti poſſe, cùm ex oppoſito magnum periculum immineret, cenſet Sotus *de Secreto*, *membr.* 3. *q.* 2. *concl.* 3. cui ſubſcribit Navar. *in cap. Inter verba*, *in* 2. *edit. corollar.*
13. *num.* 135. 11. *q.* 3. his verbis: *Licèt quis habeat opinio-* 377
nem alicujus partis, & ſolùm alterius formidinem, non tenetur ſequi opinionem, ſi inde magnum immineat alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem; quia periculum grave facit, ut formido præponderet opinioni. Et ſequitur Cardin. Bellar. *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 7. & Baſil. Pont. *de matrim. libr.* 4. *cap.* 25. *numer.* 8. Unde
Card. Zabar. *in Clem. unic.* §. *final. num.* 1. *de Sum. Trinit.* 378
& Fid. Cathol. ſcripſit, conſilium eſſe, ut quidquid appareat de puero extra uterum, imminente periculo mortis, baptizetur propter penetrabilem & occultam operationem S. Spiritus, *cap. Multi*, *circa med.* 1. *quæſt.* 1. Et Card. Paleot. *in compendio ordinationum pro Parochis Bononienſibus fol.* 38. *Pueri*, inquit, *apparentes extra uterum matris cum brachio, vel pede, vel digitis, cum imminente mortis periculo, baptizentur: ſed egreſſi vivi, iterùm ſub conditione, Si non es baptizatus, &c. baptizari debent.* Inde etiam infe-
runt Gabriel Vaſquez *tom.* 2. *in* 3. *par. diſput.* 136. *cap.* 4. & 379
Baſil. Pont. *de Matrim. lib.* 10. *c.* 15. *num.* 5. in caſu neceſſitatis extremæ, eum, qui eſt in peccato mortali, miniſtrare poſſe Sacramentum ſine peccato, ſi tempus ita urgeat, ut miniſtro non ſit locus pœnitentiæ; reddentes rationem, quia quamvis ſit major virtus religionis erga Deum, quàm miſericordiæ erga proximum; tamen quia Deo plus placet, ut proximo, in cujus utilitatem inſtitutum eſt Sacramentum, ſuccurramus, quàm ut diſpoſitionem aliàs debitam erga Sacramentum ſervemus: ideò tunc licitè & ſanctè Sacramentum in peccato mortali celebratur. Quam rationem, ut advertit Baſil. Pont. breviter attingit D. Thom. 2. 2. *qu.* 30. *art.* 4. *ad* 1. & hoc ſenſu intelligitur illud Oſeæ 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium: & ſcientiam Dei, plus quàm holocauſtum.* At verò extra caſum neceſſitatis non debet ullatenùs admitti diſtinctio ſuperiùs poſita num. 35. quòd in ordine ad Deum, & virtutem Religionis, non peccet Sacerdos, qui utitur opinione probabili in eſſentialibus Sacramentorum, ſed tantùm in ordine ad proximum. Quoniam minus malum eſt peccare contra miſericordiam, quàm contra Religionem, ut benè explicat idem Pont. *ubi ſupra num.* 4. Unde ſi non licet eligere opinionem probabilem, quando ſubeſt periculum inferendi injuriam, vel præjudicium proximo; multò minùs id licet extra neceſſitatem, cùm ſubeſt periculum irrogandi injuriam Deo, & faciendi irritum Sacramentum. Et his adde quæ in propoſito dicta ſunt ſuprà in 21. fundamento.

Eodem modo nequaquam ſuſtineri poteſt quod dictum 380
eſt ſup. num. 39. Sacerdoti eligenti opinionem probabilem, prætermiſſa probabiliori, Eccleſiam tribuere juriſdictionem ad abſolvendum, eò quòd inde oriatur titulus putativus cum communi errore. Etenim error, unde elicitur præſumptio juriſdictionis ab Eccleſia tributæ, debet eſſe communis, & titulus putativus provenire debet à legitimo Superiore, ut in *c. Dudum*, *il* 2. *de elect.* & ibi docent Innoc. *num.* 3. Hoſtien. *ſuper ver. Damnabiliter*, Jo. Andr. *num.* 42. Anton. de Butr. *num.* 26. Card. *qu.* 6. & Abb. *num.* 20. qui expreſſiùs loquitur de utroque requiſito, dicens, gloſſam ibi eſſe ſingularem, & à Doctoribus communiter approbari. Idem tenet in *c. Nihil*, *de elect.* gloſ. *fin. verſ. Sed pone quòd talis Prælatus*, per text. in *c. Infamis*, 3. *quæſt.* 7. & alia jura ibi allegata, Innoc. *numer.* 3. & 4. *verſ. Si autem non ſit intruſus ſua authoritate*, Jo. Andr. poſt Hoſtien. & Compoſtel. *col. fin. in ult.* gloſſ. *verſ. Et dicunt, quòd omnia, quæ facit electus.* Et Abb. *numer.* 11. *verſ. Nec communis error juvat, ex quo deeſt authoritas Su-*

perio-

perioris; nam lex Barbarius, ff. de offic. Prætor. fundat ſe ſuper communi errore, & ſuper authoritate Superioris; nam ille ſervus, qui putabatur liber, habuit officium à Superiore, & ſic concurrebant ibi duo, ſcilicet authoritas Superioris, & communis error; ſecus autem ubi adeſſet unum tantùm, ut tenuit hic Innocent. & Bald. in repet. d. l. Barbarius. Hactenùs verba Abbatis, Roſella verb. Confeſſio Sacramentalis 3. num. 41. Angel. Confeſſio, 4. num. 12. Silveſt. Confeſſio 2. num. 15. Navar. in cap. Placuit, de pœnitent. diſtinct. 6. num. 177. & in Manuali cap. 9. num. 11. quam ſententiam bis etiam ſequuta eſt Sacr. Congregatio Concilii, ut ſcripſi pleniùs in cap. Super eo, de crimine falſit. Atqui utrumque requiſitum deficit hoc caſu: Nam eo ipſo, quòd Sacerdos eligens opinionem probabilem, cognoſcit contrariam eſſe probabiliorem, excluditur communis error: probabiliora enim ſunt, quæ videntur omnibus, vel multis, vel ſapientibus; id eſt, vel omnibus, vel plurimis, ut habetur in 1. Topic. cap. 1. Ad quod ponderanda ſunt etiam verba illa Innoc. in d. cap. Dudum, videlicet; Poteſt dici animas non deceptas, cùm ab omnibus habeatur Prælatus. Item eo ipſo, quòd Sacerdos affirmat titulum putativum oriri tantùm ex ſua propria opinione, & credulitate probabili, ſatis clarè hinc excluditur titulus proveniens à legitimo ſuperiore; unde prædictorum opinionem meritò refellit Jo. Sancius in Select. diſp. 44. nu. 19.

Ex quibus patet etiam ex Theologis noſtri temporis non multos eſſe, qui generaliter, & indiſtinctè affirment licere in concurſu probabilium opinionum eligere minùs probabilem, & minùs tutam, cùm plurimi ſentiant oppoſitum in Conſiliario, in Judice, in Medico, in Rege, & in adminiſtratore Sacramentorum.

381 His adjice, quòd authores moderni, qui allegantur pro contraria ſententia, ſunt inter ſe admodum varii, & diſſidentes. Nam alii generaliter tenent in quacumque materia licitum eſſe amplecti opinionem minùs probabilem habentem minimum probabilitatis, etiamſi de hac minima probabilitate habeatur minima probabilitas ſine evidentia. Sic Paſqualigus dec. 19. nu. 2. Alii limitant, ut ita demum ſit licitum ſequi minùs probabilem, ſi habeamus evidentiam de illius probabilitate, Breſſerus de conſcientia libr. 3. c. 5. Merula diſp. 3. cap. 4. Alii magis limitant, ut ſolùm liceat ſequi minimam probabilitatem, quando aliter grave damnum evitari non poteſt, Salas part. 2. tract. 8. diſp. unic. ſect. 5. Valentia diſp. 9. quæſt. 14. Alii affirmant uſum opinionis minùs probabilis eſſe licitum in foro conſcientiæ dumtaxat, non autem in foro fori. Ita Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 10. Layman de Doctr. moral. lib. 6. cap. 5. Alii dicunt ad hoc, ut liceat ſequi minùs probabilem, prius diligentiam adhibendam eſſe, an poſſimus certificari de magis probabili oppoſita, Baldellus de conſcientia diſp. 3. cap. 4. Alii non admittunt regulam ſequendi magis probabilem in materia Sacramentorum, Vaſquez diſp. 60. cap. 3. Suarez tom. 4. diſp. 26. ſeſſ. 6. Filliucius tract. 21. cap. 4. Alii ab hac regula excipiunt caſus ſpectantes ad materiam fidei. Sic Baldi diſput. 11. Select. moral. §. 8. & Bannes 2. 2. quæſt. 1. art. 10. Sed contrarium tenet Spinula de libera, & prudenti electione diſp. 3. ſect. 2. Alii adhuc magis limitant prædictam regulam, ut locum non habeat in materia juſtitiæ commutativæ, & in caſibus ubi agitur de intereſſe proximi. Idem Baldi loco cit. Valentia diſput. 5. part. 4. quæſt. 7. Alii ſentiunt probabiliorem opinionem ſequendam eſſe de conſilio tantùm, Sanchez ubi ſuprà. Alii verò nec de conſilio, nec de præcepto, Joannes Sancius in Selectis diſput. 44. Caramuel Theolog. Regul. diſput. 6. Alii affirmant ex præcepto ſequendam eſſe ſententiam minimam habentem probabilitatem ad vitandam infamiam, vel aliud grave damnum, Paſqualigus dec. 30. Alii verò negant, Villalob. tract. 1. Summ. diſput. 1. cap. 8. & Sanchez de matrimon. lib. 2. diſput. 36. Alii cenſent eſſe licitum ſequi minùs probabilem, quando non imminet aliquod periculum, ad quod vitandum prudentia dictat contrariam ſententiam eligi debere, Bonacina diſput. 2. de pecc. quæſt. 4. punct. 4. Demum alii exiſtimant hanc regulam de ſequenda opinione minùs probabili eſſe tantùm probabilem, Sanchez loco citat. Alii verò eſſe certiſſimam, Paſqualigus dec. 55. numer. 4. Plura etiam alia diſcrimina & varietates patebunt legentibus eorum ſcripta. Quare cùm præallegati Doctores ſint adeò varii in explicanda ſententia de ſequenda opinione minùs probabili, utique non ſunt tantæ authoritatis, ac ſi uniformiter loquerentur; ac proinde pro una ſententia univoca ſimul omnes ſuprà enumerati citari non poſſunt, ut accuratè obſervat noviſſimè Jul. Mer. de probabil. opin. p. 2. art. 27.

In Advocato tantùm ſubeſt aliqua difficultas. In quo tamen videtur diſtinguendum, an ex duabus opinionibus oppoſitis utraque ſit æquè probabilis, an verò una ſit probabilis, & altera probabilior.

Primo caſu ſiquidem Advocatus proponat clientulo ſuo 382
unam ex prædictis opinionibus veluti certam, affirmetque illam abſolutè fovere bonum jus, utique peccat, tum quia cùm articulus propter conflictum argumentorum, & rationum utrinque probabilium ſit dubius, ut latè firmatum eſt ſuprà in 2. quæſt. pro parte negativa in 2. concluſ. à numer. 125. uſque ad numer. 171. Advocatus, qui proponit rem dubiam, & periculoſam, tanquam certam, ac tutam, mentitur. Atqui nec artificioſo mendacio, nec ſimplici verbo oportet decipere quemquam, quia quomodolibet mentitur quis, occidit animam, ut legitur in c. Nec artificioſo, 22. quæſtione 2. Ad idem text. in cap. Ne quis, c. Faciat, c. Omne genus, ibi: *Nec ut præſtes mentiri ſtudeas, nec qualibet fallacia vitam alicujus defendas*, & cap. ſeqq. cauſ. & qu. Et in cauſarum patrono eſt text. in l. Rem non novam, §. Patroni, C. De jud. Et docet D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3. ad 3. Tum quia proponendo rem dubiam veluti certam, inducit clientulum per deceptionem ad litigandum, qui fortè non litigaret, ſi rem dubiam intelligeret; ideòque tenetur ei ad damna, & intereſſe, l. Non eſt ignotum, Cod. de adminiſtr. tut. & tradit Silveſter in ver. Advocatus num. 5. verſ. Quamdiu cauſa eſt dubia. Atque in hunc ſenſum videntur accipiendi Theologi, qui ſimpliciter aſſerunt, advocatum non poſſe in cauſa dubia patrocinari. Sin autem advocatus proponat articulum tamquam 383
dubium, ſicuti eſt propter rationes utrinque ſuaſibiles: tunc poteſt tuta conſcientia in illa cauſa patrocinari, ut probatur in d. l. Advocati, in princ. C. de advoc. diverſ. judic. ubi advocati in primis inde laudantur, quia dirimunt ambigua fata cauſarum. Ergo ſi patrocinium præſtent in cauſa ambigua, non peccant, ſed magis laudandi ſunt, c. Qui peccat, 23. quæſt. 4. Præterea proponendo rem tamquam du- 384
biam, non inducunt clientulum ad temerè litigandum, quia temerè litigare non dicitur, qui dubius eſt, ſed qui ſcit ſe jus non habere, gloſ. 1. in l. Eum quem temerè, ff. de judic. Item ut inquit Ariſt. lib. Rhetor. litigantis nihil eſt, niſi oſtendere quia res eſt, vel non eſt, vel quia facta eſt, vel non facta eſt: utrum autem ſit juſta, vel injuſta, oportet ipſum judicem cognoſcere, & non diſcere à litigantibus. Itaque advocati nec ſententiam proferunt, nec judicem cogunt proferre, ſed tantùm proponunt, quæ ſui clientuli jus confirmare poſſunt; quæ proponere judici in cauſa dubia non eſt injuſtum, & multùm prodeſſe poteſt, ut à judice cauſa melius expendatur, c. Judicantem 30. quæſt. ult. gloſſ. 2. in c. Graves 35. qu. 9. cùm cauſarum merita partium aſſertione pandantur, l. fin. C. ſi per vim, vel alio modo. Et propterea verba illa text. *Advocati, qui dirimunt ambigua fata cauſarum*, &c. gloſſ. exponit dicens, dirimunt, id eſt dicunt ea, propter quæ dirimuntur: nam ipſi non dirimunt, ſed judex. Et in ver. lapſa, dicit, cauſam ejus, qui ſententiam contrariam reportavit ob omiſſas juris allegationes, poſtmodum inſtaurari per advocati induſtriam. Ad hæc niſi ad- 385
vocato liceret conſulere in cauſa dubia, ſequeretur, ut ferè nullo caſu eidem liceret patrocinari, & ſupprimi poſſent ferè univerſa orbis tribunalia; plerumque enim non conſuevit litigari niſi de rebus dubiis, & propterea incertus dicitur litis eventus, l. Quod debetur, ff. de pecul. & cauſæ terminus manifeſtare poterit, qui timidius, quique audacius judicium vel reliquerunt, vel protulerunt, d. l. Rem non novam §. Patroni, C. de judic. Et gloſſ. in d. l. Advocati, exponit verba illa, ambigua fata, id eſt fines. Hinc paſſim videmus ſententias latas in prima inſtantia revocari per judices appellationis, & has rurſus retractari in 3. inſtantia, & deciſiones crebrò variari. Ad hoc c. Nec novum, & ibi gloſſ. 1. 8. quæſt. 1. & l. Si unus, §. Principaliter, ibi: *Propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem*, ff. De recept. arbitr. Satis eſt igitur, ut advocatus moveatur probabilibus rationibus, leg. 4. C. Mand. Et cum advoca- 386
ti in cauſis ex utraque parte debeant eſſe æquales, l. Providendum, C. De poſtulan. & idcircò in omni cauſa quoti-

die videamus ſcribere utrinque advocatos; ſi hoc licitum non eſſet, conſequens eſſet, ut advocati penè omnes damnarentur, & falſum eſſet, quod ait Hoſt. in proœmio ſummæ: *Advocatos rectos meliorem vitam facere, quàm Fratres Prædicatores, vel alios Religioſos*. Sunt pro hac ſententia D. Antonin. *p.2. tit.1. c.19.* §.8. *aliàs eſt 3.p. tit.6.c.2.* §.14. Ang. *in ver. Advocatus, n.17.* Silv. *eod. verſ. q.10.* Armilla *n.20.* Navar. *in Manual. c.25. n.28. verſ. Quamvis ſi cauſa eſt dubia*, Sot. *lib.1. de juſt.& jur. q.8.* Tolet. *in ſum. lib.5. c.60. n.2.*

387 Secundo caſu, cùm ſcilicet una opinio eſt probabilis, altera probabilior, verius videtur advocatum non poſſe conſulere, nec patrocinari pro parte minùs probabili. Ratio eſt, quia nemo poteſt conſulere alteri id, quod ille abſque peccato exequi non poteſt, *cap. Error cum duobus ſeqq. 83. diſt.* S. Thom. *in loco proximè allegando*, Canoniſtæ in *cap. Tua nos de homic.* Sed cliens non poteſt agere cauſam minùs probabilem, nec judex pro illa parte ſententiam ferre; ſed uterque tenetur omninò ſequi partem probabiliorem, ut latiſſimè probatum eſt ſuprà quadraginta duobus fundamentis. Ergo advocatus non poteſt in ea cauſa conſulere, aut patrocinari. Quod clarè ſenſit Navar. in *Manual. cap. 25. n.28. verſ. Et qui*, dum affirmat peccare advocatum, qui patrocinatur in cauſa, quam licèt neſciat omninò eſſe injuſtam, magis tamen reputat eſſe injuſtam quàm juſtam; poſt Anton. de Butr. quem citat in *cap. Brevi de Jurejuran.*

388 Idque, quidquid ſenſerint Theologi relati à Sanchez *in Decal. tom.1. lib.1. c.9. num.52.* vendicat ſibi locum, etiamſi advocatus pandat clientulo ſuo rationes adverſarii eſſe probabiliores; ſiquidem adhuc ei non licet clientulo etiam ſcienti & conſentienti auxilium ferre.

389 Imò ſi in principio litis credat rationes ſui clientuli eſſe veriores, ſeu probabiliores, & in proceſſu comperiat illas eſſe minùs probabiles, & minùs juſtam cauſam, tenetur cauſam ipſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine damno adverſarii, ſecundùm S.Thom. *2.2. quæſt.71. art.3.* Silveſt. *in ver. Advocatus, n.6.* §.10. Navar. *in Manual. cap.25. n.281. verſ. Et qui à principio credit juſtam*, & eſt text. in *d. l. Rem non novam*, §. *Patroni, C. De judic.* ibi: *Sed etſi certamine procedente aliquid tale ſibi cognitum fuerit, à cauſa recedant.*

390 Et quamvis multi exiſtimaverint non eſſe prohibitum advocato ſequi opinionem minùs probabilem, niſi in cauſa ſanguinis, vel civili omnium bonorum, ut Sotus, Tolet. & alii relati à Sanchez *d. c.9. nu.52.* Verè tamen ſive cauſa ſit criminalis, ſive civilis, & ſive agatur de omnibus bonis, ſive de illorum parte, nunquam licet advocato patrocinari in cauſa minus probabili, ſeu minùs juſta, Bart. *in l.1. §. Si quis apud, ff. quod quiſque juris*, & S.Th. *loc. cit.* Quippè major, aut minor quantitas controverſa auget, vel minuit

391 injuſtitiam, ſed peccati ſpeciem non mutat. Ideòque videmus furti actionem dari etiam de re minima, puta pro gallina, pro anſere, imò etiam pro ovo, ut dicit gl. in §. *Gallinarum, in ver. Qui lucrandi animo, inſtit. de rer. diviſ.* quam ſequuntur omnes, teſte Tiraqu. *in tract. de judic. in rebus minimis, fol.50. col.2. ver. decimo*, & Clar. *in §. Furtum, verſ. Pariter etiam adjicimus*. Hæc de advocato.

392 Non obſtant modò argumenta contraria. Ad primum namque reſpondetur, negando majorem; imò enim qui in actibus humanis ad mores pertinentibus eligit opinionem minùs probabilem, imprudenter agit, quia tenetur pro regula ſuorum actuum eligere verum, quod eſt objectum prudentiæ; & tamen eligit minùs probabile, quod plerumque eſt falſum. Item tenetur eligere, quod eſt perpetuò verum, & ſtabile: & nihilominùs eligit opinionem minùs probabilem, quæ hodie videtur vera, ſed poſtea veriſimilius apparebit falſa. Item ut prudenter agat tenetur judicare de re, ſecundùm quod eſt; & tamen judicat, ſecundùm quod putavit eſſe minùs probabiliter. Item debet eſſe certus ſaltem moraliter de rectitudine ſuæ rationis, quam tamen certitudinem profectò non habet judicium minùs probabile; ſed prorſus fluctuat, & vacillat propter fortiora motiva opinionis oppoſitæ. Item debet uti principio infallibili: & tamen utitur opinione minùs probabili, quam mentiri, & fallere plerumque contingit, & falli. Item ex prudentia tenetur eligere certum, & dimittere incertum: & tamen eligit judicium minùs probabile, quod eſt obnoxium magnæ formidini propter validiora motiva partis alterius: & ideò eſt omninò timidum, & incertum. Item tenetur agere cum veritate: & tamen ſequitur minùs probabilem opinionem, quæ ut in pluribus eſt falſa; & ideò à ratione virtutis proculdubio excluditur. Item tenetur eligere bonum, & rectum: & eligit minùs probabile, quod plerumque ſe habet ad malum, & obliquum. Item ne ſit imprudens tenetur cavere periculum; & nihilominùs eligendo, quod minùs probabile eſt, ac minùs tutum, exponit ſe manifeſto diſcrimini; prout hæc omnia, & alia plura his ſimilia patent per viginti ſex fundamenta ſuperiùs allata in prima quæſtione pro parte negativa à num. 59. uſque ad num. 112. & probantur in 2. 3. & 7. fundamento pro hac ſententia.

Ad confirmationem reſpondetur primò negando aſſumptum, quia etſi Deus dederit nobis dictamen rationis ad rectè operandum, non tamen conſtituit formalem rationem rectitudinis humanæ operationis in ipſa probabili rectitudinis apparentia, cùm hæc indifferenter ſe habeat ad rectum, & obliquum; ſed in ſola rectitudinis veritate, ſecundùm illud Eccl.37. 20. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te*, ut fusè explicatum eſt ſuprà in 1. quæſtione num. 60.

Deinde reſpondetur, argumentum retorqueri ex eodemmet principio, cui præcipuè innituntur defenſores probabilitatum, videlicet: Qui operatur id, quod probabiliter apparet rectum, ſecundùm eos non peccat. Ergo à contrario peccat, qui operatur id, quod apparet non rectum, *cap. Hoſpitiolum, in fin. 32. diſtinct.* & ibi gloſſ. *unica in princ.* Sed qui ſequitur opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris, operatur id quod ſibi apparet non rectum, quia fortiora motiva probabilioris opinionis oppoſitæ negant hujuſmodi opus eſſe rectum; ut conſtat ex dictis in pluribus fundamentis pro hac ſententia, & præcipuè in primo, & 23. num. 257. & numer. 281. Ergo qui ſequitur opinionem minùs probabilem concurrente probabiliori, peccat. Si igitur æquanimiter obſervanda eſt regula à Deo tradita hominibus pro morum directione, quæ, ut ipſi affirmant, conſiſtit in hoc, ut id ſolùm liceat operari, quod nobis probabiliter apparet rectum; in concurrentia opinionis minùs probabilis, & probabilioris, ſi illa dictet opus eſſe rectum, hæc verò non eſſe rectum; utique potiùs abſtinendum eſt ab opere, quia attenta ratione apparentiæ, quæ ſecundùm eos eſt ratio formalis dictæ regulæ, hujuſmodi opus magis apparet non rectum, quàm rectum, & eidem regulæ adverſatur potiùs, quàm conformetur. Id quod pulchro exemplo confirmat Julius Mercorus in ſuo opere *de probabilitate opinionum part.2. art.8.* videlicet: Rex in expeditione militari præcipit duci ſui exercitus, ut in gravioribus negotiis ſequatur conſilium ſeptem Seniorum, quos ei collaterales nominatim conſtituit. Occurrit hoſtis, conſuliturque, an acie ſit dimicandum. Ex iis, qui ſunt à conſiliis, tres affirmant, reliqui negant. Si dux tunc nihilominùs vellet præliari, quippè ageret contra præceptum Regis, apud quem non excuſaretur, ſi vocatus ad reddendam rationem pugnæ, vellet ſic paralogizare: Rex præcepit mihi agere juxta conſilium Seniorum. Sed tres, quorum conſilium ſum ſequutus, ſunt Seniores. Ergo pugnando feci juxta præceptum Regis. Nam protinus fiſcalis ipſum tanquam deluſorem Regii mandati redargueret ſimili ſyllogiſmo: Imò feciſti contra mandatum Regis, quod erat, ut ſequereris conſilium Seniorum. Sed quatuor, quorum conſilium non es ſequutus, erant Seniores conſtituti à Rege pro conſilio. Ergo pugnando feciſti contra mandatum Regis; ideòque puniri debes, tametſi res benè ceſſerit, ut *leg. Deſertorem*, §. *In bello, ff. de re milit.* Porrò non ſecus apud Regem regum ſe excuſant, qui indiſtinctè utuntur ſententia minùs probabili in concurſu probabilioris, dum illum paralogiſmum replicant: Deus ſolùm à nobis exigit, ut ſequamur conſilium rationis. Sed dictamen juxta opinionem minùs probabilem concurrente probabiliori eſt conſilium rationis. Ergo qui ſequitur opinionem minùs probabilem concurrente probabiliori, non facit contra divinum mandatum. Non enim animadvertunt ex adverſo remordere, ac redarguere ſynderenim, quæ in interiori foro gerit vicem vigilantiſſimi fiſcalis. Arguit enim: Si fateris id ſolum eſſe opus licitum, quod ex conſilio rationis apparet honeſtum, fugere debes

bes quod tibi apparet ex conſilio ejuſdem rationis non honeſtum. Igitur contra divinum mandatum agis, qui eligis opus, quod tibi ſuggerit opinio minùs probabilis, cùm idem ex conſilio opinionis probabilioris magis appareat non honeſtum.

Ad ſecundum, & tertium reſpondetur negando minorem; imò enim etiam is, qui opinionem probabilem eligit, moralem certitudinem non habet de honeſtate operationis; quin potiùs vacillat, & fluctuat, quia opinio eſt acceptio unius partis cum formidine alterius, & ubi eſt opinio, ibi eſt vacillatio, quæ ſunt præciſa verba S. Bonaventuræ in 3. *ſent. diſt.* 24. *qu.* 24. *verſ. Item opinio, ante nu.* 33. & probatum eſt ſuprà in 1. q. in 6. & 7. fundamento, & in 22. cum quatuor ſequentibus pro ſententia negativa, & in reſponſione ad ſecundum argumentum num. 111. Ergo multò magis caret morali certitudine, qui ſequitur opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris, ut conſtat ex dictis ſuprà in 2. 3. 11. & 12. fundamentis pro hac ſententia.

Ad quartum reſponſum eſt ſuprà in 1. quæſt. n. 111. in reſponſione ad quartum argumentum, negando ſcilicet antecedens, & negando conſequentiam. Nam ibi dicta concludunt à fortiori in caſu præſenti, in quo agitur de electione opinionis minùs probabilis, relicta probabiliori; & ibi vide rationem diverſitatis inter ſpeculativa; & moralia.

393 Ad quintum reſpondetur negando minorem, imò enim qui ſequitur opinionem minùs probabilem affirmantem actum eſſe licitum, nec ſequitur perfectum, nec tutum, ſed exponit ſe peccati periculo, & ſic proculdubio peccato, ut efficaciter probatum eſt ſuprà in 12. & 28. fundamento.

Nec obſtat, quòd non teneamur eligere perfectiùs, ac tutius. Quoniam hoc vendicat ſibi locum, ſi ex electione partis oppoſitæ non immineat periculum peccati, prout contingit in omnibus operibus bonis, quæ non ſunt in præcepto; quamvis enim ea facere ſit tutius, tamen qui non facit, non peccat, ut in ingreſſu Religionis, in quo exemplificat Silveſt. in *ver. Scrupulus, num.* 3. & in his terminis loquuntur *cap. Aliud* 11. *qu.* 1. & alia jura in contrarium allegata; ideòque Apoſtolus 1. *ad Corin.* 7. 38. dicit: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit; & qui non jungit, meliùs facit.* Et tamen inquit: *De virginibus præceptum Domini non habeo; conſilium autem do.* Et mox ſubdit: *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Ergo propterea quis non arctatur ad electionem melioris boni, id eſt virginitatis, quia in electione minoris boni, id eſt matrimonii, non committitur peccatum. At ſecus eſt, ubi in electione unius partis vertitur peccati periculum, quia tunc tutiorem partem eligere, non in conſilio, ſed in præcepto eſt, ut latè in ſuperioribus probatum eſt; & declarat idem, & Silveſter in *ver. Dubium, quæſt.* 2. *num.* 4. Prætereà quamvis non teneamur ſemper ſequi perfectius, ac tutius, ſemper tamen ſe qui tenemur perfectum, ac tutum, *c. Si quis poſitus, & c. Si quis autem, de pœnit. diſt.* 7. At cùm ſequimur opinionem minùs probabilem affirmantem actum eſſe licitum, nec perfectum ſequimur, nec tutum, ut ſuprà proximè dictum eſt.

394 Ad ſextum diffusè reſponſum eſt ſuprà in 1. *quæſt. in reſponſione ad* 5. *&* 6. *à num.* 112. *uſque ad num.* 117. Quibus addimus D. Thomam in 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 4. *ad* 2. ubi ait: Unuſquiſque debet niti ad hoc, quòd de rebus judicet ſecundùm quod ſunt: quia verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur in *6. Ethic.* Po-
395 tiſſimùm autem veritas indaganda eſt in foro conſcientiæ, qui dicitur forus veritatis, ut latè per Feder. de Sen. *conſil.* 21. *per tot.* & Anton. de Butr. in *cap. Inquiſitioni, in* 5. *not.*
396 *de ſent. excommun.* Unde Archid. relatus hìc à Bald. *n.* 3. dicit conſcientiam eſſe quamdam conſonantiam, & harmo-
397 niam cum veritate. Et in idem recidit, quod ſcripſit idem Bald. *n.* 1. Lex conſcientiæ debet dici lex Euangelica, à Patre luminum oriens. Et quod dixit in *l.* 2. *C. de fideicomm.* Con-
398 ſcientia eſt Angelus mentis præſes. Nec cuiquam erit grave, aut importabile onus inveſtigare opiniones probabiliores. Quia ratio naturalis ſeipſam oſtendit, & veritatem occultam non ſinit, ut idem Bald. ait hìc *nu.* 9. Quinimò ſi credimus Feder. de Senis *conſ.* 254. *in princ.* qui veritatem dicit, non laborat; ſed cum magno labore, & languore trahuntur argumenta, quæ inducuntur pro oppoſitione veritatis.

Ad ſeptimum argumentum, & ad primam illius rationem reſpondetur, B. Job ibi non loqui de formidine, an ejus opera eſſent recta; ſed de metu, an facta eſſent debita cum diligentia, & intentione, ſine ulla culpa veniali. Nam ut D. Gregor. inquit: *Sæpè ſordet in conſpectu ſuperni judicis, quod in conſpectu fulget operantis.* Et ita exponunt D. Hieron. & S. Th. ſuper illud Apoſtoli ad Philippenſes 2. 18. *Cum metu, & tremore veſtram operamini ſalutem. Et* 3. *p. ſuper q.* 6. *art.* 4.

Ad rationem ſecundam reſpondetur negando minorem: nam qui agit cum dubio poſitivo, & formali, exponit ſe periculo peccati mortalis, & mortaliter peccat, ut conſtat ex dictis ſuprà à n. 206. & latiùs in 2. q. princ. in 2. concluſ. à n. 171. uſque ad n. 229.

Ad rationem tertiam reſpondetur, eum, qui habet judicium opinativum de aliquo opere, non habere quidem dubium negativum, de quo loquitur Bart. exadverſo allegatus; ſed tamen habere dubium poſitivum, & formale, ex quo oritur fluctuatio, & vacillatio intellectus, & conſequenter incertitudo, & imprudentia operationis, ut latè monſtratum eſt in ſuperioribus, & compendiosè num. 111.

Ad rationem quartam reſpondetur negando minorem: nam qui ſequitur opinionem minùs probabilem, in concurſu probabilioris, minimè ſequitur inclinationem intellectus, qui violenter attrahitur in partem oppoſitam, in qua præponderant graviora motiva; ideòque nec ſequitur dictamen rationis, quod nihil eſt aliud, quàm inclinatio intellectus in opus rectum, ut ex mente D. Thomæ probatum eſt ſuprà in 4. fundamento pro hac ſententia n. 258.

Ad rationem quintam reſpondetur diſtinguendo duplicem formidinem. Alia enim eſt formido logica, ſeu remota, quæ in intellectu naſcitur ex eo, quòd objectum cognitum, quamvis conſideratis particularibus rationibus intrinſecis, & extrinſecis ſit moraliter certum: tamen non repugnat, quominus poſſit aliter ſe habere, attentis quibuſdam rationibus communibus, & remotis, ſecundùm quod aliquando in humanis actibus accidere ſolet, ut *l. Si major. C. de legit. hæred.* Exemplum patet in ſcriptura tabellionis, quæ facit plenam fidem, cùm tabellio ſit perſona publica, quæ mentiri non præſumitur, *cap. Quoniam contra, de probat. & c. Ad audientiam, de præſcrip.* Et tamen attenta quadam ratione communi, id eſt humanitate, poſſibile eſt, ut tabellio mentiatur, & inſtrumentum ſit falſum, ut *l.* 2. *C. De fid. inſtrum. & l.* 1. *&* 2. *C. Ad l. Corneliam, de falſ. cum ſimilib.* Verùm quia hoc raro contingit, cenſetur omninò per accidens, & non attenditur, ut *l. Jura, & l. Ex iis, l. Nam ad ea, & l. Quoniam, ff. De legib.* Et formido, ſi quæ remanet ex tali poſſibili contingentia de oppoſito, non præjudicat certitudini requiſitæ ad rectè operandum; imò cùm ſit de periculo erroris valdè remoto, & raro contingente, tanquam levis contemnitur à viro prudenti. Ad hoc bonus textus in *d. l. Quoniam,* ibi: *Quæ ſemel, aut bis accidunt, contemnunt legiſlatores.* Alia verò eſt formido moralis, ſeu prudentialis, quæ ſcilicet eſſentialiter ineſt judicio opinativo, ſeu probabili, & oritur ex eo, quòd intellectus aſſentitur quidem uni parti contradictionis, ſed tamen propter particularia & urgentia motiva alterius partis fluctuat, & formidat, ne pars oppoſita ſit vera. Et de hac formidine loquitur Ariſtoteles in 1. *Magnor. moral. c.* 33. *ante med.* dum diffinit, exiſtimationem, ſeu opinionem eſſe, qua in omnibus ferimur ancipites, ea ne ita ſe habeant, an ſecus; & in 1. *Poſter. c.* 26. dum ait opinionem eſſe circa verum, aut falſum contingens aliter ſe habere: & Nicolaus de Lyra ſupracit. *numer.* 72. *verſic. Miror.* Et hæc formido prorſus perimit moralem certitudinem; ita ut qui operatur cum tali formidine ſeu dubio poſitivo, & formali in materia morum, exponat ſe periculo, & peccet, ut dictum eſt ſuprà in reſponſione ad rationem ſecundam. Quamvis igitur admitteremus timoratæ conſcientiæ homines dum rectè operantur experiri aliquam formidinem, ut dicitur in argumento contrario: tamen hæc non eſt formido moralis, de qua nunc loquimur; ſed eſt formido logica, ſeu remota, quæ rectitudini conſcientiæ non præjudicat, nec moralem adimit certitudinem.

Ad rationem ſextam, & poſtremam ab exemplis deductam reſpondetur, Præfectum militum incautè prorſus, & imprudenter agere, ſi hoſtem adoriatur, moraliter formidans ſe poſſe ab eo ſuperari. Idemque dicendum de mercatore, qui timet contractum ſibi fore damnoſum, præſertim ſi iſti opinantur ita probabiliùs eventurum, ut pluribus monſtratum eſt ſupra in reſponſione ad primum argumentum nu. 392. Ad exemplum de Medico reſponſum eſt ſuprà num. 250. & 293. In Advocato viget ſpecialis ratio cur poſſit in cauſa dubia patrocinari, ut latè probavimus n. 381. Ad objectum verò de Judice dicimus ex præſumptione violenta ferri poſſe ſententiam, quæ ſanè non eſt probabilis, nec obnoxia formidini, ſed moraliter certa, cùm ſit diffinitiva, ut *c. Afferte, de præſumpt.* & latiùs dictum eſt ſuprà *n.* 101. *& ſeqq.*

399 Ad octavum, & ultimum argumentum deſumptum ex *cap. Literas, de reſtitut. ſpoliat.* reſpondetur, idcircò ibi ex electione ſententiæ verioris alias ſententias non cenſeri reprobatas, quia Innocentius III. in illo ſpeciali articulo declarat ſuæ intentionis non eſſe illas reprobare, aut cuiquam earum aliquod præjudicium generare; atque ita utitur quadam veluti clauſula præſervativa reprobationis, quæ illas conſervat in eo ſtatu, in quo reperiebantur, *cap. Salvo, 9. quæſt. 3. cap. Cùm longè, 63. diſtin. l. Si debitor, ff. Quibus mod. pign. vel hypotheca ſolvat.* At ſecus eſſet, ſi ſimpliciter probabiliorem ſententiam elegiſſet, quia ex hoc ipſo intelligeretur reliquas omnes reprobare, juxta textum in *Clem. unic. §. fin. de Sum. Trinit. & Fid. Cathol. & l. Si idem §. fin. ff. de juriſd. omn. judic.* & fuſiùs dictum eſt ſuprà in 20. fun-
400 damento *verſ. Quinimò*. Deinde reſpondetur id eſſe ſpeciale in electione opinionis mediæ, & diſtinguentis: nam ut colligit Butr. ex eo text. in 7. *notab.* & Abb. *n.* 4. *in fin.* inter opiniones diſtinguens, & illas ad concordiam reducens, non videtur alias opiniones reprobare, vel alicui ex eis derogare. Et ratio naturalis eſt, quia medium non opponitur extremis, ſed extrema ipſa invicem opponuntur, & mutuò ſe perimunt, ut habetur in 1. *Phyſic. c.* 3. & in 4. *Metaph. c.* 6. *circa med.* & in *c. Majores, §. penult. in fin. de Baptiſmo.*

401 Ad illud verò, quod generaliter tanti faciunt, & extollunt ſequaces probabilitatum, ut dictum eſt ſuprà num. 41. & ſeqq. nempè quòd hæc doctrina tollat ſcrupulos, & afferat ſerenitatem conſcientiæ, quòd medeatur morbis animarum, eaſque ad cœlum perducat per viam ſuavem, & planam, ſecundùm illud Matth. 11. 30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*: Reſpondemus mirandum eſſe, quòd viri docti, & pii, ore, ſcriptoque talia effuderint paradoxa. Nam ſi ſermo ſit de præceptis juris naturalis, Chriſtus Dominus *non venit ſolvere legem, ſed adimplere*; ideòque mandavit, ut ab ea non præteriretur unum iota, aut unus apex, ut Matth. 5. 17. & 18. Si verò ſit ſermo de præceptis juris divini poſitivi, lex euangelica ab ipſo promulgata non ideò ſuavis appellatur, quòd ejus obſervatio ſecundùm ſe careat difficultatibus; alioquin præceptum de captivando intellectum in obſequium fidei, præceptum de fide confitenda etiam cum periculo vitæ, præceptum charitatis de diligendo inimico, nec non præceptum de confeſſione peccatorum, in quibus experimur ingentem ſenſus repugnantiam, ad jugum Chriſti nequaquam pertinerent. Sin autem ſermo ſit de præceptis Eccleſiæ, audi verba Agathonis Papæ relati in *cap. In memoriam, 19. diſt. Servanda cum manſuetudine humilitas, ut licèt vix ferendum ab illa S. Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Ad idem *c. In memoriam, 100. diſtinct. & c. Quid ergo, 11. quæſt.* 3. facit text. in *l. Proſpexit, ff. Qui, & à quibus*, ibi: Quod perquàm durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt. Jugum ergo Chriſti non propterea dicitur ſuave, quòd indulgeat ſenſui, & faveat concupiſcentiis; ſed quia divinæ gratiæ dono, & virtute charitatis, mandata alioquin aſpera, & laborioſa redduntur nobis ſuavia, & plana, ſecundùm illud 1. ad Corint. 15. *Abundantiùs omnibus his laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum.* Et ita expreſsè docuit S. Thomas in 3. *ſentent. diſtinct.* 40. *art.* 4. *verſ. Sed contra juncta quæſt.* 3. *verſic. Si autem ſecundo modo, & ad ſecundum*, ubi exponens hunc ipſum locum Matthæi, *Jugum meum ſuave eſt*, &c. ſic fatur: *Non ideo Dominus hoc dixit, quod ſecundum ſe non ſit laborioſum, & aſperum; ſed quia lex Euangelica ad mandata implenda inducit ex amore, qui omnia levia facit: & qui virtuoſus ea, quæ ad virtutem pertinent, delectabiliter exequitur, ut dicitur in* 1. *Ethic. cap.* 11. *& ideo virtus perfecta leviùs quantumcumque difficilia exequitur, quàm carens virtute, facilia, cui hoc ipſum triſte eſt, quod à delectationibus illicitis abſtineat.* Hæc D. Thomas. Similiter S. Auguſtinus exponens illud Joann. *epiſt.* 1. *cap.* 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*, dicit: *Non ſunt gravia amanti, ſed non amanti gravia ſunt.* Et *cap.* 49. *Omnia*, inquit, *fiunt facilia charitati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt, aut & una eſt ſarcina ipſa, quæ levis eſt; ſecundum hoc dictum eſt: Et præcepta ejus gravia non ſunt, ut cui gravia ſunt conſideret non potuiſſe divinitùs dici, Gravia non ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui gravia non ſunt, & petat qui deſtituitur, & impleat quod jubetur.* Sic Auguſtinus. Igitur ſuavitas in jugo Chriſti, & libertas in lege Euangelica, nullatenùs eſt petenda ex doctrina de libera electione opinionis probabilis, ſed ex humili imploratione divini auxilii: & Scriptores Catholici, qui tantoperè hoc argumentum magnificant, reminiſci deberent, & cordi infigere aurea verba Hieronymi in *Joann. cap.* 27. videlicet: *Hæreticos cuncta proſpera polliceri, ſemper Cœlorum regna facili negotio peccatoribus pandere: Sibi ſunt regna cœlorum: Potes imitari Majeſtatem Dei, ut abſque peccato ſis; cœpiſti enim perfectæ libertatis legem. Decipiunt blanditiis miſeros, & maximè mulierculas oneratas peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ.* Hactenùs verba Hieronymi.

Quod ergo magnificant probabilitatum ſectatores, per hanc doctrinam homines ad Empyreum duci per viam ſuavem, & planam, eſt merum commentum ad animas decipiendas: nam cùm Euangelium dicat, Matth. 7. 14. *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam*: inquiro ab ipſis, num ſit alia via eundi ad cœlum ab illa, quam Euangelium docuit? Si dicant eſſe aliam, ſcilicet ſuavem, & latam probabilitatum, quam hoc noſtro ſæculo ipſi ſuo ingenio adinvenerunt: inſiſto, Cur ergo Euangelium nos eam non docuit, ſed tantùm meminit viæ arctæ, & portæ anguſtæ? & ſaltem cur Apoſtoli, & eorum Diſcipuli, ac Sancti Patres per quindecim ſæcula hanc viam facilem, & planam nobis non indicarunt? Sanè non immeritò genus humanum conqueri poſſet de Divina Clementia, ſi exiſtentibus duabus viis eundi ad Cœlum cum eadem ſecuritate, oſtendiſſet nobis illam tantùm, quæ anguſta eſt, & occultaſſet eam, quæ lata eſt, & plana. Et ſaltem negari non poſſet, quin Euangelium fuiſſet diminutivè loquutum, manifeſtando nobis portam anguſtam, & viam arctam, & abſcondendo aliam latam, & facilem; quod impium eſt affirmare. Nec ſe tueri poſſunt adverſarii, ſi dicant, Euangelium docuiſſe nos hanc quoque viam per illa verba: *Jugum meum ſuave eſt, &c. & mandata ejus gravia non ſunt.* Quoniam hujuſmodi authoritates alium habent ſenſum, ut ex Auguſtino, Hieronymo, & D. Thoma ſuprà proximè oſtenſum eſt.

Sin autem dicant unam tantùm eſſe viam, quæ ducit ad vitam, ſcilicet anguſtam & arctam, quam docuit Euangelium: Ergo via larga, & plena probabilitatum, quæ Euangelio opponitur, non eſt via Euangelica, nec ducit ad vitam, ſed magis ad interitum, *cap. Hoſpitiolum in fin.* 32. *diſtinct.*

Manifeſta quoque eſt illuſio, quòd doctrina de libera electione opinionis minùs probabilis tollat ſcrupulos, & ſerenet conſcientias. Ad quod demonſtrandum repetenda eſt differentia inter ſcrupulum, & opinionem. Scrupulus eſt credulitas levis, & temeraria: Opinio eſt credulitas probabilis, & diſcreta. Utrumque probatur clarè in *cap. Inquiſitioni, de ſent. excommun.* & ex communi ſententia Theologorum & Juriſtarum fuſiùs oſtenſum eſt ſup. n. 24. & 261. Unde habere conſcientiam ſcrupuloſam nihil eſt aliud, quàm habere credulitatem levem, ac temerariam de malitia actus: & habere conſcientiam opinativam, aliud non eſt, quàm habere credulitatem probabilem, & diſcretam, quòd ſimiliter actus ſit malus, ut in *d. c. Inquiſitioni, & in cap. Per tuas, il 2. de Simon.* Hoc poſito, is, qui ſequitur opinionem minùs probabilem affirmantem actum eſſe licitum, relicta probabiliori oppoſita, utique non habet ſimplicem ſcrupulum, id eſt credulitatem levem, & temerariam, ſed potiùs credulitatem probabilem, imò magis probabilem, & diſcretam de malitia actus, cum opi-

opinioni ſuæ minùs probabili, quòd actus ſit licitus, opponatur opinio probabilior, quòd ſit illicitus. Ergo doctrina, quæ docet ſequi minùs probabilem, & minùs tutam in concurſu probabilioris, ac tutioris, nequaquam tollit ſcrupulum, id eſt levem, & temerariam credulitatem, quòd actus ſit malus, quia impoſſibile eſt, ut tollat id quod non eſt, cùm privatio præſupponat habitum, *leg. Decem, ff. verb. obligat. cap. Ad diſſolvendum, de deſponſ. impub.* Opinionem verò, ſeu credulitatem magis probabilem, & diſcretam de malitia actus, hæc doctrina tollere non poteſt, quia ratio nulla ſubeſt, cur talis credulitas poſſit ſuſpendi, aut tolli: neque enim poſſumus ad libitum conſcientiam noſtram formare, quia ſecundùm Philoſophum ſæpiùs citatum in 2. *de Anima text.* 153. imaginari quidem poſſumus, & fingere quidquid volumus; opinari autem non eſt in nobis. Unde cùm opinio, quòd actus ſit licitus, ſit minùs probabilis, & ejus contradictoria ſit probabilior, impoſſibile eſt etiam naturaliter, & phyſicè, ut intellectus, propoſita veritate objecti, non inclinetur in partem probabiliorem, in qua ſunt fortiora motiva, ut pleniùs ſuprà in 1. fundamento nu. 257. Cùm igitur libertas eligendi opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris, nec tollat ſcrupulum, nec opinionem de malitia actus, conſequens eſt, ut nec ſerenet conſcientias, nec earum ſanet vulnera, ut perperam conclamant propugnatores probabilitatum. Quid ergo facit hæc doctrina? dicam paucis: hebetat, & obtundit conſcientias. Dicam vulgariùs: efficit conſcientias groſſas, & largas, & in cauſa eſt, ut homo minimè ſequatur dictamen rationis, & inclinationem intellectus, qui cognita opinione probabiliori, quòd actus ſit illicitus, non poteſt illi non adhærere, cùm non ſit potentia libera, ſed cogatur ab intelligibili, ſicut ſenſus à ſenſibili, ut planè probatum eſt ſuprà in 2. qu. nu. 155.

Quare electio opinionis minùs probabilis affirmantis actum eſſe licitum, non eſt actus intellectus, ſeu potentiæ rationabilis, ſed eſt actus voluntatis, quæ cùm ſit potentia libera, ex perverſitate, & malitia eligit, quod deterius eſt reluctante conſcientia, ac proinde ædificat ad gehennam, ut in *d. c. Per tuas, il 2. de Simon.* & in *c. Quoniam omne, de præſcript.* & conſtat ex dictis ſuprà in 5. fundamento pro hac ſententia *n.* 260.

Ad motiva Baſſæi, quòd expediat duas habere vias pro mandatis Dei adimplendis, ſicut expedit duas habere vias, quæ ducunt Matritum: Reſpondetur hoc poſſe admitti, ſi ambæ eſſent tutæ. At via probabilitatum, & libertas eligendi opinionem minùs probabilem, quæ favet libertati, in concurſu probabilioris, quæ favet præcepto, nullatenùs tuta eſt, imò evidenti periculo expoſita, ut in ſuperioribus monſtratum eſt. Quibus nunc addimus illud Proverb. 6. *Eſt via, quæ apparet homini recta, ſed noviſſima ejus ad inferna deducunt.* Ubi Sapientia Divina non loquitur de via mala ſecundùm ſe, & à parte rei, quæ tamen certò, & invincibiliter apparet recta: alioquin conſcientia erronea ex ignorantia invincibili non excuſaret, contra id, quod docent communiter Theologi cum D. Thoma in 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. Nec loquitur de via non recta, quam aliquis ſine ullo fundamento judicat rectam. Nam quod apparet rectum, ex aliquo fundamento apparet tale, *c. Ego ſolis, verſ. Alios vero, 9. diſt.* & oppoſitum eſt impoſſibile, ut ſuprà oſtendimus *n.* 139. 140. & 143. Supereſt ergo, ut loquatur de via non recta ſecundùm ſe, quæ non certò, ſed probabiliter tantùm apparet recta: id enim propriè dicitur probabile, quod eſt apparens verum, ut in *d. c. Ego ſolis.* Et hæc via non ad lauream Empyrei, ut putat Caramuel, ſed ex divino oraculo ad inferna deducit. Ad quod libet referre verba Religioſi viri Patris Gravinæ in *ſuo Cherubim Paradiſi lib.* 4. *cap.* 5. quæ ſic ſe habent: *Pro certo ſtatuant, qui varias ſemitas opinionum iſtarum probabilium inducunt, vel varia itinera aperiunt innovandæ veritatis, & ſpeciem bonorum oſtendunt, quòd non viæ dicendæ ſunt, ſed diverticula, & ſemitæ, quæ nunquam tandem ad unum exitum terminantur. Utinam inſtitueretur quòd ſicuti in foro contentioſo accipiuntur communiter receptæ ſententiæ, ita & in foro pœnitentiali idem ſtatueretur decretis proviſivis, præſcribendo has, non illas recipiendas. Quàm benè id eſſet conſultum Eccleſiæ! brevi tempore reformaretur mundus, qui ex licentia opinandi in præceps ruit, latiſſimam viam ingrediendo, quæ ducit ad perditionem.* Hæc ille. Prætereà, ſi novæ felicitati Eccleſiæ, quam exaggerant Moderni, congaudendum eſt, quia nunc exuberat multitudine opinantium, qui faciliùs deducunt ad lauream Empyrei: ergo vice verſa eſt condolendum infelicitati Eccleſiæ ſæculorum præcedentium, & fideles illorum temporum dicendi ſunt miſerrimi, quibus hæc porta Empyrei fuit clauſa, quarum plurimi eſſent damnati, quia quod honeſtum eſt, turpe exiſtimantes, à propriis Sacerdotibus malè inſtructi ac decepti ex conſcientia erronea peccaverunt, ſecundùm ea quæ leguntur, & notantur in *c. Per tuas, il 2. de Simon. & in §. Ex his*, 18. *q.* 1. & per D. Thomam *quodlib.* 8. *art.* 13. Infelix ergo fuit Eccleſia, quæ hujuſmodi laboravit ignorantia per quindecim ſæcula, ſi nunc dicenda eſt felix ex multitudine opinantium.

Ad alia objecta, quæ à defenſoribus probabilitatum poſt Medinam & Sanchez noviſſimè afferuntur, nempè ad imaginariam demonſtrationem Caramuelis, ad quinque rationes Marci Vidal, & ad ſeptem argumenta P. Spinulæ, adæquatè reſpondet Jul. Mercorus *de probabil. opinion. p. 2. ar.* 28.

Ad extremum, ut omnia in ſuperioribus quæſtionibus enucleata in compendium redigantur: ſi quæris, an in omni materia tibi ſequi liceat quamcumque opinionem probabilem, diſtingue: Aut quæſtio eſt de his, quæ ad fidem, aut mores non pertinent: & in his liberum eſt tibi amplecti quam malueris opinionem, etiam minùs probabilem, ſecundùm ea quæ dicta ſunt ſuprà num. 15. Aut eſt quæſtio de his quæ ſpectant ad fidem, aut mores: & tunc ſubdiſtingue. Nam aut agitur de articulis ab Eccleſia diffinitis; & conſule regulam fidei, & ſequere decreta Patrum: alioquin ſi adhæreas opinioni alicujus Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, aut contra id, quod publicè tenetur ſecundùm Eccleſiæ authoritatem, non poteris ab erroris vitio excuſari, ut conſtat ex dictis num. 19. cum duobus ſequentibus. Aut articuli non ſunt diffiniti ab Eccleſia, & tunc ut ſcias omni cum ſecuritate conſcientiæ ad praxim deducere, attende diligenter, cùm tibi occurrit aliqua controverſia, aut à te conſilium petitur in materia ad mores pertinente, ſi vis periculum evadere, hæc obſerva. Primum invoca divinum auxilium, ne te errare permittat, ſecundùm id, quod docuit S. Thom. ſupracit. num. 115. & mox ſuper quæſtione illa, in qua conſulere aut judicare debes, aggredere opinionem, quæ negat actum eſſe licitum, & periculo vacat, & examina diligenter illius motiva: & ſi agnoveris eam non habere rationes ſuaſibiles, vel authoritates moventes, tunc convertas te ad opinionem oppoſitam, quæ affirmat actum eſſe licitum, & ideò eſt periculo expoſita, accuratoque ſtudio expende, & diſcute ſeorſim, & ſingillatim unamquamque rationem illi faventem: & ubi cognoveris eas eſſe ſuaſibiles, ſeu probabiles, tunc illas omnes ſimul conjunge, ac trutina intellectus ſedulò in univerſum perpende: & ſi illis ſimul junctis, & in unum conflatis uſque adeò acquieſcat intellectus tuus, ut concipiat, & apprehendat rem ita eſſe, & judicet ſine ulla trepidatione ac formidine opinionem illam eſſe veram; intrepidè eam ſequaris, quia quamvis non ſis certus de illius veritate per rei evidentiam, ſeu demonſtrationem, quam in moralibus quærere vitioſum eſt; tamen certus es moraliter, cùm ex illis probabilibus conſurgat, & generetur in te certitudo talis, quæ ſufficiens eſt ad rectè operandum: ac proinde bona cum conſcientia potes opinionem illam amplecti, & ſecundùm eam præbere conſilium petenti, prout hæc patent à num. 98. uſque ad num. 111. & præſertim nu. 109. & 110. Sed ſi agnoveris hanc partem habere pro ſe unam tantùm rationem probabilem, aut plures quidem, ſed non tanti ponderis, ut eis etiam ſimul junctis intellectus tuus omninò acquieſcat, & ad eas ſimpliciter ſe determinet, ſed tantùm aſſentiatur fluctuans, & cùm trepidatione ac formidine de illius veritate: & hoc caſu adhibe diligentiam, an poſſis formidinem illam explodere, & abjicere: & quidem ſi hoc aſſequi potueris, tunc ea exploſa, poteris tutò ſequi eamdem opinionem, & juxta eam conſulere; quia judicium tuum, quod manente formidine erat probabile, ea depoſita, definit eſſe tale, & incipit eſſe certum, ea planè certitudine quam exigit moralis materia. Et hic propriè eſt caſus *cap. Inquiſitioni, verſ. In ſecundo de ſent. excom.* At ſi omni diligen-

tia adhibita non potes formidinem illam à te repellere, ac deponere, tunc intellectus tuus vacillat, & fluctuat, nec ſimpliciter ſe determinat; ideòque judicium tuum non eſt moraliter certum, ſed tantùm probabile, timidum, ac incertum, utpotè obnoxium formidini; ac proinde teneris ab illa opinione prorſus abſtinere, nec ſecundùm eam tibi fas eſt conſulere; alioquin exponis te diſcrimini, & lethaliter peccas, cùm in judicio practico formido & ſcrupulus niſi deponatur ſit mors conſcientiæ, ut conſtat ex dictis num. 88. & 95. & numeris ſequentibus, & num. 246. Verùm ſi à principio occurrat tibi opinio affirmans actum eſſe licitum, & illius rationes tibi videantur probabiles, & ideò tu velis in illa ſtatim quieſcere abſque eo, quòd reflectas ad opinionem contrariam, aut conſideres illius motiva, tunc cave ne decipiaris, quia non licet tibi opinionem illam utcumque probabilem ſequi, nec ſecundùm eam conſulere aut judicare: ſic enim aſſumeres judicium probabile pro regula tuarum operationum, quod in moralibus ſine peccato fieri non poteſt, ut viginti ſex fundamentis probatum eſt ſuprà in prima quæſtione à num. 59. uſque ad num. 98. Sin autem perpenſis motivis utriuſque partis agnoveris utramque opinionem eſſe æqualiter probabilem, vel quaſi æqualiter, eo caſu non eſt tibi liberum ſequi utramque, vel alteram, quam malueris, quia non es moraliter certus, ſed dubius, ut probatum eſt in 2. quæſt. à num. 125. uſque ad num. 171. & ideò teneris ex præcepto ſequi partem tutiorem, ut ſimiliter eſt probatum à num. 171. uſque ad num. 229. Neque enim extra materiam juſtitiæ, & in foro conſcientiæ habet locum regula: In pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, ut conſtat ex dictis à num. 191. uſque ad nu. 212. Unde teneris ſequi partem tutiorem, ſive dubium ſit juris, ut à num. 212. uſque ad num. 218. & in omni materia, etiam extra caſum irregularitatis, ut num. 220. Quòd ſi non appareat, quæ opinio ſit tutior, ſervabis regulas à jure præſcriptas, ut patet à num. 229. uſque ad num. 242. Quòd ſi omni ſtudio, ac diligentia adhibita in perquirenda veritate cognoveris omnia utrinque eſſe prorſus paria, quod rarò accidit: tunc ſecundùm ea, quæ dicta ſunt num. 235. & ſeqq. aut partes adige ad tranſigendum, aut divide rem diviſibilem, aut conſule Eccleſiam Romanam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram, ut *cap. Per venerabilem*, §. *Rationibus*, *qui fil. ſint legitim.* Cæterùm ſi conſideratis motivis utriuſque partis, agnoveris probabilem eſſe opinionem affirmantem actum eſſe licitum, contrariam verò eſſe probabiliorem, tunc non licet tibi ſequi minùs probabilem, ac minùs tutam, ſed teneris ex præcepto ſequi probabiliorem, ac tutiorem, ut quadraginta duobus fundamentis probatum eſt in 3. quæſt. à num. 253. uſque ad num. 402. Idque ſive ſis Conſiliarius, ut nu. 354. ſive Judex, ut num. 298. & 355. uſque ad nu. 373. ſive Medicus, ut num. 373. & num. ſeqq. ſive Rex in bello gerendo, ut num. 375. præcipuè verò in adminiſtratione Sacramentorum extra caſum extremæ neceſſitatis, ut num. 303. & 304. & n. 376. uſque ad n. 381. & ſive ſis Advocatus, ut n. 381. & n. ſeqq. uſque ad n. 392. Hæc ſequere, & in perpetuum non errabis.

Quartò, & ultimò QUÆRO pro complemento materiæ: An authoritas unius Doctoris in morali materia, in qua vertitur peccati periculum, reddat opinionem probabilem, ita ut ſit ſufficiens fundamentum eam tenendi, & ad praxim deducendi.

Sententiam affirmativam probarunt ex recentioribus Theologis Gregorius de Valentia, Emmanuel Sà, Thomas Sanchez, Filliucius, & alii quos ſuprà citavimus in 3. qu. in 39. fundamento pro parte negativa num. 331. Qui omnes aſſerunt probabilitatem opinionum oriri etiam ex ſola authoritate unius docti & pii Doctoris, & allegant Angelum *in ver. Opinio*, *num.* 2. & Silveſt. *ibidem*, *q.* 1. & Navarrum *in Manuali c.* 27. *num.* 288. dum dicit, poſſe nos eligere pro vera opinionem ejus, quem meritò cenſemus eſſe virum ſcientia & conſcientia præditum. Quibus addi poſſunt Bonacina *de peccatis*, *diſp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 9. *num.* 1. ibi: *Sufficit authoritas unius Doctoris valdè periti, & bonæ conſcientiæ*, Martinus Breſſerus *lib.* 3. *de conſcientia c.* 3. ibi: *Unius viri pii, & docti authoritas*, Caſtro Palaus *par.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 1. *num.* 4. ibi: *Alicujus Doctoris pii, & gravis*, & Jacob. Granad. *in p.* 2. *controv.* 2. *tract.* 12. *diſput.* 4. *ſect.* 1. ubi ſic ait: *Dico ergo breviter, per ſe loquendo eſſe probabilem opinionem, quæ habetur in aliquo Doctore ex recentioribus, qui ſit doctus in morali Theologia, pius, & minimè ſingularis, id eſt non docens frequenter opiniones ſingulares.*

404 Moventur, quia opinio probabilis eſt, quæ non levi innititur fundamento: Authoritas autem viri docti & pii non eſt leve fundamentum. Nam ſi in agibilibus prudenter agit qui credit homini gravi & pio aſſerenti aliquid factum Romæ, vel Pariſiis; cur non item in moralibus & practicis prudenter agat, qui fidem adhibeat viro probo, & in ea materia verſato?

405 Nec placet Thomæ Sanchez limitatio Adriani *quodlib.* 4. *art.* 1. *littera N. verſic. Ex hoc patet*, & Cordubæ *in ſuo quæſtionar. lib.* 2. *quæſt.* 3. *in ſolutione ad ſecundum*, *confirmat.* 1. *arg. verſic. Ad Landulphum*, *fol.* 18. ut hoc intelligatur, ſi ſit error juris humani, ſecus ſi divini. Hæc, inquam, limitatio eidem Sanchez non placet, quia in utriſque eſt magni ponderis ac momenti authoritas viri gravis, & pii. Itaque hic Auctor apertè ſenſit ſolam authoritatem unius Doctoris reddere opinionem probabilem, & excuſare à peccato erroris, etiamſi error ſit juris divini: aſſeritque ſuæ opinioni favere D. Thomam *quodlib.* 3. *artic.* 10. dicentem poſſe quemquam amplecti opinionem erroneam, quam à Magiſtro audivit, in iis quæ ad mores pertinent. Sed certè S. Doctor dicit totum oppoſitum, ut cuilibet legenti patere poteſt, & pleniùs paulò infrà explicabitur.

Ego verò pro clariori ſolutione hujus quartæ quæſtionis exiſtimo ſtatuendas eſſe concluſiones infraſcriptas.

406 Prima concluſio eſt: Sola authoritas unius Doctoris utcumque docti & probi nequaquam reddit opinionem probabilem, nec eſt ſufficiens fundamentum eam tenendi, & licitè ad praxim deducendi.

407 Probatur primò authoritate Ariſtotelis 1. *Topic. cap.* 1. ubi ait: *Probabilia autem ſunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his maximè notis.* Quem locum explicans Alexander ait: *Probabilia ſunt, quæ omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus probantur, iiſque vel omnibus, vel pluribus, vel maximè cognitis, ac probatis:* & Boet. *de differ. Topic. c.* 4. *poſt princ. Probabile verò*, inquit, *eſt quod videtur vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, atque præcipuis.* Ergo quæ videntur uni tantum ſapienti, non ſunt probabilia: Et conſequenter authoritas unius viri, utcumque gravis, & docti, non reddit opinionem probabilem.

408 Probatur ſecundò in *c. Noli meis*, *9. diſt.* ubi Auguſt. interrogatus reſpondet, ſcripturis ſuis pro firmo credendum non eſſe, niſi certum appareat. Per quem text. Petr. Brixienſis *in Repert. in ver. Credere*, dicit, in tantum eſſe credendum dictis Doctorum, in quantum canonicis ſcripturis deſerviunt.

Probatur tertiò in *c. Si habes*, 24. *q.* 3. ubi idem Auguſt. *ad Auxilium Epiſcopum: Si habes*, inquit, *de hac re ſententiam certis rationibus, vel ſcripturarum teſtimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo rectè anathematizetur pro patris peccato filius?* Ergo ſentiebat Auguſtinus ſolam Epiſcopi ſententiam rationibus & ſcripturis nudatam, non eſſe ſufficiens fundamentum ſic opinandi, & operandi.

Probatur quartò in *c. Ego ſolis*, *9. diſt.* ubi ſimiliter Auguſtinus profitetur ſe non credere Scriptoribus non canonicis, quamvis doctis, & piis, niſi eorum dicta confirment vel per alios Authores, vel per canonicas, aut probabiles rationes. Ait enim: Alios autem (id eſt Scriptores non canonicos) ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi per alios Authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Ergo ſola authoritas unius ſancti & docti Scriptoris ſine congruis rationibus ſecundùm Auguſtinum non ſufficit ad opinandum, nec reddit opinionem probabilem. Concordat textus in *cap. Neque quorumlibet*, *ead. diſt.* & in *c. Per tuas*, *de ſent. excomm.* ubi probatur non eſſe credendum cuilibet opinioni, neque cuilibet magiſtro, prout ibi notant Hoſt. *num.* 1. & Joan. Andr. *num.* 12.

Probatur quintò in *l. final. Cod. de inſtitut. & ſubſtitut.* ubi Imperator opinionem graviſſimi Juris Conſulti Papinia-

piniani appellat dubitationem. Dubitatio autem minus eſt, quam opinio, quia eſt infimus gradus, per quem primò ad ſuſpicionem, deinde ad opinionem pervenitur, ut notat Bart. communiter receptus in *l. Admonendi*, *num.* 21. *ff. de jurejur.* & pleniùs dictum eſt ſuprà *nu.* 248. Ergo ſola authoritas unius Doctoris quantumcumque gravis, non eſt tantæ potentiæ, ut attingat gradum opinionis probabilis.

409 Probatur ſextò ex generali regula, quòd dicto unius non eſt credendum, quia vox unius, vox nullius, ut *cap. Licèt univerſis*, *c. Veniens*, *c. Jurejurando*, & *cap. In omni negotio*, *de teſtib. l. Juris jurandi*, *Cod. eod.* Roman. *ſingul.* 622. *incipien. Dictum unius*. Quantumcumque ſit gravis, & fide dignus, ut *c. A nobis*, & ibi Abb. *num.* 1. *verſ. No-*
410 *ta pulchrum textum*, *de teſtib.* Et ideò non creditur magno Doctori atteſtanti de conſuetudine, ſeu de communi uſu loquendi, ut de Bartolo notat Baldus in *l. Cùm quidam*, §. *Quod dicitur*, *in fine*, *ff. de acquirend. hæred.* & pluribus relatis ex communi firmat Decius in *conſ.* 472. *incipien. Teſtator levavit*, *num.* 16. *in fin. verſ. Secundò reſponderi poteſt*. Ergo nec creditur Doctori atteſtanti de probabilitate, ſeu veritate alicujus opinionis, cùm præſertim dicti ſui nullam congruentem rationem adducat, & deponat non de veritate ipſa, ſed de judicio, & credulitate ſua, & de his, quæ ſunt juris. Unde longè minùs ei fides adhibetur, ut notat Baldus *conſ.* 286. *incipien. Thema proponitur*, *num.* 3. *verſ. Supereſt igitur*, *lib.* 2. Card. Zabarel. *conſil.* 24. *Quæ enim poſſedit*, Alex. *conſil.* 148. *Excellentiſſime Domine*, *num.* 4. ubi atteſtatur, ita omnes tenere, *lib.* 2. Hinc idem
411 Card. *conſ.* 77. *incipien. Frater unice*, ſcripſit ſe nulli unquam voluiſſe in opinionibus cedere, niſi urgente ratione, cujus dictum refert Felin. *in cap.* 1. *in fin. ſupra eod.* Ad idem textus in *cap. Sanctum eſt*, *de conſecrat. diſtin.* 4. & in *cap. Nolite timere*, 11. *qu.* 3. quem textum notat Archidiac. contra Scholares, qui quotidie dicunt, Hæc eſt gloſſa communis: nam ut ipſe ait: *Cuicumque magno Doctori non habeo credere, niſi ſuum dictum approbetur per authenticam ſcripturam;* & ſequitur Joannes Lupus *in repetitione cap. Per veſtras*, §. 20. *in* 3. *artic. num.* 12. *de donat. inter vir. & uxor.* ubi ampliùs ait, non eſſe credendum Doctoribus, quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento.

412 Probatur ſeptimò authoritate S. Th. in præallegato *quodlib.* 3. *art.* 10. ubi docet in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullum excuſari à peccato erroris, ſi ſequatur opinionem alicujus Magiſtri, quia in rebus dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus; quem locum latiùs expendimus infrà in 2. concluſione, num. 425. & 432. Ergo ex ſententia S. Doctoris ſola authoritas unius Magiſtri nequaquam reddit opinionem probabilem, nec eſt ſufficiens fundamentum rectè opinandi, & licitè operandi.

Probatur octavò ex ſententia Parochorum Pariſienſium, & Rothomagenſium, qui cùm anno 1656. propoſuerint univerſo Clero Gallicano quàm plurimas aſſertiones periculoſas, auctoritate Superiorum prohibendas, primo loco tanquam aliarum præcipuam poſuerunt hanc, de qua nunc diſputamus, videlicet opinionem probabilem eſſe, cùm ab uno ſolo Doctore gravi ſuſtinetur, ut dictum eſt ſuprà in 3. *quæſt. in* 40. *fundamento*, *numer.* 336.

Probatur nonò ex cenſura facultatis Theologicæ Lovanienſis ad requiſitionem Epiſcopi Gandavenſis, de qua ſuprà *num.* 339. *verſ. His addimus*. Nam vigeſimamſextam, & ultimam aſſertionem, videlicet: Authoritas unius Doctoris probi, & docti, reddit opinionem probabilem; Facultas hac cenſura perſtrinxit: Perniciosa eſt, & innumeras abſurditates invehit in omni materia doctrinæ moralis. Et ſeptimam aſſertionem, id eſt: Clarum, & certum eſt, Judicem non poſſe punire aliquem, qui ſequutus eſt opinionem probabilem; Facultas Theologica notavit cenſura, ut infrà: Aſſertio relata ad eam probabilitatem, quam aſſertio vigeſimaſexta, ſeu ultima obtendit, prorſus falſa eſt, & judiciariæ poteſtatis perperam coarctiva, ſeditionum ac rebellionum invectiva, publicæ tranquillitatis turbativa, nec in Republica rectè ordinata ullatenùs toleranda.

Probatur decimò, & ultimò hæc prima concluſio ab abſurdo, quia hoc ſæculo in moralibus nulla ferè eſt opinio quantumcumque exorbitans, quæ aliquem non habeat ſequacem. Quod enim vix tolerandum eſſet in philoſophicis, Theologi noſtræ ætatis non pauci in nulla re magis contendunt, quàm ut certatim in materia morum adinveniant plauſibiles & ingenioſas opiniones, pallio probabilitatis tectas, adeò ut, quod maximè deplorandum eſt, is præclariùs agere, & majori laude dignus videatur, qui majus profert paradoxum. Quare ſi ſequi liceat quàmcumque opinionem probabilem; & probabilitas oritur ſolà auctoritate unius Doctoris, jam licet omnia tenere, & in praxi ſequi pro libera cujuſque conſcientia. Quod quàm ſit abſurdum, & alienum ab arcta via Euangelii, nemo non videt, & ſatis conſtat ex dictis ſuprà num. 77. & in 3. quæſt. in 39. fundamento cum duobus ſequentibus.

Et hanc ſententiam probarunt Ariſtoteles, S. Auguſtinus, Archidiaconus, & Jo. Lupus ſupracitati *num.* 407. 413
& *num.* 411. Baſſæus *in Floribus Theologiæ moralis*, *in ver. Conſcientiæ*, *num.* 8. §. *Ut opinio cognoſcatur*, qui ampliùs tenet, nec turbam Doctorum ſine rationibus efficere opinionem probabilem, ut fuſiùs patebit infrà *num.* 431. Salon. in 2. 2. *q.* 53. *art.* 3. *controverſ.* 2. dicens, eos, qui in rebus moralibus parùm verſati ſunt, non poſſe tuta conſcientia, quod in uno, vel altero invenerint, ſequi; & noviſſimè Antonius Merenda, quamvis prædicta non alleget, in ſuo tractatu hac de re edito in præfatione *pag.* 75. *à num.* 181. *præſertim num.* 185. & 192. *verſ. Vide*, ubi pluribus oſtendit opinionem probabilem non oriri ex authoritate Doctorum, ſed ex rationibus, Candidus Philalethus in *tractatu de opinionum praxi*, *quæſt.* 8. ubi multis fundamentis itidem concludit opinionem unius Doctoris non eſſe ſufficiens fundamentum opinandi, & operandi, & reſpondet objectis; & D. Cardin. de Lugo *de pœnitent. diſputat.* 22. *num.* 43. ubi ait: *Ergo non eſt ſatis, quod pœnitenti ſit probabilis opinio, ſed requiritur, quod verè ſit talis propter authoritatem, & rationes quas pro ſe habet, vel communiter exiſtimetur probabilis. Ergo ſecundum eum ſola authoritas unius Doctoris ſine ratione ad hoc non ſufficit*.

Nec contradicunt Angelus, & Sylveſter initio quæſtio- 414
nis in contrarium adducti *n.* 403. Nam Angelus dicit in cauſa dubia pro multitudine eſſe præſumendum; & loquitur de dubio, quod naſcitur ex opinionibus contrariis. Quòd ſi non appareat, quæ ſit communis opinio, præponendam eſſe illam, quæ validioribus rationibus firmatur. Quare quod aſſerit in fine, poſſe quem ſine peccato ſequi ſui Doctoris opinionem, debet intelligi juxta prædicta, id eſt, ſi ſit communior, vel probabilior, vel niſi, ut ibidem dixerat, ita probaret ſuam, ut alios ſuperaret; unde cùm ſuis limitationibus Angel. nullo modo potuit citari pro hac ſententia. Simili modo Silv. concedit poſſe quem ſequi opinionem Magiſtri ſui, non abſolutè, ſed ſi magis videatur rationi conſona. Unde nec ipſe affirmat ſimpliciter unius Doctoris opinionem eſſe ſufficiens fundamentum eam ſequendi, ſed potiùs oppoſitum.

Nec obſtat ratio ſuprà in contrarium adducta, quòd aſſertio unius probi & docti non ſit leve fundamentum ad reddendam opinionem probabilem. Quoniam hæc ratio petit principium; hoc enim quærimus, an aſſertio unius ſit fundamentum ſufficiens opinandi, & rectè operandi. Unde aſſumi non debet pro fundamento id, de quo diſputatur, ut notat Ripa in *rubrica*, *ff. ſoluto matrimonio numer.*.... Nec ſubſiſtit, quod ſubjungitur, credendum eſſe fide digno aſſerenti aliquid eſſe geſtum Romæ, vel Pariſiis. Imò nullus prudens ſub hujuſmodi aſſertione concluderet aliquod grave, & periculoſum negotium. Et ideò ſi Epiſcopus in remotis noviter proviſus à Papa intelligeret ex literis ſui agentis, vel alterius fide digni, Romæ expeditas fuiſſe bullas ſuæ proviſionis, & huic atteſtationi fidem adhibendo, non viſis bullis, acciperet poſſeſſionem ſui Epiſcopatus, & illius adminiſtrationi ſe immiſceret, utique non evaderet pœnas Extravagantis Bonifacii VIII. *Injunctæ*, *de elect.* ut aliàs vidi obſervatum; & meo tempore Sacr. Congregatio Concilii laudavit Archiepiſcopum Goanum Indiarum Primatem, quòd quamvis ex literis ſui agentis intellexiſſet bullas Papales ſuæ proviſionis fuiſſe levatas, & caſu periiſſe; tamen illis non receptis, numquam potuit adduci, ut Archiepiſcopatus adminiſtrationem ſuſciperet cujuſcumque neceſſitatis præ-

415 textu, ut ſcripſi pleniùs in *c. Nihil*, *num.* 20. *& 34. infra de elect.* facit quod notat Bart. in *l.* 2. §. *Si dubitetur*, *nu.* 1. *ad finem verſ. Quædam ſunt*, *ff. Quemadmodum teſtamen. aper.* ubi tradit ſtandum non eſſe teſti unico in his, quæ ſunt magni præjudicii, veluti ſi atteſtetur de morte mariti, quia eſſet magna infamia, ſi mulier vivente viro nuberet; non enim poſſet in priſtinum ſtatum reponi: ejuſque ſententia
416 magis placet Thomæ Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 46. *num.* 12. Item non obſtat, quod notat Archidiaconus in *c. Domino Sancto*, 19. *diſt. num.* 2. ubi dicit non eſſe ex ingenio procedendum, ſed authoritatibus inſiſtendum; & invehit contra gloſſas, quæ procedunt ex ingenio non informato authoritatibus. Etenim hoc intelligi debet non de authoritate probabili alicujus Doctoris, ſed de authoritate neceſſaria ſcripturarum Canonicarum, de quibus loquitur Auguſt. in *c. In canonicis*, 19. *diſt.* & in *c. Ego ſolis*, 9. *diſt.* Stat igitur concluſio, quòd ſola authoritas unius Doctoris utcumque docti & pii non reddit opinionem probabilem, nec eſt fundamentum ſufficiens eam tenendi, & ſecundùm illam operandi.

417 Limita primò hanc concluſionem, ut locum non habeat, ſi authoritas talis Doctoris nitatur aliquo gravi fundamento, & in contrarium nulla occurrat ratio, vel authoritas movens. Quod vix poteſt contingere niſi in caſu novo, & ab aliis non ventilato; tunc enim tuta conſcientia quis poteſt opinionem illam tenere, & ad praxim deducere: licèt eo caſu affirmare poſſimus, probabilitatem opinionis oriri magis ex vi rationis, quàm authoritatis, arg. *d. c. Ego ſolis*, *verſ. Alios autem* 9. *diſt. & c. Si habes*, *in princ.* 24. & patebit infra *n.* 424. Et in his terminis tantùm admitti poteſt, quod dicunt Sanchez, & alii ſuprà ex adverſo citati *n.* 403. videlicet probabilitatem opinionis oriri ex authoritate unius Doctoris. Procedit enim ſolummodò, cùm Doctor ille, diſcuſſo articulo, movetur rationibus, quæ intellectum adæquent, prout etiam loquitur Silveſt. in *ver. Opinio*, *q.* 1. cujus verba ſuprà proximè retulimus ſub *nu.* 414. & noviſſimè declarat Laurentius Portellus in *dub. regul. in ver. Opinio eligenda*, *nu.* 4. & ex illo Antonin. Diana *reſol. moral. par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 30. & Doctor Sorbonicus Du Val *tract.* 1. *qu.* 4. *art.* 15. *pag.* 116. *&* 117. in hæc verba: *Dicimus Doctorem Claſſicum magnæ authoritatis & famæ poſſe opinionem aliquam firmiſſimis rationibus roboratam introducere, eamque ita introductam & confirmatam tutò aliquem ſequi poſſe*; & Jacob. Granad. in 1. 2. *controv.* 2. *tract.* 12. *diſp.* 4. *ſect.* 1. dicens, non poſſe tutò reputari probabilem opinionem alicujus Doctoris, quando ille non reſpondet ſeriò, ſed veluti obiter, & parùm conſideratè: tunc enim illius authoritas non facit ſufficientem fidem. Et concordant alii ſuprà citati ſub *n.* 413. Et in
418 hunc etiam ſenſum accipiendum eſt dictum Abbatis in *cap. Capellanus*, *de feriis*, quòd ſequens opinionem alicujus Magiſtri non ſubtiliter inveſtigatam, quæ poſtmodum appareat falſa, excuſatur à peccato, quamdiù falſa non appa-
419 ruerit. Quod dictum refert, & ſequitur Silveſter in *ver. Opinio*, *n.* 1. In quibus etiam terminis loquitur Innocen. in *c. Per tuas*, *il* 2. *de Simon.* dum ait: *Non peccare mortaliter eum, qui ſequitur intellectum alicujus gravis Authoris, etiamſi erret, dummodò tamen error hujuſmodi verſetur circa ſubtilitates legum*; cujus dictum ſequitur Bald. in *l. Ab eo*, *n.* 11. *C. Quomodo*, *& quando Judex*, & dicit communiter receptum Navar. in *conſ.* 10. *N. tractabat. n.* 5. *de conſang. & affinit.*

420 Limita ſecundò hanc primam concluſionem, ut non procedat in authoritate alicujus ſapientis, qui ſit clariſſimus, & maximè notus, ac Princeps, ſeu præcipuus in aliqua facultate: nam hoc caſu in ſola authoritate videtur quis poſſe quieſcere, & ſecundùm eam opinari, & operari, ut probat textus in *l. Septimo menſe*, *ff. de ſtat. hom.* ubi dicitur: *Septimo menſe naſci perfectum partum jam receptum eſt, propter authoritatem doctiſſimi viri Hippocratis*: non dicit propter rationem, ſed propter authoritatem. Ergo ſola authoritas tanti viri ſufficiens eſt. Ad idem textus in *l. Si Pater*, *ff. de ſolut.* ubi probatur auctoritate Ariſtotelis, partu uno quinque naſci poſſe, & in *l. Antiqui*, *ff. ſi pars hæred. petat.* Unde & Pythagorici opinionibus Pythagoræ acquieſcebant non alia ratione, niſi quia ipſe
421 dixit. Idem ſuadetur ex verbis Ariſtotelis in 1. *Topic. cap.* 12. videlicet; Propoſitiones eligendæ ſunt aut omnium opinione, aut plurium, aut ſapientum, & horum vel plurium, vel notiſſimorum; ubi Alexander ait: *Etenim ea, quæ videntur omnibus, oportet eligere, & ea quæ videntur pluribus, & ea quæ clariſſimis fama.* Igitur opiniones clariſſimorum virorum ſunt præponendæ opinionibus plurium ſapientum, vel certè æqualis ponderis ſunt habendæ.
Quippè magna eſt vis authoritatis, ut egregiè declarat S. 422
Bonaventura in *opuſc.* 1. cujus titulus eſt, *Principium ſacræ Scripturæ*, ubi ſic diſſerit: *Licet autem locus ab authoritate concludens, infirmus, & inartificialis appelletur pro eo, quòd non proprio argumento, ſed aliunde parato teſtimonio utatur, qui arguit, ut Boetius docet; plerùmque in authoritate proborum ratio ſuæ credulitatis aſſenſum citiùs exhibet, quàm diſputationi communi, ut pulcherrimè docet Tullius.*
Et hoc quidem in notitia fidei manifeſtum eſt, ubi cùm ratio 423
veriſſima licèt profundiſſima lateat, ſecundùm Riccardum, ipſa tamen vis authoritatis ad aſſentiendum inclinat, quia quod ſcimus, & intelligimus rationi, quod verò credimus, debemus authoritati, dicit Auguſtinus. Sic etiam in operabilibus conſuevit accidere, ut pondus authoritatis inclinet ad actum, præcipuè ſi grave ſit. Hæc D. Bonaventura. Po- 424
teſt tamen dici, inclinationem, & acquieſcentiam intellectus in caſu hujus limitationis non fundari in ſolo principio extrinſeco, ſeu inartificiali authoritatis, ſed etiam in principio intrinſeco rationis, ſaltem implicitè, nimirùm quia cognoſcimus generaliter viros clariſſimos atque præcipuos numquam fuiſſe loquutos ſine fundamento rationis. Quod clarè adnotavit Joannes à S. Th. ſuper 1. 2. *S. Thomæ q.* 18. *diſp.* 12. §. *Quid de probabilitate ex principiis extrinſecis*, dicens: *In tantùm authoritatem alicujus Doctoris ſive antiqui, ſive moderni facere aliquam probabilitatem, in quantùm præſumitur in ſcientia verſatus, ac ſapienter loquutus*; unde tandem ſic concludit: *Solet communiter dici, quòd ille poteſt facere opinionem, qui præſumitur talis eſſe ſcientiæ, & ingenii, quod poſſit fundamenta probabilitatis tradere.* Unde cæteris paribus opinio antiquorum, & ſeniorum probabilior cenſetur, quia in antiquis, & ſenibus maximè præſumitur ſapientia.

Secunda concluſio eſt: Opinio unius Doctoris quantali- 425
bet ſanctitate & doctrina præditi tuta conſcientia teneri, & ad praxim deduci non poteſt, ſi ab Eccleſia ſit reprobata, aut ſit contra Eccleſiæ determinationem; nec talis opinio ullatenùs eſt probabilis, ſed potiùs improbabilis, & falſa.

Hæc concluſio eſt S. Th. *d. quodlib.* 3. *art.* 10. ubi docet in ſpectantibus ad fidem, & bonos mores, neminem excuſari à peccato erroris, ſi ſequatur opinionem alicujus Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, aut contra id, quod publicè tenetur per Eccleſiæ authoritatem. Et eum ſequuntur S. Antonin. in 3. *p. tit.* 5. *c.* 3. *c.* 9. Ang. Silv. & alii Summiſtæ in *ver. Opinio*. Idemque tradit Suarez in 1. 2. *diſp.* 12. *ſect.* 6. *n.* 11. ubi ponit exemplum in opinione illa de abſolutione abſentis reprobata à Clemente VIII. Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 11. ubi ponit pro conditione opinionis probabilis, ut non contineat errorem; quod eſt dicere, ut ab Eccleſia non ſit rejecta, Caſtr. Pal. *p.* 1. *diſp.* 2. *n.* 4. & alii Recentiores. Quibus adjungi poſſunt Adrianus, & Corduba ſuprà citati *n.* 404. dum tradunt opinionem ſingularem unius viri quantumvis docti & probi nullam facere probabilitatem in his, quæ ſunt contra jus divinum.

Probatur primò hæc ſecunda concluſio; quia ut ratiocinatur S. Th. ubi ſuprà, *Si cæcus ducatum cæco præſtet, ambo in foveam cadunt*, Matth. 15. c. *Cùm ſit ars de ætate, & qualitate.* Sed quicumque errat, cæcus eſt in quantum errat. Ergo quicumque ſequitur opinionem errantis magiſtri, in foveam peccati cadit.

Probatur ſecundò, quia Conſtitutiones Canonum, & ſic determinationes Eccleſiæ ſingularibus ſunt opinionibus præferendæ, ut eſt caſus in hac Decretali ſecundùm Jo. And. Butr. Card. & omnes in Summ. text. Ergo ſingularis opinio unius Doctoris contra determinationem Eccleſiæ nullam facit probabilitatem.

Probatur tertiò, quia opinio ſingularis unius Doctoris non eſt tenenda, quando communiter ab aliis DD. reprobatur, ut dicemus infrà in tertia concluſione. Ergo longè minùs tenenda eſt, quando reprobatur ab Eccleſia, aut illius determinationi adverſatur, quia Eccleſia Romana eſt majoris authoritatis, quàm DD. conſenſus, ut conſtat ex dictis ſuprà *n.* 6. *&* 7.

Nec

426 Nec prædictis adverſatur, quòd ſufficiat indocto conſilium unius ſapientis & probi viri, ut illud ſequi poſſit: Ergo & docto ſufficere debet.

Primò enim reſpondent nonnulli apud Azor. *inſtit. moral. tom. 1. lib. 2. c. 7. q. 5.* negando conſequentiam, & benè judicio meo: quia jus ignorare licet indoctis, ac rudibus, non autem eis, qui ſua prudentia inſtructi ſunt, *l. Regula, ff. de jur. & fact. ignor.*

427 Deindè reſponderi poteſt negando antecedens; nam ſi ille indoctus dubitat de veritate opinionis, aut habet rationem dubitandi, eò quòd audiverit alios aliter opinari: & poteſt illos conſulere, imò & debet, quia, ut inquit S. Thom. *d. quodlib. 3. art. 10.* in dubiis oportet non citò credere: alioquin ex juris ignorantia non excuſatur, ut eſt text. in *d. leg. Regula, §. Sed juris ignorantiam, & in cap. Non omnis 37. diſt.* & tradit Corradus *de contract. q. 100.* dicens: *Illiteratus inquirat à litteratis timentibus Deum, & ſicut faceret imminente ſibi periculo corporalis vitæ, aut rerum, ſic etiam & multò magis in periculo animæ.*

428 Aut tali indocto nullum occurrit dubium de veritate opinionis; & nihilominus non excuſatur ex ignorantia juris, ut eſt textus clarus in *cap. Per tuas, il 3. de Simon.* ubi ordinatus in Subdiaconum, qui priùs præſentatori ſuo promiſit, quòd nil ab eo peteret, in ſuſcepto miniſtrare, vel ad ſuperiores Ordines aſcendere ſine diſpenſatione non poteſt, etiamſi peccare non crediderit, ut ibi eſt caſus ſecundùm Jo. Andr. Card. Abbatem, & omnes in *Summar.* & gloſſ. 1. exponens illa verba textus, *Nec ſe in hoc illicitum egiſſe aliquid intellexit,* reddit rationem dicens: Propter hoc non excuſatur, ut benè ſequentia notant, quia potuit conſulere peritiores: & concordant ibi Hoſtien. *num. 2. in ver. Illicitum,* Joann. Andr. *nu. 5.* & alii commu-
429 niter. Nec ſubſiſtit, quod dicebat quidam Theologus, illum textum non habere locum in foro conſcientiæ; quia nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum, ut inquit S. Thom. in *1. 2. quæſt. 76. art. 2. in corpor.* Imò enim illa decretalis expreſsè loquitur de eo, qui credidit ſe non peccaſſe, ſeu illicitum aliquid commiſiſſe; & ita communiter exponitur à Doctoribus, & imponit pœnam, quæ afficit animam, & ideò dubitari non poteſt, quin habeat locum etiam in foro interno; præſertim quia, ut latè probavi in *cap. Si quis num. 37. & ſeqq. de regular.* abſurdum eſt aſſerere legem juſtam humanam, & præſertim Eccleſiaſticam, non obligare in foro conſcientiæ, præterquam in duobus caſi-
430 bus ibi expreſſis, qui præſenti non applicantur. Neque verò talis dici poteſt ignorantia invincibilis, ſed potiùs vincibilis, ut egregiè declarat S. Thom. loco proximè citato, ſeu craſſa, & ſupina, quæ neminem excuſat, *cap. 1. de ordinat. ab Epiſcop. qui renunciat. Epiſcopat. cap. penultim. de Cleric. excommunic.* gloſſ. in *cap. 1. in verſ. Neſcire, & in verſ. Pro hujuſmodi negligentia de*
431 *Cler. per ſaltum promoto.* Dicitur enim craſſa, & ſupina ignorantia, quando de facili potuit quis ſcire, & non indagavit, gloſſ. 2. in *d. cap. penult.* Ad hoc bonus textus in *leg. Si autem,* ibi: *Si cum peritioribus tractatum habuiſſes, facilè cognoſceres, C. de ingen. & manu.*

432 Demum hæc doctrina eſt ipſius S. Thom. in prææallegato *quodlib. 3. art. 10.* cujus hæc ſunt præciſa verba: *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonus mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus magiſtri; in talibus enim ignorantia non excuſat;* & infrà: *Nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem, ſi in talibus erroneam opinionem ſequatur; in rebus enim dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus, &c.* Loquitur ergo S. Th. de indocto, qui per ſimplicitatem, & juris ignorantiam, ſequitur opinionem errantis magiſtri, nec dubitat de illius veritate, imò credit eam eſſe veram; & tamen S. Doctor concludit talem ex ſimplicitate & ignorantia hujuſmodi in ſpectantibus ad fidem, & bonos mores, à peccato erroris non excuſari, & concordant S. Antonin. & alii ſupracitati *n. 425.*

Et ex his patet defendi non poſſe opinionem Sanchez citati ſup. *num. 405.* qui reprobando Adrianum, & Cordubam, exiſtimavit authoritatem unius Doctoris reddere opinionem probabilem, etiamſi contineat errorem contra jus divinum, ea ratione, quia etiam in hoc eſt magni ponderis & momenti authoritas viri gravis, & pii. Etenim ſi hoc verum eſſet, Arius quoque, Neſtorius, & alii hæreſiarchæ, qui antequam condemnarentur ab Eccleſia, à multis reputabantur viri graves, & docti, ſua authoritate feciſſent eorum falſas opiniones probabiles. Quod abſurdiſſimum eſt aſſerere, ut arguit S. Thom. *d. quodlib. 3.* dicens: *In talibus enim ignorantia non excuſat, alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui ſequuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum hæreſiarcharum, quod falſum eſt; quia, ut Auguſtinus dicit in lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, in his conſulere debet quis regulam fidei, quam de ſcripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ authoritate percepit.* Quibus adde, quòd Abbas Joachimus divinitùs habuit donum intellegentiæ, & ſpiritum prophetiæ, & ſuper Daniele prophetavit Ordinem Prædicatorum, & Minorum, ut inquit Jo. Andr. in *cap. Damnamus nu. 9. ſup. de Summ. Trinit. & fid. Cathol.* & fuit vir doctrina, & pietate clarus, nec fuit hæreticus, ſed erraticus, ut ibi plenè ſcripſi *n. 9. & 26.* & tamen nemo auderet affirmare opiniones erroneas Joachimi fuiſſe probabiles propter ejus authoritatem, & à peccato immunes fuiſſe qui ſequuti ſunt illius errores, antequam eſſent damnati ab Innocentio III. in generali Concilio, ut in prædicta decretali *Damnamus.* Ergo abſonum eſt aſſerere authoritatem unius viri, quantalibet ſanctitate, & doctrina polleat, reddere opinionem probabilem, quamvis contineat errorem juris divini. Demum ſi opinio ſingularis errantis magiſtri eſt improbabilis, & vitioſa, quando eſt contra conſtitutionem Eccleſiæ, ut ſuperiùs probatum eſt *num. 425.* quantò magis quando eſt contra legem Dei? Et idemmet Sanchez ſibi contrarius videtur hanc veritatem agnoviſſe in *Decal. tom. 1. lib. 1. d. c. 9. n. 11.* dum dixit, ad hoc ut opinio cenſeatur probabilis, oportere ut communiter reputetur non continere errorem. Quomodo ergò fieri poteſt, ut probabilitatem habeat opinio errantis magiſtri, ſi ad eſſe probabilitatis requiratur, ut errorem non contineat?

Tertia concluſio eſt: Sola authoritas unius Doctoris 433
non reddit opinionem probabilem, nec eſt ſufficiens fundamentum eam tenendi, & ſecundùm illam operandi, ſi in contrarium ſit communis opinio. Ita tenent Bart. Bald. & Legiſtæ in *l. 2. C. de pœn. Judic. qui malè judicavit,* Innoc. Jo. Andr. & Canoniſtæ hìc, & in *cap. 1. ſup. eod.* & communiter Doctores ſuprà copioſè relati in 3. *quæſtione in 21. fundamento pro parte negativa num. 276.* Et probatur authoritate Ariſtotelis alias citati in *1. Topic. cap. 1.* dum ait: *Probabilia autem ſunt quæ videntur omnibus, vel pluribus.* Ergo à contrario, quæ videntur uni tantùm, minimè ſunt probabilia. Item probatur in *l. 1.* ibi: *Sanè crebrior apud veteres opinio eſt, ff. de offic. quæſt. & in cap. Novimus,* ibi, *Et quorundam eſt opinio à pluribus approbata de ver. ſignif.* Item probatur ratione, quia communis ſententia facit rem claram, & apertam, Decian. *conſ. 2. num. 76. volum. 1.* integrum enim eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur, *c. Extra conſcientiam 64. diſt. cap. Prudentiam, §. Illa quippè de offic. deleg.* Quòd ſi vox populi, vox Dei, quantò magis vox ſapientum communiter conſentientium? Ad hoc *cap. De quibus,* juncta gloſſ. in *ver. Seniores 20. diſt. & l. ult. Cod. de fideicomm.* Confert quod notat In- 434
noc. in *cap. Inquiſitionis num. 5. de accuſat.* ubi ait, vocem communem præferri dictis paucorum, & quod ſcripſit Bald. in *conſ. 112. incip. De generali natura num. 7. lib. 2.* videlicet, Rarò benè loquitur qui contra omnes loquitur, & quod notat Petrus Hiſpanus in *Summul. tract. 6. in c. de redargut. & falſo,* ubi dicit: *Inopinabile eſt quod eſt contra opinionem omnium, vel plurium, vel maximè ſapientum.* Et hìc junge quæ dicentur in ſequenti concluſione *nu. 442.* Verumtamen, ut inquit Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 7. num. 39.* non dicitur communis opinio, quæ plu- 435
res Doctores eam aſſerentes habet, nulla diſputatione præmiſſa, ſed perfunctoriè, & ut ajunt, per tranſennam illam ſequentes. Et concordat Alciatus *de præſumpt. reg. 1. præſumpt. 51. num. 2. verſ. Item intellige,* Cardin. Mantic. *de conjecturis ultim. volum. lib. 11. tit. 3. num. 4.* Thom. Sanchez in *Decal. lib. 1. cap. 9. num. 9.* ubi ſimiliter ait: Non dicitur autem communis ex Authorum numero, qui priorum veſtigia inſtar ovium ſequentes, nulla diſcuſſione præmiſſa, eam affirmant: ſed communis dicetur, ſi pauciores Doctores habeat, qui utriuſque partis rationibus diſcuſſis, & perpenſis, illam affirment. Et idem monuit 436
Baſſæus in *Floribus Theologiæ moralis in verb. Conſcientia num. 8. §. Ut opinio cognoſcatur,* in hæc verba: *Opinionem probabilem non facit multitudo Doctorum eam ſequentium, ſi*

eam

eam non confirment optimis rationibus, quia negare non poſſumus turbam Doctorum aliquando amplecti opinionem abſq; delectu rationum, aut ſaltem rationibus non exactè pondera-
437 *tis*. Unde optimè Navar. in *Manual. cap.* 27. *num.* 289. ait: *Communiorem cenſeri opinionem approbatam à ſex, vel ſeptem authoribus claſſicis rem ex profeſſo tractantibus, quàm à quinquaginta, ſola ferè priorum authoritate ductis*. Allegat Alexandrum *conſ.* 202. *Viſo themate nu.* 7. *lib.* 7. & conſentiunt Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 44. *nu.* 2. & Paulus Comitolus, & ante eos Jo. Major. quorum verba ſuperiùs retulimus in 3. *q. n.* 348.

438 Limita nunc tertiam concluſionem ſuperiùs firmatam, ut procedat, ſi rationes opinionis ſingularis, ac opinionis communis ſint æquales, vel quaſi æquales; tunc enim explorati juris eſt opinionem ſingularem unius Doctoris nullam facere probabilitatem contra opinionem communem: ſecus verò ſi opinio unius Doctoris ita reſolveret argumenta contraria, & confirmaret ſua, ut ſuam redderet aut certam, aut longè probabiliorem; tunc enim eſſet ſufficiens fundamentum eam tenendi, & ſecundùm illam operandi etiam contra communem. Hanc limitationem admittunt communiter omnes Theologi, ut atteſtatur noviſſimè Candidus Philalethus in *tract. De opinionum praxi qu.* 8. *pag.* 158. *verſ. Dico primò*, & in ſpecie eam tenent Vaſquez in 1.2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 62. *cap.* 4. *in princ.* Azorius *inſtitut. moral. lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 6. Salas 1. 2. *quæſt.* 21. *diſp. unic. ſect.* 7. *n.* 74. & alii apud Sanchez in *Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 10. & conſentiunt Juriſperiti, qui unanimiter tradunt, communem opinionem non eſſe attendendam, cùm contraria melioribus rationibus, & argumentis probatur. Ita Jo. Andr. Abb. & Felin. in *cap.* 1. *ſup. eod.* & complures alii, quos ſupracitavimus in 3. *qu. n.* 276. quibus addimus Rotam *deciſ.* 501. *poſt princ. part.* 1. *diverſ.* Seraph. *deciſ.* 1360. *à nu.* 2. & in Romana de Ghezzis 9. Februarii 1635. coram Card. Panzirolo, & ſæpè aliàs: & probatur efficaciter in *dict. l.* 1. §. *Sed neque, Cod. de ver. jur. enucl. in cap.* 1. *de iis, quæ fiunt à major. part. Capit. & in cap. Sanè*
439 *quippè* 9. *diſt.* Quinimò juſtius & æquius eſt illi ſententiæ inhærere, quæ melioribus rationibus fulcitur, etiamſi Imperator ſit in opinione contraria, *leg. Æmilius, ff. de minor.* Dec. *conſ.* 219. *Viſis his in princ.* Quò enim quis magis ratione nititur, eò majoris authoritatis ejus verba eſſe viden-
440 tur, ut legitur in §. 1. *diſt.* 40. Unde Auguſtinus dicebat: Verbo credendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ut refertur in *c. Vides* 23. *q.* 6.

441 Cæterùm admonendi ſumus, in hoc magna cum circumſpectione & cautela procedendum eſſe, ne crebrò, & paſſim à communi opinione recedamus ſub prætextu, quòd contraria ſit probabilior: nam, ut inquiunt Angelus in *ver. Opinio num.* 1. Silveſt. *ibidem num.* 2. non licet à communi ſententia recedere, niſi habenti pro ſe rationem certam, & convincentem: & Salon. in 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *controv.* 2. *in ult. notab.* ſcripſit eos, qui in rebus moralibus parùm verſati ſunt, non poſſe tuta conſcientia quod in uno, vel altero Doctore invenerint, ſequi: quia poteſt illis probabilis videri ea ſententia, cùm tamen apud peritos non talis habeatur. Quare concludendum eſt cum Hoſtien. in *cap.* 1. *in fin. ſup. eod.* videlicet, communem opinionem ſemper eſſe tenendam, niſi notoriè malè dicat, vel rationabiliter convincatur; & concordant ibi Jo. Andr. itidem in *fin.* & reliqui omnes, ut fuſiùs dictum eſt *ſup. in eod.* 21. *fundamento n.* 276.

442 Quarta concluſio à præcedenti non abſimilis: Sola authoritas unius Doctoris non reddit opinionem probabilem, nec eſt ſufficiens fundamentum opinandi, & rectè operandi, quando in contrarium ſunt plures Doctores æqualis, vel majoris ponderis. Ita Jo. Major. in 4. *quæſtione* 3. *prol. concluſ.* 5. ubi ait: *Duobus circumſpectis major fides datur, quàm uni; tribus, quàm duobus; quatuor plus quàm tribus, & ſic ſine fine*. Et probatur, quia ſecundùm Philoſophum alias citatum 1. *Topic. cap.* 1. & S. Thom. in *opuſc. de fallac. cap.* 2. *Probabilia ſunt quæ videntur omnibus, vel pluribus*. Ergo quæ videntur paucioribus, non ſunt probabilia. Item probatur in *cap. In canonicis* 19. *diſt.* ubi Auguſtinus ait: *In eis verò* (ſcilicet ſcripturis canonicis) *quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, graviores ſque accipiunt, eis, quas pauciores, minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent*. Item probatur ex verbis Edicti Theodoſii Imperatoris ſuperiùs relatis in 3. *quæſt. in* 22. *fundamento* pro parte negativa, videlicet: *Ubi diverſæ ſententiæ proferuntur, potior numerus vincat Authorum; vel ſi numerus æqualis ſit, ejus partis præcedat authoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut ſingulos vincit, ita cedit duobus:* faciunt textus in *c. Prudentiam*, §. *Illa quippè*, ibi: *Duobus quàm uni, tribus quàm duobus de offic. deleg. & in leg. Duo ex tribus, ff. de re judic.* Item probatur ratione, quia cùm pro una parte ſint plures Doctores æqualis, vel majoris ponderis, & pro alia pauciores, neceſſe eſt, ut ſtatera intellectus declinet in eam partem, quæ majori pondere authoritatis prægravatur, cùm ſecundùm Philoſophum in 2. *de Anima text.* 153. opinari non ſit in nobis, ut fuſiùs explicatum eſt ſuprà in 3. *quæſt. in* 1. *fundamento* partis negativæ *num.* 257. Demum cùm opinio, in qua rationes ſunt æquales, ſed præponderant Authores, ſit probabilior, ut in 1. *Topic. d. cap.* 1. hæc 3. concluſio probatur omnibus fundamentis, quibus in 3. quæſt. probatum eſt in conflictu opinionum eligendam eſſe probabiliorem.

Procedit tamen hæc concluſio, ut prædixi, in eo tan- 443
tùm caſu, in quo rationes utrimque ſunt æquales, vel quaſi; tunc enim opinio unius non eſt opinabilis contra opinionem plurium æqualis, vel majoris gravitatis: ſecus verò ſi opinio unius eſſet verior, ſeu probabilior, & validioribus rationibus munita, quia tunc præferenda eſſet opinioni nedum plurium, ſed etiam communi, ut pluribus probatum eſt in præcedenti concluſione *n.* 438.

Quinta concluſio: Authoritas unius, vel alterius, aut 444
etiam plurium Doctorum non reddit opinionem probabilem, ita ut ſit ſufficiens fundamentum opinandi, & operandi, quando in contrarium ſunt totidem Doctores æqualis ponderis, & rationes utrimque ſunt pares; imò intellectus nec moraliter, nec phyſicè poteſt eligere utramque, vel alteram, quia ſecundùm Philoſophum ſæpiùs citatum in 2. *de Anima text.* 153. non habet libertatem ad libitum opinandi, ſed in æquilibrio authoritatum utrimque æqualium, & rationum æquè probabilium, & ſic in paritate contrariorum motuum cogitur quieſcere, & remanet ſuſpenſus, ac dubius, ut pluribus argumentis ad hominem probatum eſt ſup. in 2. *qu. in* 1. *concluſione pro parte negativa, à n.* 125. *uſque ad n.* 171. & præſertim in 1. & 2. & 14. & 16. *fundamentis n.* 162. Et in hoc dubio tenetur ex præcepto ſequi opinionem tutiorem, ut ibidem latiſſimè firmatum eſt in 2. *concluſione ab eod. n.* 171. uſque ad *n.* 191.

Sexta concluſio: Cùm pro una parte ſunt Doctores nu- 445
mero plures, & pro contraria graviores, cenſentur eſſe æqualis authoritatis, ut eſt text. ſingularis in *d. c. In canonicis, in fin.* 19. *diſt.* ubi Auguſtinus ait: *Si autem alias* (ſcilicet canonicas ſcripturas) *invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi* (quamquam hoc inveniri vix poſſit)
æqualis tamen authoritatis eas habendas puto. Ratio eſt, 446
quam ibi reddit gloſſ. in *verſ. Plures*: quia dignitas perſonarum compenſatur cum numero; & eſt ſimile in teſtibus, ut *cap. In noſtra, de teſtib. & in creditoribus*, ut *leg. Majorem, ff. de pactis*. Et patet exemplo ſtateræ, quæ ſi in una parte habeat unicum pondus unius libræ, & in alia duodecim diſtinctas unius, remanet æquilibris, & in neutram partem inclinatur. Sic intellectus ſi pro una parte habeat plures authores, & pro alia graviores, & rationes utrimque ſint æquales, in hac paritate contrariorum motuum neque in hanc, neque in illam partem declinare poteſt; ſed cogitur quieſcere, & remanet ſuſpenſus, ac dubius. Et in hoc dubio non habet facultatem eligendi utramque opinionem, vel alteram, cùm opinari non ſit in nobis; ſed tenetur omninò ſequi partem tutiorem, ut dictum eſt in præcedenti concluſione.

Septima concluſio eſt: Cùm pro una parte ſtat opinio 447
unius, vel alterius, aut plurium Doctorum, & pro alia ſtant totidem authores, qui tamen ſunt magis fide digni, & majoris ponderis, rationes verò utrimque ſunt æquales, vel quaſi æquales; & tunc authoritas Doctorum minoris ponderis non reddit opinionem probabilem, ita ut ſit ſufficiens fundamentum opinandi, & operandi. Imò, ut inquit Paulus Comitolus *lib.* 5. *quæſt.* 17. niſi quis habeat conſcientiam, ſeu fidem, quòd illi Doctores, quos ſequitur, ſint magis fide digni, quàm alii, peccat illos ſequendo,

qui

qui ſentiant pro parte periculoſa. Probatur in *d. cap. In canonicis, in fin. 19. diſt.* nam ibi Auguſtinus dicit: *Scripturas canonicas, quarum aliæ recipiuntur à pluribus, & aliæ à gravioribus, æqualis authoritatis eſſe habendas*; nimirùm quia gravitas æquipollet numero, & fit æquilibrium, ut dictum eſt in concluſione præcedenti. Ergo ſi pro utraque parte ſint numero pares, ſed pro una ſint graviores, non fit ampliùs æquilibrium, ſed præponderat pars illa, in qua graviores reperiuntur; ſicut ſi in dextera parte ſtateræ ſint duodecim diſtinctæ unciæ, & in parte ſiniſtra duodecim diſtinctæ libræ, procul dubio numerus unciarum utcumque æqualis minimè æquipollet ponderi duodecim librarum, ſed libræ unciis præponderant. Item probatur ex præcitato loco Ariſtotelis 1. *Topic. c. 1.* ubi habetur, *probabilia eſſe quæ videntur ſapientibus, vel pluribus, vel maximè notis, atque præcipuis*, ut ibi explicat Alexander, & Boetius *de differ. Topic. c. 4. poſt principium.* Ergo in paritate numeri ſapientum, ſolùm maximè noti & præcipui reddunt opinionem probabilem. Ac demum probatur omnibus motivis, quibus in 3. quæſt. probatum eſt in conflictu opinionum ſequendam eſſe magis probabilem, & præſertim ex illo, quòd non ſit liberum opinari, de quo ſuprà n. 257. Ergo nec phyſicè opinari poſſumus, niſi illam partem, quæ habet graviora motiva: & conſequenter in paritate rationum utrimque probabilium, ubi ſunt authoritates majoris ponderis, illam partem opinari neceſsè eſt.

448 Octava, & ultima concluſio: Authoritas unius gravis Doctoris reddit opinionem probabilem, & eſt fundamentum ſufficiens eam tenendi, & ad praxim deducendi, ſi in contrarium nullus occurrat Doctor, & utrimque ſint rationes æquè probabiles. Ratio hujus concluſionis eſt, quia rationes opinionis authoritate munitæ præponderant rationibus æquè probabilibus alterius opinionis authoritate deſtitutæ; nam, ut inquit S. Th. in 1. 2. *q.* 13. *art. 6. ad* 3. nihil prohibet, ſi aliquando duo æqualia proponantur ſecundum unam conſiderationem, quin circa alteram conſideretur aliqua conditio, per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipſum, quàm in aliud. Unde in æquilibrio rationum opinio, cui favet authoritas, judicari debet probabilior; & conſequenter hæc concluſio probatur omnibus 42. fundamentis, quibus in 3. quæſt. probatum eſt ex duabus opinionibus oppoſitis probabiliorem eſſe eligendam. Confert text. in *c. fin. de Presbyt. non baptiz.* ubi in quæſtione, an ordinatus ante Baptiſmum recipiat Ordinis characterem, referuntur rationes hinc inde probabiles, & tandem præeligitur ſententia, cui favet authoritas Concilii. Item confert dictum S. Bonaventuræ ſupracitati n. 423. videlicet, *Pondus authoritatis inclinat ad actum, præcipuè ſi grave ſit.* Ergo cùm ſtatera intellectus habeat rationum pondera utrimque æqualia, & in altera lance ultra pondus rationum habeat etiam pondus authoritatis, neceſsè eſt, ut inclinet in eam partem, in qua pondera ſimul juncta ſunt graviora. Sicut cùm probationes ex utraque parte ſunt æquales omninò, & 449
pares, quælibet minima præſumptio, vel probatio pro una parte facit illam prævalere, ut notat Alex. *conſ. 236. Perſpectis n. 6. verſ. Et quælibet probatio levis etiam minùs legitima lib. 6.* allegat Baldum per gloſſ. in *c. 1. §. Si duo de pace tenend. in uſib. feudor.* & idem Alexan. *conſ.* 112. *in cauſa num. 8. in fin. lib. 4.* Marſil. *ſingul.* 271. *Teſtis de auditu.*

Itaque pro coronide concludamus, ita demum authoritatem unius Doctoris in moralibus efficere opinionem probabilem, ita ut liceat eam tenere, & ad praxim deducere, ſi ſex conditiones infraſcriptæ ſimul concurrant.

Prima eſt, ut Doctor ille ſit in morali materia peritus, & timoratæ conſcientiæ, ut conſtat ex dictis ſuprà in princip. hujus quartæ quæſtionis n. 403. alioquin ejus authoritas nihil conferret ad probabilitatem, ſed vis tota conſtituenda eſſet in momentis rationum, *arg. l. 1. §. Sed neque, C. de veter. jur. enucl.*

Secunda eſt, ut articulo examinato moveatur non levibus fundamentis; nam authoritas rationibus deſtituta nihil habet probabilitatis, ſecundùm ea quæ dicta ſunt ſuprà à n. 406. uſque ad n. 418.

Tertia eſt, ut opinio illa non contineat errorem contra legem Dei, vel Eccleſiæ, ut patet ſup. in 2. concl. n. 425.

Quarta, ut non ſit contra communem aliorum opinionem, ut in 3. & 4. concl. n. 433. & 442. niſi opinio ſingularis ſit verior, ut n. 438.

Quinta, ut opinio unius Doctoris non habeat contra ſe opinionem æquè probabilem, eò quòd in oppoſitum ſit alius Doctor paris authoritatis, & rationes utrimque ſint æquales: nam eo caſu ex æquilibrio, & æqualitate contrariorum motuum mentis oritur propriè dubitatio; & ideò ex præcepto oportet ſequi partem tutiorem, ut patet ex dictis ſup. in 5. & 6. concluſ. n. 444. & 445.

Sexta & ultima conditio eſt, ut contraria opinio non ſit magis probabilis, quia tunc tam phyſicè, quam moraliter neceſsè eſt illam ſequi, ſecundùm ea quæ dicta ſunt ſup. in 7. & 8. concl. n. 447. & 448. & latiſſimè probatum eſt quadraginta duobus fundamentis in 3. q. principali per tot.

Qui verò his conditionibus non concurrentibus in materia morum ſequitur opinionem unius Doctoris pro parte periculoſa, is planè agit contra conſcientiam, & dictamen rationis, & ideò ædificat ad gehennam, ut *c. Per tuas, il 2.* cum ibi notatis per Abb. & Doctores *de Simon. & cap. Quoniam omne de præſcript.* & fuſiùs dictum eſt ſuprà in 3. qu. n. 260.

Quæ tamen omnia reverenter ſubjicio determinationi, ac cenſuræ Sanctæ Matris Eccleſiæ.

Et ex his abſolutus ſit præſens tractatus de opinione probabili, ad laudem Dei omnipotentis, qui eſt glorioſus in ſæcula. Amen.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Innocentius III. Senon. Archiepiſcopo, & Epiſcopo Trecen.

CAPUT VI.

CUm omnes: & infrà. Ad audientiam noſtram pervenit, quòd Trecenſes Canonici novum fecerunt in Trecenſi Eccleſia conſtitutum, ut eis tam in præſentia, quàm in abſentia redditus ſuos ex integro percepturis, qui in eadem Eccleſia poſt illam conſtitutionem fuerunt, vel de cætero fuerint inſtituti, redditus in abſentia non percipiant, ſed tunc ſolùm cùm fuerint reſidentes: cùm ſecundùm Trecenſis Eccleſiæ conſuetudinem omnes in hoc conſueverint eſſe pares. Statuerunt etiam, ut (cùm ſingulis præbendis annexæ ſint vineæ) ipſis ſuas dum vixerint poſſidentibus, vineæ decedentium ad ſucceſſores non tranſeant, ſed proventus earum inter ſingulos dividantur. Cùm igitur quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debeat uti eo: & Sapientis dicat auctoritas, Patere legem, quam tu ipſe tuleris: mandamus, quatenus antiquos Canonicos junioribus, & juniores in perceptione fructuum tam præbendarum, quàm vinearum coæquetis antiquis, ſecundùm priorem conſuetudinem uſque ad tempus prædictæ conſtitutionis ſervatam, vel ſecundùm rationabilem inſtitutionem in poſterum obſervandam.

SUMMARIUM.

1 *INtellectus triplex hujus cap. & num. ſeqq. uſque ad num.* 11.
2 *Conſtitutio Capituli ſuper his, quæ pertinent etiam ad Epiſcopum, ſine Epiſcopo facta non valet.*
3 *Capitulum ſine Epiſcopi conſenſu non poteſt ſtatuere ſuper reſidentia.*
4 *Nec ſuper ſtatu Eccleſiæ.*
5 *Conſuetudo non inducitur per obſervantiam juris communis.*
6 *Reſcripti, vel privilegii idem continentis quod jus commune, non oportet mentionem facere in ſecundo reſcripto, vel privilegio.*
7 *Idem in ſtatuto, vel conſuetudine.*
8 *Conſtitutio Capituli, quæ non eſt communis omnibus, & per quam tollitur antiqua conſuetudo, non valet.*
9 *Conſtitutio Collegii in damnum aliquorum, & commodum aliorum, ceſſante rationabili cauſa, non tenet.*
10 *Major pars Capituli ſine rationabili cauſa non poteſt tollere conſuetudinem, utilitatem privatam nutriendo.*
11 *Conſuetudo non reſidendi, & percipiendi fructus beneficii in abſentia, an valeat, & n. ſeqq. uſque ad n.* 36. *Quid in beneficiis ſimplicibus, n.* 13. *Et quid in beneficiis in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, num.* 18. *Et quid in beneficiis curatis, n.* 36.
12 *Beneficia omnia de jure communi ſcripto reſidentiam requirunt.*
13 *Beneficium datur propter officium.*
14 *Beneficia ſimplicia de generali conſuetudine perſonalem reſidentiam non requirunt.*
15 *Sed ſatis eſt illis deſervire per ſubſtitutum.*
16 *Conſuetudo non reſidendi in beneficiis ſimplicibus valida eſt.*
17 *Conſuetudo obtinendi plura beneficia ſimplicia, ſi unum ſit ſufficiens ad ſuſtentationem, an valeat.*
18 *Conſuetudo percipiendi fructus præbendæ in abſentia in Cathedralibus Eccleſiis valet de jure communi.*
19 *Clericus vagabundus poteſt ad reſidentiam revocari, licèt ejus beneficium perſonalem reſidentiam non requirat.*
20 *Conſuetudo percipiendi fructus præbendæ in abſentia an valeat eo caſu, in quo Canonicus abſens non inſervit per ſubſtitutum.*
21 *Et quid poſt Concilium Tridentium.*
22 *Conſuetudo immemorabilis, ſecundùm quam ex quavis cauſa, & ultra tres menſes ab Eccleſiis Cathedralibus abeſſe licet, ſublata eſt à Concilio Tridentino.*
23 *Conſuetudo Eccleſiæ Compoſtellanæ, qua dignitates abſentes pro juſtitia miniſtranda habentur pro præſentibus, ſublata eſt à Concilio.*
24 *Conſuetudo etiam immemorabilis non excuſat Canonicos ab aliqua hora illius diei, quo choro intereſſe tenentur, eo prætextu, quòd adſint alii ab ipſis miſſi.*
25 *Conſuetudo non reſidendi, cùm Eccleſia, vel dignitas nullos habent redditus, licèt valeat de jure communi, tamen ſublata eſt à Concilio Trident. in Canonicatibus, & Curatis.*
26 *Archidiaconus, & Archipresbyter Auximanus tenentur reſidere, licèt nullos habeant redditus, ſed ſolùm ſtallum in choro.*
27 *Decanatus Clodien. habens nudam præeminentiam in Eccleſia ſine juriſdictione, fructibus, dote, voce, & loco in Capitulo, reſidentiam non requirit.*
28 *Canonici an poſſint in ſervitio Eccleſiæ, & Chori ſeſe invicem ſubſtituere.*
29 *Et quid in abſentibus à civitate.*
30 *Et quid in pernoctantibus in ſuburbiis.*
31 *Conſuetudo etiam immemorabilis non reſidendi in Collegiatis Eccleſiis inſignibus non valet.*
Et quid in non inſignibus, ibid.
32 *Immemorabilis conſuetudo non reſidendi intelligitur, ſi à nullo prorſus ſolitum fuerit reſideri; ſecus ſi alii reſederint, alii non.*
33 *Canonici collegiatarum etiam non inſignium, quibus cura animarum incumbit, tenentur reſidere, non obſtante contraria conſuetudine, etiam immemorabili.*
34 *Conſuetudo immemorabilis percipiendi in abſentia quotidianas diſtributiones non tenet.*
35 *Canonici abſentes tribus menſibus à Concilio permiſſis non lucrantur diſtributiones, etiamſi ab immemorabili tempore illas percipere conſueverint.*
36 *Conſuetudo etiam immemorabilis non reſidendi in beneficiis curam animarum habentibus, eiſque per alium deſerviendi, eſt corruptela.*
37 *Capitulum Cathedralis etiam ſine Epiſcopo poteſt ſtatuere de his, quæ propria ipſius Capituli negotia reſpiciunt.*
Et an poſſit ejuſmodi ſtatutis, quò firmiùs obſerventur, pœnas adjicere, ibid. & n. ſeqq. uſque in finem.
38 *Pœnam imponendi facultas à juriſdictione dependet.*
39 *Canonici poſſunt ſe obligare ad pœnam quaſi conventionaliter pro obſervantia ſtatuti.*
40 *Pœnam ſtipulari poſſunt paciſcendo partes etiam privatæ.*
41 *Capituli major pars, ubicumque de neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ agitur, poteſt præjudicare minori in his, quæ competunt Canonicis ut univerſis.*
42 *Abſentes vocati, aut non vocati in caſibus, in quibus non ſunt vocandi, tenetur ſtare deliberationi factæ à majori parte præſentium.*
43 *Capitulum poteſt pœnas adjicere quaſi conventionaliter ex his, quæ pacto privatorum promitti, ac in conventionem deduci poſſunt.*
Et ſufficit conſenſus majoris partis, ibid.
44 *Statuta Capituli cum pœnæ adjectione non afficiunt ſucceſſores, niſi ab Epiſcopo fuerint confirmata.*

CUm omnes. Legitur tripliciter. Prima lectura eſt 1
Innocentii ſub *num.* 1. *verſ. Vel dic illud habere locum*, & Bernardi Compoſtell. *num.* 4. *verſ. Unde cum ſtatutum*, exiſtimantium hunc textum eſſe intelligendum in Conſtitutione edita à Canonicis ſuper Reſidentia ſine conſenſu Epiſcopi: potiſſima enim cauſa, cur non valuit hæc conſtitutio ſecundùm Compoſt. *n.* 5. fuit, quia non intervenit Epiſcopi conſenſus, non autem quia eſſet injuſta: non enim iniquum eſt ſecundùm Innocent. ut antiqui Canonici in ſuis conſuetudinibus remaneant percipiendi fructus in abſentia; & novi, qui ſcienter legem novam admiſerunt, ea ligentur, & fructus in abſentia non percipiant; quia Conſtitutio futura reſpicit, non præterita, *c. Cognoſcentes ſup. eod. c. Ante* 31. *diſt. & c. fin. infr. eod.* Et ſecundùm hanc lecturam, hæc decretalis hoc intendit: Conſtitutio Capituli ſuper his, quæ pertinent etiam ad Epiſcopum, ſine Epiſcopo facta non valet. Verùm hæc lectura 2
non congruit litteræ, quæ nihil dicit de Epiſcopo, ſecundùm Cardinalem *hìc in princ. & n.3. in* 3. *oppoſit. verſ. Tertiò ſolvit Innocentius*. Eſt tamen in ſe vera, quia Capitulum ſine Epiſcopo non poteſt ſuper reſidentia Conſtitutiones 3
condere, *c. penult. inf. eod.* & notat gloſſ. in *c.* 2. *in ver. Ex hoc de verbor. ſignif. lib.* 6. facit *c. Cum conſuetudinis infrà de conſuetud.* & tenent hìc Innoc. & Compoſt. *locis citatis*, Card. *ubi ſuprà, & in* 5. *oppoſitione n.*4. & Abb. *n.*3. *verſ. ſecundus intellectus*, cùm reſidentia Clericorum ſpectet ad officium Epiſcopi, ſine cujus licentia Clerici peregrinari non debent, *c. Non oportet de conſecr. diſt.* 5.

Nec obſtat textus in *c. Cùm dilectus infrà de Cler. non reſident.* ubi Capitulum ſtatuit ſuper reſidentia, ut ibi patet in ſupraſcriptione. Quoniam illud factum fuit authoritate Epiſcopi ſui, vel non erat qui illud impugnaret; aliàs non valuiſſet, niſi Papa illud ex certa ſcientia confirmaſſet. Et ita etiam poteſt intelligi *cap.*2. & 3. *infrà eod.* ſecun- 4
dùm Compoſt. & Jo. Andr. Et ex hoc intellectu collige generaliter Capitulum ſtatuere non poſſe ſuper ſtatu Eccleſiæ ſine conſenſu Epiſcopi. Quod tenet Innoc. in *d. c. Cum conſuetudinis*, ubi eſt bonus textus, *infrà de conſuet.* & præter Innoc. & Compoſt. tenent hìc Butr. *n.* 45. Abb. *nu.* 4. Felin. *nu.* 9. Bero *nu.* 36. Calder. *conſ.* 2. *de conſtitut.* quos ſequitur Rota *deciſ.* 21. apud Farinac. *part.* 2. *recent.* Abb. *conſ.* 7. & *conſ.* 9. *lib.* 2. Archid. & Gemin. in *cap. Catholica* 11. *diſt.* & in *c. Contumaces* 50. *diſt.* & alibi paſſim Doctores.

Quid autem in caſu converſo, an ſcilicet Epiſcopus ſuper ſtatu Eccleſiæ ſtatuere poſſit ſine conſenſu Capituli,

tuli, dicam in *cap. Novit, de his, quæ fiunt a ma.or. part. Cap.*

Secunda lectura, quam recitat hìc Anton. de Butr. in *princip.* eſt illorum, qui putant, conſuetudinem antiquam, contra quam Canonici fecerunt ſtatutum, fuiſſe conformem juri communi, quia omnes Canonici in abſentia nihil percipiebant. Et ſic ſtatutum in ea parte, in qua diſpoſuit, ut Canonici antiqui perciperent fructus in abſentia, fuit contra conſuetudinem. Et ſecundùm hoc Pontifex mandat, ut antiqui, & novi Canonici in omnibus coæquentur, itaut neque his, neque illis liceat aliquid percipere in abſentia. Et ſecundùm hanc lecturam caſus ſic ſe habet: Stante conſuetudine, ut Canonici Curcen. in abſentia redditus non poſſent percipere, Canonici antiqui ſtatuerunt, ut novi ſtarent conſuetudini, & ipſi antiqui in abſentia poſſent fructus percipere. Et de vineis annexis præbendis ſtatuerunt, ut novi nihil perciperent. Pontifex conſiderans unumquemque eodem jure uti debere, quod in alium ſtatuit, & dictum Sapientis, *Patere legem, quam tu ipſe tuleris*, præcipit, ut quod ſtatuerunt in alios, ſervent in ſeipſis, & nihil percipiant, & nullus eorum habeat vineas annexas. Et ſecundum hunc intellectum verba illa textus, *In hoc conſueverunt eſſe pares*, exponun-
5 tur, videlicet, ut in abſentia nihil perciperent. Sed hanc lecturam utcumque ſubtilem, & in ſe veram, ſimiliter arbitror non eſſe congruentem litteræ hujus decretalis. Moveor, quia conſuetudo, ſecundùm quam abſentes nihil percipiunt, cùm ſit juri conformis, *cap. Conquerente, c. Tuæ, & cap. Cum ad hoc infrà de Cler. non reſident.* cum multis ſimilibus, & notat gloſſ. 1. *hic in princip.* non dicitur conſuetudo, ſed obſervantia juris communis, quo utentes non videntur voluiſſe novam conſuetudinem inducere, ut firmat Jo. Andr. in *cap. un. de Cler. conjugat. lib. 6.* quem ibi ſequuntur Anchar. Gemin. & alii, Fulgoſ. *conſ.* 123. *Præſuppoſitis num.* 2. Alexan. *in leg. de quibus in princip. ff. de legibus*, & Roch. de Curte in *tract. de conſuetud. num.* 11. Si ergo Canonici Trecenſis Eccleſiæ conſueviſſent nihil percipere in abſentia, hujuſmodi actus abſtinendi à perceptione fructuum non fuiſſent fundati ſuper conſuetudine, ſed ſuper jure; atque ita defeciſſet animus conſuetudinis introducendæ, ut formaliter inquit Joan. Andr. in *d. c. unico num. 2. in ver. Nolumus*, & conſequenter Pontifex hìc non fundaſſet ſuam deciſionem in eo, quòd ſtatutum Capituli eſſet contra conſuetudinem Eccleſiæ Trecenſis, ſed potiùs in eo,
6 quòd eſſet contra jus commune. Facit quod notat Innoc. Hoſtien. & alii in *c. 1. infrà de reſcr.* ubi tenent de reſcripto, vel privilegio idem continente quod jus commune, non oportere mentionem facere in ſecundo reſcripto, vel pri-
7 vilegio. Et idem in ſtatuto, vel conſuetudine diſponente idem, quod jus commune, determinat gloſ. notab. in *cap. 1. in ver. Facit de conſtit. lib. 6.* quam ſequuntur ibi Gemin. *col. 1. in 2. oppoſ.* & Franc. *col. 7. verſ. In ea gloſſa.*

Tertia, & communis lectura eſt, quòd antiqua conſuetudo hìc diſponeret contra jus commune, ut Canonici redditus Canonicatuum perciperent in abſentia. Et ſecundùm hanc lecturam ſtatutum, ut antiqui Canonici abſentes poſſent fructus percipere, erat conforme conſuetudini, ſed contra jus commune. Sed in ea parte, in qua ſtatuebat, ut Canonici juniores nihil perciperent in abſentia, erat contra conſuetudinem, ſed conſonabat juris communis diſpoſitioni. Et juxta hanc lecturam mandatur, ut in hoc juniores coæquentur antiquis, itaut omnes in abſentia fructus percipiant. Et caſum pone ſic: Vigebat conſuetudo in Eccleſia Curcen. ut Canonici omnes in abſentia poſſent fructus percipere, & cuilibet præbendæ eſſent annexæ vineæ. Canonici antiqui in ea Eccleſia tunc exiſtentes ſtatuerunt, ut iidem antiqui perciperent fructus ut priùs; novi autem ſupervenientes nihil haberent. Item ut vineæ decedentium dividerentur inter antiquos, & non tranſirent ad ſucceſſores. Canonici poſteà recepti de hoc conqueſti ſunt Papæ, qui conſiderans prædicti ſtatuti irrationabilitatem, eò quòd jus diſponat, & naturalis ratio dictet, ut quod quiſque juris in alium ſtatuit, ſervet in ſeipſo; & Sapientis dicat auctoritas, *Patere legem, &c.* præcipit ſtatutum caſſari, & omnes ad conſuetudinem
8 antiquam reduci. Ex juxta hanc lecturam ſummatur ſic ſecundùm gloſ. Jo. Andr. & alios communiter: Conſtitutio Capituli, quæ non eſt communis omnibus, & per quam
tollitur antiqua conſuetudo, non valet. Vel ſic, Non valet 9
conſtitutio collegii in damnum aliquorum, & commodum
aliorum, ceſſante rationabili cauſa. Vel aliter ſic, ſecundùm 10
Abb. & Felin. Abſque rationabili cauſa non poteſt major pars Capituli tollere conſuetudinem, utilitatem privatam nutriendo. Hoc dicit: Et dividitur in duas partes. In prima recitat duo ſtatuta ſucceſſivè facta. In ſecunda, duplici ratione utrumque caſſari mandat, ibi, *Cùm igitur*.

Nota primò, valere conſuetudinem non reſidendi, & 11
percipiendi fructus beneficii in abſentia, de quo eſt textus optimus hìc, qui ad hoc quotidiè à Doctoribus allegatur. Et per hanc litteram tenet hìc gloſ. *fin.* Item gloſ. *penult. in cap. Dudum, il 2. de elect.* & gloſ. 1. in *cap. Ad audientiam de Cler. non reſident.* Abb. & Dec. *hìc*, ambo *nu. 1. in 1. notabil.* Sed tu pleniùs diſtingue. Nam, aut quæritur, an ejuſmodi conſuetudo valeat in beneficiis ſimplicibus; aut quæritur an valeat in beneficiis in Cathedralibus, aut Collegiatis Eccleſiis; aut denique an valeat in beneficiis curam animarum habentibus.

Circa primum, quamvis de jure communi ſcripto be- 12
neficia omnia reſidentiam requirant, ut in *cap. Super ordinata de præb. & in cap. Conquerente de Cler. non reſident.* & notat Innocentius in *c. fin. in fine*, & ibi Abb. *num. 3. eodem*
tit. & Abb. in *c. Extirpandæ, §. Qui verò num. 30. verſ. Nam* 13
beneficium quantumcumque minimum de jure communi requirit reſidentiam, de præb. Oldrad. *conſ.* 140. *in Eccleſia Calaguritan. n. 3. verſ. Etſi dicatur*, Rebuff. in *praxi tit. Diſpenſatio de non reſidendo num. 7. & ſequent.* quia propter officium datur beneficium, *cap. fin. de reſcriptis lib. 6.* Feder. de Senis *conſ.* 246. *in princ.* & beneficia omnia ad divinum cultum, atque Eccleſiaſtica munia obeunda ſunt inſtituta, in decreto Concilii Tridentini *c. 3. ſeſſ. 21.* Abb. *ubi ſu-*
prà num. 32. ad finem: tamen generalis conſuetudo inole- 14
vit, ut beneficia ſimplicia perſonalem reſidentiam non requirant, ut teſtantur Lap. *alleg.* 118. *num. 1. propè finem, verſ. Sed nec etiam*, Oldrad. *loco cit.* Abb. hìc in *1. notab. & conſ. 47. in princ. lib. 2.* Rebuff. *ubi ſuprà numer. 8.* & Rota
apud Card. Seraph. *deciſ. 639. num. 5.* ſed ſatis eſt eis deſer- 15
vire per ſubſtitutum, Anchar. *conſ. 233. num. 3.* Quæ qui- 16
dem conſuetudo hodiè videtur approbata in *c. Gratia de reſcrip. libr. 6. & in Clem. Gratiæ eod. tit.* eamque validam eſſe tenent utrobique gloſſ. & Doctores, & eſt communis opinio, ut teſtatur Abb. in *d. §. Qui verò numer. 31. de præb.* Hinc Epiſcopo Vintimilien. alias petenti, ut ob Sacerdotum Parochorum penuriam, ac populi frequentiam poſſet revocare Presbyteros abſentes, habentes in Diœceſi unde viverent, atque in primis obtinentes Capellanias, ac beneficia ſimplicia, eoſque cogere in Diœceſi permane-
re: Sac. Congregatio Concilii cenſuit non concedendum, 17
licèt Anton. de Butr. *c. fin. num. 4. verſ. Secundus caſus inf. de Cler. non reſiden.* poſt Innoc. dicat abſentes revocari poſſe ob Clericorum penuriam, etiamſi obtineant beneficia perſonalem reſidentiam non requirentia, *argum. cap. Quia frater 7. qu. 1.* An autem valeat conſuetudo obtinendi plura beneficia ſimplicia, ſi unum ſit ſufficiens ad ſuſtentationem, vide Abbatem pluribus concludentem non valere tanquam irrationabilem, & impræſcriptibilem, in *eod. §. Qui verò nu. 36. verſ. Aut quæritur de beneficiis ſimplicibus.* Cujus opinio videtur hodiè approbata à Concilio Tridentino in *cap. 17. ſeſſ. 24.*

Circa ſecundum, duo caſus ſunt diſtinguendi. Primus 18
eſt, an valeat conſuetudo, ſecundùm quam obtinentes in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis dignitates, Canonicatus, aut portiones, percipiunt in abſentia fructus præbendæ. Secundus eſt, an valeat conſuetudo, ſecundùm quam iidem percipiunt in abſentia diſtributiones quotidianas.

In primo caſu Doctores communiter tenent, de jure validam eſſe hujuſmodi conſuetudinem, quia de hoc eſt textus clarus hìc, & tenent gloſſ. præallegatæ *ſup. num. 11.* Innoc. Hoſtien. Jo. Andr. & omnes hìc Abb. poſt alios in *d. cap. Extirpandæ, §. Qui verò num. 31. verſ. Quod ſecundum.* Limitat primò hanc concluſionem Innocentius in 19
c. Ego tuæ de Cler. non reſident. ut non procedat, ſi Clericus vagetur, quia tunc poteſt ad reſidentiam revocari, etiamſi beneficium perſonalem reſidentiam non requirat, & privari, ſi monitus non redierit, quia ſufficit delictum vagationis ad privationem, *cap. Non oportet Epiſcopum, & cap. ſeq.*

ſeq. 7. qu. 1. Et ita ſentit Innoc. non valere conſuetudinem non reſidendi data vagatione ex non reſidentia, prout illum intelligit, & ſequitur Abb. in *d. §. Qui vero num.* 32. *verſ. Alia poteſt elici limitatio*, & Dec. hîc in 2. *lect. nu.* 5.

20 Deinde limitat eandem concluſionem Hoſtien. hîc *num.* 10. dummodò Canonicus abſens per Vicarium, vel aliàs Eccleſiæ deſerviat; alioquin putat conſuetudinem non valere tanquam Eccleſiæ oneroſam, ut in *cap.* 1. *de conſuet.* Et cum hac limitatione tranſeunt communiter DD. ut hîc teſtatur Abb. *n.* 10. Qui tamen temperat hoc dictum Hoſtienſis, & reſtringit ad caſum, in quo Eccleſia propter hujuſmodi conſuetudinem deſtitueretur miniſtris; aliàs tenet conſuetudinem percipiendi fructus in abſentia validam eſſe, etiamſi abſentes per ſubſtitutos non inſerviant; quia quilibet Clericus, ex quo in ſortem Domini aſſumptus eſt, inſervit Eccleſiæ univerſali, ut notat Innoc. in *c. fin. de Cler. non reſid.* Et hoc ipſum poſt Goffred. & Alan. firmat idem Abb. in *d. c. Extirpandæ*, §. *Qui verò n.* 31. *verſ. Sed advertendum eſt de præb.*

21 Verùm hodiè ceſſant hujuſmodi ambages, quia conſuetudo inſerviendi per ſubſtitutum, & fructus in abſentia percipiendi in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, expreſsè ſublata eſt à Concilio Tridentino in *cap.* 12. *verſ. Præterea*, *ſeſſ.* 24. ubi ſtatuitur, ut obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe; ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos; quòd ſi iterùm eadem fuerit uſus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: creſcente verò contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum Conſtitutiones procedatur: id eſt, ad privationem, ad quam in totum non eſt procedendum, niſi lapſo trium annorum ſpatio, ut S. Congregatio declaravit. Et infrà in §. *Omnes verò*, expreſsè diſponitur, ut omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia. Atque ita eo decreto corrigitur textus noſter, quatenùs præcipit ab omnibus æqualiter ſervandam eſſe conſuetudinem, ſecundùm quam Canonici non reſidentes percipiebant fructus præbendarum in abſentia. Item corrigitur opinio Hoſtienſis, exiſtimantis conſuetudinem eſſe validam eo caſu, in quo Canonici abſentes inſerviunt per ſubſtitutum. Ac demum corrigitur opinio Goffredi, Alani, & Abbatis, tenentium valere conſuetudinem hanc, etiamſi abſentes per Vicarium non deſerviant, excepto caſu, in quo Eccleſia eſſet miniſtris deſtituta. Nam ex Concilio abſentes ultra tres menſes, privandi ſunt fructibus, etiamſi inſerviant per alios, & ſive Eccleſia abundet miniſtris, ſive non, & tollitur quævis contraria conſuetudo.

Hinc cùm eſſent Canonicatus in Eccleſiis Parochialibus, & Collegiatis Aquilejen. Diœceſis, in quibus Canonici deſervierunt per ſubſtitutum ante Concilium Tridentinum, ſicut hodiè etiam inſerviunt, fuit dubitatum, an hoc eſſet tolerandum, vel deberent cogi ad perſonaliter reſiden-
22 dum: Sacra Congregatio cenſuit ita cogendos. Quinimò ex ejuſdem Congregationis ſententia eo decreto ſublata eſt conſuetudo etiam immemorabilis, ſecundùm quam ex quavis cauſa, & ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis
23 quolibet anno abeſſe liceat. Unde conſuetudo Eccleſiæ Compoſtellanæ, qua dignitates habentur pro præſentibus ea ratione, quia coguntur abeſſe pro juſtitia miniſtranda in ejus juriſdictione, eo decreto ſublata intelligitur, ut eadem Congregatio declaravit. Quia Concilium excipit tantummodò caſum, quando pro cura animarum abſunt, ut in
24 *cap.* 3. *verſ. Quod ſi alicui*, *ſeſſ.* 22. Quæ ratio poterit excuſare ſolum Archipresbyterum, qui generaliter curæ incumbit. Et aliàs propoſito dubio, an Canonici ſint excuſandi ab aliqua hora illius diei, quo choro intereſſe tenentur, eo prætextu, quòd eorum nomine, velut in Matutino, adſint alii ab ipſis miſſi, præſertim ſtante immemorabili conſuetudine: Sac. Congregatio cenſuit non eſſe excuſandos.

25 Quinimò Theſaurarius Eccleſiæ Conſentin. cùm dignitas Theſaurariatus nec fructus aliquos, nec curam haberet, licèt ſit major poſt Pontificalem in d. Eccleſia, dubitavit, an teneretur reſidere ſtante conſuetudine non reſidendi, quæ valet, cùm Eccleſia, vel dignitas nullos redditus habet, Abb. in *d. cap. Extirpandæ*, §. *Qui verò de præb.* Sacra Congr. cenſuit Theſaurarium, licèt nullos fructus haberet teneri ex Concilio ad reſidentiam, quia illa conſuetudo non reſidendi, quæ valet de jure communi, cùm nulli ſint fructus, ſublata eſt à Concilio in Canonicatibus, & Curatis.

Et ſimiliter cùm Cardinalis . . . . . Epiſcopus Auximanus 26
petiiſſet, an duæ dignitates ſuæ Cathedralis, videlicet Archidiaconus, & Archipresbyter, qui nullos redditus habent, ſed ſolùm ſtallum in choro, teneantur ad reſidentiam, & ad quod genus reſidentiæ: die 18. Januarii 1614. reſponſum eſt, ſupradictas dignitates, licèt nullos habeant redditus, teneri omninò reſidere juxta formam à Concilio præ- 27
ſcriptam in 12. *ſeſſ.* 24. licèt aliàs declaratum fuerit, Decanatum, cujus proviſus habet nudam præeminentiam in Eccleſia Clodien. ſine juriſdictione, & fructibus, & dote, ac voce, & loco in Capitulo, nec participat de diſtributionibus, & aliis incertis, reſidentiam non requirere, nec inducere incompatibilitatem.

Patet igitur ex ſupradictis, ſublatam eſſe quamcunque 28
conſuetudinem inſerviendi per ſubſtitutum in Cathedralibus Eccleſiis. Verumtamen Sacra Congregatio cenſuit debere Epiſcopum concedere facultatem Capitularibus ſeſe invicem conſtituendi in ſervitio tum Eccleſiæ, tum Chori, dum tamen non iis temporibus ſubſtituantur, quibus ſervitio Eccleſiæ adſtricti ſunt. Item Epiſcopum curare debere, ut hac ſubſtituendi facultate non abutantur. Sed 29
hoc decretum aliàs declaravit habere locum tantummodò inter præſentes. Et cùm incidiſſet dubitatio, an cenſeri debeat abſens is, qui extra mœnia medium milliare, vel circa in ſuburbiis pernoctet, & in loco præcipuè, à quo poſſit ad ſervitium opportunè accedere; reſponſum non cenſeri abſentem.

Hæc de conſuetudine non reſidendi, & fructus præ- 30
bendæ in abſentia percipiendi in Cathedralibus Eccleſiis.

Quo verò ad Collegiatas, cùm Epiſcopus Comen. ha- 31
bens in ſua Diœceſi plures Collegiatas Eccleſias, non tamen inſignes, conſuluiſſet Sacram Congregationem Concilii, an ſi in eis à tempore immemorabili numquam conſueverit reſideri, poſſet compellere Canonicos ad reſidendum, juxta *cap.* 12. *verſ. Præterea*, *ſeſſ.* 24. Sacra Congregatio cenſuit, *c.* 12. *verſ. Præterea*, ſupradictum intelligi de omnibus Collegiatis, etiam non inſignibus; niſi tamen iſtæ non inſignes Collegiatæ eſſent rurales prorsùs deſtitutæ, aut in quibus nunquam anteà ſuprà hominum memoriam ſolitum eſſet reſideri, aut quæ adeò tenuis redditus eſſent, ut Canonicos non habentes unde vivant, alere non poſſent.

Sed poſteà cùm ſubdubitatum eſſet, an deciſio S. Congregationis, ut immemorabilis excuſet à reſidentia, procederet in Collegiata non inſigni rurali tantùm, an verò etiam in urbana, itaut illa verba, *Aut in quibus*, non repeterent dictionem, *Rurales*. Cùm autem quidam dicerent Gregorium XIII. in una Patavin. de immemorabili in non inſignibus aliter ſenſiſſe, relatum eſt ad eum decretum Congregationis: Sanctitas Sua probavit, quod viſum eſt Congregationi, ut ſcilicet quando Eccleſiæ non ſunt inſignes, ſola immemorabilis conſuetudo non reſidendi excuſet Canonicos à reſidentia; ſed in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus immemorabilis nullo modo excuſet.

Ampliùs cenſuit S. Congregatio, in Collegiatis Eccleſiis unumquemque ex titulatis, ſeu Canonicis teneri per ſeipſum inſervire, niſi aliquæ ex ipſis adeò modici redditus ſint, ut titulares aliunde non habentes unde vivant, alere non poſſint, ac propterea adſit etiam conſuetudo non reſidendi.

Poſteà S. Congregatio eadem de re rurſus habita decla- 32
ravit illa verba decreti à ſe editi, videlicet, in quibus nunquam anteà ſupra hominum memoriam ſolitum eſſet reſideri, intelligenda eſſe, ſi à nullo prorsùs ſolitum fuerit reſideri; ſecus ſi alii reſederint, alii non; tunc enim qui non reſederunt, compellendos eſſe, ut reſideant.

Cæterùm ſi Canonicis cura animarum incumberet, im- 33
memorabilis inſerviendi per ſubſtitutum non valeret etiam in Collegiatis non inſignibus. Unde in Caſtro Ariciæ, ubi ſunt centum familiæ, adeſt Parochialis Eccleſia Sanctæ Mariæ, quæ ſex beneficiatos habet, qui Canonici vocantur, pares, & nullum caput habentes, nec dignitatem, nec ſigillum, nec aream communem, nec locum Capitu-

pitularem, nec aliqua ſigna indicantia Eccleſiam eſſe Collegiatam. Itaque ipſi beneficiati ipſam Eccleſiam Parochialem eſſe cenſentes, & arbitrantes non convenire loci qualitati, ut omnes ibi reſideant; à tempore immemorabili ſemper obſervatum eſt, ut ipſi Eccleſiæ deſerviatur per unicum Sacerdotem ab eis conſtitutum. Et cùm dubitaſſent, numquid ulteriùs omnes, vel aliqui eorum reſidere tenerentur; S. Congregatio cenſuit teneri omninò reſidere, tum quia Canonici, tum quia Curati.

34 In ſecundo autem caſu concludendum eſt abſolutè, conſuetudinem percipiendi in abſentia quotidianas diſtributiones, nullam prorſus, atque irritam eſſe ex Conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit, *Conſuetudinem*, relata in *c. unico de Cler. non reſident. lib. 6.* & à Concilio Trident. innovata in *d. c. 12. verſ. Diſtributiones verò, ſeſſ. 24.* & notat gloſſ. communiter approbata in *d. c. unic. in verb. Improbantes*, & Dec. hìc *n. 2.* Imò hoc procedit, etiamſi conſuetudo ſit immemorabilis. Nam cùm Conſtitutio Bonifacii non ſimpliciter tollat conſuetudinem, ſed eam improbet, ibi, *Improbantes*, per hoc cenſetur ſuſtuliſſe etiam illam, cujus initii non eſt memoria, arg. *c. Cùm venerabilis, & c. fin. ſuprà de conſuetud.*

35 Quoad adeò verum eſt, ut nec tribus menſibus à Concilio permiſſis in *d. c. 12. verſ. Prætereà*, valida ſit conſuetudo etiam immemorabilis percipiendi in abſentia quotidianas diſtributiones, ut ſæpius cenſuit Sac. Congregatio. Et ſanè cùm diſtributiones quotidianas non lucrentur duo Canonici abſentes pro ſervitio Epiſcopi, *c. De cætero, & c. Ad audientiam*, juncta gloſſ. in *ver. Integrè infrà de Cler. non reſident.* nec abſentes ſtudiorum cauſa, *c. Licet de præben.* nec in aliis caſibus privilegiatis, quos poſui in *c. Licet infrà de præbend.* nec valeat in his caſibus contraria conſuetudo, licèt immemorabilis, ut pluries fuit reſolutum, cùm non ſint de tribus caſibus exceptis in *d. c. unico*, longè minùs valere debet in caſu abſentiæ trium menſium recreationis cauſa. Et dignum eſt memoratu, quòd cùm Canonici Cathedralis Eccleſiæ Æſinæ ab immemorabili tempore conſueviſſent quatuor menſes quotannis ab Eccleſia abeſſe, & eo tempore diſtributiones quotidianas percipere; eaque conſuetudo ab omnibus Epiſcopis tolerata fuiſſet, & præſertim à ſanctæ mem. Paulo V. qui in minoribus eidem Eccleſiæ præfuit; & ſupplicaſſent propterea, ut ſibi liceret pergere in eadem conſuetudine: Sac. Congreg. cenſuit non concedendum, ſed de cætero abſentiæ tempus tres menſes ad ſummum excedere non debere, & adſentes eo tempore percipere poſſe fructus præbendæ dumtaxat, amiſſis diſtributionibus quotidianis.

36 Circa tertium ſimiliter tenendum eſt ſine dubio in beneficiis Curatis talem conſuetudinem non valere, quia eſt irrationabilis, & Eccleſiis oneroſa, & periculum continet animarum, ut dicit Abb. in *c. Extirpandæ, §. Qui verò n. 32. verſ. Et ex prædictis puto de præb.* Quod procedit etiam ſi quis per Vicarium inſerviat, ut tenet Archid. in *c. Sacerdotibus 31. diſt.* Abbas *loco cit.* & Dec. hìc in 4. *lect. n. 7.* Ratio eſt ſecundùm eos, quia in commiſſione curæ electa eſt induſtria perſonæ, cùm per ſeipſum debeat illam exercere, ut in *d. §. Qui verò, in c. Quia nonnulli de Cler. non reſiden. & in c. Clericos de offic. Vicar.* Ergo conſuetudo, ut alii committatur, non eſt rationabilis, ad hoc *c. fin. de offic. deleg. & c. Is cui eod. lib. 6.* Tu dic reſidentiam in beneficiis curam animarum habentibus eſſe de jure divino, & naturali, & abſentes mortaliter peccare, & fructus ſuos non facere, & contrariam conſuetudinem etiam immemorabilem eſſe corruptelam, prout hæc omnia habentur in decreto Concilii Trident. *c. 1. ſeſſ. 23.* & probavi latiſſimè in *c. Ex parte de Cler. non reſiden.*

37 QUÆRO, an Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, cui ex juris communis præſcripto, & S. Congregationis Concilii declaratione, etiam abſque Epiſcopo competit facultas ſtatuendi de his, quæ propria ipſius Capituli negotia reſpiciunt, poſſit ejuſmodi ſtatutis, quò firmiùs obſerventur, pœnas adjicere?

Capitulum poſſe ſtatuere de his, quæ non reſpiciunt Epiſcopum, nec generalem ſtatum Eccleſiæ, ſed ſingularia ipſius Capituli negotia, puta ut certis modis dividantur quotidianæ diſtributiones, vel ut certis temporibus ad Capitulum non vocati conveniant, vel ſuper adminiſtratione bonorum communium Capituli, in quibus Capitulum habet adminiſtrationem ſeorſim ab Epiſcopo, & ſuper aliis ſimilibus, Gloſſa eſt receptiſſima in *c. 2. in ver. Statuto*, ubi omnes *de verbor. ſignific. in 6.* Et notant hìc Compoſt. Jo. Andr. & alii, & in *c. Cùm conſuetudinis de conſuetud.* Idque jam declaravit S. Congregatio.

An verò Capitulum cùm hæc ſtatuta condit, poſſit etiam pœnam ſtatuere in ipſos Canonicos tranſgreſſores, videtur diſtinguendum. Nam aut quæritur, an valeat ſtatutum pœnale tanquam conditum ab habente juriſdictionem. Et hoc pacto non valet, quia Capitulum juriſdictio- 38
ne caret, & facultas imponendi pœnam à juriſdictione procedit, *l. 1. ff. Si quis judic. non obtemper.* & notat hìc Jo. Andr. *n. 11.*

Aut quæritur, an Canonici ſtatuentes poſſint ſe obliga- 39
re ad pœnam quaſi conventionaliter pro obſervantia ſtatuti. Et hoc modo tenet adjectio pœnæ. Ita diſtinguit hìc Butr. in *6. col. verſ. Nunquid autem*, qui cùm loquatur de univerſitate habente juriſdictionem, idem videtur ſentire de Capitulo, cujus poteſtatem in hac materia poteſtati Univerſitatis ſimilem eſſe, *ſuprà eod. col.* oſtendit. Quam opinionem non obſcurè amplectitur gloſ. recepta in *cap. Cùm aliquibus in ver. Firmitate de reſcr. in 6.* dum verbum, *Firmitate*, quod habetur in textu, accipit pro vinculo pœnæ, cui ſe Canonici ſtatuentes ſponte obligaverunt, & comprobat Capella Tholoſana *deciſ.* 405. Et quamvis Imol. hìc *nu.* 22. velit hanc adjectionem pœnæ ita demum obligare, ſi Canonici promittant obſervare ſtatutum ſub certa pœna applicanda Superiori: tamen hæc limitatio ab aliis non ponitur, & rationi repugnat; quia cùm partes etiam pri- 40
vatæ poſſint inter ſe paciſcendo pœnam ſtipulari, *leg. Si pacto quo pœnam, Cod. de pactis cum ſimilibus*, non eſt dare rationem diverſitatis, cur Capitulares non poſſint & ipſi tanquam privati ſe ad pœnam obligare, ubi ſtatuto contrafecerint. Nec eſt, quòd replicetur, contrahentes ideò poſſe pœnam promittere, quia conſentit tunc is, cujus intereſt, nec obligatur invitus. At in caſu noſtro loquimur de ſtatuto, in quo cùm ſufficiat conſenſus majoris partis Capituli, *leg. Quod major, ff. Ad municip.* & hìc per DD. hujuſmodi pœna non videtur poſſe afficere eos ſaltem qui fuerunt abſentes, vel ſtatuto non conſenſerunt.

Reſpondetur enim majorem partem Capituli, ubicumq; 41
de neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ agitur, poſſe præjudicare minori quoad ea, quæ competunt Canonicis ut non ſingulis, ſed collegialiter, *cap. Cum in cunctis infrà de his, quæ fiunt à major. part. Cap.* & notant hìc DD. & præcipuè Imol. *n. 9.* & Abb. *n. 7. verſ. Venio ad ſecundum.* Abſentes autem, ſive vocati in caſibus, in quibus ſunt vocandi, ſive 42
non vocati, ubi eos vocari non oportet, tenentur ſtare deliberationi factæ à majori parte præſentium, ſecundùm gloſſ. magn. hìc, & in *c. Præſentium in ver. Ipſorum de teſtib. lib. 6.* Itaque ad dubium videtur reſpondendum, adjectionem pœnarum valere quaſi conventionaliter, dummodò ſint ex eo genere pœnarum, quæ pacto privatorum promitti, atque in conventionem deduci poſſunt.

Illud tamen omittendum non eſt, hujuſmodi pœnas non afficere Canonicos ſucceſſores, quia Canonici ſtatuere non poſſunt in ſucceſſorum præjudicium, ut tenent DD. hìc, ubi in ſpecie Jo. de Anan. *nu.* 5. dicit, per ſtatuta Canonicorum non poſſe inferri præjudicium reale quoad omnes, niſi de conſenſu Epiſcopi.

Die 31. Maji 1607. propoſito hoc dubio in S. Congrega- 43
tione Concilii, Patres unanimiter cenſuerunt, Capitulum poſſe pœnas adjicere quaſi conventionaliter, ex his videlicet, quæ pacto privatorum promitti, ac in conventionem deduci poſſunt, ſufficereque conſenſum majoris partis Capituli; ſed Canonicos ſucceſſores non affici hujuſmodi ſtatutis, niſi ab Epiſcopo fuerint confirmata.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Idem Innocentius III. Tridentino Epiſcopo.

CAPUT VII.

QUæ in Eccleſiarum : & infrà. Sanè pervenit ad audientiam noſtram, quòd cives Terviſini conſtituerunt, ut ſi quis ſe ad inopiam vergere probabiliter allegaverit, alienandi feudum, quod ab Eccleſia, vel aliis tenet, liberam habeat facultatem : & infrà. Volentes igitur Eccleſiarum indemnitati conſulere, conſtitutionem hujuſmodi, & venditiones feudorum Eccleſiaſticorum factas ſine legitimo Eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu, vires decernimus non habere.

SUMMARIUM.

1 *COnſtitutio facta ſuper rebus non ſuppoſitis juriſdictioni ſtatuentis, ipſo jure non valet.*
2 *Conſtitutio Laicorum non poteſt tribuere vaſſallo poteſtatem alienandi feudum quod tenet ab Eccleſia.*
3 *Cives habent facultatem condendi ſtatuta in ſuis civitatibus.*
Etiam contra jus commune, n. 5.
4 *Dùm tamen ſint licita, & de rebus eorum juriſdictioni ſuppoſitis.*
6 *Statuta à Clero etiam cum Epiſcopo fieri non poſſunt contra Canones, ſed benè à populo contra jus commune.*
7 *Et quæ ſit ratio differentiæ.*
8 *Paupertas non eſt juſta cauſa auferendi bona aliena.*
9 *Eleemoſynam tempore egeſtatis poteſt facere Monachus de bonis Monaſterii, etiam ſine licentia Prælati.*
10 *Si neceſſitas ſit extrema, aliàs ſecus.*
11 *Pauperi ſubveniendum eſt de proprio, non de alieno, ſive ſua culpa in egeſtatem inciderit, ſive non, n. ſeq.*
12 *Eleemoſyna pro nutrimento indiſtinctè danda eſt.*
13 *Pauper & inops in quibus differant, remiſſivè.*
14 *Statutum laicorum ſpecificè diſponens de Eccleſiis, vel earum bonis, non valet, etiamſi alios contingat.*
Idem in conſuetudine laicorum, n. 52. *& n.* 100.
Nec inde ullum præjudicium Eccleſiis generatur, num. 19.
Ampliatur novem modis, ut n. 20. *& ſeqq. n.* 57.
15 *Et ſtatutarii ſunt ipſo facto excommunicati, & privandi ſunt feudo quod habent ab Eccleſia.*
16 *Laici ſuper Eccleſiis, earumque perſonis, ac bonis, nullam habent juriſdictionem, n.*26. *&* 31.
17 *Statuendi poteſtas à juriſdictione regulatur.*
18 *Statutum excedens poteſtatem ſtatuentium, eſt ipſo jure nullum.*
20 *Statutum laicorum diſponens ſuper rebus, quæ ratione ſolius dominii directi pertinent ad Eccleſias, & ratione utilis dominii pertinent ad laicos, vel è converſo, non tenet.*
21 *Idem ſi diſponat de bonis patrimonialibus Clericorum.*
22 *Bona patrimonialia Clericorum non ſunt de foro laicorum, nec eorum ſtatutis ligantur.*
23 *Forum ſortiri, & ſtatutis ligari, à pari procedunt.*
24 *Statutum factum à laicis contra perſonas ſæculares intuitu Clericorum, puta contra eorum conſanguineos, eſt contra libertatem Eccleſiaſticam.*
25 *Leges Imperatorum, ac Principum, de Eccleſiis, earumve perſonis ac bonis ſpecificè diſponentes, ſunt nullæ ex defectu poteſtatis.*
26 *Etiam in materia, in qua contrarium non reperitur ſtatutum de jure Canonico.*
27 *Nec ſervari debent etiam de honeſtate.*
Quod procedit, etiamſi fuerint editæ ab Imperatoribus ad inſtantiam Eccleſiæ, n. 28.
Item procedit, etiamſi concernant favorem, & commodum Eccleſiarum, n. 30.
Item procedit, etiamſi à Gratiano ſint inſertæ in volumine decreti, n. 33.
Item procedit, etiamſi fuerint editæ ex juſta cauſa, nu. 41. 44. *& ſeqq.*
28 *Eccleſia non poteſt ſe ſubmittere ſuperioritati, ac legibus Imperatoris.*
29 *Lex civilis per Papam inſerta Canoni ſervari debet tanquam lex Canonica.*
32 *Lex Principis generaliter loquens, ubi Canon non contradicit, ſervari debet etiam quoad Eccleſias, niſi de ipſis Eccleſiis, vel bonis earum ſpecificè diſponat.*
34 *Leges civiles, quæ procedunt privilegiando Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, an valeant, & n. ſeqq. uſque ad num.* 41.
35 *Privilegium eſt lex, licèt ſpecialis, & privata, & differt à lege communi, ſicut ſpecies à genere.*
36 *Genus à quo removetur, & quælibet ejus ſpecies.*
37 *Privilegium regulariter ſubdito eſt concedendum, & non alii.*
Sed contrà, n. 39.
38 *Princeps propria authoritate non poteſt in favorem Eccleſiæ privilegium concedere.*
39 *Contrarium.*
40 *Declaratur.*
41 *Statuti ad validitatem non ſufficit juſta cauſa, ſed præcipuè poteſtas ſtatuentis requiritur, n.* 44.
42 *Alienationem feudi in Eccleſiam an capitula feudalia prohibere poſſint, & n. ſeqq. uſque ad n.* 57. *& num.* 64. *& ſeqq.*
43 *Eccleſia eſt cultrix juſtitiæ, nec ſe injuſtam patitur, nec in alium tolerat.*
44 *Cauſa etiam graviſſima non tribuit ſtatuendi poteſtatem non habenti.*
45 *Lex injuſta eſt auctore, quando fertur ab eo ultra ſibi commiſſam poteſtatem, etiamſi ordinetur ab bonum commune.*
46 *Statuendi poteſtas magis eſt neceſſaria ad legem condendam, quàm cauſa boni publici.*
47 *Lex civilis ſpecificè diſponens de Eccleſiis, inducta ſuper ratione naturali, nec contradicens Canoni, ſervatur non ratione legis Principis, ſed ratione naturali, ſuper quam fundatur.*
48 *Canone, vel lege deficiente, recurrendum eſt ad rationem naturalem.*
49 *Statuta laicorum an poſſint præjudicare Eccleſiæ in acquirendis, & nn. ſeqq.*
50 *Argumentum à pacto, vel teſtamento ad legem, ſtatutum, vel conſuetudinem, an, & quando procedat, & n. ſeqq.*
51 *Princeps in bonis ſubditorum nullum habet directum, vel utile dominium, ſed tantùm protectionem, juriſdictionem, & quoddam dominium univerſaliter conſideratum, n.* 113.
52 *Feudales conſuetudines ſpecificè diſponentes de rebus ſpectantibus ad Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas ratione utilis dominii, non valent, num.* 94. *& ſeqq.*
53 *Feudum an tranſeat in Monaſterium, ſi feudatarius fiat Monachus, & n. ſeqq. & n.* 57. *uſque ad n.* 66.
54 *Feudum perpetuum ad omnem hæredem tranſit, quia redigitur adinſtar proprietatis, & poteſt appellari francum.*
55 *Sed ſi ſit ad vitam, morte naturali finitur.*
56 *Finito jure datoris, finitur jus acceptoris.*
57 *Regularis ex Ordine Fratrum Prædicatorum ad Epiſcopatum aſſumptus an ſuccedat in feudo aperto, poſtquam fuit conſecratus Epiſcopus, latiſſimè diſcutitur, ut n. ſeqq. uſque ad n.* 108.
58 *Feuda ſecundùm Canones habere poſſunt Clerici, Re-*

Religioſi, & Epiſcopi.

59 *Vaſſallus ſi fiat Clericus, vel Monachus in feudo non ſuccedit, & ſi quod habet, perdit.*
Declaratur n. 61. & ſeqq. uſq. ad n. 66.

60 *Feudum ita demum tranſit in Monaſterium, ſi tale requirat ſervitium, quod à Religioſo vaſſallo, vel Monaſt. poſſit honeſtè per ſe, vel per alium explicari: aliàs ſecus, & n. ſeqq. uſq. ad n. 66. & 79. uſq. ad n. 108.*
Declaratur, ut n. 105.

61 *Miles ſæculis eſſe deſinit, qui factus eſt miles Chriſti.*
Declaratur n. 104.

62 *Beneficium non pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.*

63 *Feudalia jura in excluſione Regularium à ſucceſſione feudi ſolummodo contemplantur eorum inhabilitatem ad ſerviendum.*

65 *Feudum ſive fuerit apertum ante, ſive poſt profeſſionem vaſſalli, tranſit in Monaſterium, ſi ſervitia poſſint honeſtè à Monacho, vel Monaſterio per ſe, vel per alium exhiberi.*

66 *Feudi ſervitium, an, & quando poſſit explicari per ſubſtitutum, & n. ſeqq. uſq. ad n. 79.*

67 *Feudum ſi ſit nobile, antiquum, & honorificum, liberum, francum, & expeditum, vaſſallus intelligitur abſolutus ab omni ſervitio, præterquam ab expreſſo in inveſtitura.*

68 *Servitium, quòd præſtatur in ſignum recognitionis, cùm ſit annuum, in quocumque ſtatu præſtari poteſt.*

69 *Obſequia à vaſſallo præſtanda ſunt adinſtar eorum, quæ libertus debet patrono.*

70 *Obſequia, quæ debet patrono libertus, ſunt honoris & reverentiæ.*

71 *Homagium, & Sacramentum fidelitatis honeſtè à religioſo vaſſallo præſtari poteſt per ſeipſum.*

72 *Abbatiſſa vel Prioriſſa exire debet è clauſura ad homagium, & juramentum fidelitatis præſtandum pro feudo, quod Monaſterium habet à domino temporali, ſecus poſt Bullam S. Pii V.*

74 *Forma fidelitatis nihil continet, quod à vaſſallo Religioſo, & Epiſcopo non poſſit honeſtè per ſe, vel per alium explicari.*

75 *Vaſſallus ex forma fidelitatis non tenetur ad militandum, præſertim in propria perſona.*

76 *Et eſt in optione ipſius, an ad expeditionem bellicam velit ire, vel mittere; an ſubminiſtrare dimidium redditus unius anni, & n. 78.*

77 *Non tenetur ſequi dominium in bello, neque ad alia ſervitia perſonalia, niſi hoc expreſsè ſit cautum in inveſtitura.*

79 *Monachus factus Epiſcopus paternam hæreditatem vendicat, non ſibi, ſed Eccleſiæ, & n. 88.*

80 *Spolia Epiſcopi Regularis morientis ab inteſtato in Indiis Orientalibus ad propriam Eccleſiam pertinent.*

81 *Feudum Regularis ad Epiſcopatum aſſumpti tranſit in Eccleſiam, ſi ſervitium honeſte præſtari poſſit per ſe, vel per ſubſtitutum, & n. ſeqq. uſq. ad n. 107.*

82 *Monachus factus Comes per Papam, ſuccedit in feudo aperto poſtquam factus eſt Comes.*

83 *Vaſſallus factus Epiſcopus cenſetur habilitatus ad inſerviendum per ſubſtitutum, licèt feudum requirat ſervitium perſonale, & n. 85.*

84 *Epiſcopus eſt ſucceſſibilis in feudo paterno.*

85 *Epiſcopi, & Cardinales retinent feuda ad eos devoluta jure ſucceſſionis.*

86 *Regularis ſi fiat Epiſcopus, non per hoc abſolvitur à voto paupertatis, & n. 89.*

87 *Et cum nihil habeat, nihil donare poteſt.*

88 *Regularis Epiſcopus quicquid poſt ſuam conſecrationem acquirit, non ſibi, ſed Epiſcopatui acquirit.*

89 *Frater minor ſi fiat Epiſcopus, non efficitur capax ſucceſſionis, ſed tamen bona in ſuam Eccleſiam deferuntur.*

90 *Feudum eſt beneficium Principis, & latiſsimè interpretandum.*

91 *Clericorum appellatione in materia feudali veniunt Clerici etiam Regulares, & Epiſcopi, etiamſi vocetur Clericus major natu, n. 93.*

92 *Inhabilis ad ſerviendum feudo ſi habitetur ad ſuccedendam, cenſetur etiam habilitatus ad ſerviendum per ſubſtitutum.*

94 *Feudorum liber eſt authenticus, & allegari poteſt ad deciſionem cauſarum, & ligat etiam Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas.*

95 *Fallit quoad Capitula, quæ de Eccleſiis, vel perſonis, ac rebus earum ſpecificè diſponunt.*

96 *Leges civiles, quæ loquuntur de emphyteuſi Eccleſiæ, ſervari non debent.*

97 *Feudorum liber non emanavit à Principe, ſed à privatis hominibus non habentibus authoritatē legis condendæ.*

98 *Et ideò ſecundùm aliquos non ligat.*
Sed contra, & cur n. 99.

99 *Conſuetudines feudorum cùm ſint ſupra hominum memoriam, habent vim privilegii, & videntur ab Eccleſia approbatæ.*

100 *Fallit in capitulis, quæ fiunt contra immunitatem Eccleſiaſticam.*

101 *Epiſcopi propter excellentiam dignitatis non comprehenduntur in capitulis feudalibus excludentibus Clericos, & Monachos à ſucceſſione feudi.*

102 *Feudum proveniens ab Eccleſia Roman. eſt Eccleſiaſticum*

103 *Et ad illud non extenduntur jura feudalia excludentia à ſucceſſione feudi Clericos, & Monachos.*

104 *Religioſus, & Epiſcopus ſi fiat vaſſallus Eccleſiæ Romanæ, non deſinit eſſe miles Chriſti.*

105 *Feudum apertum Religioſo ad Epiſcopatum aſſumpto tranſit in Cathedr. Eccleſiam quoad commoditatem dominii utilis durante vita naturali ipſius Epiſcopi, n. 107.*

106 *Feudalia jura, quæ ex ſui natura non tranſeunt, niſi ad hæredes ſanguinis, ut Regnum, Ducatus, & Baronia, non tranſeunt in Monaſterium, vel Eccleſiam, ſed remanent generi.*

107 *Declaratur.*

108 *Principis reſcriptum, lex, vel ſtatutum in læſionem juris alterius, an valeat, necne diſtingitur, & nu. ſeqq. uſque in finem.*

109 *Quid ſi Princeps auferat jus quæſitum, vel acquirendum de jure naturali, id eſt gentium.*
Et quid ſi procedat ſine juſta cauſa, & hoc ſit certum, num. 112.
Et quid ſi ex juſta cauſa, & hoc pariter ſit certum, num. 118.
Et quid ſi dubium ſit, an juſta cauſa ſubſit, n. 120.
Et quid ſi auferat jus alteri competens de jure civili, num. 133.
Et quid ſi jus ex toto non auferatur, ſed differatur, n. 139.

110 *Dominia ſunt de jure gentium.*
Sed modi acquirendi per jus civile diſtinguuntur, nu. 116.

111 *Jus gentium dicitur etiam jus naturale.*

113 *Imperator quamvis habeat juriſdictionem in univerſos, non tamen habet dominium rerum privatarum.*

114 *Leges auferentes rem alterius ſine juſta cauſa ſunt tyrannicæ,*

115 *Conſuetudo, per quam ſine cauſa jus alterius aufertur, non valet.*

117 *Papa an ſine cauſa poſſit auferre alicui officium, vel beneficium remiſſive.*

119 *Cauſa juſta auferendi rem alterius eſt favor publicus.*

120 *Princeps in auferendo rem alterius in dubio præſumitur motus ex juſta cauſa.*
Contrarium, num. 124.

121 *Et contra hujuſmodi præſumptionem probavit non admittitur.*

122 *Contrarium, & n. 123.*
Declaratur quatuor modis, ut n. 115. & ſeqq.

123 *Principis aſſertio non probat juſtam cauſam auferendi rem alterius, ſed tantùm transfert onus probandi in adverſarium.*

125 *Princeps reſcribendo contra jus quæſitum ex ſuo contractu non præſumitur motus ex juſta cauſa.*

126 *Princeps non poteſt ſuo vaſſallo ſine cauſæ cognitione feudum auferre, & n. ſeqq.*

127 *Feudum eſt contractus ultrò citròque obligatorius.*

128 *Princeps reſcribendi contra conceſſionem ſuam etiam gra-*

gratuitam, non præſumitur ex juſta cauſa motus, ſed circumventus.

129 *Et hæc præſumptio eſt juris, & de jure non admittens probationem in contrarium.*

130 *In conceſſionibus Principum prima attenditur, nec per ſecundam primæ derogatur.*

131 *Princeps reſcribendo contra jus tertio quæſitum de jure gentium non præſumitur motus ex juſta cauſa reſpectu non ſubditorum.*

132 *Idem ſi cauſa in reſcripto expreſſa ſit frivola, ſeu irrationabilis.*

133 *Actiones à jure civili ſunt proditæ.*

134 *Principis reſcriptum, lex, vel ſtatutum auferent ex toto jus alteri competens de jure civili non valent, niſi adjiciatur clauſula, Non obſtante lege, &c.*

135 *Vel niſi aliàs conſtet de expreſſa voluntate Principis.*

136 *Sed in reſcriptis Papæ requiritur derogatio regulæ de non tollendo jus quæſitum.*

137 *Princeps non poteſt actionem alteri competentem ſic auferre, quin reddat juſtititiam.*

138 *Et hoc caſu ſine actione formali agi poteſt ex ſola obligatione naturali.*

139 *Princeps poteſt modicam læſionem inferre dando dilationem debitori, ut non poſſit interim conveniri.*

140 *Jus merè civile tolli poteſt ab eo, qui juriſdictioni præeſt, ſi ſuper eo faciat legem municipalem.*

141 *Lex civilis poteſt jus naturale diſtinguere, & adjuvare, eique addere, vel detrahere.*

142 *Princeps ſæcularis an poſſit diſtinguere, limitare, & interpretari jus divinum.*

1 QUæ in Eccleſiarum. Conſtiutio laicorum Eccleſiam, ſeu ejus bona non adſtringit, hoc dicit Joan.
2 Andr. vel aliter ſecundùm Petrum de Anchar. Conſtitutio facta ſuper rebus non ſuppoſitis juriſdictioni ſtatuentis ipſo jure non valet. Vel ſpecialius ſecundùm Cardinal. Conſtitutio laicorum non poteſt tribuere vaſſallo poteſtatem alienandi feudum, quod tenet ab Eccleſia. Dividitur in duas partes. In prima ponitur Conſtitutio. In ſecunda ejus caſſatio, ibi, *volentes*.

3 Nota primò ibi: *Cives Terviſini conſtituerunt.* Cives habere facultatem condendi ſtatuta in ſuis civitatibus; prout hìc notant Abb. *in* 1. *not.* & Dec. *n.* 10. poſt gl. 1. & Bald. *n.* 1. dicentes, id eis licere tam jure fori, quàm jure poli. Hujuſmodi enim poteſtas competit cuilibet populo, ſeu univerſitati populum conſtituenti, *leg. Omnes populi*, & ibi plenè Bart. *ff. De Juſt. & jur.* §. *Jus autem inſt. de jur. natur. gent.*
4 *& civil. c. Jus civile* 1. *diſt.* Butr. & Anch. hìc *in primo not.* & Imol. *n.* 4. dum tamen aliàs ſint licita, & de rebus ſuæ juriſdictioni ſuppoſitis, ſecundùm Anch. & Imol. Quod lo-
5 cum habet etiamſi ſtatuta ſint contra jus commune, ut probatur *in l. Item eorum, ff. Quod cujuſque univ. nomin. in l. Prohibere*, §. *Planè, ff. Quod vi, aut clam, & in l.* 1. *C. De emancip. liber.* & firmat Albericus de Roſate *in* 1. *p. ſtatut. q.* 7. *verſ. Sed quid ſi ſtatutum*, quem ſequitur Felin. *in c. quod ſuper his n.* 2. *de major. & obedient.* & Dec. hìc *n.* 18.

6 Et in hoc ſigna differentiam inter populum & Clerum. Nam Clerici etiam cum Epiſcopo poteſtatem non habent ſtatuendi contra Canones, ut eſt textus in *d. cap. Quod ſupra his*, & ibi dixi *nu.* 26. plenè Federic. de Senis *conſ.* 17. *Quæſtio talis eſt per totum*, Petr. de Anchar. *in repetit. cap. Canonum ſtatuta num.* 188. *verſ. In contrarium, & numer.* 190. *verſ. Accedit his utilis quæſtio ſuprà eodem*, Jaſon in *d. l. Omnes populi col.* 2. *num.* 30. *de Juſt. & jur.* Dec. *hìc num.* 12. Rationem diverſitatis aſſignat Abbas in *cap. fin. num.* 9. *verſ. Sed pulchrum eſt videre infrà de conſuet.* Quæ tamen ratio fortè eſt magis ſubtilis, quàm vera; & eum refellit Felin. in *d. cap. Quod ſuper his num.* 2. *verſ. Sed difficile eſt inveſtigare rationem, & de major. & obedient. &*
7 *num.* 3. approbat rationem differentiæ, quam ponit Joan. de Imol. *in c. fin. num.* 10. *verſ. Sed certè poteſt dici de offic. legat.* nempè quod populus idcirco poteſt ſtatuere contra jus civile, quia ſtatuendi poteſtas fuit ei conceſſa, & approbata per Imperatorem in *d. l. Omnes populi*. Aliàs enim fortè non poſſet contra jus ſtatuere, cum omnis poteſtas tranſlata fuerit de populo in Imperatorem, ſecundùm ea quæ notantur in *l. fin. in verb. Solus Imperator, C. de legib.* Quod latiùs proſequere, ut per Felin. ubi ſuprà.

Secundò nota ibi: *Sed ad inopiam vergere probabiliter allegaverit.* Inopiam non eſſe juſtam cauſam auferendi bona aliena, Card. & Imol. *hìc in* 2. *not.* Nam etſi ſubveniendum ſit in egeſtate conſtitutis, *c. Non ſatis, verſ. Si quis tamen*, 83. *diſtinct.* & tempore neceſſitatis omnia ſint communia, *cap. Sicut hi* 47. *diſtinct. cap.* 3. *infrà de furt.* Ideòque in tali caſu liceat etiam Monacho, qui nihil habet, 9
facere eleemoſynam de bonis Monaſteriis, etiam ſine Prælati licentia, ut notatur in *c. Non dicatis in gloſſ. in verb. Poſſidere* 12. *quæſt.* 1. *& in cap. Alia in verb. Si munus*, 16. *quæſt.* 1. tamen hæc vera ſunt quoad conſtitutos in extrema neceſſitate, & ne quis fame pereat, juxta textus in *cap. Paſce fame morientem*, 86. *diſtinct.* At in caſu ſtatuti 10
Terviſini, de quo hìc, potuiſſet eſſe feudum longè majoris valoris: & nihilominus exiſtenti in neceſſitate ſubve- 11
niendum eſt de proprio, non de alieno, ſive ſua culpa in egeſtatem inciderit, ſive non, *cap. Quieſcamus* 42. *diſt.* 12
quod intelligit ibi gloſſ. in *verb. poſtulat. circa finem de eleemoſyna*, quæ datur pro nutrimento, quæ indiſtinctè danda eſt, ut ibi, & in *cap. Quam pio* 1. *quæſt.* 2. & in aliis concordant in gloſſ. alleg. Sed de alieno numquam licet fa- 13
cere eleemoſynam, *c. Tua il* 2. *c. Ex transmiſſa*, & ibi gloſſ. magna *circa finem, verſ. Aliàs ſi dominum infrà de decimis*: & notatur in *cap.* 2. *in gloſſ.* 2. *de conſuet.* & per Cardin. *hìc nu.* 10. *in* 7. *oppoſit.* Quibus adde D. Thomam *in* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 3. Quis autem dicatur inops, & de differentia inter inopem, & pauperem vide hìc per Card. *in* 2. *notab.* Bellam. *in princ. in verb. Inopiam*, & Dec. *n.* 5. poſt Archid. *in cap. Quo jure* 8. *diſt.*

Tertiò nota ibi: *Conſtitutionem hujuſmodi.* Statutum 14
Laicorum ſuper rebus Eccleſiaſticis non valere, ut hìc eſt text. celebris, qui quotidiè à Doctoribus allegatur. Quod clarum eſt ſecundùm omnes, quando de ipſis rebus Eccleſiaſticis ſpecificè diſponit, etiamſi alios conjungat, ut hìc per Butr. *num.* 3. & Imol. *num.* 4. & notat Bart. in *l. Omnes populi nu.* 36. *ff. de juſt. & jure, & in l. Cunctos populos nu.* 15
28. *Cod. de Summ. Trinit. & Fide Cathol.* & ſtatutarii, niſi infra duos menſes ſtatuta hujuſmodi deleri fecerint, ſunt ipſo facto excommunicati, ut *cap. Noverit de ſent. excommunic.* & not. gloſſ. in *cap. Gravem in verb. Promulgare eodem tit.* Cardin. *hìc numer.* 2. Abbas *conſ.* 83. *Præſens dubium num.* 2. *verſ. Quinimò ſtatuentes libr.* 1. & pri- 16
vandi ſunt feudo, quod habent ab Eccleſia, ut in *dicto cap. Gravem*, cum gloſſ. in *verb. Privatos.* Ratio concluſionis eſt ſecundùm Innocent. *hìc in princip.* quia laici ſuper Eccleſiis, & earum perſonis, ac bonis nullam habent juriſdictionem, *cap.* 10. *diſtinct. cap. Benè quidem* 96. *diſtinct. cap. Cùm cauſa de re jud.* ſtatuendi poteſtas à 17
juriſdictione regulatur, ut notat Barthol. in *d. l. Omnes populi in prima quæſtione principali, ff. De juſt. & jure*, Bald. *in l. final. per illum text. ff. De juriſdict. omn. judic. & in l. Decernimus col.* 2. *num.* 7. *verſ. Redeo ad primum, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Butr. in *c. Cùm omnes col. penultim. nu.* 29. *&* 30. *ſuprà eadem*, Anchar. *in repetit. c. Canonum Statuta in* 9. *q. ſuprà eod.* Dec. *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num.* 89. *infra eodem.* Quare hujuſmodi ſtatuta tamquam 18
excedentia limites poteſtatis ſtatuentium ſunt ipſo jure nulla, ut hìc per Abb. *in* 2. *notab.* & Dec. *num.* 14. nec in- 19
de ullum præjudicium Eccleſiis generatur, ut hìc patet, & in *d. cap. Benè quidem* 96. *diſtinct.* gloſſa prima *hìc*, & Innocent. in *princip.* & quod hìc dicitur de ſtatuto, idem intelligas de conſuetudine ut dicam *infrà n.* 52.

Ampliatur primò, etiamſi ſtatuta laicorum diſponant 20
ſuper rebus, quæ ratione ſolius dominii directi pertinent ad Eccleſias, & ratione utilis dominii pertinent ad laicos, prout hìc erat in bonis feudalibus, quæ laici habebant ab Eccleſia. Et ad hoc quotidiè allegatur hoc c. ſecundùm Abb. *in* 3. *notab.* & idem dicendum ſi ſtatuta diſponant ſuper rebus, quæ ad Eccleſiam ſpectant ratione utilis dominii dumtaxat, ut hìc per Decium *n.* 19.

Ampliatur ſecundò, etiamſi ſtatuta hujuſmodi diſpo- 21
nant de bonis patrimonialibus Clericorum, ut concludit Butr. *hìc num.* 20. *col. penult. poſt med. verſ. Si autem loquimur in patrimonialibus.* Et Abb. in *d. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ in lectura num.* 21. Felin. *num.* 8. & Dec. *num.* 176. Ratio eſt, quia ejuſmodi bona non ſunt de foro laicorum, 22
ut eſt textus in *l. Decernimus, Cod. De Epiſcopali audient.* & notat Oldrad. *in conſ.* 83. *An Epiſcopus nu.* 4. *verſ. Cum ergo*

23 *ergo Clerici*. Ergo nec eorum ſtatutis ligantur, quia forum ſortiri, & ſtatutis ligari à pari procedunt, *cap. Ut animarum de Conſtit. lib. 6.* & eſt regula, quam poſt Innoc. tradit Anton. de Butr. *in rubr. de conſuetud. n. 7. verſ. Nam regulam habetis*, Archid. *in cap. Quo jure num. 18. 8. diſt.* Speculat. *in tit. de Conſtit.* §. 1. Cald. *conſ. 34. Statuto de teſtam.* Dec. *hic n. 15.* Card. Seraph. *dec. 1018. n. 6.* & hoc modo arguit Dec. *in d.c. Eccleſia S. Mariæ n. 176.* & adde quod ibi dixi *nu. 79.* de exemptione bonorum patrimonialium Clericorum à ſæculari poteſtate.

24 Ampliatur tertiò, etiamſi ſtatuta fiant à laicis contra perſonas ſæculares intuitu Clericorum, puta contra eorum conſanguineos, quia dicuntur contra libertatem Eccleſiaſticam, ut notab. dicit Angel. *in l. prima*, *nu. 3. ff. In jus vocat. ut eant.* & ante eum Bart. *in l. prima in fine, ff. De his, quæ pœn. nomin. & in l. Hi penes, C. de agric. & cenſit. lib. 11.* quos ſequitur Dec. *in d. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ numer. 180. infra eodem*. Ad quod eſt bonus textus in *cap. Sciant cuncti, de elect. libr. 6.* cum ſimilibus, & per eum.

25 Ampliatur quartò etiam in legibus Imperatorum, ac Principum utcumque ſupremam in temporalibus juriſdictionem habentium, ut ſunt leges Codicis, & Authent. quæ de Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis, ac bonis ipſarum loquuntur, quia non valent ex defectu poteſtatis, ut concludit Abbas in *d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ in lectura num. 10. verſ. Ad primum dico infrà eodem*; quem ibi ſequuntur Felin. *num. 40. verſ. Recipit autem prædicta regula in 1. limitatione*, & Dec. *num. 91.* & fuit theorica Joan. Andr. *in cap. Non minus num. 14. infrà de immunitat. Eccleſ.* ibi: *Non video, quod lex non ſolum Digeſtorum, ſed etiam Codicis, vel Authenticorum poſſit conſtringere Eccleſias ad talia*. Quam illic approbant Butr. *num. 10.* & Abbas dicens communem theoricam *num. 18. & 20.* Idem docuit Bart. *in l. 1. n. 80. C. de Sacroſ. Eccl.*

26 Ampliatur quintò etiamſi lex civilis diſponat de rebus, vel perſonis Eccleſiaſticis, vel bonis earum in materia, in qua contrarium non reperitur ſtatutum de Jure Canonico, quia nihilominùs non eſt ſervanda, licèt Canon non contradicat: talis enim lex eſt nulla, tamquam condita à non habente poteſtatem, *leg. fin. de juriſdiction. omn. judic. cap. A nobis, il primo de ſentent. excommunic. cap. ut animarum de Conſtitut. lib. 6.* Cum certum ſit Imperatorem nullam habere poteſtatem ſuper Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas earumque bona, ut in *dicto cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ*; & meliùs *in cap. Si Imperator, & in cap. Cum ad verum 96. diſtinct.* & firmant Abbas *in d. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ in lectura num. 10. verſ. Ad primum dico, & in repetit. num. 15. verſ. Sed nihilominus*, & Felin. *d. num. 40. verſ. Recipit autem*.

27 Ampliatur ſextò, ut hujuſmodi leges de Eccleſiis, vel earum bonis, aut perſonis ſpecificè diſponentes ſervari non debeant etiam de honeſtate, ut idem Abbas firmat in *dicto cap. Eccleſia in lectura nu. 10. verſ. Ad primum dico, & in repetitione, nu. 10. circa finem, verſ. Unde nec de honeſtate talis lex ſervanda eſt*, idque duabus rationibus. Prima eſt, ob defectum poteſtatis in legiſlatore. Secunda eſt, quia ex hoc denotaretur ſuperioritas imperii ad Eccleſiam, confunderetur ordo totius Monarchiæ, & eſſet res pernicioſi exempli: & ſequitur Felin. *loco citato*. Quod

28 latius proſequor in *dicto cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 21.* quamvis Abb. *in repetit. dicto n. 15. ad finem, verſ. Et procedunt hæc*, dicat prædicta procedere, quando Imperator facit legem motu proprio, non ad inſtantiam Eccleſiæ, ut *cap. 2. 97. diſtinction.* hoc tamen, ſalva illius reverentia, non puto verum, quia Eccleſia cùm jure divino ſit exempta à ſæculari poteſtate, non poteſt etiam ſpontè ſe ſubmittere ſuperioritati, ac legibus Imperatoris, ut notat Jo. Andr. in *dicto cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 50. verſ. Ille vero qui eſt ſuper omne forum infrà eodem*, & probavi latiſſimè in *c. Significaſti à n. 71. de elect.*

29 Nec obſtat, quòd lex civilis ſervari debeat, ſi ab Eccleſia ſit canonizata, ut dicitur in ſequenti ampliatione *num. 33.* quoniam eo caſu ſervari debet non tamquam lex civilis, ſed tamquam lex canonica, quia, *Omnia noſtra facimus, &c. l. 1. §. Sed neque, Cod. de veteri jur. enucleand. cap. Cum aliquibus, de reſcript. lib. 6. cap. Si cum, & cap. Hi qui, de præbend. eodem lib.* Undè lex canonizata dicitur Canon, & ſic mutat nomen, ut notat gloſſ. in *cap. Imprimis, in verb. Capitali 2. qu. 1.* quam aliis relatis ſequitur Felin. in *cap. 1. not. de præſumptionibus*; & ſecundùm hoc Romani Pontifices ſæpiſſimè fundant ſuas deciſiones in dictis legum, ut *cap. Ex antiquis 54. diſtinct. c. Accuſationes, & cap. Cujus in agendo, 3. qu. 8.* cum multis ſimilibus, ut per Felin. *in d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ nu. 36. infr. eod.*

Ampliatur ſeptimò, etiamſi ſtatuta laicorum & leges 30
Imperiales redundent in favorem, & commodum Eccleſiarum, quia nihilominùs non valent ex defectu poteſtatis, ut eſt textus apertus in *dicto cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ infrà eodem, & in cap. Bene quidem 96. diſtinct.* ubi 31
laici licèt religioſi ſint, & potentes, de facultatibus Eccleſiaſticis aliquid decernere quolibet modo prohibentur. Et hìc tenent gloſſ. 1. Hoſtienſ. *nu. 1.* & alii communiter Abbas *conſ. 83. Præſens dubium nu. 2. lib. 1. & in dicto cap. Eccleſia, in lectura n. 10. verſ. Ad primum dico, & in repetit. n. 26. & in cap. Non minus num. 20. de immunitat. Eccleſiar. & in c. In præſentia nu. 29. verſ. Et in hoc dubio aliter ſentio de probat.* ubi ait: *Legem civilem ſpecificè diſponentem ſuper rebus Eccleſiæ, præſertim prohibendo, vel certam ſolemnitatem dando eſt in favorem Eccleſiæ non tenere, cùm non habeat poteſtatem*: allegat text. *in dicto cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ*, & Jo. Andr. qui hoc tenet in *cap. Conſtitutus n. 17. verſ. Circa primam ſolutionem de relig. domib.* Calder. in *cap. 1. De nov. oper. nuntiat.* Item bona gloſſ. in *cap. 1. in verb. Tractatus circa med.* & ibi Innocent. *numer. 2. in dicto verb. Tractatus, verſ. Nec credimus neceſſaria de reb. Eccleſ. non alienan. lib. 6.* Et quamvis Abbas ſubdat legem Principis generaliter loquentem debere obſervari quoad Eccleſias ubi canonibus non contradicit, ut *dicto cap. 1. de nov. oper. nunt.* 32
tamen dicit ſecùs eſſe, quando ſpecificè diſponit de Eccleſia, vel ejus bonis, quia non poteſt Imperator ponere falcem in meſſem alienam, contra *cap. novit. de judic. & cap. Duo ſunt 96. diſtinct.* & ſequitur Felin. *in dicto cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 40. verſ. Recipit autem prædicta regula*, & ibi etiam Dec. *num. 91. infrà eodem*.

Quæ ampliatio locum habet etiamſi leges hujuſmodi ſint 33
inſertæ à Gratiano in volumine Decreti, quia per hoc non dicuntur canonizatæ, niſi à Papa canonibus ſit inſertæ, ut per Felin. *d. n. 40. verſ. Et iſta limitatio*, & ſcripſit pleniùs in *c. Canonum ſtatuta n. 38. 39. & 45. ſup. eod.*

Ampliatur octavò, etiamſi leges civiles procedant pri- 34
vilegiando Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, ſecundùm opinionem Gaſp. Calder. in *Repet. cap. Poſtulaſti nu. 62. de pœnitent. & remiſſ.* Ejus fundamentum eſt, quia pri- 35
vilegium eſt lex, licèt ſpecialis, & privata, *c. Privilegia 3. diſtinct. §. fin. verſ. Cum ergo, 25. quæſt. 1.* & differt à lege communi ſicut ſpecies à genere; ſed per legem non poteſt quis locum, & perſonam non ſubditam includere, *l. Cunctos populos in princ. Cod. de Summa Trinitate, & Fide Catholica, & cap. Ut animarum de Conſtitut. lib. 6.* Ergo nec per privilegium. Tenet conſequentia, quia à 36
quo removetur genus, & quælibet ejus ſpecies, *cap. Pœnale 14. q. 5. l. Filius in fin. ff. De donat. & nu. 63.* allegat Hoſtienſ. in *Summa de privil. §. Cui concedendum*, ubi ait: *Privilegium regulariter ſubdito eſſe concedendum, & non alii.* 37
Et regulam tradit, quod illi poteſt concedi privilegium, quem conſtitutio concedentis arctare poteſt. Et ſubdit 38
Calder. hanc eſſe rationem, quare etiam deinceps in favorem Eccleſiæ non poteſt privilegium concedere propria auctoritate, quia non poteſt ei, ſive ſuper eam legem condere, per *cap. Benè quidem 96. diſt.* & notat per Innoc. hìc, *& in c. Auditis de in integr. reſtit.*

Sed contrarium ex Diametro tenet Abbas in *d. cap. Ec-* 39
cleſia in lectura num. 10. verſ. Dicerem tamen, & in repetitione num. 15. circa finem, verſ. Dicit enim hæc eſſe vera, ubi concluſionem ſuprà firmatam, quòd leges ſpecificè diſponentes de Eccleſiis non ſint ſervandæ, etiam de honeſtate, limitat, niſi ſint merè privilegiativæ; quia tunc ceſſat ratio ſuperioritatis, cùm poſſit privilegiari etiam non ſubditus; & ita intelligit text. in *c. Novit. de Judiciis*, ubi allegatur lex Theodoſii Imperatoris, & cum eo tranſit ibi Felin. *d. nu. 40. verſ. Duobus tamen caſibus*, dicens hunc caſum eſſe ſatis clarum Sed & Hoſt. in *Summa de privileg. §. Quis poſſit, verſ. Sed numquid Imperator*, generaliter tenet

Imperatorem poſſe privilegiare Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, & idem notat *in tit. De immunit. Eccleſ.* §. *A quibus muneribus, col.* 3. *verſ. Ego puto, & col. ſeqq. verſ. Item*
40 *hæc vera ſunt ibi: Cùm ergo Princeps*. Pro concordia dici poſſet Imperatores, ac Principes ſæculares non poſſe privilegiare Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas in ſpiritualibus, ſed benè in temporalibus, quæ habet in eis, *c. In Synodo*, 63. *diſtinct.* juncta gloſſ. *in verb. Conceſſionis*, & eſt diſtinctio Innoc. *in d. c. Auditis in princ. de in integr. reſtitut.* cum quo concordant Hoſtienſ. *in Summ. de appell.* §. *A quo col.* 3. *verſ. Sed pone*, ibi, *nec enim puto*, dum ait laicos quoad laicos, vel quoad jus ſuum pertinet poſſe Eccleſias privilegiare, & ſic intelligit, *c. Auditis*, *de præſcr. c. Inter dilectos de fid. inſtr. d. c. Auditis de in integr. reſtit. c. Conſtantinus* 96. *diſt. & cap. Dudum de decim.* Undè privilegium indultum ab Imperatore alicui Eccleſiæ valet contra privatos ſibi ſubditos, ſed non contra alias Eccleſias, niſi authoritas Papæ interveniat, *c. Hinc etiam*, 17. *diſt.* & hìc notat Henric. Boich. *n.* 1. *in fin. verſ. Undè privilegium*, poſt Archid. *in c. Quo jure* 8. *diſt.*

41 Ampliatur ultimò, etiamſi ſtatuta, & leges hujuſmodi edantur ex juſtâ cauſa, prout erat in caſu hujus decretalis propter paupertatem, quia nihilominus ob defectum poteſtatis non valent, ut hìc deciditur, & in notab. caſu tradit Angel. *conſ.* 23. *Nulla perſona*, quem ſequitur Dec. hìc *nu.* 18. & ratio eſt evidens, quia ad validitatem ſtatutorum, ac legum non ſufficit juſta cauſa, ſed præcipuè poteſtas ſtatuentis requiritur, ut in eodem caſu tradit Abbas *conſ.* 38. *Præſens dubium per totum lib.* 1. & Dec. *d. num.* 18. & notat Bald. *in conſ.* 326. *Rex Romanorum numer.* 2. *in princ. verſ. Item certum eſt quod potentia lib.* 1. Surdus *conſ.* 301. *ſub n.* 45. *verſ. Et non movet cum ſeqq. col.* 3. dicens, & benè, quòd licèt ad Principem ſecularem ſpectet providere circa politicam temporalem, & ea, quæ publicum bonum circa temporalia reſpiciunt, non tamen perſonas, & res Eccleſiæ, vel Clericorum attingere poteſt, quia ad illius ſtatuti validitatem non ſufficit juſtitia cauſæ, ac bonum publicum, niſi concurrat authoritas.

42 Et ex hoc redditur valdè dubitabile, quod hìc notat idem Bald. *num.* 19. & 20. videlicet Capitula feudalia prohibentia alienationem feudi in Eccleſiam valere, nec dici poſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, cùm ſint feudata in
43 ratione naturali, & inconvincibili; quia Eccleſia eſt cultrix juſtitiæ, nec in ſe juſtum, nec in alium tolerat, *c.* 1. *De feud. alien.* Ubi textus unicus, *verſ. Nec feudatarius*.

44 Sed certè hæc ratio non eſt concludens, quia cauſa etiam graviſſima non tribuit ſtatuendi poteſtatem non habenti, ut ipſemet Bald. notat in *l. Cunctos populos num.* 55. *verſ. Ita ratio non valet*, *C. de Summa Trinit. & fide Catholica*, Butr. in *d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ nu.* 20. ubi etiam Felin. *num.* 39. *verſ. Et dicuntur juſtæ inf. eod.* Crotus in *l. Filiusfamilias*, §. *Divi num.* 80. *ff. De legat.* 1. Fortun. Garz. *in tractat. de ultim. fin. num.* 153. *in fine*, *verſ. nec obſtat ratio*, Bero. in *cap.* 1. *num.* 220. *ſuprà eod.* Quibus conſonat doctrina Divi Thomæ in 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *in fin.* ubi docet leges dici juſtas tribus modis. Primò ex fine, quia ordinantur ad bonum commune. Secundò ex authore, quando lex lata non excedit poteſtatem ferentis. Tertiò ex fama, quando onera imponunt ſubditis ſe-
45 cundùm æqualitatem. Quamobrem cauſa boni publici, quę requiritur ad legem condendam, ſola non ſufficit, niſi etiam conditor habeat poteſtatem, & intra ejus fines ſe contineat. Quod ibidem expreſsè D. Thomas animadvertit dicens: legem eſse injuſtam ex auctore, cùm aliquam legem fert ultra ſibi commiſſam poteſtatem, etiamſi ordi-
46 netur ad bonum commune. Imò poteſtas ſtatuendi magis eſt neceſſaria ad legem condendam, quàm cauſa boni publici, quia hæc reſpicit legis qualitatem, illa verò ſubſtantiam, ſine qua nulla qualitas conſiderari poteſt, *l. Si nul-*
47 *lam*, §. *Si abſentis*, *ff. De petit. hæreditat.* Quando autem lex civilis ſpecificè diſponens de Eccleſiis eſt inducta ſuper ratione naturali, nec reperitur Canon contrarius, poteſt illa ſervari in foro Eccleſiaſtico, non ratione legis Principis, ſed ratione naturali, ſuper qua fundatur, arg.
48 *cap. Paſtoralis de fid. inſtrum.* Nam deficiente canone, vel lege, recurrendum eſt ad rationem naturalem, argum. *l. Sive oportet*, §. *Sufficit*, *ff. De excuſat. tutor. & cap. Secundo requiris in fin. de appellat.* & declarat Abb. *in dicto* *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ inf. eod. in lectura d. nu.* 10. *circa finem*, *verſ. Ideo dico*, *quod ubi lex*, *& in repet. nu.* 15. *circa finem*, *verſ. Item ſi lex eſſet inducta*, & ibi etiam Felin. *d. n.* 40. *verſ. Duobus tamen caſibus*.

Nec urget argumentum Baldi hìc *n.* 16. quòd laicis lici- 49
tum ſit defendere ſuas juriſdictiones, & utilitatem publicam in acquirendis Eccleſię, quia hoc poteſt pactum, & teſtamentum, ut *l. fin. C. de reb. Eccl. non alien. l. ult. C. de pactis* 50
inter emptorem. Ergo & ſtatutum, ut notatur in *l. Si ita quis* §. *Ea lege*, *ff. De verb. oblig. & in l.* 2. *C. de jur. emphyt.*

Nam reſpondetur non ſatis apertè argui à prohibitio- 51
ne privati, ad prohibitionem Principis. Nam privatus habet in ſuo fundo plenum dominium, plenamque proprietatem, Princeps verò tantùm protectionem juriſdictionem, & quoddam dominium univerſaliter conſideratum; non autem ullum directum, vel utile dominium illius certi fundi, certive ſoli, gloſſ. in *l. Benè à Zenone in verb. Omnia Principis*, *Cod. de quadrienn. præſcript.* Abb. hìc *num.* 11. *verſ. Si autem non ſubeſt cauſa*, *& in cap. Nimis*, *n.* 1. *De jurejur.* Alex. *conſ.* 76. *In cauſa*, *& lite nu.* 7. *libr.* 2. & ex communi DD. *ſententia* Reſtaur. Caſtald. in *tract. de Imper. qu.* 92. *lib.* 2. Martin. Lauden. *de Princip. quæſt.* 47. Franciſ. Zoanett. in *tract. de Roman. Imper. nu.* 150. *cum ſeqq.* ubi id probat legibus, Juriſconſultorum authoritatibus rationibus, & hiſtoriarum monumentis.

Accedit, quòd conſuetudines feudales diſponunt, ut 52
perſonæ Eccleſiaſticæ non modò feudum non acquirant, ſed etiam ut perdant, quod priùs habebant, ut in *c.* 1. §. *Ex hoc illud de feud. fœmin. cum concord.* de quibus *infrà n.* 59. Undè cùm ſpecificè diſponant de rebus ad Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas pertinentibus ratione utilis dominii, non valent ex defectu poteſtatis, ut eſt text. hìc ſecundùm ea, que dicta ſunt *ſuprà in prima ampliation. num.* 20. Quòd enim hìc dicitur de nullitate ſtatuti, vendicant ſibi locum etiam in conſuetudine laicorum ſpecificè diſponente de Eccleſiis, vel earum perſonis, ac rebus, ut notat Butr. in *d. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num.* 30. *col. penult. ante med. verſ. Si quæritur infrà eod.* allegat Bart. *in l. Cunctos populos nu.* 28. *C. De Summa Trinit. & fide Cathol.* & Jo. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. De conſtit.* Et hìc junge, quæ dicam infrà *n.* 94. *& ſeqq.*

Fatetur tamen Baldus hìc *numer.* 20 feudum tranſire 53
in Monaſterium, ſi feudatarius fiat Monachus, quia hæc eſt alienatio neceſſaria, & tamdiu durat apud Monaſterium, quamdiu vivit feudatarius vita naturali: eo autem mortuo, ſi feudum erat perpetuum, ad omnem hæredem tranſit in perpetuum, quia tale feudum redigitur ad inſtar 54
proprietatis, & poteſt appellari francum, ut *cap. Inter dilectos de fid. inſtrum.* Si autem erat ad vitam, quod inter- 55
pretatur de vita naturali, morte naturali finitur, quia nullæ remaneant ejus reliquiæ, & finito jure datoris, fini- 56
tur jus acceptoris, ut in *cap.* 1. §. *Rurſus*, *qui feudum dare poſſ. l. Lex vectigali*, *ff. De pignor. l. Uxor patrui*, *C. De legat. l. Si domus*, §. *ult. ff. De legat.* 1. *leg. Qui tabernas*, *ff. De contrah. empt.* Sed tandem diſtinguit, dicens: aut ſervitium feudi poteſt explicari per Monaſterium, & vera ſunt prædicta, aut non; & tunc feudum reddit ad dominum non mutatione perſonæ, ſed extinctione finalis cauſæ, ut in *c.* 1. *de eo, qui arma bellic. depoſuit.*

Verùm hoc latiùs examinabitur in quæſtione ſequenti.

QUÆRO: An Regularis ex Ordine Fratrum Prædica- 57
torum ad Epiſcopatum aſſumptus ſuccedat in feudo aperto, poſtquam fuit conſecratus Epiſcopus? Evaſionem præbuit huic diſceptationi feudum Caſtillionis Lacus Traſymeni apertum Epiſcopo Squillacenſi per obitum Ducis à Cornea ejus fratris; cùmque à Sanctiſſimo D.N. Innocentio X. juſſus fuerim ſcripto proferre, quid pro veritate ſentirem, reſpondi ut infrà, videlicet.

Beatiſſime Pater. Cùm feudum hoc non ſit hæredita- 58
rium, ſed ex pacto, & providentia, propoſita quæſtio eſt valdè implexa, & difficilis, tum ob varietatem opinionum, de quibus per Capyc. *dec.* 10. *num.* 4. *& ſeqq.* Tum quia ſecundùm canones Clerici, Religioſi & Epiſcopi poſſunt habere feuda, ut de Clericis patet in *cap. Ex tranſmiſſa*, *& cap. Rerum de foro competent.* & *in cap. Nimis de jurejur.* De Religioſis eſt expreſſum in *c.* 1. §. *Verum*, & ibi Gemin. *in* 2. *not. de ſtat. regul. lib.* 6. Et de Epiſcopis conſtat ex *cap. Si Epiſcopus*, juncta gl. *in verb. Regia*, 18. *diſt.*

ex

ex c. Si quis laicus 22. *q.* 5. *& ex c. Solitæ de major. & obed.* & de omnibus tradit Calder. *conſ.* 2. *An Clericus n.* 1. *verſ. Item hoc probatur de feud.* & Felin. *in c. In præſentia nu.* 46. *verſ. Ad idem de probat.*

59 E contra verò jura feudalia nominatim excludunt Clericos, & Monachos à ſucceſſione, & retentione feudi, ut in *cap.* 1. §. *Qui Clericus, ſi de feud. defunct. content. ſit inter Domin. & agnat. vaſſali.* ubi dicitur: Qui Clericus efficitur, aut votum religionis aſſumit, hoc ipſo feudum amittit, & in *cap.* 1. §. *Ex hoc illud de feud. fœmin.* ibi: Qui habitum religionis aſsumunt ut converſi, nec poſteà in feudo ſuccedunt, & ſi quod habent, perdunt, & in *cap.* 1. *de vaſſallo milite*, qui arma bellica depoſuit, ubi eſt caſus, & ibi notant Andr. de Iſern. *numer.* 1. & reliqui feudiſtæ.

60 Cæterùm in hac contrarietate à Doctoribus ferè omnibus in eam ſententiam itum eſt, ut ſi feudum requirat perſonale ſervitium, quod à vaſsallo religioſo nec per ſeipſum, nec per ſubſtitutum præſtari valeat; tunc minimè tranſeat in Monaſterium, ſed ſtatim agnatis, vel Domino aperiatur: Si verò tale requirat ſervitium, quod honeſtè à religioſo vaſsallo explicari poſſit per ſe, vel per ſubſtitutum, hoc caſu benè tranſeat Monaſterium, durante tamen vita naturali ipſius profeſſi.

61 Hanc diſtinctionem probant apertè Capitula feudalia
proximè citata, & illorum gloſsatores. Nam in *d. cap.* 1.
de vaſsall. milit. diſponitur, ut feudatarius, qui habitum
religionis aſsumpſit, & ſic converſus factus, eſt amit-
tat feudum. Et mox ſubnectitur ratio per hæc formalia
62 verba: *Quia deſiit eſse miles ſæculi, qui factus eſt miles
Chriſti, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet ge-
rere officium.* Eatenus igitur Regularis excluditur à bene-
ficio feudi, quatenus ipſe tamquam miles Dei non poteſt
ſæculo militare, nec gereret officium annexum feudo.
Ergo ex mente dicti capiti ſecus dicendum, ſi talia hone-
ſtè præſtare poſſit per ſe, vel per ſubſtitutum: ſimiliter in
c. 1. *An mutus, vel alius imperfectus feud. retin.* cavetur,
ut Clericus, fœmina, & conſimiles, id eſt, Religioſi,
feudum retinere non poſſint, quia, ut ibi dicitur, ipſum
ſervire non valent. Et quamvis in *d. c.* 1. §. *Qui Clericus,
ſi de feud. defunct. &c.* Regulares indefinite repellantur à
feudo: tamen gloſ. ibi in *verb. Amittit*, & Baldus *nu.* 2.
dicunt hoc ideò eſse, quia cùm pro mortuis reputentur
quoad mundum, nec debeant ſe implicare negotiis ſæcu-
laribus, ſunt inhabiles ad ſerviendum feudo; alioquin ſine
reſtitutione gloſsæ ille textus videtur Judaicus, ut dicit
Baldus in *cap.* 1. *in fin. de feud. fœmin.* Jura igitur feudalia
63 in excluſione Regularium ſolummodò contemplantur eo-
rum inhabilitatem, & impotentiam ad inſerviendum, &
tunc feudum reddit ad Dominum, non mutatione perſonę,
ſed extinctione finalis cauſæ, ut idem Baldus ait hìc *n.* 20.
verſ. Imo dicas, & poſt eum Alex. *conſ.* 10. *nu.* 1. *verſ. Ita
dicit Bald. libr.* 5. Undè ſi ſervitia annexa feudo ſint ta-
lia, quæ a Monaſterio poſſint honeſtè exiberi per ſe, vel
per alium, eo caſu ceſsante cauſa excluſionis, ceſsant me-
morata capitula. Debent enim reſtringi, & limitari ad li-
mites rationes, cui innituntur, ut optimè declarat Cald.
conſ. 2. *n.* 2. *verſ. Per prædicta, & verſ. Secus ergo de feud.*
Abbas *in c. In præſentia*, *n.* 69. & ibi etiam Felin. *nu.* 46.
verſ. Et hoc modo de probat. Salyc. *in auth. Ingreſſi, in fin.
C. de Sacroſ. Eccleſ.* Curt. ſenior *conſ.* 62. *nu.* 6. *verſ. Sep-
timo*, Alex. *d. conſ.* 10. *num.* 16. *lib.* 5. Jacobin. de Sancto
Georgio in *tract. de feud. in verb. Et quibuſcumque, num.*
4. *circa fin. verſ. Ad motiva adducta.* Quinimò Ægi-
dius Bellam. *conſ.* 48. *An Comes numer.* 31. *verſ. Sed con-
tra*, dicit ex generali conſuetudine dicta jura feudalia
debere intelligi, quando eſset feudo annexum ſervi-
tium perſonale, quod non poſset per alios commodè expe-
diri.

64 Et ita originaliter diſtinxit pater juris, & organum veritatis, Innocentius in *d. cap. In præſentia n.* 3. *de probationibus*, ſic enim ait: *Et feudalia tranſeunt in Monaſterium, ſi debeant talia ſervitia, quæ Monaſterium honeſte poſſit exhibere per ſe, vel per alium*, Arg. *l. Ad ſimilitudinem, & l. Quiſquis, Cod. de Epiſc. & Cler. aliàs reddit ad Dominum.* Hęc Innocentius, quem ibi totidem ferè verbis ſequuntur Hoſtienſ. *num.* 9. *in verb. Oblationis, verſ. Feudi etiam*, Joan. Andr. *nu.* 16. *verſ. Sed numquid feuda*, Bellamer. *in* 6. *qu. n.* 16. Anchar. *num.* 21. Abbas *num.* 69. Felin. *num.* 49. & Dec. *num.* 290. Archid. *in cap. Si qua mulier, num.* 4. 19. *quæſt. ult*, Jo. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. De ſtat. Monach.* §. 1. *verſ.* 45. *littera N. in verb. in præſentia*, Baldus hìc *num.* 20. *verſ. Imò dicas*, Bellamer. *d. conſ.* 48. *num.* 31. *verſ. Sed contra*, & ita diſtinctionem Innocentii ſequuntur Canoniſtæ omnes, ut dicit Pedemont. *dec.* 22. *num.* 7. & ex Legiſtis eam probarunt Cyn. poſt Mattin. Silvan. in *Auth. Ingreſſi num.* 13. *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* & ibi etiam Bart. *in* 2. *lectur. nu.* 44. *verſ. In hoc teneo opinionem Innocentii*, & Salyc. *num.* 11. dicens ita communiter Doctores tenere, Bald. in *cap.* 1. §. *Qui Clericus num.* 1. *verſ. Si de feud. defunct.* & idem Bald. in *cap.* 1. *num.* 1. *verſ. Si ergo feudum, de milit. vaſsalli. qui arm. bell. depoſuit*, Jacobin. *in tract. de feud. in verb. Et quibuſcumque num.* 4. *verſ. Contrarium*, ubi refert ſe ita reſpondiſse, & re ipſa obtinuiſse pro Priore Sancti Andræe de Taurino ex Comitibus Valpergiæ Curt. ſen. *conſ.* 62. *Primo aſpectu n.* 2. Alex. *d. conſ.* 19. *nu.* 8. *lib.* 5. ubi ita ait omnes tenere, Capyc. *d. dec.* 10. *n.* 4. *verſ. Videndum eſt*, ubi alios refert, *& nu.* 10. dicit in hac opinione non eſse contradictorem.

Neque verò conſtituenda eſt differentia, an feudum fuerit apertum ante, vel poſt emiſſam profeſſionem, quia utroque caſu tranſit in Monaſterium, ſi ſervitia ſint ejus qualitatis, ut à Monacho, vel Monaſterio poſſint honeſtè per ſe, vel per alium exhiberi, Felin. alios citans in *d. c. In præſentia n.* 48. *de probat.* Cald. *d. conſ.* 2. *n.* 1. *&* 2. *de feud.* Curt. ſen. *d. conſ. per tot.* ubi latè conſuluit Canonicum Regularem, vel Monaſterium poſse ſuccedere in feudo aperto poſtquam erat profeſsus, quia ſervitia poterant decenter præſtari per ſe, vel per ſubſtitutum, Jacob. *ubi ſup. n.* 4. *ad fin.* Imò minor eſt dubitatio de ſucceſſione Monaſterii in feudo aperto poſt Monachatum, quia tunc ceſsat ratio, quòd vaſsallus ingrediendo Religionem videatur feudo renuntiare. Ideòque hoc caſu ſi ſervitium ſit perſonale, debet admitti, de æquitate ad inſerviendum per ſubſtitutum: ſin autem ſervitium poſſit per alium explicari, tunc admitti debet etiam de rigore, ita Bald. *in c.* 1. *n.* 3. *de benefic. fœm.* Bellam. *d. conſ.* 48. *n.* 31. *verſ. ultra prædicta*, Curt. ſen. *d. conſ.* 62. *n.* 6. *verſ. Octavò.* 65

His ita conſtitutis, pro ſolutione quæſtionis inquirendum eſt, quę & qualia ſervitia huic feudo ſint annexa; & quidem perſpecto tenore inveſtituræ nullum apparet ſervitium, quod à Monaſterio, vel Eccleſia non poſſit honeſtè per ſe, vel per alium exhiberi. 66

Nam in bulla inveſtituræ cavetur, ut feudum hoc ſit nobile, antiquum, & honorificum, liberum, francum, expeditum. Quę verba maximè ſimul juncta faciunt vaſsallum omni libertate liberum, & ab omni ſervitio abſolutum, ut formaliter inquit Calder. *conſ.* 7. *An feudatarius num.* 1. *verſ. Not. feudum, tit. De feud.* Oldrad. *conſ.* 234. *Factum tale enim. Quidam nu.* 2. *verſ. Ego conſiderabam.* Et denotant libertatem, & franchitiam in omnibus, preterquam in inveſtitura exaratis, ut declarat Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. tit. De præſcr. col. pen. & ult.* Alex. *conſ.* 30. *Quoniam omne num.* 19. *verſ. Sed per hoc dicit*, Joan. Andr. *lib.* 3. Jacobin. *de feud. in verb. Et promiſerunt, nu.* 2. Seraph. *dec.* 1105. *n.* 9. 67

Servitia autem, quæ in hac inveſtitura exprimuntur, 68
ſunt tantùm infraſcripta, videlicet, ut feudatarius in ſi-
gnum, & recognitionem feudi ſummam duorum milium
ſcutorum annis ſingulis Cameræ Apoſtolicæ perſolvere
teneatur, ac jura colonorum ſervare. Et hoc ſervitium
reale eſt, & abſque dubio præſtari poteſt per ſubſtitutum,
Andr. de Iſern. in *cap.* 7. §. *Qui Clericus num.* 6. *verſ.
Ubicumque, ſi de feud. fuer. controverſ.* Nam, ut inquit
Felin. in *cap. In præſentia, numer.* 47. *verſ. Fallit* 2. *de
probat.* ſervitium, quod præſtatur in ſignum recognitio-
nis, cùm ſit annuum, in quocumque, & qualicumque
ſtatu mutatu præſtari poteſt. Sequitur Decius *ibid. num.*
290. Ruin. *conſ.* 42. *Proponitur num.* 10. *lib.* 1. Deindè ſe- 69
quitur in inveſtitura, ut feudatarii teneantur ad obſequia
quæ pro ſimilibus feudis Papæ, ac Sedi Apoſtolicæ de ju-
re, vel conſuetudine præſtari ſolent. Quæ quidem ob-
ſequia domino per vaſſallum præſtanda ſunt, adinſtar eo-
rum, quæ libertus debet patrono, ut per Andr. de Iſern.
in cap. 1. *num.* 5. *quib. mod. feud. amitt.* Obſequia autem, 70

quæ debet patrono libertus, ſunt honoris, & reverentiæ,
quia liberto ſemper honeſta, & ſancta patroni perſona vi-
deri debet, *l. liberto, ff. de obſeq.* gloſſ. *in rubr. Cod. de ob-
ſe. Patron. præſtand.* Quare ambigendum non eſt, quin ob-
ſequia hujuſmodi à religioſo vaſſallo, & Epiſcopo honeſtiſ-
ſimè poſſint, ac debeant Summo Pontifici, ac Sanctæ Sedi
per ſeipſum exhiberi. Ad hoc Extravagans *Quorumdam col.*
10. *verſ. Habent in illis minores obſequi majoribus, de verb.
ſignificat.*

Tandem in inveſtitura caveatur, ut ea omnia, ad quæ
tenentur alii feudatarii, & Marchiones Sedis Apoſtolicę,
Papæ, & eidem Sedi impendere, & præſtare teneantur.
Quæ verba referuntur ad ea, quæ ſunt ex natura contra-
ctus feudalis, id eſt, ad homagium, & fidelitatem, ut per
71 Jo. And. & Alex. *locis proximè citatis*. Homagium autem,
& Sacramentum fidelitatis honeſtè à Religioſo præſtari po-
teſt per ſeipſum, ut eſt caſus in *cap. Periculoſo, §. Verum*
72 *de ſtat. Regular. lib. 6.* ubi pro feudo, quod Monaſterium
habet à Domino temporali, etiam Abbatiſſa, vel Prioriſ-
ſam clauſuram exire debet ad homagium, & juramentum
fidelitatis præſtandum. Et ibi notant omnes in Summario
73 text. & Franc in 2. *notab.* Nec illa conſtitutio fuit ſublata,
imò expreſsè innovata à Concilio Tridentino in *c.* 5. *ſeſſ.*
25. *de regularib.* Licèt poſteà hac in parte ſublata fuerit per
declaratoriam S. Pii V. quæ incipit *Decori ſub Conſtitutione
octava de clauſura Monialium*. Undè ſi hæc præſtare poteſt
74 Abbatiſſa clauſuræ adſtricta, multò magis Religioſi, &
maximè Epiſcopi, quia etſi feudum non habeant, tamen
præſtant Papę juramentum fidelitatis, ut in *cap. Ego N. de
jurejuran.* Quod juramentum eſt bigium, ut dicunt ibi
Baldus *num.* 11. *verſ. ibi contra*, & Alex. de Nævo *nu.* 24.
verſ. Ex quo infert. In forma autem fidelitatis, quam
Domino præſtant feudatarii, nihil continetur, quod à
Religioſo, & Epiſcopo non poſſit honeſtè per ſe, vel per
alium explicari, ut patet *in c. de forma* 25. *qu.* 5. quod re-
75 fertur *in c.* 1. *de form. fidelit. & in tit. De nov. form. in uſib.
feud.* Nam ad militandum, præſertim in propria perſona,
ex forma fidelitatis, utique vaſſallus non tenetur, Oldrad.
conſ. 234. *n.* 2. *in fin. verſ. Inter hæc autem non eſt aliquem ad
exercitum ſequi* Baldus *in c.* 1. *num.* 17. *verſ. Inter hæc au-
tem, in tit. De capitaneo, qui curiam vendidit*, Jacobin. *de*
76 *feud. in verb. Et promiſerunt num.* 2. & clarè probatur *in
cap. Imperialem, §. Firmiter, de prohib. feud. alienat. per
Frider.* ubi cautum eſt, ut vaſſallus teneatur ire, vel mit-
tere cum Domino ad expeditionem bellicam, vel ipſi Do-
mino ſubminiſtrare dimidium redditus unius anni. Et ſic
eſt in optione vaſſalli, an velit ire, vel mittere; an verò
redditus ſubminiſtrare. Et eſt communis Doctorum o-
pinio, ut teſtantur Jacobin. *ubi ſupra num.* 26. & Clar. in
§. *Feudum quæſt.* 22. & quòd vaſſallus non teneatur ſequi
Dominum in bello, neque ad alia ſervitia perſonalia, niſi
hoc expreſsè ſit cautum in inveſtitura, cùm hoc non ſit de
natura feudi, tenuerunt Bellam. *d. conſ.* 48. *n.* 31. *ſub verſ.
Sed contra*, Soccin. ſen. *conſ.* 257. *viſis inveſtituris nu.* 1.
78 *circa finem, verſ. Et licet lib.* 2. Decian. *conſ.* 58. *Quæri-
tur nunc num.* 42. *verſ. Neque hic dicitur lib.* 2. Rota *dec.*
41. *numer.* 2. *part.* 1. *diverſ.* Et generaliter, quòd in om-
ni feudo ſit in electione vaſſalli, an velit perſonaliter inſer-
vire, an verò pecuniam ſolvere, poſt antiquos deducit
Alvarot. in *cap.* 1. *in fin. de pac. juram. firm. & in d. c. Impe-
rialem, §. Firmiter*, Jacobin. *loco cit.* Capyc. *dec.* 10. *nu.*
11. Et in Epiſcopo, qui tenet magnum, & nobile feudum
ab aliquo Principe, notat Hoſt. *in Summa de immunit. Ec-
cleſiar. §. A quibus muneribus, verſ. ab angariis ver.* ibi: *Se
cus puto ſi Epiſcopus*.

Ex quibus patet omne ſervitium in hac inveſtitura ex-
preſſum poſſe à vaſſallo religioſo, & Epiſcopo honeſtè per
ſe, vel per ſubſtitutum expediri. Et conſequenter ſi feu-
dum fuiſſet apertum antequam memoratus Religioſus eſ-
ſet Epiſcopus, utique tranſiviſſet in Monaſterium juxta
primum membrum diſtinctionis Innocentii, de quo *ſupra
nu.* 64. Religio enim Fratrum Prædicatorum hodie eſt ca-
pax bonorum immobilium ex Concil. Trid. *c.* 3. *ſeſſ.* 25. *de
Regular.*

79 Verùm cùm fuerit apertum, poſtquam eſt in Epiſcopum
conſecratus, ſuccedit Eccleſia: nam Monachus, quem
Canonica electio à jugo regulæ monaſticæ profeſſionis ab-
ſolvit, & ſancta ordinatio de Monacho Epiſcopum facit,
velut legitimus hęres paternam ſibi hęreditatem poſteà jure
vendicandi poteſtatem habet. Quæ ſunt verba Conc. Tole-
tani relata *in c. Statutum* 18. *q.* 1. & illud pro nomen, *ſibi*,
exponitur, id eſt, Eccleſiæ; ſive, ut ibi per gl. *in ver. Le-
gitimus*, Archid. & Turrecr.

Ideòque cùm Archiepiſcopus Goanus in Indiis Orienta- 80
libus in viſitatione liminum inter alia quæſiviſſet, an ſpo-
lia Epiſcopi Regularis morientis ab inteſtato pertinerent
ad Cameram Apoſtolicam, an ad ſucceſſorem beneficii,
& bon. mem. Cardinalis Serra teſtatus eſſet, Cameram
Apoſtolicam ibi quoad ſpolia nihil prętendere: Sacra Con-
gregatio Concilii reſpondit bona poſt conſecrationem ac-
quiſita ad propriam Eccleſiam pertinere per *d. Statutum*,
& doctrinam, Navarr. *de redditib. Eccleſ. qu.* 1. *in* 9. *ad-
monit. num.... & ſeqq.*

Undè quemadmodum Cathedralis Eccleſia, ad quam 81
Regularis aſſumptus eſt, ſuccedit in bonis allodialibus eis
poſt conſecrationem delatis: ita & in feudalibus de quibus
agitur, quia cùm ſervitia illis annexa non ſint incompati-
bilia cum ſtatu Regulari, ſicut in illis ante conſecratio-
nem ſucceſſiſſet Religioſus ad utilitatem Monaſterii, ut
fusè oſtenſum eſt ſupra, ita poſt conſecrationem ſuccedit
Epiſcopus ad utilitatem Eccleſię. Idque ad exemplum Mo- 82
nachi, qui effectus eſt Comes per Papam: ſuccedit enim
in feudum apertum poſtquam factus eſt Comes, tamquam
poſtliminio reverſus, in integrum reſtitutus, & habilita-
tus. Ita Bald. *in conſ.* 275. *Quod pro regulam n.* 7. *verſ. Po-
ne quod Monachus lib.* 2. Quod longè magis procedit in 83
Regulari ad Epiſcopatum evecto. Nam etiamſi ſervitia
feudo annexa requirerent induſtriam perſonæ, juxta text.
in l. Inter artifices, ff. De ſolut. & in c. fin. de offic. deleg.
Tamen ex quo factus eſt Epiſcopus, cenſetur habilitatus 84
ad inſerviendum per ſubſtitutum, ut eſt text. in *l. Ad ſi-
militudinem, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* & tradunt Præ-
poſitus in *cap.* 1. §. *Et quia, col.* 6. *poſt med. verſ. Reſpon-
deo, de his, qui feud. dar. poſſ.* Calderin. *d. conſ.* 2. *num.* 1.
verſ. Item hoc probatur, de feud. Jaſon *conſ.* 117. *In cauſa,
& lite nu.* 2. *verſ. Ad prædicta accedat, quod etiam effectus
Epiſcopus, volum.* 4. Cæphal. *conſ.* 1. *num.* 4. *verſ. Tertiò
quicquid*, Martin. Lauden. *in cap.* 1. §. *Et quia vidimus,
qui feud. dar. poſſ.* ubi refert hanc controverſiam de facto
contigiſſe in Epiſcopo Palmeñ. & præſtantiores Doctores
Bononienſes, & Papienſes conſuluiſſe, Epiſcopum eſſe
ſucceſſibilem in feudo paterno, prout etiam refert Jacob.
in *tract. de feud. in verb. Et quibuſcumque n.* 4. *verſ. Contra-
riam*. Et ita communiter ſervatur. Nam Epiſcopi, &
Cardinales retinent feuda ad eos devoluta jure ſucceſſio- 85
nis, ne dignitas potiùs decrementum, quàm incrementum
eis attuliſſe videatur, & ſine controverſia admittuntur
ad præſtandum quodcumque ſervitium per ſubſtitutum, ut
atteſtatur Julius Clarus in §. *Feudum qu.* 76. *circa fin. verſ.
Cæterum communiter ſervatur*.

Neque obſtat, quòd hoc caſu verſemur in Epiſcopo Re- 86
gulari, qui per conſecrationem non fuit abſolutus à voto
paupertatis, ſed adhuc remanſit in ſtatu incompatibili
cum acquiſitione dominii feudalis, gloſſ. in *cap. Sta-
tutum in verb. Legitimus* 18. *q.* 1. *& in cap. De Monachis,
in verb. Diſcedere,* 16. *quæſt.* 1. Sanctus Thomas *in* 2. 87
2. *quæſt.* 185. *art.* 8. & probatur in *c. Cùm olim, il* 2.
verſ. Prætereà de privileg. ubi Monaſterium, cui Ca-
nonicus Regularis in Epiſcopum jam promotus mille ma-
rabotinorum donaverat, fuit condemnatum ad illo-
rum reſtitutionem, quia, ut ibi dicit gloſſa in *ver-
borum Reſtitutionem*, qui nihil habet, nihil donare po-
teſt.

Id inquam non obſtat, quoniam, ut reſpondet d. gloſſ. 88
quicquid Religioſus poſt ſuam conſecrationem acquirit,
non ſibi, ſed Epiſcopatui acquirit, Et, ut inquit Div.
Thom. *ubi ſupra in reſponſ. ad* 3. non vendicat hæredita-
tem, ut propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam. Et ſic 89
non frangitur votum paupertatis. Imò quod plus eſt, ſi
frater Minor promoveatur ad Epiſcopatum, quamvis ta-
lis dignitas non faciat eum capacem ſucceſſionis, quia
non liberat à ſubſtantialibus regulæ; tamen bona, quæ
ipſi fratri Minori jam aſſumpto obveniunt, remanent a-
pud Eccleſiam, ad quam eſt aſſumptus, ut poſt Bart. Bald.
& Feder. de Sen. firmat Nicolaus de Ubald. *in tract. de ſuc-
ceſſ. ab inteſt. Cleric. in* 1. *par. n.* 3. & 4. & ex modernis Na-

var.

var. *conſ.7.incipit, Quidam Archiepiſcopus olim frater Minor n.*1.*de ſolut.*& reſolvit Rota *dec.*115. *per tot.p.*4.*t.*2.*rec.*
Confirmantur prædicta, quia in hac inveſtitura ex deſcendentibus maſculis Diomedis primo loco vocantur filius
major natu, & nepos major natu laici, excluſis perſonis
Eccleſiaſticis, quæ matrimonium contrahere non valuerint, id eſt clerici in ſacro Ordine conſtituti, & ſolemniter profeſſi. Nam his duobus modis ſolemnizatur votum
impediens matrimonium contrahendum, & dirimens poſteà contractum, ut *c.* 1.*De voto lib.* 6. & paulò poſt ſequitur in inveſtitura: laicis verò omnibus ceſſantibus ex præfatis clericis major natu ſubintret. Quæ verba videntur
intelligenda de illis clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis,
quæ extantibus maſculis fuerant à feudo excluſæ; & ſic de
conſtitutis in ſacro Ordine vel ſolemniter profeſſis. Non
enim inveſtitura diſcretivè loquitur de clericis, vel Monachis, ſicut fit in *cap.* 1. §. *Qui Clericus de feud. defunct. &c.*& in aliis concordantibus, ſed loquitur ſimpliciter de
90 clericis. Et cùm feudum ſit beneficium Principis, *c.* 1. §.
Beneficium, in quibus cauſ.feud. admitt. ac proindè ſit pleniſſimè interpretandum, *l. fin. ff. de conſtit. Princip.* Præpoſ. in *cap.* 1. §. *Et quia col.* 18. *ante med. verſ. Item quia*
91 *beneficia Principis, de his qui feud. dar. poſſ.* utique in hac
favorabili materia clericorum appellatione non veniunt
etiam regulares, ut per Abb; in *rubr. de vit. & honeſt. cleric. num.* 15. Paul. de Caſtr. *conſ.* 336. *in hac ſubſtitutione num.* 3. *lib.* 1. Imò veniunt etiam Epiſcopi ſecundùm
92 Abbatem in *c. Cum tibi num.* 40. *de verbor. ſignificat.* Undè quatenùs prædicti aliàs eſſent inhabiles ad ſerviendum:
tamen cùm ex forma inveſtituræ ſint habilitati ad ſuccedendum, intelliguntur etiam habilitati ad ſerviendum per
ſubſtitutum, argum. *l. Quidam conſulebant, ff. De rei judicat.* Et hanc regulam ponit Andr. de Iſern. in *cap.* 1. *in fin.*
& poſt eum Bald. *ibidem num.* 6. *verſ. Adde talem regulam,*
& Afflict. *col.* 4. *in princip. de milit. Vaſſal. qui arma bellic. depoſuit*, Alex. *d. conſ.* 10. *nu.* 16. *&* 17. *lib.* 5. Pedemon.
dec. 27.*n.* 15. *&* 16.
93 Nec refert, quòd in inveſtitura vocetur clericus major
natu. Quia nihilominus ſuccedit Monachus, & Epiſcopus, Paul. de Caſtr. *conſ.* 336. *In hac ſubſtitut. nu.* 30. *lib.*1.
juncto themate conſilii.
94 Poſtremò in hac materia illud accuratè obſervandum videtur, quòd etſi liber feudorum ſit authenticus, & allegari poſſit ad deciſionem cauſarum in materia feudali, &
liget etiam Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas, Bald. in
c. Cæterum nu. 2. *de jud.* & alii apud Clar. *in* §. *Feudum, q.* 3. *verſ. Sed numquid:* tamen hoc videtur omninò limitan-
95 dum quo ad illa capitula, quæ ſtatuunt nominatim contra
Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, prout facit *d. c.* 1. §.
Qui clericus, ſi de feud. defunct. &c. & alia capitula ſupracitata *n.* 5. Quia talia ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, & non valent, ut per Bald. *conſ.* 275. *Quod regula n.* 9. *verſ. Papa etiam lib.* 2. Oldrad. *conſ.* 270. *In quæſtione prapoſita n.* 9. *verſ. Et tu inſtabis amice.*
Nam & leges Imperiales, quæ ſpecificè diſponunt de
Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis, ac bonis earum, quales ſunt, quę habentur in titulis, *de Sacroſ. Eccl. de Epiſc. & Cleric.* & conſimiles, non valent ex defectu poteſtatis,
ut eſt text. celebris in *c. Eccleſia S. Mariæ*, & ibi notant
omnes infra eodem, & fusè dictum eſt ſuprà *numer.* 25. *&*
96 *ſeqq.* undè leges civiles, quæ loquuntur de emphyteuſi Eccleſiæ, ſervari non debent ſecundùm Abb. *in c. in præſentia num.* 28. *verſ. Ego in hoc dubio de probat.* Et idem eſt in
conſtitutionibus laicorum ſuper rebus ſpectantibus ad Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, etiam ratione dominii
utilis tantum, ut probatur in hoc capitulo ſecundùm ea,
97 quæ dicta ſunt ſupra *numer.* 20. *&* 52. Quod ſi ita eſt in legibus Imperatorum, ac Principum, multò fortiùs obſervandum erit in conſtitutionibus feudalibus, quæ non emanarunt à Principe, ſed à privatis hominibus; nempè Roberto Orto, & Gerardo Agapite non habentibus Authoritatem leges condendi, ut advertit Bellamer. *d. conſ.* 48. *n.* 33. *verſ. Item facit quod quæſtio loquitur de jure.* Qui pro-
98 pterea *nu.* 33. *verſ. Quid dicendum in fin.* firmat communem eſſe opinionem, quod jura feudorum non ligent. Et
quamvis hodie contraria opinio frequentiùs ſit recepta:
99 tamen hoc ideò eſt, quia ex quo liber feudorum fuit pro
authentico obſervatus, & allegatus ſupra hominum memoriam, ejus tanti temporis vim habet privilegii, ut ait
Molin. *in conſuetud. Par. ſ. feud. in princip. nu.* 46. & Clar.
loc. cit. At hæc ratio non militat in capitulis, quæ ſunt 100
contra libertatem Eccleſiaſticam, quia in talibus conſuetudo utcumque immemorabilis non valet, nec habet vim
privilegii, *c. Cum terra*. & ibi Abb. *in* 2. *not. de elect.* Collect. *in c.* 1. *n.*30. *circa fin. de conſuet.* & hodie expreſſum in
Conſtitutione ſanct. mem. Urbani VIII. quæ incipit. *Romanus Pontifex edita die* 5. *Junii* 1641. Et hic junge, quæ dicta ſunt ſupra *n.* 52.
Nec refert, quod Dec. *conſ.* 131. *Revocatur in dubium n.* 3. dicat jura feudorum videri approbata ab Eccleſia: ubi
canones expreſsè non contradicunt: quoniam hoc poteſt
admitti in illis tantùm juribus feudalibus, quæ generaliter
loquuntur, prout colligitur ex ipſomet Dec. *num.* 2. *verſ. Ad hoc facit*, & ita intelligi debet Bald. quem Dec. allegat *in cap. Cæterum num.*2. *d. judic.* dum ait conſuetudines
feudales habere locum etiam in feudis Eccleſiaſticis. At
ſecus eſt in illis juribus, quæ de Eccleſiis, & earum perſonis, ac rebus ſpecificè diſponunt, quia ponunt falcem in
meſſem alienam, & non valent, prout de legibus Imperatorum diſtinguitur per Canoniſtas in *cap.* 1. *infr. de nov. oper. nunciat.* & poſt Abbat. & alios dixi ſuprà *numer.* 32.
Quare cùm capitula feudalia excludentia à ſucceſſione
Clericos, & Monachos hac in parte non habent legis authoritatem; Conſequens eſt, ut in hoc articulo ſervandi
ſint canones, qui Clericos, & Monachos non repellunt,
ut ſuprà diximus *n.* 5. Felin. *in d. c. In præſentia n.* 44. *verſ. Et nos dicas de probat.*
His accedit, quod in prædictis capitulis excludentibus 101
Clericos, & Monachos non comprehenduntur Epiſcopi
propter excellentiam dignitatis Epiſcopalis, Cæphal. *conſ.* 1, *nu.* 4. *verſ. Quicquid*; ac proindè in eorum ſucceſſione
ſervabitur jus commune, ut diſponitur in *c.* 1. §. *Strenuus de cognit. feud.* Bald. *conſ.* 328. *Cum in Cauſa, in fin. verſ. Declarando, id quod dixi lib.* 3. Paul. de Caſtr. *conſ.* 262.
Dico quod Epiſc. in fin. lib. 2. Clar. *in* §. *Feudum in q.* 3.
Ac demum cùm præſens feudum uti proveniens ab Ec- 102
cleſia Romana ſit Eccleſiſticum, Bald. in *Prælud. feud. in ult. diviſ.* Imol. *in c. fin. n.* 36. *verſ. Item feudorum aliud eſt Eccleſiaſticum inf. de feud.* Jura feudorum ſuperiùs allegata,
quæ prohibent Clericos, & Religioſos ſuccedere in feudo 103
ſęculari conceſſo à Principibus ſæcularibus, ad hoc feudum
Eccleſiaſticum non extenduntur; Nam Principes laici veriſimiliter nolunt in ſuis feudis ſæcularibus admitti Eccleſiaſticos: ſed è contra in feudis Eccleſiaſticis non eſt veriſimile, ut Apoſtolicus voluerit excludere ſuum genus Eccleſiaſticorum. Ita in terminis Jaſon in *conſ.* 117. *in cauſa, & lite n.*1.*col.*2.*verſ. Secundo principaliter vol.* 4. ubi etiam 104
ſubdit in feudo Eccleſiaſtico ceſſare rationes ponderatas in
præallegatis capitulis excludentibus Clericos, & Religioſos
à ſucceſſione feudi, nempè quod deſinant eſſe milites ſæculi, qui facti ſunt milites Chriſti, & nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus. Hæ namque rationes non
applicantur feudo Eccleſiaſtico, quia Religioſi, & Epiſcopi propter hoc non deſinunt eſſe milites Eccleſiæ, & poſſunt impendere ſervitia feudalia ſecundùm eorum qualitatem, & conditionem, ut latius per eum, & ſequitur deciſio Pedemontana 27. *n.* 17. *in* 3. *fallentia.*
Ex quibus concludendum videtur feudum hoc debere in 105
Eccleſiam Epiſcopalem tranſire quoad commoditatem dominii utilis durante tamen vita naturali ipſius Epiſcopi.
Nam ut inquit Bald. in *auth. Niſi rogati n.* 15. *C. Ad Trebell.* interim donec vivit vaſſallus feudum non reddit ad
dominum, ſed Eccleſia habet commoditatem, ſi ſervitium
juxta conditionem feudi non minus decenter præſtare
poſſit Eccleſia, quam vaſſallus. Et idem Bald. in *c.* 1. *n.* 1.
verſ. Si ergo feudum de milit. vaſſall. qui arm. bellic. depoſuit. Et ibi etiam Alvar. *col.*2. Alex. *d. conſ.* 10. *n.* 10. 14.*&*
17. *lib.* 5. Felin. in *d. c. in præſentia n.*46. *verſ. Secundo.*
Nec prædictis obſtat, quod jura feudalia, quæ ex ſui 106
natura non tranſeunt, niſi ad hæredes ſanguinis, ut Regnum, Ducatus, Baronia minimè tranſeant in Monaſterium, vel Eccleſiam, ſed remaneant generi, ut inquit
Bald. in *l. Deo nobis*, §. *Hoc etiam num.* 4. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* poſt gloſſ. ordinariam *in c. Scripſit nobis in verb. Dignitatem* 27. *quæſt.* 2. Felin. *in d. cap. In præſentia num.* 44. *verſ. Ad idem quod notat Bald.* & ibi etiam Dec. *num.*

289. *de probat.* Spec. *in tit. De ſtat. Monach.* §. 1. *n.* 15. dicens ita ſervari de facto.

107 Etenim hujuſmodi authoritates vendicant ſibi locum in ſucceſſione per quam feudum tranſit in perpetuum ad manus mortuas, adeò ut nunquam ſit reverſum ad dominum, juxta text. in *c.* 1. §. *de alien. feud.* At in caſu præſenti ſecundùm concluſionem ſuperius firmatam Monaſterium, & Eccleſia non ſuccedunt in feudo in perpetuum, nec ſunt vaſſalli, ſed habent ſolam commoditatem dominii utilis vivente feudatario; unde prædictæ authoritates non applicantur. Et ita ſeipſum declarat Bald. in *cap.* 1. *nu.* 1. *verſ. Si ergo feudum*, & ibi etiam Alvarot. *col.* 2. *de milit. vaſſal. qui arm. beli. depoſ.* & idem Bald. *hic n.* 19. Alex. *d. conſ.* 10. *nu.* 17. *lib.* 5. Capyc. *dec.* 10. *n.* 5. *&* 10. & quamvis Præpoſ. *in c.* 1. §. *Et quia col.* 13. *ante med. verſ. Aut loquimur de iis, qui feud. dar. poſſ.* opinatus fuerit Monaſterium etiam durante vita feudatarii non ſuccedere in feudo, quod tranſit ſolùm in hæredem ſanguinis: tamen loquitur ex capite ſuo, & in prima opinione non eſt contradictor, ut dicunt Capyc. *d. dec.* 10. *n.* 6. *&* 10. & Clar in §. *Feudum, qu.* 78. *verſ. Quæ tamen opinio.*

108 In gloſ. prima, Quæro cum Innocentio, an Principis reſcriptum, lex, vel ſtatutum in læſionem juris alterius valeat, nec ne.

109 Pro ſolutione duo caſus principales ſunt diſtinguendi. Primus eſt, cùm Princeps aufert jus alteri quæſitum, vel acquirendum de jure naturali, id eſt gentium, ut ſunt dominia, obligationes, & hujuſmodi, quæ non dantur à
110 jure civili, ſicut dantur actiones, *l. Ex hoc Jure, ff. De Juſtit. & jur. inſtit. de rerum diviſ.* §. *Feræ quoque beſtiæ*; ſed proveniunt à jure gentium, quod etiam dicitur jus natu-
111 rale, quia naturali ratione inductum eſt, ut *inſtit. de rerum diviſ.* §. *Singulorum*, ſecundum Innoc. hic *n.* 3. *circa fin. verſ. De jure autem naturali*, & Compoſt. *n.* 3.

112 Et in hoc primo caſu ſubdiſtingue: Nam aut Princeps auferendo jus alterius procedit ſine juſta cauſa, & hoc eſt certum; & concludendum eſt ſecundùm Innocentium *n.* 2. hujuſmodi reſcriptum, aut legem, vel ſtatutum non valere, ut *leg. final. C. Si contra jus, vel utilit. public.* Et concordant Compoſtell. *num.* 1. Hoſt. *eod. num. in verb. Ut ſi quis, verſ. Hoc enim*, Joan. Andr. *num.* 15. *&* 16. Felin. *num.* 27. & reliqui omnes. Et hanc dicit eſſe opinionem Canoniſtarum, & Legiſtarum, Abb. *hic n.* 11. *verſ. Si autem non ſubeſt cauſa*, per text. in Clement. *Paſtoralis de re judicat.* ubi habetur, Imperatorem non poſſe tollere ea,
113 quæ ſunt de jure naturali; & ſic non poteſt Imperator alicui rem ſuam auferre, quia licèt habeat juriſdictionem in univerſos, *leg. de precario, ff. ad leg. Rhod. de jact.* non tamen habet dominium rerum privatarum, quæ à principio fuerunt conceſſæ occupantibus, ut *inſtit. de rerum diviſ. Quaſi per totum*, ſecundùm Abbatem & Felin. *locis proxime citatis*, & conſtat ex dictis ſupra *n.* 51. Eamdem concluſionem poſuit Bart. *in proœmio Digeſtorum*, per text. *Quem dicit meliorem de mundo in leg. venditor*, §. *Si conſtat, ff. commun. prædiorum*, per quod dicit, nec Principem, nec Civitatem poſſe aliquem privare dominio rei ſuæ ſine cauſa. Et quamvis non deſint contradictores, ut hìc per Felin. *num.* 33. *verſ. Secundum vero membrum*, ta-
114 men hæc opinio eſt communior, & rationabilior, ut dicit Raphael Fulgoſ. in *d. l. fin. Cod. Si contra jus*, & Felin. *loco proximè citato*. Et patet ex cumulat. per Anton. Gabr. *comm. concl. lib.* 3. *tit. de jur. quæſit. non toll. concluſ.* 1. *nu.* 1. & eam ſequitur Divus Thomas, dicens, hujuſmodi le-
115 ges eſſe tyrannicas in *quodlib.* 12. *art.* 24. *in fin.* Et hoc membrum declara ſeptem modis, ut hìc per Felin. *nu.* 40. Et ſicut non valet reſcriptum, lex, vel ſtatutum; ita nec conſuetudo, ſecundum Innoc. *d. num.* 2. *verſ. Et ſicut reſcriptum*, Hoſt. *num.* 40. & Jo. Andr. *num.* 16. *verſ. Et ſicut non valet.*

116 Non obſtat, quòd rerum dominia videantur haberi per leges Imperatorum, ut *cap. Quo jure* 8. *diſt.* Ergo legibus, & ſtatutis poſſunt auferri. Quoniam ut reſpondet Compoſt. *hic num.* 6. *ad fin. verſ. Sed videtur*, & Jo. Andr. *nu.* 24. à jure gentium deſcendunt dominia, ſed per leges Principum diſtinguuntur modi per quos dominia acquiruntur *ut ff. De acquir. rer. domin. per totum*, ſequitur Ruin. *conſ.* 21. *Viſis omnibus nu.* 3. *vol.* 1. & Felin. *hic nu.* 49. *verſ. Se-*
117 *cundus eſt.* An autem Papa ſine cauſa poſſit auferre alicui officium, vel beneficium, examinavi latiſſimè in *c. Conſultationibus infra de Cler. ægrotant.* & plura in utramque partem congerit hìc Felin. *n.* 40. *uſq. ad n.* 45.

Aut Princeps auferendo jus alterius procedit ex juſta 118
cauſa, idque ſimiliter eſt certum: & tenendum eſt reſcriptum, legem, vel ſtatutum valere, vel ſi quis ſepulcrum, *ff. De religioſ. & ſumpt. funer. C. Pro quib. c. uſ. ſerv. pro præmio libert. accipiant. per totum*, Innoc. *hic n.* 2. *in fin. verſ. In caſibus tamen, & nu.* 3. Compoſt. *num.* 4. Hoſt. *ead. nu. verſ. Et hoc verum eſt*, Jo. Andr. *nu.* 18. *verſ. Et hæc vera*, Abb. *num.* 11. Ideòque per præſcriptionem a jure civili inductam privatur quis jure ſuo. *leg. Bene à Zenone, C. De quadrien. præſc.* & propter delictum bona confiſcantur, *C. De bon. damn. per tot.* Item per legem humanam certo caſu inducitur ſervitus, ut *in c. Ita quorundam de Judæis*, contra libertatem, quæ eſt de jure naturali, ut *cap. Jus naturale* 1. *diſt.*

Et juſta cauſa auferendi jus quęſitum de jure gentium eſt 119
favor publicus, ut *leg. Item ſi verberatum*, §. 1. *ff. De rei vendicat. l. Lucius, ff. De evict. & not. in l. Antiochenſium, ff. de privileg. credit.* Abb. *d. n.* 11. *circa fin. verſ. Sed cauſa exiſtente*, & Felin. *num.* 27. *verſ. cauſa autem*, plenè Anton. Gabriel. *commun. concluſ. libr.* 3. *in tit. De jur. quæſit. non tollen. concl. n.* 1. adeò ut in hoc caſu valeat reſcriptum, etiam ſi in eo non fuerit derogatum regulę *de non tollen. jus quæſitum*, Sayr. *ſuper d. regula quæſt.* 19. *& dec. penult. lib.* 2. & fuit multoties reſolutum in Rota, ut dixi in *c. Cæterum num.* 32. *&* 49. *de reſcr.* Et hoc ſecundum membrum, quod Princeps ex juſta cauſa poſſit rem alterius auferre, declara notabiliter quatuor modis, ut hìc per Felin. *à nu.* 28. *uſq. ad n.* 32.

Aut denique dubium eſt, an juſta cauſa ſubſit, necne: 120
& tunc Cyn. & communiter Legiſtæ in *l. Reſcripta, Cod. De precib. Imperat. offerend.* tenent præſumi pro Principe, quod fuerit motus ex juſta cauſa. Et idem tenet gl. *fin. in l. Relegati, ff. De pœn.* dicens magnam, & juſtam cauſam eſſe Principis voluntatem, Butr. *hic n.* 22. *verſ. Aut eſt dubium*, & Card. *in* 6. *q.* & Imol. *n.* 18. *verſ. Si autem eſſet dubium*; & pro hac opinione plurimos cumulat, eamque dicit eſſe magis communem Ant. Gabr. *commun. concl. lib.* 3. *d. tit. de iure quæſito non tollen. concl.* 3. *n.* 4. *&* 5.

Quinimò dicunt Doctores in Principe, qui ſuo reſcri- 121
pto aufert dominium de jure gentium quæſitum privato, uſque adeò cauſam præſumi, ut contra hujuſmodi pręſumptionem contraria probatio non admittatur Cyn. in *d. leg. Reſcripta circa fin. Cod. De precib. Imper. offerend.* Butr. & Imol. *loc. cit.* Felin. *hic num.* 60. *verſ. Et adeo procedit*, ſed hoc dictum, ut inquit Abb. *hic n.* 14. videtur ſatis durum, 122
& nullo jure apertè probatur, & in contrarium poteſt allegari text. in Clementin. *Paſtoralis de re judicat.* & illud dictum reprobat Cravet. *in conſ.* 135. *Verba decreti num.* 42. *verſ. Imò iſto caſu*, ubi citat plurimos, & in *princ. ejuſdem* 123
num. 42. concludit aſſertionem Principis ſuper juſta cauſa non eſſe probationem, ſed tantùm operari, ut transferatur onus probandi in adverſarium, allegat Angel. *in conſ.* 368. *Sereniſſimus Princeps Venceslaus, n.* 2. Rom. *in conſ.* 369. *circa primum n.* 38. Com. *in conſ.* 32. *In hac conſultatione n.* 9. *col.* 6. *verſ. Et maximè cum Pontifex lib.* 1. alios citat Gab. *d. concl.* 3. *n.* 3.

Imò in Principe reſcribente contra jus tertiò quæſitum 124
de jure gentium abſolutè cauſam non præſumi tenuerunt, Abb. *hic d. n.* 14. *verſ. Hoc dictum*, Dec. *n.* 27. & Felin. *n.* 66. *verſ. Ex quibus redditur dubia*, & alii plures apud Ant. Gabr. *d. concl.* 3. *n.* 1.

Quia tamen in practica ſervaretur prima opinio, ut di- 125
cit Abb. *loc. cit.* eam poteris limitare quatuor modis. Et primò eam limitabis, ut non procedat, quando Princeps reſcribit contra jus quæſitum ex ſuo contractu; ad hoc *l. Cæſar, ff. de publican. & vectigal. & cap.* 1. *de probat.* ubi text. optimus. Quam limitationem poſuit etiam idem Abbas in *conſ.* 3. *Nitor in præſenti in penult. col. in* 27. *qu. lib.* & Bertrand. in *conſ.* 15. *n.* 4. *verſ. Secundò reſpondetur, & conſ.* 233. *n.* 3. *vol.* 2. Gabr. *d. concl.* 3. *n.* 13. & ex hoc infert
Abb. *hic n.* 15. ut Princeps non poſſit ſuo vaſſallo ſine cauſę 126
cognitione feudum auferre, quia in feudo eſt quidam contractus, ex quo ultrò citròque naſcitur obligatio, ut 127
in *cap. De forma* 22. *q.* 5. juncta gloſ. in *l. Liber homo, ff. De verb. obligat.* Item de natura feudi eſt, ut non auferatur

niſi

niſi cauſa cognita, ut in cap. 1. de natur. feud. & in cap. 1. de feud. ſine culpa non amitt. in uſib. feud. & in hac ſpecie conſuluerunt Dec. conſ. 689. viſo puncto. Pariſ. conſ. 11. Caſtrum iſtud, n. 55. & 111. lib. 1. Socin. Jun. conſ. 94. Conſilium, n. 3. vol. 2. & paſſim alii.

128 Limitabis ſecundò, ut non procedat, ſi princeps reſcribat contra conceſſionem ſuam etiam gratuitam, puta conferendo officium, vel beneficium à ſe prius alteri collatum: in tali enim reſcripto non præſumitur cauſa, ſed potius Princeps præſumitur circumventus, text. eſt in c. Cum olim, infra de re judic. ubi ſi Papa conferat alicui beneficium unius, & dicta collatio repugnet ordinationi à ſe prius factæ in favorem alterius, ſecunda diſpoſitio irritatur, prima remanente, ea ratione, quia ipſam ſecundam feciſſe cenſetur tamquam circumventus in ea, quam prius fecerat, vel ex oblivione, vel facto ipſius collatarii. Et ita de hoc eſſe ibi caſum expreſſiſſimum dixit Roman. conſ. 298. circa præmiſſam, num. 1. verſ. Secundo eadem concluſio, quem ſequitur Ruin. conſ. 98. Quia per privilegium, nu. 22. volum. 4. Dec. conſ. 588. Viſo puncto, nu. 18. Socin. Jun. d. conſ. 94. n. 3. vol. 2. & Ferrett. conſ. 6. Factum
129 tale eſt, alias num. 4. & hæc præſumptio circumventionis eſt juris, & de jure, quæ contrariam probationem non admittit, ut ibi voluit ſingulariter Innoc. in princ. cum quo concordant Hoſtienſ. num. 5. Joan. Andr. nu. 4. Bellam. num. 2. Cardin. num. 9. verſ. Et dicit Innocen. Alex. de Nævo num. 22. & Felin. nu. 5. col. 5. verſ. Amplia iſta, & conſuluit eleganter Bald. in conſ. 327. Pridie enim, nu. 4. volum. 1. Ruin. ubi ſupra, & concordant plures, quos citat
130 Apoſtil. ad Roman. d. conſ. 298. lit. B. Porro in conceſſionibus Principum prima attenditur, nec per ſecundam primæ derogatur, ut conſuluit Rom. d. conſ. 298. per tot. & alii quos cumulat Anton. Gabr. comm. concl. lib. 3. in tit. De jure quæſito non toll. conſ. 7. n. 4. & 5.

131 Limitabis tertiò, ut præſumatur pro Principe reſpectu ſubditorum dumtaxat, non autem reſpectu aliorum, ut notabiliter voluit Innoc. in c. Inquiſitioni, num. 4. de ſent. excomm. ubi quod ſi Papa mandat laico ſibi non ſubjecto in temporalibus, ut det alicui rem ſuam, talis non tenetur ei obedire niſi appareat legitima cauſa ſic præcipiendi, cum non ſit ei temporaliter ſubjectus: & idem colligitur ex Clem. Paſtoralis de re judic. ubi ponderatur, quod Rex Siciliæ non ſuberat Imperio, & hanc limitationem approbat hic Abb. n. 15. verſ. Item limito, & Felin. nu. 62. in fin. verſ. Limita 3. & idem Abb. in c. 1. nu. 4. in fin. de cauſ. poſſ. & propriet. Ruin. conſ. 91. Quæritur, nu. 5. vol. 1. & conſ. 123. Viſa facti ſent. n. 23. vol. 3.

132 Limitabis quartò, niſi cauſa in reſcripto Principis expreſſa ſit frivola, ſeu irrationabilis. Tunc enim princeps quamvis reſcribat ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis; tamen præſumitur circumventus, & tales literæ ſunt ipſo jure nullæ, & ita ſingulariter limitat Dec. in conſ. 576. Pro reſolutione, n. 10. Bolognett. conſ. 2. num. 45. Socin. ſen. conſ. 273....... ante fin. vol. 2. Ruin. conſ. 123....... nu. 3. vol. 3. alias limitationes ad prædictam regulam ponit Anton. Gabr. dicta concl. 3. De jure quæſit. non toll. & latius an, & quando cauſa præſumatur in principe reſcribente contra jus tertii, vide Præpoſitum in cap. Venerabilem, §. Quod autem, col. 1. in 3. notab. & ſeqq. Qui filii ſint legit.

133 Secundus caſus principalis eſt, quando reſcriptum, lex, vel ſtatutum lædit jus alterius in eo, quod ad eum pertinet de jure civili, prout ſunt actiones, quæ a jure civili ſunt proditæ, ut l. 2. ff. De origin. Juris, & l. Ex hoc jure in fin. ff. De juſt. & jur. & in hoc 2. caſu Innoc. hic num. 3. verſ. Ubi vero reſcriptum, Compoſtell. n. 5. Hoſtien. nu. 4. verſ. Ubi vero. Joan. Andr. nu. 19. & Felin. num. 54. in fin. verſ.
134 Quarta concluſio, diſtinguunt ſic: Aut reſcriptum, lex, vel ſtatututum perimit jus alterius omninò, vel denegat ex toto agendi poteſtatem: & non valet niſi adjiciatur clauſula, non obſtante lege, &c. arg. l. Si quis in princ. teſt. ff. De legat 3. & authent. Hoc inter liberos, C. De teſtam. arguendo a lege ad ultimam voluntatem, quæ ſimiliter lex dicitur, ut §. Diſponat. auth. de nupt. & melius ſecundum Hoſtien. ubi ſupra, probatur in cap. Nonnulli infra de reſcript. & in cap. ult. De Capell. monach. & quod dictum eſt
135 niſi adjiciatur clauſula non obſtante, &c. locum habet etiam
136 quando alias conſtat de expreſſa voluntate Principis ſecundum Compoſt. d. num. 5. Hæc tamen non procedunt in literis Papæ contra jus tertii, quia non dicitur conſtare de illius voluntate per quaſcunque derogationes, niſi expreſsè fuerit derogatum regulæ de jure quæſito non toll. ut reſolvit Rota coram Card. Seraphin. deciſ. 1082. num. 6. 7. & 8. Quæ quidem derogatio requiritur in jure quomodolibet quæſito, & cujuſcumque ſit generis. Cæſ. de Graff. deciſ. 1. nu. 4. de verb. ſignif.

Verùm tamen etſi reſcriptum, vel lex auferre poſſit actionem modis prædictis, ut eſt communis opinio ſecundùm 137
Abb. hic num. 3. non tamen poteſt illam ſic auferre quin reddat juſtitiam, quia id eſſet contra jus naturale. Et ita ex mente aliquorum declarant Innoc. hic num. 3. verſ. Sed & tunc, ut quidam dicunt, & Compoſtell. nu. 6. eod. verſ. & tenent Jo. Andr. num. 21. Abb. d. num. 13. & Felin. num. 55. Nam hoc caſu ſit reditus ad primævum jus in quo non 138
erant actiones, ſed manu regia adminiſtrabatur juſtitia, dict. l. 2. & ſic habes caſum, in quo ſine actione formali quis poteſt agere ex ſola obligatione juris. gentium, & ſecundùm Abbat. & Felin. locis citatis, & ſequitur Alex. conſ. 1. Ponderatis, nu. 31. verſ. Non obſtat. lib. 5.

Aut ex hujuſmodi reſcripto, lege, vel ſtatuto jus alteri competens de jure civili non aufertur, ſed differtur, & 139
tunc valent, ut l. Quoties, C. De precib. Imper. offerend. Innoc. d. num. 3. poſt med. verſ. Si vero non auferatur jus, Compoſt. num. 6. eod. verſ. Hoſt. num. 4. verſ. Ubi verò reſcriptum. Jo. Andr. num. 22. Abb. num. 12. & Felin. n. 47. dicentes Principem poſſe inferre modicam læſionem puta dare dilationem debitori, ut non poſſit interim conveniri, d. l. Quoties. Idem tradit Alex. conſ. 216. Non arguendi, n. 15. lib. 2.

Cæterùm indiſtinctè jus merè civile tolli poteſt, ſi is, 140
qui habet Juriſdictionem ſuper eò jure, de hoc facit legem municipalem, ſecundùm Innoc. n. 4. & Jo. Andr. n. 23.

Poſtremò addunt Innoc. d. nu. 4. verſ. Jus autem naturale. 141
Compoſtell. num. 8. Jo. Andr. num. 25. & Felin. num. 26. quod etſi lex civilis non poſſit tollere in totum jus naturale; poteſt tamen illud diſtinguere, & adjuvare, eique addere, vel detrahere, ſicut lex civilis, vel Canonica diſtinguit illud Evangelii. In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, cap. In omni infra de teſtibus, ut non procedat in multis caſibus, in quibus plures requiruntur, ut l. fin. C. De teſtam. l. Hac conſultiſſima, C. Qui teſtam. facer. poſſ. l. Teſtium, C. De teſtib. c. 1. & 2. 2. quæſt. 4. & hoc expreſsè dicit text. in l. Jus civile, ff. De juſt. & Jur. ibi: Cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, (id eſt naturali) ut ibi in gloſ. 1. Idque exemplo juris Prætorii, quod Prætores introduxerunt adjuvandi, vel ſupplendi vel corrigendi juris civilis, gratia ut l. Jus autem, §. fin. ff. eod. & ibi plena gloſ. in verb. Adjuvandi. Et ita Innocen. & ſequaces videntur ſentire non modo jus naturale, id eſt gentium, ſed etiam jus divinum poſſe diſtingui, limitari, & declarari per leges civiles, ut hic per Felin. num. 2. Circa quod Cyn. & Legiſtæ multa dicunt in l. Reſcripta, C. De precib. Imper. offer. & Bald. poſt gloſſ. in l. fin. C. Si contra jus, vel utilitat. publicam. Et alii apud Felin. hic num. 2. & 16, & concludunt Principem poſſe limitare jus divinum in illis articulis, qui reperiuntur ab ipſo jure divino limitati; in aliis ſecus, niſi ſubſit juſta cauſa limitandi, & in dubio præſumi pro lege Principis. Sed Abbas hic numer. 4. limitando dicta Legiſtarum dicit Principem ſæcularem poſſe ſtatuere interpretando jus divinum in rebus profanis, in quibus habet juriſdictionem, & dummodò ſubſit cauſa aperta; ſed in ſpiritualibus interpretationem pertinere ad Papam, ut eſt textus in cap. Per venerabilem, in fin. Qui filii ſint legitimi. Quod pluribus exornat Felin. hic numer. 17. & ſeqq.

Ego verò exiſtimo hæc dicta non procedere per ea, quæ ſcripſi in cap. Cum pridem à num. 76. uſque ad numer. 84. de pact. ubi latiſſimè probavi legem humanam ex quacumque cauſa non poſſe legi Divinæ quidquam detrahere, nec illam modificare, ſeu limitare, aut ſuper ea diſpenſare, ibi plenè videas. Et ad authoritatem illam: In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum. Quæ videtur diſtingui, & limitari per legem Canonicam, in cap. Licet univerſis, infr. de teſtib. & in c. Præſul, 2. qu. 4. Reſponde ut dixi, in c. Cum eſſes, num. 144. & nu. 149. de teſtam.

& in

& in *d. c. Licet univerſis*, *in 2. not.* Diſtinctio autem Cyn. & Legiſtarum eſt ſine ſucco, quia ineptum eſt ut lex civilis limitet jus divinum in illis caſibus, in quibus jus divinum ſeipſum limitat. Jam enim illa non eſt limitatio juris civilis, ſed juris divini. Arg. *cap. Litteris de reſcript. & l. Item eorum*, §. *Si decuriones*, *ff. Quod cujuſque univerſ. nomin.* Ubi verò jus divinum non limitat ſeipſum, lex civilis ex cauſa quantumvis gravi nequaquam poteſt illud limitare. Nam ſi id non poteſt Apoſtolicus, ut dixi in *d.c. Cùm pridem*, *nu.76. & ſeqq.* longè minus id poterit Princeps ſæcularis, *cap. Cum ad verum*, & *c. Si Imperator*, *96. diſt.*

DE CONSTITUTIONIBUS.

Idem Innocentius III.

CAPUT VIII.

CUm acceſſiſſent ad Apoſtolicam ſedem Archid. Tullen. & G. Tullen. capituli procurator: Archid. propoſuit memoratus, quòd cùm olim quidam Tullen. Canonici noſtris auribus intimaſſent, quòd primiceriatus in Tullen. Eccleſia tanto tempore vacaviſſet; quod ad manus noſtras illius perſonatus eſſet donatio devoluta: & infrà. Fuit inſuper ex parte capituli allegatum, quod de communi aſſenſu canonicorum Tullen. fuerit conſtitutum ne primiceriatus dignitas eſſet ulteriùs in Eccleſia memorata: inter Canonicos ipſos primiceriatus proventibus, & poſſeſſionibus diſtributis: & infrà. Propter quod evidenter apparet, quòd primiceriatus ipſe tanto tempore non vacaverit, ſicut nobis fuerat falſa inſinuatione ſuggeſtum, & infrà. Quocirca mandamus quatenus ſi vobis conſtiterit Tullen. Canonicos, ne ulteriùs in Tullenſi Eccleſia primiceriatus eſſet officium, communiter ſtatuiſſe, ac ſtatutum ipſum auctoritate ſedis Apoſtolicæ fuiſſe poſtmodum (ſicut dicitur) confirmatum, vos illud faciatis in ſuo robore permanere: niſi poſteà dicti Canonici contravenerint aliquem videlicet in primicerium eligendo.

S U M M A R I U M.

1 *DIgnitatis collatio devolvitur ad Papam ſi omnes collatores habuerunt ſex menſes ad conferendum, & neglexerunt conferre.*

2 *Papa confert beneficia devoluta poteſtate ſpeciali, non generali tantùm, qua poteſt omnia beneficia conferre.*

Papa duobus modis conferre poteſt beneficia devoluta, ibid. verſ. Porrò.

3 *Dignitas, perſonatus, & officium an differant.*

4 *Nomen dignitatis non ſufficit in reſcripto ex ſtylo curiæ, ſed requiritur nomen proprium, & cognomen.*

5 *Canonici non poſſunt ſupprimere aliquam dignitatem in Eccleſia, & illius redditus ſibi applicare ſine authoritate Papæ.*

6 *Præbendarum tenuitas eſt juſta cauſa ſuppreſſionis dignitatis.*

7 *Epiſcopus cùm conſenſu Capituli poteſt aliquot præbendas ſupprimere, & earum fructus reliquarum præbendarum diſtributionibus ſi ſint tenues applicare ex Concilio Trid.*

8 *Non tamen ex Concilio poteſt ſupprimere dignitatem.*

9 *Collatio beneficii dicitur donatio.*

10 *Qualitas non poteſt eſſe ſine ſuo ſubiecto.*

11 *Beneficium non vacat per obitum beneficiati, in tribus caſibus, id eſt ſi ſit ſuppreſſum, ſi præbendæ non ſint diſtinctæ, & ſi ſit de menſa.*

Littera ad beneficium vacaturum, non extenduntur ad beneficium de menſa, ibid. verſ. Tertius eſt.

12 *Statuentes poſſunt recedere à ſtatuto edito contra jus, non obſtante confirmatione Apoſtolica.*

Declaratur, n. 19.

13 *Capitulum generale an poſſit recedere à conſtitutionibus per Sedem Apoſtolicam confirmatis præſcribentibus tempus faciendi decreta circa electionem Generalis in ſede vacante, & n. ſeq. uſque in fin.*

14 *Actus contra prohibitionem legis eſt ipſo jure nullus, quamvis lex non procedat ulterius irritando actum.*

15 *Niſi eadem, vel alia lex declaret actum valere, & num. 38.*

16 *Geſta contra conſtitutiones Ordinis confirmatas cum decreto irritanti non valent.*

Declaratur, n. 21. & 17.

17 *Conſtitutio Capituli generalis confirmata à Sede Apoſtolica cum clauſula decreti à ſtatuentibus revocari non poteſt, etiam quatenus concernit eorum favorem.*

Contrarium, n. 21.

18 *Clauſula decreti quando apponitur videtur, data forma, cui renunciari non poteſt.*

Declaratur, n. 22.

19 *Statutum poteſt à ſtatuentibus revocari quatenus concernit eorum favorem non obſtante confirmatione Superioris.*

20 *Et cenſentur revocaſſe per unicum actum capitulariter geſtum contra ſtatutum, aut ſaltem ſuſpendiſſe pro illa vice.*

21 *Statutum poteſt revocari à ſtatuentibus quatenus concernit eorum favorem, etiamſi fuerit confirmatum cum decreto irritanti.*

22 *Formæ renunciari poteſt, quando privatam reſpicit utilitatem.*

23 *Præceptum reſpiciens utilitatem ejus cui præcipitur, conſilium dicitur.*

24 *Prohibitio legis concernens principaliter favorem ejus cui fit, habet vim exhortationis, & n. 38.*

25 *Privilegio ſicut poteſt renunciari, ita & decreto irritanti tamquam acceſſorio.*

26 *Decretum appoſitum in regreſſu, vel alia gratia non habet effectum niſi volente eo, in cujus favorem eſt appoſitum.*

27 *Decretum irritans in confirmatione conſtitutionum quarum aliqua habent clauſulam annullativam actus contrarii, & aliæ non, minime inducit nullitatem quoad omnia uſque ad n. 34.*

28 *Confirmatio Pii IV. cum clauſula decreti non operatur, ut omnia geſta contra Concilium Tridentin. ſint nulla.*

Matrimonia contracta non præmiſſis denuntiationibus valida ſunt.

30 *Concilium Tridentinum ubi voluit imponere pœnam nullitatis actus, id diſertis verbis expreſſit.*

31 *Profeſſio non eſt irrita ex eo, quod facta fuerit à puella ante explorationem voluntatis.*

32 *Electio Provincialis facta non prævio juramento de eligendo digniorem contra Conſtitutiones Ordinis confirmatas cum decreto irritanti, non eſt nulla.*

33 *Decretum irritans apponitur ad finem removendi obſtacula impedientia executionem actus ſuper quo decernitur.*

34 *Cauſa finali conſtitutionis ceſſante, ceſſat ipſa conſtitutio.*

35 *De-*

35 *Decretum irritans non impedit manutentionem dum diſcutitur an principalis diſpoſitio locum habeat, nec ne.*

36 *Verba futuri temporis non imperativè prolata non ſunt diſpoſitiva.*

37 *Actus contra legis præſcriptum factus ab eo qui prius jurisdictionem non habebat; eſt nullus, ſecus ſi habebat.*

38 *Intellectus* c. Ad Apoſtolicam, de Regul.

39 *Actus contra legem non habentem perpetuam cauſam prohibitionis non eſt irritus.*

40 *Actus contra ſtatuti prohibitionem ſi fiat ab ipſiſmet ſtatuentibus valet.*

C*Um acceſſiſſent*. Dignitas ſublata de Eccleſia per ſtatutum Capituli à Papa confirmatum ulterius non cenſetur vacare, niſi poſtea per contrarium actum ſtatutum illud fuerit revocatum. Hoc dicit. Dividitur in tres partes ſecundùm Hoſt. & Jo. Andr. In prima ponitur allegatio pro Primicerio. In ſecunda allegatio contra eum pro Capitulo. In tertia diffinitivæ commiſſio. Secunda ibi, *Fuit inſuper*. Tertia ibi, *Quocirca*.

1 Nota primò ibi, *tanto tempore vacaviſſet*, *&c.* dignitatem poſſe tamdiù vacare, ut ejus collatio ad Sedem Apoſtolicam devolvatur. Quod contingit quando ſuperiores omnes ordinarii collatoris unà cum ipſo collatore habuerunt ſex menſes ad conferendum; & neglexerunt con-

2 ferre. Ultimò enim collatio devolvitur ad Papam juxta terminos decreti Lateranen. Concilii, de quo in *c. 2. infra*, *de conceſſ. præben.* Et tunc Papa confert ex poteſtate propria, & ſpeciali, non ex generali tantum, qua poteſt omnia beneficia conferre, *c. 2. de præben. in 6.* & Clem. 1. *in fin. ut lite pend.* & tradit Sarnen. *in proœm. regul. Cancell. q. 2. num. 7. verſ. Conſiderata perſona ipſius Papæ*, & plenius in *regul. de jur. quæſ. non tollen. q. 1. num. 7.* Quintil. Mandoſ. in *reg. 2. q. 2. num. 2.* Porrò beneficia devoluta duobus modis Papa conferre poteſt. Primò poſteaquam ad eum ſunt devoluta omnibus inferioribus in ſtatutis temporibus ad conferendum negligentibus. Deinde quando beneficia ſunt tantùm devoluta ad aliquem ſuperiorem ordinarii collatoris, utpotè ſi ob negligentiam Abbatis, vel Capituli devoluta ſit collatio ad Epiſcopum, vel ob negligentiam Epiſcopi ad Metropolitanum, ad præſcriptum *d. c. 2. de præb. in 6.* Papa enim concurrere poteſt cum Epiſcopo, vel Metropolitano; atque ita ſemper conferre poteſt vel ratione devolutionis ad ipſum, vel ratione concurſus, ut declarat Rebuff. *ſuper concord. in tit. De collat. §. Si quis vero*, *in ver. Devolutio*, & Mandoſ. *in reg. de Ann. q. ult. n. 6.*

3 Secundò nota dignitatem, perſonatum, & officium eſſe ſynonyma, ſeu idem importantia; nam in hac decretali Primiceriatus quandoque appellatur dignitas, quandoque perſonatus, & quandoque officium. Quod tamen verum eſt largè ſumpto vocabulo; ſed in ſtrictiori ſignificatione differunt, ut plenè notat Joan. Andr. poſt Archid. in *cap. 1. de conſuet. lib. 6.* & in *cap. De multa infr. de præbend.* Butr. *hic numer. 4.* Imol. *numer. 1.* & Abb. *in princ.* & ſcripſi in *cap. Ad hæc infra*, *de præb.* ubi plenè videas.

4 Tertiò nota ibi, *Archidiaconus Tullenſis*, ad certitudinem perſonæ ſufficere in reſcripto exprimere nomen dignitatis, quod tamen hodie non ſervatur, quia ex ſtylo Curiæ apponitur nomen integrum, & cognomen ad evitandam æquivocationis fallaciam: ut dicunt hìc Hoſtienſ. Jo. Andr. Butr. Card. & Imol. & notat in *c. fin. infr. de reſcrip.* Nam & in legibus crimen falſi committitur, ſi nomina prudentum per ſpecialia ſigna, non per conſequentiam litterarum exprimantur, *l. 1. circa fin. §. Ne autem per ſcripturam*, *C. De veter. jur. enucl.*

5 Quartò nota ibi, *ac ſtatutum ipſum authoritate Sedis Apoſtolicæ fuiſſe poſtmodum confirmatum*, Canonicos non poſſe ſupprimere in Eccleſia aliquam dignitatem, & illius redditus ſibi applicare ſine Papæ authoritate: hinc enim fundatur validitas ſtatuti in confirmatione Apoſtolica. Unde ſine illa ſtatutum non valet, etiam ſi fiat de Epiſcopi conſenſu, ut poſt multa concludit hìc gloſſ. in *ver. confirmatum.* Card. *n. 1.* & alii communiter.

6 Quintò nota ibi, *inter Canonicos ipſos Primiceriatus proventibus*, *& poſſeſſionibus diſtributis*; legitimam cauſam eſſe ſupprimendi aliquam dignitatem in Eccleſia, ut redditus convertantur in utilitatem Canonicorum, quibus proprii redditus non ſufficiunt, ut hìc per Abb. *in 4. notab.* Cauſa tamen hujuſmodi non eſſet ſufficiens ad dignitatem ſupprimendam, niſi etiam concurreret authoritas Sedis Apoſtolicæ, ut dictum eſt in præced. notab. licet ſecus ſit in ſuppreſſione Canonicatus, ut eſt caſus in *cap. Ex parte*, ibi, *Licèt redditus non ſint diminuti*, *infr. eod:*

Porrò in *c. 15. ſeſſ. 24.* Concil. Trid. ſtatutum eſt ut in 7
cathedralibus, & collegiatis inſignibus, ubi frequentes, adeòque tenues ſunt præbendæ, ſimul cum diſtributionibus quotidianis, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui non ſufficiant, liceat Epiſcopis cum conſenſu Capituli vel aliquot ſimplicia beneficia, non tamen regularia iis unire, vel ſi hac ratione provideri non poſſit, aliquibus ex iis ſuppreſſis eas ad pauciorem numerum reducere, & illarum fructus, & proventus reliquarum præbendarum diſtributionibus applicare. Verùm circa hoc decretum cùm Capitulum, & Canonici Eccleſiæ Elnen. qui obtinuerunt ab Ordinario uniri Præcentoriam ejuſdem Eccleſiæ, quæ inibi dignitas exiſtit eidem Capitulo ob præbendarum tenuitatem, dubitaſſent an ea valida eſſet, ex *d. c. 15.* Sac. Congregatio Concilii cenſuit vigore *c. 15. ſeſſ. 24.* non potuiſſe uniri dignitatem. Quamobrem 8
cùm caſus ſuppreſſionis dignitatis ſit omiſſus à Concilio, ſalva manet juris communis prohibitio: nam quod non mutatur, cur ſtare prohibetur? *l. Sancimus. C. De teſtam. l. Præcipimus*, *in fin. C. De appellat.* Hoſtien. in *c. Ad Apoſtolicam*, *num. 2. de regul.* An autem Capitulum poſſit numerum Canonicorum augere, dixi in *c. Dilecto, inf. de præb.*

Sextò nota ibi, *perſonatus eſſet donatio devoluta*: Col- 9
lationem beneficii dici donationem, ut hìc, & in *c. Poſtulaſtis*, *infrà*, *de conceſſ. præb.* eſt enim quædam liberalitas, *c. Relatum*, *inf. de præb. c. fin. de off. Vicar. lib. 6.* quod eſt verum reſpectu ejus, cui confertur: non enim tenetur collator magis ei, quam alteri conferre. Unde illi conferendo gratiam facit; ſed non dicitur liberaliter in dando ſimpliciter, quia abſolutè tenetur conferre, ut infrà. *Ut eccleſ. benef. in rubro & nigro.* Et in neceſſitatibus non eſt liberalitas, *l. Rem legatam*, *ff. De adimen. legat.* & declarat gloſ. in *d. c. Relatum*, *in ver. Liberalitas*, Cardin. Imol. & Abb. *hic.*

Septimò nota caſum, in quo per mortem beneficiati non vacat beneficium, quando ſcilicet beneficium eſt ſuppreſſum ut hìc. Alius caſus eſt in Eccleſia nòn numerata, vel ubi præbendæ non ſunt diſtinctæ, *c. Dilecto*, *de præb.* & *c. Ex parte*, *de conceſſ. præb.* Tertius quando beneficium eſt de menſa, gloſ. in *Clem. 1. in ver. Non vacet*, *de exceſſ. Prælat.* conſolidatur enim menſæ mortuo clerico ad inſtar uſusfructus, *c. Cum conſtet*, *de pignor.* Unde Imol. in *cap. Abbatem*, *in 2. col. infr. de reſcript.* relatus hìc à Felin *n. 2.* tenet contra Jo. Andr. & Autr. Litteras ſuper beneficio vacaturo non extendi ad beneficia de menſa. Et hos tres caſus recenſent hìc Butr. *n. 8.* Card. *num. 2.* Anchar. *in princ.* Imol. *n. 3.* & Felin. *eod. n.*

Octavò nota ibi, *Primiceriatus ipſe tanto tempore non* 10
vacaverit, extincta dignitate eſſe impoſſibilem illius vacationem, quia non entis nullæ ſunt qualitates, *l. Divus*, *ff. De milit. teſtam. lib. 2. ff. De uſufruct. ear. rer.* Oldrad. *conſ. 203. Factum tale eſt*, *verſ. Ad ſecundam quæſtionem.* Et ubi deficit ſubjectum, deficit prædicatum, quia impoſſibile eſt prædicari de non ente, ut dicit Angel. *conſil. 390. Chariſſime frater*, *num. 1.* Nec accidentia eſſe poſſunt ſine ſubjecto, *c. Baptizari*, *in fin. 5. diſt. l. 1. C. De condit. ob turp. cau. l. Ejus qui in Provincia*, *ad fin. ff. Si cert. petat.* Bald. in *l. Omnium*, *col. 2. verſ. Nam impoſſibile eſt intelligere accidentia*, *C. De teſtamen.* Roman. *conſ. 91. Viſis*, *num. 8.* Plura ſimilia congerit Philipp. Prob. ad Joan. Monach. *in cap. 1. numer. 35. & ſeqq. de confeſſ. lib. 6.*

Ultimò nota in verſ. *Niſi poſtea dicti Canonici contravenerint*, Canonicos quamvis non poſſint contra jus ſtatuere, tamen poſſe tollere ſtatutum contra jus ab ipſis editum, etiam authoritate Apoſtolica confirmatum, nam hìc Canonici ſtatuerunt, ut dignitas Primiceriatus non eſſet ampliùs in Eccleſia, quod eſt contra jus, ut dictum eſt ſupra *in 4. notab.* & ſtatutum fuerat à Papa confirmatum.

tum. Et tamen ſi contraveniant facto ipſo aliquem in Primicerium eligendo, dignitas extincta reviviſcit. Et ita hanc concluſionem firmat Bart. in *l. Omnes populi*, 13. *col. verſ. Juxta prædicta quæro*, *ff. De juſt. & jur.* & alii hic copioſè relati à Felin *num.* 3. Verum hoc impugnat Dec. *hic num.* 18. Si confirmatio fuit neceſſaria; quia tunc ſtatutum dicitur abſolutè ſuperioris quod ab inferiore tolli non poteſt ex defectu poteſtatis, ut hic per eum. Sed in
12 contrarium ſtat littera hujus Decretalis. Nam hic ſtatutum de ſuppreſſione dignitatis fuit editum contra jus, & ſic confirmatio Apoſtolica fuit neceſſaria, & tamen Canonici poſſunt contravenire. Abb. ſic diſtinguit, conciliando opiniones *num.* 2. Aut ſtatutum concernit principaliter favorem ſtatuentium, & procedit opinio Bartoli. Aut concernit favorem aliorum, vel bonum publicum; & tunc procedit opinio contraria, & ſequitur Felin. *num.* 4. *verſ. Prima declaratio*. Sed tu adverte, quia etſi DD. videantur hìc fundare validitatem revocationis ſtatuti confirmati in eo, quòd per illam fiat reditus ad jus commune; tamen ſtante ſupradicta diſtinctione Abbatis, non eſt jus in hoc. Nam ſi ſtatutum editum fuerit ob favorem aliorum, vel ob publicam cauſam, revocari non poterit à ſtatuentibus, licèt per revocationem fiat reditus ad jus commune, imò hoc procedit, etiamſi ſtatutum non fuerit confirmatum per ſuperiorem ſecundùm Innocentium communiter receptum in *c. Cum olim*, *il* 2. *num.* 7. *verſ. Imo plus dicimus*, alias eſt in *c. Accedentibus*, *de privil.* Exemplum in decreto edito per Capitulum generale ex cauſa publicæ quietis, ut Generalis Ordinis eligi non poſſit de eadem natione, de qua fuit immediatus prædeceſſor. Quamquam enim per revocationem hujus decreti fiat reditus ad jus commune, ſecundùm quod electio generalis tam activa, quàm paſſiva liberè ſpectat ad univerſam Congregationem, ut decidit Rota *deciſ.* 65. *num.* 5. *part.* 1. *in recent.* tamen durante cauſa illa quietis publicæ, decretum ab eodem Capitulo generali revocari non poteſt, ut ſcripſi in eadem decretali, *Cùm dilectus*, *à*
13 *num.* 9. *uſque in fin.* Sin autem ſtatutum concernat tantummodò favorem ipſorummet ſtatuentium, poterit ab ipſis revocari, licèt per revocationem non fiat reditus ad jus commune, non obſtante confirmatione Apoſtolica etiam facta cum decreto irritanti, ut plenè dicam in quæſtione ſeq. præſertim n. 19. & 21.

Poſita conſtitutione Congregationis Somaſchæ cum reliquis conſtitutionibus ejuſdem Congregationis ex certa ſcientia, & cum decreto irritanti per Sedem Apoſtolicam confirmata tenoris infraſcripti, videlicet: Priuſquam ad Præpoſitum Generalem eligendum deveniant Patres Electores, ſi quid ſtatuendum erit, ad ipſius, vel majorum officialium perſonas, jura, modum procedendi, & ad electionem attinens, hic erit locus.

Item, poſito decreto post electionem Præpoſiti Generalis in Capitulo generali propoſito, & ſuffragiis Patrum obtento, quo determinatum eſt pro publica quiete, ut poſteaquam Præpoſiti Generales Congregationis ſui triennalis regiminis tempus expleverint, ſucceſſor immediatè eligi non poſſit ex eadem natione, ſeu ſtatu, ſed ex alio.

QUÆRITUR, An decretum ut præfertur editum ſit validum, & in proximo Generali capitulo obſervandum, nec ne?

Ex duplici capite videtur hoc decretum poſſe impugnari. Primum ex eo, quod propoſitum & obtentum fuerit ante electionem Præpoſiti Generalis contra præſcriptum dictæ conſtitutionis. Secundum ex eo, quòd reſtringat libertatem electionis contra diſpoſitionem ſacrorum Canonum.

14 Quoad primum caput contra validitatem Decreti facit, primo, quod actus geſtus contra prohibitionem legis eſt ipſo jure nullus, licet lex ulterius non procedat irritando actum, *l. Non dubium*, ubi id not. Bart. Bald. & Legiſtæ, *C. De legib. c. Ne nimia*, *de relig. domib. c. un. in princ. cod. tit. lib.* 6. *c. Quæ contra jus*, *de regul. jur. eod. lib.* gloſ. in *c. vides*, *in ver. Diſſolvi*, 10. *diſt.* Canoniſtæ in *c. Ad Apoſtolicam*, *infra*, *de regul.* Sufficit enim legiſlatorem tantum prohibuiſſe ad hoc, ut ea quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta non ſolùm inutilia, ſed pro infectis habeantur, ut legitur in *d. l. Non dubium*, *quæ eſt canonizata*, *in c. Imperiali*, 25. *q.* 2.

Neque obſtat text. in *d. c. Ad Apoſtolicam*, ubi valet 15
profeſſio facta infra annum in Ordinibus non Mendicantium contra legis prohibitionem; Siquidem hoc procedit ibi, *quia Decretalis procedit ulterius*, *declarando actum valere*. Secus autem eſt, ſi canon ſimpliciter prohibeat, quia tunc ex vi ſolius prohibitionis actus redditur nullus. Et ita ad illum textum, & ad *c. Nos novimus*, 17. *quæſt.* 2. & *c. Si vir*, 27. *diſt.* poſt Goffred. reſpondent ibi Jo. Andr. *n.* 3. Cardin. *n.* 8. *verſ. Septimò oppono*, & Henric. *circa med. verſ. Si per eo*. Et cum hoc intellectu tranſeunt ibi communiter DD. ut Abbas teſtatur *n.* 11.

Ergo cùm decretum, de quo agitur, propoſitum fuerit à Capitulo Generali, & Patrum ſuffragiis firmatum poſt electionem Generalis contra præſcriptum conſtitutionis initio propoſitæ videtur ipſo jure nullum, licèt conſtitutio ulteriùs non procedat ad irritationem actus.

Deinde quatenus conſtitutio ex vi ſolius prohibitionis 16
non importaret nullitatem actus; tamen cùm poſteà fuerit confirmata unà cum cæteris conſtitutionibus Congregationis a Sede Apoſtolica cum inſertione tenoris, & cum clauſula decreti irritantis, actus in contrarium geſtus non tenet, *cap. Si ſoli*, *verſ. Niſi nos in gratia tibi facta decreviſſemus*, *irritum*, *& inane*, *de conceſſ. præb. lib.* 6. *cum concord.*

Quod adeò verum eſt, ut conſtitutio propter clauſu- 17
lam decreti in confirmatione appoſitam à ſtatuentibus revocari non poſſit, etiam quatenus concernit favorem ſtatuentium, text. eſt notab. in *c. Dilecto*, *de præb.* in illis verbis: *Niſi forte ſtatutum aliquod obviaret*, *cui Sedis Apoſtolicæ confirmatio acceſſiſſet*, *hujuſmodi clauſula prohibitionis adjecta*, *ut ſi quidquam contra id fieret*, *non valeret*. Et ibi notat gloſ. *in ver. Hujuſmodi clauſula*, dicens verius eſſet, ut non obſtet ſtatuentibus confirmatio Papæ, cùm eorum favore facta ſit, quin poſſint contravenire ſi velint, niſi clauſula hujuſmodi ſit appoſita, *decernimus irritum*, *& inane*. Sequitur ibi Abb. *col.* 3. *n.* 14. *verſ. Nota gloſſam*, juncto text. in *l. Jus publicum in fin. ff. De pact.*

Quod eadem habet rationem, quia quando clauſula 18
decreti apponitur, videtur data forma, ſecundùm Bald. in *l.* 1. *nu.* 2. *ff. De liber. & poſth.* Formæ autem renunciari non poteſt, ut notat Bart. in *l. De his*, *de tranſact.* Albert. Brun. in *tract. de forma*, *fol.* 33. *col.* 1. Et propterea ubi tale decretum apponitur, conſenſus partium nihil operatur, ut per gloſ. in *c. Statutum*, *in princ. in ver. Committatur*, *de reſcr. in* 6.

Verùm his non obſtantibus, verius videtur ſupraſcri- 19
ptum decretum ex hoc capite propoſitionis poſt electionem Præpoſiti Generalis infirmari non poſſe: nam cum conſtitutio capituli præſcribens locum, ſeu tempus propoſitionibus faciendis in ſede vacante, edita fuerit in favorem vocalium, ne ſcilicet authoritas Generalis electi impedimento eſſet illorum libertati, licuit eiſdem vocalibus capitulariter ab ea reſilire, non obſtante confirmatione Apoſtolica. Nam regula eſt, quod ſtatuentes recedere poſſunt à ſtatuto confirmata per Superiorem abſque alia licentia Superioris, qui confirmavit, quatenus ſtatutum concernit eorum fevorem. Textus eſt in *l. Omnium*, *C. De teſtam.* ubi teſtamentum confirmatum à Principe revocari poteſt. Et in terminis ſtatuti capitularis caſus eſt hìc, per quem text. ita tenet gloſſ. in *d. c. Dilecto*, *in ver. Hujuſmodi clauſula*, *de præb.* Abb. *num.* 10. *verſ. Et ex contrario*, Bart. in *l. Omnes populi*, *col.* 13. *verſ. Juxta prædicta quæro*, *ff. De juſt. & jur.*

Ratio eſt, quia licet ſtatuentibus favori ſuo renunciare, *c. Ad Apoſtolicam*, *de Regular.* gloſſ. in *Clem.* 1. *in verſ. inhibentes*, *verſ. Item cum hæc principaliter*, *de Jurepatr.* Nec 20
requiritur ut expreſsè renunciaverint; imò per unicum actum capitulariter geſtum contra conſtitutionem, cenſetur illam ſuſtuliſſe, ut probat hæc littera in *fin. in ver. Contravenerint*, & fuit opinio Tancredi, quam gloſſa hìc dicit eſſe veriorem; & ſequitur Oldrad. *conſ.* 259. *Impugnatur electio*, *col.* 1. *nu.* 1. *verſ. Secundo*, *quia illud ſtatutum*. Aut ſaltem pro illa vice cenſentur conſtitutioni renunciaſſe, aut illam ſuſpendiſſe, ſecundùm opinionem Deci. *hic num.* 26. *verſ. Ultimò nota*.

Hæc autem regula quod ſtatuentes poſſint ad ſui præ- 21
judi-

judicium recedere à ſtatuto confirmato, procedit etiamſi in confirmatione adſit clauſula decreti irritantis, quod probatur.

22 Primò, quia etſi talis clauſula videatur formam, ſeu præceptum continere; nihilominus etiam formæ renunciari poteſt quando privatam reſpicit utilitatem, *c. fin.* §. *His autem*, ubi Abb. in 2. *not. de offic. deleg.* & notat Bart. in *l. Filio præterito*, *ff. De injuſt. rupt.* & ſufficit tacita re-
23 nunciatio ſecundùm Abb. ubi ſuprà, ac ſimiliter præceptum, quod reſpicit utilitatem ejus cui præcipitur, in effectu conſilium dicitur, *l. Cum Pater*, §. *Mando*, ubi gloſ. *in ver. conſilii*, *ff. De leg.* 2. & *l.* 2. §. *fin. ff. Mand.* Dec. *hic num.* 22. Quemadmodum & prohibitio legis concernens principaliter favorem ejus, cui fit, habet vim exhortationis *c. Denique*, §. *Hæc etſi legibus*, 4. *diſt.* per quem textum ita ſcripſit Abb. in *c. Ad Apoſtolicam*, *n.* 11. *verſ.* 2. *Solve de regul.*

24 Neque obſtat text. in *d. cap. Dilecto*, *de præb.* quia ibi agitur de favore Eccleſiæ, & non ſimpliciter de favore ſtatuentium. Unde non mirum ſi ſtatutum revocari non poſſit, ut benè obſervat Dec. *hic num.* 24. adjiciens eodem modo procedere gloſſ. in *d. c. Statutum*, quia ibi agitur de favore mixto, cui meritò renunciari non poteſt, ut notant DD. ibi poſt Jo: de Imol. Secus quando ſolum tractatur de favore ſtatuentium, ut ex prædictis patet.

25 Unde hanc ſententiam tuetur hic Dec. *nu.* 22. & eam dicit magis juridicam Rota apud Card. Creſcen. *deciſ.* 79. *aliàs* 3. *ſub tit. De privil.* & *deciſ.* 1. *ſub tit. De præter.* quæ incipit: *Eſt privilegium*. Quia ſicut privilegio quis poteſt renunciare, ita & decreto irritanti tamquam acceſſorio, Aretin. in *l. Duobus*, §. *Etiam col.* 2. *verſ. Bald. tamen*, *de vulg. & pupil.* Expreſſiùs Cardin. *in Clem.* 1. *num.* 18. *qu. de elect.* Eamdem opinionem tenet Caſſad. *deciſ.* 2. *de decret.*
26 & Sarnen. *in reg. de trienn. q.* 49. *num.* 11. ubi ait; decretum appoſitum in regreſſu, vel alia quacumque gratia non habere effectum niſi volente eo, in cujus favorem eſt appoſitum per text. in *c.* 1. *De conceſſ. præb. in* 6. *cum concord.*

27 Secundò principaliter quando actus confirmatus alicubi habet clauſulam annullativam actus contrarii, & alicubi non, ut in caſu noſtro in quo conſtitutio, de qua agitur, non habet prædictam clauſulam, ſicuti habent plures aliæ conſtitutiones hujus Congregationis, tunc decretum irritans appoſitum in confirmatione non inducit nullitatem quoad omnia, ſed regulatur, & modificatur ſecundùm naturam actus confirmati, *c. Quia cunctis*, *de conceſſ. præb. lib.* 6. Gemin. *conſ.* 143. *Ex narratis*, *nu.* 1. *verſ. Decretum enim*. Put. *deciſ.* 1. *nu.* 3. *lib.* 1. Cardin. Seraphin. *deciſ.* 341. *num.* 4. poſt Caſſad. & Sarnen. *loc. cit.*
28 Quod clarè oſtenditur exemplo Bullæ confirmationis Concilii Tridentini à Pio IV. editæ, quæ incipit, *Benedictus Deus:* in ea enim appoſitum eſt decretum irritans, & tamen certiſſimum eſt hoc decretum non importare nullitatem omnium, & ſingulorum, quæ fiant contra diſpoſitionem Concilii, alioquin ſequerentur plurima ab-
29 ſurda. Et in ſpecie matrimonia contracta non præmiſſis denuntiationibus nulla eſſent, cum id prohibeatur fieri in *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* Item profeſſiones emiſſæ à puellis ante explorationem voluntatis eſſent invalidæ, cùm ante hujuſmodi explorationem emitti pro-
30 hibeantur in *cap.* 17. *ſeſſ.* 25. *de regul.* Et tamen contrarium, in utroque caſu ſæpiùs declaravit S. Congregat. Quandoquidem Concilium ubi voluit imponere pœnam nullitatis actus, id diſertis verbis expreſſit, ut fecit in matrimoniis clandeſtinis in *d. c.* 1. & in profeſſione emiſſa infra annum probationis, aut ante annum ætatis 16. in *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *De regul.* Item in electionibus Regularium, quæ non fiunt per vota ſecreta in *c.* 6. *ejuſdem ſeſſionis*, & ſæpè alibi. Unde ubi hanc pœnam nullitatis non appoſuit, cenſetur noluiſſe actum eſſe irritum *cap.* 2. *verſ. Unde ſi circa tranſlationem*, *de tranſl. Epiſc.* Oldrad. *conſ.* 266. *Quod autem*, *num.* 10. & conſequenter decretum irritans in confirmatione Bullæ Pii IV. appoſitum non debet hanc nullitatem indiſtinctè inducere, ſed potiùs regulari ſecundùm naturam actus confirmati. Alioquin non confirmaret, ſed potiùs inverteret verba, & mentem Concilii.

31 Et ponderandum eſt in præſentia dictum *cap.* 17. *ſeſſ.* 25. *De regul.* præſcribens tempus profeſſionibus emittendis poſt explorationem voluntatis fuiſſe editum in favorem libertatis Virginum Deo dicandarum, ut ibi dicitur in princ. Quemadmodum, & præſens Conſtitutio præſcribens tempus propoſitionibus faciendis ante electionem Generalis, edita fuit in favorem libertatis electorum. Ergo ſicut profeſſio emiſſa contra diſpoſitionem Concilii eo caſu ex ſententia S. Congregationis non redditur irrita in vim decreti irritantis poſiti in Bulla Confirmationis Concilii: ita nec propoſitio decreti de quo agitur, facta contra antedictam Conſtitutionem debet reddi irrita ex decreto irritanti appoſito in literis confirmationis conſtitutionum hujus Congregationis.

Et ex prædicta conſideratione Bullæ Pii IV. cum nuper 32
dubitatum eſſet in S. Congregatione Regularium de validitate electionis Provincialis Mediolanen. ordinis Minorum Conventualium celebratæ, non prævio juramento de eligendo digniore contra prohibitionem conſtitutionis Ordinis; & opponeretur quod eſſet nulla propter decretum irritans appoſitum in Bulla confirmationis conſtitutionum ejuſdem ordinis. S. Congregatio hoc non obſtante reſolvit pro validitate electionis, cum conſtitutio illa de juramento præſtando non haberet in ſpecie clauſulam annullativam actus contrarii.

Et confirmatur, quia etiam in conſtitutionibus hujus Congregationis plurima reperiuntur præcepta, & ordinationes, ex quorum tranſgreſſione valdè abſurdum eſſet, ut electiones eſſent invalidæ. Nam pag. 22. mandatur ut Cancellarius ante ſingulorum officialium electionem ea legat, quæ in conſtitutionibus de ipſis atque ipſorum officiis decreta ſunt, item pag. 27. ſtatuitur, ut dum calculi extrahuntur, à ſolis ſcrutatoribus videantur, non ab aliis electoribus. Et pag. 30. præſcribitur forma juramenti à capitularibus præſtandi ante electionem Præpoſiti Generalis, & tamen nemo aſſereret ex omiſſione alicujus ex prædictis ſolemnitatibus vitiari electionem propter clauſulam decreti appoſitam in confirmatione conſtitutionum. Et in omiſſione juramenti hoc jam declaravit S. Congregatio Regularium, ut ſupra proximè dictum eſt. Similiter pag. 22. cavetur ut quinque, aut ſex pagellæ electoribus diſtribuantur. Item ut præſes propriam ſchedulam duobus digitis ſublatam in urnam immittat. Quid ergo ſi ſeptem, aut octo pagellæ diſtribuantur electoribus; Quid ſi præſes ſchedulam ſublevet tribus digitis? numquid propterea irritabitur electio? Patet igitur ex prædictis, & aliis, quæ in conſtitutionibus habentur, decretum irritans non poſſe referri ad ſingulas conſtitutiones abſque eo, quod mille abſurditates ſequantur. Unde ge- 33
neraliter dicendum eſt decretum irritans, ſiquidem adjiciatur alicui particulari ordinationi, vel prohibitioni tunc indiſtinctè importare nullitatem actus in contrarium attentati juxta textum in *cap. Quia propter de elect.* & in *c. Si cui*, *eod. tit. lib.* 6. Si verò apponatur in clauſulis executivis, ut fieri ſolet ex ſtylo, tunc referri debet ad judices, ut verba ipſa ſonant: apponitur enim ad finem removendi obſtacula impedientia executionem actus, ſuper quod decernitur, *cap. Si eo tempore*, *de elect. lib.* 6. & notat Gemin. *conſ.* 143. *Ex narratis*, *n.* 1. & ex eo tollitur juriſdictio aliter judicandi, ex notatis per Card. in *c. Quia diligentia*, *in* 3. *q. de elect.* Seraph. *dec.* 351. *n.* 1. Rota *dec.* 174. *n.* 13. *p.* 7. *rec.*

Tertiò, & ultimò, quòd ſpectat ad præſentem quæſtionem obſervandum eſt, conſtitutionem Congregationis initio propoſitam, idcircò præſcripſiſſe tempus propoſitionibus faciendis circa perſonas, jura, & electionem Præpoſiti Generalis, vel majorum officialium ante ipſorum electionem, ne iidem poſteà electi quoquomodo læderent, aut imminuerent libertatem capitularium. Hæc autem libertas non eſt conſideranda reſpectu ſuffragiorum, quia cùm ſuffragia ferantur per calculos; ratio ipſa ſecreti ſatis tuetur libertatem capitularium adverſus authoritatem ſuperiorum, ut notat in *d. cap. Quia propter*, *de elect.* & patet ex decreto *cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *De Regul.* Concil. Trid. Sed conſiderari debet reſpectu propoſitionum in capitulo; quia Generalis electus, ſi aliquis articulus ſibi diſpliceret, facilè impedire poſſet, ne à vocalibus proponeretur. At hæc ratio omninò ceſſavit in decreto, de quo agitur; quia omnes, & ſinguli capitulares ſede vacante ante electiones jurejurando ſe obſtrinxerunt non impedire, quominus decretum hoc proponerentur in capitulo, caſu quo aliquis eorum in Generalem eligeretur: ergo 34
cum

cum beneficio juramenti ſatis conſultum fuerit libertati electorum, ut effectus ipſe comprobavit, quia decretum fuit propoſitum, & obtentum poſt electionem Præpoſiti Generalis abſque ullo ejus impedimento: utique ceſſante cauſa finali conſtitutionis ceſſavit conſtitutio, *cap. Etſi Chriſtus*, & ibi gloſſ. in *verſ. Ceſſante*, *de jurejur.*

35 Et ad ſummum remanet ſaltem dubium, an diſpoſitio ejuſdem conſtitutionis afficiat ſupradictum decretum. At quando eſt dubium an aliqua conſtitutio vindicent ſibi locum in certo caſu, necne, tunc clauſula decreti irritantis non impedit, quin pendente articuli examinatione, res conſervari debeat in eo ſtatu, in quo reperitur. Ita Seraph. *deciſ.* 1471. *num.* 5. Nam decretum irritans eſt acceſſorium ad conſtitutionem, in qua eſt appoſitum, & ideò dum diſcutitur, an conſtitutio intret, decretum nihil operatur Gemin. & Franc. in *cap. Prætenti, in princ. n.* 2. *de offic. legat. lib.* 6. Gabriel in *tit. De clauſulis*, *concl.* 3. *num.* 85. Rot. *in Recent. deciſ.* 523. *nu.* 3. *part.* 3. Et conſequenter eſto res dubia ſit, quod negatur; tamen decretum irritans non debet impedire, quin vocales illius nationis, de qua fuit Generalis, remaneant in proximo capitulo in eo ſtatu excluſionis ab electione paſſiva, in quo non reperiuntur, ex vi ſuprafcripti decreti capitularis.

Nec prædictis obſtant adducta in contrarium: ad primum enim quod actus factus contra prohibitionem legis ſit ipſo jure nullus.

36 Reſpondetur primò, conſtitutionem Congregationis hoc caſu non prohibere, ne propoſitiones fiant poſt electionem Generalis, imò nec præcipere, ut an fiant antea: nullum enim verbum ibi legitur, quod prohibitionem, aut præceptum importet, ſed ſimpliciter indicatur quod fieri expediat per illa verba, *hic erit locus*. Quæ cùm non ſint imperativè prolata, ſed futuri temporis, non ſunt diſpoſitiva. Alex. *conſ.* 190. *Plura n.* 31. *verſ. Fortius dico, lib.* 6. & potius ſonant in conſilium, quod non eſt obligatorium, *l.* 2. §. *fin. ff. Mand.*

37 Reſpondetur ſecundò, actum geſtum non ſervatis conditionibus, & modificationibus à lege præſcriptis ita demum eſſe nullum, ſi eodem contextu lex tribuat poteſtatem, & præſcribat conditiones, tunc enim recipitur poteſtas qualificata, ſeu modificata: & ideò actus non ſervatis modis præſcriptis à lege redditur nullus ex defectu poteſtatis: ſecus verò ſi lex præſcribat modum, vel conditiones obſervandas ab eo, qui prius poteſtatem, vel juriſdictionem habebat; quia tunc actus ſuſtinetur in vim poteſtatis præexiſtentis, licèt tranſgrediens ſit puniendus. Hæc eſt notabilis theorica gloſſ. *in Clem.* 1. *in ver. Inhibentes*, *verſ. Sede quæro*, *de jurepatron.* quam ſequitur Anchar. in *cap. ſtatutum*, §. *fin. verſ. Adverte*, *de reſcr. lib.* 6. Abb. in *cap. Ex parte*, *num.* 5. *infr. eod.* Roman. *conſ.* 203. *Quod primum num.* 7. At Capitulum generale ante præſcriptum modum in propoſitionibus obſervandum habebat poteſtatem faciendi decreta a jure communi, *c. In ſingulis*, §. *Hujuſmodi*, & §. *Si vero*, *de ſtatut. monachor.* Ergo propoſitio ab ipſo facta contra modum à conſtitutione præſcriptum, & decretum inde ſecutum non vitiatur.

Reſpondetur tertiò etiam à lege prohibitoria poſſe recedi per eum, in cujus favorem edita fuit. Et videtur de hoc textus clarus in *cap. Ad Apoſtolicam*, *de Regul.* ubi prohibetur fieri profeſſio infra annum; & tamen ſi fiat in Ordinibus non Mendicantium, tenet. Et redditur ratio, quia cùm tempus probationis ſit indultum in favorem converſi, & Monaſterii per profeſſionem infra annum emiſſam pariter, & acceptam uterque renunciare videtur ei, quod pro ſe noſcitur introductum. Et quia multa fieri prohibentur quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, ex quo contextu colligitur profeſſionem emiſſam contra legis prohibitionem non ideò ſuſtineri, quia textus procedat ulteriùs decernendo actum valere, ut habet communis intellectus, quem propterea meritò reprobat ibi Abb. *numer.* 11. *verſ. Sed certè:* nam textus non procedit diſpoſitivè ſuſtinendo profeſſionem, ſed loquitur declarativè, quod patet ex eo, quia reſpondet ad conſultationem, ut notatur in *c. Conſultationis*, *de temp. ordin.* Item declarat profeſſionem tenere ex ratione antiqua. Ergo etiam ante illam decretalem tenebat profeſſio, ut per Abb. *ubi ſupra.* 38

Reſpondetur quartò, ubi legis prohibitio non habet perpetuam cauſam prohibitionis, actus in contrarium geſtus non eſt nullus, ut notatur in *cap. Vides*, in gloſſ. *in ver. diſſolvi* 10. *diſt.* & in *cap. Tua*, *de ſponſ. duor.* Conſtitutio autem de qua agitur, non habet hujuſmodi cauſam prohibitionis perpetuam, quia propoſitiones poſſunt fieri aliquando, id eſt dùm ſedes vacat, nec prohibentur fieri, niſi in tempore Sedis plenæ. Ita declarat Abb. in *d. c. Ad Apoſtolicam*, *n.* 11. *verſ. Ideo ſolvo.* Ad idem eſt gloſ. quæ ſic limitat regulam, *l. Non dubium*, *C. De legib. in d. Clem.* 1. *in ver. Inhibentes*, *de Jurepatr.* 39

Reſpondetur denique quidquid ſit in lege ſuperioris, in quibus terminis loquuntur contraria; certè actus geſtus contra prohibitionem ſtatuti, ab ipſiſmet ſtatuentibus non eſt nullus, quia licitum eſt conditoribus recedere à ſua conſtitutione, quatenus concernit eorum favorem, non obſtante confirmatione Apoſtolica juxta textum hic, & dictum eſt ſupra in principio primi fundamenti pro hac ſententia, *verſ. Nam regula eſt*, *n.* 19. 40

Ad ſecundum argumentum, quòd ſcilicet decretum Capituli Generalis ſit nullum propter decretum irritans appoſitum in confirmatione conſtitutionum Congregationis, abundè patet reſponſio ex dictis in ſuperioribus fundamentis.

Secundum caput, videlicet, An hoc decretum poſſit impugnari ex eo, quod reſtringat libertatem electionis contra diſpoſitionem ſacrorum Canonum, plenè examino in *cap. Cum dilectus*, *infr. de conſuet. à n.* 10. *uſque ad* 56.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Idem Innocentius III. Clugien. Epiſcopo.

CAPUT IX.

Cum M. Ferrarienſis: & infrà. Dictus M. pro ſe ac quatuor ſociis ſuis propoſuit, quòd Ferrarien: Canonici ut eò ampliùs ſuos redditus augmentarent, quò proventus Eccleſiæ (qui dividi conſueverant inter plures) in uſus cederent paucorum, quatuordecim præbendas tantùm, præter id quod menſæ communiter deputarunt, in eadem Eccleſia contra antiquam conſuetudinem ſtatuerunt. Poſtmodum verò contra conſtitutionem ipſam voluntariè venientes, dictos quinque in Canonicos receperunt, nullis præbendis aſſignatis eiſdem. Et licèt eorum redditus non modicum fuerint augmentati, nondum tamen eis voluerunt ex ſuperexcreſcentibus redditibus providere. Verùm exadverſo fuit propoſitum, quòd quatuordecim præbendarum numero in Ferrarien. Eccleſia inſtituto, & Apoſtolicæ protectionis præſidio roborato: cùm una in eadem Eccleſia præbenda vacaſſet, ad quorumdam inſtantiam duos ad eam, & poſtmodum ad preces Epiſcopi dictum M. & quemdam alium ſine præjudicio dictæ conſtitutionis in Canonicos receperunt: ita quòd ipſi Canonici de canonia nihil perciperent; donec primi duo eſſent præbendas integrè aſſecuti.

Cum

Cùmque per Canonicorum induſtriam fuerit procuratum, ut ex poſſeſſionibus, quas Eccleſia tempore longo poſſedit, plures eis redditus ſolverentur: ſuperexcreſcentes communi menſæ, quæ minùs ſufficiens fuerat, deputaverunt: quos dicti quinque ſibi poſtmodum petierunt contra capituli conſtitutionem in beneficium aſſignari: & infrà. Mandamus quatenus cùm in conſtitutione prædicta, & confirmatione Sedis Apoſtolicæ vel fuerit, vel eſſe debuerit, ſicut conſuevit, expreſſum, niſi in tantum excreſcerent Eccleſiæ facultates, quòd pluribus poſſent ſufficere competenter: & iidem Canonici in derogationem ſuæ conſtitutionis, ad vacaturas præbendas quatuor receperunt ultra numerum couſtitutum, antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus conſuetas, ſuperexcreſcentes redditus prædictis Canonicis facias aſſignari: ita quòd ſi ex eis pares potuerunt cum aliis ſortiri præbendas: quod ſuperfuerit, in communes Canonicorum uſus (ſicut priùs ſtatuerunt) ſive aliter, prout meliùs videbitur, convertatur: revocatis in irritum quæcumque ac alterutra partium in præjudicium alterius poſt motam quæſtionem coram Epiſcopo Ferrarien. circa præbendas vel poſſeſſiones fuerint innovata.

S U M M A R I U M.

1 Canonicis ſupranumerariis capitum de fructibus ſuperexcreſcentibus providere tenetur, non obſtante conſtitutione de certo numero, & contra proteſtatione.

2 Præbendarum, & Canonicorum numerus determinatur ſecundùm varias Eccleſiarum conſuetudines.

3 Fructus ſuperexcreſcentes debentur Canonicis ultra numerum receptis, quando præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſed fit diviſio per certam menſuram fructuum.

4 Fructus induſtriales cedunt lucro præbendati, ubi præbendæ ſunt diſtinctæ, & n. 40.

5 Nomina propria in reſcriptis an, & quando exprimi poſſint abbreviate per primam litteram.

6 Litis conſors admittitur ſine mandato ad agendum pro conſorte, ſicut coniunctus pro conjuncto, dummodò caveant de rato.

Et quid in requirentibus ſpeciale mandatum, num. 10.

7 Litis conſortium inducitur ex ſimultanea lite, & cauſa.

8 Canonicus pro Concanonico non poteſt agere ſine mandato.

9 Amicus an admittatur pro amico in judicio.

11 Præbendas aliquot ſupprimendi legitima cauſa ut reliquorum redditus tenues augmententur.

12 Præbendæ ut poſſint ſupprimi ad augendos reliquarum redditus ex Concilio Trid. quinque conditiones requiruntur.

13 Capitulum ex cauſa publicæ utilitatis poteſt ſtatuta facere contra antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, etiam non facta mentione conſuetudinis.

14 Et etiamſi conſuetudo foveret utilitatem publicam, & ſtatutum ſit nutritivum utilitatis privatæ.

15 Dummodò principaliter, & directè concernat utilitatem Eccleſiæ, & fiat de Epiſcopi conſenſu.

16 Præbenda non eſt de ſubſtantia Canonicatus.

17 Canonica poteſt eſſe actu ſine præbenda, ſed non ſine ſpe, & expectatione futuræ præbendæ.

18 Proteſtatio contra ſubſtantiam rei, ſuper qua interponitur, non relevat.

19 Proteſtatio contraria facto regulariter non prodeſt. Declaratur, n. 22.

20 Proteſtationis materia quam ſit profunda, & periculoſa.

21 Proteſtatio contraria conſecutivis facti, ſeu dependentibus à facto, an, & quando valeat.

22 Et quid ſi ſit contraria facto.

23 Et quid ſi ſit declaratoria facti multipliciter intelligibilis.

24 Proteſtati relevat quando non eſt contraria facto, ſed tollit mentem à facto.

25 Canonica aliud eſt, aliud præbenda.

26 Canonica quid ſit.

27 Præbenda quid ſit.

28 Præbenda collata, cenſetur eo ipſo collatus etiam Canonicatus.

29 Canonicus præbendatus ſi aliud beneficium impetret facta mentione de præbenda, & non de Canonicatu, gratia non eſt ſubreptitia.

30 Et quid in caſu converſo.

31 Laicus quamvis non poſſit eſſe Canonicus. poteſt tamen eſſe præbendatus.

32 Secus ex ſtylo curiæ.

33 Simoniacum non eſt recipere aliquem in Canonicum eo pacto, ut de præbendis diſtinctis nihil percipiat.

Secus ſi reciperetur cum pacto, ut nec de Canonia, nec de præbendis diſtinctis, nec de communibus proventibus aliquid haberet, & n. 35.

34 Pactum juri conſonum ſimoniam non inducit, & numer. 36.

37 Statutum excludens Canonicos ſupranumerarios à redditibus ſuperexcreſcentibus, quamvis ſit malum, non tamen eſt ſimoniacum.

38 Pactum initum inter eligentes non nocet electo.

39 Canonicis ſupranumerariis debentur redditus ſuperexcreſcentes, etiam ſi provenerint ex Canonicorum induſtria.

40 Quod procedit ſi prædia ſint communia, & redditus communiter augmententur.

Secus ſi præbendæ ſint diſtinctæ, ibidem.

41 Paludes melioratæ cultorum cura non debent ſeparatim cenſeri.

42 Clauſulæ omiſſio reſcriptum non vitiat.

43 Statutum taxans numerum Canonicorum habet tacitam conditionem, niſi redditus Eccleſiæ augmententur, & n. ſeqq.

Etiam ſi fuerit à Sede Apoſtolica confirmatum cum decreto irritanti, n. 46.

44 Diſpoſitio qualibet intelligitur rebus ſic ſtantibus.

45 Monialium numerus etiam in Monaſteriis exemptis ab ordinario præfixus augeri poteſt, ſi redditus Monaſterii augmententur, & n. ſeqq.

47 Statutum, & confirmatio ſtatuti limitatur ad limites cauſæ ſtatuti.

48 Numerus familiæ à capitulis generalibus, vel provincialibus præfinitus à Superioribus regularibus augeri non poteſt etiam prætextu augmenti redditum abſque licentia S. Congreg. Concilii.

49 Canonicis ſupranumerariis non tenentur Canonici antiqui communicare ſuas præbendas, ſed tantùm redditus ſuperexcreſcentes.

50 Numerus præbendarum an frangatur per receptionem Canonicorum ultra numerum, & per ſuperexcreſcentiam fructuum.

51 Canonicis ultra numerum receptis debentur fructus ſuperexcreſcentes uſque ad quantitatem valoris præbendarum antiquarum, & non ultra.

52 Et quid ſi fructus non ſufficiant niſi ad unam præbendam, & n. ſeqq.

53 Præbenda non eſt ita affecta Canonico noviter recepto, ut collatio alteri facta non teneat, & nu. 62.

54 Attentata ante omnia ſunt revocanda, prævia tamen cauſæ cognitione.

55 Attentare eſt delictum.

Attentata ſunt plenè probanda, ibidem.

56 Attentata turbida non ſunt revocanda, & poteſt Rota illa non attendere quando cauſa fuit commiſſa ejus arbitrio.

57 Canonici an recipi poſſint cum expectatione futuræ præbendæ, & n. ſeqq. uſque in fin.

58 Quid ſi receptio fiat purè, & ſimpliciter, cum intentio-

ne

ne tamen ut receptus habeat præbendam cum primum vacaverit.

59 *Et quid ſi primò recipiatur purè, & poſteà ex intervallo promittatur ei præbenda proximè vacatura.*

Et quid ſi eodem tempore fiat receptio, & promiſſio ſub diverſa conceptione verborum, ea tamen intentione, ut ſtatim ſit Canonicus, ſed præbendam non habeat niſi cum vacaverit, n. 64.

Et quid ſi effectus utriuſque conferatur in tempus vacaturæ, n. 67.

Et quid ſi receptio, & promiſſio fiant ſub unica verborum ſtructura, n. 68.

60 *Expreſſio ejus, quod de jure ineſt, quandoque eſt illicita.*

61 *Maximè ſi alio modo exprimatur, quam inſit.*

62 *Canonicus receptus cum promiſſione vacaturæ præbendæ debet illam habere non ex vi promiſſionis, ſed ex vi receptionis.*

65 *Canonici ſupranumerarii qualiter ab Epiſcopo creari poſſint ex ſententia S. Congregationis Concilii.*

66 *Canonici ultra numerum recepti non poſſunt præbendam poſteà vacantem propria authoritate apprehendere, niſi eis conferatur, nec habent jus in re, ſed jus ad rem.*

69 *Actus licèt inſpecta unitate orationis videatur unicus, tamen propter diverſitatem effectuum cenſentur duo, & utilis ab inutili non inficitur.*

1 C*Um M. Ferrarienſis*. Si Capitulum contra ſuam conſtitutionem de certo Canonicorum numero aliquos receperit ultra numerum, de ſuperexcreſcentibus redditibus illis providere tenetur. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. cui conſentiunt Bald. Bellam. Butr. Anchar. Imol. & Joan. de Anan. vel ſic ſecundùm Abbatem. Non obſtante certo Canonicorum numero etiam per Papam confirmatio, providendum eſt receptis ultra numerum de ſupperexcreſcentibus fructibus, maximè ſi voluntariè per Canonicos fuerint recepti; vel aliter ſecundùm Aretin. Proteſtatio contraria facto non relevat proteſtantem; & ideò ſi Capitulum contra ſuum ſtatutum aliquos recipit in Canonicos, non obſtante proteſtatione, de fructibus ſuperexcreſcentibus eis providere tenetur. Dividitur in tres partes principales ſecundùm Hoſtienſ. & omnes. In prima ponitur allegatio pro Martino, & ſociis receptis. In ſecunda ibi, *Verum* allegatio in contrarium pro Canonicis recipientibus. In tertia ibi, *mandamus*, diffinitionis commiſſio, & quælibet earumdem partium ſubdividitur in alias tres; ut hìc per Joan. Andr.

2 Ad intelligentiam textus præmittendum eſt, in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis varias extare conſuetudines circa diſtinctionem, & determinationem numeri præbendarum, & Canonicorum, ut in *cap. fin. de conceſ. præb. lib. 6.* Interdum enim ſe determinant in numero tam Canonicorum, quàm præbendarum, interdum in neutro; interdum verò in altero tantum; ſemperque contingit Eccleſias variari altero de quatuor modis, quos hìc latè proſequitur Anton. de Butr. *numer.* 1.

3 Et quidem in caſu hujus Decretalis per ſtatutum Capituli erat determinatus numerus præbendarum duntaxat, ſecundum unum intellectum, qui colligitur ex illis verbis textus, quatuordecim præbendas tantum ſtatuerunt, vel erant determinatus numerus tam præbendarum, quàm Canonicorum, ſecundùm alium intellectum, qui magis congruit litteræ ibi, contra conſtitutionem venientes alios quinque in Canonicos receperunt. Non enim veniſſent contra conſtitutionem recipiendo Canonicos ultra numerum, niſi Canonicorum numerus fuiſſet per conſtitutionem taxatus. Sed nihilominus præbendæ non erant hìc diſtinctæ, ſed unicuique ex Canonicis certa menſura, vel portio fructuum aſſignabatur. Et quia ultra illam menſuram redditus Eccleſiæ erant adaucti, in hujuſmodi augmento conſiſtebant redditus ſuperexcreſcentes, de quibus controvertebatur inter Ca-

4 nonicos antiquos, & noviter receptos. Alioquin ſi præbendæ fuiſſent realiter diſtinctæ ut beneficia ſeparata, ſeparatèque inſtituta ſecundum ea, quæ habentur in *cap. Ex litteris, de probat.* Redditus ſuperexcreſcentes ceſſiſſent lucro illius Canonici tantum, cujus erat illa præbenda, ut dicam infrà in 9. notab. numer. 40. Quod ſi præbendæ non eſſent diſtinctæ, & nihilominus non eſſet determinata certa menſura, ſeu portio fructuum, ſed omnibus in communi redactis tot fierent præbendæ, quot redditus ſuppetunt; eo caſu non eſſet date fructus ſuperexcreſcentes, nec haberet locum iſte textus, quamvis numerus Canonicorum, & præbendarum eſſet taxatus; exempli gratia, ſi in Eccleſia eſſent decem præbendæ, & totidem Canonici, & in fine anni dividerentur communis acervus frumenti per decem portiones æqualiter, & cuilibet Canonico decima pars illius acervi aſſignaretur; quantumcumque ille acervus excreſceret, tamen ſemper unicuique Canonico nontingeret decima pars pro ſua præbenda, & nihil ſeparatum diſcerni poſſet, quod ſuperexcreſceret. *Arg. l. fin.* & ibi bona gloſ. in *ver. Exigi, C. De alluvion.* Ad hoc igitur ut dari poſſint hujuſmodi redditus ſuperexcreſcentes, neceſſe eſt ut portio fructuum ſit taxata, puta in viginti ſalmis frumenti pro quolibet Canonico, & ita erat in Eccleſia Ferrarienſi, de qua agitur in hoc c.

Nota primò ex principio textus, in reſcriptis ſatis eſ- 5
ſe exprimere primam litteram nominis proprii, ut hìc, & in *cap. P. & G. de off. deleg. & c. Cum I. & A. de ſent. & re judic. cum ſimil.* ſecundum Barbat. & modernos hìc. Sed an hoc ſit verum, & an probetur jure, examinat plenè Rip. *in 2. notab.* Ex ſtylo Curiæ nomina eorum, contra quos reſcripta impetrantur, ſcribi poſſunt abbreviatè per unam litteram; ſed nomina impetrantium debent ſcribi extensè, & prima littera debet eſſe capitanea, & magna, ut notat Specul in *tit. De reſcription. præſent. §. Primo igitur, verſ. Et quoniam ex forma, numer. 4.* Archid. in *Summa*, 25. *quæſt. 2. num. 4.* & Ripa *ubi ſupra*. Confert textus in *lib. 2. ante fin. Cod. De veter. jur. enucl.* ubi præcipitur ut nomina prudentum, qui leges compoſuerunt, per conſequentiam litterarum manifeſtentur, & ſic ceſſat quæſtio duodecima in lib. Joan. de Deo fundata ſuper littera Apoſtolica, in qua ponebantur litteræ pro nomine, ſecundùm Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. loco cit. littera P.* Nec obſtat hìc textus cum concord. quia fuit compilator operis, qui brevitatis ſtudio reſecavit antiquas decretales, ubi omnia erant extensè ſcripta, & tantum appoſuit primam litteram, ut notat Joan. Andr. ſupr. *in proœm. in ver. Superfluis, num. 32.* & in *cap. Nobis, num. 2. infr. de jure patron.* & Rip. *hìc nu. 2.*

Secundò nota ibi, *pro ſe, & ſociis*, poſſe quem agere pro li- 6
tis conſortibus etiam ſine mandato, prout hìc notat gloſ. 1. Hoſtien. *num. 1.* Joan. Andr. *numer. 27.* Cardin. *in 1. notab.* Abb. *num. 9.* Decius *num. 31.* Ripa *numer. 53.* & alii communiter. Et quamvis hoc non benè probetur hìc, quia iſte Martinus habebat mandatum à Concanonicis, quorum erat procurator, ſecundum gloſ. *præalleg.* & Innoc. *hìc in princ.* & patet in antiqua relata ab Anton. Auguſt. *in 3. compilat. Decretal. lib. 1. hoc tit.* tamen eſt in ſe verum, & eſt ſpeciale in hoc caſu; nam ſicut conjuncta perſona poteſt agere pro conjuncta ſine mandato, præſtando tamen cautionem quod Dominus habebit ratum, ut in *l. Sed & hæ, ff. De Procur.* & *in cap. Nonnulli, in fin. infr. de reſcription.* ita conſors ejuſdem litis admittitur ad agendum pro conſorte ſine mandato, dummodò tamen ſimiliter caveat de rato, licèt non admittatur niſi prius
cum omnibus fuerit lis conteſtata, ut *l. 2. C. De conſort.* 7
ejuſd. lit. Et hujuſmodi conſortium contrahit ex communione cauſæ, & litis, ut notatur in *l. Si petitor, ff. De judic.* & per Butr. *hìc num. 22. verſ. Quia conſortium inducitur ex ſimultanea lite, & cauſa*, & Abb. *num. 9.*

Regulariter verò qui non admittitur ad agendum no- 8
mine alterius ſine mandato, unde iſte Canonicus fuit admiſſus ad agendum pro Concanonico, vel quia, ſicut prædixi, mandatum habebat, ut in antiqua, vel quia erat litis conſors, alioquin contra, ut hìc per gloſ. 1. Butr. *d. num. 22. verſ. Ad primum* & Jaſ. in *l. Exigendi, nu. 7. verſ. Ad idem facit textus, C. De procur.* adeò ut ſine mandato nec amicus admittatur pro amico, quia jura, quæ dicunt conjunctam perſonam poſſe agere pro conjuncta, loquuntur de conjuncta ſanguine, ut in *d. l. Sed & hæ, ff. De procur.* & in *d. c. Nonnulli*, ubi eſt caſus, ut per Butr. *hìc num. 26. verſ. Hoc fallit in conjuncta.* Et quamvis in amico contrarium teneant Cyn. & Salyc. *in d. l. Exigendi.* Guglielm. de Cun. *in d. l. Sed & hæ*, &

Bart.

Bart. in *l. Non ſolum*, §. *Qui alieno*, *ff. De procur.* Et hanc opinionem in puncto juris poſſe defendi in amico magno, & ſingulari, exiſtimat Jaſ. in *d. l. Exigendi*, *num.* 4. *in* 4. *extenſ.* nihilominus eam reprobant Butr. loco proximè citato. Angel. in *d. l. Sed & hæ*, Gemin. in *c. Qui ad agendum*, *de procur. lib.* 6. & alii plures, quos refert Jaſ. in *d. l. Exigendi*, *num.* 7. & videtur verior etiam in puncto juris. Secundum quia etiam in amico ſingulari non viget eadem ratio, quæ in ſanguine conjuncto, quia amicitia diſſolvi poteſt, ſed jura ſanguinis deleri non poſſunt, *l. Jus agnationis*, *ff. De pact.* Tum quia cùm materia ſit exorbitans, non debet trahi ad conſequentiam, *c. Quæ à jure*, *de reg. jur. lib.* 6. ut benè per Butr. *hic d. num.* 26. *verſ. Huc tamen puto*. Et hanc partem veriorem putat, & pluribus confirmat Ludovic. Roman. *in ſingul. ſuo* 560. *incip. Cynus*, & in *l. Si verò*, §. *De viro*, *in* 26. *fallen. ff. ſol. matrimon.* ubi latè probat hanc eſſe communem opinionem, & eum refert, & ſequitur Felin. alios adducens *in c. Coram*, *n.* 2. *infr. de offic. deleg.*

10 Limita concluſionem ſuperius firmatam in omnibus caſibus, qui requirunt ſpeciale mandatum. In his enim litis conſors non admittitur ad agendum pro conſorte, ſicut nec conjunctus pro conjuncto, *l. Patri pro filio*, *& l. Illud*, §. 1. *ff. De minor.* Jaſ. *in d. l. Exigendi*, *in* 4. *fallen. num.* 9. *C. De procur.* Felin. dicens ita omnes tenere *in d. c. Nonnulli*, §. *Sunt & alii*, *num.* 16. *de reſcript.* Et ita in litis conſorte videtur firmare Abb. *hic n.* 10. Sed contrarium tenet Dec. *n.* 36. & Ripa *n.* 58. aſſignantes rationem differentiæ inter conjunctas perſonas, & litis conſortes. Alias fallentias ad prædictam regulam proſequitur Ripa à *n.* 54. & ex ejus dictis collige novem eſſe neceſſaria ad hoc, ut litis conſors poſſit agere pro conſorte, ut hic per eum *n.* 59. *verſ. Ex præmiſſis*.

11 Tertiò nota ibi, *ut eò amplius ſuos redditus augmentarent*, unam cauſam legitimam ſupprimendi aliquot præbendas, eaſque ad pauciorem numerum redigendi, nempè ut augeantur redditus tenues reliquarum prebendarum; tot enim in Eccleſia ſunt ponendi, quot ex illius redditibus poſſint congruè ſuſtentari, *c.* 1. *de inſtit. & c.* 1. §. *Sanè*, *de ſtatu regul. lib.* 6. Quantò autem inter pauciores Eccleſiæ dividuntur proventus, tantò majores fiunt ſingulorum percipientium portiones, ut hic, & in *c. ult. verſ. Quantoque inter pauciores*, *de conceſſ. præb. lib.* 6. & ita hic notant Abbas *n.* 1. Aretin. *in* 2. *notab.* & Ripa *n.* 20. Facit quod notat gloſſ. in *c. Pulchra*, *in ver. Dato*, 86. *diſt.* & Butr. *hic n.* 8.

12 Hodie hæc cauſa partim approbatur, & partim modificatur à Concilio Tridentino in *cap.* 15. *ſeſſ.* 24. ubi ſtatuitur, ut in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, in quibus frequentes, adeòque tenues ſunt præbendæ, unà cum diſtributionibus quotidianis, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui non ſufficiant, liceat Epiſcopo cum Capituli conſenſu, vel aliquot beneficia ſimplicia, non tamen regularia, iis unire (& in hoc primo membro reſtringitur *cap. Expoſuiſti*, *infrà de præb.* quo permittebatur, ut propter paupertatem præbendarum poſſent eis annecti etiam Capellæ, id eſt. Parochiales Eccleſiæ, ut ibi dicitur) vel ſi hac ratione provideri non poſſint, aliquot ex iis ſupprimere, & illarum fructus reliquarum diſtributionibus applicare. Et circa hoc ſecundum membrum nota ſuppreſſionem præbendarum hodie fieri non poſſe niſi in ſubſidium, nempè cum deficit remedium unionis beneficiorum ſimplicium; nam alternativa, *vel*, non eſt electionis, ſed ordinis, ut oſtendit conditio illa: ſi hac ratione provideri non poſſit, & cenſuit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres, & de intellectu illius decreti vide quod plenè ſcripſi in *d. c. Expoſuiſti*. Et quod ſpectat ad rem præſentem, ex eo decreto collige quinque conditiones requiſitas ad hoc, ut fieri poſſit præbendarum ſuppreſſio. Prima ſcilicet, ut Eccleſiæ ſint inſignes. Secunda, ut præbendæ ſint frequentes. Tertia, ut præbendæ ſimul cum diſtributionibus ſint adeò tenues, ut non ſufficiant ad decentem Canonicorum ſuſtentationem. Quarta, ut ſuppreſſio non fiat à Capitulo, ſed ab Epiſcopo de Capituli conſenſu. Quinta, ut fiat in ſubſidium, id eſt, deficiente remedio unionis ſimplicium beneficiorum.

13 Quartò nota ibi, *contra antiquam conſuetudinem ſtatuerunt*. Canonicos poſſe ſtatuta facere contra conſuetudinem Eccleſiæ diu obſervatam, dummodò id faciant ex cauſa communis utilitatis, gloſſ. *hic in verſ. Conſuetudinem*. Hoſt. *n.* 2. *in eod. ver.* Butr. *num.* 12. Imol. *num.* 8. *verſ. Et nota etiam.* Quod procedit etiam non facta mentione conſuetudinis, ut hic per Butr. *num.* 10. per rationem *cap.* 1. *de conſuet. lib.* 6. Quinimò hoc procedit, etiamſi conſuetudo 14
foveret utilitatem publicam, & ſtatutum ſit nutritivum utilitatis privatæ ipſorum ſtatuentium, dum tamen hoc faciant ex rationabili cauſa, ſecundùm Abb. *hic num.* 2. & Aretin. *n.* 4. Hoc intelligas tu cum duplici declaratione. 15
Prima eſt, dummodò ſtatutum concernat directè, & principaliter publicam utilitatem Eccleſiæ, ſecundariò autem, & indirectè privatum commodum ſingulorum Canonicorum, prout declarat hic Ripa *n.* 22. Secunda declaratio eſt, dummodò ſtatutum fiat à Capitulo de Epiſcopi conſenſu, vel etiam ſine, ſi verum eſt confirmationem Papæ interceſſiſſe, ſecundùm Jo. Andr. *hic num.* 2. *in ver. Statuerunt.* An autem, & ſuper quibus Capitulum poſſit abſque conſenſu Epiſcopi ſtatuta facere, eiſque pœnam adjicere plenè notavi ex ſententia Sac. Congregationis Concilii in *c. Cum omnes*, *n.* 37. *ſup. eod.*

Quintò nota ibi, *in Canonicos receperint, nullis præben-* 16
dis aſſignatis eiſdem. Præbendam non eſſe de ſubſtantia Canonicatus, quia poteſt eſſe Canonicus ſine præbenda, ut hic patet ſecundùm Bald. *num.* 18. Abb. *in* 3. *notab.* Aret. *num.* 6. & Rip. *num.* 26. Idem tenet Innocent. *in c. fin. infrà de Cleric. non reſiden.* & probatur *in c. Sanctorum*, 70. *diſt.* ubi expreſſum eſt quem non debere eſſe Canonicum præbendatum in diverſis Eccleſiis, quaſi innuat, ut quis poſſit in diverſis Eccleſiis habere Canonicatus ſine præbenda, cùm id ſit utile Eccleſiæ, ut contingit ſi Canonici habeant unde vivant ex diſtributionibus quotidianis, ut ſcripſi plenius *in c. Cum jam dudum*, *n.* 24. *&* 25. *infra de præb.* Item in principio erant Canonici ſine præbendis diſtinctis, maximè quando Eccleſia non habebat temporalia, *c. Videntes*, 12. *q.* 1. Abb. *hic n.* 30. *in fin.* Sed hoc intelligunt Doctores reſpectu temporis præſentis: nam reſpectu futuri utique 17
non poteſt eſſe Canonicus ſine præbenda, id eſt, ſine ſpe & exſpectatione futuræ, præbenda, *c. Relatum*, *infr. de præbend. c. Cum ſuper*, *de conceſ. præbend.* & ſic debet intelligi gloſ. *in c. un. in ver. Receperit*, *de Cler. non reſid. lib.* 6. dum ait, non eſſe Canoniam ſine præbenda. Hæc enim duo ita ſunt naturaliter conjugata, ut cui confertur Canonicatus, debeat aſſignari, & præbenda, ſi quæ vacat; ac ſi non vacet, debeat expectari vacatio, ad quod vide bonam gloſſ. *in c. Dilectus*, *il* 1. *in ver. Approbantes*, *infrà de præb.* & ita hic declarant Bald. *d. n.* 18. & Ripa *n.* 26. *&* 27. *verſ. Nec obſtat dictum Innocentii*.

Sextò nota ex illis verbis, *ſine præjudicio dictæ Conſtitu-* 18
tionis. Et ſigna duas regulas valdè practicabiles in materia proteſtationis. Prima regula eſt, quòd proteſtatio contra ſubſtantiam rei, ſuper qua interponitur, non prodeſt. Et ita contigit in caſu hujus decretalis. Nam novi Canonici fuerunt recepti cum proteſtatione, ut non frangeretur numerus præbendarum in conſtitutione præfixus, & ſic ut præbendam non haberent, quæ eſt ſubſtantia negotii; nam receptus non debet carere præbenda, ut *c. Cum ſuper*, *infr. de conceſſ. præb.* & dictum eſt in præced. notab. meritò proteſtatio hic non profuit, & Papa illam non admiſit. Ad idem *c. Dilectus. il* 1. & *c. Inter cætera*, *infr. de præb. c. Si quis objecerit*, 1. *q.* 3. & eſt ſimile in profeſſo cum proteſtatione ut habeat, proprium, *c. Cum ad monaſterium*, *in fin. infrà de ſtatu Monach. & c. Inſinuante*, §. 1. *qui Cler. vel voven.* & in contrahente matrimonium cum proteſtatione ut vitetur proles, *c. ult. de condit. appoſ.* & ita hanc regulam ex hoc textu elicit gloſſ. *in ver. Sine præjudicio. Hoſt. nu.* 12. Jo. Andr. *n.* 3. Henric. Boich. *nu.* 1. Bellam. *n.* 3. *ver. Secunda concluſio*, eamque confirmat, & tripliciter limitat Felin. *n.* 7. *verſ. Secunda concluſio*.

Secunda regula eſt, quòd ubi quis per contrarium fa- 19
ctum contradicit ſuæ proteſtationi, nec proteſtatio, & factum ſe ſimul compatiuntur, non ſuffragatur proteſtatio. Et ad hoc quotidie allegatur hic textus. Nec obſtat, quòd hoc fiat corruptè, ut poſt Butr. dicit Abbas *hic num.* 14. eò quòd proteſtatio hic non fuerit contraria facto. Nam Canonici antiqui receperunt iſtos in Canonicos, & volebant eos eſſe Canonicos, nec proteſtatio repugnabat, ſed veniebat ad tollendum jus conſecutivum ad factum geſtu.

Nam ex quo quis eſt receptus ad jus Canoniæ, conſequenter ex diſpoſitione juris debet habere præbendam, *c. Relatum, de præb.*& ab hoc jus conſecutivum tollendum tendebat iſta proteſtatio. Id, inquam, non obſtat, quia ſi benè advertatur, hæc proteſtatio cantabat ſic, videlicet: Recipimus vos in Canonicos cum proteſtatione, quòd non intendimus derogare conſtitutioni noſtræ de numero quatuordecim. Pugnabant autem ex diametro proteſtatio ut ſalva maneret conſtitutio de certo numero, & factum receptionis ultra numerum. Et hoc eſt, quo dicit litera, contra conſtitutionem ipſam, voluntariè venientes, quinque in Canonicos receperunt,& *infrà* ibi, in derogationem ſuæ Conſtitutionis: hoc enim apertè demonſtrat Canonicos recipiendo alios ultra numerum feciſſe actum derogatorium,& contrarium, & conſtitutioni, quam proteſtabantur ſalvam fore. Nam numerum in ea præfixum manere integrum, & numerum frangere alios recipiendo ultra numerum, ſe invicem non compatiuntur, meritò rejicitur proteſtatio uti contraria facto, & ſic puto ſalvari poſſe communem, intellectum, prout poſteà reperi illum defendi per Rip. *hic numer.* 77. *verſ. Defendendo inductionem.* Unde hanc regulam ex hoc c. deſumunt gloſſ. *hic in ver. præjudicio.* Innocent. *num.* 1. Compoſtell. *num.* 6. Abb. Antiq. *num.* 2. *in fin.* Henric. Boich. *num.* 3. Jo. de Anan. *num.* 5. & reliqui Interpretes, & Domini de Rota *deciſ.* incipit. *Si ſuſpendens, de cau. poſſeſſ. & propriet.* & *deciſ.* 15. *Si Judex, in fin. de off. deleg. noviſſ.* & *deciſ.* 260. *num.* 5. *p.* 5. *recent.* Nam per actum contrarium receditur à proteſtatione, ut dixit Rot. *in præalleg. deciſ.* 6. & 15. & *deciſ.* 563. *num.* 1. *part.* 3. *diverſ.*& hoc pro regula videntur præſupponere communiter Doctores, hìc ut, Felin. teſtatur *num.* 77. Quam tamen limitat ſex modis, tu ibi in *verſ. Recipit tamen iſta regula;* eamque fuſiùs proſequitur Ripa *hic in* 4. *quæſt. à num.* 70. *uſque ad num.* 101.

20 Porrò occaſione receptionis, quam hic fecerumt Canonici antiqui ſine præjuidcio fractionis numeri, Doctores multum inſiſtunt circa proteſtationis materiam, quæ ſecundùm Abb. hic eſt prolixa, ſubtilis, & periculoſa Secundùm Felin. profundiſſima. Secundùm Alex. de Nævo, & longa, difficilis, ſed tamen utili. Secundùm Barbat. famoſa, utilis, & ſubtilis. Secundùm Joan. Baptiſt. Ferrett. ſubtilis, & intricata, practicabilis tamen; & ſecundùm Dec. verſatur in magno pelago. Eamque fundamentaliter examinat Jo. Andr. *in reg. general. lib.* 6. in Mercur. & Bart. adeò copioſè, & ordinatè eam tractavit in *l. Non ſolum*, §. *Morte*, *ff. De novi oper. nunciat.* ut nullus poſtea ſit actus illam ingredi, ut hìc dicunt Felin. *num.* 26. *verſ. Reſtat poſtremò*, & Rip. *num.* 66. *verſ. Pro intelligentia.* licèt Butr. *nu.* 35. dicat Bartolum eam non perfectè explicare. Canoniſtæ tamen hìc dilatant fimbrias, præſertim Butr. *num* 35. Felin. à *num.* 27. & Ripa, qui eam ulterius tractat à *num.* 66. *uſque ad num.* 167. Sed pro prius ad materiam hujus capit. vide tu compendioſam diſtinctionem, quam hìc poſuit Hoſtienſ. *num.* 12. & ſequuti Jo. Andr. *num.* 30. Henric. Boich. *in princ.* & Card. *nu.* 7. *verſ. Generaliter autem.* Moderni tamen videntur ſequi trimembrem diſtinctionem Abb. *hic num.* 15. quam reaſſumunt Dec. à *num.* 61. & Ferrett. *num.* 1. *tomo* 2. *Repeten. fol.* 183. & colligitur ex dictis Antonii de Butrio à
21 *num.* 35. videlicet quandoque proteſtatio fit ad tollendum id, quod venit conſecutivè ad factum, & valet ſi fiat ſuper dependentibus à ſola voluntate proteſtantis, & actus vitiatur, *l. Per ſervum*, §. *Uſusfructus*, *an fructus legetur*, *ff. De uſu & habit.* Secus ſi fiat ſuper dependentibus à conſenſu plurium, quia requiritur omnium conſenſus, aliàs non valet, per ea, quæ notantur, in *c. fin. de condit. appoſ.* & idem eſt ſi proteſtatio fiat ſuper non dependentibus à poteſtate partium, ſed à diſpoſitione juris, quia non va-
22 let. Quandoque eſt contraria facto, & ſimiliter valet ſi fiat ſuper dependentibus à mera voluntate proteſtantis, allegatur *c. Hæc eſt fides*, 24. *quæſt.* 1. & *l. Si quis*, *in princ. ff. De legat.* 3. & idem ſi fiat ſuper his, quæ pendent à voluntate proteſtantis, & alterius, quia valet de conſenſu utriuſque, *c. Cumana*, *de elect.* Etiamſi ſit contra præſumptionem juris, & de jure, dummodo abſit turpitudo, per ea, quæ notantur in *c. Is qui fidem, de ſponſal.* & per Innoc. *in c. Veniens*, *il* 2. *eodem tit.* Secus ſi fiat ſine conſenſu alterius, quia non valet, niſi fiat ex cauſa probabili, ut *c.* 1. *infr. quod met. cau.* Quandoque proteſtatio fit ad declarandum 23
factum multipliciter intelligibile, & ad dandum intellectum contra communem intelligentiam, & proteſtatio valet, & operatur ut factum intelligatur ſecundum ſenſum proteſtationis, *l. Neſennius*, *ff. De negot. geſt. l. Si quis*, §. *Plerique*, *ff. De leg. & ſumpt. funer.* Singula hæc membra per diſtinctas concluſiones latiſſimè proſequitur, in aliquibus temperat, pluribus illationibus exornat, & ab objectis tuetur. Rip. hic in 4. *q. à n.* 71. *uſque ad n.* 101. ad quem recurrere. Et ad tertium membrum adde Dominos de Ro- 24
ta *dec.* 218. *num.* 1. & *ſeqq. p.* 7. *rec.* ubi notabiliter declarant proteſtationem ſuffragari, quando non eſt contraria facto, ſed tollit mentem à facto, allegant *l. Non ſolum*, §. *Morte*, & ibi Doctores, maximè Rubeum *nu.* 349. *ff. De novi oper. nunciat.* Burſatt. *conſ.* 214. *n.* 16. *lib.* 2. fuit theorica Abb. in *c.* 1. *num.* 16. & 17. *infrà de lit. conteſt.* quem ſequitur Alex. *conſ.* 130. *In cauſa Strazarolorum, col. ult. n.* 17. *lib.* 4. quam prolixius examinat Ripa hìc *n.* 70. ubi etiam videas an, & quando proteſtatio dicatur contraria facto.

Septimò nota ibi, *de Canonia nihil perciperent, donec* 25
primi duo eſſent præbendas integrè aſſecuti, aliud eſſe Canoniam, aliud præbendam, ut hic, & in *c. Eam te*, *infrà de reſcript.* ibi, in Canonicum reciperent, & præbendam ſibi conferre deberent, & in *c. Dilectus*, *il* 2. *infr. de præb.* 26
Canonia ſecundùm gloſſ. hic *in verb. receperunt.* Innoc. *n.* 2. & Compoſt. *num.* 7. eſt quoddam jus proveniens ex electione, & receptione in fratrem, ut hic, & in *c. Dilecto*, *infr. de præb.* & ſecundùm Compoſtell. hìc *n.* 8. & Hoſtienſ. *nu.* 4. conſiſtit in jure, & honore, ut *c. Propoſuit*, *in fin. de conceſſ. præb.* ſcilicet ſtallo in Choro, loco in Capitulo, & ſimilibus, ut in prædictis juribus, in *c. Pro illorum*, & in *d. c. Dilecto*, *de præb.* Vel, ut deſcribit Baldus hic *num.* 13. Canonia eſt jus ſpirituale in Eccleſia, quo jure communi competit locus in Choro ad divina officia, & cætera, quæ debent fieri in Capitulo, ſicut ſunt tractatus electionis, alienationis, & ſimilia, quæ collegialiter debent fieri. Præ- 27
benda verò prout ſtrictè, & propriè accipitur *hic*, & *infrà de præb. per totum*, ſecundùm Compoſt. *hic n.* 9. Eſt jus ordinatum, ſeu inſtitutum pro Canonico ad utendum, & fruendum rebus, & juribus ad hoc deputatis, & recipiendum, & adminiſtrandum ipſa; quod jus ex Canonia, ſive officio deſcendit tamquam ſequela, quia ex quo quis habet Canoniam, ſive officium, debet habere præbendam, ſive beneficium, *c. Relatum*, & *c. Dilectus*, 1. & 2. *infrà de præb.* 28
c. Si quis, & *c. Eos*, 81. *diſt.* Et hinc fit ut ob reſpectum, quem habet præbenda ad Canoniam, quia ſcilicet ex ea procedit, & pro Canonico inſtituta eſt, ſi alicui præbenda vacans conferatur, vel de ipſa quis inveſtiatur, perinde ſit, ac ſi inveſtiretur de Canonicatu, ut notatur in *c. Transmiſſam*, *infrà de elect.* Nam ex hoc ipſo, & Canonia intelligitur collata. Secundùm Compoſt. *hic num.* 10. & Bald. *nu.* 19. quia unum trahit ad ſe reliquam rationem connexionis, & cujuſdam unionis. Unde ſufficit, ut in literis Papæ, vel Epiſcopi fiat mentio de altero, quia correlativa ſunt, & unum ab altero dependet. Fatetur tamen Compoſt. conſultiùs eſſe, ut collator dicat: Confero tibi præbendam cum plenitudine juris Canoniæ, ut *c. Propoſuit*, *infrà de conceſſ. præb.* Tu adde Dominus de Rota *deciſ.* 547. *Utrum* 29
Canonicus, *aliàs* 72. *de reſcr. in antiq.* ubi decidunt gratiam non eſſe ſubreptitiam, ſi Canonicus præbendatus impetret aliud beneficium facta mentione de præbenda quam obtinebat, non autem de Canonicatu, licèt contrarium reſolvant in caſu converſo, videlicet in eo, qui fecit mentionem de Canonicatu, & non de præbenda, ut in *dec.* Biſi-
gnetti 2. *Utrùm Canonicus de præbend.* & fuſiùs *deciſ.* 449. 30
Quidam habens, aliàs 33. *de reſcript. in novis.* De quo tamen vide quod plenè ſcripſi in *c. Eam te*, *infr. de ætat. & qualit.*

Quandoque verò præbenda accipitur largiùs pro jure, 31
quod alicui non tamquam de collegio, ſed ratione miniſterii, vel officii, vel paupertatis, aut utilitatis conceditur ad utendum, & fruendum certis rebus Eccleſiæ, ut redditibus, quos Canonici, vel alii percipiunt. De qua præbenda habetur in *cap. Quia nonnullis*, *infrà de magiſtr. in c. Poſſeſſiones*, 16. *quæſt.* 1. & in *c. Illud*, *quæſt.* 6. Nec talis præbendatus intererit communibus tractatibus, cùm non ſit ei collata præbenda ut Canonico. Unde laici nobiles, qui ab Eccleſia Compoſtellana, & Eccleſia ſancti Martini Tu-

Turonis recipiuntur in Canonicos, vocem in electionibus, vel aliis tractantibus non habent, cùm ſit jus ſpirituale, quod in laicum non cadit, *c. Sacroſancta, & cap. Maſſana, de elect.* Sed per talem receptionem intelliguntur ipſi nobiles jus conſequi quantum ad ea, quæ de jure capere poſſunt, cujuſmodi ſunt temporalia, quotidianæ diſtributiones, & ſimilia, *Arg. c. Paſtoralis, de donat.* & *l. Si aliquando, ff. De leg.* 1. & ita hìc declarat Compoſt. *num.* 10. *ſeqq.* & ſecundùm hæc accipiendum eſt quod hìc notant Vincentina & gloſſ. *in verſ. Receperunt*, & Hoſtien. *num.* 6. dum dicunt laicum, quamvis non poſſit eſſe Canonicus, poſſe tamen eſſe præbendarium. *Arg. cap. In Eccleſia, infrà de inſtitut.* Hoc enim debet intellige de præbenda non canonicali. Secus verò ſi ſit annexa Canoniæ, quia tunc quamvis habeat aliquid temporalitatis, tamen propter illam annexionem eſt jus ſpirituale, ut probat textus in *c. Delicto*, & ibi dixi *nu.* 7. poſt Card. & Abb. *infrà de præb.* & propterea merus laicus talis præbendæ non eſt capax, ut ibi declarat Abb. in 5. *notab.* & in *c. Majoribus, eod. tit.* Hodie tamen hæc differentia non videtur am-
32 pliùs admittenda, quia præbendæ conſideratæ ſeorſim à Canonia nihil aliud ſunt, quàm ſtipendia, ſeu penſiones ſuper redditibus Eccleſiarum, quæ quidem penſiones hodie multum habent ſpiritualitatis, & non reſervantur niſi prima tonſura initiatis, ut ſervat Curia, & ſcripſi latè in *c. Cum in cunctis*, *à n.* 94. *de elect.* & in *c. Ad audientiam, à n.* 40. *uſque ad n.* 121. *de reſcrip.*

33 Octavò nota, ex iiſdem verbis, *ita quod de Canonia nihil perciperent*, non eſſe ſimoniacum recipere aliquem in Canonicum eo pacto, ut de præbendis diſtinctis nihil percipiat, & ita intelligunt hanc literam gloſſ. *in verſ. Perci-*
34 *perent*, & Innocent. *n.* 5. Ratio eſt, quia hìc ſtatuto ordinabatur, ut antiquæ præbendæ inter Canonicos diſtinctæ non minuerentur; & hoc juri conſonabat: pactio autem juris conſona ſimoniam non inducit, quia hæc promiſſio aliàs illicita propter juris concurſum efficitur licita; ſecus
35 verò ſi reciperetur cum pacto, ut nec de Canonia, nec de præbendis diſtinctis, nec de communibus proventibus aliquid perciperet, hoc enim eſſet ſimoniacum, ut *c. Dilectus, il* 1. *infrà de præb.* Ad hoc Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 14.

36 Hæc concluſio non probatur hìc, quia ex proteſtatione, & pacto Canonici antiqui intendebant excludere noviter receptos a redditibus ſuperexcreſcentibus, quod non erat juri conſonum; eſt tamen in ſe vera, quia quæ de jure inſunt, licitè deducuntur in pactum etiam in ſpiritualibus, *c. Significatum, & c. Per tuas, de Simon.* gloſſ. *in c. Ad audientiam, in ver. Renunciantes, de reſcript.* gloſſ. 2. *in c.* 1. *de reſtit. ſpoliat. lib.* 6. Butr. *hic num.* 49. Abbas *nu.*
37 24. & Dec. *num.* 131. & alii communiter. Hic verò proteſtatio non damnatur tamquam ſimoniaca, quia inter electores, & electum nulla interceſſit pactio, vel conventio, ſed tantummodò Canonici inter ſe ſtatuerunt, ut receptus nihil perciperet. Condendo autem ſtatutum quamvis malum, non commiſerunt ſimoniam, licèt aliàs peccaverint. Sed ſi hoc in pactum deduxiſſent, utique fuiſſent ſimoniaci, ut *c. Artaldus*, 8. *quæſt.* 3. *& c. Quam pio*, 1. *quæſt.* 2. & hunc intellectum approbat Innoc. *d. num.* 5. *In verb. Perciperent, verſ. Vel dic melius*. Abb. Antiq. *num.*
38 2. *in ver. Ita quod.* Hoſt. *num.* 6. Joan. Andr. *numer.* 36. qui ex hoc notabiliter inferunt, ut pactum initum inter eligentes non noceat electo. Sed circa hoc vide tu quod ſcripſi *in c. Nobis, de ſimon.* ubi latiſſimè in utramque partem diſſerui, an electio facta per ſimoniam cum electoribus commiſſam, electo ignorante, ſit ipſo jure nulla, *à nu.* 35. *uſque ad num.* 83. Item pondera Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 14. & Conſtitutionem S. Pii V. quæ incipit, *Dum nimis, in Bullar. tom.* 2. *pag.* 310.

39 Nonò nota ibi, *per Canonicorum induſtriam*, Canonicis de novo receptis providendum eſſe de redditibus ſuperexcreſcentibus, etiamſi hujuſmodi incrementum provenerit ex induſtria antiquorum Canonicorum: hic enim Papa non admiſit allegationem eorumdem Canonicorum dicentium, fructus excreviſſe per eorum induſtriam, quia alios recipiendo ſibi præjudicium intulerunt, cùm tot ponendi ſunt in Eccleſia, quot ex ejus redditibus poſſunt commodè ſuſtentari, *c.* 1. *infrà de inſtit.* Ideòque Papa ſimpliciter mandat, ut receptis aſſignentur redditus ſuperexcreſcentes, nec diſtinguit unde augmentum provenerit. Neque [illegible], ex quo reperiuntur adaucti, *c. ut. de verb. ſignif.* gloſſ. *hic in ver. Induſtriam.* Hoc enim favore divini cultus introductum eſt in ampliandis Eccleſiæ miniſtris, ſecundum Innocent. *hîn num.* 8. *in verſ. Su-*
perexcreſcentes. Sed hoc notabiliter declarant Doctores 40
ut procedat ſi prædia ſint communia, & redditus communiter augmententur. Secus verò ſi præbendæ ſint omninò diſtinctæ, & ſeparatæ, & per induſtriam Canonici ſua præbenda augmentetur, quia tunc augmentum cedit ei ſoli, nec eos dividere, aut cum alii communicare compellitur. *Arg. l. Cæterum, ff. De rei vendic. c. ult. in* 1. *reſp. infrà de pecul. Cleric. c.* 1. *in fine de uſura, & c. Cùm cau-*
ſam, de præben. Nam & paludes melioratæ cura cultorum 41
non debent ſeparatim cenſeri, ne diligentiam ſuam ſibi damnoſam intelligant, dicit textus in *l. ult. C. de alluvion.* & ita hìc declarant Hoſt. *n.* 17. Jo. Andr. *n.* 37. & Butr. *n.* 56.

Decimò nota ibi, *ſicut Conſuevit*, ex omiſſione clauſu- 42
læ ex ſtylo Curiæ apponi conſuetæ reſcriptum non vitiari, quia ſubintelligitur, ut hìc eſt textus apertus, quem ad hoc ponderat Roman. in *conſ.* 376. *Quæſtio eſt, in fine.* Butr. *hic num.* 19. Imol. *num.* 9. *verſ. Item potes notare quod clauſula*, concordat textus *in c. Accepimus*, & ibi dixi in 2. *notab. infr. de ætat. & qual.*

Undecimò nota ibi, *niſi in tantum excreſcerent Eccle-* 43
ſiæ facultates, in Conſtitutione Eccleſiæ, qua taxatur certus Canonicorum numerus, ſubintelligi tacitam conditionem, niſi Eccleſiæ redditus augmententur, ut hìc eſt caſus ſecundùm Card. *in princ.* & notat gloſſ. *in ver. ſufficere*, cum qua omnes tranſeunt. Ratio eſt, quia quælibet di- 44
ſpoſitio intelligitur rebus ſic ſtantibus, *c. Beatus*, 22. *q.* 2. & *c. Quemadmodum, cum ibi notat. de jurejur.* Domini de Rota apud Cæſar. de Graſſ. *deciſ.* 4. *n.* 17. *de reb. Eccleſ. non alienan.*

Ex quo notabiliter infero ut decretum Concilii Triden- 45
tini *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* quo præcipitur, ut in Monaſteriis Monialium is tantùm numerus conſtituatur, & impoſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſynis congruè poſſit ſuſtentari, ſit intelligendum, & declarandum, niſi redditus Monaſterii adeò excreverint, ut ad plurium Monialium ſuſtentationem congruè ſufficiant, juxta textum hìc. Nam iſti Canonici fecerunt conſtitutionem, ut præ- 46
bendæ eſſent quatuordecim tantùm, & conſtitutio fuit à Sede Apoſtolica confirmata, ut patet *in verſ. Verùm*, & *infrà in verſ. Mandamus*. Per quam quidem confirmationem Conſtitutio effecta fuerat Papalis, nec videbatur poſſe à Canonicis revocari, *c. Si Apoſtolica, c. Si eum, & c. Hi qui, in fin. de præbend. lib.* 6. *c. Cùm aliquibus, de reſcrip. eodem lib.* Cardin. *conſ.* 130. *Ad primam partem, numer.* 6. Dec. *in cap. Cùm acceſſiſſent, num.* 12. *ſupr. eodem*, & tamen textus decidit hujuſmodi Conſtitutionem eſſe intelligendam juxta clauſulam conſuetam: *Dummodò redditus Eccleſiæ non fuerint augmentati*. Quinimò hoc vendicat ſibi locum, etiamſi confirmatio facta fuiſſet à Papa cum decreto irritanti, quia nihilominus Canonici potuiſſent frangere numerum, ſi fructus ſuperexcreviſſent: nam, ut inquit Butr. *hic num.* 2. *verſ. Si eſt confir-*
matus. ſtatutum, & confirmatio ſtatuti limitatur ad li- 47
mites cauſæ ſtatuti. Cauſa ſtatuti determinativa, & refrænativa numeri eſt ſola penuria fructuum, quia aliter non conceditur. Augmentatio ergo fructuum debet eſſe cauſa reſolutiva ſtatuti ex defectu cauſæ. Et hoc eſt, quod dicimus, ſtatutum recipere conditionem reſolutivam ſtatuti, niſi fructus ſuperexcreverint. Hæc Butrius, & ſequuntur Felin. in *d. c. Cùm acceſſiſſent, num.* 13. *ſup. eod.* & Janſ. *in l. Quod Servius, num.* 11. *ff. De condit. cauſ. data non ſeq.* Ita ergo in propoſito videtur dicendum in decreto præfixionis, & conſervationis numeri in Monaſteriis Monialium.

Et in hunc ſenſum videtur accipienda Conſtitutio Gregorii XIII. *Deo ſacris Virginibus*, §. 6. *in Bullar. to.* 2. *pag.* 368. dum mandat ut locorum Ordinarii etiam in Monaſteriis exemptis cum illorum Superiorum interventù numerum Monialium præfigant, neque ſupra illum numerum aliæ recipi poſſint, etiam de conſenſu ſuorum Superiorum: ex hoc enim non videtur interdicta augmentatio numeri ex redditibus ſuperexcreſcentibus, per ſupradicta.

Hæc tamen obtinent in Monaſteriis Monialium dumtaxat ubique locorum, & in Monaſteriis virorum ultra montes, ut ſcripſi pleniùs in *cap. 1. in ſuprad. quæſt. infr. de inſtit.* non autem in Monaſteriis virorum Italiæ, & Inſularum adjacentium, quia in decretis *de celebr. Miſſar.* non ita pridem editis à Sac. Congregatione Concilii in §. 13. *in Bullar. tom. 4. pag.* 316. ſpecialiter cautum eſt, ut Superiores regulares perpetuò ſervare teneantur numerum familiæ in prædictis Monaſteriis Capituli Generalis, vel provincialis authoritate præfinitum, nec poſſint quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redditu um abſque Sacræ ipſius Congergationis licentia, ſub pœna privationis officiorum vociſque activæ, ac paſſivæ, & perpetuæ inhabilitatis eò ipſo incurrenda, Idemque prius ſanxerat Paulus V. in Conſtit. quæ incipit, *Sanctiſſimus edita die* 4. *Decemb.* 1605. *ut in Bullar. tom.* 3. *pag.* 187.

Duodecimò nota ibi, *ad vacaturas præbendas quatuor receperunt.* De jure communi non videri prohibitam receptionem Canonicorum cum expectatione futuræ præbendæ, ſed quia hoc videtur obviare Concilio Lateranenſi in *c. Nulla inf. de conceſſ. præbend.* & à Doctoribus dantur variæ ſolutiones, ego hunc articulum expediam infra cum gloſſ. *in verſ. Ad vacaturas præbendas*, diſtinguendo quinque caſus.

Decimotertiò nota ibi, *antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus conſuetas*. Canonicis de novo receptis non teneri antiquos Canonicos communicare ſuas præbendas, ſed tantum redditus ſuperexcreſcentes.

50 Sed contra. Canonici antiqui venerunt contra Conſtitutionem ſuam recipiendo Canonicos ultra numerum in Conſtitutione præfixum. Ergo non debent beneficio ipſius Conſtitutionis juvari, *c. Cum acceſſiſſent, ſuprà eodem*: nec Canonicis nuper receptis debent negari præbendæ, *c. Dilectus, il 1. infrà de præb.* Doctores ſolvunt contrarium tripliciter.

Prima ſolutio eſt Innocentii hìc *num.* 7. quòd hìc propterea non debeant communicari præbendæ, quia Conſtitutio non loquebatur de numero Canonicorum, ſed de numero præbendarum dumtaxat: aliud enim eſt Canonia, aliud præbenda; unde recipiendo Canonicos ultra numerum, non venerunt contra Conſtitutionem: meritò Papa determinat ut conſuetæ præbendæ antiquis Canonicis cum integritate permaneant. Et ex hoc ſingulariter nota numerum præbendarum non frangi per receptionem ultra numerum Canonicorum: & hæc ſolutio communiter tenetur, ut hìc teſtatur Imol. *n.* 30. ſed repugnat litera ibi, *in derogationem ſuæ conſtitutionis*, ut latiùs dixi *ſup. in evidentialibus*, *n.* 3. *&* 19.

Secunda ſolutio eſt Compoſtellani hìc num. 5. in *verſ. Conſuetas*, Quòd ideò Canonici antiqui non debuerunt ſuas præbendas communicare, quia proteſtati fuerunt, ut per hoc præbendarum numerus in Conſtitutione taxatus non frangeretur: alioquin niſi fuiſſent proteſtati, debuiſſent ſuas præbendas communicare, ut *c. Dilectus, il 1. infrà de præb.* ubi diſponitur, ut dentur eis quotidianæ diſtributiones. Sed hæc ſolutio non recipitur à Doctoribus. Tum quia proteſtatio fuit contra jus, tum quia fuit contraria facto, ut dixi *ſup. in 6. notab.*

Tertia ſolutio eſt gloſſæ hic in *verſ. Cùm integritate*, quod numerus antiquarum præbendarum fuit fractus per receptionem ultra numerum, & communicatio earumdem præbendarum juſta fuit, ſed eam Pontifex non conceſſit, quia recepti eam non petierunt. Hæc ſolutio eſt optima ad textum, quia revera novi Canonici non petierunt niſi fructus ſuperexcreſcentes. Sed reſtat dubium, an per ſuperexcreſcentiam fructuum, & receptionem Canonicorum ultra numerum frangatur numerus præbendarum. In quo dubio diſtingue plures caſus, ut hìc per Butr. *num.* 33. & vide quæ ſcripſi in *c. Dilectus, il 1. num.* 21. *&* 25. *infrà de præb.*

51 Decimoquartò nota ibi, *pares cum aliis ſortiri præbendas*. Canonicis ultra numerum deberi fructus ſuperexcreſcentes, uſque ad quantitatem valoris præbendarum antiquarum, & non ultra: quod verò ſuperfuerit, in communes uſus Canonicorum, vel aliter, ut melius videbitur,

52 eſſe convertendum, ut dicitur in litera. Sed quid ſi redditus ſuperexcreſcentes non ſufficiant niſi ad unam præbendam? Innoc. *hic num.* 6. *in verſ. Superexcreſcent*. Hoſtienſ. *num.* 19. Petrus de Samplone, & Compoſtell. *num.* 25. *verſ. Item pone*, tenent adhuc eſſe dividendos inter omnes receptos æqualiter, *arg. hujus literæ*; & quia ſi Papa concedit noviter receptis, quod plus eſt, ſcilicet fructus quando ſunt pares præbendis, cenſetur etiam concedere quod minus eſt, ſcilicet quando non ſufficiunt, *arg. c.* 1. 16. *quæſt.* 2. *& cap. Ex parte, il* 3. *de Decim.* Sed Vincentius, Ægid. & Abb. Antiq. hìc *num.* 5. *in verſ. Pares*, dicunt eſſe in arbitrio ſuperioris eligere cui det, & ſic eſſe locum gratificationi, *arg. c. Quod autem, infr. de Jurepatr. & l. Privilegia, ff. De privil. credit.* placet diſtinctio Jo. Andr. hìc *num.* 11. quod ait: Apparet quis ſit primò receptus; & tunc debentur illi fructus ſuperexcreſcentes, etiamſi non ſufficiant niſi ad unam præbendam, quia gratificatio non habet locum niſi ubi eſt paritas, *c. penult. de reſcr. lib.* 6. Item ſi hoc habet locum in præbenda, ut ſcilicet debeatur prius recepto; ergo & in fructibus, qui ſuccedunt loco præbendæ, *arg. c. Eccleſia, infr. Ut lit. pend.* Fatetur tamen Jo. Andr. præbendam non ita eſſe affectam, 53
ut collatio alteri facta non teneat ſecundùm ea, quæ notantur in *c. Si ſoli, conceſſ. præb. lib.* 7. Aut non apparet quis ſit primò receptus, & tunc fructus æqualiter ſunt dividendi juxta primam opinionem Innocentii, & ſequacium, quæ diſtinctio fuit originaliter Compoſt. *l. c.*

Ultimò nota ibi, *revocatis in irritum*, quicquid ab alterutra parte fuerit innovatum poſt motam litem, in irritum eſſe revocandum tamquam attentatum, ut hìc, & in *c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, infr. Ut lit. pend.* cum aliis hìc alleg. in gloſſ. *in verſ. Poſt motam quæſtionem*, revocatio tamen fieri debet prævia diligenti cauſæ cognitione, ne alioquin lite pendente quis privetur commodo ſuæ poſſeſſionis contra id, quod habetur in *c. Volumus*, 16. *quæſt.* 4. & in *cap. Conſultationibus, de jurepatr.* ſecundùm Innocent. *hic num.* 9. *in verb. Revocatis*, & Imol. *numer.* 38. Idem firmant Innocent. & Jo. Andr. in *c. Epiſcopi, de rebus Eccleſ. non alien.* Cum enim attentare ſit delictum, 55
Bellam. *deciſ.* 18. *incip. Oneratio conſcientiæ, num.* 1. Lancell. *de Attent. in præfat. num.* 104. *&* 105. & delicta concludenter probari debeant, *c. Super his*, ubi Felin. *n.* 27. *de accuſat.* Butr. *dec.* 440. *incip. Franciſcus de Arala, n.* 3. *p.* 1. Inde fit ut attentata ſint plenè probanda, ut decidunt Domini de Rota *dec.* 411. *n.* 1. *p.* 2. *rec.* Unde in primis, & ante omnia non eſſe revocanda attentata quando ſunt turbida, dixit Rota *dec.* 651. *n.* 1. *p.* 3. *rec.* & poteſt Rota hujuſmodi attentata turbida non attendere, quando cauſa fuit commiſſa ejus arbitrio, ut *dec.* 657. *nu.* 4. *in rec. p.* 3. De materia attentatorum, & intellectu hujus textus vide hìc plenè per Compoſt. *n.* 19. *in verſ. Revocatis*, Butr. *n.* 58. Imol. *num.* 38. & Abb. *in gloſſ. fin. n.* 32.

In gloſſ. ad vacaturas præbendas. Quæro an Canonici recipi poſſint cum expectatione futuræ præbendæ? 57
Pro clariori quæſtionis ſolutione quinque caſus videntur diſtinguendi ex mente Doctorum, præſertim Antonii de Butr. *hic num.* 32. & Jo. de Imol. *nu.* 25. *verſ. In gloſ. ad præbendas*.

Primus Caſus eſt, cùm receptio fit purè & ſimpliciter, 58
cum intentione tamen, ut receptus habeat præbendam cùm primùm vacaverit: & indubitanter concludendum eſt, receptionem valere. ut *c. Dilectus, il 1. & cap. Pro illorum, de præb.* & tali provideri debet, cùm ſe facultas obtulerit, *c. Relatum, eodem tit. & c. Accedens, de Conceſſ. præb.* & in hoc primo caſu intelligi debet literas hujus decretalis ibi, *Ad vacaturas præbendas receperunt*: nam Canonici antiqui recipiebant ſupranumerarios in Canonicos, & in fratres purè & ſimpliciter: ſed non intendebant eis aſſignare præbendas, niſi cùm vacarent. Undè verba illa non denotant formam receptionis, ſed intentionem recipientium, & noviter recepti agebant ad præbendas ex vi receptionis ad jus Canoniæ, non ex vi promiſſionis. Et hic intellectus colligitur ex gloſſa noſtra, & communiter recipitur à Doctoribus, exploſa interpretatione Innocentii, quòd hæc decretalis contineat diſpenſationem, & non jus commune, & hic primus caſus eſt ſatis planus.

Secundus caſus eſt, cùm quis primò recipitur purè in 59
Canonicum, & deinde ex intervallo ei promittitur præbenda proximè vacatura. Et cum aliud ſit Canonica, aliud

aliud præbenda, vel receptio ad Canoniam ſecundùm omnes, ut hìc teſtatur Butr. *numer.* 32. *verſ. Secundus caſus*. Sed an valeat vacaturæ promiſſio, ſunt opiniones. Gloſſ. 1. in *cap. Relatum*, *de præb.* ſentit promiſſionem valere; & hanc partem tuetur Dec. *hic n.* 128. per textum in *d.c. Relatum*, & quia promiſſio vacaturæ habet fomentum juris, cùm non debeat carere præbenda qui in Canonicum eſt electus, *c. Cum ſuper*, *de conceſſ. præbend.* & alias illicitum propter concurſum juris efficitur licitum: unde non eſt ſimonia, ſi promittatur quod de jure communi debetur, ut dixi *ſupra n.* 34. *&* 36. In contrarium eſt communis opinio, à qua non videtur recedendum, ut hìc per Ripam *n.* 185. quia promiſſioni vacaturæ præbendæ reſiſtit Concilium Lateranenſe in *c. Nulla*, *de conceſſ. præbend.* ob eam rationem, quia inducit votum captandæ mortis, ut ibi, & in *c. Deteſtanda*, *& c. ſeqq. eod. tit. lib.* 6. Hæc autem ratio militat etiam eo caſu, in quo collato Canonicatu promittitur præbenda vacatura.

60 Non obſtat, quòd hæc promiſſio ſit expreſſio ejus, quod de jure communi tacitè inerat: nam ut reſpondent Butr. & Imol. *locis citatis*, hoc caſu iſtud non ſufficit, ne detur occaſio ex tali promiſſione captandi mortem alterius: ſicut in ſimili, quamvis ex diſpoſitione juris communis poſſit quis licitè expectare hæreditatem proximi, vel propinqui ſui ab inteſtato decedentis; tamen de hæreditate illa paciſci non licet, ut *leg. fin. Cod. de pact.* Accedit regula expreſſa, *Nocent*, *&c. ff. de reg. jur. cum concordant* de
61 quibus ibi in gloſ. *unic.* Deinde & fortè meliùs reſpondet Ripa *dict. num.* 185. expreſſionem ejus, quod de jure ineſt, hoc caſu vitiari, quia alio modo exprimitur, quàm inſit, *arg. leg. Si ita*, §. *Illi ſi volet*, *ff. de legat.* 1. Nam collato
62 ſimpliciter Canonicatu per Capitulum, ſeu Ordinarium, præbenda vacatura non eſt affecta, quò minus cùm vacaverit poſſit alteri conferri, ut hìc tenet Joan. Andr. *num.* 11. poſt Innocent. & alios in *cap. Inter cætera*, *de præbend.* Ideòque ceſſat eo caſu ratio captandi mortem alterius à Lateranenſi Concilio conſiderata. At quando vacatura præbenda promittitur, ſi promiſſio obligaret, præbenda illa eſſet quodammodo affecta, & jus Canonico acquiſitum ad vacaturam, *arg. cap. Si capitulo*, *& cap. Si ſoli*, *de conceſſ. præbend. lib.* 6. Quod quidem jus ad vacaturam nullus inferior à Papa dare alicui poteſt, propter votum captandæ mortis: & ſic promiſſio dicitur aliter fieri, quàm de jure communi tacitè ſubintelligeretur: meritò tamquam contra Concilium Lateran. facta non valet. Non obſtat textus, cui Decius innititur in *d. cap. Relatum*; nam ut reſpondet Ripa, ubi ſuprà, etſi Papa mandet ibi præbendam conferri juxta promiſſa, non tamen ex promiſſione jus aliquod erat acquiſitum Canonico, ſed ad majorem aggravationem Capituli recuſantis conferre præbendam Papa ponderat illam promiſſionem, ſecundum Abb. in *d. cap. Dilectus*, *il* 1. *de præbend.* Conclude igitur in hoc ſecundo caſu valere receptionem in Canonicum, ſed non promiſſionem vacaturæ præbendæ, & ſic utile per inutile non vitiari, juxta regul. Sexti, *Utile*.

63 Cave tamen, quia ſic recepto nihilominus conferri debet præbenda cùm vacaverit, non quidem ex vi promiſſionis, quæ nulla eſt, ſed ex vi connexionis, quam habet præbenda ad Canoniam, textus eſt in *d. cap. Dilectus*, & firmat gloſſ. in *cap.* 2. *verſ. Indirectè*, *de conceſſ. præb. lib.* 6. Innocent. *hic num.* 6. *verſ. Ubi autem ſimpliciter*, & Abb. *num.* 29. Et quamvis contrarium ſenſerit Innocent. in *d. c. Dilectus*, tamen ejus dictum damnant communiter Doctores, ut illic teſtatur Butr. *num.* 9. *verſ. Hæc eſt in effectu*. Non enim ſubſiſtit illius motivum, quòd hinc aperiatur via ad vacaturas. Quandoquidem quòd debeatur vacatura ubi promittitur, eſt ex diſpoſitione hominis, quo improbatur à jure, & ita loquitur *cap.* 2. *de conceſſ. præb.* Quòd autem debeatur ex diſpoſitione juris ſurgentis ex receptionis actu, hoc jure non damnatur, quinimo permittitur, ut in *d. cap. Relatum cum ſimil.* Nec obſtat, quòd ſecundùm Innocentium Canonico ſupranumerario non debeatur præbenda cum vacat, ſed numerario: hoc enim eſt falſum, quia cùm vacat præbenda, Canonicus ſupra numerum extinguitur, & numerum antiquum ingrediatur: unde cùm jam reperiatur numerarius, nil repugnat, quominus vacantem habere poſſit, ut benè ibi per Butr. *n.* 16. *verſ. Sed adverte*.

Tertius caſus eſt, cùm quis recipitur in Canonicum, 64
& eodem tempore, ſubdiverſa tamen conceptione verborum, promittitur ei vacatura ea intentione, ut illicò ſit Canonicus, & poſteà tempore vacationis ſtatim habeat præbendam: & tunc ſecundùm omnes valet receptio in Canonicum, ſed non promiſſio vacaturæ, ut hìc teſtatur Butr. *n.* 32. *verſ. Tertius caſus*. Ratio eſt, quia iſti ſunt duo actus ſeparati; & ideò unus non inficitur ab alio: & cùm receptio ad jus Canoniæ ſit ſimplex, & ſola promiſſio vacaturæ habeat vitium, ut in *c.* 2. *de conceſſ. præbend.* hæc ſola debet infici, per reg. *Utile per inutile*, *lib.* 6. & hoc tenet Innocent. hic *n.* 6. *verſ. Ubi autem ſimpliciter*, & gloſſ. in *d. c. Dilectus*, *il* 1. *in verſ. Approbantes*, *de præb.* Itaque tertius caſus, & ſecundus à pari procedunt.

Nec prædictis adverſatur declaratio Sacræ Congrega- 65
tionis Concilii, dum cenſuit poſſe ab Epiſcopo Canonicos ſupranumerarios creari, ea tamen conditione, ut nullum jus ad præbendam vacaturam habeant, vel vendicent ſibi ex tali erectione. Hæc enim declaratio non ita intelligi debet, ut Canonici ſupranumerarii non debeant habere jus ad præbendam poſtquam vacaverit, idque in pactum deduci debeat. Hoc enim eſſet contra jura, quia eo ipſo quòd quis recipitur ultra numerum, habet jus ad vacaturam præbendam, ut *cap. Cùm ſuper*, *de conceſſ. præb. c. Relatum*, *& c. Dilectus*, *il* 1, *de præb.* Nec poteſt in receptione apponi contraria conditio, ut patet ex dictis *ſup. num.* 17. *& in* 6. *&* 8. *notab.* Sed declaratio in hunc ſenſum videtur accipienda, ut Canonici ſupranumerarii non poſſint præbendam poſtea vacantem propria authoritate apprehendere, ut innuunt illa verba: *Nullum jus ſibi vendicent*, *&c.* Per receptionem namque ultra numerum 66
non cenſetur collata præbenda; & ideò vacante præbenda non poteſt illam jure proprio ſibi vendicare, quia antequam ſit ei collata, etiam ſi petierit illam ſibi conferri, habet jus ad rem, ſed non in re; ut eſt textus in *cap. Si poſtquam*, *& in c. penult. de conceſſ. præb. lib.* 6. & declarat hìc Felin. *num.* 16. *verſ. Sed hæc opinio*. Caveant igitur Epiſcopus, vel Capitulum, ne in creandis vel recipiendis Canonicis ſupranumerariis paciſcantur, ut præbendam vacaturam habeant, vel non habeant: utrumque enim pactum eſt illicitum, & à jure improbatum: ut ex dictis conſtat: ſed hoc relinquant diſpoſitione juris communis, vel certè apponant conditionem, ut ſic recepti non poſſint abſque nova collatione præbendam poſtea vacantem propria authoritate ſibi vendicare, juxta declarationem S. Congregationis.

Quartus caſus eſt, cùm eodem tempore, & ſub diver- 67
ſa conceptione verborum quis recipitur in Canonicum, & promittitur ei præbenda vacatura, effectus tamen receptionis utriuſque confertur in tempus vacaturæ; ita ut ſic receptus non ſit Canonicus ſtatim, ſed ſolùm habeat præbendam, & Canonicatum cùm præbenda vacaverit: & hoc 4. caſu Innoc. *in d. cap. Dilectus*, *il* 1. *de præb. in princ.* ſup. gloſſ. in *verſ. Proximo*, firmat non valere receptionem, habita conſideratione magis ad unitatem effectus in tempore ſimultaneam, quàm ad diverſitatem conceptionis verborum: & ſic concludit tam receptionem, quàm promiſſionem vitiari, quaſi judicentur unus actus conjunctus, & individuus propter unionem effectus; & ſequitur Butr. *hic num.* 32. *verſ. Quartus caſus*, dicens, benè notandum, & Imol. *num.* 26. *verſ. Secus ſi conſtaret de mente*.

Quintus, & ultimus caſus eſt, cùm receptio, & pro- 68
miſſio vacaturæ ſit ſub unica verborum ſtructura, velut ſi dicatur: Recipio te ad vacaturam præbendam; & tunc gloſſ. in *præalleg. c. Dilectus*, *il* 1. *de præb. in ver. Approbantes*, & Innocent. *hic num.* 6. *in ver. Vacaturas*, tenet abſolutè receptionem non valere. Tu verò ex mente Doctorum diſtingue tres caſus: nam aut conſtat effectum tam receptionis ad Canonicatum, quàm promiſſionis præbendæ collatum fuiſſe in tempus vacationis: & explorati juris eſt receptionem non valere, ut probatur à fortiori ex dictis in caſu præcedenti, & tenet hìc Butr. *dict. num.* 32. *verſ. Quintus caſus eſt*, & Imol. *numer.* 26. *verſ. Et idem multò fortiùs*. Aut conſtat recipientes 69
voluiſſe, ut receptio ſtatim valeret, ſed collatio præbendæ ſortiretur effectum tempore vacationis: & tunc Innocentius in *d. cap. Dilectus filius*, *il* 1. *num.* 1. *in ver.* Pro-

Proximo, tenet receptionem valere, & ſolam promiſſionem vitiari, quia licèt inſpecta unitate conceptionis verborum videatur unicus actus, & individuus; tamen habita conſideratione ad mentem, & effectum, cenſentur duo actus ſeparati; & ideò utilis ab inutilis non inficitur, conſentiunt hìc Butr. *d. num.* 32. *verſ. Sextus caſus*, & Imol. *num.* 26. *verſ. Si autem conſtaret.* Aut denique verſamur, in dubio, eò quòd non appareat, an recipientes voluerint effectum receptionis differre in tempus vacationis, nec ne. Et in hoc dubio unitas orationis, & conceptionis verborum efficit, ut non teneat receptio, quia effectus tam receptionis, quàm promiſſionis videtur collatus in tempus vacationis futuræ, ut in *præalleg. cap. Dilectus* & ibi gloſſ. in *ver. Approbantes*. Secus quando in diverſis orationibus fit receptio, & promiſſio vacaturæ, ut in ſecundo, & tertio caſu; quia tunc in dubio mens videtur fuiſſe, ut receptio ſtatim valeat; & propterea hæc valebit, licèt non valeat promiſſio vacaturæ, ut hìc benè per Imol. *d. num.* 26. *verſ. In dubio tamen*.

Inveſtigandum hìc eſſet, an receptus ultra numerum debeat habere ſtallum in Choro, vocem in Capitulo, & quotidianas diſtributiones. Sed hanc quæſtionem plenè examino in *d. cap. Dilectus, il primo, de præbend.* Ubi etiam vide, an per hujuſmodi receptionem numerus frangatur.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Idem Innocentius III. Abbati, & Conventui S. Silveſtri.

CAPUT X.

ECcleſia ſanctæ Mariæ: & infrà. Nos attendentes, quòd laicis (etiam religioſis) ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi; à quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis exiſtit: niſi ab Eccleſia fuerit approbatum. Unde ſtatutum Baſilii de non alienandis prædiis ruſticis vel urbanis, miniſteriis, & ornamentis Eccleſiarum, illa reprobatum fuit potiſſima ratione, quòd authoritate non fuit Romani Pontificis roboratum. Quod à ſenatore factum fuerat in præjudicium Monaſterii non conventi nec confeſſi vel convicti, in irritum revocantes, eaſdem poſſeſſiones reſtituendas ſibi ſententialiter definimus.

S U M M A R I U M.

1 *CAuſæ Eccleſiarum per conſtitutiones laicorum diffiniri non debent.*

2 *Lex ſæcularis generaliter lata, ad Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, aut earum bona in earum præjudicium non extenditur.*

3 *Statutum generale laicorum non ligat clericos, ſive redundet contra ea, quæ ſunt clericis conceſſa in privilegium, ſive contra ea, quæ illis competunt de jure communi, & nn. ſeqq.*

4 *Diſpoſitio generalis non comprehendit illicita.*

5 *Jus commune difficiliùs tollitur, quàm Privilegium.*

6 *Laici cogi poſſunt per judicem Eccleſiaſticum ad declarandum eorum ſtatutum non comprehendere Eccleſias.*

7 *Lex ſæcularis diſponens de Eccleſiis, perſonis Eccleſiaſticis, vel earum bonis, etiamſi reſpiciat earum commodum, vel favorem, non valet.*

8 *Statuendi poteſtas à juriſdictione dependet.*

9 *Princeps laicus in Eccleſias, vel Eccleſiaſtica negotia nullam habet juriſdictionem.*

10 *Clerici exempti ſunt à ſæculari juriſdictione jure humano, & divino.*

11 *Presbyteri cadaver, qui ſibi mortem conſciverat, areſto Pariſienſi remittitur ad judices Eccleſiaſticos.*

12 *Judex Eccleſiaſticus cognoſcit de clericis vivis, & mortuis.*

13 *Eccleſiaſtica poteſtas lege Evangelica à Chriſto ſupernaturaliter conſtituta eſt.*

14 *Ozias cum minaretur Sacerdotibus, à Deo lepra percuſſus eſt.*

15 *Bona Eccleſiarum, & clericorum exempta ſunt à juriſdictione Principis ſæcularis, jure tam humano, quàm divino.*

16 *Eccleſia numquam humanis legibus conſtringitur.*

17 *Leges civiles, Cod. de Sacroſ. Eccleſ. de Epiſcop. & Cler. & conſimiles non valent ex defectu poteſtatis.*

Imperator recognoſcit Imperium ab Eccleſia, ibid.

18 *Solemnitas introducta ab Imperatore in alienatione bonorum Eccleſiæ non attenditur.*

19 *Leges civiles loquentes de emphyteuſi Eccleſiaſtica debent ſervari.*

20 *Legis ad inſtructionem, Cod. de Sacroſ. Eccleſ. non tenent.*

21 *Clerici etiam de honeſtate non tenentur ad obſervantiam legum ſæcularium, quæ de clericis, & earum bonis expreſsè diſponunt.*

22 *Actus ipſo jure nullus, & cui lex reſiſtit, nec naturalem parit obligationem.*

23 *Statuentes contra immunitatem, ſeu libertatem Eccleſiaſticam, ſunt ipſo jure excommunicati.*

24 *Arma deferendi licentia adverſus edictum Principis laici à quo ſit clericis concedenda.*

25 *Clerici an ligentur edicto Principis ſæcularis de armis non deferendis vi coactiva.*

26 *Et an vi directiva rationis.*

Clerici cum armis reperti an poſſint à curia ſæculari armis ſpoliari, ibid.

27 *Arma clerico ablata à curia ſæculari an ſint ei reſtituenda.*

28 *Clerici cum armis prohibitis deprehenſi qua pœna ſint puniendi.*

29 *Lex civilis generaliter lata ob bonum publicum an comprehendat etiam Clericos vi directiva rationis.*

Clerici an ſint membra Reipublicæ, & veniant populi appellatione, ibid.

30 *Clerici non licet judicem ſæcularem adire pro licentia deferendi arma.*

31 *Eppiſcopus habet merum Imperium in ſua diœceſi.*

32 *Legis civilis non eſt habenda ratio, quando opponitur Canonica.*

33 *Solvendi & ligandi eadem eſt poteſtas.*

34 *Clerici an, & quomodo eximi poſſint per laicum ab obligatione legis de armis non deferendis.*

35 *Armorum uſus jure Canonico eſt clericis interdictus.*

36 *Laicus non poteſt relaxare clericis prohibitionem, juris Canonici de armis non deferendis.*

37 *Arma edicto Principis ſæcularis prohibita an liceat miniſtris curiæ laicalis in Eccleſia perquirere, & inde auferre.*

38 *Eccleſia eſt extra territorium judicis laici.*

39 *Delinquens in Eccleſia non privatur immunitate, niſi propter homicidium, vel membri mutilationem.*

40 *Eccleſia eſt immunis tam quoad perſonas, quàm quoad bona.*

41 *Immunitas conceſſa fuit Eccleſiæ non intuitu perſonæ, ſed ob reverentiam Deo, & ejus Eccleſiæ debitam.*

42 *Familia Epiſcopi de ipſius licentia an poſſit deferre arma prohibita edicto Principis ſæcularis.*

43 *Lex civilis prohibens uſum armorum non comprehendit familiam Epiſcopi, uſque in fin.*

44 *Familia Epiſcopi exempta eſt à juriſdictione ſæculari.*

45 *Epiſcopi debent habere familiam armatam immunitate Eccleſiaſtica gaudentem.*

1 ECcleſia S. Mariæ. Cauſæ Eccleſiarum per conſtitutiones laicorum diffiniri non debent. Hoc dicit ſecundum Jo. Andr. cui ſubſcribunt Ant. de Butr. Cardin. Anch. Imol. Bald. & Bellam. Sed plenius ſecundùm Abb. cum quo tranſeunt Aretin. Felin. & alii recentiores. Hoc intendit ſtatutum generale laicorum ad Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas, vel earum bona in earum præjudicium non extenditur, nec ſpeciale etiamſi earum commodum, & favorem concernat. Dividitur ut per Jo. Andr.

Nota ex hac Decretali duas concluſiones, quæ ſunt veluti claves, & axiomata quædam in materia juriſdictionis, immunitatis, ac libertatis Eccleſiaſticæ.

2 Prima concluſio eſt. Lex ſæcularis generaliter lata, id eſt, nulla Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticarum habita mentione, quantumcumque rationabilis non comprehendit Eccleſias, aut perſonas Eccleſiaſticas, vel earum bona in earum præjudicium. Hæc eſt concors ferè omnium juris civilis, & canonici interpretum determinatio; & in ſpecie ita tenent hic poſt Joan. de Lignan. Anton. de Butr. *n.* 20. Petr. de Anchar. *in* 3. *notab.* Jo. de Imol. *ſub n.* 11. Abb. in 1. *notab.* Felin. *n.* 81. *verſ. Ex hoc infert.* Dec. *n.* 233. Mantuan. *ſub num.* 1. Idem firmant Oldrad. relatus à Feder. de Sen. *conſ.* 85. *n.* 4. Calder. relatus à Card. *conſ.* 144. *n.* 5. Feder. de Sen. *d. conſ. & num.* Card. *d. conſ. & num. & in repet. c. Perpendimus, n.* 13. *verſ. Aut ſi obſervaretur, de ſent. excomm.* Jo. Andr. & Lap. in *c. fin. de Immun. Eccleſ. in* 6. & ibidem Gemin. *n.* 3. *verſ. Sed pone.* Anchar. *n.* 1. *qu.* 1. *verſ. Quæro,* poſt Joan. Andream, Franc. *num.* 2. *verſ. Et ultra etiam,* Bartol. in *l. Filius familias, §. Divi, num.* 11. *de legat.* 1. quem ibi ſequuntur Angel. Imol. Florian. Crott. *num.* 8. Alex. *num.* 12. Ripa *num.* 81. Jaſ. *nu.* 106. qui quamvis poſtea multa in propoſitum alleget, ibi tamen ait omnes ita ſentire, & ita indubitanter eſſe tenendum. Ferdinand. Loaz *num.* 157. Bolognett. *nu.* 200. Ex quibus Crott. Alex. Jaſ. & Laoz teſtantur hanc opinionem communi ſcribentium conſenſu eſſe receptam, & Ripa affirmat eam ſequi communiter Legiſtas, & Canoniſtas. Eamdem probant Bald. in *l. Ut inter divinum, num.* 17. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* & *in conſ.* 133. *lib.* 3. Anton. de Butr. in *c. Tua il* 1. *n.* 4. *de decim.* Redoan. *in tract. de reb. Eccleſ. non alien. qu.* 10. *num.* 6. Cuman. *conſ.* 85. *Præſuppoſito caſu, propè fin.* Jacob à Canib. *in tract. de repreſſal. in* 2. *par. num.* 10. Bertach. *in tract. de Epiſcop. in* 4. *part. numer.* 147. Fabian. de Monte in *tract. de empt. & vendit.* 3. *p. principali n.* 45. *verſ. Sed*

3 *non valeret.* Qui ferè omnes exemplificant in lege, vel ſtatuto laicali prohibente alienationem fieri in non ſubditum. Et quamvis Bart. in *l. Cunctos populos, num.* 27. *verſ. Quintò quæro, C. De Summ. Trinit.* teneat ſtatuta laicorum ſi de Eccleſia, vel clericis expreſsè non diſponant, non valere quatenus redundent contra ea, quæ ſunt conceſſa Eccleſiis, vel clericis in privilegium. Auth. *Caſſa. C. eod. tit.* Secus ſi contra ea quæ non competunt Eccleſiis, vel clericis ex privilegio, ſed ut cuilibet, quia ligant clericos, & ſunt ſervanda in foro Epiſcopali, dummodò ſint honeſta, per *c. Cum veniſſent, de eo qui mitt. in poſſeſſ. c. Conſtitutus, de in integr. reſtit. c. Cum cauſa, de re judic.* tamen ejus opinionem reprobant communiter Doctores, & contra eam præter Cyn. in *l. fin. circa fin. C. Quæ ſit longa conſuetudo,* relatum à Bartolo *ubi ſupra,* tenent Bald. in *l.* 1. *col.* 8. *verſ. Sed hic ulterius quæritur,* & in *l. Omni innovatione, C. De Sacroſ. Eccleſ.* Calder. *conſ.* 11. *hoc tit.* & alii, quos refert, & ſequitur hic Felin. *num.* 81. *verſ. Sed contra Bartolum.* Et hoc dictum Bartoli communiter damnari per Canoniſtas, dicit hic Anton. de Butr. *num.* 20. & Dec. *num.* 233. referens Dominic. idem dicentem in *c.* 1. *de jurejur.* Principalis ratio eſt, quia dicuntur contra libertatem Eccleſiaſticam non ſolùm ſtatuta illa, quæ auferunt Eccleſiis, ſive clericis, quod illis competunt tamquam clericis, & in privilegium, ſecundùm Innocent. & omnes in *c. Noverint, de ſent. excomm.* Sed etiam quæ auferunt quod illis competit de jure communi, & ut cuilibet de populo, *cap. fin. de immun. Eccleſ. lib.* 6. *c. Cum terra,* & ibi Butr. *infr. de elect.* Lap. *alleg.* 92. *Inſpeximus.* Paul. de Caſtr. *in d. Auth.* Caſſad. *n.* 4. *& ſeqq.* & ibi etiam Dec. *num.* 17. Felin. alios adducens *hic n.* 69. *verſ. Tertia fuit opinio,* & Dec. *num.* 3. *verſ. Quando auferuntur ea, quæ conceſſa ſunt Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis de jure communi canonico, vel civili.* Et cùm Eccleſiæ, & perſonæ Eccleſiaſticæ. & earum bona ſint 4
prorſus exempta à ſæculari juriſdictione, ac proinde ex defectu poteſtatis non liceat Principibus laicis in Eccleſias, vel earum perſonas, aut bona nominatim ſtatuere, ut hic deciditur, & latius dicam infra in 2. concluſ. Leges laicales generaliter diſponentes ad hunc perverſum intellectum trahi non debent, ut inquit Petr. de Anchar. in *d. c. fin. nu.* 1. *verſ. Præterea,* poſt Jo. Andr. *ibi num.* 4. quoniam ſub generali diſpoſitione non veniunt illicita *c. Cauſam, de elect. c. Si gratioſe, de reſcr. in* 6. *l. Si Procurator, ff. De cond. in deb.* Et ſicut expreſsè non poſſunt laici per ſua ſtatuta ligare clericos, vel Eccleſias: ita nec tacitè generaliter diſponendo, quia tacitum, & expreſſum æquiparantur, *l. Cum quid, ff. Si cert. pet.* ut hic per Imol. *nu.* 11. Et in his paria ſunt aliquid directè, vel indirectè facere, *c. Quanto, de privil. c. fin. de immun. Eccleſ. in* 6. *cum concord.* de quibus ibi per gloſ. & Jo. Andr. Menoch. *conſ.* 291. *n.* 25. *& ſeq. lib.* 1.

Quamobrem lex generalis perſonas Eccleſiaſticas, & earum bona non comprehendit tam ex defectu poteſtatis, quàm voluntatis. Abb. in *c. A nobis, il* 1. *num.* 4. *de ſent. excomm.* Alex. *conſ.* 210. *num.* 1. *lib.* 2. Socin. ſen. *conſ.* 40. *num.* 9. *lib.* 4. Crott. *conſ.* 75. *num.* 13. *& ſeqq. lib.* 1. & alii paſſim. Unde Butr. *hic prope fin. verſ. Unum tamen adverte.* Si laicus inquit facit ſtatutum in genere loquens, in dubio illud ſtatutum ex mente condentis non ligat Eccleſiam, tum quia non eſt veriſimile, ut diſpoſitionem extendat ad non ſubjectum poteſtati, *c. A nobis, de ſent. excomm.* niſi in quantum privilegiaret, tum quia non eſt præſumptio in genere loquentem ſe extendere ad prohibita per quæ delinqueret, *c. Si compromiſſarius, de elect.* ſubdens hoc eſſe notabile verbum Joannis Monachi in *c. Ut animarum, de conſt. lib.* 6. Eò autem magis inveriſimile eſt ſtatuentes velle clericos includere, quia alioquin in ſententiam excommunicationis inciderent, ut in *c. Noverint, de ſent. excomm. c. Non minus, de immun. Eccleſ. c.* 1. & *c. fin. eod. tit. lib.* 6. & in Bulla Cœnæ Domini *c.* 15. *verſ. Seu noſtræ, & dictæ ſedis,* plenè Navarr. in *Manual. c.* 27. *n.* 118. Præterea ſi non valet ſtatutum quando diſponit contra privilegium Eccleſiarum, licèt generaliter loquatur, ut fatetur Bartol. Longè 5
minus debet valere ſi diſponat contra concernentia jus commune, quia facilius tollitur quod competit de jure ſpeciali, quam quod de jure communi, *l. Ejus militis, §. Militia, ff. De milit. teſtam.* & tradunt hic Butr. *n.* 20. Imol. *nu.* 11. Felin. *n.* 81. & Dec. *n.* 2. Barbat. *in rubr. de reb. Eccl. non alien. n.* 138. Alber. de Roſat. *de ſtatut. p.* 2. *q.* 2. *num.* 6. Galliaula *in Repet. l. Centurio, n.* 157. *ff. De vulg. & pupill.*

Nec refert, quod ſtatutum ſit bonum, & æquum, quia hoc non tribuit poteſtatem ſtatuenti ſecundùm Bald. in *l. Cunctos populos, numer.* 15. *verſ. Iſta ratio non valet, C. De Summ. Trinitat.* publica enim utilitas qualitatem legis reſpicit. Sed poteſtas, & authoritas ſubſtantiam; ſine qua nulla poteſt conſiderari qualitas, *l.* 2. *ff. De uſufruct. & l. Nec ullam, aliàs eſt, l. Etiamſi, §. Si quis abſentis,* & ibi notat Angel. *in princip. ff. De petit. hæred.* Unde parum refert ut in laico adſit modus condendi legem, ſcilicet utilitas, & neceſſitas, niſi etiam adſit poteſtas, & voluntas; quæ

quæ omnia ad cujuſcumque actus validitatem concurrere debent. Bald. *conſil.* 326. *Rex Romanorum*, *numer.* 2. *lib.* 1. Bero. *conſ.* 76. *num.* 26. *vol.* 1. Purpurat. *conſ.* 335. *num.* 2.

Ad jura per Bart. allegata reſpondetur, ea loqui in conſuetudine clericorum, & laicorum ſimul, ut per Felin. *d. num.* 81. ubi etiam dicit opinionem Bartoli poſſe ſalvari in quinque caſibus, quos proſequere, ut per eum.

Addit Joan. Andr. *in d. c. fin. num.* 4. non eſſe abſurdum dicere ſtatuentes compelli poſſe per Judicem Eccleſiaſticum ad declarandum ſtatutum non includere Eccleſias, & ſequuntur ibi Petr. de Anchar. *ſub num.* 1. *poſt med. verſ. ſubdit tamen*, Gemin. *ſub num.* 4. *verſ. Imo non eſſet abſurdum*, & Franc. *num.* 2. *verſ. Quod autem, & infra circa fin. verſ. Et ultra etiam*. Butr. *conſ.* 40. *Statuto civitatis*, *num.* 2. *verſ. Quinimo compellere poſſet Judex Eccleſiaſticus*. Et idem Butr. *hic in fin.* & Felin. *num.* 75. dicens hanc eſſe ſolemnem, & efficacem practicam per totam materiam hujus decretalis, plenè Gabr. *conſ.* 47. *vol.* 2. Surd. alios citans *conſ.* 301. *n.* 45. *vol.* 3. Ad quod eſt bonus textus in *c. Pervenit. de arbit.*

7 Secunda concluſio, Lex Principis laici utcumque ſupremam in temporalibus juriſdictionem habentis, quæ ſpecialiter de Eccleſiis, aut Eccleſiaſticis perſonis vel earum bonis loquitur, etiamſi reſpiciat earum commodum, vel favorem, non valet ex defectu poteſtatis. Textus clarus eſt hic, ubi hoc notat Abb. *in lectura*, *numer.* 10. *verſ. Ad primum dico*, & in *repetitione n.* 26. Felin. *num.* 40. *verſ. Recipit autem prædicta regula*, & Dec. *num.* 87. A qua conclu-
8 ſione nemo diſſentit, nec diſſentire poteſt, quoniam poteſtas ſtatuendi à juriſdictione dependet, *l. fin.* & ibi Bald. *ff. De juriſd. omn. judic. cap. A nobis*, *il* 1. *de ſentent. excommunicat. c. Ut animarum*, *de conſt. lib.* 6. Bart. *in l. Omnes populi*, *in* 1. *quæſt. in princip. ff. De juſt. & jur.* Roman. *conſil.* 118. *num.* 2. Abb. *hic d. num.* 10. Dec. *num.* 8. & alibi ſæpè DD. & in quocumque actu ad illius validitatem præter voluntatem neceſſaria eſt juſta poteſtas, *c. Cum ſuper*, *de offic. deleg. c. Super inordinata*, & ibi Butr. *in primo notab. de præbend. l. Cum te*, ubi Bald. *num.* 1. *C. De donat. ante nupt.* Et poteſtatis defectus ſemper, & indiſtinctè nullitatem producit, ut ait hic Butr. *n.* 20. & Dec. *n.* 233. Crott. *in l. Filiusfamilias*, §. *Divi*, *n.* 80. *in fin. ff. de leg.* 1.

9 Explorati autem juris eſt Eccleſias, perſonas Eccleſiaſticas, & earum bona frui omnimoda exemptione à juriſdictione ſæculari. Et quidem in Eccleſias, vel Eccleſiaſtica negotia admittunt omnes, Principem ſæcularem non poſſe ullam authoritatem ſibi vendicare: Catholicus enim Princeps filius eſt, non præſul Eccleſiæ, & quod ad religionem pertinet, & diſciplinam, diſcere convenit, non docere, *c. Si Imperator*, 96. *diſt.* Quippe ad Dei Sacerdotes Deus voluit quæ Eccleſiæ ſunt diſponenda, pertinere, non ad ſæculi poteſtates, *d. c. Si Imperator*, *c. Benè quidem*, *ead. diſt.* Unde Ambroſius in *c. Convenior*, 33. *q.* 8. allegatur, inquit, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo, Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt; Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum. Plena ſunt hujuſmodi teſtimoniorum Concilia, quibus optimi quique Imperatores, ac Reges aſſenſum præbuerunt, & illuſtris eſt ea de re confeſſio Baſilii Imperatoris in fine octavæ Synodi. Non datum eſt, inquit, laicis ſecundùm Canones decernendi quicquam de Eccleſiaſticis cauſis; opus enim hoc eſt Pontificium. Habetur & Regis Theodorici reſponſum, profitentis ſynodalis eſſe arbitrii in negotiis Eccleſiæ majoribus ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere, ut refertur in *cap. Concilia*, 17. *diſt.*

10 Perſonas itidem Eccleſiaſticas exemptas eſſe à juriſdictione laicali diſertis verbis cavetur in *d. c. Si Imperator*, 96. *diſtinct.* ubi habetur nono à legibus publicis, non à potentatibus ſæculi, ſed a Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotentem Deum voluiſſe Clericos, & Sacerdotes ordinari, & diſcuti, hoc eſt, ut ibi omnes notant, judicari, concordant *c. Continua*, *c. Si quiſquam*, *c. Clericum*, *c. Volumus*, *cum ſeqq.* 11. *quæſtione* 1. Idemque ſancitur in Concilio Chalcedonenſi *can.* 9. in Matiſconenſi II. *can.* 9. Item in Concilio Milevitano, ſeu potius in Toletano III. *can.* 13. relato in *c. Inolita*, 11. *quæſt.* 1. & in Concilio Carthaginenſi VIII. aliàs Matiſconen. *can.* 9. relato in *c. Placuit*, *ead. can.* & *quæſt. in c.* 2. & in *c. Si dilegenti*, *de for. comp. in c. Cùm non ab homine in c. At ſi Clerici*, *de iudic. in c. Si judex laicus*, *de ſentent. excommun. in* 6. & in *c. Quanquam de cenſib. eodem lib.* & noviſſimè in Concilio Lateranenſi ſub Leone IX. *ſeſſ.* 9. *tit. Reformationes curiæ, & aliorum*, *verſ. Et cùm à jure*. Licet hanc exemptionem permulti hæretici conati ſint convellere, ut in ſpecie Marſilius de Padua, & Joannes de Janduno relati à Turrecr. in *Sum. de Eccleſ. lib.* 3. *p.* 2. *c.* 37. Joannes Calvinus, & Petrus Martyr, quorum fundamenta evertit Cardinal. Bellarmin. *tom.* 2. *Controverſ. lib.* 1. *c.* 28. *in tit. An Clerici ſint liberi à jugo poteſtatis ſæcularis*. Et quamquam non conveniant inter ſe DD. quo jure hujuſmodi exemptio inducta ſit; crebrior tamen graviſſimorum interpretum ſententia eſt eam exemptionem eſſe de jure divino. Ita tenet gloſſ. penult. in *d. c. Si Imperator*, dum ait, Clericos ante omnem humanam conſtitutionem à ſæculari poteſtate exemptos eſſe, & conſtitutiones Clericos eximentes non novum jus continere, ſed juris declarationem. Idem ſentiunt Turrecr. & Præpoſ. in *d. c. Si Imperator*, *num.* 1. gloſſ. & DD. in *d. c. Quanquam*, *de cenſib. lib.* 6. Card. in *Repet. c. Perpendimus*, *num.* 50. *verſ. Ego tamen dico*, *de ſent. excommun.* Bald. in *c.* 2. *num.* 50. *de major. & obed.* & in Auth. *Statuimus*, *in princ. C. de Epiſc. & Cler.* ubi loquens de dicta Authentica prohibente trahi perſonam Eccleſiaſticam ad judicium ſæculare, notat ſecundùm Canoniſtas id non eſſe jus novum, ſed recedere ab errore veterum legum. *Quia*, inquit, *clerici numquam fuerunt de temporali juriſdictione. Judicum laicorum; & hæc eſt ipſa veritas, quia Deus à principio hujuſmodi juriſdictiones diſtinxit*: Idemque tradunt Hoſtien. in *d. c.* 2. *de major. & obed.* dicens Clericos à poteſtate Imperatoris exemptos eſſe à Summo Imperatore, id eſt, Deo, & etiam ab Imperatore inferiori. Goffred. *ibid.* Abb. & Felin. *num.* 1. Mil. in *Repert. in verſ. Clericus*. Imol. *in Clem.* 1. *col.* 1. *de off. ord.* Roman. in *Sing.* 414. Lap. *alleg.* 92. *num.* 7. Anchar. *conſ.* 96. *num.* 1. Prob. *in addit. ad Monach. in c. Si Judex laicus*, *de ſent. excommun. in* 6. *num.* 1. Hieron. Gig. in *tract. de crimin. læſæ majeſt. quæſt.* 68. *num.* 15. Tiber. Decian. in *tract. criminal. l.* 9. *c.* 9. *num.* 1. Hippolyt. Riminal. in *Repet. c. Quæ in Eccleſiarum*, *n.* 54. Everar. *conſ.* 19. *n.* 13. *incipien. In materia quæſtionis*, & in *conſ.* 42. *incipien. Viſis, & benè diſcuſſis*, *num.* 25. & 26. & alii plures. Et hanc eſſe communem ſententiam teſtatur Alciat. in *c. Cùm non ab homine*, *num.* 2. *de judic.* Stephan. Aufrer. *de poteſt. ſæcul. ſuper Eccleſiaſticis perſonis in introductione*, *n.* 7. Nav. in *relect. c. Novit*, *de judic. notab.* 6. *num.* 6. Covarr. *pract. quæſt.* 31. *n.* 1. & noviſſimè Gregor. de Valent. alios allegans *to.* 4. *diſp.* 9. *quæſt.* 5. *punct.* 4. *de exemptione Clericorum*, *verſ. Tertia aſſertio*. Atque ita deciſum fuit in Rota Rom. in Antiq. *deciſ.* 10. *de conſuet.* In Concilio Neapolitano; ut apud Gram. *deciſ.* 61. Et in Senatu Pariſienſi, ut refert Rebuff. in *Concord. rub. de poteſt. Concord.* adjiciens, id eſſe contra rationem naturalem, ut laici inferiores judicent de perſonis Eccleſiaſticis, quæ ſunt ipſis digniores; teſtaturque areſto Senatus Pariſienſis die 5. Aprilis, anno 11
1431. remiſſum eſſe ad Judicem Eccleſiaſticum cadaver Presbyteri, qui laqueo ſibi mortem conſciverat in vico S. Germani. Ex quo, inquit, patet, quòd Judex Eccleſia- 12
ſticus cognoſcit de clericis vivis, & mortuis, quia character eſt impreſſus animæ, & oſſibus.

Et probatur efficaciter hæc ſententia in *d. c. Si Imperator*, in *d. c. Quamquam*, *in præcit. loco Concilii Lateranenſis*. Ac demum in Concilio Tridentino in *c.* 19. *ſeſſ.* 25. ubi dicitur immunitatem Eccleſiæ, ac perſonarum Eccleſiaſticarum Dei ordinatione, ac canonicis ſanctionibus conſtitutam.

Præcipua hujus determinationis ratio eſt, quia cùm Ec- 13
cleſiaſtica poteſtas ſit à Chriſto Salvatore noſtro lege Evangelica ſupernaturaliter conſtituta, & Petro ut Principi Apoſtolorum, ejuſque ſucceſſoribus, non autem Principibus laicis commiſſa, *c. In novo*, 21. *diſt. c. Solitæ*, *de major. &*

jor.& obed. & habetur *96. diſt. per tot.* eaque circa ſpiritualia verſetur: conſequens eſt, ut ad Eccleſiaſticam, non laicam poteſtatem pertineat juriſdictio in perſonas Eccleſiaſticas, quæ omninò corpus & animam in ſortem Domini tranſtulerunt, & Dei ſervitio dedicarunt, *c. Cui portio 12.quæſt.*1. Qua ratione uſus eſt Hoſt.in *d.ca.*2. cui ſubſcribunt Joan.Andr. Imol.& alii, Marian. Socin.in *cap.2. nu. 3. de for. compet.* Et plura in hanc rem congerit eleganter Oldrad.*conſ.84.incipit*, *An Epiſcopus poſſit declinare forum*
14 *Regis*. Sed & multis aliis rationibus, & ſacrarum litterarum teſtimoniis hanc opinionem comprobarunt Authores prææallegati, & Turrecr.in *d. c.Si Imperator 96.diſtinct.*ubi propè finem refert illud *Paralip.26.*Ozias rex iratus tenens thuribulum in manu, ut adoleret incenſum, minabatur Sacerdotibus, ſtatimque orta eſt lepra in fronte ejus: cùmque aſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes viderunt lepram in fronte ejus, & feſtinatò expuerunt in eum, ſed ipſe perterritus acceleravit egredi, eò quòd ſenſiſſet plagam Domini. Subdit deinde Turrecr. Caveat ergo Princeps Catholicus, ſi vult juvari à Domino, & victorias obtinere, ne uſurpare velit ad Sacerdotem pertinentem authoritatem, aliàs ejiciendus eſt è templo per ſententiam excommunicationis, & lepra deteſtandæ culpæ percuſſus à communione fidelium ſeparandus.

15 Denique bona Eccleſiarum, & Clericorum eſſe & ipſa exempta à juriſdictione Principis ſæcularis magna Patrum conſenſione, & vehementi in laicos ſibi in illa jus aliquod vendicantes increpatione declaratum eſt in Synodo Romana III.*c.*1. relato in *c.Benè quidem 96. diſtin.*& in Synodo Romana VI. cujus decretum refertur in *c. In canonibus 16.quæſt.*1. In Concilio generali ſub Innocentio III.*cap.*44. relato in *c.Cùm laicis de reb. Eccleſ.non alien.*de quo etiam eſt textus apertus hìc. Et hanc quoque exemptionem eſſe de jure divino, conſtat evidenter ex *d. cap. Quamquam de cenſib. lib.* 1. ibi: *Cùm igitur Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum non ſolùm jure humano, quinimo & divino à ſæcularium exactionibus ſint immunes.* Ad idem textus irrefragabilis in *c. Non minus infrà de immunit. Eccleſ.* inducendo eum, ut ibi dixi *in 2. notab.* & dicit eſſe communem & veram ſententiam Canoniſtarum, eamque pluribus argumentis tuetur ex recentioribus Gregor. de Valent.*tom.4. d.diſp.9. quæſt.5.punct.4.verſ.Tertia aſſertio*, Card. Bellarmin. *controverſ. tom.2. lib. 1. de Cleric. cap.28. in 4. & 5. propoſit.* Idemque firmarunt Joan. Montaig. *de collat.parlam. par.2. num.*11. Burſatt.*conſ.42. num.1. lib.1. & conſ.186. num.8. lib.2.* Plot. *in addit. ad ultim. conſ.*Lauden. *num.*8. Everar.*conſ.30. num.23. ad fin.*& noviſſimè deciſum fuit in Rota Romana in *cauſa Albanen. Gabellæ, ſeu onerum 28. Junii* 1630. coram R. P. D. Merlino, articulo acuratiſſimè examinato.

16 Quamobrem cùm tàm Eccleſiæ, quàm perſonæ Eccleſiaſticæ, & earum bona ſint prorſus exempta à ſæculari juriſdictione: neceſſariò hinc ſequitur, ut Princeps ſæcularis nullam ſibi authoritatem, aut juriſdictionem in Eccleſias, perſonas, & bona hujuſmodi poſſit vendicare, ut de his omnibus eſt textus hìc in *d.cap. Cùm laicis, & in cap. Inter hæc 33. quæſt. 2.* ubi dicitur, ſanctam Dei Eccleſiam nunquam humanis legibus conſtringi, & clamant paſſim Interpretes omnes in locis ſupracitatis.

17 Undè etiam infertur, ut omnes leges, quæ habentur in tit. *Cod. De Sacroſanct. Eccleſ. de Epiſcop. & Cleric.* & in Authent.*de Sanctiſſ. Epiſcop. cum ſimil.* non valeant ex defectu poteſtatis, cùm de Eccleſiis, de perſonis Eccleſiaſticis, & earum bonis ſpecialiter loquantur, ut concludit hìc Abb.*num.10. verſ. Ad primum dico*, & fuit theorica Jo: And.in *cap. Non minus nu.14. infrà de immun. Eccleſ.* quam ibi ſequuntur Butr. *num.* 10. & Abb. *num.* 18. & Calderin. *conſ.2. incip.Statuto Peruſino num.3.verſ. Reperio de cenſib.* Addit Abb.*hìc loco citato*, hodie Imperatorem recognoſcere Imperium ab Eccleſia, ideòque ab Eccleſia coronari, & confirmari, & Imperium de gente in gentem per Eccleſiam transferri, ut fuit olim translatum de Græcis in Germanos, *cap. Venerabilem de elect.* Cujus quidem tranſlationis veritatem pluribus Romanorum Pontificum atteſtationibus, & ipſorummet Principum confeſſionibus comprobat, & à mendaciis, & impoſturis Matthiæ Flaccii Illyrici latiſſimè vendicat Cardin. Bellam. *tom. 1. controverſ.*
18 *lib.1. de translatione Imperii à Græcis ad Germanos per tot.* Hinc etiam fit, ut nulla ratio habenda ſit ſolemnitatis ab Imperatore introductæ in alienatione bonorum Eccleſ. ut in Auth.*Hoc jus porrectum, C.de ſacroſ.Eccl.*prout tenet Abb.*d.nu.*10. & Dec.*n.*91. poſt Innoc.*in cap.1. num.2. verſ. Nam ſtatuta legalia de reb.Eccleſ.non alien.* & idem Abb.*in* 19
cap.Nulli in fin.eod.tit. & in cap.In præſentia num.28. verſ. Ego in hoc dubio de probat. ubi eadem ratione concludit jura civilia, quæ loquuntur de emphyteuſi Eccleſiæ, non debere obſervari. Et eodem modo diſpoſitio, *leg. Ad in-* 20
ſtructionem, Cod. de ſacroſ. Eccleſ. ſervari non debet, ut tradunt Bart. & DD. *in d. leg. Ad inſtructionem*, & plenè Bart. *conſ.1. lib.3. & conſ.29. lib.4.*& Dec.*hìc num.42.ſeqq.* poſt gloſſ.in *cap. Generaliter, §. Novarum in ver.Collationibus 16.quæſt.1.* Abb.*conſ.3. Caſus ſuper quo lib.1.* & ſcripſi pleniùs in *cap. Non minus num. 50. infrà de immun. Eccleſ.*

Uſque adeò autem leges ſæculares nominatim diſponen- 21
tes de perſonis Eccleſiaſticis, & earum bonis etiam in earum favorem ſunt nullæ, ut Clerici ne ex vi quidem directiva rationis ad illarum obſervantiam teneantur, ut ſenſit hìc Abb.*num.10. verſ.Et credo*, dicens ejuſmodi leges non eſſe obſervandas etiam de honeſtate, cùm ſint nullæ tamquam conditæ à non habente poteſtatem. Facit quod notat Jaſon in *leg. Cùm quis num.7. C.de jur.& facti ignor.* ubi 22
tenet ex actu ipſo jure nullo, & cui lex reſiſtit, nec naturalem oriri obligationem. Ejuſmodi autem legibus Sacri Ca- 23
nones vehementer reſiſtunt, itaut earum conditores etiam ſententiæ excommunicationis ſubjiciant, ut in *c.Noverint infrà de ſent. excommun.*& dictum eſt ſupra *nu.4. verſ.Et eo magis*. An autem Clerici teneantur vi directiva ad obſervantiam legis generaliter latæ abſque ulla mentione perſonarum Eccleſiaſticarum, dicam plenè in quæſt. ſeq.nu.26.

QUÆRO. Suppoſito Principis ſæcularis edicto ad bo- 24
num publicum lato de armis non ferendis, aut domi retinendis.

Primò, An Clerici ex Epiſcopi licentia poſſint eadem arma deferre, & retinere, itaut ejuſmodi licentia non ab eodem Principe, ſed ab Epiſcopo tantùm ſit eis concedẽda.

Secundò, An Principis familia in Eccleſiis, & aliis locis Eccleſiaſtica immunitate gaudentibus arma perquirere, vel inde à quovis auferre liceat.

Tertiò, An Epiſcopi familia de ipſius Epiſcopi licentia impunè uti poſſit quovis armorum genere perindè, ac familia Principis ſæcularis.

Quoad primam quæſtionem ardua eſt dubitatio, an 25
Clerici ejuſmodi edicto ligentur: Sunt enim qui putant ligari non modò vi directiva rationis, ſed etiam coactiva, itaut ſi arma contra Principis laici prohibitionem detulerint, poſſint civiliter puniri à ſæcularibus Judicibus, inter quos recenſentur Jo:Fab.in *leg. Addictos*, per illum textum in *ver. Ultio procedat, C.de Epiſc. audien.* Aufrer. *in tract.de poteſt.ſæcul. ſeu in repet.Clem.1. de offic.ord.num. 21. verſ.decimo tertio fallit in verb. Armorum*, Guilielm.de Benedic. *in repet.cap. Raynutius in verb. Et uxorem nomine fol.87. num.36.* Jo:Redin.*in tract.de Maieſt.Princip.in ver. Non armis ſolum decoratam 2. par. num.162. & ſeqq. inter tract. communes fol.* 152. ubi nititur hanc opinionem tueri & rationibus, & authoritatibus, quas in præſentia refellere non oportet, ut inferiùs patebit.

Alii verò quamplures arbitrantur Clericos teneri tan- 26
tùm edicto laicali vi directiva rationis, itaut propterea poſſint quidem à curia ſæculari armis ſpoliari, ſed non puniri etiam civiliter, cum hoc ſit juriſdictionis, quam non habent ſæculares in perſonas Eccleſiaſticas. Ideòque pœnam eſſe petendam à Judice Eccleſiaſtico tantùm. Atque hujuſmodi ſententiæ ſunt Jo:de Plat. in *§. Item lex Julia inſtit. de publ. Iudit.* Jo:Lup.*in Repet. cap. per veſtras in 2. notab. §.1. num.13. de donat. inter vir. & uxor.* Afflict.*in conſt.intentionis num.13. ad fin.de illicit.port.armor.*Covar. *practicar.quæſt.in 33.quæſt.num.7.& var.reſol.cap.20.in fin.* Menoch. *de arbitr. jud. caſ.394. num.31. & ſeqq.*Clar. *in §. fin.quæſt.36. verſ.Ulterius quæro*, ubi teſtatur hanc eſſe magis communem opinionem, Sot.*in 4.diſt.25. quæſt.2. art. 2.concl.4.* Farinac.*de Armis quæſt.8.num.96.*

Quorum plerique probant uſque adeò licere familiæ ſæ- 27
culari Clericos cum armis deprehenſos abſque metu excommunicationis apprehendere, atque armis ſpoliare, ut nec deindè teneantur eadem arma reſtituere Judici Eccleſiaſtico, uti opinantur Covar. Clar. quidam alii locis cita-

citatis, ubi Covar.*Cenſeo*, inquit, *Clericum quemcumque arma prohibita portantem poſſe per ſæcularem judicem, & miniſtrum laicæ juriſdictionis armis his ſpoliari, & privari abſque ullo metu excommunicationis: hoc enim ad ſæcularem judicem, & Reipublicæ Rectorem dubio procul pertinet, nec compelli poterit judex ſæcularis à judice Eccleſiaſtico arma illa reſtituere, ſiquidem laica lex arma prohibere potuit, eaque prohibitio Clericos etiam complectitur, ut probavimus ſuperiùs, & licèt non poſſit judex ſæcularis punire Clericum arma prohibita portantem, pœna etiam pecuniaria, ipſa tamen arma quibus armatus deprehenſus Clericus eſt, ju-*
28 *ſtiſſimè poteſt eidem auferre, nec eſt lex divina, vel humana, quæ contrarium probet. Imò hæc conſuetudo, aut tacita juris permiſſio ſanctiſſima eſt, atque in maximam vergit Reipublicæ utilitatem*. Hactenus Covarr.

29 Quæ opinio ſupponit illud principium, quod lex civilis generaliter lata ad bonum publicum & commune tam laicorum, quàm Clericorum utilitatem, etiam Clericos comprehendat, ſaltem vi directiva, & ex vi dictaminis rationis, cùm & ipſi ſint cives, & membra Reipublicæ. Quod docuit gloſſ. in *c.Generaliter in ver. Neceſſitatis 16. qu.1.* Salyc.*in Authent.Caſſa, & irrita num.12.C.de ſacroſ. Eccleſ.* Calder. *conſ.2. col.3. verſ. Ad hoc tamen Clerici hoc tit.* Barbat. *conſ. 1. col. 12. verſ. Et dicit quod ſtatuta lib.3.* Abb. *in cap. Non minus col.fin. propè fin. verſ.Fateor tamen quod ſi Clericus de immunit. Eccleſ.*Paul.de Caſtr.*in leg.Ad instructionem, Cod.de ſacroſ. Eccleſ.*Natta *conſ.*311. *num.*4. Guiliel.de Benedict. *in d.cap. Raynutius in ver. Et uxorem nomine Adalaſiam num.*70. Bellam. *conſ.*45.*in princip.*poſt Innoc. inter conſilia ejuſdem Bellam. *conſ. 46. num. 4. & conſ. 47. verſ. Super ſexto articulo*. Idque aliis relatis fuſiùs comprobat Dominus meus Jo:Franciſcus Fagnanus in *tract. de juſtit. & valid. cenſur. Pauli V. par.3. verſ.Quinto arguitur*. Ideòque Card. Bellarm. *tom. 2. controverſ. lib. 1. cap.*28.An Clerici ſint liberi à jugo poteſtatis ſæcularis, in ſecunda propoſitione, cùm primò docuiſſet Clericos quoad vim rationis directivam, non autem coactivam legari conſtitutione Principis jubentis neminem noctu cum armis incidere, ſubdit deinde: Nam Clerici præterquam quod Clerici ſunt, ſunt etiam cives, & partes quædam Reipublicæ politicæ: igitur ut tales vivere debent civilibus legibus: Non ſunt autem aliæ, quam quæ à Magiſtratu politico latæ ſunt, Greg.de Valent.*tom.4.diſp.9.quæſt.5. punct.4. in princip.*Igitur illas Clerici ſervare debent, alioquin magna confuſio & perturbatio in Republica orireretur, ſi Clerici non ſervarent politicas leges in rebus humanis, & politicis. Hæc Bellarmin.

Quæ tamen non tranſeunt abſque difficultate, & in contrarium valdè urget text. *leg.Placet, Cod.de Epiſcop. & Cleric.*ubi dicitur, Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non ſunt annexi, nihil commune habeant: Per quem text.Abb.in *c.Non minus in fin.de immun.Eccleſ.*tenet Clericos non eſſe de univerſitate laicorum, allegat Innoc.in *c.Dilecta de exceſſib. Prælat.* & ſequuntur Thom. Papal. *in repet. d.leg. Placet.*& Jo: Maur.in *repet. leg.unic. Cod.De mulier.& in quo loco lib.*10. Quod abſque dubio procedit in odioſis, in quibus Clerici non veniunt appellatione populi, *c. Si ſententia de ſent. excommunic. in 6.* & eſt communis opinio, ut teſtatur hìc Dec.*n.*36.licèt ſecus ſit in favorabilibus, *cap. Dilecti de for. comp.*& ibi Abb.*n.*3.*in 2.notab.*Anchar.Imol.& Abb.in *cap. 1.de præb.*Præpoſ.*in cap.Decimis 12.diſt.* Dec.*hic eod.num.*36.

Verùm eſto ſententia Covarr.& aliorum vera ſit in ea parte, in qua affirmat Clericos ligari edicto Principis ex dictamine, & vi directiva rationis tantùm. At certè nullo jure defendi poteſt in alia parte, in qua vult Clericos poſſe à Curia ſæculari apprehendi, atque armis ſpoliari: nam aut executor, vel officialis Curiæ apprehendit Clericum, eumque armis vi ſpoliat de facto, & tamquam privata perſona, & tunc non excuſatur à violenta manuum injectione. Nam ſicut non liceret alteri privato Clericum ſiſtere, repellere, dimovere, aut aliquid ex ejus manibus per vim abſtrahere abſque incurſu cenſurarum Canonis, *c.Si quis ſuadente 17.qu.4.*ut illic omnes notant: & in *cap. Pervenit, & in cap.Tua nos de ſent.excommun.*ita nec licebit hoc miniſtro ſæculari, ſi de facto, & tamquam privatus procedat: textus eſt ſingularis in *c.Si verò. il 1. in fin. de ſent.excomm.* cui reſponderi non poteſt, ut inquit Aretin.in *c. Cum non ab homine de judic.* ubi propterea miratur de DD.contrarium aſſerentibus contra caſum illius decretalis: & cum eo tranſit Felin.in *d.cap. Si verò num.2. verſ. Contrariam partem*, ſin autem Clericum ſiſtat, & armis privet tamquam officialis, & executor Curiæ ſæcularis: tunc negari non poteſt, quin hujuſmodi actus ſit juriſdictionis, cùm procedat à Curiæ miniſtro tamquam miniſtro, & de mandato judicis ſæcularis: executio enim eſt pars juriſdictionis, *cap.Si delegatus de offic.deleg.in 6.*Jo:de Anan.*in cap. Significaſti in fin.infrà eod.tit.* Quinimò quoad perſonas, alioquin non ſubditas in multis caſibus jura permittunt cognitionem, ſed non executionem, ut *l.A divo Pio, ff.de re judic.* gloſſ.1. *in Clem.1. de for. compet.* fusè Anchar. *in cap.Eamque num.15. de reg.jur. in 6.* Et patet ex notatis per Innoc. in *d.cap. Significaſti in fin.* Undè palam eſt tam ipſum exequutorem, qui Clericum armis ſpoliat, quàm judicem mandantem incidere in excommunicationem ſtatutam in *c.Ut famæ de ſent.excomm.& in Bulla Cœnæ c.*17.ut in ſpecie advertit Navar.in *man.cap.27.num.*71. & Bellarm. *tom.2. controv. lib.1. cap. 28. An Clerici ſint liberi à jugo poteſtatis ſæcularis in 2.propoſitione*.

Nec urget ratio, quòd Clerici ſint membra Reipublicæ civilis, & quod non deceat eos publicam tranquillitatem perturbare: nam hæc ratio ſolùm concludit eos teneri ex rationis dictamine ad obſervantiam legis ſæcularis,ut cenſent Authores poſtremò citati, ſed inde non poteſt inferri, ut ſi eam non obſervent, ſint eis arma auferenda per familiam ſæcularem: habent enim ſuos judices Eccleſiaſticos, à quibus apprehendi, armis ſpoliari, ac pro modo culpæ coerceri,& puniri valeant. Undè opinio Covar. tamquam periculoſa ob metum cenſurarum minus vera, & quæ adverſatur Eccleſiaſticæ libertati nullo modo eſſet ſequenda in practica, nec eam ſequi ſolent judices timoratæ conſcientiæ, cùm præſertim non deſint authores maximè ex recentioribus qui eam refellant.

Cæterùm in ſolutione dubitationum, de quibus agitur, non eſt opus de veritate dictarum opinionum uberiùs diſſerere:nam etſi edictum Magiſtratus ſæcularis arma prohibêtis obliget Clericos vi directiva rationis: non tamen hinc ſequitur, ut Epiſcopus non poſſit ex juſta cauſa licentiâ deferendi arma eodê edicto prohibita ſuis ſubditis impertiri.

Neque enim fas eſſet Clericis judicem ſæcularem adire 30
pro hujuſmodi licentia obtinenda, à quo jure Divino, & humano exempti ſunt, ut latè oſtenſum eſt ſupra num.10.
Et cùm Princeps ſæcularis poſſit eam ſuis ſubditis in ſuo 31
territorio tribuere, nulla ratio ſuadet, cur non idem liceat Epiſcopo, cum & ipſe habeat merum imperium in ſua diœceſi, *cap.Si quis Epiſcopus*, & ibi gloſſ.*in ver. Quia alibi 2.quæſt.7.* Gundiſal.*de hæret.quæſt.11. num.16.& ſeqq.*ideòque poſſe Epiſcopum hujuſmodi licentiam concedere, ſupponit Præpoſ.in *cap.Clericum 50.diſt.*Marſ.*in pract.crim.§. Pro complemento ſub num.4.* & Guido Papa *deciſ.*437.*nu.*7.

Cùm itaque Epiſcopus poſſit hanc licentiam impertiri, 32
manifeſtum etiam erit non legem laicam prohibentem, ſed Eccleſiaſticam concedentem eſſe quoad Clericos obſervandam: neque enim eſt habenda ratio legis ſæcularis, quando opponitur canonicæ, *c.1.* ubi gloſſ. & DD.*de nov. oper. nunc.* Bero *conſ.196. num.23. lib. 1.* & in materia Cardin.Bellarm.*tom.2. controverſ.lib.1.c.27. An Clerici ſint liberi à jugo poteſtatis ſæcularis in 2.propoſit.*ubi affirmat Clericos ne vi quidem directiva rationis ligari hujuſmodi lege civili quando adverſatur Eccleſiaſticæ: atque ita cum pugnent hoc caſu prohibitio laici, & conceſſio Eccleſiaſtici, lex utriuſque obſervanda erit quoad ſuos ſubditos, gloſſ.in *cap.Poſſeſſor de reg.jur.in 6.*& ibi Jo:Andr.*in Mercural.*Anton.de Butr.*in cap.Clericum num.12.verſ.Si materia eſt mixta*, & ibi etiam Abb.*num.2.de Judic.* Felin.*hìc num.*43. & ſcripſi pleniùs in *cap.1. num.27. infrà de pact.*

Neque obſtat, quod cum Princeps ſæcularis poſſit ſuo 33
edicto Clericos ligare, ſaltem ex rationis dictamine, poterit quoque illos à nexu hujuſmodi obligationis abſolvere: atque ita licentiam deferendi arma concedere, cùm eadem ſit ſolvendi, & ligandi poteſtas, *c.Verbum de pœnit. diſt.1.cap.Cùm inferior de major.& obed.*Feder.de Sen.*conſ. 14. num.4. verſ.In 2.quæſt.*

Nam reſpondetur Clericos duobus modis ab edicto hu- 34
juſmodi abſolvi poſſe. Primò cùm Princeps generaliter revocat legem, quam condiderat de armis non deferendis:

dis, & tunc non eſt dubitandum, quin etiam Clerici ſint ſoluti à lege, cui ex vi rationis ſubjiciuntur. Sublata enim eſt vis legis ex ipſius conditoris revocatione, in gl. *cap.In iſtis*, §.*Leges* 4.*diſt*.Bart.*in leg. Omnes populi in fin. de juſt. & jur*.gl.& DD.in *cap*.1.*ſupra eod*.ubi in ſpecie Dec.*nu*.37.

Deinde abſolvi poſſunt Clerici à dicta obligatione nominatim, cùm ſcilicet Princeps relaxat legis vinculum in ſpecie quoad Clericos per conceſſionem licentiæ, & hoc non licet. Ratio eſt, quia quæcumque lex ſæcularis, quæ ſpecialiter, & nominatim de Clericis, vel rebus Eccleſiaſticis ſtatuit, etiamſi in eorum favorem ſit lata, nulla eſt ex defectu poteſtatis. Sic probat textus expreſſus hìc in illis verbis: *Quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & favorem*. Et latiùs dictum eſt ſupra in 2.concl. Ergo quemadmodum non poſſet laicus Clericis nominatim prohibere armorum delationem, ita nec poterit illis hanc licentiam ſpecificè impertiri, cùm utroque caſu careat juriſdictione, à qua poteſtas ſtatuendi dependet, *l.fin.ff.de juriſd.omn.jud.*

35 Quod evidenter alia etiam ratione probatur. Nam non eſt dubitandum, quin uſus armorum lege canonica ſit Clericis interdictus: id enim ſancitum eſt in *cap.Clerici*, ubi gloſſ.& omnes notant, *inf.de vit.& honeſt.Cleric.in Clem.* 1. *eod.tit.* & in *cap.Clerici*, & *ſeqq*.23. *quæſt*.8. quod latiùs proſequitur Marſil. *in pract. crim.* §. *Pro complemento hujus operis num*. 1. & *ſeqq*. & Menoch. *de arbitr. Judic. caſu*
36 394. *num*. 31. Itaque ſi admittamus Clericos ligari etiam edicto laicali de armis non deferendis, manifeſtum erit illos conſtringi hac in re duplici vinculo obligationis, ideſt civilis, & canonicæ. At Princeps ſæcularis utcumque tollere poſſit vinculum a ſe injectum ſublata ſuæ legis obligatione: nulla tamen ratione poterit eximere Clericos ſibi alias non ſubditos ab obligatione juris canonici, facultas enim ex juſta cauſa ſuper hoc jure diſpenſandi, non ſæcularibus poteſtatibus, ſed Eccleſiaſticæ tantum eſt à Chriſto Domino attributa, *cap. Translato*, ubi Abb. *in Summ*.& cæteri notant *infra eodem*, & habetur 36. *diſtin. per tot*. DD.in *cap. Per venerabilem, qui fil.ſint legit*. Specul.*tit.de legat*. §. *Poſtremo*, *verſ. Sed illud quæritur*, cum aliis adductis per Ruin. *conſ*. 75 *Quia de pluribus quæritur num*. 2. *vol*. 3. Atque hinc patet Clericis nihil prodeſſe licentiam cum armis incedendi a ſæculari poteſtate impetratam, ſed opus eſſe, ut nexus jure canonico injectus, ab Eccleſiaſtico judice relaxetur.

37 Ad ſecundam quæſtionem videtur reſpondendum, non licere officialibus laicis in Eccleſiis, & aliis Eccleſiaſticis locis immunibus arma vetita perquirere, vel inde auferre.
38 Nam cum perquiſitio, & ablatio illa ſit actus juriſdictionis contentioſæ, non poteſt a judice laico exerceri in Eccleſia, quæ eſt extra territorium ipſius, *leg*.2. *in fin.Cod.de Summ. Trinit. & fid.Cath.* Paul.de Caſtr.*in leg.Si quis in hoc genus num*.3.*Cod.De Epiſcop.& Cler.* Abb.*in cap. inter alia num*. 29.*de immun.Eccl*.Atque id expreſsè ſtatuitur in *l.Pateant, C.de his qui ad Eccleſ. confuger*.in hæc verba: *Hos vero qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant præmonemus, alias ſtatim eos, ut arma deponant, authoritate Epiſcopi à ſolis Clericis ſecurius conveniri præcipimus*, & infrà: *Et ſi Eccleſiæ voce moniti per tot, tantorumque denuntiationes renuerint arma relinquere: jam clementiæ noſtræ apud eum, & Epiſcopum cauſa purgata, armatis, ſi ita res exegerit, intromiſſis abſtrahendos eſſe cognoſcant*.Ad idem Concilium Tolet. relatum in *cap. Diffinivit* 17. *quæſt*. 4. cujus hæc ſunt verba: *Diffinivit S.Concilium, ut nullus audeat confugientem ad Eccleſiam, vel reſidentes abſtrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni, ſeu ſpolii reſidentibus in loco ſancto inferre*. Ad idem text. *in cap*. 1. *infra de Immunit. Eccleſ.& in cap*.2. *eod.tit.in* 6.

Et quamvis Covarr. *variar. reſol. lib*.2. *cap*. 20. *ſub num*. 18. relatus a Foller.*in praxi crimin. canon.cap.Miſcellanea quædam num*.3. ſententiat Judicem laicum, etſi non poſſit fugientes ad Eccleſiam inde invitos abducere, poſſe tamen ab eis arma prohibita etiam intra Eccleſiam auferre, eò quòd cum arma deferens intra Eccleſiam delinquat, à judice ſæculari ſit puniendus, aut ſaltem armis ſpoliandus: ejus tamen opinio eſt contra jura ſuperius expreſſa, nec ulla valida ratione fulcitur. Leviſſima enim eſt illa ratio, quòd deferens arma delinquat in Eccleſia. Tum quia quatenus etiam hoc delictum eſſet tale, ut privaret delinquentem immunitate Eccleſiæ, non tamen hinc ſequeretur, ut malè inquit Covar.ut abſtractio illa fieri poſſet è Curia ſæculari, ſed ab Eccleſiaſtica tantùm, juxta *d.leg.Pateant, & Conſtitutionem Gregorii XIV.* hac de re editam. Tum quia 39
non quodcumque delictum in Eccleſia perpetratum privat immunitate Eccleſiaſtica, etſi ſit grave, ſed homicidium tantùm,vel mutilatio,ut expreſsè ſtatuitur in *cap.fin.de Immun.Eccleſ.& in prædicta Gregorii conſt*.Et quemadmodum Eccleſia eſt immunis quoad perſonas ad eam confugientes, 40
ita & quoad bona, ut etiam probatur in d. *c. Sicut* 17. *q*.4. ibi: *Aut perſonam hominis, vel bona eius inde ſubtraxerit*, & in *c.Quiſquis*, ibi: *Aliquid inde eripiendo, vel auferendo*: neque enim immunitas fuit Eccleſiæ conceſſa intuitu per- 41
ſonæ confugientis, ſed ob honorem, & reverentiam quæ ipſi Deo, atque ejus Eccleſiæ debetur, ut per Vaſq.*de ſucceſſ.creat.lib*.3.§.22.*limit*.17.*n*.55.Remig.*de immun.Eccleſ. n*.2.& probatur in *d.cap*.2.*de immun.Eccl.in c.Reum ad Eccleſ.& in c.Si quis il* 4.17.*q*.4.atque ex eis cenſet Remig. & benè, judices, vel officiales arma in Eccleſia perquirentes incidere in pœnas violantium Eccleſiæ immunitatem.

Ad tertiam quæſtionem videtur ſimiliter reſpondendum 42
familiam Epiſcopi quovis genere armorum impunè uti poſſe, perinde ac familiam Curiæ ſæcularis. Nam lex civilis 43
prohibens generaliter uſum armorum, ut *Cod.Ut armorum uſus lib*.11.*& in rubr.de Fabri, eod.lib*.& in *Auth.de armis*, §.*Si autem*, non comprehendit familiam Epiſcopi, ut ſcripſit Bald.*in l*.3. §. *Ait enim.ff.De offic.præf. Vigil*.ubi ex textu illo: Nota, inquit, officiales communes poſſe & debere portare arma: & idem puto de familia Epiſcopi, cùm ipſe habeat imperium in ſua diœceſi: & ſequuntur Marſil. in *pract.crim. in ver.Pro complemento n*.5. Soccin.*reg*.3. *in* 1. *Fall*.Barbat.*de Cardin.legat.quæſt*.5.*num*.17. Amad.*de Syndic.num*.92. ubi propterea reprehendit quemdam judicem, qui juſſit capi familiarem Epiſcopi pro delatione armorum: & Menoch.*de arbitr. judic.caſu* 334. *num*.6.

Quæ concluſio iiſdem ferè nititur fundamentis, quibus 44
primæ quæſtionis ſolutio: nam cum familia Epiſcopi ſit exempta à juriſdictione ſæculari, ac de foro Eccleſiæ, *c.fin.* & ibi omnes notant, *de offic.Archid.* Dec.in *cap.Cùm non ab homine n*.4. *de jud*.de communi Abb.in *cap*.2. *n*.6.*verſ.In familia vero Epiſcopi, de foro compet.* tenetur ſervare legem Epiſcopi uſum armorum concedentis, non edictum laici prohibentis, ut de clericis ſupra probavimus.

Neque his obſtat, quod Epiſcopus pro executione juſtitiæ debeat implorare auxilium brachii ſæcularis, *c. Adminiſtratores, & cap.Principes* 23.*qu*.5. & quòd ſicut pro ſpiritualibus debent Principes recurrere ad Eccleſiam, ita in temporalibus debeant Prælati recurrere ad Principes ſæculares, *c.Cùm ad verum*, & *c.Imperator* 96. *diſt*.nec promiſcuis actibus ſint eorum officia perturbanda, *leg. Conſulta Divalia, Cod.de teſtam*.Pulchrè Oldrad. *conſ*.83. *incipien. An Epiſcopus,per tot*.Nam reſpondetur hoc idem obſervari inter ſæculares judices,ut unus imploret auxilium alterius, ubi vires ipſius non ſufficiunt ad exequendum quod ſibi incumbit, text.eſt in *leg.Si quis in hoc genus*, *Cod.de Epiſc.& Cler.* Sed & judices ſæculares in ſubſidium invocant auxilium Eccleſiæ, ubi per ſe non poſſunt ſuos ſubditos coercere, ut notat Innoc.in *c.Licet ex ſuſcepto,infra de foro comp.* Ergo hic non benè infertur, ut Eccleſia non habeat poteſtatem exequendi etiam per ſuos miniſtros. Et propterea jura non ſtatuunt præcisè, ut Epiſcopus teneatur implorare brachium ſæculare, ſed adjectis verbis: *Si opus fuerit*, ut in *cap*. 1. ibi: Et cum opus fuerit publicum convocent auxilium, *de offic.ordinar.in cap.Periculoſo*, §.*ult.verſ.invocato ſi opus fuerit, &c. De ſtatu Regular. lib*. 6. innovato à Conc.Trid. in *cap*.5. *ſeſſ*.25. *de Regular.* & ſæpè alibi. Per quod inſinuant eſſe arbitrarium Epiſcopo ad brachii ſæcularis invocationem confugere, cum ſibi vires non ſuppetunt ad juſtitiam exequendam. Item non obſtat, quòd Eccleſiæ ſit interdicta executio gladii temporalis, cum Petro Dominus dixerit: *Converte gladium tuum in locum ſuum*, ut legitur & notatur in *cap.Novit de judic.& in ſumma* 23. *quæſt*. 8. & arma clericorum ſint lacrymæ & orationes, *cap.Convenior ead.cau.& quæſt.*

Reſpondetur enim Eccleſiam non habere gladium materialem ad mortem alicui inferendam, vel membri mutilationem. Et in hunc ſenſum accipienda ſunt jura in contrarium adducta, ut plenè notatur in *c.Cum non ab homine, de judic.*& in *c.Novimus, de verb.ſignific.* At ſecus eſt ad exequen-

quendam juſtitiam ſibi incumbentem, ut patet ex *Clem.2. §.fin.de hæret.* ubi tribuitur facultas Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ut poſſint armatos officiales habere. Ex quo innuitur penes Eccleſiam eſſe hanc poteſtatem utendi officialibus armatis in criminibus ad ſuum forum pertinētibus, alioquin non potuiſſet ea Inquiſitoribus concedere. Ad hoc *Extravag. Unam Sanctam de major.& obed.* Atque ita contrarias oppoſitiones Abbatis *in d.cap. Significaſti de off.delegat.*diluit Gundiſal. Villadiego *de hæret. qu.*11. *num.* 36. adjicens ſit obſervare communem uſum.

Adde quòd ex Decreto Concilii Trid. in *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. Epiſcopus antequam utatur gladio excommunicationis, debet ad executionem realem, vel perſonalem etiam contra laicos procedere per ſuos proprios, vel alienos executores. Quod neceſſariò ſupponit eum uti poſſe officialibus armatis, cum perſonarum diſtrictio vix, ac ne vix quidem fieri poſſit ſine miniſterio armorum.

Neque verò hac in re videtur hodie ſubeſſe ulla difficultas, nam etſi olim eſſet opinio ab aliquibus controverſa in
45 *d.cap.Cum non ab homine de judic.*an liceret Epiſcopis habere familiam armatam, nihilominus S. Congregatio Epiſcoporum jam ſæpiùs probavit ſententiam Epiſcopis faventem veluti gravioribus authoritatibus, & ſolidioribus rationibus munitam, cenſuitque Epiſcopum non ſolùm poſſe, ſed dedere etiam habere familiam armatam immunitate Eccleſiaſtica gaudentem. Idemque reſpondit Sacr. Congreg.Concilii ab Epiſcopo Serano conſulta ſub die 23. Novemb.1613.Quamobrem non videtur ampliùs dubitandum, quominus poſſit Epiſcopus uſum armorum cujuſvis generis ſuis officialibus pro executione juſtitiæ concedere ad inſtar Principis ſæcularis.

Præſertim verò, quia eamdem ſententiam in fortioribus terminis, ideſt in familiaribus Epiſcopi, etiam non neceſſariis pro executione juſtitiæ, hoc ipſo tempore probavit Curia in memorabili caſu Reipublicæ Lucanæ: nam vexilliferi, antiani, miniſtri, & officiales, qui pro tempore extiterunt, denuntiati fuerunt excommunicati ab Epiſcopo civitatis Caſtelli commonitorio Apoſtolico, in vim ſpecialis facultatis deſuper habitæ per litteras in forma Brevis ſub die 23. Februarii 1640. Civitas verò cum univerſo dominio Lucano ſuppoſita fuit Eccleſiaſtico interdicto, propterea quòd duos familiares Cardinalis Epiſcopi cum armis deprehenſos, & duos ejuſdem Cardinalis fratres germanos in depreſſionem, & violationem Eccleſiaſticæ libertatis carceribus mancipaverint, & eumdem Commiſſarium à S.D.N. Urbano VIII. illuc ablegatum admittere recuſaverint, ut in ſententia declaratoria ſub die 29.Martii, & in alia interdictoria 5. Aprilis 1640. Confert text. in *leg.* 1. §. *Sed & ſi quæ leges, Cod.de veteri jur. enucl.* & dicta per Cardin. Zabarel. *conſ.* 136. *num.*1. *verſ. Præmitto quod etiam, &* per Lap. *alleg.*55. *num.*3. *verſ.Iſtam opinionem ſequitur Romana Curia.*

DE CONSTITUTIONIBUS

Honorius III. Epiſcopo, & Cantori Cabilonen.

CAPUT XII.

Ex parte Epiſcopi Heduenſis fuit propoſitum, quòd Canonici Heduen.propriis commodis inhiantes, præbendarum numerum ab antiquo in Eccleſia Heduen. ſtatutum (licèt non ſint ejus diminuti redditus) reſtrinxerunt: & infrà. Nolentes igitur Divini Numinis minui cultum, ſed potiùs augmentari: Mandamus, quatenùs antiquum numerum facientes auctoritate noſtra ſervari, præbendas quas à tempore ultimi ſtatuti inveneritis vacaſſe in Eccleſia memorata (non obſtante aliqua conſtitutione ſuper hoc à Canonicis ipſis facta, vel confirmatione à nobis ab eiſdem obtenta) perſonis idoneis cum conſilio Epiſcopi conferatis.

SUMMARIUM.

1 *Statutum non valet, per quod cultus divinus ſine cauſa diminuitur, etiamſi in forma communi à Papa fuerit confirmatum, num.*3. *&* 4.

2 *Præbendarum numerus per conſtitutionem Canonicorum reſtringi non poteſt, ſi Eccleſia redditus non ſint diminuti.*

3 Inhiare, *quid ſit.*

4 *Confirmatio in forma communi quid operetur.*

5 *Confirmatio ſubreptitia non convalidat præbendarum ſuppreſionem nullam.*

6 *Præbendarum reductio invalida non impedit vacationem præbendæ in remanentibus ultra numerum.*

7 *Impetratio beneficii ex taciturnitate ſuppreſſionis nullæ non redditur ſubreptitia.*

8 *Præbendarum numerus reduci poteſt à Canonicis authoritate Epiſcopi, ſi Eccleſiæ redditus diminuti ſint.*

9 *Fallit, ſi præbendæ non ab Epiſcopo, vel Capitulo, ſed ab aliis fuerint dotatæ, & num.*15. *&* 29.

10 *Item fallit, ſi præbendarum numerus fuerit ordinatus, aut confirmatus authoritate Apoſtolica, & num.*16.

11 *Vel juratus à Canonicis, ibid.*

Item fallit, ſi negotia Epiſcopi, & Capituli ſint communia.

12 *Et quid poſt Concil. Trid. & nn.ſeqq.*

13 *Præbendarum numerum an & quando Epiſcopus poſſit reſtringere in vim Concil. Trid. & in quibus jus commune fuerit à Concilio alteratum, ſeu declaratum.*

14 *Præbendas non poteſt hodie Epiſcopus ſupprimere, ſi illarum tenuitati providere poſſit per unionem beneficiorum ſimplicium.*

15 *Præbendas patronatus laicalis Epiſcopus ſupprimere non poteſt ſine conſenſu patroni. Secus ſi ſint patronatus Eccleſiaſtici.*

17 *Præbendarum numerum Epiſcopus poteſt ex cauſa reducere, ſed non tenetur. Nec Metropolitanus poteſt in hoc ſupplere.*

18 *Abbatibus, & aliis inferioribus etiam exemptis, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus non licet præbendas ſupprimere ex cap.*15. *ſeſſ.*24.

19 *Nec Capitulo Sede vacante.*

20 *Miſſas, & Anniverſaria, aut eleemoſynas pauperibus erogandas, an Epiſcopus ex cauſa tenuitatis reducere poſſit de jure communi.*

*Et an ex Concil. Trid. num.*30.

21 *Papa ſolus alterare poteſt uſum illorum, quæ per fideles donata ſunt, vel relicta.*

22 *Commutatio voluntatis ab inferiori à Principe regulariter fieri non poteſt.*

23 *Et quid ſi proventus hæreditatis non ſufficiant ad onera adimplenda, & num.*25.

24 *Miſſarum onera beneficio incumbentia Epiſcopus reducere non poteſt.*

25 *Miſſarum onera beneficio injuncta an Epiſcopus moderari poſſit, ſi redditus poſteà diminuti ſint, & nn. ſeqq.*

Et quid ſi ſpectent ab beneficiatum, num. 27. *& ſeqq.*

Quid ſi ejuſmodi redditus ſpectent ad hæredem, ibid.

26 *Onus pro rata minuitur redditibus diminutis.*

27 *Voluntas teſtatoris poteſt ab Epiſcopo in alium pium uſum commutari, ſi de jure, vel de facto adimpleri non poſſit.*

28 *Commutandi ultimas voluntates ſi quæ facultas de jure Epiſcopo competebat, non eſt ſublata à Conc. Trid.*

30 *Au-*

30 *Anniverſaria, & officia defunctorum Epiſcopus poteſt reducere ad præſcriptum Concil. Trid. cap. 4. ſeſſ. 25.*
31 *Eleemoſynas pauperibus erogandas Epiſcopus reducere non poteſt in vim cap. 4. ſeſſ. 25. Concilii Tridentini, & nn. ſeqq.*
32 *Diſpenſandi facultas, ut favorabilis eſt amplianda, niſi agatur de præjudicio tertii.*
33 *Diſpenſandi poteſtas in ſimplicibus non extenditur ad mixta.*
34 *In Miſſis, vel Anniverſariis, aut eleemoſynis reducendis quis ordo ſervari debeat.*

1 EX Parte. Non valet ſtatutum, per quod cultus divinus ſine cauſa diminuitur, etiamſi in forma communi a Papa fuerit confirmatum. Hoc dicit. Vel ſpecialius. Non poſſunt Canonici ſine cauſa reſtringere numerum Canonicorum, ſeu præbendarum. Dividitur ab Hoſt. in duas partes. Prima ponit factum corrigendum. Secunda correctionem, ibi: *Nolentes.*

2 Nota ex decretali duas concluſiones, quarum prima eſt negativa, videlicet: Statutum Capituli reſtringens numerum Canonicorum, ſeu præbendarum non valet, ſi Eccleſiæ redditus non ſint diminuti: & ita hìc eſt caſus ſecundùm Abb. Antiq. Panormit. Aretin. & Felin. & notant gloſſ. 2. Innoc. in *princip. in ver. Diminuti*, & communiter Doctores. Cujus concluſionis duplex ratio colligitur ex textu. Prima eſt, quia hujuſmodi ſtatutum procedit ex radice avaritiæ: nam ut legitur in *cap. fin. de conceſſ. præbend. lib. 6.* quantò inter pauciores cujuſvis Eccleſiæ dividuntur proventus, tantò majores fieri poſſunt ſingulorum percipientium portiones. Simile in *cap. Cùm M. ſuprà eod.*
3 Et hanc rationem inducat littera ibi, *propriis commodis inhiantes*, ideſt cupiditati intendentes ſecundùm gloſſ. 1. Inhiatio enim eſt vehemens cupiditas, ut *leg. 1. Cod. De petit. bonor. ſublat. lib.* 10. Eodem loquendi modo utitur textus in *cap. fin.* ibi, *turpe lucrum inhiantes* 20. *qu. 3. & in cap. Ex parte in fin.* ibi, *lucris temporalibus inhiare*, infrà, *de cenſib. & in leg. Per diverſas, Cod. Mandati*, ibi, *alienis rebus, fortuniſque inhiantes*, cum ſimil. ut hic per Dec. *num.* 1. Secunda ratio eſt, quia hoc ſtatutum cedit in diminutionem divini cultus, ut patet ibi: *Nolentes divini numinis minui cultum, ſed potius augmentari.* Ad idem *cap. Vaſa*, cum gloſſ. *in ver. Succrevit de conſecr. diſt.* 1. Atque ita niſi rationabilis cauſa ſubſit, non valet ſtatutum divini cultus diminutivum, ut dicunt in Summa hujus textus Jo: Andr. Bald. Bellam. Butr. Card. Anchar. Imol. & Joan. de Anan. ad hoc *leg. In novis, ff. De conſtit. Princip.* ſecundùm Innoc. *hic in princ.* & Hoſt. *num.* 2. Nec obſtat textus in *cap. ult. de relig. domib.* Quoniam illud fit ibi propter honorem Eccleſiæ, ne nimia religionum diverſitas confuſionem inducat, ſecundùm Joan. Andr. *hic num.* 8. & Imol. *in 2. notab.*

4 Procedit autem hæc prima concluſio, etiamſi ſtatutum reſtringens numerum Canonicorum fuerit à Sede Apoſtolica confirmatum in forma communi. De hac enim confirmatione intelligitur hoc capitulum ibi: *Non obſtante confirmatione à nobis obtenta*, nam talis confirmatio ſub communi forma nihil novi tribuit, *c. Cùm dilecta, §. Nos igitur de confirm. util. vel inutil. c. Quia diverſitatem in fine de conceſſ. præben. & cap. Ex parte, il primo de privil.* & tenet hìc gloſſ. *in verb. Confirmatione*, Hoſt. *num.* 6. Jo: Andr. Bald. Butr. Cardin. Anchar. Imola, & Jo: de Anan. omnes *in princ.* Sed dices: Ad quid igitur hujuſmodi confirmatio membranas occupat? Reſpondet Bald. *num.* 19. dicens: Confirmatio facit de aliquo validius, ut non poſſit revocari per ſtatuentes, ſed de nullo non facit aliquod, niſi Papa apponeret clauſulam, *non obſtan.* & ex certa ſcientia ſcriberet, vel in contradictorio examine decerneret, ut *leg. Adoptio, ff. De adopt.* Et eſt ratio ſecundùm eum, quia illud, quòd non eſt confirmabile de jure, non præſumitur per incuriam confirmatum, ut *leg. 2. §. Ne quis à Principe, ff. Ne quid in loco publ. leg. Meminerit, C. Unde vi, & cap.*
5 *Qualiter, & quando, il primo de accuſat.* Poteſt etiam intelligi hoc cap. de confirmatione ſubreptitiè impetrata, eò quòd ſtatuentes mentionem non fecerint de ſtatuto antiquo, nec de redditibus Eccleſiæ non diminutis: talis enim confirmatio non validat præbendarum ſuppreſſionem nullam. *Arg. cap. 2. de reſcript.* & tenet hic gloſſ. in *ver. Confirmatione*, Innoc. *in eod. verb.* Hoſt. *num. 4. verſ. Nec etiam prodeſt, & num.* 7. Joan. And. *in fine*, Butr. *num.* 6. & reliqui poſt eos. Et idem eſt ſi non meminerint de aſſenſu Epiſcopi neglecto, *cap. Cum conſuetudinem de conſuetud.* ſecundùm Innoc. & Joan. Andr. *locis citatis*, & Card. *num. 2. verſ. Et de conſenſu.* Et nota hoc ſtatutum non ob- 6
ſtante confirmatione ſub communi forma impetrata uſque adeò eſſe nullum, ut reſtrictio numeri non impediat vacationem præbendarum in remanentibus ultra numerum, ut probat littera ibi, *præbendas quas à tempore ultimi ſtatuti inveneritis vacaſſe in Eccleſia memorata.* Et notat Butr. *num.* 6. & Bald. *num.* 3. qui ex hoc notabiliter infert, ut ſi quis poſt ultimum ſtatutum reſtringens numerum impetraverit vacaturam facta mentione numeri antiqui, & non novi, valeat impetratio, quia novus numerus non eſt numerus juris, ſed facti, de quo non oportet mentionem facere. Ergo taciturnitas ſuppreſſionis invalidæ ſub- 7
reptionem non inducit, ad hoc *cap. Non præſtat de regul. jur. in 6.* & vide bonam gloſſam in *cap. Cum noſtris in verb. Non vacaret de conceſſ. præben.* Rota *in antiq. deciſ.* 176. *aliàs 69. de reſcript. quæ incipit.* Nota quod de gratia adverſarii, quæ nulla eſt, non teneor in gratia mea facere mentionem, Gemin. *conſ.* 120. *num. 4. verſ. Item de jure iſtius*, Felin. plenè *in cap. Ex tenore num. 2. & ſeqq.* poſt gloſſ. 1. *ibi in fin. de reſcript.*

8 Secunda concluſio eſt affirmativa, & colligitur à contrario ſenſu ex illis verbis, *licet ejus non ſint diminuti redditus*, videlicet, poſſunt Canonici aliquot præbendas ſupprimere, eaſque ad pauciorem numerum reducere Epiſcopi authoritate, ſi Eccleſiæ redditus diminuti ſint. Arg. *c. Quoniam infra de vita, & honeſt. Cler.* & tenet hìc gloſſ. 1. Hoſtien. *num. 2. in ver. Diminuti*, Cardin. *num. 2. in 1. quæſt.* Abb. & Aretin. ambo in *2. notab.* & ita communiter teneri teſtatur Card. in *cap. Cùm acceſſiſſent in 4. quæſt. ſuprà eod.* Nec mirum, quia auctis facultatibus Eccleſiæ augeri poteſt Canonicorum numerus authoritate Epiſcopi, *c. Cùm M.* & ibi plenè notatur *ſup. eod.* & arg. *cap. Quanto de cenſib. c. Innovo 41. diſt. & leg. In Eccleſiis, Cod. de Epiſc. & Cleric.* Ergo eadem authoritate diminui poteſt redditibus diminutis, quia omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, *cap. 1. de reg. jur. & leg. Nihil tam naturale, ff. eodem*, & eadem authoritas, quæ requiritur in conſtructione actus, requiritur in illius deſtructione, *cap. Verbum de pœnit. diſt.* 1. Roman. *conſ. 65. Viſo themate num. 2. verſ. Hoc enim, & conſ. 116. Viſo in princ.* & ſicut in augmento numeri, ita & in illius coarctatione facultates Eccleſiæ ſunt conſiderandæ, ut *cap. 1. & cap. Authoritate de inſtit.* ſecundùm Hoſt. *hic num.* 3. ut idem operetur oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propoſito, *leg. Si ex toto, ff. De legat. 1. leg. 3. §. fin. leg. 4. & leg. Legata in fin. ff. De adimen. legat.* Non obſtat textus *in cap. fin. de verb. ſignific.* Nam ut reſpondet Compoſtell. & poſt eum Cardin. in *d. cap. Cùm acceſſiſſent in 4. quæſtione*, ibi, *voluntariè fuit petita confirmatio Sedis Apoſtolicæ*: Et eodem modo reſpondet ad *cap. Cum olim de conſuet.* Fatetur enim utile eſſe, ut in talibus authoritas Papæ interveniat, & concordat hìc Vincentius.

9 Hæc tamen ſecunda concluſio procedit, dummodò præbendæ fuerint dotatæ ab Epiſcopo, vel Capitulo. Secus ſi ab aliis, quia tunc in præjudicium Patroni, qui illas fundavit, vel dotavit, nequeunt Epiſcopus, & Capitulum illas ſupprimere, & ad pauciorem numerum reducere, ut *c. Monaſterium, & cap. Rationis*, ibi notatur *16. quæſt. 7.* & tenent Innoc. & Compoſt. in *c. Cùm acceſſiſſent ſup. eod.* Bellam. *ibid. nu. 7. verſ. Sed numquid*, Card. in *5. quæſt.* & Abb. *num. 4. in fin. & num. 5.* & Hoſt. *hic num. 9. verſ. Et hoc eſt verum.* De quo latiùs dicam infrà num. 15. & num. 29.

10 Rurſus procedit eadem concluſio, ſi Canonicorum numerus fuerit in Eccleſia judicio Epiſcopi ordinatus, juxta textum *in leg. In Eccleſiis, Cod. De Epiſcop. & Cleric.* Secus ſi ab initio inſtitutus fuerit, vel poſteà confirmatus authoritate Apoſtolica cum clauſula decreti irritantis, quia tunc à Canonicis authoritate Epiſcopi reſtringi non poteſt. Arg. *cap. Cum veniſſent de judic. cap. 1. & 2. de confirm. util. vel inutil. cap. Omnis res de reg. jur. & l. Nihil tam naturale, ff. eod.* Et idem eſt ſi numerus fuerit juratus, ut *c. Dilecto de præb.* & ita intelligunt hanc decretalem Hoſtien. *nu. 2. & 4.* Collect. & Bellam. ambo *num.* 2. & idem Bellam. *in d. cap. Cum acceſſiſſent num. 7. verſ. Sed numquid*, & ibi etiam Card.

Cad. *in 5. quæſtione ſuprà eod.* de quo tamen dic plenius, ut ibi ſcripſi.

11 Demùm procedit concluſio prædicta ſi negotia Epiſcopi, & Capituli ſint diviſa: ſecus ſi ſint communia, quia tunc non poteſt Capitulum præbendas ſupprimere, etiam authoritate Epiſcopi, ne ſit author in facto proprio, *l. Pupillus, ff. De author. tutor.* & Clem. *Si una de reb. Eccl. non alienan.* & tenent hìc Hoſt. *num. 4. verſ. Item nec athoritate Epiſcopi*, Henric. Boich. *poſt princip. verſ. Sed ſi quaris in d. c. Cum acceſſiſſent num. 2. verſ. Sed ſi quaris*, ubi etiam Abb. *num. 5. ſupr. eod.* gloſſ. in d. Clem. *Si una in verb. Menſæ ſua*. Quam ibi ſequuntur Card. *num. 1.* & reliqui omnes, de quo tamen dic ut plenè ſcripſi in *cap. Expoſuiſti de præben.*

12 Sed hodie in his ſervari debet decretum Concilii Trid. *cap. 15. ſeſſ. 24.* quo ſtatuitur, *ut in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, ubi frequentes, adeòque tenues ſunt præbendæ ſimul cum diſtributionibus quotidianis, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradu, pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiant, liceat Epiſcopis cum conſenſu Capituli, vel aliquot ſimplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire, vel ſi hac ratione provideri non poſſit, aliquibus ex iis ſuppreſſis cum patronorum conſenſu ſi de jure patronatus laicorum ſint, quarum fructus, & proventus reliquarum præbendarum diſtributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen ut tot ſuperſint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati Eccleſiæ commodè valeant reſpondere: non obſtantibus quibuſcumque*
13 *conſtitutionibus, & privilegiis*. Hæc ibi. Ex quo contextu omiſſo unionis remedio, de quo egi latiſſimè in *d. cap. Expoſuiſti di præb.* quod ſpectat ad materiam ſuppreſſionis, obſervandum eſt, jus commune fuiſſe in multis alteratum, ſeu declaratum à Concilio. Primò enim Concilium voluit præbendarum ſuppreſſionem fieri poſſe ab Epiſcopo in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus duntaxat, ut patet ex princ. *d. cap. 15.* non autem in non inſignibus, quòd non reperiebatur cautum de jure communi. Deindè noluit Concilium fieri poſſe hanc ſuppreſſionem in prædictis Eccleſiis omnibus, ſed in illis tantùm, ubi præbendæ eſſent frequentes. Quod de jure communi ſaltem expreſsè cautum non erat. Undè Epiſcopus hodie non poteſt præbendas ſupprimere, & ad pauciorem numerum reducere, niſi tot ſuperſint, quæ ſufficiant ad divinum cultum peragendum, & dignitatem Eccleſiæ conſervandam, ut patet in *d. cap. 15.* ibi, *frequentes*: necnon ibi, *ita tamen ut tot ſuperſint*. Prætereà Concilium voluit licere Epiſcopo numerum præbendarum reſtringere ex cauſa tenuitatis reddituum, non diſtinguendo an redditus fuerint tenues ab initio, an poſteà diminuti fuerint: cùm tamen jus commune diſpoſuerit in eo tantùm caſu, in quo redditus ex poſt facto ſint imminuti, ut patet in hac decretali. Similiter jus commune non exigebat, ſaltem expreſsè, ut eſſent tenues niſi præbendæ, ut hìc patet: at ex Concilio oportet ut tales ſint non ſolùm fructus præbendæ, ſed etiam diſtributiones, ut patet in *d. cap. 15.* ibi, *tenues ſunt præbendæ, ſimul cum diſtributionibus quotidianis*. Quamobrem ſi ſolæ diſtributiones eſſent tenues, deveniendum non eſſet ad ſuppreſſionem, ſed Epiſcopus uti poſſet remedio, *cap. 3. ſeſſ. 21.* ut S. Congrega-
14 tio declaravit. Inſuper jure communi inſpecto ubi facultates Eccleſiæ erant diminutæ, poterat Epiſcopus cum Capitulo immediatè procedere ad ſuppreſſionem præbendarum: ſed ex Concilio Epiſcopus debet primò conſulere præbendarum tenuitati per unionem beneficiorum ſimplicium: atque hoc remedio deficiente, tunc demum confugere poteſt ad aliud remedium ſuppreſſionis præbendarum: illa enim alternativa, vel qua Concilium utitur in *d. cap. 15.* non eſt electionis, ſed ordinis, ut clarè oſtendit conditio illa, quæ immediatè ſubſequitur, videlicet, *ſi hac ratione provideri non poſſit*. Ad hoc *cap. Metropolitano*, & ibi gloſſ. *in ver. Ex Presbyteris 62. diſt.* & quod ſcripſi in
15 *cap. Inter cæteras num. 47. de reſcript.* Ad hæc Concilium in illis verbis, cùm patronorum conſenſu approbavit opinionem Innocentii, & Compoſtellani, de qua ſuprà num. 11. aſſerentium non poſſe Epiſcopum præbendas ſupprimere ſi fuerint ab aliis fundatæ, vel dotatæ, & in ſequentibus verbis, *ſi de jure patronatus laicorum ſint*, eamdem opinionem limitavit, ſeu declaravit procedere in præbendis patronatus laicalis duntaxat, undè ſi fuiſſent dotatæ de bonis Eccleſiaſticis etiam ab aliis, quàm ab Epiſcopo, vel Capitulo ſecundum ea, quæ notantur in *c. Cum autem de Jurepatr.* & *in cap. Unico in fin. eod. tit. lib. 6.* tunc ex decreto Concilii à contrario ſenſu poſſet Epiſcopus concurrentibus requiſitis illas ſupprimere, & ad pauciorem numerum reducere, etiam ſine conſenſu patroni Eccleſiaſtici, quod eſt valdè notabile: & vide bonam gloſſam in *cap. Cùm dilectus in ver. Quempiam præſentare, verſ. Sed numquid de Jurepatr.* Amplius in derogatione illa, non obſtantibus qui- 16
buſcumque conſtitutionibus, & privilegiis. S. Synodus non obſcurè ſuſtulit opinionem Hoſtien. & aliorum, qui dixerunt reductionem numeri præbendarum ab Epiſcopo, & Capitulo fieri non poſſe, ſi ejuſmodi numerus fuerit ordinatus ab initio, aut poſteà confirmatus authoritate Apoſtolica. Cùm enim talis ordinatio, vel confirmatio nihil ſit aliud, quàm conſtitutio, vel privilegium, utique dum Concilium conſtitutionibus, & privilegiis derogavit, in neceſſariam conſequentiam permiſit Epiſcopis, ut poſſent ex cauſa numerum præbendarum reſtringere, non obſtante ordinatione, vel confirmatione Apoſtolica. Accedit quod cùm Cathedrales, & Collegiatæ Eccleſiæ non erigantur niſi à Sede Apoſtolica, & in illarum erectione ſemper conſueverit præfiniri numerus præbendarum, ſi Epiſcopus non poſſet illarum numerum reducere, proviſio Concilii eſſet ſupervacua contra textum in *c. Commiſſa de elect. lib. 6. cum ſimil.* Ponderatis quoque illis verbis Con- 17
cilii, *liceat Epiſcopis*. S. Congregatio cenſuit præbendarum tenuitati Cathedralis, vel Collegiatæ inſignis poſſe Epiſcopum providere, juxta *cap. 15. ſeſſ. 24.* ſed non teneri, nec Metropolitanum in hoc poſſe ſupplere. Atque ita reprobavit opinionem Hoſtien. *hic num. 4.* qui putavit in caſu hujus cap. poſſe haberi recurſum non ſolùm ad Papam, ſed etiam ad Metropolitanum per *cap. Nullus de jurepatron.* Et approbavit contrariam opinionem Joan. Andr. de qua per Bellam. *hic num. 2. verſ. Sed in hoc quod dicit*: quia hic caſus non eſt de his, qui notantur per gloſſ. in *cap. Paſtoralis de offic. ordin.* & per Jo: Monach. in *cap. 1. De ſupplen. neglig. Prælat. lib. 6.* Ac demum hæc decretalis cum decidat 18
Canonicis non licere præbendas ſupprimere, quando Eccleſiæ redditus non ſunt diminuti, à contrario ſenſu probat id licere Canonicis, ſi redditus imminuti ſint. Sed quia mentionem non facit de Epiſcopo, gloſſ. 2. Hoſt. *num. 2.* & Doctores ſupplent, Epiſcopi authoritate, non autem propria. Verùm hoc explicitè declaravit Concilium. Undè S. Congregatio cenſuit Abbatibus, vel Archidiaconis, qui ſunt principales dignitates in Collegiatis Eccleſiis, & ad quos tamquam ad ordinarios inferiores pertinet collatio præbendarum, non licere præbendas ſupprimere in vim *cap. 15. ſeſſ. 24.* Sed Epiſcopo tantùm cum conſenſu Capituli, ſi modò ipſa Collegiata ſit inſignis, & ſerventur alia, de quibus in *d. c. 15.* Et alias cenſuit Abbati juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habenti, etiamſi exemptus ſit, ac ordinarius Eccleſiæ Collegiatæ, etiamſi in dicta Eccleſia 19
concurrant omnia requiſita, *cap. 14. ſeſſ. 24.* non licere Canonicatus ſupprimere. Et eodem modo cenſuit hanc facultatem non competere Capitulo Sede vacante.

Nunc cùm in ſuperioribus firmatum ſit licere Epiſcopo 20
cum conſenſu Capituli ob reddituum tenuitatem reducere numerum Canonicorum, ſeu præbendarum, hinc ſumpta occaſione inveſtigandum eſt, an ſimiliter ex eadem cauſa tenuitatis eidem liceat reducere onera Miſſarum, ſeu Anniverſariorum, aut eleemoſynæ pauperibus erogandæ. Sæpè enim contingit ut ex teſtatorum diſpoſitionibus hæredes teneantur per Sacerdotes peculiares, Anniverſaria pro defunctis, vel Miſſas quotidianas, ſeu certis diebus celebrare, & interdum etiam eleemoſynas pauperibus diſtribuere, & conſimilibus oneribus multoties etiam gravantur in fundationibus beneficiati futuri. Verùm quandoque evenire ſolet, ut fructus hæreditatis, vel beneficii non ſufficiant pro omnibus oneribus à fundatore, ſeu teſtatore impoſitis ſupportandis. Undè ad locorum Ordinarios per gravatos recurritur, ut opportunè provideant, maximè juxta facultatem ſibi traditam à Concil. Trid. *cap. 4. ſeſſ. 25.*

Quamobrem circa prædicta dubitatur primò, an Epiſcopus de jure communi facultatem habeat reducendi, ac moderandi non ſolùm onera Miſſarum celebrandarum, & Anniverſariorum, ſed etiam eleemoſynæ pauperibus erogandæ. Secundò, an id ſaltem poſſit authoritate Concilii Trid.

Trid.*cap.4.ſeſſ.*25.Tertiò, quatenus poſſit, quo ordine debeat moderationem facere, videlicet an in ipſis Anniverſariis, vel Miſſis quotidianis, ſeu potius in eleemoſynis.

21 Ad primum dubium reſpondetur reductionem, ſeu moderationem onerum prædictorum, cùm reſpiciat commutationem piæ voluntatis, ſoli Romano Pontifici eſſe reſervatam. Textus eſt clarus in Clem. *Quia contingit*, & ibi gloſſ.in *ver. Sedis Apoſtolicæ de relig. domib.* ibi: *Nota per hanc litteram ſolum Papam alterare poſſe uſum illorum, quæ per fideles donata ſunt, vel relicta*. Quam gloſſam ſequuntur ibi Card.*in* 10.*notab. & in* 2.*oppoſ.nu.*9. *& quæſt.*4. *num.* 11. Imola *num.* 16. Abb. *num.* 3. *in ver. Solus Papa*, Vitalin. *num.* 17. & reliqui omnes. Quod etiam ſupponit

22 Concilium Tridentinum *cap.* 6. *ſeſſ.* 22. Depoſitio enim teſtatoris, ut lex debet ſervari, *cap.Ultima voluntas*, & ibi gloſſ. *unic.* 13. *quæſt.* 2. §. *Diſponat in Auth. de nupt.* quam non poteſt inferior à Principe tollere, *leg. Si quis ad declinandam*, §. *Sin autem*, *Cod. De Epiſcop. & Cleric.cap. A nobis*, & ibi Abb. *num.* 4. & Covarr. *num.* 7. *de teſtam.* Et hanc ſententiam in propoſito non obſcurè probavit Concilium Tridentinum in *d.cap.*4.*ſeſſ.*25.dum facultatem reducendi onera Miſſarum tribuit Epiſcopo non ſimpliciter, & abſolutè, ſed in Diœceſana Synodo: nam ſi hæc reductio, & moderatio de jure Epiſcopis licuiſſet, utique Concilium, quod emanavit ad ampliandam facultatem Epiſcoporum, non eam reſtrinxiſſet ad tempus Synodi diœceſanæ. *Arg.leg.legata inutiliter*, *ff.De adim.legat.leg.Quod favore*, *C.De legib.& cap.Quod ob gratiam de reg.jur. lib.*6.

23 Quod ſi proventus hæreditatis non ſufficiant ad implenda omnia onera injuncta, videtur poſſe inferior à Principe facere dictam moderationem uſque ad ea, quæ poſſunt ex dictis redditibus adimpleri, *leg.Legatam municipio*, *ff.De adminiſtr. rer.ad civit.pertin.* & ibi gloſſ. *unic. quæ adducit. concord. cap. Nos quidem de teſtam.*& notat Card. *ubi ſupra quæſt.* 4. *&* 5. neque enim hoc caſu hæres potuit plus gravari, quàm fuerit honoratus. *Arg.leg. Imperator*, §.*Cum*

24 *quidam*, & ibi Bart. *ff. De legat.* 2. Cæterum ſecus dicendum eſt quoad onera beneficiis in eorum fundatione injuncta, quæ ſervari mandat Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. Et meritò: nam fundatio, & dotatio illa habet ſe per modum quaſi contractus ultrò citròque obligatorii, ſeu donationis ſub modo, quam cùm Epiſcopus admiſerit, & proviſus dum inſtitueretur non recuſaverit, non poteſt modò onus detrectare. *Arg.d. leg.Imperator*, §. *Enimvero*, imputetque ſibi beneficiatus ſi paſſus eſt ſe ad tenuem ordinari Eccleſiam, ſeu beneficium, *c.Conquerente*, & ibi DD. *de Cleric. non reſiden.* gloſſ. *in cap. Clericus victum in ver.Vigiliis* 91. *diſt.* Hinc S.Congregatio Concilii cenſuit non eſſe concedendum indultum, quod petebatur, reductionis onerum Miſſarum beneficio incumbentium, tum quia Concilium juncta declaratione ipſius Congregationis non permittit reductionem Miſſarum, quarum celebratio in fundatione beneficii injuncta fuit, tum quia ex hoc fideles ſcandalizarentur, & a fundationibus retraherentur, tum quia ceſſant cauſæ Concilii, quòd non reperiantur, qui tale onus ſubire velint, cùm beneficiati acceptantes beneficia ſponte onus etiam ſuſceperint.

25 Quod ſi à principio erant quidem ſufficientes, ſed poſteà imminuti ſint, adeòut non ſufficiant ad onera ſupportanda, tunc in quantum hujuſmdi redditus ſpectant ad hæredem, poterit fortè ordinarius illa moderari, quia videtur hæres inſtitutus, ut ex redditibus ipſis curet hæc, & hæc obſervari, undè ſufficit ut adimplenda curet, quæ poteſt ex erogatione omnium proventuum, nam tunc im-

26 minutis redditibus, imminutum dicitur & onus, ex gloſſ. trita in *leg. Plautius in gloſſ. fin. ff. De condit. & demonſtr.*

27 At reſpectu ipſius beneficiati duo caſus videntur diſtinguendi, Primus eſt reſpectu eleemoſynarum, quas ipſe beneficiatus tenetur aliis Sacerdotibus erogare pro Miſſis celebrandis, & hoc primo caſu ſi redditus beneficii ſint adeò imminuti, ut non ſufficiant ad hujuſmodi onera adimplenda, ſimiliter videtur poſſe ordinarius illa moderari, quia quotieſcumque pia voluntas teſtatoris ſive de jure, ſive de facto adimpleri non poteſt, tunc per Epiſcopum unà cum hærede, vel executore poteſt in alium pium uſum commutari: textus eſt clarus in *cap. Nos quidem de teſtam.* ubi id notat Innocent. *num.*1. *in ver. per teſtatorem* Hoſt. *num.*5. *in ver. Et alibi placet*, Joan. Andr. *num.*7. *in gloſs.Et alibi placet*, Butr. *num.*4. & Abb. *num.*6. Ad idem textus *in d.leg. Legatam*, *ff. de adminiſtr.rer. ad civit.pertin.& in leg.Legatum civitati*, ubi Bart. *num.*2.3. *&* 4.*proſequitur eamdem theoricam*, *ff.De uſufruct,leg.* Ad quod facit optimè decretum Concilii Tridentini *cap.* 8. *ſeſs.* 25. ubi ſtatuitur, ut ſi hoſpitalia ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus fuerint inſtituta, nec in loco ubi ſunt dicta hoſpitalia ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur, fructus illorum in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximiori ſit, ac pro loco, & tempore utilior convertantur ab Ordinario cum duobus de Capitulo per ipſum deligendis, & ita in ſpecie noſtra tenent Felin. in *c.Cum acceſſiſſent num.* 19. *in fin.ſuprà eod.* & Roch. de Curte poſt alios in *tract. de Jurepatron. in ver. Pro eo quod quæſt.*12.ubi concludit poſſe Epiſcopum reducere onera Miſſarum beneficio incumbentia, ſi eleemoſynæ pro illarum celebratione erogandæ ſint adeò diminutæ, ut ad onera ſupportanda non ſufficiant. Quamobrem ſi in aliqua Eccleſia eſſent celebrandæ plures Miſſæ quotidianæ, & Rector Eccleſiæ ſive ex lege fundationis, ſive ex teſtatoris præſcripto tenetur ex redditibus beneficii eleemoſynas tribuere pro illis celebrandis, ſi ejuſmodi redditus poſteà diminuti eſſent, fortè beneficiatus non teneretur niſi tot eleemoſynas erogare, quot caperent fructus beneficii, juxta moderationem Epiſcopi, & non ultrà. Etenim cùm non teneatur ex bonis patrimonialibus has eleemoſynas tribuere, ſed ex fructibus beneficii tantùm, utique ſi fructus hujuſmodi ad illas non ſufficiant, & ſic voluntas teſtatoris, nec de jure, nec de facto adimpleri poſſit, intrat facultas ordinariis attributa in *d. cap.Nos quidem*, & ibi dixi in 4.*notab.* & conferunt, quæ de hærede dicta ſunt ſupra num. 23. & 25. Neque verò hæc 28
facultas competens Epiſcopo de jure communi videtur ſublata à Concilio in *cap.*4.*ſeſs.* 25. Quia cùm emanaverit ad ampliandam Epiſcoporum authoritatem in hujuſmodi reductionibus, non eſt veriſimile ut voluerit illius diminutionem inducere. *Arg. d.leg. Legata inutiliter*, *ff. de adimen. legat.* cum aliis ſupracitatis *num.*22. *in fin.*

Decretum verò *cap.* 5. *ejuſdem ſeſs.* quod jubet ut oneribus beneficio incombentibus non derogetur, recipit declarationem à jure communi, & à *cap.* 8. *verſ. Quod ſi ſeſs.* 25. ut locum habeat, ſi onera hujuſmodi de jure, vel de facto adimpleri poſſint, aliàs ſecus. Et hanc interpretationem jampridem videtur admiſiſſe Sac. Congregatio: nam conſulta, an facultas commutandi ultimas voluntates de jure communi Epiſcopo competens cenſeatur ſublata per ſpecialem remedium *cap.* 4. *ſeſs.* 25. quo cavetur, ut Epiſcopus circa hæc in diœceſana Syndo provideat: reſpondit non eſſe ſublatam, ſi quæ Epiſcopis de jure communi competebat circa ultimarum voluntatum commutationem.

Secundus caſus eſt reſpectu Miſſarum, quas beneficiatus per ſeipſum celebrare tenetur. Et hoc caſu etiamſi redditus beneficii poſteà diminuti fuerint, non videtur Epiſcopus ullam facultatem habere illas reducendi, ex gloſſ.citata in *cap. Clericus victum* 91.*diſt.* quæ hanc reductionem nec Epiſcopo videtur concedere. Et eſt ratio, quia cùm hoc caſu pia voluntas teſtatoris, vel fundatoris tam de jure, quàm de facto per ipſum beneficiatum impleri poſſit, non eſt cur liceat Epiſcopo illam commutare, ſed hæc facultas eſt ſoli Papæ reſervata, ex dicta Clem. *Quia contingit de relig.domib.* ut abundè oſtenſum eſt ſupra. Nec præ- 29
dictis obſtat hæc decretalis cum gloſſ. *in ver. Diminuti*, *& cap. Cum acceſſiſſent*, cum ſua gloſſ. *in ver. Confirmata ſuprà eod.* Quoniam imminutis redditibus, tunc demum poſſunt præbendæ ad pauciorem numerum reduci authoritate Epiſcopi, quando illarum numerus fuerit ab ipſis Eccleſiis, vel Eccleſiam ordinantibus, ſeu gubernantibus inſtitutus, & determinatus, ut in *l.In Eccleſiis*, *Cod.De Epiſc. & Cler. & in Auth.Ut determinatus ſit num. Cleric.in rubr. & nig.collat.*1. *& in cap.* 1. *de inſtit.* Secus ſi ſit inſtitutus a patronis in beneficiorum fundatione, ut plenè oſtenſum eſt ſuprà num. 9. & 15. Atque ita argumentum ex his juribus deſumptum in oppoſitum retorquetur, ut quemadmodum Epiſcopus facultatem non habet reducendi numerum præbendarum, ita nec numerum Miſſarum eis annexum, quando ex lege fundationis eſt præfinitus, ut idem ſit judicium de corpore beneficii, ac de one-

oneribus illi annexis. *Arg. cap. Si quis obiecerit* 1. *quæſt.* 3. *lib. Cùm principalis*, *ff. De reg. jur. & reg. Acceſſorium lib.* 6.

30 Ad ſecundum dubium cum clara ſit diſpoſitio Concilii in *d. c.* 4. *ſeſſ.* 25. tribuentis Epiſcopo facultatem reducendi in ſynodo diœceſana numerum Miſſarum, quæ in aliquibus Eccleſiis ex variis defunctorum relictis impoſita ſunt, ſi numerus ſit adeò magnus, aut eleemoſynæ pro illis celebrandis ſint adeò tenues, ut non facilè inveniatur qui velit huic ſe muneri ſubjicere: idem videtur reſpondendum de anniverſariis, omnia enim ſacra ſunt, gloſſ. 1. in *c. Cum creatura de celebr. Miſſar.* nec eſt ratio quare anniverſaria ſubtrahantur ab ipſa Concilii diſpoſitione. Et proptereà Sac. Congregatio cenſuit *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 25. habere locum etiam in reductione officiorum pro defunctis. Et in individuo cum Capitulo Cathedralis Neapolitanæ pro tenui eleemoſyna incumberet onus celebrandi tot anniverſaria, ut ad remedium Concilii in *d. c.* 4. recurrendum foret, & hæſitaretur de facultate Archiepiſcopi, eò quòd in *d. c.* 4. fieret mentio de Miſſis tantùm, & non de Anniverſariis: Sac. Congregatio ad ipſius Capituli conſultationem reſcripſit Archiepiſcopo in hæc verba: *Cùm ex libello hoc Capituli iſtius Cathedralis nomine oblato cognitum eſſet ab Illuſtriſſimis Cardinalibus, qui Sacra Tridentini Concilii decreta interpretantur, dubitari abs te an ejuſdem Concilii decretum* ſeſſ. 25. c. 4. *intelligatur etiam de Anniverſariis: ii Amplitudini tuæ ſignificandum cenſuerunt, decretum prædictum in ſacrorum etiam Anniverſariorum reductione locum habere, ut in margine ipſius libelli adſcriptum eſt. Quamobrem Amplitudo tua præfati Canonis authoritate in caſu propoſito uti non dubitabit, &c.* 26. *Novembris* 1583. *Philippus Boncompagnus Card. S. Sixti.*

Recipit tamen hæc facultas moderandi Miſſas, & Anniverſaria duplicem limitationem. Altera eſt, ut procedat tantummodò in oneribus impoſitis ante Concilium. Altera ut locum non habeat in obligationibus Miſſarum, quæ impoſitæ ſunt Capellis erectis in titulum, ut ex ipſius Sacr. Congregationis ſententia dixi in *cap. Significatum num.* 15. *de præbend.*

31 Verùm quoad moderationem eleemoſynarum pauperibus erogandarum verius videtur à Concilio nullam facultatem Epiſcopis attributam fuiſſe: nam quamvis diſpenſatio prout reſpicit perſonam, cui diſpenſandi facultas con-
32 ceditur, ſit tamquam favorabilis amplianda, ut notat Anton. de Butr. in *c. Niſi eum pridem*, §. *Perſonæ verò num.* 36. *de renunc.* & Felin. in *cap. Poſtulaſti in* 4. *limit. de reſcript.* tamen hoc fallit quando agitur de præjudicio tertii, ut ibi per Felin. *verſ. Secundus caſus, ſi contingit hoc caſu.* Item dicta concluſio non ita admittitur, ut facultas conceſſa in uno genere extendatur ad aliud genus, ut per Navarr. *in Manuali cap.* 12. *num.* 79. ut ſimiliter hoc caſu accederet, ſi Epiſcopus facultatem ſibi conceſſam quoad moderationem Miſſarum vellet extendere ad moderationem eleemo-
ſynarum. Accedit ad prædictam communis concluſio Ca- 33
noniſtarum, aſſerentium poteſtatem diſpenſandi in ſimplicibus conceſſam non extendi ad mixta, Felin. in *cap. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis*, *notab.* 8. *&* 9. *de judic.* & ita Sac. Congregatio cenſuit ordinarium *ex cap.* 4. *ſeſſ.* 25. non poſſe diminuere onus à teſtatore impoſitum hæredibus, ut certis diebus eleemoſynas erogent.

Ad tertium dubium cùm Epiſcopus, ut prædixi, facul- 34
tatem non habeat ex Concilio niſi quoad Miſſas, & Anniverſaria, dicendum videtur debere eum moderari Anniverſaria potiùs, quàm Miſſas quotidianas, plus enim ſuffragii capiet anima defuncti, ſi pro eleemoſyna decem Juliorum celebrentur pro ipſa decem Miſſæ per decem Sacerdotes, quàm ſi pro eadem fiat unum Anniverſarium cum interventu viginti, aut plurium Sacerdotum, quia ſuffragium, quod provenit ex virtute ſacrificii, & operis operati multùm præponderat ei, quòd provenit ex virtute meriti, & operis operantis, *cap. Utrùm de conſecr. diſtinct.* 2. & eſt unanimis Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, ut ſcripſi latiſſimè poſt alios in *cap. Fraternitatem de ſepultur.* & inde provenit præferenda ſit hæc ſolutionis, ſeu ſatisfactionis conditio, quæ ex virtute ſacrificii proficiſcitur, cùm debitori in Purgatorio exiſtenti ſit magis utilis. *Arg. leg.* 1. *&* 3. *ff. De ſolut.* Suffragia enim proſunt per modum ſolutionis debiti, ut per D. Thomam *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 2. *ad* 1. Quod ſi Epiſcopus haberet facultatem moderandi etiam eleemoſynas pauperibus erogandas, ſimiliter conſultius foret ab ea moderationem exordiri, quia ex dicta erogatione defuncti anima minus habebit ſuffragii, quàm ſi ex eadem eleemoſyna Miſſæ, vel Anniverſaria celebrentur, *cap. Non æſtimemus*, *cap. Animæ defunctorum*, *& cap. Tempus* 13. *quæſt.* 2. & hoc eadem ratione, de qua in *d. leg.* 1. *& leg.* 3. *ff. de ſolut.* Et hunc ordinem in reductionibus ſervandum aliàs probavit Sacra Congregatio Concilii. Cenſuit enim ſi Rectori beneficii ex fundatione incumbat onus celebrandi, & faciendi eleemoſynas, & ob reddituum tenuitatem facienda ſit reductio ab habente poteſtatem, potiùs reducendas eſſe eleemoſynas, quam Miſſas, vel Anniverſaria.

DE CONSTITUTIONIBUS

Gregorius IX. Archipresbytero S. Mariæ Majoris de Urbe.

CAPUT XIII.

QUoniam conſtitutio Apoſtolicæ Sedis omnes adſtringit, & nihil debet obſcurum, vel ambiguum continere: Declaramus conſtitutionem, quam nuper ſuper præferendis in perceptione portionis majoribus; & conſuetis ſervitiis à minoribus exhibendis, edidimus; non ad præterita, ſed ad futura tantùm extendi. Cùm leges & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi: niſi nominatim in eis de præteritis caveatur.

S U M M A R I U M.

1 *LEx nihil debet obſcurum, vel ambiguum continere. Declaratur num.* 3. *verſ. Non tamen intelligas.*

2 *Lex habens plures intellectus allegari non debet ad deciſionem cauſarum.*

3 *Sententia lata contra caſum legis, vel ſtatuti de cujus intellectu probabiliter dubitatur, non dicitur continere errorem expreſſum.*

4 *Conſtitutio futura reſpicit, non præterita, niſi in ea de præteritis caveatur.*

5 *Conſtitutio quid ſit, & an illius appellatione veniant declarationes Apoſtolicæ.*

6 *Congregationis Concilii declarationes, an habeant legis authoritatem, itaut obligent in utroque foro, & nn. ſeqq. uſque ad num.* 69.

7 *Congregationis Concilii inſtitutio, & facultates, & num.* 35. *& ſeqq.*

8 *Congregationis Concilii authoritas in decretis Tridentini Concilii interpretandis eſt Apoſtolica, & facit jus quoad omnes, & nn. ſeqq.*

9 *Conſtitutiones factæ authoritate Papæ cenſentur Papales, & ab inferioribus revocari non poſſunt.*

Declarationes editæ Principis authoritate habent vim Conſtitutionis generalis, ibid. verſ. Et in terminis.

10 *Declarationes à Congregatione Concilii fieri debent conſulto Romano Pontifice, & cur.*

11 *Conſultatio Papæ etiam edita in aliquo particulari caſu facit jus commune inter omnes.*

Dubia emergentia in audientia Papæ referenda ſunt ad

ad ipſum Apoſtolicum, ibidem.

12 Verbum, Decernere, neceſſitatem inducit, & referri poteſt tàm ad novæ legis editionem, quàm de legis jam editæ declarationem.

13 Cardinalium authoritas in dubiis & cauſis decidendis tàm ex veteri, quàm ex novo Teſtamento cauſam trahit.

Intellectus cap. Per venerabilem, §. Rationibus, qui fil. ſint legit. ibid.

14 Declaratio legis ab eo facta, qui à Principe authoritatem habet legem interpretandi, eſſentialiter non differt à lege declarata.

15 Declarans non inducit jus novum, ſed tantùm manifeſtat quod priùs latebat.

Enucleare quid ſit, ibid. verſ. Quod ſatis confirmant.

16 Interpretatio ſtatuti dicitur ſtatutum, ſi ſit intrinſeca & ſubſtantialis, & inſeparabilis à ſtatuto, & num. 19.

27 Declarare quid ſit.

18 Verba, reſolvere, decidere, reſpondere, quid importent.

19 Interpretatio quid ſit, & quid differat à declaratione.

20 Congregatio Concilii in ſuis reſcriptis frequentiùs utitur verbo, Cenſuit, & cur.

21 Declarationes Congregationis Concilii inſunt Concilio, & obligant in utroque foro ex vi legis declaratæ.

22 Decreta Apoſtolica, & Conciliaria obligandi vim habent etiam ſub reatu mortalis peccati.

23 Qualitates omnes, quæ inſunt legi declaratæ, cenſentur ineſſe illius declarationi.

24 Baptizati à Calviniſtis, ſunt verè baptizati, nec ſunt iterùm baptizandi etiam ſub conditione.

25 Matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, &c. aut ex alia cauſa vocato, adhibito tamen ad illum actum, aut interdicto, vel non ſacerdote, validum eſt, & num. ſeqq.

27 Procuratio poſt Concilium Tridentinum non debetur Epiſcopo viſitanti Eccleſias, & loca pia ſuæ civitatis.

28 Sacerdos Excommunicatus, & denuntiatus non poteſt ſacramentaliter abſolvere pœnitentem etiam in articulo mortis.

29 Epiſcopi non poſſunt abſolvere in caſibus occultis in Bulla Cœnæ Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

30 Item poſt Bullam S. Pii V. nequeunt abſolvere Moniales in materia clauſuræ ſecretò delinquentes.

31 Epiſcopi abſolventes, ac diſpenſantes in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, incidunt in Bullam Cœnæ.

32 Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum vero bigamo ad primam tonſuram, aut beneficia ſimplicia.

33 Ignorantia juris dubii an & quando excuſet.

34 Legem Canonicam malè intelligens non peccat mortaliter, niſi poſt declaratam ejus obſcuritatem.

35 Congregationis Concilii ſtylus in dubiis decidendis, & cauſis expediendis.

36 Congregatio Concilii inhibet officialibus Urbis in cauſis Conciliaribus, in quibus habet juriſdictionem privativè quoad omnes.

37 Congregatio Epiſcoporum de iis, quæ ad interpretationem Concilii pertinent, aut de ipſis Congregationis Concilii decretis cognoſcere non poteſt.

38 Stylus in cauſis Rotalibus, cum dubia emergunt ad interpretationem Concilii pertinentia, & n. ſeqq. & n. 72.

39 In commiſſionibus cauſarum, quando in ſupplicatione non exprimitur articulus certus juris, jubetur addi clauſula: Dummodò non agatur de interpretatione decretorum Concilii.

40 Citatio partis in declaratione legis an & quando requiratur.

41 Papa dat litteras in forma Brevis, & Auditor Cameræ monitoria pro obſervatione declarationum Congregationis Concilii, & num. 70.

42 Lex ante prohibitionem non ligat.

43 Declarationes Congregationis Concilii non requirunt publicationem, & nn. ſeqq.

44 Declaratio legis etiam obſcura, ac dubiæ, publicationem non requirit.

45 Declaratio triplex, & propriè fit ſuper dubio, ibid. verſ. Et ſanè.

Declaratio legis trahitur etiam ad præterita, imò & Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal. ad pendentia, & num. 53. & ſeqq.

46 Ignorantia declarationum Congregationis Concilii an & quando excuſet, & num. 50.

47 Conſtitutiones Apoſtolicæ ante illarum publicationem an & quando ligent ignorantes.

48 Lex declarata intelligenda erat juxta declarationem habentis authoritatem eam declarandi, etiam antequam declaratio emanaſſet.

49 Ignorantia juris dubii non excuſat, quando conſuli poſſunt peritiores.

50 Ignorantia juris an & quando excuſet.

51 Conſtitutio nova etiam ante publicationem ligat eos, qui illius habent notitiam.

52 Conſtitutiones Papales non continentes tempus, & locum, an valeant.

In declarationibus Congregationis Concilii non conſuevit apponi tempus, neque locus, & cur, ibid. & nn. ſeqq.

53 Declaratio legis habet vigorem ex tempore legis declaratæ.

54 Excommunicatus per declarationem ampliùs non ligatur, cum ab initio ligatus non fuerit.

55 Canones Concilii Trid. circa dogmata juris divini ſunt declarationes, & ideo non incipiunt obligare à Kal. Maii 1564. ſicut alia decreta reformationem concernentia, ſed à divina inſtitutione.

56 Declarationes Congregationis Concilii an careant legis authoritate, eò quòd aliquando videantur ſibi contrariæ.

57 Epiſcopi comprovinciales, nec perſonaliter, nec per Procuratorem tenentur accedere ad Metropolitanam Eccleſiam, non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili.

58 Concurſus non requiritur in Parochiali juriſpatronatus mixti laicorum, & Eccleſiaſticorum.

59 Declarationibus Congregationis Concilii impreſſis, vel manuſcriptis, ſigillo, & ſubſcriptione carentibus, an & quæ fides ſit adhibenda.

60 Interpretatio legis quotuplex ſit.

61 Congregationis Concilii interpretatio non eſt probabilis tantùm, ſed neceſſaria, & num. 63.

62 Innocentius IV. Pater juris, & cur.

64 Juriſdictiones omnes ſunt principaliter apud Principem, tamquam apud fontem.

65 Congregatio Concilii reſpondet ad dubia juris, ea verò quæ factum concernunt, rejicit ad judices ordinarios.

66 Declarationes Congregat. Concilii, quamvis edantur in aliquo ſpeciali caſu, tamen faciunt jus quoad omnes.

67 Sententia Principis declaratoria juris habet vim generalis ſtatuti.

68 Congregationis Concilii reſcripta ſunt veluti reſponſa prudentum.

69 Congregatio Concilii occaſione viſitationis Liminum, & recognitionis Conciliorum Provincialium, reſpondet etiam ad dubia non Conciliaria.

70 Rota Romanæ teſtimonium de authoritate reſolutionum S. Congregationis Concilii, & num. 71. & 72.

QUoniam. Conſtitutio futura reſpicit, non præterita, niſi in ea de præteritis caveatur. Hoc dicit ſecundùm omnes. Dividitur in tres partes. Prima ponit in genere declarationis cauſam. Secunda declarationem, ibi, *Declaramus*. Tertia declarationis rationem, ibi, *Cum leges*. /

Nota primò ibi, *Nihil debet obſcurum, vel ambiguum* 1
continere, legem ſeu conſtitutionem, quamvis non feratur, niſi ſuper dubio, *leg. Labeo, ff. de Carbon. edict.* tamen debere eſſe claram, *cap. Erit autem lex* 4. *diſt.* ibi: *Manifeſta quoque ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat*, ideſt, ne aliquis poſſit eam captiosè interpretari, ut ibi explicat gloſſ. vel ne per obſcuram conſtitutionem in laqueum incidamus, *cap. De viduis 27. quæſt.* 1. Undè nihil eſt tàm proprium legum ſicut claritas, ut in *Authen. de teſtam. imperf.* §. *Nos igitur*, ideòque ſtatutum, quòd eſt ambiguum, non meretur in cauſis allegari, ſecundùm Bald. hìc *num.* 13. & lex habens varios intellectus 2
allegari non debet ad deciſionem cauſarum, *leg. In ambiguo*, & ibi Bart. *num.* 2. *ff. de reb. dub.* Jaſon. *in rubr. num.* 21. *& ſeqq. ff. de tranſact.* Idemque in ſtatuto, & conſtitutione tradit Felin. *ſupra in procem. num.* 2. & ſententia lata

I con-

contra caſum legis, vel ſtatuti, de cujus intellectu probabi-
3 liter dubitat, non dicitur continere errorem expreſſum, ut notat Bart. in *leg. Cum prolatis*, *ff. de re judic.* & Bald. hìc *num.* 14. Decian. *conſ.* 32. *n.* 24. *lib.* 2. & Vant. *de nullit. ex defectu proceſſus nu.* 118. *verſ. Et præmiſſa intellige*, dicitur autem obſcurum quantum ad litteram, ambiguum quantum ad mentem, ſecundùm Joan. Andr. & Card. hìc, qui etiam referunt illud Hieronymi in Oſeam, videlicet: *Obſcuritas tribus modis naſcitur, aut rerum difficultate, aut magiſtri imperitia, aut diſcentis nimia tarditate.* Non tamen intelligas ſecundùm Jo: Andr. legem ita claram eſſe debere, ut nihil dubium relinquatur, quod præcipuè patet ex eo, quòd ibi debet eſſe generalitas, *d. c. Erit autem lex* 4. *diſt. cap. Cùm omnes infrà eod.* gloſ. *in rubr. hoc tit. lib.* 6. generalitas verò obſcuritatem inducit, *leg. Ita fidei*, *ff. de jur. fiſc. cap. Venerabilibus infrà de confirm. util. vel inutil.* Sed ideò dicitur non eſſe obſcura, quia ad conditorem poterit haberi recurſus pro declaratione, & ita nihil remanebit ambiguum, *leg. fin. Cod. de leg.* & cum Jo: Andr. tranſeunt hìc Butr. Card. & alii. Verumtamen dicit Bart. *in leg. Omnes populi num.* 56. *verſ.* 3. *Quæro*, *ff. de juſtit. & jur.* non recurri ad Principem pro interpretatione, niſi in ſubſidium, cùm ſcilicet alia interpretatio, quæ congrua ſit, haberi non poteſt, & ſeq. Dec. in *leg. In ambiguis*, *il* 2. *num.* 1. *ff. de reg. jur.* de quo ſcripſi plenè in *cap. Cùm veniſſent infrà de judic.*

4 Secundò nota, conſtitutionem reſpicere futura tantùm, & non præterita, concordat text. *in cap. Cognoſcentes ſuprà eod. c.* 1. 31. *diſt. cap. Propoſuiſti* 82. *diſt. leg. Leges*, *Cod. de legib.* Quinimò trahere leges ad præterita eſt quædam calumnia, *leg. penult. Cod. de decurion. lib.* 10. ibi: Cùm conveniat leges futuris regulas imponere, non præteritis calumnias excitare, & notat hìc Bald. *num.* 19. Fallit tamen hęc regula præcipuè in duobus caſibus. Primus eſt, cùm in conſtitutione expreſsè cavetur, ut trahatur etiam ad præterita, ut hìc, & in *cap. Si quidem* 10. *qu.* 1. & in *cap. Cùm in cunctis infr. de elect.* Secundus eſt, ſi conſtitutio ſit declaratoria: hæc enim ex ſui natura etiam præterita comprehendit, *cap. fin. infr. de fil. Presbyt. c. pen. de conſ. Eccleſ. vel alt.* & plenè dicam infra num. 45. & ſeqq. & propoſitio non eget publicatione, ut ſimiliter dicam infra num. 45. & ſeq.

Ultimò nota ex principio litteræ, conſtitutiones Apoſtolicæ Sedis aſtringere omnes, ad idem *cap.* 1. *ſuprà eod. cap. Si quis omne* 1. *quæſt.* 7. *cap. Romanorum* 19. *diſt. & cap. Nolite* 11. *diſt. cum concord.*

5 Quid de declarationibus? Non videtur, quia conſtitutio dicitur à *con*, quod eſt ſimul, & *ſtatuo*, quaſi *ſimul ſtatuitio*, vel dicitur communis ſtatuitio, ut inquit gloſſ. *in rubr. hoc tit. lib.* 6. Statuere autem ex propria ſignificatione eſt jus novum inducere, *Clem. fin. §. fin. de reſcrip.* gloſſ. in extrav. *Suſcepti*, Joan. XXII. *in ver. Statuimus de elect.* At declaratio jus novum non inducit, ſed tantùm explicat jus antea editum, *leg. Hæredes palam*, *§. Quod vero*, & *§. Sed etſi notam*, *ff. de teſtam. cap. Cùm tu*, *cum ibi not. de uſur.* & dicam pleniùs infrà *num.* 12.

Reſpondeo, ſi declarationes ſint editæ immediatè à Summo Pontifice, abſque dubio ligant omnes, *cap.* 1. *de bigam. lib.* 6. *cap.* 1. *de privil. eod. lib.* Nec obſtat verbum, *Conſtitutio*, quia quamvis ſtrictè accipiatur, prout differt ab aliis partibus juris ſcripti, & tunc nihil aliud ſit, quàm quod Princeps ſtatuit, & ordinat animo condendi legem, *ut inſt. de jur. nat. §. Sed & quod Principi placuit*, tamen in latiori ſignificatione complectitur etiam reſponſa prudentum, & alias partes juris ſcripti, & ſic etiam declarationes, ut declarat gloſſ. pręalleg. *in rubr. hujus tit. lib.* 6. quam ibi ſequuntur Gem. Anch. & Fran. Undè declarationes quoque dicuntur conſtitutiones non quidem novi juris promulgatoriæ, ſed juris præexiſtentis declaratoriæ, ut probatur in *cap. fin. de fil. Presbyt. & in cap. pen. de conſ. Eccl. vel alt.* & not. Jo: Andr. *in cap.* 1. *in princ. in verb. Diffinimus de privil. in* 6. dicens non eſſe curandum, quòd ille text. dicat: *Decernimus* quia licèt ſit declaratio, tamen eſt conſtitutio, & cum eo tranſeunt ibi Gemin. & alii. Sin autem declarationes emanaverint non immediatè à Summo Pontifice, ſed de illius authoritate, dic latiſſimè, ut in quæſito ſeq.

6 QUÆRO, utrùm declarationes Sac. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum obtineant legis authoritatem, adeòut non ſolùm in exteriori judicio, ſed etiam in foro animæ obligandi vim habeant?

Emerſit nuper hæc quæſtio, quia nonnulli Epiſcopi innixi ſententiæ ſcriptorum aliquot recentiorum viſi ſunt exiſtimare, S. Congregationis Concilii declarationes, etſi magnum hebeant pondus authoritatis, earumque præcipua habenda ſit ratio in dubiis, & cauſis decidendis, tamen legis vigorem non obtinere, cùm promulgari non conſueverint, & nondum ſanxerit Romanus Pontifex, ut tamquam leges recipiantur. Quod tamen longè aliter ſe habere patebit ex his, quæ de S. Congregationis inſtitutione & authoritate, de ipſarum declarationum natura, ac vi, deque obſervantia, ac ſtylo inferiùs dicentur.

Primùm igitur Pius IV, anno 1563. 7. Calend. Februarii in Conſtitutione, quæ incipit, *Benedictus Deus*, poſteaquam confirmavit Oecumenicam Trid. Synodum, mox ad evitandam perverſionem, & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret in decreta Concilii commentaria, & interpretationes ſuas edere, inhibuit omnibus tàm Eccleſiaſticis, quàm laicis, Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, aliis verò ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine authoritate auderet ullos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, nullumve omninò interpretationis genus ſuper ipſius Concilii decretis quocumque modo edere, difficultateſque & controverſias, quę ex iis decretis exoriretur, ſibi ac Sedi Apoſtolicæ declarandas, & decidendas reſervavit. Et ſubindè idem Pius IV. in Conſtitutione incipiente, *Sicut ad ſac. Conciliorum*, edita *anno* 1564. 15. *Cal. Aug.* declaravit ejuſdem Concilii decreta omnia ad reformationem, ejuſque poſitivum dumtaxat ſpectantia, à Cal. Maii ejuſdem anni 1564. omnes obligare cœpiſſe, neque poſt eam diem excuſationem cujuſquam, quòd ea ignoraverit, admittendam.

Hoc ipſo tempore initium habuit S. Congregatio Conci- 7
lii ſub eodem Pontifice Pio IV. qui cùm paulò ante edidiſſet nonnullas Conſtitutiones, & ordinationes concernentes reformationes ſacræ Pœnitentiariæ, Vicarii Urbis, Camerarii, Auditoris Cameræ, Palatii Apoſtolici cauſarum Auditorum, Gubernatoris, aliorumque Urbis, & Romanæ Curiæ Tribunalium, & officiorum, deputavit octo S. R. E. Cardinales, qui eaſdem Conſtitutiones, & pariter Decreta Tridentini Concilii per quoſcumque tribunalium prædictorum Judices, & officiales ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis officiorum, & aliis eiſdem Cardinalibus benè viſis eo ipſo incurrendis pœnis firmiter, & cùm effectu ſervanda curarent, niſi tàm in executione dictorum decretorum Concilii, quàm dictarum conſtitutionum aliqua dubietas, aut difficultas emergeret, quo caſu ad Sanctitatem Suam referrent, ut in motu proprio incipien. *Aliàs nos*, edito *eo anno* 1564. 4. *Nonas Auguſt.* Itaque Sacra Congregatio ab initio Tridentini Concilii decretis non interpretandis, ſed exequendis dumtaxat, præfecta eſt: ſed paulò poſt cum multis conſultationibus reſpondiſſet ad Concilii intelligentiam pertinentibus, & dubitatum eſſet de illius facultate ob prohibitionem Pii IV. in Conſtitutionibus ſuprà editis: S. Pius V. indulſit eidem, ut poſſet decidere caſus, quos tamquam claros putaret decidendos, quos verò tamquam dubios exiſtimaret referendos, Sanctitati Suæ referret, quod in eam uſque diem fecerat: moxque ipſi Congregationi ampliores etiam facultates pro decidendis cauſis, & controverſiis Concilii interpretationem concernentibus, idem S. Pius V. attribuit, ut in libris ejuſdem Congregationis adnotatum reperitur manu Cardinalis Carafæ. Creſcente verò cauſarum & negotiorum mole, quæ ex omnibus terræ partibus ad eam confluebant, conſtitutum eſt, ut pro faciliori expeditione quatuor Cardinales ex corpore generalis Congregationis delecti frequentiùs convenirent ſub nomine Congregationis particuliaris. Quàm quidem Congregationem Gregor. XIII. die 8. Maii 1576. declaravit in præteritum potuiſſe, & in futurum poſſe expedire caſus aliàs deciſos in Congregatione generali, atque etiam eos, quos pro claris haberet ex omnium ſententia.

Poſt hæc idem Sixtus V. in Bulla, quæ incipit, *Immenſæ æterni Dei*, *§. Deo autem Patri*, edita 11. *Cal. Febr.* 1587. eorum quidem decretorum, quę ad fidei dogmata pertinēt, interpretationem ſibi ipſi reſervavit, ac poſteà ſubdit: Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilii Tridentini, ſi quando in his, quæ de morum

refor-

reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis judiciis, aliiſque hujuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas aut difficultas emerſerit, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis, impartimur. Ac deinde attribuit eidem Congregationi alias facultates, nempè Provinciales & Diœceſanas Synodos in uſum inducendi: item Provincialia Concilia expediendi, & recognoſcendi: Prælatorum Limina viſitantium poſtulata audiendi: adjiciens, ut quæ Congregatio ipſa per ſe poſſet, ex charitatis & juſtitiæ norma expediret, majora ad Sanctitatem Suam referret. Præterea ſtatuit, ut Congregatio haberet authoritatem promovendi reformationem Cleri & Populi, nedum in Urbe, & ſtatu Eccleſiaſtico temporali, ſed etiam in univerſo Chriſtiano orbe. Et in declarationibus editis paulò poſt idem Pontifex diſpoſuit, ut Cardinales Congregationum jam erectarum, inter quas Congregatio Concilii, ſibi viros S. Theologiæ, & Pontificii, ac Cæſarei juris peritos in conſultationibus adhiberent, ut quæ juſtitiæ, atque æquitati conſentanea maximè eſſent, decernerentur, graviora verò quæcumque ad ſe, vel ſucceſſores ſuos deferrentur: & in aliis declarationibus in Conſiſtorio editis die 11. Maii 1588. in fin. decrevit, ut ſi alicui Congregationi occurreret pro rebus ad ipſam Congregationem ſpectantibus brachio ſæculari indigere, tunc recurreretur ad Gubernatorem, Auditorem Cameræ, Vicarium, ſive ad alium judicem, qui præceptis ab ipſa Congregatione factis obedire teneretur, ut in Bullar. *tom. 2. fol. 616. & ſeqq.* Ac demùm ut omittamus alias facultates, quæ ad rem præſentem non pertinent, Gregor. XIV. per litteras in forma Brevis eidem Congregationi impertitus eſt authoritatem ſcribendi nomine Papæ.

8 His ita conſtitutis, manifeſtum videtur, declarationes S. Congregationis Concilii vim legis obtinere, & in utroque foro obligare, cujus quidem aſſertionis veritas nititur præcipuè his fundamentis.

Et primò, cùm facultas Concilium Tridentinum interpretandi ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata per Conſtitutionem S. Pii V. initio relatam, eò quòd Sixtus V. in ſua Conſtitutione hanc interpretandi facultatem ipſi Congregationi impertitus fuerit, jam Congregatio in his decretis interpretandis non ſua, ſed Papæ utitur authoritate: nam quotieſcumque Papa tribuit aliquam facultatem alteri, qui eam priùs non habebat, tunc authoritas illa intelligitur eſſe Apoſtolica, *cap. Cùm aliquibus de reſcriptis in 6.* Ex quo textu hanc regulam deſumunt Archid. Joan. Mon. Joan. Andr. Anchar. & alii omnes. Ideòque Sacr. Congregatio multoties inſcribitur Tridentini Concilii Sanctiſſimi Domini Noſtri authoritate, ſeu Apoſtolica authoritate interpres. Et concordat text. in *cap. Si cum de præbend. in 6.* ibi: *Talis receptus hujuſmodi noſtra authoritate mandati, non legati, ſed noſtra intelligitur authoritate receptus*: & in *cap. Hi qui in fin. eod. tit. & lib.* in illis verbis: *Eum quoque, qui ad mandatum legati, vel alterius authoritate Apoſtolica ſibi ſpecialiter in hac parte conceſſa fungentis recipitur, authoritate Apoſtolica receptum eſſe dubium non exiſtit.* Ad idem eſt textus formalis, qui clarè hanc ſententiam probat, in *leg. 1. Cod. de veter. jur. enucl.* Nam ibi in *§. Noſtram autem conſummationem*, Juſtinianus prohibet, ne ad ſuum Codicem edantur Commentaria, ſicut Pius IV. ſua conſtitutione prohibuit ad decreta Tridentini Concilii: & in *§. His itaque collectis*, dicit prudentibus interpretandarum legum authoritatem ſacratiſſimos Principes tribuiſſe, quemadmodum illam Sixtus V. attribuit Congregationi: demùm in *§. Sed neque*, Imperator declarat prudentum interpretationes habere legis authoritatem, tamquam, inquit, ſi eorum ſtudia ex principalibus conſtitutionibus profecta, & à noſtro divino fuerint ore perfuſa, & mox reddit rationem: quia meritò omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impartimur. Quam rationem in his terminis adducit etiam Joan. Monachus in *d. cap. Cum aliquibus num. 15. de reſcriptis in 6.* & illa utitur Bonifacius VIII. *in cap. Si Apoſtolica*, ibi: Certum eſt, quòd cùm ipſa proviſio ipſius legati poſt impertitam à nobis authoritatem, noſtra cenſeatur affecta, &c. *De præben. eod. lib.* quem text. ad hoc allegat Dec. poſt Abb. in *cap. Cum acceſſiſſent num. 8. ſupr. eod.* & cùm Papa ſit cauſa & origo uthoritatis Congregationis, debet etiam eſſe cauſa cauſati, ideſt, interpretationum ab ea editarum, *leg. Manumiſſiones, ff. de juſtit. & jure, cap. fin. de injur.* Jaſon. *in leg. Si pecuniam num. 21. ff. de cond. cauſ. data*, actus enim tribuitur primæ cauſæ, *leg. Item eorum, §. Si decuriones, ff. Quod cujus univer. nom. c. Litteris de reſcript.* Bart. *in leg. Unum ex familia, §. Si rem de leg. 2.* & Papæ ordinanti, non exequenti, ut eſt caſus in *d. c. Litteris*, Rom. *conſ. 366. in princ.* 9
Et propterea conſtitutiones authoritate Papæ editas ab eo, qui alias poteſtatem ſtatuendi non habebat, cenſeri Papales & ab inferioribus revocari non poſſe determinat Bart. *in l. Omnes populi num. 33. verſ. Juxta prædicta quæro, ff. de juſt. & jure*, & idem Bart. *in leg. 2. in fin. C. de oper. lib.* Bald. *in leg. Ex placito, col. 2. C. de rer. permut.* Felin. *in c. Cum acceſſiſſent num. 9. ſup. eodem*, ubi Dec. *num. 16. verſ. Secundo, concluſio*, teſtatur hanc concluſionem ab omnibus ſimpliciter teneri. Pro qua conſuluit Ludovic. Rom. *conſ. 116.* ubi *num. 1. in fin.* reddit rationem, quia cum authoritate ſuperioris inferior ſtatuerit, non ipſe hoc feciſſe videtur, ſed ille, cujus authoritate hoc factum eſt. Et Navar. *conſ. 8. in 1. quæſt. de conſtit.* ubi reſpondit, conſtitutiones editas à Capitulo generali in vim privilegiorum ordinis tolli non poſſe à Capitulo repræſentativo Capituli generalis, imò neque ab ipſo generali Capitulo, quia, inquit, cùm editæ fuerint authoritate Apoſtolica, facta illa ſunt facta Papæ, & inferior non poteſt tollere facta ſuperioris. Et propiùs ad rem noſtram declarationes, ſeu interpretationes factas ab eo, qui habet authoritatem à Principe, habere vim conſtitutionis generalis, tradit gloſ. communiter approbata *in leg. 1. in verſ. Juſque in fin. C. de legib.* per text. qui maximè congruit Cardinalibus, *in leg. Non ambigitur, ff. eod. in leg. 1. ff. A quibus appell. non liceat in §. Lex eſt inſtitut. de jur. nat.* item *in leg. Formam, ff. de offic. Præf. Prat.*

Secundò, Sixtus V. dat facultatem Congregationi Concilium interpretandi, adjectis verbis: Nobis: tamen conſultis. At hujuſmodi verba ſupervacanea eſſent, ſi Congregationis interpretatio non haberet legis authoritatem, neque enim eſt opus, ut cùm magiſtri, aut judices interpretantur canones, aut leges, ante interpretationem conſulant Principem, *leg. Unica, C. de profeſſ. qui in Urb. Conſtant. lib. 12. leg. Non poſſunt, ff. de legib.* gloſſ. *in cap. 1. ver. Interpretatus de poſtul. Præl.* Innoc. *in cap. Cum ſpeciali de appell.* Silveſt. *in ver. Opinio nu. 2. verſ. Quia judex poteſt interpretari.* Et de Trident. Synodo cautum eſt expreſsè *in cap. 2. ſeſſ. 25. de reform.* ibi: Ab iiſdem Univerſitatibus Canones, & decreta hujus S. Synodi integrè recipiantur, ad eorumque normam Magiſtri, Doctores, & alii in eiſdem Univerſitatibus, ea quæ Catholicæ fidei ſunt, doceant & interpretentur, ſeque ad hoc inſtitutum initio cujuslibet anni ſolemni juramento obſtringant. Dicendum eſt igitur, idcircò Pontificem voluiſſe priùs ſe conſuli à Congregatione, ut illius declarationes majorem acciperent roboris firmitatem ex Pontificia conſultatione, & facerent jus quoad omnes: ad quod eſt text. notab. *in cap. Ex multa de voto*, ibi: In conſultatione noſtra jus editur, & notat gloſſ. *in cap. Ex tua in verſ. Conſultationem de fil. Presbyt.* & gloſſ. *fin. in cap. Conſultationi de temp. ordin.* Card. *in Clem. ultim. in 2. opp. de præbend.* Abbas *in cap. Venerabilis in 2. col. de judic.* Felin. *in cap. 1. num. 17. verſ. Et per iſtam declarationem ſupra eod.* Propterea enim cùm dubia emergunt in audientia Papæ, referendum eſt ad ipſum Apoſtolicum, ut inquit Bald. in *leg. Cum de novo in fin. Cod. de legib.* 10 11

Tertiò, conſtitutio eadem agit primò de authoritate interpretandi dubia, quæ pertinent ad fidei dogmata, & hanc Pontifex ſibi reſervat. Deindè agit de authoritate interpretandi dubia, quę ſpectant ad morum reformationem, diſciplinam ac moderationem, & Eccleſiaſtica judicia, & hanc Sacræ Congregationi impartitur: ſed authoritas interpretandi, quam in primo caſu Papa ſibi reſervat, eſt Apoſtolica, & facit jus quoad omnes, *cap. 1. De juram. calum. cap. Sunt quidam 25. quæſt. 2.* Silveſt. *in ver. Interpretatio num. 2.* ergo & authoritas interpretandi, quam in ſecundo caſu tribuit Congregationi, *cap. Majores*, ibi. (Tota authoritas intelligenda eſt de adultis, ne ad alios prima, & ad alios ſecunda clauſula referatur) *de Baptiſm.* ubi Anton. de Butr. *num. 7.* notat clauſulam in dubio individuè prolatam cenſeri, ne diverſo jure cenſeatur. Et idem Butr. *in c. Per venerabilem in princ. in 6. not. Qui fil. ſint legit.* ubi ex eo textu ſimiliter notat eamdem vim non poſſe cenſeri jure diverſo, etiāſi conſideretur, prout applicatur ad diverſos

ſos reſpectus. Et confirmatur, quia exceptio Apoſtolicæ authoritatis interpretandi dubia ad fidem pertinentia, quam Papa ſibi reſervat, declarat, regulam ſecundæ authoritatis interpretandi dubia ad reformationem ſpectantia, quam tribuit Congregationi, eſſe ſimiliter intelligendam de authoritate Apoſtolica. Nam, ut inquit Bald. *conſ.* 407. *num.*2. *verſ. Secundo quæritur lib.*5. de natura exceptionis eſt, ut eximat ſe à genere, & declaret prædicta generis eſſe debere ejuſdem qualitatis cùm exceptione, aliàs exceptio non eſſet de regula, contra textum in *leg. Nam quod liquidè*, §.*fin.ff. de pen.leg.* & eſſet deriſoria, ut dixit Paul.de Caſtr. *conſ.* 79. *num.*3. *lib.*1.

Quartò, in declarationibus à Sixto V. ut ſuprà editis ſtatuitur, ut quæ pertinent ad reformationem, à Congrega-
12 tione pro juſtitia, & æquitate decernantur. Verbum autem *Decernere* neceſſitatem inducit, *cap.Inter cætera*, *& cap. Dilecti*, *in fin.* ubi notatur, *de præben. cap. Decernimus*, ubi Felin. *de judic.* gloſſ. & Cardinalis *in Clem. Eos*, *de regul.* Et quamvis in ſtrictiori ſignificatione referatur ad novæ legis editionem, tamen ſe compatitur etiam cum verbo *Declarare*, & in ſui latitudine aptum eſt importare etiam legis jam editæ declarationem, textus eſt in *cap. Conſtitutionem*, ibi, Declarantes decernimus, *de ſent. excomm.in 6. & in cap.*1.& ibi Gem. *in 2.not. de Cler.ægrot. eod.lib.* Et propterea Sacræ Congregationis reſolutiones, etiam decreta aliquando appellari conſueverunt. Et eodem ſpectat, quòd in prædicta Conſtitutione legitur, ut quæ Congregatio ipſa per ſe poterit, ex charitatis, & juſtitiæ norma expediat, majora ad Pontificem referat.

Quintò, ſub eadem oratione, & verborum ſtructura tam in eadem Sixti Conſtitutione, quàm in aliis litteris Apoſtolicis eadem Congregatio paſſim dicitur aſſumpta, ſeu præfecta decretis Trid.Concilii interpretandis & exequendis. Sed authoritas exequendi inducit quoad omnes parendi neceſſitatem, ut patet in Conſtit. Pii IV. in princ.relata, in qua pro Concilii executione tribuitur Congregationi ampliſſima authoritas procedendi pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis etiam uſque ad officiorum privationem. Ergo & authoritas interpretandi, per regulam *leg.Jam hoc jure*, §.*fin.ff.de vulg.& pupill.& leg.fin.C.de ſent.*de qua per Dec. in *cap.Novit*, *num.*56.*infrà*, *de judic.*Veritas enim orationis de pluribus loquens regulata ab eodem verbo operatur, ut æqualis ſit determinatio quoad omnes, *leg. Hæreditatem*, *& leg.Quamvis*, *C.de impuber.*& *aliis ſubſtit.*Bald.*in leg. In teſtamento*, *C.de milit. teſt.* quod pluribus exemplis confirmat Florian.à S.Petro *conſ.*14.*num.*9.*& ſeq.per tot.*Et cùm utrumque jus interpretandi, & exequendi manaverit ab eodem fonte Apoſtolicæ poteſtatis, ſuccedit dictum Bald.relatum à Felin.in *cap. Tranſlato nu.*6.*ſupr.eod.* quòd propter ſimultaneam originem ſpecies diviſæ in unam naturam annectuntur. Et quæ procedunt à pari potentia & virtute, ſunt unius effectus, *leg.*1. §.*Non eſſe*, *ff.Ne quid in loco publ.*Petr.Brixien. *in Repert. in ver. Effectus*.

Sextò, facultates quæ in eadem Sixti Conſtitutione, & in declarationibus poſtea editis conceduntur Sacræ Congregationi, omnes inducunt neceſſitatem, veluti præcipiendi, ut Provincialia Concilia ex omnibus mundi partibus ad eam referantur: illaque recognoſcendi, & emendandi, atque in uſum inducendi unà cum Synodis diœceſanis: item promovendi reformationem Cleri, & Populi, nedum in Urbe & ſtatu Eccleſiaſtico, ſed etiam in univerſo Chriſtiano orbe, atque alia quæ ibi recenſentur. Ergo idem dicendum de interpretandi facultate. Uniformis enim debet eſſe cujuslibet authoritatis intellectus, ut inquit gloſ.in *cap.Majores*, *in princ.in ver. Tota authoritas*, *de Baptiſ.*

Septimò, ex litteris in forma Brevis Gregorii XIV.quarum initio meminimus, Sacra Congregatio authoritatem habet ſcribendi nomine Papæ, ergo ambigendum non eſt quin ejus reſcripta cenſeantur Papalia, & Apoſtolica, ut conſtat ex *d.cap. Cum aliquibus in 2. reſponſ. de reſcript. in 6. & cap.Hi qui*, *de præb. eod.lib.*

13 Octavò, Cardinalium authoritatem in dubiis, & cauſis decidendis cenſeri Apoſtolicam, & tàm ex veteri, quàm ex novo teſtamento cauſam trahere, apertè probat textus valdè ſingularis in *c.Per venerabilem*, §.*Rationibus*, *qui fil.ſint legit.* ubi Innocentius III. exponens verba illa Deuteronomii: Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram, & judicium inter portas tuas videris variari, venies ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſque eorum ſententiam: ſic ait: Sunt autem ſacerdotes Levitici generis fratres noſtri, qui nobis jure Levitico in executione ſacerdotalis officii coadjutores exiſtunt. Quæ quidem verba de Cardinalibus eſſe intelligenda, tradunt ibi Jo:Andr.*col.*3. *in ver.Fratres noſtri*, Anchar.*nu.*18.& Abb.*num.*19.Specul. *in tit. De legato*, §.*Sequitur num.* 2. Et hanc authoritatem non de Epiſcopis, ſed de Cardinalibus intelligendam eſſe, clarè conſtat ex Epiſtola decretali Eugenii IV.ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, quæ incipit, *Non mediocri*, data Florentiæ, ubi Eugenius præſidebat in Concilio Florentino, Anno ſui Pont.8.*in verſ.Imo*, *ut inquit Innocentius III.* in quem ſenſum etiam accipitur à Sixto V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Poſtquam verus*, edita 3.Non.Decembris 1586. *verſ.Ut inter ſanguinem*, *& ſanguinem*, *cauſam*, *& cauſam*, *&c.* ubi propterea, inquit, Cardinalium verba, & reſponſa pro oraculis, monita, & præcepta ab Univerſis Chriſtianis regulas, ac normam rectè vivendi, rectèque ſentiendi exiſtimari. Quinimò ex eo text.*in ver. Angelos*, colligit Goffred. Cardinales participare in plenitudine poteſtatis. Et cùm eo tranſit ibi Jo:Andr.*col.*7.*in eod.ver. Angelos*. Quod citrà controverſiam vendicat ſibi locum in Cardinalibus à Summo Pontifice decidendi authoritatem habentibus, quemadmodum habent Cardinales S.Congregationis Concilii, tunc enim propriè verificantur ſimultanea illa verba Deuteronomii: Ipſi, ideſt Summus Pontifex, & ejus fratres Cardinales, ſeu Cardinales ab ipſo authoritatem habentes judicabunt tibi judicii veritatem. Eorum autem deciſioni neceſſariò parendum eſſe, apertè oſtendunt ſubſequentia verba: Et facies quæcumque dixerint, ſequeriſque eorum ſententiam, &c. Hinc Cardinalis Paleot.*de Sacri Conſiſtorii Conſult.par.*5. *quæſt.*40. dixit Congregationes Cardinalium, quas Summi Pontificis, & præſertim Sixtus V.ad cauſarum difficultates ipſius authoritate cognoſcendas, & definiendas inſtituerunt, eſſe tamquam filias Conſiſtorii, ab eo veluti fonte permanantes. Et quemadmodum Sol non ſolùm ipſe lucet, verùm etiam ſtellis lumen impertitur, quò & cœlum ornant, & illuminant orbem univerſum, ſic Summum Pontificem, non ſuis decretis modò Eccleſiam per ſeipſum docere, & moderari, verùm etiam ità Cardinales ſua tum authoritate fulcire, tum poteſtate augere, ut ſociatis laboribus facilè omnes difficultatem nodos diſſolvant.

Nonò, declaratio legis ab eo facta, qui à Principe, ſeu 14
legis conditore jus habet legem interpretandi, eſſentialiter non differt à lege declarata, *leg.Hominis*, *& rei*, §.*Verbum ex legibus*, *ff.de verb.ſignific.leg.Qui teſtamento*, §.*Mulier in ver. Argumento*, *ff. de teſtam.*Abb. *conſ.*75. *num.*6. *verſ. Nam mens legis lib.*1.Ergo eamdem authoritatem, & obligandi vim habet quam ipſa lex. Nam qui declarat, novum jus non inducit, ſed tantùm detegit, quod priùs latebat, *leg.Hæredes palam*, §.*Quod verò*, *&* §.*Sed et ſi notam*, *ff. de teſtam.* ubi Ulpianus ait: Quod verò quis obſcurius in teſtamento vel nuncupat, vel ſcribit, an poſt ſolemnia explanari poſſit quæritur? ut puta Sticum legaverat, cùm plures haberet, nec declaravit de quo ſentiret: Titio legavit, cùm multos Titios amicos haberet, &c.poterit ne poſtea declarare de quo ſenſerit? Et puto poſſe, nihil enim nunc dat, ſed datum ſignificat. Atque ita ibi eſſe caſum ad litteram, Bellam.*deciſ.*746.*col.*2. *verſ.Ideo talis dicitur propria declaratio.* Idem probatur in proœmio Sixti ibi:Nunc antiquorum declaratione, nunc verò novorum editione jurium, in Clem. *Exivi*, *verſ. Horum autem de verb. ſignific. & in Clem. fin.* ibi: Ipſam declarare, ac quædam adjicere, *de jurepatr.*Et per hæc jura ita ſcripſerunt Gemin. *conſ.*72. *num.*1. quem refert, & ſequitur Philipp. Prob.qui in hanc rem plura cumulat ad Joan. Monach. in *cap.* 1. *de privileg. lib.*6. Anchar. *conſ.*65. *num.*3. & Fulgoſ. *conſ.*147. *in fin. verſ. Ad ſecundum*.

Quod ſatis confirmant duæ ſimilitudines, quibus inter alias utuntur Juriſconſulti in exprimenda declarationis natura. Altera ducta eſt à nucleo, qui tener in nuce clauditur, eaque confracta enucleatur, undè illud Plauti: Qui ex nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem. Enucleare

igi-

igitur eſt quaſi nucleum alicujus rei eruere, & quia lex cum explicatur, ejus perplexitas, & dubietas inſtar nucis frangitur, enucleari dicitur. Ideòque gloſſ. in *rubr. digeſtorum in ver. Enucleati*, explicat id eſſe per ſimilitudinem dictum à nuce & nucleo, & Alber. *in Diction. Enucleare*, inquit vetus jus, ideſt extra nuclei obſcuritatem ponere. Altera ducitur à ſpica, & granis, qua utitur Raphael Fulgoſ. *conſ.* 157. *in fin. verſ. Ad ſecundum*, dicens eum qui declarat, nihil de novo referre, ſed jam relatum ſignificare: exemplo ejus qui excutit grana ex ſpicis, quia non dicitur novam ſpeciem facere, ſed eam, quæ erat, declarare, *l. Adeò*, §. *Cum quis*, *ff. de acquir. rer. dom.* ubi Cajus, cùm grana quæ ſpicis continentur, perfectam habeant ſuam ſpeciem, qui excutit ſpicas, non novam ſpeciem facit, ſed eam quæ eſt detegit. Eodem exemplo utitur Ægid. Bellam. *d. dec.* 796. *col.* 2. & Vitalin. *in Clem. unic.* §. *Nos itaque n.* 22. *de jureiur.* Quemadmodum igitur cùm nucleus ex nuce, & grana ex ſpicis eruuntur, ſpeciem non mutant, ſed ſunt idem nucleus, & eadem grana, ita & declaratio cum ex viſceribus legis edu-
16 citur, nihil eſt aliud quàm ipſa lex. Idque apertè docuit Bald. *in c.* 1. *n.* 52. *ſup. eod.* allegans ad hoc gloſſ. ord. quam dicit non eſſe alibi *in l. Qui teſtamento*, §. *Mulier*, *ff. de teſtam.*

Quibus etiam conſonat, quòd S. Congreg. reſcripta appellari conſueverunt declarationes, reſolutiones, deciſiones, interpretationes, reſponſa, his enim reſcribendi modis uti ſolet, nempè, declaravit, reſpondit, cenſuit, &c.

17 Declarare autem nihil eſt aliud, quàm aperire, ſeu manifeſtare ſuper aliqua lege, ſeu Conſtitutione intellectum, ſive ſenſum, quem habuit Princeps tempore editionis legis, quando ſcilicet lex eſt obſcura, vel erratur in ejus intellectu, ut apud Paul. de Caſtr. poſt *conſ.* 339. *in alleg. ad conſ.* 340. *col.* 1. *verſ. Non obſtantibus prædictis lib.* 1. Undè & Oldrad. *conſ.* 318. *in fin. verſ. Ad articulos*, dicit effectum declarationis eſſe verbum obſcurum clariùs explicare, quod colligitur ex hac decretali, ex *cap.* 1. *de libell. oblat. & Clem.* 1. §. 2. *de Summ. Trinit. & Fid. Cath.*

18 Similiter reſolvere nihil aliud eſt, quàm modum ambiguitatis explicare, ſeu enodare, *cap. Inter alia de ſentent. excommun. leg. fin. Cod. de leg.* undè legis obſcuritas appellatur nodoſa, ideſt involuta, *in proœm. Clem.*

Item decidere cum propriè idem ſit quod abſcindere, ſeu ſuccidere, per translationem ſignificat rem dubiam dirimere, nam cum lex declaratur, quaſi certum à dubio ſecernitur, & obſcurum ſuccidatur. Ac propterea in eodem proœm. Clem. legis declaratio appellatur deciſio lucida ſuæ nodoſæ ambiguitatis. Et mox ſubnectitur: Neceſſaria eſt ſuperioris authoritas, ut tollat ambigua, lites auferat, altercationes dirimat, & obſcura ſuccidat: & *in cap. unic. de bigam. in* 6. legitur, Altercationis antiquæ dubium præſentis declarationis oraculo decidentes.

19 Item interpretatio, ut diffinit Bald. *ſupra in proœm. n.* 95. eſt ſermonum difficilium, vel perplexorum expoſitio: vel ſecundùm Silveſt. *in ver. Interpretatio in princip.* eſt unius verbi per aliud, vel unius ſententiæ per aliam declaratio. Propriè tamen loquendo cùm exponimus illud, quod verbis legis comprehenditur, legem non interpretamur, ſed declaramus, ut notat Bart. *in leg. Gallus*, §. *Etiamſi num.* 1. *ff. de liber. & Poſthum.* Undè, ut Bald. inquit *in conſ.* 212. *in princ. & verſ. Et eſt vulgaris doctrina lib.* 5. Ea, quæ veniunt per modum declarationis, verè & propriè ineſſe dicuntur. Qui enim explicat, nil novi facit, ſed diſcooperit. Ea verò, quæ veniunt per modum ſuppletionis, per interpretationem inſunt, non verè, & propriè: & *in c.* 1. *n.* 52. *ſupr. eod.* dixi, interpretationem ſtatuti eſſe ſtatutum, ſi ſit intrinſeca, & ſubſtantialis & inſeparabilis à ſtatuto. Hæc enim eſt mera declaratio: ſecus ſi ſit argumentalis, vel extrinſeca, quæ dicitur interpretatio, vel potiùs correctio, ſeu enodificatio, juxta textum in *leg.* 1. §. *Qui operas*, juncta gloſſ. *in ver. Interpretatione*, *ff. Ad Tertull.* & notat gloſſ. 2. *in leg.* 1. *ff. de orig. jur.* Paul. de Caſtro *conſ.* 338. *num.* 2. & *conſ.* 340. *num.* 1. *lib.* 1. Verbo autem, *Reſpondit*, utebantur prudentes, qui conſultationibus reſpondebant, ut habetur in *cap. Reſponſa prudentum* 2. *diſt.* & *in* §. *Reſponſa inſtit. de jur. nat. Ideoque juriſconſultus in leg. fin. ff. de author. tutor.* Reſponſum, inquit, habes, ſcis, quid agere debes.

20 Verbo itidem, *Cenſuit*, olim utebatur Senatus, cùm de re aliqua ſententiam dicebat, ut *l. Senatus*, *ff. de contrahen. empt. & leg. cenſeri*, *ff. de donat. cauſ. mor.* cum concord. Hoc autem verbo frequentiùs utitur S. Congreg. & quidem congruè, cùm Cardinales authoritatem habeant Senatorum, ut inquit Innoc. in *c. Cùm te de re judic. ſub num.* 1. per text. *in cap. Eccleſia* 16. *quæſt.* 1. & Specul. *in tit. de legato*, §. *Sequitur num.* 1. *in fin. per cap. Conſtantinus* 96. *diſt.*

Ex quibus reſcribendi formulis cùm ſimiliter ſatìs liqueat Sac. Congregationis declarationes editas Apoſtolica authoritate nihil aliud eſſe eſſentialiter, quàm decreta ipſa Concilii ex ſe obſcura, ac dubia, ſeu, ut ait Vitalin. *in eod. proœm. Clem.* §. *Nunc igitur num.* 32. malè ab aliquibus intellecta, explicatione dilucidata & clarificata, hinc neceſſa- 21
riò ſequitur, ut obligandi vim habeant perindè, ac decreta ipſa declarata, quòd expreſsè aſſeruit Paul. de Caſtr. *conſ.* 339. *col. pen. num.* 5. *verſ.* 5. *Quæritur lib.* 1. ubi ait vim omnem, quæ ineſt diſpoſitioni declaratæ, cenſeri etiam ineſſe illius declarationi. Et ante eum Oldrad. *ad conſ.* 263. *n.* 2. & *ſeqq. verſ. Et advertendum eſt*, ſubdens declarationem eſſe 22
dependentem, implicitam, & conſequentem ad declaratum. Explorati autem juris eſt, decreta Apoſtolica & Conciliaria generaliter omnes obſtringere in utroque foro, etiam ſub reatu mortalis peccati, *c. De his in primo in fin.* 50. *diſt. c. Quia* 64. *diſt. c. Nulli fas eſt*, ubi hoc tenet Hugo 19. *diſt. c. Si quis omnem* 19. *q.* 7. *cap. Violatores* 25. *qu.* 1. *cap.* 1. 15. *diſt.* Archid. *in c. Deteſtandæ n.* 4. *de conceſſ. præb. in* 6. quem refert, & ſequitur ibi Gemin. *in princ. verſ. An ſcienter faciens contra præceptum, vel prohibitionem Canonis, peccet mortaliter*, Felin. *ſup. in cap.* 1. *num.* 11. gloſſ. & DD. *in cap. Nam concupiſcentiam ſupra eodem*, & *in rubr. de obſerv. jejun.* Et de Trid. Concilio ſatis conſtat ex Conſtitutione Pii IV. quam initio retulimus, & ex alia ejuſdem, quę incipit: *In Principis Apoſtolorum*. Et quamvis conſtitutio ut obliget ſub mortali debeat præcipere, aut prohibere, ut advertunt Authores proximè citati, declarationes autem nihil præcipiant, aut prohibeant, ſed tantùm ſignificent quid agi oporteat, ut dictum eſt: tamen ſatis eſt ut præcipiant, aut vetent decreta ipſa Concilii, cui declarationes ipſæ inſunt, nam 23
qualitates omnes legis declaratæ cenſentur ineſſe illius declarationi, textus eſt in *leg. Nihil*, & ibi Bart. *in princ. ff. de conjungen. cum emancip. liber. & in Auth. de filiis ante dotalia inſtrumenta natis ad fin.* Roman. *conſ.* 93. *num.* 4. *verſ. Quia in lege nova*. Paul. de Caſtr. *d. conſ.* 339. *col. fin. num.* 5. *verſ. Quintò quæritur lib.* 1. Et obligatio ad culpam & pœnam oritur ex lege declarata, non ex declarante, ut declarat Vitalin. *in Clem. unica num.* 7. *de immun. Eccleſ.* Et probatur in *leg. Aſſe toto*, ubi id notat Bart. *in Summ. ff. de hæred. inſtit.*

Quod clarius patebit, ſi recenſeantur aliquot exempla declarationum S. Congreg. ad rem pertinentium.

Primò igitur cùm decreto Concilii *can.* 4. *ſeſſ.* 7. *de Bapt.* 24
diffinitum ſit, ut ſi quis dixerit baptiſmum, qui etiam ab hæreticis datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum, anathema ſit, magnoperè hæſitatum eſt de baptiſmo Calviniſtarum: nam cùm hi nullam vim, efficaciam ac virtutem tribuant baptiſmo, videbatur illis deeſſe intentio, ſaltem univerſalis faciendi, quod facit Eccleſia. Et tamen compluribus Theologis conſultis, & articulo pro rei gravitate maturè diſcuſſo, S. Congregatio Concilii authoritate ſibi tributa cenſuit baptizatos à Calviniſtis verè baptizatos eſſe, ut iterùm baptizandi non ſint etiam ſub conditione, ſi non ſint baptizati. Concilium ergo etſi generaliter dicat baptiſmum hæreticorum eſſe verum baptiſmum, ſi habeant intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, tamen non aperit, qualis eſſe debeat hujuſmodi intentio, & an in hæreticis Calviniſtis eadem intentio concurrat, necne: ſed S. Congr. ita declaravit. Quis ergo baptizatum à Calviniſtis, qui quamvis haberet notitiam declarationis à Congregatione ut ſuprà editæ, tamen faceret ſe iterùm baptizari, auderet excuſare à mortali culpa & ſacrilegio? de quo in *cap. Qui bis*, & *cap. Eos de conſecr. diſt.* 4. & *cap.* 2. *de Apoſt. & reiter. Baptiſ.*

Simili modo ad decretum *c.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* 25
Sac. Congregatio declaravit validum eſſe matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, & per vim adhibito, quamquam nihil eorum, quæ agebantur, vidit & intellexit, ſi affectavit non intelligere, ut in Parocho, qui ſibi aures obturaverat, etiamſi ex alia cauſa vocatus, adhibitis tamen ad illum actum: item coram Parocho tam viri, quà mulieris, etiam in aliena Parochia: imò etſi Epiſcopus

illi matrimonium interdixerit. Item coram Parocho etiam
26 minoribus tantùm Ordinibus initiato. Fingamus nunc pœnitentem contraxiſſe matrimonium cum muliere aliquo ex prædictis modis, & poſteà quaſi non ſervaverit formam Concilii, de facto aliam duxiſſe: quis Sacerdos auderet eum Sacramentaliter abſolvere, ſi ille poſthabita legitima uxore adhuc vellet commiſceri adulteræ? Et tamen Concilium hoc expreſsè non aperuit, ſed tantùm ita interpretata eſt S. Congreg. Quo loco illud eſt notatu dignum, quòd Navar.quamvis *conſ.9.de clandeſt.deſp.*optimis rationibus ſentiret validum eſſe matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote, non obſtantibus verbis *d.c.* 1. *Vel alio Sacerdote*: tamen quia audivit, licèt falsò, S. Congregationem inclinaſſe in contrariam partem, *conſ. ſeq.*profeſſus eſt ſe non audere recedere à ſententia,in quam per errorem credidit Sac. Congregationem inclinaſſe.

27 Rurſus etſi de jure communi Epiſcopus poſſit accipere procurationem,etiam cùm viſitat Eccleſias, & loca pia ſuæ civitatis,*c.Venerabili*, ubi gloſ.*in ver.Cœnomanenſi de cenſ.* tamen S.Congregatio reſolvit, Epiſcopo id non licere poſt decretum *c.* 3.*ſeſſ.*24. licèt verbis Concilii non adeò claré id exprimatur. Eos verò, qui in caſu prædicto, aut in aliis non permiſſis procurationem exigere præſumpſerunt, non modò S.Congregatio acriter corripuit, atque ad reſtitutionem ejus, quod indebitè acceperunt, coegit, ſed Sanctiſſimus aliquando etiam duplici pœna mulctavit,juxta text.in *c. Quia plerique de immun. Eccleſ.*Ad quam quidem reſtitutionem adacti ſunt etiam Epiſcopi, qui contra declarationem S.Congreg. prætextu conſuetudinis mulctas pecuniarias ſibi, aut ſuis officialibus applicarunt, & tamen ea conſuetudo nullibi reperitur expreſsè ſublata à Concil.

28 Ad hæc quamvis *ſeſſ.*14. *de Sacram. Pœnit. cap.7. de caſ. reſerv.* diffinitum ſit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint: tamen Epiſcopus Valentin.petiit declarari, utrum pœnitentes in articulo mortis conſtitutos poſſit à caſibus reſervatis abſolvere quilibet Sacerdos etiam excommunicatus, & denuntiatus, ut tenuit Navar.*de regul.Confeſſariorum cap.* 27. *num.* 272. *verſ. Quod per eadem verba*, *fol.*551.

Congregatio Generalis Moron. Alciat. Senon. M. Alt. Alban.S.Sixti cenſuit, non poſſe. Quia communis opinio videtur illa, quòd tales excommunicati non poſſint, etiam in caſu neceſſitatis, Magiſt.Sent. *in* 4. *diſt.*19. S.Thom.in 3.*par.quæſt.*1. *art.*2.*qu.*2. *ad* 3.Durand.*in* 4.*diſt.*19. *quæſt.*1. *art.*3. Turrecrem.*in c.*1. *n.*3. *de pœnit.diſt.*6. S.Anton.in 3. *par.tit.*14. *cap.*19. §.*Quintadecima conditio*, Bacchon.*in* 4. *diſt.*15.*qu.*2. *art.*2.Scot.*in* 4.*diſt.*19. *qu.unic.art.*4.Riccard. *in* 4.*diſt.*18. *art.*9.*qu.*3. Alex.de Ales *in* 4.*par.q.*20. *memb.*8. *art.*2. Navar.*in Manuali c.*26.*n.*26. Facit *c. Audivimus* 24. *q.*1. Abb.*in cap.Cum Clericis de Ordin.ab Epiſcopo qui ren.* Decius *in leg.more*, *ff.de juriſd. omnium judic.*Licèt contra teneant Palud.Silveſt.Sor. Nec obſtat *cap.*7. *de reſerv.* quia debet intelligi de omnibus Sacerdotibus in unitate Eccleſiæ viventibus, referendumque ad eos Sacerdotes, de quibus *eod. cap.*7. *in* 1.*&* 2. *par.*agitur, qui habent vel ordinariam, vel delegatam poteſtatem. De hac quæſtione ſcripſi latiſſimè in *cap. Non eſt vobis infrà de ſponſal.*

29 Demum ut alia omittamus, cùm S.Congregatio declaraverit ex Bulla Cœnæ ſublatam eſſe facultatem Epiſcopis tributam decreto Concilii *c.*6.*ſeſſ.* 24. & ſimilter ex Bulla S.
30 Pii V.ademptam eſſe facultatem Epiſcopis competentem in vim *d.c.*6.abſolvendi Moniales ſecreto delinquentes in materia clauſuræ,nemo affirmaret lethali culpa vacare Epiſcopos, qui ab hæreſi occulta, & ab aliis caſibus occultis per eaſdem Bullas Sedi Apoſtolicæ reſervatis, auderent abſol-
31 vere. Quinimò nec excuſandi eſſent a cenſuris latis in eadem Bulla Cœnæ Domini contra uſurpantes juriſdictiones, ac jura ad Sedem Apoſtolicam pertinentia,ut in his & ſimi-
32 libus caſibus multoties datæ ſunt litteræ ad Epiſcopos.Et in ſpecie cùm quidã Epiſcopus cum ſibi ſubdito vero bigamo diſpenſaſſet ſuper bigamia, eique primam tonſuram, & beneficium ſimplex contuliſſet,contra ſententiam S.Congregationis,quæ declaravit Epiſcopo hãc facultatem non competere,quamvis Congregatio niteretur eum excuſare, tum quia pœna ſuſpenſionis à jure impoſita non videtur latæ ſententiæ, ſed ferendæ, tum quia ſuper hoc articulo inter primarios DD.maximè diſſidetur: tamen Sixtus V.in Conſiſtorio reſpondit ſignificari jam Epiſcopo, ipſum eſſe ſuſpenſum à collatione Ordinum: item promotum incidiſſe in pœnas juxta declarationem Congregationis, licèt adjecerit ſe benignè acturum cum utroque, ubi abſolutionem, & diſpenſationem peterent.

Quòd ſi dicas,in ſupradictis caſibus,& aliis conſimilibus obligationem non oriri ex eo,quòd ita S.Congreg.declaraverit, ſed ex eo, quòd ita Concilium diſpoſuerit, fateor ita eſſe, quia declarationes intrinſecè inſunt Concilio,& obligatio ex Concilio ipſo proficiſcitur, ut latè oſtenſum eſt ſuprà, & poſt Abbatem declarat hìc Felin.*nu.*4. In hoc tamen conſiſtit differẽtia, quòd cùm poſt declarationem ſuper aliquo decreto editam jus, quod ex eo decreto oritur, dicatur clarum, ejus ignorantia ampliùs allegari non poteſt, ſicut
aliquando allegari potuiſſet ante ipſam declarationem.Ma- 33
niſeſtum eſt enim ignorantiam juris dubii, ac difficilis intellectu in aliquibus caſibus excuſare, quemadmodum docent Innoc. in *c.Per tuas n.*2.*col.*2.*de Simon.*Card.*in Clem. fin. in* 4.*quæſt. de reg.*Felin.*in c.*2.*col.*7.*de re judic.* & Navar.
*conſ.*7. *de regul.* Et propterea malè intelligens legem Cano- 34
nicam non peccat mortaliter, niſi poſt declaratam ejus obſcuritatem, Felin. *in d. cap. Per tuas*, *il* 2. *num.*6. *verſ. Quinta concluſio de Simon.* poſt Innoc. *ibi ad fin.* & Bald. *in leg. Ab eo in* 3.*col. Cod. Quomodo, & quando judex.*

Decimò & ultimò, his omnibus accedit uſus, & longiſſi- 35
ma obſervantia Summis Pontificibus ſcientibus, & approbantibus. Nam & in eorum præſentia Congregationes Concilii multoties haberi conſueverunt, ut in ſpecie obſervatum fuit tempore Clementis VIII. Et aliàs quotieſcumque emergentia dubia nondum deciſa reſolvuntur, ad præſcriptum Conſtitutionis Sixti V. de omnibus conſuevit fieri relatio Papæ à Cardinali Præfecto, vel à Secretario Congregationis,ut ego ipſe diu obſervavi,licèt id in declarationibus exprimi nec opus ſit, nec ſemper ſoleat. Qui teſtari 36
etiam poſſum, Sac.Congregationem frequenter inhibuiſſe Auditori Cameræ, ac Viceſgerenti, & illis ſignificaſſe, ut ſuas, moderarentur inhibitiones, ſeu monitoria, eoſque ſemper promptè paruiſſe, cùm Congregationis juriſdictio in materiis Conciliaribus ſit privativa quoad omnes. Et
Greg. XIII. dixit nunquam ſuæ intentionis fuiſſe commit- 37
tere Epiſcoporum Congregationi, ut de iis, quæ ad interpretationem Concilii pertinerent, aut de ipſis Congregationis Concilii decretis, cognoſceret. Illud autem ſe rectè meminiſſe ait Sanctitas Sua, commiſiſſe Congregationi Concilii ea omnia,quę ad Concilium interpretandum pertinẽt,ut eſt adnotatum in libris publicis S.Cong.*t.*10.*f.*557.

In caſibus autem Rotalibus etſi aliquando ſignificatum 38
fuerit Ponenti, ut partes remitteret ad Congregationem, illud tamen ferè ſemper obſervatum eſt, ut quoties incidit quæſtio ſuper intelligentia alicujus decreti Concilii, ſi caſus ſit dubius, & aliàs à Congregatione non deciſus, Rota ipſa aut Congregationem conſulat, aut ſignificet partibus, ut ipſæmet adeant Congregationem, à qua ubi reſolutionem obtinuerint, redeunt poſteà cùm ipſa ad Rotam pro
cauſæ expeditione. Imò idem Greg.die 7.Junii 1574.audita 39
Congregatione juſſit ſignificari Cardinali Aquavivæ, ut quando in ſupplicationibus non exprimitur articulus certus juris, ſuper quo cognoſcendum eſt, ſed in genere, & confusè petitur commiſſio cauſæ, addatur ſemper hæc clauſula, *Dummodo non agatur de interpretatione decretorum Concilii*. Et die 14. Aprilis 1581. dixit non eſſe tractandum in Rota ſuper reſolutionibus Congregationis.

Item quamvis in declaratione legis citatio partis non re- 40
quiratur, Oldrad.*conſ.*293.*in princ.cap.Olim*, ubi id notat Innoc.*de verb.ſignific.* Paul.de Caſtr.*conſ.*338. *num.*1. *col.*2. *verſ.Præterea*, *tunc videtur pars citanda*, tamen cum declarationes eduntur ad inſtantiam partis,Sac.Congregatio conſuevit audire quorum intereſt, & dare etiam litteras ad Epiſcopos, ut moneant partes ad jura ſua in Congregatione deducenda. Quod præcipuè obſervat, cùm dubia proponuntur in concreto, & decreta Concilii caſibus particularibus applicantur propter varias factorum circumſtantias, velut ſi quæſtio ſit, an tale juspatronatus ſit à Concilio ſublatum, an in tali examine per concurſum fuerit ſervata forma à Concilio præſcripta, an certa Eccleſia, vel Hoſpitale poſſit ab Epiſcopo viſitari, & alia id genus. Porrò in ſimilibus caſibus tametſi agatur de declaratione, tamen requiri citationem partis, ſatis colligitur ex his, quæ ſcripſit

Bald.

Bald.*in leg. fin.num.*1. *& ſeqq.C.de leg.*Alex. *conſ.*11.*num.*1. *& ſeqq.lib.*7. Marian.Socin.*conſ.*12. *col.*2.per text.*in l.Ejus qui delatorem*, *ff. de jur.fiſci*, & Phillip. Prob.ad Monach. in *c.*1.*num.*8. *de privil.in* 6.Ut autem declarationes debitè
41 executioni demandentur, Sacr. Congregatio non ſolùm præcipere conſuevit, ſed etiam in contumaces, & refractarios animadvertere pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis. Et à Secretaria Brevium paſſim expediuntur litteræ Apoſtolicæ, & ab Auditore Cameræ Monitoria pro obſervatione declarationum à Congregatione editarum. Quas itidem Epiſcopi, & Sedis Apoſtolicæ Nuntii, quin & S.R.E.Cardinales, & de latere Legati ſuſcipiunt, & exequuntur. Imò cùm olim Alphonſus proviſus de Canonicatu in Eccleſia Oxomen.qui ab Epiſcopo erat erectus pro Theologo, obtinuiſſet declarari à S. Congregatione, quòd decretum *cap.*1.*ſeſſ.*5. non comprehendat præbendas Sedi Apoſtolicæ reſervatas, opponebatur apud Auditores Regii Conſilii, quòd de tali declaratione, aut per Breve ſub annulo piſcatoris, aut per Bullas plumbeas conſtare deberet: ideòque Alphonſus adiit S.Congregationem pro remedio: Congregatio parva cenſuit referendum Sanctiſſimo, ſi velit Nuntium curare, ut litteræ Card. S.Sixti mittantur executioni, prout in aliis, an velit concedere Breve, ut litteris illis fides præſtetur: Die 23.Februarii 1577.Sanctitas ſua dixit, quòd ſcribantur litteræ ad Nuntium, ut teſtetur Regi, & cui opus erit, quòd decreta Congregat.Concilii ſolita ſunt ſignificari ſolis litteris, & ita hactenus executæ ſunt ſemper: nec opus eſſe Breve. Congregatio parva cenſuit poſt ver.Litteris, addenda eſſe hæc verba, ſcilicet Card.S.Sixti

42 Sed prædictis objicitur primò. Declarationes S.Congregationis non conſueverunt publicari, neque enim affiguntur ad valvas in locis publicis, ut moris eſt in conſtitutionibus Apoſtolicis, ſed ſimpliciter eduntur partibus, quarum intereſt, ſigillo, & ſubſcriptione munitæ. Ergo non ligant, ut in Authent.*Ut factæ novæ conſt.* Nam leges inſtituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur, *c.In iſtis*, §.*Leges* 4.*diſt.*Per quem textum Paul. & Matth.relati à Card.*in proœm. Clem.in verſ. Univerſitati nu.*1. dicunt tria requiri ad eſſe legis, primò ut inſtituantur, ſecundò ut promulgentur, tertiò ut moribus utentium approbentur, ac ſi quid horum deficiat non eſſe legem: quamvis gloſſ.magna ibi poſt med.teneat publicationem eſſe ultimum actum perficientem legem, per text.*in leg.Humanum, Cod.de leg.*Idque verius eſſe affirmat Card.*ubi ſupr.* & eſt ex mente D.Thomæ *in* 1.2.*quæſt.*90.*art.*4.relati à Navar.*conſ.*1. *verſ.Quinto dico de conſtit.*Quod procedit etiam in conſtitutionibus Apoſtolicis *cap.* 1. ubi gloſſ. *in ver. Solemniter editum de Poſtul. Prœl.c.Noverit*, ubi etiam gloſſ. in *ver. Infrà duos menſes de ſent. excommun.* gloſſ.& DD.in *cap.*2.ubi in ſpecie, Felin.*n.*7.*ſup.eod.*Et de declarationibus S.Congregat. tradit Petrus de Ledeſma in *Summ. tom.*1. *de Sacram. pœnit.cap.*13. *difficul.*7. affirmans ob defectum publicationis eas non habere leges authoritatem.

43 Verùm hæc objectio tollitur, quia ſolemnitas publicationis exigitur quidem in legis editione, idque ſervat etiam S. Congregatio in decretis, quæ per modum novæ legis ab ipſa eduntur, ut patet in decretis de Apoſtatis, & ejectis, de rebus regularium non alienandis, de celebratione Miſſarum, & aliis hujuſmodi: at ſecus eſt in legis declaratione, ut tradunt hìc communiter Canoniſtæ *in proœm.Clem.*quia cùm legis declaratio non faciat novum jus, ſed tantùm manifeſtet, quod prius erat, ut latè oſtenſum eſt ſup.*n.*12.*& ſeqq.*& lex declarata ab initio promulgata fuerit, ſolemnitas publicationis ſemel adhibita in principali diſpoſitione, non eſt ulteriùs repetenda in illius declaratione. Ita declarat Barr. *in leg.hæredes palam*, §.*Si quid col.*1. *verſ.Venio ad ſeq.gloſſ.* ubi etiam.Im.*col.*1.*verſ.Quæro quot teſtibus*, Aret.*col.*1.*in* 2. *not.*Bald.*in* §.*Sed ſi notam in fin.verſ.Quarto, & ultim.nota*, & Ang.*in verſ.Ibi & etiam*, *ff.de teſt.*Bellam.*dec.*746. *col.*2. *verſ.Tertio fuſius probatur hoc*, Rebuff.*in pract.de non toll. jur.quæſt.in gl.*3.Rom.*conſ.*482.*n.*7.*ver.Et pro hoc, quia videmus*. Atque ita defectum publicationis non impedire, quominùs declarationes S.Congr.habeant legis authoritatem, ex recentioribus tradit Rodriq.*de regul.t.*1.*q.*11.*art.*1.*&* 2.

Quod procedit etiamſi lex declarata ſit prorſus obſcura, & dubia. Nam nihilominus in illius declaratione publicatio non requiritur, ut clarè probatur *d.leg.Hæredes palam*, §.*Quod verò*, ubi diſpoſitio erat ambigua, ut niſi teſtator illam declaraſſet, propter incertitudinem fuiſſet nulla, ut eſt text.*in leg.Si ita fuerit legatum*, *ff.de reb.dub.& l.*3.§.*Si duobus*, *ff.de adm.leg.*& tamen in §.*Quod verò*, deciditur illius declarationem fieri poſſe abſque ſolemnitatibus requiſitis, & ſatis eſſe, ut ſolemnia præceſſerint in diſpoſitione declarata, atque in hunc ſenſum DD.communiter illum text.interpretantur. Ad idem eſt tex.apertus in *l. Aſſe toto*, *ff.de hæred.inſtit.*ubi teſtator cavit: Quem hæredem Codicillis fecero, hæres eſto. Et ita perſona hæredis erat prorſus incerta.Et tamen quia in Codicillis Titium hæredem inſtituit, inſtitutio valet, licèt Codicillis dari hæreditas non poſſit, ut ibi deciditur. Ergo ſolemnitas teſtamenti requiſita in inſtitutione hæredis non requiritur in illius declaratione.

Et ſanè mirum eſt quoſdam ex Theologis affirmare declarationes S.Congregationis eſſe publicandas, cùm decreta Concilii ſunt dubia, non autem cùm ſunt clara, ut Salas *de legib.tract.*14. *diſp.*21. *quæſt.*67.*ſect.*12. *verſ. Quintò colligunt*. Imò enim oppoſitum potiùs dicendum fuiſſet, nam ſemper declaratio propriè loquendo fit ſuper dubio, *d.* §.*Sed ſi notam*, aliàs non diceretur propriè declaratio, ſed potiùs nova conſtitutio, vel correctio, ut explicat Paul.de Caſtr. *conſ.*21.*nu.*4. *verſ.Nam ſemper declaratio lib.*1.Petr. de Anchar. *conſ.*127.*nu.*3. *verſ.Nec talis dicitur propriè declaratio*. Et idem Paul.de Caſtr.*conſ.*340. *num.*1. *lib.*1. ubi ait declarationem tribus modis fieri. Primo modo propriè cum Papa, vel alius declarat illud, quod eſt dubium in jure, & hæc eſt mera declaratio, quæ non facit novum jus, ſed factum declarat. Secundò per modum correctionis ſuper eo, quòd certum eſt. Tertiò per modum modificationis, vel augmenti: & his duobus caſibus dicitur nova conſtitutio, non autem declaratio, quia ſupponitur res certa, & quæ certa ſunt, declaratione non indigent, *leg.Ille, aut ille*, §. *Cùm in verbis*, *ff. de leg.*3. cum concord. per eum alleg. Ergo ſolemnitas publicationis potiùs adhibenda eſt, cùm declaratio fit ſuper lege clara, quæ dici poteſt nova lex, ſeu correctio legis antiquæ, quàm cùm fit ſuper lege dubia, quæ verè, & propriè dicitur declaratio. 44

Hujus concluſionis intrinſeca ratio eſt, quia cùm certum ſit legis futuris tantùm dare formam negotiis, ut hìc 45
& *cap.*2. *ſup.eod.& leg.Leges*, *C.de legib.*idcircò novæ conſtitutiones publicari debent, ut omnes intelligant ſe à tempore publicationis, vel poſt duos menſes teneri ad illarum obſervantiam, ut declarat gloſſ.*in d.cap.*2.*in ver. Ante prohibitionem*, & Vital.*in proœm. Clem. verſ.Nunc igitur*: at hæc ratio ceſſat in propria conſtitutionis declaratione, quia non incipit obligare ex eo tempore quo fit, ſed trahitur etiam ad præterita, ut in Auth.*de fil.ante dotal.inſtrum. nat.*§.1.& in *leg. Aſſe toto*, *ff.de hæred.inſtit.gloſſ.fin.in princ. in data Sexti libri*, Bald.*in l.Non dubium in* 2.*col.C.de legib.* Felin. *hic n.*4. ubi Dec.*nu.*44. dicit implicare contradictionem, & repugnantiam quamdam, ut ſit conſtitutio declaratoria, & non habeat locum in præteritis. Quinimò trahitur etiam ad negotia pendentia, Anchar. in *proœm.* 6. *num.*6. Vital.in.*in d.*§. *Nunc igitur num.*32. *in proœm.Clem.* Et proptereà cùm Rota in cauſis in eo Tribunali pendentibus conſulit S.Congregationem ſuper aliquo articulo conciliari, poſteà conſuevit cauſam expedire juxta Congregationis declarationem. Ergo conſtitutio declaratoria non eget publicatione, quia cùm extendatur ad præterita, & pendentia, fruſtrà expectaretur lapſus duorum menſium à publicatione. Ita formaliter dicit Felin.*in d.cap.*2. *num.*8. *in* 6. *limit. ſupr. eod.* ſubdens ita ibi omnes ſentire: facit *cap.Cùm contingat de offic. delegat.*

Nec refragatur, quòd abſque publicatione, declarationum notitia haberi non poſſit, & iniquum videatur, ut ignorantes ad illarum obſervantiam teneantur, *leg. ult.ff. de decret.ab ordin.faciend.leg.Si ignorantes*, *ff.Locati*, Archid. *in cap. Si Apoſtolicæ in gloſſ. Decernat. de præb. in* 6. 46

Siquidem reſpondetur primò, conſtitutiones Apoſtolicas obligare ignorantes etiam ante illarum publicationem quoad obſervantiam, qua ligantur ſubditi etiam ignorantes, ut obſervent tempore ſcientiæ veræ, vel præſumptæ, non autem ad pœnam quaſi contemptores: non enim poſſunt dici contemptores veri, vel præſumpti, ante publicationem debitè factam. Ita reſpondet ad litteram Vital.in *proœm.Clem.* §.*Hunc igitur paulo ante num.*22. *verſ.Et ideò quia talis objectio*: & eſt ex mente Bald.*in cap.*1.*n.*17.*ſuprà eod.* ubi ait conſtitutionem eſſe arctativam ignorantiæ, 47

ſaltem propter naturalem juſtitiam, & poſſe arctare actum, ſed non agentem, quia parcitur ignoranti in pœnis.

48 Reſpondetur ſecundò, legem declaratum fuiſſe intelligendam juxta declarationem habentis authoritatem eam declarandi, etiam antequam declaratio emanaſſet. Ita tradit gloſſ. in *c. Sicut nobis in ver. Reſpondemus de verb. ſignific.* & eſt textus ſingularis in Authen. *de raptor. mulier. quæ reptor. nu. in fin.* ibi: Tamquam ſi lex noſtra ab initio cum tali interpretatione promulgata fuiſſet: quem textum ad hoc propoſitum dicit meliorem de jure Felin. hîc *nu.* 4. *in* 2. *fall.* Undè cùm decreta Concilii etiam circumſcriptis Congregationis declarationibus eſſent à principio intelligenda, & obſervanda ad eum modum, quo Congregatio ipſa interpretata eſt, defectus publicationis declarationum, & conſequenter illarum ignorantia juſtam excuſationem non parit. Qua de re innumera exempla afferri poſſent, ſed ſatis erit unicum attuliſſe. Epiſcopus ultrà montes in vim *cap.* 12. *ſeſſ.* 24. pronunciavit irritam eſſe collationem Canonicatus nullum ſacrum Ordinem annexum habentis in Collegiata Eccleſia, eò quòd proviſus non exegiſſet annum vigeſimum ætatis ſuæ, idque contra reſolutionem Sac. Congregationis, quæ declaravit Concilium in *d. cap.* 12. nihil diſpoſuiſſe circa ætatem ad obtinendos Canonicatus in Eccleſiis Collegiatis. Quæſitum eſt, an ſententia Epiſcopi ſuſtineatur ex eo, quòd ipſe habuerit ignorantiam invincibilem prædictæ declarationis. Et manifeſtum eſt non ſuſtineri, quia ſi licuit Epiſcopo ignorare declarationem non publicatam, non tamen licuit ignorare decretum Concilii, quòd etiam ante Congregationis declarationem ita erat intelligendum, cùm declaratio non faciat aliquid novi. Et ignorantia potuit quidem excuſare à pœna, ſed non validare actum nullum, ut ſunt jura aperta in *c. Si poſtquam, in cap. Dudum*, §. *Hos igitur, in c. Si beneficium, & in cap. penult. verſ. Licèt ab ignorantibus de præb. in* 6. & tradit Archid. *in c. Si Apoſtolica circa med. eod. tit. & lib.* & Felin. *in cap.* 2. *num.* 7. *verſ. Quartò limita ſuprà eodem.* Et ſecundùm prææallegatam reſolutionem ſe vidiſſe judicari in Hiſpan. teſtatur Emman. Rodrig. *de Regular. tom.* 1. *quæſt.* 11. *art.* 2. Quinimò Sixtus V. non excuſavit à pœna ſuſpenſionis Epiſcopum, qui ignorans declarationem Congegationis diſpenſavit cum bigamo ad primam tonſuram, & beneficia ſimplicia, ut dictum eſt ſu-

49 pra *num.* 33. Quòd ſi quid in decretis Concilii aliquid obſcurius dictum videatur, non tamen propterea ab illius obſervantia quiſquam excuſatur, cùm ſuper eo poſſit, ac debeat Sedem Apoſtolicam conſulere, ut cavetur in conſtitutione Pii IV. initio relata, certum eſt enim ignorantiam juris dubii non excuſare, cum conſuli poſſunt peritiores, *leg. Regula in princ. verſ. Sed juris ignorantia, ff. de jur. & fact. ignorant.* Specul. *in tit. de Summ. Trinit. num.* 6. Anton. de Butr. *conſ.* 18. *in fin. verſ. Aut enim erravit.*

50 Reſpondetur tertiò, ſtatum præſentis quæſtionis eſſe, an declarationes S. Congreg. obtineant vim legis, & quoad hoc certum eſt, illarum vim non impediri ex eo, quòd publicatæ non fuerint, cùm ad hoc ſufficiat promulgatio legis declaratæ, ut oſtenſum eſt ſuprà. An autem ſuppoſita illarum vi, & efficacia obligandi excuſentur ab earum obſervantia, qui earumdem notitiam non habent, alterius eſt judicii: in hoc enim articulo examinandum eſſet, an ignorantia ſit affectata, vel craſſa, aut probabilis, ſeu invincibilis: quoniam ſunt qui in ejuſmodi erroris, vel ignorantiæ prætextu ſe excuſent, num Epiſcopi, vel alii rerum Eccleſiaſticarum periti, quibus non licet jus, in quo verſantur, ignorante, an verò milites, minores, ac rudes: rurſus an jus quod ignoratur ſit dubium, an clarum: habenda etiam eſſet locorum ratio & diſtantiæ ab Urbe, non enim idem judicium ſtatuendum eſſet de eo qui Romæ, ac de eo qui in remotioribus Provinciis moram traheret, ut in Auth. *Ut factæ novæ conſ.* §. *Ne igitur*, ibi: In Provincias directa, &c. & advertit Vital. *in proœm. Clem.* §. *Nunc igitur num.* 8. Item diſtinguendum eſſet inter forum interiorem quoad Deum, & forum exteriorem quoad Eccleſiam, ut ex D. Thom. fusè explicat Navarr. *conſ.* 2. *in princ. de conſt.* Et alia hujuſmodi, quæ copiosè cumulantur ab Ant. Gabr. *In concl. Ignorantia præſumitur*, quæ eſt quinta: *& in concl. Ignorantia excuſat*, quæ eſt ſexta: *& concl. ſeqq. tit. de reg. jur.* quæ tamen ad præſentem quæſtionem non pertinent, non enim ſequitur: Non habentes notitiam declarationum S. Congreg. propter ignorantiam excuſantur ab illarum obſervatione: Ergo Congreg. declarationes non habent legis authoritatem: ſicut non ſequitur: Ignorantes in aliquibus caſibus excuſantur ab obſervatione legis: Ergo lex vim obligandi non habet. Præſertim verò, quia etiam nova conſtitutio, quamvis ante publicationem non liget ignorantes ſaltem reſpectu pœnæ, valet tamen, & ligat eos, qui illius habent notitiam, ut videtur textus in *c.* 1. *verſ. Nec obſtaret de conceſſ. præb. lib.* 6. & videtur communis traditio, ut patet ex allegatis per Felin. in *c.* 2. *n.* 7. *in* 2. *fall. ſup. eod.* Quandoquidem ſecundùm Feder. de Sen. *conſ.* 211. *circa fin. nu.* 3. *verſ. Item eſt advertendum uſque in fin.* nec nova quidem lex, ſeu conſtitutio requirit ad ſui eſſe publicationem, ſed tantùm ad effectum, ut liget ignorantes, & ſequitur Abb. *conſ.* 35. *in princ. lib.* 2. Quæ tamen ex abundanti dicta ſint, quia hoc caſu non verſamur in novæ legis editione, ſed in legis jam editæ declaratione, quæ declaratio ligat etiam ignorantes ex tempore editionis legis declaratæ, ut oſtenſum eſt ſuprà. 51

Objicitur 2. Conſtitutiones Papales continere debent tempus, & locum, aliàs non valent, ut in proœm. Clem. *verſ. Earum*, ubi id notat Vital. *n.* 2. *& leg. Si beneficium, C. de diverſ. reſcript.* Sed in declarationibus Congregat. quæ eduntur partibus in forma authentica, regulariter non conſuevit apponi tempus, neque locus. Ergo non valent. 52

At ſimiliter hæc objectio tollitur, quia hæc ſolemnitas temporis, & loci, quatenus requiratur, de quo articulo aliter loquitur Bald. in 1. *conſtit. Cod.* requiritur tantùm in novæ legis editione, non autem in legis jam editæ declaratione, nimirum quia declaratio retrotrahitur ad tempus conditæ legis, cui intrinsecè ineſt, & ab illius promulgatione obligandi vim habet, *leg. Aſſe toto, ff. de hæred. inſtituend.* Bartol. *in leg. Omnes populi, ff. de juſt. & jur. in* 5. *qu. principali*, Joan. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de teſtam. col. penult. verſ. Hoc etiam nota*, & in *cap. Licèt cauſam col.* 3. ubi etiam Butr. *verſ. Ex his deciditur de probat.* Paul. de Caſtr. *conſ.* 340. *lib.* 1. *& in d. leg. Hæredes palam*, §. *Et ſi quid poſt col.* 2. *ff. de teſtam.* ubi propterea infert declarationes à Pontifice editas ſuper gratiis ab eo factis valere, & præjudicare eis, quibus erat jam jus quæſitum, quaſi illud quòd declaratur, à principio dictum fuiſſet, à primordio enim tituli poſterior formatur eventus, ut in his terminis conſtitutionis declaratæ dixit Anchar. *conſ.* 65. *num.* 3. Et propterea excommunicatus per declarationem ampliùs nõ ligatur, cùm ab initio ligatus jam fuerit, ſed ſolùm declaratur, ut ab aliis vitetur, Roman. *conſ.* 482. & Prob. *in d. c. Volentes de privil. in* 6, poſt Gem. *in c. Epiſcoporum eod. tit. & lib. verſ. Sed poſſet ſalvari*, ubi ſi delictum, inquit, exemptorum eſſet notorium, & ex tali delicto ipſo facto incurrerent excommunicationem ex juris diſpoſitione, tunc Ordinarii locorum poſſent illos denunciare excommunicatos ad finem, ut per ſuos ſubditos evitentur. Nec dici poteſt, quòd tunc imponant eis pœnam, quia illa eſt à jure inducta, nec denunciatio aliquid addit. Et ſequitur ibid. Franc. *verſ. Si tamen ex delicto*, Marian. Soc. *in cap. Accepimus col.* 11. *verſ. Secundùm Lapum de privil.* & Felin. *in cap. Non poteſt nu.* 3. *de re judic.* 53 54

Undè etiam factum putamus, ut Pius IV. dum in conſtitutione in princ. relata declaravit Tridentini Concilii decreta cœpiſſe obligare à Calend. Maii anno 1564. reſtrinxerit ſe ad decreta pertinentia ad reformationem, & jus poſitivum duntaxat. Nam Summus Pontifex cum ſit ſupra omne jus humanum poſitivum, *c. Propoſuit de conceſſ. præbend.* S. Thom. *quodlib.* 4. *art.* 13. & abſolutè poſſit nova decreta condere, ac vetera etiam conciliaria abrogare, *cap. Significaſti, & c. Innotuit de eiect.* Turrecrem. in *cap. Sicut nu.* 7. 15. *diſt.* utique decretis reformationem, ac jus poſitivum concernentibus jure potuit annectere tempus, à quo inciperent obligare, *cap. Cùm ſingula de præb. in* 6. *cap. Noverit de ſent. excomm.* Dec. *in cap.* 2. *n.* 37. *ſupr. eod.* Vital. *in* §. *Nunc igitur nu.* 30. *in proœm. Clem.* At verò præcepta divina cùm Eccleſia poſſit tantùm interpretari, & declarare, non autem tollere, ſeu immutare, *c. Majores de Baptiſ. c. Sunt quidam* 25. *quæſt.* 1. *gloſſ. fin.* Archid. Turrecrem. & Præpoſ. *in d. cap. Sicut* 15. *diſt.* S. Thom. *ubi ſup.* meritò doctrinæ editæ à Patribus in Concilio circa dogmata, tempus à Pio IV. non eſt adjectum, quia nimirum cùm non ſint jus novum, ſed juris divini declarationes, ut in *d. c. Sunt quidam*, non incipiunt obligare ab eo tẽpore, quo fuerunt in Cõcilio editæ, aut promulgatæ, ſed à divina inſtitutione, ut clarè proba- 55

tur in *c. Cùm tu de uſur.* ubi cùm quidam uſurarii contenderent ſe non teneri ad uſurarum reſtitutionem, niſi poſt publicationem prohibitionis decreti Concilii Lateranenſis, Alexander III. reſpondit illos teneri reſtituere, ſive ante, ſive poſt interdictum uſuras extorſerint; quia cùm hoc divinum ſit præceptum, lex Pontificia eſt juris divini declaratoria, non novi juris promulgatoria; ideòque non incipit obligare ab eo tempore, quo publicatur, ſed trahitur etiam ad præterita, ut notat. ibi gloſſ. *in ver. Sive poſt*, quam DD. communiter ſequuntur. Item gloſſ. hìc *in ver. Futura*, & Felin. *n.*4. Et tradunt in *c. Cum Chriſtus, de hæret.* Jan. Andr. Butr. & Anchar. omnes in princ. Card. *n.*2. *fin. verſ.* Nam Conſtitutio hæc cùm ſit juris divini, debet reſpicere præterita. Et Abb. *in fin. verſ. Et ex hoc infertur.* Et propterea Patres in his quæ ad fidem pertinent, uſi non ſunt verbis novum jus inducentibus, ſed juris præexiſtentis declarationem importantibus, qualia ſunt, Sancta Synodus definit, declarat, tenet, profitetur, docet, damnat, anathematizat, & alia his ſimilia.

Non eſt igitur opus, ut declarationibus Sacræ Congregationis adjiciatur tempus, aut locus, cùm incipiant obligare à tempore publicationis Concilii, & qualitates omnes, quæ inſunt Concilio, cenſeantur ineſſe illius declarationibus, ut latè in ſuperioribus monſtratum eſt, præſertim *n.*21, 23. 45. & 48.

56 Objicitur tertiò. Multæ ſolutiones Sac. Congregationis ſibi contrariæ inveniuntur, ut patet ex declarationibus impreſſis, & manuſcriptis, quæ circumferuntur. Ergo vim obligandi non habent, *l. Ubi repugnantia, ff. de reg. l. jur.* Lex enim debet eſſe poſſibilis, *c. Erit autem lex*, 4. *diſt.* & reg. *Nemo poteſt, de regul. jur. in 6.* Nam impoſſibile eſt contrariis declarationibus aſſenſum præbere, aut obtemperare, *l. In ambiguo, ff. de reb. dub.*

At reſpondetur, multas etiam leges reperiri ſibi contrarias, nec tamen inde licet inferre, ut careant virtute obligandi, cùm debeant invicem conciliari, ſi congruè id fieri poſſit, *c. Literas, de reſtit. ſpol. c. His ita reſpondetur*, 25. 4.2. *c.* 1. *de cognat. ſpirit.* Nam conveniens eſt jura juribus concordare, *c. Cùm expediat, de elect. in 6. l. Præcipimus, C. de appell. gloſſ. in c. Cùm dilectus, in verſ. jure communi, de conſuet.* præſertim cùm multæ declarationes videantur ſibi contrariæ, quæ tamen deprehenduntur tales non eſſe, ſi factorum diverſitas, & circumſtantiæ ſedulò expendatur. Quòd ſi ad concordiam reduci nequeant, poſteriores derogant prioribus, *l. Sed & poſteriores, C. de leg. c. 1. de Conſt. in 6.* Et de dec. ſibi contrariis cenſet Jo. Franc. Pavin. *in Præludiis Extravag. Jo. XXII. col.* 3. *verſ. Deciſiones.*

Deindè reſpondetur, falſam, & commentitiam eſſe hanc multiplicem declarationum repugnantiam; quandoquidem ſpatio quindecim ferè annorum, quo fuimus Sacr. Congregationis Concilii à ſecretis, nunquam contigit, ut Congregatio ex deliberatione retractaverit ullam reſolutionem priùs editam. Nec anteactis temporibus in ſcripturis, & libris publicis uſquam reperi eam ex propoſito receſſiſſe à deciſis, niſi in duobus caſibus. Nam cùm antè cen-
57 ſuiſſet decretum Concilii *c.* 2. *ſeſſ.* 24. quo diſponitur, ne in poſterum Epiſcopi Comprovinciales ad Metropolitanam Eccleſiam accedere inviti compellantur, intelligendum eſſe de perſonali acceſſu ipſorum Epiſcoporum, non autèm de Procuratore mittendo: poſteà tamen die 17. Julii 1578. de eadem re maturiùs deliberans cenſuit Concilium liberaſſe ſuffraganeos etiam ab onere mittendi Procuratorem, non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili. Sed quia priùs diverſum ſenſerat, dixit referendum Sanctiſſimo, qui probavit ſententiam poſteriorem Congregationis, juſſitque dari literas ad Epiſcopos, præſertim Regni Neapolitani, quibus eis ſignificaretur, etſi aliàs Sacra Congregatio aliud cenſuiſſet, tamen poſteà perpenſis aliis
58 rationibus, & facta relatione Sanctitati Suæ, ita fuiſſe decretum. Et iterum cùm anteà declaraſſet in Parochialibus juris patronatus mixti laicorum, & Eccleſiaſticorum requiri formam examinis per concurſum; tamen poſteà animadvertens in mixto prævalere qualitatem, quæ magis favet patronatui; facta relatione Sanctiſſimo, ac de ejus mandato iterum articulo diſcuſſo receſſit à prima declaratione. Aliàs verò dubia ſemel reſoluta in Congregatione ne conſueverunt quidem denuò proponi, nedum retractari. Quod eſt etiam juri conſonum; nam ſemel interpretatum non poteſt iterùm interpretari, quia rei declaratæ nihil addi poteſt, vel detrahi, ut dicit gloſſ. ordinar. *in l. Quidquid adſtringendæ, ff. de verborum obligat.* quod non reperitur alibi, ſecundùm Bald. *in cap.* 1. *num.* 57. *ſuprà eod.* & omnes ſcribentes *in d. l. Quidquid adſtringendæ*, allegans illum textum pro ſingulari ſecundum unam lecturam *in ver. Nec rurſus*, ad hoc quòd habens poteſtatem interpretandi non poteſt intepretari, niſi ſemel tantùm.

Unde etiam colligitur falſum eſſe, quod vulgus credit Sacr. Congregationem idcircò non permittere, ut ſuæ deciſiones imprimantur, ne impediatur illas revocare pro rerum, ac temporum diverſitate, neve appareat illarum contrarietas. Etenim hæc impreſſionis prohibitio alias habet altiores, ac rationabiles cauſas, quas hic recenſere non oportet. Et quamvis longiſſimi temporis curſu mutatis perſonis Congregationis ob varios hominum ſenſus poſſibile ſit, ut in aliquo articulo reſolvatur contrarium ejus, quod ignoratur priùs reſolutum fuiſſe: tamen hic caſus, meo tempore, quod meminerim, nunquam accidit, & ferè vix poteſt accidere: tum quia Cardinalium Præfecti, aut Secretarii mutationes ob mortem, vel aliam cauſam, non fiunt repentè omnium ſimul, ſed ſemper ſuperſunt multi habentes notitiam præteritarum declarationum tum quia ſcripturæ ſunt adeò benè digeſtæ, ac diſpoſitæ per materias, titulos, tempora, ac diœceſes, ut quotieſcumque aliquod novum dubium diſputandum proponitur, brevi, ac parvo labore dignoſci poſſit, an aliquid circa illud priùs diffinitum fuerit. Nec refert, quòd in declarationi- 59
bus manuſcriptis, vel impreſſis, quæ deferuntur per manus, multæ appareant contrariæ; ſi quidem illis non eſt fidendum, cum quamplures ſint apocriphæ, aut falſæ, & undique ſcateant erroribus; ut propterea mirum non ſit, ſi Sacr. Congregatio die 27. Aprilis 1621. de mandato Gregor. XV. decreverit hujuſmodi declarationes Indici librorum prohibitorum eſſe adjiciendas. Ergo deciſionibus quæ Congregationis nomine inſcribuntur, fides adhibenda non erit, niſi appareant manu Cardinalis Præfecti, & Secretarii ſubſcriptæ, & conſueto ſigillo obſignatæ. Tantùm præbere poſſunt cauſam viris prudentibus, ac timoratæ conſcientiæ inquirendi de illarum veritate, de qua ſi probabiliter conſtaret ex alicujus fide digni teſtimonio, licèt non authenticè, non eſſet laudandus, qui illius veritate aliter non inveſtigata auderet contrarium docere, ut faciunt nonnulli ex Theologis, qui relatis verbis multarum declarationum Summorum Pontificum, aut Congregationis, ut illas evitent, conſueverunt indiſtinctè reſpondere: De illis nobis non conſtat authenticè: atque ita liberè contrariam ſententiam tuentur. Quod certè vix abeſt ab irreverentia, ac temeritate. Quinimò, ut inquit Salas *de leg. tract.* 14. *diſput.* 21, *quæſt.* 97. *ſect.* 12. *in fin.* rectè facit judex, qui declarationes Sacr. Congregationis, quas invenerit apud aliquem probatum Authorem, ut veras habuerit, & ſequatur, etiamſi nec à parte allegentur, nec producantur: adjiciens, in foro conſcientiæ teneri unumquemque eas ſequi, ſi de illis ſufficientem notitiam habuerit, juxta ea quæ tradit Navarr. *conſ.* 1. *numer.* 12. *& per totum de Conſtit.*

Objicitur quartò. Interpretationum quatuor ſunt ſpe- 60
cies, quarum meminit gloſſ. & Abb. *in cap.* 1. *de poſtul. Prœl.* Item gloſſ. fin. *in cap. Sicut*, §. 1. 11. *quæſt.* 1. *& in l. Si de interpretatione, ff. de leg.* Prima interpretatio eſt generalis, & neceſſaria, & in ſcriptis redigenda, ut Principis. Et hæc facit jus quoad omnes, ut hìc & *in cap. Conſtitutionem, de ſent. excommun. in 6. & cap. Inter alia inf. eodem tit.* Secunda eſt generalis, & neceſſaria, ſed non in ſcriptis redigentia, ut conſuetudinis, *cap. Cùm dilectus, de conſuet. & d. l. Si de interpretatione.* Et hæc ad præſentem quæſtionem non pertinet. Tertia non eſt generalis, ſed neceſſaria, & in ſcriptis redigenda, ut judicis, *l. Non poſſunt, ff. de legib.* Quarta nec generalis eſt, nec in ſcriptis redigenda, nec neceſſaria, ſed probabilis tantùm, ut Magiſtrorum, *l. Unic. C. de profeſſ. qui in urb. Conſtantinop. lib.* 12. *cum concord.* de quibus ibi per Luc. de Penn. Dum autem dicimus 61
Congregationem habere authoritatem interpretandi Concilium, hoc videtur intelligendum de ultima ſpecie interpretationis, id eſt probabilis, quam cæteris Doctoribus

Pius

Pius IV. ſua Conſtitutione interdixit, ut videntur innuere illa verba: *Gloſſas, commentaria, ullumve interpretationis genus*; ad exemplum Nicolai IV. *in cap. Exiit qui ſeminat, §. Itaque ſub pœna, de verb. ſignif. in 6.* quam Conſtitutionem propterea nemo auſus eſt interpretari, ut ibi notat gl. adeò ut neceſſe fuerit, ut Joannes XXII. illam prohibitionem ſuſpenderit in Extravag. *Quia nonnumquam, eod. tit.* Nec non exemplo Juſtiniani, *qui in l. 1. C. de veter. jur. enucl.* ſui Codicis interpretationem prohibuit his verbis: *Nullis juriſperitis in poſterum audere commentarios illi applicare, & verboſitate ſua ſupradicti Codicis compendium confundere; quemadmodum in antiquioribus temporibus factum eſt, cum per contrarias interpretantium ſententias totum pene jus conturbatum eſt.*

Nec tollit obicem, quòd S. Congregationis authoritas emanaverit à Summo Pontifice. Nam & Papæ interpretatio nonnumquam probabilis eſt, & non neceſſaria, ut not. Jo. Andr. *in addit. ad Specul. in rubr. Ne ſede vacante*, ubi
62 propterea ait Innocent. IV. verè fuiſſe Patrem juris, quia pavit nos duplici pabulo, ſcilicet ſolemni apparatu, ut Magiſter, in quo ejus authoritas eſt probabilis tantùm; & Conſtitutionibus, quas fecit ut Pontifex, & nunc habemus in 6. lib. Decretalium, in quibus authoritas illius neceſſaria eſt. Quod multò magis videtur procedere in interpretationibus S. Congr. quia cùm abſque ſpeciali Sanctiſſimi facultate legem condendi authoritatem non habeat, nec videtur habere interpretandi ea interpretatione, quæ neceſſaria, & generalis dicitur, & vim legis obtinet; nam ejus eſt jura interpretari, cujus eſt condere, §. *Ex his*, 11. *q.* 1. *cap. Inter alia, de ſent. excommun. c. fin. de conceſſ. præb. l. fin. C. de legib.* Unde in Conſtitutione Sixti V. de qua ſupra in prin. legitur ad Summum Pontificem tantummodò ſpectare generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari.

Atque ita declarationes S. Congr. Concilii eſſe tantùm, ut inquiunt, doctrinales, neque illis eſſe neceſſariò ſtandum affirmat (nullum tamen adducens fundamentum) Sanch. *de matr. to. 3. lib. 8. diſp. 2. n.* 10. Petr. de Ledeſm. *in Sum. to. 1. de Sacram. Pœnit. c. 23. diffic. 7.* Alphonſ. de Vega *in Summ. t. 1. c. 62. caſu* 40. Villalob. & alii nonnulli Theol.

63 Cæterùm ad hanc quoque objectionem patet reſponſio ex dictis à num. 8. uſque ad numer. 43. ubi decem fundamentis latiſſimè probatum eſt S. Congregationis authoritatem eſſe Apoſtolicam, ejuſque interpretationem non eſſe tantùm probabilem, ſed neceſſariam, quæ in ſcriptis redigitur; & obligat omnes generaliter in utroque foro. Et ſanè cùm in procemio dictæ Bullæ Sixtus V. primò dixerit decretorum Trident. Concilii interpretationem ad ſingularem Summi Pontificis authoritatem tantummodò pertinere, ac deindè immediatè hanc interpretandi authoritatem Congregationi impertitus fuerit; patet manifeſtè eum tribuiſſe Congregationi jus faciendi interpretationem illam, quæ ſingulariter pertinet ad Summum Pontificem, & ſic generalem, & neceſſariam, juxta text. hic, *& in d. l. fin.* ubi id notat Bald. *C. de legib.* Præſertim verò quia cùm Sixtus V. in declarationibus editis poſt inſtitutionem Congregationum à ſe erectarum diſponat, ut Cardinales ſibi viros Sac. Theolog. & Pontificii, ac Cæſarei juris peritos in conſultationibus adhibeant, apertè diſtinguit interpretationem Congregationis ab interpretatione Magiſtrorum. quod, ut inquit Card. Paleott. *de Sacri Conſiſt. conſult. p. 5. q. 40. verſ. Quare ut antea*, conſonat cum veteri inſtituto OEcumenicorum Conciliorum, in quibus non ſolùm conveniebant Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui jus ſuffragii definitivi habebant; ſed Presbyteri etiam, & Diaconi ſæpè adhibebantur, qui ſententiam conſultivam dicebant, ac Patrum deliberationes conſiliis ſtudiiſque ſuis juvabant. Et confirmatur, quia in iiſdem declarationibus in principio, ut dictarum Congregationum expeditiones validæ exiſtant, decernitur, ut Cardinales in qualibet Congregatione non ſint pauciores tribus. Hæc autem ratio validitatis expeditionum inepta eſſet, ſi Congregationis authoritas eſſet tantùm doctrinalis, ut Magiſtrorum.

64 Sed urgebis. Judices, ac Magiſtratus univerſi authoritatem habent à Principe, apud quem ſunt principaliter juriſdictiones, tamquam apud fontem, à quo fluunt, & refluunt, ſicut flumina ad mare, ut inquit formaliter Bald. in *c. 1. §. Adhuc, n. 11. de pacto juram. firm.* alias eſt ſub titulo *de allodiis in uſib. feud.* & Gram. *deciſ. 46. in princ.* adeò ut nec minima juriſdictio poſſit conferri, niſi authoritate Principis mediata, vel immediata, ut notatur *in l. Et quia, ff. de juriſd. omn. jud. in l. Privatorum, C. eod. tit.* per Innoc. *in c. Cùm ab Eccleſiarum, inf. de off. ordin.* & tradit Bald. *in d. §. Ad hoc n. 2.* & tamen diffinitiones, & interpretationes Judicum legis vigorem non habent, ſed inducunt tantùm parendi neceſſitatem in ea particulari cauſa, in qua emanant, *l. Paulus, la 1. ff. de re judic. & d. l. Non poſſunt, ff. de legibus*, Innoc. *in c. Cum ſpeciali, ſub n. 4. de appell.* quem ibi ſequuntur Jo. Andr. *col. 3. ver. Quidam dicunt*, & Ant. de Butr. *n. 11. ver. Dicit tamen Innocentius*, Bald. *in l. Cum de novo, in princ. C. de leg.* Ergo ſimiliter etſi S. Congregatio habeat decidendi authoritatem à Principe; tamen illius interpretatio videtur tertiæ ſpeciei, id eſt illius, quæ generalis non eſt, licèt ſit neceſſaria, & in ſcriptis redigenda, ut judicis. Vel certè quatenus illius declarationes habeant legis authoritatem, id videtur procedere in illis tantùm, quæ generaliter, & per modum legis eduntur; non autem in illis, quæ fiunt in aliquo ſpeciali caſu.

At facilis eſt reſponſio. Quia juriſdictio aliis Judicibus at- 65
tributa, regulariter reſtricta eſt ad certos limites perſonarũ, aut territorii, extra quos non extenditur, *l. fin. ff. de juriſd. omnium judic.* Nam ſicut Prætor univerſam juriſdictionem mandare alii poteſt, ita & in perſonas certas, vel de una ſpecie poteſt, ut legitur *in l. Prætor, ff. eod.* At S. Congr. fuit generaliter aſſumpta à Summis Pontificibus ad decreta Trid. Concilii interpretanda, & propterea decidit non ſolùm caſus particulares, & in concreto, ſed ut plurimum aperit ſenſus, & mentem S. Synodi generaliter, & in abſtracto. Ea verò, quæ in facto conſiſtunt, rejicit ad Judices ordinarios. Unde eatenus ſe extendit illius authoritas, quatenus protenditur latitudo decretorum Concilii, quibus declaratio-
nes intrinſecè inſunt, ut oſtenſum eſt ſupra. Et ideò cum 66
Congr. declaravit decretum Concilii *c. 6. ſeſſ.* 23. ademiſſe clericis non habentibus requiſita ibi præſcripta, privilegiũ fori dumtaxat, ſed nihil diſpoſuiſſe de privilegio Canonis: item cùm declaravit ad obtinendum ſimplex beneficium Eccleſiaſticum ſufficere ex eo decreto decimumquartum annum inchoatum, & è converſo ad obtinendas dignitates quibus animarum cura nulla ſubeſt in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, vel decreto *c. 12. verſ. Ad cæteras, ſeſſ.* 24. requiri annum vigeſimum ſecundum completum, & in aliis innumeris caſibus: quamvis declarationes editæ fuerint ad conſultationem Epiſcoporum, aut partium litigantium in aliquo ſpeciali caſu; tamen nemo dixerit non eſſe generaliter obſervandas, cùm decreta illa Concilii, quæ generaliter ligant omnes, habeant ſemper in ventre ſenſum, ſeu intellectum illum, quem S. Congregatio ſua declaratione manifeſtavit. Et propterea videmus ſententiã Principis,
quæ venit ad declarandum aliquod dubium juris, quamvis 67
lata fuerit inter partes, & in caſu particulari; tamen facere jus quoad omnes, quia non ſolùm habet vim ſententiæ, ſed etiam generalis ſtatuti, ut decidit Bald. per illum text. *in l. fin. n. 1. C. de legib.* Et in propriis terminis cum Pontifex, vel authoritatem habens ab ipſo reſpondet ad conſultationem alicujus in aliquo particulari caſu, reſponſum illud facere jus commune inter omnes, eſt textus apertus *in c. Ex multa, de voto*, per quem text. ita determinat gloſ. *in c. Ex tua, in ver. Conſultat. de fil. prebyt.* & Felin. alios allegans *in c. In* 17. *ſup. eod.* Quibus accedit, quòd etſi ad hanc interpretationem faciendam deſideraretur præciſa authoritas legis condendæ; illa tamen non deeſſet, quia Congr. ex Bulla Sixti in his, quæ morum reformationem concernunt, authoritatem habet pro juſtitia, & æquitate decernendi quæcumque ſibi viſa fuerint in univerſo orbe. Unde ſicut Princeps authoritatem habet ubique, & quoad omnes; ſic & is, qui authoritatem habet ab ipſo, ut poſt Jacob. de Belviſio dixit Jo. Andr. *in c. Per venerabilem, col. 1. qui fil. ſint legit.*

Quamobrem ut concludamus, S. Congregationis reſcri- 68
pta ſunt veluti reſponſa prudentum: nam, ut olim prudentis, reſpondet diffinitivè conſultationibus eorum, qui illius ſententiam exquirunt circa intelligentiam decretorũ Concilii. Occaſione autem viſitationis Liminum, & emenda-
tionis Conciliorum Provincialium conſuevit reſpondere 69
Epiſcopis eã conſulentibus ſuper omnibus dubiis ad Eccleſiarum regimen pertinentibus etiam non Conciliaribus. Conſtat autem eorumdem prudentum reſponſa vim legis obtinere, *c. Reſponſa prudentum*, 2. *diſt. l. Jus autem civile*,

ff. de

ff.de juſt.& jur. §. *Reſponſa*, *inſtit. de jur. natur. & l. 1. Sed neque.C.de veter.jur. enucl.* Valet enim illatio: Ita ait Celſus Juriſconſultus: Ergo ita eſt, *l.1.*ubi Bart.Bald.Ang.Paul. de Caſtr.Alex.Jaſ.& cæteri notant, *ff. Si cert.pet.*

Hanc autem S. Congregationis authoritatem DD. quoque paſſim reverenter agnoſcunt. Nam Nicolaus Garz. *de benef.tom.1.in præfat. Quod attinet*, inquit, *Ad declarationes S. Congregationis, certum eſt eas non eſſe declarationes doctrinales, ſicut latas à Doctoribus, & Juriſperitis, ut aliqui Theologi perperam dicunt; ſed eſſe declarationes definitivas, ſeu deciſivas, vim legis habentes, & ut leges recipiendas, utpotè latas ex commiſſione Papæ, & à perſonis habentibus interpretandi, & reſpondendi facultatem à Principe, ut apparet ex Bulla Sixti V. quæ eſt in parte ſecunda Bullarii, in ordine ſeptima, ubi habetur facultas dictæ Congregationis. Et*
70 *eadem S. Congregatio cuidam Abbatiſſæ Meſſanenſi ſic reſpondit: Eadem ratio habenda eſt de his, quæ ſcribuntur à Cardinalibus S. Congregationis Concilii Tridentini nomine ipſius Congregationis, ac ſi à Papa ſcripta eſſent; & aliàs ſic cenſuit: Decreta, & literæ Congregationis Concilii ſemotis litibus ſunt executioni demandanda, nec ſuper his ſententia, nec decretum aliquod eſt faciendum. Et ita ſuper declarationibus S.Congregationis Papa ſtatim dat Breve, & Auditor Cameræ Monitorium in earum executionem. Et Rota eas abſque ulla controverſia, & diſputatione amplectitur, ſuſcipit, & obſervat, ut praxis oſtendit. Et quamvis declaratio ſit facta ad inſtantiam alicujus, ſeu in caſu particulari; tamen facit jus quoad omnes, & in univerſum.* Hæc ille.

Similiter Eman.Rodriq. *de regul.tom.1.q.11. art. 1. & 2.* affirmat has declarationes, ſi authenticæ habeantur, in judicio, & extra eſſe obligatorias, & dicendas eſſe definitivas, quæ ut tales imponunt neceſſitatem, & in ſcriptis rediguntur ſicut declarationes ipſius Principis legiſlatoris, & teſtatur ſecundum eas in Tribunalibus judicari.

Sed & Ludovicus Miran. *in Manual.Prælat.tom.2. q.26. art. 11.* rejecta opinione quorumdam, qui in Hiſpania contrarium aſſerebant, concludit declarationes S. Congregationis authentico ſigillo, & ſubſcriptione munitas, non ſolùm habendas eſſe ut doctrinales, verùm etiam ut judiciales, & in utroque foro obligare, & ſeundùm ipſas in omnibus Tribunalibus judicari debere. Eo quod cùm Cardinales faciant hujuſmodi declarationes ex commiſſione Summi Pontificis, & ipſius auctoritate; eadem lege, qua jubemur Papalem declarationem recipere, tamquam certam, & veram, eadem jubemur etiam recipere eaſdem declarationes explicantes mentem, & mentionem legiſlatoris.

71 Idem cenſet Jo. de Salas *de legib. tract. 14 q. 97. diſp. 21. ſect. 12.* dicens declarationes dictæ Congregationis non ut probabiles, & doctrinales dumtaxat habendas eſſe, ſed ut authoritativas, & neceſſarias, tamquam ſi ab ipſo Papa editæ fuiſſent; & ideò habere vim obligandi in utroque foro tam in judicio, quàm extra, non ſolùm pro illis perſonis, ad quarum inſtantiam fiunt, ſeu in illo ſpeciali caſu, cui Congr. reſpondet, ſed ut leges generales in ſimilibus omnibus: idque probari tum ex verbis conſtitutionis Sixti V. in quibus Papa eamdem, quam ipſe habet, interpretandi, & exequendi facultatem Congregationi impartitur; maximè quia illa exceptio dubiorum, cùm debeat eſſe de regula legis, id manifeſtius reddit: tum ex conſultatione Papæ, quia ex ea, etiam ſit ſuper particulari, caſu, jus generale editur, juxta textum *in. c.Ex multa, de voto*, allegat pro hac ſententia Emman. Rodrig. & Nicolaum Garziam *loc. cit.* item *in prax. Epiſcopali p.1. ver. Authoritas*, ac prætereà Rotam *dec. 482. 743.& 750. par. 1. dec.325.part.2. diverſ.* in quibus Rota juxta declarationes Cardinaliũ judicavit: refert etiam, licèt mutilatè, verba alterius deciſionis Rotæ in cauſa Tudent. juriſdictionis 28. Novembris 1607. coram Cardinali Sacrato, quæ ſic ſe habent; *Cùm fuiſſet pro parte moderni Epiſcopi data quædam declaratio S. Congregationis ſuper interpretatione Concilii Trid. Rota quæ ſolet acquieſcere reſolutionibus S.Congregationis, negativè reſpondit. Cæterum cum fuerit repertum, quod illa non erat reſolutio S.Congregationis, ſed quædam annotatio bon. mem. Card. Caraffæ: iterum propoſui dubium, & Domini affirmativam ſententiam amplexi fuerunt.* Impreſſa eſt hæc deciſ. *in repet. c. 3. deciſ. 166. num. 1.* & ſubdit Salas ſe hujuſmodi verba retuliſſe, neſciens an alibi tam expreſſum, aut grave teſtimonium pro declarationibus S.Congr. reperiatur. Sed expreſſiùs hoc habetur in deciſione Romana Capellaniæ 2. Januarii 1589. coram Cardinali Pamphilo, in hæc verba: *Domini attenta reſolutione Illuſtriſſimorum DD. S. Concilii Interpretum in cauſa Piſtorien. quod præſentandus non debeat eſſe Presbyter ex eo, quod in fundatione dicatur Capellanum debere celebrare divina officia, &c. receſſerunt à reſolutis in hac cauſa, & dixerunt Capellaniam non eſſe Sacerdotalem.* Quam quidem deciſionem ad literam retuli *in c. 1. num. 73. infr. de ætat. & qualit.* Deindè addit Salas, ubi ſuprà, *in verſ. Quartò colligo*, effectum obligandi, quem habent prædictæ declarationes, non ſolùm eſſe quoad futura, ſed etiam quoad præterita, quia hoc eſt de natura legis declaratoriæ, & potiùs ligat conſtitutio antiqua, quàm nova declaratoria; ſecundum gloſſ. *in Clem. Statutum in ver. Declaramus*, *de elect.* & ibi Card. *q.2. gloſſ. in c. 11. de decim. in ver. Declaramus*, *lib.6.* & Abb. hìc *n.8.* & ſententias contra declarationes Sac. Congregationis latas, eſſe ipſo jure nullas, ut ibi per eum *in verſ. Sexto colligunt*. Idipſum cenſent & alii recentiores. Nec aliud ſentit Baſil. Pont. *in tract. de matrim. lib. 5. c.13.§.1.n.7.* ab aliquibus perperam allegatus pro contraria ſententia; tantùm enim ait, *Non obſtant deciſiones Rotæ, quas pro ſua ſententia Menochius refert; his enim ego oppono Congregationis declarationes, quæ majus pondus authoritatibus habent.*

His demum addo Rotam in cauſa Fulginaten. hæreditatis 14. Februarii 1650. coram R.P.D. Veroſpio, cujus hæc ſunt verba: Prædicta verò certiora redduntur ex reſolutione S. Congregationis Concilii Tridentini in una Meliten. ſub die 10. Maji 1608. qua Eminentiſſimi Patres reſponderunt profeſſionem ad hujuſmodi Equitibus Obedientiæ nuncupatis emiſſam nullius eſſe roboris, atque momenti ad obligendum ipſos Religioni, niſi eorum inſtitutio per Apoſtolicam Sedem fuerit approbata, vel ab eadem Eminentiſſimus magnus Magiſter legitimam ad id facultatem obtineat. Quorum reſponſa non ſolùm futuris imponendi finem controverſiis vim obtinent, ſed juſtam quoque per ſe ferunt interpretationem in præcedentibus caſibus hactenùs deciſis, neque in judicium deductis pari ratione ſervandam, juxta gloſſ. *in proœm. Clem. in verb. de cætero*, Salas *de legib.q.97.tract.4.ſect.12.verſ.5.Colligo*, ubi loquitur in ſpecie de reſolutionibus S.Congregationis prædictæ, Rota coram Gregorio *dec.310.n.7.& deciſ.317.n. 32. part. 4.tom. 2. rec.* & in Milevitana Antianitatis 26. Maji 1650. *in §.Non obſtat, quod prædicta ordinatio*, *coram R. D. meo Decano*, & ab hoc Tribunali ſemper magna cum reverentia ſuſcipi ſolent, ut dictum fuit in Averſan. Beneficiorum 3. Julii 1606. coram Cardinali Sacrato, & coram Buratto *deciſ. 479. num. 2.* & in Meten. Abbatiæ, 19. Junii 1628. coram D. meo Decano, & in Majoricen. Parochialis, 13. Junii 1646. coram R.P.D. meo Celſo, & in aliis relatis in Calaguritan. Clavis, 11. Januarii 1648. *in ultimo §.* coram R. P. D. meo Corrado, & in Oppiden. Proceſſionum, 18. Maji 1646. *in §. Et hæc juris diſpoſitio coram me.* 72

DE

DE RESCRIPTIS.

Alexander III. VVintonien. Epiſcopo.

CAPUT III.

CÆterùm ſi aliquis ſuper aliqua cauſa ab Apoſtolica Sede impetraverit literas, & adverſarius ejus eamdem cauſam poſtmodum obtinuerit committi aliis, de commiſſione priori non habita mentione: priores judices ad deciſionem cauſæ poſſunt procedere, nec ſecundæ literæ obtinent alicujus roboris firmitatem. Si verò in ſecundis literis habeatur mentio de commiſſione priori, prædicta cauſa à priorum eſt exempta judicio, cùm eædem literæ non ſint veritate tacita impetratæ. Verùm ſi de aſſenſu partium cauſa committitur, & proceſſu temporis, vel etiam continuò, alterutra pars, altera neſciente cauſam ipſam, tacito de commiſſione priori, alii judici obtinuerit delegari, non immeritò is qui tali dolo, vel fraude, adverſarium ſuum laborare coegit, in expenſis condemnari debet eidem.

SUMMARIUM.

1 *Reſcriptum ſecundum in eodem negotio ab adverſario impetratum non valet, ſi de primo non faciat mentionem, & primum remanet in ſuo robore, & num.* 3.

2 *Reſcriptum ſecundum non valet, ſi taceat primum fuiſſe impetratum communi conſenſu, & n.* 14.

4 *Reſcriptum primum ſi non fuit præſentatum, & illius authoritate facta citatio, valet ſecundum prius præſentatum, licet de primo mentionem non faciat.*

5 *Reſcriptum ſecundum ad lites non faciens mentionem de primo an ſit ipſo jure nullum, an verò ſit annullandum ope exceptionis.*

Et quid in literis beneficialibus, & gratioſis, numer 8.

9 *Subreptio non inficit literas contentioſas ipſo jure, ſed ope exceptionis.*

10 *Secus ſi literæ ſint gratioſæ.*

11 *Reſcriptum ſecundum ſi faciat mentionem de primo, valet ſecundum, & non primum.*

12 *Reſcriptum ſecundum faciens mentionem de primo, an tollat primum ipſo jure.*

13 *Gratia ſecunda quamvis faciat mentionem de prima tamen non tollit primam, niſi in ſecunda fuerit expreſſè derogatum regulæ de jure quæſito non tollendo, & n.* 17.

14 *Reſcriptum ſecundum non ſufficit, ut faciat mentionem de primo, niſi etiam faciat mentionem de illius qualitatibus, quæ reddidiſſent Principem difficiliorem ad ſecunda literas concedendas.*

15 *Subreptionem inducit omne tacitum, quo expreſſo Princeps non tam facilè dediſſet literas.*

16 *Princeps, ſi in ſecunda gratia non fuerit facta mentio de qualitatibus primæ, præſumitur circumventus.*

18 *Regulæ de jure quæſito non tollendo Papa non cenſetur velle derogare, quibuſcumque utatur verbis, & clauſulis, niſi eidem regulæ expreſſè deroget, & num.* 26.

19 *Amplia primò, etiamſi Papa habuerit certam ſcientiam ex narratis de præjudicio tertii.*

20 *Amplia ſecundò in jure quomodolibet quæſito, & ex privilegio.*

Amplia tertiò, etiam in gratia motu proprio, numer. 22.

Amplia quartò, etiamſi Papa proceſſerit de plenitudine poteſtatis, n. 23.

Amplia quintò, etiam ſi generaliter derogaverit conſtitutionibus Apoſtolicis, & regulis Cancellariæ etiam cum clauſula, Quorum tenores, *n.* 26.

Limita primò, in gratia ex ſui natura præjudiciali, num. 28.

*Limita ſecundò, in gratia quæ ſit ob publicam utilitatem, n.*32. *& n.* 48.

21 Quomodolibet *dictio includit omne jus quantumcumque minimum.*

22 *Clauſula* de plenitudine poteſtatis, *operatur etiam in præjudicium tertii, fallit ut n.* 25.

25 *Proteſtatio de qua in regula de non tollendo jus quæſitum tollit conſenſum, & voluntatem Papæ ab actu gerendo.*

27 *Clauſulæ derogatoriæ in litteris Apoſtolicis ſemper apponi conſueverunt.*

29 *Gratia ex ſui natura præjudicialis quando dicatur, & n.* 30. *&* 31.

30 *Scientia Papæ de præjuditio tertii, ſi proveniat ex narratis, non ſufficit ad tollendum jus quæſitum ſine expreſſa derogatione regulæ.*

31 *Proteſtatio cedit facto omnino contrario.*

33 *Studia litterarum pertinent ad communem utilitatem.*

34 *Privilegio conceſſo miſerationis cauſa renuntiari non poteſt.*

35 *Officium obtinens ad ſui vitam, ſi evadat cæcus, an valeat proviſio de eodem officio alteri facta ſine derogatione regulæ de jure quæſito non tollendo, latè diſcutitur, ut n. ſeqq. uſque in fin.*

36 *Officia ex ſui natura regulariter ſunt, perpetua, præſertim ſi concedantur ad vitam.*

37 *Officialis perpetuus ſine juſta cauſa de poteſtate ordinaria amoveri non poteſt.*

38 *Regula de non tollendo jus quæſitum obſtat ſecundæ gratiæ de officio prius alteri ad vitam conceſſo.*

39 *Cæcitas non eſt juſta cauſa removendi aliquem ab officio prius obtento.*

Quamvis ſit officium Eccleſiaſticum, n. 34.

Et quamvis detur principaliter propter exercitium, & non propter dignitatem, n. 62. *& n. ſeq. uſque in fin.*

40 *Cæcus qui perdit viſum, non perdit officium.*

41 *Senatorium ordinem retinet, & judicantis officio fungitur.*

Retinet magiſtratum prius acceptum, ibid.

42 *A tutela non removetur, ſed datur illi curator, vel coadjutor, & n.* 73.

43 *Mutus Archidiaconus, qui amiſit officium linguæ, non removetur ab officio.*

44 *Idem ſi amiſerit officium oculorum.*

45 *Officialis electus, qui ante confirmationem evaſit cæcus, debet in eodem officio remanere, illudque per alium exercere, & n.* 58.

46 *Officium obtinens ſive gratuitum, ſive oneroſum, ſi fiat inhabilis, non privatur officio, ſed inſervit per ſubſtitutum, & retinet ſtipendia ſua.*

47 *Etiamſi officium requirat induſtriam perſonæ.*

50 *Coadjutoria concernit principaliter publicam utilitatem, non autem remotio officialis infirmi ab officio.*

51 *Prælatus etiam invitus cogi poteſt ad cedendum, quando ſubeſt periculum deſtructionis Eccleſiæ, dummodò detur ei bonum concambium.*

52 *Vtilitas publica præfertur privatæ.*

53 *Coadjutoriæ gratia cur non requirat derogationem regulæ de jure quæſito non tollendo.*

54 *In-*

54 *Infirmi remotio ab officio, vel beneficio, eſt contra jus, & utilitatem publicam, & n. ſeqq.*

55 *Afflictis afflictionem addere peccatum eſt.*

56 *Rex Portugalliæ inhabilis à Regno non removetur, ſed datur illi coadjutor à Romano Pontifice ob publicam utilitatem.*

57 *Officio, vel beneficio ſuo quem privare ſine culpa, perverſum eſt, & contra Eccleſiaſticam cenſuram, & n. ſeq.*

59 *Cæcis eſt miſerendum, & de novo ſubveniendum.*

60 *Dementia non eſt juſta cauſa removendi ab officio perpetuo, ſed ſolùm dandi coadjutorem.*

61 *Repetitio numquam fieri intelligitur etiam in eadem clauſula, quando ex illa reſultat aliquid exhorbitans jure communi.*

62 *Infirmus ab officio removeri poteſt de poteſtate ordinaria, quando officium datur principaliter non propter dignitatem, ſed propter exercitium.*

Contrarium n. 73. & ſeqq. uſque in fin.

Declaratur primo, ut procedat in officio temporali, non autem in ſpirituali, & perpetuo, n. 65.

Declaratur ſecundo, ut procedat in officiali, qui ex propria culpa in morbum incidit, n. 68.

Sed contra ſecundum Canones, n. 69.

Declaratur tertiò, ut procedat in remotione ab adminiſtratione, non autem à titulo, & habitu officii, n. 70.

Declaratur quartò, ut non procedat ſtante conſuetudine inſerviendi per ſubſtitutum, n. 78.

Declaratur quinto, ut non procedat in officiali, qui factus eſt cæcus, n. 80.

Intellectus legis, Si quos judices, C. de offic. Præfect. Præt. Orient. *n. 63. & ſeqq. uſque in fin.*

63 *Judices propter longinquam infirmitatem inutiles ab adminiſtratione removentur, & alii in eorum locum ſubrogantur, contrarium, n. 67. & 73.*

Declaratur multis modis, ut num. 65. & ſeqq. uſque in finem.

64 *Judex datus mutari jubetur, ſi propter infirmitatem diu fuerit impeditus.*

Procedit in judice delegato, n. 71.

66 *Leges debent imitari Canones, ſed è converſo.*

67 *Judex propter furorem, vel cæcitatem ſupervenientem non debet removeri.*

68 *Officialis, qui ex propria culpa in morbum incidit, removetur ab officio ſecundum leges.*

69 *Secus ſecundum Canones.*

70 *Judices ob adverſam valetudinem inutiles, removentur ab adminiſtratione, ſed non ab officio.*

71 *Delegati juriſdictio de facili per ordinarium judicem revocetur.*

72 *Judicium ſolvitur vetante eo, qui juſſit judicare.*

73 *Tutor factus inutilis propter adverſam valetudinem non removetur, ſed datur illi coadjutor.*

74 *Epiſcopatus eſt nomen oneris, non honoris.*

75 *Infirmi ſive Epiſcopi, ſive Parochi, ſive ſimplices beneficiati, ſive officiales, non removentur, ſed eis dantur coadjutores, & n. ſeqq.*

76 *Officia perpetua, & ſpiritualia regulantur per omnia ut beneficia Eccleſiaſtica.*

77 *Imò difficiliùs quis removetur ab officio, quàm à beneficio.*

79 *Officiales collegiorum urbis ægritudine, vel ſenio, aut aliàs legitimè impediti, ex conſuetudine inſerviunt per ſubſtitutum, ſibique emolumenta percipiunt.*

80 *Lex generalis poſterior non tollit legem ſpecialiter loquentem, ſed diſtinguitur, & limitatur per legem antiquam.*

81 *Cæcus non poteſt dici inhabilis ad officium, vel magiſtratum, nec reſpectu tituli, nec reſpectu exercitii, & nu. ſeqq. uſque in fin.*

82 *Non excuſatur à conſilio, vel patrocinio.*

83 *Si ſit ſapiens, cogi poteſt ire ad conſilium, & conſulere.*

84 *Non privatur voto, quod aliàs haberet, ſi cæcus non eſſet.*

85 *Non dicitur inhabilis ad legendum, vel ſcribendum, cùm à lege ſit habilitatus ad hæc implenda per ſubſtitutum.*

86 *Cæcis vis ingenii, & intellectus perſpicacior eſt, & n. ſeqq.*

87 *Judicandi munus magis conſilio prudentis viri, quàm corpore explendum eſt.*

C*Æterùm*. Si in ſecundo reſcripto de primo reſcripto 1
adverſarii ejuſdem cauſæ non fit mentio, valet primum; aliter valet ſecundum: & ſi primum communi
conſenſu fuit obtentum, non valet ſecundum hoc taci- 2
to impetratum. Hoc dicit Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Cardin. Anchar, Abb. Joan. de Anan. Felin. & Dec. & ſunt tres partes, quæ per ſe patent: ſecunda ibi, *Si vero*: tertia, ibi, *Verùm*.

Nota ex hac decretali tres regulas in materia reſcripto- 3
rum ſcitu neceſſarias, & uſu forenſi admodùm frequentes. Prima regula eſt, ſi ſecundæ literæ in eodem negotio ab adverſario impetratæ, de primis non faciant mentionem, primæ remanent in ſuo robore, & ſecundæ non valent. Hæc regula habetur in prima parte text. & validitas primarum literarum probatur ibi: *Priores judices ad deciſionem cauſæ procedere poſſunt*, & nullitas ſecundarum ibi; *Nec ſecundæ literæ obtinent alicujus roboris firmitatem*. Ratio hujus primæ regulæ, quia ſi princeps recordatus fuiſſet primarum literarum, ſecundas utique non conceſſiſſet. Ideòque ſecundæ non valent ex defectu intentionis, *ut c. Ex parte, il 1. infra de offic. deleg.* ibi: *Si memores fuiſſemus nos pro prædicto N. literas direxiſſe, pro adverſario nullatenus ſcripſiſſemus*. Ad idem *c. In noſtra inf. eod. c. Ex literis de off. deleg.* Quare hanc regulam ponunt hìc gloſſ. poſt caſum, Jo. Andr. Bald. & omnes in Summ. text.

Declara tamen hanc primam regulam, dummodò pri- 4
mæ literæ fuerint præſentatæ, & illarum authoritate fuerit facta citatio, aliàs enim valerent ſecundæ; quæ primò fuerunt præſentatæ, etiamſi in eis de primis literis nulla mentio facta eſſet, *cap. Ut debitus*, & ibi notatur in gloſſ. *in verb. Aſſignatæ, infra de appell.* gloſſ. 1. & 2. hìc Bald. *n.* 1. & plerique alii. Plures alias declarationes ad hanc regulam vide hìc plenè per Felin. *à n. 2. verſ. Limita decem modis*.

An autem ſecundum reſcriptum non faciens mentio- 5
nem de primo impetrato ſuper eadem cauſa ab adverſario ſit ipſo jure nullum, necne, ſunt opiniones. Abb. hìc *n. 5.* refert Compoſt. tenere ſecundùm eſſe ipſo jure nullum, & pro eo dicit optimè facere hanc literam ibi: *Nec ſecundæ literæ obtinent alicujus roboris firmitatem*. Quæ verba cùm ſint præſentis temporis, videntur inducere nullitatem ipſo jure, ad gloſſ. *in reg. de pæn. de regul. jur. lib. 6. & in l. In criminali in verb. Habeatur, C. de juriſdict. omn. judic.*

Sed tu adverte; nam Compoſtell. non fuit in hac opinione, imò cum Innocentio oppoſitum cenſuit, ut mox dicetur, & fortè Abb. voluit allegare Tancredum, qui, ut refert Hoſtien. hìc *num. 1. in verb. Secundæ literæ*, tenuit ſecundas literas non facientes de primis mentionem eſſe ipſo jure nullas, motus ex antiqua compilatione, in qua dicebatur, Nec ſecundæ literæ de jure obtinent, &c. exponebat enim de jure, id eſt ipſo jure, & eum ſequitur hìc Andr. Siculus; ſed contrariam opinionem, id eſt ſecundum reſcriptum ad lites non eſſe nullum ipſo jure ſed annullandum per ſententiam, adeò ut per tale reſcriptum detur juriſdictio, & teneat proceſſus ſecundi judicis, ſi ex adverſo non excipiatur, tenuit Goffr. hic, qui ad motivum Tancr. reſpondet, verba illa de jure ex compilatione, qua utimur, fuiſſe ſublata ad confundendam illius opinionem, ut refert Hoſtien. ubi ſuprà. Idem tenuerant hìc Philippus, Petr. de Sampſone relati à Cardinali, *num.* 3. Innoc. *num. 2. in verb. Nec ſecundæ, & num.* 3. Compoſtell *in fin. princ. ver. Securius, & juſtius*, Abb. Antiq. *num.* 2. Hoſt. *dicto num. 1. in verb. Secundæ literæ*, Joan. Andr. *num.* 6. Bald. *numer.* 4. Card. *num.* 3. Abb. Sicul. *num. 5. verſ. Tertia opinio*, dicens hanc opinionem eſſe communem ferè omnium DD. & Felin. *num.* 10. dicens ita tenere omnes DD. hìc excepto Andrea Siculo, cujus mo-
tivis reſpondet. Pro hac opinione inducitur *c. Si autem*, 6
& cap. Plerumque, infrà eod. in quibus patet ſecundum re-

ſcri-

ſcriptum ſubreptitiè impetratum ob taciturnitatem primi valere poſt annum data negligentia primi impetrantis: ergo non fuit nullum ab initio, alioquin tractu temporis non potuiſſet convaleſcere, ut in regula, *Non firmatur*, *de reg. jur. lib.* 6. Quæ inductio approbatur hìc ab omnibus, ut atteſtatur Felin. *in cap. Audientiam*, *il* 2. *num.*
7 17. §. *Literæ ad lites infra eod.* & ad hunc text. & ſimilia jura, quæ videntur obſtare huic opinioni, reſponderi poteſt, ſecundum reſcriptum non habere roboris firmitatem, ſeu eſſe nullum inſpecto effectu: nam id, quod ope exceptionis poteſt annullari, poteſt dici largo modo nullum, *ut l. Si dari ſtipuler. ff. de verb. obligat.* ſecundùm Abb. hìc *num.* 8. facit text. *in l.* 1. *in princ.* juncta expoſitione Bald. *in verb. Nulla*, *ff. de offic. ejus*, *cui mandata eſt juriſdictio*, vel pleniùs reſponde, ut hìc per Felin. *num.* 10.

8 Limita communem opinionem, ut procedat in reſcriptis ad lites, ſeu literis juſtitiæ, juxta terminos hujus decretalis: ſecus verò in literis beneficialibus, ſeu gratioſis; nam ſecundæ non facientes mentionem de primis, ſunt ipſo jure nullæ, *cap. Conſtitutus infra eodem*, *c. Cùm*
9 *olim*, *de re judicata*, *cum concordant.* Ratio differentiæ eſt, quia literæ contentioſæ per ſubreptionem non annullantur ipſo jure, ſed veniunt annullandæ ope exceptionis, *dicto cap. Si autem*, *& cap. Plerumque infra eod. cap. Ut debitus*, *de appellat.* Abb. hìc *num.* 6. latè Hoſtien. *in Summ. hoc tit.* §. *Quæ poſſunt objici*, *verſ. Sed numquid proceſſus*, Compoſtell. *in cap. Super literis*, *num.* 6. *verſ. Primo caſu infra eod.* Rota *deciſ.* 13. *incip. Verum ſi ſit delatum, hoc tit. in antiq. & deciſ.* 151. *incip. Si aliquis judex*, *alias* 63. *de appellat. in antiq. & in recent. deciſ.* 582. *num.* 2. *part.* 2. Se-
10 raph. *deciſ.* 513. *num.* 7. At verò in beneficialibus, & gratioſis literæ ſubreptitiæ ſunt ipſo jure nullæ, *cap. Ad audientiam*, *il* 2. *infrà eodem. Clem.* 1. *de præbend. cap. Si motu proprio, eod. tit. lib.* 6. Abb. hìc *numer.* 6. *verſ. Nam ſcire debes aliam concluſionem.* Et tenent gloſſ. fin. Innoc. & omnes *in d. cap. Ad audientiam*, ut ibi dixi *in ult. not. num.* 20. *& ſeqq.*

11 Secunda regula eſt: ſi ſecundæ literæ faciunt mentionem de primis, valent ſecundæ, & non primæ. Habetur hæc regula in ſecunda parte hujus text. ibi: *Si verò in ſecundis literis*. Et eam ponunt Jo. Andr. & reliqui poſt eum, *in Summ. text. gloſſ. in verb. Judicio*, Innoc. *n.* 6. & alii communiter. Ratio hujus ſecundæ regulæ eſt, quia cùm hoc caſu conſtet de intentione Principis volentis primas literas revocare, & de poteſtate non ſit ambigendum, poſteriores derogant prioribus, *cap. Bonæ*, ibi: *Reſpondemus igitur, quòd poſteriores debent prioribus præjudicium generare*: *de confir. util. vel inutil. c.* 1. *cum ibi not. de conſ. lib.* 6. *l. Pacta noviſſima*, *C. de pactis*.

12 An autem ſecundum reſcriptum faciens mentionem de primo tollat primum ipſo jure, adeò ut proceſſus factus ſuper primo ſit nullus, eſt ardua quæſtio, quam prolixè examinat Abbas hìc *n.* 10. ad eum recurrere.

13 Limita hanc ſecundam regulam, niſi ſecundæ literæ auferant jus tertio quæſitum ex primis literis; quia tunc non valent ſecundæ, etiamſi de primis faciant mentionem, niſi expreſsè in ſecundis fuerit derogatum regulæ Cancellariæ de jure quæſitæ non tollendo, Cardin. Seraph. *dec.* 1082. & & latiùs dicam infra *n.* 18.

14 Tertia eſt regula, & quidem valdè notabilis: non ſufficit ut ſecundæ literæ faciant mentionem de primis, ſed ampliùs requiritur, ut in eis fiat mentio de illarum qualitatibus; quæ ſi fuiſſent expreſſæ, reddidiſſent Principem difficiliorem ad ſecundas literas concedendas. Hæc regula ſimiliter probatur clarè ex tertia parte textus noſtri, ibi: *Verum*. Nam ſi primæ literæ fuerunt impetratæ de communi conſenſu, non valent ſecundæ, quamvis de primis faciant mentionem, niſi etiam in eis exprimatur illa qualitas, quòd primæ fuerint impetratæ de conſenſu partium. Et ita intelligunt hoc cap. gloſſ. *in verb. de commiſſione*, dicens eſſe nullas ſecundas literas, quamvis de prima commiſſione fecerint mentionem, ſi tacuerunt quòd de communi conſenſu fuerit impetrata, Abb. Antiq. *num.* 2. *in verb. Verum*, Hoſt. *num.* 3. *in eod. verb.* Bald. *num.* 14. Abb. Siculus, *num.* 3. Jo. Andr. Bellam. Butr. & omnes in Summ. text. & hanc regulam pluribus confirmat Cardin. *conſ.* 136. *Factum ſic ſe habet: Vacantibus Canonicatu*, *&c. num.* 9. *& conſ.* 142. *Punctus quæſtionis*, *num.* 6. *&* 7. Alex. *conſ.* 111. *Perſpectis literis*, *num.* 2. *lib.* 6. Concordat. *c. Dilectus*, *il* 1. *infrà eod. c. Coram*, *juxta ſecundum intellectum de off. delegat. cap.* 2. ibi: *Quoniam in poſterioribus literis non fuit mentio facta priorum*, *nec in eis*, *&c. de dot. & contumac. c. Inter monaſterium*, ibi. *Tum etiam quoniam de privilegiis Apoſtolicæ Sedis*, *& proceſſu negotii coram primis judicibus nihil in ſecundis literis dicebatur, quod ſi fuiſſet expreſſum, obtinere minimè potuiſſent, de re judic.* cum multi concord.

Ratio hujus tertiæ regulæ eſt, quia omnem tacitum, quo 15
expreſſo Princeps non tam facilè dediſſet literas, reddit reſcriptum ſubreptitium, *cap. Super literis*, *cum materia*, *& cap. Poſtulaſti, infrà eod.* Abb. hìc *num.* 3. *verſ. Ratio eſt*, Caſſad. *dec.* 12. *num.* 14. *de præb.* Rota *dec.* 739. *num.* 1. *par.* 2. *& deciſ.* 670. *nu.* 4. *par.* 4. *rec.* & aliàs paſſim. Quæ quidem ſubreptio licèt in contentioſis non annullet reſcriptum, niſi fuerit exceptum: tamen in beneficialibus, & gratioſis reddit gratiam ipſo jure nullam, ut oſtenſum eſt ſuprà *n.* 10.

Et per hoc aliàs dixi ſecundam gratiam de officio priùs 16
alteri collato cum clauſula *Ad tui vitam*, ab eodem Pontifice factam non valere, cùm in ea non fuiſſet expreſſum, quòd prima ab eodem emanaverat cum illa qualitate, *Ad tui vitam*, de quo ſi Papa recordatus fuiſſet, veriſimiliter ſecundam gratiam vel nullo modo, vel certè non tam facilè conceſſiſſet. Ideòque ſecunda gratia eſt ſubreptitia, ac nulla, & Princeps præſumitur circumventus per ſupradicta, & per text. *in cap. Cum olim*, ibi: *Contra pronuntiationem ſuam contulit*, *ſicut credimus*, *circumventus*, *infra de re judic.* cum ibi not. per Felin. *num.* 2. *verſ. Ideò infert*, *quòd gratia ſecunda*, *& in cap. Conſtitutus*, ibi: (Cum de hoc memoratus P. non feciſſet in ſuis literis mentionem, intelligendum erat circumveniſſe prædeceſſorem noſtrum, & dictas literas veritate tacita impetraſſe,) *infrà hoc titulo*.

Cæterùm adverte, quia hodie non ſufficit, ut in ſe- 17
cunda gratia fiat mentio de prima cum illius qualitatibus; ſed ampliùs requiritur, ut expreſsè, & nominatim derogetur regulæ Cancellariæ 18. *de non tollendo jus quæſitum*: alioquin ſecunda gratia eſt ipſo jure nulla. Hæc concluſio eſt Mohedan. *deciſ.* 7. *per totam*, *maximè nu.* 6. *de reſtitut. ſpol.* ubi reſolvit collationem officii cuſtodis pontis, & portæ Salariæ, factam à Papa cum clauſula, *Non obſtante collatione per nos alteri facta*, nullum præjudicium intuliſſe primo officiali, & obſtare regulam de jure quæſito non tollendo; & allegat Bart. qui idem tenet *in l. Prædia*, *nu.* 2. *C. de locat. prædior. lib.* 11. & Bald. *in auth. Hoc inter liberos num.* 3. *verſ. De clauſula autem*, *C. de teſtam.* concordat Buratt. *deciſ.* 421. *num.* 1. Quinimò non valere ſecundam gratiam de officio priùs alteri ad vitam conceſſo, etiamſi in ea fuerit facta expreſſa, & individua derogatio primæ gratiæ, & intrare prædictam regulam de jure quæſito, cui derogatum non fuerat, tenuit Rota in cauſa Bononien. Portæ Palatii coram Litta, at latiùs dicam infr. *n.* 38.

Neque obſtat, ſi dicas regulam non intrare, ubi conſtat 18
Papam voluiſſe auferre jus alteri quæſitum, quoniam de hoc quæritur an voluerit; & propter proteſtationem in regula appoſitam conſtat nolle, quibuſcumque utatur verbis, & clauſulis, niſi expreſsè deroget regulæ, Sarnen. *in proœm. dictæ regulæ quæſt.* 5. *num.* 3. & fuit dictum in cauſa Burgenſi juris ſepeliendi coram Cæſare de Graſſ. 10. Junii 1575. quæ habetur *in tit. de reſcr. dec.* 9. & ſequitur Seraph. *dec.* 1082. *n.* 6. *&* 7.

Amplia primò hanc concluſionem, ut locum habeat, et- 19
iamſi Papa ex narratis in literis habuerit certam notitiam præjudicii tertii, ut plenè firmavit Rota coram Cæſar. de Graſſ. *in d. dec.* 9. *de reſcr. per tot. & in rec. dec.* 607. *n.* 6. *p.* 3.

Amplia ſecundo in jure quomodolibet quæſito, etiam ex 20
privilegio, Sarnen. *ſuper reg. de non tollen. jus quæſ. quæſt.* 15. *circa fin.* Gozzadin. *conſ.* 14. *num.* 22. Roland. *conſ.* 2. *num.* 23. *lib.* 4. latè Cæſ. de Graſſ. *deciſ.* 1. *per totam*, *de*
verb. ſignificat. Seraph. *d. deciſ.* 1082. *num.* 1. Nam dictio, 21
Quomodolibet, in regula appoſita includit omne jus quantumcumque minimum, *gloſſ. in Clem.* 2. *in verb. Quomodolibet*, *de ſent. excomm.* Pariſ. *conſ.* 50. *n.* 10. *lib.* 1. Seraph. ubi ſupra, *n.* 3.

Am-

22 Amplia tertiò, etiamſi Papa ſecundam gratiam fecerit
motu proprio, & ex certa ſcientia, Mohed. *d. deciſ.7.num.*
1. & 2. de reſtit. ſpoliat. Cæſ.de Graſſ. *d.deciſ. 9. de reſcrip.*
n. 14. nam motus proprius non firmat privilegium contra
jus alterius, ut dixi *in c.Cauſam quæ, n.18.& ſeqq.infr.eod.*
23 Amplia quartò, etiamſi Papa proceſſerit de plenitudine
poteſtatis; nã etſi clauſula, *De poteſtatis plenitudine*, opere-
24 tur in tertii præjudicium, ut voluerunt Pariſ. *conſ. 5. n.91.*
& conſ. 30. num. 46. lib. 4. & Gozzadin. *conſ. 5.num. 26. &*
25 *ſeqq.* tamen hoc non habet locum in terminis regulæ, in
qua proteſtatio tollit conſenſum, & voluntatem ab actu
gerendo, ubi ei non derogatur; & ita nulla poteſt alia for-
mula introduci, per quam poſſit dici conſtare de mente
Papæ, niſi faciat regulæ mentionem. Quæ ſunt formalia
verba Card. Seraph. *in præcitat deciſ.* 1082. *n.* 9. ubi etiam
ſubdit ita deciſum fuiſſe coram Blanchetto in una Mediola-
nenſi fructuum 24. Aprilis 1592. in propriis terminis hujus
regulæ.
26 Amplia quintò etiãſi in gratia ſecunda fuerit generaliter
derogatum conſtitutionibus Apoſtolicis, & regulis Can-
cellariæ in contrarium facientibus, etiam cum clauſula,
Quorum tenores. Nam nihilominus Rota ſemper tenuit hu-
juſmodi generales derogationes non ſufficere, quia regulæ
de jure quæſito non tollendo ſpecialiter, & individuè eſt
derogandum, Put. *deciſ.* 265. *lib.* 2. & fuit dictum in Bo-
nonien. uſusfructus 23. Maji 1625. coram Coccino circa
27 med. *verſ. Aut nititur*, ubi allegantur deciſiones concor-
dantes: & eò magis quia clauſulæ derogatoriæ in litteris
Apoſtolicis ſemper apponi conſueverunt, Put. *dec.* 416. *n.*
4. *lib.* 2. unde ſi clauſulæ generales ſufficerent ad derogan-
dum regulæ, in omni gratia cenſeretur illi derogatum, &
regula redderetur omninò inanis, & eluſoria, *c. Commiſſa,*
de elect. lib. 6.
28 Limita nunc propoſitam concluſ.ut non procedat in gra-
tia ex hujuſmodi natura præjudiciali, & de indubitata con-
cedentis ſcientia, quia in tali gratia non poteſt de ignoran-
tia Papæ, aut ſubreptione dici, ex quo Papa ſcit per eam
tertio præjudicari, propter jus certum, de quo præſumitur
habere notitiam, ut dicit Bald. *in l. fin. num. 9. C. ſenten-*
tiam reſcin. non poſſe; & ideò non requiritur derogatio re-
gulæ, quæ eſt fundata in defectu intentionis, ſed ſufficit
actus contrarius ad removendam priorem voluntatem in
proteſtatione regulæ poſitam, *cap. Sollicitudinem, in fin.*
de appell. cap. Cum acceſſiſſent, & cap. Cum M.Ferrarien-
ſis, de Conſtit.cum ſimilibus, ut per Rotam *de offic. deleg.*
deciſ.15. in fin.& de cauſa poſſ. & propriet. deciſ.6.in nov.s,
& latiſſimè per Felin. *in d. cap. Cum M.n.67.*& ita in plu-
ribus cauſis firmavit Rota, ut coram Card. Seraph.*dec.762.*
n.4.& dec.1445.num.6.& in rec.deciſ.174.n.1. 2. & 3. part.
1.ubi allegantur aliæ deciſiones concordantes, *& dec.607.*
n.4.p.3.& dec.11.n.25. p. 6. & in dicta Bononien. uſusfru-
ctus 23. Maji 1625. *vers. Non obſtat, quòd hæc gratia* co-
ram Coccino.
29 Dicitur autem gratia præjudicialis ex ſui natura, quan-
do pernecceſſariò implicat præjudicium tertii, ita ut ſola
gratia ſecum afferat præjudicium in neceſſariam conſe-
quentiam, & Papa illud agnoſcit ex natura gratiæ, ut dici-
tur in præallegat. deciſionibus, cujus generis ſunt exem-
ptio à decimis, prout loquitur Caſſad.*dec 1. de privil.* Sera-
phin.*dec. 762. nu. 4.* & exemplificant præcitatæ deciſiones.
Item exemptio à juriſdictione Epiſcopi, in quibus terminis
Corn. *conſ. 86. num. 16. lib. 4.* Item commutatio ultimæ
voluntatis, *ut d.deciſ.11.num.25.part. 6.rec.* Item unio,
& erectio, Seraph. *d.dec. 1445. num. 6.* Item ſæcularizatio
Eccleſiæ regularis, *ut d.dec. 174. num. 1. part. 1. rec.* Item
diſmembratio, in d.Bononien. uſusfructus, *verſ. Non ob-*
30 *ſtat, quod hæc gratia.* Nec prædictis refragatur, quòd non
ſufficiat ſcientia Papæ, ſed ulteriùs requiratur derogatio
regulæ, Cæſ. de Graſſ.*d.dec. 3. de reſcr.* & in Cæſarauguſta-
na juriſdictionis 13.Junii 1594. coram Card. Seraph. & di-
ctum eſt ſupra in prima ampliatione: quoniam non loquun-
tur de ſcientia, quæ oritur ex natura ipſius rei, quæ geritur,
ſed ex ſcientia deſumpta ex narratis, circa quæ Papa faci-
liùs potuit circumveniri, quia in narrando poſſunt adeſſe
ſuggeſtiones, quæ dicuntur, tam ſi verum, quàm ſi falſum
narretur, ut dicitur *in d.dec. 3. de reſcr. n. 44.* & ideo benè
requiritur derogatio, quia deficit voluntas Papæ etiamſi
vera narrentur, ne per ſuggeſtiones tollatur jus tertii, ut
dicitur in regula, & in his terminis procedunt deciſiones
in contrarium allegatæ. At ſecus eſt, ubi Papa intelligit
præjudicium ex natura ipſius gratiæ, ut benè *in d.dec.607.*
num.5.p. 3.rec. & in d.Bonon.uſusfructus *d.verſ.Non obſtat*
quòd hæc gratia.
Rurſus gratia, quæ de ſui natura non eſt præjudicialis, 31
non habet tantam repugnantiam cum regula, ſicut ipſamet
gratia præjudicialis. Cùm enim præjudicium in illa ſit ac-
cidentale, ſtante proteſtatione, de qua in regula, dici po-
teſt Papam intellexiſſe gratiam facere, ſi & quatenus ceſſet
præjudicium tertii. Verùm in gratia præjudiciali ex ſui
natura non poteſt cadere hujuſmodi interpretatio, quia ſub-
lato præjudicio ceſſat omninò gratia; & conſequenter cùm
veniant in concurſum proteſtatio, & factum, neceſſe eſt,
ut proteſtatio cedat facto omninò contrario, ex traditis per
Bart. & alios *in l.Non ſolum, §. Morte, ff. de nov.oper.nunc.*
& notatur *in d. dec. 174.n.3.*
Deinde limita eamdem concluſionem in gratia, quæ fit 32
ob publicam utilitatem, in qua derogatio regulæ non re-
quiritur, quia per eam non cenſetur præſervatum jus par-
ticulare in concurſu juris publici, cui cedere debet. Arg. *l.*
Item ſi verberatum, §. 1. ff. De rei vendit. l. Lucius, ff. de evict.
plenè Anton. Gabr. *comm. concl. in titul. de jure quæſit. non*
tollen.concl.2.num.1. & in terminis regulæ tradunt Sarnen.
ſupradict. regula q.19.& dec.penult.lib.2. Anton.Auguſt.*in*
repert. ſuper d.regul.n.8. Rebuff. *ſuper ead. reg. gloſſ.6.n.30.*
in verb. Etiamſi motu proprio, & fuit multoties reſolutum
in Rota, *ut dec.759.n.1. p. 1. diverſ.* quæ loquitur in termi- 33
nis indulti conceſſi pauperibus Collegii S. Jacobi ſuſci-
piendi gratis gradum Doctoratus in Collegio Univerſita-
tis; & fuit conſideratus favor publicus, tum quia literarum
ſtudia ad communem pertinent utilitatem, ut in proœm.
Gregor. *verſ. Ad communem*; tum quia fuit conceſſum mi-
ſerationis cauſa cui renunciari non poteſt, ut Felin. *in cap.* 34
Si diligenti, n.16.de for.compet. Item coram Cardin. Seraph.
dec.762.num.5. ubi dicitur ita fuiſſe reſolutum in Salaman-
tina Privilegiorum 14. Novembris 1539. & in Granaten.
Hoſpitalis 26. Maji 1583. coram Bravo. Item in recent. *dec.*
174.n.7. p. 1. quæ loquitur in ſæcularizatione facta per Pa-
pam ob bonum publicum, & reformationem Eccleſiæ Cæ-
ſarauguſtanæ.
Ex facto quæſitum eſt, A. per literas Apoſtolicas fuit 35
proviſus de officio cum clauſula, ad ſui vitam; & cum dein-
de luminibus orbatur eſſet, de eodem officio per ſimiles li-
teras proviſus fuit B. An ſecundæ gratiæ obſtet regula de
jure quæſito non tollendo?
Videtur reſpondendum obſtare, quia cùm regulariter 36
officia ex ſui natura ſint perpetua, Calderin. *conſ. 3. de*
reſcriptis, Guidopap. *dec. 195. num. 1.* præſertim quan-
do conceduntur ad vitam, ad text. *in lib.1.*& ibi gloſſ. *1. ff.*
Pro ſocio, & notat Abb. *in cap. Cum inter R. in 3. notab. de*
elect. & in cap. Ad noſtram, num. 7. de confirm. util. vel in-
util. primo officiali fuit jus quæſitum in tantum, ut ſine 37
juſta cauſa de poteſtate ordinaria non potuerit amoveri,
ut latiſſimè deducit Bolognett. *conſ.* 2. Roman. *conſ.* 467.
Menoch. *de arbitr.q.55.lib.1.in addit. num. 8.* Carol. Tapia
in l.fin. Cod.de conſtitut. Princip. cap. 9. a num. 73. uſque ad
num. 95. part. 2. Ideòque ſecundæ gratiæ de eodem offi- 38
cio alteri factæ, proculdubio obſtat regula de jure quæſi-
to non tollendo, ut in terminis terminantibus reſolvit
Rota *in Bononien. officii Portæ Palatii 5. Novembris* 1594.
coram Litta, quæ eſt *deciſ. 334. part. 4.diverſ. & concord.*
Mohedan. *deciſ. 7. maximè num. 6. de reſtit. ſpol.* & Buratt.
dec. 421. n. 1.
Cæcitas autem ſuperveniens non eſt juſta cauſa remo- 39
vendi quem ab officio prius obtento, ut *l. ſimia*, ibi:
Non etiam amiſſionis oculorum caſus quæſitum tibi adi- 40
mit honorem, *C. de Decurion. lib.* 10. quem text. ſic ſum-
mat Bart. Qui perdit viſum, non perdit officium, *l.* 1. §.
Quamvis autem, ibi: Cæcus & Senatorium ordinem re- 41
tinet, & judicandi officio fungitur; & infra: Melius eſt,
ut retinere quidem dicamus jam acceptum magiſtratum
poſſe, *ff. de poſtulando, & l.Cæcus, ff. de judiciis.* Sed &
tutor luminibus captus non removetur à tutela, ſed da-
tur illi curator, vel coadjutor, *l. Etiamſi tutor, ff. de au-*
thor.tutor. l.poſt ſuſceptam, ff.de excuſſ. tutor. & l. Solet, &
ibi Bart. *num. 2. & 3.* Bald. *in princ.* & Legiſtæ, *ff. de tu-*
tel.& Canoniſtæ *in cap.fin. de ſupplen. neglig. Prælat. lib. 6.*
ubi

ubi in ſpecie Archid.*n.2.circa fin.verſ. Et quod talis Abbas,* Jo.Andr.*eod.num. verſ. Item tutori longa ægritudine impedito datur curator*, Gemin. *col.2.eod.verſ.* Butr. *n.* 4. Philipp. Prob. ad Monach. *n.* 2.

Quod locum habet etiam in officiis, & dignitatibus Ec-
43 cleſiaſticis, *ut cap. final. infr. de cleric. ægrot.* Nam cum text.ibi decidat non eſſe removendum ab officio Archidiaconum, qui amiſit officium linguæ, gloſſ. ibi dicit idem eſſe, ſi amiſerit officium oculorum, & ſequuntur Hoſtienſ. *in*
44 *princip.*Joan.Andr.*num.*14. Henrich. Boich. *num.*4. Butr.*n.* 19. & Card.*in 2.q.n.* 3. Abb. *in conſ.*45. *per totum, maxime*
45 *num.*3. *lib.* 1. ubi conſuluit electum ad officium, qui eo interim, antequam confirmationem obtineret; evaſit cæcus, debere in eodem officio remanere, illudque per alium exercere, & eum ſequitur Vant. *de nullit. ex defect. juriſd. deleg. n.* 42. & 43. Et generaliter in quocumque officio idipſum probat Bolognett.*dict.conſ.*3.*num.* 12. ubi quòd licèt
46 rectè à principio gratiam, vel officium gratuitum, vel onerosum quis receperit: tamen ſi poſteà perpetuo morbo inhabilis effectus fuerit, non poterit officio privari; ſed ſi officium conceſſum non habeat adminiſtrationem, tunc retinebit honorem, & emolumenta; onus verò deponet: ſin autem adminiſtrationem habeat, inſerviet per ſubſtitutum, & habebit ipſe officium, & ſtipendia ſua, etiamſi eſ-
47 ſet officium requirens induſtriam perſonæ. Et idem repetit *n.* 39. ſubdens ita pulchrè determinare Mayner *in l. Nemo poteſt, n.* 79. *ff. de reg. jur.*

48 Nec prædictis obſtat motivum, quòd cum primus officialis ob ſupervenientem cæcitatem deſierit officium exercere, ne illud publico incommodo ſubjaceret, fuerit eidem datus coadjutor, qui quidem coadjutor poſteà idem officium obtinuit cum emolumentis; &
49 ita hæc ſecunda gratia videatur facta ex cauſa publicæ utilitatis, in qua propterea non requiritur derogatio regulæ de jure quæſito non tollendo, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra in ſecunda limitatione, *numer.* 32.

50 Nam reſpondetur, rationem publicæ utilitatis poſſe tantùm conſiderari, prout hìc fuit conſiderata, in datione coadjutoris, non autem in proviſione officii: & ratio differentiæ eſt, quia gratia coadjutoriæ datur principaliter propter publicam utilitatem, ut ſcilicet per eam ſit conſultum officio, & populo, *cap. Ex parte, in fin. de cler ægrot.* Abb. *in cap. Tua nos, numer.* 4. *eod. tit.* Rota *deciſ.* 114. *num.* 12. *cum ſeqq. part.* 6. *recent.* At verò in proviſione officii hæc ratio eſt impertinens, quia nullum eſt publicum incommodum, quòd officialis infirmus titulum, & habitum officii retineat, dummodò adſit alius, qui illius vices ſuppleat, & onera officii ſupportet, ut per Abb. ubi ſupra. Quam differentiam inter hos duos caſus apertiſſimis verbis conſtituit pater Juris, & organum veritatis Innocentius *in cap. Niſi cum pridem, num.* 4. *in verb. Malitiam, verſ. Nos di-*
51 *cimus, de renunc.* Nam primò ibi firmat, propter malitiam populi, quando ſubeſt periculum deſtructionis Eccleſiæ, Prælatum etiam invitum cogi poſſe ad cedendum Prælaturæ, dummodò detur ei bonum concambium, quia utilitas publica præfertur privatæ. Deindè opponit
52 quòd imo utilitas privata præferatur publicæ, quia furioſi, & alii infirmi ab officio non removentur, *ut cap.* 1. *cap. Quamvis, cap. Qualiter, & cap. Cum percuſſio,* 7. *quæſt.* 1. Et tandem ſolvit per hæc præciſa verba: *Dic quod in cap. prædictis non præfertur privata utilitas publicæ; imo utraque utilitas ibi ſervatur, privata in eo quod infirmus remanet in dignitate, & publica in eo quod infirmo datur coad-*
53 *jutor.* Ita Innocent. quem ibi totidem verbis ſequuntur Hoſtienſ. *num.* 24. Joan. Andr. *numer.* 47. *verſ. Non obſtat, quod infirmi non removentur,* Bellam. *num.* 4. *verſ. Sed oppono,* Butr. *num.* 21. *verſ. Nec obſtat,* Abb.*num.*11. *eodem verſ.* Cardin. in §. *Propter malitiam, num,* 1. *quæſt.* 4. *in fin.* Et hæc eſt ratio, cur in coadjutoria non requiratur derogatio regulæ de jure quæſito non tollendo, nempè quia gratia coadjutoriæ quæ reſpicit favorem publicum, eſt juri communi conformis, & nemini præjudicat, ut dicitur in *d. dec.* 114. *num.* 12. *part.* 6. *recent.*
54 At verò remotio infirmis à quibuſvis beneficiis, vel officiis, eſt contra jus, & utilitatem publicam. Quod clarè deducitur *ex cap. Scripſit,* 7. *quæſt.* 1. ubi ſic legitur, Omninò injuſtum eſt, ut honore ſuo privetur ægrotus; atque ideò hoc per nos fieri nullatenùs poteſt, ne peccatum in mea anima ex ejus depoſitione veniat. Idem dedu- 55
citur *ex cap. Cum percuſſio*, immediatè ſequenti, ibi: *Non debet à nobis addi flagellatis afflictio* (ſcilicet in ſubtractione beneficii) *ne nos culpa, quod abſit, offenſa reſpiciat*, id eſt, ſequatur nos, & arripiat, quia ſi flagellatis addimus afflictionem, peccamus, ut exponunt Archid. & Turrecrem. Unde gloſſ. ibi format caſum in Clerico, qui ob ægritudinem privatus fuerat beneficio, & ſubdit, quòd Gregorius ſuper hoc querela pulſatus præcepit, ut omnia ei reſtituerentur, *quia*, inquit, *ſi pro ægritudine Eccleſia privaretur, & Deus offenderetur, & alii non invenirentur hoc exemplo deterriti qui vellent Eccleſiæ militare*. Hactenus verba gloſſæ. Ex quibus conſtat, tantùm abeſſe, ut ſit favor publicus privare ægrotum, ut potiùs hoc adverſetur publicæ utilitati propter rationem gloſſæ, quæ deſumpta eſt ex *cap.* 1. *de Cler. ægrot.* unde Abb. *ibi in* 3. *notab.* ſic ait: *Exiſtenti in infirmitate, & ſic in impotentia* 56
ſerviendi, non debet ſubtrahi beneficium, ne ex hoc turbetur ſtatus Eccleſiæ, Et ſimiliter Roman. *conſ.* 467. *numer.* 7. *verſ. Quartò*, per text. in *d. cap.* 1. dicit remotionem officialis ſine culpa tendere non ad conſervationem, & bonum ſtatum officii, ſed potius ad ejus ſubverſionem, eo conſiderato, quòd difficulter reperiretur, qui hoc officium ſubiret regiminis. Ad idem eſt text. *in cap. Grandi, de ſupplenda negligentia Prælat. lib.* 6. ubi Regi Portugalliæ inhabili Papa dat coadjutorem perpetuum ob publicam Regni utilitatem, & tamen per hoc non cenſetur voluiſſe Regnum à Rege abdicare, ſed tantùm publicæ utilitati conſulere per deputationem adminiſtratoris, ut ibi deciditur *in verſ. Per hoc autem*. Ac demum in quocumque officio idem deducitur *ex cap. Satis perverſum*, 56. 57
diſtinct. ubi dicitur: Satis perverſum, & contra Eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, ut quis privetur, quem ſua culpa, vel facinus ab officii, quo fungitur, gradu non dejicit. Et tam in officiis, quàm in beneficiis formant ibi caſum gloſſ. Archidiacon. & Turrecrem. & per illum text. Rebuff. *in tract. nominat. quæſt.* 21. *num.* 65. dicit perverſum eſſe, ut ſine culpa quis privetur per Papam ſuis officiis, vel beneficiis, & eodem modo Roman. *dicto conſ.* 467. *num.* 1. per illum text. dicit ſatis perverſum, & conſequenter iniquum eſſe, ut Rector hoſpitalis ſine culpa ab officio removeatur, & eum ſequitur Menoch. *de arbitr. quæſt.* 55. *lib.* 1. *in addit. num.* 8. & in terminis noſtris Abb. 58
conſ. 47. *num.* 3. *lib.* 1. dicit eſſe contra dictum *cap. Satis perverſum*, ut electus ad officium civile, & nondum confirmatus removeatur ab officio ex cauſa ſupervenientis cæcitatis, ne addatur afflictis afflictio, & ſine culpa ſua quis privetur jure ſuo, cum ſit potius cæcis miseren- 59
dum, & eis de novo ſubveniendum *ut cap. Licet, de cenſibus*. Hæc Abb. quem ſequitur Vant. *de nullit. ex defect. juriſd. deleg. num.* 42. & 43. Quinimò Petr. de 60
Anchar. *in. conſ.* 188. *num.* 7. plenè conſuluit, nec perpetuam dementiam, ex qua officialis redditur prorſus inhabilis, eſſe juſtam cauſam removendi eum ab officio, ſed ſolum dandi coadjutorem, & loquitur in Generali Humiliatorum, amoto per Papam ex cauſa dementiæ ab officio Generalatus.

Et ex his patet, cauſam publici incommodi jure optimo 61
fuiſſe prætermiſſam in ſecunda gratia proviſionis officii, quia cum ex ea induceretur privatio officialis, hujuſmodi privationi, quæ juri communi, & favori publico adverſatur, talis cauſa adaptari non poteſt. Quo fit, ut eadem cauſa expreſſa in coadjutoria nequaquam poſſit cenſeri repetita in proviſione officii, quia talis repetitio numquam fieri intelligitur in eadem oratione, quando ex illa reſultat aliquid exorbitans à jure communi, & contra jus tertio quæſitum, ut optimè deducit Ruin. *conſ.* 123. *nu.* 12. *vol.* 3.

Rurſus non obſtat aliud motivum, quòd officialis fa- 62
ctus inhabilis propter ægritudinem removeri poſſit de poteſtate ordinaria (& ſic abſque derogatione regulæ de jure quæſito non tollendo) quando officium datur principaliter non propter dignitatem, ſed propter exercitium, 63
ut in hoc caſu ex Alciato *de præſumpt. regul.* 3. *præſumpt.* 19. *num.* 7. qui hoc firmat per text. *in l. Si quos judices, C. de offic. Præſ. Prat. orien.* ubi judices propter adverſum, & lon-

longinquam corporis valetudinem inutiles ab adminiſtra-
tione removeantur, & vice eorum alii ſubrogantur: & in
64 *l. Si longius, ff. de judiciis*, ubi judex datus mutari jubetur,
ſi propter infirmitatem diù fuerit impeditus.
65 Nam ad prædictas leges, & conſequenter ad hanc do-
ctrinam Alciati primo loco reſpondet Hugo *in cap. Si quis*
Abbas, 18. *quæſt.* 2. & poſt eum Archidiac. *in cap. fin. nu-*
mer. 2. *verſ. Item pro illorum ſententia, de ſupplen. neglig.*
Prælatorum, libr. 6. & Turrecrem. *in c. Scripſit, art.* 1.
in reſponſionem ad primum, & ſecundum argum. His habi-
tis, 7. *q.* 1. per hæc præciſa verba videlicet, quòd leges ta-
les loquuntur de honore temporali; Canones verò de ſpi-
rituali, & perpetuo; & alia eſt in ſæcularibus cauſis, alia
66 in divinis: & leges debent imitari Canones, & non è con-
verſo. Hæc ex illis. Quamobrem cum officium, de quo
agitur, ſit perpetuum, adminiſtrationemque in foro con-
ſcientiæ, & ordinem ſacrum habeat annexum: conſequens
eſt, ut in remotione ab hujuſmodi officio non ſint ſervandæ
illæ leges, ſed ſacri Canones, qui officialibus infirmis da-
ri jubent coadjutores, ut *de Cler. ægrot. per tot. & c. Unico,*
eod. tit. lib. 6.
67 Præterea, ut ſubdit Turrecr. *ubi ſup.* dictæ leges habent
alias contrarias leges, in quibus continetur, quod propter
furorem vel cæcitatem ſupervenientem judex, vel magi-
ſtratus non debet removeri, *ut ff. de ſtat. hom. l. Qui fure-*
re, & ff. de poſtul. l. 1. §. *Quamvis autem, & ff. de judiciis,*
l. Cæcus.
68 Deinde reſpondetur, doctrinam Alciati, & per eum ci-
tatas leges intelligi debere in officiali, qui ex propria cul-
pa in morbum incidit; non autem in eo, qui ſine culpa ſua
factus eſt inutilis, quia talis non removetur, ſed datur illi
coadjutor; & ita declarat Archid. *in d. c. fin. n.* 2. *verſ. Poteſt*
dici, & poſt eum Jo. And. *ibid. n.* 1. *verſ. Ad quæ*, & Butr.
n. 2. *in fin. verſ. Quia id verum*, Magneſ. *in l. Nemo poteſt*,
n. 80. *ff. de reg. jur.* licèt ſecundùm Canones infirmitas excu-
ſet à privatione tituli, & emolumentorum, etiamſi ex pro-
69 pria culpa provenerit, Covar. *l.* 3. *var. reſ. c.* 13. *n.* 8. & ſcri-
pſi in *c. Ut Abbates, n.* 36. *de ætat. & qualit.* & in *c. Licet,*
n. 147. *de præb.*
70 Tertio loco reſponderi poteſt, tex. *in d. l. Si quos judices,*
C. de off. Præf. Præt. orien. non loqui de remotione judicum
inutilium ab officio, ſed ab adminiſtratione, ut verba ipſa
ſonant, & dum ſubjungit: Et eorum vice alii ſubrogentur
hoc ſimiliter exponi debent retento eo [illegible] themate, ſcilicet
in adminiſtratione, prout ſimilia verba in his terminis ex-
ponit Abb. *in c. Tua nos, n.* 4. *de Cler. ægrot.* & ante eum
Archid. *in d. c. c. fin. n.* 2. *verſ. Si tamen benè advertas de ſup-*
plen. neglig. Prælat. lib. 6 Text. verò in *d. l. Si longius, ff. de*
71 *jud.* loquitur in judice delegato, cujus juriſdictio de facili
72 per ordinarium judicem eum delegantem revocatur, cum
judicium ſolvatur vetante eo, qui juſſit judicare, ut *l. Ju-*
dicium, ff. de judic. & quòd de tali judice loquatur, clarè
colligitur ex verb. ibi poſito, *Datus*, quod exponitur, id
eſt, delegatus, *ut l. Judex, & l. A judic. ff. eod.* ſecundùm Ar-
chidiac. *loco citato, verſ. Sed poſſet reſponderi*, quod lex, *ſi*
longius.
73 Quarto loco reſponderi poſt Alciati doctrinam confundi
ex eo, quòd ſecundùm leges tutor nullam habet dignitatem
ſed datur principaliter propter adminiſtrationem, *l.* 1. *ff. de*
tutel. & adminiſtr. tut. per tot. & tamen tutor factus inutilis
propter adverſam valetudinem non removetur, ſed datur
ei coadjutor, ut *l. Solet, ff. de tutel.* & latius dictum eſt
74 ſupr. *nu.* 42. & ſecundùm Canones etiam Epiſcopatus da-
tur principaliter propter exercitium, cum ſit nomen one-
ris, non honoris, ut dicitur in *c. Qui Epiſcopatum*, 8. *q.*
1. & officium Parochi ſimiliter datur principali propter e-
xercitium curæ animarum, *c. Quia nonnulli, de Cler. non*
reſid. & generaliter, quodcumque beneficium datur prin-
75 cipaliter propter officium, *fin. de reſcr. lib.* 6. & tamen nec
Epiſcopi, nec Parochi, nec ſimplices beneficiati propter
morbum incurabilem à ſuis beneficiis removeri poſſunt, ſed
eis coadjutores adjungi debent, *c. Scripſit, c. Quamvis,*
c. Petiiſti, 7. *q.* 1. & *de Cler. ægrot. per tot. & c. Unic. eod.*
tit. lib. 6. & latius oſtenſum eſt ſupra *num.* 44. 45. & *ſeqq.*
Quare idem prorſus dicendum in officio, de quo agitur,
quod cùm ſit perpetuum, & collativum, & annexum ha-
beat ordinem ſacrum, regulatur per omnia ut beneficium
Eccleſiaſticum, ſecundùm Sarnen. *in reg. de infirm. q.* 22.

verſ. Aut loquimur de officio, & ante eum Federic. de Sen.
conſ. 20. *in civitate Peruſii, num.* 3. *verſ. Sed quod de offi-*
cio Pœnit.
Imò difficiliùs removetur quis ab officio perpetuo, 77
quàm à beneficio, ut latè probat Bologn. *d. conſ.* 3. *nu.* 125.
& 131.
Quintò loco reſpond. eamdem Alciati doctrinam non ap- 78
plicari caſui noſtro, quia ex antiqua obſervantia, & ſtylo
officiales Collegii, de quo agitur, legitimè impediti etiam
per ſenium, & inhabilitatem perpetuam, officiorum ſuo-
rum titulos indifferenter retinuerunt, inſervientes per ſub-
ſtitutum, ſibique emolumenta perceperunt. Qui quidem
ſtylus eſt conformis Bullæ S. Pii V. 83. §. 12. & conſonat
etiam cum obſervantia aliorum collegiorum. Nam ut o-
mittamus ſacræ Rotæ Auditores, idipſum ſervatur in Ad-
vocatis Conſiſtorialibus, & in Cantoribus Capellæ Ponti-
ficiæ, qui licèt conſtituantur principaliter propter exerci- 79
tium, tamen ob ſupervenientem ægritudinem, vel ſenium
non removentur, ut eſt notorium, & in Cantoribus con-
ſtat ex Bulla Sixti V. 38. *In ſuprema.*
Ultimò, aliis omiſſis, ad Alciati doctrinam reſpondetur,
præcitatas leges non habere locum in officiali cæco, quia
cùm generaliter ſtatuant, ut officiales propter morbum
inutiles removeantur, & in cæco ſpecialiter ſit cautum,
ut judicantis officio fungatur, retineatque magiſtratum
priùs acceptum, ut *d. l. Cæcus, ff. de judic. & l. Prima*, §.
Quamvis autem, ff. de poſtul. intelligi debent de aliis infir- 80
mis, non autem de cæcis; quia lex generalis poſterior non
tollit legem ſpecialiter loquentem, Dyn. *conſ.* 27. *num.* 3.
verſ. Item ex hoc reſultat, Bart. *in l. Hujus, in fin. ff. ad*
Turpil. & alii apud Ant. Gabr. *commun. concl. tit. De legi-*
bus, concluſ. 1. *num.* 6. & 10. Sed potiùs diſtinguitur, &
limitatur per leges antiquas, ne videatur illas corrigere,
Caſtill. *conſ.* 10. *In facto ſupponitur, nu.* 5. *verſ. Ad teſta-*
mentum, ubi dicit omnes DD. ita tenere, & eò magis,
quia cùm leges prædictæ loquantur de officiali inutili, hæc
verba non adaptantur cæco, & conſequenter nec illorum
diſpoſitio. *l.* 4. §. *Toties, ff. De damn. infect.* Nam cæcus 81
non poteſt dici inutilis ad officium, vel magiſtratum quan-
doquidem aut conſideramus titulum, & habitum ipſius
officii: & hoc reſpectu plenum eſt nec in cæco, nec in
quovis alio infirmo ullam reperiri inhabilitatem. Et in
hoc concordant gloſ. 1. Bart. Bald. Angel. & omnes in *d. l.*
Cæcus, ff. De judic. & Gloſſ. 1. & communiter Canoniſtæ
in *c. fin. de Cler. ægrot.* & optimè probat Bolognet. *d. conſ.*
3. *num.* 33. Aut conſideramus uſum, & exercitium offi- 82
cii: & hoc reſpectu ſimiliter planum eſt cæcum nullatenùs
eſſe inutilem ad ea, quæ conſilio implenda ſunt, *ut l.* 1. *C.*
Qui morb. ſe excuſ. lib. 10. & in *l.* 2. §. *Corporis debilitas,*
ff. De vacat. muner. unde ait gloſſ. *in d. l.* 1. *in verb. Perſo-*
nalium, cæcus à conſilio, vel patrocinio non excuſatur,
quia ingenio pollet, cui vim natura negavit. Imò ſi ſit ſa- 83
piens, compelli poterit ire ad Concilium, & conſulere,
ſecundùm Jo. de Anan. *in c. Licet, n.* 4. *infra de cenſibus*:
& S. Congregatio Concilii jam declaravit, ex cæcitate ſu- 84
perveniente quem non privari voto, quòd alias haberet, ſi
cæcus non eſſet. Et quamvis nudum, & rude miniſterium 85
legendi, ſcribendique, quod magis corpore, quàm ingenio
expletur, cæcus per ſeipſum præſtare nequeat; tamen po-
teſt illud adimplere per ſubſtitutum, exemplo judicis cæci,
qui ſcribit, ac legit ſententiam per alium, Bald. in *l. fin. n.*
4. *verſ. Sed pone, C. De ſent. ex pericul. recitand.* Bart. Bald.
& Ang. *in d. l. Cæcus, ff. de judic.* Luc. de Pen. *in d. l.* 1. *n.* 8.
& 9. *C. Qui morb. ſe excuſ. lib.* 10. Nec propterea dici, aut
cenſeri poteſt inhabilis, ut in fortioribus terminis latè de-
ducit Bolognett. *d. conſ.* 3. *n.* 35. ubi pluribus oſtendit in-
fantem nec reſpectu exercitii poſſe dici inhabilem ad offi-
cium ſibi delatum, ea potiſſimum ratione, quia à lege da-
tum fuit remedium, ut per alium adminiſtret, & qui per
alium facit, per ſeipſum facere videtur. Et ideò tamquam in-
habilis non poteſt officio privari, quia is, qui à lege habili-
tatus eſt, non poteſt dici, nec reputari inhabilis: ut latiùs
per eum. Confert tex. in *c. Ad audientiam*, & ibi bona gloſ.
in verb. Infirmitas, de Cler. non reſid. & Gloſſ. *ult. in c.* 1. *de*
Cler. ægrot. Quòd ſi hoc eſt in infante, qui prorſus caret uſu
rationis, multò fortiùs obtinebit in cæco, cui vis intelle- 86
ctus & ingenii perſpicacior eſt, ut gl. in *d. l.* 1. *Cod. Qui*
morb. ſe excuſ. lib. 10. ſatis enim eſt, ut oculis intellectus cer-

nat, ac judicio ſuo, quid agendum determinet, cùm munus judicandi magis conſilio prudentis viri, quàm corpore explendum ſit, ut ait Vant. *de nullit. ex defect. juriſd. deleg. n.* 43. Qua de re plura exempla congerit Tiraq. *de jur. primog. q.* 21. *n.* 15. *tom.* 1. & curioſum exemplum ponit Joan. de Anan. poſt Ant. de Butr. *in c. Licèt num.* 3. & 4. *infra de cenſib.*

Et ita pronuntiatum fuit ſub die 11. Junii 1649. in cauſa Romana Correctoris ſacræ Pœnitentiariæ per Eminentiſſimos DD. S.R.E. Cardinales Lantem, Quevam, & Cherubinum judices delegatos appellat. remota: & ſententia fuit executioni demandata vigore ſpecialis commiſſionis Sanctiſſimi mandati expediti ſub die 11. Auguſti immediatè ſequentis.

DE RESCRIPTIS.

Idem Alexander III. Eboracen. Archiepiſcopo.

CAPUT IV.

INter cæteras conſultationes tuas fuit propoſitum coram nobis, quid tenere debeas, cùm aliqua ſub disjunctione mandantur, quorum unum verum eſt, alterum falſum: ut puta ſi proponatur, quòd ſi talis ſit ſacerdotis filius, & in ſacerdotio genitus, qui proximè in tali Eccleſia miniſtravit, vel quòd illicitè Eccleſiam occupavit eamdem. Huic ergo quæſtioni taliter reſpondemus (judici quodcumque iſtorum conſtiterit) illi prælibatam Eccleſiam adjudicari debere. Et idem in ſimilibus obſervandum eſt.

SUMMARIUM.

1 *REſcriptum impetranti ſufficit alterum probare ex disjunctivè narratis.*
2 *Alternativa ut verificetur, ſatis eſt alteram partem eſſe veram.*
3 *Clericus beneficiatus gaudet privilegio fori, licèt clericalem habitum, & tonſuram non deferat, & Eccleſiæ non inſerviat.*
4 *Alternativa diſpoſitio unum in effectu continet, ibidem.*
Alternativè petens non dicitur præcisè alterum petere.
5 *Jurans non venire contra contractum an ſit perjurus, ſi petat pretium ſuppleri, vel contractum reſcindi.*
6 *Prohibitum ſimpliciter an ſit etiam prohibitum alternativè, & n.* 9.
7 *Alternativa ambiguitatem, & obſcuritatem inducit.*
8 *Juramentum poteſt remitti ab eo, in cujus favorem eſt juramentum.*
Alternativa petitio pendet à voluntate debitoris, cujus eſt electio, ibid.
9 *Alternativa poſita inter perſonas reſolvitur in conjunctivam, & requirit concurſum utriuſque copulati.*
10 *Alternativa negativa ut verificetur, an ſufficiat alterum non factum eſſe; an verò requiratur, ut neutrum ſit factum.*
11 *Dictiones,* Vel, & Aut, *ſunt propriè, & ſimpliciter alternativæ, quæ verba, & ſenſum disjungunt.*
12 *Dictiones,* Seu, & Sive, *non ſunt alternativæ propriè, & ſimpliciter, ſed habent naturam mixtam.*
13 *Et ſunt indifferentes ad disjunctivam, & conjunctivam.*
Contrarium, n. 21.
Declaratur, n. 34. & *ſeqq.*
14 *In diſpoſitione favorabili, ut in legatis, ſtant ampliativè, in non favorabili, ut in contractibus, ſtant disjunctivè.*
Contrarium, n. 17.
15 *Intellectus, l. Si quis ita legaverit, ff. de aur. & arg. leg. & n.* 17. 24. & 27.
16 *Legatum pecuniæ, quæ habetur Peruſii, ſeu Paduæ, an comprehendat, utramque, & n.* 24.
Et quid ſi loco dictionis, Seu, *poſita ſit dictio,* Vel, *num.* 34.
17 *Dictio,* Seu, *ex ſui natura eſt augmentativa.*
Contrarium, n. 21.
18 *Interpretatio lata ſit etiam in odioſis, quatenùs patitur verborum proprietas.*
19 *Interpretatio ſtricta ſit in legatis, ut minùs gravetur hæres quàm fieri poſſit.*
20 *Intellectus l. In teſtamentis, ff. de reg. jur.*
21 *Dictio,* Seu, *regulariter eſt disjunctiva,* Sive *alternativa.*
22 *Legato equo albo, ſeu nigro, alter tantùm debetur.*
23 *Dictio,* Sive, *propriè importat alternativam,* Seu, *disjunctivam.*
24 *Dictio,* Seu, *juncta cum relativo auget diſpoſitionem.*
25 *Legatis libris impreſſis, ſeu manuſcriptis, debentur omnes.*
26 *Participium reſolvitur in ſuum verbum cum relativo.*
27 *Dictiones,* Seu, & Sive, *quando ponuntur inter illa, quæ habent conformitatem, & convenientiam, ſtant ampliativè.*
Inter ſynonyma ſtant expoſitivè pro, Ideſt, *n.* 30.
Inter genus, & ſpeciem ſtant conjunctivè, ſeu expoſitivè, n. 31.
28 *Portus. De Portu idem judicatur, quod de Urbe.*
29 *Legatum digeſti veteris, ſeu infortiati, utrumque comprehendit.*
32 *Dictiones,* Seu, & Sive, *ad vitandum abſurdum quamvis verba disjungant, ſenſum tamen conjungunt.*
33 *Augent, disjungunt, & exponunt, prout ſuadet mens diſponentis, & ſubjecta materia, & n. ſeqq.*
34 *Habent ſymbolum cum conjuncta, in quam faciliùs tranſeunt, quàm dictiones,* Aut & Vel.
35 *Falſitas, vel ſubreptio in uno ex disjunctivè narratis non vitiat reſcriptum.*
36 *Filius ſacerdotis non concluditur in ſacerdotio genitus.*
37 *Joannis Andreæ pater quis fuerit.*
38 *Filius ſacerdotis non excluditur à beneficio, niſi probetur genitus poſt ordinem ſacrum.*
39 *Fallit, ſi agatur de beneficio paterno.*
40 *Item fallit in Eccleſia Orientali.*
41 *Obligatus ad duo alternativè, poteſt præſtare, quod maluerit, ut liberationem conſequatur.*
42 *In alternativis electio regulariter eſt debitoris.*
43 *Fallit in legatis alternativis, quorum electio in dubio eſt legatarii.*
44 *Item fallit in pœnis alternativè appoſitis, quarum electio eſt judicis, non rei, niſi in caſibus, &c.*
45 *Examinatores Synodales an ſint neceſſariò eligendi Magiſtri, Doctores, aut Licentiati, an verò ſit in optione Epiſcopi eligere alios clericos his qualitatibus carentes, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

46 *Al-*

46 *Alternativa regulariter eſt electionis, non ordinis.*

47 *Fallit, ſi ſit poſita inter diverſas perſonas, & in primò nominatis ſubſit major ratio.*

48 *Disjuncta poſita inter perſonas, inter quas cadit affectio ordinata non reſolvitur in conjunctam.*

49 *Vicarius Capituli Sede vacante non poteſt eligi non Doctor, aut Licentiatus, niſi in defectum aliorum his qualitatibus præditorum.*

50 *Regulares non graduati an poſſint eligi in Examinatores Synodales exiſtentibus graduatis.*

51 *Regulares deputari non poſſunt Judices Synodales, aut Conſervatores, niſi habentes qualitates requiſitas.*

52 *Qualitates actu requiſitæ debent actu concurrere, nec ſufficit aptitudo.*

53 *Dictio*, Etiam, *implicat cauſam magis dubitabilem.*

54 *Concurſus habitus coram Examinatoribus non Magiſtris, ſeu Doctoribus, aut Licentiatis in Theologia, vel jure Canonico, non eſt nullus.*

55 *Doctor ignarus perinde ac nullus.*

1 I*Nter cæteras*. Ex disjunctivè narratis in reſcripto ſufficit impetranti alterum probare. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. & DD. communiter. Vel clariùs ſecundùm Abbatem: Si Papa mandat in reſcripto de duobus inquiri alternativè ad certum effectum conſequendum, ſufficit alterum probari. Communis diviſio. Conſultatio, & reſponſio. Secunda ibi, *Huic*. Et prima pars ſubdividitur. Nam primò ponitur quæſtio. Secundò declaratio, ibi, *Puta*.

2 Nota primò, ad verificationem disjunctivæ, ſeu alternativæ ſufficere alteram partem eſſe veram. Et ad hoc quotidie allegatur hæc Decretalis, concordat *cap. In alternativis, de regul. jur. lib. 6. l. Si quis ita ſtipulatus fuerit, & leg.*
3 *Si quis ita ſtipuletur, ff. de verborum obligatione*. Hinc cenſuit S. Congregatio Concilii Clericum beneficiatum fori privilegio gaudere, licèt careat requiſitis habitus, & tonſuræ clericalis, & ſervitii Eccleſiæ, quia Trident. Concilii decretum *in cap. 6. ſeſſ.* 23 loquitur alternativè, ibi: *Niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat*. Et ſic ſufficit alteram partem alternativè verificari per regulam hujus Decretalis. In alternativa enim diſpoſitione unum in effectu continetur, *l. Cùm illud, ff. quan. dies leg. ced. leg. Si illud*, ubi Bald. *ff. de legat.*
4 2. Unde qui alternativè petit, non dicitur præcisè alterum petere, §. *Huic autem, inſtitut. de action.* Et hìc notat
5 Dec. *in 3. notab.* qui propterea *num.* 23. infert videri dubitabile dictum Baldi *in l. Quæ ſub conditione*, §. *Si quis, ff. de condit. inſtitut.* quem hìc refert, & ſequitur Felin. *ad fin. verſ. Et memento in æternum*, videlicet, quòd qui juravit, non venire contra contractum; poteſt nihilominùs petere, ut pretium ſibi ſuppleatur, in quo fuit deceptus.
6 Sed ſi peteret alternativè pretium ſuppleri, vel contractum reſcindi, eſſet perjurus; quia illud, quod eſt ſimpliciter prohibitum, eſt etiam prohibitum alternativè. Et idem dixerunt Cyn. & Angel. *in l. 2. in 9. quæſtione, Cod. de re-*
7 *ſcind. vendit.* Hoc inquam dictum ſecundùm Dec. non videtur verum; tum quia, ut prædixi, petens alternativè, non dicitur præcisè alterum petere: imò alternativa ambiguitatem, & obſcuritatem inducit, ut eſt textus *in leg. Prætor edixit*, §. *Quod autem, ff. de injur. in leg. Ubi au-*
8 *tem*, §. *Quid, ff. de verborum obligatione*, & notat Bart. *in l. Stipulationes non dividuntur, in ultima quæſtione, ff. eodem*; tum quia, qui petit alternativè pretium ſuppleri, vel contractum reſcindi, non videtur venire contra promiſſionem, quia quamvis ſimpliciter, & abſolutè promiſerit non contravenire: hoc tamen intelligi debet contra voluntatem ejus, in cujus favorem juravit; alioquin eo volente, benè poteſt contractus reſcindi; cum ipſe juramentum ſibi præſtitum remittere poſſit, *cap. 2. de ſponſal.* Oldrad. *conſ.* 241. *Factum tale in fine, verſ. Tertio quid plus*. Et eſt communis opinio, ut teſtatur Raphael Fulgoſ. *conſil.* 39. *Ad primum, in princ.* & Alexan. *conſ.* 125. *Viſis, & conſideratis, num. 2. verſ. Secundo quia juramentum, lib. 1.* & pleniùs *conſ. 59. Viſo inſtrumento, in princ. lib. 1. & n. 7. verſ. Non obſtat tertium*. Quamobrem petitio alternativa, quæ in effectu pendet à voluntate debitoris, cujus eſt electio, *l. Plerumque in fine, ff. de jur. dot. & Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.* *d. reg. In alternativis*, non videtur eſſe prohibita. Nec verum eſt, quod prohibetur ſimpliciter cenſeri etiam prohibitum alternativè: nam in contrarium eſt caſus *in l. Adigere*, §. *1. ff. de jure patr. & in l. fin.* §. *Is qui, ff. Qui, & à quibus.* Et eſt gl. *in c. Multorum in ver. Aut certe*, 27. *q.* 2. Prædicta 9
autem regula, videlicet in alternativis ſatis eſſe alteram partem eſſe veram, tres recipit declarationes.

Primò enim declaratur, ſeu reſtringitur, ut non procedat in alternativa, quæ ponitur inter perſonas, quia tunc reſolvitur in copulativam, & ſic requiritur concurſus utriuſque copulati textus eſt *in l. Cùm quidam, C. de verbor. ſignific.* Unde ſi teſtator inſtituat hæredem Titium, aut Sejum, ambo erunt hæredes, ut ibi eſt caſus. Et ſimiliter ſi Papa conferat beneficium Titio, aut Sejo, utrique debetur beneficium, & uno recuſante, accreſcit alteri; & dictio, *Vel*, eodem modo tunc ponitur copulativè. Ita notabiliter per *d. l. Cùm quidam*, reſolvunt Archid. & Gem. *in c. Paſtoralis 7. q. 1.* & ſequitur Felin. *hìc n. 16. verſ. Fallit primò*,

Cæterùm hæc declaratio recipit octo notabiles ſublimitationes, quas ponit Jaſ. *in d. l. Cùm quidam*, ad quem remiſiſſe ſufficiat.

Secundò, prædicta regula declaratur procedere, ſi alter- 10
nativa concipiatur per verba affirmativa, ut in exemplo hìc poſito in littera, & *in l. Plerumque, in fine, ff. de jur. dot.* Secus ſi per verba negativa, quia oportet, ut neutrum contingat. Textus eſt *in d. l. Si quis ita ſtipulatus, in fine, ff. de verbor. obligat.* ubi ſi promittis te daturum, ſi navis non venerit, aut Titius conſul factus non fuerit, adhoc ut non tenearis, requiritur, utrumque non factum eſſe. Ad idem textus *in l. Si is qui ducenta*, §. *Utrum, ff. de reb. dub.* ubi ſi ſic concipiatur ſtipulatio, ſi illud, aut illud factum non erit, oportet, ut neutrum factum ſit. Et tenent hìc Card. *n. 4. in prima oppoſ.* & Abb. *in 3. not. n.* 2. Idem tenet Ang. *in d. l. Si quis ita*, & Marian. Socc. *conſ. 52. Ut veram col. penult.* relatus hìc à Dec. *n.* 26.

Contrarium tenet Imol. hìc, *& in leg. Si quis ita ſtipuletur*, ubi Alex. *ff. de verb. oblig.* quia ſive ſermo ſit affirmativus, ſive negativus, diſpoſitio effectum habet verificata altera parte, ut *in d. leg. Si quis ita ſtipulatus*. Et eſt ex mente Dyni *in d. regul. In alternativis, verſ. ad ſecundam partem oppono*, ubi dicit eſſe differentiam inter alternativam affirmativam, & alternativam negativam, quia in affirmativa ſufficit alterum fieri, in negativa oportet alterum non fieri; tamen idem eſſe in utraque, ſi conſideretur effectus, quia in affirmativa ſufficit alterum affirmativè, in negativa ſufficit alterum negativè. Tu diſtingue. Aut quæritur, an in alternativa negativa ſufficiat alterum adimpleri quoad effectum, ut committatur ſtipulatio; & concluſio ſit non eſſe differentiam, an alternativa affirmativè, vel negativè concipiatur: quia utroque caſu, ſi alterum verificetur, committitur ſtipulatio, ut in exemplo proximè relato. Et in hoc primo caſu loquitur Dyn. ubi ſupra. Aut quæritur, an ſufficiat alterum adimpleri quoad effectum, ut ſtipulatio non committatur; & concludendum eſt non ſufficere, ſed oportere, ut neutrum fiat. Unde in exemplo, de quo ſupra, promitto decem, ſi navis non venerit, aut Titius conſul non fuerit: ſi neutrum contingat, non committitur ſtipulatio, nec ſum obligatus. Ita in effectu diſtinguunt hìc Felin. *n. 16. verſ. Fallit quarto*, & Dec. *n.* 26. qui propterea dicunt cavendum eſſe ab Abbate, dum in ſuo exemplo, videlicet, Dabo decem, ſi Imperator non venerit in Italiam, vel filius mihi non naſcatur, dixit, Non ſum obligatus, ſi alterum accidat; debuit enim dicere, ſi neutrum accidat. Et hoc ſic declaratur, quia ſi alterum fiat ex alternativis, ſtipulatio committitur, ut dictum eſt. Ergo à contrario ſenſu, ſi alterum non fiat, non committitur ſtipulatio. Et ut verum ſit hoc, id eſt, alterum non factum eſſe, neceſſe eſt, ut neutrum fiat. Et ita ad hoc ut non oriatur obligatio copulativè requiritur, ut neutrum fiat. Sed certè Abbas in meo codice non dicit illud, ad quod eum allegant Felin. & Dec. videlicet, Non ſum obligatus, ſi alterum accidat: ſed dicit, Non ſum obligatus, ſi neutrum iſtorum accidat. Et ita concordat cum ipſis.

Adverte tamen, quia hæc diſtinctio procedit, ſi alternativa concepta verbis negativis ſit poſita in conditione, ut in exemplo ſuperiùs poſito, Dabo decem, ſi navis non

venerit, aut Titius conſul factus non fuerit; tunc enim
ad hoc ut ſim obligatus, ſufficit, ut alterum fiat; & ad hoc
ut non ſim obligatus, requiritur, ut neutrum fiat. At ſe-
cus eſt, ſi alternativa negativa proferatur purè, & ſimpli-
citer, verbi gratia: Promitto contractum non reſcinde-
re, aut pretii ſupplementum non petere: tunc enim non
ſufficit, ut unum non faciam, ſed teneor neutrum facere.
Quod breviter, & dilucidè explicat Jo. Andr. in *d.c.c. In
alternativis, in princ. de reg. jur. lib. 6. in mercur.* Intellige,
inquit, regulam de qua ibi, de alternativis affirmativis; in
negativis enim requiritur, ut neutrum fiat, *l. Si quis ita, ff.
de verb. oblig.* ſecundùm Dynum. Declarò, quia ſicut af-
firmativa vult alterum fieri; negativa vult alterum non fie-
ri, & ſic neutrum fieri. Et ſequitur Philipp. Franc. *n.* 1. *in* 2.
not. Quamobrem lapſi ſunt DD. qui abſolutè dixerunt non
eſſe differentiam inter alternativam affirmativam, & nega-
tivam. Imò enim, qui promittit hoc, vel illud facere, ſa-
tis eſt, ut alterum faciat. At qui promittit hoc, vel illud
non facere, non ſufficit, ut non faciat unum, ſed tenetur
utrumque non facere.
11 Tertiò, prædicta regula, id eſt, in alternativis ſufficere
alterum adimpleri, declaratur procedere in alternativa pro-
pria, & ſimplici, quæ ſcilicet tam ſenſum, quàm verba
disjungit, qualis eſt dictio, *Vel*, ut hìc in textu, & in *l.
Pediculis, §. Argento, ff. de aur. & arg. leg.* & in *l. Cùm qui-
dam, in princ. C. de verb. ſignif.* & tenet Bart. in *l. Si quis
ita legaverit, ff. de aur. & arg. leg.* ubi per dicta jura repro-
bat Cyn. dicentem, dictionem, *Vel*, non eſſe alternativam
ſimpliciter, & ideò utrumque requirere. Talis etiam eſt
dictio, *Aut*, ut clarè probatur in *d. l. Si quis ita, in l. Si is
qui ducenta, §. Utrum, ff. de reb. dub. in l. Prætor edixit,
§. Quod autem, ff. de injur.* & in *l. Ubi autem, ff. de ver. oblig.*
& in hoc conſentiunt omnes.
12 Sed aliud dicendum eſt in alternativa impropria, & non
ſimplici, ſicut eſt dictio, *Seu*, & dictio, *Sive*, quæ appel-
lantur ſubdisjunctivę, & habent naturam mixtam, cum
aliquando habeant naturam alternativæ, aliquando con-
junctivæ, ut inquit Bart. in *leg. Si quis ita legaverit, poſt
med. verſ. Quædam eſt dictio disjunctiva, ff. de aur. & arg.
13 leg.* Abb. hìc *n.* 4. & Bald. *n.* 14. dicens dictionem, *Seu*, eſ-
ſe indifferentem ad disjunctam, & conjunctam. Et in his
14 dictionibus Bart. *loc. cit.* diſtinguit ſic: Aut verſamur in di-
ſpoſitione favorabili, ut in legatis, in quibus fit plenior in-
terpretatio, quàm in contractibus, *l. In teſtamentis, ff. de
reg. jur.* Et dictiones hujuſmodi ſtant copulativè. Et ita pro-
15 cedit illa lex, *Si quis ita*, ubi ſi legavero uxori mundum,
ornamenta, ſeu quæ ejus cauſa paravi, omnia debentur:
nam favore legati, ſecundùm Bart. disjuncta, *Seu* accipi-
tur pro conjuncta. Aut verſamur in diſpoſitione non favo-
rabili, ut in contractibus, arg. *l. Veteribus, ff. de pact. &
c. Contra eum, de reg. jur. lib.* 6. Et dictiones, *Seu*, & *Sive*,
ſtant alternativè, ſicut dictio, *Aut*, prout de dictione,
Sive, eſt text. in *l. Si ita quis ſtipuletur, ff. de ver. oblig.*
de quo latius per eundem Bart. in *d. l. Si is qui ducenta, §.
Utrum, ff. de reb. dub.* Et hanc diſtinctionem ſequuntur hìc
Imol. *n.* 6. *ver. Aut loquimur in alternativa hominis*, Abb. *n.*
4. *in penult. col. n.* 16. *in* 3. *fall.* & idem voluit Bald. in *d. l. Si
quis ita legaverit*, & Rom. poſt alios in *conſ.* 363. *Petitur,
n.* 2. ubi Apoſtilla in *ver. Ampliationem*, citat plurimos,
16 & eſt communis declaratio, ut inquit Dec. hìc alios citans
ſub *n.* 27. Unde ſi teſtator legat pecuniam, quam habet Pe-
ruſii, ſeu Paduæ, utraque pecunia venit in legato, ut idem
Bald. firmat in *l. penult. in* 9. *oppoſ. verſ. Et hoc facit, C. De
verb. ſignif.* dicens eſſe novum dictum, & mente tenen-
dum, quem ſequitur Brixienſis in *Repert. in ver. Seu*.
17 Sed tu adverte; nam tex. in *d. l. Si quis ita legaverit, ff.
de aur. & arg. leg.* non fundat ſe in eo, quòd materia, ſit fa-
vorabilis, ſed in natura ampliativa dictionis, *Seu*, dum di-
cit: Hoc enim verbum, *Seu*, ampliandi legati gratiam poſi-
tum eſt; & ita dictionem, *Seu*, ex ſui natura eſſe augmentati-
vam, per illum textum firmat Abb. hìc *n.* 4. Cald. *conſ.* 548. in
fin. aliàs 4. *de verb. ſignif.* Rom. *a. conſ.* 363. *n.* 2. dicens de hoc
eſſe caſum in *d. l. Si quis ita*, & allegat gloſſ. in *c. Ego Lu-
dovicus, in ver. Seu*, 63. *diſt.* & Joan. Andr. in *c. Licet, de
18 offic. Vicar.* & ſequitur Cravetta *conſ.* 105. *n.* 6. Quare ſi hoc
eſt ex propria verbi ſignificatione, perinde locum habere
debet in materia odioſa, atque in favorabili, qui etiam
in odioſis ſit lata interpretatio, quatenus patitur verbo-
rum proprietas, *l. cum lege, ubi Aret. ff. de teſtam.* & no-
tat. Cald. *conſ.* 1. *de conſang. & affin.* Præterea non videtur 19
verum, materiam legatorum, de qua ibi agitur eſſe favo-
rabilem. Imò enim regula eſt in contrarium, cùm in lega-
tis fieri debet ſtricta interpretatio, Ideòque in dubio vide-
tur legatum, quod minimum eſt, *l. Nummis, ff. de leg.* 3.
*l. Apud Julianum, aliàs in c. Idem Julianus, §. Sejo, de
leg.* 1. Teſtator enim cenſetur voluiſſe minùs gravare hære-
dem, quam fieri poſſit: *l. Unum ex familia, §. Si rem de leg.*
2. Nec obſtat text. quem Imola allegat in *l. In teſtamentis,
ff. de reg. jur.* Nam illa regula non videtur procedere in lega-
tis, quæ licèt in Teſtamento relicta ſint, tamen ſtrictè in- 20
terpretari debent, ut prædixi; unde gloſ. quæ ibi ponit e-
xemplum in legatis, non benè dicit, & eam reprobat Dec.
ibid. *n.* 4. Sed & Bart. *in l. Cum avus, ff. de condit. & de-
monſtr.* videtur intelligere illam legem reſpectu inſtitutio-
nis, quia inſtitutio eſt caput teſtamenti, *§. Ante hæredis,
inſtit. de leg.* Et ideò latior interpretatio fit in teſtamentis,
quàm in legatis, ut not. gl. fin. in *l. Si plures, ff. de condit.
inſtit.*
Tu conclude dictionem, *Seu*, regulariter eſſe disjuncti- 21
vam, ſeu alternativam, *c. Literas, de deſponſ. impub. cap.
Paſtoralis, de cauſ. poſſ. & prop.* Clem. *Non poteſt, de pro-
cur. c. ult. in fin.* 75. *diſt.* & notat Archid. *in c. Ego Ludovicus,
ad fin.* 63. *diſt.* Cald. *conſ.* 248. *circa med. verſ. Idem probat
dictio*, Seu, *aliàs* 27. *de præb.* Gemin. *conſ.* 32. *n.* 11. *verſ.
Cum dictio*, Seu, *disjunctionem ſignificet*, Rom. *conſ.* 179.
n. 7. *verſ. Ex quibus quidem verbis, maximè ex dictione*,
Seu, *quæ regulariter eſt alternativa*; ubi Horatius Mand.
in apoſtilla, in ver. Regulariter, plura cumulat; & idem
Rom. *conſ.* 165. *ad fin.* ubi dicit, naturam dictionis, *Seu*,
eſſe disjunctivam; & ideò non eſſe ad improprietatem, id
eſt ad conjunctionem trahendam; Alex. *conſ.* 79. *n.* 5. *lib.*
5. dicens dictionem, *Seu*, eſſe disjunctivam, ſicut dictio,
Aut, & poni inter diverſa, Crav. *conſ.* 967. *n.* 3. *cum ſeqq.* ubi
ait hanc propriè dici dictionem alternativam, quia de ſui
natura hoc importat. Unde ſi teſtator legat equum album,
ſeu nigrum, alter tantùm debetur, quia non videtur ſenſiſ- 22
ſe, de pluribus, ut inquit Bald. hìc *n.* 13. quem ſequitur Dec.
n. 28. *verſ. Et iſtud expreſsè*.
Et idem dicendum de dictione, *Sive*, ut *in l. Si quis ita* 23
ſtipuletur, ff. de verb. oblig. & tradit Imol. *in conſ.* 14. *n.* 3.
ubi ait dictionem, *Sive*, propriè importare disjunctivam,
ſeu alternativam. Unde Mar. Soc. hìc dicebat numquam
ſibi ſuaderi potuiſſe, ut ſi quis legaverit fundum talem, ſive
domum talem, utrumque debeatur, quia hoc videtur con-
tra mentem teſtatoris.
Sed fallit primò hæc regula, quando dictio, *Seu*, jun- 24
gitur cum relativo, quia eo caſu auget, & ampliat diſpoſi-
tionem, *l. Ea tamen adjectio, ff. de leg.* 3. Unde ſi teſta-
tor legat uxori mundum, & ornamenta, ſeu quæ ejus cau-
ſa parata ſunt, debentur omnia. Et in hoc caſu loquitur text.
in d. l. Si quis ita legaverit, ff. de aur. & arg. leg. ſecundum in-
tellectum, quem ponit Bart. Soc. *in l. Si is qui ducenta, §. U-
trum, ff. de reb. dub.* Quamobrem ſi legetur pecunia, quæ ha-
betur Patavii, ſeu Peruſii, ut in exemplo Baldi, de quo ſupra
n. 16. debetur utraque; quia perinde eſt, ac ſi legata fuiſſet
pecunia, quæ habetur ſeu Patavii, ſeu Peruſii.
Nec obſtat ponderatio Decii hìc *n.* 28. quòd ſcilicet text. 25
in d. l. Si quis ita, faciat vim ſimpliciter in illa dictione,
Seu, quæ eſt ampliativa, non autem in relativo; imò enim
non facit vim ſimpliciter, & abſolutè in ſola natura dictio-
nis, *Seu*, ſed in modo, quo fuit adjecta; non enim dicit
per verbum, *Seu*, legatum ampliari; ſed dicit verbum il-
lud ampliandi legati gratia poſitum eſſe. Et ſic ponde-
rat potius modum poſitionis, ſeu adjectionis, quàm natu-
ram verbi. Unde congruè dici poteſt habuiſſe relationem
relativi.
Et per hoc puto idem dicendum, ſi teſtator uteretur par-
ticipio, veluti, ſi diceret: Lego libros meos impreſſos, ſeu
manuſcriptos. Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet: Lego libros
meos, qui ſunt impreſſi, ſeu manuſcripti; cùm participium 26
reſolvatur in ſuum verbum cum relativo, ut not. gloſſ. *in
Clem.* 1. *in ver. Si dignitatibus, de præb.* Bart. *in l. Centurio,
ff. de vulg. & pupill. & in l.* 1. *ad fin. ff. de condit. & demonſtr.*
Alex. *conſ.* 7. *n.* 16. *lib.* 7. & ita libri omnes veniunt in legato,
per ſupradicta.
Fallit ſecundò propoſita regula, quando dictio, *Seu*, vel 27
Sive,

ſive, ponitur inter illa, quæ habet conformitatem, & convenientiam, ita ut non ſit omninò diverſa: tunc enim non ſtat alternativè, ſeu disjunctivè, ſed ampliativè, ut hìc per Dec. *n.* 28. *verſ. Unde poſtremò cogitabam*. Et ita ſecundum eum poteſt intelligi textus in *d. l. Si quis ita legaverit*, *ff. de aur. & arg. leg.* Nam mundus, & ornamenta mulieris, de quibus ille textus loquitur in primo exemplo, ſatis dicuntur parata uxoris gratia, *l. Augmento*, §. *Ornamenta*, & §. *Mundus*, *ff. eod.* Et idcircò cùm teſtator legavit mundum, & ornamenta, ſeu quæ uxoris gratia parata
28 ſunt; illa dictio, *Seu*, ponitur augmentativè. Et idem patet in ſecundo exemplo, id eſt cùm teſtator legavit vina, quæ erant in urbe, ſeu portu. Nam de portu idem eſt judicium, quod de urbe, *l. Cæſar*, *ff. de publican.* & *c. Ubi periculum*. §. *Porro*, *de elect. libr. 6.* Et quia vinum in portu deſtinatum erat ad civitatem, idcircò reputabatur eſſe in civitate, ut not. Bald. in *l. Ex facto proponebatur*, *ad fin. ff. de hæred. inſtit.* & Alber. in *l.* 1. §. 1. *ff. de offic. Præf. urb.* Non igitur mirum, ſi dictio, *Seu*, ibi ſtet ampliativè. Ad idem text. in *c.* 1. §. *Verum de ſtat. regul. lib. 6.* ibi, *Ab aliquo Principe, ſeu Domino temporali*, *in l. fin.* §. *Sunt munera*, *ff. de muner. & honor.* ibi; *Civilia ſeu publica*, & in *l.* 1. *ff. de his quib. ut indig.* ibi; *Legato, ſeu fideicommiſſo*. Hodie enim hęc per omnia ſunt exæquata, ut in *l.* 1. *ff. de leg.* 1. Ad idem allego gloſſam notabilem in *c. Bonæ memoriæ*, *il* 1. *in verb. Nominationem*, quæ eſt gl. *fin. inf. de poſtul. Præl.* dum ponderat, idcircò text. ibi dicere poſtulationem, ſeu nominationem, quia talis nominatio ſatis ſimilis eſt poſtulationi,
29 imò quaſi idem eſt. Et ad hanc ſpeciem videtur poſſe referri, quod ait Cremen. *ſing.* 56. *lego Digeſtum*, videlicet, ſi legetur alicui Digeſtum vetus, ſeu Infortiatum, dictionem, *Seu*, augere, & utrumque deberi, ſequitur Gomes in §. *Sed iſta poſt*, *n.* 38. *inſtit. de action.* & Honorat. Mand. ad Roman. *conſ.* 363. *in ver. Ampliationem*.

30 Fallit tertiò, cùm dictio, *Seu*, ponitur inter ſynonyma, ſeu idem importantia, quia ſtat expoſitivè, ſeu declarativè, Clem. *Si Romanus*, *de præb.* Clem. 2. *de vit. & honeſt. Cler.* Clem. 2. *de cenſib.* Conc. Trid. *c.* 10. *ſeſſ.* 7. ibi, *Dimiſſorias ſeu reverendas*, in *c.* 1. *ſeſſ.* 24. ibi, *Examinis, ſeu inquiſitionis*, & paſſim alibi, Gemin. *conſ.* 115. *ſuper dubio*, *n.* 7. Bald. *conſ.* 218. *Statuto*, *nu.* 3. *verſ. Si autem ponitur*, *lib.* 2. & *conſ.* 203. *Punctus quidam*, *num.* 2. *lib.* 5. Paul. de Caſtr. *conſ.* 379. *Primo videndum*, *colum.* 2. *verſ. Tertio dico*, *lib.* 1. Socc. Jun. *in l. Centurio*, *num.* 174. *verſ. Ad ſecundum*, *ff. de vulg. & pupil.* Quod maximè procedit, ne in diſpoſitione ſuperfluitas inducatur, ut per Paul. de Caſtr. *loco cit.* Et idem dicendum de dictione, *Sive*, quæ cùm ponitur inter ſynonyma, exponitur pro, *Id eſt*, ut cùm dicitur Alex. ſive Paris, *l. Ad protegendam*, & ibi gloſ. 1. *C. De in litem dand. tut.* & notat Bart. in *d. l. Si quis ita legaverit poſt med. verſ. Quadam eſt dictio disjuncta*, licèt Dec. *hic num.* 31. in prædicto exemplo dixerit dictionem, *Sive*, augere; quod non eſt verùm, quia Alexan. non eſt alius à Paride, ac proinde dictio, *Sive*, non auget, ſed exponit.

31 Fallit quartò, cùm dictio, *Seu*, ponitur inter genus, & ſpeciem, quia reſolvitur in conjunctam, ut *leg. Sæpè*, ibi, *Dari, ſeu donari*, *ff. de verb. ſignif.* & firmat Bart. in *leg. Quintus*, *la* 1. per illum text. *n.* 3. *ff. de aur. & arg. l.* & ſequuntur DD. hic. Similiter & dictio, *Sive*, cum ponitur inter genus, & ſpeciem, ſtat expoſitivè pro, *Id eſt*, ut per eumdem Bart. in *conſ.* 41. *Statuto civitatis*, *nu.* 3. *ver. Et quod ponatur*, *libr.* 2. ubi Apoſtilla in *ver. Præcedit genus*, dat concordantes.

32 Fallit quintò, ſi aliàs ſequeretur abſurdum: nam ad illud vitandum, dictiones, *Seu & Sive*, quamvis verba disjungant, ſenſum tamen conjungunt, ut tradit Paul. de Caſtr. *conſ.* 318. *Viſo, & examinato*, *n.* 4. *lib.* 1.

33 Fallit ſextò, ubi apparet de mente diſponentis, quia tunc dictiones, *Seu, & Sive*, poſſunt importare conjunctionem, item disjunctionem, ſive diſgregationem, & quandoque expoſitionem, prout aliæ conjunctiones, ut firmat Bald. *conſ.* 229. *Primum dubium*, *n.* 2. *verſ. Secundum punctum*, *lib.* 1. Imol. *conſ.* 44. *n.* 3. ubi dicit dictionem, *Sive*, propriè importare disjunctivam, ſeu alternativam; ſed importare conjunctionem, ubi conſtat de mente proferentis. Unde ut notabiliter inquit Bald. hìc *n.* 2. tene pro firma regula, quòd ſemper ad intentionem diſponentis eſt recurrendum, ut ſolemniter notat Bern. in *c. Ex parte*, *in gloſ.* 1. *ſup. eod.*

Ex his patet, Doctores circa dictiones, *Seu, & Sive*, eſſe admodum varios; alii enim dicunt illas ſui natura eſſe augmentativas; alii cenſet eſſe ex propria ſignificatione alternativas, ſeu disjunctivas; alii verò aſſerunt eas habere naturam mixtam, & eſſe indifferentes ad conjunctam, & disjunctam: fateor tamen eas habere ſymbolum, & convenientiam quamdam cum conjuncta; unde in eam facilius tranſeunt, quàm dictiones, *Aut*, & *Vel*, quæ ſtrictè ſunt alternativæ. Et propterea quamvis ſuperiùs firmatum ſit, legatum pecuniæ, quæ habetur Peruſii, ſeu Paduæ, utrumque comprehendere; ſecùs tamen eſt, ſi legetur pecunia, quæ habetur Peruſii, vel Paduæ, quia altera tantùm debetur, nec alternativa, *Aut*, tranſit in conjunctam, cùm hoc non reperiatur jure cautum, prout hìc firmant Imol. & Felin. quidquid contra ſenſerit Cardin. item Cyn. & Alber. de Roſate in *l. Cum quidam*, *C. De verb. ſignif.* Nam Cyni opinionem dixit eſſe falſiſſimam Bart. in *l. Si iis qui ducenta*, §. *Utrum*, *ff. de rebus dub.* & ſequitur Jaſ. in *d. l. Cum quidam*. Et ita ſecundùm eum textus in *d. l. Si quis ita legaverit*, procedit tantùm in dictione, *Seu, & Sive*, quæ licèt regulariter ſint alternativæ, facilè tamen tranſeunt in conjunctam. Unde quatenùs habeant mixturam disjunctæ, & conjunctæ; proximiùs tamen accedunt ad naturam disjunctæ, ſeu alternativæ, & in ea magis incaleſcunt, ut de Hermaphrodito dicitur in *l. Quæritur*, *ff. de ſtat. homin.* & in *c. Si teſtes*, §. *Hermaphroditus*, 4. q. 3. licèt quandoque augeant, quandoque exponant, prout ſuadet mens diſponentis, & ſubjecta materia, ut declarat Ægid. Bellam. *conſ.* 39. *nu.* 7. & 8. & Felin. hìc *num.* 3. qui ad hoc quamplurimos cumulat, licèt ſatis confuse. 34

Secundò nota, reſcriptum, in quo duo alternativè narrantur, non eſse ſubreptitium ex eo, quòd alterum ſit falſum, & ſic falſitas, vel ſubreptio in uno ex disjunctivè narratis non vitiat reſcriptum, & utile per inutile non vitiatur ſecundùm Ægid. Cremon. quem hìc ſequuntur Jo. And. *n.* 7. Bald. *n.* 1. *verſ. Nota quod alternativa*, Butr. *n.* 2. & Card. *n.* 2. & 3. 35

Tertiò nota, non valere illationem, Quis eſt filius ſacerdotis: ergo eſt in ſacerdotio genitus. Sicut contigit in Jo. 36
Andr. cujus pater erat magiſter grammaticæ, eumque genuit antequam eſset in Presbyterum ordinatus, ut idem de 37
ſeipſo refert in addit. ad Specul. *in Rubr. de fil. Presbyt.* ut ſe defenderet adverſus eos, qui ipſum ſpurium adſtruebant. Ad hoc bonus textus in *c. Ad extirpandas*, & quod ibi dixi *n.* 4. *infra de fil. Presbyt.* & in *l.* 2. §. *In filiis*, *ff. de Decurion.* ubi natus ante Decurionatum eſt filius Decurionis. Unde infertur, ut ad repellendum aliquem à beneficio non 38
ſufficiat probare promovendum eſſe filium ſacerdotis, niſi etiam probetur poſt ſacerdotium genitus, ut hìc per Butr. *n.* 4. & Abb. in 1. & 2. *notab.* Et intellige ſacerdotium pro ordine ſacro, cùm hodie Subdiaconatus annexum habeat votum ſolemne continentiæ, *cap.* 1. *infra*, *qui Cler. vel voven.* & *c. Unde voto lib.* 6. Fallit, ſi ageretur de beneficio pa- 39
terno: quia tunc ſatis eſset probare eum filium ſacerdotis, licèt non procreatum in ſacerdotio, cùm filius etiam legitimus prohibeatur immediatè ſuccedere in beneficio patris ut eſt caſus in *c. Ad extirpandas*, *de fil. Presbyt.* & hìc declarant Abb. *n.* 1. Felin. *n.* 2. *ver. Et ad iſtum textum*, & Dec. *n.* 6. Item fallit, ſi eſset filius genitus ex ſacerdotio in Eccle- 40
ſia Orientali, quæ votum continentiæ non admiſit, *c. Nicæna*, 31. *diſt.* & *c. Cùm olim*, *de Cler. conjug.* Felin. *eod. n.* 1. *in fin.*

Quartò nota, eſse, in optione illius, qui ad duo alterna- 41
tivè tenetur, alterutrum præſtare, ut liberationem conſequatur, *l. penult. C. de condict. indeb.* & *c. Referente*, *inf. de præb.* cum aliis hìc allegatis in gloſ. in *ver. Iſtorum*, quam communiter DD. recipiunt. Et ſic in alternativis electio 42
regulariter eſt debitoris, *reg. in alternativis*, *de reg. jur. lib.* 6. *Plerumque*, §. *fin. de jur. dot.* & §. *Huic autem qui loco*, *inſt. de act. cum ſimil.*

Fallit hæc regula multipliciter, ut hìc per DD. præſer- 43
tim Felin. *num.* 4. ſed præcipuè recipit duas notabiles limitationes. Prima eſt, ut non procedat in legatis alternativis, ita gloſ. in *l. Lucio*, *in verb. Vendicare*, *ff. de legat.* 2. quę notabiliter dicit in legatis alternativis electionem eſse hæredis, ſi ad eum verba dirigantur, puta, Hæres dato;

ſed ſi dirigantur ad legatarium, ipſius eſſe electionem, ut ſi dicatur, Tu legatarie percipito. Verùm ſi teſtatur utatur verbo, *Lego*, quod eſt indifferens, vel ſimili, in dubio electionem eſſe legatarii, & non hæredis. Quam gl. reputat ſingularem, & meliorem de corpore juris, Imol. hic *n.* 5.& Felin.*d. n.*4.*verſ. Facit Gloſſa*, & Alex. *in l.Qui duos*, *ff. de leg.* Idem tenet Dyn.*in d. reg. In alternativis*,
44 & Bald. *in d.l.Lucio*. Secunda limitatio eſt, ut non procedat in pœnis alternativè appoſitis, quia non datur optio reo, & ſic debitori, ſed judici, Gloſſ. fin. in *c. A crapula infra de vit. & honeſt. Cler.* quam ſequuntur Jo. Andr. & communiter DD. ibi teſtatur Abb. *n.* 4. & ſequitur Felin. hic plurimos cumulans, *nu.* 5. *verſ. Fallit quintò*, ubi ampliùs hanc fallentiam reſtringit decem modis, quos per te videas.

Ultimò nota, alternativam regulariter eſſe electionis, non ordinis. De quo tamen hìc latiùs, ut in quæſt. ſeq. Et de his duabus ſpeciebus alternativæ, vide gloſ.*unic.in regula Sexti*, *In alternativis*.

45 QUÆRO, cum decreto Concilii Tridentini *c.* 18.*verſic.Sint verò*,*ſeſſ.*24. ſtatutum ſit, ut Examinatores Synodales pro Parochialibus conferendis ſint Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii clerici, ſeu regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam ſæculares, qui ad id videbuntur magis idonei: numquid inter diverſa perſonarum genera ibi alternativè expreſſa optio ſit Epiſcopo tributa, vel potiùs ordo præſcriptus, adeò ut clericos gradu Magiſterii, Doctoratus, aut Licentiaturæ carentes eligere non debeat, ubi aliorum his qualitatibus præditorum copia ſuppetat.

46 Videtur reſpondendum, alternativam, *Vel*, quæ habetur in *d.verſ.Sint verò*, præſcribere ordinem, non electionem; & Epiſcopum ad ſecundam partem alternativæ pervenire non debere, quamdiù primæ poſſit eſſe locus.

47 Primò quidem, quia etſi alternativa regulariter electionem tribuat, & alteram ejus partem adimplere ſufficiat, ut hìc, & in *c. Cùm plures*, ubi Gloſſ. in *ver. Forma*, *de off. deleg. lib. 6.* cum concordantibus, de quibus ſupra in 1. notabili; tamen quando eſt poſita inter perſonas habentes diverſas qualitates, & in primo nominatis ſubeſt major ratio, quàm in poſterioribus in ſecunda parte alternativæ comprehenſis; tunc alternativa ordinem inducit, non electionem; & ad ſecundam partem alternativæ perveniri non debet, niſi in ſubſidium, & in defectum primæ. Ita probat textus in *c. Metropolitano*, juncta Gloſſa *in ver. Ex presbyteris*, 63. *diſt.* ubi cùm textus jubeat, ut Metropolitano defuncto, in ejus locum ſubrogetur alius ex Presbyteris, vel Diaconis; gl. notat, illis verbis eſſe deſignatum ordinem, ut ex Diaconis Metropolitanus non
48 eligatur, niſi deſint Presbyteri. Idem probat text. in *l. Hæredes mei*, §. *fin. ad Trebell.* ubi fideicommiſſum relictum alternativè nepotibus, vel cæteris cognatis, non debetur cæteris cognatis, donec extent nepotes, qui prædilecti præſumuntur; & in *l. Cùm Pater*, §. *penult. ff. de leg.* 2. ubi disjuncta poſita inter perſonas, inter quas cadit affectio ordinata, non reſolvitur in conjunctam, ut ibi per Bart. Unde ſi teſtator mandet aliquid dari liberis, aut iis deficientibus, conſanguineis, aut affinibus; ſequimur ordinem, ut ait gl. in *d. c. In alternativis*, *verſ. Sunt tamen quædam alternativæ, in quibus debet ordo ſervari*. Id ipſum colligitur ex *l. Si fundum ſub conditione*, §. *His verbis*, *de leg.* 1.*& c. Mandato*, *de præb. lib.*6. & notat gl. *c. Licet in verb. Vel in Parochiali*, *de ſepulturis*, *in* 6. quam ibi Joannes de Lignano relatus à Franc. teſtatur eſſe communiter approbatam, Felin. in *c. Cum dilectus*, *num.* 4. *verſ. Et dicit Gloſſa*, *infra eodem*. At in caſu noſtro major ratio ſubeſt in Magiſtris, Doctoribus, & Licentiatis pro illorum idoneitate, quàm in ſimplicibus clericis. Ergo ordo ſcripturæ ſpectandus eſt, ita ut hi eligi non debeant, niſi ubi illi deficiant.

Secundò, idem ſuadetur, qui aliàs prima pars alternativæ eſſet otioſa: niſi deſignaret ordinem; & ſatis fuiſſet tribuere Epiſcopo facultatem eligendi clericos ſæculares, vel regulares idoneos. Ad quod abſurdum vitandum fateri neceſse eſt, ſecundam partem alternativæ eſse ſubſidiariam; nam ne ſyllaba quidem in legibus debet eſse ſuperflua ſecundùm Bald. in *rubr. C.De contrah. empt. qu.* 9. quin potiùs debent verba intelligi impropriè, & contra eorum naturam, quàm ut nihil operentur, *c. Si civitas*, *de ſent. excomm. lib.*6. & Abb. *in c.fin. num.* 8. *de præb. & in conſ.* 32. *col.*1. *poſt med. lib.* 2.

Tertiò, id confirmari poteſt, qui aliàs S. Congr. Conc. 49
idem videtur cenſuiſse circa intellectum *c.* 16. *ſeſs.* 24. ubi jubetur eligi Vicarius Capituli ſede vacante, qui ſit ſaltem in jure Canonico Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs quantum fieri poterit idoneus. Declaravit enim niſi deſint Doctores, & Licentiati, non poſse eligi alium his qualitatibus carentem.

Non obſtat, quòd illa verba poſita in fine ſecundæ partis alternativæ videantur tribuere facultatem præferendi non Doctores, & non Licentiatos, ſi ſint magis idonei, Doctoribus, & Licentiatis, quia reſpondetur, vel illa verba poſita in fine ex regula vulgata referri ad totam clauſulam, ita ut eligi debeant magis idonei ex ſingulis gradibus ibi expreſſis, vel ſi referenda ſit ad ſecundam partem alternativæ tantùm, hoc importare, ut cùm in defectum habentium qualitates expreſſas in prima parte alternativæ pervenitur ad perſonas expreſſas, in ſecunda ex eis eligantur, qui ad id magis idonei videbuntur. Et ſic illa verba non adverſantur ſuprapoſitæ opinioni.

Item non obſtat, quòd cùm in ſecunda parte habeatur 50
mentio Regularium, quorum plures Religiones non habent inſtitutum hos gradus conferrendi, ſequeretur, ſecundùm hanc opinionem, ut Epiſcopus deberet præferre graduatos plerumque non admodum litteratos Regularibus longè doctioribus, qui ad gradus hujuſmodi ex Religionis inſtituto non promoventur. Quia reſpondetur hoc abſurdum vitari, ſi ita intelligamus Conc. ut ex illis Religionibus, quæ his gradibus carent, poſſint aſſumi non habentes eas qualitates, etiamſi alii graduati non deſint: nam in illis fortè non videtur neceſſarium hos gradus requirere, cùm eos aſſequi ex inſtituto Religionis prohibeantur.

Deinde reſpondetur Concilium abſolutè voluiſſe, ut primo loco deputarentur Magiſtri, ſeu Graduati; quia cùm hi ſtudiorum curſus peragere, & in publicis functionibus litteraturæ periculum facere conſueverint, eos juris præſumptione ſufficienter idoneos judicavit; à qua quidem juris præſumptione quemadmodum noluit poſſe recedi ex eo quòd alii aptiores, & doctiores reperirentur ex clero ſæculari, cùm alternativa, ut dictum eſt, ſit ordinis, non electionis: ita nec cenſendum eſt voluiſſe, ut poſſet recedi ex eo, quòd aptiores reperirentur ex clero Regulari; utroſque enim ſub una, & eadem oratione, ac determinatione Concilium complectitur. Unde ſuccedit regula *l.Jam hoc jure*, §. *fin.ff.vul.& pupill.& l.fin.C.De ſent.* de qua per Dec. in *c.Novit nu.* 56.*de judic.* Nec videtur inconveniens, ut Epiſcopus carere debeat in hac functione miniſterio Regularium, qui ex inſtituto hos gradus ſuſcipere non ſolent. Quandoquidem Patres Concilii non latebat multas Religiones extare ejuſmodi inſtituti. Unde ſi voluiſſent eos comprehendere, expreſſiſsent: arg.*l.Unicæ*, §.*Sin autem ad deficientis*,*C.de caduc.toll.& c. Ad audientiam*,*verſ.Nam ſi intelligeremus*, *de decim.* ejuſmodi enim expreſſio parum de membrana occupaſſet, ut inquit Oldr. *conſ.* 266. *n.* 10. Et 51
quemadmodum abſurdum non eſt, ut Regulares quantumvis idonei non poſſint eſse Judices Synodales, ſi careant qualitatibus requiſitis in *c.Statum*, *de reſcript. in* 6. ut in *Clem.*2.*eod.tit.* nec judices conſervatores, ſi non habeant requiſita *c.fin.de off.deleg. eod. lib. & Conſtitutionis Gregor. XV. de Conſervat.* ita nec videtur abſurdum, ut non poſſint eſse Examinatores Synodales, niſi deficientibus Magiſtris, aut Graduatis: nam ubi lex certas qualitates actu requirit, debent illę qualitates actu concurrere, nec ſufficit aptitudo, Abb.in *c.Cum in cunctis*, §.*Inferiora*,*n.*10.*de elect.*gl.& DD.
in *d.c.Statutum*,& Rom.*conſ.*216.*Electio*,*n.*3.5.*& ſeq.*Quinimò 52
in Religionibus Monaſticis gradus Magiſterii, Doctoratus, & alii ſimiles non ſunt in uſu: & tamen Monachos, Graduatis non deficientibus, Concilium apertè excludit in *d. c.* 18. *ſeſs.* 24. ut indicant verba illa, *Etiam ex Ordine Mendicantium*, quæ poſita ſunt ad differentiam non Mendicantium. Ergo ſi Conc.exiſtentibus Graduatis, in Examinatores Synod. noluit deputari poſse Monachos, licèt ex eorum inſtituto hos gradus ſuſcipere non ſoleant; eodem modo dicendum eſt noluiſse, ut deputari poſsent Regulares; etiam ex illis Ordinibus Mendicantium, qui

ſimi-

53 ſimile habent inſtitutum. Præſertim verò, quia in Mendicantibus major ſuberat ratio dubitandi, quin deputari poſſent, ut innuunt eadem verba, *Etiam ex ordine Mendicantium;* ponderando particulam, *Etiam*, quæ implicat caſum magis dubitabilem, *c. Tanta de ſimon.* Gemin. *conſ. 65. n. 8. verſ. Sed dictio.*

54 Cæterùm adverte, quia etſi Epiſcopus eligere debeat Examinatores prædictis qualitatibus inſignitos, ſi eorum copia ſuppetat; non tamen ſequitur, ut ſi alios clericos idoneos eligat, concurſus propterea ſit nullus: nam Sacra Congregat. Concilii aliàs conſulta in caſu Montis Regalis, an concurſus habitus coram Examinatoribus Synodalibus non Doctoribus, vel Magiſtris, autem ſaltem Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico, ſit nullus, cùm præſertim alii extant his qualitatibus præditi: Die 2. Auguſti 1607. reſpondit debuiſſe quidem eligi Examinatores, qui ſint Magiſtri, ſive Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico; cæterùm etiamſi his qualitatibus careat, concurſum non eſſe propterea nullum.

Illud præterea omittendum non eſt, ſi alicubi non repe- 55
riantur Doctores, niſi prorſus imperiti; eo caſu licere Epiſcopo, prætermiſſis Doctoribus, alios clericos magis idoneos deputare, ſive ſæculares, ſive regulares, ut aliàs in electione Vicarii Capitularis reſpondit S. Congr. approbavit enim electionem factam de Vicario, non Doctore, nec Licentiato aliàs idoneo, cùm ibi non extaret niſi unicus Doctor, iſque omninò imperitus: Doctor enim ignarus perinde ac nullus, Felin. poſt alios in *c. Clerici, n. 1. ver. Utrum autem Doctor titulo tantùm, inf. de jud.*

D E R E S C R I P T I S.

Idem Alexander III. Tornacenſi Epiſcopo.

C A P U T VII.

Eam te: & infrà. Dudum ſiquidem ante tuam promotionem literæ à nobis (ſi benè meminimus) emanarunt, quibus Decano, & Eccleſiæ tibi commiſſæ, te adhuc in eodem capitulo exiſtente, mandatum dedimus, & præceptum, ut P. (qui de gente Judæorum originem duxit, & divina gratiam fidem Chriſti ſuſcepit) in Canonicum reciperent, & præbendam ſibi conferre deberent: & infrà. Ipſi verò (quia donatio præbendarum ad te ſpectabat) præceptum noſtrum executioni non potuerunt mandare. Cùm itaque præſcriptus P. te ſuper hoc ex parte noſtra requireret, reſpondiſti, quòd nullum inde mandatum receperas, & ſic eum à te infecto negotio remiſiſti. Quòd nullatenùs feciſſe deberes, ſi datam literarum diligentiùs attendiſſes: cùm tempore, quo literæ ipſæ datæ fuerunt, de capitulo ipſo eſſes, ſicut qui eras Archidiaconus, & Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, nec eſſes adhuc in Epiſcopum conſecratus: & infrà. Pro eo verò, quòd Judæus extiterit ipſum dedignari non debes.

S U M M A R I U M.

1 *Sede vacante, ſi Papa tribuat Capitulo uti viceſgerenti, ut præbendam conferat, Epiſcopus ibi creatus mandatum adimplere tenetur.*

2 *Capitulo ſi diriguntur monitoriæ, vel præceptoriæ ſuper receptione alicujus, & ad Epiſcopum ſpectat receptio Epiſcopus, qui tempore datæ erat de Capitulo, exequi tenetur.*

3 *Promotus non dicitur quis ante conſecrationem, licet ſit electus, & confirmatus, vel proviſus, & n. 5. 9. & 15.*
Contrarium, n. 23. & ſeqq.
Declaratur, n. 30. & 38.

4 *Epiſcopi promoti in Curia an ex Bulla Urbani VIII. teneantur ſe conferre ad reſidentiam infra menſem computandum à die proviſionis, an vero à die conſecrationis, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

6 *Epiſcopus non dicitur ante conſecrationem, ſed electus, & n. 28.*
Declaratur duobus modis, ut num. 30. & 38.

7 *Electio, & conſecratio unum faciunt Epiſcopum.*

8 *Pontifex non dicitur ante conſecrationem.*

9 *Proviſus à Papa ante conſecrationem non dicitur Epiſcopus, ſed electus.*
Declaratur, n. 30. & 38.

10 *Archiepiſcopus appellari non poteſt ante ſuſceptionem Pallii.*

11 *Papa ante conſecrationem, & coronationem ex ſtylo non ſcribit nomen ſuum, nec Pontificatum in data, ſed utitur in dimidia Bulla, & appellat ſe electum, & n. 13.*

12 *Aſſerentes tamen eum non debere ſe Epiſcopum, ſed electum inſcribere, ſunt eo ipſo excommunicati.*

14 *Imperator non dicitur ante coronationem.*

15 *Proviſio, ſeu pronuntiatio Papæ in Conſiſtorio habet vim electionis, & confirmationis.*

16 *Epiſcopi, vel Pontificis appellatione in materia pœnali non venit electus confirmatus ante conſecrationem.*
Contrarium, n. 25.

17 *Civitas interficiens electum non incidit in pœnam interficientis Epiſcopum.*

18 *Promoti in curia ad Epiſcopatum tenetur viſitare Cardinales præſentes.*

19 *Lex debet eſſe rationabilis, & poſſibilis, aliàs non eſt obligatoria.*

20 *Epiſcopi æqua ex cauſa poſſunt ſingulis annis duos vel tres menſes ab Eccleſia abeſse, & n. 36.*

21 *Et hæc facultas non fuit eis adempta per Conſtitutionem Urbani VIII. ſuper reſidentia.*

22 *Et illa uti poſsunt à principio ſuæ promotionis, etiam antequam ſe conferant ad reſidentiam.*
Contrarium n. 37.

24 *Proviſi à Papa etiam ante conſecrationem appellantur promoti, & n. 27.*

25 *Proviſi nondum conſecrati accedentes ad Eccleſias, & adminiſtrantes ante levatas Bullas, incidunt in pœnas Extrav. Injunctæ, de elect.*

26 *Conſtitutio in favorem animæ recipit latam interpretationem, ſi exorbitans, & pœnalis.*

29 *Præfecti Cathedralibus Eccleſiis dicuntur etiam non conſecrati.*

30 *Epiſcopi appellatione venit etiam electus, quando in eo militat eadem ratio, quæ in conſecrato.*

31 *Epiſcopus electus, & confirmatus tenetur perſonaliter reſidere, ſicut conſecratus, & num. ſeqq. & numer. 40.*

32 *Et inter eum, & eligentes contrahitur ſpirituale conjugium.*

33 *Epiſcopus electus, & confirmatus ante conſecrationem* non

non poteſt exercere, ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, ſed ea ſolùm, quæ ſunt juriſdictionis.

34 *Formula, qua utitur Papa in promovendis Epiſcopis in Conſiſtorio.*

35 *Parochus tenetur perſonaliter reſidere, etiamſi nondum ſit promotus ad ſacerdotium.*

37 *Abſcedere non dicitur, qui priùs non reſedit.*

38 *Epiſcopi appellatione venit tantùm conſecratus in concernentibus exercitium, & decorem ordinis Epiſcopalis.*

39 *Sed in concernentibus juriſdictionem venit etiam electus confirmatus, vel proviſus per Papam.*

41 *Electus confirmatus poteſt dare licentiam clerico ſe abſentandi à Parochiali ſtudiorum cauſa.*

1 EAm te. Intellectus hujus cap. eſt admodum involutus,
maximè propter ſcripta intricata Innocent. & legitur
quinque modis, ut hìc per Card. in 3. 4. & 10. *oppoſit.* com-
muniter tamen ſic ſummatur: Si vacante Sede Papa ſcribat
Capitulo, ut præbendam conferat, Epiſcopus ibi creatus
mandatum adimplere tenetur. Hoc dicit Jo. And. Bald. Bel-
lam. Butr. Anch. Imol. Abb. & Jo. de Anan. Sed juxta 4. lectur.
Innoc. quam dicunt communiter approbatam Card. & Ab-
bas in *princ.* & Ripa *nu.* 44. *circa fin. verſ. Quartus fuit in-
tellectus*, hoc intendit: Si vacante Sede ſcribitur Capitulo
tamquam gerenti vices Epiſcopi, ut præbendam alicui con-
ferat, ſi creatur Epiſcopus nondum executo mandato, & ad
eum ſpectat collatio præbendarum, illud adimplere tenetur.
2 Adverte tamen, quia in dubio mandatum factum Capitulo
Sede vacante cenſetur factum Capitulo uti vices gerenti:
unde procedit lectur. Jo. And. ut benè hìc per Henr. Boich.
n. 8. & Rip. *in princ. n.* 48. Vel meliùs juxta 5. lectur. de qua
per Cardin. *in princ. & in* 10. *oppoſ.* Si Capitulo diriguntur
Monitoriæ, vel Præceptoriæ ſuper receptione alicujus, &
ad Epiſcopum ſpectat receptio, Epiſcopus, qui tempore datę
erat de Capitulo, exequi tenetur: & ſecundùm hanc lectu-
ram, quę magis conſonat rationi ponderatæ in litera ibi,
*Quod nullatenus feciſſe deberes, ſi datam literarum diligen-
tius attendiſſes*: text. videtur procedere de plano. Continet
autem quinque, ut dicebat Hoſt. mandatum, executionem,
cavillationem, reprehenſionem, & antipophoram.
3 Nota primò, ibi: *Ante tuam promotionem*, juncto fine ibi,
Nec adhuc eſſes conſecratus, Epiſcopum electum, & confir-
matum, ante conſecrationem non dici promotum ad Epiſ-
copatum; & ita ex hac littera deducit Franc. Vercellen. cum
quo tranſeunt communiter DD. ut latiùs dicam infrà *n.* 5.
4 Et ex hoc infero ad quæſtionem, quæ nuper contigit in
facto. Urbanus VIII. fa. me. in Bulla *ſuper reſidentia Epi-
ſcoporum* edita die 14. Decembris 1634. quę incipit, *Sanct.
Synodus* ſtatuit, ut jam Præfecti Cathedralibus, vel majo-
ribus Eccleſiis etiam S. R. E. Cardinales itineri commit-
tant, & ad reſidentiam conferant infra unum menſem, ſi in
Urbe exiſtant; infra duos, ſi extra Urbem in Italia; ſi extra
Italiam, infra quatuor computandos à die publicationis
Bullæ: nondum autem Præfecti, infrà prædictos terminos
computandos à die eorum promotionis, ſub pœna amiſſio-
nis facultatis teſtandi, & aliis pœnis in conſtitutione ex-
preſſis. Quæſitum eſt, an verba illa, A die promotionis, in-
telligi debeant à die conſecrationis, an verò à die propoſi-
tionis, & proviſionis in Conſiſtorio, ita ut proviſus in cu-
ria, & non conſecratus, ſi infra menſem non contulerit ſe
ad reſidentiam, incidat in pœnas conſtitutionis.
5 Et quidem verba illa, A die promotionis, eſſe exponenda,
id eſt à die conſecrationis, videtur ſuaderi poſſe, quia non
dicitur, quis promotus ante conſecrationem, licèt ſit ele-
ctus, & confirmatus, ut probatur in hoc *c.* conjungendo
principium, ibi: *Ante ſuam promotionem*, cum fine ibi,
Nec adhuc eſſet conſecratus: & originaliter ex hac littera
deduxit Franc. Vercell. quem poſtea ſequuti ſunt Jo. And. *n.*
3. Bellam. *in princ. verſ. Promotionem*, Butr. Card. Anch.
Imol. Abb. & Felin. omnes in 1. *not.* Jo. de Selva *in tract. de
benef. p.* 1. *q.* 2. *nu.* 48. ubi ex hoc infert, ut ſi in privilegio fiat
mentio de promotis, non veniant electi non conſecrati, per
6 text. *hic*. Similiter ante conſecrationem non dicitur Epiſ-
copus, ſed electus, *c. Tam litteris, & ibi* Abb. *in* 1. *not. de te-
ſtib. c. Tua nuper*, ibi, *Epiſcopo, vel electo De his quæ fiunt à
Prælatis ſine conſ. Capit.* ubi etiam Abb. *in* 1. *notab*, Gloſſ. 1.
& DD. in *c.* 1. *de Relig. domibus cum ſimilibus*, ut hìc per Fe-
lin. *col.* 2. *in fin. verſ. Cum iſtis concordant*, & benè probatur 7
in rubr. de translat. Epiſc. vel elect. Et meritò, quia ele-
ctio, & conſecratio unum faciunt Epiſcopum, ut dicit
text. in *c. Sicut* 40. *diſt.* Non etiam appellatur Pontifex, ut 8
per gl. in *Clem.* 2. *in verſ. Pontificum, de celebr. Miſſar.* cum
qua concordat ibi Paul. Jo. de Lignan. Imol. & Card. in 3.
q. & Jo. de Selva *de benef. p.* 1. *d. qu.* 2. *n.* 48. Quod locum ha- 9
bet non modò in canonicè electis, & confirmatis, ſed et-
iam in illis, quos Papa pronuntiavit Epiſcopos, quia ante
conſecrationem vocantur electi, ut notat Abb. in *c. Tua
n.* 2. *verſ. Et idem hic hodie de his, quæ fiunt à Prælat. ſine
conſ. Cap.* & in *c. Cum in cunctis*, §. *Cum vero n.* 6. *de elect.* Fe-
linus hìc 4. 3. *verſ. Tertiò, extende*, Jo. de Selva *d. q.* 2. *n.* 48.
verſ. Idem eſſet in illis. Quemadmodum nec ante ſuſcep- 10
tionem Pallii poteſt aliquis appellari Archiepiſcopus, *c. Ni-
ſi, infra de authorit. & uſu Pallii*, *c. Quod autem, de ele-
ctione*. Nec electus in Papam ante benedictionem, corona- 11
tionem, & conſecrationem ex ſtylo intitulatur Pontifex,
nec ſcribit Pontificatum in data, ut notat gloſ. *ſuper data
Sixti in ver. Pontific.* item gl. *in fin. in procem. Clem.* licèt,
ubi primùm à duabus partibus Cardinalium vocem haben-
tium eligitur, Præſulatum aſſumat, *c. Licet de vitanda*,
& ibi dixi *n.* 5. *de elect.* & in *c. Significaſti*, *n.* 32. *eod. tit.* &
aſſerentes ante ſuæ coronationis inſignia ſe non debere E-
piſcopum ſimpliciter, ſed electum inſcribere, ſententiam 12
excommunicationis incurrant, ut in Extravag. *Quia non-
nulli, de ſent. excommun.* de qua ſtupet gl. ibi noviter facta, 13
quia de ſtylo Curiæ etiam moderno ante conſecrationem
non exprimit Papa in Bulla nomen ſuum, ſed dimidia Bulla
utitur, & ſe electum appellat; ideò de illa Extr. judicet Apol-
lo, ut inquit Felin. hìc *nu.* 6. Similiter electus in Impera- 14
rem non dicitur Imperator niſi corona ſuſcepta, *l. antepe-
nult. ff. de milit. teſtam. l. Benè à Zenone, C. de quadr. præſcr.*
gloſ. præalleg. ſuper data Sixti in *ver. Pontific.* item gl. in
Clem. 1. *circa med. verſ. Ego enim, in ver. Futurus, de jure-
jur.* & Ang. in *d. l. Benè à Zenone*, de quo ibi egregiè per
Salic. *n.*.... Oldrad. *conſ.* 180. *incip. Quæſtio eſt utrum Impera-
tor ante coronationem, per tot*, dixi in *d. c. Licèt de vitanda*,
num. 7. *de elect.* & alia plura his ſimilia congerunt hìc Fel.
n. 2. Ripa *n.* 5.
Si igitur electus, & confirmatus, ante conſecrationem 15
non poteſt dici promotus: ergo nec pronunciatus a Papa
in Conſiſtorio, quia talis pronuntiatio; ſeu proviſio Papa-
lis habet vim electionis, & confirmationis, ſecundùm
Innoc. in *c. Cùm olim in princip. de cauſ. poſſeſs. & propr.*
Gloſſ. in *cap.* 1. *in ver. Proviſionem, de elect. libr.* 6. ubi
quòd Papa providendo eligit, & confirmat, Abb. in *d. c.
Tua, n.* 2. *verſ. Et idem dic hodie, de his quæ fiunt à Præ-
lat.* & in *d. c. Cùm in cunctis*, §. *Cùm vero, nu.* 2. *verſ. Sed
quæro, de elect.* ubi quòd Papa creat Epiſcopos ſolo ver-
bo, & talis creatio dicitur proviſio, quæ habet vim ele-
ctionis, & confirmationis: alios citat Felinus hìc *n.* 3. *verſ.
Differunt tamen*: & conſequenter Bulla Urbani VIII. quę
de promotis loquitur, non debet extendi ad proviſos non
conſecratos; nam quibus non conveniunt legis verba,
neque ipſa diſpoſitio convenire videtur, *lege Si ſer-
vum, §. Non dicit Prætor. ff. de aqua quotidiana*, &
Hoſt. *l.* 4. §. *Toties, ff. de damn. infect.* & eò magis, quia 16
Bulla eſt pęnalis; in materia autem pęnali appellatione
Epiſcopi, vel Pontificis minimè venit electus, & confir-
matus, ſi nondum ſit conſecratus, ut notat gl. in *Clem.
Si quis ſuadente, in ver. Quemvis Pontificem de pœnis*, &
Baldus in *l. Si nondum, poſt princip. C. de furt.* ubi quod 17
civitas interficiens electum, non incidit in pœnam inter-
ficientis Epiſcopum, de qua in *cap. Ita nos*, 25. *quæſt.* 2.
& eum ſequitur Felinus *hic num.* 1. *in princip. verſic. Unde
Bald.* Quibus accedit, quod per Extravag. *Injuncta, de
electione Epiſcop.* tenetur Bullas ſuæ promotionis expedire,
& antea prohibentur ad Eccleſias ſibi commiſſas acce- 18
dere, aut in illarum adminiſtratione ſe immiſcere: & ex
conſtitut. 7. Leonis X. in Conc. Lateranenſi edita, quæ in-
cipit, *Supernæ in* §. 6. *Promoti viſitare tenentur Cardina- 19
les, qui præſentes in Curia fuerint*, in Bull. *tom.* 1. *pag.* 475.
& plerumque debent alia etiam negotia in Curia explica-
re. Quæ vix fieri poſſent infra ſpatium unius menſis. Un-
de non eſt veriſimile, ut Pontifex voluerit eos arctare,
ut infrà tam brevem terminum ab Urbe abſcedant, arg.
l. Titius, §. *fin. ff. de excuſat. tut.* Rom. *conſ.* 410. *Ut clarior,
num.*

*n.*1. Quia lex debet eſſe rationabilis,& poſſibilis; aliàs non
eſſet obligatoria, *c. Erat autem lex* 4.*diſt.* Nec tranſgreſſio
ejus imputaretur ad pœnam,ut ibi per gloſ. in *verſ. Poſſibi-*
20 *lis*,quinimò cùm ex Con.Trid.Epiſcopi tres menſes ſingulis
annis à ſuisEccleſiis abeſſe liceat,dummodò id ęqua ex cau
21 ſa fiat, ut in *c.* 1. §. *Quoniam autem ſeſſ.* 23.Et hęc facultas
non fuerit illis adempta per Conſtitutionem Urbani, ut
22 aliàs fuit declaratum: nihil prohibet,quo minùs hujuſmodi
facultate uti poſſint in princ. anni ſuæ proviſionis ante-
quam munus conſecrationis ſuſcipiant,&ſe ad reſidentiam
conferant.
23 Verùm his non obſtantibus dicendum videtur terminos
præſcriptos in Bulla Urbani ad committendum ſe itineri,
& conferendum ſe ad reſidentiam,eſſe computandos à die
proviſionis, ſeu pronunciationis factæ per Papam in Con-
ſiſtorio, non autem à die conſecrationis; quia verbum pro-
motionis, quo Bulla utitur, ex proprietate vocabuli com-
prehendit etiam electos, & confirmatos, ut eſt textus in *c.*
Cùm in cunctis, §. *Inferiora*, *verſ. Hoc ſanè de elect.* juncta
gloſſ. quæ exponit *verſ. Promoti*, id eſt electi, & confirmati,
ſed non ordinati: & concordant ibi Innoc. Compoſtell. &
Hoſt. facit text. in *c. Super his de accuſat.& c. Non magnope-
re in fin.& c. ultimo*, *in fin. Ne Clerici*, *vel Monachi*,& ita
24 per hæc jura firmant Dec. *n.* 7. & Ripa *n.* 1. Ego præter eos
allego duo jura, quæ irrefragabiliter convincunt proviſos,
ſeu pronunciatos à Papa in Conſiſtorio appellari promo-
tos, etiamſi nondum fuerint conſecrati. Primum eſt in ex-
travag. *Injunctæ de elect.* in illis verbis: Epiſcopi,& Abbates,
qui apud dictam Sedem promoventur, aut confirmationis,
conſecrationis,vel benedictionis munus recipiunt: necnon
ibi *Eorum promotionem,confirmationem, ſeu benedictionem:*
per quem textum tollitur etiam motivum, de quo ſuprà *nu.*
25 16. quòd appellatione Epiſcopi, vel promoti in pœnalibus
non veniat non conſecratus. Nam dicta extravag. *Injunctæ*,
imponit pœnas Epiſcopis accedentibus ad Eccleſias ſibi
commiſſas, & adminiſtrationem ſuſcipientibus ante expe-
ditas Bullas: & tamen comprehendit etiam promotos in
curia, ſeu proviſos per Papam, necnon electos, & confir-
matos,etiam non conſecratos,cùm de illis& de conſecratis
loquatur disjunctivè. Undè ſi promoti, & nondum conſe-
crati ad Eccleſias ſe conferrent, & bonorum Eccleſiaſtico-
rum adminiſtrationi ſe immiſcerent, proculdubio incide-
26 rent in pœnas ibi ſtatutas. Præterquamquòd cùm materia
reſidentiæ concernat utilitatem animæ, etſi Conſtitutio
Urbana aliàs eſſet exorbitans, & pœnalis; tamen reciperet
extenſionem,ut notat Jo.Andr. in *c. Ex tenore n.*5. *verſ. Illa
enim conſtitutio, qui fil. ſint leg.* ubi ſingulariter ait, conſtitu-
tionem,etſi videatur odioſa,quia pœnalis; tamen favorabi-
lem eſſe ſi ſit inducta in animarum favorem; & ideò illius
pœnam non eſſe reſtrigendam, ſed dilatandam. Sequitur
Sarnen. alios citans in *regul. de veriſimili in* 1.*qu.nu.*3.*verſ.
Iſtis tamen non obſtantibus.* Et nihilominimus etiam in pœ-
nalibus fit lata interpretatio, quatenùs patitur verborum
proprietas,ut dixi in *c. Inter cæteras n.*18.*ſup. eod.* præſertim
cùm in proviſis,& conſecratis militet eadem ratio,ut pate-
27 bit inf. *n.*31. Alterum eſt jus noviſſimum Conc.Tr. *ſeſſ.*9.*c.*9
ubi ſic legitur: Ad majores Eccleſias promoti munus conſe-
crationis infrà tempus à jure ſtatutum ſuſcipiant. Ecce igi-
tur text. rotundus, quòd promoti dicuntur eſſe non con-
ſecrati.
Nec obſtat hæc decretalis, quoniam non probat id, ad
quod eam inducit Franciſcus Vercell.& ſequaces ſuprà ci-
tati *n.*5. uti benè advertunt hìc Dec. Ripa,& Joan. de Anan.
omnes *in* 1. *notab.* Nam tempore datæ litterarum vacabat
Sede. Ergo iſte non erat electus,& confirmatus,quia ſic Se-
des non vacaſſet, *c. Tranſmiſſam infr. de elect.* & dum text.
dicit, Nec adhuc eſſet conſecratus, debet intelligi, nec ele-
28 ctus. Addo quòd præcitati Doctores videntur habuiſſe bo-
num intellectum, non enim dixerunt abſolutè aliquem non
dici promotum ante conſecrationem, ſed dixerunt Epiſco-
pum non dici promotum. Undè ſenſus eſt, quòd non con-
ſecratus non dicitur promotus Epiſcopus, quia electus, &
confirmatus, licèt dicatur promotus, adhuc tamen non di-
citur Epiſcopus. Idque ſatis apertè præter alios declaravit
Imola *in* 1 *notab.* dum ait. Nota quòd ante conſecrationem
non dicitur quis promotus in Epiſcopum, licèt ſit electus,
& confirmatus: nam ante confirmationem non debet ap-
pellari Epiſcopus, ſed electus, dum ſit confirmatus.

Præterea conſtitutio Urbani non loquitur explicitè de 29
Epiſcopis, quorum appellatione, ut prædixi, regulariter ve-
niunt ſolùm conſecrati: ſed adinſtar Concilii Trident. *c.*1.
verſ. Ne verò ſeſſ. 23. loquitur de Præfectis Cathedralibus,
vel majoribus Eccleſiis, quorum appellatione abſque dubio
veniunt etiam non conſecrati, ut clarè probatur in decreto
ejuſdem Concilii *d. ſeſſ.* 23. *c.* 2. ubi ſancta Synodus ſtatuit
per hæc formalia verba, videlicet, Eccleſiis Cathedralibus,
ſeu Superioribus quocumque nomine, ac titulo Præfecti, ſi
munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad
fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur. Et ita evi-
denter patet Præfectos Eccleſiis Cathedralibus propriè dici
ante conſecrationem: & conſequenter dum Bulla Urbani
præſcribit eiſdem Præfectis terminum ad conferendum ſe
ad reſidentiam computandum à die eorum promotionis,
debet intelligi de illa promotione, quę fit à Papa in Conſi-
ſtorio ante conſecrationem; & cum myſterio Bulla adinſtar
Concilii Trident. non Epiſcopi, ſed Præfecti nomen adhi-
buit, ut fortè ſubmoveret dubitationem, quæ fieri potuiſſet
de computatione temporis à die conſecrationis.
Et nihilominùs etiam ſi Bulla nominatim loqueretur de
Epiſcopis, tamen regula illa, quòd Epiſcopi appellatione
non venit electus, & confirmatus non conſecratus, recipit
duas notabiles limitationes, quæ optimè adaptantur caſui,
de quo nunc agitur.
Primò enim limitatur, niſi in electo militet eadem ratio, 30
quæ militat in conſecrato: tunc enim appellatione Epiſco-
pi venit etiam electus, ut per gloſſ. in *Clem.* 1.*in ver. Epiſco-
pis de for. compet.* & ibi Abb. *n.* 2. & tunc promotus dicitur
etiam non conſecratus: & ita per illam gloſſam probat hanc 31
limitationem Felin. hìc *nu.*1.*col.*2.*poſt princip. verſ. Et adde
gloſſ.* & ante eum Marin. Socin. in *ſua diſp.* quæ incipit, *A
ſacroſanctæ*, & eſt tertia in ordine; reddens rationem, quia
ſtante rationis identitate non dicitur fieri extentio, ſed
comprehenſio; & eum ſequitur idem Felin. hìc *n.*5.*col.*5.*poſt
medium*, *verſ. Reſpondet ad gloſſam:* in materia autem reſi-
dentię, de qua loquitur Conſtitutio Urbana, nulla eſt diffe-
rentia inter electum, confirmatum, ſeu pronunciatum à Pa- 32
pa, & conſecratum, ut probat text. in *c. Inter corporalia*, §. *Si-
cut enim de transl. Epiſcopi*, per hęc formalia verba: *Sicut e-
nim Epiſcopus conſecratus ſine licentia Romani Pontificis
ſuam non debet Eccleſiam derelinquere, ſic & electus confir-
matus, cùm non debeat in dubium revocari, quin poſt electio-
nem, & confirmationem Canonicam inter perſonalis eligen-
tiam, & electi conjugium ſit ſpirituale contractum, cui profe-
ctò Epiſcopalis dignitas nihil addit:* & infrà. *Undè cùm non
ſit majus vinculum Epiſcopi ad Eccleſiam, quàm electi, ma-
ximè cum fuerit confirmatus, imò idem penitùs, & non aliud:
idem juris obtinet in utroque.* Hęc ibi. Et quamvis ante conſe- 33
crationem non habeat poteſtatem ordinis, quę in conſecra-
tione tantùm confertur; tamen aſſequitur plenariam in ſpi-
ritualibus, & temporalibus adminiſtrationem, *c. Tranſmiſ-
ſam de elect.* & Papa in Conſiſtorio facta propoſitione per
Cardinalem relatorem pronunciat Epiſcopum per hæc for-
malia verba: *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & 34
Spiritus ſancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac
noſtra, Eccleſiam N. de perſona N. providemus, ipſumque illi in
Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam, & adminiſtratio-
nem ipſius eidem in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè
committen.* & Cardinalis relator firmat ſchedulam, quam
mittit Vicecancellario, per ſimilia verba, ut refert Flamin.
Pariſ. *de reſig. Benef. lib.*8.*q.*6.*n.*23.*&* 35. Quamobrem cùm
etiam ante conſecrationem ſit Paſtor, & curam habeat ani-
marum, utique tenetur oves ſuas agnoſcere, & paſcere præ-
cepto divino; & conſequenter apud Eccleſiam ſuam perſo-
naliter reſidere, ut in Conc. Trid. *c.*1.*ſeſſ.*23. Et eſt ſimile in 35
Parocho, qui habet regimen animarum, & tenetur perſona-
liter reſidere, etiamſi non ſit promotus ad Sacerdotium, ut
c. Licet Canon. §. *Is etiam de elect. lib.* 6. & ibi notat Butr. in
3.*not.* Anchar. *in* 2. Gemin. *in d.* §. *Is etiam, verſ. Quæro quan-
do dicatur*, & Franc. *ibi d. n.*3. *in fin. verſ. In eod. Gloſſa.*
Et confirmatur, quia Epiſcopis ex Concilio, *d. c.* 1. §. *Quo-* 36
niam, ſeſſ. 23. non licet longiori ſpatio, quàm duorum, vel
trium menſium, ſingulis annis ab Eccleſia abeſſe. Quòd ſi
Bulla Urbani VIII. non arctaret proviſos ad reſidendum,
niſi poſt menſem à die conſecrationis, haberent omnes pri-
mo anno ad minus quator menſes abſentiæ: nam tres
menſes habent ad ſuſcipiendum munus conſecrationis, *cap.*
Quo-

Quoniam 75. *diſt. c. Quoniam* 100. *diſt.* Concilii Tridentini
ſeſſ. 23. *c.* 2. & alium menſem haberent ex Bulla; quod eſſet
abſurdum, quia cùm Conſtitutio emanaverit in favorem
reſidentiæ, non debet in ejus diſpendium retorqueri, *leg.
Quod favore*, *C. de legib. c. Quod ob gratiam de reg. jur. lib.* 6.
nec operari contrarium ejus, ad quod inducta eſt, *l. Legata*
37 *inutiliter*, *ff. de adimen. legat. cum ſimil.* Nec verum eſt pro-
motos ad Epiſcopatum poſſe ſumere tres menſes abſentiæ
in principio anni ſuæ promotionis. Quoniam Concilium
in d. §. *Quoniam*, intelligi debet de Epiſcopis reſidentibus,
qui à ſuis Eccleſiis abſcedunt; non autem de illis, qui num-
quam ad reſidentiam ſe contulerunt, ut patet ibi: *Statim re-
verſuri ſunt*, *l. Plerique*, *ff. de rit. nupt. leg. Vir mulieri*, *ff. de do-
nat. inter vir. & uxor. & l.* 3. *ff. de divort.* necnon ibi, *Abſce-
dentium*, quod verb. neceſſariò ſupponit Epiſcopos anteà in
ſuis Eccleſiis reſediſſe, ac deindè ab illis receſſiſſe, ut *l. Uni-
ca*, *Cod. de Colon. Paleſt. lib.* 11. Nec obeſt anguſtia temporis
unius menſis ſupra ponderata *nu.* 18. quia ad expediendas
Bullas ſufficiunt dies circiter viginti, & intereà poteſt pro-
motus ſe expedire à viſitatione ſacri Collegii, & aliis in
Curia peragendis; & expedit animarum ſaluti, ut quanto-
ciùs ad reſidentiam ſe conferant.

38 Secundò, limitatur ſupraſcripta regula, ut locum habeat
ſolummodò in ſpectantibus ad exercitium, & decorem or-
dinis Epiſcopalis, in quibus appellatione Epiſcopi venit tan-
tùm conſecratus, *c. Tranſmiſſam*, cum ibi notatis *de elect.* &
tradit Butr. in *conſ.* 19. *Quia hic agitur*, cum aliis hìc conge-
ſtis per Felin. *n.* 1. *col.* 3. *in princ. verſ. Et ideo dicit Butrius*;
39 ſecus verò ſi materia ſubjecta concernat juriſdictionem
Epiſcopalem, quia cùm hæc cadat in electo confirmato, ut
d. c. Tranſmiſſam, cum Gloſſ. in *ver. De talibus*, diſpoſitio lo-
quens de Epiſcopo verificatur etiam in electo confirmato,
ſeu proviſo, licèt non conſecrato, ut notat Gloſſ. in *d. Clem.*
1. *in ver. Epiſcopis*, & ibi Abbas *n.* 2. *de foro compet.* Cardin.
poſt Zenzelinum in *Clem.* 1. *in* 6. *q. De pœnis*, Felin. alios re-
ferens hìc *n.* 9. *verſ. Reſtringuntur*, Jo. de Selva *de Benef. part.*
1. *q.* 2. *n.* 49. Hoc autem caſu verſamur in materia reſiden- 40
tiæ, quæ non præter quirit ordinem Epiſcopalem, imò poteſt
ac debet fieri à proviſis etiam non ordinatis, ut in d. *c. Li-
cet Canon. §. Jus etiam de electione lib.* 6. & fuſiùs oſtenſum
eſt in præcedenti limitatione. Facit quod notat Jo. Andr.
in *c. Cum ex eo*, ibi: *Et per id idem dicendum in electo*, de 41
elect. lib. 6. ubi tenet, electum confirmatum poſſe dare item
licentiam clerico ſe abſentandi à Parochiali per ſepten-
nium ſtudiorum cauſa, licèt ille text. loquatur de Epiſcopis:
& eum ſequuntur Felin. & Joann. de Selva *locis citatis*. Ex
quibus patet etiam reſponſum ad objecta: & ita fuit obſer-
vatum in caſu bon. mem. Ludovici Rodulphi Epiſcopi Pa-
ctenſis, qui cùm in morbum incidiſſet poſt menſem à die
propoſitionis in Conſiſtorio, ſeu infrà menſem à die ſuſce-
pti muneris conſecrationis, & paulò poſt in Curia obiiſſet,
ejus bona tamquam ſpolia Cameræ Apoſtolicæ applicata
fuerunt, nulla habita ratione facultatis teſtandi, quam ob-
tinuerat à felicis record. Urbano VIII. & adde quod de
hac Bulla ſuper reſidentia ſcripſi in *c. Qualitate à n.* 11. *uſ-
que in fin. de Cler. non reſiden.*

De materia decretalis, videlicet, quando Papa Sede va-
cante, vel plena mandat Capitulo, vel Epiſcopo, ut aliquem
recipiant in Canonicum, & in Fratrem, eique præbendam
conferant, numquid mandatum poſſint, aut debeant adim-
plere, vide magiſtralem diſtinctionem Baldi hìc *n.* 34. &
Henric. Boich. *n.* 6. *verſ. Si quis quando Papa*.

D E R E S C R I P T I S.

Lucius III.

C A P U T XI.

AD audientiam noſtram, te ſignificante, pervenit, quòd H. de ſancto Stephano ſuper abſolutione ſua litteras tibi (ut prima facie videbatur) Apoſtolicas præſentavit. Quibus (quoniam manifeſtum continent in conſtructione peccatum) fidem te nolumus adhibere.

S U M M A R I U M.

1 *Latinitas falſa vitiat reſcriptum Papæ.*
Amplia, etiamſi falſa latinitas ſit in uno tantùm ex Capitulis ſeparatis, num. 4.
Limita, ſi ſit in ſupplicatione, & narrativa partis, num. 8.
2 *Litteræ Apoſtolicæ deficiendo in figura litterarum, deficiunt in figura ſubſtantiæ.*
3 *Et præſumuntur falſificatæ præſumptione juris, & de jure.*
5 *Scripturæ fides eſt indiviſibilis.*
Declaratur, n. 13.
6 *Subreptio in una parte non vitiat totum reſcriptum in partibus ſeparatis.*
7 *Declara, quando eſt in parte, quæ non cauſat principaliter conceſſionem gratiæ.*
9 *Litteræ Apoſtolicæ facultatis teſtandi, & transferendi penſiones, an ex omiſſione regiſtrationis in Camera cenſeantur nullæ quoad utramque facultatem teſtandi dumtaxat.*
10 *Regiſtrationis omiſſio adimit fidem Brevi Apoſtolico, quoad facultatem teſtandi, ſed non quoad facultatem transferendi penſiones.*
11 *Scriptura continens capitula ſeparata, quamvis non probet quoad unum, poteſt tamen probare quoad aliud.*
12 *Niſi defectus proveniat ex dolo illius, à cujus auctoritate fides ſcripturæ dependet.*
14 *Inſtrumenti unius falſitas, & defectus fidei influit etiam in alia inſtrumenta.*

A*D audientiam*. Falſa latinitas vitiat reſcriptum 1
Papæ; hoc dicit Joann. Andr. Bald. Bellam. Butr.
Cardin. Anch. Imol. Abb. Jo. de Anan. Barbat. Felin. &
Dec. & ſic litteræ Apoſtolicæ deficiendo in figura littera- 2
rum deficiunt in figura ſubſtantiæ; ut inquit Bald. hìc *nu.*
2. Ratio decretalis eſt, quia reſcriptum Papæ tranſit per
multas manus, & magna maturitate decoquitur, *cap.
Apoſtolicæ*, & ibi Gloſſ. 1. 35. *quæſt.* 4. Joan. de Imol. *conſ.*
133. *Viſo reſcripto n.* 5. nec eſt veriſimile, ut aliquis ex of-
ficialibus non viderit falſam latinitatem, & illam non
emendaverit, ut hic in Gloſſ. *unica*. Ideòque reſcriptum
hujuſmodi præſumitur extra voluntatem, & cancellariam 3
Principis, & ab aliis fuiſſe falſificatum, ut ait Gloſſ. &
Felin. *hic num.* 2. Imò hæc eſt præſumptio juris, & de ju-
re, ut reſpondit Ludov. Roman. *conſ.* 376. *Quæſtio eſt nun-
quid n.* 11. *in fin.*

Et intellige regulam hujus text. etiamſi falſa latinitas ſit 4
in uno tantùm ex capitulis ſeparatis, adhuc enim reſcri-
ptum vitiatur in totum, quia tota auctoritas & fides deficit, 5
cùm fides ſcripturæ ſit indiviſibilis, ut patet in text. ibi:
Fidem te nolumus adhibere, *& in c. Si ad ſcripturas* 9. *diſt.
& in c. Puræ, & ſimplex* 3. *q.* 9. & hìc firmant Bald. *n.* 15.
& Felin. *n.* 2.

Nec obſtat text. in *cap. Si eo tempore infra eodem lib.* 6. 6
ubi ſubreptio in una parte non vitiat totum reſcriptum in
partibus ſeparatis. Quoniam aliud eſt ſubreptio in tacen- 7
do verum, ut ibi, aliud in exprimendo falſum, ut hìc:
nam ſubreptio non impedit, quin conſtet de voluntate
Principis in capitulo ſeparato, quando eſt in parte, quæ non
cauſat principaliter conceſſionem gratiæ, ſed Papa aliun-
dè

dè movetur. At falſa grammatica operatur, ut totum reſcriptum videatur extra voluntatem Principis, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra *n.* 1. & ita poſt Abbatem in *c. Sedes infrà eod.* ad prædictam objectionem reſpondet Felin. hîc *n.*2. qui ampliùs ad regulam hujus decretalis ponit quinque
8 ampliationes, & 11. limitationes, quas per te videas. Et ultra eum limita duodecimò eamdem regulam, ut locum habeat ſi falſa latinitas ſit in parte, in qua Princeps reſcribit: ſecus verò ſi ſit in ſupplicatione, & narrativa partis, ut per Jo. de Imol. *d.conſ.*133. *n.* 5.

9 Ex facto quæſitum eſt, an litteræ in forma Brevis, quibus tribuitur facultas teſtandi, & transferendi penſiones, ex omiſſione regiſtrationis in Camera cenſeantur nullæ quoad utramque facultatem, an verò quoad facultatem teſtandi dumtaxat.

10 Facultas teſtandi, quæ regiſtrari debet in Camera, nullam habet connexitatem cum facultate transferendi; ideòque omiſſio regiſtrationis, etſi adimat fidem Brevi quoad facul-
11 tatem teſtandi, non tamen cenſetur illam adimere quoad facultatem tranferendi: nam quoties ſeparata ſunt Capitula, quamvis ex aliquo defectu ſcriptura non probet quoad
12 unum, poteſt tamen probare quoad alia, Gloſ. in *l. Si ex falſis in ver. Niſi forte, C. de tranſact.* quam dicit Alexan. *ibid. n.*4. in judiciis obſervari, & omnes ad eam recurrere. Quod ſine dubio procedit, quando defectus non provenit ex dolo illius, à cujus authoritate fides ſcripturæ dependet, prout non provenit in caſu noſtro, Rot. *dec.*3. *de fide inſtru. in antiq.* Bart. Angel. & alii apud Anton. Gabr. *comm. concl. de crimin. concl.*3. *n.*2. Legiſtę in *d.l. Si ex falſis*, & Canoniſtę in *c. Fraternitatis infrà de hæreticis*, Dec. in *conſ.*317. *n.* 7. & 8.

Neque obſtat, quòd fides inſtrumenti ſit indiviſibilis, ut 13
dictum eſt ſuprà *n.* 5. quia reſpondetur id procedere, quando agitur de defectu fidei perſonæ adſtruentis fidem inſtrumento; tunc enim ſi perſonæ non creditur, ut puta notario in uno Capitulo, nec credi etiam debet in alio, cùm ab ejuſdem perſonæ authoritate dependeant. Imò, quod plus eſt, falſitas, & defectus fidei unius inſtrumenti influit etiam in alia inſtrumenta. Ita loquuntur Doctores in *l. Si ex falſis.* 14
Et ita accipi debet quod dicitur fidem inſtrumenti eſſe indiviſibilem. At in caſu noſtro fides unius partis Brevis, ſcilicet facultatis teſtandi, non proficiſcitur à perſona, quę Breve confecit, ſed à regiſtratione omiſſa, quæ ſubſequi debebat: & ita ceſſat ratio individuitatis fidei, quam Doctores in falſitate inſtrumenti conſiderant.

D E R E S C R I P T I S.

Innocentius III. electo Decano, & N. Canonico Cameracenſi.

C A P U T XVIII.

Cauſam quæ inter Præmonſtraten. & Pramon. Eccleſias ſuper poſſeſſionibus de Anapia vertitur: & infrà. Quia in litteris animadvertimus fuiſſe inſertum, quòd ſi alterutra partium citata legitimè, præſentiam veſtram adire, vel judicio veſtro parere contemneret, vos præſentis partis probationes recipere, & quantum de jure poteritis, in cauſæ cognitione, ac deciſione procedere minimè tardaretis: Nos volentes, ut clauſula illa (quantum de jure poteritis) quæ antequam de probationum receptione mentio fieret, fuerat inſerenda, clauſulam illam de receptione probationum præcedat: Mandamus, quatenus ipſam intelligentes ibidem, in cauſa juxta tenorem litterarum procedere non tardetis, proviſuri ut ſi litterarum auctoritate priorum, in eodem negotio legitimè eſt proceſſum. firmum & ſtabile perſeveret: alioquin ſi occaſione clauſulæ memoratæ aliquid conſtiterit in alterius partis præjudicium attentatum, id viribus decernimus cariturum: mandantes, ut in deciſione ipſius negotii (ſicut præmiſſum eſt) tam ſuper principali, quàm ſuper incidentibus quæſtionibus, appellatione remota. canonicè procedatis.

S U M M A R I U M.

1 *Ordo reſcripti interpretationem recipit à jure communi.*

2 *Clauſula in reſcripto poſita debet ad ſtatum juris reduci ubicumque ſita reperiatur.*

3 *Ordo ſenſus, & intellectus magis ſervandus, quam abuſivus ordo verborum.*

4 *Reſcriptum Principis debet reduci ad terminos juris communis, etiam impropriando verb. Et quid in privilegiis, n. 7. & ſeqq.*

5 *Reſcripta contra jus elicita, niſi aliud appareat de voluntate Principis, non valent, n.* 31.

6 *Reſcriptum conceditur ad juris communis obſervantiam; aliàs tranſit in privilegium.*

8 *Privilegia ſunt reſtringenda, ut minùs lædant jus commune, quam fieri poſſit, dum tamen aliquid conferant quantumcumque minimum, numer.* 24. & 26.

9 *In quantum tangunt jus concedentis, ſunt latiſſimè interpretanda.*

10 *Sed in quantum tangunt jus tertiis, ſunt reſtringenda, & num. ſeqq.*

11 *Gratia Principis ita eſt interpretanda, ut non noceat tertio.*

12 *Amplia primò etiam in gratia conceſſa miſerabilibus perſonis.*

13 *Amplia ſecundò etiam in gratia conceſſa Regibus.*
Amplia tertiò, etiamſi præjudicium ſit modicum, nu. 15. *ſed contra, nu.* 16.
Amplia quartò, etiam quando reſcribitur motu proprio, numero 17.
Amplia quintò, etiamſi aliàs gratia nihil conferret, num. 24. & 26.
Amplia ſextò, etiamſi oporteat recedere à proprietate verborum, n. 27.
Limita, niſi verba ſint adeò clara, ut ceſſet omnis ambiguitas, num. 34.

14 *Privilegia Regum in dubio ſunt interpretanda, ut minus derogent juri communi, & ſuperioritati Pontificiæ.*

18 *Motus proprius non firmat privilegium contra jus alterius.*

19 *Licèt præſervet à ſubſcriptione, non tamen operatur remotionem juris alieni.*

20 *Princeps non intendit juri alterius derogare.*

21 *Clauſula, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis ſtante intentionis defectu nihil operatur.*

22 *Intentionis defectus ſemper opponi poteſt, licèt in motu proprio ſublata ſit facultas de eo dicendi.*

23 *Onus tamen probandi incumbit alleganti.*

25 *Verba reſcripti tolerabilius eſt, ut nihil operentur, quàm ut aliquis indebitè damnum patiatur.*

26 *Privilegium, ubi non agitur de præjudicio tertii, non debet adeò ſtrictè interpretari, ut nihil operetur.*

28 *Clauſula,* Non obſtante collatione alteri facta, *intelligitur de collatione invalida, ne tertio præjudicetur.*

29 *Reſcripti verba, quòd aliquis ſit privatus beneficio propter crimen non inducens privationem ipſo jure, impropriantur, & exponuntur, quod ſit privandus.*

30 *Princeps reſcribens ſcienter contra jus, tollit juris ob-*

obſtaculum .
31 *Contrarium .*
32 *Declaratur .*
33 *Princeps reſcribendo ſimpliciter contra jus , præſumitur circumventus .*
34 *Verba clara interpretationem non admittunt .*
35 *Regulæ de jure quæſito non tollendo debet expreſsè derogari, nec ſufficit ſcientia Papæ implicita , vel explicita ex narratis, quod agebatur de præjudicio tertii .*
36 *Nec ulla formula introduci poteſt , per quam dici poſſit conſtare de mente Papæ volentis tertio præjudicare , niſi faciat regulæ mentionem .*
37 *Fallit in gratia ex ſui natura præjudiciali .*
38 *Item fallit in gratia , quæ fit ob publicam utilitatem .*

1 C*Auſam quæ* . Ordo reſcripti interpretationem recipit
a jure communi: Hoc dicit Joan. Andr. Bellam. Butr.
Card. Anchar. Imol. Abb. & Jo. de Anan. Vel aliter ſecundum
2 Anton. de Butr. Abb. & Felin. Clauſula in reſcripto poſita de-
bet ad ſtatum juris reduci , ubicumque ſita reperiatur. Vel
3 pleniùs ſecundum Bal. Ordo reſcripti recipit interpretatio-
nem ab ordine prefixo de jure communi: & verba prepoſita,
vel poſtpoſita idem ſignificant: & ordo ſenſus, & intellectus
magis ſervandus, quàm abuſivus ordo verborum. Dividitur
in duas partes , in prima ponitur partis conqueſtio , in ſe-
cunda reſponſio, ac judicis inſtructio, ibi, *Non volentes* .

4 Nota primò, ex hac decretali notabilem theoricam, quòd
reſcriptum Principis debet reduci ad terminos juris communis, etiamſi oporteat id facere per impropriationem verborum, prout ex hoc text. deducunt Abb. & Dec. ambo in 1. *notab.* & notat Gloſſ. in *c. Paratus in verb. Si verba* 23 *.qu.* 1. quæ per hunc text. dicit , verba in reſcripto poſita juri , & æquitati eſſe conformanda , licèt verba non patiantur, Oldra. *conſ. 268. Quæſtio eſt utrum n.* 5. Calder. *conſ. 2. Si mandatur n. 1. de reſcriptis*, dicens reſcripta debere interpretari ſecundùm jus, etiamſi quantum ad verba videantur diſcrepare à jure communi, & de hoc eſſe caſum in hac decretali, & in *c. Super litteris infra eod. & in c. Super quæſtionem*, §. *Si verò de off. deleg.* Ad quod plura more ſuo cumulat hìc Felin. *n. 5. & ſeqq.*

5 Rationem hujus concluſionis aſſignat Calder. *ubi ſuprà* , quia reſcripta contra jus elicita , niſi aliud appareat de voluntate Principis, non valent, *l. Reſcripta, C. de precib. Imper. offer. c. Reſcripta* 25. *q.* 2. ergo in quantum poſſunt, reduci debent ad jus commune .

6 Aliam rationem reddit Abb. hìc *n.* 1. quia reſcriptum conceditur ad juris communis obſervantiam, nec debet aliquid continere contra jus: nam tunc eſſet privilegium, ut notat gloſſ. in *c. 1. in verb. Noſcatur in fin. de conſtit. lib. 6.* & Cyn. in *d. l. Reſcripta, C. de precib. Imp. offerend.* Igitur ne reſcriptum quid operetur contra naturam ſuam , debet ita, & taliter intelligi, ut juri communi non obviet .

7 Et per hanc rationem videtur Abb. ſentire , aliud eſſe dicendum in privilegiis , quæ conceduntur contra obſervantiam juris communis , & tenet expreſsè gl. hìc in *verb. Præcedat*, dicens verba in reſcriptis eſſe intelligenda ſecundùm jus commune, ut hìc, & in concordant. in ea allegatis, ſecus in privilegiis, *c. Ad audientiam in fin. infrà de Decim. c. In his de privil.* Idem Inn. hìc *n.* 2. Hoſtien. *n.* 10. dicentes in privilegiis fieri latam interpretationem, *l. fin. ff. de conſtit. Princip. c. Olim, de verbor. ſignific.* dummodò à verbis privilegii non recedatur, *c. Ad aures infr. de privileg. c. In ſingulis* , §. *Porrò de ſtatu Monachorum*, cum ſuis concordant .

8 Sed tu dicas, privilegia, in quantum poſſunt, eſſe reſtringenda ad limites juris, ut quantò minùs fieri poteſt lædant jus commune, ut eſt text. in *d. l. Si quando in princ. C. de inof. teſt.* dum tamen ita intelligantur , ut aliquid conferant quantumcumq; minimum, per ea, quę leguntur, & notantur in *c. Olim de verb. ſignif. in d. c. In his de priv.* ut benè per Butr. hìc *n.* 17. Imol. *n.* 11. *ver. Interdum autem*, & Dec. *n.* 3.

9 Et quamvis privilegia in quantum tangunt jus concedentis, latiſſimè ſint interpretanda, per id quod habetur in *cap. Cum dilectus infr. de conſuetud.* nam quoad concedentem cenſentur eſſe beneficia , in quibus ſit latiſſima interpretatio , quando agitur de prejudicio ſolius concedentis, juxta not. in *c. fin. infr. de translat. Epiſcoporum, & in d. c. Olim de*
10 *verbor. ſignif.* tamen in quantum tangunt jus tertii, ſunt reſtringenda, *c. Paſtoralis inf. de priv.* & not. Innoc. in *c. Cum dilecti de donat. in c. Tua de decim. & in d. c. ult. de translat. Epiſc.* Oldrad. *d. conſ. 268. nu.* 2. Bald. *in l. Nec avus n. 2. C. de emancipat. liber.* Butr. *hic n.* 18. Imol. *n.* 11. *verſ. Et prædicta procedunt*, & Felin. *n.* 10. *verſ. Et ideò dicit Bald.*

Itaque ſi Princeps alicui privilegium concedit, ipſum ſic temperatè , & civiliter eſt intelligendum , ut in quantum fieri poteſt, ſine alterius injuria, & juris alieni præjudicio , præſertim ſi per ipſam juris interpretationem aliqua utilitas cui conceditur , afferri poſſit , intelligatur conceſſum; quę ſunt formalia verba Oldradi in præalleg. *conſ. 268. n.* 1.

Et generaliter conceſſiones Principis ita eſſe interpre- 11
tandas , ut non noceant tertio , probant jura clara in *l.* 2. §. *Meritò* , ibi ; Nam quoties aliquid in publico fieri permittitur, ita oportet permitti, ut ſine injuria cujuſque fiat , *ff. Ne quid in loc. public. & in l. Impuberi* , ibi : Privilegium militum ad alienam injuriam porrigi non oportet , *ff. de adminiſtr. tutor. & in l. Sed cum ab hærede* , ibi : Præſertim ſi novum beneficium cum alterius injuria poſtularetur, *ff. ad Trebell. & in l. Nec avus* , ibi : Nec in cujuſquam injuriam beneficia tribuere moris eſt noſtri , *Cod. de emancipat. liber. & in cap. Ex tuarum infr. de uſu Pallii*, ubi gloſſ. in *verb. Permittat, & in cap. Ad aures , verſ. Cum non ſit intentionis noſtræ ſuprà eodem c. Ex parte il primo*, ibi: Si memores fuiſſemus, & *cap. Super eo* , ibi: Non tamen eſt noſtræ intentionis, *infrà de off. deleg.* dum plurimis concordant. & notat gloſſ. 1. in *cap. Ecce 99. diſt. & in cap. lege in verb. Deciſiones* 10. *diſt. & in c. 1. in verb. Juſtitiam* 22. *diſt.* cum multis ſimilibus , ut hìc per Felin. *numer.* 10. *verſ. Et generaliter* , Rota *in antiquioribus deciſ. 2. num. 2. de renunc.*

Amplia primò , etiamſi privilegium conceſſum eſſet per- 12
ſonæ miſerabili; nam adhuc intelligendum eſſet ſine præjudicio tertii: neque enim jura patiuntur, ut unius inopia per alterius injuriam relevetur , nec quod ex pietate aliquibus miſerabilibus perſonis conceditur , ad injuriam alterius redundet, *ca. 1. 22. qu. 2. & cap. 2. infrà de Eccleſ. ædific.* & tradunt Oldrad. *d. conſ. 268. n.* 8. & Sarnen. *in reg. de jure quæſito non toll. q. 1. n.* 4.

Amplia ſecundò, etiam in privilegiis conceſſis Regibus , 13
quæ odioſa ſunt , ut per Rebuff. *ſuper concord. in tit. de Re-* 14
gib. ad Prælat. nominan. in princ. in gloſſ. in *verb. Cathedralibus* , & Felin. hìc *n.* 25. & ideò veniunt interpretanda, ut minùs derogent juri communi, & ſuperioritati Pontificiæ, Caputaq. *deciſ. 84. n. 6. & 7. part.* 2.

Amplia tertiò , etiamſi præjudicium ſit modicum , 15
gloſſ. in *cap. Cùm olim in verbum præjudicium infrà de conſuetudin.* Felin. hìc *num.* 10. *verſ. Et quæ dicuntur de præjudicio* . Sed in oppoſitum eſt gloſſ. *fin. ad d. l. Nec avus, Cod. de emancip. liber.* quæ exponit verbum , *Injuriam* , ſcilicet
magnam , ſed parva toleratur . Et allegat multa jura . Ac 16
item gloſſ. in *d. cap. Ad aures in verb. Intentionis ſuprà eod.* quæ dicit Papam ſic uni concedere beneficium , ut alium non lædat , vel gravet , ſaltem graviter, ſeu enormiter, per jura ibi allegata .

Amplia quartò , etiam quando reſcribitur motu pro- 17
prio, ut notat Hoſt. in *cap. Cauſam quæ in princ. in verb. Vobis conſultum infrà de teſt.* Calderin. in *c. Mandatum num.* 24. *ſupra eodem* , Abb. in *cap. 1. num. 21. de judic.* Felin. hìc *num. 10. verſ. Et procedunt hæc*, Rota *deciſ. 531. num. 25. in*
3. 4. part. recent. Et quòd metus proprius non firmet privi- 18
legium contra jus alterius , tenent Abbas in *cap. Ad aures num. 5. ſuprà eodem*, Butr. in *cap. Per venerabilem num.* 15. *infr. qui fil. ſint legitimi*, Præpoſ. in *cap. Quia circa num. 4. de conſang. & affinit.* Rota in *antiq. deciſ. 445. aliàs 71. de reſcr.*
& deciſ. 33. num. 6. & 8. de præb. ubi quòd motus proprius 19
licèt præſervet à ſubreptione , tamen non operatur remo-
tionem juris alterius , Seraph. *deciſ.* 398. *n.* 6. Ratio , quia 20
Princeps non intendit juri alterius derogare , *c. Super eo de*
off. deleg. cum concord. Et ſtante defectu intentionis, clau- 21
ſulæ , *Ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis*, nihil ope-
rantur, Rota *deciſ. 474. n. 18. part. 8. recent.* Quinimò defe- 22
ctus intentionis ſemper opponi poteſt , licèt in motu proprio ſublata ſit facultas de eo dicendi, Seraph. *deciſ. 965. n.*
14. Onus tamen probandi intentionis defectum incumbit 23
alleganti , idem Seraph. *deciſ. 1494. n.* 11.

Amplia quintò , etiamſi aliàs privilegium nihil confer- 24
ret , quia potiùs debet tolerari, ut verba reſcripti nihil ope- 25
rentur , quàm ut aliquis indebitè damnum patiatur , quæ

ſunt

ſunt formalia verba Sarnen.in *reg.de non toll.iur.quæſit.q.1.n.4.& q.21.ad fin.*alleg.Jaſ.poſt gloſſ.Bart.& alios in *l.fin.§.In computatione col.fin.C.de iure deliber.*& Gemin.*in cap.Si Papa in fine princ.de privil.lib. 6.*

26 Ubi tamen non agitur de præjudicio tertii, privilegium non debet adeò ſtrictè interpretari,ut nihil operetur ut hic per Imol.*n.11.*& Felin.*eod.n.verſ.Secunda declaratio*;& ita intelligi poteſt gloſ.noſtra in *verb.Præcedat in fin.*dum vult in privilegiis non fieri interpretationem ſecundùm jus, quia illa contra jus conceduntur, cùm privilegium dicatur quaſi privans legem,ſeu jus commune, *c. Privilegia 3. diſt.* & ideò ita debet interpretari,ut aliquid addat juri communi,*d.c.In his de privil.& c. Abbate de ver.ſignif.*

27 Amplia ſextò &ultimò,etiamſi oporteret recedere à proprietate verborum: nam potiùs verba Principis ſunt impropriand a, quàm ut tertio præjudicium inferant,ut tradit Roman, *conſ.* 334. *circa primum n.1.verſ.Secundo idem probatur*, dicens de hoc eſſe caſum in *cap. Super eo de off.deleg.* Ruin.*conſ.*123.*Viſa facti ſerie poſt num.*12.*lib.* 3. Sigiſmun. Loffred.*conſ.*39. *Quidam Baro n.* 25.Jaſ. in *l. Ex facto in* 4. *not. ff. de vulg. & pupill.* Pologner.*conſ.*2. *In cauſa vertente n.*38.Sarnen.in *reg.de jur.quæſ.non toll.d.q.*1.*n.*4.

28 Hinc deducitur primò, ut ſi Papa mandet conferri alicui beneficium non obſtante collatione de ipſo alteri facta,hæc verba ſint intelligenda de collatione invalida, non autem de valida,ne alteri præjudicetur,prout hic firmat Compoſt. *n.*13.*verſ.Et per eaſdem rationes*;ſubdens ſe ita de mandato Papæ ſententiam protuliſſe apud Mediolanum, quia hujuſmodi litteræ ſunt odioſæ, & ambitioſæ, & jus a tertius uſurpantes,& ideò reſtringendæ: & hanc deciſionem Compoſt. ſequuntur hîc Jo.Andr.Bald.Butr.Imol.&alii communiter, illamque pluribus exornat Felin.*num.* 9. *cum multis ſeqq.* & quamvis *n.*25.*verſ.Conſidera ſecundò*, videatur dubitare de illius veritate in puncto juris,ſubdit tamen ab ea in practica recedendum non eſſe, quia non habet contradictorem. Quibus adde Mohedan.*deciſ.*7. *de reſt. ſpol.* ubi vertebatur lis inter duos ſuper officio cuſtodis pontis,& portæ Salariæ, quorum primus prædictum officium a Papa obtinuerat ad ſui vitam,ſecundus idem officium poſteà obtinuerat ab eodem Pontifice cum clauſulis, *Motu proprio,& ex certa ſcientia, & non obſtante collatione per nos alteri facta*, & cum facultate ingrediendi poſſeſſionem propria auctoritate: & Rota reſolvit conceſſionem ſecundam non valere, & primum officialem ſpoliatum eſſe reintegrandum,*& n.*6. dicit non obſtare clauſulam illam, *Non obſtante conceſſione per nos alteri facta*:nam intelligitur de invalida, licèt per errorem alleget Innocentium, cum debuerit allegare Compoſt.

29 Deducitur ſecundò,ut ſi Papa in ſuis litteris aſſereret aliquem à jure privatum eſſe ſuo beneficio propter tale crimen, illudque alteri conferret; ſi tamen de jure non eſſet privatus, ſed privandus, prædicta verba deberent impropriari, & reduci ad ſenſum juris, id eſt,ut eſſet privandus.

30 Ita notabiliter determinat Felin. hîc *nu.* 6. *verſ.Sed ex iſta aurea deciſ.*Et quamvis Petrus de Anchar.*conſ.* 293. *incipit ultra alia*:velit,ut Princeps diſponendo ſcienter contra jus tollat juris obſtaculum,*l.Idem Ulpianus.ff.de excuſ.tutor.*nihilominus Felin. *ubi ſup.* dicit ſe non credere iſtud eſſe tenendum, quia habere aliquem pro privato ſuis beneficiis 31
qui de jure non eſt privatus, eſt diſponere contra jus, Verùm Papa non intendit contra jus diſponere,niſi dicat,*Non obſtante*,&c.gloſ.in *c.*1.*in verb.Noſcitur de conſt.lib.*6.Ergo reſcribendo quòd ſit privatus, nulliter reſcribit, & contra mentem ſuam, Nec dicatur,derogat juri ex certa ſcientia eo ipſo quòd ſcribit contra jus.Quoniam ſi hoc eſſet,quodcumque reſcriptum contra jus valeret indiſtinctè, cùm Papa præſumatur habere omnia jura in ſcrinio pectoris, *c.* 1.*de conſt.lib.*6.quod tamen conſtat eſſe falſum,ut *l.Reſcripta,C. de precibus Imper.offer.*cum ſuis concord.Et quamvis poſſit 32
juri derogare,tamen id verum eſt, quando conſtat de certa ſcientia, quæ non percipitur ex hoc ſolo, quòd ſcribat contra jus,quia ſequeretur tunc dictum abſurdum neceſſariò;ſed percipitur ubi adjicit hoc verbum,*Ex certa ſcientia* vel ſi diceret:Titium privandum volumus haberi pro privato; tunc enim apparet Principem ſcire ſe derogare: ſed re- 33
ſcribendo ſimpliciter contra jus,præſumitur circumventus, ut idem Felin.tradit in *c.Nonnulli in* 4.*fallentia ſecundæ reguiæ,verſ.Secundo.contra iſtam* 4. *fallentiam infrà eod.* Nec dicatur,in beneficialibus reſcriptum non indigere clauſula *Non obſtante*,quia hoc eſt falſum,ut idem deduxit in eodem *c.Nonnulli,verſ. Fallit nono.* Et iſta latiùs reaſſumpſit conſulendo in diœceſi Lunenſi, in qua unus impetraverat Eccleſiam alterius,quia Papa in ſuis litteris dicebat eum privatum,eo quòd ſine licentia ſe abſentaverat à cura animarum. Hæc enim non erat ſufficiens cauſa, quæ eum beneficio privaret ipſo jure. Hæc Felin.

Et ex his collige declarationem ad plenam regulam hu- 34
jus textus,quod litteræ Apoſtolicæ ad intellectum juris ſint reducendæ. procedit enim ubi verba hoc patiuntur; ubi verò nulla eſt ambiguitas, ceſſat hæc communis interpretatio, *l. Ille, aut ille, §. Cum in verbis,ff.de leg.*3.Innocent. *hic num.*2.*&* 3. *in fin.*Compoſt. *nu.*10.Abb.in 1.*notab. verſ. Quod intelligo.*

Hodiè verò ubi agitur de tollendo jure alteri quæſito 35
non ſufficit, ut verba litterarum Apoſtolicarum ſint clara; imò nec ſufficit,ut Papa habuerit ſcientiam implicitam,vel explicitam ex narratis, quòd agebatur de jure tertii tollendo. ſed debet nominatim fieri mentio, & individua derogatio regulæ de jure quæſito, ut optimis fundamentis reſolvit Rota apud Cæſar.de Graſſ. *deciſ.* 9. *aliàs* 3. *de reſcript. & deciſ.* 1.*num.*10.*de verb.ſignif.*quæ deciſiones fuerunt poſtea multoties approbatæ,Seraph. *deciſ* 1082. *num.*6. *& ſeqq.*ubi etiam deciſum ait nullam aliam formulam poſ- 36
ſe introduci, per quam poſſit dici conſtare de mente Papæ volentis tertio præjudicare,niſi faciat regulæ mentionem, quia proteſtatio,quam Papa facit in regula,tollit ejus conſenſum,& voluntatem ab actu gerendo, ubi ei non derogatur, ex Sarnen. in *proœm. regul. q.* 5.*num.* 3.

Fallit gratia ex ſui natura præjudiciali, in qua non re- 37
quiritur derogatio regulæ,Rot.in *recent.deciſ.*11.*n.*35.*par.*6.Item fallit in gratia,quæ fit ob publicam utilitatem, ut in 38
deciſ. 174.*n.*7.*part.*1.*recent.* Quæ omnia latiùs reaſſumpſi in *c.Cæterum à num.*18.*ſuprà eod.* ubi plenè videas.

DE RESCRIPTIS.

Idem Innocentius III. A. Canonico Pictaven.

CAPUT XX.

SUper litteris, quæ ab aliquibus ex malitia, & à nonnullis ex ignorantia (tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate) impetrantur à nobis, diverſos intelleximus diverſa ſentire: aliis aſſerentibus,eos debere prorſùs carere omni commodo litterarum, cum mendax precator carere debeat penitùs impetratis: aliis verò dicentibus, quòd & ſi forma carere debeant in litteris noſtris expreſſa,nihilominus juxta rigorem juris ſit à delegato judice in negotio procedendum. Nos igitur inter eos, qui per fraudem, vel malitiam, & illos qui per ſimplicitatem, vel ignorantiam litteras à nobis impetrant, hujuſmodi credimus diſcretionem adhibendam, ut hi qui priori modo falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in ſuæ perverſitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum con-

ſequantur, ita videlicet quòd delegatus (poſtquam ſibi ſuper hoc facta fuerit fides) nullatenus de cauſa cognoſcat. Inter alios autem qui poſteriori modo litteras impetrant, duximus diſtinguendum, quæ falſitas ſuggeſta fuerit, vel quæ veritas ſit ſuppreſſa; nam ſi talis expreſſa ſit falſitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuiſſet tacita, vel expreſſa, nos nihilominus (ſaltem in forma communi) litteras dediſſemus, delegatus non ſequens formam in litteris ipſis appoſitam, ſecundùm ordinem juris in cauſa procedat. Si verò per hujuſmodi falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expreſſa nos nullas prorſus litteras dediſſemus, à delegato non eſt aliquatenus procedendum, niſi forſitan eatenus, ut partibus ad ſuam præſentiam convocatis, de precum qualitate cognoſcat, ut ſic in utroque caſu, eadem ratio, quæ delegantem moveret, moveat etiam delegatum: & ubi delegans ſuas litteras denegaret, delegatus etiam ſuæ cognitionis officium nullatenus interponat.

S U M M A R I U M.

1 *DEciſio hujus c. attenditur etiam inter Legiſtas.*
Tacens verum, vel exprimens falſum in reſcripto, ſi per malitiam, caret funditus impetratis: ſi per ſimplicitatem, aut aliàs non obtinuiſſet reſcriptum, & idem; aut obtinuiſſet, & ſecundùm juris ordinem Delegatus procedit, n. 3.
3 *Bonæ fides abeſſe præſumitur, ubi enormis læſio reperitur*
4 *Subreptio doloſa vitiat reſcriptum in totum, ſi autem proceſſit ex ſimplicitate, vel ignorantia, eatenus vitiat, quatenus fuit cauſa conceſſionis.*
5 *Subreptio, & obreptio, an & in quo differant.*
6 *Cauſantur ex duplici cauſa.*
7 *Mendacium committi poteſt tam falſum exprimendo. quàm verum tacendo.*
8 *Subreptio, & obreptio quid ſit.*
9 *Reſcriptum falſum, & obreptitium in quo differant.*
10 *Subreptio doloſa vitiat reſcriptum.*
11 *Ampliatur primò, etiamſi impetrans eſſet ſanctus.*
12 *Sed contra.*
13 *Ampliatur ſecundo, etiam in litteris beneficialibus.*
Ampliatur tertiò, etiam in privilegiis, n. 15.
Ampliatur quarto, etiamſi fuerit cauſa partis reſcripti tantùm, n. 18.
Et reſcriptum contineat plura capitula ſeparata, & ſubreptio non fuerit cauſa obtinendi omnia, n. 19.
Maximè in litteris gratiæ, n. 20.
Et in expectativis, n. 23.
Ampliatur quinto, ſive fuerit commiſſa exprimendo falſum, ſive tacendo verum, n. 25.
Ampliatur ſextò, etiamſi non fuerit cauſa conceſſionis, num.. 33.
Limita primò, niſi ſubreptio doloſa ſit circa ea, quæ non tangunt ſubſtantiam, vel formam reſcripti, n. 34.
Limita ſecundò, niſi reſpiciat unum tantùm ex duobus alternativè narratis, n. 35.
Limita tertiò, niſi litteræ fuerint obtentæ motu proprio, num. 37.
14 *Falſitas non præſumitur in litteris ad lites, ſicut præſumitur in litteris ad beneficia.*
15 *Mendacium necat privilegium.*
16 *Subreptio magis vitiat litteras gratioſas, quàm litteras ad beneficia.*
17 *Subreptio doloſa in gratioſis, etiamſi minima ſit, eſt attendenda.*
Etiamſi Papa aliàs fuiſſet conceſſurus, ibid.
21 *Subreptio faciliùs inficit litteras beneficiales, & gratioſas, quàm reſcripta ad lites.*
22 *Subreptio etiam doloſa non vitiat reſcripta ad lites ipſo jure, ſed ope exceptionis: ſed litteras gratioſas, & beneficiales vitiat ipſo jure.*
23 *Expectativæ ſunt ambitioſæ, & reſtringendæ.*
24 *Subreptio non doloſa non vitiat litteras in totum, ſed eam partem tantùm, cujus fuit cauſa.*
26 *Expreſſio falſitatis, & ſuppreſſio veritatis facta per dolum æquiparantur.*
27 *Exempla doloſæ ſubreptionis per falſi expreſſionem in reſcriptis ad lites.*
28 *In litteris gratiæ.*
29 *Exempla doloſæ ſubreptionis per veri ſuppreſſionem in reſcriptis ad lites.*
30 *In litteris gratiæ.*
31 *Diſpenſatio nunquam porrigitur ad defectus ſuppreſſos.*
32 *Sufficit tamen exprimere qualitates in genere.*
33 *Subreptio doloſa vitiat reſcriptum in totum, etiamſi Princeps aliàs conceſſiſſet.*
35 *Intellectus c. Si eo tempore, de reſcriptis, lib. 6.*
36 *Alternativè petens non cenſetur præcisè alterum petere: fallit, ſi alternativa non poſſit, niſi in uno verificari.*
Minor petens alternativè ſibi provideri de beneficio curato, vel ſimplici, cenſetur ſe reſtrinxiſſe ad ſimplex, cujus eſt capax, ibid.
37 *Motus proprius omnem ſubreptionem excludit.*
Dari tamen poteſt de defectu intentionis, n. 38.
38 *Subreptio duplex, altera quæ provenit ex parte impetrantis, altera quæ oritur ex re ipſa. Primam tollit motus proprius, ſecundam non.*
39 *Motus proprius relevat ab onere juſtificandi gratiam, ſed probato intentionis defectu, nihil operatur.*
Requiritur tamen oris apertio, quando in conceſſione eſt ſublata facultas contrarium dicendi, vel operandi, ibid. verſ. In præjudicium.
40 *Subreptio in dubio an præſumatur doloſa.*
41 *Quid in reſcriptis ad lites.*
Et quid in litteris gratioſis, n. 45.
42 *Falſi crimen nemo præſumitur committere propter litteras de ſimplici juſtitia.*
43 *Dolum non præſumitur quis commiſiſſe in re modica.*
44 *Dolus præſumitur in eo, qui in facto proprio, non antiquo, neque intricato, falſum narrat, etiam in litteris juſtitiæ, num. 46.*
45 *Subreptio in gratioſis ſemper præſumitur cum dolo, ſed hæc præſumptio eſt juris tantùm, & ideò poteſt contrarium probari.*
Et ſi gratia ſit modica, dolus non præſumitur, nu. 46.
46 *Dolus in litteris gratiæ præſumitur in eo, qui expreſſit falſum, vel tacuit verum in facto proprio.*
47 *Ignorantia in facto proprio non præſumitur.*
48 *Falſitas quæ non inducit Principem ad gratiam facilius concedendam, ſed eſt ſuperflua, non præſumitur doloſa.*
49 *Idem ſi vero expreſſo Princeps difficilius conceſſiſſet.*
50 *Dolus in eo, qui ſuggeſſit falſum, vel tacuit verum in reſcripto, ex quibus probetur.*
51 *Simplicitati, & imperitiæ parcitur.*
52 *Subreptio per ſimplicitatem, vel ignorantiam, ſi non fuit cauſa conceſſionis, reſcriptum non vitiat.*
53 *Quod procedit, etiamſi impetrans tacuerit ea, quæ de proceſſu ſunt neceſſariò exprimenda.*
54 *Idem procedit etiam in beneficialibus. Sed vide, n. 57.*
Sed fallit, ſi qualitates ſint tales, ad quarum expreſſionem impetrans tenetur de jure communi, num. 57.
Item fallit, ſi ſubreptio cadat in eo, ad quod verba conceſſionis non adaptantur; ibid. verſ. Motivum autem.
Item fallit, ubi eſt diverſitas perſonarum, vel cauſarum actoris, vel rei, n. 60.
Item fallit, ſi expreſſio falſitatis facta fuerit non cauſa demonſtrationis, ſed cauſa taxationis, num. 61.
55 *Litteræ non vitiantur ex eo, quod impetrans tacuerit beneficium ab alio injuſtè poſſideri, vel per ſimoniam.*
56 *Et exprimens beneficium cum cura, vel reſidentia, obtinebit beneficium ſimplex, & reſidentiam non requirens.*
57 *Subreptitia non eſt impetratio theſaurariæ ſub nomine dignitatis, cùm ſit officium, verſ. At ſecus eſt.*
Stylus Principis attenditur ad dignoſcendum, an veriſimiliter litteras conceſſiſſent, necne, ibid. verſ. Ad dignoſcendum.
Item attenditur, an gratia præjudicium inferat, ibid.

58 *Lit-*

58 *Litteræ impetrationis ob taciturnitatem beneficii, etiam modici, vitiantur.*

59 *In litteris beneficialibus non tenetur impetrans facere mentionem niſi de qualitatibus in jure expreſſis.*

62 *Subreptio per ſimplicitatem, vel ignorantiam vitiat reſcriptum in totum, ſi ſit ſubſtantiæ reſcripti inductiva*

Quod à fortiori procedit in beneficialibus, & gratioſis, num. 66.

Item procedit etiam quando ſubreptio non fuit cauſa finalis, ſed impulſiva, num. 67.

Et quid ſi alius pro abſente litteras impetravit, n. 71.

63 *Reſcriptum inutile fit, ſi talis veritas taceatur, vel talis falſitas exprimatur, qua tacita, vel expreſſa, Papa litteras non dediſſet.*

64 *Exempla non doloſæ ſubreptionis ſubſtantiæ reſcripti inductivæ, & num. ſeq.*

65 *Reſcriptum commiſſionis cauſæ ſuper re feudali non facta mentione de feudo, non valet.*

67 *Reſcriptum vitiatur tacendo id, quod ſi fuiſſet expreſſum nihilominus fuiſſet obtentum, ſed non ita facile.*

Fallit, ſi taciturnitas proveniat ex probabili ignorantia num. 68.

Niſi taceatur id, quod erat de jure exprimendum, n. 69.

Subreptitia eſt reſignatio ejus, qui expreſſit ſe eſſe forenſem, cum in impetratione beneficii expreſſiſſet ſe eſſe civem Romanum, n. 67. verſ. Et millies.

Penſio reſervata non facta mentione alterius penſionis reſervatæ ſuper eodem beneficio, eſt ſubreptitia, ac nulla, ibid.

69 *Reſcriptum non vitiatur, ſi taceatur id, quod de jure non debet exprimi, licèt eo expreſſo Princeps non ita facilè litteras conceſſiſſet.*

70 *Intellectus c. Gratia, de præbend. lib. 6.*

72 *Subreptio per ſimplicitatem, vel ignorantiam, ſi non fuit cauſa totius conceſſionis, ſed partis tantùm, eam ſolam vitiat, & non totum reſcriptum.*

Quod procedit etiam in beneficialibus, num. 76.

Sed fallit, ſi obtentum per ſubreptionem habeat connexitatem cum reliquis, num. 78.

Item fallit ſecundùm aliquos in privilegiis, nu. 79.

Sed contra, num. 80.

73 *Simplicitas reſpicit jus, ignorantia factum.*

74 *Vitium eatenus vitiare debet, quatenus ingreditur ſubſtantiam actus.*

75 *Exempla non doloſæ ſubreptionis, quæ non fuit cauſa totius conceſſionis, ſed partis dumtaxat.*

80 *Privilegia, & litteræ beneficiales in materia ſubreptionis æquiparantur.*

1 S*Uper litteris*. Famoſum, & difficile, ac varias decidens
opiniones, Cardin. Emanavit enim ad declarationem
opinionum legiſtarum inſurgentium ex intellectu duarum
legum, nempè *leg. Præſcriptione, & leg. Et ſi legibus conſentaneum, Cod. Si contra jus, vel util. publ.* quæ ſunt canonizatæ in *cap. Præſcriptione, & in cap. Et ſi legibus, 25. quæſt. 2.* ejuſque deciſio attenditur etiam inter Legiſtas,
ex quo in contrarium non reperitur ſtatutum de jure civili, ut declarat Abb. in *cap. Licet ex ſuſcepto, numer. 10. verſ. Quartus decimus caſus, infrà de foro compet.* & Dec.
hìc *num. 1. in fin. verſ. Et ſic emanavit*, Item in materia
reſcriptorum obtinet principatum, Anton. de Butr. & notat
Bart. in d. *leg. Præſcriptione, num. 3. verſ. Certè Domine*;
2 & eſt clavis totius tituli, Abbas Siculus. Summatur variis modis, qui tamen ferè in idem recidunt, Joan. Andr.
cum quo concordant Bellam. & Anchar. ſic ſummat: Qui
per malitiam tacet verum, vel falſum exprimit in reſcripto, caret impetratis: idem in eo, qui hoc fecit ignorantia, vel ſimplicitate, ſi expreſſo vero, quod tacuit, vel
tacito falſo, quod expreſſit, litteras non habuiſſet: ſi verò nihilominus ſaltem in forma communi litteras habuiſſet, ſecundùm juris formam procedit judex. Bald. ſummat ſic: Qui per malitiam tacet verum, vel exprimit falſum, in reſcripto, caret funditùs impetratis: ſi verò hoc
facit ex ignorantia, vel ſimplicitate, ſiquidem non erat
3 veriſimiliter conceſſurus, ſimiliter non valet: ſed ſi ſaltem in forma communi conceſſiſſet litteras, ſecundùm juris formam procedit judex; & bona fides abeſſe præſumitur, ubi enormis læſio reperitur. Cardin. ſic: Exprimens falſum, vel tacens verum in reſcripto, ſi malitioſè,
caret impetratis; ſi per ſimplicitatem, aut aliàs non obtinuiſſet reſcriptum, & idem; aut obtinuiſſet ſecundùm
juris ordinem Delegatus procedit, Butr. Imol. & Joan. de
Anan. Jacob. Zocchius *vol. 2. repet. fol. 2*[illegible]*8.* & Quintil.
Mand. *vol. 6. in Appendic. fol. 30.* Doloſa ſubreptio reſcriptum vitiat indiſtinctè, temeraria verò ſubreptio, vel ex
ſimplicitate, vel ex ignorantia procedens, ſi eſt ſubſtantiæ
reſcripti inductiva, totaliter reſcriptum vitiat; aliàs verò ſi ſolius formæ ſpecificæ, illam tollit, ſed non reſcripti ſubſtantiam quoad formam communem. Abb. & Ambroſ. de Vignate *vol. 2. repetent. fol. 211.* Exprimens falſum, vel tacens verum in reſcripto, ſi malitioſè, caret
prorsùs impetratis: ſed ſi per ſimplicitatem, vel ignorantiam, aut obtinuiſſet vero expreſſo, vel ſuppreſſo falſo,
ſaltem litteras in forma communi, & Delegatus procedit
ſervato juris ordine, & non ſpeciali forma reſcripti; ſecus
ſi nullo modo litteras habuiſſet. Vel breviùs ſecundùm
eundem Abbatem, Guidop. Bero. & Felin. Doloſa ſubre- 4
ptio vitiat reſcriptum in totum: ſi autem proceſſit ex ſimplicitate, vel ignorantia, eatenus vitiat, quatenus fuit cauſa
conceſſionis. Hoc dicit. Dividitur in tres partes principales
Primò ponit caſum, ſuper quo antiquitùs erant opiniones,
quas recitat. Secundò illas per diſtinctionem bimembrem
ad concordiam reducit. Tertiò dat regulam doctrinalem.
Secunda, ibi, *Nos igitur*. Tertia, ibi, *Niſi forma*.

Ad intelligentiam textus præmittendum eſt primò, ſub- 5
reptionem, & obreptionem eſſe ſynonyma, & idem
importantia, ut probat textus in *l. 1. Cod. Si nuptiæ & reſcript. pet.* ubi in eodem caſu reſcriptum appellatur ſubreptitium, & obreptitium: & ibi illum textum ad hoc ponderat Bald. in *princ. in verſ. Obreptione*, & Dec. in *c. Cæterum nu. 28. verſ. Sed tamen talis differentia ſupra eodem*, & Jaſ.
in *l. Præſcriptione num. 1. verſ. Mihi autem videtur, Cod. Si contra jus*. Et quamvis aliqui putent obreptionem eſſe
quando exprimitur falſum, ſubreptionem verò quando taceturverum, ut Jaſ. *conſ. 2. In themate num. 1. verſ. Imo plus lib. 1.* alii verò exiſtiment litteras obreptitias dici quando ſub involucro verborum, puta ironicè, vel callidè, ſeu
fraudulenter loquendo effugiunt deliberatam conſcientiam Principis; ſubreptitias verò quando Papa plenè intellexit totum illarum tenorem, ſed enarratum eſt falſum, vel
ſuppreſſum verum: & in hac opinione fuit Inn. in *c. Cùm dilecta, num. 1. 2. & 3. infrà eodem*, & ibi etiam Joan. de Imol.
num. 10. & Berous hìc *num. 2.* Gemin. *conſ. 120. Quia in facto num. 3. in fin. verſ. Et ſic iſto caſu*: tamen hæc differentia
jure non probatur, ut dicit Abbas in *eodem cap. Cùm dilecta num. 7.* Dec. & Jaſ. *locis citatis*, & Quintilianus Mandoſ. hìc *num. 5.* Imò ſecundùm eos his vocabulis Doctores
promiſcuè utuntur, nec conſtituunt differentiam inter obreptitium, & ſubreptitium; & ita magis communiter teneri atteſtantur Socin. Sen. in *conſ. 77. Licèt in præſenti n. 86. vol. 1.* & Mandoſ. hìc *n. 5. in fin.* Hanc etiam dicit eſſe
veram opinionem Dec. hìc *numer. 4.* quibus adde Calder.
conſ. 304. Alias primò, de feudis, Gemin. *conſ. 33. Pro examinatione in princ. & conſ. 63. Dubia ſupraſcripta in princ. verſ. Secundo præmitto*.

Præmittendum ſecundò, ſubreptionem, vel obreptio- 6
nem cauſari ex duplici cauſa, videlicet ex taciturnitate
veritatis, & ex expreſſione falſitatis, ut patet in textu, ibi,
Tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate: & infrà, ibi, *Falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem veritatis*, ſecundùm Anton.
de Butr. hìc *nu. 8.* & de reſcripto ſubreptitio notat Bart. in
l. Præſcriptione nu. 5. verſ. Quæro utrum reſcriptum ſubreptitium, Cod. Si contra jus: & de obreptitio Bald. *ibid. num.* 7
16. & ſeqq. & de utroque Jaſ. *n. 1.* & ſic mendacium committi poteſt tam falſum exprimendo, quàm verum tacendo,
ut eſt text. in *c. Cùm dilecti filii infr. de accuſat.* ubi jurans
plenam dicere veritatem, tacendo incurrit pœnam falſi,
Butr. hìc *d. n. 8.* & ſcripſi pleniùs in *c. Falſidicus in 2. not. inf. de crimine falſi*, & tangam infrà *n. 26.* Subreptio igitur, vel 8
obreptio eſt expreſſio falſi, vel taciturnitas veri, quo non
expreſſo, vel tacito, Papa nullo modo litteras conceſſiſſet,
ſed potiùs denegaſſet, text. eſt hìc *verſ. Si vero, & in cap. Dudum, il 2. verſ. Inſuper de elect.* vel conceſſiſſet quidem, ſed
non ita facilè, ut eſt text. in *c. Poſtulaſti, infrà eod.* aut veriſimile eſt conceſſurum non fuiſſe, ut dicit text. in *c. 2. de fil. Presbyt. lib. 6.* & notat Gemin. *conſ. 63. Dubia ſupradicta in princ. verſ. Secundo præmitto*.

Præ-

9 Præmittendum tertiò, aliud eſſe reſcriptum falſum, aliud ſubreptitium: nam reſcriptum falſum eſt, quod caret primordio veritatis, ut *l. Cum filius, §. Hæres, ff. de legat. ſecundo,* vel uti cùm reſcriptum emanat præter conſcientiam Principis, vel Cancellarii ſui, ab illis, qui ſunt inferiores perſonæ, & quæ non ſunt ad hoc deputatæ. Obreptitium eſt illud quod non caret primordio veritatis, quia ſcilicet emanavit quidem à Principe, ſeu ab ejus Cancellario, ſed tamen fuit mendacium in eo inſertum: & ita intelligi debent jura in *l. Si quis obrepſerit, ff. ad l. Cornel. de falſ. & in l. Sed ſi hac §. Patronum, ff. de in jus, vel vocan.* & notat Cynus in *l. Præſcript. n. 3. C. Si contra jus, vel util. publ.* Dic brevius ſecundùm Bart. ibi *nu.* 3. Reſcriptum falſum eſt illud, quod, nunquam exivit de Cancellaria Principis. Obreptitium autem quod eſt verum in ſe, ſed cauſæ in eo inſertæ ſunt falſæ. Sequitur Jaſ. *ibid. n.* 1.

His præmiſſis deſcendo ad materiam decretalis, & eam proſequar per quatuor regulas principales ex textu deſumptas, adjectis ampliationibus, limitationibus, & exemplis, ex quibus ſubreptionis materia, quam ſcribentes paſſim conclamant eſſe difficilem, ac profundam, remanebit, ni fallor, clarè, & dilucidè explicata.

10 Prima regula eſt. Subreptio doloſa vitiat reſcriptum. Deſumitur hæc prima regula ex textu noſtro in *verſ. Ut hi, qui priori modo:* & notat Jo. Andr. Bald. & omnes in *Summ. text. in primo membro,* poſt gloſſ. in *ver. Priori modo,* Innoc. in *princ.* & Hoſtien. *n.* 6.

11 Ampliatur primò hæc regula, ut locum habeat, etiamſi reſcriptum impetrans eſſet ſanctus, ut eſt text. in *cap.* 1. *Ut lite pendente*: vitiatur enim reſcriptum, quia propter meritum vitæ non eſt recedendum à juris diſpoſitione, & ita per illum textum notat Bald. in *Rubrica, Ut lite pendente in fin.* & Dec. hìc *n.* 3. licèt hoc dictum impugnet Bero.
12 in *ſecunda lectura n.* 16. quia ſanctus, & perfectus dici non poteſt, qui dolosè falſum exprimit, aut veritatem ſupprimit, allegat textum in *c. Cavete* 22. *q. ult. & in c. Mihi* 22. *qu.* 2. Sed meliùs facit *c.* 1. ibi: *Uterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, infrà de crimine falſi:* & multipliciter reſpondet ad textum in *d. c.* 1. *Ut lite penden.* qui videtur loqui de B. Tho. Cantuarienſi.

13 Ampliatur ſecundò, ut locum habeat non modò in reſcriptis ad lites, de quibus ſpecificè loquitur hoc *cap.* Sed etiam, & multò fortiùs in litteris beneficialibus, quia faciliùs redduntur nullæ, ut dicam *infrà num.* 21. & quia ſunt magis odioſæ, *c. Quamvis de præb. lib.* 6. & hìc firmant Butr. *n.* 27. Abb. *n.* 2. *in primo notab.* Barbat. *num.* 25. Dec. *num.* 16. & Bero. *in prima lectura num.* 4. & 39. & *in ſecun-*
14 *da n.* 61. & 62. & in hoc concordant omnes à fortiori, ut inquit Felin. hìc *n.* 1. *verſ. In litteris gratiæ n.* 5. facit text. in *c. Accedens de crimine falſi*, ubi in litteris ad lites non ita præſumitur falſitas, ſicut in beneficialibus, & ibi Innoc. in *princ.* arguit, quòd ſi quis ſuggeſſit falſum in litteris de ſimplici juſtitia, non præſumitur dolosè feciſſe, ſecus in litteris gratiæ, quia dolus ex perſpicuis indiciis probatur, *leg. Dolum, C. de dolo*. Cum Innocen. concordant ibi Hoſtien. *n.* 8. Joann. Andr. *n.* 21. Bellam. *num.* 22. *verſ. Hoſt. dicebat*, Cardin. *num.* 18. Imol. *nu.* 8. *verſ. Hoſtienſis verſ. vero*, & Abbas *n.* 7.

15 Ampliatur tertiò, ut à fortiori locum habeat etiam in privilegiis, quia mendacium necat privilegium, ut inquit Bald. per illum textum in *l. Etſi in princ. Cod. Si contra jus* Exemplum in eo, qui feudum impetravit, vel remiſſionem criminis, mendaciter narrando ſe ſtrenuum militem, & multos latrones apprehendiſſe, vel transfugas indicaſſe, ut
16 ibi notant gloſſ. 1. Paul. de Caſtro, & alii ſcribentes. Dixi à fortiori, quia ſubreptio magis vitiat litteras gratioſas, quàm litteras ad beneficia, ut voluit gloſ. 2. in *c. Non poteſt de præben. lib.* §. & eſt bonus textus in *c.* 1. & 2. *de filiis Presbyt. eod.*
17 *lib.* Bero. hìc *n.* 39. Undè ſubreptio in gratioſis etiamſi minima ſit, eſt attendenda, Rota *deciſ.* 435. *n.* 1. *par.* 3. *recent.* etiamſi Papa alias fuiſſet conceſſurus: Puteus *deciſ.* 424. *lib.* 1. Rota *ubi ſuprà*.

18 Ampliatur quartò, etiamſi doloſa ſubreptio fuerit cauſa partis reſcripti dumtaxat, quia nihilominus vitiat reſcriptum in totum, & hoc in pœnam doloſi, ut in text. ibi: *In ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequantur*. Et ita delegatus nec de cauſa cognoſcere poterit ſecundùm ſpecialem, vel favorabilem formam traditam in litteris, puta ut ſummariè, ac ſimpliciter procedatur; nec etiam juxta juris ordinem, ſecundùm Joann. Andr. *num.* 10. *in verſ. Prorſus*. Et ex hoc ſecundùm 19
Abbatem hìc *nu.* 2. nota textum apertum, quòd ſubreptio doloſa vitiat omnia contenta in reſcripto, licèt reſcriptum contineat plura capitula ſeparata prout hìc erant forma, & ſubſtantia reſcripti, etiamſi ſubreptio non fuerit cauſa obtinendi omnia: quod eſt valdè notabile, ſecundùm eum. Idem Barbat. *n.* 25. Quod latiùs proſequitur Bero. *à n.* 5. *uſq. ad n.* 9. reſpondendo ad objecta Philippi Decii.

Quòd ſi hoc habet locum in litteris contentioſis, fortiùs 20
debet obtinere in litteris gratiæ, ut per Abbatem ubi infrà, & cum eo conſentiunt hìc Bero. *nu.* 13. Quint. Mandoſ. *nu.* 7. *verſ. Ampliant vol.* 6. *repetent. in appendic. fol.* 31. Ratio eſt ſecundum Abbatem *d. num.* 2. & *in cap. Cæterum* 21
num. 6. *verſ. Nam ſcire debes ſup. eod.* quia ſubreptio faci- 22
liùs inficit litteras Beneficiales, & gratioſas, quàm reſcripta ad lites: illæ enim per ſubreptionem vitiantur ipſo jure, hæc verò ad lites per ſubreptionem etiam doloſam regulariter non vitiantur ipſo jure, ſed ope exceptionis, *c. Si autem ſuprà eodem,* & infrà, *c. Plerumque,* Bellam. *d.* 485. *Proceſſus factum,* Innoc. Butr. & Abb. in *c. Cæterum ſuprà eodem cum ſimilib.* ut dixi in *c. Ad audientiam*, poſt Felin. *ibi n.* 17. *verſ. Litteræ ad lites infrà eodem*, & eſt communis opinio, ut hìc atteſtatur Bero. *n.* 23. *verſ. Verùm antequam*, & *n.* 37.

Quæ ampliatio præcipuè vendicat ſibi locum in litteris 23
expectativis, quia ſunt ambitioſæ, & reſtringendæ; & ideò per ſubreptionem doloſam vitiantur in totum, *c. Quamvis il* 1. *de præben. lib.* 6. *juncto cap.* 2. *infrà de conceſſ. præb.* & *c.* 2. *eod. tit. lib.* 6. Bero. hìc *n.* 43.

Et ex hoc collige limitationem notabilem ad textum 24
in *c. Si eo tempore de reſcriptis lib.* 6. ut procedat, quando ſubreptio non fuit doloſa: tunc enim vitiat ſolùm illam partem gratiæ, cujus fuit cauſa, & non reliqua contenta in reſcripto, ſecundum Abbatem hìc *n.* 2. *verſ. Ex quo collige*: & ita etiam limitari debet quod ait Anton. de Butr. in *c. Exhibita circa fin. verſ. Ex his deciditur de judic.* videlicet reſcriptum non vitiari in totum, ſi ex copulativè narratis in reſcripto una pars ſit falſa: nam ſi malitiosè illa copulativè narrata ſint, in totum deberent reſcriptum vitiare: Vel ſecundò & meliùs ad textum in *d. c. Si eo tempore*, reſponde, ut dicam infrà in 2. *limitat. hujus* 1. *regulæ num.* 36.

Ampliatur quintò ſupradicta regula, ut locum habeat 25
ſive ſubreptio fuerit commiſſa exprimendo falſum, ſive tacendo verum; parificantur enim quoad hoc taciturnitas veri, & ſuggeſtio falſi, ut eſt caſus apertus hìc *verſ. Qui priori modo*, id eſt per fraudem, ſecundùm gloſſ. Innoc. & Hoſt. *falſitatem exprimunt, vel ſuppriment veritatem, in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequantur*, & notant Cardin. in 12. *notab.* Abb. *nu.* 2. *verſ. Et nota quod hæc parificantur*, Dec. *n.* 4. *verſ. Tertiò*, Joan. Andr. Bellam. Butr. Anchar. & omnes in *ſumm. text. in* 1. *membro*, & in ſpecie Ambr. de Vignate *vol.* 2. *repetent. fol.* 26
211. qui ſummat ſic, Mendax precator doloſus, id eſt dolo tacens verum, vel exprimens falſum, in totum caret impetratis. Facit ad hoc, quia non ſolùm dicendo, ſed etiam tacendo committitur mendacium, *l. Ea quæ commendant*, ubi Bar. *num.* 1. hoc inducit ad teſtes, *ff. de contrah. empt.* Jaſ. in *l. Præſcriptione in* 2. *not. C. ſi contra jus, vel utilitatem publicam*, & hìc junge, quæ dixi ſuprà *n.* 7.

Exemplum doloſæ ſubreptionis per falſi expreſſionem in 27
reſcriptis ad lites habetur in *c. Sedes, §. Si quis verò ſup. eod.* Item ſecundùm Bald. hìc *n.* 7. exemplum in eo, quid dicit ſe miſerabilem perſonam, & ideò impetravit procedi ſummariè, & de plano; nam ſi perſona miſerabilis non eſt, reſcriptum ei non prodeſt, quia callidè mentitus eſt paupertatis ingenium, ut *l.* 1. *C. de mendic. validis lib.* 11. In litteris 28
autem gratioſis habetur in *cap. Ad aures ſuprà eodem, & in cap. Si proponente infrà eodem, & in c. Ex litteris de tranſact.* in eo, qui dixit ſe Clericum, cùm nondum eſſet tonſuratus.

Exemplum doloſæ ſubreptionis per veri ſuppreſſionem 29
in reſcriptis ad lites, eſt in litigioſo, qui dolosè impetrat ſecundum reſcriptum nulla d. primi facta mentione, *c. Cæterum, & c. Ex tenore ſup. eod. c.* 2. *de dolo & contum.* rei qui tacuit proceſſum habitum ſuper eodem negotio, *c. Inter de*

re

re judic. vel de litis pendentia, c. Cauſam, il 2. de teſtibus. Item ſecundùm Baldum hìc ſub num. 7. Pone exemplum in muliere, quæ impetravit reſcriptum ſuper actione de dote, cùm eſſent nuptiæ inceſtuoſæ, ut l. Si quis inceſt. C. de inceſt. nupt. Item in eo, qui impetravit tamquam filius, cùm eſſet
30 ſpurius ut l. Si qua illuſtris, C. Ad Orficianum. In literis autem beneficialibus exemplum habes in c. Ad aures, & in c. Cum adeo ſupra eodem, & in c. Si motu proprio de præben. lib. 6. ſecundùm Card. hìc n. 13. in 3. q. poſt Goffred. & Hoſt. n. 6. in verſ. Priori, & n. 8. in ver. Supprimunt. Abb. Antiq. n. 3. Jo.
31 Andr. n. 4. Item ſecundùm Bald. n. 7. in fin. In literis gratioſis poteſt poni exemplum in eo, qui fecit ſe legitimari tamquam ſimplicem naturalem, cùm eſſet inceſtuoſus: nam ad defectus ſuppreſſos numquam porrigitur diſpenſatio, ſed oportet exprimi qualitatem defectuum, l. Sed ſi hac, §. Pa-
32 tronum, ff. de in jus voc. Sufficit tamen exprimere qualitatem in genere, puta quòd ſit illegitimè natus, licèt non dicat ex Moniali, vel Monacho, ſecundùm Bald. hìc n. 8.

33 Ampliatur 6. etiamſi expreſſio falſi, vel taciturnitas veri non fuerit cauſa conceſſionis, propterea quòd eo non expreſſo, vel tacito Papa nihilominus litteras conceſſiſſet, hæc enim diſtinctio, an Papa veriſimiliter dediſſet litteras, necne, adhibetur tantùm in 2. reg. videlicet quando ſubreptio committitur per ſimplicitatem, vel ignorantiam: at ubi committitur per dolum, vel malitiam, ſubreptio indiſtinctè vitiat reſcriptum, ut innuit gloſſ. hìc in ver. Nullatenus, dum ait, non diſtingui hoc caſu, quæ falſitas ſit expreſſa, vel veritas occultata, ſed ſufficere, ut per malitiam hoc fecerit, & tenet expreſsè Innoc. in princip. in ver. Cognoſcet, ibi: Plus dicimus, quia ſi etiam illud per fraudem obtineat, quod aliàs obtenturus eſt, non valet, l. Et ſi, C. Si contra jus, & cum Innocen. concordant hìc Joan. Andr. n. 12. Imola n. 5. Abb. in 1. not. Barbat. num. 24. Bero. n. 13. & Quintil. Mandoſ. num. 7. Dec. in cap. Sedes in 4. not. ſuprà eodem, Bellam. d. 4. n. 1. Mohed. d. 8. de reſcript. ubi deciſum fuit gratiam diſpenſationis vitiari per falſam expreſſionem ætatis quinque annorum, licèt non fuerit neceſſaria, & Papa aliàs conceſſiſſet, & gratia non ſit fundata in d. ætate, quia in gratioſis, & in facto proprio præſumitur dolus, qui vitiat gratiam. Ratio eſt odium ipſius doloſi, Butr. hìc n. 3. verſ. Ratio prima. Hæc enim eſt pœna exprimentis falſum, vel tacentis verum per dolum, vel malitiam, quia reddit ſe indignum gratia, & ideò indiſtinctè caret impetratis: ſic probat hæc decretalis ibi: In ſuæ perverſitatis pœnam.

34 Nunc limita 1. regulam ſuperiùs propoſitam, ut locum non habeat, ſi ſubreptio non fuit cauſa formæ, nec ſubſtantiæ, nec alicujus de contentis in litteris, ut quia in illis aliquid falſum doloſè, & ſcienter expreſſum fuerit, quod nihil de contentis in litteris concernebat, ſed erat omninò extra materiam in illis poſitam: nam talis ſubreptio litteras juſtitiæ, vel gratioſas, nec in totum, nec in partem vitiat, ut hìc probatur à contrario ſenſu, & eſt de mente Abb. hìc à contrario, ſecundùm Bero. in 1. lectura n. 43. & in 2. n. 53. Ad hoc quod notat Innoc. & Hoſt. in c. Ex litteris inf. de tranſact. Quòd ſi ſubreptio ſcienter commiſſa fuerit, quæ non ſit cauſa conceſſionis, nullo modo vitiat litteras, & impetrans illarum vigore poteſt beneficium obtinere.

35 Limita 2. niſi plura in reſcripto fuerint narrata alternativè, quia tunc ſi ſubreptio etiam reſpiciat unum, illud tantùm vitiat, non autem alia in quibus nulla fuit commiſſa ſubreptio, ut notabiliter voluit Antonius de Butr. in d. c. Exhibita propè finem, verſ. Et ſi quidem, dicens hoc eſſe planum, & Bero. hìc in 1. lectura num. 7. poſt med. verſ. Verùm nota, licèt Butrii mentionem non faciat: & ita poteſt intelligi textus in c. Si eo tempore infrà eod. lib. 6. nam Papa ibi dedit litteras ad duo alternativè narrata, videlicet ad beneficium curatum, vel ad beneficium ſimplex. Undè quamvis gratia de beneficio curato eſſet ſubreptitia propter defectum ætatis in litteris non expreſſum, non tamen propterea vitiatur gratia de beneficio ſimplici, circa quod nulla fuit ſubreptio, cùm impetrans haberet ætatem requiſitam ad illud obtinendum: & eſt ratio, quia ad veritatem
36 alternativè ſufficit alteram partem eſſe veram, l. Ita ſtipulatus, ff. de verbor. obligat. c. Inter cæteras ſupr. eodem, & quamvis alternativè petens non dicatur præcisè alterum petere, §. Huic autem inſtitut. de action. Dec. in d. c. Inter cæteras in 3. not. tamen quando diſpoſitio alternativa ab initio non poteſt niſi in uno verificari, ſimpliciter de illo ſolo facta cenſetur, arg. l. Si duo, ff. de verborum obligatione. Undè minor, qui tacendo defectum ætatis, petiit ſibi provideri de beneficio curato, vel de ſimplici, cenſetur præcisè ſuam petitionem reſtrinxiſſe ad beneficium ſimplex, cujus eſt capax; ac proindè gratia de ſimplici non vitiatur, d. c. Si eo tempore. Quod nota perpetuò ad intellectum illius textus.

Limita 3. niſi litteræ fuerint obtentæ motu proprio Pa- 37
pæ, quia tunc ſubreptio etiam ſcienter facta non vitiat, & hoc propter virtutem motus proprii ipſius Principis, quæ omnem ſubreptionem excludit, Clement. Si Romanus de præbend. c. Si motu proprio eodem tit. lib. 6. ſecundùm Bero. hìc in ſecunda lectura n. 42. Rota dec. 353. n. 1. p. 4. rec.

Cæterùm adverte, quia ſubreptio eſt duplex, altera, 38
quæ provenit ex parte impetrantis, altera, quæ oritur ex re ipſa. Primam tollit motus proprius ſecundam non, Bellam. d. 392. & d. 475. Vitalin. in Clem. Per litteras num. 11. & 12. de præb. Felin. in c. In natura in 10. Corrolar. de reſcr. Card. Seraph. d. 398. n. 5.

Rurſus adverte, quia etſi contra litteras motu proprio obtentas non poſſit dari de ſubreptione, ut prædixi; tamen poteſt dari de defectu intentionis, qui ſubreptioni æquiparatur, ut in præallegata deciſione Seraphini 398. num. 2. Imò quod eſt ſubreptio in gratia facta ad ſupplicationem partis, eſt defectus intentionis in gratia facta motu proprio, ut dicitur in deciſ. 119. nu. 6. part. 5. recent. Et quam- 39
vis motus proprius relevet impetrantem ab onere juſtificandi gratiam, quæ ſolùm innititur voluntati, & verbo Papæ, Acchi'. deciſ. 10. de probat. Put. d. 101. libr. 3. Card. Seraphin. dec. 1484. num. 10. & in recent. d. 632. numer. 3. & d. 645. num. 2. part. 1. tamen non impedit, quin ex adverſo poſſit dari de defectu intentionis Papæ; eoque probato motus proprius non operatur, Bald. in l. Imperialis, §. Si miles, Cod. de nupt. Bellam. deciſ. 392. Caſſador. d. 4. verſ. Non tamen de penſ. cum aliis relatis in præalleg. d. 119. num. 3. par. 5. recent. Adverte tamen, quia requiritur oris apertio, quando in conceſſione eſt ſublata facultas contrarium dicendi, vel opponendi, & interpretandi, Caputaq. d. 134. num. 4. part. 3. Put. deciſ. 50. num. 5. lib. 1. & d. 377. in fin. lib. 3. Seraph. dec. 351. & 764. n. 1. Rot. d. 157. num. 14. par. 7. rec.

Modò pro abſolutione hujus primæ regulæ duo ſuper- 40
ſunt inveſtiganda. Primum eſt, an ſubreptio in dubio præſumatur doloſa ad effectum, ut probans ſubreptionem relevetur ab onere probandi dolum. Secundum, qualiter dolus probetur.

Circa primum, diſtinguendum eſt inter reſcripta ad lites, 41
& litteras gratioſas: nam in reſcriptis ad lites ſubreptio in dubio non præſumitur doloſa, & qui fraudem, vel dolum allegat, probare debet, l. Quoties, §. Qui dolo, ff. de prob. nam quilibet præſumitur bonus, donec probetur malus, c. Unic. infr. de Scrutin. c. Dudum de præſumpt. l. Merito, ff. Pro ſocio, & hìc firmant gloſſ. in ver. Priori modo, & gloſſ. ſeqq. Innocen. in princip. in ver. Facta fuerit, verſ. Et debet probare dolum, qui alleg. Abb. Antiq. n. 3. in eod. verſ. Hoſt. n. 7. Joan. Andr. n. 21. Bald. n. 14. & alii communiter, Caputaq. d. 220. n. 1. & 2. par. 3. Et pro hac opinione eſt textus
optimus in c. Accedens infrà de crimine falſi, quem ſic ſu- 42
mat Abbas Antiq. Propter litteras de ſimplici juſtitia nemo præſumitur committere crimen falſi, & ibi Gloſſ. 1. & Innocen. in princip. & Hoſtien. nu. 4. indè ſumunt argumentum, quòd ſi quis ſuggeſſit falſum in litteris de ſimplici juſtitia, non præſumitur doloſè feciſſe. Ratio eſt, quia de
facili poſſunt obtineri, ut ibi dicitur: nec in re modica præ- 43
ſumitur quis dolum commiſiſſe, l. Si oleum, §. ult. & l. ſeqq.
ff. de dolo. Eſt tamen unus caſus, in quo in reſcriptis ad li- 44
tes præſumitur dolus, videlicet quando ſunt magnæ conjecturæ doli, ut ſi eſt falſitas in narratione facti proprii, non antiqui, neque intricati, vel ſi ſunt litteræ magni ponderis. Et idem de ſimilibus conjecturis, ut hìc pulchrè per Abbatem n. 7. verſ. Sed tu conclude, & Felin. n. 5. verſ. Eſt etiam unus caſus.

In litteris autem gratioſis ſtat regula in oppoſitum, 45
quia expreſſio falſi, & taciturnitas veri ſemper præſumitur cum dolo, ſecundùm Innoc. in d. c. Accidentes in princ. de crimine falſi: & quamvis loquatur, ſi gratia ſit magna; tamen in gratioſis in dubio dolum præſumi ſentit ſimplici-

ter idem Innoc. *in c. Dilectus*, *il* 1. *n.* 2. *infrà eod.* Caſſad. *d.* 10. *num.* 3. *de præb.* Mohedan. *deciſ.* 8. *de reſcript.* Seraph. *d.* 20. *num.* 4. Rota *d.* 155. *num.* 5. *part.* 4. *rec.* & ſequitur Felinus hic *num.* 5. *verſ. Et quod in gratioſis*, qui tamen ſubdit hanc præſumptionem non eſſe juris, & de jure; & ideò poſſe probari ſubreptionem dolo caruiſſe. Sed Hoſt. *in d. c. Accedens num.* 3. *verſ. Si verò*, dicit in literis gratioſis eſſe attendendam qualitatem gratiæ, & perſonæ impetrantis,
46 & ſecundùm hoc contra ipſam præſumendum eſſe plus, vel minùs, & cum Hoſt. concordant ibi Joan. Andr. & quòd in gratia modica dolus non præſumatur, tenet Bellam. hic *num.* 22.

Rurſus attendendum, an impetrans ſuggeſſerit falſum in facto proprio quia in literis gratiæ præſumendum eſt con-
47 tra ipſum, ut patet *in l. Quiſquis*, *C. de reſcind. vendit.* & notat Gloſſ. 1. *in d. c. Accedens*, ibi: Sed pone quòd falſum affirmet circa rem propriam, cujus notitiam habuit, præſumitur primò contra ipſum, quia non præſumitur quis ignorare factum propriæ rei, & cum Gloſs. concordant ibi Hoſt. *num.* 4. *verſ. Sed quid ſi circa factum proprium*, Butr. *nu.* 7. *verſ. Sed pone, dicit gloſſ.* Mohed. *deciſ.* 8. *de præſcript.* Accoramb. *d.* 17. *lib.* 1. Seraph. *d.* 601. *n.* 2. Rota *d.* 295. *n.* 13. *par.* 6. *rec.*

48 Sunt tamen duo caſus, in quibus ſubreptio in beneficialibus non præſumitur doloſa, ſecundùm Felin. hìc *num.* 5. *verſ. Sunt tamen*. Primus eſt quando, falſitas non eſt talis, quæ veriſimiliter debeat inducere Papam ad gratiam faciliùs concedendam, ſed eſt ſuperflua, quia tunc in dubio non præſumitur doloſa, cùm dolus ſit quædam machinatio exquiſita, *l.* 1. *ff. De dolo*, quæ in ſuperfluis, & inutilibus non eſt veriſimilis, Bellam. *d.* 4. quæ incipit: *Falſi expreſſio non doloſa*.

49 2. Caſus eſt, quando falſitas eſt circa illud, quod ſi eſset verum, potiùs debuiſset Principem retrahere à conceſſione, puta, dixit ſacriſtiam eſse dignitatem, cùm non eſset; nam ſi eſset dignitas, Princeps difficiliùs conceſſiſset, & ſi non eſset faciliùs conceſſiſset: talis ergo falſitas non præſumitur doloſa, Rot. *in Antiquior. d.* 19. *in fin. de præb.* Bellam. *d.* 115. incipien. *Falſa expreſſio litis pendentiæ*.

50 Circa 2. eſt qualiter dolus, ſeu fraus, vel malitia probetur, generaliter dicendum eſt probari ex perſpicuis indiciis, ut eſt text. *in l. Dolum*, *C. de dolo*, puta ex qualitate perſonæ, & ex forma reſcripti, ut dicit gloſſ. hic *in verb. Nullatenus*, *verſ. Sed qualiter probetur malitia.* Specialiter autem; ut verbis utar Hoſtienſis hìc *num.* 8. probabitur hæc fraus eo ipſo, quòd impetrans probatur ſciens, *l. Verius*, *ff. de probat. & l. Non omnes*, §. *a Barbaris*, *ff. de re militari*, *& l. Dolum*, *C. de dolo.* Ergo probata ſcientia, fraus probata
51 intelligitur, niſi in communi forma impetretur, ut *c. Accedens infr. de crimin. falſi*: ita Hoſt. qui tamen ſtatim declarat dictum ſuum procedere in homine curioſo, & diligenti; ſecus verò ſi ſit ſimplex homo, quia tali ſubveniendum eſt, licèt probetur ſcientia, *c.* 3. *De conſecr. diſt.* 2. *c. Cum univerſorum inf. de rerum perm. ut.* neque enim obeſt, quod per ſimplicitatem commiſſum eſt, *ut l.* 1. §. *ult. ff. de ventre inſpic.* Item imperitiæ parcitur, *l. Cum de indebito*, §. 1. *ff. de probat. & l.* 1. §. *ult. ff. de edendo cum concord. de quib. per eum n.* 5. Sed tandem hanc diſtinctionem non admittit, niſi per aliquas conjecturas relevetur, quòd committitur arbitrio judicis, ne viam aperiamus, &c. arg. *c. Nonnulli infr. eod. & c. Unico infrà, ut beneficia eccleſiaſtica*, quibus verbis intendit Hoſtien. ut probata ſcientia, cenſeatur probata malitia, & ſi impetrans ſit homo ſimplex, niſi per aliquas conjecturas arbitrio boni judicis relevetur, & cum ipſo concordat Joan. Andr. *n.* 21. & alii ſupra citati, *n.* 14.

52 2. Regula; Expreſſio falſitatis, vel taciturnitatis veritatis ex ſimplicitate, vel ignorantia proveniens, ſi non ſit cauſa conceſſionis, eò quòd expreſſa veritate, vel tacita falſitate, Princeps nihilominus literas conceſſiſset, reſcriptum non vitiat. Habetur hæc reg. ex verbis textus ibi: Si talis expreſſa ſit falſitas, vel veritas occultat, quæ quamvis fuiſſet tacita, vel expreſſa, Nos nihilominus literas dediſſemus, &c. Eam ponit Innoc. *n.* 1. *verſ.* 2. *reg.* Hoſtien. *n.* 10. Jo. Andr. *n.* 25. Bellam. *n.* 13. *verſ. Aut tacita veritate*, Butr. *n.* 3. *verſ.* 3. *reg. & nu.* 6. Cardin. *n.* 13. *in* 3. *&* 4. *reg.* Anchar. *n.* 4. Imol. *n.* 7. *verſ. Nota quod ubi*, Bellam. *d.* 4. & 115. Caſſador. *d.* 12. *n.* 15. *de præben.*

53 Amplia primò hanc 2. reg. ut locum habeat, etiamſi impetrans tacuerit ea, quæ de proceſſu ſunt neceſſariò exprimenda; quia valent literæ, etiamſi tale quid ſit omiſſum, quo expreſſo Princeps nihilominus literas conceſſiſſet, ut determinat Innoc. hìc *n.* 1. *in ver. In communi forma*, arg. *c. Oblatæ infrà de appellat.* licèt alii contra.

Amplia ſecundò etiam in beneficialibus, ut eſt textus in 54
c. Dudum, *verſ. Conſiderantes de præb. lib.* 6. qui in materia beneficiali expreſsè vult, ut taciturnitas alicujus qualitatis, qua expreſſa nihilominus Princeps literas conceſſiſſet, non vitiet eas. Ad idem textus *in c. Si pro Clericis pauperibus eod. tit. & lib.* ubi taciturnitas defectus ſacrorum Ordinum non vitiat literas, ex quo impetrans intra tempora à jure ſtatuta poteſt promoveri ad Ordines, quos requirit beneficium. Et per hæc jura tradit Felinus hìc *n.* 2. Bellam. *d. dec.* 4. Caſſad. *d.* 12. *n.* 15. *de præbend.* Cæſar. de Graſſ. *d.* 8. *n.* 2. *eod. tit.* Rota *d.* 439. *n.* 6. *p.* 4. *& d.* 24. *n.* 4. *verſ. Sanè hæc ratio p.* 5. *& d.* 140. *n.* 7. *& d.* 22. *n.* 23. *p.* 7. *rec.* Hinc fit, ut ſit taceatur beneficium ab alio injuſtè poſſideri, vel per ſimoniam, 55
non vitientur literæ, ut notant Innoc. & Hoſtien. *in c. Ex literis de tranſact.* & qui narravit beneficium cum cura, vel reſidentia, obtinebit beneficium ſimplex, & reſidentiam non requirens, quia multò potiùs Papa hoc conceſſiſſet, Rota *dec.* 73. *Papæ ſupplicat aliàs* 562. *de reſcript. in Antiquis*, & Felin. hìc *n.* 2. *verſ. Et ad idem Rota.* Verùm tamen 56
gloſſ. *in c. Si motu proprio in verſ. Taceat de præb. lib.* 6. tenet hoc cap. 6. *in* 2. *reg.* non habere locum in beneficialibus, quia non ſufficit, ut Papa veriſimiliter voluerit providere, ſed requiritur proviſio, & facta in uno caſo, non porrigi- 57
tur ad alium, *c. Suſceptum infrà eod. lib.* 6. & opinionem gloſſ. dicit videri veriorem, Dec. hic *n.* 18. *verſ. Et ideo verior videtur*. De qua pleniùs diſſerit Bero. *n.* 49. *verſ. Contrarium*, *& n.* 51. *verſ. Secunda tamen opinio*. Sed non videtur recedendum à prima opinione, quam paſſim ſervat Rota ut in præcitatis deciſionibus.

Motivum autem gloſſæ poſſet procedere, ſi ſubreptio caderet circa id, ad quod verba literarum non adaptantur. Undè ſi quis exprimat dignitatem, cum ſit beneficium ſimplex, non valent literæ, licèt Papa ſimplex beneficium faciliùs contuliſſet, quia dignitatis appellatione non veniunt beneficia ſimplicia, *cap. Si fortè*, juncta gloſs. *in verb. Dignitatem de elect. lib.* 6. Et ſimili modo impetrans præbendam integram, non poterit obtinere dimidiam, licèt dimidiam faciliùs impetraſſet, quia appellatione integræ præbendæ non venit dimidia, text. eſt *in cap. Cui de non ſacerdotali de præb. eod. lib.* & in litteris ad beneficia, tamquam ambitioſis non fit extenſio de caſu ad caſum, etiam ex majoritate rationis, nec valet arg. de majori ad minus etiam affirmativè, *ut in d. c. Cui de non ſacerdotali, & in c. Quamvis de præb. lib.* 6. *& in c. Suſceptum de reſcriptis eod. lib.* & notat Bero. hìc *num.* 44. *poſt princ. verſ. Hæc ratio non placet in* 1. *lectura*, *& in* 2. *num.* 55. & in hoc caſu intrat ratio gloſſæ, quòd non ſufficiat, ut Papa voluerit providere, ſed neceſſaria ſit proviſio. At ſecùs eſt ſi ſubreptio ſit circa qualitatem beneficii, quam ſi Papa ſciviſſet, eodem modo, vel faciliùs conceſſiſſet: tunc enim non applicatur motivum gloſſæ, quòd non ſufficiat, ut Papa voluerit providere, ſed requiratur proviſio; quoniam Papa tunc verè providit de beneficio, licèt ejus qualitatem ignoraverit, quam tamen ſi ſciviſſet, eadem vel majori facilitate providiſſet, & ideò ſubreptio non vitiat, *ut d. cap. Dudum*, & ibi gloſſ. *in ver. De ipſa*, *& in c. Si pro Clericis de præbend. lib.* 6. & tenet Rota *d.* 11. *num.* 16. *par.* 6. *rec.* Caputaq. *dec.* 160. *nu.* 1. *part.* 1. ubi allegat Romanum *conſ.* 194. *in.* 2. *dubio*, & Cravet. *conſ.* 2. *n.* 17. *&.* 19. Quo fit, ut ſi quis impetraverit Theſaurariam in certa Eccleſia ſub nomine dignitatis, cùm eſſet officium, talis ſubreptio non vitiet litteras, ut pro majori parte tenuerunt Domini de Rota *deciſ.* 582. *aliàs* 4. *Quidam obtinuit de reſcr. in Antiquis*; quia ſi fuiſset narratum illud eſse officium, Papa eodem modo, imò faciliùs dediſset, cùm faciliùs conſueverit conferre beneficia minora, quæ ſonant in officium, quàm Dignitates, & faciliùs beneficia ſimplicia, quàm Curata, ut in *c. Ad aures ſup. eod. & in c. Gratia eod. tit. lib.* 6. Et illam deciſionem ſequuntur hìc, & pluribus confirmant Abb. *n.* 6. *verſ. Et ad prædicta*, Dec. & Bero. *in* 1. *ſect. n.* 44. *& in* 2. *n.* 54. *& ſeqq.* Ad cognoſcendum autem, quæ ſint illa, quibus expreſſis Papa veriſimiliter gratiã conceſſiſset, vel non conceſſiſset attenditur communis ſtylus Principis, vel uſus Cancellariæ;

riæ; item probabilis conjectura, vel communis uſus aliarum literarum, quas Princeps conceſſerunt, vel conſueverunt concedere; aliàs numquam deprehendi poſſet, num Princeps feciſſet gratiam, ſi fuiſſet expreſſum, necne? fortè enim feciſſet, & fortè non, ut benè per Lapum *alleg.86. duo Prælati.* Quod latiùs proſequitur Felin. hìc *n. 8. verſ. In 1. reg.* & cenſuit Rota apud Caſſad. *d. 12. n. 14. de præbend. & in rec. d. 105. n. 1. & 3. & d. 739. num. 1. p. 2.* Potiſſimùm verò attenditur, an gratia præjudicium inferat, quia tunc præſumptio eſt, Papam vel non conceſſurum, vel difficiliùs, ut dicitur in præallegata *d. 105. n. 3.* & tenet Card. *conſ. 96. Videtur unio n. 8.*

58 Limita 1. hanc 2. reg. ut locum habeat, dummodò qualitates non expreſſæ ſint tales, ad quarum expreſſionem non tenetur impetrans de jure communi: ſecùs ſi ſint tales, de quibus impetrans debuit de jure mentionem facere, quia tunc taciturnitas earum vitiat, etiamſi aliàs Papa omninò literas conceſſiſſet: ita procedit text. *in c. Si motu proprio de præb. lib. 6.* ubi taciturnitas beneficii priùs obtenti, quantumvis modici, vitiat literas impetrationis. Hoc enim procedit, quia de obtento etiam modico de jure eſt facienda mentio, ut ibi in gloſſ. penult. & poſt Dominicum declarat Felinus hìc *n. 2. verſ. Limita 1.* Dec. *n. 18.* & regula eſt,

59 quòd non tenetur impetrans facere mentionem in literis beneficialibus, niſi de qualitatibus in jure expreſſis, Felin. ubi ſuprà, qui allegat Calder. *conſ. 6. de præben.* & Domin. *in c. Poſtulaſti infrà eod.*

60 Limita 2. ut non procedat, ubi eſt diverſitas perſonarum, vel cauſarum, actoris, vel rei, quia tunc etiamſi ſuper tacito fuiſſent datæ literæ, nihilominus reſcriptum obreptitium vitiatur. Ita Calder. *conſ. 11. Epiſcopus Delegatus de ſent. excom.* allegat *cap. Significante infra eod.* & ſequitur Felin. hìc *n. 1. circa fin. verſ. Et dicit quod regula.*

61 Limita 3. dummodò ea, quæ ſunt expreſſa circa qualitates beneficii, expreſſa ſint cauſa demonſtrationis, ſubreptio enim non doloſa non obeſt, ſi Princeps nihilominus conceſſiſſet; ſecùs verò ſi expreſſa eſſent cauſa taxatione, quia tunc reſcriptum beneficiale non poteſt reduci ad ea, quæ ſi fuiſſent benè expreſſa, non retraxiſſent Principem à conceſſione literarum, Rota *d. dec. 4. n. 5. verſ. Alii tamen de reſcript. in antiquis*, Domin. *in c. Poſtulaſti infr. eod.* & hìc notant Felin. *n. 3. verſ. Limita 4.* Dec. *n. 18. verſ. 2.* & Bero. *in 1. lectura n. 44. & in 2. num. 56.* Quando autem aliquid dicatur expreſſum cauſa demonſtrationis, vel taxationis, vide per eumdem Bero. *n. 45. in prima lectura, & in ſecunda n. 57.*

62 Tertia regula; Expreſſio falſitatis, vel ſuppreſſio veritatis per ſimplicitatem, vel ignorantiam, vitiat reſcriptum in totum, ſi ſit ſubſtantiæ reſcripti inductiva, ſeu fundamentum, vel cauſa totius conceſſionis, id eſt, ſi Princeps tacita falſitate, vel expreſſa veritate, nullo modo dediſſet literas. Deſumitur hæc tacita regula ex litera textus, ibi: *Si vero per hujuſmodi falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem etiam veritatis literæ fuerint impetratæ, quæ tacita, vel expreſſa, nos nullas prorſus literas dediſſemus*: & eam ponunt hic Innocent. *num. 4. verſ. Si vero tertia regula*, Hoſtienſ. *num. 10. verſ. Vel per ſimplicitatem*, Joan. Andr. *num. 11.* & notant Abb. *num. 4. & 6.* Felinus *num. 6. verſ. Limita 5.* & Dec. *num. 8. in 3. notab.* & idem Abb. *in cap. Conſtitutus in 2. notab. & in cap. Sedes num. 4. ſuprà eodem, & in cap. Ad audientiam num. 14.* & ibi Felin. *num. 22. in 3. ampliat. infra eodem*, Franc. *in cap. Si eo tempore num. 4. de reſcriptis lib. 6.* Bellam. *diſtinct. 4. num. 1.* & probatur ratione evidenti, quia deeſt voluntas concedentis, à qua dependet ſubſtantia reſcripti: nam, ut ait gloſſa hìc *in ver. Literas dediſſemus*, ſimplicitas, & ignorantia non prodeſt circa hujuſmodi literas impetrandas; imò ad hoc ut reſcriptum teneat, nihil debet ſupprimi ex iis, quæ movere poſſunt animum Principis ad dandum reſcriptum, vel denegandum. Et infra immediatè ponit quamplurima exempla,

63 & in fine dat generalem theoricam his verbis: *Et generaliter ubicumque talem veritatem tacuit, vel talem falſitatem expreſſit, quâ tacita, vel expreſſa, Papa literas non dediſſet, reſcriptum inutile fit.* Ac cum gloſſa concordat Hoſtien. *num. 10.* Jo. Andr. *n. 25. verſ. Aut id factum*, Bellam. *nu. 13. poſt m. d. ver. Aut non habuiſſet*, Butr. *n. 3. ver. Tertia regula n. 5.* Card. *n. 13. verſ. Quinta regula*, Anchar. *n. 4. verſ. Et tunc aut ex falſitate*, Imol. *n. 6. verſ. Secus ſi Delegatus*, Abb. *in 2. notab.*

Exempla hujus regulæ, ſecundùm Innoc. hic *n. 3. verſ. Nos nullas*, habentur *in c. Ad aures de cohabitat. cleric. & mulierum*, *in c. Super eo*, *& in c. Cum olim de re iudic. in c. Inter dilectus de fid. inſtrum. in c. Cum adeo*, *& in c. Conſtitutus ſuprà eod. in c. Ex literis de tranſact. & in l. fin. C. ſent. reſcindi non poſſe.* 64

Aliud exemplum, quando in totum vitietur reſcriptum propter ſubreptionem, vel obreptionem ex ignorantia, vel ſimplicitate, poni poteſt, ſi impetretur reſcriptum commiſſionis cauſæ ab ipſo Papa ſuper re feudali, non facta mentione, quòd feudalis ſit; quia tunc Papa veriſimiliter ſe non intromiſiſſet ſuper re feudali, niſi fortè in defectum non adminiſtratæ juſtitiæ, ex quo ad dominum feudi talis cognitio ſpectabat, ut in conſtitutione Federici, *Hac edictali, §. Præterea, cap. Cæterum, & cap. Novit de judiciis, c. Ex tranſmiſſa, & c. ſeq. de for. comp.* Undè quia hæc ſubreptio, & taciturnitas fuit cauſa totius conceſſionis, reſcriptum corruit in totum, licèt ignorantia, vel ſimplicitas, non autem dolus intervenerit; utroque enim caſu literæ pariter vitiantur: nam etſi dolus præponderet ſimplicitati, & ignorantiæ; tamen idem erit effectus, quando ſubreptio fuit cauſa totius conceſſionis, ut benè per Quint. Mandoſ. *in repet. hujus cap. n. 7. in fin. verſ. Exemplum tom. 6. Repeten. in Append. fol. 31.* 65

Ampliatur primò hæc tertia regula, ut à fortiori locum habeat in literis beneficialibus, & gratioſis, ut concludit Abbas hìc *in 2. not.* Felin. *n. 6. verſ. Limita quintò*, & Dec. *nu. 17.* Seraph. *d. 734. n. 7.* Rota *dec. 94. n. 60. & 61. part. 7. rec.* & conferunt quæ dixi ſuprà *n. 21.* 66

Ampliatur ſecundò, ut locum habeat non ſolùm quando ſubreptio fuit cauſa inductiva, & finalis ipſius conceſſionis, ſed etiam quando fuit cauſa impulſiva, ut quia Princeps etiam ceſſante ſubreptione fuiſſet quidem conceſſurus, ſed non ita de facili, ſeu de levi, & ſic ſubreptio fuit cauſa impellens: nam nihilominus ſaltem in gratioſis ſubreptio vitiat, ut eſt textus *in cap. Poſtulaſti*, in illis verbis, *De levi non ſcribimus*, & ibi ponderant Doctores *infrà eod.* & tenet Gloſſ. *in c. fin. in figuratione caſus de filiis Presbyt. lib. 6.* & ibi Prob. *in Addit. ad Monach. num. 3. verſ. Ipſo jure*, Abb. hìc *num. 7. & in cap. Ad aures numer. 4. ſuprà eod.* Gemin. *in c. Dudum n. 15. de præbend. lib. 6.* & ibi Anchar. *n. 3.* & Franc. *ad* . Imol. *in dict. c. Poſtulaſti n. 4.* & ibi etiam Felin. *n. 1.* Calderin. *conſ. 13. An poſſidens in tit. de reſcriptione*, Alexand. *conſ. 95. Requiſitus n. 8. verſ. Non obſtant ſupra allegata lib. 7. & conſ. 161. Viſis narratis num. 5. verſ. Quia literæ gratioſæ eodem lib.* & millies reſolvit Rota, ut apud Caſſan. *d. 72. num. 14. de præben.* Put. *d. 232. num. 2. lib. 1.* Seraphin. *d. 19. num. 2.* ubi decidit reſignationem eſſe ſubreptitiam, ſi quis in interpretatione beneficii dicat ſe eſſe Romanum, & poſteà in reſignatione dicat ſe eſſe forenſem, quia propter hujuſmodi narrativam Papa motus fuit ad faciliùs concedendum, quam ſi narraſſet ſe eſſe civem Romanum, cùm hoc caſu opus eſſet derogatione; & apud Buratt. *dec. 55. n. 6. & dec. 510. n. 7. & in rec. d. 418. n. 1. part. 1. & d. 670. nu. 4. p. 4. & d. 94. n. 60. & 6. p. 7. & d. 739. num. 1. par. 2.* ubi reſolvit reſervationem penſionis non facta mentione alterius penſionis ſuper eodem beneficio reſervatæ eſſe ſubreptitiam, ac nullam; quia ſi Papa ſciviſſet dictam penſionem, vel non conceſſiſſet ſecundam, cùm non ſoleant duplici onere gravari beneficia, ad notata *in c. Mandatum infra eod.* Caſſador. *d. 3. de penſ.* cum aliis ibi allegatis, vel ſaltem difficiliùs conceſſiſſet; quod ſufficit ad cauſandam ſubreptionem, atque inde nullitatem gratiæ, Socin. Sen. *conſ. 260. n. 2.* Corn. *conſ. 245. n. 6. lib. 1.* Cravetta *conſ. 296. n. 3.* 67

Sed tu adverte, quia hæc concluſio non procedit, quando ſubreptio provenit ex ignorantia probabili; tunc enim taciturnitas ejus, quo expreſſo reſcriptum non ita facilè fuiſſet obtentum, illud non vitiat, ut efficaciter probat textus *in c. Gratia, de reſcript. lib. 6.* tenendo, prout communiter tenetur, quòd non ponat caſum ſpecialem: nam ſi Papa ibi ſciviſſet de alio beneficio, non ita facilè conceſſiſſet; & tamen quia illa taciturnitas erat cooperta juſta ignorantia, reſcriptum valet: & ita illum textum ad hoc ponderant Abbas *num. 5.* Felinus *nu. 6. verſ. Limita ſecundo*: ex quo ſequitur magna limitatio ad regulam *d. c. Poſtulaſti in verſ. De levi*, videlicet quòd tacere id, quo expreſſo Princeps nō ita facilè reſcripſiſſet, vitiat 68

reſcriptum: nam hæc regula non obtinet, quando taciturnitas provenit ex juſta ignorantia, ut per Felin. ubi ſup.

69 Pro concordia poteſt dici primam opinionem gloſſæ, & ſequacium procedere, quando tacetur id, quod de jure erat exprimendum in litteris; tunc enim taciturnitas utcumque non doloſa vitiat literas, etiamſi Papa eo expreſſo conceſſiſſet, quamvis non facilè, *ut cap. Si motu proprio de præben. lib. 6.* & conſtat ex dictis ſupra num. 58. Secus verò ſi per ignorantiam taceatur id, de quo non eſt cautum in jure, ut debeat exprimi; quia tunc literæ non vitiantur, licèt eo expreſſo difficiliùs fuiſſent obtentæ; ita gloſ. *in Clem. 1. in ver. Vel alteri*, paulò poſt princ. *de præben.* Calder. *conſ. 6. ad fin. verſ. Vel per prædicta eod. tit. & conſ.* 10. *de reſcriptione, & conſ. 1. num. de filiis Presbyt.* Felinus *hic n. 2. verſ. Et regula eſt, & in cap. Poſtulaſti nu.* 1. *verſ. Declara etiam infrà eod.* Rota *d.* 32. *Extra Rotam n. 5. de reſcript. in noviſ.* ubi ait: *Non omnia tacita, quorum expreſſio movere potuiſſet ad denegandam gratiam, vitiant; ſed ea ſolum, de quibus reperitur expreſſum, vel de quibus in jure eſt cautum, ut eis expreſſis eam gratiam nullatenus conceſſiſſet*; & ideò conceſſio facta per Papam criminoſo valet ipſo jure, *cap. Inter dilectus de exceſſ. Prælat. cap. Accedens de accuſat.* & notat præcitata gloſ. *in Clem.* 1. & tamen ſi fuiſset crimen expreſſum, hoc valdè potuiſsent movere ad denegandum. *c. Eam te de ætat. & qualit. cum ſimil.* concordat Bellam. *d.* 697. *Concluſio extra Rotam n. 4. & 6.* Caputaq. *d.* 310. *n. 3. part.* 1. Mohedan. *d. 7. de reſcript.* Rot. *d.* 105. *n. 2. par. 2. rec.* Navar. *conſ. 1. q. 11. de conſtit. & conſ. 2. num. 5. de reſcriptione, & in aliis pluribus.*

70 Verùm huic concordiæ adhuc fortiter obſtat textus *in d. c. Gratia de reſcript. lib. 6.* nam ibi deciditur, ut impetrans beneficium à Papa, tacito alio, quod ſibi abſenti collatum fuerat ab Ordinario, poſſit utrumque retinere, ſi ſint compatibilia; ſi verò incompatibilia ſint, habeat optionem retinendi quod maluerit; & redditur ratio deciſionis, quia tempore impetrationis neſciebat, & tamen fuit ignoranter tacitum beneficium, quod de jure erat exprimendum, *d. c. Si motu proprio de præb. lib. 6.* Ergo ſubreptio ex juſta ignorantia pro eniens non vitiat literas, etiamſi fuerit tacitum id, quod de jure erat exprimendum.

Doctores dant varias ſolutiones, ut per Jo. Andr. *in d. c. Gratia n. 2.* & hic per Butr. *n.* 27. Abb. *n.* 5. & Bero. *in prima lectura n.* 41. Sed placet ſolutio ipſius Beroji *n.* 42. videlicet quod ibi ſubreptio ex juſta ignorantia proveniens, idcircò non vitiat literas ad beneficia, quia ex ignorantia tacitum fuit beneficium, in quo impetrans jus in re non habebat, ſed tantùm jus ad rem; nam fuerat collatum beneficium abſenti, & ignoranti per Ordinarium, quo caſu abſenti non acquiritur jus in beneficio, ſaltem in re, & irrevocabiliter, niſi poſt ratificationem, *ut cap. Si tibi abſenti de præbend. lib. 6.* & ideò ſubreptio proveniens ibi ex tam probabili ignorantia non vitiat literas, quia ad hoc ut vitiet, debet taceri beneficium, in quo impetranti eſt acquiſitum jus in re quantumcumque ſit modicum, & ita procedit textus *in d. c. Si motu proprio*: de jure autem ad rem non eſt facienda mentio in literis, *Clem. Gratia de reſcript.* & hæc eſt ratio, cur *in d. c. Gratia*, ſubreptio ex tolerabili ignorantia proveniens non vitiat, quia fuit tacitum id, quod de jure exprimendum non erat, licèt eo expreſso Papa non ita facilè literas conceſſiſset.

71 Limitant nonnulli hanc tertiam regulam, ut non procedat, ſi alius pro abſente literas impetravit, quia ſubreptio non nocet abſenti, & ignoranti, Rota *d.* 68. *D. Urbanus V. de reſcript. in antiq.* quam ſequitur hic Felin. *n.* 7. & Bart. Socin. *conſ.* 270. *Conſideratis ad fin.* ſed eam confutat Dec. *n.* 9. quia intentio reſcribentis attenditur, & non ignorantia partis, licèt probabilis. Adde tu, quòd ſubreptio vitiat etiam quando alius pro eo impetravit, ut probat textus in *c. Si eo tempore*, ibi, *Secus ſi ad petitionem illius, vel alterius pro eo oblatam, de præb. lib.* 6. ubi hoc tenent Anch. *in 3. no.* & Franc. *n.* 3.

72 4. *Regula*; Subreptio per ſimplicitatem, vel ignorantiam, quæ non fuit cauſa totius conceſſionis, ſed partis illius dumtaxat, ſcriptum non vitiat in totum, ſed eatenus tantùm, quatenus fuit cauſa conceſſionis. Colligitur hæc 4. reg. quæ in ordine literæ eſt 2. ex illis verbis: *Nam ſi talis expreſſa ſit falſitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuiſſet tacita, vel expreſſa, nos nihilominus* (*ſaltem in forma communi*) *literas dediſſemus, delegatus non ſequens formam in literis ipſis appoſitam, ſecundum ordinem juris in cauſa procedat.* Et ſic reſcriptum non vitiatur quoad ſubſtantiam, quia ſubreptio non fuit ſubſtantiæ reſcripti inductiva, ex quo Papa in forma communi literas conceſſiſſet; ſed vitiatur quoad formam, ſeu modum procedendi, quia ſubreptio fuit ipſius formæ inductiva, & ideò delegatus non procedit ſecundùm formam reſcripti, ſed ſecundùm juris ordinem: & ita hanc regulam ponunt hic Abb. Antiq. *n.* 3. *ver. Qui per ſimplicitatem*, Jo. Andr. *n.* 8. Butr. *n. 3. ver. Tertia regula*, Card. *n. 13. in 3. & 4. reg.* Imol. *in princ.* Abb. Siculus *in 2. not. & n. 4. verſ. Secunda regula*, Felin. *n.* 2. Dec. *n. 8. in 3. not.* & Quint. Mandoſ. *n.* 7. Jo. Andr. Bald. Bellam. & omnes in ſum. text. Et ſimplicitas propriè reſpicit jus, ignorantia 73 verò reſpicit factum, ſecundùm Abb. Antiq. *n.* 2. & Jo. Andr. *n.* 11. Et ratio hujus reg. eſt ſecundùm Anton. de Butr. *n. 3. verſ. Ratio ſecundæ*, & Joan. de Imol. *col. 4. poſt medium*, 74 *verſ. Et illam opinionem*; quia vitium eatenus actum vitiare debet, quatenus ingreditur actus ſubſtantiam, ut ſic quantitas infirmitatis actus menſuretur quantitati vitii; & hoc rationabile. Si ergo ſubreptio cauſat formam ſolam, illa tantùm vitiat relicta ſubſtantia: & ſequitur Rot. *d.* 169. *n. 8. ver. Et bene applicatur elegans doctrina Butr. p. 7. rec.*

Exemplum in creditore, qui impetravit reſcriptum contra 75 debitorem, narrando per ignorantiam, vel ſimplicitatem ex ſtatuto vel conſuetudine cauſas in 1. inſtantia cognoſci ſimpliciter, & de plano; quod falſum erat, cum verè in illa patria procederetur in cauſis via ordinaria, non autem ſummaria, ac privilegiativa, & quæ tollat plura ſubſtantialia judicii, juxta textum *in Clem. Sæpe de verb. ſignific. & in Clem. Diſpendioſam de judiciis*; & ſic ignorantia, vel ſimplicitas impetrantis narrando hujuſmodi conſuetudinem, vel ſtatutum, fuit cauſa inductiva formæ reſcripti, id eſt procedendi ſummariè, & de plano; & ideò hæc forma vitiatur, quia ſi Papæ non fuiſſet narratum de hujuſmodi conſuetudine, vel ſtatuto ſub tali forma litteras non conceſſiſſet; ſed non fuit inductiva ſubſtantiæ reſcripti, quia etiam ceſſante ſtatuto, vel conſuetudine Papa in communi forma conceſſiſſet litteras; & ideò non vitiatur reſcriptum quoad ſubſtantiam, ſed perindè eſt, ac ſi cauſa ſimpliciter commiſſa fuiſſet abſque illis clauſulis inſoliti. Judex igitur delegatus vigore hujus reſcripti non procedet ſummariè ſecundùm formam reſcripti, ſed via ordinaria, & juris ordine ſervato, juxta text. *l. 1. & in Auth. Offeratur, C. de lit. conteſt. & in l. Prolatam, C. de ſent. & in c. Quoniam contra infrà de probat.* Et hoc exemplum poſuit hic Hoſtienſ. *n.* 10. poſt eum Jo. Andr. *n. 8. verſ. Item in utroque*, & Mandoſ. *n.* 7. & alia plura exempla recenſet Jo. Andr. *eod. num.* & Baldus *in l. Præſcriptione num. 16. & ſeqq. C. Si contra jus, vel utilit. publicam*, quæ hic non tranſcribo, ſed per te videas.

Ampliatur hæc 4. reg. ut procedat etiam in literis ad beneficia, 76 in quibus pariter ſubreptio non doloſa, quæ fuit cauſa unius rei, illam ſolam vitiat, & non aliam, cujus non fuit cauſa. Ita firmant hic Butr. Imol. Domin. & Abb. relati à Felin. *num.* 2. & idem Dominicus latè *in repetitione cap. Poſtulaſti infrà eodem*, Rota *dec.* 4. *Quidam obtinuit de* 77 *reſcriptis in antiquis*, & Calder. *conſ. 2. eodem titulo*, & probatur ſecundùm Abbatem, & Felin. in *c. Si eo tempore de reſcript. lib.* 6. ubi ſubreptio circa ætatem impetrantis beneficium Curatum vitiat litteras quoad ipſum beneficium, non autem quoad beneficium ſimplex, in quo nulla fuit ſubreptio.

Limitatur primò hæc quarta regula, niſi obtentum 78 per ſubreptionem habeat connexitatem cum reliquis, quia tunc ratione connexitatis ſubreptio vitiat omnia, textus eſt in *cap. Conſtitutus ſuprà eodem*, qui loquitur in litteris ad beneficia, & notat Abb. hic *num. 5. verſ. Hoc verum*, & poſt eum Felin. *num. 2. verſ. Limita 2.* qui idem putant in litteris juſtitiæ, arg. *c. Si ſuper de off. delegati. lib. 6.* & ſic intendunt, ut etiam ſi illa connexa ſint talia, quibus expreſſis omninò litteras conceſſiſſet, nihilominus in illis non valent litteræ propter connexitatem, quam habent cum partibus litterarum ſubreptitiè obtentis. Quod benè nota, & idem Abb. in *c. Sedes num.* 4. ubi etiam Felin. *n.* 2. *ſuprà eodem*, Franc. in *cap. Si eo tempore num. 4. de reſcript. lib.* 6.

Limitatur ſecundò, ut non procedat in privilegiis, 79 quia

quia per ſubretionem etiam non doloſam vitiantur indiſtinctè, ut hìc firmant Butr. Imol. & Domin. relati à Felino *num.* 3. qui allegant Cynum, & Jacobum Butrigar. *in l. Præſcriptione, Cod. Si contra jus, vel utilit. public.* & Joan. Andr. *in c. Cum delicta, infrà eodem*: & rationem reddunt, quia privilegium eſt lex privata, & mens generalis, & ſpecialis concedentis in privilegio eſt præciſa, quia præcisè intendit privilegium concedere. Sed in literis contentioſis mens generalis reſcribentis eſt inquirere, ut juſtitia miniſtretur, & ſpecialis eſt circa formam, ideòque vitium formæ non vitiat ſubſtantiam. Sed tu adverte, quia, ut dicit Imola, etiam in literis beneficialibus mens Papæ eſt præciſa, quia præcisè intendit beneficium conferre; & tamen in hujuſmodi literis ſubreptio non doloſa, quæ fuit cauſa unius rei, illam ſolam vitiat, & non aliam, cujus non fuit cauſa, ut dictum eſt ſuprà *num.* 76. ergo idem dicendum in privilegiis; in materia enim ſubreptionis privilegia, & literæ beneficiales parificantur, ut tenet Innoc. *in c. Cùm dilecta n.* 3. *verſ. Quamvis in alio caſu infrà eodem*, & Abb. hìc *n.* 5. Unde meritò prædictam limitationem reprobat hìc Felin. *n.* 3.

In gloſſa magna nota benè hanc gloſſam, quia eſt Magiſtra, & docet, quæ ſint exprimenda in reſcripto, ut vitetur ſubreptio, & in materia vide decem regulas cum ampliationibus, & limitationibus, quas collegit Felin. hìc *à n.* 8. *uſque in fin.*

DE RESCRIPTIS.

Idem Innocentius III. in Concilio generali.

CAPUT XXVIII.

NOnnulli gratia Sedis Apoſtolicæ abutentes, literas ejus ad remotos judices impetrare nituntur, ut reus fatigatus laboribus, & expenſis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur. Cùm autem per judicium injuriis aditus patere non debeat, (quas juris obſervantia interdicit) ſtatuimus, ne quis ultrà duas dietas extra ſuam diœceſim per literas Apoſtolicas ad judicium trahi poſſit. Niſi de aſſenſu partium fuerint impetratæ, vel expreſſam de hac conſtitutione fecerint mentionem.

Sunt & alii qui ſe ad novum genus mercimonii convertentes, vel ut ſopitas poſſint ſuſcitare querelas, vel novas immittere quæſtiones, fingunt cauſas, ſuper quibus à Sede Apoſtolica literas impetrant, abſque dominorum mandato: quas vel reo (ne propter eas laborum, vel expenſarum diſpendio moleſtetur,) aut actori (ut per ipſas adverſarium indebita moleſtatione fatiget) venales exponunt. Cùm autem lites reſtringendæ ſint potiùs, quàm laxandæ: hac generali conſtitutione ſancimus, ut ſi aliquis ſuper aliqua quæſtione de cætero ſine ſpeciali mandato domini literas Apoſtolicas impetrare præſumpſerit, & literæ illæ non valeant, & ipſe tamquam falſarius puniatur. Niſi fortè de illis perſonis extiterit, à quibus non debet exigi de jure mandatum.

SUMMARIUM.

1 *REus coram delegato Papæ trahi non poteſt ultrà duas dietas.*

2 *Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Legati an poſſint cauſas delegare ultrà duas dietas.*

3 *Epiſcopus extra diœceſim cauſas audire, aut delegare non poteſt.*

4 *Reus in qualibet parte diœceſis citari poteſt coram delegato ab Epiſcopo, etiam ultrà duas dietas, & n.* 6.

5 *Metropolitanus non poteſt cauſas audire, vel committere, niſi in diœceſi ſua, vel in diœceſi judicis, à quo fuit appellatum.*

6 *Dietæ non computantur à loco, ubi reus domicilium habet, ſed à finibus ſuæ diœceſis.*

7 *Si agatur actione perſonali.*

8 *Et quid ſi actione reali, aut perſonali in rem ſcripta, vel quæ datur ad certam rem.*

9 *Reus tantum gaudet beneficio, ut trahi non poſſit ultrà duas dietas, non autem actor.*

10 *Actor originalis ſi fiat reus in judicio reconventionis, aut appellationis, vel aliàs, citari poteſt etiam ultrà duas dietas à finibus ſuæ diœceſis.*

11 *Actor in judicio reconventionis dicitur potiùs citare, quàm citari.*

12 *Reus conveniri poteſt ultrà duas dietas, ſi partes expreſsè conſentiant in judices remotos.*

13 *Idem ſi Papa reſcribat ex certa ſcientia.*

14 *Rei ex ſtylo ad curiam trahuntur ultrà duas dietas, niſi ſint privilegiati.*

15 *Dietæ hodie reſtrictæ ſunt ad unam tantùm, ultra quam ſi fiat delegatio, non valet ſententia.*

16 *Dietarum tria ſunt genera, & de quibus dietis hæc conſtitutio intelligatur, & n. ſeqq.*

17 *Hoſtienſis ex villa Secuſia oriundus.*

18 *Verba ex communi uſu loquendi ſunt accipienda etiam contra naturam vocis.*

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

19 *Arbitrium judicis ſuccedit in his tantùm, quæ à lege non ſunt determinata.*

20 *Abbates benedicti an poſſint tonſuram, & minores Ordines conferre ſæcularibus, in quos habent ordinariam juriſdictionem, non obſtante cap.* 10. *ſeſſ.* 23. *Concilii Tridentini, & n. ſeqq. uſque in finem.*

21 *Concilio generali debet expreſsè, & ſpecialiter derogari, nec ſufficit generalis derogatio.*

Contrarium n. 37. *verſ. Nec eſt omittendum.*

Declaratur n. 28. *& ſeqq.*

22 *Regulares poſſunt ſæcularium confeſſiones audire abſque Epiſcopi licentia, quoties Epiſcopus eam exhibere recuſaverit, Contrarium n.* 43.

23 *Privilegia in corpore juris clauſa non cenſentur ſublata per generalem privilegiorum derogationem.*

Contrarium, n. 38.

Declaratur, n. 41.

24 *Privilegium conferendi minores Ordines conceſſum Abbatibus in VII. Synodo generali, expenditur.*

Intellectus c. Quoniam 79. diſt. *ibid. & n. ſeqq.*

25 *Abbatum privilegium ordinandi ſæculares, in quos habent ordinariam juriſdictionem, an ſit inſertum in corpore juris, & n.* 27.

26 *Abbas ſi ſit Presbyter, & benedictus, poteſt Novitio ſui Monaſterii primam Clericalem conferre tonſuram, licèt conſultius ſit, ut abſtineat.*

28 *Conciliaria decreta non includuntur in derogationibus generalibus, ſi derogationes hujuſmodi ponantur in literis gratiæ, & reſcriptis contra jus.*

29 *Conſtitutio poſterior tollit priorem directè contrariam etiam Conciliarem, licet de illa mentionem non faciat.*

30 *Concilia generalia habent clauſulam derogatoriam ad ſequentia reſcripta contraria, non autem ad ſequentes conſtitutiones, etiamſi ſint ſolius Papæ.*

31 *Concilii generalis poſterius decretum tollit primum contrarium, quamvis generali Concilio expreſsè non deroget,*

get, aut de illo mentionem non faciat, & n. ſeqq. & n.35. uſque ad n.38. & n.42. uſque ad n.49.

32 *Reſcriptum contra generale Concilium cur non valeat, niſi Concilio fuerit ſpecialiter derogatum, & num. ſeqq.*

33 *Lex Canonica, vel civilis habens clauſulam derogatoriam, non tollitur per contrarium reſcriptum, niſi fiat mentio de illa ſpecialiter, vel per verba æquipollentia.*

34 *Literæ Apoſtolicæ, in quibus generali Concilio derogatur, ſunt invalidæ, non ex defectu poteſtatis Papæ, qui eſt ſupra Concil. ſed voluntatis, & n. 44.*

36 *Teſtamentum primum habens clauſulam derogatoriam, rumpitur per ſecundum, in quo ſit clauſula generalis, Non obſtantibus quibuſcumque aliis teſtamentis.*

37 *Intellectus* c. Domino ſancto 50. diſt.

Conſtitutiones Conciliares ſi invicem ſint contrariæ, quænam ex illis ſervari debeat, ibid.

38 *Privilegiis clauſis in corpore juris multo magis cenſetur derogatum, quàm non inſertis.*

39 *Derogatio generalis numquam operatur circa ignorata in facto conſiſtentia.*

40 *Privilegium inſertum in corpore juris facit jus commune inter nominatos, & de eo judicatur quoad effectum derogatorium, ſicut de jure.*

41 *Lex ſpecialis in materia, in qua eſt privilegium clauſum in corpore juris, tollit illud, etiamſi de eo non faciat mentionem.*

42 *Concilium Tridentinum antiquioribus Conciliis, aut privilegiis clauſis in corpore juris non conſuevit nominatim derogare; quod pluribus exemplis oſtenditur, & ſeqq.*

44 *Concilia omnia œcumenica manant ex eodem fonte Apoſtolicæ poteſtatis, ſine qua non habent firmamentum.*

45 *Canonibus Apoſtolorum præjudicatur per poſteriores Canones.*

46 *Conciliaria decreta ita ſunt interpretanda, ut non ſint inania, & eluſoria.*

47 *Præſumptio validitatis actus dicitur aliarum præſumptionum regina.*

48 *Clauſula*, Ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis; *item clauſula*, Quorum tenores, *in generali privilegiorum derogatione annullant etiam privilegia habentia clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſitiones.*

1 N*onnulli*. Per literas Apoſtolicas, de hac conſtitione mentionem non facientes, non poteſt quis trahi ultrà duas dietas extra ſuam diœceſim, niſi de conſenſu partium literæ fuerint impetratæ: hoc dicit uſque ad §. *Sunt & alii*, & dividitur in tres partes. Primò, ponit abuſum impetrantium judices remotos. Secundò, providet ibi, *Cùm autem*. Tertiò, excipit ibi, *Niſi*.

Nota primò, per Judicem delegatum à Papa quem
trahi non poſſe ultrà duas dietas. Hæc enim conſtitutio
loquitur in delegatis Sedis Apoſtolicæ, ut probat litera
2 ibi, *Gratia Sedis Apoſtolicæ abutentes*, & infrà ibi, *Per li-
teras Apoſtolicas*. Quid in delegatis ab inferioribus? In-
nocentius hìc *num.* 5. tenet, Ordinarios, ſcilicet Epiſcopos,
Archiepiſcopos, ac etiam Sedis Apoſtolicæ Legatos benè
poſſe ultrà duas dietas trahere litigantes, cùm id non repe-
riatur eis prohibitum. Sed alii contradicunt quoad legatos
à Metropolitanis, & Legatis Apoſtolicæ Sedis, quos qui-
dem delegatos dicunt debere obſervare, quod delegati A-
poſtolici ſervant, arg. *c. In cauſis de re judic.* ut refert hìc
Compoſt. *num.* 4. *in ver. Per literas*. Tu dic, in Legatis Se-
dis Apoſtolicæ communem opinionem eſſe contra Inno-
centium, ut ſcilicet trahere non poſſint ultrà duas dietas,
Abb. Antiq. *in eod. ver. num.* 3. Hoſtienſ. *num.* 13. Jo. Andr.
num. 9. Abb. Siculus *num.* 3. *in fin.* & reliqui omnes. Ra-
tionem reddit Abb. Antiq. quia cùm legati nequeant con-
tra Concilium diſpenſare, *c. Dilectus*, *c. Dilecto*, & *c. Ve-
nerabilis de præben.* hanc regulam obſervabunt, editam ſci-
licet ab Innocentio III. in generali Concilio, ut patet in
ſupraſcriptione. In Delegatis à Metropolitanis, Hoſtienſ.
hìc *eod. num.* 13. ſentit cum Innocent. ut ſcilicet non arcten-
tur hac conſtitutione, eò quòd Ordinarii communiter non
habeant Provincias admodum diffuſas, unde non poteſt
de facili reus enormiter gravari; nec eſt conſiderandus ca-
ſus ſpecialis contrarius, ſi occurrat, arg. *c. Erit autem lex* 4.
diſt. Sed Abb. Antiq. diſtinguit; nam aut Metropolitanus
vult in propria perſona, vel in ſua curia examinare cauſam,
& poteſt trahere litigantes etiam ultra duas dietas; quia
ex tota Provincia confluitur ad judicium Metropoliti-
num, *c. Scitote* 6. *qu.* 3. Aut vult negotium delegare, &
ſatis æquum eſt, ut delegatus extra diœceſim ultra duas die-
tas non citet, & ſic moderabitur Archiepiſcopus ſuos de-
legatos ſecundùm conſtitutionem Eccleſiæ Romanæ: nam
ſatis indignum eſt quemquam Pontificum, vel ordinum
ſequentium hanc obſervantiam refutare, quam Beati Pe-
tri Sedem ſequi viderit, & docere, *c. Baſilicas de conſecr.
diſt.* 1. Idem concludit in Epiſcopis. Sed certè hæc conſti-
tutio, quæ permittit, ut Delegatus citare poſſit infrà duas 3
dietas à finibus diœceſis, applicari non poteſt delegato ab
Epiſcopo Diœceſano; quia Epiſcopus nec infrà unam die-
tam extra fines ſuæ diœceſis poteſt cauſas delegare, *c. Epi-
ſcopum cum duob. ſeqq. q.* 2. *c. Placuit* 7. *q.* 1. & *Clem.* 1. *de foro
compet. cum multis ſimil.* In Epiſcopis ergo teneas, quod ſta-
tuitur in *c. Cum Epiſcopus de off. Ordinar. lib.* 6. ut ſcilicet 4
tam per ſe, quam per alium poſſint cauſas audire, & tribu-
nal erigere in qualibet parte ſuæ diœceſis, dummodò non
in loco exempto. Et in Metropolitanis ſerva quod ſtatu- 5
tum eſt in *c. Ut litigantes eod. tit. & lib.* ut hìc per Jo. Andr.
n. 9. & Abb. *n.* 4. Quocumque enim ſubditi trahantur, dum-
modò non extra ſuam diœceſim, non poſſunt conqueri,
nec læditur mens hujus conſtitutionis, quæ non prohibet
reum citari, niſi ultrà duas dietas extra diœceſim, ſecun-
dùm Abb. *hic n.* 2. & mox ſubjiciam.

Secundò nota, ibi, *Extra diœceſim*; dietas non eſſe com- 6
putandas à civitate, vel oppido, ubi reus domicilium ha-
bet, ſed à finibus ſuæ diœceſis, ut hìc, & apertius in *cap.
Statutum*, §. *Cum vero, verſ. Nullus infrà eod. lib.* 6. Ratio-
nem reddit Joan. Andr. hìc *num.* 8. & Abb. *num.* 2. quia
nullum gravamen infertur ex impetratione Judicis intra
diœceſim, cùm per totam diœceſim trahi poſſit coram Or-
dinario, ut *d. c. Cum Epiſcopus de offic. ordin. in* 6. Quod 7
tamen verum eſt, ſi agatur actione merè perſonali, quæ
ſcilicet non eſt in rem ſcripta, nec datur ad certam rem,
ut actio legis Aquilæ, ex ſtipulatu, & conſimiles; tunc 8
enim computantur dietæ à finibus diœceſis, ubi reus habet
domicilium, ut hìc. Secus verò ſi agatur actione reali, aut
actione perſonali in rem ſcripta, ut ſunt interdicta, quæ
licèt perſonalia ſint, in rem tamen ſcripta ſunt, *ut l.* 1. §. *pe-
nult. ff. de interdict.* & notatur in *l.* 3. §. *Eſt autem, ff. ad exhi-
ben.* vel ſi agatur actione perſonali, quæ datur ad certam
rem, ut actio depoſiti, commodati, & ſimiles: his enim ca-
ſibus computantur dietæ à loco, ubi res ſita eſt, ut infrà
in *c. Proximo*, ſecundùm opinionem gloſſæ *in d. c. Statutum*,
§. *Cum vero in ver. Unam dietam infrà eodem lib.* 6. Innocen.
hìc *num.* 3. & 4. & hoc propter odium trahentium ad
extraordinarios judices: nam aliàs benè licet in reali a-
ctione reum convenire, ubi habet domicilium, licèt ali-
bi res ſita ſit, *l. fin. C. de præſcript. long. tempor.* vel ſecun-
dùm Compoſtell. quando agitur actione reali, aut perſona-
li in rem ſcripta, vel ad certam rem, fit computatio non
tantùm à loco, ubi res ſita eſt, ſed etiam à diœceſi, ubi
reus domicilium habet. Undè ſi à fine diœceſis, in qua eſt
res, eſſent ultraquam duæ dietæ uſque ad locum, ad quem
citatur reus, non autem à fine diœceſis, in qua reus domi-
cilium habet; per hujuſmodi citationem non læderetur
hæc conſtitutio, arg. *infrà c. Proximo*, ibi: *Ex hoc videa-
tur domicilium habere*, &c. qui textus innuit, ut ſi ibi ha-
beant domicilium, benè poſſunt à fine illius diœceſis com-
putari dietæ; & tamen ibi actione reali, ſcilicet ſuper Ec-
cleſia, actor intendebat agere, atque ita erat in poteſtate
illius computare dietas, vel à loco rei ſitæ, vel à loco do-
micilii conventi, ſi hoc impetranti expediret, quantum
ad hoc, ut reus non poſſet conqueri, quòd ultrà duas die-
tas traheretur.

Tertiò nota ex illis verbis, *Ut reus fatigatus laboribus*, 9
*& expenſis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere
compellatur*; hanc conſtitutionem fuiſſe editam in favo-
rem rei: ſolus ergo reus prohibetur trahi extra diœceſim ul-
trà duas dietas. Quod ſtatutum eſt in favorem ordinariæ
juriſdictioni, arg. *l. Ut debitus de appell. ut.* & in odium im-
pe-

petrantium, ut hîc patet, ſecundùm Hoſtien. *num.* 3. & quia reus favorabilior eſt, quàm actor, *l. Favorabiliores*, *ff. de reg. jur.* & quia actor ſequitur forum rei, *c. Cùm ſit generale infrà de foro compet.* & hoc intelligendum de reo
10 originaliter. Actor verò originalis, licèt in progreſſu litis fiat reus, benè poteſt trahi ultrà duas dietas à finibus diœceſis ſuæ, dummodò non trahatur ultra duas dietas à finibus diœceſis rei. Unde ſi Romanus conveniat Anglicum ultrà duas dietas à domicilio Romani, & poſteà Anglicus reconveniat Romanum coram eiſdem judicibus: benè citabitur Romanus ultrà duas dietas à ſuo domicilio, ſed non à domicilio rei, id eſt Anglici, ut exemplificant hìc Innoc.& Compoſt.*in princ.*cum quibus Hoſtien. Joan. Andr. & cæteri tranſeunt. Idem dicendum, ſi reus non reconveniat, ſed cùm actor, qui dedit libellum, deſiſtat, reus vult, ut procedatur in cauſa; quod poteſt reus, *Auth. Quod ſemel, C. Quomod. & quando jud.* vel cùm actor literas præſentavit, & vult ſuperſedere; reus verò vult, ut procedatur per eas, cùm factæ ſint communes; quod ſimiliter poteſt reus, ut notatur in *cap. Ex conqueſtione de reſt. ſpoliator.* In omnibus enim his caſibus, & ſimilibus, benè trahi poſſet actor, qui modò eſt reus, ultra duas dietas à finibus ſuæ diœceſis, ſed non à finibus diœceſis rei, ſecundùm Compoſt. *num.* 1. *verſ. Item etſi reus.* Idemque obſervandum, ſi reus fiat actor in cauſa appellationis, vel alio modo; quia non propterea trahi poterit ultrà duas dietas extra ſuam diœceſim, cùm reo originali hoc beneficium ſit con-
11 ceſſum. Subdit tamen Innocentius, quòd actor dicitur potiùs citare, quàm citari, id eſt, actor cùm reconvenitur, non dicitur trahi, quia potiùs alium traxit; & ſic non habet locum litera, ibi, *Trahi poſſit*, ut explicat Cardin. *n.* 3. *verſ. Dicit tamen Innocentius.*

12 Quartò nota in verſ. *Niſi*, duos caſus, in quibus reus trahitur ultrà duas dietas coram Delegato Apoſtolico. Primus eſt, cùm de partium conſenſu literæ impetrantur; quod intellige, ſi partes expreſsè conſentiant in judices remotos, ſecundùm Abb. *num.* 4. idque fuerit expreſſum in
13 Delegatione Papæ, Cardin. *conſ.* 71. *in princip.* Secundus eſt, cùm Papa ex certa ſcientia reſcribit contra jus: quod facere cenſetur, cùm de hac conſtitutione in literis men-
14 tionem facit, ut per Butr. *nu.* 7. Tertium caſum addit Compoſt. videlicet cùm cauſa delegatur in curia; nam de ſtylo curiæ non habet ibi locum hæc decretalis: & ſequuntur Jo.Andr.Butr.Imol. & Felin.limitantes, niſi aliquis eſſet privilegiatus; non enim trahi poſſet ultrà duas dietas, tamen non facta mentione de privilegio; nam ſi de privilegio Papa notitiam habuiſſet, veriſimiliter ipſum ſervare voluiſſet, aut ſaltem difficilius reſcripſiſſet. Quæ ratio ceſſat, cùm dat reſcriptum in curia contra non privilegiatū; & ita refert Compoſt.ſe obtinuiſſe. Alios octo caſus, in quibus exceptio de duabus dietis locum non habet, proſequi-
15 tur Felin. *n.* 30. Sed extra ipſos reus trahi non poterit extra diœceſim ultrà duas dietas, & hodie ultrà unam, ut eſt expreſſum in *c.Statutum*, §.*Cùm vero de reſcr.lib.* 6. & ibi notat gloſs.*in ver.Unam dietam*, Jo.Andr.hìc *n.*7.Butr.*num.*9. Abb.*n.*3.Card.*conſ.*71. *in princ.* ubi reſpondit, ſi delegatio Papæ ſimpliciter fiat ultra unam dietam abſque expreſſione, ſententiam non valere; & *n.*2.*in* 2.*dubio*, dicit poſſe opponi de nullitate, etiamſi talis ſententia fuerit confirmata.

16 Dietas autem intellige non legales, ſecundùm quòd viginti milliaria computantur pro dieta, *l.Tertia*, *ff. de verborum ſignific. l. Vicena*, *ff. Si quis cautione*, nec ſpeciales, ſeu ſingulares, id eſt, eorum qui utuntur diplomate felici, & de duabus dietis faciunt unam, *l.Continuus*, §.*Cùm ita*; juncta gloſs. *in ver. Diplomat*, *ff. de verborum obligatione*, quales ſe dicit ſæpiùs expertum fuiſse Hoſtien. hìc *num.* 7. Sed intellige vulgares, id eſt, ſecundùm conſuetudinem regionis, de quibus plura exempla
17 ponit Hoſtien. & in ſpecie à villa Fecuſia, aliàs Secuſia, undè aſserit ſe originem duxiſse, uſque ad Taurinum. Siquidem nomina ex communi uſu intelligenda ſunt, *cap. Ex literis il* 1. *infrà de Sponſal.* non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri debent, *l. Labeo*, *ff. de ſuppellect. leg.* & lex debet patriæ convenire, *capit. Erit autem lex* 4. *diſtinctione*, cùm
18 conſuetudo ſit optima legum interpres, *cap. Cum dilectus de conſuet. l. Si de interpretatione*; *ff. de legib.* undè magis ſtatur uſui, quam ſignificationi vocis, *l.Uxori in princip.ff.de leg.at.* 3. de quo pleniùs notatur, *cap.Illud* 12. *diſtinct.* & ita concludit hìc gloſſ. *in ver. Ultra duas dietas*, Innocent. *n.*2. Compoſtell. *eodem n.* Et hoc dictum ſequuntur communiter DD. ut dicit Abb. *num.* 6. Nec multum diſcrepat Hoſtien. *n.* 10. qui putat hoc eſſe arbitrarium, ita tamen ut arbitrium reguletur ſecundùm conſuetudinem regionis: *Quid enim*, inquit, *ſi traham te per mediam leucam ultrà duas dietas vulgares? Quid ſi traham te ſatis ultrà leucam? & quid ſi nec vulgares appareant? puta citatur quis in montanis, quò nunquam, aut perraro vadunt homines. Et quidem exceptio in hyeme locum habet, & in æſtate non poteſt opponi, ut ſi Maurianen. civis Ebrudunum citetur. Certè quod legibus omiſſum, non omittet religio judicantis*, *l. Quæſitum*, *ff. de teſtib. qui & qualitatem regionis conſiderabit*, *l. Præſides*, *ff. de feriis*: & cum hac opinione Hoſtienſ. tranſit etiam Jo.Andr. *num.* 32. & conſentiunt Butr.
*n.*20. & Abb. *n.*6. qui tamen tenent in defectum vulgarium 19
non eſſe locum arbitrio judicis, ſed recurrendum eſſe ad legales; quia judicis arbitrium ſuccedit in his, quæ à lege non ſunt determinata, *l.* 1. *ff. de jur. delibr. cap. De cauſis infrà de off.deleg.* & hoc tenet gloſſ. *in cap. Cupientes in ver. Commodè de elect. lib.* 6. & Archid. *in d. cap. Statutum de reſcr. in* 6. An autem potiùs attendi debeat via terreſtris, quàm maritima, ſi dietæ ſint diverſæ per terram, & aquam, vide Archid. *in d.cap.Statutum*, §. *Cùm autem*, & Butr. *eod. n.* 20.

Ultimò nota ex hoc textu, juncta ſupraſcriptione, litteras Apoſtolicas impetratas contra conſtitutionem in generali Concilio editam, vel habentem clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſitiones, non valere, niſi de conſtitutione ipſa faciant mentionem, Butr. hìc *num.* 7. & Felin. *nu.*2. de quo latiùs dicam infrà *n.* 21. Hinc inferunt aliqui moderni, ut decretum Concilii Tridentini in *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. adimens Abbatibus facultatem conferendi ſæcularibus tonſuram, & minores Ordines, non valeat, cum non faciat mentionem conſtitutionis ſeptimæ Synodi; de qua *in cap.Quoniam* 69. *diſt.* Hunc articulum plenè examino in quæſtione ſequenti, ubi explico materiam derogationis ad contrarias conſtitutiones, vel privilegia.

Revoco igitur in dubium, an facultas quam habent Abba- 20
tes, Presbyteri, & benedicti, conferendi primam tonſuram, & minores Ordines ſæcularibus in quos habent Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, fuerit ſublata decreto Concilii Tridentini in *c.* 19. *ſeſſ.* 23.

Præſens controverſia non pertinet ad validitatem ordinationis, ſeu impreſſionem characteris; de hoc enim diffusè egi in *cap.* 1. *ſupr.de ſuppl.neglig. Prælat.* in quæſtione, an Prælatus inferior ſæcularis habens facultatem à Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridetinum conferendi primam tonſuram, & minores Ordines aliquibus preſonis ſæcularibus, tantùm, conferat aliis, quàm expeſſis in litteris Apoſtolicis, imprimat characterem, necne: ſed quæritur loco, an Abbas benedictus licitè, ac ritè poſſit ordinare ſuos ſubditos ſæculares, adeòut non ſolùm ordines conferat, ſed etiam ordinum executionem. Et quamvis articulus videatur indubitabilis, eò quòd decretum Concilii in *d. c.* 10. *ſeſſ.* 23. diſertis verbis ſtatuat, ut Abbatibus non liceat impoſterum alicui, qui regularis ſubditus ſibi nõ ſit, tonſuram, vel minores ordines conferre, nec literas dimiſſorias clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedere; ſed horum omnium ordinatio ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtunt, pertineat, non obſtantibus quibuſvis privilegiis: tamen non deſunt ex recentioribus Theologis, qui opinentur contrarium. Nam Sanchez *in opuſcul. moral. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 19. *num.* 20. *verſ. Sed hoc non caret difficultate*, liberè affirmat, Abbates benedictos hodie eo decreto non obſtante licitè poſſe etiam ſæcularibus ſuis ſubditis conferre tonſuram, & minores Ordines, ac litteras dimiſſoras concedere, innixus præcipuè duobus fundamentis.

Primum eſt, quia cùm privilegium minores Ordines 21
conferendi fuerit conceſſum Abbatibus in generali Concilio, nempè in ſeptima Synodo *cap.* 14. non cenſetur ſublatum per generalem privilegiorum derogationem Concilii Tridentini oportet enim, ut generali Concilio expreſſè, & ſpecialiter derogetur per clauſulam, *Non obſtante aliqua lege vel conſtitutione etiam in Concil. generali edita*, jux-

ſtà textum hîc, *& in cap. Ex parte*, ubi eſt caſus, ibique notat Hoſtien.& alii communiter, *de Capell. Monach.& in c. Eam te de ætat. & qualit.* Archid. *in c.* 1. *ver. Noſcatur de conſtit. in* 6. Bald. *in l. Humanum*, *C. de leg.* Jacobatius *de Concilio lib.*5.*art.*18.Felinus hîc *n.* 2. Rom. *conſ.*436.*nu.*11. *in fin. verſ. Primò ex eo*, Capra *conſ.* 157. *n.* 11. *& ſeqq.* Covar.*lib.*4.*variar.reſol. cap.* 16. *n.*16.*verſ.Sed & ex his diffinitionibus*.

22 Quo fundamento motus Navarr.*in Man.cap.* 27. *n.* 265. opinatus eſt privilegium conceſſum Religioſis *in Clem. Dudum*, §. *Si verò iidem Prælati de ſepult.* nempè audiendi confeſſiones ſæcularium abſque Epiſcopi licentia, quoties Epiſcopus eam exhibere recuſaverit, non fuiſſe ſublatum decreto Concil. Trid. *c.* 15. *ſeſſ.* 23. eo quòd etſi ibi dicatur, Non obſtante quocumque privilegio, non tamen dicitur, Non obſtante privilegio generalis Concilii.

23 Secundum fundamentum eſt, quia privilegium hoc conceſſum Abbatibus eſt inſertum in corpore juris; nempè ordinandi, *in cap. Quoniam* 69. *d. cap. Cum contingat de ætat. & qualit. cum concord.*& dimiſſorias concedendi, *in c. Abbates de privileg. in* 6. In generali autem privilegiorum derogatione, qualis eſt quæ habetur *in fin. d. cap.* 10. *ſeſſ.*23. non comprehenditur privilegium in corpore Juris clauſum, gloſſ. *in Auth. Qua in Provincia, in verb. Illic in fine*, quam ibi ſequitur Bart. *in* 2. *oppoſ.* & Bald. *verſ. Tertia ſolutio*, *C. Ubi de crimin. agi oporteat*, Gloſſ. *in authent. Ut omnes obediant. jud. ver. Privilegio coll.*5.Bart. *in Extravag. Ad reprimendum in verſ. Non obſtantibus n.* 11. Rom. *conſ.* 498. *In caſu quo quæritur n.*14. *in fin. & n.* 15. *verſ. Quo verò ad ſecundum caput*, Butr. *in c. fin. in* 4. *col. verſ. Sed eſt dubium de foro compet.* Rip. *in c.*1. *ante n.*56. *ſup. eod.* Felinus hîc *num. verſ. Duodecima concluſio*, Dec. *conſ.*164.*n.*4. Undè cautela eſt, ut privilegiatus ſuper immunitate faciat eam inſeri in ſtatutis: quia tunc nova impoſitio ei derogans non operabitur, niſi etiam faciat mentionem de inſertione, ſecundùm Paul. de Caſtr. *in d. Auth. Qua in Provincia*, & Cepoll. *cautela* 76. *incip. Domini, & Principes*. Ad idem eſt gloſſ. 2. in §. *Omnes in verſ. Compelluntur*, & ibi Bald. & Paul. de Caſtr. *ff. de iudic.* Felin. poſt alios in *c.*1.*n.*12. *verſ. Unum in propoſitis benè nota ſup. eod.*

Cæterùm his non obſtantibus nullatenùs eſt recedendum à diſpoſitione clara *d.c.*10.*ſeſſ.*23. nam duo fundamenta quæ ad eam elidendam ut ſupra afferuntur, neque in facto, neque in jure ullam habent ſubſiſtentiam.

24 Et quod pertinet ad factum, obſervandum eſt, in VII. Synodo generali *cap.* 14. ſtatutum eſſe his verbis: *Lectoris autem manus impoſitione licentia eſt ſolummodò in proprio Monaſterio faciendi, ſi dumtaxat eidem Abbati manus impoſitio facta noſcatur ab Epiſcopo ſecundùm morem præficiendorum Abbatum, dum conſtet illum eſſe Presbyterum.* Ex quo contextu colliguntur tres conditiones, quæ neceſſariò exiguntur ad hoc, ut Abbas poſſit ritè, & rectè ordinare. Prima eſt, ut ſit Presbyter, ut in *verſ. Dum tamen conſtet.* Secunda, ut ſit ſolemniter benedictus; id enim importat manus impoſitio, de qua Synodus loquitur: *cap. Manus* 1. *q.* 1. & notat gloſſ. *in cap. Quoniam in verb. Impoſitio* 69. *diſt.* Et hæ duæ conditiones pertinent ad validitatem or-
25 dinationis, ut ibi per Archid. & DD. Tertia eſt, quæ pertinet ad ordinationem ritè celebrandam; ut ſcilicet Ordines conferat ſuis ſubditis regularibus tantùm. Quæ conditio ſatis clarè deſumitur ex illis verbis, *Solummodo in proprio Monaſterio*: ſecundùm Specul. *tit. De privil. n.* 5. *verſ. Item nequeunt primam tonſuram conferre, niſi converſis, &c.* Et quamvis poſſit ordinare etiam Monachos alterius Monaſterii, ſi fuerit invitatus, ſecundùm gloſſ. ibi, *ver. Monaſterio*; item eos, in quos habet ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem: hoc tamen non eſt ex diſpoſitione VII. Synodi, quæ reſtricta eſt ad Monachos proprii Monaſterii; ſed ex indulto Summorum Pontificum, ut mox dicetur. Itaque cùm Concilium Tridentinum in *d. cap.* 10. *ſeſſ.* 23. quoad hoc concordet cum decreto VII. Synodi generalis, ut ſcilicet Abbatibus non liceat tonſuram, vel minores Ordines conferre, niſi ſuis ſubditis Regularibus, vel quod idem eſt, ſolummodò in proprio Monaſterio, ut loquitur VII. Synodus: neſcitur, quo ſpiritu afferatur decretum Tridentini Concilii non valere, eò quòd non deroget privilegio VII. Synodi: manifeſtum eſt enim derogationem non fieri, niſi ad contraria. Atque ita ex facto corruit hoc primum fundamentum.

Similiter nec videtur in facto ſubſiſtere, ut privilegium hoc ordinandi ſubditos ſæculares ſit inſertum in corpore juris: nam *d. cap. Quoniam* 69. *diſt.* quod eſt deſumptum ex VII. Synodo, non loquitur niſi de ſubditis Regularibus, ut oſtenſum eſt ſuprà. Item decretalis Innocentii III. in *c. Cùm contingat de ætat. & qualit.* dum loquitur de laicis, qui ad Monaſteria convolantes à ſuis Abbatibus tonſurantur, intelligitur de tranſeuntibus ad Monaſteria, ut ibi convertantur, & fiunt Monachi, ut hæc ipſa verba explicat Gloſſa *in cap. Abbates in ver. Convolaverint de privil. in* 6.
Undè cùm textus loquatur de novitiis, qui veniunt Regu- 26
larium appellatione, *cap. Religioſo*, & ibi Archidiac. *de ſententia excommunicationis in* 6. quoad hoc decretalis non diſcrepat à decreto Concilii Tridentini: jam enim Sacra Congregatio pro majori parte exiſtimavit *d. cap.* 10. non obſtare, quo minùs Abbas Presbyter, & benedictus poſſit novitio ſui Monaſterii clericalem conferre tonſuram; tametſi adjecerit conſultiùs eſſe, ut ab hujuſmodi ordinatione abſtineat: quod conſilium præbet etiam gloſſ. 2. *in d. cap. Abbates in eodem verb. Convolaverint, in addit. Datur*, inquit, *conſilium, quòd hoc non fiat infra annum probationis, quia certum eſt, quòd poſtea exire poſſet, & fraus fieri, quæ præcavenda eſt.* Undè illa decretalis Innocentii III. reſtringitur ad ſubditos regulares dumtaxat: quod etiam ex eo apertiùs colligitur, quòd in illa recenſentur ad literam verba VII. Synodi generalis; unde ſequitur, ut ſit intelligenda de regularibus tantùm, ad quos reſtringitur VII. Synodus, & non de ſæcularibus. Eodem 27
modo decretalis Alexandri III. *in capit.* 1. *de ſuppl. negl. Præl.* quæ tribuit Abbatibus Ciſtercienſibus facultatem benedicendi ſuos Monachos, & alia, quæ ad officium hujuſmodi pertinent, exercendi, ſi Epiſcopus tertiò requiſitus ſubſtitutos Abbates benedicere recuſaverit, reſtringitur ad ſubditos regulares. Ideòque gloſſ. fin. verba illa (Et alia, quæ ad hujuſmodi officium pertinent) exponit, ſcilicet, ut conferant lectoratum in proprio Monaſterio, & allegat textum in *d. cap. Cùm contingat, & in d. cap. Quoniam*. Demùm decretalis Alexandri IV. in *d. cap. Abbates de privil. in* 6. diſponit quidem, ut Abbatibus non liceat aliis, quàm Monaſteriorum ſuorum converſis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonſuram, niſi eis id competat ex pleno Apoſtolicæ Sedis indulto; & ut dicit ibi Gloſſ. in *ver. Quaſi Epiſcopalem*, ſi Abbas in Parochia ſua, vel alio loco habet juriſdictionem in ſpiritualibus, quod aliàs de jure debet habere Epiſcopus, etiam puros laicos, nec converſos, nec convertendos, poterit clericare: ſed tamen hoc privilegium non competit Abbatibus in vim prædictæ decretalis, quæ potiùs venit limitativè, ſeu reſtrictivè ad privilegia Abbatum, quàm ut nova illis conferat, ut indicant verba illa, *Nec eis licitum ſit aliis, quàm Monaſteriorum ſuorum converſis, &c.* Et cùm Abbates, nec de jure communi, nec ex privilegio Canonis habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in laicos, ſed ſolus Epiſcopus, ut dicit gloſſ. præalleg. & eſt text. *in cap. Cùm Epiſcopus de offic. ordin. lib.* 6. *cum multis ſimilibus*; ſequitur, ut Abbates poſſint ordinare ſubditos ſæculares, non ex privilegio ullo in corpore juris clauſo, ſed ſolùm in vim juriſdictionis quaſi Epiſcopalis, quam habent ex indulto Apoſtolico in jure non inſerto, in quo includitur etiam facultas tonſurandi laicos, juxta declarationem prædictæ decretalis Alexandri IV.

Sed quatenus in facto verum eſſet, facultatem ordinan- 28
di Clericos ſæculares competere Abbatibus ex indulto VII. Synodi, ſeu aliorum Canonum: tamen de jure duo fundamenta in contrarium adducta nullatenus conſiſtunt; nam propoſitio, illa quòd in derogationibus generalibus literarum Apoſtolicarum non includantur decreta Conciliaria, niſi illis ſpecialiter derogetur, non habet locum niſi in literis gratiæ, & reſcriptis contra jus; & ita procedunt duæ decretales, in quibus eadem propoſitio principaliter fundatur: altera ſcilicet *in cap. Ex parte*, *de Capell. Monachorum*, ubi Abb. & Conven. Riven. aſſerebant ſe per literas Apoſtolicas obtinuiſſe, ut poſſent ſinguli Monachi in ſingulis eorum Prioratibus commorari, contra diſpoſitionem generalis Concilii Lateranenſis ſub Innocent. III.

29 altera hic ubi diſponitur, ne quis trahi poſſit ultra duas dietas in vim reſcripti Apoſtolici, niſi in eo fiat mentio de hac conſtitutione ab eodem Innocentio III. edita in Generali Concilio: at ſecus eſt in conſtitutionibus generalibus, quia poſterior indiſtinctè tollit priorem directè contrariam, licèt de illa mentionem non faciat: textus eſt expreſſus in *cap.1.de conſt.in 6.* ibi: *Romanus Pontifex, qui jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere, conſtitutionem concedendo poſteriorem, priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcatur.* Atque ita expreſsè diſtinguit, & declarat gloſſ. in *ver. Noſcatur*, dicens *d.c.Ex parte, cap.Nonnulli*, & alia jura ſuperiùs citata non eſſe contraria, illa enim loquuntur de reſcriptis datis contra legem, quæ non valent, niſi in ipſis fiat mentio de lege: at prædictum *cap.1.* de ſecunda lege loquitur, quæ primam tollit directè contrariam, licèt de illa non faciat mentionem. Et potuit eſſe ratio, ut ſubdit Gloſſa, quia maturiùs, & deliberatiùs fit legis promulgatio, quàm reſcripti conceſſio, ut in proœmio 6.in fine. Idipſum cenſent in *d.cap.1.* Archid.*col.1. in verſ.Revocare noſcatur*, & *verſ. Vel dic planius*, ubi ait hoc præcipuè habere locum in reſcriptis, quæ impetrantur contra Concilia generalia, Joan. Mon. *ſub num.* 1. ubi opponit de *d.cap.Ex parte*, & ſolvit dicens: *Ibi eſt caſus diverſus, non adverſus: & eſt ratio diverſitatis inter dictos caſus: ubi loquitur, quando reſcriptum datur contra jus commune, quia tunc non videtur Princeps tollere legem per reſcriptum, niſi faciat mentionem de ea, ſecus de conſtitutione, quæ eſt primæ adverſa, quia lex fit cum magna ſolemnitate, ut leg.Humanum, C.de leg. & ideo Princeps deliberatus de condendo jure alicui primo adverſo primum tollit, non ſic mandando reſcriptum, quod cum tanta deliberatione non datur.* Hæc Joan. Mon. & ſequitur ibidem Gemin. *col.5. circa med.in gloſſ.3.* ac reliqui omnes. Et idem Gemin.*in c.Ut Officium, §.Denique, in 2.not.de Hæret. in 6.*Imol. & Clem. 1. *in ultima not.de ſepultur.* & declarat Alex. *conſ.111. Perſpectis, num. 1. verſ. Circa primum dubium, lib.6.* Et in reſcriptis contra jus loquitur Baldus *in d.leg.Humanum, col.3.verſ.Sed Dominus, Cod.de leg.*Felinus hic *num.5. in prima Fallen.* & alii ſupra in contrarium adducti *num.21.*Et in diſpenſationibus contra Concilium generale, Covar.*variar. reſol.lib.4. cap.16. num.16. verſ. Sed & in his diffinitionibus*. Ex quibus apparet,

30 conſtitutionem Apoſtolicam contra decreta generalis Concilii valere, quamvis Concilio non deroget, aut de illo mentionem non faciat, idque etiamſi conſtitutio poſterior ſit ſolius Papæ, quia generalia Concilia habent clauſulam derogatoriam ad ſequentia reſcripta, non autem ad ſequentes conſtitutiones, Philipp.Prob. *ad Monachum cap. 1. num.3. de conſtit. in 6.*& ante eum Oldrad. *conſ. 328. Ad idem num.3.* & alii proximè citati. Et quamvis nonnunquam etiam in conſtitutionibus, quæ per modum legis univerſalis eduntur, fiant derogationes ad contraria decreta in generali Concilio promulgata, id tamen cenſeri debet factum ad abundantiorem cautelam, non quòd de-

31 rogatio ſit neceſſaria, ut ex prædictis conſtat. Verùm ſi decreto generalis Concilii opponatur aliud decretum poſterius editum in alio Concilio generali, ut nunc ſuppo-

32 nitur, res videtur eſſe extra omnem difficultatem. Primò, quia idcircò in derogationibus generalibus litterarum Apoſtolicarum non includuntur decreta Conciliaria, quia cùm hæc edantur in generali Concilio ſumma cum deliberatione, ac maturitate, & è converſo à Summis Pontificibus nonnunquam litteræ contra jus per occupationem, vel importunitatem extorqueantur, quas veriſimiliter non conceſſiſſent, ſi ad contrariam diſpoſitionem conciliarem animum applicaſſent: propterea iidemmet Pontifices ſanxerunt, ut eorum reſcripta, quæ decretis alicujus Concilii generalis adverſantur, vigorem non habeant, niſi in eis fuerit derogatum generali Concilio. Quod conſtat ex reſponſo Honorii III.in *d.cap.Ex parte, de Cappell.Monach.* ubi decernens non valere litteras gratiæ a quibuſdam Monachis impetratas contra Concilium Lateranenſe, de quo in *cap. 2. de ſtatu Monachorum*, cujus nulla mentio facta fuerat, reſcribit ut infrà, videlicet. Hujuſmodi litteras ab Apoſtolica Sede non credimus emanaſſe, quòd ſi per occupationem forſitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio ſupradicto: ubi Gloſſ.in *ver.Occupationem*, dicit tales literas præſumi extortas, vel per occupationem Romani Pontificis, vel per importunitatem petentium. Ad quod confert textus in *cap.Si quando, ſuprà eodem*, ubi Alex. III. reſcribit Epiſcopo Ravennaten. ut ſi quando aliqua eidem à Sede Apoſtolica dirigantur, quæ illius animum exaſperare videantur, aut pareat reſcripto, aut cauſam rationabilem aſſignet, quare parere non poſſit: *Quia*, inquit, *patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Quamobrem quòd in literis gratiæ non cenſeatur derogatum generali Concilio, ſuadent rationes tam ex parte ipſius Concilii, quàm ex parte Papæ reſcribentis. Ex parte Concilii, quia cùm ſtatuta ibi edantur matura diſcuſſione, & unanimi tot Patrum conſenſu, æquum non eſt, ut eis indeliberatè derogetur per ſpeciales poſteriores literas, *cap. Eccleſia veſtra il 2.de elect.* Ubi Greg.IX. agens de forma electionis à Concilio Lateranenſi præſcripta: *Neque enim*, inquit, *credendum eſt Romanum Pontificem, qui jura tuetur, quod aliàs excogitatam eſt multis vigiliis, & inventum, uno verbo ſubvertere voluiſſe.* Undè Oldrad.*conſ.326. Quod articuli, nu. 1.in fin.* dicit, *præſumi non poſſe, quod Dominus Papa juri nedum publico, ſed quaſi divino cum ſolemnitate, videlicet in ſacris generalibus Conciliis promulgato, ſub tali taciturnitate voluerit derogare, cùm etiam ſit legali proviſione ſtatutum, ut reſcriptum nedum contra jus divinum, ſed etiam contra jus publicum impetratum, extorquendam ſit de manibus impetrantis, leg.3. Cod.de ſacris largitionibus.* Et infrà: *Calumnioſum eſt ergo dicere hujuſmodi ſacra Concilia tali diſſimulatione fuiſſe ſublata, faciliùs enim tolluntur ſimplices decretales, & conſtitutiones, quas ſolus Papa promulgat, quàm unaquæque ex Conciliis cum multitudine, & ex authoritate tot ſolemnium perſonarum, & de ipſarum ſenſu, & conſilio, & tot formata capitibus promulgata: & d.conſ.328. num.3. Non enim*, inquit, *eſſet conveniens, ut vallata fortiori vinculo, ſcilicet Concilii generalis, ſic de facili tollerentur, ſicut alia, quæ non ſunt tanto vinculo roborata.* Hæc Oldr.Et generale eſt, ut cum lex Canonica, vel civilis ha- 33
bet clauſulam derogatoriam, non valeat contrarium reſcriptum, niſi faciat mentionem de illa ſpecialiter, vel ſaltem per verba æquipollentia, ut hìc, ubi Felinus *num.2. in cap.fin. infrà eodem*, & in *cap.Unico*, & ibi Joan.Andr. & DD.*de exceſſ. Prælat. in 6.* Anchar. *conſ.255. In quæſtione, col. 3.* Sed neque ex parte Papæ reſcribentis cenſetur derogatum Concilio, tum quia reſcripta hujuſmodi præſumuntur ab ipſo obtenta per occupationem, ut dicitur in *d.cap. Ex parte, de Capell.Monach.*unde cenſentur non emanaſſe ab Apoſtolica Sede, ideſt de ſcientia Papæ, ut ibi explicat gloſſa *in ver. Aſſerunt*, ad hoc *cap. quando de ſent. excomm.*ibi: *Cùm per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per ſubreptionem contingat hujuſmodi literas impetrari*, tum quia præſumuntur extorta per ambitionem, & importunitatem, juxta text.in *cap. Tuæ fraternitatis, de Presbyt.* & in *leg.1. C.de petitionibus bon.ſublat.lib.10.*ubi: Per importunitatem non concedenda ſæpè concedimus, dicit Imperator, & notat gloſſa *in d. cap. Tuæ in ver. Importunitatem*, & Gemin. *conſ.36. Quod collatio num. 2. verſ. Quod non præſumitur*, ubi ait Papam non ita de facili derogare Conſtitutionibus Conciliaribus, & præſumi circumventum. Unde quòd literæ Apo- 34
ſtolicæ contra generale Concilium non valeant, non provenit ex defectu poteſtatis Papæ, qui eſt ſupra Concilium *cap.1.25. quæſt.1. cap.Innotuit, & cap. Significaſti de elect.* Covar.*lib.4. variar.reſol.cap.16. nu.6.*& dixi latè in *d.cap. Significaſti*, ſed ex defectu voluntatis, quia vult illas non valere, niſi in eis expreſsè fuerit derogatum Concilio, ut deciditur in *d.cap. Eam te, de ætat. & qualit.* eò quòd etſi ſolutus ſit legibus, tamen ſecundum leges vivere debet, *d. cap.Significaſti, & leg. Digna vox, Cod.de leg.*ut in propoſito dixit Oldrad.*d.conſ.326. num.4.& conſ.328.num.1.*Nec per reſcripta quælibet intendit detrahere utilitati publicæ, vel privatæ, *leg.fin.Cod. Si contra jus vel utilitatem publicam, leg.Nec damnoſa, & leg.Reſcripta, Cod.de prec.Imper.offer. quæ ſunt canonizatæ 35.quæſt.2.*

At hujuſmodi rationes omnes ceſſant, cùm Generali 35
Concilio opponitur aliud Concilium generale, nam quod pertinet ad ſolemnitatem, utrumque celebratum pari conſilio, & maturitate, & utrumque cenſetur vallatum eiſdem clauſulis derogatoriis, Felinus poſt alios hìc *num. 1. verſ.Et nota quod omnis Conſtitutio*. Unde cùm par ſit vinculum

culum utriuſque, ratio poſtulat, ut poſterius deroget primo: quia nihil tàm naturale eſt, quàm ex eo generale quodque diſſolvi, quo colligatum eſt, *leg. Nihil tam naturale*, *ff. de regul. iur.* ut in his terminis conſiderat Oldrad. *d. conſ.*

36 326.*num.* 3. Et propterea quamvis primum teſtamentum habens clauſulam derogatoriam non rumpatur per ſecundum, tamen rumpitur, ſi in ſecundo adſit clauſula generalis: *Non obſtantibus quibuſcumque aliis teſtamentis*, *leg. Si quis in princip. de teſtam.* & ibi Bart. & DD. *de leg.* 3. Card. in *Clem.* 1. *in* 3. *qu. de ſepult.* & Bened. Capra *conſ.* 31. *Punctus*. Latiſſimè Barbat. in *c. Cùm eſſes col.* 37. *de teſtam.* Et quamvis ab emptione, quæ non tantùm conſenſu, ſed etiam traditione eſt roborata, non diſcedatur ſolo conſenſu; tamen diſceditur omninò, ſi in contrarium retraditio ſubſequatur, *leg. Ab emptione*, *ff. de pact.* Oldrad. *ubi ſupra*. Et generaliter quibuſcumque ferè modis obligamur iiſdem in contrarium actis liberamur, ut Paul. ait in *leg. ferè*, *ff. de regul. iur.* facit text. in *leg. Pacta noviſſima*, *Cod. de pactis in leg. Cùm de novo*, *& leg. Sed & poſteriores*, *ff. de leg.*

Similiter decreta in ſecundo generali Concilio palam eſt non poſſe dici extorta per occupationem, vel importunitatem: non per occupationem, quia Epiſcopi in Concilio congregati aliis negotiis non vacant, quàm pertinentibus ad celebrationem illius: non per importunitatem, vel ambitionem, quia ſinguli articuli prævio accurato examine, ac diſcuſſione, ſuffragiis Patrum diffiniuntur, §. *Synodus autem* 15. *diſt.* facit *cap. Prudentiam*, *de offic. deleg.* Sequitur ergo, ut conſtitutio conciliaris poſterior deroget contrariæ antiquiori, licèt de illa mentionem non faciat.

37 Neque obſtat textus in *cap. Domino ſancto*, *in fine* 50. *diſtinct.* ubi Iſidorus ſcribit: Quotieſcumque in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius Concilii magis teneatur ſententia, cujus aut antiquior, aut potior extat authoritas. Nam reſpondetur, præd. authoritatem procedere, quando ambæ conſtitutiones ſunt particulares, & locales, juxta textum in *cap. In Canonibus* 19. *diſt.* ſecùs ſi ambæ conſtitutiones Conciliares ſint generales, quia ſemper poſterior præjudicat priori, ut in *cap.* 1. *extra de cognat. ſpirit.* Ita formaliter declarat gloſſ. *in d. cap. Domino, in ver. Diſcors.* Et quamvis hæc ſolutio non placeat ibi Præpoſito, eo quòd ſi conſtitutiones ſint diverſorum locorum, unaquæque ſervari debet in ſuo loco, ſi ſint ejuſdem loci, poſterior derogat priori: tamen textus intelligi poteſt de Concilio antiquiori dignitate, & authoritate, non autem de antiquiori quoad tempus tantùm, quia tunc poſterius generale derogat primo, ſecundùm Hugon. & Archid. *num.* 4. Unde Turrecrem. 161. *num.* 2. & Idem Præpoſitus *num.* 6. *Si diſſonantia quæ reperitur in canonibus univerſalium Conciliorum*, *ſit circa ea*, *quæ ſunt juris poſitivi*, *ut puta circa regimen humanæ vitæ*, *aut diſciplinam Eccleſiaſticam*, *concludunt abſolutè ſtandum eſſe conſtitutioni poſteriori Conciliorum*, *quia cum hujuſmodi agibilia humana habeant materiam variabilem*, *pro loco*, *tempore*, *& conditionibus perſonarum*, *ſæpe ſtatuta priorum Conciliorum temperantur*, *ſupplentur*, *atque etiam corriguntur per poſteriora Concilia*. Hæc illi, unde Auguſt. cujus eſt hæc concluſio, *lib.* 2. *de baptiſ. contra Donatiſtas*, ait: *Sæpe priora Concilia à poſterioribus emendari*, *cum aliquo rerum experimento aperitur quod clauſum erat*, *& cognoſcitur quod latebat*. Ergo ut Turrecrem. & Præpoſ. ſubdunt *locis citatis*, in talibus non habet locum antiquitas, quantumcumque magnæ fuerit authoritatis, quoniam aliqua ſuperioribus temporibus erant convenientia, quæ noſtris plurimùm diſpendioſa eſſent, ideſt quaſi impoſſibilia *cap. Non debet*, *cum vulg. de conſang. & affinit.* ſicut patet in canonibus Apoſtolorum circa diſpoſitionem clerici fornicarii. Patet etiam de Concilio illo præſtantiſſ. Nicæno, cui circa diſpoſitionem ſedium Patriarchalium præjudicatum eſt per Concilium univerſale VI. ut in *cap. Renovantes* 22. *diſt.* & illi ſtatur, & præjudicatur Nicæno, licèt ſit antiquioris, & potioris authoritatis, & de eo nulla ibi mentio facta fuerit. De intellectu autem *d. cap. Domino ſancto* 15. *diſt.* vide pleniſſimè ibi per Turrecrem.

Nec eſt omittendum ſecundùm Innoc. in *d. c. Ex parte*, *in ver. Mentio*, *de Capell. Monachorum*, verum non eſſe in literis, quas Papa concedit, indiſtinctè eſſe faciendam mentionem de jure, etiamſi ſint ſtatuta Conciliorum, ejuſque opinio quatenus affirmat, quoad derogationem non eſſe conſtituendam differentiam inter conſtitutiones conciliares, & alias conſtitutiones, fortè verior eſt ſecundùm Felin. hìc *ſub num.* 3. *verſ. Sed videtur verum*, qui ex mente Innocentii in contrarium retorquet textum in *cap. Eam te*, *de ætat. & qualit. & in d. cap. Ex parte*, quem itidem contrarium probare obſervat etiam Alex. *conſ.* 111. *Perſpectis num.* 6. *lib.* 6. Et quamvis, ut Felin. ſubjicit, non ſit de facili recedendum à contraria ſententia Archid. 1. quam videtur ſequi totus mundus, & tenet Rota apud Caſſad. *deciſ.* 2. *num.* 8. *verſ. Pro deciſione*, *de Præb.* tamen cùm illa non tranſeat abſque contradictione, ac difficultate, non debemus eam extendere extra caſum litterarum contra jus, in quo Archidiaconus loquitur. Concludendum eſt igitur, per diſpoſitionem poſteriorem Concilii generalis, indiſtinctè cenſeri ſublata decreta contraria antiquorum Conciliorum, licèt de illis mentio facta non fuerit. Et hanc ſententiam aliàs probavit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Nam cùm Epiſcopus Tarraconen. quæſiviſſet, an diſpenſationes, quæ in *cap. De multa*, quod eſt generalis Concilii Lateranen. ſub Innoc. III. *de præb* pro legitimis habentur, videlicet circa ſublimes, & litteratas perſonas, cenſerentur revocatæ per Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. ibi: *Quibuſcumque diſpenſationibus non obſtantibus*, cùm de eis non fuerit habita mentio ſpecialis: S. Congregatio cenſuit comprehendi etiam diſpenſationes, de quibus in *d. cap. De multa*, nec opus fuiſſe ſpeciali mentione, aut derogatione juris communis.

Quod verò ſpectat ad privilegia, multò magis debet 38
cenſeri derogatum inſertis in corpore juris, quàm non inſertis: nam etſi privilegiis Canonum difficiliùs conſueverit derogari, *leg. Eius militis*, §. *Militia miſſus*, *ff. de militar. teſtam.* tamen quoad non inſerta allegari poteſt defectus intentionis Papæ propter illorum ignorantiam, vel oblivionem, ut conſtat ex *cap. Ex parte de offic. deleg.* in illis verbis: *Si memores fuiſſemus nos pro prædicto N. litteras direxiſſe*, *adverſario nullatenus ſcripſiſſemus*. Quæ quidem ignorantia præſumi non poteſt de inſertis in corpore juris. Et hæc eſt ratio, cur Pontifex per poſteriorem conſtitutio- 39
nem cenſeatur tollere priorem contrariam, licèt de illa mentionem non faciat: & tamen non cenſeatur tollere particularia ſtatuta, vel conſuetudines, juxta text. in *cap.* 1. *de conſtit. in* 6. generalis enim derogatio non operatur circa ignorata in facto conſiſtentia, Tiber. Decian. *conſ.* 40. *num.* 87. *& ſeqq. lib.* 3. Et in terminis ob hanc rationem ita tenet Franc. *in d. cap.* 1. *num.* 5. *verſ. Limita tamen*, dicens privilegium in corpore juris clauſum revocari per contrariam conſtitutionem, etiamſi de illo non fiat ſpecialis mentio, cùm præſumatur ſcientia illius, ſicut & juris communis. Et ſequitur Felinus in *cap.* 1. *num.* 11. *verſ. Fallit* 3. *ſupra eodem*, ubi ſimiliter concludit, privilegium derogans juri communi in corpore juris clauſum tolli per contrariam diſpoſitionem, etiam nulla facta mentione privilegii, quia illius mentio non eſt neceſſaria, ſicut nec juris communis: non ſic ubi primum eſt extra corpus, quia præſumitur Papæ incognitum: ſubdens ita tenere communiter Doctores, ſicut etiam teſtatur Decius *ibid. num.* 52. *verſ. Et prædictæ concluſiones*. Et quamvis contrarium ſentiant in *d. cap.* 1. Abbas & Barbat. tamen ſecundùm Felin. tutius eſt tenere communem. Et ab ea non eſſe recedendum, dicit etiam Dec. *eodem num.* 52. *in fin.* quàm etiam tenet Gemin. in *cap. Ignorantia num.* 6. *verſ. Item illo reſpectu* 38. *diſt. & in cap.* 1. *verſ. Quæro quia de conſtit. in* 6.

Principalis ratio eſt ſecundùm Felin. & Dec. *ubi ſupra*, 40
quia ſi facienda ſit mentio privilegii inſerti in corpore juris, id non alia de cauſa poteſt contingere, niſi quia privilegium ſic inſertum facit jus commune inter nominatos, ut per gloſſ. 4. *in cap. Conſtitutionem*, *de reg. in* 6. *& in Clem. Dudum*, §. *Verum*, *in ver. De jure*, *de ſepult.* & per Joan. Andr. poſt Hoſtienſ. *in cap. Ex parte*, *il primo num.* 3. *ſuper ver. Cæteris*, *de Decim.* Sed Juris communis non eſt facienda mentio, *cap. primo de cognat. ſpirit. & d. c. primo de conſtitutione in* 6. & tradit Innocentius & omnes *in d. cap.* 1. *ſupra eodem*, ubi in ſpecie Felinus *num.* 11. *in* 2. *fallen.* Ergo nec privilegii inſerti in corpore juris: nam quoad effectum derogatorium ita judicatur de privilegio in jure clauſo, ſicut de jure, Gloſſ. in *cap. Ut circa*, §. 1. *in ver. Corporali*, *verſ. Item privilegium*, *de electione in* 6. & ibi Gemin.

min.& Franc.*in d.cap.1.verſ.Limita tamen, de conſtit.in 6.* Ideòque per generalem derogationem, quæ habetur in *fin.cap. Alma mater, de ſent. excommun.in 6.* ſublatum fuit privilegium Templariorum, & Hoſpitalariorum in corpore juris inſertum, nempè in *c.Ut privilegia, infra de privileg.* ſecundùm Gloſſ. & Archid.*in d.cap. Alma mater, in ver. Conceſſis*: Abbas verò loquitur ſecundùm opinionem illorum, qui tenent in privilegio eſſe derogandum juri communi, quæ tamen opinio reprobatur, & fundamentum ejus tollitur, quia eo ipſo quòd datur privilegium, videtur juri communi derogatum, ut notat Bald. in *leg. Item Lapilli, col.5.verſ. Et nota, ff.de rer. diviſ.* Et ita ad opinionem Abbatis reſpondet Dec. *in d. cap. 1. num. 12. verſ. Sed dicendum eſt*. Præterea Abbas, & Barbat. moventur ea ſpeciali ratione, quia in Principe non eſt veriſimilis recordatio privilegii in corpore juris clauſi propter importunitatem impetrantium. At hæc ratio, quidquid ſit de illius veritate, militat tantùm in privilegiis, & litteris gratiæ, quæ conceduntur contra privilegia in jure inſerta, non autem in derogatione privilegiorum, quæ fit in generali Concilio, ut dictum eſt ſuprà *num.15.*

41 Neque obſtant authoritates in contrarium adductæ ſuprà *num.* 3. ſiquidem procedunt tantùm, quando lex, vel Princeps revocat generalia privilegia, in eo enim caſu cum per hujuſmodi revocationem non tollat jus commune, conſequens eſt, ut nec tollat privilegia in jure inſerta, quæ ſortiuntur naturam juris communi. Undè eo caſu, cum derogatio privilegiorum poſſit referri tam ad inſerta, quàm non inſerta, ex veriſimili mente referri debet potiùs ad non inſerta. At ſecus eſt, ſi fiat lex ſpecialis in materia, in qua eſt privilegium in corpore juris clauſum, ut in caſu noſtro, in quo Concilium Tridentinum edidit ſpeciale decretum in *d. cap.* 10. *ſeſſ.* 23. contra jus, quod habent Abbates ordinandi Clericos ſæculares, in quos habent quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, juxta *cap. Abbates, de privil. in 6.* hoc enim caſu ſicut jus commune, ita privilegium in jure clauſum tollitur per generalem privilegiorum derogationem: ita ſingulariter determinat Bart. *in Extravag. Ad reprimendum, in verſ. Non obſtantibus, col. fin.* quem refert, & ſequitur Felinus *in d. cap.1. num.12. in fin. verſ. Salvo niſi condendo legem*: & apertius declarat Dec.*ibi num.* 53. his verbis: *Patet ex prædictis, quòd faciliùs derogatur privilegio inſerto in corpore juris, quàm non inſerto: & hoc procedit, quando tollitur jus commune, tunc enim tollitur faciliùs inſertum, quia jus commune reputatur: ſecus eſt quando non tollitur jus commune, ſed tollitur privilegium, quia tunc faciliùs tollitur non inſertum, quia eſt privilegium proprie, & ſimpliciter, quam tollatur inſertum, quod non videtur privilegium ſimpliciter, ex quo de eo judicatur idem, quod de jure communi.* Hæc Dec. ſubdens, hoc ſecundo caſu habere locum gloſſas, quæ volunt, ut ſi tollantur privilegia, non videantur tolli inſerta in corpore juris. Præterea contraria opinio procedit tantùm in privilegio ſpeciali in jure clauſo, cui non intelligitur derogatum per conſtitutionem juris communis, niſi de eo fiat ſpecialis mentio. At ſecus eſt in privilegio generali, quale eſt privilegium conceſſum Abbatibus ordinandi Clericos ſæculares, in quos habent Epiſcopalem juriſdictionem: quia utcumque ſit inſertum in corpore juris, nempè *in d. cap. Abbates, de privileg. in 6.* tamen cenſetur ſublatum per poſteriorem conſtitutionem illi contrariam, etiam nulla facta mentione privilegii. Ita poſt alios diſtinguit, & declarat Philipp.Franc. *in d.cap. 1. num. 5. verſ. Quod tamen intelligit, de conſtit. lib. 6.*

42 Valdè confirmantur prædicta ex ſtylo Tridentinæ Synodi, quæ antiquioribus Conciliis, vel privilegiis in corpore juris clauſis nominatim derogare non conſuevit, ſi quando contra illa ex juſtis, & rationabilibus cauſis aliquid ſtatuendum duxit. Unde *in cap. 2. ſeſſ. 25. de regul.* correxit decretum Concilii Lateranenſis, de quo in *cap. Monach. de ſtat. Monachorum*, quatenus permitteret Monachis habere peculium de licentia Abbatis, ut Sacra Congregatio Concilii aliàs declaravit adverſus ſententiam Navar.& ſcripſi latiſſimè *in d.cap.Monach.* Et tamen generali Concilio neque ibi derogatur, neque *in cap.22.* ubi ponuntur ampliſſimæ derogationes quoad decreta omnia illius ſeſſ. Eodem modo *in cap. 6. ejuſdem ſeſſ.25.de regul.* ex ſententia Sac. Congregationis in electionibus Superiorum regularium ſublata fuit forma eligendi per compromiſſum vel quaſi per inſpirationem, a generali Concilio præſcripta in *cap. Quia propter, de elect.* Et tamen de Concilio Lateranenſi nulla fit mentio. Et in *cap.2.ſeſſ.24.* dum præcipitur, ut provincialia Concilia quolibet ſaltem triennio celebrentur, tollitur obligatio ea celebrandi ſingulis annis inducta per conſtitutionem Innocentii III.editam in generali Concilio, de qua in *cap. Sicut, de accuſat.* Atque, ut alia omittamus, dum in *cap.12.ſeſſ.* 23. præfinivit ætatem vigeſimi ſecundi anni inchoati ad Subdiaconatum, & vigeſimi tertii ad Diaconatum, abrogavit diſpoſitionem Concilii Viennenſis, qua conſtitutum erat, ut quis liberè poſſet in decimooctavo ad Subdiaconatus, & in vigeſimo ætatis ſuæ anno ad Diaconatus ordines promoveri. Et tamen in eodem *cap.* 12. nullam fecit mentionem Viennenſis Concilii. Sed & in privilegiis clauſis in corpore juris idem omninò obſervat S. Synodus, ſive illa ſint conciliaria, ſive non. Ac propterea in *cap.15.ſeſſ.24.* contra 43 opinionem Navarri, de qua ſupra *num.* 2. ex ſententia ejuſdem Sacræ Congregationis ſuſtulit privilegium Clementis V. conceſſum Regularibus in Concilio Viennenſi, de quo in Clem. *Dudum, §. Si verò iidem Prælati, de ſepult.* audiendi ſcilicet confeſſiones ſæcularium ſine Ordinariorum licentia, quoties Ordinarii eam exhibere recuſaverint. Et in *cap.6. verſ. Is autem ſeſſ.27.* ademit clericis non habentibus requiſita ibi præſcripta fori privilegium, ordini Clericali conceſſum etiam in Concilio Pariſienſi, ut habetur in *cap. 2. de for.compet.* Et tamen nemo unquam in dubium revocavit validitatem decreti Concilii Tridentini ex eo quòd Pariſienſi Concilio non derogaverit. Rurſus in *cap.17.ſeſſ.24.* ademit Cardinalibus privilegium retinendi ex diſpenſatione Apoſtolica plura beneficia curam animarum habentia in corpore juris clauſum, de quo in Extrav. Joan. XXII. *Execrabilis, de præb.* nam & Extravagantes prædictæ ſunt pars corporis juris, ut Gregorius XIII. in ſua conſtitutione declaravit. Item per generalem derogationem, quæ habetur in *cap. Unico, ſeſſ. 22.de obſervant. & evit.in celeb. Miſſ.* ſublatum eſt privilegium fratrum Prædicatorum, & Minorum celebrandi Miſſam in altari viatico abſque Diœceſani licentia, de quo in *cap. In his, de privileg.* ut cenſent Navar. *in Man. cap. 25.num.82. in fin.* Suarez *tom.3. diſp. 81. ſect. 3. in fin.* Henriq.*in ſumm. lib.9. cap.27. num.2. in gloſſ. littera S*, & latè probatum eſt in *cap.In his infra de privileg.* in quæſtione, utrùm fratres Prædicatores in clauſtro monaſterii ſui Ordinis poſſint in altari portatili Miſſam celebrare etiam invito Epiſcopo diœceſano: ubi alia exempla his ſimilia congeſſimus.

In his ergo, & plurimis aliis caſibus, in quibus Tridentina Synodus non derogavit contrariis decretis aliorum Conciliorum, aut privilegiis Canonum, ſi diceremus illius diſpoſitionem non valere, id aut contingeret ex defectu poteſtatis, aut voluntatis. Non primum, quia utriuſque Concilii generalis æqualis eſt authoritas, & par in 44 parem non habet imperium, *cap.Innotuit, de elect.* omnia enim Concilia œcumenica manant ex eodem fonte Apoſtolicæ poteſtatis, ſine qua non habent firmamentum, ut habetur *22.diſt. per tot.cap.1.& ſeqq.17. diſt.cap. Ideo 2.q.6. & cap.Significaſti, de elect.* & tradit poſt alios Covarr.*variar.reſol.lib.4. cap.16.num.6.* Itaque in diſpoſitionibus hujuſmodi, non habentibus clauſulam derogatoriam, non negari potentiam derogandi, ſcripſit Gemin.in *cap.1.in 6.* 45 *col. verſ. Ego credo, de conſtit. in 6.* & Felin.hic poſt alios *num. 5. in 6. ampl.* Ideòque etiam Canonibus Apoſtolorum per poſteriores Canones præjudicatur, *cap. Presbyter 82. diſt.* gloſſ.in *cap.Domino ſancto, in ver. Diſcors 50.diſt.* ubi etiam declarat, quomodo fieri poſſit, ut unus Canon juſtè adverſetur alteri, cùm omnes ſint promulgati inſtinctu Spiritus ſancti. Neque ſecundùm, quia cùm in generali Concilio conſtitutiones dici non poſſint extortæ per occupationem, vel importunitatem, aut circumventionem, ut ſuperiùs dictum eſt: defectus voluntatis, aut oriri potuiſſet ex ignorantia antiquorum Conciliorum, vel Canonum, & abſurdum eſt de tot Patribus hoc aſſerere: imò enim, quod à pluribus quæritur ſapientibus, faciliùs invenitur, *cap. De quibus 20. diſt.* & per ampliores homines perfectiſſima veritas revelatur, *leg.ult. ad fin.Cod.de fideicomm.*

comm. & *cap. Extra conſcientiam 64. diſt.* gloſ. in *c. Prudentiam*, *in ver. Plurimorum*, *infra de offic. deleg.* aut quia per errorem crediderint illis non fuiſſe ſpecialiter derogandum, & hoc ex iiſdem rationibus convincitur eſſe calumnioſum. Error enim juris in Concilio generali non eſt tolerabilis, Oldrad. *conſ. 326. num. 15. verſ. Ex quo etiam*
46 *convincitur*. Aut denique, quia non habuerint intentionem, ſeu voluntatem illis derogandi, & ſecundùm hoc voluiſſent facere actum inanem, & eluſorium, quod ſimiliter non eſt dicendum. Nam, ut ait Oldrad. *d. conſil. num. 4. In his, quæ in generali Concilio cum tanta maturitate, & ſolemni deliberatione tranſeunt, ſeu examinatione elimantur, nihil eſt, nec eſſe debet, quod fruſtra membranas occupet*. Hæc ille. Nec Synodus cenſenda eſt elegiſſe viam, per quam ejus judicia poſſint ſubverti, *leg. 3. ff. de teſtam. milit. leg. Quoties*, *leg. 2. ff. de reb. dub.* Bart. *in leg. Sejæ*, §.
47 *Cujo*, *de fund. inſtr.* Et hanc conjecturam validitatis actus eſſe cæteris potentiorem, ſcripſit Ruin. *conſ. 72. num. 4. vol. 2.* & Dec. in *leg. In teſtamento num. 12. Cod. de teſtam. milit.* Quinimò eam dicit eſſe reginam aliarum interpretationum, Ceph. *conſ. 35. num. 49.* & Card. Mant. *de conject. ult. volunt. lib. ult. tit. ult. num. 13.* Quæ conjectura eò magis ſumenda eſt in caſu præſenti, quia ſi decreta Trid. Concilii ex hoc defectu ſpecialis derogationis non valerent, magna ejuſdem Concilii pars ſubverteretur, quod quàm ſit abſurdum, nemo non videt.

48 Ex abundanti quatenus derogationes Tridentinæ Synodi non ſufficerent, extat motus proprius Pii IV. incipit: *In Principis Apoſtolorum* 13. Kal. Martii 1565. in quo ampliſſimè derogatur privilegiis, & indultis omnibus, ac ſi de verbo ad verbum eſſent inſerta, in his, quæ decretis Tridentini Concilii contrariantur. Hæc autem clauſula ſufficit ad derogandum legi contrariæ habenti clauſulam derogatoriam ad reſcripta, ſicuti habent Concilia generalia, non ſolùm ſi appoſita fuerit in generali conſtitutione, ſed etiam in privilegiis, & litteris gratiæ, ut tradit Anton. de Butr. *cap. 1. ſuprà eod.* Bart. *in leg. Si quis*, *in princip. teſtam. leg. 3.* idemque operatur clauſula: *Ex certa ſcientia*, *& de plenitudine poteſtatis*, appoſita in litteris Pii IV. ut per Alexand. *conſ. 111. Perſpectis lib. 6.* ubi conſulit pro quatuor Cardinalibus creatis à Paulo II. per litteras in forma brevis exhibitas poſt obitum ejuſdem Pontificis: & latiſſimè reſpondit eas litteras valere, & per clauſulas antedictas fuiſſe ſufficienter derogatum Extravaganti Eugenii IV. incipien. *In eminenti*, habent clauſulam derogatoriam, & annullativam eorum, quæ in contrarium fierent. Quemadmodum autem pro litteris gratiæ, cum clauſula: *Quorum tenores*, vel *Ex certa ſcientia*; derogatur contrariis conſtitutionibus generalibus, etiam habentibus clauſulam derogatoriam ad reſcripta: ita per conſtitutionem generalem habentem aliquam ex prædictis clauſulis derogatur contrariis privilegiis, quamvis habeant clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſitiones, Felin. hìc *num. 2. in ſecunda fallen. & nu. 6. in fin. verſ. Sed ubi agitur*, Roman. *conſ. 327. num. 8. verſ. 2. Reſpondeo*, ubi probat ſufficere derogationem in genere, cum clauſula: *Pro expreſſis*, quando Papa reſcribit motu proprio, vel per modum legis generalis, aut ex certa ſcientia, & ibi Apoſtilla citat plures, & teſtatur de communi opinione, aliàs enim Papa non poſſet derogare validè, ut conſiderat Feder. de Sen. *conſ. 47. Habita ſuper caſu*, *num. 2. Si diceremus*, inquit, *quod generalis derogatio privilegiorum antecedentium non ſufficeret, jam indifferenter auferretur Papæ poteſtas tollendi, & derogandi privilegiis derogatoriis, quod nefas eſt ſentire. Ideò dicimus, quod per ſufficientia generalia derogatoria poſita in lege, vel canone, vel decretali, vel alio privilegio, derogatur ſpecialibus privilegiis, quantumcumque habentibus ſpeciales clauſulas derogatorias*, allegat *cap. Quia ſæpè*, *de elect. cap. Ut officium*, *de hæret.* & *cap. 1. de ſentent. excomm. in 6.* Et ſequitur Dec. *conſ. 164. Viſo tenore in princip.* dicens, ſic ſervari de ſtylo curiæ, & ſimiliter teſtatur de communi, poſt Jo: de Anan. *conſ. 6.*

Hactenus oſtendimus, decretum Concilii Tridentini 49
in *d. cap. 10. ſeſſ. 23.* fruſtra oppugnari ex hoc capite, quòd ſeptimæ Synodo generali, aut privilegiis Canonum non derogaverit.

Sed alii paulò modeſtiùs non audent affirmare decretum illud eſſe nullum, ſed dicunt in eo non comprehendi Abbates, qui habent juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem in Parochos, & Parochianos privativè ad Epiſcopum, ita Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 212. per tot.* & alii recentiores. Sed hanc quoque opinionem falſam eſſe probavimus in *cap. Significaſti*, *infrà de offic. Archid.* ubi plenè videas.

An autem conſtitutio edita à Papa in generali Concilio dicatur Conciliaris quoad effectum derogationis, dixi latiſſimè in *cap. Ex parte*, *de Capell. Monach.*

DE RESCRIPTIS.

Honorius III. Bituricen. Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato.

CAPUT XXXI.

2 AD audientiam noſtram pervenit, quòd quidam Clerici obtentis à Sede Apoſtolica litteris ſuper proviſione ſua in aliquibus Eccleſiis tibi ſubjectis, recipientes ab eis annuas penſiones, ſeu alia beneficia, ab eorum impetitione deſiſtunt, renunciantes beneficio litterarum: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus eos, qui poſt litteras taliter venditas, alias (de illis mentione non habita) impetrabunt de cætero, vel hactenus impetrarunt, carere decernas commodo earundem, & Eccleſias non permittas earum occaſione vexari: revocando in irritum, ſi quid earum prætextu inveneris eſſe factum.

SUMMARIUM.

1 *IMpetrans an teneatur facere mentionem de litteris ad beneficia prius renunciatis.*

2 *Impetratio beneficii vacantis non facta mentione receptionis vigore litterarum ad vacatura, valet, ſi receptus velit renunciare juri, quod habet ex priori receptione.*

3 *Impetrans non tenetur facere mentionem de beneficio jam reſignato.*

4 *Expectans poteſt renunciare litteris impetratis, & earum commodo, non ſolum expreſſe, ſed etiam tacitè.*

5 *Expectans nullum contrahit vinculum ſpirituale cum beneficio, quod expectat, nec habet jus in re.*

6 *Expectans an poſſit renunciare litteris pro pecunia ſine labe ſimoniæ, & num. ſeqq. uſque ad num. 13.*

7 *Litteræ ad beneficia an conferant jus ſpirituale, & num. ſeqq.*

8 *Expectans non conſequitur jus in re, nec jus ad rem, ſed jus quoddam præparatorium ad beneficium obtinendum.*

9 *Imò conſequitur jus ad rem.*

10 *Et quamvis non habeat jus ſpirituale completivè, habet tamen initiativè.*

11 *Simonia non committitur, ſi purè renuncietur litteris ad vacatura, & poſtea reſervetur renuncianti annua penſio.*

12 Dum-

12 Dummodò tamen hæc explicentur authoritate ſuperioris.

13 Simoniacum non eſt in pactum deducere etiam in ſpiritualibus ea, quæ præcipiuntur à jure, dummodò deducantur eo modo, quo tacitè inſunt, num. 17.

14 Expectans non poteſt ſecundum beneficium adipiſci, niſi renunciet litteris.

15 Beneficium ſecundùm volens obtinere, poteſt in pactum deducere reſignationem primi.

16 Propter concurſum juris quandoque quid annectitur ad naturam alterius.

17 Simoniacum eſt ex pacto ſepulturam eligere in eo loco, in quo quis de jure ſepeliri debet.

18 Item deducere in obligationem civilem id quod debetur naturaliter tantùm.

19 Simoniam an committat, qui debitori ſuo dat aliquid ſpirituale, ut quod ſuum eſt, recuperet.

20 Litteræ beneficiales ſubreptitiæ ſunt ipſo jure nullæ.

21 Et de facto revocari debet, quidquid illarum vigore intentatum eſt.

22 Proceſſus habitus per litteras ſubreptitias, eſt ipſo jure nullus, & poteſt detecta ſubreptione quandocumque revocari.

23 Beneficium poſſideri non poteſt, niſi canonicè habeatur.

24 Litteræ in beneficiis per ſubreptionem obtentis eſt loco tituli.

25 Tacitæ conditionis defectus impedit litteras, ne producantur in eſſe.

26 Subreptio vitiat privilegia, & beneficia Principum ipſo facto.

27 Subreptio vitiat litteras gratioſas, etiamſi ignoranter, & per ſimplicitatem fuerit ſubreptum.

28 Litteræ contentioſæ per ſubreptionem non vitiantur ipſo jure, ſed annullari debent ope exceptionis.

29 Reſcriptum ſubreptitiè impetratum ob taciturnitatem primi, non eſt nullum.

30 Proceſſus in vim litterarum ſubreptitiarum ad lites valet parte non opponente.

31 Reſcriptum ſubreptitium tribuit juriſdictionem, ſi de ſubreptione oppoſitum non fuerit, & num. 38.

32 Litteræ contentioſæ ſuper beneficiis, quoad ſubreptionem regulantur ſicut aliæ litteræ contentioſæ.

33 Proceſſus ſuper executione litterarum beneficialium habitus per judicem principaliter deputatum ſuper contentione beneficiali valet, ſi de ſubreptione non fuerit oppoſitum.

34 Proceſſus habitus coram executore litterarum beneficialium ſubreptitiè impetratarum, an valeat, & num. ſeqq.

35 Executor cum aſſumit partes judicis, judicatur de eo ſicut de judice.

36 Proceſſus venit acceſſoriè ad gratiam, & ideo vitiatur ad limites ipſius gratiæ.

37 Subreptio cur magis inficiat litteras gratiæ, quàm juſtitiæ.

38 Juriſdictio an tribuatur per litteras ſubreptitias.

39 Falſæ litteræ nullam conferunt juriſdictionem.

40 Penſio an ſit beneficium, & veniat beneficii appellatione, latiſſimè examinatur uſque ad numerum 121.

41 Penſionum duæ ſunt ſpecies.

Intellectus cap. Conquerente, de Cler. non reſiden. ibidem.

42 Penſio ceſſante fraude ſuper fructibus Eccleſiæ conſtitui poteſt nomine beneficii.

43 Beneficium ſuper alio beneficio creari poteſt, dummodò id fiat ſine labe ſimoniæ, & abſque ſciſſura beneficii.

44 Penſio, quæ in titulum beneficii aſſignatur, verè, & propriè eſt beneficium Eccleſiaſticum.

45 Et diffinitur ſicut beneficium.

46 Item de illa fieri debet mentio in litteris, ſicut de beneficio.

47 Item ſimoniacum eſt pro ea obtinenda pecuniam dare.

48 Penſio quid ſit, & unde dicatur, & num. ſeqq.

49 Penſio pendet formaliter à beneficio, à quo detrahitur, ſicut uſusfructus à proprietate.

50 Penſio, quæ ſimpliciter conſtituitur ſuper fructibus Eccleſiæ, & alicui aſſignatur authoritate ſuperioris, an ſit beneficium, & beneficii nomine intelligatur, & n. ſeq. uſque ad nu. 74.

Referuntur authores, & argumenta pro opinione affirmativa, ibid. & num. ſeqq.

51 Penſionis facienda eſt mentio in litteris ad beneficia, ſicut & beneficii.

52 Penſio repræſentat ipſum beneficium.

53 Dictio, alius, implicat ſimilia.

Niſi per alia jura declaretur aliquid non eſſe ſimile, num. 56.

Item denotat diverſitatem in ſuppoſito, & identitatem in ſubſtantia, & eſt implicativa ejuſdem generis, num. 55. & 65.

54 Nullum ſimile eſt idem.

57 Subrogatum ſapit naturam ejus, cujus loco ſubrogatur.

58 Sed non eſt idem cum ſubrogato.

59 Patrimonium, ad cujus titulum quis ordinatur, quamvis beneficium repræſentet, non tamen eſt beneficium.

60 De præſtimoniis an debeat fieri mentio in litteris, & num. 62.

61 Hoſpitale an ſit beneficium, anve de eo in litteris ſit facienda mentio, & num. 63.

64 Referuntur authores, & fundamenta pro ſententia negativa.

66 Penſio non includitur in mandato de providendo alicui de beneficio uſque ad certam ſummam.

Intellectus cap. Quamvis, de præb. lib. 6. ibidem, & num. ſeqq.

67 Beneficium curatum in mandato de providendo, non comprehenditur beneficii appellatione.

68 Eccleſiarum civitatis appellatione in litteris beneficialibus non includitur Cathedralis.

69 Penſio ex ſtylo Concilii Tridentini non habetur pro beneficio, & num. 130.

70 Dictio, verò, eſt adverſativa præcedentium, & adverſatur in jure, & in facto.

71 Penſio eſt ſtipendium merè temporale, nihil habens ſpiritualitatis annexum, & cadere poteſt etiam in laicum, & num. 81. & 128.

72 Item poteſt pretio conſtitui, transferri, ac redimi ſine labe ſimoniæ.

73 Nec de illa fieri debet mentio in litteris.

74 Penſio, quæ hodie ex ſtylo aſſignatur loco beneficii, an ſit beneficium Eccleſiaſticum, & veniat illius appellatione, & num. ſeqq. uſque ad num. 121.

75 Non eſt quid merè temporale, ſed ſpirituale, vel ſpirituali annexum, & prærequirit clericatum inſtar beneficii, & num. 81.

76 Nec reſervari debet niſi in habitu Clericali, & tonſura incedentibus, præterquam ſi non excedat ſexaginta docatos auri de Camera.

77 Clericatus tamen requiritur, etiamſi penſio ſexaginta ducatos non excedat.

78 Laico reſervari non poteſt, niſi per Papam.

79 Penſionarii olim non tenebantur ad horas, ſed hodiè ex Conſtitutione S. Pii V. obligantur ad officium parvum B. M. Virginis.

80 Penſio datur hodiè propter officium, ſicut beneficium.

81 Et in Rotæ auditorio receptum eſt, ut non ſit quid profanum, ſed annexum ſpirituali.

82 Simoniacum eſt penſionem conſtituere, vel transferre, aut redimere pecuniæ interventu.

83 Penſio extingui non poteſt anticipatis ſolutionibus ſine authoritate Papæ.

84 Gratis tamen remitti, & condonari poteſt in totum, vel in partem, ſimpliciter, vel ad tempus.

85 Subſidium charitativum ſolvitur de penſione ſicut de beneficio.

86 Seminarii taxa ſolvi debet ex fructibus non modò beneficiorum, ſed etiam penſionum.

87 Penſionarii tenentur ad collectam per Clericos ſolvendam, ſicut cæteri beneficiati.

88 Annata ſicut ſolvitur de beneficiis excedentibus viginti quatuor ducatos, ita hodie de penſionibus ultra ſummam ducatorum quatuordecim, & num. ſeqq.

89 Et in expeditione literarum proviſionis beneficii, ſuper quo eſt penſio reſervata, ſolvitur detracta penſione.

90 Illegitimus ſicut non eſt capax beneficii, ita nec penſionis

ſionis ſine diſpenſatione.

91 *Penſio extinguitur per profeſſionem regularem penſionarii.*

92 *Item per contractum matrimonii.*

93 *Et quid ſi penſio fuerit reſervata laico de Eccleſia benè merito, aut pro ſervitio Eccleſiæ impenſo, vel impendendo.*

94 *Et quid ſi fuerit reſervata Clerico pro temporali ſervitio.*

Et in gratia penſionis an fieri debeat mentio tàm de beneficiis, quàm de aliis penſionibus, ibid. verſ. Sexto facit, & num. 116.

95 *Penſionis fructus, ſicut & beneficii, licitè vendi, & locari poſſunt, dummodò non ad vitam, vel ultra triennium ſine authoritate Papæ.*

96 *Penſionarius ſine beneplacito Apoſtolico non poteſt conſtituere pro pecunia procuratorem irrevocabilem ad fructus penſionis exigendos.*

97 *Cancellaria habet penſionarios pro beneficiatis, & vult in litttris fieri mentionem de penſionibus, ſicut de beneficiis, & num.* 132.

98 *Beneficium Eccleſiaſticum ex ſui natura debet eſſe perpetuum, & num.* 118.

99 *Penſio non vacat, ſed extinguitur morte penſionarii, ſicut uſusfructus morte uſufructuarii.*

100 *Beneficium requirit canonicam erectionem, aliàs non eſt beneficium.*

Vicarius perpetuus conſtitui non poteſt ſine erectione tituli Vicariæ, ibid.

101 *Penſio Clerico aſſignari poteſt ſine ulla erectione, aut canonica inſtitutione.*

102 *Penſionarius non dicitur ſponſus Eccleſiæ, nec ullum ſpirituale conjugium, vel quaſi cum Eccleſia contrahit.*

103 *Beneficiatus intitulatur, & obligatur Eccleſiæ.*

104 *Titulus, & beneficium pro eodem aſſumuntur.*

105 *Penſionarius non intitulatur, nec ad reſidentiam tenetur.*

106 *Beneficium quamvis reſignari non poſſit, penſio tamen poteſt extingui ſine ſuperioris authoritate.*

107 *Diffinitio quid ſit.*

108 *Qudditatem rei oſtendit.*

109 *Et differentiæ ſpecierum non cognoſcuntur, niſi per diffinitionem.*

110 *Beneficium quid ſit.*

111 *Nomen debet eſſe conſequens rei.*

112 *Penſio ex ſententia Rotæ eſt quoddam jus temporale, id eſt ad tempus, ſeparatum, & formale, per ſe diſtinctum à beneficio.*

113 *Penſio in materia odioſa, & ſtrictè intelligenda non venit beneficii appellatione.*

114 *Etiamſi beneficium exprimatur per dictionem univerſalem,* quodcumque.

Secus ſi materia ſit favorabilis, ibid. & num. 117. 123. 124. 131. *&* 134.

115 *Penſionem transferens, aut redimens pro pecunia ſine authoritate Papæ, quamvis ſimoniam committat, non tamen incidit in excommunicationem Extrav. 2. de Simon.*

116 *Beneficiorum etiam manualium fieri debet mentio in litteris.*

117 *Penſio in materia favorabili venit beneficii Eccleſiaſtici appellatione, non ex proprietate vocabuli, ſed per interpretationem extenſivam, & num.* 129.

118 *Beneficia manualia verè, & propriè non ſunt beneficia.*

119 *Etiamſi authoritate Epiſcopi ſint fundata.*

120 *Capellania ſi ex perpetua fiat amovibilis ad nutum, deſinit eſſe beneficium.*

121 *Clericus primæ tonſuræ, qui beneficium Eccleſiaſticum à ſe poſſeſſum reſignavit, reſervata ſibi penſione, an gaudeat privilegio fori, licèt in habitu, & tonſura non incedat, & num.* 127. *& ſeqq.*

122 *Conſtitutio Clementis VII. adimens in criminalibus privilegium fori Clericis dominii Reipublicæ Venetæ refertur.*

123 *Clericis penſionem obtinens an veniat appellatione Clerici non beneficiati, de quo prædicta conſtitutio loquitur.*

124 *Regreſſum habens dicitur habere jus ab beneficium.*

125 *Conſtitutio exhorbitans, ſtrictè intelligi debet, ut minùs lædat jus commune, quàm fieri poſſit.*

126 *Fori privilegium Clericis indultum eſt de jure divino.*

131 *Penſionarius ex declaratione Gregorii XIII. cenſetur beneficiatus ad effectum gaudendi privilegio fori Eccleſiaſtici.*

133 *Homicida voluntarius, ejuſve ſocius poteſt obtinere, & obtentas retinere penſiones abſque diſpenſatione, non obſtante* cap. 7. ſeſſ. 14. Concilii Tridentini.

135 *Epiſcopus non poteſt quemquam ad ſacros Ordines promovere ad titulum penſionis, niſi pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum.*

136 *Penſio non eſt titulus ad Ordines ſacros, niſi diſpenſativè.*

137 *Tonſuræ collatio, facta ab Epiſcopo familiari ſuo triennali, valida eſt, ſi ſtatim ei reſervata fuit penſio.*

A*D audientiam* il ſecondo. Si habens litteras Papæ ad 1
beneficium, eis propter annuam penſionem renunciat, non valent litteræ beneficiales per eum hoc tacito impetratæ. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In prima ponitur facti narratio, in ſecunda proviſio, ibi, *Fraternitati.*

Nota primò ibi: *Annuas penſiones, ſeu alia beneficia*, appellatione beneficii non venire annuam penſionem, quæ reſervatur ſuper fructibus Eccleſiæ. Sed de hoc latiſſimè dicam infra in prima quæſtione.

Secundò nota ibi: *De illis mentione non habita*, impetrantem teneri mentionem facere non tantum de beneficiis obtentis, ut in *c. Poſtulaſti, ſupra eod.* ſed etiam de litteris priùs impetratis ad beneficium, etiam extinctis, erant enim hoc caſu extinctæ per renunciationem, *cap. Sanè de rennunc. & cap. Cum pridem, de pact.* & tamen de illis oportuit fieri mentionem, ut hìc per Goffred. & Hoſt. *num. 4. in ver. Occaſione*, Card. *num. 2. in quarto notab.* & Abb. *num.* 4. reddentes rationem, quia ex quo per litteras conſequi poterat beneficium, & per eum ſterit, quo minùs conſequeretur, perinde eſt, ac ſi conſequutus fuiſſet, ut in *Reg. ſexti, Cùm per eum.* Quoniam qui ad rem actionem habet, ipſam rem habere videtur, ut *leg. Qui actionem, ff. de regul. jur. & leg. Nemo videtur, ff. de in integ. reſtitut.* Unde quaſi beneficium habentes, aliud impetrare non poſſunt. Idem ſecundùm Abb. omne tacitum, quo expreſſo Princeps aut nullo modo, aut difficiliùs conceſſiſſet litteras, ſubreptionem inducit, *cap. Poſtulaſti, ſupra eod.* Sed ſi Princeps ſcivitet impetrantem habuiſſe litteras, & eis renunciaſſe, utique ſecundas non conceſſiſſet; ſaltem ita facilè; præſertim cùm vigore primarum obtinuerit annuam penſio-
nem. Hæc concluſio, quòd de litteris extinctis facienda ſit 2
mentio, non videtur vera, & contrarium in fortioribus terminis tenet Innocent. in *cap. In noſtram nu. 4. infra eod.* Nam ſecundùm eum, ſi Canonicus poſtquam vigore litterarum receptus eſt ad vacaturam præbendam, impetravit litteras de beneficio vacante, mentione non habita de priori receptione, valent ſecundæ litteræ, ſi velit renunciare juri, quod habet ex priori receptione: Quia, inquit, non credimus hanc veritatem ſuppreſſam talem, qua expreſſa, litteras non hebuiſſet, argum. *cap. Paſtoralis 7. qu. 1. c. Cùm ſecundum, infra de præbend. & argum. cap. Super litteris,*
ſupra eod. Prætereà de beneficio reſignato, quod plus eſt, 3
non eſt facienda mentio in impetratione ſecundi beneficii. Et hoc ſervat curia. Ergo nec facienda eſt mentio de litteris ad vacaturam præbendam priùs renunciatis, quod minus eſt, *c. Quoniam de conceſs. præb. lib. 6. argum. cap. Ex parte, il 3. infrà de decim.* Demum à priori ſententia recedit Abb. in *cap. Pax, infra eod. ſub num. 9. col. penult. verſ. Credo etiam*, ubi firmat de litteris priùs purè renunciatis non eſſe opus mentionem facere in ſecundis, ſubdens hoc ſenſiſſe ibi Innocentium in fortioribus terminis. Nec ſecundùm eum obſtat hęc Decretalis, quia impetrans conſequutus fuerat penſionem, vel aliud beneficium vigore primarum litterarum, ideòque tenetur de illis mentionem facere: ſecus ſi nihil fuiſſet conſecutus. Et ad hoc facit hìc textus à contrario ſenſu, & ſequitur Felin. *hic num. 1. verſ. Adde quæ dixi, & in d. cap. Poſtulaſti, ſupr. eod.*

Ter-

4 Tertiò, nota duas differentias inter expectantem vigo-
re mandati Apoſtolici de providendo, & intitulatum in
beneficio. Prima differentia eſt, quia expectans poteſt
pro libito renunciare literis impetratis, & earum com-
modo, non ſolùm expreſsè, ut hic patet, ſed etiam tacitè,
ut in *c. Veniens*, *& c. Sanè*, *infra de renunc.* At verò intitu-
latus non poteſt beneficio renunciare ſine licentia ſuperio-
ris, *c. Admonet*, *& c. Quod in dubiis*, *eod. tit.* Abb. hìc *nu.* 3.
Ratio differentiæ eſt, quia inter beneficiatum, & Eccle-
ſiam vinculum ſpirituale contrahitur, quod ſine authorita-
te Superioris diſſolvi non poteſt, *cap. Sicut in unaquaque*,
21. *q.* 2. *cap. Inter corporalia*, *cap. Quanto*, *& c. fin. de trans-
lat. Epiſc. & c. Niſi cum pridem*, §. *Verùm*, ibi, *Non debes de-
ſerere ſponſam tuam, cui defigendo manum apud extraneam*
5 *te fide media copulaſti*, *de renunciat.* At expectans nullum
contrahit vinculum ſpirituale cum beneficio, quod expe-
ctat, nec habet jus in re, ut in *c. Quoniam*, *de conceſſ. præb.
lib.* 6. & fuſiùs patebit infra *n.* 7. *& ſeqq.*

6 Altera differentia eſt, quia expectans poteſt renunciare
literis Apoſtolicis pro pecunia, ſeu alia re temporali ſine
labe ſimoniæ, ut hìc videtur probari, quia Pontifex non
reprobat annuam penſionem ab impetrante receptam.
7 Et eſt ratio, quia per literas ad beneficium obtinendum
non dicitur quis conſequi jus ſpirituale, ex quo adhuc
non eſt receptus in Canonicum, nec dum beneficium eſt
aſſecutus. Et ità, licèt vacillando, concludit gloſſ. hìc in
verſ. Renunciantes, quam dicit eſſe mirabilem, Abb. *n.* 6.
& numquam oblivioni tradendam propter illius authorita-
tem. Idem videtur ſentire Bald. *num.* 2. *in ver. Beneficio li-
terarum*. Nam, ut ipſe ait, textus non dicit Beneficio Ec-
cleſiaſtico, quia nondum illud erat adeptus, ſed adepturus,
quaſi dicat Renunciavit officio judicis, quod oritur ex lite-
ris obtentis ſuper proviſione; & ideò non eſt ſimonia, quia
jus ſpirituale nondum erat formatum: & infra *num.* 7. con-
cedit non committi ſimoniam, ſi hoc fiat juſſu, & authori-
tate Epiſcopi, vel redimendo ſuam vexationem, argum.
l. Furti, §. *Qui juſſu*, *& l. Quoniam*, *ff. de infam.* At verò
intitulatus renuncians beneficio pro pecunia, vel com-
modo temporali, abſque dubio involvitur crimine ſimo-
niæ, *c. Cùm pridem*, *& c. fin. infra de pact. gloſſ. in ver. Di-
8 mittere*, & DD. in *c. Ex parte*, *il* 1. *de offic. deleg.* Abb.
Antiq. hìc *num.* 4. *in ver. Renunciantes*. Verùm hanc po-
ſteriorem differentiam refellit Abb. Sicut. *num.* 6. *verſ. Sed
contrarium videtur verum*, quia impetrans etſi per literas
ad vacatura non conſequatur jus in re, imò nec jus
ad rem: conſequitur tamen quoddam jus præparatorium
ad beneficium obtinendum, quod eſt ſpirituale, vel ſpiri-
tuali annexum. Exemplo præſentationis, quæ eſt ſpiri-
tuali annexa, quia parat viam ad inſtitutionem obtinen-
9 dam, quæ eſt quid ſpirituale. Tu dic, expectantem, licèt
non conſequatur jus in re, conſequi tamen jus ad rem, ut
eſt textus formalis in *c. Quoniam ex conſtitutione de conceſſ.
præb. lib.* 6. ibi: In quibus non eſſet quæſitum jus in re,
licèt ad rem. Et in Extravagan. Joannis XXII. *Sedis Apo-
ſtolicæ*, *de offic. deleg.* ibi, Jus ad rem expectantibus ante
competens, & ibi gloſſ. *in ver. Jus ad rem*. Et Bald. hìc
10 *num.* 12. ubi dicit expectantem quamvis non habeat jus ſpi-
rituale complectivè, habere tamen initiativè. Quare ſi
huic juri pro commodo temporali renunciet, proculdu-
bio ſimoniam committit. Et hoc contra gloſſ. tenet ex-
preſsè Innoc. *num.* 1. ait enim: Si pro pecunia, vel ali-
quo temporali renunciaſſe literis, cùm ex eis habeat
jus ad petendum ſpirituale beneficium, eſſet ſimonia, arg.
c. Proximo, *ſupra eod.* Et ſequuntur totidem verbis Ho-
ſtienſ. *num.* 3. *in ver. Taliter venditas*, Jo. Andr. *num.* 10.
11 & plerique alii. Subdunt tamen Hoſtienſ. & Jo. Andr. eſſe
ſimoniam, ſi ex pactione partium renuncietur literis, &
aſſignetur annua penſio; ſecus ſi purè fiat renunciatio ex
officio Superioris, vel amicis intervenientibus, & poſtea
reſervetur ei annua penſio, quia tunc non eſt ſimonia.
Et ita intelligunt *c. Sanè*, *& c. Veniens*, *de renunciat. & cap.
Cùm pridem*, *de pactis*. Et conſentit Bald. *num.* 12. qui ex-
plicans more ſuo mentem Innocentii: Aut renunciatio,
inquit, eſt facta cauſativè, & eſt ſimonia, aut ſimpliciter,
& non in fraudem; & non eſt ſimonia, ſed eſt potiùs pro-
videntia æquitatis. Nam æquum eſt, ex quo renunciat,
ut fiat ſibi aliqua recompenſatio, arg. *Sed ſi lege*, §. *Conſu-
12 luit*, *ff. de petit. hæred.* Cæterùm ut hæc tranſeant ſine vi-
tio, per ſuperiorem ſunt explicanda, ſecundùm Hoſtienſ.

Quartò nota, ea quæ præcipiuntur à jure, in pactum 13
deduci poſſe etiam in ſpiritualibus abſque vitio ſimoniæ.
Quod optimè probat hæc litera. Nam expectans de jure 14
non poterat ſecundum beneficium adipiſci, niſi priùs re-
nunciaret literis. Unde prædicta renuntio tamquam
jure conſentanea licitè potuit in pactum deduci. Et ſe-
cundùm hoc expone verbum, *Venditas*, id eſt tali pacto
renunciatas. Ad idem. *c. Eleutherius*, *in princ.* & gloſſ. 1.
18. *q.* 2. *c. Contra morem*, 6. *diſt. c. De Syra*, 28. *diſt.* & *cap.
Significaſti*, *in princip.* & in gloſſ. ſecunda *infra de elect.* &
tenent hìc gloſſ. *in ver. Nunciantes*, Innoc. *in princip.* Ho-
ſtienſ. *num.* 3. *verſ. Vel dic quod ex quo aſſignabatur*, Joan.
Andr. *num.* 10. *verſ. Si verò beneficium*, & Felin. alios cu-
mulans, *n.* 8. Quinimò ob hanc rationem ſecundùm gloſſ. 15
Innocent. & alios prælleg. etiamſi quis haberet benefi-
cium, & vellet ſecundum obtinere, in pactionem poſſet de-
ducere reſignationem primi, quia ad hoc de jure tenetur,
& tacitè ineſt, cùm non poſſit eſſe duplex, *c. Cùm non igno-
res*, *& c. Cùm jam dudum*, *de præb. cum ſuis concordant.* Ad
idem bonus textus in *c. Ex parte*, *il* 2. *in princ. de Cler. non
reſident.* ubi patet obligationem de facienda reſidentia,
quæ de jure ineſt, poſſe in pactum deduci etiam in ipſo a-
ctu aſſecutionis beneficii. Per quem textum ſupraſcriptam
concluſionem firmat Gemin. *in conſ.* 84. *n.* 14. *verſ. Non ob-
ſtat*, *quòd iſta conditio*. Ratio eſt ſecundùm Anton. de Bu-
tr. in *c. Cùm M. de conſtit.* relatum hìc à Felin. *n.* 8. quia 16
propter concurſum juris quandoque quid annectitur ad
naturam alterius, ut in *c. Cæterùm*, *de judic. cum ſimilib.*

Intellige tamen concluſionem ut ſupra firmatam, dum- 17
modò id, quod deducitur in pactum, deducatur eo modo,
quo de jure tacitè inerat; ſecus ſi alio modo, quia eſſet ſi-
monia: putà ſi ex pacto eligatur ſepultura in eo loco, in quo
quis de jure aliàs ſepeliri debebat, ut notat gloſſ. in *c.* 1. *in
ver. Apud quos*, & in *ver. Facienda*, *de ſepult. lib.* 6. quia
cùm jus ſepulturæ conceſſum à jure non ſit firmum, ſed
variabile, *c. Cùm liberum*, *de ſepult.* expreſſio per pactum ef-
ficit, ut hoc jus nunc inſit alio modo, quàm prius ineſſet, 18
ut poſt Dominicum declarat hìc Felin. *n.* 9. Et idem dicen-
dum eſſet, ſi quis ex pacto deduceret in obligationem civi-
lem id, ad quod eſſet obligatus naturaliter tantùm; hoc
enim ſimoniacum eſſet, ut per Felin. hìc *n.* 10. qui ad hoc
allegat notata per gloſſam ſecundam in *cap. Conſuluit*, *in
fine*, *de uſur.* & ibi Doctores, maximè Joan. de Anan. &
Innoc. in *c. Tuam*, *ante medium magnæ Gloſſæ*, *de ætat. &
qual.* & B. Thom. *in* 2. 2. *q.* 27. *art.* 2. *in reſponſione ad ſecun-
dum argum.* Sed certè D. Thom. eo loco nihil dicit ad hoc 19
propoſitum, ſed id videtur docuiſſe in 4. *ſent. diſt.* 25. *qu.* 3.
art. 2. *ad ſecundum*, ubi primò dicit. res Eccleſiæ quamvis
ſint aliquo modo Papæ, non eſſe tamen ejus omnibus mo-
dis habendi, ſicut illud, quod ad manum habet. At deinde
ſubdit: Non eſt autem dubium, quòd ſimoniam commit-
teret, ſi quis aliquod ſpirituale debitori ſuo daret, ut quod
ſuum eſt, recuperaret; & ita etiam in propoſito Papa à ſi-
monia non excuſaretur, ſi (quod abſit) ſpiritualia pro
temporalibus rebus Eccleſiarum daret. Quo loco S. Doctor
ſupponit, ita demum eſſe ſimoniam, dare aliquid ſpirituale
debitori ſuo, ſi res non ſit debita omnibus modis, & ſic
naturaliter, & civiliter. Alioquin non congrueret ratio
illa, quòd res Eccleſiæ non ſint Papæ omnibus modis ha-
bendi. Et ita intellige hanc doctrinam, quæ aliàs pugna-
ret cum communi concluſione Canoniſtarum, quoad ea,
quæ præcipiuntur à jure, & tacitè inſunt, ſicut eſt reſtitu-
tio rei alienæ, ut in *reg. ſexti*, *Peccatum*, & licitè in pa-
ctum deduci poſſunt etiam in ſpiritualibus. Quod nota
propter ea, quæ de hac doctrina D. Th. ſcripſit in *cap. Tua
nos*, *n.* 21. *infr. de ſimonia.*

Ultimò nota ibi, *Revocando in irritum*, literas ſubre- 20
ptitias in beneficialibus eſſe ipſo jure nullas, ut hìc, &
apertius in *Clem.* 1. ibi, *Veluti ſubreptitia nullius eſt momen-
ti*, *de præb. in cap. Si motu proprio*, ibi, *Quantumcumque mo-
dicum beneficium taceatur in ea*, *ipſam veluti ſubreptitiam
vires nolumus obtinere*, *eod. tit. lib.* 6. & in *c.* 1. *& 2. de fil.
presbyt. eod. lib.* adeò ut de facto revocari poſſit, & debeat, 21
quidquid vigore harum literarum intentatum eſt, etiamſi
de ſubreptione exceptum non fuerit, ut probatur in hac
Decretali, quæ ad hoc quotidiè à Doctoribus allegatur.
Et hìc tenent gloſſ. *fin. verſ. Vel poteſt dici*, Innoc. *num.* 2.
in

in ver. Revocando, Abb. Antiq. num. 5. in ver. Irritum, Jo:
22 Andr. num. 14. Butr. num. 5. in ult. not. dicens proceſſum habitum per litteras ſubreptitias eſſe ipſo jure nullum, & poſtea detecta ſubreptione quandocumque revocari, Card. num. 3. in 5. notab. Abb. Sicul. num. 5. & num. 8. & 9. in fin. verſ. Secundo caſu, & alii omnes teſte Felin. num. 22. §. Litteræ beneficiales. Item firmat Innoc. in cap. Ad aures, & in cap. Conſtitutus, per illa jura ſup. eod. Imol. in cap. Ad hæc in ult. not. ſupr. eod. & Marian. Soc. in repet. d. cap. Poſtulaſti, in 8. princ. art. Et hanc regulam conſtituit Oldrad. conſ. 81. incip. Quod proceſſus num. 2. verſ. Nam ſubreptio gratiam reddit nullam, & per conſequens proceſſum: ubi allegat hanc Decretalem, & conſ. 527. Factum tale eſt num. 40. verſ. Præ-
23 terea in dicto reſcripto. Rationem verò, cur litteræ beneficiales ſubreptitiæ ſint irritæ ipſo jure, aſſignat gloſſ. fin. in in eod. verſ. Vel poteſt dici, quia ſcilicet beneficium non poteſt poſſideri, niſi canonicè habeatur cap. Ex frequentibus, de inſtit. Sed iſti per fraudem obtinuerunt, & ideò in-
24 juſtè. Vel ſecundùm Compoſt. in cap. Super litteris num. 19. ſupr. eod. ſubreptio in beneficialibus gratiam vitiat propter puritatem, quæ deſideratur in beneficiis, & quia in beneficiis ſic obtentis littera eſt loco tituli. At ſine juſto titulo quis non habet jus in beneficiis, arg. leg. Habere jus, ff. de decur. & leg. Si quis Sepulchrum, ff. de relig. & ſumpt. fun. Unde, ut ipſe ait, probato, quòd littera eſt injuſta, vel ſubreptitia, probatur, quòd in beneficio per talem litteram obtento quis non habet titulum juſtum, & per conſe-
25 quens jus in ipſo beneficio non habet. Vel denique ſecundùm Bald. in cap. Cùm adeò num. 19. verſ. Nota diligenter, ſup. eod. litteræ obreptitiæ ad beneficia idcircò ſunt nullæ, quia qui mentitur, facit ſe indignum, ut in Authent. Contra qui propriam, Cod. de non num. pecun. Unde tacitæ con-
26 ditionis defectus impedit litteras, ne producantur in eſſe. Nam idem operatur tacita conditio, quod expreſſa, ut notatur in leg. Item quia, ff. de pact. Quod autem dictum eſt de litteris impetratis ad beneficia Eccleſiaſtica, vendicat ſibi locum etiam in aliis privilegiis, & beneficiis Principum: nam hæc quoque per ſubreptionem vitiantur ipſo facto, ut in leg. 1. ff. de natal. reſtit. & in leg. Et ſi legibus conſentaneum, Cod. Si cont. jus vel utilit. publ. notatur in cap. Cùm dilectus, ſup. eod. & tenet Abb. hìc num. 14. verſ. Quod autem dixi: & Felin. poſt alios num. 22. in ſecunda ampliat. qui hinc infert ad indulgentias ſubreptitiè impetratas.

27 Rurſus procedit communis concluſio ut ſupra firmata etiamſi ignoranter, & per ſimplicitatem fuerit ſubreptum, ſatis eſt enim, ut aliàs Princeps veriſimiliter non fuiſſet conceſſurus, ut in cap. Conſtitutus, ſupra eod. per quem textum ſic firmat Abb. hìc num. 14. verſ. Et vitiat ſubreptio, & latiùs in cap. Super litteris, ſupr. eod. Cald. conſ. 14. de reſcript. Creſcen. deciſ. 10. de præb. Seraph. deciſ. 160. num. 7. & Felin. hìc num. 22. qui ſupradictam regulam ampliat alio modo, & limitat dupliciter.

28 Cæterùm, ut prædixi, hæc obtinent in litteris beneficialibus, & gratioſis. At ſecus eſt in litteris contentioſis, quia per ſubreptionem non vitiantur ipſo jure, ſed annullari debent ope exceptionis, ut probatur in cap. Si autem,
29 & in cap. Plerumque, ſup. eod. ubi ſecundum reſcriptum ſubreptitiè impetratum ob taciturnitatem primi non eſt nullum. Patet, quia ſi nullum eſſet, non convaleſceret data negligentia primi impetratoris. Et hæc inductio ab omnibus approbatur in cap. Cæterùm, ſupr. eod. ut hìc teſtatur Felin. num. 17. §. Litteræ ad lites. Et hanc differentiam inter litteras beneficiales, & litteras ad lites conſtituunt gloſſ. Innoc. Joan. Andr. & reliqui ſupracitati num. 31. & Rebuff. in praxi benefic. tit. de differ. inter reſcripta gratiæ, & juſtitiæ num. 1. Et in reſcriptis ad lites hujuſmodi regulam latiſſimè firmat Hoſtienſ. in ſumma hoc tit. §. Quæ poſſunt obiici, verſ. Sed numquid proceſſus authoritate illarum, Compoſtell. in cap. Super litteris num. 6. verſ. Primo caſu ſupra eodem, Bald. hìc num. 10. Mill. in repert. in ver. Reſcri-
30 ptum, §. 34. incipien. Reſcriptum ad lites, Rota deciſ. 13. incipien. Utrum ſi ſit delatum, de reſcript. in antiquior. ubi reſolvit proceſſum in vim litterarum ſubreptitiarum valere, parte non opponente, & deciſ. 651. incip. Si aliquis judex alias 65. de appellat. in antiquis, ubi allegat gloſſam hìc in verſ. Irritum, ibi: Contrarium videtur: latè Bellam. deciſ. 84. incipien. Executoria, in princip. Caputaq. deciſ. 225. par. 5. Seraph. deciſ. 513. num. 7. ubi firmat reſcriptum ſubreptitium tribuere juriſdictionem, ſi non fuerit de ſubreptione oppoſitum, allegat Innoc. in cap. Cum M. in fine, de conſtit. & Caſſad. deciſ. 1. de reſcrip. 31

Sed hìc occurrit dubium, quid juris ſit de litteris ad li- 32
tes ſuper beneficiis, an ſcilicet quoad hoc regulari debeant tamquam contentioſæ, an verò tamquam beneficiales. Compoſtell. in d. cap. Super litteris num. 6. verſ. Et intelligo verum, ſupra eodem, tenet litteras contentioſas ſuper beneficiis quoad ſubreptionem regulari ad eum modum, quo dictum eſt ſupra de aliis contentioſis. Et eum ſequitur hìc Joan. Andr. num. 14. Quod etiam ſentit, ſi diligenter expendatur, gloſſ. 1. in cap. Ex parte A. verſ. Vel dicas, de teſtib. dum dicit ideò in eo caſu valuiſſe litteras tacita veritate impetratas, quia hæc exceptio ab initio non fuit oppoſita: & hoc apertiùs tenet ibi Abb. in 3. notab. & idem Abb. hìc ante finem, & Felin. poſt eum num. 17. verſ. Ampliatur regula iſta. Unde ſi deputaretur judex 33
principaliter ſuper contentione beneficiali, valeret proceſſus ſuper executione litterarum beneficialium, quamvis eſſent ſubreptitiæ, ſi de ſubreptione non fuiſſet oppoſitum, ut dicunt Abb. & Felin.

Sed quid in executore litterarum beneficialium? Re- 34
ſpondeo: Aut executor aſſumit partes judicis, aut aſſumit partes executoris. Si aſſumit partes judicis, & procedit cauſa cognita, puta quia impetrator petiit, ut executor compelleret Capitulum ad eum recipiendum, & imponeret ſilentium ſuper conditione, & judicio rectè agitato, & executor pronunciavit, nec ab ejus pronunciatione fuit appellatum: Et hoc caſu proceſſus tenet, ex quo de ſubreptione non fuit oppoſitum, nec appellatum: nam litteræ ſortiuntur naturam litterarum ad lites. Ita concludit Compoſt. in d. cap. Super litteris, ſupra eodem, quem hìc ſequuntur Joan. Andr. Butr. Imol. & DD. ut Felin. teſtatur num. 22. verſ. Fallit primo. Ratio eſt, quia 35
cùm executor aſſumpſerit partes judicis, judicamus de eo ſicut de judice. Sed proceſſus judicis valet, ſi exceptio ſubreptionis non fuit oppoſita, ut firmatum eſt ſupra. Ergo & proceſſus executoris. Si verò executor aſſumit partes executoris, tunc proceſſus eſt ipſo jure nullus ſecundùm prædictos, & Abb. conſ. 129. ſuper quæſtionis materia, num.... lib.... Et eſt ratio, quia tunc proceſſus ve- 36
nit acceſſoriè ad gratiam, & ideò vitiatur ad limites ipſius gratiæ, argum. regulæ acceſſorium, de regul. jur. in 6. Ad hoc cap. Conſtitutus, ſupra eodem, & cap. Cùm noſtris, de conceſſ. præben. & cap. Cùm olim de dolo, & contum. & quòd proceſſus veniat acceſſoriè ad gratiam, eſt textus in cap. Si ſuper de offic. deleg. in 6. Quam diſtinctionem in effectu poſuit Bald. in leg. Præſcriptione, col. 4. verſ. Ego dico quòd etiam, Cod. Sed intra jus. Nam, ut ipſe ait, quando in privilegiis eſt annexa cauſæ cognitio, puta: Provideas Titio, ſi eum idoneum inveneris, ſtatur declarationi Commiſſarii factæ cauſa cognita, licèt non fundetur in cauſa veritatis, & ſi quis ex hoc gravatur, appellet, allegat Innoc. in cap. fin. de præſumpt. & gloſſ. in Clem. 1. de offic. deleg. Si autem non eſt annexa cauſæ cognitio, ſed Princeps diſponit per ſeipſum motus ex obreptione impetrantis: tunc ipſo jure non valet privilegium per eum impetratum. An autem, & quando executor poſſit aſſumere partes judicis, notant Innoc. & DD. in d. cap. fin. de præſumpt.

Poſtremò inveſtiganda eſt ratio diverſitatis, cur ſubre- 37
ptio magis inficiat litteras gratioſas, quàm contentioſas: videbatur enim oppoſitum ſtatuendum fuiſſe, quia gravior eſt cauſa Principem fallere in materia juſtitiæ, quàm in materia gratiæ. Nam per ſubreptionem in gratia non læditur niſi Princeps. At in materia juſtitiæ non ſolùm læditur Princeps, ſed etiam tertius cui præjudicium infertur, argum. cap. Super eo, de offic. delegat. & leg. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quid in loco publ. Doctores laborant in perquirenda ratione differentiæ. Abb. hìc dicit hujuſmodi rationem non reperiri in jure expreſſam; ſed inter rationes, quæ à Doctoribus aſſignantur, eam eſſe ſatis apparentem, quia faciliùs conceduntur litteræ de juſtitia, & quia magis videtur ingratus qui nititur obtinere beneficium per ſubreptionem. Undè non mirum, ſi ſubreptio magis vitiet litteras gratiæ, quàm litteras de ſimplici juſtitia. Sed ſecundùm Felin. hìc in fine meliorem rationem reddunt Cardin. & Imol. videlicet quia

litte-

litteræ ad beneficia tribuunt jus. At litteræ ad lites tribuunt judicem, ſed non jus. Undè cùm primę ſint majoris præjudicii, propterea faciliùs inficiuntur. Cogitabam poſſe aſſignari aliam rationem diverſitatis, videlicèt quia in litteris gratioſis cùm non ſit pars, quæ poſſit excipere de ſubreptione, impetrans veriſimiliter diu pergeret in detentione beneficii injuſtè occupati. Unde ceſſante proviſione hominis, neceſſe fuit, ut lex provideret inficiendo gratiam, ut ſic falſus precator conſuleret conſcientię ſuę, aut per gratiam *perinde valere*, aut per ceſſionem beneficii, ſecundùm ea, quæ de intruſis, & titulum non habentibus leguntur, & notantur *in c. Niſi cum pridem*, §. *Propter conſcientiam*, in gl. *in ver. Dumtaxat infra de renunc.* & *in c. Ex frequentius*, *de inſtitut.* At verò in litteris juſtitiæ adeſt pars cujus intereſt, quæ poteſt opponere exceptionem ſubreptionis, & appellare. Undè ſtante proviſione hominis non oportuit, ut lex provideret per irritationem litterarum, ad textum *in l. Quamdiu*, *la ſeconda*, *ff. de acquiren. hæred.* & gl. magna *in lib.* 2. & ibi per Cynum, & Bartolum, *C. de jure emphyt.*

Hanc materiam ſubreptionis litterarum, & proceſſus deſuper habiti magiſtraliter examinat Compoſtell. *in cap. Super litteris*, *à num. 6. verſ. Quæritur primò*, *ſupra eod.* Conſtituit enim duo membra principalia. Primum, an & quando valeat proceſſus habitus ſuper litteris ſubreptitiis. Secundum, quando hujuſmodi exceptiones de falſitate ſuggeſta, vel veritate ſuppreſſa debeant, & poſſint proponi. Et circa primum membrum diſtinguitur inter litteras juſtitiæ ad lites etiam ſuper beneficiis, & inter litteras impetratas ad beneficia obtinenda; item inter privilegia. Cujus dicta ſunt magni effectus, & quotidiè allegantur, ut inquit Abb. hìc *nu.* 10. *verſ. Et circa hunc arti-*
38 *culum*, qui utrumque membrum diſtinctionis Compoſtellanæ latè proſequitur. Quorum dicta in effectu reſolvit more ſuo in ampliationes, & fallentias Felin. *n.*17. & *ſeqq.* Pulchrè etiam in hac materia loquitur Bald hìc *nu.* 8. quærit enim cum gloſſa magna, numquid per litteras ſubreptitias detur juriſdictio. Et diſtinguit inter litteras gratioſas, & contentioſas. In gratioſis dicit referre, an juriſdictio detur de virtute litteræ gratioſæ. ſcilicet cum littera; an ſeorſum. In primo caſu dicit nullam eſſe juriſdictionem, quia cum principale ſit nullum, ergo & poteſtas ex eo allegat Innoc. *in c. Ad aures*, & *c. Cæterum*, *ſup. eod.* In ſecundo autem caſu benè datur juriſdictio ſecundum eum, ſed elidi poteſt ope exceptionis, allegat eumdem Innocen. *in c. Cum dilecta*, *ſupra eodem*, quia principale eſt validum, & ſine vitio, licèt acceſſorium non ſit abſque vitio. Litteras autem contentioſas concludit non eſſe nullas, & niſi excipiatur de ſubreptione, per eas dari efficacem juriſ-
39 dictionem. Hoc tamen intellige, ſi litteræ ſint ſubreptitiæ, prout loquitur Bald. & alii præallegati; ſecus ſi ſint falſæ, quia tales revera non ſunt litteræ, ſicut falſus procurator; non eſt procurator; & ideò indiſtinctè nullam conferunt juriſdictionem, imò ſunt irritæ ipſo jure, ut determinat Innoc. *in d. cap. Super litteris*, in gloſſ. *incip. Imo ſine forſan. num. 6. verſ. Sed quid ſi litteræ falſæ dicuntur*, *cum verſ. ſequen. uſque ad finem illius gloſ.* Latè Ægid. Bellam- *dec.* 84. *incip. Executoria*, ubi in fine refert hanc diſtinctionem poſuiſſe Cynum *in l. Præſcriptione*, *in* 4. *col. C. Si contra jus*, & ſequitur hìc Felin. *n.*21. *verſ. Fallit ſeptimò*. Et circa hanc declarationem vide quod de quodam Regulari, qui in Hiſpania litteras Apoſtolicas diſpenſationem matrimonialium falſificavit, plenè ſcripſi *in c. Super eo*, *infra de crimine falſi*.

40 QUÆRO, numquid annua penſio ſit beneficium, & veniat beneficii appellatione.

41 Obſervandum eſt pro clariori ſolutione quæſtionis propoſitæ, duas eſſe ſpecies penſionum. Quædam enim eſt penſio, quæ aſſignatur in titulum beneficii Eccleſiaſtici, ut contigit, cum Eccleſia redditibus abundat, & caret ſuffragio miniſtri, & auctoritate ſuperioris ſtatuitur, ut ibi ſit unum beneficium pro clerico, cui aſſignetur penſio, ſeu portio fructuum ejuſdem Eccleſiæ annuatim percipienda. In quibus terminis loquitur textus *in c. Conquerente*, *infr.*
42 *de Cler. non reſiden.* ut ibi declarat Abb. *n.* 5. Nam ſuper fructibus unius Eccleſiæ conſtitui poteſt certum beneficium, aſſignando certam penſionem ex redditibus Eccleſiæ pro temporalitate beneficii noviter creati, ut idem colligit ex eo textu *num.* 1. *in* 1. *notab.* dummodò id non fiat in fraudem, quo caſu eſt locus prohibitioni Concilii generalis, de qua *in c. Extirpandæ*, §. *Qui vero*, *in fine de præbend.* ibi, *Ne quis in fraudem de redditibus Eccleſiæ*, *quæ curam habere debet proprii ſacerdotis*, *penſionem alii quaſi pro beneficio conferre præſumat*, ut fuſiùs explicat ipſe Abb. *eod. n.* 5. Itaque ceſſante fraude, ſuper fructibus Eccleſiæ poteſt conſtitui certa penſio nomine beneficii, ut *in d. cap. Conquerente* notant Ant. de Butr, *in* 1. *not.* Petr. 43
de Anchar. *n.* 2. & Jo. de Imol. *in* 1. *not.* ubi ex eo textu deducit ſuper uno beneficio poſſe aliud beneficium creari, videlicet ut certa quantitas pecuniæ annuatim pro alio beneficio percipiatur. Quod verum intelligit, ſi id fiat abſque vitio ſimoniæ, & abſque ſciſſura beneficii, juſta cauſa ſuadente, ſecundùm ea quæ habentur *in c. Vacante*, & *c. Majoribus*, *de præbend.* & ſequitur ibi Alex. de Nævo *in primo not. n.* 2. & 3.

Et de hac penſionis ſpecie non ambigitur, quin verè, & 44
propriè ſit beneficium Eccleſiaſticum, ut probatur in prædicta decretali *Conquerente*. Nec refert, quòd appelletur 45
penſio, quia non eſt vis in nomine, & cum ſit titulus beneficii, diffinitur ſicut beneficium. Ita Card. *in Clem.* 1. §. *Eadem*, *nu.* 4. *verſ. Sed quatenus eſt beneficium*, *de ſupplen. neglig. Prælator.* Petr. de Anchar. *in c.* 1. *num.* 5. *verſ. Si igitur prædictæ conditiones de regul. jur. in* 6. Abb. *conſ.* 46. *incip. Illud de jure quæritur*, *verſ. Quartum conſideratur lib.*2. Caccialup. *de penſion. q.* 12. Gigas in *eod. tract. q.* 1. *n.* 1. & *q.*28. *n.*20. & *q.*96. *n.* 23. Redoan. *de ſimon.* 2. *p. c.* 14. *nu.* 18. & Covarr. *pract. quæſt. c.* 36. *nu.* 10. *verſ. Quartò quoties*.

Et hinc fit, ut de penſione hujuſmodi facienda ſit mentio 46
in litteris, perinde ac de beneficio, ut notat Calder. *conſ.* 30. *incipien. An ſi ſacriſtæ*, *in fine*, *verſ. Nec obſtat*, *de præb.* Butr. *in c. Poſtulaſti*, *col.* 1. *nu.* 6. *verſ. Quæritur aliquis*, & ibi etiam Card. *col. penult. verſ. Secundo quæro*, & Imol. *col.* 2. *verſ. Poteſt quæri ſupra eod.* & Gigas *de penſion. q.* 67. *n.* 1.

Hinc etiam fit, ut quemadmodum de beneficio Eccleſia- 47
ſtico provideri debet purè, & ſine pacto, vel conditione, & non pro ullo commodo temporali, aliàs committeretur ſimonia: *c. Quam pio* 1. *q.* 2. *c. fin. de pact. c. Conſulere*, *de ſimon.* Eodem modo ſimoniacum eſt pecuniam dare pro hujuſmodi penſione obtinenda, ut concludit Abbas in *præalleg. conſ.* 47. & Gigas *d. q.* 99.

Hinc demum alia plura deduci poſſunt, de quibus plenè ibi per Gigantem *n.* 1. *uſq. ad n.* 6.

Quædam verò eſt penſio, quæ ſimpliciter conſtituitur 48
ad tempus ſuper fructibus Eccleſiæ, & alicui aſſignatur authoritate Superioris. Quam Guil. de Monte Laudun. & poſt eum Card. *in d. Clement.* 1. §. *Eadem*, *n.* 4. *de ſupplen. neglig. Prælat.* ſic diffiniunt videlicet: Penſio eſt certa portio ex aliqua menſa, vel beneficio ex cauſa ad tempus, non in perpetuum ſeparata, & ſequitur ibidem Imol. *col.*3. *verſ. Circa ſecundam partem*, & Gigas *dict. qu.* 1. *num.* 1. Quæ diffinitio ſecundùm Card. convenit penſioni quatenus eſt commodum temporale tantùm, & non quatenus eſt titulus beneficialis. Et dicitur penſio à pendeo, quia 49
dependet formaliter à beneficio à quo detrahitur, ſicut uſusfructus à proprietate, *cap. fin. de pignor. c. Poſſeſſiones*, 16. *q.* 1. *cap. Quicumque*, 12. *q.* 2. & *cap. Quamvis*, *il* 1. *de præb. lib.* 6.

Et de hac ſecunda penſionis ſpecie celebris eſt contro- 50
verſia inter Doctores, num ſit beneficium, & beneficii nomine intelligatur, Abb. Antiqu. hìc *in princip.* poſt Vincen. quem citat, per hanc decretalem tenet eum, qui recipit annuam penſionem authoritate Apoſtolica, non 51
poſſe impetrare litteras ad beneficia, niſi de penſione ſpecialem mentionem faciat. Quod etiam tenent Jo. Andr. *num.* 4. qui verbum, *De illis*, ſupplet, *Et de annua penſione pro illis obtenta*; Abbas Sicul. *numer.* 4. *verſ. Et dicit hìc Jo. Andreas*, & Felin. *n.* 1. *in eod. verſ.* Rationem reddit Abbas Antiquus, quia nomine beneficii Eccleſiæ continetur penſio, & quicquid aliud percipitur ab Eccleſia, *c. Ex multis*, 1. *q.* 3. *c. Poſſeſſiones*, 16. *q.* 1. Unde quemadmodum tenetur impetrans facere mentionem de beneficio, *c. Poſtulaſti*, *ſupr. eod.* ita & de penſione. Et fuit ſententia Innocent. *in d. c. Poſtulaſti*, *in fine*, ait enim; Et quod dicit de Vicaria, *id eſt ut de illa ſit facienda mentio in litteris*,

idem intellige, ſi habeat aliquam poſſeſſionem ab Eccleſia, vel redditum, vel penſionem; & allegat hanc decretalem. Verùm citati Authores intelligi poſſunt de prima ſpecie penſionis, quæ aſſignatur in titulum beneficii. Et ita authoritatem Innocentii intelligit Calder. *d. conſ.* 30. *in fine*, dicens eam eſſe intelligendam de poſſeſſione, vel redditu, quæ aſſignata fuerunt loco beneficii, quod debebatur ratione litterarum, vel alias; & quod ita intellexerit Innocentius, probat hæc decretalis, quam allegat, & æquiparatio Vicariæ, quę datur in titulum; alioquin ſi intelligeretur de alia penſione, ut Calder. inquit, non eſſet
52 benedictum. Et ita etiam poteſt intelligi Bald. *hic in princip.* dum ait: Penſio repræſentat ipſum beneficium, arg. *l. fin. ff. Mand.*

53 Sed clarè Andr. Barbatia ſolus contra omnes, ut inquit Felin. *hic in princ. verſ. Sed Andreas Siculus*, tenet, ſtrictè, & propriè loquendo appellatione beneficii venire etiam penſionem, eique ſubſcribunt Paul. Rom. *in tract. de penſion. c.6.n.*34. *& c.7. n.* 16. & And. Gambara *in tract. de offic. legat. lib. 6. à n.* 309.

Et primò arguit ſic: Dictio, *Alius*, implicat ſimilia, gl. & Doctores *in c. Sedes, ſup. eod.* Sed dictio, *Alius*, hìc ponitur inter penſiones, & beneficia. Ergo penſiones ſunt beneficia.

Sed huic argumento reſpondetur negando conſequentiam. Peccat enim in forma, & hoc tantùm concludit, videlicet: Ergo penſiones ſunt ſimiles beneficiis. Et hoc mo-
54 do concludendo, argumentum retorquetur. Nam ſi penſio eſt ſimilis beneficio: Ergo non eſt beneficium, quia nullum ſimile eſt idem, *l. Quod Nerva, ff. depoſ. & leg. Actionis verbo*, §. 1. *de action. & oblig.* ubi gl. *in verb. Obtinent*, notant nihil eſſe id, cui idipſum ſimile eſt. Item aliud eſt eſſe tale, aliud haberi pro tali, ut notat Bartol. *in l. Si maritus*, §. *Legis, ff. de adulter.*

55 Deinde reſponderi poteſt, imò dictionem *Alius*, ſignificare diverſitatem, ut *l. Si fugitivi*, ubi textus cum gl. *C. de ſervit. fugit.* §. *Gallinarum, inſtitut. de rerum diviſ.* & in propoſito notat Bald. hic *n.* 2. Card. *in 2. not. nu.* 1. & Abb. *in* 1. *not.* Sed de hoc infra *n.* 65.

56 Tertio loco reſpondet Felin hìc, & Joan. de Selva in *tract. de beneſ. 1. part. quæſt.* 3. majorem propoſitionem eſſe falſam, quando per alia jura eſt declaratum, aliquid non eſſe ſimile, ut idem Felin. not. *in d. c. Sedes, ſupra eodem.* Et ita eſt in propoſito per *c. Quamvis, de præb. lib.* 6. Secun-
57 dò arguit ſic: Subrogatum ſapit naturam ejus, cujus loco ſubrogatur, *cap. Eccleſia, il* 1. *Ut lit. pend. cum ſimilib.* Sed penſio ſubrogatur loco beneficii. Ergo eſt beneficium.

58 At ſimiliter reſpondetur negando conſequentiam. Nam hæc ratiocinatio concludit tantùm, ut penſio ſapiat naturam beneficii, non autem ut ſit beneficium, quoniam quod ſapit naturam alterius, non eſt id, cujus naturam ſapit, ut probatur *in leg. Non ſolum, ff. rem ratam habere* ubi ſtipulatio repræſentat actionem, & tamen non eſt a-
59 ctio. Et eſt ſimile in patrimonio, ad cujus titulum quis ordinatur, juxta textum *in c. Cum ſecundum, de præbend.* quod ſapit naturam beneficii, & tamen non eſt beneficium, ut not. gl. 1. *in c. Tuis, eod. tit.* quæ ab omnibus approbatur, ut inquit Gigas *de penſion. q.* 28. *num.* 4. *verſ. Nam patrimonium*. Et patet ex decreto Concil. Trid. *c.* 2. *ſeſſ.* 21. ubi beneficium, & patrimonium, ad cujus titulum quis ordinatur, ponuntur, tamquam diverſa.

Tertiò, denique arguit ſic: De beneficio Eccleſiaſtico debet fieri mentio, *c. Si motu proprio de præb. lib.* 6. Sed de penſione debet fieri mentio, ut hìc. Ergo penſio non eſt beneficium. Verùm hìc quoque malè ratiocinatur Barbatia. Nam ut argumentum concluderet, oporteret, ut major propoſitio eſſet univerſalis affirmativa, videlicet: Omne id, de quo fieri debet mentio: In litteris, eſt beneficium. Vel negativè concepta, id eſt in litteris non debet
60 fieri mentio: Ergo penſio eſt beneficium. Sed arguendo hoc modo, major eſt falſa. Tolle inſtantiam: etiam de præſtimoniis fieri debet mentio, ut tradit Felin. *in c. Poſtulaſti, ſup. eod.* Imò & de patrimonio ſecundum Vincent. & alios, licèt Innocentius, & communis contra. Et tamen
61 nemo affirmaret hæc eſſe beneficia Eccleſiaſtica. Rurſus fieri debet mentio in litteris de Hoſpitali, quod datur in titulum, ſecundum Card. *in Clement.* 2. *num.* 8. *in* 10. *qu. de offic. ordinar.* & tamen Hoſpitale non eſt beneficium, *Clem. Per litteras de præbend.* gl. 1. *Clement. Si beneficiorum, de decim.* Unde non ſequitur de aliqua re fieri debet mentio; ergo illa res dicitur beneficium. Ita in effectu reſpondet Felin. hìc, & Jo. de Selv. *d. q.* 3. Verùm hujuſmodi 62
inſtantiæ non tranſeunt abſque difficultate, quia multi tenent præſtimonia, & præſtimoniales portiones verè eſſe beneficia Eccleſiaſtica, per *c. fin. de conceſſ. præbend. lib.* 6. inter quos Hoſt. *in c. Poſtulaſti, ſup. eod.* Oldrad. *conſ.* 81. *nu.* 2. *&* 3. *conſ.* 180. *n.* 1. 2. *&* 6. Abb. *conſ.* 47. *num.* 1. *lib.* 2. Mill. *in repert. in ver. Beneficii appellatione continentur præſtimonia*, Rebuff. *in Praxi tit. Sæculare beneficium quotuplex, nu.* 16. Navarr. *de orat. c.* 21. *nu.* 9. Et in univerſa Hiſpania obſervavi, ut præſtimonia conferantur Clericis in titulum perpetui beneficii, teſtantur Hojeda *de incompat. benefic. 2. p. c.* 8. *nu.* 15. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellar. gloſ.* 5. §. 2. & Garzias *de benef. p.* 1. *c.* 3. *nu.* 118. licèt de jure contrarium teneant Jo. And. *in c. Poſtulaſti, n.* 3. Gemin. *in c.* 1. *n.* 9. *de rer. permut. lib.* 6. & alii plures.

Similiter Hoſpitalia, quæ dantur in titulum, ſunt bene- 63
ficia, ut *Clemen. Quia contingit*, §. *Ut autem de relig. domib.* Felin. *in cap. De quarta, nu.* 13. *de præſcript.* Unde an hæc ſint vera, ut ſcilicet de præſtimoniis, & hoſpitalibus ſit facienda mentio: vide per Card. *in d. Clem.* 2. *in* 10. *&* 11. *quæſt. de off. ordinar.* Fortè meliùs reſponderi poſſet negando minorem. Imò enim de penſione, quæ non datur in titulum de beneficiis, jure communi inſpecto, non eſt facienda mentio in litteris, ut tenet Card. *in d. Clem.* 2. *q.* 9. & latiùs patebit infra *n.* 73. Nec obſtat hæc decretalis, quia intelligi poteſt de penſione, quæ in titulum aſſignatur & ſic primæ ſpeciei, ſecundùm Cald. *ſupra cit. n.* 46.

Itaque, ut Felinus inquit, conſultius fuiſſet hujuſmodi argumenta non ponere: ſed teſte Philoſopho *lib. De cœlo, in fine*, ad pauca reſpicientes facilè enuntiant. Unde præter Felin. & Jo. de Selv. hanc Siculam garrulitatem redarguunt etiam Andr. Gambara *in proœmio ſui commenti ſuper conſtitutione Julii II. de ſimon. elect. Rom. Pontif.* & Gigas *de penſion. q.* 28. *n.* 6. *ad fin.*

Contrariam igitur opinionem, videlicet, penſionem 64
non eſſe beneficium, nec venire beneficii appellatione, niſi largè, prout beneficium diffinitur eſſe benevola actio gaudium tribuens capienti, ſequuntur communiter Doctores *in c. Quamvis, il* 1. *de præb. lib.* 6. videlicet Archid. *col.* 2. *in ver. Provideri*, Joan. And. *col. fin. in ver. In Gloſſa Papa noſter*, Gemin. *in ult. notab.* Petr. de Ancharan. *in* 3. *notab.* & Franc. in 2. & in hac decretali Cardin. & Imol. ambo *in* 2. *notab.* Abb. *in* 1. *not.* & Felin. *in princ.* Staphil. *de litteris gratiæ in nova forma expectativarum numer.* 27. Sarnen. *in reg. de infirm. q.* 16. *& de annali q.* 21. Caccialup. *de penſion. quæſt.* 12. *& ultim.* Gig. *in eodem tract. num.* 28. Selva *de benefic.* 1. *par. q.* 3. *num.* 11. Card. Paleott. *de Nothis, & ſpuriis, c.* 58. *n.* 4. Mandoſ. *reg.* 19. *Cancellariæ q.* 11. *num.* 11. *& conſ.* 55. *num.* 18. *& conſ.* 139. Navarr. *conſ.* 11. *n.* 8. *de conſtit.* & Covarr. *pract. c.* 36. *n.* 10. *verſ. Quarto quoties.*

Quinimò, excepto Andr. Siculo, hanc partem ſequuntur omnes, ut teſtantur Felin. & Gigas locis citatis. Et penſiones propriè beneficia Eccleſiaſtica dici non poſſe, dixit Rota in cauſa Brixien. Confidentiæ 5. Junii 1591. coram Penia, quam ad litteram referunt Moderni *de benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 52.

Pro qua opinione inducitur primò hæc decretalis in 65
illis verbis, *Annuas penſiones, ſeu alia beneficia*; ponderando dictionem; *Alia*, quæ ponitur inter diverſa, juxta textum *in d. l. Si fugitivi, C. de ſerv. fugit.* Quam inductionem probarunt hìc Bald. *num.* 2. Cardin. Abbat. & Felin. *locis cit.* Sed hæc inductio videtur parum urgere, quia dictio, *Alia*, denotat quidem diverſitatem in ſuppoſito, ſed identitatem in ſubſtantia, ut probat Raph. Cuman. *conſ.* 46. *incipien. Sine diſputatione in princ. verſ. Etiam addito.* Eſt enim dictio implicativa ejuſdem generis, *l. Quidam relegatus, ff. de reb. dub.* & probatur *in c. Sacris, infra de ſepult.* notant gl. & Doctores *in c. Sedes ſupra eod. & in d. l. Si fugitivi.* Unde quemadmodum cùm dicitur, Abbates, vel alii Religioſi, non licet inferre, ut Abbates non ſint Religioſi, *Clem.* 1. *in princ. de reſcr.* Item cùm dicitur, Decanatus, Archidiaconatus, vel alia beneficia, non benè infertur ut Decanatus, & Archidiaconatus non ſint beneficia; quin

potius

potiùs concluditur oppoſitum, ut *c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, *de elect.* ita cùm dicitur hìc, Penſiones, ſeu alia beneficia, non benè infertur, ut penſiones non ſint beneficia, ſed potiùs infertur oppoſitum, & propterea Abb. Antiq. Andr. Sicul. & alii inducunt hanc decretalem pro contraria opinione, ponderantes eamdem dictionem, *Alia*.

65 Sed pro hac parte eſt textus formalis *in d. c. Quamvis*, *il 1. de præb. lib. 6.* ubi cùm mandatur alicui provideri de beneficio uſque ad certam ſummam, non includitur penſio. Et ita hunc text. ad hoc allegant hìc Jo. And. *n. 4. in ver. Penſiones*, Bellam. *in princ. in eod. ver.* Bald. *n. 2.* Card. *n. 1. in 2. not.* & plerique alii; quinimò DD. omnes, ut inquit Gigas *de penſion. q. 28. n. 9. in fine*, *& n. 10.*

Nec refragatur, quòd ille textus fundet ſe in ratione illa, quòd litteræ ad beneficia ſint ambitioſæ, & ſtrictè intelligendæ, quoniam ſi ex proprietate vocabuli appellatione beneficii veniret penſio, utique includeretur etiam in litteris beneficia; quia in omni materia quantumcumque odioſa, & ſtrictè intelligenda, fit lata interpretatio, quatenùs requirit verborum proprietas, *l. Cùm lege*, ubi Aret. *ff. de teſtam.* & notat Cald. *conſ. 1. de conſang. & affinit.* & Dec. poſt eum *in c. Inter cæteras*, *nu. 28. ſup. eod.* Et per hoc patet reſponſio ad objectum Gigantis *d. q. 27. nu. 6. in fine*, *verſ. Prima opinio*.

67 Neque urget, ſi dicas cum Gigante *d. quæſt. 28. nu. 6.* in mandato de providendo, de quo loquitur ille textus, appellatione beneficii non comprehendi beneficium Curatum, ut deciditur *in c. Cum illis, de præb. lib. 6.* & tamen nemo dixerit beneficium curatum non eſſe propriè beneficium. Ergo eodem modo, ex eo quòd in litteris ad beneficia non comprehendatur penſio, non licet inferre, ut penſio non ſit beneficium. Etenim replicari poteſt, quòd Curatum beneficium non comprehendatur in mandato de providendo, non provenire ex eo, quòd beneficium curatum non ſit propriè beneficium, ſed quia eſt ſpeciali nota dignum, & Papa non cenſetur voluiſſe illud ſub tali generalitate includere, ut notant Doctor. *in d. c. Cùm illis*, & eſt bona gloſſa *in Clemen. Per litteras*, *in ver. Provideri*, *de præb.* ſicut in litteris beneficialibus appellatione Eccleſiarum civitatis non venit Cathedralis, non quia non
68 ſit propriè Eccleſia; ſed quia propter illius honorem Papa non vult illam includi ſub tali generalitate, ut formaliter dicitur *in d. c. Quamvis*, *in verſ. Quamquam*. At non ſic eſt in penſione, quia non ideò non includitur in litteris ad beneficia, quòd ſit ſpeciali nota digna, cùm minus ſit penſio, quàm beneficium; ſed quia litteræ ad beneficia ſunt ambitioſæ, & ſtrictè intelligendæ. Et hanc rationem ibi exprimit textus. Quaſi dicat, cùm penſio propriè non ſit beneficium, & in materia ambitioſa, ſicuti ſunt litteræ ad beneficia, non ſit facienda extenſio ultra propriam ſignificationem vocis: propterea in mandato de providendo, beneficii appellatione penſio non concluditur. Et ita arbitror ſalvari poſſe communem inductionem illius decretalis.

69 Pro eadem opinione inducuntur etiam aliquot decreta Concilii Tridentini, videlicet *cap. 2. ſeſſ. 21.* ubi primò agitur de beneficiis, ad quorum titulum Clerici ſacris Ordinibus initiantur, ibi, *Beneficium Eccleſiaſticum, &c.* ac deinde ſubjungitur, *Patrimonium vero, vel penſionem*,
70 &c. Ponderanda eſt enim illa dictio, *Vero*, quæ eſt adverſativa præcedentium, *cap. 1. §. Qui verò*, & ibi gl. in *ver. Etiamſi*, & Doctores notant *de regular. lib. 6.* Bald. *conſ. 412. Verba teſtamenti*, *per totum*, *lib. 1.* & adverſatur in jure, & in facto, ut notat Abb. *conſ. 63. Videtur prima*, *in fine*, *lib. 1.* Ad idem decretum Concilii *in c. 18. §. Ad hanc autem portionem*, *ſeſſ. 23. & in c. 15. ſeſſ. 25.* ubi ſimiliter penſio, & beneficium ponuntur tamquam diverſa, ibi, *Beneficium aliquod Eccleſiaſticum*, & ibi, *Nec penſio-*
71 *nes*, *&c.* Nititur autem opinio communis hac præcipua ratione, quia penſio hujus ſpeciei eſt ſtipendium merè temporale, nihil habens ſpiritualitatis annexum, cujus propterea, jure communi inſpecto etiam laicus eſt capax, ut notant Bald. Felin. & alii, hìc Gemin. Franc. & reliqui ſupracitati *n. 64.* Laurent. *in cap. Poſſeſſiones*, *16. quæſt. 1.* Cardin. *in Clem. 2. num. 7. quæſt. 9. verſ. Contrarium*, *de offic. Ordinar.* Gigas *de penſion. qu. 1. nu. 1. & qu. 21. 33. & 51. num. 2.* Ripa *in c. 2. nu. 128. de judic.* Burſatt. *conſ. 178.* *num. 27. lib. 2.* Rebuff. *de pacif. poſſeſſor. à num. 150. aliàs 132.* Cæſar de Graſſis *dec. 91. num. 5. & dec. 114. num. 8.* Qualis eſt penſio, quæ laico aſſignantur in ſtipendium pro ſervitio temporali, puta pro patrocinio, pro pulſandis campanis, aut aperiendo fores Eccleſiæ, vel alias pro remuneratione laborum, de quibus plenè per Hoſtienſ. Jo. Andr. & DD. *in c. Super inordinata*, *infra de præb.* Dixi *in c. Cum in cunctis à n. 98. de elect.* Penſio enim hujuſmodi eſt omninò profana, undè non mirum, ſi cadere poſſit etiam in laicum, ut per Gigan. *q. 67. nu. 2.* Duaren. *in tract. de benef. lib. 6. c. 4.* & Mandoſ. *in reg. 19. Cancell. q. 11. n. 2. & de ſignat. gratiæ*, *tit. de penſion. in princ.*

Hinc deducunt multi penſionem hanc ſimplicem pretio 72
conſtitui, transferri, ac redimi poſſe ſine labe ſimoniæ, ut poſt feriam, & prolixam diſputationem in translatione concludit Gigas *qu. 99.* & in extinctione, ſeu redemptione *q. 45. & 87.* & ante eum Hieron. Paul. *in pract. Cancell. verſ. Quod penſiones quæ conſtituuntur*, Rebuff. *in repet. c. Extirpandæ*, §. *Qui verò in 6. not. in materia penſionis ad fin. de præb.* Duaren. *in tract. de benef. lib. 6. c. 4. §. Annua hujuſmodi*, Redoan. *de ſimon. 2. part. c. 14. num. 15.* Burſatt. *conſ. 126. nu. 90. ad fin. lib. 2.* & ex Theologis Card. Cajet. *in 1. tom. opuſc. tract. 31. reſp. 10.* & Medin. *in Summ. lib. 1. c. 14. §. 22.* de quo tamen vide hoc dicam infrà *numer. 75. & 81.*

Hinc etiam deducunt alii de hac ſimplici penſione non 73
eſſe faciendam mentionem in impetratione beneficii: quia jura non præcipiunt in litteris mentionem fieri niſi de beneficio, *cap. Si motu proprio*, *de præb. lib. 6. Clement. 2. de offic. Ordinar.* ubi hoc tenent de Eleaz. & Zenzelin. & poſt eos Cardin. *num. 7. quæſt. 9.* Imol. *col. penult. verſ. An impetrans*, *& in cap. Poſtul iſti*, *ſupra eodem*, Joan. Andr. & Henric. Boich. *num. 5.* Butr. *num. 7.* Cardin. *num. 5.* & Felin. *num. 8. in 3. declaratione*, *& 30. corollar.* Mill. in *repert. in ver. Gratia*, *verſ. Decimo ſexto*, Hieron. Paul. *in pract. Cancell. in notab. ſupervacantibus non reſer. verſ. Gratiam beneficii impetrans*, Capella Toleſana *dec. 473.* & ita ſervat Rota, ut noviſſimè teſtatur Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. in gl. 5. n. 5. à n. 16.*

Sed major eſt difficultas: Quid dicendum in penſioni- 74
bus, quæ hodiè ex ſtylo curiæ aſſignantur loco beneficii, ut quis commodiùs ſuſtentari valeat, vel ex cauſa reſignationis, ſeu ceſſionis, ne exinde reſignans nimium diſpendium patiatur? De his enim non immeritò ambigitur, an dici poſſint beneficia Eccleſiaſtica, & veniant beneficii Eccleſiaſtici appellatione.

Pro opinione affirmativa facit primò, quia hujuſmodi 75
penſiones non ſunt quid merè temporale, ſed potius ſpirituale, aut ſpirituali annexum, dependenter, ſeu conſequenter, inſtar beneficii. Patet, quia quemadmodum beneficium Eccleſiaſticum prærequirit clericatum, *c. Cùm adeo*, & ibi gloſ. *in ver. Nec Clericus*, *ſupr eod. c. Ex litteris*, *infrà de tranſact. cap. 2. de inſtitution.* Et hac ratione dicitur ſpirituale, ſeu ſpirituali annexum dependenter; ut docet S. Thom. *in 2. 2. q. 100. art. 4.* & ibi expoſitores, Sotus *de juſt. & jur. lib. 9. qu. 1. art. 1.* Navarr. *in Manual. c. 23. num. 108.* & ſcripſi latiſſimè *in cap. Cum pridem*, *in 3. quæſt. & num. 60. infrà de pactis*. Ita & penſio Clericatum prærequirit ex ſtylo Curiæ notiſſimo, de quo teſtatur Redoan. *de ſimon. 2. part. capitulo 14. nu. 13.* Navarr. *conſ. 63. numer. 5. de ſimon.* & Rota *dec. 139. lib. 3. par. 3. diverſ.* & hodiè eſt expreſſum in conſtitutione Sancti Pii V. incip. *Sacroſanctum*, *de revocatione privilegiorum circa penſiones obtinendas*, *& transferendas per laicos bigamos*, *Clericos conjugatos*, *&c.* in Bullar. *tom. 2. pag. 269.* & in conſtitutione Sixti V. incip. *Cum ſacroſan-* 76
ctam, *de habitu*, *& tonſura per Clericos*, *ſeu Milites Beneficia vel etiam penſiones obtinentes deferendis*, in Bullar. *eod. to. pag. 653.* ubi ſtatuitur, ut Clerici obtinentes penſiones debeant tonſuram, & habitum Clericalem, veſtes ſcilicet talares jugiter deferre; alioquin non geſtantes dictum habitum Clericalem, penſionibus ſint ipſo facto privati, & penſiones extinctæ, &c. & in futurum nonniſi actu Clericis in habitu Clericali, & tonſura incedentibus penſiones reſerventur, cum decreto irritante, &c. Atque ita ex hac poſteriori conſtitutione non tantùm prærequiritur clericatus ad penſiones obtinendas, ſed etiam ut penſionarii jugiter incedant in habitu, & tonſura,

77 ra, præterquàm ſi penſiones inſimul non excedant ſummam ſexaginta ducatorum auri de Camera, in quibus tamen requiritur clericatus, licèt non delatio habitus, & tonſuræ, ut idem Sixtus poſteà declaravit in alia conſtitutione, quæ incipit *Paſtoralis*, in Bullar. *d. to. 2. pag.*654.

78 Quamobrem uſu receptum eſt, ut penſio non poſſit laico reſervari, niſi per Romanum Pontificem, teſte Rebuff. *de pacif. poſſeſſor. num.* 153. *aliàs* 135. Navarr. *conſ.* 34 *de præb.*

79 Secundò, pro eadem opinione facit, quia ex conſtitutione S. Pii V. incipien. *Et proximo*, *in Bullar. tom.* 2. *pag.*347. Penſionarii obligantur ad recitandum officium parvum Beatæ Mariæ Virginis, licèt prius ad Horas non tenerentur, ut tradit Gigas *de penſion. qu.* 30 ubi refert ita etiam tenuiſſe Hieronymum Paulum practicum Curialem, auctorem libelli, qui inſcribitur, Provinciale omnium Eccleſiarum, *fol.* 48. *verſ. uQod penſiones*, *in fine*, & Gomeſ. *in regul. Cancellar. de infirm. reſignant. quæſt.* 16.

80 Ergo penſio datur hodiè propter officium ſicut beneficium, juxta textum in *cap. fin. de reſcr. lib.*6. *cum concord.* de quibus ibi in gloſſa *in verſ. Datur*, ut per Navarr. *de reſtitut. lib.*2. *c.*2. *num* 200. & ſtatutum eſt in Concilio Lateranenſi noviſſimo ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. §. *Statuimus quoque*, adeò ut propterea poſt memoratas conſtitutiones Henri-
81 quez *in ſumma libr.* 13. *cap.* 13. §. 3. dixerit penſionem dari titulo Eccleſiaſtico. Quare penſionem hodiè non eſſe quid merè temporale, ſed ſpirituali annexum, probarunt Navarr. *conſ.* 59. *Quidam Canonicus*, *conſ.* 62. *Status propoſitæ quæſtionis*, *numer.*2. & 3. *ubi numer.* 3. dicit Zabarellam, Cajetanum, & alios, qui dixerunt penſionem eſſe jus merè temporale, parum cautè loquutus fuiſſe, & *conſ.* 65. *Fuit reſervata*, *n.* 1. *de ſimon.* & in Man. *cap.*23. *num.* 121. Hieron. Gabriel. *conſ.* 191. *n.* 8. *libr.* 2. Redoan. *de ſpol. Eccleſ. cap.* 4. §. *Ex his*, *num.* 6. Mandoſ. *reg.* 19. *Cancellar. q.* 11. *nu.* 11. Cardin. Tolet. *in ſumma lib.* 5. *c.* 9. Et hodiè jam receptum eſt in Rotæ Auditorio penſionem non eſſe quid profanum, ſed annexum ſpirituali, ut patet in cauſa Britonorien. Commendæ 12. Decembris 1588. coram Gipſio, ut referunt moderni, *de reſignat. beneficior. lib.* 7. *quæſt.* 4. *num.* 54. & *in tract. de benfic. p.* 1. *c.*5. *n.* 19. & habetur apud Farinac. *conſ. lib.* 1. *dec.* 63.

82 Tertiò, pro eadem opinione facit, quia ſicut ſimoniacum eſt pro pecunia beneficium Eccleſiaſticum conferre, vel permutare, aut reſignare, *c. Cùm pridem*, & *c. fin. d. pact. c. Si quis datur*, *cum duobus ſequentibus cap. Si quis objecerit*, & *c. Salvator* 1. *q.*3. eodem modo ſimoniacum reputatur penſionem conſtituere, vel transferre, aut redimere pecuniæ interventu, ut tenent Adrian. *quodlib.* 4. *ad* 5. Cordub. *lib.* 1. *q.* 21. *punct.* 1. Sayr. *de Cenſur. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 15. & alii recentiores apud Garziam *de benef. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 20. poſt Paul. Roman. & Andream Gambar. ſupracitatos *nu.* 53. Quinimò, ut inquit Navarr. *d. conſil.* 59. *n.* 1. *de ſimon.* Penſio non poteſt juſtè emi ſecundùm omnes, nec redimi ſecundùm ferè omnes abſque auctoritate Apoſtolica, contra Cajetanum ſentientem penſionem eſſe jus merè temporale, & ideò eſſe redimibile pecunia, *in* 1. *tomo opuſculor. tract.* 31. *reſponſ.* 10. Et hoc ipſum reſpondit idem Navar. *d. conſ.* 61. in eo, qui penſionem ſibi reſervatam ad utilitatem alterius Curialis de ipſius Curialis conſenſu ſoluta eidem certa pecuniæ quantitate in alium tranſtulit, & *conſ.* 65. in penſionario habente facultatem transferendi, qui intendebat transferre reſervata ſibi facultate exigendi quoad viveret, *eodem tit. de ſimon.*

83 Quam ſententiam, & Rota amplexa eſt in cauſa Pharen. penſionis 24. Januarii 1578. coram Clem. VIII. quæ habetur in impreſſis *dec.* 454. *num.* 1. *part.* 1. *diverſor.* ubi tenuit penſionem extingui non poſſe anticipatis ſolutionibus ſine auctoritate ſuperioris, poſt Præpoſ. *in cap. Agathoſa in fine* 63. *diſt.* Sarnen. *in regula de infirm. quæſt.* 16. & Gigas *de penſion. quæſt.* 45. Et adde eumdem Gigantem *q.* 87. ubi expreſſius tenet penſionem redimi non poſſe pro tot anticipationis ſolutionibus ſine authoritate Papæ. Et ita ſe habet ſtylus Curiæ, qui facit jus: teſte eodem Navarr. *dict. conſ.* 61. *in fine*, & *conſ.* 11. *incip. N. preſſus*
84 *admodum ære alieno*, *in tit. de reb. Eccleſ. non alien.* licèt penſio uti debitum pecuniarium poſſit gratis, remitti, & condonari in totum, vel in parte, ſimpliciter, vel ad tempus ſine authoritate ſuperioris, ut tenet Præpoſ. *loco citato*, Gig. *quæſt.* 45. & Navarr. *dict. conſ.* 11. *verſ. Reſpondeo primo*.

Quartò, facit pro eadem opinione, quia de penſione 85
loquitur ſubſidium charitativum, ſicut de beneficio, ut per Bellenc. *in tract. de ſubſid. charit. q.* 75. Caccialup. *in tract.*
de penſion. qu. 12. & Gig. *in eod. tract. qu.* 49. Quemadmo- 86
dùm & taxa pro ſeminario ſolvi debet ex fructibus non modò beneficiorum, ſed etiam penſionum, ut in decreto 87
Concilii Tridentini *c.* 18. *verſ. Ad hanc autem portionem*, 23. Et generale eſt, ut penſionarii teneantur ad collectam per Clericos ſolvendam ex fructibus beneficii, ſicut cæteri beneficiati, ut pluribus probat Gigas *qu.* 28. *num.*19. *verſ. Tertio limita*.

Similiter de penſionibus ſolvenda eſt annata in expedi- 88
tione litterarum reſervationis, ſicut ſolvitur de beneficiis excedentibus valorem viginti quatuor ducatorum auri de Camera. Et ita obſervat Curia. Imò ſtylus habet, ut quando alicui providetur de beneficio, ſuper cujus fructibus eſt alicui reſervata annua penſio, tunc in expeditione litterarum proviſionis beneficii ſolvatur annata, detracta
penſione. Et quidem annata ante tempora Leonis X. ſol- 89
vebatur pro penſionibus excedentibus prædictam ſummam viginti quatuor ducatorum; ſed tempore ipſius Leonis ſtatutum fuit, ut annata ſolveretur ex penſionibus aſcendentibus ad ducatos duodecim, ut teſtatur Gigas *quæſtione* 26.

Et eodem modo ſicut illegitimè natus non eſt capax be- 90
neficii Eccleſiaſtici ſine diſpenſatione, *c. Litteras*, *de fil. presbyt. c.*1. *eodem tit. lib.* 6. ita pariter ſine diſpenſatione non eſt penſionis capax, ut concludit Gigas *quæſt.* 16. *per totam*.

Quintò facit, quia ſicut beneficia ingreſſi religionem 91
ſequuta profeſſione vacant, *c. Beneficium*, *de regular. lib.* 6. ita extinguitur penſio per profeſſionem Penſionarii, quia verbum, Beneficium, poſitum in ea decretali, intelligitur largè de quocumque beneficio, ut ibi notant Jo. Andrea Gemin. & Franch. *in princ.* Et ita in penſione firmat Gigas *qu.* 57. *num.* 5. *verſ. In contrarium*, *num.* 6. dicens
hanc ſententiam eſſe de jure veriorem. Item ſicut per 92
contractum matrimonii per verba de præſenti vacant omnia beneficia Clerici in minoribus conſtituti, *cap. Primò*, & ibi gl. 1. & DD. *infra de Clericis conjugat.* ita etiam per contractum matrimonii extinguitur penſio Clerico aſſignata ex cauſa reſignationis, aut ceſſionis, vel ut commodiùs ſuſtentari valeat, de qua nunc agimus, ut concludit Caccialup. *de penſion. q.* 30. & *ult. verſ. Et pro declaratione materiæ*, Put. *dec.* 460. *lib.* 2. Jo. Paulus *dec.* 188. *lib.* 2. Covarr. *in* 4. *Decretal. ſecunda p. c.* 5. §. 3. *n.* 6. Julius Clarius *in pract. crimin.* §. *fin. q.*73. *n.*5. & Gig. *q.* 54. *nu.* 4. ubi amplius teſtatur hanc opinionem amplecti Curiam Romanam; & ſibi ipſi in facto accidiſſe, quia poſteaquam matrimonium contraxit, quaſdam penſiones amiſit ſibi tamquam Clerico in minoribus reſervatas per Clem. VII. Licèt ſecus ſit in penſione ſignata laico de Eccleſia beneme-
rito, quod fieri poteſt juxta terminos, in quibus conſuluit 93
Oldrad. *conſ.* 266. *incip. Quidam Epiſcopus*; aut pro ſervitio Eccleſiæ impenſo, vel impendendo, puta advocato pro patrocinio, & defenſione, vel pro aliis cauſis temporalibus, de quibus per Hoſtienſ. & DD. in *cap. Super inordinata*; *infra de præb.* Hoc enim caſu per contractum conjugii penſio non extinguitur, ut poſt Guillel. de Monte Laud. *in Clem.* 1. *de reb. Eccleſ. non alienan.* firmant ibi, Card. *qu.* 18. & Imol. *col.* 6. *verſ. Sed numquid advocatus*: que-
madmodum nec extinguitur, ſi fuerit aſſignata clerico 94
pro ſervitio, vel officio temporali, ut notant Laurent. Cardinal. & Imol. *in Clement.* 1. §. *An eadem*, *de ſupplen. neglig. Prælat.* & poſt eos Gigas *d. q.* 54. *n.* 3. *verſ. Primò caſu*.

Sextò facit, quia ſicut in impetrationem beneficii fieri debet mentio de obtentis, *c. Si motu proprio*, *de præb. lib.*6. *cum concord.* & ita in gratia penſionis, quæ clerico aſſignatur loco beneficii, ut commodiùs ſuſtentari valeat, facienda erit mentio de beneficiis, & aliis penſionibus, niſi in gratia reſervatæ ſint motu proprio, ut ſuper Epiſcopatibus, vel ex cauſa reſignationis, ſeu ceſſionis, & ita ſervatur de conſuetudine, & ſtylo curiæ, ut teſtatur Garzias *de benefic. par.* 1. *c.*5. *n.* 85. Ideòque in penſionibus pro Palatinis apponi conſuevit hæc clauſula, videlicet, *Et cum indulto*

quod

*quod penſio per præſentes reſervata loco beneficii Eccleſiaſti-
ci non cedat, nec in numero beneficiorum, ſeu penſionum,
etiam ſub eodem tecto conſiſtentium intret, vel illius taci-
turnitas in impetrationibus aliorum beneficiorum, ſeu penſio-
num deinceps faciendis ſubreptionem, aut nullitatem ali-
quam faciat.*

95 Septimò, pro hac parte facit, quia ſicut fructus benefi-
cii quamvis licitè vendi, & locari poſſint, ut *in cap. Ve-
ſtra, de locat.* tamen vendi aut locari nequeunt ad vitam
propter prohibitam rerum Eccleſiaſticarum alienationem,
ut notat gl. *in Clem. 1. in ver. Unius, de reb. Eccleſ. non
alienan.* Imò nec ultra triennium, ut *in Extravag. Am-
bitioſæ, eod. tit.* Ita quamvis, & fructus penſionis licitè ven-
di, & locari queant; id tamen fieri non poteſt ad vitam, ut
96 firmat Navarr. *in præalleg. conſ. 11. de reb. Eccleſ. non alie-
nan.* ubi pluribus conſuluit non licere Penſionario pro pe-
cunia conſtituere aliquem Procuratorem irrevocabilem ad
fructus penſionis exigendos, vita ejuſdem penſionarii du-
rante, ſine authoritate Apoſtolica. Quòd malè ſervatum
intellexi à nonnullis Curialibus, qui ad ſui vitam conſti-
tuerunt procuratores, ut in rem propriam ad exigendam
penſionem, recepta ab ipſis certa pecuniarum quantitate.
97 Ultimò, omiſſis aliis, facit pro hac opinione, quia Can-
cellaria habet penſionarios pro beneficiatis, & vult in lit-
teris mentionem fieri de penſionibus, ſicut de beneficiis,
ut patebit in quæſtione ſequenti *n.* 132. Et contraria opinio
vera eſt tantummodò in penſione, quæ non aſſignatur lo-
co beneficii, ſed in ſtipendium, in qua loquuntur plerique
ex Auctoribus præcitatis *n.* 73. ut declarant Andr. Gamba-
ra *de off. leg. lib. 6. n. 323.* Gigas *de penſion. qu. 67. concl. 2.*
Mand. *de Signatura grat. tit. de penſion. in princ. verſ. Hinc
dicimus.* Item procedit eadem opinio in penſione, quam
quis habet à laico pro titulo Ordinum, de qua loquitur
Rota *dec. 39. de reſcr. in antiquis, & dec. 9. de præbend. in
antiquior.* & Felin *in c. Poſtulaſti, n. 8. in 3. declarat. & in
30. corollar. ſup. eod.*

Verùm his non obſtantibus, arbitror dicendum, nec
penſiones, quæ hodiè ex ſtylo Curiæ Clericis reſervantur,
eſſe beneficia Eccleſiaſtica, nec propriè, & ſtrictè loquen-
do venire beneficii Eccleſiaſtici appellatione. Quod mul-
tipliciter probo. Et primò. Beneficium Eccleſiaſticum ex
98 ſui natura debet eſſe perpetuum, *c. Præcepta, 55. diſt. cap.
Sanctorum, 70. diſt. c. Veniens, de fil. Presbyt. c. penult. de
Cler. ægrot.* & notatur *in c. Si gratioſè, de reſcr. in 6.* Lap.
alleg. 9. incip. Diſputat. nu. 3. Petr. de Anch. *in c. 1. num. 4.
de regul. iur. in 6.* Caſſad. *dec. 4. num. 2. & dec. 12. nu. 9. de
præb.* plenè Franc. Marc. *dec. Delphin. 1071. libr. 1. & dec.
1122. nu. 22.* Penſio autem non eſt perpetua, ſed tempora-
lis: extinguitur enim morte Penſionarii, cui ſolvitur, ſicut
99 uſusfructus morte uſufructuarii, *§. Finitur, inſtitut. de uſu-
fruct. l. Antiquitas, C. de uſufruct. & habit.* Unde in litteris
reſervationis penſionis ſemper apponitur clauſula, *Tibi,
quoad vixeris, vel procuratori tuo legitimo annis ſingulis
perſolvendam,* ut per Gigan. *de penſion. q. 1. nu. 5. & q. 12.
in princ.* Nec penſio vacat per obitum Penſionarii, ſed ex-
tinguitur, ut prædixi, ac proindè ut vacans impetrari non
poteſt. At beneficium Eccleſiaſticum uti perpetuum vacat,
& alteri confertur, *c. 2. cum duobus ſequentibus, c. Ex teno-*
100 *re, & c. fin. inf. de conceſſ. præb.* cum multis ſimilibus. Se-
cundò, beneficium Eccleſiaſticum requirit canonicam ere-
ctionem, alias non eſt beneficium, *c. Nemo de conſecr. diſt.
1. c. 1. 22. diſt.* Unde Sacra Congregatio Concilii aliàs re-
ſpondit Vicarios perpetuos conſtitui non poſſe in vim *cap.
7. ſeſſ. 7.* abſque erectione tituli Vicariæ. Item beneficium
ſine canonica inſtitutione obtineri non poteſt, ut in regu-
101 la *Beneficium de reg. iur. lib. 6.* Sed Eccleſiaſtici proventus
annuatim à Clerico percipi poſſunt ſine ulla erectione, aut
canonica inſtitutione; quia ex eo non dicitur quis propriè
beneficiatus, ut inquit gl. notabilis in *d. c. Beneficium, in
princ.* per textum in *c. Quicumque ſuffragio, 12. quæſt. 2. c.
Poſſeſſiones, 16. q. 1. c. Clerici, & c. Si Epiſcopus qu. 3. & c.
Quoniam de magiſtr.*

102 Tertiò, inter beneficiatum, & Eccleſiam contrahitur
matrimonium ſpirituale, *c. Sicut in unaquaque 21. q. 2. cap.
Inter corporalia, c. Quanto, & c. fin. de traſl. Epiſc. c. Requiſi-
ſti, de teſtam.* vel quaſi matrimonium, ut not. gl. 1. *in c.
Ne pro defectu, inf. de elect.* Butr. *in c. fin. nu. 15. de poſtul.
Prælat.* & dixi plenius *in d. c. Quanto, n. 7.* At Penſionarius
non dicitur Sponſus Eccleſiæ, nec ullum ſpirituale conjù-
gium cum Eccleſia contrahit, ut *in d. c. Poſſeſſiones*, cum
aliis allegatis *n. præced.*

Quartò, ut inquit Petr. de Anch. *in c. Quamvis, il 1.* 103
in 3. not. de præb. lib. 6. propter beneficia quis intitulatur, &
obligatur Eccleſiæ, & tenetur ad continuam reſidentiam, *c.
fin. de Cler. non reſid.* Adde textum *in uſibus feudor. lib. 1. tit.
6. in princ.* ubi pro eodem aſſumuntur beneficium, & titu-
lus beneficialis, ſicut etiam communiter uſu receptum eſt.
Sed per penſionem quis non intitulatur, nec ad reſidentiam 104
tenetur, *d. c. Poſſeſſiones, & c. Illud, 2. q. 6.* Et hanc idem An- 105
char. dicit eſſe rationem decidendi in ea decretali.

Quintò, beneficium Eccleſiaſticum reſignari non poteſt 106
ſine Superioris authoritate, *c. Admonet. de renunc.* Idque
propter rationes ſuperiùs expreſſas in tertio, & quarto fun-
damento. Sed penſio etiam Clerico aſſignata, juxta hodier-
num Curiæ ſtylum remitti, & condonari poteſt ſine ulla
authoritate Superioris, dummodò purè, & liberaliter id
fiat, ut dictum eſt ſuprà *n.* 84.

Sextò, quorum diverſa eſt diffinitio, diverſa quoque eſt 107
ſubſtantia. Nam diffinitio, teſte Boetio, eſt oratio cujuſcum-
que rei ſubſtantiam demonſtrans, ut refert gl. *in l. Omnis
diffinitio, ff. de reg. jur.* & quidditatem rei oſtendit, ut inquit 108
Aret. *in l. Moribus col. 2. verſ. Secundo nota argumentum, ff.
de vulg. & pupill.* Et differentiæ ſpecierum non cognoſcun- 109
tur niſi per diffinitionem, *l. 1. C. de jure emphyt. l. Quæſitum,
in princ. ff. de fundo inſtructo, & l. Si quintus, §. Cum aurum, ff.
de aur. & arg. legat. Ad hoc l. 1. §. 1. ff. de dolo. Inſtitut. de tutel.* 110
in princ. & c. Cum cauſam, inf. de raptor. Sed diffinitio pen-
ſionis, de qua ſuprà *n.* 48. multùm differt à diffinitionibus 111
beneficii Eccleſiaſtici, quas ponunt Jo. de Selva *in tract. de
benef. p. 1. q. 1.* Duaren. *lib. 2. c. 4.* Coraſ. *part. 1. c. 2. num. 1.*
Card. Tolet. *in Summa lib. 5. c. 77.* Navar. *de redditib. Eccle-
ſiaſt. q. 1. monit. 55. n. 4.* Moderni *de re benefic. lib. 1. q. 3. n. 1.*
& alii complures. Ergo neceſſe eſt aliud eſſe penſionem,
& aliud beneficium Eccleſiaſticum, & conſequenter pen-
ſionem non venire beneficii Eccleſiaſtici appellatione ad *l.
Si idem, C. de Codicill.* Nam nomen debet eſſe conſequens
rei, *inſtit. de donat. §. Eſt & aliud, c. Si officia, 59. diſt.*
Unde illud, *Si re priveris, nec nomen habere mereris, l. fin.
C. de ſent. ex peric. recitant. c. Cleros,* & ibi Arch. *21. diſt. &
c. Non omnis, 2. q. 7.*

Septimò, ut dixit Rota *dec. 425. part. 1. diverſ.* Penſio 112
quamvis ſit ſpirituali annexa; tamen eſt quoddam jus tem-
porale, id eſt ad tempus, ſeparatum, & formale, ac per ſe
diſtinctum ab ipſo beneficio.

Ultimò, aliis omiſſis, Penſiones noſtris temporis non 113
eſſe beneficia, nec propriè comprehendi ſub nomine bene-
ficii Eccleſiaſtici, inde patet manifeſtè, quòd in materia o-
dioſa, & ſtrictè intelligenda appellatione beneficii num-
quam venit penſio: textus eſt clarus *in d. c. Quamvis, il 1. de
præb. lib. 6.* & patebit in quæſtionibus ſequentibus. Quod 114
procedit, etiamſi beneficium exprimatur per dictionem uni-
verſalem, *Quodcumque,* ut ibi probatur *in verſ. Et ideo, in fin.*
quod pluribus exornat Gigas *de penſion. q. 28. n. 16.* At qui
penſio eſſet verè, & propriè beneficium Eccleſiaſticum, utiq;
comprehenderentur appellatione beneficii etiam in mate-
ria odioſa, & ſtrictè intelligenda, ut oſtenſum eſt ſupra *n.
66. verſ. Nec refragatur.* Et hanc partem tenent commu-
niter DD. concedunt enim penſionem eſſe propriè benefi-
cium in eo tantùm caſu, in quo penſio aſſignatur in titu-
lum beneficii, ut patet ex dictis ſupra *n.* 44. Et probatur per
text. *in Clem. 2. §. 1. juncto §. Cæteri verò, in ver. Quodcum-
que, de vit. & honeſt. Cleric.* Nam ibi Clericus contraveniens
illi Conſtitutioni eſt ſuſpenſus à perceptione fructuum be-
neficii, quod obtinet, per ſex menſes, nec appellatione be-
neficii ibi venit penſio. Et *in §. Cæteri,* Sacerdotes non be-
neficiati utentes virgata veſte, dicit ibi textus, redduntur
inhabiles ad quodcumque beneficium Eccleſiaſticum ob-
tinendum. Gl. verò *in d. verb. Quodcumque,* dicit appella-
tione beneficii comprehendi penſionem, quæ in titulum
datur. Ergo quę non datur in titulum non comprehenditur.
Et ita hunc locum expendit Gigas *de penſion. q. 94. n. 4.*

Non obſtant argumenta contraria. Nam ad primum, ſe-
cundum, & tertium reſpondetur concedendo penſionem
hodiè non eſſe quid merè temporale, ſed ſpirituali anne-
xum, id eſt beneficio, & dari propter officium; ideòque
ſimoniam committi in penſione ſicut in beneficio. Sed hinc

115 non ſequitur, ut penſio propriè ſit beneficium. Quod inde apparet manifeſtè, quod penſionem transferens, aut redimens pro pecunia ſeu authoritate Rom. Pontificis, quamvis committat ſimoniacam pravitatem; tamen non incidit in excommunicationem latam in *Extrav. ſecunda de ſimon.* quia ibi non excommunicantur niſi Simoniaci in ordine, & beneficio, ſecundum receptam ſententiam, de qua teſtatur Navarr. *d. conſ.* 65. *n.* 1. *verſ. Secundo quod dicis poſſit ic Simon.*

Ad quartum, & quintum reſpondetur, ex eo quòd de penſione ſicut de beneficio ſolvatur charitativum ſubſidium, collecta, vel taxa; & quòd penſio ſicut beneficium vacet per profeſſionem, & matrimonium; hoc tantum inferri, ut penſio in illis caſibus ſit ſimilis beneficio, & eodem jure cum beneficio cenſeatur, non autem ut ſit beneficium. Quod inde etiam apparet, quia Hoſpitalia quoque, Confraternitates, & Collegia ad ejuſmodi taxam tenentur, ut in *d. c.* 18. *ſeſſ.* 23. & tamen non ſunt beneficia, ut ſuperiùs tetigimus, *n.* 61.

Ad ſextum patebit ſolutio ex reſponſione ad ultimum.

Ad ſeptimum itidem reſpondetur, ex eo quòd fructus penſionis ſicut beneficii ad vitam vendi, aut locari nequeant, hoc tantùm ſequi, ut ejuſmodi fructus veniant appellatione rerum Eccleſiaſticarum, ut non autem ut penſio ſit beneficium.

116 Ad ultimum denique reſpondetur Cancellariam habere penſionem pro beneficio ad illum effectum tantùm, ut de penſione ſicut de beneficio facienda ſit mentio in litteris, non autem generaliter, & indiſtinctè. Ratio autem cur in eo caſu penſio reguletur inſtar beneficii, ea eſſe poteſt, quia Papa non ita de facili provideret eum, qui nihil haberet ex proventibus Eccleſiaſticis, arg. *c. Poſtulaſti*, *ſup. eod.* ac propterea de penſionibus, ſicut de titulis beneficialibus, oportet mentionem fieri, quemadmodum, & de beneficiis manualibus, licèt propriè non ſint beneficia, ut patebit infrà *n.* 118. fieri debet mentio, ut notat Calder. *conſ.* 9. *de reſcr.* Ripa *in c. Ad aures*, *n.* 12. *ſup. eod.* Selva *de benef.* 3. *part. quæſt.* 11. *num.* 8. Rebuff. *de nomin. q.* 9. *num.* 27. & Rota in cauſa Seguntina Theſaurariç 29. Aprilis 1596. coram Orano.

Demum argumenta omnia in contrarium adducta huc ſpectant ut penſio hodiè in multis caſibus reguletur inſtar beneficii, ubi ſcilicet id ſuadet ſubjecta materia, non autem ut ex proprietate vocabuli comprehendatur appellatione beneficii Eccleſiaſtici.

117 Quamobrem concludendo, & opiniones conciliando videtur ſic diſtinguendum. Aut verſamur in materia odioſa, & ſtrictè intelligenda; & proculdubio beneficii appellatione non venit penſio. Aut verſamur in materia favorabili; & tunc penſio includitur appellatione beneficii, non ſolùm accipiendo nomen beneficii in genere, prout eſt benevola actio tribuens gaudium capienti, (de hoc enim ineptum eſſet dubitare, cum quælibet Principis liberalitas, ſeu gratia etiam profana, & laicalis dicatur beneficium, ut donatio rei temporalis, *cap. Cum dilecti*, *infra de donat.* dixi in *cap. Olim de verbor. ſignificat.*) ſed etiam accipiendo nomen beneficii in ſpecie pro beneficio ſpirituali, & Eccleſiaſtico, ut per Gigant. *q.* 94. *n.* 8. *verſ. Imo largo modo penſio dici poteſt Eccleſiaſticum beneficium.* Pro qua diſtinctione induco textum in *d. cap. Quamvis*, *il* 1. *de præbend. lib.* 6. Nam ibi deciditur in litteris ad beneficia penſionem non includi ob illam rationem, quòd litteræ hujuſmodi ſunt ambitioſæ, & reſtringendæ. Ergo à contrario ſenſu ſi materia ſit favorabilis, & late interpretanda, beneficii nomine veniet etiam penſio; idque non ex proprietate vocis, ſed per interpretationem extenſivam, ut per Gigan. *quæſt.* 58. *num.*

118 28. *verſ. Secundo limita*; ſicut in materia favorabili appellatione beneficii includuntur etiam beneficia manualia, quæ tamen verè, & propriè non ſunt beneficia, ut tenent Stapiul. *de litteris gratiæ*, *nona forma expectativar. num.* 39. Gambar. *de offic. leg. lib.* 3. *rub.* 1. *nu.* 1. Ludovic. Gomez *de expectativis*, *nu.* 94. Duaren. *in tract. de benef. libr.* 2. *cap.* 4. ubi ait Prioratus clauſtrales beneficiis non

119 annumerari, quia perpetui non ſunt; Quintanadven. *lib.* 11. *Eccleſiaſticor. cap.* 3. *nu.* 12. & Navarr. *conſ.* 5. *de præb. & conſ.* 8. *nu.* 7. *de jurepatr.* dicens Capellaniam ſic fundatam etiam authoritate Epiſcopi non eſſe beneficium, & *conſ.* 9. *de off. ord. & conſ.* 2. *de præb.* ubi ait Capellaniam deſinere eſſe beneficium, ſi ex perpetua fiat ad nutum amovibilis. Et hanc diſtinctionem inter materiam odioſam, & 120
favorabilem, in propoſito ſæpiùs probavit S. Congr. Card. Conc. Tridentini interpretum; quinimò & Gregor. XIII. ut patebit infrà *n.* 129. 131. & 134.

Secundò QUÆRO, utrùm in decreto Concil. Trid. 121
c. 6. *ſeſſ.* 23. qua parte ſtatuitur, ut Clericus prima tonſura initiatus, ut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, vel habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviat, appellatione beneficii Eccleſiaſtici veniat penſio.

Hanc quæſtionem format Hieronymus Gigas in *tract.* 122
ſuo de penſion. quæſt. 94. *num.* 8. in terminis conſtitutionis Clementis VII. emanatæ ad inſtantiam Reipublicæ Venetæ infraſcripti tenoris, videlicet: *Statuimus, & ordinamus, quòd de cætero poſt trimeſtre à die publicationis præſentium computandum tam conjugati, quàm alii dicti dominii Clerici etiam ad minores ordines promoti non beneficiati, nec in ſacris Ordinibus conſtituti, cujuſcumque Dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, privilegio Clericali in criminalibus dumtaxat gaudere nequeant. Sed tales clericali charactere inſigniti, ac in minoribus ordinibus conſtituti non beneficiati, & alii, qui ætatis legitimæ ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, ſi Ordinem ſacrum non ſuſceperint, delinquentes pro tempore per judices ſæculares capi, incarcerari, & juxta eorum demerita omnibus pœnis, quibus meri laici delinquentes de jure puniri deberent, liberè, & licitè puniri poſſint, nec ſe ſub prætextu privilegii Clericalis tueri, & defendere, & ad Curiam Eccleſiaſticam recurrere valeant.* Et dicit Gigas 123
ſæpius ſe conſultum fuiſſe, an in prædicta conſtitutione appellatione Clerici non beneficiati veniret Clericus, cui reſervata fuit annua penſio ſuper fructibus alicujus Eccleſiaſtici beneficii; & reſpondiſſe negativè, motus ex concluſione, quam ſuperius firmaverat, quòd in materia favorabili, qualis eſt hæc privilegii fori, appellatione Clerici beneficiati venit etiam Clericus, qui nullum poſſidet Eccleſiaſticum beneficium, habet tamen, & percipit annuam penſionem ſibi authoritate Apoſtolica reſervatam ſuper fructibus alicujus Eccleſiaſtici beneficii, Menſæ, vel dignitatis. Quod quidem reſponſum confirmat ea ra- 124
tione, quia Clerico, cui penſio reſervatur, ut plurimùm datur in litteris reſervationis penſionis regreſſus ad beneficium ob non ſolutionem penſionis, juxta ſtylum Curiæ, & propter hujuſmodi regreſſum dicitur habere jus ad beneficium, allegat Æneam de Falconib. *in tract. ſuo de reſervat.* 47. *effectu num.* 10. & 11. licèt hæc ratio non ſit univerſalis, quia non comprehendit niſi Clericos, quibus reſervatur penſio ex cauſa reſignationis beneficii, & hos non omnes illos tantùm quibus in litteris Apoſtolicis datur hujuſmodi regreſſus. Pretereà ſecundùm Gigantem, cùm 125
antedicta conſtitutio exorbitet à jure communi, quippè quæ reſtringit privilegium fori Clericalis à jure communi indultum, ſtrictè intelligi debet, ut minus lædat jus commune, quàm fieri poſſit, ut per Doctores *in cap. Cauſam quæ*, *ſupra eodem*. imo ſecundùm jus commune intelligi, & interpretari debet, ut notatur *in l. Ex facto*, *in princ.* ubi Imol. & Alex. *ff. de vulg. & pupill. ſubſtitut.* Ac demum in exorbitantibus non ſit extenſio, *c. Quæ à jure*, *de reg. jur. lib.* 6. & notant gloſſ. & Doctores *in l. Si conſtante*, *in princ.* ubi Alex. *ff. ſolut. matr.* Ergo verba illa, *Non beneficiati*, in dicta conſtitutione intelligenda ſunt de Clericis, qui non habent aliquod beneficium, neque Eccleſiaſticam penſionem. Hæc autem præcipuè vendicant ſi- 126
bi locum in caſu conſtitutionis prædictæ, quia privilegium Clericale eſt Clericis indultum de jure divino, ut eſt textus *in c. Si Imperator*, & ibi gloſſa *in ver. Et diſcuti*, 96. *diſt.* Calder. *in repetit. c. Perpendimus*, *de ſent. excomm.* Card. *in Clem.* 1. *q.* 1. *de off. ord.* Abb. *in c. Propoſuit*, *col.* 3. *verſ. Ex quo infertur*, *de conceſſ. præb.* Præp. *in c. In iſtis*, *in fine* 4. *diſt.* & ſcripſi pleniùs *in c. Eccleſia S. Mariæ*, *ſupra de conſtitut.* Quamobrem, ut minus lædatur jus commune, in terminis conſtitutionis prædictæ Clericus penſionem habens beneficiatus cenſeri debet. Eandem opinionem in ter- 127
minis Concilii Tridentini tenet Salzedo, dicens ita fuiſ-

ſe in

ſe in ſupremo Concilio judicatum, in practica criminali canonica *c. 67. nu.* 10. Et quamvis in ultima editione anni 1594. affirmet Illuſtriſſimos Cardinales S. Congregationis contrarium judicaſſe, exiſtimantes *d. c. 6.* Concilii quoad privilegium fori non comprehendere Clericum, cui fuit reſervata penſio in fructibus alicujus beneficii, prout teſtatur Flamin. Pariſ. *de reſignat. benefic. lib.* 1. *qu.* 10. *in fin. & lib.* 2. *q.* 15. *n.* 15. & Nicolaus Garzias *de benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 70. veritas tamen aliter ſe habet.

128 Nam dubitatum fuit à quodam Clerico Veliternæ diœceſis, qui erat clericus primæ tonſuræ, & beneficium Eccleſiaſticum à ſe poſſeſſum, reſervata ſibi penſione, reſignaverat, an gauderet privilegio fori, licèt in habitu, & tonſura non incederet; die ſexta Decembris 1576. Sacra Congregatio nihil decrevit: Nam primo aſpectu videbantur obſtare verba Concilii, ibi, *Beneficium Eccleſiaſticum*
129 *habeat*; & ſic re ipſa corpus beneficii; penſio autem non eſt hujuſmodi, quæ conſiſtit in mera temporalitate. Item quamvis appellatione beneficii veniat penſio largo modo; tamen clarum eſt propriè non venire, *c. Quamvis, de præben. in 6.* ubi ſi Pontifex mandat alicui provideri de beneficio, non poteſt dari penſio, niſi expreſsè fiat mentio penſionis in litteris, Staphil. *de litteris gratiæ, q.* 28. *c.* 6. *c. Ad audientiam, de reſcriptis*: ubi omnes, excepto Barbatia, dicunt penſionem ſtrictè non venire appellatione beneficii, in materia favorabili venire, ſed non eſt favor, ut gaudeat in
130 habitu, & tonſura non incedens. Ultimò, Concilium non intellexit appellatione beneficii venire penſionem, ut in *c. 2. ſeſſ.* 21. *c.* 18. *ſeſſ.* 23. *c.* 15. *ſeſſ.* 25. Tamen quia in terminis adeſt deciſio Gigan. *q.* 94. quæ in praxi obſervatur Neapoli, Venetiis, & alibi, & in dubio judicandum pro foro Eccleſiaſtico, cenſuerunt Patres ampliùs deliberandum. Die 13. Decemb. 1576. Sac. Congreg. prævidit aliquas difficultates futuras in deciſione hujus quæſtionis; quia jure veteri, & verbis *c. 6. ſeſſ.* 23. & ſolito modo loquendi Concilii non videtur Penſionarius comprehendi appellatione habentis beneficium. Quia tamen conſuetudo, & Venetiis, & Neapoli ſtat pro penſionario, juxta deciſionem Gigantis, licèt quoad conſuetudinem ea Romæ non probetur, nec in ſtatu Eccleſiaſtico, & conſuetudo unius loci ad alium non extendatur: Sacra Congregatio cenſuit non expedire decidere iſtum caſum, ſed ad Sanctiſſimum remittere decidendum.

131 Sanctiſſimus audita relatione Congregation. die 8. Decembris 1576. declaravit Penſionarium cenſeri beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio fori Eccleſiaſtici, de quo Concilium loquitur. Idque duabus rationibus. Pri-
132 mò, quia Cancellaria habet Penſionarium pro beneficiato, ideò vult exprimi in Bullis penſiones ſicut beneficia. Secundò, quia S. Pius V. Bulla ſua coegit penſionarium ad dicendum officium, ſaltem Beatæ Mariæ.

Unde poſteà Sacra Congregatio conſulta, an clericus primæ tonſuræ, qui in habitu incedit, habetque tamquam clericus penſionem, ſed non beneficium, nec Eccleſiæ juſſu Epiſcopi deſervit, gaudeat privilegio fori: cenſuit gaudere ad inſtar obtinentis beneficium. An autem prææallegatum Concilii decretum in *c. 6. ſeſſ. 23. in princ.* ubi ſtatuit, ut nullus ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere, appellatione beneficii comprehandat penſionem, dixi *in c. Cùm in cunctis, n.* 102. *infr. de elect.*

133 Tertiò QUÆRO, an homicida voluntarius ejuſve ſocius poſſit obtinere, & obtentas retinere penſiones abſque diſpenſatione, non obſtante *c. 7. ſeſſ.* 14. quod de beneficiis tantùm loqui videtur.

Die 11. Julii 1577. propoſito hoc dubio, Congreg. generalis omnium ſententiis cenſuit *d. c.* 7. non comprehendi penſiones, tamen faciendum verbum cum Sanctiſſimo: & in memoriam revocandum, quòd Cancellaria in Bullis dicit: Cum retentione quorumcumque beneficiorum aliàs compatibilium, & penſionum. Referentibus die 19. Julii 1577. Cardinalibus Morono, & Alciato, Sanctitas ſua non habuit pro bono argumento, quòd Cancellaria ita exprimat;
id enim fit ad majorem declarationem. Tamen dixit in ma- 134
teria favorabili, ut illa privilegii fori, appellatione beneficii venire penſionem. Die 8. Auguſti 1577. Congregatio generalis, cùm hæc eſſent relata, dixit ſervandam eſſe hanc diſtinctionem, & ita reſcribendum.

Quartò QUÆRO, an Clericus poſſit ab Epiſcopo ſacris 135
Ordinibus initiari ad titulum annuæ penſionis, ſicut poteſt ad titulum beneficii Eccleſiaſtici.

Solutio; ſi agatur de penſione, quæ aſſignatur in titulum beneficii, & ſit primæ ſpeciei, de qua egimus ſuprà in 1. *q. num.* 41. extra dubium eſt ad illius titulum poſſe Clericum promoveri, quia talis penſio eſt verè, & propriè beneficium Eccleſiaſticum, ut illic firmavimus. Sed ſi agatur de penſione ſecundæ ſpeciei, quæ in ſtipendium aſſignatur ad tempus ſuper fructibus alicujus Eccleſiæ, dicendum eſt Epiſcopum non poſſe ad titulum talis penſionis quemquam promovere, niſi ad eum modum, quo poteſt Clericos ordinare ad titulum patrimonii, id eſt pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ. Ita expreſsè ſtatuitur decreto Concilii Trident. in *c. 2. ſeſſ.* 21. ibi: *Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum*, & advertit Navarr. *conſ.* 14. *incip. Quæſitum eſt, n.* 2. *verſ. Tum quia Concilium, de tempor. ordin.*
Undè S. Congreg. jam pridem reſpondit penſio- 136
nem non eſſe titulum ad ſacros Ordines niſi diſpenſativè. Sed & jure communi inſpecto, quamvis penſio aſſignata ſit Clerico pro titulo recipiendorum Ordinum: non tamen cenſetur titulus beneficialis, de quo in *c. Tuis de præbend.* ut tradit Gigas *de penſion. qu.* 33. *in princip.* Cæterùm ſubſiſtente cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, etſi Clericus poſſit ordinari ad titulum penſionis, tamen cogi non poteſt ad Ordines ſuſcipiendos, quia in *c. Quæris, infra de ætat. & qualit.* ubi Clerici beneficiati ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis compelluntur recipere Ordines ſuis beneficiis non annexos, appellatione beneficii non venit penſio, ut ibi dixi *n.* 28.

Ultimò QUÆRO, an in decreto Concilii Tridentini 137
c. 9. ibi, *Et beneficium ſtatim re ipſa illi conferat, ſeſſ.* 23. appellatione beneficii veniat penſio.

Contigit hic caſus in Epiſcopo Brixienſi, qui ut ſuum familiarem decennalem ad penſionem obtinendam capacem redderet, primam tonſuram eidem contulit abſque litteris dimiſſorialibus Patriarchæ Venetiarum, ſubſecuta ſtatim dictæ penſionis reſervatione. Et cum dubitaretur, an valida eſſet tonſuræ collatio, Sacra Congregatio Concilii cenſuit tonſuram collatam ab Epiſcopo familiari ſuo decennali validam eſſe, ſi ſtatim ei reſervata fuit penſio. Itaque appellatione beneficii, de quo loquitur *d. cap. 9. ſeſſ.* 23. cùm materia illa ſit favorabilis, ex ſententia Sacræ Congregationis comprehenditur etiam penſio.

DE RESCRIPTIS.

Innocentius III. Abbati, & Conventui Præmonſtrat.

CAPUT XXI.

EDoceri poſtulaſtis à nobis, utrùm per litteras adverſus Abbates (nulla mentione habita de ſuis Conventibus) impetratas, teneantur Abbates ipſi ſuper cauſis (quæ ad Conventus pertinent & eoſdem) de ipſis querelantibus reſpondere: ac licèt inhibita ſit appellatio, per appellationis objectum poſſint (ne reſpondeant) ſe tueri. Super quo duximus reſpondendum, quòd (niſi alia cauſa rationabilis ſuffragetur) per appellationem ſe tueri non poſſunt, quominus debeant auctoritate litterarum hujuſmodi legitimè reſpondere, cùm ex officio ſuo teneantur congregationum ſuarum negotia procurare: niſi fortè Abbatis, & Conventus negotia eſſent omninò diſcreta.]

SUMMARIUM.

1 *ABbas in cauſa Monaſterii convenitur per reſcriptum, in quo nulla fit mentio de Conventu, nec propter hoc appellari poteſt, niſi Abbatis, & Conventus bona eſſent diſtincta omninò.*

2 *Menſa Conventualis inſtituenda eſt, diſtincta, & ſeparata ab Abbatiali in omnibus Monaſteriis commendatis*

3 *Menſa Abbatialis à Conventuali ſeparari non debet in monaſteriis, quæ dantur in titulum.*

4 *Commendatarii monaſteriorum an poſſint ſe immiſcere in his, quæ concernunt regularia inſtituta.*

1 EDoceri. In cauſa monaſterii convenitur Abbas per reſcriptum, in quo nulla fit mentio de Conventu, nec propter hoc appellari poteſt, niſi Abbatis, & Conventus bona eſſent diſtincta omninò. Hoc dicit Abbas Siculus. Communis diviſio. Secunda, ibi, *Super quo*. Et primò ponit duas quæſtiones. Secunda, ibi, *Ac licèt*. Item pars ſecunda duo facit. Primò, ſolvit illas duas quæſtiones, & cauſam reddit. Secundò, excipiendo declarat ſolutionem, ibi, *Niſi forte*, Jo. Andr.

2 In textu, ibi, *Abbatis, & Conventus negotia eſſent omnino diſcreta*. Nota in monaſterio aliquando menſam Abbatialem eſſe diſtinctam à Menſa Conventuali. Quòd ſi quæras, an expediat hanc diſtinctionem inducere, aut approbare conventiones, ſeu concordias eam inducentes, ſic diſtingue; Aut monaſterium eſt commendatum, & ſervanda eſt diſpoſitio Bullæ 18. Gregorii XIII. *Superna*, §. 9. *in Bullar. to. 2. pag.* 381. quia decernitur, ut in omnibus monaſteriis, quæ commendata reperiuntur, & in poſterum commendabuntur, etiam S. R. E. Cardinalibus, ubi non fuerit, inſtituatur menſa Conventualis ab Abbatiali menſa diſtincta, & ſeparata, ut ibi plenius videre eſt. Et quamvis Bulla loquatur tantùm de monaſteriis Ordinis Ciſtercienſis: tamen conveniens eſt, ut ſervetur etiam in aliis ordinibus Monachorum. Ratio eſt, quia cùm commendatarii ſint Clerici ſæculares, non decet, ut ſint cum Regularibus commixti; nemo enim poteſt Eccleſiaſticis officiis ſimul, & Monachali regulæ deſervire, *c. Nemo 16. q. 1.* ſicut dicitur in Conc. Hiſpalenſi, in uno, & eodem officio non debet eſſe diſpar profeſſio, dicente Moyſe, *Non arabis in bove ſimul, & aſino*, id eſt, homines diverſæ profeſſionis in unum non ſociabis: nam cohærere, & conjungi non poſſunt, quibus vota, & ſtudia ſunt diverſa, *cap. In nova 16. q. 7. Et diſpares mores*, inquit Tullius de Amicitia, *diſpari ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias*. Unde & de jure communi ſi non profeſſus eligitur ad regimen Eccleſiæ regularis, caſſatur electio, conſuetudine in contrarium non obſtante, ut eſt caſus *in c. Cum cauſam, de elect. & decreto Concilii Tridentini ſeſſ.* 14. *c.* 10. ſtatuitur, ut regularia beneficia in titulum regularibus provideri conſueta conferantur tantùm Religioſis illius ordinis, ne veſtem lino lanaque contextam induant: & in *c.* 21. *ſeſſ.* 25. *de regular.* diſponitur, ut monaſteria commendata, quæ impoſterum vacabunt, non niſi Regularibus ſpectatæ virtutis, & ſanctitatis conferantur. Non ergo videtur decens eſſe, ut clericus ſæcularis cum Monachis conjungatur, & communi menſa utatur cum eis.

Aut monaſterium non datur in commendam, ſed in titulum; & hoc caſu ſeparatio menſæ Abbatialis à Conventuali fieri non debet, quia eſt contra regulam S. Benedicti, ſecundum quam inter Abbatem, & Monachos omnia ſunt communia, & in diſpoſitione Abbatis cuncta ſunt poſita, ut in *cap. Cùm ad monaſterium*, §. *Abbas de ſtat. Monachorum*. Item Abbas, & Monachi conſtituunt unum corpus, cujus Abbas eſt caput, Monachi verò membra, ut hìc patet, & 18. *quæſt.* 2. *per tot.* Colleg. Paduan. *conſ.* 2. *num.* 26. *& ſeqq.* poſt Conſilia Cardinali Zabarellæ. Non licèt autem à capite membra recedere, *cap. Non decet*, 12. *diſt. cap. Cùm non liceat de præſcript. capit. Novit*, & ibi gl. in *verb. Non decet de his quæ fiunt à Prælatis*. Quamobrem jure optimo in caſibus contingentibus Sacra Congregatio rerum Conſiſtorialium ſæpiùs improbavit conventiones pro ſeparatione menſæ Abbatialis à Conventuali, & in ſpecie in cauſa Cracovien. tranſactionis, ſeu ſeparationis menſæ inter Abbatem, & monachos monaſterii Capriunicen. Ordinis Ciſtercien. 16. Maji 1652. 3

Extra QUÆRO, an commendatarii monaſteriorum poſſint ſe immiſcere in his, quæ concernunt regularia inſtituta. Solutio patet ex litteris in forma Brevis fel. rec. Innocentii X. quarum tenor talis eſt, videlicet 4

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

PAſtoralis Officii nobis divinitùs commiſſi partes eſſe cognoſcimus, ut Religioſorum virorum in humilitatis ſpiritu ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimi obſequiis mancipatorum commodis, & felici directioni intendentes, illos à diſpendiis quibuslibet, quantum nobis ex alto conceditur, auferamus. Sanè pro parte dilecti filii Claudii Abbatis generalis Ordinis Ciſtercien. per ejus Procuratorem nobis nuper expoſitum fuit, quòd licèt peculiaria Ordinis prædicti privilegia à quamplurimis Romanis Pontificibus, & ſignanter à fel. rec. Pio II. Sixto V. Innocentio VIII. Pio IV. S. Pio V. & Gregor. VIII. Prædeceſſoribus noſtris conceſſa, & confirmata reſpectiva diſponant ac declarent, quòd commendataria monaſteria d. Ordinis in commendam obtinentes nullam in monaſteria ſibi commendata quoad eorum Monachos juriſdictionem exerceant, ſed viſitatio ad Abbatem Ciſtercii, & quatuor primores, quemlibet in ſua generatione, juxta formam antiquam privilegiorum pertineat, ac Monachi ipſorum monaſteriorum commendatorum d. Abbatem Ciſtercii, & primos quatuor, ac eorundem commiſſarios ad eamdem viſitationem recipere, & in eorum manibus profeſſionem emittere debeant: commendatarii verò ne quempiam propter delictum ejiciant, ſed quotieſcumque Monachi quid admiſerint, quod quidem animadverſione dignum ſit, id quamprimùm Priori clauſtrali, vel Commiſſario ſignificent, qui correctionem juxtà Ordinis præd. ſtatuta faciat; ac demum

Prior,

Prior, & Subprior in iiſdem commendatis, ſeu commendandis Monaſteriis officiales ſpirituales dicti ordinis profeſſi,& non ſeculares per commendatarios, etiamſi S. R. E. Cardinales fuerint,inſtituantur: Et preterea Conc. Trid. decreto ſeſſ.25.c.2c. ſtatutum reperiatur, ut priores clauſtrales,aut in Prioratib. conventum habentibus ſuperiores, qui correctiones,& ſpirituale regimen exercent,à capitulis generalibus,vel ipſorum ordinum Viſitatoribus inſtituantur. Ac inſuper à Congregatione Venerabilium fratrum noſtrorum ejuſdem S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prepoſita, reſolutiones premiſſis,ac conſtitutionibus Apoſtolicis innixæ emanaverint die 2. Auguſti 1647. quibus tunc exiſtenti noſtro,& Sedis Apoſtolicæ in Regno Poloniæ Nuncio injunctum fuit, ut ſeriò invigilaret, ne commendatarii hujuſmodi, & ſignanter dilectus pariter filius Alex. Donhoff commendatarius Monaſterii Andreonien. Ordinis præfati Cracov. diec. circa officialium electiones,vel circa Monachorum vitam, & mores,cæteraque inſtitutum regulare ſpectantia ſe ingererent. Nihilominùs iidem commendatarii paſſim,& imprimis prefatus Alex. Donhoff in vim literarum Apoſtolicarum ſuper eorumdem Monaſteriorum commendis expeditarum, in quibus hujuſmodi Monaſteriorum cura,regimen, & adminiſtratio tam in ſpiritualibus,quàm temporalibus plenariè committitur,prætendunt jus inſtituendi,ac deſtituendi Priores,& Officiales clauſtrales,viſitandi,corrigendi,ſtatuendi, ordinandi, & exercendi ea, quę inſtitutum regulare contingunt; eorumdemque commendatariorum nonnulli non contenti red ditibus, ac fructibus, quorum majorem partem ex opulent ioribus dicti Ordinis monaſteriis colligunt,in alienam inſuper meſſem,veluti in electiones,ac depoſitiones Priorum,ac Subpriorum,aliorumq; Officialium, ac etiam in viſitationes, & Monachorum correctiones falcem mittere præſumentes, prędicta privilegia,& conſtitutiones Apoſtolicas contemptui habent in grave ejuſdem Claudii Abb. imò univerſi Ordinis predicti jurium prejudicium: quare idem Claudius Abb. nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in prę miſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur d. Claudium Abb. ſpecialibus favoribus,& gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis,ſuſpenſionis,& interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,cenſuris, & pęnis à jure,vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit,ad effectum preſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes,& abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de prædictorum Cardinalium conſilio,inherentes preallegatorum ſummorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum privilegiis Ordini Ciſtercien. hujuſmodi conceſſis,ac decretos ejuſdem S.Collegii Con. Tr. ac reſolutionibus aliàs de ſuper factis,Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus,decernimus, ac ſtatuimus non licere commendatariis, Priores, Subpriores,aut Officiales clauſtrales inſtituere,ac deſtituere viſitare Monachos,eoſdemque corrigere,nec facultates eiſdem in litteris Apoſtolicis conceſſas, & expreſſas, prout ſupra, ad ea, quæ inſtitutum regulare concernunt,ac tenore prælibatorum privilegiorum,& S.Conc. diſpoſitione monaſtico regimini reliquuntur, trahi poſſe, ac debere. Ideòque dilectis filiis noſtris, & Sedis prædictæ Nunciis, ſive etiam locorum ordinariis, vel dicti ordinis conſervatoribus per eaſdem præſentes injungimus, ut quotieſcumque requiſiti fuerint ab hujuſmodi vexationibus, ac violentiis manifeſtis commendatarios per cenſuras, & alia juris remedia, implorato etiam ſi opus fuerit brachii ſæcularis auxilio, cohibeant, & compeſcant, ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate Congr. eorumdem Cardinalium: Decernentes preſentes literas ſemper firmas,validas,& efficaces exiſtere,& fore, ac ab omnibus,ad quos ſpectat,ac pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque in iiſdem præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios,& delegatos,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores judicari,& definiri debere,ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam,quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac rec. me. Bonifacii Papæ VIII. de una,& in Concilio generali edita de duabus dietis,dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus,& ordinationibus,necnon præfati Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque,indultis,& litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores preſentibus pro expreſſis haben. illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus,cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis,manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 25. Septembris 1654. Pontificatus noſtri anno decimo.

Similes literæ expeditæ fuerunt pro Monachis Camaldulenſibus ſub die 20. Martii anno 1657.

D E R E S C R I P T I S.

Idem Innocentius III. Epiſcopo Imolen.

C A P U T XXVI.

1 Dilectus filius Abbas S. Stephani Bonon. nobis per ſuas literas intimavit, quòd cùm ipſe (cui viſitationis officium in civitate ac diœceſ. Bonon. commiſimus) B. & A presbyteros ab Eccleſiis ſuis (propter eorum graves, & manifeſtos exceſſus) duxerit amovendos, iidem ſuper reſtitutione noſtras ad te in communi forma literas impetrarunt, de amotionis ſuæ cauſa, & excommunicationis qua tenentur adſtricti, nullam facientes penitùs mentionem. Nos igitur fraternitati tuæ mandamus quatenùs (ſi eſt ita) literas ipſas tamquam per veri ſuppreſſionem obtentas viribus carere decernas.

S U M M A R I U M.

1 *Reſcriptum ſuper reſtitutione beneficii non valet tacita cauſa excommunicationis, & privationis impetrantis, & n. 7.*
2 *Judex admitti debet ad defendendam ſententiam ſuam.*
3 *Judici etſi non fiat injuria per appellationem, fit tamen aliquale præjudicium ex retractione ſententiæ.*
4 *Judex, qui malè judicavit, qualiter ſit puniendus.*
5 *Judex à quo, regulariter non eſt citandus in cauſa appellationis, ſi proceſſerit per requiſitionem, ſeu ad inſtantiam partis.*
6 *Secus ſi ex officio.*
7 *Agens poſſeſſorio recuperandæ repellitur exceptione amotionis à beneficio, & excommunicationis.*
8 *In reſcripto non ſufficit factum narrare, niſi cauſa facti adjiciatur, quam judex prætendit.*
9 *Et de pluribus cauſis faciend: eſt mentio, ſi plures ſint.*
10 *Modus itidem exprimendus, ſi cauſam dandi, vel negandi præſtaret.*

11 *Reſ-*

11 *Reſcriptum non valet, cum proceſſus ſupprimitur.*
12 *Reſcriptum redditur ſubreptitium non ſolum tacendo id quod eſt factum, ſed etiam tacendo, quomodo, & ex qua cauſa ſit factum.*
13 *Princeps ex generalitate facilè poteſt circumveniri.*
14 *Viſitator generaliter datus à Papa poteſt Clericos beneficiis privare propter eorum graves, & manifeſtos exceſſus.*
15 *Declaratur procedere, ſi hoc habeat ex literis delegationis, aliàs ſecus, & n. ſeqq.*
16 *Delegatus non poteſt beneficio privare, niſi hoc exprimat commiſſio ei facta.*
17 *Viſitator, & judex cenſetur uti poteſtate, per quam actus ſuſtinetur.*
18 *Viſitatores generales poſſunt inquirere, & referre, ſed non privare.*
19 *Intellectus c. In ſingulis, de ſtatu Monach. & n....*
20 *Privatio beneficii eſt pœna ordinaria, quæ non imponitur niſi pro graviſſimo crimine, prævia citatione, & legitimis exceptionibus diſcuſſis.*
21 *Privatus à judice non ſervante ordinem judiciorum poteſt petere reſtitutionem tamquam ſpoliatus.*
22 *Viſitator datus a Papa cenſetur datus ad corrigendum.*
23 *Viſitator poteſt à beneficiis ſuſpendere, & num. ſeqq.*
24 *Correctio an depoſitionem contineat.*
25 *Viſitator an poſſit contra contumaces ad pœnam privationis procedere.*
26 *Epiſcopus viſitans loca exempta, vel nullius diœceſis in vim Conc. Trid. an poſſit cauſas ordinarias cognoſcere, ac diffinire, & n. ſeq. uſque in fin.*
27 *Viſitationis finis quis ſit.*
28 *Viſitatio, & correctio fit ad pœnitentiam, & extra formam judicii, & n. 40. 42. & ſeqq.*
29 *Appellatio in his, ubi de viſitatione, & morum correctione agitur, ad effectum ſuſpenſivum non admittitur, niſi modus excedatur.*
30 *Appellatio in cauſis ordinariis admittitur ad utrumque effectum, etiamſi in viſitatione diœceſis cognoſcantur, & num. 32.*
31 *Epiſcopus extra viſitationem nullam habet juriſdictionem in locis nullius diœceſis, & num. 35.*
32 *Appellationis remedium ad innocentiæ præſidium inſtitutum.*
33 *Viſitatores licèt procedant ſine ſtrepitu, & figura judicii tamen legitimæ defenſiones ſemper ſunt ſalvæ.*
34 *Defenſio a judice, vel a Principe tolli non poteſt.*
35 *Epiſcopus in loco exempto non poteſt tribunal erigere.*
36 *Viſitatio debet ab Epiſcopo quam celerrimè abſolvi, debita tamen cum diligentia.*
37 *Sententia non nimia feſtinatione, ac præcipitanter ferenda eſt.*
38 *Et debent ſaltem præcedere termini ſubſtantiales.*
39 *Archiepiſcopus in viſitatione Provinciæ Epiſcopo negligente poteſt in criminibus notoriis procedere, & pœnas ordinarias imponere.*
41 *Epiſcopus in viſitatione Capituli exempti poteſt ſine adjunctis punire crimina, ſed non pœna ordinaria.*
42 *Viſitatoris regularium officium eſt abſq; judiciorum ſtrepitu intendere regulari diſciplinæ, & reformationi Ordinis.*
43 *Procuratio non debetur viſitatori, qui vadit pro cauſis expediendis.*
44 *Epiſcopus in viſitatione poteſt imponere pœnas non ordinarias, ſed eas tantum, quæ morum correctionem reſpiciunt.*
45 *Cauſæ ordinariæ extra viſitationem ſunt cognoſcendæ.*
46 *Epiſcopus in viſitatione Eccleſiæ exemptæ non debet ſpecialem inquiſitionem deſcendere, nec ſententias ferre.*

1 D*ilectus, il* 1. Reſcriptum impetratum ſuper reſtitutione beneficii non valet, ſi cauſa excommunicationis, & amotionis impetrantis mentionem non faciat. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. & omnes. Dividitur in duas partes. In prima ponitur facti narratio. In ſecunda judicis inſtructio, ibi, *Nos igitur.* Secundum Hoſt. Duo Presbyteri propter evidentes exceſſus Eccleſiis privantur. in communi forma impetrant, ut reſtituantur: literę viribus carere pronunciatur.

Nota primò ex eo, quòd hic viſitator, quia ſententiam 2
privationis tulerat, denunciavit Papæ, argumentum, quòd
Judex eſt admittendus à ſuperiore ad defendendam ſententiam ſuam, prout hic colligunt Goffred. Hoſt. *num.* 1. *in verſ. Quod cum ipſe*, Joan. Andr. *num.* 2. *in verb. Intimavit*, Bald. *num.* 4. Butr. *num.* 6. Cardin. & Anch. ambo in *primo notab.* & Abb. *num.* 6. Nam etſi judici non fiat inju- 3
ria ex eo, quod litigatores ad appellationis remedium convolaverit, ut *l. Et in majoribus, C. de appellat.* tamen infertur ei aliquale præjudicium ex retractatione ſententię arg. *l. A ſententia, ff. eod. tit.* Præterea intereſt judicis ſen- 4
tentiam ſuam tueri, quia obeſſet ei, ſi deprehenderetur iniquo animo pronunciaſſe, *c. Hoc etiam* 11. *quæſt.* 6. nam litem fecilſet ſuam, & condemnaretur in veram æſtimationem, *l. Si filiusfamilias, ff. De judic. l.* 2. *Cod. De pœn. judic. qui male judic.* Quòd ſi per imperitiam, in quantum ſuperiori æquum, & bonum videretur, ut *inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſcun. in princ. l. ult. ff. De var. & extraord. cogn.* Sin autem per ſordes, vel per gratiam iniquè judicaſſet, ſuſpenſus eſſet per menſem ab officii executione, in æſtimatione litis nihilominus condemnandus, ut in *c. Æterni*, §. *Si quis de ſentent. & re judic. lib.* 6. Ob quas rationes repellendus non eſſet judex, qui ſpontè ſe offerret ad inſtruendum
ſuperiorem ſuper proceſſu, & ſententiam ſuam defendere 5
niteretur. Dixi, qui ſpontè ſe offerret, quia regulariter judex non eſt citandus, cùm ex revocatione ſententiæ non inferatur ei directum & notabile præjudicium, *c. Venerabilibus in princ. de ſentent. excommun. lib.* 6. & notat Innocen. in *c. In noſtra de procurat.* & in *c. De cætero de tranſact.* Jo. Andr. & omnes hic teſte Felin. *nu.* 3. Cæterum hoc declaratur verum eſſe, ſi judex proceſſerit per inquiſitionem, & ad inſtantiam partis, ut in *d. cap. Venerabilibus*, & eſt communis opinio, ut teſtatur Felin. *hic num.* 4. *verſ. Sed non eſt recedendum*, quidquid contra ſcripſerit Salic. in *l. fin.*
in fine, Cod. Si reus, vel accuſ. mort. fuer. Cujus motivis 6
breviter reſpondet Felin. *d. num.* 4. Secus autem eſt, ſi judex proceſſerit ex officio, quia debet citari, ut ſententiam ſuam defendat; tum quia tenet locum partis; tum etiam quia ſua intereſt, ne poſtea puniatur, ſi comperiatur proceſſiſſe iniquo animo, vel per imprudentiam, ut probatur in *eod. c. Venerabilibus*, ſecundum Abb. *hic num.* 6. & Felin. *num.* 4. & notat gloſſ. in *cap. Cum ſpeciali in ver. Coram ſuperiore infrà de appel.* Alias quinque declarationes ad prędictam regulam, quòd judex non ſit citandus, ponit idem Felin. *à n.* 5. *verſ. Secunda declaratio uſque ad n.* 10.

Secundò, nota duas cauſas inficientes reſcriptum ad li- 7
tes. Altera eſt, cum impetratur ſuper reſtitutione beneficii, & impetrans non exprimit ſe per ſententiam fuiſſe eodem beneficio privatum. Altera, cum excommunicatus impetrat non tacta mentione excommunicationis. Tres rationes hujus ſubreptionis aſſignat gloſſ. *in ver. Excommunicationis.* Prima eſt, quia tacuit proceſſum judicis, *c. Inter de re judic.* Secunda, quia tacuit vitium ſuum; quod ſi expreſſiſſet, nullas litteras obtinuiſſet, cum ei interdicatur agere, *c. Inteleximus de judic. c. Pia de except. lib.* 6. ſecundum Innoc. *n.* 2. *in eod. ver.* Tertia, quia ingeſſit ſe communicationi fidelium, propter quod puniendus eſt, *c. Illud*, §. *Illud autem de Cler. excom. miniſt. & c. Placuit* 11. *qu.* 3. Et hinc collige duas exceptiones, quæ admittuntur contra agentem poſſeſſioni recuperandæ, videlicet ſententiam privationis, & excommunic. ſecundum Ant. de Butr. *n.* 4. & 5.

Tertiò nota ibi, *Cauſam*, in reſcripto ſuper reſtitutio- 8
ne beneficii non ſolum eſſe exprimendam ſententiam privationis, & excommunicationis, ſed etiam ipſius ſententiæ cauſam. Non enim, ut inquit Innoc. *num.* 1. *in ver. Sine cauſa*, ſufficit factum narrare, ut expoliationem, niſi quis narret cauſam facti, quæ ſi expreſſa fuiſſet, Papa veriſimiliter litteras non conceſſiſſet, ut *hic*, & in *l.* 3. *Cod. De adopt.* Idem notat gloſſ. 1. dicens non ſufficere in litteris Papę ſeriem facti narrare, niſi cauſa facti adjiciatur, arg. *c. Occidit* 23. *q. ult.* & *c. Cum cauſa infra de teſtib.* cum aliis in gloſſ. allegatis, & conſentit Joan. Andr. *num.* 7. *in ver. Admonitionis*, & Cardin. *n.* 2. *in* 6. *notab.* Quod procedit etiamſi cauſa verè non ſubſit. Nam nihilominus fieri debet mentio de illa, quam prætendit viſitator: præſumitur enim quis doloſè ſe rem negotii tacere, ſi mentionem non faciat de cauſa, quam judex prætendit, *c. Super eo de cohabit. Cleric. & mulier.* per Innoc. *hic num.* 2. *in ver. Ju-*
ribus

9 ribus carere, & Hoſt. nu. 4. verſ. *Item nota, quod non ſufficit*, & Card. n. 5. in 3. oppoſit. adeò ut etiam de pluribus cauſis facienda ſit mentio, ſi plures ſint; alias non valeret abſolutio, ut hìc, & in c. *Ex parte infra de offic. ordin.* & in c. *Cum pro cauſa de ſent. excommun.* ſecundùm Gofred. hìc
10 & Hoſt. num. 3. in verſ. *Sua cauſa*, Roman. conſ. 272. *Commiſſio impetrata, in fine*. Quinimò ſecundùm Innocentium exprimendus eſt etiam modus facti, quando modus cauſam dandi, vel negandi præſtaret, l. *Ut reſponſum*, C. *De tranſact.* Nam aliter Princeps reſcriberet, ſi actum eſſet per viam accuſationis, aliter ſi per viam inquiſitionis, argum. c. *In primis* 2. qu. 1. c. *Qualiter*, il 2. *de accuſat.* &
11 c. *Licet de Simon.* Itaque reſcriptum non valet, cùm proceſſus ſupprimitur, c. *Inter Monaſterium de ſentent. & re judic.* ſecundùm Hoſt. hìc num. 4. verſ. *Item nota quod non va-*
12 *let*. Et ex prædictis collige notabilem theoricam, videlicet reſcriptum reddi ſubreptitium non ſolùm tacendo id, quod eſt factum, ſed etiam tacendo quomodo, & ex qua cauſa ſit factum; omiſſio enim modi, & formæ vitiat diſpoſitionem, ut l. *Qui Romæ*, §. *Flavius Hermes*, ff. *de*
13 *verbor. obligat.* & c. *Piſanis de reſtit. ſpoliat.* Rationem aſſignant Roman. & Felin. *ubi ſupra*, quia ex ea generalitate, quæ obſcuritatem parit, poteſt Princeps facilè circumveniri, l. *fin. ad fin.* ibi: *Falſo ſermone ſe jactat*, C. *de dot. promiſſ.*

14 Quartò nota ibi, *Duxerit amovendos*, generalem viſitatorem poſſe Clericos beneficiis privare propter eorum graves, & manifeſtos exceſſus, juxta textum in c. *Inventum* 16. q. 7. prout hìc notant Petr. Ægidius, & Abb. Antiq. num. 2. Bald. num. 3. in 2. notab. Petr. de Anchar. nu. 2. in 2. notab. Anton. de Butr. in 1. notab. dicens Viſitatores generales datos generaliter in Eccleſiis civitatis & diœceſis habere poteſtatem procedendi ut Inquiſitores uſque ad ſententiam privationis a beneficio; & ſequitur Abbas Siculus, dicens Viſitatorem datum ad corrigendum poſſe privare beneficiis, & Felin. num. 2. Idem firmat Feder. de Sen. conſ. 55. *Per Viſitatores*, & idem Feder. conſ. 145. *Joannes Epiſcopus in tertia col.* n. 2. ubi amplius tenet Viſitatores poſſe deponere cauſa ſubſiſtente. Quòd etiam tenent hìc Jo. Andr. & Collectar. prout illos refert Bald. n. 6. *circa finem*. Quod intelligunt Petr. Ægidius, & Abb. dummodo Viſitator ſit datus à Papa, prout hìc datus fuerat, ut probatur circa princip. ibi, *Commiſimus*: alias ſecus, ut in c. *In ſingulis de ſtatu Monach.* & conſentiunt alii præallegati. Item hoc intelligit Felin. *dict.* n. 2. dummodò viſitator hoc faciat præmiſſa citatione, & legitimis exceptionibus diſcuſſis. Et ita intelligit Federicus *locis citatis*.

Moventur omnes, quia nomine viſitationis continetur correctio: propterea enim inſtituitur viſitatio, ut corrigantur, qui fuerint corrigendi, arg. c. *Ea quæ*, verſ. *Et tam in ſpiritualibus*, & verſ. *Si vero Abbates infra de ſtatu Monachor.* Nec poſſent forſan corrigi, niſi a beneficio amoverentur. Unde conſequens eſt, ut viſitator poſſit Clericos a beneficio removere etiam quos viſitando reperit criminoſos, ut hìc, & in c. *Ex litteris de exceſſ. Prælat.* in c. *Ad petitionem de accuſ.* in c. *Cum I. & A. de re judic.* & in c. 1. *de off. Vicar. lib. 6.* Non obſtat tex. in c. 1. *de tempor. ordin.* quia loquitur in occultis criminibus; text. autem noſter in manifeſtis, ut patet ibi, *Et manifeſtos*, ſecundùm Joan. Andr. & Butr. n. 8.

15 Sed tu adverte, quia etſi plerique ex DD. præallegatis ſimpliciter dicant generalem Viſitatorem datum a Papa poſſe Clericos criminoſos à beneficiis amovere; tamen hæc concluſio procedit tantùm in duobus caſibus.

Primus eſt, cum viſitator hoc habet in facultatibus. Quod non obſcurè ſentit Hoſt. hìc num. 2. in ver. *Amovendos*, dum dicit generales viſitatores non poſſe à beneficiis amovere, niſi ſint delegati, id eſt, niſi hoc habeant ex literis delegationis; & ita intelligit text. in d. c. *Cum I. & A. de ſentent. & re judic.* & in cap. *Qualiter*, il 2. *de accuſat.* prout illum declarat Cardin. hìc num. 5. *in prima oppoſitione*. Idem tenet Feder. de Sen. d. conſ. 145. ubi tandem concludit cum Lapo, viſitatorem ſimpliciter datum non poſſe deponere, niſi in ſuo mandato dicatur, *Inquiras, & corrigas*. Et conſentit Imola in *Clem. Attendentes in 6. col. de ſtatu Monachor.* & Felin. hìc num. 2. Confert quod notat
16 Joan. Andr. in c. 1. *de homicid. lib. 6.* dum dicit delegatum non poſſe aliquem privare beneficio, niſi hoc exprimat commiſſio ei facta, ſicut fuit expreſſum in c. *Quia diverſitatem de conceſſ. præben.* & in c. *Cum dilecti de accuſat.* & ſequitur Cardin. poſt Paul. in *Clem. Attendentes*, §. *Viſitatores* num. 4. in 6. *quæſtione*, *verſic. Oppono ad hoc*, & *verſic. Et ex hoc non expedit reſpondere de ſtatu Monach.* Et in hoc primo caſu intelligo hanc decretalem: ſupponendum eſt enim Abbatem S. Stephani in ſua commiſſione habuiſſe hanc facultatem amovendi Clericos à beneficiis ob eorum graves, & manifeſtos exceſſus. Neque dicas hunc intellectum eſſe divinativum, cùm de hac facultate nulla habeatur mentio in litera: obſervandum eſt enim de poteſtate Abbatis hìc non fuiſſe dubitatum, ſed tantummodò de ſubreptione literarum, eò quòd impetrans non feciſſet mentionem de cauſa amotionis, & excommunicationis. Unde in reliquis ſupponendum eſt Abbatem fuiſſe legitima poteſtate ſuffultum; alioquin à beneficio amovere non potuiſſet, ut benè conſiderat Card. n. 5. verſ. *Et vult hæc ſolutio*, ubi ait: *Iſte Abbas erat etiam delegatus, ſeu datus judex, ſeu Inquiſitor ſuper hoc; & hæc vera ſolutio, ſed divinat. Verum dic, quod hic non diſputatur de poteſtate Viſitatoris, ſed præſupponitur, quod habebat. Quando autem non eſt ſibi tributa ſpecialis poteſtas, comparari poteſt officiali Epiſcopi, qui etiam non amovet à beneficio*, c. 2. *de off. Vic. libr. 6.* Hæc ille. Et ita etiam poteſt intelli text. in c. *fin. infra de ſtatu Monach.* Idcircò enim Viſitatores illi privare poſſunt beneficiis non exemptos, quia clarè ibi hoc reperitur eis commiſſum.

Secundus caſus, in quo Viſitator poteſt Clericos bene- 17
ficiis privare, eſt, cùm ſimul eſt viſitator, & judex; cùm enim eo caſu duplicem habeat poteſtatem, videlicet viſitatoris, & judicis; dum privat Clericum beneficio, cenſetur uti ea poteſtate, per quam actus ſuſtinetur, & ſic judicis, arg. l. 2. §. 1. *verſ. Perindè*, ff. *de judic.* & fuit theorica Bald. in l. *Non codicillum num. 7. Cod. de teſtam.* ut ſcripſi plenius in c. *Cum tempore num.* 35. 38. & 39. & *ſeqq. infra de arbitr.* Et in propoſito tenet Butr. hìc num. 8. ubi dicit viſitatorem non judicem, quamvis generaliter datum à Papa, non poſſe deponere; ſecus ſi ſit Viſitator, & judex delegatus. Itaque ſi Viſitator ſit etiam judex delegatus, poteſt procedere ad ſententiam privationis: intellige, ſi hoc habeat in commiſſione. Atque ita hic caſus coincidit cum primo. Sin autem ſit ordinarius; tunc abſolutè poteſt, ſervatis tamen ſervandis, amovere Clericos à beneficio, etiam in viſitatione, & actus ſuſtinetur in radice ordinariæ juriſdictionis, licèt non debeat, cùm teneatur viſitationem celeriter abſolvere, ut dicam infra num.
36. Sed extra hos duos caſus conſtituenda eſt regula in 18
contrarium, videlicet generalem viſitatorem non poſſe quemquam à beneficio amovere. Quod tenent hìc Innoc. num. 1. Hoſt. nu. 2. Joan. Andr. num. 5. omnes in ver. *Amovendos*, Bald. num. 6. dicens cum Innocentio generales Viſitatores poſſe inquirere, & referre, ſed non privare; allegat ſimile in l. *fin. ff. de off. Præfect. vigil.* & l. *Solet*; ff. *de offic. Proconſ.* Idem firmant Lap. Feder. de Sen. Card. Imol. & Felin. ſupracitati num. 14. latè idem Card. poſt Paul. de Eleazar. in *Clem. Attendentes*, §. *Viſitatores* n. 4. in 6. qu. *de ſtatu Monachor.* ubi tandem concludit pro hac parte.

Fundatur principaliter hæc opinio ſecundùm omnes in 19
cap. *In ſingulis*, §. *Ordinentur*, verſ. *Ita quod ſi rectorem de ſtatu Monachor.* ubi eſt expreſſum viſitatores non poſſe penitùs ab adminiſtratione amovere, ſed debere Epiſcopo denuntiare, ut amoveat. Nec refert, quòd ille text. non procedat in Viſitatoribus datis à Papa, ſed ab aliis dumtaxat, ut hìc dicunt Petr. Ægid. & Abb. ſupracitati num. 14. Quoniam hæc differentia non probatur jure, ut inquit Cardin. *hic num. 5. verſ. Sed hæc diverſitas inter datum à Papa.* Quinimò ſi benè advertatur, ille textus loquitur in Viſitatore Apoſtolica auctoritate delegato, ut indicat litera ibi *Vice noſtra ſtudeant viſitare*, ubi gloſſ. exponit verba illa, *Vice noſtra*, id eſt tamquam delegati authoritate illius conſtitutionis, & Hoſt. num. 1. *in eod. ver. Tamquam delegati à nobis*.

Deinde fundatur hæc opinio, quia privatio beneficii 20
eſt pœna ordinaria, quæ non imponitur, niſi pro graviſſimo crimine, prævia citatione in judicio ordinario, & legitimis exceptionibus diſcuſſis, c. *Inventum 16. quæſt. 7.* & ibi Hugo, Archid. & Bellam. omnes in ver. *Severitate*, c. *Satis perverſus*, & ibi gl. un. 56. *diſt.* & notat hìc Felin. nu. 2.

num. 2. adeò ut privatus à judice non ſervante ordinem ju-
21 diciarium poſſit petere reſtitutionem tanquam ſpoliatus, *cap. Ad petitionem*, ibi. *Et ſi reſtituendus foret propter judiciarium ordinem non ſervatum*, *infra de accuſat. & c. In pri-*
22 *mis* 2. *q.* 1. At Viſitator non judex non poteſt in viſitatione cognoſcere cauſas ordinarias, & requirentes judicialem indaginem, ut dicam pleniſſimè in quæſtione ſequenti à *num.* 25. *uſque in finem*. Ergo nec poteſt infligere hanc pœnam privationis beneficii. Nec refragatur ratio Petri de Sampſone, Ægidii Cremonenſis, & Abbatis Antiqui, quòd Viſitator datus à Papa ſit datus ad corrigendum, & fortè viſitatus non poſſit corrigi, niſi amoveatur à beneficio. Quoniam hinc non ſequitur, ut viſitator poſſit excedere limites viſitationis, & correctionis. quæ fit ad pœnitentiam, & extra formam judicii, ut dicam infra *num.* 28. & 40. *uſque in finem*. Et viſitatum alioquin incorrigi-
23 bilem poterit ab adminiſtratione beneficii amovere, ſeu à beneficio ad tempus ſuſpendere, ſed non privare titulo, ſeu à beneficio deponere, ut in ſimili notat gloſſa in *d. cap. Ad petitionem in ver. Modus probandi in fin.* Suſpenſio enim hujuſmodi fieri poteſt etiam extrajudicialiter, & ob crimen occultum, ut hodie ſancitum eſt decreto Conc. Tridentini in *c.* 1. *ſeſſ.* 14. ut ſcripſi pleniùs in *c. Ex tenore*, &
24 in *c. Ad aures infra de tempor. ordinat.* Non obſtat, quòd verbum, *Correctionis*, etiam depoſitionem contineat, arg. *c. Contumaces* 50. *diſt.* & notat gloſſ. 1. in *c. Quærenti de verbor. ſignif.* & Card. *in d. Clement. Attendentes*, §. *Viſitatores in* 6. *qu. poſt princ. de ſtatu Monach.* Siquidem hoc procedit, ſi ſubjecta materia hoc ſuadeat; aliàs ſecus, ut patebit ex dicendis infra *num.* 28. Vel ſecundùm Hugonem verba illa, *Peregrina eis communio tribuatur*, non intelliguntur per amotionem ob officio, & beneficio, ſed per ſuſpenſionem, ut notatur in *d. c. Contumaces in gloſſ. in ver. Neglexerint.*

25 Et hinc fortè colligi poteſt notabilis limitatio ad regulam ſuperiùs propoſitam; ut ſcilicet contra contumaces, maximè ſi ſint notorii, poſſit Viſitator procedere etiam ad pœnam privationis, cùm eo caſu non ſit opus procedere ſervata tela judiciaria. Ita ſingulariter poſt Lap. notat. Card. loco proximè citato per *d. c. Contumaces*, *c. Si quis* 81. *diſt.* *c. Eleutherius* 18. *q.* 2. *c. Sciendum* 8. *q.* 1. *c. Si quis tumidus*, 15. *q.* 7. & *c. Si apud* 23. *q.* 5.

26 QUÆRO, an Epiſcopus viſitans Eccleſias exemptas, vel nullius diœceſis, in vim Conc. Trid. *c.* 8. *ſeſſ.* 7. & *cap.* 9. *ſeſſ.* 24. poſſit proceſſus judicialiter conficere, cauſaſque or-
27 dinarias cognoſcere, ac diffinire. Videtur reſpondendum non poſſe. Nam viſitationum omnium præcipuus ſcopus eſt ſacram, orthodoxamque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, & populum cohortationibus ad religionem, patientiam, innocentiamque accendere, *c.* 1. §. *Florentinum* 85. *diſt. c. Placuit* 11. *qu.* 1. *c. In ſingulis*, & *c. fin. de ſtatu Monach. c. Romana*, §. *Sanè de cenſ. in* 6. & habetur diſertis verbis in *cap.* 3. *ſeſſ.* 24. Conc. Trid. §. *Viſitationum autem.* Hæc autem non ſtrepitu judiciali, ſed paternis admonitionibus, & extrajudiciali correctione potiùs perficiuntur, ut in *c.* 1. *ſeſſ.* 13.
28 Viſitatio enim, & correctio fit ad pœnitentiam, & extra formam judicii, arg. *c. Si homo* 27. *qu.* 1. & *c. Cùm beatus*, 45. *diſt.* & notat gl. in *c. Ad noſtram in ver. Minùs infr. de appell.* Quam ſequuntur ibi Tancred. & Vinc. Hoſt. *in fin.* Anchar. *n.* 4. Abb. *n.* 7. & alii communiter. Idem dixit Calder. *conſ.* 453. *alias* 11. *verſ. Nam viſitatio.* Unde ex fine hujuſmodi ſatis probatur in viſitatione non eſſe judicialiter procedendum.

29 Secundò idem probatur, quia in his, ubi de viſitatione, & morum correctione agitur, non admittitur appellatio ad effectum ſuſpenſivum, niſi modus excedatur, *c. Licet ubi gl.* 1. & *fin.* & *c. Irrefragabili de off. ordin. d. cap. Ad noſtram*, ubi Innoc. & omnes not. *de appell.* & hodie ſtatu-
30 tum eſt decreto *c.* 10. *ſeſſ.* 24. ejuſdem Conc. Sed in cauſis ordinariis admittitur appellatio ad utrumque effectum devolutivum, & ſuſpenſivum, juxta *c.* 2. *ſeſſ.* 13. & *c.* 20. *ſeſſ.* 24. etiamſi in viſitatione diœceſis cognoſcantur, ut ſæpiùs
31 cenſuit S. Congr. Ergo dum Epiſcopus has cauſas judicialiter cognoſcit, excedit modum viſitationis, atque tranſgreditur limites ſuæ facultatis, quia extra viſitationem nullam habet juriſdictionem in locis nullius diœceſis, ut patet ex decreto *d. c.* 9. *ſeſſ.* 24. & ſæpiùs fuit reſolutum.

Et confirmatur, quia aut à ſententia diffinitiva Viſitatoris datur appellatio, aut non datur. Si dixeris dari appellationem, hoc eſt contra decretum Concilii *d. c.* 10. & jura proximè citata, quibus interdicitur appellatio in cauſis viſitationum. Item ſic nullus eſſet fructus viſitationis, 32
quia decreta omnia per appellationem ſuſpenderentur. Si dixeris non dari, hoc eſt contra *d. c.* 1. *ſeſſ.* 13. & *d. c.* 20. *ſeſſ.* 24. & contra omnia jura, quæ dicunt à ſententia diffinitiva, vel diffinitivæ vim habente poſſe appellari ad utrumque effectum, ſuſpenſivum, & devolutivum, *c. de appellationibus*, *c. Dilectus*, & *c. Ut debitus de appell.* & *c. Romana eod. tit. lib.* 6. *cum mult. ſimil.* Item eſſet in facultate Viſitatoris cognoſcendo, & diffiniendo in viſitatione cauſas ordinarias, præripere omnibus litigantibus remedium appellationis, quod ad innocentiæ præſidium jura inſtituerunt, ut in *d. c.* 1. *ſeſſ.* 13. & ad corrigendam judicantium iniquitatem, vel imperitiam, ut in *l.* 1. *ff. de appellat.* & tamen, ut inquit Feder. de Sen. *conſ.* 55. *Per Viſitatores n.* 1. *verſ. Sed certum eſt*, quomodocumque, & qua- 33
litercumque Papa mandet per Viſitatores procedi, ſive ſimpliciter, ſive de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſive præciſè ſcribat, ſemper legitimæ defenſiones ſunt ſalvæ, *c. Ex parte*, *il* 2. *de off. deleg. Clem. Paſtoralis in fine de re judic.* & *l. Sæpè, ff. de verb. oblig.* Plurimùm enim clau- 34
dicaret judicium, ſi audiretur impugnatio, & non defenſio, quæ à jure provenit naturali, & quam judici ſive Principi tollere non licet, ut in *d. Clem. Paſtoralis*, & *c. Cùm inter de except.* Supereſt igitur, ut in viſitatione nullatenùs poſſint cauſæ ordinariæ cognoſci, & diffiniri.

Tertiò idem ſuadetur, quia jure communi inſpecto non 35
licebat Epiſcopo in loco exempto tribunal erigere, aut juriſdictionem exercere, *c. Luminoſo* 18. *q.* 2. *c. Cùm Epiſcopus*, ubi gloſſ. *in ver. Non exempto de off. ordin. in* 6. Concilium verò, ut in iiſdem locis Eccleſiaſticam diſciplinam conſervaret, ac reſtitueret, conceſſit Epiſcopis jus viſitandi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, juxta *d. cap.* 8. *ſeſſ.* 7. & *d. c.* 9. *ſeſſ.* 24. Unde reliqua juriſdictio ordinaria remanet ſalva inferioribus Prælatis, utpotè illis non adempta decretis Concilii, *l. Præcipimus in fin. C. de appell.* Et eſt text. *in c. Fratres*, §. *Quod ſi contra* 16. *q.* 1. Quòd ſi Epiſcopi in viſitatione poſſent cauſas ordinarias diffinire, Concilium non nudum jus viſitandi, ſed ordinariam quoque juriſdictionem eiſdem tribuiſſet; eſſet enim in eorum facultate cauſas omnes decidere in viſitatione in fraudem privilegii exemptionis, contra text. *in c. Quantò*, ubi gloſſ. notat *in ver. Fraudem infra de privil.*

Quartò, Epiſcopus debet viſitationem quàm celerrimè 36
abſolvere, ne inutilibus ſumptibus cuiquam gravis oneroſuſve ſit, ut ſtatuitur in *c.* 3. *ſeſſ.* 24. ibi. *Studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſolvere*, & in Conc. Tolet. *c.* 4. quod refertur *in c. Inter cætera* 10. *q.* 3. decernitur, ut Epiſcopus diœceſim viſitans 37
non ampliùs, quàm una die, per unamquamque baſilicam remorandi licentiam habeat. Sed cauſas ordinarias debet Epiſcopus, ac judex matura deliberatione examinare, & ſententias non nimia feſtinatione, ac præcipitanter, ferre, *c. Cùm ex literis infra de in integr. reſt. Clem. Paſtoralis*, §. *Verùm de re jud.* & debent ſaltem præcedere termini ſub- 38
ſtantiales, Caſſad. *deciſ.* 8. *de reſcr.* Rota *dec.* 1278. *p.* 3. *diverſ.* Imò ſatis eſt, ut cauſa infra biennium à die motæ litis terminetur, juxta *c.* 20. *ſeſſ.* 24. Unde ex hac contraria procedendi ratione in viſitatione, atque in cauſis ordinariis manifeſtè apparet cauſas ordinarias non eſſe in viſitatione cognoſcendas.

Quintò, ſpeciale eſt in criminibus notoriis, cùm Epiſco- 39
pus eſt negligens, ut Archiepiſcopus viſitans Provinciam poſſit de his criminibus cognoſcere, & pœnas ordinarias imponere, *c. Romana*, §. *Sanè, verſ. Notoria verò crimina de appell. in* 6. Ergo in contrarium eſt jus commune, *l. Jus ſingulare, ff. de legib.*

Sextò, hæc opinio ſatis probatur in *d.* §. *Sanè*, ubi Præ- 40
latus in viſitatione jubetur ea, quę ad ejus officium ſpectant abſque coactione, & exactione qualibet juramenti ad emendationem per ſalubria monita, nunc levia, nunc aſpera, juxta datam à Deo prudentiam diligenter intendere.

Septimò, idem videtur probari decreto *cap.* 6. *ſeſſ.* 25. Concil. Trident. ubi conſtituitur differentia, an Epiſcopus viſitet capitula Eccleſiarum exempta, an verò procedat

41 dat extra viſitationem. Et in viſitatione quidem dicitur poſſe ſolus procedere; extra viſitationem verò nonniſi adhibitis duobus de capitulo. Et S. Cong. ejuſdem Concil. interpres jam declaravit Epiſcopum in viſitatione capituli poſſe ſolùm crimen aliquod corrigere, & punire: non tamen pœna ordinaria, ſed ea potiùs, quæ morum emendationem reſpiciat. Quòd ſi compilato proceſſu, formato judicio, prout juris fuerit, contra aliquem capitularem in viſitatione Epiſcopus procedere voluerit, ſervandam eſſe formam traditam *c. 6. ſeſſ. 25.* ut non ſolus, ſed adhibitis deputatis procedat. Patet igitur idem eſſe in viſitatione procedere, juris ordine ſervato, & extra viſitationem cauſas cognoſcere.

Octavò, pro hac ſententia eſt text. expreſſus in *c. In ſingulis*, §. *Ordinentur infrà de ſtatu Monach.* ubi Concilium generale præcipit, ut in Capitulis Provincialibus regularium deputentur religioſæ perſonæ, quæ ſingulas Abbatias ejuſdem Regni; ſeu Provinciæ, non ſolùm Monachorum, ſed etiam Monialium, tamquam delegati authoritate illius conſtitutionis ſtudeant viſitare, corrigentes, & reformantes, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere. Et mox ſubdit: *Ita quod ſi rectorem loci cognoverint ab adminiſtratione penitùs amovendum, denuntient Epiſcopo proprio, ut illum amovere procuret. Quod ſi non fecerint, viſitatores hoc referant ad Apoſtolicæ Sedis examen.* Ex quibus verbis patet Viſitatores non poſſe beneficiis privare. Nec mirum, quia cauſa hæc privationis eſt ordinaria, & judicialem requirit indaginem, ut dictum eſt ſupra *n.* 20. Atque ita per text. in *d. c. In ſingulis*, firmant Innoc. Hoſt. Jo. Andr. Butr. Card. & alii plures, quos citavi ſupra *n.* 18. Et ad hanc decretalem, & ad alia jura, quæ videntur tribuere Viſitatoribus poteſtatem amovendi à beneficio, reſponde, ut dixi ſupra *n.* 16.

42 Nonò, hoc tenet Jo. Andr. inter conſ. Feder. de Sen. *conſ. 292. col. 1. ſub n. 1. ver. Ad hoc reſpondeo*, ubi conſuluit Viſitatores ordinatos à Capitulo Provinciali Monachorum Ordinis S. Benedicti poſſe quidem viſitare Monaſteria Monialium habitus nigri. *Sed abſit*, inquit, *quod tribunal teneant vel judicialiter cognoſcant, eſt enim ipſorum officium abſque judiciorum ſtrepitu intendere regulari diſciplinæ, & reformationi ordinis.* Quod probat etiam Jo. de Imola in *c. 1. de cenſ. in 6.* ubi ait, Viſitatorem non poſſe procedere judicialiter per viam fori contentioſi, ſed extrajudicialiter per
modum fori pœnitentialis, & videtur eſſe ibi aperta deci- 43
ſio Innoc. *in ver. Viſitatis*, ibi: *Viſitare intellige, etiamſi vadat cauſa conſignandi pueros in fronte, vel conſecrandi Eccleſias, vel pro quocumque alio negotio communi, &c. Secus autem, ſi pro cauſis expediendis eat:* Sentit ergo Innocentius, Epiſcopum, dum cauſas cognoſcit, & expedit, non cenſeri viſitare, ac propterea eidem non deberi procurationem, & ſequitur ibidem Anchar. *n. 4. verſ. Secus, ſecundum Innoc. ſi vadit pro cauſis expediendis.*

Ultimò, etſi nonnulli recentiores contrarium ſenſerint 44
in hanc ſententiam videtur ſæpius reſpondiſſe S. Congreg. Conc. nam olim à Capitulo Segobicenſi conſulta, an, & ad quæ genera pœnarum poſſet Epiſcopus ſe extendere in viſitatione, & ad pœnam ordinariam delicti procedere; reſpondit poſſe imponere pœnas non quidem ordinarias, ſed eas tantum, quæ morum correctionem, & emendationem reſpiciunt. Et archidiacono Juvenacenſi poſtulanti, 45
an Epiſcopus in viſitatione poſſet cauſas ordinarias cognoſcere; reſpondit cauſas ordinarias extra viſitationem eſſe
cognoſcendas. Ac demum die 1. Februarii 1607. præcipit 46
Epiſcopo Tornacenſi, ut in viſitatione Collegiatæ Eccleſiæ exemptæ contineret ſe intra limites notiſſimos viſitationis, itaut neque ad ſpecialem inquiſitionem deſcenderet, nec proceſſus conficeret, nec ſententias ferret, ſed in his, quæ morum correctionem, atque emendationem reſpiciunt, ſine judicii ſtrepitu decerneret.

DE CONSUETUDINE.

Gregorius in regiſtro.

CAPUT I.

Conſuetudines, quæ Eccleſiis gravamen inducere dignoſcuntur, noſtra nos decet conſideratione remittere.

SUMMARIUM.

1 *Conſuetudo inferens gravamen Eccleſiis, ſeu eis oneroſa non tenet, & n. 3.*
2 *Et de facto revocari debet, n. 4.*
4 *Remittere verbum quid importet.*
5 *Conſuetudo ut ſit ſervanda, debet eſſe rationabilis, & Religioni conveniens.*
6 *Conſuetudo Eccleſiæ præjudicialis ratione caret, & num. 33.*
7 *Statutum inferens gravamen Eccleſiis non valet, etiamſi ſit legati de latere, n. 9.*
8 *Conſuetudo, & ſtatutum non differunt, niſi ſicut tacitum, & expreſſum.*
10 *Conſuetudo ut dicatur Eccleſiis oneroſa, non ſufficit qualecumque præjudicium, ſed requiritur magnum.*
11 *Quod judicis arbitrio relinquitur.*
Et quid poſt Bullam Urb. VIII. n. 21. & ſeqq.
12 *Leſio enormis, vel magna judicatur judicis arbitrio.*
13 *Eccleſia tenetur tolerare incommoda non multum lædentia propter conſuetudinis authoritatem.*
14 *A conſuetudine ſine magna cauſa non eſt recedendum.*
15 *Minima, ſeu modica in remediis ordinariis attenduntur.*
16 *Fallit propter authoritatem conſuetudinis.*
17 *Conſuetudo, qua Parochus tenetur ſuis parochianis in Paſchate dare Agnum Paſchalem, vel paſtum, aut certa die candelas de cerra alba, an valeat, & n. 18.*
19 *Et quid in conſuetudine, qua Plebanus dare debet cuilibet parochianorum certas libras carnis porcinæ ante ſolutionem decimarum.*
22 *Modica præjudicia non magnoperè curat lex.*
23 *Fallit, ſi diſpoſitio concepta ſit verbis univerſalibus, & num. ſeqq.*
24 *Verba univerſalia comprehendunt etiam minima.*
25 *Conſtitutio loquens per verba univerſalia, & geminata non recipit interpretationem reſtrictivam à jure communi.*
26 *Conſuetudo gravans Clericos, eorumque bona patrimonialia, an ſit nulla, & n. ſeqq.*
Et quid poſt Bullam Urbani VIII. n. 31.
27 *Bona patrimonialia Clericorum an gaudeant privilegio bonorum Eccleſiæ.*
28 *Præſcriptio in bonis patrimonialibus Clericorum de jure communi currit ſicut in bonis laicalibus.*
Et quid poſt Bullam Urb. VIII. & n. 3.
29 *Conſuetudo, ut Clericus teſtari poſſit de fructibus ſuæ præbendæ percipiendis poſt ejus obitum uſque ad annum, valida eſt.*
30 *Reſtitutio in integrum non datur Clerico ratione læſionis in bonis patrimonialibus, vel in redditibus Eccleſiarum ei debitis.*
32 *Conſuetudines Eccleſiis præjudiciales, per hoc cap. ſublatæ, quæ ſint, & n. ſeqq. uſque ad n. 58.*
Quid ſi conſuetudo ſit inter laicos, n. 33.
Et quid ſi præjudicet Eccleſiæ aliter, quàm reſpectu immuni-

munitatis, aut libertatis Eccleſiaſticæ, num. 34.
Et quid in conſuetudine interpretativa, n. 35.
Et quid in conſuetudine inductiva decem, vel viginti annorum, n. 37. & 42.
Et quid in centenaria, n. 40.
Et quid in quadragenaria, n. 41.
Et quid in immemorabili, n. 48.
Et quid ſi cum immemorabili concurrat fama privilegii num. 52.

33 *Conſuetudo multùm gravans Eccleſiam eſt nutritiva peccati, & imperſcriptibilis.*

35 *Conſuetudo interpretativa non cenſetur ſublata per ſtatutum tollens conſuetudinem.*

36 *Conſuetudo interpretativa favorabilior eſt, quàm inductiva, & ſufficit probare obſervantiam ſine præſcriptione.*

37 *Conſuetudo minoris temporis, quàm annorum 40. contra Eccleſiam non procedit, & n. 42.*

38 *Et quid ſi conſuetudo non ſit ſpecialiter contra Eccleſiam, ſed generaliter contra omnes.*

39 *Conſuetudo laicorum non poteſt Clericos aſtringere.*

40 *Centenaria conſuetudo, vel præſcriptio procedit etiam contra Eccleſiam Romanam, concurrentibus de jure requiſitis.*

41 *Conſuetudo, vel præſcriptio quadragenaria obtinet contra Eccleſiam, & n. 44.*

43 *Niſi magnum illi afferat præjudicium.*

45 *Beneplacitum Apoſtolicum ex curſu 30. annorum cum obſervantia ſubſequuta, præſumitur etiam contra Eccleſiam de jure communi.*

46 *Sive fuerit reſervatum, ſive non.*

47 *Secus poſt Bullam Urbani VIII.*
Negativa ſufficienter probatur ex regiſtro, in quo diſpoſitio, de qua agitur, non reperitur deſcripta, ibid.

48 *Beneplacitum quamvis præſumatur ex obſervantia 30. annorum, etiam ubi agitur de magno præjudicio, tamen ex regiſtro probari poteſt non interveniſſe.*

49 *Immemorabilis poteſt Eccleſiis præjudicare, quia habet vim tituli.*

50 *Contrarium.*
Declaratur, n. 52.

51 *Immemorabilis non habet vim privilegii, quando eſt à jure reprobata, vel quando eſt in materia, in qua non eſt veriſimile, ut Papa aliquem privilegiaverit.*

52 *Immemorabilis conſuetudo, vel præſcriptio præjudicialis Eccleſiæ, quibus caſibus tollatur per conſtitutionem Urbani VIII.*

53 *Immemorabilis à jure reprobata non ſuſtinetur poſt Bullam Urbani VIII. etiam concurrente fama privilegii Apoſtolici.*

54 *Laicus eſt incapax juris conferendi etiam ex conditione in limine fundationis, vel ex immemorabili, niſi fama pivilegii concurrat.*

55 *Item nullo unquam tempore poteſt præſcribere jus decimandi, niſi concurrente fama privilegii.*

56 *Item nec per immemorabile acquirit jus nominandi capellanos amovibiles in Parochialibus Eccleſiis, niſi cum prædicta fama.*

57 *Secus poſt Bullam Urbani VIII.*

58 *Papæ officium eſt Eccleſiarum indemnitati conſulere, & pernicioſas conſuetudines extirpare.*

59 *Conſtitutio Urb. VIII. improbans, & caſſans quæcumque præjudicialia Sedi Apoſtolicæ, vel juriſdictioni, immunitati, aut libertati Eccleſiaſticæ, Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, earumque bonis, ac juribus, per partes refertur, & n. ſeqq. uſque in fin.*

61 *Legati, & Miniſtri Apoſtolici, & feudatarii, ſine ſpeciali mandato Papæ non poſſunt quidquam præjudiciale Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis facere, ſeu tolerare.*

63 *Bulla Cœnæ Domini publicatur quotannis ad damnanda, & evitanda Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis præjudicialia, cum eorum uſibus, & obſervantiis etiam immemorabilibus, & n. 74.*

65 *Conſtitutionibus Apoſtolicis ad tollenda Eccleſiis præjudicialia, objici non poteſt, quòd non ſint publicatæ, vel uſu receptæ.*

66 *Libri continentes opiniones damnatas, vel minùs legitimas Bullarum interpretationes, etiam permiſſu Legatorum editi, non ſunt attendendi.*

67 *Moleſtiæ Legatis, & Nunciis illatæ in denegando ingreſſum in Provinciam, vel eorum facultates impediendo, ac eos expellendo, damnantur.*

68 *Collectæ Eccleſiæ ac perſonis Eccleſiaſticis, earumque bonis ſine Apoſtolica authoritate per laicos, vel alios imponi, & exigi non poſſunt, etiam à ſponte dantibus.*

69 *Laicorum attentata contra Eccleſias, ac perſonas Eccleſiaſticas, etiam ab immemorabili, & cum facta privilegii, ſunt ipſo jure nulla.*

70 *Immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ violationes generaliter improbantur, & n. 72.*
Et ad cautelam revocantur, cum conſuetudinibus etiam immemorabilibus, & cum fama privilegii, n. 74.

71 *Inveſtituræ, pignorationes, & aliæ diſpoſitiones temporales de bonis Sedis Apoſtolicæ, vel inferiorum Eccleſiarum, prorogari, aut perpetuari non poſſunt.*

72 *Immunitati Eccleſiaſticæ, & Eccleſiis, ac perſonis Eccleſiaſticis, earumque bonis præjudicialia quæcumque ſunt irrita, nec unquam fuerunt convalidata, etiam ex immemorabili cum fama privilegii, ſcientia, & permiſſione Romanorum Pontificum.*

74 *Et ad cautelam revocantur.*

75 *Et Eccleſiæ in integrum reſtituuntur.*

76 *Enuntiativæ juriſpatronatus, & quædam aliæ per injuriam miniſtrorum in expeditionibus literarum inſertæ, declarantur erroneæ, & n. ſeq.*

77 *Principes privilegia impetrantes obligantur ex ſtylo ad tuendam immunitatem Eccleſiaſticam.*

78 *Status ultimus Eccleſiarum, earumque virium non eſt attendendus, ubi de antecedenti contrario ſtatu conſtat.*

79 *Interpretatio gratiarum, & diſpoſitionum Apoſtolicarum in favorem ſupremorum Principum Regularibus, & aliis quibuſcumque interdicta eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.*

C*Onſuetudines*. Duos habet intellectus. Juxta primum, 1
& communem, hoc dicit: Conſuetudo inferens
gravamen Eccleſiis, ſeu eis oneroſa, non tenet. Sed jux- 2
ta ſecundum, quem Abb. dicit eſſe magis ſingularem, hoc intendit. Conſuetudo inferens gravamen Eccleſiis, debet judicis officio tolli. Breve eſt, & diviſionem non patitur.

Nota primò, ex hac decretali, & numquam obliviſca- 3
ris generalem regulam in favorem Eccleſiarum, ſecundùm Abb. & Dec. in 1. *not.* videlicet, conſuetudinem in Eccleſiarum præjudicium, & gravamen induci non poſſe; nam 4
verbum. *Remittere*, hìc poſitum, exponitur, id eſt, *Tollere*, & non ſecundùm eas judicare, ſecundùm Innoc. in *ver. Remittere*, cui ſubſcribunt Jo. Andr. & Card. ambo *n.* 2. vel radicitùs extirpare. ſecundùm Abb. Antiq. in *eod. ver.* & Hoſt. *n.* 8. & ſic ſupponunt DD. hujuſmodi conſuetudines non de jure, ſed de facto tolli, ac extirpari debere tamquam illicitas, & pernicioſas corruptelas; & ita declarat explicitè Card. hìc *n.* 2. *verſ. Et ſecundum prædicta*, dicens: *Et quamvis per tales conſuetudines non ligentur Eccleſiæ, tamen quia quandoque de facto gravantur, ideo revocari debent*; ad hoc *c. Mala* 8. *diſt.* & *c. Bonæ rei* 12. *q.* 2. & hic intellectus, quem Abb. hìc *in princ.* fatetur eſſe communem, hodie reperitur canonizatus in conſtitutione ſa. mem. Urbani VIII. de qua infra *nu.* 59. nam in §. *Nec non reliqua*, de quo infra in *ſummario num.* 72. conſuetudines in præjudicium Eccleſiarum declarantur eſſe ipſo jure nullæ, & quamvis poſteà caſſentur, & revocentur, id tamen dicitur fieri ad abundantiorem cautelam, & quatenùs foret opus, & nihilominùs illicitæ, irrationabileſque declarantur in §. *Et quatenus foret opus*, ut patebit infra *in ſummario n.* 74.

Pone caſum *in c.* 1. *infrà de his, quæ fiunt à majori parte Cap.* ſecundùm Innoc. & Abb. *hic in princip.* vel ſecundùm Hoſt. *num.* 5. pone exemplum in *c. Clericis de judic. in cap. Non minus*, & in *cap. Adverſus de immunit. Eccleſ.* & in *c. Novit de ſent. excomm.* Alia quinque exempla conſuetudinum Eccleſiis præjudicialium, ac reprobatarum, habes in præallegata conſtititutione Urbani in §. *Moleſtias quoque*, ut infra *in ſummario n.* 67. & *ſeqq.* & quatuor alia exempla 5
in

in §. *Inſuperque*, ut in *eod. ſummario num.* 76. *&* 77. Ratio prædictæ regulæ, ac deciſionis hujus decretalis, ea eſt, quia conſuetudo ut ſit ſervanda, debet eſſe rationabilis, & Religioni conveniens, *c. Erit autem lex* 4. *diſt.* & arg. *l. Sunt perſonæ, ff. de relig. & ſumpt. funer.* nam cum illa ſit jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex, *c. Conſuetudo* 1. *diſt. l. De quibus, ff. de legib.* ſicut lex debet eſſe rationabilis, & Religioni conveniре, ita & conſuetudo; alioquin dicenda eſt potiùs corruptela; & non ſervari, ſed magis extirpari debet, *d. cap. Mala* 8. *diſt. & cap. fin. infra eod.* At conſuetudo Eccleſiis
6 oneroſa, ſeu præjudicialis ratione caret, *c.* 1. *infra de his, quæ fiunt à majori par. Cap. c. Ad audientiam, c. Cum inter nos, & venerabilis infra eod. & c. Cùm cauſa de ſent. & re judic. gl. unic.* hìc Hoſt. *nu.* 6. *&* 7. & Abb. *in* 1. *not. verſ. Et ſi quæratur de ratione*, Jo. Andr. *ſupra in rubr. nu.* 10. *verſ. Nec obſtat*, & patet ex memorata Bulla Urbani in §. *Nec non reliqua, & §. Et quatenus foret opus*, ut infra in *ſummario n.* 72. *&* 74. Item cùm conſuetudinis ſit nutrire publicam utilitatem, quæ conſiſtit in ſacris, & ſacerdotibus, *l.* 1. *§.* 1. ... *ff. de juſt. & jur.* utique ſi ſit Eccleſiis damnoſa, & Religioni, non eſt conveniens, & per conſequens irrationabilis eſt, ut in effectu ratiocinatur Butr. hìc *nu.* 2. *&* 6. & Abb. *loco cit.*
7 Extenditur autem regula hujus text. ut procedat etiam in ſtatuto Epiſcopi, quod ſi inferat gravamen Eccleſiis,
8 non valet: idem enim eſt effectus conſuetudinis, & ſtatuti; & utrumque procedit ab eadem cauſa efficiente, nec differunt, niſi ſicut tacitum, & expreſſum; quia conſuetudo cauſatur à conſenſu tacito, conſtitutio ab expreſſo, ut *l. De quibus, ff. de legib.* & ita poſt Goffred. hìc firmant Goff. *in fin.* Card. *n.* 1. Anchar. *eod. nu. verſ. Quid in conſtitutione*, & Abb. *in* 1. *notab. verſ. Per quod arguo*, & idem Hoſt. in *c. Quæ in Eccleſiarum n.* 4. *ſupra de conſtit.* Quin-
9 imò hoc vendicat ſibi locum etiam in ſtatutis Legati de latere, ut patet in eadem Conſtitutione Urb. VIII. §. *Nihilominus*, qua declarantur irrita, & ad cautelam revocantur quæcumque Eccleſiis præjudicialia, à legatis, & aliis ibi expreſſis emanata etiam per viam declarationis, vel conſtitutionis, ut patebit infra in *ſummario nu.* 64. & vide quod legitur, & notatur *in c. Dilectus infra de off. legat.*
10 Cæterùm cùm hæc decretalis reprobet conſuetudinem, quæ infert gravamen Eccleſiis, ambigui juris eſt, de quo gravamine hoc ſit intelligendum. Nam Bellam. hìc in 2. *q.* fatetur ſe de hoc ſemper hæſitaſſe, & audiviſſe dubitari etiam per majores, nec ſe vidiſſe hoc à quoquam clarè deciſum: nimis enim generalis eſt regula, quam tradit hæc decretalis; & patet, quia omnes conſuetudines præjudicantes Eccleſiis etiam approbatæ in jure ipſis Eccleſiis gravamen inducunt. Doctores tamen conveniunt in reſtringenda generalitate hujus regulæ, licèt non eadem verborum formula utantur. Nam gloſ. hìc *in princ.* & Jo. Andr. *num.* 2. intelligunt textum de conſuetudine, quæ multum lædit Eccleſiam. Hoſt. *num.* 5. explicat verbum, *Gravamen*, ſcilicet enorme, & oneroſum, Collectar. *num.* 3. & Abb. *num.* 5. requirunt magnum, Bellam. *d. qu.* 2. magnum, & notabile, Cardin. in 2. *oppoſit.* quod gravat immodicè, Abb. in 1. *not.* non modicum, *& conſ.* 72. *In negotio numer.* 3. *lib.* 1. ait, non quamlibet conſuetudinem contra Eccleſiam eſſe nullam, ſed illam, quæ magnum præjudicium affert, & nulla ratione fulcitur: & Decius hìc in 1. *not.* reſtringit textum ad conſuetudinem multum gravantem.
11 Placet tamen opinio Bellam. *loco citato*, videlicet in gravaminibus determinatis à jure, & in his, quæ ſunt conſimilia determinatis, ſtandum eſſe juris diſpoſitioni; in aliis verò, quamvis gravamen debeat eſſe magnum, ſeu notabile, ſecundum Doctores, tamen hoc judicis arbitrio dijudicandum relinquitur, arg. *c. In cauſis infra de off. de-*
12 *legat.* ſecundum Bellam. Sic læſio enormis, vel magna judicatur judicis arbitrio, ut patet ex cumulatis à Menochio *de arbitr. judic. lib.* 2. *centur.* 1. *caſ.* 72. *n.* 5. *& caſ.* 74. *n.* 4.
13 Tenetur ergo Eccleſia propter authoritatem, conſuetudinis tolerare incommoda non multùm lædentia, prout
14 eſt caſus hìc, juncta gloſſ. ſecundùm Cardin. in 2. *oppoſ.* Neque enim à conſuetudine eſt recedendum ſine magna cauſa, *l. In rebus, ff. de conſtit. Princ. c. Cum conſuetudinis in-*
15 *fra eod.* Et quamvis in remediis ordinariis curetur etiam de modo, *c. ult.* 14. *q. ult. c. Si proponente de re* ... Card. *ſup. in proœm. in ver. Volentes in* 2. tamen hoc fallit propter 16
conſuetudinis authoritatem, ut hìc per eumdem Card. in 2. *oppoſit.*
Et ex hoc ſolvitur quæſtio de conſuetudine, quæ alicubi viget, ut Parochialium Eccleſiarum Rectores teneantur ſuis Parochianis in Paſchate dare agnum Paſchalem, vel paſtum, vel quid ſimile: nam ſecundum Card. hìc propè finem, ſi quod traditur eſt tale, ut inde Eccleſia multùm gravetur, non valet conſuetudo; aliàs ſecus, per præd. & arg. *c. Cum Apoſtolus infra de cenſ.* 17
Ex hoc etiam infert Feder. de Sen. *conſ.* 155. *incip. Quæro an laici*, ut valeat conſuetudo, quòd Presbyter debeat certa die dare Parochianis candelas de cera alba, quia conſuetudo hujuſmodi eſt modicum præjudicalis; & ſequitur Dec. hìc. *n.* 2. 18
Sed è converſo non videtur ſubſiſtere conſuetudo, quæ dicebatur vigere in Caſtro Corſiani, quòd Plebanus cuilibet Parochianorum dare deberet certas libras carnis porcinæ ante ſolutionem decimarum, quia multùm gravat Eccleſiam, ut hìc per Abb. *n.* 2. 19
Porrò ſupradicta diſtinctio inter magnum, & modicum præjudicium procedit de plano in terminis juris communis. Verùm poſt conſtitutionem Urbanam, de quia infra 20
num. 59. non videtur tranſire abſque difficultate, quia Pontifex dum reprobat conſuetudines Eccleſiæ præjudiciales, utitur verbis univerſalibus, ac geminatis, ut patet in §. *Nihilominus*, ubi irrita eſſe declarat omnia, & ſingula Eccleſiis quomodolibet præjudicialia, & quibuſvis, & ex quavis cauſa, quandocumque, qualitercumque, & quomodocumque emanata, ut infra *in ſummario num.* 64. & in §. *Nec non reliqua n.* 72. ibi, *Omnia quæcumque, & qualiacumque Eccleſiis, &c. quomodolibet præjudicialia.* Quæ quidem verba videntur comprehendere quodcumque præjudicium cujuſcumque ſit qualitatis, ex notatis per gl. *in c. Ut circa in ver. Omnia, & ſingula de elect. lib.* 6. & per Jaſonem in *l. Titia, §. fin. num.* 3. *ff. de verbor. obligat.* Nec refert, quòd de his, quæ ſunt modici præjudicii, non magnoperè curet lex, ut pluribus exemplis fusè probat Cravetta *conſil.* 182. *Videtur numer.* 15. Quoniam hoc non procedit ubi verba ſunt univerſalia. Tunc enim etiam minima veniunt in diſpoſitione, ut plenè per eumdem Cravett. *conſ.* 194. *ver. Tranſactionis, col. antepen. verſ. Secundo, & Tertio; & conſ.* 229. Jafredus *n.* 12. *verſ. Octavò conſidero.* Et quamvis conſtitutio aliàs non eſſe intelligenda de quolibet præjudicio, ſed de gravi, & magno dumtaxat, ut ſic reciperet reſtrictionem, & interpretationem paſſivam à jure communi, ad *l.* 2. *C. De noxal.* tamen ſecus dicendum videtur hoc caſu propter verba univerſalia, & geminata, quæ impediunt conſtitutionem recipere interpretationem reſtrictivam, ut voluit Salic. in *dict. l.* 2. quem refert, & ſequitur Alex. *conſ.* 118. *In cauſa num.* 5. *verſ. Et tanto magis lib.* 5. *& conſ.* 35. *Viſo themate nu.* 8. *&* 9. *lib.* 9. latiſſimè Cravetta *in præcit. conſ.* 194. *per tot.* Tamen hac de re Sanctiſſimus eſſet conſulendus, cum interpretatio hujus Bullæ ſit cuilibet interdicta, & ante declarationem Apoſtolicam ſine ulla diſtinctione ad literam ſit intelligenda, ut inf. *in ſumm. n.* 79. 21 22 23 24 25
Ulterius QUÆRITUR, an diſpoſitio hujus decretalis improbans conſuetudines Eccleſiis oneroſas vendicet ſibi locum in Clericis, eorumque bonis patrimonialibus. 26
Opinionem affirmativam videtur ſequi Hoſt. hìc *n.* 5. & Jo. Andr. *n.* 1. nam ſuper *ver. Eccleſiis*, addunt, Idem in Clericis, per *c. Clericis infra de judic.* & ex hoc inferunt Ant. de Butr. *n.* 5. Jo. de Imol. *n.* 1. & Jo. de Anan. *n.* 2. ut non valeat conſuetudo gravans bona patrimonialia Clericorum, cum hæc gaudeant eodem privilegio, quo gaudent res Eccleſiarum, ut notat gl. in *c. Ex literis in ver. obligata infrà de pignor.* itaut proptereà ſicut res Eccleſiæ à laicis collectari non poſſunt, ita nec bona patrimonialia Clericorum, ſecundum eos. 27
Sed contrariam opinionem amplectitur Abb. hìc. *nu.* 3. *verſ. Sed tu adverte*; non enim ſubſiſtit fundamentum, quòd bona Clericorum fruantur eodem privilegio, quo res Eccleſiarum; imò contrariam regulam firmat idemmet Butr. in *c. Si diligenti de præſcript.* ubi aſſerit eodem privilegio Clericorum bona regulariter non potiri, niſi in caſibus in jure expreſſis, licèt quoad collectas eodem privilegio gaudeant, quia hìc caſus eſt expreſſus in jure, ut *c. fin. de*

de vit. & honeſtat. Cleric. & fatetur Abb. hìc *d.num.* 3. *ver-*
28 *ſic. Fateor tamen.* Unde ipſe putat hoc cap. non extendi ad bona patrimonialia Clericorum, tum ob regulam ſupræſcriptam, tum quia videmus hujuſmodi bona non frui privilegio rerum Eccleſiaſticorum quoad præſcriptionem: nam contra Eccleſiam non currit præſcriptio, niſi quadragenaria, ut in *c. De quarta infrà de præſcript. & in Auth. Quas actiones, Cod. De ſacroſ. Eccleſ.* at contra bona patrimonialia Clericorum currit præſcriptio, ſicut in bonis laicalibus, ut notat gloſſ. 1. in *c. Poſſeſſiones*, 16. *quæſt.* 4.
29 Tum ex doctrina Joan. Andr. *in reg. Nemo poteſt lib. 6. in Mercur.* ubi pluribus firmat valere conſuetudinem, ut Canonicus poſſit teſtari de fructibus ſuæ præbendæ percipiendis poſt ejus obitum uſque ad annum. Et dicit non obſtare hoc capitulum, quia in caſu quæſtionis ab eo formatæ non præjudicabatur Eccleſiæ, ut hìc, ſed ſucceſſori in præbenda: & ſic apertè ſentit Joan. Andr. valere conſuetudi-
30 nem inferentem gravamen nedum bonis Clericorum patrimonialibus, ſed etiam redditibus, qui eis debentur occaſione Eccleſiæ: Tum denique quia non ita judicis officio ſuccuritur bonis Clericorum, ſicut bonis Eccleſiarum; ideòque Clericus in bonis patrimonialibus non petit reſtitutionem in integrum ratione læſionis, nec in Eccleſiarum redditibus ei debitis, prout ſentit gloſſ. in *Clem. un. in ver. Eccleſia de in integrum reſtit.* & tenet Speculator. *in tit. de reſtit. in integrum*, §. *Qualiter nu.* 7. *verſ. Sed numquid Clericus.* Non obſtat *d. c. Clerici de judic.* quoniam, ut reſpondet Abbas, ille textus non reprobat conſuetudinem, niſi reſpectu privilegii ipſis Clericis tributi in favorem totius ordinis Clericalis; & ita etiam ſecundùm eum intelligi debent Hoſt. & Jo. Andr. *loc. cit.* quia loquuntur de Clericis ipſis, non autem de eorum bonis patrimonialibus.
31 Tu dicas primam opinionem hodie reperiri approbatam in ſæpiùs citata conſtitutione Urbani VIII. in qua reprobantur, & irritæ decernuntur non ſolùm conſuetudines Eccleſiis, ſed etiam perſonis Eccleſiaſticis, earumque juribus, bonis, & fructibus præjudiciales, ut in §. *Nec non reliqua*, & conſtabit infrà *in Summario num.* 72. & ſic non ſolùm Clerici, ſed etiam eorum bona patrimonialia, ſive per viam declarationis, ſive extenſionis, hodie proculdubio comprehenduntur in diſpoſitione hujus decretalis. Et ponderandum, quia text. *in cap. Non minus de immun. Eccleſ.* loquitur ſimpliciter per illa verba, *De bonis Eccleſiarum, & Clericorum*; & tamen ex illa decretali eliciunt omnes quoad immunitatem à collectis eodem privilegio potiri res Eccleſiarum, & bona patrimonialia Clericorum, ut ibi dixi in 6. not. Ergo fortiùs idem dicendum quoad diſpoſitionem hujus cap. in terminis conſtitutionis Urbani, quæ de Clericis, eorumque bonis, juribus, ac fructibus explicitè loquitur. Similiter gloſſ. *ult. in d. c. fin. de vita, & honeſtat. Clericor.* propter illa verba, quæ habentur ibi in textu, De facultatibus ſuis, generaliter ait, res Clericorum, & Eccleſiarum eodem privilegio gaudere.
32 Ultimò QUÆRITUR, de quibus conſuetudinibus hoc capitulum intelligatur.
33 Excludam caſus non dubios. Certum eſt primò textum eſſe generaliter intelligendum, etiamſi conſuetudines Eccleſiis oneroſæ ſint inter laicos, ſecundùm Card. *hic num.* 2. *verſ. Et ſecundum prædicta*; nam etſi regulariter Papa de laicis non judicet, *cap. Novit, de judic.* hoc tamen fallit ratione peccati, ut ibi, & hic; & ex hoc dicto Card. ſingulariter notat conſuetudinem inducentem Eccleſiis magnum gravamen, eſſe peccati nutritivam, & conſequenter impræſcriptibilem, ſecundùm ea, quæ leg. & not. *in c. fin. infrà eod.* & ſcripſi *in c. Extirpandæ, in* 1. *not. infrà*
34 *de præbend.* & adde, quæ dixi ſup. *num.* 6. Rurſus certum eſt, hunc textum non reſtringi ad libertatem Eccleſiaſticam, quia generaliter loquitur, & ponderat gravamen, quod infertur Eccleſiis ex conſuetudine, ſecundùm Abb. *hic in* 1. *not. verſ. Et pondera.* Et hodie expeditum eſt in præcitata Bulla Urbani VIII. in qua reprobantur conſuetudines præjudiciales non modò juriſdictioni, vel immunitati, aut libertati Eccleſiæ, ſed generaliter Eccleſiis, perſonis Eccleſiaſticis, & earum bonis, ut infrà *in Summario n.* 72.
35 Secundò, manifeſtum videtur, ex hoc cap. ſublatam non eſſe conſuetudinem interpretativam, de qua in *l. Si de interpretatione, ff. de leg.* & in *c. Cum dilectus infrà eod.* quia textus intelligi debet de conſuetudine propriè ſumpta, quæ eſt contra jus; conſuetudo autem interpretativa juri non adverſatur, ideòque non cenſetur ſublata per ſtatutum tollens conſuetudinem, ut conſulendo tenet Dec. *conſ.* 11. *Quoniam indicantium n.* 10. & poſt eum Dec. *conſ.* 124. *Poſt abſolutum n.* 28. *lib.* 3. Hujuſmodi enim conſuetudo interpretativa, ſeu juris præexiſtentis declarativa, favorabilior eſt, quàm conſuetudo diſpoſitiva; ideòque in ea ſufficit probare obſervantiam ſine præſcriptione, ut originaliter voluit 36
Nicol. de Matarellis, quem refert, & ſequitur Anton. de Butr. *in c. ult. n.* 47. *verſ. Ex his dicit Nicolaus infr. eod.* Alex. *conſ.* 8. *Et adverte nu.* 7. *& ſeqq. lib.* 2. plenè Aym. *conſ.* 201. *Præſupponitur nu.* 11. *&* 12. & reſolvit Rota apud Put. *dec.* 283. *lib.* 1. *& dec.* 256. *n.* 6. *&* 7. *p.* 2. *diverſ.* quod nota etiam pro intellectu precitatæ conſtitutionis Urbani.
Tertiò, ſi loquamur de conſuetudine inductiva, ſi illa ſit 37
decem, vel viginti annorum, res eſt extra dubium, quia contra Eccleſiam talis conſuetudo non procedit, *c. Placuit*, §. *Poteſt*, 16. *q.* 3. & notat Innoc. *in d. c. Cum dilectus n.* 5. *in ver. Talis infra eod.* ubi ait, conſuetudinem contra Eccleſiam oportere eſſe præſcriptam, & ſic non minoris tem- 38
poris, quàm annorum quadraginta, & ſequitur ibi Card. *num.* 12. *in* 6. *quæſt.* niſi fortè conſuetudo non eſſet ſpecia- 39
liter contra Eccleſiam, ſed generaliter contra omnes; quia tunc ſufficerent decem anni etiam contra Eccleſiam, ſecundùm Innoc. quod dicit eſſe notandum Cardin. ubi ſup. ſed alii contra, & benè ſecundùm Hoſt. *ibid. num.* 16. & Joan. Andr. *n.* 13. quia conſuetudo laicorum non poteſt Clericos aſtringere, ut notat idem Joan. Andr. ſupra *in rubr. num.* 10. *verſ. Nec obſtat.*
Quartò, de centenaria conſuetudine, vel præſcriptione 40
ſimiliter non eſt ambigendum, quia procedit etiam contra Eccleſiam Romanam, ut in *Auth. Quas actiones, Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quæ eſt canonizata in *c. Nemo*, 16. *q.* 1. & idcircò concurrentibus de jure requiſitis, hodie reperitur expreſsè præſervata in eadem conſtitutione Urbani VIII. in §. *Non intendimus*, ut infrà *in Summario num.* 81.
His præhabitis, duo dubia ſuperſunt examinanda. Pri- 41
mum eſt, an hæc decretalis ſuſtulerit conſuetudinem quadragenariam. Secundum, an ſuſtulerit immemorabilem.
Circa primum, pro parte affirmativa facit, quia conſuetudo, ſi ſit præſcripta ſpatio annorum quadraginta, obtinet etiam contra Eccleſiam, *cap. Cumana infra de elect. c. Cum Eccleſia Sutrina*, & ibi notatur *de cauſ. poſſeſ. & propriet.* & notat Innoc. *in c. Cum dilectus num.* 5. *in ver. Talis infra eod.* quem ibi ſequuntur Hoſt. *num.* 16. Joan. Andr. *num.* 13. Cardin. *num.* 12. *in* 6. *quæſt.* & alii communiter. Idem Jo. Monach. *in cap. Generali num.* 7. *de elect. lib.* 6. ubi firmat conſuetudinem poſſe Eccleſiis præjudicare, ſi ſit infrà hominum memoriam, & ſic annorum quadraginta.
In oppoſitum eſt veritas, quia ſi hoc cap. intelligeretur 42
de conſuetudine infrà quadraginta annos, eſſet de indubitabili, contra textum in *l. Habeo, ff. de Carbon. edict.* Nam talis conſuetudo nullo caſu procedit contra Eccleſiam, ſed tantùm contra laicos, *c. Quæ ſit long. conſuet. per tot. & l.* 2. *ff. de aqua pluv. arc.* & notant Innoc. Hoſt. & Joan. Andr. *loc. cit.* & dictum eſt ſup. *num.* 37. Ergo ſupervacaneum fuiſſet illam tollere. Nec obſtat, quod conſuetudo quadra- 43
genaria procedat etiam contra Eccleſiam, ut in contrario. Quoniam hoc locum non habet, ſi Eccleſiæ magnum inferat gravamen, ut hìc. Hodie ceſſat omnis difficultas, quia ut patebit infrà *num.* 80. in conſtitutione Urbani in §. *Præſentes quoque*, diſertis verbis reprobatur conſuetudo, & præſcriptio Eccleſiæ præjudicialis, etiamſi ſit quadraginta annorum; & quamvis poſteà in §. *Non intendimus*, præſervetur centenaria ſimpliciter, & immemorabilis in caſibus ibidem exceptis: tamen quoad quadragenariam nulla ſit præſervatio, ut infrà *in Summario n.* 81. & ſic indiſtinctè remanet ſublata, arg. *l. Præcipimus in fin. C. de appell. & l. Sancimus, C. de teſtam.*
Ex quibus etiam conſtat, hodie non procedere, quod ait Bellam. *hic num.* 1. videlicet hoc cap. non habere locum in præſcriptione, quæ induci poteſt, etiamſi ſit Eccleſiæ oneroſa, ut in *Auth. Quas actiones, Cod. de Sacroſant. Eccleſ. & in cap.* 1. *de præſcript. lib.* 6. Contrarium enim liquidò apparet ex memorata conſtitutione, quæ expreſsè loquitur tàm de conſuetudine, quàm de præſcriptione. Et quam- 44
vis fatear hoc perquam durum eſſe, cùm jura omnia admittant præſcriptionem quadragenariam etiam con-

tra

tra Eccleſiam, ut *cap. De quarta*, ibi gloſſ. 1. & DD. *cap. Ad aures*, *& c. Illud autem infrà de præſcript.* & ſexcentis ſimilibus: tamen ita lex ſcripta eſt, *leg. Proſpexi ff. Qui, & à quib.* vel certè ceſſat legis durities ex his, quę dixi ſupr. *n.6. & 33.*

45 Hinc etiam conſtat hodie non obtinere, quòd Doctores affirmant ex curſu triginta annorum cum obſervantia ſubſequuta præſumi beneplacitum Apoſtolicum interveniſſe etiam contra Eccleſiam, Anchar. *conſ.136. In conſiliis n.2.* Alexan. *conſ.17. Viſo inſtrumento num.8. lib.4.* & ſæpiùs reſolvit Rota, *ut deciſ.179. num.1. par.2. diverſ. & deciſ.202. num.7. par.7. recent.* & coram Gregor. XV. *deciſ.52. num.2.* ubi in alienatione bonorum Eccleſiæ triginta annos effectum ſortita, & in tranſactione Put. *deciſ.355. num.1. lib.1.* & in inveſtitura Rota *deciſ.407. num.7. part.4. recent.* & in permutatione fuit deciſum in cauſa Mediolanen. reſciſſionis permutationis 10. Januarii 1597. coram Cardin. Pamphilio, impreſſa apud Nicol. Garz. *de benefic. par.12. cap.2. num.185.* & approbata *in deciſ.694. num.5. par.1. recent.* & in unione beneficii liberi ad beneficium juriſpatronatus, quæ eſt valdè præjudicialis Eccleſię, cenſuit Rota *in recent.*
46 *deciſ.506. num.2. & 3. part.2.* Quod procedit ſive beneplacitum Apoſtolicum fuerit reſervatum, ſeu enunciatum, ſive non, ſecundùm communem opinionem, de qua teſtatur Felin. in *c. Albericus num.4. de teſtib.* & quàm multoties probavit Rot. Put. *d. deciſ.355. num.2. lib.1.* Seraphin. *deciſ.1042. num.3.* Rota *d. deciſ.506. num.3. par.2. & deciſ.202. num.7. part.7. recent.* & in præalleg. Mediolanen. Reſciſſionis permutationis.

47 Id inquam conſtat hodie non obtinere, quandoquidem hanc beneplaciti præſumptionem improbavit Urbana conſtitutio in his, quæ ſunt Eccleſiis præjudicialia, etiamſi beneplacitum fuerit reſervatum, vel promiſſum, ut infrà *in Summario num. 64.* Idque ob eam rationem, quia confirmationes, approbationes, & beneplacita Papæ, præſertim ubi agitur de præjudicio perpetuo, ſemper conſueverunt in ſcriptis expediri, præcipuè per litteras Apoſtolicas, ſive ſub plumbo, ſive in forma brevis ſub annulo Piſcatoris, ac proindè ſi in regiſtris Apoſtolicis, quæ fideliter cuſtodiuntur, non reperiantur regiſtrata, vel non exhibeantur originalia litterarum Apoſtolicarum, aut tranſumpta juxta formam alterius Bullæ ejuſdem Pontificis: inde deducitur, Romanos Pontifices numquam præjudicialia hujuſmodi approbaſſe, vel confirmaſſe, aut beneplacita deſuper conceſſiſſe: ut patet in §. *Quandoque confirmationes*, *& in §. Minuſque inde*, & conſtabit infrà in *Summario num. 62. & num. 73.*

Hic enim eſt optimus modus probandi negativam, ut firmat Paul. de Caſtro *in Auth. Si quis in aliquo in fin. C. de edendo*, & Ripa *in cap. Cùm Eccleſia Sutrina num. 82. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Ideòque ex regiſtro denunciationum probatur ſufficienter denunciationem non fuiſſe factam, ut ex facto reſpondit Bart. *conſ. 81. Martinus Forniconis num.2. verſ. Iſta autem negativa lib. 1.* Et ſimiliter ſi in libro, in quo collationes conſueverunt regiſtrari, non appareat collatio, ex hoc probatur concludenter poſſeſſorem eſſe intruſum, ſeu titulum non habere, ut voluit Felin. *in c. Illud nu.7. circa fin. verſ. Et idem ſi fortè probaretur*
48 *de præſumpt.* & Ripa *loco citato.* Et quamvis ex lapſu temporis annorum triginta cum obſervantia præſumatur ſolemnitas, ſeu beneplacitum Superioris, etiam ubi agitur de magno præjudicio, ſecundùm Joan. de Imol. in *cap. Pervenit*, & ibi gloſſ. 1. *de empt. & vendit.* Hoc tamen non impedit quin contrarium probari poſſit. Et probatur ſufficienter eo ipſo, quod beneplacitum in regiſtro non reperitur deſcriptum, ut ſingulariter declarat Felin. *in d. cap. Illud num.6. verſ. Secundo eſt advertendum*, *& num.7. de præſumpt.* Quod eſt notatu dignum ad dignoſcendam juſtitiam prædictæ conſtitutionis.

49 Circa ſecundum, An hoc capitulum improbans conſuetudinem Eccleſiis oneroſam comprehendat immemorabilem, Joan. Monach. *in cap. Generali num. 7. de elect. lib. 6.* tenet conſuetudinem poſſe Eccleſiis præjudicare ſi ſit ſupra hominum memoriam, quia habet vim ſtatuti, ut *leg. Hoc jure*, *§. Ductus aquæ*, *ff. De aqua quotidiana*, *& æſtiva.* Similiter Bald. *in cap. 1. in princip. 6. col. verſ. Quæro quanto tempore, qui feud. dar. poſſ.* tenet conſuetudinem, cujus initii non eſt memoria, validam eſſe, licèt ſit Eccleſiis oneroſa. Idemque firmat Card. *in Clem. 2. n. 8. quæſt. de reb. Eccleſ. non alien.* & Dec. *hic num.5.*

Sed contrarium magis probatur Collectario *hic num. 3.* 50
circa fin. ubi ait, ſententiam Joan. Monach. ſtare non poſſe per ea, quæ notantur in *c.1. infrà de his, quæ fiunt à major. par. cap.* & in *c. Cùm cauſa de re judicat.* Hæc poſterior opinio reperitur hodie approbata in conſtitutione Urbana in §. *Nec non reliqua*, ubi generaliter declaratur irrita, & ad cautelam caſſantur quæcumque præjudicialia non tantùm Sedi Apoſtolicæ, ſed etiam Eccleſiis inferioribus, & Eccleſiaſticis perſonis, earumque bonis, & damnantur, revocanturque contrariæ conſuetudines etiam immemorabiles, ut patebit infrà *in Summario Bullæ num.72. & nu.*
74. Undè non obſtat, quod immemorabilis habeat vim ti- 51
tuli, ſeu privilegii *d. §. Ductus aquæ*, quoniam hoc non procedit, ubi talis conſuetudo eſt à jure reprobata, ut in caſu præſenti, tunc enim nec vim privilegii, nec vim aliquam habet, ita Philipp. Franc. in *cap. 1. in 2. not. verſ. Imò*, tradit Hoſt. *de conſuet. lib.6.* & Put. *deciſ.466. num.4. lib.2.* quibus adde Felin. *in cap. Cùm ex officii nu.13. verſ. Secundo dico de præſcr.* ubi pluribus oſtendit titulum privilegii non probari ex curſu temporis immemorabilis, quando verſamur in materia, in qua non eſt veriſimile, ut Papa aliquem privilegiaverit, quin potiùs privilegia, quæ adeò deviant ab honeſtate, præſumi falſa, vel ſubreptitia, ut idem dixit in *cap. 2. num.16. verſ. Stylus Curiæ de reſcript.*

Cæterùm adverte, quia in eadem conſtitutione, in §. 52
Non intendimus. Pontifex declarat ſe non intendere immemorabilem tollere, niſi in caſibus, in quibus per ſacros Canones, ſeu Concilia univerſalia, vel conſtitutiones, aut diſpoſitiones Apoſtolicas illa reprobatur, ſeu illi derogatur, aut alias de jure illa non ſuffragatur, ut infra *in ſummario num. 81.* Et ita etiam limitant opinionem ſuam Cardinalis, & Dec. *locis citatis*, dicentes immemorabilem Epiſcopis per ipſam valere, niſi ſit expreſsè reprobata in aliquo caſu particulari. Quamobrem dicta conſtitutio, qua parte immemorabilem improbat, fortè parum, aut nihil operatur, cùm poſteà ſe reſtringat ad terminos juris communis.

Illud tamen admonendi ſumus, quòd in illis caſibus: 53
in quibus immemorabilis conſuetudo reperitur à jure reprobata, hodie ſuſtineri non poteſt, etiamſi cum ipſa concurrat fama privilegii Apoſtolici, cùm Bulla Urbani in *præalleg. §. Nec non reliqua*, ſuſtulerit immemorabilem etiam cum fama privilegii.

Quamobrem etſi laicus ſit incapax juris conferendi, *cap.* 54
Si quis deinceps, *cap. Per laicos*, *& cap. Laicis 16. quæſt.7.* adeòut neque ex conditione adjecta in limine fundationis illud poſſit acquirere, ut per Lambert. *de jure patr. 1. part. quæſt.9. art.1. num.70. 96 & 105.* neque ex immemorabili conſuetudine, ut firmat Roch. de Curt. in *cap. fin. hoc tit. ſect.5. num.44.* Lambert. *d. tract. in 3. par. lib.2. quæſt.1. art. 12.* Seraph. *deciſ.1372. num.3.* tamen de jure communi immemorabilis ſuffragatur, ſi fama privilegii concurrat, Felin. in *cap. Cauſam quæ à num.2. de præſcript. & in cap. Cùm contingat num.4. & 5. de for. compet.* Probus ad Monachum *in cap. Nullus num.3. de tempor. ordinat. lib.6.* Aufrer. *de poteſtat. ſæcular. ſuper Eccleſias regul.2. num.25.* Bald. *de præſcript. 1. part. 5. partis principalis quæſt. 7. à num. 16.* Creſcent. *deciſ. 1. num.2. de decim.* Put. *deciſ. 365. lib.1.* Simi- 55
liter quamvis laici ſint decimarum incapaces, nec ullo tempore poſſint illas præſcribere, *d. cap. Cauſam quæ de præſcript.* Rebuff. *de decim. quæſt. 10.* tamen poſſunt de jure communi ſi cum immemorabili concurrat fama privilegii, ut reſolvit Rota *deciſ.315. par.2. diverſor. & in recent. deciſ.698. num.2. part.3. deciſ. 545. num.1. par.4. deciſ. 22. num.14. & deciſ. 56. num. 1. part. 7.* Et eodem modo ſi jus 56
commune ſpectetur, laico immemorabilis poſſeſſio ſuffragatur ad nominandum Capellanos amovibiles in Parochialibus Eccleſiis, quando fama privilegii concurrit, Bald. *d. quæſt.7.* Anton. Gabriel. *concluſ. prima de præſcript. à num. 16.*

At hæc omnia ceſſant poſt conſtitutionem Urbani VIII. 57
quia in his, quæ ſunt præjudicialia Eccleſiis, dicta conſtitutio improbat, & annullat conſuetudines, & præſcriptiones, etiamſi ſint immemorbabiles, & cum prætenſa fama privilegii Apoſtolici, idque ob eam rationem, quia cùm privilegia hujuſmodi conſueverint in ſcriptis expediri, probatur negativa eo ipſo, quod in Regiſtris Apoſtolicis non reperiuntur regiſtrata, aut non exhibentur originalia, vel

tranſumpta: & mens Romanorum Pontificum ſemper fuit hujuſmodi præjudiciales conſuetudines numqam approbandi, ſeu confirmandi, niſi de prætenſa approbatione, vel confirmatione Apoſtolica conſtiterit ex prædictis regiſtris, aut originalibus, vel tranſumptis, ut in §. *Nec non reliqua*, & patebit infrà *in ſummario num.* 73. Hoc enim modo ſufficienter probatur negativa, ut dixi ſuprà *num.* 47. & 48.

58 Porrò cùm ad Romani Pontificis officium ſpectet Eccleſiarum indemnitati conſulere, *cap. Quæ in Eccleſiarum ſupra de conſtit. cap.* 3. *infrà de arbitr.* libertatem, immunitatemque Eccleſiaſticam tueri, *cap.* 1. *de immunit. Eccleſ. lib.* 6. & conſuetudines Eccleſiis præjudiciales, ac pernicioſas extirpare, ut ex hoc textu notant Anchar. *in primo*
59 *notab.* Cardin. & Decius uterque *in* 2. *notab.* Hinc providè ſan. mem. Urbanus VIII. conſtitutionem edidit die 5. Junii 1641. incipit, *Romanus Pontifex*, quam per partes ſingulas compendioſè hìc referendam duxi, ut uſui eſſe poſſit, cùm ſit de materia admodum gravi, & quotidie in praxi occurrente.

60 Dividitur ergo hæc conſtitutio in 8. partes. In prima narrat cauſam conſtitutionis, nempè quod aliqui Legati, & Nuntii, aliique Sedis Apoſtolicæ miniſtri, Gubernatores, ac officiales Cameræ, necnon Barones, & feudatarii præter, vel contra facultates ſibi conceſſas aliqua Sedi Apoſtolicæ, aut juriſdictioni, vel immunitati, ſeu libertati Eccleſiaſticæ Eccleſiis, ac perſonis Eccleſiaſticis, earumque bonis, & juribus præjudicialia fecerunt, ſeu tolerarunt. Quodque gratiæ, & inveſtituræ bonorum etiam juriſdictionalium ad Romanam, vel inferiores Eccleſias ſpe-
61 ctantium ad certas vitas, ſeu lineas factæ longiùs proponuntur, vel perpetuantur, cùm tamen Legati, & alii prædicti ſine ſpeciali Papæ mandato nulla hujuſmodi præjudicialia unquam tacitè, vel expreſsè facere potuerint, nec Romanis Pontificibus illa innotuerint, ſaltem cum ſuis
62 circumſtantiis. Beneplacita verò Apoſtolica, maximè ubi agitur de præjudicio perpetuo, ſemper conſueverint in ſcriptis expediri, adeòut ſi in regiſtris Apoſtolicis non reperiantur, aut non exhibeantur originalia, vel tranſumpta juxta formam alterius conſtitutionis ejuſdem Urbani edi-
63 ta die 1. Junii 1635. inde deducatur Romanos Pontifices nunquam ſuper his beneplacita conceſſiſſe. Cùm præſertim publicetur quotannis Bulla in die Cœnæ Domini pro impugnandis, & evitandis hujuſmodi præjudicialibus, quæ propterea fuerunt, ac ſunt ipſo jure nulla.

64 In ſecunda parte ibi, *nihilominus*, ad abundantiorem cautelam reprobat, & damnat, & eo ipſo nulla eſſe declarat omnia, & ſingula acta, decreta, indulta, & declarationes, concordia, & pacta etiam nomine Sedis Apoſtolicæ inita, alienationeſque officiorum, ac jurium ejuſdem Sedis, Eccleſiarumve inferiorum, & quaſcumque alias diſpoſitiones Romanæ, ſeu quibuſvis aliis Eccleſiis, ac perſonis Eccleſiaſticis, ſeu juriſdictioni, vel immunitati, aut libertati Eccleſiaſticæ quomodolibet præjudicialia à legatis, & aliis antedictis quomodocumque emanata, etiam per viam declarationis, vel conſtitutionis, ac ſub reſervatione, vel promiſſione beneplaciti Apoſtolici etiam cum executione, & longiſſima obſervantia ſubſe-
65 quuta, etiam intuitu ſupremorum Principum ex quacumque cauſa, etiam tranſactionis, vel pacis univerſalis,
66 etiam ſub prætextu, quod Bullæ Apoſtolicæ non ſint publicatæ, vel uſu receptæ, aut contrario uſu abrogatæ, etiam in permittendo editionem librorum, ut præfertur, præjudicialium, ſeu continentium opiniones damnatas, vel minùs legitimas conſtitutionum Apoſtolicarum interpretationes, vel contra diſciplinam Eccleſiaſticam.

67 In tertia parte ibi, *Moleſtias quoque*, damnet, & reprobat, & nulla eſſe declarat in ſpecie præjudicialia infraſcripta. Primò ſcilicet moleſtias, & impedimenta Legatis, & miniſtris Apoſtolicis per quoſcumque illata in denegando ingreſſum in Provinciam, vel eorum facultates impedien-
68 do, ac eos expellendo. Secundò, collectas, militum hoſpitationes, & alia onera ſuper Eccleſiis, & locis piis, ac perſonis Eccleſiaſticis, earumque bonis, ſeu fructibus per laicos, vel alios quoſcumque ſine Apoſtolica authoritate im-
69 poſita, & exacta etiam à ſpontè contribuentibus. Tertiò, moleſtationes, carcerationes, & attentata quæcumque à quibuſvis laicis contra perſonas Eccleſiaſticas, vel Eccleſias, vel earum bona, ſive jura etiam per tempus immemorabile, etiam cum forma privilegii executioni demandata.
Quartò, tranſgreſſiones Canonum, conſtitutionum Apo- 70
ſtolicarum, & generalium Conciliorum in præjudicium Sedis Apoſtolicæ, ſive juriſdictionis, vel immunitatis, aut libertatis Eccleſiaſticæ, ſeu Eccleſiarum, earumque bonorum, ſeu fructuum, etiam, ut præmittitur, effectum ſortitas. Quintò, prorogationes, & perpetuationes, gratia- 71
rum, & inveſtiturarum ad certas vitas, vel tempus jam elapſum, item pignorationum, venditionum cum pacto redimendi, aliarumque diſpoſitionum de bonis etiam feudalibus, ac juribus Sedi Apoſtolicæ, ac inferiorum Eccleſiarum quocumque tempore executioni demandatas.

In quarta parte ibi: *Nec non reliqua*, generaliter damnat, 72
& irrita eſſe declarat omnia quotcumque, & qualiacumque ſedi Apoſtolicæ, vel juriſdictioni, immunitati, aut libetati Eccleſiaſticæ, ſeu Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, earum juribus, bonis, & fructibus quomodolibet præjudicialia cum omnibus inde ſecutis, adjiciens illa non fuiſſe convalidata etiam ex immemorabili tempore cum fama privilegii Apoſtolici, juncta etiam ſcientia, & per- 73
miſſione Romanorum Pontificum. Nec inde aliquam præſumptionem beneplaciti Apoſtolici, neque aliquam bonam fidem, poſſeſſionem, aut præſcriptionem induci poſ- 74
ſe, niſi de approbatione appareat ex regiſtris Apoſtolicis; quinimò fuiſſe quotannis reprobata in Bulla Cœnæ Domini. Et ad cautelam illa reprobat, & damnat, declaratque beneplacita Apoſtolica ſemper fuiſſe denegata, & quatenus opus foret, eadem præjudicialia revocat, caſſat, & annullat cum conſuetudinibus etiam immemorabilibus, & forma privilegii, quas illicitas, irrationabileſque declarat: Sedemque Apoſtolicam, & inferiores Eccleſias, 75
ac perſonas Eccleſiaſticas in integrum reſtituit.

In quinta parte ibi, *inſuperque*, quia quandoque per mi- 76
niſtrorum incuriam in proviſionibus cathedralium narratur, & admittitur præſentatio, nominatio, vel ſupplicatio, licèt de jure partis non conſtet: & quandoque nonnulla decreta in proviſionibus Eccleſiarum apponi ſolita, narrantur per obitum expiraſſe, cùm tamen perdu- 77
rare debeant quouſque fuerint adimpleta: quandoque verò in indultis, & privilegiis omittuntur litteræ, quibus impetrantes ex ſtylo ſe obligant ad tuendam immunitatem, ac libertatem Eccleſiaſticam: & quandoque in expeditionibus gratiæ narrantur factæ in vim concordatorum cum Sede Apoſtolica initorum, quæ tamen expirarunt: declarat hujuſmodi narrationes, & admiſſiones erroneas, ac minimè præjudiciales.

In ſexta parte ibi, *ſtatutumque ultimum*, declarat, & 78
decernit ultimum ſtatutum Eccleſiarum, locorum juriſdictionalium, gratiarum & conceſſionum, jurium Apoſtolicæ Sedis, & inferiorum Eccleſiarum non eſſe attendendum, ubi de antecedenti contrario ſtatu, modo, vel forma præmiſſis conſtat.

In ſeptima parte ibi, *& quatenus*, prohibet quibuſcum- 79
que etiam regularibus interpretationem tàm hujus conſtitutionis, quàm gratiarum, ac diſpoſitionum Apoſtolicarum in favorem ſupremorum Principum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac nullitatis gerendorum, declarationemque ſibi, ac ſucceſſoribus reſervat, & ante declarationem vult Bullam hanc ad litteram eſſe intelligendam.

In octava parte ibi, *præſentes quoque*. Ponit clauſulas exe- 80
cutivas, & removet obſtacula, derogans contrariis, & in ſpecie regulæ de jure quæſito non tollendo, & conſuetudini, ſive præſcriptioni etiam quadraginta annorum, & immemorabili & cum forma privilegii, cum clauſula ſublata, & decreto irritanti. Præſervat tamen declarationes, in Romana curia factas per Rotam, vel cameram, aut alios à Papa ſpecialiter deputatos. Item præſervat centenariam præſcri- 81
ptionem concurrentibus de jure requiſitis, & immemorabilem, niſi in caſibus, in quibus per ſacros Canones, ſeu Concilia univerſalia, vel conſtitutiones Apoſtolicas illa reprobatur, ſeu illi derogatur, aut aliàs de jure illa non ſuffragatur, firma tamen remanente Bulla Cœnæ Domini.

DE CONSUETUDINE;

Innocentius III. L. Vicario noſtro apud Conſtantinopolim conſtituto.

CAPUT IV.

QUanto de benignitate: & infrà. Pervenit ad audientiam noſtram, quòd quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopolim ea Sacramenta præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore fuerunt ſolis Pontificibus reſervata, ut eſt Sacramentum confirmationis, quod chriſmando renatos, ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre: ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſolam conſuetudinem prætendentes: & infrà. Diſcretioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Presbyteris diſtrictè prohibeas, ne talia de cætero ſua temeritate præſumant, quæ licet non ſint à fidelibus contemnenda: tutiùs tamen eſt ea ſine periculo ex neceſſitate (quæ legem non habet) omittere, quàm ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate (quæ lege damnatur) non ſine gravi periculo inaniter conferantur, cùm umbra quædam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu.

S U M M A R I U M.

1 *COnſuetudo non habilitat Presbyteros ad ea, quæ ſunt reſervata ordini Epiſcopali.*

2 *Confirmationis Sacramentum conferri poteſt per ſolos Epiſcopos, non autem per ſimplices Sacerdotes.*

3 *Epiſcopis non licet, nec unquam licuit committere Sacerdoti, ut conferat Chriſma.*

4 *Papa an poſſit dare licentiam non Epiſcopo conferendi Ordines ſacros.*

5 *Conſuetudo Eccleſiæ prævalet authoritati cujuſcumque Doctoris.*

6 *Opinio Butr. & Abb. circa poteſtatem Sacerdotalem refellitur tamquam periculoſa, & n. ſeqq. uſque ad n. 20.*

7 *Epiſcopi, & Sacerdotes gradu, ordine, & poteſtate differebant etiam in primitiva Eccleſia, & num. ſeqq.*

8 *Epiſcopi in locum Apoſtolorum, Presbyteri verò in locum Diſcipulorum ſucceſſerunt, & num. 11.*

9 *Promotio non fit, niſi de minori ad majus.*

10 *Intellectus cap. Olim 95. diſt.*

Presbyteri olim nomine ab Epiſcopis non differebant, ſed propter ſchiſmata facta eſt nominum diſtinctio, ibid. & num. ſeqq.

11 *Epiſcopi, & Presbyteri unde dicti.*

12 *Presbyteros non differre ab Epiſcopis, Arrianorum fuit hæreſis.*

13 *Majorum, & minorum Sacerdotum diſcretio non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Chriſto ſumpſit exordium.*

14 *Sacerdos ſupremus in primitiva Eccleſia conſecrabatur ſpeciali conſecratione, & ad ſpecialem actum.*

15 *Epiſcopi præcipue pertinent ad hierarchicum ordinem divina ordinatione inſtitutum.*

16 *Eccleſia effectum Sacramenti impedire non poteſt, quando concurrunt ea, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti.*

17 *Presbyteri conficiunt, & Epiſcopi characterem Confirmationis, & Ordinis conferunt, non obſtante Eccleſiæ prohibitione.*

18 *Epiſcopus, vel Sacerdos excommunicatus depoſitus, & degradatus poteſtatem conſecrandi non amittunt.*

19 *Conſuetudo circa poteſtatem Presbyteris tribuendam in his, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis nihil poteſt.*

20 *Generalis Ordinis Silveſtrinorum, an poſſit ſuis ſubditis Regularibus tonſuram, & minores ordines conferre, ut conſuevit ab immemorabili tempore, num. ſeqq. uſque in fin.*

21 *Abbas non poteſt primam tonſuram, & minores conferre, niſi ſit Presbyter, & benedictus.*

22 *Abbas non benedictus, non poteſt minores ordines conferre, niſi Epiſcopus tertio requiſitus eum benedicere recuſarit.*

23 *Benedictio Abbatis eſt de ſubſtantia quoad poteſtatem ordines conferendi, ſed non quoad hoc, ut electus dicatur Abbas.*

24 *Abbas ante benedictionem poteſt exercere ea, quæ ſunt officii.*

Ordines conferre non eſt officii tantùm, ſed ordinis, ibid.

25 *Abbas benedictus conferens minores ordines ſæculari imprimit characterem, ſecus ſi non ſit benedictus.*

26 *Benedictio proportionaliter id tribuit Abbati, quod conſecratio Epiſcopo.*

Epiſcopus non conſecratus non poteſt ordines conferre, ibidem.

27 *Communicatio privilegiorum in forma communi non comprehendit facultatem conferendi ordines.*

28 *Communicatio quantumvis ampla, & generalis non comprehendit facultatem ordinandi, cùm ſit difficillimæ conceſſionis.*

29 *Abbas non benedictus, quamvis ex privilegio habeat uſum Pontificalium, non tamen poteſt ordines conferre.*

30 *Conſuetudo etiam immemorabilis ordines conferendi non ſuffragatur.*

31 *Privilegio multa acquiri poſſunt, quæ tamen non poſſunt præſcribi.*

32 *Conſuetudo conferendi Sacramenta ſolis Epiſcopis reſervata improbatur.*

33 *Immemorabilis poſſeſſio, quando habeat vim tituli.*

34 *Poſſidere qui non poteſt, is non poteſt præſcribere.*

35 *Eccleſia per ſimplicem Sacerdotem non poteſt reconciliari, & contraria conſuetudo eſt corruptela.*

36 *Ordines minores conferre eſt ordinis Epiſcopalis, non autem juriſdictionis.*

37 *Archiepiſcopus ante ſuſceptum pallium, & Epiſcopus non conſecratus poſſunt exercere, quæ ſunt juriſdictionis tantum.*

38 *Delegari poſſunt ab Epiſcopo, quæ ſunt juriſdictionis, etiam non Sacerdoti, ſed non ea, quæ ſunt ordinis.*

39 *Vicarius capituli ſede vacante ſuccedit in his, quæ ſunt juriſdictionis, non autem in his, quæ ſunt ordinis.*

40 *Degradatio, ſeu depoſitio à minoribus ordinibus eſt ordinis Epiſcopalis.*

Inſtituendi, ac deſtituendi jus manat ab eodem fonte, ibidem.

41 *Epiſcopi declarantur eſſe Presbyteris ſuperiores, & ſoli miniſtros Eccleſiæ ordinare.*

42 *Conſuetudo contra Concilia generalia validè introduci non poteſt.*

Concilia Generalia habent tacitam derogationem ad ſequentes diſpoſitiones contrarias, ibid.

Privilegium Papæ contra Concilium abſque derogatione non valet, ibid.

Q*Uanto*. Prætextu conſuetudinis Presbyteri non poſſunt in fronte chriſmare: hoc dici ſecundùm Joan. 1
Andr. Cardin. Anchar. & Imol. Sed quia hæc littera loquitur indefinitè de Sacramentis, quæ ſolis Epiſcopis ſunt reſervata, & Sacramentum Confirmationis non ponitur niſi gratia exempli, ideò ſecundùm Anton. de Butr. & Abb. generalius ſic poteſt ſummari. Conſuetudo non habilitat Presbyteros ad ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, ſeu reſervata ordini Epiſcopali. Dividitur in duas partes. In prima ponitur præſumptuoſa conſuetudo. In ſecunda illius reprobatio, ibi: *Diſcretioni*.

Nota primò, Sacramentum Confirmationis conferri 2
poſſe per ſuos Epiſcopos, non autem per ſimplices Sacerdo-

tes, concordat *c. Manus*, *& c. De his, de conſecr. diſt. 5. cap.*
Quamvis Choriepiſcopi 68. diſt. & c. un. §. Per frontis Chriſ-
mationem infr. de Sacr. Unct. ubi dicitur: cùm cæteras un-
ctiones ſimplex Sacerdos, vel Presbyter valeat exhibere,
hanc nonniſi ſummus Sacerdos, ideſt Epiſcopus debet con-
ferre. Et eſt hodie diffinitum à Conc. Trid. *ſeſſ. 7. de Confirm.*
can. 4. Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium
miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimpli-
3 cem Sacerdotem, anathema ſit. Adeòut propterea ex dele-
gatione Epiſcoporum non liceat ſimplici Sacerdoti, nec
unquam licuerit hoc Sacramentum adminiſtrare. Et in hoc
concordant omnes DD. ut inquit Innoc. *hic n.* 4. Compoſt.
eod. n. & Bellam. *n.* 6. licèt ſecus ſit in Delegatione Papæ, *c.*
Pervenit 95. *diſt.* & concludunt hìc gloſſ. Innoc. & omnes,
4 de quo pleniùs dicam in *d. §. Per frontis chriſmationem*. An
autem Papa poſſit dare licentiam non Epiſcopo conferendi
Ordines ſacros, Innoc. *hic num.* 4. recitat ſecundo loco opi-
nionem Silveſtri dicentis poſſe, dummodò talis habeat ip-
ſos Ordines, quos vult conferre: ſed contrarium ſentit D.
Thom. *in 4. diſt. 25. qu. 1. art. 1. ad* 3. ait enim: *Papa, qui ha-*
bet plenitudinem poteſtatis committere poteſt non Epiſcopo
pertinentia ad Epiſcopalem dignitatem, modo illa non ha-
beant relationem ad Corpus Chriſti verum, ideoque ex ejus
commiſſione Sacerdos ſimplex poteſt conferre ordines mino-
res, & confirmare, non autem non Sacerdos, nec Sacerdos
majores ordines, qui habent immediatam relationem ad Cor-
pus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa non habet majo-
rem poteſtatem, quam ſimplex Sacerdos. Hæc ille, quem
refert, & ſequitur Turrecr. *in cap. Pſalm. num. 3. 23. diſt.* Et
hæc opinio S. Thomæ ſervatur in practica, ut inquit Sil-
veſt. *in verb. Ordo 3. num. 7.* ideſt non apparet Eccleſiam Ro-
manam unquam demandaſſe ſimplici Sacerdoti hanc fa-
5 cultatem conferendi Ordines ſacros. Conſuetudo autem
Eccleſiæ prævalet authoritati cujuſcumque Doctoris, S.
Thom. in 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 12. Et vide Capreol. *in 4. diſt. 7.*
& Bellam. *hic num.* 7. & DD. in *d. cap. Pervenit 95. diſt.*
6 Secundò nota ſecundùm Anton. de Butr. *num. 5. in tertio*
not. & Abb. *num. 2. in ſecundo not.* ex ritu Apoſtolorum impe-
diri impreſſionem characteris in Sacramento Confirma-
tionis, & Ordinis. Nam, ut ipſi dicunt immediatè poſt
mortem Chriſti omnes Presbyteri in communi regebant
Eccleſiam, & Sacerdotes ordinabant, *cap. In novo 21. di-*
ſtin. & cap. Legimus 93. diſt. nec erant inter eos Epiſcopi,
ſed idem Presbyter, quod Epiſcopus, ut *in cap. Olim 95.*
diſt. ſed poſtmodum ad ſchiſmata ſedanda ordinaverunt
Apoſtoli, ut crearentur Epiſcopi, & certa Sacramenta eis
reſervarunt, illa interdicendo ſimplicibus Presbyteris, ut
in d. cap. Legimus. Verùm hæc doctrina eſt admodum pe-
riculoſa, & implicat tres aſſertiones omninò falſas.
7 Primò enim in eorum dictis Butr. & Abb. affirmant in
primitiva Eccleſia in collatione Sacramentorum nullam
fuiſſe differentiam inter Epiſcopos, & ſimplices Sacerdo-
tes, & conſequenter, ſummam poteſtatem ordinis eſſe
poteſtatem Sacerdotalem, itaut omnis Sacerdos ex vi po-
teſtatis Sacerdotalis poſſit omnia Sacramenta miniſtrare,
Confirmationem, omnes Ordines, omnes benedictiones, &
8 omnes conſecrationes impertiri, quod videtur erroneum,
quoniam Apoſtoli, in quorum locum Epiſcopi ſucceſſerunt
d. cap. In novo 21. diſt. fuerunt à Chriſto inſtituti gradu, po-
teſtate, & ordine majores, & ſuperiores Diſcipulis, in quo-
rum locum ſucceſſerunt Presbyteri, ut per gloſſ. *Luc.* 10.
Idque manifeſtum eſſe cuilibet fideli, dicit Card. Turrecr.
in d. cap. Legimus num. 1. verſ. Sed iſta opinio. Nos enim duo-
9 *decim elegit, quos Apoſtolos nominavit.* Matth. 10. de qui-
bus in Pſalm. 44. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem ter-*
ram. Et in Pſalm. 138. *Nimis confortatus eſt principatus co-*
rum. Quod ipſum colligitur ex electione Mathiæ, qui erat
unus ex ſeptuaginta duobus, quem, & Barnabam ſimiliter
Diſcipulum, ut gloſſ. dicit Actor. 1. *Statuerunt orantes, qui*
eorum eligeretur in opus miniſterii Apoſtolici. Hinc enim
manifeſtè patet non eſſe idem miniſterium Apoſtolorum,
& Diſcipulorum, ſed differens ſtatu, & poteſtate, quando-
quidem ſi idem ſtatus, & miniſterium eſſet Apoſtolorum,
& Diſcipulorum, fruſtrà Diſcipulus diceretur aſſumi ad id,
quod jam erat. Ad hæc *c. Legimus 93. diſt. verſ. Qui provehi-*
tur de minori ad majus provehitur. Et eodem modo Paulus,
& Barnabas inter Diſcipulos aſſumptus eſt, & conſecratus
in Epiſcopum, Actor. 12. quando Spiritus Sanctus dixit: *Se-*
gregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod aſ-
ſumpſi eos, tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis
manus dimiſerunt eos: Atque ita Paulus & Barnabas ex
Diſcipulis conſecrati ſunt Epiſcopi. Undè patet etiam in
primitiva Eccleſia extitiſſe differentiam gradus, ordinis,
& poteſtatis inter Epiſcopos, & ſimplices Sacerdotes,
quod fuſiùs probat Turrecrem. in *d. cap. Legimus, à num. 1.*
verſ. Utrum inter Epiſcopum, & Presbyterum ſemper fuerit
differentia in gradu poteſtatis, & prælationis.
Neque obſtat, quod in primitiva Eccleſia idem eſſet Pres- 10
byter qui & Epiſcopus, ut dicitur in d. *c. Olim 95. diſt.* nam
ut reſpondet S. Thom. in 2. 2. *quæſt. 184. art. 6. ad primum. De*
Presbytero, & Epiſcopo dupliciter loqui poſſumus: Uno mo-
do quantum ad nomen, & ſic olim non diſtinguebantur Epi- 11
ſcopi, & Presbyteri, nam Epiſcopi dicuntur ex eo quod ſu-
perintendunt, ſicut dicit Auguſtinus 19. Civit. Dei. Presby-
teri autem in Græco dicuntur quaſi ſeniores. Unde & Apoſto-
lus communiter utitur nomine Presbyterorum quantum ad
utroſque, cùm dicit 1. ad Tim. 5. Qui benè præſunt presbyteri
duplici honore digni habeantur, & ſimiliter etiam nomine
Epiſcoporum. Undè dicit Actor. 20. Presbyteris Epheſinæ
Eccleſiæ loquens. Attendite vobis & univerſo gregi, in quo
vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei,
ſed ſecundum rem ſemper inter eos fuit diſtinctio, etiam tem-
pore Apoſtolorum, ut patet per Dionyſ. cap. 5. Eccleſ. Hie-
rarch. & Lucæ 10. ſuper illud: Poſt hæc autem deſignavit Do-
minus, &c. Dicit gloſſ. ſicut in Apoſtolis forma eſt Epiſcopo-
rum, ſic & in Septuaginta duobus Diſcipulis forma eſt Pres-
byterorum ſecundi ordinis. Poſtmodum tamen ad ſchiſma
vitandum neceſſarium fuit, ut etiam nomina diſtinguerен-
tur, ut ſcilicet majores dicerentur Epiſcopi, minores autem
Presbyteri. Dicere autem Presbyteros non differre ab Epi- 12
ſcopis, inter dogmata hæretica numerat Auguſtinus in lib. de
hæreſ. ubi quod Arriani dicebant Presbyterum ab Epiſcopo
nulla differentia debere diſcerni. Hæc S. Thom. ſimiliter
Hugo in *d. cap. Legimus 93. diſt.* dicit ab initio differentiam
fuiſſe inter Epiſcopos, & ſimplices ſacerdotes, ſicut & nunc
eſt in adminiſtratione, & Prælatione, & in officiis, & in
Sacramentis, ſed quoad appellationem non fuiſſe differen-
tiam, quia communiter, & indifferenter illi & iſti dice-
bantur Epiſcopi, & Presbyteri, ſed quia ſchiſmata incœ-
perunt tunc in Eccleſia ex ipſa parilitate nominis, idcircò
ad ea ſubmovenda convenienter ſtatutum eſt ut ſicut poté-
ſtate differebant, ita & nominibus, *cap. in illis 80. diſt.* &
ſequuntur in eod. *cap. legimus*, Arch. *num.* 5. Turrecr. *num.* 2.
verſ. Nec obſtat, & num. 4. verſ. His habitis, & Præpoſ. *nu.*
1. & idem Turrecrem. in *d. cap. Olim in princip. 95. diſtinct.*
Secundò, affirmant Butr. & Abb. differentiam inter Epi- 13
ſcopos, & ſacerdotes quoad poteſtatem conſecrationis, &
ordinis fuiſſe introductam ex ordinatione Apoſtolorum,
quod ſimiliter videtur erroneum. Imò enim ut legitur in
can. Decretis 21. diſt. Simpliciter majorum, & minorum Sa-
cerdotum diſcretio in novo teſtamento ab ipſo Chriſto ſumpſit
exordium, qui duodecim Apoſtolos tamquam majores ſacer-
dotes, & Septuaginta duos Diſcipulos quaſi minores ſacer-
dotes inſtituit. Hæc ibi: Quemadmodum enim in veteri 14
lege, quæ figura fuit novæ, ad *Hebr.* 7. ſupremus Sacer-
dos ex ordinatione divina conſecrabatur ſpeciali conſecra-
tione, & ad ſpecialem actum ultra ſimplices Sacerdotes,
ut patet Levit. 8. ſic & in nova lege dicendum eſt ex divina
ordinatione conſtitutum eſſe ut Epiſcopus, qui eſt ſum-
mus Sacerdos, conſecretur ad ſpecialem actum, qui ei ſo-
li competit, qui eſt miniſtros ordinare, & hujuſmodi,
quæ ſolis Epiſcopis conveniunt. Quo argumento utitur
Gratianus in *d. can. Decretis, verſ. Summi enim Pontifices*, 15
Et Turrecrem. *in præalleg. cap. Legimus 93. diſt. num. 4. verſ.*
Secunda concluſio. Quæ multò clariùs procedunt poſt Con-
cilium Trident. quod in *c. 4. ſeſſ. 23. de Sacram. Ordinis jun-*
cto can. 6. declarat præter cæteros Eccleſiaſticos gradus Epi-
ſcoporum, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad
hierarchicum ordinem divina ordinatione inſtitutum præ-
cipuè pertinere, & poſitos, ſicut Apoſtolus ait, à Spiritu
ſancto regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores
eſſe, at Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros
Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque agere ipſos poſſe,
quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis
nullam habent. Et in *can. 7.* ſubjicit anathemati contrarium
dicentes. Quamobrem hodie hæreticum eſſe affirmare
Epi-

Epiſcopus non eſſe Presbyteris ſuperiores ex inſtitutione
divina, tenet Vaſq. *in* 3. *par. D.Th.tom.*3. *diſp.*240. *c.*3. *n.*26.
16 Tertiò affirmant Butr. & Abb. ex ritu Apoſtolorum fa-
ctum eſſe, ut ſimplices Sacerdotes adminiſtrando Sacra-
mentum Confirmationis, & Ordinis, non imprimant cha-
racterem. Quod ſimiliter ſtare non poteſt, quia Eccleſia
non poteſt impedire effectum Sacramenti, quando concur-
runt ea, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, *c. Ordinationes*
9.q.1. c. Quod quidam 1. q.1. Undè ſi verum eſſet ſimplicem
Sacerdotem ex ordinatione Chriſti eſſe verum Miniſtrum
Sacramenti Chriſmatis, & Ordinis, non potuiſſet ab Eccle-
ſia impediri impreſſio characteris, neque enim quicumque
effectus, puta ſcandalum, vel ſchiſma poteſt effectum Sacra-
menti impedire, ut inquit Turrecrem. in *d. cap. Legimus* 93.
17 *diſt. num.*2. *verſ. Tertiò probatur concluſio*. Et propterea Bel-
lam. *hic num.*9. poſt Henric. *verſ. Henricum vero*, concludit
Presbyteros conficere, & Epiſcopus characterem Confir-
mationis, & Ordinis conferre, non obſtante quavis Eccleſię
prohibitione, allegat Archid. *in cap. Manus de conſecr. di-*
18 *ſtin.*5. & Guilel. de Monte Laud. *in Clem. Pleriſque de elect.*
& tenet hìc expreſsè Innoc. *num.*4. Qua ratione factum eſt,
ut Sacerdos & Epiſcopus etiam excommunicatus, depoſi-
tus, & degradatus retineat poteſtatem conſecrandi, quia
ordinem non amittit, ſed tantùm jus conſecrandi ſibi au-
fertur, & ideò ſi conſecrat, peccat, ſed tamen conſecra-
tum eſt, Epiſcopus enim non dedit ordinem, ſed Deus per
miniſterium Epiſcopi, & Deus poſſet auferre, non Epi-
ſcopus, quia non eſt conſtitutus miniſter auferendi ordi-
nem, ſicut conferendi, quia propter efficaciam conſecra-
tionis debet eſſe ordo perpetuus, ut formaliter inquit Div.
Thom. *in* 4. *diſt.*13. *q.*1. *art.*1. *q.*4. *in corp. & ad* 2. Et hanc di-
cit veriſſimam opinionem Silveſt. *in ver. Degradatio nu.* 9.
19 Tertiò nota circa poteſtatem inferioribus Sacerdotibus
tribuendam in his, quæ ſunt Ordinis Epiſcop. conſuetudi-
nem nihil poſſe, ut hìc per But. *n.*7. Imol. *n.*2. *in ult. not.* Abb.
*n.*2. & reliquos omnes. An autem hoc vendicet ſibi locum
ſi conſuetudo ſit immemorabilis, dicam plenè *in qu. ſeqq.*
20 Ex facto quæſitum eſt, An generalis Ordinis Silveſtri-
norum poſſit ſuis ſubditis Regularibus primam tonſuram,
& minores ordines conferre, prout ab immemorabili tem-
pore conferre conſuevit.
21 Videtur reſpondendum non poſſe. Nam ex juris com-
munis diſpoſitione ad hoc, ut Abbas ſuos ſubditos ordini-
bus minoribus initiare valeat, duo neceſſariò requirun-
tur, ideſt, ut ſit ſolemniter benedictus, & Presbyter, ut ſta-
tutum eſt in ſeptima Synodo relata in *c. Quoniam 69. diſt.*
& in cap. Cùm contingat de ætat. & qualit. his verbis: Dum-
modò ipſius ab Epiſcopo ſecundùm morem præficiendorum
Abbatum manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum
exiſtere Sacerdotem per primam tonſuram juxta formam
Eccleſiæ datam, a talibus Clericis ordo confertur. Ex qui-
bus verbis, præſertim ponderando dictionem illam, *dum-*
modo, quæ facit diſpoſitionem conditionalem, adeòut niſi
verificetur qualitas illa adjecta, diſpoſitio locum non ha-
beat, *cap. fin. in fin. de translat. Epiſcop. c. Ex tuarum in fin. de*
uſu pall. Gemin. *conſ.*96. Pro hujus dubii declaratione *nu.*4.
verſ. Nam hæc dictio, dummodò ſatis clarè colligitur duas
conditiones eſſe neceſſarias ad hoc, ut per primam tonſu-
ram Abbas conferat ordinem Clericalem, & inter has
conditiones primo loco requiritur, ut ei manus impoſitio
per Epiſcopum facta ſit. Quæ quidem manus impoſitio ni-
hil eſt aliud, quam ſolemnis benedictio: ut illic gloſſ. & Do-
22 ctor. interpretantur. Et dixi in *cap. Presbyter de Sacram.*
non iteran. Idem probat text. *in cap.* 1. *de ſuppl. neglig. Præ-*
lat. ubi ita demum Abbas non benedictus poteſt ſuos Mo-
nachos benedicere, & ordinare, ſi Epiſcopus tertiò requi-
ſitus eumdem Abbatem benedicere recuſaverit: quod in-
dicat ſemota Epiſcopi recuſatione, Abbatem non benedi-
ctum non poſſe ſuos ſubditos ordinare, cùm Pontifex il-
lud conceſſerit in odium Epiſcoporum, ne propterea in
ſpiritualibus patiantur Monaſteria detrimentum propter
Epiſcoporum negligentiam, ut ibi animadvertit gloſſ. in
verb. Alia. Atque ita ſimplices Abbates, quibus manus
impoſitio per Epiſcopum facta non eſt, prorſus carere po-
teſtate Ordines conferendi, ſcripſerunt in *d. c. Cùm contin-*
gat, Hoſt. Jo: Andr. Ant. de Butr. Abb. & alii omnes, Bertac.
*in tract. de Epiſcopis lib.*3. *par.*2. *num.*9. Silveſt. *in ver. Ordo*
tertiò ſub num. 2. *verſ. Simplices vero Abbates*, Rebuff. *in*

*prax. tit. de Cleric. & à quibus, & quomodo num.*14. & Gabr.
*conſ.*181. *num.*27. *in fine*, *& num.* 29. *lib.*2. Neque obſtant 23
DD. in contrarium allegati, quia non dicunt benedictio-
nem non eſſe de ſubſtantia ad effectum conferendi Ordi-
nes, id enim eſſet contra canones ſuperiùs relatos, ſed ſo-
lùm dicunt eam non eſſe de ſubſtantia ad hoc, ut electus
dicatur Abbas: nam etiam ſine benedictione Abbas eſt.
Atque ita loquitur Card. in *Clem. Attendentes, §. Statuimus*
*quæſtione 6. num.*2. *in fin. de ſtat. Monach.* Felin. *in c. Eam te*
*num.*7. *de reſcr.* Joan. de Selva *de benef. qu.*38. *num.*6. *&* 7. *&*
*qu.*2. *num.*78. *& ſeqq.* Et quamvis iidem aſſerant, Abbatem
ante benedictionem poſſe exercere ea, quæ ſunt officii, 24
ordines tamen conferre non eſt officii tantùm, ſed ordi-
nis, ut ait Innocen. in *d. cap.* 1. *num.*2. *de ſupplen. negligen.*
Prælat. atque ibi etiam Bellam. *num.*11. *circ. princ. verſ. Di-*
cit tamen, & Cardin. *col.*2. *ante fin. verſ. Et hoc videtur ſen-*
tire. Nec aliud ſtatuitur decreto *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. Concil.
Trident. nam ibi tantùm prohibentur Abbates conferre or-
dines cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit. Undè
non poteſt deſumi à contrario ſenſu, ut ſuo ſubdito regula-
ri cuilibet Abbas poſſit conferre ordines, ſed ita demum ſi
habeat qualitates à ſacris canonibus requiſitas, cùm Con-
cilium hac in parte nihil diſponat, recipiatque declaratio-
nem, atque interpretationem paſſivam à jure communi,
*leg.*2. *Cod. de noxal.* gloſſ. Bart. & DD. *in leg. Sciendum, ff.*
Qui ſatiſd. cog. Atque ita hanc ſententiam aliàs ſecuta eſt
Sacra Congregatio Concilii, declaravit enim ſæcularem
tonſuratum ab Abbate benedicto, vel habente privilegium,
ut poſſit ea omnia, quæ poteſt Abbas benedictus, quamvis
ab eo non debuerit ordinari ob demptam ſibi à Concilio
juriſdictionem, recepiſſe tamen characterem: ſecus verò 25
ſi Abbas non eſſet benedictus, vel tale privilegium non
haberet, cum eo caſu prorſus careat ordinandi poteſtate.
Itaque Generalis Silveſtrinorum quatenus ſit Abbas, quod
tamen eſt ſatis dubium, ut in facto deducitur, tamen cùm
non ſit benedictus, ut eſt in confeſſo, nullo modo poteſt
de jure communi minores ordines conferre, id enim pro-
portionaliter præſtat benedictio Abbatibus, quod conſe-
cratio Epiſcopis, Felin. *in cap. Inter Monaſterium in prin-* 26
cip. de re judic. & ſcriptum pleniùs *in cap.* 1. *in* 4. *notab. de*
ſuppl. neglig. Prælator. ideòque non poteſt conferre ordines
Abbas ante benedictionem, ſicut non poteſt Epiſcopus
ante conſecrationem, *cap. Transmiſſa*, ubi gloſ. *in verb.*
De talibus, *& cap. quod ſicut*, *§. Præterea de elect.*
Ex privilegiis autem Generalis ſimiliter non videtur
hanc facultatem habere. Nam quod pertinet ad communi-
cationem privilegiorum, quamvis Paulus V. extenderit
omnia privilegia ordinum tàm Mendicantium, quàm non
Mendicantium ad Congregationem Silveſtrinorum: in
litteris tamen Apoſtolicis adeſt clauſula, dummodò privile-
gia ſacris canonibus, & Trid. Conc. decretis non ſint con-
traria. Atque ita hæc communicatio non comprehendit fa- 27
cultatem conferendi ordines, quę in Abbate non benedicto
eſt contra canones, ut *in d. c. Quoniam, & c. Cùm contingat.*
Rurſus quamvis idem Pontifex conceſſerit Monaſterio
Gualdi ejuſdem ordinis Nucerinæ diœceſis omnia privile-
gia, quæ competunt univerſo ordini S. Benedicti. Certum
eſt tamen hoc privilegium extendi non poſſe ad facultatem
ordinandi quam habent Abbates S. Benedicti, quia in eo-
dem Monaſterio nullus Abbas degit, ſed tantùm ſimplex
Prior, cui non congruit prædicta facultas, nec unquam illa
uſus eſt. Undè cum eam non habeat ſuperior ipſius Mona-
ſterii, cui localiter conceſſum eſt privilegium, longè minus
illam habebit Generalis, qui nititur ſola communicatione,
& extenſione ejuſdem privilegii, arg. *l. Nemo plus juris, ff. de*
reg. jur. cum concord. de quibus ibi per gloſſ. At propterea ab- 28
ſolutum eſt hujuſmodi communicationes quantumvis am-
plas, & generales nunquam comprehédere ea, quæ ſunt Or-
dinis, cùm ſint difficillimæ conceſſionis, ut in ſpecie pleniſ-
ſimè conſulit Ant. de Butr. *conſ.*19. Quod ſæpiùs fuit appro-
batum in Rota, & in Congregatione Concilii in caſibus
cōtingentibus. Privilegium verò quod affertur Nicolai IV.
tantùm concedit Generali uſum inſignium Pontificalium
his verbis: *Ut tu, & ſucceſſores tui, qui erunt pro tempore Ge-*
nerales dicti ordinis, mitra decorati, annulo, & aliis quibuſ-
cumque Pontificalibus inſigniis uti, & poſt Miſſarum ſole-
mnia ſuper populum benedictionem ſolemnem elargiri liberè
poſſitis, &c. Hoc autē privilegiū nullo modo cōprehēdit fa- 29

culratem exercendi ea, quæ ſunt ordinis, ut probat text. juncta gloſſ. *in verb. Tonſuram in c. Abbates de privil. in 6.* ibi enim diſponitur, ut Abbas, qui ex indulto Apoſtolico poteſt uti Pontificalibus, poſſit etiam conferre tonſuram ſuis ſubditis, gloſſ. verò. Et hoc intellige, inquit, ſecundùm determinationem *d. c. Cum contingat de Abbate benedicto, & Presbytero*, & ſequitur ibidem Anchar. *ſub nu. 3.* Et hanc ſententiam probavit S. Congreg. in Abbate Monaſt. B. Mariæ de Laude Tornacen. diœceſis, cenſuit enim ejuſmodi Abbatem potuiſſe regularibus ſibi ſubditis conferre primam tonſuram, ac minores ordines, quamvis in indulto Apoſtolico, quo eidem conceditur uſus Mitræ, & Baculi, nulla de ejuſmodi facultate habeatur mentio, dummodò tamen fuerit ſolemniter benedictus, & Presbyter. Ratio eſt, quia inſignia Pontificalia ſunt potiùs dignitatis, quàm ordinis Epiſcopalis, & hoc præſtant Abbatibus, quod genitalia mulis, ut dicit Jo: Andr. *in cap. Ut Apoſtolicæ de privileg.* & Præpoſ. *in cap. Quoniam num. 569. diſt.* ideòque ex conceſſione unius non infertur ad aliud, ut *in d. cap. Abbates*, poſt Flor. tradunt Gem. & Fran. *propè fin.* & Card. *in d. Clem. Attendentes, §. Statuimus ante nu. 4. de ſtat. Monach.*

30 Denique non ſuffragatur Generalibus, quòd ab immemorabili tempore ſuis ſubditis minores ordines contulerint, quia ea, quæ ſunt ordinis, nullo tempore præſcribuntur: ut eſt textus clarus hìc, ubi omnes notant, ut dixi ſupra in 3. *not.* & in terminis Abbatis allegantis conſuetudinem pro minorum ordinum collatione, poſt Joan. Andr. concludit Archid. in *d. cap. Abbates ſub num. 2.* & Gemin. qui eam conſuetudinem irrationabilem appellat, & Henric. Boich. *in d. cap. Cum contingat in fin.*

In Congregatione Concilii habita die 20. Decembris proximi præteriti propoſitum fuit dubium, An Generalis Silveſtrinorum poſſit ſuis ſubditis regularibus primam tonſuram, & minores ordines conferre. Et quod pertinet ad juris communis diſpoſitionem, cenſuerunt omnes Generali hanc facultatem non competere, cùm non conſtet eum eſſe Abbatem, & benedictum, ut requirit text. in *cap. Quoniam 69. diſt. & in cap. Cum contingat de ætat. & qualitat.* Præterea cenſuerunt, neque ex privilegio Generalem habere hanc poteſtatem minores ordines conferendi, quia communicatio privilegiorum ordinis Sancti Benedicti, præterquam quod habet clauſulam, *dummodo privilegia ſacris Canonibus, & Tridentini Concilii decretis non adverſentur*: non extenditur ad ea, quæ ſunt ordinis, cùm ſint difficilis conceſſionis, juxta *conſ.* 19. Ant. de Butr. Et privilegium utendi inſigniis Pontificalibus, quòd habent Generales Sileſtrinorum non importat facultatem conferendi minores ordines, text. juncta gloſſ. *in ver. Tonſuram in cap. Abbates de privil. in 6.* & alias cenſuit S. Congregatio ſimiliter per textum hìc, majori parte Patres exiſtimarunt, non ſuffragari conſuetudinem, & ſecundùm quam Generales pro tempore dictæ religionis dicuntur ab immemorabili tempore minores ordines contuliſſe.

31 Sed quia aliquibus viſum eſt immemorabilem conſuetudinem habere vim privilegii Apoſtolici *c. Super quibuſdam*, & ibi gloſſ. *in ver. Non extat memoria de verbor. ſignific.* & facere ut præſumatur, melior titulus de mundo, ut ubique dicunt DD. quos citat Menoch. *conſ. 90. num. 65. & conſ. 80. num. 43.* Rota *deciſ. 249. num. 4. par. 5. recent.* ideò placuit Patribus ſuper hac conſuetudine rurſus audire Generalem.

32 In qua dubitatione videtur reſpondendum, ejuſmodi conſuetudinem utcumque immemorabilem non valere. Nam ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, nullo unquam tempore præſcribuntur, ſed facultas minores ordines conferendi eſt ordinis Epiſcopalis: ergo nullo tempore præſcribitur: Major propoſitio probatur apertè in hac decretali, ubi improbatur conſuetudo quorumdam Sacerdotum, qui præſumebant conferre Sacramenta ſolis Epiſcopis reſervata, atque hinc omnes colligunt ea, quæ ſunt reſervata ordini Epiſcopali non poſſe acquiri per præſcriptionem etiam immemorabilem. Ratio eſt, quia ſimplex Sacerdos abſque Apoſtolico privilegio non eſt capax exercen-
33 di ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, & præſcriptio immemorabilis ita demùm æquipollet privilegio, & habet vim tituli, ſi is qui vult præſcribere ſit capax, ut notat expreſsè Abbas *hìc num. 2.* his verbis: *Nota unam regulam mente tenendum, quod ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis non poſſunt acquiri per inferiorem ex conſuetudine quantumcumque vetuſtiſſima: nam poſſeſſio temporis, cujus initii non eſt memoria, habet vim tituli quando datur capacitas in exercente, alias non.* Et ſic limita *cap. 1. de præſcr. lib. 6. & leg. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff. De aqua quotid. & æſtiva*, & allegat Joan. Andr. idem dicentem *in c. 1. de præb. in 6.* Idem notat gloſ. 1. *in cap. Illud 43. diſtinct.* Cardin. *conſ. 57. num. 3.* Felin. poſt alios in *cap. Cum conting. ut num. 4. verſ. Secundo fallit de foro compet.* Pariſ. *in cap. Cum nobis num. 5. & ſeqq. de præſcr.* Bald. *in tract. de præſcript. in prima parte quintæ partis principalis in 7. quæſt. num. 53.* & alii relati ab Anton. Gabr. *commun. concl. lib. 5. de præſcr. concl. 1. num. 16.* Et inde fit, ut multa acquiri poſſint per privilegium, quæ tamen non poſſunt acquiri per præſcriptionem immemorabilem, ut notatur *in d. cap. 2. de præbend. in 6. In d. c. Cauſam, & in c. Accedens de præſcr.* & tradit Bart. Soccin. *in conſ. 260. vol. 2. num. 22. verſ. Videmus enim quod multa privilegia concedi poſſunt, quæ immemorabili præſcriptione non quæruntur.* Etenim, ut ait Joan. Monach. *in d. cap. 2. nu. 4.* Jura quę dicunt tempus immemorabile habere vim privilegii, loquuntur quando cadere poteſt jus in aliquem abſque authoritate Sedis Apoſtolicæ expreſſa: ſed jus exercendi ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, non cadit in ſimplicem Sacerdotem abſque expreſſa authoritate Sedis Apoſtolicæ, ut hìc. Ergo tempus immemorabile quo ad hoc non habet vim privilegii. Ratio eſt, 34
quia qui non poteſt poſſidere, nullo tempore poteſt præſcribere, *cap. Cauſam de præſcr. & c. Sine poſſeſſione de reg. jur. in 6.* Sed ſimplex Sacerdos non poteſt poſſidere, aut ſimpliciter exercere ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis: ut hìc patet. Ergo nec ullo tempore præſcribere. Idem probat text. 35
in c. Aqua de conſecr. Eccleſ. vel Altar. ubi Gregorius prohibet Eccleſias reconciliari per ſimplices Sacerdotes, etſi aqua fuerit per Epiſcopum benedicta non obſtante, inquit, conſuetudine Eccleſiæ Bracharenſis, quæ dicenda eſt potius corruptela: atque ex eo textu ſimiliter eliciunt gloſſ. & DD. ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis nullo unquam tempore poſſe præſcribi, cùm Pontiex reprobet ibi conſuetudinem tamquam corruptelam: & de conſuetudine immemorabili loquuntur ibi Vinc. & Joan. Andr.

Minor propoſitio, id eſt, Minores Ordines conferre non 36
eſſe juriſdictionis, ſed Ordinis Epiſcopalis probatur per text. expreſſum in *cap. Quod ſicut, §. Super eo de elect.* ubi Innocen. III. jubet corripi, & caſtigari Epiſcopum, qui in die conſecrationis ſuæ, antequam Miſſarum ſolemnia finirentur Acolythum ordinavit, & infrà in *§. Præterea*, reprehendit Archiepiſcopum, qui antequam impetret Pallium, Clericos ordinare feſtinat. Certùm eſt autem Epiſcopum ante conſecrationem, & Archiepiſcopum ante ſuſceptum pallium poſſe exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis, non autem ea, quæ ſunt ordinis *cap. Tranſmiſſa*, ubi not. gloſſ. & DD. *de elect.* Sed Epiſcopus ante conſecrationem, & Archiepiſcopus ante ſuſceptum pallium non poſſunt minores ordines conferre, *d. §. Super eo, & §. Præterea*, & tra- 37
dit Bertach. *in tract. de Epiſc. lib. 3. par. 2. num. 8.* Ergo minores ordines conferre non eſt juriſdictionis, ſed ordinis.

Præterea, quæ ſunt juriſdictionis, poſſunt alteri Sacerdoti, imò etiam non Sacerdoti ab Epiſcopo delegari, non autem ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, *d. cap. Aqua de* 38
conſecr. Eccleſiæ, vel Altar. ibi: *quia licet Epiſcopus committere valeat, quæ juriſdictionis exiſtunt, quæ ordinis tamen Epiſcopalis ſunt non poteſt inferioris gradus Clericis demandare.* Et *cap. Si cui de elect. in 6.* ſed poteſtas conferendi minores ordines, non poteſt ab Epiſcopo delegari ſimplici Sacerdoti, ut omnes tradunt in *d. cap. Aqua*, & probat Silveſt. *in ver. Epiſcopus num. 9.* Ergo hæc poteſtas non eſt juriſdictionis, ſed ordinis Epiſcopalis.

Præterea in *cap. Sede vacante*, tranſeunt quæ pertinent 39
ad juriſdictionem, *cap. Cum olim*, ubi gloſſ. *in verb. Capitulo de major. & obed.* ſed facultas minores ordines conferendi non tranſit in Capitulum ſede vacante ut per gloſſ. *in cap. Si Epiſcopus de ſuppl. negl. Prælat. in 6.* & in *cap. His quæ de minor. & obed.* Feder. de Sen. *conſ. 30. col. 2.* Ergo hæc facultas ad juriſdictionem non pertinet.

Ad hæc Clericos à minoribus ordinibus deponere, ſeu 40
degradare eſt ordinis Epiſcopalis *c. 1. Epiſcopus 11. q. 3.* ubi gloſſ. *in verb. Reliqui.* Ergo & Clericos initiare, quia ejus eſt deponere, cujus eſt ordinare, *cap. Nullus primas 9. qu. 2. c. 3. de Parochiis*, Hoſt. *in c. Cum contingat nu. 2. de foro compet.* Ita arguit Bertac. *de Epiſcopis lib. 3. par. 2. nu. 24.* & tradit

dit

dit Abbas poſt gloſſ. in *cap. Tranſmiſſa num.* 4. *de elect.* idem enim eſt judex recti, & obliqui ſecundùm Philoſoph. 2. *de anima*, Turrecr. *in cap. Sancta Romana num.* 4. *verſ. Tertio ſic* 15. *diſt.*

Rurſus minorum Ordinum collationem non eſſe juriſdictionis tantùm, ſed ordinis, tradit expreſsè Innoc. in *cap.* 1. *num.* 2. *de ſupplen. neglig. Prӕl.* quem ibi ſequuntur Ægid. Bellam. *num.* 11. *circa princ.* & Card. *col.* 2. *ante finem*, *verſ. Et hoc videtur ſentire*, & idem ſcripſit Archid. *in cap. Quoniam* 69. *diſt.* Petr. de Anchar. *in cap. Ea quӕ num.* 4. *de regul. jur. in* 6. Silveſt. *in verb. Ordo ſub num.* 2. *verſ. Conſuetudo licèt det juriſdictionem.*

41 Ac denique hanc eſſe fidei Catholicæ veritatem, diffinitum videtur decreto Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. cap.* 4. ubi Epiſcopi declarantur Presbyteris eſſe ſuperiores, & miniſtros Eccleſiæ ordinare, & alia pleraque peragere poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent, & contrarium aſſerentes anathematizantur *canon.* 7. Concludit ergo argumentum initio propoſitum quod jus minores ordines conferendi, cum ſit ordinis Epiſcopalis, nullo unquam tempore præſcribi poſſit. Atque hoc argumento utitur Archid. in *d. cap. Quoniam*, ubi ait, jus conferendi minores ordines non pertinere ad juriſdictionem, ſed ad poteſtatem conſecrationis, vel ordinis, ideòque non poſſe acquiri per conſuetudinem. Et loquitur Archidiac. in terminis noſtris de Abbate non benedicto. Atque id ipſum etiam de prima tonſura poſt Joan. Andr. tradit Anchar. *in cap. Abbates ſub num.* 2. *in quinto notab. in fin. de privil. lib.* 6. & hanc conſuetudinem irrationabilem appellat ibi Gemin. & Henric. Boich. *in d. cap. Cum contingat in fin. de ætat. & qualit.* & eſt communis opinio gloſſ. & DD. *in d. cap. Aqua de conſecr. Eccleſiӕ, vel Altaris.*

42 Ex abundanti ex alio etiam capite improbatur hujuſmodi conſuetudo, quia ut Abbas non benedictus conferat minores ordines, eſt contra generale Concilium, videlicet contra ſeptimam Synodum, ideſt ſecundam Nicænam, *cap.* 14. *relatam in d. cap. Quoniam* 69. *diſt.* & in *d. cap. Cùm contingat*. At contra decreta generalis Concilii non poteſt validè introduci conſuetudo, vel præſcriptio, ut in cauſa Mediolanenſi privilegii fori cenſuit ſuperioribus annis Sacra [illegible] ſequuta opinionem Hoſt. & Jo: Andr. *in cap. Cum laicis propè fin. de reb. Eccl. non alien.* Bald. *in tit. de pace Conſtan. col.* 4. *§. Imperialis Clementiӕ in ver. Mos Romanorum num.* 22. *in fin.* & Jaſ. *in leg. De quibus num.* 54. *verſ. Addo quod eodem modo, Cod. De legib.*

Ratio eſt, quia generalia Concilia cenſentur habere tacitam derogationem ad futuras contrarias diſpoſitiones, itaut ex defectu voluntatis, nec Summi Pontificis privilegium contra Concilium ſuſtineatur, niſi Concilio expreſsè derogatum fuerit, text. eſt ad litteram *in cap. Ex parte de Capell. Monach.* & tradunt Archid. Joan. Andr. Joan. Monach. Gemin. Anchar. & alii communiter *in cap.* 2. *de conſtit. in* 6. Oldrad. *conſ.* 326. Quod articuli, & Bald. *in leg. Humanum in* 3. *notab. Cod. de legib.* Undè ſi contra Concilium generale non valet privilegium Apoſtolicum, in quo adeſt expreſſus conſenſus Papæ, multò minus valebit conſuetudo, quæ non habet Papæ conſenſum niſi tacitum, ac præſumptum, ut notat Anchar. *in cap. Cum de Beneficio ſub num.* 2. *verſ. Secundo quӕro de prӕben. in* 6. Alia ratio, cur non valeat conſuetudo contra generale Concilium, deſumitur ex *cap. Sicut* 15. *diſt.* eaque utuntur Hoſt. Joan. Andr. & DD. *in d. cap. Cùm laicis*, ut alibi dixi. Itaque uſus quantumcumque vetuſtiſſimus, cui innititur Abbas non benedictus pro minorum ordinum collatione, non ſolum improbatur ex natura rei, quæ ex ſe impræſcriptibilis eſt, ſed etiam ex vi legis Conciliaris, contra quam legitimè præſcribi non poteſt. Propoſito hoc dubio, an Generalis Silveſtrinorum poſſit ſuis ſubditis regularibus primam tonſuram, & minores ordines conferre: S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum re accurato ſtudio ſemel, atque iterùm diſcuſſa, cenſuit non poſſe, & ſic ordinatos characterem non recepiſſe. Cæterùm agendum eſſe cum S. D. N. Gregorio XV. ut eidem Generali Monaſterio S. Silveſtri de Monteſano, aut S. Benedicti de Fabriano, Camerinenſis diœceſis reſidenti ex ſpeciali gratia concedere dignetur hanc facultatem, quam ex longiſſima conſuetudine exercuit conferendi primam tonſuram, & quatuor minores ordines ſuis ſubditis regularibus, atque ordines perperam collatos ſecretò repetendi. Quod cum Sanctiſſimo relatum eſſet die 29. Januarii 1622. Sanctitas ſua benignè annuit.

DE CONSUETUDINE.

Idem Innocentius III. Conventui Corbien. Monaſterii.

CAPUT VII.

CUm venerabilis frater noſter Epiſcopus Hoſtienſis, & L. Sanctæ Crucis Presbyter Cardinalis in partibus Alemaniæ legationis officio fungerentur, invenerunt Abbatem de Monaſterio Hermion. quòd ad Romanam Eccleſiam noſcitur pertinere nullo mediante, ad Monaſterium Corbien. quòd etiam Romanæ Eccleſiæ ſpeciale, propria temeritate migraſſe, licentia illud deſerendi, vel confirmatione à nobis, vel ab ipſis, qui vices noſtras in illis partibus tunc gerebant, nec habita, nec petita: & infrà. Poſtmodum autem nuncii ejus ad defenſionem ipſius generalem illius terræ conſuetudinem allegarunt. Cùm igitur hæc non tàm conſuetudo, quàm corruptela meritò ſit cenſenda, quæ profectò ſacris eſt canonibus inimica, ipſam mandamus de cætero non ſervari.

S U M M A R I U M.

1 *COnſuetudo dimittendi dignitatem, vel ad aliam ſe transferendi ſine Superioris licentia, non valet, & num.* 8.

2 *Conſuetudine induci non poteſt, ut electus adminiſtret non habita confirmatione à Superiore, & nu.* 7. *&* 13.

3 *Legati de latere poſſunt eſſe plures in una Provincia.*

4 *Conſuetudo non valet, per quam rumpitur nervus Eccleſiaſticӕ diſciplinӕ.*

5 *Romanӕ Eccleſiӕ poteſtas dicitur nervoſa, quia non frangitur, licèt in cortice vulneretur.*

7 *Licentia adminiſtrandi ante confirmationem non ſufficit petita, niſi fuerit obtenta.*

8 *Immemorabilis conſuetudo dimittendi Prӕlaturam, vel adminiſtrandi, non habita Superioris licentia, non valet.*

9 *Immemorabilis non habet vim tituli, ubi conſuetudo à jure eſt reprobata.*

10 *Conſuetudo pernicioſa eſt, per quam omittitur inquiſitio, quӕ in confirmatione ſervari debet.*

11 *Electus poteſt adminiſtrare ante confirmationem, ſi hoc habeat ex privilegio, ut Ciſtercienſes, & Prӕmonſtratenſes.*

12 *Electi in partibus remotis ſtante conſuetudine poſſunt adminiſtrare ante confirmationem, etiamſi curia ſit ultrà montes.*

14 *Electi in concordia extra Italiam, & Papӕ immediatè ſubjecti adminiſtrare poſſunt ante confirmationem, niſi eſſet Legatus in Provincia.*

CUm Venerabilis. Non valet conſuetudo, per quam Prælatus ſine Superioris ſui licentia poteſt dimittere Prælaturam. Hoc dicit ſecundùm Joannes Andr. & alios

alios poſt eum, vel pleniùs ſecundùm Abb. Non poteſt in-
troduci ex conſuetudine, ut quis poſſit dimittere dignita-
tem ſine ſuperioris licentia, vel ut poſſit electus admini-
ſtrare non habita confirmatione à ſuperiore. Dividitur in
tres partes. In prima ponitur temeraria translatio. In ſe-
cunda translatio excuſatio, ibi, *Poſtmodum*. In tertia
excuſationis reprobatio, ibi: *Cùm igitur*.
3 Nota primò ibi: *Legationis officio fungerentur*. In una
Provincia poſſe ſimul eſſe plures Legatos de latere, prout
hìc erant Epiſcopus Hoſt. & Cardinalis S. Crucis.
4 Secundò nota ibi: *Non tam conſuetudo*: non valere con-
ſuetudinem, per quam rumpitur nervus Eccleſiaſticæ di-
ſciplinæ, Bald. *hic in princ.* Undè dicit Archid. *in cap. Fra-*
5 *ternitatis num.* 3. 34. *diſt.* poteſtatem Romanæ Eccleſiæ dici
nervoſam, quia non frangitur, licèt in cortice vulneretur.
6 Tertiò nota, ex hac decretali duos caſus, in quibus ge-
neralis conſuetudo ſervari non debet. Primus eſt dimitten-
di dignitatem, ſeu Prælaturam, vel ad aliam ſe transferen-
di abſque Superioris licentia, ut patet ibi, *propria teme-
ritate migraſſe*, & notant Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr.
Card. Anchar. Abb. & Joan. de Anan. *in ſummario textus*.
7 Secundus eſt adminiſtrandi Prælaturam ante obtentam
Superioris confirmationem, quamvis enim hæc littera di-
cat, nec habita, nec petita: tamen hoc non ideò dixit,
quòd ſatis fuiſſet petere, ſed dixit factum narrando, &
contemptum aggravando, ut benè per Joan. Andr. *num.* 3.
& Abb. *num.* 4. *verſ. Oppone*. Ad hoc enim non ſufficit li-
8 centiam petere, niſi obtineatur, ut *cap. Admonet*, *cap.
Quod in dubiis*, & *cap. Niſi cum pridem infrà de renunc.* &
pondera rationem in textu expreſſam cur in prædictis duo-
bus caſibus conſuetudo non ſit ſervanda, videlicet quia
hæc non tàm conſuetudo, quàm corruptela meritò eſt
cenſenda, quæ ſacris Canonibus eſt inimica, ut in litte-
ra. Ex hoc enim ſequitur, ut non valeat, etiamſi ſit tanti
temporis, ut ejus initii non extet memoria, nam quo-
tieſcumque lex non ſolùm tollit, ſed etiam reprobat, &
damnat conſuetudinem uti pravam, & irrationabilem:
tunc cenſetur ſublata etiam immemorabilis, ut poſt alios
tradit Covarr. *variar. reſol. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. *verſ. Ad-*
9 *notandum tamen eſt*. Et eſt ratio, quia etiamſi tempus im-
memorabile regulariter habeat vim tituli, ſeu privilegii,
ut *leg. Hoc jure*, §. *Ductus aquæ*, *ff. De aqua quotid. & æſtiu.*
Hoc tamen fallit, ubi conſuetudo à jure eſt reprobata.
Ita Franc. in *cap.* 1. *in* 2. *not. verſ. Imò tradit Hoſt. de conſue-
tud. lib.* 6. Felin. *in cap. Cùm ex officii num.* 13. *de præſcript.*
Butr. *deciſ.* 466. *num.* 4. *lib.* 2. Quo fit, ut Oldrad. *conſ.* 146.
Factum tale eſt de conſuetud. num. 6. *verſ. Præterea non benè
ratiocinatus fuerit*: poteſt privilegio concedi, ut quis
ſine confirmatione adminiſtret, ut *cap.* 1. *infrà de ſuppl.
neglig. Prælat.* & *cap. Quia vos de appellat.* & ibi notatur
per Hoſtien. ſi poteſt privilegio: ergo & conſuetudine,
ſunt enim paria hæc, ut notatur per Innocen. in *cap. No-
vit infrà de judic.* Etenim æquiparatio iſta non procedit,
ubi conſuetudo eſt à jure improbata, ut hìc, & ipſemet
10 Oldrad. tenuit *loco inferius citando num.* 12. eſſet enim per-
nitioſa conſuetudo, per quam omitteretur inquiſitio, quæ
in confirmatione ſervari debet, *cap. Cùm nobis*, & *cap.
Venerabilem infra de elect.* ſecundum Compoſt. *hic num.* 2.
qui refert propter hoc fuiſſe caſſatam electionem Prioris S.
Crucis Colubrien. qui annos quinque ſine confirmatione
adminiſtraverat, licèt poſteà Papa illum reſtituerit ex gra-
tia. Undè quidam hoc habent ex privilegio, ut ſine con- 11
firmatione adminiſtrent, ſicut Ciſtercienſes, nam ſicut
dicitur in patre dante tutorem filio emancipato, quòd
Prætor eum confirmat ſine inquiſitione, §. *Sed hoc inſtit.
de ſatiſdat. Tutor.* & hoc propter confidentiam, quam ge-
rit jus de tutore per patrem dato: Sic poteſt dici Papam
tantam fiduciam habere de aliquibus, ut eis indulgeat,
ut etiam ſine inquiſitione eorum electiones confirmentur,
& hæc dicta Compoſtellani ſequuntur hìc Jo: Andr. *num.* 8.
& communiter DD.
Rurſus etſi idem Oldrad. *conſ.* 9. *Poſito ſuper præjudicio 12
ſine præjudicio num.* 5. *verſ. Item ponit*, conſuluerit electum
in Epiſcopum de conſuetudine Portugalliæ ſtatim poſſe ad-
miniſtrare ante confirmationem: tamen hoc ideò dixit,
quia Ultramontani in concordia electi poſſunt illicò ad-
miniſtrare etiam circumſcripta conſuetudine in vim *cap.
Nihil infrà de elect.* Et quia Papa tunc temporis reſidebat
ultrà montes, & electus Bracarenſis diſtabat à curia per
30. dietas, & ampliùs dubitabatur an eſſet locus diſpoſi-
tioni *d. cap. Nihil itaut*, licuiſſet electo ſtatim adminiſtra-
re, & Oldrad. reſpondit licuiſſe ſtante prædicta conſuetu-
dine Portugalliæ. Atque ita tunc non agebatur de conſue-
tudine contra jus, ut in caſu hujus cap. 1. ſed de conſue-
tudine interpretativa prædictæ decretalis *Nihil*.
Sed quidquid ſit in caſu Oldradi, generaliter tene quod 13
hìc dicitur, ſcilicet non valere conſuetudinem admini-
ſtrandi ante confirmationem Superioris, prout tenuit ip-
ſemet Oldrad. ſibi contrarius in *conſ.* 128. *Quoniam ad in-
veſtigationem num.* 7. ubì ait hujuſmodi conſuetudinem
eſſe à jure reprobatam, & ideò nec titulum, nec juriſdi-
ctionem conferre, & ſi aliqui Ordines hoc habent, ut
ſine confirmatione adminiſtrent, id non eſſe ex conſue-
tudine, ſed ex privilegio. Idem firmant hìc gloſſ. 2. In-
noc. *num.* 1. Compoſt. *eod. num. verſ. Sed licet*, Hoſt. *num.* 6.
Joan. Andr. *num.* 8. Butr. *num.* 24. *verſ. Dic quod conſuetu-
do*, Cardin. *num.* 5. & Abb. *num.* 6.
Fallit hæc regula ſpeciali caſu *d. cap. Nihil infrà de* 14
elect. videlicet in Prælatis, qui immediatè ſubſunt Papæ,
nam ſi ſint electi in concordia, & ſint extra Italiam con-
ſtituti, ex generali diſpenſatione Papæ ſtatim admini-
ſtrant, ne ſcilicet Eccleſia interior patiatur in tempora-
libus, & ſpiritualibus læſionem, ut ibi in text. & hìc in
gloſſ. *penult.* & per Innoc. *num.* 1. *verſ. Hodie autem*. Niſi
in partibus remotis eſſent Legati, quia tunc non haberet
locum diſpoſitio *d. cap. Nihil*, ceſſante nimirum illius ra-
tione, ſed eſſet locus huic decretali, ut ſentit Innoc. *in
fin.* dum ait: Sed hìc cum in Provincia eſſent Legati, à
quibus poterat confirmationem habere, non prodeſt con-
ſuetudo, Compoſt. *num.* 2. Abb. Antiq. Ægid. & Boatin.
quos refert, & ſequitur Joan. Andr. *in fin.* & Jo: de Anan.
num. 1. *verſ. Et colligitur hic*.

DE CONSUETUDINE.

Idem Innocentius III. Decano Salesberien. A. Archidiacono, & Magiſtro P. Penerel Canonico Pariſienſi.

CAPUT VIII.

CUm dilectus filius Guil. Andren. Eccleſiæ Monachus, qui pro Clerico ejuſdem Eccleſiæ ſe gerebat, & G. Procurator Monaſterii Karoſen. ſuper jure eligendi Abbatem in Andren. Monaſterio, & ejuſdem electione in noſtra præſentia invicem litigarent, idem Gu. Electionem ſuam à fratribus Andren. Eccleſiæ concorditer celebratam, authoritate Apoſtolica petiit confirmari, aſſerens tàm de jure communi, quam privilegio ſpeciali, eis ab Alexandro Papa conceſſo, & à nobis poſtmodum confirmato, liberam eligendi authoritatem, ad eoſdem fratres tantummodò pertinere: & infrà. Dictus verò procurator propoſuit ex adverſo, quòd cùm olim ad petitionem patronorum Eccleſiæ à Morien. Epiſcopo fuerit conſtitutum, quòd ſi præfatus locus divino munere adeò pullularet, ut Prior, aut Abbas conſtitueretur ibidem, electio ejus penes fratres ejuſdem loci, & capitulum Ka-
ro-

roſen. penderet: & hujuſmodi obtentu ſtatuti ſic fuerit longè retroactis temporibus obſervatum, ut Monaſtario Andren. vacante, Andren. fratres in Karoſen. capitulo, aliquem de gremio Monaſterii Karoſen. ſibi eligerent in Abbatem, electio prædicti G. tam contra ſtatuti tenorem, quàm etiam contra conſuetudinem approbatam (quæ optima eſt legum interpres) minus canonicè attentata, meritò caſſari debebat: & infrà. Quia nobis conſtitit electionem ipſam à ſuſpenſis, & de ſuſpenſo etiam celebratam, eam juſtitia caſſavimus exigente. Cæterùm cùm ſupradictum ſtatutum ita ſanè poſſit intelligi, quòd per illud nec juri communi, nec privilegio derogatur, ut videlicet ad ſæpedictos fratres electio ſpectet Abbatis, & ad Karoſen. capitulum confirmatio: Mandamus quatenus ſi ex parte Karoſen. cœnobii, talis fuerit conſuetudo probata, quæ juri communi præjudicet in hac parte vos ſecundùm illam decernatis electionem Andren. Abbatis de cætero faciendam: alioquin Andren. monachis jus eligendi Abbatem adjudicare curetis: ut ſic de cætero liberam habeant facultatem, vel de gremio Eccleſiæ ſuæ, vel etiam aliunde, per electionem Canonicam eligendi perſonam idoneam in Abbatem præſentadam Karoſen. capitulo, ut ab eo (ſi fuerit canonica) confirmetur.

S U M M A R I U M.

1 *Conſuetudine introduci poteſt, ut una Eccleſia de Collegio alterius teneatur ſibi Prælatum eligere, & n. 26.*

2 *Monachus in Prælatum electus habet jus proſequendi propriam electionem, etiam in judicio contentioſo.*

3 *Monachus non poteſt conſentire electioni de ſe factæ ab extraneo Collegio abſque ſui ſuperioris licentia.*

4 *Capitulum ſede vacante poteſt ſuper jure eligendi litigare.*

5 *Privilegium poteſt concurrere cum jure communi.*

6 *Monachi unius Monaſterii ex conſuetudine poſſunt ſibi vendicare jus eligendi Abbatem in alio Monaſterio.*

7 *Conſuetudo eſt optima legum interpres.*

8 *Suſpenſus non poteſt eligere, nec eligi.*

9 *Capitulum generale an poſſit ſtatuere, ut Prælatus Generalis eligi non poſſit de eadem natione, de qua fuit immediatus prædeceſſor, &c. numer. ſeq. uſque in finem.*

10 *Electio Abbatis Generalis tàm activa, quàm paſſiva liberè ſpectat ad univerſam Congregationem.*

11 *Statutum reſtringens libertatem electionis an ſit contra jus, & n. 34. & ſeqq.*

12 *Capitulum Generale non poteſt ſtature contra Canones.*

13 *Major pars Capituli non poteſt præjudicare minori in jure eligendi, ſed requiritur omnium, & ſingulorum, conſenſus.*
Declaratur, n. 47. 48. & 50.

14 *Capitulum generale non ſtatuit contra jus privatum juri alterius detrahendo.*

15 *Major pars Collegii non ſufficit in ſtatutis, quæ fiunt contra jus alicui competens.*

16 *Jus eligendi Generalem ex corpore totius Congregationis eſt publicum, quod pacto, vel ſtatuto tolli non poteſt.*

17 *Intellectus* l. Scyphi, ff. De optim. legat. *& numer. 50.*

18 *In electione qualibet eligendus eſt melior, & vitæ ſanctitate præſtantior.*
Declaratur, n. 53.

19 *Electio de digno omiſſo digniori regulariter ſuſtinetur. Sed peccant ſic eligentes.*

20 *Statutum Principis ut electio fieri non poſſit de extraneis, vulnerat libertatem electionis.*

21 *Generali non licet in electione Provincialium, & aliorum officialium aliquos nominatim proponere, ex quibus unus canonicè eligatur.*

22 *Electio non dicitur libera ſi facultas eligendi reſtringatur, ita ut certum genus perſonarum, imò una perſona eligi non poſſit.*
Declaratur, n. 29. 35. 39. & 55.

23 *Electio paſſiva majorem libertatem requirit, quàm activa.*

24 *Statuta excludentia à beneficiis certum genus perſonarum dicuntur contra jus.*

25 *Capitulum Generale poteſt ſtatuere ut electio Generalis fieri debeat ex certo gremio perſonarum, uſque ad n. 39.*

26 *Conſuetudo eligendi Prælatum ex certo genere perſonarum valet.*

27 *Statuti, & conſuetudinis æqualis eſt authoritas.*

28 *Conſuetudo in tantum valet, in quantum nititur tacito conſenſu ejus, qui poteſt jus condere.*

29 *Statutum reſtringens electionem ad certum genus perſonarum ſuſtinetur quatenus concernit præjudicium ſtatuentis.*

30 *Capitulares poſſunt juri electionis paſſivæ renunciare.*

31 *Electio de certo genere perſonarum facta per metum, vel impreſſionem an valeat.*

32 *Voluntati nihil eſt ſub cœlo ita contrarium ſicut metus.*

33 *Epiſcopus cum ſuo Capitulo poteſt ſtatuere de jure communi, ut Monachi unius monaſterii eligant ſibi Prælatum de gremio alterius monaſterii.*

34 *Ut electio ab uno monaſterio fiat de gremio alterius non eſt contra, ſed præter jus.*

35 *Statutum reſtringens electionem valet ſi fiat ex juſta cauſa.*

36 *Conſtitutio Capituli generalis, quæ cavetur in Priores monaſteriorum eligantur plures quàm tres de una natione, valida eſt.*

37 *Alternativa in electione tam Provincialium, quàm Generalis in pluribus Religionibus etiam non Mendicantibus inſtituta eſt.*

38 *Electio Generalis, quæ in aliquibus Religionibus fit ex ſingulis Provinciis per turnum, an ſit rationabilis.*

39 *Conſtitutio Capituli generalis excludens perſonas unius tantum nationis ab electione paſſiva non eſt contra libertatem electionis.*

40 *Matrimonium carnale ſicut & ſpirituale omnimodam libertatem requirit.*

41 *Conditio ſi puella non nupſerit alicui ex certo genere perſonarum non eſt contra libertatem matrimonii, ſi alii ſuperſint, quibus poſſit nubere.*

42 *Statutum adigens ad contrahendum matrimonium cum certo genere perſonarum, vel prohibens ne puella nubat extra loca, ubi poſſidet hæreditatem, eſt nullum.*

43 *Secus ſi ſtatutum excipiat tantum certum genus perſonarum.*

44 *Statuta civitatum ſuper matrimonio non valent ex defectu poteſtatis etiam reſpectu pœnæ.*

45 *Conſtitutionibus omnium ferè Ordinum regularium reperiuntur aliqui inhabilitati ad electionem paſſivam.*

46 *Prælati regulares habent jus ſuſpendendi ſubditos à gradibus, & dignitatibus ex quacumque cauſa etiam occulta, & extrajudicialiter.*

47 *Capituli major pars poteſt ex juſta cauſa excludere certam nationem ab electione paſſiva.*

48 *Major pars Collegii non poteſt præjudicare minori, ſi actus ſint voluntarii, ſecus ſi neceſſarii, vel ob publicam utilitatem.*

49 *Jus eligendi ex Collegio alterius Eccleſiæ non eſt publicum, ſed commune.*

50 *Majoris partis factum in jure univerſitatis, vel Collegii præjudicat minori, ſecus in jure ſingulari.*

51 *Conſtitutio arctans ad eligendum Abbatem ex gremio certi*

certi monaſterii intelligitur ſi ibi reperiatur aliquis idoneus,

52 *Electorum libertas non læditur ex eo quod non reperiatur niſi unus idoneus in monaſterio, de cujus gremio tenetur eligere.*

53 *Electio non ſemper facienda eſt de digniori ſimpliciter, ſed de digniori quoad aliquid.*

54 *Juramenti forma in electione Romani Pontificis quæ.*

55 *Electionis libertas non violatur ſi ab ipſiſmet Capitularibus quorum intereſt, reſtringatur electio.*

56 *Capitulum generale de jure communi poteſt conſtitutiones facere,*

57 *Verbum*, poteſt, *præcedente negatione inducit neceſſitatem præciſam, & privat potentia.*

58 *Statuto ſi caveatur ut ~~minor~~, vel mulier non poſſit vendere ſine conſenſu conſanguineorum, ſi aliter vendant, contractus eſt nullus.*

59 *Beneficii collatio facta minori quatuordecim annorum eſt ipſo jure nulla, & proviſus non facit fructus ſuos.*

60 *Statutum concernens favorem publicum à ſtatuentibus revocare non poteſt, ſi fuerit à ſuperiore confirmatum.*

61 *Capitulum generale an poſſit revocare decreta à ſe prius edita in vim privilegiorum Sedis Apoſtolicæ.*

62 *Statutum concernens publicam utilitatem, etiamſi confirmatum non fuerit, revocari non poteſt à ſtatuentibus.*

63 *Verbum*, videbitur, *refertur ad arbitrium boni viri.*

64 *Statutum ſpeciale derogat generali, ſi ab eo diſcrepet, aut illi videatur contradicere.*

65 *Species contraria generi ſive præcedat genus, ſive ſequatur, limitat, & reſtringit genus.*

66 *Statuta ſi ſint contraria, eſt attendendum ſpeciale, licèt non habeat clauſulam derogatoriam.*

1 C*Um Dilectus*. De conſuetudine poteſt induci, ut una Eccleſia de Collegio alterius teneantur ſibi Prælatum eligere. Hoc dicit Hoſtienſis, dividit in quinque partes: Sed Joan. Andr. in duas. Prima narrat duplicem quæſtionem cum partium allegationibus. Allegatio pro electo ibi, *dictus*. Secunda unam definit ibi, *Quia nobis*. Alteram diffiniendam committit, ibi, *cæterum*. Brevius ſecundùm Baldum. Sunt duæ partes. Thema cum allegationibus. Quædam Papæ declaratio, & quædam commiſſio, Secunda ibi, *Quia nobis*.

2 Nota primò ibi, *litigarent*. Monachus quamvis non habeat proprium, *c. Non dicatis*, 12. *q.* 1. tamen electum in Prælatum habere jus proſequendi propriam electionem, etiam in judicio contentioſo, ita ut abſque alio mandato poſſit principaliter ſuper proprietate juris eligendi litigare in præjudicium eorum, quorum intereſt. Ad idem text. in *c.Cùm dilectus ſupra de reſcript.* Quod tamen procedit
3 ſecundùm Petr. de Anchar. & Abb. *in princ.* ſi eligatur à Collegio proprio; quia tunc eo ipſo quod eligitur, videtur ſibi data poteſtas acceptandi Prælationem. Undè in acceptatione hujuſmodi nullius conſenſus exigitur. Ad hoc quod notatur in *c. Qui tacet*, *de reg. jur. in 6. in Mercurial.* Secus verò ſi eligatur ab extraneo Collegio, quia cum velle, vel nolle non habeat, non poteſt conſentire electioni de ſe factæ ſine licentia ſui Superioris petita, & obtenta. Imò ſi conſenſerit, hoc ipſo ejus electio irritatur. Caſus eſt in *c.Si Religioſus, de elect.lib. 6. facit text. in c.Religioſus*, *de teſtam. eod. lib.*

4 Secundò nota in eodem verbo, Capitulum ſede vacante poſſe ſuper jure eligendi litigare, & eſt unus caſus in quo quæſtio Eccleſiæ poteſt tractari vacante Eccleſia; licèt regula ſit in contrarium. Ratio eſt ſecundùm Card. & Imol. quia talis quæſtio pertinet ad conventum ſine Prælato. Facit quod legitur, & notatur in *c. Decretis*, *ſupr. de reſcript.*

5 Tertiò nota ibi, *tam de jure communi, quam privilegio ſpeciali*, privilegium poſſe concurrere cum jure communi, de quo in *c.Veniens, de reſcript.* & in *c. Cùm perſonæ*, *de privil. in 6.* Sed contrarium tenet gloſſ. in *c. Contra morem*, *in ver. Privilegio* 100. *diſt.* Dicit Bald. *hìc num.* 4. quoddam eſſe privilegium juri communi contrarium; quoddam juri communi conſonans: vel ſecundùm eum hoc eſt privilegium, quia jus commune prius erat violatum in fundatione monaſterii per conſtitutionem diœceſani de conſenſu patronorum, & ſic reverti ad jus commune quod erat quodammodo ſublatum, vocatur privilegium, ut dicimus de Eccleſia Nonantulana. Ad hoc *l. Si unus*, §. *Pactus*, *verſ. Quoties enim ad jus*, *ff. De pact.* & ſic reparatio ſtatus appellatur privilegium ſeu indulgentia.

Quartò nota, ibi, *de gremio monaſterii*, Karoſen. ex 6
conſuetudine poſſe unum monaſterium vendicare ſibi jus eligendi Abbatem in alio monaſterio. Quid autem ſit, ſi Monachi ſint diverſæ Religionis, vel habitus, an Monachus unius poſſit eligi in Abbatem alterius, dic ut in *Clem.* 1. *de elect.* & in *c. Abbate*, *de ver. ſignif.*

Quintò nota, ibi, *quam etiam contra conſuetudinem ap-* 7
probatam, diſpoſitionem ambiguam recipere declarationem ab obſervantia ſubſecuta, quia conſuetudo eſt optima legum interpres, concordat *cap. Certificari*, *de ſepult.* & *l. Si interpretatione*, *ff. De legib.* Item conſuetudo, ut dicit Hoſt. interpretatur, corrigit, immutat, abrogat, & præſumptionem inducit. Quæ ſingula latè hic proſequitur Cardin.

Sextò nota, ibi, *à ſuſpenſis*, *& de ſuſpenſo*, ſuſpenſum 8
non poſſe eligere, nec eligi. Ad idem *c. Cùm inter R. infra de elect. c. Cum bonæ*, *de ætat. & qual. & c. Poſtulaſti*, *de cler. excomm. miniſtr.* An autem poſſit excommunicare, & beneficia conferre, dic ut per gloſſ. in *ver. à ſuſpenſis*, per Innoc. *n.* 4. & omnes hìc.

Ultimò nota, electionem Abbatis de jure communi ſpectare ad collegium Eccleſiæ, ſeu monaſterii vacantis. De electione activa non eſt dubium, *c. 1. infra*, *de elect.* & dicam infra proximè. De electione paſſiva hic videtur caſus, de quo in *c. Cum Eccleſia*, *de elect.* Veritas tamen eſt paſſivam eſſe liberam circumſcripta conſuetudine, vel ſtatuto, de quo dic plenè in quæſtione ſequenti.

Poſito decreto Capituli Generalis Congregationis So- 9
maſchæ, quo determinatum eſt, ut poſtea quam Præpoſiti Generales Congregationis ſui triennalis regiminis tempus expleverint, ſucceſſor immediatè eligi non poſſit ex eadem natione, ſeu ſtatu.

QUÆRITUR, an hoc decretum ſit validum, & obſervandum.

Contra decreti validitatem hæc potiſſimum videntur urgere.

Et primò electio Generalis tàm activa, quàm paſſiva 10
liberè ſpectat ad univerſam Congregationem, ut de electione activa eſt textus in *c. fin. num.* 16. *q.* 7. *in cap. Abbatem il primo* 18. *q.* 2. & in *c. Inordinatione*, 61. *diſt.* & de paſſiva in *c. Abbatem in monaſterio* 18. *q.* 2. *& hic*, ubi hoc notant Doctores, & in ſpecie Anton. de Butr. in *prima lect. num.* 7. & *in 2. lect. num.* 38. *& num.* 45. Card. Zabarell. *num.* 9. *q.* 1. gloſſ. 1. in *c.* 2. ubi Archid. & Turrecr. *num.* 1. *diſt.* 66. Et quamvis prædicta jura non loquantur de Abbate Generali, ſed de Abbatibus ſingulorum monaſteriorum, & nomen Congregatio, ibi ſignificet ſingularem cujuſque monaſterii conventum: tamen ſicut electio Abbatis particularis cujuſque monaſterii fieri debet liberè ex corpore Congregationis illius monaſterii, de cujus Prælati electione agitur; ita ex eadem ratione electio Generalis,
qui toti Congregationi præficitur, eligi debet liberè ex 11
corpore totius Congregationis, ut conſiderat Rota *deciſ.* 65. *num.* 5. *par.* 1. *in recent.* Ergo ſtatutum reſtringens libertatem electionis eſt contra jus quod tenet Butr. *hic in ſecunda lectura num.* 45. quia inquit, id quod erat voluntatis ſecundùm diſpoſitionem juris communis, trahitur ad cauſam neceſſitatis, quod eſt directè contra jus commune; & conſequenter decretum de quo agitur excludens certam rationem ab electione paſſiva præpoſiti Generalis
videtur nullum, ex defectu poteſtatis; quia capitulum 12
Generale non poteſt ſtatuere contra canones, ſicut nec Epiſcopus, nec Synodus, *c. Quod ſuper his*, *de major. & obed.* gloſſ. *hic in ver. Conſtitutum*, & Butr. *in ſecunda lect. num.* 38. & Abb. *num.* 10. Navarr. *conſ.* 8. *Quæritur primò*, *n.* 1. *de conſt.*

Secundò, cùm quilibet de Congregatione habeat jus ut 13
eligi poſſit in Generalem, ut ſuperiùs dictum eſt, major pars Capituli generalis non poteſt cuiquam invito hoc jus adimere, ex notat. per gloſſ. communiter approbatam in
c. Quia propter. in ver. Vice omnium, *de elect.* Butr. *hic in* +
ſecunda lect. num. 6. Navarr. *conſ.* 2. *in quadam Religione*,

num.

num. 3. *hoc tit.* Sed ad hoc requiritur omnium, & ſingulorum conſenſus, quia nemo cogitur juri ſuo renunciare invitus, *c. Abbas*, *infr. Quod met. cauſ. l. Invitum*, *C. De contrah. empt.* Hoſtienſ. in *d. cap. Quæ propter num.* 49. & quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet *l. ultim. C. De auctor. præſt.* gloſſ. in *c.* 2. *in ver. Ab omnibus*, 66.

14 *diſt.* Et in his terminis tradit Rota *in prædicta deciſ.* 65. *nu.* 5. *in fin.* Et Capitulum Generale non ſtatuit contra jus privatum juri alterius detrahendo, quia hoc eſt ſolius Papæ, *c. Quæ in Eccleſiarum*, *de conſt. c. Conſtitutus*, *de relig. domib. c. Statuimus*, 16. *q.* 1. Butr. *ubi ſupra num.* 37. Ad quod confert *deciſio* Putei 41. *lib.* 1. & Sarnen. *de jure quæſit. q.* 9. dum volunt ut in competentibus de jure communi ſit neceſſaria derogatio regulæ de jure quæſito non tollendo.

15 Et generaliter in ſtatutis quæ fiunt contra jus alicui competens non ſufficere majorem partem Collegii, ſeu univerſitatis, ſed debere omnes eſſe concordes reſpondit Angel. *conſ.* 247. *incipien. Viſis*, *& examinatis*, quem referunt *in c. Cum omnes*, *de conſt.* Felin. *num.* 2. *verſ. Hanc concluſionem limita primo*, dicens hanc eſſe notabilem limitationem ad *l. Quod major ff. Ad municip.* & Dec. *n.* 36. *in* 1. *lect.*

16 Tertiò, hoc jus ut fieri poſſit electio de corpore totius Congregationis eſt publicum, & ideò pacto non poteſt tolli: ergo nec ſtatuto, *c. Si diligenti*, *de for. compet. c. Requiſiſti*, *de teſtam. cum ſimil.* Et ita arguit gloſſ. *hic in ver. Conſtitutum*, & Butr. *in* 2. *lect. num.* 39.

17 Quartò, pro hac parte adducitur text. in *l. Scyphis*, *ff. De opt. legat.* ubi Paulus reſpondit, ſcyphi electione data, ſi non omnibus ſcyphis exhibitis legatarius elegiſſet, integram ei electionem manere placet. Sicut igitur ſi vel una res excludatur à facultate eligendi, electio legatarii non dicitur libera, nec tenet, ut ibi notat gloſſ. in *ver. Integram*, & Bart. *in princ.* ita & multò minus videtur libera electio Capituli Generalis, à qua excluduntur perſonæ unius nationis. Quem textum ad hoc propoſitum adducit Rota, ut dicemus infra *in* 7. *& ult. fundamento*, licet eum alleget ſub initio, *l. Nec ſolum. ff. De optim. legat.*

18 Quintò in omni electione ille eſt præferendus qui cæteris eſt melior, ac morum & vitæ ſanctitate præſtantior, *c. Licet ergo*, 8. *q.* 1. *cum concord.* de quibus per gloſſ. *in c.* 2. *in ver. Sanctiones*, *de off. cuſt.* & Lambert. *de jure patr. lib.* 2. *par.* 1. *quæſt.* 10. *art.* 3. *num.* 5. *&* 6. At facilè poteſt contingere, ut in natione excluſa ab electione paſſiva reperiatur aliquis religioſus qui cæteris omnibus dignior, & præſtantior ſit. Ergo ille erit neceſſariò eligendus, & conſequenter ſervandum non erit decretum excludens illum ab electione paſſiva, ut in propoſito conſiderat Rota *deciſ.* 65. *num.* 8. *par.* 1. *in recent.* Et quamvis pro validitate

19 electionis ſatis ſit, ſi dignus eligatur, & electio de digno, omiſſo digniori ſuſtineatur, *c. Monaſterium*, 16. *q.* 7. *cap. Cum nobis de elect.* & tradit poſt alios Covarr. *in reg. Peccatum*, *part.* 2. §. 7. *num.* 3. *verſ. Sed hoc in hunc ſenſum*; id tamen procedit poſtquam facta eſt electio, quæ ex omiſſione dignioris non retractatur, ut litium occaſiones amputentur; ſed ante electionem omnia jura clamant, ut meliores, & ſanctiores eligantur; & ideo peccant contra juſtitam diſtributivam, qui omiſſo digniori eligunt dignum, ut notant omnes in *c. Conſtitutis*, *de appellat.* S. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad.* 3. Covarr. & Rota *loc. citat.* & patet ex conſtitutionibus hujus Congreg. *pag.* 30.

20 Sextò, ad hoc adducitur Bald. in *c. Cum terra num.* 6. *de elect.* ubi determinat non valere ſtatutum Principis; ut electio fieri non poſſit de extraneis, etiamſi in Patria inveniantur multi digniſſimi; quia, inquit, licèt hoc ſit honeſtum, tamen vulnerat libertatem, quia nimis arctat eam.

21 Et confirmatur ex declaratione olim edita à Sacra Congregatione Concilii. Nam conſulta à Generali Ordinis S. Auguſtini an liceat eidem Generali in electione Provincialium, Priorum, aliorumque officialium facienda aliquos nominatim proponere, ex quibus unus canonicè per ſecreta ſuffragia ad officium eligatur, reſpondit non licere, qua videtur caſus in *d. c. Cum terra de elect.*

22 Ultimò, in propriis terminis conſtitutionis excludentis certum genus perſonarum ab electione paſſiva adducitur Rota *in prælleg. deciſ.* 65. *num.* 6. *par.* 1. *in recent.* cujus hæc ſunt verba: *Cum in electione requiratur ſumma libertas*, *& ab ea debeat longè abeſſe omnis coactio*, *& reſtrictio*, *d. cap. Cùm dilectus in fin.* ibi, *liberam habeant*, &c. Si facultas eligendi reſtringitur, ita ut certum genus perſonarum, imò una perſona eligi non poſſit, non dicitur libera electio, *l. Nec ſolum*, *l. Imò*, *ff. de opt. legat.* Bald. *in tract. de ſchiſmate*, quem poſuit poſt *tit. C. De edicto D. Hadriani tollen. num.* 12. *verſ. eſt & tertium*, *& in l. fin.* §. *Sed et ſi quis*, *num.* 26. *C. Communia de legat.* Præſertim quia major 23 libertas requiritur in electione paſſiva, quàm in activa, ut per Butr. *hic num.* 26. *in prima lect. & num.* 25. *&* 45. *in ſecunda lect.* & Imol. *ſub num.* 1. Idem Butr. in *c. Cùm inter. il tertio num.* 11. *de elect.* Et facit, quod de jure quilibet poteſt eligi, 24 & inſtitui dummodò ſit idoneus, *c. Ad decorem de inſtitution.* Et proptereà ſtatuta excludentia à beneficiis certum genus perſonarum dicuntur contra jus. Butr. *hic n.* 38. *cum duob. ſeq. in* 2. *lect.* & ſæpiſſimè fuit in Rot. reſolutū. 25

Sed his non obſtantibus reſpondendum videtur decretum, ut proponitur, editum à Capitulo Generali eſſe validum, & ſervandum ex duobus præcipuè fundamentis.

Primum fundamentum eſt, quia Capitulum Generale de cujus authoritate in condendis ſtatutis non eſt ambigendum, tàm ex conſtitutionibus, Ordinis, quàm de jure communi *c.* 1. & ibi gloſſ. *in ver. Conſtitutum*, *de his quæ fiunt à major. par. Capit. c. In ſingulis* §. *Hujuſmodi*, *&* §. *Si verò*, *de ſtat. Monach.* DD. *in c. Cùm omnes*, *de conſtit.* poteſt ſtatuere, ut electio Generalis fieri debeat ex certo gremio perſonarum. Ergo multò magis poteſt ſtatuere ut ex pluribus Nationibus Congregationis excludantur ab electione paſſiva Religioſi unius nationis tantùm; quia hoc ſecundo caſu minus reſtringitur libertas electionis, quàm in primo, ut ex ſe patet.

Aſſumptum probatur primò, quia de conſuetudine induci 26 poteſt, ut Capitulum unius Eccleſiæ eligat ſibi Prælatum ex collegio alterius Eccleſiæ, & ſic valet conſuetudo eligendi Prælatum ex certo genere perſonarum. Caſus eſt hic, ubi id notat Abb. Antiqu. Joan. Andr. Bald. Butr. Imol. Cardin. Anchar. Abb. Sicul. & reliqui omnes in princ. Et concordat text. in *c. Abbate*, & ibi gloſſ. *in ver. Conſuetudinem*, *de verb. ſignif.* ergo id poteſt induci etiam ex ſtatuto Capituli: & ita arguit Abb. in *c. Licet*, *num.* 12. *de elect.* & eſt ex mente Innocen. Compoſtell. & aliorum, de quibus infra *num.* 33. *verſ. Quinto probatur*, dum ad probandam validitatem ſtatuti reſtringentis electionē ad 27 gremium certi monaſterii adducunt textum in *d. c. Abbate*, *de verb. ſignif.* qui loquitur de conſuetudine, ſeu præſcriptione: æqualis enim eſt authoritas utriuſque, gloſſ. in *c. fin. in ver. Vilis auctoritas*, *infra eod.* Imò major authoritas juris ſcripti, quam juris non ſcripti, *l.* 2. *C. Quæ ſit longa conſuet.* ex qua deſumptus eſt textus in *d. c. fin.* & 28 *in c. Conſuetudinis*, 11. *diſt.* Ratio eſt, quia in tantum valet conſuetudo, in quantum nititur tacito conſenſu ejus, qui poteſt jus condere, *l. De quibus*, *verſ. Nam cum ipſe leges*, *ff. De legib.* & in propoſito obſervat Dec. in *c. Licet*, *de vitanda*, *num.* 43. *de elect.* non debet autem eſſe minor virtus expreſſi conſenſus ſtatuentis, quàm taciti, imò major, arg. *l. Cùm ex filio*, §. *Filio*, & quod ibi notat Bart. *ff. De vulg. & l. Expreſſa nocent. ff. De reg. jur. c. Conſtitutionem*, *ver. Sed expreſſe de reg. in* 6. Ergo ſi valet conſuetudo Capituli de eligendo ex certo genere perſonarum, multò magis valet ſtatutum.

Deinde probatur aſſumptum, quia ſtatutum reſtringens 29 electionem ad certum genus perſonarum, quamvis eſſet contra jus; & ideò non valeret in præjudicium tertii, ut dictum eſt in primo & ſecundo argum. contrario: ſuſtinetur tamen, quatenus concernit præjudicium ſtatuentis, ut in ſtatuto Epiſcopi de electione facienda ex gremio certi monaſterii tradit gloſ. *hic in ver. Conſtitutus*, quod dicit eſſe benè notandum Butr. in 2. *lect. n.* 41. quia limitat *c. Quod ſuper his*, *de major. & obed.* Et cum gloſ. conſentiunt hic Innoc. Abb. Antiq. Compoſt. Bellarm. Card. & alii communiter; er- 30 go cùm in hoc ſtatuto non agatur niſi de præjudicio Capituli ſtatuentis, ſequitur ut abſolutè ſit validum. Ratio eſt, quia Capitulares qui habent jus electionis paſſivæ, benè poſſunt huic juri renunciare, *c. In præſentia ad finem*, *de renun. c. Ad Apoſtolicam*, *de reg. c. Si terra*, *de privil. gloſſ. fin. in c. Cum veniſſet*, *de teſt.* Dec. in *c. Cum acceſſiſſent*, *n.* 24. *de conſt.*

Tertiò,

31 Tertiò, idem aſſumptum probatur ex doctrina Abb. in *c.Cum terra*, *num.* 3. *de elect.* ubi tenet valere electionem factam per metum, ſeu impreſſionem; quandò electores non compelluntur eligere certum, ſed aliquem de certo genere perſonarum, nec per hoc tolli libertatem eligendi, & idem Abb. in *c.Licet*, *num.* 13. *eod. tit.* ubi dicit electionem validam eſſe, ſi electores compellantur eligere de certo genere perſonarum, quia non amittitur omninò libertas eligendi, ſed reſtringitur. Et adducit ſimilè de conſuetudine, quæ poteſt arctare jus eligendi, puta ad certum genus perſonarum, ſed non poteſt tollere libertatem, remanente poteſtate eligendi, ut probatur in *d.c.Cum terra*, & ibi per Jo.Andr. juncto textu hìc.

Et quamvis de hac Abbatis doctrina in caſu metus, ſeu impreſſionis meritò dubitari poſſit, & contrarium determinet Bald. *in l.fin.§.Sed et ſi quis*, *n.* 26. *C. Communia*, *de legat.* & fuſiùs in ſuo conſilio ſchiſmatis, quod poſuit poſt rubricam *C.de edict. D.Adrian. tollen. n.* 12. eo quod nihil
32 ſub cœlo ſit ita contrarium voluntati, ſicut metus; & implicet contradictionem, & repugnantiam quandam, ut ſit electio, & non ſit libera, ut ibi per eum, & *in d.c. Cum terra*, *n.* 12. & per eumdem Abb. *ibid. n.* 1. tamen ſi omni metu, & impreſſione ceſſante iidemmet electores ſe adſtringant per viam ſtatuti ad electionem faciendam ex certo genere perſonarum, doctrina Abbatis videtur omninò admittenda. Et propterea Dec. *in d. c. Licet*, dum reprobat opinionem Abbatis dicit non valere illationem à conſuetudine Capituli ad ſtatutum Principis, quia illa habet conſenſum tacitum illius, de cujus præjudicio agitur. Sentit ergo Decius ſi Capitulum conſentiat, ut in caſu noſtro, non eſſe conſtituendam differentiam inter conſuetudinem & ſtatutum. Et nihilominus Panormitanum eſſe receptum ſimpliciter teſtatur Navarr. *conſ.*7.*n.* 1. *de conſt.*

33 Quartò, probatur authoritate Innocentii hic *num.* 2. ubi reprobans opinionem gloſſæ dicit ſe non videre quare Epiſcopus cum ſuo Capitulo non poſſit ordinare, ut Monachi unius monaſterii eligant ſibi Prælatum de gremio
34 alterius monaſterii, *c.Quanto*, *de his quæ fiunt à Prælat. c. Catholica*, 11. *diſt.* & eſt ſatis expreſſum ſecundùm eum in *c. Abbate*, *de verb.ſignif.* Et cum Innocentio videtur tranſire Abb.Antiq. *n.* 3. *verſ. Ad gloſſam*, *Licet Epiſcopus*, & apertiùs Bernard.Compoſtell. *num.* 1. *&* 2. dicens non eſſe contra jus, ut unum monaſterium de alio eligat, licet ſit præter jus. Quod patet ex eo quia hoc jus præſcribatur, ut in *d. c. Abbate*. At non præſcriberetur ſi eſſet contra jus, *c.Maſſana*, *de elect.* & ſequitur Card.Bellarm.*n.*3.*verſ. Dicit tamen Innocentius.* Si ergo ſecundum eos valet ſtatutum Epiſcopi arctans electionem ad certum genus perſonarum in præjudicium Monachorum non conſentientium, multò magis valere debet idem ſtatutum ſi capitulariter fiat ab ipſiſmet regularibus de quorum præjudicio agitur. Nam Canoniſtæ inter ſe diſcordes in hoc unanimes conveniunt in hac decretali, ut ſtatutum valeat quatenus concernit præjudicium ſtatuentis. Et dictum eſt.

35 Quintò, quando ſtatutum reſtringens electionem editur ex juſta cauſa, conſentiunt omnes eſſe validum, etiamſi fiat ab Epiſcopo, non obſtante Monachorum præjudicio, in terminis juris communis, & circumſcriptis exemptionibus. gloſſ. Innoc. Compoſt. Card. Abb. & alii communiter hìc per text. *in c. Ut noſtrum. Ut Eccleſ. benef. cap. Dudum, de reb. Eccleſ. non alienan. lib.* 6. *&* *c. Conſtitutis*, *infrà de appell.* Decretum autem de quo agitur ſupponitur factum pro publica quiete, & fuit editum à Capitularibus, quorum intereſt.

36 Sextò, ad idem aſſumptum probandum adducitur Navarr. *d. conſ.* 6. *incipien. Capitulum Generale*, *de conſtitut.* ubi in his ferè terminis conſuluit valere conſtitutionem Capituli Generalis multarum Nationum, qua cavetur ne in Priores monaſteriorum eligantur plures, quàm tres de una natione. Tum quia ex pluribus cauſis poteſt eſſe rationabilis, ut ibi per eum; tum quia ſtatutis Collegiis Bononienſis, & aliorum multorum in Hiſpania cautum eſt, ne ex eadem civitate eligantur plures collegæ, & ne ex eadem diœceſi plures, quam duo. Tum quia valet conſuetudo, ut Abbas unius monaſterii eligatur ſolum, de gremio alterius. Et ex aliis fundamentis ibi adductis, ſubdens non reſtringi libertatem electionis ex eo quod reſtringatur electio ad certum genus perſonarum ex Panormit. ſuperius relato in verſ. Tertiò, item aſſumptum, *n.*31. Unde & Papa ſecundùm cum eligitur tantùm de Collegio Cardinalium, & in Hiſpania non conferuntur beneficia, niſi Hiſpanis, & in Gallia niſi Gallis.

Ac demum probatur aſſumptum ex multarum religio- 37
num obſervantia. Etenim plura Capitula Generalia Ordinis Prædicatorum, S.Auguſtini, & aliorum Ordinum etiam non Mendicantium, inſtituerunt alternativam in provinciis, id eſt ut electio provincialis ſemel fieri debeat de una natione, & ſemel de alia, & in electione Generalis hanc alternativam inſtituit Congregatio S. Benedicti Hiſpaniarum anno 1559. ut refertur in *deciſ.* Rotæ 65. *nu.* 15. *par.* 1. *in recent.* Qua etiam in familia Ultramontana, & Citramontana utuntur in alternis ſexennis fratres Minores S. Franciſci in electione Generalis Miniſtri, &
Commiſſarii. Imò quod magis eſt, in aliquibus Religio- 38
nibus introductum eſt, ut electio Generalis fiat ex ſingulis Provinciis per turnum, ut in ſpecie ſervatur in Congregatione Canonicorum Regularium Lateranenſium. Licèt hæc ratio eligendi per turnum videatur minus tuta, quippè quæ aliquando impingit electores ad conſentiendum in minus dignum, maximè in parvis Religionibus, ut nos docui experientia: exceptio enim quod religioſi illius provinciæ, in quam cadit turnus, ſint parum idonei, & in aliis provinciis multi reperiantur ſanctiores, & meliores, parit jurgia, & inimicitias inter Religioſos, & inextricabiles habet difficultates, propter quas jura ſanxerunt; ut ſuſtineatur electio de digno, omiſſo digniori, ut dictum eſt ſupra in 4. argumento. Ob quam rationem ſimiliter DD. adnotarunt collationem zeli ad zelum, & meriti ad meritum, de qua canones loquuntur ad conſtituendam majorem, & ſaniorem partem, ut in *c. Ingeneſi*, *in c. Dudum*, & *in c. Eccleſia veſtra*, *il ſecondo*, *de elect. cum concord.* vix ad praxim deduci poſſe ſine diſſidio. Neque verò tanti eſt facienda ratio æqualitatis ſervandæ in religione, ut propterea ad Prælationem totius Ordinis aſſumi debeant inhabiles. Alternativa videtur rationabilior, præſertim in magnis religionibus.

Secundùm principale fundamentum pro validitate de- 39
creti eſt, quod quatenus etiam ſtatuta reſtringentia electionem ad certas perſonas, vel nationem non valerent, in quibus terminis loquuntur Doctores in contrarium citati, tamen aliud dicendum eſt in decreto de quo agitur; quia per illud non arctatur electio ad certum genus perſonarum, ſed tantùm excluduntur perſonæ unius ſtatus, vel nationis ab electione paſſiva, & relinquitur vocalibus libertas eligendi in Generalem quem maluerint ex omni-
bus aliis nationibus. Hoc autem non eſſe contra libertatem 40
electionis ſuadetur efficaci exemplo matrimonii carnalis, quod non ſecus ac matrimonium ſpirituale omnimodam libertatem requirit, *c.Gemma*, & ibi Hoſtienſ. & Doct. *not. de ſponſ.* Feder. de Sen. *conſ.* 169. *Domino Conrado per*
tot. Et nihilominùs quamvis conditio, ſi puella nupſerit 41
alicui ex perſonis arbitratu tertii deſignandis, tamquam impediens libertatem matrimonii non valeat, & habeatur pro non adjecta, *l.Cum tale.§. Si arbitratu*, *ff. De condit. & demonſtr.* aliud tamen dicendum eſt in conditione negativa, ſi non nupſerit alicui ex certo genere perſonarum, quia valet conditio, dummodò alii ſuperſint, quibus condignè puella poſſit nubere. Caſus eſt in *l.Cum ita legatum*, *ff.De condit. & demonſtr.* cujus reſponſi verba hæc ſunt: *Cum ita legatum ſit; ſi Titio non nupſerit, vel ita, ſi neque Titio, neque Sejo, neque Mævio nupſerit, & denique ſi plures perſonæ comprehenſæ fuerint, magis placuit cuilibet eorum ſi nupſerit, amiſſuram legatum, nec videri tali conditione viduitatem injunctam, cum alii cuilibet ſatis commodè poſſit nubere.* Ex quo contextu ſatis clarè apparet excluſionem plurium perſonarum à facultate nubendi non eſſe impeditivam libertatis matrimonii carnalis, & idem juris eſt ſi excludatur perſonæ unius civitatis, ut ex text. in *l. Hoc modo*, *§. Si Arritiæ*, *ff. eod.*

Et eodem modo non velet quidem ſtatutum adigens ad 42
contrahendum cum certo genere perſonarum, ſecundùm opinionem Felin. in *c.* 1. *num.* 20. *verſ. Nec puto procedere*, *de Sponſal.* Ideòque, ſacra Congregatio Concilii olim conſulta: an ſtatuta locorum, quibus fœminæ poſſidentes hæreditatem prohibentur extra dicta loca nubere, ſint valida; cenſuit decretum quidem. *c.* 9. *ſeſſ.*24. *de reformat. matrim.*

non

non decidiſſe hunc caſum; ſed jure veteri ſecundum communem ſententiam, de qua per Curtium ſenior. *conſil.* 207. declarandum ſtatutum eſſe nullum, & ita referendum Sanctiſſimo qui generali conſtitutione hujuſmodi
43 ſtatuta nulla declaravit; tamen ſecus eſt ſi ſtatutum excipiat certum genus perſonarum dumtaxat, & relinquat libertatem contrahendi cum omnibus aliis, ut notabiliter tradit Bald. in *l.* 1. §. 1. *Jus naturale*, *num.* 10. *ff. De inſt. & jur.* ubi tenet ſtatuto civitatis poſſe prohiberi ſub pœna ne quis accipiat Gibellinam in uxorem, & tale ſtatutum valere reſpectu pœnæ, ſi factum ſit propter aliquam publicam utilitatem, Gaſpar Calder. in *d. c. Gemma*, *de Sponſal.* Roman. *in rubr. ff. Solut. matrim. in 7. col.* Cravett. *conſ.* 610. *Lege municipali*, *in princ.* Quinimò Bart. & Angel.
44 *in l. Edicimus*, *C. De Murilegul. lib.* 11. dicunt valere ſtatutum prohibens ſub certa pœna ne inter homines diverſarum civitatum contrahatur matrimonium, dummodò poſſint honeſtè nubere inter homines ſuæ civitatis; & quamvis in ſtatuto civitatis verior ſit opinio Joan. Andr. in *c. Statutum*, *in princ. verſ. Facit hæc decretalis*, *de hæret. lib.* 6. ubi concludit hujuſmodi ſtatuta laicorum non valere ex defectu poteſtatis, quia cùm matrimonium, & ejus cauſa, & dependentia ab illis ſint Eccleſiaſtici fori, *c. Tuam*, *de ord. dignit. c. Lator qui fil. ſint legit.* & eſt hodie diffinitum à Trid. Synodo, *can. ult. ſeſſ.* 24. *de Sacrament. matrim.* Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos, anathema ſit; Judex Eccleſiaſticus debet ſe intromittere, ne talis pœna exigatur, ſicut facit de pœna conventionali, ut in *d. c. Gemma*, *de Sponſal.* tamen ſi conditum eſſet à Superiore Eccleſiaſtico, impugnari non poſſet, ex hoc cap. Quod per excluſionem certi generis perſonarum, ut in caſu Bald. impediet libertatem matrimonii, ut ex prædictis conſtat. Quemadmodum ergo conditio, vel ſtatutum excludens à nuptiis perſonas unius ſectæ non impedit libertatem matrimonii carnalis, ſi alii ſuperſint, &c. ita nec decretum excludens certum genus perſonarum ab electione paſſiva impedit libertatem matrimonii ſpiritualis, *cap. Inter corporalia*, *de translat. Epiſcopi.* Et quidquid ſit de veritate prædictarum opinionum, ceſſat omnis difficultas hoc caſu, in quo ſtatutum fuit editum ab ipſiſmet electoribus, de quorum libertate agitur.

45 Accedunt prædictis regularium ordinum inſtituta. Nam nulla ferè eſt religio, in qua ex conſtitutionibus Capituli Generalis non reperiatur aliquis inhabilitatus ad tempus ad electionem paſſivam; in pleriſque enim ſtatutum eſt, ut Generalis vel Provincialis poſt expletum tempus ſui officii non poſſint immediatè eligi ad eamdem Prælationem; idemque in multis religionibus conſtitutum eſt de viſitatoribus, & in ſpecie de diffinitoribus id cavetur
46 conſtitutionibus hujus Congregationis *pag.* 26. §. *In Capitulo*, *& pag.* 12. excluduntur non habentes ſex annos religionis, & triginta ætatis, & aliàs qualitates ibi præſcriptas. Neque verò in hoc dubitari poteſt de poteſtate Religionum, quia Prælati regulares jus habent ſuſpendendi, & ſic ad tempus excludendi ſubditos a gradibus, & dignitatibus ex quacumque cauſa etiam extrajudicialiter, ut patet *in cap.* 1. *ſeſſ.* 14. Concil. Trid. & aliàs declaravit ſacra Congregatio. Unde ſicut à Capitulo Generali excludi poteſt ab electione paſſiva certus numerus religioſorum, ita excludi poſſunt religioſi unius nationis, cùm hæc quoad libertatem electionis non differant ſpecie, ut eſt text. *in d. l. Cum ita legatum*, *juncta l. Hoc modo*, §. *Si Arritiæ*, *ff. De condition. & demonſtrat.* ubi quoad libertatem matrimonii carnalis parificantur excluſio aliquarum perſonarum nominatim, & excluſio perſonarum unius civitatis.

Nec prædictis obſtant adducta in contrarium. Ad primum enim reſpondetur negando ſtatutum aſtringens ad eligendum ex gremio certi monaſterii eſſe contra jus; imò enim eſt tantum præter jus ſecundùm opinionem Compoſtell. & aliorum quos retuli ſupra in primo fundamento pro hac parte, verſ. Quartò probatur authoritate Innocentii.

Reſpondetur ſecundò hujuſmodi ſtatutum, eſtò ſit contra jus, tamen de jure communi, & circumſcriptis exemptionibus valere, etiamſi fiat ab Epiſcopo in præjudicium Monachorum quando editur ex juſta cauſa, ut hoc caſu quemadmodum ex communi Canoniſtarum ſententia dictum eſt ſupr. in verſ. Quintò quando. ſtatutum.

Reſpondetur tertiò, authoritates in contrarium adductas loqui in ſtatuto Epiſcopi, qui ſecundùm unam opinionem non poteſt arctare Monachos non conſentientes ad eligendum ſibi Prælatum ex gremio alterius monaſterii. Unde non procedunt ſi ſtatutum fiat ab eodem Capitulo Monachorum, quorum intereſt, ut hoc caſu, quia valet ſtatutum etiam contra jus commune in præjudicium Capituli ſtatuentis, ut eſt de mente gloſſ. *hic in ver. Conſtitutus*; & eſt communis opinio, ut patet ex dictis ſupra *num.* 29.

Ad ſecundum reſpondetur negando ad validitatem hu- 47
jus ſtatuti neceſſarium eſſe conſenſum omnium, & ſingulorum; imò enim ſufficit conſenſus majoris partis Capituli: nam cùm editum fuerit ex juſta cauſa, ſufficit major pars etiamſi auferat aliquibus jus electionis paſſivæ, ut declarat Imola *in cap. fin. in* 12. *col. verſ. Circa ſecundam partem*, *infr. eodem*, quem refert, & ſequitur Felin. *in c. Cùm omnes*, *num.* 2, *verſ. Sed iſta limitatio*, *de conſtit.* & ibi etiam Dec. *num.* 36. *in prima lect.* ubi reprobat opinionem Angeli in contrarium allegati, quod abſque dubio procedit hoc caſu, in quo ex conſtitutionibus Ordinis *pag.* 69. *& ſeqq.* univerſaliter conſtitutum eſt, ut in omni conſultatione ſive in Capitulo, ſive extra Capitulum in qua aliquid definiendum fuerit ſecreta ferantur ſuffragia, & quod major pars cenſuerit, id definitum intelligatur, & à ceteris omnibus etiam contra ſentientibus decreto illi ſubſcribatur; hoc enim caſu factum majoris partis abſolutè præjudicat minori, ut per Angel. *conſ.* 269. *Punctus eſt*, *aliàs incipit*, *Non eſt dubium*, & Dec. *in d. c. Cùm omnes*, *numer.* 28.

Similiter concluſio illa quod non ſufficiat majors pars 48
quando tractatur de jure alicui auferendo, procedit tantùm in actibus voluntariis, ut declarat gloſs. 1. *ad fin. in d. c. Cùm omnes*, quam Doctores ibi communiter ſequuntur, ut teſtatur Dec. *num.* 29. & in his terminis procedit gloſs. in contrarium allegata in *d. c. Quia propter in ver. Vice omnium*, *de elect.* loquitur enim in promiſſo, qui eſt actus merè voluntarius; unde non mirum ſi quilibet poteſt contradicere ne privetur voce ſua, ſecundùm Abb. in *c. In cauſis*, *de elect.* Secus autem eſt ſi actus ſit neceſſarius, vel ſaltem utilis, ut hoc caſu in quo decretum fuit editum ex neceſſitate, vel utilitate publicæ quietis; quia ſufficit conſenſus majoris partis. Quæ limitatio eſt etiam Innocentii, & DD. *in cap. Cum omnes*, ut per Dec. *d. n.* 36. Lap. *allegat.* 131. *infraſcripta ſunt.* Bald. *in l.* 1. *ff. De magiſtr. convenien.* Ad idem eſt gloſſ. *in extrav. Provide*, *in ver. Proceſſibus*, *ad fin. de ſent. excomm.* quæ dicit ſic: Ubi agitur de electionibus, & ſimilibus, quod major pars facit, omnes facere videntur, ut *l. Quod major*, *ff. Ad municipal.* Item ubi factum omnium reſpiceret debitum, vel publicam utilitatem, quia tunc ſufficeret major pars, *c. final. de iis quæ fiunt a major. par. Capit.* Hæc gloſſ. Et ex contrario ſequeretur ut Capitulum Generale ex cauſa quamtumvis neceſſaria, vel utili numquam poſſet excludere aliquem ab electione paſſiva: eſſet enim in poteſtate ejus qui excluditur, illam impedire, ſi omnium, & ſingulorum conſenſus requireretur, quod eſſet valdè abſurdum, & contra bonum publicum religionum.

Ad tertium, reſpondetur ex Hoſtienſ. *hic num.* 4. *hoc jus* 49
ut una Eccleſia de alia eligat, non eſſe publicum, ſed commune, *c. Nobis*, *de jurepatr. & c. Sacroſancta*, *de elect. nam contra publicum non prodeſt conſuetudo, ſed contra commune bene currit, ut notatur hic in ver. Interpres, unde & hoc jus præſcribitur, ut in cap. Abbate, de verb. ſignif. & Epiſcopus bene poteſt facere contra hoc jus, c. De cætero, de tranſact. c. At ſi clerici, de judic.* Hæc Hoſtienſis. Quod ſi hoc poteſt Epiſcopus in præjudicium Capituli Monachorum, multò magis poterit ipſummet Capitulum, de cujus præjudicio agitur.

Ad quartum, id eſt ad *l. Scyphi*, *ff. De opt. legat.* reſ- 50
pondetur ibi electionem legatarii non valere, niſi ſcyphi omnes legati fuerunt exhibiti, quia cùm propter illorum ignorantiam legatarius non habeat conſenſum liberum, non poteſt ei ab hærede, vel alio in electione præjudicium inferri. At hoc caſu electores, de quorum excluſione agitur, capitulariter conſenſerunt. Unde ſuccedit limitatio, quæ habetur in *ead. l. Scyphi*, *in final.* ibi: *Niſi*

ex

ex his dumtaxat eligere voluiſſet, cum ſciret, & alios eſſe. Præterea ibi agitur de jure ſingulari, a quo non licet arguere ad jus univerſitatis, vel Collegii, in quo factum majoris partis præjudicat minori, *c. 1.* & ibi gloſſ. *in verſ. Conſtitutum, de his quæ fiunt à major. part. cap. c. In Geneſi, & c. Eccleſia veſtra, de elect. gloſſ. in c. Inter Canonicos, in ve. Capituli, eod. tit. & in d. extrav. Providè, in ver. Proceſſibus in fin. de ſent. excomm.*

51 Ad quintum reſpondet Navarr. *d. conſ. 7. de conſtit.* ubi poſteaquam firmavit valere conſtitutionem Capituli Generalis, quod in Priores non poſſunt eligi, niſi tres de una natione, dicit non obſtare quod exinde videantur cogi electores ad eligendos indignos, quia quando non poſſent eligi omnes Priores digni de omnibus nationibus, niſi plures quam tres eligerentur de una, tunc poſſent plures eligere de illa, quia numquam eſt eligendus indignus: ad quod allego textum in *c. Abbate, de verb. ſignif.* ubi patet obligationem eligendi Abbatem ex certo gremio monaſterii habere locum dummodò ibi reperiatur aliquis idoneus, quod ſi non reperiatur, aliunde fore eligendum, & concordat *c. Nullus, 65. diſt. c. Sacrorum, 63. diſt. & c. In nomine Domini, 23. diſt.* ibi: *eligatur autem de ipſius Eccleſiæ gremio ſi reperiatur idoneus, vel ſi de ipſa non invenitur, ex alia aſſumatur* Nec propterea generabitur monaſterio prejudicium in futuris electionibus; ut ibi not. gloſſ. *fin. verſ. Sed pone quod nullus reperiatur idoneus*.

52 Ad idem eſt doctrina Joan. Andr. in *d. c. Cum terra nu. 4, verſ. Oppones*, quem ibi ſequitur Card. *nu.* 3. ubi opponens quod non valeat conſuetudo eligendi de certo gremio eo quod libertas electionis poſſit in totum tolli, ſi ibi non eſſet niſi unus idoneus: nam electores neceſſe haberent illum eligere. Reſpondet hoc non facere conſuetudinem, ſed caſum, ſicut contingeret ſi in orbe non eſſet niſi unus, ut idem Jo. Andr. & Card. not. in *c. Conſideravimus, eod. tit.* tales autem eventitios caſus non computamus, *l. Julianus, ff. Qui & Quib. c. fin. de homic.*

53 Præterea conſiderandum eſt hunc caſum non poſſe contingere ut in natione excluſa reperiatur aliquis, qui ſit cæteris dignior. Ratio eſt quia, ut inquit D. Th. in *quodl. 6. art. 9. Aliquis poteſt dici melior dupliciter, uno modo ſimpliciter qui eſt ſanctior plus habeas de charitate: Alio modo dicitur aliquis melior quoad aliquid. Contingit autem quandoque aliquem eſſe meliorem ſimpliciter, qui tamen non eſt melior quantum ad hoc ut Prælationem ſuſcipiat, quia alius forte poteſt Religionem magis juvare vel per conſilium ſapientiæ, vel per auxilium potentiæ, &c. Non ergo ſemper eſt præeligendus melior ſimpliciter, ſed quoad aliquid.* Hæc D. Thom. Quamvis autem poſſit dari caſus, ut in illa natione excluſa reperiatur aliquis, qui ſimpliciter & ſecundum ſe ſit cæteris ſanctior, tamen quia per ejus electionem deſtruitur illud bonum publicum, quod conſideravit Capitulum generale in promulgatione illius decreti, non debet cenſeri magis idoneus quantum ad ali-
54 quid; ac proinde non eſt præeligendus. Hinc juramentum in electione Romani Pontificis non fit ſimpliciter de ſanctiore eligendo, ſed in hæc verba: *Teſtor Deum qui me judicaturus eſt, quod eum eligo, quem ſecundum Deum judico eligi debere*; ut in conſtitutione Gregorii XV. *Æterni Patris Filius.* Et in hac ipſa Congregatione quamvis electores jurent digniorem eligere in Præpoſitum Generalem, tamen cum myſterio addita ſunt illa verba, *penſatis circumſtantiis*.

Præterea ex conſtitutionibus ejuſdem Congregationis multi reperiuntur excluſi ad tempus ab electione paſſiva, ut dictum eſt ſupra in ultimo fundamento pro hac parte, *verſ. Accedunt prædictis*. Et tamen hoc non repugnat juramento de digniore eligendo, licèt aliquis æſtimare poſſit quempiam illorum eſſe cæteris digniorem: ergo eodem modo nec repugnabit decretum de quo agitur, licèt aliquis ex natione excluſa dignior cæteris videri poſſit.

55 Ad ultimum ſic reſpondetur: Congregatio S. Benedicti Hiſpaniarum in caſu Rotæ opponebat, quod conſtitutio illa reſtringens electionem generalis in alterius trienniis ad gremium certi monaſterii ſubreptitiè edita fuiſſet à Sanctiſſimo ad ſupplicationem ipſius Congregationis, quia Congregatio pro eadem conſtitutione numquam ſupplicaverat, ut legitur in principio deciſionis. Unde ſtante defectu conſenſus Congreg. Rota reſolvit conſtitutionem eſſe illi præjudicialem, quia quomodocumque reſtringatur electio, etiam per excluſionem unius ab electione paſſiva, infertur præjudicium libertati electorum, non conſentientium, juxta text. in *d. l. Scyhi, ff. De opt. leg.*

Hæc autem reſolutio nullatenus applicari poteſt caſui noſtro, in quo, ut ſæpius repetitum eſt, decretum excludens certam nationem editum fuit ab ipſa Congregatione, de cujus præjudicio tractatur.

Ex quibus omnibus concluditur hoc decretum eſſe va- 56
lidum, & conſequenter obſervandum in proximo generali Capitulo ex diſpoſitione tam juris communis, *c. In ſingulis, §. Hujuſmodi, & §. Si vero, de ſtat. Monachor.* quam conſtitutionum Congregationis, ut patet *pag. 40. §. Quæ, & pag. 89. §. Quicquid*, & paſſim alibi; alioquin ſi 57
in Præpoſitum Generalem eligeretur aliquis de natione excluſa, electio nulla foret, quia decretum non prohibet ſimpliciter electionem fieri, ſed ſtatuit, ut electio fieri non poſſit: verbum, autem *poſſit* præcedente negatione inducit neceſſitatem præciſam, & privat potentia, ſecundum gloſſ. ordin. in *cap. 1. in ver. Non poteſt, de regul. jur. in 6.* quam Bart. & omnes ſequuntur in *l. Gallus, ff. De liber. & poſthum.* ut teſtatur ibi Jaſ. *num. 19. & 23.* & idem Bart. in *l. De his, num. 4. ff. De tranſact.* Abb. *in cap. 1. in ult. not. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* & in *c. 1. in 2. not. de fid. inſtr.* & reddit actum de jure impoſſibilem, ut ait Bald. *in l. 1. nu. 6. C. Qui admitti*, & Jaſ. *in d. l. Gallus.*

Et propterea quidquid fit ab eo, cui facta eſt prohibitio per verbum *non poſſit*, eſt irritum ipſo jure, ut reſpondit Bart. *in conſ. 97. In quæſtione, num. 4. lib. 1.* Alex. *conſ. 77. in princ. & conſ. 82. Viſo proceſſu, num. 3. lib. 3.* Hinc ſi ſtatuto caveatur ut minor, vel mulier non poſſit vendere 58
ſine conſenſu conſanguineorum, ſi aliter vendant, contractos eſt nullus, ita ut nec naturalem pariat obligationem, ut determinat Bartol. in *d. l. Cum lex, in penult. col. num. 6. ff. De fidejuſſor. quia*, inquit, *dicere quod non poſſit contrahere, nihil eſt aliud quàm auferre poteſtatem, & facultatem vendendi*: & ſequitur Jaſ. *in d. l. Gallus, n. 16. verſ. Prima concluſio*: ubi hanc theoricam pluribus exemplis confirmat; & *n. 19.* teſtatur eſſe communem, & ab omnibus indifferenter approbatam.

Ideoque cùm olim dubitatum fuerit in S. Congregatio- 59
ne Concilii an *c. ſeſſ. 23.* diſponens neminem ante decimumquartum annum beneficium obtinere poſſe, comprehendat eum, qui anno duodecimo ætatis beneficium obtinuit, & nunc effectus eſt ætatis annorum quatuordecim, adeò ut nunc non ſit legitimus poſſeſſor, & fructus ſuos non fecerit: S. Congregatio annexa doctrinæ Jaſonis in *d. l. Gallus, n. 17. cum ſeqq. ff. De liber. & poſthum.* ubi quod actus redditur nullus ipſo jure cùm quid prohibetur cum verbo, *non poſſit*; cenſuit collationem ante decimumquartum annum fuiſſe nullam.

Neque verò hoc caſu integrum eſt capitularibus ab hoc 60
decreto recedere, quia non fuit ſimpliciter editum in favorem ſingularium perſonarum, ſed pro publica quiete. At ſtatutum concernens favorem publicum, ſtante confirmatione conſtitutionum, quæ dicta pag. 89. præcipiunt ut decreta Capituli Generalis obſerventur, etiam antequam referantur inter conſtitutiones, à ſtatuentibus revocari non poteſt, etiamſi per revocationem fiat reditus ad jus commune, ut concludit Abb. in *Cum acceſſiſſent num. 2. verſ. Nota quod ſtatuente, & verſ. Si verò ſtatutum, de conſt.* Roman. *conſ. 37. Viſo puncto, col. fin.* & Angel. in *l. Omnium, col. ult. C. De teſtam.* Ratio eſt ſecundùm eos, quia ex quo Superior confirmat, videtur diſpoſitionem ſuam facere, *l. 1. §. Sed neque, C. De veter. jur. enucl. cap. Si Apoſtolicæ de præben. in 6.* Idem tenet Cardin. *conſ. 130.*
Ad primam partem, ubi reſpondit ſtatuta Capituli confir- 61
mata per Papam non poſſe tolli per Capitulares, quatenus reſpiciunt favorem publicum, & eodem ſpectat quod ſcripſit Navarr. *conſ. 8. Quæritur primò, in princ. de conſtit.* ubi ait, Capitulum Generale non poſſe revocare decreta à ſe prius edita, eò quòd cùm habeat jus condendi decreta ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, decreta ipſa non dicuntur Capituli Generalis, ſed Papæ; & ideò ab inferiori à Papa revocari non poſſunt per jura quæ ad hoc citat Felin. in *dict. cap. Cum acceſſiſſent, num. 9. de conſtit.*

Qui

62 Quinimò non eſt vis aliqua in confirmatione; quia ſtatutum concernens utilitatem publicam etiam abſque confirmatione Superioris revocari non poteſt à ſtatuentibus, nec illi tacitè vel expreſsè renunciari, ut determinat Innoc. in *c. Cùm olim*, *il 2. num. 7. verſ. Imò plus dicimus*, aliàs eſt in *c. Accedentibus*, *de privil.* & ibi Jo. Andr. *num.* 5. Butr. *n.* 7. Anchar. *num.* 4. *verſ. Subdit Innocentius*, & Dec. *in d. c. Cùm acceſſiſſent, num.* 13. *verſ. Præterea quando ſtatutum reſpicit utilitatem publicam*, *facit ſecundùm eos cap. Si diligenti*, *de for. compet.*

Non obſtat, quod ex Bullis dictæ Congregationis Capitulum Generale ſicut potuit decretum condere, ita etiam poſſit ante ullam executionem, illud abrogare, ut patet *pag. linea* 5. *& pag.* 16. *linea* 11. ibi: *ſtatuta condere, quoties videbitur, mutare, ac de novo ſtatuere*. Nam reſpondetur hanc facultatem immutandi ſtatuta competere ſtatuentibus etiam de jure communi, ut noant omnes in *c. Cùm acceſſiſſent*, per illum textum, ubi in ſpecie Felin. *num.* 3. *&* 10. *de conſtit.* Unde cùm prædictæ Bullæ idem diſponant, quod jus commune, debent ad inſtar juris communis declarari, & limitari ut non procedant in ſtatutis editis ex cauſa publicæ utilitatis, *l. Juris gentium*, *§. Si paciſcar*, *ff. De pact. juncta l. Tranſigere* ubi gloſ. magn. *C. De tranſact. gloſſ.* Bart. & omnes in *l. Sciendum*, *ff. Qui ſatiſd. cogan.*

63 Nec refragatur verbum *videbitur*, in Bullis poſitum, quia refertur ad arbitrium boni viri, & regulatum à jure, *l. Si fideicommiſſaria libertas*, *la ſecunda in princip. de fideicomm. libert.* ibi, *Si tibi videbitur peto ut manumittas*; quod accipiendum eſt ac ſi dictum fuiſſet: Si tibi quaſi bono viro videbitur, & tradunt. Gemin. Roman. & alii copioſè relati à Menoch. *de arbitr. judic. lib.* 1. *qu.* 8. *num.* 2.

Præterea quatenus Captiulum Generale poſſit hoc decretum revocare, hoc tamen intelligi debet ſervata forma præſcripta in conſtitutionibus dictæ Congregationis, ut ſcilicet id fiat electionibus majorum officialium abſolutis, ut habetur *pag.* 67. *c.* 18.

64 Neque obſtat, quòd in alia conſtitutione initio relata caveatur, ut ſi quid ſtatuendum fuerit circa electiones, id fieri debeat ante electiones majorum officialium.

Etenim cùm hæc conſtitutio generaliter diſponat, ut propoſitiones circa electiones fiant in ſede vacante, & è contrà, ſecunda conſtitutio diſponat ſpecialiter, ut propoſitiones decretorum Capituli generalis fiant in ſede plena, prima conſtitutio Generalis non cenſetur loqui, neque diſponere in caſu decretorum Capituli generalis, de quo ſpecialiter fuit cautum in ſecunda conſtitutione. Ita declarat Angel. *conſil.* 160. *Domina*, *in princip.*

Ratio eſt, quia quotieſcumque proviſio ſpecialis diſcrepat à generali, imò prima fronte illi contradicit, putà ſi unum ſtatutum diſponat, ut de falſitate poſſit inquiri uſque ad vigeſimum annum, & alio ſtatuto ſpeciali caveatur, ut contra teſtem falſum non poſſit inquiri, niſi infra menſem; tunc generali ſtatuto derogatur per ſpeciale, ut decidit Bart. in *l. Sanctio legum*, *ff. De pœn.* quem refert, & ſequitur idem Angel. alia exempla cumulans *conſ.* 355. *quæſt. prædicta*, *per totum*.

Hinc ſi Imperator conceſſerit Cremonenſibus uſum aquarum Padi uſque ad mare, & Parmenſibus conceſſerit omnes aquas in territorio Parmenſi, prævalet quoad aquas Padi privilgium Cremonenſium tamquam magis ſpeciale de aquis Padi, ut ex facto reſpondit Siguorel. de Homod. *conſ.* 70. *n.* 12.

Hinc etiam ſtatutum ſpecialiter loquens de ſucceſſione 65
certarum perſonarum, derogat ſtatuto generali, excludens perſonas in genere, ut conſuluit Bald. *conſ.* 78. *Duo ſunt ſtatuta*, *lib.* 1. *quia*, inquit. *certum eſt*, *quòd ſpecies contraria generi ſive præcedat genus in eadem diſpoſitione, vel alia, ſive ſequatur eximitur à genere, & derogat generi, & reſtringit genus, ut non referatur genus ad illam ſpeciem, cùm inter genus, & ſpeciem ſit incompatibilitas, ſi-* 66
ve contrarietas, & idem Bald. *conſ.* 292. *Verba pactorum*, *num.* 3. *in fin. verſ. Dictum ſtatutum*, *lib.* 2. ubi generaliter docet, ſi ſint duo ſtatuta contraria unum ſpeciale, & alterum generale, eſſe attendendum ſpeciale, etiamſi non habeat verba derogatoria, ſive ſpecies præcedat genus, ſive ſequatur, ut in regul. Generi per ſpeciem derogatur; & ſequitur Angel. *d. conſ.* 355. & Alex. *conſ.* 141. *n.* 9. *lib.* 2.

Quod mexime procedit hoc caſu, in quo ſecunda conſtitutio de proponendis decretis Capituli Generalis poſt abſolutas electiones habet ſpecialem rationem, nimirum ut religio decreta experiatur priuſquam abroget, aut inter conſtitutiones referat, alioquin ſi ante ullam executionem, & experimentum decreta poſſent pro libito voluntatis abrogari à majori parte Capituli, jam lex eſſet ludibrio poſita, *l. Si Prætor*, *ff. De judic.* ibi, alioquin luſoria erunt hujuſmodi edicta, & decreta Paſtorum: Die 29. Martii 1638. Sanctiſſimus D. N. Urbanus VIII. per literas in forma brevis confirmavit ſupradictum decretum Capituli Generalis Congregationis Somaſchæ.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

Innocentius III. Clericis Raven. Eccleſiæ.

CAPUT III.

BOnæ memoriæ Guil. Archiepiſcopo veſtro viam univerſæ carnis ingreſſo, quidam veſtrùm ſanctæ Praxedis presbyterum Cardinalem; quidam verò Imolen. Epiſcopum poſtulaverunt: & infrà. Nos igitur auditis quæ de facto, & de jure fuerant allegata, plenius etiam pro utralibet partium curavimus allegare: conſideravimus verò quòd ejuſdem Cardinalis præſentia utilior ſit non ſolùm Romanæ, ſed etiam Eccleſiæ generali tàm apud Apoſtolicam Sedem, quàm apud Eccleſiam Ravennatem, unde non immeritò præferentes ſpeciali utilitati communem, & minori majorem, prædictum Cardinalem poſtulationi veſtræ non duximus concedendum. Attendentes autem ex altera parte, quòd prædictus Epiſcopus à minori quàm tertia parte fuerit poſtulatus: & quòd Apoſtolica Sedes poſtulationes hujuſmodi non conſueverit in tanta diviſione, ac contradictione recipere: cùm etiam quando aliquis ab aliis unanimiter poſtulatur, ad admittendam poſtulationem eorum, non tàm ex juſtitia, quàm ex gratia moveatur, poſtulationem ipſius non duximus admittendam. Mandantes quatenus cum his qui vocem in electione habere noſcuntur, per electionem, poſtulationem, ſeu nominationem canonicam in perſonam idoneam convenire curetis.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Poſtulatio per quam privata, vel minor utilitas communi, vel majori præfertur, vel quæ fit à minori quàm tertia parte Collegii, admitti non debet, & num. ſeqq.*
2 *Canonici veniunt clericorum appellatione in materia favorabili, vel indifferenti.*
Ravennatenſis Eccleſia duplex habet Collegium, id eſt Cardinalium, & Canonicorum, ibidem, & numer. 14.
3 *Electio Prælati pertinet ad Canonicos, non autem ad inferiores Beneficiatos.*
4 *Canonicatus comprehenduntur in indulto conferendi beneficia Clericorum.*
5 *Clericorum appellatione an veniant Canonici, & dignitates obtinentes in materia odioſa, & reſtringibili, & n. ſeqq.*
6 *Canonici cenſentur exempti per exemptionem Clericis Eccleſiæ conceſſam.*
7 *Exemptionis materia eſt ſtrictè accipienda.*
8 *Clericorum nomen generale eſt, & comprehendit parvos, & magnos.*
9 *Canonici ſunt digniores Clericis.*
10 *Et appellantur Eccleſiæ Senatus.*
11 *Permutationis materia favorabilis eſt, & largè interpretanda.*
12 *Species ubicumque ponit aliquid ultra genus ſuum, appellatione generis non venit illa ſpecies.*
13 *Parochialis appellatione non venit Eccleſia Parochialis Collegiata, ſi materia ſit odioſa.*
14 *Cardinales Eccleſiæ Compoſtellanæ, Ravennaten. & Mediolanen. dicuntur Cardinales, ſicut dicitur Rex Scaccorum.*
15 *Et ſunt Cardinales ſine pileo rubro, & ſine ſucco.*
16 *Cardinalis Epiſcopus ad aliam Cathedralem non eligitur, ſed poſtulatur.*
17 *Et quid in Cardinali non Epiſcopo.*
18 *Cardinales habent alas ligatas, ſicut Epiſcopi.*
19 *Cardinales reſidentes in Curia æquiparantur ſtellis fixis, quæ non moventur niſi motu orbis.*
20 *Cardinalatus de jure eſt incompatibilis cum Epiſcopatu, & n. ſeqq. uſque ad n. 24.*
Et quid ex Concilio Tridentino, n. 24.
21 *Et quid de conſuetudine, & n. 23. & 31.*
22 *Cap. De multa de præben. an habeat locum in Cardinalatibus, & Epiſcopatibus.*
23 *Cardinali in Curia reſidenti Epiſcopatus non datur in titulum, ſed in commendam.*
24 *Concilium Tridentinum non habet Cardinalatum pro incompatibili cum Epiſcopatu, & refellitur contraria opinio Alphonſi Heredæ.*
25 *Epiſcopatus plures nemo etiam Cardinalis poteſt ſimul retinere in titulum, ſeu commendam.*
26 *Cardinales quibus caſibus comprehendantur in diſpoſitione generali.*
27 *Epiſcopi etiam Cardinales tenentur præcepto divino in ſuis Epiſcopatibus reſidere.*
28 *Cathedralem unam in titulum obtinere, & aliam in commendam, an adverſetur Concilio in cap. 2. ſeſſ. 7.*
29 *Commendæ de jure communi erant temporales, & ideò non erant incompatibiles cum titulis.*
30 *Commendæ noſtri temporis ſunt perpetuæ, & habent rationem tituli, & commendatarius facit fructus ſuos.*
31 *Epiſcopatus non vacat per promotionem ad Cardinalatum.*
32 *Conſuetudo Eccleſiæ Romanæ facit jus.*
33 *Cardinales an expediat Metropolitanis, vel Cathedralibus Eccleſiis præficere.*
34 *Cardinales ſunt coadjutores Papæ.*
35 *Cardinalium conſilio apud Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nititur.*
36 *Cardinalium inſtantia eſt ſollicitudo omnium Eccleſiarum.*
37 *Communis, & major utilitas præfertur ſpeciali, & minori.*
38 *Epiſcopatus Cardinales habent in Romana Curia reſidentiam.*
39 *Electio, poſtulatio, & nominatio in quibus conveniant, & n. ſeqq. uſque ad n. 57.*
40 *Electio fieri debet à majori parte Collegii.*
41 *Fallit in electione Papæ, in qua duæ partes requiruntur.*
42 *Poſtulatio facta à non majori parte Capituli, poteſt reſpui, nec ulla fit injuria poſtulantibus.*
43 *Eligentes ſcienter indignum, ſunt ipſo jure privati pro illa vice poteſtate eligendi.*
44 *Poſtulantes ſcienter impoſtulabilem ſimiliter pro ea vice ſunt privati.*
45 *Nominantes itidem indignum, ſunt privati pro illa vice poteſtate nominandi, ſi nominatio ſit perfecta, aliàs ſecùs.*
46 *Electio, poſtulatio, & nominatio fieri debent collegialiter, aliàs per ſubſequentem conſenſum ſingulorum non convaleſcunt.*
47 *Electio acquiritur jus petendi confirmationem, & n. 77.*
48 *Scrutinio publicato electoribus variare non licet.*
49 *Poſtulato jus acquiritur, poſtquam poſtulatio fuit ſuperiori præſentata, nec licet poſtulantibus reſilire, & num. 78.*
50 *Poſtulans, & ſuperior poſſunt ſimul recedere à poſtulatione, etiam poſtulato contradicente.*
51 *Nominatio facta ſuperiori tribuit jus nominato, ut ea pendente ad electionem non ſit procedendum, & num. 78.*
52 *Nominatio in qua exprimitur conſenſus de præſenti, idem eſt quod electio.*
53 *Electio caſſatur, ſi electus ſe immiſceat adminiſtrationi Eccleſiæ ante confirmationem.*
54 *Poſtulatus qui ante admiſſam poſtulationem ſe adminiſtrationi immiſcuit, privatur omni commodo poſtulationis.*
55 *Et poſtulantes qui eum admiſerunt, eligendi & poſtulandi facultate privantur.*
56 *Idem in nominato.*
57 *Electio, poſtulatio, & nominatio in quibus differant, & n. ſeqq. uſque in finem.*
58 *Electio quid ſit.*
59 *Poſtulatio innititur magis gratiæ, quàm juſtitiæ.*
60 *Poſtulatio quid ſit.*
61 *Poſtulatio admittitur; electio confirmatur.*
62 *Poſtulatum non cogitur Prælatus concedere.*
63 *Debet compelli per ſuperiorem, ſi juſta cauſa exigat.*
64 *Prælatus non concedens poſtulatum, tenetur illi providere de conſimili beneficio.*
65 *Gratia eſt, quidquid facit Papa.*
66 *Poſtulationem concorditer factam ſi ſuperior non admittat, injuriam inferet.*
67 *Nominatio quæ fit per unum tantum, propriè non dicitur electio.*
68 *Nominatio fit de pluribus; poſtulatio verò, & electio de uno tantum.*
69 *Nominatio fieri poteſt alternativè, poſtulatio non.*
70 *Nominatus primo cenſetur dignior, major, & magis dilectus.*
71 *Electio fieri debet de digniori, licèt ſuſtineatur de digno.*
72 *Poſtulatio fit de intelligibili puta extraneo, laico, & illegitimo.*
73 *Fratres minores ad Cathedralem non eliguntur, ſed poſtulantur.*
74 *Criminoſus eſt impoſtulabilis.*
75 *Electio debet eſſe canonica.*
76 *Poſtulatio, & nominatio, quam ſolemnitatem requirant.*
77 *Electio quale jus acquiratur, antequam nominatio fuerit ſuperiori præſentata.*
78 *Nominatio, quæ fit ante ſcrutinium, non tribuit jus.*
79 *Nominationum tres ſunt ſpecies.*

Bona

1 BOnæ memoriæ, il 1. Poſtulatio per quam privata, vel minor utilitas communi vel majori præfertur, vel quæ fit à minori, quàm tertia parte Collegii, admitti non debet. Hoc dicit. Dividitur in tres partes. Prima ponit duas diſcordes poſtulationes. Secunda utramque repellit, cauſas exprimens, ibi, *Nos igitur*. Tertia monet novam proviſionem fieri, ibi, *Mandantes*.

2 Nota primò, ex ſupraſcriptione juncto textu, Papam aliquando ſcribere Canonicis ſub nomine clericorum, quod fecit hìc propter duplex Collegium, quod eſt in Eccleſia Ravennate, alterum ſcilicet Cardinalium, alterum Canonicorum, ſecundùm Boactinum, quem hìc refert Joan.Andr. *num.*3.Cardin.*in princip.* concordat textus in *cap. Illud*, *& 93. diſtinct.* ubi Gregorius Collegium Ravennatis Eccleſiæ appellat clerum, ibi, *A clero veſtro.* Et ſic collige, clericorum appellatione comprehendi etiam
3 Canonicos: nam Papa hìc ſcribit clericis Ravennatis Eccleſiæ, & intelligit de Canonicis, ad quos pertinet jus eligendi Prælatum; non autem de clericis inferioribus, qui licèt ibi ſint beneficiati, tamen non ſunt de Capitulo, nec faciunt Collegium, *cap. Dilecta*, cum gloſſ. *de exceſſ. Prælator.*& notat Compoſtell. dicens ita ſervare Eccleſiam
4 Romanam, in *cap.*1.*num.* 4. ubi etiam Joan.Andr. *num.*11. & ibi dixi *num.* 31. *& ſeqq. infra tit. proximo*. Quæ concluſio abſque dubio procedit in materia favorabili, vel indifferenti, ut ſentit Feder. de Sen.*conſ.*78. *Factum tale eſt, Duo, &c.num.*3. *verſ. Verbi gratia*, ubi dicit in conceſſione facta per Papam Cardinali, ut poſſit conferre beneficia clericorum cedentium, vel decedentium, comprehendi etiam beneficia Canonicorum, cùm hæc ſit quædam gratia, & privilegium, allegat.*cap. penult.de verb.ſignific. cap.Si cui, in* 1. *reſpon. de præben. in* 6.*& cap.* 1. *de regul.*
5 *jur.eod.lib.*Sed difficultas eſt, quid in materia odioſa ſtrictè intelligenda. Cardinalis hìc *num.* 1.*in ſecundo notab.* concludit etiam in hujuſmodi materia Canonicos venire appellatione clericorum. Movetur primò per hanc decretalem, quæ tamen nihil facit, quia hìc appellatione clericorum veniunt Canonici propter ſubjectam materiam, quia videlicet agitur de poſtulatione, & electione, quæ ad ſo-
6 los Canonicos pertinet, ut proximè dictum eſt. Deinde movetur Cardinalis per *c.Per exemptionem*, *de privil.in* 6. ubi per exemptionem conceſſam clericis alicujus Eccleſiæ etiam Canonici intelliguntur exempti: & tamen materia
7 exemptionis eſt ſtrictè accipienda propter præjudicium, quod infert poteſtati Ordinarii, arg. *c.Pervenit*, 11.q.1.Ad hoc Conc.Trid. in *c.* 11. *ſeſſ.* 24. *in princ.* ubi exemptiones dicuntur perturbationem in Epiſcoporum juriſdictione excitare, & exemptis præbere occaſionem laxioris vitæ.

Ad hunc tex. qui valdè ſtringit, reſpondet Abb.hìc *n.* 2. poſſe contingere, ut privilegium illud exemptionis aliàs nihil operaretur, puta ſi in Eccleſia eſſent tantùm Canonici, quo caſu fieret lata interpretatio, etiam in materia odioſa, ne privilegium aliàs redderetur eluſorium, ut eſt text.in *c. Si ſententia*, *de ſent. excomm.lib.*6. melior text. eſt in *c. In his*, *infra de privil.* Sed hæc reſponſio infirma eſt; quia ille textus dum decidit exemptis clericis etiam Canonicos intelligi exemptos, utique ſupponit in Eccleſia extare tam Clericos, quam Canonicos. Præterea hæc reſponſio reſtringit deciſionem illius textus ad caſum, in quo in Eccleſia non eſſent niſi Canonici: quod fieri non debet, tum quia textus generaliter loquitur; tum quia cùm hic caſus,ut in Collegiata Eccleſia nullus ſit Clericus præter Canonicos, ſit valdè rarus, non cenſetur ad eum conditor canonis reſpexiſſe, *l. Jura cum trib. ſeqq.ff. de leg.* Magis ergo placet alia reſponſio, quòd idcircò in *d.c. Per exemptionem*, appellatione Clericorum veniunt Canonici, quia aliàs abſurdum foret,ut exemptis clericis inferioribus non eſſent exempti Canonici, qui ſunt principaliores in Eccleſia.

8 Demùm movetur Cardinalis, quia eſſe Canonicum non ponit aliquid ſuper alios clericos, niſi quatenùs à jure ſpecialiter eis conceditur. Igitur Canonici debent venire appellatione clericorum, cum nomen clerici ſit nomen generis, & genus inferat ſuas ſpecies. Quod motivum deſumpſit ex Feder.*d.conſ.* 73. *num.* 2. ubi dicit nomen clericorum generale comprehendere paucos, & magnos, *c. De perſona* 11. *q.* 1. & tamquam genus habere ſub ſe ſpecies. Nam aliqui dicuntur Canonici, qui ſunt in Eccleſia Collegiata, & faciunt unum corpus cum ſuo Prælato. Aliqui dicuntur Clerici, & retinent nomen ſui generis, ſicut dicimus, Arrogatio, & adoptio ſunt ſpecies adoptionis,ut not.in *c.un.de cognat.legat.*Et ſtrictè loquendo poteſt dici, Si eſt Canonicus, ergo Clericus, quia ſpecies infert genus;ſed non è converſo, Clericus eſt, ergo Canonicus.

Sed & huic motivo patet reſponſio ex dictis Innocentii 9
in *cap. Sedes, ſupra de reſcript.* ubi determinat, ut ſi Papa det reſcriptum contra Titium clericum, & quoſdam alios, ſub illa clauſula generali non includantur Canonici, quia ſunt digniores ſimplicibus clericis. Unde cùm Canonicus habeat qualitatem canonicatus ultra alios clericos, in materia ſtricta non debet venire appellatione clericorum. Ad hoc Concilium Tridentinum in *c.* 12. *in fine*, 10
*ſeſſ.*24.ubi Canonici appellantur Eccleſiæ ſenatus. Et Feder.de Sen.*d.conſ.*73. loquitur in permutatione, quæ cùm 11
non fiat, nec fieri præſumatur, niſi beneficiorum utilitate exigente, *c. Quæſitum*, *de rer. permut.* debemus in ea tamquam favorabili æquitatem præferre, & largè interpretari, ut ipſemet declarat *num.* 4. *verſic. Item permutatio*.

Quamobrem concludo, in materia reſtringibili, ap- 12
pellatione clericorum non venire Canonicos, nec alios in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, prout etiam concludit Abbas *hìc n.*2.*& in rubr.infra,de vita & honeſt.cleric.*Felin. in *c.Non dubium*, *n.* 1. *de ſent.excomm.* Dec. in *Cùm non liceat*, *n.* 18. *de præb.* quia ubicumque ſpecies ponit aliquid ultra genus ſuum, appellatione generis non venit illa ſpecies, ut eſt textus valdè notabilis in *c.Statutum*, *de elect. in* 13
6. ubi appellatione Eccleſiæ Parochialis non venit Eccleſia Parochialis Collegiata, quia ſemper habet qualitatem Collegii ultra Parochiam: & ibi dicit textus hoc procedere in materia odioſa, ſecus in materia favorabili, vel indifferenti; & hoc tenent ibi Arch.Jo.Monach. Joan. Andr. Gemin. Franc.& reliqui interpretes. Unde cùm Canonici habeant qualitatem canonicatus ultra alios clericos, non debent venire appellatione clericorum in materia ſtrictè intelligenda. Quid autem in caſu converſo, an appellatione Canonicorum veniant clerici, vide per eumdem Feder.*d.conſ.* 73. Adverte etiam ad id quod ſuperiùs diximus de duplici Collegio Ravennatis Eccleſiæ: nam conſimiles Canonici 14
Cardinales ſunt etiam in Eccleſia Compoſtellana, & Mediolanenſi, nec tamen ſecundùm Abb. *hìc n.* 3. ſunt verè Cardinales, ſed tales nuncupantur honoris cauſa ex privilegio Papæ, & dicuntur Cardinales ſicut dicitur Rex Scaccorum, ut inquit gloſſ. in *c.Pudor in ver. Principem mundi*, 32.*q.*2. & Sernen.in *regula de Annali*, *q.*47.*n.* 5. Sunt enim Cardinales ſine pileo rubro, & ſine ſucco, ut concludit 15
Card.Jacobat.*de Concil.lib.*1.*art.*1.*n.*271.

Secundò nota, Cardinalem ad Epiſcopatum non eligi, 16
ſed poſtulari; quod citra controverſiam procedit in Cardinali Epiſcopo, quia ſicut ſimplex Epiſcopus ad aliam Cathedralem non eligitur, ſed poſtulatur, ut hìc patet, & in *c.Bonæ memoriæ*, & *cap. fin. infra eod.* ita & Epiſcopus Cardinalis. Idque indubitanter verum eſſe affirmat hìc Jo. 17
de Anan. *num.* 4.Sed in Cardinali non Epiſcopo DD. non conveniunt. Hoſt. *hìc num.* 1. tenet Cardinalem Presbyterum eſſe poſtulandum, quia habet alas ligatas, ut in *c.*2. 18
*inf.de cleric.non reſiden.*ſicut Epiſcopus,ut in *d. cap. fin. infra eod.* & in *c. Niſi cum pridem*, *in fine de renunc.* Sed Abb. Antiq.& Ægid.tenuerunt Cardinalem non Epiſcopum poſſe eligi.Et ad hunc textum reſpondent verbum: *Poſtularunt* ſtare impropriè reſpectu Cardinalis, & propriè reſpectu Epiſcopi, concludentes propterea Cardinalem hìc fuiſſe electum, non poſtulatum. Simile in *c. Plerumque*, *ſupra de reſcript.*Verùm hæc ſolutio deſtruit literam. Hunc articulum tractant Doctores,& in ſpecie Abb. Sicul.in *c.Eccleſia veſtra, il* 2.*inf. tit. prox.* Dic ut ibi.

Tertiò nota argumentum optimum, quòd Epiſcopus ad Cardinalatum promotus non debet retinere Epiſcopatum ſaltem in titulum. Nam Cardinales tenentur conſulere, & aſſiſtere Papæ, *c.Fundamenta*, §.*Decet*, *de elect.lib.*6. Et 19
ut Bald. inquit, *num.* 3. æquiparantur ſtellis fixis, quæ non moventur niſi motu orbis: ſic Cardinales reſidentes in Curia non moventur, niſi motu Papæ. Item tenentur in ſuis titulis, & Eccleſiis Urbis perſonaliter reſidere, ita ut etiam à tantæ dignitatis faſtigio ſint deponendi,ſi ad eas redire contumaciter detrectaverint, ut eſt caſus in *d.cap.*1.

de Cleric. non reſid. Epiſcopatus ſimiliter continuam reſidentiam requirit, *cap. Qualiter*, *eodem tit. cap. Pervenit*, *cum multis ſeqq. 7. q. 1.* Nam durum eſt dimittere Eccleſiam ſine ſponſo, & paria ſunt non habere ſponſum, vel pror-
20 ſus inutilem, *c. 2. de tranſlat. Epiſc.* Quamobrem hic vides Papam noluiſſe admittere poſtulationem factam de Cardinali ad Archiepiſcopatum Ravennatem, quia oportuiſſet aut Romanam Curiam deſerere, aut moram trahere extra Archiepiſcopatum. Utrumque autem erat inconveniens, meritò Papa poſtulationem non admiſit. Atque hinc Abb. *num. 6.* colligit Cardinalatum, & Epiſcopatum eſſe incompatibiles in eadem perſona; ſubdit tamen
21 noviſſimis temporibus ſervatum eſſe, ut Epiſcopus promotus in Cardinalem non perdat ipſo jure Epiſcopatum, imò retineat illum titulum, ſicut priùs, niſi Papa aliter diſponat; & ſic teſtatur ſervatum fuiſſe in Cardinali Sanctæ Crucis quoad Epiſcopatum Bononienſem, & in Cardinali Sancti Marcelli quoad Epiſcopatum Senenſem.
22 Et hoc quia plerique conſuluerunt, *c. De multa*, *de præb.* non habere locum in Epiſcopatibus, Cardinalatibus, & ſimilibus. Quod tamen ſecundum eum etſi verum ſit quoad verba juris, tamen quoad mentem ſecus dicendum eſt, quia potiùs debet vacare ipſo facto unus Epiſcopatus per adeptionem alterius, vel Cardinalatus, quàm vacet unus Archidiaconatus per adeptionem alterius dignitatis inferioris.

Hanc ipſam opinionem tenet idem Abb. in *cap. Eccleſia veſtra*, *il 2. num. 3. infra de elect.* Felin. *in cap. Quod ſuper his de fide inſtrument.* Gomez. *in proœm. Regul. Cancell. in verſic. Ex quo refertur*, *& in reg. de impetran. benef. vacan. per obit. familiar. Cardinal. q. 12.* Petr. Duenn. in *ver. Beneficium*, *regul. 71.* & Dominic. Sot. in particulari quæſtione, quam fecit de pluralitate beneficiorum, ubi affirmat eſſe legem prohibitoriam, ne Cardinales qui Romæ reſident, Epiſcopi fiant, prout illum refert Alphonſ. Hojeda, qui pluribus eamdem opinionem tuetur in *tract. de benefic. incompatib. p. 1. c. 2.* quibus addo Card. Cajetanum 2.2. *q. 185. art. 5.* ubi notabiliter ait: Secundùm doctrinam juris communis falſum aſſumitur, quòd Cardinalis de jure poteſt eſſe Epiſcopus cujuſcumque Eccleſiæ quantumcumque remotæ. Quoniam ut in dicta decretali patet (loquitur de hac decretali) propter impoſſibilitatem reſidendi in utraque Eccleſia, Romana ſcilicet, & Ravennenſi, præfertur utilitas univerſalis Eccleſiæ, ut Cardinalis præſens ſit Romæ, & non admittitur poſtulatio ipſius ad Archiepiſcopatum Eccleſiæ Ravennatis. Et quia textus clarus eſt, & rationi innititur ſanctæ; ideò dicendum videtur, quòd Cardinalatus, & Epiſcopatus ſint de numero incompatibilium
23 de jure, ut Panormitanus etiam ibi ſentit, quidquid ſit de conſuetudine; ſi tamen conſuetudo, & non potiùs abuſio appellanda eſt. Hæc Cajetanus.

Quorum opinioni valdè ſuffragatur ſtylus Romanæ Curiæ. Nam Cardinali, qui in Urbe reſidere debet, Papa non conſuevit Epiſcopatum conferre in titulum, ſed in commendam, ut ex illius fructibus decenter ſuſtentari valeat. Hoc autem incompatibilitatem arguit, ut in *c. Dudum*, *il 2. verſ. Cùm nullus*, *infra titul. proximo*. De quo ſtylo teſtantur Sotus, & Hojeda locis citatis. Et quamvis non deſint, qui negent hujuſmodi incompatibilitatem Cardinalatus cum Epiſcopatu, & Abb. hìc affirmet in facti contingentia ſe vidiſſe multorum conſilia pro hac ſententia, eamque conetur defendere Andr. Barbat. in *tract. de præſtan. Cardinal. in 1. part. quæſt. 12.* ejus tamen fundamenta infirma ſunt, eiſque ſufficienter reſpondet
24 Hojeda in *d. c. 2. num. 10.* Addit Hojeda pro hac ſententia eſſe textum expreſſum Concilii Tridentini in *c. 17. ſeſſ. 24.* ubi clarè dicit probari Cardinalem comprehendi in hac prohibitione, ut non poſſit obtinere Cardinalatum cum Epiſcopatu.

Sed certè Hojeda in hoc decipitur, quia longè diverſus eſt ſenſus illius decreti. Nam ibi ſolùm ſtatuitur, ut unum beneficium ſingulis conferatur, vel ad ſummum duo, ſi primum ſit inſufficiens, & dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat; idemque jubetur obſervari etiam in S. R. E. Cardinalibus, ibi: *Quod in quibuſcumque perſonis*, &c. Unde decretum illud non obſtat, quominus Cardinalis poſſit obtinere unam Eccleſiam etiam Cathedralem, quia in numero beneficiorum Concilium ibi non computat dignitatem ipſam Cardinalatus; alioquin ſi illam computaret, Cardinalis non poſſet obtinere duo beneficia ſimplicia etiam tenuiſſima, quia eſſet triplex; & ſic Cardinalis eſſet deterioris conditionis quam alii clerici, qui non prohibentur obtinere ſecundum beneficium, ſi primum ſit inſufficiens.

Præterea hoc ipſum ſatis clarè colligitur ex *eod. c. 17. in §. Hi verò*, ubi qui ante Concilium obtinuerunt plures Cathedrales, tenentur unam dimittere. Ergo ſi decretum illud ſervari debet in Cardinalibus, ut initio præcipitur, manifeſtè ſequitur, ut ſi quis Cardinalis eo tempore obtineret plures Cathedrales, poſſet aliis dimiſſis unam retinere; & ita Concilium non habuit Epiſcopatum pro incompatibili cum Cardinalatu.

Et confirmatur ponderando *cap. 1. ſeſſ. 23.* ubi in decreto de perſonali reſidentia Epiſcopi in diœceſi S. Synodus declarat comprehendi etiam S.R.E. Cardinales, & ita non obſcurè admittit Cardinales poſſe obtinere Epiſcopatum; alioquin non obligaſſet eos ad perſonaliter reſidendum in Epiſcopatu, ſed potiùs adſtrinxiſſet ad Epiſcopatum dimittendum, ut fecit de pluribus Cathedralibus *d. cap. 17.* & in decreto proximè citando.

Demùm apertiſſimè deducitur mens Concilii ex *cap. 2.* 25
ſeſſ. 7. ubi ſtatuitur, ut nemo quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgeat, plures cathedrales Eccleſias in titulum, ſeu commendam recipere, & ſimul retinere præſumat: & rationem ſubjicit; Cùm valdè felix ſit ille cenſendus, cui unam Eccleſiam benè, ac fructuosè regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias tunc detinebant, una quam mallent retenta, reliquas infra certum tempus dimittere tenerentur; alioquin Eccleſiæ ipſæ, ultimò obtenta dumtaxat excepta, eo ipſo vacare cenſerentur. Conſtat enim hoc decretum comprehendere etiam 26
S.R.E. Card. tum ponderando rationem ibi expreſſam, *Cùm valde felix*, &c. tum quia dictio illam univerſalis negativa, *Nemo*, etiam Cardinales includit, ut notat Archid. Joan. Andr. & Gemin. in *c. Nemo*, *de elect. lib. 6.* præſertim ſtante ſubſequenti clauſula, *Quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens*, Felin. *in c. Cum in jure peritus*, *de offic. deleg. & in rubr. de major. & obed.* & Gomez *in reg. de Valore*, *q. 1. n. 5.* Tum denique quia in his quæ reſpiciunt incommodum, & periculum animarum, ut eſt retentio plurium Epiſcopatuum, in diſpoſitione generali includuntur etiam Cardinales, ut notat gloſſa, & DD. in *c. Sciant cuncti*, *de elect. lib. 6.* Belenzin. poſt Romanum & alios quos citat in *tract. de charitativo ſubſidio*, *q. 6.* & Gomez. in *regul. de public. reſignat. q. 12. n. 3.* Et hanc ſententiam aliàs probavit S. Congregatio Concilii. Nam conſulta, an Cardinales comprehendantur in decreto *dict. c. 2.* 27
ſeſſ. 7. eò quòd comprehendi non dicantur, niſi eorum fiat mentio, & præcipuè in odioſis: reſpondit comprehendi, cum ſimus in lege correctoria, & in materia peccati: maximus enim inquit, abuſus eſt, ut qui vix fructuosè unam Eccleſiam regere poſſit, alteram accipere audeat, cum unuſquiſque in ſua Eccleſia reſidere præcepto divino teneatur, ut *ſeſſ. 23. c. 1.* & Cardinalis ad reſidendum ſit adſtrictus. Si igitur in eo decreto Cardinales includuntur, neceſſariò ſequitur, ut poſſint unam Cathedralem obtinere, & retinere, licèt non plures.

Nec unquam hoc revocavit in dubium Sacra Congre- 28
gatio, ſed tantummodò dubitavit, an liceret retinere unam cathedralem in titulum, & aliam in commendam, cùm eo decreto non videatur prohibitum; niſi plures habere in titulum, vel plures in commendam, & non ab- 29
horreat ab antiquis ſacris canonibus unam in titulum, & aliam in commendam obtinere, ut patet in *c. Relatio 21. quæſt. 1.* & ex Sacr. Congregationis ſententia dictum eſt non licere, tum ex contextu *dict. c. 2.* tum ex his quæ tradunt Doctores in regula de triennali poſſeſſ. Nam commenda *in dict. cap. Relatio* erat temporalis, & ratio- 30
nem depoſiti habebat, *cap. Nemo*, & ibi gloſſ. in *rub. Commendare*, *de elect. lib. 6.* & Commendatarius non faciebat fructus ſuos, ut apertè colligitur ex *epiſt. 13. lib. 1. Beati Gregorii*: hodie verò, cùm ſit perpetua, & omninò habeat rationem tituli, & fructus Commendatarius faciat ſuos, & nudum commendæ nomen retineat, non eſt mirum, ſi cum alia Eccleſia, quæ habeatur in titulum, non poſſit ſimul retineri, cũ Commendatarii habeantur ut veri

Præ-

Prælati. De hoc ſcripſi pleniùs in *cap. Dudum*, *il 2. infra tit. prox.*

Ex his patet, Cardinales ex Sac. Congregationis ſententia non prohiberi unam cathedralem obtinere etiam in titulum; prohiberi tamen obtinere plures, ſive utramque in titulum, ſive utramque in commendam, ſive unam in titulum, & aliam in commendam. Et huic interpreta-
31 tioni multùm favet obſervantia Romanæ Curiæ. Videmus enim paſſim Epiſcopos ad Cardinalatum promotos retinere Epiſcopatum abſque ulla diſpenſatione; quod non eſſet, ſi Cardinalatus, & Epiſcopatus eſſent de numero incompatibilium, cum & Cardinales comprehendantur in *c. De multa*, *de præb.* ut reſolvit Abbas in *c. Eccleſia il 2. infra titul. proxim.* & Gomez. *in regul. de impetr. benefic. vacant. per obit. familiar. Cardinal. q. 2. n. 6.* Item Cardinalibus paſſim conferuntur Epiſcopatus: & quamvis hoc fiat per viam commendæ, tamen Commendatarii noſtri temporis habentur pro veris Prælatis, ut proximè dictum, & pleniùs ſcripſi in *c. 1. inf. de Capell. Monachor.*
32 Conſuetudo autem Eccleſiæ Romanæ facit jus, ut notatur in *cap. Ex litteris*, in gloſſ. *ſuper ver. Noſtri moris*, *ſupra de conſtit.* & in *cap. In cauſis*, *infra de re judic.* & tenet Hoſtienſ. *hic num. 7. verſ. Sed numquid conſuetudo*, & prævalet authoritati cujuſcumque Doctores, ut ex D. Tho-
33 ma dixi in *cap. Quanto*, *de conſuetud.* Fateor tamen conſultus fore, ut aliunde ſuppeditentur S.R.E. Cardinalibus neceſſaria ad eorum dignitatem decenter ſuſtinendam, & Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis præficiantur Paſtores, qui poſſint in illis aſſiduè reſidere ſine detrimen-
34 to Eccleſiæ univerſalis. Nam cùm Cardinales Romani Pontificis in executione Sacerdotalis officii jure Levitico coadjutores exiſtant; *cap. Per venerabilem*, §. *Rationi-*
35 *bus*, *infra*, *Qui fil. ſint legitim.* & eorum conſilio apud eum univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, ut habetur in decreto Concilii Tridentini *cap. 1. §. Quæ vero*, *ſeſſ.*
36 25. ita ut propterea inſtantia Cardinalium ſit ſolicitudo omnium Eccleſiarum, ut hìc dicit Innocent. in *ver. Generali*; qua de re plura Gomez in *regul. de impetran. benefic. vacant. per obit. familiar. Cardin. quæſt. 17. num. 3. & ſeqq.*
37 profectò commune hoc bonum præferri debet bono unius particularis Eccleſiæ. Qua ratione Innocentius III. in hac decretali non admiſit poſtulationem Presbyteri Cardinalis ad Archiepiſcopatum Ravennatem, quia, inquit, Cardinalis præſentia utilior eſt non ſolùm Romanæ, ſed etiam Eccleſiæ generali, tam apud Apoſtolicam Sedem, quàm apud Eccleſiam Ravennatem; unde non immeritò præferentes ſpeciali utilitatis communem, & minori majorem, prædictum Cardinalem poſtulationi veſtræ non duximus concedendum.
38 Porro in ſex Epiſcopatibus propè Urbe exiſtentibus, qui optari ſolent à Cardinalibus præſentibus in Urbe, nulla ſubeſt difficultas, quia habent reſidentiam in Curia Romana, ut in conſtitutione S.D.N. de qua multa ſcripſi in *cap. Qualiter*, *infra de cler. non reſiden.* Unde in eis nulla conſiderari poteſt cum Cardinalatu incompatibilitas, ut per Card. Cajet. in 2.2. *dict. q. 185. art. 5. verſ. Ob hanc rationem ſex Epiſcopi*, Sot. *de juſt. & jur. lib. 10. q. 3. art. 4. col. 8. verſ. Hac namque ratione.*
39 Ultimò nota in *ver. Mandantes*, tres modos providendi Eccleſiæ vacanti, videlicet per electionem, poſtulationem, & nominationem: concordat tex. in *c. Quod ſicut*, *in princ. infra tit. prox.*

QUÆRO, an & in quibus conveniant, & differant ejuſmodi modi.
40 Solutio. Conveniunt primò ratione efficientis, quia omnes fieri deb nt à majori parte Collegii, ut de electione in Eccleſiis inferioribus patet in *c. Cumana*, & in *c. in Geneſi*
41 *inf. tit. prox.* & paſſim alibi. Dixi, in Eccleſiis inferioribus propter Eccleſiam Romanam, in qua requiruntur duæ ex tribus partibus Cardinalium, ut in *c. Licet*, *eod. tit.* & eſt ſimile in electione Abbatiſſæ, ut in *c. Indemnitatibus*, *de*
42 *elect. lib. 6.* De poſtulatione eſt text. in *c. Poſtulationem*, *inf. eod.* ubi patet reſpui poſſe poſtulationem factam à non majori parte Capituli, & nullam fieri injuriam poſtulantibus, & notat gl. in *c. Cupientes*, §. *Denique*, *in ver. Gratia*, *de elect. lib. 6.* plenè Roman. *conſ. 330. Circa primum*, *n. 20. verſ. Poſtremo.* & idem in nominatione, cùm eadem ſit ratio, ut inferiùs patebit.

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

Secundò, conveniunt ratione materiæ, ſeu perſonæ quæ 43
eligitur, poſtulatur, aut nominatur, quia indignus in omnibus repellitur. Unde ſicut eligentes ſcienter indignum ſunt ipſo jure privati pro illa vice poteſtate eligendi, *c. Cùm in cunctis*, §. *fin. infra, tit. proximo*: ita & ſcienter poſtulantes impoſtulabilem, *c. Bonæ memoriæ*, *il 1. infra de elect. & c. 1. ſup. eod.* ubi hoc tenet gloſſa communiter approbata 44
in *ver. Privare*, *in ver. Poſſemus.* Et idem dicendum in no- 45
minatione, dummodò ſit perfecta; aliàs enim nominantes non privantur poteſtate nominandi etiamſi nominaverint indignum, textus eſt in *c. Perpetuo*, *de elect. lib. 6.* & tradit Rebuff. *in repet. c. Poſtulaſtis in quarto notab. de Cler. excom. miniſtr.* & in *tract. nomin. q. 1. n. 30.*

Tertiò, conveniunt ratione formæ in hoc, quia omnes 46
fieri debent collegialiter, ſeu capitulariter; ideòque ſicut electio facta à minori parte Capituli, per ſubſequentem conſenſum ſingulorum non convaleſcit, ut eſt textus in *c. Auditis*, *infra de elect.* ita nec poſtulatio, ſeu nominatio, ut tenet Roman. *d. conſ. 330. num. 20. verſ. Nec refragatur.*

Quartò, & ultimò conveniunt ratione finis, ſeu ef- 47
fectus, quia ſicut electo acquiritur jus petendi confirmationem, *c. Poſtquam*, & *c. Nihil*, *infra de elect.* & *c. Super his*, *de accuſat.* ita ut publicato ſcrutinio non liceat ele- 48
ctoribus variare, *c. Publicato*, *infra tit. prox.* gl. 1. in *cap. Quanto*, 63. *diſt.* imò compelli poſſint ad electionem perficiendam, Gemin. *conſ. 84. Quia iſtud dubium*, *n. 13. ver. Et idem dicitur*: ita & poſtulato acquiritur jus ex poſtula- 49
tione, poſteaquam fuit Superiori præſentata, ita ut non liceat poſtulantibus ab ea reſilire, ut in *cap. proxim.* §. *Nec obſtabat*, & tenet Innocent. *hic num. 1. verſ. Tamen in hoc credo*, Hoſtienſ. *num. 18. in ver. Per electionem*, Jo. Andr. *num. 10.* Butr. *num. 48.* Cardin. *num. 9. verſ. Ipſe etiam Innocentius*, & Abb. *nu. 8.* Subdit tamen Innocentius, quòd 50
ſi poſtulans, & Superior, à quo poſtulatur, concordarent, utique poſſet idem poſtulans recedere, non obſtante contradictione aliqua poſtulati: quod etiam admittunt Hoſt. & Compoſtel. cùm nec poſtulato jus aliquod ſit quæſitum, & ſequuntur Jo. Andr. *num. 12.* Butr. Card. & Abb. *loc. cit.*

Similiter & ex nominatione jus acquiritur nominato, 51
adeò ut non liceat ab ea reſilire, ubi facta fuerit Papæ, *cap. Contra ſanctorum*, *16. quæſt. ultim.* & argum. à contrario ſenſu in *cap. Ei qui*, §. *Diffinitiva*, *verſic. Nominationes 2. qu. 6.* & ea pendente non procedatur ad electionem, ut poſt Goffred. notat. Archidiac. in *cap. Quarto*, *num. 6. 63. diſtinct.* In hoc enim nominatio ſimilis eſt poſtulationi, cum in utraque vigeat ratio ibi aſſignata, videlicet ne illudatur Sedi Apoſtolicæ, ſecundùm Innocent. *ubi ſupra*, Hoſtien. *num. 19. verſ. Nominatio vero*, Joan. Andr. *num. 11.* & alios præallegat. & reſpondit Joan. Calderin. *conſ. 51. An nominantes*, *aliàs 5. de elect.* Quod multò magis procedit 52
ſi in nominatione exprimatur conſenſus de præſenti; talis enim nominatio idem eſt, quod electio, quia non refert quibus verbis quis exprimat conſenſum, *cap. Humanæ 22. quæſtion. 5.* Unde per talem nominationem abſque dubio jus acquiritur nominato, præſertim ſi habeat conſuetudo talis Eccleſiæ, ut per talia verba celebretur electio, gloſſ. 1. in *dict. cap. Quanto*, *circa finem*, *verſic. Sed ſi per denominationem.* Item conveniunt ratione effectus, quia 53
quemadmodum, ſi electus adminiſtret ante confirmationem, ejus electio caſſatur, *cap. Qualiter*, *infra titul. proximo*, *cap. Cùm jam dudum*, *in fine*, *de præben.* niſi in caſu *c. Nihil eſt*, §. *fin. infra de election.* gloſſ. 1. in *cap. Hoſti*, *eodem tit.* ita & poſtulatus, ſi ſe immiſceat adminiſtra- 54
tioni Eccleſiæ, ad quam fuit poſtulatus ante admiſſam poſtulationem, privatur omni commodo, & jure poſtulationis, textus eſt valdè notabilis in *c. Bonæ memoriæ*, *il 1. infra tit. proxim.* ubi patet poſtulationem ejus, qui ea non- 55
dum admiſſa adminiſtrationem ſuſcepit, ex hoc ipſo irritam effici: quinimò poſtulantes, qui eum ad Eccleſiam receperunt, eligendi, atque poſtulandi facultate fore privatos, proviſione dictæ Eccleſiæ facienda ad Sedem Apoſtolicam devoluta. Et de hoc eſt ibi caſus expreſſus ſecundùm 56
Roman. *d. conſ. 230. num. 21.* Et idem dicendum in nominato, quia viget eadem ratio, quæ in electo aſſignatur in *d. c. Qualiter*, videlicet quia adminiſtrationi ſe irreverenter immiſcuit, cùm ſecundùm Apoſtolum, Nemo debeat

ſibi honorem aſſumere, ſed qui vocantur a Deo tamquam Aaron.

57 Differunt autem electio, poſtulatio, & nominatio ſimiliter reſpectu efficientis, quia electio innititur juri com-
58 muni. Unde ſolet ſic diffiniri ſecundùm Abb. *ſupr. in rubr. num.* 2. videlicet, electio eſt alicujus perſonæ ad prælationem, vel fraternam ſocietatem canonicè facta vocatio.
59 Poſtulatio verò, etiamſi unanimiter fiat, innititur magis gratiæ, quàm juſtitiæ, ut eſt textus hic. Unde Hoſtienſ. *num.* 12. *verſ. Non tam ex juſtitia*, feſtivè dicit: Plus eſt ibi de aqua, quam de vino. Simile in *cap. Contingit*, il 1. §. 1.
60 *infrà*, *de ſent. excom.* Unde illam ſic diffinit Abb. *ubi ſup. num.* 1. videlicet, poſtulatio eſt quædam gratiæ petitio à Superiori facta de promovendo aliquem ad prælationem, ad quam de jure communi propter defectum aliquem,
61 vel impedimentum, eligi, ſeu promoveri non poterat. Et propterea electio dicitur confirmari, & poſtulatio admitti, *cap. Scriptum*, & ibi gloſſ. *in verb. Majorem*,
62 *infra tit. prox.* Et quia poſtulatio gratia eſt, Prælatus non cogitur poſtulatum concedere, *cap. Literas*, 63. *diſt. c.*
63 *Admonet*, *de renunc. in Authen. de Sanctiſſ. Epiſcop.* §. *Nullus*. Si tamen juſta cauſa exigeret, deberet compelli per Superiorem, ut illum concederet, *cap. Nullus de jurepatr.* ſecundùm gloſſ. *hic in ver. Gratia*, & Innoc. *in*
64 *eod. ver.* & Hoſt. *num.* 15. Quamvis, ut gloſſa ſubdit, per indirectum quodammodo cogatur illum concedere, ſi ſit idoneus, cùm teneatur illi providere de conſimili beneficio, *c. Paſtoralis*, *eod. tit.*

65 Cæterum quamvis poſtulatio admittatur ex gratia, quia quidquid facit Papa, gratia eſt, ut notatur in *c. Sedes Apoſtolica ſupra*, *de regu.* & per Hoſt. *hic num.* 14. tamen ſi
66 concorditer fiat, infertur injuria, ſi Superior illam non admittat, *c. penult. inf. eod.* & tradit Alex. *conſ.* 8. *n.* 12. *verſ. Ad textum*, *lib.* 1. Nominatio ſimiliter innititur gratiæ, quia per eam ſupplicatur Papæ, ut dignetur uni ex nominatis providere, ut patebit infra *n.* 68.

67 Differunt etiam reſpectu efficientis, quia nominatio poteſt dici etiam quæ fit per unum tantùm, quæ propriè non dicitur electio, ſecundùm Hoſt. *hic in fine*, *verſ. Vel dic quod nominationem*, Jo. Andr. *num.* 12. *verſ. Poſſet etiam dici nominatio*, & Abb. *num.* 8. *verſ. Et quamquam Innocentius*. Exemplum patet in nominatione, quam facit Rex Franciæ ad Prælaturas, ut patet *in concordatis*, *in tit. de regia ad Prælaturam nominatione facienda*, §. 1. *& ſeqq.* ut per Rebuff. *in tract. nomin. quæſt.* 1. *num.* 31. & dixi in *c.* 1. *infrà tit. prox.*

68 Secundò, differunt reſpectu materiæ, primò in numero, quia nominatio fit de pluribus, *cap. Quod ſicut*, ibi, *Quæ facta eſt de tribus, dicenda videtur potius nominatio*, *infra*, *de elect.* cùm ſcilicet duo, vel tres excellentiores ſunt in Eccleſia, & omnes nominantur Papæ, eique ſupplicatur, ut uni ex illis dignetur providere, *cap. Archidiaconum Florentinum*, 65. *diſt.* ſecundùm Hoſt. *hic n.* 19. *verſ. Nominatio vero*, Jo. Andr. *num.* 10. *verſ. Nominatio debet eſſe ſolemnis*, Butr. *num.* 48. *verſ. Sed hoc differt*, Card. *num.* 9. *verſ. Ipſe etiam Innocentius*, & Abbas *ubi ſup.* Archid. *in c. Quantò*, *num.* 6. 63. *diſt.* & in *c. Nulla*, *de elect. lib.* 6. Rebuff. *in tract. nomin. q.* 1. *num.* 28. Poſtulatio verò, ſicuti & electio, fit de uno tantùm, adeò ut ſi unus tantùm nominetur, poſtulatio ſit, vel quaſi, non autem nominatio: & hanc præcipuam differentiam inter nominationem, & poſtulationem aſſignat hic Hoſt. *n.* 21. *verſ. Sed hæc eſt differentia*, cum quo tranſeunt communiter Do-
69 ctores, & præſertim Jo. Andr. Butr. & alii proximè citati; & hinc eſt, ut nominatio fieri poſſit alternativè, ſed poſtulatio non, ut hìc notant Joan. Andr. & Imola *in fine*, Gemin. & Franc. *in cap.* 2. *de elect. in* 6. Rebuff. *di-*
70 *cta q.* 1. *n.* 29. & primò nominatus cenſetur dignior, *cap. Quorundam*, *de elect. lib.* 9. Felin. *in cap. Cum dilecta*, *nu.* 5. *de reſcript. & maior. l.* 1. *ff. de albo ſcribendo*, ac magis dilectus, Bald. *in rubr. C. Si quis omiſſ. cau. teſtam. col. fin.* Rebuff. *loc. cit.*

71 Deinde differunt reſpectu materiæ in qualitate, quia electio fieri debet de digniori, ut notant omnes in *c. Conſtitutus*, *infra de appell.* S. Thomas in 2. 3. *q.* 63. *art.* 2. *ad tertium*, Covarr. *in reg. Peccatum*, *par.* 2. §. 7. *num.* 3. *verſ. Sed hoc in hunc ſenſum*, licèt ſuſtineatur de digno, *cap. Monaſterium*, 16. *q.* 7. *c. Cum nobis*, *infra tit. prox.* Covarr. *ubi ſup.* Rota *dec.* 65. *num.* 8. *par.* 1. *in recent.* poſtulatio verò fit de ineligibili, non tamen criminoſo, ſeu alias indiſpenſabili.
Dixi, de ineligibili, ſeu patiente defectum, ut extraneo, 72
laico, & illegitimo, qui non eliguntur, ſed poſtulantur, §. *Sed aliud*, *& c. Oſius*, 61. *diſt. c. Innotuit*, *infr. de elect.* gloſſ. 2. in *c. Literas*, 63. *diſt.* ſic etiam Fratres Minores poſtulari
poſſunt ad Eccleſiam Cathedralem, vel Metropolitanam, 73
ſed non eligi, *cap. Quorundam*, *de elect. in* 6. Card. *conſ. l.* 36. *in princ.* ſic etiam Cardinalis, vel Epiſcopus ad Epiſcopatum non eligitur, ſed poſtulatur, ut eſt textus hìc, & dictum eſt ſupra *in* 2. *notab. n.* 16. Dixi, non tamen criminoſo, quia talis eſt impoſtulabilis, ut in *c.* 1. *ſup. eod.* ubi poſtula-
tio facta de Epiſcopo, qui interdictum non ſervavit, repel- 74
litur, ut indigna, propter poſtulatam perſonam, quia, ut inquit gloſſ. *ubi in ver. Perſonam*, vitium fuit materiæ, non artificis, *leg. Si ſervus*, §. *Si calicem*, *ff. Ad legem Aquil.* Sed nominatio fit de excellentioribus, ut dictum eſt ſupra, & ita in hoc convenit cum electione, quæ fieri debet de digniori, & differt à poſtulatione, quæ fit de ineligibili. Nam dictum gloſſæ, & Innocentii, *hic in verſ. Nominationem*, quòd nominatio canonica dicatur, quando omnes concordant de aliquo ineligibili aſſumendo, non recipitur ab Hoſt. & aliis præalleg.

Tertiò, differunt reſpectu formæ, quia electio debet eſſe 75
canonica, idest, forma canonis ſervari debet, quæ præſcribitur in decretali, *Quia propter*, *infr. de elect.* Poſtulatio autem eam formam non requirit, ſed ſatis eſt, ut ſit concors, ut hìc dicit Hoſtienſ. *num.* 18. *verſ. Et nota quòd electio debet eſſe canonica*, *&* *num.* 19. Joan. Andr. *num.* 9. *in ver. Canonicam*, & idem in nominatione, cùm non reperiatur jure cautum, ut ſupraſcripta forma in ea ſervari debeat.

Et quamvis gloſſ. & Innocent. *ubi ſup.* dicant differen- 76
tiam eſſe inter poſtulationem, & nominationem, quia poſtulatio fit cum ſolemnitate, ut notatur in *cap. In cauſis*, *infr. de elect.* nominatio verò ſine ſolemnitate: hoc tamen non placet Hoſtienſ. *num.* 21. *verſic. Scripſit etiam*, niſi hoc intelligatur de ſolemnitate decreti, quæ, ut Hoſt. dicit, ſecundùm magiſtrum ſuum eſt de ſubſtantia poſtulationis, ut, notatur in *c. Innotuit*, *eod. tit.* & paulò infra idem dicit in nominatione, quæ non requirit, niſi ſolemnitatem decreti; & cum opinione Hoſt. tranſeunt Joan. Andr. *n.* 12. Butr. *n.* 48. Abb. *n.* 8. & communiter Doctores.

Ultimò, differunt reſpectu finis, ſeu effectus, quia 77
electo jus acquiritur etiam ante confirmationem, dummodò conſentiat, vel conſentire velit, *c. Cum inter Canonicos*, *infra tit. prox.* gloſſ. 1. in *c. Quanto*, 63. *diſt.* Cardin. *conſ.* 30. *num.* 9. & quidem acquiritur jus Prælaturæ, & jus adminiſtrandi, licèt non exercitium Prælaturæ, & adminiſtrationis. Nam per confirmationem nihil novi juris acquiritur, ſed tantùm exercitium, *cap. Paſtoralis*, *in fin. de reſcript.* §. *Ecce*, 16. *q.* 1. electio enim facit Imperatorem, ut in *c. Legimus*, 93. *diſtinct.* & ita concludit gloſſa *præalleg. in dict. cap. Quanto*, Goffred. *in cap.* 2. *de translat. Epiſc.* ubi dicit per confirmationem dari quidem poteſtatem adminiſtrandi, *cap. Noſti*, *& cap. Tranſmiſſam*, *de elect.* ſed nihil addi quoad ſubſtantiam, ſive vinculum matrimoniale, ut in *dict. cap.* 2. nam per mutuum conſenſum contrahi debet ſpirituale matrimonium, *cap. Licèt*, *eodem tit.* poſt quem obligatus eſt ſponſus Eccleſiæ, *cap. Sicut*, 7. *q.* 1. & ſequitur Archid. in *dict. cap. Quantò*, *num.* 3. *verſ. Unde dicas*, 63. *diſtinct.* ubi tandem reſident in hoc, ut facta canonica electione, ſtatim habeat electus adminiſtrationem, ſed non effectum juriſdictionis, & idem dixit in *cap.* 1. 23. *diſt. ſuper gloſſ. in aliis*, *& in addit. hoc videtur falſum*, *&c.* ſubdit tamen, quòd ſecundùm Innocentium, & Hoſt. electores numquam dicuntur transferre dominium Prælaturæ, licèt dent, per quod poſſit Prælatura peti; unde electi ab electoribus non petunt Prælaturam, quia eam non habent, nec etiam eam plenè dare poſſunt, imò ipſam Prælaturam recipere videntur à confirmatore, qui eis confert plenitudinem ſui officii, *cap. Cum in cunctis*, *c. Tranſmiſſam*, *& c.*
Nihil eſt, *de elect.* At verò poſtulato jus non acquiritur ex 78
poſtulatione, *cap. penult. infrà eodem*, Innocent. *hic in ver. Et gratia*; niſi ad eum modum, quo dictum eſt *ſup. num.* 49. Similiter & nominato ex ſimplici nominatione nullum jus quæritur, *cap. Et qui*, *verſ. Nominationes*, 2. *q.* 6.

2.*q.6.*ita ut nominantibus liceat à nominatione reſilire, antequam fuerit ſuperiori præſentata, ut patet ex dictis ſupra *nu.* 51. Quod multò magis procedit in tractatu electionis, quæ fit ante ſcrutinium, ut cùm dicitur Talis eſſet bonus; ex hac enim nullum jus quæritur nominato, *c. Quod ſicut in princ.* & ibi gl. 1. *infra de elect.* & poſt Gofred. not. Hoſt. hìc *n.* 21. *verſ. Ex nulla autem*, Cald. *d. conſ.* 51. *aliàs* 5. *de elect. in fin.* gl. *pragm. ſanction. in* §. *Volens, in ver. Nominationes*, *in tit. de collat.* Ratio eſt, quia per talem nominationem exprimitur conſenſus de futuro: & eſt ſenſus, Nomino talem, id eſt, Nomino eum eligendum, ſicut etiam aliquis eligitur in poſtulandum, ut in *c. Poſt translationem*, *de renunt.* & *c. Valentinianus*, 63. *diſt.* gl. 1. in *d. c. Quanto, ver. Dico quod ſi nominatio*, Rebuff. poſt alios in *tract. nomin. q.* 1. *n.* 26. ubi propterea hanc ſpeciem nominationis appellat conſultoriam, ſeu tractatoriam. Et ſic obiter habes ſpecies nomi- 79
nationum ad beneficia vacantia. Altera eſt conſultoria, quæ fit ante ſcrutinium, de qua proximè dictum eſt. Altera eſt, quæ fit in ſcrutinio, & in qua exprimitur conſenſus de præſenti, & hæc coincidit cum electione, ut dictum eſt ſupra *n.* 52. Tertia demum eſt, quæ fit Papæ de pluribus excellentioribus, ad hoc, ut uni ex illis dignetur providere; & in hac procedunt paritates, & diſcrimina, de quibus fusè actum eſt in præcedentibus: & ita has tres ſpecies diſtinguit Rebuff. *d. q.* 1. *n.* 26. & *ſeqq.* Adverte tamen ad id, quod obiter dictum eſt, aliquem eligi in poſtulandum, vel è converſo; nam hodie hoc eſt correctum per *c. Unicum*, *inf. eod. lib.* 6.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

Honorius III. Capitulo Calaritano.

CAPUT VI.

ET ſi unanimiter vota veſtra concurrerint ad Sutrin. Epiſcopum in Eccleſiæ veſtræ Archiepiſcopum eligendum, cùm ſuæ alligatus Eccleſiæ, liberum non habeat ſine noſtra permiſſione volatum: electionem de ipſo factam, tamquam contra Canones minùs licitè attentatam, de fratrum noſtrorum conſilio duximus irritandam, cùm eligi nullo jure potuerit, ſed potiùs poſtulari.

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopus poſtulandus eſt, non eligendus.*
Favet, ſi nulli ſit alligatus Eccleſiæ, n. 3.
2 *Concordia plena non ſupplet defectum modi in eligendo, nec poſtulandum facit eligibilem.*
4 *Electio de perſona poſtulanda non valet.*
5 *Factum contra legis prohibitionem non valet, quamvis lex non procedat ad annullationem actus.*
6 *Caſſationis cauſa eſt nullitas, & iniquitas, & caſſatur de facto, etiam quod nullum eſt.*
7 *Poſtulatio, & electio non valet, ſi quis dicat poſtulo, & eligo, ut melius valere poteſt.*
8 *Epiſcopus ſi de facto eligatur ad aliam dignitatem, non debet electio per ſuperiorem confirmari, & numer. ſeqq.*
9 *Epiſcopus eſt Eccleſiæ ſuæ alligatus vinculo matrimoniali, quod diſſolvi non poteſt niſi per Papam auctoritate divina.*
10 *Epiſcopus non poteſt electioni ſuæ conſentire, c. Cur, & num. ſeqq.*
11 *Cconſenſus poſtulantium non eſt liber, cùm ab alieno arbitrio dependeat.*
12 *Poſtulatus ſi conſentiat, eo ipſo repellitur tamquam ambitioſus.*
13 *In Patriarcham Antiochiæ Maronitarum Epiſcopus de Nauca more illius nationis electus non confirmatur, ſed e vinculo ſuæ Eccleſiæ abſolvitur, & ad Eccleſiam Patriarchalem transfertur.*
14 *Patrichalibus ſedibus vacantibus Canonicis fieri non poteſt electio vel poſtulatio, quouſque ad notitiam Sedis Apoſtolicæ perducatur.*
15 *Poſtulatio quid ſit, & in quo differat ab electione, & num.* 19.
16 *Poſtulari non poſſunt, qui propter vitium eligi prohibentur, ut criminoſi.*
Declaratur, n. 17.
18 *Poſtulandi qui ſint.*

1 ET *ſi unanimiter*. Epiſcopus poſtulandus eſt, non eligendus. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. Bald. & reliquos omnes. Dividitur quoad mentem in quatuor partes. Nam primò factum narrat. Secundò permittit unam rationem decidendi, ibi, *Cum ſuæ*. Tertiò, decidit, ibi, *Electionem*. Quartò, aliam deciſionis rationem ſubjicit, ibi, *Cum eligere*.

Nota primò, ibi, *Unanimiter vota veſtra concurrerint*, 2
plenam concordiam non ſupplere defectum modi in providendo, ſecundùm Ant. de Butr. hìc *n.* 3. Nam iſti Canonici Calaritani cùm debuiſſent procedere per viam poſtulationis, proceſſerunt per viam electionis, nemine diſcrepante; hoc enim importat verbum, *Unanimiter*, *ut c. Bonæ*, *il* 2. *ſupra eod.* & tamen Papa irritat electionem: concordia enim unanimis vim non habet tollendi defectum poſtulandi, ut eum faciat eligibilem, ut hìc per Abb. in 2. notab.

Secundò nota, ibi. *Cùm ſuæ alligatus Eccleſiæ*, id- 3
circò Epiſcopum non eſſe eligendum, quia eſt Eccleſiæ ſuæ alligatus; ex quo deducitur à contrario ſenſu ſecundùm Jo. Andr. hìc *num.* 2. Ant. de Butr. *num.* 1. *col.* 2. *ante te med. verſ. Primò ergo poſtulandus*, Card. & Imol. *n.* 2. ut ſi non ſit amplius allegatus Eccleſiæ, puta quia renuntiavit Epiſcopatui, tunc benè poſſit eligi, quia ceſſat ratio prohibitionis: de quo dic ut per eumdem Jo. Andr. in *c. Ad ſupplicationem*, *aliàs poſt translationem ſuper gl.* 2. *infra de renunt.*

Tertiò nota, ibi, *Tamquam contra Canones minùs lici-* 4
tè attentatam, non valere electionem de perſona poſtulanda, ut hìc per Butr. *num.* 7. Quamvis enim Pontifex dicat, *Duximus irritandam*; tamen præcedentia verba, ibi, 5
Tamquam contra Canones minùs licitè attentatam, nec non ſubſequentia, ibi, *Cùm eligi nullo jure potuerit*, apertè oſtendunt hujuſmodi electionem eſſe irritam ipſo jure, tum quia actus geſtus contra legis prohibitionem, eſt ipſo jure nullus, quamvis lex ulterius non procedat ad irritationem actus, ut *leg. Non dubium*, & ibi Legiſtæ, & maximè Bart. *Cod. de legib. quæ eſt canonizata*, *in cap. Imperiali*, 25. *quæſt.* 2. Cardin. in 4. *notab.* & Imol. *num.* 2. *verſic. Nota quod factum*; tum quia illud verbum, *Potuerit*, præcedente negatione, privat potentiam, & inficit actum ipſo 6
jure, Gloſſa ordinaria *in c. Beneficium*, *de regul. jur. lib.* 6. & ſcripſi pleniùs in *cap. Cauſam*, *num.* 21. 30. & *ſeqq. infra de elect.* Et dum text. dicit, *Duximus irritandam*, expone, ſcilicet de facto, ſicut de facto proceſſit, ad notata per Bald. in *l. Hi qui ad Civilia*, *num.* 6. & 7. *C. de appellat.* ubi dicit duplicem eſſe cauſam caſſationis, id eſt nullitatem, & iniquitatem; & caſſari etiam quod nullum eſt, quia caſſatio ad factum refertur. Vel dic, irritandam, id eſt, irritam denuntiandam; & eſt ſimile *in cap. Accedens*, *il* 1. juncta gl. in *verb. Caſſavimus*, *infra ut lit. non conteſtat.* & tradit Bald. *d. num.* 7. Antiqui, ut vitarent periculum nul- 7
litatis, utebantur clauſula, de qua hìc in gloſſa magna *in*

fin. & per Innoc. *in prim.* videlicet, Eligo poſtulandum, &
poſtulo eligendum, vel, Eligo, & poſtulo, ut melius va-
lere poteſt: ſed hæc practica hodie reprobatur in *c.* 1.*infra*
eod. lib. 6.
8 Quartò, nota Epiſcopum non eſſe eligendum ad aliam
dignitatem, ſed poſtulandùm; & ſi de facto eligatur, non
debere per ſuperiorem confirmari; & ita hìc eſt caſus ſe-
cundùm Bald. *in princip.* Rationem habes in littera, quia
9 Epiſcopus eſt Eccleſiæ ſuæ alligatus, ſcilicet nexibus præ-
ceptorum, *cap. Niſi cum pridem*, *in fin. de renuntiat.* Ho-
ſtienſ. *hic in princip. in verb. Alligatus*. Vel ſecundùm
gloſſam expone verbum, *Alligatus* ſcilicet vinculo ma-
trimoniali, ut *cap. Inter corporalia*, *verſ. Sicut autem in-*
fra de translat. Epiſcop. Quod quidem vinculum diſſolvi
non poteſt, niſi auctoritate divina, id eſt auctoritę il-
lius, quem conſtat eſſe Vicarium Jęſu Chriſti *d. cap. In-*
ter corporalia, gloſſ. *hic poſt princip.* & Bald. *num.* 1. Non
enim homo, ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex,
qui non puri hominis, ſed veri Dęi vicem gerit in terris,
Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate penſata, non hu-
mana, ſed divina potiùs auctoritate diſſolvit; quæ ſunt
verba text. in *cap. Quanto*, *de translat. Epiſcopi*: & ideò
10 ſequitur hìc in litera: Non habeat ſine noſtra permiſſione
volatum. Quare cùm Epiſcopus non poſſit ſuæ electio-
ni conſentire, conſequens eſt, ut nec poſſit eligi, ſed
benè poſtulari à Papa, *cap. Bonæ memoriæ*, *il* 1. *in princ.*
ſupra eodem: & in hoc magna eſt vis ſecundùm Abb. An-
tiqu. hìc *num.* 2. nam cùm quis dicit, Eligo te, idem eſt
ac ſi diceret, Ego conſentio in te tamquam in ſponſum,
vel Prælatum; quod eſſe non poteſt, quia alteri matri-
monialiter copulatus, eo vinculo perdurante in aliam Ec-
cleſiam niſi adulterinè conſentire non poteſt, *cap. Sicut*
vir. 7. *qu.* 1. Unde delinquit Eccleſia, quæ in talem conſen-
tit, ut in ſponſum, vel Prælatum; & idcircò non debet
eligi, ut hìc. At ubi qui conſentit poſtulando, non in eum
tamquam in ſponſum conſentit, ſed in voluntate ſuperio-
ris rem totam, & conſenſum ſuum ponit; & ita ejus con-
11 ſenſus liber non eſt, cùm ab alieno arbitrio non habito,
ſed habendo dependat, *c. Super eo*, *& cap. Per tuas*, *in-*
fra de condit. appoſit. Poſtulatus verò, ſi conſentiat, hoc ip-
12 ſo tamquam ambitioſus caſſatur in Curia, ut atteſtantur
Hoſt. *hic in princ. in verb. Volatum*, & Jo. Andr. *n.* 2. *in eod.*
verb. Itaque jure optimo conſtitutum eſt, ut Epiſcopus ſit
poſtulandus, non autem eligendus, nec ejus electio con-
firmanda.
Et ex his cùm actum fuerit in S. Congr. rerum conſiſto-
rialium, an ſit confirmanda electio de perſona R.P.D. Jo:
13 à Sapa, Epiſcopi de Nauca, in Patriarcham Antiochenum
nationis Maronitarum, ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, &
clero facta more illius gentis, & ſecundùm antiquos Ca-
nones, ut *c. Qui Epiſcopus*, *§. Cum in his* 34. *diſt. c.* 1. 63.
diſt. cum ſimil. Die 6. Auguſti 1649. S. Congr. cenſuit non
eſſe locum confirmationi, ſed Epiſcopum poſſe per San-
ctiſſimum abſolvi à vinculo Eccleſiæ de Nauca, quo tene-
tur, & transferri ad Eccleſiam Patriarchalem Antiochiæ
Maronitarum: ita à Sanctitatis ſuæ prædeceſſoribus plu-
ries factum fuit.
14 Adde quòd Benedictus XI. in Extravag. *Sancta Roma-*
na, *de elect.* conſiderans civitates omnes quatuor Patriar-
chalium ſedium, nempè Conſtantinopolitanæ, Alexan-
drinæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ, aut eſſe deſtru-
ctas, aut occupatas ab infidelibus, vel à ſchiſmaticis de-
tineri, ipſarum Capitulis, ſeu Canonicis diſperſis, ſta-
tuit, ut quamdiu civitates ipſæ ſchiſmaticorum, aut
infidelium ſubſunt, aut ſuberunt ditioni, aut detinebun-
tur per eos, Canonici dictarum Patriarchalium ſedium,
cùm earum aliquam vacare contigerit, ad electionem,
poſtulationem, ſeu quamvis proviſionem de præficiendo
ſibi Patriarcha nullo modo procedant; quouſque ad Apo-
ſtolicæ Sedis notitiam perducatur, decernens irritum, &
inane, ſi ſecus factum fuerit; licèt illa Extravagans à qui-
buſdam intelligatur de Patriarchis Latinis, non autem de
Græcis.
Ultimò nota, ex fine text. aliud eſſe poſtulationem, 15
aliud electionem: nam poſtulatio eſt quædam gratiæ pe-
titio à ſuperiore facta de promovendo aliquem ad Præla-
tionem, ad quam de jure communi propter defectum ali-
quem, vel impedimentum eligi, ſeu promoveri non
poterat, ut diffinit Abb. *ſupra in rubrica num.* 1. vel ſe-
cundùm Hoſtienſ. *hic num.* 3. poſtulatio eſt alicujus perſo-
næ, quæ eligi prohibetur, non propter vitium, ſed
propter defectum, ad eligendum, ſeu promovendum
concors petitio. Et ex hoc patet, criminoſum poſtula- 16
ri non debere, cùm propter vitium eligi prohibeatur, *cap.*
1. §. *Nos igitur ſupra eodem*, *& cap. Cum in cunctis*, §. 1.
ibi: *Qui etiam vita*, *& c. infra de elect.* Hoſtienſ. *hic d.*
num. 3. Butr. *num.* 16. Imol. *num.* 4. & alii communiter,
& idem Hoſtienſ. *in dicto cap.* 1. *num.* 10. licèt ibi Inno-
cent. contrarium ſenſerit; unde ſicut perjurus, inobe-
diens, incontinens eligi prohibetur, ut *cap. Querelam*,
infra de jurejur. cap. Ut leviorum, *de vita*, *& honeſt. cleri-*
cor. cap. Dudum, *& cap. Cum in cunctis*, *de elect.* ita &
poſtulari, ut in *dicto cap.* 1. *&* 2. *ſupra eodem*, *& cap. Scri-*
ptum, *infra de election.* Sed quando non propter vitium, 17
ſed propter defectum prohibetur eligi, tunc poſtulatur,
veluti ſi patiatur defectum Ordinis, quia laicus eſt, vel
ſit in minoribus Ordinibus conſtitutus *cap. A multis*, *in-*
fra de ætat. & qualitat. vel ſi patiatur defectum natalium,
cap. Innotuit, *infra de election.* vel ætatis, *ut cap. Cum no-*
bis olim eodem tit. vel defectum conſenſus, quia Epiſcopus
eſt, ut hìc, & in *cap. Bonæ* 1. *&* 2. *ſupra eodem*: & idem
in aliis, ſicut ſervi, liberti, filiifamilias, adſcriptitii, ob-
ligati ex publica adminiſtratione, bigami, corpore vitia-
ti, Chyrurgi, Medici infames, publicis pœnitentes,
& alii plurimi, de quibus hìc latiſſimè per Innocent. *à nu-*
mer. 1. *uſque in fin.* & Petr. de Anchar. *num.* 1. *colum.* 2. *ver-*
ſic. Quæritur hic communiter, licèt permiſceant etiam cri- 18
minoſos, qui, ut prædiximus, ſicut ſunt propter vitium
ineligibiles, ita & impoſtulabiles ut homicidæ, niſi ſpe-
cialiſſima gratia, ſecundùm Imol. *hic numer.* 4. *poſt me-*
dium verſic. Et per hoc poteſt apparere, & dummodò pœ-
nitentiam egerint, ut per Anchar. *colum* 3. *in princip. ver-*
ſic. Et omnes prædicti ſunt poſtulandi, ſi egerint pœnitentiam. 19
Circa hoc tamen vide diſtinctionem Antonii de Butrio *nu.*
16. Electio verò eſt alicujus perſonæ ad Prælationem, vel
fraternam ſocietatem canonicè facta vocatio, ſecundùm
Abbatem ſupra in *rubrica nu.* 2. Atque ita electio innititur
jure communi, poſtulatio autem gratiæ, Butr. *hic num.* 9.
In quibus autem conveniant electio, poſtulatio, & nomi-
natio, poſui latiſſimè in *cap. Bonæ*, *il* 2. *ſupra eodem*, *à*
nu. 39. *uſque ad num.* 57. & in quibus differant, *à n.* 57. *uſque*
ad num. 79.

DE ELECTIONIBUS.

Lucius Papa.

CAPUT I.

NUllus in Eccleſia ubi duo vel tres fuerint congregatione, niſi eorum electione Canonica, presbyter eligatur: & infrà. Si verò aliter quis Eccleſiam adeptus fuerit: eo quòd per cupiditatem illam acquiſierit, atque contra Canonicæ regulæ diſciplinam egerit, expellatur.

S U M M A R I U M.

1 *Eccleſiæ Collegiatæ non debet provideri de Prælato per collationem, ſeu proviſionem, ſed per electionem Collegii.*
2 *Epiſcopatuum proviſio olim ad Papam tantùm pertinebat.*
3 *Dignitates omnes originaliter Romana fundavit Eccleſia. & n. 6.*
4 *Electio Prælati in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis tributa fuit Capitulis ex indulgentia Romani Pontificis, & n. 13.*
5 *Patronus in Collegiatis Eccleſiis de jure patronatus præſentat Prælatum, & Epiſcopus inſtituit.*
6 *Eccleſiæ omnes diæceſis in poteſtate Epiſcopis ſunt conſtitutæ.*
7 *Cathedrales Eccleſiæ, & monaſteria excedentia valorem 200. ducatorum auri ſunt Papæ reſervata per ſecundam regulam Cancellariæ.*
8 *Papa de quibus beneficiis conſiſtorialiter provideat.*
9 *Dignitates majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, & primæ in Collegiatis Eccleſiis reſervantur in tertia regula.*
10 *Dignitates item conventuales, & præceptoriæ generales, non tamen militiarum.*
Reſervationibus Apoſtolicis ſublatum eſt jus eligendi Prælatum, quod habent Capitula de jure communi, ib.
11 *Concordatis Germaniæ non obſtante reſervationes non inſertæ in corpore juris.*
Electiones, & poſtulationes in cathedralibus, & monaſteriis quatenus ſublatæ fuerint in Gallia ex concordatis, ibid. verſ. In Gallia verò.
13 *Eligendi jus, quod habent Capitula Eccleſiarum, non eſt de jure divino, ut malè affirmat Ferret.*
14 *Eccleſiæ Collegiatæ nemo inferior à Papa poteſt Prælatum præficere, ſed debet fieri electio per illos de Collegio.*
15 *Legatus Cathedrales regulares aut Collegiatas Eccleſias vel Cathedralium dignitates electivas majores poſt Pontificalem conferre, aut ſibi reſervare non poteſt.*
16 *Prælati proviſio in Collegiata poteſt pertinere ad alium quàm ad Capitulum, ex fundatione, vel conſuetudine.*
17 *Papa providere poteſt etiam de beneficiis electivis.*
18 *Beneficia electiva non comprehenduntur in mandato de providendo, ſi certi modi ſint expreſſi.*
Secus ſi Papa ſimpliciter mandet provideri de beneficio vacaturo, n. 20.
19 *Literæ ad beneficia vacatura ſunt ambitiosè, & ſtrictè intelligendæ.*
21 *Proviſio habet vim electionis, & confirmationis.*
22 *Diſpoſitionis verbum generale eſt, & idem ſonat, quod ordinatio.*
23 *Dignitas electiva non comprehenditur in gratia ad dignitatem pertinentem ad quamlibet diſpoſitionem quorumcumque.*
24 *Proviſionis verbum comprehendit nominationem, poſtulationem, præſentationem, & collationem, ſed non electionem.*
25 *Collatio cur habeat vim electionis, & confirmationis.*
26 *Proviſio, & collatio ſunt ſynonyma.*
27 *Congregationem quot homines faciant, & quot Collegium.*
28 *Congregatio quotuplex ſit, & an differat à Collegio.*
29 *Collegium ex univerſo ſumitur, & loco unius perſonæ habetur.*
30 *Jus Collegii etiam in uno retinetur.*
31 *Electio Prælati non competit beneficiatis Eccleſiæ Collegiatæ, niſi ſint ibi ut Collegium.*
32 *Canonici tantùm de jure communi habent jus eligendi Prælatum, non autem portionarii.*
33 *Canonici ſoli de jure faciunt Capitulum, & n. 42.*
34 *Portionarii Segobien. qui aliquibus tantùm diebus interſunt actibus Capitularibus, ex ſententia S. Congreg. non ſunt de Capitulo.*
35 *Idem reſponſum de portionariis Conchen. qui ingrediuntur Capitulum pro negotiis ad Eccleſiæ rem, & bona pertinentibus.*
36 *De Capitulo eſſe poſſunt ex conſuetudine etiam penitùs extranei.*
37 *Portionarii Calciaten. qui à Rota declarati ſunt eſſe de Capitulo, poſſunt eligi in conjudices contra Capitulares.*
38 *Portionarii non poſſunt eligi ex Conc. Trid. in conjudices Capitulares, niſi ex conſuetudine, privilegio, aut ſtatuto Eccleſiæ ſint in omnibus, & per omnia de Capitulo.*
39 *Portionarii, & dimidii portionarii Seguntin. Corduben. & Abulen. declarantur propterea non eſſe Capitulares.*
40 *Epiſcopus ſolus poteſt ſine adjunctis procedere contra portionarios, licèt ex conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto habeant in Capitulo ſemper, vel ut plurimum vocem.*
41 *Coadjutor Canonici cum futura ſucceſſione poteſt puniri ab Epiſcopo ſine adjunctis Capitularibus, niſi in literis Coadjutoriæ conceſſa ei fuerint omnia privilegia, quæ habent Canonici.*
42 *Coadjutor Canonici cum futura ſucceſſione non eſt Canonicus, nec Capitularis.*
43 *Dignitates obtinentes in Cathedrali Eccleſia, de jure communi non ſunt de Capitulo.*
44 *Collegium non facit ſocietas privata, ſed publica authoritas.*
45 *Collegiata omnis naturaliter electiva eſt reſpectu Prælati.*
46 *Generalis præpoſiti facultas deputandi Vicarium in locum alicujus Præpoſiti defuncti, an adverſetur ſacrorum Canonum, & Conc. Trid. decretis, uſq. ad n. 53.*
47 *Electio Prioris de jure ſpectat ad Conventum, confirmatio ad Superiorem.*
48 *Priores obedientiarii deputantur per Abbatem, & ad ejus nutum ſunt amovibiles.*
49 *Vice-Propoſiti, ſeu Vicarii deputati à Præpoſito Generali, an poſſint ad ejus nutum amoveri.*
50 *Vicarii, ſeu Præſidentes in locum Priorem, ſeu Guardianorum defunctorum, vel abſentium, de jure non eliguntur à Capitulo, ſed deputantur à Provincialibus.*
51 *Capitulum Generale ſicut poteſt Vicarios eligere, ſic poteſtatem eos deputandi poteſt in Generalem transferre.*
52 *Conſtitutiones ordinum, ſecundum quas deputatio Vicarii pertinet ad Abbatem, approbantur à jure.*
53 *Generalis facultas deputandi Vicarium in locum defuncti an extendatur ad caſus infirmitatis, abſentiæ, ceſſionis, & conſimiles.*
54 *Caſus mortis, ægritudinis, ceſſionis, & abſentiæ æquiparantur.*

N*Ullus*. Eccleſiæ Collegiatæ non debet provideri de Prælato per collationem, ſeu proviſionem, ſed per electionem Canonicam faciendam per ipſum Collegium. Hoc dicit ſecundum Abbatem, cujus ſummarium eſt præfixum textui. Sed non complectitur poſteriorem partem, Unde ſecundùm Joan. Andr. Bald. Anton. de Butr. Cardin. & alios hoc intendit: Congregatio debet ſibi Prælatum eligere; aliter electus repellitur. Aptius dixiſſent, Aliter proviſus: vel ut idem Abb. ſummat primo loco: Congregatio Eccleſiaſtica, ſeu Collegium Eccleſiaſticum debet ſibi Prælatum eligere, & aliter adeptus Eccleſia expellendus eſt. Prima pars prohibet: ſecunda contra factum caſſat, ibi, *Si vero*. 1

Proviſio Epiſcopatuum, & aliarum dignitatum olim ad ſummum Pontificem tantùm pertinebat, *c.* 1. 22. *diſt. c.* 2. *de præb. in* 6. Gemin. *conſ.* 88. Innocentius Papa VII. *nu.* 3. Unde Eugenius IV. in decretali Epiſtola, quam ſcripſit ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, dum Florentiæ præſideret in Concilio Florentino, quæ incipit, *Non mediocri*, in §. *Quod verò hæc dignitas*, inquit: *Ut Sancti atteſtantur Patres, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, Cathedrales, aliaſque dignitates Romana fundavit Eccleſia; ſicutque licuit, uni Eccleſiæ amplam, & alii ampliorem, & alii ampliſſimam, prout expedire judicavit, tradidit poteſtatem: omnes enim tamquam unius arboris rami ab una eademque radice, & ut diverſi aquarum rivuli ab eodem fonte prodierunt, licèt unus alio copioſior, atque* 2 3

uberior. Quæ clauſula ferè deſumpta eſt ex verbis Nicolai II. in *d. c.* 1. & ex verbis Cypriani in *c. Loquitur Dominus*, 24. *q.* 1. Sed poſteà Romani Pontifices conceſſerunt, ut in
4 Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis jus eligendi Prælatum eſſet penes Capitulum, ut in *c. Congregatio* 16, *qu. ult.* & in hac Decretali. In aliis verò Eccleſiis non Collegiatis
5 fuit tributa poteſtas præſentandi Patronis, & Epiſcopo jus inſtituendi, ſi Eccleſia ſit Patronata, *cap. A nobis de jurepatr. cap. Decernimus*, 16. *quæſt.* 7. Si verò Eccleſia Pa-
6 tronum non habeat, ſtatutum eſt, ut Epiſcopus provideat ei de Prælato, cùm omnes Eccleſiæ diœceſis in poteſtate ejus ſint conſtitutæ, *c. Omnes Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7. & notat hic Compoſtell. & Joan. Andr. Et de prædicta origine vide bonam gloſſ. in *c. Quamquam*, *in ver. Devolvatur*, *verſ. Ut igitur ſcias juris originem*, *de præb. lib.* 6. Abb. *hic num.* 1. *& in cap. Cùm Eccleſia Vulterana num.* 8. *infra eod.* Jo. de Selv. *de beneficiis* 3. *par. q.* 22. 3. *caſu*, & Burſat. *conſ.* 126. *à num.* 8. *lib.* 2.

7 Sed poſteà ſupervenerunt regulæ Cancellariæ, quas ſummi Pontifices in craſtinum aſſumptionis ſuæ facere ſolent ſuo tempore duraturas, quibus ferè ſublata eſt hujus Decretalis diſpoſitio, præſertim in Italia, & in Hiſpania, adeò ut multi affirmaverint titulum electionis hodie receſſiſſe ab aula, ut Lambert. *de jurepart.* 1. *part.* 2. *lib.*
8 *quæſt.* 7. *art.* 20. *num.* 6. *in fin.* Quintil. Mandoſ. *in regula* 2. *Cancell. in præfatione*, *aliàs quæſt.* 1. *num.* 3. & Moderni in *tract. de benef. part.* 4. *cap.* 1. *num.* 11. nam præter reſervationes Cathedralium, & Monaſteriorum clauſas in corpore juris, de quibus in Extravag. *Ad regimen*, *de præb.* in 2. regula Papa ſibi reſervat generaliter omnes Eccleſias Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, necnon omnia Monaſteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum communi æſtimatione excedentia, & de his Papa conſiſtorialiter providet, Lap. *allegat.* 73. *num.* 11. *verſ. Item de illis*, & de Cathedralibus patet ex decreto Concilii Tridentini in *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. ubi præſcribitur, quanta cum cautela, & maturitate in Conſiſtorio ſit formandum judicium in promovendis Epiſcopis.

Quæ quidem Conſiſtorialis proviſio habet vim electionis, & confirmationis, ut not. gloſſ. in *cap.* 1. *in ver. Proviſionem*, *infra eodem*, *lib.* 6. & Ripa in *c. Eam te*, *num.* 11. *de reſcript.* & latiùs dicam infra in primo notab. Simi-
9 liter in 3. regula Papa generaliter reſervat diſpoſitioni ſuæ omnes dignitates majores poſt Pontificales in Cathedralibus valorem decem florenorum auri excedentes; declarans dignitates, quæ in Cathedralibus poſt Pontificales non majores exiſtunt, & quæ ex Apoſtolicæ Sedis indulgentia; vel ordinaria authoritate, aut conſuetudine præſcripta, vel aliàs quovis modo in Collegiatis Eccleſiis principalem præminentiam habent, ſub reſervatione prædicta compre-
10 hendi. Ampliùs Papa in eadem regula ſibi reſervat Prioratus, Præpoſituras, & alias dignitates conventuales, & præceptorias Ordinum quorumcumque, non tamen militarium. Per hujuſmodi autem Apoſtolicas reſervationes in Italia ad nihilum redactum eſt jus eligendi Prælatum, quod habent Capitula in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, ut hic not. Dec. *num.* 6. *& ſeq.* Æneas de Falc. *de reſerv. in* 1. *prælud.* & Quintil. Mandoſ. *l. c.* Dixi, in Italia, quia Capi-
11 tulis Germaniæ ſalvum manet jus eligendi juxta concordata, de quibus in conſtitutione Nicolai V. quæ incipit, *Ad ſacram Petri ſedem*, edita *anno* 1447. *Kal. Aprilis*, in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 305. Quibus quidem concordatis non obſunt reſervationes in corpore juris non inſertæ, ut ex facto reſpondit Gemin. in *conſ.* 36. *Caſus talis eſt*, *per tot.*

12 In Gallia verò ex concordatis initis inter Leonem Decimum, & Franciſcum Primum, ſtatutum eſt, ut Cathedralibus, & Metropolitanis Eccleſiis vacantibus illarum Capitula, & Canonici ad electionem, ſeu poſtulationem futuri Prælati procedere non poſſint, ſed Rex Franciæ nominet infra ſex menſes à die vacationis perſonam habentem qualitates ibi præſcriptas, & Papa de ſic nominato provideat. Et in monaſteriis, & Prioratibus Conventualibus, & verè electivis, videlicet in quorum electionibus forma *c. Quia propter*, ſervari, & confirmationes electionum hujuſmodi peti conſueverunt in dicto regno vacantibus, illorum Conventus ad electionem, ſeu poſtulationem Abbatis, ſeu Prioris itidem procedere non poſſint; ſed Rex religioſum ejuſmodi Ordinis infrà idem tempus nominet, & Papa provideat. ſed & Prioratus perſonæ ad illum per Regem nominatæ conferri debeant, & electiones, & confirmationes, & proviſiones contra præmiſſa irritæ decernuntur. Per præmiſſa tamen declaratur non præjudicari Capitulis Eccleſiarum, Conventibus monaſteriorum, & Prioratuum hujuſmodi privilegia à Sede Apoſtolica proprium eligendi Prælatum obtinentium, quominùs ad electionem Epiſcoporum, Abbatum, & Priorum, juxta privilegia eis conceſſa, liberè procedere poſſint, dummodò de privilegiis ſibi conceſſis per literas Apoſtolicas, ſeu alias ſcripturas authenticas docuerint, omni alia ſpecie probationis eis in hoc adempta, ut latiùs conſtat ex *ſeſſ.* 11. Conc. Lateranen. Noviſſimi *t.* 4. *Concil. p.* 2. *pag.* 114. *& ſeqq.*

Et ex his apparet erroneum eſſe, quod ſcripſit Ferret. 13
conſ. 305. *Epiſcopatus habent inſtitutionem*, *n.* 9. ubi temerè carpens regulas reſervatorias Eccleſiarum Cathedralium, & monaſteriorum, dixit viam electivam in Capitulis Eccleſiarum ordinatam fuiſſe de jure divino. Imò enim hoc jus derivatum eſt in Capitula non ex neceſſitate, ſed ex mera indulgentia, & humanitate Romanorum Pontificum, ut initio diximus, & benè explicat Rebuff. *tit. de elect. derog. in princ.* & noviſſimè Card. Bellarm. *tom.* 1. *controv.* 5. *lib.* 1. *c.* 8. *&* 2. *tom. controv.* 2. *lib.* 1. *c.* 8. & Moderni in *tract. de benef. p.* 5. *c.* 4. *n.* 7.

Quibus præcognitis, Nota primo, in Eccleſia Collegia- 14
ta nullum inferiorem à Papa præficere poſſe Prælatum, ſed debere fieri electionem per illos de Collegio, & per Superiorem confirmari, *c. Tranſmiſſam*, *& c. Nihil infr. eod.* Nam pondera literam ibi, *Si verò aliter*, quæ omnem
aliam poteſtatem excludit, ut per Abb. hic *nu.* 1. Unde in 15
c. penult. de off. leg. lib. 6. inhibetur legatis, ne Cathedrales, aut Collegiatas Eccleſias, vel ipſarum Cathedralium dignitates electivas majores poſt Pontificalem conferant, aut ſi-
bi reſervent, & contra hoc factum irritum decernitur. Re- 16
gula tamen hujus tex. procedit, niſi aliter in fundatione ipſius Eccleſię extiterit ordinatum, vel de conſuetudine aliud obtineat, ſecundùm Innoc. in *ver. In Congregatione*, & Jo.
Andr. *in fin.* Papa verò ob ſupremam ejus authoritatem 17
etiam de beneficiis electivis providere poteſt, Card. in *conſ.* 103. *Diviſione præmiſſæ in princ.* quem refert, & ſequitur hic Dec. *nu.* 2.

An autem requiratur, ut in literis Apoſtolicis ad beneficia fiat ſpecialis mentio de Eccleſia Collegiata, dic, aut in literis certi modi exprimuntur, & dignitates electivæ non
includuntur non facta de illis ſpeciali mentione. Ita pro- 18
cedit text. in *c. Cùm in illis*, *in fin. de præb. in* 6. ubi ſi Papa mandat alicui provideri de beneficiis, vel dignitatibus ad collationem, proviſionem, præſentationem, vel diſpoſitionem quorumcumque, non comprehenduntur beneficia electiva, Abb. *conſ.* 38. *In quæſtione quæ ad præſens vertitur*, *col.* 3. *ſub n.* 2. *verſ. Quarto poſſet attentari*, *lib.* 2. Ra-
tio eſt, quia cùm literæ ad beneficia obtinenda ſint ambi- 19
tioſæ, debent ſtrictè intelligi, ut in *c. Quamvis*, *de præb. lib.* 6. & propterea uno modo expreſſo, non venit alius, ut per Abb. *loco cit.*

Aut nullus modus in literis exprimitur, ſed ſimpliciter 20
mandatur provideri de beneficio vacaturo; & tunc in mandato includitur etiam beneficium electivum, ut tenet gloſ. *in Clem.* 1. §. 1. *in ver. Quamvis*, *in fin. de præb.* cum qua tandem ibi reſidet Card. *in* 5. *q.* Gemin. *in d.* §. *Illis*, *col.* 1. *in fin. verſ. Quid ſi in literis*, ubi allegat dec. Rotæ quæ eſt 11. *in tit. de præb. in Nov.*

Sed hoc ſecundum membrum diſtinctionis impugnat 21
hic Dec. *n.* 4. quia textus in *d.* §. *Illis*, non exprimit certos modos, ſed utitur verbis, Ad proviſionem, vel diſpoſitionem, quæ generalia ſunt, ut de proviſione notat gloſſ. in *Clem.*
fin. hoc tit. & in *cap.* 1. *gloſſ.* 3. *eod. in* 6. dum dicit proviſio- 22
nem habere vim electionis, & confirmationis. Et de diſpoſitione eſt text. in *c.* 2. *in princ. de præben. in* 6. & tamen in gratia concepta prædictis verbis generalibus non includitur modus providendi per electionem. Ex quo conjici poteſt, de electione fieri debere ſpecialem mentionem; nec ſufficere mandatum verbis generalibus conceptum, quia ubi aliquid ſpecialiter exprimi debet, generalia verba non ſufficiunt, *cap. Qui ad agendum*, *de Procur. in* 6. Ad quod videtur text. *in d. Clem.* 1. *in fin.* ibi. Nullam de electione fecerimus mentionem; & ratio eſſe poteſt ſecun-

dum

dum eum, quia ſub tali generalitate ſuperior non intendit inferre præjudicium pluribus, qui jus eligendi habent, ac propterea neceſſaria eſt mentio ſpecialis.

Verum his non obſtantibus non videtur recedendum à communi intellectu ad d. §. *Illis*; nam proviſionis, & diſpoſitionis verba, quamvis in materia favorabili, & latè interpretanda extendi poſſint ad omnem modum providendi, & diſponendi, & ſic etiam ad electionem; tamen in literis ad beneficia vacatura, quæ ſunt odioſæ, & reſtringendæ, ut ſuperiùs dictum eſt, electionem non includunt, ut patet in d. §. *Illis*, & eſt caſus in *d. Clem. 1. de preben.* ubi literæ gratioſæ ad dignitatem pertinentem ad proviſionem, & diſpoſitionem quorumcumq; non comprehendunt dignitatem electivam. Et propterea ſecundùm Jo. Andr. in *d. c. Cum in illis col. 1. verſ. Diſpoſitio de preben. in 6.* quamvis diſpoſitionis verbum ſit generale, & ſonet idem quod ordinatio, *c. Cum tibi infrà de teſt.* cum aliis per eum allegatis; & ideò hoc verbum poſitum in d. §. *Illis*, videretur includere electionem, ut aliquid adderet præcedentibus verbis, Ad collationem, proviſionem, & præſentationem: nihilominus litera gratioſa ad dignitatem non
23 includit electivam, etiamſi dictum ſit in literis, Ad dignitatem pertinentem ad quamlibet, ſeu quamvis diſpoſitionem quorumcumque, ut eſt expreſſum in *d. Clem. 1.* atque ita dicit Jo. Andr. ſe conſuluiſſe.

24 Neque obſtat gloſſ. in *d. Clem. fin. de elect.* quia tantùm dicit proviſionis verbum eſſe latum, itaut comprehendat nominationem, poſtulationem, præſentationem, & collationem; ſed non dicit comprehendere electionem ſal-
25 tem in materia ambitioſa, & ſtrictè intelligenda. Item non obſtat, quòd proviſio habeat vim electionis, & confirmationis; quia etiam collatio habet eamdem vim, ut tradit Joann. Andr. *loc. cit.* & tamen admittunt omnes colla-
26 tionis appelatione non venire electionem. Proviſio autem, & collatio ſunt ſynonyma, *c. Dudum poſt princip. cap. Cui de non Sacerdotali 1. & 2. reſpon. cap. Et cui, & cap. Si is cui in fin. de preb. lib. 6.* & notat Joann. Andr. in *c. Cùm in illis in princip. in ver. Collationem.* Propterea autem proviſio dicitur habere vim electionis, & confirmationis, quia proviſor, & collator abſque alterius facto confert, *cap. Si tibi abſenti 1. & 2. reſpon. de preb. in 6.* Non in electores, quia expectant factum ſuperioris confirmantis, ut declarat ibidem Joann. Andr. Sed hinc non ſequitur, ut modus proviſionis ſit generalis etiam ad electionem. Non obſtat ponderatio quam facit Decius de dicta *Clem. in ultimis verbis*; quia idcircò textus ibi ſe fundat in eo, quòd de dignitate electiva nullam fecit mentionem; quia in literis fuerunt expreſſi certi modi, ut patet ibi, Ad cujuſcumque collationem, proviſionem, ſeu quamvis diſpoſitionem: qui quidem modi dicuntur certi, & ſaltem in materia odioſa viam electivam non includunt, ut oſtenſum eſt ſupra. Undè non mirum, ſi de electione debuit fieri ſpecialis mentio. Et ſic ille textus concordat per omnia cum communi intellectu ad d. §. *Illis*. Nec refragatur text. in *d. c. 2. de preb.* quia non probat diſpoſitionis verbum eſſe ita generale, ut comprehendat electionem; ſed tantùm ut includat non ſolùm collationem, ſed etiam gratiam de vacaturis.

Demùm non obſtat motivum præjudicii, quod infertur pluribus electoribus; quoniam conſtat de intentione Papæ volentis præjudicare inferioribus per mandatum de providendo: majus autem eſt præjudicium, quod infertur proviſori, ſeu collatori, quam illud quod infertur electoribus; quia per proviſionem, ſeu collationem confertur plenum jus proviſo, ſed electus ante confirmationem adminiſtrare non poteſt, *c. 3. & c. Noſti infrà eod. cum concord.* Undè ſi Papa per gratiam ſimpliciter conceptam ad vacatura præjudicat collatoribus, nulla ſubeſt ratio, cur non etiam præjudicet electoribus. Stat igitur communis diſtinctio, quod aut certi modi in literis ſunt expreſſi, & non venit electio; aut non ſunt expreſſi, & includuntur etiam dignitates electivæ. Eodem modo diſtinguitur in reſervationibus, ut per Æneam de Falcon. in *tract. de reſerv. q. 5. n. 21.* & Modernos in *tract. de benef. part. 5. cap. 1. num. 122.*

27 Nota ſecundò, ex illis verbis, *Ubi duo vel tres in Congregatione fuerint*, duos facere Congregationem, tres verò Collegium, *l. Neratius, ff. de verbor. ſignificatione*, ſecundùm gloſſ. Innoc. & cæteros hìc, & notat Specul. in *tit. de nov. crimin. §. unic. verſ. Ad hæc*, & Barl. in *l. Prætor la 2. in princ. n. 2. & 3. ff. de vi bonorum rapt.* ubi etiam habes quot homines faciant turbam, quot cætum, quot multitudinem, quot univerſitatem, quot populum, quot gentem. Dixi in *c. Reſponſo infr. de ſent. excomm.* Adverte tamen, 28
quia ſecundùm Bald. hìc *nu. 4.* aut loquimur de Congregatione Collegiali, aut de ſimplici; primo caſu idem eſt Congregatio, & Collegium; ſecundo caſu nomen Congrega- 29
tionis eſt magis generale, quàm nomen Collegii, quia Collegium ex univerſo ſumitur, & alicui certo nomini eſt ſubjectum, *leg. Rerum mixtura, ff. de uſucap.* & loco unius perſonæ habetur, *leg. Mortuo, ff. de fidejuſſ. leg. Metum*, §. *Animadvertendum*, *ff. quod metus cauſa*. Sumitur quintò Collegium, & Congregatio ex pluribus differentibus numero, ſed Collegio attribuitur ex intellectu ſignificatio complexiva, quæ ex univerſo ſumitur, non tam voce, quàm ſignificatione, *l. Si is qui ducenta, §. Utrum, ff. de reb. & leg. Quod major, ff. ad municip.*

Quod autem ſuperius dictum eſt, tres ſaltem requiri ad 30
faciendum Collegium, verum eſt ab initio; ſed poſteà jus Collegii etiam in uno retinetur, *l. Sicut, §. ult. ff. Quod cujuſque univerſitatis nomine*, & notant hìc gloſſ. 1. Innoc. Joan. Andr. Bald. & omnes.

Tertiò, nota ex iiſdem verbis, *In Congregatione fuerint*, 31
ad hoc ut Clerici in Eccleſia beneficiati habeant jus eligendi Prælatum, oportere, ut ibi ſint ut Collegium, nec ſufficere, ut generaliter ſint in ea beneficiati, *cap. Dilecta* cum gloſ. 1. *de exceſſ. Prælat.* Non enim ſequitur: In tali Eccleſia ſunt plures Clerici, ſeu baneficiati: Ergo ibi Collegium, ut notat Innoc. in *cap. Poſtulaſti de jurepatr.* Archidiac. in *cap. Monaſterium 16. quæſt. 7.* Abb. in *cap. Bonæ memoriæ, il 1. num. 2. in primo notab. ſupra tit. prox.* & tradunt hìc Anton. de Butr. Cardinalis, Abbas, Decius, & alii communiter. Et propterea ſi in eadem Eccleſia ſint diverſorum generum beneficiati, puta aliqui ſunt Canonici, aliqui Capellani, aliqui Aſſiſii, ut in Antiochena Eccleſia, *cap. penult. infrà de Clericis non reſidentibus*; alii Portionarii, & ſimiles, ut in Burginen. Palatin. Eccleſiis; & 32
in Eccleſiis Hiſpaniarum Portionarii, vel ſimiles, non ſunt vocandi, ut determinat hìc Compoſtell. *num. 4.* dicens Curiam Romanam tenere, quòd ſoli Canonici ſunt vocandi, & ſoli Canonici faciunt Capitulum, quia unum
corpus conſtituunt, *cap. Novit de his, quæ fiunt à Prælat.* 33
Et eum refert, & ſequitur hìc Joan. Andr. *num. 11.* Hinc 34
cùm Portionarii Eccleſiæ Segobien. qui non interveniunt in actibus Capitularibus, exceptis quibuſdam diebus, in quibus conveniunt, ut percipiant certas diſtributiones illis diebus aſſignatas, petiiſſent declarari à Sacra congregatione Concilii, an dicerentur de Capitulo, adeòut contra eos Epiſcopus cum adjunctis procedere teneretur ad præſcriptum *c. 6. ſeſſ. 25.* Concilii Tridentini; Sacra Congregatio cenſuit non dici eſſe de Capitulo hujuſmodi Portionarios. Idemque reſpondit de Portionariis Eccleſiæ Conchen. qui 35
participes menſæ Capitularis ingrediuntur Capitulum ad conſentiendum, vel contradicendum in negotiis ad Eccleſiæ rem, & bona pertinentibus.

Ulteriùs propoſito dubio, an appellatione eorum, qui non ſunt dignitates, nec de Capitulo, comprehendantur non ſolùm ii, qui ſunt extra Cathedrales, vel Collegiatas Eccleſias, ſed etiam qui in eiſdem Eccleſiis officia, vel ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica obtinent, & prædictis Eccleſiis, aut Capitulis in divinis, ſeu aliis miniſteriis famulantur, ſive ſub Capitulis, ſive extra illa degant, itaut omnes in cauſis Eccleſiaſticis Epiſcopo ſubjiciantur liberè, & abſolutè, abſque eo quòd contra ipſos cum adjunctis procedendum ſit: Sacra Congregatio cenſuit, ex quo *c. 6. ſeſſ. 25.* ſubjicit Epiſcopo eos, qui non obtinent dignitates, nec ſunt de Capitulo; iſti autem neque dignitates habent, neque Capitulares ſunt, ſed tantùm Capitulo famulantur, aut ſub Capitulo degunt; comprehendi iſtos *d. c. 6. verſ. Quia verò*, cum aliud ſit eſſe de Capitulo, aliud ſub Capitulo.

Quod tamen verum eſt, niſi aliud obtineat de conſue- 36
tudine, ut in Eccleſiis Legionen. & Oveten. ut declarat Compoſtell. *eod. n. 4.* Nam quandoque penitùs extranei de conſuetudine admittuntur, ut in *cap. Cùm Eccleſia Sutrina infrà de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Quapropter poſita de- 37
ciſ. Rotæ in cauſa Calciaten. conjudicum edita die 25. Februarii 1611. qua Cathedralis Calciaten. portionarii declaran-

rantur eſſe de Capitulo dictæ Eccleſiæ, cum dubitatum
fuerit, an ipſi portionarii tamquam Capitulares poſſint eli-
gi in conjudices cauſarum criminalium adverſus Capitu-
lares: Ex decreto Concilii Tridentini in *d. cap.6. ſeſſ.* 25.
38 Sacra Congregatio cenſuit non poſſe. Verùm hoc debet
intelligi, dummodò Portionarii ex conſuetudine, vel alio
ſpeciali jure ſint in omnibus, & per omnia de Capitulo,
39 ſecus ſi quoad aliquos actus tantùm. Ideòque cum dubi-
taſſet Epiſcopus Seguntinus, an poſſet ſolus ſine adjunctis
procedere contra Portionarios integros, ac dimidios ſuæ
Eccleſiæ, ſi ipſi ex privilegio Apoſtolico, aut ex conſue-
tudine, vel Eccleſiæ ſtatuto habeant in Capitulo, vel ſem-
per, vel ut plurimum vocem: Sacra Congregatio cen-
ſuit, non ex eo, quòd portionarii integri, & dimidii ha-
beant vocem in Capitulo, illos eſſe Capitulares, ſed tunc
inter Capitulares cenſeri debere, cum ex Apoſtolico pri-
vilegio, vel ex conſuetudine, vel ex Eccleſiæ ſtatuto in-
ter Capitulares connumerantur. Ideòque ſi ipſi talibus fa-
cultatibus non potiantur, Epiſcopus poterit contra illos
non cum adjunctis, ſed ſolus procedere.

Similiter cùm Portionarii, ac dimidii Portionarii Ec-
cleſiæ Corduben. vocem habeant in Capitulo quoad ea
dumtaxat, quæ ſpectant ad impenſas, redditus, & ſervi-
tium Eccleſiæ, non autem in his, quæ pertinent ad juriſ-
dictionem Capituli ſede vacante, ad nominationem offi-
cialium, atque aliis pluribus: Quæſitum eſt, an Epiſco-
pus teneatur contra ipſos cum adjunctis procedere: Sacra
Congregatio reſpondit, ſi hujuſmodi portionarii tàm in-
tegri, quàm dimidii non ſunt de conſuetudine in omni-
bus, & per omnia de Capitulo, non teneri Epiſcopum
contra eos procedere cum adjunctis.

Rurſus cùm Portionarii Eccleſiæ Abulen. prætenderent
ad ſe unà cum Canonicis pertinere adminiſtrationem bo-
norum menſæ Epiſcopalis ſede vacante, & electionem ju-
dicum, cum quibus Epiſcopus adverſus Capitulares proce-
dere tenetur, eò quòd ex conſuetudine Eccleſiæ quoad ea,
quæ tangunt adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ, &
menſæ Capitularis, pro Capitularibus habeantur: Sacra
Congregatio cenſuit in neutro debere ſe ingerere.

40 Et generaliter conſulta, an decreto Conc. Trid. *cap.6.
ſeſſ.* 25. poſſit ſolus Epiſcopus ſine adjunctis Capitularibus
ad correctionem, & punitionem Portionariorum procede-
re, eo etiam caſu, quo Portionarii de conſuetudine, aut ex
privilegio Apoſtolico, vel Eccleſiæ ſtatutis habent in Capi-
tulo, vel ſemper, vel ut plurimum vocem: reſpondit hujuſ-
modi Portionarios non comprehendi, *cap.6.ſeſſ.*25.ſi ſolam
vocem in Capitulo habeant. Hæc de Portionariis.

41 De Coadjutoribus verò Canonicorum. Cum dubitatum
fuerit, an Epiſcopus, qui juxta decretum Concilii, *cap.6.
ſeſſ.*25.debet procedere contra Capitulares cum adjunctis,
teneatur idem ſervare volens procedere contra Coadjuto-
rem Canonici cum futura ſucceſſione: Sacra Congrega-
tio cenſuit teneri, ſi ex forma Coadjutoriæ colligatur ipſi
Coadjutori conceſſa fuiſſe omnia privilegia, quæ habent
42 Canonici. Nam coadjutor cum futura ſucceſſione non
dicitur Cannonicus, neque habet jus in Canonicatu, ſed
ad Canonicatum, Navarr.in *cap. Si quando de reſcr. & in
cap. 2. de Hor. Canon.* Undè cùm non ſit Canonicus, non
eſt Capitularis, cùm de jure communi Canonici tantùm
dicantur Capitulares, *d.cap.Novit, & cap.Quanto de his,
quæ fiunt à Prælat.* Abb.*in cap. Auditis num.*3.*in fin.de elect.*
Felin.*in procem. decretal.* Verall. *deciſ.*290.

43 De dignitatibus in Cathedralibus, & Collegiatis idem
dicendum; quia circumſcripta conſuetudine, vel privile-
gio non ſunt de Capitulo, ut notatur in *cap. Cùm olim in
ver. Duplici ſibi voce infr. de re judic.* & conſtat ex decreto
Concilii Trident. in prælleg. *cap.6. ſeſſ.*25.ibi: Qui verò
non obtinent dignitates, nec ſunt de Capitulo: ſi enim
obtinentes dignitates eſſent de Capitulo, ſatis fuiſſent ex-
cluſi per illa verba: *Nec ſunt de Capitulo*, nec fuiſſet opus
eos nominatim excludere. Quomodo autem cognoſca-
44 tur, an plures ſint in Eccleſia, ut Collegium, vel ut ſingu-
li, Joan.Andr. & DD.remittunt ad notata in *c. Dilecta de
exceſſ. Prælat.* Bald. hìc *num.* 8. dicit privatam ſocietatem
non facere Collegium, ſed publicam authoritatem, & re-
quiri, ut Collegium habeat caput, ſeu præpoſitum, licèt
ſufficiat, ut ita ordinatum ſit ab initio, nam eo mortuo
nihilominus eſt Collegium, ut per eum: de quo tamen
vide Innocentium in *cap. Cum non ignores num.* 2. *infrà de
præben.*ubi dicit ad eſſe Collegii non requiri, ut ibi ſit Præ-
latus, argum. *leg.* 1. §. 1. *ff. Quod cujuſque univerſ. nom.* &
cum ſequitur Oldrad. *conſ.*128. *Cum ad inveſtigationem nu.*
8.*verſ. Et ſi dicatur*, licèt requiratur ad benè eſſe, ut per
eumdem Oldrad.*conſ.*204. *Prima quæſtio in princip.*Ex qui-
bus ſignis cognoſcatur, an Eccleſia ſit Colllegiata, vide
Rotam in cauſa Zamoren. Canonicatus de Thoro, apud
Card. Seraphin. *deciſ.*1265. Concluditur ergo, in Eccleſia
Collegiata de jure communi, & ceſſantibus reſervationi-
bus Apoſtolicis, ſive ſit ſæcularis, ſive regularis, Præla-
tum eſſe eligendum ab illis tantùm, qui ſunt ibi ut Colle-
gium. Undè dicebat Gamb.*de offic.leg. num.*84. *alias* 817. 45
*lib.*3. electivam naturaliter eſſe omnem Collegiatam, in-
telligi reſpectu Prælaturæ, ut hìc. Sed de Prælatis, & ſu-
perioribus regularibus, dicam latiùs, ut in ſeq.quæſt.

Poſita conſtitutione Congregationis Somaſchæ à Sede 46
Apoſtolica unà cum aliis ejuſdem Congregationis conſti-
tutionibus confirmata in forma communi, qua cavetur, ut
interveniente obitu alicujus præpoſiti, vice præpoſitus ſuc-
cedat, donec aliter fuerit proviſum per Præpoſitum gene-
ralem, qui vel illum confirmabit, vel alium mittet, vel
alium ex dicto Collegio nominabit, qui Vicarii nomine
inſignitus ordinariam præpoſiti habeat authoritatem.

QUÆRITUR primò, an facultas præpoſito generali
ut ſuprà attributa adverſetur huic decretali, vel aliis ſa-
crorum Canonum, aut Concilii Tridentini decretis.

Secundò, an eadem conſtitutio, quæ loquitur in caſu
mortis, vendicet ſibi locum in caſibus infirmitatis, ab-
ſentiæ, ceſſionis, & conſimilibus.

Quod ſpectat ad primam quæſtionem, etſi electio Prio- 47
ris ſpectet ad Conventum ex diſpoſitione juris communis,
ut hìc deciditur, & in *cap.*2.*§.fin.de ſtat.Monach.& in cap.
ult.*16.*quæſt.ult.* & confirmatio ad ſuperiorem, *cap.Nullus*
16. *qu.*7. hoc tamen procedit in Prioribus Conventualibus
habentibus populum, & authoritatem perpetuæ prælatio-
nis, per text.juncta gloſſ.in *d. cap.* 2. *§.fin.* cujus hæc ſunt
verba: Priores autem cùm in Eccleſiis Conventualibus per
electionem Capitulorum canonicè fuerint inſtituti, niſi
pro manifeſtà, & rationabili cauſa non mutentur: ubi gloſ.
aſſerit, hoc eſſe intelligendum de illis Prioribus, qui inſti-
tuuntur perpetuò per Canonicam electionem Capituli, &
confirmationem Superioris, & requirit Archid.in *ſumma*
16. *qu.*2. *num.*6. *verſ.Secus autem eſt in Prioribus*, Felin.in
*cap. Cum venerabilem col.*10. *verſ.Fallit tertiò de except.*&
poſt alios Jo:de Selv.*de beneſ. par.*2. *q.*22. *n.*51. & propterea
verbum, *Presbyter*, hìc poſitum exponitur ab Innocentio,
& Abb. Antiq.ideſt, Prælatus, & pro Rectore ab Hoſt.&
Jo:Andr.Undè hæc decretalis, & conſtitutio, *c.Quia pro-
pter infrà eod.*non habent locum niſi in Prælatis, ſive ſæcu-
laribus, ſive regularibus, per quorum obitum Eccleſia vi-
duatur, ut illic adnotavit gloſſ.in *verb.Eccleſiis viduatis*,
& ſic in Prælatis, qui curam habent animarum, & dicun-
tur ſponſi Eccleſiæ, *cap. Sicut in unaquaque* 21. *qu.*2. gloſſ.
ubi ſuprà, & reſolvit Rota *deciſ.* 3. *num.* 2. *de elect. in nov.*
Et hìc non eſt caſus noſter, ut inferiùs dicetur.

Sin autem Prioratus ſint obedientiarii, habentes quidem 48
Monachos, ſed non populum, tunc cenſentur revocabiles
ad nutum, Bellam. *deciſ.* 203. *incip. Quilibet Prioratus re-
gularis*: ideòque Priores hujuſmodi deputantur per Ab-
bates, & ad eorum libitum amoventur. Sic probat text.
juncta gloſſ.in *ver. Perpetuò in cap.Cùm ad Monaſterium*,
§. *Tales de ſtatu Monach.* in hæc verba: *Nec alicui com-
mittatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda, tamquam in
ſua ſibi vita locetur, ſed cum oportuerit amoveri, ſine con-
traditione qualibet revocetur*, ubi gloſſ. dicit hoc eſſe ve-
rum, quando non eligitur Canonicè à Capitulo, ſed Ab-
bas committit ei adminiſtrationem. Idem dicit gloſſ.in *d.
cap.*2.*in ver. Non mutentur eod.tit.* & Archid. *in ſumma* 16.
*quæſt.*2.*num.*5. ubi ait: *Circa hujuſmodi Prioratus, qui Pa-
rochianos non habent, & qui non ordinantur per electionem
Collegiorum ſuorum, ſed Monachi tantum manent in eis,
& Abbates planè in eiſdem obtinent temporalia, permiſſum
eſt, & obſervatum ſicut creditur, quod ponantur in eis Prio-
res, & removeantur ad mandatum Abbatum ſuorum, ut in
Religionibus magis vigeat, & obſervetur obedientia, & ideo
hujuſmodi Prioratus propriè appellantur obedientiæ, & ex eo
quod ſic præficiuntur, non poſſunt, nec debent ſibi aſſumere au-*

tho-

thoritatem continuæ Prælationis, imò cùm expedierit, abſque contradictione mutari poſſunt: ſic dicitur de præſidentibus Capitulis Generalibus, extra de ſtat. Monach. cap. In ſingulis, & infrà: Et ideò in hujuſmodi Prioratibus ponuntur, & deputantur Priores pro voluntate ſuorum Abbatum, & etiam amoventur. Hactenus Archid. ſequitur Gemin. in *cap.1. col.3. num.4. verſ. Secundo caſu* 21. *diſt.* & Selva *de benefic. part.2. diſp.22. num.* 46. *&* 50.

49 Talis autem videtur eſſe deputatio Vicarii, ſeu Vice-Præpoſiti, quam facit Præpoſitus Generalis congregationis Somaſchæ in locum Præpoſiti, quia d. Vicarius non inſtituitur, ut habeat prælationem illam, de qua Canones loquuntur, ſed ad tempus præſit Regularibus, ac bona dicti Conventus adminiſtret, atque ita dici poteſt Prælatus obedientiarius, qui ponitur, & amo-
50 vetur ad libitum Superioris, ex prædictis. Ideòque in Religionibus Ordinis Prædicatorum, & Minorum, in locum Priorum, ſeu Guardianorum defunctorum, vel abſentium deputantur Vicarii, qui eamdem habent authoritatem, & alio nomine Præſidentes vocantur, non per electionem Conventuum, ſed per deputationem Provincialium, ut refert Ludovicus Miran. in *Manual. Prælat. tom. 2. quæſt.20. art. 1. in princip. & concl.2. & 3. & art. 2. concl. 1.*

51 Et revera ſicut poſſet hos Vicarios inſtituere Capitulum Generale, ut per Alexand. in *rubr. de offic. ejus num.* 14. *verſ. Quidem conſtituti*, & Dec. in *cap. Sane, il 2. num. 9. de offic. delegat.* ſic videtur poſſe illos deputare Præpoſitus Generalis, in quem univerſa Congregatio jus, & poteſtatem eos deputandi tranſtulit, *leg.2. Cod. de offic. ejus qui vic. alic. judic.* ibi: Qui præceptione principali, ſeu veſtræ ſedis ampliſſimę tueri locum Rectorum provincialium noſcuntur, *& cap. In cauſis, §. Quia vero infra eod.*

52 Quibus accedit, quod etſi eorum electio de jure ad Capitulum pertineret: Canones tamen non improbant, imò approbant conſtitutiones Religionum, ſecundùm quas illorum deputatio reſervatur Abbati, ſeu Generali Miniſtro: de hoc eſt text. & ibi DD. in *cap. Sacroſancta infr. eod.* & docent Gemin. in *d. cap. 1. col.3. verſ. 2. caſu* 21. *diſt.* & Selva *loc. cit. num.* 46. Undè ſatis eſt hoc caſu, ut ex conſtitutionibus Congregationis Somaſchæ uſu, & conſuetudine in hac parte approbatis deputatio Vice-Præpoſiti ſpectet ad Præpoſitum Generalem, licèt ſpeciale ipſius Capituli facultate, vel conſtitutione id Generali Præpoſito non liceret. Ideòque cùm Generalis Ordinis S. Auguſtini olim conſuluiſſet Sacr. Congregationem Concilii, an ſibi liceret ex officii ſui authoritate in aliqua domo ſui Ordinis, vel Provincia Rectorem, Commiſſarium, vel Vicarium quibuſdam in caſibus nulla fratrum electione expctata conſtituere, ubi ita expedire judicaret, præſertim cùm ita ante & poſt Concilium conſueviſſet: S. Congregatio reſpondit non licere, niſi ex gravi cauſa, & ad modicum tempus.

Quemadmodum autem conſtitutio prædicta non eſt contraria ſacris Canonibus, ita nec illi adverſatur decretum S. Concilii Tridentini in *d. cap.6. ſeſſ.25. de regul.* quia locum habet, & procedit tantùm in electionibus Superiorum, quas præcipit fieri vota ſecreta. Ideòque cùm aliàs dubitatum eſſet, an ex *d. cap.6.* oporteret ſemper facere electiones, vel poſſet aliquando Prælatus ſuperior authoritate ſui officii prætermiſſa electione providere alicui Monaſterio, vel Provinciæ de præfecto, vel alio Superiore: S. Congregatio reſpondit Concilium non jubere, ut ſemper fiat electio, ſed quando facienda erit, ſervanda eſt forma præſcripta *d. cap.6.*

Quoad ſecundam quæſtionem videtur reſpondendum, 53
conſtitutionem, quæ tribuit facultatem deputandi Vicarium in caſu mortis Præpoſiti, habere etiam locum in
caſu ægritudinis, ceſſionis, vel abſentiæ, &c. quia hu- 54
juſmodi caſus in hac materia æquiperantur, *cap. Congregatio 16. quæſt.7.* Ideòque Bart. in *leg. 2. Cod. de offic. ejus qui vic.* cenſet eſſe locum hujuſmodi deputationi propter quodcumque impedimentum officialis. Quod etiam ſentit Antonius de Butr. *conſ. 3. num.* 2. Et in ſpecie propter infirmitatem, Maran. in *ſpecul. part.4. tit. An ſit judicium arbitrarium num.* 17. ubi alios refert. Et propter remotionem ab officio, vel recuſationem, Joan. de Plat. in *leg.* 1. poſt gloſſ. in *fin. Cod. de Primic. lib.*12. & Cardin. in *Clement. 1. num. 13. de procur.* Et generaliter facultatem ſubrogandi in caſu mortis procedere etiam in aliis caſibus ſimilis impotentiæ, reſpondit per text. in *leg. Hoc jure, ff. de vulg.* Surd. *conſ.* 236. *num.* 23. *lib.*2. & ante eum Pariſ. *conſ.19. num.* 174. *lib.*2.

Et propterea Sacra Congregatio aliàs conſulta, an decretum Concilii *cap. 10. ſeſſ.* 25. quo tribuitur facultas Epiſcopis ſubrogandi alium in locum judicis Synodalis defuncti, procedat etiam in caſu diuturnæ abſentiæ alicujus ex judicibus Synodalibus, reſpondit *dict. cap.*10. comprehendere etiam diuturnam abſentiam, quæ morti æquiparatur, *cap. Præſentata de teſtib.* Cardin. *conſ.* 54. facit text. in *leg. Si longius, ff. de judicib. & in cap. Quod Sedem do offic. ordin.*

DE ELECTIONE.

Paſchalis Panormitano Archiepiſcopo.

CAPUT IV.

Significaſti reges & regni majores, admiratione promotos, quòd pallium tibi ab apocriſiariis noſtris, tali conditione oblatum fuerit: Si Sacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerant, exhiberes: & infrà. Mirentur in hac cauſa Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui, cùm ovium ſuarum curam Petro committeret, conditionem poſuit, dicens: Si diligis me, paſce oves meas. Si conſcientiarum factor, & cognitor ſecretorum, conditione hac uſus eſt, nec ſemel tantùm, ſed & ſecundò, & uſque ad contriſtationem: qua nos ſolicitudine oportet tantam Eccleſiæ prælationem imponere fratribus, quorum conſcientias non videmus? Ajunt omnes jusjurandum in Evangelio à Domino eſſe prohibitum, nec ab Apoſtolis poſt Dominum, nec in Conciliis invenire poſſe ſtatutum. Quid eſt ergo quod Dominus ſubſequenter ait: Quod ampliùs eſt, à malo eſt? hoc enim ampliùs ut exigamus, malum nos illos permittente compellit. Nonne malum eſt ab Eccleſiæ unitate, & Sedis Apoſtolicæ obedientia reſilire, & contra Canonum ſtatuta prorumpere? quod multi etiam poſt Sacramentum præſtitum præſumpſerunt: & infrà. Hoc nimirùm malo, ac neceſſitate compellimur juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Ajunt in Conciliis ſtatutum non inveniri: quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla prefixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas: & infrà. Cùm igitur à Sede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantùm corpore aſſumuntur, juſtum eſt, ut vos quoque Sedi Apoſtolicæ ſubjectionis debitæ ſigna ſolvatis, quæ vos cum Beato Petro, tamquam membra de membro habere, & catholici capitis unitatem ſervare declarent.

SUMMARIUM.

1 *Pallium à Sede Apoſtolica non traditur electo in Archiepiſcopum, niſi prius præſtet fidelitatis, & obedientiæ juramentum.*

2 *Reges plures in uno regno eſſe poſſunt.*

3 *Pallium tradi poteſt per Nuncium.*
Aprocriſiarii qui ſint, ibid.

4 *Juramentum exigi poteſt per Nuncium, ſeu Procuratorem.*

5 *Omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio.*

6 *Papa non gerit vicem Dei in conſcientiis cognoſcendis.*

7 *Pallii traditione confertur plenitudo Pontificalis officii.*

8 *Jurare in quibus caſibus liceat.*

9 *Papa eſt ſupra Concilium, quod latiſſimè probatur uſque in fin.*

10 *Concilia non conſtringunt Papam, ſed conſtringuntur ab ipſo, & num. ſeqq.*

11 *Papæ ſententiæ ſtandum eſt, ſi contradicat Eccleſiæ, vel Concilio, etiam in materia dogmatum.*

12 *Intellectus cap. Sicut, 15. diſt.*

13 *Papa cur non poſſit aliquid ſtatuere contra articulos fidei ſemel diffinitos.*

14 *Poteſtas ligandi, ſeu legem imponendi non poteſt eſſe niſi ſuperioris.*

15 *Concilia omnia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem facta ſunt, & robur acceperunt.*

16 *Concilium non dicitur, ſed conciliabulum, ſeu conventicula, quod ſine authoritate Romani Pontificis celebratur.*

17 *Concilium legitimè congregatum, poſt diſſolutionem remanet acephalum, & ſchiſmaticum.*

18 *Baſileenſe Concilium poſt translationem non Synodus Eccleſiæ, ſed ſatanæ, & miniſtrorum ejus ſynagoga appellatum.*

19 *Authoritas non eſt niſi ſuperioris.*

20 *Cauſa principalis ſemper eſt potior effectu.*

21 *Concilia non dederunt primatum Romanæ Eccleſiæ, ſed datum immediatè à Domino explicarunt.*

22 *Conſtantienſis Concilii Canon de poteſtate Concilii in Romanum Pontificem expenditur.*

23 *Conſtantienſis Concilii decreta, quæ ad fidem pertinent, dumtaxat à Martino V. confirmata fuerunt.*

24 *Conſtantienſe Concilium qualiter dici poſſit habuiſſe immediatè poteſtatem à Chriſto.*

25 *Baſileenſe Concilium à Leone X. in Concilio Lateranenſi appellatur conciliabulum, præſertim poſt tranſlationem.*

26 *Dictio,* Præſertim, *quid importet.*

27 *Baſileenſis Concilii conſtitutiones quæ fuerint à Nicolao V. approbatæ, aut improbatæ.*

28 *Papæ primatus in Concilium nititur principiis juris naturalis, & divini, & num. ſeqq.*

29 *Ordo poteſtatem eſt, ut inferiora à ſuperioribus gubernentur, & ad unum tandem redigantur.*

30 *Petrus quando, & per quæ verba fuerit conſtitutus primus Chriſti Vicarius, & Papa.*

31 *Petrus non modò paſcendi, ſed etiam regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam poteſtatis amplitudinem habuiſſe diffinit Concilium Florentinum.*

32 *Papa ubi primum Canonicè eligitur à ſacro Collegio Cardinalium, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur.*

33 *Orbis major Urbe qualiter eſſe dicatur.*

34 *Hierarchia in Eccleſia Catholica divina ordinatione inſtituta eſt.*

35 *Monarchia præſtat inter omnia gubernationum genera.*

36 *Poteſtas omnis impatiens conſortis eſt.*

37 *Tyrannis oritur ſæpiùs ex principatu plurium, quàm ex principatu unius.*

38 *Eccleſia militans eſt exemplata divinitùs à triumphante.*

39 *Papa quam gerat perſonam in Eccleſia ex Bernardi ſententia.*

40 *Papæ primatus in Eccleſia oſtenditur ex pluribus ſummorum Pontificum, & ſanctorum Patrum teſtimoniis, & num. ſeqq.*

41 *Eccleſia Catholica non ab Apoſtolis, ſed à Chriſto primatum obtinuit, & num. ſeqq.*

42 *Papa cunctos judicaturus à nullo mortalium judicari poteſt, ſed cœlo tantùm debet innocentiam.*

43 *Hæreſes in Eccleſia undè exortæ.*

44 *Pii II. retractatio, & diffinitio de primatu Romani Pontificis in Concilium.*

45 *Abbas Panormitanus, & Ludovicus Romanus habiti in Concilio Baſileenſi tamquam duo orbis ſidera.*

46 *Papæ primatus in Concilium ab ipſiſmet Conciliis ſæpiùs declaratus.*
Marcellinus Papa à Concilio judicatus non fuit ob defectum juriſdictionis, ibid.

47 *Intellectus cap. Nemo, 9. quæſt.3.*

48 *Papæ ſententia prævalet ſententiæ totius mundi.*

49 *Abbas Panormitanus, & Ludovicus Romanus hoſtes acerrimi Pontificiæ dignitatis, & num. 56.*

50 *Florentini Concilii diffinitio de primatu Romani Pontificis in univerſum orbem.*

51 *Concilia Generalia quomodo Romani Pontificis ſuperioritatem agnoverint, & num. ſeqq.*

52 *Papæ authoritas in omnibus Conciliis patenter excipitur.*

53 *Confirmatio eſt manifeſtum ſignum ſuperioritatis, & num. ſeqq.*

54 *Statuta Papæ à Concilio non confirmantur, ſed approbantur, ſed ſtatuta Concilii confirmantur à Papa tamquam ſuperiore.*

55 *Papæ ſuperioritatem in Concilium qui authores ex Canoniſtis, & Theologis tueantur.*

56 *Abbas Archiepiſcopus Panormitanus in ſchiſmate Baſileenſi creatus fuit Cardinalis à Felice Antipapa.*

57 *Introducentibus in Concilium multitudinem Presbyterorum ob defectum Epiſcoporum liberè contradixit.*

58 *Cardinalis Zabarella quomodo ſe geſſerit erga Romani Pontificis authoritatem.*

59 *Appellatio eſt de minori ad ſuperiorem judicem provocatio.*

60 *Appellari poteſt à ſententia Concilii ad Papam, ſed non è converſo.*

61 *Appellari non poteſt à Papa ad tribunal Chriſti.*

62 *Appellantes à Romano Pontifice ad futurum Concilium, eorumque Conciliarii, & fautores incurrunt pœnam excommunicationis, & læſæ majeſtatis humanæ, & divinæ, ex Bulla Pii II.*

63 *Item declarantur ſchiſmatici, & hæretici, ex Bulla Julii II.*

64 *Concilium eſt judex in ſchiſmate, cùm duo, vel plures contendunt de Pontificatu, & num. ſeqq.*

65 *Concilium cognoſcit, quando electio Papæ non fuit canonica.*

66 *Item in caſu hæreſis formalis, non autem alterius criminis, etiam notorii & ſcandaloſi.*

67 *Correctionis fraternæ regula an ſit ſervanda cum ſummo Pontifice.*

68 *Papam incidere in crimen hæreſis, an ſit poſſibile.*

69 *Marcellinus peccavit contra fidei confeſſionem, ſed fidem non amiſit.*

70 *Papa ſi in hæreſim notoriè, & contumaciter laberetur, eo ipſo deſineret eſſe Papa.*
Caſus nullus reperitur, in quo Concilium habeat authoritatem in eum, qui certus ſit Pontifex, ibid.

71 *Papa etiam ſponte non poteſt ſe Concilio ſubjicere.*

72 *Deus ſolus poteſt facere, ut aliquis mortalium ſit major Apoſtolica, num.76.*

73 *Intellectus §. Hinc etiam, 17. diſt.*
Symmachus Papa à Concilio non fuit abſolutus, ſed dimiſſus, tàm ex capite innocentiæ, quàm ex defectu juriſdictionis, ibid.

74 *Intellectus cap. Nunc autem, 21. diſt.*
Sixtus etſi Concilio ſe ſponte ſubjecerit, tamen à Patribus ob defectum juriſdictionis judicatus non fuit, ibid.

75 *Intellectus cap. Nos ſi incompetenter, 2. quæſt.7.*
Leo Papa quomodo ſe ſubjecerit judicio Ludovici Imperatoris, ibid.

76 *Judex major quomodo poſſit ſe ſubjicere minori in juriſdictione contentioſa.*

77 *Clericus juriſdictionem judicis laici propagare non poteſt.*

78 Cle-

78 *Clericus non poteſt conſentire in ſuum non judicem etiam Eccleſiaſticum ſine proprii Epiſcopi licentia.*

79 *Regulares Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, nec tacitè, nec expreſsè poſſunt renunciare privilegio exemptionis.*

80 *Papa non poteſt alteri committere, ut ipſum excommunicet.*

1 S*Ignificaſti*. Electo in Archiepiſcopum Apoſtolica Sedes non tradit Pallium, niſi prius præſtet fidelitatis, & obedientiæ juramentum. Hoc dicit: Primò, ponit admirationem, quam confundit. Secundò, duplex adminiſtrantis motivum, cui reſpondet. Tertiò, concludit Jo: Andr.

2 Nota primò, ex illis verbis, *Reges, & regni majores*, poſſe in uno regno eſſe plures reges, *cap. Fertur* 1. *quæſt.* 1. *in ſupraſcriptione*. Alia tamen littera habet, *Regem*, & vide quod dicam infrà *num.*35. *& ſeqq.*

3 Secundò, nota ibi: *Ab Apocriſiariis noſtris*, Pallium tradi poſſe per Nuncium: nam Apocriſiarii ſunt Nuncii, ſeu Legati, ut hìc in gloſſ. prima, de quibus ſic legitur in ſexta actione Concilii Chalcedonenſis: In omnibus Synodis Apocriſiarii Apoſtolici decretas ſententias propter ſummam authoritatem ejuſdem Apoſtolici & Sedis confirmabant, & ſubſcribebant: quia aliter nullum robur habebant, ut poſt Iſid. *in lib. de Conciliis*, refert Turrecr. in *ſumma de Eccleſ. lib.*2. *cap.*100. *in princ.* & confert text. cum gloſſ. in *cap. convenientibus in ver. Apocriſiariis* 1. *qu.* 7. *& in auth. Quomod. oport. Epiſc.* §. *Si vero in propoſita*, ubi gloſſ. in *ver. Apocriſiarios, & in* §. *Reverendiſſimi de Sanctiſſ. Epiſc. in ver. Apocriſiariis.*

4 Tertiò, nota ex iiſdem verbis, juramentum exigi poſſe per alium, puta per Nuncium, vel Procuratorem, & illi videri juratum, cujus nomine juratur, concord. text. in *cap. Si diligenti infrà de præſcript. & in cap. Ea quæ de jurejur.* & in juramento fidelitatis probatur in *cap.* 1. §. *Verùm de ſtatu regul. in* 6. *& in Clem.* 1. *de jurejur.*

5 Quartò, nota in *verſ. Si conſcientiarum factor*, ex actibus Chriſti congruè argui ad noſtros, quia omnis actio Chriſti, noſtra eſt inſtructio, *cap. Deus* 2. *quæſt.* 1. *& cap. Qualiter, il* 2. *infrà de accuſ.*

6 Quintò, nota ex illis verbis: *Quorum conſcientias non videmus*, Papam non gerere vicem Dei in conſcientiis cognoſcendis, *c. unic. Ut Eccl. benef.* Addo *c. Sicut in fin. & in c. Tuanes de Simon. c. Humanæ* 22. *qu.* 5. *& cap. Erubeſcant* 32. *diſt.*

7 Sextò, nota ex *verb. Prælationem*, Pallii traditionem eſſe quendam Prælationem, quia per ipſum confertur plenitudo Pontificalis Officii, *cap. Niſi infrà de uſu Pallii.*

8 Septimò, nota ibi: *Pro fide*, licitum eſſe jurare pro fide, pro obedientia, & pro unitate. Adde alios plures caſus, ut in gloſſ. in *verb. Pro unitate.*

9 Ultimò, nota principaliter ex hac decretali, Romanum Pontificem eſſe ſupra Concilium, prout deducunt Hoſt. *num.* 11. Card. *num.* 5. *in* 10. *oppoſ.* Ancharan. *num.* 3. Bellamer. *num.* 1. & Abb. *num.* 3. *in* 7. *notab.* Quod efficaciter probat hæc littera. Primò, quia cum Reges, & regni majores mirati eſſent, quòd ſummus Pontifex in tranſmiſſione Pallii ad Archiepiſcopum Panormitanum exegiſſet ab eo juramentum fidelitatis, & motivum admirationis fuiſſet inter cætera, quòd in Conciliis non invenirentur ſtatutum, ut præſtari deberet hujuſmodi juramentum: Paſchalis hanc oppoſitionem confutat tamquam frivolam, ut ex ipſo modo loquendi apparet, ibi: *Ajunt in Conciliis ſtatutum non inveniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ le-*
10 *gem Concilia ulla præfixerint*, innuens hoc eſſe falſum, cùm omnia, &c. ut hìc per Hoſt. in *ver. Præfixerunt*. Undè, ut notat Abbas Antiq. *num.* 2. *in fin.* Concilia non conſtringunt Papam: & Abb. Panorm. *num.* 3. *Nota*, inquit, *quod Concilia generalia non ſunt ſupra Papam, undè non poſſunt ſtatuendo præfigere legem Papæ*, ſubdens hunc textum ſatis eſſe in hoc notabilem, & quotidie allegari, præſertim ubi diſputatur de potentia Papæ, & Concilii. At è converſo ſummus Pontifex benè conſtringit Concilium, cùm illius ſtatuta immutet, & corrigat, *cap. ſtatutum de reſcript. lib.* 6. ut hìc Jo: Andr. *num.* 10. Ad quod eſt gloſſ. notab. in *cap. Ubi periculum in ver. Concilio infrà eod. lib.* 6. ubi dicit æquum non eſſe, ut conſtitutio Conciliaris revocetur abſque requiſitione Concilii, ſed tamen de plenitudine poteſtatis Papam id facere poſſe, cùm ſit ſuper omnia Concilia, & allegat textum hìc, & dictum gloſſ. pluribus comprobat Turrecrem. in *ſumm. de Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 24. *& cap.*
44. Et propterea ſecundùm Joan. Andr. in *ver. robur num.* 9. 11
ſtandum eſt ſententiæ Papæ, ſi contradicat Eccleſiæ, vel Concilio, de hoc *cap. In iſtis* 4. *diſt. & cap. Sicut* 15. *diſt. cap. penult.* 19. *diſt. cap. Nemo* 9. *q.* 3. *& cap. Quodcumque* 24. *qu.* 1. & ſequuntur Butr. Card. Anchar. & alii proximè citati. Undè patet, ineptè Cardinalem in *cap. Inter cætera nu.* 2. *infrà de offic. ordin.* docuiſſe modum conſtringendi Papam per legem Conciliarem, nempè ſtatuendo, ut ligetur legibus Concilii, nec poſſit contravenire, loquitur enim contra expreſſam litteram hujus decretalis, & contra textum apertum in *cap. Innotuit, verſ. Quamvis autem Canon. Lateran. Concilii infr. eod.* ut notat Præpoſ. in *ſumm.* 15. *diſt. num.* 73. ad quod vide quod dixi in *cap.* 1. *à num.* 53. *infr. de pactis.*

Prævalet autem ſententia Summi Pontificis ſententiæ Concilii, etiam in materia dogmatum, ut probat S. Thomas in 2. 2. *qu.* 1. *art.* 10. & notant hìc Card. & Abb. Ad ejus enim authoritatem finaliter ſpectat determinare ea, quæ ſunt fidei, ad quem majores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, *cap. Multi* 17. *diſt. cap. Hæc eſt fides, cap. Eſt aliud, cap. Quotiens, & per totam* 24. *quæſt.* 1. *cap. Majores infrà de bapt.* S. Thom. *ubi ſuprà, & in opuſc. contra errores Græcorum*, & Silveſt. in *ver. Fides num.* 2.

Et propterea quod dicitur in geſtis primæ Synodi Epheſinæ, quòd perlecto Symbolo Nicænæ Synodi decrevit S. Synodus aliam fidem nulli licere ſub pœna anathematis proferre, vel conſcribere, vel componere, præter diffinitam à SS. Patribus, qui in Nicæna congregati ſunt cum Spiritu Sancto: quod etiam reiteratur in geſtis Chalcedonenſis Synodi, ſe extendit ad privatas tantùm perſonas, quarum non eſt determinare de fide, non autem ad ſummum Pontificem, qui propterea non prohibetur novam editionem ſymboli facere, non quidem aliam fidem continentem, ſed eamdem magis expoſitam, ut idem S. Thom. declarat *d. art.* 10. *ad* 2. *juncto argumento contrario.*

Nec habenda eſt ratio Bellam. & Præpoſ. qui contrarium 12
ſcripſerunt in *cap. Sicut* 15. *diſt.* ſentientes in ſpectantibus ad fidem prævalere ſententiam Concilii, ſiquidem moventur ex littera *d. cap. Sicut*, ibi: Quia dum univerſali conſenſu ſunt conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit abſolvere quos ligant, & ligare quos abſolvunt
circa articulos fidei. Sed hæc authoritas præterquam, 13
quòd non ſe extendit ad Pontificem Maximum, ut ſuprà proximè dictum eſt, ad ſummum probat, à quoquam immutari non poſſe articulos fidei ſemel in Generalibus Conciliis diffinitos: & ita etiam loquitur gloſſ. fin. ibid. licèt in alium ſenſum detorqueatur à Bellam. quia gloſſ. non dicit in diſcordia inter Papam, & Concilium prævalere ſententiam Concilii in materia fidei, hoc enim eſt falſum, ut ex dictis conſtat: ſed tantùm dicit Papam non poſſe ſtatuere contra articulos fidei, qui ſemel in Conciliis Oecumenicis ſunt diffiniti, quòd verum eſt, nam, ut ait Zoſimus Papa in *cap. Contra* 25. *quæſt.* 1. Contra ſtatuta Patrum, ideſt de articulis fidei, ut ibi exponit gloſſ. condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem ſedis poteſt authoritas. Sed hoc non provenit ex eo, quòd ſententia Concilii præponatur ſententia Papæ, ſed quia fides una eſt, & incommutabilis, ut inquiunt Leo, & Auguſtinus relati à Turrecrem. in *cap. Domino ſancto num.* 2. 50. *diſt.* & pluribus rationibus confirmat Cardinalis Alban. in *tract. de poteſtate Papæ, & Concilii par.* 2. *n.* 90. *& ſeqq. & nu.* 249. Ideòque quidquid ſemel fuit articulus fidei, ſemper fuit, & erit articulus fidei, ut dixit Archid. in *cap. Canones num.* 6. 15. *diſt.* & DD. in *cap. Cùm Chriſtus infrà de hæret.* Undè etiam fit, ut quamvis ſtatuta Papæ non ligent ſucceſſorem, quia par in parem, &c. *cap. Innotuit infrà eodem*, tamen quæ ſemel magiſtraliter, & ex Cathedra ab uno Pontifice ſunt diffinita, à ſucceſſore infringi non poſſunt: quia alioquin fides non eſſet una, & Sedes Apoſtolica, quod impium eſt aſſerere, in fide erraſſe convinceretur, ut dicit text. in *cap. Sunt quidam* 25. *qu.* 1. Ad idem *cap. Licet ex quadam de teſtib. cap. Lector* 34. *diſt. cap. Placuit, & cap. Subdiaconus* 77. *diſt.* & docet S. Thom. *quodlib.* 4. *art.* 13. & Turrecrem. in *d. cap. Sicut num.* 2. *& ſeq.* 15. *diſt.* & Card. Abb. *d. n.* 249. Si igitur Summus Pontifex conſtringit Concilium, ſed non conſtringitur ab ipſo, ut hìc deciditur, neceſſariò ſequitur, ut abſolutè ſit ſupra Concilium, quia poteſtas

teſtas ligandi, ſeu legem imponendi non poteſt eſſe niſi Su-
perioris, *cap.Solitæ*, *& cap.Cum inferior infra de major.&*
14 *obed.c.Inferior* 21.*diſt*.ibi: Nam non poſſe quemquam, qui
minoris authoritatis eſt, eum, qui majoris poteſtatis eſt,
judicis ſuis addicere, aut propriis diffinitionibus ſubjuga-
re. Et notat Ant.de Butr. in *c.Cum laicis num.*2. *de reb.Ec-
cleſ.non alien.*& Turrecrem.in *cap.Sancta Romana* 15.*diſt.*
15 Deindè hæc littera probat ſuperioritatem Papæ in Con-
cilium ratione illa, ex qua deducit Concilia non præfige-
re legem Papæ, videlicet, quia omnia Concilia per Ro-
manæ Eccleſiæ authoritatem facta ſunt, & robur accepe-
16 runt, concordat *cap.*1.*&* 2.*& per totam* 17.*diſt.*Undè Pe-
lagius II. ad Epiſcopos, qui convenerant ad Concilium
univerſale vocati à Joanne Patriarcha Conſtantinopolita-
no, *Epiſt.*1.*cap.*1.ſic ait: *Multis Apoſtolicis, & Canoni-
cis, atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſque
ſententia Romani Pontificis Concilium celebrari. Quapro-
pter recte non Concilium, ſed veſtrum conventiculum, vel
conciliabulum caſſatur, & quicquid in eo actum eſt, irritum
habetur, & vacuum*, refertur in *cap. Multis ead. diſt.* Et
verbum illud, *Sententia*, exponunt pro authoritate, &
conſenſu, Hugo, Archid.& Turrecrem.& verbum illud,
Caſſatur, exponunt, ideſt, ipſo jure caſſum eſt, & inuti-
le, vel dignum eſt caſſari de facto, ne idiotæ crederent
aliquid vigoris habere. Id quod pluribus ſanctorum Pa-
trum teſtimoniis, & authoritatibus confirmat, & ab ob-
jectis tuetur Cardin.Alban.in *eod.tract.de poteſtate Papæ*,
*& Concilii part.*2. *a num.* 188. *uſque ad num.*220.
17 Quod adeò verum eſt, ut etiamſi ab initio Concilium
fuerit authoritate Apoſtolica congregatum, tamen ſi po-
ſteà per Romanum Pontificem diſſolutum, aut aliò trans-
latum fuerit, ex eo tempore remaneat acephalum, & ſchiſ-
maticum, nec ſit ampliùs Concilium, ſed conciliabulum,
cap.Clericus 24.*quæſt.*3.*cap.Submittitur*, ibi: Alioquin ace-
phalum liquet eſſe Concilium 21.*diſt.* Et fuit diffinitum in
Concilio Lateranenſi noviſſimo ſub Leone X. *ſeſſ.*11. *tom.*
18 4. *Concilior. part.* 2. *pag.* 120. *col.* 2. Undè Julianus Cardi-
nal. S.Angeli, qui ab initio fuerat Apoſtolicæ Sedis Le-
gatus in Concilio Baſileenſi, poſt illius diſſolutionem,
ſeu translationem ab Eugenio factam, differens cum Ænea
Silvio, dicebat illud non Synodum Eccleſiæ, ſed ſatanæ,
& miniſtrorum ejus ſynagogam, ut refertur in conſtitu-
tione Pii II.de qua *infrà num.*44. Cujus quidem aſſertionis
evidens eſt ratio, quia corpus myſticum Eccleſiæ, & Con-
cilii, quandocumque præcidatur à capite, remanet ace-
phalum, *cap.Nulla ratione* 93.*diſt.*& notat Hoſtien.in *cap.
Cum non ignores num.* 7. *verſ. Sed tres perſonæ infrà de præ-
ben.* Ad quod conferunt aurea verba Cypriani in *tract. de
ſimplicit.Prælat.*relata in *cap.Loquitur Dominus* 24.*quæſt.*1.
Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego dico tibi, quia tu es
Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:
ſuper unum ædificat Eccleſiam.* Et infrà: *Epiſcopus unus
eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia una
eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis ex-
tenditur, quomodo Solis multi radii ſunt, ſed robur unum
tenaci fundatum radice. Et quomodo de fonte uno rivi plu-
rimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundan-
tis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avel-
le radium Solis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit.
Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A
fonte præcide rivum, præciſus areſcit. Sic & Eccleſia Do-
mini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, unum
tamen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſepa-
ratur. Ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis ex-
tendit, profluentes largiter rivos latius pandit, unum tamen
caput eſt, & origo una, & una mater fœcunditatis ſucceſſi-
19 bus copioſa.* Hæc Cyprianus. Si ergo, ut dicebamus, Con-
cilia omnia univerſalia non aliter congregantur, & fiunt,
quàm Romani Pontificis authoritate, & ab ipſo tantùm
accipiunt robur, ut hìc deciditur, neceſſariò hinc ſequi-
tur, ut Romanus Pontifex ſit ſupra Concilium: quia au-
thoritas non eſt niſi Superioris: ut hìc per Hoſt. in *ver.
Authoritas*, & cauſa principalis ſemper eſt potior effectu,
20 S.Thom. in 1. 2. *quæſt.* 66. *art.* 6. *ad*3. Nam propter quod
unumquodque tale, & illud magis tale, Authent. *Multò
magis*, & ibi Bald.*Cod. de Sacroſanct.Eccleſ.*
21 Nec refragatur §. *Hinc etiam* 17. *diſt.* 161. *Quia ejus Se-
di primum Petri Apoſtoli meritum, deinde ſecuta juſſione
Domini Conciliorum venerandorum authoritas ſingularem
in Eccleſiis addidit poteſtatem*: nam, ut ibi eſt adnota-
tum, Concilia propriè non dederunt primatum Romanæ
Eccleſiæ, ſed explicarunt datum à Domino, ut innuunt
illa verba, *Secuta juſſione Domini*: ab ipſo enim Romana
Eccleſia primatum habuit, & non à Conciliis, ut legitur
in *cap. Quamvis* 21. *diſt. & in cap. Omnes* 22.*diſt.* & notat
gloſ. *dict.* §. *Hinc etiam in ver. Juſſione Domini*, Petr. de
Monte in *ſua Monarchia Conciliorum in princip.* & Turre-
crem. in *ſumm.de Eccleſ. lib.*2. *cap.*38.
Non me latet quod refert Platina in *vita Joannis XXIII.* 22
citatus à Felin.in *c. Nonnulli num.*3. *verſ.Sed pro majorita-
te Papæ de reſcr.* videlicet fuiſſe deciſum in Concilio Con-
ſtantienſi, Concilium Generale legitimè congregatum ha-
bere ſtatim poteſtatem à Chriſto, quo fundamento poſito
Patres aſſerebant Pontificem Concilio ſubjici. Hic Ca-
non habetur inter acta Concilii Conſtantienſis *ſeſſ.*4. *&* 5.
tom. 3. *Concil. part.* 2. *pag.* 840. *&* 850. & repetitus fuit in
Concilio Baſileenſi *ſeſſ.*2.*tom.*4.*Concil.par.*1.*pag.*20. in hæc
verba: *Declarat, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto legiti-
mè congregata, Generale Concilium faciens, & Eccleſiam
militantem repræſentans, poteſtatem immediatè à Chriſto
habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam-
ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad
fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & ad generalem
reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.* Ve-
rum hunc Canonem, ex cujus verbis incredibile eſt quan-
ta ſit exorta perturbatio in Eccleſia, & quàm multi co-
nati ſint ſupremi Capitis imminuere authoritatem, multis
argumentis probat fuiſſe irritum, ac nullum ex defectu
poteſtatis, Cardin. Alban. *de poteſtate Papæ, & Concil.
part.*1. *num.*82.*cum pluribus ſeqq. & præſertim num.*121. *&
ſeqq.* & ante eum Cardin. Turrecrem. qui ponit multa no- 23
tatu digna contra validitatem illius Canonis in *ſumm. de
Eccleſ.lib.*2. *cap.*99. & Cardin.Jacobat.in *tract. de Concilio
lib.*5. *pag.* 304. Et idcircò Martinus V. confirmavit ea tan-
tùm decreta Conſtantienſis Concilii, quæ ad fidem perti-
nent, ut legitur in 45.*& ult.ſeſſ. verſ.Quibus ſic factis tom.*
3.*Concilior.part.*2. *pag.*944. *col.*1. Ex quo ſequitur, ut alia
omnia in ſua permanſerint infirmitate, argum. *cap. Non-
nè de præſumpt.& leg.Cum Prætor, ff.de judic.*Card.Alban.
*ubi ſuprà num.*248.
Præterea dici poteſt, Concilium Conſtantienſe idcircò 24
declaraſſe ſe immediatè habere poteſtatem à Deo, quia
cùm nullus tunc eſſet certus Pontifex, & ob illud ſchiſma
Eccleſiæ maximum periculum immineret, & res omninò
moram non pateretur, Pontificia poteſtas erat caſu ad
Concilium devoluta, atque ideò illa poteſtas à Deo de-
pendebat, ut declarat Card. Alban. *d. part.*2. *num.*47. poſt
Turrecrem.in *ſumm.de Eccleſ.lib.*2. *cap.*99.
Nec refert, quòd idem decretum fuerit poſteà ad litte- 25
ram repetitum in Concilio Baſileenſi *ſeſſ.* 2. ante illius diſ-
ſolutionem, ſiquidem poſteà Leo X. in Concilio Latera-
nenſi *ſeſſ.* 11. dum caſſavit pragmaticam ſanctionem edi-
tam in Concilio Baſileenſi, dixit illud fuiſſe conciliabulum,
ſeu potius conventiculum, quæ præſertim poſt translatio-
nem Concilium ampliùs appellari non merebatur. Quæ 26
verba ſatis clarè innuunt Concilium Baſileenſe, etiam an-
te translationem, ſaltem in aliquibus non fuiſſe legiti-
mum, ponderando dictionem illam, *Præſertim*, de cujus
natura eſt implicare caſum magis dubitabilem, & expri-
mere caſum minùs dubitabilem, & denotare identitatem
etiam in caſu contrario non expreſſo, *leg.*3.juncta gloſſ.in
*verb.Præſertim, ff.de liber.homin.*gloſſ.in *cap.Continebatur
in verb. Præſertim infrà de deſpon. impuber.* Quintil. Man-
doſ.poſt alios, quos citat in *reg.de ſubrog. collitig.qu.*6. *n.*2.
Præterquam quòd cùm Felix V. Antipapa ſchiſmaticus 27
ad unitatem, & concordiam Eccleſiæ componendam hor-
tatu Friderici III. Imperatoris pſeudopontificatum reſi-
gnaſſet, actaque Baſileenſi conciliabuli ſuo ipſius judicio
quaſi improbaſſet, Nicolaus V. pacis gratia approbavit
eas conſtitutiones, quæ de beneficiis Eccleſiaſticis editæ,
ac promulgatæ fuerunt, reliqua omnia, quæ aliorum
Conciliorum decretis, & conſtitutionibus non ſunt diffi-
nita, rejecit, & improbavit. ut Bulla, quæ incipit: *Ut
pacis*, edita Spoleti 1449.14. Kal.Julii, quæ habetur inter
acta Concilii Baſileenſis *tom.*4.*Concil.part.*1. *pag.*196. Ra-
tiones autem, cur hæc Synodus etiam ante diſſolutionem

ex parte fuerit reprobata, recenſentur *eod. tom. pag.* 406. & latiùs à Turrecrem. in *ſumm. de Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 100.

28 Sed præter rationes à poſteriori, quæ ex hac decretali colliguntur, Romani Pontificis primatus in Concilium nititur principiis juris naturalis, & divini, adeòut contrarium aſſerere ſit error in fide. Nam divina providentia, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum quæ creavit, non eſt putanda inordinatam reliquiſſe militantem Eccleſiam, *cap. Miramur* 16. *diſt. cap. Ad hoc*, & ibi Turrecrem. 89. *diſt.* quæ cùm ſit ſponſa Chriſti dilecta, *Clem.* 1. *de Summ. Trinit. & fid. Cathol.* Concil. Trid. *cap.* 1. *de ſacrif. Miſſ. ſeſſ.* 22. profectò à Deo eſt, & ordinem habet, dicente

29 Apoſtolo ad Rom. 12. *Quæ à Deo ſunt ordinata, confuſa eſſe non poſſunt.* Requirit autem ordo, ut inferiora à ſuperioribus gubernentur, *cap. Inferior* 21. *diſt. cap. Cùm inferior infrà de major. & obed. Clem. Ne Romani de elect.* S. Thom. in *opuſc.* 3. *c.* 149. & ad unum tandem deveniatur tamquam Principem, & moderatorem cunctorum, quæ infrà ſe ſunt, *cap. Legimus circa med. verſ. Quod autem poſteà unus electus eſt* 93. *diſt.* gloſſ. in *cap. Licet, il* 2. *in ver. Ad concordiam* 45. *diſt.* Ordo enim poteſtatum eſt, ut ad unum redigantur, ut inquit Præpoſ. in *cap. In Apibus in princip.* 7. *qu.* 1. quod dilucidè explicat gloſſ. in *Clem. fin. in ver. Eccleſiæ de hæret.* poſt D. Thom. in 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 1. *Quia ſicut operationes rerum naturalium procedunt ex naturalibus potentiis, ita operationes humanæ procedunt ex humana voluntate. Oportuit autem in naturalibus, ut ſuperiora moverent inferiora ad ſuas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatæ divinitùs: ſic oportet in rebus humanis, ut ſuperiores moveant inferiores per ſuam voluntatem ex vi voluntatis divinitùs ordinatæ. Iſtorum autem moventium unus eſt ſupremus. Omnes igitur ſunt ſubjecti motioni illius.* Hæc gloſſ. Quod latiùs proſequitur Turrecr. in *Summ. de Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 2. Itaque ſicut in apibus Princeps unus eſt, & grues unam ſequuntur *d. cap. In apibus* 7. *qu.* 1. ita & in Eccleſia militante unus eſt omnium moderator, & arbiter, à quo tamquam capite omnis in ſubjecta membra poteſtas, & authoritas derivatur, quę à Chriſto Domino ſine medio in ipſum influit, *c. Quamvis* 21. *diſt. c. Omnes* 22. *diſt. cap. Fundamenta infr. eod. lib.* 6.

30 Hanc autem ſupremam authoritatem certè non in alium, tamquam ſui exercitus ducem, Chriſtus principaliter derivavit, quàm in ſuum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commiſſam novimus Dominici gregis curam, *c. In novo* 21. *diſt.* & habetur hìc in text. & latè probat Turrecrem. in *Summ. de Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 15. Nec duos, pluresve Petros Evangeliſtæ commemorant, nec duos aut plures inſtituit Dominus, qui ſuum locum tamquam capita tenerent æqualia, ſed unum conſtituit ut verticem, ac ducem, & Paſtorem univerſi gregis, Simonem Petrum, cui ſoli Matth. 16. dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, cap. Ita Dominus* 19. *diſt. d. cap. Quamvis* 21. *diſt. cap. Sacroſancta* 22. *diſt. cap. Solitæ de major. & obed.* Extravagans *Unam ſanctam eod. tit.* Neque enim dixit, & non fecit, qui ſolus eſt verax, *Joan.* 14. *cap. Si conſuetudinem, & cap. Qui contempta* 8. *diſt.*

31 Implevit autem promiſſa, cùm poſt reſurrectionem dixit eidem Petro: *Paſce oves meas, Joann.* 21. quibus verbis eum creavit Papam, & Vicarium ſuum, ut hæc notant DD. & præcipuè Abb. & Dec. in 3. *not.* & fuſiùs Turrerem. in *Summ. de Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 29. eique non modò paſcendi, ſed etiam regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam poteſtatis amplitudinem attribuit, ut Patres tàm Græci, quàm Latini in Concilio Florentino ſolemniter deffinierunt, ſicut interiùs patebit *num.* 50. Quæ verba nulli alteri ſeorſim dicta leguntur, niſi Petro: ut in Petro, qui ſolus pro Domino in periculo conſtituto exemit gladium, unitas, & ſumma contineretur authoritas.

Præterea uni Petro dictum eſt *Joan.* 21. *Tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur caput, ut ait Anacletus in *cap. Sacroſancta* 22. *diſt.* & notat Turrecr. in *cap. Non autem nu.* 5. *verſ. Quarto* 7. *qu.* 1. Nec alius à petra dictus eſt Petrus, niſi Simon: ut intelligeremus unicum eſſe veræ ſolidæ petræ, ideſt, Chriſti, ut Paulus exponit, locumtenentem Simonem Petrum, ſic fundans Eccleſiam non in loco, ſed in perſona Petri, *cap. Qui Cathedram* 93. *diſt.* gloſſ. in Extravag. *Execrabilis Joann. XXII. in ver. Romanæ Eccleſ.*

Rurſus Ambroſius ait: *Et ſi aliis imperatur, ut laxarent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur: Duc in altum, Matth.* 16. *hoc eſt, in profundum diſputationum.* Item, ut Bernardus inquit, *lib.* 2. *de conſid. cap.* 9. *Diſcipuli navigabant, & Dominus apparebat in littore: ſciens Petrus, quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum aliis navigio pervenientibus.* Quid iſtud? nempè ſignum ſingularis Pontificii Petri, per quod non navem unam, ut cæteri quique ſuam; ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt, naves, Eccleſiæ. Demum uni Petro dicitur Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Undè ſoli Petro tributam fuiſſe poteſtatem deffiniendi cum judicio infallibili, fusè Deo dante probabimus in *cap. Majores, infrà de Bapt.*

Itaque Petrus, & ſucceſſores ejus Romani Pontifices 32 primatum in Eccleſia tenuerunt, & quamprimùm quiſque canonicè electus eſt à Sacro Collegio, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur, & per ordinem in omnem diffundit Eccleſiam, *cap. Quamvis* 21. *diſt. & cap. Licet de vitanda, infrà eod.* Nam Eccleſia Romana inſtituit quidem omnes Eccleſias, ſive Patriarchales, ſive primitiales, ſive Archiepiſcopales, ſive Epiſcopales, & omnes Prælatos, ſed ipſam ille ſolus fundavit, & ſupra firmam petram fidei mox naſcentis erexit, qui Petro æternæ vitæ Clavigero terreni ſimul, ac cœleſtis imperii jura commiſit, ut legitur in *cap. Omnes*, 22. *diſt.* & notat gloſſ. & DD. in §. *Hinc etiam* 11. *diſt.*

Nec refert, quòd Orbis major ſit Urbe, ut dicit Hiero- 33 nymus in *cap. Legimus*, 93. *diſt.* ſiquidem ſalva reverentia gloſſatoris, Hieronymus, ut clarè colligitur tàm ex epiſtola, quam ad Evandrum ſcribit, quàm etiam ex gloſſa ibi, non loquitur de authoritate poteſtatis, ſeu juriſdictionis Orbis reſpectu Eccleſiæ Romanæ, ſed de authoritate conſuetudinis, quæ tantò majoris authoritatis eſſe dicitur, quantò generalior eſt, ſicut de Canonicis ſcripturis dicit Auguſtinus in *cap. In Canonicis*, 19. *diſt.* ſecundùm quam regulam non eſt dubium, quin conſuetudo Orbis major ſit, quàm conſuetudo Urbis, ut declarat Turrecrem. in *cap. Sicut num.* 10. *ver. Ad quintam, & in cap. ſeq. num.* 4. *verſ. Ad primam*, 15. *diſt.*

Eſt igitur Eccleſia ut caſtrorum acies ordinata, ut in *c.* 4. 34 *de Sacram. Ordin. ſeſſ.* 23. *Concil. Trident.* Adeòut *ſi quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, anathema ſit, can.* 6. *ejuſdem ſeſſ.* Et 35 cùm Deus voluerit eandem Eccleſiam, quam fundavit ſanguine ſuo, uſque ad finem mundi perdurare, Matth. ult. *cap. Videntes* 12. *quæſt.* 1. fateri oportet in ea id regimen inſtitutum fuiſſe, quod optimum cenſetur, ut poſt S. Thomam in 4. *contra Gentes*, tradit Turrecrem. in *Summ. in Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 2. At verò inter genera gubernationum communis omnium ſententia eſt præſtare Monarchiam, de quo eſt text. not. in *leg.* 2. §. *noviſſimè*, & ibi omnes not. *ff. de origin. jur.* & docet Ariſtoteles in 3. *&* 8. *Ethic. & in* 3. *Politic.* S. Thom. in *prima part. quæſt.* 103. *art.* 3. *& in* 2. 2. *quæſt.* 50. *art.* 1. *ad* 2. Præpoſ. in his terminis in *Summ.* 15. *diſt. num.* 7. & Turrecr. *loco cit.* Bart. in *ſuo tract. de Regim. civit.* Bald. in 1. *conſtit. Horum, col.* 2. *verſ. Item conſuetudo dominorum.* Ægid. de Roman. in *tract. de Regim. Principum*, Boer. in *tr. de cuſtod. Clavium num.* 53. ubi teſtatur ita omnes teneere. Undè Ariſtoteles 12. *Metaph. in fin. Entia*, inquit, *nolunt malè gubernari, non eſt bonum pluralitas principatuum, unus ergo Princeps*, & Auguſt. in *lib. de nupt. & concupiſcen. Principatus magis naturalis unius in plures, quàm in unum* 36 *poteſt eſſe multorum.* Et idem Auguſt. in *cap. Quod autem* 23. *quæſt.* 7. *Natura principiorum amat ſingularitatem, & omnis poteſtas impatiens conſortis eſt.* Hinc S. Thom. *opuſc.* 20. 37 *c.* 5. docet, *tyrrannidem ſæpiùs oriri ex principatu plurium, quàm ex principatu unius*, & Hieron. in *c. In Apibus* 7. *qu.* 1. *Roma*, inquit, *ut condita eſt, duos fratres ſimul habere Reges non potuit, & parricidio, dedicatur.* In Rebeccę utero Eſau & Jacob bella geſſerunt, *Geneſ.* 25. *&* 26. *cap.* 1. 79. *diſt.* Et Roboam & Jeroboam regnum Judæ & Iſrael in malum eorum diviſerunt 3. *Regum* 12. Et proptereà Romani quamvis ejectis Regibus duos annuos Conſules Tribunis adjecerint, & alios Magiſtratus invenerint, in adverſis tamen caſibus, & gravioribus bellis unum conſtituerunt Dictatorem, cujus

cujus dicto non liceret adve[illegible], & [illegible] dictatura etſi ab initio temporalis, tamen in Julio & ſucceſſoribus ejus perpetua effecta eſt. Nec unquam Romana res admirabilior, aut celſior fuit, quam ſub Auguſto Cæſare, quando univerſus Orbis unius ditioni parebat, *Luc.*2. quo tempore natus mundi Salvator Monarchicum regimen cæteris prætuliſſe videtur gubernationibus. Ad hoc *c.Fundamenta*, §.*Ne autem infr. cod.lib.6.* & quod not.Bald.in *procem. Decretal.nu.*2. Idipſum aſtruit totius ferè Orbis conſuetudo, cujus maximam partem gubernant Reges, ſive Chriſtianos intueamur, ſive Barbaros, & civitates aliquot, quæ ſe liberas profitentur, non poſſunt tamen effugere quin unum præſeferant aliis, eique tamquam Capiti pro tempore obediant. Facit text.in *c. Quoniam in pleriſque de offic.ordin. in c.Duo iſta 23.q.4.& in leg.Si plures*, §.*Quod in tutoribus*, ibi: *Sanè cùm facilius unus tutor, ff.de admin.tutor.* ubi gloſſ. illud tritum recenſet: *Segnius expediunt commiſſa negotia plures.*

Quinimò in Eccleſia ipſa triumphante, quamvis & Angelorum diverſi ſint ordines, & ſanctorum Spirituum Chori, unus eſt tamen omnium Rex æternus Deus, *Apoc.*21. *cap.Principum*, §.*Omnis lapis de pœnit. diſt.*2. qui propterea ad Eccleſiæ formam triumphantis Eccleſiam ſuam militantem inſtituit, *cap. Ad hoc 89.diſt. cap.Fundamenta infra de elect.lib.6.* Undè Dionyſius in *cap.6. Eccleſ. Hierarchiæ*: *Noſtra enim*, inquit, *Hierarchia à Deo traditis ordinibus ſanctè diſpoſita, ſanctis & cœleſtibus Hierarchiis conformis eſt.* Quod optimè explicat gloſſ. in *Clem. fin. in verb. Eccleſia de hæret.* in hæc verba: *Etenim Eccleſia examplata divinitus a triumphante, dicente Joanne in Apocal.21. in princip.Vidi Jeruſalem ſanctam novam deſcendentem de cœlo, & Moyſi dictum eſt Exod. 25. ut omnia faceret ſecundùm exemplar ſibi monſtratum in Monte. Cùm igitur in Eccleſia triumphante ſit unus Princeps ſupremus, cujus obedientiæ tota ipſa Eccleſia perfectiſſime eſt ſubjecta, ſcilicet Deus, neceſſario ſequitur toti militanti unum ſupremum Principem præſidere, ſcilicet Papam, cujus præceptis omnes obedire tenentur: & hoc eſt de neceſſitate ſalutis, ut in extrav. Bonifacii, Unam ſanctam, & fortius in iis, qui ſunt perfecti 22. quæſt. 2. cap. Ne quis. Inde prædictum fuit Oſee 1. Congregabuntur filii Iſrael pariter, & ponent ſibi Caput unum, & Joann. 16. Fiet unum ovile, & unus Paſtor, de Baptiſ. cap.Licet, & infrà de ſentent. excomm. cap. 1. cum concord.* Hactenus gloſſ. Quo argumento ad oſtendendam Pontificis Maximi ſuperioritatem in Concilium utitur etiam Turrecrem. in *cap. Non autem num. 5. verſ.Tertiò idem oſtenditur 7.quæſt.1.& in Summ.de Eccleſ. lib.2. cap.1.& 2.* & Præpoſ.in *Summ.15. diſt. num.7.* Quinimò & Pius II. *in conſtit.inferius referenda.*

39 Unum ergo in Eccleſia eſt Caput, & unus Princeps, quia pax populi ex uno rectore dependet, pluralitas Principum diſcordiam parit *d.cap.In Apibus 7.qu.1.* Undè pacis author dedit Eccleſiæ ſuæ regimen pacis amicum, ideſt, Monarchicum, ſub B. Petro, & ſucceſſoribus ejus adminiſtrari cuncta præcipiens clavibus illis commiſſis, & cura gregis demandata. Sicut etiam in veteri Teſtamento unus fuit in regimine paradiſi, ſcilicet Adam, *Geneſ.*2. unus in regimine arcæ, ſcilicet Noe, unus in ducatu filiorum Iſrael, ideſt, Myſes, unus Joſue poſt eum, unus Sacerdos in Tabernaculo, ideſt, Aaron, unus David, unus Salomon, &c. Undè Bernardus *de conſiderat. ad Eugenium III. lib. 2. cap. 9. Indagemus*, inquit, *adhuc diligentius quis ſis, quàm geras videlicet perſonam in Eccleſia Dei: Tu es Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, tu gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui Claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt & alii quidem Janitores, & gregum Paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius utrumque præ illis nomen hæreditaſti: Habent illi aſſignatos ſibi greges ſinguli ſingulos, tibi univerſos credidit, uni unus, nec modo ovium, ſed & Paſtorum, tu unus omnium Paſtor.* Hæc Bernardus.

40 Accedunt prædictis quamplures Summorum Pontificum, & ſanctorum Patrum diffinitiones, & inter cæteras *Deuteron.17. Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, & judicium intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Quam authoritatem exponens Innocens III. in *cap.Per venerabilem*, §.*Rationibus infrà, qui filii ſint leg. Sanè*, inquit, *cùm Deuteronomium lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in novo teſtamento debeat obſervari. Locus enim quem elegit Dominus, Apoſtolica Sedes eſſe cognoſcitur.* Et infrà: *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis fratres noſtri, qui nobis jure Levitico in executione Sacerdotalis officii coadjutores exiſtunt. Is verò ſuper eos Sacerdos, ſive Judex exiſtit, cui Dominus inquit in Petro: Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. Ejus Vicarius, qui eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, conſtitutus a Deo Judex vivorum, & mortuorum.* Et infra: *Cujus ſententiam qui ſuperbiens contempſerit obſervare, mori præcipitur, ideſt, per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione fidelium ſeparari.*

Anacletus à Petro Apoſtolo presbyter ordinatus in *cap.* 41
Sacroſancta 22. diſt. Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit, ſicut ipſe beato Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & reliqua. Ergo hæc Apoſtolica Sedes à Domino, & non ab alio eſt conſtituta, & ſicut cardine oſtium regitur, ſic hujus Sanctæ Sedis authoritate omnes Eccleſiæ Domino diſponente reguntur.

Zephyrinus in *cap. Ad Romanam 2. quæſt.6. Judicia Epiſcoporum, majoreſque Eccleſiæ cauſæ, à Sede Apoſtolica, & non ab alia ſunt terminandæ, quia licèt in alios transferantur Epiſcopos, beato tamen Apoſtolo Petro dictum eſt: Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.*

Antherus in *cap.Facta ſubditorum 9. quæſt. 3. Facta ſub-* 42
ditorum judicantur à nobis, noſtra verò judicat Deus.

Gelaſius in *cap.Cuncta per mundum, ead.cau.& q.Cuncta per mundum novit Eccleſia, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de omni mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus.* Et infrà: *Apoſtolica Sedes ſine ulla Synodo præcedente & ſolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem: & hoc nimirum pro ſuo principatu, quem B.Petrus Apoſtolus Domini voce & tenuit ſemper, & retinebit*: quod ipſum habetur in Canone præcedenti ex eodem Gelaſio ad Fauſtum legatum.

Symmachus in *c. Aliorum 9.qu.3. Aliorum hominum cauſas Deus voluit homines terminare, ſed Sedis iſtius Præſulis ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio. Voluit B.Petri ſucceſſores cœlo tantùm debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam.*

Vigilius ad Eutherum *can. 1. Licet omnium Apoſtolorum par eſſet electio, B.Petro tamen conceſſum eſt, ut cæteris præemineret. Undè & Cephas vocatur, quia Caput & primus eſt omnium Apoſtolorum. Quamobrem ſancta Romana Eccleſia primatum tenet omnium Eccleſiarum, ad quam tàm ſancta Epiſcoporum negotia, querelæ atque ludibria, quàm & majores Eccleſiarum quæſtiones quaſi ad Caput ſemper referendæ ſunt.* Et idem Vigilius in *cap. Qui ſe ſcit 2. quæſt.6. Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem vocatæ ſint ſolicitudinis, non in plenitudinis poteſtatis.*

Gregorius omnibus Epiſcopis per diverſas Provincias conſtitutis: *Quia cunctarum diſpoſitione divina Eccleſiarum curam gerimus, mandamus, ut nihil priùs de eo, quòd ad ſinum Sanctæ Romanæ confugit Eccleſiæ, ejuſque implorat auxilium, decernatur, quàm ab ejuſdem Eccleſiæ præceptum fuerit authoritate, quæ vices ſuas ita aliis impartivit, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudine poteſtatis*, refertur in *cap. Decreto eod. cauſ. & quæſt.* Ad idem *cap.Præceptis 12.diſt. cap.Quamvis, cap.Multum, & cap. Dudum 3.quæſt.6.*

Nicolaus in *cap. Nemini 17. qu. 4. Nemini licitum eſt de Sedis*

Sedis Apoſtolicæ judicio judicari, aut illius ſententiam retractare permiſſum, videlicet propter Romanæ Eccleſiæ primatum, Chriſti munere in Petro Apoſtolo divinitus collatum.

Bonifacius Martyr *in c. Si Papa 40. diſt. Si Papa ſuæ, & fraternæ ſalutis negligens deprehenditur inutilis, & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper a bono taciturnus, quod magis officit ſibi, & omnibus; nihilominus innumerabiles populos catervatim ſecum ducit primo mancipio gehennæ cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturus hujus culpas iſtic redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe judicaturus à nemine eſt judicandus.*

43 Cyprianus *epiſt. 3. ad S. Cornelium Romanum Pontificem: Neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum Collegium quidquam moveret: nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, Judicem ſe non jam Epiſcopi, ſed Dei faceret.* Et plura ſanctorum Patrum teſtimonia, videlicet Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Cyrilli, Chryſoſtomi, & aliorum adducit Turrecr. *in Summ. de Eccl. libr. 2. fere per tot.* & præcipuè *c. 15. c. 36. & ſeqq.*

44 Demum Pius II. Romani Pontificis primatum in Concilium apertiùs diffinit in Conſtitutione, quæ incipit, *In minoribus agentes,* edita *6 kalend. Maji 1463. in Bull. to. 1. p.*
45 *322.* Cùm enim (ut in ea refertur) Baſileenſe Concilium adiviſſent duo viri ex Italia Nicolaus Panormitanus Archiepiſcopus, & Ludovicus Pontanus Alphonſi Magni Regis Oratores, qui velut duo orbis ſidera, & Pontificii Juris, & totius Civilis Sapientiæ duo præcipua lumina, & clariſſima cenſebantur, iique unà cum Cardinalibus Eugen. IV. infenſis, ore, ſcriptoque Concilii geſta extollerent, ut nullus auderet dicta eorum refellere; ipſe quoque Pius, tunc Æneas Silvius, in minoribus agens multa deceptus ſcripſit de Concilii authoritate adverſus Primatum Roman. Pontificis, quę ſcilicet audivit, & didicit ab his magiſtri in Schola Baſileenſis Concilii. Sed poſteà cum depoſito Eugenio, & creato Amadeo, qui Felix appellatus eſt, vidiſſet Felicem à Rege Romanorum non recipi, & cognoviſſet Eugenium falsò de multis accuſatum, & Card. qui Baſileam venerant, ob privatas inimicitias, bono & ſancto viro notam inurere voluiſſe, ſed tamen cunctos poſteà ad eum rediiſſe, & veniam errati petiiſſe; quin & Card. S. Angeli, qui partes itidem Concilii tutatus fuerat, mutatum in melius authoritatem Pontificiam defendere: tandem ipſe quoque Æneas lucem veritatis agnovit, & Baſileenſe dogma rejecit; ac demum ad Pontificatum evectus prædictam edidit Conſtitutionem, in qua errorem ſuum humiliter & ingenuè reprobavit, & ſcripta reſpuit, docuitque firmiter tenendum eſſe authoritatem Pontificiam eſſe ſupra Concilium.

46 Quid plura? Concilia ipſa hoc idem ſæpius declararunt: *Nam in c. Nunc autem 21. diſt.* refertur à *Nicolao exemplum Marcellini, qui cùm in Concilio confeſſus fuiſſet ſe à Paganis compulſum, ut in eorum templum ingreſſus grana thuris ſuper prunas imponeret, nullus Epiſcoporum proferre ſententiam in eum auſus eſt ſed dixerunt omnes: Tuo ore judica cauſam tuam non noſtro judicio, ſed collige in ſinu tuo cauſam tuam.* Et rurſus: *Quoniam,* inquiunt, *ex te juſtificaberis, aut ore tuo condemnaberis.* Et iterum dicunt: *Prima Sedes non judicabitur a quoquam.* Atque ita Patres abſtinuerunt à judicio, agnoſcentes defectum juriſdictionis. Concil. hoc habitum fuit in civitate Sinueſſana à trecentis Epiſcopis, uſque acta ſuper hoc, & reſponſio Patrum habentur *tom. 1. Concil. General. & Provinc. p. 1. p. 182. & ſeqq.*

47 Præterea in Generali Synodo Romana, cui præfuit B. Silveſter, ſic legitur: *Nemo judicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes a prima Sede juſtitiam deſiderant temperari. Neque enim ab Auguſto, neque ab omni Clero neque à Rege, neque a populo Judex judicabitur.* Qui Canoni licèt in vetuſtis Gratiani exemplaribus citetur Innocentio habetur tamen in eodem Concilio Romano *c. 20.* Illudque notatu dignum eſt, quòd ipſi Canoni in ſpecie ſubſcripſerunt ducenti octuaginta quatuor Epiſcopi quadraginta quinque Presbyteri, & duo Diaconi, & Auguſtus Conſtantinus, & mater ejus Helena, ut habetur *eod. tom. 1. Conciliorum p. 1.*
48 *pag. 260.* Refertur totidem ferè verbis *in c. Nemo 9. qu. 3.* ubi gloſſ. ex illis verbis, *Ab omni Clero,* deducit Papam non poſſe a Concilio judicari, & allegat hanc decretalem, additque, quòd ſi totus mundus ſententiaret in aliquo negotio contra Papam, ſententiæ Papæ ſtandum eſſet, per *c. Hæc eſt fides 24. q. 1.* quam gloſſam ſequuntur Bellam. Turrecr. & reliqui Canoniſtæ. Et eadem verbi, *Ab omni Clero,* de univerſali Eccleſia eſſe neceſſariò intelligenda, & ſic etiam de Concilio univerſalem Eccleſiam repræſentante multis argumentis comprobat ibi Turrecr. *n. 2.* & Alban. *de poteſtate Papæ par. 1. num. 89.* & fatentur duo hoſtes acerrimi Pontificiæ dignitatis, nempè Ludovicus Romanus *in conſilio ſuo 523.* & Abb. *in tract. de Concil. Baſileenſi* 49
nondum excluſo col. 2. Item in Capitulis Nicæni Concilii I. Oecumenici per Theſilonem, & Theoriſtam Conſtantinopolitanum de Græco in Latinum verſis *can. 39.* ſic legitur *Ille qui tenet Sedem Romæ, Caput eſt, & Princeps omnium Patriarcharum; quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, ut qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam Chriſtianam; & quicumque contradixerit à Synodo excommunicatur.* Refertur ab Alphonſo Piſano *lib. 3. de Conc. Nicœni decretis eod. to. 1. Concil. p. 1. pag. 327. col. 1.* Si Papa eſt ſuper cunctam Eccleſiam Chriſtianam, ergo, & ſuper Concil. quod cunctam Eccleſiam Chriſtianam repræſentat.

Item in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. poſt *ſeſſ. 25. to. 4. Concil. par. 1. pag. 606.* ſic legitur: *Diffinimus ſanctam* 50
Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur. Hæc ibi. Cui diffinitioni ſubſcripſerunt etiam Imperator Græcorum, & Patres tàm Græci, quàm Latini. Rurſus in Concilio Lateranenſi noviſſimo ſub Leone X. *ſeſſ. 11. tom. 4. Concilior. p. 2. pag. 120. ſolum Roman. Pontificem pro tempore exiſtentem tamquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex S. Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.*

Ampliùs, Concilia ipſa dupliciter agnoverunt ſe inferiora eſſe Romano Pontifice. Primò, quia in ſtatutis univerſa- 51
lium Conciliorum ipſius Pontificis patenter excipitur authoritas, ut dicitur hìc in text. in verſ. *Cum omnia.* Et concordant *c. Dudum, & c. Peregrina 3. q. 6. c. 21. ſeſſ. 25. de re-* 52
form. Conc. Trid. Authoritas autem non excipitur niſi Superioris, *c. Venientes inf. de jurejur. & d. c. Dudum.*

Deindè, quia Patres conſueverunt petere, & obtinere Conc. confirmationem à Summo Pontifiee, *c. Multis, & c. Concilia 17. diſt.* Sicuti in ſpecie fecerunt Patres Concilii Picæni, Calcedonenſ. & Conſtantienſ. & Trid. Idque pluribus aliis exemplis, item rationibus, & authoritatibus confirmat Turrecr. *in c. S. Romana n. 4. 15. diſt.* & dixi *in c. 1. n. 47. verſ. Secundo Conclia omnia inf. de pactis.* Confirmatio autem eſt evidens ſignum ſuperioritatis, ut per Bald. *in l. fin. n. 4. verſ. Ulterius nota, C. de legib.* ubi ait: *Nihil eſt majus, ſive ſanctius imperio, intellige, niſi Apoſtolat. B. Petri, cum enim Apoſtolic. confirmet Principem, iſtud eſt manifeſtum ſignum ſuperioritatis, ut in auth. de defen. civ. §. Interim.* Hæc Bald. quem ad propoſitum primatus Papæ in Concil. adducit Felin. *c. 1. in fin. verſ. Pro dicto Abbatis infr. de treg. & Pac.* & Card. Alban. *in tract. de poteſt. Papæ par. 1. nu. 88. Qui propterea hinc deducit ipſamet Concilia, dum confirmationem petierunt, ſe Romano Pontifice inferiora declaraſſe. Quod ſatis etiam conſtat ex Bulla Pii IV. confirmationis Concilii Tridentini,* quæ incipit, *Benedictus Deus;* ibi: *Cum autem ipſa Synod. pro ſua erga Sedem Apoſtolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum veſtigiis inhærens decretorum ſuorum omnium confirmationem à nobis petierit.* Et infr. ibi: *Cujus authoritatem etiam ipſa S. Synodus tam reverenter agnovit.* Undè Hoſt. *in c. Qualiter, il 2. in princ.* 53
inf. de accuſ. dicit ſtatutum Papæ non confirmari à Concil. quod eſt inferius; ſed ſolummodò approbari, idque intelligendum fieri ad cautelam. At viceverſa ſtatuta Concilii à 54

Papa confirmari tamquam à Superiore, cùm confirmatio ad Superiorem ſpectet. Et Turrecr. *in d. c. Sancta Rom. n.2. verſ. Secundo modo* 15. *diſt. Approbatio*, inquit, *& confirmatio authorizationis, ſcilicet quæ tribuit authoritatem, & robur rebus approbatis, prout eſt approbatio Conciliorum univerſalium, ſemper eſt Superioris, ſicut Principis, gl. c. Frater noſter* 17. *q.* 4.

55 Poſtremò hanc ipſam Pontificis Maximi ſuperioritatem in Concil. latiſſimè tuentur Petrus de Monte Epiſcopus Brixienſis *in ſua Monarchia Conciliorum in rubr. de Concilii præeminentia, verſ. His ita expeditis, nunc ingrediendum eſt illud mare magnum, & procelloſum*, inter tract. communes *t.2. pag.*75. And. Barb. *in Clem. Ne Romani de elect.* ubi *à n.*31. *uſq. ad n.*86. pro ſuperioritate Papæ in Conc. adducit octuaginta ſeptem argumenta, Card. Alexandrinus *in Sum.* 15. *diſt. à n.*1. *uſq. ad n.* 76. & pleniùs Card. Jacob. de Concil. *lib.*10. *art.*7. *à n.* 72. *ad n.* 134. & Card. Alban. *in tract. de Poteſtate Papæ, & Concilii per tot.*

Et ex Theologis, S. Th. *in Opuſc. contra errores Græcorum*, S. Antonin. *in* 2. *par. ſuæ ſummæ tit.* 2. *c.*11. Card. Turrecrem. *in ſumma de poteſt. Eccleſiæ lib.*2. *per tot. & in c. Si Papa* 40. *diſt.* ubi *n.*2. in hanc ſententiam citat Richardum de S. Victore 2. *p. de Sacram.* Alber. Magn. & S. Th. *in* 4. *diſt.* 19. Alexand. de Ales *in* 3. D. Bonaventuram *in* 4. Petr. de Tarantaſia, qui fuit Innocentius III. Richard. de Med. Villa *in* 4. Petr. Pal. *in tractatu ſuo de poteſtate Eccleſiaſtica*, & alios plures. Thomas Uvaldus *lib. 2. de doctrina fidei, & Patrum*, & recentius Cardinales Cajetanus, Roffenſis, Contarenſis, Polus, Oſius, Baronius, & Bellarminus. Et inferiorum ordinum Catharinus, Echius, Pighius, Joannes Faber, Jacobus Latomus, Cœleus Congregius, Jo. Ant. Delphinus, Petrus à Soto, Alphonſus de Caſtro, Melchior Canus, Raymundus Ruffus, & noviſſimè Nicolaus Sandeus *de Viſibili Monarchia Eccleſiæ lib.* 7. & alii quam plures, qui ex ſacris litteris ex ſummorum Pontificum decretis ex antiquis Conciliis, ex ſanctis Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus, ex legibus denique publicis, & approbatis hiſtoriis articulum adeò clarè explicarunt, ut de eo nemo ampliùs dubitare poſſit, niſi qui per hæreſim, & ſchiſma penitus eſt ſubverſus, ac judicio proprio, ut ait Apoſtolus condemnatus.

56 Et quamvis in ſchiſmate illo Baſileenſi non defuerint qui temerè contrarium ſcripſerint, ut in ſpecie Abb. Panor. in ſermone quem illic habuit, incip. *Maximum*, & in qu. ſua incipien. *Epiſcopus*, & Ludovicus Roman. qui pro Concilio ibi erat Advocatus, *conſ.* 380. *Quæſtio eſt per tot. & conſ.* 522. *&* 523. tamen ambo, ut credi poteſt, conſcientia ducti poſteà ſe retractarunt: ille lectura hujus decretalis, & latiùs in ſua quæſtione prima; hic verò *in conſ.*354. *in princ. verſ. Et hoc etiam verum.* Cujus etiam fundamenta in prioribus conſiliis funditùs evertit Turrecrem. *in d. c. Si Papa* 40. *diſt.* Præterquamquòd Abb. Panorm. propria obcæcatus

57 paſſione tuebatur cauſam ſuam: nam in ſchiſmate fuit creatus Cardinalis à Felice V. Antipapa, & in eo tantùm dicitur ſe geſſiſſe, quòd introducentibus in Concilium multitudinem Presbyterorum ob defectum Epiſcoporum, contra præſcriptum ſacrorum Canonum, & præſertim *c. Satis evidenter 96. diſt.* liberrimè contradixit, ut teſtatur Æneas Sylvius, qui præſens aderat, in hiſtoria Concilii Ba-

58 ſileenſis, & Card. Bellam. *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.* Sed & Cardin. Zabarell. licèt in ſchiſmate Urbani VI. multa effuderit in diminutionem Pontificię authoritatis, *in ſuo tractatu de modo ſopiendi ſchiſma quæſt.*44. *&* 45. quem poſuit poſt *cap. Licèt inf. eod.* in eo tamen laudatur, quòd dum in Concilio Conſtantienſi publicaret *conſtit. de author. Concilii ſeſſ.*4. *&* 5. legere noluit partem illam, quæ eſt de reformatione capitis, & membrorum, tamquam ſubreptitiam, ut teſtatur Abb. *in prææalleg. tract. de poteſt. Papæ, & Concilii p.* 2. *n.* 246.

59 Infertur ex prædictis, ut cùm appellatio ſit de minore ad ſuperiorem judicem provocatio, *l.*1. §. *Si quis à judice, ff. de appel. c.* 2. *de conſuet. lib.*6. à ſententia Concilii Generalis poſſint appellari ad Summum Pontificem tamquam Su-

60 periorem, ſed non è converſo, quia eſſet appellare à Superiore ad inferiorem contra naturam appellationis, textus eſt *in c. Cuncta per mundum*, 9. *q.*3. *& in c. Qui ſe ſcit*, 2. *q.*6. & notat Præpoſ. *in Summa n.* 72. *verſ. Ex determinatione*

61 *prædicti articuli*, 15. *diſt.* ubi etiam addit ex Collectar. *in c. Quæ multoties*, ex *reg. jur.* appellari non poſſe ad Chriſtum à ſententia Papæ, cùm Chriſti, & Papæ ejus Vicarii ſit idem tribunal, *d. n.*2. *de conſuet. lib.*9. Quinimo appellantes à Rom. Pontif. ad futurum Concil. eorumque Conſiliarii 62
& fautores pęnis excommunicat. criminiſq; læſæ Majeſtatis divinę, & humanę ſubjiciuntur à Pio II. in conſtitutione, quæ incipit, *Execrabilis*, edita 1459. 15. *Kal. Februarii*, & excommunicantur quotannis in die cœnæ Domini, ut in Bulla Gregorii XIII. *Conſueverunt*, 1583. *pridie Nonas Aprilis*. Quinetiam decernuntur veri, & indubitati ſchiſmatici, & de Catholica fide malè ſentientes, in conſtitutione Julii II. incip. *Suſcepti regiminis*, 1509. *Kal. Julii.* Ex qua 63
conſtitutione ſic appellantes in crimen hęreſis incidere exiſtimat Card. Alban. *de poteſt. Papæ, & Concil. p.*2. *n.* 82.

Nunc ad concluſionem ſuperiùs firmatam de ſuperioritate Pontif. Maximi in Conc. dantur à DD. quatuor limitationes. Prima limitatio eſt in caſu ſchiſmatis, cùm duo vel plures contendunt de Pontificatu; tunc enim Concilium eſt judex competens, juxta terminos *c. Si duo*, 79. *diſt.* & ibi gloſſ. & DD. not. Card. Zabarel. *in cap. Licèt, inf. eod.* 64

Secunda limitatio eſt, quando electio Papæ non fuit Canonica; Concil. enim cognoſcit; *c. Si quis pecunia*, 79. *diſt.* 65

Sed adverte, quia prędictę non ſunt propriè limitationes ad regulam, nam ubi plures certant de Pontificatu, cùm non appareat, quis verè Pontifex ſit, omnes occupata dignitate repelluntur; quia paria ſunt quid non eſſe, aut eſſe, & non apparere, *l. Duo ſunt Titii, ff. de teſtam. tutel. l. In lege fundi, ff. de contrah. empt.* Ideòque eo caſu non Pontifex Maximus, ſed factum potiùs eligentium judicatur, qui duos ad Pontificatum aſſumpſerunt, ut declarat Card. Alban. *de poteſt. Papæ, & Concilii, p.* 1. *n.*12. *& ſeq.* Sic etiam ubi electio Pontificis tamquam irrita reprobatur, Concilium non judicat Pontificem, quia non canonicè electus, ut inquit Bald. *in l. fin. C. Sentent. reſcin. non poſſ.* non eſt Deus in terris, ſed dæmon, claves non regni cœlorum, ſed inferni gerens. Nec eſt Apoſtolicus, ut dicitur *in d. c. Si quis pecunia*, & noviſſimę in conſtitutione Greg. XV. de elect. Rom. Pontif. quæ incip. *Æterni Patris Filius*. Unde neque eo caſu ſubjicitur Concilio, ut per Card. Alb. *loco proximè cit.*

Tertia limitatio eſt in caſu hæreſis, quia Concilium eſt judex, ad præſcriptum *c. Si Papa*, 40. *diſt. verſ. Niſi deprehendatur à fide devius*, & ibi omnes notant. Et *in Summ.* 15. *diſt.* & hic *in textu*. Quod ultimum intellige, dummodò hæreſis ſit formalis, & ſic deprehenſus nolit ſe corrigere, ſecundùm Hugonem, quem cæteri ſequuntur. 66

Nec habenda eſt ratio gl. fin. dicentis, Papam poſſe accuſari etiam de alio crimine, ſi ſit notorium; & indè ſcandalizetur Eccleſia, & incorrigibilis ſit. Nam illa gl. quicquid Abb. & Dec. hìc dixerint communiter reprobatur, eamque maledictam appellat Petr. de Monte *in ſua Monarchia Conciliorum in rubr. de Concilii præeminentia, n.*7. *verſ. Solum*, & eam ſolidiſſimis rationibus ibi confutat, & contraria gl. adducit Card. Turrecr. & S. Ant. poſt Auguſt. de Ancona, & Petrum de Palude, quos refert *in* 3. *p. tit.* 20. *c.* 4. §.3. Facit quod notat Hoſt. *in c. Propoſiti, de conceſſ. preb.* 67
ubi ait, Papam, ſi jaceat in peccato, admoneri poſſe juxta regulam Evangelii, cui ſubjicitur quantum ad primam partem dum dicitur, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, ut legitur *in c. Novit, de judic. & in c. Si peccaverit*, 2. *q.*1. *in princ.* ſed quoad aliam partem, regula, quæ dicit, *Quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ*, talia verba in ſummo Pontifice eſſe intelligenda de Eccleſia triumphante, quia ipſe ab Eccleſia militante judicare non poteſt.

Non conveniunt tamen DD. an hic caſus poſſit contingere, ut Apoſtolicus incidat in crimen hæreſis: ſunt enim qui intrepidè affirmant hunc caſum non eſſe poſſibilem, ut Albertus Pighius Campenſis *lib.*4. *c.* 8. *de Eccleſ. Hierarch.* cujus opinionem probabilem dicit, & rationi conſonam Franciſcus Pegna *in Direct. Inquiſ. p.* 3. *lib.* 3. *ſchol.* 91. eò quòd Chriſtus rogavit pro Papa, ut ejus fides non deficeret, quaſi videatur hoc privilegium perſonale eſſe, & annexum ei, qui ritè, & canonicè ad Pontificatum evectus eſt. 68

Sed contraria ſententia, ut idem Pegna teſtatur, communi Theologorum, & Canoniſtarum voto recepta eſt, quam ſequitur Turrecr. *in Summ. de Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 112. *ad ſeptimum argumentum*, Cajetanus *in opuſc. de author. Papæ, & Concilii* Card. Alban. *in eodem tract. par.* 1. *num.* 110. *& multis ſeqq.* Dominicus Sotus *in* 4. *ſent. diſt.* 22. *art.* 2. Silveſt. *in ver. Papa quæſt.* 4. *n.* 4. Covarr. *lib.* 4. *variar. reſol. c.*13. & alii relati à Pegna ubi ſuprà: Archid. Bellam. Turrecrem.

crem. Præp. & cæteri Canoniſtæ *in d. c. Si Papa per illum textum* 40. *diſt.*

69 Sed quidquid ſit de veritate utriuſque opinionis,illud certum eſt,hunc caſum in Eccleſię divinę gratię præſidio numquam hactenus contigiſſe,ut fatentur omnes; nam Marcellinus in exemplo, cujus ſuperiùs meminimus, non fuit hæreticus, quia non habuit errorem intellectus; ſed tantùm metu mortis, & blanditiis Imperatoris adactus unà cum ipſo Imperatore templum Veſtæ ingreſſus, Jovis ſimulacro thus adolevit; ac propterea peccavit quidem contra fidei confeſſionem, ideòque externo actu fidem negaſſe viſus eſt; verum interiore actu contra fidem nihil credidit, aut docuit. Cujus rei evidentiſſimum teſtimonium præbuerunt horribilis pœnitentia poſteà peracta, Pontificatus ſpontè dimiſſus, & martyrium ob fidem ſuſceptum, ut apud Card. Bellarm. *lib.* 4. *de Roman. Pontif. c.* 9.

70 Cæterùm nec tertia hęc declaratio vitiat regulam initio propoſitam, quia ſi Romanus Pontifex in crimen hæreſis notoriè, & pertinaciter laberetur, deſineret eſſe Pontifex, *cap.* 1. *Cum ibi not.* 24. *quæſt.* 1. & fieret minor quocumque fideli, ut inquit D. Thomas *in* 4. *diſt.* 19. & gloſſ. *in d. cap.* 1. *in ver. In hæreſim*; ac proindè ſubeſſet Concilio non ut Apoſtolicus; ſed ut quilibet privatus. Ita colligitur ex gl. fin. *in d. cap. Si Papa* 40. *diſtinct. verſ. Item numquid poſset ſtatuere*, ut explicat Cardinalis Turrecr. *in Summa de Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 102. & Cardin. Alban. *de Poteſt. Papæ, & Concilii p.* 1. *n.* 6. *& ſeqq.* qui propterea in Procem. operis *num.* 7. *& ſeqq.* firmat nullum caſum reperiri, in quo verè dici poſſit Concilium habere authoritatem in eum, qui certus ſit Pontifex. Addo Card. Bellam. *in c. In Synodo n.* 6. *verſ. Tertius caſus, & num.* 17. *in fin.* 63. *diſt.* ubi ait, *Proprie loquendo Concilium Generale non poteſt Papam verum deponere, licèt ejus errorem poſſit declarare. Aut enim Papa eſt verus hæreticus, puta pertinax, & incorrigibilis in hæreſi jam damnata, & tunc jam depoſitus eſt, d. cap.* 1. *qu.* 1. *& ſic deponi non poteſt, quia non poteſt exui jam nudatus, cap. Frequens de reſtit. ſpoliat. lib.* 6. *Aut non eſt verus hæreticus, & tunc non poteſt judicari à quoquam, ut in c. Si Papa* 49. *diſt. & in cap. Nemo* 9. *q.* 3. *cum ſimil.* Hæc Bellam. licèt Card. Cajet. *de poteſt. Papæ, & Concilii c.* 22. latè defendat Papam hæreticum, quamvis amiſerit fidem etiam informem; quia tamen propter characterem Baptiſmi retinet Sacramentum fidei, non deſinere eſſe membrum Chriſti, & propterea non eſſe jure divino à Pontificatu depoſitum.

71 Quarta & ultima limitatio eſt, cùm ſummus Pontifex ſpontè ſe ſubjicit Concilio, gl. 1. *in c.* 1. 9. q. 3. Gl. Hugo, Jo. de Fan. & Gem. *in c. Nos ſi incompetenter per illum text.* 2. q. 7. Generale enim eſt, ut major judicari poſſit à minore, ſi ultro ſe illi ſubmittat, *l. Et receptum, ff. de juriſd. omn. judic.* gl. 1. *in c. Cum inferior inf. de major. & obed.*

Verum hanc limitationem communiter refellunt Juris interpretes, teſte Card. Alban. *in præall. tract. p.* 1. *n.* 104. Quoniam cùm Pontificia poteſtas à Deo ſit, *cap.* 1. 22. *diſt.* Romani Antiſtites huic privilegio renunciare, aut Pontificiæ majeſtati quidquam detrahere non poſſunt, Jo. Andr. *in c. Eccleſia S. Mariæ n.* 5. *verſ. Ille vero qui eſt ſuper omne forum, de conſtit.* quem ibi ſequuntur Anton. de Butr. Imol. Abb. & alii relati à Felin. *num.* 5. Ejuſdem ſententiæ eſt Archid. *in d. cap. Nos ſi incompetenter*, Roman. *in ſin-*

72 *gul.* 134. Jaſ. poſt Alex. *in d. l. Eſt receptum*, & Bellam. *in c. In Synodo num.* 6. 63. *diſt.* ubi reddit rationem, quia nullus poſſet judicare ſummum Pontificem, niſi eſſet illius Superior, 21. *diſt. per tot.* Ut autem aliquis mortalium poſſit eſſe major Papa, vel ejus Superior, non poteſt facere, niſi ſolus Deus.

Cujus aſſertionis veritas ſatis etiam comprobatur exemplo Marcellini paulò ante relato. Nam etſi in Concil. conſperſus cinere voce clara clamaſſet, dicens: *Peccavi coram vobis, &c.* atque ita ſe quodammodo ſuppoſuiſſet judicio Synodi; tamen eum judicare auſus eſt nemo, ea ratione, quia prima Sedes à nemine judicatur. Idemque apertiùs

73 colligitur ex §. *Hinc etiam* 17. *diſt.* ubi Synodus congregata contra Symmachum authoritate Theodorici regis, duo objiciebat eidem Theodorico. Primum, quòd Concilium abſque juſſu accuſati Pontificis congregari non poſſet: ſecundum, quòd primæ Sedis Antiſtes inferiorum judicio non ſubjaceret; quaſi diceret: Etiamſi Concilium præcedente Apoſtolica authoritate convocaretur; nobis tamen qui inferiores ſumus, contra Pontificem maximum ferre, ſententiam non liceret. Unde quamvis primum objectum poſteà ſublatum eſſet, accedente demùm Symmachi authoritate: tamen quia ſupererat ſecundum, quòd minori fas non eſſet in ſuperiorem jus dicere. Epiſcopi non ſunt auſi in eum proferre ſententiam, ſed dixerunt: Symmachus Papa Sedis Apoſtolicæ Præſul ab hujuſmodi oppoſitionibus impetitus; quantum ad homines reſpicit, ſit immunis, ac liber cujus cauſam totam Dei judicio reſervamus. Non alia quippè ratione Patres Symmachum, & Papam, & geminando ipſius dignitatem etiam Sedis Apoſtolicæ Præſulem, & ſe homines eſſe memorarunt, niſi ut oſtenderent, hominibus in eum, qui ſupra homines eſt, & qui Dei vices gerit, jus dicere non licere. Nec refert, ut inquit Rom. *conſ.* 533. quòd Symmachus fuerit à Synodo abſolutus non ex defectu juriſdictionis, ſed quia non fuit repertus culpabilis. Imò enim Concilium non tam perſonæ innocentiam, quàm dignitatis amplitudinem conſideravit. Et propterea in reſolutione non fuit uſum verbo, Abſolvimus, & liberamus, ut mos eſt judicium in ſententiis abſolutoriis, *l.* 3. *C. de ſent. & interlocut. omn. judic.* ſed dixerunt: Ipſe, qui eſt Papa, & Apoſtolicæ Sedis Præſul, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis ac liber, perindè ac ſi dixiſſent: Non ſit liber, quia eum noſtra ſententia liberemus, neque ſit immunis, quia eum noſtra authoritate abſolvamus, ſed quia ipſe eſt Papa, & Apoſtolicæ Sedis Præſul; nos verò homines ſumus, quibus non licet de eo ſententiam ferre; nemo enim qui condemnare non poteſt, abſolvere poteſt, *l. Nemo, ff. de regul. jur.* atque ita hunc locum fuſius explicat Card. Alban. *de poteſt. Papæ, & Concilii p.* 1. *nu.* 105. ubi etiam reſpondet ad oppoſitionem Romani de text. *in c. Nos ſi incompetenter*, §. *Item Symmachus* 2. q. 7.

Denique hoc ipſum adhuc clariùs probatur *in cap. Nunc* 74 *autem* 21. *diſt.* Nam in ea parte, in qua adducit exemplum Sixti, hìc Canon loquitur de Concilio, quod Valentiniani Auguſti juſſu convenerat. Cui quidem Concilio Sixtus à Baſso, & Martiniano accuſatus ſe ſpontè ſubjecerat, ut ait textus *in c. Mandaſtis* 2. q. 5. Et tamen textus *in d. c. Nunc autem*, dicit eum à Concilio tamquam ab inferiori judicari non potuiſse atque ita ipſum Concilium declaraſse. Ergo ibi eſt text. irrefragabilis, juncto *d. c. Mandaſtis*, probans Pontificem Maximum etiam volentem à Concilio judicari non poſse. Proceſsus, & acta accuſationis Sixti III. habentur *t.* 1. *Concil. Gener. & Provinc. p.* 2. *pag.* 488. & ejus ſpontanea ſubmiſſio judicio Synodi *pag. ſeqq. c.* 4. *&* 5.

Non obſtat text. in *d. c. Nos ſi incompetenter* 2. *q.* 7. ubi 75 Leo Papa ſubjecit ſe judicio Ludovici Imperatoris; nam judicium ibi ponitur pro diſcretione, ſecundùm Jo. Andr. *in d. c. Eccleſia S. Mariæ n.* 5. *de conſtit.* & poſt eum Butr. Imol. & Abb. Ut enim inquit Card. *in c. Significaſti, verſ. Oppono n.* 5. *de foro compet.* relatus à Felin. *in d. c. Eccleſia S. Mariæ n.* 5. Papa ibi ex humilitate ſe ſubjecit Imperatori, ut acciperet correctionem tamquam monitionem, non quia judicem ſuum Imperatorem conſtituerit.

Item non obſtat text. in *d. l. Eſt receptum, ff. de juriſd.* 76 *omn. judic.* ubi judex major poteſt ſe ſubjicere minori, vel æquali in juriſdictione contentioſa. Nam ut reſpondent Imol. & Felin. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ*, ſuperior ibi poteſt prorogare juriſdictionem inferioris, & non dicitur tunc minor judicare majorem, quia prorogatio facit de minore majorem, & è converſo: quod non eſt hoc caſu; quia ut aliquis mortalium ſit major Apoſtolico, non poteſt facere niſi ſolus Deus, ut dictum eſt ſuprà. Et inde fit, ut 77 cùm exemptio Clericorum à ſæculari poteſtate ſit de jure divino, *cap. Si Imperator*, & ibi gl. *in ver. Et diſcuti* 96. *diſt.* Innoc. *in c.* 2. *de major. & obed.* Clericus judici laico ſe ſubjicere, aut illius juriſdictionem prorogare non poſſit, *cap. Si diligenti, & cap. Significaſti infrà de foro compet.* & notant Joan. Andr. & DD. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ*. Imò nec Epiſcopo alieno poteſt Clericus ſe ſubjicere, aut 78 illius juriſdictionem prorogare ſine proprii Epiſcopi licentia. Caſus eſt enim *in d. c. Significaſti*, ubi gl. fin. & DD. communiter notant, Clericum in non ſuum judicem etiam Eccleſiaſticum ſine conſenſu expreſso ſui Epiſcopi conſentire non poſse. Ad idem textus *in cap. Non liceat* 4. q. 6. & *cap.* 1. 9. *q.* 2. Idque non alia ratione, niſi quia ex conſequenti obeſset juri, ac favori Epiſcopi proprii; ſecundùm Abb.

Abb. *in d.c. Significaſti n.9.* Et quia ſic poſſet evacuari juriſdictio Epiſcoporum, ſi omnes conſentirent in judicem non ſuum, ut dicit gl. *in d.c. Non liceat in ver. Expetere.* Et ſi-
79 militer Regulares Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti privilegio exemptionis nec tacitè, nec expreſsè poſſunt renuntiare, aut juriſdictioni alicujus Epiſcopi ſe ſubjicere, ut eſt text. *in c. Cùm tempore inf. de arbitr. in c. 2. de in integr. reſtit. & in c. Cum olim de privil.* Et ſuperioribus annis reſpondit S. Congregat. Concilii in cauſa Synodi Cracovienſis, ut dixi latè *in c. Quod ſuper his de major. & obed.* Idque propter eamdem rationem, quia favori ſuo renuntiare non poſſunt in præjudicium juris Sedis Apoſtolicæ, ut in dictis *c. 2. & cap. Cùm tempore*, & conſuluit Paul. de Caſtr. *conſ. 432. Videtur dicendum n. 3. & ſeqq. lib. 1.* Ludovicus Romanus *conſ. 369. Circa primum nu. 19.* Et longè minùs licebit Romano Pontifici ſe ſubjcere judicio Synodi, atque ita renuntiare privilegio exemptionis à poteſtate omnium mortalium ſibi divinitùs collato, ut per Felin. loco ſupracit. & Turrecrem. *in ſumma de Eccleſ. lib. 2. cap.* 100. Et confert quod notat idem Turrecrem. *in ead. ſumma de Eccleſ. ſeu in tract. de poteſtate Papæ c. 25.* relatus ubi ſupr. à Felino ſub nomine Cardinalis S. Sixti, ubi ait ſummum Pontificem 80
non poſſe alteri committere, ut ipſum excommunicet, ex D. Th. *in 4. ſent. diſt. 19. q. 1. art. 3. q. 3.*

DE ELECTIONE.

Alexander III. in Concilio Lateranen.

CAPUT VI.

Licèt de vitanda diſcordia in electione Romani Pontificis, manifeſta ſatis prædeceſſoribus noſtris conſtituta manaverint: quia tamen ſæpè poſt illa, per improbæ ambitionis audaciam, gravem paſſa eſt Eccleſia ſciſſuram; nos etiam ad malum hoc evitandum, de conſilio fratrum noſtrorum & ſacri approbatione Concilii aliquid decrevimus adjungendum. Statuimus ergo, ut ſi fortè (inimico homine ſuperſeminante zizania) inter Cardinales de ſubſtituendo ſummo Pontifice non poterit eſſe plena concordia, & duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut ſibi alium præſumpſerit nominare, ille abſque ulla exceptione ab univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuerit, & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confiſus (quia de ratione eſſe non poteſt) ſibi nomen Epiſcopi uſurpaverit, tam ipſe, quàm ii, qui eum receperint, excommunicationi ſobjaceant, & totius ſacri ordinis privatione mulctentur: itaut viatici etiam eis (niſi tantùm in ultimis) communio denegetur, & ſi non reſipuerint, cum Dathan, & Abiron (quos terra vivos abſorbuit) accipiant portionem. Prætereà ſi à paucioribus, quàm à duabus partibus aliquis electus fuerit ad Apoſtolatus officium: niſi major concordia interceſſerit, nullatenùs aſſumatur, & prædictæ pœnæ ſubjaceat, ſi humiliter noluerit abſtinere. Ex hoc tamen nullum Canonicis conſtitutionibus, & aliis Eccleſiis præjudicium generetur, in quibus debet majoris, & ſanioris partis ſententia prævalere: quia quod in eis in dubium venerit, ſuperioris poterit judicio diffiniri. In Romana verò Eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur, quia non poterit ad ſuperiorem recurſus haberi.

SUMMARIUM.

1 *Papæ eligi debet ſaltem à duabus partibus Cardinalium, & aliter ſe intrudens in Papatum incidit cum ſibi adhærentibus in pœnas hujus conſtitutionis.*

2 *Concordia plena non dicitur, niſi omnes conſentiant nemine diſcrepante.*

3 *Electus in Romanum Pontificem poteſt ſtatim ſcribere Pontificatum.*

4 *Conſecratio Papæ ad poteſtatis plenitudinem nihil addit.*

5 *Papa ante conſecrationem, & coronationem ex ſtylo non ſcribit Pontificatum in data.*

6 *Coronationis dies dicitur ortus imperii.*

7 *Imperator non dicitur, niſi corona ſuſcepta.*

8 *Archiepiſcopus non dicitur, niſi recepto pallio.*

9 *Papa ante coronationem quomodo ſcribat datam, qualiter ſe nominet, & det bullas.*

10 *Et quomodo poſt coronationem.*

11 *Papæ electo à duabus partibus Cardinalium nulla exceptio opponi poteſt.*

12 *Papæ opponi non poteſt, quòd Cardinales eligentes ſint excommunicati, vel ſuſpenſi.*

13 *Cardinales cur non peccent communicando cum excommunicatis in electione Papæ.*

14 *Papæ electo objici non poteſt, quòd non ſit de Collegio Cardinalium, aut quod ſit uxoratus, vel Monachus, & n. ſeqq.*

15 *Pontifices ſex poſt Alexandrum III. numerantur electi, qui non erant Cardinales.*

16 *Hæreſis exceptio an poſſit opponi contra electum in Romanum Pontificem.*

17 *Simoniæ exceptio itidem an contra electum in Papam admittatur.*

18 *Electo in Papam an poſſit objici, quòd Cardinales eligentes non ſint ſaltem in Diaconatus ordine conſtituti.*

19 *Vel quòd forma conſtitutionis Gregorii XV. non fuerit obſervata.*

Vel quod os non fuerit eis apertum, ibid. verſ. Olim admitti poterat.

20 *Et quid de exceptionibus intrinſecis electioni, vel juris naturalis, & divini.*

21 *Electionis Papæ nullus mortalium poteſt eſſe judex, & n. ſeqq.*

22 *Et quid de Concilio.*

23 *Papæ electio multa habet ſpecialia, & formis non eſt obnoxia; ſed quomodocumque appareat duas partes Cardinalium in unum conſenſiſſe, jus habet, & verus Papa eſt, & n. 4.*

25 *Et quid poſt conſtitutionem Gregorii XV.*

26 *Cardinales in difficultatibus emergentibus qua ratione poſſint conſulere celeritati electionis, & n. ſeqq.*

27 *Cæremoniale continens ritus electionis Papæ à Gregorio XV. & S.D.N. confirmatum.*

28 *Cardinales in Conclavi præſentes an hodie poſſint ordinare, ut valeat electio celebrata à majori parte Collegii, & n. ſeqq. uſq. ad n. 71.*

29 *Compromiſſum in aliquos initum hac forma, ut compromiſſarii teneantur eligere nominatum à majori parte Capituli, validum eſt.*

Declaratur, n. 56. & ſeqq. & n. 86.

30 *Papæ electio requirit duas ex tribus partibus Cardinalium tam de jure communi, quàm ex conſtitutione Greg. XV.*

31 *Cardinales de jure communi convenire poſſunt, ut valeat electio celebrata à majori parte Collegii, uſque ad n. 27. & 60. uſq. ad n. 72.*

Declaratur n. 86. uſque in fin.

32 *Juri*

32 *Juri publico privatorum pacto renuntiari non poteſt.*
33 *Cardinales non poſſunt jus Papæ immutare.*
34 *Electus à majori parte Cardinal. de conſenſu omnium non à majori parte tantùm, imò à toto Collegio electus cenſetur, & n. ſeqq. & n. 79.*
35 *Cardinales poſſunt tacitè renuntiare huic decretali, licèt non poſſint expreſsè.*
36 *Cardinales unanimiter de jure communi convenire poſſunt, ut valeat electio celebrata à pluribus de Collegio etiam partium comparatione minorum, & n. 88. uſq. in fin.*
37 *Cardinales nemine diſſentiente poſſunt compromittere eligendi poteſtatem pluribus de Collegio in numero ſibi grato.*
38 *Papæ electio ex Gregoriana conſtitutione redacta eſt ad tres formas Concilii Generalis.*
39 *Electio per ſcrutinium requirit ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium.*
40 *Electio facta à minori parte de conſenſu totius Capituli an valeat.*
Intellectus c. Si cui de elect. in 6. *ibid. & n. 56.*
41 *Card. de jure communi cur poſſint inter ſe ordinare, ut valeat electio celebrata à majori parte Collegii.*
42 *Compromiſſum initum in aliquam partem Collegii an videatur initum in perſonas incertas.*
43 *Compromiſſum de incerta perſona aſſumenda non tenet.*
Declaratur, n. 59.
44 *In electione per compromiſſum factum in majorem partem Collegii debent omnes ſuffragium ferre.*
Declaratur, n. 67.
45 *Compromiſſor, & compromiſſarius idem eſſe non poteſt, & n. 38. verſ. Neque dicas.*
46 *Capitulum non poteſt eſſe judex, ſi aliquod dubium oriatur inter majorem partem Capituli, & aliquos ſingulares de Capitulo.*
47 *Electio per inſpirationem quando fieri dicatur.*
48 *Electio quaſi inſpirata non dicitur, ſi vel unus contradicat.*
49 *Tractatus in electione per compromiſſum eſt unum de eſſentialibus requiſitis.*
50 *Electio prævio tractatu celebrata potiùs dicitur per inſtigationem, quàm per inſpirationem.*
51 *Compromiſsarii eligere poſſunt, & honeſtius eſt, ut eligant per ſcrutinium ſecretum, & n. 61.*
52 *Papæ electio quaſi per inſpirationem fieri debet per verbum,* Eligo *intelligibili voce prolatum.*
53 *Cardinales renuntiare non poſſunt formæ eligendi Romanum Pontificem.*
54 *Decretum irritans inducit formam, cui renuntiari non poteſt.*
55 *Eligendi poteſtas tribus modis à Cardinalibus transferri poteſt in majorem partem Collegii, & n. 85. verſ. Quartus caſus uſque in fin.*
56 *Compromiſsum factum in aliquem ex Collegio Cardinalium hac forma, ut ille votis ſingulorum ſecretò exquiſitis eum eligat, in quem major pars Collegii conſenſerit, hodie non valet, & nu. 85. verſ. Quartus caſus.*
57 *Compromiſsum initum in aliquem ex Collegio, hac forma, ut ille eligat eum, in quem liberè, ac nulla forma ſervata major pars Collegii conſenſerit, validum eſt, & n. 86.*
58 *Compromiſsum fieri poteſt ſub hac forma, ut compromiſsarius eligat eum, quem poſteà elegerint aliqui de Collegio.*
59 *Compromiſsarii à principio poſſunt eſſe incerti, certificandi tamen per eos, quibus data eſt eligendi poteſtas.*
60 *Compromiſsum factum à Cardinalibus directè in majorem partem Collegii an valeat, uſque ad n. 72. & n. 87. uſq. in fin.*
61 *Compromiſsarii non arctantur ad eligendum ſervata forma ſcrutinii, & n. 67.*
62 *Compromiſsum factum in quotam partem Collegii, non dicitur in perſonam incertam.*
63 *Compromiſsum fieri poteſt in Collegium, imò, & in Concilium generale, & ſufficit poſteà conſenſus majoris partis.*
64 *Compromiſſum factum in majorem partem Collegii, an videatur factum in ſeipſum.*
Pars major an & quando faciat Collegium, ibid.
65 *Pars major Collegium facit per repræſentationem, ſeu per fictionem.*
66 *Collegium quandoque repræſentat ſingularis perſona, licèt Collegium non faciat.*
67 *Vota ſingulorum an ſint ſcrutanda in electione, quæ fit per viam compromiſſi initi in majorem partem Collegii.*
68 *Compromiſſum an requirat conſenſum ſingulorum, vel ſufficiat in communi.*
69 *Commune pluribus ut ſingulis, vel ut univerſis, quando aliquid eſſe dicatur.*
70 *Abbas poteſt compromittere in ipſum Capitulum.*
71 *Compromiſſum in aliquos ex Cardinalibus initum hac forma, ut compromiſſarii eligere debeant eum, in quem votis ſingulorum inquiſitis duæ partes Collegii conſenſerint, an fieri poſſit à duabus ex tribus partibus Cardinalium, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
72 *Compromiſſum initum hac forma, ut compromiſſarii teneantur eum eligere, in quem major pars Capituli conſenſerit, valet, & eſt expeditior forma quam habeamus.*
73 *Scrutinii forma eſt difficilis obſervatu, & boni Juriſtæ practicam ignorantes in ea deficiunt.*
74 *Electio Papæ per viam compromiſſi uno ex Cardinalib. diſſentiente initi, irrita eſt, & n. ſeqq.*
75 *Et quid ſi compromiſſum ſit limitatum cum forma, ut ſingulorum vota ſcrutari debeant, & n. ſeqq.*
76 *Conſtitutio diſponens idem quod jus commune, recipit interpretationem paſſivam à jure communi.*
77 *Suffragium ſuum alteri dare nemo invitus compellitur.*
78 *Cardinales quomodo & quando convenire poſſint, ut valeat electio celebrata à duabus partibus vel à majori parte Collegii, declaratur, ſeptem caſus diſtinguendo, uſque in fin.*
Compromiſſum à Cardinalibus initum ea forma, ut compromiſſarii votis ſingulorum per ſecretum ſcrutinium inquiſitis teneantur eum eligere, in quem duæ partes Cardinalium conſenſerint, an valeat, ibidem.
79 *Et an fieri poſſit à duabus ex tribus partibus Cardinalium.*
80 *Et quid ſi compromiſſum ſit cum forma, ut ſimpliciter vota ſingulorum exquiri debeant.*
81 *Compromiſſum cum forma, ut compromiſsarii teneantur eligere eum, in quem conſenſerint duæ partes Collegii, votis ſingulorum per ſcrutinium apertum inquiſitis, an valeat.*
82 *Et an fieri poſſit à duabus ex tribus partibus Cardinalium.*
83 *Opinio Lapi, quòd in compromiſso limitato ſufficiat conſenſus majoris partis Capituli, declaratur.*
84 *Electoris cujuslibet intereſt conſenſum ſuum explicare per ſecretum ſuffragium.*
85 *Conſtitutio Gregorii XV. in electione per ſcrutinium habet præcipuam rationem ſecreti.*
86 *Compromiſsum cum forma, ut compromiſsarii teneantur eligere nominatum à majori parte Collegii, requirit conſenſum omnium nemine diſsentiente.*
87 *Conpromiſsum directè factum in majorem partem Collegii non valet, ſi ſit cum forma, ut vota ſingulorum exquirantur.*
88 *Secus ſi ſine forma.*
89 *Et hoc fieri poteſt etiam in plures de Collegio partium comparatione minorum.*
90 *Vitiatur tamen, ſi vel unus diſsentiat.*

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

L*Icèt de vitanda.* Agit de materia altiſſima, & ſtrictè 1
hoc intendit ſecundùm Abb. Antiq. Joan. Andr. Ægyd.
Bellam. Ant. de Butr. Petr. de Anch. & Jo. de Anan. videlicet:
In Papam, niſi duæ partes Cardinalium conveniant, non eſt
aliquis aſſumendus; vel ſecundùm Bald. In Papam non eſt
ali-

aliquis aſſumendus, niſi duas partes Cardinalium vocem
eligendi habentium in eum conſentiant,& electus à duabus
partibus eſt verus Papa; ſed ſecundùm Card. & Abb. Sicu-
lum hic dictus Electus in Romanum Pontificem à duabus
partibus Cardinalium nulla exceptione obſtante eſt Papa,
electus autem à minori numero gerens ſe pro Papa incidit
unà cùm ſibi adhærentibus in pœnas hic contentas. Vel
pleniùs ſecundùm Bellam,Electus inPapam à duabus parti-
bus Card.etiam parte tertia concordare nolente, aut alium
eligente, ſine ulla exceptione pro Rom. Pontifice eſt ha-
bendus, & aliter Papatum uſurpans, ac ei faventes puniun-
tur: nec per hoc aliis conſtitutionibus Canonicis aliter de-
rogatur. Dividitur in tres partes, In prima ponitur Con-
ſtitutionis cauſa.In ſecunda Conſtitutio.In tertia quædam
proteſtatio. Secunda ibi, *Statuimus*, Tertia ibi, *Ex hoc*.
2 Nota primò, ibi, *Plena concordia*, concurrentibus dua-
bus partibusCollegii non eſſe plenam concordiam,niſi om-
nes plena concordent nemine diſcrepante, licèt ſufficiens
concordia ſit concordia duarum partium, Bald. hic *nu.* 1.
Butr. *n.*6.Abb.*n.*3.Et ſic eſt differentia inter plenam, & ſuf-
ficientem, Patet quia plenum eſt propriè cui nihil addi po-
teſt, *l.Raptores,C. de Epiſc. & Cler.* Undè plena concordia
excluditur ex contradictione unius tantùm, ut notatur in
Clem. *Ne Romani de elect.* ſecundùm Abb.
3 Secundò nota, ibi, *Pontifex*, electum in Romanum Pon-
tificem poſſe illicò ſcribere Pontificatum, ut per Jo.Andr.
*n.*11. & Bellam. *n.* 1. *in ver. Pontifex*, & Card. *n.* 3. atque
ita ab ipſa electione incipit annus Pontificatus, ſecundùm
4 Bald.*n.*3. nam ad poteſtatis plenitudinem conſecratio nihil
addit,ut inquit Hoſt.*n.*5.Sed tu adverte,quia etſi Romanus
5 Pontifex ſola electione facta à duabus partibus Cardinal.
vocem habentium Præſulatum aſſumat, ut hic patet, & in
c.In nomine Domini, §.*Planè* 23. *diſt.* & dicam infrà *in ult.
not. n.* 24. tamen conſuetudo eſt Romanorum Pontificum,
6 quæ potiùs eorum ſolito uſu, quàm jure roboratur, ut poſt
electionem ante conſecrationem, & coronationem non
ſcribant Pontificatum in data, & huic conſuetudini ſuffra-
gatur text.*in l. ult.in fine*,ibi, *Ex quo Imperiales ſuſcepimus
infulas*, *C. de quadrienn. præſcr.* Unde dies coronationis
dicitur ortus imperii, *l. Omnes, C. de fer.* Nec dicitur Im-
7 perator, niſi corona ſuſcepta, *l. antepenult.ff. de milit.teſt.*
8 plenè Oldrad.*conſ.*180.*quæſtio eſt per tot.* Sicut nec Archie-
piſcopus,dicitur,niſi recepto pallio,*ut in c.Niſi infrà de uſu
palii*,ad idem *l.fin .C.de decur. lib.* 12.*l.Ex eo, ff.de re milit.*
9 & in Auth. *de Conſul. in fin.collat.* 5. Sed tunc ante corona-
tionem ſcribunt ante datam,locum, & diem, ut infrà, vide-
licet: *Datum ſuſcepti à nobis Apoſtolatus officii anno,&c.*&
tunc etiam non ſcribunt ſe ſimpliciter Epiſcopos, ſed ſic
ſcribunt,*Talis*, puta Gregorius,*Electus Epiſcopus.* Rurſus
tunc temporis non bullant bulla integra, ſed ſi quas litteras
concedunt,ponunt mediam bullam,id eſt illam partem,quę
habet capita ſculpta, & ex alio latere, quo ponitur nomen,
10 plena eſt Bulla ſine nomine. Poſt coronationem verò ſcri-
bunt Pontificatum in data non ut prius, *Datum à nobis ſu-
ſcepti Apoſtolatus officii anno*, ſed, *Datum Pontificatus no-
ſtri anno,&c.* Præterea vocant ſe ſimpliciter Epiſcopos, &
dant Bullam cum ſuo nomine, prout hæc notantur per Jo.
And. *in data ſexti libri, in gl. in ver. Pontificatus*, ubi et-
iam fit mentio erroris nonnullorum Juriſperitorum, qui
deindè malè pronuntiarunt in prioritate, & poſterioritate
quorumdam expectantium. Et hunc ſtylum eſſe obſervan-
dum reſpondit Ant.de Butr. *conſ.*43. *Aggrediar. in princ.*&
vide Præp. *in c. In nomine Domini n.* 19. 23. *diſt.*
11 Tertiò nota,ibi, *Abſque ulla exceptione*, contra electum
à duabus partibus Cardinalium nullam exceptionem oppo-
ni poſſe. Hæc enim verba, ut Bald.inquit *n.*4. gloſſationem
12 non recipiunt, nec ſuperadditum intellectum. Quamo-
brem excipi non poterit,quòd Cardinales eligentes ſint ex-
communicati, vel ſuſpenſi, ſecundùm Compoſt.*n.* 3. & Jo.
Andr.*n.*10. & reliquos omnes. Hodie hoc eſt expreſſum in
13 Clem.*Ne Romani*, §. *Cæterùm de elect.* Nec obſtat, quòd
alii de Collegio videantur peccare communicando talibus,
Siquidem hoc faciunt authoritate hujus Canonis, qui om-
nem removet exceptionem, *l. Servus*, §. *Si quis rivum, ff.
de rivis.* Præterea ex cauſa neceſſitatis Eccleſiarum licitè
communicatur cum excommunicatis, ſecundùm Jo.Andr.
nulla autem major neceſſitas haberi poteſt, quàm carentia
Vicarii Jeſu Chriſti,*c.Omnes 22.diſt.c. Ad Romanam 2.q.6.*

Similiter excipi non poterit contra electum, quòd non ſit 14
de Collegio. Ad hoc *c. In nomine Domini*, *verſ. Eligatur
autem 23.diſt.*Licèt jura antiqua aliud viderentur innuere,
ut *in c. Oportebat, & c. ſeq.79.diſt.* Unde poſt hanc Conſti- 15
tutionem ab Alexandro III. in Concil. Lateranenſi editam
ſex numerantur non Car. qui ad Apoſtolatus apicem electi
ſunt, videlicet Urbanus IV. Gregorius X. Cœleſtinus V.
Clemens V. Urbanus V. & Urbanus VI. Item excipi non
poterit, quòd electus ſit uxoratus, vel Monachus, ut no-
tat gl. *in c.Si quis pecunia 79. diſt. & in cap.Quam ſit 18.q.*
2. Et de prædictis exceptionibus tenent hic Joan. Andr. *n.*
11. Bald.*n.*3.Butr.*n.*5.Abb. *n.*4. Bellam.*in princ.in ver. Ex-
ceptione.* Ab his excipitur hæreſis, *c. Si Papa 40. diſt.* gl.
hic *in ver. Exceptione.* Sed Innoc. *in princ. in eod. ver.* di-
cit de hoc crimine non poſſe excipi,ſed accuſari, & cum eo 16
conſentit Compoſt. *n.*3. Hoſt. *n.* 15. & Jo. Andr. *nu.* 11. Et
quamvis Goffred. & Philipp. teneant cum gloſ. tamen opi-
nionem Innocentii ſequitur etiam Joan. de Lignan. poſt
Vinc. & Alan. eamque dicit veriorem Card.*n.* 6.*in 1.oppoſ.
& ad reg. Qui ad agendum de reg. jur. lib.* 6. Reſponde, ut
per Innoc. *in c. Inter dilectos de exceſſ. Prælat.* Adde Bald.
hic *n.* 4.ubi dicit, iſtud non eſſe excipere, ſed nullum eſſe.
Materiam verò de hujus criminis exceptione contra ele-
ctionem, per quæſtiones plenè examinat Bellam. *n.* 33. Ad- 17
ditur hodie exceptio Simoniæ per conſtitutionem Julii II.
quæ incipit, *Cum tam divino*, edita *kal. Februarii* 1505.
circa quam vide quod plenè ſcripſi *in c. Nobis in 1.& 2. qu.
infrà de Simonia.* An autem ante hujuſmodi conſtitutio-
nem excipi poſſet contra electum de hoc crimine Simonia-
cæ pravitatis, juxta text. in *c. Si quis pecunia 79. diſt.* ſunt
opiniones, quas hic examinat Bellam. *à n.* 38. *verſ. Tertiò
principaliter opponitur.*
Præterea admittitur hodie exceptio, quòd Cardinales 18
eligentes non ſint ſaltem in ſacro Diaconatus ordine con-
ſtituti, ex Conſtitutione Pii IV. incip. *In eligendis*, §. *Sta-
tuimus etiam, & declaramus*, edita 7.*Idus Octobris* 1562.Et
apertiùs ex conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *Poſtquam
verſus ille*, §. *Neque poſt hac*, edita *Nonis Decembris* 1586.
Et in Cœremoniali electionis Papæ à Gregorio XV. appro-
bato *in* §.*Porro*, in Bullar. *to.* 4. *p.* 104. Demùm admittitur 19
exceptio, quòd in electione Romani Pontificis non fuerit
ſervata forma noviſſimæ Conſtitutionis Gregorii XV. de
qua inferiùs agetur à *n.* 25. Olim admitti poterat exceptio,
quòd Cardinalibus nondùm fuiſſet os apertum ex conſtitu-
tione Eugenii IV. quæ incipit, *In immanenti*, edita 7. *kal.
Novembris* 1431. in Bullar. *to.*1. *pag.*269.nam *in* §.3.ſtatui-
tur in hæc verba: *Quodque in Cardinalem ſic pronuntiatus
etiam poſtquam inſignia hujuſmodi receperit, & etiam ad-
miſſus fuerit, & receptus, ut præfertur, in electione Romani
Pontificis pro tempore vocem activam, aut aliquo alio actu
habuiſſe, vel habere potuiſſe,aut debuiſſe,ſive poſſe, vel debe-
re minimè cenſeatur, donec & quouſque per Roman.Pontific.
pro tempore exiſtentem de ſimilibus conſilio, & conſenſu ſibi
in practicandis, conſulendis, & deliberandis negotiis Conſi-
ſtorii, poſtquam in Conſiſtoriis aliquibus mores in talibus ob-
ſervari conſuetos expertus, interrogatus conſiliativè, aut con-
ſultivè reſponſū dandi expreſſa licentia tribuatur,ſeu ad hunc
effectum, ut verbis utamur communibus, ei fuerit os apertum.
Decernentes irritum, &c.* Sed in decreto S. Pii V. edito 26.
Januar. 1571. hæc oris clauſura declaratur eſſe ſimplex cæ-
remonia, quæ ad ſubjectum electionis non pertinet, ut re-
fertur in cæremoniali antedicto Greg.XV.*in* §.*Porrò, verſ.
De Card.autem.* Aliæ verò exceptiones omnes hic rejiciun-
tur, quæ juris poſitivi ſunt, ſecundùm Abb.*n.*5. *verſ. Vide-
tur ergo hic Papa, & n.* 11. *verſ. Et pro hoc facit iſta litt.*
Numquid igitur contra electum opponi poterit,quòd ſit
hermaphroditus, aut mutus, vel ſurdus? Solvit ſingulari-
ter Bald.hic *n.*8. dicens: Cardinal. non facerent ita fatuam
electionem, & ideò non deberet fieri quæſtio de ambagi-
bus, & ineptiis.
Cæterùm exceptiones intrinſecæ electionis, veluti quòd 20
electio fuerit celebrata à paucioribus,quàm à duabus parti-
bus Card. vel quòd electores non ſint S. R. E. Card. nec in
poſſeſſione Cardinalatus exiſtentes: item exceptiones de
jure naturali, & divino, puta quod electus ſit Hæreticus,
Paganus, vel Judæus; quòd ſit mulier, furioſus, vel in-
fans; utique ab hac conſtitutione non excluduntur, quia
inficiunt jus habendi, & poſſidendi, ut latè hic per Bellam.
nu. 38.

nu. 38. & Abb. *n.*10.*verſ. Cùm quæritur an aliqua exceptio.* Et de exceptione impreſſionis, vel metus, vide per eoſdem, & per Bald. hìc *num.* 9. & latiùs *in ſua quæſt. de ſchiſmate*, quam poſuit poſt rubricam *C. de edict. D. Adr. tollen.*

21 Quartò nota ibi, *Recurſus*, ubi ambigitur de electione Summi Pontificis, nullum mortalium poſse eſse Judicem, quia nullus ſuperior, ſed ipſe per omnes, ut in Authent. *de Eccleſ. tit.* §. 1. Hoſtien. hìc *num.* 33. *in verſ. Ad ſupe-*
22 *riorem*, & Jo.Andr.*n.*33. Niſi dicamus Concilium hoc dubium debere determinare, *c.Si duo* 79.*diſt.*ſecundùm Bald. hìc *n.*7. *in fin.verſ. Recurſus*. Cæterùm in quibus hoc caſibus procedat, & quomodo ſit intelligendum, ſcripſi plenè *in c. Significaſti à n.*64. *uſq. ad n.* 71. *infr. eod.*

23 Ultimò nota, in electione Rom. Pontificis aliquid ſpeciale conſtituendum fuiſse, & pondera ratione ſpecialitatis in littera expreſsam, videlicet, quia quod in aliis Eccleſiis dubium venerit, ſuperiori poterit judicio diffiniri; in Romana verò Eccleſia non poterit ad ſuperiorem recurſus haberi. Item pondera illa verba in principio textus: *Gravem paſſa eſt Eccleſia ſciſſuram*: ſi enim, ut inquit Card. Bellarm. *hìc in col.*6. *verſ. Rurſum quæreres*, non eſset certus modus ſtatutus, quem univerſalis Eccleſia tenere deberet circa Romanum Pontificem, & ejus obedientiam, jam diviſis hominibus in diverſas opiniones, & vota circa vires electionis, & obedientiæ exhibitionem, cùm non ſit ſuperior, qui poſſit ſuper hoc ordinare, facilè ſequerentur ſchiſmata, Eccleſiæque ſciſſura. Aliam rationem reddit Hoſt. *hìc n.*15.*in ver. Exceptione*, quia cùm electus in Romanum Pontificem gravetur in hoc, ut jus non habeat, niſi duæ partes conſentiant, cùm in electionibus inferiorum ſufficiat major pars; in aliis relevatur, ut nulla exceptio contra ipſum admitti poſſit. Complura autem ſpecialia in hujuſmodi electione hìc à Doctoribus recenſentur, & octo numerantur ab Hoſtienſi, & quinque alia addebat Gulielm. *in decret. Ubi periculum de elect. lib.* 6. Undè tredecim ſpecialia ab Hoſt. & Gulielm. collecta referuntur hìc
24 à Jo.And. *n.*4. & Card.*n.*11.*in* 23. *qu.* Inter hæc autem illud eſt præcipuum, quòd ex neceſſitate in electione Rom.Pontificis non eſt aliqua forma ſervanda. Imò quocumque modo appareat duas partes conſentire in aliquem tamquam in electum, jus habet, & verus Papa eſt, ut formaliter hìc dicit Innoc. *in fin. in verſ. Speciale*, & poſt eum Compoſt.*n.*5. Hoſt. *n.*33. *in fine in verb. Conſtituitur*, Jo. Andr. *nu.* 30. *in ver. Speciale*, Card.*n.*11.q. 22. & Collect. *in fin.* qui allegat Arch. *in c. fin.* 79. *diſt.*

25 Verùm hodie novam formam eligendi Romanum Antiſtitem præſcripſit Gregorius XV. in conſtitutione, quæ incipit, *Æterni Patris Filius*, edita 17. *Kalendas Decembris* 1621. Quæ quidem forma perſtringitur *in* §.*Quod ſi*, in hæc verba: *Quod ſi electio hujuſmodi alibi celebrata fuerit, quàm in Conclavi clauſo, vel aliter, quàm per ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium in ſcrutinio, ſeu ſcrutinio, & acceſſu electi ſuffragio non computato, vel per viam compromiſſi ab omnibus Cardinalibus ſimiliter in Conclavi præſentibus nemine diſſentiente initi, & ita ut nemo ſeipſum elegerit, vel quaſi per inſpirationem nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu omnium pariter Cardinalium præſentium in Conclavi, communiter, nemine itidem diſſentiente, per verbum* Eligo, *intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce non potuerit, expreſſum, nulla ſit, & invalida eo ipſo abſque alla declaratione, & ita electo nullum jus tribuat; quinimo is non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus ſit, & habeatur, &c.* Hæc ibi.

Porrò hac conſtitutione ſublata eſt diſpoſitio hujus Decretalis, quatenus nullam formam præſcribit in electione Romani Pontificis; proptereà enim in calce conſtitutionis legitur: *Non obſtante felicis record. Alex. III. in Concilio Lateranenſi edita, quæ incipit, Licèt de vitanda, & aliorum Romanorum Pontificum conſtitutionibus, quibus pro hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus:* & ne qua ſuboriri poſset difficultas propter illa verba, *Pro hac vice dumtaxat*, S.D.N.Urbanus VIII. eamdem conſtitutionem confirmavit, atque perpetuò in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus obſervari præcepit; & in fine huic Decretali ea in parte, quæ conſtitutioni adverſatur, perpetuò derogavit ſua conſtitutione, quæ incipit, *Ad Romani* edita 5. *Kal. Februarii* 1625.

26 Quoniam verò hic Canon in Concilio Lateranenſi editus fuit ob illam ſpecialem rationem, cujus ſuperiùs meminimus, videlicet quin ſuper dubiis electionis Papæ nullus extat ſuperior, ad quem poſſit haberi recurſus. Ideòque, ut inquit Hoſt. *hìc n.*31. conſentaneum fuit hanc electionem ad certam formam, & ad reliquas juris ſubtilitates non adſtringere. Hinc hæſitatum eſt à viris gravibus ex Gregoriana conſtitutione, quę certas formas pręfinit, complures difficultates emergere in dies poſſe, quibus electionis negotium, ut graviora omittamus, diu, multùmque protrahatur in grave detrimentum univerſalis Eccleſię, ut *in c.Ubi periculum de elect.in* 6.*& in Clem. Ne Romani eod. tit.* & quam- 27
vis ad ejuſmodi difficultates præcidendas, ac pro faciliori Gregorianæ conſtitutionis obſervantia ipſius Gregorii juſſu compoſitum fuerit cœremoniale ritus dictę electionis continens, primùm ab eodem Pontifice confirmatum in conſtitutione incip. *Decet Romanum Pontificem*, ac deindè à S.D.N.in præallegata conſtitutione, *Ad Roman.*& jam Deo propitio poſt Gregorii obitum electio ſecundùm præſcriptam formam ceſſerit feliciſſimè; quia conſtitutio magno Catholicæ Eccleſiæ bono nobis veluti primogenitum peperit S.D.N.Urbanum VIII. Nihilominus ad vindicandum ſacrum Collegium ab anguſtiis, in quas inimico homine ſuperſeminante zizania fortè aliquando incidere poſſet; propoſuerunt nonnulli eo caſu non obſtante Gregoriana conſtitutione licitum fore S.R.E. Cardinalibus convenire, ut valeat electio facta à majori parte Collegii. Quod ſi verum eſſet, profectò poſſet aliquando plurimum conducere ad electionem celeriter abſolvendam, cùm multò faciliùs ſit; ut major pars ſacri Collegii nulla forma obſervata in unum conſentiat, quàm duæ ex tribus partibus per ſecreta ſchedularum ſuffragia. Quamobrem non videtur eſſe abs re hujus propoſitionis veritatem, ut res tanti ponderis poſtulat, diligenter examinare.

Revoco igitur in dubium, an poſt Gregor. conſtitutio- 28
nem Card. in Conclavi præſentes convenire poſſint, ut valeat electio Rom. Pont. celebrata à majori parte Collegii.

Et quidem poſse Cardinales ita convenire probatur, Pri- 29
mò per textum in *c. Cùm dilectus infrà eod.* ubi eſt expreſſum valere compromiſſum initum in aliquem, hac forma ut compromiſſarii teneantur eligere nominatum à majori parte Capituli, cujus diſpoſitio non fuit poſteà abrogata per Concilium Generale in decretali, *Quia propter*, ut deciditur *in c. Cùm expediat de elect. lib.* 6. Deindè hæc ſenten-
tia videtur poſse probari, quia de jure communi ad Roma- 30
num Pontificem eligendum duæ ex tribus partibus Cardinalium neceſsariò requirebantur, ut hìc patet, ſicuti hodie requiruntur ex Gregoriana conſtitutione, quæ hac in par-
te nihil detraxit determinationi hujus decretalis. Sed de ju- 31
re communi, non obſtante hac ipſa decretali duas partes requirente, licet Cardinalibus convenire, ut valeat electio celebrata à majori parte Collegii: ergo idipſum hodie licere debet non obſtante Gregorian. conſtitutione. Minor probatur authoritate Compoſtell. hìc *n.*6. ubi, *Quæro*, inquit *numquid Cardinales poſſint inter ſe ordinare, ut valeat à majori*
parte omnium electio celebrata? Videtur quòd non, quia hoc 32
jus publicum in favorem Eccleſiæ introductum eſt, cui pacto privato renuntiari non poteſt, cap. Si diligenti de foro compet. Item electio hæc fieret hoc jure prohibente: ergo pro infectà de-
beret haberi, l. Non dubium, C. De legib. Item Cardinales 33
non poſſunt jus majoris, id eſt Papæ immutare, cap. Inferior 21. *diſt. Reſpondeo quòd ordinare hoc poſſunt concorditer, & tunc valebit electio à majori parte ipſorum facta, & hoc innuitur hìc, ubi dicit, Major concordia. Nec obſtant jura in contrarium adducta, quia ille, qui ſic electus eſt, non tan-*
tùm à majori parte, imò à toto Collegio eligitur, ſicut ille, 34
qui à compromiſſariis eſt electus, cap. In cauſis infrà eodem, & ſic per hanc ordinationem nihil fit contra hanc decretalem, imò ſecundùm eam. Hactenus verba Compoſtellani.
Idem tenet Hoſtien. *in verſ. Quid ergo, ſi compromittant,* 35
ſubdens Cardinales per talem ordinationem poſse huic decretali tacitè renuntiare, licèt illi expreſsè renuntiare non poſſint; & ita in hoc caſu magis operari renuntiationem tacitam, quàm expreſsam. Simile *in cap. Si diligenti de foro competent. & in cap. fin. de vita, & honeſt. Cler.* Sequitur Joan. Andr. hìc *num.* 14. ubi dicit: Poſsunt Cardinales ex cauſa ordinare inter ſe, ut valeat electio facta à majori parte, & tunc electus à majori parte cenſebitur electus ab omnibus, ſecundùm Compoſtell. Gulielm. & Hoſtien.

Cum quibus conſentiunt Collectar. *ad fin. verſ. Sed numquid huic decretali*, Anton. de Burr. *n.* 25. Bellam. *n.* 29. *in* 10. *dubitatione*, Franciſcus de Placeo *in tract. de excomm.* §. *Quantum ad declarationem n.* 1. Ejuſdem ſententiæ fuit Arch. *in c. fin. n.* 2. *verſ. Sed Hoſtienſis dicebat* 79. *diſt.* ubi ait, *Cardinales non poſſe expreſſe huic decretali renuntiare, ſed poſſe tacitè, videlicet compromittendo, vel aliam viam eligendo, quia poſſunt inter ſe concorditer ordinare, ut valeat electio à majori parte Cardinalium celebrata; & talis non ſolum à majori parte, imò etiam à toto Collegio intelligitur eſſe electus, ſicut & ille qui à compromiſſariis eligitur. Unde per talem ordinationem non fit contra ipſam conſtitutionem Licet de evitanda*. Ita Arch. & ſequuntur DD. *in c. In cauſis inf. eod.* ubi in ſpecie Butr. *n.* 22. *Nota*, inquit, *quòd electio dicitur concorditer facta à toto Capitulo, quando eſt facta à majori parte habente poteſtatem à Capitulo, quando ſic conſentiunt, ut major pars poſſit*. Quod etiam docuit ibidem Bald. *ſub n.* 3. *verſ. Item nota quod unanimiter*. Atque ita plerumque obſervari à Cardinalibus, poſt gl. *in c. Si cui in ver. Præter de elect. lib.* 6. teſtatur Abb. *conſ.* 25. *incip. Quoniam col. fin. n.* 4. *verſ. Circa quintum lib.* 1. Quinimò,
36 quod videtur mirabile Card. *hic n.* 10. *in* 10. *qu.* poſt gloſſ. præalleg. dicit, ſi omnes Cardinales nemine diſſentiente ſtatuerent, ut ſtaretur electioni majoris partis partium comparatione minorum, valeret cum in electione Papæ non habeant locum formæ, *c. Quia propter*, & *in qu. ſeqq.* In compromiſſo ſequitur Compoſtell. & Hoſt. itaut ſi fiat compromiſſum, & eligatur nominatus non à duabus partibus, ſed à majori, valeat; & de majori etiam non ſimpliciter, ſed comparatione minorum partium. Ex quibus apparet hanc eſſe unanimen Canoniſtarum ſententiam. quæ nec reprobatur per id quod legitur in Clem. *Ne Romani in princip. de elect.* ut ibi notat gl. *in ver. Reprobamus*.

37 Ac demùm eidem ſententiæ ſuffragatur, quòd tam ex diſpoſitione juris communis, quàm ex Gregoriana conſtitutione licèt Cardinalib. nemine diſſentiente eligendi poteſtatem duobus, vel pluribus de Collegio committere. De jure communi patet *in cap. Quia propter*, §. 2. & *in cap. In cauſis infr. eod.* Abb. *n.* 2. dicit non eſſe vim in numero compromiſſariorum, cùm univerſitas poſſit eos eligere in numero ſibi grato, & idem ante ipſum dixit Abbas Antiq. in *d. c. Quia propter n.* 20. *verſ. Sed ſi huic adhæreas opinioni*. Undè videmus interdum eligendi poteſtatem dari tribus, ut in *cap. Cum dilectus infr. eod.* interdum quinque, ut in *d. cap. In cauſis*: quandoque ſex, ut *in cap. Cùm in veteri infrà eod.* & quandoque ſeptem, ut infrà *in c. Cum in jure*. Imò de compromiſſo inito in unum tantùm eſt caſus *in c. Cauſam*, & ibi dixi de compromiſſo inito in unum tantùm ex Cardinalibus, & *in c. Inter Canonicos infra eod.* & *in c. Poſt tranſlationem de renunc.* Ex Gregoriana autem conſtitutione id conſtat in §. *Matura itaque*, & *in* §. *Quod ſi electio*. Si igitur fas eſt Cardinalibus eligendi poteſtatem committere duobus, vel tribus de Collegio, longè magis eiſdem fas erit eamdem poteſtatem committere majori parti ejuſdem Collegii: magis enim conſulitur Eccleſiæ univerſali, cùm electio plurimorum approbatur aſſenſu. *cap. Prudentiam de off. deleg. gl. in c. Auditis in verb. Irritandam infrà hoc tit. Ubi enim multa conſilia, ibi ſalus*, Proverb. 24. Et in hac materia tradit Abb. *in c. Conſtitutis poſt n.* 2. *verſ. Nec ſecundum eum inf. eod.*

38 Pro contraria verò opinione plurimùm videtur urgere, quod ex Conſtitutione Gregorii *in d. c. Quod ſi electio*, nulla decernitur electio Romani Pontificis aliter celebrata, quàm per ſecreta ſchedularum ſuffragia in ſcrutinio, ſeu ſcrutinio & acceſſu, vel per compromiſſum, vel quaſi per inſpirationem. Quibus verbis, ut dictum eſt ſuprà *nu.* 25. ſublata eſt diſpoſitio hujus decretalis, & electio redacta eſt ad tres formas Concilii Generalis, de quibus *in cap. Quia propter infrà eod.* Electio autem facta à majori parte Collegii de conſenſu omnium, nec videtur ſuſtineri poſſe ut electio per ſcrutinium, nec ut per compromiſſum, nec ut quaſi per inſpirationem.

39 Non quidem ut electio per ſcrutinium: quia in ſcrutinio ex Gregoriana conſtitutione, ad electionis validitatem requiruntur ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium, ac proindè ſatis non eſt, ut electio celebretur à majori parte Collegii, licèt omnes conſentiant, ut ita celebretur. Nam conſtitutio duo exigit neceſſariò in hac forma; Primùm ut celebretur electio per conſenſum, & hoc primum requiſitum concurrit in electione facta à majori parte de conſenſu omnium; unanimiter enim à toto Collegio cenſetur eſſe facta, ex quo facta fuit per eos, in quos totum Collegium eligendi tranſtulerat poteſtatem. Quæ ſunt formalia verba text. *in cap. In cauſis*, §. *Quia vero infrà eod.* & dictum eſt ſupra *numer.* 34. Deindè exigit, ut ejuſmodi conſenſus duarum partium non aliter exprimatur, quàm per ſecreta ſchedularum ſuffragia; & hoc ſecundum requiſitum omninò deficit in hac eligendi ratione, quia duarum partium conſenſus non exprimitur per ſcrutinium ſecretum.
Quę interpretatio apertiſſimè colligitur ex textu in *cap. Si* 40
cui de elect. in 6. ubi deciditur non valere electionem factam à minori parte de conſenſu totius capituli, non alia ratione, niſi quia ex *c. Quia propter*, aliis omiſſis, duo ſubſtantialia ad electionem requiruntur in Eccleſiis inferioribus: Alterum ut fiat à minori parte Capituli: Alterum ut ſuffragia majoris partis accipiantur in ſcrutinio ſecreto. Et quamvis primum requiſitum non deſit ubi electio fit à majori parte de conſenſu omnium, ut proximè dictum eſt; deeſt tamen ſecundum, dum dicit: *Si cui eligendi poteſtas* data fuerit ſub hac forma, ut ipſe ſecretò, & ſingillatim votis ſingulorum de Capitulo inquiſitis eum eligat, in quem plures de Capitulo partium comparatione minorum conſenſerint, ipſique juxta traditam ſibi formam, eum in quem non major pars, ſed plures de dicto Capitulo, qui in quemquam alium direxerant vota, duxerit eligendum, talis electio, cum præter formas, quas generale Concilium ſervari ſtatuit in electionibus celebrandis, fuerit attentata, robur non obtinet firmitatis. Ubi obſervandum eſt, dum textus declarat ejuſmodi electionem eſſe nullam, eò quòd ſi præter formas Generalis Concilii, hanc nullitatem non oriri ex eo, quòd electio celebrata fuerit à minori parte; hoc enim vitium excluditur, ex quo omnes conſenſerunt, ut ita celebraretur, *ut in d.* §. *Quia verò*: ſed potiùs ex eo, quòd per ſecreta ſuffragia non fuerit expreſſus conſenſus majoris partis Capituli, ut requirit Conc. Generale; ſed plurium dumtaxat partium comparatione minorum. Si enim conſenſus majoris partis fuiſſet expreſſus per ſuffragia ſecreta, electio ſub hac forma valida eſſet, ut eſt textus ad litter. *in c. Cum expediat de elect. lib.* 6.

Quemadmodum ergo de jure communi idcircò non valet electio Prelati facta à minori parte Capituli de conſenſu omnium, quia eſt præter formam generalis Concilii, quod exigit ſecreta ſuffragia majoris partis: eodem modo non valebit electio Rom. Pontificis facta a paucioribus, quàm à duobus partibus, de omnium conſenſu, cum ſit præter, vel contra Gregorianam conſtitutionem, quæ requirit ſecreta ſchedularum ſuffragia, ſaltem duarum ex tribus partibus Cardinalium.

Atque hinc patet reſponſio ad objecta. Ad textum enim *in cap. Cum dilectus*, & *cap. Cum expediat*, reſpondetur, ideò valere electionem factam à majori parte Capituli de conſenſu omnium, quia in electionibus inferiorum ſatis eſt, ut major pars Capituli per ſecretum ſcrutinium conſentiat, juxta *d. cap. Quia propter infra eod.* at in electione Papæ hodie requiruntur ſecreta ſuffragia duarum partium.

Ad ſecundum reſpondetur, propterea de jure communi 41
potuiſſe Cardinales convenire, ut valeret electio celebrata à majori parte, quia nulla forma in electione Romani Pontificis tunc temporis præſcripta erat; ſed ſufficiebat, ut duæ partes quoquomodò conſentirent, ut hic in textu, & plenius dictum eſt ſupra *in ult. not.* At poſt Gregorianam conſtitutionem ſecùs dicendum videtur, cùm non ſufficiat, ut duæ partes conſentiant quoquomodo, ſed certas formas ſervare teneantur; & ita in ſpecie reſpondit gloſ. *in d. c. Si cui in ver. Præter de elect. in* 6.

Sed neque hęc forma eligendi videtur ſuſtineri poſſe ut 42
electio per compromiſſum: nam compromiſſum factum in aliquam partem Collegii videtur initum in perſonam incertam, ac proindè non valere per *l. Item ſi unus*, §. *Si in duos, ff. de arbitr.* Cujus deciſionem approbavit textus in 43
c. Innotuit infrà de arbitr. in illis verbis: *Cum legali ſit proviſione ſtatutum, ut compromiſſum de incerta perſona aſſumenda non teneat*.

Deindè verò hęc forma videtur improbata, quia per 44
eam

eam quodammodò Collegium in ſeipſum compromitteret. Certum eſt enim, poſtquàm conventum eſt, ut valeat electio facta à majori parte, Cardinalium vota eſſe exquirenda, ut conſtare poſſit, quis majorem ſuffragiorum partem obtinuerit, ut Joan. Monach. & alii notant in *dict. c.*
45 *Cùm expediat, de elect. lib. 6.* Atque ita idem Collegium eſſet de re ſua compromiſſor, & compromiſſarius, quod jure fieri non poteſt, ut probatur in *leg. penult. ff. de recept. arbitr.* cujus hæc ſunt verba: *Si de re ſua quis arbiter factus eſt, ſententiam dicere non poteſt, quia ſe facere juberet, aut parare prohiberet; neque autem imperare ſibi, neque prohibere quiſquam poſt*, Per quem text. Abb. *in cap.*
46 *In Geneſi, num. 2. infrà eodem*, dicit non poſſe Capitulum eſſe judicem, ſi aliquod dubium oriatur inter majorem partem Capituli, & aliquos ſingulares de Capitulo; nec putat valere conſtitutionem Capituli in contrarium.

Et per hoc patet etiam reſponſio ad ultimum motivum, videlicet, quòd ſi Collegium poteſt paucis aliquot eligendi poteſtatem committere, ergo multò magis majori parti. Etenim non videtur procedere hoc argumentum, quia hæc poteſtas transferri non poteſt in perſonas incertas, nec in ſeipſum; & ita videtur reſpondere Jo. Monach. *in d. c. Si cui, de elect. in 6.*

47 Non poteſt denique hæc forma eligendi ſuſtineri ut quaſi per inſpirationem; ſiquidem hæc fieri dicitur, cùm omnes Cardinales quaſi afflati Spiritu ſancto, aliquem unanimiter viva voce Summum Pontificem proclamant;
48 adeò ut, ſi vel unus diſſentiat, aut contradicat, non reputetur inſpiratio Dei communis fuiſſe, ut in Decretali, *Quia propter, in verſ. Niſi*, ubi omnes notant, *infra eod.* & patet ex Gregoriana conſtitutione in §. *Matura*, & §. *Quod ſi electio*. In hac autem forma eligendi conſenſus totius Collegii in perſonam certam non fertur, nec viva voce ab omnibus Romanus Pontifex proclamatur. Unde electio hujuſmodi ad formam quaſi inſpirationis referri non poteſt.

49 Ac præpterea major pars Collegii, in quam initum eſt compromiſſum, non prohibetur de ſpeciali perſona tractare ad negotium electionis meliùs, & celeriùs abſolvendum. Imò tractatus in hac forma per compromiſſum, de qua agitur, eſt unum ex ſubſtantialibus requiſitis, ut
50 poſt Bald. notat. Butr. *in d. c. In cauſis, num. 2. infr. eodem.* Et tamen hìc tractatus adeò repugnat electioni quaſi inſpiratæ, ut electio prævio tractatu celebrata dicatur potius per inſtigationem, quàm per inſpirationem, ut ait Gulielm. Cardin. *in tract. de elect. novor. Prælat. cap. 52. & par. 2. c. 11.* Jo. Andr. *cap. Quia propter, n. 40. infr. eod.* poſt Hoſt. *ibi, n. 50. & in ſumma eod. tit. §. Qualiter, verſ. Tertia forma*, Card. Jacobat. *de Concil. lib. 4. artic. 4. pag. 250.* Specul. *in tit. de elect. §. fin.* & Ripa *reſponſo 30. alias 5. nu. 10. eod. tit.* inferentes propterea caſſatam fuiſſe electionem Parmenſis electi, quam Bernardi gloſſa dictaverat, quia dicebatur habito diligenti tractatu fuiſſe per inſpirationem, ſeu quaſi electus; & idipſum clarè conſtat ex dicta conſtitutione Gregorii *in eod. §. Quod ſi electio*, ubi pro forma electionis quaſi per inſpirationem exigitur, ut fiat nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu.

51 Ac deniquè major pars Collegii, in quam fieret compromiſſum, non prohiberetur eligere per ſcrutinium ſecretum. Imò honeſtus eſſet, ut eò modo eligeret, ut ait Ant. de Butr. *in d. c. Quia propter, n. 45.* Et tamen electio
52 quaſi per inſpirationem non poteſt conſiſtere, niſi fiat per verbum, *Eligo*, intelligibili voce prolatum, ut ſtatuitur in eadem conſtitutione locis citatis, & tradunt Specul. & Ripa *ubi ſup.*

53 Quamobrem hæc ratio eligendi cum ad nullam ex præſcriptis formis referri poſſit, conſequens eſt, ut nulla prorsùs, atque irrita ſit ex conſtitutione Gregorii *in dict. §. Quod ſi electio*, adeò ut nec conſiſtere poſſit ob unanimen Patrum conſenſum; tum quia hoc jus publicum, in favorem univerſalis Eccleſiæ introductum eſt, cui renuntiari non poteſt pacto privatorum, ut hìc notat Compoſtell. *num. 6.* tum quia cœtus Cardinalium conſtitutionem Papæ ſuper electione Romani Pontificis immutare non poteſt, ut eſt expreſſum in Clem. *Ne Romani, in princip. de elect.* ubi reprobatur contraria opinio; tum denique, quia decretum irritans in conſtitutione Gregorii appoſitum inducit formam, Bald. *in l. 1. ff. de liber. & poſthum.* formæ autem non poteſt renuntiari, ut notat Bart. *in l. De his, ff. de tranſact.* Albert. Brun. *in tract. de forma, fol. 33. col. 1.* Et propterea, ubi tale decretum opponitur, 54
conſenſus partium nihil operatur, gloſſ. *in cap. Statutum, in princ. in ver. Committatur, de reſcr. in 6.*

Et eò magis, quia in eadem conſtitutione ſtatutum eſt his verbis: *Poſtremò iiſdem omnibus, & ſingulis S. R. E. Cardinalibus, & eorum ſacro Collegio inhibemus, ne contra hæc, vel eorum aliquod ſtatuere, diſponere, vel ordinare, ſeu in aliquo corrigere, alterare, mutare, ſeu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præſumant.* Et in Bulla Cæremonialis appoſita eſt etiam clauſula, *ſublata*, per quam adimitur Cardinalibus aliter ſtatuendi, & judicandi facultas, Rota apud Seraph. *dec. 35. n. 5.*

His in utramque partem adductis, pro ſolutione quæ- 55
ſtionis præmitto, conſtitutiones omnes juris communis de Prælatorum electionibus loquentes habere locum in electione Papali, præter illas ſolas, quibus per hanc decretalem, & per jura nova de electione Papæ loquentia fuit ſpecialiter derogatum, argum. *leg. Præcepimus, in fine, Cod. de appellat. leg. Sancimus, Cod. de teſtam. c. Cum expediat, de elect. in 6.* & declarat formaliter Bellarm. *in cap. Si quis Apoſtolicæ, num. 4.* & ibi etiam Præpoſ. *num. 2. verſ. Item ex hoc infert Bellarm. 79. diſt.* Quo præmiſſo, conſiderabam S. R. E. Cardinales tribus modis poſſe convenire, ut valeat electio facta à majori parte Collegii,

Primus eſt, cùm omnes, & ſinguli comprommittunt 56
in aliquos ex ſacro Collegio, hac tamen forma adjecta, ut compromiſſarii votis ſingulorum per ſecretum ſcrutinium exquiſitis, eum eligant, in quem major pars Collegii conſenſerit. Et hic primus modus validus erat de jure communi, quando in electione Romani Pontificis non habebant locum formæ, ut tenet gloſſ. *in cap. Si cui, in ver. Præter, de elect. lib. 6.* & Anton. de Roſell. *in tract. de poteſt. Papæ, §. Secundùm unum tractatum, nu. 8.* Sed hodie repugnante ſupradicta conſtitutione, hic modus non videtur poſſe conſiſtere; quandoquidem habet implicitas duas formas eligendi, alteram ſcilicet per compromiſſum, cujus vigore compromiſſarii eligunt eum, in quem major pars Collegii conſenſit, alteram ſcrutinii, cujus vigore iidem compromiſſarii vota ſingulorum ſcrutantur ad effectum eligendi eum, in quem compererint conſenſiſſe majorem partem Collegii. Et quidem in ea parte, quæ pertinent ad compromiſſum, electio ſuſtinetur, quia etſi compromiſſarii eligant eum, in quem conſenſit major pars Collegii dumtaxat; tamen ex quo omnes conſenſerunt, ut ita electio fieret, omnes elegiſſe videntur, ut eſt textus *in c. In cauſis, §. Quia vero, infr. eodem*, & tenet Compoſtell. & alii, quos citavimus *ſup. num. 31. uſque ad num. 37.* Et ita hac in parte cenſetur ſatisfieri Gregorianæ conſtitutioni, quæ in electione per compromiſſum requirit conſenſum omnium nemine diſſentiente. Sed in ea parte, quæ reſpicit ſcrutinium, electio ſuſtineri non poteſt. Ratio eſt, quia in hac forma electionis per ſcrutinium, quod ſpectat ad rem præſentem, ex conſtitutione Gregorii duo ſubſtantialia requiruntur, ut etiam dictum eſt ſupra *num. 39.* Primò enim requiritur conſenſus duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium. Et hoc primum requiſitum ſimiliter concurrit hoc caſu, quia nedum duæ partes, ſed omnes, & ſinguli cenſentur conſentire propter conſenſum ab initio præſtitum in compromiſſo nemine diſſentiente inito, ut proximè dictum eſt. Deindè requiritur, ut hujuſmodi conſenſus duarum ex tribus partibus Cardinalium non quoquomodo exprimatur, ſed per ſecreta ſchedularum ſuffragia. Et hoc ſecundum requiſitum omninò deficit in hoc primo modo eligendi, quia in ſcrutinio non concurrunt ſecreta ſuffragia duarum partium, ſed tantummodò majoris partis Collegii. Et conſequenter irrita eſt electio, utpotè celebrata contra formam Conſtitutionis, cui Cardinales renuntiare non poſſunt, Clem. 2. *in princip. de elect.* & pleniùs dictum eſt ſupra *n. 53. & ſeqq.*

Et in his terminis loquitur textus in *d. c. Si cui, de elect. lib. 6.* ibi enim fuit initum compromiſſum in uno de Capitulo hac forma, ut ille votis omnium ſingillatim, ac ſecretò exquiſitis, eum eligeret, in quem non major pars Capituli, ſed plures partium comparatione minorum conſen-

ſentirent. Non mirum ergo, ſi electio ibi declaratur invalida, quia non adfuerunt ſecreta ſuffragia majoris partis Capituli, prout requiritur ex forma generalis Concilii,ut latiùs oſtenſum eſt ſup. *num.* 40.

Quæ quidem declaratio ſatis colligitur ex verbis gloſſæ *in cap. Cum expediat*, *in ver. Inquiſitis*, *de elect. in* 6. ubi ait ejuſmodi formam eſſe partim ex ſcrutinio, partim ex compromiſſo, & ſequitur Butr. *ibi num.* 10. *ad fin.* & Anchar. *in* 2. *notab.* Et quatenùs ſit forma per compromiſſum, ut placet Jo. Mon. & Jo. Andr. adhuc tamen eſt nulla, cùm ſit determinata, ſeu qualificata per aliam formam non approbatam à generali Concilio, ut advertunt Butr. & Anchar. *locis citat.* Et in his tantùm terminis procedunt ea, quæ in contrarium retulimus ſup. *num.*38. *& ſeqq.* Sicut igitur electio inferioris Prælati ſecundùm hunc primum modum celebrata,idcircò decernitur invalida in *d. cap.Si cui*, *de elect in* 6. quia in ſcrutinio non fuit per ſecreta ſuffragia expreſſus conſenſus majoris partis Capituli, ſed plurium dumtaxat partium comparatione minorum, quod eſt contra formam Decretalis, *Quia propter*, *infrà eod.* ad eumdem prorsùs modum invalida eſt electio Papæ, cùm in ſcrutinio ſecundùm hanc formam per ſecreta ſchedularum ſuffragia non ſit expreſſus conſenſus duarum ex tribus partibus Cardinalium, ſed tantummodò majoris partis Collegii; quod eſt contra formam Gregorianæ Conſtitutionis.

57 Secundus verò modus eſt, cum Patres ſimiliter nullo diſſentiente compromittunt in aliquos de Collegio, ita tamen ut compromiſſarii teneantur eum eligere,in quem liberè, ac nulla forma obſervata major pars Collegii conſenſerit. Qui modus in hoc differt à primo, quòd in illo expreſſum fuit, ut conſenſus majoris partis exprimeretur per ſecretum ſcrutinium, juxta terminos *d. cap. Si cui*, *de elect. in* 6. in hoc autem non item. Quam differentiam agnoſcunt illic Doctores, ut mox dicetur. Et hìc quidem ſecundus modus, ut credimus, non improbatur à Gregoriana Conſtitutione: ſicut non improbatur in electionibus inferiorum Prælatorum, ut eſt textus in *d. cap.Cùm dilectus*, §. *Verùm*, *infr. eod.* cujus diſpoſitio non fuit poſteà abrogata per Concilium generale in Decretali *Quia propter*, ut deciditur *in cap. Cum expediat*, *eod. tit. lib.*6. Eſt enim pura, & ſimplex electio per viam compromiſſi nemine diſſentiente initi, ut in *d.* §. *Verum*; non autem mixta compromiſſo, & ſcrutinio, aut determinata per ſcrutinium, ſicuti eſt illa, quæ improbatur in *d. c. Si cui*; & ita ibi expreſsè declarat Petr. de Anchar. *ſub num.* 3. his verbis: *Ego reddo aliam rationem, & dico, quod in caſu hujus Capituli magis conſiderantur vota ſcrutinii, quàm formæ commiſſio, à qua forma videntur Canonici reſilire, contrarium in ſcrutinio diſponendo. Secus credo, ſi pluribus, pone ſeptem, data eſſet poteſtas eligendi juxta formam hic præfixam ſine inquiſitione votorum, ſed ſimpliciter, prout eis, & pluribus eorum placuerit; nam ſi duo unum, duo alium, & tres alium eligant, valebit electio trium; quia plures compromiſſarii non eligunt tamquam Collegiati, ſed tamquam ſinguli. Ergo valet, quod fit à pluribus, per notata in cap. Quoniam, de jurepatron. in novell. Nam ſicut in unum poſſunt transferre totalem poteſtatem, ita hoc caſu in tres, & ſeptem tranſtuliſſe videntur.* Ita Ancharan. quem totidem ferè verbis ſequitur Franc. Sed & Gemin.*ibidem*: *Aliud*, inquit, *eſt dare poteſtatem,ſeu formam eligendi ſub certa forma, & ita procedit iſta gloſſa cum textu. Aliud eſt ordinare, ut procedi valeat liberè ſine aliqua data forma, & iſto ultimo caſu non procedit iſte textus.* Quæ fuit opinio Lapi, quam veram putat ibi Anchar.*in fine*,& ſequitur Franc. *n.* 4. & Petr. à Biaxio *in Directorio elect. par.*3.*c.*17.*n.*4.

58 Ac propterea videmus in Eccleſiis inferioribus valere compromiſſum factum in aliquem hac forma, ut ille eligat eum, quem poſteà elegerint aliqui de Capitulo, ut eſt textus in *c. In cauſis*, *infr. eod.* ubi DD. not. & in ſpecie Abb. *num.* 2 Ergo ſimiliter in Eccleſia Romana valebit compromiſſum factum in aliquem hac forma, ut ille eligat eum, quem poſteà elegerit major pars ejuſdem Collegii, cùm nulla ratio diverſitatis afferri poſſit.

Neque dicas, ideò hanc poſteriorem formam non valere, quia ſcilicet Collegium videretur quodammodò in ſeipſum compromittere,contra textum in *l. penul. ff. de arbitr.* Etenim ſi hoc verum eſſet, ſequeretur, ut multò minùs liceret compromittere in aliquos adjecta hac forma; ut compromiſſarii eligerent eum, in quem duæ partes Collegii conſentirent: longè enim magis Collegium tunc videretur in ſeipſum compromittere, cùm magis Collegium videantur repræſentare duæ partes illius, quam major pars tantùm,ut in *c. Si quando*,*& in c. Indemnitatibus*, *de elect.in* 6. & tamen hoc eſt falſum, quia valet compromiſſum initum à Patribus hac forma, ut compromiſſarii eligant nominatum à duabus partibus Collegii, per textum in *dict.cap.Cùm dilectus*, *inf.eod.* & in *cap. Cùm expediat*, *eod. tit. lib.* 6. Idque nemo inficiatur.

Ac demùm ſi urgeas, hanc formam idcircò non videri 59
ſacris Canonibus conſentaneam, quia ejuſmodi compromiſſum videtur initum in perſonam incertam,contra text. *in cap.Innotuit*, *de arbitr.*

Reſpondebimus, eamdem objectionem fieri poſſe in compromiſſo inito in aliquem hac adjecta forma, ut ille eum eligat, in quem duæ partes Collegii conſenſerint. Et tamen hæc forma compromiſſi valida eſt, ut dictum eſt ſupra proximè.

Præterea compromiſſarii ad eligendum poſſunt à principio eſſe incerti, certificandi tamen per eos, quibus eſt data eligendi poteſtas, ut dicit Abb.in *d. c. In cauſis*, *n.* 2. *infr. eod.* Qui propterea ſubdit ita eſſe limitandum textum in *d.c.Innotuit*, *de arbitr.*Idque fuſiùs proſequitur *in d.cap. Innotuit*, *& in cap.ſeqq.* ubi de hoc eſt textus ſecundùm intellectum gloſſæ, & Innocentii, qui placet eidem Abbati; & ſequitur Petr. à Biaxio *in director. elect. par.* 3. *cap.* 17. *num.* 5. Itaque hic ſecundus modus eligendi, qui tandem non eſt, niſi per compromiſſum nemine diſſentiente initum, nec à ſacris Canonibus, nec à prædicta Conſtitutione videtur improbatus,cùm non habeat implicitam formam ſcrutinii, in qua ſola fundatur ratio prohibitionis *d. c. Si cui*,*de elect. in* 6. ſicut non improbatur de jure communi in Eccleſiis inferioribus, ut patet in *d.cap. Cùm dilectus*, *infra eod.*

Tertius denique modus eſt, cum Cardinales unanimes 60
directè, & immediatè compromittunt in majorem partem Collegii. Et tunc, aut in compromiſſo adjicitur forma, ut major pars eligere debeat ſervata forma ſcrutinii,& puto compromiſſum non poſſe conſiſtere, quia annexam habet ſcrutinii formam,quæ ex dicta Conſtitutione ſervari non poteſt, niſi concurrant ſecreta ſuffragia, ſaltem duarum ex tribus partibus Cardinalium, ut ſimiliter conſtat ex jam dictis in primo modo *num.* 56.

Aut verò nulla præſcribitur forma, ſed ſimpliciter fit 61
compromiſſum in majorem partem Collegii; quo caſu ſatis eſt, ut quomodolibet appareat de conſenſu majoris partis, cùm compromiſſarii non arctentur ad eligendum ſervata forma ſcrutinii, vel alia, ut notat gloſſ. Jo.Mon. Jo. Andr.& Gemin.in *d.c.Si cui*, *de elect. in* 6. Butr. *in c.Quia propter*,*num.*45. *infr. eod.* & Petr. à Biaxio *in director. elect. part.* 3. *cap.* 17. *num.*4.

Et hoc caſu hic tertius modus nec à Conſtitutione Gregorii, nec à jure communi improbatus videtur. Non à Conſtitutione, quia per eam in propoſito nihil aliud requiritur in electione, quæ fit per viam compromiſſi, quàm ut fiat ab omnibus Cardinalibus nemine diſſentiente. Quod requiſitum concurrit in hac forma compromiſſi, ut ſupponitur. De jure communi autem poſſe Cardinales unanimes directè compromittere in majorem partem Collegii, concors Canoniſtarum ſententia eſt, ut abundè oſtenſum eſt ſupra *à num.* 31. *uſque ad num.* 37. Et probatur præter rationes ibi adductas, quia ſi ejuſmodi compromiſſum eſſet à jure improbatum, id tantùm accideret,aut quia major pars Collegii eſſet incerta, contra textum *in ca. Innotuit*, *de arbitr.* Aut quia Collegium hoc modo in ſeipſum compromitteret,contra *l.penult. ff.eod.* Neutrum autem ex his videtur obſtare.

Et quidem non primum, quia etſi perſonæ Cardina- 62
lium conſtituentes majorem partem Collegii non ſint omninò certæ; tamen eſt certa illa pars Collegii, in quam initum eſt compromiſſum; idque ſatis eſt, quia poteſtas eligendi hoc caſu non transfertur in ſingulares perſonas, ſed in quotam, ſeu partem univerſalem ipſius Collegii, quæ ſemper eſt certa, licèt varientur perſonæ, Bald. in *l.Civitates*, §. *In decurionibus*, *num.* 1. *ff. quod cujuſque univerſ.nom.*

Ideò-

63 Ideòque videmus valere compromiſſum initum in Collegium, imò & in Concilium Generale, ut reſpondit Gemin. *conſ. 65. num. 9. & 10.* Et tamen eo caſu ad eligendum non requiritur conſenſus omnium, & ſingulorum, quia compromiſſum non eſt initum in perſonas, ſed ſufficit major pars Collegii, ut tenet Butr. in *c. In cauſis, num. 9. infrà eod.* & Abb. *infrà, in c. Cùm dilectus, num. 2.* & Petr. à Biax. *in director. elect. par. 3. cap. 17. num. 3.* ubi alios refert, & conſtat ex his, quæ ſcripſit Anchar. *in d. c. Si cui, num. 3. eodem tit. in 6.* Sicut ergo compromiſſum ab aliquo initum in Collegium valet, quamvis perſonæ majorem partem illius conſtituentes, quæ ad electionem ſufficiunt, videantur incertæ: ita etiam valere debet, ſi expreſsè fiat in majorem partem Collegii, cùm major pars ſit expreſſio ejus, quod tacitè ineſt, quæ nihil operatur, ut *l. 3. ff. de legat. 1. cum ſimilib.* Præterea valet compromiſſum de jure communi initum hac forma adjecta, ut ille eum eligat, in quem major pars Capituli conſenſerit, ut eſt text. in *d. c. Cùm dilectus, infrà eodem*, & in *cap. Cùm expediat, eodem tit. in 6.* & tamen eo caſu compromiſſum cenſetur initum in majorem partem Capituli, ut patet ex his, quæ tradit Abb. in *d. cap. In cauſis, n. 2.* & Joan. de Anan. *n. 1. infrà eod.* Ergo non vitiatur hæc forma compromittendi ex eo, quòd major pars Collegii videatur incerta.

64 Sed nec videtur vitiari ex eo, quòd hoc modo ſacrum Collegium videatur quodammodo in ſeipſum compromittere: advertendum eſt enim majorem partem Collegii poſſe dupliciter conſiderari. Primo ſimpliciter, & abſolutè, & tunc, ubi eſt major pars, ibi regulariter eſse dicitur totum Collegium, *c. In Geneſi, & c. Eccleſia veſtra, infrà eod. c. 1. & in fin. de his, quæ fiunt à major. par.* & not. gloſſ. *in cap. Inter Canonicos, in ver. Capituli, infr. eodem.* Deindè conſiderari poſset non ſimpliciter, & abſolutè, ſed reſpectu duarum partium, aut etiam totius Collegii; & tunc major pars Collegium non faciat, ſed duæ partes vicem totius Collegii obtinent, ut hic, & infrà *in c. Scriptum eſt in Apocalypſi, c. Si quando, & c. Indemnitatibus, eod. tit. in 6.* & docet gloſſ. *in d. c. Inter Canonicos, & in ver. Aliam.*

Certum eſt autem, dum ſacrum Collegium nullo ex Cardinalibus diſcrepante compromittit in majorem partem ipſius, hanc partem non eſse abſolutè, & ſimpliciter accipiendam, ita ut integrum Collegium conſtituat; hoc enim modo Collegium in ſeipſum compromitteret: ſed eſse accipiendam, ut contra diſtinguitur à toto Collegio compromittente, ſicut accipitur in *d. cap. Cùm dilectus*, quando fit compromiſsum in aliquem eo pacto, ut ille eligat eum, quem major pars Capituli nominaverit. Eo enim caſu, quamvis compromiſſum etiam in majorem partem Capituli, ab eodem Capitulo initum cenſeatur, ut ſuperius diximus; tamen non ideò compromiſsum vitiatur, quaſi Capitulum in ſeipſum compromiſerit. Ratio eſt, quia illa pars accipitur illic, ut contra diſtinguitur à Ca-
65 pitulo univerſo. eodem igitur modo major pars hoc caſu integrum Collegium non facit, niſi per repræſentationem, ut inquit Roman. *conſ. 366. num. 4.* quia ſcilicet ad electionem procedere debet vice, & nomine totius Collegii, ſeu perfictionem, ut dicit Abb. in *d. c. In cauſis, n. 6. infrà eod. Quia*, inquit, *quod fit per compromiſſarium,*
66 *fingitur eſſe factum per ipſum committentem.* Quomodo etiam ſingularis perſona de Collegio ipſum Collegium repræſentat, licèt Collegium non faciat, ut conſtat ex Decretali, *Quia propter, infrà eod.* ibi: *Qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideat de Paſtore.* Quemadmodum ergo ſpeciales illi compromiſsarii, quamvis eligant vice omnium, & eo modo Collegium repræſentent, non tamen dicuntur facere Collegium, adeòut idem Collegium in ſeipſum compromiſerit: ita etiam illa major pars Collegii, tametſi vice omnium celebret electionem, non tamen ita Collegium conſtituit, ut compromiſsum in ſe initum videatur.

67 Sed objicies: Poſt factum compromiſsum vota ſingulorum exquiri debent, ut conſtare poſſit, an quis habuerit ſuffragia majoris partis, ut in *d. c. Cùm expediat*, notat Archid. *in ver. Secreto*, Joan. Mon. *num. 6. verſ. Item hæc acceſſio*, Innoc. & Conpoſt. in *c. Quia propter, infrà eod.* Ergo Collegium videtur per hanc formam compromiſiſse in ſeipſum. At nego aſsumptum, quia vota ſingulorum tantummodò ſcrutanda ſunt, quando electioni per compromiſsum adjiciatur etiam forma ſcrutinii, juxta textum in *d. c. Cùm expediat*, idest, cùm ſit compromiſsum in aliquem adjecta forma, ut votis omnium ſecretò, & ſigillatim inquiſitis, eum eligat, in quem major pars Collegii conſenſerit; qui eſt primus modus compromittendi, de quo egimus ſuprà *num. 56.* & in his terminis loquuntur Archid. qui notabiliter ponderat *ver. Sigillatim*, Jo. Mon. & alii proximè citati. Secùs autem eſt, quando compromiſſum eſt ſimplex; tunc enim ſatis eſt, ut de conſenſu majoris partis appareat, quo modo nec ſcrutinium requiritur, ut declarat gloſſ. *in d. c. Cùm dilectus, in ver. Examinatis, infrà eodem*, Butr. *in dict. c. Quia propter, n. 45. & in dict. c. Cùm expediat, n. 10.* & notat idemmet Jo. Mon. Jo. Andr. & Gemin. in *cap. Si cui, hoc tit. lib. 6.*

His accedit, quòd etſi Vincentius in *d. cap. In cauſis, infr.* 68
eodem, ſenſerit in compromiſſo conſenſum non debere eſſe ſingulorum, ſed in communi, ita ut ſicut ex ſingularibus conſenſibus fit communis electio, ita ex ſingularibus conſenſibus fieri debeat communis poteſtatis translatio; tamen Papa determinavit contrarium, ut ait Compoſtell. in *cap. Quia propter, infrà eodem*, quia licèt electio ſit univerſitatis, translatio tamen poteſtatis eſt ſingulorum; transferunt enim jus, quod habent, & ſinguli debent ſigillatim requiri, & expreſſim in hoc conſentire; nec ſufficit, ut unus aliis non contradicentibus, vel aliqui de eiſdem compromittant ſuo, & aliorum nomine; & ſequun- 69
tur totidem verbis Petr. de Anch. *in 2. notab.* & Joan. de Anan. itidem *in 2. notab. in d. cap. In cauſis*. Quod patet etiam ex eo, quia aliquid eſſe commune pluribus ut ſingulis, ex hoc vel maximè dignoſcitur, quod factum majoris partis non præjudicat diſſentienti, Gloſſ. & DD. *in c. Cùm omnes, de conſt.* & notat Anchar. *in d. c. Si cui, num. 3. de elect. in 6.*

Sicut è contra aliquid eſſe commune pluribus ut univerſis, ex eo potiſſimùm deprehenditur, quòd major pars præjudicat minori, *cap. 1. de his, quæ fiunt à major. par. cap.* & *l. Quod major. ff. Ad municip.* Compromiſſum autem fieri non poteſt, ſi vel unus diſſentiat, aut contradicat, quia cùm ſinguli vocem habeant in electione; nemo ſuffragio ſuo privari debet, aut compelli jus ſuum dare alteri, ut dicit gloſſ. *in dict. cap. Quia propter. in ver. Vice omnium*, quam communiter ſequuntur Doctores; & conſtat ex Gregoriana conſtitutione *in dict. §. Quòd ſi electio*, Cùm igitur compromiſſum ſit ſingulorum, nullum vide- 70
tur inconveniens, ut Cardinales, ut ſinguli, compromittant in majorem partem Collegii, ut in Collegium; ſicuti non eſt inconveniens, ut Abbas, qui caput eſt Capituli, aut aliàs de Capitulo, compromittat in ipſum corpus Capituli, ut notat Specul. *in tit. de arbitr. & arbitrar. §. Sequitur, num. 31. verſ. Sed numquid Abbas*, & Marcus Antonius Blancus *in tract. de compromiſſ. quæſt. 2. num. 54.* Diverſis enim reſpectibus non repugnat, ut idem ſit compromiſſor, & compromiſſarius, ex not. per Calderin. *in repet c. De illis, in 7. quæſt. de raptor.* & Abb. *in c. Cùm inferior, de major. & obed.*

Ex quibus videtur concludendum ſuſtineri poſſe hunc 71
tertium modum compromittendi in majorem partem Collegii, dummodò tamen fiat ab omnibus nemine diſſentiente, ut ex dictis conſtat, & latiùs dicam infrà *in quæſtione proximè ſequenti num. 90. verſ. Septimus, & ultimus caſus.*

Succeſſivè quæro, an compromiſſum in aliquos ex Cardinalibus initum hac forma adjecta, ut compromiſſarii votis ſingulorum inquiſitis, in Romanum Pontificem eligere debeant eum, in quem duæ partes Collegii conſenſerint, fieri poſſit à duabus ex tribus partibus Cardinalium; an verò requirat conſenſum omnium, & ſingulorum.

Utilitas quæſtionis eò ſpectat, quia hæc forma ſi ſit 72
Canonica, plurimùm poteſt aliquando prodeſſe celeritati electionis. Primò, quia duæ partes Collegii poterunt electionem celebrare etiam per ſcrutinium apertum, aut alio modo, ut notat gloſſ. *in cap. Cùm expediat, de elect. lib. 6. in ver. Inquiſitis*, quæ propterea addit hanc formam eſſe meliorem, & expeditiorem, quam habeamus: *Non enim*, inquit, *Canonici volunt liberè jus ſuum in alios transferre, & dare illis poteſtatem præficiendi Prælatum. Per formam* 73
ſcru-

ſcrutinii grave eſt procedere, nec omnes benè ſciunt illam formam, & boni Juriſtæ practicam ignorantes in ea deficiunt. Expedientius ergo ſervabitur iſta forma. Hæc gloſſa. Deindè quia faciliùs eſt, ut deſcendant in hanc viam compromiſſi duæ partes Collegii, quàm omnes, & ſinguli Cardinales. Ac demùm, quia in hanc formam electores libentiùs conſentiunt, cùm per eam nullus ſuo privetur ſuffragio, ut inferiùs dicetur.

74 Difficultatem ingerit conſtitutio Gregorii XV. de electione Romani Pontificis, quæ in §. *Quod ſi electio*, nullam decernit electionem per viam compromiſſi, ſi aliter fiat compromiſſum, quàm ab omnibus Cardinalibus in Conclavi præſentibus nemine diſſentiente. Et in §. *Poſtremò*, prohibet Patribus quidquam adverſus conſtitutionem ſtatuere, vel ordinare. Et in Bulla confirmatoria Cæremonialis hac de re editi apponitur clauſula, *Sublata*, ita ut proindè non liceat ſacro Collegio huic formæ renuntiare, ut abundè oſtenſum eſt ſupra in quæſtione præcedenti, *num.* 53. *&* 54.

75 Sed in oppoſitum, videlicet compromiſſum ſub forma ſuperiùs propoſita fieri poſſe à duabus ex tribus partibus Cardinalium, videtur poſſe ſuaderi, quia conſenſus omnium, & ſingulorum in forma compromiſſi neceſſariò requiritur ex conſtitutione Gregorii in electione Papæ, ſicut de jure communi requiritur in electionibus inferiorum ex decreto Generalis Concilii, in *cap. Quia propter*; *infrà eod.* adeò ut propter unius diſſenſum, vel contradictionem actus inficiatur, ut ibi notat gloſſa, quam communiter DD. ſequuntur, ut teſtatur Abb. *in cap. In cauſis*, *num.* 3. *infrà eod.* & tamen in compromiſſo inito in aliquem hac forma, ut ille votis ſingulorum inquiſitis eligat eum, in quem major pars Capituli conſenſerit, omnium conſenſus non requiritur, ſed ſufficit majoris partis, ut determinat Lap. Abb. in *c. Cùm expediat*, *in princip. & circa med. verſ. Sed numquid*, *de elect. lib. 6.* Cujus dictum extollit inter alios Gemin. *ibid. col. 2. verſic. Sed*
76 *quærit Lapus*. Ergo nec in electione Papæ requiritur in ejuſmodi compromiſſo conſenſus omnium, & ſingulorum; ſed duæ partes Cardinalium ſufficiunt, cùm conſtitutio hac in parte recipiat interpretationem paſſivam à jure communi, *leg. Juriſgentium*, *§. Si paciſcar. ff. de pact.* Gloſſ. Bart. & DD. *in l. Sciendum*, *ff. Qui ſatisd. cogan.*

77 Atque hujus ſententiæ præcipuum fundamentum eſt, quia quando fit compromiſſum ſimpliciter, ideò requiritur omnium, & ſingulorum conſenſus, quia nemo invitus privari debet jure ſuo, nec compelli ſuffragium ſuum alteri committere, ut notatur in Decretali, *Quia propter*, *infrà eod.* Nam, ut inquit Abb. *infrà in c. In cauſis*, cujuslibet intereſt ſingulariter, ut eligat per ſe, non per alium; ideò quilibet poteſt contradicere, ne fiat compromiſſum: & ſequitur totidem verbis Petr. à Biaxio *in direct. elect. par.* 3. *c.* 18. *num.* 2.

Hæc autem ratio ceſſat in compromiſſo limitato ſecundùm formam in dubio propoſitam; quia compromiſſarii voces ſingulorum ſcrutari debent, atque ita jure ſuffragium ferendi nullus ex electoribus privatur, ut eſt textus in *d. cap. Cùm expediat*, & ibi declarat Gemin. *loco citato*, & Francus *propè finem*, ubi, quod dicitur, inquit, per compromiſſum non poſſe procedi, niſi omnes conſentiant, intellige, ſi fiat compromiſſum ſimpliciter, ſecus ſi cum forma, ut voces ſingulorum perſcrutentur; quia cùm non præjudicet aliis, poterit per majorem partem compromitti aliis contradicentibus, & valet electio facta ex tali compromiſſo, dummodò dignus eligatur. Idem poſt Joan. de Lign. tenet Anton. de Butr. *in dict. c. Cùm expediat*, *num.* 10. ubi ait: *Si factum eſt compromiſſum, ut compromiſſarius eligat ſcrutatis vocibus ſingulorum, quia tunc non tractatur de præjudicio vocis, non eſt neceſſe, ut omnes conſentiant.*

Et ita hanc ſententiam in propriis terminis electionis Romani Pontificis tuetur Anton. de Roſell. *in tractat. de poteſt. Papæ*, *§. Secundum unum tractatum*, *num.* 8. his verbis: *Sed hic poteſt dubitari, cùm dixerim opus eſſe duas partes Cardinalium conſentire, an eſſet caſus aliquis, in quo poſſit ſufficere minor numerus. Dico quod ſic, ſi fortè Cardinales prius ſtatuiſſent inter ſe, quod electus à majori parte ipſorum foret Papa. Tunc qui haberet majorem partem, quamvis non haberet duas partes Cardinalium, eſſet Papa, per textum in d. c. Licet, de elect. ibi. Niſi major concordia intervenerit. Et eſt ratio, quia tunc electus taliter diceretur electus ab omnibus, ſi omnes in talem conſtitutionem conſenſiſſent, vel à duabus partibus, ſi duæ tantùm partes hoc ſtatutum conſtituiſſent. Quod ſtatutum duæ partes ſolæ poſſent facere etiam aliis contradicentibus, ut in d. c. Licet, verſ. Niſi major, & ita vult gloſſ. in d. c. Si cui, de elect. in 6. in ver. Et nota. Idem dico, ſi omnes conſenſiſſent compromittere in aliquo jus eligendi, tunc electus à talibus compromiſſariis eſſet Papa, quia cenſeretur eſſe electus ab omnib. d. cap. Quia propter. Sed in hoc caſu eſt notandum, quòd compromiſſum non poſſet fieri, niſi conſentientibus omnibus Cardinalibus, quia diſſentienti non deberet fieri præjudicium in voce ſua, l. Sabinus, ff. comm. dividun. Quod ſecus eſſet, quando fieret lex, quod electus à majori parte eſſet Papa, quia in tali lege non fieret præjudicium alicui in voce ſua; & ideò ſufficeret in hac lege duarum partium Cardinalium conſenſus. Ita volunt DD. in d. c. Licet, & in c. Ubi periculum, & in Clem. Ne Romani, & ibi gloſſ. in ver. Reprobamus: & eſt ratio, quia quando fit aliquibus præjudicium in ſingulari, ſicut in via compromiſſi, omnium conſenſus requiritur, ita notatur in d. cap. Quia propter; ſecus ſi fit ſolùm Capitulo præjudicium, ut quando ſtatuitur, quòd electio ſufficiat à majori parte, ut c. Cùm omnes, de conſtit.* Hæc Anton. de Roſell.

Porrò hæc opinio in electione Romani Pontificis veriſſima videtur in terminis juris communis. At poſt Bullam Gregorii XV. eas habet difficultates, quas inferiùs adducemus. Quamobrem pro clariori quæſtionis ſolutione, quia materia perdifficilis eſt, & involuta, perſtringendo omnia dicta tam in hac, quàm in præcedenti quæſtione, arbitror ſequentes caſus eſſe diſtinguendos.

Primus caſus eſt, in compromiſſo à Cardinalibus ini- 78
to in aliquos de Collegio hac forma, ut compromiſſarii votis ſingulorum per ſecretum ſcrutinium inquiſitis teneantur eum eligere in Romanum Pontificem, in quem duæ ex tribus partibus Cardinalium conſenſerint.

Et quidem hujuſmodi compromiſſum credimus eſſe validum tam de jure communi, quàm ex Gregoriana conſtitutione. Probatur apertiſſimè in *c. Cùm expediat*, *de elect. lib.* 6. ubi eſt expreſſum poſſe ſub hac forma licitè compromitti, ut compromiſſarii ſecretò, & ſingillatim voluntatibus omnium inquiſitis, teneantur eum eligere, in quem major, & ſanior pars Capituli conſenſerit; & eamdem formam non fuiſſe poſteà abrogatam per Concilium generale, quod tres formas præſcripſit in electione Romani Pontificis.

Nec obſtat Decretalis, *Si cui*, *eod. tit. & lib. 6.* Nam propterea ibi declaratur invalida electio celebrata per compromiſſum, ut præfertur, limitatum, quia votis ſingulorum ſecretò inquiſitis, in electum conſentiunt plures tantùm de Capitulo partium comparatione minorum, quod eſt contra formam Generalis Concilii, requirentis ſecreta ſuffragia majoris partis Capituli in electionibus inferiorum. Et hoc innuit littera ibi, Non à majori parte Capituli, ſed è pluribus partium comparatione minorum; quaſi ſi à majori parte Capituli celebrata fuiſſet, nullatenus fuiſſet improbata, ut ibi notat gloſſ. in *ver. Non major pars*, & ſic ille textus concordat cum *dict. cap. Cùm expediat*. Atque ita hic primus modus, quamvis habeat implicitam formam compromiſſi, & ſcrutinii, ut per Archid. in *d. c. Cùm expediat circ. fin. in ver. Concilium;* tamen cum in ſcrutinio ſervetur forma Gregorianæ Conſtitutionis, quia duæ partes conſentiunt per ſecreta ſchedularum ſuffragia, non eſt per conſtitutionem abrogatus, ut patet ex dictis, & fuſiùs oſtenſum eſt ſuprà in primo modo quæſtionis præcedentis; *num.* 56.

Hoc autem primò caſu exiſtimo compromiſſum fieri 79
poſſe à duabus ex tribus partibus Cardinalium, hoc, ni fallor, validiſſimo fundamento. Nam conſenſus omnium, nemine diſcrepante, in ſimplici compromiſſo ita requiritur ex decreto Generalis Concilii in inferioribus Eccleſiis, ſicut requiritur ex conſtitutione Gregorii in Eccleſia Romana. Sed in Eccleſiis inferioribus in compromiſſo ſecundùm hanc formam limitato ſufficit conſenſus majoris partis Capituli, non obſtante decreto Generalis Concilii ſecundùm opinionem Lapi, quam communiter ſequuntur DD.

DD. in *d. cap. Cùm expediat*, ut patet ex dictis *num.* 75. Ergo ſimiliter in Eccleſia Romana in hujuſmodi compromiſſo ſufficit conſenſus duarum partium, non obſtante Gregoriana conſtitutione; & hoc per rationem ejuſdem Lapi, quia cum in hac forma omnium vota ſingillatim, & ſecretò exquiri debeant, nulli fit præjudicium in voce ſua. Et ideò in Eccleſiis inferioribus ejuſmodi compromiſſum fieri poteſt à majori parte Capituli, & in Eccleſia Romana à duabus ex tribus partibus Cardinalium, ſecundùm opinionem Ant. de Roſell. de qua ſupra *ſub nu.* 77. cui in hoc primo caſu non adverſatur Gregoriana conſtitutio, quæ videtur intelligenda in compromiſſo ſimplici, non autem in limitato, ſicut Doctores intelligunt decretum Concilii Generalis, in *d. c. Quia propter*, *inf. eod.*

80 Secundus caſus eſt in compromiſſo cum forma, ut compromiſſarii, votis ſingulorum inquiſitis, eligere debeant eum, in quem duæ ex tribus partibus Cardinalium conſenſerint. Qui modus in hoc differt à præcedenti, quòd in illo expreſſum eſt, ut vota ſingulorum exquiri debeant per ſecretum ſcrutinium; in hoc verò ſimpliciter, ut debeant exquiri, nulla facta mentione ſcrutinii ſecreti, vel aperti. Sed nihilominùs arbitror hunc ſecundum modum in effectu non differre à primo, quia illa verba, *Votis ſingulorum inquiſitis*, intelligi debent per ſecretum ſcrutinium, juxta textum in *d. c. Si cui*, *& d. c. Cùm expediat*, *de elect. in* 6. Alioquin ſi intelligerentur per ſcrutinium apertum, compromiſſum non valeret, ut patebit in caſu proximè ſequenti. Et ita exiſtimo hanc formam validam eſſe, & fieri poſſe à duabus ex tribus partibus Cardinalium, dummodò conſenſus duarum partium à compromiſſariis exquiratur per ſecreta ſchedularum ſuffragia, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt in præcedenti caſu.

81 Tertius caſus, & quidem multò difficilior, eſt in compromiſſo inito hac forma adjecta, ut compromiſſarii votis ſingulorum quomodolibet etiam per ſcrutinium apertum inquiſitis, eligere debeant eum, in quem conſenſerint duæ ex tribus partibus Cardinalium: quę forma, ſi eſſet canonica, poſſet aliquando multum conducere celeritati electionis, per ea, quæ dicta ſunt in principio hujus quæſtionis *num.* 72. Et quidem de jure communi hæc forma valida erat, & poterat fieri à duabus ex tribus partibus Cardinalium, ut conſtat ex dictis ſup. *num.* 75. Ratio eſt, quia tunc temporis nulla forma in electione Romani Pontificis erat præſcripta; ſed ſatis erat, ut duæ partes Cardinalium, ſive per ſcrutinium ſecretum, ſive apertum, ſive per adorationem, ſive aliàs quomodolibet conſentirent in aliquem ut in electum, ſecundùm Innocentium *hic*, cum quo tranſeunt communiter Doctores, ut dixi ſuprà *in ult. notab.* Et hanc rationem in terminis aſſignat gloſſ. communiter approbata in *d. c. Si cui*, *in ver. Prætereà*, *de elect. lib.* 6. & tenet in fortioribus terminis Anton. de Roſell. ſupracit. *ſub num.* 77. *verſic. Et ita hanc ſententiam*. At verò poſt Gregorianam conſtitutionem exiſtimo ejuſmodi compromiſſum aut fieri nullatenùs poſſe, aut ſaltem ad illius validitatem requiri conſenſum omnium nemine diſcrepante.

Dixi primò, nullatenùs fieri poſſe: quoniam hæc ratio eligendi habet implicitam formam compromiſſi & ſcrutinii, ut patet ex dictis in quæſtione præcedenti *num.* 56. *&* 57. Et quamvis reſpectu compromiſſi ſatisfiat conſtitutioni, ſi fiat ab omnibus nemine diſſentiente; tamen non ſatisfit reſpectu ſcrutinii, quia in eo ex conſtitutione Gregorii neceſſariò requiritur conſenſus duarum ex tribus partibus Cardinalium, non per ſcrutinium apertum, ut habet forma hujus tertii caſus; ſed per ſecreta ſchedularum ſuffragia, ut latiùs dictum eſt ſuprà *eodem num.* 56. Alioquin præter tres formas à conſtitutione præfinitas in electione Romani Pontificis daretur quarta forma, videlicet mixta compromiſſo, & ſcrutinio aperto, quod eſt abſurdum. Et hanc rationem conſiderat textus in *d. c. Si cui*, *de elect. lib.* 6. dum decidit electionem celebratam in vim compromiſſi cum forma ſcrutinii, idcircò eſſe nullam, quia, inquit, præter formas, quas Generale Concilium ſervari ſtatuit in electionibus celebrandis, decernens eam, ſi aliter fieret, non valere, fuit attentata: in decretali verò, *Cùm expediat*, *eodem tit. & lib.* 6. declaratur validum compromiſſum cum forma ſcrutinii; quia ſecundùm formam, de qua ibi, conſenſus majoris partis exquiritur per ſecreta ſuffragia, ut dictum eſt ſupra in primo caſu *num.* 78.

Sed quatenùs hæc forma ſuſtineri poſſet per viam ſimplicis compromiſſi; nihilominùs dixi ad illius validitatem neceſſariò requiri conſenſum omnium nemine diſſentiente, ſicut requiritur in forma electionis per compromiſſum ex verbis claris conſtitutionis Gregorii. Etenim opinio 82
Lapi Abbatis, quòd in compromiſſo, in quo vota ſingulorum ſunt exquirenda in electionibus inferiorum, ſufficiat conſenſus majoris partis Capituli, cùm non agatur de ſingulorum præjudicio, procedit ſolummodò, quando in compromiſſo adjecta eſt forma, ut vota ſingulorum exquiri debeant, non quomodolibet, ſed ſecretò. Et ita intelligendi ſunt Doctores ſupracitati *num.* 75. Loquitur enim in terminis *d. c. Cùm expediat*, *de elect. in* 6. ubi agitur de compromiſſo inito ſub hac forma, ut omnium voluntates ſingillatim, & ſecretò exquiri debeant; & ſecundùm illam formam Doctores dicunt poſſe fieri compromiſſum per majorem partem Capituli, tunc enim verè non agitur de præjudicio alicujus, cùm compromiſſarius teneatur ſecretò exquirere vota ſingulorum, idque ſit de forma, ut in ſpecie ibi notat Joan. Mon. *num.* 6. *verſ. Item hæreſis acceſſio*. At hæc ratio non applicatur, nec eſt adæquata in forma, de qua agitur in hoc tertio caſu; quia etſi omnes ſuffragium ferant, non ferunt tamen ſecretò, ſed per ſcrutinium apertum. Plurimùm autem uniuſcujuſque ex electoribus intereſt conſenſum ſuum explicare per ſecretum ſuffragium ob electionis libertatem, ut in decreto Conc. Trident. *c.* 6. *ſeſſ.* 25. *de regul.* & notat Archid. in *dict. cap. Cùm expediat*, *in ver. Secreto*. Quid enim ſi quis per ſcrutinium apertum vix ſuffragari poſſit, quin multorum odium, vel indignationem incurrat? Nonnè illius ſingulariter intereſt, ut ejuſmodi compromiſſum non fiat, in quo cogetur poſteà votum ſuum dare per ſcrutinium apertum; Cùm itaque præjudicium fit ſingulorum, conſequens eſt, ut ſingulorum etiam voluntas, & conſenſus requiratur, per rationes *leg. Sabinus*, *ff. communi divid.* & not. gloſſ. & DD. in *d. cap. Quia propter*, *infr. eod. & in c. Cùm omnes*, *ſuprà de conſtitut.* 83 84

Quæ conſideratio multò magis videtur urgere poſt Gregorianam conſtitutionem. Etenim Gregorius in forma ſcrutinii, in qua omnium conſenſus non exigitur, ut in electione per compromiſſum, & quaſi per inſpirationem, ſed ſufficiunt duæ ex tribus partibus Cardinalium, præcipuam habet rationem libertatis eligentium, ſuſtulitque hanc ob cauſam electionem per adorationem, in qua poterat contingere, ut aliquando electio non videretur prorsùs libera, & ad vindicandum, vel conſervandum ſacrum Collegium in omnimoda libertate, quæ maximè pendet à ſecreto. exactiſſimam ſecreti rationem præſcripſit, declaravitque ſuæ intentionis eſſe, ut hoc ſanctum negotium ſecretiſſimè tranſigatur. Si autem liceret duabus partibus Cardinalium ordinare, ut eſſet Papa, quem compromiſſarii eligerent per ſcrutinium apertum duarum partium, utique conſtitutio tam ſancta eſſet prorsùs eluſoria, quia Cardinales potentiores facilè ſuos adhærentes poſſent adducere ad compromittendum ſecundùm hanc formam, ad hoc ut poſteà electio fieri poſſet à duabus partibus per ſcrutinium publicum, vel per viam adorationis, ſeu intronizationis, tractatuſque & conſpirationes omnes hunc tenderent, ut Cardinales omnes inducerentur ad ejuſmodi compromiſſum ineundum: quod eſſet valdè abſurdum, & contra mentem, & verba ipſius conſtitutionis. Quamobrem cum pro forma tam clarè Gregorius ſanxerit, ut compromiſſum aliter fieri non poſſit, quàm ab omnibus nemine diſſentiente, adeò ut electio aliter celebrata, irrita ſit eo ipſo: non eſt noſtrum hanc formam diſtinguere, & limitare, ut non procedat in compromiſſo cum mixtura ſcrutinii aperti; quia in claris non ſunt extenuenda, quæ ſcripta ſunt, ut inquit Jo. Andr. in *cap. Super ſpecula*, *in fin. infr. Ne Cler. vel Monach.* cùm præſertim verbis admodum urgentibus, & geminatis in ipſa conſtitutione prohibitum ſit Cardinalibus contra ipſam aliquid ſtatuere, diſponere, vel ordinare, ſeu in aliquo corrigere, vel altera, ut dictum eſt ſuprà *num.* 53. *verſ. Et eo magis*. 85

Quartus caſus eſt in compromiſſo adjecta forma, ut com-

compromiſſarii, votis ſingulorum per ſecretum ſcrutinium inquiſitis, teneantur eum eligere, in quem major pars Collegii conſenſerit. Et hæc forma de jure communi valida erat, ut notat gloſſ. *in præalleg. cap. Si cui*, *in ver. Præter*, *de elect. in* 6. & poterat fieri à duabus partibus Cardinalium, ut in puncto tenet Anton. de Roſell. cujus verba ad litteram retulimus ſuprà *num.* 77. *ver. Et ita hanc ſententiam*. Nam etſi haberet implicitam formam compromiſſi, & ſcrutinii; tunc temporis in electione Papæ non habebant locum formæ, ſed ſatis erat, ut duæ partes quoquomodo conſentirent, ut ſæpiùs repertum eſt.

Verùm hodie ſtante conſtitutione Gregorii, qui formas præfinivit, ejuſmodi compromiſſum eſt prorsùs invalidum, & fieri non poteſt nedum à duabus partibus Cardinalium, ſed nec ab omnibus nemine diſſentiente, ut fusè oſtenſum eſt in præcedenti quæſtione *num.* 56. & conſtat ex verbis gloſſæ *in eod. cap. Si cui*, *in ver. Præter*: *Sed nonne*, inquit, *nominatus à minori parte, ex quo placuit omnibus, ut ipſe eligeretur, eſt nominatus ab omnibus: Unde & in electione Romani Pontificis ſervatur interdum hoc, quòd nominatus à minori, quam à duabus partibus, de conſenſu omnium habeatur pro Romano Pontifice. Dic quod jura voluerunt certas formas ſervari, & licèt omnes conſentiant, ſi non ſervantur formæ, non tenet electio. Cardinales non arctantur, nec de facto ſervant formas, ſed ſufficit, quod duæ partes conſentiant*. Hæc ibi. Ergo ex mente gloſſæ cum hodie Cardinales arctentur ad certas formas, ſi formæ non ſerventur, nulla eſt electio, licèt omnes conſentiant. Et idem voluit Abb. *conſ.* 25. *ſub n.*4. *lib.* 2. dicens, ubi de neceſſitate non eſſet ſervanda forma *c. Quia propter*, poſſent electores convenire à principio, ut ille ſit electus, in quem major pars conveniret partium comparatione minorum, quia propter primum conſenſum, & conventionem omnes videntur conſentire, ſicut plerùmque obſervant Cardinales in electione Papæ.

86 Quintus caſus eſt in compromiſſo à Cardinalibus inito in aliquos de Collegio ſub hac forma, ut compromiſſarii teneantur eligere nominatum à majori parte Collegii, juxta textum in *cap. Cùm dilectus*, §. *Verum*, *infr. eod.* & hic modus etiam poſt Gregorianam Conſtitutionem ſuſtineri poteſt, ut fusè probavimus in quæſtione præcedenti *num.* 57. Sed cùm in hac forma ſingulorum vota non ſint ſcrutanda, ſed ſufficiat nominatio majoris partis Collegii etiam aliis non ſuffragantibus, & ita agatur de præjudicio ſingulorum in voce ſua; non ſufficiunt duæ partes, ſed requiritur conſenſus omnium nemine diſſentiente, ut probatur in prædicta Decretali, *Cùm dilectus*, *in ver. Unanimiter*. Ita poſt Joan. de Lignano declarat Anton. de Butr. in *dict. cap. Cum expediat*, *num* 10. *eod*, *tit. in* 6. & clarius patebit ex his, quæ dicentur in caſu proximè ſequenti.

87 Sextus caſus eſt, cum Cardinales directè compromittunt in majorem partem Collegii, ita ut major pars Collegii eligere debeat votis ſingulorum inquiſitis, ſeu ſervata forma ſcrutinii. Et hunc modum eſſe improbatum à Gregoriana conſtitutione, etiamſi fiat nemine diſſentiente, abundè probavimus in quæſtione præcedenti *num.* 58. hìc enim textus caſus coincidit per omnia cum quarto ſuperiùs expreſſo, ac proindè regulari debet ſecundùm illius determinationem.

88 Septimus, & ultimus caſus, eſt cum Cardinales directè, & ſimpliciter, nulla adiecta forma, compromittunt electionem in majorem partem Collegii. Quod compromiſſum de jure communi validum eſſe, concors Canoniſtarum ſententia eſt, ut plenè oſtenſum eſt in queſtione præcedenti *à num.* 31. *uſque ad num.* 37. Et non improbari à Gregoriana conſtitutione, ſimiliter latiſſimè probatum eſt *à numer.* 60. *uſque ad numer.* 72.

89 Quinimò compromitti poteſt in majorem partem etiam partium comparatione minorum, ita ut ſi duo eligerent unum, duo alium, & tres alium, electus à tribus eſſet Papa. Sic probat textus hìc, ubi primò conſtituitur regula, ut in Papam non ſit aliquis aſſumendus, niſi duę partes Cardinalium conſentiant, ac deindè ponitur limitatio in illis verbis: *Niſi major concordia intervenerit*, ideſt, niſi omnes conſentiant, ut electio fieri poſſit à paucioribus. Et ita tenet gloſſ. *in Clem. Ne Romani*, *in ver. Reprobamus*, *de elect.* quæ à Doctoribus communiter approbatur, Card. *hic num.* 10. *in* 10. & 11. *q.* Anchar. *in c. Si cui*, *ſub num.* 3. *de elect. lib.* 6. Abb. *conſ.* 25. *num.* 4. *lib.* 2. & patet ex dictis in præcedenti *quæſt. num.* 36. 37. & 38.

90 Verùm in hac forma tam de jure communi, quàm ex prædicta conſtitutione duæ ex tribus partibus Cardinalium non ſufficiunt, ſed requiritur conſenſus omnium nemine diſſentiente. Ratio eſt, quia hæc eſt pura, & ſimplex forma compromiſſi, quod tam de jure communi ex decretali, *Quia propter*, quàm ex prædicta conſtitutione aliter fieri non poteſt, quàm ab omnibus nemine diſſentiente. Et cum adjunctam non habeat formam ſcrutinii, & ſic agatur de præjudicio ſingulorum in voce ſua, conſenſus duarum non ſufficit. Et ita etiam in fortioribus terminis juris communis, quando nulla forma erat præſcripta in electione Papæ, determinat Compoſtell. *hic num.* 6. ubi poſtquam docuit, poſſe Cardinales inter ſe ordinare, ut valeat electio Romani Pontificis à majori parte Collegii celebrata, mox ſubdit: Uno autem contradicente non puto, quòd poſſit compromitti, nec ordinatio iſta fieri, quia in re communi potior eſt conditio prohibentis, *l. Sabinus*, *ff. commun. dividun.* Sequitur Joan. Andr. *hic num.* 14. dicens: Poſſunt Cardinales ex cauſa ordinare inter ſe, ut valeat electio facta à majori parte; & tunc electus à majori parte cenſebitur electus ab omnibus: uno tamen contradicente non compromittetur ſecundùm Compoſtell. Guid. & Hoſtienſ. Idem expreſsè docuit Archid. *in cap. fin. num.* 2. *ver. Sed Hoſt. dicebat*, 79. *diſt.* & ſequuntur alii, quos citavi ſuprà *num.* 35.

Cogitavi tamen, quia in dictis tàm in hac, quàm in præcedenti quæſtione, quod ſpectat ad Conſtitutionem Gregorii, nihil audeo firmare, ſed cenſeo Beatiſſimum Romanum Pontificem eſſe conſulendum, ad quem ſolùm pertinet Conſtitutionem ipſam interpretari.

Quærunt hìc Doctores, an Papa poſſit ſibi eligere ſucceſſorem. Ego de hoc diſſerui in *cap. Accepimus*, *infrà de pactis*.

D E   E L E C T I O N E.

Idem Alexander III. in eodem Concilio Lateranen.

C A P U T   VII.

CUm in cunctis ſacris Ordinibus, & Eccleſiaſticis miniſteriis ſint ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum ſcientia, inquirenda: multò fortiùs in Epiſcopo hæc oportet inquiri, qui ad curam aliorum poſitus, in ſeipſo debet oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat converſari. Ea propter, ne quod de quibuſdam pro neceſſitate temporis factum eſt, trahatur à poſteris in exemplum: præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus in Epiſcopum eligatur niſi qui jam trigeſimum annum ætatis exegerit, & de legitimo matrimonio ſit natus, qui etiam vita, & ſcientia commendabilis demonſtretur.

Cùm

Cùm verò electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit: decurſo tempore de conſecrandis Epiſcopis à Canonibus diffinito, is ad quem ſpectant beneficia, quæ habebat, de illis diſponendi liberam habeat facultatem.

Inferiora etiam miniſteria, ut puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò ſuſcipiat, ſed nec Parochialis Eccleſiæ regimen, niſi qui jam vigeſimumquintum annum ætatis attigerit, & ſcientia, & moribus commendandus exiſtat. Cùm autem aſſumptus fuerit, ſi Archidiaconus in Diaconum, & Decanus, & reliqui admoniti non fuerint præfixo à Canonibus tempore in presbyteros ordinati: & ab illo removeantur officio, & aliis conferatur, qui & velint, & poſſint illud convenienter implere. Nec proſit eis appellationis refugium, ſi fortè in conſtitutionis iſtius tranſgreſſionem, per appellationem voluerint ſe tueri. Hoc ſanè non ſolùm de promovendis, ſed etiam de his, qui jam promoti ſunt, ſi Canones non obſiſtant, præcipimus obſervari.

Clerici ſanè, ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi tunc poteſtate privatos, & ab Eccleſiaſticis beneficiis triennio noverint ſe ſuſpenſos. Dignum eſt enim, ut quos Dei timor à malo non revocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeveritas diſciplinæ. Epiſcopus autem, ſi contra hæc fecerit, aut conſenſerit fieri, in conferendis prædictis officiis, & beneficiis poteſtatem amittat. & per Capitulum, aut per Metropolitanum (ſi Capitulum concordare nequiverit) ordinetur.

S U M M A R I U M.

1 *Ordines minores non veniunt ſacrorum Ordinum appellatione. etiamſi Ordines ſacri exprimantur per dictionem univerſalem.*
2 *Ordines minores non requirunt ætatis maturitatem, nec litterarum ſcientiam.*
3 *Largè tamen dicuntur ſacri.*
4 *Ætas matura quæ dicatur.*
5 *Vita in Prælato an ſit ſcientiæ præferenda.*
6 *In promovendis ad ſacros Ordines, dignitates, & officia Eccleſiaſtica requiritur ætatis maturitas, morum gravitas, & litterarum ſcientia.*
7 *Epiſcopus in eminentiori gradu habere debet qualitates requiſitas in inferioribus Ordinibus, & miniſteriis Eccleſiaſticis.*
8 *Proceſſiones, & preces publicæ Sede vacante à Capitulo indicendæ, ut bonum à Deo Paſtorem valeant impetrare.*
9 *Argumentum à minori ad majus ſumitur affirmativè; à majori autem ad minus ſumitur negativè.*
10 *Epiſcopus præcepto divino tenetur paſcere oves ſibi commiſſas non tantum verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione, ſed etiam bonorum operum exemplo.*
11 *Criminoſus ineligibilis eſt.*
Vitæ integritas à puerilibus exordiis requiritur in aſſumendo ad dignitatem Epiſcopalem.
12 *Epiſcopus debet eſſe natus de legitimo matrimonio.*
13 *Legitimatus per ſubſequens matrimonium an ſit eligibilis.*
14 *Papa poteſt diſpenſare cum promovendo ad Epiſcopatum ſuper ætate, & aliis qualitatibus hic præſcriptis.*
15 *Ætas quæ requiratur in promovendis ad dignitates, officia, & Ordines Eccleſiaſticos, latiſſimè diſcutitur per duodecim quæſtiones uſque ad numer.* 137.
16 *Ætas quæ requiratur ad obtinendum Epiſcopatum, & ſuperiores dignitates, & num. ſeqq. uſque ad numer.* 25.
17 *Epiſcopatus dicitur ſummum beneficium.*
18 *Annum legitimum ſufficit attigiſſe in dignitatibus tàm ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, excepto Epiſcopatu.*
19 *Annus legitimus debet eſſe completus in matrimonio tam ſpirituali, quàm carnali.*
20 *Malitia in matrimonio ſpirituali non ſupplet ætatem, ſicut ſupplet in matrimonio carnali.*
21 *Annus trigeſimus in Epiſcopo cur debeat eſſe completus, cùm in aliis dignitatibus ſufficiat inchoatus, uſq; ad numer.* 25.
22 *Chriſtus in trigeſimo anno completo baptizatus eſt, & prædicavit; & refellitur contraria opinio gloſſ. Hug. Archid. & Abba. & n.* 24.
23 *Ætas triginta annorum perfecta.*
24 *Dictio, quaſi, aliquando non importat diminutionem, ſed exceſſum.*
25 *Ætas triginta annorum an requiratur in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus de jure communi.*
26 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*
27 *Cardinalis Diaconus creari poteſt in vigeſimo ſecundo ætatis anno.*
28 *Papa in qua ætate eligi poſſit.*
29 *Exceptiones à jure naturali, & divino provenientes non ſunt ſublatæ per decretalem*, Licèt, de elect.
30 *Actus ſuſcipientis curam Paſtoralem neceſſariò requiritur, ubi in corpus myſticum accipitur poteſtas.*
31 *Ætas quæ requiratur ad dignitates ſæculares, quibus cura animarum incumbit, & Parochiales Eccleſias, & num. ſeqq. uſque ad num.* 34.
32 *Et quid ſi cura ſit juriſdictionalis.*
33 *Et quid ſi dignitas ſit principalis in Collegiata Eccleſia.*
34 *Et quid in dignitatibus ſæcularibus, vel perſonalibus, quibus cura animarum nulla ſubeſt, & n. ſeqq. uſque ad num.* 51.
35 *Intellectus* §. Inferiora, infrà eod.
36 *Diſpenſatio dicitur vulnus, & cur.*
37 *Ætas quæ requiratur ad dignitates, & Perſonatus, quibus cura animarum non incumbit, ex Concilio Tridentino. & num. ſeqq.*
38 *Et quid ſi dignitati annexum ſit beneficium curatum perpetuò, & acceſſoriè.*
39 *Ætas quæ requiratur ad obtinendas dignitates non curatas, quibus annexus eſt Ordo Presbyteratus, & n. ſeqq.*
40 *Abbatia, Decanatus, Præpoſitura, & Archipreſbyteratus de jure requirunt Ordinem Sacerdotalem.*
41 *Sacerdotium actu non requiritur ad obtinendas dignitates, quibus annexus eſt Ordo Presbyteratus; ſed ſatis eſt, ut proviſus infrà annum ſe faciat promoveri, & num.* 63.
42 *Dignitates non curatæ, quibus annexus eſt Ordo Presbyteratus, requirunt annum vigeſimumquartum inchoatum.*
43 *Quod procedit, ſi talis Ordo ſit annexus de jure ſpeciali.*
44 *Secùs ſi de jure communi, quia tunc ex Concilio Tridentino ſufficit annus vigeſimusſecundus completus.*
Et quæ ſit ratio differentiæ, num. 46.
45 *Præpoſitura præſertim commendari conſueta, ſi careat cura, & conventu, cenſetur dignitas comprehenſa in* c.12.§. Ad cæteras, ſeſſ. 24. & num. 111.
46 *Niſi fuerit collata tamquam beneficium ſimplex.*
47 *Conſtitutio poſterior tollit priorem, licet de ipſa mentionem non faciat; ſed non tollit locorum ſpecialium conſuetudines, vel ſtatuta.*
48 *Dignitates in Collegiata, quibus animarum cura nulla ſubeſt, requirunt annum vigeſimumſecundum completum, etiamſi ſint primæ, & num. ſeqq.*

49 *Ab-*

49 *Abbatia in Eccleſia Collegiata, cui nulla imminet cura nec pœnitentialis, nec juriſdictionalis, obtineri poteſt in vigeſimo ſecundo anno abſoluto.*
Ætatem viginti duorum annorum Conc. Trid. præfixit ad obtinendas dignitates curatas in Eccleſiis tàm Cathedralibus, quàm Collegiatis, ibid. & nu. ſeqq.
50 *Et refellitur contraria declaratio tamquam apocrypha.*
51 *Ætas legitima, quæ dicatur ad Canonicatus, Præbendas, & Portiones in Eccleſiis Cathedralibus, & n. ſeqq. uſque ad num. 78.*
52 *Quid de jure communi, latè diſcutitur, uſque ad num. 58.*
53 *Intellectus* c. Ex eo, de elect. lib. 6. & num. 56.
54 *Intellectus* cap. Si animum, de judic. lib. 6. & numer. 57.
55 *Canonicatus non requirit de ſubſtantia maturitatem conſilii, & vocem in Capitulo.*
58 *Canonicatus in Cathedrali an vigore conſuetudinis conferri poſſit majori ſeptennio propter certum miniſterium illi annexum.*
59 *Canonicatus habentes Ordinem ſacrum annexum requirunt, ut proviſus ſit in ætate ad talem ordinem requiſita, & num. 63.*
60 *Alias proviſio etiam facta ex cauſa permutationis eſt nulla.*
61 *Quod procedit, ſive illis ſit annexus Ordo Presbyteratus, ſive Diaconatus, ſive Subdiaconatus, contra opinionem Jo. Andr.*
62 *Item ætas ordinis requiritur tempore datæ impetrationis, niſi ſit advacatura in genere.*
63 *Sed hodie obtinentes Dignitates, Canonicatus, & Portiones, quibus Ordines ſacri annexi, ſatis eſt ut ſint in tali ætate, ut infra annum promoveri valeant.*
Sive Ordines ſint annexi certis Præbendis, ſive incertis, num. 66.
64 *Præbenda Sacerdotalis ab Ordinario conferri poteſt exiſtente in vigeſimoquarto ætatis anno.*
65 *Ordinum annexio reſpectu aptitudinis non requirit ætatem ordinis tempore collationis contra opinionem Abbatis, ſed reſpectu actus dumtaxat, & nu. ſeqq.*
66 *Ordinum annexio duplex.*
67 *Beneficium ea lege fundatum, ut conferri debeat Sacerdoti, ſeu conſtituto in Ordine Sacerdotali, requirit Ordinem Presbyteratus tempore collationis.*
68 *Præbenda Subdiaconalis hodie obtineri poteſt in vigeſimoprimo, Diaconalis in vigeſimoſecundo, Presbyteralis in vigeſimoquarto anno inchoatis, contra opinionem quorumdam recentiorum.*
69 *Præbenda Subdiaconalis conferri poteſt habenti viginti annos completos.*
70 *Præbendæ, & Portiones in Cathedrali Eccleſia ex Concilio Tridentino non habent abſolutè Ordines ſacros annexos; ſed Epiſcopus cum conſilio Capituli diſtribuere debet, quibus quiſque Ordo annexus eſſe debeat.*
71 *Canonicatus in Cathedrali Eccleſia conferri poteſt etiam non exiſtenti in tali ætate, ut infra annum ad Subdiaconatum promoveri valeat, ſi nondum facta ſit Ordinum diſtributio, & num. 74.*
72 *Canonicatus conferri poteſt ante ætatem à jure, vel à Tridentino Concilio præſcriptam, ſi ita in illius fundatione ſit cautum.*
73 *Epiſcopus poteſt in erectione Canonicatus in Cathedrali admittere conditionem, ut inſtituatur Clericus, licèt decimumſextum ætatis annum non exegerit.*
74 *Canonicus noviter erectus in Cathedrali Eccleſia, cui nondum ſacer Ordo ſit annexus, etiam hodie conferri poteſt in ætate à jure communi præſcripta.*
75 *Canonicus Pœnitentiarius debet eſſe Magiſter, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel jure Canonico, & annorum quadraginta.*
76 *Et annus quadrageſimus debet eſſe completus.*
77 *Defectus tamen ætatis non obſtat, ubi aliàs aptior pro loci qualitate non reperitur.*
78 *Ætas quæ requiratur ad Canonicatus, & Præbendas in Collegiata Eccleſia, & num. ſeqq. uſque ad num. 87.*
79 *Quid de jure communi.*
Et quid ex regula Cancellariæ, num. 85.
80 *Cauſæ ab Apoſtolica Sede delegari poſſunt Canonicis Cathedralium, non autem Collegiatarum Eccleſiarum.*
82 *Ordines ſacri ex Concilio Tridentino annecti non debent Canonicatibus, & Portionibus Collegiatarum Eccleſiarum, nec dignitatibus, & dimidiis portionibus, ſed Canonicatibus tantùm, & Portionibus Cathedralium, & num. 85.*
83 *Canonicatus, & præbenda includitur appellatione beneficii, de quo loquitur Conc. Trid. in c. 6. ſeſſ. 23.*
84 *Canonici in Collegiata, ubi vigore ſtatuti proviſi ante realem poſſeſſionem tenentur expectare per biennium, & an obſtet decretum cap. 6. ſeſſ. 23.*
86 *Ætas quæ requiritur ad titulum beneficii, requiritur ad coadjutoriam.*
87 *Ætas quæ requiratur ad obtinendas capellas, & beneficia ſimplicia de jure communi, & num. ſeqq.*
88 *Et quid Ex Concilio Tridentino.*
89 *Ætas quæ requiratur ad penſiones obtinendas, & num. ſeqq. uſque ad num. 107.*
90 *Quid ſi penſio aſſignetur pro vita ſuſtentatione.*
91 *Quid ſi pro officio requirente maturitatem Conſilii.*
92 *Et quid ſi pro ſervitio Eccleſiæ impendendo.*
93 *Et quid ſi ex cauſa remunerationis.*
94 *Penſiones ſuper fructibus beneficiorum Eccleſiaſticorum hodie non reſervantur, niſi prima tonſura initiatis.*
95 *Penſiones obtinentes ultrà ſexaginta ducatos auri de Camera ex Bulla Sixti V. tenentur habitum Clericalem, & tonſuram deferre, aliàs penſionibus ſunt ipſo facto privati.*
96 *Item tenentur dicere officium B. M. Virginis ex Bulla S. Pii V.*
97 *Penſio hodie datur propter officium ſicut beneficium.*
98 *Et minori ſeptennio reſervari non poteſt ſine diſpenſatione Apoſtolica, & num. 100.*
99 *Penſio de jure communi eſt quid merè temporale, nihil habens ſpiritualitatis annexum, & reſervari poteſt etiam infanti.*
100 *Penſiones, quæ hodie beneficii loco aſſignantur, ut commodiùs quis ſuſtentari valeat, vel ex cauſa reſignationis, ſeu ceſſionis, ſunt quid ſpirituale, ſeu ſpirituali annexum.*
101 *Penſio non eſt verè, & propriè beneficium Eccleſiaſticum, nec venit beneficii appellatione.*
Declaratur, num. 104.
102 *Ætas quatuordecim annorum à Concilio Trident. præfixa ad obtinendum beneficium ſimplex non requiritur in penſione.*
103 *Penſionarius quamvis Eccleſiæ non inſerviat, tamen gaudet fori privilegio inſtar obtinentis beneficium.*
104 *Penſio venit appellatione beneficii in materia, in qua ſit redditus ad jus commune, ſecùs in materia correctoria, & reſtringibili.*
105 *Penſio non comprehenditur in litteris ad beneficia, niſi de illa fiat mentio.*
106 *Beneficii appellatione ex ſtylo Concilii Tridentini non venit penſio.*
107 *Ætas legitima, quæ ſit ad obtinendas dignitates regulares, & num. ſeqq. uſque ad num. 113.*
108 *Quid in Abbatia, & Prioratu Conventuali, cui cura animarum incumbit.*
109 *Et quid in dignitatibus non Conventualibus curam animarum habentibus.*
110 *Et quid ſi dignitatibus cura animarum non immineat.*
111 *Ætas viginti duorum annorum à Concilio Tridentino præfixa ad obtinendas dignitates, quibus animarum cura nulla ſubeſt, an habeat locum in dignitatibus regularibus*
112 *Et quid in commendis Monaſteriorum, remiſſivè.*

113 Ab-

113 *Abbatiſſa, vel Prioriſſa in qua ætate eligi poſſit, & num. ſeq. uſque ad num. 124.*
114 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*
115 *Abbatiſſa eligi non poteſt ex alio monaſterio, ſi in proprio ſit Monialis annorum quadraginta ætatis, & octo profeſſionis.*
116 *Sin minus, liberum eſt Monialibus aliam eligere in proprio monaſterio, quæ ſit annorum triginta ætatis, & quinque profeſſionis, nec tenentur quadragenariam eligere in alio monaſterio.*
117 *Et quid ſi talis in proprio monaſterio non reperiatur, nec quadragenaria in alio ejuſdem ordinis.*
118 *Abbatiſſa nullo caſu eligi poteſt quæ trigeſimum annum non expleverit, ſed poſtulanda eſt à Sede Apoſtolica.*
119 *Abbatiſſa eligi debet, quæ ſit cæteris magis idonea, ſi nulla ſit in monaſterio cum qualitatibus à Concilio requiſitis, & in provincia non ſit aliud monaſterium ejuſdem Ordinis.*
120 *Ætas provectior requiritur in Abbatiſſa, quàm in Abbate propter ſexus imbecillitatem.*
121 *Diſpoſitum in Abbatiſſa non habet locum in Abbate.*
122 *Maſculinum concipit fœmininum, ſed non è converſo.*
123 *Annus quadrageſimus in Abbatiſſa an debeat eſſe completus.*
124 *Inquiſitores hæreticæ pravitatis cujus ætatis eſſe debeant.*
125 *Ætas major cur requiratur in Inquiſitore, quàm in Epiſcopo, qui tamen Inquiſitor eſt.*
126 *Ætas legitima ad Monachatum quæ ſit.*
127 *Monachatus dicitur beneficium ſimplex.*
128 *Monachus per profeſſionem acquirit jus Collegii, & habet monaſterium obligatum ad alimenta.*
129 *Malitia in profeſſione regulari ætatem non ſupplet.*
130 *Ætas quæ requiratur ad Ordines ſuſcipiendos, & num. ſeqq. uſque ad num. 137.*
Quid in Ordine Epiſcopali.
131 *Et quid in ordine Preſyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus.*
132 *Et quid in minoribus Ordinibus, & prima Tonſura.*
133 *Ætas an ſit computanda à tempore conceptionis, an nativitatis, vel baptiſmi.*
134 *Ætas quid ſit.*
135 *Homo non dicitur qui eſt in utero.*
136 *Annus ubi requiritur completus, an ſufficiat ultimam diem attigiſſe, an verò tempus currat de momento in momentum.*
137 *Scientia qualis requiratur ad dignitates, & Ordines Eccleſiaſticos, & num. ſeqq. uſque in fin.*
138 *Scientia alia eminens, alia mediocris, alia ſufficiens.*
139 *Scientia potiſſimum æſtimanda eſt ſecundùm qualitatem Eccleſiæ, ad quam quis aſſumitur.*
140 *Scientia eminens requiritur in promovendo ad dignitatem Epiſcopalem. & num. 143.*
141 *Epiſcopus habere debet notitiam ſcrutabiliter novi, & veteris Teſtamenti.*
142 *Item habere debet ſcientiam juris, cùm ſecundùm illud debeat judicare.*
143 *Scientia competens in Epiſcopo toleratur ex cauſa, & diſpenſativè.*
144 *Scientia juris requiritur in Archidiaconis, Præpoſitis, & aliis habentibus juriſdictionem contentioſam. In aliis verò ſufficit ſcientia ſecundùm qualitatem officii, vel beneficii.*
145 *Et quid ex Concilio Tridentino.*
146 *Monachi, & Eremitæ potiùs egent contemplatione, quàm ſcientia.*
147 *Scientia qualis requiratur in Abbate, & numer. ſeqq.*
148 *Abbas curam habet ſaltem fori Pœnitentialis reſpectu Monachorum ſuorum.*
149 *Scientia qualis requiratur in Presbytero, & qualis in Diacono, & Subdiacono, num. 153.*
Et qualis in minoribus Ordinibus, & prima Tonſura, num. 154.
150 *Liber Sacramentorum, ideſt, Miſſale.*
151 *Illiterati etiam dociles, & ex magna cauſa neceſſitatis promoveri non debent ad ſacros Ordines, & num. ſeqq.*
152 *Sed jam promotis conferri poſſunt Parochiales quando litteratiores inveniri nequeunt.*

C*Um in cunctis*. Præſcribit qualis eſſe debeat, qui in Epiſcopum eligitur. Punit ſcienter alium eligentes. Dicitur quando vacent priora beneficia ipſius electi. Et qualis aſſumi debeat ad dignitatem, perſonatum, & beneficium curatum, & ponit pœnam contrafacientis. Et quomodo ſic aſſumptus debeat ad Ordines promoveri, & ſub qua pœna, quoad eas removens appellationem, & extendens eam ad præterita. Poteſt dividi in duas partes principales ſecundùm Joan. Andr. In prima ponitur duplex conſtitutionis ratio. In ſecunda, conſtitutio, ibi: *Præſenti*. Ratio verò prima finalis eſt. Secunda impulſiva. Secunda ibi, *Ea propter*. Conſtitutio verò habet tres principales partes. Prima uſque ad §. *Inferiora*, facit duo. Primò enim ponit qualis eſſe debeat qui in Epiſcopum eligitur. Deindè, quando vacent ejus beneficia, ibi: *Cùm autem*. Secunda pars uſque ad §. *Clerici*, itidem duo facit. Primò ponit qualis debet aſſumi ad dignitatem, perſonatum, & beneficium curatum. Secundò, quomodo, & ſub qua pœna debent ad Ordines promoveri, removens appellationem à præſenti, & extendens ad præterita, ibi, *Cum autem*. Tertia pars etiam facit duo: Primò ponit pœnam peccantium in eligendo Epiſcopos. Secundò, pœnam peccantium in electionem inferiorum, ibi, *Epiſcopi autem*.

Nota primò, ſacrorum Ordinum appellatione non 1
venire Ordines minores, etiamſi Ordines ſacri exprimantur per dictionem univerſalem. Nam hìc dicitur in 2
cunctis ſacris Ordinibus requiri ætatis maturitatem, & tamen certum eſt hujuſmodi maturitatem non exigi in Ordinibus minoribus, cùm conferri poſſint à ſeptimo anno expleto, *cap. De iis*, 28. *diſtinct. cap. In ſingulis*, 77. *diſtinct.* Dixi in *cap. Super inordinata*, *à num.* 19. *uſque in finem*, *infr. de præb.* Item hìc dicitur in ſacris Ordinibus requiri litterarum ſcientiam, quæ tamen non exigitur in promovendis ad minores Ordines, cùm ſatis ſit ut linguam Latinam intelligant, ut in decreto Concilii 3
Tridentini *cap.* 11. *ſeſſ.* 23. Largè tamen minores Ordines dicuntur ſacri, ut notat gloſſ. *in cap.* 1. *in ver. Clericum*, *de tempor. ord. lib.*6.

Secundò nota, ætatem maturam dici non tantùm in 4
trigeſimo anno completo, ſed etiam in decimo Octavo incepto: nam in principio dicitur ætatis maturitatem requiri in cunctis ſacris Ordinibus, & Eccleſiaſticis miniſteriis, & officiis, puta Decanatu, & Archidiaconatu, ut explicant Innocent. Hoſtienſ. & Joan. Andr. & poſtea hæc maturitas declaratur eſſe in Epiſcopo in trigeſimo anno completo. In Ordinem autem Subdiaconatus, qui etiam inter ſacros computatur, *cap. A nobis*, *de ætat. & qualitat. cap. Miramur*, *de ſerv. non ordin. cap. Ex eo*, *de elect. in* 6. Concilium Trident. *de Sacrament. Ordin. ſeſſ.* 23. *cap.* 2. ex juris communis diſpoſitione ſatis eſt attingere annum decimum octavum, ut in Clem. *fin. de ætat. & qualitat.* Item hæc maturitas in inferioribus dignitatibus exemplificatur in vigeſimo quinto inchoato, *ut infrà in* §. *Inferiora*. Unde collige ætatem maturam dici ſecundùm ſubjectam materiam. Ad hoc *leg. Cum filio*, *in fine*, *ff. De legat.* 2. & *leg. Cum hic ſtatus*, §. *Sponſam*, *ff. de donat. inter vir. & uxor.* & *cap.* 1. 27. *quæſt.* 1. & notat Archid. *in cap. Convenior*, & *princip.* 23. *quæſt.* 8. & Dec. *hic num.* 4.

Tertiò nota ex ordine literæ ibi: *gravitas morum*, & 5
literarum ſcientia, in Prælato vitam eſſe præponendam ſcientiæ, quia, ut Bald. inquit *num.* 13. *vita facit hominem beatum*, *ſcientia inflatum*. Sed an hoc ſit verum, ſcripſi plenè in *cap. Eam*, *de ætat. & qualit.*

Quartò, nota tria requiſita in promovendis ad ſacros 6
Ordines, & Eccleſiaſtica miniſteria. Primum, eſt ætatis maturitas, & de hoc pleniſſimè dicam infrà per duo-

decim quæſtiones. Secundum, eſt morum gravitas, ideſt, ponderoſitas ſecundum Hoſtienſ. *num.* 2. Nam & compoſitio corporis qualitatem indicat mentis, §. *ultim.* 41. *diſtinct. cap. Convenientibus* 1. *quæſt.* 7. Tertium, eſt litterarum ſcientia, & de hoc dic *ut infrà in ultima quæſtione.*

7 Quintò, nota ibi: *Multò fortiùs*, qualitates requiſitas in inferioribus Ordinibus, & miniſteriis Eccleſiaſticis in eminentiori gradu deſiderari in Epiſcopo. Et meritò, quia ad curam aliorum poſitus in ſeipſo debet oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat converſari, ut dicitur in litera: Viliſſimus enim computandus eſt qui præcellit dignitate, niſi præcellat alios ſcientia, & ſanctitate, *cap. Viliſſimus* 1. *qu.* 1. *cap. Convenientibus* 1. *quæſt.* 7. & in Authent. *de ſanctiſſ. Epiſc.* §. *Damus*, gloſſ. *hic in ver. Multò*, & Innoc. *in princip. in ver. In Epiſcopo.* Quod ſi in quibuslibet Eccleſiæ gradibus prudenter, ſcienterque curandum eſt, ut in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum, multò magis elaborandum eſt, ut in electione ejus, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur: nam totius familiæ Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi
8 quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite, ut legitur in *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. Concilii Tridentin. ubi propterea ſtatuitur, ut cùm primùm Eccleſia vacaverit, ſupplicationes ac preces publicè privatimque habeantur, atque à Capitulo per civitatem, & diœceſim indicantur, quibus Clerus populuſque bonum à Deo Paſtorem valeat impetrare.

9 Sextò, nota in eodem ver. *Multò fortiùs*, argumentum à minori ad majus ſumi affirmativè, videlicet ſi id, de quo minus videtur ineſſe, ineſt: Ergo & id, de quo magis, ut *hic*, & *cap. Si in laicis* 18. *diſtinct. cap. De indiciis* 3. *quæſt.* 3. *cap. Si officia* 59. *diſtinct. cap. Cùm per bellicam* 34. *quæſt.* 2. *cap. Non æſtimemus* 13. *quæſt.* 2. & *cap. Ex parte*, *il* 3. *de decim.* Sed à majori ad minus formatur negativè, ideſt, ſi id, de quo magis videtur ineſſe, non ineſt: ergo nec id, de quo minus, ut *cap. Si Paulus* 32. *quæſt.* 5. *cap. Si ergo* 8. *quæſt.* 1. *cap. Imitare* 6. *quæſt.* 1. & *cap. Qualibet* 40. *diſtinct.* & hìc notat gloſſ. *in ver. Multò fortiùs*, & Hoſtienſ. *num.* 4. *verſ. Et eſt hic argumentum.* Ad utrumque membrum eſt textus in *leg. Relegatorum*, §. *Solet*, *ff. De interdict. & releg.* ibi: *Eſt enim perquàm ridiculum, eum, qui minoribus pœnæ cauſa prohibitus ſit, ad majores aſpirare, majoribus tamen prohibitus minores petere non prohibetur.*

10 Septimò, nota in ver. *Ea propter*, quatuor requiſita, quæ debent inquiri in eligendo ad dignitatem Epiſcopalem, de quibus etiam habetur in decreto Concilii Tridentini *cap.* 1. *ſeſſ.* 7. ubi innovatur hæc decretalis, & in *cap.* 2. *ſeſſ.* 22. & *in cap.* 1. *ſeſſ.* 24. Primum eſt ætas annorum triginta, & de hoc plenè dicam *infrà in* 1. *quæſt. principali.*

Secundum eſt vita commendabilis: irreprehenſibiles enim eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis, *cap. In Sacerdotibus* 61. *diſt.* Et Epiſcopus præcepto divino tenetur oves ſuas paſcere non tantùm verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione, ſed etiam bonorum omnium operum exemplo, ut habetur in decreto Concilii Tridentini *c.* 1. *ſeſſ.* 23. Vita enim eſt veluti quoddam prædicandi genus, ut in *cap.* 1. *circa princip. ſeſſ.* 25. Undè integritas præſidentium dicitur eſſe ſalus ſubditorum, in *cap.* 1. *ſeſſ.* 6. Ad hoc *cap. Magnæ*, *verſ. Præterea*,
11 *de voto.* Itaque criminoſus ineligibilis eſt, *cap.* 1. *ſup. titul. proximo.* Joan. Andr. *hìc num.* 7. *in ver. Vita.* Imò nec ſufficit vitæ integritas tempore electionis, ſed, ut ait Hormiſdas Papa in *d. cap. In Sacerdotibus* 61. *diſt.* longa debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ, concordat *cap. Priuſquam* 28. *diſt.* & Concilium Tridentinum *in cap.* 1. *verſ. Confidens itaque*, *ſeſſ.* 6. ibi: *Ad Eccleſiarum regimen, onus quippe Angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas à puerilibus exordiis uſque ad perfectiores annos per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta teſtimonium præbeat ſecundùm venerabiles beatorum Patrum ſanctiones, aſſumantur.*

12 Tertium requiſitum, eſt litterarum ſcientia, de quo dic ut infrà in ultima quæſtione.

Quartum & ultimum eſt, ut promovendus ſit de legi-
13 timo matrimonio natus. Et pondera hanc litteram, quæ non requirit ſimpliciter ut ſit legitimus, ſed etiam ut ſit natus de legitimo matrimonio: & ſic ut matrimonium præcedat nativitatem. Undè videtur poſſe inferri, ut legitimatus per ſubſequens matrimonium ſit ineligibilis. Et hoc in fortioribus terminis videtur ſentire Bald. *hic num.* 11. ait enim: *Sed quid ſi fuit conceptus ex concubina, & antequam naſceretur, fuit cum ea contractum matrimonium? Dic quod peccatum originale eſt in ſemine.*

Sed contrarium determinat gloſſ. *in cap. Innotuit*, *in ver. Conjugata*, *infrà eod.* quia matrimonium ſequens omnia præcedentia purgat, & eam gloſſam dicit communem Compoſt. *hic num.* 8. *in ver. Legitimo*, & ſequuntur Covar. *de Sponſal. part.* 2. *cap.* 8. §. 2. *num.* 24. & Duenn. *reg.* 350. *ampl.* 5. & paſſim alii.

Octavò nota ibi, *ea propter.* Summum Pontificem 14
poſſe pro neceſſitate temporis diſpenſare cum promovendo in Epiſcopum ſuper qualitatibus hìc præſcriptis, ut per Abbatem *in* 4. *notab. Ad idem text. in cap. Innotuit*, *infrà eodem.* Undè ut hìc refert Joan. Andr. *num.* 4. *in ver. Quibuſdam*, Joannes Epiſcopus Gratianopolitanus avunculus Comitiſſæ Sabaudiæ propter nobilitatem ſuam, & amicorum potentiam, in decimo octavo anno electus fuit tempore ſchiſmatis Alexandri III. & Frederici.

Expeditis notabilibus, quia inter qualitates requiſitas 15
in promovendis ad dignitates, officia, & Ordines Eccleſiaſticos, primo loco hìc commemoratur ætatis maturitas. Inquirendum eſt generaliter, quæ ætas in ſingulis exigatur, tàm ex juris communis diſpoſitione, quàm ex decretis Concilii Tridentini.

QUÆRO igitur primò, & principaliter quæ ætas re- 16
quiratur ad obtinendum Epiſcopatum?

Hoc loco ſub nomine Epiſcopatus comprehendimus etiam ſuperiores dignitates, nempè Archiepiſcopatus, & Patriarchatus: Ordo enim Epiſcoporum quadripartitus eſt, *cap. Cleros* 21. *diſt.* Magiſter in 4. *ſentent. diſt.* 24. *de quadripart. ord. Epiſcop.* Et de Epiſcopo, & ſuperioribus 17
dignitatibus hanc quæſtionem firmat Gemin. *in cap. Si eo tempore*, *col.* 3. *in gloſſ. penult. de reſcrip. in* 6. ubi Epiſcopatum ſupremum beneficium appellat, & ſummum beneficium Hoſt. *in cap. Super inordinata num.* 9. *verſ. Aliud ſæculare ſummum*, *infrà de præbend. per cap. Quorum vices* 68 *diſtinct.*

Et ita intelligendo dicendum eſt ad Epiſcopatum requi- 18
ri annum trigeſimum completum, ut hìc eſt caſus. Et eſt ſpeciale in Epiſcopo, ut non ſufficiat annum eſſe inchoatum, ſecundùm gloſſam Innocentii, & Hoſt. omnes *in ver. Exegerit.* Idem notat gloſſ. *in cap. Ad noſtram*, *in ver. Ante conſummationem*, *infrà de regular.* In inferioribus enim dignitatibus ſufficit annum legitimum attigiſſe, ut infrà in §. *Inferiora*, ibi: *Niſi qui jam vigeſimum quintum ætatis annum attigerit.* Item aliud in ſæcularibus dignitatibus, ut *leg. Ad Rempublicam*, *ff. De numer. & honor.* Nec contrarium ſentit gloſſ. in *cap. Unico*, *in ver. Compleverint*, *de ætat. & qualit. lib.* 6. licèt eam in alium ſenſum incautè detorſerint moderni Collectores *hìc num.* 16. Nam cùm textus ibi indulgeat Epiſcopis, ut diſpenſare poſſint ad dignitates, & perſonatus curam animarum non habentes cum iis, qui vigeſimum annum compleverint, gloſſa dicit non ſufficit attingere, ſicut in Epiſcopo. Quæ verba non important, ut in Epiſcopo ſufficiat attingere, imò important oppoſitum, & ſenſus eſt: non ſufficit attingere, ſicut non ſufficit in Epiſcopo. Quod indè apparet manifeſtè, quia gloſſa allegat hanc decretalem, quæ requirit annum trigeſimum expletum. Item allegat duo alia ſimilia, in quibus non ſufficit annum attigiſſe, videlicet in Abbatiſſa, ut in *cap. Indemnitatibus*, *primo reſponſo*, *de elect. lib.* 6. & in judice delegato, ut in *cap. Cùm vigeſimum*, *infrà de offic. delegat.* Itaque ad obtinendam dignitatem Epiſcopalem oportet annum trigeſimum expleviſſe, ut hìc patet, nec gloſſa, nec quiſquam alius diſcrepat. Et hodie ſimiliter eſt expreſſum in conſtitutione Gregorii XIV. quæ incipit. *Onus Apoſtolicæ ſervitutis*, *edita idibus Maii* 1591. §. 9. ibi, *annum trigeſimum jam expleviſſe*, in Bllar. *tom.* 2. *pag.* 691. Et in hoc pari paſſu ambulant matrimo- 19
nium ſpirituale, quod contrahitur inter Epiſcopum, & Ec-

Eccleſiam, ut *in cap. 2. de translat. Epiſcop.* & matrimonium carnale, in quo itidem non ſufficit annus inchoatus, ut in *cap. Continebatur, & cap. Atteſtationes, infra de ſponſ.*
20 *impuber.* In hoc tamen differunt, quòd in matrimonio carnali malitia ſupplet ætatem, *cap. De illis, il 2. & cap. fin. eodem tit.* Secùs in matrimonio ſpirituali, gloſſ. *in Clem. 2. in ver. Ætate*, & ibi Imola, *num. 5. de regular. gloſſ. unica*, & Abb. *in cap. Poſtulaſti, num. 3. eod. tit.*

21 Quòd ſi quæras, cur hìc canon præfixerit trigeſimum annum completum ad obtinendam dignitatem Epiſcopalem, cùm in aliis dignitatibus tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus ſufficiat annus inchoatus, ut dictum eſt: gloſſa præallegata in *cap. unic. in ver. Compleverint, de ætat. & qualit. lib. 6.* dicit iſta talia eſſe illa, de quibus dicit lex: *Non omnium, quæ à Principibus fiunt, ratio reddi poteſt*, *leg. Non omnium ff. De legibus*. Nam ſicut dixit, de triginta, ita potuiſſet dicere de citeriori, vel ulteriori tempore, ſicut Imperator in Authen. *de ſanctiſſ. Epiſcop. §. Pres-*
22 *byterum*. Ad hoc præfixit ætatem annorum 35. Idem notat gloſſa in *Clement. Ne in agro*, *§. Cæterùm, in ver. Vigeſimum annum peregerint, de ſtatu Monach.* ſed melius Hoſtienſ. *hìc num. 5. in ver. Exegerit*, hoc ideò factum putat, quia Salvator noſter, cujus Vicarius eſt Epiſcopus, *cap. Mulier, il 2. 33. quæſt. 5. cap. In novo, 21. diſt.* in trigeſimo anno baptizatus eſt, & prædicavit, *cap. Presbyter 78. diſt.* Addit S. Thomas *in 3. part. quæſt. 39. art. 3.* hanc eſſe perfectam corporis ætatem. Unde, ut legitur Gen. 41. triginta annorum erat Joſeph, quando accepit regimen Ægypti. David triginta annorum erat, cùm regnare cœpit, ut 2. Reg. 5. & Ezechiel in trigeſimo anno cœpit prophetizare, Ezech. 5.

23 Sed objicies. Si ratio Hoſtienſ. fuiſſet attendenda, non oportuiſſet præſcribere annum trigeſimum completum, Quia, ut ex ſententia B. Chryſoſtomi advertunt gloſſ. Hugo, & Archid. in *d. cap. Presbyter*, & Abb. *hìc num. 2.* Dominus Jeſus cùm fuit baptizatus, & cœpit prædicare, de trigeſimo anno nondum attigerat niſi triginta dies, ſicut in Evangelio continetur, *Luc. 3. Erat Jeſus quaſi annorum triginta*.

24 At reſpondetur. Quidquid dicant gloſſa, Hugo, Archid. & Abb. juxta ſanctorum Patrum ſententias, Chriſtus baptizatus eſt, & prædicavit trigeſimo anno completo. Et dum Lucas ait: *& ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*, non dixit quaſi propter diminutionem, ſed quia de trigeſimo exceſſerat tredecim dies, ut declarat Cardin. Turrecr. *in d. cap. Presbyter*, ubi ait, hanc fuiſſe ſententiam Chryſoſtomi *ſuper Matth. Hom. 10.* & Gregorii Nazianzeni, Bedæ, Iſidori, & aliorum, adjiciens ita etiam ſentire D. Thomam loco citato. Tene igitur trigeſimum annum completum fuiſſe hìc præfixum, quia ad imitationem Chriſti in hac ætate debet promovendus prædicationem aſſumere, quod eſt præcipuum Epiſcoporum munus, *cap. Epiſcopus il 3. 88. diſt.* Concilium Trid. *cap. 2. ſeſſ. 5. & cap. 4. ſeſſ. 24.*

25 Succeſſivè QUÆRO, an eadem ætas annorum triginta, quæ exigitur in Epiſcopo, requiratur etiam in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus?

26 Etſi jure veteri de hoc nihil expreſsè ſit cautum, tamen videtur hoc poſſe deprehendi ex jure noviſſimo Concilii Tridentini: nam in *cap. 1. ſeſſ. 7.* decernit, ut ad Cathedralium Eccleſiarum regimen nullus, niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, gravitate morum, litterarumque ſcientia præditus aſſumatur, juxta conſtitutionem, de qua hìc ab Alexandro III. in Concilio Lateranenſi promulgatam, & idem repeti in *cap. 2. ſeſſ. 22. & in cap. 1. ſeſſ. 24.* Ac deindè *in cap. 1. §. Quæ vero, ſeſſ. 25.* quæ de Epiſcopis dicta ſunt, eadem ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit. Et ita ex his decretis ſimul junctis colligunt Majol. *de irregul. lib. 1. cap. 30. num. 13.* Alphonſus Hojeda *de benefic. incompatib. cap. 24. num. 27.* & Nicol. Garzias *de benefic. part. 7. cap. 4. num. 78.*

Sed certè quamvis ſit admodum rationabile, ut ad tantæ dignitatis faſtigium non aſſumatur quis ante trigeſimum annum completum, argum. hujus decretalis, tamen opinio hæc non probatur in *d. cap. 1. ſeſſ. 25.* quia vera illa, quæ de Epiſcopis dicta ſunt, non referuntur ad ea, quæ dicta fuerunt in præcedentibus ſeſſionibus, ſed ad illa tantùm, de quibus fuit dictum in *eod. cap. 1.* circa frugalitatem, modeſtiam, continentiam, humilitatem, & reliquum vitæ genus Epiſcoporum. Idque non obſcurè colligitur ex eo, quòd Concilium ibi extendit, quæ dicta ſunt de Epiſcopis non tantùm ad Cardinales, ſed etiam ad quoſcumque beneficia Eccleſiaſtica tàm ſæcularia, quàm regularia obtinentes pro gradus ſui conditione. At abſurdum eſſet, ut ætas ad obtinendum Epiſcopatum præfixa intelligeretur etiam præfixa ad obtinenda beneficia inferiora. Item mos Concilii eſt ubi voluit decreta in præcedentibus ſeſſionibus edita innovare, aut ampliare, id diſertis verbis exprimere, ut in *c. 1. verſ. Ne vero, ſeſſ. 23. in c. 1.* ibi, & Tridentinæ hujus Synodi decreta, *& cap. 9. in princ. ſeſſ. 24. in c. 6. in princ. ſeſſ. 25.* & ſæpè alibi. Illud tamen certum eſt in Diaconum Cardinalem aſſumi poſſe, qui in vigeſimo ſecundo ætatis ſuæ 27
anno ſit conſtitutus, ita ut omninò intra annum ad ſacrum Diaconatus Ordinem valeat, & debeat promoveri, ut ad litteram ſtatuitur in conſtitutione Sixti V. de S.R.E. Cardinalibus, quæ incipit: *Poſtqam verus ille*, *edita nonis Decembr. 1586. in Bullar. tom. 2. pag. 560.* & advertit Cad. Paleott. *de ſacri Conſiſt. conſultatione 4. part. quæſt. 1.*

Ulteriùs QUÆRO, quid in Romano Pontifice? 28

Breviter dicendum ad hoc nullam certam ætatem à ſacris conſtitutionibus eſſe præfixam, ut per Jo: de Selva *de benefic. q. 5. par. 3. num. 14.* Et quamvis decens ſit, ut Chriſti Vicarius, & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus in ea ſaltem ætate ſit conſtitutus, in qua Chriſtus cœpit prædicare, & in qua cæteri Eccleſiarum Epiſcopi promoventur, ut hìc, tamen in quacumque ætate eligatur, validitati electionis defectus ætatis objici non poteſt, *cap. Licèt de vitanda, infrà eodem*, & ibi dixi *num. 11. & 24.* poſt Innocent. Compoſtell. Hoſt. Jo: Andr. & alios communiter: requiritur tamen jure naturali & divino, ut eligendus ſit in tali ætate, ut uſum rationis habeat, quoniam Petro Dominus dixit: *Paſce oves meas, Joan. 20.* quibus verbis elegit eum in Paſtorem ovium ſuarum, *c. Significaſti*, & ibi gloſſa *in ver. Paſce oves meas, ſuprà eod.* Officium autem paſcendi ſuſcipere non poteſt infans, & uſu rationis carens, ideòque electio de ta- 29
libus nulla eſſet, & hìc defectus objici poſſet non obſtante decretali, *Licet*, quæ hujuſmodi exceptiones à jure naturali, & divino promovente non ſuſtulit, ut ibi dixi *num. 20.* poſt Bellam. *n. 39.* & Abb. *n. 10. verſ. Cùm quæritur an aliqua exceptio*. Præterea ad Epiſcopatum, ubi in corpus myſti- 30
cum accipitur poteſtas, requiritur ex neceſſitate actus ſuſcipientis curam Paſtoralem, & ſic uſus rationis, ut per D. Thomam in *4. ſent. diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 2.* Turrecr. & Præpoſ. *in cap. Subdiaconus num. 277. diſt.*

Secundò, principaliter QUÆRO, quæ ætas requira- 31
tur ad obtinendas inferiores dignitates ſæculares, quibus cura animarum incumbit, & Parochiales Eccleſias.

Reſpondeo requiri annum vigeſimum quintum inchoatum, ut patet infrà in *§. Inferiora*, ubi dicitur, inferiora miniſteria, puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent connexam, nec non Parochialis Eccleſiæ regimen nullus omninò ſuſcipiat, niſi qui jam vigeſimum quintum annum attigerit. Concordat decretum Concilii Tridentini *in cap. 12. circa princip. ſeſſ. 24.* ibi: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerit*, & paulò poſt innovatur hæc decretalis.

Quæ concluſio procedit, ſive cura incumbens dignita- 32
ti ſit fori pœnitentialis, ſive juriſdictionalis, ut eſt textus clarus *in cap. Dudum, §. Licèt autem poſitiones, verſ. Sed cùm in jure confeſſus fuerit*, ubi Abb. *ſub num. 7.* & omnes notant infrà eod. & conſuluit Navarr. *conſ. 4. num. 1. & 2. de ætat. & qualit.* Et dixi pleniùs in *cap. 1. infrà de Capell. Monach.*

Et ex his infertur, ut ad obtinendam dignitatem prin- 33
cipalem in Eccleſia Collegiata regulariter requiratur annus vigeſimus quintus inceptus, cùm plerumque curam habeat animarum in foro interiori, vel exteriori, ut advertit Garzias *de benefic. part. 7. cap. 4. num. 65.* Sed tu vide, quod dicam infrà *num. 49.*

Tertiò, principaliter QUÆRO, quæ ætas requiratur 34
ad obtinendas dignitates ſæculares, vel perſonatus, quibus cura animarum nulla imminet.

Innocentius in *cap. Præterea ſub num. 1. de ætat. & qualit.* dixit non inveniri jure cautum qua ætate debeat eſſe is, qui

qui eligitur ad dignitatem curam animarum non habentem. Ideòque ſatis eſſe, ut ſit major annorum quatuordecim. Sed de hoc dicto Innocentii multum miratur Bernard.Compoſt.*in cap.Dudum*, *inf.eod.*prout eum refert Anchar.*in d.cap.Præterea*, *circa finem*, quia cùm ſæcularibus honoribus adminiſtrationem habentibus requiratur ætas viginti annorum, ut *l.Spurii*, §.*Minor.& l.Non tantum*, *ff. De decurion.*niſi ex cauſa, ut in præalleg.*leg.Non tantum*, & ita poſſit intelligi Innocentius ſecundùm eum: longè magis id obtinere debet in honoribus & dignitatibus
35 Eccleſiaſticis. Et pro opinione Compoſt.videtur text. *infrà in* §. *Inferiora*, ſi referamus verba illa, *quæ curam animarum habent annexam*, ad verbum, *alia*, immediatè præcedens, non autem ad verbum *miniſteria*, ita ut ſit ſenſus: Inferiora miniſteria, ſeu dignitates etiam non curatæ, & alia quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò ſuſcipiat, niſi qui vigeſimum quintum annum attigerit: prout illum §. etiam in dignitatibus non curatis intelligit Gem. *in cap.Si eo tempore*, *col.*3.*in gl.penult.verſ.Conclude veritatem*, *de reſcript.in* 6.& Abb.*in c.Super inordinata num.*11. *verſ. Aut eſt dignitas inferior*,*infrà de præben.*Et eſt ex mente Jo:Andr.*in eod.*§.*Inferiora*, qui ſuper verb.*alia*, dixit ſupplendum, quandoque, quaſi ſenſerit neceſſarium non eſſe, ut habeant curam animarum. Rurſus pro opinione Compoſt.inducitur text.*in cap.un.de ætat.& qualit.lib.*6. ubi indulgetur Epiſcopis,ut diſpenſare poſſint in dignitatibus, & perſonatibus non habentibus curam cum his, qui
36 vigeſimum ætatis annum expleverint. Ergo in illis de jure communi requiritur annus vigeſimus quintus, cùm diſpenſatio ſit juris communis relaxatio, gloſſa in *c.Ut conſtitueretur*, *in ver.Detrahendum* 50.*diſt.* & dicitur vulnus quia per eam jus commune vulneratur, *c.Ipſa pietas* 23.*q.*4. Silveſt. *in ver.Diſpenſatio*, *in princ.* alioquin ſi jus commune non obſtaret, diſpenſandi facultas Epiſcopis conceſſa nihil operaretur. Et pro hac parte concludit Abb.*in d.*§.*Inferiora*, *nu.*3. ſubdens non extare aliud jus de ætate diſponens ſuper iſtis dignitatibus inferioribus. Et ſequuntur Dec.*in eod.*§. *n.*11.Franc.*in c.Si eo tempore*, *nu.*10. *de reſcr.in* 6.*& in cap.* 1. *ſub num.*3. *verſ.in ead. gloſſa*, *de ætat. & qualit. eod. lib.* Selva *de benef.*3.*par.quæſt.*52.*num.*17.*&* 24.& plerique alii.

37 Verùm altercationem hanc inter Innocentium & Compoſtell.hodie diremit jus noviſſimum Concilii Tridentini *in cap.* 12. §. *Ad cæteras*, *ſeſſ.* 24. quod mediam viam elegit, ſtatuitque ut ad dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores aſciſcantur. Et ſacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres declaravit dictum §. *Ad cæteras*, eſſe intelligendum de anno vigeſimo ſecundo completo. Quod pro conſtanti etiam tenet Quintil.Mandoſ. *de minoritat. cap.*5. *num.*10.

Ideòque conſulta an is, qui attigit vigeſimum ſecundum annum, poſſit obtinere dignitatem non curatam in Eccleſia Cathedrali, ſeu Collegiata, ſtante decreto Concilii, quod ad eas Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores aſciſcantur, *ſeſſ.*24. *cap.* 11. §.*Ad cæteras autem dignitates*: Reſpondit non poſſe, ſed oportere ut annum vigeſimum ſecundum exegerit. Et in hanc ſententiam dedit litteras ad Epiſcopum Abulen.*ſub die* 24. *ſeptembris* 1593. Quarum tenorem recitat Garzias *de benefic.part.*7. *cap.*4. *& num.*70.

38 Hæc autem ætas viginti duorum annorum ex ejuſdem Congregationis ſententia ſufficit in dignitate, cui animarum cura nulla imminet, quamvis ei acceſſoriè, & in
39 perpetuum unitum ſit curatum beneficium. Ad hoc *c. Extirpanda*, §.*Qui verò*, cum ibi notatis per DD.*infra de præb.* Recipit tamen ſecundùm aliquos concluſio ſuperiùs firmata notabilem limitationem, videlicet ut non procedat, ſi dignitati annexus ſit Ordo Presbyteratus, quia tunc ad eam obtinendam requiritur ætas viginti quinque annorum ad Sacerdotium requiſita, allegant *d.c.*12.*verſ.*
40 *Neminem etiam deinceps*, *ſeſſ.*24.Unde ad Abbatiam, Decanatum, Præpoſituram, & Archipresbyteratum, licèt eis cura animarum non incumbat, requiritur etiam hodie, ut promovendus attingat vigeſimum quintum ætatis annum: cùm de jure annexum habeant Ordinem Presbyteratus, ut de omnibus eſt textus *in cap.*1. & ibi Butr. *in* 1.*notab. infrà de ætat.& qualit.* Et ita poſt Majol. & Mandoſ.quos citat, concludit Garzias *de benefic. part.*7. *cap.*4. *num.*72. *& ſeqq.*

Sed tu conſidera primò jure communi inſpecto ad 41
obtinendas dignitates,quibus eſt annexus Ordo Presbyteratus, non requiri, ut quis actu ſit Sacerdos, ſed ſatis eſſe ut ſtatutis temporibus ad Sacerdotium promoveatur. Ita probat text.in *d.c.De ætat.& qualit.*ibi: *Presbyteri fiant*, ubi hoc notat Butr.*in* 4.*notab.num.*2.dicens de jure Ordinem ad validitatem promotionis ad beneficium non exigi contemporaneè cum promotione, quantumcumque illi ſit annexus Ordo, ſed ſufficere ut proviſus faciat poſt promotionem ſe promoveri. Idem ſtatuitur infrà, *in* §.*Inferiora*, ibi, *præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinari*. Quod quidem tempus hodie eſt infra annum, ut eſt expreſſum *in cap.* 4.*ſeſſ.*22. Concilii Tridentini, & latiùs dicam infrà *num.* 63. Undè quatenus etiam Concilium *in d.cap.*12. §.*Ad* 42
cæteras, nil novi ſtatuiſſet, quoad illas dignitates, quibus de jure annexus eſt Ordo Presbyteratus, de quo mox dicetur, adhuc tamen non requireretur ætas viginti quinque annorum, ut putat Garzias, ſed ſatis eſſet attingere annum vigeſimum quartum, quia ſic poſſet proviſus infra annum ad Sacrdotium promoveri. Neque verò huic conſiderationi adverſatur decretum Concilii in *d. c.*12. §.*Neminem etiam deinceps*, *ſeſſ.*24.Quoniam loquitur alternativè ibi, *eo Ordine ſacro aut ſit initiatus*, *quem illa dignitas*, *præbenda*, *aut portio requirit*, *aut in tali ætate*, *ut infra tempus à jure*, *& ab hac ſancta Synodo ſtatutum initiari valeat*: & ſic non requirit præcisè ut ſit actu conſtitutus in Ordine requiſito, quin potiùs admittit, ut promoveri poſſit infrà annum, hoc enim eſt tempus ſtatutum à Jure, & à Trident. Synodo, *ut in d.Clem. Ut iis*, *& in d.cap.*4.

Deinde conſidera duobus modis Dignitates habere, 43
poſſe Ordinem Presbyteratus annexum. Primò de jure ſpeciali, ideſt, ex privilegio fundatione ſtatuto, vel conſuetudine, ut notat gloſſ.in *cap.Si eo tempore in ver.Ætatem*, *de reſcript. in* 6. Et hoc caſu verum eſt ad obtinendam dignitatem, cui ſit annexus Ordo Presbyteratus, non ſufficere ætatem viginti duorum annorum præſcriptam, *in d.*§. *Ad cæteras*, ſed oportere ut proviſus ſit in tali ætate, ut infrà annum poſſit in Presbyterum ordinari, & ſic in vigeſimo quarto inchoato, juxta d.Clement.*Ut ii*, *& d.cap.*4.*ſeſſ.*22.

Secundò dignitas habere poteſt Ordinem Presbyteratus 44
annexum de jure communi, ut in quatuor dignitatibus expreſſis, *in d.cap.*1. *de ætat.& qualit.*Et hoc caſu arbitror verùm non eſſe ſupradictam limitationem, ſed ſufficere ætatem viginti duorum annorum, & Concilium in *d.* §. *Ad cæteras*, hac in parte ſuſtuliſſe juris communis diſpoſitionem, ut ſcripſi pleniùs *in d. cap.*1. *in* 1. *notab.* Ideòque quamvis Abbatia non Curata de jure habeat annexum Ordinem Presbyteratus, ut in *eod.cap.*1.tamen ſacra Congregatio declaravit ad eam obtinendam ſatis eſſe vigeſimum ſecundum annum expleviſſe, ut patebit infrà *num.* 49. Et 45
ſimiliter quamvis, & Præpoſitura habeat hujuſmodi Ordinem Presbyteratus annexum, ut habetur *in eodem cap.* 1. ibi: *Præpoſiti*, tamen cùm fuerit dubitatum, an Præpoſitura præſertim commendari conſueta, ſi careat Cura, atque Conventu, cenſeatur nihilominus Dignitas, ità ut in ejus Commendatario requiratur ætas, de qua in Concilio Tridentino *cap.*12. *ſeſſ.* 25. Sacra Congregatio *die* 9. *Julii* 1577. cenſuit eſſe dignitatem comprehenſam, *d.cap.* 12.quia cùm ſit regularis, eſt ſaltem habitu cum præeminentia, licèt poſteà *die* 20. *Septembris* 1577. oſtenſa quadam deciſione Rotæ, quæ deciderat contrarium, dixerit videndas collationes, quas Papa fecerat de iſtis præpoſituris, quia ſi contulerit tamquam beneficia ſimplicia, 46
clarum eſt non comprehendi appellatione dignitatum. Itaque quatenus eſſet dignitas ſacra Congregatio habuit pro conſtanti ſufficere ætatem viginti duorum annorum à Concilio præſcriptam.

Quod ſi inquiras, cur Concilium *in d. cap.*12. §.*Ad* 47
cæteras, *ſeſſ.*24. nil novi ſtatuerit quoad dignitates habentes Ordinem Presbyteratus annexum de jure ſpeciali, ſed quoad illas tantùm, quibus Presbyteratus eſt annexus de jure communi. Patet ſolutio ex textu *in cap.* 1. *de conſtit. lib.*6. quia ſcilicet legiſlator (qui omnia jure in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) conſtitutionem condendo poſteriorem, intelligitur priorem revocare, quamvis de ipſa mentionem non faciat. At verò locorum ſpecialium conſuetudines & ſtatuta cùm ſint facti, & in facto conſiſtant, poteſt probabiliter ignorare, ideòque per conſtitutionem à ſe noviter

viter

viter editam, niſi expreſsè caveatur in ipſa, non intelligitur ipſis in aliquo derogare. Præſertim verò, quia mos Concilii eſt, ubi voluit privilegia, ſtatuta, vel conſuetudines tollere, id diſertis verbis exprimere. Ad hoc *cap. 2. verſ. Undè ſi circa, infrà de translat. & cap. Ad audientiam, de decim.*

48 Succeſſivè QUÆRO, quid de dignitatibus non curatis in Collegiatis Eccleſiis.

Reſpondeo, ad obtinendas dignitates, quibus animarum cura nulla ſubeſt, in Eccleſiis Collegiatis oportere vigeſimum ſecundum annum compleviſſe, quia decretum Concilii Tridentini in *d.c.*12. §. *Ad cæteras*, *ſeſſ.*24. diſponit de dignitatibus tàm in Eccleſiis Cathedralibus, quàm Collegiatis, ut patet tum ex initio illius decreti ibi: *Cùm dignitates in Eccleſiis præſertim Cathedralibus*. Dictio enim illa, *præſertim*, cùm ſit implicativa, utique implicat idem in Collegiatis, eaſque includit: Tum ponderando dictionem univerſalem, *quaſcumque, & ad cæteras*, & hunc intellectum probavit ſacra Congregatio Concilii, cenſuit enim *d.*§. *Ad cæteras*, diſponere de dignitatibus, tàm in Eccleſiis Cathedralibus, quàm Collegiatis.

49 Et in ſpecie cùm fuiſſet dubitatum an ſufficeret ætas viginti duorum annorum ad obtinendam Abbatiam in Eccleſia Collegiata, cui nulla imminet cura animarum, nec juriſdictionalis, nec pœnitentialis, nec habet adminiſtrationem bonorùm Eccleſiæ, ſed tantùm ſtallum in Choro, & vocem in Capitulo: ſacra Congregatio cenſuit ſufficere ætatem annorum viginti duorum ad obtinendas quaſcumque dignitates, etiamſi ſint primæ, dummodò non habeant curam animarum, quia verba Concilii *cap.* 12. *ſeſſ.*24. ſatis clara ſunt.

50 Et cavendum eſt ab Emanuele Rodrig. qui *tom.* 1. *quæſt. regular. quæſt.* 11. *art.* 2. teſtatur ſe ſcire ſecundùm quamdam declarationem ſacræ Congregationis quemdam ætatis ſexdecim annorum fuiſſe admiſſum ad Dignitatem in Eccleſia Collegiata in diœceſi Burgen. *Declaraverunt enim* inquit: *Illuſtriſſimi Cardinales, quòd Concilium Tridentinum requirens vigeſimum ſecundum ætatis annum ad hujuſmodi admiſſionem, loquitur de Dignitatibus, & Canonicatibus Eccleſiarum Cathedralium, non autem Collegiatarum, ut patet ex littera ejuſdem Concilii*. Et probat Quintil. Mandoſ. *conſ.* 20. Et idem repetit ipſe Rodrig. *in addit. ad Bullam Compoſitionis num.* 4. ſubdens virtute hujus declarationis D. Chriſtophorum Velam Archiepiſcopum Burgen. contuliſſe dignitatem Scholaſtriæ Collegiatæ Eccleſiæ de Anguillar. de Campo cuidam Scholari, qui habebat majorem ætatem ſeptemdecim annorum, & cùm litigaretur ſuper hoc, fuiſſe judicatum collationem eſſe canonicam & juridicam. Cavendum eſt, inquam, ab ipſo, quia declaratio hujuſmodi vera eſt quoad Canonicatus Collegiatarum Eccleſiarum dumtaxat, de quibus Concilium non diſpoſuit, *in d.*§. *Ad cæteras*, non autem de dignitatibus. Et ſicut prædictus author fallitur in intellectu Concilii, exiſtimans dictum §. *Ad cæteras*, loquitur etiam de Canonicatibus, cùm tamen non loquatur niſi de dignitatibus, ut patet ex littera, eodem modo fallitur, quoad declarationem ſacræ Congregationis, quæ quoad dignitates apocrypha eſt. Et Mandoſ. quem allegat dicto *conſ.* 20. non loquitur de dignitate, ſed de Canonicatu in Collegiata Eccleſia.

Præterquam quòd ſi Concilium *in d.*§. *Ad cæteras*, non diſpoſuiſſet de dignitatibus in Eccleſiis Collegiatis, hic caſus tamquam omiſſus remanſiſſet in diſpoſitione juris Communis, *leg. Commodiſſimè, ff. de liber. & poſth.* De jure communi autem ad obtinendas quaſcumque dignitates, vel perſonatus, etiamſi curam non habeant animarum, requiritur ætas non quatuordecim, ſed viginti quinque annorum, ut dictum eſt ſupra *num.* 34. ex ſententia Compoſtellani, quæ verior & crebrior eſt, & ſic provectior ætas hodie requireretur in dignitatibus, ſeu Perſonatibus non curatis Eccleſiæ Collegiatæ, quam in dignitatibus & Perſonatibus in Cathedrali Eccleſia, in quibus ex Concilio ſufficit annus vigeſimus ſecundus expletus. Quod eſſet abſurdum, argum. *cap. Requiſiſti, de teſtam.*

51 Quarto, principaliter QUÆRO, quæ dicatur ætas legitima ad Canonicatus, & præbendas, vel portiones in Cathedralibus Eccleſiis.

52 De jure communi maxima eſt diſſenſio inter Doctores. Et gloſſa Bernardi *in c. Super inordinata, in ver. Ætatem, infrà de præben.* adeò involutè loquitur, ut à Doctoribus pro utraque parte allegetur. Nam Jo: Andr. in *c. Si eo tempore, in gl. penult. de reſcr. lib.*6. illam allegat pro opinione, quòd ſufficiat annus ſeptimus completus. Abbas verò in eadem decretali: *Super inordinata num.*6. eamdem gloſſam adducit pro opinione, quòd requiratur ætas quatuordecim annorum, ut ibi dixi *nu.*11. Itaque in hoc articulo duæ ſunt opiniones. Prima opinio eſt gloſſæ Jo: Andr. *in d. cap. Si eo tempore, in ver. Ætatem*, quæ tenet ſeptennem, & majorem ſeptennio poſſe obtinere Canonicatum, & Præbendam in Cathedrali Eccleſia. Et hanc opinionem ſervavit Curia uſque ad tempora Papæ Joannis, ut teſtatur Collectar. in *d. c. Super inordinata n.*1. Et pro ea videtur textus in *cap. Ex eo, de* 53
elect. lib. 6. ubi Canonicus impubes fuit proviſus de Canonicatu in Cathedrali, & ibi gloſſ. *in ver. In tua Eccleſia. Nota*, inquit, *quòd minor quatuordecim annis dicitur idoneus ad beneficium etiam, & Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ*, & per illum textum opinionem Jo: Andr. eſſe veriorem dicit Card. *in d. cap. Super inordinata, n.*10. *verſ. Secundo caſu*, & communiorem, & veram Anton. de Butr. *in d. cap. Si eo tempore num.*15. *de reſcr. in* 6. Item ſupradictam gloſſam Jo: Andr. dicit eſſe tenendum Jo: Calder. *in eod. cap. Si eo tempore*, & ſic ſervatur ſecundùm eum. Idem tenet ibi Paul. de Eleazar, quos refert, & ſequitur ibidem Gemin. *col. ultima, verſ. Si quæritur de præbenda, & Canonia ſimul*, ubi etiam pro hac parte allegat Jo: de Lignano. Pro eadem opinione allegatur *cap. Si annum, de judic. lib.6.* quod decidit mino- 54
rem quatuordecim annis non poſſe per ſeipſum agere in cauſis beneficialibus, ſed per Procuratorem, & ſic ſupponit minorem poſſe obtinere beneficium Eccleſiaſticum.

Ac demum pro hac parte adducitur textus *in d. cap. Si eo tempore, de reſcr. in* 6. qui cùm indiſtinctè loquatur de beneficio, ad quod litteræ impetrantur ante ætatem legitimam, utique videtur includere etiam Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis, *cap. penult. de verb. ſignific.* Nec obſtat, 55
quòd in Canonicis requiratur maturitas conſilii, argum. *cap. Statutum, de reſcript. in* 6. Nam & Paulus reſpondet, maturitas conſilii, & vox in Capitulo non eſt de ſubſtantia Canonicatus. Quod patet ex eo, quòd ſi hæc eſſent de ſubſtantia Canonicali, minor decem & octo annis non poſſet eſſe Canonicus, cùm non poſſit ad Subdiaconatus Ordinem promoveri, ut in Clem. *Generalem, de ætat. & qualit.* & ille qui non eſt in Sacris, vocem in Capitulo non habeat, ut in Clem. *Ut ii, eod. tit.*

Verùm Hoſt. *in d. cap. Super inordinata, num.* 9. *verſ. Aliud ſæculare ſimplex, de præb.* pluribus tuetur contrariam opinionem, concludens Canonicatum, & Præbendam in Cathedrali Eccleſia obtineri non poſſe ante decimum quartum annum, & hanc partem ſequitur ibidem Henric. Boich. *verſ. Aut quæris pro ſimplicibus*. Archid. *in d. cap. Ex eo, de elect. lib.6.* & Gulielm. de Monte Laud. *in Clem. fin. de ætat. & qualit.*

Et probatur optimè non cavillando litteram *in eod. cap. Super inordinata*, ubi pueri dicuntur inhabiles ad beneficia in Eccleſiis obtinenda, & ſic ad præbendas in Eccleſiis Cathedralibus. Pueri autem dicuntur à ſeptimo anno uſque ad decimum quartum, *cap. Pueri 22. quæſt.*5. ut benè per Hoſt. Collectar. & Abb.

Ad hæc jura præſumunt Canonicos Cathedralium eſſe peritos, cùm eis committi poſſint cauſæ à Sede Apoſtolica, vel ejus Legato, ut in *d. cap. Statutum, de reſcript. in 6.* & conſequenter ſupponunt eos eſſe majores annis quatuordecim. Ad hoc *cap. Cùm vigeſimum, infrà de offic. deleg.* Rurſus Canonici ponuntur propter maturitatem conſilii, *cap. Novit, infrà de his quæ fiunt à Præl.* Ergo pueri non ſunt ad hoc idonei, cùm diſcretione careant, *cap. Cùm virum, infrà de regular. &c. Ex eo, in princip. de elect. lib.6.* cum concordan. de quibus ibi per gloſſ. *in verb. Diſcretione.*

Nec obſtat, *d. cap. Ex eo*. Quoniam, ut reſpondet Ar- 56
chid. ille textus loquitur, quando ex diſpenſatione Papæ fuit minori proviſum, vel ſcriptum ex certa ſcientia pro minori quatuordecim annis. Nec dicatur cum Cardinali, & Gemin. *locis citatis* hoc eſſe divinare. Quia reſpondeo, ut dixi *in d. cap. Super inordinata num.*10. *de præb.*

Præterea ſi ego dico Canonicum illum fuiſſe promotum diſpenſativè, tu dicis me divinare. Et ſi tu dicis eum fuiſſe promotum de jure communi: ego ſimiliter dico in-

intellectum tuum eſſe divinativum, cùm hoc ex littera nullibi deprehendatur. Unde gloſſa in figuratione caſus agnoſcens hanc proviſionis incertitudinem, dicit: In Eccleſia illa erat Canonicus impubes de jure communi, vel diſpenſativè: Ergo in eo textu pro neutra opinione conſtitui poteſt efficax fundamentum, quia ſimpliciter ibi recitatur factum, nec aperitur quo jure impubes Canonicatum obtinuerit.

57 Rurſus non obſtat text. in *d. cap. Si annum, de judic. in 6.* Quia ſecundùm Archid. loquitur in eo, qui aliàs fuerit legitimè proviſus, & ita ex diſpoſitione Papæ. Vel certè loquitur de aliis Eccleſiis inferioribus à Cathedralibus. Vel denique non habet locum argumentum à contrario ſenſu, ubi juris contrarietas reperitur, *c. Significaſti, infrà de for. compet.* ſecundùm Gulielm. de Monte Laud. & Henric. Boich. *locis citatis*. Demum non obſtat textus in *d. cap. Si eo tempore, de reſcript. lib. 6.* Quoniam ſecundùm Archid. dicit impetrantem habuiſſe tempore datæ ſufficientem ætatem ad beneficium ſine cura, ſed non dicit quantam.

58 Et tenendo hanc opinionem, quæ de jure verior videtur, & quam etiam ſervat Curia, ut de ſuo tempore teſtantur, in *d. cap. Super inordinata*, Card. *num.* 7. & Abb. *num.* 12. Eam limitabis. Primò, ut non procedat ſi conſuetudo Eccleſiæ habeat, ut major ſeptennio obtinere poſſit Canonicatum cum præbenda propter certum miniſterium illi annexum, puta deferendi candelabra, vel quid ſimile: tunc enim impubes utique poterit eſſe Canonicus, ſed ejus vox erit in ſuſpenſo uſque ad ætatem legitimam, Et in hoc caſu poteſt intelligi textus in *d. cap. Ex eo, de elect. in 6. & in d. cap. Si annum, de judic. eod. lib.* ſecundùm Hoſt. *in d. cap. Super inordinata*, quem refert & ſequitur Gemin. *in dict. cap. Si eo tempore, col. ultima circa princip. verſ. Si quæritur de præbenda & Canonia ſimul*. Sed de hac limitatione non immeritò dubitari poteſt propter decretum Concilii Trid. *in cap. 6. in princ. ſeſſ. 23. & cap. 12. §. In omnibus verò, ſeſſ. 24.* ut patebit ex dicendis infra *num.* 88.

59 Deindè eamdem opinionem limitabis, ut locum non habeat in Canonicatibus, & Præbendis habentibus Ordinem ſacrum annexum ex privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto, aut alio modo: quia tunc oportet proviſum eſſe in tali ætate conſtitutum, qualem requirit ordo Canonicatui annexus, ut probatur *in c. Ei cui provideri, de præb. lib. 6.* & notat gloſſ. *in d. cap. Si eo tempore, in ver. Ætatem, verſ. Et hæc vera intelligo, de reſcr. eod. lib.* quam ibi ſequuntur Gemin. *col. 3. in fine, verſ. Aut non ſunt dignitates, ſed beneficia inferiora*, Franc. *n.* 10. & alii communiter. Idem tenet gloſſ. *in cap. Cùm in illis, in ver. Provideri, de præb. in 6.* & Guliel. de Monte Laud. *in Clem. fin. de ætat. & qualit.* qui ad hoc allegat *cap. Significatum, infrà de præb.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. Requiſita ad collationem num.* 33. *& in repet. c. Extirpandæ, §. Qui verò, in 2. notab. de præb.* Rota *deciſ.* 1. *n.*
60 3. *de præb. in nov.* aliàs proviſio etiam facta ex cauſa permutationis nulla eſt, Put. *deciſ.* 331. *&* 338. *lib.* 1. Mohed. *de-*
61 *ciſ.* 7. *de conceſſ. præb.* Tanis *deciſ.* 58. *&* 59. Idque non ſolùm vendicat ſibi locum in beneficiis habentibus annexum Ordinem Presbyteratus, ſed etiam in habentibus annexum Diaconatum, vel Subdiaconatum. In omnibus enim requiritur ætas ad hujuſmodi Ordinem requiſita, cùm nulla appareat ratio diverſitatis. Et quamvis prædicta decretalis: *Ei, cui*, expreſſerit de Ordine Sacerdotali, id tamen non fecit taxationis gratia, ſed per modum exempli, quod diſpoſitionem non reſtringit, *leg. Damni infecti, la 2. ff. De damno infect.* & ita poſt Archid. Calder. Joan. de Lignano, Imol. & Gemin. concludit Philipp. Franc. *in d. cap. Ei, cui, num.* 14. & ibi etiam Prob. ad Monac. *num.* 1. Lambert. *de Jurepatr.* 1. *part.* 2. *lib. quæſt.* 7. *art.* 27. *num.* 8. quos alios refert, teſtaturque hoc tenere omnes Doctores in *d. cap. Ei, cui*, & Petr. de Gregor. *de benefic. cap.* 37. *num.* 2. dicens in
62 his ætatem Ordinum requiri tempore datæ impetrationis, niſi ſit ad vacatura (intellige in genere) quia tunc ſufficit tempore vacationis beneficii, ut in *d. cap. Ei, cui*, & ibi Gemin. quem ſequitur Felin. *in cap. Eam te, num.* 18. *de reſcript.* Licèt Joan. Andr. *in d. cap. Ei, cui*, diſtinxerit an beneficio ſit annexus Ordo Presbyteratus, an verò inferiores Ordines, ut in primo caſu requiratur ætas Ordini Sacerdotali præſcripta tempore impetrationis, & ad hunc caſum reſtringit textum *in d. cap. Ei, cui*. In ſecundo autem caſu beneficium conferri poſſit etiam non habenti ætatem in Ordinem requiſitam, & eum ſeq. Rom. *conſ.* 325. *num.* 1. & Dec. *hic num.* 21.

Sed tu adverte, quia etſi Doctores tàm antiqui, quàm 63
moderni videantur crebriori calculo adhærere primæ opinioni, hodie tamen in beneficiis tàm Presbyteralibus, quàm Diaconalibus, & Subdiaconalibus ſervari debet diſpoſitio Concilii Tridentini in *c.* 4. *ſeſſ.* 22. Quod innovando Clem. *Ut ii, de ætat. & qualit.* eique adjiciendo decernit, ut illi, qui dignitates, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia in Cathedrali, vel Collegiata ſæculari, vel regulari Eccleſia obtinent, aut impoſterum obtinebunt, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet ut alii Miſſas, alii Evangelium, alii Epiſtolas dicant, ſeu cantent, &c. teneantur, juſto impedimento ceſſante, infra annum Ordines ſuſcipere requiſitos, &c. Nec aliis in poſterum fiat proviſio niſi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur, aliter irrita ſit proviſi. Quo loco eſt animadverſione dignum, quod dicta Clem. *Ut is, §. Illi verò*, loquitur de beneficiis, quibus certi Ordines ſunt annexi, nec exprimit quos. Et Concilium Tridentinum quaſi explicans decretum Viennenſis Concilii, loquitur de beneficiis, quibus annexa ſunt onera dicendi Miſſas, Evangelium, vel Epiſtolam, & ſic de beneficiis, quibus annexi ſunt Ordines Presbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Iis enim prædicta onera incumbunt, ut *in cap. Perlectis* 25. *diſt.*

Rurſus in dicta Clement. Obtinentes beneficia hujuſmodi non obligantur ita clarè, & præciſè ad ordines ſuſcipiendos, ſed tantummodò quamdiu non promoventur, carent voce in Capitulo, eiſque ſubtrahitur pars dimidia diſtributionum. At verò Concilium Tridentinum apertè ſtatuit, ut teneantur infra annum Ordines ſuſcipere requiſitos, & pœnas innovat. Unde patet hodie ſublata Archid. & aliorum opinione, nec non diſtinctione Jo. Andr. ad obtinenda beneficia, quibus de jure, privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto annexi ſunt Ordines ſive Presbyteratus, ſive Diaconatus, vel Subdiaconatus, non exigi ætatem requiſitam ad Ordinem tempore proviſionis, ſed ſufficere ut proviſus in tali ætate ſit conſtitutus, ut infra annum ad ordines requiſitos promoveri valeat. Quod tenet gloſſa communis *in d. Clem. Ut ii, in ver. In eiſdem*, concordat *cap.* 12. §. *Neminem etiam deinceps, ſeſ.* 24. Et hanc ſententiam 64
aliàs probavit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres: nam ſtante Concilio Tridentino *in d. cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *in fine*, ubi diſponitur, ut non fiat proviſio de beneficiis niſi iis, qui habent ætatem ad ordinem, quem beneficium requirit. Item eodem Concilio *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. ubi diſponitur neminem recipiendum, niſi eo Ordine ſit initiatus, quem beneficium requirit, vel in tali ætate, ut infra tempus à jure, vel ab eodem Concilio ſtatutum initiari valeat: Stante etiam juris communis diſpoſitione, quod ad beneficium, cui annexus eſt ordo, nemo aſſumatur, niſi ſit in ætate ſufficienti ad ordinem ſuſcipiendum *cap. Ei, cui, de præb. in 6. & cap. 2. de inſtit. eod. lib.* Dubitatum fuit an hodie vigore Concilii *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. poſſit Ordinarius conferre Præbendam ſacerdotalem exiſtenti in anno ſuæ ætatis 24. qui poteſt intra annum promoveri, vel potiùs requiratur ætas annorum 25. ſicut diſpoſitum eſt de jure communi: Sacra Congregatio cenſuit poſſe. Et ex his patet hodie admit- 65
tendam non eſſe diſtinctionem quam facit Abb. *infrà in §. Inferiora num.* 10. ait enim: *Quædam eſt annexio ordinis reſpectu aptitudinis, quædam verò eſt annexio reſpectu actus.* Primo caſu requiritur, ut quis habeat ætatem tempore promotionis, in qua quis poſſit promoveri ad ordinem requiſitum, nec eſt neceſſe, ut tunc habeat illum ordinem, ſed ſatis eſt, ut ſit habilis ad illum accipiendum, & tenetur illum recipere quamcitiùs poteſt, temporibus tamen competentibus: & in hac annexione intelligit textum *in dict. §. Inferiora, & in cap. Si pro clericis, & in cap. Ei, cui, de præbend. lib. 6.* In ſecundo autem caſu quando eſt annexio reſpectu actus, requiritur neceſſariò ut tempore promotionis habeat illum ordinem beneficio annexum. Ut ſi dicat ſtatutum, Talis Præbenda non conferatur niſi actualiter conſtituto in Sacerdotio. Qualiter autem cognoſcatur an ſit annexio reſpectu actus, vel aptitudinis, concludit recurrendum eſſe ad verba, nec aliter declarat annexionem reſpectu aptitudinis: & hanc diſtinctionem ſequitur hic Dec. *in eodem, §. Inferiora, num.* 21.

Sed

Sed primum membrum hujus diſtinctionis hodie non eſt verum, quia ſi ordines ſint annexi beneficio reſpectu aptitudinis, non eſt neceſſe, ut quis tempore promotionis habeat ætatem, quam ordo annexus requirit, ſed ſatis eſt ut ſit in tali ætate, ut ad illum ordinem promoveri poſſit infra annum, juxta decretum Concilii Vienneſis, in dicta Clem. *Ut ii*, & Tridentini *in d.cap.*4. *ſeſſ.*22. *& c.*12.§.*Ne-*
66 *minem etiam deinceps*, *ſeſſ.* 24. ut abundè oſtenſum eſt ſuprà. Aptiùs igitur diſtingue ſecundùm gloſſ. Joan. Andr. in dicta Clem. *Ut ii*, *in ver.annexi*: Aut Ordines de jure communi, primæva inſtitutione, antiqua conſuetudine, vel ſtatuto, ſunt Præbendis annexi ſimpliciter, & abſolutè, & tunc non eſt neceſſaria ætas ad ordinem requiſita tempore promotionis, ſed ſatis eſt, ut proviſus in ea ſit ætate, ut in proximis temporibus, ſeu infra annum promoveri valeat. Quod procedit ſecundùm gloſſ. ſive annexi ſint certis Præbendis, ſive incertis, quæ tamen poſteà certificatæ ſunt, putà quia portio vacans eſt ſacerdotalis, ut ſcripſit idem Jo: Andr. *in c.Propoſuit, in princip.infrà de conceſſ. præb.* Aut Ordines ſunt Præbendis annexi non ſimpliciter,
67 ſed cum expreſſione, ut præbendæ conferri non poſſint, niſi actu Sacerdoti, Diacono, vel Subdiacono, ſeu conſtituto in tali ordine: & tunc, ut inquit gloſſa, non eſt dare, ut habeat iſtud beneficium non habens ordinem annexum: & verùm eſt ſecundum membrum diſtinctionis Abbatis, de qua ſuprà *num.* 65. Et eſt ratio, quia qualitas adjuncta verbo intelligitur ſecundùm tempus verbi, *l.Si Titius*, ubi Bart. *ff.de teſtam.milit.leg.in delictis*, §.*in extraneis*, *ff.de noxal.* & notat Dec. *infrà in* §.*Inferiora num.*21. ſubdens, ſecundùm hanc concluſionem conſuluiſſe Andream Siculum *in conſ.*33. *in* 2.*dub.lib.*2. Et eamdem ſæpiùs probavit Rota, & S. Congregatio Concilii in beneficiis, ſeu Capellaniis ea lege fundatis, ut conferri debeant Sacerdoti, ſeu conſtituto in ordine Sacerdotali, ut ſcripſi plenè *in cap.* 1. *infrà de ætate, & qualit.* Sed niſi ita expreſsè ſit cautum, teneas indiſtinctè ſatis eſſe, ut proviſus ſit in tali ætate, ut infra annum promoveri poſſit ad ordinem beneficio annexum.

68 Hinc infertur, ut cum hodie decreto Concilii Tridentini *in c.*12.§.*In omnibus vero*, *ſeſſ.* 24. ſtatutum fuerit, ut in omnibus Eccleſiis Cathedralibus omnes Canonicatus, & Portiones habeant annexum Ordinem Presbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus, ad obtinendam Præbendam Subdiaconalem in Cathedrali Eccleſia ſatis erit, ut quis ſit conſtitutus in vigeſimo primo anno, ad Diaconalem in vigeſimo ſecundo, & ad Presbyteralem in vigeſimo quarto inchoatis. Quoniam in tali ætate conſtitutus poterit infra annum fieri Subdiaconus in vigeſimo ſecundo, Diaconus in vigeſimo tertio, & Presbyter in vigeſimo quinto ſimiliter inchoatis. Quemadmodum hodie requiritur ex *cap.*12. *ſeſſ.*23. ejuſdem Concilii, & latiùs dicam infrà in 11. principali quæſtione. Quidquid contrà incautè ſcripſerint Hojeda *de benef.incompatib. cap.*29. *n.*16. Majol. *de irregul.cap.* 30.*n.*12. Flam.Pariſ. *de reſignat. benef.lib.*4.*quæſt.*9. *num.*11. & Garzias alios referens *de benefic. part.* 7. *cap.* 4. *num.*22.

69 Nec refert, quòd ſacra Congregatio aliàs conſulta, an conſtitutus in vigeſimo anno poſſit obtinere Canonicatum in Cathedrali habentem Ordinem Subdiaconatus annexum, cùm intra annum poſſit ſuſcipere dictum ordinem, declaravit, poſſe. Etenim hæc declaratio intelligenda eſt de conſtitutis in anno vigeſimo completo, alioquin infra annum non potuiſſet ordinari Subdiaconus, quia nondum attigiſſet annum ætatis vigeſimum ſecundum, prout requiritur decreto *d. cap.*12.

70 Unum tamen advertè, quòd Concilium *in d.*§.*in omnibus vero*, non ſtatuit ſimpliciter, & abſolutè, ut omnes Canonicatus, ac Portiones habeant annexos Ordines ſacros, ſed addit, ut Epiſcopus cum conſilio Capituli deſignet, ac diſtribuat, prout viderit expedire, quibus quiſque Ordo ex ſacris annexus in poſterum eſſe debeat: ita tamen, ut dimidia ſaltem pars Presbyteri ſint, cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi. Ubi verò conſuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes ſint Presbyteri, omninò obſervetur.
71 Quamobrem ſi Ordinum diſtributio nondum facta fuerit, aut conſuetudo non habeat, ut Præbendæ omnes ſint Presbyterales, ſervandum erit jus vetus quoad ætatem requiſitam ad obtinendos Canonicatus, & Præbendas, Portioneſque in Cathedrali Eccleſia. Quidquid contrà ſcripſerint Hojeda *de benefic.incompatib.par.*1. *cap.*24. *ſub n.*16. *verſ.Si autem in Eccleſia*, Leſſ. *de juſt.& jur.lib.*2.*cap.*34.*dub.*26.*n.* 106. Garz. *de benefic.p.*7.*c.*4.*n.*28. *& ſeqq.* & Lotter. *de re benefic.lib.*2. *q.*47.*n.*81. *& ſeqq.* Atque ita diſceptatio ſuperiùs habita in hac quarta principali quæſtione non eſt inutilis.

Nec refert, quòd Concilium, ut inquit Leſſ. & alii ſupracitati, ſua athoritate omnibus Canonicatibus, & portionibus annectat Ordinem ſacrum in genere. Etenim obſervandum eſt, S. Synodum non facere hujuſmodi annexionem præcisè, ſed alternativè, ſtatuendo, ut annexum habeant Ordinem Presbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Et hujus alternativæ electionem, & declarationem committit Epiſcopo, ibi: *Epiſcopus autem cum conſilio Capituli deſignet*. Undè priuſquam Epiſcopus hujuſmodi deſignationem, & annexionem faciat, non poteſt dici Concilium præcisè ſtatuiſſe, ut nulla Præbenda annexum habeat ordinem Subdiaconatus, quoniam qui plura facit alternativè, non dicitur præcisè, ſeu determinativè alterum facere, §. *Huic autem inſtit.de action.* Dec. *in cap.Inter cæteras*, *in* 3.*notab.* & ibi dixi, *num.*4.*ſuprà de reſcript.* & eſt text. optimus *in cap.Is qui de elect.lib.*6. & ubi voluntas, & electio deſideratur, ante voluntatem, & electionem nihil perficitur, *ut leg.Mater, Cod.de rei vindicat.* & fuit dictum Bald. *conſ.* 299. *dicunt Petrus, & Cynus*, *num.*5. *verſ.nam ubi voluntas lib.* 1. & conſequenter ante hujuſmodi declarationem, & ſpecialem annexionem, proviſus de aliquo Canonicatu, vel portione, arctari non poteſt ad Ordinem Subdiaconatus: neque enim in alternativis ante factam electionem, & declarationem oritur obligatio, ut eſt text. *in leg.Eum qui certarum*, §.1. *ff.de verborum obligat.* & notat Bart. *conſ.*70. *Reverendiſſimè*, *num.*4. *verſ.Ad unum tamen adverte*, *lib.*1. & Bald. *d. conſ.*299. *num.*5. *verſ.Imò videtur quòd cum Eccleſia habeat electionem*. Quod inde etiam apparet manifeſtè, nam ſi in Eccleſia, ubi non eſt facta Ordinum diſtributio, vacarent eodem tempore omnes Præbendæ, vel ultra dimidiam illarum partem, ſecundùm ratiocinationem Doctorum omnes conferri deberent Subdiaconis. Hoc autem patenter eſſet contra Concilium, quod jubet indeterminatè, ut ſaltem dimidia pars Presbyteri ſint, cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi. Dicendum eſt igitur, ante ſpecialem annexionem Epiſcopi ad obtinendos Canonicatus, vel portiones in cathedrali Eccleſia, non exigi ætatem ad ullum ſacrum Ordinem requiſitam, ſed ſufficere habilitatem præſcriptam à jure communi. Et hanc ſententiam jam pridem probavit ſacra Congregatio Cardinalium ejuſdem Concilii interpretum. Nam Ferdinandus ætatis annorum 18. obtinuit Canonicatum in Cathedrali Oveten. quo cùm Epiſcopus vellet eum privare, quia non erat in tali ætate, ut infra tempus à jure ſtatutum ſaltem ad Subdiaconatum promoveri poſſet: adiit ſacram Congregationem Concilii, dicens ſufficere ut ſit in ætate habili de jure communi ad obtinendum Canonicatum, nempè 14. completis, ut per DD. *in cap. Super inordinata*, *de præb.* Nam Concilium in hoc caſu non poteſt habere locum, cùm in dicta Eccleſia adhuc non ſit facta Ordinum diſtributio. Sacra Congregatio cenſuit, non poſſe privari, & ſi non ſit in ea ætate, qua ad Subdiaconatum promoveri poſſit, ſi Epiſcopus nondum diſtribuit, quibus quiſque Ordo ex ſacris annexus eſſe debeat, prout Concilium mandat. Itaque monendum eum, ne id facere differat ampliùs.

Neque verò ulla habenda eſt ratio contrariarum reſolutionum, quas recenſet Garzias *loco citato*: nam illarum falſitas inde evidenter cognoſcitur, quòd reſolutiones illæ ſupponunt, ad obtinendum Canonicatum Subdiaconalem requiri annum vigeſimum ſecundum inchoatum, quod eſt apertè falſum, quia cùm ex Concilio *in cap.*4. *ſeſs.*22. *& in dict. cap.* 12. §. *Neminem etiam*, *ſeſſion.* 24. ad obtinendum Canonicatum, cui ſacer ordo ſit annexus, ſufficiat quem in tali ætate conſtitutum eſſe, ut infra annum ad illum ordinem promoveri poſſit, hinc patet manifeſtè, ad obtinendam Præbendam Subdiaconalem ſatis eſſe attingere annum vigeſimum primum, quia ſic intra annum poterit proviſus ad Subdiaconatum promoveri, & ſic in vigeſimo ſecundo inchoato, ut Concilium requirit, *cap.* 12. *ſeſs.* 24. & patet ex dictis ſuprà *num.*68. Cardin. Seraph. 1138. falsò enim ſupponit, ad obtinendum Canonicatum requiri

ætatem 22.annorum ex Concil. Trid. *cap.* 12. *ſeſſ.*24. quia hanc ætatem Concilium: ibi in *verſ. ad cæteras*, requirit tantummodò in dignitatibus non curatis, ſed non in Canonicatibus, ut patet paulò infrà, *verſ. Neminem*. Undè hac in parte deciſio illa ſuſtineri non poteſt, licèt in reſolutione ſit conformis Concilio, quia in ſuo caſu deerant proviſo undecim menſes ad complendum annum ætatis 20. & ideò non poterat infrà annum ad Subdiaconatum promoveri, etiam computatis octo menſibus, ſuper quibus Papa diſpenſavit. Meritò fuit concluſum, diſpenſationem non ſuffragari. Præterea deciſio non aperit, an in caſu illo fuiſſet facta ab Epiſcopo Ordinum diſtributio, ſed tantùm dicit in litteris diſpenſationis fuiſſe injunctum onus proviſo, ut infra annum ſe promoveri faceret ad Ordinem ſubdiaconatus. Undè credendum eſt præbendam illam fuiſſe Subdiaconalem, alioquin Pontifex non arctaſſet proviſum ad ſacrum Ordinem ſuſcipiendum, ut ex dictis conſtat. Et eodem modo reſpondetur ad deciſionem.

72 Limitabis tertiò opinionem ſupra firmatam, ut non procedat, ſi in fundatione Canonicatus expreſsè cautum fuerit, ut conferri poſſit ante ætatem à jure communi, aut etiam à Concilio Tridentino requiſitam: lex enim fundationis omninò ſervanda eſt, ſecundùm ea, quæ notantur per gloſſ.communiter approbatam, *in cap.cùm dilectus, in verb.Conſtitutum*, *verſ.ſatis tamen credo*, *ſuprà de conſuet.* & cenſuit ſacra Congregatio, quam ſecuta fuit Rota *deciſ.*194. *num.* 1. *part.*2. *recent.*

73 Ideòque cùm quidam laicus intenderet in Cathedrali Nepeſina erigere Canonicatum cum præbenda ſufficientis redditus cum reſervatione juriſpatronatus pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis, ſed vellet prima vice præſentare clericum minorem annis viginti, ac majorem quatuordecim, ideſt in decimo ſexto anno conſtitutum, & Epiſcopus quæſiviſſet, an in erectione poſſet, aut deberet ejuſmodi conditionem admittere, ſacra Congregatio cenſuit poſſe Epiſcopum in erectione Canonicatus ejuſmodi conditionem admittere, ut hac prima vice inſtituatur clericus, aliàs tamen idoneus, licèt decimum ſextum ætatis annum non
74 exegerit. Fortè in Eccleſia illa ex conſuetudine, vel aliàs Præbendæ omnes erant presbyterales, alioquin ad obtinendam præbendam noviter erectam, cui nondum ab Epiſcopo Sacerdos annexus eſſet, ſufficeret ætas annorum quatuordecim à jure communi præſcripta, ut latè oſtenſum eſt ſupra in hac quarta principali quæſtione, nec eſſet opus hanc conditionem apponere in limine fundationis. Vel certè ſacra Congregatio ſatis duxit eo caſu reſpondere ad propoſitam facti ſpeciem.

75 Limitabis quartò, ut non procedat in Canonico Pœnitentiario, qui non ſolùm debet eſſe magiſter, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel jure Canonico, ſed etiam annorum quadraginta; ſeu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur, ut cavetur decreto Concilii Tridentini
76 *cap.*8.§.*In omnibus etiam*, *ſeſſ.* 24. & annus quadrageſimus debet eſſe completus, cùm littera requirat in plurali, ut ſit quadraginta annorum, ut not.gloſſ. *in Clem.fin.in ver. In decimo octavo*, *de ætate*, & *qualit.*Abb.*hic nu.*6.Felin.*in cap.Cùm vigeſimum num.*1.*de offic.deleg.*Corn.*conſ.*213. *nu.* 7.*vol.*1.Rota *deciſ.*26.*de reſcr.in novis*, Bellam.*deciſ.*726.& in Pœnitentiario tradit in ſpecie, Garz. *de benefic. part.*7. *cap.*4.*n.*32.licèt Azor.*inſtit. moral.*2.*part. lib.*6. *cap.*5.*qu.*6. *in fine*, dixerit, & non benè, ſufficere annum quadrageſi-
77 mum inchoatum. Defectùs tamen ætatis annorum quadraginta à Concilio requiſitæ non obſtare dixit Sac. Congregatio, ubi alias aptior pro loci qualitate non reperitur.

78 Quintò principaliter QUÆRO, quæ ſit ætas legitima ad obtinendos Canonicatus, & Præbendas in Collegiata Eccleſia?

79 Jure communi inſpecto Doctores unanimiter exiſtimarunt, ad Canoniam cum Præbenda in Eccleſia Collegiata ætatem legitimam eſſe ſeptennium completum. Et hujus ſententiæ fuerunt Joan.Andr.& alii citati in præcedenti queſtione *n.*52.qui dixerunt ſeptennium ſufficere ad Canonicatus, & præbendas etiam in Cathedrali Eccleſia, & de Canonia inferiorum Eccleſiarum expreſsè loquitur Abb. *in cap.Præterea n.*5.*verſ.In Canonicis autem*, *de ætat.*& *qualitat.*Nec diſſentiunt Hoſt.Collectar.& reliqui ſuperiùs relati *num.* 55. requirentes ætatem annorum quatuordecim, quoniam loquuntur in Canonicatibus, & Præbendis exigentibus maturitatem conſilii, & ſic Cathedralium Eccleſiarum, *ut in cap. Quanto*, *infrà*, *de his quæ fiunt à Prælat.* facit textus *in cap. Statutum*, *de reſcr.in* 6. ubi pa-
tet, cauſas ab Apoſtolica Sede delegari Canonicis Cathe- 80
dralium, non autem Collegiatarum Eccleſiarum, ut ibi notat gloſſ. *in ver. Cathedralium*. Item facit *in cap. Requiſiſti*, *verſ. Quoniam non eſt tanta communio*, *infrà*, *de teſtam.*

Sed numquid juris communis diſpoſitio hac in parte 81
fuerit immutata ex decretis Concilii Tridentini? Non videtur: nam propoſito dubio in Sac. Congregatione, quá ætate conſtituti eſſe debeant ex Concilio, qui Canonicatus acquirere volunt in Collegiatis Eccleſiis? Reſponſum eſt, Concilium de hoc nihil diſpoſuiſſe, & reliquiſſe in terminis, in quibus erat ante Concilium, nec expedire nunc aliquid novi juris ſtatuere.

Cæterum advertere opportet hanc declarationem eſſe 82
intelligendam in terminis *c.* 12.§.*In omnibus ſeſſ.* 24. quod loquitur tantummodò de Canonicatibus, & portionibus in Cathedralibus Eccleſiis, & ex ſententia ſacræ Congregationis locum non habet in Canonicatibus, & portionibus Collegiatarum Eccleſiarum, ſicut nec extenditur ad dignitates & dimidias portiones. Vel certè eadem declaratio intelligi poteſt in ſpecie, quia nullibi Concilium ſpecialiter diſpoſuit, qua ætate eſſe debeant, qui obtinere volunt Canonicatus, vel portiones in Eccleſiis Collegia-
tis. At ſecùs eſt in genere, quia decreto *cap.* 6. *ſeſſ.*23. ge- 83
neraliter ſtatutum eſt, ut nullus beneficium Eccleſiaſticum obtinere poſſit ante decimum quartum annum, hoc enim decretum cùm indefinitè loquatur de beneficio, proculdubio includit etiam Canonicatus, & Præbendas in Collegiata Eccleſia, *cap.*1. *Ne ſede vacan.lib.*6.& *cap.penult.infra*, *de verb. ſignific.* ubi eſt caſus.

Undè orta dubitatione, an proviſo in decimo tertio ſuæ 84
ætatis anno de Canonicatu in Cathedrali Eccleſia, ubi vigore ſtatuti Eccleſiæ proviſi ante realem poſſeſſionem, & fructuum perceptionem tenentur expectare per biennium, obſtet decretum *c.*6.*ſeſſ.*23.S.Congregatio cenſuit obſtare. Quamobrem ex eo decreto ad obtinendum Canonicatum in Collegiata requiritur ætas 14. annorum, & ſufficit annum decimum quartum eſſe inchoatum, ut patebit in qu. ſequenti, & tenent Mandoſ. *conſ.*20. & alii apud Garziam *de benefic.par.*7. *c.*4.*nu.*39. Vel denique prædicta declaratio
intelligi poteſt propriè, quia ex regula Cancellariæ jam re- 85
quirebatur ætas 14.annorum ad Canonicatus in Collegiata. Undè Concilium *in d.cap.*6. quoad ejuſmodi Canonicatus nil novi ſtatuit. Idque ſatis dilucidè aliàs declaravit eadem ſacra Congregatio. Nam cùm fuerit quæſitum, ſi non conſtat de qualitate Canonicatuum appoſita in fundatione, ſeu erectione, quæ ætas requiratur ſive in Cathedralibus, ſive in aliis Collegiatis inſignibus, & non inſignibus? S.Congregatio reſpondit: *Quoad Cathedrales clarè decretum eſſe à Concilio*, *c.*12.*ſeſſ.*24.*Quoad Collegiatas autem cenſuit, Concilium nihil ſtatuiſſe circa ætatem Canonicorum Collegiatarum, neque eos ad ſacros Ordines cogere voluiſſe, quatenus aliàs non tenerentur. Quod & videtur colligi ex c.* 12.*ſeſs.* 24. *ubi ſtatuitur de Cathedralibus tantùm, & ex cap.*4.*ſeſs.*22.*ubi de Collegiatis agitur, & de Canonicis, qui non ſunt in ſacris, & eos tantùm voce privat, & quando cogit ad ſacros, præſupponit conſtare alio modo Ordinem ſacrum annexum eſse illi Canonicatui: ſicque in ſumma quod ad Collegiatas attinet, Concilium reliquiſse eas circa ætatem Canonicorum in illis terminis, in quibus erant ante Concilium, nempè ut ſufficiat ætas quatuordecim annorum. Nam licèt olim major ſeptem annis poſſet Canonicatum obtinere, tamen regula Cancellariæ decimum quartum requirit, qui terminus eſt etiam generaliter à Concilio ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *præfixus ad obtinenda beneficia ſimplicia*. Hactenus verba deciſionis S.Congregationis.

Porrò eadem ætas, & habilitas, quæ requiritur, & ſuffi- 86
cit ad titulum beneficii, requiritur, & ſufficit ad Coadjutoriam à Pontifice conceſſam, Caputaq. *deciſ.*127. *part.*1. Gonzalez *ſuper regula* 8.*Cancell.in gloſſ.*5.§.9. *num.*6.& 90. & Garzias *de benefic. part.* 7. *cap.*4. *num.*90.

Sextò principaliter QUÆRO, quæ ætas requiratur ad 87
obtinendas Capellas, & alia beneficia ſimplicia? Doctores non conveniunt: nam gloſſ.*in cap.*2.*in ver. Eccleſias*, *infrà de ætat.* & *qualit.*dixit, majorem ſeptennio poſſe obtinere bene-

beneficia ſimplicia, quia in tali ætate poteſt ad minores ordines promoveri, *c. In ſingulis* 77. *diſt.* & ratione ordinis debet habere titulum, *cap.* 1. 70. *diſt.* Idem voluit gloſſ. *in c. Si eo tempore in ver. Ætatem*, & ibi etiam Franc. *num.* 1. *de reſcript. in* 6. & Henric. Boich. *in cap. Super inordinata poſt med. verſ. Aut quæris de Capellis de præben.* poſt Gulielm. de Monte Laud. *in Clem. Generalem de ætat. & qualit.* Sed Abbas in prædicta decretali *ſuper inordinata numer.* 12. poſt Calder. diſtinguit ſic: Aut beneficium ſonat in nomen Rectoriæ, eò quòd ſit Eccleſia, vel Capella per ſe ſtans, & habens Clericum ad ſuum regimen; & tunc pueri non ſunt idonei, quia indecorum eſt, ut regant Eccleſias, qui non noverunt gubernare ſeipſos, ut dicitur in *c. Indecorum inf. de ætat. & qualit.* Idem voluit Gulielm. de Benedict. *in repet. cap. Raynutius de teſtam. verſ. Adjectæ impuberi nu.* 60. & Lambert. *de Jurepatr. lib.* 2. *par.* 1. *art.* 26. *qu.* 7. *nu.* 5. Aut ſunt beneficia in Eccleſia; & tunc ſi maturitatem conſilii non requirant, ut ſunt Capellæ, ſufficit ſeptimum annum attigiſſe.

88 Verùm has differentias ſuſtulit Concilium Tridentinum *in c.* 5. *ſeſſ.* 23. ubi decernitur, ut nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere. Atque ita hodie pueri ſunt inhabiles ad quodcumque beneficium Eccleſiaſticum, ſive illud ſonet in nomen Rectoriæ, ſive ſit beneficium in Eccleſia; & ſufficit annus decimus quartus inchoatus, ut ex ſententia S. Congregationis dixi in *d. cap. Super inordinata num.* 15. ubi etiam *n.* 16. dixi decretum *d. c.* 6. contrariam legem fundationis non ſuſtuliſſe.

89 Septimò principaliter QUÆRO, quæ ætas requiratur ad penſiones?

90 Doctores *in cap. Super inordinata infrà de præben.* formant hanc quæſtionem de Præbenda ſine Canonia, quæ nihil aliud eſt, quàm penſio, ſeu ſtipendium temporale: & communiter ſic diſtinguunt: Aut penſio aſſignatur pro ſimplici ſuſtentatione, & quilibet eſt idoneus, ſi eſt pauper, *c. In ſingulis* 86. *diſt. c. Quia tua* 12. *q.* 1. Gemin. *in c. Si eo tempore col.* 4. *circa princip. verſ. Quædam quæ dantur tantum pro vitæ ſuſtentatione de reſcr. in* 6. poſt Hoſtien. *in d. c. Super inordinata n.* 9. *verſ. Aliud vitæ ſuſtentationis*. Aut aſſi-

91 gnatur pro certo officio exercendo: & tunc ſubdiſtinguunt: Nam aut officium illud requirit maturitatem conſilii, ut cùm aſſignatur ſtipendium pro defenſione Eccleſiæ, ut in *c. Veniens de jurejur.* vel ut legat Theologiam, ut *c. penult. de magiſtr.* & ad hanc pueri non ſunt idonei, quia non ſunt apti hæc munera obeunda, ut per Hoſt. *ubi ſuprà, verſ. Aliud requirit patrocinii defenſionem*, & Gemin. *loco citato.*

92 Aut non requirit maturitatem conſilii, ſed penſio aſſignatur pro ſervitio in Eccleſia impendendo: & ad hanc puer eſt habilis, dum tamen infantiam exceſſerit, *c. Vel non eſt compoſ. de tempor. ordinat. c. In ſingulis* 77. *diſt.* nam & laicus ad eamdem eſt idoneus, ut notat gloſſ. *in d. c. Cùm M. in ver. receperunt*, Hoſt. *in d. c. Super inordinata num.* 9. *verſ. Aliud obſequii aſſiduitatem*, Gemin. *ubi ſuprà, verſ. Et tunc ſi quæritur de præbenda, ſive Canonia.* Doctores *in c.* 2. *de in-*

93 *ſtit.* Aut ex cauſa remunerationis; & ad hanc puer tam ex perſona patris, qui ſervitium impendit, quàm ex perſona ſua, ſi ſit major infante, idoneus eſt, cùm mereri, & demereri poſſit, *c.* 1. *de elect. puer.* ſecundùm Hoſt. *loc. cit. qui à n.* 9. uſque in finem plures penſionum ſpecies diſtinguit, & eum totidem ferè verbis ſequuntur ibi Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. & Abb.

94 Verùm hodie penſiones ſuper fructibus beneficiorum Eccleſiaſticorum non reſervantur, niſi prima tonſura initiatis, tum ſtylo Curiæ notiſſimo, de quo teſtantur Redoan. *de Simon. par.* 2. *c.* 14. *num.* 13. *& de ſpoliis Eccleſiaſt.* §. *Ex his à nu.* 6. Navarr. *conſ.* 63. *de Simon. num.* 5. & Rota *deciſ.* 139. *lib.* 3. *par.* 3. *diverſ.* tum ex Conſtitutione S. Pii V. revocatoria privilegiorum circa penſiones transferendas, & obtinendas per laicos, bigamos, clericos conjugatos, &c. quæ incipit, *Sacroſanctum*, in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 269.

95 & apertius ex Conſtitutione Sixti V. quæ incipit. *Cum ſacroſanctam, eod. tom.* 2. *pag.* 653. qua ſtatuitur, ut Clerici penſiones obtinentes ultra ſexaginta ducatos auri de Camera, tonſuram, & habitum clericalem, veſtes ſcilicet talares, jugiter deferant, alioquin hujuſmodi habitum non deferentes penſionibus ſint ipſo facto privati, & penſiones extinctæ, &c. Nec de cætero penſiones reſerventur niſi actu Clericis in habitu clericali, & tonſura incedentibus. Et eodem ſpectat alia ejuſdem S. Pii V. Conſtitutio 96
incipiens, *Ex proximo, pag.* 347. quæ Clericos penſionarios obligat ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virg. & 97
ſic penſio hodie datur propter officium, ſicut beneficium, ut inquit Navarr. *de reſtit. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 200. Quamobrem cùm penſio Clericatum prærequirat; quemadmodum ad 98
Clericatum, ſeu ad Clericalem tonſuram requiritur ſeptennium completum, *c. In ſingulis* 77. *diſt. c. Nullus de tempor. ordinat. lib.* 6. ita & ad penſionem obtinendam, adeò ut minori ſeptennio reſervari non poſſit ſine diſpenſatione Apoſtolica, aliàs reſervatio nulla ſit, ut tenent Gigas *de penſ. q.* 13. Jo. de Selva *de benef.* 3. *p. q.* 5. *n.* 27. Mandoſ. *de ætat. minor. q.* 23. latè Guidobonus *dec.* 139. *in manuſcriptis*, & alii apud Garziam *de benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 127.

Et quamvis Rota *in una Catanien. Penſionis* 4. *Maji* 99
1583. *coram Gypſio*, & anteà *in una Veneta Penſionis coram Robuſterio*, tenuerit, infantem de jure communi eſſe capacem penſionis, ut referunt Mandoſ. & Garzias *ubi ſuprà*; tamen hoc verum eſt jure communi inſpecto, ſecundùm quod penſio eſt quid merè temporale, nihil habens ſpiritualitati annexum, ut notat gloſſ. *in c. Cùm M. in ver. Receperunt ſupr. de conſtit.* Franc. *in c. Quamvis, il primo num.* 2. *de præb. in* 6. Abb. *in c. Ad audientiam, il ſecondo num.* 2. & ibi etiam Felin. *in princ. ſuprà de reſcript.* Sed hodie penſiones, quæ beneficii loco aſſignantur, ut 100
quis commodiùs ſuſtentari valeat, vel ex cauſa reſignationis, ſeu ceſſionis, ne ex ea nimium diſpendium patiatur, non ſunt quid merè temporale, ſed potiùs ſpiriatuale, ſeu ſpirituali annexum; cùm inſtar beneficii prærequirant Clericatum, ut prædiximus, & tenent Navarr. *dicto conſ.* 63. *& conſ.* 59. 61. *&* 65. *de Simon. & in Man. c.* 23. *num.* 121. Mandoſ. *in reg.* 19. *qu.* 11. Hieronym. Gabr. *conſ.* 191. *num.* 8. *lib.* 2. Rhedoan. *de Spol. c.* 14. §. *Ex his n.* 6. Tolet. *in Summa lib.* 5. *c.* 9. & alii complures.

Sed & Rota tenet hodie penſionem non eſſe quid profanum, ut dixit in *una Britorien. coram Gypſio* 12. *Decembris* 1589. & referunt Flamin. Pariſ. *de reſignat. benefic. lib.* 6. *q.* 4. *num.* 54. & Garzia *de benef. par.* 1. *c.* 5. *num.* 19. Undè etiam in præallegatis deciſionibus Catanien. & Veneta dixit, conſuetudine, ſeu ſtylo Cancellariæ expreſſionem infantilis ætatis fortè eſſe neceſſariam.

Cæterùm etſi hæc ita ſe habeant, tamen penſiones quæ 101
ſimpliciter conſtituuntur ad tempus ſuper fructibus beneficii, & alicui aſſignantur authoritate Superioris, verè, & propriè non ſunt beneficium Eccleſiaſticum, nec veniunt beneficii appellatione; textus eſt in *c. Quamvis*, & ibi notat Franc. *num.* 1. *de præb. in* 6. Abb. & Felin. *locis citatis*, Staphil. *de litt. grat. in* 6. *forma expectativ. numer.* 27. Selva *de benefic. par.* 1. *q.* 3. *n.* 11. Caccialup. *de penſion. qu.* 12. *ultima*, Gigas *eodem tract. qu.* 28. *& reſponſio* 30. *alias conſ.* 139. Sarnen. *in reg. de infirm. q.* 16. *& de annali qu.* 21. Duarenus *de benefic. lib.* 2. *c.* .... *verſ. Annua hujuſmodi*, Paleot. *de nothis, & ſpuriis c.* 58. *nu.* 4. & dixit Rota *in una Crixien. confidentiæ* 5. *Junii* 1581. *coram Penia*, quam ad litteram refert Garzia *d. c.* 5. *n.* 51. & probavi latiſſimè in *c. Ad audientiam, il* 2. *à n.* 74. *uſque ad n.* 121.

Atque hinc fit, ut Concilium Tridentinum *c.* 6. *ſeſſ.* 23. 102
dum ſtatuit, ut nullus ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere, non habeat locum penſionibus, ut declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres. Nam falſa eſt contraria deciſio, quæ circumfertur, & refertur à Garzia *d. c. n.* 129. Undè uſu receptum eſt, ut paſſim reſerventur penſiones clericis primæ tonſuræ in quacumque ætate ſint conſtituti, nulla prævia diſpenſatione Apoſtolica. Nec unquam vidimus reſervationes infringi ex hoc capite, quòd in litteris expreſſum non fuerit penſionarium eſſe minorem annis quatuordecim.

Sed objicies: Sanctæ mem. Gregorius XIII. die 18. De- 103
cembris 1576. declaravit penſionarium cenſeri beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio fori Eccleſiaſtici. Et Sacra Congregatio Concilii conſulta, an Clericus primæ tonſuræ, qui in habitu incedit, habetque tamquam Clericus penſionem, ſed non beneficium, nec Eccleſiæ juſſu 6
Epiſcopi deſervit, gaudeat privilegio fori; reſpondit gaudere ad inſtar obtinentis beneficium, ut ſcripſi plenius in

c. Ad

c. Ad audientiam, il ſecondo à numer. 121. *ſuprà de reſcript.* Ergo quemadmodum decretum Concilii in *d. c. 6. ſeſſ.* 23. *in 2. part.* ubi agit de privilegio fori, appellatione beneficii Eccleſiaſtici comprehendit penſionem; ita videtur illam comprehendere in prima parte, ubi præſcribit ætatem annorum quatuordecim ad beneficium obtinendum, arg. *cap. Majores in princ.* ibi, Ne ad alios prima, & ad alios ſecunda clauſula referatur, *infrà de Baptiſm.*

104 At reſponderi poteſt, in ſecunda parte illius decreti agi de materia favorabili, & de privilegio fori conſervando in eo caſu, in quo de jure communi competebat Clerico, licèt Eccleſiæ non inſerviret. In materia autem favorabili, & in qua fit redditus ad jus commune, fieri debet lata interpretatio, ut notat gloſſ. in *c. Cum dilectus in ver. Juri communi*, & ibi Abb. *n.* 21. *ſuprà de conſuetud.* quia promptum eſt jura juribus concordare, *l. Unica, C. De inoffícioſ. dotib. & c. Cum expediat infrà eodem lib. 6.* undè non mirum, ſi eo caſu appellatione beneficii veniat penſio. At verò in prima parte *d.c.6.* corrigitur jus commune, ſecundùm quod ad obtinendum beneficium ſimplex ſatis erat ſeptennium complevisse, ut vidimus in præcedenti quæſtione. In materia autem correctoria, & reſtringibili, diſpoſitio loquens de beneficio extendi non debet ad penſionem contra propriam verbi ſignificationem, ut clarè probatur in *d. c. Quamvis de præbend. in 6.* ubi ſi Pontifex mandat alicui 105 provideri de beneficio, non poteſt dari penſio, niſi expreſsè fiat mentio penſionis in literis: & textus fundat ſe in ratione illa, quia litteræ ſuper beneficiis impetratæ, cùm 106 ſint ambitioſæ, debent reſtringi. Præſertim verò quia ex ſtylo Concilii, appellatione beneficii non venit penſio, ut patet *in c.2.ſeſſ.21.in c.18.ſeſſ.23.& in c. 15. ſeſſ. 25.* Hactenùs de beneficiis ſæcularibus.

107 Octavò principaliter QUÆRO, quæ ſit ætas legitima ad obtinendas dignitates regulares?

108 De jure communi Doctores ſic diſtinguunt: Aut dignitatibus cura animarum incumbit, aut non. Si incumbit; aut ſunt Dignitates conventuales habentes Collegium ſub ſe; & requirunt annum vigeſimum quintum incœptum. Quod procedit, ſive ſint Abbatiæ, ſive Prioratus conventuales, Clem. *Ne in agro*, §. *Cæterum de ſtatu Monach.* & tenet Guliem. de Monte Laud. *in Clem. Generalem de ætat. & qualit.* Henric. Boich. *in cap. Super inordinata col.* 1. *verſ. Aut pro duplicibus obtinendis de præb.* & ibi etiam Abb. *numer.* 7. *verſ. Primo caſu*, poſt Hoſtien. Jo. Andr. & alios communiter, & idem Abb. *hic numer.* 6. *verſ. Extra gloſſam quæro*, Gemin. *in cap. Si eo tempore col.* 3. *verſ. Conclude veritatem de reſcript. in 6.* Et quamvis, ut Abb. ſubjungit *locis citatis*, & Dec. *hic num.* 50. & ante eos Oldrad. *conſ.* 14. *Cùm quæritur n.* 9. in Abbate hoc non reperiatur expreſsè jure cautum, ſed communiter teneatur requiri annum vigeſimum quintum inchoatum, per regulam de qua infrà, *in* §. *Inferiora*; tamen ſatis poteſt dici cautum à fortiori, *in d.* §. *Cæterùm*, ubi ſic ſtatuitur in Priori conventuali. Et quoad hujuſmodi dignitates curam animarum habentes concordat Concil. Trident. §. *Nemo igitur ſeſſ.* 24. ſi intelligamus decretum illud loqui de Dignitatibus tàm ſæcularibus, quàm regularibus, de quo mox dicetur.

109 Si verò ſunt Dignitates non conventuales, tametſi curam habeant animarum, ſufficit annus vigeſimus, dummodò ſit completus, & cura non per ipſum Priorem, ſed per alium exerceatur; tunc enim Prior non dicitur curatus, ut eſt caſus in dicta Clem. *Ne in agro*, §. *Cæterum de ſtatu Monach.* & notant Laudun. Henric. Gemin. & Abbas *locis citatis.* Secùs ſi Prior ex conſuetudine curam exerceat per ſeipſum; quia tunc ex mente Canonum oportet, ut attingat annum ætatis vigeſimum quintum, ſecundùm Abb. *in d.c. Super inordinatâ n.* 9.

110 Sin autem his Dignitatibus cura animarum non immineat; tunc ſufficit annus vigeſimus quartus completus, ut per Gemin. *in d.c. Si eo tempore col.* 3. *verſ. Aut nullo modo cura eſt annexa*; & ita ſecundùm eum videtur velle gl. in *d.* §. *Cæterum.*

111 Veruntamen hoc procedit jure communi inſpecto; ſed poſt Concilium Tridentinum aliud dicendum videtur, quia *in d.c.* 12. §. *Ad cæteras ſeſſ.* 24. ſtatuitur, ut ad quaſcumque Dignitates, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici non minores viginti duobus annis aſciſcantur, ut dictum eſt ſupra in 3. quæſtione principali. Et decretum illud cùm ex ſententia Sacræ Congregationis loquatur de Dignitatibus tàm in Cathedralibus, quàm in Collegiatis Eccleſiis, videtur intelligendum etiam de Dignitatibus Collegiatarum Regularium; cùm præſertim paulò infrà, *in* §. *Nemine etiam*, circa ætatem recipiendorum ad Dignitates, Canonicatus, & portiones, referat ſe ad tempus à jure, & ab eadem S. Synodo ſtatutum; & ſic ad decretum *c.4. ſeſſ.* 22. quod loquitur de Collegiatis Eccleſiis etiam regularibus, ibi, Collegiata ſæculari, vel regulari Eccleſia, prout etiam loquitur Clem. *Ut ii de ætat. & qualit.* ibidem à Concilio innovata.

Demùm hanc ſententiam probavit Sacra Congregatio Concilii, dum reſpondit, Præpoſituram præſertim commendari ſolitam eſſe dignitatem comprehenſam in *d. c.* 12. quia cùm ſit regularis, eſt ſaltem habitu cum præeminentia, ut dixi ſuprà in eadem tertia quæſtione principali *num.* 45.

Tene igitur, hodie ad quaſcumque dignitates non curatas, ſive ſæculares ſint, ſive regulares, requiri annum vigeſimum ſecundum completum. Quæ autem ætas requiratur ad commendas Monaſteriorum, ſeu dignitatum re- 112 gularium, ſcripſi plenè in *c. 1. infrà de Capell. Monach.*

Nonò principaliter QUÆRO, in qua ætate eligi poſſit 113 Abbatiſſa, vel Prioriſſa?

Ex veterum Canonum ſententia Abbatiſſa non erat eligenda niſi ſexagenaria, ut in *c. Juvenculas* 20. *q.* 1. facit tex. *in c. Quomodo* 31. *q.* 1. ubi refertur illud Apoſtoli ad *Timoth.* 5. *Vidua eligatur non minor ſexaginta annorum.* Sed de intellectu prædictorum Canonum vide quod ſcripſi in *c. Cum ſis n.* 30. 31. *&* 74. *de converſ. conjug.*

Poſteà verò in *cap. Indemnitatibus de elect. lib. 6.* ſtatutum eſt, ut in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, ubi per Prioriſſam Monaſterium gubernatur, de cætero non eligatur aliqua, niſi triginta annos compleverit. Atque ita eo tempore inſpecto Epiſcopus, & Abbatiſſa reſpectu ætatis eodem jure cenſebantur.

Sed hodie ex decreto Concilii Tridentini *c. 7. ſeſſ.25. de* 114 *regular.* Abbatiſſa non minor eligenda eſt annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit; ac ſi his qualitatibus ibi non reperia- 115 tur, quæ ſaltem trigeſimum annum ætatis, & quintum profeſſionis exceſſerit. Undè ex Sacræ Congregationis ſententia ſi in Monaſterio ſit Monialis annorum quadraginta, & quæ octo annis poſt profeſſionem laudabiliter vixerit, non licet Monialibus aliquam ex alio Monaſterio etiam ejuſdem Ordinis eligere. Sin autem reperiatur in 116 Monaſterio aliqua Monialis quadragenaria cum qualitatibus requiſitis, non tenentur Moniales aliam ex alio ejuſdem Ordinis Monaſterio eligere, ſed liberum illis eſt aliquam, de conſenſu tamen Epiſcopi, vel earum Superioris, eligere ex proprio Monaſterio habentem qualitates requiſitas eo decreto. Quòd ſi nec talis in proprio Mona- 117 ſterio, nec quadragenaria in alio ejuſdem ordinis reperiatur, poterunt aliquam ex alio Monaſterio eligere, quæ ad præſcriptum *d. c. Indemnitatibus*, trigeſimum annum 118 expleverit, & expreſsè ſit profeſſa: nulla tamen minoris ætatis eligi poterit, ſed poſtulanda erit à Sede Apoſtolica.

Porrò cùm Monaſterium eſſet recens erectum, nullum- 119 que aliud in tota Provincia ejuſdem Ordinis reperiretur, & nulla extaret Monialis, quæ eſſet prædita qualitatibus requiſitis decreto Concilii *cap. 7. ſeſſ.25. de regular.* petitumque eſſet, ut liceret eligere aliquam ex eis abſque dictis qualitatibus: Reſponſum eſt, ex Monialibus in dicto Monaſterio exiſtentibus eam eſſe eligendam, quæ melior ſit, & magis idonea cæteris.

Ex his collige differentiam inter Abbatem, & Abbatiſ- 120 ſam: nam etſi in Abbate ſufficiat annus vigeſimus quintus, ut firmavimus in præcedenti quæſtione; tamen in Abbatiſſa requiritur provectior ætas. Idque propter ſexus imbecillitatem, ut notat Abb. *in d.c. Super inordinata n.9. & hic num.6. verſ. Et nil mirum.* Facit text. *in c. Sanctimoniales* 20. *qu.* 1. Undè inferunt Abb. *ibid. num.* 7. & Dec. *hic num.* 50. ut diſpoſitum in Abbatiſſa non habeat locum in Abbate. De quo eſt gloſſa notabilis in Clem. *Attenden-* 121 *tes in ver. Cecidiſſe de ſtatu Monachor.* Idque confirmant, quia maſculinum concipit fœmininum, ſed non è converſo, *l. Si ita ſcriptum de leg.* 2. De quo tamen vide hìc pleniùs 122

per

per eumdem Decium *num.*51. poſt Butr. *in c. fin. de conſuet.* Anchar. *conſ.*112. *Superſtite Domina*, Raphael Fulgoſ. *conſ.* 38. *In propoſita quæſtione in princ.* Paul. de Caſtro *conſ.*428. *Inhærendo num.*4. *lib.*1. & Alex. *conſ.*17. *circumſpectis num.*9. *verſ. Quartò quia lib.* 7.

123 Succeſſivè QUÆRO, Utrum annus quadrageſimus in Abbatiſſa debeat eſſe completus. Solutio patet ex text. *in l.* 3. §. *Minore*, *ff. Minor.* ubi deciditur hæc verba, *minor quàm viginti quinque annis*, importare, ut annus ſupremus debeat eſſe completus, & computatio fiat de momento in momentum; & hìc notat Joan. Andr. *num.* 35. *in* 5. *gloſſ. verſ. Circa ætatem minorum.* Ergo idem dicendum in terminis *c.* 7. *ſeſſ.* 25. *de regular.* quod loquitur per ſimilia verba: *Non minor annis quadraginta.* Idipſum conſtat ex *c.*12. §. *Ad cæteras*, *ſeſſ.* 24. ubi Concilium præſcribens ætatem ad Dignitates non curatas, utitur ſimilibus verbis ibi: *Viginti duobus annis non minores*, & tamen Sacra Congregatio declaravit decretum illud eſſe intelligendum de anno vigeſimo ſecundo completo, ut dixi ſuprà in 3. quæſtione principali n.37. & ita in Abbatiſſa concludit Nicol. Garz. *de benefic. p.* 7. *c.*4. *n.*71.

124 Eadem ætas annorum quadraginta requiritur in Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis. In hoc tamen eſt differentia, quòd in Abbatiſſa requiruntur quadraginta anni completi, ut prædiximus; In Inquiſitore autem ſat eſt annum quadrageſimum attigiſſe, ut eſt text. in Clem. *Nolentes in princ. de hæret.* ubi gloſſ. *in ver. Quadrageſimum*,
125 dicit eſſe mirandum, quòd major ætas requiratur in Inquiſitore, quàm in Epiſcopo, qui tamen Inquiſitor eſt, concludit hoc eſſe de arbitrariis, de quibus non cogimur reddere rationem. Sed Abb. *hìc num.* 6. *verſ. Inquiſitore*, dicit *in Epiſcopo minorem ætatem fuiſſe præfinitam, fortè quia promovendi ad Epiſcopatum tranſeunt cum magna inquiſitione: nam recipiuntur teſtes, & diſcutitur promotio in Conſiſtorio Papæ. De quo dic, ut ſcripſi plenè in cap. Niſi cum pridem infrà de renunc. Item quia promotus ad tantam dignitatem præſumitur ex omni parte idoneus. Sed officium inquiſitionis non committitur cum tanta indagatione; ideòque jura voluerunt, ut eſſet maturus ætate.* Hæc Abbas, ſed magis placet dictum gloſſæ.

126 Decimò principaliter QUÆRO, Quæ ſit ætas legitima ad Monachatum.

127 Non incongruè interſeritur hæc quæſtio, quia & Monachatus dicitur beneficium ſimplex ſecundùm Hoſt. in *d. c. Super inordinata num.* 9. *verſ. Aliud ſæculare ſimplex, ut Monachalis fraternitas de præben.* Et quamvis Abb. ibi *num.* 10. dicat propriè non eſſe beneficium, ſed potiùs quoddam votum ſolemnizatum per profeſſionem, ut in
128 *cap. Unico de voto lib.* 6. tamen poſtea ſubdit Hoſtienſem fortè eo reſpexiſſe, quòd per Monachatum quis acquirit jus Collegii, & habet Monaſterium obligatum ad alimenta. Undè hoc reſpectu dici poteſt habere beneficium ſimplex inſtar illius, qui ingreditur Collegium ſæculare Clericorum ubi bona ſunt communia, Arg. *Quoniam infrà de vit. & honeſt. Cleric.*

129 Ex diſpoſitione juris communis, quamvis pueri recipi poſſint ad habitum regularem, *c.*2. *c. Cùm virum*, & *c. Cum ſimus infr. à de regular.* Hoſt. *loco proximè citato*, & ſcripſi latè in *d. c. Cùm virum*, tamen ad Monachatum, ſeu profeſſionem regularem requiruntur quatuordecim anni completi in maſculo, & duodecim in fœmina, adeò ut ſi ante hujuſmodi ætatem ingrediantur religionem, quantumcumque ſint doli capaces, & prudentia ætatem præveniat, nihilominus parentes, aut ipſis deficientibus tutores poſſit illos invitos à Monaſterio extrahere, ut legitur, & notatur in §. 1. *cum ſeqq.* 20. *quæſt.* 2. & *in c. Poſtulaſti de regular.* & ibi per Hoſtien. *in d. c. Super inordinata in fin. verſ. Si autem quæritur de tertio.* Dixi *in d. c.* 2. & *in d. c. Cùm virum.*

Verùm hodie ſublata diſtinctione ſexus, in quacumque religione tàm virorum, quàm mulierum, profeſſio emiſſa ante annum decimum ſextum expletum eſt ipſo jure nulla, nullamque inducit obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus, ut diſertis verbis ſtatuitur à Concil. Tridentino *c.*15. *ſeſſ.* 25. *de regular.* Sed an hoc procedat etiam in profeſſione tacita, quæ inducitur ex geſtatione annali habitus indiſtincti, vel indiſtinctiſſimi, vide quæ ſcripſi latiſſime in *c.* 1. in primo requiſito, *verſ. Quo verò ad tacitam profeſſionem à n.* 7. *inf. de regular.*

Undecimò principaliter QUÆRO, Quæ ſit ætas le- 130
gitima ad Ordines ſuſcipiendos.

Quoad Ordinem Epiſcopalem dic breviter requiri annum trigeſimum completum, ut hìc in princip. & notat Henric. Boich. in *d.c. Super inordinata ad finem*, *verſ. Si quæris pro Ordinibus de præb.* Quæ tamen ætas requiritur de neceſſitate præcepti, non autem de neceſſitate Sacramenti; undè conſecratus ante annum trigeſimum, Ordinem recipit, licèt non ordinis executionem, arg. *c. Vel non eſt compos*, & ibi dixi in 3. *notab.* poſt gloſſ. *in ver. Ætate*, Abb. Antiq. Hoſt. & alios communiter infrà *de tempor. ordinat.* dummodò tamen ſic ordinatus habeat uſum rationis, qui in conſecratione Epiſcopali requiritur ex neceſſitate Sacramenti; licèt ſecus ſit in ordinibus inferioribus, ut dixi *in d.c. Super inordinata num.* 37. & 38. poſt Div. Thom. *in* 4. *ſent. diſt.* 25. *q.*2. *art.*2. *q.*2. & Card. Turrecrem. *in c. Subdiaconus n.* 2. 77. *diſt.*

Quo verò ad inferiores ordines olim nullus ad Subdia- 131
conatum ante vigeſimum annum erat promovendus, *c. De his* 28. *diſt. c. In ſingulis*, *c. Quicumque*, & *c. Subdiaconus* 77. *diſt.* Ad Diaconatum verò non erat quis ordinandus ante annum vigeſimum quintum, *c. Placuit*, *d.c. In ſingulis*, & *d. c. Quicumque* 77. *diſt.* Nec ad Presbyteratum ante annum trigeſimum, *c.*1. & *ult.* 78. *diſt.* & diſpenſativè ex cauſa neceſſitatis in vigeſimo quinto, *c. ult.* 78. *diſt.* & notat Hoſt. *in d.c. Vel non eſt compos n.*3. & reliqui poſt eum *inf. de tempor. ordinat.* Sed poſteà aliam ætatem determinavit Concilium Viennen. *in Clem. Generalem de ætat. & qualit.* videlicet ut quis promoveri poſſit ad Subdiaconatum in decimo octavo ad Diaconatum in vigeſimo, & ad Presbyteratum in vigeſimo quinto ætatis anno. Quæ determinatio fuit ſummè neceſſaria propter Clem. *Ut ii de ætat. & qualit.* ut notat Jo. Andr. *in d. Clem. Generalem in prima gloſ.* & fuſiùs *in d. c. Vel non eſt compos n.*9. ubi refert ſe de hoc pluries clamaſſe.

Verùm hodie ex nova determinatione Concilii Tridentini *c.* 12. *ſeſs.* 23. nullus eſt promovendus ad Subdiaconatum ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratum ante vigeſimum quintum ætatis annum. Quo decreto quoad Ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus corriguntur antiqui Canones ſupracitati. Et quoad ætatem Presbyteratus confirmatur prædicta Clem. & indiſtinctè, *c. ult.* 78. *diſt.* & ſatis eſt annum eſſe inchoatum, ut per gloſſ. in *d. Clem. Generalem in ver. in Decimo octavo*, & Navarr. *in Man. c.* 25. *num.* 116. & ſæpiùs cenſuit S. Congregatio Concilii:
Ad ordines autem minores, & primam tonſuram oportet 132
infantiam, & ſic ſeptennium exceſſiſſe, *cap. In ſingulis* 77. *diſt. cap. De his* 28. *diſt. cap. Nullus*, & ibi gloſſ. in *ver. Infanti de tempor. ordinat. lib.*6. Sed an ſinguli minores Ordines ſtatim expleto ſeptennio conferri poſſint, aut debeant, plenè examinavi in d. *cap. Super inordinata à nu.*19. *uſque in fin. de præb.*

Duodecimò, principaliter QUÆRO, A quo tempo- 133
re ætas ſit computanda, an ſcilicet conceptionis, an nativitatis, vel Baptiſmi.

Reſpondeo eſſe computandam à die nativitatis, nam, 134
ut diffinit Bald. *conſ.*19. *ſub num.*3. *lib.*5. ætas nihil aliud eſt, quàm temporis menſura quædam à nativitate uſque ad obitum decurrens. Quapropter nec à tempore conceptionis eſt computanda, ut contra gloſſatorem *regulæ Cancell.* 17. tradit Covarr. *in* 4. *Decretal.* 2. *par. cap.* 8. §.2. *nu.* 3. & Molina *de juſt. & jur. tom.* 2. *diſp.*573. *circa princ.*
& tenet Bald. *hìc num.* 5. dicens ætatem non incipere in 135
utero matris, ſed in partu, ut *l. penult. C. De poſthum. hæred. inſtituen.* nam ille, qui eſt in utero, non dicitur homo, ut *l. fin. ff. De aſſignan. libert. l. ult.* §.1. *ff. De collat. bonor.* & *l. Antiqui*, *ff. Si pars hæredit. petat.* Et de Baptiſmo hoc jam declaravit Sacra Congregatio Concilii. Quæſitum eſt enim: proviſus eſt aliquis de Canonicatu in Cathedrali habente annexum ordinem Presbyteratus, ad quem promoveri poteſt infra annum, ſi attendatur dies nativitatis; ſin autem dies Baptiſmi, minimè; A quo tempore facienda eſt computatio? Sacra Congregatio cenſuit tempus computari à die nativitatis, non autem Baptiſmi.
An autem in ſupraſcriptis caſibus, in quibus firmatum eſt 136
requiri annum completum, ſufficiat ultimam diem attigiſſe,

giſſe, an verò tempus currat de momento ad momentum: communiter recipitur diſtinctio gloſſæ hìc in *verſ. Exegerit*, ut teſtatur Abb. *num.* 6. videlicet: Quandoque favor tantùm vertitur in cauſa, ut in uſucapione. Et tunc ſufficit diem incipere, ut *l. In uſucapione*, *ff. De diverſ. & tempor.al. præſcription.* Quandoque vertitur odium tantùm, ut in præſcriptione triginta annorum; & tunc oportet ultimam diem impleri, ut *l. In omnibus*, *ff. De act. & oblig.at.* Quandoque vertitur utrumque, & ſic materia eſt mixta favoris, & odii; & tunc tempus de momento in momentum computatur, ut *l.* 3. §. *Minore*, *ff. De minor.* De hac materia ſcripſi pleniſſimè in *cap. Ad noſtram infrà de regular.* ibi vide. Et hæc ſufficiant de ætate.

137 Ultimò QUÆRO, Qualis ſcientia requiratur ad Dignitates, & Ordines Eccleſiaſticos.

138 Præmittendum eſt ſcientiam eſſe in triplici differentia ſecundùm Innoc. *hic num.* 1. *in ver. Et ſcientia*, Compoſtell. *num.* 8. & Hoſtienſ. *num.* 15. quibus conſentiunt Jo. Andr. Butr. Abb. & reliqui omnes: alia enim eſt ſcientia eminens, alia mediocris, alia ſufficiens. Eminentem ſcientiam habet, qui ſubtiles, & difficiles quæſtiones diſcutere novit, & in promptu ſine revolutione librorum reſpondet, præſertim de fide interroganti, §. *Eccleſ.* 36. *diſt.* Mediocrem habet, qui cùm deliberatione, & revolutione librorum veritatem ſcit invenire. Sufficientem habet, qui per ſe ſufficit ad ea, quæ ſibi imminent expendenda.

139 Quibus præhabitis dicendum eſt ſcientiam æſtimandam, & requirendam eſſe ſecundùm Dignitatem, locum, & ordinem. Et hæc omnia diſcreti judicis arbitrio examinanda ſunt, qui præcipuè conſiderare debet qualitatem Eccleſiæ, ad quam quis aſſumitur, *cap. In cauſis*, §. *fin. & cap. Scriptum*, §. *penult. infrà eod.* ſecundùm Innoc. & Compoſt. *num.* 1. Hoſt. *num.* 15. Joan. Andr. *nu.* 12. *verſ. Sufficientem habet*, Butr. *n.* 11. & Abb. *n.* 4.

140 In ſpecie autem in aſſumendo ad Dignitatem Epiſcopalem requiritur ſcientia eminens ſecundùm omnes. Debet

141 enim Epiſcopus habere notitiam ſcrutabiliter novi, & veteris teſtamenti, cùm ſit judex, & paſtor animarum; & reddere de fide rationem omni poſcenti, *cap. Omnes* 38. *diſt. cap. Qui Epiſcopus* 23. *diſt. cap. Cognovimus* 18. *qu.* 2. Et quemadmodum ſuperiores Angeli, qui inferiores illuminant habent pleniorem notitiam de rebus Divinis, quàm inferiores, ut inquit Dionyſ. *c.* 12. *cœleſt. Hierarch.* ita etiam ſuperiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis. Ita S. Thomas *in* 2. 2. *qu.* 2. *art.* 6. & ſcripſi pleniùs in *cap. Firmiter n.* 24. 25. *&* 49. *ſuprà de Summa Trinitate.*

142 Rurſus ſecundùm eos Epiſcopi habere debent ſcientiam juris, cùm ſecundùm illum debeant judicare, *cap. Conquerente infrà de offic. ordinar. cap. De perſona* 11. *qu.* 1. *c.* 1. §. *fin. de conſang. & affinit.*

143 Cæterùm etſi in Epiſcopo, ut prædiximus, deſideretur ſcientia eminens, competens tamen toleratur, *cap. Cùm nobis olim infrà eod. & cap. Niſi cùm pridem*, §. *Pro defectu de renunciat.* Quod intellige ex cauſa, & diſpenſativè ſecundùm Innoc. Compoſtell. & Hoſtienſ. quos ſequitur Jo. Andr. *num.* 13. *verſ. Ex cauſa tamen*, & Abb. *n.* 4. *verſ. Ex prædictis infertur*, quia imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis, ut dicitur in *d.c. Niſi cùm pridem*, & vide quòd ibi dixi de examine Epiſcoporum. Porrò qualitatem ſcientiæ requiſitam in eo, qui ad Cathedralem Eccleſiam erit aſſumendus, Concilium Tridentinum *in cap.* 2. *ſeſſ.* 22. paucis perſtrinxit dicens; Scientia verò ejuſmodi polleat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere.

144 Archidiaconi autem, Præpoſiti, & omnes alii, ad quos ſpectat de cauſis cognoſcere, debent ſcire jura; quia verecundum eſt Patritio, &c. *l.* 2. § *Servius*, *col. antepenult. ff. De orig. jur.* & turpe eſt de aliorum manibus quærere, quod debet quis apud ſe invenire, ut inquit Hoſtien. *hic num.* 11. & ita ex mente ipſius hoc non habet locum indiſtinctè in omnibus Archidiaconis, & Præpoſitis, ſed in illis tantùm, qui habent juriſdictionem contentioſam, prout intelligit Abbas *hic num.* 4. *verſ. Sed hoc ego intelligo.* In illis verò, qui ſolùm habent nudum nomen, ut Archidiaconus, & Præpoſitus Senen. hujuſmodi ſcientia non requiritur, ſecundùm Abb. ſatis eſt enim, ut habeant ſufficientem ſcientiam: & ſufficiens dicitur ſecundùm qualitatem officii, vel beneficii.

Sed ex decreto Concilii Tridentini, *cap.* 12. *ſeſſ.* 24. 145
verſ. Archidiaconi etiam, ſtatutum eſt, ut Archidiaconi, qui oculi dicuntur Epiſcopi, ſint in omnibus Eccleſiis ubi fieri poterit, Magiſtri in Theologia, ſeu Doctores, aut Licentiati in jure Canonico. Circa quod vide quod ſcripſi in *c. Ex parte, il primo infrà de offic. deleg.*

Monachi verò, & Eremitæ potiùs egent contemplatio- 146
ne, quàm ſcientia, arg. *cap. Legi* 16. *qu.* 1. Ideòque Innocentius dicit in Abbate non requiri magnam ſcientiam; imò ſecundùm Archid. *in d.c. Legi*, ſatis eſt ut ſciat cantare, & legere. Quod tamen dicit verum Collectar. dum- 147
modò curam animarum non habeat. Sed Abb. *eod. num.* 4. *verſ. Sed ego non video*, abſolutè impugnat primum dictum, quia quilibet Abbas habet curam ſaltem fori pœni- 148
tentialis reſpectu Monachorum ſuorum. Tu dic in religionibus eſſe Abbates titulares cura, & adminiſtratione carentes, ut idem Abb. admittit *conſilio ſuo* 101. incipien. *In quæſtione num.* 1. *verſ. Nam Papa lib.* 1. Et in his ſalvari poteſt dictum Innocentii, & Archidiaconi, & vide Collectar. in *cap. Cùm ſit ars num.* 3. *infrà de ætat. & qualitat.*
Presbyter autem ſatis eſt, ut ſciat Canones Pœnitentiales, 149
cap. Nulli, juncta gloſſ. *Unica* 38. *diſt.* ſecundùm Innoc. & Compoſtell. Sed textus in *c. Quæ ipſis ead. diſt.* com- 150
memorat alia plura, quæ Presbyterùm ſcire oportet ultra Canones Pœnitentiales, videlicet librum Sacramentorum, id eſt Miſſale, ut ibi exponit gloſſ. & Præpoſ. *nu.* 3. *& hic num.* 9. Lectionarium, Antiphonarium, Baptiſterium, Computum, Pſalterium; Homilias per anni circulum Dominicis, & ſingulis feſtivitatibus aptas. Quòd ſi unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo conſtabit, ut ibi legitur.

Sed hodie ex decreto Concilii Tridentini, *cap.* 14. *ſeſſ.* 23. ad Presbyteratus ordinem aſſumi debent, qui ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac adminiſtranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur.

Et ſtante hoc decreto arbitror hodie non procedere, 151
quod dicit hìc Innoc. parum ſcientes promoveri poſſe ſi ſint dociles, id eſt apti ad diſcendum, ſaltem diſpenſativè, & ex magna cauſa, ut declarant Hoſt. *num.* 13. *verſ. Si autem ſit parum ſciens*, & Abb. *n.* 4. *col.* 3. *verſ. Parum autem ſcientes.* Etenim Epiſcopi contra hoc decretum Concilii 152
diſpenſare non poſſunt; etiam ex magna cauſa, ut probavi latiſſimè in *c. fin. infrà de fil. Presbyter.*

Undè Sacra Congregatio Concilii etiam in locis, ubi maxima eſt Sacerdotum inopia, numquam cenſuit ignaros poſſe promoveri ad ſacros; licèt jam promotis ad Presbyteratum cenſuerit conferri poſſe Parochiales Eccleſias, quando litteratiores inveniri non poſſunt, ut dixi in *cap. Quæris num.* 18. *infrà de ætat. & qualitat.*

Diaconi autem, & Subdiaconi ſunt ordinadi, qui lit- 153
teris, & iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, inſtructi ſunt, ut habetur *in c.* 13. *ſeſſ.* 23. ejuſdem Concilii.

Demùm ad minores ordines promovendi ſunt, qui ſal- 154
tem linguam Latinam intelligant, ut *in c.* 11. *ejuſdem ſeſſionis.* Et prima tonſura non ſunt initiandi, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant, ut eadem *ſeſſ. c.* 4.

DE

DE ELECTIONE.

Cap. Cùm in cunctis. §. Inferiora.

SUMMARIUM.

1 *Decanus an ſit major Archidiacono, vel è converſo.*
2 *Beneficium omne curatum habet annexum ordinem Presbyteratus,*
3 *Et quid ſi cura ſit juriſdictionalis, remiſſivè.*
4 *Dignitates non curatæ, de jure communi requirunt annum vigeſimum quintum inchoatum; ex Concilio Tridentino vigeſimum ſecundum completum.*
5 *Beneficium curatum, & Parochialis Eccleſia, an & in quibus differant, & nn. ſeqq.*
6 *Parochialis Eccleſia propriè quæ dicatur, & n. 9.*
7 *Beneficium in Eccleſia aliud eſt, quàm beneficium Eccleſiæ.*
8 *Dignitas Eccleſiæ unica non comprehenditur in litteris expectativis de dignitate in Eccleſia.*
9 *Beneficium dicitur curatum etiam ratione juriſdictionis in foro contentioſo.*
10 *Ordo dignitati, vel beneficio annexus non requiritur in ipſo actu proviſionis, ſed ſufficit aptitudo.*
11 *Niſi annexio facta ſit reſpectu actus.*
12 *Beneficia Sacerdotalia reſpectu aptitudinis non exigunt ætatem ad Sacerdotium requiſitam in actu collationis, niſi ſunt dignitates, vel beneficia curata.*
13 *Beneficium omne latè ſumpto vocabulo poteſt appellari officium.*
14 *Appellatio contra Canones non valet.*
15 *Ordinem Presbyteratus dignitati, vel beneficio curato, aut Parochiali annexum non ſuſcipiens, an ſit ipſo jure beneficio privatus, vel privandus per ſententiam, & n. ſeqq. uſque in finem.*
Quid ex hoc §. Inferiora, n. 18.
Et quid ex c. Licet Canon de elect. in 6. n. 19.
Et quid ex c. Statutum eod. tit. & lib. n. 22.
Et quid ex Concilio Conſtantinenſi, n. 23.
Et quid ex Concilio Tridentino, n. 35.
16 *Pœna in facto negativo per negligentiam non incurritur, niſi præcedat monitio.*
17 *Sententia privationis contra beneficiatum non promotum ſufficit ſine juris ſolemnitate.*
20 *Parochiales quæ ſunt dignitates, vel perſonatus licèt non ſint Collegiatæ, non comprehenduntur in* c. Licet Canon de elect. in 6.
21 *Priores, vel Decani rurales, quorum Eccleſiæ ſunt Curatæ, & non Collegiatæ, non ſunt ipſo jure privati ex eo, quod infrà annum promoti non fuerint ad Sacerdotium.*
22 *Collegiatam etiam Parochialem obtinens infrà annum non promotus ad ordinem Presbyteratus non eſt privatus ipſo jure, ſed privandus monitione præmiſſa, & n. ſeqq. uſque ad n.* 35.
23 *Conſtantienſis Concilii conſtitutio de non promotis ad ordines beneficio annexos refertur.*
24 *Expenditur, & n. ſeqq. uſque in finem.*
25 *Præpoſitus Eccleſiæ, quæ eſt Dignitas principalis, & Collegiata cum juriſdictione ſpirituali, & temporali, an ex Concilio Conſtantienſi ſit privatus ipſo jure, ſi infrà annum non fuerit in Presbyterum ordinatus, & n. ſeqq. uſque ad n.* 35.
26 *Canones ita ſunt interpretandi, ut minus corrigant jus commune, quàm fieri poſſit.*
27 *Monaſterii appellatione in materia exorbitanti non veniunt Eccleſiæ ſæculares.*
28 *Secus in materia latè interpretanda.*
29 *Conventuales Eccleſiæ ex proprietate vocabuli intelliguntur Regularium, non Clericorum ſæcularium.*
30 *Verba in materia pœnali, & exorbitanti ſecundum propriam ſignificacionem ſunt intelligenda.*
31 *Archidiaconatus eſt dignitas in Cathedrali, nec comprehenditur in* c. Statutum, de elect. in 6.
32 *Canon imponens pœnam ipſo jure ſuper facto per aliud jus jam damnato, dicitur illius executivus.*
33 *Dictio*, quodcumque, *univerſaliter omnia includit.*
34 *Niſi per aliud jus aliquis caſus reperiatur exceptus.*
35 *Ordines ſacros dignitati, Præbendæ, vel portioni annexos in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia infrà annum non ſuſcipiens, an ſit ipſo jure beneficio privatus, & n. ſeqq. uſque in fin.*
36 *Quid ex Concilio Viennenſi.*
37 *Et quid ex Concilio Conſtantienſi.*
Et quid ex Concilio Tridentino, n. 39.
38 *Canonicatus, & Præbenda ex proprietate vocabuli comprehenditur beneficii appellatione.*
39 *Canonici, & Portionarii ad ordines ſuis beneficiis annexos non promoti hodie quas pœnas incurrant.*
40 *Concilium Tridentinum* cap. 4. ſeſſ. 22. *comprehendit omnia beneficia, quæ ordinem requirunt.*
41 *Beneficia in aliis Eccleſiis, quàm Cathedralibus, vel Collegiatis non comprehenduntur in* Clem. Ut ii, de ætat. & qualit. *etiamſi in illis eſſent diſtributiones.*
Conſtantienſis Concilii conſtitutio imponens pœnam privationis tituli ipſo jure ob non promotionem ad ordines, in quibus beneficiis hodie ſit ſervanda, ibidem.

Inferiora. Nota primò ibi, *Diaconatum, Archidiaconatum, &c.* arguendo ab ordine litteræ juxta text. *in cap. Cum dilecta ſuprà de reſcript.* Decanum eſſe majorem Archidiacono, ut hìc per Cardin. in 3. notab. Sed oppoſitum colligitur ex littera paulò infrà, ubi Archidiaconus præponitur Decano, & ex *cap. Innovamus 60. diſt.* ibi, Archidiaconi, vel Decani. Solve ut dixi *in cap. 1. in 5. notab. n. 31. infrà de ætat. & qualit.* 1

Secundò nota, omne beneficium curatum habere ordinem Presbyteratus annexum, ut hìc, & in *cap. Prætereà infrà de ætat. & qualit. & in cap. Licèt Canon, & cap. Commiſſa de elect. lib. 6. cum ſuis concordan.* Quod abſque dubio procedit, ſi beneficium habeat curam animarum in foro pœnitentiali, ut in juribus præallegatis. Sed an idem juris ſit ſi tantummodò curam habeat juriſdictionalem in foro contentioſo, ſcripſi plenè in *c. 1. à num. 2. infrà de Capell. Monach.* 2 3

Tertiò nota, ad Dignitates etiam non curatas requiri annum vigeſimum quintum inchoatum: nam de his etiam intelligitur hæc littera, ut dixi ſuprà in princ. *num.* 35. & de omnibus idem eſt judicium, ut in *cap. Dudum, il 2. §. Tandem Archidiaconus, verſ. Quam ſi etiam non haberet infrà eod.* & notat hìc Hoſt. *num.* 30. *in ver. Curam animarum*, Jo. Andr. *num.* 22. *in ver. Quæ*, Abb. *num.* 3. & Dec. poſt alios *num.* 11. Sed hodie ad Dignitates non curatas ſufficit annus vigeſimus ſecundus completus ex jure noviſſimo Concilii Tridentini *cap.* 12. §. *Ad cæteras, ſeſſ.* 24. ut latiùs dictum eſt *n.* 37. 4

Quartò nota, ex illis verbis, *duæ curam animarum habent annexam*, juncto verſ. *Sed nec Parochialis Eccleſiæ*, differentiam eſſe inter beneficium curatum, & Parochialem Eccleſiam: differunt enim primò, quia beneficium curatum eſt nomen generis, quod complectitur non tantùm Eccleſias Parochiales, ſed etiam Dignitates, & alia beneficia in Eccleſia, quibus cura animarum incumbit, puta Decanatum, Archidiaconatum, &c. de quibus hìc: in quorum vacatione non dicitur Eccleſia viduata, cùm ſit ibi Prælatus, qui ſolus eſt ſponſus Eccleſiæ, ut notat gloſſ. in *c. Quia propter in ver. Eccleſiis viduatis infrà eod.* 5 6
Parochialis verò eſt beneficium curatum ſonans in nomen Rectoriæ, *cap. Licèt Canon, §. Is etiam*, ibi, *In Parochiali Eccleſia cujus rector extiterit infrà eod. lib. 6.* in cujus vacatione Eccleſia viduatur, ut *d. c. Quia propter, & in cap. Ne pro defectu infrà eod.* & cujus Rector non habet beneficium in Eccleſia, ſed Eccleſiam ipſam, ſeu beneficium Eccleſiæ, ut inquit gloſſ. *in Clem. Ut ii in ver. In eiſdem de ætat. & qualit.* Undè & Collegiata poteſt eſſe Parochialis,

lis, ut eſt text. *in cap. Statutum*, ibi, *Etiamſi Parochia-*
7 *les extiterint de elect. lib. 6.* Et ex his collige aliud eſſe bene-
ficium in Eccleſia, aliud beneficium Eccleſiæ, ut hìc, & in
Clem. 1. §. *Ad hoc de præb.* Et propterea Joan. Monach. in
cap. In generali de reg. jur. lib. 6. & Archid. *in c. Ne captandæ*
8 *de conceſſ. præb. eod. lib.* referunt Clementem IV. terminaſſe
authoritate ſumpta *de lib. 2. Reg. c. 12. & §. ult. 3. q. 7.* de illo,
qui habebat unicam ovem, & ex *l. Illicitas*, §. *Ne tenuis*,
ff. de offic. præſid. de illo; qui habebat unicum lumen, quod
cùm ſcribitur alicui provideri de dignitate in aliqua Ec-
cleſia, & non eſt ibi niſi unica, & principalis, illa non de-
betur, & eſt ratio, quia providere de illa dignitate non eſt
providere in Eccleſia, ſed de Eccleſia. De hoc tamen vi-
de gloſſ. in *d. Clem. 1. in ver. In certa*.
9 Deinde differunt, quia beneficium curatum dicitur
etiam ratione juriſdictionis ſpiritualis in foro contentio-
ſo, ut ſunt jura clara in *c. Dudum, il ſecundo §. Tandem*
Archidiaconus, verſ. Sed cùm in jure, ibi, *evidenter appa-*
ret, quod curam habet animarum, & ibi Abb. *num. 7. & 8.*
infrà eod. in cap. Super eo de præb. lib. 6. & in Extravag. Jo.
XXII. *Execrabilis in fine*, & notat Cardin. *in Clem. 1. in*
vigeſima quæſtione de offic. Vicar. Ad quod tamen vide
quod ſcripſi *in cap. 1. num. 2. & ſeqq. infrà de Capell. Mo-*
nach. Sed Parochialis non dicitur, niſi curam habeat ani-
marum in foro pœnitentiali, ut per Hoſt. in *ſumma de Pa-*
roch. §. In quibus conſiſtat, & Joan. Andr. *in rubr. de Paroch.*
num. 2. Itaque omnis Eccleſia Parochialis eſt beneficium
curatum; ſed non convertitur, quia non omne benefi-
cium curatum eſt Parochialis: datur enim beneficium
curatum in Eccleſia, & beneficium curatum ratione
juriſdictionis in foro contentioſo, quod Parochialis dici
non poteſt. De his tamen differentiis vide quæ adnotavi
in *c. Cùm ſit ars in 1. q. infrà de ætat. & qualit.*
10 Quintò nota in verſ. *Cùm autem*, ad obtinendam Di-
gnitatem, vel beneficium, cui ſacer ordo eſt annexus, non
requiri ut ordo præcedat, aut ſit contemporaneus cum
proviſione, ſed ſufficere habilitatem ad illum ſuſcipien-
dum, infrà tempus à jure præfixum, ut hìc per Butr. *nu. 5.*
& Abb. *in 4. notab. concordat text. in c. 1.* & ibi dixi in 2.
notab. num. 2. infrà de ætat. & qualit. & in cap. 2. de inſtitut.
11 *lib. 6.* Quod tamen procedit ſi annexio ordinis facta ſit be-
neficio reſpectu aptitudinis, prout regulariter facta cen-
ſetur. Secùs ſi reſpectu actus, quia tunc requiritur ordo
in ipſo actu proviſionis, ut in *cap. Nemo deinceps de elect.*
lib. 6. & declarat Abb. *hìc num. 10.* & dixi ſuprà *à num. 65.*
uſque ad num. 70. In quibus autem caſibus ordinis annexio
intelligatur facta reſpectu aptitudinis, vel reſpectu actus,
plenè examino *in d. cap. 1. à num. 54. uſque ad num. 60. de*
ætat. & qualit.
12 Sextò nota, ibi, *niſi qui jam vigeſimum quintum annum*
ætatis attigerit, ad beneficium ſacerdotale, quamvis non
requiratur ordo in ipſo actu collationis, tamen requiri æ-
tatem ad illum ordinem requiſitam ſimultaneè cum pro-
motione, & hoc pro regula in inferioribus beneficiis con-
ſtituit Abb. *hìc in 2. notab.* Sed tu dic hoc tantummodò ve-
rum eſſe in Dignitatibus, & beneficiis curatis, in quibus
à jure præfixus eſt annus vigeſimus quintus incœptus, ut
hìc. At ſecùs eſt in aliis beneficiis ſacerdotalibus reſpectu
aptitudinis, quia ad illa obtinenda ſatis eſt, ut quis in ea
ætate ſit conſtitutus, ut infra annum ad Sacerdotium pro-
moveri poſſit, & ſic in vigeſimo quarto inchoato, ut fu-
sè probavi ſuprà n. 65. & fuſiùs in *d. c. 1. num. 51. & ſeqq. de*
ætat. & qualit.
13 Septimò nota, ibi, *& ab illo removeantur officio*: omne
beneficium latè ſumpto vocabulo poſſe appellari officium,
ut hìc per Butr. in *7. notab.*
14 Octavò nota, ibi, *nec proſit eis appellationis refugium*:
appellationem contra Canonem non valere, ut hìc, & in
cap. Reprehenſibilis, & cap. Quia nos de appell. & hìc notat
Innoc. *num. 6. in ver. Appellationis*, Hoſt. *num. 36. in eodem*
ver. Joan. Andr. *num. 27. in ver. Diffugium*, Butr. *in 8. notab.*
Card. *in 5. notab.* & Imol. *n. 4.*
15 Ultimò nota, ibi, *admoniti*: necnon ibi, *removeantur*,
obtinentem Dignitatem, vel aliud beneficium curatum,
aut Parochialem Eccleſiam ex eo, quòd infrà tempus à ju-
re præfixum non fuerit in Presbyterum ordinatus non eſ-
ſe ipſo jure privatum beneficio, ſed privandum per ſenten-
tiam, monitione præmiſſa, ut hìc, & in *c. Quæris de ætat.*
& qualit. & notant hìc Innoc. *n. 6. in ver. Admoniti*, Hoſt. *nu.*
32. in eod. verſ. Joan. Andr. *num. 25.* Butr. *numer. 6.* Anchar.
in 9. notab. Abb. *in ult. notab.* & Dec. *numer. 8.* Et facit ad
hoc, quia in facto negativo, de quo hìc agitur, ad hoc ut 16
pœna per negligentiam incurratur, neceſſaria eſt monitio,
ut notat Innoc. *in c. Extirpandæ de præb.* Bald. *in Authen.*
hoc ampliùs col. 4. C. De fideicomm. & alii apud Alexan. *in l.*
Ita ſtipulatus col. 5. de verb. obligat. quos ſequitur hìc Dec. *n.*
9. Sententia tamen amotionis ſufficit ſine juris ſolemnita- 17
te, ut in *d. c. Quæris, & in c. Cùm noſtris de conceſſ. præben.*
ſecundùm Hoſt. & Jo. Andr. *ubi ſuprà.* Cùm enim hæc eſſe
non poſſint non notoria, *c. Quanto de transl. Epiſcopor.* non
eſt juris ordo ſervandus, *c. De manifeſta 2. q. 1.*
Verùm quia quod hìc ſtatuitur, ut non promoti privan- 18
di ſint per ſententiam, hodie in multis corrigitur per po-
ſteriores Conſtitutiones, ideò pro pleniori notitia diſtin-
guenda ſunt quatuor tempora.
Primum tempus eſt Concilii Lateranenſis, de quo hìc:
& hoc tempore inſpecto non promoti ſive obtineant Di-
gnitates, ſive beneficia curata, ſive Parochiales Eccleſias
non ſunt ipſo jure privati, ſed privandi, ut proximè di-
ctum eſt, & eſt caſus hìc, & *in cap. 1.* & ibi dixi *in ult. no-*
tab. n. 33. infrà de ætat. & qualit.
Secundum tempus eſt Concilii Lugdunenſis, de quo in 19
cap. Licèt Canon, de elect. lib. 6. & ſecundùm hoc tempus
aſſumptus ad regimen Parochialis Eccleſiæ, niſi infrà an-
num ſe fecerit ad Sacerdotium promoveri, Eccleſia ſibi
commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, eſt ipſo jure
privatus, ut illic difertis verbis ſtatuitur. Atque ita eo de-
creto reſpectu pœnæ corrigitur conſtitutio, de qua hìc quo-
ad Parochiales Eccleſias, ſed quoad Dignitates, & benefi-
cia curata remanet in ſuo robore, quia quod non mutatur,
&c. *l. Præcipimus in fine, C. de appellat. & l. Sancimus, Cod.*
De teſtam. & ita firmat gloſſ. *in d. c. Licèt Canon. in ver. Pa-*
rochialis Eccleſiæ, quæ à Doctoribus communiter appro-
batur. Quinimò hæc Conſtitutio remanet ſalva, etiam 20
quoad Parochiales, quæ ſunt Dignitates, vel Perſonatus,
licèt non Collegiatæ, quia *cap. Licèt Canon*, eam corrigit
tantummodò quoad ſimplices Parochiales, ut optimè de-
clarat Feder. de Sen. *conſ. 86. Caſus talis eſt per totum*: ubi 21
propterea ex facto reſpondit Priorem, ſive Præpoſitum,
vel Decanum ruralem, quorum Eccleſiæ ſunt Curatæ, &
Parochiales non tamen Collegiatæ non eſſe ipſo jure priva-
tos ex eo, quòd ad præſcriptum *d. c. Licèt Canon*, non
fuerint infrà annum in Presbyteros ordinati.
Tertium tempus eſt Bonifacii VIII. qui in *cap. Statutum* 22
de electione lib. 6. Declaravit prædictam decretalem *Licèt*
Canon, uti pœnalem non extendi ad Collegiatas Eccle-
ſias, etiamſi Parochiales extiterint, & aſſumptos ad ea-
rum regimen; ſed in illis ſervanda eſſe antiqua jura, id
eſt, hunc §. *Inferiora*, ut ibi exponit gloſſ. *ult.* Joan. Mo-
nach. Archid. Joan. Andr. Gemin. & reliqui Interpretes,
Feder. de Senis *d. conſ. 86. num. 1. verſ. Sed quæ ſunt jura*
antiqua: & Rebuff. *in Praxi in benefic. de non promot. n. 25.*
27. & ſeqq. Et propterea dicebat *in d. c. Satutum*, Joan.
Andr. *num. 1.* propter illam Decretalem multos curaſſe,
ut eorum Parochiales fierent Collegiatæ, ut eorum Re-
ctores non tenerentur ad Sacerdotium promoveri; ſed
eos quandoque pœnituiſſe propter reſervationes quas fa-
ciunt Romani Pontifices. Adde hanc cautelam potuiſſe
illis proficere quoad pœnam *d. c. Licèt Canon*, ſed non
quoad promotionem ad Sacerdotium, quia nihilominus
tenebantur promoveri; alioquin privari poterant per
ſententiam, ut dictum eſt ſuprà *num. 15.* & vide quod ſcri-
pſi in *c. 1. n. 13. infrà de ætat. & qualit.*
Quartum denique tempus eſt Concilii Conſtantienſis 23
ſub Martino V. *qui ſeſſ. 43. in tit. de diſpenſ.* ſtatuit in hæc
verba, *Martinus, &c. Quoniam beneficia propter officia con-*
ceduntur, reputamus abſurdum, ut qui beneficia obtinent,
recuſent, aut negligant officium exercere. Nos igitur Sa-
cro approbante Concilio omnes diſpenſationes à quibuſcumque
pro Romanis Pontificibus ſe gerentibus conceſſas quibuſcum-
que electis, confirmatis, ſeu proviſis ad Eccleſias, Monaſte-
ria, Prioratus Conventuales, Decanatus, Archidiacona-
tus, & alia quæcumque beneficia, quibus certus ordo debitus
eſt, vel annexus, ne munus conſecrationis Epiſcopi, ſive be-
nedictionem Abbatis, aut cæteros debitos, aut annexos ordi-
nes ſuſcipiant, præter illas quæ ſecundùm formam Conſtitu-
tio-

tionis Bonifacii VIII. quæ incipit, Cùm ex eo, *factæ ſunt*, *revocamus*; *ſtat entes*, *ut qui de præſenti illas*, *vel illa obtinent*, *infrà ſex menſes à die publicationis hujuſmodi Conſtitutionis noſtræ*, *& qui in poſterum obtinebunt*, *infrà terminum juris ſe faciant conſecrari*, *aut benedici ſeu ad alium debitum ordinem promoveri; alioquin ſint ipſis Monaſteriis*, *Eccleſiis*, *Dignitatibus*, *Perſonatibus*, *officiis*, *& beneficiis ipſo jure privati*, *& aliis liberè conferantur*, *aut provideatur de illis*, *cæteris Conſtitutionibus circa hoc editis in ſuo robore duraturis*. Hæc ſeſſio habita eſt Conſtantiæ *Anno Domini* 1417. *die Lunæ* 21. *Menſis Martii*, & habetur *tom.* 3. *Concil. par.* 2. *pag.* 942.

24 Quo quidem ſtatuto confirmatur conſtitutio Concilii Lugdunen. de qua in *d. c. licèt Canon*, quoad Parochiales Eccleſias: nam ex Concilio Conſtantienſi ſunt ipſo jure Eccleſiis privati, qui ordines ſuis beneficiis debitos, vel annexos ſuſcipiunt infrà terminum juris. Hìc autem terminus quoad Parochiales Eccleſias eſt infrà annum, ut in *d. c. Licèt. Canon.* Sed quoad Dignitates, Perſonatus, & alia beneficia curata reſpectu pœnæ corrigitur conſtitutio Concilii Lateranenſ. de qua in hoc §. *Inferiora*. Quæ ex Concilio Conſtantienſi non promoti infrà tempus à Canonibus præfixum non ſunt privandi per ſententiam monitione præmiſſa, ut hìc dicitur, ſed ſunt ipſo jure privati.

Itaque hìc §. *Inferiora*, reſpectu pœnæ hodie videtur prorſus abrogatus, nam quoad Parochiales eſt correctus, per *cap. Licèt Canon* & quoad Dignitates, Perſonatus, & alia beneficia, quæ curam animarum habent annexam, per ſtatutum Concilii Conſtantienſis. Sed de hoc vide quod dicam in quæſtione ſequenti.

25 QUÆRO, ſuper intellectu hujus ſtatuti, An obtinens præpoſituram Eccleſiæ Collegiatæ, quæ eſt principalis Dignitas, habetque ſub ſe Parochiales, ac etiam caſtra, & oppida, in quibus ſpiritualem, & corporalem juriſdictionem exercet, incidat in pœnam *d. c. Licèt. Canon*, *de elect. lib.* 6. ſi infrà annum non fuerit in Presbyterum ordinatus.

Circumſcripto Concilio Conſtantienſi, planum eſt Præpoſitum in memoratam pœnam non incidere, quia *cap. Licèt Canon*, tamquam pœnale locum non habet in Dignitatibus principalibus, & Collegiatis, etiamſi Parochiales extiterint, ut eſt caſus in *cap. Statutum de elect. lib.* 6. ſed in illis obſervanda eſt diſpoſitio hujus §. *Inferiora*, ut ſcilicet non promoti ſint ipſo jure privati, ut dictum eſt ſuprà *num.* 22. *verſ. Tertium tempus*. Undè difficultas ad hoc reſtringitur, videlicet an conſtitutio, ut præfertur edita à Martino V. in Concilio Conſtantienſi correxit *d. c. Statutum*.

26 Et videtur non correxiſſe, quia regula juris notiſſima eſt Canones ita eſſe interpretandos, ut minus corrigant jus commune, quàm fieri poſſit, & jura juribus concordentur, *cap. Cùm expediat de elect. lib.* 6. Neque enim credendum eſt Romanum Pontificem, qui jura tuetur, quod aliàs excogitatum eſt multis vigiliis, & inventum uno verbo ſubvertere voluiſſe, ut legitur in *c. Eccleſia veſtra*, *il ſecundo infrà eod.* & *in l. Si quando*, *C. de inoffic. teſtam.* Prætereà verba illius conſtitutionis non important, ut Papa voluerit *d. c. corrigere*, quia nihil expreſſit de Eccleſiis Collegiatis, idque non obſcurè patebit, ſi ſingula conſtitutionis verba ſedulò expendantur.

Primò enim dixit, Eccleſias, quod verificatur in ſimplicibus Parochialibus, juxta text. in *d. c. Licèt. Canon* vel in aliis Eccleſiis, quę non eſſent Collegiatæ, & haberent ordines annexos ex conſuetudine, vel ſtatuto juxta diſpoſitionem Clem. *Ut ii de ætat. & qualit.*

27 Deindè dicit Monaſteria, & clarum eſt in materia exorbitanti, ſicuti eſt hæc, quæ diſponit contra jus antiquum, Monaſterii appellatione non comprehendi Eccleſias ſæculares, ut notat gloſſ. *in Clem.* 1. *in ver. Monaſteriis de elect.*

28 & gloſſ. 3. *cap. Grandi de ſuppl. neglig. Prælat. lib.* 6. Licèt ſecus ſit in materia latè interpretanda, ut firmat Jo. Andr. *in c. Joannes de regul.* ubi ita intelligit jura, quæ dicunt Eccleſias venire appellatione Monaſterii, ut in §. *Hæc autem* 10. *diſt.*

29 Tertiò, dixit Prioratus Conventuales; quod ſimiliter includit Eccleſias Collegiatas Regularium, non autem ſæcularium, quia ex proprietate vocabuli Eccleſiæ Conventuales intelliguntur Regularium, non Clericorum ſæcularium, ut notat Paul. de Eleazar *in Clem.* 1. *in ver. Quæritur*, ubi etiam Card. *num.* 7. *de reb. Eccleſ. non alien.* allegat jura in *cap. Niſi eſſent de præben. in cap. Monachi*, §. *penult. de ſtatu regular. & in cap. Si religioſus de elect. lib.* 6. licèt nonnumquam largè, & impropriè appellatione Conventualium etiam ſæculares comprehendantur, ut notant Joan. Andr. & Joan. Calder. in *cap. Capitulum ſupr. de reſcript.* Sed cùm Conſtitutio Conſtantienſis ſit pœnalis, & exorbitans, illius verba juxta propriam ſignificationem ſunt intelligenda, *cap. Rodulphus de reſcript.* & notat gloſſ. *in Clem. Ut ii in ver. In eodem de ætat. & qualit.* & in Clem. *In pleriſque in ver. Populo de elect.* & de his Prioratibus expreſſit, quia & aliàs de jure pœnam privationis incurrerent ſine alia monitione, ut in Clem. *Nè in agro*, §. *Cæterùm de ſtatu Monach.* Atque ita quoad eos nil novi ſtatuit, ſed jus præcedens innovavit. 30

Quartò, dixit Decanatus, & Archidiaconatus; Et quidem in Archidiaconatu non habeat locum *d. c. Statutum de elect. in* 6. cùm hæc Dignitas ſit in Eccleſia Cathedrali, & ſic non ſit principalis in Eccleſia Collegiata, cùm ibi ſit caput Epiſcopus, ut patet in *cap.* 1. *& per tot. infrà de offic. Archid.* Similiter nec in Decanatu habebat locum *d. cap. Statutum*, quandò non erat principalis dignitas in Eccleſia Collegiata, ſed tantummodò habebat locum Concilium Lateranenſe, de quo in hoc §. *Inferiora*, ut notat gloſſ. in *d. c. Licet Canon in ver. Parochialis de elect. lib.* 6. Undè Martinus V. voluit, ut in his dignitatibus, in quibus requirebatur monitio ad pœnam incurrendam, & privatio per ſententiam, ut expreſsè cavetur hìc, hodie monitio non requiratur, ſed ſint ipſo jure privati: & ſic Concilium Conſtantienſe coadjuvat Lateranenſe, de quo hìc per modum executionis: nam quilibet Canon imponens pœnam ipſo jure ſuper facto per aliud jus jam damnato, dicitur illius executivus, ut probatur in præalleg. *c. Licèt Canon*, & ibi notat gloſſ. *in ver. Executione*, & ſic intelligendo nova hæc conſtitutio propriè non corrigit jura præcedentia, ſed eſt executio hujus §. *Inferiora*, *& c.* 1. *infr. de ætat. & qualit.* & Decretali *Statutum*, remanet in ſuo robore. 31 32

Nec prædictis obſtat clauſula generalis, quæ ſubſequitur, videlicet, *& alia quæcumque beneficia*, ponderando dictionem univerſalem, *quæcumque*, quæ videtur includere omnia alia beneficia etiam Collegiata, cum de natura univerſalis ſit omnia univerſaliter includere, ut dicit text. in *c. Oblitæ de majorr. & obed.* 33

Etenim reſpondetur dictionem, *quæcumque*, licèt ſit univerſalis, non tamen ſtare univerſaliter in materia, in qua profertur, quando per aliud jus aliquis caſus reperitur exceptus ab illo jure, ut eſt gloſſ. notab. in *cap. Monachi in verſ. Quocumque modo infr. de ſentent. excommun.* undè & prædicta clauſula, *Quæcumque alia beneficia*, ita eſt intelligenda, ut locum habeat in aliis quibuſcumque beneficiis, niſi alio jure reperiantur excluſa. Sed obtinentes Collegiatas Eccleſias excluduntur per *d. c. Statutum*. Ergo in hoc caſu excepto non verificabitur illa dictio univerſalis, ut tenet gloſſ. præalleg. Et hoc intendit Martinus V. dum in calce conſtitutionis adjecit: *Cæteris conſtitutionibus circa hoc editis in ſuo robore duraturis*: nam ſi intelligeremus *d. c. Statutum*, fuiſſe ſublatum, utique in ſuo robore non permaneret: & idem contingeret de hoc §. *Inferiora*, qui non remanet correctus, ſed vitiatur circa executionem ſuam, ut eſt dictum: & ita intelligendo, hæc clauſula operabitur effectum ſuum. Verba autem clauſulæ intelligi debent ut operentur, *c. Si Papa de privileg. lib.* 6. & ita in propoſita facti ſpecie conſuluit Gemin. *conſ.* 131. *incip. Præmitto per tot.* ubi eſt caſus. 34

Secundò QUÆRO, ſuper intellectu ejuſdem conſtitutionis Martini V. an hodie qui obtinens Dignitates, præbendas, portiones, & alia beneficia in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, ſint beneficiis ipſo jure privati, ſi infrà annum Ordines ſuis beneficiis annexos non ſuſceperint? 35

Pro clariori ſolutione circa hoc diſtinguenda ſunt tria tempora. 36

Primum tempus eſt Concilii Viennenſis, de quo in Clem. *Ut ii*, §. *Illi verò de ætat. & qualit.* ut ſtatuitur, ut obtinentes in eiſdem Eccleſiis Dignitates, perſonatus, officia, vel præbendas, quibus certi Ordines ſunt annexi, niſi juſto impedimento ceſſante ad hujuſmodi Ordines ſe pro-

promoveri fecerint infrà annum, ex tunc donec ad eos
promoti fuerint, vocem in Capitulo non habeant, eiſque
diſtributionum pars dimidia ſubtrahatur. Et ita ſecundùm
hæc tempora non promoti ad Ordines ut præfertur, an-
nexos non erant beneficiis privati, ſed tantummodò ca-
rebant voce in Capitulo, & privabantur dimidia parte
diſtributionum.

37 Secundum tempus eſt Concilii Conſtantienſis, in quo
Martinus V. edidit Conſtitutionem ſuperiùs relatam
num. 23. & hoc tempore inſpecto obtinentes hujuſmodi di-
gnitates, & beneficia, qui infrà terminum juris non reci-
piebant Ordines beneficiis annexos, erant ipſo jure priva-
38 ti, ut illic ſtatuitur. Atque ita conſtitutio Conſtantienſis
correxit diſpoſitionem Concilii Viennenſis, de qua in d.
Clem. *Ut ii*. Neque enim ambigendum eſt quin eadem
conſtitutio comprehendat Dignitates in Eccleſiis Cathe-
dralibus, vel Collegiatis. Tum quia utitur clauſula illa
univerſali, *quæcumque alia beneficia*, quæ, ut prædiximus
num. 33. omnia univerſaliter includit: tum quia beneficii
appellatione ex proprietate vocabuli comprehenditur Ca-
nonicatus, & præbenda, ut eſt text. in *cap. penult. infrà
de verbor. ſignific. in cap. In noſtra de reſcript. & in cap.
unico, Ne Sede vacante lib.*6. & notat Bellarm. *in cap. Cùm
contingat num. 9. de foro competen.* Tum denique, quia
conſtitutio exprimit nominatim Archidiaconatum, qui
eſt dignitas in Cathedrali Eccleſia, ut patet *infrà de offic.
Archid. per tot.* & ita per eamdem conſtitutionem fuiſſe
ſublatam diſpoſitionem d.Clem. *Ut ii*, tenet Gemin. quam-
vis prædicta non ponderet in *præcit. conſ.* 131. *num.* 2. *verſ.
Primò dixit Eccleſias.*

39 Tertium tempus eſt Concilii Tridentini, quod in *cap.*4.
ſeſſ. 22. ſtatuit, ut obtinentes in Cathedrali, vel Collegia-
ta Eccleſia dignitates, perſonatus, officia, præbendas, por-
tiones, ac quælibet alia beneficia, quibus certi Ordines
ſunt annexi, teneantur, juſto impedimento ceſſante,
infrà annum Ordines ſuſcipere requiſitos; alioquin pœ-
nas incurrant juxta conſtitutionem d. Clem. *Ut ii*, quam
ibi innovat. Quo decreto apertè ſublata eſt diſpoſitio Con-
cilii Conſtantienſis quoad obtinentes beneficia in prædi-
ctis Eccleſiis: nam ſi non promoti incurrunt pœnas d.Cle-
ment. *Ut ii*, à Concilio Tridentino innovatas: ergo neceſ-
ſariò ſequitur, ut non ſint ipſo jure beneficiis privati; nam
pœnæ hujuſmodi ſunt privatio vocis, & ſubtractio dimidiæ
partis diſtributionum, ut dictum eſt. Utraque autem pœ-
na ſupponit perneceſſariò retentionem beneficii, quia
carens titulo privari non poteſt voce, vel dimidia parte
diſtributionum, cùm privatio ſupponat habitum, *l. Decem,
ff. de verbor. oblig. cap. Ad diſſolvendum infrà de deſponſ. im-
puber. & cap. Debitum de bigam.* Undè Sacra Congregatio
Tridentini Concilii interpretum, licèt nulla facta men-
tione conſtitutionis Concilii Conſtantienſis, ſæpiùs de-
claravit obtinentes dignitates, præbendas, vel portiones
in prædictis Eccleſiis non eſſe ipſo jure beneficiis privatos;
ſed tantummodò privari poſſe, ſi contumaciter renuerint
ſuſcipere Ordines ſuis beneficiis annexos, ut dixi in *cap.
Quæris n.* 34. *infrà de ætat. & qualitat.*

Neque hoc loco omittendum eſt decretum Concilii in 40
d. cap. 4. quod generalius loquitur, quàm prædicta Clem.
vendicare ſibi locum ex Sacræ Congregationis ſententia
in quibuſcumque beneficiis. Nam conſulta an decretum
d. cap. 4. *ſeſſ.* 22. comprehendat omnia beneficia, quæ Or-
dinem requirunt; reſpondit comprehendere: quod vide-
tur intelligendum quoad obligationem ſuſcipiendi Ordi-
nes infrà annum, non autem quoad pœnas ſaltem priva-
tionis vocis; quia illa applicari non poteſt, niſi obtinenti-
bus beneficia in Eccleſiis, in quibus ſunt Capitula, & ſic in
Cathedralibus, vel Collegiatis, cùm in aliis ſubjecta mate-
ria id non patiatur. Quòd expreſsè tenet gloſſ. in d. Clem.
Ut ii in ver. Diſtributionum, dicens per hoc verbum *diſtri-
butionum*, & verb. *Capitulo*, quod præcedit, has pœnas non
competere in beneficiis, quibus non debetur vox Capitu-
li, & in quibus ſunt diſtributiones.

Itaque cùm Concilium Tridentinum quoad pœnam 41
privationis vocis in Capitulo ſervari non poſſit in Eccle-
ſiis, ubi non ſunt Collegia juxta tex. in *c.* 1. *ſuprà eod.* &
diſpoſitio d. Clem. locum non habeat in beneficiis extra Ec-
cleſias Cathedrales, vel Collegiatas, etiamſi in illis eſſent
diſtributiones, ut ibi notat gloſſ. *in ver. Præbendas in ver. In
eiſdem, & in ver. Diſtributionum*, Card. *n.* 5. & Vital. *num.* 30.
conſequens eſt, ut quoad pœnam privationis tituli ipſo jure
hodie ſervanda ſit Conſtitutio Concilii Conſtantienſis in
illis beneficiis, quæ habent Ordines annexos, & non ſunt in
Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia, nec comprehenduntur
in *c. Statutum de elect. lib.* 6. Quæ omnia diligenter notabis,
quia ad hanc conſtitutionem non advertunt Doctores no-
ſtri, qui de beneficiis ſcripſerunt.

DE ELECTIONE.

Idem Alexander III. Ravennati Archiepiſcopo.

CAPUT VIII.

CAuſam, quæ inter Moniales ſanctæ Margaritæ: & infrà. Si Sorores in Epiſcopum electionem contulerint, promittentes quòd illam, quam eis provideret, reciperent: ipſam, quam providerit, facias ab eis (ſi tamen exiſtat idonea) in ſuam recipi Abbatiſſam.

SUMMARIUM.

1 *Compromittentes tenentur recipere electum à compromiſſariis, dummodò ſit idoneus.*
2 *Moniales appellantur Sorores.*
3 *Monachi poſſunt appellari Fratres.*
4 *Fratres qui dicantur.*
5 *Moniales poſſunt compromittere in maſculum electionem Abbatiſſæ.*
6 *Compromiſſum ſuper electione poteſt fieri in unum tantum, & num.* 38.
7 *Item fieri poteſt in extraneum à Collegio.*
8 *Epiſcopus non eſt de Collegio Monialium, licèt ſit ipſarum Caput.*
9 *Collegium ipſum cenſetur eligere, cùm electio fit à compromiſſariis.*
10 *Compromiſſum ſuper electione, an poſſit fieri in laicum, & num. ſeqq. uſque ad num.* 18.
11 *Compromiſſarius an ſit Procurator compromittentium, & num.* 13. *&* 16.
12 *Laicus poteſt eſſe Procurator in ſpiritualibus, & acceptare beneficium pro Clerico abſente.*
13 *Compromiſſarius arbitrari debet, an Prælatus ſit idoneus ad officium Prælaturæ.*
14 *Laicus non poteſt eſſe arbiter in ſpiritualibus.*
15 *Laicus non prohibetur miniſterialiter tractare negotia Eccleſiaſtica.*
16 *Et poteſt eſſe aribitrator in ſpiritualibus.*
17 *Compromiſſarii poſſunt eſſe alii à Capitulo, dummodò ſint viri Religioſi, id eſt, Clerici.*
18 *Cardinales an validè poſſint hodie compromittere electionem Papæ in perſonas extra Collegium, & num. ſeqq. uſque ad n.* 35.
19 *Cardinalium cœtus non poteſt modificare, corrigere, vel immutare conſtitutionem ſuper electione Papæ.*
20 *Actus contra legem celebratus eſt nullus, quando lex adimit potentiam actum celebrandi.*
21 *Verbum, poteſt, præcedente negatione tollit potentiam, & reddit actum de jure impoſſibilem, & num.* 30. *& ſeqq.*
22 *Beneficii collatio facta minori quatuordecim annorum eſt ipſo jure nulla.*

23 For-

23 *Forma quibus verbis inducatur.*
24 *Verba* aliter fieri non poſſit, *an importent decretum irritans.*
25 *Conditio formam ſubſtantialem inducit.*
26 *Geſta contra formam ſunt ipſo jure nulla.*
27 *Papæ electio de jure communi valida eſt quomodocumque duæ partes Cardinalium conſentiant in aliquem, ut in electum.*
28 *Electionis Papæ forma ſubſtantialis præſcribitur in Conſtitutione Gregorii XV. in §. Quod ſi electio.*
29 *Clauſula decreti poſita in fine Bullæ electionis magni Magiſtri Jeroſolymitani ſublata eſt, & in ejus locum ſuffecta eſt alia perſtringens ſubſtantialia electionis.*
30 *Verbum*, non poteſt, *aliquando exponitur, id eſt, non debet.*
31 *Pupillus pubertati proximus abſque tutoris authoritate naturaliter obligatur.*
32 *Verbum*, poteſt, *præcedente negatione non privat potentia, quando hinc reſultaret abſonus intellectus.*
33 *Miſſæ ſacrificium, an ex forma præcedere debeat electionem Papæ.*
34 *Una determinatio reſpiciens plura determinabilia, debet ea æqualiter determinare.*
35 *Cardinales an poſſint ſuper electione Papæ compromittere in unum tantum ex Collegio, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
36 *Pluralis loquutio duorum ſaltem numerum requirit.*
37 *Eligendi poteſtas utilius committitur pluribus, quàm uni.*
38 *Melius tamen expeditur per unum, quàm per plures.*
39 *Conſtitutio juri communi conformis recipit ab eodem jure interpretatione paſſivam.*
41 *Pluralitas an, & quando reſolvatur in ſingularitatem.*
42 *Eligendi poteſtas conſultius committitur in impari numero.*
43 *Canones loquentes de electionibus inferiorum, an & quando habeant locum in electione Papæ, & nu. 45. verſ. Et cum ſimiliter.*
44 *Pluralis oratio non reſolvitur in ſingularem ſecundùm rigorem verborum, ſed ſecundum ſenſum, & naturalem affectum.*
45 *Compromiſſum ſuper electione Papæ à Cardinalibus initum in unum tantùm de Collegio, an valeat.*
46 *Pluralitas, ubi eſt de forma, non poteſt reſolvi in ſingularitatem.*

1 CAuſam. Compromittentes tenentur recipere electum a compromiſſario, dummodò ſit idoneus. Hoc dicit, & non dividitur ſecundùm Joannem And. & Antonium de Butr. Vel ſecundùm alios ſunt duæ partes. In prima ponitur deciſa conſultatio. In ſecunda, reſponſio, ibi, *Sorores*.

2 Nota primò, Moniales appellari Sorores: nam cùm primò tex. dixerit Moniales, poſteà ſubdit, Sorores; atque ita hæc duo videntur ſynonyma, ſeu idem importantia; quod eſt contra vulgares, qui diſtinguunt Sorores à Monialibus, ſecundùm Jo. And. & Card. *in princ. in verb. Sorores*, Butr. *n.* 6. Abb. *nu.* 1. *in* 1. *notab.* & Jo. de Anan. *in princ.* Vulgus enim appellat Sorores, quæ ſubſunt Fratribus Ordinum Mendicantium, ut Prædicatoribus, Minoribus, & aliis de quibus *in cap. Non ſolum, & cap. Conſtitutionem de regular. lib.6.* reliquas verò vocat Moniales. Ratio motiva potuit eſſe, quia ſicut Religioſi Mendicantes non conſueverunt appellari Monachi, ſed Fratres; & vice verſa Religioſi non Mendicantes appellari ſolent Monachi, non autem Fratres; quinimò ægrè ferant, ſi quando Fratres nuncupentur: eodem modo vulgus credidit mulieres Religioſas Fratribus ſubjectas, eſſe vocandas Sorores; & ſubjectas Monachis Moniales. Sed hæc diſtinctio con-
3 funditur hìc, *& in c. Cum dilecta ſuprà de reſcr.* Nec mirum, quia etiam Monachi poſſunt appellari Fratres, ut in *c. Cauſam, il primo infra de judic. c. Si Religioſus, §. Quia verò*, & ibi notatur *in ver. Fratrum de elect. lib. 6. & c. Su-*
4 *ſcepimus*, & ibi Hoſt. *in princ. in ver. Fratre de homicid.* Et quamvis omnes Chriſtiani ſint fratres in Chriſto, quia per lavacrum regenerationis recognoſcunt ſpiritualiter unum Patrem, ſcilicet Deum, *c. Ad menſam* 11. *q.* 3. tamen ut dicit Abb. *ubi ſup.* per excellentiam hoc nomine dotati ſunt Religioſi propter charitatem, quam invicem debent habere, ut appellentur Fratres, & Sorores.

Secundò nota, ibi, *in Epiſcopum*, Moniales poſſe com- 5
promittere in maſculum electionem Abbatiæ, nec teneri compromittere in alias Moniales ſecundùm Ant. de Butr. *n.* 5. & Abb. *n.* 3.

Tertiò nota in eod. ver. *Compromiſſum*, ſuper electione 6
fieri poſſe in unum tantùm. De hoc infr. in 2. *q. n.* 38.

Ultimò nota, Compromiſſum ſuper electione fieri poſ- 7
ſe etiam in extraneum, ſeu, ut dicit Abbas, forinſecum à Collegio: nam Epiſcopus, in quem Moniales compromiſerunt, non eſt de Collegio Monialium, licèt ſit ipſarum
Caput, *c. Requiſiſti, §. Secus infra de teſtam.* ibi: *Non eſt tan-* 8
ta communio inter Epiſcopum, & Monaſteria, quanta eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam Cathedralem, cui eſt ſpirituali conjugio copulatus, & ibi notat gl. 1. Hoſt. *num.* 1. *verſ. Et extra Collegium benè poteſt compromitti*, Jo. And. *nu.* 2. exponens verbum, *Epiſcopum*, id eſt, proprium, vel alienum, quoad actum electionis, ſed proprius confirmabit Cardin. *in princip.* Butr. *num.* 3. *in* 2. *notab.* Anchar. *num.* 1. Bellam. *in princ. in ver. Epiſcopum*, Abb. *n.* 2. *in* 2. *notab.* & Jo. de Anan. *n.* 1. gl. *in cap. Quia propter in ver. Juris inf. eodem*, & ibi Innocen. *in eod. ver. n.* 6. Abb. Antiq. *nu.* 20. *in ver. De Collegio*, Compoſtell. *nu.* 27. *in ver. Committatur, verſ.*
Similiter nec eſt jus, & alii communiter. Ratio eſt, quia 9
Collegium ipſum cenſetur eligere, cùm electio ſit per eos, in quos eligendi tranſtulit poteſtatem, *c. In cauſis, §. Quia verò infrà eod. l. Item eorum, §. Si Decuriones*, ibi: *Non refert an ordo elegerit, an is, cui ordo commiſit, ff. Quòd cujuſque univerſ. nomin.* ſecundùm Innoc. *hic in ver. Recipi*, Compoſtell. *in princ. in ver. Facias*, Jo. Andr. *num.* 8. in gl. 1. & alios præallegatos.

Procedit tamen ſupradicta concluſio, dummodò is, 10
in quem compromittitur, ſit perſona Eccleſiaſtica, prout hìc erat Epiſcopus: non enim hujuſmodi actus ſpiritualis eligendi videtur poſſe transferri in laicum, *cap. Maſſana, & cap. Sacroſancta infrà eod.* nam ſi laici prohibentur cum laicis intereſſe, multò magis videtur prohibita in eos totalis translatio; idque verius putat Petr. de Anch. *hic n.* 1.

Sed in contrarium facit, quia compromiſſarius cenſe- 11
tur Procurator compromittentium; elegit enim ipſorum nomine per id, quod legitur, & notatur *in d. c. In cauſis in-*
frà eod. & in c. Si compromiſſarius eod. tit. lib. 6. Sed laicus po- 12
teſt eſſe procurator in ſpiritualibus, ut eſt textus in *cap.* 1. *de procurat. lib.* 6. & poteſt acceptare beneficium pro Clerico abſente, ut notat Jo. And. *in c. Accedens infrà de præb.* quem communiter alii ſequuntur, ut teſtatur Dec. *in c. Decernimus num.* 5. *& ſeqq. de Judic.* Ergo, &c. Anchar. non 13
ſolvit. Tu dic ſecundùm Abb. *hic num.* 5. in electione Prælati non verſari nudum miniſterium: imò enim debet arbitrari, an quis ſit idoneus ad officium Prælaturæ, ut hìc; nec eſt ſimplex procurator, imò officium in ejus perſona radicatur, adeò ut nec revocari poſſit, niſi ſecundùm
ea, quę notantur *in d. c. In cauſis.* Ad hoc optimus textus in 14
c. Contingit infrà de arbitr. ubi eſt expreſſum non poſſe aſſumi arbitrum laicum ſuper ſpiritualibus; & ſubjicitur ratio in textu, quia non decet ut laicus in talibus arbitretur. Quæ quidem ratio maximè viget in caſu, de quo agitur. At verò procurator habet nudum miniſterium facti. Unde non mirum, ſi nomine alterius intereſſe valeat in hujuſmodi ſpiritualibus, ut colligitur ex notatis per gl. in *d.*
c. in ver. Spiritualibus. Laicus enim non prohibetur mi- 15
niſterialiter, ſeu miniſtraliter tractare negotia Eccleſia-
ſtica, ut fuſè probat Dec. *loco citato.* Et hac ratione, quam- 16
vis non poſſit eſſe arbiter in cauſa ſpirituali, ut proximè dictum eſt: poteſt tamen eſſe arbitrator, ut tenent Hoſt. & Jo Andr. *in c. fin. de rer. permut.* Spec. *in tit. de arb. §. Reſtat, verſ. Quid de ſententia excommunicationis:* & eſt communis opinio, ut Dec. teſtatur alios referens *in d. cap. Decernimus num.* 4. Prætereà compromiſſarius poteſt eligere compromittentem: ergo non eſt illius procurator, quia alioquin poſſet quis eligere ſeipſum, cùm procurator, & dominus in cauſa procuratorii cenſeantur unus & idem, ut hìc obſervat Joan. de Anan. *ſub nu.* 1. *in* 1. *notab. verſ. Utrum autem, & verſ. Dic non eſſe verum*, & pro hac opinione adduco etiam gl. notab. *in c. Quia propter in ver. Juris inf.*
eod. quæ dicit compromiſſarios eſſe poſſe alios à Capitulo, 17

dummodò ſint viri Religioſi, id eſt, Clerici, ut ibi exponit Jo.And. *ſub n. 7. in gl. Et iſti*.

18 QUÆRO, An compromiſsum ſuper electione Romani Pontificis à Cardinalibus initum in perſonas Eccleſiaſticas extra ſacrum Collegium ſit validum, necne?

19 Manifeſtum eſt hodie non licere S. R. E. Cardinalibus hanc poteſtatem eligendi committere, niſi aliquibus de Collegio; quia in noviſſima conſtitutione Gregorii XV. *Æterni Patris Filius in* §. *Matura itaque*, diſertis verbis ſtatuitur, ut electio per compromiſsum aliter fieri non poſſit, præterquam ſi omnes, & ſinguli Cardinales aliquibus ex eorumdem Collegio committerent eligendi poteſtatem. Hoc autem jus publicum in favorem Eccleſiæ introductum eſt, cui pacto privatorum renuntiari non poteſt, *c. Si diligenti infrà de foro compet.* Nec licèt Cardinalibus jus Papæ immutare, *c. Inferior* 21. *diſt.* & in propoſito notat Compoſt. *in c. Licèt de vitanda ſub n. 6. verſ. Sed numquid Card. ſup. eod.* & eſt expreſsum in Clem. *Ne Romani in princ. de elect.* ubi reprobatur opinio, quæ aſtruebat cœtum Cardinalium Sede vacante poſse modificare, corrigere, vel immutare decretalem, *Ubi periculum eod. tit. lib. 6.* Idem patet in hac ipſa conſtitutione Gregorii *in* §. *Poſtremo*, ubi inhibetur S.R.E. Cardinalib. & eorum ſacro Collegio, ne adverſus eam aliquid ſtatuere, diſponere, vel ordinare, ſeu in aliquo corrigere, alterare, mutare, ſeu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præſumant.

Verùm quæſtio admodum implexa videtur, an ita ex forma ſancitum ſit, ut compromiſsum fieri debeat in aliquos de Collegio, ut ſi fiat in extraneos, electio irrita ſit. Et quamvis quæſtio videatur ſolvi poſse ex inferiori parte conſtitutionis *in* §. *Quòd ſi electio*, ubi perſtringitur forma electionis cum decreto irritanti, & in forma compromiſſi non repetuntur verba illa, *aliquibus ex eorumdem Collegio* tamen videtur adhuc obſtare, quòd *in d.* §. *Matura itaque*.

20 Conſtitutio non ſimpliciter prohibet fieri electionem, ſed decernit, ut electio per compromiſſum aliter fieri non poſſit, &c. Quotieſcumque autem lex non ſolùm prohibet, ſed etiam adimit potentiam, & facultatem, actus contra legem celebratus eſt ipſo jure nullus, Bartol. *in l. fin. num. 7.*

21 *ff. de ſer.* Verbum autem, *poteſt*, præcedente negatione præciſam neceſſitatem importat, & privat potentia, gl. ordin. *in cap. Beneficium in ver. Non poteſt de reg. jur. libr. 6.* quam Bart. & omnes ſequuntur *in l. Gallus, ff. De liber. & poſthum.* ut teſtatur ibi Jaſ. *num.* 19. *&* 23. & ſic reddit actum irritum, & de jure impoſſibilem, Bald. *in l.* 1. *n.* 62. *Cod. Qui admitti*, & poſt Bart. *in l.* 1. *ff. De injuſt. rupt. teſtamen.* notat Jaſ. *in l. Non dubium num.* 60. *Cod. De legib.* Atque ita idem importat aliquid eſſe impoſſibile, vel fieri non poſſe; niſi quod impoſſibile videtur parum Latinè dicit, licèt ejuſmodi verbum non reformidet, Quintilianus *lib.* 5. *inſtit. orator. cap.* 10. nec Juriſconſultus, ut in *l. Impoſſibilis, ff. De verbor. obligat. in l. Impoſſibilium, ff. De reg. jur.* & paſſim alibi. Hinc cùm olim dubitatum eſ-

22 ſet in Sac. Congregatione Concilii, an *cap. 6. ſeſſ.* 23. diſponens neminem ante decimum quartum annum beneficium obtinere poſſe, comprehendat eum, qui anno duodecimo ætatis beneficium obtinuit, & nunc effectus eſt ætatis annorum quatuordecim; adeòut nunc non ſit legitimus poſſeſſor, & fructus ſuos non fecerit, Sacra Congregatio innixa doctrinæ Jaſ. *in d. l. Gallus num.* 17. ubi quòd actus redditur nullus ipſo jure, cùm quid prohibetur cum verbo, *non poſſit*, cenſuit collationem ante decimum quartum annum fuiſſe nullam, & proviſum fructus ſuos non facere. Quamobrem etſi in poſteriori parte conſtitutionis nulla fiat mentio de compromiſſo ineundo in aliquos de ſacro Collegio; tamen videtur ſufficere, ut hujuſmodi mentio facta fuerit in priori parte per verba adimentia electoribus poteſtatem aliter eligendi, cùm perindè ſit reddere electores impotentes ad eligendum, ac decernere electionem aliter factam non valere, ut ex dictis conſtat, & ex decreto Concilii Tridentini *in c.* 1. *ſeſſ.* 24. *de refor. matrim.* quod dum irrita decernit matrimonia clandeſtina; eos qui illa contrahere attentabunt, inhabiles reddit ad ſic contrahendum. Utrumque enim loquendi genus inducit formam; quod apertè ſenſit Felin. *in c. Cum dilecta num.* 6.

23 *ſuprà de reſcr.* ubi enumerans decem ſigna, quæ indicant formam inductam eſſe, quintum ſignum aſſerit eſse, ubi

24 eſt appoſitum decretum irritans, ac deindè paulò inferiùs; *Septimum ſignum*, inquit, *ubi in diſpoſitione dicitur, aliter fieri non poſſit, ibi eſt data forma, & ei renuntiari non poteſt*: & Felini doctrinam ſequitur Dec. *conſ.* 528. *num.* 11. & Alber. Brun. *in tract. de forma fol.* 33. *col.* 1. *verſ. Et quod lex prohibitiva*, & fuit ſententia Bartol. *in l. De his num.* 4. *ff. De tranſact. & in l. fin. nu.* 4. *C. De venden. reb. civit, lib.* 11. Quibus addo Pariſ. *conſ.* 19. *num.* 20. *lib.* 2. ubi dicit hæc verba, *non aliter fieri poſſit*, inducere decretum irritans: & Loffredum *conſ.* 30. *incipit*, *Sit dubium num.* 20.

Præterea ponderanda eſt particula, *ſi*, in conſtitutione 25 appoſita, ibi, *Decernimus electionem aliter fieri non poſſe, præterquam ſi omnes, & ſinguli Cardinales aliquibus ex eorumdem Collegio, &c.* hæc enim particula ex ſui natura conditionem important, *l. Quodcumque*, §. *ult. ff. De verb. obligat.* gl. *in l.* 2. *in ver. Conditio, ff. De cond. & demonſtr.* Conditio verò formam ſubſtantialem inducit, ut per Felin. 26 *in d. c. Cùm dilecta ſub num.* 6. *verſ. Secundum ſignum*. At manifeſtum eſt geſta contra formam eſse ipſo jure nulla, ut eſt textus *in d. c. Cùm dilecta in c. Venerabilis de offic. deleg.* plenè Cald. *in diſput. incip. Statuto civitatis*, Archid. *in c. Si cui in fine de elect. lib.* 6.

Sed in oppoſitum facit, quia de jure communi in ele- 27 ctione Romani Pontificis nulla forma preſcripta erat: nam cum in ea non ſufficiat major pars Collegii, ut in electionibus inferiorum, ſed ſaltem duæ ex tribus partibus requirantur, & in difficultatibus emergentibus nullus ſit ſuperior, ad quem poſſit haberi recurſus: aliquid ſpeciale in ea conſtituendum fuit, ut legitur in decretali, *Licèt de vitanda ſupr. eod.* & præcipuè ut electio valida eſset quomodocumque duæ partes Cardin. conſentirent in aliquem, ut in electum; prout ibi notat Innocentius, Gregorius verò graviſſimis cauſis motus in electione Rom. Pont. certas formas præſcripſit ſua Conſtitutione: non tamen omnia, quę ibi præcepit, aut prohibuit, ad ſubſtantiam & validitatem electionis voluit pertinere, ne alioquin res tanti pon- 28 deris uſque adeò difficultatibus involveretur, ut aliquando gravamen pati poſset Eccleſia ſciſsuram; quam rationem conſiderat textus in *d. c. Licèt de vitanda in princ.* Et propterea quæ ſancivit initio Conſtitutionis in §. *Matura itaque*, voluit quidem à Cardinal. exactè obſervari; non tamen ita, ut illorum omiſſio inficeret electionem: ſed formam ſubſtantialem paucis perſtrinxit *in* §. *Quod ſi electio*, & ibi appoſuit decretum irritans; quod apertè indicat ejus intentionis non fuiſse, ut ea, quę in ſuperiori Conſtitutionis parte præſcripta fuerant, eſsent ſubſtantialia electionis: alioquin ineptum fuiſset in *d.* §. *Quod ſi*, decernere electionem aliter celebratam eſse nullam, ſi hoc ipſum jam ſancitum fuiſset in ſuperiori parte Conſtitutionis. Et hanc fuiſse mentem Sanctit. Suę nos ipſi non obſcurè intelleximus, qui ante Conſtitutionis promulgationé in eo negotio diu multùmque laboravimus. Undè cùm poſteà pro refor- 29 matione electionis magni Magiſtri S. Joan. Jeroſolymitani compilata fuiſset minuta Bullę, à D. Vulpio Archiep. Theatino, & juſsu S. D. N. delata per manus Card. & Prælatorum Congreg. ſuper hoc deputatæ, & in fine Bullæ appoſita eſset clauſula infraſcripta, videlicet: *Quòd ſi electio aliter celebrata fuerit, nulla atque irrita ſit eo ipſo*. Ego adverti hanc clauſulam operari, ut omnia, & ſingula, quæ in Conſtitutione ſancita erant, eſsent de ſubſtantia electionis, indèque futurum eſse, ut nulla ferè electio poſset validè celebrari, cùm vix fieri poſset ut in tot, & tam variis ordinationibus defectus aliquis non contingeret: nam & forma ſcrutinii, quæ tandem compendioſis verbis concluditur in Decretali, *Quia propter inf. eod.* reputatur adeò difficilis obſervatu, ut etiam boni Juriſtæ practicam ignorantes in ea deficiant, ut inquit gloſsa in *c. Cùm expediat in ver. Inquiſitis de elect. lib.* 6. Unde Patres cenſuerunt unanimes eam clauſulam eſse expungendam; & ad exemplum Gregorianæ Conſtitutionis ſubſtituendam eſse aliam clauſulam cum decreto irritanti, in qua perſtringeretur ea tantùm, quæ pertinerent ad ſubſtantiam electionis, prout factum eſt in Conſtitutione S. D. N. quæ incipit, *In ſpecula militantis Eccleſiæ*, edita 3. *Julii* 1628. *in* §. *Quod ſi electio magni Magiſtri*.

Quibus ita ſe habentibus, quamvis Gregoriana Conſtitutio in principio decreverit non poſse aliter compromitti, quàm in aliquos ex Cardinalium Collegio; cùm tamen in dicto §. *Quod ſi electio*, ubi præſcribat formam ſubſtan-

tia-

tialem electionis cum decreto irritanti, nullam faciat
mentionem perſonarum, in quas fieri debeat compromiſ-
ſum; ſed ſimpliciter ſtatuat, ut nulla fit ejuſmodi electio
aliter celebrata, quam per viam compromiſſi ab omnibus
Cardinalibus in conclavi præſentibus nemine diſſentiente
initi. Hinc ſatis oſtenditur non pertinere ad electionis
validitatem, & formam, ut compromiſſum fiat in ali-
quos de Collegio.

30 Nec obſtat verbum, *non poſſe*, poſitum in d. §. *Matura*
itaque, quia ſecundùm hæc erit exponendum, id eſt, non
debere: hoc enim non eſt novum apud ſacros Canones, ut
eſt textus *in c. Niſi cùm pridem*, §. *Perſona verò infrà de re-*
nunc. & ibi notat gl. *in ver. Non potuerit*, Hoſt. Joan. And.
Butr. & alii. Ea ratione, quia illud dicimur poſſe, quod
de jure poſſumus, & è converſo, *c. Faciat 22. q. 2. & c. Sci-*
ſcitatus ſuprà de reſcr. Præterea etſi verbum, *poteſt*, præ-
cedente negatione regulariter privet potentia, & reddat
actum de jure impoſſibilem; hoc tamen non eſt perpetuum,
31 ut notat Roman. *in l. Stipulatio iſta*, §. *Alteri in 3. col. ff.*
De verbor. oblig. Ideòque *in l. Obligari in princ. ff. De au-*
thor. tutor. pupillus dicitur non poſſe obligari ſine tutoris
authoritate, & tamen pupillus pubertati proximus abſque
tutore naturaliter obligatur, *l. 1. ff. De donat. & l. Si pu-*
pillus, ff. Ad l. Falcid. Rurſus ſtipulari alteri nemo poteſt,
ut legitur *in d. §. Alteri*, & ſic negativa præcedit verbum,
poteſt, & tamen ſi quis alteri ſtipuletur, ſtipulatio non eſt
ipſo jure nulla, ut ibi advertunt gl. & Bart. *in l. Cum lex*
n. 6. ff. De fidejuſſor. Bald. *in l. Non dubium in 11. col. n. 29.*
C. De legib. & pleniùs Jaſ. *in d. l. Gallus num. 19. verſ. Con-*
32 *tra iſtam communem regulam, ff. De liber. & poſthum.* Ideò
ſecundo loco poteſt dici, quamvis regulariter verbum, *po-*
teſt, præcedente negatione privet potentia; hoc tamen non
procedere quando hinc reſultaret abſonus intellectus, *c.*
Quanto, & ibi gl. *in ver. Non potuit de præſumpt.* Jaſ. *in d.*
l. Gallus num. 23. verſ. Secundo limita, prout reſultaret
hoc caſu, ut patet ex his, quæ ſuperiùs dicta ſunt *nu. 28.*
& 29. & eo magis, quia Conſtitutio Gregorii in dicto §.
33 *Matura itaque*, decernit electionem fieri aliter non poſſe,
quam in conclavi, & eo clauſo, ac poſt celebratum prima
die ſacroſanctum Miſſæ ſolitum ſacrificium. Et tamen non
creditur ad validitatem electionis pertinere, ut præcedat
celebratio Miſſæ: cùm hoc requiſitum non repetatur infe-
34 riùs *in §. Quod ſi electio*, ubi ponitur electionis forma cum
clauſula decreti. Ergo ſicut reſpectu celebrationis Miſſæ
illa verba, *fieri aliter non poſſe*, non important formam;
ita nec reſpectu illorum verborum, aliquibus de Collegio:
cùm una determinatio reſpiciens plura determinabilia de-
beat illa æqualiter determinare, *l. Quamvis, C. De impub.*
l. Jam hoc jure, §. fin. ff. De vulgar. text. *in l. fin. & ibi* Bart. *C.*
De ſenten. Dec. *in c. Novit n. 56. infrà de judic.* De his ta-
men tutius eſſet petere oraculum Sanctiſſimi.

35 Succeſſivè QUÆRO, An Cardinales poſſint ſuper
electione Papæ compromittere in unum tantùm ex ſacro
Collegio.

Difficultatem ingerit ſupradicta conſtitutio Gregorii
XV. de Romani Pontificis electione, quæ in §. *Matura*
itaque, declarat electionem per viam compromiſſi fieri ali-
ter non poſſe, præterquam ſi omnes, & ſinguli Cardinales
in conclavi præſentes nemine diſſentiente aliquibus ex eo-
rumdem Collegio Cardinalium committerent eligendi po-
36 teſtatem, ut vice omnium Eccleſiæ Catholicæ providerent
de Paſtore. Oritur enim dubium ex illo verbo, *aliquibus*;
quod cùm ſit pluralis numeri, non poteſt in uno tantùm
verificari, ſed duorum ſaltem concurſum requirit, *l. fin.*
ff. Ad Trebell. l. Ubi numerus, ff. De teſtib. gl. *in Clement.*
Sæpè in ver. Partibus de verbor. ſignific. DD. in un. de Cler.
37 *conjug. lib. 6.* nec videtur eadem ratio vigere, ſi compro-
miſſum fiat in unum, ac ſi in plures; nam integrum eſt ju-
dicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur, *c. Pru-*
dentiam. §. 1. de off. deleg. Specul. *in tit. de advocat. §. 3. verſ.*
Habito, & verſ. ſeqq. Et magis conſulitur Eccleſiæ, cùm
electio plurium approbatur aſſenſu, *c. Si tranſitus 76. diſt.*
gl. *in c. Auditis in ver. Irritanda inf. eod.* Quod enim à pluri-
bus quæritur ſapientibus, faciliùs invenitur, *c. De quibus,*
20. diſt. & per ampliores homines perfectiſſima veritas re-
velatur, *l. ult. ad fin. C. de fideicommiſſ.* gl. *in d. c. Pruden-*
tiam in ver. plurimorum, & ubi multa conſilia, ibi ſalus,
Proverb. 24. nec tutum videtur tanti ponderis negotium
uni tantum committere: hac enim ratione, videlicet pro-
pter rei gravitatem, providè ſancitum eſt, ut in electione
Papæ conſentire debeant duæ ex tribus partibus Cardina-
lium, ut *in c. Licèt ſup. eod.* cùm tamen in electionibus in-
feriorum ſufficiat major pars Collegii, ut in decret. *Quia*
propter cum multis ſimil. Et propterea, ut dicebat Nazo *in*
d. c. Quia propter, ponderando verbum, *aliquibus*, ibi poſi-
tum oportet pluribus dare hanc poteſtatem, & non ſerva-
tur illa forma, ſi uni tantum detur poteſtas eligendi, ut re-
fert ibi Abb. Antiq. *n. 19. in ver. Aliquibus*, & notat Petr.
à Biaxio *in direct. elect. p. 3. c. 17. n. 2.*

Sed in contrarium facit, quia Conſtitutio Gregorii u- 38
titur hac in parte iiſdem verbis, quibus utitur Generale
Concilium *in d. c. Quia propter*, ut patet ibi, vel ſaltem
eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui
vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore. At
ex diſpoſitione juris communis in Eccleſiis inferioribus,
non obſtantibus illis verbis pluralis numeri, *aliquibus vi-*
ris idoneis, poterat eligendi poteſtas uni tantùm commit-
ti, ut eſt textus hìc, & reprobata à Nazonis opinione, te-
net Abb. Antiq. *loco citato*, quia inquit, cùm hujuſmo-
di Conſtitution. ratio fuerit contra vacationem diutinam
providere, ut *ſuprà in princ. & in c. Cum inter univerſos cir-*
ca fin. inf. eodem, quia meliùs expeditur electio per unum,
quàm per plures propter naturam facilem ad diſſentien-
dum, arg. *c. 1. infrà de arbitr.* Idcircò audacter dico, quod
poteſt uni dari, quia expreſſum *in c. Cauſam, & in c. Cùm*
inter Canonicos ſup. eodem, & optimè in decret. *Poſt trans-*
lationem de renunc. Nec eſt veriſimile Papam uno verbo
voluiſſe iſtæ ſubvertere, *c. Eccleſia, il ſecondo infrà eodem.*
Idem tenet *in d. c. Quia propter*, Compoſt. *n. 24. in ver. Com-*
mittatur, verſ. Quæro an ſit jus quod uni ex pluribus, & Hoſt.
ſub nu. 44. in ver. Aliquibus viris, ubi reprobans opinio-
nem illorum, qui dicedant per decretalem, *Quia propter*,
quæ pluraliter loquitur, fuiſſe correcta alia jura, dicit me-
liùs eſſe, ne corrigantur, ut reſolvas pluralitatem in ſin-
gularitatem, ſic *infrà de privil. c. Ut privilegia*. Ergo &
uni, & pluribus committi poteſt; & meliùs uni, ut diſcor-
dia vitetur, *c. 1. infrà de arbitr. & c. Cùm inter Canonicos, §.*
Poſt hæc ſupra eodem, vel ſaltem in impari numero, ut *in*
c. In cauſis, c. Cum dilectus, & c. Cùm in jure ſuprà eodem,
ſequitur Bald. *ibid. num. 37.* & notant hìc Jo. Andr. Abb.
& alii, Hoſt. *in ſumma hoc tit. §. Qualiter col. 3. verſ. Se-*
cunda forma. Et in electione Romani Pontificis tradit An-
ton. de Roſell. *in tract. de poteſtate Papæ, §. Poſtquam ſatis*
diximus ſub n. 6. verſ. Sed in contrarium. Ergo eodem mo-
do poterit hodie committi hæc facultas uni ex ſacro Colle-
gio, non obſtantibus illis verbis pluralis numeri Gregoria-
næ Conſtitutionis, videlicet aliquibus ex eorumdem
Collegio Cardinalium, cum conſtitutio hac in parte uti
conformis juri communi recipere debeat ab eodem jure 39
communi interpretationem paſſivam, ut *l. 2. c. De noxal.*
& notat Bart. & DD. *in l. 1. Hoc autem edictum, ff. De novi*
oper. nunc. & in l. Sciendum, ff. Qui ſatiſd. cogan. Anch. *conſ.*
429. Pro evidentia n. 3. in fin. verſ. Poſterior ergo conſtitutio,
Roman. *conſ. 345. circa princip. nu. 18. & ſeqq.* Etenim lex
nova diſponens in materia antiqua recipit interpretationes
& limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipie-
bat, *l. In contractibus, §. Præterea, C. De non numer. pecun.*
Petr. Brixien. *in repert. in ver. Interpretatio, verſ. Lex no-*
viter.

Quid dicendum? Hæc quæſtio duas habet inſpectiones. 40
Prima eſt, an liceat Cardinalibus compromittere in unum
tantùm ex S. Collegio. Secunda eſt, quatenus non liceat,
an electio ſic celebrata ſit irrita, necne. Quoad primam
inſpectionem veriùs videtur non licere Cardinalib. com-
promittere in unum tantùm; clara enim ſunt verba Conſti-
tutionis Gregorii *in d. §. Matura itaque in verb. Aliqui-*
bus. Et quamvis de jure communi liceat in unum tantum
compromittere, id tamen contingit, quia de hoc jura ſunt
aperta, ut hìc, & *in d. c. inter Canonicos infrà eod. & in d. c.*
Poſt translationem de renunc. Ideòque nec refert, quòd *c.* 41
Quia propter: utatur eodem verbo, *aliquibus*, quod eſt
pluralis numeri; nam pluralitas reſolvitur in ſingularita-
tem, quotieſcumque ex aliis juribus apparet ejuſmodi re-
ſolutionem eſſe faciendam, *c. Ut privilegia in fin.* ubi Abb.
nu. 5. de privileg. Et cùm Generale Concilium in dicto *c.*
Quia propter, utatur verbis pluralis numeri, & jura præ-
alle-

allegata utantur verbis numeri ſingularis, niſi pluralitas reſolveretur in ſingularitatem decretalis, *Quia propter*, & jura prædicta eſſent inter ſe contraria, & pugnantia. Undè cum ſermo pluralis non poſſit remanere in propria ſignificatione, quin hujuſmodi inconveniens ſequatur, non mirum ſi ad jura concilianda, & correctionem vitandam pluralis loquutio ſingularitatem reſolvatur: & hoc præcipuo fundamento Abbas Antiq. *in d. c. Quia propter nu.* 19. dicit compromiſſum fieri poſse in unum tantùm, quia ſcilicet non eſt veriſimile Papam unico illo verbo, *aliquibus*, prædicta jura ſubvertere voluiſſe, & Hoſt. *ibidem ſub n.* 4. *in ver. Aliquibus*, dum dicit meliùs eſse, ut prædicta jura non corrigantur, ut ſic reſolvas pluralitatem in ſingularitatem. Verùm ſi illud verbum, *aliquibus*, poſitum in Gregoriana Conſtitutione intelligatur, ut jacet in numero plurali, nulla hinc ſequitur correctio jurium: neque enim ullibi cavetur ante ipſam conſtitutionem, ut poteſtas eligendi Rom. Pont. in unum transferri valeat, & ſacri Canones remanent in ſuo robore in illis terminis, in quibus loquuntur, id eſt, in inferiorum electionibus. Igitur pluralis loquutio nullatenus videtur reſolvenda in ſingularitatem: & confirmatur ex theorica Gemin. *in cap. Omnes leg.* 1. *diſt.* ubi ait, ita demum pluralem numerum reſolvi in ſingularem, ſi in plurali non poſſit verificari, quin ſequatur inconveniens, vel abſurdum. Idem notat Præp. *ibid. ante num.* 10. ubi dicit gl. ibi procedere, ubi plurale remanere non poteſt in ſignificatione propria, quin ſequatur iniquum; & inconveniens; aliàs non reſolvitur plurale in ſingulare, & ſequuntur alii relati ab Everar. *in ſua centuria loca à vi numeri n.*7. At nullum inconveniens, aut iniquitas ſequitur, ſi in Gregoriana Conſtitutione illud verbum, *aliquibus*, accipiatur in propria ſignificatione; imò utiliùs, & conſultiùs eſt Eccleſiæ Catholicæ, ut Apoſtolicus non ab uno tantùm, ſed à pluribus compromiſſariis eligatur, ut oſtenſum eſt ſuprà n. 37.

42 Nec obſtat, quod Abb. Hoſt. & alii ſupracitati num. 38. dicant meliùs expediri electionem per unum, quàm per plures propter naturam facilem ad diſsentiendum. Etenim celeritati electionis ſatis conſultum erit, ſi committatur in impari numero, ne alioquin res ſit ſine exitu, *l. Item, ſi unus*, §. *Principaliter, ff. de arbitr. & c.* 1. *eod. tit.* prout factum legimus *in c. In cauſis, c. Cùm dilectus, & c. Cùm in jure inf. eod.* & notant idemmet Hoſt. & Abb. Antiq.

Non valet igitur argumentum, de jure communi verbum, *aliquibus*, poſitum in Decretali, *Quia propter*, in numerum ſingularem reſolvitur: Ergo & in Gregoriana Conſtitutione: ſiquidem de jure communi ejuſmodi reſolutio fit neceſſitate cogente, cùm jura inter ſe contraria non aliter conciliari poſſint. At in terminis conſtitutionis nulla cogit neceſſitas, ut verbum illud ſingulariter acci-

43 piatur. Imò rationes omnes ſuadent, ut potius remaneat in propria ſignicatione. Neque verò hoc caſu locum habent jura loquentia de electionibus inferiorum: quoniam illorum diſpoſitio in electione Papæ ſervanda eſt in illis tantùm caſibus, in quibus nihil in ſpecie reperitur diſpoſitum circa hujuſmodi electionem, ut patebit *infrà nu.* 46. *& in c. Si quis Apoſtolicæ* 79. *diſt.* tradunt Bellam. *nu.* 4. & Præp. *num.* 2. Et ob hanc rationem de jure communi poteſtas eligendi Papam ad exemplum aliarum electionum committi poterat etiam uni juxta textum hìc. Verùm hodie cùm Gregorius legem hanc ſacroſanctam tulerit, & decreverit electionem Romani Pontificis per compromiſſum aliter fieri non poſſe, quàm ſi poteſtas eligendi committatur aliquibus ex ſacro Collegio: nihil proponitur cur hæc lex ſervari non debeat in propria ſignificatione, itaut nec ſit ampliùs recurrendum ad Canones loquentes de electionibus aliorum Prælatorum, cùm habeamus legem in hac materia ſpecialiter loquentem. Præſertim verò, quia 44
in Bulla confirmatoria Cæremonialis adimitur Patribus, & eorum ſacro Collegio facultas aliter judicandi, & interpretandi. Quibus verbis videtur prohiberi intellectus ille, ſecundùm quem pluralis numerus in ſingularem reſolvitur; quia reſolutio hujuſmodi non fit ex proprietate ſermonis ſecundùm rigorem verborum; ſed ſecundùm ſenſum, & naturalem intentionem, & affectum dumtaxat *l.* 1. & ibi notat Bald. *n.* 1. *C. De cond. inſer. l. fin. ff. Ad Trebell. & d. c. Ut privilegia in fin. de privil.* & propterea numquam fieri poteſt, ubi repugnat mens diſponentis, *l. Cùm quidam*, ubi Bald. *in* 1. *not. C. De impub. & aliis ſubſtit.* & Doctores *in l. Falſa demonſtratio*, §. *fin. ff. De condit. & demonſtr.*

Itaque cùm ex prædictis appareat non licere Cardinalibus eligendi poteſtatem uni tantùm commitere: Quæritur nunc, an ſi committatur electio à compromiſſario facta ſit irrita necne, quæ eſt ſecunda inſpectio ſuperiùs propoſita. Hoc autem petit illud principium, videlicet an illa verba, *aliquibus ex eorumdem Collegio Cardinalium*, pertineant ad electionis formam, necne. De hoc enim ſatis dubitari poteſt, cùm verba hujuſmodi ponantur tantummodò *in* §. *Matura itaque*, nec repetantur *in* §. *Quod ſi electio*, ubi præſcribitur forma electionis cum decreto irritanti. Et quidem ſi verba hujuſmodi non ſint de forma, abſolutum erit valere compromiſſum initum in unum tantùm, ſicut valet initum in perſonam extra Collegium: nam cùm hìc caſus validitatis, & invaliditatis compromiſſi fuerit à conſtitutione omiſſus, ſervanda erit hæc in parte juris communis diſpoſitio. Et cum ſimiliter de jure communi nihil ſpecialiter de hoc ſit cautum in electione Papæ, ea erunt obſervanda, quæ à ſacris Canonibus præſcribuntur in electionibus inferiorum. Ita Bellam. *in cap. Si quis Apoſtolicæ num.* 4. 79. *diſtinct.* ubi dicit omnes conſtitutiones juris communis de Prelatorum electionibus loquentes habere locum in electione Papali, præter illas ſolas, quibus per Decretalem *Licèt de vitanda*, & per jura nova de electione Papæ loquentia fuit ſpecialiter derogatum, argument. *l. Præcipimus in fine, C. De appellat. l. Sancimus, C. De teſtam. cap. Cùm expediat de elect. lib.* 6. & ſequitur Præp. *ibidem num.* 2. *verſ. Item ex hoc infert*, Bellam. In inferiorum verò electionibus admittunt ferè omnes eligendi poteſtatem non ſolùm validè, ſed etiam licitè in unum tantùm poſſe transferri, ut abundè oſtenſum eſt ſuprà. E contra verò ſi eadem verba ſint de 46
forma, poteſtas eligendi non poterit validè transferri in unum tantùm: quia ibi pluralitas eſt de forma, non poteſt fieri reſolutio in ſingularitates; textus eſt *in l. Cùm hi*, §. *Prætor, ff. de tranſact.* & notat gl. *in l.* 3. §. *Hoc autem à Superiore in ver. Competere, ff. De itin. actuque priv.* & Bald. *conſ.* 123. *Reverendiſſimus Pater n.*3. *verſ. Nec intelligo lib.* 5.

Veriùs autem videtur illa verba, *aliquibus de Collegio*, ad formam, ſeu validitatem actus non pertinere, quia ſubſtantialia electionis perſtringuntur, *d.* §. *Quod ſi electio*, ut fuſiùs oſtenſum eſt in præcedenti quæſtione *num.* 28. Cæterùm in re tanta nihil audeo firmare, ſed cenſeo Apoſtolicum eſſe conſulendum.

DE ELECTIONE.

Idem Alexander III. Vigoren. Epiſcopo.

CAPUT IX.

NOſti quomodo Lincon. electus concedendi honores, vel præbendas, aut aliàs diſponendi de rebus Eccleſiæ (cùm ſua non ſit electio confirmata) non habeat facultatem: & infrà Mandamus igitur, quatenus ei authoritate noſtra præcipias, ut conceſſionem, ſi quam facit de prædictis: ſtudeat revocare.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Electus ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter adminiſtrare non poteſt.*
2 *Poteſtas conferendi beneficia, & adminiſtrandi pendet ex confirmatione, non autem ex electione Collegii.*
3 *Electio dat jus Prælaturæ, & jus adminiſtrandi in habitu; confirmatio verò jus adminiſtrandi in actu.*
4 *Proviſi à Papa in Conciſtorio conſequuntur plenum jus Prælaturæ, & adminiſtrandi in habitu, & actu.*
5 *Non tamen ſunt recipiendi, niſi oſtendant litteras ſuæ promotionis.*
6 *Epiſcopus poteſt eſſe judex in cauſa Eccleſiæ ſuæ.*
7 *Melius eſt tamen, ut id expediat per Delegatos, n. 11.*
8 *Judex nemo eſſe poteſt in cauſa ſua, & qui jus ſibi dicit in re ſibi debita, cadit à jure ſuo.*
9 *Imperator poteſt eſſe judex in cauſa fiſci.*
10 *Cauſa Eccleſiæ non eſt Epiſcopi.*
12 *Epiſcopus in cauſa Eccleſiæ ſuæ poteſt recuſari.*
13 *Idem in ejus conſanguineo.*
14 *Canonicus poteſt recuſari in cauſa Concanonici.*
15 *Inferior à Papa regulariter non poteſt eſſe judex in cauſa propria.*
16 *Sed Papa regulariter contrà.*
17 *Qui tamen cauſas proprias ex conſuetudine aliis delegat.*
18 *Epiſcopus in cauſa ſuæ menſæ non poteſt eſſe judex.*
19 *Nec teſtis.*
20 *Et quid ſi fundet intentionem de jure communi, ſeu notorium ſit bona ad menſam Prælati pertinere.*
21 *Vicarius in cauſa menſæ Epiſcopalis ſi recuſetur, ut ſuſpectus datur ei adjunctus, non autem conſervator, & n. 25.*
22 *Cauſæ contra debitores emphyteutas, conductores, & cenſuarios menſæ Epiſcopalis ſunt fori Eccleſiæ, & judex Eccleſiaſticus eſt judex ordinarius.*
23 *Judex ordinarius quando allegatur ſuſpectus, datur adjunctus.*
24 *Vicarius Epiſcopi ſuppoſita immemorabili conſuetudine, an poſſit procedere contra laicos in cauſa menſæ Epiſcopalis ad inſtantiam Procuratoris fiſcalis, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
26 *Epiſcopus poteſt eſſe judex in cauſa ſuæ menſæ, ſi id jus præſcripſerit ex antiqua conſuetudine.*
27 *Conſuetudo tribuit juriſdictionem aliàs non habenti.*
28 *Conſuetudo immemorabilis habet vim privilegii.*
29 *Epiſcopo ex privilegio poſſunt committi cauſæ ſuæ menſæ recuſatione remota.*
30 *Epiſcopi, & Vicarii non eſt idem tribunal in materia recuſationis.*

1 NOſti. Electus ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter adminiſtrare non poteſt. Hoc dicit ſecundùm Jo. And. & omnes: & primò ponit jus ex quo; ſecundò concludit ad factum, ibi, *Mandamus*.

2 Nota primò ibi, *Cùm ſua non ſit electio confirmata*: poteſtatem conferendi beneficia, & adminiſtrandi pendere ex confirmatione, non autem ex electione Collegii: nam
3 per electionem quis conſequitur jus Prelaturę, & adminiſtrandi in habitu, ſed per confirmationem Superioris conſequitur jus adminiſtrandi in actu, ut hic per Abbatem *in* 1. *notab.* & eſt bona gl. *in c. Quanto in ver. Relatio circa med.* 63. *diſt.* quæ dicit per electionem acquiri jus Prælaturæ, & jus adminiſtrandi, ſed non exercitium; per confirmationem verò nihil novi juris acquiri, ſed exercitium dumtaxat: & conſentit gl. 2. *hic*, dum ait, electum per confir-
4 mationem acquirere plenam adminiſtrationem. Proviſi autem; ſeu pronuntiati per Papam in Conciſtorio conſequuntur plenum jus Prælaturæ, & adminiſtrandi in habitu, & actu, quia talis proviſio habet vim electionis, & confirmationis, ut dicit gl. *in c. Primo in ver. Proviſionem de elect. li.* 6. & ſcripſi plenius in *c. Primo n.* 8. *verſ. Quæ quidem*
5 *ſup. eod.* Adverte tamen, quia ſic proviſi nullatenus debent Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcipere, nec recipiendi tamquam Prælati, niſi per litteras faciant fidem ſuæ promotionis; contravenientes incidunt in pœnas extravag. *Injunctæ de elect.* ut hic per Abb. *n.* 4. de quo vide quod ſcripſi *in c. Nihil à n.* 20. *maximè n.* 28. & 29. *infr. eod.*

Secundò nota ibi, *Studeat revocare.* Epiſcopum poſſe judicare in cauſa Eccleſię ſuæ, ut hìc per Innoc. *n.* 10. Hoſt. *n.* 6. Jo. And. *n.* 9. *verſ. Tu dic cum Innocent.* & alios communiter tenet gl. *in c. Si quis erga in verb. Privetur* 2. *q.* 7. gl. 1. *in cap. Cùm veniſſent*, & ibi omnes *de judic.* item gloſſ. *in c. Cum perſonæ*, §. *Si autem in verb. Ordinariis, per illum text. de privileg. lib.* 6. Licèt illa Decretalis alium habeat intellectum, ut dixi *in cap. Procurationes num.* 42. *de cenſib.* Hoſt. *in Summa de ſentent.* §. *Si quis debet columm. penult.* Gemin. *in c. Primo col. fin. in princ. verſ. Aut cauſa non eſt ſua privata, ſed Eccleſiæ de pœn. lib.* 6. Capyc. *dec.* 137. *num.* 1. & hanc dicit eſſe communem opinionem Oldrad. *conſ.* 159. *Primò quæritur num.* 1. & probatur arg. *c. Si quis ab Epiſcopo* 2. *q.* 7. & *c. Qui emendat* 45. *diſt.* Quod mirum videtur, quia nullus poteſt eſſe judex in cauſa ſua, ut *c.* 1. 4. *q.* 4. *l. Si quis in tantam, C. Unde vi*, & *C. Ne quis in ſua cauſa, in rubro, & nigro.* Imò qui jus ſibi dicit in re ſibi debita, cadit à jure ſuo, *l. Extat, ff. Quod met. cauſ.* 6 7 8

Sed pro ſolutione diſtinguendum eſt inter cauſam Eccleſię, & cauſam propriam ipſius Epiſcopi in cauſa Eccleſiæ poteſt Epiſcopus eſſe judex, ut in præcitatis juribus; ſicut Prior fiſci eſt judex in cauſa fiſci, ut *l.* 1. *C. Ubi cauſæ fiſcales.* Epiſcopus enim dicitur procurator Eccleſiæ, *cap. Si privatum* 12. *q.* 1. Sic Imperator eſt judex in cauſa fiſcali, *l. Proximè, ff. De his quæ in teſtament. delen.* & tamen res fiſci quaſi propriæ Imperatoris dicuntur, *l.* 2. §. *Hoc interdictum, ff. Ne quid in loco public.* & cauſa Eccleſiæ non eſt Epiſcopi, *c.* 2. *de donat.* Item Ordinarius ſi dicat ſuam eſſe juriſdictionem, & ſubditus hoc neget, benè cognoſcit, an ſua ſit juriſdictio, *c. Super litteris de reſcr. l. Si quis ex aliena, ff. De judiciis.* Item contra malefactores Eccleſiæ utroque gladio uti poteſt, ſi illum habeat, *c. Dilecto de ſent. excomm. in quo c.* 1. *de Malefic. in c. Romana de pœn. lib.* 6. & eſt text. in *c. Cùm ſit generale de foro compet.* & ita objectum ſolvunt Innoc. Hoſt. & Jo. And. ſupracit. *n.* 6. Et egregiè declarat Bald. *in l.* 1. *n.* 3. *C. Ne quis in ſua cauſ.* ubi format hanc quęſtionem: Epiſcopus Peruſinus movet mihi litem de quibuſdam rebus, dicens quod illę res ſunt emphyteuticæ Epiſcopatus Peruſini, & quòd ad eum ſunt reverſæ: Ego hoc nego, & dico, quòd Epiſcopus Peruſinus non poteſt de hoc cognoſcere, ſed debet agere contra me coram Archiepiſcopo: modò quæritur utrùm iſte Epiſcopus poſſit de hoc cognoſcere necne. Quæſtio ſtat, in hoc, utrùm iſta dicatur ſua cauſa. Innocentius videtur dicere *in d. cap. Ex parte*, quod non poſſit cognoſcere. Canoniſtæ tenent communiter contrarium, quia iſta non eſt cauſa perſonæ, ſed Eccleſiæ, & utilitas principaliter reſpicit Eccleſiam, & ideò Epiſcopus poteſt eſſe judex, cognitor, & determinator hujus litis, ut notant Hoſt. & Jo. And. *in d. c. Ex parte*, poſt Innoc. & adde quod notatur *extra de appell. c. Dilectis*, & *in c. Dilectus de pœnis*, per Innoc. & *in* §. *Sequitur in Speculat. de judice deleg.* Hactenus verba Bald. 9 10

Verumtamen etſi Epiſcopus judicare poſſit in cauſa Eccleſiæ, nihilominus ad omnem ſuſpicionem vitandam meliùs eſt, ut id expediat per delegatos, ut innuit textus in *d. cap. Cùm perſonæ*, §. *Si autem*, ibi, *Vel delegatis ab eis viris prudentibus de priv. lib.* 6. *c. Si quis de foro compet.* & *l. Prætor, ff. de juriſd. omn. Judic.* & notat gl. *in d.* §. *Si autem in ver. Ordinariis*, & gloſſ. 1. *in d. c. Cùm veniſſent de Judic.* quæ ibi à ſcribentibus communiter approbatur. Quinimò ſi vellet per ſeipſum cognoſcere cauſam Eccleſiæ, vel injuriam tangentem principaliter dignitatem ſuam, quia in conſequentia tangit eum, poſſet reſervari, ut ſuſpectus; ita notabiliter concl. Cynus poſt Petr. de Bellapert. *in leg. Unic. C. Ne quis in ſua cauſa*, & loquitur Cynus quando injuria principaliter tangit dignitatem. Ad hoc bonus tex. *in cap. Inſinuante de offic. Deleg.* ubi recuſatur conſanguineus Prælati in cauſa Eccleſiæ ſuæ, fortiùs ergo poteſt recuſari ipſe Prælatus. Idem poſt Paul. tenet Abbas *in d. c. Cum veniſſent num.* 9. *verſ. Aut cauſa principaliter de judic.* dicens hoc eſſe valdè æquum, ut lites ſine omni ſuſpicione procedant, *c. Quod ſuſpecti* 3. *qu.* 5. & *l. Apertiſſimi*, & *l. Cum ſpecialis, C. de judic.* Nam videmus judicem ex facili cauſa reſervari, ut notatur in *c. Cùm R. Canonicus de offic. Deleg.* Undè & Canonicus poteſt recuſari in cauſa Concanonici, ut ibi: Ergo longè magis Prælatus in cauſa Eccleſiæ, cùm major ſit conjunctio inter Prælatum, & Eccleſiam ſuam, quàm inter Canonicum, & Con- 11 12 13 14

canonicum, ut legitur, & notatur *In c. Relatum, il ſecon-
do de teſtam. in c. final.* 22. *qu.* 5. *& in c.* 2. *de pœn.* Et hanc
opinionem dicit eſſe veriorem Philipp. Franc. *in c. Poſtre-
mo n..... verſ. Quintò quæritur de appellat.* Licèt contrarium
tenuerit Specul. *in tit. de judic. delegat.* §. *Supereſt num.* 9.
Quid ſi Prælatus alicujus Eccleſiæ. Sed primum verius, &
communius, ut teſtatur Dec. *in d. c. Poſtremo num.* 31. &
Specul. reprobant Jo. And. *in additione ad litt. Y. & in d. c.
Inſinuante in gl. Hoc videtur de off. Deleg.* De quo tamen
articulo dic pleniùs, ut per Dec. *ubi ſup. n.* 30. & Capyc. *d.
dec.* 137. *n.* 1. *cum plurib. ſeqq.*

15 In cauſa autem propria planum eſt inferiorem à Papa
regulariter judicem eſſe non poſſe; & ita procedit textus
in l. 1. *c. Ne quis in ſua cauſ.* cum aliis ſuprà in contrarium
allegatis *n.* 7. Ad idem textus *in l. Qui à juriſdictione, ff. De
juriſdict. omn. judic.* & notat gloſſa *in d. cap. Cum perſonæ,*
§. *Si autem in verb. ordinariis de privileg. lib.* 6. & hanc re-
gulam negativam in inferiore à Papa conſtituunt Gemin.
in c. 1. *col. ult. verſ.* 2. *Caſu principali de pœn. lib.* 6. Decius
16 poſt alios *in dicto c. Cum veniſſent num.* 45. *de judic.* ubi *à
num.* 48. limitat hanc regulam quatuor modis; licèt con-
trariam regulam affirmativam in Papa conſtituant, gloſſa
1. *in dicto cap. Cum veniſſent*, & poſt eam Abbas ibi *num.*
6. *verſ. Et dic concludendo*, & Dec. *num.* 30. & Gemin. *d.
cap.* 1. *col.* 2. *poſt med. verſ. Aut quærimus de Papa, de pœn.*
17 *lib.* 6. niſi velit cauſam propriam alteri delegare, quod con-
ſultius, & honeſtius eſt, ut dicit præcitata gloſſa, & Dec.
poſt alios *nu.* 33. & arg. *cap. Nos incompetente in princ.* 2.
quæſt. 7. *& l. Nec quicquam, ff. de off. Proconſul.* & ſic obti-
net de conſuetudine, quia Papa hujuſmodi cauſas delegat
aliis, teſte Innocentio *in cap. Ex parte num.* 2. *in fin. de*
18 *verbor. ſignific.* Quid ſi cauſa ſpectat ratione Eccleſiæ ad
menſam ipſius Prælati, numquid in ea poſſit Prælatus eſ-
ſe judex? Reſpondeo non, quia tunc cauſa propria vide-
tur; & ſatis eſt ſuſpectus, ex quo commodum, vel in-
commodum ad eum pertinet, *cap. Biduum*, ibi, *& palàm
eſt eam propriam eſſe cauſam, cujus emolumentum, vel
damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet*, 2. *qu.* 6. & quem-
admodum eo caſu non poteſt authoritatem interponere;
quia videretur authorizare in facto proprio, Clem. *Si una,
de rebus Eccleſ. non alien.* ita nec viduare: & ita firmant in
d. cap. Cum veniſſent de judic. Collect. *nu.* 2. *verſ. Quid ſit
dicendum*, Bellam. *num.* 2. Butr. *num.* 9. *in fin. verſ. Si
cauſa ſpectat ad menſam*, Abbas *num.* 9. *verſ. Item ſi cauſa
ſpectat*, & Dec. *num.* 55. Gemin. *in dicto cap.* 1. *col. final.
poſt princ. verſ. Poſſet tamen iſto caſu diſtingui, de pœn. lib.* 6.
Bald. *in cap. Litteras nu.* 1. *verſ. Sed nonne Epiſcopus poteſt
de præſumptionib.* ubi ait Epiſcopum non judicare quando
tractatur de proprio quæſtu bonorum, per *leg. De jure in
princ. ff. Ad municipal.* & ibi optima gl. *in ver. Provinciæ,*
Abb. *in c. Venerabili nu.* 3. *in fin. de cenſib.* qui ſimiliter li-
19 mitat concluſionem, quòd Prælatus poſſit eſſe judex in
cauſa Eccleſiæ ſuæ, ut locum non habeat ſi commodum ſi-
bi applicandum. Imò in tali cauſa Prælatus nec poteſt eſſe
teſtis, ut notat Innocentius *in c. Inſuper num.* 3. *de teſtib.*

20 Limitant prædictam concluſionem Collect. Bellam. lo-
cis citatis, niſi notorium ſit bona ad menſam Prælati per-
tinere; quia tunc Prælatus benè poteſt eſſe judex, ut pa-
tet ex notat. per Innoc. & Hoſt. *in c. Ex parte de verbor.
ſignific.* ubi dicunt Epiſcopum eſſe judicem in facto pro-
prio, vel cauſa propria, cùm notorium eſt jus Epiſcopi:
& eos ſequitur Federic. de Senis *in conſ.* 138. *Benedictus
Epiſcopus n.* 6. *in fin. verſ. Et optimè facit.* Ad idem Cald.
conſ. 120. *aliàs* 6. *de judic. & foro compet.* ubi tenet Epiſ-
copum poſſe judicare in cauſa ſuæ Eccleſiæ, & menſæ,
quando habet fundatam intentionem de jure communi;
quia tunc propter notorietatem excommunicat ſubditum
propter denegatam procurationem ſibi debitam ratione
viſitationis. Et idem ſi occupat Eccleſiam, vel quid ſimi-
le. Tu verò dicas in his caſibus Prælatum non judicare,
nec procedere judicialiter cognoſcendo; ſed extrajudicia-
liter ad defenſionem jurium, quæ notorium eſt pertinere
ad Eccleſiam, vel menſam Prælati. Unde non ut judex,
ſed ut pars, ſeu executor pœnæ uti poteſt gladio ſpiritua-
li, ſicut & materiali in eum, qui injurioſè jura, vel bona
Eccleſiæ, vel Prælati occupat, ſeu retinet: & ita loquitur
Innocentius *in d. c. Ex parte num.* 3. *verſ. Et ſi ipſe Præla-
tus*, Turrecr. *in d. cap. Si quis erga* 2. *qu.* 7. *num.* 6. & ibi
etiam Gemin. *n.* 3. & Præpoſ. *n.* 5. & latiſſimè proſequitur
idem Innocentius in ſua celebri & intricata gl. quam po-
ſuit *in c. Venerabili, de cenſib.* & reaſſumit Hoſt. *in c. Pro-
curationes, eod. tit.* & ibi dixi à n. 27. uſq. ad n. 49. & hanc
limitationem vide plures declarationes, quas ponit Abbas
in d. c. Cum veniſſent, n. 10. *verſ. & hæc vero*, & Dec. *à n.*
48. *de judic.* Stat igitur concluſio quòd Epiſcopus in cauſa
menſæ non poteſt eſſe judex.

Sed quid in Vicario Epiſcopi? Dic ut in ſubjecta decla- 21
ratione.

Conquerente Cardinali Borromeo, quòd cùm menſa
Archiepiſcopalis Mediolani diverſos haberet debitores em-
phyteutas, conductores bonorum, & cenſuarios, quos ſæpè
in judicium vocari contingit; ipſi cum vocantur coram
Vicario Archiepiſcopali, eum ſuſpectum allegant ſub præ-
textu, quòd cùm in cauſa ſuæ menſæ Archiepiſcopus tam-
quam in re propria dicatur ſuſpectus, etiam ejus Vicarius
idem Tribunal faciens reddatur ſuſpectus; ideòque cùm
remedium peteretur à ſacra Congregatione Concil. Con-
gregatio cenſuit referendum Sanctiſſimo, quòd quando
Vicarius ſuſpectus allegatur detur ei Adjunctus, vel De-
legatus ab Archiepiſcopo, nullo autem modo detur Conſer-
vator. Quòd ſi impedimentum in hoc fiat à judicibus ſæ-
cularibus, tunc clariùs exprimendum ut provideatur,
cauſæ enim hujuſmodi ad forum Eccleſiaſticum ſpectant;
quando iſti conveniunt ſuper rebus, quas ab Eccleſia te-
nent, Specul. *de compet. judic. adit.* §. 1. *verſ.* 27. Abb. *in c.
Nullus, num.* 6. *de foro compet.* & in ſpecie de bonis feuda-
libus conceſſis ab Eccleſia, quando ad eam reverſa præten-
duntur, Alex. *conſ.* 79. *lib.* 1. Obſtat tamen quòd licèt Epiſco-
pus poſſit eſſe judex in cauſa Eccleſiæ ſuæ, Bart. & Bald.
in l. 1. *C. Ne quis in ſua Cauſ.* Bertacch. *de Epiſcopis, in* 5.
p. 5. *lib.* 5. *quæſt.* 8. *nu.* 12. Dec. *in cap. Cùm veniſſent, num.* 6.
de judic. tamen ſi cauſa ratione Eccleſiæ ſpectat ad menſam
Epiſcopi, quia ſatis eſt ſuſpectus, ex quo commodum,
vel incommodum ad eum ſpectat, non poteſt eſſe judex,
Abb. *in d. cap Cùm veniſſent, n.* 19. & ibi Dec. *nu.* 6. San-
ctiſſimus audita relatione Congregationis dixit interro-
gandum procuratorem Cardinalis Borromei, an fiat ali-
qua controverſia à Tribunali ſæculari, ſi dixerit fieri, ſu-
perſedendum; ſi dixerit non fieri, ſed tantùm à partibus al-
legatur, quòd Vicarius eſt ſuſpectus ea ſola ratione, quia ju-
dex in cauſa propria ſui Epiſcopi, cujus eſt idem Tribu- 22
nal: tunc procurator ſcribat Cardinali placere Sanctiſſi-
mo, quòd det Vicario ſuo Adjunctum confidentem debi-
tori convento; & dicatur etiam illi cauſas iſtas eſſe propriè 23
fori Eccleſiæ, & judicem Eccleſiaſticum eſſe judicem or-
dinarium, cui, quando allegatur ſuſpectus, datur Adjun-
ctus. Hactenus verba declarationis.

An autem hoc vendicet ſibi locum ubi viget contra- 24
ria conſuetudo, patebit ex dicendis in quæſtione ſe-
quenti.

Suppoſita immemorabili conſuetudine Eccleſiæ Piſa-
rum, ſecundùm quam in cauſa menſæ Archiepiſcopalis, &
in quibus agitur de intereſſe Archiepiſcopi, illius Vicarius
tàm activè, quàm paſſivè ad inſtantiam procuratoris fiſca-
lis, ſeu ſyndici ejuſdem menſæ contra laicos procedit, cau-
ſaſque hujuſmodi in prima inſtantia cognoſcit ac terminat:
conſulit Archiepiſcopus S. Congregationem an ſibi liceat
laicos in prædictis cauſis menſæ Archiepiſcopalis coram 25
ſuo Vicario convenire. Videtur reſpondendum licere;
Nam etiamſi Epiſcopus non ſit judex competens in cauſa
ſuæ menſæ, ut abundè oſtenſum eſt ſuprà num. 18. &
n. 21. & in his caſibus ſi Vicarius recuſetur, ſit ei dandus,
adjunctus, ut olim juſſit obſervari Gregorius XIII. in cau-
ſa menſæ Archiepiſcopalis Mediolanenſis, pro qua S. Ca-
rolus S. Congregationem conſuluerat ſecundùm ea, quæ 26
ſuprà proximè dicta ſunt: tamen hæc regula fallit in illis Ec-
cleſiis, in quibus Epiſcopi ex antiqua conſuetudine præ-
ſcripſerunt hujuſmodi cauſarum cognitionem; eo enim
caſu Epiſcopi benè poſſunt eſſe judices in cauſis concer-
nentibus ſuum proprium intereſſe, ut probat text. *in c.* 1.
ibi gl. *in ver. Punire de pœn. lib.* 6. Hoſt. *in Summ. tit. de
ſent.* §. *Proprius ordinarius, col.* 2. *&* 3. Gemin. *conſ.* 114. *in
fin.* Natt. *conſ.* 294. *n.* 2.

Ratio eſt, quia conſuetudo poteſt tribuere juriſdictio- 27
nem aliàs non habenti, *c. Si clericus laicum, de foro com-
petent.* & cap. *Cum contingat in fin.* ubi gl. *in verb. Vel con-*

junc-

ſuetudine; *de conſuetud. lib.6.* Gemin. *in cap.* 1 *in princ. in* 4. *not. de pœn. eod. lib.*

28 Quod multò magis videtur admittendum hoc caſu, tum quia conſuetudo ſupponitur eſſe immemorabilis, quæ habet vim privilegii Apoſtolici, ad not. *in cap. 1. de præſcr. lib. 6. & cap. Cùm perſonæ, de privileg. eodem lib.* Seraph. *deciſ. 707. num. 3.* certum eſt enim privilegio Pontificis
29 poſſe hujuſmodi cauſas committi Epiſcopo recuſatione remota, Franc. *in c. Poſtremò, num. 5. de appellat.* Tum 30
quia has cauſas non cognoſcit Archiepiſcopus ipſe, ſed ejus Vicarius, cujus in materia recuſationis non eſt idem Tribunal, atque Epiſcopi, Archid. *in c. Non puram, n. 2. de conſuetud. lib.6.* aut certè in eo non viget tanta ſuſpicionis cauſa, quanta in Epiſcopo, ad quem commodum, vel incommodum ſpectat, *c. Biduum, verſ. Palàm, cum concord. 2. q. 6.*

DE ELECTIONE:

Cœleſtinus III.

CAPUT XIV.

CUm terra, quæ funiculus hæreditatis Domini cenſebatur: & infrà. Sicut ex quarundam litterarum tenore accepimus, quidam in electionibus pravæ conſuetudinis morbus irrepſit; ut cum alicujus Prælati electio debet celebrari, conventus; ad quem pertinere dignoſcitur, duas perſonas nominet, latenter auribus Patriarchæ, vel Principis exprimendas; ut ſic alterius eligendæ, vel totius electionis penitùs irritandæ, idem Patriarcha, vel Princeps plenariam habet facultatem. Quia igitur hoc redùndat in gravamen, & perniciem Eccleſiaſticæ libertatis, præſcriptam conſuetudinis pravitatem ſancimus penitùs abolendam: ſtatuentes, ut forma electionis canonicè in omnibus Conventualibus Eccleſiis obſervetur; videlicet ut cùm debet Eccleſiæ conſuli Paſtoris regimine deſtitutæ, electores in unum locum (in quo fuerit electio celebranda) conveniant, & invocata Spiritus ſancti gratia, perſonam nominent. Quod ſi in perſona fuerit, vel in electionis modo peccatum, tamdiù in electione diligentiam inquiſitionis apponant, donec vacanti Eccleſiæ de perſona idonea valeant providere: quo facto non prohibemus, quin regis, ſeu Patriarchæ, qui pro tempore fuerit, requiratur aſſenſus; ſed propter hoc ipſam electionem nolumus impediri.

SUMMARIUM.

1 *ELectio debet eſſe in libertate eligentium, nec valet contraria conſuetudo.*
2 *Collegium habet intentionem fundatam ſuper jure eligendi Prælatum in Collegiata Eccleſia.*
3 *Patriarchalis dignitas eſt major quacumque mundana dignitate.*
4 *Patriarchales Sedes an præferantur Presbyteris Cardinalibus.*
5 *Patriarchæ ſunt redacti ad inſtar Regum, quia multas regunt Provincias.*
6 *Conſuetudo contra libertatem Eccleſiaſticam non valet, etiamſi ſit immemoabilis, & n. 7.*
8 *Conſuetudo, ſecundum quam electio non eſt in libertate eligentium, ſed pendet ex arbitrio tertii, ſive Eccleſiaſtici, ſive laici extirpanda eſt.*
9 *Eligendi jus ſpirituale eſt, & non cadit in laicum.*
10 *Conſuetudo, per quam in totum tollitur electio, valida eſt.*
11 *Secus ſi libertas eligendi remanente electione in totum tollatur.*
12 *Conſuetudo, per quam detrahitur ſubſtantiæ actus, ipſo actu remanente, non tenet.*
13 *Eligere eſt unum ex pluribus capere.*
14 *Electio ſi ſit facienda de certo gremio, & ibi non ſit, niſi unus idoneus, ille eſt eligendus.*
15 *Caſus eventitii non ſunt computandi.*

1 C*Um terra*. Electio debet eſſe in libertate eligentium, nec valet contraria conſuetudo. Hoc dicit Jo. Andr. Bald. Bellam. Butr. Cardin. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. & dividitur in tres partes. In prima, ponitur deciſum exordium. In ſecunda, narratio, ibi, *Sicut*. In tertia, proviſio, ibi, *Quia igitur*. Et hæc ſubdivitur in alias tres; nam primò, cauſam reddens damnat conſuetudinem. Secundò, ſtatuit, & ſtatutum declarat. Tertiò, permittit, & permiſſionem determinat. Secunda ibi, *Statuentes*. Tertia ibi, *Quo facto*.

2 Nota primò ibi, *Conventus ad quem pertinere dignoſcitur*, Collegium de jure communi habere intentionem fundatam ſuper jure eligendi Prælatum in Collegiata Eccleſia, Bernard. *hic poſt caſum*, Hoſt. *num* 2. concordat *c.* 1. & ibi dixi *n.* 1. 4. & 13. *ſup. eod.*

Secundò nota ibi, *Patriarchæ, vel Principis*, Digni- 3
tatem Patriarchalem eſſe majorem quacumque mundana dignitate, ſeu potentatu, arguendo ab ordine litteræ, prout arguit gloſſa magna *in Clement. unic. in ver. Regum, de Baptiſmo*. Item gl. *in cap. final. in ver. Prædicatores, de pact. lib. 6.* gl. *in c. Quorumdam, de elect. in ver. Prædicatorum, eodem lib.* & ibi Gemin. *in 4. col. verſ. Gloſſa ſuper ver. Prædicatorum*, & Franc. *num.* 4. Abb. *in cap. Nicolao, in princ. de appell. & in c. Sedes, n. 5. de reſcr.* Quo argumento Petr. à Monte *in ſua Monarchia Concil. in 5. quæſt. nu.* 2. putavit quatuor Sedes Patriarchales de jure præferendas eſſe Presbyteris Cardinalibus, quia Alexander III.
in c. Conſtitutis, il primo, infr. de appell. in ſupraſcriptio- 4
ne præponit Patriarchatum Grandenſem Presbytero Card. S. Vitalis, arguendo ut ſuprà ab ordine litteræ. In oppoſitum tamen eſt littera hujus *cap. In fin.* ibi, *Regis, ſeu Patriarchæ*. Ad prædicta vide Bald. *in l.1.§. His cunabulis, n.*
3. ff. de offic. Præfect. Prætor. ubi ait, Patriarchas eſſe re- 5
dactos ad inſtar Regum, quia multas regunt Provincias, & ſequitur Caſſan. plura cumulans de dignitate, & authoritate Patriarchali in Cathalogo gloriæ mundi *par.4. conſider.9.*

Tertiò nota ibi, *In gravamen, & perniciem Eccleſiaſti-* 6
cæ libertatis, non valere conſuetudinem contra libertatem Eccleſiaſticam; nam hic textus non reſtringit ſe ad caſum electionis, ſed cum reddat rationem, quæ generalis eſt, generaliter damnat conſuetudinem, quæ redit in perniciem Eccleſiaſticæ libertatis, ut rectè obſervat Abbas *hic in 2. not.* & ideò Bernard. poſt caſum notat ex hac Decretali, conſuetudinem contra libertatem Eccleſiaſticam eſſe
extirpandam. Quinimò cum textus non ſimpliciter dero- 7
get conſuetudini, ſed eam improbet uti corruptelam, ut patet ibi, *Pravæ conſuetudinis morbus irrepſit*, necnon ibi, *Præſcriptam conſuetudinis pravitatem ſancimus penitus abolendam*; hinc ſequitur, ut talis conſuetudo ſit nulla, & impræſcriptibilis, etiamſi ſit tanti temporis, ut ejus initii non extet memoria, ex theorica Felin. *in c. Cùm ex officii, n.* 13. *de præſcr.* Aretini *in l. Cùm ſtipulatus ſim à Proculo, col. 2. ff. de verbor. oblig.* & aliorum plurium, quos cumulat Covarr. *variar. reſol. lib. 3. cap. 13. nu. 5. verſ. Adnotandum tamen erit.* Hodie hoc eſt expeditum ex Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex*, edita 5. Junii 1641. per quam ſublata eſt quæcumq; conſuetudo præjudicialis libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ, etiamſi ſit immemorabilis, & cum

ea concurrat fama privilegii, ut plenè ſcripſi *in c. 1. n. 59. & 74. ſup. de conſuetud.*

8 Quartò nota ibi, *Abolendam*, extirpandam eſse con-
ſuetudinem, ſecundùm quam electio non eſt in libertate
eligentium, ſed pendet ex arbitrio tertii, ſive ille tertius
ſit Eccleſiaſticus, ſive laicus, prout erat hìc Patriarcha,
9 vel Princeps reſpectu Principis hoc eſt indubitatum ex alio
capite, nempe quia jus eligendi ſpirituale eſt, & non cadit
in laicum, *c. Sacroſancta, & ibi gl. in ver. Laicum, & c.
Maſſana, infrà eod. cap. Decernimus, de judiciis*; reſpectu
10 verò Patriarchę, ratio deciſionis eſt, quia licèt valeat con-
ſuetudo, per quam in totum tollitur electio, *cap. 2. infrà,*
11 *de reſtit. ſpoliat. & cap. ult. Ne Sede vacante*: non tamen
valeat conſuetudo, per quam libertas eligendi, remanen-
te electione, in totum tollitur, ut benè hìc per Jo. Andr.
12 *num. 4.* Non enim valet conſuetudo, per quam detrahitur
ſubſtantiæ actus ipſo actu remanente; & quia eligere eſt
13 unum ex pluribus capere, introduci non poteſt conſuetu-
dine, ut ſit electio, & non ſint in libertate eligentis, quia
ſic remaneret electio ſine illius ſubſtantia, quod repugnat,
ſecundùm Abbatem *hic n. 1.*

14 Neque obſtat, quòd ſi electores ex conſuetudine tenean-
tur eligere de certo loco, & ibi non ſit, niſi unus idoneus,
neceſse habeant illum eligere, & ſic tollatur libertas eli-
gendi remanente electione, *cap. Cum dilectus, ſuprà de
conſuetud. & cap. Abbates, infr. de verb. ſignific.* Quoniam,
ut reſpondet Jo. Andr. *hic n. 4. verſ. Sed oppones*, hoc non
facit conſuetudo, ſed caſus, ſicut contingeret, ſi reliquis
vita functis non ſupereſset, niſi unus, vel ſi Eccleſia ſit pri-
vilegiata, ut de illius gremio deberet fieri electio, & non
eſset, niſi unus idoneus; tales enim eventitios caſus non 15
computamus, *l. Julianus, ff. Qui, & à quibus, cap. fin. de
homicid. cum concord.*

Et per prædicta in Sacra Congregatione rerum Conciſtorialium, habita die 13. Auguſti 1648. cùm actum eſset, an electio Abbatis S. Petri Gandaven. eſset confirmanda, necne, ſtante conſuetudine, ſecundùm quam coram commiſsariis laicis colliguntur ſuffragia Monachorum; & ex tribus, qui habuerunt plura ſuffragia, Princeps nominat unum, & mittit litteras ſuæ nominationis ad Monachos, ut illum eligant, & Princeps ſic electum Sedi Apoſtolicæ confirmandum præſentat? Dictum fuit hujuſmodi conſuetudinem eſse contra hoc *cap. Cùm terra*, ubi damnatur talis conſuetudo uti prava corruptela, & contra libertatem Eccleſiaſticam. Unde non valet, etiamſi ſit ſupra hominum memoriam; nam per eam Monachi adſtringuntur ad eligendum Prælatum ad voluntatem Principis, quod eſt contra ſubſtantiam actus, ut oſtenſum eſt ſupra.

D E   E L E C T I O N E.

Innocentius III. Capitulo Pennen.

C A P U T   XVII.

QUaliter poſt obitum: & infrà. Verùm quoniam electus à vobis, ante confirmationem adminiſtrationi Epiſcopatus ſe irreverenter immiſcuit, recipiendo tàm à Clericis, quàm à Laicis juramenta, non attendens, quòd ſecundùm Apoſtolum: Nemo debet ſibi honorem aſſumere, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron; præcipuè quia nec donum ſcientiæ Pontifici conveniens fuerat aſſecutus: poſtquam nobis præſentaſtis eumdem, ſufficienti examinatione præmiſſa, electionem de ipſo factam duximus irritandam; quicquid ex ea, & ob eam factum eſt, denuntiantes penitùs non tenere.

S U M M A R I U M.

1 *ELectus ſi non habet ſufficientem ſcientiam, vel ante confirmationem adminiſtrat, ejus electio caſſari debet.*

2 *Electus non poteſt ſe ingerere adminiſtrationi Prælaturæ ante obtentam confirmationem, nec valet contraria conſuetudo.*

3 *Electus an poſſit permittere ſe inſtallari ante confirmationem, & n. ſeqq.*

Inſtallare, quid ſit, ibid.

4 *Promoti, vel etiam confirmati ad Cathedrales, vel Regulares Eccleſias, non debent per Eccleſiam recipi tamquam Prælati, niſi litteras promotionis, vel confirmationis oſtendant.*

5 *Promotus in Conciſtorio ante oſtenſas Bullas non poteſt quidquam de bonis Eccleſiæ adminiſtrare, etiamſi habeat certiſſimum nuntium ſuæ promotionis.*

Et contraveniens, aut litteras infrà annum non expediens, eſt ipſo jure privatus, n. 7. verſ. Tu verò.

6 *Litteræ non ſunt de ſubſtantia gratiæ, ſed probationis.*

7 *Gratia ante confectionem litterarum eſt informis, & imperfecta.*

8 *Scientia conveniens ſufficit in Epiſcopo.*

9 *Electus qui ante confirmationem per ſe, vel per alium adminiſtrat in ſpiritualibus, vel temporalibus, eo ipſo privatus eſt jure in electione quæſito.*

10 *Sive adminiſtret œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio quæſito colore, ſive tamquam electus. Fallit in electo in concordia extra Italiam.*

1 QUaliter. Et ſi electus non habet ſufficientem ſcientiam,
vel ante confirmationem adminiſtrat, ejus electio
caſsari debet. Hoc dicit Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr.
Cardin. Anchar. Imol. Abb. & Jo. de Anan. Primò, ponit
deciſum exordium. Secundò, factum narrat, ibi, *Verùm*. 2
Tertiò electionem caſsat, ibi, *Poſtquam*.

Nota primò, ibi, *Ante confirmationem*, electum nón poſ-
ſe ſe ingerere adminiſtrationi Prælaturæ ante obtentam
confirmationem, ut hìc eſt caſus; nec valet contraria con-
ſuetudo, *c. Cum venerabilis, ſuprà de conſuet.* niſi fortè in 3
caſu, ut per Oldrad. *conſ. 9. incip. Poſito ſine præjudicio,
nu. 4. poſt medium, verſ. Item proponit*, & fuſius dicam *in
c. Nihil infrà eodem*. Et pondera illud verbum, *Admi-
niſtrationi*, per quod patet non eſse prohibitam inſtallatio-
nem. Unde ſi electus permitteret ſe inſtallari, id eſt, in
ſtallo, & ſede poni, *c. Ut noſtram, infrà de offic. Archid. c.
Poſt electionem circa medium, de conceſſ. præben.* gl. 1. *in c.
Ne Dei, de ſimon.* per hoc non incideret in pœnam hujus
Decretalis: tum quia per hunc actum non adminiſtràt bo-
na Prælaturæ: tum quia ita ſe haber generalis conſuetudo,
de qua teſtantur *hìc* Innocentius, & Compoſtell. *ambo in
princ.* Hoſt. *nu. 5. verſ. Quid ſi permiſerit inſtallari*, Joan.
Andr. *num. 3.* Abb. *in 3. not. verſ. Quid ſi autem electus*, &
alii communiter.

Sed hodie in hoc ſervari debet diſpoſitio Extravag. Bo- 4
nifacii VIII. *Injunctæ, de elect.* qua cautum eſt, ut promoti,
vel etiam confirmati in curia ad Cathedrales, vel Regula-
res Eccleſias non modò non debeant ſe immiſcere admini-
ſtrationi Prælaturæ; ſed nec per Eccleſiam recipi tamquam
Prælati; niſi litteras promotionis, vel confirmationis oſten-
dant alioquin recipientes, & recepti incidunt in pœnas
ibi ſtatutas, prout hìc advertunt Joan. And. *num. 2.* Card.
nu. 2. & plerique alii. Quod ſecundùm Imol. *nu. 3.* fortè
inductum fuit, ut citius procurarent habere litteras Papa-
les de Curia, de quibus aliàs non curaſſent. Undè pronun- 5
tiatus per Papam in Conciſtorio, ut moris eſt, quamvis
habeat certiſſimum nuncium de hujuſmodi pronuncia-
tione; tamen minimè poſſet aliquid adminiſtrare de bonis
Epiſcopatus ante oſtenſas litteras ſuæ promotionis, ut
hìc per Abbatem *in primo notab.* Nam etſi litteræ non 6
ſint

ſint de ſubſtantia gratiæ, quia poſt pronuntiationem, ſeu proviſionem illicò eſt verus Prælatus: tamen ſunt de ſubſtantia probationis, ut notant Archid.& Jo.Andr.in *proœmio Sexti*, Bald. in *Humanum*, *C.de legib.* Abb. hìc *nu.* 1. Gemin *conſ.*106.*Super dicto dubio n.6.*ubi de ſtylo Curię atteſtatur Seraph.*dec.*775.*nu.*2. Verall. 175. *nu.*2.*par.*2. Nam
7 litteris non confectis gratia eſt informis, & imperfecta, Rota *dec.* 20. *n.* 5. *de conceſſ.præbend.in noviſ.* Mohed. *dec.* 28. *n.* 3. *de renunc.*

Tu verò prædictis adde, quòd Alexander V. in Conſtitutione incipien. *Ex injuncto*, innovata à Julio II. in ſua Conſtitutione 4.*Romani Pontificis*, §. 2. *&* 5. in Bull. *tom.* 1. *pag.* 405. decrevit, ut de cætero promoti authoritate Apoſtolica ad Cathedrales, vel Regulares Eccleſias, infra annum à die proviſionis computandum teneantur litteras expedire, ſub pœna privationis earumdem Eccleſiarum, & omnis juris ex proviſionibus prædictis quomodolibet eis acquiſitis, quam negligentes incurrere voluit eo ipſo, earumque ſic vacantium diſpoſitionem Sedi Apoſtolicæ reſervavit: & interim abſque litteris proviſionis in forma ſub eadem pœna in illarum regimine, & adminiſtratione in ſpiritualibus, vel temporalibus, nullatenus ſe ingerere præſumant. Quamobrem pœna privationis ſtatuta contra electos adminiſtrantes ante obtentam confirmationem, hodie locum habet etiam in proviſis, qui adminiſtrant litteris non expeditis, aut infra annum illas non expediunt.

8 Secundò nota, ibi, *Donum ſcientiæ Pontifici conveniens*, ſatis eſſe. ut in Epiſcopo ſit ſcientia conveniens, ut ex hac littera deducit gloſſ. in *ver. Conveniens*, & patet in *c. Cum olim*, *infrà eod.* dixit Bald. in *c. Niſi cum pridem*, *n.7.infrà de renuntiat.* In Epiſcopo requiritur ſcientia eminens; tamen toleratur ſcientia competens, ut ibi dicitur in §.*Pro defectu*; ſed nihil ſciens etiamſi,Epiſcopus ſit, debet deepiſcopari.*Simile in l.Sed & reprobari*, *ff. de excuſat.tut.* Qualis ſcientia in Epiſcopo deſideretur tàm de jure communi, quàm ex Concilio Tridentino, conſtitutionibus Apoſtolicis, & decretis conſiſtorialibus,ſcripſi latiſſimè in prædicta Decretali, *Niſi cum pridem*,*à n.*58.*uſque ad n.*70.ubi etiam vide,*num.* 61. de laudabili inſtitutione examinandi promovendos ad Cathedrales Eccleſias in præſentia Summi Pontificis.

Ultimò nota, ibi, *Duximus irritandam*, hoc jure inſpecto electum, qui ſe immiſcuit adminiſtrationi Prælaturæ ante confirmationem, non eſſe ipſo jure privatum jure ſibi quæſito ex electione, ſed privandum per ſententiam. 9
Dixi, hoc jure inſpecto, quia per jura Sexti ſecus dicendum eſt, ut *c. Avaritiæ*, *inf. eod. lib.* 6. ubi electus ante confirmationem adminiſtrans per ſe, vel per alium, in totum, vel in partem, in ſpiritualibus, vel temporalibus, ſub quocumq; colore, ipſo jure privatus eſt jure ex electione quæſito. Et quamvis nonnulli ſentiant illam Decretalem habere locum in eo tantùm caſu, in quo electus adminiſtrat ſub œconomatus, vel procurationis nomine, aut 10
alio quæſito colore, ut verba ſonant; & jus antiquum, de quo hìc, remanere incorrectum in eo, qui adminiſtrat tamquam electus: & hæc opinio placet Jo. Andr. in *d. c. Avaratiæ*, *in gloſſ. ordinaria*, *in ver. Privatos*, ut ſic vitetur correctio jurium, *c. Cùm expediat*, *eod.tit.& lib.* tamen Garzias tenuit eſſe privatum ipſo jure, etiamſi adminiſtret tamquam electus. Et hoc eſt verius, ut dicit illa gloſſ. & ſequitur Abb. hìc *num.* 4. dicens hanc opinionem eſſe communiorem, & veriorem.

Limita hunc textum in electis in concordia extra Italiam, qui ob Eccleſiæ neceſſitatem diſpenſativè adminiſtrant ante obtentam confirmationem, ut eſt text. in *c.Nihil*, *verſ. Ita quod infr. eod.* ut ibi plenè ſcripſi in ult. notab. 11

DE ELECTIONE.

Idem Innocentius III. Præneſtino Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato.

CAPUT XXII.

DUdum ad audientiam noſtram quæſtione perlata, quòd vacante præpoſitura Colocen.Eccleſiæ; in duo ſe vota eligentium diviſiſſent, cauſam judicibus duximus committendam: & infrà. Ipſi verò partes ad ſuam præſentiam convocarunt, receperunt teſtes, examinaverunt eligentium conſcientias, audiverunt allegationes utrinque. Et quoniam præpoſitus Sancti Georgii eorum ſententiæ ſe aſſeruit nolle ſtare, proceſſum ad Sedem Apoſtolicam deſtinarunt: & infrà. Cùmque nuntii præpoſiti ſanctorum Apoſtolorum ſtatuto termino ad præſentiam noſtram acceſſiſſent, præpoſitus ſancti Georgii nec venit, nec pro ſe miſit idoneum reſponſalem: & infrà. Geſtis igitur judicum diligenter inſpectis, invenimus quòd pro præpoſito ſanctorum Apoſtolorum auctoritas, pro præpoſito verò ſancti Georgii numerus eligentium faciebat, cùm primus à quatuordecim tum perſonis, tum Canonicis, qui alios dignitate, ætate, & tempore præcedebant, ſecundus verò à vigintiquatuor fuiſſet electus: & infrà.Cùm autem allegationes pro eodem præpoſito ſancti Georgii coram judicibus ipſis propoſitæ, nobis non fuerint præſentatæ, propter quod non potuimus ſcire per nos, quid objecerit, vel quid reſponderit ad objecta, ſicque cauſa remiſſa non fuit ſufficienter inſtructa, ad diffinitivam ſententiam non duximus procedendum, ſed deciſionem cauſæ ipſius judicibus commiſimus ſub hac forma; Ut ſi vel notorium eſſet, vel per ea quæ jam dicta erant, conſtaret, quòd præpoſitus ſancti Georgii electionis tempore pateretur vel inordinibus, vel in ſcientia, vel in ætate defectum, qui eum juxta Canonum ſanctiones impediret ad hujuſmodi officium promoveri, ei (non obſtante ipſius abſentia corporali) ſilentium imponentes, præpoſito ſanctorum Apoſtolorum præpoſituram adjudicarent eamdem: alioquin (cùm in eum non ſolùm plures, ſed duæ penè partes convenerint, & impedimentis ceſſantibus appareat, quòd eum bono zelo elegerint) præpoſiti ſanctorum Apoſtolorum electione caſſata, electionem confirmarent ipſius, & ei facerent tamqnam præpoſito reſponderi.

SUMMARIUM.

1 *Beneficia plura curata obtinens ſine diſpenſatione Papæ, ineligibilis eſt tàm ad Cathedrales Eccleſias, quàm ad minora beneficia, & num. ſeqq.*

2 *Canonum violatores dejiciuntur tàm ab obtentis, quàm ab obtinendis.*

3 *Beneficia plura detinens incurrit infamiam Canonicam.*

4 *Item avaritiæ, & cupiditatis vitium.*

5 *Item committit furtum cum ſacrilegio.*

6 *Fer-*

6 *Fur ſacrilegus Judæ comparatur.*
7 *Furtum propriè non committitur in re immobili, aut incorporali.*
8 *Poſſeſſor malæ fidei reſpectu fructuum beneficii an dicatur propriè furtum committere.*
9 *Furtum non committitur rei quæ caret domino, ut hæreditatis jacentis.*
10 *Eccleſiarum bona nunquam vacant, ſed ſunt de dominio, & patrimonio Chriſti.*
11 *Et dicuntur ab Eccleſia poſſideri.*
12 *Poſitionum uſus admittitur etiam in ſpiritualibus.*
13 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus ad duo curata, vel ad dignitatem cum Parochiali ob prærogativam meritorum, & n. ſeqq.*
14 *Et quid ob utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ, & n. ſeqq. uſque ad nu.* 30.
15 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus contra Canonem Concilii etiam ex cauſa utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ.*
16 *Nec contra Canonem non Conciliarem reſervantem Summo Pontifici diſpenſationem.*
17 *Diſpenſatio ad plura Curata ob prærogativam meritorum fit principaliter propter bonum publicum, & num.* 28.
18 *Papa ſolus diſpenſat ad plura Curata etiam propter cauſam utilem, vel neceſſariam Eccleſiæ.*
19 Cap. Sanctorum 70. diſt. *an fuerit indiſtinctè correctum per c. De multa, de præb. & n.* 28.
20 *Abbatis diſtinctio inter diſpenſationem ad plura curata, quæ fit principaliter ob prærogativam meritorum, & ſecundario ob utilitatem Eccleſiarum, refellitur, & n. ſeqq. uſque ad n.* 30.
21 *Diſpenſatio ad plura Curata neceſſariò includit diſpenſationem ſuper reſidentia in alterutro ipſorum.*
22 *Papa quomodo intelligatur diſpenſare ſuper reſidentia in Eccleſiis curatis, quæ eſt de jure divino.*
23 *Diſpenſare in præſcriptis divinis non poteſt niſi Deus, vel is, cui Deus ipſe commiſit.*
24 *Papa diſpenſare poteſt ad duo curata, declarando jus divinum ob aliquam circumſtantiam in illo caſu ad perſonalem reſidentiam non obligare.*
25 *Diſpenſatio Papæ ad plura curata talem cauſam requirit, ut jus divinum in caſu illo verè ad reſidentiam non obliget.*
26 *Reſidere tenentur jure divino in beneficiis curatis perſonæ quantumcumque illuſtres, & literatæ.*
27 *Cardinalis Cajetani invectiva in ſublimes perſonas, quæ munia paſtoralia per ſe non obeunt, ſed alteri delegant.*
28 *Intellectus* c. De multa, de præb. *& num. ſeqq.*
Diſpenſatoris principale objectum debet eſſe Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas, non autem prærogativa perſonæ, ibid.
29 *Diſpenſatio ſuper retentione plurium Eccleſiarum in Germania quam ob cauſam concedi ſoleat.*
30 *Beneficia duo Curata, quorum unum dependet ab alio poſſunt ſimul retineri abſque diſpenſatione.*
31 *Beneficium annexum amittit nomen beneficii, & induit naturam beneficii, cui unitur, & fit illius prædium.*
32 *Et impetrari non poteſt, quia non vacat.*
33 *Annata non ſolvitur de beneficiis unitis.*
34 *Beneficium unum curatum obtinere in titulum, & aliud in commendam, non eſt prohibitum de jure communi.*
35 *Secus ex Concilio Tridentino.*
36 *Cathedrales, vel Metropolitanas plures in titulum, ſive commendam nemo poteſt recipere, & ſimul retinere.*
37 *Cathedralem unam in titulum obtinenti an poſſit commendari altera, non obſtante Concil. Trident. in c. 2. ſeſſ. 7.*
38 *Commendæ noſtri temporis magis participant de collatione, & vero titulo, quam de depoſito ſimplici.*
39 *Commendatarii olim non faciebant fructus ſuos.*
40 *Cathedralem unam obtinens in titulum an poſſit habere aliam in commendam ad tempus, vel eſſe illius Procurator.*
41 *Intellectus* c. Relatio, & c. ſeqq. 21. *q.* 1.
42 *Parochialem unam in titulum, & aliam in commendam obtinens authoritate ordinaria, ac ſimul retinens, utraque privatus exiſtit, & n. ſeqq.*
43 *Commendæ de jure communi non inducebant incompatibilitatem: ſecus poſt Concilium Tridentinum.*
44 *Commendæ ad ſex menſes in beneficiis curatis, quæ fieri poterant ab Ordinariis, poſt Concilium Tridentinum locum non habent, ſed deputari debent Vicarii.*

D*Udum*, il ſecondo. Habens plures dignitates, vel 1
plura beneficia curata ſine diſpenſatione Papæ ineligibilis eſt. Hoc dicit, quoad titulum: habet enim plura dicta, quæ ad electionem non pertinent. Hoſtienſis dividit in ſeptem partes, Joan. de Anan. in octo; ſed Ægydius, & poſt eum Joan. Andr. & reliqui dividunt in tres. In prima ponuntur narrationes partium coram Papa. In ſecunda, ibi, *Nos igitur*, commiſſio cauſæ, & proceſſus judicum. In tertia, ibi, *Licet autem*, proceſſus Papæ.

Nota primò id, quod dictum eſt in ſummario, videlicet quem reddi ineligibilem ex pluralitate dignitatum, vel beneficiorum curam animarum habentium. Quod abſque dubio verum eſt ad Cathedrales, & alias majores Eccleſias, ut hic eſt caſus. Quo verò ad minora beneficia, puta Archidiaconatum, Decanatum, Canonicatum, & ſimilia, quidam dicunt pluralem non eſſe ineligibilem, ut hic refert Compoſtell. *n.* 20. quia hoc non reperitur jure cautum; & quia major perfectio requiritur in Epiſcopo, qui ſicut honore, ita & meritis alios præcellere debet, *c. Viliſſimus*, 1. *q.* 1. *c. Cum in cunctis, ſupra eod.* Sed contrarium determinat
ipſe Compoſtell. quia talis violator eſt Canonum, *c. San-* 2
ctorum, 70. *diſt. c. Quia nonnulli, inf. de cler. non reſident.* & Canonum violatores dejiciuntur tam ab obtentis, quam ab obtinendis, *c. Violatores*, 25. *q.* 1. *cap.* 2. *infrà de major. & obed.* Idem firmat Specul. *tit.* 2. §. *Videndum, circa finem, ver. Sed nunquid habens*, Butr. hic *n.* 17. & Jo. de Anan. *in princ.* qui teſtatur ita communiter teneri. Hodie hoc eſt clarum, quia per Extravag. *Execrabilis*, §. *Qui vero deinceps*, non dimittens primum eſt inhabilis ad ſacros Ordines, & beneficia.

Secundò nota, *in verſ. Unde eum in eodem Concilio*, de- 3
tinentem plura beneficia minùs canonicè in multa vitia incidere: Primò enim incurrit tranſgreſſionis notam, quia jus prævaricatur. Et dic notam, ſed eſt infamia. Et ſic videtur infamis ſecundùm Abb. hic *num.* 5. Ad hoc *c. Infames*, 6. *q.* 1. ſaltem infamia Canonica, de qua vide per eumdem in *cap. Teſtimonium, de teſtib.* Eſt autem peccatum ſuſtinere infamem in dignitate, *c. Primum*, 25. *diſt.*
Compoſtell. hic *num.* 12. Secundò incurrit avaritiæ, & cu- 4
piditatis vitium, ut hic, *& cap. Cum jam dudum*, ibi, Ambitionis, & avaritiæ vitium, & in *cap. Quia in tantùm, in princ. infra de præben. & d. cap. Quia nonnulli*, Concilium Trident. *c.* 17. ibi, Improbæ cupiditatis affectu, *ſeſſ.* 24. cupidi autem ab Apoſtolo promoveri prohibentur 1. *ad Timoth.* 3. 47. *diſt. in ſumma.* Tertiò committit furtum, ut in littera, ibi, Rem contrectavit alienam, & ſic furtum commiſit quodammodo, vel rapinam. Simile in
c. Non furem, 7. *q.* 1. Imò nec ſimplex furtum committit 5
ſecundùm Abb. *num.* 5. ſed cum ſacrilegio. Nam amico quidquam capere furtum eſt; Eccleſiam fraudare ſacrile-
gium eſt, dicit textus in *cap. Gloria Epiſcopi*, 12. *q.* 2. Et 6
poteſt dici furtum peculatus, quod committitur in re ſacra,
vel Religioſa, vel publica, ut in *l.* 1. *ff. Ad l. Jul. pecul.* Et 7
eſt gravius. Nam ſic delinquens Judæ comparatur, in *cap. Quid ergo*, 23. *q.* 4. Impropriè tamen hoc caſu dicitur furtum committi, ut dicit gloſſ. hic in *ver. Furtum; in fine*, quia propriè furtum non committitur in re immobili, ut in §. *Qui autem, inſtit. de uſucap.* Nec de re incorporali, ſicut eſt beneficium, ut *l. Servus*, §. *Incorporales, ff. de acquir. rer. domin.* Et propterea textus cautè utitur dictione illa, *Quodammodò*, quæ eſt impropriativa; nam propriè res hujuſmodi dicuntur invadi; & ita exponitur littera in *d. c. Non furem*, nec latronem, ideſt invaſorem, & ſequuntur

8 tur Hoſt. *num. 6. in ver. Furtum*, *num.* 10. *in ver. Rapinam.* Butr. *num.* 11. *in* 10. *notab.* & Abb. *num.* 19. Cæterùm hoc dictum procedit tantùm reſpectu corporis beneficii, & jurium ad illud pertinentium, non autem reſpectu fructuum, quos percipit malæ fidei poſſeſſor, quia in his committitur verè furtum, ut *l. Si urbana*, *ff. De condit. indeb. l. Si quis nec cauſam*, §. *fin. ff. Si cert. l. Si quis uxori*, §. *Cùm creditorem*, *ff. De uſur.* & *l. Inſinuando*, *ff. De furtis*, not. Cyn. *in l. Ancilla*, *C. de furt.* & Bart. *in l. Sequitur*, §. *Fructus*, *ff. De uſucap.* & *in propoſ.* tenent hìc Bald. *num.* 5. Butr. *numer.* 22. Abb. *num.* 19. & Joan. de Anan. *numer.* 2. Nec obſtat, quod Hoſt. *num.* 8. *in ver. Quodammodo*, cui ſubſcribunt Joan. Andr. *num.* 41. Bellam. *num.* 11. & 12. Imol. *num.* 24. con-
9 cludat nec reſpectu fructuum hoc caſu committi furtum propriè, eo quod furtum fieri non poſſit rei, quæ caret domino, ut *l. Fuſus*, §. *Qui alienum*, *ff. De furtis*. Et ſicut jacente hæreditate non fit furtum rei hæreditariæ, *l. 2. ff. De crimin. expil. hæreditat.* ita de rebus ad Eccleſiam pertinentibus, Eccleſia ipſa vacante. Id inquam non obſtat: nam multùm intereſt inter bona hæreditatis jacentis, & Eccle-
10 ſiæ vacantis; quia bona Eccleſiarum numquam vacant, ſed ſunt in dominio Chriſti, de cujus patrimonio eſſe dicuntur ut in *c. Cùm ex eo, de elect. lib. 6.* Extravag. *Salvator, in princ.* ibi, Patrimonium Crucifixi, de præben. inter communes.
11 Præterquamquod Eccleſia ipſa dicitur res ſuas poſſidere, ut not. Innocen. *in cap. Litteris*, *de reſtit. ſpoliat.* Unde meritò Hoſt. opinionem refellit Abb. *hìc n.* 19.
12 Tertiò nota, in *verſ. Licet autem*, uſum poſitionum admitti etiam in ſpiritualibus; nam hìc factæ fuerunt ſuper pluralitate beneficiorum ſecundùm Abb. *numer.* 7. *in* 8. *notab.* Nec refert quod poſitiones ſuper crimine non admittantur quia pluralitas non eſt ſemper crimen, cùm interdum nitatur diſpenſatione Apoſtolica, ut *hic* & *in c. De multa*, *in fine de præben.* cùm concordant. Quid autem ſit poſitio, unde originem duxerit, & de illius materia vide gloſſam magnam, & magiſtram in *c.* 1. & ibi per Archid. & DD. *de confeſſ. lib. 6.* & per Innoc. & Bald. *hic* Dixi latè in *c. Unico*, *infrà de lit. conteſt.*
13 Quartò nota, in *verſ. Nos igitur*. Epiſcopum non poſſe diſpenſare ut quis in titulum habeat plura beneficia curam animarum habentia, vel dignitatem cum Parochiali, concordat textus *in cap. De multa*, *in fine infrà de præbend.*
14 Et quamvis gloſſa *in d. cap. Sanctorum*, *in ver. In duabus*, 70. *diſt.* & gloſſa in Extravag. *Execrabilis*, *in ver. Diſpenſative*, teneat ob prærogativam quidem meritorum ſolum Papam poſſe diſpenſare, & ita loqui prædictam Decretalem, *De multa*. Sed ob utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ diſpenſare poſſe etiam Epiſcopum; idemque ſentiant *in d. c. De multa.* Hoſt. Petr. de Sampſ. & Abb. Antiq. & *in d. c. Sanctorum*, Archid. & Præpoſ. tamen ut notatur in eodem *c. Sanctorum*, *in fine gloſſ. præalleg.* illa gloſſa nihil valet, quia poſt Concil. generale in *d. c. De multa*, ſolus Papa diſpenſat. Et probatur evidenter in hoc *cap. Nam in verſ. Verum*, pro electo allegabatur conceſſio, ſeu diſpenſatio Epiſcopi ad plura beneficia curata; & tamen Papa non ex defectu cauſæ, ſed ex defectu poteſtatis Epiſcopi prædictam excuſationem uti frivolam non admiſit, & electionem caſſari mandavit, niſi ille oſtenderet ſecum ſuper hoc per ſedem Apoſtolicam diſpenſatum. Præterea prohi-
15 bitio obtinendi plura beneficia curata eſt Concilii Generalis, nempe concil. Lateranen. ſub Alexandro III. *in c. Quia nonnulli*, *de clericis non reſid.* & alterius Lateranen. ſub Innocentio III. *in d. c. De multa*, & Concil. Trid. *in c. 4. ſeſſ. 6.* Epiſcopi autem contra Canonem Generalis Concilii etiam ex cauſa utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ diſpenſare non poſſunt. Extravag. *ſancta Romana*, §. *Quidam autem*, *de relig. domib.* & ibi not. gloſſ. *in ver. Concilii*, *Clem. 2. de elect.* gloſſ. *in c. Cùm dilectus, in ver. In ætate*, *eod. tit.* quam ſequitur, & dicit eſſe veram Butr. *ibi n.* 13. & Abb. *n.* 10. & probavi latiſſimè *in c. fin. à num.* 11. *uſq. in fin. infrà de fil. Preſ-*
16 *byter.* cùm præſertim hoc caſu Concilia non ſimpliciter prohibeant retentionem plurium curatorum, ſed etiam dicant per ſedem Apoſtolicam diſpenſari, ut *in d. cap. De multa*. Quinimmò diſpenſationem Epiſcopi eſſe irritam ut hic, tunc enim conveniunt omnes antiqui, & moderni Doctores Epiſcopum diſpenſare non poſſe contra Canonem etiam non conciliarem, *c. Nuper*, *de ſent. excommun.* Doctores *in c. At ſi clerici*, §. *De adulteriis*, ubi in ſpecie Butr. *num.* 17. *verſ. Conclude totum*. & Abb. *num.* 5. *verſ. Si vero eſt Canon. pœnalis*, *infrà de judic.* Innocen. Hoſt. & omnes *in c. Dilectus*, & ibi dixi *de tempor. ordinat.* Ne- 17
que verò conſtituenda eſt differentia, ut dicit gloſſ. præallag. an diſpenſatio fiat ob prærogativam meritorum; an ob Eccleſiæ utilitatem. Nam diſpenſatio quæ fit propter prærogativam perſonæ, fit principaliter propter bonum publicum, & hoc dicit, *c. De multa*, *in fine*, ibi, circa litteratas perſonas, &c. Nam magis prodeſt Eccleſiæ bonus, & litteratus, quàm decem Miniſtri illiterati, ut inquit Jo. de Lignan. *in Clem. Gratiæ*, *de reſcript.* qui propterea de- 18
teſtatur prædictam diſtinctionem gloſſæ, & tenet indiſtinctè etiam propter cauſam utilem, vel neceſſariam Eccleſiæ ſolum Papam poſſe diſpenſare. Idem tenet Tancred. & 19
gloſſa *hic in ver. Per conceſſionem*, quæ concludit, *c. Sanctorum 70. diſt.* quod indulgebat Epiſcopis diſpenſationem fuiſſe correctam per Decretalem, *De multa*, prout etiam tenet Bartholom. Brixien. *in d. c. Sanctorum*, gloſſ. *in cap. Litteras*, *in ver. Vacare noſcatur*, *de conceſſ. præb.* gloſſ. *in c. Ordinarii, in ver. Sui beneficii, de offic. ordinar. lib. 6.* gloſſ. *in c. 1. in ver. Abſque diſpenſatione*, quam ibi ſequuntur Gemin. *num.* 13. & Franc. *num.* 7. *de conſuet. eod. lib.* Felin. *in c. At ſi cleric.* §. *De adulteriis*, *num.* 5. *de judic.* Mill. *in repert. verſ. Diſpenſare non poteſt legatus de latere ſuper pluralitate*. Mandoſ. *de ſignatura grat. tit. de diſpen. ad plura*, *verſ. Aut loquimur*, & Rota *deciſ.* 4. *de off. legat. in novis*, *aliàs* 286. Et eſt communis opinio, ut teſtatur Abb. *in c. Extirpandæ*, §. *Qui verò*, *num.* 38. *verſ. Primo caſu, de præben.* & Andreas Gambara *in tract. de off. & poteſt. legati de latere*, *lib.* 5. *in tit. An legatus poſſit plura beneficia uni conferre*, quam etiam ſervat curia Romana, ut Hoſtienſis fatetur, prout illum refert Abb. *d. num.* 38. *verſ. Tamen fatetur Hoſtienſis*, & *in d. c. De multa*, *num.* 19. De quo ſtylo teſtantur etiam Joan. Andr. Rebuff. & Quintin. *in d. c. De multa*, *num.* 111. & Villadiego *de legat. num.* 81. *quæſt.* 14. Nec placet diſtinctio Abbatis in *d.* §. *Qui vero*, *num.* 38. *verſ. Et pro tanto*, & Alphonſi Hojedæ *in tract. de benefic. incompatib. par. 2. c. 12. num.* 18. videlicet quod aut diſpenſatio conceditur principaliter propter prærogativam perſonarum; ſecundariò tamen propter bonum publicum ſpirituale, videlicet Eccleſiæ generalis, ut quia clericus eſt perſona litterata, vel potens, & ſecundùm ejus qualitates non poteſt commodè vivere ex redditibus unius Eccleſiæ; tamen ſi habebit duas poterit prodeſſe Eccleſiæ particulari, & generali, defendendo jura, Eccleſiæ conſulendo; & ſic principaliter fit ob reſpectum perſonæ, ut habeat redditus plurium Eccleſiarum, & hoc primo caſu ſit correctus textus *in d. c. Sanctorum*, 70. *diſt.* & habeat locum textus *in d. c. De multa*, ut non diſpenſet niſi Papa. Aut verò conceditur diſpenſatio principaliter propter utilitatem Eccleſiarum, nulla habita ratione an perſona ſit litterata, vel potens, & hoc ſecundo caſu *d. c. Sanctorum*, remaneat incorrectum, & Epiſcopus diſpenſare poſſit ſicut priùs. Hæc inquam diſtinctio non placet; conſidero enim Clericum non poſſe ſimul retinere duo beneficia Curata, quin deſinat perſonaliter reſidere, & per ſeipſum inſervire in alterutro ipſorum, cùm nemo poſſit ſeipſum dividere, & eodem tempore in duabus Parochiis corporaliter ad eſſe, & curam gerere per ſeipſum, *c. Quia nonnulli*, & *c. Relatum*, *de Cler. non reſident.* Hoſtienſ. *in c. Extirpandæ*, *num.* 15. & 16. *verſ. Et etiam eſt alia ratio*, *de præb.* & Bald. *hic num.* 38. Perſonalis autem reſidentia in 22
beneficiis curam animarum habentibus eſt ex præcepto divino, ut in decreto Concil. Trident. *cap. 1. ſeſſ.* 23. & eſt Theologorum ſententia communis, & vera, ut latiſſimè probavi *in c. Ex parte*, *il* 1. *à num.* 20. *uſque ad num.* 74. *infrà de Cler. non reſident.* Diſpenſatio verò ſuper jure divino dupliciter accipitur ſecundùm Richar. de Media Villa *in 4. ſent. diſt.* 38. *q.* 9. *art.* 1. & Card. *in c. Cùm ad monaſterium*, §. *Abbas num.* 16. *infrà de ſtatu Monach.* Uno modo prout eſt juris relaxatio, ut notatur *in* §. *Niſi rigor.* 1. *q.* 7. Et hoc modo contra jus divinum non diſpenſat Eccleſia, *c. Sunt quidam*, 25. *q.* 1. Ratio eſt ſecundùm D. Tho- 23
mam *in* 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *ad.* 3. quia ad legem divinam ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona privata ad legem publicam, cui ſubjicitur. Unde ſicut in lege humana publica non poteſt diſpenſare niſi ille, à quo lex authoritatem habet, vel is cui ipſe commiſerit: ita in præceptis juris divini,

vini, *c. In omni; de teſtib.* & notat gloſſ. *unica, in d.c. Sunt quidam*, dicens Papam diſpenſare in Evangelio, interpretando ipſum, *c. Licet, in fine de teſtib.* Quinimò Turrecr. *in eod. c. Sunt quidam, num. 2. in fine*, dicit illam gloſſam non eſſe veram. *Quia*, inquit, *interpretatio obſequitur, & obſequi debet Evangelio: aliàs non eſſet interpretatio, ſed corruptio. Interpretari quippe Evangelium ad ſenſum bonum, & Catholicum non contradicendo veritati fidei, & Scripturæ ſanctæ, hoc licet Summo Pontifici; ſed per hoc non diſpenſat in Evangelio, ut aliud dicat, quàm Dominus, & Evangelium dicit.* Hæc ille: & ſcripſi pleniùs *in c. Cùm pridem, à num. 76. uſque ad num. 86. infrà de Pact.* Unde cùm Romanus Pontifex impertitur diſpenſationem ſuper retentione duorum beneficiorum curam animarum ha-

24 bentium, & conſequenter ſuper reſidentià alterius, non diſpenſat propriè, nec jus relaxat, ſe tantummodo interpretatur jus divinum ob aliquam circumſtantiam in illo ſpeciali caſu ad perſonalem reſidentiam non obligare, ut declarat Cardin. Cajetan. *in 2. 2. q. 185. art. 5.* Soto *de juſt. & jur. lib. 10. q. 3. art. 1.* Covarr. *variar. reſol. lib. 3. c. 13. num. 9. verſ. Fateor enim.* Et eſt ex mente D. Thomæ *quodlib. 9. art. 15.* ut dixi pleniùs in *d. c. Ex parte, nu. 36.*

25 *& ſeqq.* Oportet igitur in diſpenſatione, quam concedit Papa ſuper pluralitate beneficiorum hujuſmodi talem cauſam ſubeſſe, ut jus divinum in caſu illo verè non obliget: alioquin non eſſet juris divini declaratio, ſed relaxatio; cùm de natura declarationis ſit, ut inſit legi declaratæ, & ab illa eſſentialiter non differat, ut plenè notavi in *c. fin. ſupra, de conſtit.* & ſic non eſſet diſpenſatio, ſed diſſipatio ſecundùm Joan. de Lignano *in Clem. Gratiæ de reſcr.* ubi concludit poſſe Papam diſpenſare generaliter, ut unus habeat plura curata: totum tamen, ut ipſe ait, debet referri ad cultum divinum; aliàs ſi non habita relatione ad bonum publicum, non foret diſpenſator, ſed diſſipator: & ſequitur Abb: in *d. c. Extirpandæ, §. Qui verò, n. 29. verſ. Totum tamen, & n. 46. verſ. Alia concluſio, de præb.*

26 At certum eſt jus divinum non eximere illuſtres, & litteratas perſonas à reſidentia, & muniis paſtoralibus in

27 beneficiis curatis: nam ut formaliter inquit Cajetan. in *2. 2. d. q. 185. art. 5. verſ. Ad ſecundum argumentum: Nemo illuſtrior illo qui Pòntifex aſſiſtens futurorum bonorum introivit ſemel in Sancta, qui de ſeipſo dicit: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: Non acceptet vir illuſtris Epiſcopatum, ſi non vult paſtorale officium exercere: ſibi ipſi imputet illuſtris, quis acceptavit Epiſcopatum, & exequatur quod promiſit: ſervet Deo, & Eccleſiæ fidem, turpem ſe recognoſcat, ſi nomen, potentiam, honorem, ac divitias Epiſcopi tenet in perſona ſua, officium autem alteri delegat; quoniam priora omnia ſuæ data ſunt perſonæ, ut habeat ſimul cum illis perſonale officium Epiſcopi.* Hæc ille Et hac de cauſa Concilium Tridentinum in *c. 1. ſeſſ. 23.* declarat etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales teneri ad perſonalem in ſuis Eccleſiis, vel Diœceſibus reſidentiam: & in *c. 2. ſeſſ. 7.* prohibet ne quis plures Metropolitanas, vel Cathedrales Eccleſias recipere, & ſimul retinere præſumat, quacumque dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgeat. Ergo cùm præceptum divinum æquè obſtringat ad perſonalem reſidentiam in Eccleſiis Curatis ſublimes, ac litteratas perſonas; atque alios quoſcumque; diſpenſatio Apoſtolica ad plures Curatas, & ſic ſuper reſidentia alterius, ſi inniteretur principaliter prærogativæ perſonæ, non eſſet juris divini declaratio, ptout eſſe de-

28 bet, ſed potiùs relaxatio. Quapropter cùm Summus Pontifex diſpenſat ad plura curata, primariò intueri, & contemplari debet utilitatem Eccleſiæ, & bonum commune. Et hoc innuit Decretalis *De multa, in fine*, quæ non dicit cum ſublimibus, & litteratis perſonis ſimpliciter, & abſolutè poſſe per Sedem Apoſtolicam diſpenſari; ſed addit conditionem illam, ſi ratio poſtulaverit; innuens per hoc ita demum licitam eſſe diſpenſationem, ſi principaliter id exigat Eccleſiæ utilitas; hoc enim ſemper eſſe debet principale objectum fidelis, & prudentis diſpenſatoris, ut docet S. Thomas in *1. 2. qu. 97. art. 4.* Ad hoc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 18. verſ. Quod ſi urgens, juſtaque ratio*, & major quandoque utilitas poſtulaverint cum ali-

29 quibus diſpenſandum eſſe, &c. Sic videmus in Germania cum ſublimibus perſonis non rarò diſpenſari ſuper retentione plurium Epiſcopatuum, non quidem principaliter ut ex illorum fructibus ſe alere poſſint, ſed ut Catholicam Religionem expulſis hæreſibus conſilio, opibus, authoritate ſartam tectam tueantur. Et hac ratione Princeps Elector Colonienſis ad præſens obtinet Archiepiſcopatum Coloniæ, & Epiſcopatus Leodien. Monaſterienſem, Padebornenſem, & Hildeſimenſem. Cùm Igitur Concilium generale in *d. c. De multa*, propter præceptum divini juris neceſſariò ſit intelligendum in hoc ſpeciali caſu, quando diſpenſatio ad plura curata conceditur ſublimibus, & litteratis perſonis principaliter ob utilitatem Eccleſiarum; & tamen dicat poſſe per Sedem Apoſtolicam diſpenſari; conſequens eſt, ut propter eamdem Eccleſiarum utilitatem diſpenſare non poſſint Epiſcopi: & ſic adempta illis fuerit poteſtas, quam ſuper hoc habebant à jure communi ex *d. c. Sanctorum, 70. diſt.* aliàs enim expreſſio illa de Sede Apoſtolica, niſi intelligeretur ad excluſionem Epiſcoporum, fuiſſet nugatoria, cùm de Papa nullus dubitet quin poſſet diſpenſare, prout etiam obſervat Abb. *in d. cap. Extirpandæ, §. Qui verò, num. 38. in fine.* Et per hanc conſiderationem juris divini, ad quod DD. non advertunt, puto expeditam eſſe diſpenſationem ad plura beneficia curam animarum habentia etiam principaliter propter bonum Eccleſiarum, non ad Epiſcopos, ſed ad ſolum Romanum Pontificem pertinere.

Ultimò nota, in *ver. Cùm nullus*, duos caſus, in quibus 30
de jure communi poteſt clericus obtinere duo beneficia curata. Primus eſt, cùm unum dependet ab altero, ut hìc, & in *c. Eam te, de ætat. & qualit. in d. c. Extirpandæ, §. Qui verò, de præb.* & in *c. Super eo, eod. tit. lib. 6.* ubi deciditur non eſſe neceſſariam diſpenſationem ut quis obtineat perſonatum cum cura & præbendam, cui ſit annexa Parochialis Eccleſia, cùm hoc non obviet Concilio generali,
idque ratione connexitatis, ut inquit Hoſt. *in d. c. Extir-* 31
pandæ, num. 16. Et quia ſecundùm Bald. *hic num. 34.* unum & idem videtur quod dividi non poteſt, ut *l. Si ex duobus, ff. de legat. 2.* & *l. Quidam Eulogio, C. de jur. deliberan.* Nam beneficium annexum amittit nomen beneficii, & induit naturam beneficii cui unitur, & fit illius prædium. Rota *deciſ. 370. aliàs 11. de reb. Eccleſ. non alienan. in antiquis.* Oldrad. *conſ. 257. Factum tale eſt, num. 15. verſ. Fundata igitur*, Caſſad. *deciſ. 2. num. 2. de unione.* Caputaquen. *dec. 349. par. 3.* & ideò impetrari non poteſt, Boer.
dec. 345. in princ. Card. Sereph. *deciſ. 1078. num. 6.* Ratio 32
eſt, quia non vacat per obitum obtinentis. Oldrad. *d. conſ. 257. nu. 20.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de Unione, nu. 12. & tit. de Vicariis perpetuis, n. 18.* Sarnen. *in reg. de triennali q.*
8. Rota *dec. 114. nu. 5. par. 2. diverſ.* Et inde eſt, ut de be- 33
neficiis unitis non ſolvatur annata, cùm in eis impoſſibile ſit dare vacationem, Seraphin. *deciſ. 1410. num. 18.*

Secundus caſus, in quo poteſt clericus obtinere duo be- 34
neficia curata eſt, cùm unum obtinet in titulum, & aliud in commendam. Et de hoc eſt textus expreſſus hìc in *eod. verſ. Cùm nullus*, ibi: vel unam intitulatam, & alteram commendatam haberet; concordat *c. Qui plures*, & *c. Relatio, & c. ſeqq. 21. q. 1.* Quid autem ſit titulus latè explicat gloſſ. *hic in ver. Intitulatam.* Et de his commendis habes plenam gloſſam, in *c. Nemo, in ver. Commendare*, & ibi per DD. *de elect. lib. 6.* & per Hoſt. hic, & Innoc. in *c. Si conſtiterit, infrà de accuſ.* Et de his vide quod ſcripſi in *c. 1. de Capell. Monac.*

Hodie ex decreto Concilii Tridentini in *c. 4. ſeſſ. 7.* ne- 35
mini licet plura curata, vel aliàs incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica, ſive per viam unionis ad vitam, ſeu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titu-
lo, contra formam ſacrorum Canonum, & præcipuè con- 36
tra *c. De multa, de præb.* recipere ac ſimul retinere. Et decreto *cap. 2. ejuſdem ſeſſ.* Similiter ſtatuitur, ut nemo plures Metropolitanas, ſeu Cathedrales Eccleſias in titulum, vel commendam, aut alio quovis nomine contra ſacrorum Canonum inſtituta recipere, & ſimul retinere præſumat.

Stante hoc Decreto, QUÆRO, An habenti unam Ca- 37
thedralem in titulum poſſit commendari altera.

Propoſita hac controverſia in ſacra Congregatione Concilii, aliqui ex Patribus dicebant poſſe; quia antiqui Canones permittentes ut uni poſſent duæ Eccleſiæ una in titulum, & altera in commendam conferri, *c. Qui plures, c. Relatio, & c. ſequen. 21. q. 1. c. Dudum, il 2. ubi gloſſ. in ver.*

In-

Intitulatam, in fine de elect. & notat gloſſ. in *c. Eam te, de ætat. & qualit.* non ſunt immutati per decretum Concilii in *d. cap. 2. ſeſſ. 7.* & intelligebant litteram ibi, in titulum, ſive commendam, ut nemo poſſet obtinere plures intitulatas, vel plures commendatas Eccleſias, pro quibus vide Joan. Franc. Pavinum in *tract. de offic. & poteſt Capit. Sede vacan. q. 3. par. 2. col. 4.* Alii contra aſſerebant per antiquas rationes, & Regulas, quibus cavetur neminem duabus Eccleſiis præfici poſſe, *c. Clericum, 21. q. 1. ex Concilio Chalcedonenſi c. 10. c. Clericus, ead. cauſ. & quæſt. ex Nicæno ſecundo, c. 15.* & *c. Unio, 10. q. 3. ex Toletano, 16. c. 4.* & *c. Sanctorum, 70. diſt.* & *c. Quia nonnulli, de cler. non reſident.* liberè denegari hanc commendam, eo quod ſingula Eccleſiaſtici juris officia ſingulis quibuſcumque perſonis ſint committenda, *c. Singula, 89. diſt.* Et odioſa fuit apud veteres plurium Sacerdotiorum ambitioſa cupiditas, neque ſemel in generalibus Concilii damnata, ut teſtatur Concilium Colonienſe ſub Germanno, *anno 1536. in tit. de Mun. Epiſcop. c. 32.* Nitebantur etiam verbis Concilii, in *d. c. 2* quibus expreſsè prohibetur pluralitas ſive in titulum ſit, ſive in commendam, cùm valdè cenſeatur felix, cui unam Eccleſiam benè regere contigerit. Ex quibus verbis elicitur mens Concilii volentis auferre pluralitatem, quæ per viam commendæ inoleverat. Id quod clarius probabant per textum *cap. 17. ſeſſ. 24.* quo cavetur non poſſe aliquem retinere, nec obtinere duo beneficia, quæ perſonalem reſidentiam requirant, ne unus officia ſibi vendicet plurimorum; & id habere locum non ſolùm in Cathedralibus, ſed etiam in omnibus aliis beneficiis cujuſcumque tituli, & qualitatis, etiamſi commendata exiſtant. His addebant quod conſiderando rationem finalem hujus textus, quæ eſt multiplex, juxta enumerationem, quam facit Rebuff. in *praxi in tit. de diſpenſat. ad plura per tot. fol. 280.* ita prohibita eſt pluralitas plurium titulorum, ſicut unius tituli, & unius commendæ. Præſertim cùm hodie commendæ, quæ ſunt perpetuæ, &
38 cum facultate percipiendi fructus, & eos convertendi in uſus proprios, magis participent de collatione, & vero titulo, quam de depoſito ſimplici, ut teſtatur Gomez. in
39 *reg. Idiomati, qu. 5. num. 4. & ſeqq.* ubi etiam addit commendas, quæ per Canones, & antiquos Doctores permittebantur, habuiſſe naturam depoſiti; ideòque commendatarii non faciebant fructus ſuos, ut apertè colligitur ex *Epiſtola 23. lib. 2.* D. Gregorii. Et illo tempore ſicut non fuerunt cognitæ, nec etiam fuiſſent permiſſæ commendæ noſtrorum temporum, quæ habentur pro vero titulo: & ſic reſpondebant ad *d. c. Qui plures, cum ſeq. 21. q. 1.* & ad argumenta contraria, de quibus per Staphil. *de grat. expect. form. 7. n. 4. pag. 18.* & Gomez. *in reg. de triennali qu. 5. n. 6.* & ita fuit concluſum. Hæc de commendis perpetuis.

40 An autem obtinens unam Eccleſiam Cathedralem in titulum poſſit habere aliam in commendam ad tempus, vel eſſe illius Procurator, juxta præſcriptum *c. Cum nobis olim, ſupra eod.* Arbitror poſſe, nec tali caſu diſpenſari contra decretum Concilii *d. cap. 2. ſeſſ. 7.* non enim prohiberi poteſt quod ex neceſſitate fit, & ad tempus, & non ad commodum recipientis, quod Concilium abhorret. Et ita *c. Relatio, & c. ſeqq. 21. q. 1.* remanent in ſuo robore in terminis, in quibus loquuntur, id eſt cùm quis obtinet unam Eccleſiam in titulum, & aliam in commendam ad tempus: de temporali enim commenda loquuntur prædicta jura, non autem de perpetua, ut incautè ſcripſit Navarr. *conſ. 9. incip. An diſpenſatio, num. 2. de præb.* cùm eo tempore commendæ perpetuæ non eſſent cognitæ, ut dictum eſt ſupra. Quod ergo non mutatur, &c. *l. Sancimus, C. De teſtam. l. Præcipimus, in fine C. de appellat. c. Cùm expediat, de elect. lib. 6.*

Quid in Parochialibus? Epiſcopus Palentinus conſueverat commendare Parochiales in ſua diœceſi, & cùm unam commendaſſet Rectori alterius Parochialis, dubitavit is Rector an ſibi eas retinere liceret, vel potiùs utraque privatus exiſteret juxta *c. 4. ſeſſ. 7.* Concilii Tridentini. 42

Hæc verba ſunt adnotata in libris publicis ſacræ Congregationis Concilii ad *d. c. 3. ſeſſ. 7.* manu Cardinalis Caraſæ ejuſdem Congregationis Præfecti, videlicet: Quamvis de jure communi commenda non inducat incompatibilitatem, *c. Dudum, il 2. de elect.* Ideòque ante Concilium habens beneficium curatum in commendam, poſſet aliud in titulum obtinere abſque diſpenſatione Apoſtolica, Rebuff. *de pacif. poſteſſ.* tamen ſecùs poſt Concilium *ſeſſ. 7. c. 4.* Imò commendæ ad ſex menſes in Eccleſiis curatis, quæ fieri poterant ab ordinariis, *c. Nemo, de elect. in 6.* ampliùs poſt Concilium locum non habent, cùm debeant in eis deputari Vicarii ad formam *c. 18. ſeſſ. 24.* ut ſacra Congregatio cenſuit. Unde Orator qui utrumque beneficium retinuit poſt Concilium, utroque privatus exiſtit, etiam vigore *d. cap. 4. ſeſſ. 7.* nec prætenſa conſuetudo contra dictum decretum excuſare valet. 43

Rurſus ex conſuetudine antiqua Parochiales quædam Manſionariæ Bergomen. diœceſis ab Ordinario commendari ſolebant ad ſex menſes Sacerdotibus per vicinos præſentatis. His tamen ſex menſibus elapſis numquam, vel raro Rector ipſe prorogationem, vel novam proviſionem petebat, ſed vigore primæ expeditionis ad ſui ipſius, vel hominum libitum in ipſo munere curæ perſiſtebat. Dubitatum eſt an hujuſmodi commendæ ad ſex menſes in Eccleſiis curatis amplius locum habeant poſt Concilium Tridentinum; vel potiùs ex eodem Concilio debeant deputari Vicarii amovibiles. Sacra Congregatio reſpondit locum non habere, ſed in eis ſervandam eſſe formam præſcriptam à decreto Concilii, *c. 18. ſeſſ. 24.* Si tamen vicini illi legitimè probarent jus patronatus validum, prout Concilium requirit *ſeſſ. 25. c. 9.* permittendum illis præſentare inſtituendos, prævio tamen examine ex *d. c. 18.* ſed denegandam expreſsè illis facultatem ſemel inſtitutos amovendi ad eorum nutum.

DE ELECTIONE.

Idem Innocentius III. Clericis ſanctæ Agathæ.

CAPUT XXIV.

QUerelam, quam G. tituli ſancti Vitalis presbyter Cardinalis per œconomum Eccleſiæ veſtræ, cujus idem Cardinalis eſt gubernator, contra P. presbyterum Eccleſiæ ſancti Salvatoris ſuper Eccleſia ipſa propoſuit, C. Papa prędeceſſor noſter nobis in minori officio conſtitutis, audiendam commiſit. Petebat igitur œconomus, præfatum P. ab Eccleſia ſancti Salvatoris (quam in præjudicium veſtræ Eccleſiæ, ac injuriam Cardinalis prædicti occupare præſumpſerat) removeri: cùm ipſa Eccleſia pertineat ad Eccleſiam ſanctæ Agatę pleno jure; petens penſionem ſexdecim denariorum Papien. debitam Eccleſiæ ſanctæ Agathæ, pro eadem Eccleſia de Thermis ſibi teſtitui, de novo ſubtractam. Prædictus verò P. reſpondebat, quòd ipſe nullam injuriam irrogaverat Cardinali, nec in præjudicium Eccleſiæ veſtræ receperat dictam Eccleſiam, cùm hæc ad illam nullo jure pertineat, nec aliquam ſibi debeat reddere penſionem, ſed ipſe per electionem populi, ad quem de antiqua conſuetudine pertinet electio, à Cardinali ſanctæ Suſannæ (cui eadem Eccleſia tamquam Capella ſuo titulo in

ipi-

ſpiritualibus eſt ſubjecta) canonicè fuerat inſtitutus: & infrà. Nos igitur rationibus utriuſque partis auditis, dictum P. ab impetitione œconomi veſtri ſuper electione ac inſtitutione de ſe facta in Eccleſia ſancti Salvatoris abſolvimus, & ſuper his præfato œconomo ſilentium duximus imponendum: cùm nobis conſtiterit, quòd populus in quaſi poſſeſſione præſentandi clericum exiſtebat, quando ipſum presbyterum ad illam elegit: & Eccleſia eadem ſpectat ad titulum ſanctæ Suſannæ in ſpiritualibus pleno jure, ſalva quæſtione ſuper jurepatronatus inter Eccleſiam veſtram, & populum ſæpedictæ Eccleſiæ ſancti Salvatoris. Quia verò fuit liquidè comprobatum, quòd penſio ſexdecim denariorum Papienſis monetæ, fuerit clericis Eccleſiæ veſtræ, pro Eccleſia ſancti Salvatoris de Thermis, annuatim per multa tempora perſoluta, ſed de novo ſubtracta: nos in eumdem ſtatum percipiendi hujuſmodi de Eccleſia ſancti Salvatoris de Thermis, Eccleſiam veſtram decernimus reducendam: & ad ſolutionem penſionis ſubtractæ condemnamus presbyterum antedictum; ſalva quæſtione proprietatis inter Eccleſias memoratas.

S U M M A R I U M.

1 *ELectio ſufficit probare eligentem tempore electionis poſſediſſe.*
2 *Laicus an ex conſuetudine poſſit acquirere jus eligendi etiam in Collegiata Eccleſia.*
3 *Præſentatio ut ſit valida ſufficit ut præſentans ſit in quaſi poſſeſſione præſentandi tempore præſentationis, etiamſi ſit talis, in quo cadat uſurpationis præſumptio.*
4 *Secus poſt Concilium Tridentinum, & n. ſeqq.*
5 *Juſpatronatus qualiter ex Concilio probari debeat à perſonis privatis, vel aliis, in quibus præſumitur uſurpatio.*
6 *Parochiani an poſſint præſcibere præſentationem Rectoris Parochialis Eccleſiæ.*
7 *Præſcribenti abſurdum eſt minus tribuere, quàm poſſidenti.*
8 *Parochianorum juſpatronatus an præſumatur quæſitum ex uſurpatione, ita ut in eo requiratur plenior probatio à Concilio Tridentino præſcripta.*
9 *Et quid ſi univerſitas Parochianorum ſit parva.*
10 *Et quid ſi jus patronatus ſit mixtum Parochianorum, & privatæ familiæ. & n. 20.*
11 *Et quid ſi ſpectat ad quartam partem Parochianorum tantùm.*
12 *Univerſitas an conſtituatur ex quarta Parochianorum parte.*
13 *Juriſpatronatus uſurpatio in quibus præſumatur, & num. 25.*
14 *Juſpatronatus Abbatis temporalem juriſdictionem habentis an requirat probationes, quas expoſcit Concilium Tridentinum in perſonis, in quibus cadit præſumptio uſurpationis, & numer. ſeqq. uſque in finem.*
15 *Juſpatronatus Baronum perpetuam juriſdictionem habentium probari debet juxta formam à Concilio Tridentino præſcriptam in potentibus.*
16 *Juſpatronatus competens Prælato ratione temporalis dominii, quod habet Eccleſia, cenſetur Eccleſiaſticum.*
17 *Prælatus in dubio cenſetur Eccleſiam fundaſſe, vel dotaſſe de bonis Eccleſiæ.*
18 *Uſurpationis præſumptio ceſſat ubi Eccleſia eſt patrona, & num. 25.*
19 *Juſpatronatus Eccleſiæ competens non tranſit ad conſanguineos Prælati.*
20 *Juſpatronatus non præſumitur ex uſurpatione ſi in eadem perſona concurrat qualitas potentiæ, quæ præſumptionem uſurpationis includit; & qualitas Eccleſiaſtica, quæ illam excludit.*
21 *In univerſitate Eccleſiaſtica juſpatronatus non præſumitur quæſitum ex uſurpatione.*
22 *Juſpatronatus ab Eccleſia præſcribitur per quadraginta annos: in laico requiritur immemorabilis.*
23 *Juſpatronatus transferri poteſt in Eccleſiam abſque conſenſu Epiſcopi, ſecus in laicum.*
24 *Beneficia patronatus Eccleſiaſtici pertinent ad liberam collationem Papæ in menſibus reſervatis.*
25 *Juſpatronatus de jure communi etiam in potentibus probatur per immemorabilem.*

QUerelam. Sufficit electo probare eligentem tempo- 1
re electionis jus eligendi poſſediſſe. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. Butr. Card. Anchar. & Jo. de Anan. & eſt cap. utile, & allegabile, ſecundùm Card. Dividitur in duas partes. In prima ponitur facti narratio. In ſecunda cauſæ diffinitio: ibi, *Nos igitur*, & utraque pars ſubdividitur, ut hìc per Jo. Andr.

Nota primò ibi, *ad quem de conſuetudine pertinet electio*. 2
Laicum ex conſuetudine poſſe acquirere jus eligendi: nam & jura vetera hoc eis permittebant etiam in Eccleſiis Collegiatis, *c. Petrus*, 39. *diſt. c. De Petro*, 47. *diſt. c. Studii*, 61. *diſt. c. Plebs Aſtenſis*, & *c. Reatina*, 63. *diſt.* & notat Jo Andr. in *c. Quod alicui gratioſè*, *ſub nu.* 2. *col.* 2. *verſ. Quid mirum*, *de reg. jur. lib.* 6. *in Mercur.* ſed in contrarium eſt textus in *c. Maſſana*, *infrà eod.* ubi patet jus eligendi non poſſe laicis competere etiam ſimul cùm clericis, & contrariam conſuetudinem non valere, ut ibi dixi in primò notab. & in *c. Quiſquis*, *num.* 16. *infrà eod. Solutio*, hìc loquitur de electione, quæ provenit ex jurepatronatus, ut colligitur infrà ibi, *In quaſi poſſeſſione præſentandi*: necnon ibi, *Salva quæſtione juriſpatronatus*. Talis autem electio benè cadere poteſt in laicum ex Præſcriptione, vel conſuetudine, ut in juribus præallegatis, & in *c. Nobis*, *inf. de jurepatronat.* & hìc notat gloſſa, *in ver. Conſuetudine*, quam refert, & ſequitur Federic. de Senis in *conſ.* 234. *ſuper primo puncto*, *num.* 2. Sed contra hoc videtur textus, in *c. Sacroſancta*, *infrà eod.* ubi dicitur jus eligendi non cadere in laicum, & tamen ibi agebatur de electione proveniente ex jurepatronatus. *Solutio*; Electio ibi non proveniebat ex jurepatronatus immediatè, quia laici non fundaverant, vel dotaverant: nec allegabant conſuetudinem ad probandam fundationem, vel dotationem, ſed nitebantur ceſſione patronatus Eccleſiaſtici, ſeu juris eligendi à clericis facta, quæ non valuit etiam de Diœceſani conſenſu, de quo tamen dic ut per Abb. *ibi in* 3. *notab.* vel ibi agebatur de jure eligendi Prælatum in Collegiata Eccleſia, quod non cadit in laicum, etiam ex conſuetudine, ut in *d. c. Nobis*, etiam ſit tanti temporis, cujus initii non extet memoria, ut innuit Abb. *loc. cit.* poſt Jo. Andr. quem citat, in *c.* 2. *de præb. lib.* 6.

Secundò nota ibi, *Populus in quaſi poſſeſſione præſentan-* 3
di Clericum exiſtebat. Ad validitatem electionis non eſſe opus docere de titulo, ſeu proprietate juriſpatronatus; ſed ſatis eſſe, ut præſentans tempore præſentationis exiſtat in quaſi poſſeſſione juris præſentandi, etiamſi præſentans ſit talis, in quo cadat præſumptio uſurpationis, ut hic eſt caſus expreſſus, loquitur enim hoc *c. In Populo*, ſeu Communitate, in qua juſpatronatus, plerumque ex uſurpatione quæſitum præſumi ſolet, ut notat. in *c. Dilectus*, & ibi per Butr. *in* 1. & 2. *qu. infrà de offic. legat.* & per Speculator. *in tit. de iurepatr. num.* 11. & hodie eſt expreſſum in decreto Concilii Trid. *c.* 9. *verſ. In iis verò perſonis*, *ſeſſ.* 25. ut latiùs dicetur infr. num. 8. & tamen tex. decidit pro validitate electionis, ex eo, quia populus in quaſi poſſeſſione præſentandi exiſtebat. Unde quamvis Rota in cauſa Compoſtellana Parochialis 16. *Januarii* 1595. coram Cardinali Blanchetto impreſſa apud Nicol. Garz. *de benefic. part.* 5. *c.* 5. *num.* 48. diſtinxerit, an juſpatronatus ſit perſonæ privatæ, an verò univerſitatis; ut in primo caſu ſufficiat quaſi poſſeſſio juris præſentandi ad inſtitutionem obtinendam; In ſecundo autem caſu propter ſuſpicionem uſurpationis non ſuffragetur quaſi poſſeſſio, ſed præferatur proprietas: tamen non advertit ad hoc capitulum ubi hæc diſtinctio apertè reprobatur. Nec tollit obicem ſi di-

cas

cas deciſionem Rotæ non eſſe intelligendam in terminis
4 juris communis, ſed in terminis Concilii; quoniam ſi ita intelligeretur, primum membrum diſtinctionis eſſet falſum; quia nec in perſonis privatis poſt Concilium ſufficit quaſi poſſeſſio juris preſentandi, & correctum eſt hoc capitulum, & *c. Conſultationibus*, *infrà de jurepat.* niſi quando ageretur de pertinentia juriſpatronatus inter preſenta-
5 tos, ut ibi dixi *num.* 16. Dic ergo nec in communitatibus, vel aliis, in quibus præſumitur uſurpatio, nec in privatis familiis hodie ad validitatem preſentationis, vel inſtitutionis ſufficere quaſi poſſeſſionem preſentandi, vel eligendi, ſeu nominandi; quoniam, ut colligitur ex *d. c.* 9. *ſeſſ.* 25. titulus juriſpatronatus oſtendi debet verè, vel preſumptivè. Si verè non eſt diſcrimen perſonarum, ſed ſatis eſt titulum oſtendere ex authentico documento fundationis, vel dotationis. Si verò preſumptivè diſtinguitur inter privatos & alios, in quibus viget ſuſpicio uſurpationis: nam in privatis ſufficit docere de titulo ex multiplicatis preſentationibus, que hominum memoriam excedant, vel aliàs ſecundùm juris diſpoſitionem. In aliis verò immemorabilis non ſufficit, ſed preterea probari debent authenticis ſcripturis preſentationes continuate, & effectum ſortite, non minori ſpatio, quàm quinquaginta annorum; & tàm quoad privatos, quàm quoad alios indiſtinctè reliqui patronatus abrogantur cum quaſi poſſeſſione inde ſequuta. Quare preſentatus ab eo, qui exiſtit in quaſi poſſeſſione juris preſentandi, nullatenus hodie debet admitti, niſi verificato titulo, & proprietate juriſpatronatus ad preſcriptum Concilii, ut ex ſententia S. Congregationis plenè notavi in predicta Decretali *Conſultationibus*, *in* 2. *not. de jurepatron.*

6 QUÆRO, an Parochiani poſſunt perſcribere preſentationem Rectoris Parochialis Eccleſie?

Hec queſtio difficilis eſt, & admodum controverſa diſſentientibus duobus juris Canonici illuminatoribus Ar-
7 chid. & Joan. Andr. opinio tamen favens Parochianis probatur irrefragabiliter in hac Decretali. nam ſi preſentatus à Populo jus præſentandi poſſidente debet admitti, fortius admitti debet à Populo jus patronatus præſcribente, abſurdum enim eſſet minus dare præſcribenti, quam poſſideri, atque ita per hanc, & alias fortiſſimas rationes hanc partem ſtrenuè tuetur Jo. Andr. contra Archid. magiſtrum ſuum, in *d. c. Quod alicui*, *de reg. jur. lib.* 6. ubi etiam reſpondet ad hoc *cap. in verſ. Salva quæſtione juriſpatronatus* (ex quo colligebat Archidiaconus populum non præſcripſiſſe) & refert hanc quæſtionem contigiſſe in Curia tempore Nicolai IV. contra præſentatum à populo ſanctæ Cæciliæ de Florentia, ad quem de antiqua conſuetudine præſentatio pertinebat. Nam cùm Diœceſanus noluiſſet præſentationem admittere, præſentatus ad Papam appellavit; & ſententiam favorabilem obtinuit, quæ à Papa fuit confirmata, & ibi, inſerit tenorem litterarum confirmationis, & ita pro hac opinione habemus caſum in hac decretali, & ita prædicta confirmatione Apoſtolica ſecundum Joan. Andr. quam etiam canonizavit Tridentina Synodus *in c.* 9. *verſ. In iis vero*, ubi admittit jus patronatus in Communitatibus, vel Univerſitatibus poſſe probari per immemorabilem, dummodò concurrant alia, que jure communi adducuntur à Concilio, ut in proximè ſequenti quæſtione fuſiùs patebit.

8 Secundò QUÆRO, An ad probationem juriſpatronatus, quod à Parochianis prætenditur, requiritur illa plenior, & exactior probatio, quàm Concilium Tridentinum *c.* 9. *ſeſſ.* 25. *de reform.* requirit in iis perſonis, communitatibus, & univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione quæſitum præſumi ſolet?

Die Veneris, quæ fuit 24. Septembris 1595. in Sacra Congregatione Concilii fuit diſputatum ſupraſcriptum dubium: & omnes fuere in ea ſententia, ut requiratur illa plenior, & exactior probatio, cùm de jure communi in Parochianis præſumatur uſurpatio per doctrinam Antonii de Butrio in *cap. Dilectus de offic. legat.* & per Speculator. *in tit. de jurepat.* & ita ſentit Rota coram Thoma de Thunis in *quadam Lucana*, & coram Achille. Rota nullam poſuit differentiam inter juspatronatus prætenſum à magnatibus, & prætenſum à Parochianis, ut in *deciſione Achillis* 156. & licèt ibi dicatur ſufficere immemorabilem, tamen hodie non ſufficit, niſi cum ea concurrant præſentationes continuæ non minori ſpatio, quàm quinquaginta annorum, quæ omnes affectum ſortitæ ſint, & Cardinalis Cuſanus in prædicta ſententia unà cum aliis concurrit cum illa limitatione, quando Parochiani ſint viri potentes, & talis authoritatis, ut ab eorum potentia, & authoritate preſumenda in eis ſit uſurpatio, & quòd Epiſcopi authoritas non fuerit ſufficiens ad impediendam talem uſurpationem, omnes autem alii fuere abſolutè in ſententia ut in Parochianis cadat uſurpatio abſque ulla diſtinctione. His adde Puteum *deciſ.* 57. *lib.* 1. & Ro- 9
tam *deciſ.* 154. *nu.* 7. *par.* 2. *recent.* Quod procedit etiamſi univerſitas Parochianorum ſit parva, ut per Rotam *dec.* 481. *n.* 1. *par.* 1. *recent.* ubi aliæ deciſiones referuntur.

Fallit tamen predicta concluſio in jurepatronatus mixto 10
univerſitatis, & privatorum, in quo prevalet qualitas privatę familię; & ideò ſufficit probatio ordinaria, Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 99. *n.* 15. *&* 16. *& conſ.* 654. Rota *deciſ.* 154. *n.* 7. *par.* 2. *& deciſ.* 219. *n.* 2. *p.* 1. *rec.* Caval. *deciſ.* 89. *n.* 2. & fuit deciſum in *Lauden. juriſpatronatus* 28. *Junii* 1630. coram Pirovano, & ſcripti latiſſimè in *c. Cum propter*, *in* 5. *q. à n.* 74. *uſque in fin. infrà de jure patr.*

Rurſus fallit eadem concluſio in jurepatronatus, quod 11
non ſpectat ad univerſitatem Parochianorum, ſed ad aliquam eorum partem dumtaxat, ut in infraſcripta declaratione ſacræ Congregationis videlicet in oppido Soncini extant duæ Parochiales, quarum una habet in Parochia ſua Eccleſiam ſub invocatione S. Martini, in qua adeſt Capella S. Antonii, ad quam vicini dictæ Eccleſiæ S. Martini, qui faciunt quartam partem in circa omnium Paro- 12
chianorum ſupradictæ Parochialis, habent jus preſentandi Capellanum, quæritur an dicta quarta pars Parochianorum dicatur conſtituere perſonas, aut communitatem ſeu univerſitatem, ita ut plenior, & exactior probatio ad docendum de jurepatronatus requiratur. Die 18. Julii 1602. ſacra Congregatio Concilii cenſuit hujuſmodi quartam partem Parochianorum non comprehendi *verſ. In iis vero perſonis*, *d. c.* 9. Ideòque quoad eam ſufficere probationem ordinariam, nec requiri illam exactionem, quam expoſuit Concilium in his perſonis, in quibus uſurpatio preſumitur. Idem in hac ipſa cauſa reſolvit Rota *dec.* 154. *n.* 7. *par.* 2. *rec.*

Porrò cùm in ſacra Congregatione ſepiùs fuerit diligen- 13
tiſſimè diſcuſſum quenam eſſent perſone, in quibus juſpatronatus preſumitur ex uſurpatione, ut patet in libris publicis ipſius Congregationis ad *c.* 9. *ſeſſ.* 25. tempore bon. mem. Cardinalis Caraſe, *fol.* 452. tandem fel. record. Greg. XIII. edidit Motum proprium, qui habetur *ibid. fol.* 473. *& ſeqq. ſeu poſt pag.* 472.

Tertiò QUÆRO, An in jurepatronatus Abbatis tem- 14
poralem juriſdictionem habentis requirantur ampliores ille probationes, quas expoſuit Concilium Tridentinum decreto *c.* 9. *ſeſſ.* 25. in iis perſonis, in quibus preſumitur uſurpatio?

Etſi in dominis temporalibus perpetuam juriſdictionem 15
habentibus requiratur probatio illa exactior, quam Concilium preſcribit in his perſonis, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione queſitum preſumi ſolet, Seraphin. 16
dec. 1421. *num.* 1. Rota *dec.* 219. *num.* 1. *part.* 1. *recent.* & ſepiùs cenſuit ſacra Congregatio Concilii. Hoc tamen caſu videtur reſpondendum ſufficere ordinariam probationem, que requiritur in privatis perſonis. Nam aut Abbas preſentat ratione temporalis dominii, quod habet Eccleſia Abbatialis, & Monaſterium: aut quia verè, vel juris preſumptione Eccleſias fundavit, conſtruxit, & dotavit. Primò caſu juſpatronatus eſt Eccleſiaſticum, & ad Eccleſiam ſpectat, ut tradit Gambar. *de auth. legat. de latere lib.* 3. *num.* 417. *verſ. Item quid ſi aliquis*, ubi pluribus probat, ſi quis Epiſcopus, aut Prelatus ex largitione fidelium comitatum, vel Ducatum obtineat, in quo jura temporalia exerceat, ibique ut dominus temporalis habeat juſpatronatus, id jus cenſendum eſſe Eccleſiaſticum, quia competit Epiſcopo in quantum Epiſcopo, qui cùm ſit Prelatus Eccleſie, eſt etiam adminiſtrator eorum que ſunt Eccleſie annexa. Secundò caſu ſimiliter Prelatus in 17
dubio cenſetur Eccleſiam fundaſſe, ac dotaſſe de bonis Eccleſiaſticis, ſecundùm Felin. in *c. Ex litteris*, *col.* 1. *ſub n.* 3. *de conſtit.* Ideòque non acquirit ſibi patronatum, ſed ipſi Eccleſie, per tex. *c. Apoſtolicos*, *in fin.* ubi id notat gloſſ.

gloſſ. Archid. & DD. 11. *quæſt.* 2. & pro abſoluto ſupponit Cardin. *conſ.* 122. *col.* 1. *num.* 3. *verſ. Contrarium put.*, ubi quando, inquit, Prælatus de bonis Prælaturæ conſtruit, vel dotat Eccleſiam, non ipſe Prælatus ſingulariter conſideratus, ſed ipſa Prælatura patronatum conſequitur, & Lamber. poſt alios in *tract. de Jurepatron. lib.* 1. *par.* 1. *q.*8. *art.* 7. *num.* 1. *& ſeqq. & art.* 8. *num.* 2. atque ita utroque caſu patronatus ad Eccleſiam pertinet: & revera hoc caſu id eſt abſque dubitatione, cùm Abbas præſentet tamquam Prælatus, & adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, non autem ratione familiæ, aut patrimonii, gloſſ. in *c. Dilectus*, *in ver. In conceſſione*, *de offic. legat.* & in Clem. 2. *in ver. præſentare*, *de jurepatron.* Rebuff. *de nomin. q.*8. *num.* 35.

18 Unde cùm Eccleſia ipſa ſit patrona, videtur omninò ceſſare uſurpationis præſumptio ex conſiderationibus infraſcriptis.

Primò, quia iniquum eſſet hac delicti præſumptione impetere Eccleſiam, quæ cultrix eſt juſtitiæ, & inde injuriam deducere, unde jura naſcuntur, *c. Qualiter, & quando il* 1. *de accuſat.* & notat gloſſa in *c. Mulieri, in ver. Periurii, de jurejuran.*

19 Deinde quia cùm hoc jus patronatus non tranſeat ad hæredes, & conſanguineos Prælati, *d. c. Apoſtolicos*, & tradit Abbas *in cap.* 3. *col. penult. num.* 12. *de Eccleſ. ædific.* Cardin. & alii locis citatis: Non eſt veriſimile ut Prælatus Eccleſiaſticus voluerit uni Eccleſiæ uſurpare, ut daret alteri; aut certè non viget in eo caſu tanta affectio, & cauſa motiva uſurpationis, quanta viget in patronatu laicali, & tranſitorio ad hæredes, & conſanguineos patroni, argum. *c. Pervenit*, juncta gloſſ. *in ver. Gravius*, 1. *qu.* 3.

Tertiò, hæc uſurpationis præſumptio non militat, niſi contra perſonas potentes, aut univerſitates, ut colligitur ex decreto *d. c.* 9. *ſeſſ.* 25. ibi, *in iis verò perſonis, ſeu communitatibus*. At verò hoc caſu patronatus nec perſonę competit, nec univerſitati, ſed ipſi Eccleſiæ tantùm, ut ſuperiùs diximus. Unde cùm deficiant verba Concilii, deficere etiam debet illius diſpoſitio, *l.* 4. §. *Toties*, *ff. De damn. infect. cum vulgar.* Idque eò magis, quia Concilium paulò inferiùs cùm voluit perſonas, & univerſitates Eccleſiaſticas comprehendere, illas nominatim expreſſit in verſ. *Patroni autem beneficiorum*, quare illas ſimiliter expreſſiſſet in præcedenti verſ. *In iis vero perſonis ſi comprehendere voluiſſet*, *c.* 2. §. *Sed neque*, *verſ. Unde ſi circa*, *infrà de translat. Epiſcop. l. un.* §. *Sin autem ad deficientis*, *C. de caduc. toll.* una enim pars legis declarat aliam, *l. Utrum*, *ff. De pet. hæred. cum ſimil.*

20 Quartò, Multum favet huic ſententiæ quod ſi dominus temporalis haberet jus patronatus commune cum Eccleſia, utique ob mixturam Eccleſiæ id jus non cenſeretur ex uſurpatione acquiſitum, ut jam conſ. ſacra Congregatio in *cauſæ Pampilon.* in jure patronatus mixto univerſitatis, & privatorum, & tetigi ſuprà *num.* 10. Ergo ſimiliter cùm patronatus de quo agitur, Eccleſiæ competat, etſi Prælatus Eccleſiæ, qui illius nomine præſentat, ſit etiam Dominus temporalis: tamen quia in eodem ſubjecto concurrit qualitas potentiæ, quæ præſumptionem uſurpationis inducit, & qualitas Eccleſiaſtica, quæ eamdem præſumptionem excludit, certè patronas affici non debet duriori illa probatione, quæ requiritur in potentibus; quia in hac qualitatum mixtura applicatio fieri debet illi extremo, per quod excluditur uſurpatio, cùm idem magis faveat patronatui. Feder. de Sen. *conſ.* 65. *num.* 2. Joan. de Selv. *de benef. part.* 1. *quæſt.* 3. *numer.* 4. Put. *deciſ.* 157. *lib.* 3. Covarr. *lib.* 2. *pract. quæſtion. cap.* 36. *num.* 5. *verſ. Tertiò opponitur*, & aliis rationibus, & authoritatibus adductis in deciſion. juſdem cauſæ Pampilonen. Sicut in ſimili quamvis in Univerſitate etiam parva requirantur ampliores illæ probationes, quas exigit Concilium in potentibus, Mant. *deciſ.* 253. tamen aliud eſt ſi univerſitas ſit Eccleſiaſtica, puta Collegium, ſeu Capitulum Cathedralis Eccleſiæ. Rota *dec.* 798. *nu.*4. *par.* 1. *diverſ.* 21

Quintò, Perſona Eccleſiaſtica præſcribit de jure communi juſpatronatus ſpatio annorum quadraginta, cùm tamen in laico requiratur tempus immemorabile propter illius incapacitatem, ut tradit Abb. *in cap. Cauſam*, *poſt princip. col.* 2. *de præſcript.* & latè probat Lambert. *libr.* 1. *part.* 1. *quæſt.* 10. *art.* 5. *num.* 41. *& ſub num.* 47. *verſ. Limita ſecundo*, & eodem modo cùm patronatus transfertur in Eccleſiaſticum, non requiritur Epiſcopi conſenſus, ſicuti requiritur cùm transfertur in laicum, *cap. Unic. de jurepatron. lib.* 6. Rot. *deciſion.* 404. *Fuit dubitatum*, *aliàs* 9. *de jurepatron. in novis*, & Abb. *in cap. Illud eodem titul.* ubi aſſerit id communiter teneri. Unde cùm faciliùs de jure communi acquiratur juſpatronatus ab Eccleſia, vel perſona Eccleſiaſtica, quàm à laico, non eſt abſurdum ut etiam Concilium Tridentinum quod recipit interpretationem paſſivam à jure communi, ampliores probationes exegerit in patronatu laicali potentis, quàm Prælati Eccleſiaſtici, *l.* 2. *C. De noxat. l. Juris gentium*, §. *Si pacificar*, *ff. De pactis*, *juncta l. Tranſigere*, ubi gloſſ. magna *C. de tranſact.* 22 23

Præſertim quia non eſt ita oneroſum Eccleſiæ eſſe ſub ſervitute patroni Eccleſiaſtici, ſicut laicalis: nam in Eccleſiis patronatus Eccleſiaſtici Pontifex habet liberam collationem in menſibus reſervatis. Quamvis enim nonnunquam ejuſmodi Abbatiæ commendentur Cardinalibus, qui habent indultum in omnibus menſibus, id tamen eſt per accidens, non autem ex natura hujus patronatus. Caſſad. *deciſ.* 4. *num.* 11. *de probat.* & *dec. ult. num. ult. de jurepatr.* 24

Rurſus Legatus de latere habet facultatem illiderogandi, *c. Cùm dilectus*, *de jurepatr.* & in Parochialibus patronatus Eccleſiaſtici requiritur forma examinis per concurſum à Concilio præſcripta, *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. Quæ omnia ſecùs ſe habent in beneficiis patronatus laicorum, ut notatur in *d. c. Cùm dilectus*.

Quibus accedit, quod cùm tempore Gregorii XIII. actus eſſet in ſacra Congregatione Concilii de edenda conſtitutione declaratoria perſonarum, in quibus ob ſuſpicionem uſurpationis exigitur exactior probatio à Concilio præſcripta, manu Cardinalis Carafæ eſt adnotatum, non eſſe faciendam mentionem in conſtitutione de Eccleſiaſticis, qui tamquam Eccleſiaſtici poſſident loca, ubi Eccleſia temporalem habet juriſdictionem, cùm numquam in mentem alicujus cadat, ut in his uſurpatio præſumatur, nec unquam de illis Rota locuta fuerit. 25

Ultimò, hac interpretatione minus læditur jus commune ſecundum quod ſufficit immemorabilis conſuetudo etiam in potentibus, Verall. *deciſion.* 128. quæ incipit, *Juſpatronatus in magnis Dominis*, magis favetur patronatui ob probationis facilitatem, quod magnoperè attenditur in perquirenda natura, & qualitate juriſpatronatus, ſecundùm Federic. de Senis *dict. conſil.* 65. *numer.* 2. Joan. de Selva, & Covarr. *loc. citat.* Ac demum excluditur delictum, & præſumptio iniquitatis adverſus Eccleſiam; quod conſiderat Puteus *deciſ.* 58. *Quia in cauſa*, *num.* 7. *lib.* 1. & ita cenſuit ſacra Congregatio. 26

DE

DE ELECTIONE.

Idem Innocentius III. Priori Sanct. Frigidiani G. & G. Canonicis Lucanenſibus.

CAPUT XXVII.

CUm cauſam, quæ inter Bonum presbyterum, & Brunum Canonicum ſancti Petri Lucanèn. vertitur, ſuper eo quòd dictus presbyter Bonus, à majori parte Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ (prædicto B. & quodam alio contradicentibus) in Priorem, ſicut dicitur, eſt electus, olim vobis duximus committendam: & infrà. Quamvis autem multi Priores continuè unus poſt alium, in ipſa Eccleſia per multa, & longa tempora fuerint non profeſſi: quia tamen præfatus presbyter B. non eſt profeſſus obſervantiam regularem, dubitatis (& meritò) nobis procedere inconſultis. Quia igitur non debemus attendere ſolummodo quid factum ſit, ſed potiùs quid ſit faciendum: Conſultationi veſtræ taliter reſpondemus: quòd cùm ſecundùm legem divinam non ſit in bove arandum, & aſino: nec quiſquam debeat veſtem inducere de lana linoque contextam: irritetis electionem prædictam: & compellatis præfatum presbyterum alioſque clericos non profeſſos, ut vel beati Auguſtini regulam in eadem Eccleſia conſtitutam profiteantur & ſervent, aut ipſam Eccleſiam omninò dimittant.

SUMMARIUM.

1 *ELectio de non profeſſo ad regimen Eccleſiæ regularis caſſatur conſuetudine non obſtante.*
2 *Conſuetudo longæva, licèt irrationabilis, inducit probabilem dubitationem.*
Niſi ſit contra jus naturale, vel divinum, n. 4.
3 *Sententia contra jus lata in vim conſuetudinis irrationabilis valet ipſo jure, licèt ſit retractanda.*
5 *Factum non attenditur, ſed potius quid fieri debeat.*
6 *Conſuetudo mala eſt radicitus extirpanda.*
7 *Facta contra jus habentur pro non factis, & quæ de facto proceſſerunt, de facto retractari debent.*
8 *Homines diverſæ profeſſionis non ſunt in eodem officio ſociandi, ſi aſſocientur ita, ut ſint unum corpus; ſecus ſi tamquam ſinguli, n. 10.*
9 *Deuteronomii authoritas, Non arabis in bove ſimul, & aſino, exponitur.*
11 *Ad Beneficia regularia non profeſſus aſſumi non poteſt ad Abbatiam, Prioratum, vel adminiſtrationem Eccleſiæ Regularis, & n. 34. & ad hoc requiritur expreſſa profeſſio, non ſufficit tacita, n. 13.*
Alias irrita eſt proviſio, n. 14. & 34.
Nec valet contraria conſuetudo, n. 23.
Et ordinarii inferiores non poſſunt Abbatias, & beneficia adminiſtrationem habentia conferre niſi profeſſis, n. 38.
Et in proviſionibus, quas faciunt non profeſſi, non eſt apponendum decretum. Ex nunc prout ex tunc, & poſtquam, &c. n. 39.
Et nulla eſt proviſio de dignitate regulari facta Clerico ſæculari ab Archiepiſcopo Cæſarauguſtano cum decreto, ut infra annum habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneatur, n. 40.
12 *Reges Hiſpaniarum in vim indulti Adriani VI. præſentare non poſſunt perſonas ſæculares ad præfecturas regulares.*
14 *Regularis eligi non poteſt ad Prælaturam, ſeu adminiſtrationem ſuæ, vel alterius Religionis, niſi ſit expreſsè profeſſus, aliàs irrita eſt electio, & n. 34.*
15 *Clericus ſæcularis præfici non poteſt Regularibus, ſed Regularis Clericus poteſt præfici ſæcularibus: & quæ ſit ratio differentiæ.*
16 *Regularis an poſſit fieri Canonicus in Eccleſia ſæculari.*
17 *Epiſcopus præfici poteſt regimini Eccleſiæ Regularis, licèt ſit Clericus ſæcularis, & num. ſeqq. uſque ad num. 23.*
18 *Et dicitur Epiſcopus, & Abbas, & Monachis immediatè præeſt, eoſque ad profeſſionem recipit.*
19 *Et Monachi debent illi obedientiam, quam debent Abbati.*
Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.
20 *Papa aliquando gerit perſonam Regis.*
21 *Epiſcopus ſanctior præſumitur quolibet Monacho, vel Abbate.*
22 *Et Religione debet omnibus præeminere.*
23 *Conſuetudine induci non poteſt ut Clericus ſæcularis præficiatur regimini Eccleſiæ regularis.*
24 *Habilitas non eſt præſcriptibilis.*
25 *Præſertim contra jus divinum, & rationem naturalem.*
26 *Clericus ſæcularis non poteſt eſſe Clericus in Monaſterio.*
27 *Si habeat jus in participatione ſpiritualium; ſecus ſi ſimpliciter recipiatur ad officiandum, & num. 29.*
28 *Clericus ſæcularis non poteſt eſſe Canonicus, ſeu præbendatus in Eccleſia regulari.*
30 *Et quid ſi præbendatus non faciat Collegium cum Regularibus, & n. 32.*
31 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*
33 *Regulares intrantes religionem collapſam non excuſantur à mortali culpa ſi regulam, quam profeſſi ſunt, ad unguem non ſervent.*
34 *Beneficia regularia adminiſtrationem habentia conferri non poſſunt niſi religioſis ejuſdem ordinis expreſsè profeſſis, reliqua verò conferri poſſunt etiam Clericis ſæcularibus, qui habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur.*
35 *Intellectus hujus capituli.*
36 *Tridentinum Concilium* cap. 10. ſeſſ. 24. *expenditur.*
37 *Intellectus Clement.* 1. de ſupplend. negl. Prælat.
41 *Proviſus de beneficio regulari, cujus ſtatus fuit immutatus, non tenetur habitum regularem ſuſcipere, vel profeſſionem emittere.*
42 *Beneficii regularis collatio facta ſæculari clerico tamquam de beneficio ſæculari non valet.*
43 *Conſuetudo an valeat contra jus commune.*

C*Um cauſam*. Si non profeſſus eligitur ad regimen 1
Eccleſiæ regularis, caſſatur electio, conſuetudine in contrarium non obſtante. Hoc dicit, Communis diviſio, ſecunda ibi, *quia igitur*.

Nota primò ibi, *Dubitatis & meritò*: longævam con- 2
ſuetudinem licet irrationabilem inducere probabilem dubitationem, ut hinc deducunt Hoſt. *num.* 3. *in ver. Et meritò*, Jo. Andr. *num.* 4. *in eod. ver.* Butr. *n.* 18. Card. *num.* 4. Imola *eod. num.* Anchar. *n.* 2. Abb. *n.* 3. & Jo. de Anania *nu.* 1. quod facit ad ea quæ notantur in *c. unico*, in gloſſ. *in ver. De*
cætero, de poſtulat. Prælat. lib. 6. Unde inferunt Butr. & 3
Abbas ut ſententia lata obtentu talis conſuetudinis valeat etiam contra jus, hoc eſt, non ſit nulla ipſo jure, licèt retractari debeat, ex quo cõſuetudo eſt irrationabilis. Facit

quod notat Innocent. in *c.Cum ſpecial. infra de appellat.*&
4 in *cap.P.& G. de offic.deleg.*Sed hoc videtur intelligendum
ſi irrationabilitas proveniat ex eo quod conſuetudo ſit
contra jus commune, ſeu legem poſitivam; ſecus ſi con-
tra, jus naturale, vel divinum, ut *c.fin.ſupr.de conſuetudine*,
c.Cum in Eccleſiæ, infr. de Simon.& *cap.Cum haberet, de eo
qui dux.in matrim.quam poll.per adulter.* & notat.Bart.*in l.*
2. *n.* 45. *verſ. Primo caſu, aut conſuetudo eſt contra jus natu-
rale, C.Quæ ſit longa conſuetudo.*

5 Secundò nota, in verſ. *Qui a igitur*, & ſigna litteram
contra eos, qui ad juſtificandum eorum geſta fundant ſe
in obſervantia longi temporis, dicentes quotidie factum
eſt ſic, & ſic, ſecundùm Antonium de Butr. *in* 8. *notab.* &
Abb. *nu.* 4. quia non debemus attendere ſolummodò quod
factum ſit, ſed potiùs quid faciendum, ut hìc dicitur, &
in leg. *Sed licet, ff. de offic. Præſid.* ibi, *Non tam ſpectan-
dum eſt quid Romæ factum eſt, quàm quid fieri debet*, & in
*l.penult.§.fin.ff. De juſt.& jur.*ibi, *Prætor quoque jus reddere
dicitur etiam cùm iniquè decernit, relatione ſcilicet facta
non ad id, quod Prætor ita fecit, ſed ad illud, quod Præ-
torem facere convenit.* Ad idem text. in *l. Legimus, ante
finem*, 93. *diſt.* & in *cap. Quia ingredientibus, de teſtam.*
6 neque enim exemplis, ſed legibus judicandum eſt, ut
l.Nemo, C. De ſentent. & interlocut. omn. judic. & mala
conſuetudo eſt radicitus extirpanda, *c. Conſuetudo*, 8. *diſt.*
7 Unde meritò quæ de facto proceſſerunt, de facto retracta-
ri debent, *c. Ad præſentiam, de appellat.c.*1.& ibi Joan.An-
dr.& Doctores, ut lite pendent.notatur in *l.*1.§.*Nunciatio,
ff.de novi oper.nunciat.* & in *c. Primates* in gloſſ. *in ver. Re-
tractandam* 2.q.1.& per Bald. *in l. Si pacto quo pœnam, in
princ. C.de Pact.* facit quod notatur in *c. Arguta*,2.*q*.6.& *in
c.Frater noſter*, 16. *q.* 1. facta enim contra jus habentur pro
non factis, *c.Imperiali*, 25. *q.* 2.& *l. Non dubium, C.De le-
gib.* De hoc plenè in *c.Quæ contra jus, de reg.jur.lib.*6.

8 Tertiò nota, homines diſparis profeſſionis non eſſe in
uno officio ſociandos: nam verba illa Deuteron. 22. hìc
9 poſita, videlicet, *Non arabis in bove ſimul, & aſino*, ita
exponuntur in *c. In nova*, 16. *q.* 7. vel, ut inquit Baldus
hìc in principio, in bove, & aſino, id eſt forti, & debili;
quia quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci: &
per bovem ſignificatur profeſſus, id eſt fortis; per aſinum
ſignificatur non profeſſus, & inexpertus vitæ arctioris.
Ad idem text. in *c. Presbyteros*, 16. *q.* 1. & in Clement. 1.
de elect. & notat gloſſ. *hìc in ver. Per multa*, Hoſt. *num.* 6.
in ver. Arandum, Anton. de Butr. *num.* 10. & Imol.*num.*1.
10 Qui tamen *num.* 4. hoc intelligit, & benè, ſi homines di-
ſparis profeſſionis aſſocientur ad unum officium, ita ut
ſint unum corpus; ſecus, ſi tamquam ſinguli, ut in *c.Jo-
annes, de teſtam.*ubi Clericus, & laicus aſſociantur in exe-
cutione teſtamenti, de quo ibi per Jo. And. *in* 3. *oppoſit.* &
in *c.Per tuas, de arbitr.* ubi unus Clericus, & duo laici aſ-
ſociantur in compromiſſio de cauſa ſpirituali. Rurſus hoc
intellige, ut dixi in *c.Non magnopere, ne Cler.vel Monach.
in quæſt.* An Doctor in ſæculo ſemel admiſſus in Collegium
Doctorum utriuſque Juris, ſi poſteà Religionem capacem
bonorum in communi profiteatur, ex ſui Superioris licen-
tia eidem Collegio intereſſe, & in eo ſuffragari valeat, a *n.*
3.*uſque in fin.* & præſertim *n.*26.& 27.

11 Quartò nota, non profeſſum aſſumi non poſſe ad regi-
men Eccleſiæ regularis: ut hìc, & in *c.Nemo*, 16. *q.* 1. &
in c. Pervenit, il 2. 18. *q.* 2. Idque ſive aſſumatur per viam
electionis, ut de Abbate cavetur in *c.Presbyteros*, 16. *qu.*
3.*in c.Cum ad noſtram*, & *c.Cum in magiſtrum, inf.eod.de
Abbatiſſa*, in *c.Quia ingredientibus, inf. de teſtam.*& in de-
creto Concilii Tridentini *c.*7.*ſeſſ.*25.*de regular.*Et de Prio-
re eſt caſus hìc, ſive per viam collationis, ut in Clem. *Ne
in agro, §.Sanè prioratus, de ſtat. Monach.* & Clem.*un. de
ſupplen.neglig.Prælat.*ſive per viam cujuſvis alterius provi-
ſionis: ut probatur in *c.Cùm de beneficio, de præb.lib.* 6.ubi
ſi mandatur provideri Clerico ſæculari de aliquo prioratu,
provideri non poteſt de prioratu, qui per Religioſos eſt ſo-
litus gubernari: & tenet Abb. in *d.c. Cum in magiſtrum in*
2. *notab.*

12 Unde infertur ut Reges Hiſpaniarum, quibus Adria-
nus VI. dicitur conceſſiſſe jus præſentandi in ſuis regnis
Abbates, & alios Præfectos Collegiatarum ſæcularium,
& regularium ſaltem Conſiſtorialium, præſentare non
poſſint perſonas ſæculares ad præfecturas regulares, ut
obſervat Navarr. *Comment.* 3. *regul. in princ. num.* 2. &
poſt eum Nicolaus Garzia in *tract. de benefic. part.* 7.*c.*10.
num. 14.

Ad hoc autem ut quis præfici poſſit regimini Eccleſiæ re- 13
gularis requiritur expreſſa profeſſio, nec ſufficit tacita: nam
etſi Goffredus dixerit eum, qui portavit habitum regularem
per annum, ex hoc intelligi tacitè profeſſum, juxta *cap.Ex
parte, de regul.*& valere electionem de illo, qui non eſt pro-
feſſus expreſsè, dummodò ſit profeſſus tacitè: hoc tamen
non ſervat Curia, ut hìc teſtatur Abbas Antiqu.*n.*2.ſubdens
ſe audiviſſe ob hanc cauſam fuiſſe caſſatam Lugduni ab In-
nocentio quandam electionem, & ſe credere hoc firmiter
eſſe verum, ut innuit Innocentius in illa decretali ex par-
te. *Quia*, inquit, *in profeſſione datur benedictio, & certum
quid ordinis ei confertur, ut ex forma profeſſionis habetur.*
Idem docuit Hoſtienſ.in *d.c.Cum in magiſtrum, n.*8.*in ver.
Non fuerunt, infrà eodem*, ubi ait, *non profeſſum ineligibi-
lem eſſe quantumcumque moram in monaſterio traxerit ſine
profeſſione expreſſa.* Hodie hoc expeditum in *c.Nullus, infr.
eod. lib.* 6. ubi ſtatuitur ut nullus religioſus ad Abbatiam, 14
ſeu Prælaturam ſuæ, vel alterius Religionis de cætero eli-
gatur, niſi anteà fuerit ordinem regularem expreſsè pro-
feſſus; alias irrita ſit electio. Quod capitulum extenditur
ad prioratus, & ad alias adminiſtrationes in Clement.*Ne
in agro. §.Sanè Prioratus, de ſtat. Monachor.* quo textu
corrigitur opinio Ægidii in *dict. c. Cùm in magiſtrum*, aſ-
ſerentis ad temporales adminiſtrationes poſſe aſſumi non
profeſſos, cùm illi ſint quaſi Caſtaldi: & idem dixit de
laicis; ſed utrumque reprobatur in *d.§.Sanè*, ut notat Jo.
Andr. in prædicta decretal.*Cùm in magiſtrum, num.*3.Car-
din. *ibidem num.*2.*verſ. Quæro an non profeſſus*, & Anchar.
in 2. *notab.*

Quod ſi quæras cur Clericus ſæcularis non poſſit præfi- 15
ci regularibus; & è contra regularis præfici poſſit ſæcula-
ribus, ut *c.* 1. *&* 2. 58. *diſt.* & *cap.*1. 18. *qu.* 1. ſolvit Vin-
centius hic, & poſt eum Abbas Antiquus *num.*3. Quia qui-
libet regularis eſt inſtructus in regula clericali, non è con- 16
tra, ut notatur in *c. Officii, infrà eod.* & in idem recidit
ratio quam aſſignat gloſſ.additionalis in *c.Cùm ad noſtram
in verſ. Monachus, infrà eod. Quia*, inquit, *Monachus
clericus eſt, ſed non convertitur: propterea quilibet Mona-
chus in clericali officio videtur inſtructus, ſed clericus ſæcu-
laris non in monachali.* Sed hodie an hoc ſit verum, ut
ſcilicet regularis ſit capax beneficii ſæcularis, dixi in *cap.
Quod Dei timorem, infr. de ſtatu Monach.*ubi plenè videas.
Hoſt. *hìc nu.* 7. tenet regularem non poſſe fieri Canonicum
in Eccleſia ſæculari, arg.*c.ultimi, de relig. domib.* nec ob-
ſtare *c. Ad audientiam, infr. de Eccleſ. ædific.*quia continet
indulgentiam ſpecialem. Facit ſecundùm eum quod nota-
tur in *c.In Eccleſia, de inſtitut.*

Regula ſuperiùs firmata *num.*11. fallit in Epiſcopo, qui 17
poteſt præfici regimini Eccleſiæ regularis, licèt ſit Cleri-
cus ſæcularis, ut patet in *c.Cauſam quæ, infrà de Judic.* & *in
cap.*1.*Ne ſede vacante*, ubi Epiſcopus erat ſæcularis, licèt 18
uterque locus eſſet regularis. Idemque videmus in Eccle-
ſiis Pampilonen. Vintonien.& in aliis compluribus, in qui-
bus ratione Epiſcopalis ordinis, & officii eſt Epiſcopus,
ſed Abbas dicitur; tum quia Monachis immediatè præeſt,
& ab eis eligitur, & Monachos ad profeſſionem recipit,
quod eſt Abbatis, ut in Authen. *de Sanctiſſ. Epiſcop.§.Ju-
bemus, c.Porrectum*, & *cap. Ad Apoſtolicam, de Regular.*
tum quia Monachi debent illi obedientiam, quam debent
Abbati, *c.Non dicatis*, 12.*quæſt.* 2. unus enim quandoque 19
gerit perſonam duorum ratione diverſi officii quod exer-
cet: ſicut Papa, qui aliquando gerit perſonam regis, ut *c.
Licèt, de foro competent.* ita Bernardus Compoſtellanus *hìc* 20
num. 1. nec ſecundùm eum obſtat hæc decretalis, & alia ju-
ra, quæ dicunt ſæcularem, ſive non profeſſum non poſſe in
Abbatem aſſumi; quoniam hoc contingit propter excellen-
tiam, & utilitatem dignitatis Epiſcopalis, *c. Ante omnia*, 40.
diſt. cùm enim Epiſcopus non ſolùm Monachis, quibus im-
mediatè præeſt, *c.Pervenit*, 16. *quæſt.*1. *c. Abbas, & qua-
tuor cap.ſeqq.* 18.*q.*2. Sed etiam omnibus aliis ſuæ civitatis,
& diœceſis ſit valdè utilis; propter hoc, & quia Epiſco-
pus ſanctior præſumitur quolibet Monacho, vel Abbate,
Sancti Patres approbaverunt ut ſæcularis Epiſcopus præ-
eſſet monachus immediatè, ſi ad utrumque officium
idoneus inveniretur. Idem firmant Abbas Antiquus *hìc*

num.

num. 4. & 5. dicens hoc eſſe ſpeciale in Epiſcopo; quia cùm præeſſe debeat & ſæcularibus, & regularibus; pro-
22 pterea hoc fuit toleratum in eo; & quia religione debet omnibus præminere, ut *cap. Ex multa*, *in princ. infrà de voto*. Hodie hæc fallentia eſt approbata in *c. Nullus*, *verſ. ad dignitatem*, & ibi notat gloſſ. fin. & Doctores *infrà eodem lib. 6.* Abbas Siculus *hic n. 6.* & alii communiter.

23 Quintò nota, ut Clericus ſæcularis aſſumatur ad regimen Eccleſiæ regularis, non poſſe induci conſuetudine, ut hic eſt caſus; quia eſt irrationabilis, ſeu contra bonos mores, & contra jus, ut *c. Nemo*, & *c. Presbyteros*, 16. *q.* 1. *c. Pervenit*, *il* 2. *c. Abbatem*, & *cap. Quam ſit*, 18. *quæſt.* 2. & ideò non obſervanda, *c. Ila*, 12. *diſtinct.* & *cap. Cum venerabilis*, *ſupr. de conſuetud.* & hinc notant gloſſ. *In ver. irritetis*, Innocen. *in princ.* Hoſtienſ. *n.* 1. Butr. *n.* 7. *in* 6. *notab.* Cardin. *n.* 2. *in* 2. *notab.* & Abbas *n.* 6. *verſ. Et nota quod non poteſt ex conſuetudine introduci.*

24 Sextò nota, habilitatem non poſſe præſcribi, id eſt, ut inhabilis ad aliquod officium reddatur habilis propter longævam conſuetudinem, ſeu diuturnam obſervantiam, ut
25 hic per Anchar. *n.* 4. & Joan. de Anan. *n.* 2. præſertim ſi inhabilitas ſit contra legem divinam, & rationem naturalem, ſecundùm Abbatem *n.* 6.

26 Septimò nota ibi, *alioſque clericos non profeſſos*, nullum clericum ſæcularem poſſe eſſe clericum, in monaſterio, ſecundùm Innocentium *num.* 2. *in ver. Dimittant*, Baldum *eodem num.* & Butr. *num.* 13. *in* 11. *notab.* quod tamen li-
27 mitat, & intelligit Innocentius verum eſſe ſi habeat jus in participatione ſpiritualium, ſicut eſt habere vocem in ele-
28 ctione Prioris, & hujuſmodi. Unde infert Hoſtien. *num.* 7. ut ſæcularis non poſſit eſſe Canonicus in Eccleſia regulari, quia nec præbendarius, ut in *c. Ea quæ*, *§. Præcipimus*, *infr. de ſtat. monach.* & notatur in *cap. Deus qui*, *de vita*, *& honeſt. cleric.* & nota hujuſmodi clericos eſſe cogendos aut profeſſionem emittere (intellige ſi hoc placeat Monaſterio, ſecundùm Innocentium *num.* 1. *in ver. Profiteantur*, ad hoc *cap. Ad Apoſtolicam*, *infrà de regular.*) aut monaſterium dimittere, ut hic dicitur in fine. Quod ſimiliter intellige quando lapſus eſt annus, & non eſt facta profeſſio, ut in Clem. *Eos*, *de regular.* ſecundùm Imolam *hic num.* 3. Ad hoc Concilium Tridentinum in *cap.* 16. *verſ. Finito tempore novitiatus*, *ſeſſ.* 25. *de regular.* ſecus
29 autem eſt ſi tales clerici jus non habeant in participatione ſpiritualium, ſed ſimpliciter recipiantur ad officiandum; hoc enim non prohibetur, ut ex mente Innocentii declarat Baldus *hic num.* 2. per tex. *in d. §. Præcipimus*; qui-
30 nimò tenuit ibi Hoſtien. ſæculares clericos poſſe eſſe præbendatos in Eccleſia regulari, dummodò non faciant Collegium cum regularibus. Huic autem limitationi non vi-
31 detur adverſari decretum Concilii Tridentini in *cap.* 10. *ſeſſ.* 14. nam etſi generaliter, & indefinitè prohibeat non profeſſos habere beneficia regularia, ut inferius patebit: tamen hoc ipſum prohibebat jus commune, ut hic probatur, & in *c. Cum de beneficio*, *de præb. lib.* 6. Unde ſicut prohibitio juris communis non obſtat quin Clericus ſæcularis poſſit eſſe præbendatus in Eccleſia regulari, ſi nullum habeat jus in participatione ſpiritualium, & non faciat collegium cum Regularibus, juxta limitationem Innocentii, & Hoſtien. ita nec videtur obſtare prohibitio Concilii. Quandoquidem lex nova diſponens in materia antiqua, ſicuti facit Concilium, recipere debet omnes limitationes & reſtrictiones, quas materia ab antiquis legibus recipiebat, *l. In contractibus*, *§. Præterea*, *Cod. De non num. pecun.* adeò ut perindè ſit ac ſi limitationes, & reſtrictiones hujuſmodi eſſent deſcriptæ, incluſæ, & incorporatæ in Concilio, ut notat Bart. *in l.* 1. *§. Lex Falcidia*, *ff. Ad legem Falcidiam*, plenè Angelus Aretin. *conſ.* 36. *Videtur*, *num.* 18. Et eò magis quia Concilium in *d. c.* 10. in ſua prohibitione utitur eadem ratione ex Deuteronomio deſumpta, qua utitur textus noſter, videlicet ne induant veſtem lino lanaque contextam: quæ ratio importat, ut homines diverſæ profeſſionis in eodem officio collegialiter ſociari non debeant, ut oſtenſum eſt ſuprà *in* 3. *notab. num.* 8. & 10. & ſic ut jus non habeant in participatione ſpiritualium, juxta limitationem Innocentii, & ampliationem
32 Hoſtienſis. Cæterùm in hoc non audeo quidquam firmare, tum quia nil reperio deciſum; tum quia contra opinionem Hoſt. quòd Clerici ſæculares, dummodò non faciant Collegium cum Regularibus, poſſint eſſe præbendati in Eccleſia Regulari, tenuit Anton. de Butr. in *d. c. Ea quæ*, *§. Præcipimus*, *de ſtatu Monach.* & oppoſitum videtur innuere ille textus ſecundùm Abb. *hic num.* 6. *verſ. Et optimè facit*, qui etiam ponderat ver. *Omnino*, hic poſitum, quod videtur inſinuare, ut in nullo caſu non profeſſi poſſint eſſe præbendati in Regulari Eccleſia.

Octavò nota diligenter illam copulam, *& ſervent*; *Nam* 33
ut formaliter inquit Anton. de Butrio *nu.* 14. *non excuſantur intrantes Regulam collapſam, ſe ipſam profitentur, licèt tempore quo profitentur non ſit ibi obſervantia, ſi regulam ad unguem non ſervent; & ſic videtur quod omnes Monachi hodie vadant ad domum diaboli.* Hæc ille: & ſequitur Jo. de Anan. *n.* 4. dicens: *Nota textum, & ſervent regulam. qui probat quod non excuſatur ille, qui intrat Religionem collapſam, in qua regula non ſervatur ad unguem, ſi illam profitetur; & ſic videtur ſecundùm Dominum Antonium quod hodie omnes Monachi vadant ad domum diaboli.* De hac materia ſcripſi plenè in *c. Recolentes*, *in* 1. *notab. inf. de ſtatu Monach.*

Ultimò nota, & numquam obliviſcaris differentiam 34
inter Abbatias, Prioratus, & alia beneficia regularia adminiſtrationem habentia, & inter beneficia ſimplicia, cujuſmodi ſunt Præbendæ, Portiones Monachales, & alia id genus: nam ad præfecturas regulares aſſumi non poſſunt, niſi Religioſi actualiter expreſsè profeſſi, ut oſtenſum eſt ſupra in 4. *notab.* alioquin ipſo jure irrita eſt electio, ut probatur in *c. Officii*, ibi, *Irritam eſſe decrevimus, & inanem*, & in *c. Cùm in magiſtrum*, ibi, *ad amotionem eorum*, *infrà eod.* & hodie eſt expeditum in *c. Nullus*, *infrà eod. lib.* 6. ut per Jo. Andr. *hic num.* 4. *in verſ. Irritetis*. Bald. *in princip.* Card. *num.* 2. *in* 3. *notab.* Anchar. *num.* 1. & Abb. *num.* 6. At verò ad obtinenda beneficia ſimplicia non requiritur actualis profeſſio, imò nec habitus regularis; ſed ſatis eſt ut beneficia hujuſmodi conferantur Clericis ſæcularibus, qui habitum illius Ordinis ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur. Quæ differentia ſatis probatur hìc: nam in 35
priori parte, ubi agitur de electione Presbyteri ſæcularis in priorem monaſterii, textus dicit, *electionem irritetis*, id eſt, *irritam nuntietis*, prout exponit gloſſ. in *c. Cùm ad noſtram*, *in ver. Irritare*, *inf. eodem*, & tenet hìc Innocentius *num.* 1. *in ver. Irritetis*, Hoſt. *num.* 8. *in eodem ver.* & Butr. *in* 7. *notab.* Sed in poſteriori parte, ubi agitur de aliis Clericis, textus utitur illis verbis: *B. Auguſtini regulam profiteantur, & ſervent, aut ipſam Eccleſiam omninò dimittant.* Nec obſtat, quòd littera promiſcuè, & ſub unica determinatione agat de Presbytero, qui fuerat electus in Priorem, & de aliis Clericis. Quoniam non agit de Presbytero tamquam Priore, cùm ejus electio jam eſſet caſſata; ſed de Presbytero tamquam Clerico, ut innuit illa dictio, *alios*, quæ eſt repetitiva ſimilium, gloſ. & DD. in *c. Sedes*, *de reſcr.* Unde ſenſus eſt, ut ſi prædictus Presbyter unà cum aliis Clericis velit remanere in monaſterio, non uti Prior, ſed ut Canonicus, ſeu Præbendatus (nam de Canonicis Regularibus loquitur hoc Capitulum ſecundùm Baldum, in princip.) tunc tàm ipſe, quàm alii Canonici compellantur aut profeſſionem emittere, aut Eccleſiam, ſeu monaſterium dimittere; & ſic illa clauſula utrumque determinabile uniformiter determinat, juxt. reg. *l. Jam hoc jure*, *§. fin. ff. de vulg. & pupill.* & *l. fin. C. de ſent. cum ſimil.* Sed quatenus differentia hujuſmodi non probaretur hìc, eò quòd electio in Priorem de Presbytero ſæculari ſecundùm hæc tempora, non eſſet irrita, ſed irritanda, ſecundùm alium intellectum gloſ. in *c. Nullus*, *in ver. Irritum*, *inf. eod. lib.* 6. Card. *hic n.* 5. Imol. *n.* 2. adhuc tamen hodie in ſe vera eſt; quia per jura ſexti electio de non profeſſo ad præfecturam regularem eſt irrita ipſo jure, ut in *d. c. Nullus*. Sed quoad beneficia inferiora ſtat jus vetus, cùm non reperiatur immutatum, *l. Sancimus*, *C. de teſtam.* *l. Præcipimus*, *in fin. C. de appellat. cum ſimilib.* & idcircò ſatis eſt, ut poſtea profeſſionem emittant, & ſufficit tacita, ut innuit gloſſ. in prædictis Decretal. *Nullus*, *in ver. Expreſsè*, & in hoc caſu ſalvatur opinio Goffred. de qua ſuprà in 4. *notab.*

Hanc differentiam tacitè approbavit Tridentina Sy- 36
nodus in *dict. cap.* 10. *ſeſſ.* 14. dum ſtatuit *ut regularia beneficia in titulum Regularibus profeſſis provideri conſueta, cùm per obitum, aut reſignationem, aut aliàs illa in titulum obtinentes vacare contigerit, Religioſis tantum illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino ſuſcipere, & pro-*

*feſſionem emittere teneantur , & non aliis , ne veſtem li-
no , lanaque contextam induant , conferantur .* Etenim
cùm decretum hoc ſit alternativè conceptum, alternativa
illa non deſignat electionem : ita ut ſit in optione collato-
ris regularia beneficia conferre vel Religoſis profeſſis, vel
profiteri debentibus : ſed accipienda eſt diſtributivè, &
primum membrum referri debet ad Abbatias, Prioratus,
& Præfecturas, de quibus provideri non poteſt niſi Reli-
gioſis ejuſdem Ordinis expreſsè profeſſis, ut hìc, & in
concordan.ſupra citat.Et in hoc primo membro concordat
aliud Concilii decretum *c. 21. ſeſſ. 25. de regulari.* ibi
Quæ vero impoſterum vacabunt (id eſt, Abbatiæ, Priora-
tus , & Præpoſituræ quæ ſuos Conventus habent (*non
niſi Regularibus ſpectatæ virtutis, & ſanctitatis conferan-
tur* . Licèt ibi Concilium nihil præcipiat, ſed utatur verbo
confidit , quod verbum comprehendit etiam verſ. *Quæ ve-
ro*, ut ſacra Congregatio declaravit, quæ propterea cenſuit
etiam eo decreto non prohiberi, ne detur de commenda in
commendam.

Secundum verò membrum alternativè referri debet ad
beneficia adminiſtrationem non habentia, quæ conferri
poſſunt etiam non profeſſis, qui tamen habitum ejuſdem
Ordinis ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur;
& in his alternativa vel retinet propriam naturam, quia
electionem deſignat, ut in *c. Cùm plures*, & ibi gloſſ. in
ver.Forma , de officio delegat. lib.6. & plenè notatur in
37 *cap. Inter cæteras , ſuprà de reſcript.* Neque obſtat Cle-
ment. 1. *de ſupplend. negligent. Prælat.* quia cautum eſt ut
Prioratus, Eccleſiæ adminiſtrationes, & quævis alia be-
neficia, quæ Religioſis committi ſunt ſolita vel conferri,
Religioſis ejuſdem Ordinis conferantur . Siquidem vel
dictio *alia*, referri debet ad conſimilia beneficia, & ſic ad
Abbatias, Præfecturas, & officia, de quibus loquitur *cap.
Cùm ſingula , §. Prohibemus , de præben.lib.6.* ut ſic recipiat
interpretationem paſſivam ab hac decretali, juxta tex. in
*l. 2. C. de noxal. & jurium correctio evitetur , c.Cùm expe-
diat , de elect. eodem lib.* Vel certè ſi referenda ſit etiam ad
beneficia ſimplicia, ſtandum erit decreto Concilii Tri-
dentini tamquam poſteriori, ex cujus diſpoſitione non re-
quiritur in his beneficiis actualis profeſſio, ſed ſufficit ap-
titudo.

38 Quam diſtinctionem probavit etiam Sacra Congrega-
tio ejuſdem Concilii interpres: nam propoſito dubio, an
præter Papam ordinarii Collatores poſſint regularia bene-
ficia in titulum Regularibus profeſſis provideri conſueta
conferre etiam ſæcularibus, qui illius Ordinis habitum
omninò ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur.
Die 12. Decembris 1585. Sacra Congregatio cenſuit poſ-
ſet etiam ordinarios collatores portiones monachales, &
Canonicales, & ſimilia ſimplicia beneficia Regularibus
provideri conſueta conferre , nedum ejus Ordinis pro-
feſſis, ſed & ſæcularibus, qui habitum ſuſcipere; & pro-
feſſionem emittere omninò teneantur. Abbatias tamen,
& beneficia adminiſtrationem habentia non niſi profeſſis
juxta Canones per Ordinarios inferiores conferri poſſe,
39 Item cenſuit in proviſionibus beneficiorum, quas Ordi-
narii inferiores faciunt non profeſſis, non eſſe apponen-
dum decretum, *ex nunc prout ex tunc, & poſtquam*, &c.
in ſolis proviſionibus Apoſtolicis apponi conſuetum; ſed
proviſiones faciendas eſſe purè, & ſimpliciter ad formam
Concilii *cap.10.ſeſſ.* 14. adeò ut habitum ſuſcipere, & pro-
feſſionem emittere omninò teneantur. Ideòque in Cæſa- 40
rauguſtana Sacra Congregatio cenſuit non ſuſtineri pro-
viſionem Archiepiſcopi de dignitate Regulari factam Cle-
rico ſæculari, cum decreto ut infra annum habitum om-
ninò ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneatur. Am- 41
pliùs die 6. Julii 1600. Sacra Congregatio cenſuit ſi be-
neficium ſit ſæculare, nihil ſubeſſe difficultatis ut provi-
ſus non teneatur habitum Relſgionis ſuſcipere, & profi-
teri. Quod ſi à principio fuerit regulare, & poſtea im-
mutaverit ſtatum concurrentibus his, quæ à jure commu-
ni requiruntur ad inducendam hujuſmodi mutationem :
itidem cogi oratorem non poſſe ut habitùm Religionis aſ-
ſumat, in *c. Profiteatur* . Quòd ſi beneficium regulare ſit, 42
taleque permaneat, collationem oratori, qui ſæcularis eſt,
tamquam de ſæculari factam viribus carere.

In gloſſ. in ver. *Irritetis* , nota hanc gloſſam, quæ ſentit
non valere conſuetudinem contra jus commune, move- 43
tur per text. hìc in ver. *Permulta*, & longa tempora, ut
in verſ. *Quia igitur :* item per, *c. Ad noſtram, c. Cùm in-
ter* , & *c.Cum venerabilis , ſuprà de conſuetud.* ubi conſue-
tudinis, uſuſque longævi dicitur non eſſe vilis authoritas;
ſed non uſque adeò, ut aut rationem vincat, aut legem.
Sed contra ſignatur textus in *l. De quibus , in fin.ff. De legi-
bus* , ubi habetur receptum eſſe ut leges non ſolùm ſuffra-
gio legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per
deſuetudinem abrogentur. Doctores magnoperè torquen-
tur in conciliatione prædictarum legum ; & ſeptem opi-
niones recenſet gloſſa magna in *d.l.*2. Tu dic breviter,con-
ſuetudinem contra jus commune validam eſſe ſi ſit ratio-
nabilis, & legitimè præſcripta, ut in *c. fin.cum ibi notatis
de conſuetudine*, & hìc notat Imola, *num.* 4. *gloſſ.* 2. ita
ut ſi ſit generalis, vincat legem generaliter, ut in *d.l.De
quibus ;* ſi ſit ſpecialis, ſeu localis, vincat eam ſpecialiter in
eo loco, ut in *d. l.* 2. *in princ.* ſecundùm unam lecturam ,
& *l.Venditor, §.Si conſtat , ff.Comm.prædior.l.Sine hærede ,
§.Laicus ,ff. De adminiſtrat.tutor. & l. Imperator , in fin. ff.
De pollicitat.* non autem generaliter in omni loco,ut in *fin.
d.l.* 2. juxta unam lecturam, quam dicit veram Bart. ibi in
fin. niſi lex procedat ulteriùs reprobando conſuetudinem,
ut *l.Eos , §.penult.C.De uſur.* Auth.*Caſſa, C.De ſacroſ.Ec-
cleſ.* Auth.*Navigia, C.De furt.* & Auth.*Omnes peregrini , C.
Comm.de ſucceſſ.* & in hoc caſu poteſt intelligi hoc *c.& cap.
Ad noſtram , & c. Cùm inter , de conſuetud.* & hæc in effe-
ctu fuit opinio Joannis, Azonis, Gloſſæ, & Bartoli in *d. l.*
2.Poteſt enim dici in caſu hujus Decretalis conſuetudinem
non ſolùm eſſe contra jus, ſed etiam contra bonos mores,
& propterea non valere, ut *c. Illa* , 12. *diſt. & dict.c.Cùm
venerabilis, de conſuetud.* & fuſiùs dictum eſt ſuprà in 5. no-
tab. quando autem dicatur conſuetudo rationabilis, & le-
gitimè præſcripta dixi in *cap.1.num.*13.& 17. infrà de Co-
gnat. ſpiritual.

DE ELECTIONE.

Idem Innocentius III. Epiſcopo Florentino;

CAPUT XXXI.

CUm Eccleſia Vulterana debito Canonicorum obſequio longo fuiſſet tempore deſtituta, Vulteranus Epiſcopus volens miniſtrorum defectum in eadem Eccleſia reſtaurare, Canonicos quoſdam elegit, & inſtituit in eadem: quos Canonici recipere noluerunt. aſſerentes quòd talis electio fuerat in eorum præjudicium attentata: & infrà. Mandamus, quatenus ſuper primo articulo petitionis Epiſcopi, in quo poſtulavit à te, ut Canonicos ab injuria, quam ei ſuper electione Canonicorum Vulteranen. Eccleſiæ inferunt, prohiberes, ab impetitione ipſius dictos Canonicos abſolvere non poſtponas: quia non videtur injuriam facere, qui utitur jure ſuo; cùm per teſtes longè melius ſit probatum, quòd Canonici ſupradicti, hoc jure uſi fuerint antequam Epiſcopus memoratus. In ſecundo quoque articulo, quo idem petebat Epiſcopus, ut dicti Canoni-

ci

ci ipſum jure electionis uti liberè paterentur, abſolvere ſtudeas Canonicos ſæpedictos, maximè ſi ſit notorium; quòd in Tuſcia generalis conſuetudo ſervetur, ut in Cathedralibus Eccleſiis ſolum Capitulum, irrequiſito Epiſcopo eligendi Canonicos habeat facultatem.

SUMMARIUM.

1 *Electio Canonicorum de conſuetudine poteſt ad ſolum Capitulum pertinere.*

2 *Collatio Canonicatuum, & præbendarum in Cathedrali Eccleſia ad quem ſpectet de jure communi, & num. ſeqq.*

3 *Præbendarum collatio de generali conſuetudine ſpectat ad Epiſcopum ſolum ſine conſenſu Capituli.*

4 *Prælatus ſolus dicitur habere jus conferendi, licèt de conſenſu alterius conferre debeat.*

5 *Conferre aliud eſt, aliud conferenti conſentire.*
Collationem habens de conſenſu alterius dicitur habere liberam collationem, ibid.

6 *Expectativa ad beneficium ſpectans ad collationem Epiſcopi, & Capituli non includit beneficium ad collationem Epiſcopi cum Capituli conſenſu.*

7 *Collatio præbendæ facta ſine conſenſu Capituli an ſit nulla; & n. 9.*

8 *Et an tertius poſſit hanc nullitatem opponere, aut judex allegationem ſupplere.*

9 *Conferre habens de Capituli conſenſu habere debet conſenſum ſaltem majoris partis; aliàs nulla eſt collatio.*

10 *Collatio beneficiorum requirit conſilium, vel conſenſum illius, cujus principaliter intereſt.*

11 *Collatio Prebendarum in Cathedrali de jure eſt ſimultanea inter Epiſcopum, & Capitulum ſecundùm communem opinionem, quam ſervat Rota, & num. 13.*

12 *Cardinalis dum allegatur ab Henrico Boich, & Bellamera, intelligitur Jo. Monachus, non autem Zabarella, qui fuit illius poſterior.*

13 *Præbenda in dubio præſumuntur erectæ de bonis communibus Eccleſiæ.*

14 *Congregationis Concilii Deciſio de collatione ſimultanea incautè à quibuſdam refertur.*

15 *Pœnitentiarii electio ad ſolum Epiſcopum pertinet; collatio verò præbendæ fieri debet ab eo, ad quem anteà ſpectabat.*

16 *Intellectus c.* Poſtulatis, de conceſſ. præb.

17 *Canonicorum receptio in Cathedrali Eccleſia pertinet ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum.*

18 *Dignitatem collatio in Cathedrali Eccleſia an ſit ſimultanea, & n. ſeqq.*

19 *Dignitas, & jura Eccleſiæ poſſidentur pariter per Epiſcopum, & Capitulum.*

20 *Præſentationes de jure communi ſpectant ad Prælatum, & Capitulum ſimul.*

21 *Pœnitentiarii præſentatio, ſicut & collatio fieri poteſt eis, ad quos ſpectabat ante Concilium Tridentinum, dummodo fiat delecto ab Epiſcopo.*

22 *Præbendarum collatio in Collegiata Eccleſia ad quem ſpectet de jure communi.*

23 *Monachorum creatio de jure communi ſpectat ad Abbatem, & Conventum.*

24 *Abbas & Conventus unum corpus conſtituunt.*

25 *Conſuetudo in electionibus, & beneficiorum collationibus ſpectanda eſt.*

26 *Sive collationem det ſoli Prælato, ſive ſoli Capitulo, ſive alteri eorum de conſenſu, vel conſilio alterius.*

27 *Dummodò tamen ſit legitimè præſcripta.*

28 *Conſuetudo circa ſimultaneam collationem Epiſcopi, & Capituli eſt juris communis obſervantia.*

29 *Privilegium quod habet Epiſcopus, vel Capitulum, ut alter eorum ſine altero poſſit conferre, ſervandum eſt.*

30 *Et quid in fundatione Eccleſiæ.*

31 *Inſtitutio in beneficiis Juriſpatronatus, quæ poſt Concilium Tridentinum acquiruntur, reſervari non poteſt alteri, quàm Epiſcopo.*

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

32 *Etiam in Eccleſiis exemptis, niſi Rector ordinaria fungeretur juriſdictione.*

33 *Inſtitutiones, quæ ante Concilium ex immemorabili ad inferiores ſpectabant, an ſint ſublatæ.*

34 *Præſentatio in Canonicatibus, & Præbendis de Jurepatronatus ſpectat ad patronum, & Inſtitutio ad Epiſcopum cum conſenſu, vel conſilio Capituli.*

35 *Juſpatronatus acquiritur ex fundatione, vel dotatione etiam ſine expreſſa reſervatione, dummodo patronatui non fuerit renuntiatum.*

36 *Collatio inferiorum beneficiorum in Cathedrali fieri poteſt ab Epiſcopo ſine conſenſu, vel conſilio Capituli.*

37 *Vicarii perpetui in Eccleſiis Cathedralibus ſunt ad præſentationem Capituli, & inſtitutionem Epiſcopi.*

38 *Et quid in undecim Vicariis à S. Pio V. inſtitutis in totidem Urbis Baſilicis.*

39 *Electio Prælati in Cathedrali Collegiata, vel Conventuali Eccleſia de jure communi pertinet ad Capitulum, Collegium, vel Conventum.*

40 *Confirmatio verò ad proximum Superiorem.*

41 *Collatio beneficiorum ſonantium in nomen Rectoriæ ſpectat ad Epiſcopum cum Capituli conſilio ſi majora ſint; ſi minora ad Epiſcopum ſolum.*

CUm *Eccleſia*. De conſuetudine poteſt Canonicorum electio ad ſolum Capitulum pertinere. Hoc dicit. Secundùm Joan. Andr. & omnes, & concordat. *cap. unic. §. fin. Ne Sede vacant. lib. 6.* Communis diviſio, Conſultatio, & Reſponſio. Secunda ibi, *Mandamus*. 1

QUÆRO, Ad quem de jure communi ſpectet collatio Canonicatuum, & Præbendarum in Cathedrali Eccleſia. 2

In hoc articulo quatuor ſunt principales opiniones, quæ colliguntur ex gloſſ. magna *hic in ver. Poſtulavit*, & Ægid. Bellam. in *conſ. 10. incip. Factum eſt tale, col. penult. nu. 58. & ſeqq. verſ. Quæritur ergo numquid judex*.

Prima opinio eſt eorum, qui putant collationem ad ſolum Epiſcopum pertinere, inter quos ex antiquis numerantur Vincent. Tancred. Laurent. Goffred. & Bernard. in *c. Ex frequentibus, infrà de inſtitut.* Joan. Andr. in *c. 1. ſuper fine ultimæ gloſſæ, ſuprà eodem*. Joan. Calder. hìc dicens hanc eſſe tenendam: Guliel. de Montelaud. in *c. A collatione, de appellat. lib. 6.* eamque amplectitur, & tuetur latiſſimè Jo. de Lignan. in *cap. Ea noſcitur, infrà de his, quæ fiunt à Prælat.* quos refert & ſequitur Bellam. *d. conſ. 10. col. fin. verſ. Quid dicendum*, ubi affirmat hanc opinionem eſſe veriorem, & eam ſervare Palatium Apoſtolicum. Quin etiam paulò poſt num. 59. teſtatur hodie de generali conſuetudine omnium Eccleſiarum, quam in fine conſilii dicit eſſe notoriam, hoc ſervari, ut ad Epiſcopum ſolum ſpectet Præbendarum collatio, & conſenſus, vel conſilium Capituli non requiratur. 3

Et pro hac opinione Doctores inducunt *d. cap. Ex frequentibus, de Inſtitution.* Item allegant *cap. Ad decorem, eod. tit. cap. Nullus, 16. qu. 7. c. Gratiæ, de reſcript. in 6.* & *cap. Si tibi, de conceſſ. præb. eodem lib. cap. Innovo, 21. diſtinct.* & *cap. Si quis Epiſcopus, 1. qu. 1.* ubi dicunt hoc expreſſum.

Sed tu adverte, quia etſi præcitati Doctores dicant collationem Præbendarum in Cathedrali Eccleſia ſpectare ad Epiſcopum ſolum; non tamen excludunt conſenſum Capituli, quia ſtant ſimul, ut Prælatus ſolus habeat jus conferendi, & tamen de conſenſu alterius conferre debeat. 4
Nec ille, cujus conſenſus requiritur, collationem facit; 5
quia ſicut aliud eſt vendere, aliud venditioni conſentire, *l. Aliud, ff. De regul. jur.* ita aliud eſt conferre, & aliud conſentire, ut eſt caſus in *c. unico, Ne Sede vacant. lib. 6.* & notat. Jo. Andr. in *c. A collatione, nu. 1. de appellat. eodem lib.* Unde qui collationem habet de conſenſu alterius, dicitur nihilominus habere liberam collationem, ut per Biſignet. *deciſ. 10. de præbend.* Sicut in ſimili beneficium ad 6

Abbatis præſentationem de conſenſu Epiſcopi dicitur ad præſentationem liberam Abbatis, ut per eumdem Biſignet. *dec.* 1. *de conceſſ. præbend.* Et expectativa ad beneficium, quod ſpectat ad collationem Epiſcopi, & Capituli, non comprehendit beneficium ad collationem Epiſcopi, cum Capituli conſenſu, ut idem dixit *deciſ.* 79. *de reſcript.* Et rationem reddit Bellam. *deciſion.* 281. *in fine*: & in præ-
7 allegat. *conſ.* 10. *ad finem*, *verſ. Sed oppones*, quia ſcilicet defectus conſenſus Capituli non redderet collationem ipſo jure nullam, argument. *c. Continebatur*, & *c. Cum vos*, *infrà de his, quæ fiunt à Prælat.* cum his, quæ notantur per Innocentium *in cap. Cum conſuetudinis*, *de conſuetud.* & *in cap. Dudum*, *in gloſſ. ultima*, *de rebus Eccleſ. non alienand. lib.* 6. Nec obſtat textus *in cap. Novit*, *de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi: *Nos enim tales inſtitutiones carere decernimus robore firmitatis.* Quia ſecundum Bellam. ibi debet ſuppleri, videlicet per ſententiam: ut probatur in *d. c. Ea noſcitur*, *eodem tit. in ver. Si conſtiterit*, & *in ver. Vacuari*, cum utrobique notatis per Hoſtienſ. & Jo. Andr.
8 Unde non contradicente Capitulo, cujus intereſt, non poteſt tertius de hoc opponere, ut patet ex notatis per Cyn. in *l. Cum ſervum*, *C. De ſerv. fugit.* & per Bart. in *l.* 2, *ff. De except. rei judic.* & per Jo. Calder. in *cap. Capitulum*, *de reſcript.* Imò nec poſſet judex ex officio hujuſmodi allegationem ſupplere, ſecundùm ea, quæ notat Henric. Boich. in *cap. Bonæ*, *de poſtul. Prælat.* & confert deciſio Cottæ 197. ubi in caſu converſo tenet valere collationem Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ factam per Capitulum, non contradicente Epiſcopo: itaque dum Doctores præallegati dicunt collationem præbendarum eſſe liberam Epiſcopi, vel ſpectare ad ſolum Epiſcopum, ita intelligi debent, ut nihilominus requiratur conſenſus, vel conſilium Capituli. Et ita hæc prima opinio in effectu coincidit cum ſecunda, vel tertia opinione: alioquin nec vera, nec probabilis eſſet; ut confunderetur per *d. c. Ea noſcitur*, & *c. Novit*, & per alia jura inferiùs citanda. Atque ita hanc primam opinionem circumſcripta conſuetudine declarat Ægid. Bellam. *in eodem conſ.* 10. *col. ult. verſ. Item non eſt verum*: ubi dictum Joannis Monachi quòd collatio ſpectet ad ſolum Epiſcopum de conſuetudine, declarat eſſe intelligendum per totalem excluſionem Capituli: quia, inquit, de jure requiritur conſenſus, vel concilium Capituli. Et paulò infrà propè finem Concilii, verſ. *Sed oppones*, dicit negari non poſſe quin conſenſus, vel ſaltem conſilium Capituli requiratur, & opiniones omnium in hoc convenire. Et idem notat compilator deciſionis Ægidii 69.

9 Secunda opinio eſt Compoſtellani *hic num.* 1. ubi tenet proviſionem Præbendarum, & Canonicatuum Cathedralis Eccleſiæ de jure communi ſpectare quidem ad Epiſcopum, per textum in *d. c. Nullus*, 16. *quæſt.* 7. & *d. c. Ex frequentibus*. Sed tamen hanc proviſionem debere Epiſcopum facere de ſui Capituli conſenſu, aliàs non valeret, juxta textum in *d. c. Novit*, & *cap. Quanto de his, quæ fiunt à Prælat.* Et ita ſecundùm eum intelligitur *c. Poſtulaſtis*, *infrà de conceſſ. præbend.* & conſimiles. Et tenet collatio, ſi Epiſcopus conferat ſaltem cum conſenſu majoris partis, aliàs nulla eſſet collatio, quia non diceretur Epiſcopus contuliſſe de Capituli conſenſu, ex quo majorem partem non haberet, ut *c. Cum in cunctis*, *infrà de his, quæ fiunt à maj. par. cap.* gloſſ. in *c. Unico*, §. 1. *in ver. Aſſenſu*, *ne Sede vacant. lib.* 6. Hanc ipſam opinionem amplectitur Archid. *in Summ.* 21. *diſt.* dicens tutiùs ac veriùs eſſe hoc ſentire. Et pro eadem allegantur Vincent. Jo. Laurent. Goffred. & alii ſupracitati pro prima opinione: illa enim coincidit cum hac ſecunda, ut dixi *n.* 4. *verſ. Sed tu adverte*. Cui etiam adſtipulantur ex recentioribus Jo. de Selva *in tract. de benefic.* 2. *p. q.* 22. *caſu* 4. *à n.* 12. Duaren. *de benefic. lib.* 3. *c.* 4. dicens receptius eſſe in Præbendis, & dignitatibus Eccleſiæ Cathedralis collationem ad Epiſcopum ſpectare cum conſenſu Capituli, Burſatt. *conſ.* 126. *n.* 45. *lib.* 2. & Quintanadv. *lib.* 1. *c.* 5. *num.* 4.

Tertia opinio eſt Hoſtienſis *hic num.* 5. & 9. *in ver. Poſtulavit*, *verſ. Si non habet patronum*, qui poſt multa concludit, in Præbendis, & aliis beneficiis inferioribus patronum non habentibus, inſtitutionem, & deſtitutionem ad Prælatum mero jure pertinere. Nam Dominus, cujus vices gerit Epiſcopus, duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta duos Diſcipulos elegit, ut *c. In novo*, 21. *diſt.* & habetur expreſsè in *d. c. Nullus*, 16. *q.* 7. Et Moyſes ex præcepto Domini Aaron in Pontificem, & filios ejus in ſacerdotes elegit, ut §. 1. 21. *diſt.* & videtur expreſſum in Auth. *de Menſura ordin. Cler. coll.* 3. & in *cap. Cum ſatis*, & *cap. ſeqq. ſuprà de offic. Archidiac.* Debet tamen Prælatus hujuſmodi collationem facere de conſilio Capituli, ut in *d. c. Novit*, & *c. Quando*, *de his, quæ fiunt à Præl.* Et hoc procedit ubi omnia ſunt diviſa; ſed ſi communia, Prælatus hoc facit de conſenſu Capituli, niſi conſuetudo Prælato tribuat, ut aſſenſum Capituli non requirat, *c. Ea noſcitur*, *cum ibi notatis eodem titul.* Ita Hoſtienſis, cujus opinionem dicit eſſe veriorem Cardin. *hic in* 1. *q.* per text. in *d. c. Novit*, & eam ſequuntur Ægid. Bellam. *dec.* 69. Coraſ. *de benefic.* 2. *p. c.* 4. *n.* 5. & Zech. *de benefic. & penſion. Eccleſiaſtic. c.* 2. *verſ. Ordinarii etiam*, & allegant *c. Illa*, *Ne Sede vacante*.

Dicit etiam Hoſtien. requiri conſilium Capituli, vel conſenſum illius, cujus principaliter intereſt, ut *c. Ad hæc*, §. *ult. inf. de offic. Archidiac.* ne ſocium vel vicarium habeat Archidiaconus vel Presbyter, quem habere nollet, ut *cap. Propoſuit*, *inf. de fil. Presbyter. c. Ad hæc*, *de offic. Vicar.* & *c. Illud de exceſs. Præl.* Nihil enim eſt æquius, quàm ut ſervetur utrinque æqualitas. Et ſicut Canonici ſibi Prælatum quem volunt, eligunt; ita à Prælato Canonici eligantur. Et ſic neutri invito, & non delinquenti detur Prælatus, vel ſubjectus, & concordia nutriatur, *c. Nullus invitus*, 61. *diſt. c. Quanto*, §. *Cæterum*, *de tranſlat. Epiſcop.* Verùm ſi nullus principaliter interſit, ex ſententia Hoſtien. ſatis eſſet ut Epiſcopus conferat de Capituli conſilio, nec requiritur conſenſus, allegat *c. Quoniam in pleriſque*, *ſup. de off. ordin.* 10

Quarta, & ultima princicipalis opinio eſt illorum, qui cenſent de jure communi collationem Canonicatuum, & Præbendarum in Cathedrali Eccleſia eſſe ſimultaneam, id eſt, ſpectare ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul. Cui adhærent in *d. c. Cùm Eccleſia*, Jo. Laurent. Vincent. Goffred. & Joan. Andr. quos refert & ſequitur Henric. Boich. in *d. c. Novit*, *col.* 1. *circa medium*, *verſ. Aut iſta omnia ceſſant*, *infr. de his, quæ fiunt à Prælat.* & moventur per textum noſtrum. Item per *c. Poſtulaſtis*, *inf. de conceſs. præb. per d. c. Novit*, & *c. Quanto*, Item per *c. Nobis*, *de jure pat. c. Si pro te*, *de reſcrip. in* 6. *c. A collatione de appell. eod. lib.* & *d. c. Cum Eccleſia*, *in fine ſupr. de elect.* Et in hac, relatis aliorum opinionibus, poſt multa tandem reſide *hic* gloſſ. Bernardi *in ver. Poſtulavit*, *ver. Dico quod de jure communi ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum pertinet collatio beneficiorum.* Idem tenet gloſ. *in c. fin. in ver. Communiter*, *infr. de ſupplend. negligen. Prælatorum.* Item gloſ. *in c. Irrefragabili*, *in ver. Per Capitulum*, *de offic. ordinar.* & gloſſ. *in c.* 1. §. 1. *in ver. Diſponit*, 21. *diſt.* Archid. & alii *in c. A collatione*, *de appellat. lib.* 6. Philip. Prob. ad Monach. *in rubr. de jurepatr. in* 6. *n.* 8. Rebuff. *de nomination. q.* 8. *n.* 3. & *conſ.* 60. Pro eadem opinione Henric. Boich. *ubi ſup.* & Bellam. *d. conſ.* 10. *col.* 26. *n.* 56. *in fine*, & *n.* 57. Allegant etiam Card. *in c. Sciant*, *cuncti in gloſſ.* 4. *ſuper ver. Spectat*, *in fine de elect. lib.* 6. & *in c.* 1. *in gloſſ. ſuper ver. Potuit*, *de conceſſ. præb. eodem libr.* Et pro Cardinali intelligunt Joannem Monachum Cardinalem, ut patet ex locis citatis, non autem Cardinalem Zabarellam, ſeu Florentinum, ut quidam incautè opinati ſunt. Nam Ægidius Bellam. qui fuit poſterior Henrico, claruit anno ſalutis 1378. at Franciſcus Zabarella obiit anno 1417. Quod nota, quia allegatio Cardinalis præbuit multis cauſam æquivoci, qui propterea in ſuis ſcriptis, & allegationibus ſemper Zabarellæ poſtponunt Henricum & Bellameram. Denique, ut ad propoſitum redeamus, hanc ultimam opinionem putat veriorem Henricus in *d. cap. Novit*, *col.* 1. *circa finem verſ. Primam opinionem credo veriorem*, eamque pro indubitata ponit Paul. de Caſtr. *conſ.* 366. *Super primo*, *col.* 2. *verſ. Iſtæ rationes*, *lib.* 1. Et communem eſſe teſtatur Abbas *hic*, *verſ. Tertia opinio*, *num.* 8. ſubdens illam procedere ſive conſtet Præbendas fuiſſe erectas de communi, ſive non; quia in dubio præſumuntur erectæ de bonis communibus Eccleſiæ, ut in *cap. fin.* 12. *quæſt.* 1. De communi etiam teſtatur Franciſcus in *d. c. A collatione*, *nu.* 1. *de appellat.* & Quintilian. Mandoſ. *in Reg. Cancellar.* 17. *quæſt.* 14. *à num.* 2. & *conſ.* 28. *num.* 7. & *conſ.* 29. *num.* 1. ubi etiam dicit communiorem. Et quidquid fuerit temporibus Bellameræ, hodie illam amplectitur, & ſervat Rota teſte Caſſad. *d. deciſ.* 22. *de præbend.* ubi reprobat deciſionem Ægidii 69. Rota *in novis deciſ.* 4. *de conceſſ. præbend.* Put. *deciſ.* 117. &

acc.

*deciſ.172.lib.3.*Achill. *dec.* 26 ... *præbend.* Mantic.
deciſ. 56. *num.* 2. ubi affirmat hanc eſſe receptam Docto-
rum opinionem, & à Rota comprobatam, Rota *dec.7.num.*
*5.par.2.diverſ.*Seraph.*deciſ.*980.*num.*2.*&* *dec.*1091. *numer.*
3.*deciſ.*1402. *numer.* 4. Gregorius XV. *deciſ.* 95. *num.* 1. &
14 ſæpè aliàs. Addit Lotter. *in tract. de re beneficiaria lib.* 2.
*quæſt.*21.*num.*8. *in fine*. Manticam *loco citato* atteſtari hanc
ſententiam fuiſſe approbatam a Sacra Congregatione Con-
cilii. Sed certè Mantica tantùm dicit electionem perſonæ
Pœnitentiarii ex declaratione Sacræ Congregationis ad
ſolum Epiſcopum pertinere; collationem verò Præbendæ
communem eſſe Epiſcopi, & Capituli, ſicuti ex ſtatuto
Eccleſiæ diſpoſitum eſt. Et mox ſubdit: quod etiam à ju-
re communi eſt conſtitutum, & à Rota comprobatum.
Et in his poſterioribus verbis non refert ſe ad deciſionem
Sacræ Congregationis, ſed loquitur ex propria ſententia.
15 Quod apertè conſtat ex deciſione ipſa; ſic enim ſe habet:
In Eccleſia Placentina ex ſtatuto condito in fundatione
Eccleſiæ, Apoſtolica authoritate confirmato, & à tem-
pore immemorabili obſervato, omnes Dignitatum, Ca-
nonicatuum, & Portionum electiones, & proviſiones ad
Capitulum ſimul cum Epiſcopo pertinent. Quamobrem
dubitatum eſt, an ipſum ſtatutum obſervari deberet etiam
in electione, & collatione Pœnitentiariæ ex *c.8.ſeſſ.*24. ut
ad Epiſcopum ſimul cum Capitulo pertineret; Sacra Con-
gregatio cenſuit collationem Præbendæ fieri debere ab eo,
ad quem anteà ſpectabat; electionem verò, & deputatio-
nem perſonæ ad ſolum Epiſcopum pertinere ſine conſenſu
Capituli, non obſtante ſtatuto in fundatione à Sede Apo-
ſtolica approbato, & immemorabili obſervatione illius.
Ex quibus verbis liquet Sacram Congregationem nihil re-
ſolviſſe de collatione ſimultanea in terminis juris commu-
16 nis. Quidquid tamen ſit de declaratione Sacræ Congrega-
tionis, nec recedas à communi opinione, maximè per *cap.*
Poſtulaſtis, de conceſs. præben. ibi: *Cum ad vos, & ad Ar-*
chiepiſcopum veſtrum ſimul collatio Præbendarum Eccleſiæ
veſtræ pertineat. Non enim textus loquitur conditionali-
ter, ut putavit Bellarm.*d.conſ.*10.*col.ult.verſ. Nec obſtat, c.*
Poſtulaſtis; ſed loquitur cauſativè: & dictio, *Cum*, exponi-
tur pro *quia*, ut in *c.fin.ſupr.de conſuet.*& in *l.Si ab arbitrio,*
ff. Qui ſatiſd. cogant. cum ſimilibus. Unde ſenſus eſt: quia
ad vos, & Archiepiſcopum veſtrum ſimul collatio Præben-
darum pertinet; Ideò poſtulaſtis, &c. Nec audiendi ſunt
qui dicunt textum loqui ubi pertinet collatio ad Præla-
tum, & Capitulum ſimul de conſuetudine. Imò enim in-
telligi debet de jure communi, ut plenè probavi in eodem
c.Poſtulaſtis, in 1.*notab.* & ita illum textum intelligit Gof-
fredus, cùm quo tranſit ibi Joan. Andr.*nu.*1.*in eodem verſ.*
Pertineat, & Doctores ſupracitati *n.* 11. dum per illam De-
cretalem concludunt electionem eſſe ſimultaneam inter
Epiſcopum & Capitulum. Et ſanè ſi collatio ad eos perti-
nuiſſet de conſuetudine, textus non fuiſſet loquutus per
modum cauſæ, ſed per modum conditionis, ſicut fuit in
c.fin.& ibi not.gloſſ.*in ver.Pertineat, de regul. lib.* 6. Con-
cordat textus in *c.A collatione, de appellat. eodem lib.* ubi
collatio ſupponitur pertinere ad Epiſcopum, & Capitulum
ſimul: nec textus loquitur conditionaliter, ſed diſpoſiti-
vè, aut certè ſuppoſitivè. Item ſecundùm Joann. Andr.
pro hac parte facit *c.Quod quibuſdam, infr. de fidejuſſor.* &
cap.Quia nonnullus, §.*Verum, de Magiſtr.*Item facit ratio,
quam adducit Abbas *hic n.*8.*verſ.Ego dicerem ſic*, videlicet
quia intereſt omnium de Eccleſia habere Canonicos gra-
tos; & quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *c.*
Ad hæc, in fine, de offic. Archid.

Regula igitur eſt, collationem Canonicatuum, & Præ-
bendarum in Cathedrali Eccleſia ſimul ad Epiſcopum, &
Capitulum pertinere.
17 Ampliatur primò hæc regula, ut procedat etiam in re-
ceptionibus Canonicorum, ut firmat gloſſa in *c.Si pro te, in*
*ver. Epiſcopi & Capituli, de reſcript.lib.*6.Henr.Boich. in *d.*
*c.Novit, col.*1.*in fin.verſ.Et quod dictum eſt de collationibus,*
*de his, quæ fiunt à Præl.*Nec mirum, quia receptio in Cano-
nicum habet vim collationis, *c.Jacobus*, & ibi Jo.de Anan.
in 2.*notabili de Simonia.* Et quod habetur in *cap.Cùm ali-*
*quibus, de reſcript. lib.*6. & *in c.Cum in Eccleſiis, de præb.*
eod. lib.
18 Ampliatur ſecundò, ut habeat locum etiam in dignita-
tibus Cathedralis Eccleſiæ: nam, ut inquit Innocentius in
c.Dilecti, de major. & obed. Dignitas, & jura Eccleſiæ poſſi-
dentur pariter per Epiſcopum & Capitulum, argum. *Cùm*
Clerici, infr. de verb.ſignif. Undè collationem Dignitatum 19
in Cathedralibus eſſe ſimultaneam Epiſcopi, & Capituli,
firmat Abb. *hic num.*8. *col.* 1. *verſ. & pro hoc membro.* Sed
Oldrad.*conſ.*244. *Ad object.num.* 19. tenet collationem Di-
gnitatum in Cathedrali pertinere ad Epiſcopum cum con-
ſenſu Capituli: ſequutus opinionem Compoſtellani in Ca-
nonicatibus & Præbendis, de qua ſupra *nu.* 9. Geminianus
verò in *cap. Deliberatione, in quarto not. de off. leg. lib.*6. &
Franch. *ibid.in* 1.*notab.*per illum textum tenent in dignita-
tibus particularibus exiſtentibus in Eccleſia Cathedrali
non ſpectare proviſionem ad Epiſcopum de jure communi,
ſed electionem ad Capitulum, & confirmationem ad Epiſ-
copum. Et hoc videtur ſequi Jo. Andr.ibi, & in *c. Ne pro*
defectu, ſup. de elect. & ibi Innoc.

Ampliatur tertiò, ut procedat etiam in præſentationi- 20
bus, quæ itidem ad Prælatum, & Capitulum ſimul ſpe-
ctant, ſecundùm Jo.And.in *c. un. de Capell. Monach. lib.* 6.
& Henr. Boich. *loco cit.* De præſentatione enim quoad hoc 21
idem eſt judicium, quod de collatione. Unde cùm S.Con-
greg. Concilii declaraſſet electionem perſonæ Pœnitentia-
rii eſſe faciendam ab Epiſcopo; collationem verò Præbendę
ad eos pertinere, ad quos anteà ſpectabat: Et poſteà Capi-
tulum Zamoren.poſtulaſſet declarari, An ſicut eſt præſerva-
ta collatio, ita etiam ſit præſervata præſentatio, quam ha-
bet Capitulum de dictæ Eccleſiæ Præbendis: Reſponſum
eſt idem in præſentatione, quod in collatione; ſed tamen
referendum Sanctiſſimo, qui probavit ſententiam Congr.
dummodò præſentatio fiat de electo ab Epiſcopo.

Ampliatur quartò eadem Regula, ut locum ſibi vendi-
cet non tantùm ubi conſtat Præbendas fuiſſe erectas de
bonis communibus Eccleſiæ; ſed etiam ubi id non conſtat.
Nam in dubio de bonis communibus præſumuntur ere-
ctæ, *c.fin.*12.*q.*1.& dixi ſupra *num.*13. Licèt ſecus eſſet ubi
conſtaret Præbendas fuiſſe inſtitutas de bonis alicujus
privatæ perſonæ cum reſervatione jurispatronatus, ut di-
cam infrà in quinta Fallentia, *n.* 34.

Ampliatur quintò, ut habeat locum etiam in Præben- 22
dis Collegiatæ Eccleſiæ. Nam & illarum collatio eſt ſimul-
tanea, non quidem inter Epiſcopum & Capitulum Ca-
thedralis; ſed inter Prælatum; & Capitulum ipſius Colle-
giatæ, qui ſimul providebunt irrequiſito Epiſcopo, ſicut
expediunt alia ipſius Eccleſiæ negotia. Non enim eſt tanta
communio inter Epiſcopum, & Eccleſiam inferiorem ſibi
ſubjectam, quanta inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſuam
Cathedralem, ut in *c.Requiſiſti, de teſtam.* Meritò aliud di-
cendum in Præbendis Eccleſiæ inferioris. Provideat ergo
Prælatus, & Capitulum illius Eccleſiæ, ſicut aliorum bo-
norum habent adminiſtrationem. Ita Hoſt.in *c.* 2. *de Inſtit.*
& Jo.Calder.in *d. c. Cùm Eccleſia, de elect.* Licèt Domini
de Rota in hoc articulo fuerint varii, ut in *deciſ.*16. *aliàs*
quarta, de conceſs. præb. in noviſ. Nam Collector adhæſit
prædictæ opinioni; alii verò tenuerunt præſentationem
pertinere ad Prælatum, & Capitulum illius Eccleſiæ infe-
rioris; Inſtitutionem verò ad Epiſcopum diœceſanum.
Et idem ſenſit Jo. de Lignan. hìc poſt Feder. de Sen. quem
citat *in conſ.*231. *incipien. Caſus talis eſt*, & ſequitur Abb.
*hic n.*8. *col.* 2. *verſ. Et mihi placet hæc ultima opinio.* Vide
pleniùs in prædicta deciſione.

Ampliatur ſextò, ut habeat locum etiam in Collegiatis 23
Regularium: nam & creatio Monachorum eſt ſimultanea
inter Abbatem, & Conventum, ut tenet gloſſ. ſingularis
in *c.fin.in ver. Pertineat, de regularib. lib.* 6. Movetur per
c.Ea noſcitur, de his, quæ fiunt à Præl. Sed hæc jure non
probatur ſecundùm Abbatem *hic n.* 9. *verſ. Prædicta proce-*
dunt, ubi tenet receptionem, ſeu creationem Monachorum
ad ſolum Abbatem pertinere per textum in *c.Nullam*, 18.*q.*
2.Aliter tamen loquutus eſt idē Abb.in *c. Ad Apoſtolicam,*
*n.*11.*verſ. Sed ultra gloſſam quæro, infrà de regul.* ubi con-
cludit receptionem Monachorum circumſcripta conſuetu-
dine pertinere ad Abbatem cum conſilio Capituli; quia
pręcipuè debet Abbas explicare cum Capituli conſilio. Ne-
gari autem non poteſt, quin creatio Monachorum ſit quid
præcipuum in Monaſterio: ſicut collatio Canonicatuum, &
Beneficiorum in Eccleſia ſæculari; & allegat parvam apo-
ſtillam, quam poſuit Jo.Andr.in prædicta Decretali, *Ad A-*
poſtolicam, dicens hoc Abbatem facere conſultis Fratribus.

Et teſtatur cùm illa apoſtilla tranſire communiter Doctores. Et *infrà num.* 12. tenet de jure communi receptionem Monachorum factam per Abbatem ſine conſilio Conventus non valere per textum, juncta gloſſa in *d. c. Novit, de his, quæ fiunt à Prælat.*

Sed tu non recedas à prima opinione gloſſ. id eſt, receptione m Monachorum ſpectare ſimul ad Abbatem, & Conventum: nam præcipua pars regiminis Monaſterii conſiſtit in exercitio poteſtatis creandi Monachos, cùm perſonæ præſtent rebus, *l. 2. ff. De ſtatu homin. & l. Si quæramus, ff. De teſtamen.* Igitur ad totum Conventum pertinet præcipua pars regiminis illius; & conſequenter creatio Mo-
24 nachorum. Præterea jura, & rationes, quæ probant receptionem Canonicorum eſſe ſimultaneam inter Prælatum, & Capitulum Eccleſiæ ſæcularis, æquè probant receptionem Monachorum eſſe ſimultaneam inter Abbatem, & Conventum Eccleſiæ Regularis, cùm Prælatus & Conventus utrobique unum corpus conſtituant, juxta textum in *d. cap. Novit, in princ.* Et hæc opinio ferè ubique ſervatur de conſuetudine, ſecundùm quam, ut teſtatur Navarr. *conſ. 20. incipien. Univerſis, num. 2. de privileg.* Monachorum creatio in omnibus fermè Monaſteriis omnium Ordinum ad Prælatum & Conventum ſimul pertinent, ut conſtat ex eorum regulis, & Conſtitutionibus, eamque conſuetudinem ſervandam eſſe probat textus juncta gloſſ. *Secunda, in d. c. fin. de reg. lib. 6.* & tenet. Abb. in *d. cap. Ad Apoſtolicam, num.* 11. *verſ. Undè dicerem*, & Navarr. *loco cit.* & in *c. Nullam*, 18. q. 2.

Fallit nunc regula ſuperiùs propoſita pluribus modis.
25 Et primò fallit, ſi aliter ſe habeat conſuetudo, quæ in electionibus, & beneficiorum collationibus ſpectanda, eſt ut dicunt hîc Innocent. *num. 2. in ver. eligendi*. Compoſt. *num.* 1. & Hoſtien. *num. 8. verſ. Solutio*, & *num. 9. verſ. Sic diſtingue*, per jura allegata in gloſſ. *in verſ. Poſtulavit, ver.*
26 *Sed conſuetudo in pluribus Eccleſiis.* Id quod vendicat ſibi locum ſive conſuetudo det ſoli Prælato ipſam collationem, ut in *c. Ea noſcitur, in fine, de his quæ fiunt à Prælat.* ſive illam det Capitulo tantùm, ut hîc in fine; ſive illam det alteri eorum de conſenſu, vel conſilio alterius, ut notat
27 Henric. Boich. in *d. c. Novit, in princip.* dummodò tamen ſit legitimè præſcripta, ut *in c. Cum dilectus, de conſuetud.* & *in c. Cumana, infrà eodem*: idem ſentit Hoſtienſ. *ubi ſu-*
28 *pra*, qui amplius teſtatur de conſuetudine Ebredunen. Eccleſiæ, quam dicit ſe noviſſe, collationem ſpectare ad Prælatum, & Capitulum, ſicut eſt ferè in qualibet Eccleſia illius provinciæ. Sed hoc ideò dixit, quia ipſa in ea fuit ſententia, ut mero jure pertineret collatio ad Prelatum de Capituli conſilio, ut dictum eſt *ſuprà num. 9. verſ. Tertia opinio*. Verùm ſi teneamus collationem de jure eſſe ſimultaneam, ut frequentiori calculo tenent Doctores; conſuetudo illa cùm ſit conformis juri communi, non dicenda eſt conſuetudo, ſed juris communis obſervantia, ut notat gloſſ. in *c. 1. in ver. Facti, de conſtitut. lib. 6.* & Jo. Andr. in *c. unic. num. 2. in ver. Nolumus, de Cler. conjug. eod. lib.* ubi reddit rationem, quia ſuper jure, & non ſuper conſuetudine fundabantur actus præteriti; Atque ita deficiebat animus conſuetudinis introducendæ.
29 Fallit ſecundò, ſi Epiſcopus, aut Capitulum habeat competens privilegium, ut alter eorum ſine altero poſſit conferre: nam ad illum ſolum jus conferendi pertinebit, ut *d. c. Ea noſcitur, in fine, infra de his quæ fiunt à Præl.* & not. ibi Bernard. *in gloſſ. fin.* Jo. Andr. *in c. Si pro te, in gloſſ. in ver. Epiſcopi, & Capituli, de reſcript. lib. 6. in c. unico, in gloſſ. 2. de Capell. Monach. eod. lib.* & Henr. Boich. *in d. c. Novit, col. 1. poſt princ. verſ. Aut quæris inter illos.*
30 Fallit tertiò, ſi ex fundatione Eccleſiæ, vel beneficii appareat ad quem ſpectare debeat electio, vel collatio; quia ad illum ſpectabit, *c. Eleutherius, 18. q. 2. & cap. Cùm dilectus,* & ibi gloſſ. Compoſt. & DD. *de conſuetud.* Henr. Boic.
31 *ubi ſupra, verſ. Aut neuter habet.* Confert decretum Concilii Tridentini *cap. 5. ſeſſ.* 25. Cæterùm adverte, qui alio decreto, nempè *cap. 12. ſeſſ.* 14. ſtatuitur, ut in fundatione Eccleſiæ, vel beneficii inſtitutio Epiſcopo, & non alteri reſervetur. Et Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres conſulta, An in juribus patronatus, quæ poſt Concilium acquiruntur, reſervari poſſit inſtitutio alteri, quàm Epiſcopo; Reſpondit non poſſe in Eccleſiis etiam exemptis, niſi rector illius ordinaria fungeretur juriſdictione. Non tam ex ipſius Congregationis ſententia eo
decreto ſublatæ ſunt inſtitutiones, quæ ex immemorabili 32
conſuetudine ante Concilium ad inferiores ſpectabant, 33
dummodò tamen inſtitutio hæc ad ipſos inferiores aliàs legitimè pertineat, ita ut non dependeat ab aliquo jure patronatus, quod decretis Concilii ſublatum ſit, prout diſponitur *ſeſſ. 7. c. 13. ſeſſ. 24. c. 18. verſ. Cùm verò inſtitutio, & ſeſſ. 25. c. 9.*

Fallit quintò in Canonicatibus, & beneficiis de jure pa- 34
tronatus, quorum collatio non eſt ſimultanea Epiſcopi, & Capituli, ſed ad patronum ſpectat præſentatio, & inſtitutio ad Epiſcopum, *c. Sacroſancta, de elect. cap. ult. infr. hoc tit. c. Nobis*, §. 1. *c. Paſtoralis*, & *c. Poſtulaſti, infr. de Jurepatron.* & notant Hoſtienſ. *hic num. 9. verſ. Sed ſi quæris*, & Henr. Boich. in *d. cap. Novit, col. 1. verſ. Aut quæris alio beneficio, inf. de his quæ fiunt a Prælat.* ubi dicunt in beneficiis inferioribus, puta Eccleſia, Archidiaconatu, Præbenda, & ſimilibus, ſi ſit ibi patronus, qui præſentare habeat, ad ipſum ſpectare præſentationem, & inſtitutionem ad Prælatum. Et conſentit Abbas *hic num. 8. col. 1. verſ. Ego dicerem ſic*, dum diſtinguit, Aut conſtat præbendas fuiſſe inſtitutas de bonis communibus Eccleſiæ; & collatio pertinet ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul. Aut conſtat illas fuiſſe inſtitutas de bonis alicujus privatæ perſonæ cum reſervatione juriſpatronatus; & Patronus debet Epiſcopo præſentare; & Epiſcopus inſtituere cum conſenſu, vel ſaltem cum conſilio Capituli. Sed Inſtitutio principaliter pertinet ad Epiſcopum; inducit *c. Nullus. 16. qu. 7.* & magis placet illi ut requiratur conſilium, quàm conſenſus. Et in hoc caſu procedit opinio Hoſtienſis, de qua ſuprà *n. 9. verſ. Tertia opinio.*

Verùm quod dixit Abbas de fundatione alicujus privatæ 35
perſonæ cum reſervatione juriſpatronatus, non intelligas ut requiratur expreſſa reſervatio. Quoniam fundans, conſtruens, vel dotans Eccleſiam acquirit jus patronatus, etiamſi illud non reſervaverit, dummodò expreſsè illud non remiſerit, tex. eſt in *c. Significavit, de teſt.* ubi hoc tenent Jo. Andr. Bald. Butr. Card. Imol. Aret. Abb. & Felin. & eſt receptiſſima concluſio, ut dixit Rota *dec. 167. n. 4. p. 2. diviſor.*

Fallit ſextò in beneficiis inferioribus ipſius Eccleſiæ Ca- 36
thedralis; hæc enim poteſt Epiſcopus conferre ſolus ſine conſenſu, vel conſilio Capituli. Quod videtur voluiſſe Innocentius in *d. c. Novit*, & *c. Quanto, de his quæ fiunt à Præl.* Et tenet expreſsè Abb. *hic num. 8. col. 1. in fin. verſ. In tertio membro*: nam iſta minora explicat Rector cujuſcumque Univerſitatis ex ſuo officio ſine ipſa Univerſitate, ut idem Innoc. notat. in *c. fin. ſupr. de majorit. & obed.*

Fallit ſeptimò, in Vicariis perpetuis Cathedralium, vel 37
Collegiatarum Eccleſiarum: nam præſentatio pertinet ad Capitulum, & inſtitutio ad Epiſcopum, *c. De Monachis, ſupr. de præb.* & *cap. 1. infr. de Capell. Monach.* Et patet ex Conſtitutione S. Pii V. quæ incipit, *Ad exequendum, in §. Volumus*, ubi ſtatuitur, ut Vicarii perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, ſed ad nominationem illorum, in quorum Eccleſiis unitis ponentur, cum ipſorum Ordinariorum, ſeu eorum Vicariorum prævio examine, approbatione deputentur in Bullar. *tom. 2. pag.* 243. Quapropter 38
in undecim Vicariis perpetuis, quas in totidem Baſilicis Urbis idem S. Pius V. erexit, inter cætera diſpoſuit, ut Vicarii inſtituantur, & deputentur à Vicario Urbis ad nominationem Capituli cujuslibet ex eiſdem Baſilicis: & nominatio ſit ex numero approbatorum ab eodem Urbis Vicario prævio examine coram Examinatoribus in ipſa Urbe deputatis, ut in Conſtitutione incipien. *Et ſi omnibus, eodem tom. 2. pag.* 349. Et de his Vicariis perpetuis Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, vide quæ ſcripſi in *c. fin. ſup. de offic. Vicar.*

Fallit octavò in Prælatura Cathedralis, aut Collegia- 39
tæ, vel Conventualis Eccleſiæ: nam ad Capitulum, Collegium, vel Conventum de jure communi ſpectat electio, *c. 1. & c. Cùm terra ſuprà eodem*: confirmatio verò ad pro- 40
ximum Superiorem, ut infrà in *c. ſequenti, c. Venerabilem*, §. 1. & *c. Nihil eſt*. Hoſtienſ. *hic num. 9. verſ. Si non apparet de conſuetudine*, & Abb. *num.* 8. & alii communiter. Gloſſa in *c. Quanquam, in principio, & in ver. devolvetur, de elect. lib. 6.* Henric. Boich. in *c. Novit, col. 1. verſ. Aut non apparet, de his, quæ fiunt à Præl.* Selva *de benef. 2. q. 22. caſu 3. num. 9.* Sed hodie illarum proviſio eſt Papæ reſerva-

ſervata per regulas Cancellariæ, ut ſcripſi plene in *d. cap. 1. ſuprà eod.*

Hæc de Canonicatibus, Præbendis, & beneficiis Cathedralium, & collegiatarum Eccleſiarum.

41 Quo verò ad alia beneficia ſonantia in nomen Rectoriæ: dic breviter circumſcripto privilegio, conſuetudine, vel fundatione, collationem, ſeu inſtitutinem de jure communi ſpectare ad Epiſcopum, qui in majoribus beneficiis providebit cum conſilio Capituli, in minoribus verò ſine conſilio, ut legitur, & notatur in *d. cap. Novit*, & *d. cap. Quanto de his*, *quæ fil. à Præl.* Abb. *hìc d. num. 8. col. 2. verſ. Tertio.* & *ultimo caſu.* Et in collationibus Parochialium ſervabit formam examinis per concurſum à Concilio Tridentino præſcriptum in *cap. 18. ſeſs. 24.* ut ſcripſi latè in *cap. Eam te infrà de ætat. & qualitat.*

DE ELECTIONE.

Idem Innocentius III.

CAPUT XXXVII.

Cum ad noſtram notitiam perveniſſet, quòd H. qui ſe pro Abbate Lexonien. gerebat, non fuit antè Monachus quàm electus: nos attendentes quòd contra regulares traditiones illud fuerat attentatum. cùm nullam ſpem, vel promiſſionem habens, ut Abbas fiat, debeat monachari: electionem de ipſo factam curavimus irritare.

SUMMARIUM.

1 *In Prælatum regularem elegi non poteſt, qui non fuit ante Monachus, & inſtructus in regula Monachali.*

2 *In Magiſtrum aſſumendus non eſt, qui formam diſcipuli non aſſumpſit.*

3 *Beneficia ſæcularia ſæcularibus, & regularia regularibus ſunt conferenda.*

4 *Si dentur in titulum, ſecus ſi in commendam, quia tunc ordine inverſo ſæcularia regularibus, & regularia ſæcularibus commendantur.*

5 *Commendæ cur adinventæ.*

6 *Commenda quid ſit.*

7 *Beneficia commendari poſſunt à Summo Pontifice tantùm, non autem ab Ordinariis inferioribus, & num. 14.*

8 *Commendæ noſtræ temporis, an ſint à jure, vel à Concilio Tridentino improbatæ.*

Et an à Concilio Lateranenſi ſub Leone X. num. 14.

9 *Commendæ perpetuæ de jure antiquo non erant cognitæ.*

10 *Trident. Concilium non prohibet quin Monaſteria, quæ ſuos habent conventus, dentur de commenda in commendam.*

11 *Niſi Monaſteria hujuſmodi ſint capita Ordinum.*

12 *Ciſtercij Monaſterium eſt caput Ordinis, & illius Abbas eſt Generalis totius Ordinis Ciſtercienſis.*

13 *Monaſteria, quæ ſunt capita Ordinum, ſed nulla ſub ſe membra habent, an comprehendantur in prohibitione Concilii Tridentini cap. 21. ſeſſ. 25. de regular.*

14 *Commendæ graviter lædunt Monaſteria tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus.*

15 *Monaſteria commendari ſolita ex Concilio Lateranenſi noviſſimo Cardinalibus tantùm, & perſonis qualificatis, & benemeritis commendari poſſunt.*

16 *Monachus fieri non debet ſpem, vel promiſſionem habens, ut Abbas fiat, & cur.*

17 *Monachi officium eſt lugere.*

18 *Spes aſſequendi Prælaturam in eo, qui Monachus, aut Clericus ordinatur, an & quando ſit à jure improbata, & num. ſeqq.*

19 *Simonia mentalis non obligat ad beneficii dimiſſionem, ſed tantùm ad ſatisfaciendum Deo per pœnitentiam.*

20 *Spes ex pacto proveniens repellit Monachum ab Abbatia, ſed non à Monachatu.*

21 *Pollicitatio quid ſit.*

22 *Concurſus non requiritur in beneficiis regularibus curatis, & quæ regularibus in titulum conferri conſueverunt, ſed ſufficit ut regularis præficiendus ſit ab Ordinario examinatus, atque probatus.*

23 *Et quid in beneficiis regularibus curatis, quæ dantur in commendam Clericis ſæcularibus, & num. ſeqq. uſque in fin.*

24 *Commenda non mutat ſtatum beneficii.*

25 *Commenda ceſſante beneficium vacat eo modo, quo ante commendam vacabat.*

26 *Etiamſi commenda ſit perpetua.*

27 *Eccleſiarum curatarum appellatione ex ſtylo Concilio Trident. non veniunt Eccleſiæ regulares commendatæ.*

28 *Concurſus non requiritur in Parochialibus patronatus laicorum, & Vicariis perpetuis.*

29 *Extenſio non fit de caſu ad caſum, etiam ex identitate rationis in his, quæ exorbitant à jure communi.*

Cum ad noſtram. Non Monachus in Prælatum regularem eligi non poteſt. Hoc dicit, & ſunt duæ partes. In prima narrat factum. In ſecunda illud caſſat, ibi, *Nos attendentes.* 1

Nota primò ibi: *Non fuit ante Monachus*, ad hoc ut quis aſſumi poſſit ad Prælaturam regularem, neceſſariò exigi ut priùs fuerit Monachus, adeòut non ſufficiat, ut eodem contextu fiat Monachus, & Abbas, ſed præcedere debeat Monachatus, ut hìc eſt caſus ſecundùm gloſſ. in illius figuratione, Butr. *num. 6.* & Abb. *num. 2.* Quinimò debet etiam eſſe inſtructus in regula Monachali, ut in *cap. proximo infrà eod.* Et eſt ratio, quia in magiſtrum aſſumi non 2 debet, qui formam diſcipuli non aſſumpſit, nec aliis eſt præficiendus qui ſubeſſe non novit, ut legitur *in cap. Cùm in magiſtrum infrà eod.* Ad hoc Concilium Trident. *in cap. 21. ſeſſ. 26. de regular.* ibi: *Regulares perſonæ ejuſdem Ordinis expreſsè profeſſæ, & quæ gregi præire, & præeſſe poſſint, præficiantur.*

Sed hoc intellige, ſi Præfecturæ & adminiſtrationes regulares in titulum conferantur, prout loquitur Clement. *unica de ſupplen. neglig. Prælat.* & Clem. *Ne in agro*, §. *Sane Prioratus de ſtatu Monachor.* & expreſſius Concilium Trident. *in cap. 10. ſeſſ. 14.* Ita enim procedit communis 3 regula, quòd beneficia ſæcularia ſæcularibus, & regularia regularibus ſunt conferenda, *cap. Cùm de beneficio, de præbend. lib. 6. cap. Nullus de elect. eodem lib.* cum concordantiis, quas dedi in *cap. Cùm cauſam in 5. notab. ſuprà eod.* & tradunt Franc. Aretin. *conſ. 7. num. 3.* Rebuff. *in praxi tit. de deſponſat. cum regular.* & *in tract. de pacific. poſſeſſ. num. 311. aliàs 259.* Navarr. *conſ. 3. de præben.* Covarr. poſt alios *in cap. 2. de teſtam. num. 2.* & *3.* & Rota apud Card. Seraph. *deciſ. 1165. num. 12.* Secùs autem eſt ſi procedatur per viam 4 Commendæ, quia tunc ordine inverſo beneficia ſæcularia regularibus, & regularia ſæcularibus à Sede Apoſtolica commendari conſueverunt, etiamſi ſuos habeant Conventus, & in eis vigeat regularis obſervantia, ut patet in Monaſteriis Farfen. & Sublacen. Ordinis S. Benedicti, in Monaſterio Cryptæ Ferratæ Ordinis S. Baſilij, & in aliis compluribus. Hæc enim via à Romanis Pontificibus adinventa ad hoc, ut qui inhabiles ſunt ad obtinenda beneficia in 5

titu-

titulum (qui eſt modus ordinatus, & legitimus) quales ſunt ſæculares ad beneficia regularia, & è converſo efficerentur habiles ad illa obtinenda per viam Commendæ, quæ eſt via ordinaria, & diſpenſatoria, ut obſervat Petrus Andr. Gammar. *in tract. de offic. legat. lib. 4. in rubr. de poteſt.*
6 *legat. in commend. benefic. quæſt. 21. num. 57. & 60.* Commendæ enim noſtri temporis, quæ fiunt principaliter non in favorem Eccleſiæ, ſed perſonæ, ut ex fructibus beneficii commodius ſuſtentari valeat, nihil ſunt aliud, quàm col-
7 latio Papæ diſpenſatoria, ut inquit Mandoſ. *reg. 32. quæſt. 7. num. 5.* Undè beneficia regularia ſæcularibus, & ſæcularia regularibus commendari poſſunt, ut ſolent à Romano Pontifice dumtaxat, non autem à quoquam ex Ordinariis inferioribus, ut tradunt Sarnen. *in reg. de triennal. quæſt. 5.* & Æneas de Falcone *de reſervat. quæſt. 3. num. 11.*

8 Huic autem ſtylo Canones non repugnant, tum quia jura prohibentia, ne beneficia regularia ſæcularibus, & ſæcularia regularibus provideantur, loquuntur de proviſione, quæ fit in titulum per viam electionis, vel collationis, ut dixi ſuprà, & latiùs in prædicta Decretali: *Cùm cauſam*
9 *in 4. notab. ſupr. eod.* tum quia hujuſmodi commendæ perpetuæ de jure veteri non erant cognitæ, ut poſt Caſſanæum advertit Sarnen. *loc. cit.* nam hoc commendarum genus majores noſtri ignorabant, ut ait Thomas Campeg. in *tract. de Commen. beneficior. tom. 15. part. 2. tract.* & ſcripſi pleniùs *in cap. Dudum, il ſecondo num. 38. & 39. infrà eod.* Sed nec Tridentina Synodus eumdem ſtylum improbavit, quin potiùs tacitè admiſit, ut patet *in cap. 2. ſeſs. 6. in cap. 8. ſeſs. 21. in cap. 17. ſeſs. 24. in cap. 20. ſeſs. 25. de regular.* & ſæpè alibi: & propterea *in cap. 10. ſeſs. 14.* ubi interdixit beneficia regularia ſæcularibus conferri, cùm myſterio adjecit illa verba, *in titulum*, ad hoc ſcilicet, ut excluderet conceſſionem per viam commendæ, ut argum. *cap. Nonnè de præſumpt. cap. Qualis 25. diſt. in fi. & leg. Cùm Prætor de judic. cum ſimil.* & quamvis decreto *cap. 21. ſeſs. 25.*
10 *de regular.* caveatur ut Monaſteriis, quæ tunc commendata reperiebantur, & ſuos Conventus habeant, Regulares perſonæ ejuſdem Ordinis expreſsè profeſſæ præficerentur, quæ verò in poſterum vacabunt, nonniſi Regularibus conferantur: & Domini de Rota intellexerint ea verba præceptivè, non conſultivè, & hunc dixerint eſſe ſenſum perfectum, ne de cætero alicui non regulari conferantur, juxta doctrinam Socini Junioris *conſ. 144. num. 19. col. 3.* tamen oppoſitum declaravit Sacra Congregatio Cardinalium ejuſdem Concilii interpretum: nam propoſito dubio, an Concilium *d. cap. 21.* cenſeatur præcipere ne detur de commenda in commendam: cenſuit non cenſeri, cùm utatur verbo illo, *confidit*, quod verbum comprehendit etiam illum verſ. *Quæ vero.* Et quando Concilium vult præcipere, utitur in ſequentibus verbo *teneantur*.

11 Et hinc collige notabilem limitationem ad concluſionem proximè firmatam, qua dictum eſt Concilium non prohibere, quin beneficia regularia ſæcularibus commendentur, ut non procedat quoad Monaſteria, quæ ſunt Capita Ordinum: nam de his Concilium per verba præceptiva, ſeu obligatoria *in eod. cap. 21.* ſtatuit, ut infrà, videlicet: *Quoad ea verò Monaſteria, quæ Capita ſunt, ac Primates Ordinum, ſive Abbatiæ, ſive Prioratus, filiæ illorum Capitum nuncupentur, teneantur illi, qui hac præſenti ea in commendam obtinent, niſi ſit eis de regulari ſucceſſore proviſum, infrà ſex menſes religionem illorum Ordinum propriam ſolemniter profiteri, aut iis cedere, aliàs commendæ prædictæ ipſo jure vacare cenſeantur.* Hæc ibi. Qua ratione forſitan factum eſt, ut Romani Pontifices, qui pleraque Monaſteria S. Benedicti, & Ciſtercienſis Ordinis dederunt in commendam ſæcularibus Clericis: tamen non commendaverint Monaſterium Caſſinenſe, quod eſt caput illius Congregationis, nec Monaſterium Ciſter-
12 tii, quod eſt caput Ordinis Ciſtercienſis. Qua itidem ratione inter cæteras factum putamus, ut noſtris temporibus Sedes Apoſtolica abnuerit Cardinali à Richelieu ſupplicanti pro confirmatione electionis de ſe factæ in Abbatem Ciſtertii. Nam cùm Abbas illius Monaſterii ſit etiam Generalis totius Ordinis Ciſtercienſis, ultra generalem diſpoſitionem juris communis, qua non profeſſi prohibentur aſſumi ad regimen Regularis Eccleſiæ. Obſtat
13 etiam ſpecialis prohibitio Concilii *in d. cap. 21.* ne ſcilicet ſæcularis Prælatus tot Regularibus præſit. Et ob hanc rationem Sacr. Congregatio exiſtimavit non eſſe veriſimile decretum *d. cap. 21.* comprehendere Monaſteria, quæ nulla ſub ſe membra habent, ſed ea, quæ habent membra recognoſcentia eorum ſuperioritatem: quia non decet Commendatarium præeſſe tot Regularibus, ſed noluit declarare.

Cæterùm etſi commendis hujuſmodi, excepto caſu *d.* 14
cap. 21. nec jus vetus obviet, nec Tridentinum Concilium, ut prædixi advertendum eſt tamen ad Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſs. 19.* quo ſtatutum eſt in hæc verba; *Et quoniam ex Commendis Monaſteriorum, ut magiſtra rerum experientia ſæpiùs docuit, Monaſteria ipſa tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus graviter læduntur, quippè quorum ædificia partim Commendatariorum negligentia, partim avaritia, vel injuria collabuntur, & indies divinus cultus in his magis diminuitur, paſſimque obloquendi materia perſonis præſertim ſæcularibus præbetur non abſque dignitatis Apoſtolicæ Sedis diminutione, à qua commendæ hujuſmodi proficiſcuntur: ut eorum indemnitati ſalubriùs conſulatur, volumus, ac ſancimus, ut cùm illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo pacto cuiquam poſſint commendari (niſi pro conſervatione authoritatis Apoſtolicæ Sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium pro temporum qualitate, aliter nobis de Fratrum noſtrorum conſilio viſum fuerit expedire) ſed de perſona idonea juxta præſcriptam conſtitutionem eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates, prout decet, præfuturi ſint. Ea verò Monaſteria, quæ commendata fuerint, cùm per* 15
eorum ceſſum, vel deceſſum, quibus erant commendata, commendæ hujuſmodi ceſſaverint, Cardinalibus dumtaxat, ac perſonis qualificatis, & benemeritis commendari poſſint. Hæc ibi, & infrà præſcribitur quota pars fructuum pro inſtauratione fabricæ, ornamentiſque, & pauperum alimonia à Commendatariis ſit inſumenda, de quo dic, ut plenè ſcripſi *in cap. fin. infrà de pecul. Clericor.*

Secundò nota ibi, *nullam ſpem*, non debere aliquem 16
Monachari ea fiducia, vel ſpe, ut in Religione dignitatem, ſeu Prælationem aſſequatur: concordat *text. in cap. Per laicos 16. qu. 7.* ibi: *Nullus habitum Monachi ſuſcipiat, ſpem, aut promiſſionem habens, ut Abbas fiat.* Cujus prohibitionis multiplex eſt ratio, ſecundùm Turrecrem. *in d. cap. Per liacos in princip.* Primò, quia talis non cupit fieri 17
Monachus, ut plangat, & lugeat, quod eſt officium Monachi, ut in *cap. Monachi ead. cauſ. & quæſt.* ſed ut plaudat, & rideat. Secundò, quia non cupit effici Monachus, ut alteri ſubjectus, & obediens propter Chriſtum, præmium habeat vitæ æternæ, ſed ut præſit, & dominetur, quòd eſt præſumptionis, & ambitionis, *cap. fin. 40. diſt.* Tertiò, quia talis non cupit abſtinere, & carnem ſuam domare, ſed lautè, vel delicatè vivere, quod eſt concupiſcentiæ, & voluptatis, *cap. 12. & 3. 41. diſt. cap. Quinque de conſecr. diſt. 5.* Quartò, quia talis non cupit pauper fieri, & egere cum Chriſto, ſed optat præeſſe, ut divitias tractet, & poſſideat, quod obviat Evangelicæ perfectioni, *cap. Clericus cum multis ſeqq. 12. qu. 1.* Undè, ut dicunt 18
hìc Butr. & Abb. ambo *in tertio notab.* datio ſpei, ſicut & promiſſio ſimoniam inducit. Sic videmus è converſo Cle- 19
ricum ſæcularem, qui Ordines ſuſcipit, ut beneficium conſequatur, ſimoniam committere, ſaltem mentalem, quæ non obligat ad beneficii demiſſionem, ſed tantummodò ad ſatiſfaciendum Deo per pœnitentiam, niſi pactum præceſſerit, ut *cap. fin. cum ibi not. infr. de Simonia*, & per Abb. *hìc num. 3. verſ. An autem adepti.* Et nihilomi- 20
nus ſimonia propter ſpem ex pacto provenientem non repellit eum à Monachatu, ſed ab Abbatia, ut hìc eſt textus notabilis, quia hìc Papa caſſat electionem, ſed non profeſſionem, ut optimè advertit Bald. *num. 1.* Verùm gloſſ. noſtra, & Innoc. exponunt illa verba, *nullam ſpem*, ſcilicet principalem, ut *cap. Sunt in Eccleſia 8. qu. 1.* Sed ſecun- 21
dariò dicunt licitum eſſe alicui ſperare honores Eccleſiaſticos, ut *cap. Quid proderit 61. diſt. c. Si officia 59. diſt. & cap. Conſuluit 74. diſt.* Hoſt. verò intelligit primò eadem verba, *nullam ſpem*, ſcilicet ex pacto provenientem, vel ex pollicitatione, & eſt pollicitatio unius tantùm promiſſio, pactum verò duorum, vel plurium in idem conſenſus, ut *leg. Pactum, ff. De pollicitat.* Aliàs nulla præcedente pollicitatione, vel promiſſione, ſecundùm eum ſine vitio monachatur intrans, & ſperans de Abbatia, & eligitur, ſive

po-

poſtulatur in Abbatem, argum. *d. cap. Quid proderit*, cum aliis præallegatis. Deindè Hoſtienſ. diſtinguit utrùm vacet Abbatia in introitu, & ſpes reprobatur, vel non vacet, & tunc approbatur, dummodò intrans dignitatem ſperet non ut honoretur, ſed ut oneretur, arg. *Qui Epiſcopatum* 8. *quæſt.* 1. *& cap. Accedens in fine* 50. *diſt.* & cùm Hoſtienſ. tranſeunt hìc Joan. Andr. *num.* 7. & Bellam. *in princip.* ſed Abbas *num.* 5. ſequuntur Archidiac. *in d. cap. Per laicos* 16. *quæſt.* 7. videtur concludere hìc reprobari ſpem, etiam ſecundariam, & ponderat illam dictionem univerſalem negativam, *nullam ſpem*, quæ videtur excludere tàm principalem, quàm ſecundariam, ut in *cap. Solitæ de maior. & obed. cap. Si Romanorum* 19. *diſt.* & tandem concludit nullam ſpem debere Ordinandum, ſeu Monachandum habere, ut aliis præſit, & ſic propter honores ſæculi, vel propter divitias, per *cap. fin.* 40. *diſt.* & quod hìc dicitur, *nullam ſpem*, intelligit ut ſibi prodeſſe poſſit, ſecus ſi ſperet propter bonum publicum, quia ſpes hujuſmodi non videtur damnata, ut in *d. cap. Qui Epiſcopatum*. Ita Abbas, qui tamen in *cap. Tua nos in primo notab. infrà de Simon.* probavit diſtinctionem inter intentionem principalem, & ſecundariam aſſequendi beneficium, quam ibi poſuerunt Innoc. *in ver. Intentione*, Hoſtienſ. & Joan. Andr. ambo *num.* 3. *in eod. ver.* & Card. *num.* 3. nam ſecundùm eos vix hæc facere poſſunt, qui hujuſmodi intentionem ſecundariam non habent. Satis poteſt dici eum, qui Monachus efficitur ſpe conſequendi Abbatiam, mortaliter peccare, & ſimoniam committere, ſi hujuſmodi ſpes ſit talis, ut ſine illa Monachatus non fieret, quod tenent Hugo, & Turrecrem. in *d. cap. Per laicos*. Ad illud autem, quod hìc dicunt Hoſt. Ioan. Andr. Abb. & alii, videlicet hanc ſpem non reprobari, dummodò intrans ſperet non ut honoretur, ſed ut oneretur, & propter bonum publicum, vide D. Thomam egregiè explicantem hoc eſſe peccatum præſumptionis in 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 1.

22 QUÆRO, Cùm hìc diſponatur, ut non Monachus præfici non poſſit regimini Eccleſiæ regularis, utrùm in proviſione beneficiorum regularium, quibus animarum cura perſonarum ſæcularium incumbit, ſervanda ſit forma examinis per concurſum à Concilio Trident. præſcripta *in cap.* 18. *ſeſſ.* 24.

Pro ſolutione, ut clara à dubiis ſegregentur, duo caſus ſunt diſtinguendi. Primus caſus eſt, cùm beneficia hujuſmodi in titulum conferuntur. Secundus eſt, cùm dantur in commendam.

In primo caſu clarum eſt in collatione talium beneficiorum formam concurſus non eſſe obſervandam. Etenim cùm conferri debeant, aut Religioſis ejuſdem Ordinis expreſsè profeſſis, ſi ſint Præfecturæ, & Adminiſtrationes, aut iis, qui habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere omninò teneantur, ſi ſint portiones Monachales, vel Canonicales, & conſimilia beneficia adminiſtrationem non habentia, juxta decretum Concilii in *cap.* 10. *ſeſſ.* 14. & diſtinctionem quam poſui *in cap. Cùm cauſam in ult. notab. ſuprà eod.* jam conſtat in eorum collatione nec debere, nec poſſe obſervari formam concurſus, in qua notantur omnes concurrere volentes per edictum etiam publicum, & liberum eſt etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre quemadmodum præſcribitur decreto *d. cap.* 18. & eo magis, quia de beneficiis curatis Concilium egit ſpecialiter *in cap.* 11. *verſ. Nec ibi aliqui ſeſſ.* 25. *de regular.* ubi ſimpliciter mandavit neminem in iis deputari, niſi de conſenſu Epiſcopi Diœceſani, & prævio examine per eum, aut ejus Vicarios faciendo. Undè meritò Sacr. Congregatio ejuſdem Concilii interpres conſulta, an in beneficiis regularibus, & quæ regularibus conferri conſueverunt, concurſus requiratur: Reſpondit non requiri, ſed ſufficere, ut is regularis, cui conferri debet beneficium, ſit ab Ordinario examinatus, atque probatus.

In ſecundo caſu major eſt difficultas.

23 Undè revoco in dubium, An in beneficiis regularibus Curatis, quæ Clericis ſæcularibus commendari conſueverunt, obſervanda ſit forma concurſus præſcripta decreto Concilii Trident. *d. cap.* 18. *ſeſſ.* 24.

Videtur reſpondendum non eſſe obſervandam, jam enim ſæpiùs Sac. Congregatio declaravit decretum *d. cap.* 18. non comprehendere beneficia regularia curata, quæ regularibus conferri conſueverunt, ut dictum eſt in primo caſu: Ergo nec comprehendit illa, quamvis poſteà 24
commendentur à Summo Pontifice, quia commendæ non mutant ſtatum beneficii, quod ceſſante commenda vacat 25
eo modo, quo ante commendam vaeabat, ut colligitur ex gloſſ. 1. in *cap. Si conſtiterit de accuſ.* & tenet Feder. de Sen. *in tract. de rer. permut. quæſt.* 15. dicens Eccleſiam vacantem, cùm conceditur in commendam, finita commenda dici vacare per primum modum, ſcilicet mortis, ea ratione quia commenda non facit commendatarium Prælatum: Ergo durat antiqua vacatio: nam quamdiu proviſum non eſt Eccleſiæ de Prælato, ſemper Eccleſia vacare dicitur: ut per Hoſtienſ. *in cap. Ne pro defectu infrà eodem.* Et ſententiam Feder. de Sen. pluribus rationibus confirmat Romanus *conſ.* 350. *num.* 3. Corn. *conſ.* 66. *colum.* 1. *circa medium lib.* 3. Bertrand. *conſ.* 235. *num.* 3. *vol.* 4. *antiq.* Capyc. *deciſ.* 2. *num.* 2. quod procedit nedum in commenda temporali, ſed etiam in perpetua, Caſſad. *deciſ.* 5. *de privileg. num.* 2. Sicut igitur non fuiſſet inſti- 26
tuendus concurſus beneficii regularis vacantis per obitum regularis: ita nec debet inſtitui poſtquam eſt ſolitum commendari, cùm antiqua vacatio, ceſſante commenda, adhuc duret. Accedit quòd Concilium *d. cap.* 18. dum inſtituit formam concurſus, non videtur cogitaſſe de beneficiis regularibus commendatis. In his enim ſpecialiter poſteà providit in *cap.* 21. *ſeſſ.* 25. *de regular.* ut quoties in poſterum vacarent, nonniſi regularibus conferrentur. Undè proviſio generalis præcedens non videtur referenda ad beneficia regularia commendata, de quibus ſubſequitur proviſio ſpecialis, ut per Bart. in *leg. Quæſitum*, §. *Si fundum num.* 16. *ff. De fid. inſtrum.* Denique appellatio- 27
ne Eccleſiarum curatarum non comprehendi regularia commendata expreſsè videtur ſenſiſſe idem Concilium: nam cùm in *cap.* 8. *ſeſſ.* 7. tribuerit Epiſcopo facultatem viſitandi Eccleſias etiam exemptas, quamvis curatas: quaſi talium Eccleſiarum nomine non venirent regularia commendata, eamdem poſteà viſitandi facultatem quoad hæc regularia nominatim Epiſcopo conceſſit in *cap.* 8. *ſeſſ.* 21. Ideòque cùm in *cap.* 18. nullam mentionem fecerit, ut poteſtas Epiſcopi circa concurſus inſtitutionem extendatur ad regularia commendata, noluiſſe credendum eſt, *cap. Inter corporalia*, *verſ. circa de tranſlat. Epiſcopi*, *leg. unica*, §. *Sin autem ad deficientis*, *Cod. De caduc. toll.* & tradit in ſpecie Quintil. Mandoſ. *in reg.* 32. *de impetr. benefic. vacan. per obitum famil. Card. quæſt.* 7. *num.* 16.

Non obſtat, quòd hodie commendæ æquiparentur titulis, ut per Gomez. *in regul. de trienn. quæſt.* 5. Non enim inde ſequitur, ut beneficium regulare, cùm datur in commendam, comprehendatur à Concilio, quod ex declaratione Sac. Congregationis de ſæcularibus tantùm beneficiis intelligitur.

Nec ſimiliter obſtat, quòd etiam hoc caſu videatur militare ratio Concilii conſiderata *in princ. d. cap.* 18. ſcilicet, ut dignioribus beneficia conferantur. Quia non proptereà infertur, ut Concilium voluerit comprehendere hujuſmodi regularia commendata, cùm alibi hortetur Summum Pontificem, ut deinceps illa conferat regularibus tantùm, inter quos non cadit forma concurſus: ſicut videmus nec Parochiales juriſpatronatus laicorum, nec Vi- 28
carias perpetuas eſſe conferendas prævia forma hujus examinis, quamvis in his quoque vigeat prædicta ratio, nempè quia de dictis Parochialibus ſpecialiter Concilium egit *in d. cap.* 79. *verſ. Quòd ſi juſpatronatus*, & de Vicariis *in c.* 7. *ſeſſ.* 7. *& cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regul.* Et proptereà nec Sacra Congregatio eamdem rationem attendit, dum declaravit beneficia regularia curata non comprehendi *in d. cap.* 18. Prætereà in his, quæ exorbitant à jure communi, ſicut eſt 29
forma examinis per concurſum, non fit extenſio de caſu ad caſum, etiam ex identitate rationis, ut notat gloſſ. in *cap. Conſtitutionem in verſ. Prorogamus de regul. lib.* 6. Item gloſſ. *unic. in cap. Quæ à jure de regul. jur. eod. lib.* & Bart. in Extravag. *Qui ſint rebelles*, §. *Tranſit num.* 3. aliàs ponderationes ad ſupraſcriptum dubium, & reſolutionem Sac. Congregat. habes infrà *in cap. Cùm ſit ars num.* 37. & 40. *de ætat. & qualit.*

DE CONSUETUDINE.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XLII.

QUia propter diverſas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Eccleſiis viduatis. Statuimus ut cùm electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de collegio fide digni, qui ſecretè, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto: ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, & ſanior pars Capituli conſetit. Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium, Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore. Aliter electio facta non valeat: niſi fortè communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem abſque vitio celebrata. Qui verò contra præſcriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice poteſtate priventur.

Illud autem penitùs interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens in eo loco, de quo debeat advocari, juſtoque impedimento detentus venire non poſſit: ſuper quo, ſi opus fuerit, fidem faciat juramento: & tunc ſi voluerit, uni committat de ipſo Collegio vicem ſuam.

Electiones quoque clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes ut quàm citò electio fuerit celebrata, ſolemniter publicetur.

S U M M A R I U M.

1 *ELectio non ſervata forma hujus capitis non valet, & eligentes privandi ſunt pro illa vice poteſtate eligendi.*

2 *Electionis formæ ſunt ſcrutinii, compromiſſi, & quaſi inſpirationis.*

3 *Electio per veram inſpirationem eſt immediatè à Deo, nec redigitur ad aliquam formam juris poſitivi.*

4 *Columba, per quam Ravennates Archiepiſcopi eligebantur, à corvo dicitur occiſa.*

5 *Proœmium denotat cauſam finalem, & regulat totam diſpoſitionem.*

6 *Formæ hìc ſtatutæ non ſunt ſervandæ. niſi in electione illorum Prælatorum, per quorum mortem Eccleſiæ ſunt viduatæ.*

7 *Eccleſia per quorum obitum viduata maneat, & num. ſeqq. uſque ad num. 36.*

8 *Electio Epiſcopi fieri debet ſecundùm formam hujus Capituli.*

9 *Matrimonium ſpirituale inter Prælatum inferiorem, & Eccleſiam propriè non contrahitur, ſed quaſi matrimonium, & num. 32.*

Electio Prælatorum Regularium facienda eſt ſecundùm formas hic præſcriptas d. num. 9.

Quod procedit ſi Prælati Regulares ſint intitulati, aliàs ſecus num. 14. & ſeqq.

10 *Electio Abbatum fieri debet juxta hoc Capitulum, ſi ſint perpetui, ſecus ſi temporales, num. 14. & ſeqq.*

Abbas eſt nomen potius ſolicitudinis, quàm honoris, d. num. 10.

11 *Dicitur tamen Paſtor, & per ejus obitum Eccleſia remanet viduata.*

Abbatiæ in multis æquiparantur Epiſcopatibus, ibid.

12 *Abbatiſſa dignitatem habet.*

13 *Et eligi debet juxta hoc Capitulum.*

Si habeat Monaſterium in titulum, aliàs ſecùs num. 16. & ſeqq.

14 *Electio Generalium, & aliorum Superiorum Regularium etiam perpetuorum, qui Monaſteria non habent in titulum, fieri non debet ſecundum formam hujus Capituli, & num. 18.*

15 *Sed ſufficiunt ſingulares conſenſus Capitularium, dummodò præſtentur in communi.*

16 *Et electio fiat per vota ſecreta ad præſcriptum Concilii Trident. num. 30.*

17 *Tridentinum Concilium* cap. 6. ſeſſ. 25. de regular. *expenditur.*

18 *Generales Ciſtercienſis, & Cluniacenſis ſunt etiam Abbates perpetui, ac proinde, eligi debent ſecundùm formam hujus cap.*

20 *Electionis formæ, de quibus in hoc Capitulo, non ſunt ſublatæ à Concilio Trident.*

21 *Scrutinii forma eſt incompatibilis cum forma Concilii Trident.*

22 *Electio Regularium, in qua duo, vel tres ſuſcipiunt vota eligentium, non eſt conformis diſpoſitioni Concilii Trident.*

Et quid in electione Abbatiſſæ, num. 51.

23 *Idem ſi ſcriba communis det ſingulis electoribus plures ſchedulas cum nomine unius tantùm eligendi.*

24 *Scrutinii forma eſt valdè difficilis obſervatu.*

25 *Electio Superiorum Regularium per viam compromiſſi, vel quaſi inſpirationis, eſt ſublata à Concilio Trident. & num. ſeqq. & num. 30.*

26 *Compromiſſarii non arctantur ad ſecretum.*

27 *Electio quaſi inſpirata, quæ dicatur.*

28 *Non eſt abſolutè à Deo, ſed quaſi à Deo.*

29 *Subjacet legi poſitivæ, & indiget canonica probatione.*

30 *Electio Superiorum Regularium fieri debet tamen per vota ſecreta.*

31 *Electio Prælatorum principalium Collegiatorum Eccleſiarum, qui generalem habent juriſdictionem, fieri debet ſecundùm formam hujus cap.*

32 *Prælati inferiores ſunt quodammodo Sponſi Eccleſiæ.*

33 *Capitulum hoc eſt favorabile, nec debet multùm ſtrictè interpretari.*

34 *Electio ad dignitates, perſonatus, & Canonicatus in Cathedralibus Eccleſiis neceſſariò fiere non debet juxta hoc cap.*

35 *Niſi aliud habeat conſuetudo Eccleſiæ.*

In electione Papæ an ſint ſervandæ formæ ſcrutinii, compromiſſi, & quaſi inſpirationis, remiſſivè d. n. 35. in fin.

36 *Electionis per viam ſcrutinii primum ſubſtantiale eſt, ut fiat per congregatos in unum, & num. ſeqq.*

2. *Ut Scrutatores aſſumantur à Collegio, num. 43.*
3. *Ut ſcrutatores ſint tres, num. 45.*
4. *Ut ſcrutatores ſint de Collegio, num. 45.*
5. *Ut vota ſingulorum exquirantur ſecretè, num. 47.*
6. *Ut exquirantur ſingillatim, num. 48.*
7. *Ut exquirantur vota cunctorum, num. 49.*
8. *Ut vota in ſcriptis redigantur, num. 53.*
9. *Ut vota in communi publicentur, num. 55.*
10. *Ut publicentur mox, num. 56.*
11. *Ut fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, & zeli ad zelum, num. 57.*
12. *Ut collatio fiat in continenti poſt publicationem, n. 58.*
13. *Ut fiat communis electio, num. 59.*
14. *Ut eadem electio fiat ſtatim poſt collationem, n. 60.*
15. *Ut electio fiat de illo, in quem major, & ſanior pars Capituli conſentit, num. 61.*

16. *Ut*

16. *Ut electio fiat verbalis*, *num.* 63.
17. *Ut electio non ſit clandeſtina*, *num.* 64.
18. *Ut prædictorum omnium ordo ſervetur*, *num.* 66.

37 *Electionis actus non debet eſſe ſingularis, ſed Collegialis.*
38 *Abſentium vocatio non pertinet ad ſubſtantiam electionis, ſed ad juſtitiam.*
Declaratur, *num.* 40.
39 *Electio ex contemptu aliquorum non vitiatur, ſed caſſari debet ipſis proſequentibus contemptum.*
40 *Electio fieri non poteſt, niſi ſint præſentes duæ partes vocandorum.*
41 *Et in numero duarum partium, qui debeant computari.*
42 *Scrutatores non debent ſe ultrò ingerere, alioquin redderentur ſuſpecti.*
43 *Scrutatores ſi ſint plures, quàm tres vitiatur electio.*
44 *Utile per inutile vitiatur, ubi aliquid inducitur pro forma ſubſtantiali.*
46 *Doctori atteſtanti de ſtylo Curiæ non eſt credendum, &* *num.* 53.
47 *Secretè quomodo exquirantur vota eligentium.*
49 *Scrutatores ore proprio vota electorum ſcrutari debent.*
50 *Scrutatores duo ſecundùm communem practicam ſcrutantur tertium.*
51 *Monialium vota in electione Abbatiſsæ debet Epiſcopus, vel Superior ante cancellorum feneſtrellam audire, vel accipere.*
52 *Nec lecto affixæ votum ſuum mittere poſsunt, ſed Epiſcopus debet ad eas accedere pro votis accipiendis.*
53 *Eligentium vota debent in ſcriptis redigi, vel per ſcrutatores, vel per tabellionem etiam extraneum.*
54 *Tabellio in electionis negotio poteſt eſse laicus.*
55 *Publicatio eſt de forma electionis, non autem per quem fiat.*
56 *Dictio*, mox, *quid importet.*
59 *Electio communis poſt collationem votorum, qua forma fieri debeat.*
61 *Electio ut ſit valida non ſufficit, ut quis habuerit majorem partem ſuffragiorum, niſi etiam illa ſit ſanior, & idem in caſu converſo.*
62 *Procurator ad eligendum nomine abſentis etiam legitimè impediti non poteſt eſse, qui non eſt de Capitulo.*
64 *Electio publicari debet in Capitulo, & tutum eſt, ut etiam populo publicetur.*
65 *Electio clandeſtina, quæ dicatur.*
67 *Dies, & locus non ſunt de ſubſtantia electionis, &* *num.* 69.
68 *Etiamſi in Conſtitutionibus Eccleſiæ, vel Ordinis certus dies, aut locus ſit præfinitus, niſi adſit decretum irritans.*
69 *Electio honeſtum eſt, ut fiat in Eccleſia vacante, ſed hoc non eſt de ſubſtantia, niſi aliud habeat conſuetudo.*
70 *Scrutatores, ut ſint fide digni non pertinet ad ſubſtantiam electionis, ſed ad juſtitiam.*
71 *Electio ut celebretur antequam cadaver Prælati ſit traditum ſepulturæ, non eſt de ſubſtantia.*
72 *Præſes Capituli, an ſit de ſubſtantia electionis.*
Capitula celebrari nec ſolent, nec debent ſine præſidente, ibid.
73 *Ad eſse Collegii non requiritur, ut habeat Prælatum.*
74 *Collegia ceſsante exemptione habent Ordinarium per capite: exempta vero Papam.*
75 *Capitulum poteſt congregari ab antiquiore in defectum ejus, ad quem id ſpectant de jure, vel conſuetudine.*
76 *Forma electionis per compromiſſum, quæ ſit, remiſſivè.*

1 QUia propter. Statuit Concilium formas electionum, ſecundùm quas provideri debet Eccleſiis viduatis, caſſans electiones aliter factas, & jubens contrafacientes pro illa vice eligendi poteſtate privari. Secundò prohibet, in electionis negotio procuratorem conſtitui, niſi certa concurrant. Tertiò, præcipit electionem ſtatim publicari, & reprobat clandeſtinas. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. & eſt famoſa, & principalis in titulo, ut inquit Cardin. *in princip.* Dividitur in duas partes principales. In prima ponitur Con..tutionis cauſa. In ſecunda Conſtitutio, ibi: *Statuimus*. Secunda ſubdividitur in tres, quæ patent par §. *Secunda*, ibi, *Illud*. Tertia, ibi, *Electiones*.

Nota primò, ex hac conſtitutione tres formas canoni- 2
cæ electionis, videlicet Scrutinii, Compromiſſi, & Quaſi
inſpirationis, ut hìc per Bernard. in figuratione caſus,
Cardin. Abb. Joan. de Annan. & alios communiter in ſum-
mario textus. Et quamvis Goffred. & Innoc. *num.* 6. *in
ver. Per inſpirationem*, ſenſerint hujuſmodi formas eſſe
duas tantùm, eò quod electio, quæ fit quaſi per inſpira-
tionem non ſit forma, ſed exceptio à formis, ponderantes
textum *in ver. Niſi*. Nihilominùs Compoſtell. *num.* 27. *in
ver. Niſi fortè*, & poſt eum Joan. Andr. *num.* 37. *is eodem
ver.* aſſerunt non eſſe peccatum ſi dicatur eſſe forma, cùm
aliquam habeat formam, ut per eos. Et hìc junge quod
dicam infrà *num.* 28. *& ſeqq.* Rurſus etſi Hoſt. *num.* 51. ſen- 3
ſerit quatuor eſſe formas, & ſub illa dictione, *quaſi*, late-
re etiam veram inſpirationem, & iſtarum formarum hunc
eſſe ordinem, ut primò recurratur ad formam inſpiratio-
nis, quæ eſt immediatè à Deo. Secundò, ad formam
Quaſi inſpirationis, quæ eſt quaſi à Deo. Tertiò, ad for-
mam Compromiſſi, quæ eſt ab homine. Quartò, ad
Scrutinii, quæ eſt à Canone: tamen primum dictum,
videlicet formas ſubſtantiales electionis non eſſe niſi tres,
tenent communiter omnes, & magis conſonat litteræ hu-
jus textus, qui cùm myſterio poſuit illam dictionem,
quaſi, quæ eſt veriſimilitudinaria, & non veritas expreſ-
ſiva, ſecundùm Hoſt. *num.* 50. *in ver. Quaſi per inſpiratio-
nem*, nempè ut excluderet veram inſpirationem, quæ re-
digi non debet, nec poteſt ad aliquam formam juris poſi-
tivi, cum illum, qui nec fallit, nec fallitur, habeat Autho-
rem, *cap. A nobis, il ſecondo infra de ſentent. excommunic.
cap. Duæ* 19. *quæſt.* 2. & talis fuit electio B. Ambroſii, B. Ni-
colai, & B. Severi, de quibus in §. *His omnibus* 61. *diſtin.*
Hæc tamen ſecundùm Hoſt. *d. num.* 51. peccatis noſtris im- 4
pedientibus, rarò, aut numquam occurrit, adeò ut fabu-
losè dici ſoleat, columbam illam, per quam olim Archi-
epiſcopi Ravennates eligebantur, à corvo occiſam fuiſſe,
ut hìc refert Joan. Andr. *num.* 40. *verſ. Unde & dicitur.*

Secundò nota verba illa textus, *Eccleſiis viduatis*, quæ 5
cùm ſint poſita in proœmio Conſtitutionis, deſignat cau-
ſam finalem, & regulant totam diſpoſitionem, ut *leg.* 1. *ff. de
orig. jur. l. ult. ff. de hæred. inſtit.* Oldrad. *conſ.* 103. *Quæſtio eſt*,
verſ. Secundo ex hoc, Lapus *allegat.* 101. *in Civitate num.* 24.
verſ. Circa ſecundùm, Bart. *in leg. Cùm ii num.* 4. *& in* §. *Eam
tranſactionem*, *ff. de tranſact.* Undè diſpoſitio hujus capi- 6
tis locum non habet, niſi in electione illorum Prælato-
rum, per quorum obitum Eccleſiæ remanent viduatæ, &
ſine Paſtore, prout hìc notat gloſſa prima, quæ à Doctori-
bus communiter recipitur. Contrahitur enim inter Præla- 7
tum, & Eccleſiam ſpirituale conjugium, *cap. Sicut vir* 7.
qu. 1. *cap. Requiſiſti de teſt. cum ſimul.* Ac proindè ſicut uxor
carnalis per obitum viri remanet vidua, *cap. Vidua* 34. *diſt.*
ita & Eccleſia per obitum Prælati, & ſponſi ſpiritualis, ut
cap. Inter corporalia, §. *Sed neque infrà de translat. Epiſcop.*

Hinc deducitur primò, ut in electione Epiſcopi indi- 8
ſtinctè ſervandæ ſint formæ hìc præſcriptæ, quia Epiſco-
pus propriè eſt ſponſus Eccleſiæ, & inter ipſum & Eccle-
ſiam propriè matrimonium ſpirituale contrahitur, ut lo-
quantur jura præallegata, & plenè probavi in *cap. Quantò
num.* 5. *de translat. Epiſc.* poſt Turrecrem. *in d. cap. Sicut vir*
7. *qu.* 1. Undè cùm in Epiſcopo præcipuè verificentur ver-
ba hujus Conſtitutionis de Eccleſia viduata, *cap. Ne pro de-
fectu ſuprà eod.* nulli dubium eſt, quin ad ejus electionem
ſit procedendum altera ex formis hìc ſtatutis à Concilio
Generali. Et in hoc poſt gloſſam primam, & Abb. Antiq.
hic num. 2. *in fin.* conveniunt omnes, teſte Bellam. *num.* 3.

Deducitur ſecundò, ut formæ hìc præſcriptæ ſint etiam 9
ſervandæ in electione Prælatorum Regularium: nam
etſi inter Prælatos inferiores, & Eccleſiam propriè, &
ſtrictè ſpirtuale conjugium non contrahatur, ut tenent
Archid. *in cap. Sicut vir.* 7. *qu.* 1. Butr. in *cap. fin. num.* 51. *&*
ibi etiam Abb. *num.* 5. *ſuprà de poſtul. Prælator.* tamen in-
ter eos eſt quaſi matrimonium, ut probat textus optimus
in *cap. Ne pro defectu ſuprà eodem* ubi Pontifex æquipa-
rat Ecclſias Cathedrales, & Regulares, & illorum Præla-
tos appellat Paſtores, & per illorum mortem dicit Eccle-
ſias viduatas: Unde meritò hæc Conſtitutio etiam in

eorum

eorum electionibus ſervanda eſt; & ita hìc firmant gloſſ. 1. Joannes, Tancredus, Vincentius, Philippus, Hoſt. relati à Bellamera *n.* 3. item Abb. Antiq. *n.* 3. & alter Abb. *n.* 7. *verſ. Circa*, *& n.* 8. *verſ. Et placent*, Rot. *deciſ.* 5. *in princ. de elect. in Novis*, Franciſcus Marc. *dec.* 992.

10 Et quamvis Roffredus in libro ubi tractat de Monachis, §. *Videamus ultimo*, *verſ. Illud autem frequenter*, relatus hìc à Joan. Andr. *num.* 59. dixerit, pronuntiatum fuiſſe de mandato Papæ hanc Decretalem non habere locum in electione Abbatum, quia Abbas non dicitur propriè Paſtor, & eſt nomen ſolicitudinis potiùs, quàm honoris, *cap. Hoc ta-*
11 *men* 17. *qu.* 2. tamen ſecundùm Joan. Andr. *d. num.* 50. Paſtor dicitur, ut in *cap. Officii ſuprà eod.* & Abbatiæ in multis æquiparantur Epiſcopatibus, *cap. Cupientes ſupra eod. &*
12 *c. Si poſtquam lib.* 6. & nedum Abbas, ſed etiam Abbatiſſa dignitatem habet, ut *cap. Indemnitatibus*, §. *Verùm infrà eod. lib.* 6. Quare ipſemet Roffredus *infrà eod. lib.* 6. juxta principium, §. *Attende*, contrarium dixerat, id eſt Decretalem ſervandam eſſe etiam in electione Abbatum. Et hanc partem amplectitur hìc Joan. Andr. *num.* 59. dicens notabiliter ita tenere omnes, & ita ſervari, & eum ſequuntur hìc Bellam. *num.* 3. Butr. *num.* 20. Cardin. *num.* 2. *in prima quæſt.* Anchar. itidem *in prima quæſt.* Imol. *num.* 3. & Abbas *num.* 7. *in fin. & num.* 8. Silveſt. *in ver. Electio*, *ſecundo num.* 2. *verſ. Eod. modo*, ubi teſtatur opinionem Roffredi communiter reprobari, Rota *d. deciſ.* 5. *in princ. juncto n.* 2. & apud Card. Seraph. *deciſ.* 647. & noviſſimè in cauſa Meten. Monaſterii 5. *Julii* 1621. *coram Coccino*, *verſ. Quod autem*, & coram eodem *in Treveren. Abbatiæ S. Maximini* 20. *Novembris*
13 1624. *in princ.* Et idem intellige de Abbatiis Monialium, ſalvo eo quod habetur in *cap. Indemnitatibus*, §. *Ut autem infrà eod. lib.* 6. ſecundùm Joan. Andr. *hìc num.* 59. *verſ. Et idem intelligas*, cui conſentiunt Bellam. *num.* 3. *verſ. Dic ergo*, ubi ait ita ſervari, Card. *in ſecunda qu.* & Anchar. *in prima quæſt. verſ. Hoc tamen contrarium*, dicens, ita omnes tenere. Licèt Abb. Antiq. *num.* 4. dixerit in Abbatiis, & Monaſteriis Monialium hoc non habere locum, quia mulieribus propter ſimplicitatem eſt licitum jura ignorare, *l. Regula*, *ff. De juris*, *& facti ignoran.*

14 Cæterùm adverte ne decipiaris, quia ſupraſcripta illatio venit declaranda, ut procedat tantummodò in Abbatibus perpetuis, & aliis Prælatis, qui Monaſteria obtinent in titulum, non autem in Abbatibus temporalibus, & aliis Superioribus Regularibus non intitulatis: tales enim non ſunt Sponſi Eccleſiæ, nec per mortem ipſorum Eccleſia di-
15 citur viduata; ideòque in eorum electione non ſunt neceſſariæ formæ hìc præfinitæ, ſed ſufficiunt ſingulares conſenſus Capitularium, dummodò præſtentur in communi, & omnibus collegialiter congregatis, & electio fiat à majori, & ſaniori parte Capituli, ad quod allego bonam gloſſam in
16 *c. Sicut in ver. Forma inf. eodem lib.* 6. Et probatur ſatis clarè in decreto Concilii Trident. *c.* 6. *ſeſſ.* 25. *de regular.* quo ſtatuitur, ut electio quorumcumque Superiorum, Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum fieri debeat per vota ſecreta, itaut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur; alioquin
17 electio irrita ſit. Pondera primò, quia Concilium ibi non loquitur ſimpliciter de Abbatibus, ſed de Abbatibus temporalibus, innuens per hoc ſe noluiſſe immutare formam hujus Decretalis quoad Abbates perpetuos, & alios intitulatos; ſed tantummodò novam formam præſcribere voluiſſe in electione aliorum Superiorum Regularium, qui intitulati non ſunt. Item pondera, quia Concilium dum loqui-
18 tur de electione Generalium, & aliorum officialium, cum myſterio non repetit verbum illud, *temporalium*, quòd tales ſive ſint perpetui, ſive temporales non ſunt Sponſi Eccleſiæ; & propterea eligi non debent ſecundùm formas hìc ſtatutas à Concilio Lateranen. ſed per vota ſecreta ad præſcriptum Conc. Trident. & Conſtitutionum cujuſque ordinis, ut communiter ſervatur, & olim declaravit Sacra Congregatio Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum: nam cum eſſet quæſitum, An diſpoſitio Concilii *cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de regular.* volens Superiores eligi per vota ſecreta, intelligatur nedum in temporalibus, ſed etiam in per-
19 petuis Superioribus: Sacra Congregatio cenſuit intelligi etiam de perpetuis. Verùm hoc intelligas, niſi Superiores hujuſmodi eſſent perpetuò intitulati in aliqua Abbatia, vel Monaſterio, ut contingit in Generali Ciſtercienſi, qui eſt Abbas perpetuus Ciſtercii; & in Generali Cluniacenſi, qui ſimiliter eſt caput Ordinis, & perpetuus Abbas Monaſterii Cluniacenſis, ut innuitur in Concilio Trident. *c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regular.* Tales enim, ſicut alii Abbates perpetui, ſunt eligendi ſecundùm formas hujus Decretalis, cui Concilium Tridentinum non derogavit, quemadmodum & Rota cenſuit in *d. Treveren. Abbatiæ*, *verſ. Neque etiam coram Coccino*, formam enim tot laboribus, & vigiliis adinventam Concilium cenſeri non debet uno verbo ſubvertere voluiſſe, ut legitur in *c. Eccleſia veſtra, il* 2. *ad fin. inf. eod.*

Sed in electione aliorum Superiorum Regularium, qui 21
Eccleſias non habent in titulum, non modò non ſunt ſervandæ formæ hujus Decretalis, ſed nec ſervari poſſunt, quia non compatiuntur cum forma præſcripta à Concilio Tridentino. Et quidem quoad formam ſcrutinii hoc patet evidenter, primò quia ex præſcripto hujus textus aſſumendi ſunt tres ſcrutatores, qui vota eligentium ore proprio exquirant, ut dicam infrà in ſeptimo ſubſtantiali hujus formæ *num.* 49. hoc autem ſervari non poteſt ſecundùm formam electionis Conc. Tridentini: nam propoſi-
to dubio, An electio facta per ſcrutinium ubi duo, vel tres 22
ſuſcipiunt vota eligentium, ſit conformis diſpoſitioni expreſſæ *cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de regular.* Sacra Congregatio cenſuit non eſſe. Deindè ex præſcripto hujus capitis vota eligentium debent in ſcriptis redigi per ipſos ſcrutatores, vel per tabellionem. Idque ſubſtantiale eſt, ut dicam infrà in
8. ſubſtantiali: At ſecundùm formam electionis Concilii 23
Tridentini hoc non poteſt obſervari, cùm debet eſſe ſecreta; ideòque cùm conſueviſſet fieri electio Superiorum hac forma, ut eligeretur ſcriba communis, qui ſingulis electoribus tres ſchedulas tribuat, in quarum ſingula ſit ſcriptum nomen alicujus eligendi ab aliis diverſum, & elector, ſchedulis de manu Scribæ acceptis, quam ex eis elegerit pro voto ſuo tradat, aliis duabus laceratis; cùmque audiviſſet in quadam electione ſcribam unam tantùm ſchedulam aliquibus, vel duas, in quibus idem nomen continebatur tradidiſſe: fuit dubitatum an eſſet ſervata forma præſcripta *c.* 6. *ſeſſ.* 25. *de regular.* S. Congreg. cenſuit electionem nullam, quia ſcriba potuit revelare.

Demùm ſecundùm formam hujus c. Subſtantiale eſt, ut vota electorum publicentur in communi, ut dicam infrà in 9. Subſtantiali. At ſecundùm formam Concil. Tridentini viceverſa ſubſtantiale eſt, ut eligentium vota numquam publicentur, ut in *d. c.* 6. Ergo implicat contradictionem, ut in electione Superiorum Regularium, quæ fieri debet ſecundùm formam *d. c.* 6. ſervetur forma ſcrutinii præſcripta in hac decretali.

His addo fuiſſe admodum rationabile, ut Religioſi 24
exempti eſſent à forma ſcrutinii hìc præſcripta, quia illa eſt difficillima obſervatu ob quam plurima ſubſtantialia, quæ inſunt huic formæ, ut patebit infrà *à num.* 26. *uſque ad n.* 67. adeò ut Juriſtæ practicam ignorantes in ea deficiant, ut inquit gloſſ. *in c. Cum expediat in ver. Inquiſitis infr. eod. lib.* 6. & Abb. *hìc n.* 16. *in fin.*

Quo verò ad formam compromiſſi, & quaſi inſpiratio- 25
nis id ipſum patet, quia cùm Tridentina Synodus voluerit electionem aliter fieri non poſſe, quàm per vota ſecreta, & nomina electorum, numquam publicari; utique per hoc excluditur forma compromiſſi, & quaſi inſpira- 26
tionis: neutra enim eſt ſecreta, cùm compromiſſarii ad ſecretum non arctentur, ut notat gloſſa in *cap. Cùm dilectus in ver. Examinatis ſuprà eod.* Butr. *hìc num.* 45. *& in d.*
cap. Cum expediat num. 10. Electio verò quaſi inſpirata fiat 27
cùm omnes afflati Paraclito, ad inſtar Apoſtolorum uno ore loquentes eligunt, ut hìc per Hoſt. *num.* 51. & Joan.
Andr. *numer.* 40. Neque obſtat, quod hujuſmodi electio 28
cùm ſit à Deo, non potuerit tolli per legem poſitivam Conc. Tridentini, quia quæ ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege, *cap. Duæ* 19. *qu.* 2. *cap. Licèt infrà de regular.* nam reſpondetur, electionem quaſi per inſpirationem non eſſe abſolutè à Deo, ſed quaſi à Deo, tamen Hoſt. *numer.* 51.
quia ſic præſumitur; non tamen adeò eſt certum, quin 29
poſſit eſſe contrarium; unde & talis electio propter dubium ſubjacet legi poſitivæ, & eget canonica probatione, & confirmatione, *cap. Niſi cùm pridem de renunciat. cap. Cùm ex injuncto de hæret.* & hìc firmant. Hoſt. in *d. num.* 51. Joan. Andr. *num.* 50. cum quibus alii tranſeunt meritò,
cùm Carthuſiani dubitaverint, An in electione Superio- 30
rum

rum poſſit procedi nedum per viam ſcrutinii, ſed etiam
inſpirationis, vel compromiſſi: Sacra Congregatio Con-
cilii cenſuit electionem horum Prælatorum Regularium
debere fieri tantùm per vota ſecreta, ut ſe habent verba
propria Concilii *d.c.6.*
31 Deducitur tertiò, ut formæ hìc ſtatutæ ſervari etiam
debeant in electione Prælatorum principalium Collegiata-
rum Eccleſiarum etiam ſæcularium, qui in ſpiritualibus
generalem habent juriſdictionem in iiſdem Eccleſiis, ut
concludit gloſſ. 1. hìc Goffred. Innoc. Compoſtell. & Hoſt.
quos refert, & ſequitur Joan. Andr. *num. 60. in gloſſ.* ibi,
Collegiatis, Abb. Antiq. *num. 3.* Bellam. *eod. num. ver. Ter-
tio die*, Silveſt. *in ver. Electio ſecundo num. 2. verſ. Nec ar-
bitror*, dummodò tamen Collegium ſit tale, & tantùm,
ut poſſint formæ ſervari, ſecundùm Joan. Andr. *ubi ſuprà.*
32 Ratio eſt, quia etſi inferiores Prælati non ſint propriè
ſponſi Eccleſiæ, nec cum eis propriè fit matrimonium
ſpirituale, ſed cum Epiſcopo, tamen ut tetigi ſuprà *n. 8.*
& docet S. Thomas in *4. diſt. 20. art. 4. quæſt. 1. & diſt. 24.
qu. 3. art. 3.* tamen & ipſi quodammodo ſponſi appellantur,
c. Sicut in unaquaque 21. qu. 2. ſecundùm gloſſ. & alios præ-
allegatos, *& ver. Viduata*, in hac materia non debet capi
ita ſtrictè, quin porrigatur etiam ad Prælatos, & Paſtores
inferiorum Eccleſiarum, ut patet *in d. c. Ne pro defectu ſu-
33 prà eodem*, præſertim verò quia hæc Decretalis eſt favora-
bilis, cùm emanaverit ad ſummovenda Eccleſiarum peri-
cula, & impedimenta, ut patet ex principio textus, undè
non debet multùm ſtrictè intelligi, ut perpendunt Abbas
hic n. 9. & Silveſter *in ver. Electio 2. n. 3.*
34 Deducitur quartò, ut in aliis dignitatibus, perſonati-
bus, & Canonicatibus Cathedralium Eccleſiarum lo-
cum non habeat hæc conſtitutio, quia per eorum mortem
Eccleſiæ non remanent viduatæ, cùm non ipſi, ſed princi-
pales Prælati ſint ſponſi Eccleſiæ, & in hoc reſident hìc
gloſſa prima *in fin.* Goffred. Innoc. & Compoſtell. Specular.
35 *hoc tit. in fin.* & Gul. Man. *cap. 21.* Ubi idem tenet, niſi
conſuetudo Eccleſiæ habeat, ut etiam in illis dignitatibus
ſerventur formæ, ad quod facit *cap. penult. de offic. delegat.
lib. 6.* Et quamvis contradicat Hoſt. *hìc paulo ante n. 13. ver.
Sed contra*, exiſtimans hanc decretalem habere locum
in omnibus beneficiis, quorum electio, vel collatio ad
aliquod Collegium pertinet; eò quòd hæc fuerit mens
conditoris; & ubi dicit textus, *Eccleſiis viduatis*, Hoſt.
ſubaudit, vel deſtitutis miniſtris; tamen primos ſequitur
Jon. Andr. *hìc n. 60. in ver. Collegiatis, & in c. Sicut cùm in
glòſſ. ordinar. in ver. Formam infr. eod lib. 6.* cui conſentiunt
hìc Bellam. *n. 3. verſ. Quarto dicitis*, Abbas *n. 7. in ver. Eccle-
ſiæ viduatæ*, dicens, in hanc partem inclinare communi-
ter Doctores, & ſubauditionem Hoſt. deſtruere hanc litte-
ram, & communiter non teneri, nec eſſe rationi conſenta-
neam, tum quia ubi agitur de modico præjudicio non eſt
neceſſaria tanta ſolemnitas, tum quia non deficit Supe-
rior, qui poſſit difficultatibus occurrentibus providere,
arg. in *c. Ubi periculum in princ. infr. eod. lib. 6. & c. Licèt in
fin. ſuprà eod.* & ſequitur totidem verbis Silveſt. *in verſ.
Electio, il ſecondo n. 2. verſ. & conſequenter.* An autem in
electione Romani Pontificis hodie ſervandæ ſint formæ
ſcrutinii, compromiſſi, & quaſi inſpirationis, latiſſimè
in *c. Licèt de vitanda ſupr. eod.*
36 Ultimo nota octodecim ſubſtantialia formæ electionis
per ſcrutinium, quæ ex hac Decretali colliguntur, ſecun-
dùm Jo. Andr. *n. 28.* quem DD. communiter ſequuntur.
37 Primum ſubſtantiale eſt, ut electio fiat per congrega-
tos in unum, itaut actus ſuis electio non fiat ſingulariter,
puta in Camera, ſed Collegialiter, & in communi, ut innui-
tur in tex. ibi *Præſentibus omnibus, &c.* & habetur aper-
tiùs in *cap. In Geneſi infrà eod.* & hìc notat Innoc. *num. 1.*
dicens eſſe de forma, ut Capitulum congregetur, Hoſt.
num. 17. in ver. Aſſumantur, Joan. Andr. *num. 28.* Butr. *nu.
20. verſ. Ad intellectum*, Cardin. *num. 3. in ſeptima quæſt.* &
Abb. *num. 12.* gloſſ. *in cap. 1. in ver. Tractatus de reb. Eccleſ.
38 non alienan. lib. 6.* Non tamen intelligas eſſe de ſubſtantia-
libus formæ, ut vocentur abſentes, hoc enim ad ſubſtan-
39 tiam electionis non pertinet, ſed ad Juſtitiam. Et ideò ex
contemptu aliquorum electio non vitiatur, ſed retractari
debet ipſis proſequentibus contemptum, ut *cap. Quod ſi-
cut, & cap. Bonæ ſuprà eod. & infra cap. Eccleſia, il ſecon-
do*, & hìc declarant Joan. Andr. Card. & Abbas *locis cita-
tis.* Itaque de ſubſtantia eſt, ut electores congregentur in
unum, non autem ut omnes ſint præſentes, & in hoc con-
veniunt omnes teſte Bellam. *hìc num. 11.* Dummodò tamen 40
ſint præſentes duæ partes eorum: qui ad electionem vo-
cari debent; aliàs enim non eſſet ibi Capitulum, ſeu Uni-
verſitas: Sed ſi duæ partes ſint præſentes, tunc valebit, quòd
major pars diſpoſuerit, ut notatur in *l. Nulli, & in l. Plane,
ff. Quod cujuſque univerſ. n.* & per Bellam. *d. n. 11.* & Abb. *nu.
12.* & Petr. à Biaxio in *Direct. Election. in 3. p. c. 6. n. 3. verſ.
Et jura quæ dicunt*, & ſecundum hoc ſi vocales eſſent duo-
decim, & quatuor eſſent contempti, valeret electio facta à
quinque ex octo præſentibus: Secus ſi eſſent contempti
quinque, quia tunc non eſſent ibi duæ partes conſtituen-
tes Capitulum, quod benè nota. In numero autem duarum
partium non ſunt computandi, niſi qui debent, & volunt, 41
& poſſunt commodè intereſſe, ut firmat Abb. *hic n. 5.* & Pe-
tr. à Biaxio *d. n. c. 6. n. 4.* ad quod vide gloſſ. magnam in *cap.
Indemnitatibus, §. Sane in verſ. Non obſtante de elect. lib. 6.
& in Clem. Quod circa in verſ. Qua in facto eod. tit.* & circa
numerum duarum partium vide omninò diſtinctionem,
quam ex mente Canoniſtarum ponit Abb. in *d. c. Cùm om-
nes n. 13. de Conſtitut.*
Secundum ſubſtantiale eſt, ut ſcrutatores aſſumantur 42
à Collegio, ut patet ex littera ibi, *aſſumantur*. Non enim
debent ſe ultrò ingerere, alioquin redderentur ſuſpecti,
ut *leg. Quæ omnia, ff. De Procurat.* & poſt Vincent. hìc no-
tant Abb. Antiq. *num. 7. in ver. Aſſumantur*, Hoſt. *num. 17.
in eod. ver.* Joan. Andr. *num. 10. & num. 28. verſ. Secundum*,
Cardin. *num. 3. in 8. quæſt.* & aliis communiter. Et quam-
vis Abb. *num. 13.* & dubitet an hoc ſit de ſubſtantia, & pu-
tet electionem valere ſi tres de Capitulo aliis videntibus,
& tacentibus incipiant aliorum vota ſcrutari, quia cùm
agatur de re meritoria, & concupiſcibili, tacentes ha-
bentur pro conſentientibus, ut in ſimili notat gloſſa in
cap. Sicut cum in ver. Formam infrà eod. lib. 6. tamen non
videtur recedendum à communi opinione. Quid enim ſi
illi, qui ſe ultrò ingerunt, eſſent potentes, & terribiles;
adeò ut electores non auderent contradicere? ad hoc *leg.
unic. C. Si Rect. Provinc. l. Si per impreſſionem, C. Quod met.
cauſ. l. unic. Cod. Si quacumque prædit. poteſt* Et *cap. Quiſquis
infrà eod.* Undè Concilium ſumma cum ratione ſtatuit, ut
ſcrutatores à Collegio expreſsè aſſumantur, & ipſemet Ab-
bas fatetur tutum eſſe ita ſervare.
Tertium ſubſtantiale eſt, ut ſcrutatores, qui aſſumun- 43
tur, ſint numero tres, non plures, nec pauciores; Idque
ſubſtantiale eſſe firmant hìc Hoſt. *n. 17. & 43.* Joan. Andr.
num. 28. verſ. Tertium, Bald. *num. 31.* Butr. *num. 22. verſ.
Dicitur ſexto*, Cardin. *num. 3. qu. 13.* Anchar. *col. 1. in fine*,
Imol. *num. 7.* & communiter Doctores, ut teſtatur Abbas
num. 13. verſ. Tertium ſubſtantiale, Silveſt. *in ver. Elect.
ſecundo num. 12.* Petr. à Biaxio *in Direct. Elect. par. 3. cap. 23.*
.......Et quamvis gloſſa hìc *in ver. Senior*, Tancred. Vin- 44
cent. & Innoc. *num. 4.* exiſtiment hunc ternarium nume-
rum non eſſe de ſubſtantia; quia qui plus facit, non vi-
detur facere contra, & ſuperflua non vitiant: tamen
prima opinio magis conſonat huic litteræ, quæ dicit, *aſ-
ſumantur tres*, & ibi incipiunt ſubſtantialia formæ, ſe-
cundùm Hoſt. *n. 17. in verſ. Tres*, & Joan. Andr. *nu. 9. in verſ.
Aſſumantur.* Et regula Utile per inutile non vitiatur, lo-
cum non habet, ubi aliquid inducitur pro forma ſubſtantia-
li, ut in terminis electionis tradit Romanus *conſ. 66. Vidi
eximie D. a num. 2. uſque in fin.* Undè à communi opinione
non eſſet recedendum in conſulendo, aut judicando, ut in-
quit Bertrand. *conſ. 187. n. 1.*
Quartum ſubſtantiale eſt, ut iidem ſcrutatores ſint 45
de Collegio, ut eſt expreſſum in littera ibi, *De Collegio*:
& tenent Compoſt. *n. 5. in fin. verſ. De Collegio*, Hoſt. *num.
43.* Joan. Andr. *n. 11.* Butr. *n. 22. verſ. Dicitur ſeptimò*, Car-
din. *n. 3. qu. 12.* Anchar. *col. 2. verſ. Circa hoc*, Imol. *num. 8.*
& Abb. *num. 13. verſ. Quartum ſubſtantiale*, Rota *in præal-
legat. Meten. Monaſterii, verſ. Neque eſt verum, & in dicta
Treveren. Abbatiæ, verſ. Et quod etiam coram Coccino.*
Nec refert, quod aliqui ſentiant non eſſe de ſubſtantia,
ut ſcrutatores ſint ex corpore Collegii, ſed poſſe etiam
aliundè aſſumi, inter quos gloſſ. *in ver. Senior*, Vincen.
& Tancred. hìc Mandagot. *de elect. novor. Prælator. cap. 23.
in ver. Irritari*, qui ampliùs atteſtatur in Curia confirma-
tam fuiſſe electionem Abbatis Tullen. Licèt in ea fuiſſent
aſſum-

aſſumpti ſex ſcrutatores, nempè tres de Collegio, & tres
extra Collegium, ut refert Cardin. *hìc num.* 3. *qu.* 12. *verſ.*
Et juxta Mandagotthum. Quandoquidem à prima opi-
nione, quæ conformis eſt huic litteræ, & magis commu-
46 niter tenetur, non eſt aliquatenus recedendum; & confir-
matio illa potuit concedi ex gratia, non autem ex eo, quod
electio valida eſſet, ut perpendit Rota *in deciſionibus pro-
ximè citatis*, ubi etiam dixit non eſſe credendum Ho-
ſtienſi in ſumma hujus tituli, §. *Qualiter facienda col.* 4.
verſ. Aſſumendum, & aliis nonnullis atteſtantibus ſecun-
dam opinionem eſſe receptam in Curia, ex traditis per
Mohedanum *deciſ.* 2. *&* 3. *de conſuet.*
47 Quintum ſubſtantiale eſt, ut vota ſingulorum exqui-
rantur ſecretè, ut patet ibi, *ſecretè*, & tenet gloſſa *in ver.
Sanior*, Hoſt. *num.* 43. *verſ. Tertium eſt*, Joan. Andr. *num.*
28. *verſ. Quintum*. Abb. *num.* 13. *eod. verſ.* & reliqui om-
nes. Et dic *ſecretè*, id eſt non in communi, ſecundùm
Goffred. ſed ſeorſum ab aliis, qui habent jus in electione,
ut per Hoſt. *num.* 28. *in verſ. Qui ſecretè*, & Abbatem Sicu-
lum ubi ſuprà putà in angulo Captuli, ſecundùm Abb.
Antiq. *num.* 8. *in ver. Qui ſecretè*; idque ob eam rationem,
ut quiſque liberiùs votum ſuum poſſit exprimere, exem-
plo teſtium, qui propterea ſecretò, & ſeorſim ab aliis ſunt
examinandi, *cap. Venerabili infrà de teſtib.* ut hìc per gloſſ.
in verſ. Secretè, Hoſt. & Abb. Siculum *locis citatis*.
48 Sextum ſubſtantiale eſt, ut vota eligentium exquiran-
tur ſingulariter, ut in littera ibi, *& ſigillatim*. Non er-
go exquiri debent bini, vel trini, ſed unus poſt alium,
ſicut ſervatur in teſtibus, qui non debent plures commi-
ſceri in examinatione, aliàs depoſitio nulla eſſet, ut in
d. c. Venerabili, & in cap. Cùm cauſam de teſtib. Idque
inter ſubſtantialia electionis recenſet gloſſa *hìc in ver. Sa-
nior*, Hoſt. *num.* 43. *verſ. Tertium*, Joan. Andr. *nu.* 2. 28.
verſ. Sextum, & Abb. *n.* 15.
49 Septimum ſubſtantiale eſt, ut exquirantur vota om-
nium præſentium, ut habetur in textu ibi, *Vota cuncto-
rum*. Ergo ſi vel unus ex præſentibus omittatur, aut non
exquiratur à tribus ſcrutatoribus, ſed ab uno, vel duo-
bus tantùm, irrita eſt electio, ut hìc per Joan. Andr. *num.*
14. Cum quo Abb. *num.* 16. & cæteri conſentiunt: & ver.
Exquirantur, intellige, ſcilicet per ſe, & ore proprio,
id eſt interrogando electores in quem conſentiant, & quo
zelo, ac de illius meritis, & qualitate; hoc tamen non
eſt de ſubſtantia, ſicut de ſubſtantia eſt, ut exquirant: &
ita hìc notant Innoc. *num.* 6. Hoſt. *num.* 30. Butr. *num.* 25.
& Abb. *in* 3. *not.* Specul. *in tit. de elect.* §. 1. *num.* 17. quos
50 ſequitur Rota *in d. Treveren. Abbatiæ, verſ. Tertiò coram
Coccino*: & hoc intelligas quantum ad ſcrutatores reſpe-
ctu aliorum electorum: reſpectu autem ipſorum quam-
vis diverſæ tradantur practicæ; tamen verior, & com-
munis practica eſt, ut duo ex ipſis ſcrutentur tertium,
ſecundùm Innoc. *hìc num.* 9. *in ver. Cunctorum*, Compoſt.
eod. num. Hoſt. *num.* 43. *verſ. Sed quis inquiret*, Jo. Andr.
num. 18. Butr. *num.* 26. Abb. *num.* 9. *verſ. Quarto quæri-
tur*, & alios apud Rotam *in Treveren. Abbatiæ, verſ. Se-
cundò*. Et ex his ſigna differentiam inter formam ſcruti-
nii inductam ex hac Decretali, & formam inductam
à Concilio Tridentino in electione ſuperiorum Regula-
rium, quæ ita debet eſſe ſecreta, ut non ſit canonica,
51 ſi duo, vel tres vota electorum excipiant, ut dixi ſuprà
num. 22. Licèt ſecus ſit in electione Abbatiſſæ ſanctimonia-
lium, quia ex decreto Concilii Tridenti *c.* 7. *in fin. ſeſſ.* 25.
de regular. Epiſcopus, ſive alius ſuperior ante cancellorum
feneſtellam debet vota ſingulorum audire, vel accipere.
52 Quinimò Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres à
Canonicis Regularibus conſulta, An Moniales lecto pro-
pter morbum affixę votum ſuum ad electionem ſuperiorum
mittere poſſint: Reſpondit non poſſe, ſed qui accipien-
dis, cuſtodiendiſque votis præfecti erunt, debebunt acce-
dere, & ab eis vota accipere.
53 Octavum ſubſtantiale eſt, ut vota electorum in ſcriptis
redigantur, ut in textu, ibi, *in ſcriptis redacta*. Et hoc eſſe
de forma ſubſtantiali, tenet gloſſa *hìc in verſ. Sanior*, Hoſt.
n. 41. Joan. Andr. *n.* 28. *verſ. Octavum*. Abb. *n.* 16. *eodem verſ.*
Et cæteri omnes: & quod dicit in ſcriptis redacta, intelli-
ge vel per ipſos ſcrutatores, vel per tabellionem etiam ex-
traneum, ſecundùm gloſſam *in ver. Redacta*, Innoc. *nu.* 6.
Hoſt. *d. n.* 31. & Joan. Andr. *n.* 19. Nec refragatur, quod vota
ſecretò ſint ſcrutanda: quia hoc debet intelligi quantum
ad ipſos electores, qui non debent vota ſua palàm aperire;
non autem quantum ad perſonas neceſſariò adhibendas, ut 54
declarat præcitata gloſſa, cum qua Doctores communiter
tranſeunt: Imò Tabellio in hujuſmodi actu adhibendus
non ſolùm poteſt eſſe extraneus à Collegio, ſecundùm In-
noc. *ubi ſuprà*, ſed etiam laicus: & quamvis contradicant
Hoſtienſ. Joan. Andr. & alii plures in *c. Sicut te infrà ne Cle-
ric. vel Monach.* tamen hæc opinio non ſolùm eſt verior, &
communior, & ubique recepta ex conſuetudine, ut hìc per
Abb. *n.* 10. Sed etiam reperitur hodie approbata à Concilio
Tridentino in *cap.* 10. *ſeſſ.* 22. ubi patet Notarios etiam Im-
periali, vel Regia authoritate creatos, & ſic laicos poſſe
hoc officium exercere etiam in negotiis, litibus, & cauſis
Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus quamdiu ab Epiſcopo mi-
nùs idonei reperti, vel in officiis delinquentes ſuſpenſi non
fuerint, quem locum ad hoc pleniùs expendi in *d. c. Sicut te
n.* 64. *& ſeqq.* & adde quod in propoſito ſcripſi in *c. Quiſquis
n.* 19. *& ſeqq. ſup. eod.*
Nonum ſubſtantiale eſt, ut vota poſtquam fuerint in 55
ſcriptis redacta in communi publicentur, ut patet in text.
ibi, *publicent in communi*, id eſt in Capitulo. Quam pu-
blicationem ſimiliter eſſe de forma ſubſtantiali, firmat gloſ-
ſa præallegata *in ver. Sanior*, Hoſt. *num.* 44. *verſ. Quintum
eſt*, Joan. Andr. *num.* 28. *verſ. Nonum*, Abb. *num.* 16. *eod.
verſ.* & conſentiunt alii. Publicatio autem fieri poteſt ab
omnibus ſcrutatoribus, vel ab aliquibus ipſorum, vel à
Capitulo; non enim eſt de forma per quem fiat, ſecun-
dùm Innoc. *nu.* 6. *in ver. Publicent*. Sed tu dic, ut per Car-
din. *in* 32. *qu.*
Decimum ſubſtantiale eſt, ut publicatio hujuſmodi fiat 56
mox, poſtquam vota fuerint in ſcriptis redacta, ut patet in
text. ibi, *mox*, id eſt incontinenti, nullo actu contrario
intermedio, unico contextu, inſtar inſtrumenti, ut *l. Hæ-
redes palam in fin. ff. De teſtam.* ſecundùm gloſſ. *hìc in ver.
Mox*, Innoc. *num.* 6. *in eodem* ver. & Cardin. *quæſt.* 31. Et
quamvis nonnulli putaverint iſtud, *mox*, non eſſe de forma,
ut Compoſtell. *num.* 11. *ver. Mox publicent*: tamen contra-
rium tenet Joan. Andr. *num.* 28. *verſ. Decimum*, & eſt tu-
tius, & communius, ſecundùm Cardin. *ubi ſuprà*, & Abb.
n. 16. *verſ. Decimum*.
Undecimum ſubſtantiale eſt, ut votis publicatis fiat 57
plena collatio, ut conſtat ex littera ibi, *collatione habita*,
id eſt numeri ad numerum, meriti ad meritum, & zeli ad
zelum, ut in *cap. In Geneſi infrà eod.* & hìc declarat gloſſa
in ver. Collatione, quod ſimiliter eſſe de forma, tenet præ-
dicta gloſſa *in ver. Sanior*, cum qua Joan. Andr. *num.* 28.
verſ. Undecimum, Abb. *num.* 16. *eodem verſ.* & reliqui tran-
ſeunt.
Duodecimum ſubſtantiale eſt, ut hujuſmodi collatio 58
fiat incontinenti, poſtquam vota fuerint publicata: nam
mox, illud poſitum in publicatione votorum poſt ſcruti-
nium, debet cenſeri repetitum in collatione, & electione;
& quamvis aliqui diſcrepent, tamen hoc approbat Joan.
Andr. poſt Philipp. & Hoſt. in *c. Cùm poſt petitam nu.* 9. in
gloſſ. 2. *infrà eod. lib.* 6. & idem Joan. Andr. *hìc num.* 28. *verſ.
Duodecimum*, & Abb. *num.* 16. *eod. verſ. Dicens hoc eſſe tenen-
dum per l. Cùm Antiquitus, C. De teſtam.*
Decimumtertium ſubſtantiale eſt, ut poſt habitam col- 59
lationem ſequatur communis electio, ut patet in littera
ibi: *Is collatione habita eligatur*, & tenet gloſſ. *in ver. Sa-
nior*, Joan. Andr. *num.* 28. *verſ. Decimumtertium*, & Abb.
num. 16. *eod. verſ.* quod ita intelligendum eſt, ut electio fiat
ab uno ex Collegialibus nomine Capituli, & per *ver. Sin-
gularis numeri*, ut *cap. Sicut eum infrà eod. lib.* 6. *cap. Cùm
ab uno de ſent. & re judic. eod. lib.* ſecundùm Joan. Andr. &
Abb. *loc. cit.* Porrò ex Conſtitutionibus Ordinis Prædica-
torum *diſt.* 2. *de elect. Magiſtri Ordinis cap.* 4. §. 5. *in gloſſ.* 1.
in fin. Facta collatione numeri ad numerum, fit communis
electio in hunc modum, videlicet, *Ego N. vice mea, &
omnium electorum mecum conſentientium eligo Fratrem N.
in Magiſtrum Ordinis Prædicatorum*.
Decimumquartum ſubſtantiale eſt, ut ipſa communis 60
electio fiat illicò poſt collationem; id eſt nullo extraneo
actu interjecto: nam illud *mox*, cenſetur repetitum etiam
in electione, ut dixi ſuprà in 12. ſubſtantiali. Et in hoc
conſentiunt gloſſ. *hìc in ver. Sanior*, Compoſtell. *num.* 11.
verſ. Sed in electione, Joan. Andr. *d. num.* 28. *verſ. Deci-*

mum-

mumquartum, Abb. *n. 16. eod. verſ.* & communiter omnes, & probatur clarè in *c. Cùm poſt petitam infr. eod. lib. 6.* ubi caſſatur electio, quia non fuit publicata ſtatim poſt collationem

61 Decimumquintum ſubſtantiale eſt, ut electio fiat de illo, in quem major, & ſanior pars Capituli conſentit, ut expreſsè habetur in text. ibi, *in quem omnes, vel major, & ſanior, &c.* Intellectus enim Innocentii *num. 6.* qui exponit particulam, *&* pro, *id eſt*, infert vim litteræ. Ideòque tenendum ad validitatem electionis non ſufficere, ut quis habuerit majorem partem ſuffragiorum facta collatione numeri ad numerum, niſi etiam illa ſit ſanior, & idem in caſu converſo, ut hìc, & *in cap. Eccleſia noſtra, il 2. infrà eod.* ubi eſt caſus, ſecundùm Jo. And. & omnes ibi in Summario, & hìc firmant Hoſt. *n. 44. verſ. Nonum*, Jo. And. *d. n. 28. verſ. Decimumquintum*, & Abb. *d. n. 16. eod.*

62 *verſ. & in 5. not.* Et cùm textus dicat major, & ſanior pars Capituli, hìc colligunt Doctores electionem faciendam eſſe per ſolas perſonas de Capitulo, nec quemquam eſſe admittendum etiam tamquam procuratorem alicujus abſentis, etiam legitimè impediti, niſi fuerit de corpore ipſius Capituli, ſeu Collegii, ita Mandag. *de elect. novor. Prælatorum, c. 1.* Petr. Gregor. Toloſ. *ad Decretal. ſub hoc tit. c. 6. n. 9.* Jo. de Selva *de benef. p. 2. q. 22. à n. 9.* & eſt expreſſum *inf. eod. in §. Illud autem*, ibi *Uni committat de ipſo Collegio vices ſuas*.

63 Decimumſextum ſubſtantiale eſt, ut electio ſit verbalis, & ita intelligi debet hæc littera *in ver. Eligatur*, & probatur *in c. Eccleſiæ, il 1. inf. eod. & in c. Sicut, & c. Cùm ab uno eod. tit. lib. 6.* & ita hìc tenent Jo. And. *n. 28. verſ. Decimumſextum*, Butr. *n. 35. verſ. Decimumſeptimum*, Imol. *n. 8. eod. verſ.* & Abb. *d. n. 16. verſ. Decimumſextum*.

64 Decimumſeptimum ſubſtantiale eſt, ut electio non fiat clandeſtinè, ſed ſolemniter publicetur, ut patet in fin. hujus cap. & *in cap. fin. infrà eod. lib. 6.* & tenet gloſſa *ultima hìc*, Hoſt. *num. 44. verſ. Duodecimum*, Jo. And. *num. 28. verſ. Decimumſeptimum*, Butr. *nu. 35. verſ. Decimumoctavum*, Imol. *nu. 8. eod. verſ.* & Abb. *nu. 16. verſ. Decimumſeptimum*, & idem Abb. & Alex. de Nævo *in cap. 1. utrque in primo not. infra de Clandeſt. deſponſ.* & publicatio fieri debet in Capitulo, & tutum eſt, ut etiam populo publice-

65 tur, ſecundùm Abb. *ubi ſuprà*. Quæ autem electio dicatur clandeſtina, latè proſequitur hìc gloſſa ultima, & Doctores. Satis placet opinio Compoſtellani *num. 44.* dicentis electionem clandeſtinam eſſe, quando Canonici concordant inter ſe ordinando, ut nihil extra Capitulum de electione dicatur, ſicut fecerunt Canonici Eccleſiæ Compoſtellanæ ob Regis timorem, cujus conſenſus primò non fuerat requiſitus; & ob id caſſata fuerit eorum electio propter *ver. Reprobamus*, poſitum in fine hujus textus, ſecundùm Compoſtell. quem ſequitur Abb. *hìc in fin.*

66 Decimumoctavum, & ultimum ſubſtantiale eſt, ut prædictorum omnium ordo ſervetur, ita ut actus ſupra enumerati non fiant præpoſterè, nec ſimultaneè, ſed ſucceſſivè unus poſt alium, ut patet in eo, quod legitur, & notatur *in cap. Cumana, §. final. infra eodem*, & hoc eſſe de forma ſubſtantiali electionis, tenet gl. *hìc in ver. Sanior*, Hoſt. *nu. 44. verſ. Decimum*, Jo. And. *num. 28. verſ. Decimumoctavum*, Butr. *num. 35. verſ. Decimumnonum*, Imol. *num. 8. eod. verſ.* Abb. *d. n. 16. verſ. Decimumoctavum*, & nullus diſcrepat.

67 Addunt nonnulli aliud ſubſtantiale electionis, videlicet ut certa dies aſſignetur ad electionem celebrandam, per *cap. Cumana, & cap. Cùm in veteri infrà eod.* Sed oppoſitum tenet Compoſtell. *hìc num. 3.* dicens ſe ita vidiſſe Papam terminantem. Nec obſtant præcitata jura, quia in illis narratur factum, non ponitur jus, ſecundùm eum qui conſentiunt Joan. Andr. *num. 28. verſ. Addunt quidam*, Butr. *num. 35. eodem verſ.* & Abb. *num. 16. verſ. Aliqui*

68 *volunt*. Et ita vidi multoties obſervari, etiamſi in Conſtitutionibus Eccleſiæ, vel Ordinis præfinita ſit certa dies ad electionem celebrandam; & idem de loco: nam nihilominus electio non fuit reprobata ex eo, quòd alio die, vel loco celebrata fuerit, de quo per Archid. *in c. In nomine Domini n. 16. in fin. v. 17. & 18. 23. diſt.* niſi Conſtitutiones procedant ulteriùs irritando electionem; ad quod vide quod notant Jo. And. *n. 3.* & Abb. *nu. 11. in c. Ad Apoſtolicam infr. de Regul.* & quod plenè ſcripſi *in c. Cùm acceſſiſſent n. 37. & 40. ſuprà de Conſtit.*

Idem addunt aliqui ſubſtantiale eſſe, ut electio celebretur in Eccleſia vacante, ut *cap. Quod ſicut ſuprà eodem*. 69
Sed hoc ſimiliter non tenetur, quia licèt ſit honeſtum, & juſtum, ut *in d. cap. Quod ſicut, verſ. Cum juxta Conſtitutiones Canonicas*, tamen nec locus eſt de ſubſtantia electionis, ſecundùm Joan. And. *num. 28. circa fin. verſ. Et quod in Eccleſia.* Cui etiam Abbas conſentit *num. 16. circa fin. verſ. Item addunt aliqui*, niſi aliud ſit obtentum de conſuetudine, argum. *cap. Qua fronte de appellat.*

Rurſus addunt quidam ſubſtantiale eſſe, ut ſcrutatores ſint fide digni, cùm hoc ſit expreſſum in hac littera 70
ibi, *fide digni*. Sed ſecundùm Joan. And. *circa finem, verſ. Item quod ſcrutatores*, & Abb. *num. 16. verſ. Addunt etiam*, communius tenetur hoc non pertinere ad ſubſtantiam electionis, ſed ad Juſtitiam, quia textus hoc dicit potiùs admonendo, quàm aliquid ſubſtantiale inducendo; & hujuſmodi idoneitas præſumitur, *ut in c. final. de præſcr.*

Similiter licèt aliqui contradicant, communiter tenetur non eſſe de ſubſtantia, ut electio celebretur poſtquam 71
cadaver traditum eſt ſepulturæ, ut notant omnes *in cap. Bonæ, il ſecondo poſt gloſſam*, ibi, *in ver. Tractatum ſuprà eod.* Jo. And. *dict. num. 28. in fine*, & Abb. *d. num. 16. itidem in fin.* Silveſt. *in ver. Electio 1. q. 6.*

Vide multoties dubitari, an Præſes Capituli ſit de ſub- 72
ſtantia electionis: nam communi practica habet, ut Capitula non celebrentur, ſine Præſidente; idque valdè rationabile eſt, ut ſit ibi aliquis, qui dirigat actus Capitulares, & vitetur confuſio, & diſcordiarum occaſio amputetur, argum. *cap. In Apibus 7. quæſt. 1.* Sed nihilominus veriùs videtur hoc ad ſubſtantiam electionis non pertinere, tum quia in hac Decretali, ubi perſtringuntur ſubſtantialia electionis, de Præſide nihil diſponitur, ut oſtenſum eſt ſuprà, nec alicubi reperitur in jure, ut ex defectu Præſidis aliqua electio fuerit caſſata, vel reprobata, nec ullus Doctor id exigit ad electionis validitatem, & in ſpecie Petr. à Biaxio *in Directorio electionis par. 1. à cap. 3.* & per totam ponit vigintiocto requiſita ex parte eligentium, nec meminit Præſidentis, & quamvis ſit de forma, ut electio fiat à Collegio, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà in primò ſubſtantiali *num. 37.* tamen ut inquit In- 73
noc. *in cap. Cùm non ignores nu. 1. de præbend.* ad eſſe Collegii non exigitur, ut ſit ibi Prælatus, arg. *l. 1. ff. Quod cujuſque univer. nom.* & ſequitur ibidem Joan. And. *num. 2. verſ. Solutio*. Sed & Oldrad. *conſ. 128. Quoniam ad inveſtigationem nu. 8. verſ. Et ſi dicatur*. Non eſt, inquit, de 74
eſſe Collegii habere Prælatum, Et paulò poſt ſubdit, talia Collegia ceſſante exemptione habere Ordinarium pro capite, exempta verò Papam. Actus autem Capitulares di- 75
rigi poterunt ab Antiquiore, qui etiam poteſt Capitulum convocare in defectum ejus, ad quem id ſpectat de jure, vel conſuetudine, ut notat Innoc. Joan. Andr. Abb. Felin. & alii *in cap. 1. infrà de major. & obed.* Anchar. *in repetit. cap. Canonum ſtatuta in 10. quæſt. principali ſup. de Conſtitut.* quos ſequitur Petr. à Biaxio in 3. *part. Director. cap. 4. num. 1.* Et ita ſemper tenui, niſi ſtatutis Eccleſiæ, vel ordinis à Sede Apoſtolica confirmatis aliud expreſsè caveatur.

De forma electionis per compromiſſum egi latiſſimè in 76
cap. Licèt de vitanda ſuprà eod. ibi plenè videas.

DE ELECTIONE:

Cap. Quia propter, §. *Illud autem*.

SUMMARIUM.

1 *E Lectores non poſſunt ſuffragium ferre per procuratorem, niſi ſint canonici impediti.*
2 *Electio procuratoris ad eligendum non poteſt fieri ſorte.*
3 *Electores abſentes non poſſunt votum ſuum dare ſcripto obſignatum.*
4 *Moniales infirmæ, qua ratione debeant in electioue ſuffragium ferre.*
5 *Procurator ad eligendum conſtitui debet à vocalibus abſentibus cum generali mandato.*
6 *Regulares in electionibus votum non habent, niſi ſaltem ſint Subdiaconi.*
7 *Privilegia, & indulta contra decreta Trid. Conc. revocantur in Bulla Pii IV.*
8 *Electiones Propoſiti Generalis ſancti Hieronymi de Feſulis nulliter celebratæ convalidantur.*
9 *Numerus effrænatus vocalium reducitur, multitudo in pluribus reprobatur, ibid.*

1 I *Llud autem*. Interdicit procuratorem in electionis negotio conſtitui, niſi concurrant hìc contenta, uſque ad §. *Electiones*.

In Religione Fratrum ſancti Hieronymi de Feſulis extat Conſtitutio uſu recepta circa electionem Præpoſiti Generalis, qua cavetur, ut ſinguli, qui ſeptem annos in Religione perſtiterint, & ſacris ordinibus initiati fuerint poſſint mittere, ac dare votum in electione Præpoſiti Generalis, & in ſpecie præſcribitur forma, ut iidem vocales ſi abſentes fuerint, ſcribant in ſchedula nomen cum cognomine ejus, quem volunt in Præpoſitum Generalem eligere,& conſignent eam exteriori folio incluſam, & obſignatam procuratori Monaſterii ad Generale Capitulum accedenti; cum iſcriptione *Votum Fratris N.* Vota verò ſic obſignata à procuratore deferuntur ad Capitulum Generale, ibique ſublato exteriori folio, abſque eo quod legantur interius, in urnam conjiciuntur ad electionem peragendam. Procurator autem Capituli, qui portat ſchedulas vocalium abſentum, eligitur ſorte, ut habetur in alia ejuſdem ordinis Conſtitutione.

Conſulta eſt Sacr. Congregatio Concilii, an hìc modus eligendi Præpoſitum Generalem cenſeri debeat Canonicus, necne.

Et quidem videtur hìc modus repugnare non ſolùm Juri communi, ſed etiam decreto Trid. Concilii *cap. 6. ſeſſ. 25. de regular.* juri communi, quia vocales non accedunt perſonaliter ad ſuffragium ferendum, ſed mittunt ſuum votum in ſchedula obſignata; & tamen de jure non poteſt quis eligere per procuratorem, niſi cum juſto impedimento detinetur, quominus perſonaliter accedat, ut apertè ſtatuitur in hoc §. ibi, *penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens in eo loco, de quo debeat advocari, juſtoque impedimento detentus*
2 *venire non poſſit*, ad idem tex. *in c. Si quis juſto*, ubi omnes notant *infra eod. lib. 6.* Et eo magis, quia caſu procurator qui mittitur, eligitur ſorte, quod tamen ſimiliter de jure prohibetur, ut *in c. fin. de Sortileg.*

Deindè eſt contra decretum Concilii *d. cap. 6.* quod jubet electionem fieri per ſecreta ſuffragia; quia quamvis procurator deferat ſchedulam incluſam in folio obſignato, poteſt tamen illam reſignare, & in alio folio includere.
3 Ob quam rationem Sac. Congregatio olim conſulta à Canonicis Lateranenſibus, an abſentes perſonæ, quod præſentes facerent ſcripto ſuum votum dare poſſint in ele-
4 ctionem ſociorum Capitularium: Reſpondit non poſſe. Et ſimiliter conſulta, an Moniales lecto propter morbum affixæ votum ſuum ad electionem Superiorum mittere poſſint, itidem reſpondit non poſſe, ſed qui accipiendis; cuſtodiendiſque votis præfecti erunt, debeant accedere ad
5 ægrotantes, & ab eis vota accipere. In caſu autem legitimi impedimenti non mittitur votum in ſcriptis per procuratorem, ſed procurator conſtituitur ad eligendum cum generali mandato, ut ſimiliter Congregat. aliàs cenſuit.

Quibus accedunt duo inconvenientia. Alterum quod procurator, qui portat ſchedulam obſignatam poteſt illam occultare, & loco illius aliam ſibi beneviſam in urnam ponere, ut ſæpius factum dicitur. Alterum quod ambientes dignitates, vel alii, quorum intereſt, ut certi ſint de voto alicujus, multoties, ut teſtatur procurator Ordinis, illud emerunt pecunia: viderunt enim illud inſcribi, obſignari, & tradi procuratori Capituli, & pro hac ſcriptione, obſignatione, & traditione coram ipſis facienda pecuniam damnabiliter ſolvere non ſunt veriti.

Rurſus in eadem Regione extat alia Conſtitutio, qua cavetur, ut vacantibus prioribus localibus, ſinguli profeſſi tàm Clerici, quàm Converſi cujuſcumque Conventus
dent votum in eorum electione. Quæ etiam videtur ad- 6
verſari decreto Veronenſ. Concilii relato in Clem. *Ut ii de ſtat. & qualit.* atque invocato à Concilio Tridentino *c. 4. ſeſſ. 22.* quo ſtatutum eſt, ut quicumque in Cathedrali, vel Collegiata ſæculari, vel Regulari Eccleſia divinis mancipatus officiis in Subdiaconatus ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in ejuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè fuerit conceſſum, & in fin. d. Clem. additur clauſula, Non obſtantibus quibuslibet conſuetudinibus, vel ſtatutis, quæ videtur referri ad omnia præcedentia, *c. Secundò requiris de appellat.* Anch. *conſ. 2. n. 9. verſ. Poſtquam iſta clauſula*, & Felin. *in c. Cauſam quæ de reſcr.*

Et quamvis, cùm hæc conſtitutio fuerit confirmata à Sede Apoſtolica, non videatur ſublata ex dicta Clementina, & conſequenter neque à Concilio dictam Clementinam innovante: nam gl. in illis verbis, *non obſtantibus*
Conſuetudinibus, vel ſtatutis, Nota, inquit, *quod non ſuſtu-* 7
lit privilegia, tamen videtur ſublata per Conſtitutionem Pii IV. quæ incipit, In Principis Apoſtolorum, per quàm revocantur privilegia, & indulta omnia in his, quæ decretis Concilii contrariantur. Neque enim dubitari poteſt, quin dicta Conſtitutio adverſetur Concilio, cùm de directo ſtatuat contrarium ejus, quod Concilium ſtatuit; & alioquin Conſtitutio Pii IV. fuiſſet ſuperflua, ut aliàs advertit Sac. Congregatio in ſimili Conſtitutione Eremitarum ſancti Pauli.

Itaque videtur reſpondendum ejuſmodi Conſtitutiones eſſe nullas, cùm non appareant confirmatæ poſt Concilium; modumque eligendi Generalem non eſſe Canonicum, & electiones hactenus celebratas eſſe irritas. Verùm agendum eſſe cum S. D. N. ut illas dignetur ex gratia convalidare cum omnibus inde ſequutis, ita ut ex defectu formæ ſuperiùs propoſitæ deinceps à nemine impugnari valeant: ac prætereà injungendum Generali, ut unà cum Procuratore Ordinis, & quatuor aliis Patribus peritioribus alium modum eligendi conſultet, eumque S. Congr. tranſmittat pro confirmatione.

Et ita S. Congregatio Concil. declaravit modum eligen- 8
di generalem, quo hactenus uſi fuerunt Fratres ſancti Hieronymi de Feſulis, non eſſe canonicum, & electiones celebratas eſſe nullas, atque irritas. Verumtamen Sanctiſſimus benignè hujuſmodi electiones convalidavit cum omnibus inde ſequutis.

Cui quidem reſolutioni Religio acquievit, ac deindè Generalis de conſilio, & aſſenſu multorum Fratrum ex gravioribus religionis aliam formulam electionis confecit, quam nuper miſit ad ſacram Congregationem pro approbatione.

Hæc autem formula, quod ſpectat ad ſecretum, & ſubſtantiam electionis videtur poſſe tolerari, quamvis non habeat omnia requiſita Concilii Generalis: illa enim plurima ſunt, ut oſtenſum eſt in principio hujus *c. à n. 36.* Et per forma ſcrutinii grave eſt procedere, ut ait gl. *in cap. Cùm expediat in verb. Inquiſitis, infrà eod. lib. 6.* Præterquamquod hoc cap. non procedit niſi in electionibus Prælatorum, per quorum obitum Eccleſiæ viduantur, ut colligit gl. *in verb.*

Eccle-

Eccleſiis viduatis, quam communiter DD. ſequuntur, ut latiùs dictum eſt *ſuprà in princ. n. 6.* Et religiones omnes habent peculiares Conſtitutiones, quibus ad rigorem prędictæ formæ non aſtringuntur, nec Trid. Conc. aliud exegit in electionibus regularium, quam ut celebrentur per vota ſecreta.

Habet tamen exhibita formula aliquid difficultatis propter numerum vocalium. Nam cùm Religio hæc ſit ſatis parva, & extra Italiam non extendatur, tamen ſecundùm formulam confectam accedent ad Capitulum generale pluſquam centum perſonæ. Hoc autem valdè abſonum eſt tum ob periculum confuſionis, & diſcordiarum, tum ob religionis diſpendium, tum quia religioſis datur anſa ſe nimium occupandi in aucupandis plurimorum votis. Undè expedit hunc numerum aliqua ratione moderari, inſtar teſtium, quorum numerus comprimitur ne effrænata poteſtate ad vexandos homines ſuperflua multitudo protrahatur, *l. 1. §. fin. ff. De teſtib.* cùm enim in electionibus numerus preferatur authoritati, *c. Dudum ſuprà eod.* ubi gloſſ. *in ver. Numerus*, *& c. Eccleſia veſtra infrà eod.* valdè expedit, ut vocalium numerus refrænetur, & ad aliquot digniores reſtringatur. Neque enim nimium deferendum eſt multitudini, *c. Si quis 18. qu. 2.* Imò, ut legitur *in auth.* ut determinatus ſit numerus Clericorum *in princip. collat.* 1. Quia penè nihil immenſum bonum eſt, competens eſt, neque ordinationes fieri tantas, ut illorum expenſis Eccleſia incidat in cauſam mutuorum maximorum, & paulatim ad noviſſimam inopiam deponatur facit tex. *in l. 1. §. Noviſſimè, ff. De orig. Juris, & in l. Comperimus, C. de prox. ſacr. ſcrin. lib.* 12. & alia quæ in hanc rem congerit gloſſa ſecunda *in cap. unico in princip. de Relig. domib. lib. 6.* & Pariſ. de Puteo *de exercit. Advoc. num. 1. & ſeqq.* Itaque poſſet permitti, ut haberent votum in Capitulo Generali infraſcripti tantùm, nempè Præpoſitus Generalis, Viſitatores, Procurator Ordinis. Item Priores omnes, ſed eſſet exprimendum, dummodò non ſint titulares (plurimi enim id generis extant in dicta religione) & dummodò Priores ordinariè in ſuo quiſque Monaſterio reſideant; & in eo Monaſterio inhabitent quatuor ſaltem Sacerdotes præter ipſum Priorem: Ad hoc *c. ult. de Capell. Monach.* hæc reſtrictiva erit valdè utilis, & dabit Religioni occaſionem ſupprimendi hos parvos Conventus, qui retinentur ſolùm ad finem multiplicandi vota. Item tres primi Diffinitores per triennium exiſtentes: non enim admitti debent omnes Diffinitores juxta formulam à Generali confectam, quia hi ſunt numero viginti unum creati à Capitulo, unde ſatis ſunt tres primi, alii facti ſunt, ut ſint exempti ab officiando. Item Procuratores, ſeu Diſcreti ſingulorum Monaſteriorum, in quo ſimiliter adhiberi poteſt reſtrictiva, dummodò in his Monaſteriis præter Priorem ordinariè degant quatuor ſaltem Sacerdotes. Item Cancellarius, quem ſibi Generalis elegerit, quod poteſt tolerari juxta Conſtitutiones antiquas. Supradicti omnes conſtituunt numerum vocalium circa ſexaginta.

Supereſt deliberandum, an ſit indulgendum Religioni petenti, ut habeant votum Magiſtri Lectores, & Prædicatores, quemadmodum hactenus habuerunt in vim Conſtitutionum.

In fine ejuſdem formulæ, ubi dicitur, ut facta ſupputatione omnium votorum, qui illorum exceſſerit numero ſit is Præpoſitus Generalis: videtur addendum, *dummodo ultra dimidiam partem ſuffragiorum tulerit, d. c. Eccleſia veſtra infrà eod. cum concord.*

Die 9. Maii 1626. S. Congregatio Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum approbavit formulam electionis ad ſe tranſmiſſam, eamque mandavit de cætero inviolabiliter obſervari à Generalibus, & vocalibus Religionis ſancti Hieronymi de Feſulis, ita tamen ut poſt verbum, *numero*, addatur clauſula, *dummodo ultra dimidiam partem ſuffragiorum tulerit, & de cætero vocem in Capitulis Generalibus non habeant, niſi infraſcripti, videlicet Præpoſitus Generalis, Vicarius Generalis pro hac vice tantùm, Viſitatores, Procurator Generalis, ac Præpoſiti Generales poſt dimiſſum officium. Item Priores omnes, non tamen Titulares omnium, & ſingulorum Conventuum, dummodo ordinariè in ſuo quiſque Monaſterio actu reſideat. Item tres primi Diffinitores per biennium exiſtentes, Procuratores, ſeu Diſcreti ſingulorum Conventuum, in quibus præter Priorem degant quatuor ſaltem profeſſi Sacerdotes, aut ſaltem in ſacris conſtituti, necnon Cancellarius, quem ſibi Præpoſitus Generalis elegerit pro Capitulo Generali, cùm altero Cancellario à Capitulo Generali eligendo, & Doctores ex antiquioribus in magiſterio jam in aliqua publica Univerſitate promoti, & in futurum præviis diſputationibus publicis habendis in Capitulo Generali, & de licentia tantum ipſiuſmet Capituli ad Doctoratum promovendi, actu legentes, aut prædicantes, dum tamen numerum quindecim non excedant. Quæ omnia cum S.D.N. relata fuiſſent, Sanctitas ſua illa approbavit, atque ab iis, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari mandavit, quibuſcumq; in contrarium non obſtantibus. Romæ* 13. *Junii* 1626.

DE ELECTIONE.

Idem Innocentius in eodem Concilio Generali.

CAPUT XLIII.

Quiſquis electioni de ſe factæ per ſæcularis poteſtatis abuſum conſentire præſumpſerit, contra canonicam libertatem: & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec abſque diſpenſatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui verò electionem hujuſmodi, quam ipſo jure irritam eſſe cenſemus, præſumpſerint celebrare, ab officiis, & beneficiis penitùs ſuſpendantur per triennium, eligendi tunc poteſtate privati.

SUMMARIUM.

1 *Eligentes per ſæcularis poteſtatis abuſum ab officiis, & beneficiis triennio ſuſpenduntur, & tunc eligendi ſunt poteſtate privati, & n. 11.*

2 *Electio quarumcumque dignitatum à Clericis celebrata per abuſum laicæ poteſtatis eſt ipſo jure nulla, & n. ſeqq.*

3 *Verba,* careat commodo, *inducunt nullitatem ipſo jure.*

4 *Electioni de ſe factæ per ſæcularis poteſtatis abuſum conſentiens efficitur ineligibilis ad dignitates, & beneficia curata non autem ad Canonicatus.*

Et quid in electo in Papam, n. 6.

5 *Verbum futuri temporis, quamvis innuat canonem non eſſe latæ ſententiæ, hoc tamen fallit quando ex ſequentibus apparet de contraria mente.*

7 *Diſpenſare an poſſit Epiſcopus ad dignitates cum electo per laicæ poteſtatis abuſum.*

8 *Diſpenſare tacitè intelligitur Papa cum ineligibili, ſi eum ſcienter provideat.*

9 *Secus in aliis Superioribus citra Papam.*

10 *Penitus adverbium adjunctum verbo futuri temporis, an importet canonem latæ ſententiæ.*

12 *Electio an, & quando dicatur celebrata per ſæcularis poteſtatis abuſum, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

13 *Quid ſi electores requirant Principem laicum ſuper perſonis eligendis, ut conſenſum præſtet.*

Et quid ſi Princeps laicus interſit electioni ex privilegio, vel conſuetudine, n. 16.

Et quid ſi laicus interſit ut Tabellio, n. 19.

Et quid ſi interſit, ut privatus ad coeligendum, n. 22.

Et quid ſi laicus Princeps, vel Poteſtas incutiat metum electoribus, ut certam perſonam eligant, n. 23.

Et quid ſi electioni interſit authoritativè, ut coeligat,

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

vel aliàs juriſdictionem exerceat, *n.* 28.

Et quid ſi aſſiſtat electoribus extra aulam Capitularem ad protegendum, *n.* 29.

Et quid ſi in ipſa aula Capitulari, *n.* 30.

14 *Electio non poteſt pendere ex conſenſu alterius, ſive ille ſit clericus, ſive laicus.*

15 *Regis tamen aſſenſus poteſt requiri ſuper electione jam facta.*

16 *Laici poſſunt intereſſe electionibus Clericorum ex privilegio, non autem ex conſuetudine etiam immemorabili.*

17 *Electio per abuſum poteſtatis ſæcularis eſt contra libertatem Eccleſiaſticam.*

18 *Conſuetudo contra Eccleſiaſticam libertatem non valet.*

19 *Notarius in cauſa electionis poteſt eſſe laicus.*

20 *Notarius quoad officium ſuum, ſicut eſt ſervus publicus laicorum, ita & Clericorum.*

21 *Notarius in cauſa hæreſis, & in viſitatione Capituli Cathedralis debet eſſe Clericus.*

23 *Electio facta per impreſſionem laicorum non valet propter abuſum ſæcularis poteſtatis.*

Et quando dicatur facta per impreſſionem, & quæ minæ illam inficiant. Et quid differat metus ab impreſſione, *n.* 25.

24 *Potentes qui dicantur.*

26 *Eligentes per metum, vel impreſſionem non puniuntur.*

27 *Coactus à prædominio ſi quis vult, magis non vult, quam vult.*

28 *Laicus non poteſt intereſſe electioni authoritativè ad aliquem actum juriſdictionis exercendum.*

29 *Poteſt tamen extra aulam Capituli aſſiſtere electoribus ad protegendum etiam armata manu, & n.* 31.

30 *Laica poteſtas, an poſſit in ipſa aula Capitulari aſſiſtere electoribus, ne veniant ad arma, vel aliud ſcandalum oriatur, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

33 *In electoribus liberum debet eſſe arbitrium non ſolùm ab oppreſſione manifeſta, ſed etiam ab occulta formidabili.*

34 *Laicorum preces, & acclamationes ſunt in electionibus prohibitæ, & n.* 39.

35 *Laici excludendi ſunt à Collegiatis Eccleſiis, ubi electiones celebrantur, & n.* 37.

36 *Laicus Princeps, vel Poteſtas, ut interſit electionibus non eſt uſus, ſed abuſus.*

37 *Electio, quæ fit contra libertatem Eccleſiæ, nulla eſt.*

38 *Electio in qua ultra ſolitos ſcrutatores electi fuerunt alii tres laici, non valet.*

39 *Capitulum Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Provinciæ Bethicæ, cui Regius Miniſter interfuit, declaratur nullum ob laicæ poteſtatis abuſum.*

41 *Præſens dicitur multis modis pro ſubjecta materia.*

1 QUiſquis. Eligentes per ſæcularis poteſtatis abuſum ab officiis, & beneficiis triennio ſuſpenduntur, & tunc ſunt eligendi poteſtate privati: electus ſi tali electioni conſentiat, fit inegibilis, nec valet electio. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. Bellam. Butr. Card. Anchar. Imol. & Joan. de Anan. ſed ſummando juxta ordinem litteræ ſecundùm Bald. & Abbatem hoc intendit. Conſentiens electioni factæ per ſæcularis poteſtatis abuſum, ineligibilis fit, nec abſque diſpenſatone poteſt eligi ad aliquam dignitatem: præſumentes eligere per triennium ſuſpendantur ab officiis; & beneficiis; ac ea vice ſunt eligendi poteſtate privati. Dividitur in duas partes. In prima punit electum conſentientem. In ſecunda punit eligentes, & electionem vitiat, ibi, *Qui vero*.

2 Nota primò ibi, *electionis commodo careat*, electionem à Clericis celebratam per abuſum laicæ poteſtatis eſſe ipſo
3 jure nullam: nam per hæc verba, *careat commodo*, inducitur nullitas ipſo jure, ut hìc per Butr. *in ſecundo not.* & Felin. *in c. Rodulphus nu.* 25. *ſupra de reſcript.* & eſt expreſſum infrà in illis verbis, *quam ipſo jure irritam eſſe cenſemus*. Ad idem *c. Quoniam* 16. *q*, 7. & eſt ſimile *in c. Cum in cunctis ſuprà eod.* & ita hìc firmant gl. *in ver. Irritam*, Innoc. *nu.* 1. Abb. Antiq. *eod. n. in ver. Commodo careat*, Hoſt. *num.* 1. *in ver. Irritam*, Jo. And. *n.* 4. *in eod. ver.* Bellam. *n.* 2. *& in* 10. *q.* Anch. *in* 1. *notab.*

Et procedit hæc concluſio in electionibus quarumcumque Dignitatum, ſecundùm Innoc. hìc *in ver. Qui vero electionem*. Et quamvis Hoſt. *in princip.* videatur eam reſtringere ad electiones Epiſcopalis dignitatis; tamen prima opinio, cùm text. loquatur indiſtinctè, magis placet Jo. And. *n* 2. *in ver. Electioni*, & communiter tenetur, ut teſtatur Abb. *ſub n.* 2. *in* 1. *q.* De quo dic pleniùs, ut per eumdem Jo. And. *in c. Quod ſicut in princ. inf. eod.* Quando autem electio dicatur fieri per ſæcularis poteſtatis abuſum, plenè dicam infrà à *n.* 12. *uſq. in fin.*

Secundò nota ibi, *ineligibilis fiat*, conſentientem ele- 4
ctioni de ſe factæ per abuſum poteſtatis ſæcularis eſſe ineligibilem ipſo jure ad omnes dignitates, ita ut ſine diſpenſatione promoveri non poſſit, nam illud verbum, *fiat*, licèt videatur futuri temporis, tamen eſt futuri immediati, quia ſubauditur adverbium, *tunc*, quod extremitatem temporis ſignificat, ſecundùm Bald. *n.* 4. *verſ. Item quod verbum*; Vel certè ſecundùm Imol. *in ſecundo notab.* quamvis 5
verbum futuri temporis regulariter innuat canonem eſſe ſententiæ ferendæ, ſecundùm ea, quæ notantur *in c. Quia propter ſup. eod. & in cap. Si diligenti infrà de foro compet.* tamen hoc fallit, quando ex ſequentibus apparet eſſe ex mente Conditoris, ut ſi canon latæ ſententiæ, prout apparet hoc caſu ex verbis, quæ ſequuntur ibi, *nec abſque diſpenſatione ad aliquam valeat eligi dignitatem.* Et ita hìc firmant gl. *in ver. Fiat*, Innoc. *numer.* 1. Compoſtell. *in princ.* Hoſt. *num.* 1. *in ver. Fiat*, Bellam. *in* 9. *qu.* Collectar. *num.* 1. Butr. *in primo notab.* Imol. & Abb. ambo *in ſecundo notab.* & cum textus generaliter dicat, ad aliquam dignitatem, intelligi debet non tantùm de Epiſcopatibus, ut *c. Si quis deinceps* 16. *qu.* 7. ſed etiam de aliis dignitatibus inferioribus, ſecundùm Hoſt. *hic nu.* 1. *in ver. Ad aliquam*, Jo. And. *num.* 4. & Bellam. *num.* 3. *in prima oppoſitione, & in undecima q.* ac etiam de Curata, quia dignitati comparatur, *c. Dudum infrà eod.* ſecundùm Petr. de Sampſone, Abb. Antiq. *hìc in fin.* & Jo. Andr. *numer.* 6. licèt ſecus ſit de Canonicatibus, ſecundùm eos, quia pœnæ ſunt reſtringendæ, *cap. Pœnæ de pœnit. diſt.* 1. Quinimò 6
Bald. *hic nm.* 6. tenet hoc procedere etiam in electo in Papam, qui ſi conſentiret electioni factæ per metum, non poſſet per Cardinales iteratò eligi, quia inelligibilis eſt hoc caſu ſpecifico, ſecundùm eum, qui latiſſimè hoc idem proſequitur in ſuo conſilio Schiſmaticis, quod habetur poſt titulum, *C. de edict. D. Hadr. tollen.* Sed contrarium concludit Bellam. *in* 14. *q.* & benè, quia contra electum à duabus ex tribus partibus Cardinalium nulla exceptio poteſt opponi, ut *c. Licèt ſup. eod.* & ibi dixi *à n.* 11.

Sed hìc ſuboritur dubium, an Epiſcopus poſſit ſuper hac 7
inhabilitate diſpenſare. Gloſſ. *hic in ver. Fiat, verſ. Sed numquid*, tenet Epiſcopum diſpenſare poſſe; Tum quia conditor canonis diſpenſationem ſibi non reſervavit, *cap. Nuper infrà de ſentent. excomm.* Tum quia hoc crimen eſt minùs adulterio, in quo Epiſcopo permittitur diſpenſatio, *c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis infrà de judic.* Idem notat Jo. *in c. Si quis deinceps in* 3. *gl.* 16. *quæſt.* 7 & conſentiunt hìc Vincent. Goffredus, & Innoc. *num.* 1. Compoſtell. *in princip.* Hoſt. *nu.* 1. *in ver. Abſque diſpenſatione*, & Bald. *num.* 5.

Sed contrariam opinionem, id eſt Epiſcopum diſpenſare non poſſe, ſequutus eſt hìc Philipp. & Bartholom. Brixien. *in d. c. Si quis deinceps*, quos hìc refert Jo. And. *n.* 10. & Anchar. *in* 2. *qu.*

Prima ratio Philippi eſt, quia Epiſcopus non diſpenſat cum illegitimè natis, eo quòd alieno vitio laborent: ergo longè minùs cum iſtis, qui laborant proprio. Secunda ratio, quia Epiſcopi non diſpenſant, niſi ubi eis permittitur, *c. Dilectus infrà de tempor. ordinat.* Tertiam rationem adducit hìc Hoſt. quia Pontifex ſibi reſervat, quod minùs eſt, ut *c. Grave ad fin. infrà de præben.* Ergo & hoc quod majus eſt, *c. Cùm illorum infrà de ſent. excomm.* licèt reſpondeat facta ſe habere tamquam excedentia, & exceſſa, remittens adnotata *in c. Nihil inf. eod.*

Tu dicas Epiſcopo non competere hoc caſu facultatem diſpenſandi, quia pœna inhabilitatis eſt hìc impoſita à Generali Concilio, contra quod non diſpenſat Epiſcopus, ut notatur *in c. Cum dilectus ſuprà eod.* & tenet Butr. *hic nu.* 13. *in fin.* & probavi latiſſimè *in c. Nimis infrà de fil. Presbyter.* Non obſtat, quòd diſpenſatio intelligatur Epiſcopo expreſsè permiſſa, ſi canon etiam Conciliariis

dicat

dicat ſimpliciter in aliquo caſu poſſe diſpenſari, ut tenet Abb. *in d.c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis nu.* 5. *de judic.* & ſcripſi pleniùs *in d. c. Dilectus nu.* 17. *infrà de temp. ordin.* Nam reſpondetur hanc theoricam non applicari textui noſtro, quia Concilium hìc non dicit poſſe diſpenſari, ſed procedit prohibendo, ne ſine diſpenſatione promoveri valeat. Undè verba illa, *ſine diſpenſatione*, intelligi debent, ſcilicet Papæ, non autem Epiſcopi, & adde quod notat Butr. *in d.* §. *De Adulteriis n.* 17. *verſ. Si autem apparet ſpecificè per-*
8 *miſſa.* Sufficit tamen, ut Papa ſufficienter provideat de illa dignitate, in quam ſe intruſit electus per abuſum laicæ poteſtatis: nam ex hoc intelligitur cum eo tacitè diſpenſa-
9 re, ut hìc per Abb. *n.*2. *verſ. Puto tamen*, licèt ſecus ſit in alio Superiore circa Papam in illis caſibus, in quibus habet diſpenſandi facultatem, quia talis non cenſetur diſpenſare, niſi ſaltem præmiſerit cognitionem ſuper cauſa diſpenſationis, ſecundùm eum, qui remittit adnotata per Jo. And. & alios in *c. Fraternitati inf. de Schiſmat.*

10 Tertiò nota ibi, *penitus ſuſpenduntur*, hoc adverbium, *penitus*, adjunctum verbo futuri temporis non importare canonem latæ ſententiæ, ſed ferendæ: nam verbum, *ſuſpendantur*, exponitur hìc ſcilicet per ſententiam, ſecundùm gloſſam, & Innoc. *in fin. in ver. Suſpendantur*, Abb. Antiq. *num.* 1. *in eodem ver.* Hoſtien. *in fin.* ſed idem Hoſt. *num.* 1. exponitur, penitus ſuſpendatur, id eſt ipſo jure authoritate hujus Canonis ſuſpenſi pronuntientur. Subdit tamen *num.* 2. primum intellectum eſſe benigniorem; & cum hoc tranſeunt Jo. And. *num.* 10. *in gloſſ. per ſententiam*, & Bellam. *in* 13. *quæſt.* Tu verò, an & quando dictio, *penitus*, ſeu omninò importet ipſo jure, vide Felin. plura cumulantem, & nihil concludentem *in c. Rodulphus n.* 34. *verſ. Omnino ſup. de reſcr.*

11 Ultimò nota ibi, *privati*. Eligentes per abuſum laicæ poteſtatis pro illa vice eſſe privatos ipſo jure poteſtate per eligendi, prout hìc notat gl. *ultima*, Innoc. *in fin.* Abbas Antiq. *n.*1. *in ver. Privati*, Hoſt. *in fin.* Jo. And. *n.*7. Bellam. *in* 12. q. Simile *in c. Cùm in cunctis ſuprà eod.* & vide quod legitur, & notatur *in c. Quamquam inf. eod. lib.* 6.

12 In gloſſa prima QUÆRO. Quando electio dicatur celebrata per ſæcularis poteſtatis abuſum, adeò ut propterea ſit nulla, & tam electus quàm eligentes incidant in pœnas hìc ſtatutas.

13 Pro clariori quæſtionis ſolutione octo caſus videntur diſtinguendi: Primus caſus eſt, quando electores requirunt Principem laicum ſuper perſonis eligendis, ut conſenſum præſtet, & planum eſt hoc eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, ut eſt text. in *cap. Cùm terra ſup. eod.* Undè talis electio dici etiam poſſet facta per abuſum poteſtatis ſæcularis, ut hìc notant Innocent. *ad fin.* Compoſt. *in princip. verſ. Vel ſi Clerici*, Abb. Antiq. *nu.* 1. *verſ. Et dic abuſum*, Hoſt. *num.* 3. *verſ. vel ſi Principes*, Jo. And. *num.* 9. *verſ. Idem ſecundùm eum*, Collectar. *in princ.* Butr. *nu.*9. *verſ. Idem dicit*, & communiter.

14 Verùm Cardin. hìc, & *in d. c. Cùm terra*, utrobique in prima oppoſitione accuratè obſervat hoc caſu electionem non improbari propter abuſum laicæ poteſtatis, ſed quia non poteſt pendere ex conſenſu alterius, ſive ille ſit laicus, ſive Clericus, & ita contigit in terminis *d. c. Cùm*
15 *terra*, ubi Capitulares requirebant conſenſum Patriarchæ, vel Principis. Quare hoc exemplum non congruit huic decretali, quæ loquitur tantùm de laicæ poteſtatis abuſu. Sed certè objectum Card. Poſſet procedere quando electio fieret ad ſolam nominationem Patriarchæ, vel alterius in poteſtate Eccleſiaſtica conſtituti. Tunc enim manifeſtum eſſet electionem improbari non poſſe propter abuſum laicalem, ſed ſolum quia pendere non poteſt ex conſenſu alterius, ut in *d. c. Cùm terra*. At ſecus eſt ſi electio fiat ad nominationem Principis laici, quia tunc impugnari poteſt etiam ex capite ſæcularis abuſus, juxta hoc capitulum. Quidquid tamen ſit, non improbatur, ut electioni jam factæ Regis requiratur aſſenſus, ut dicitur *in d. cap. Cùm terra in fin. & in d. c. Quod ſicut in princ. verſ. Quia non ſimplex nominatio ſuprà eod.* & hìc notat idem Cardin. *in* 1. *oppoſ.*

16 Secundus caſus eſt, quando Principes laici interſunt electionibus Clericorum in vim privilegii, vel conſuetudinis, & hoc caſu electio non dicitur fieri per abuſum poteſtatis ſæcularis, ut *c. Hadrianus* 63. *diſt. & c. Nobis infra de Jure*

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

repatr. ſecundum Innoc. *hìc in princ.* qui exponens verbum, *abuſum*, dicit ſecus eſſet ſi Principes laici hoc jus ſibi vendicarent ex conſuetudine, vel privilegio, eique conſentiunt Compoſt. *ad fin. verſ. Quod intellige verum*, Hoſt. *in princ. in ver. Abuſum*, Jo. And. *n.*2. *in eod. ver.* Bellam. *n.*3. *in* 2. *oppoſ. & n.* 4. *in* 1. *qu.* & Butr. *n.* 5.

Verùm hæc opinio poteſt procedere in terminis privilegii; & quoad hoc cùm prædictis conſentit etiam Abb. Antiq. *in princip.* & Panormit. *nu.* 3. *verſ. Placet mihi*. Non enim poteſt dici abuſus, ex quo laici eligunt ex privilegio *d. cap. Hadrianus*. Sed reſpectu conſuetudinis eam reprobat idem Panorm. *ubi ſuprà*, & meritò, quia laicus ex conſuetudine etiam tanti temporis, cujus initii non eſt memoria, non poteſt requirere jus eligendi etiam, ut coeligat cum Canonicis, ut in *c. Maſſana infrà eod.* & per Joan. And. *in cap. de præb. lib.* 6. Undè propriè talis uſus poteſt dici abuſus, & hujuſmodi conſuetudo eſt potiùs corruptela, ut *d. cap. Maſſana in fin.* Adde tu quòd electio per abuſum 17
laicæ poteſtatis eſt contra canonicam libertatem, ut hìc in littera, ſcilicet Eccleſiaſticam, ut in gl. *in ver. Libertatem*. Conſuetudo autem contra Eccleſiaſticam libertatem 18
non valet, ut eſt textus clarus *in c. Cum terra ſuprà eod.* ibi, quia igitur hoc redundat in gravamen, & perniciem Eccleſiaſticæ libertatis, præſcriptam conſuetudinis pravitatem ſancimus penitus abolendam, & ibi notat gl. *in ver. Conſuetudinis*, gl. *ult. in d. c. Maſſana*, & ibi dixi *nu.* 13. poſt Bald. *ante n.* 1. *verſ. Item nota*, & Abb. *n.* 6. & hoc teneas ſine trepidatione ex rationibus, quas ibi poſui.

Tertius caſus eſt, quando laicus intereſt electioni tamquam tabellio, ut ſcribat electionis, proceſſum, & ſunt 19
opiniones Petr. de Sampſone Abb. Antiq. Ægid. & Hoſt. *in cap. Quia propter ſup. eod.* opinati ſunt notarium electionis debere eſſe Clericum. Et generaliter laicum ſuper ſpiritualibus non poſſe inſtrumenta conficere, multis argumentis tuetur Hoſt. *in cap. Sicut te num.* 6. *verſ. Numquid ergò tabellio infrà ne Cleric. vel Monach.* Sed contrarium tenuit Compoſt. *in d. cap. Quia propter nu.* 11. *in ver. Reducta*, Specul. *in tit. de inſtrum. edit.* §. *Reſtat verſ. Quid ergo tabellio*, Abb. *in d. cap. Sicut te nu.* 17. *verſ. An autem laicus*, & Bald. *in cap. Decernimus num.* 15. *infrà de Judic.* dicens hanc eſſe veritatem, quidquid dicat Hoſt. Tum 20
quia laicus in cauſa electionis poteſt eſſe teſtis: ergo & tabellio. Tum quia tabellio quoad officium ſuum eſt ſervus publicus; undè ſicut eſt ſervus laicorum, ita Clericorum. Et hanc opinionem approbat conſuetudo, ut atteſtatur Compoſtell. *ubi ſuprà*, Jo. And. *in cap.* 1. *de Procur. lib.* 6. & poſt eum Abb. *in d. cap. Quia propter num.* 10. Qui ſimiliter eam putat veriorem, quia notarius ſcribendo nullam authoritatem exercet, nec aliquid ſpirituale miniſtrat, ſed ſolùm præbet nudum miniſterium, ſeu officium exemplo Procuratoris in re ſpirituali, qui à procuratione non repellitur ex eo quod ſit laicus, ut *in d. c.* 1. Præterea ſpe- 21
ciale videtur in cauſa hæreſis, ut notarius debeat eſſe Clericus, ſeu Religioſus, ut in *c. Officium*, §. *Ad conſcribendas de Hæret. lib.* 6. ſecundùm Abb. *ubi ſup.* Adde tu alium ſpecialem caſum, videlicet in viſitatione Capituli Eccleſiæ Cathedralis, ut in Extravag. Bonifacii VIII. *Debent de off. ordin.* Ergo regulariter non requiritur, ut tabellio ſit perſona Eccleſiaſtica, arg. *l. Jus ſingulare, & l. Quod verò contra, ff. De legib.* Demùm ceſſat omnis difficultas ex decreto Conc. Trid. *c.* 10. *ſeſſ.* 22. ut dixi in *cap. Sicut te circa fin. verſ. Demùm quoad hoc infrà Ne Cleric. vel Monach.* An autem, & quando Clericus poſſit exercere tabellionatus officium, ſcripſi latiſſimè *in dict. cap. Sicut te in ſexta quæſtione*.

Quartus caſus eſt, quando laici tamquam privati in- 22
terveniunt ſimul cum Canonicis ad coeligendum, & electio eſt irrita ipſo jure, & utile per inutile vitiatur, nec valet contraria conſuetudo, text. eſt *in d. c. Maſſana infr. eod.* fortè tamen hoc caſu non dicitur celebrata per abuſum ſæcularis poteſtatis, quia ad hoc requiritur, ut laicus, qui intereſt electionis ſit potens, puta Princeps, vel Poteſtas, ut dicam in caſu proximè ſequenti. Et ita videtur intelligendus Card. *hìc in princ.* dum ſic ſummat hanc decretalem, videlicet conſentiens electioni de ſe factæ per abuſum poteſtatis ſæcularis, id eſt cum laici ſimul cum Clericis eligunt, efficitur ineligibilis ad dignitates; ideòque Petr. à Biaxio *in Director. elect. in* 1. *p.* ubi recenſet viginti octo re-

quiſita ex parte eligentium, octavum dicit eſſe, ut non eligant per abuſum poteſtatis ſæcularis. Decimum verò, ut non admittant laicos ad coeligendum.

23 Quintus caſus eſt, quando laicus Princeps, vel Poteſtas intereſt electioni non coeligendo, ſed incutiendo metum electoribus, ut certam perſonam eligant. Et hoc caſus talis electio proculdubio eſt per abuſum poteſtatis laicalis, ut innuit hæc littera ibi, *contra canonicam libertatem*. Undè Bernardus formans cauſam: *Multi*, inquit, *eligebantur per impreſſionem, ſive per abuſum poteſtatis ſæcularis*: & Innocent. *ad fin.* dicit electionem cenſeri celebratam per hujuſmodi abuſum, non ſolùm quando Clerici faciunt laicos intereſſe electionibus, vel eam faciunt ad voluntatem Principis laici, ſed etiam quando minis Potentum aliquem elegerunt, *cap. Bonæ memoriæ, il primo reſponſ. primo ſuprà eod.* & eum ſequitur totidem verbis Compoſt. *hic in fin.* Abb. Antiq. *num.* 1. *verſ. Idem eſt ſecundùm eumdem*, Hoſt. *num.* 3. *verſ. Vel ſi minis*, Jo. And. *nu.* 9. *verſ. Idem in his*, Bellam. *num.* 4. *in prima quæſtione*, Butr. *nu.*
24 9. *in fin.* & alii communiter. Dicuntur autem Potentes, qui terribiles ſunt, & minacem fervorem poſſunt oſtendere, quales ſunt in publica poteſtate conſtituti, ut *l. unic. Cod. Si rect. Provinc. l. Si per impreſſionem, C. Quod met. cauſ. & l. unic. C. Si quacumque præd. poteſt.* & notat Azo *in*
25 *ſumm. C. Ne lic. potentior. in princ.* Cyn. *in l.* 1. *eod. tit.* & Bellam. *hic in ſecunda quæſtione.* Quando autem electio dicatur celebrata per impreſſionem, & quæ minæ illam inficiant, & quæ differentia ſit inter metum, & impreſſionem, latè proſequitur idem Bellam. *in* 3. 4. *&* 5. *qu.* Ad eum recurre.

26 Cæterùm adverte, quia hìc quintus caſus non congruit litteræ hujus decretalis, quæ loquitur propriè, quando Clerici electores ſponte admittunt laicos; propterea enim
27 plectuntur pœnis hìc ſtatutis: At quando inviti, & per vim, aut metum eos admittunt, nullatenus punitur, quia à prædominio ſi quis coactus vult, magis non vult, quàm vult, & metus excuſat ab iſtis extraordinariis delictis, *c. Cum Vintonien. ſup. eod.* & declarat hìc gl. 1. Bald. *n.* 1. *&* 3. Henr. Boich. *in princ.* Card. *in* 1. *oppoſ.* & Jo. de Anan. *n.* 1.

28 Sextus caſus eſt, quando laicus in publica poteſtate conſtitutus intereſt electioni authoritativè, ut coeligat, vel aliàs juriſdictionem exerceat: & ſimiliter planum eſt hujuſmodi electionem eſſe per abuſum laicæ poteſtatis, ut in §. *Verùm*, poſt *c. Quia Sancta Romana 63. diſt.* & in hoc conveniunt omnes hìc, & in *cap. Maſſana inf. eod.* nam ſi electio dicitur per abuſum, quando privatus laicus coeligit ſimul cum Clericis, ut dictum eſt ſuprà in 4. caſu; multò fortiùs idem dicendum, quando id facit laicus in publica poſitus poteſtate, quippè cùm hoc caſu magis impediatur libertas electionis hìc conſiderata.

29 Septimus caſus eſt, quando poteſtas ſæcularis aſſiſtit electoribus extra aulam Capitularem ad protegendum, ne ſcilicet oriantur ſcandala, neve libertas eligentium ab extraneis impediatur: & hìc caſus ſimiliter eſt ſatis clarus; omnes enim admittunt id licere Principi laico, nec per hoc canonicam libertatem violari. Quod ſine dubio concedunt Authores, qui tenent laicos poſſe intereſſe electioni ad protegendum, ut dicam infrà *n.* 31.

30 Octavus & ultimus caſus, & hìc quidem ſatis dubius eſt, quando ſæcularis poteſtas intereſt ipſimet electioni in aula Capitulari, non tamen ullam interponit authoritatem, vel juriſdictionem exercet, ſed nudam præſtat aſſiſtentiam, forſan eo prætextu, ne electores veniant ad arma, vel aliud ſcandalum oriatur.

Ad partem negativam, videlicet electionem hoc caſu non fieri per ſæcularis poteſtatis abuſum, inducitur authoritas Doctorum, qui dixerunt laicos poſſe intereſſe electioni Clericorum ad protegendum. Per hoc enim videntur ſenſiſse intereſsentiam laicorum in ipſo actu electionis non eſse à jure improbatam, dummodò fiat ad bonum finem; idque non obſcurè intellexerunt de laico Principe, vel in poteſtate publica conſtituto, quandoquidem privato non congruit aſſiſtentia ad protegendum, *cap. Ab Imperatoribus* 23. *q.* 3. *& cap. Regum q.* 5. *& cap. Defenſionis*
31 87. *diſt.* Inter hos autem eſt primo loco Compoſtell. *in c. Maſſana in princ. infrà eod.* quem ibi ſequuti ſunt Abbas Antiq. *in ver. Laicos*, Jo. Andr. *num.* 4. *in ver. Electio*, Butr. *in* 2. *not.* & Bald. *in princ. verſ. Adde tamen*, ubi formaliter ait, quamvis laici non poſſint intereſse ad eligendum, poſse tamen intereſse ad protegendum etiam armata manu: & expreſſius hoc ſentit Abb. Sicul. *ibid. in* 3. *not.* Primò enim ait admiſſionem laicorum in electione Prælati reddere electionem ipſo facto nullam: ac deindè ſubdit hoc eſse intelligendum, quando admittuntur ad coeligendum, ſecus ſi admitterentur propter aliquam utilitatem Eccleſię, puta admittitur tabellio ad ſcribendum electionis proceſſum, vel vocantur laici, ut defendant Clericos electores contra ſchiſmaticos, vel alios injuſtè impedientes. Videtur enim Abb. intelligere de admiſſione laicorum in loco ipſo Capituli, & in actu electionis; alioquin exemplum tabellionis non congrueret, & exceptio ſua non eſset de regula.

Et pro hac opinione videtur text. *in* §. *Principibus*, poſt 32
c. Vota 63. *diſt.* ubi patet per Principem laicum poſse vocari ab electoribus ad compeſcendos ſchiſmaticos, vel alios, à quibus timetur impreſſio, ſeu violentia; concordat *cap. In nomine Domini* 23. *diſt.* & tenet Compoſt. & alii: ad idem text. *in cap. Adrianus, & cap. Quia Sancta Romana*, ibi, *eligatur præſente Senatu, & populo* 63. *diſt.*

Sed his non obſtantibus contrariam opinionem puto veriorem.

Moveor primò, quia electio per abuſum hìc reprobatur ob eam rationem, quia eſt contra canonicam libertatem. Hæc autem ratio militat etiam hoc caſu, quia ex aſſiſtentia Principis, vel alterius poteſtatis ſæcularis quantumcumque nuda, & ſimplici tollitur libertas eligentium. Humani enim moris eſt illum vereri, cujus judicio, & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur, *c.* 16. *q.* 12. & voluntatibus obedire reverentia exigente compellimur, *c.* 1. 8. *q.* 2. & notant Innoc. & Bald. *in cap. Quod ſuper his infrà de major. & obed.* & in caſu valdè notabili Felin. *in c.* 1. *n.* 5. *verſ. Ex quo colligi poteſt de ſponſal.* & tamen, ut inquit Bald. *hic n.* 1. in electionibus liberum debet eſse arbitrium 33
non ſolùm ab oppreſſione manifeſta, ſed etiam ab occulta formidabili. Quo fit, ut preces, & acclamationes laicorum 34
ſint in electionibus prohibitę, tamquam adverſantes Eccleſiaſticæ libertati, ut hìc per Bellam. *in* 6. *q. circa fin.*

Moveor ſecundò, quia protectionis prætextu Principes 35
vendicarent ſibi hoc jus intereſsendi electionibus, prout de facto ſibi vendicant aſserentes ſibi competere ex jure regaliæ. Quòd non obſcurè intimavit gl. 2. hìc dicens, ſi admitterentur laici, ſive hujuſmodi poteſtates, aſsumerent ſibi jus impoſterum, & ſic periret libertas Eccleſiæ; & ideò laici omninò excludendi ſunt à Collegiatis Eccleſiis. Sequitur Bellam. *in* 8. *q.* Butr. *nu.* 10. & communiter alii. Facit quod Doctores notant poſt Innoc. *in c.* 1. *de celebr. Miſſar.* dum dicunt laicos non poſse ſimul cum Clericis in choro divinis officiis intereſse.

Moveor tertiò, quia cùm in forma electionis per viam ſcrutinii, vel compromiſſi neceſsariò debeat præcedere tractatus, *cap. In cauſis circa finem*, & ibi Butr. *in primo notab. ſuprà de elect.* poteſt probabiliter contingere, ut electores in ipſo actu electionis celebrandæ tractent, & contendant de inhabilitate excludendorum. At valdè indecens eſt, ut laicus ſedeat inter Clericos eligentes jurgia illorum audiat, & perſonarum Eccleſiaſticarum demerita patefiant laicis, qui Clericis oppidò ſunt infeſti, *cap. Laicos* 2. *q.* 7. *& c. Clericis de immun. Eccleſ. lib.* 6.

Moveor quartò, quia ſi in hac decretali prohiberetur tantummodò intereſsentia laicorum ad coeligendum, fruſtrà fuiſset poſitum *c. Maſſana inf. eod.* ubi hoc ipſum prohibetur. Ergo ut hęc duo capitula invicè differant, & non ſint ſuperflua, dicendum eſt in *c. Maſſana*, prohiberi intereſsentiam laicorum ad coeligendum, hìc verò quamcumque intereſsentiam in aula Capitulari, etiam ad protegendum.

Moveor ultimò, quia opinionem hanc communiter 36
ſequuntur Magiſtri: & Doctores noſtri: nam gloſs. 1. hìc explicans laicæ poteſtatis abuſum, ſic ait: *Ut laicus Princeps, vel Poteſtas interſit electionibus, non eſt uſus, ſed abuſus*, & Innocent. *num.* 1. *in ver. Qui verò*, ſimiliter declarans, quando electio dicatur fieri per abuſum ſæcularis poteſtatis, *quando*, inquit, *Clerici in electione Epiſcoporum, vel Prælatorum laicos intereſſe fecerint*, & totidem verbis ſequuntur Compoſtell. *in princ. verſ. Quando Clerici*, Abbas Antiq. *num.* 1. Hoſtienſ. *nu.* 3. Jo. And. *nu.* 9. Bald. *in princ. in verborum Libertatem*, Bellam. *numer.* 4. *in prima quæſtione*, Butr. *nu.* 9. Anchar. *in* 1. *notab.* Abb. *ante nu.* 4. & Jo. de Anan. *num.* 1. & in hoc conveniunt omnes teſte

Car-

Cardinali in prima oppoſitione. Idem Petr. de Brixio in *Direct. elect. par. 1. cap. 10. num. 5.* & recentiores communiter, & cùm dicant omnes electionem eſſe per abuſum, quando laici electionibus interſunt, utique excludunt eos non tantùm à coeligendo; ſed etiam ab aſſiſtendo, & in-
37 terveniendo cum eligentibus in loco Capituli. Sed apertiùs hoc firmat gl. 2. hic dum ait, *electio eſt nulla, quæ fit contra libertatem Eccleſiæ*, & ita laici omninò excludendi ſunt à Collegiatis Eccleſiis. Pondera, quia non dixit excludendi ſunt ab electione, ſed à loco, & ab Eccleſia, ubi celebratur electio, & ſequitur Butr. *hic n.* 10. ibi, & ſic laici omninò ſunt expellendi de Collegiatis Eccleſiis, & noviſſimè Rota in cauſa Trevereñ. Abbatiæ ſancti Maximini impreſſa apud Caſtellin. *in tract. de elect. c. 4. fol. 101. n. 13.*
38 *verſ. 2. Quia fuerunt*, *& nu.* 18. ubi declaravit nullam electionem ex quo ultra ſolitos ſcrutatores electi fuerunt alii tres laici: eamque rationem adducit, quia laici ſunt om-
39 ninò arcendi ab hujuſmodi electionibus. Similiter Bellam. *hic nu. 1. verſ. Quartò*, dicit adverſari Eccleſiaſticæ libertati, ut laici de Prælatorum Eccleſiaſticorum electionibus ſe intromittant: & in ſexta quæſtione ait, laicorum admiſſiones ſunt in electionibus prohibitæ tamquam adverſantes Eccleſiaſticæ libertati; & eodem modo Butr. *hic n.* 5. dicit electionem eſſe per abuſum, & non valere quando fit intervenientibus ſecularibus. Idem non obſcurè ſenſit gloſſ. *in cap. Cùm terra ſup. eod.* in figuratione caſus ad fin. dum ait: Item laici non debent intereſſe, nec vocem habere in electione Prælati; & ſic gloſſa excludit laicos non tantùm à voce, ſed etiam ab intereſſentia, & interventu. Idem Epiſcopus Brixienſ. *in ſuo magno repertorio in ver. Laicus*, dicens: Nullus poteſt, aut debet intereſſe electioni Prælatorum, ac de illa ſe intromittere; & Franc. March. *dec. 102. num. 2.* ſimiliter excludit laicos ab utroque, dum alternativè inquit non valere conſuetudinem, quòd laica poteſtas habeat jus eligendi, aut intereſſendi electioni.

Et probatur hoc ſatis clarè *in c. 1. 63. diſtinct.* ubi dicitur: *Nullus laicorum Principum, vel Potentum ſemet inſerat electioni, ne inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio*. Pondera, quia non dicitur eligat; ſed ſemet inſerat electioni, quod nudam intereſſentiam importat.

Et ita in Congregatione habita juſſu S. D. N. Innocen- 40
tii X. *die 5. Aprilis 1646.* coram Eminentiſſimo Cardinali Palleoto, cui interfuerunt DD. Farneſius Archiepiſcopus Patraceñ. Maraldus, Fagnanus, Albicius, Maſcabrunus, & Confeſſarius Sanctiſſimi, ex communi ſententia reſolutum eſt Capitulum Provinciæ Bethicæ Ordinis Eremitarum S. Auguſtini celebratum in civitate Granateñ. cum aſſiſtentia, & interventu Auditoris Regiæ Cameræ in aula Capitulari, fuiſſe nullum ob laicæ poteſtatis abuſum.

Non obſtant Authores, qui dicunt laicos poſse intereſſe 41
ad protegendum electores. Quoniam intelligi debent non de intereſſentia phyſica, & corporali in ipſo actu, & loco electionis; ſed de intereſsentia morali; congruè enim dicitur electioni adeſse, qui tamquam brachium ſæculare extra aulam Capituli violentias propulſat, & eligentium libertatem tuetur. Sicut præſens quandoque dicitur intra muros, *cap. Cum olim in fin. infrà de re judic.* Joan. Andr. *cap. Ubi periculum nu. 5. de elect. lib. 6.* Quandoque dicitur præſens, cujus vox audiri poteſt, *l. 1. ff. De verbor. obligat.* Quandoque dicitur præſens, & qui in hortis eſt, *l. Præſens, ff. De Procur.* Quandoque latiùs, qui eſt in Provincia, *l. ult. Cod. de præſcript. long. temp.* gl. *in cap. Cùm inter, il ſecondo in ver. Remoti ſupr. eod.* & pluribus aliis modis pro ſubjecta materia, ut notat gl. *in Auth. de fidejuſſ.* §. 1. *in ver. Præſentes.*

Nec obſtat *cap. Adrianus 63. diſt.* & alia jura ſuprà citata *num.* 32. Quoniam procedunt in terminis privilegii Apoſtolici, ut dictum eſt ſuprà *num.* 16, & declarat Butr. *in cap. Maſſana in 2. not. infrà eod.* quod tamen privilegium fuit poſteà revocatum, ut in §. *Verùm, & in c. ſeqq. ead. diſt.* & de authoritate hujus *c. Adrianus*. Vide quod plenè ſcripſi *in c. Accepimus n. 64. infrà de pactis*.

Demùm non obſtat, quòd dictum eſt de Notario laico, quia hoc non pertinet ad abuſum; cùm enim Notarius nullam habeat juriſdictionem in foro contentioſo, nullum inducit metum in eligentibus, & ſic ceſsat ratio hujus Decretalis. Præterquamquod opinio illa de Notario non caret contradictoribus, ut patet ex dictis ſuprà *num. 19. & ſeqq.*

DE ELECTIONE.

Idem Innocentius in eodem Concilio Generali.

CAPUT XLIV.

Nihil eſt quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quàm quòd indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo neceſſariam adhibere medelam, irrefragabili conſtitutione ſancimus, quatenus cùm quiſquam ad regimen animarum fuerit electus, is, ad quem pertinet ipſius confirmatio, diligenter examinet & electionis proceſſum & perſonam electi: ut cùm omnia ritè concurrerint, munus ei confirmationis impendat: quia ſi ſecus fuerit incautè præſumptum, non ſolùm dejiciendus eſt indignè promotus, verùm etiam indignè promovens puniendus. Ipſum quoque decernimus hac animadverſione puniri, ut cùm de ipſius conſtiterit negligentia, maximè ſi hominem inſufficientis ſcientiæ, vel inhoneſtæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approbaverit, non ſolùm confirmandi primum ſucceſſorem illius careat poteſtate, verùm etiam (ne aliquo caſu pœnam effugiat) à perceptione proprii beneficii ſuſpendatur, quouſque (ſi æquum fuerit) indulgentiam valeat promereri. Si verò convictus fuerit in hoc per malitiam exceſſiſſe, graviori ſubjaceat ultioni. Epiſcopi quoque tales ad ſacros Ordines, & Eccleſiaſticas dignitates promovere procurent, qui commiſſum ſibi officium dignè valeant adimplere, ſi & ipſi canonicam cupiunt effugere ultionem. Cæterùm qui ad Romanum pertinent immediatè Pontificem, ad percipiendam ſui confirmationem officii, ejus ſe conſpectui (ſi commodè fieri poteſt) perſonaliter repræſentent, aut perſonas tranſmittant idoneas, per quas diligens inquiſitio ſuper electionibus, & electis poſſit haberi: ut ſic demum per ipſius circumſpectionem conſilii, ſui plenitudinem officii aſſequantur, cùm eis nihil obſtiterit de Canonicis inſtitutis: ita quòd interim valdè remoti, videlicet ultra Italiam conſtituti, ſi electi fuerint in concordia, diſpenſativè propter neceſſitates Eccleſiarum, & utilitates in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtrent: ſic tamen ut de rebus Eccleſiaſticis nihil penitùs alienent. Munus verò benedictionis, ſeu conſecrationis recipiant, ſicut hactenus recipere conſueverunt.

SUMMARIUM.

1 *Confirmans electum indignum ad regimen animarum perdit poteſtatem confirmandi primum ſucceſſorem, & à perceptione proprii beneficii ſuſpenditur ad beneplacitum Superioris, ſi per negligentiam id fecerit, & n. 7.*

Si verò per malitiam, gravius punitur Superioris arbi-

trio, vel pœna depoſitionis, n. 8.

2 *Electi immediatè ſubjecti Papæ per ſe, aut per perſonas inſtructas debent adire Papam pro confirmatione, & num.* 10.

3 *Et ſi ſint electi in concordia, & ſint ultra Italiam interim adminiſtrant, ita tamen, ut nil alienent, & n.* 11. 13. *&* 24.

Niſi in Provincia ſit Legatus de Latere, nu. 19. *verſ. Limitabis.*

Et dicuntur electi in concordia, ſi nullus diſcrepet, num. 12.

4 *Eccleſiæ Dei nihil tàm pernitioſum, quàm ut indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum.*

5 *Confirmator antequam confirmet, debet electionis proceſſum, & merita electi diligenter examinare.*

6 *Idque vocatis oppoſitoribus, &c. aliàs confirmatio non valet.*

7 *Prælatus indignus debet deiici etiam ſi fuerit confirmatus.*

8 *Pœna eſt arbitraria; cùm à jure non reperitur determinata.*

9 *Malitia graviùs punitur, quàm negligentia.*

10 *Legatus de Latere poteſt electos confirmare ex officio legationis: ſed alii Legati hoc non poſſunt ſine ſpeciali mandato, & n.* 19. *verſ. Limitabis.*

11 *Electus ut poſſit adminiſtrare ante confirmationem, quæ requirantur, & n.* 24.

13 *Suffraganeus, quamvis ſit valde remotus à ſuo Metropolitano, tamen adminiſtrare non poteſt ante confirmationem, & n. ſeqq.*

14 *Diſpenſatio ad ſimilia non extenditur, & n.* 16.

15 *Privilegium clauſum in corpore juris non facit jus commune, niſi inter nominatos; & ideo non extenditur de caſu ad caſum, etiam ex identitate rationis.*

17 *Extravagans* injunctæ de elect. *non habet locum in inferioribus à Papa confirmantibus.*

18 *Per reſervationem dignitatum fuit adeptum electoribus jus eligendi.*

19 *Quod tamen fuit præſervatum in concordatis Germaniæ, quibus non obſunt reſervationes non clauſæ in corpore juris.*

20 *Adminiſtrationem Prælaturæ, an Epiſcopus in partibus remotis ſuſcipere poſſit ob urgentem Eccleſiæ neceſſitatem ante receptas Bullas.*

21 *Adminiſtrare poteſt Epiſcopus, ſi litteras ſuæ conſecrationis habere non potuit propter obitum Papæ, & num.* 34.

22 *Prohibitio generalis non excludit caſum aliàs licitum.*

23 *Statuta, & privilegia cùm trahuntur ad iniqua, ſunt revocanda.*

25 *Electus in concordia in partibus remotis non cecidit à jure ſuo ex eo, quod ante confirmationem adminiſtraverit ob neceſſitatem Eccleſiæ, licèt Curia eſſet ultra montes.*

26 *Neceſſitas facit licitum, quod aliàs eſt illicitum.*

27 *Proviſus per Papam in Conſiſtorio eſt verus Prælatus ante levatas Bullas.*

28 *Litteræ Apoſtolicæ ſunt de ſubſtantia probationis, ſed non de ſubſtantia gratiæ.*

29 *Proviſio Conſiſtorialis habet vim electionis, & confirmationis.*

30 *Gratiæ tenor poteſt probari per teſtes, ſi litteræ ſint perditæ.*

31 *Litteris miſſivis de promotione Epiſcopi atteſtantibus non eſt credendum.*

32 *Ad electionis Canonicæ probationem de jure ſufficit ſolum decretum.*

33 *Per electionem ſpirituale matrimonium initiatur, & acquiritur electo jus adminiſtrandi in habitu.*

34 *Geſta per electum toleratum, an ſuſtineantur ex titulo putativo, & communi errore, remiſſive.*

1 Nihil. Si Prælatus per negligentiam confirmavit indignum electum ad regimen animarum, perdit poteſtatem confirmandi primum Succeſſorem, & à perceptione proprii Beneficii ſuſpenditur, & promotus deiicitur: ſi verò per malitiam hoc fecit, gravius punitur. Electi verò immediatè ſubjecti Papæ per ſe, aut per perſonas in- 2
ſtructas debent adire Papam, & petere confirmationem. Et ſi ſint electi in concordia, & valdè remoti, videlicet 3
ultra Italiam conſtituti, interim adminiſtrant, ita tamen ut nihil alienent. Benedicuntur autem, & conſecrantur prout conſueverunt, hoc dicit Jo. And. Bald. Bellam Butr. Card. Anch. Imol. Abb. Jo. de Anan. Et dividitur tota Decretalis in duas partes. In prima ponitur Conſtitutionis cauſa; in ſecunda Conſtitutio, ibi, *Irrefragabilis:* & ſecunda pars ſubdividitur in tres, ut per Jo. And.

Nota ex principio litteræ. Nihil eſſe tam pernicioſum 4
Eccleſiæ Dei, quàm quòd indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum. Ad quod ſolet allegari quotidiè hæc Decretalis, ſecundùm Abb. *in primo notab.* Undè S. Tridentina Synodus ſe accingere volens ad reformationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ admodum collapſæ ab iis, qui majoribus Eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum: quia integritas Præſidentium ſalus eſt ſubditorum, ut *ſeſſ. 6. de reformat. cap.* 1. ubi graviſſimis verbis inculcat, ut ad Eccleſiarum regimen onus Angelicis humeris formidandum, maximè digni aſſumantur. Idemque repetit in *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. dicens, hoc munus ejuſmodi eſſe, ut ſi pro rei magnitudine expendatur, numquam ſatis cautum de eo videri poſſit. Ad hoc *c. Cùm ſit ars infrà de ætat. & qualit. & c. In Sacerdotibus* 61. *diſt.*

Secundò nota ibi, *Diligenter examinet.* Superiorem, 5
antequam munus confirmationis impendat, debere ſedulò examinare electionis proceſſum, an ſcilicet forma fuerit obſervata, item qualitates, & merita electi, ut in textu. Idque ex officio, etiamſi contra ipſum nihil opponatur, ut hìc in gl. *in ver. Examinet.* Sed hodie præcedere debet 6
cauſæ cognitio, vocatis oppoſitoribus juxta formam præſcriptam *in c. fin. inf. eod. lib. 6.* alias confirmatio eſt ipſo jure nulla: ut ibi ſtatuitur.

Tertiò nota *in verſ. Non ſolum,* pœnam indignè pro- 7
moti, quia debet deiici, etiamſi fuerit confirmatus: & pœnam promoventis indignum, quia caret poteſtate confirmandi primum Succeſſorem, & ſuſpenditur à perceptione Beneficii ad beneplacitum Superioris, ſi per negligentiam id fecerit: ſi verò per malitiam, gravius punitur, ut in lit- 8
tera, id eſt Superioris arbitrio; cùm pœna hìc non determinetur, *c. De cauſis,* §. *fin. de offic. deleg.* gl. *hìc in ver. Graviori,* & Abb. *n.* 2. vel dic graviori, id eſt pœna depoſitionis, ut *c. Tantis* 81. *diſt.* ſecundùm Hoſt. *hìc n.* 6. *in ver. Graviori,* & Jo. And. *n.* 25. Et ita magis punitur malitia, quam 9
negligentia, Bald. *n.* 1. Bellam. *n.* 28. *in ver. Graviori,* & Abb. *n.* 3. facit *c. Super litteris de reſcr.*

Quartò nota in §. *Cæterum.* Exemptos Sedi Apoſtolicæ 10
immediatè ſubjectos teneri confirmationem petere à Summo Pontificè; tamen etiam Legati de Latere ex officio Legationis poſſunt electos confirmare in Provincia ſibi decreta: alii verò Legati hoc non poſſunt ſine ſpeciali mandato, ut eſt text. *in c. ſi Abbatem,* §. *hujuſmodi inf. eod. lib.* 6.

Ultimò nota *in ver. Ita quod,* Electos poſſe adminiſtra- 11
re in ſpiritualibus, & temporalibus ante obtentam confirmationem, tribus tamen concurrentibus. Primò, ſcilicet, ut ſint in partibus valdè remotis, id eſt ultra Italiam con-
ſtituti, Facit *c. Cùm longè* 63. *diſt. & cap. Cum olim de* 12
dolo, & contum. Secundò, ut ſint electi in concordia, id eſt nemine prorſus diſcrepante, ut notat gloſſ. in Clement. *Ne Romani,* §. 1. *in ver. Concorditer de elect.* Item gl. *in cap. Cupientes,* §. *Ad hæc in ver. Concordem eod. tit. lib.* 6. & tenent hìc Compoſt. *n.* 4. *in ver. In concordia,* dicens: Electum eſſe in concordia quantum ad hoc, ut adminiſtrare poſſit ante confirmationem, quando ejus electio eſt ab omnibus quaſi per inſpirationem communiter celebrata, ita ut uno tantùm diſſentiente non dicatur electus concorditer, Bald. *ante nu.* 1. explicans *ver. Concordia,* ſcilicet plena, & non ficta: & Abbas *n.* 4. Tertiò, ut 13
ſubſint immediatè Romano Pont. nam de his loquitur hoc Capitulum. Unde ſuffraganeus quamvis ſit valdè remotus à ſuo Metropolitano, tamen adminiſtrare non poteſt ante confirmationem: quia hæc facultas diſpenſativè hìc conceditur exemptis; diſpenſatio autem ad ſimilia non 14
extenditur, *c. In cauſis infrà de re judic. & c. Cænomanenſis* 56. *diſt.* Nec excuſat hoc caſu rerum periculum, *c. Illud de major. & obed.* & ita hìc firmat gl. *in ver. Adminiſtrent,*

cum

cum qua tranſeunt Hoſt. *nu.* 12. *in ver. Diſpenſ. ve* ... Jo. Andr. poſt Joannem & Vincentium, quos citat *num.* 27. poſt medium in gloſſ. ultim. & communiter Doctores, ut Abbas teſtatur *num.* 10. *circa med. verſ. In gloſſa*, ibi, *Sed*
15 *contra videtur*. Et quamvis ipſe Abbas oppoſitum ſentiat, eò quòd hoc privilegium ſit redactum in Corpus Juris, & ſit Eccleſiis favorabile, & ideò ampliandum; nec fuerit mens Papæ privilegiare exemptos ratione exemptionis, ſed propter neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiarum, cum exempti ſint valdè remoti à Romana Curia, quod regulariter non contingit in non exemptis reſpectu ſuorum Superiorum: tamen non videtur recedendum à communi opinione, quia hæc littera diſertis verbis non tantum requirit, ut electi ſint valdè remoti, ſed etiam ut ſubſint immediatè Romano Pontifici. Nec verum eſt exemptos eſſe valdè remotos, cùm intra fines Italiæ plurimi ſint Epiſcopi, qui Metropolitanis non ſubſunt. Nec refert, quòd in Suffraganeo valdè remoto à ſuo Archiepiſcopo habeat locum eadem ratio: quoniam cùm hoc ſit privilegium, extendi non poteſt, etiam ex identitate rationis, *c. Petiiſti*, 7. *q.* 1. Et quamvis ſit inſertum in Corpore Juris, tamen non propterea facit jus commune, niſi inter nominatos, nec debet extendi ad alios, ut notat gloſſ. in *c. Conſtitutionem*, *in ver. Prorogamus, de regular. lib.* 6. Et in Clement. *Dudum*, §. *Verum*, *in ver. De jure*, *de ſepult.* Jo. Andr. in *c. Ex parte*, *il* 1. *num.* 3. *ſuper ver. Cæteris, de Decimis*, & hìc tenet Hoſtienſ. *num.* 12. *in ver. Diſpenſativè*, dicens, hoc privilegium eſſe diſpenſationem reſpectu Lombardorum, ſed jus commune reſpectu Privilegiatorum; & ſecundum hoc poſſe intelligi quod de jure communi, & privilegio dicitur in *c. Cum dilectus*, §. 1. *ſupra de*
16 *Conſuetud.* Item hæc littera, ut prædixi, dat facultatem adminiſtrandi diſpenſativè, ſcilicet contra jura, quæ nolunt ante confirmationem adminiſtrari, ut explicat Jo. Andr. *ſub num.* 27. *in gloſſa ultim. verſ. Et ibi diſpenſativè*. Unde tamquam exorbitans ſtrictè eſt intelligenda, *c. Quæ à*
17 *jure*, *de reg. jur. lib.* 6. Et eſt ſimile in Extravag. *Injunctæ*, *de elect.* quæ cum loquatur de confirmatis per Papam adminiſtrantibus ante receptas litteras, tamquam exorbitans non extenditur ad confirmatos ab inferioribus a Papa, ut ibi firmat gloſſa in *ver. Non præſumant*, *verſ. Sed numquid*.

18 Rurſus quamvis idem Abbas *hìc ſub num.* 4. putet hoc privilegium hodie de rigore non habere amplius locum, quia ex quo Papa ſibi reſervavit poteſtatem providendi de dignitatibus, conſequenter abſtulit electoribus jus eligen-
19 di, ut *c. Eo tempore*, *infra eod. lib.* 6. Tamen tu dicas ſervari poſſe in Epiſcopatibus, & Monaſteriis Germaniæ, cùm jus eligendi fuerit Capitulis præſervatum in Concordatis, ut in Conſtitutione Nicolai V. quæ incipit, *Ad ſacram Petri Sedem*, *edita anno* 1447. *Kalend. Aprilis*, in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 305. Quibus quidem Concordatis non obſtant reſervationes non clauſæ in Corpore Juris, ut ex facto reſpondit Gemin. *in conſ.* 36. *Cujus talis eſt*, *per totum*. Et ſervatur in praxi. Sed ipſe Abbas Panormitanus non vidit Concordata, quia obiit Anno 1445. & ſic biennio antè, ut refert Card. Bellarm. *de Scriptor. Eccleſ.*

Limitabis tamen notabiliter hunc textum, niſi in provincia eſſet Legatus de Latere, quia tunc exemptus etiam Ultramontanus, & in concordia electus, non poſſet ſine confirmatione adminiſtrare, contraria conſuetudine non obſtante, ut eſt text. in *c. Cum venerabilis*, *ſupra de conſuetud.* & ibi hoc notant Innoc. & Compoſt. uterque in fine, & Jo. de Anan. *n.* 1. *verſ. Et colligitur hìc*.

10 Ex facto QUÆSITUM EST, An urgente neceſſitate liceat Epiſcopo, vel alii ſuperiori Prelato in partibus remotis Eccleſiæ ſibi commiſſæ adminiſtrationem ſuſcipere ante receptas litteras Apoſtolicas ſuæ proviſionis, vel confirmationis. Hæc dubitatio emerſit in Archiepiſcopo Goani Indiarum Primate: nam cum litteræ Papales ſuæ proviſionis caſu periiſſent, tametſi in eadem Eccleſia maxima ſubeſſet neceſſitas Paſtoris, quo jam à quinquennio erat viduata, non potuit tamen Archiepiſcopus adduci, ut Archiepiſcopatus adminiſtrationem ſuſciperet, cum Extrav. Bonifacii VIII. *Injunctæ*, *de elect.* & Conſtitutione Julii III. 34. in Bullario veteri, quæ incipit, *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, *publicata die* 27. *Maii* 1553. ſtatutum ſit ſub gravibus pœnis, ne Epiſcopi, & alii majores Prælati line litteris eorum promotionem, confirmationem, & conſecrationem continentibus ad commiſſas ei Eccleſias accedere, vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere præſumant: quamobrem ſupplicavit Archiepiſcopus, ut ſibi præſcriberetur, quomodo in hoc ſe gerere deberet. Et quia hic caſus ob itinerum diſtantiam poſſet iterùm in illis partibus accidere, propterea petiit declarationem ſupraſcripti dubii à S. Congregatione Concilii.

Gloſſa in d. Extravag. *Injuncta*, *in ver. Non præſumant*, 21
ſenſit licere Epiſcopo adminiſtrare, ſi litteras Papales habere non potuit; quia, inquit, Papa hìc damnat præſumptionem temerariam recedere volentium abſque litteris, propter quod Epiſcopum, & recipientes eumdem punit; ſed neceſſitatem non excludit, & ubi non eſt culpa, nec pœna debet infligi, *c. Sine culpa*, *de regul. jur. lib.* 6. Unde 22
temeraria præſumptio hìc reprobata ad caſum alium non debet extendi, nec prohibitio generalis excludit caſum aliàs licitum, *c. Super quibuſdam*, *de verb. ſignif.* Item ſta- 23
tuta & privilegia, cùm trahuntur ad iniqua, ſunt revocanda, *c. ult. in princip. de ſent. excomm. lib.* 6. *cum concord. alleg. in gloſſ.* Cujus opinioni videtur etiam ſuffragari hæc 24
Decretalis, ubi ſtatuitur, ut electi immediatè ſubjecti Sedi Apoſtolicæ ante confirmationem Papæ non adminiſtrent. & tamen in verſ. Ita quod indulgetur concorditer electis ultra Italiam, ut adminiſtrare valeant etiam ante confirmationem propter neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiarum. Et Hoſtienſ. *in c. Qualiter*, *num.* 1. *ſuprà eodem* dicit, hoc eſſe ſpeciale in remotis, & concorditer electis ad vitandum moræ periculum, quia poſſet eſſe Eccleſiis perniciosa utilitas, ſi eam quis nimium ſequeretur. Argum. *l. penult. C. Ad Trebell.* Hinc Oldrad. *conſ.* 9. *incipien. Poſito ſine præjudicio*, latè conſuluit electum in con- 25
cordia immediatè ſubjectum Papæ, atque ab urbe diſtantem ultra triginta dies non cecidiſſe à jure ſuo, ex eo quòd ad inſtantiam ſui Capituli, ac propter urgentem Eccleſiæ neceſſitatem nondum obtenta confirmatione à Papa tunc extra Italiam exiſtente, adminiſtratione bonorum Eccleſiæ ſe immiſcuerit; quia in hac Decretali pro facultate adminiſtrandi ante confirmationem ponderantur duæ cauſæ. Prima eſt, longa diſtantia, ob quam multa ſtatuuntur, ut *c. Cum longè*, 63. *diſt. c. Tum ex litteris*, *circa fin. De in integr. reſtit.* Secunda eſt, neceſſitas, vel utilitas Eccleſiarum, ob quam ſimiliter multa ſtatuuntur, & ſine 26
præjudicio permittuntur, *c. Ne pro defectis*, *ſupra eodem*, *cap. Quam ſit*, *eod. tit. lib.* 6. *Cum concord. per eum alleg.* Utraque autem ratio proculdubio militat in caſu propoſito: quod ergo propter diſtantiam loci, & neceſſitatem Eccleſiæ licet electo ante confirmationem, liceat quoque proviſo ante receptas Bullas, cùm neceſſitas faciat licitum, quod aliàs eſt illicitum, *c. Quoniam*, 1. *qu.* 7. *cap.* 1. *de Fer. cap.* 3. *de celebrat. Miſſar.* cùm multis ſimil. Et in qualibet diſpoſitione intelligatur excepta, *c. Licèt, de pœnit. & remiſſ.* & eo magis, quia privilegium, quod hìc tribuitur concorditer electis, eſt Eccleſiis favorabile, cùm emanaverit ob illarum neceſſitatem, vel utilitatem: & ideò debet latè interpretari tamen opinionem Abbatis *hìc ſub num.* 10. *verſ. In ea gloſſ.* ibi, *ſed contra*.

Quibus accedit, quòd pronuntiatus per Papam in Con- 27
ſiſtorio, ut moris eſt, etiam ante levatas Bullas eſt verus Prælatus; quia littera eſt de ſubſtantia probationis, non autem de ſubſtantia gratiæ, Gemin. *conſil.* 106. ſuper dicto 28
dubio, *verſ. In contrarium*, Abb. *in c. Qualiter*, *ſub nu.* 1. *verſ. Dic tamen quod pronuntiationem*, *ſupra eodem*, Felin. *in c. Eam te*, *col.* 3. *num.* 2. *verſ. Cave*, *de reſcript.* & latius *in Rubrica*, *de Conſtit. num.* 5. Sarn. *in Regula de infirmis*, *quæſt.* 1. *verſ. Nam conſiderandum*. Caſſador. *dec.* 4. *num.* 2. *de cauſ. poſſeſſ.* Caputaqu. *deciſ.* 175. *nu.* 2. *par.* 2. Seraph. *deciſ.* 775. *num.* 2. Rota *deciſ.* 42. *l.* 8. *nu.* 3. *par.* 1. *diverſ.* & ſæpè aliàs. Et proviſio Conſiſtorialis habet vim 29
electionis, & confirmationis, gloſſ. *in cap.* 1. *in ver. Proviſionem*, *infr. eodem lib.* 6. dixi *in cap.* 1. *num.* 8. *verſ. Quæ quidem*. *ſuprà eodem*. Unde cum pronuntiatus Epiſcopus plenum habeat jus, tametſi probatio deficiat; rigor hujus ſolemnitatis probandi per litteras tamen, cùm ſit juris poſitivi, non videtur attendendus urgente Eccleſiarum neceſſitate: ſicut propter neceſſitatem non attenditur in pro- 30
bando tenorem gratiæ Apoſtolicæ, cujus litteræ ſunt deperditæ, ut per Felin. *in d. Rubrica de Conſtit. paulo ante n.* 7. *verſ.*

verſ. Tertius caſus, de quo latiſſimè Mandoſ. *in Regula 27. de non judicand.q. 6. n. 5.*

31 Sed contrà videtur, quia valdè periculoſum eſt in hac materia quidquam generaliter decernere, cùm Epiſcopi præſertim illarum partium vix aliter eſſe poſſint certi de ſua promotione, quàm per inſpectionem Bullarum. Maximè enim abſurdum eſſet, ut aliqui receptis litteris miſſivis ſuorum Agentium, vel aliorum Curialium gererent ſe pro Epiſcopis, munus conſecrationis ſuſciperent, & ea, quæ ſunt ordinis ac juriſdictionis, exercerent in grave detrimentum animarum ſuarum, & periculum nullitatis actuum, ut in d. Extravag. *Iniunctæ*. Neque enim in hoc graviſſimo negotio promotionis Epiſcoporum fidendum eſt hujuſmodi atteſtationibus: tum quia multoties ab Urbe ſcribitur factum, quod proximè creditur faciendum: & tamen interdum non fit ob aliquod impedimentum poſteà ſubortum; tum ob periculum falſificationis, quæ non ita facilè poteſt contingere in litteris Apoſtolicis, præſertim ob pœnam graviſſimam, de qua in *cap. Ad falſariorum, de crimine Falſi*.

32 Nec procedit ſimile deſumptum ex hac Decretali, quia in electis diverſa militat ratio, quàm in proviſis apud Sedem. Nam electi ſunt ſtatim certi de ſua electione, cùm de jure ad probationem Canonicę electionis ſolum decretum ſufficiat, ut *c. Epiſcopus*, 61. *diſtinct.* & *hìc* notat In-
33 noc. *num.* 1. Per quam quidem electionem ſpirituale matrimonium initiatur, *cap. Cum inter Canonicos, ſuprà eod.* & *cap. final. infrà de tranſlat. Epiſcop.* Et ex ea acquiritur electo jus, & poteſtas adminiſtrandi in habitu licèt non in exercitio, ut notat gloſſ. Magna in *cap. Quantum*, 63. *diſt.* & Abb. *hìc num.* 4. *verſ. Hodie verò*, & *in cap. Tranſmiſſa, ſuprà eodem*. Unde æquitati eſt conſonum, & Eccleſiis favorabile, ut ultra Italiam conſtituti, & concorditer electi non teneantur expectare confirmationem ab Urbe, quia mora poſſet eſſe Eccleſiis pernitioſa; ſed ſtatim adminiſtrare valeant diſpenſativè propter neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiarum, ut hìc in littera. At hæc ratio ceſſat in proviſis apud Sedem; nam ſi attendamus tempus ante proviſionem, cùm certum ſit eos nullum jus habere, abſurdum eſſet, ut in adminiſtratione Prælaturæ ſe intruderent, *cap.* 1. 62. *diſt. c. Si per inordinationem*, & *cap. Omnis*, 63. *diſt.* Unde à die vacationis Eccleſiæ uſque ad tempus pronuntiationis in Conſiſtorio neceſſitas cogit eos abſtinere. Poſt proviſionem verò nulla cauſa ſubeſt diſpenſandi cum eis, ut adminiſtrare valeant ante receptas Bullas, cùm poſſint ſtatim illas expedire; & ante illarum receptionem non dicantur certi de ſua promotione, quippe quæ non aliter probari poteſt, quàm per litteras Papales, ut in d. Extravag. *Iniunctæ*; & tamen etiam ſi ſubeſſet eadem ratio in proviſis, quæ eſt in electis: nihilominus hoc privilegium non extenderetur ad
caſus ſimiles, ut oſtenſum eſt ſuprà in ultim. not. Gloſſa 34
verò ſupracitata *num.* 21. loquitur in caſu valdè diverſo, ſcilicet in Epiſcopo conſecrato, qui eſt certus de ſua conſecratione, & litteras conſecrationis hujuſmodi obtinere non potuit propter obitum Papæ. Adeò ut propterea laudandus ſit Archiepiſcopus Goanus, qui documentis Apoſtolicis nondum receptis adminiſtrationi Eccleſię ſe immiſcere non eſt auſus cujuſvis neceſſitatis prætextu, ut *c. Illud de major. & obed.* & hìc notat gloſſ. *in ver. Adminiſtrent. Sed contrà videtur.*

Quamobrem tutius videtur tam in hoc caſu, quàm in aliis futuris conſulere Eccleſiarum neceſſitati, tranſmittendo diverſa Bullarum duplicata, ac per diverſas vias propter caſus fortuitos, ut ſi alterum depereat, reliqua ſalva eſſe poſſint, juxta text. *in* §. *ult. Inſtit. de teſtam. & conſ.* Hoſt. *in cap. Ego N. in ver. Licentia*, *num.*9. & Joan. Andr. *in ver. Abſolvor*, *n.* 10. *infrà de jurejur.* & hoc placuit S. Congreg.

Gloſſa in *ver. Adminiſtrent*. Innocent. & Compoſtell. 35
eodem ver. Bald. Abb. & reliqui tractant hìc prolixè materiam, *l. Barbarius*, *ff. de offic. Prætor.* videlicet an geſta per electum toleratum in adminiſtratione ſuſtineantur ex titulo putativo, & communi errore. Ego de hoc egi latiſſimè in *cap. Super eo*, *à num.* 9. *infrà de crim. falſ.* & in *cap. Quod à Prædeceſſore*, *à num.* 130. *de ſchimat.* hìc non repeto, & conſule Socinum *conſ.* 32. *num.* 19. & *ſeqq. volum.* 1.

DE ELECTIONE.

Gregorius IX.

CAPUT XLIX.

CUm in magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam diſcipuli non aſſumpſit: nec ſit præficiendus, qui ſubeſſe non novit: Nos intellecto per te, quòd in quibuſdam regularibus domibus, jure tibi diœceſano ſubjectis, ſunt quidam in Abbates, non profeſſi ordinem regularem, aſſumpti: Mandamus quatenus cùm tales Abbates eſſe non debeant, qui per profeſſionem, Monachi & regulares Canonici non fuerint, ad amotionem eorum, quos tales inveneris, ſublato appellationis impedimento, procedas.

SUMMARIUM.

1 *Abbas eligi non poteſt non profeſſus, & numer. 5. & 9.*

2 *Magiſterii, ſeu Doctoratus gradum properè aſſumentes corripiuntur.*

3 *Docere prius, quàm doceri præpoſterum eſt; & impoſſibile.*

4 *Magiſtro non prodeſt quòd multoties fuerit approbatus, ſi apertè indignus ſit.*

6 *Beneficium, cujus proviſio ob negligentiam electorum ad Superiorem devolvitur, conferri non poteſt niſi habenti qualitatem, cui primi electores adſtricti erant.*

7 *Canonicus regularis an poſſit eligi in Abbatem.*

8 *Monachorum appellatione an veniant Canonici regulares.*

10 *Ordinarii Collatores an poſſint beneficia in titulum Regularibus provideri ſolita conferre ſæcularibus, qui illius Ordinis habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, & n. ſeqq. uſque in fin.*

11 *Quid de Abbatiis, Prioratibus, & Adminiſtrationibus.*
Et quid de Portionibus Monachalibus, ſeu Canonicalibus, n. 13. *&* 33.
Et quid de aliis beneficiis, quæ in titulum Regularibus conferri ſolent, n. 19.

12 *Intellectus* c. Nullus, de elect. lib. 6.

14 *Portiones Monachales, ſeu Canonicales Eccleſiæ non numeratæ, non dicuntur vacare, ſed creantur ſimul ac de iis aliqui providentur.*

15 *Portionum diviſio in ſingulos Monachos videtur contra jus, & votum paupertatis.*

16 *Novitii licitè recipiuntur à monaſterio, alimenta, & portiones, quæ in eorum locum ſubrogantur.*

17 *Portiones plures Monachales ſunt incompatibiles.*

18 *Portiones conſuetudine nedum Sabaudiæ, ſed etiam Gal-*

Gallia, & Hiſpania providentur ſæcularibus habitum ſuſcepturis, & profeſſionem emiſſuris.
20 *Beneficia certo perſonarum generi affecta multoties conferri poſſunt iis. qui tempore collationis non ſunt de genere.*
21 *Beneficia regularia in defectu Religioſorum conferri poſſunt ſæcularibus.*
22 *Regula de triennali tuetur Clericum ſæcularem in poſſeſſione beneficii regularis.*
23 *Concordata an obſtent quin valeat nominatio Regis de perſona ſæculari ad Abbatiam regularem.*
24 *Tridentinum Concilium præcipiens beneficia regularia conferri Regularibus, vel iis, qui habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, procedit in inferioribus Collatoribus.*
25 *Beneficia unius Ordinis prohibentur conferri Regularibus alterius Ordinis.*
26 *Dictio,* omninò, *quid importet.*
27 *Tridentinum Concilium, ubi loquitur de Summo Pontifice, quibus verbis uti conſueverit.*
28 *Papa ſolus confert beneficia ſub conditione, & ex tempore, ſive ad tempus.*
29 *Actus legitimi non recipiunt conditionem, neque diem.*
30 *Collatio beneficii regularis facta ſæculari cum decreto ut teneatur habitum recipere, & profeſſionem emittere, non pendet ex tempore, aut conditione, & num.* 38.
31 *Ordinis defectus cur minus obſit impetranti, quàm defectus ætatis, ſcientiæ, & morum.*
32 *Beneficia regularia in Francia an, & quando provideantur non expreſsè profeſſis.*
33 *Non profeſſi in Collegiata regulari exiſtentes coguntur aut profiteri, aut beneficia dimittere, & numero* 37.
34 *Novitii latè ſumpto vocabulo Regulares appellantur.*
35 *Collatio beneficii regularis facta ſæculari ex nunc prout ex tunc, & poſtquam profeſſionem emiſerit, eſt conditionalis, & non poteſt fieri niſi à Papa.*
36 *Idem ſi adiiciatur, ut elapſo anno, & non ſequuta profeſſione expreſſa beneficium vacet ipſo jure.*
37 *Collatio beneficii regularis Clerico ſæculari qua formula ab Ordinariis inferioribus ſit concipienda.*
38 *Facta ſub obligatione profitendi non eſt conditionalis, ſed modalis.*

1 CUm in magiſtrum. Non profeſſus in Abbatem eligi non poteſt. Hoc dicit. Solet ab aliquibus notari ſuperfluitas, eò quòd hic caſus reperiatur deciſus etiam in aliis capitulis hujus tituli. Sed non eſt ita: nam Decretalis, *Cùm cauſam*, loquitur in promovendo, hæc in promoto; & *c. Cum ad noſtram*, loquitur in eo, qui nondum erat Monachus, & ſic nil ſuperfluum, ſecundùm Abbatem Antiqu. cui ſubſcribunt Joan. Andr. Collectar. Bellam. & reliqui omnes. Poſſet etiam dici in *c. Cum cauſam*, tolli conſuetudinem; in *cap. Cum ad noſtram*, reprobari ſpem, vel promiſſionem, ut Abbas fiat, hic verò removeri obſtaculum appellationis. Dividitur in duas partes: In prima factum recitat. In ſecunda providet, ibi, *Mandamus.*

2 Nota primò proœmium multum allegabile contra Religioſos, & ſcholares, qui gradum magiſterii, ſeu doctoratus præproperè, & immaturè ſuſcipiunt: nam miſerum eſt eum fieri magiſtrum, qui formam diſcipuli non aſſumpſit, ut hic, & in *c. Miſerum*, 61. *diſt.* debet enim eſſe diſcipulus quiſquis Doctor eſſe deſiderat, ut poſſit docere quæ didicit: aliàs qui minimè litteris operam dedit, præceptor non poteſt eſſe litterarum, ut legitur in *c. Ordinatos*, 59. *diſt.* eſt enim præpoſterum, & impoſſibile prius
3 docere, quàm doceri, ut ait hic Baldus *in princ.* prius ergo multò tempore addiſce, quæ poſtmodum doceas, *c. Sic vive*, 16. *q.* 1. & *cap. Si officia*, 59. *diſtinct.* quoniam nemo repentè fit ſummus, §. *Quæ de charitate, de pœnit. diſtinct.* 2. gloſſ. *in c. Tum ex litteris, in ver. Inſtructus, de in integrit. reſtitut.* Joan. de Anan. *hic num.* 2. nec ipſe te doceas, nec abſque ductore regrediaris in viam, quam numquam ingreſſus es, *c. Si Clericatus, in fin.* 16. *q.* 1. cum aliis hic alleg. per Hoſt. *in princ.* Bellam. *num.* 2. & Card. *in* 1. *notab.* Addunt Vincent. & Collectar. non prodeſſe Magiſtro, 4
quòd millies fuerit approbatus, ſi apertè indignus ſit, *cap. Qui de menſa*, 73. *diſt.* & *c. Cum ſit ars, infrà, de ætat. & qualit.*

Secundò nota ibi, *Nec ſit præficiendus*, argumentum 5
optimum, & quaſi expreſſum, ſecundùm Abbatem *in* 2. *notab.* quòd non profeſſus in Abbatem aſſumi non debet non ſolùm per viam electionis, ſed nec per viam proviſionis. Hodie ſatis clarè hoc eſt expreſſum in Cleme. *Ne in agro*, §. *Sanè Prioratus, de ſtat. Monach.* Ponderanda verba, *committi, vel conferri*, & in *c. Cùm de beneficio, de præb. lib.* 6. quod utitur verbo, *provideri*, ut ſcripſi latiùs in *cap. Cum cauſam, in* 4. *notab. ſuprà eodem.* Unde infertur ut ſi 6
Capitulum negligat eligere infra terminum à jure præfixum, Superior immediatus, ad quem fit devolutio juxta terminos *c. Ne pro defectu, ſuprà eodem*, non poterit conferre (ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate) niſi Religioſo profeſſo: ad quod eſt textus clarus in Clement. *unica*, *de ſupplenda neglig. Prælat.* ubi notabiliter expreſſum eſt Superiorem, ad quem fit devolutio ex negligentia, teneri conferre perſonæ habenti illam qualitatem, cui adſtricti erant primi electores. Et vide quod ſcripſi in *cap. Cùm propter, num.* 7. *infrà de jurepatron.* In Quæſtione, An Epiſcopus Parochialem Eccleſiam Juriſpatronatus laicorum conferens jure devoluto teneatur eam conferre approbato in concurſu ad præſcriptum Conc. Tr. *c.* 18. *ſeſſ.* 24.

Tertiò nota in verſ. *Mandamus.* Canonicum regularem 7
eligi poſſe in Abbatem, ut poſt Boatinum hoc notant Jo. Andr. *n.* 4. Butr. *num.* 6. & Card. *in* 4. *notab.* tamen hodie dic ut Clem. *Cùm rationi, eod. tit.*

Quartò nota ibi, *Monachi & Regulares Canonici.* Mo- 8
nachorum appellatione non comprehendi Canonici regulares; licèt quandoque æquiparentur, & à Monachorum conſortio non ſint ſejuncti, ut in *c. Quod Dei timorem, inf. de ſtatu Monach.* de quo tamen dic, ut ibi notavi, *num.* 10. *& ſeqq.*

Ultimò nota ibi, *Ad amotionem eorum.* Textum quaſi 9
expreſſum quòd etiam ſecundùm hæc tempora electio in Abbatem de non profeſſo erat ipſo jure nulla. Unde Decretalis, *Nullus, infrà eodem lib.* 6. potiùs emanavit ad majorem declarationem, cùm de hoc articulo eſſet controverſia inter primarios Canoniſtas, ut dixit in *c. Cùm cauſam, num.* 35. *in princ. & verſ. Sed quatenus, ſuprà eod.* Ad quod vide bonam gloſſam in *c. unico, in ver. De cætero, de poſtulat. Prælat. lib.* 6.

QUÆRO, An præter Papam ordinarii Collatores poſ- 10
ſint beneficia in titulum Regularibus provideri ſolita, conferre ſæcularibus, qui illius Ordinis habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere omninò teneantur ad præſcriptum, *c.* 10. *ſeſſ.* 14. Conc. Trid.

Ut plenius ſatisfiat propoſitæ dubitationi, diſtinguen- 11
dum videtur inter Abbatias, Prioratus, & ſimiles adminiſtrationes regulares, atque inter Monachales, ſeu Canonicales portiones, quæ loco victualium aſſignantur ſingulis; & inter cætera beneficia, quæ in titulum Regularibus providentur.

De Abbatiis videtur reſpondendum negativè: tum quia de his expreſſum eſt ut ad eas non aſſumantur niſi profeſſi, ut hic, & in *cap. Ad noſtram*, & in *c. Officii, ſupra eodem.* Imò debent eligi expreſsè profeſſi, *c. Nullus, eod tit. lib.* 6. tum quia appellatione beneficiorum non veniunt Abbatiæ, ut per Lapum *Allegat.* 85. *num.* 11. *verſ. Item Abbatiæ*, & ſcripſi plenè in *c.* 1. *à n.* 15 *uſque ad num.* 20. *infrà de ætat. & qualit.*

Idem videtur reſpondendum de Prioratibus, & ſimilibus officiis habentibus adminiſtrationem, ut de Prioratibus ſunt jura clara in *c. Cum cauſam, ſupra eodem*, & in *c. Cùm de beneficio, de præb. lib.* 6. & in aliis adminiſtrationibus, in Clem. *unic. de ſupplend. neglig. Prælat.* & in Clem. *Ne in agro*, §. *Sanè Prioratus, de ſtatu Monachor.* Et facit ratio, quia tales debent eſſe inſtructi in regula Monachali, ut in *d. c. Officii*, ubi Innocentius, & DD. notant, Butr. in *d. c. Cum ad noſtram, num.* 6. & Abbas poſt eum *num.* 2. & convenit ut priùs ſint diſcipuli, quàm magiſtri, ut hic patet, & in *c. Miſerum*, 61. *diſt.* & ad hoc itidem requiritur expreſſa profeſſio, ut in *d. c. Nullus, infr. hoc tit. lib.* 6. Nec 12
veriſimile eſt Concilium quoad iſtos aliquid innovare voluiſſe.

fuiſſe. Nec obſtat, quod plerique intellexerint prædictam Decretalem, *Nullus*, ſaltem reſpectu nullitatis procedere tantùm quando proviſio fit per modum electionis; ſecus ſi per viam collationis, ut poſt Jo. Andr. notat Abbas in *cap. 2. num. 4. verſ. & pro hoc facit*, *infr. de teſtam.* Siquidem hoc non eſt tutum; & contrarium convincitur ex text. in d. Clement. *Ne in agro*, §. *Sanè Prioratus*, *de ſtatu Monachor.* qui loquitur de collatione Prioratuum, & aliarum adminiſtrationum; & tamen decernit, ut collatio fieri non poſſit niſi expreſsè profeſſis: & pondera illa verba, *non poſſis*, quæ tollunt potentiam, & reddunt actum ipſo jure nullum, juxta gloſſ. ordinariam in *cap. Beneficium de regul. jur. lib. 6.* Unde melius oppoſitum tenuit idem Abbas hìc, ut dixi ſuprà in 2. notab. & dicam latiùs in *d. cap. 2. de teſtament.*

13 De Portionibus Monachalibus, ſeu Canonicalibus, de quibus latè Navarr. *in 3. Comment. de regular.* videtur reſpondendum affirmativè; non ſolùm quando ſunt in Eccleſiis non numeratis, in quibus eſt minor difficultas; ſiquidem tales portiones tunc non dicuntur vacare ſecundùm Abb. in *c. Ex parte*, *num. 6. de conceſſ. præb.* ſed creantur ſimul ac de iis aliqui providentur: verùm etiam quando in Eccleſiis ſunt hujuſmodi portiones, ſeu præbendæ diſtinctæ, & numeratæ.
14

15 Primò, quia nullo jure ante Concilium id prohibitum reperitur; immò verò hujuſmodi bonorum diviſio in ſingulos Monachos, ſeu Regulares profeſſos videtur contra jus, & votum paupertatis, Innocent. in *c. Dilectus*, *el 1. in final. verſ. Niſi eſſent Regulares*, *de præbend.* & colligit Navarr. *ubi ſuprà num. 24. & ſeqq.* & latiſſimè probavi in *c. Monachi*, *infr. de ſtatu Monachor.* & quatenus diviſio hujuſmodi portionum, & aſſignatio defendetur ex his, quæ idem Navarr. poſtea in *ſeqq. num.* congerit; tamen magis juſtificantur peculiares illæ, ſeu privilegiatæ portiones in perſonis Novitiorum, quàm Profeſſorum.

16 Secundò iſtæ portiones accipiuntur in victum, & veſtitum Regularium, ut omnes conſentiunt. At Novitii poſt ſuſceptionem habitus alimenta à monaſterio licitè recipere poſſunt, *c. Si quis propter*, *hoc 1. qu. 2.* Conc. Trid. *c. 16. poſt medium*, ibi, *excepto victu, & veſtitu*, *ſeſſ. 25. de regular.* Ergo & portiones, quæ in eorum locum ſubrogantur, arg. *c. Majores, de Bapt.* & §. *fuerat Inſtit. de action.*

17 Tertiò, ſi non poſſent provideri niſi Profeſſis, ſequeretur ut Ordinariis auferretur proviſio; ſiquidem portio vacans per obitum unius portionarii profeſſo habenti ſuam portionem provideri non poteſt; quia tunc incompatibiles, *c. Cum ſingula*, *de præben. in 6.* Navarr. *ubi ſuprà num. 43.* Alius autem profeſſus, qui careat ſua portione, non facilè reperiretur, nec reperirentur qui antè habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere vellent, niſi ſimul portionem ſuam conſequerentur, cùm aliàs contingere poſſit eos vel non admitti ad profeſſionem, vel admiſſos de ſubventione non provideri.

Quartò, ſi harum portionum proviſio ſub conditione, ſive ex nunc facienda ſit ſemper à ſede Apoſtolica, diſciplina regulari facilè collabetur; nam præterquam quòd proviſio ſæpè fieri poterit non idoneis, ipſi proviſi erga Abbatem, ſeu Priorem, ſuperioreſve ſuos regulares non eam exhibebunt reverentiam, quàm aliàs præſtarent, ut probè animadverſum fuit contra *l. Convenire*, *ff. de pact. dotal.*

18 Quintò, conſuetudo in partibus nedum Sabaudiæ, ſed per totam Galliam, & Hiſpaniam obtinuit, ut provideatur ſæcularibus habitum ſuſcepturis, & profeſſionem emiſſuris: quæ conſuetudo per quodvis decretum vix aboleri poſſet, arg. *c. Certificari, de ſepult.* & *l. Minimè*, *ff. de leg.*

19 De aliis beneficiis, quæ in titulum Regularibus conferri conſueverunt, Reſpondetur poſſe ea per ordinarios collatores conferri ſæcularibus cum decreto, ut juxta Concilium habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur.

20 Primò, quia jure non eſt novum beneficia certo perſonarum generi affecta conferri etiam iis, qui tempore collationis non ſunt de eo genere, argum. *cap. Ei cui*, *de præb. lib. 6.* & ſcripſi latè in *c. Cùm in cunctis*, §. *Inferiora*, *ſuprà de elect.* ſic enim Parochiales Eccleſiæ conferri poſſunt etiam non Sacerdotibus, qui tamen tenentur intra annum ad Sacerdotium promoveri, *c. Licèt Canon.* *c. Cùm ex eo*, *de elect. in 6.* & *c. Si pro Clericis*, ubi gloſſ. *eod. lib. de præb.* Sic beneficia, quibus varia onera ſunt annexa, ritè conferuntur non habentibus tempore collationis Ordines requiſitos ad ea onera ſubeunda. Clementin. *Ut ii*, *de ætat. & qualitat.* innovata à Concilio Trident. in *cap. 4. ſeſſ. 22.* Et præbendæ Diaconales, & Sacerdotales conferri poſſunt etiam ex. d. Clement. & *d. cap. 4.* iis, qui intra tempus à jure ſtatutum Ordines aſſumere poſſunt requiſitos.

Secundò, non uſque adeò de jure communi expreſſum 21
eſt, ut regularia beneficia tantùm Regularibus conferantur, quin aliquibus caſibus etiam jure permittente conferri poſſint ſæcularibus, ut puta in defectum Religioſorum, *c. Inter quatuor*, *de relig. dom.* Abb. in *c. Relatum*, *ne Cler. vel Monach.* Rebuff. *in tract. nominat. q. 15. num. 23.* Et re- 22
gula de triennali tuetur Clericum ſæcularem in poſſeſſione beneficii regularis, Rebuff. *de pacif. poſſ. num. 139.* Imò non obſtantibus Concordatis *in tit. de collat.* §. *Volumus*, ubi cavetur ut ſæcularis nominatus beneficia regularia petere, aut conſequi non poſſit; non deſunt qui putant 23
valere nominationem Regis de perſona ſæculari ad Abbatiam regularem in commendam uſque ad annum, intra quem debent aſſumere habitum, & poſteà habere in titulum, ut per Rebuff. *ubi ſuprà de nominat. num. 21.* quamquam hoc reprobarit Navarr. qui in *Comment. 3. de regul. num. 2.* non ſatis ſe intelligere dicit, qua ratione Regia Majeſtas ante Concilium præſentaret, nedum Regulares unius Ordinis ad præfecturas alterius, ſed & ſæculares nec expreſsè, nec tacitè profeſſos vigore indulti ab Adriano VI. conceſſi, ut poſſet præſentare in Hiſpaniis ad Abbatias, & Præfaturas Collegiatarum ſæcularium, & regularium; de quo dic ut ſcripſi in *c. Cùm cauſam*, *ſup. eod.*

Sed quatenus eſſet expreſſum in jure ut regularia bene- 24
ficia niſi Religioſis profeſſis non conferrentur, & qualitas religioſitatis contemporanea ipſi collationi eſſe deberet; ac proinde collatio facta non profeſſis, nulla eſſet de jure communi, ad not. per Anchar. & alios in *d. c. Si pro Clericis*; adhuc tamen per Concilium viderentur hujuſmodi beneficia ritè conferri iis, qui habitum & profeſſionem ſuſcipere, & emittere tenentur, inducendo text. Concilii *c. 10. ſeſſ. 14.*

Primò, quia verba ſunt generalia, apta comprehendere quoſcumque collatores, ibi, *provideri conſueta conferantur*, &c. id eſt, ab iis, ad quos collatio pertinet. Secundò, quia pars alternativæ, *Religioſis tantùm illius Ordinis*, proculdubio etiam inferiores collatores reſpicit: ergo & altera pars, *vel iis, qui, &c.* argum. *l. Jam hoc jure*, §. *fin. de vulgar. & pupill.* Tertiò, non præſumitur Concilium voluiſſe privare per indirectum inferiores Ordinarios ſuis collationibus, argum. *l. 2.* §. *Si quis à Principe*, *ff. Ne quid in loco public.* Quartò, mens Concilii fuit providere præci- 25
puè duabus corruptelis. Altera eſt, ne conferantur profeſſis alterius Ordinis, quod etiam de jure communi prohibitum erat, *c. Cùm ſingula*, §. *Prohibemus*, *de præbend. in 6.* Clement. 1. *de elect.* Altera, ne ſæculares beneficia regularia obtinerent, undè ſtatus beneficiorum immutaretur, juxta *cap. Cùm de beneficio*, *de præb. in 6.* Ideò adjecta eſt in text. dictio taxativa, *tantùm*, ad excludendos profeſſos alteriùs Ordinis, non ad includendum ſolos profeſſos, cùm ſtatim ſubjecerit, *vel iis, qui*, ſufficit enim alternativæ unam partem verificari, ut legi ſatisfactum ſit, *l. Si is, qui 200.* §. *Utrum*, *de re dub.* & *c. Inter cæteras*, *ſuprà de reſcript.* providè etiam adjecta eſt dictio, *omnino*, 26
ad excludendam diſpenſationem inferiorum, Franc. in *c. Cùm ex eo*, *num. 2. de elect. in 6.* Quintò, ex uſu Concilii, 27
quando ſpecialiter dirigit diſpoſitionem ad ea, quæ propriè pendent ab authoritate Summi Pontificis, ne videatur ei legem dicere, utitur verbis modeſtiæ, & reverentiæ, *confidit ſancta Synodus*, *optat*, *& ſimilibus*, *cap. 17. ſeſſ. 24.* & *c. 21. ſeſſ. 25. de regul.* ubi diſponit circa Præpoſituras regulares non commendandas impoſterum, & alibi, ad in *c. 10.* ſunt verba valde præciſa, *tantùm omninò*, *non conferantur*.

Prædictis non obſtat, quòd ſolus Papa conferat benefi- 28
cia ſub conditione, & ex tempore, ſive ad tempus, Abbas in *c. Significaſti*, *num. 5. de elect.* gloſſ. *penul.* & DD. in *cap. 2. eodem titul. lib. 6.* cùm collatio debeat eſſe certa, & 29
actus

actus legitimi non recipiant conditionem, neque diem,
30 leg. *Actus legitimi*, *ff. De regul. jur.* & cap. *Actus*, ubi notatur *eod. tit. lib. 6.* Reſpondetur enim collationem, quæ fit ſæcularibus cum decreto ut teneantur recipere habitum & profeſſionem emittere juxta decretum Concilii, certam eſſe, nec pendere ex tempore, aut conditione; quemadmodum purè, & perpetuò conferri intelliguntur parochiales iis, qui Sacerdotes non ſunt, & tenentur infra annum ad Sacerdotium promoveri, *cap. Licèt Canon. de elect. in 6.* & ſimiliter dignitas, & præbendæ requirentes certum Ordinem conferuntur etiam poſt Concilium iis, qui intra tempus à jure ſtatutum Ordinem requiſitum ſumere teneantur, d. Clement. *Ut ii qui, de ætat. & qualit.* Nemo autem dixerit in his caſibus opus eſſe diſpenſatione Papæ, aut inferiores non poſſe ita providere, cùm leges hoc non dicant, & uſus obtineat ut Parochiales, & Præbendæ ſic, ut præmittitur, etiam ab inferioribus conferantur, & jure ſecundùm communem opinionem, de qua teſtatur Francus in *c. Si pro Clericis num. 5. de preb. lib. 6. & in cap. Licet Canon. num. 6. de elect. eod. lib.* Card.
31 *in Clement. 1. de offic. Vicar.* & reddit rationem Anchar. in *d. cap. Si pro Clericis*, cur minus obſit impetranti defectus Ordinis, quàm ætatis, ſcientiæ, & morum; nempè quia defectum Ordinis brevi ſuppleri poteſt voluntate impetrantis: non ſic de aliis, quæ ratio poteſt concludere etiam in defectu profeſſionis, maximè ubi non eſſet neceſſarius annus probationis.

32 Non obſtat aſſertio Rebuff. *in tit. de diſpenſat. cum regular. numer. 24. & ſeqq.* ubi dicit in Francia non admitti aliquem ad beneficia regularia, Prioratum, aut aliam adminiſtrationem, niſi ſit expreſsè profeſſus, juxta *cap. Nullus, de elect. lib. 6.* ſive per viam electionis, ſive collationis, præterquam ſi collatio fieret ab ipſomet Papa, non obſtante conſuetudine in contrarium. Quia reſpondetur primò hoc eſſe intelligendum non de quibuſcumque beneficiis, ſed de Præpoſituris cum adminiſtratione, de quibus id conceſſum eſt in primo, & ſecundo membro diſtinctionis; ſecus de ſimplicibus beneficiis, ut puta Capellis Monachorum, & Præbendis regularibus. Secundò reſpondetur dictum Rebuff. procedere, ſtantibus Concordatis, & Regiis Conſtitutionibus, quarum ibidem meminit. Tertiò reſpondetur, his circumſcriptis, quicquid anteà ſervaretur, poſt Concilium videri permiſſam collationem talium beneficiorum his, qui habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere volunt regularem. Quartò reſpondetur, de contraria conſuetudine quoad Præbendas Canonicales teſtari Dom. Datarium.

33 His ita conſtitutis, ſi quæſtionis reſolutio eò minus expedita videatur, quòd plura beneficiorum genera complectatur; poſſet reſtringi ad terminos portionum monachalium, ſeu canonicalium, quas conferri poſſe etiam non profeſſis de jure veteri probatur, argum. *c. Cum cauſam, de elect.* quatenus in fine mandat Clericos non profeſſos in Collegiata regulari exiſtentes compelli, ut vel B. Auguſtini regulam profiteantur, & ſervent, aut ipſam Eccleſiam omninò dimittant. Ergo non profeſſi eſſe poſſunt Canonici, & obtinere ſuas præbendas, quibus poſteà ſpoliari poſſunt ſi recuſent profiteri, ut ibi latiùs deduxi in ultimo notab.

Præterea in caſu Gratianopolitan. quo agitur, ſupponitur has portiones à quadraginta annis ultra, & citra ſæcularibus, qui ſimul recipiuntur ad habitum regularem, eſſe ſolitas conferri. Ergo videtur dicendum Concilium vel non comprehendere iſtas portiones, tamquam non conſuetas conferri Regularibus, vel comprehendere cum modificatione ſubjecta. Siquidem Novitii, qui ad 34 profeſſionem tendunt, licèt non ſint Monachi, aut Regulares propriè, ſeu cum effectu; tales nihilominus largo vocabulo appellantur, *cap. Religioſo, §. Quamvis autem, de ſentent. excommunic. lib. 6.* Rebuff. *de diſpenſat. cum regul. num. 23.* & patet ex notatis per Hoſtienſ. *in cap. Statuimus, num. 4. verſ. Nec obſtat, infrà de regular.* & per gloſſ. mag. in *c. Beneficium, poſt medium, verſ. Item talis, eod. tit. lib. 6.* quæ dicit tales eſſe Religioſos, ſed revocabiliter.

Circa formam proviſionis conſuetæ videtur adverten- 35 dum non eſſe conſonam, quatenus ſonat proviſionem fieri ſæculari ex nunc prout ex tunc, & poſtquam profeſſionem regularem emiſerit; quia hæc collatio eſt incerta, & ex tempore, ſive ſub conditione: contra gloſſ. *penul. in allegat. cap. 2. de elect. in 6. & in cap. un. de Capell. Monachor. eodem lib. in ver. Perpetuo:* & ſolus Papa poteſt ſic conferre, gloſſ. in *cap. Si gratioſè, in ver. A Romano, de reſcript. in 6.*

Qua ratione minus probatur formula, ut in exhibi- 36 tione habitus regularis fiat collatio cum clauſula *ex nunc, prout ex tunc*, & poſtquam profeſſionem regularem expreſsè emiſerint, quam elapſo anno probationis expreſsè emittere omninò teneantur, aliàs portiones vacent eo ipſo; quia præter oppoſitionem ſuprà factam hæc adiicit juri communi, & Canonico requiſitum expreſſæ profeſſionis: & quatenus apponit vacationem ipſo jure, præſupponit vacationem validam fuiſſe à principio, & poſteà eamdem reſolvit ad tempus, quod non poteſt fieri per inferiores; imò implicat contradictionem collationem fieri prout ex tunc, & ſecuta profeſſione vacare beneficium ipſo jure: adde hanc vacationem induci non poſſe decreto inferiorum.

Quid igitur? Videtur dicendum proviſionem ſimpli- 37 citer fieri debere, quæ habet à jure annexam ſuam obligationem, ſeu conditionem, ut proviſus teneatur habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere: aliàs niſi proviſus adimpleat id, ad quod tenetur, amovebitur ab Eccleſia, & privabitur portione, argum. *cap. Relatum, de Cleric. non reſident. cap. Significatum, de præbend.* & omninò agetur cum eo, prout cum proviſo de præbenda habente Ordinem annexum, qui intra tempus non promovetur; nam peculiariter ſtatutum eſt, ut proviſus de Parochiali niſi intra annum promoveatur ad Sacerdotium, privatus ſit ipſo jure, ut in *cap. Licet Canon, infra eodem lib. 6.* ſed in aliis beneficiis Curatis ſtat jus vetus, de quo in *cap. Cùm in cunctis, §. Inferiora, ſuprà eodem*, nam quod non mutatur, &c. *l. Sancimus, Cod. De teſtament.* & *l. Præcipimus, in fine, C. De appellat.* & probatur in *c. Statutum*, ubi gloſſ. & DD. notat *infrà hoc titul. lib. 6.* & ſcripſi pleniùs in *dict. §. Inferiora.* Nihil 38 etiam prohibet exprimi in proviſione hanc obligationem, quæ non reddit collationem conditionalem, ſed modalem, ut per Oldrad. *conſ. 108. in princip. verſ. Ad primum*, plenè Butr. *conſ. 48. in princip.* & Alex. *conſ. 102. Viſis, & ponderatis, numer. 2. verſ. Et notat. Bart. lib. 11.* cùm præſertim non ſit appoſita ab homine, ſed à jure, adnot. per DD. in *d. c. 2. infrà hoc tit. lib. 6.* arg. *l. Si is legatum, §. 1. de leg. 1.*

Sententiam S. Congregationis ſuper propoſitis dubitationibus habes in *c. Cum cauſam, num. 38. ſuprà eod.*

DE ELECTIONE.

Idem Gregorius IX. Capitulo Maſſano.

CAPUT LVI.

MAſſana Eccleſia Paſtore vacante: & infrà. Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis Pontificis electio præſumatur. Quæ ſi forte præſumpta fuerit, nullam obtineant firmitatem: Non obſtante contraria conſuetudine, quæ dici debet potiùs corruptela.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *ELectio Prælati per laicos, & Canonicos facta non valet, etiamſi hoc habeat conſuetudo, & numero 19.*

2 *Eligendi jus in Collegiata Eccleſia non cadit in laicum.*

3 *Laici ſpiritualium non ſunt capaces, etiam admixtis Clericis, & n. 16.*

4 *Actus activorum non cadunt in ſubjecto inhabili.*

5 *Papa ſolus diſpenſat, ut laici admittantur cum Collegialibus ad eligendum, & nu. 8.*

6 *Notarius laicus poteſt electioni intereſſe, ut ſcribat proceſſum.*

7 *Laici in electione Prælati admitti non poſſunt ad coeligendum, ſed ad protegendum electores etiam armata manu.*

8 *Imperatores ex privilegio ſibi olim conceſſo eligendi, ſeu confirmandi Romanum Pontificem, nullum jus ſpirituale transferebat.*

9 *In mixtis inſeparabilibus magis attenditur quod nocet, quàm quod prodeſt, & n. 28.*

10 *Declaratur, & num. 31.*

11 *Electio à Canonicis celebrata non irritatur ex eo, quòd laici ignoranter fuerint admiſſi, aut violenter ſe intruſerint.*

12 *Conſuetudine induci non poteſt ut laici admittantur ad actus ſpirituales, etiamſi ſit immemorabilis, & num. 16.*

13 *Conſuetudo contra Eccleſiaſticam libertatem eſt impræſcriptibilis.*

14 *Conſuetudine induci non poteſt ut Clerici ſolvant collectam etiam de bonis patrimonialibus.*

15 *Conſuetudo mala amittit nomen conſuetudinis, & dicitur corruptela.*

16 *Spiritualia a laicis poſſideri non poſſunt.*

17 *Bulla Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. ſuper præſervatione jurium Sedis Apoſtolicæ, & inferiorum Eccleſiarum tollit conſuetudines etiam immemorabiles, & cum fama privilegii.*

18 *Converſi laici poſſunt electionibus Regularium intereſſe ex conſuetudine.*

19 *Utile an, & quando vitietur per inutile, & numer. 26. & ſeqq. 29.*

20 *Naturam immutare non eſt in poteſtate partium.*

21 *Electio Papæ an reddatur irrita ex eo quod ſchedulæ poſt illarum publicationem apparuerint eſſe plures numero, quàm Cardinales, & numer. ſeqq. uſque in fin.*

22 *Quid ſi electus tantùm habuerit duas tertias partes ſuffragiorum habita ratione numeri Cardinalium, non autem numeri ſchedularum.*

Et quid ſi habuerit duas tertias partes ſuffragiorum etiam ſuperfluis non computatis, n. 26. & nu. ſeqq. uſque in fin.

23 *Vota eligentium debent eſſe certa, aliàs non valent, & num. 25.*

24 *Incertum dicitur quod ignoratur.*

25 *Incertitudo in cauſa inducit incertitudinem in effectu.*

26 *Capitulum congregatum ex permiſſis, & prohibitis Capituli authoritatem non habet.*

27 *Electionis actus eſt individuus, & n. ſeqq.*

Concurſus, in quo unà cum tribus examinatoribus Synodalibus alii quoque non Synodales fuerunt adhibiti, non valet, ibidem.

29 *Electio vitiatur propter admiſſionem inhabilium etiam ignoranter facta. Contrarium n. 31. & ſeqq.*

30 *Utile vitiatur per inutile propter aſſumptam formam juri contrariam.*

Declaratur, num. 34.

31 *Actus collegialiter geſtus ab habilibus, & inhabilibus ignoranter admiſſus ſuſtinetur propter habiles: ſecus ſi ſcienter, & num. 33.*

32 *Et quid ſi unus tantum ſit habilis, reliqui vero inhabiles.*

34 *Actus principalis habens in ſua eſſentia debitam formam non vitiatur ex ſupervacua adiectione.*

35 *Schedulæ ſi poſt illarum publicationem repertæ fuerint eſſe plures, quàm Cardinales, an ſint comburendæ ex Gregoriana Conſtitutione.*

36 *Scrutinio publicato cur electoribus variare non liceat.*

MAſſana. Non valet electio Pontificis per laicos, & 1
Canonicos facta, etiamſi hoc habeat conſuetudo;
Hoc dicit, & tria facit. Prohibet. Decretum apponit, &
contrariam conſuetudinem damnat.

Nota primò, jus eligendi in Collegiata Eccleſia non ca- 2
dere in laicum, ut hìc, & in *c. Quiſquis, ſuprà eod. cum con-
cord.* Et eſt ratio, quia hoc jus ſpirituale eſt, *c. Sacroſancta*, 3
ſuprà eodem. Laici autem hujuſmodi ſpiritualium non ſunt
capaces, *c. Cauſam quæ, de præſcript.* & notatur in *cap.
Quæ in Eccleſiarum, & in Eccleſia S. Mariæ, de Conſtit.*
& in *c. Decernimus, de judic.* etiam admixtis Clericis, ut
hic, & in *c. Contingit*, & ibi dixi *n.* 11. *infr. de arbitr.* &
actus activorum non cadunt in ſubjecto inhabili, *c. Per E-
ſaiam*, 1. *q.* 1. *c. Medicina, de pœnit. diſt.* 1. *c. Juvenis, de Spon-* 4
ſal. l. 1. §. *Cùm arietes, ff. Si quadrup. pauper. fec. dicatur, l. Si
ex plagis*, §. *Tabernarius, ff. ad leg. Aquil.* & notat Joan.
And. in *c. Romana ſuper, ver. Per hanc, de ſent. excomm.
lib.* 6. & Bald. *hìc in princ. verſ. Nota quod actus.*

Secundò nota, laicos non poſſe electioni intereſſe etiam 5
ex admiſſione Canonicorum, ut hìc eſt caſus. Quod ta-
men declarat Compoſtell. & poſt eum Abb. Antiqu. *in ver.
Laicos*. Jo. Andr. *num.* 4. *in ver. Electio*. Bald. *in princip.
verſ. Adde tamen*, & *num.* 1. Butr. *in* 2. *notab.* & Abb. *nu.*
2, & 3. ut procedat ſi laici admittantur ad coeligendum
unà cum Collegialibus: in hoc enim ſolus Papa diſpenſat,
c. Sacroſancta, ſuprà eod. Secus verò ſi admittantur pro- 6
pter aliquam Eccleſiæ utilitatem, veluti cùm tabellio lai-
cus admittitur ad ſcribendum electionis proceſſum, ut no-
tat gloſſ. in *c. Quia propter. in ver. redacta, ſuprà eodem*,
& ibi Abb. *numer.* 9. vel cùm vocantur laici ad compeſcen- 7
dum ſchiſmaticos, vel alios, à quibus timetur impreſſio
ſeu violentia, ut *c. Vota*, §. *Principibus*, 63. *diſt.* & *c. In no-
mine Domini*, 23. *diſt.* Quamvis enim laici non poſſint in-
tereſſe ad eligendum, poſſunt tamen intereſſe ad prote-
gendum Canonicos, etiam armata manu, ut formaliter
inquit Bald. *hìc in princ. verſ. Ad tamen*: vel denique 8
admitti poſſunt ſi hoc eis competat ex privilegio Papæ, ut
c. Quod ſicut, ſuprà eod. c. Adrianus, & *c. In Synodo*, 63.
diſt. ubi Papa cum Concilio impertitus eſt poteſtatem Im-
peratori eligendi Romanum Pontificem. Quod tamen
privilegium poſteà fuit revocatum, ut in *c. Præter*, §. *Ve-
rum*, 32. *diſt.* Sed an in vim prædicti indulti Apoſtolici Im-
peratores tranſtulerint aliquod jus ſpirituale, vide per In-
noc. in *d. c. Quod ſicut, num.* 3. & Card. Turrecr. in *d. cap.
Adrianus, nu.* 1. *verſ. Quarto*, ubi ait hæreticum eſſe af-
firmare Papatum eſſe ab Imperatore, cùm ſit à Deo, ut *c.
Omnes*, & *c. Sacroſancta*, 22. *diſt.* & egregiè declarat qualis
eſſet illa poteſtas Imperatoribus collata eligendi, ſeu confir-
mandi Romanum Antiſtitem, & tamen de fide, & autho-
ritate illorum Canonum vide Cardinal. Baron. *in Annal.
Eccleſiaſt. ad annum Domini* 526. 555. & *maximè* 774. *à
num.* 10. & *ad annum* 964. *à num.* 22. & Cardin. Bellarm.
lib. 2. *de Summo Pontifice, c.* 29. & *de Clericis, c.* 9.

Tertiò nota, in mixtis inſeparabilibus magis eſſe atten- 9
dendum quod nocet, quàm quod prodeſt, ut hìc notat
Butr. *in* 1. *notab.* nam in electione mixta laicorum, & Ca-
nonicorum magis hìc inſpicitur qualitas laicalis ad deſtru-
ctionem actus, quàm qualitas Eccleſiaſtica ad illius pro-
ductionem. Sed contrà. Imò mixtum ex duabus naturis 10
aſſumit naturam ejus ſimplicis, quòd eſt favorabilius, &
per quod jus conſortis conſervatur, ut *l. Si communem,
ff. Quemadmodum ſervit. amitt.* & *c. Sacris, de ſepultur.*
Quam regulam ponit gloſſ. in *c. unico, in ver. Eccleſiaſti-
cus, de Jurepatr. lib.* 6. & pluribus confirmant Alexand. *in
conſ.* 122. *num.* 16. & *ſeqq. lib.* 4. Jaſ. in *l. Si emancipati, nu.*
5. & *ſeqq. C. de collat.* & Felin. in *c.* 1. *num.* 6. *ad med. verſ.
Et dixit, de præſcript. Solutio. Sta contrario*, ut ſcripſi la-
tiſſimè in *c. Cum propter, nu.* 27. 36. 42. & 81. *de Jurepatr.*
Et ad hanc Decretalem reſponde, hìc eſſe ſpeciale, ut præ-
valeat qualitas laicalis, quæ inficit electionem: & ratio
ſpecialitatis eſt propter odium Capitularium, qui ſibi ad-
jun-

jungunt, & conſociant inhabiles, ut hìc per Abb. *num.*5.
11 Undè infertur, ut ſi Canonici ignoranter admitterent laicos coeligendum, electio aliàs canonica ex mixtura laicorum non reddetur irrita, quemadmodum neque ex admixtione excommunicatorum, ut eſt textus ad hoc notabilis in *c.fin.de Procurator.*& latiùs dicam *infrà*, *num.*31. *& ſeqq.* Hinc etiam infertur, ut ſi laici per vim ſe in electione intruderent, electio à Canonicis celebrata nihilominus ſuſtineretur, valeret enim quatenus fieret à Clericis, & eſt utile ut tunc fiat proteſtatio ſecundùm Abb.*d. num.*5.& *c.Cumana,ſuprà eod.* nam ceſſat odium admittentium quando laici per ignorantiam admittuntur, aut per violentiam ſe ingerunt.
12 Quartò nota ibi, *etiamſi hoc habeat conſuetudo*. Non poſſe introduci conſuetudine,ut laici admittantur ad actus ſpirituales, qualis eſt electio Prælati. Quod duplicem
13 habet rationem. Prima ratio eſt, quia hujuſmodi conſuetudo eſt contra Eccleſiaſticam libertatem, ut *c. Sacroſancta*, *c.Cùm terra*, & *c. Quiſquis*, *ſuprà eod.& c. Cùm cauſa, in fine*, *de re judic.* & conſequenter eſt impræſcriptibilis, ut hìc notat gloſſ. fin. Bald. *ante num.* 1. *verſ. Item no-*
14 *ta*, & Abb. *num.* 6. qui ex hoc infert, ut non poſſit conſuetudine introduci, ut Clerici ſolvant collectam etiam de bonis patrimonialibus, cùm ſit contra libertatem Eccleſiaſticam, ut *c. Non minus*; & *c. Adverſus*, *de immun. Eccleſ. c. fin. de vita*, *& honeſt. Cleric.* & *c.Quamquam*, *de*
15 *cenſib. lib.* 6. & proptereà conſuetudo hujuſmodi amittit nomen conſuetudinis, & appellatur hìc corruptela, nempe quia mores corrumpit ſub velamine conſuetudinis: aſſumitur enim ab impiis ut privilegium, *c. Mala*, 8.*diſt.*&
16 *c. Denique*,4.*diſt.*Secunda ratio eſt, quia ſpiritualia à laicis poſſideri non poſſunt, *c.*1.16. *q.* 7. & *c.Cauſam quæ*, *de præſcrip.* Sine poſſeſſione autem non currit præſcriptio, ut in reg. *Sine poſſeſſione*, *de regul.jur. in* 6. & *l. Qui in ſervitute*, *ff. eodem*. Quæ ratio convincit in hac materia induci non poſſe conſuetudinem, aut præſcriptionem etiam per tempus, cujus initii memoria in contrarium non exiſtat, ut concludit Jo.Andr. in *cap.*2. *de præb.lib.*6. & Abbas *hic n.*4. & pleniùs in *d.c.Cauſam*, dixi in *c.Cùm contingat*, *num.* 9. *de foro compet.*
17 Hodie extat hac de re noviſſima Conſtitutio S.D.N.Urbani VIII. quæ incipit, *Romanus Pontifex in ſua*, *&c. edita anno* 1641. ſuper præſervatione jurium Sedis Apoſtolicæ & inferiorum Eccleſiarum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum à quibuſcumque præjudicialibus: in qua irritæ declarantur contrariæ conſuetudines, & præſcriptiones, etiamſi ſint immemorabiles, & cum fama privilegii.
18 Fallit concluſio ſuperiùs firmata in Converſis profeſſis, qui etſi laici ſint, tamen admitti poſſunt in electionibus Regularium,ſi ita ſe habeat Religionis conſuetudo,ut notat gloſſ.3 in Clement. *Ut ii*, *de ætat. & qualit.* Jo.Andr.in *c. Ex eo*, *in fin. de elect. lib.* 6. & Collectar. *hìc in princ.*
19 Ultimò nota, electionem Prælati à Canonicis factam unà cum laicis eſſe irritam ipso jure propter admixtionem laicorum, ut hic eſt caſus valdè notabilis,& mente tenendus ſecundùm Abbatem *num.*3.& ita electio aliàs utilis, id eſt, celebrata à majore, & ſaniore parte Capituli vitiatur per inutilem admixtionem laicorum, ut hìc notat gloſſ. 1. communiter approbata. Nec obſtat contraria regula *cap. Utile de regul. jur. lib.* 6. quia procedit in inſeparabilibus,
20 ut ibi declarat gloſſa: ſed de hoc pleniùs dicam infrà *n.* 26. *& 29. & ſeqq.*Item procedit regula illa, ſi vitium ſit in materia,veluti cùm acceptilatio interponitur ſuper contractu juris gentium: nam permutare naturam non eſt in poteſtate partium;& ideò tunc valet ut valere poteſt,ut *l.An inutilis,ff.De acceptilat.*& arg.*l.Quia ratio,ff.De condit.inſtitut.* ſecus ſi vitium ſit in forma, ut hic declarat Bald.*num.*2.*prope finem*. Item ſignatur contrarium in *c. fin. de Procurat.* Sed ſolve, ut dicam infrà *n.* 31. *&* 33.
21 Hinc ſumpta occaſione, QUÆRO: in Conſtitutione Gregorii XV. de Romani Pontificis electione, quæ incipit, *Æterni Patris Filius*, *in* §.*Inſuper*, Statuitur, ut antequam ſchedulæ à ſcrutatoribus aperiantur, omnes ab iis diligentiſſimè numerentur: & ſi plures repertæ fuerint, quàm ſint Cardinales. omnes comburantur, & iterum ad ſuffragia deveniatur. Pone, poſt abſolutam ſchedularum publicationem, & non priùs compertum fuiſſe ſchedulas eſſe plures numero, quàm Cardinales. Fac enim ſcrutatorum incuria ante publicationem ſchedulas non fuiſſe ritè numeratas, vel certè alicujus malitia poſt completam numerationem, & inchoatam publicationem aliàs ſchedulas ultra numeratas in calicem injectas fuiſſe, ita ut in univerſum excedant numerum Cardinalium in conclavi præſentium, numquid ex hoc electio reddatur irrita?

Pro clariori quæſtionis ſolutione duo caſus ſunt diſtin- 22
guendi, Primus eſt, cùm electus habuit duas tantùm partes ſuffragiorum habita ratione Cardinalium exiſtentium in conclavi, non autem numeri ſchedularum; puta quia Cardinales ſunt numero triginta, & Cardinalis Hoſtienſis habuit ſuffragia viginti, ſuo ſuffragio non computato; & tamen in calice repertæ fuerunt ſchedulæ triginta tres, aut etiam plures: & hoc primo caſu credimus manifeſtum eſſe talem non cenſeri electum. Ratio eſt evidens, quia 23
fieri poteſt ut in numero viginti ſuffragiorum, quæ ipſe habuit, adſit aliqua ex ſchedulis, quæ ſuperabundant, atque ita ignoratur an verè is à duabus partibus Cardinalium electus fuerit, ſicut pro forma requirit Gregoriana Conſtitutio, quæ in hoc eſt juri communi conformis, ut in *c.Licet de vitanda,ſuprà eod.* & conſequenter electio eſt 24
incerta, quia incertum dicitur quod ignoratur, *l. Subſignatum*, §. *fin.ff.De verbor. ſignif.*& non probat hoc eſſe quod ab hoc contingit ab eſſe, *l. Neque natales,C. De probat.*& *l. Non hoc*, *C. Unde legit.* imò quod eſt incertum, perindè eſt ac ſi non eſſet, *l. Duo ſunt Titii*, *ff. De teſtam.* & *l. Si ita fuerit,ff. De reb. dub.* facit text. in *l. Ita ſtipulatus*, *ff. De verbor. obligat.*& *in l. Cùm poſt*, §. *Gener. cùm ibi not.ff. De jur. dot.* Vota autem eligentium debent eſſe 25
certa, aliàs non valent, ut ſunt jura clara in *c. In electionibus*, *infrà eod. lib.* 6. & in *c.* 1. *de poſtulat.Prælat.eod.lib.*& incertitudo in cauſa inducit incertitudinem in effectu, *c. Coepiſcopi*,68.*diſt.c. Ad audientiam*, *c. Significaſti*,& *c.Petitio*, *de homicid.*

Secundus caſus eſt, cùm electus habuit duas ſuffragio- 26
rum partes etiam ſuperfluis non computatis, puta Cardinales ſunt triginta, & ſchedulæ triginta tres, & electus habuit ſuffragia viginti tria, vel plura, aut etiam omnia: & hoc caſu res videtur non parum dubia.

Contra electionem videtur primò urgere hæc Decreta- 27
lis, ubi irrita decernitur electio facta à Canonicis, cum quibus laici admixti fuerunt: & ita electio aliàs utilis, id eſt, à majori parte Capituli celebrata vitietur per inutilem admixtionem inhabilium, ut hìc notat gloſſ. 1, & ratione prohibiti vitiatur conceſſum, ita ut Capitulum congregatum ex permiſſis, & prohibiti Capituli authoritatem non habeat,ut ait hìc Bald.*in princ.* Et eſt ratio, quia actus ele- 28
ctionis eſt individuus, nec poteſt pro parte valere, & pro parte non, *c. Prudentiam*, *de off. deleg.* Individuis autem, & inſeparabilibus mixtio inutilis vitiat utile, & magis inſpicitur quod nocet, quàm quod prodeſt,ut eſt caſus notabilis hìc ſecundùm Anton. de Butr. *in* 1.*notab.* & Abb.*nu.*3.
Ob quam rationem aliàs S Congregatio Concilii nullum 29
declaravit concurſum, in quo unà cum tribus examinatoribus in diœceſana Synodo deputatis alii quoque non Synodales fuerunt adhibiti. Quod adeò verum eſt, ut inficiatur electio ex admixtione inhabilium etiàm ignoranter facta, ſi credimus eidem Butr. hoc aſſerenti in *c. fin. n.*2. *&* 11. *de Procurator*, ea conſideratione, quia in ſcrutinio nomina omnium deſcribuntur, ita ut omnes ſimul, & indi- 30
viduè ad actum electionis procedant: & in idem recidit quod ſcripſit Bald. *hìc num.* 2. videlicet utile vitiari per inutile propter aſſumptam formam juri contrariam; licèt ſecus ſit quando vitium ſuperfluum eſt in materia. Ex quibus videtur reſultare ut viginti ſuffragia utilia duas tertias partes Cardinalium conſtituentia, quæ hoc caſu habuit electus, vitientur per ſupervacuam adjectionem trium inutilium,

Deinde contra electionem videtur urgere, quod cùm in Gregoriana Conſtitutione ſancitum fuerit,ut ſi ſchedulæ plures repertæ fuerint, quàm Cardinales,comburantur omnes,& iterum ad ſuffragia deveniatur. his verbis videtur Pontifex abſtuliſſe vim omnem, & robur illius ſcrutinii, in quo repertum fuerit plures fuiſſe ſchedulas, quàm Cardinales. Idque nulla habita ratione, an quiſpiam ab omnibus, vel à duabus partibus,an verò à paucioribus tantùm electus fuerit. Si enim voluiſſet hanc diſtinctionem

ad-

adhiberi, non utique ſanxiſſet ſchedulas omnes eſſe indiſtinctè comburendas, ſed decreviſſet prius deveniendum eſſe ad illarum publicationem,ut conſtare poſſet an electus etiam non computatis ſchedulis ſuperfluis habuiſſet duas tertias partes ſuffragiorum. Non videtur ergo conſentaneum, ut nos adhibeamus diſtinctionem, quam legiſlator non adhibuit, *l. Proſpexit, ff. Qui, & à quib.* & *l. De pretio, ff. De public. in rem act. cum vulg.* Quod enim non eſt Apoſtolico decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum, *c. Conſuluiſti*, 2. q. 5. & *c. Inter corporalia, de tranſlat. Epiſc.*

31 Sed validitati electionis videtur ſuffragari, quod etſi ſchedulæ excedant numerum eligentium; certum eſt tamen electum habuiſſe ſuffragia duarum ex tribus partibus. Eſto enim ſuffragia lata in tribus ſchedulis,quæ ſuperabundant, ſint caſſa, & irrita; tamen cùm Cardinales ſint numero triginta, & electus viginti tria ſuffragia habuerit, etiam ſi demas illa tria,ſuperſunt tamen viginti, quæ adæquatè conſtituunt duas tertias partes Cardinalium in Conclavi exiſtentium. Electio igitur aliàs utilis, ideſt à duabus partibus Collegii canonicè celebrata per inutilem ſchedularum adjectionem vitiari non debet,ex theorica Innoc. in *c. Illa, n. 2. verſ. Imo plus dicimus, ſuprà eod.* ubi in quæſtione illa: An vitietur electio ex eo quod cum habilibus aliqui inhabiles admixti fuerint ad coeligendum, diſtinguit an ſcienter admiſſi fuerint; & tunc electio non valeat, & in hoc caſu dicit eſſe intelligendam hanc decretalem, *c. fin. de Procurator. c. Ad probandum, de re judic.* & *c. Cum ſuper, de offic. delegat.* An verò ignoranter; & tunc determinat electionem ab habilibus factam numquam irritari propter ad-
32 mixtionem inhabilium, arg. *l. 1. §. 1. ff. Pro ſoc.* Quinimò aſſerit hoc vendicare ſibi locum etiamſi unus tantum ex electoribus eſſet habilis, reliqui autem omnes inhabiles, puta majori excommunicatione ligati;quia nihilominus ſi elector habilis admiſerit eos ignoranter ad coeligendum, ſuſtinetur electio, quia in ipſum recidit jus Capituli, ut *l. Sicut, ff. Quod cuiuſque univerſ. nomin.* & notatur in *c. Irrefragabili, de offic. ord.* Et rationem diverſitatis aſſignat,quia ubi admittuntur inhabiles ſcienter, electores videntur nolle ſine iis procedere,ſed potiùs ut actus aſſumat vim ab omnibus: ideòque non valeat quod agitur, quia quod poſſunt nolunt,& quod volunt adimplere nequeunt,ut *d. cap. Cum ſuper, de off. deleg.* At verò ubi inhabiles admittuntur ignoranter, principalis intentio eligentium eſt eligere omni meliori modo,ſive cum aliis,ſive per ſe tantum,ſi alii de jure intereſſe non poſſunt, ut *l. Eum, qui, §. Si in curiam,* & *§. ſeq. ff. De iniur.* Quæ diſtinctio Innocentii prævalet in electionem,eamque amplectuntur omnes Doctores,ut teſtatur Abb. in *d. c. fin. n. 6. de Procurat.* quidquid ſcripſerit Butr. in
33 contrarium citatus ſuprà *nu.* 28. Et probatur apertè in *d. cap. fin.* ubi eſt expreſſum valere actum collegialiter geſtum ad habilibus,& inhabilibus ignoranter admiſſis, & ſuſtineri propter habiles, quem textum dicit ad hoc meliorem de corpore Juris Corſett. *in ſuis ſingular. in ver. Univerſitas, ſingul.* 384. *incipien. Regula eſt quod actus,* poſt Abb. *illic n.* 3. Et propterea ſi non exiſtens in ſacris, qui vocem in Capitulo non habet,ut Clem. *Ut ii de ætat. & qualit.* vel aliàs inhabilis ignoranter admittatur ad coeligendum,ſeu ad alios actus Capitulares, valet quod geritur, & utile per inutile non vitiatur, *c. Utile, de reg. jur. lib.* 6. ſecundum Jo. Andr. in *reg. Quod alicui, in Mercurial.* Quamobrem cùm hoc caſu ſchedulæ ſupervacuæ in calice fuerint poſitæ ignorantibus electoribus, vel omnibus, vel ſaltem duabus tertiis eorum partibus,penes quos reſidet eligendi poteſtas, vota illorum valida, & utilia per adjectionem aliorum inutilium vitiari non debent, & nonnullorum fraus,& dolus non debet obeſſe nominato, ut inquit gloſſ. *ult. in fin. in c. Publicato, infrà eodem.*

34 Præterea quando actus principalis habet in ſua eſſentia debitam formam,ſicuti habet electio Pontificis ex conſtitutione Gregorii, ſupervacua adjectio non vitiat. Ita loquitur text. in *l. Eum qui ita, §. Te, & Titium, ff. De verb. oblig.* Bald. *hic n. 2. verſ. Nec obſtat.* Generale enim eſt, ut ſi formæ aliquid ſuperfluum addatur, ex hujuſmodi inutili adjectione actus non infringatur,ut *l. Non ſunt liberi, ff. De ſtatu homin.* & ibi notat gloſſ. in *ver. Prodigioſum, in fin.* & Butr. *in tract. Tiberiadis ad fin. ſuper ver. Amiſſa propria forma*, concordat text. in leg. *Idem Offilius, ff. De ædilit. edict.* & in leg. *Falſa, §. Sed & ſi cui, ff. De condit. & demonſtrat.* & in *l. Si is cui, ff. Quemadm. ſerv. amitt.* Quibus accedit,quod electioni Romani Pontificis à duabus partibus Cardinalium celebratæ nulla exceptio juris poſitivi poteſt opponi, ut ſtatuitur in decretali, *Licèt devitanda, ſup. eod.* Et quamvis in Conſtitutione Gregorii nova forma præſcripta fuerit;tamen in §. *Quod ſi electio,* ubi perſtringitur forma eſſentialis cum decreto irritanti,ſtatutum non legitur ut electio nulla ſit ex hoc capite, quod ſchedulæ repertæ fuerint plures numero, quàm Cardinales, & conſequenter quod ſpectat ad electionis validitatem hìc caſus tamquam omiſſus in Conſtitutione remanſit in diſpoſitione juris communis, vulg. *l. Commodiſſimè, ff. De liber. & poſthum.* & arg. *l. Sancimus, C. De teſtam.* & *l. Præcipimus, in fin. C. De appell.* De jure communi autem contra electum à duabus partibus Cardinalium objici non poteſt quod ſchedulæ ſuperabundent, ſicut objici non poteſt quod Cardinales eligentes ſint excommunicati, vel ſuſpenſi; cùm hujuſmodi exceptiones juris poſitivi ſint, ut in *d. c. Licèt*, adnotarunt Compoſtell. *n.* 3. Jo. Andr. *num.* 10. & reliqui Interpretes, ut ibi dixi *num.* 11. *ſeqq.*

Nec obſtant contraria. Ad primum enim reſpondetur hoc capitulum non habere locum, quando inhabiles ignoranter admittuntur ad eligendum, ſecundùm theoricam Innocentii, quidquid contra ſcripſerit Butr. cujus opinio communiter non tenetur, ut fusè oſtenſum eſt ſupra *num.* 31. *& ſeqq.*

Ad ſecundum reſponderi poteſt Gregorium ſtatuiſſe, ut 35
ſchedulæ numerentur antequam aperiantur à ſcrutatoribus, & tunc ſi apparuerint numero plures quàm ſint Cardinales,omnes comburantur. Quibus verbis videtur reſpexiſſe tantummodò ad illum exceſſum ſchedularum, qui repertus eſſet ante inchoatam illarum publicationem;& in hoc tantum actu decrevit ſchedulas eſſe comburendas. At verò de exceſſu ſchedularum reperto poſt inchoatam, vel abſolutam publicationem ſcrutinii nihil ſtatuit, fortè quia viſum ſibi fuit ſufficienter huic inconvenienti occurriſſe præcipiendo, ut ante publicationem ſchedulæ palam diligentiſſimè numerentur à ſcrutatoribus; poſtquam quidem numerationem in conſpectu omnium peractam vix putavit poſſe contingere, ut ſchedulæ excederent numerum Cardinalium;ac proindè de hoc caſu veluti raro,aut minus frequenti nihil ſtatuendum duxit,arg. *l. Jura, eum tribus leg. ſeqq. ff. de legib.* Præſertim verò quia ſi ſchedulæ comburan- 36
tur priuſquam fuerint apertæ, & ad novum ſcrutinium procedatur, cùm nondum appareat quæ quiſque ſuffragia habuerit, nemo poteſt conqueri, quod exinde juri ſuo,vel famæ aliquatenus detrahatur,ut notat Innoc. in *c. Publicato, n. 2. infr. eod.* dicens hoc caſu Capitulum poſſe deſtruere, quia nemini ſit præjudicium,nec aliqua infamia oritur nominato, cum clauſa ſint vota. At verò apertis jam ſchedulis,& ſcrutinio publicato videtur quodammodo electio initiata, & aliquod jus quæſitum ei, quem conſtat habuiſſe duas tertias ſuffragiorum partes,etiam ſuperfluis non computatis. ut ex dictis patet. Unde ſchedulæ tunc lacerari, aut comburi non poſſent,nec ad nova ſuffragia deveniri citra illius injuriam, quia res non eſt integra,& nemini licet mutare conſilium in alterius præjudicium, *c. Cùm inter Canonicos, infr. eod. l. Nemo, la quarta, ff. de reg. jur.* Item ex novo ſcrutinio protraheretur electio. Quod eſt periculoſum,præſertim in electione Romani Pontificis, *c. Ubi periculum, infrà eod. lib.* 6. & Clem. *Ne Romani, eod. tit.* Ad quas rationes fortè reſpexit Gregorius IX. dum decrevit,ut publicato ſcrutinio non liceat electoribus variare, ut in *d. c. Publicato, infr. eod.* & ibi notant gloſſ. 2. Innoc. Hoſt. Joan. Andr. & reliqui Interpretes. Nobis tamen in his pronunciare non licet,ideòque ad obviandum periculis abs re non eſſet,ut prima Sedes hanc dubitationem delucidaret.

Quid autem juris ſit in caſu converſo, videlicet cùm ſchedulæ repertæ ſunt pauciores numero, quàm ſint Cardinales,ſcripſi plenè in prædicta decretali, *Publicato*, *à n.* 56. *uſque in ſin.*

DE ELECTIONE.

Idem Gregorius IX.

CAPUT LVIII.

PUblicato ſcrutinio, variare nequeunt electores: cùm ſit facienda collatio, & electio celebranda. Ad quod per ſuperiorem, ſi oportuerit, compellantur.

SUMMARIUM.

1 *SCrutinio publicato non poſſunt electores variare, ſed cogi debent ad collationem, & electionem.*
*Ampliatur ſex modis à n.*11.*uſque ad n.*23.*& fallit novem, à n.* 45. *uſque ad n.* 52.
2 *Electores dici poſſunt actu electionis inchoato, licèt non conſummato.*
3 *Electores publicato ſcrutinio ſunt compellendi ad collationem, & electionem à Superiore, ad quem ſpectat confirmatio.*
4 *Matrimonium tàm ſpirituale quàm carnale non vitiatur ex legitima compulſione Superioris propter principium voluntarium.*
5 *Electoribus cur non liceat variare ſcrutinio publicato, & n. ſeqq.*
6 *Initium ſi deſit, deeſt intiatum.*
7 *Matrimonium ſpirituale quas habeat partes.*
8 *Publicationis effectus varii.*
9 *Beneficio etiam abſenti collato Epiſcopus dicitur functus officio ſuo, & ideò variare non poteſt.*
10 *Ex ſcrutinii publicatione, an & quale jus aquiratur nominato, nu.* 20.
11 *Electores nec ſingulariter, nec in communi variare poſſunt ſcrutinio publicato.*
12 *Variatio ſicut poſt publicationem ſcrutinii non permittitur electoribus, ita nec ſubſtitutis in eorum locum.*
13 *Idem in metropolitano, ad quem jus eligendi ſit devolutum.*
14 *Electores poſt ſcrutinii publicationem excommunicati, ac deinde abſoluti variare non poſſunt.*
15 *Et an poſſint facere electionem ante abſolutionem, remiſſivè.*
16 *Electoribus aſſerentibus ſe non conſenſiſſe in eum, qui in ſcrutinio reperitur nominatus, non creditur.*
17 *Scrutatoribus an fides adhibeatur contra tenorem ſcripturæ, remiſſivè.*
18 *Electio caſſari non debet, niſi ad petitionem contempti, nec per alium, quàm per Superiorem, & interim variare non licet.*
19 *Scrutinio publicato ſi ſuperveniat defectus in forma, an electores ad novum ſcrutinium procedentes teneantur eligere jam nominatum, & num. ſeqq. & n.*28. *& ſeqq.*
20 *Ex nominatione jus non acquiritur, niſi nominatio ſit ſolemnis.*
21 *Electus à minori parte Capituli an, & quando ſit præferendus, ſi electio facta à majori parte ſit nulla.*
22 *Electores in forma peccantes privandi ſunt ea vice poteſtate eligendi.*
23 *Electio Papæ ſi nulla ſit ex defectu formæ præſcriptæ in Conſtitutione Gregorii XV. an Cardinalibus in novo ſcrutinio liceat variare, & n. ſeqq. uſque ad n.* 35.
24 *Electio quamvis nulla ex defectu formæ, tamen ſi adſit conſenſus eligentium, & electi, dicitur canonica de jure naturali.*
25 *Et poſt conſecrationem nihil poteſt objicere Eccleſia de forma non ſervata.*
Contrarium, n. 28. *& ſeqq.*
26 *Forma in electionibus cur introducta.*
27 *Electus in Papam non ſervata forma Conſtitutionis Gregorii XV. non eſt Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus.*
29 *Subſtantia deficiente deficit ipſum totum.*
30 *Electio ipſo jure nulla an poſſit confirmari.*
31 *Obligatio naturalis non oritur ex conſenſu, quando lex poſitiva reſiſtit actui.*
32 *Idem quando actus peccat in ſua forma.*
33 *Vel quando lex decernit actum ipſo jure nullum.*
34 *Matrimonium tàm carnale, quàm ſpirituale celebratum non ſervata forma juris poſitivi, eſt nullum, etiam in foro conſcientiæ.*
35 *Scrutinii publicatione inchoata, ſed non conſummata, an liceat Electoribus variare,*
Et quid ſi publicato ſcrutinio vota appareant æqualia, num. 36
Et an pars minor variare poſſit accedente majori, num. 37.
Et quid ſi nominatus in ſcrutinio juri ſuo renunciaverit, num. 39.
Et quid ſi notorium ſit, nominatum eſſe ineligibilem, num. 40.
Et quid ſi dubitetur, an ſit poſtulandus, vel eligendus, num. 43.
Et quid in compromiſſariis eligentibus per viam ſcrutinii, n. 45.
Et quid in Patronis Eccleſiarum, n. 46.
36 *Variatio non eſt prohibita Electoribus niſi in præjudicium nominati, & n. ſeqq.*
38 *Variare an poſſit quis conſentiendo electioni de ſe factæ.*
39 *Electus in ſcrutinio poteſt diſſentire etiam poſt electionem ſibi præſentatam.*
41 *Nominantes in ſcrutinio ſcienter indignum, an ſint privati pro illa vice poteſtate eligendi.*
42 *Poſtulatio, & electio ſibi invicem adverſantur.*
43 *Electio an ſit differenda, ſi aliquis publicato ſcrutinio probare velit nominatum eſſe ineligibilem.*
45 *Compromiſſarii, licèt procedant per viam ſcrutinio, non tamen arctantur ad formam c. Quia propter.*
46 *Patroni tàm Clerici, quàm laici variant indiſtinctè ante præſentationem; poſteà verò laici tantùm.*
47 *Cives eligentes ſibi poteſtatem an poſſint variare.*
48 *In poſtulatione an licita ſit variatio publicato ſcrutinio, & n. ſeqq. uſque ad n.* 53.
49 *Argumentum à contrario ſenſu eſt fortiſſimum in jure, & quando ſecus.*
50 *In poſtulatione nulla forma reperitur à jure præſcripta.*
51 *Nec per eam acquiritur jus poſtulato.*
52 *Variare poſſunt electores ante publicationem ſcrutinii.*
53 *Idem in Superiore, ad quem jus eligendi ſit devolutum.*
54 *Et quid ſi ſcrutatores receſſerint à loco ſcrutinii.*
55 *Scrutinium nondum publicatum an deſtrui poſſit de conſenſu majoris partis Capituli etiam ſine ulla cauſa.*
56 *Electio Papæ an vitietur ex eo quod aliquot ſchedulæ deperierint ante conſummatam ſcrutinii publicationem & n. ſeqq. uſque in fin.*
Et quid ſi hic caſus contingat in ſcrutinio, & acceſſu, num. 65.
57 *Actus ex ſe perfectus, & conſummatus, per contrarium eventum non reſolvitur.*
58 *Etiamſi poſteà eveniat caſus, à quo non potuit inchoari.*
59 *Forma ubi ex aliquo caſu adventitio ſervari non poteſt, valet actus etiam tali forma non ſervata.*
60 *Publicatio electionis ſi omittatur fraudulenter, non nocet electo.*
61 *Electio non valet, ſi poſt collationem protrahatur per ſimplicitatem, vel negligentiam electorum; ſecus ſi mala fide.*

62 *Actus imperfectus remanet nullus, ſive cauſa, ſive culpa accidat, ut nequeat perfici.*

63 *Teſtamentum inter liberos quamvis valeat ſine publicatione, tamen ſi Teſtator voluerit illud publicari, & ante publicationem obierit, eſt nullum ex defectu voluntatis.*

64 *Actum nihil dicitur, cum aliquid ſupereſt agendum.*

65 *Quod pendet, non eſt pro eo quaſi ſit.*

1 PUblicato. Famoſum, & quia breve eſt, per alia verba ſic ſummari poteſt: Scrutinio publicato non poſſunt electores variare, ſed cogi debent ad collationem, & electionem. Hoc dicit, & tria facit. Primò dictum ponit. Secundò ejus rationem reddit. Tertiò, rationem neceſſitatis exprimit. Secunda, ibi, *Cum ſit*. Tertia, ibi, *Ad quod*.

Nota primò, ex textu tres actus ſubſtantiales electionis per viam ſcrutinii, videlicet ſcrutinii publicationem, ſuffragiorum collationem, & electionem in communi, quorum ſi vel alterum omittatur, non tenet electio, ut *c. Quia propter, c. Cumana, & c. In Geneſi, ſuprà eod.*

2 Secundò, nota ibi, *Electores*, congruè dici poſſe electores actu electionis inchoato, licèt nondum conſummato, & tunc dicuntur electores quaſi electuri, ſecundùm Jo. Andr. *n.* 5. & Card. in 2. *notab.*

3 Tertiò, nota ibi, *Si oportuerit, compellantur*, electores non eſſe ſimpliciter, & abſolutè compellendos ad collationem numeri ad numerum, & electionem in communi; ſed ſi opus fuerit. Unde priùs moneri debent; ac ſi reſtiterint, tunc demum per cenſuram Eccleſiaſticam ſunt cogendi ad inſtar teſtis, ut *c.* 1. *de teſtibus cogend.* Admonitio enim debet præcedere vindictam, ut *c. Indignè*, 12. *q.* 2. ut hìc per Compoſtell. *n.* 7. *in ver. Si oportuerit.* Vel aliter exponе illa verba, ut per Abb. Antiqu. *n.* 4. *in eod. ver.* Compulſio autem ſpectabit ad Superiorem, cujus eſt electionem confirmare, licèt aliàs non ſit ordinarius iſtorum eligentium, ſecundùm Jo. Andr. *n.* 27. quia ex quo conceditur confirmatio, videntur conceſſa omnia præambula, per quæ pervenitur ad illam, argum. *c. Præterea, de offic. deleg. & l. Ad rem mobilem, & l. Ad Legatum, ff. de Procurat.* Et cum hoc dicto tranſeunt DD. licèt Abb. dubitet *nu.* 9. *verſ. Ultimo hic quæritur*. Et ex his collige non vitiari electionem propter

4 compulſionem. Quod procedit in hoc ſpeciali caſu propter principium voluntarium, & conſenſum ab initio præſtitum in ſcrutinio, ſecundùm Abb. in *ultim. notab.* Et eſt ſimile matrimonio carnali, quòd contrahi non poteſt, ſi metus, aut violentia intercceſſerint, *c. Cum locum, de ſponſ.* & tamen ſi præceſſerint ſponſalia de futuro, compellitur quis contrahere de præſenti, ut *c. Ex litteris, il* 2. *& c. Requiſivit, eod. tit.* Ergo idem in hoc matrimonio ſpirituali, argum. *c. Inter corporalia, de translat. Epiſc.* Sed extra hunc caſum non eſt electio, ubi libertas amittitur eligendi, ut legitur in *c. Ubi periculum, §. Cæterum, infr. eod. lib.* 6.

Ultimò, nota ex hac decretali duas inſignes regulas in materia electionis per ſcrutinium. Una eſt negativa, quæ non permittit electores variare publicato ſcrutinio; & ſumitur in ſenſu directo. Altera eſt affirmativa, quæ variationem permittit ante ſcrutinii publicationem; & colligitur à contrario ſenſu. Utramque regulam proſequar faciliori methodo per ampliationes, & declarationes, reaſſumendo ea quæ in 21. *quæſtionibus* fusè hìc tractat Jo. Andr.

5 Prima igitur regula eſt: Publicato ſcrutinio non poſſunt electores variare, id eſt alium nominare, vel à prima nominatione recedere, ut eſt textus ſingularis in materia ſua: nam ut advertunt Joan. Andr. *n.* 23. & Abb. in *princ.* olim hac de re variæ erant ſcribentium opiniones. Quidam enim aſſerebant electores poſſe variare uſque ad ſubſcriptionem electionis. Quidam uſque ad confirmationem. Quidam uſque ad conſenſum electi. Alii verò uſque ad pronunciationem electionis, ut notatur in *c. Quanto, in gloſſ. magna,* 63. *diſt.* & per Hoſtien. in *ſumm. eod. tit. §. Utrum mutari*, Unde ad eorum controverſias dirimendas emanavit hæc decretalis. Sed in perſcrutanda ratione deciſionis Doctores valdè torquentur: nam tres rationes, quas primò aſſignat gloſſ. 2. videlicet quòd per publicationem ſcrutinii res deſinat eſſe integra, quòd nemini liceat mutare conſilium in alterius præjudicium, & quòd mora in protrahenda electione ſit damnoſa Eccleſiæ, concludunt etiam ante publicationem, ut benè deducit Joan. Andr. *n.* 14. & Abb. *num.* 2. *verſ. Et primò*. Quarta autem ratio, 6
quòd per hujuſmodi publicationem electio videatur quodammodò initiata, non videtur vera, quia matrimonium hoc ſpirituale initiatur per electionem, ut *c. Licet de transl.* Ergo non ante, quia nihil eſt, antequam incipiat eſſe, *l. ult. ff. de collat. bonorum*, Oldrad. *conſ.* 180. *Quæſtio eſt, num.* 7. & ſi deeſt initium, deeſt initiatum, ut inquit Compoſtell. in *c. Quod ſicut, num.* 17. *ſuprà eod.* Quare Joann. Andr. hìc 7
num. 15. dicit hanc conſtitutionem jus novum inducere in eo quòd publicatio ſcrutinii impediat variationem votorum; anteà enim nullus ex antiquis tenebat, quod hìc dicitur. In hoc autem jure poſitivo affirmat fuiſſe arbitrarium Pontifici interdicere variationem publicato ſcrutinio. Nam ſi voluiſſet, utique potuiſſet illam prohibere, etiam poſt latum ſuffragium. Idcircò autem præfixit terminum publicationis, quia matrimonium ſpirituale habet partes ſuas, cujus prima eſt electio, ſecunda confirmatio, tertia conſecratio. Prima pars, quæ dicitur electio, ſimiliter habet partes multas quoad formam, & tres ſaltem quoad conſenſum, ſcilicet ſcrutinium, ipſius publicationem, & electionem. Cùm igitur factus eſt tranſitus ad medium, vel duas partes hujus partis, præcluſus eſt variandi aditus. Æqua autem fuit hæc diffinitio, ut ipſe ait *n.* 4. ad evitan- 8
dam infamiam, & injuriam nominati, ex quo facta eſt publicatio. Sic in ſimilia publicatio atteſtationum impedit productionem teſtium. *c. Cum veniſſet, & c. Cauſam, de teſt.* Sic edictum publicatum arctat, *cap.* 1. *ſuprà, de poſtul. Præl.* Et non ſufficit mihi inſtitorem revocaſſe, niſi publicè hoc deſcripſerim, *leg. Sed ſi pupillus*, §. 1. *de inſtitor. act.* Verùm Abbas tametſi fateatur hunc rationem Joann. Andr. eſſe perſuaſivam, tamen illam refellit *num.* 2. *col.* 3. *verſ. Hæc ſunt in effectu*, quia hæc decretalis jus novum non inducit, ſed eſt juris antiqui declaratoria. Unde ipſe aſſignat 9
aliam rationem, cur non liceat electores variare poſt publicationem ſcrutinii, videlicet quia electores functi ſunt officio ſuo, & ad hoc allegat textum in *c. Si tibi abſenti, de præb. lib.* 6. ubi ſi beneficium conferatur abſenti, nullum jus illi acquiritur, antequam conſentiat; & tamen quia conferens officio ſuo functus eſt, variare non poteſt, ut ibi deciditur; quam rationem reddit etiam Bart. in *leg. Abſenti, ff. de donat.* Sed certè hæc ratio Abbatis laborat eodem vitio, quo rationes gloſſæ; quia vendicat ſibi locum etiam ante publicationem ſcrutinii: nam electores ut ſinguli poſteà quàm ſuffragium ſuum tulerunt, dicuntur functi officio ſuo, cùm non habeant ampliùs quid facere. Publicatio enim ſcrutinii quæ ſubſequitur poſt vota in ſcriptis redacta, & illorum collatio non pertinet ad eligentes, ſed ad ſcrutatores, ut patet in *cap. Quia propter, ſupr. eod.* Unde ſi ratio Abbatis eſſet vera, non liceret electoribus poſt latum ſuffragium variare, etiam ante ſcrutinii publicationem, cùm jam ſint functi officio ſuo. Quod tamen eſt falſum, ut hìc patet à contrario ſenſu, & latiùs dicam in ſecunda regula *n.* 52. Quòd ſi conſideremus electores non ut ſingulos, ſed ut Collegium, tunc non dicuntur functi officio ſuo niſi poſt electionem, quæ ad eos pertinet in communi, ut hìc, & in *d. cap. Quia propter, & in c. In Geneſi, ſuprà eod.* Ergo attenta ratione Abbatis liceret eis variare ante electionem etiam ſcrutinio jam publicato, quod eſt falſum, ut hìc. Exiſtimo igitur 10
eſſe bonam rationem, quam ponit Joan. Andr. nam ſive hæc conſtitutio ſit novi juris promulgatoria, ſive declaratoria juris antiqui, ſemper tamen verum eſt rationabiliter fuiſſe præcluſam viam variationi, poſteaquam deventum eſt ad actum medium, id eſt ad publicationem ſcrutinii, ut vitetur infamia, & injuria, quæ irrogaretur nominato à majori parte, ſi liceret electoribus ab illius nominatione recedere. Quæ ratio in effectu elicitur ex dictis Innoc. hìc *n.* 2. ut latiùs dicam infrà in ſecunda regula *nu.* 55. Videtur etiam conſiſtere alia ratio, quam aſſignat Butr. *n.* 4. *verſ. Æquius tamen diffinit*; ſalvando rationem in textu aſſignatam: nam ſecundùm eum quemadmodum aliæ obligationes oriuntur ex conſenſu, ut *leg. Conſenſu, ff. de act. & obligat.* ita & in electione obligatio oritur ex conſenſu eligentium. Unde hæc electio eſt valida, & perfecta de jure naturali, licèt pro forma accidentaliter inducta fuerit inſtitutū ut debeat ſubſequi collatio, & communis electio. Cùm ergo inſpecto jure naturali videatur jam perfecta ex votis in ſcriptis redactis, & publicatis; non debet eſſe locus variationi, quaſi principium finis neceſſitativum ſit expletum; idcò-

ideòque ſequitur in littera, Cùm facienda ſit collatio, &c. quaſi ſic finis neceſſariò trahatur ad principium. Et quamvis Abbas *ſub num.2.col.3.* nitatur refellere hanc rationem, eo quòd illa attenta non liceret variare, etiam ante ſcrutinii publicationem, cùm jure naturali inſpecto inducatur electio ex ſingularibus conſenſibus in ſcrutinio præſtitis; & publicatio ſcrutinii, collatio ſubſequens, & electio in communi ſint jure poſitivo inductæ, in *d. cap. Quia propter*, ut notat gloſſ. in *c.Sicut eod.tit. lib. 6.* Reſponderi tamen poteſt negando conſequentiam; quia electio utcumque perfecta ex ſingularibus conſenſibus, nihilominus variationem non impedit ante publicationem ſcrutinii. Ratio eſt,quia ignoratur, an quis habuerit conſenſum majoris partis, cùm vota ſint clauſa, ut hìc obſervat Innocent. *n.2.* nam quod ignoratur, perinde eſt, ac ſi non eſſet, cùm paria ſint non eſſe,& non apparere, ut *leg. Duo ſunt Titii, ff. de teſtam.tutel.l.Et liberi, & l.Rutilia ,ff. de contrah. empt. & l.Si ita fuerit, ff. de rebus dub.* Item non obſtat aliud objectum Abbatis, quòd obligatio non ſit orta nominato, quia abſenti nihil acquiritur, *d.leg. Abſenti, ff. de donat.* Quoniam ad hoc, ut variatio impediatur, ſatis eſt, ut obligatio orta ſit ex parte eligentis, licèt non ſit tertio acquiſita, ut probatur in prædicta decretali: *Si tibi abſenti*, & conferunt quæ leguntur de pollicitatione in *l.Pactum, & toto tit.ff.de pollicitat.* Prætereà quamvis nominato ante electionem non acquiratur jus ſubſtantificæ electionis; tamen cùm per publicationem ſit deventum ad principium finis neceſſitativum, & incompatibile cum variatione; negari non poteſt, quin ex hoc ſit acquiſitum aliquod jus nominato,id eſt principium neceſſitans finem electionis, ut benè per Butr. *d.num. 4. verſ. Tertia ratio.* Adde quòd etſi electus non habeat jus in beneficio antequam conſentiat ſuæ electioni, ut *c. Cum inter Canonicos, ſuprà eod.* habet tamen jus conſentiendi: quod quidem jus injuſtè illi prærriperetur ex variatione electorum, ut *c.Mutare, de reg. jur. lib.6. & d. c. Si tibi abſenti.*

11 Ampliatur primò ſuprafcripta regula, ut procedat, ſive electores publicato ſcrutinio intendant variare, ut ſinguli, *cap.Bonæ memoriæ, §.Nec nocebat, ſuprà de poſtulat.Prælat.* ſive ut Collegium, & in communi, ſecundum Innocent.& Compoſt.*in princ.*Hoſtien.*n.9. in ver. Variare*, Anchar. in *1. notab.* & alios communiter.

12 Ampliatur ſecundò, ut procedat non tantùm in ipſiſmet electoribus, ſed etiam in eorum ſucceſſoribus: nam ſi publicato ſcrutinio aliqui ex eligentibus obierint, vel abſceſſerint, ſubſtituti in eorum locum, vel ſupervenientes tenebuntur nominatum eligere, quia nominato eſt jus quæſitum ex votis publicatis, ut hìc; quod quidem jus non amiſit propter caſum ſupervenientem, ſecundùm Vincen. Innoc.& Compoſtell. quos hìc referunt, & ſequuntur Jo. Andr. & Cardin.ambo in 14.q. & Bellam.*nu.*17.

13 Ampliatur tertiò, ut procedat etiam in Metropolitano, vel alio Superiore, ad quem per negligentiam, vel contumaciam electorum, qui publicato ſcrutinio electionem diſtulerunt ultra trimeſtre à die vacationis, jus eligendi ſit devolutum,ad præſcriptum *c. Ne pro defectu, ſuprà eod.* quia cùm per publicationem limitata eſſet poteſtas Capituli, ergo & Superioris, qui ſuccedit in jus illorum, *leg.Non intelligitur, §.Si poſteriori ,ff. de jur. fiſc.* aliàs una via permitteretur ejus variatio, ſcilicet ſinendo labi tempus præfixum ad eligendum, quod alia via eſt eis prohibitum,contra *reg.Cùm quid,de regul.jur.lib.6. & cap.Tuæ, de Procurat.*facit *Clem.Una de ſuppl.negl.Prælat.* & ita hìc firmant Vinc.Compoſtell.Petr.de Sampſ.& Abb. Antiq.quos ſequitur Joann.Andr. *n.* 29. licèt Abb.Siculus dubitet *nu.9. verſ.Tene mente*, qui tamen non reſpondet ad fundamenta Jo. Andr.

14 Ampliatur quartò, ut habeat locum etiamſi publicato ſcrutinio Canonici excommunicentur ab homine, vel à jure, putà quia in collatione ſuffragiorum percuſſerunt Clericum: nam poſteaquam fuerint abſoluti, vel Superior, ad quem jus eligendi eſſet devolutum, non variabunt, ſed eligent nominatum, ſecundum Vinc.& Innoc.

15 cum quibus tranſit Joann. Andr. in 15. *quæſt.* & Bellam. *n.* 18. Sed an Canonici excommunicati poſt publicationem ſcrutinii ante abſolutionem poſſint facere electionem, diſputat idem Joan.Andr.in *reg.Factum, de reg. jur. lib. 6. in Mercurial.*

Ampliatur quintò, ut locum habeat etiamſi aliqui ex Canonicis publicato ſcrutinio dicant ſe non conſenſiſſe in eum qui in ſcrutinio reperitur nominatus, quia illius non creditur, cùm ſint ſingulares; ſed ſtatur ſcripturæ, & fidei ſcrutatorum, ut *cap. Cum dilecti, ſuprà eod.* alioquin facile eſſet hanc conſtitutionem eludere, contra *c.Commiſſa, de elect.lib.6.* ſecundùm Jo. And. in 18. *quæſt.* & facit quod ipſe notat in *cap. Ad audientiam, infrà de reſcript.* An autem ipſis ſcrutatoribus fides adhibeatur contra tenorem ſcripturæ, notat idem Jo.Andr.in *c. Quia propter, in ver.Redacta, ſupr. eod.* 16 17

Ampliatur ſextò eadem regula, ut etiam vendicet ſibi locum, ſi publicato ſcrutinio appareat electionem ex aliquo capite fore annullandam, putà quia aliquis ex Capitularibus contemptus fuerit, vel aliam ob cauſam: quòd enim eo caſu electio caſſari non debeat ad petitionem electorum, ſed contempti, *cap.Cùm in Eccleſiis, de præbend. lib. 6.* nec per alium, quàm per ſuperiorem; & ignoretur an is contemptus velit jus ſuum proſequi, cùm ad id non ſit cogendus, *c. Quod ſicut, ſuprà eod.* an ve Superior velit electionem infirmare: idcircò intereà electores nequeunt ad aliud ſcrutinium procedere,ſed cogendi ſunt ad electionem nominati. Verùm ad petitionem contempti poteſt, & debet ſcrutinium irritari; & tunc fiet novum ſcrutinium, ſi nondum ſit proceſſum ad electionem, ut notatur in *cap. prox.ſuprà eodem*,& hìc tenent Innocent.*n.1.verſ. Sed quid ſi non ſit nulla*, Abb. Antiq.*n.*3.& Hoſtien.*n.9.*ambo in *eod. verſ.*Compoſtell.*n.1.verſ.Sed quid ſi non ſit proceſſus nullus*, Joan.Andr.& Card.uterque in 12.q. & vide eumdem Card. in *c.proximo, in quinta q. ſupr. eod.* 18

Ampliatur ſeptimò prædicta regula, ut obtineat, etiamſi poſt publicationem ſcrutinii legitimè facti ſuperveniat defectus in forma, puta quia ſit omiſſa collatio, vel communis electio, vel quid ſimile: nam etſi electores debeant ad novum ſcrutinium procedere; tamen nequeunt variare alium eligendo, ut pluribus determinat hìc Innocent. *num. 2. col. 2. poſt princ.verſ. Sed quid ſi publicato:* & hanc partem ſuſtinebat ipſe Innocentius in pleno Conſiſtorio, ut atteſtatur Compoſtell. *num. 1. in fine*: ea ratione, quia licèt caſſanda ſit electio, quando poſt publicatum ſcrutinium peccatur in forma; tamen remanet electo jus acquiſitum ex votis publicatis, argum.hujus *c.*Non obſtat, quòd ex nominatione jus non quæratur, *c. Quod ſicut, ſuprà eodem* quoniam hoc non procedit, cùm nominationes fiunt ſolemniter,& animo ſe obligandi: tunc enim benè jus quæritur ex nominatione,*cap.Bonæ, il 2.ſuprà de poſtul.Prælat. & c. Cum in jure, ſuprà eod.* & videtur expreſſum hìc. Similiter non obſtat, quòd electus à minori parte Capituli ſit præferendus, ſi electio facta à majori parte ſit nulla, dummodò utraque electio fiat eodem contextu, ut notatur in *cap.Dudum, ſuprà eodem*, & conſequenter jus non videatur quæſitum electo à majori parte. Quandoquidem hoc verùm eſt, ſi electio facta à majori parte ſit nulla ex defectu electi, puta quia eſt crimìnoſus, ſed occultus; vel quia fuit peccatum in ſcrutinio, eo quòd vota non fuerint in ſcriptis redacta: his enim caſibus non fuit jus quæſitum nominato; unde non mirum, ſi electus à minori parte ſit præferendus. Demum non obſtat, quòd electores in forma peccantes privati ſint ea vice poteſtate eligendi, *cap.Quia propter, §. Qui vero, ſupr. eod.* & ſic non eligent: quoniam poterunt eligere antequam priventur per ſententiam, ut notat Compoſtell. in prædicta decretali, *Quia propter, in ver.Priventur*, ad hoc *c. Quamquam. infrà eod.lib.6.* Vel ſi priventur, ſuperior, maximè Papa, ſtante illorum ſuſpenſione providere poterit de eodem nominato, ut *c.Quia diverſitatem,de conceſſ.præbend.* Et ita concludunt hìc Innoc. & Compoſtell.quibus accedunt Abb. Antiqu.*num.* 1. & Jo. Andr. in 10.*quæſt.* Butr. *num. 9. verſ. Per iſtum textum*, & alii communiter, ut teſtatur Abb.Siculus, *num.9.* Aliis tamen hoc abſonum videtur: quia tres partes electionis, ſcilicet ſcrutinium, ipſius publicatio, & electio ſunt unus actus, & in his omnibus cum nihil præſtet electus, ſed electores, ſufficit peccatum ipſorum, ut caſſetur quidquid factum eſt, etiamſi fiat præjudicium electo, quia qui peccat in uno,peccaſſe videtur in omnibus,*cap.Defleat.inf.de reg. jur.* Et hæc ſecunda opinio verior videtur, ut patebit *infrà n. 28. & ſeqq.* 19 20 21 22

Sed hìc opportunè occurrit dubium, quid ſit dicendum in 23

in electione Romani Pontificis, videlicet ſi electio ſit nulla ex defectu formæ præſcriptæ in Conſtitutione Gregor. XV. quæ incipit, *Æterni Patris Filius*: an Cardinales ad novum ſcrutinium procedentes poſſint variare recedendo ab electo in primo ſcrutinio, & alium eligendo.

Proponitur hæc quæſtio in terminis Gregorianæ Conſtitutionis, quia de jure communi nulla forma ſervanda erat in electione Papæ, ſed ſatis erat, ut in aliquem tamquam in Papam convenirent duæ ex tribus partibus Cardinalium, ut eſt textus in *cap. Licet de vitanda*, & ibi dixi poſt Innoc. & Compoſt. *ſupra eod.* Sed hodiè electio Papæ redacta eſt ad tres formas Concilii generalis, de quibus in decretali, *Quia propter*. Licèt non requirantur illa decem, & octo ſubſtantialia, quæ in electione inferiorum ibi enumerant Doctores, præſertim Abb. *n.* 12. ſed illa tantum, quæ conſtitutio ponit §. *Quod ſi electio*, ubi perſtringitur forma electionis cum clauſula decreti.

24 Ad partem negativam arguitur ex doctrina Innocentii in *c. Quod ſicut*, *num. 8. verſ. Si autem nulla ſit electio, ſupra eodem*, ubi ſic ait: *Si nulla ſit electio ob non ſervatam formam Concilii generalis, de qua in cap. Quia propter, de elect. vel aliud conſimile; conſenſus tamen legitimus eligentium, & electi intervenit, qui ſolus de jure naturali ad electionem, & alios contractus ſufficit, c. Inter corporalia, de translat. Epiſcop. ſic electus ordines confert, & ſine peccato beneficium retinet. Nec illi obſtat, quod non habeat fundamentum, & ideo non poſſit ſuperædificare in ordinibus, & aliis, cap. Principatus, 6. q. 1. Quin imo fundamentum habet, ſcilicet Canonicam electionem, de jure naturali; maximè ubi non oritur ſcandalum, nec læditur honeſtatis publicæ juſtitia, nec generalis ſtatus Eccleſiæ; & poſt conſecrationem de*
25 *forma non ſervata nihil poteſt objicere Eccleſia, cùm in ejus conſenſu perſeveraverit. Nec mirandum, quòd id, quod nullum eſt, tractu temporis ſit ratum; quia hæc non eſt nulla de jure naturali*. Hæc Innocentius. Sed & Compoſtellan. in *dict. c. Quod ſicut, n. 17. Si autem*, inquit, *electio non fuit Canonica propter formam, vel ſolemnitates omiſſas, quas jus poſitivum præcipit in electionibus obſervari, fuit tamen ſecundum jus naturale canonica: tunc per talem electionem aſſumptus non tenetur dimittere beneficium ſic acquiſitum, ſicut condemnatus injuſtè ad reſtitutionem rei ſuæ, quamvis de jure civili teneatur, dominus tamen naturalis remanet: unde non peccat retinendo, argum. leg.*
26 *Julianus, ff. de condict. indeb. Jus enim poſitivum de forma ſervanda de rigore introductum, inventum eſt propter vitandum periculum Eccleſiarum, quod incurrebant propter lites quas habebant, quia certam formam in electione non habebat. Quæ lites jam ceſſant, poſtquam electus jam conſecratus eſt, & ſic fit reditus ad jus naturale; quod facilè contingit, leg. Si unus, §. Idem decimus, ff. de pact.* Hæc ille, & ſequuntur Archid. in *cap. Nullus, nu. 1. 62. diſt.* Abb. in *c. Quia plerique, num. 31. infrà, de immunit. Eccl.* Gemin. *conſ.* 88. Innocentius Papa VII. *num.* 4. & Felin. alios cumulans in *c. 1. num. 39. verſ. Fallit ſextò, ſuprà, de conſtitut.*

Quibus authoritatibus fortè motus bonæ mem. D. Coccinus Rotæ Decanus in ſuo tractatu manuſcripto de Romani Pontificis electione opinatus eſt electum non ſervata forma Gregorianæ conſtitutionis, dummodò habuerit ſuffragia, & naturalem conſenſum duarum ex tribus partibus Cardinalium, eſſe verum Papam jure naturali inſpecto, & poſſe Papatum tuta conſcientia retinere.

27 In oppoſitum ſunt verba clara ipſius Conſtitutionis: nam in §. *Quod ſi electio*, non tantùm decernitur eo ipſo nulla, & invalida abſque ulla declaratione electio aliter celebrata, quàm ſervata forma ibi præſcripta: ſed ampliùs ſtatuitur, ut ita electo nullum jus tribuat: quinimò is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus ſit, & habeatur, & tàm ipſe, quàm eligentes ejuſque fautores, & complices ſententiam excommunicationis, & anathema, aliaſque cenſuras, & pœnas invaſoribus Sedis Apoſtolicæ à ſacris Canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis impoſitas pariter ipſo facto incurrant. Ergo quidquid ſit in electionibus inferiorum in terminis juris communis, quando controverſum erat, an ex naturali conſenſu eligentium eſſet acquiſitum jus electo, etiam non ſervata forma juris poſitivi; certè in electione Papæ poſt Conſtitutionem Gregorii, res videtur carere omni dubio, quia ſic electo nullum jus acquiritur; ac proinde non arctantur Cardinales ad eum denuò eligendum, ſed integrum eſt illis variare, & alium eligere ſervata forma Conſtitutionis. Quod autem dicebat D. Coccinus, non videtur poſſe conſiſtere; quia non apparet, quo auſu poſſit quis gerere ſe pro Papa, quem Conſtitutio Gregorii declarat eſſe Apoſtaticum, & Sedis Apoſtolicæ invaſorem. Ad hoc *c. Si quis pecuniæ, 79. diſt.* ex quo videntur deſumpta illa verba Conſtitutionis; ibi enim ſic legitur: *Si quis, &c. non concordi, & Canonica electione, &c. fuerit Apoſtolicæ Sedi intronizatus, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur, liceatq; Card. Epiſcopis cum religioſis, & Deum timentibus Clericis, & Laicis invaſorem etiam cum anathemate, & humano auxilio, & ſtudio à Sede Apoſtolica repellere, & quem dignum judicaverint, proponere.* Cùm præſertim Bulla ſic electum, ejuſque fautores, & complices anathematis mucrone percellat; quæ pęna præcipuè locum habet in foro animæ, & non infligitur niſi pro mortali reatu, ut *c. Nemo Epiſcoporum*, 11. *q.* 3. & privat gratia Dei, traditque Sathanæ corporaliter, & ſpiritualiter, ut inquit S. Thom. in 4. *diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 1. *qu.* 2. *ad* 3. Et cùm Apoſtolicæ Sanctiones generaliter vim habeant obligandi etiam in foro conſcientiæ, ut *cap. Nulli fas*, 19. *diſt.* & *c. Violatores*, 25. *q.* 1. cum aliis adductis ab Archidiac. in *c. Deteſtanda, n.* 4. *de conceſſ. præb. lib.* 6. longè magis hoc vindicat ſibi locum in Bulla Gregorii, cùm diſponat de re omnium graviſſima, & ſacroſancta, arg. *cap. 1. infrà de ſchiſmat. c. Ubi periculum, infrà eod. lib. 6. & Clem. Ne Romani, eod. tit.*

Quibus accedit, quòd etiam in electionibus inferiorum 28
Prælatorum multi tenent nullum jus acquiri ex electione celebrata contra formam juris, licèt nullitas emerſerit poſt publicationem ſcrutinii legitimè facti, ac proinde electores non teneri iteratò eligere eum, qui fuit nominatus in ſcrutinio: & inter alios hoc mordicùs tuetur Abb. *hic ſub num. 3. col. 3. verſ. Præterea dico, & num. 9. verſic. Adverte*: & opinionem Innocentii, & Compoſtellani, de qua *ſupr. num.* 24, jure non probari, & contrarium eſſe de jure verius, affirmat Imola *num. 5. col. 4. verſ. Item adde ſecundo*, quia nullibi reperitur jure cautum, ut caſſata electione propter vitium formæ arctentur eligentes ad eligendum eumdem; quin potiùs reperitur diſpoſitum, ut tales ſint privandi poteſtate eligendi, ut *d. c. Quia propter*. Unde hoc dictum non videtur tutum, quia ſine lege, & canone, ſecundum eum. Quòd ſi eſt ita in electionibus inferiorum, multò magis vendicat ſibi locum in electione Papæ, in qua Conſtitutio Gregorii diſertis verbis diſponit, ut nullum jus acquiratur electo, non ſervata forma ibi præſcripta. Præterea opinionem Innocentii, & Compoſtellani in *d. c. Quod ſicut, ſuprà eod.* latè confutat Archid. in *c. Si cui, in princip. verſ. Sed contra credo, & num. 1. in ver. Firmitatis, infr. eod. lib.* 6. Movetur primò ex his quæ habentur 22. *diſt. per tot.* & ex *c. Ordinationes*, 1. *q.* 1. ubi electio non canonica dicitur falſa, & qui ſic ordinantur, id eſt eliguntur, non per oſtium, ideſt per Chriſtum intrant, ſed ut ipſa Veritas reſtatur, fures ſunt, & latrones. Deinde movetur ratione, 29
quia cùm forma electionis ſit de ſubſtantia, ut probatur expreſsè in *d. c. Si cui*, & notat Innocentius in *c. Eccleſia veſtra, il 2. ſuprà eod.* deficiente ipſa ſubſtantia deficit ipſum totum, ut patet in eo quod legitur, & notatur in *cap. Quæ ipſis, & c. ſeqq. 38. diſt. & c. 2. verſ. Si ita*, 33. *qu.* 5. & arg. *leg. Seja, ff. de aur. & argent. leg.* Movetur tertiò, quia ubi certa forma deſideratur, ibi neceſſariò eſt ſervanda, ut *leg. Cum hi, §. Si Prætor, ff. de tranſact. & l. Certa forma, C. de jur. fiſc. lib.* 10. cum aliis per eum allegatis. Movetur 30
quartò, quia cùm electio non ſervata forma ſit ipſo jure nulla, confirmari non poteſt, ut in *d. c. Si cui*. Et tandem *num.* 1. ponderando litteram ibi, in *ver. Firmitatis*, ſic ait: Hic videtur expreſsè confundi quod dixerunt Innoc. & Bernard. Compoſtell. in *c. Quod ſicut, ſupr. eod.* ſcribunt enim ibi, quòd jus poſitivum de forma ſervanda eſt de rigore introductum, & inventum eſt propter periculum evitandum, quod Eccleſiæ incurrebant propter lites, quas habebant. At ubi electio non fuit canonica propter formas, vel ſolemnitates omiſſas, quas jus poſitivum in electionibus præcipit obſervari, fuit tamen aliter canonica de jure naturali: tenet talis electio, & eſt aliqua, & corroboratur confirmatione ſequuta. Sed contrarium indiſtinctè credo verum. Ita Archid. quem in *d. c. Si cui*, ſequitur totidem

ver-

verbis: Jo. Andr. in *princ. in eodem ver. Firmitatis*, & con-
ſentiunt Butr. *n.*3. Anchar. *eod. num. verſ. Quæro*, poſt Joan.
Andr. *circa princ. verſ. Quid ſi confirmetur*: & quamvis La-
pus conciliando opiniones diſtinguat, an confirmatio fiat
per Papam, vel per alium inferiorem, ejuſque diſtinctionem
ſequantur Butr. & alii præcitati; tamen ſentit cum Archid.
in eo, quòd ſecluſa confirmatione Papæ ex electione hujuſ-
modi nullum jus acquiratur electo.

31 His dictis Archid. ad propoſitum noſtrum arbitror duo
addi poſſe. Primum eſt, quòd ubi lex poſitiva reſiſtit
actui, tunc ex conſenſu nec civilis, nec naturalis oritur
obligatio, *l. Cum lex*, & ibi Bart. *ff. de fidejuſſor. l. Si non
ſortem*, *in princ.* & ibi DD. *ff. de condict. indeb.* & fuit di-
ctum Petri de Bellapertica, quod ſequitur Jaſ. in *leg. Cum
quis*, *num.* 7. *verſ. Omiſſis levibus*, *Cod. de jur. & fact. igno-*
32 *rant.* Et idem eſt, quando actus qui geritur, peccat in ſua
forma, ut *l.* 1. §. *Si quis ita*, *ff. de verbor. obligat. & l.* 1. §.
Eum, qui, ff. de conſtit. pecun. Jaſ. in *d. l. Cum quis*, *verſ. Omiſ-*
33 *ſis levibus*. Idemque dicendum, quando lex non tantùm
prohibet actum fieri, ſed ulteriùs ſi fiat, decernit ipſo jure
nullum: nam neque hoc caſu oritur naturalis obligatio, ut
per Jaſ. *ubi ſuprà num.* 11. *verſ. Secundo pondera*: & probantur
34 hæc exemplo matrimonii, quod ſi contrahatur non ſervata
forma à Concilio Tridentino præſcripta in *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de
reform. matrim.* non obſtante contrahentium conſenſu eſt
nullum in utroque foro: & idem patet in profeſſione,
quæ ſi fiat ante annum ætatis decimum ſextum, vel infrà
annum probationis, ex decreto *c.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regular.* eſt
nulla, nullamque inducit obligationem etiam in foro con-
ſcientiæ, ut declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Conci-
lii Interpres. Ergo ſimiliter hoc matrimonium ſpirituale,
quod contrahitur per mutuum conſenſum eligentium, &
electi, ut *cap. Cum inter Canonicos*, *ſuprà eod.* niſi ſervetur
forma juris poſitivi, cùm lex reſiſtat actui cum decreto ir-
ritanti, naturalem obligationem non parit, ſed eſt ipſo ju-
re nullum, etiam in foro animæ. Ad quod facit, quod no-
tatur in *c. Quam ſit. in fin.* ult. gloſſ. & in *d. c. Quorumdam*, *in
ultim. gloſſ. de elect. lib.* 6. Præſertim verò quia etſi conſenſus
ſit de jure naturæ, tamen ut conſenſus Canonicorum fa-
ciat electionem canonicam, non eſt de jure naturæ indu-
ctum, ſed de jure poſitivo Eccleſiaſtico, ut reprobata Fer-
retti opinione probavi in *c.* 1. *num.* 4. & 13. *ſup. eod.* & conſe-
quenter nullo modo poteſt dici canonica electio, quæ à Sa-
cris Canonibus, vel Conſtitutionibus Apoſtolicis improba-
tur, argum. *c. Imperiali*, 25. *q.* 2. & *d. c. Ordinationes* 1. *q.* 1.

Alterum eſt, quòd opinio Innocentii in *d. c. Quod ſicut*,
habet in ventre limitationem illam, videlicet, ubi non ori-
tur ſcandalum, nec læditur honeſtatis publicæ juſtitia, nec
generalis Eccleſiæ ſtatus. Quæ tria verificantur in eo ca-
ſu, in quo quis eligitur in Papam non ſervata forma Gre-
gorianæ Conſtitutionis: nam ſi Cardinales publicato
ſcrutinio ad novam electionem procederent, & variarent
alium eligendo, facilè poſſet contingere, ut electus in
primo ſcrutinio credens ſuam electionem canonicam
de jure naturæ gereret ſe pro Papa, idemque faceret ele-
ctus in ſecundo ſcrutinio. Unde aliquando (Deus omen
avertat) magnum ſchiſma oriri poſſet in Eccleſia Dei.
Quæ tamen dicta ſint ſolius dubitationis gratia, non ut
Conſtitutionem Gregorii interpretemur, quod nobis non
licet.

35 Fallit primò, regula ſuperiùs propoſita *n.* 5. ſi publicatio
ſcrutinii ſit tantummodò inchoata, & non conſummata;
tunc enim licet electoribus omnibus in communi, vel ma-
jori parte ipſorum variare, quia verba, *Publicato ſcrutinio*,
hic poſita denotant actum perfectum, & conſummatum,
c. In his, de verb. ſignif. ſecundum Jo. Andr. *hic n.* 3. & 26. &
Card. in 1. *notab.*

36 Fallit ſecundò, eadem regula, ſi publicato ſcrutinio vota
appareant æqualia, aut nullus habuerit majorem partem,
ut *c. In geneſi*, *ſuprà eod.* tunc enim electores de communi
conſenſu poterunt ad novum ſcrutinium, vel compro-
miſſum procedere, & variare, cùm nemini ſit jus quæſi-
tum, ſecundum Innoc. *numer.* 2. *col.* 2. *verſ. Et intellige*,
Compoſtell. *n.* 4. *verſ. Sed quid ſi publicatio*, Hoſt. *n.* 9. *in ver.
Variare*, Abb. Antiqu. *n.* 2. & Joann. Andr. in 17. *qu.* & no-
tatur in *c. Eccleſia veſtra il* 2. *ſupra eodem in gloſſ. ult. circa
fin. verſ. Sed ſi omnia ſint hinc inde æqualia*: atque ita quod
hic dicitur electores publicato ſcrutinio non poſſe variare,

intellige in præjudicium nominati, ſecundùm Goffred. &
Joann. Andr. Et facit, quod notatur in *c. Perpetui*, *infr. eod.
lib.* 6.

Fallit tertiò, hæc prima regula in minori parte Capitu- 37
li, quia non obſtante publicatione ſcrutinii variare poterit
accedente majori parte. Ratio eſt, quia in præjudicium
nominati prohibita eſt variatio, ut prædixi; nominato au-
tem à paucioribus nullum fit præjudicium, cùm jus non ha-
beat. Et propterea qui conſentit in alium, variare poteſt 38
conſentiendo electioni de ſe factæ, ſecundùm Vincent.
Compoſtell. *num.* 5. & 6. & Jo. Andr. in 17. *q.* *verſ. Publicato
ergo ſcrutinio*. Quod intellige, ut notatur in *cap. Cum in
jure ſupr. eod.*

Fallit quartò, ſi nominatus in ſcrutinio certior factus 39
de ſua nominatione juri ſuo tacitè, vel expreſſè renun-
ciet: tunc enim Canonici poterunt alium eligere tàm an-
te, quàm poſt publicationem ſcrutinii, propter rationem
expreſſam in præcedentibus fallentiis, ſecundum Compoſt.
num. 6. Nec mirum, quia & electione ſibi præſentata
poſſet diſſentire, & integrum eſſet Capitulo alium eli-
gere, ut *cap. Cùm inter Canonicos*, *ſupr. eod.* & hic no-
tant Hoſtien. *num.* 8. *verſ. Tu dicas*, & Joann. Andr. in
quarta quæſt.

Fallit quintò, ſi per ſententiam, vel rei evidentiam no- 40
torium eſſet, nominatum in ſcrutinio eſſe ineligibilem pro-
pter aliquem defectum; hoc enim caſu liceret Canonicis
variare etiam ſcrutinio publicato, ut notatur in *cap. Cùm
terra*, *in gloſſ. ultim. & in cap. Dudum ſuprà eod.* imò ſatius
eſſet non publicare, ſecundum Innoc. hic *num.* 1. *verſ. Niſi
notorium*, & Hoſtien. *num.* 9. Sed tu adverte, quia hoc 41
non videtur verum: nam ſi notorium eſt juris, vel facti,
electum in ſcrutinio ineligibilem eſſe, utique Canonici
qui elegerunt ſcienter indignum, illa vice ſunt ipſo jure
privati poteſtate eligendi, & conſequenter variare non
poſſunt alium eligendo, ut *c. Cum in cunctis*, §. *fin. cap. In-
notuit*, & *c. Cum Vintonien. ſupr. eod.* Unde Compoſtell.
hic num. 1. *verſ. Quod autem dixi*, & Abb. Antiqu. *eodem
num.* declarant hoc habere locum, ſi ſcrutinium ſit nullum
propter occultum impedimentum electi; tunc enim benè
poſſunt Canonici alium eligere. Nec obſtat. *d. c. Cùm ter-
ra*, quia loquitur de ignorantibus vitium electi, & diligen-
tiam adhibentibus, ut ibi notat gloſſ. *fin. circa med. verſ. Et
loquitur.* Sed dicendum eſt, pœnam *d. c. Cum in cunctis*, non
incurri per ſolam nominationem in ſcrutinio, ſed ad hoc
requiri actum conſummatum, videlicet electionem in
communi, prout videntur loqui jura præallegata, & hodiè
eſt expeditum in *c. Perpetuo, de elect. lib.* 6. Unde ſi publica-
to ſcrutinio appareat eum, in quem totum Capitulum, vel 42
major pars ipſius conſenſit, ineligibilem eſſe propter ali-
quem defectum, puta ætatis, ordinum, natalium, & hujuſ-
modi; locus erit variationi, nec poterunt Canonici eum eli-
gere, ſi nominaverunt, vel conſenſerunt in eligendum; ad-
verſantur enim ſibi poſtulatio, & electio, ut *c. unico, de po-
ſtul. Prælat. lib.* 6. & tenent hic Jo. Andr. *q.* 8. & Butr. *n.* 9. Se-
cus ſi probabiliter dubitetur, an ſit poſtulandus, vel eligen- 43
dus, quia tunc non poterunt variare, argum. *c. Sacris, de ſe-
pult.* & quod ibi notatur, & *c. Non æſtimemus*, 13. *q.* 2. Utan-
tur ergo illa forma: Eligo, & poſtulo, ut in *d. c. unico*, & im-
putent ſibi qui exactiùs ante non inquiſiverunt, ſecundum
Jo. Andr. *in* 9. *q.* & Butr. *ubi ſupr.*

Sed hic incidit QUÆSTIO, quid ſi publicato ſcru- 44
tinio aliquis dicat ſe paratum probare impedimentum il-
lius, qui habuit majorem partem ſuffragiorum in ſcruti-
nio?

Putant Innoc. & Abb. Antiqu. differendam eſſe electio-
nem, ne Eccleſia ſuperfluis expenſis vexetur, *cap. Litteras,
propè fin. de reſtit. ſpoliat.* nec citabitur tunc nominatus,
nec procedetur in modum inquiſitionis, ſecundùm Innoc.
Sed hæc non placent Hoſtien. quia ad Capitulum non per-
tinet has probationes recipere: eligant ergo, & opponens,
ſi velit, jus ſuum proſequatur coram ſuperiore, ut *cap.* 1.
infr. eod. lib. 6. Verùm Joann. Andr. conciliando opiniones
in 13. *quæſt.* putat primam eſſe veram, ſi opponens dicat il-
lum excommunicatum, & velit ad Cameram mittere
pro inſtrumento excommunicationis: & è converſo, ſi
amicus electi dicat illum eſſe abſolutum, & velit mittere
pro abſolutione, audietur: & idem in ſimilibus caſibus;
& ad ſuperiorem ſpectabit hoc decidere, ſecundum Anton.

de Butr.*n.*13. *in fin.* Sentit ergo Joan.Andr.ſecundam opi-
nionem Hoſtienſis procedere, quando partes non habent
probationes paratas, quibus incontinenti docere poſſint
de impedimento, vel de illius remotione: & ita tranſeunt
Doctores.
45 Fallit ſextò, in compromiſſariis, qui proceſſerunt ad ele-
ctionem per viam ſcrutinii; quia tales non arctantur ad for-
mam decretalis, *Quia propter*, ut ibi notant Doctores, ma-
ximè Butr. *n.* 45. & ſic non eſt de neceſſitate, ut publicato
ſcrutinio ſequatur collatio, & communis electio. Unde
cùm ceſſet ratio hujus cap. licet eis variare, faciat *c. Cùm
dilecti, ſuprà eod.* & ita concludunt hìc Jo.Andr.& Cardin.
ambo in 19.*q.*& Butr.*n.*17.
46 Fallit ſeptimò, in Patronis Eccleſiarum procedentibus
per viam ſcrutinii, quia poſſunt variare etiam ſcrutinio pu-
blicato; tum quia non arctantur ad formam *d. c. Quia pro-
pter*, ut de compromiſſariis dictum eſt in præcedenti fallen-
tia; tum quia actus ipſorum eſt præſentare, non eligere, ut
notatur in *c.Nobis,& c.fin.*& ibi Jo.Andr. in *fin.de jurepat.*
Quamobrem uſque ad præſentationem varient indiſtinctè
clerici, & laici, cùm non ſint functi officio ſuo, poſt præſen-
tationem verò laici tantùm, ut *c.Cùm autem*, *eod.tit.* Ita
Jo.Andr.& hìc *ambo in* 10.*q.*Butr.*n.*18.& Abb.*n.*5.
47 Fallit octavò, in civibus eligentibus ſibi poteſtatem, qui
variare poſſunt etiam ſcrutinio publicato, quoniam eo-
rum electio non eſt authorizabilis, id eſt eis delata à cano-
ne: & refert hìc Joann. Andr. in 21.*qu.* hoc fuiſſe diſputa-
tum in ſcholis Legiſtarum, & determinatum ut ſupra, &
fuit quæſtio Jacob.de Belvis, quam habes in *Auth. de Col-
lator.collat.9.* & ſequuntur hìc Butr.*n.*19. Card. in 21.*qu.*&
Anchar.*n.*3.*verſ.Secundo caſu principali*, & Bart. in *l. Ab-
ſenti*, *n.*2.*de donat.*
48 Fallit nonò & ultimò, in poſtulatione, in qua licitum eſt
variare etiam in ſcrutinio publicato: nam etſi gloſſ.*fin.hìc*,
item gloſſ. in *c. Bonæ il* 2. *& in c.penult. & fin.ſuprà*, *de po-
ſtulat. Præl.* ſentiant hanc decretalem habere locum etiam
in poſtulatione per *c.In cauſis*, *ſuprà eod.*& quia utrobique
eadem eſt ratio; idemque ſenſerint Bonaguida, & Gul.
Naſo: alii verò exiſtimaverint non eſſe licitum variare
poſt præſentationem poſtulationis factam Papæ, ſed antea
licere etiam publicato ſcrutinio. Primam tamen opinio-
nem indiſtinctè ſequuti ſunt gloſſ. Joannis in *c. De Siracu-
ſana*, *in ver.Præſtiterunt*, *in fin.*28.*diſt.*Philippus, Goffredus,
Bernardus, Compoſt.Hoſtien. & poſt eos Jo.Andr.hìc *n.*17.
qui poſt prolixam diſputationem tandem in hoc reſidet,
ut liceat a poſtulatione recedere etiam poſt publicationem
49 ſcrutinii. Movetur primò per *d.cap. Bonæ*, *il* 2.§.*Nec noce-
bat*, *ſup. de poſtul. Prælat.* ubi hoc efficaciter probatur per
argumentum à contrario ſenſu, quod eſt fortiſſimum, ut *c.
Ex eo*, 15.*q.*3.*& c.Cùm Apoſtolica*, *in fine*, *infrà*, *de his*, *quæ
fiunt à Prælat.* ubi concordan. *& l.* 1.§.*Hujus rei*, *ff.de offic.
ejus cui mand. eſt juriſd.* Et ſemper eſt verum, niſi in duo-
bus caſibus. Primus eſt, ubi illius argumenti contrarium
reperitur expreſſum in jure, ut *c.Si quis à ſimoniacis*, 1.*q.*1.
& l.Conventicula, *C. de Epiſc. & Cler.cum ſimil.*Secundus
eſt ubi verba legis non ponuntur cauſativè, ſed narrativè,
vel modaliter, ut notat Specul. in *tit.de diſputat.*& allegat.
Advocat. §. *Poſt hæc*, *verſ.Vel non obſtat ſenſus*, & Azo. in
Brocardis *charta* 8. *ſub rubr.* Contrarius ſenſus legis, &c.
Quorum neutrum concurrit in terminis prædictæ decre-
talis *Bonæ*, ut optimè deducit Jo.Andr. *n.* 18.& Butr. poſt
eum *n.*24. Deinde movetur ex allegatis per eum in ſolutio-
ne contrariorum *n.* 19. Ac demum quia plures, & majores
hanc opinionem ſequuntur, ut *c.In canonicis*, 19.*diſt.* & ita
eam communem eſſe teſtatur hìc Cardin.in 22. *q.* Non ob-
50 ſtat hæc decretalis; quia loquitur in electione, nec debet
extendi ad poſtulationem, quia diverſa eſt ratio; non
enim in poſtulatione facienda eſt collatio, nec poſteà com-
munis poſtulatio, cum nulla forma reperiatur à jure præ-
ſcripta in poſtulatione: nam de electione loquitur Conci-
lium generale in *cap. Quia propter ſuprà eod.* Præterea non
51 videtur requiri tanta ſolemnitas in actu poſtulationis, per
quem jus non acquiritur, ut hìc fatetur gloſſ. fin. ſicut in
actu electionis, per quem acquiritur jus. Ad hæc cum in
poſtulatione non ſit conſenſus matrimonialis, hinc nulla
oritur infamia poſtulato. Ad d.decretalem, *In cauſis*, & ad
alia argumenta contraria reſponde, ut hìc plenè per Joan.
Andr. & Card. *ubi ſuprà*.

Secunda regula, quæ ex hac decretali colligitur à con- 52
trario ſenſu, eſt hujuſmodi, videlicet, Electores variare
poſſunt ante publicationem ſcrutinii; & ita hìc deducunt
Vincent.Goffred.& Innoc.*n.*2.*col.*2. *in princ. verſ. Item ar-
gumento à contrario ſenſu*, Compoſt. *n.* 14.*in ver.Variare*,
Hoſt.*in princ.*Jo.Andr.& Card.*ambo in* 2.*qu.*Butr.*n.*5.& alii 53
communiter. Et procedit hæc regula non tantùm in Cano-
nicis, ſed etiam in Superiore, ad quem propter illorum ne-
gligentiam jus eligendi ſit devolutum, ut per Abb. Antiq.
*n.*4. Et vide quæ dixi ſuprà in tertia ampliatione *n.* 13.
Sed declaratur eadem regula, ut procedat, antequam ſcru- 54
tatores recedant de loco, ubi vota ſcrutantur. Secus poſt-
quam abſceſſerint, & ſe contulerint ad locum, ubi ſunt alii
electores; quia tunc non poſſunt variare, cùm jam ceſſave-
rint ab officio, & res non ſit ampliùs integra arg. *c. In cau-
ſis*, *ſuprà eod.& c.Præterea infrà*, *de teſtib.cogen.*Ita Innoc.
*hìc n.*2.Jo.Andr.*num.*45. & Card.in 2.*qu.*Qui tamen hoc ſu- 55
blimitant, niſi toti Capitulo, vel majori parti placeret, ut
illud ſcrutinium deſtrueretur; hoc enim efficere poſſet et-
iam ſine ulla cauſa, cum Capitulum, quod fecit, ad libitum
deſtruere poſſit; nulli enim fit præjudicium, nec ulla infa-
mia oritur nominato, cùm clauſa ſint vota. Verùm Com-
poſt.& poſt eum Joan.Andr.*n.*26. dicunt hoc poſſe fieri tan-
tummodò ex juſta cauſa, velut ſi ante publicationem ſcruti-
nii perveniret ad illorum notitiam aliquis defectus nomi-
nati, ut *l.Si autem neſcius*, *C.de furt.*Secus ſi malitioſè, ſi-
cut fertur factum fuiſſe in Eccleſia Eboracenſi, ubi unus
ex ſcrutatoribus videns quemdam à majori parte nomina-
tum, procuravit perturbationem in Capitulo, ne fieret ſuf-
fragiorum publicatio. Sed Jo. de Imola hìc *n.* 5. *verſ. Adde
dictis ſuis duo*, tenet cum Innocentio, quòd indiſtinctè, ex
quo non eſt publicatum ſcrutinium, poſſit Capitulum, vel
major pars ipſius variare, & primum ſcrutinium dilacerare,
& ad novum procedere, per hanc decretalem, quæ variatio-
nem interdicit ſimpliciter poſt publicationem ſcrutinii. Er-
go illam permittit liberè ante publicationem, ſumpto ar-
gumento à contrario ſenſu, quod eſt validiſſimum, ut di-
ctum eſt ſuprà *n.*49. & hoc ſatis placet.
QUÆRO, cùm in Conſtitutione Gregorii XV. de Ro- 56
mani Pontificis electione, in §.*Rurſus*, ſtatutum ſit, ut ne-
mo per viam ſcrutinii, ſeu acceſſus habeatur pro electo
niſi publicatis omnibus ſuffragiis: quid ſi caſu, vel malitio-
sè ſchedulæ aliquæ deperierint, ita ut publicatio perfici non
poſſit: Finge enim poſt inchoatam publicationem aliquot
ſchedulas eſſe combuſtas, vel dilaceratas, aut in terram di-
lapſas, vel abſconditas incuria, vel fraude alicujus, adeò ut
reperiri non valeant. Numquid nominatus in ſcrutinio ni-
hilominus habendus ſit pro electo?
Dupliciter hic caſus poteſt contingere. Primò antequam
conſtet ſic nominatum habuiſſe duas tertias ſuffragiorum
partes: & hoc primo caſu ſi aliquibus votis publicatis nul-
la alia ſuperſit ſchedula, quæ aperiri, & legi poſſit, abſo-
lutum erit ſic nominatum non eſſe electum; non enim ha-
buit ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium,
quod eſt de ſubſtantia electionis tàm ex Bulla Gregorii in
§. *Quod ſi electio*, quàm ex juris communis diſpoſitione,
ut in decretali *Licèt*, *ſuprà eod.* Nec poteſt plura habere
cùm nulla alia ſchedula reperiatur, ut per ſe patet. Sin
autem ſchedulæ non perierint omnes, ſed aliquæ ſuperſint
in calice; ſatis ambiguum videtur, an nihilominus publica-
tio ſit conſummanda, an verò deveniendum ſit ad novum
ſcrutinium. Fac enim Cardinalem Hoſtienſem ex triginta
Cardinalibus præſentibus habuiſſe in ſcrutinio novemde-
cim vota, atque ita unum tantùm deeſſe, ad hoc ut cen-
ſeatur canonicè electus. Fac deindè alteram ex ſchedulis,
dum è calice extraheretur à ſcrutatoribus, in terram ceci-
diſſe, ita ut inveniri non poſſit. Cardin. Hoſt. inſtabit,
ut publicatio compleatur, in qua ſi vel unum ſuffragium
habuerit, illicò affirmabit ſe electum. Alii objicient publi-
cationem non eſſe ulteriùs proſequendam, quia illa perfici
non poteſt, cùm deſit una ex ſchedulis ad eam abſolvendam
neceſſariis; proindeque inſtabunt, ut ſchedulæ omnes com-
burantur, & novum inchoetur ſcrutinium ad præſcriptum
Conſtitutionis. Et quamvis hoc ultimum videatur de
jure verius, quia publicatione ſcrutinii inchoata, & non-
dum conſummata, licitum eſt electoribus variare, ſecun-
dum ea quæ dicta ſunt in prima Fallentia *n.*35. hinc tamen
maxima oriri poſſet turbarum occaſio; ideòque utile
eſſet

eſſet illi occurrere Apoſtolicæ Sedis oraculo. Secundò hic caſus poteſt contingere, poſteaquam conſtitit nominatum
57 habuiſſe in publicatione ſcrutinii duas ex tribus partibus ſuffragiorum; & tunc res videtur magis dubia. Favet electioni, quòd peracta fuerit per ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi præſentium, electi ſuffragio non computato. In hoc enim conſiſtit demum forma integra per Gregorianam Conſtitutionem inducta in electione Romani Pontificis, quæ per ſcrutinium fieri dicitur, ut in *d.* §. *Quod ſi electio*, & caſus, vel culpa ſuperveniens non videtur obeſſe electioni jam perfectæ, & conſummatæ, argum. *l.* 2. *ff. de itin. actuque privat.* ubi dicitur: Nec enim corrumpi, aut mutari, quod rectè tranſactum eſt ſuperveniente delicto, poteſt, *leg. Patre furioſo*, *ff. de his, quæ ſunt ſui, vel alien. jur.* Item
58 actus ex ſe perfectus per contrarium eventum non reſolvitur, *leg. Donationes*, *ff. de donat.* etiamſi poſteà eveniat caſus, à quo non potuit inchoari, *leg. Si quis alicui*, *ff. de acquir. hæred. & leg. Si Gaudentius*, & ibi Bald. *Cod. de contrahen. empt. leg. In ambiguis*, §. 1. *ff. de reg. jur.* & regula *Fa-*
59 *ctum legitime*, *eod. tit. lib.* 6. Præterea non videtur requiri conſummatio publicationis, niſi ubi illa fieri poteſt. Quod ſi fortuito aliquo caſu, multòque magis ſi dolo, vel fraude alicujus ex electoribus id reddatur impoſſibile, Sanctiſſimus non videtur voluiſse ad illud adſtringere, cùm impoſſibilium nulla poſſit eſse obligatio, & lex non feratur niſi ſuper poſſibili, *c. Erit autem lex* 4. *diſt.* Et quamvis publicatio requireretur pro forma, tamen ubi forma ex aliquo caſu eventitio non poteſt ſervari, valet actus geſtus, etiam tali forma non ſervata, ut notant Doctores in *l. Turpia*, §. *fin. ff. de legat.* 1. Aym. *conſ.* 12. *num.* 2. & *conſ.* 77. *num.* 7. Ideòque in partibus, in quibus nullus eſt Parochus, vel Epiſcopus, matrimonia conſiſtunt etiam abſque præſentia Parochi, adhibitis ſaltem duobus teſtibus, ut olim declaravit ſanct. mem. Clemens VIII. ex ſententia Congregationis Concilii; & legem non ligare, ubi illa de facto ſervari non poteſt, in hac ipſa materia electionis tradit Abb. in *c. Qua propter*, §. *Vel ſaltem propè fin. ſuprà eod.* poſt Joan. Andr. in
60 *reg. In toto, in Mercurial.* Ac demum etiamſi publicatio omnium, & ſingulorum ſuffragiorum eſſet ſimpliciter, & abſolute neceſſaria ad validitatem electionis; nihilominus quando illa omittitur fraude, & culpa electorum, cauſa nocendi electo, tunc talis omiſſio non vitiat, ut in ſolemni publicatione tradit Hoſt. in *d. c. Quia propter*, *ad fin. in ver. Solemniter.* Cujus opinionem ſatis probabilem dicit Abb. *ibid. in* §. *fin. nu.* 1. Fraus enim, & dolus non debet electoribus patrocinari in præjudicium electi, *c. Cùm univerſorum, de rer. permut. c. Officii*, *de teſtam. & c. Cum dilectus*,
61 *de religioſ. domib.* Et in ſimili quamvis ſit unum ex ſubſtantialibus requiſitis, ut poſt collationem electio fiat incontinenti, nullo ſcilicet actu extraneo intermedio, alias non valeat, ut eſt caſus ſecundùm lecturam magis communem in *c. Cùm poſt petitam*, *ſupr. eod.* & tradunt omnes in *d. cap. Quia propter*, præſertim Abb. *n.* 16. *verſ. Quartum decimum*; tamen hoc procedit, quando electio protrahitur per ſimplicitatem, vel negligentiam electorum, vel de conſenſu electi; ſecus ſi mala fide: quod in dubio præſumitur, ut omnis fraus excludatur. Ita notabiliter ſcripſit Hoſt. in *d. cap. Cum poſt petitam n.* 4. *verſ. Et hoc quod dicit.*
62 Contra electionem verò urget, quòd Conſtitutio diſertis verbis diffinit neminem in ſcrutinio pro electo habendum eſſe niſi publicatis omnibus ſuffragiis; atque ita certum videtur ante conſummatam omnium ſuffragiorum publicationem negotium electionis non cenſeri abſolutum, ſed potiùs eſſe, ut dicitur, in fieri. At quotieſcumque negotium non eſt perfectum, ſive caſu, ſive culpa accidat, ut nequeat perfici, actus remanet omninò nullus, ut probat textus in *l. Contractus*, ubi Bald. *n.* 11. *C. de fid. inſtrument.* & tradit Anch. *conſ.* 332. *incipien. Pro clariori, verſ. Pro tanto dico*; hoc enim caſu cœptum non habetur pro completo, ut *l. Quintus*, §. *An aurum*, *ff. de aur. & argent. leg. & l. Stipulatio*, §. *Opus*, *ff. de nov. oper. nunciat. & leg. Ex his*, *C. quand. dies leg. ced.* Hinc non juvat præſcriptio inchoata, ſi fuerit interrupta, *c. Illud*, *inf. de præſcript.* & fruſtra velociter currit, qui priuſquam ad metas perveniat deficit, *c. In caſſum, de pœnit. diſt.* 3. & *c.* 1. *de renunc.* Nec ſubſiſtit teſtamentum inchoatum nondum perfectum. *Inſtitut. quib. mod.*
63 *teſtam. infirmen.* §. *penult. in fin.* Ideòque etſi teſtamentum, quod pater condidit inter liberos, valeat abſque publicatione Notarii, & aliis ſolemnitatibus, ut *l. Hac conſultiſſima*, §. *Ex imperfecto, & Auth. Quod ſine, C. de teſtam.* tamen ſi pater poſt conditum teſtamentum voluerit, ut illud publicaretur, & ante publicationem obierit, teſtamentum dicitur nullum ex defectu voluntatis; & appellatur potiùs teſtamenti prærordinatio, quàm teſtamentum, ut conſuluit Oldrad. *conſ.* 119. *incipien. Titius condidit teſtamentum.* Cujus opinio communis eſt, ut teſtatur Jaſ. qui in eadem facti ſpecie reſpondit *conſ.* 115. *vol.* 4. Eodem igitur modo tametſi ex *c. Licet de vitanda*, *ſupr. eod.* ille abſque ulla exceptione ab univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuerit, & receptus, ita ut propterea contra electionem tunc non poſſet admitti ejuſmodi exceptio, quòd vota omnia non eſſent publicata; tamen quia hodiè in Gregor. Conſtitutione ſancitum eſt, ut nullus habeatur pro electo niſi publicatus omnibus ſuffragiis, profectò ſi ante abſolutam publicationem perierint ſchedulæ, electio nulla dicenda erit ex defectu voluntatis, & potiùs dici poterit electionis prærordinatio, quàm electio; nihil enim dicitur actum, cùm quid ſupereſt agendum, *c. Nihil*, 7. *quæſt.* 1. & *leg. penul. C. ad Syllanian.* & quamvis principium ſit potiſſima pars cujuſque rei, *lib.* 1. 64
ff. de orig. jur. perfectum tamen conſiſtit ex omnibus ſuis partibus, ut ibi dicitur. Unde libro legato, intelligitur legatus liber ſcriptura perfectus, *leg. Librorum*, §. *Quod ergo*, *ff. de legat. tertio*, & verbo, *Operis*, intelligitur opus perfectum, *l.* 1. §. 1. *de verbor. ſignific.* & ædificium perfectum dicitur quod ita conſummatum eſt, ut uſui eſſe poſſit, *l. ædificia*, §. *Perfeciſſet*, *ff. eodem tit.* & ſolvendò nemo eſſe intelligitur, niſi qui ſolidum poteſt ſolvere, *l. Solvendo*, *ff. de verbor. ſignific.* & edere non videtur, qui totam ſtipulationem non edit, *l.* 1. §. *Edere*, *ff. edend.* facit textus in *l. Scyphi*, *ff. de opt. legat.* Præſertim verò, quia Conſtitutio utitur dictione illa univerſali, *Omnibus*, quæ importat, ut nullus cenſeatur electus, ſi vel unum ſuffragium reſtet publicandum, *c. Si Roman.* 19. *diſt. l.* 3. *ff. de offic. Præſid.* gloſſ. *fin. in c. Solitæ de major. & obedien.*

Nec relevat, quòd ex votis publicatis appareat nominatum habuiſſe duas tertias partes. Quia nihilominus electio non dicitur perfecta, & conſummata, ſed informis, cùm Conſtitutio ad hoc requirat ex neceſſitate, ut ſuffragia omnia ſint publicata. Ad hoc *l.* 1. §. *Hæc autem verba*, *ff. Quod quiſque jur. & c. In his*, *infrà*, *de verborum ſignific. c. Quod vero non formatum* 32. *qu.* 2. & *c. Si aliquis, cum ibi notat. infrà de homicid.* Imò verba illa: *Nemo habeatur pro electo, niſi publicatis omnibus ſuffragiis*, ſi ſedulò expendantur, nullatenus ſunt intelligenda de illo, qui in actu publicationis nondum habuit duas tertias ſuffragiorum partes; quia hoc modo conſtitutio eſſet de indubitabili, contra textum in *leg. Labeo*, *ff. de carbon. edict.* Nemini enim dubium eſſe poteſt de nullitate electionis illius, qui ante abſolutam ſcrutinii publicationem nondum pervenit ad duas partes ſuffragiorum, & ineptum fuiſſet ſuper hoc legem condere, cum talis non ſit electus, etiamſi ſuffragia omnia ſint publicata, ut eſt clarum. Videtur ergo dicendum illa verba eſſe propriè intelligenda de nominato à duobus partibus, quem Conſtitutio nihilominus non vult haberi pro electo niſi publicatis omnibus ſuffragiis; & cum verba ſint ſatis clara, non admittunt interpretationem ſermonis, aut conjecturam voluntatis, *l. Pediculis*, §. *Argento*, *ff. de aur. & arg. leg. Licet Imperator. ff. de legat.* 1. Soccin. ſen. *conſ.* 13. *Præſens conſultatio*, *n.* 38. *lib.* 1.

Porrò ſi hic caſus alicujus ſchedulæ deperditæ poſt inchoatam publicationem contingeret non in ſcrutinio, ſed in ſcrutinio, & acceſſu, res parum haberet difficultatis. Nemo enim habendus eſſet pro electo ante completam, & conſummatam publicationem, etiamſi aliquis perveniſſet ad duas partes ſuffragiorum. Ratio eſt, quia poſſet dari caſus, ut nominatus à duabus partibus, publicatis poſteà ſuffragiis non remaneret canonicè electus, puta ſi alius quiſpiam in ſcrutinio, & acceſſu haberet totidem, aut plura ſuffragia: nam in ſuffragiorum paritate neuter eſt electus; in imparitate verò qui numero ſuffragiorum ſuperior erit, ut expreſsè ſtatuitur in Bulla Gregorii §. *At ſi contingat*: unde cùm jus electionis ſit in ſuſpenſo, & pendeat à futuro eventu; nulli poteſt cenſeri jus acquiſitum, antequam ex publicatione omnium ſuffragiorum appareat electum

non ſolùm habuiſſe duas tertias ſuffragiorum partes, ſed etiam neminem alium habuiſſe in numero ſuffragiorum ſuperiorem, vel æqualem, ex his, quæ notantur in *c. Cumana, ſuprà eod.* Nam quod pendet, non eſt pro eo quaſi ſit, dicit textus in *l. Is damnum*, §. *Quod pendet, ff. de reg. jur.* & notatur in *c. 2. infrà de appellat.* & quod incertum eſt, perinde eſt, ac ſi non eſſet, *l. Duo ſunt Titii, ff. de teſtam. & l. Si ita fuerit, ff. de reb. dub.* & facit quod in propoſito ſcripſi in *cap. Maſſana, numer. 23. & ſeqq. ſupr. eodem.* Fortè expediret, ut Beatiſſimus Romanus Pontifex ad obviandum periculis declararet; ut ſi caſu: vel culpa, dolove malo alicujus acciderit, ut publicatio ſuffragiorum compleri non poſſit; nihilominus ſchedulæ quæ ſuperſunt, aperiri debeant, iſque intelligatur Canonicè electus, qui in ſcrutinio habuerit ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi præſentium, ſuffragio electi non computato; in ſcrutinio verò, & acceſſu ſimiliter is habeatur pro electo, qui ad duas ſuffragiorum partes pervenerit, niſi quiſpiam alius habuerit totidem, vel plura ſuffragia: quo caſu in paritate neuter cenſeatur electus; in imparitate verò qui numero ſuffragiorum erit ſuperior. Salvo, &c.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

Innocentius III. Antiocheno Patriarchæ:

CAPUT I.

CUm ex illo generali privilegio, quod beato Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit, Canonica poſtmodùm manaverint inſtituta continentia majores Eccleſiæ cauſas ad Sedem Apoſtolicam perferendas; ac per hoc translationes Epiſcoporum, & ſedium mutationes, ad ſummum Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem de jure pertineant: nec ſuper his quicquam, præter ejus aſſenſum, debeat immutari: Miramur, quòd L. Apamen. electum in Tripolitanam Eccleſiam tranſtuliſti, & novo quodam mutationis genere parvificaſti majorem, & magnum quodammodo minoraſti, epiſcopare Archiepiſcopum, imò potiùs de archiepiſcopare præſumens. Licèt enim dictus L. nondum fuiſſet in Archiepiſcopum conſecratus, confirmationis tamen munus receperat, & Archiepiſcopalia (quantum ei licuit) miniſtrat: ſicut nobis ipſius relatione innotuit, qui ſe Valien. Epiſcopum aſſerunt confirmaſſe. Ne igitur perpetrandi ſimilia cæteris audacia tribuatur, te ab Epiſcoporum confirmatione duximus ſuſpendendum.

SUMMARIUM.

1 *Patriarcha, qui confirmatum in Archiepiſcopum transfert ad Sedem Epiſcopalem, ab Epiſcoporum confirmatione ſuſpenditur.*
2 *Cauſæ majores Eccleſiæ ad Papam pertinet non ex vi reſervationis Apoſtolicæ, ſed ex inſtitutione divina.*
3 *Et hæc authoritas ab inferioribus acquiri non poteſt conſuetudine, aut præſcriptione etiam immemorabili.*
4 *Conſuetudo contra jus divinum eſt corruptela, & omninò impræſcriptibilis.*
5 *Papa in ſpiritualibus omnia poteſt, & nullus poteſt quærere poſſeſſionem, quæ illi præjudicet.*
6 *Præſcriptio non currit contra Eccleſiam Romanam reſpectu ſupremæ poteſtatis.*
7 *Hominis proprii expreſſio in materia dignitatem concernente non reſtringit diſpoſitionem ad perſonam.*
8 *Translationes Epiſcoporum, & ſedium mutationes ſunt ex majoribus Eccleſiæ cauſis.*
9 *In dignitatibus Eccleſiaſticis non licet de majori ad minorem tranſire, n. 15.*
Declaratur, n. 20. & ſeqq.
11 *Renuntiatio Epiſcopi non valet, niſi per Papam fuerit admiſſa.*
12 *Epiſcopus, qui propria authoritate ad aliam Eccleſiam ſe transfert, carere debet utraque.*
13 *Epiſcopus, qui infrà ſex menſes munus conſecrationis non ſuſcepit, eſt ipſo jure privatus Eccleſia.*
14 *Non tamen poteſt cedere propria authoritate, niſi factum ſit notorium, vel declaratum per ſententiam; ſed benè poteſt, ac debet cedendi licentiam poſtulare, n. 24.*
15 *Ab Epiſcopatu ad Scholaſticam tranſire non licet.*
16 *Translatio Epiſcopi requirit cauſam utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ, & aliter tranſiens dicitur ſpiritualis adulter, n. 18.*
17 *Papa ſolus diſſolvit ſpirituale conjugium non humana, ſed divina authoritate.*
19 *Subreptitia eſt impetratio dignitatis facta ſub narrativa ceſſionis Epiſcopatus, ſi ceſſio fuit invalida.*
20 *Archiepiſcopo, qui ex juſta cauſa ceſſit, licitè de Epiſcopatu vacante provideri poteſt.*
21 *Imo & de Parochiali.*
22 *Secus ſi ceſſio facta fuerit in fraudem ad obtinendum Epiſcopatum locupletem.*
23 *Sed qui fraudem allegat, probare debet.*

CUm ex illo, Patriarcha, qui confimatum in Archiepiſcopum transfert ad Sedem Epiſcopalem, ab Epiſcoporum confirmatione ſuſpenditur. Hoc dicit Joann. Andr. Bald. Bellam. Butr. Card. Anchar. Imol. & Joann. de Anan. Aliqui allegant etiam Abbatem Siculum, ſed per errorem, quia non ſcripſit ſuper Capitulis hujus tituli & in ejus Commentariis inſertæ fuerunt lecturæ Joan. de Imola. Dividitur in quatuor partes. Prima probat tranſlationem Epiſcoporum ſoli Papæ competere. Secunda narrat reprehenſibile factum Patriarchæ, ibi, *Miramur.* Tertia tacitæ quæſtioni reſpondet, ibi, *Licèt.* Quarta pœnam imponit, ibi, *Ne igitur.* 1

Nota primò, ex principio litteræ, majores Eccleſiæ cauſas ad Summum Pontificem pertinere, non ex vi reſervationis Apoſtolicæ, ſed ex inſtitutione Divina, concordat *c. Dudum, 3. q. 6.* ibi, *Domino inſtituente ad Romanam Eccleſiam quaſi ad matrem, atque apicem omnes majores Eccleſiæ cauſæ, & judicia Epiſcoporum recurrant.* Et ſcripſi pleniùs in *c. Perniciosam à n. 28. uſque ad 72.* & præſertim *n. 57. inf. de offic. ordin.* 2

Ex quo notabiliter infero, ut hæc authoritas cognoſcendi, aut decidendi majores Eccleſiæ cauſas, ab Epiſcopis, & aliis inferioribus acquiri non poſſit conſuetudine, aut præſcriptione etiam immemorabili, quia talis conſuetudo, cùm ſit contra jus divinum, eſt corruptela, & omninò impræſcriptibilis, *cap. fin. ſupra de conſuet.* & notat Innocent. in *cap. Bonæ il 2. paulo ante num. 2. de poſtul. Prælat.* dicens: Contra Papam, qui circa ſpiritualem juriſdictionem omnia poteſt, & plenitudinem poteſtatis habet, nullus poteſt quærere poſſeſſionem, quæ ei præjudicet, cùm illam habeat à Domino tantùm, & ideò eſt immutabilis, *cap. In novo, & c. ſeqq. 21. diſt. cap. Omnes 32. diſt.* 3 4 5

diſt. c. Imperator 96. diſt. & §. 1. *diſt.* 5. Sequitur Abb. *conſ.* 82. *Quamquam, paulò poſt princip. verſ. Quia licet lib.* 1. ubi
6 ait, contra Eccleſiam Romanam non currere præſcriptionem reſpectu ſupremæ poteſtatis, ſicut nec contra Deum, cujus vices gerit, Ad hoc bonus text. in *cap. Nemo 16. qu.* 3. & facit *l. Competit. Cod. de præſcript. 30. vel 40. annorum*, & hìc junge quod plenè notavit in *c. Conſuetudines ſuprà de conſuetudin.*

7 Secundò nota ibi, *l. Apamen. Archiepiſcopum*, quòd in materia dignitatem concernente expreſſio proprii nominis non reſtringit diſpoſitionem ad perſonam, ſed realis cenſetur diſpoſitio; & ſic potentiùs operatur natura ſubjectæ materiæ, quàm proprii nominis expreſſio, Butr. & Imol. *hìc num.* 3.

8 Tertiò nota ibi, *Translationes Epiſcoporum, &c.* inter majores Eccleſiæ cauſas recenſeri Epiſcoporum translationes, ac ſenium mutationes, *c. Omnis qui gemebat, c. Et temporis qualitas 7. q. 1. c. Quod translationem de offic. legat, & inf. ead. per tot.* Imol. *hìc n.* 5. & reliqui omnes.

9 Quartò nota ibi, *Epiſcopare Archiepiſcopum, imò potiùs de archiepiſcopare præſumens*, in dignitatibus Eccleſiaſticis non eſſe licitum deſcendere, id eſt, de majori ad minorem tranſire, ut hìc eſt expreſſum, & in *cap. Legimus in fin.* ibi: Qui provehitur, de minori ad majus provehitur, 93. *diſt. & in cap. Licet, verſ. Quod ſi ad majorem*, & ibi gloſſ. 2. *infrà eodem*, Butr. & Imol. *hìc num.* 7. Nam gradatim conferuntur honores, *l. Ut gradatim, ff. de muner. & honor.* quod latiùs examinabitur infrà *n.* 15.

10 Ex hoc infero ad dubium propoſitum in Sacra Congregatione rerum Conſiſtorialium habita die 28. Januarii 1649. ſuper tranſitu Electi Sancti Jacobi de Cuba in Indiis Occidentalibus ad Scholaſticam Eccleſiæ Salamantinæ. Facti ſeries ſic ſe habet.

Martinus de Celaga Ocariz à Rege Catholico præſentatus ad dictam Eccleſiam S. Jacobi, fuit de ea proviſus in Conſiſtorio die 20. Novembris 1645. qui tamen die 22. Octobris immediatè præcedentis fuerat præſentatus ad dictam Scholaſticam Eccleſiæ Salamantinæ; die verò 28. Decembris ejuſdem anni conſtituit procuratores tàm ad cedendum juri ſibi competenti ad dictam Eccleſiam de Cuba, quàm ad procurandam proviſionem dictæ Scholaſticæ: & ſubindè 14. Maji 1646. ſupplicatio ſuper proviſione ejuſdem Scholaſticæ expedita fuit, in qua leguntur verba infraſcripta, videlicet; Supplicat igitur, &c. Martinus, &c. Electus ſancti Jacobi de Cuba, &c. quatenùs ſibi, qui electioni de ſua perſona ad Eccleſiam ſancti Jacobi de Cuba auctoritate Apoſtolica factæ munere conſecrationis minimè ſuſcepto renuntiavit, ſpecialem gratiam faciendo, &c. Scholaſticam prædictam conferre, ſecumque deſuper, quatenus opus ſit, opportunè diſpenſare dignemini, &c. Ipſo nunc in pacifica poſſeſſione perſeverante, Rex Catholicus ad dictam Eccleſiam ſancti Jacobi de Cuba uti vacantem per liberam ejus ceſſionem alium præſentavit.

11 Dubitatum eſt, numquid Eccleſia ſancti Jacobi vacet, & quomodo: & quatenus non vacet, an ceſſio electi ſit admittenda.

Dictum eſt primò, Eccleſiam hanc non vacare per ceſſionem, quia etſi electus dederit mandatum ad cedendum, tamen nullibi apparet hujuſmodi ceſſionem à Sanctiſſimo fuiſſe admiſſam: nam in ſupplicatione renuntiatio fuit ſimpliciter narrata, nec pro illius admiſſione ſupplicatum fuit, ſed tantummodò pro proviſione Scholaſticæ, prævia diſpenſatione, quatenus opus eſſet. Et Sanctitas Sua proviſionem, & diſpenſationem petitam conceſſit, ſed renuntiationem nullatenùs admiſit, prout requirebatur ad hoc, ut Eccleſia vacaret, ut *cap. Inter corporalia, &*
12 *cap. ult. infrà eod.* Alioquin Epiſcopus, qui propria auctoritate relicta ſua Eccleſia ad aliam ſe transfert, carere debet utraque, ut ſtatuitur infrà *c. Quanto.*

13 Similiter dictum eſt eamdem Eccleſiam non vacare ob non ſuſceptum munus conſecrationis infrà ſex menſes ad præſcriptum *c. Quoniam 75. diſt. cap. Quoniam 100. diſt.* & Concilii Trid. *ſeſſ. 23. cap. 2.* quando quidem de hoc nullatenùs conſtat: confeſſio enim electi facta in ſupplicatione emanavit die 14. Maji 1646. & proviſio in Conſiſtorio facta fuerat die 20. Novembris immediatè præcedentis, & ſic ſemeſtre tempus ad munus conſecrationis ſuſcipiendum nondum effluxerat, ſed adhuc ſupererant ſex dies, infrà quos benè illud ſuſcipere poterat. Sed eſto infrà ſex men- 14
ſes non fuiſſet conſecratus, tamen ex eo, quòd titulus electi redactus eſſet ad non titulum, non licuiſſet ei cedere ſine auctoritate Papæ, niſi factum eſſet notorium, vel declaratum per ſententiam, ut tradit Ant. de Butr. *in c. Niſi cùm pridem n. 8. verſ. Infertur ſecundò de renuntiat.*

Rurſus dictum eſt ceſſionem Epiſcopatus non eſſe ad- 15
mittendam, quia hujuſmodi tranſitus ab Epiſcopatu ad minorem dignitatem eſt contra Canonica inſtituta, ut hìc, & in concordantibus ſupracitatis in quarto notabili; nec ulla affertur cauſa, quæ juſtificet translationem; & tamen, ut legitur in *cap. Mutationes 7. qu. 1.* mutatio-
nes Epiſcoporum ſcitote communi utilitate, atque neceſ- 16
ſitate fieri licere, *& infrà:* Non enim tranſit de civitate ad civitatem, nec transfertur de minori ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, ſed aut vi à propria Sede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non ſuperbè, ſed humiliter ab aliis translatus, & inthronizatus eſt, concordat *cap. Scias frater eadem cauſ. & quæſt. & cap. Quanto infrà eod.* ibi,
Non enim homo, ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex 17
(qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris) Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate penſata, non humana, ſed divina potiùs auctoritate diſſolvit. Idque jure merito, quia diſſolutio ſpiritualis conjugii, quam Deus ſuo judicio reſervavit, ut in *cap. Inter corporalia infrà eod.* requirit cauſam gravem, ſicut requirit diſſolutio matrimonii carnalis non conſummati, ut notatur in *cap. Ex publico de Converſ. conjugat.* Ideòque inevitabilem neceſſitatem exi-
git, text. *in cap. Sicut vir. 7. q. 1.* Et aliter tranſiens dicitur 18
ſpiritualis adulter, ut ibi, & in *cap. Sicut alterius eadem cauſ. & qu.*

Poſtremò dictum eſt, proviſionem, ut præfertur, fa- 19
ctam de Scholaſtica eſſe ſubreptitiam; quia electus narravit in ſupplicatione ſe renuntiaſſe juri ſibi competenti ad Eccleſiam de Cuba: quæ verba intelliguntur de renuntiatione valida, *l. 4. §. Condemnatum, ff. De re judicat.* & tamen renuntiatio fuit nulla, cùm per Papam non fuerit admiſſa, ut in *d. cap. Quanto infrà eod.* Nec potuit appellari renuntiatio, & ſic fuit obreptum Papæ, ex traditis per Abb. in *conſ. 98. In caſu num. 4. in fin. & num. 50. verſ. Non obſtat ſecundum motivum lib. 1.* Sanctiſſimus autem providit de Scholaſtica cum ſuppoſito renuntiationis, ſcilicet validæ, ſed non diſpenſavit cum eo, ut non obſtante, quòd adhuc retineret Epiſcopatum, poſſet aſſequi aliud beneficium incompatibile.

Porrò ſi electus anteà ceſſiſſet Epiſcopatui de licentia 20
Summi Pontificis, & multò poſtea ceſſante omni fraude fuiſſet proviſus de Scholaſtica, non obſtaret hæc Decretalis, ut pulchrè determinat Hoſtienſis *hìc num. 6.* ubi quærit: Quòd ſi Archiepiſcopus ex juſta cauſa ceſſit, numquid ei poterit de Epiſcopatu aliquo vacante provideri? & reſolvit, poſſe, dicens ſic fuiſſe judicatum per Clementem IV. quando Nelfranicus Archiepiſcopus Saliſburgenſis ceſſit, & Dux Poloniæ ad eamdem Eccleſiam promotus extitit, & prædicto Archiepiſcopo de Epiſcopatu Jeſionienſis Eccleſiæ etiam eidem Saliſburgen. ſubjectæ proviſum fuit. Nec obſtat, quod hìc dicitur; quia in proviſione non dearchiepiſcopatur, imò quando ceſſit, dearchiepiſcopatus fuit, & remanſit tantùm Epiſcopus, cui proptereà licitè de Epiſcopatu providetur; unde etiam eſt, ut talis poſſit in alterius Eccleſiæ Epiſcopum licitè poſtulari, *cap. Poſt translationem infrà de renuntiat. cap. fin. ſuprà de poſtulat. Prælat.* & conſequenter non obſtat, quòd videatur deſcendere: imò enim eo tempore, quo ei providetur, non deſcendit, ſed potiùs aſcendit, cum de nullo Epiſcopatu ad Epiſcopatum aſcendat, ut patet in *cap. 1. in-
fra de ordinat. ab Epiſcop.* Imò in proviſione non inſpici- 21
tur aſcenſus, quin potiùs ſuſtentationi neceſſariæ ſubvenitur; unde in tali caſu etiam de Parochiali Eccleſia providetur, ut in *cap. Ad ſupplicationem infrà de renuntiat.*
fortiùs ergo de Epiſcopatu, *cap. Paſtoralis 7. qu. 1.* Nec ob- 22
ſtat, quòd hoc poſſet fieri in fraudem, & aperiretur via ambitioni, ut ſi habens tenuem Archiepiſcopatum procuraret ceſſionem ab hoc, ut poſſet promoveri ad Epiſcopatum locupletem; quod eſt vitandum, argum. *c. Quanto, §. penult. infrà de divort. cum ſuis concordant.* Quoniam,

niam, ut reſpondet Hoſtienſ. *ubi ſupra*, Papa, ad quem ſolum ſpectat hujuſmodi ceſſionem admittere, poterit ſibi ca-
13 vere, diligenter inquirendo de cauſa ceſſionis. Quòd ſi de fraude conſtaret, non eſſet ceſſio admittenda, nec proviſio facienda: qui tamen fraudem allegat, illam probare debet, *l. Quoties*, §. *Qui dolo*, *ff. De probat.* Ita Hoſtien. cui totidem ferè verbis conſentiunt hic Jo. And. *num.* 4. Butr. *n.* 17. *verſ. Quia Archiepiſcopus*, & Imol. *n.* 14.

Verum hæc doctrina non applicatur caſui, de quo agitur, quia electus non renuntiavit priùs Epiſcopatui; ſed actus fuerunt contemporanei, & correſpectivi, quia eodem contextu ceſſit, & ad Scholaſticam ſe tranſtulit, & ſic de majori dignitate ad minorem deſcendit contra diſpoſitionem hujus cap. Quinimò nec ceſſit, ſaltem validè, cùm
24 ceſſio non fuerit admiſſa, ut dictum eſt ſupra. Quia tamen per triennium, & ampliùs diſtulit ſuſcipere munus conſecrationis; & ideò eſt ipſo jure privatus Eccleſia, ex decreto Concilii Trid. *cap.* 2. *ſeſſ.* 23. quamvis propria auctoritate cedere non poſſit, cùm factum non ſit notorium, nec declaratum per ſententiam, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *n.* 14. nihilominùs poteſt, ac debet cedendi licentiam poſtulare, cùm privatio tituli impediat officii executionem, ac beneficii retentionem, ut *c. Niſi cùm pridem*, §. *Propter conſcientiam*, cum ibi not. per gloſſ. *in ver. Sed dumtaxat circa finem infrà de renuntiat.*

In Sacra Congregatione rerum Conſiſtorialium dictum fuit, prædictæ Eccleſiæ provideri poſſe uti vacanti certo modo, quem Sanctitati Suæ placeret habere pro expreſſo; ſed hoc Sanctiſſimus facta ſibi relatione non probavit: unde cauſa iterùm propoſita in Congregatione habita die 6. Auguſti 1649. reſolutum fuit ceſſionem poſſe à Sanctiſſimo admitti.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

Idem Innocentius III. Epiſcopo ex Petro Scholaſtico Moguntinen.

CAPUT III.

QUanto perſonam Hildeſemen. Epiſcopi: & infrà. Ipſe verò relicta Hildeſemen. Eccleſia ad Herbipolen. Eccleſiam auctoritate ſe propria tranſtulit, non attendens quod Veritas in Euangelio proteſtatur: Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Poteſtatem transferendi Pontifices ita ſibi retinuit Dominus, & Magiſter, quòd ſoli Beato Petro Vicario ſuo, & per ſeipſum ſucceſſoribus ſuis, ſpeciali privilegio tribuit, & conceſſit, ſicut teſtatur antiquitas, cui decreta Patrum ſanxerunt reverentiam exhibendam, & evidenter aſſerunt ſacrorum Canonum ſanctiones. Non enim homo, ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris) Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate penſata, non humana, ſed divina potiùs auctoritate diſſolvit: & infrà. Ne autem facti perverſitas tranſeat præſumptoribus in exemplum (quod quidem ſi verum eſt, non poteſt non eſſe notorium) ſibi præcipimus, ut adminiſtrationem Herbipolen. Eccleſiæ penitùs derelinquat: & infrà. Cæterùm quoniam Herbipolen. Eccleſiæ Canonici vota ſua in ipſum prorſus illicitè contulerunt, volentes (ſicut dignum eſt) ut in eo puniantur, in quo peccaverunt, eligendi eos hac vice ſuſpendimus poteſtate: & infrà. Quia verò Hildeſemen. Eccleſiam, cui fuerat alligatus, unde ſecundùm Apoſtolum ſolutionem quærere non debebat, nimis improbè dereliquit: ne ad ipſam redeat ulteriùs, diſtrictiùs prohibemus: cùm ſecundùm traditiones Canonicas, qui ad majorem ſe plebem tranſtulerit, à Cathedra repelli debeat aliena, & carere propria, ut nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit.

S U M M A R I U M.

1 *EPiſcopus, qui propria authoritate de ſua Eccleſia ſe transfert ad aliam, carebit utraque.*
2 *Euangelii locus*: Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet, *intelligitur de matrimonio tàm ſpirituali, quàm carnali*, & *n.* 36.
3 *Argumentum à matrimonio carnali ad ſpirituale, validum eſt.*
4 *Everardi error circa Sacramentum Matrimonii.*
5 *Matrimonium ſpirituale cum Eccleſia contrahitur ab Epiſcopo tantum, non autem ab inferioribus Prælatis.*
6 *Epiſcopus ſolus de jure communi habet jus deferandi annulum.*
7 *Matrimonium ſpirituale in latiori ſignificatione qui dicantur cum Eccleſia contrahere.*
8 *Conſiſtorium Dei, & Papæ, unum & idem eſt cenſendum.*
9 *Appellare non licet à ſententia Papæ ad tribunal Chriſti.*
10 *Translatio Epiſcopi fieri non poteſt, niſi à Papa.*
11 *Papa an poſſit Epiſcopum invitum transferre, latiſſimè diſcutitur uſque in finem:*
12 *Epiſcopus electus, & confirmatus, ſed nedum conſecratus, non poteſt invitus transferri ad alium Epiſcopatum.*
13 *Epiſcopus electus non poteſt invitus conſecrari, ſed ſatis eſt, ut dignitati cedat.*
14 *Character Sacramentalis non imprimitur præcisè coacto.*
15 *Papam non poſſe Epiſcopum transferre invitum, quibus rationibus probetur*, & *num. ſeqq. uſque ad num.* 32.
16 *Epiſcopus per translationem abſolvitur à vinculo prioris Eccleſiæ, non purè, ſed ſub conditione, quatenus conſenſerit.*
Declaratur, n. 91.
17 *Matrimonium ſpirituale inſtar carnalis initiatur, firmatur, & conſumatur.*
18 *Creſcere invitus nemo cogitur.*
19 *Dos ſine matrimonio eſſe non poteſt.*
20 *Dotis promiſſio intelligitur ſub conditione, ſi nuptiæ fuerint ſequutæ.*
21 *Translatiò quantumcumque pura intelligitur ſub conditione, ſi nuptiæ cum ſecunda Eccleſia ſequutæ fuerint.*
22 *Donata res acquiritur donatario, ſed non irrevocabiliter, quia poteſt illam reſpuere.*
23 *Conſenſus ſicut acquiritur in conjugio ſpirituali contrahendo, ità & in diſſolvendo.*
Declaratur, num. 91.
24 *Matrimonium tàm ſpirituale, quàm carnale, ad tempus contrahi non poteſt.*
25 *Filios adoptivos temporales abhorret lex.*
26 *Translatus quis non dicitur, niſi ſecundæ Eccleſiæ poſſeſſionem quæſiverit.*
Contrarium, n. 99.
27 *Beneficia promoti ad Epiſcopatum non vacant ante illius conſecrationem, & adeptam poſſeſſionem Eccleſiæ.*
28 *Idem ſi proviſus fructus Epiſcopatus non acceperit,*

co

eò quòd ad certum tempus alteri debeantur.

29 *Beneficia electi, & in Curia conſecrati conferuntur ex ſtylo Curiæ etiam ante adeptam Eccleſiæ poſſeſſionem.*

30 *Poſſeſſio non acquiritur ſine animo.*

31 *Epiſcopus, quem non crimen, ſed infirmitas ab officio abducit, Eccleſia privari non debet invitus.*

32 *Papam poſſe pro libito voluntatis Epiſcopum transferre invitum, qui Authores ſenſerint.*

33 *Eccleſia vacat eo ipſo, quòd Papa invitum transfert, nec ad eam datur regreſſus.*

34 *Epiſcopus quoad translationem liberum aſſenſum non habet, ſed Monacho æquiparantur, n. 37.*
Declaratur, n. 75.

35 *Eccleſia poteſt agere contra Epiſcopum translatum, ut recedat.*

36 *Epiſcopus ab initio nemo cogitur fieri invitus.*

37 *Monachus non poteſt contradicere Superiori eum transferenti de Monaſterio ad Monaſterium, & n. 75.*

38 *Beneficia omnia mundi ſunt manualia Papæ.*
Declaratur, n. 77.

39 *Papæ in beneficialibus eſt pro ratione voluntas, & n. 43.*
Declaratur, n. 79. & ſeqq.

40 *Papa poteſt Epiſcopum deponere etiam ſine cauſa.*
Contrarium, n. 78.

41 *Papa poteſt facere Prælatum ad tempus.*

42 *Papa præſertim in beneficialibus habet plenitudinem poteſtatis.*

43 *Et ſola poteſtas eſt pro cauſa.*
Declaratur, n. 79. uſque ad n. 88.

44 *Patriarchatus, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus Romana fundavit Eccleſia.*

45 *Deſtitutio ad eum ſpectat, ad quem inſtitutio.*

46 *Deſtruere poteſt jus, qui illud condidit.*

47 *Imperator poteſt auferre rem privati, & dare militibus in præmium.*

48 *Papa poteſt rem uni Eccleſiæ auferre, & dare alteri etiam ſine cauſa, nec quiſquam poteſt ei dicere: Cur ita facis?*
Contrarium, num. 70.
Declaratur, num. 79.

49 *Beneficiatus nec habet dominium utile, nec directum; ſed eſt conſtitutus procurator, & adminiſtrator à Papa.*

50 *Sacerdotes etiam inviti poſſunt à ſuis Epiſcopis ex una ad aliam Eccleſiam transferri, & n. 89.*

51 *Papa poteſt in uno Epiſcopatu duos Epiſcopos conſtituere, & n. 89.*

52 *Auguſtinus non ſucceſſit, ſed acceſſit Valerio adhuc viventi.*

53 *Papa poteſt concedere duos Epiſcopatus uni Epiſcopo: item plures unire, & unum in plures dividere, & n. 69. & 89.*

54 *Item poteſt diſſolvere matrimonium ratum, non conſummatum, & n. 89. & 93.*

55 *Item quandoque diſſolvit matrimonium conſummatum.*

56 *Prælati ſunt procuratores, & diſpenſatores rerum Eccleſiæ, non domini.*

57 *Papa eſt principalis diſpenſator bonorum Eccleſiæ, & n. 70. & 82.*

58 *Papam non poſſe transferre Epiſcopum invitum, niſi ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiarum, qui Authores teneant.*

59 *Translationis juſta cauſa eſt inſuperabilis reſiſtentia populi etiam injuſta, & n. 61.*

60 *Eccleſia univerſalis eſt unum corpus myſticum, multorum Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſum, cujus caput eſt Papa, & n. 107.*

61 *Papa ſi videt membrum Eccleſiæ, id eſt, Epiſcopum inutilem eſſe ob perſecutionem, quam patitur, debet illum amovere, & ad aliam Eccleſiam transferre.*

62 *Papa in his, quæ ſunt de jure divino, non diſpenſat in caſibus ſibi permiſſis, niſi ex juſta, & rationabili cauſa.*

63 *Conjugium ſpirituale inter Epiſcopum, & Eccleſiam eſt de jure divino, ejuſque diſſolutionem Deus ſuo judicio reſervavit.*

64 *Papæ auctoritate quod fit, dicitur fieri auctoritate Dei, ſi ex juſta cauſa fiat.*

65 *Papa dicitur habere cœleſte arbitrium.*

66 *Nec puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris.*

67 *Deus non eſt author iniquitatis, ſed omnia aut juſto judicio facit, aut ſuo permiſſu ita fieri ſinit.*

68 *Petri privilegium eatenus manet in Romano Pontifice, quatenus ex ipſius fertur æquitate judicium.*

69 *Papa non poteſt ſine juſta cauſa Epiſcopatum dividere, Epiſcopo non conſentiente.*

70 *Papa non eſt abſolutè dominus bonorum Eccleſiæ, ſed diſpenſator, & n. 82.*

71 *Prælati honeſtatem non decet, aliquem ſine juſta cauſa à ſuis beneficiis amovere.*

72 *Translationis in materia ſemper jura ponderant juſtam cauſam utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiarum.*

73 *Opinionum conciliatio circa translationem Epiſcopi inviti.*

74 *Sedes Apoſtolica in cauſis majoribus magna circumſpectione & maturitate procedere conſuevit.*

75 *Translatio Monachi quid differat à translatione Epiſcopi.*

76 *Priores per electionem canonicè inſtituti, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa non ſunt mutandi.*

77 *Epiſcopos eſſe ad nutum amovibiles repugnat ſacris regulis.*

78 *Depoſitio Epiſcopi in dubio cenſetur facta ex juſta cauſa.*

79 *Princeps poteſt ſine cauſa jus tertii auferre de poteſtate abſoluta, non autem de poteſtate ordinaria.*

80 *Diſputare non licet de factis Papæ.*

81 *Papa quomodo intelligatur habere liberam diſpoſitionem in beneficialibus, & n. ſeqq. uſque ad n. 88.*

82 *Papalis poteſtatis plenitudo quoad res temporales Eccleſiæ non exit limites poteſtatis diſpenſativæ.*

83 *Papa tamquam habens apicem diſpenſativæ poteſtatis poteſt multo plus diſpenſare de rebus Eccleſiæ, quàm quicumque alius Eccleſiæ Prælatus.*

84 *Judicium ejus debet de vultu Dei prodire.*

85 *Beneficium acceptans cenſetur ex quaſi contractu ſe obligare ad illius adminiſtrationem.*

86 *Contractus ſine cauſa diſſolvi non poteſt etiam per Principem.*

87 *Papa an habeat æqualem poteſtatem in Epiſcopatibus, atque in beneficiis inferioribus.*

88 *Sacerdotes non poſſunt ad aliam Eccleſiam transferri inviti, niſi ex cauſa communis utilitatis, vel neceſſitatis.*

89 *Papa non diſpenſat ſuper pluralitate cathedralium, nec ſuper matrimonio rato, & aliis hujuſmodi, ſine gravi cauſa, & n. 93.*

90 *Diſpenſatio nulla fieri debet, niſi ad honorem Chriſti, vel utilitatem Eccleſiæ.*

91 *Translatio facta in gratiam Epiſcopi non inducit vacationem Eccleſiæ, niſi poſt conſenſum præſtitum ad ſecundam, uſque ad n. 98.*

92 *Translatio in favorem ſolius translati improbatur à ſacris Canonibus.*

93 *Diſſolutio matrimonii ſpiritualis, ſicut & carnalis non conſummati, ſine gravi cauſa fieri non debet.*

94 *Epiſcopus tranſiens ad aliam Eccleſiam ſine juſta cauſa, dicitur adulterium committere, & n. 109.*

95 *Diſpenſatus ad majorem cur non poſſit tranſire ad parem.*

96 *Translatio in dubio cenſetur fieri de Epiſcopo non invito, & n. 120.*

97 *Translatio facta in gratiam Epiſcopi requirit illius conſenſum non ex defectu poteſtatis Papæ, ſed voluntatis.*

98 *Et ſufficit conſenſus præſumptus.*

99 *Vacatio Eccleſiæ inducitur eo ipſo, quòd Epiſcopus translationi conſentit, etiam ante adeptam poſſeſſionem ſecundæ.*

100 *In translatione duo extrema ſunt conſideranda.*

101 *Epiſcopatus vacat eo ipſo, quòd Epiſcopus ex cauſa transfertur invitus, nec ad eum datur regreſſus.*

102 *Epiſcopus an contrahat ſpirituale conjugium cum Eccleſia, ad quam transfertur, & n. ſeqq. uſq. ad n. 118.*

103 *Matrimonium ſpirituale, ſicut & carnale, ſine conſen-*

ſenſu contrahi non poteſt, *& num.* 117.

104 *Profeſſio regularis ad ſui validitatem requirit conſenſum, qui ab Eccleſia ſuppleri non poteſt.*

105 *Vinculum fortius eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, quàm inter profeſſum, & religionem.*

106 *Voti ſolemnitas ex ſola Conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa.*

107 *Ex translatione locus tantummodò variatur, non autem dignitas Epiſcopalis.*

108 *Locus vel ſublimiorem, vel inferiorem non reddit Epiſcopum.*

109 *Epiſcopus durante vinculo prioris Eccleſiæ non poteſt conſentire alteri matrimonio ſpirituali; aliàs contingeret adulterium ſpirituale.*

110 *Translatio eſt modus providendi Eccleſiæ, ſicut electio.*

111 *Papa eſt ſponſus univerſalis Eccleſiæ.*

112 *Translatus quoad primam Eccleſiam habetur pro mortuo.*

113 *Eccleſia ſecunda dicitur viduata per obitum Epiſcopi ad eam translati.*

114 *Vidua eſſe non poteſt, quæ virum non habuit.*

115 *Prælati quâ ratione dicantur Eccleſiæ ſponſi.*

116 *Chriſtus ſolus eſt propriè ſponſus Eccleſiæ.*

117 *Epiſcopus æquè abſolvitur à vinculo Eccleſiæ per translationem, ac per ceſſionem, vel depoſitionem.*

118 *Vir ſolutus à vinculo matrimonii tam carnalis, quàm ſpiritualis cogi non poteſt alteri nubere.*

119 *Epiſcopus an cogi poſſit cauſativè, ut translationi ad ſecundam Eccleſiam conſentiat.*
Poſtulatus etſi beneficiari non poſſit præcisè invitus, tamen poteſt cogi, ut de nolente fiat volens, ibid.

120 *Epiſcopus in dubio an cogatur tranſire, ubi non apparet, an translatio fuerit facta ex cauſa necne, & num. ſeqq.*

121 *Cauſa præſumitur in Principe etiam in his, quæ competunt alicui de jure gentium, vel de jure divino, ubi ſolitum eſt diſpenſari.*

122 *Monachus per Papam translatus ad ſecundum Monaſterium an poſſit ad primum redire ſine licentia Papæ.*

123 *Translatio an cenſeatur facta de Epiſcopo non invito, cùm non apparet, an Papa proceſſerit providendo, vel nubendo.*

1 QUanto. Epiſcopus, qui propria authoritate de ſua Eccleſia ſe transfert ad aliam, carebit utraque. Hoc dicit: & ſecundùm mentem tres habet partes. Prima factum narrat. Secunda aggravat, ibi, *Non attendens.* Tertia punit, ibi, *Ne autem.*

2 Nota primò, auctoritatem illam Matth. 19. videlicet: *Quos Deus conjunxit homo non ſeparet*, eſſe intelligendam non tantùm de matrimonio carnali, ut in *cap. Quos Deus, & cap. An quod* 33. *qu.*2. *& in cap. Ad limina* 30. *qu.* 1. *& c. fin. inf. eod.* ſed etiam de matrimonio ſpirituali, quod contrahitur inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ut hìc patet. Undè primò colligunt DD. valere argumentum à matrimonio
3 carnali ad ſpirituale, cùm utrumque ſit de jure divino, *c. Sicut vir, & cap. Sicut alterius* 7. *qu.* 1. *cap. Prox. ſuprà eod. & infrà cap. ſeqq. & cap. Quoniam frequenter*, §. *Porro, ut lite non conteſt.* & hìc notant Anton. de Butr. *nu.* 2. & Abb. *num.* 1. Cyn. Salyc. & Legiſtæ in Auth. *Niſi rogati*, *Cod. Ad Trebell.* De quo dic, ut notatur *in cap. Cum apud de Sponſal. &* per Joan. Andr. in *cap. Tuæ eod. tit.* Et vide tres notabiles differentias, quas inter utrumque conjugium ponit idem Abb. in *ſua quæſtione prima*, quæ incipit, *Epiſcopus, & quidam Rector*. *col.* 4. *nu.* 7. *verſ. Nec mirum ſi non ita facilè ſolvitur.* Imò viginti tres differentias cumulat Everard. *in ſua Centuria*, in loco à matrimonio car-
4 nali ad ſpirituale *à n.*10. *uſque in finem*. Cave tamen ab octava differentia, quam ibi ponit, dicens: Matrimonium ſpirituale habere in ſe aliquid ſacri, cùm detur propter adminiſtrationem Sacramentorum, & divinorum; matrimonium verò carnale nihil in ſe ſpiritualitatis habere, nec per illud gratiam conferri. Hæc enim eſt hæreſis damnata à Tridentina Synodo *ſeſſ.* 24. *de Sacramento Matrim. can.* 1. Si quis dixerit Matrimonium non eſſe verè, & propriè unum ex ſeptem legis Euangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre, anathema ſit. In eumdem errorem incautè lapſa eſt gloſſ. in *cap. Cum in Eccleſia in ver. Benedictionibus nubentium inf. de Simon.*

Secundò, hinc Doctores colligunt, ſpirituale matrimonium propriè non eſſe niſi inter Epiſcopum, & Eccleſiam 5
ſuam; nam de Epiſcopis dumtaxat authoritatem prædictam intellexit Eccleſia, non autem de inferioribus Prælatis. Confert text. in *c. Requiſiſti de teſtam.* ibi: *Quoniam non eſt tanta communio inter Epiſcopum, & inter Capellas, vel Monaſteria, ſeu alia pia loca, quanta eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam Cathedralem, cui eſt ſpirituali conjugio copulatus*; & propterea dicunt Doctores ſolum Epiſcopum de jure
communi habere jus deferendi annulum, ut *in c. Clerici infrà de vit. & honeſt. Cleric.* & notat Butr. *in c. fin. n.* 1. *&* 15. 6
ſuprà de poſtulat. Prælator. quia nimirùm ipſe eſt proprius 7
ſponſus Eccleſiæ ſuæ, ut in *dict. c. Sicut*, ubi hoc latè probat Turrec. & objectis reſpondet.

Idem docuit S. Thomas in 4. *diſt.* 20. *art.* 4. *qu.* 1. dicens, *ſolum Epiſcopum propriè dici Prælatum Eccleſiæ ſuæ, & ideò Epiſcopum ſolum quaſi ſponſum recipere annulum Eccleſiæ.* Et in 4. *ſentent. diſt.* 29. *q.* 3. *art.* 3. *in corpore*, ubi ait per annulum ſignificari Sacramenta fidei, quâ Eccleſia deſponſatur Chriſto: Epiſcopi enim ſunt Eccleſiæ Sponſi loco Chriſti. Reliqui autem Prælati inferiores non ſunt Sponſi Eccleſiæ, nec cum eis propriè eſt matrimonium ſpirituale, ut tenet Archid. in eodem *cap. Sicut*, Butr. in *d. cap. fin. num.* 15. & ibi etiam Abb. *num.* 5. licèt inter eos ſit quaſi matrimonium, cùm propter eorum mortem Eccleſiæ dicantur viduatæ, ut in *cap. Ne pro defectu, & in c. Quia propter*, & ibi gloſſ. 1. *ſuprà tit. proximo.* Et latiùs dicitur matrimonium inter Rectorem, & Eccleſiam, ut inquit gloſſ. *antepenultima in cap. Dudum, il ſecondo ſuprà de elect.* & Innoc. *in cap. Quoniam*, §. 1. *verſ. Si verò infrà, ut lite non conteſt.* & latiſſimè inter præbendam, & præbendatum, ut in *c. Accedens de præben.* & notat Butr. *in d. c. fin. num.* 25. *de poſtulat. Prælat.*

Secundò nota ibi, *Non enim homo, ſed Deus ſeparat.* 8
Factum à Papa cenſetur factum à Deo, cujus vicem Papa gerit in terris. Unde, ut notabiliter hìc ait Hoſt. *num.* 11. *in ver. Vicem*: Conſiſtorium Dei, & Papæ, unum & idem eſt cenſendum. Cujus dictum ſequitur Joan. Andr. *nu.* 3. *in ver. Non enim*, & Doctores hìc, & valdè extollit Abb. *in prealleg. qu.* 1. *num.* 1. *col.* 2. *verſ. Hoſtien. verò*, & probatur arg. *c.* 1. *&* 2. *ſuprà eod. & c. Romana in primo reſpon. de appell. lib.* 6.

Undè infertur, ut ſicut à Vicario Epiſcopi ad Epiſcopum 9
non admittitur appellatio, ut in *c.* 2. *de Conſuet. lib.* 6. *& d. c. Romana*; ita ne liceat appellare à Romano Pontifice ad Tribunal Chriſti. Ita Collectar. in *c. Quæ multoties de reg. jur.* quem refert, & ſequitur Præpoſ. *in Summa* 15. *diſt. n.* 72. *verſ. Ex determinatione prædicti articuli.*

Ultimò nota, Epiſcopum non poſſe ſe ad aliam Eccle- 10
ſiam transferre ſine Romani Pontificis authoritate. Rationem reddit textus *in c. fin. ſuprà de poſtul. Prælat. & in c. Niſi cùm pridem, in extremis verbis infrà de renunt.* videlicet, quia ſuæ alligatus Eccleſiæ liberum non habet abſque Papæ permiſſione volatum; idque propter ſpirituale conjugium cum Eccleſia initum, cujus diſſolutionem omnipotens Deus ſuo tantùm judicio, & Romani Pontificis ejus Vicarii reſervavit, ut legitur in *c. Proximo ſuprà eod.*

QUÆRO, an Summus Pontifex poſſit Epiſcopum in- 11
vitum ex una in aliam Eccleſiam transferre.

Hæc inveſtigatio plurimùm prodeſſe poteſt ad dignoſcendum, an Cathedralis Eccleſia vacet à tempore translationis factæ per Papam, an verò à tempore acceptationis Epiſcopi translati. Qua de re fuit olim ardua quæſtio in Epiſcopo Florentino in abſentia ad Cardinalatum promoto ab Urbano VI. Nuceriæ obſeſſo. Vertebatur enim in dubium, an Epiſcopatus vacaret à tempore quo fuit pronuntiatus Cardinalis, an verò à tempore ratificationis dumtaxat; & Doctores fuerunt varii, ut refert Abb. in *c. fin. n.* 13. *ſuprà de poſtul. Prælat.*

Pro clariori ſolutione quæſtio poteſt dividi in duo membra. Primum eſt, an Epiſcopus electus, & confirmatus, ſed nondum conſecratus, poſſit transferri invitus ad alium Epiſcopatum. Secundum, an invitus transferri poſſit Epiſcopus jam conſecratus.

Quoad

12 Quoad primum membrum breviter concludendum eſt,
Epiſcopum nondum conſecratum non poſſe invitum
transferri, prout in *d. c. fin.* concludunt Hoſt. *num.* 1. *verſ.*
Et hoc intelligas, Joan. Andr. *num.* 2. *verſ. Quod intelligit de*
voluntariè conſecrato, Butr. *circa fin. verſ. Aut eſt tantum*
confirmatus, & Abb. *num.* 11. *verſ. Et hoc verum*, & Philipp.
Prob. ad Joan. Monac. *in c. Generali num.* 39. *de elect. lib.* 6.
13 Ratio eſt ſecundùm eos, quia non poteſt invitus conſecra-
ri, ſed ſatis eſt, ut dignitati cedat, ſi conſecrari renuit,
ut in *c. Quoniam quidam* 100. *diſt. & in d. c. Proximo*, §. *Sed*
neque ſupr. eodem, licèt aliàs cedere non poſſit ſine Papæ
licentia ſpeciali, ut in *d. c. Proximo*. Idem docuit S. Tho-
mas in 4. *diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *qu.* 2. ubi ait, ad Epiſcopatum,
ubi in corpus Chriſti myſticum accipitur poteſtas, requiri
actum ſuſcipientis curam Paſtoralem; & ideò eſſe etiam
de neceſſitate conſecrationis Epiſcopalis, ut ſuſcipiens
14 uſum rationis habeat. Confert text. in *c. Majores*, §. *fin. de*
baptiſm. ubi eſt expreſſum, præcisè coacto characterem
non imprimi, quia tunc characterem Sacramentalis im-
primit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non
invenit obſiſtentem.
15 Quoad ſecundum, an ſcilicet Romanus Pontifex poſſit
invitum transferre Epiſcopum jam conſecratum, gravis eſt
difficultas, & DD. in varias opiniones ſcinduntur. Prima
opinio eſt eorum, qui putant Papam abſolutè non poſſe E-
piſcopum invitum transferre: cui videtur adhærere Joan.
Monac. in *c. Generali n.* 10. *verſ. Sed quæro*, *de elect. lib.* 6.
16 Pro hac opinione adducitur primò, quia etſi per trans-
lationem Epiſcopus abſolvatur à vinculo prioris Eccleſiæ,
ut eſt moris, & juris, ut in *d. c. fin. & in c. Proximo*, §. *Sicut*
ſupra eodem; tamen hujuſmodi abſolutio non eſt pura,
ſed conditionalis, id eſt, ſi Epiſcopus conſenſerit. Quod
hîc probatur ſecundùm Joan. Monach. *ubi ſupr.* nam ma-
17 trimonium ſpirituale, ſicut carnale, initiatur, formatur,
& conſummatur, *c. Proximo infr. eodem*. Et quemadmo-
dum initiatur conſenſu eligentium, & electi, adeout jus
electo acquiratur, licèt juris executio regulariter non tri-
buatur, ut notatur in *c. Quanto* 63. *diſt. c. Noſti*, & *cap.*
Qualiter ſupr. de elect. eodem modo diſſolvitur ex diſſenſu,
18 arg. *l.* 1. *&* 2. *C. Quando lic. ab empt. diſced.* Atque ita non
ſolvetur Epiſcopus à vinculo prioris Eccleſiæ, niſi poſt con-
ſenſum præſtitum ad ſecundam. Et hoc Joan. Monac. te-
ſtatur ſe vidiſſe pluries in curia declarari. Et eſt ratio ſe-
cundùm eum, quia nemo invitus tenetur creſcere, *c. Ubi*
iſta reliqua 74. *diſt.* Et nemo invitus contrahit, nec invitus
contractum jam initum diſſolvit, *l. Sicut*, *C. De action. &*
19 *obligat. l. invitum*, *C. de contrah. empt.* Ergo in his ſemper
ſubintelligitur conditio, Si placuerit. Id quod exemplo
etiam ſuaderi poteſt; nam dos non poteſt eſſe ſine matri-
monio, *l.* 3. *Cod. De jur. dot.* Quemadmodùm nec acqui-
ſitio ſecundæ ſponſæ ſpiritualis abſque liberatione à prima,
20 arg. *c.* 2. *&* 4. *infr. de ſecund. nupt.* Sed in primo caſu quam-
tumcumque promiſſio dotis ſit pura, ſubintelligitur con-
ditio, Si nuptiæ fuerint ſubſecutæ, *l. Stipulationem*, *& l.*
Plerumque, §. *Si ante*, *ff. De jure dot. l. Ex eo tempore*, *ff. De*
21 *militar. teſtam.* Ergo ſimiliter translatio quamtumcumque
pura intelligitur ſub conditione, Si nuptiæ cum ſecunda
ſequutæ fuerint, arg. *l. Legatario in* 2. *reſponſo*, *ff. De legat.*
1. *& cap. Si qui Epiſcopi* 92. *diſt.* Neque obſtat textus *in l.* 1.
in fine, *ff. De bonor. poſſeſſ. ex teſtam. milit.* quia intelligi-
22 tur ſub eadem conditione, Si acceſſerit conſenſus translati.
Sic videmus rem donatam acquiri donatario, ſed non irre-
vocabiliter; quia poteſt illam reſpuere, *c. Si tibi abſenti*
de præbend. lib. 6. Sic etiam videmus in legato, quod eſt do-
natio, ut *Inſtitut. de legat. in princ.* cujus dominium à mor-
te teſtatoris tranſit recta via in legatarium, *l. A Titio*, *ff. De*
furt. l. Cum pater, §. *Surdo*, *ff. De legat.* 2. & tamen hoc
etiam caſu ſubauditur prædicta conditio, Si voluerit, *l. Si*
ita legatum, §. *Illi ſi volet*, *ff. De legat.* 1.
23 Secundò principaliter pro eadem ſententia affertur, quia
prout unumquodque producitur, ſic reſolvitur. *c. Omnes*
res infr. de reg. jur. l. Nihil tam naturale, *ff. eod.* Sed ſpiri-
tuale matrimonium inter Prælatum, & Eccleſiam à princi-
pio producitur per conſenſum Prælati, ut in *c. Inter Cano-*
nicos, §. *penult. & c. Innotuit ſuprà de elect.* & in prædicta
Decret. *Si tibi abſenti*. Ergo eodem modo per conſenſum
Prælati reſolvitur.
24 Tertiò, ſi Papa ad nutum poſſet Epiſcopos à prioribus
Eccleſiis amovendo transferre, iidem Epiſcopi dicerentur
quodammodò ad tempus, id eſt, ad beneplacitum Papæ
matrimonium cum ſua Eccleſia contraxiſſe: quod eſt ab-
ſurdum; quia ſicut non poteſt contrahi ad tempus matri-
monium carnale, ut in *c. fin. de condit. appoſ.* ita nec ſpiri-
tuale illi æquiparatum, ut hìc, & in *c. Proximo ſupr. eod.*
Quemadmodùm enim lex abhorret adoptivos filios 25
temporales, ut *l. Si tibi*, aliàs incipit, *Quæſitum*, *ff. De ado-*
ption. ad eumdem modum ſacri Canones abhorrent Recto-
res in Eccleſia temporales, jubentque illos eſſe perpetuos,
non obſtante quavis conſuetudiue, vel ſtatuto, ut habe-
tur in *c.* 1. *de Capell. Monach. lib.* 6. & conſtat ex decreto
Concilii Placentini dicentis: In qua Eccleſia quilibet inti-
tulatus eſt, in ea perſeveret, ut refertur in *c. Sanctorum* 70.
diſt. & ſcripſi latiſſimè in *c. fin. infrà de offic. Vicarii*.
Quartò, non dicitur quis translatus, niſi ſecundæ Ec- 26
cleſiæ poſſeſſionem quæſiverit per adminiſtrationem Ec-
cleſiaſticorum beneficiorum, vel aliàs, in *c. Si qui Epiſcopi*
10. *diſt.* & notat gloſſ. in *c. Si quis jam translatus* 21. *qu.* 2. 27
Et eſt ſimile in proviſo, cujus beneficia non vacant ante
illius conſecrationem, & adeptam poſſeſſionem Eccleſiæ,
c. Cùm in cunctis, §. *Cùm vero de elect. cap. Licèt Epiſcopus de*
præben. lib. 6. ita ut interea conferri non poſſint, ut eſt de-
ciſum in §. *Poſt electionem*, juncta gloſſ. *in ver. Confirmatio-*
nem de conceſſ. præben. Quinimò voluit gloſſ. notabilis in 28
cap. Si tibi conceſſio in ver. Vacare de præben. lib. 6. per illum
textum, ut etiam poſt conſecrationem, & adeptam poſſeſ-
ſionem, ſi fructus Epiſcopatus non percipiat promotus;
eò quòd ex cauſa ad certum tempus alteri conferri non poſ-
ſint, ſed ab eodem intereà retineri valeant. Et quamvis 29
in Curia Romana ſervetur, ut beneficia electi, & in Cu-
ria conſecrati etiam ante adeptam poſſeſſionem illicò con-
ferantur, hanc tamen conſuetudinem ex prædictis dicit
eſſe damnabilem, Jo. Andr. in Clem. 1. *in gloſſ. in ver. Col-*
lato, *ut lite pend.* & Roman. *conſ.* 345. *circa primum n.* 17.
Sed Epiſcopo invito quæri non poteſt ſecundæ Eccleſiæ 30
poſſeſſio, cum animum requirat, *l.* 1. §. *Adipiſcimur*, *& leg.*
Quamvis, §. *Infans*, *ff. De acquir. poſſeſſ.* Ergo nec de invi-
to fieri poteſt translatio.
Ultimò pro hac opinione videtur textus expreſſus in 31
c. Quamvis 7. *qu.* 1. ubi Gregorius ſic formaliter ait: Quia
viventem Epiſcopum ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis,
non crimen abducit, alium in locum ejus, recuſante eo, nul-
la ſinit ratio ordinari.
Secunda opinio primæ oppoſita eſt eorum, qui arbi- 32
trantur Papam poſſe Epiſcopum abſolutè transferre pro li-
bitu voluntatis. Quam ſequitur gloſſ. 2. *in cap. Omnis* 7.
qu. 1. dum dicit, Papam poſſe abſolutè Epiſcopum cogere,
ut tranſeat de una ad aliam Eccleſiam. Idem tenet Hugo,
& poſt eum Turrecr. in *c. Scias in fine*, *verſ. Surgit hic quæ-*
ſtio eadem. cauſ. & quæſt. ubi formaliter dicit, Papam ex to-
to, ſive ſimpliciter abſolutè poſſe cogere Epiſcopum, ut
ad alium locum tranſeat, & abrenuntiet primo. Et Cal-
der. *conſ.* 56. *circa finem num.* 4. *verſ. Fateor*, *quod eſt pri-*
mum, *in titulo de translat. Prælator.* ubi tenet expreſsè Pa-
pam transferendo poſſe abſolvere invitum a vinculo quo
tenetur Eccleſiæ ſuæ etiam ſine cauſa, licèt ſubdat hoc
non eſſe debitum, vel honeſtum. Et hoc caſu, id eſt, 33
cùm agitur de invito, itaut voluntas Pontificis ſit eum om-
ninò quamtumcumque invitum transferre ſine cauſa, illi-
cò vacat Eccleſia, nec ad eam datur regreſſus, ut tenet
idem Calderin. *conſ.* 2. *eodem tit.* & Rot. *deciſ.* 475. *ſub n.* 6.
verſ. Sed quod in ſimplici translatione par. 1. *in recent.* Idem 34
ſenſit Hoſtienſ. *in cap. fin. nu.* 1. *ſupra de poſtulat. Prælator.*
ubi ait Epiſcopum non habere diſſenſum liberum quoad
translationem, & quoad hoc comparari Monacho, qui
jus contradicendi non habet; & cum Hoſtienſ. tranſeunt
ibidem, Joan. Andr. *n.* 2. *verſ. Sed nec habet liberum diſſen-*
ſum, Butr. Cardin. Abb. & alii communiter, prout hanc
eſſe communem Doctorum opinionem teſtatur Præpoſ. *in*
d. c. Omnis num. 1. *&* 7. *qu.* 1. quam & Bald. amplectitur
in l. Reſcripta nu. 8. *verſ. Item omnia beneficia*, *C. De precib.*
Imper. offeren. ubi diſertis verbis ait Papam poſſe pro libitu
voluntatis Epiſcopum de ſuo Epiſcopatu ad alium transfer-
re, eique ſubſcribit Rhedoan. *de Simonia par.* 2. *c.* 12. *n.* 6.
& Philipp. Prob. ad Joan. Monac. in *c. Generali num.* 41. *de*
elect. lib. 6. Quibus addi poteſt etiam Joa. Andr. *in addit. ad*
Specul. in tit. de translat. in ver. Nec obtenta, ubi videtur ſen-
tire,

tire, contra Epiſcopum per Papam translatum poſſe Ec-
cleſiam agere, ut recedat, ſi de facto renuat recedere.
36 Huic ſecundæ opinioni ex mente Hoſtienſis ſuffragatur
primò, quòd etſi ab initio nemo cogatur epiſcopari, ut
in *d.c.Inter Canonicos*, §.1.& *c.Innotuit ſuprà tit. proximo*:
tamen ex quo ſemel conſenſit de una Eccleſia, ad aliam
37 etiam invitus transfertur, *c.Scias frater* 7. *q.* 7. Hac enim
in parte Epiſcopus Monacho comparatur, qui Superiori
transferenti non poteſt reſiſtere, cum velle, aut nolle non
habeat, *c.Nolo*, & *c. Non dicatis* 12.*q.*1.*c. Religioſus de te-
ſtam. lib.* 6. & imputandum eſt illi, quòd a principio con-
ſenſerit ſe ita indiſſolubiliter alligari, arg. *l.Sicut*, *C. De
action. & obligat.*
38 Secundò, eidem ſententiæ ſuffragatur, quòd omnia be-
neficia mundi ſunt obedientia, & manualia reſpectu Pa-
palis poteſtatis. Quod fuit celebre dictum Baldi *in d.l.Re-
ſcripta n.8.verſ. Item omnia beneficia mundi*; quem ſequu-
ti ſunt Alciat. *de præſumpt, reg,* 3. *præſumpt.8.num.* 3. Bar-
bat. *in tract.de præſtan.Cardin. in* 1. *part. ſub num.* 14. *verſ.
Et ideò*, Philipp. Prob. ad Joan. Monach. *in c. Generali n,*
41.*de elect.lib.6.* Alexand. *conſ.74.num.* 29. *lib.* 4. Dec. *conſ.*
124.*num.*4. Cæphal. *conſ.*235.*num.* 2. Cencd. *Canonic.qu.*22.
ſub n.3.verſ. Et reſpectu Papæ, Rhedoan. de *Simonia p.* 2.
39 *cap.*12.*num.* 6. & paſſim alii. Et dictum Baldi videtur pro-
bari in *c.Si gratioſè de reſcript. in* 6. per quem textum dicit
ibi Gemin. *in penult.col.* Papam in titulis beneficialibus ha-
bere pro ratione voluntatem, & poſſe ad libitum auferre
Prælato titulum beneficii; & idem dicit in *conſ.88.incipien.
Innocentius Papa in princip. verſ. Unde cum Papa poſſit re-
movere beneficiatos quoſcumque à titulis ſuorum beneficio-
rum, etiam nulla cauſa legitima ſubſiſtente.*
40 Hinc gloſſa ſingularis *in cap.Per principalem in verſ. Ad
nos* 9. *qu.* 3. firmat Papam poſſe Epiſcopum deponere etiam
ſine cauſa, licèt ſecus ſit, ſi vellet omnes Epiſcopos depone-
re; quia hoc eſſet turbare ſtatum univerſalis Eccleſiæ: &
illam gloſſam ſequitur ibi Gemin. & Cardin. *conſ.* 84. *Vene-
rabilis vir*, & in Clem.1. *in ult. notab. Ut lite penden.* Imol.
in cap. Ad ſupplicationem in ult.notab.de renunt.& alii quos
congerit Felin. *in c. Quæ in Eccleſiarum num.* 43. *verſ. Per
iſtam declarationem de conſtit.*
41 Hinc etiam ſecundùm Bald. *ubi ſuprà*, Papa poteſt face-
42 re Prælatum tempus, *c. Paſtoralis* 7.*q.*1. Quæ concluſiones
innituntur huic principio, quia Papa, præſertim in benefi-
cialibus, habet plenitudinem poteſtatis, cùm ſit ſupra om-
ne jus humanum poſitivum, *c. Propoſuit de conceſſ. præben.*
Unde in his abſolutè poteſt omnia, *cap.* 2.*de præbend.lib.6.*
Clem.1. *ad fin.Ut lite pendent.* Gemin. *conſ.8.ſuper præmiſſis
n.5.& ſeqq. conſ.* 53. *Pro reſponſione n.* 1. *verſ. Secundo præ-
mitto quod Papa, & in d. conſ.*88. *in princ. verſ. Unde cùm
Papa*, & Roman. *conſ.298. Circa præmiſſa n.* 2. plenè Abb.
in præalleg.q.1,n.1.verſ. Primum ſic. Et ſola voluntas habe-
43 tur pro ratione, ſecundùm gloſſam *hic in ver. Veri Dei*, &
ſola poteſtas pro cauſa. Et qui de hoc dubitat, dicitur dubi-
tare de fide Catholica, & tamquam ſacrilegus eſt cenſen-
dus, ut formaliter inquit Bald. *conſ.477. Quæritur utrum n.*
1. *lib.* 1. quem ſequitur Alexan. *conſ.* 2. *n.* 19. *lib.* 1.
44 Secundò, titulos beneficiales & ſignanter Patriarcha-
tus & Archiepiſcopatus Romana fundavit Eccleſia, ut eſt
textus in *c.* 1. & 2, 22. *diſt.* & *in c. Olim* 95. *diſt.* & patet ex
decretali Epiſtola Eugenii IV. ad Archiepiſcopum Cantua-
rienſem, quæ incipit, *Non mediocri*, §. *Quod verò dignitas*,
& habetur in Bullar. *tom.1.pag.* 282. latè Præpoſ. *in Summa*
44. *diſt.* Ergo poteſt Epiſcopos à ſuis titulis, & adminiſtra-
tionibus pro libitu voluntatis amovere: nam, ut inquit
ad litteram Eugenius in prædicta Extravag. Papa poteſt ad-
ducere illud Euangelicum verbum: *Amice, non facio tibi
injuriam: Numquid non licet de meo facere quod volo?*
45 Quippè ad quem ſpectat inſtitutio, ad eumdem & deſtitu-
tio, *cap. In Lateranenſi*, §. 1. & 2. *de præb.* Hoſt. *in c. Po-
ſtulaſti num.* 4. *de homicid.* & Dominus par jus eſſe voluit li-
gandi, atque ſolvendi, ut dicit textus in *c.Verbum de pœnit.*
46 *diſt.*1. Quo argumento etiam utitur Innocentius *in c. Cum
ad Monaſterium nu.* 3. *infrà de ſtatu Monachor.* ad proban-
dum in diſpenſationibus, quæ fiunt per Papam contra
jus poſitivum, ſufficere ſolam voluntatem diſpenſatoris,
etiam ſine ulla cauſa: *Nam*, inquit, *ſi ſola voluntaria
Conſtitutio erat cauſa, quare aliquid prohibeatur; & ſola vo-
luntas erit cauſa, quare prohibitio relaxetur: quia ejus eſt
deſtruere jus, qui illud condidit, nec tenetur Princeps ſua le-
ge ligatus, l. Digna, vox, C.de legib.* Hæc Innocentius. Ti-
tuli autem beneficiales, ut prædixi, ſunt de jure poſitivo, *d.
c.* 1, & 2, 22, *diſt, c. In illis* 80.*diſt. c.*1. 86.*diſt.* notatur per
Innoc. & alios *in c. Niſi cum pridem de renunt.& in c.*1. *de
Simon.* & per Abb. *in d, q.*1.*n.*4.*col.* 3. *verſ. Nam tituli be-
neficiales*. Dixi *in c. fin.infra de pecul, Cleric.*
Quartò, ſicut Imperator poteſt auferre rem privati, & 47
dare militibus pro præmio, *l, Item ſi verberatus, ff. De rei
vendicat.* ita, & multò magis Papa poteſt auferre rem unius
Eccleſiæ, vel Clerici, & dare alteri, etiam ſine juſta cau-
ſa. Et quamvis injuſtè agat, tamen ferendum eſt, nec quiſ-
quam poteſt ei dicere: Cur ita facis? *c. In memoriam* 19.
diſt. §. *Ex perſona de pœnit. diſt.* 3. gloſſ. *hic in ver. Veri
Dei*: nec beneficiatus poteſt contradicere, quia domi- 48
nium non habet neque utile, neque directum, ſed eſt con-
ſtitutus procurator, & adminiſtrator à Papa. Quo argu- 49
mento utitur Paul. de Caſtro *conſ.415.in facto præſente n.* 4.
*verſ. Præterea lib,*1.& idem tradit *conſ,* 46.*in fin.verſ. Plus
videtur, & n,* 3. *verſ. Reſtat. lib.* 2.
Quartò, idem ſuaderi poteſt exemplo inferiorum Sacer- 50
dotum, qui etiam inviti poſſunt à ſuis Epiſcopis ex una ad
aliam Eccleſiam transferri, *c. Quæſitum de rer. permutat.*
gloſſ. *in c. Omnis in ver. Coactè* 7. *q.* 1.
Quintò, videmus Papam poſſe in uno Epiſcopatu duos 51
Epiſcopos conſtituere, ut in *c. Non autem* 7. *qu.* 1. ubi hoc 52
fuit geſtum in perſona Auguſtini, qui non ſucceſſit, ſed ac-
ceſſit Valerio adhuc viventi; nec fuit deputatus ſimplex
coadjutor, ſed verus Epiſcopus, ut ibi legitur, & notatur. 53
Item poteſt concedere duos Epiſcopatus uni Epiſcopo, ita-
ut ſit Epiſcopus utriuſque, ut in *c.Relatio* 21.*q.*1. Item unire
duos Epiſcopatus, & unum in plures dividere, *c.Et tempo-
ris* 16.*q*,2.& *c.Sicut unire de exceſſ. Prælator.* Atque ita po-
teſt facere contra ſtatutum, & ordinationem Concilii, &
Beati Petri Apoſtoli, qui præcepit, ut in ſingulis civitati-
bus ſinguli, & non plures ponerentur Epiſcopi, ut refert B.
Clemens in *c. In illis* 80.*diſt.* & Anacletus *in c, ſeq.*
Sextò, Summus Pontifex diſſolvit matrimonium ra- 54
tum non conſummatum, ut communiter notatur in *cap.
Commiſſum de Sponſal.& in cap. Ex publico de converſ.con-
jug.* & quandoque etiam conſummatum, videlicet inter 55
Infideles, cùm alter conjugum ad fidem convertitur, & al-
ter renuit ſecum habitare ſine contumelia Creatoris; *cap.
Quanto de divort.* tametſi inter eos ſit verum matrimo-
nium, eiſque dictum fuerit à Domino: *Quos Deus con-
junxit, &c. cap. De infidelib, de conſang. & affinit.* Et ita
hoc caſu diſſolvit matrimonium carnale etiam altero con-
juge invito. Fortiùs ergo poterit ſolvere matrimonium
ſpirituale, transferendo Epiſcopum invitum ad aliam Ec-
cleſiam, cùm arctius ſit vinculum matrimonii carnalis,
quàm ſpiritualis, ut notat gloſſ. in *c.Proximo in verb.For-
tiùs ſuprà eod.*& Abb. *in d.q.*1.*col.*4. *n,* 7. *verſ, Nec mirum ſi
non ita facilè ſolvitur.*
Septimò, ſpirituale conjugium inter Epiſcopum, & Ec- 56
cleſiam contrahitur non propter bonum privatum ipſius,
ſed propter bonum Eccleſiæ; non ut ei præſit, ſed ut pro-
ſit, ut patet in *c. Qui Epiſcopatum, & in c.In ſcripturis* 8,
q.1. Unde fit, ut Prælati dicantur procuratores, & diſpen-
ſatores, non domini, ut in *c. Fraternitatem de donat.& c.
Videntes*, 12. *q.*1. Bonorum autem Eccleſiæ principalis ad- 57
miniſtrator, & diſpenſator eſt Romanus Præſul, S. Thom.
in 2.2, *q.* 100. *art.* 1. *ad.* 7. Joan. de Lign. *in Clem.Gratiæ de
reſcr.* Abb. *in c. Extirpandæ*, §. *Qui verò de præbend.* Si igi-
tur Papa vult Prælatum removere, non poteſt ſubditus re-
luctari, cùm reddat ſe ſuſpectum, & removibilem eo ip-
ſo, quòd ſe ingerit adminiſtrationi invito Papa, arg. opti-
mum in *l. Quæ omnia, ff. de Procurator.*
Ultimò, pro hac parte adducuntur plura jura. Hoſt. & 58
Joan. Andr. allegant *cap. Scias frater* 7.*q.* 1. Hugo, Gloſſa,
& Turrecrem. citant *c. Cuncta per mundam, c. Nunc verò,
& c.Per principalem* 9. *qu.* 3. Qui tamen Canones nullate-
nus probant translationem fieri poſſe pro libitu volunta-
tis; quin potiùs probant oppoſitum, ut inferiùs patebit
num. 72.
Inter has duas opiniones oppoſitas eſt tertia media, quæ
nec abſolutè negat, nec abſolutè affirmat Epiſcopum in-
vitum poſſe per Summum Pontificem ad aliam Eccleſiam
transferri; ſed ita demum ſi concurrat cauſa utilitatis,

vel

vel neceſſitatis Eccleſiæ, aliàs ſecus. Et huic tertiæ opi-
nioni adhæret Joan. Monach. *in cap. Generaliter, num.* 15. *de*
elect. lib. 6. ubi ait: Non nego, quin Papa poſſit transferre
Epiſcopum invitum, ſaltem ut careat prima, quem ſequi-
tur totidem verbis Jo. Andr. *in cap. Quod ob gratiam col.* 2.
nu. 1. *in fine, verſ. Fatetur tamen de regul. jur. lib.* 6. *in Mer-*
curial. Idem tenet Calderin. *in conſ.* 57. *An ſi duo Epiſcopi,*
quod eſt ſecundum de tranſlat. Prælat. dicens tranſlatum
non poſſe contradicere, cùm tranſlatio fiat ob utilitatem
Eccleſiarum, Bellam. *in cap. Omnis num.* 1. *verſ. Item gloſſ.*
7. *quæſt.* 1. ubi dicit: Per iſtam gloſſam videtur, quòd Papa
poteſt præcisè, & abſolutè Epiſcopum cogere tranſire de
Eccleſia ſua ad aliam, etiam invitum; quod cùm grave di-
ctum ſit, reſtringe ad limitem rationis, videlicet cùm
propter neceſſitatem, vel utilitatem evidentem Eccleſia-
rum hoc facit, quia re vera aliàs non debet fieri. Et pro
hac parte latiſſimè conſuluit Ludov. Roman. *conſ.* 345. *in-*
cip. Circa primum conſultationis articulum, ubi ex facto
reſpondit, Papam ſine juſta, & probabili cauſa invitum
transferre non poſſe, & conſequenter ante ejus ratificatio-
nem Eccleſiam non dici vacare, nec poſſe Papam de illa
diſponere; & eum refert, & ſequitur Præpoſ. in *d. cap.*
Omnis num. 1. ſubdens factam fuiſſe Extravagantem in
Concilio Conſtantienſi, quòd ſine cauſa non poſſit Papa
invitum transferre, Abb. *in cap. Conſtitutus col.* 3. *De re-*
lig. domib. ubi ſimiliter teſtatur tempore ſuo ſtatutum
fuiſſe in Concilio Baſileenſi, ut nec Epiſcopus, nec Abbas
poſſit transferri invitus ſine cauſa rationabili; & idem
Abb. *in c. fin. in fine de poſtulat. Prælator. & in ſua quæſt. pri-*
ma col. 13. *num.* 15. *verſ. Sextò, & ultimò*, ubi refert idipſum
fuiſſe ſtatutum Piſis in Concilio, cui præfuit Alexander
Papa. Sequitur Felin. in *cap. Quæ in Eccleſiarum num.* 43.
59 *de Conſtitut.* ubi ait Papam non poſſe Epiſcopum transfer-
re invitum, niſi ſubeſſet cauſa, puta inſuperabilis reſi-
ſtentia populi etiam injuſta, quia tunc Papa poſſet eum
transferre cum bono cambio allegat Innocen. in *c. Niſi*
cùm pridem in ſecunda col. de renunt. & tunc fit remotio ſi-
ne culpa, ſed non ſine cauſa; & multos cumulat pro hac
parte, & de communi teſtatur. Imò hanc eſſe communio-
rem opinionem affirmat Horat. Mandoſ. in *addit. ad Ro-*
man. dicto conſ. 345. *in ver. Non poſſit.*

60 Porrò hæc tertia opinio duo habet membra. Primum
eſt affirmativum, videlicet, Papam ex cauſa poſſe transfer-
re Epiſcopum invitum. Secundum eſt negativum, id
eſt, Papam ſine cauſa invitum transferre non poſſe.
Primum membrum affirmativum probatur primò ex fun-
damentis adductis pro ſecunda opinione à n. 36. Nam ratio-
nes omnes, quæ probant Papam poſſe transferre invitum ſi-
ne cauſa, & pro libitu voluntatis, multò magis probant
poſſe ſic invitum transferre ex juſta, & rationabili cauſa.

Deinde probatur, quia Eccleſia eſt unum corpus my-
ſticum, ut in Cantico Canticorum: *Una eſt Columba mea,*
c. Firmiter, §. Una ſuprà de Summa Trinit. c. Novatianus
7. *q.* 2. *cap. Loquitur Dominus* 24. *q.* 1. Extravag. *Unam ſan-*
ctam de majort. & obedient. Sponſus verò hujus columbæ,
& caput hujus myſtici corporis eſt Papa, *c. Rogamus* 34. *q.* 1.
Hoc autem myſticum Eccleſiæ corpus æquiparatur corpo-
ri humano; quia ſicut in uno corpore multa membra
habemus, omnia autem membra non eundem actum
habent: ita in Eccleſiæ corpore ſecundum veridicam
Pauli ſententiam in uno eodemque ſpiritu multa ſunt
membra per diverſa officia diſtributa, ut legitur in *cap.*
61 *Singula* 89. *diſt.* Quemadmodùm erga divina veritas præ-
cepit membrum illud, quod reliquum corpus humanum
ſcadalizat, debere abſcindi, & a reliqua compage corpo-
ris ſeparari, *c. Illud* 24. *qu.* 3. ita ſi Romanus Pontifex videt
aliquod Eccleſiæ membrum, id eſt, Epiſcopum inutilem
eſſe, eò quòd propter ejus perſonam patiatur Eccleſia per-
ſecutionem, & per ipſum reliqua membra ſcandalizen-
tur, debet ex officii ſui debito huic morbo antidotum pa-
rare, & membrum illud ab eadem Eccleſia abſcindere,
id eſt, amotionem, ſeu tranſlationem facere. Ita Ægid.
Cremonen. in quadam ſua diſputatione, quam ad litteram
refert Jo. Andr. *in c. Quod ob gratiam n.* 2. *de reg. iur. l.* 6. & ſe-
quitur Rom. *dict. conſ.* 345. *n.* 3. *verſ. Et hanc opinionem.*

Secundum verò membrum negativum ſimiliter proba-
tur primò ex fundamentis allatis pro prima opinione, de
qua ſuprà *num.* 16. Quoniam rationes, quæ oſtendunt Epi-
ſcopum invitum abſolutè per Papam transferri non poſſe,
probant multò minùs fieri poſſe hujuſmodi tranſlationem,
ſi nulla rationabilis cauſa concurrat.

Ac propterea probari poteſt, quia in his, quæ ſunt de 62
jure divino, Papa diſpenſare non poteſt in caſibus ſibi per-
miſſis ſine juſta, & rationabili cauſa, *c. Litteras de reſtitut.*
ſpoliat. c. Sunt quidam 25. *q.* 1. *c. Quanto*, & ibi gloſſ. *in ver.*
Abſolvi de jurejur. l. fin. C. Si contra jus, vel util. publ. & eſt
theorica Innocentii communiter approbata in *cap. Quæ in*
Eccleſiarum ſupra de Conſtit. & in cap. Cùm ad Monaſte-
rium num. 3. *infrà de ſtatu Monach.* Sed conjugium, quod 63
inter Epiſcopum, & Eccleſiam contrahitur, eſt de jure
divino, cum authoritas illa, *Quos Deus conjunxit, homo non*
ſeparet, etiam de ſpirituali conjugio intelligatur, ut hìc
eſt textus, & dictum eſt ſupra in primo notab. ejuſque
diſſolutionem Deus ſuo judicio reſervavit, ut in *c. Proxi-*
mo ſuprà eod. Ergo Papa non poteſt ſuper eo diſpenſare,
illudque per tranſlationem diſſolvere, ſine juſta, & ratio-
nabili cauſa. Unde cùm text. in *d. cap. prox. cit.* dicat: *Non* 64
enim humana, ſed potiùs divina poteſtate conjugium ſpiri-
tuale diſſolvitur, cum per tranſlationem authoritate Roma-
ni Pontificis, quem conſtat eſſe Vicarium Jeſu Chriſti, Epiſ-
copus ab Eccleſia removetur, gloſſ. *in ver. Divino*, no-
tat, quod ſit authoritate Papæ, dici factum authoritate
Dei: & mox ſubdit ad propoſitum noſtrum: Et verum
eſt ſi juſta cauſa hoc faciat, *c. Quodcumque* 24. *qu.* 1. *& cap.*
Si quis non recto, qu. 3. & idem notant ibi Innoc. *num.* 1. *in*
ver. Separet, Hoſt. *num.* 22. *in ver. Removetur*, & Bellam.
in eod. ver. Et meritò, quia Papa in his dicitur habere cœ- 65
leſte arbitrium, *l.* 1. *in fine, C. de Summa Trinit.* & non 66
homo, ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex, qui
non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris, Eccle-
ſiarum neceſſitate, vel utilitate penſata, non humana,
ſed divina potiùs auctoritate diſſolvit, ut hìc in littera.
At ſi ſeparatio fieret à Papa ſine juſta, & rationabili cau- 67
ſa, utique non Deus, ſed homo ſepararet; nec divina,
ſed humana potiùs authoritate conjugium diſſolveretur,
quia Deus non eſt author iniquitatis, *c. Quicumque* 11. *q.* 3.
ſed omnia, aut juſto judicio facit, aut ſuo permiſſu ita fie-
ri ſinit, dicit textus in *c. Nec mirum, §. Aruſpicinæ, verſ.*
Nec ideo 26. *q.* 5. ita arguit gloſſ. *in cap. Nabuchodonoſor in*
ver. Cùm vero 23. *qu.* 4. & Card. *conſ.* 142. *num.* 2. *verſ. Sed*
his litteris non obſtantibus. Eatenus igitur manet in Roma- 68
no Pontifice Petri privilegium, quatenus ex ipſius fertur
æquitate judicium, dicit text. in *c. Manet* 24. *q.* 1.

Tertiò, eadem concluſio probari poteſt exemplo, quia 69
Papa ſine juſta cauſa non poteſt Epiſcopatum dividere abſ-
que Epiſcopi conſenſu: textus eſt apertus in *c. Decimas,*
§. Quod autem dicitur, verſ. Sunt enim. 16. *qu.* 1. & tenet
gloſſ. *in c.* 1. *in ver. Diviſiones* 10. *diſt.* & ibi etiam Archid.
& Abb. *d. q.* 1. *n.* 15. *col.* 13. *verſ. Sextò, & ultimo.* Ergo
nec poteſt ſine juſta cauſa Epiſcopatum illi in totum per
tranſlationem auferre, niſi conſentiat, argum. *l. Quæ de*
tota, & ibi gloſſ. 1. *ff. De rei vendic.*

Quartò, non poteſt Papa rem uni Eccleſiæ auferre, & da- 70
re alteri, *c. Ecce, & c. Nullus* 99. *diſt. c. De Eccleſiaſticis*
25. *q.* 2. niſi juſta cauſa ſubſit, *c. Conqueſtus, c. Nunc vero, &*
c. Per principalem 9. *q.* 3. gloſſ. *in c.* 1. *in ver. Injuſtitiam* 22.
diſt. Et ratio eſt, quia Papa non eſt abſolutè dominus bo-
norum Eccleſiæ, ſed diſpenſator, S. Thomas in 2. 2. *quæſt.*
100. *art.* 1. *ad* 7. & latiùs patebit *infrà nu.* 82. Ergo nec po-
teſt Eccleſiam Epiſcopo auferre, & dare alteri ſine juſta
cauſa. Ad hoc *c. Conquerente de reſtit. ſpoliat.* ibi, *Non*
decet honeſtatem Superioris ſine manifeſta, & rationabili
cauſa aliquem a ſuis beneficiis amovere: imò tenetur illis pa-
terna proviſione conſulere.

Quintò, diſſolvere hujus ſpiritualis conjugii vinculum 71
ex nuda voluntate, non adminiculante aliqua juſtitiæ
cauſa, eſt contra divinam diſpoſitionem, contra Apoſto-
lorum ordinationem, contra Conciliorum auctoritatem,
contra Romanorum Pontificum ſanctiones, & contra
juris civilis, & naturalis rationem. Et ſingula hæc mem-
bra egregiè probat Abb. *in ſua qu.* 1. *col.* 11. *num.* 15. *verſ.*
Nam diſſolvere tale vinculum, & Ludovic. Roman. *in*
præallegat. conſ. 345. *num.* 7. *verſ. Tertio quia diſſolvere, uſ-*
que ad num. 12. quæ hìc non tranſcribo, cùm facilè ex ip-
ſis haberi poſſint. Porrò uterque ipſorum loquitur per
eademmet verba. Uter autem ab altero mutaverit, planè

non

non conſtat, cùm fuerint contemporanei, & ambo Baſileenſi Concilio interfuerint Romani Pontificis hoſtes acerrimi, ut ſcripſi in *c. Significaſti ſupr. tit. prox.*

72 Ultimò probatur utrumque membrum, quia ubi de translatione jura loquuntur, ſemper ponderant juſtam cauſam neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiarum, ut patet in hac Decretali, ibi, *Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate penſata*. Item in *c. Mutationes 7. quæſt. 1.* ubi Anterus Papa: *Mutationes*, inquit, *Epiſcoporum ſcitote communi utilitate, atque neceſſitate fieri licere*. Idque probat exemplis translationum Petri Apoſtolorum Principis, Euſebii, & Felicis. Item in *cap. Scias frater ead. cauſ. & quæſt.* præſertim in fine: *Non ergo bene intelligunt Eccleſiaſticas regulas, qui hoc negant cauſa neceſſitatis, vel utilitatis fieri poſſe, quoties communis utilitas, vel neceſſitas perſuaſerit*. Idemque patet in duobus *cap. ſeqq.* Ac demum de hoc eſt textus apertus *in cap. Sicut alterius eadem cauſ. & quæſt.* ubi cavetur, ut quemadmodùm uxor carnalis alterius ab alio viro primo vivente deſponſari non poteſt; ita nec ſponſa Epiſcopi, quæ eſt Eccleſia ipſius, poſſit eo vivente per alium diſponi, ſeu deſponſari ſine ſui voluntate. Et paulo poſt ſubnectitur: Si autem utilitatis cauſa ad aliam Eccleſiam fuerit invitandus, poterit non per ſe, ſed authoritate Romanæ Sedis ad illam ſe transferre. Unde patet Romanæ Eccleſiæ authoritatem ita demum valere, ſi ſubſit juſta cauſa transferrendi, & primum ſpirituale conjugium diſſolvendi, prout hunc textum ad hoc dicunt eſſe apertum Abb. *in ſua q. 1. n. 14. col. 11. verſ. Venio ad ſecundum*, & Roman. *conſ. 345. n. 5. verſ. Hoc autem primo probo*.

73 In hac varietate opinionum, quarum, ut vides, nulla deſtituitur rationibus, & authoritatibus; ego, ut diſſidentes ſententiæ, quantum fieri poteſt, ad concordiam reducantur, pro veritate arbitror tria membra eſſe diſtinguenda. Aut enim Summus Pontifex transfert Epiſcopum invitum pro libitu voluntatis, & ſine ulla cauſa, itaut hoc ſit certum. Aut illum transfert ex cauſa, adeòut hoc ſimiliter ſit certum. Aut dubium eſt, an illum ex cauſa träſferat, necne.

74 Quoad primum membrum, concludendum eſt, translationem Epiſcopi inviti pro libitu voluntatis, & ſine ulla cauſa factam non ſuſtineri. Probatur hæc concluſio ex fundamentis adductis pro tertia opinione à n. 58. quæ, ni fallor, validiſſime ſunt, licèt hic caſus ferre vix poſſit contingere; quia Sedes Apoſtolica in cauſis majoribus, quales ſunt Epiſcoporum translationes, ut in *c. 1. ſupra codem, & in c. Niſi, & c. Quod translationem infr. de off. leg.* magna circumſpectione, & maturitate procedere conſuevit. Unde reſtat tantummodò reſpondere ad fundamenta in oppoſitum adducta pro ſecunda opinione à n. 36.

75 Ad primum igitur reſpondetur, Epiſcopum ita demum non poſſe contradicere translationis, ex quo ſemel conſenſit ſe fieri Epiſcopum, ſi ex juſta cauſa transferatur. Aliàs poterit ad eumdemmet Summum Pontificem recurrere, & cauſas inutilitatis, vel injuſtitiæ translationis deducere, *c. Si quando ſup. de reſcrip.* Idque abundè probatum eſt in tertia opinione à n. 58. Nec procedit ſimile de Monacho ad Epiſcopum: quia per translationem Monachi ad aliud Monaſterium nullum ſpirituale conjugium diſſolvitur: at per translationem Epiſcopi ſolvitur matrimonium ſpirituale, cujus diſſolutio de jure divino; & ideò ſine juſta cauſa ab Eccleſia fieri non poteſt, ut oſtenſum eſt ſup. n. 63.

76 Accedit, quòd Priores, cùm in Eccleſiis Conventualibus per electionem Capitulorum ſuorum canonicè fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa non ſunt mutandi, ut eſt tex. in *c. 2. in fine de ſtatu Monachor.* Fortiùs ergo idem dicendum in Epiſcopo, qui longè ſtrictiori vinculo Eccleſiæ eſt alligatus.

77 Ad ſecundum, id eſt, ad dictum Baldi, quòd omnia beneficia mundi ſunt manualia Papæ: Reſpondetur, quidquid ſit in beneficiis inferioribus, de quibus conſule Felin. in *c. Quæ in Eccleſiarum n. 42. de Conſtit.* & Ar. Pinel. *in rubr. p. 1. c. 3. n. 30. verſ. Altera inſpectio, C. De reſcin. vendit.* certè in Epiſcopatibus dictum Baldi non procedere; quia cùm in his agatur de ſpirituali conjugio, cujus diſſolutionem Deus ſuo judicio reſervavit, ut in ſuperioribus probatum eſt, repugnat ſacris regulis, ut Epiſcopi quaſi manuales Capellani ſint ad nutum amovibiles; & ita dictum Baldi limitant Cæphal. *conſ. 97. ſub n. 19.* Cened. *Canon. q. 22. num. 3.* & ante eos Abb. *in præcit. q. 1. n. 15. col. 14. poſt med. verſ. Sic etiam limitandum eſt dictum Bald.* Et *c. Si gratioſè de reſcript. in 6.* non loquitur ubi matrimonium eſſet contractum inter Prælatum, & Eccleſiam; ſed quando diſpenſatio fit ad tempus propter utilitatem perſonarum, quam Papa ex cauſa facere poteſt: ut per Abb. *loc. cit.*

Gloſſa verò *in d. c. Per principalem 9. qu. 3.* tantùm dicit Papam poſſe Epiſcopum deponere, ſed non dicit, ſine cauſa, prout ei Doctores imponunt. Unde intelligi debet juxta terminos illius textus, qui loquitur de translatione ex cauſa neceſſitatis, ut patet ibi, *Cùm neceſſe fuerit*; & ita illam gloſſam intelligit Card. *in conſ. 142. Punctus quæſtionis n. 4. verſ. Item non eſt verum.* Præterea eadem gloſſa intelligi poteſt in dubio, cùm ſcilicet non apparet, an Epiſcopus fuerit depoſitus ex cauſa, necne: tunc enim Summus Pontifex præſumitur motus ex juſta cauſa, ut declarat Abb. *in dict. q. 1. n. 15. col. 13. poſt med. verſ. Et ſic judicio meo*. 78

Ad ſecundum reſpondetur negando conſequentiam: nam contrarium argumentum hoc tantùm concludit, ut ſicut Rom. Eccleſia dignitates fundavit, ita poſſit illas ſupprimere; & ſicut Apoſtolicus inſtituit Epiſcopos, ita poſſit illos deſtituere. Sed hinc non licet inferre: Ergo hęc fieri poſſunt pro libitu voluntatis; cùm in his juſta cauſa exigatur, ut in ſuperioribus probatum eſt, & mox etiam patebit. Et ad doctrinam Innoc. de qua ſup. n. 46. reſpondetur ut inf. n. 80.

Ad tertium reſpondetur primò, adducta in contrarium procedere de poteſtate abſoluta, ſecundùm quam poteſt Princeps jus tertii auferre pro libitu voluntatis. Secus verò de poteſtate ordinaria, & à jure regulata, ut declarat Gemin. *conſ. 8. num. 6. & 7. & conſ. 53. in princip. verſ. Quæquam eſt poteſtas ſupremæ*, Alexan. *conſ. 216. n. 10. verſ. Septimo Princeps lib. 2.* Item prædicta procedunt quoad forum Eccleſiæ militantis, in quo non licet diſputare de factis Papæ, *cap. Si quis ſuadente, §. Qui autem 17. qu. 4.* quia ipſe de aliis judicat, ſed à nemine judicatur, *cap. Si Papa 40. diſt.* At ſecus eſt quoad Deum, ut poſt Joan. de Lign. *in Clem. Gratiæ de reſcript.* declarat Abb. *in cap. Extirpandæ, §. Qui vero num. 44. de præben.* ita intelligens doctrinam Innocentii *in cap. Cum ad Monaſterium num. 3. de ſtatu Monachor.* Dixi *in c. Ex parte, il primo num. 61. de Cleric. non reſiden.* Undè ſi præter conſuetudinem Romanorum Pontificum contingeret hic caſus, ut Papa rem Clerico auferret, & daret alteri, aut quem beneficio privaret abſque rationabili cauſa, quamvis judicio Eccleſiæ non eſſet ſubjectus, & beneficiato non liceret contradicere: tamen injuſtè ageret, & quoad Deum non eſſet à peccato immunis, ut fatetur gloſſa noſtra *in ver. Veri Dei*, & egregiè deducit Card. Zabarell. *d. conſ. 142. num. 2.* & Abb. in ſæpiùs citata *qu. 1. num. 12. & ſeqq.* Addit Cardin. *d. conſ. num. 3.* quod dicit ſolet Papam habere plenariam diſpoſitionem beneficiorum, ita eſſe intelligendum, ut evitetur inconveniens ne alicui fiat injuſtitia. Sed & Roman. *d. conſ. 345. num. 15. verſ. Eamdem conſultationem*, dicit non eſſe verum quod dicunt gloſſa, & DD. videlicet Papam poſſe omnia in beneficialibus; quia debet intelligi, ſi juſta cauſa concurrat, aliàs ſecus. Ratio prædictorum eſt, quia Summus Pontifex conſtitutus eſt à Deo non dominus, ſed diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ſecundùm illud Lucæ 12. *Quis putat fidelis eſt diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? c. Non liceat Papæ*, & ibi Archid. Belliam. & DD. *12. qu. 1.* & docet S. Thomas *in 2. 2. qu. 200. art. 1. ad 7.* ubi Cardin. Cajetan. ſingulariter ait. *Nota tertio, quod cùm poteſtas Papæ quoad res temporales Eccleſiæ ſit poteſtas non domini, ſed diſpenſatoris, ut in littera dicitur: conſequens eſt, ut plenitudo poteſtatis Papalis circa bona Eccleſiæ temporalia non exeat limites poteſtatis diſpenſativæ, ſicut in naturalibus plenitudo potentiæ calefactivæ non exit limites poteſtatis calefactivæ; & in Politicis plenitudo poteſtatis regiæ non exit limites regiæ poteſtatis. Ac per hoc non poteſt Papa ad libitum donare res Eccleſiæ, ſed poteſt, tamquam habens apicem diſpenſativæ poteſtatis, multo plus de eiſdem diſpenſare, quàm quicumque alius proximus Eccleſiæ alicuius Prælatus.* Hæc ille. Idem docuit Ulricus de Argentina Alberti Magni Auditor quem *in ſua Sum. Theologiæ*, quem refert, & ſequitur Cardin. Turrecr. & Præpoſ. in *c. Latorem, 1. q. 1.* Debet igitur Apoſtolicus eſſe fidelis, & providus diſpenſator, & ejus judicium debet de vultu Dei prodire, ut *in cap. Ut noſtrum, ut Eccleſ. benef. & cap. Cum æterni de ſentent. & re judic. lib. 7.* & conſequenter non licet ei 79 80 81 82 83 84

res

res Eccleſiæ, aut Beneficium Clerico auferre ſine juſta,
85 & rationabili cauſa. Ex alio etiam capite Cardin. *in præal-legat. conſ.* 141. dicit verum non eſſe, Papam ſine cauſa
poſſe quem privare Beneficio, vel Epiſcopatui; nempè
quia acceptans Beneficium ſibi collatum videtur ex quaſi
contractu ſe obligare ad illius adminiſtrationem, *c. Niſi
cum pridem*, §. *Verum*, ibi, *Sponſam tuam, cui defigendo*
86 *manum, apud extraneum te fide media copulaſti*, *de renunc.*
Hujuſmodi autem contractus non poteſt ſine cauſa diſſol-
vi, etiam per Principem, ut in *cap.* 1. *cum ibi notatis*, *de
probat.* & ſequitur Felin. *in cap. Quæ in Eccleſiarum nu.*42.
verſ. Sed Dominus Card. de Conſtit.
87 Deindè reſpondetur ea, quæ dicuntur de poteſtate Apo-
ſtolica in beneficialibus, videlicet Papa, poteſt omnia, æqua-
re rotunda quadratis, poteſt efficere de albo nigrum, &
de nigro album, ſola voluntas eſt pro ratione, & conſimilia,
quæ paſſim à Doctoribus inculcantur, poſſe quidem ad-
mitti in beneficiis inferioribus, & in his, quæ ſunt de jure
poſitivo, prout in ſpecie loquitur Bald. *d. conſ.* 477. *lib.* 1. at
ſecùs dicendum eſt in Epiſcopatibus; quia ſpirituale con-
jugium, quod jure divino inter Epiſcopum, & Eccleſiam
contrahitur, nulla humana poteſtate invito Epiſcopo diſ-
ſolvi poteſt ſine juſta cauſa, ut ſæpiùs repetitum eſt; & ita
declarant Abb. Cæphal. & Cened. *locis ſupracitatis n.*77.
88 Ad quartum reſpondetur retorquendo argumentum.
Quoniam etſi inferiores Sacerdotes transferri poſſint in-
viti; tamen ad hoc requiritur cauſa neceſſitatis, vel utilita-
tis Eccleſiarum, ut probatur in juribus in contrarium ad-
ductis, & notat Archid. in *c. Epiſc. de loco in fin.* 7. *q.* 1. Ergo
idem, & multò fortius dicendum in translatione Epiſcopi.
89 Ad quintum, & ſextum eodem modo reſpondetur,
exempla in contrarium adducta habere locum tantummo-
dò concurrente gravi cauſa, qua ceſſante Apoſtolica Sedes
nec duos Epiſcopos in uno Epiſcopatu conſtituit, nec
duos Epiſcopatus uni concedit, nec diſpenſat ſuper ma-
trimonio rato, ut patet in locis ibidem citatis.
90 Ad ſeptimum reſpondetur, naturam diſpenſationis hoc
importare, ut fiat habita ratione ad bonum commune, ut
docet S. Thomas in 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Ideòque nulla diſpenſa-
tio fieri debet, niſi ad honorem Chriſti, vel utilitatem Ec-
cleſiæ, ut idem probat in 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Unde ſi aufer-
retur alicui Epiſcopatus ſine cauſa communis utilitatis,
vel neceſſitatis; hæc non eſſet diſpenſatio bonorum Eccle-
ſiæ, ſed diſſipatio, ex notat. per Archid. in *c. Licet Canon. n.* 3.
de elect. lib. 6. Dixi in *c. Dilectus*, *infra de tempor. ordin.*

Ad ultimum reſpondetur, jura allegata retorqueri in
contrarium; quia omnia probant translationem fieri poſſe
ob Eccleſiarum neceſſitatem, vel utilitatem, non autem
pro libitu voluntatis, ut dictum eſt ſupra *nu.* 72.
91 Venio ad ſecundum membrum, videlicet, cùm Papa
transfert Epiſcopum ex cauſa: & tunc ſubdiſtinguendi ſunt
duo caſus. Primus eſt, cùm Papa Epiſcopum transfert, quia
vult eum honorare. Et hoc primo caſu abſolutum eſt trans-
lationem requirere conſenſum Prelati, quia intelligitur fa-
cta ſub conditione, ſi Epiſcopus conſentiat; ideòque ante
illius ratificationem non vacat Eccleſia, ne quod ob gra-
tiam eidem conceditur, in ipſius diſpendium retorquea-
tur, ut in reg. ſexti, *Quod ob gratiam*: & in hoc primo ca-
ſu procedit prima opinio, de qua ſuprà *nu.* 15. & rationes
Jo. Monach. ibidem adductæ *à nu.* 16. & in his terminis lo-
quuntur Jo. Andr. in *d. c. Quod ob gratiam*, & Calderin. *conſ.*
56. *circa finem nu.* 4. *verſ. Ad idem optimè facit*, *quod eſt
conſ.* 1. *de translat. Prælator.* Idem firmant Abb. in *c. Cùm
nobis ſub n.* 5. *circa fin. verſ. Unde facit iſta littera, de elect. &
in cap. fin. num.* 13. *de poſtulat. Prælat.* Prob. ad Jo. Monach.
in *cap. Generali num.* 11. & 12. *eod. tit. lib.* 6. Joan. de Selva
de benefic. 3. *part. q.* 37. *num.* 2. & Rota *dec.* 475. *num.* 7. *par.*
2. *in recent.* & ita ex facto in caſu Epiſcopi Florentini in
abſentia ad Cardinalatum promoti, de quo ſuprà *num.* 11.
reſpondit Cardin. Zabarell. ut ipſemet refert in *in d. c. fin. n.*
10. *in* 14. *quæſt. de poſtul. Prælat.* ubi etiam ait, ita conſu-
luiſſe Doctores Bononienſes, & Florentinos.
92 Cæterùm hæc concluſio eam patitur difficultatem, quòd
translatio in gratiam ſolius translati improbatur à ſacris
Canonibus, ut in *c. Scias Frater*, 77. *q.* 1. & in aliis juribus
93 ſupracitatis *num.* 72. Et meritò, quia diſſolutio ſpiritua-
lis conjugii, quam Deus ſuo judicio reſervavit, ut in
cap. Prox. ſup. eod. requirit cauſam gravem, ſicut requirit
diſſolutio matrimonii carnalis non conſummati, ut nota-
tur in *c. Ex publico*, *de converſ. conjug.* & Canones in trans-
latione Epiſcopi ubiquè mentionem faciunt neceſſitatis,
vel utilitatis Eccleſiarum, ut dictum eſt eodem *num.* 72.
Quinimò inevitabilem neceſſitatem exigit textus in *cap.* 94
Sicut vir, 7. *qu.* 1. & aliter tranſiens dicitur adulterium
committere, ut ibi, *& in cap. Sicut alterius, ead. cauſ. & q.*
Et quamvis Epiſcopus nonnunquam transferatur ad Ar- 95
chiepiſcopatum; hoc tamen non fit ſimpliciter in gratiam
perſonæ, ſed ob majorem Eccleſiæ utilitatem, ut eſt text.
in *c. Prox. infrà eod.* Et hæc eſt ratio, cur diſpenſatus, ut poſ-
ſit tranſire ad majorem, non poſſit tranſire ad parem; quia
nimirùm in majori conſideratur major Eccleſiæ utilitas, ut
ibi deciditur. Cùm igitur nulla translatio fieri poſſit, niſi
ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiarum: non video
quomodo poſſit conſtitui differentia inter translationem,
quæ fit in gratiam perſonæ, & eam, quæ fit ex cauſa com-
munis utilitatis, vel neceſſitatis, ut in primo caſu transla-
tio requirat conſenſum translati, in ſecundo autem non.
Sed quia durum eſſet in practica recedere à communi opi-
nione: Tu dic ſalvari poſſe dicta Doctorum in eo caſu, in 96
quo Papa transfert Epiſcopum non invitum. Quod in du-
bio præſumitur ſecundùm Calder. *conſ.* 2. *de translat. Præ-
lat. ad fin.* in illis verbis: Donec aliter declaret Papa inten-
tionem; tunc enim etſi translatio fiat ex juſta cauſa utilita-
tis Eccleſiæ, ut in *c. ſeqq.* tamen quia Papa vult etiam Epi-
ſcopum honorare, & ideò non intendit illum cogere ad
tranſeundum; idcircò non ſolvitur Epiſcopus à vinculo
prioris Eccleſiæ, niſi poſt conſenſum præſtitum ad ſecun-
dam. Atque ita Doctores, dum dicunt translationem fie-
ri in gratiam perſonæ, non excludunt cauſam communis
utilitatis. Unde conclude in hoc primo caſu Eccleſiam 97
non vacare ante ratificationem Epiſcopi, non ex defectu
poteſtatis Papæ, ſed ex defectu voluntatis, quia ſcilicet
non intendit Epiſcopum ſimpliciter, & abſolutè transfer-
re, ſed ſub conditione, quatenùs expreſsè, vel tacitè
conſentiat, ut probatum eſt ſuprà *nu.* 16.

Dixi, *tacitè*, quia ad hoc non requiritur conſenſus ex- 98
preſſus, ſed ſufficit præſumptus ex ſcientia, & acquieſcen-
tia, ut poſt Ægid. Cremonen. concludit Jo. Andr. in *cap.
Quod ob gratiam num.* 5. *de reg. jur. in* 6. & Abb. *conſil.* 101.
nu. 4. *verſ. Dum videtur ſenſiſſe lib.* 2.

Nec verum eſt, quod dictum eſt ſuprà *nu.* 26. primam 99
Eccleſiam per translationem non vacare ante adeptam poſ-
ſeſſionem ſecundæ; imò enim vacatio inducitur eo ipſo,
quòd Epiſcopus translationi conſentit, ut latè conſuluit
Abb. *in præallegat. conſ.* 101. *n.* 3. *verſ. Sed prædictis non ob-
ſtantib. & per tot.* ubi objectis omnibus reſpondet; & idem
reſolvit Rota *deciſ.* 475. *à num.* 6. *par.* 1. *recent.* ubi ſub
num. 16. oſtendit opinionem illorum, qui dixerunt non
induci vacationem Epiſcopatus, niſi poſt adeptam poſſeſ-
ſionem ſecundi, eſſe erroneam, veluti innixam auctori-
tati gloſſæ in *cap. Si quis jam translatus*, quæ loquitur de
translatione abuſiva,

In ſecundo autem caſu, id eſt, cùm translatio fit ex cau- 100
ſa communis utilitatis, vel neceſſitatis, quamvis Doctores
ſimpliciter aſſerant translationem fieri poſſe etiam de in-
vito; ego tamen arbitror diſtinguendum inter primam,
& ſecundam Eccleſiam. Quandoquidem Epiſcopus per
translationem non tantùm abſolvitur à vinculo prioris
Eccleſiæ, ut in *cap. Prox.* §. *Sicut, ſup. eod. & infrà in c. ſeqq.*
ſed etiam alligatur vinculo ſecundæ, ad quam transfertur,
ut in *c. Sicut alterius*, 7. *q.* 1. Atque ita in translatione duo
extrema ſunt conſideranda, videlicet terminus à quo, id
eſt, Eccleſia à qua Epiſcopus transfertur, & terminus ad
quem, id eſt, Eccleſia ad quam fit translatio.

Quod igitur ſpectat ad primum extremum, indubitan- 101
ter concludendum eſt, ex cauſa communis utilitatis, vel
neceſſitatis Epiſcopum etiam invitum abſolvi poſſe à vin-
culo prioris Eccleſiæ, itaut ſi Summi Pontificis voluntas
ſit eum omninò utcumque invitum transferre, illicò ſol-
vatur ſpirituale conjugium, & vacet Eccleſia, nec ad eam
detur regreſſus. Hæc concluſio communi omnium conſen-
ſu recepta eſt, ut patet ex authoribus ſupracitatis pro ter-
tia opinione *nu.* 58. & probatur efficaciter rationibus, &
juribus ibidem adductis *nu.* 59. *uſque ad nu.* 73.

Quo verò ad ſecundum extremum, ſolutio videtur pen- 102
dere ab inſpectione, an Epiſcopus contrahat ſpirituale

conjugium cum ſecunda Eccleſia, necne; nam ſi contrahat, alligari non poterit ſecundæ Eccleſiæ, niſi conſentiat,
103 quia ad validitatem matrimonii ſpiritualis, ſicut & carnalis, neceſſarius eſt conſenſus, *c. Cum inter Canonicos*, ibi, *Ut per mutuum conſenſum eligentium, & electi, quaſi conjugale vinculum ſpiritualiter ſit contractum, ſuprà tit. proximo, c. Locum, c. Cum apud, & c. Tuæ, de ſponſal. l. Nuptias, ff. de reg. jur.* Hoſtienſ. *in cap. Veniens, in princ. verſ. Nam ſicut ſine conſenſu nullum eſt matrimonium temporale, infrà qui Cler. vel vovent*. Subſtantialiter enim matrimonium capit principium, & finem à conſenſu, ut inquit Butr. *in c.*
104 *Prox. num.* 10. *infrà eod.* & eſt ſimile in vinculo ſpirituali, quod contrahitur inter profeſſum, & religionem, juxta notata *in cap. Porrectum, de regular.* nam cum neceſſariò exigatur conſenſus profitentis, ut *in cap. 2. & cap. Cum virum*, cùm utrobique notatis, *eod. tit.* dicunt Doctores Summum Pontificem non poſſe quemquam invitum religioni alligare; *cap. Integritas*, 32. *quæſt.* 1. *cap. Geſta*, 74. *diſt.* & tradit
105 Navarr. *conſ.* 39. *num.* 2. *de regular.* Unde longè minùs poſſet alligare alteri Eccleſiæ Epiſcopum contradicentem, quia inter Epiſcopum, & Eccleſiam eſt arctius vinculum, quàm inter Profeſſum, & Religionem, cùm illud ſit de jure divino, ut hìc, & ſuprà *in cap. Proximo*; voti autem ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ ſit inventa, ut
106 dicit text. *in cap. un. de voto lib.* 6. Sin autem Epiſcopus per translationem non alligetur matrimonialiter ſecundæ Eccleſiæ, ſed mutetur tantummodò de loco ad locum, juxta textum *in cap. Mutationes*, 7. *quæſt.* 1. nihil obſtabit, quominùs per Papam transferri poſſit invitus, exemplo Monachi, qui ex uno ad aliud Monaſterium transfertur, ut patet ex dictis ſuprà *nu.* 34. & 37.

Et quidem Hoſtien. & Jo. Andr. *in d. cap. fin. in princ. de poſtulat. Prælator.* videntur ſentire, ſpirituale conjugium contrahi tantummodò à principio, cum quis fit Epiſcopus, non autem cùm transfertur ad aliam Eccleſiam, & ita eos pro hac ſententia allegat Ludovic. Roman. *in præcitat. conſ. nu.* 1. ait enim: Ex quo ſuo conſenſu quis Epiſcopus factus eſt, poteſt per Papam invitus ad aliam Eccleſiam transferri; quia non dicitur de novo contrahere matrimonium:
107 Eccleſia enim univerſalis eſt unum corpus myſticum multorum Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſum, *c. Novatianus*, 7. *q.* 1. *cap. Loquitur Dominus*, 24. *q.* 1. Unde quamvis ab initio nemo cogatur fieri Epiſcopus, *d. cap. Inter Canonicos*, §. 1. & *c. Innotuit, ſup. tit. prox.* tamen cum ſemel in hac univerſali Eccleſia quis Epiſcopatui conſenſit, non poteſt Papæ reſiſtere, eum ad aliam particularem Eccleſiam transferre volenti. Ex ea enim translatione cauſatur ſolùm variatio loci, cujus curæ Epiſcopus præ-
108 ficitur, non autem variatur dignitas Epiſcopalis. Nam locus vel ſublimiorem, vel inferiorem non reddit Epiſcopum, ut *in c. Legimus*, 93. *diſt.* Idem formaliter dicit Abb. *in c. fin. nu.* 13. *ſup. de poſtulat. Prælat.* & ſequitur Philipp. Prob. ad Jo. Monach. *in c. Generali n.* 34. *de elect. lib.* 6. & noviſſimè Lotther. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 12. *nu.* 18.

Sed his non obſtantibus verius exiſtimo Epiſcopum contrahere novum ſpirituale conjugium cum Eccleſia, ad quam transfertur: quod probo juribus, & rationibus.
109 Jura ſunt in *cap. Sicut vir*, 7. *q.* 1. ubi Epiſcopus ſine cauſa tranſiens ab una ad aliam Eccleſiam, dicitur primam uxorem derelinquere, & alteri per adulterium ſe conjungere. Ergo ſi ex cauſa tranſeat, per matrimonium ſe conjungit: quod expreſsè habetur in *c. Sicut alterius, ead. cauſ. qu.* ubi Epiſcopus, qui Eccleſiam ſponſam ſuam dimittit ſine cauſa, & alteri ſponte nubit, adulter exiſtimatur. Sed ſi ex cauſa perſecutionis, debet alteri aſſociari. Ergo ſi legitimè tranſeat, dicitur alteri nubere. Atque ita per illum textum tenet expreſsè Abb. *conſil.* 101. *n.* 6. *col.* 5. *ante med. verſ. Sed Epiſc. lib.* 2. ubi diſertis verbis ait, Epiſcopum Eccleſiæ matrimonialiter obligatum non poſſe durante priori vinculo conſentire alteri matrimonio ſpirituali; aliàs contingeret adulterium ſpirituale. Idipſum patet *in c. Proximo, ſup. eod. in* §. *Nos intuentes*, ubi Epiſcopus electus priori vinculo perdurante, dicitur non poſſe ad ſecundam Eccleſiam canonicè conſecrari adhuc conjugaliter alteri alligatus. Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet: Non poteſt quis eodem tempore habere ſpiritualiter duas uxores; ideòque quamdiù eſt priori vinculo alligatus, non poteſt contrahere cum ſecunda.
110 Rationes autem ſunt infraſcriptæ. Prima ratio eſt, quia per translationem Epiſcopus intitulatur in ſecunda Eccleſia; cùm translatio, ſicut electio, ſit modus Eccleſiis providendi, ut notat gl. Jo. Andr. Bellam. Card. Butr. & Abb. *ſup. in rubr.* Sed per electionem utique contrahitur ab electo ſpirituale conjugium, ut in *c.* 1. & 2. *ſup. eod. & in d. c. Cum inter Canonicos, & elect.* ego & per translationem.

Secunda ratio, quia alioquin Epiſcopus translatus nullius Eccleſiæ eſſet ſponſus: non univerſalis Eccleſiæ, quia illius ſponſus eſt Papa, non Epiſcopus, *c. Quoniam, de immunit. Eccleſ.* ibi, *Nos juſtitiam noſtram, & Eccleſiæ ſponſæ noſtræ, &c.* & notat Turrecr. *in c. Sicut alterius num.* 37. *q.* 1. quidquid contra ſcripſerit Abb. *in præalleg. q.* 1. *nu.* 15. *col.* 14. *poſt princ. verſ. Et adverte:* non primæ Eccleſiæ particularis, quia ab illius vinculo fuit abſolutus per translationem, ut *hic, & in cap.* 1. & 2. *ſup. eod.* non ſecundæ, ſi cum illa ſpirituale conjugium non contraheret; abſurdum autem eſſet, ut quis eſſet Epiſcopus alicujus Eccleſiæ, & nullius Eccleſiæ eſſet Sponſus. 111

Tertia ratio, quia Epiſcopus translatus, quoad primam Eccleſiam habetur pro mortuo, arg. *l. Actione*. §. *Publicatione, ff. pro ſocio*, §. *Ecce in quibus*, & ibi Archid. 7. *q.* 1. Ergo quoad ſecundam Eccleſiam perindè haberi debet, ac ſi à principio fieret illius Epiſcopus. Quo caſu non eſſet dubium, quin eidem ſociaretur ſpirituali conjugio, ut hìc, & *in d. c. Sicut vir, & cap. Sicut alterius cum concord.* 112

Quarta ratio, quia ſi Epiſcopus ad ſecundam Eccleſiam 113
translatus obiret, utique Eccleſia diceretur viduata, ut *in cap. Proximo, verſ. Cum non intelligatur*. Hoc autem indi- 114
cat cum illa præceſſiſſe ſpirituale matrimonium; alioquin vidua eſſe non poſſet, ſi virum non habuiſſet, ut in *cap. Vidua*, & ibi gloſs. 1. 34. *diſt.*

Quinta ratio, quia in tantùm Prælati dicuntur Eccleſiæ 115
Sponſi, in quantum ut Dei Miniſtri exteriùs cooperantur, aut prædicationis verbo, aut diſpenſatione Sacramentorum ad generationem filiorum ſpiritualium, quos non ſibi, ſed Chriſto generant, ut docet S. Thomas *in tract. ſuo contra impugnantes religionem*, relatus à Turrecr. *in d. c. Sicut*
alterius n. 3. *verſ. Eſt autem pro pleniori notitia*; propriè 116
enim ſolus Chriſtus eſt Eccleſiæ Sponſus, *c. Eccleſia mea, verſ. Ipſa enim Eccleſia*, 97. *diſt.* Extrav. *Unam ſanctam, de major. & obed.* Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *de ſacr. Miſſæ c.* 1. ibi, *Dilecta ſponſa ſua Eccleſia*. Sed Epiſcopus translatus eodem modo tenetur cooperari in ſecunda Eccleſia, quo tenebatur in prima; quia cùm ſecundæ curam gerat, adſtringitur præcepto divino oves ſuas verbi divini prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione paſcere, *cap. Epheſiis*, 43. *diſt. cap. Qui Epiſcopatum*, 8. *q.* 1. *cap. Præcipue*, 11. *q.* 3. & habetur in Conc. Trid. *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. Ergo eſt Sponſus ſecundæ Eccleſiæ, quemadmodum fuit primæ.

Sexta, & ultima ratio. Si Epiſcopus cederet Epiſcopa- 117
tui, aut deponeretur Summi Pontificis auctoritate, & poſteà alteri Eccleſiæ præficeretur; negandum non eſſet, quin interim contraheret cum ſecunda ſpirituale conjugium. Ergo idem dicendum, ſi per translationem ſecundæ Eccleſiæ præficiatur, quia à vinculo prioris Eccleſiæ æquè abſolvitur per translationem, ac per ceſſionem, vel depoſitionem, ut in *cap. præcedenti*.

Ex quibus cenſeo Epiſcopum rurſus contrahere matrimonium ſpirituale cum Eccleſia, ad quam transfertur, & ita tenent expreſsè Jo. Monach. *in c. Generali n.* 13. *de elect. lib.* 6. & Jo. Andr. *in c. Quod ob gratiam n.* 2. *verſ. Item ut dicit, de reg. jur. eod. lib. in Mercurial.* dum diſertis verbis dicunt, acquiſitionem ſecundæ ſponſæ ſpiritualis fieri nõ poſſe abſque liberatione à prima, arg. *c.* 2. & 4. *infr. de ſecund. nupt.* & translationem quantumcumque puram intelligi ſub conditione, ſi nuptiæ cum ſecunda ſequutæ fuerint, & idem tenet Abb. *ſupracit. n.* 109. Atque hinc neceſſariò ſequitur, ut invitus transferri non poſſit quoad hoc, ut ſit Epiſcopus ſecundæ Eccleſiæ, cùm matrimonium tàm ſpirituale, quàm carnale ſine conſenſu non poſſit conſiſtere, ut per Card. in *d. c. fin. n.* 10. *in* 14. *quæſt. verſ. Pars prima probatur ſuprà de poſtulat. Prælator.* & latiùs oſtenſum eſt ſuprà *n.* 103. Et ſa- 118
nè, ſi conjux eſſet abſolutus à vinculo matrimonii carnalis, utique invitus cogi non poſſet ab Eccleſia alteri nubere, dicente Apoſt. 1. ad Corinth. 7. *Quod ſi dormierit vir ejus, cui vult nubat, c. Sicut alterius*, 7. *q.* 1. Ergo ſimiliter Epiſcopus per translationem ſolutus à vinculo matrimonii ſpiritualis, ab Eccleſia cogi non poteſt præcisè, ut alteri nubat.

Et

Et huic opinioni videntur adhærere, Joan. Monach. in *d.c. Generali n.*15. *de elect. lib.*6. & Joan. Andr. in *d.c. Quod ob gratim col.*2.*n.*1.*in fin. de reg. jur. lib.*6. dum dicunt, Papam ex cauſa transferre poſſe Epiſcopum invitum, ſaltem ut careat prima: quaſi ſentiant ſecùs dicendum eſſe quoad hoc, ut alligetur ſecundæ. Eamque apertè amplectitur gloſ. *unic. in cap. Epiſcopus de loco*, 7. *quæſt.*1. ubi primò decidit Clericum, qui non vult tranſire de minori ad majorem, non poſſe cogi ab Epiſcopo, & mox ſubdit: Hoc autem Papa poteſt, ſed ſi ad alium Epiſcopatum vocatus eſt Epiſcopus, neceſſarius eſt conſenſus Epiſcopi, allegat 7. *diſt. per tot. & cap. Archidiaconum Florentinum*, 85. *diſt.* Atque ita clarè ſentit gloſſ. Papam poſſe quidem transferre Epiſcopum invitum, ſed non quoad hoc, ut præcisè al-
119 ligetur ſecundæ Eccleſiæ, niſi conſentiat. Dixi, *Præcisè*, quia fortè cogi poſſet cauſativè, ad inſtar poſtulati, qui etſi diſſentire valeat quoad hoc, ne poſſit invitus beneficiari; tamen cauſativè poteſt compelli conſentire per ſubtractionem beneficii, *cap. Quaris, de ætat. & qualit. c. Licet Canon.* in gloſſ. *in ver. Ipſo jure, de elect. lib.*6. & tenet Card. in *d. c. fin. num.*10. *verſ. Dic dando regulam*, ubi etiam Abb. *num.*12. *ſup. de poteſtate Prælatorum*: & ſic cogi poteſt, ut de nolente fiat volens, ut inquit gloſſ. in *cap. Omnis*, *in ver. Coacte*, 7. *qu.*1. Et eſt text. in *c. Diſplicet*, *verſ. Et tamen multi*, 23. *qu.*4. Verùm priuſquàm translationi conſentiat, non eſſet ſecundæ Eccleſiæ Epiſcopus, & ſi ſemper eſſet nolens, non deberet cogi, ut dicit gloſſ. in *d. cap. Diſplicet, in ver. Inviti*, per text. in *cap. In ſcripturis*, 8. *qu.*1. & notatur in *cap. Ante omnia*, 40. *diſtinct. & in cap. Canenſis*, 61. *diſt.*

120 Venio ad tertium membrum principale, videlicet cum eſt dubium, an Summus Pontifex Epiſcopum transferat ex cauſa, necne. Et tunc Bald. in *l. Reſcripta num.*8. *verſ. Item omnia beneficia, C. de præcib. Imper. offeren.* diſtinguit ſic: Aut Papa procedit providendo; & non cogitur proviſus tranſire, quia præſumitur factum eius favore. Aut procedit jubendo; & cogitur tranſire, quia præſumitur factum favore Eccleſiæ, *cap. Omnes*, 7. *q.* 1. Ad hoc faciunt notata per Legiſtas in *l. fin. C. Si contra jus, vel utilit. publ. & in leg. Præſcriptione, C. de præcib. Imper. offeren.* & per Canoniſtas in *cap. Quæ in Eccleſiarum*, *ſuprà de Conſtit.* ubi communiter volunt cauſam præſumi in Principe, 121
etiamſi agat in his, quæ competunt alicui jure gentium; imò & in his, quæ ſunt de jure divino, ubi ſolitum eſt diſpenſari; & in propoſito translationis tenet Abb. in *præcitata quæſt.*1. *num.*15. *col.*13. *circa med. verſ. Venio ad tertium membrum*. ubi etiam *col.* 3. *num.* 4. *verſ. Baldus vero*, amplectitur ſupradictam Baldi diſtinctionem. Quam etiam ſequitur Philipp. Prob. ad Joan. Monach. in *cap. Generali num.* 41. *&* 42. *de elect. lib.* 6. qui etiam pro dicto 122
Baldi allegat Federic. de Senis *conſil.* 263. *Præſuppoſito*, ubi tenet Monachum translatum per Papam ad aliud Monaſterium intuitu perſonæ, poſſe ad primum Monaſtrium redire ſine licentia Papæ; ſecùs ſi intuitu Monaſterii.

Tempera tamen ſecundam partem diſtinctionis Baldi, id eſt, cum Papa procedit jubendo, ut reſpectu ſecundæ Eccleſiæ cogatur quidem Epiſcopus tranſire, non tamen præcisè, ſed ad ſummum cauſativè, per ea, quæ dixi ſuprà *num.* 102. *& ſeqq. & num.* 119.

Quòd ſi quæras, quid juris ſit, ſi non appareat, an Pa- 123
pa proceſſerit providendo, vel jubendo, ut ſi in litteris dicatur Epiſcopum Peruſinum ab Eccleſia, cui præeſt, ad Eccleſiam Ferrarienſem duximus transferendum: Reſpondeo in hoc dubio translationem præſumi factam non tantùm favore Eccleſiæ, ſed etiam in gratiam perſonæ, & ſic de Epiſcopo non invito, juxta opinionem Calder. de qua ſuprà *n.*96. & conſequenter non induci vacationem primæ Eccleſiæ, niſi poſt conſenſum præſtitum ad ſecundam, ex his, quæ dicta ſunt ſupra *à nu.*91. *uſque ad num.*100.

DE AUCTORITATE ET USU PALLII.

Honorius III. Archiepiſcopo Tri.

C A P U T VII.

QUia nos: & infrà. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd tàm in tua, quàm in aliena diœceſi potes ſine pallio, & ſandaliis celebrare: qui utique in tua diœceſi non debes ſemper celebrare cum pallio, ſed diebus illis dumtaxat, qui in Eccleſiæ tuæ privilegiis ſunt expreſſi. Sicque ſoluta eſt quarta quæſtio, qua quæſiviſti, an tibi ſit licitum pro defunctis cum pallio celebrare.

S U M M A R I U M.

1 *ARchiepiſcopus poteſt celebrare ſine pallio, & ſandaliis, & num.*5.

2 *Pallium eſt Pontificale Archiepiſcopi.*

3 *Sandalia ſunt calceamenta purpurea, quibus utuntur Epiſcopi.*

4 *Compagi ſunt caligæ Epiſcoporum.*

5 *Epiſcopus an poſſit celebrare in Pontificalibus, & prædicare in aliena diœceſi ſine licentia diœceſani, & num.* 12.

6 *Et quid ſi Pontificalia habeant mixtionem juriſdictionis, vel officii, & num.*12.

*Et quid poſt Concilium Tridentinum, n.*9.14. *&* 18.

7 *Pallio non utitur Archiepiſcopus in diœceſi aliena, etiam de licentia diœceſani, niſi ſuper hoc ſit privilegiatus.*

8 *Pallii uſus ſtrictior eſt, quàm Pontificalium.*

9 *Pontificalia exercere non poteſt in alterius diœceſi Epiſcopus utcumque privilegiatus ſine Ordinarii licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas.*

10 *Idem in locis nullius diœceſis.*

11 *Epiſcopus an in Eccleſiis Monaſteriorum exemptorum intra ſuæ diœceſis fines exiſtentium, invitis earumdem Eccleſiarum Regularibus, in Pontificalibus celebrare, ac prædicare poſſit, & num. ſeqq. uſque in fin.*

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

13 *Miſſæ celebratio in Pontificalibus non eſt juriſdictionis, ſed honoris, & præeminentiæ.*

15 *Exempta loca, quamvis ſint in diœceſi, cenſentur tamen, ac ſi eſſent extra diœceſim, & num.* 17.

16 *Procedit quoad juriſdictionem contentioſam, non quoad voluntariam, & num. ſeqq.*

17 *Pontificalia habentia mixturam juriſdictionis, vel officii, Epiſcopus exercere non poteſt in loco exempto ſuæ diœceſis.*

Regulares reſiſtentes Epiſcopo exercere volenti Pontificalia in eorum Eccleſiis, non ab ipſo Epiſcopo, ſed ab eorum Superioribus Regularibus ſunt compellendi.

QUia nos. Sine pallio, & ſandaliis poteſt Archiepiſco- 1
pus celebrare. Hoc dicit, Joan. Andr. Bald. Butr. Card. Anchar. Imol. Abb. & Joan. de Anan. Pallium eſt 2
Pontificale Archiepiſcopi, *cap. Niſi, ſuprà eodem*, & poſt Paulum de Eleaz. notat Anch. *in Clem.* 2. *num.* 3. *verſ. Circa uſum Pontificalium, de privil.* Et ſandalia ſunt calceamenta purpurea, vel depicta, quibus utuntur Epiſcopi, ut dixit Petr. de Sampſone, & poſt eum Jo. Andr. 3
hic num. 2. Bellam. *in princ.* & Abb. *num.* 1. Alibi dicuntur compagi, ut in *c. Nonnulli*, §. *Compagi*, 93. *diſt.* & di- 4
cit in gloſſ. compagos eſſe ſandalia, ſeu caligas Epiſcoporum. Dividitur in duas partes. In prima deciſa conſultatio. In ſecunda reſponſio ibi, *Inquiſitioni.*

5 In textu ibi, *In aliena diœceſi*. Nota Archiepiſcopum poſſe celebrare ſine pallio, & ſandaliis etiam in diœceſi aliena: quod intelligit gloſ. 1. de licentia Epiſcopi diœceſani, aliàs ſecùs, quia non debet ponere falcem in meſſem alienam, *c. Scriptum eſt, 6. qu. 3. cap. Nullus prima, 9. q. 2.* & concordant Vicent. & Tancred. hìc relati ab Hoſt. *in princ.* Privatim verò, ut ſubdit gloſ. celebrare poteſt etiam ſine licentia, ut *cap. Tua, de Cleric. Peregr.* & diœceſanus debet illum invitare, *cap. Epiſcopi. vel Presbyteri, 7. qu. 1.* Atque ita ſentit gloſ. Archiepiſcopum non poſſe in diœceſi aliena celebrare publicè, vel ſolemniter ſine diœceſani licentia. Sed Innocentius *hìc in princ. in ver. Aliena*, dicit Epiſcopos in diœceſibus alienis, etiamſi de licentia diœceſanorum celebrent, non uti Pontificalibus, niſi ſuper hoc ſint privilegiati. Allegat *c. Ad ſupplicationem, de renunc.* & pro opinione Inn. fortiter facit text. in *Clem. 2. de privileg.* in quantum ex privilegio Archiepiſcopis, & Epiſcopis uſum Pontificalium concedit in locis exemptis, ex quo deducitur, ut ſine ſpeciali juris permiſſione non potuiſſent illis uti, ut ibi per Anchar. in 2. *notab.* Et ſi non potuiſſent in locis exemptis ſuæ Provinciæ, vel diœceſis, multò minùs extra ipſa. Prætereà ibi expreſsè habetur uſum Pontificalium competere Archiepiſcopo intra Provinciam, & Epiſcopo intra diœceſim: ergo non extra. Verùm Hoſtien. *hìc in princip. in eod. ver. In aliena*, tenet etiam in Pontificalibus, & ſine licentia diœceſani poſſe Epiſcopum jure ſuo celebrare, ſicut ſervat generalis conſuetudo, & etiam prædicare, niſi ſpecialiter prohibeatur,
6 remittens ad notata in *c. Cùm ex injuncto, infr. de hæret.* Sed gloſ. magna *circa fin. in Clement. 2. de privileg.* reducit iſtas opiniones ad concordiam hoc modo, videlicet, aut loquimur de ſimplici uſu Pontificalium abſque mixtura juriſdictionis, vel officii, putà celebrando, vel prædicando: & hoc caſu vera ſit opinio Hoſt. ut ſcilicet ſine licentia uti poſſit, niſi prohibeatur, ut ipſemet declarat *loco cit.* Aut loquimur de Pontificalibus cum mixtura juriſdictionis, vel officii, putà ordinando, degradando, chriſmando, vel ſimilia faciendo; & tunc ſit vera opinio Innocentii, ut talia exercere non poſſit, ut *9. q. 3. per tot.* Si tamen circa
7 illorum exercitium haberet licentiam diœceſani; tunc uti poſſet Pontificalibus ſecundùm gloſ. & in hoc differunt Pontificalia à pallio, quo non uteretur Archiepiſcopus in aliena Provincia etiam de licentia illius, ad quem ſpectat, niſi ſuper hoc eſſet privilegiatus, *c. Ex tuarum, ſup. eod.*
8 ſtrictior eſt enim uſus Pallii, quàm Pontificalium, ut ibidem patet, *& in c. 1. & 2. & c. Ad honorem, ſup. eod.* & declarat gl. *præalleg. in d. Clemen. 2.* ubi etiam Anchar. *n. 3. in fin.*
9 Cæterùm iſtas opiniones partim ſuſtulit, & partim declaravit jus noviſſimum Concilii Tridentini *ſeſſ. 6. cap. ult.* quo ſtatutum eſt; ut nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm; & ſi ſecùs factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic Ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi. Nam qua parte hoc decretum prohibet exercitium Pontificalium in alterius diœceſi, niſi de Ordinarii licentia, videtur reprobaſſe opinionem Hoſtienſis adſtruentis id licere ſine licentia diœceſani: niſi dixeris, Concilium poſſe intelligi de exercitio illorum Pontificalium, quæ habent mixturam juriſdictionis, ut innuunt illa verba: *In perſonas eidem Ordinario ſubjectas*: nec non illa: *Sic ordinati ab executione Ordinum, &c.* Quæ quidem Pontificalia etiam Hoſtien. cenſuit exerceri non poſſe in diœceſi aliena. Dum verò Concilium permittit de licentia Ordinarii exercitium Pontificalium etiam ordinando, apertè ſuſtulit opinionem Innocentii, quatenùs aſſeruit, nec de licentia diœceſani Epiſcopum poſſe hujuſmodi Pontificalia exercere in diœceſi aliena, niſi ſpecialiter ſuper hoc ſit privilegiata. Demùm in eiſdem verbis: *Et in perſonas eidem Ordinario ſubjectas*, Concilium declaravit opinionem gloſſæ, videlicet, ut poſſit quidem Epiſcopus exercere Pontificalia etiam chriſmando, & ordinando de licentia diœceſani; dummodò tamen id faciat in perſonas eidem Ordinario
10 ſubjectas. Et quod dixit Concilium de exercitio Pontificalium in alterius diœceſi, idem intelligas in locis, quæ nullius diœceſis eſſe dicuntur, ut ſcripſi in *c. Nullus nu. 52. de Parochiis*, & adde, quæ habentur *in cap. 2. ſeſſ. 14.*

NUNC QUÆRO, an Epiſcopus in Eccleſiis Monaſteriorum exemptorum intra ſuæ diœceſis fines exiſtentium, invitis earumdem Eccleſiarum Regularibus, in Pontificalibus celebrare, ac prædicare poſſit. 11

Videtur reſpondendum poſſe. Nam de jure communi, 12
etſi controverſum ſit inter DD. an Epiſcopus poſſit celebrare in Pontificalibus extra diœceſim ſine licentia diœceſani loci, cùm Inn. hìc putet non poſſe, Hoſt. verò ſentiat oppoſitum, ut fusè oſtenſum eſt ſuprà *n. 5.* & Hoſt. opinionem communiter videantur ſequi DD. *in Clem. 2. de privil.* atteſtantes id obſervari ex conſuetudine, quando Epiſcopus utitur Pontificalibus ſine ulla mixtione juriſdictionis, vel officii, ut poſt gl. ibi *in ver. Etiam celebrare*, notant Paulus Eleazar. & Petr. de Anchar. *n. 7.* Jo. de Imol. *n. 12.* Abbas *nu. 4.* & cæteri omnes: tamen nullus dubitat, quin Epiſcopus in loco ſuæ diœceſis exempto poſſit in Pontificalibus abſque illius licentia celebrare. De hoc enim eſt textus expreſſus *in dict. Clem. 2. §. Simili, de privileg.* Nam cùm textus in principio indulſiſſet Archiepiſcopo, ut in locis ſuæ Provinciæ exemptis poſſet Pontificaliter celebrare, poſteà ſubjunxit, *Simili modo concedimus Epiſcopo, ut in locis eiſdem* (ſcilicet exemptis) *ſuæ diœceſis poſſit populo benedicere, audire divina officia, & ea etiam celebrare*, id eſt Pontificaliter, ut innuunt illa verba, *Simili modo*; & ponderat gloſ. magna *in princ.* Imol. *n. 12.* & Bonifacius de Vitalinis *n. 13. & 17.* Et eſt ratio, quia cum hæc celebratio 13
in Pontificalibus reſpiciat honorem, & præeminentiam, non autem juriſdictionem, conceditur Epiſcopo intra ſuam diœceſim in loco etiam exempto propter reliquias præcedentis ſubjectionis ante exemptionem, quæ multùm operantur, *arg. l. Cum quis, §. Primo, ff. de ſolutionis, l. Servos, C. de quæſtionibus*, & notat Vitalin. *in dict. Clement. 2. nu. 4.* Neque propterea violantur exemptorum privilegia, quæ ſalva manet in cæteris abſque eo, quòd ex tali celebratione aliquid juris acquiratur Epiſcopo in præjudicium exemptorum, ut habetur expreſsè *in dict. Clem. in fin.* & notat Vitalin. *ibid. num. 27.*

Et in hac facultate Epiſcopo competenti de jure, ut poſſit Miſſam Pontificaliter celebrare in locis ſuæ diœceſis exemptis, includitur etiam facultas ſermonem habendi ad populum, & prædicandi, ut apertè ſupponitur per Vitalin. *ibid. nu. 66.* & ſatis colligitur ex dicta gloſſ. magna, ubi loquens de nudo uſu Pontificalium abſque juriſdictione ita exemplificat, ſcilicet Miſſam celebrando, & prædicando; eamque ibi ſequuntur omnes Doctores.

Nec obſtat, ſi dicatur, hæc quidem eſſe vera de jure communi, 14
ſed diverſum jus inductum eſſe decreto Tridentini Concilii in *d. c. 5. ſeſſ. 6.* quo prohibetur Epiſcopis Pontificalia in alterius diœceſi excercere ſine licentia Ordinarii loci, ut fuſius dictum eſt ſuprà *n. 9.* Nam loca exempta, etſi ſint in diœceſi, cenſentur tamen ut loca extra diœceſim exiſtentia, ut notat Petr. de Ubald. *in tract. de Canon. Epiſcop. & Parochial. c. 6. q. 4. n. 11.* ubi ait, Monaſterium exem- 15
ptum in diœceſi exiſtens æquiparari Monaſterio exiſtenti extra diœceſim. Si igitur Concil. prohibet exerceri Pontificalia extra diœceſim: ergo prohibere cenſetur etiam in locis exemptis, quæ æquiparantur locis extra diœceſim exiſtentibus. Hoc, inquam, non obſtat; nam reſpondetur loca 16
exempta, etſi non dicantur de diœceſi, eſſe tamen in diœceſi, ut probatur in *c. Cum Epiſcopus*, ibi, *In quolibet loco ſuæ diœceſis non exempto, de offic. ordin. lib. 6. & in d. Clem. 2. de privil.* ubi hoc tenent Zenzel. & Lap. Abb. *n. 2.* & poſt eos Petr. de Anchar. *in prin.* & Card. *in §. Simili, in 4. q.* Abb. in *cap. Apoſtolicæ nu. 3. de donat.* Rota *dec. 207. nu. 2. p. 2. diverſ.* Ideòque hujuſmodi loca exempta reputantur extranea, ſeu extra diœceſim quoad juriſdictionem contentioſam, cùm non ſubſint juriſdictioni Epiſcopi; ſed non quoad ea, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis, ut poſt Guliel. de Monte Laud. notat Imol. *in præalleg. Clem. 2. nu. 3. ſuper gl. in ver. Crucem*, & ibi etiam Vital. *n. 31.* ubi ait, in locis exemptis 17
non poſſe Epiſcopum exercere poteſtatem, & judicium, ſed benè poſſe uti inſigniis honoris, & devotionis, ut *in d. Clem. 2.* Sic ergo ea regula, quòd locus exemptus æquiparatur loco extra diœceſim, non eſt indiſtinctè vera, ſed tantum quoad certos effectus, ut optimè deducit Felin. in *c. Gratum n. 2. in fin. de off. ordin.* Et ad propoſitum quæſtionis noſtræ æquiparatio procedit quoad juriſdictionem, quam Epiſcopus exercere non poteſt in locis ſuæ diœceſis exēptis, ſicut

ſicut nec in locis extra diœceſim, ut *c. Luminoſo*, 18. *qu.* 2. & *d.c. Cum Epiſcopus*, *de off. ord. lib.* 6. ſed non quoad inſignia honoris, quæ poteſt deferre, & eis uti ubique in ſua diœceſi, etiam in loco exempto, ut habetur in ſæpius citata *Clement.* 2. *de privil.* Et propterea dum Concilium Tri-
18 dent. in *d.c.* 5. *ſeſs.* 6. prohibet, ne in aliena diœceſi Epiſcopus Pontificalia exerceat, cenſetur etiam prohibere, ne illa exerceat in locis exemptis, ſi illa Pontificalia habeant mixtionem juriſdictionis, vel officii, ut ſi ordinet, degradet, chriſmet, vel ſimilia faciat: nam quoad prædicta, vera eſt æquiparatio, ut locus exemptus perindè habeatur, ac ſi eſſet extra diœceſim. Secùs autem eſt, ſi tantùm Pontificalibus utatur prædicando, & Miſſam celebrando, quia tunc quoad hæc inſignia abſq; juriſdictione locus exemptus non æquiparatur loco exiſtenti extra diœceſim, ut elicitur ex gl. magna *in ead. Clem.* 2. & fuſiùs dictum eſt ſuprà *num.* 6.

Quibus accedit, quòd Concilium non ſine myſterio uſum eſt illis verbis: *Nulli Epiſcopo liceat Pontificalia exercere in alterius diœceſi*, nec dixit, extra diœceſim, innuens propterea ſe noluiſſe prohibere, quin Epiſcopus exerceret Pontificalia in locis exemptis: nam etiamſi loca exempta dicerentur eſſe extra diœceſim, ſecundùm opinionem Imolæ in *d. Clem.* 2. *nu.* 3. tamen non dicuntur eſſe in aliena diœceſi; & ſic Epiſcopus in eis Pontificalia exercens, non poteſt dici in alterius diœceſi ea exercere; & ſic non habet locum prohibitio Concilii.

19 Id tamen eſt animadvertendum, quòd ſi exempti indebitè reſtiterint Epiſcopo, quominùs in eorum locis Pontificalia exerceat, non poterunt propterea ab eodem Epiſcopo puniri, ſed ipſum oportebit agere coram ſuperiore exemptorum, ut eos cogat permittere, arg. *c. Nullus de jurepatron.* & tradunt in *d. Clem.* 2. Lapus *num.* 3. Card. in §. *Sic tamen nu.* 5. & reliqui omnes.

Advertitur hoc procedere jure communi inſpecto. Verùm ex Decreto Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium conceditur Epiſcopus facultas contra eos hoc caſu procedendi ad cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas. Decreti tenor talis eſt.

Decet Epiſcopis pro eo, quo in Eccleſia Dei excellunt, Dignitatis gradu, in quocumque ſuarum diœceſium loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut Pontificalibus deeſſe, & aſſiſtere contingit, eam, quam par eſt, reverentiam, & honorem decoro cultu, & ornatu exhiberi. Quare non ſine gravi animi dolore auditum eſt, nonnullos Regulares, vano quarundam immunitatum, & privilegiorum prætextu, Epiſcopis in eorum Eccleſiis Pontificalibus intereſſentibus, non modo renuiſſe in eis ſupra locum Epiſcopalis ſolii Baldachinum erigere, verum id etiam juſſu ipſorum Epiſcoporum curantes prohibere, ac arcere auſos fuiſſe. Atque ideo Sac. Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, facto verbo cum Sanctiſs. D. N. Clemente VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali, & expreſſo mandato, hoc præſenti Decreto perpetuis futuris temporibus valituro declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, ut de cætero Epiſcopi, ubi tam ex conſuetudine, & privilegio, quàm ex ſacrorum Canonum Conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio jure Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum Mitra, vel extra ſola Cappa induti in quibuſvis Regularium tam Mendicantium, quàm Monachorum etiam Caſſinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cujuſvis alterius Ordinis, Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis Eccleſiis intereſſe poſſunt, ipſi Regulares quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo Baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis illud apportari, & in quacumque eorum Regularium, aut alia quantumvis exempta Eccleſia, ſupra Epiſcopale ſolium, ſeu Pontificale faldiſtorium erigi facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare, quemadmodum in propriis Cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent, eo tamen dumtaxat tempore, quo Pontificales ejuſmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipſe, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui verò Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, ſciant ſe ab iiſdem Epiſcopis ad id per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas hujus Decreti virtute cogi, & compelli poſſe, aliiſque pœnis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus arbitrio Summi Romani Pontificis ſubjacere, & obnoxios fore. Non obſtantibus, &c. Romæ die 10. *Junii* 1603.

DE RENUNTIATIONE.

Alexander III. Epiſcopo Verulano.

CAPUT III.

EX tranſmiſſa relatione Abbatis ſancti N. de Ceparano, noſtris eſt auribus intimatum, quòd P. Rubeus Clericus, dum infirmitate laboraret apud Monaſterium Sancti Salvatoris, ſibi petiit habitum monaſticum indulgeri: qui recuperata poſtmodùm ſanitate, ad Monaſterium illud gratia complendi votum acceſſit; & ibidem moram aliquantulam faciens, ea, quæ prædictæ Eccleſiæ ſancti N. contulerat, ſibi fecit reſtitui; nunc autem mutato animo laborat, ut reſtituatur in Eccleſia ſupradicta. Verùm quoniam jam dicta Eccleſia ab eo ſoluta dignoſcitur, ex quo ea, quæ ſibi contulerat, ad petitionem ſuam reſignavit eidem: Mandamus, quatenùs (ſi res ita ſe habet) prædictum Abbatem, & ſocios ejus ad receptionem P. nulla ratione compellas invitos: nec à populo Ceparano compelli permittas; hortari tamen eos poteris, ut illum non tamquam unum de Eccleſia, ſed quaſi de novo recipiant in ſocium, & in fratrem.

SUMMARIUM.

1 *Renuncians beneficio ſuo expreſsè, vel tacitè, illud repetere non poteſt.*
2 *Abbates ex conſuetudine alicubi dicuntur Rectores Eccleſiarum ſæcularium.*
3 *Et alicubi reperiuntur Abbates ſæculares.*
4 *Et multis in locis Conſules, & Rectores artium Abbates appellantur.*
5 *Sed Abbas propriè eſt caput Monaſterii Monachorum.*
6 *Infirmus poteſt vovere, & profiteri, niſi ſit extra mentem.*
7 *Renuntiare beneficio intelligitur eo ipſo, quòd quis aufert bona collata Eccleſiæ, in qua eſt beneficiatus, & habitum probationis aſſumit, licèt profeſſio non ſequatur, & num.* 8.
Et quid poſt Concilium Tridentinum, & num. 9.
8 *Intellectus* cap. Beneficium, de Regularib. lib. 6.
16 *Clericus bona à ſe collata Eccleſiæ, in qua eſt beneficiatus, auferre poteſt, & ſecum in Monaſterium tranſferre.*
11 *Privatus beneficio, & poſteà noviter receptus, non recuperat primæva jura.*
12 *A privatione ad habitum non datur regreſſus, & num.* 13.
Fallit, ſi habitus non eſt omninò extinctus, ſed tantùm velatus, dict. num. 12.
13 *Jus renuntiatione ſopitum non reviviſcit.*

1 EX *tranſmiſſa*. Qui renuntiavit beneficio ſuo expreſ-
sè, vel tacitè illud repetere non poteſt. Hoc dicit,
ſecundùm Anton. de Butr.& Joan. de Imol.Sed Abbas An-
tiq. ſummabat ſic: Qui ad ſui petitionem licentiatus tran-
ſit ad aliam Eccleſiam, jus perdit, quod habebat in pri-
ma. Dividitur in duas partes. Prima ponit querelam.
Secunda providet, ibi, *Verùm quoniam*.

2 Nota primò, ibi, *Abbatis de Ceparano*, Prælatos,
ſeu Rectores Eccleſiarum ſæcularium alicubi appellari
Abbates. Nam iſte Abbas non erat Monachus, quia Ec-
cleſia erat ſæcularis, non autem Regularis, ut in gloſſ. 1.
& Laurent. dicit ſe ita didiciſſe à Clericis illius Eccleſiæ,
ut hic refert Joan. Andr. *nu*.13. Unde Inn. *in princ*.exponit
verbum, *Abbatis*, ſcilicet, Clerici ſæcularis. Item Hoſt.
in princip. dicit, id eſſe juxta conſuetudinem Metropoli-
tanæ Civitatis, in qua Rectores ſæcularium Eccleſiarum
vocantur Abbates, ſecundùm Goffr. Vel juxta conſuetu-
3 dinem aliarum Eccleſiarum, in quibus Abbates ſæculares
reperiuntur, ut eſt Abbas S. Felicis Valentini, & Abbas
Claromonten. & in Hiſpania ſunt multi tales. Jo. Andr. *d.
nu*.13. dicit hoc eſſe vulgare Apulorum, Catalanorum, &
4 Hiſpanorum. Nec mirùm, quia etiam Conſules, & Prio-
res Artium multis in locis Abbates appellantur, Alciat.in
l. Collegarum, *ff. de verbor. ſignific*. Item in Aragonia Re-
ctores dicuntur Abbates, & eorum uxores dicuntur Abba-
tiſſæ, Card.*in Clem. Attendentes*, §.*Statuimus*, *in* 5.*quæſt*.
5 *de ſtatu Monach*. Verùm hæ nuncupationes impropriè
uſurpantur, quia Abbas propriè eſt caput Monaſterii Mo-
nachorum, ut 18. *q*.2. *per tot. cap. Cum ad Monaſterium*,
infr.de ſtatu Monach.Colleg.Paduan.*conſil*.2.*nu*.26.*& ſeqq*.
poſt conſilia Card. ubi plura de antiquitate Abbatum, &
Monachorum, de quo etiam per Caccialup. *conſil*.10. *nu*.
5. *& ſeqq*.poſt conſilia ejuſdem Cardinalis.

6 Secundò, nota ibi, *Dum infirmitate laboraret*, per cor-
poris infirmitatem non impediri actum voti: vel profeſſio-
nis; & ſic validum eſt votum in infirmitate emiſſum, niſi
tanta ſit morbi vis, ut mentis alienationem inducat, ut *c.
Sicut nobis*, & ibi dixi *n*. 22. *infr. de regular. & in c. fin. de
ſucceſſ.ab inteſt*. & hic notant Hoſt. *in princ.in ver.Infirmi-
tate*, Joan.Andr.*n*.4.Butr.& Abb.*in* 2.*notab*. Quippè metus
mortis, ſive proveniat ab intrinſeco,& cauſis naturalibus,
ſive ab extrinſeco,& cauſis liberis,nunquam irritat profeſ-
ſionem, niſi fuerit incuſſus ad profeſſionem extorquen-
dam, juxta terminos *cap*.1. *infr.de his, quæ vi met.cauſ*.ut
fuſè probavi in *c.Si quis n*.81.*&* 82.*infrà de regularibus*.

7 Tertiò, nota ibi, *Sibi petiit habitum Monaſticum in-
dulgeri*, quòd eo ipſo, quòd quis habitum probationis aſ-
ſumit, & aufert bona à ſe collata Eccleſiæ, in qua eſt be-
neficiatus, cenſetur beneficio renuntiare, nec poteſt illud
repetere, licèt profeſſionem non emittat: de quo eſt caſus
notabilis, & apertus hìc ſecundùm veriorem intellectum:
nam iſte Clericus P.Rubeus erat Canonicus Eccleſiæ San-
cti Nicolai de Ceparano, ſecundùm gloſſ.Bald. & Abb. in
figuratione caſus, Hoſtien.*in princ.in ver.Clericus*, & Jo.
Andr. *num*. 3. *in fin*. Et in Eccleſia Sancti Salvatoris ſu-
ſcepit habitum monaſticum (id eſt probationis, ſecundùm
omnes) petiitque à prima Eccleſia bona illi collata ſibi re-
ſtitui, ut patet ibi: *Ex quo ea, quæ ſibi contulerat, ad pe-
titionem ſuam reſignavit eidem*. Et propter hoc cenſetur ta-
citè beneficio renunciaſſe, ut conſtat ex illis verbis: *Di-
cta Eccleſia ab eo ſoluta dignoſcitur*; præſumitur enim
habuiſſe pro derelicta primam Eccleſiam; tum quia
omnia bona eidem à ſe priùs collata inde abſtulit; tum
quia in Religione habitum probationis aſſumpſit, ſecun-
dùm Innoc. *num*.1. Nec ibi expreſsè, vel tacitè profeſſio-
nem emiſit: alioquin Papa non hortaretur Abbatem,
& Clericos Eccleſiæ ſæcularis Sancti Nicolai, ut eum re-
ciperent in ſocium, & in fratrem, ut accuratè obſervat
idem Innoc. *hic in fin. in verb. Recipiant.*: & tamen Ca-
nonicatum ſic tacitè dimiſſum non recuperat, nec Præ-
latus Eccleſiæ, & ſocii coguntur eum ampliùs recipere,
ut in text.

Sed his obſtare videtur determinatio Papæ in *cap. Bene- 8
ficium*, *de regularibus*, ubi patet beneficium ingredientis
Religionem infrà annum probationis non vacare, nec poſ-
ſe alteri conferri, niſi ad id ipſius ingredientis accedat aſ-
ſenſus, qui per hoc intelligitur beneficio renuntiare, vel
niſi profeſſionem faciat expreſſam, vel tacitam, quæ in-
ducitur aſſumendo habitum profeſſorum, vel habitum pro-
bationis cum propoſito abſolutè vitam mutandi. Iſte au-
tem Clericus P. Rubeus expreſsè non conſenſit renuntia-
tioni beneficii ſui: non enim audiendi ſunt, qui dicunt
hunc Clericum expreſsè renunciaſſe, quia hoc eſt divina-
re, cùm ex littera non colligatur: item nullam fecit pro-
feſſionem, ut ſuprà proximè oſtenſum eſt. At reſponde-
ri poteſt, imò hunc Clericum conſenſiſſe renuntiationi ſui
Canonicatus tacitè faciendo actum contrarium, ſcilicet
repetendo bona, quæ contulerat Eccleſiæ, ubi erat Cano-
nicus, ex quo ſurgit tacita renutiatio; & proptereà non
poteſt beneficium repetere: & ita hìc text.concordat cum
d.c.Beneficium, quia verſamur in primo caſu ibi excepto,
prout benè declarat gloſſ. *ibid.in ver. Aſſenſus*, Butr. *hic
n*.15. & Abb. *n*.8. Quod nota ſecundùm eos ad declaratio-
nem illius decretalis, quia dum inducit renuntiationem
beneficii ingredientis Religionem,ſi ad id ejus accedat aſ-
ſenſus, hæc conditio verificatur in eo, qui facit actum,
ex quo ſurgit voluntas renunciandi: per hoc enim induci-
tur tacita renunciatio, & beneficium poteſt alteri confer-
ri, licèt profeſſio non ſequatur; & ſic illud cap.concordat
cum text. noſtro, quem proptereà ſic ſummat Cardinalis:
Si Eccleſia ad requiſitionem ejus, qui habet in ea benefi-
cium, eidem volenti tranſire ad aliam Eccleſiam, & tran-
ſeunti reſignat omnia, quæ dedit Eccleſiæ primæ, per
hoc intelligitur ab ea abſolutus, tamquam ex tacita re-
nuntiatione beneficii, maximè ſi tranſit ad Religionem,
licèt non profiteatur.

Verùm hodie hoc non procedit, quia ex Concilio Tri- 9
dent. *ſeſſ*.25. *de regul. c*.16. *in prin*. non valet renuntiatio
beneficii infrà annum probationis, niſi fiat cum licentia
Ordinarii infrà duos menſes proximos ante profeſſionem:
& nihilominùs effectum non ſortitur, niſi ſequuta profeſ-
ſione, ut dixi in *c.Statuimus*, *infrà de regular*.ubi accura-
tè examinavi, an & quando tam de jure communi, quàm
ex Concilio Tridentino beneficium vacet per reſignatio-
nem expreſſam, vel tacitam ejus, qui religionem ingredi-
tur, & an poſſit alteri conferri infra tempus probationis,
anve reſignatio hujuſmodi effectum ſortiatur profeſſione
non ſequuta, ibi plenè videas *à n*.15. *uſque ad num*.22.

Quartò, nota ibi,*Ea quæ prædictæ Eccleſiæ S.N.contule- 10
rat*, Clericum beneficiatum in Eccleſia ſæculari poſſe ad
religionem tranſire, & bona quæ ipſi Eccleſiæ contulerat,
ſecum in Monaſterium transferre: quod diligenter nota,
quia fortè non reperitur alibi, ſecundùm Anton. de Butr.
in 4. *notab*. Imol. *num*.5. & Abb. *num*.10. Covarr. in *c*.1. *n*.
19. *de teſtam*. In oppoſitum tamen eſt gloſſ. quæ reputatur
ſingularis, in *cap. Ut lex continentiæ*, *in ver. Profeſſi*, 27.
q.1.Sed tu teneas primam opinionem, per ea, quæ in pro-
poſito ſcripſi in *cap.Non eſt vobis à nu*.11. *uſque ad num*.21.
infrà de regular.

Ultimò, nota ibi, *Non tamquam unum de Eccleſia*, Cle- 11
ricum beneficio privatum, & poſteà noviter receptum non
recuperare primæva jura, nec receptionem retrotrahi,
ut ad jus priſtinum redintegretur, Butr. *hic nu*. 10. Imol.
num.7. Abb. *nu*. 5. Et eſt ratio, quia à privatione ad habi- 12
tum non datur regreſſus, *l.Liber homo*, *ff.de ſtat. homin*. ſi
habitus ſit omninò extinctus, ut hìc, non autem velatus,
l. In tantum, *ff. de rer. diviſ*.Item, ut inquit Bald. *hic n*. 2. 13
jus renuntiatione ſopitum non reviviſcit, & eſt ſimile in
l.Solita providentia, *C.de remiſs.pignor.in l.Quæritur*, §.*Si
venditor*, *ff.de edilit.edict.in l.Pactum ante hæredem*, *& in
l.Tale pactum*, §.*Qui procuravit*,*ff.de pact*. Facit text.in *l*.
1. §.1. *de Decur*.ubi à fortiori Decurio, qui ad tempus rele-
gatur, poſt tempus non recuperat primum locum, ſed ve-
lut novus in ordine venit.

DE RENUNTIATIONE.

Idem Alexander III. Epiſcopo Torracenſi.

CAPUT IV.

ADmonet: & infrà. Univerſis perſonis tui Epiſcopatus ſub diſtrictione prohibeas, ne Eccleſias tuæ diœceſis ad Ordinationem tuam pertinentes, abſque aſſenſu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconſulto. Quòd ſi quis contra prohibitionem tuam venire præſumpſerit, in eum canonicam exerceas ultionem.

SUMMARIUM.

1 *Beneficiatus ſine licentia Prælati ſui beneficio renuntiare non poteſt, & n.4.*
2 *In beneficii dimiſſione requiritur illius authoritas, quæ requiritur in beneficii aſſecutione, & n.4.*
3 *Conſilium quandoque ponitur pro conſenſu, vel authoritate.*
4 *Renuntiare beneficio ſuo non poteſt Clericus ſine licentia Epiſcopi diœceſani.*
5 *Juriſdictiones ſæculares nemo poteſt propria authoritate adipiſci, nec adeptis renuntiare, niſi in manibus ſuperioris.*
6 *Renuntiatio beneficii facta ſine ſuperioris authoritate non tenet, etiam in præjudicium renuntiantis.*
7 *Nec impedit eum agere contra intruſum in beneficio ſic renuntiato.*
Poſſeſſio tamen amittitur, ibid. verſ. Adverte.
8 *Electus ad ſecundam Eccleſiam non poteſt ſe transferre ſine licentia Epiſcopi, ad quem pertinet prima Eccleſia.*
Licet contrarium ſervetur de facto, n. 11. verſ. Veruntamen.
9 *Et ſi tranſierit, ab eodem revocari poteſt, & n.10.*
10 *At ſi monitus non recedat, eſt excommunicandus.*
11 *Et quando ſecundæ Eccleſiæ de alia perſona ſit providendum.*
12 *Tranſiens ad ſecundam Eccleſiam ſine licentia ſuperioris, non eſt ipſo jure privatus prima, ſed privari poteſt infrà ſex menſes; ſecùs ſi tranſeat cum licentia.*
13 *Beneficiatus ut tranſeat ad aliam Eccleſiam ejuſdem diœceſis, ſufficit conſenſus tacitus Prælati; ſed ſi ſit alterius diœceſis, requiritur expreſſus.*
14 *Prælati inferioris licentia requiritur ad hoc, ut Clericus ei ſubjectus tranſire poſſit ad aliam Eccleſiam.*
15 *Clerici in Ordinatione adſcripti ſervitio Eccleſiæ non debent eam deſerere ſine licentia Epiſcopi, quamvis non ſint intitulati, & nu. 37.*
16 *Hoſpitalium adminiſtrationem laici non poſſunt ſuſcipere, nec ſuſceptam deſerere ſine diœceſani licentia.*
17 *Beneficiatus tranſire poteſt ad Religionem licentia petita, licèt non obtenta.*
Intellectus c. Licèt, de regular. *ibid. & nu. ſeqq.*
18 *Cautela ad dimittendum beneficium invito Epiſcopo.*
19 *Electio ad Eccleſiam, quam obtinet Novitius, etiam ipſo conſentiente, non valet; collatio ſecus: & quæ ſit ratio differentiæ.*
20 *Electus ad ſecundam Eccleſiam poteſt electioni de ſe factæ conſentire ſine ſuperioris licentia, & eum eligentes non peccant.*
21 *Fallit in Epiſcopo, qui non poteſt eligi, ſed poſtulari.*
22 *Electioni de Clerico facta ad ſecundam Eccleſiam ſi Epiſcopus primæ Eccleſiæ malitioſè renuat conſentire, per ſuperiorem eſt cogendus.*
23 *Beneficiatus an poſſit beneficium dimittere acceptando aliud beneficium compatibile, ſive incompatibile contra voluntatem ſuperioris primi beneficii, & nu. ſeqq. uſque in fin.*
24 *Renuntiatio beneficii an fieri poſſit ſine authoritate ſuperioris.*
25 *Quid de beneficiis curatis.*
26 *Et quid in beneficiis ſimplicibus perſonalem reſidentiam requirentibus.*
Et quid in non requirentibus reſidentiam, nu. 28.
Et quid ſi Clericus ad illius titulum fuerit ordinatus, ibid. verſ. Modo.
27 *Feudatarius obſtrictus certo ſervitio, non poteſt invito domino feudum renuntiare.*
29 *Æqualitas eſt ſervanda in actibus ultrò, citròque obligatoriis.*
30 *Ordinatus ad titulum patrimonii de jure communi, non poteſt invitus detineri in diœceſi.*
31 *Secùs poſt Concilium Tridentinum.*
32 *Renuntiari non poteſt beneficio ſine licentia ſuperioris propter ejus præjudicium.*
34 *Beneficia ſimplicia obtinentes non poſſunt cogi ad reſidentiam in diœceſi, & num. 37.*
35 *Beneficium non confertur in invitum, quando agitur de commodo ipſius contradicentis tantùm.*
36 *Renūtiare liberè poteſt Clericus non habens alas ligatas.*

ADmonet. Beneficiatus ſine licentia Prælati ſui beneficio renuntiare non poteſt. Hoc dicit. Et primò ponit prohibitionem. Secundò tranſgreſſionem puniri præcipit, ibi, *Quòd ſi quis.* 1

Nota primò ibi, *Abſque aſſenſu tuo*, ejus authoritatem requiri in dimiſſione beneficii, quæ requiritur in illius aſſecutione, ut hìc per Bald. *in* 1. *not.* Unde is demùm poteſt authoritatem præſtare renuntiationi, qui poteſt invitum deſtituere, ut dixerunt Domini de Rota *deciſ.* 573. incipien. *Quidam Cardinalis*, aliàs 14. *n.* 3. *de renunt. in antiquis*, ex not. per Innoc. & DD. in *cap. Quod in dubiis*, *infra eod.* & hìc junge, quod dicam infrà *num.* 4. 2

Secundò, nota ibi, *Te dimittere inconſulto*, conſilium aliquando poni pro conſenſu, vel authoritate, ut hìc per Butr. *num.* 5. *&* 6. & Cardin. *in* 3. *not.* Non enim ad beneficium dimittendum ſufficit Prælatum conſulere, ſed oportet illius conſenſum obtinere, *d. cap. Quod in dubiis*, *infr. eod.* Hoſt. *hic nu.* 15. & Joan. Andr. *nu.* 8. *in ver. Inconſulto.* Quod nota pro intellectu decreti Concilii *cap.* 16. *ſeſs.* 23. ut dicam infra *in* 3. *ampl. num.* 14. 3

Ultimò, nota, quod dictum eſt in ſummario, videlicet, Clericum non poſſe beneficio ſuo renuntiare ſine licentia Epiſcopi diœceſani; & ita hìc eſt caſus, ſecundùm Joan. Andr. cui conſentiunt Bald. Bellam. Butr. Card. & omnes, concordat *c.* 1. *&* 2. 63. *diſt. & c.* 1. 53. *diſt.* Et eſt ratio, quia omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, *cap.* 1. *infr. de regul. jur. & l. Nihil tam naturale*, *ff. eod.* & quoniam beneficium Eccleſiaſticum obtineri non poteſt ſine inſtitutione canonica illius Prælati, ad quem collatio pertinet, ut ſuprà in *c. Proximo;* idcircò nec poteſt renuntiari ſine ejuſdem Prælati licentia, ut hìc, *& in cap. Cum & plantare*, §. *In Eccleſiis*, *infr. de privil.* facit text. in *c. Verbum*, *de pœnit. diſt.* 1. ibi, *Dominus par jus & ſolvendi eſſe voluit, & ligandi.* Idem dicunt Legiſtæ de juriſdictionibus ſæcularibus: nam ſicut non poteſt quis propria authoritate illas adipiſci, ita nec adeptis renuntiare, niſi in manu Superioris, *l. Legatus Cæſari*, *ff. de off. præſid.* & hìc notat Bald. *in* 1. *notab.* 4 5

Ampliatur primò hæc concluſio, ut renuntiatio facta ſine authoritate Superioris uſque adeò ſit irrita, ut nec ſuſtineatur in præjudicium renuntiantis, ut *c. Quod in dubiis*, *cap. Niſi cum pridem*, *& cap. fin. infra eodem*, *& c.* 1. 17. *q.* 2. & gloſſ. un. quæ oppoſitum tenuit in *d. cap. Quod in dubiis*, *& in cap. Quod Dei timorem. in ver. Miniſtrare*, *infr. de ſtatu Monachor.* non eſt vera, & eam reprobant ferè omnes Doctores, ut ibi teſtatur Abb. *num.* 4. Ideòque renuntiatio facta in manibus non habentis poteſtatem admittendi reſignationem, non obſtat agenti contra intruſum in beneficio per ſe renuntiato, ut decidit Rota *deciſ.* 3. *Quidam primus in data de renunt. in antiqu.* & ſic renuntians ha- 6 7

habet verum jus in beneficio, & remanet in eo intitula-
tus, juxta veram opinionem Innoc. in *d.c. Quod in dubiis*,
ut dixit Rota in Antiquor. *deciſ.4.Quidam Cardinalis nu.*
2. verſic. Et licet etiam in ejus præjudicium, Nec benefi-
cium vacat, Put. *deciſ.* 420. *lib.*3. Caputaq. *dec.*45. *par.*1.
Mohed. *deciſ.*22. *de renunt. aliàs* 135. Adverte tamen, quia
hujuſmodi renuntiatio non præjudicat cedenti quoad ti-
tulum, & proprietatem; ſecus quoad poſſeſſionem, quia
perditur tamquam nihil habens ſpiritualitatis, *cap.fin.in-*
frà eod. & declarat Caſſador. *dec.*2. *nu.*3. *de renunc.* poſt In-
noc. in *d. c. Quod in dubiis nu.* 1. & Abb. *nu.* 8. Rota *dec.*
519. *nu.* 2. *par.* 1. *diverſ.*

8 Ampliatur ſecundò eadem concluſio, ut procedat etiam
in electo ad ſecundam Eccleſiam: nam etſi talis poſſit eli-
gi, & electioni de ſe factæ conſentire, ut dicam infrà in
ſecunda limitatione *nu.* 20. non tamen poteſt ſe effectua-
liter transferre ſine licentia, ut hìc, *&* 71. *diſt. per tot.* ſe-
cundùm Hoſtien. *hic nu.* 15. *verſic. Hoc etiam notandum*,
Joan. Andr. *nu.* 13. *eod. verſ.* Bellam. *nu.* 1. & Butr. *nu.* 11.
9 Alioquin revocari poſſunt, & ſi admoniti non redierint,
ſunt excommunicandi, *cap. Si qui verò, & cap.ſeqq.*7.*q.*1.
10 & hæc eſt canonica ultio, de qua loquitur hoc *c. in fin.* ſe-
cundùm gloſſ. *ult.* & liberum erit Epiſcopo, ad quem per-
tinet prima Eccleſia, quoad ſubſtitutionem, & alia ſpiri-
tualia providere, & eum, qui tranſit revocare, ad primam
Eccleſiam, vel potiùs eum non licentiare, ſed in prima
Eccleſia retinere, cui non præjudicat illius tranſitus, *cap.*
Quod in dubiis, infra eodem, ſecundùm Innoc. *hic nu.* 1.
11 *verſ. Eſt tamen licitum*. Quo fit, ut habens jus eligendi,
vel præſentandi ad ſecundam Eccleſiam, non ſtatim debeat
eligere, vel præſentare; ſed ante perquirere ab Epiſcopo,
an ratum habeat illius tranſitum: qui ſi ter charitativè mo-
nitus ſufficienter reſpondere noluerit, ex tunc infrà ſex
menſes fiat electio, arg. *cap. fin. ſup. de elect. & cap.*1. *infr.*
de ſupplen. neglig. Prælator. Quod intelligit Joan. Andr. *n.*
13. *circa fin.* ſi requiſitio non fuit moroſa, ut in *d. c. fin.*
Vel certè Prælatus ſecundæ Eccleſiæ poterit ipſimet electo
modicum tempus præfigere, infrà quod à primo diœceſa-
no licentiam obtineat; quo elapſo, & licentia non obten-
ta, erit ſecundæ Eccleſiæ de perſona alia providendum,
arg. *cap. Quoniam frequenter, §. Si vero aliter, infrà, Ut*
lit. non conteſtat. c. Quia nonnulli, c. Relatum, & c. fin. de
Cler. non reſid. ſecundùm Innoc. *hic nu.*3. Hoſtienſ. *nu.* 15.
verſ. Hoc etiam notandum, Jo. And. *nu.* 13. *eodem verſ.* &
12 notatur in *c. Cùm in cunctis, ſup. de elect.* Nec obſtat *cap.*
De multa, infr. de præbend. nu. 12. ubi per tranſitum ad
ſecundam vacat prima ipſo jure, Quoniam ſecundùm
Hoſt. & Joan. Andr. illud intelligitur, quando tranſit de
licentia Prælati; alloquin non vacat prima, licèt ea pri-
vari poſſit, ut *cap. penult. & fin. infrà de Cleric. non reſid.* &
hoc infrà ſex menſes, ultrà quos beneficium vacare non
debet, *c.*2. *de conceſſ. præb.* nam ipſis elapſis diœceſanus vi-
detur translationem tacitè ratificaſſe, & conſentit Butr.
n. 12. licèt Card. controvertat *n.* 1. *in* 3. *oppoſit. & in* 4. *q.*
Nam ſecundùm eum, quamvis hoc caſu non vacet benefi-
cium reſpectu Superioris, qui non conſentit; vacat tamen
quoad eum, qui ſecundum beneficium aſſequitur. Verum-
tamen, ut ſubdunt Hoſt. *nu.* 15. *circa fin.* & Joan. Andr. *n.*
16. etſi prædicta de jure ſcripto vera ſint; tales tamen quo-
tidie ſine licentia eliguntur, & electioni de ſe factæ con-
ſentiunt, ſe transferunt, & recipiuntur & ex eo quo ſic
translati recepti ſunt ad Prælaturam, ſive Rectoriam Ec-
cleſiæ cum cura, priora beneficia, quæ habebant ſimilia,
ipſo jure intelliguntur vacare; quæ tamen, & plerumque
de facto retinent. Et itaut ex his colligit Card. in 4. *qu. hoc*
cap. non eſt in obſervantia. Nam Superiores non curant, ut
beneficiati recedant de beneficiis, quin potiùs contenti
ſunt, ut poſſint aliis conferre. Sed his omnibus, ſecun-
dùm eos, poteſt non improbabiliter reſponderi: Multa per
patientiam tolerantur, *& c. c. Cum jam Dudum, in fin. in in-*
13 *fr. de præbend.* Adverte tamen, quia de jure, ſi Clericus tran-
ſeat ad aliam Eccleſiam ejuſdem diœceſis, ſufficit tacitus
conſenſus Prælati ſui; ſed ſi alterius diœceſis, requiritur
expreſſus, ſecundùm Tancr. & Vicentium *hic*, cum quibus
tranſeunt Hoſt. *n.*13. *verſ. Sed ſi in eod. Epiſcopatu*, Jo. Andr.
*nu.*5. Butr. *nu.* 8. Card. *in* 9. *q.* & Anchar. *in* 2. *notab.*

14 Ampliatur tertiò prædicta concluſio, ut vendicet ſibi lo-
cum etiam in Clericis inferiorum Prælatorum, ut Abba-
tum, & conſimilium, ſine quorum conſenſu Eccleſias di-
mittere non debent, *c.*1. *&* 2. 63. *diſt. & c.*1. 53. *diſt.* gloſ.
ult. hic, Joan. Andr. *nu.* 11. Bald. *nu.* 1. *verſ. Dicit Ber.* Butr.
nu. 9. *verſ. Si non ſpectat*, & Card. *in* 1. *q.* De hac tamen
renuntiatione in manibus inferioris Prælati, vide Henric.
Boich. in *c. Significatum n.* 6. *infr. de præb.* & omninò Bel-
lam. *hic in* 4. *quæſt.*

Ampliatur quartò, ut procedat etiam in Clericis bene- 15
ficium Eccleſiaſticum non habentibus, ſed tantùm ſervi-
tio alicujus Eccleſiæ in ordinatione adſcriptis, juxta Con-
cil. Trid. *c.*16. *ſeſſ.*23. nam nec tales debent locum deſerere
inconſulto Epiſcopo, ut dicitur in *d.c.*16. id eſt, ſine conſen-
ſu Epiſcopi, prout hæc verba exponuntur hìc, & in *c. Cùm*
& plantare, §. In Eccleſiis, infr. de privileg. ut dictum eſt ſu-
pra in 2. *not.* Quòd ſi deſeruerint, ſacrorum exercitium eſt
eis interdicendum, ad præſcriptum ſexti Canonis Conc.
Chalcedon. qui refertur in *c. Neminem*, 70. *diſt.* & à Trid. Sy-
nodo innovatur *d. cap.* 16. Unde cavendum eſt à modernis
Collectoribus *hic n.*7. dum aliis relatis dixerunt, Presbyte-
ris, & Clericis non habentibus beneficium in titulum per-
ſonalem reſidentiam requirens, licitum eſſe ire quò velint,
& Ordinarios teneri eis litteras commendatitias conce-
dere, Hoc enim eſt contra præcitatum Conc. decretum: &
vide quod ſcripſi in *c. Cùm omnes n.*19. *ſup. de conſtit. & in c.*
*Significavit nu.*4. *infr. de Paroch.* & quod dicam infrà *n.* 37.

Ampliatur quintò, ut locum habeat non ſolùm in Cleri- 16
cis, ſed etiam in laicis reſpectu Hoſpitalium: nam nec illo-
rum adminiſtrationem ingredi licet, vel dimittere ſine au-
thoritate diœceſani, cùm & illa ſint ſub diſpoſitione Epi-
ſcopi, *cap. De Xenodochiis, infr. De relig. domib.* etiam ſi per
laicos adminiſtrentur, *c. Quidam Monachorum*, 18. *q.*2. de
quo hodie proviſum eſt in Clem. *Quia contingit, de relig.*
domib. innovata à Concilio Trident. *ſeſſ.*7. *cap. ult.* Atq; ita
verbum, *Perſonis*, hìc poſitum, latè intelligitur etiam de
laicis ſecundùm Hoſt. *n.*2. & apertiùs Jo. Andr. *n.*3. Butr. *nu.* 17
7. Card. & Anchar. *in* 1. *notab.* Limita nunc concluſionem
ſuperiùs firmatam, qua dictum eſt, Clericos nòn poſſe be-
neficia dimittere, aut ad aliam Eccleſiam tranſire ſine diœ-
ceſani licentia, ut non procedat, ſi ad Religionem tran-
ſire voluerint, *c. Licèt infrà de regular.* ſecundùm gloſſ. *ult.*
hic, Innoc. *n.*1. *in ver. Admittere*, Hoſt. *n.*15. *in ver. Incon-*
ſulto, Jo. Andr. *nu.* 8. *in eod. ver.* & Anchar. *n.*3. Quod ſin-
gulariter nota, quia ampliat diſpoſitionem prædictæ Decre-
talis, *Licèt*, ut ſicut de laxiori ad ſtrictiorem Religionem
poteſt quis tranſire licentia petita, licèt non obtenta, ut
ibi dicitur: ita etiam poſſit de Eccleſia ſæculari tranſire ad
Religione ſola licentia petita, ut hìc per Butr. *nu.* 6. *verſ.*
Quod nota. Non obſtat, quòd hoc modo fieri poſſit fraus 18
huic Conſtitutioni: nam volens beneficium dimittere in-
vito Epiſcopo, poterit Religionem ingredi probationis
cauſa, & cum proteſtatione ſe non obligandi Religioni
etiam in genere, & hodie etiam ſine tali proteſtatione, ut
in decreto Conc. Trident. *cap.*15. *in fin. ſeſſ.*25. *de regular.*
& de ipſius conſenſu poterit ab Epiſcopo beneficium con-
ferri, ut in *cap. Beneficium, de regular. lib.*6. quo collato,
Religione exibit. Id, inquam, non obſtat, quoniam,
ut reſpondet Joan. Andr. *nu.* 8. & Butr. *nu.* 9. ex quo Epi- 19
ſcopus contulit, nulli poteſt fraus fieri, *c. Scienti, de regul.*
*jur. lib.*6. Adverte tamen, quia Decretalis, *Beneficium*, pro-
cedit in collatore, non autem in electore; quod probat
littera ibi, *Conferendum*. Unde ſi exiſtens infrà annum
probationis conſentiat, ut ad ſuam dignitatem, vel bene-
ficium electivum alius eligatur, non tenet electio, quia
non eſt facta de beneficio vacante, cùm iſte non ſit modus
renuntiandi, & nulla eſſet etiam expreſſa renuntiatio
facta in manibus non ſui Prælati, *cap. penult. & ultim. infr.*
eod. Quare hoc caſu benè fieret fraus confirmanti, vel in-
ſtituenti, in cujus manibus fieri debet renuntiatio, ut
hìc; ſecus autem eſt in beneficio, quod teneret per colla-
tionem Prælati: ſi enim in probatione poſitus conſentiret,
ut Prælatus conferret, valeret collatio; quia per hoc vide-
retur Novitius tacitè renuntiaſſe: & in hoc caſu intelligas
*d. cap. Beneficium, de regul. lib.*6. ut poſt Hoſt. notabiliter de-
clarat Jo. Andr. *hic n.*8. *verſ. Eligi autem*, & fuſiùs *in c. Ex*
*ore n.*5. *verſ. Quòd ſi electus, infrà, de his, quæ fiunt à major.*
par. cap. & ſequitur Butr. *hic nu.* 9. *verſ. Sed ſi beneficium*
eſſet electivum, & Card. *nu.* 1. *in* 1. *oppoſit.*

Deindè limita propoſitam concluſionem, ut procedat 20
in

in eo, qui Eccleſiam dimittit, vel ad aliam effectualiter ſe transfert; non autem in eo, qui ſimpliciter ad ſecundam Eccleſiam eligitur; talis enim ſine licentia Superioris poteſt conſentire electioni de ſe factæ ad aliam Eccleſiam, etiam alterius Epiſcopatus, & qui eum eligunt non peccant, cùm nullibi hoc reperiatur prohibitum, *c. Cum inter Canonicos*, ubi de hoc, *ſuprà de elect.* ſecundùm gloſ. ultim. hìc *circa fin.* Inn. *in princ in ver. Intrare*, Bellam. *nu.* 1. Butr. *nu.* 10. & Card. *in* 8. *quæſt.* Et quamvis contrarium ſentiat Hoſtienſ. *nu.* 11. ubi prolixè conatur defendere Clericum eligi non poſſe ad aliam Eccleſiam, ſed poſtulari ad inſtar Epiſcopi; ejus tamen opinio hodie reprobatur in Decretali, *Si Abbatem de elect. lib.* 6. ut ibi notatur per gl. *in ver.*
21 *Elegiſtis*, & per Jo. Andr. hìc *nu.* 18. & Butr. *nu.* 15. Speciale enim eſt in Epiſcopo, ut non poſſit ad aliam Eccleſiam eligi, ſed poſtulari, quia alas habet ligatas nexibus præceptorum, *ut cap. final. ſuprà de poſtulat. Prælat. & cap. Niſi cùm pridem infrà hoc tit.* in quo conſentiunt omnes *in*
22 *d. cap. Si Abbatem*. Fateor tamen cum gloſ. ult. hìc *ad fin.* & Innoc. *ubi ſup.* & Cardin. *in* 7. *qu.* quòd Clericus ad aliam Eccleſiam electus debet implorare licentiam Epiſcopi ſui, qui, ſi renuerit malitioſè conſentire tranſlationi, cogendus erit per Superiorem, *c. Nullus infrà de jure patr.*

23 QUÆRO, an obtinens beneficium, illud dimittere poſſit acceptando aliud beneficium incompatibile, contra voluntatem Superioris primi beneficii.

24 Pro ſolutione præſentis queſtionis videtur inquirendum, an Rectores beneficiorum poſſint illa invito Superiore dimittere. Ad partem negativam arguitur, quia cùm beneficia propter officium, ſeu ſervitium conferantur, *cap. fin. de reſcript. lib.* 6. acceptando quis beneficium videtur quaſi contrahere cum Eccleſia, & ſe obligare ad ſerviendum, ut eſt textus notab. *in cap. Niſi cùm pridem, verſ. Verum infrà eodem.* Undè quamvis ab initio liberum ei fuerit beneficium acceptare, vel non; tamen ex quo ſemel acceptavit, non poteſt liberè recedere, arg. *l. Sicut, C. de action. & obligat. & cap. Quod ſemel de regul. jur. lib.* 6. & ita per hanc rationem hoc c. habere locum etiam in beneficiis ſimplicibus, firmat Card. hìc *in* 8. *quæſt.* Pro quo etiam facit, quia hæc litera non diſtinguit inter beneficium requirens reſidentiam, vel non; ſed generaliter ſtatuit, ne quis ſine conſenſu Prælati beneficium dimittat, alioquin etiam excommunicatur; ergo nec nos diſtingere debemus, *cap. Si dormierit* 31. *q.* 1. gloſ. *in l. De pretio, per illum textum, ff. De publicat. in rem act.* Imò de hoc videtur textus ſatis expreſſus *in cap. Si quis verò* 7. *q.* 1. ubi ſic legitur: *Si quis verò ab Eccleſia ſua, ſive Presbyter, ſive Diaconus, vel in quocumque ordine poſitus fuerit, receſſerit, cùm omni neceſſitate cogatur, ut redeat ad ſuam Eccleſiam: quod ſi permanſerit,*
25 *excommunicari eum oportet.* Breviter puto ſic poſſe diſtingui: nam aut agitur de beneficiis curatis, & quinam his dicitur contrahi quaſi matrimonium, *cap. Sicut* 21. *q.* 2. *& d. cap. Niſi, verſ. Verum infrà eod.* cenſeo procedere prædictam opinionem negativam; quam etiam approbat Hoſt. *in ſumma de poſtulat. Prælat.* §. *Quis poſtulandus nu.* 7. Card. hìc *q.* 4. *& in Clemen. fin. q.* 1. *de elect.* Pro quo facit Concilium Trident. *ſeſs.* 23. *cap.* 1. *in fin.* ubi tales coguntur ad reſidentiam per cenſuras; cùm tamen non eſſent excommunicandi, ſi poſſent beneficia invito Superiore dimittere. Et in hoc non videtur ſubeſſe difficultas; quamvis negandum non ſit, quin Superior ex cauſa quandoque teneatur admittere reſignationem, itaut alioqui poſſit per ſuum
26 Superiorem ad id cogi, arg. *cap. Clericos, & cap. ſeqq.* 71. *diſt.* & fuſiùs oſtenſum eſt ſuprà *nu.* 22. Aut agitur de aliis beneficiis, & tunc aut agitur de requirentibus perſonalem reſidentiam, ſeu perſonale ſervitium; & idem dicendum, quod ſuprà, & eiſdem rationibus, & ex Card. hìc *in præcitata q.* 8. Et de perſonatibus loquitur clarè Innoc. hìc *in princip. in ver. Intrare*, Jo. Andr. *nu.* 12. & Bellam. *num.* 1. Quibus ſuffragatur etiam Concil. Trident. *ſeſs.* 6. *cap.* 2. Nec obſtat textus *in cap. penult. & final. de Cleric. non reſiden.* ubi contra non reſidentes proceditur ad privationem beneficii, & nihil dicitur de præciſa coactione: nam ideò ibi fit mentio de dictâ privatione, quia magis timeri ſolet, & quia Prælatis magis placet, ut ſic de iis poſſint ſuis benevolis providere, adeòut ob id diſpoſitio hujus Decretalis deſierit quodammodò eſſe in uſu, ut patet ex dictis ſuprà *nu.* 11. *verſ. Veruntamen.* Sed ob hoc non tollitur, quia Prælati poſſint illa via omiſſa hanc coactivam aggredi. Simile adducitur de feudatario, qui ſi ſit obligatus ad certum ſervitium, non poteſt invito domino feudum renun- 27
tiare, ut notat gloſſ. *in c. Imperialem*, §. *Callidis, in ver. Amittant*, & ibi Bald. *de prohib. feud. alienat.* per Federic. Jo. Andr. *in Addit. ad Speculat. in tit. de locat.* §. *Nunc aliqua, verſ.* 128. & alii, quos ſequitur Felin. *in c. Quæ in Eccleſiarum, n.* 78. *de Conſtitut.*

Aut agitur de beneficio, cui nullum eſt annexum cer- 28
tum perſonale ſervitium; & tunc quia in hoc caſu horum beneficiorum collatio fit principaliter ad utilitatem illorum, quibus conferuntur, proviſi de illis, modò non impediantur ob contenta in Concilio Tridentino *ſeſs.* 21. *cap.* 2. *& in cap. Cùm ſecundum, de præben.* videntur poſſe eadem invito Superiore reſignare, per regulam, quòd quiſque poteſt ei renuntiare, quod pro ſe principaliter eſt introductum, *cap. Ad Apoſtolicam, infrà de regul. leg. Si quis in conſcribendo, Cod. De pact. cum ſimil.* ut etiam arguit Calder. *conſ.* 2. *de renuntiat.* Noc obſtat, quod notat Gemin. *in fine d. Conſilii*, videlicet æqualitatem debere 29
ſemper ſervari, adeò ut ſicut conferens non poteſt repetere ab invito, ita nec proviſus poſſit Superiori invito reſtituere: nam illud procedit in actu ultrò citroque obligatorio, non autem in hoc, in quo donatarius, ſeu proviſus ad nullum certum obligatur ſervitium, ut in ſimili in Feudatario diſtinguit gloſ. communiter recepta *in cap.* 1. *de cap. qui Curiam vendidit in uſibus feudor.* quam commendat Clar. *in* §. *Feudum, q.* 34. & probat Felin. *in d. cap. Quæ in Eccleſiarum, nu.* 78. Et ad prædicta etiam facit quod notat Abbas *in cap. Suis quæſtionibus, nu.* 7. *de præb.* ubi tenet 30
ordinatum ad titulum patrimonii non poſſe invitum detineri in Diœceſi, &c. hac motus conſideratione, quòd ratione patrimonii non remanet obligatus officiare certam Eccleſiam; & ſic ceſſat ratio, quare poſſit cogi. Licèt 31
aliud videatur dicendum poſt Concil. Triden. quo non poteſt quis ad titulum patrimonii ordinari, niſi pro utilitate, vel neceſſitate Eccleſiæ; *ut in d. cap.* 2. *ſeſs.* 21. Accedit etiam argumentum à ceſſante ratione: Nam ratio, quare 32
proviſi de beneficiis non poſſunt illa invitis Superioribus reſignare, eſt, ne inde Superioribus fiat præjudicium, ut notat gloſ. *in cap. Si electio, in ver. Renuntiat. de elect. lib.* 6. quam ad hoc propoſitum ponderat Calderin. *d. conſ.* 2. quę ratio etiam colligitur ex hac Decretali: ſed hæc ratio in noſtro ceſſat caſu: ergo & diſpoſitio ceſſabit, *l. Adigere*, §. *Quamvis, ff. De jure patron.* Et quamvis Card. hìc *q.* 8. videatur ſentire hunc textum procedere in omnibus benefi- 33
ciis ſimplicibus: tamen videtur loqui de illis, quibus eſt annexum aliquod certum perſonale ſervitium, dum fundat ſe in ea ratione, quia beneficiatus cenſetur quaſi contrahere cum Eccleſia, & ſe obligare ad ſerviendum, & allegat text. *in cap. Niſi*, §. *Verum, infrà eod.* qui loquitur in Epiſcopo, ibi, *Non debes deſerere ſponſam tuam, cui deſigendo manum per extraneum te fide media copulaſti.* Præterea ad doctrinam Card. *& ad d. c. Si quis vero*, 7. *q.* 1. *& ad regul. d.*
cap. fin. de reſcr. lib. 6. reſpond. procedere ſecundùm anti- 34
qua tempora, quando beneficia requirebant perſonalem reſidentiam, *cap. Conquerente, infr. de Cler. non reſident.* & notat ſatis ad propoſitum noſtrum Præpoſ. *in cap. Sanctorum, col.* 2. *diſt.* 70. At cum hodie beneficia ſimplicia perſonalem reſidentiam non requirant ex generali conſuetudine, de quâ teſtantur *in c. Cum jam dudum, de præb.* Innoc. *nu.* 1. Hoſtienſ. & Joan. Andr. *ambo num.* 3. Cardinal. *nu.* 11. & Anchar. *nu.* 6. ex eorum reſignatione Superior nullum poteſt prætendere intereſſe: nam nec ea obtinentes poteſt, ut reſideant in Epiſcopatu cogere, & aliàs cenſuit Sac. Congregatio Concil. Epiſcoporum, ac Regular. negotiis præpoſita. Undè non eſt ratio, quare ſic proviſus cogi poſ- 35
ſit, ut beneficium invitus retineat, cùm beneficium in invitum non conferatur, quando agitur de commodo ipſius contradicentis dumtaxat, gloſs. *Inſtitut. quib. mod. toll. obligat. in addit. in princip. in ver. Solutio*, & favori ſuo poſſit quiſque renuntiare, *d. cap. Ad Apoſtolicam, de regularibus.* Ideòque Hoſt. *in ſumma hoc titul.* §. *Quis re-* 36
nuntiare, num. 6. ſimpliciter dicit: *Clericum poſse renuntiare, modo non habeat alas ligatas, ut eſt Prælatus, qui datur, & aſſumitur non pro ſe ſolo, ſed propter alios, ut præſit, & proſit, d. cap. Niſi cum pridem, infrà eod.* & ſenſit Innoc. hìc *in princ. in ver. Intrare*, dum dixit hanc Decretalem

lem eſſe intelligendam in perſonatibus, non autem in beneficiis compatibilibus, & conſentiunt Jo. Andr. *nu.* 12. & Bellam. *nu.* 1.

Ex quibus, ut ad quæſtionem propoſitam deſcendamus, videtur ſic poſſe reſponderi: Aut beneficium, quod quis vult renuntiare, eſt curatum, vel habet annexum certum perſonale ſervitium; & non poteſt illud invito Superiore reſignare, nec ſimpliciter, nec acceptando aliud huic incompatibile; quia licèt dubium ſit, an quoad ipſum per adeptionem ſecundi vacet primum; tamen non vacat reſpectu Superioris, Cardin. hìc *in 4. quæſt. & in d. Clem. fin. q.* 1. *de elect.* gloſſ. 1. *in cap. Quod in dubiis, infrà eod.* Aut eſt omninò ſimplex, & poteſt illud reſignare, etiam acceptando aliud. Nam ſi poteſt illud dimittere ſimpliciter, ut ſuperiùs probatum eſt, longè magis poterit per aſſecutionem alterius, cùm hæc dimiſſio habeat fomentum, & calorem ex juris diſpoſitione, argum. *c. Litteras, infrà de conceſſ. præbend.* Nec obſtat Concil. *ſeſſ.* 24. *c.* 17. ubi habenti unum ſufficiens non debet, ſeu poteſt ordinario jure aliud conferri: nam intelligitur de eo, qui vult utrumque retinere; non autem de illo, qui primum reſignat, vel reſignare vult, ut plenè notavi *in cap. Cùm jam dudum, infrà de præben.* Item nec videtur obſta- 37
re id, quod habetur *ſeſſ.* 23. *cap.* 16. nam illud cap. non loquitur de dimiſſione beneficii obtenti, ſed de eo, qui in ſua ordinatione permiſit ſe abſcribi, ac tamquam ſervum aſcriptitium mancipari ſervitio Eccleſiæ, pro cujus utilitate eſt ordinatus. Unde non mirum, ſi eo caſu locum deſerere non poteſt inconſulto Epiſcopo, ſecundùm Canonem ſextum Concil. Chalcedon. ibi innovatum, ut dixi ſupra *in 4. ampliat. nu.* 15. Nos autem agimus de illis beneficiis, quæ nullo egent ſervitio. Unde nulla ſubeſt ratio, cur proviſi in eis inviti detineantur. Et in hanc ſententiam olim propendit S. Congregatio Concilii, quamvis dixerit hujus dubitationis ſolutionem propriè ad ſe non pertinere, ſed petendam eſſe à jure communi.

DE RENUNTIATIONE.

Innocentius III. Eboracen. Archiepiſcopo.

CAPUT XI.

AD ſupplicationem Raguſien. Archiepiſcopi, eum à cura, qua tenebatur Eccleſiæ Raguſien. duximus abſolvendum, eò quòd ibi non poterat ſecurè morari, & ſi acceſſum haberet ad illam, mortis ſibi periculum imminebat: & infrà Ne verò idem in vituperium miniſterii noſtri, defectum in rebus temporalibus patiatur: mandamus, quatenus beneficium, quod de liberalitate regia, ac conceſſione tua, in Epiſcopatu Carleoli, & Eccleſia de Malebron eſt illi collatum, ad ſuſtentationem conſerves ipſius: cui conceſſimus, ut in ipſo Epiſcopatu abſque uſu pallii, officium Epiſcopale valeat exercere, tibi tamquam Metropolitano reverentiam, & obedientiam impenſurus.

S U M M A R I U M.

1 *PApa concedit licentiam cedendi Epiſcopo, qui ſine mortis periculo in Eccleſia ſua morari non poteſt.*

2 *Renuntiationis legitima cauſa eſt, cum Epiſcopus acceſſum non habet ad Eccleſiam ſine periculo mortis.*

3 *Renuntians Archiepiſcopatui deſinit eſſe Archiepiſcopus, & remanet tantum Epiſcopus, & exhibet obedientiam Archiepiſcopo, in cujus diœceſi moratur.*

4 *Dignitatem perdens poteſt deſcendere ad minorem.*

5 *Archiepiſcopus, qui renutiavit Archiepiſcopatui, poteſt exercere Pontificalia in loco exempto etiam ſine licentia Ordinarii, vel de alienis Clericis ſibi miſſis; ſed pallio uti non poteſt etiam de Diœceſani licentia.*

6 *Epiſcopus poteſt petere ceſſionem à Papa, cum habet in Eccleſia ſua capitales inimicitias, & n. ſeqq. uſque ad num.* 15.

Declaratur ut n. 13. *& n.* 14.

7 *Salvo conductui non tenetur quis credere, quando habet in loco capitales inimicos.*

8 *Citatus ad locum non tutum non tenetur comparere.*

9 *Locus non tutus dicitur, ubi quis habet inimicos capitales.*

10 *Citatus ad locum turpem, vel inhoneſtum, non tenetur comparere.*

11 *Guelphus non tenetur comparere, ſi citatur in loco, ubi regnant Gibellini.*

12 *Inimicitiæ capitales an excuſent à reſidentia.*

13 *Inimicitiæ capitales præbent legitimam cauſam cedendi, dummodò ſint veriſimiliter duraturæ.*

14 *Et dummodo ſubditorum ſaluti poſſit per alium provideri.*

15 *Aeris intemperies an, & quando ſit juſta cauſa petendi ceſſionem, & n. ſeqq. uſque in fin.*

16 *Translatus ad ſecundum beneficium ignorans malignitatem aeris habet regreſſum ad primum.*

17 *Citatus excuſatur à comparendo in loco, ubi viget peſtis; & nu.* 20.

18 *Aeris intemperies an excuſet à reſidentia.*

19 *Peſtis an à reſidentia excuſet, & n.* 22.

21 *Peſtilentia præbet juſtam cauſam cedendi, dummodò ſit perpetua, vel longo tempore duratura; aliàs ſecus, ſecundum opinionem Baldi.*

Sed contra n. 22. *Declara n.* 23.

22 *Peſtis tempore Epiſcopus nec in perpetuum, nec ad tempus poteſt Eccleſiam deſerere.*

24 *Citatus in loco ad quem acceſus eſt multiplex, non excuſatur, niſi probet nullum ex illis acceſſibus eſſe tutum.*

25 *Balneoregienſis Epiſcopi ceſſio admittitur, propterea quod in ea civitate, vel diœceſi ob aeris intemperiem ſine mortis periculo morari non poterat.*

A*D ſupplicationem.* Papa concedit licentiam cedendi 1
Epiſcopo, qui ſine mortis periculo in Eccleſia ſua morari non poteſt. Hoc dicit, Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Card. Anchar. Imol. Abb. & Jo. de Anan. Dividitur in tres partes. Primò recitat renuntiationis admiſſionem, & ejus cauſam. Secundò cauſam mandati, & ipſum mandatum, ibi, *Ne verò.* Tertiò conceſſionem illi factam, & ipſius moderationem, ibi, *Cui.*

Nota primò ex textu unam legitimam cauſam cedendi, 2
videlicet cum Epiſcopus acceſſum non habet ad Eccleſiam ſuam ſine mortis periculo, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes: & nota practicam probandi, quem non poſſe in loco ſecurè morari, quando ſcilicet ibi timetur periculum mortis, ut clarè demonſtrant verba illa textus: *Eo quod non poterat ibi ſecure morari, & ſi acceſſum haberet ad illam, mortis ſibi periculum imminebat.* Et hìc notat Butr. Imol. & Abb. omnes *n.* 2.

Secundò nota in verſ. *Ne verò*, iſtum Archiepiſcopum

hic

hic deſcendere ad minorem dignitatem, quia ex Archiepi-
3 ſcopo efficitur Plebanus, ut hic in gloſſ.3. Unde ſignatur contrarium *in cap.* 1. *& cap. Licèt. de translatione Epiſcopi, in cap. Egimus, in fin.* 93. *diſt. & in l.* 3. *C. Quemadmodum, Civil. muner. judic. lib.*10. Gloſſa ultima non ſolvit. Sed tu dic ſecundùm Hoſtienſ. *in d.cap.*5.*num.*7. quoniam iſte Archiepiſcopus ceſſit, jam fuit dearchiepiſcopatus, & remanſit tantùm Epiſcopus; & hæc eſt ratio, cur Archiepiſcopus Raguſinus hic jubeatur exhibere reverentiam, & obedientiam alteri Archiepiſcopo Eboracen. Neque hoc eſt inconveniens, quaſi pari obedientiam exhibeat; quia per renuntiationem deſinit eſſe Archiepiſcopus, & remanet Epiſcopus, ſecundùm Boatin. cum quo tranſeunt hic Jo.Andr.*n.*5. & Card.*in* 4.*notab.*& communiter Docto-
4 res. Nec in proviſione beneficii inſpicitur aſcenſus, quin potiùs ſuſtentationi neceſſariæ ſubvenitur: unde nil mirum, ſi in tali caſu etiam de Parochiali Eccleſia illi providetur, ut hic ſecundùm Hoſt. Unde & Bald.*n.* 2. ex hoc textu notat, quòd major qui perdit dignitatem, poteſt deſcendere ad minora, & licèt Archiepiſcopus remaneat Epiſcopus quoad dignitatem, non tamen quoad adminiſtrationem.

5 Ultimò nota ibi, *Abſque uſu pallii officium Epiſcopale valeat exercere*, Archiepiſcopum, qui renuntiavit Archiepiſcopatui, poſſe quidem exercere Pontificalia in alterius diœceſi de Ordinarii licentia, & in loco exempto, etiam ſine licentia, vel de alienis Clericis ſibi miſſis, ut hæc indulgentiam aliquid operetur, ſecundùm Hoſt.*n.*4.*in ver. Officium Epiſcopale*, & Jo.Andr.*eodem n. & ver.* Sed non poteſt uti pallio etiam de licentia Diœceſani; ut in textu. Hoc tamen ideò eſt, quia ex quo Eccleſiam Archiepiſcopalem dimiſit, utique non debet uti pallio, ſecundùm Hoſt. *n.*4.*in ver. Abſque pallii*, & Jo.Andr.*eod.n.*4. *in ver. Abſque uſu*.

6 In gloſſa prima nota duas cauſas, ob quas Epiſcopus nequit in Eccleſia ſua ſecurè morari, & ideò poteſt cedendi licentiam poſtulare. Una eſt cum habet ibi inimicitias capitales, *cap. Bonæ memoriæ*, *il* 1. *ſuprà de elect. cap. Niſi cum pridem*, §. *Propter malitiam, infrà eodem*: & exemplificat Bernardus hic poſt caſum dicens, Nota quòd cum quis timet interfici in Eccleſia ſua, poteſt petere ceſſionem, & firmat præcitata gloſſa, cùm quia concordant Abb.An-
7 tiq. Hoſtien. & omnes, ut infrà ſubjiciam *num.*15. Ad hoc facit textus optimus *in cap. Accedens, il ſecundo infrà, ut*
8 *lite non conteſtat.* ubi non tenetur quis credere litteris ſalviconductus, quando habet in loco capitales inimicitias, quia non debet ſe credere inimicis capitalibus propter mortis periculum; qui textus reputatur ab omnibus ſingularis, ut inquit Felin.*ibi*, *n.*2. Item facit, quia citatus ad locum non tutum non tenetur comparere, Clement. *Paſtoralis*, §. *Piſanaque de re jud.* gloſſ. penult. *in fin. in Clem. Appellanti. De appell.* Speculat. *in tit. de Citat.* §. 1. *num.* 10. *verſ. Item quod citatus*, & dicitur locus non tutus propter
9 potentiam citantis, qui fortè eſt inimicus citati, argum. *l.* 4. *cum tribus ſeqq. ff. de donat. cauſ. mor. l. Fulcinius*, §. *Quid ſit latitare, ff. ex quibus cauſ. in poſseſs. datur, & l. Mortis*, §. *Si autem, ff. de pœn. & propter in cap. De cætero, inf. de ſent. excomm.* Vel etiam ſi familiares potentis citantis ſint manifeſti inimici, quia talis citatus non tenetur ibi comparere, nec mittere excuſatorem, ſicut nec tenetur quis ad talem locum legationem ſuſcipere, *ut l. Sciendum*, §. *Si*
10 *accuſatio, ff. de legat.* & tamen ad legationem ſuſcipiendam quis arctatur, ut in *l. fin.* §. *legat. ff. de mun. & honor.* Item ſi citatus ad locum inhoneſtum non tenetur comparere propter conſervationem famæ, *ut l. Si cum dies*, §. *penult. ff. de arbitr.* Multò fortiùs ſi ſit facta ad eum locum, in quo eſt periculum vitæ, juxta leg. dicentem; nam cujus famæ, multò fortius parcendum eſt vitæ, *ut l. Si adulter, & l. Si adulterium cum inceſtu*, §. *Liberto, ff. ad l. Jul. de adult.* Ita argumentatur Oldrad. *in conſ.*43. *Quæritur*, quem ſequitur Mar.Socin. *in rubrica de dilationibus, ſeu in tract. de citatio-*
11 *nib. art.*18.*n.*5.*&* 6.*pag.*24.& ante eos notat Specul. *in tit. de citat. d.* §. 1. *nu.*10. Item facit gloſ. *in c. Statutum.* §. 1. *in ver. Non audiens, de reſcr. lib.*6. ubi quòd ſi citatur Guelphus in loco ubi regnant Gibellini, non tenetur comparere: & eam ſequitur Felin. *in d.c. Accedens, nu.* 14. *Ut lite non conteſt.*
12 Item facit, quia inimicitiæ capitales excuſant quem à reſidentia, ut tenet gloſ. communiter approbata *in c. ult. in ver. Excuſationem, de Cler. non reſid.* de quo tamen dic, ut ibi ſcripſi *à nu.*22. *in qu.* an Parochus excuſetur à reſidentia propter inimicitias. Ex quibus ſatis roboratur concluſio gloſſæ noſtræ, quòd inimicitiæ capitales præbeant legitimam cauſam cedendi.

Recipit tamen hæc concluſio duas declarationes. Prima 13
dummodò inimicitiæ ſint veriſimiliter duraturæ, aliàs enim eſſet admittenda ceſſio, ſed danda eſſet dilatio Epiſcopo morandi extra diœceſim in aliquo propinquiori, ac tutiori loco ad aliquod breve tempus, durantibus dumtaxat inimicitiis, ut obſervat S.Congreg.Conc. quæ in Parocho ſolet etiam adjicere aliam conditionem, dummodò inimicitiæ ſine ejus culpa, & antequam Eccleſiam obtinuit, ſint exortæ, ut in formula litterarum, quam poſui *in d. c. ult. n.*25. *de Cler. non reſid.* Secunda declaratio eſt, dummo- 14
dò ſubditorum ſaluti poſſit per alium provideri, aliàs ſecus, ut *c. Adverſitas*, §. *Hoc tunc ſervandum*, 7.*q.*1.& egregiè declarat S.Tho. in 2.2.*q.*185. *art.*5. *in corp.* Inn. & omnes *in c. Niſi cum pridem, inf. eod.* dixi in *c. Ex parte*, *nu.*78. *de Cler. non reſid.*

Alia cauſa, propter quam Epiſcopus ſecurè morari non 15
poteſt in Eccleſia ſua, & ideò poteſt ceſſionem petere, eſt aeris intemperies: & hanc primo loco recenſet hic prællegata gloſsa prima, quæ exponens verba illa textus: Eo quòd ibi non poteras ſecurè morari, exemplificat dicens: Forſitan propter intemperiem aeris, vel quia habebat capitales inimicos. Similiter Abb.Antiq. hic *in princ.* ſic ſummat textum: Propter intemperiem aeris, vel inimicitias quis poteſt petere ceſſionem, & concordant Hoſt. *in princ. in ver. Securè morari*, & Bald.*n.*5. Felin.*in d.c. Accedens, il* 2. *n.*11. *circa medium, verſ. Facit, d. c. Ut lite non conteſt.* Rebuff. *in Praxi benef. in tit. de reſignat. ex prim. ſub n.*2. Redoan. *de Simon. p.*2.*c.*13.*n.*11. *verſ. Item propter*, & noviſſimè Flam. Pariſ. *de reſign. benef. lib.* 5. *q.*3. *n.* 244. *& ſeq.* Ad hoc facit 16
tex. *in c. Quorumdam, cum gl.* 2. 74. *diſt.* ubi translatus ad ſecundum Beneficium ignorans malignitatem aeris habet regreſſum ad primum. Item facit, quia intemperies aeris excuſat citatum à comparendo, quaſi locus non ſit ſecurus, 17
ut per textum noſtrum, notat Bart. *in l. Recuſare*, §. *Si quis alio, n.*4. *ff. Ad Trebell.* & Felin. *in d.c. Accedens, n.*11. *verſ. Sexta concluſ.* Item facit gl. *in Clem. Ne in agro*, §. *Cæterùm*, 18
in ver. Cauſa rationabili. de ſtat. Monach. quæ inter cauſas rationabiles à reſidentia excuſantes recenſet infirmitatem, aeris intemperiem, & capitales inimicitias, & eam ſequitur Felin. *in prælleg. c. Accedens, nu.*11. *verſ. Sexta concluſ.* de quo tamen articulo tu dicas, ut ſcripſi *in d.c. ult. n.*35. *&* 48. *de Cler. non reſid. & in c. Licet, n.*45. *&* 57. *de præb.*

Sed hic incidit dubitatio, quæ ſit aeris intemperies, quæ præbet Epiſcopo legitimam cauſam petendi ceſſionem? Hoſt. *in c.* 1. *n.*3. *ſuprà eod.* dicit eſſe juſtam cauſam cedendi, ſi Epiſcopus erat delicatæ naturæ, & aer ſibi contrarius. Rebuff. & Redoanus *loc. cit.* & noviſſimè Flamin. Pariſ. *de reſign. benef. lib.*5. *q.*3. *n.*244. *& ſeqq.* dicit hanc eſſe communem opinionem, quando cęli gravitas eſt contraria naturę ipſius Epiſcopi: & hanc ob cauſam Greg. XII. ſe excuſavit, quare non venit ad Concilium Piſanum, timens illius loci, & aeris intemperiem, ut refert Mar.Socin. *in c. Veniens de accuſat. & in Rubr. de dilationibus, ſeu in tract. de citat. art.* 18. *n.*6. *ante med. verſ. Item etiam, alio modo, fol.*24. & poſt eum Felin. *in d.c. Accedens, nu.*11.

Communiter tamen Doctores *in d.c. ult. de Cler. non reſi-* 19
dent. loquentes de non reſidentia, in qua leviores cauſæ ſufficiunt, quàm in renuntiatione, accipiunt aeris intemperiem pro aeris corruptione, ſeu peſtilentia, ut in ſpecie Hoſt. *ibi, nu.*5. *poſt med. in ver. Excuſationem*, & concludit Ripa *in trat. de peſte, in tit. de privil. contr. n.*140. & eodem 20
modo Doctores, qui excuſant citatos à comparendo propter intemperiem aeris, intelligunt, quando in loco viget peſtis, & aer eſt corruptus: & ſic loquuntur Bart. & Mar.Socin. *ſupra citati n.*17. *&* 18. Imol. hic *n.*8. *circa med. verſ. Ubi vult. quod excuſetur quis ad comparendum in loco, ubi viget peſtis*, Jo.Andr. Butr. Abb. & alii *in c. Cum dilecti, de dolo, & contumacia*, quos ſequitur Felin. *in d.c. Accedens n.*11. *verſ. Dixit tamen Jo. Andr.* qui etiam dicit citatum non teneri experimentum facere, an ſua complexio, vel converſatio ibi ſit tuta, cùm hoc ſit periculoſum; ſed ſatis excuſari à comparendo, ſi medici dicant aerem eſſe corruptum, vel ſi peſtis contagioſa multùm invaluerit: & in terminis gloſſ. Bernardi ita intellexit Bald. hic *n.*5. ait enim: Dixit hic Bernar-

nardus, quòd propter peſtilentiam aeris, ſicut propter periculum mortis, debet admitti ceſſio; quod eſt verum, ubi eſt perpetua peſtilentia, vel longo tempore duratura, ut
22 in Sinigaglia, & Comacchia. Quid dicendum? magis placet prima opinio Hoſtienſis, quia tempore peſtis, non Prælato tantùm, ſed generaliter periculum omnibus imminet; & ideò cùm ſubditorum ſalus exigat perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod perſonale periculum imminens, cùm bonus Paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ovibus ſuis: textus eſt in *c. Adverſitas*. §. *Hoc tunc ſervandum*, 7. q. 1. & docet D. Thom. in 2. 2. q. 185. *art.* 5. *in corp.* & ita Epiſcopus ex cauſa peſtilentiæ non poteſt cedere, imò nec ad tempus abeſſe, cùm teneatur in Eccleſia ſua omninò reſidere, ut re diligentiſſimè examinata olim cenſuit S. Congregatio Concilii a S. Carolo Borromæo Archiepiſcopo Mediolanenſi conſulta, cujus ſententiam ad ſe relatam approbavit ſanct. mem. Gregorius XIII. ut plenè adnotavimus *in d. c. ult. à nu.* 37. & præſertim *n.* 46. *uſque ad n.* 52. *de Cler. non reſid.*

At verò cùm in loco non viget epidimia, ſeu peſtis formalis, & aeris qualitas non generaliter omnibus, ſed ipſi Prælato, & ejus complexioni ſpecialiter eſt infenſa, adeò ut non poſſit ibi reſidere ſine metu mortis: eo caſu cùm periculum non immineat omnibus generaliter, ſed ſoli Epiſcopo, & animarum ſalus tuta eſſe poſſit per alium Prelatum, cui cœli qualitas non ſit adverſa, & qui poſſit ibi ſecurè morari: utique ex hac cauſa poteſt Epiſcopus ceſſionem petere, & in hoc caſu poteſt intelligi ipſe textus. Et hanc differentiam, an periculum immineat omnibus, vel ſoli Prælato, latiùs proſequor *in d. c. ult. n.* 50. *& in c. Ex parte*, *n.* 78. *de Cler. non reſid.* poſt Innoc. & Doctores *in c. Niſi cum pridem*, *infrà eod.*

23 Hoc tamen videtur temperandum juxta ſententiam Baldi ſuperiùs relati *n.* 21. dummodò intemperies aeris veriſimiliter futura ſit contraria complexioni Epiſcopi in perpetuum, aut per longum tempus; de hac enim intemperiè intelligendus eſt Bald. & non de formali peſtilentia, ut oſtendunt exempla Signigallien. & Comachien. Secus verò ſi eſſet parùm duratura, quia tunc non eſſet juſta cauſa admittendi ceſſionem, ſed ſolùm dandi licentiam non reſidendi ad aliquot menſes extra diœceſim in aliquo viciniori, & tutiori loco, ut moris eſt S. Congregationis Concilii, ſecundùm ea, quæ ſcripſi *in c. Licèt*, *nu.* 46. *&* 47. *inf. de præb.*

Rurſus hoc temperandum eſt, dummodò intemperies aeris, ſeu cœli inclementia naturæ Epiſcopi adverſa vigeat non tantùm in civitate, ſed etiam in diœceſi; aliàs enim ſi reperiretur in diœceſi aliquis locus, in quo Epiſcopus poſſet ſecurè morari, ceſſio non eſſet admittenda, ut obſervat Flamin. Pariſ. *de reſign. benef. lib.* 5. *q.* 3. *n.* 244. & quamvis nihil alleget, tamen ſatis probatur ex doctrina Mar. Socin. *in rubr. de dilat. ſive in tract. de citationib. art.* 18. *n.* 5. *&* 6. *fol.* 24. *& in d. c. Accedens*, *il* 2. *in* 5. *notab. Ut lite non conteſt.* quam ibi ſequitur Felin. *n.* 10. *verſ. Et dicit Marianus*, videlicet quòd ſi acceſſus ad locum eſſet multiplex, non ſufficere, ſi citatus ad comparendum probaret unum acceſſum non eſſe tutum; ſed neceſſarium eſſet probare nullum ex illis acceſſibus eſſe tutum: aliàs probatio non eſſet concludens neceſſariò; quod dicit eſſe notandum pro cautela retinenda in practica in formandis articulis. 24

Porrò in S. Congregatione rerum Conſiſtorialium propoſito dubio, an ſit admittenda ceſſio Eccleſiæ Balneoregien. quam in manibus Sanctiſſimi facere liberè intendit R. P. D. Carolus Azolinus illius Epiſcopus, eò quòd cœlum tàm civitatis, quàm diœceſis Balneoregien. ut teſtes deponunt, adeò ſibi grave, & ſuæ complexioni contrarium ſit, ut morbum penè exitialem, nulla remedia ex illa aeris intemperie admittens, hactenùs paſſus, nuper ab alio cœlo valetudini redditus, ad ſuam Eccleſiam redire, & apud eam reſidere, niſi cùm certo vitæ periculo non poſſit: Die 11. Julii 1652. S. Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimus annuat, ceſſionem eſſe admittendam. 25

DE RENUNTIATIONE.

Idem Innocentius III. Archiepiſcopo Calaritano.

CAPUT X.

Niſi cùm pridem: & infrà. Si in hujuſmodi ceſſione frugem tibi melioris vitæ promittis, ſcire te debes non eſſe ſanctificato in utero ſanctiorem, & ideò non oportet te prædicationis jam ſuſceptæ deſerere miniſterium: cùm ille, cujus fieri bajulus recuſabat, tandem prædicandum receperit verbum Dei. Quòd ſi forſan humilitatis cauſa de culmine quæris pontificali deſcendere, eo ipſo humilitatis videris exigere malè verticem, quòd te nimis in reſignandi propoſito exhibes pertinacem. quia tunc in te veram humilitatem cuſtodies, cùm & per eam locum ſublimem fugies, & per obedientiam non dimittes. Intueri te itaque volumus, quòd hæc ſunt illa, per quæ cedendi Epiſcopus licentiam poteſt poſtulare: conſcientia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, grave ſcandalum, irregularitaſque perſonæ; ſed in his omnibus eſt obſervanda cautela. Propter conſcientiam enim criminis, cedendi poteſt licentia poſtulari, & forſitan non cujuslibet, ſed dumtaxat illius, propter quod ipſius officii executio, poſt peractam penitentiam impeditur: cum ſi omnes, quos arguit conſcientia cujuslibet culpæ, cederent, pauci vel nulli in illo miniſterio remanerent: & infrà. Alia verò cauſa eſt debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex ſenectute procedit: nec tamen omnis, ſed illa ſolummodò, per quam impotens redditur ad exequendum officium paſtorale: nam ſi pro qualibet corporali debilitate, ſuſceptæ ſervitutis officium poſſet deſeri, fruſtrà ſe fateretur Apoſtolus in ſuis infirmitatibus gloriari: cùm interdum non plus hortetur ſenilis debilitas aliquem cedere, quàm moralis maturitas (quæ in ſenibus eſſe ſolet) ipſum in ſuo ſuadet officio permanere: pro talibus enim de ſe dicit Apoſtolus: Cùm infirmor, tunc fortior ſum; quia nonnumquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat. Pro defectu quoque ſcientiæ plerumque poteſt quis petere ceſſionem, quia cùm ipſa circa ſpiritualium adminiſtrationem ſit potiſſimùm neceſſaria, & circa curam temporalium opportuna: præſul, qui commiſſam ſibi debet Eccleſiam regere in utriſque, ſalubriter ei renuntiat, ſi ſcientiam (in qua ipſam regat) ignorat: Tu enim (inquit Dominus) ſcientiam repuliſti, & ego repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi; quamquam & ſi deſideranda ſit eminens ſcientia in paſtore, in eo tamen ſit competens toleranda: quia ſecundùm Apoſtolum, Scientia inflat, charitas autem ædificat: & ideò imperfectum ſcientiæ, poteſt ſupplere perfectio charitatis. Propter malitiam autem plebis, cogitur interdum Prælatus ab ipſius

ſuis regimine declinare: quando plebs adeò duræ cervicis exiſtit, ut proficere nequeat apud ipſam; ſed propter ejus duritiam, quò magis ſatagit, eò magis juſto judicio deficere permittatur, dicente Domino per Prophetam: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exaſperans eſt: & Apoſtoli leguntur dixiſſe Judæis: Ecce convertimur ad gentes, quia verbi Dei vos indignos feciſtis. Non tamen pro qualibet culpa paſtor debet gregem deſerere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, fugit: ſed de ſuperioris licentia, tunc demum poteſt, non tàm timidè fugere, quàm providè declinare, cùm oves convertuntur in lupos; & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt: cùm etſi tales ſint graviter pro crimine puniendi, ſunt tamen pro tempore utiliter tolerandi; quia ſanguinem elicit, qui nimis emungit. Pro gravi quoque ſcandalo evitando (cùm aliter ſedari non poſſit) licet Epiſcopo petere ceſſionem, ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur affectare ſalutem; memor illius quod dicit Apoſtolus: Si eſca ſcandalizaverit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Sed inter ſcandalum & ſcandalum eſt ſubtiliter diſtinguendum, ſicut Dominus ipſe diſtinxit, cui cùm dixiſſent Apoſtoli: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizantur? reſpondit: Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Alibi verò dixit: Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendantur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Perſonæ verò irregularitas, ut ſi fortè ſit bigamus, vel viduæ maritus, eſt cauſa propter quam petere poteſt licentiam aliquis reſignandi, atteſtante Apoſtolo, qui dicit: Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum. Non tamen propter quamlibet irregularitatem perſonæ debet ei, qui regulariter miniſtravit, cedendi licentia indulgeri, utpotè ſi de legitimo matrimonio non ſit natus; quia licèt irregnlaritatem hujuſmodi non potuerit ſubticere, ſi tamen & culpa latet, & cauſa cum eo, qui laudabiliter ſuum implevit officium (injuncta ſibi pœnitentia competenti) poteſt non minùs utiliter, quàm miſericorditer diſpenſari. Ego ſum, inquit Deus, zelotes, viſitans peccata patrum in filios uſque in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me, id eſt, in illis qui contra me paternum odium imitantur: unde patet, quòd illis, qui paterna vitia non ſequuntur, propriæ poſſunt in talibus ſuffragari virtutes, illo diſcretionis adhibito moderamine, ut inter nothos & manzeres, naturales & ſpurios diſtinguatur: & infrà. Verùm ſi propter alias cauſas ceſſionem affectes, non eſt in hoc tibi poſtulanti favendum, cùm hujuſmodi poſtulatio videatur non eſſe diſcreta, quoniam (ut id tamquam notiſſimum omittamus, quòd otioſitas & voluptas arma ſunt hoſtis antiqui ad miſeras animas captivandas) propter laboris anguſtias, aut perſecutionis incurſus non debes deſerere ſponſam tuam, cui defigendo manum apud extraneum te fide media copulaſti, ſciens quòd beati ſunt illi, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam cùm probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Sed dices: Spiritus ubi vult ſpirat, & neſcis unde veniat, aut quo vadat: & ideò non eſt, qui poſſit vias illius ſpiritus perſcrutari: qui verò ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege, quoniam ubi ſpiritus Dei, ibi libertas: quare ſi cedendi tibi licentia data ab homine non fuerit, nihilominus tamen cedes, quia data eſt tibi libertas cedendi à Deo. Certè deſipis, ſi ſic ſapis: nam quomodo ſpiritu Dei agitur, qui contra ſpiritum Dei agit? Si enim vera ſunt, quæ præmiſimus, (imò quia indubitanter ſunt vera) proculdubio contra ſpiritum Dei agit, qui aliquid contra veritatem attentat, quoniam ipſe eſt ſpiritus veritatis. Porrò ſi dicas, quòd forſan alia eſt cauſa latens, propter quam cedendi voluntas tibi cœlitùs inſpiratur: & nos ſiquidem reſpondemus, tu quomodo ſcis quòd talis inſpiratio ſit cœleſtis? Nonnè recolis, quid ille glorioſus Pontifex dixerit, cùm cœpiſſet viribus corporis repentè deſtitui? Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua; illius exemplum ſecutus qui dixit: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, manere autem in carne neceſſarium eſt propter vos; & infrà. Quippè ſi quantocumque virtutum flore refulgeas, & in te non habeas charitatem, nihil te comprobaris habere. Nulla ſiquidem major poterit eſſe charitas, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Cùm autem propter hanc te deceat animam tuam pro ſubditis tuis ponere, nulla occaſione (dummodò proficere illis poſſis, etſi non omnibus, tamen multis) ab eorum regimine te convenit excuſare: quoniam ſi laboris cauſam prætendis, exemplum te Apoſtoli ſublevabit, qui ſuadet tibi laborem hujuſmodi non refugere, dum ſe aſſerit pro communi ſalute plus cæteris laboraſſe: quia licèt non ſemper ſequatur laborem effectus, nihilominus tamen ipſe labor eſt meritorius apud Deum, juxta quod legitur: Reddet Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum: & infrà. Nec putes, quòd ideò Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima ſatagebat, quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: quoniam licèt illa ſit magis ſecura, iſta tamen eſt magis fructifera; & licèt illa ſit magis ſuavis, hæc tamen magis utilis: cùm in fecunditate ſobolis lippitudo Liæ, Rachelis pulchritudini ſit prælata: quamvis ſimul in unum & contemplativus eſſe valeas, & activus: legislatoris exemplo, qui nunc aſcendebat in montem, ut ibi gloriam Domini cum majori cerneret libertate; nunc verò deſcendebat in caſtra, ut cum utilitate majori neceſſitatibus populi provideret: quapropter faciliùs indulgetur, ut aſcendat Monachus ad præſulatum, quàm Præſul ad Monachatum deſcendat: & infrà. Monemus itaque, ut laborem paſtoralis regiminis non recuſes, ne fortaſſis ad pedes ſuos cum Maria ſperneret te recipere, qui ſibi apud te divertenti ſpreviſſes cum Martha ſolicita miniſtrare: & infrà. Quia verò in poſtulando cedendi licentiam inſtitiſti, tibi te duximus relinquendum, ut diſtinctis cauſis, propter quas cedere oporteat, ſi propter aliquam cauſam utilem, & honeſtam in hujuſmodi propoſito perſeveres, de licentia noſtra cedas, alioquin cedendi licentiam auctoritate Apoſtolica tibi ſcias eſſe penitus interdictam: quoniam etſi pennas habeas, quibus ſatagas in ſolitudinem advolare; ita tamen adſtrictæ ſunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum.

SUMMARIUM.

1 *ANtonii de Butrio repetitiones multæ incautè citantur ex Abbate Panormitano, in cujus commentariis reperiuntur inſertæ.*

2 *Epiſcopo non licet Epiſcopatui renuntiare propter frugem melioris vitæ.*

3 *Frugis appellatione quid veniat.*

4 *Curato non licet Eccleſiam deſerere, ut tranſeat ad vitam Eremiticam.*

5 *Epiſcopus non poteſt curam paſtoralem deſerere, ut tranſeat ad Monanhatum, & num. ſeqq. uſque ad num. 11.*

6 *Tranſitus à perfectiori ſtatu ad minùs perfectum non eſt licitus.*

7 *Status Epiſcopalis perfectior eſt, quàm ſtatus religionis.*

8 *Epiſcopus ſemel conſecratus, perpetuò retinet poteſtatem conſecrationis.*

9 *Epiſcopatus nomen eſt oneris, non honoris.*

10 *Vita contemplativa an ſit præferenda activæ.*

11 *Prædicatio eſt præcipuum Epiſcoporum munus, nec licet illud deſerere ob ſuaſionem melioris vitæ.*

12 *Humilitas, quæ contra obedientiam erigitur, eſt ſuperbia.*

13 *Reſignationis cauſæ reducuntur omnes ad impedimentum exequendi officium paſtorale.*

14 *Epiſcopus tamdiu obligatur ad retinendam curam paſtoralem, quamdiu poteſt ſubditis proficere ad ſalutem.*

15 *Crimen impediens Ordinis executionem, poſt peractam pœnitentiam eſt juſta cauſa cedendi Epiſcopatui.*

16 *Dictio*, forſitan, *quandoque ponitur affirmativè.*

17 *Crimina, quæ poſt peractam pœnitentiam impediunt officii executionem, quæ ſint, & n. ſeqq.*

18 *Culpa licèt tollatur per pœnitentiam, tamen in omnibus non deletur infamia.*

19 *Conſcientia erronea deponenda eſt ad conſilium. & determinationem Romani Pontificis.*

20 *Epiſcopus pro crimine quantumcumque gravi renuntiare non poteſt ſine licentia Papæ.*

21 *Spirituale vinculum fortius eſt, quàm carnale.*

22 *Conjugium ſpirituale, quod inter Epiſcopum, & Eccleſiam contrahitur, non humana, ſed divina potiùs poteſtate diſſolvitur.*

23 *Tranſlatio, depoſitio, & ceſſio Epiſcoporum ſunt ſoli Papæ reſervatæ non tàm conſtitutione canonica, quàm inſtitutione divina.*

24 *Prælatus ſuſcipiendo Prælaturam videtur cum ea quaſi contrahere.*

25 *Epiſcopus intruſus an poſſit Epiſcopatui renuntiare ſine licentia Papæ, & num. ſeqq. uſque ad nu. 49.*

26 *Intruſi in quatuor ſpecies diſtinguuntur.*

27 *Epiſcopus nullum habens titulum verum, nec putativum, non ſolum poteſt, ſed etiam debet ex ſeipſo Epiſcupatum dimittere.*

28 *Fures, & invaſores quo diutiùs rem detinent, eò magis peccant.*

29 *Intruſus propriè quis dicatur, & n. 32. & 36.*

30 *Prædo maximus eſt intrudens ſe in Eccleſiam, & falſus Prælatus.*

31 *Intruſus potiùs dicitur incubator, quàm poſſeſſor.*

32 *Intruſi habentes titulum putativum, ſed non à legitimo Superiore, cedere poſſunt, ac debent abſque alia Papæ licentia.*

33 *Titulus putativus niſi proveniat à legitimo Superiore, non dicitur coloratus, nec ſuſtinetur opinione communi.*

34 *Electi in ſchiſmate dicuntur hæreſiarchæ, & eorum geſta ex communi errore non ſuſtinentur.*

35 *Prælatus intruſus non poteſt conferre Sacramenta, ac ſi conferat, executionem non confert.*

36 *Intruſus dicitur non ſolùm qui ſine electione, ſed etiam qui ex electione non canonica, puta minoris partis, beneficium occupat.*

37 *Epiſcopatum accipiens Regia ordinatione tenetur illi cedere ſine licentia Summi Pontificis.*

38 *Item proviſus ab Antipapa, vel alio ſchiſmatico.*

39 *Electus à minore parte tenetur cedere, dummodo de non canonica electione conſtet in figura judicii.*

40 *Intruſus habens titulum putativum à legitimo Superiore cedere non poteſt ſine licentia Papæ.*

41 *Poſſeſſio facti ſuffulta aliquo colore tituli dimitti non poteſt ſine Superioris licentia.*

42 *Simoniacus an poſſit Epiſcopatum reſignare ſine authoritate Superioris.*

43 *Intruſus cum titulo colorato, in articulo mortis poteſt beneficium dimittere non expectata Superioris licentia.*

44 *Crimen hæreſis, & aſſaſſinii inducunt privationem tituli ipſo jure.*

45 *Paria ſunt intrudere ſe in beneficio, vel retinere beneficium, quo aliquis canonicè eſt privatus.*

46 *Epiſcopus privatus ob crimen notorium, vel declaratum per ſententiam, cedere poteſt abſque Superioris authoritate.*

Secus ſi crimen ſit occultum, n. 48. verſ. Aut crimen.

47 *Extruſus per ſententiam non dicitur cedere, ſed recedere.*

48 *Intruſus poſt rem judicatam, & executoriales non auditur.*

49 *Debilitas corporis impediens executionem paſtoralis officii eſt juſta cauſa cedendi.*

50 *Morbus ſonticus quis dicatur.*

51 *Podagra an præbeat legitimam cauſam renuntiandi Epiſcopatum.*

52 *Infirmitas eſt juſta cauſa cedendi, etiamſi proveniat è propria culpa.*

53 *Diſtributiones quotidianæ debentur ſenio confectis, ſi aliter reſidere ſoliti ſunt.*

54 *Item infirmis ex propria culpa, & peccato.*

55 *Debilitatem corporis non ſequitur debilitas cordis, intellectus, & ſpiritus.*

56 *Epiſcopus ſi propter debilitatem corporis ſit inhabilis ad ſpiritualia, ſeu temporalia, poteſt, ſed non cogitur renuntiare, ſed datur illi coadjutor.*

57 *Cardinalium Epiſcoporum reſignationes admitti ſolent etiam non probatis cauſis hic expreſſis.*

58 *Scientia in Epiſcopo eſt neceſſaria tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus.*

59 *Scientiæ defectus promotum dejicit invitum.*

60 *Scientia eminens deſideratur in Paſtore; competens tamen ſufficit, nec defectus eminentis præbet juſtam cauſam cedendi.*

61 *Congregatio examinis Epiſcoporum coram Papa à Clemente VIII. inſtituta.*

62 *Promovendi ad Cathedrales, & alias majores Eccleſias etiam inſignis litteraturæ, ſubjiciuntur examini.*

63 *Cardinales ad Epiſcopatum promovendi cur examen non ſubeant.*

64 *Epiſcopi, qui ad aliam Eccleſiam transferuntur, novo examini non ſubjiciuntur.*

65 *Promovendi ad Cathedrales in partibus infidelium, an, & quando ſubjiciantur examini.*

66 *Examinatores Epiſcoporum quod juramentum præſtent ante ſuſceptum officium.*

67 *Inſtructio de qualitatibus promovendi extra Curiam à quibus ſit ſumenda.*

68 *Inquiſitio de ſcientia promovendi extra Curiam quomodo formari debeat.*

69 *Regularis ad Cathedralem aſſumendus à quibus habere debeat teſtimonium, an ſit idoneus ad alios docendos.*

70 *Malitia, ſeu durities ſubditorum eſt juſta cauſa poſtulandi, & obtinendi ceſſionem.*

71 *Actus paſcendi eſt principalis actus Epiſcopi.*

72 *Epiſcopus propter perſecutionem ſubditorum an debeat fugere, & Eccleſiam deſerere.*

73 *Epiſcopus propter ſcandalum aliquando non ſolùm poteſt, ſed etiam debet renuntiare.*

74 *Scandalum omnino vitiandum, ſi ſine peccato vitari poſſit, aliàs ſecus, & n. ſeqq.*

75 *Veritas diſciplinæ deſeri poteſt propter multitudinem*

nem peccantium.

76 *Multitudini non eſt parcendum, quando excuſat, vel defendit errorem.*

77 *Veritas bonæ vitæ, vel juſtitiæ, propter ſcandalum nunquam deſerenda eſt.*

78 *Scandalum potiùs vitandum, quàm peccatum, cùm dubium eſt, an ſcandalum ſit peccatum, necne.*

79 *Scandalum quid ſit, & undè dicatur.*

80 *Irregularitas quid ſit, & in quo differat à ſuſpenſione.*

81 *Irregularitas tribus modis contrahitur.*

32 *Irregularitas nativa quæ dicatur.*

83 *In corpore vitiatis non peccat anima, ſed natura.* *Authoris Commentaria poſt cæcitatem inchoata, ibidem.*

84 *Irregularitates omnes, & earum pœnæ ſunt de jure poſitivo.*

85 *Papa diſpenſat in omnibus irregularitatibus, etiam bigamiæ.*

86 *Poteſtas Clavium non recipit interpretationem reſtrictivam.*

N*Iſi cùm pridem*. Ponit, & exponit ſex cauſas, propter quas Epiſcopi poſſunt petere, & Papa conſuevit concedere cedendi licentiam. Eſt clavis in materia reſignationis Epiſcopatuum, & ſæpè allegari ſolet in Sacra Congregatione rerum Conſiſtorialium, ubi reſignationum cauſæ, & alia ad Conſiſtorium Sanctiſſimi pertinentia examinantur, ut Cathedralium erectiones, & uniones, diviſiones, & conſimilia, de quibus per gloſſ. in *cap. 1. in ver. Pertineant, ſuprà de transl. Epiſc. & in cap. Sicut unire, in ver. Pertinere, infrà de exceſſ. Prælator.* Prima pars reprobat has duas cauſas cedendi, videlicet zelum melioris vitæ, & humilitatem. Secunda ibi, *Intueri*, ponit legitimas cauſas cedendi, ut prædixi in Summa. Tertia ibi, *Verum*, reprobat alias cauſas cedendi, ut otium, laborem, inſpirationem, & his ſimiles, probans id auctoritatibus, & reſpondens ad id, quod opponi poſſet de Martha. Quarta concludit ibi, *Monemus*.

1 Multi incautè hìc allegant Abbatem Siculum, qui tamen non ſcripſit ſuper hoc textu: nam lectura, quæ inſerta eſt inter Commentaria Abbatis, non eſt ſua, ſed Antonii de Butrio, ut conſtat ex illius ſubſcriptione, & patebit cuilibet illam conferenti cum lectura poſita inter Commentaria Butrii: nec tantùm hoc reperitur factum de hac Decretali; ſed etiam de aliis pluribus, quæ ſunt Antonii de Butrio, & tamen inadvertenter citantur de Panormitano. Qua ratione id factum fuerit, ignoro, niſi fortè ut lectura Abbatis habeatur integra ſuper ſingulis capitulis hujus compilationis.

2 In prima parte nota primò ex principio litteræ primam cauſam minùs legitimam petendi, & admittendi renuntiationem Epiſcopatus, id eſt, propter frugem melioris vitæ. Archiepiſcopus enim Calaritanus, ad quem Innocentius direxit hanc Decretalem, intendebat vitam eligere ſolitariam, melioris vitæ frugem ſibi promittens, fru-
3 gem, id eſt, fruitionem, ſecundùm Goffred. vel plenitudinem, ſeu ubertatem, ſecundùm Tancred. & Hoſtien. aut retributionem, ſecundùm Abb. Antiq. & Jo. Andr. Credebat enim, ut dicitur in textu, vitam contemplati-
4 vam meliorem eſſe, quàm activam. Undè colligitur non licere Epiſcopo, vel Curato Eccleſiam deſerere, ut tranſeat ad vitam ſolitariam ſeu eremiticam; neque id permittendum eſſe a Superiore, ut hìc per Butr. *n.3.*

5 Secundò nota Epiſcopum non poſſe curam paſtoralem derelinquere ex hac ſola cauſa, ut fiat Monachus. Quod colligitur ex littera exponendo verbum illud, *Solitariam*, id eſt, monaſticam: nam Monachus dicitur quaſi ſolitarius, ut legitur, & notatur in *cap. Placuit, il 2. 16. quæſt. 1.* & conſonant verba, quæ habentur infrà in §. *Verum*, ibi, *Faciliùs indulgetur, ut aſcendat Monachus ad Præſulatum, quàm Præſul ad Monachatum deſcendat.* Ad idem textus in *cap. Proximo, infrà eod.* ubi patet poſſe Epiſcopum per Superioris authoritatem ad monaſticam vitam deſcendere, cùm proficere nequit in regimine paſtorali ob perſecutionis, vel ægritudinis impedimentum. Ergo his impedimentis ceſſantibus ſola cauſa tranſeundi ad monaſticam vitam non eſt legitima. Idem apertiùs probatur in *cap. Suggeſtum, 7. quæſt. 1.* ubi ſeriò corripiuntur à Liberio Papa, quia laboribus Epiſcopatus quieti monaſteriorum ſe tradunt, & ut ſeipſos ſolvant, filios orphanos derelinquunt.

Præterea nulli licet de ſtatu perfectiori ad minùs perfectum ſtatum tranſire, quamdiu poteſt ea, quæ ſunt perfectioris ſtatus, exequi; hoc enim eſt retrò aſpicere, quod eſt damnabile ſecundùm Domini ſententiam dicentis, Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò aptus eſt regno Dei, c. Pennata animalia, de pœnit. diſt. 2.* & hęc eſt ratio, cur non liceat à Religione redire ad ſæculum, *c. Sicut, & cap. Conſulti, & cap. Statuimus, de regular. cum mult. ſimil.* & cur non liceat à ſtrictiori Ordine ad laxiorem tranſire, *c. Sanè, & c. Licèt, eod. tit.* Concil. Tridentinum, *c. 19. §. Nemo etiam regularis, ſeſs. 25. de regular.* facit text. in *c. 1. ſuprà de transl. Epiſc.* ubi Innocentius III. redarguens Patriarcham Antiochenum, quòd Metropolitanum electum ad Epiſcopatum tranſtuliſſet: *Novo quodam*, inquit, *mutationis genere parvificaſti majorem, & magnum quodammodo minoraſti, epiſcopare Archiepiſcopum, imò potius de archiepiſcopare præſumens.* Sed ſtatus Epiſcopalis perfectior eſt, quam ſtatus Religionis. Nam, ut inquit Dionyſius *de Eccleſ. hierarch. c. 5. Pontificum quidem Ordo conſummativus eſt, & perfectivus; Sacerdotum autem illuminativus, & lucidativus; miniſtrantium vero purgativus & diſcretivus.* Ergo ſicut non licet de ſtatu Religionis redire ad ſæculum, aut a ſtrictiori ad laxiorem Religionem; ita non licet de ſtatu Epiſcopali ad Religionem redire, niſi alia legitima cauſa ſubſit. 6

Ad hæc ordo gratiæ eſt decentior, quàm ordo naturæ. Sed ſecundùm naturam non movetur idem ad contraria, puta ſi lapis naturaliter deorſum movetur, non poteſt naturaliter a deorſum redire in ſurſum. Sed ſecundùm ordinem gratię licet de ſtatu Religionis tranſire ad ſtatum Epiſcopalem, *c. Unic. 18. q. 1.* & patet infrà in §. *Verum, & in c. Proxim.* ubi Epiſcopus, qui renuntiavit Epiſcopatui propter perſecutionem, infirmitatem, defectum ſcientiæ, ſimoniam ipſo ignorante commiſſam, vel aliam ſimilem cauſam, & ad Religionem tranſivit, poteſt iterùm reaſſumi ad Epiſcopatum: Ergo non licet è converſo de ſtatu Epiſcopali redire ad ſtatum Religionis. 7

Poſtremò, nihil in operibus gratiæ debet eſse otioſum; 8
ſed ille, qui eſt ſemel in Epiſcopum conſecratus, perpetuò retinet poteſtatem conſecrationis, *cap. Un. cum ibi not. inf. de ordin. ab Epiſc. qui renunc. Epiſc. cap. 2. verſ. Sicut enim Epiſcopus, ſuprà de transl. Epiſc.* & docet S. Thomas in 2. 2. *quæſt. 39. art. 3.* ergo Epiſcopus, ut fiat Monachus, non poteſt curam Epiſcopalem dimittere, quamdiu poteſt illam exercere; quia alioquin poteſtas conſecrationis, ſeu Ordinis Epiſcopalis, quam habet, eſset otioſa, & ſine effectu: quod eſse non debet, cùm præſertim Epiſcopatus ſit nomen oneris, non honoris, *cap. Qui Epiſcopatum, 8.*
quæſt. 1. & verba Apoſtoli, *Bonum opus*, exponantur, id 9
eſt, actio plebi utilis; ut per D. Thom. in 2. 2. *q. 185. art. 1. in reſpon. ad ſecundum.*

Concluditur ergo Epiſcopum ex cauſa tranſitus ad Religionem non poſse petere cedendi licentiam, nec ſi petat, eam eſse concedendam, niſi concurrat aliqua ex ſex cauſis hìc numeratis: quod tenet S. Thomas in 2. 2. *quæſt. 185. art. 4.* & Turrecrem. in *cap. Hoc nequaquam, num. 2. 7. q. 1.* Idem docet Innoc. in *c. Poſt translationem, nu. 4. infrà eod.* dicens non licere Epiſcopatum dimittere propter Monachatum. Quod dictum ſequuntur ibi Hoſt. *n. 7.* Jo. Andr. *nu. 9.* Anchar. *num. 2.* & alii communiter DD. in *c. Licèt, de regular.*

Non obſtat text. in *d. c. Hoc nequaquam 7. q. 1.* quia intelligitur de Epiſcopo, qui convictus eſt de crimine, & propter hoc in monaſterium detruditur, ut ibi declarat gloſ. in *ver. Ulterius.* & Archid. *ad fin.*

Non obſtat, quòd vita contemplativa ſit præferenda 10
activæ, & quidem in duodecim, ſecundùm Auguſtinum relatum ab Archid. in *c. Privilegium, n. 3. de verb. ſignif. lib. 6.* & a Collectar. hìc *num. 2.* dicente Domino, Lucæ 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quoniam, ut hìc dicitur, licèt vita contemplativa ſit magis ſecura, tamen activa eſt magis fructifera; & licèt illa ſit magis ſuavis, hæc tamen magis utilis; & ut legitur in *d. c. Licèt, §. Si vero, de regular.* ſicut majus bonum minori

bono

bono præponitur, ita communis utilitas ſpeciali utilitati præfertur. Et in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio, ſolicitudo contemplationi, & labor quieti &c.

11 Secundò nota, ex illis verbis, *Non oportet te prædicationis jam ſuſceptæ deſerere miniſterium*, *&c.* quòd præcipuum Epiſcoporum munus eſt prædicatio verbi Dei, nec licet illud jam ſuſceptum deſerere ob ſuaſionem melioris vitæ. Ad idem *c. Inter cætera*, *infrà de offic. ordin.c. Cum ex injuncto*, *de hæret.* Concilium Rhemen. cap.14. Concilium Carthagin.IV. *c.*20.relatum in *c. Epiſcopus*, *il* 3. 88. *diſt.* & Concilium Trid. *c.*4. *ſeſſ.*24. facit text. in *c.Pennata*, *de conſecr. diſt.* 2.

12 Tertiò nota, in *verſ. Quòd ſi forſitan*, ſecundam cauſam cedendi illegitimam eſſe, ſi Epiſcopus ex ſola humilitate intendat de culmine Pontificali deſcendere: non enim licet humilitatem contra obedientiam exercere, quia, ut inquit hìc Butr. *n.*4. humilitas, quæ contra obedientiam erigitur, eſt ſuperbia.

13 §. *Intueri*. Hìc incipit ſecunda pars Decretalis, ex qua nota per ordinem ſex cauſas cedendi, quæ ponuntur in littera. Quæ tamen omnes ad unam tandem reducuntur, tamquàm diverſi rivi ad fontem, videlicet ad impedimentum exequendi officium paſtorale: nam tunc demum cauſa cedendi legitima eſt, ſi Epiſcopus nequeat munia Pontificalia exercere, & ovibus ſibi creditis ad ſalutem proficere: ſive impedimentum proveniat ex parte ipſius, puta ob crimen, corporis debilitatem, defectum ſcientiæ, vel irregularitatem: ſive ex cauſis externis, puta ob malitiam plebis, aut ſcandalum. 14 Unde in *d. cap. Licèt*, §. *Si verò*, *de regul.* pro generali regula ſtatuitur, ut quamdiu poteſt Epiſcopus præeſſe pariter & prodeſſe, non debeat cedendi licentiam poſtulare, aut etiam obtinere. Rationem aſſignat S.Thomas in 2.2. *d. q.*185.*art.*4. quia perfectio ſtatus Epiſcopalis in hoc conſiſtit, ut aliquis ex divina dilectione ſe obliget ad hoc, quòd ſaluti proximorum inſiſtat. Et ideò tamdiu ad retinendam curam paſtoralem obligatur; quamdiu poteſt ſubditis ſibi commiſſis proficere ad ſalutem. Contingit autem quandoque, ut Epiſcopus impediatur procurare hujuſmodi ſalutem multipliciter, videlicet in caſibus hìc expreſſis. Quamobrem in his dumtaxat jure poteſt Epiſcopus de licentia Summi Pontificis curam paſtoralem deſerere.

15 §. *Propter conſcientiam*. Nota primam cauſam legitimam cedendi, videlicet conſcientiam criminis, & pondera qualitatem illi annexam; exigitur enim, ut crimen ſit tale, ut poſt peractam pœnitentiam impediat ordinis 16 executionem; & ſic dictio illa, *Forſitan*, non ponitur dubitativè, ſed affirmativè, ſecundum gloſſ. & Innoc. Nam, ut inquit Hoſt. *nu.* 5. ſub dubio forſan loquuntur ſæpè periti; & fuit philoſophicum temperamentum.

17 Quædam igitur ſunt crimina, quæ impediunt officii executionem poſt peractam pœnitentiam, & gloſſ. in *ver. Dumtaxat*, & Abb. Antiq. *in ver. Impeditur*, *verſ. Quæ ergo ſunt crimina*, exemplificant in ſimonia, *cap. Erga Simoniacos*, 1. *q.* 1. ſive ſit in Ordine, ſive in beneficio, ſecundùm Hoſtienſ. *nu.*9. Joan. Andr. *nu.*44. & Butr. *num.*9. Item in homicidio, *c.Miror*, 30.*diſt.c. ult.de tempor. ord.* De quibus duobus criminibus eſt expreſſum in *c.Inquiſitionis*, *in princ. infrà de accuſat.* quorum meminit etiam D. 18 Thom. *loc. cit.* Item in delictis, quæ ipſo jure irrogant infamiam, *c.Infames*, §.*Porrò*, 3.*q.*7. quia licèt culpa tollatur per pœnitentiam, non tamen deletur infamia, §. *Hinc colligitur*, 2. *q.*3. Idque efficit enormitas, ex qua remanet perpetuum ſigillum ignominia, vel indignitas perpetua, ut inquit hìc Bald. *nu.*4.

Quod tamen ſecundùm DD. eſt verum, quando crimen irrogat infamiam naturalem civilem, ſive infligatur ipſo jure, ſive inflicta ſit per ſententiam, ut per Butr. hìc *num.*9. Alios caſus recenſet hìc Hoſt. *nu.* 9. Jo. Andr. *num.* 44. Butr. *eod. num.* 9. & Anchar. *num.* 2. videlicet ſi quis excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus ſe in contemptum Clavium fecerit ordinari, *c. Cum illorum*, §. *Si autem*, *de ſent.excommun.* vel præſumpſerit celebrare, *c.Si quis Epiſcopus in Concilio*, 11. *q.* 3. vel beneficia conferre, ſeu recipere à contemnente, vel interdictum Papæ violante, *c.Tanta*, *de exceſſ. Prælat.* Item falſificans litteras Papæ, *c. Ad falſariorum*, *de crim. falſi.* Item hæreticus, *c.Inter ſolicitudines*, *de purgat. c. in.* Item Sodomita, *c.Clerici*, *de exceſſ. Prælator.* Item revelantes peccatum in Sacramento Pœnitentiæ ſibi detectum, *cap.Omnis*, §. *fin.de pœnit. & remiſſ.* Item incorrigibilis, & nimium in contumacia perſeverans, *cap.Veritatis*, *de dolo*, *& contum.* Hæc crimina dicuntur gravia, & enormia, in quibus poſt pœnitentiam diſpenſari non conſuevit, ſecundum Hoſt. Joan. Andr. & alios proximè citat. & propterea præbent legitimam cauſam poſtulandi, atque admittendi ceſſionem.

Quædam verò ſunt crimina, quæ poſt peractam pœnitentiam non impediunt executionem. Et propter hæc non licet Epiſcopatum dimittere, ut hìc decidit; quia ſecundùm Hoſt. *nu.* 10. ſufficit per ſolam pœnitentiam ſatisfacere ſuo Creatori, argum. *fin. infrà de Simon.cap.fin. de tempor. ordin. cap. Ferrum*, 50. *diſt.* Nec, ut inquit Jo.Andr. *num.*8. *in ver. Remanerent*, & Cardin. *in* 6.*notab.nu.*2. debet quemquam ex talibus conſcientia erronea cruciare, cùm deponenda ſit ad Papæ non ſolùm conſilium, ſed 19 etiam determinationem, ut in *c.Inquiſitioni*, *infrà de ſent. excomm.* quia nullus peccat legis authoritate, *c.Qui peccat*, 23. *q.*4. Qui tamen ipſam deponere non poteſt, niſi ipſam ſequatur, non evadet periculum, *c. Nervi*, 13.*diſt. & c. Per tuas*, *de ſimon.*

Tertiò nota, quòd etſi conſcientia criminis impedientis 20 executionem officii poſt peractam pœnitentiam ſit juſta cauſa renuntiandi, non tamen fieri poteſt renuntiatio propria authoritate, ſed requiritur Superioris licentia, ut probat littera, ibi: Cedendi poteſt licentia poſtulari. Unde gl. *in ver. Dumtaxat*, Innocent. & Compoſtell. ambo *num.* 1. *in ver.Cedendi*, colligunt, pro nullo crimine quantumcumque gravi poſſe Epiſcopum cedere ſine licentia Papæ, argum. *cap. Prox.verſ.Unde quidam*, *inf.eod. & c.Denique* 6. *q.* 3. *& l. Tutores*, §.*Qui ſe*, *ff. de adminiſtr. tut.* Ratio eſt, quia ut inquit S.Thomas in 2.2.*q.* 185. *art.*4. *Sicut curam regiminis aſſumit aliquis per providentiam ſuperioris Prælati*, *ita etiam oportet*, *ut per ejus authoritatem ex cauſis prædictis deſerat ſuſceptam*. Adducit verba Innocentii III. quæ habentur in fine hujus Decretalis, ibi, *Si pennas habeas*, *quibus ſatagas in ſolitudinem avolare*; *ita tamen aſtrictæ ſunt nexibus præceptorum*, *ut liberum non habeas abſque noſtræ permiſſione volatum*. Alia ratio deſumitur ex *c.* 21 *Inter corporalia*, *ſupra de transl.Epiſcop.* quia ſcilicet, *fortius eſt ſpirituale vinculum*, *quàm carnale*; *ſed diſſolutionem carnalis conjugii*, *quod eſt inter virum*, *& fœminam*, *Deus ſuo tantum judicio reſervavit*, *præcipiens*, *ut quos Deus conjunxit*, *homo non ſeparet: Ergo non eſt dubitandum*, *quin ſpi-* 22 *rituale conjugium*, *quod eſt inter Epiſcopum*, *& Eccleſiam*, *ſuo tantum judicio reſervaverit diſſolvendum*: *non enim humana*, *ſed potiùs divina poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur*, *cum per tranſlationem*, *depoſitionem*, *aut ceſſionem Romani Pontificis* (*quem conſtat eſſe Vicarium Jeſu Chriſti*) *Epiſcopus ab Eccleſia removetur*: *& ideò tria hæc*, 23 *quæ præmiſimus*, *non tam conſtitutione canonica*, *quàm inſtitutione divina ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata*. Hæc 24 ibi. Demum idcircò Prælatus non poteſt ex ſeipſo deſerere prælaturam, quam ſuſcepit, quia ſuſcipiendo videtur cum ea quaſi contrahere, *c.Cum inter Canonicos*, *ſuprà de elect.* Pro hoc, *l.Sicut*, *C.de action. & obligat. & c.Per tuas*, *de voto*. Qua ratione utuntur hìc Jo. Andr. *num.* 3. *in ver. Jam ſuſceptæ*, & Card. *nu.*1. referentes illud Senecæ *epiſt.* 22. *Turpe eſt cedere oneri*, *& luctari cum officio*. *quod ſemel ſuſcepiſti*.

QUÆRO, quid in Epiſcopo intruſo, an poſſit cedere 25 abſque licentia Summi Pontificis?

Pro clariori hujus quæſtionis ſolutione diſtinguo intru- 26 ſos in quatuor ſpecies. Quidam enim ſunt intruſi, qui nul- 27 lum prorſus habent titulum nec putativum, nec verum; ſed de facto invadunt Eccleſiam, quos ſtrictè ſchiſmaticos appellant, in *cap.* 1. *infrà de ſchiſmat.* Innocent. *in princ.* Hoſtien. *num.* 1. Butr. *num.*4. *& in rubr.eod. tit.* Joan. Andr. *num.* 1. Abb. *num.*1. & Marian. Soccin. *num.* 4. qui ſcilicet proprium Epiſcopum ejiciunt de Sede Epiſcopali, & Epiſcopatum occupant, & ſuos conſtituunt Sacerdotes, *cap. Scire*, 7. *q.* 1. *c. Inter hæreſim* 24.*q.*3. Et hujuſmodi intruſos manifeſtum eſt non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri cedere, ſeu potiùs recedere abſque alia Superioris licentia, quia tales dicuntur invaſores, & fures, *c.Ordinationis*, 9.*q.* 1. & ideò quò diutiùs rem detinent, eò magis peccant, & 28

fur

fur ſemper eſt in mora reſtituendi, *l. Si pro fure*, *§ penult. ff. De condict. furt.* nec remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, *c. Si res aliena*, 14. *qu.* 6. Ergo ſic intruſi poſſunt ſine licentia renuntiare, quia etiam ad id tenentur Canonis authoritate, ut dicunt hìc Trancred. & Joannes. Quibus conſentit gloſſ. *in ver. Sed dumtaxat*. Dum concludit intruſum debere omninò cedere, quia nec quantum ad opinionem, nec quantum ad veritatem titulum habet. Et ſequuntur Jo. Andr. *n.* 4. dicens verè intruſos, qui nullum habent colorem tituli, poſſe, ac debere poſſeſſionem facti dimittere abſque ulla Superioris licentia, Butr. *nu.* 8. *verſ. Concludo mentem gloſ. & verſ. Infertur tertio*. Henr. Boich. *col.* 1. *ante medium, verſ. Aut non habet titulum coloratum, ſed de facto*. Card. *in §. Intueri*, *n.* 2. & Bald. *num.* 1.
29 ubi ait: Quidam eſt intruſus qui non habet eſſe, nec figuram eſſe, ut quia non fuit electus, vel confirmatus; & iſte propriè non dicitur cedere, ſed recedere. Ille ergo qui non eſt Prælatus, nec re, nec nomine, nec communi opinione, & tamen poſſidet, vel quaſi, iſte propriè dicitur intruſus.
30 Omnes enim intruſi ſunt prædones, & eorum poſſeſſio non eſt cum titulo, nec figura juſtitiæ: & ideò non pertinet ad judicii activi vigorem, ut notatur *in l. Commun. dividun. §. Inter prædones, ff. Comm. divid.* nam maximus prædo eſt intrudens ſe in Eccleſiam, vel officium, & falſus Prælatus, ut notatur *in l. Falſus, in princ. ff. De furt.* & *in l. Qui nomine,*
31 *ff. De falſ.* & iſte potiùs dicitur incubator, quàm poſſeſſor, ut not. *in l. Si. quæ loca, C. De fund. & ſaltib. rei domin. lib.* 11.

Quæ omnia probantur evidenter *in cap. Quis deinceps*, 16. *q.* 7. ubi Gregorius VII. in generali Synodo præſidens. *Si quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Epiſcopo, ſeu Abbati audientia concedatur. Inſuper ei gratiam B. Petri, & introitum Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub crimine tàm ambitionis, quàm inobedientiæ (quod eſt ſcelus idololatriæ) cepit, reſipiſcendo non deſerit*. Ad idem eſt textus *in c. Si quis neque*, 1. *q.* 1. ubi Gregorius: *Si quis neque à Clero populoque vocatus, vel pulſatione coactus Epiſcopalem, ſeu Sacerdotalem non lucro animarum, ſed inanis gloriæ avaritia fultus dignitatem acceperit, & in vita ſua non ſponte reliquerit, eumque inſperata mors pœnitentem non invenerit, proculdubio in æternum peribit*. Concordat *c. Petimus*, 11. *q.* 1. ubi Epiſcopus, qui plebem invaſerat, ſi admonitus relinquere contempſerit, & emendare illicitum, authoritate judiciaria jubetur excludi, *c. Factus*, 7. *q.* 1. & *c. Audivimus*, 3. *q.* 2. & hìc primus caſus eſt extra omnem difficultatem.

32 Quidam ſunt intruſi, qui etſi verum titulum non habeant, tamen habent putativum, ſed non à legitimo Superiore, quia non apparet eos fuiſſe ingreſſos authoritate Superioris habentis jus inſtituendi. Dicitur enim intruſus qui præter Superioris authoritatem ingreditur beneficium, *c. Quia diverſitatem, de conceſſ. præb.* Petrus Brixien. *in repert. in ver. Intruſus*, ſeu qui propria authoritate ſine aliquo titulo, vel colore beneficium occupat, ſecundùm Calder. *conſ.* 558. *alias* 13. *de verb. ſignif. in princ.* Felin. *in c. Qualiter, & quando, il* 1. *in ver. per illam gloſſ. num.* 15. *de accuſat.* Ferret. *conſ.* 12. *num.* 16. Et tales parificantur cum præcedentibus intruſis; & ideò poſſunt ac debent Epiſcopatum
33 dimittere abſque licentia Superioris. Ratio eſt, quia titulus putativus, id eſt, qui communiter verus reputatur, niſi proveniat à legitimo Superiore, non dicitur coloratus, nec geſta cum titulo tali ſuſtinentur errore ſeu opinione communi, ut determinat Compoſtell. *in cap. Nihil*, *nu.* 4. *in ver. Adminiſtret, verſ. Item per ſuperiorem confirmatum, ſupra de elect.* cui ſubſcribunt ibidem Butr. *num.* 24. Anchar. *qu.* 4. *ad finem.* Henric. Boich. *in §. Cæterum*, *num.* 4. idem docuit Archid. *in cap. Alienationis, num.* 2. 12. *qu.* 2. Bald. *in l. Barbarius*, *in* 1. *lect. nu.* 29. & ibi etiam Jaſ. *n.* 48. *ff. De offic. Prætor.* Ad quod adduco textum apertum *in c.* 1. *infra de*
34 *Schiſmat.* ubi Octavianus, & Guido, qui intruſerant ſe in Papatum, carebant titulo vero, habebant tamen putativum, ſed non à legitimo Superiore, quia electi fuerant in ſchiſmate, ut referunt ibi gloſſ. 1. Hoſt. Joan. Andr. *in princ.* eoſque tamquam veros Pontifices reputavit, & coluit univerſa Germania, & aliquot regiones Italiæ, ut habetur in hiſtoria Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. ex quo deſumptus eſt ille Canon. *to.* 7. *Concil. par.* 2. *pag.* 655. ſecundùm noviſſimam impreſſionem Pariſienſem. Et tamen in *d. c.* 1. appellantur hæreſiarchæ, & decernuntur irritæ non tantùm ordinationes ab eis factæ; ſed etiam factæ ab illis, qui à prædictis Schiſmaticis Ordines ſuſceperunt, ut illic adnotavit Innocentius *num.* 1. *in fin.* Undè Anchar. *ibid. nu.* 1. dicit viribus carere quæ geruntur per Schiſmaticos, etiamſi gerantur prætextu publici officii. Et quod dicitur in *l. Barbarius, ff. De offic. Prætor.* & *c. Conſultationibus, de jurepatron.* habere locum in eo, qui dignitatem poſſident bona fide; ſecus ſi ſit intruſus, ut ſchiſmaticus, quia tunc non eſt ſibi reſpondendum de juribus dignitatis. Quod ipſum innuit ante eum Innoc. *ibidem n.* 4. dicens Prælatum 35
intruſum non poſſe ſubditis, quibus per intruſionem datus eſt Prælatus, conferre Sacramenta; ac ſi conferat, executionem non conferre; non quia ſit ſuſpenſus, ſed quia non ſuis ſubditis executionem conferre non poteſt. Cùm igitur ſit intruſis titulo colorato carentibus non ſuffragetur communi reputatio, ſeu titulo putativus, qui non provenit à legitimo Superiore; hinc ſequitur ut non ſolùm poſſint, ſed etiam debeant cedere Epiſcopatui, non obtenta à Summo Pontifice licentia, præſertim quia inter eos, & Eccleſiam non eſt contractum ſpirituale conjugium. Unde non eſt opus Superioris authoritate, cùm non agatur de diſſolutione alicujus vinculi, ſed tantùm injuſtæ poſſeſſioni renuncietur. Et ita tenent hìc Tancredus, Joan. gloſſ. Jo. Andr. Butr. Card. & Baldus ſuperiùs citati in caſu præcedenti. Et pro hac ſententia eſt textus clarus *in c. Ordinationes*, 1. *q.* 1. ubi ordinationes, ſeu electiones, quæ non communi conſenſu ſecundùm canonicas ſanctiones fiunt, & ab iis, ad quos conſecratio pertinet, non comprobantur, à Gregorio VII. falſæ judicantur; quoniam qui taliter ordinantur, non per oſtium, id eſt, per Chriſtum intrant; ſed ut ipſa Veritas teſtatur, fures ſunt, & latrones. Unde 36
Joannes de Imola *conſ.* 132. *num.* 7. Intruſum dicit non ſolùm qui ſine electione, ſed etiam qui ex electione non canonica, puta minoris partis beneficium occupat. Et cum eo inſtar adulteri non poteſt eſſe matrimonium, ſecundùm Petr. de Anchar. *conſ.* 397. *nu.* 3. & 4. & eſt textus *in cap. Convenior*, 23. *quæſt.* 8. ubi Ambroſius de Eccleſia ab Imperatore occupata: *Non licet*, inquit, *tibi illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera eſt enim quæ non eſt legitimo Chriſti conjugio copulata*. Et ſecundùm hæc abſque 37
Romani Pontificis licentia poteſt, & debet renunciare qui Epiſcopatum accepit regia ordinatione, *cap. Si per ordinationem regiam* 63. *diſt. cap. Si quis deinceps*, 16. *qu.* 7.
Item proviſus ab Antipapa, ſeu Patriarcha, vel alio Schiſmatico, ut ſunt Vuladicæ Ruthenorum Epiſcopi, juxta 38
text. *in d. cap.* 1. *de Schiſmat.* Neque enim ſuffragatur eis Conſtitutio Concilii Conſtantienſis, quæ incipit, *Ad evitanda*, ut ibi latiſſimè probavimus à *num.* 53. *uſque ad* 126. Item electus à minori parte capituli, *ut in d. cap. Ordinationes*, 1. *q.* 1. vel aliàs non canonicè, ſecundùm Com- 39
poſtell. *in c. Quod ſicut*, *in* 1. *gloſſ. in verſ. Item quæritur*, *nu.* 16. *ſupra de elect.* Archid. *in c. Si cui*, *in gloſſ. Quid ſit confirmatio, eod. tit. lib.* 6. & Hoſt. *in cap. Prælatorum*, *inf. de accuſat.* quibus conſentit Baldus *hìc n.* 2. dummodò de non canonica electione conſtet in figura judicii. Hi enim omnes nec titulum habent, nec aliquem colorem, & hìc quoque ſecundus caſus eſt ſatis planus.

Quidam verò ſunt intruſi, qui carent quidem titulo 40
quoad rei veritatem, ſed tamen habent putativum authoritate Superioris, & aliquem colorem tenendi, ut quia delictum, vel defectus inficiens titulum eſt occultus. Et tales cedere non poſſunt abſque licentia Summi Pontificis, quia ille putativus titulus, & coloratus opinione communi habetur inſtar veri, *cap. Auditis, de elect.* Gloſſ. Innoc. Butr. Abbas, & alii *in d. cap. Nihil, eodem tit.* & dixi *in d. c.* 1. *num.* 127. *infrà de Schiſmat.* Unde ſicut in titulo verò hujuſmodi licentia exigitur, ita, & in putativo, & colorato, ut dicit hìc diſertis verbis Butrius *num.* 8. *verſ. Quidam ſunt carentes titulo*. Henric. Boich. *in princ. verſ. Et tunc aut habet titulum coloratum*, & Bald. *nu.* 1. *ubi conſidera*, inquit, *quòd interdum quis eſt tacite intruſus, ut ille qui habet figuram eſſe, tamen non habet efficaciam eſſe, & iſte non poteſt cedere ſine licentia Domini Papæ; puta illegitimus, qui fuit electus, & confirmatus tacite de ſua illegitimitate*. Et ita intelligi poſſunt hìc Innocentius, & 41
Compoſtellan. uterque *n.* 1. *in ver. Cedendi*, dum dicunt etiam ad dimittendam poſſeſſionem facti exigi Superioris

rioris licentiam: hoc enim intelligi debet de illa poſſeſſione facti, quę licèt ſit nulla, eſt tamen ſuffulta aliquo colore tituli, ſaltem ex opinione hominum, ut declarat Joan. Andr. *num.* 43. *verſ. Et ibi titulum habet.* Butr. *d. nu.* 8. Henric. Boich. *ante n. d. verſ. Innocentius hic, qui dicit*, & Car-
42 din. *in* §. *Intueri*, *num.* 2. Et juxta hoc qui per ſimoniam adeptus eſt Epiſcopatum, ſiquidem ſimonia per alium fuit commiſſa eo ignorante, *ut infrà in cap. Proximo*, habet titulum, vel ſaltem colorem; & ideò licentiam expectet. Quod tenet Specul. *tit.* 2. §. *Non oſtendendum, verſ.* 21. relatus hic à Card. *in* §. *Intueri, verſ. Et in eo quod dixi de ſimoniaco*: ſi verò ſimoniam commiſerit per ſeipſum, & delictum ſit publicum & notorium, non eſt opus licentia; quia ſimonia impedit titulum, vel colorem, text. eſt in *d. c. Ordinationes*, & *in c. Si quis neque*, 1. q. 1. Sin autem crimen ſit occultum, expectanda erit licentia Superioris. Et hoc propter duo, ut inquit hic Butr. *eod. n.* 8. *ad fin. verſ. De ſimonia autem*. Primò, quia hujuſmodi titulus putativus habetur pro vero. Secundò, quia de facili cum talibus benè adminiſtrantibus & occultis diſpenſat Romana Eccleſia, arg. *infr.* §. *Perſonæ verò*.

43 Concluſionem ſuperiùs firmatam, quòd intruſi habentes titulum putativum, & coloratum, cedere non poſſint abſque licentia Papæ, limitat gloſſ. *hic in ver. Sed dumtaxat*, & Butr. *loc. cit.* niſi in articulo mortis vellent renunciare; quia tunc ad purgandam conſcientiam poſſunt dimittere beneficium non expectata Superioris authoritate, ſi careant illius præſentia; & ſufficeret ut dimitterent in manibus alterius Superioris, putà Pœnitentiarii, ſeu Confeſſoris electi, allegans *c. Si quis ſuadente*, 17. *qu.* 4. & *c. fin. de pœnit. & remiſſ.*

Tu, dic ſecundùm Hoſt. *num.* 7. Henric. Boich. *col.* 1. *ante med. verſ. Et nota*, & Silveſtr. *in ver. Renunciatio*, *num.* 3. *verſ. Tertium Epiſcopis*, qui non benè intravit, ſed per ſimoniam, vel intruſionem, & hujuſmodi, in morte renunciabit mente, ſcilicet ſi aliter nequit, & in manu Archiepiſcopi, ſi poteſt; aliàs ſimplicis Sacerdotis, ſub hac conditione, ſi Papæ placuerit: & ſi convaluerit, eum quàm citiſſimè adeat, pariturus ei humiliter, & devotè, arg. *cap. Non dubium*, *de ſent. excomm.* Et interim fructus cuſtodiat, vel in utilitatem Eccleſiæ expendat, arg. *c. Cum vos, de offic. ordin.* accipere tamen ſibi poteſt vitæ neceſſaria ſtrictè, *cap. Non ſatis*, & *c. Parce*, 86. *diſt.*

44 Quidam denique ſunt intruſi, qui ab initio verum, & legitimum titulum habuerunt, ſed poſteà titulus redactus eſt ad non titulum, eò quòd commiſerit aliquod crimen inducens privationem tituli ipſo jure, puta hæreſis, *c.* 1. 24. *q.* 1. *c. Ad abolendum*, §. *Præſenti*, *infra de Hæret.* Extravag. Pauli IV. *Cum ex Apoſtolatus*, *vel aſſaſſinit*, ut in *c.* 1. *de ho-*
45 *micid. lib.* 6. ſecundùm Bald. *hic n.* 3. Paria enim ſunt intrudere ſe in Beneficium, vel retinere Beneficium, quo aliquis canonicè eſt privatus, *c. Cùm dilectus, de purgat. canon.* & tradit Petrus Brixien. *in repert. in verſ. Intruſus*.

46 Et nunc diſtinguitur: nam aut crimen eſt notorium, ſeu declaratum per ſententiam; & tunc cùm ſic privati non habeant titulum, neque colorem tenendi, cedere poſſunt abſque Superioris authoritate. Ita Anton. de Butr. *hic num.*
47 8. *verſ. Infertur ſecundo*. Quoniam, ut Baldus inquit *nu.* 1. qui extruſus eſt per ſententiam, non dicitur cedere, ſed recedere, cùm non habeat eſſe, nec figuram, ex quo re-
48 motus eſt illo actu, *l. Diſpenſatori, ff. De ſolut.* Et propterea intruſus poſt rem judicatam, & executoriales, non auditur; ſed debet tradere poſſeſſionem captam, etiamſi alleget notorium non jus petentis, quando poteſt inficiari, & requirit altiorem indaginem, ut per Paleott. *deciſ.* 441. *par.* 3. *lib.* 3. *per totam.* Aut crimen eſt occultum, & alia lata non eſt ſententia: & non licet abſque licentia, ſeu authoritate Superioris renunciare. Ratio eſt quia ſuffragatur illis communis error, ſeu titulus putativus ab initio proveniens à legitimo Superiore, ut per Butr. ubi ſuprà.

49 §. *Alia vero*. Nota hic ſecundam legitimam cauſam reſignandi Epiſcopatum, nempè debilitatem corporis, ſive proveniat ex ſenectute, ſive infirmitate, dummodò tamen ſit talis, quæ reddat Epiſcopum inhabilem ad executionem, & adminiſtrationem officii paſtoralis. De ſenectute habetur in *cap.* 1. *ſuprà eod.* De cujus initio, & progreſſu ſcripſi latiſſimè *in c. Cum ſis, infra de converſ. coniug.* De infirmitate autem gloſſ. *hic in ver. Dumtaxat.* Hoſtienſ.
num. 13. & Jo. Andr. *num.* 44. exemplificant in morbo ſonti- 50
co, qui cuique rei agendæ impedimento eſt, ut *l. Morbus*, *ff. De verb. ſignif.* & *l. Quæſitum*, *ff. De re jud.* Sed numquid 51
ratione podagræ liceat cedendi licentiam poſtulare? Dic ſecundùm Baldum *hic n.* 6. hæc omnia ad judicis arbitrium pertinere, ut *l. Podagræ*, *C. Qui morb. ſe excuſ. lib.* 10. & ſufficiunt informationes ſummariæ, ut notatur *in l. In cauſæ*, §. *Hoc autem, ff. De procur.* Ex hac tamen cauſa vidi ſæpiùs denegatam Epiſcopis licentiam cedendi in S. Congregatione rerum Conſiſtorialium.

Debilitas verò, quæ reddit Epiſcopum, ut ſuprà, inha- 52
bilem, habetur pro legitima cauſa poſtulandi, & admittendi reſignationem, etiamſi ex peccato proveniat, dummodò Epiſcopum pœniteat, *c. Cum infirmitas, de pœnit. & remiſſ.* & notat hìc Hoſtienſ. *num.* 13. *in fin. in ver. Infirmitas corporis.* Prout in ſimili ſacra Congregatio Concilii aliàs con- 53
ſulta, an ſenio confectis, ſi aliter reſidere ſoliti ſint, diſtributiones debeantur; ac etiam infirmis ex propria culpa, & peccato: Reſpondit deberi; aliàs enim nimius rigor eſſet, 54
nec Superiorem hujuſmodi inquiſitionem facere debere addendo afflictionem afflictis, quia multæ poſſunt eſſe cauſæ, & non turpes. Et hanc partem tamquam mitiorem amplexus eſt Gregorius XIII.

Secundò nota, ad debilitatem corporis non ſequi debi- 55
litatem cordis, & intellectus, & ſpiritus; ſed potiùs augmentationem, quaſi in vicem opponantur, ut hìc per Butr. *nu.* 10. *in* 2. *notab.* Concordat *c.* 1. *ſupr. eod.* ibi Vergente deorſum conditione corporea, fervor ſpiritus in ſublimiora conſcendit.

Non obſtat ſi dicatur infirmitas non præbet legitimam 56
cauſam cedendi, quia dandus eſt coadjutor, ut *in cap. Ex parte, de Cler. ægrot.* Nam primò reſpondetur id procedere ſi Epiſcopus ex debilitate reditus ſit inhabilis quoad temporalia tantum; tunc enim licet in temporalibus non poſſit proficere, non propter hoc cogitur cedere, ſed dandus eſt illi coadjutor: caſus eſt *in c. Quia frater*, 7. *q.* 1. Secus verò ſi reditus ſit inhabilis in totum quoad ſpiritualia, quia tunc habet legitimam cauſam cedendi. Ita Innoc. *hic num.* 4. Hoſt. *n.* 13. *in ver. Paſtorali*. Jo. Andr. *in eod. ver. num.* 9. Butr. *n.* 11. & Card. *in* §. *Alia vero*, *n.* 1. Deindè reſpondetur debilitatem corporis, qua quis redditur inhabilis ad ſpiritualia, ſeu temporalia, præbere juſtam cauſam renunciandi in volente, ut hìc. At invitus non compellitur, ſed dandus eſt illi coadjutor, ut in *d. c. Ex parte*, ſecundùm Hoſt. & Butr. *prox. citat.*

Porrò Cardinales Epiſcopi conſueverunt admitti ad re- 57
ſignandum, etiamſi debilitas corporis, vel alia cauſa hic expreſſa non probetur: fortè in eis pro cauſa eſt obligatio, quam alias habent reſidendi in ſuis titulis, ut *in c. de Cler. non reſiden.* & coadjuvandi Romanum Pontificem in executione Sacerdotalis officii juxta text. *in c. Per venerabilem*, §. *Rationibus*, *qui fil. ſint legit.* & Decretum Concilii Tridentini *in cap.* 1. §. *Quæ vero, ſeſſ.* 25. aliàs amittunt fructus beneficiorum, & officiorum ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. in Bulla *Reformationis Curiæ*, *in tit. de Cardinalibus*.

Advertitur, à pluribus annis ſervari ut ceſſiones hujuſmodi remittantur ad S. Congregationem rerum Conſiſtorialium, in qua cauſæ diſcutiuntur formato etiam proceſſu.

§. *Pro defectu*. Nota hìc primò ſcientiam in Epiſ- 58
copo eſſe neceſſariam ad regimen tàm ſpiritualium, quàm temporalium. De ſcientia in ſpiritualibus habetur 38. *diſt. per tot.* Et de hac plura ſcripſi *in c.* 1. *ſuprà de Summa Trinit. & Fid. Cathol.* De ſcientia verò in temporalibus habetur *in c. Fratrem noſtrum*, 86. *diſt. in c. Petrus*, 39. *diſt.* & *in* §. 1. 36. *d.* Et utramque eſſe neceſſariam in Epiſcopo, notat hìc gloſſ. *in ver. Temporalium. Quia*, inquit, *in his alios docere debet Epiſcopus; & ideo aliorum doctrina indigere non debet*, *c. Convenientibus*, 1. *q.* 7.

Unde defectus ſcientiæ promotum dejicit invitum, 59
cap. final. infrà de ætat. & qualitat. ſecundùm Hoſt. *hic nu.* 14. *in ver. Pro defectu*, & Joan. Andr. *in eod. ver. n.* 10.

Secundò nota in ver. *Quamquam*. Quòd etſi eminens 60
ſcientia deſideranda ſit in Paſtore; tamen competens ſufficit, nec defectus eminentis præbet legitimam cauſam cedendi ſecundùm Innoc. *num.* 4. *in ver. Defectu*. Hoſtien. *num.* 19. *in ver. Toleranda*, & Butr. *num.* 15. concordat *cap. Cum nobis olim, ſup. de elect.* Concilium Later. noviſſimum ſub

ſub Leone X. *de reform. Curiæ*, *ſeſſ. 9. in princ.* ibi, Curialitatis antiquæ cum competenti litteratura. Alioquin ſi eminens ſcientia eſſet neceſſaria abſolutè in Prælato, pauci ad Epiſcopatum promoverentur; cùm vix ad culmina dignitatum viri eminentis ſcientiæ valeant reperiri, ut legitur in *c. Venerabilis*, §. *penult. infrà de præb.* & ibi notat gloſſ. *in ver. Eminentis*, & Hoſt. *hic num.* 11. Itaque ut verbis Baldi utar, *n. 6.* in Epiſcopo requiritur ſcientia eminens, tamen toleratur ſcientia competens, ſed nihil ſciens, etiamſi ſit Epiſcopus, debet deepiſcopari, allegat *l. Sed & reprobari, ff. De excuſ. tutor.*

61 Cæterùm hic caſus deepiſcopandi Epiſcopum ob defectum ſcientiæ hodie vix poteſt contingere: nam promovendi quidem in Curia ad Cathedrales, & alias majores Eccleſias, ut Epiſcopi Italiæ, & Inſularum adjacentium, accuratè examinantur juxta antiquiſſimum Eccleſię morem: olim namque Origeniſtarum, Cœleſtii, aliorumque hæreticorum novæ, aut certè reſuſcitatæ hæreſes cauſam dederunt Conſtitutioni Conc. Carthag. *c.* 1. in qua præſcribitur qua forma Epiſcopus recens ordinandus examinari debeat, ut habetur *tom. 1. Concil. pag. 727. col. 2.* & refertur in *cap. Qui Epiſcopus ordinandus eſt*, 23. *diſt.* Et hunc priſtinum morem à Clemente VIII. in Eccleſia reſtitutum eſſe, eoſque, qui ordinandi ſunt Epiſcopi, unà cum aliquot delectis ad hoc Cardinalibus, adhibitis ſimul qui in urbe ſunt doctiſſimis Theologis, & Canonicis Juris conſultiſſimis, diligenti, atque improviſo examine in præſentia Pontificis probari. Atque ita nunc nonniſi benè diſertis aditum patere ad Epiſcopatum ſcribit Card. Baronius *ad Annum* 398. *num.* 698. Quod inſtitutum magno Chriſtianæ Reipublicæ bono, alii quoque Pontifices illius ſucceſſores poſtea retinuerunt. Et ego ipſe uti examinator Canoniſta jam à pluribus annis in jure Pontificio examinavi Epiſcopos promovendos coram Sanctiſſimo D. N. Urbano VIII.

62 Hoc autem examen ſubire tenentur omnes etiam inſignis, & exploratæ litteraturæ, ita ut ne ipſi quidem Epiſcoporum examinatores ſint ab eo immunes. Et dignum eſt memoratu quod D. Cardinal. Gypſius tunc in minoribus agens qua die examinavit aliquot promovendos, mox fuit ipſe examinatus ad Eccleſiam Ariminenſem. Quod ipſum ad Novarienſem Eccleſiam nuper contigit D. Torniello, qui mihi ſucceſſit in officio Secretarii ſacræ Congregatio-
63 nis Epiſcoporum, & Regularium. Excipiuntur tantummodò ab hujuſmodi examine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui Cahedralibus præficiuntur. Nam Summi Pontifices quam ſolicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debent, eam hinc potiſſimum impendunt, ut lectiſſimos tantùm ſibi Cardinales aſciſcant ad præſcriptum Concilii Trid. *c. 1. §. poſtremo, ſeſſ.* 24. Et cum Cardinales aſſumpti jam ſint ad gradum Epiſcopis eminentiorem, ut diffinitur in decretali epiſtola, quam ſcripſit ad Archiepiſcopum Cantuarienſem Eugenius IV. dum Florentiæ præſideret in Concilio Florentino, quæ incipit, *Non mediocri dolore*, & habetur in Bullar. *tom. 1. pag.* 282. utique non egent novo examine ad inferiorem dignitatem, *c. Geſta*, 74. *diſt. c. Accepimus*, *infrà de ætat. & qualit.* & ibi gloſſ. *in ver. Reputare.* Innocentius, qui allegat concordantes *in eod. ver. n.* 3. Hoſt. *n.* 12. & reliqui interpretes. Cum pręſertim ſcientiam, & alias qualitates in promovendis ad Epiſcopatum pręfinitas Concilium Tridentinum decernat etiam ad Cardinales pertinere, quorum conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem cùm univerſalis Eccleſię adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt non iis etiam virtutum inſignibus eos fulgere, qui meritò in ſe omnium oculos convertant, ut legitur in Decreto Concil. Trid. *c. 1. §. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt*, *ſeſſ.* 25. Confert ad hoc quod notat Innoc. *in c. Cum Venerabilis*, *n. 7. verſ. Item ſi admitto, infra de except.* ubi determinat ſemel admiſſum ad aliquod officium non poſſe in ſimili officio reprobari requirente eamdem perſonę idoneitatem: & ſequitur Bald.
64 *in Margarit. in ver. Approbatus.* Et hac ratione Epiſcopi, qui ad aliam Eccleſiam transferuntur, huic examini non ſolent ſubjici.

65 Sed nec promovendi ad Patriarchales, Metropolitanas, vel Cathedrales Eccleſias, quę ſunt in partibus infidelium; quia non habent quos doceant tamquam Clero populoque carentes, ut in Concilio Trid. *c. 2. ſeſſ.* 14. Verùm ſi contingat ut ejuſmodi Prçlati titulares deputentur in Suffraganeos alicujus Cardinalis Epiſcopi ad pręſcriptum Concilii Lateran. noviſſimi *ſeſſ. 9. de Card.* tunc & ipſi conſueverunt examinari, ut ſepius vidi obſervatum.

Ad hæc Sanctiſſimus D. N. Urbanus VIII. in Congrega- 66
tione examinis promovendorum ad Eccleſias Cathedrales, habita in Palatio Vaticano *die* 16. *Maii* 1625. decrevit, & mandavit, ut Examinatores non audeant propalare, nec ullo modo indicare examinandis ea, ſuper quibus illos interrogare intendunt, & tàm ipſi Examinatores, quàm quicumque alii, quia examini interſunt, in votis proferendis omninò abſtineant à quocumque temperamento, veluti quod examinanti iterùm revertantur, vel quòd Vicarium à S. Congregagione approbatum ſecum ducant, aut quid ſimile; ſed teneantur ſententiam ſuam ſimpliciter, ac præciſè proferre, An ſibi videantur idonei ſecundùm præſentem juſtitiam ad munus Epiſcopale ſubeundum. Inſuper ne vota etiam propria, aut ea quæ geſta ſunt in Congregatione, publicentur, aut communicentur alicui, qui Congregationi intereſſe non ſolet: voluit idem Sanctiſſimus D. N. ut tàm S. R. E. Cardinales, quàm cæteri Prelati ejuſdem Congregationis juramentum præſtent de ſervandis in hoc Decreto contentis, ſub pœnis & cenſuris incurrendis juſta ſtylum Sacræ Congregationis S. Officii hac ſequenti forma.

Pro Cardinalibus. *Ego N. miſeratione divina S. R. E. Cardinalis, &c. tactis per me ſacroſanctis Dei Evangeliis coram propoſitis juro, ac promitto ſervare omnia contenta in præſenti decreto Sanctiſſ. D. N. per me lecto ſub pœna excommunicationis, à qua nonniſi à Sanctiſſ. D. N. abſolvi poſſim. Sic me Deus adiuvet, & hæc ſancta ejus Evangelia.*

Pro Prælatis. *Ego N. &c. conſtitutus coram vobis Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. S. R. E. Cardinali N. &c. tactis per me ſacroſanctis Evangeliis coram propoſitis juro, ac promitto ſervare omnia contenta in præſenti Decreto Sanctiſſimi D. N. ſub pœna periurii, & excommunicationis latæ ſententiæ à qua nonniſi à Sanctiſſimo abſolvi poſſim. Sic me Deus, &c.*

Quod quidem juramentum ea religione obſervari conſuevit, ut ne quidem in genere indicentur examinandis materia, ſuper qua illos intendunt interrogare. Quamobrem prorſus illiterati, & qui ſecundùm Baldum poſt promotionem eſſent deepiſcopandi, graviſſimum hoc judicium ſubire, & tanto periculo ſe exponere non audent. Quod ſi auderent tamquam inhabiles repellerentur, ut interdum contigit. Hæc de promovendis in Curia.

Extra Curiam verò ex Tridentini Concilii pręſcripto, & 67
Conſtitutione Gregorii XIV. *edita idibus Maii* 1591. Inſtructio de qualitatibus ſumitur tantummodò à Sedis Apoſtolicæ Legatis, ſeu Nunciis provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente à vicinioribus Ordinariis, ut in *cap. 2. ſeſſ.* 22. ubi etiam ſtatuitur, ut aſſumendus ſcientia ejuſmodi polleat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere. Ideòque anteà in Univerſitate ſtudio- 68
rum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel Jure Canonico meritò ſit promotus, aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quòd ſi Regularis fuerit, à Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat. Prædicti autem omnes, unde inſtructio, ſeu teſtificatio erit ſumenda, hęc fideliter, & gratis referre teneantur; alioquin eorum conſcientias graviter oneratas eſſe ſcient, ac Deum & Superiores ſuos habebunt ultores. Alię etiam complures diligentię, quo inſtructo hujuſmodi ſincerè, & fideliter habeatur, præſcriptæ ſunt ex Decretis Sacr. Congregationis rerum Conſiſtorialium, & præſertim in inſtructione particulari ſuper hoc publicata, & impreſſa anno 1627. in qua quod pertinet ad litteraturam, præſcribitur, ut teſtes interrogentur an ſciant aſſumendum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in ſacra Theologia inſignitum eſſe, quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu ipſi Theologię, vel Juri Canonico operam dederit, & an verè ea doctrina polleat, quę in Epiſcopo requiritur ad hoc, ut poſſit alios docere, & quę ſit cauſa ſcien-
tiæ. Quod ſi promovendus nullum habeat gradum, ex par- 69
te illius exhibeatur publicum alicujus Academiæ teſtimonium ad præſcriptum Concilii. Ac ſi ortus ſit in provinciis, in quibus non ſunt Univerſitates ſtudiorum, neque conſuetum eſt ſuſcipi gradum aliquem, ejuſmodi teſtimonium ſumatur ex viris gravibus, & ſacræ Theologiæ, vel Juris Canonici peritis. Quòd ſi Regularis ſit à ſuis Superioribus re-

regularibus, quorum appellatione quoad hoc intelliguntur dumtaxat, qui nullum ſui Ordinis Superiorem agnoſcunt, ſive ii nuncupentur cujuſvis Ordinis Abbates, Magiſtri, Miniſtri, aut Præpoſiti Generales, vel quarumlibet Congregationum Præſidentes, ſive Definitores, aut Viſitatores Capitulum Generale repræſentantes, ſive alio quocumque nomine; & in eorum abſentia ipſorum Vicarii, ſeu Commiſſarii Generales, vel in Romana Curia Procuratores Generales Ordinum, aut Congregationum; ut legitur in eadem inſtructione. Quæ cùm ita ſint, non mirum ſi à multis annis, quibus eidem Congregationi rerum Conſiſtorialium interſui, tamquam unus ex Conſultoribus nominatus in Bulla Sanct. D. N. Urbani VIII. ſuper inſtitutione ipſius Congreg, numquam vidi, nec priùs audivi quemquam ex hoc capite ignorantiæ fuiſſe de Epiſcopatu dejectum, aut reſignandi licentiam puſtulaſſe.

70 §. *Propter malitiam*. Nota quartam cauſam legitimam reſignationis Epiſcopatus, id eſt malitiam, ſeu duritiem ſubditorum, cùm ſcilicet adeò pervicaces, & incorrigibiles exiſtunt, ut Epiſcopus proficere nequeat apud ipſos.

71 Quippe actus paſcendi eſt principalis actus Epiſcopi, ut conſtat ex Decreto Conc. Trid. *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. & tradit Cajet. *in* 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. Unde ſi nec gregem paſcere poteſt Epiſcopus, neque alia paſtoralia munia exercere ob ſubditorum pervicaciam, ceſſat obligatio retinendi. In quacumque enim obligatione attendi debet obligationis finis, ut docet S. Thomas *d. q.* 185. *art.* 4.

72 QUÆRO, An Epiſcopus propter perſecutionem ſubditorum debeat fugere, & Eccleſiam deſerere. Hanc quæſtionem format hìc Anton. de Butr. poſt Innocent. Hoſt. & Jo. Andr. Ego plenè examino *in c. prox. infra eod. in q.* An Epiſcopus civitatis, vel diœceſis, quam incolunt ſoli Græci ſchiſmatici, ad perſonalem reſidentiam teneatur.

73 §. *Pro gravi quoque*. Nota hìc quintam cauſam cedendi legitimam, videlicet grave ſcandalum, quod aliter ſedari non poteſt. Et pondera ceſſionis rationem, nempè quia Epiſcopus non debet magis temporalem honorem, quàm æternam affectare ſalutem. Porrò tantum poteſt eſſe ſcandalum, ut Epiſcopus non ſolum poſſit, ſed etiam teneatur renunciare, ut dicunt hìc Hoſtienſ. & Joan. Andr. ambo *num.* 19. *in ver. Quia ſanguinem*, & Cardin. *in* §. *Pro gravi*, *in princip.* allegant *cap. Nihil*, *de præſcrip. cap. Cùm teneamur*, *de præbend. cap.* 1. 2. *&* 3. *de jurepatr. cap. Inter*
74 *ſolicitudines*, §. 1. 2. *&* 3. *de purgat. canon.* Ratio eſt, quia ſcandalum vitare debemus quantum poſſumus, ſi ſine
75 peccato vitari poteſt. Nam veritas diſciplinæ deſeri poteſt propter multitudinem peccantium, *cap. Ut conſtitueretur*, 50. *diſt.* intellige niſi defendant errorem, *cap. Comeſſatio-*
76 *nem*, 44. *diſt.* Si enim defenderent, vel excuſarent, tunc nullo modo parcendum eſſet multitudini, *cap.* 1. *in fine*, *de*
77 *pœnit. diſtinct.* 6. *cap. Plurimos*, 82. *diſt.* Sin autem ſcandalum vitari non poſſit ſine peccato, tunc utilius ſcandalum naſci permittitur, quàm ut veritas relinquatur, *cap. Qui ſcandalizaverit*, *infrà de regul. jur.* Veritas namque bonæ vitæ, vel juſtitiæ propter ſcandalum numquam deſerenda eſt, ſecundum gloſſ. *hic in ver. Diſtinguendum*. Innocent. *in eod. ver. num.* 6. Joan. Andr. *num.* 19. Butr. *num.* 22. An-
78 char. *num.* 7. & Card. *ubi ſuprà*. Quod ſi ſit dubium an ſcandalum ſit peccatum, necne, tunc potiùs videtur vitandum ſcandalum, quàm peccatum, ſecundum Hoſt. Jo. Andr. Cardin. & alios proximè citatos, qui allegant illud Auguſtini: *Tene certum, & dimitte incertum*, §. 1. *ad fin. de pœnit. diſt.* 6.

79 Eſt autem ſcandalus, dictum vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ. Et quod græcè *ſcandalon* dicunt, nos offenſionem, vel ruinam, & impactionem pedis poſſumus dicere. Quemadmodum enim contingit quandoque ut aliquis obex ponatur alicui in via corporali, cui impingens diſponitur ad ruinam, & talis obex dicitur ſcandalum; ſimiliter in proceſſu viæ ſpiritualis contingit aliquem diſponi ad ruinam ſpiritualem per dictum, vel factum alterius, in quantum ſcilicet aliquis ſua admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum. Et hoc propriè dicitur ſcandalum, ut ex Hieronymo *ſuper Matth.* diffinit, & explicat D. Thomas *in* 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. & ſequitur Silveſt. *in ver. Scandalum*, *in princ.* An autem propter ſcandalum teneatur quis deſerere bona ſpiritualia, vel temporalia, dic ut per S. Thomam *in d. q.* 43. *art.* 7. *&* 8. Et de duplici ſcandalo puſillorum, & Phariſæorum vide Navarr. *conſ.* 9. *N. Nobilis*, *nu.* 11. *De iis, quæ vi*, & dixi *in c. Si quis*, *n.* 80. *infrà de regul.*

§. *Perſonæ vero*. Nota hic ſextam, & ultimam cauſam renunciandi legitimam, nempè irregularitatem, intellige ex defectu provenientem, ut differat à prima cauſa irregularitatis ex delicto, quæ ponitur ſuprà *in* §. *Propter conſcientiam*. Eſt autem irregularitas ſecundum Bald. *hic*
num. 9. paſſiva prohibitio in his, quæ ſunt ordinis, & offi- 80
cii; vel ut diffinit Speculator *lib.* 1. *de diſpenſ.* §. 4. *in princ.* eſt nota, ſeu impedimentum canonicum ex facto, ſeu defectu proveniens, quo quis prohibetur ad Eccleſiaſticos Ordines promoveri, & in eiſdem miniſtrare, & eodem modo ferè deſcribunt Hoſtienſ. *in c.* 2. *de Cler. excommun. miniſtr.* Arch, & Jo. Andr. *in c.* 1. *de reg. jur. lib.* 6. Et quamvis Mariam Socin. ſenior. *in c. Ad audientiam*, *in prima quæſtione principali*, *n.* 12. *de homicid.* poſt verbum, *Canonicum*, putet addendum, *ſeu divinum*: & poſt verbum, *ex defectu proveniens*, ſimiliter addendum putet, *à natura*, *vel eventu*; Tu tamen non recedens à communi deſcriptione, quia quatenus reperiatur aliqua irregularitas de jure divino, de quo per eumdem Socin. *ibid. in* 3. *quæſt. principali*, *nu.* 15. *& ſeqq.* tamen verbum illud, *Canonicum*, eſt aptum comprehendere etiam impedimentum juris divini, *c. unic.* cum gloſſ. *in ver. Canonicum*, *de ætat. & qualit. lib.* 16. facit text. *in c. Si quis dogmata*, 25. *qu.* 2. & *in c. Qualiter*, *& quando*, *il* 2. *in princ. infrà de appellat.* & quod notat. gloſſ. *in Sum.* 9. *diſt.* & Abb. *in c. fin. num.* 7. *ne Cler. vel Monach.* & verba illa, *à natura*, *vel eventu*, ſuperflua ſunt, quia unumquodque impedimentum aut eſt à natura, aut ex accidenti, & undecumque proveniat, abſolutè impedimentum eſt. Dicitur autem nota, id eſt, infamia, *c. Accidens*, *de purg. canon. ſeu cicatrix*, *ut l.* 2. *ff. De ſerv. fugit.* nam & irregularitas eſt cicatrix criminis; vel defectus, *c. In Sacerdotibus aliàs eſt*, *c. Non negamus*, 61. *diſt.* Unde ſecundum Specul. ſanitas, ſcilicet pœnitentiæ poſt vulnus, ſcilicet peccati, ſequuta ſine cicatrice, ſcilicet irregularitate, eſſe non poteſt, *c. Ventum eſt*, 1. *q.* 1. Atque ita irregularitas differt à ſuſpenſione, quia eam includit, & illi addit. Suſpenſio enim importat inhabilitatem ad executionem tantùm; irregularitas verò ad executionem, & Ordines, ut per Silveſtr. *in ver. Irregularitas*, *in princip.* Et tres modos, quibus irregularitas contrahitur, notat hìc Innocent. *num.* 7.
Hoſt. *num.* 71. & Specul. *loco cit.* Communiter tenetur ir- 81
regularitatem tripliciter contrahi: videlicet ex delicto, ut ſuprà *in* §. *Propter conſcientiam*. Ex defectu Sacramænti, ut in bigamo, *c. Acutius*, 26. *diſt.* & *c. Debitum*, *infrà de bigam.* & ex defectu corporis; ſub qua ſpecie comprehenduntur tàm qui patiuntur defectus natalium, ut hìc, quàm corpore vitiati, *ut infr. de corpor. vitiat. per tot.* Bald. *hic nu.* 11.
hanc ultimam ſpeciem irregularitatis appellat nativam, ut 82
ſi quis naſcatur ſpurius: nam ex corrupta radice oritur vitium, quod inditum eſt ſine culpa naſcentis; & ideò per ejus pœnitentiam non purgatur, quia nec pœnitere poteſt qui non peccavit. Simile eſt in corpore vitiato, quia ibi non peccat anima, ſed natura, ut *not. in c. infrà de corp. vitiat.*
Verùm irregularitas in corpore vitiatis non ſemper poteſt 83
dici nativa; quia quamvis vitium corporis contingat à nativitate, ut in cæco nato: tamen plerumque accidit poſteà, ſicut nobis contigit cæcitas Domino ſic permittente in quadrageſimo quarto ætatis noſtræ anno, & eo tempore quando à publicis negotiis Deus nobis hæc otia fecit, cœpimus ſcribere, ſeu potius dictare Commentaria hæc noſtra ſuper libris Decretalium; fortè tamen mens Baldi fuit appellare hanc irregularitatem nativam, non quod oriatur à nativitate, ſed quia adnaſcitur ſine facto, & miniſterio ejus, qui irregularis efficitur: & hoc indicat ratio illa, quia ibi non peccat anima, ſed natura.

Porrò irregularitates omnes, & illarum pœnæ ſunt de 84
jure poſitivo, & ex conſtitutione Eccleſiæ. Ac proinde Summus Pontifex in irregularitatibus omnibus diſpenſat, etiam in bigamia ſecundum Innoc. *hic n.* 8. cui ſubſcribunt Hoſt. *num.* 72. Jo. Andr. *n.* 54. ac cæteri omnes: & Specul. *d. tit. de diſpenſ.* §. 4. *num.* 3. De quo tamen articulo vide plenè per Marian. Socin. *in c. Ad audientiam*, *num.* 15. *verſ. Tertio principaliter quæro quo jure fuerit introducta irregularitas*, & *num.* 21. *& ſeqq. infra de homic.* & quod dixi *in c. Henricus*, *circa fin. n.* 40. *infra de Cler. pugn. in duel.*

Nec

86 Nec obſtat dictum Apoſtoli 1. Timoth. 3. *Unus uxoris virum*, id eſt, non plurium, ut *in d. c. Acutius*, nam, ut inquit hîc Bald. *num.* 14. licèt Apoſtolus oſtendat Papæ quid facere debeat, non tamen oſtendit quid facere poſſit; quia poteſtas Clavium eſt talis, & tanta, ut non recipiat interpretationem reſtrictivam, ſubdens hanc eſſe intentionem Innocentii notabilem, & veram. Epiſcopi verò an poſſint ſuper bigamia diſpenſare, ſcripſi plenè *c. in Super eo*, *à n.* 19. & *in c. A nobis*, *à n.* 29. *infrà de bigam.* & an in irregularitate ex homicidio, dixi *in d. c. Henricus*, *n.* 42.

DE RENUNCIATIONE.

Idem Innocentius III. Epiſcopo Faventin. in Archiepiſcopum Raven. electo.

CAPUT XI.

POſt translationem tuam ad Eccleſiam Ravennaten. cùm Præpoſitus, & Canonici Faventin. in I. eorum concanonicum liberam eligendi auctoritatem unanimiter contuliſſent, ipſe I. ſancti Fridiani Lucan. Canonicum olim Epiſcopum Sarnaten. in Faventin. Epiſcopum poſtulandum elegit. Porrò à ſancti Fridiani priore ſuper hoc requiſito, & obtento conſenſu, Præpoſitus & alii poſtulationem eamdem approbari à nobis humiliter petierunt. Verùm poſtulationi hujuſmodi videbatur Concilii Conſtantinopolitani capitulum obviare, in quo ſtatutum eſt, ut quicumque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam, & pœnitentiæ locum deſcenderit, nequaquam ulteriùs ad Pontificatum reſurgat, unde contra dictum Concilium (cùm ſit unum ex quatuor principalibus, quæ ſicut quatuor Evangelia Eccleſia Catholica veneratur) nullatenus videbatur eorum poſtulatio admittenda. Cæterùm ſpeciales quidam caſus inveniuntur, in quibus (prædicto Concilio non obſtante) is, qui vitam monachalem elegit, rurſum licitè poteſt ad Epiſcopatum aſſumi: ſi enim quiſquam perſecutionis rabie ſæviente, vel præpediente invalitudine corporis, cùm proficere nequeat in regimine paſtorali, de ſuperioris auctoritate ad monaſticam vitam deſcendat: perſecutionis vel ægritudinis impedimento ceſſante, ad Epiſcopalem poterit reſurgere dignitatem. Item ſi quis propter litteraturæ defectum (ne tamquam cæcus cæco ducatum præbeat) locum regiminis auctoritate Apoſtolica deſerendo, ad otium ſe contulerit monachale, ac per exercitium lectionis, ſcientiæ repererit margaritam; proculdubiò poterit denuò vocatus à Domino, cathedram reaſcendere paſtoralem. Rurſus ſi quis per cupiditatem parentum (eo tamen penitùs ignorante) fuerit Epiſcopatum adeptus, & hoc comperto Epiſcopatum ipſum de licentia ſuperioris dimittens, obſervantiam elegerit regularem: & ſi ad Epiſcopatum eumdem redire poſtmodum nequeat, juxta Canonicas ſanctiones, ad alium tamen poterit licitè reaſſumi. Quamquam autem in his, & conſimilibus caſibus is, qui Epiſcopatu dimiſſo monaſticam vitam elegit, reſurgere valeat ad officium paſtorale, nihil tamen in his contra præſcriptum intelligitur Concilium attentari: quod in eo loquitur caſu, cùm propter aliquod crimen Epiſcopatum quis deſerens, ad vitam monaſticam, pœnitentiæ cauſa deſcendit. Unde quidam in eo caſu loqui dixerunt capitulum ſupradictum, cùm quis pro crimine, de quo convictus fuerat, vel confeſſus, ab Epiſcopali dignitate depoſitus, monaſterio extitit ad pœnitentiam agendam incluſus: vel cùm aliquis propter grave crimen, pro quo Epiſcopatum retinens pœnitentiam dignè agere non valebat, cedendi obtenta licentia vitam monachalem elegit. Aliis aſſerentibus ſic intelligendum eſſe capitulum antedictum, ut per ſe reſurgere nequeat, id eſt, repetere quaſi debitum, quod tali modo dimiſit, quamquam eligi poſſit, præſertim ſi locum tantùm, & non ordinem reſignavit. Cùm ergo nobis conſtare nequiverit, ob quam cauſam prædictus I. Epiſcopatui olim ceſſerit, mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit, quòd propter aliquam ex præmiſſis cauſis ſeu conſimilibus idem I. Epiſcopatui ceſſerit memorato, tu auctoritate noſtra (dummodò neceſſitas vel utilitas id expoſcat) licentiam ei tribuas aſcendendi ad regimen Eccleſiæ Faventin. maximè ſi veritate ſubnititur, quòd dictus I. loco tantummodò ceſſerit memorato, & non ordini, vel etiam dignitati: tunc enim eſſet vehementiſſimè præſumendum, quòd non propter crimen aliquod ab ipſo commiſſum, ſed cauſa pœnitentiæ ad vitam migraverit regularem: præſertim cùm Apoſtolica ſedes poſt ceſſionem multò minus, quàm anteà, permiſiſſet eidem tali crimine irretito, in Pontificali ordine miniſtrare: alioquin (cùm durum nimis extiterit, contra tam ſolemne Concilium hujuſmodi poſtulationem admittere) Præpoſito & Canonicis memoratis injungas, ut aliam perſonam ſibi idoneam eligant in paſtorem.

S U M M A R I U M.

1 *EPiſcopus, qui propter crimen renunciavit Epiſcopatui ad Religionem deſcendens, ad Epiſcopatum reaſſumi non poteſt; ſecus ſi renunciavit propter aliam cauſam.*

2 *Epiſcopus civitatis, & diœceſis, ubi ſunt tantum Græci Schiſmatici, an ad reſidentiam teneatur.*

3 *Perſecutionis contra Epiſcopum duæ ſunt ſpecies.*

4 *Finis in qualibet obligatione attendi debet.*

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

5 *Epiſcopus ob intrinſecam perſecutionem cogi debet ab Eccleſia recedere.*

6 *Epiſcopi titulares in decreto de reſidentia non comprehenduntur.*

7 *Epiſcopus ob duritiem plebis non poteſt abſcedere à reſidentia abſque Sedis Apoſtolicæ licentia.*

POſt translationem. Epiſcopus, qui propter crimen renuntiavit Epiſcopatui, ad Religionem deſcendens, ad Epiſcopatum reaſſumi non poteſt. Secus ſi renunciavit 1

 vit

vit propter perſecutionem, infirmitatem, defectum ſcientiæ, ſimoniam ipſo ignorante commiſſam, vel aliam ſimilem cauſam. Hoc dicit ſecundùm omnes. Dividitur in tres partes, ut per Jo. Andr.

Nota primò, non eſſe legitimam cauſam cedendi, ut Epiſcopus fiat Monachus. De hoc ſuprà in *c. Niſi cùm pridem*, & ibi dixi *in princip. in 2. not. à n. 5. uſque ad n.* 11.

Nota ſecundò, ex cauſa perſecutionis licere Epiſcopo curam Paſtoralem deſerere. Quibus autem caſibus hoc locum habeat, & an procedat tàm in intrinſeca, quàm in extrinſeca perſecutione, dicam plenè in q. ſeq.

2 QUÆRO igitur, An Epiſcopus civitatis, & diœceſis, quam incolunt ſoli Græci Schiſmatici, ad perſonalem reſidentiam teneatur.

Epiſcopus in Inſula Chriſtiano Principi in temporalibus ſubjecta nullas habet Eccleſias ritus Latini præter unam Cathedralem; atque incolæ omnes tàm civitatis, quàm diœceſis ſunt Græci Schiſmatici, & Græcas Eccleſias colunt, ibique à Presbyteris Græcis Eccleſiaſtica recipiunt Sacramenta; Rectoribus ſæcularibus ſe ſubditos profitentur, nec parent Epiſcopo; quem illum ritui Latino addictum vilipendunt ac deſpectui habent, Ideòque Epiſcopus in Eccleſia reſidet, & divina celebrat aliquando cum altero tantùm Clerico, aliquando ipſe ſolus. Spes verò, ut Græci illi ad Eccleſiæ unitatem redeant, nulla ſubeſt; tum quia in ſciſmate obfirmato animo perſeverant, & Latinum ritum execrantur, ut moris eſt Græcorum, *c. Licet Græcos, infrà de Baptiſ.* Tum quia præcipua res, quàm Magiſtratus ſæcularis Epiſcopo obſervandam præſcribit, ea eſt, ut de Græcorum religione ac ritibus inter concionandum, aut alio quovis modo minimè tractent: id quod ſi Epiſcopus non ſervaret, verendum eſſet ne in eum miniſtri ſæculares, qui motus illarum gentium Turcis finitimarum timent, aliquid molirentur, quod Sedem Apoſtolicam in neceſſitatem juſtę ultionis adduceret. Unde factum eſt, ut in ea diœceſi à Concilio Florentino ſub Eugenio IV. in hæc uſque tempora ne una quidem anima potuerit à ſchiſmate amoveri, & ad unitatem Romanæ Eccleſiæ reduci.

Quibus ita ſe habentibus præſens Epiſcopus quærit, an ex præſcripto ſacrorum Canonum, & decretorum Concilii Trid. teneatur illic reſidere.

Quam dubitationem ſuſtulit text. *in c. Adverſitas*, 7. *quæſtion.* 1. in hæc verba: *Cum vitiis ſubditorum Prælatus affligitur, aliquando omnium eſt una, & inſatiabilis obſtinatio: aliquando mali inveniuntur bonis admixti, quando boni ſimul cum malis habitant, non ſunt deſerendi propter malos, ſed potius mali tolerentur propter bonos. Quando vero omnium ſubditorum eſt obſtinata malitia, nec prodeſt eis Prælatorum præſentia, tunc etiam corpore licet ab eis recedere. ne illorum nequitia ſemper in deterius proficiat, & iſti quidem fructum amittant, quem de illorum profectu poſſent invenire.* Hæc ibi. Et ſimilis text. habetur in Can. ſeqq. ubi Gregorius Petro Diacono interroganti an liceret Prælato gregem ſemel ſuſceptum deſerere, reſpondit dicens: *ibi adunati æquanimiter portandi ſunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adiuventur bonis; nam ubi omni modo de bonis fructus deeſt, fit aliquando de malis labor ſupervacuus*; & infrà: *Sæpè agitur in animo perfectorum, quod ſilentio prætereundum non eſt, quia cum laborem ſuum ſine fructu eſſe conſiderent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant*; & infrà. *Numquid Paulum mortem dicimus timuiſſe, quàm ſe ipſe pro amore Jeſu teſtatur appetere? Sed cum in eodem loco (id eſt Damaſci) minorem ſibi fructum adeſſe conſpiceret, ad gravem laborem ſe alibi cum fructu ſervavit.* Quod ipſum ſtatuit Innocentius III. *in cap. Niſi cum pridem, §. Propter malitiam, ſuprà eod. ubi propter malitiam*, inquit, *plebis cogitur interdum Prælatus ab ipſius regimine declinare, quando plebs adeò duræ cervicis exiſtit, ut proficere nequeat apud ipſam; ſed propter ejus duritiam quo magis ſatagit, eo magis juſto judicio deficere permittatur, &c. & Apoſtoli leguntur dixiſſe: Ecce convertimur ad Gentes, quia verbi Dei vos indignos feciſtis.*

3 Ex quibus decretis gloſſ. in *d. cap. Adverſitas, in ver. Hoc etiam*, elicit duas perſecutionum ſpecies: aliam extrinſecam, quam patitur Eccleſia à manifeſtis inimicis: aliam intrinſecam, quæ conſiſtit in eis, qui ab unitate Eccleſiæ non ſunt præciſi, ſed tamen nec paſci ab Epiſcopo, nec corrigi volunt. Et quamvis in extrinſeca perſecutione, cùm ſine Prælato non eſt tuta ſalus Eccleſiæ, aut cùm non ſolus Prælatus quæritur, ſed etiam Clerus, oporteat Paſtorem ponere animam ſuam pro ovibus ſuis: in intrinſeca tamen, qui eſt caſus præſentis Eccleſiæ, ut ait gloſſ. ſic diſtinguitur. Nam aut omnes ſunt mali, aut quidam. Si boni ſunt commixti malis, eos Epiſcopus non deſeret. Si omnes mali ſunt aut ſpes eſt correctione, aut non. Si eſt, non ſunt deſerendi: ſi non eſt ſpes, tunc ſunt deſerendi. Quam gloſſam hac in parte ad litteram refert, & ſequitur Innocentius *dict. c. Niſi cùm pridem, ſub num.* 4. *in ver. Malitiam.* Hoſtienſ. Card. Anton. de Butr. Anchar. & alii communiter. Conſimilis gloſſa eſt *in dict. cap. Niſi cùm pridem*, §. 1. & *in d. cap. fin.* 7. *quæſt.* 1. in hæc verba: *Si ſubditi ſunt malis admixti, tolerandi ſunt mali propter bonos; ſi vero omnes ſunt mali, & incorrigibiles, recedere poteſt Prælatus ad alium locum exemplo Pauli, qui de Damaſco fugit, ut alibi magis proficeret. Sicut Moyſes Prælatus populo Judæorum malitiam ſubditorum permotus cedere voluit regimini, talemque ceſſionem à Domino inſtantiſſimis precibus flagitavit, dicens, Num.* 11. *Cur afflixiſti ſervum tuum? Quare non invenio gratiam coram te? Et cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? Non poſſum ſolus ſuſtinere hunc populum, quia gravis eſt mihi. Sin autem tibi videtur, obſecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis*, & in geſtis B. Adalberti Epiſcopi ſic legit Eccleſia. *Beatus Adalbertus Pragenſis Epiſcopus factus, cùm cerneret gregem ſuum per abrupta vitiorum ire, (nam Clerici connubia ducebant, & unus vir plures habebat uxores, & Chriſtiani captivi, & ſervi à Chriſtianis ipſis vendebantur Judæis) flens ac deſperans ſe poſſe quicquam facere, relicto Epiſcopatu Romam perrexit, ibique Monachus factus eſt.* Hæc ibi. Unde hanc ſententiam ex Canoniſtis poſt Innocentium ſequitur in *d. c. Niſi*, Abb. Antiq. in *ver. Propter autem*: ubi ſequitur diſtinctionem Innocentii inter extrinſecam, & intrinſecam perſecutionem, Hoſt. *num.* 20. *in ver. Propter autem malitiam*, ubi ait plebem eſſe omninò rejiciendam ab Epiſcopo, ex quo prædicationem nullo modo audit, Bald. *num.* 21. *verſ. Item notat hic Joan. Andr.* ubi ait. *Perſecutio intrinſeca eſt præciſa, & quercus furoris, qui procedit de corpore proprio Clericorum, vel ſubditorum ipſius Eccleſiæ, quia totum eſt unum corpus myſticum. Extrinſeca autem perſecutio eſt de foris adveniens, puta à Saracenis, vel à tyranno.* Et adducit ſimile de bello civili, & de bello de gente ad gentem, Anton. de Butrio, Petr. de Anchar. & Card. in §. *Propter malitiam*. Henric. Boich. *nu.* 4. *verſ. Et de materia*, ubi aſſerit cum ea gloſſa concordare D. Thomam, & Aſtenſem, Ægid. Bell. in *d.* §. *Propter, num.* 9. *q.* 9. ubi etiam poſt Innoc. & Hoſt. appellat perſecutionem extrinſecam, quæ fit alicui ſive in publico, ſive in privato ex peccato ſuo; & intrinſecam, quæ contingit ex peccatis aliorum, cum tamen Prælatus odio non habeatur. Et in *c. Adverſitas*, 7. *qu.* 1. idem probat Arch. ubi ſub *nu.* 10. *verſ. Cùm autem*, commendat diſtinctionem gloſſæ inter utramque perſecutionem, & inferiùs n. 11. *Quoniam*, inquit, *ſanctus vir videt malos, inter quos converſatur, ex admonitione ſua, & exhortatione potius deficere, quàm proficere; quia inſurgunt in eum, & moleſtias ei inferunt; & ſic peccato peccatum addunt: ſolet contingere propter tædium ut capiat eum ſolitudinis deſiderium, & vult recedere corpore, non amore, ſcilicet ut quibus non poterat prodeſſe hortando, poſſit ſaltem orando.* Hęc Arch. cujus verba ad litteram refert Ægid. Bellam. *ib.* §. *Cum autem, n.* 2. Turrecr. *in* §. *Hoc etiam* atque ibi etiam Gemin. Prępoſ. *ib. ſub n.* 3. ubi teſtatur diſtinctionem gloſſæ approbari per S. Th. & communiter DD. Arch. Gem. & Pręp. in *Can. Ubi adunati*, 7. *q.* 1. Turrecr. *ibid.* ubi ait: *Quando omnes ſunt mali, & de correctione eorum nullus fructus ſperatur, à conſortio talium fugiendum eſt exemplo Loth, qui cùm non poſſet illorum compeſcere malitiam, à Domino ſibi conſultum eſt, ut indè fugeret: & Dominus præcepit Apoſtolis, Matth.* 10. *& Luc.* 10. *ut ſi veniſſent in aliquam civitatem, quæ non recepiſſet eos, nec vellent audire ſermones ſuos, eis relictis ad alia loca ſe converterent, ubi fructum afferrent, quibus Dominus ait, Joan.* 15. *Ego elegi vos, & poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. In quo docentur Prælati, quod ubi non recipiuntur, & præ malitia ſubditorum*

torum

torum, quia eorum ſermones, ac correctiones non audiunt, ſed contemnunt, non valent fructum afferre, tunc poſſunt inde recedere, & alibi convolare, ubi fructificent. Hactenus Turrecremata. Hanc etiam inter legitimas non reſidendi cauſas connumerat Gigas in *tract. de reſidentia Epiſcoporum cap.* 17. *num.* 18. Et hanc ſententiam eſſe communiter approbatam teſtatur Præpoſ. in *d.* §. *Hoc etiam, ſub num.* 3. & recentiores.

Ex Theologis verò idem docuit D. Thomas in 2. 2. *qu.* 185. *art.* 4. ubi aſſerit, *tamdiu Epiſcopum obligari curam Paſtoralem retinere, quamdiu poteſt ſubditis ſibi commiſſis proficere ad ſalutem.* Et inferius aſſignans cauſas, propter
4 quas ceſſat obligatio curæ paſtoralis, inter alias recenſet ſubditorum incorrigibilitatem relatis verbis Gregorii in *d. c. fin.* 1. *quæſt.* 7. In qualibet enim obligatione ſecundùm S. Thomam *ibidem art.* 5. citatum à Campeg. *de reſident. Epiſcoporum, num.* 20. attendi debet obligationis finis: & ut ibi Cajetanus adnotavit, actus paſcendi eſt principalis actus Epiſcopi; ac proinde ſi nec gregem paſcere poteſt Epiſcopus, neque alia paſtoralia munia exercere ob ſubditorum pervicaciam, ceſſat reſidentiæ obligatio, cùm ceſſet finis obligationis; nam ubi non eſt auditus, ne effundas ſermonem, *Eccl.* 32. labor enim ſine fructu eſſe non debet, *c. Charitatem,* 12. *q.* 2. Et quamvis præceptum de reſidentia nitatur jure divino, dicente Domino: *Joan.* 20. *Paſce oves meas,* cum tamen ſit affirmativum obligat ſemper, ſed non ad ſemper, ſaltem per accidens, ut declarat Cajetan. 2. 2. *q.* 185. *d. art.* 5. & dixi in *c. Ex parte, inf. de Cler. non reſident.* & hoc caſu ſacri Canones interpretantur præceptum non obligare, quia reſidentia eſſet ſine fructu. Unde Sot. *de juſt. & jur. lib.* 20. *qu.* 3. *art.* 4. relatis verbis D. Thom. quod ubi ſubditorum ſalus exigit Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor ſuum gregem deſerere: Hinc argue, inquit, ſi grex nollet ſalutem, poterit abire in alium locum, præcipuè ad alios juvandos: & in 2. 2. *qu.* 2. *art.* 4. *concl.* 1. tamdiu ait obligatur Epiſcopus paſtoralem curam retinere, ejuſque agones perferre, quamdiu ſpes ibi durat, quod poſſit proficere. Quod etiam ſcripſit Gregorius de Valentia *to.* 3. *Comment. in D. Thom. diſp.* 10. *q.* 3.
5 *puncto* 4. *in fin.* Quinimò Hoſt. in *d. c. Niſi, n.* 20. *in ver. Propter autem malitiam,* ſentit Epiſcopum hoc caſu cogendum eſſe ab Eccleſia ſua recedere; & ſequitur ibi Jo. Andr. *n.* 13. & Gemin. in *d. c. Adverſitas, col.* 3. *in gloſſ.* 1. ubi dicit Epiſcopum cogi poſſe etiamſi nolit.

Neque his repugnant, quin potiùs conſentiunt decreta Concilii Tridentini: nam *c.* 1. *ſeſſ.* 6. dum pœnas imponit Epiſcopis non reſidentibus, excipit legitimas abſentiæ cauſas, ibi, *legitimo impedimento, ſeu juſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus.* Idemque fit in *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *verſ. Nam cum Chriſtiana charitas.* Inter legitimas verò cauſas abſcedendi ſacri Canones reponunt plebis duritiem, apud quam Epiſcopus proficere non poteſt, ut in *d. c. Adverſitas, & c. ſeqq. & in c. Niſi.*

Ac præterea Concilium idcircò præcipit Prælatis ut reſideant, & gregem ſibi commiſſum non deſerant, ut illum paſcant, & ſuum impleant miniſterium, ut *in d. c.* 1. *ſeſſ.* 6. ibi, *Vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant:* & *in d. c.* 1. *ſeſſ.* 23. ubi dicitur *præcepto divino mandatum eſſe omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro eis ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, ac miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere.* Hæc autem certum eſt præſtari non poſſe ab Epiſcopo, cujus vocem oves non audiunt, cujus ritum abominantur, & cujus curæ nulla ex parte ſubjici volunt: ergo ex mente Concilii Epiſcopus non tenetur hoc caſu reſidere. Ideòque etſi decretum de reſidentia ſit adeò rigo- 6
roſum, Epiſcopos tamen titulares non comprehendit, ut patet *in c.* 2. *ſeſſ.* 14. Certum autem eſt arctius aſtringi ad reſidentiam Epiſcopos titulares, qui patiuntur perſecutionem extrinſecam ab inimicis manifeſtis ab Eccleſiæ unitate præciſis, & non toleratis, quàm qui patiuntur intrinſecam à populi incorrigibilitate, ut probat diſtinctio gloſſæ *in d. c. Adverſitas,* quæ tàm à Canoniſtis, quàm à Theologis communiter recipitur, ut dictum eſt.

Atque ex his omnibus ſive ſpectemus Chriſti Domini verba; ſive Apoſtolorum, atque aliorum ſanctorum exempla ab omnibus relata in locis ſuperius allegatis, & præcipuè ab Archid. & Turrecr. *in d. c. Adverſitas, ſive ſacrorum Canonum,* & Trid. Concilii diſpoſitionem; ſive demum Theologorum, & Canoniſtarum communes doctrinas, ſatis videtur conſtare Epiſcopum hoc caſu non aſtringi præcepto reſidentiæ.

Cenſerem tamen hæc omnia ut infra eſſe temperanda. Primò enim non videtur declarandum abſolutè Epiſcopum non teneri reſidere, ſed tantùm eſſet illi concedenda licentia alibi reſidendi ad tempus dumtaxat, ſi tamdiu res Eccleſiæ ſuæ in eodem ſtatu perſtiterint; quia ſecundùm 7
tutiorem, ac veriorem opinionem Epiſcopus hoc caſu non poteſt ex ſeipſo curam paſtoralem deſerere, ſed requiritur Sedis Apoſtolicę licentia, ut probatur *ſuprà eod. in c. prox.* & ibi dixi *in* §. *Intueri, in* 3. *notab. num.* 20. Et poſt Laur. docet Archid. *in d. c. Adverſitas,* & Turrecr. *in d. c. fin. propè fin.* quod hodie apertè ſtatutum eſt *in d. c.* 1. *ſeſſ.* 23. ubi etſi Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel reipublicæ utilitas nonnunquam Epiſcopos abeſſe requirant: ſtatuit tamen S. Synodus ut legitimæ abſentiæ cauſæ prius à Romano Pontifice examinentur, & approbentur.

Deinde cenſerem in his omnibus eſſe onerandam Epiſcopi conſcientiam, cui etiam eſſet injungendum, ut interdum gregem ſibi creditum ipſe per ſe viſitaret perquiſiturus an ſpes ulla orta eſſet proficiendi: nam, ut inquit D. Thom. *in* 2. 2. *q.* 185. *d. art.* 5. *in fin.* imminet eidem neceſſitas ut animum retineat intendendi proximorum ſaluti, ſi opportunitas adſit, & neceſſitas requirat. Ac proinde etiam Sacerdos Latinus eſſet illic præficiendus, ut ſi quas fortè ex prædictis ovibus ad ovile revocaret divina pietas, adeſſet ibi Vicarius Paſtoris, qui eas reciperet, ac de ea re, deque univerſo Eccleſiæ ſtatu Paſtorem opportunè certiorem faceret. Quod eſt ex mente Conc. *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *verſ. Meminerint tamen diſceſſuri.*

DE RENUNCIATIONE.

Gregorius IX. Agathen. & Uticen. Epiſcopis.

CAPUT XV.

Dilecti filii Conventus Monaſterii ſancti G. immediatè ad Romanam pertinentis Eccleſiam, intimaverunt, quòd Abbas eorum ſentiens ſe inſufficientem oneri regiminis Abbatiæ, ceſſit in manibus eorumdem: ipſi quoque G. Monachum ſancti Victoris elegerunt canonicè in Abbatem: & infrà. Cùm igitur dictus Abbas cedere ſine licentia noſtra nequiverit, nos tàm electionem quàm ceſſionem prædictas decernentes irritas & inanes: mandamus quatenus Abbatem ipſum loco ſuo reſtitui faciatis, quo integrè reſtituto, vice noſtra recipiatis ceſſionem ipſius.

S U M M A R I U M.

1 *Abbas exemptus ſine licentia Papæ renuntiare non poteſt.*
2 *Quamvis ſe inſufficientem agnoſcat.*
3 *Et ad arctiorem Religionem tranſire velit.*
4 *Et quid ſi non ſit exemptus.*
5 *Regularis ut ex una ad aliam Religionem tranſire valeat, cujus licentia requiratur diſtinguitur, ut n. ſeqq. uſque ad num. 36.*
Quid ſi tranſire velit ad ſtrictiorem, n. 6.
Et quid ſi ad parem, n. 8.
Et quid ſi ad laxiorem, n. 30.
6 *Regularis tranſire poteſt ad arctiorem religionem de licentia ſui Prælati immediati petita, licèt non obtenta.*
7 *Nec eſt neceſſarium eam petere à Conventu, licèt ſit tutius, & n. 19.*
8 *Regularis non poteſt tranſire ad parem Religionem ſine legitima cauſa, niſi de licentia Papæ.*
9 *Et an hujuſmodi licentia ſuffragetur etiam in foro poli.*
10 *Et an inferiores à Papa ex juſta cauſa poſſint hujuſmodi licentiam indulgere.*
Quid ſi monaſterium ſit exemptum, n. 12. & n. 15.
Et quid ſi ſit ſubjectum Epiſcopo, n. 14.
11 *Tridentinum Concilium nihil novi juris induxit ſuper tranſitu Regularium ad ſtrictiorem, vel parem Religionem.*
14 *Epiſcopus an poſſit diſpenſare, ut Regularis Monaſterii non exempti tranſeat ad æqualem Religionem.*
Quid ſi monaſterium, ad quod ſit tranſitus ſit in aliena diœceſi, ibid. & n. 15. & 16.
Et quid ſi utrumque Monaſterium ſit in diœceſi ipſius Epiſcopi, n. 17.
18 *Regularis ut ex juſta cauſa tranſire poſſit ad parem Religionem præter licentiam Abbatis, requiritur etiam licentia Conventus, & n. ſeqq.*
19 *Secus ſi tranſire velit ad ſtrictiorem, & quæ ſit ratio differentiæ.*
20 *Regularis ut tranſeat ad laxiorem ſine cauſa ſolus Papa poteſt diſpenſare.*
21 *Sed talis diſpenſatio non excuſat quoad Deum.*
Diſpenſatio Papæ in votis ſine juſta cauſa non prodeſt in foro animæ, ibid.
22 *Papa in votis non diſpenſat, ſed declarat.*
23 *Rugularis ut tranſeat ad laxiorem ex legitima cauſa etiam inferiores à Papa poſſunt diſpenſare.*
24 *Et qui ſint iſti inferiores ſi monaſterium ſit exemptum.*
25 *Et quid ſi ſit ſubiectum Epiſcopo.*
26 *Et an requiratur etiam licentia Conventus.*
27 *Sed contra quia ſolus Papa diſpenſat ex cauſa ſuper tranſitu ad laxiorem.*
29 *Inferior non diſpenſat in lege ſuperioris.*
30 *Mendicantes tranſeuntes ad non Mendicantes ſine licentia Papæ ſunt eo ipſo excommunicati per extravag. Martini IV.*
31 *Etiamſi tranſeat ex juſta cauſa.*
32 *Et refellitur contraria opinio.*
33 *Ratio quando non eſt generalis ad omnes, eſt impulſiva, qua ceſſante non ceſſat conſtitutio.*
34 *Regulares cujuſcumque facultatis vigore prohibentur à Concilio Tridentino transferri ad laxiorem Religionem.*
Etiamſi juſta cauſa ſubſit, & refellitur opinio contraria, num. 35.
35 *Tridentinum Concilium*, c. 19. verſ. Nemo, ſeſſ. 25. de Regular. *expenditur.*
36 *Regularis ut tranſeat ad laxiorem Religionem, quæ ſint cauſæ legitimæ diſpenſandi.*
37 *Quid de cauſa infirmitatis, & n. 40.*
38 *Et quid de cauſa ſenectutis.*
39 *Et quid ſi Religioſus ſit exoſus fratribus, vel infamia notatus.*
40 *Et quid ſervetur in Signatura Gratiæ, & in ſacra Pœnitentiaria.*

D*ilecti*. Abbas exemptus ſine licentia Papæ renunciare 1
non poteſt. Hoc dicit, Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr.
Card. Anchar. Imol. Abb. & Joan. de Anania. Dividitur
in duas partes. In prima ponitur Conventus petitio, in ſecunda
ipſius, repulſio, & negotii commiſſio, ibi, *Cùm igitur.*
Nota primò ibi, *Sentiens ſe inſufficientem*. Abbatem 2
quamvis ſe inſufficientem agnoſcat, puta ob defectum
ſcientiæ, ſecundùm Innoc. hìc in princ. tamen non poſſe
Abbatiam dimittere ſine licentia Papæ, cui eſt immediatè
ſubjectus, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes. Quod locum
habet etiamſi ad arctiorem Religionem tranſire velit, adhuc 3
enim requiritur licentia Papę, nec ſufficit petita, niſi etiam
ſit obtenta, ut per Hoſt. in *c. Illud in princ. infrà de Cleric.*
excomm. miniſtr. & Archid. in *c. Si Abbatem ad fin. de elect.*
lib. 6. ubi refertur ſic per Papam Clementem IV. fuiſſe determinatum.
Secus verò ſi Abbas, ſeu Prelatus non ſit 4
immediatè ſubjectus Papæ, ſed habeat alium Superiorem
ſupra ſe, quia tunc ſufficit ejuſdem Superioris licentia petita,
licèt non obtenta, ut concludit Jo. Andr. in *c. Cùm non*
ſtat, num. 11. & 12. *de reg. jur. lib. 6. in Mercur.* quem ſequuntur
in *c. Licet de Regul.* Henric. Boich. *n.* 4. Anchar. *n.*
8. *in* 11. *notab.* & Abb. *n.* 13. Silveſt. *in ver. Religio* 4. *quæſt.* 3.
Quid autem ſit dicendum in ſimplici monacho, patebit in
quæſtione ſequenti.
QUÆRO generaliter cum Innocentio, cujus licentia 5
requiratur ad hoc ut Profeſſus in una Religione poſſit
tranſire ad aliam.
Pro clariori ſolutione diſtinguendi ſunt tres caſus, nam
aut tranſire vult ad ſtrictiorem, aut ad parem, aut ad
laxiorem.
Primo caſu, cum ſcilicet vult tranſire ad ſtrictiorem, 6
ſeu arctiorem Religionem, breviter dicendum, requiri
licentiam Prælati immediati ipſius Monaſterii, puta Abbatis,
ut exemplificant in *d. c. Licet, de Regular.* Innocent.
num. 2. & 4. Hoſtienſ. *num.* 5. *circa finem, in ver. Utrum quis*
velit, Abb. Antiq. *num.* 2. Io. Andr. *num.* 7. & alii communiter.
Et ſufficit licentia petita, licèt non obtenta, ut ibi 7
in textu, nec requiritur de neceſſitate, ut licentia petatur
à Conventu, ſed ſatis eſt eam petere à Prælato, ut latè probat
Archid. in *c. Statuimus, nu.* 2. 19. *quæſt.* 3. Et quamvis
non deſint contradictores, tamen opinio Archidiaconi
communis eſt, & melioribus fulcita rationibus, ut dixi in
prædicta Decretali *Licet, num.* 37. 38. & 39. licèt tutius ſit
etiam à Conventu licentiam poſtulare, ſecundùm Innoc.
hìc num. 1. Hoſt. *n.* 3. Jo. Andr. *n.* 7. & Butr. *nu.* 13. Quæ autem
requirantur ad hoc ut tranſitus ad arctiorem Religionem
ſit licitus, plenè examinavi in *d. c. Licèt, de Regular.*
à n. 20. *uſque ad num.* 52.
Secundo caſu, id eſt cùm Religioſus vult tranſire ad pa- 8
rem, ſeu æqualem, ſubdiſtingue, nam aut nulla ſubeſt legitima
cauſa tranſeundi, & planum eſt ſolum Romanum
Pontificem poſſe hanc licentiam impertiri, Butr. *hìc nu.*
13. & Cardin. *num.* 2. Abb. in *cap. Non eſt vobis, num.* 6. *de*
Regular. Philipp. Franc. in *cap. Cùm ſingula*, §. *Probibemus*,
num. 4. *de præbend. lib.* 6. S. Antonin. in 3. *parte tit.* 16. *cap.*
4. *ad finem princ.* Silveſt. in *ver. Religio*, 4. *qu.* 2. & paſſim
alii. Et quamvis Gemin. in *d.* §. *Prohibemus, nu.* 5. concedat
poſſe etiam Epiſcopum, & Abbatem hanc licentiam
ſine ulla cauſa indulgere, quando Religioſus non eſt exemptus,
& Monaſterium eſt in eadem Diœceſi: tamen pri- 9
ma opinio communiter tenetur, & locum habet etiam in
foro conſcientiæ, ſecundùm Angel. in *ver. Religioſus, nu.*
34. & Silveſtrum in *ver. Religio*, 4. *num.* 2. licet Franc. in
d. §. *Probibemus, num.* 4. teneat licentiam Papæ nulla cauſa
legitima ſubſiſtente non ſuffragari, niſi in foro externo.
Aut legitima ſubeſt cauſa: & receptiſſima DD. ſententia 10
eſt etiam inferiores à Papa poſſe hujuſmodi licentiam concedere,
ut ex Doctoribus infra citandis liquebit. Nec ali- 11
quid novi juris ſuper hoc induxit Concilium Triden. *c.* 19.
verſ. Nemo Regularis, ſeſſ. 25. *de Regular.* Nam propoſito
dubio an liceat Regularibus tranſire ad arctiorem Religionem
petita tamen licentia à ſuis Superioribus etſi non obtenta;
ad parem verò, & æqualem petita, & obtenta
abſque ſpeciali diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ex decreto
Concilii *d. c.* 19. Nihil reperi deciſum, ſed ex Annotationibus
colligitur quoad prædictam dubitationem nihil novi
juris induxiſſe Tridentinum Concilium. Sed dubium eſt, 12
quinam ſint iſti inferiores, qui ex juſta cauſa dare poſſunt
hanc

hanc licentiam tranſeundi ad parem, an ſcilicet Epiſcopus, vel Abbas, vel uterque ſimul. Et quidem ſi Monaſterium ſit exemptum, planum eſt hoc jus pertinere ad ſolùm Abbatem, ut tenet gloſſ. *in cap. Non eſt vobis in ver. Permittatis infrà de Regular.* & ibi etiam Joannem Andr. *num. 7. in fin.* Item gl. *in d. c. Cum ſingula, §. Prohibemus in ver. Canonicè de præben. lib. 6.* quam ibi ſequuntur Geminian. *num.* 5. & Franc. *num.* 4. Bellam. *in cap. Ex parte*
13 *ad fin. de temp. ordin* Lap. *allegat.* 130. *aliàs* 135. *num.* 2. Et quamvis Romanus *ſingular.* 452. Domini mei, pro Abbate hoc caſu intelligat Superiorem totius Ordinis, id eſt Generalem, non autem Superiorem immediatum Monaſterii, per text. *in cap. Statuimus*, ibi *Patris totius Congregationis 19. quæſt.* 3. tamen ille text. parum facit, quia alia littera habet Abbatis, totiuſque Congregationis, ut apud Ivonem, & DD. pro Congregatione communiter intelligunt Conventum ipſius Monaſterii, ut per Henric. Boich. *in d. cap. Licèt num. 9. de Regular.* Undè non communiter recedendum à communi intelligentia Doctorum, qui pro Abbate intelligunt Prælatum immediatum ipſius Monaſterii, ut ibi dixi *n.* 36.

14 Si verò Monaſterium non ſit exemptum, ſed juriſdictioni Epiſcopi ſubjectum, tunc refert; nam aut Monaſterium, ad quod fit tranſitus, eſt in alia diœceſi: & requiritur licentia non tantùm Abbatis, ſed etiam Epiſcopi, è cujus diœceſi Monachus ad aliam diœceſim vult tranſmigrare, cùm agatur de præjudicio, utriuſque, ut per
15 Butr. *in cap. Significatum in fin. de Regular.* Et ita intelligi debet Innoc. *hic num.* 1. dum ait, non poſſe fieri Monachum alterius Monaſterii ſine licentia Epiſcopi ſi ſit paris, vel minoris Religionis, ſed auctoritate Epiſcopi poſſe fieri diſpenſationem, argum. *cap. Significatum in fin. de Regular.* Quod ipſum repetunt hìc Hoſt. *nu.* 3. Joan. Andr. *num.* 7. Jo. Monach. *in cap. Cum ſingula num.* 4. & ibi gl. *Additional. poſt ver. Canonicæ de præb. lib.* 6. Archid *in c. Si Religioſus in fin. de elect. eod. lib. & in cap. Quam ſit nu.* 6. 18. *quæſt.* 2. Speculat. *in tit. de diſpenſat. §. Sunt quoque num.* 6. *verſ. Vigeſimo quarto*, Imol. *in Clement.* 1. *nu.* 11. & ibi etiam Vitalin. *numer.* 18. *de Regular.* Hæc enim doctrina intelligi debet. Primò, dummodò Monaſterium, à quo Monachus vult abſcedere, ſit Epiſcopo ſubjectum; nam ſi eſſet exemptum, prout erant Monaſteria omnia de jure veteri, *c. Si quis Abbas, & c. Abbates* 18. *q.* 2. utique non ſpectaret ad Epiſcopum hujuſmodi licentiam concedere, cùm in exemptos nullam habeat juriſdictionem; ſed ad Abbatem dumtaxat, *c. Non eſt vobis de Regular.* Et ita inter exemptos, & non exemptos in ſpecie diſtinguunt Ang. *in ver. Religioſus n.* 34. Silv. *in ver. Religio* 4. *q.* 9. Tabiena *in eod. ver. q.* 23. *n.* 24. & in idem recidit quod ait Cardin. *hic n.* 2. *in* 3. *q.* videlicet ſolius Abbatis licentiam ſufficere, ſi ipſe haberet juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Secundò Innocentii doctrina intelligi debet dummodò Monaſterium, ad quod fit tranſitus, ſit in alterius diœceſi:
16 tunc enim præjudicatur Epiſcopo, à cujus obedientia Monachus ſubtrahitur, & ideò requiritur ipſius licentia: ſe-
17 cus verò ſi utriuſque Monaſterium ſit in diœceſi ipſius Epiſcopi, quia tunc ejus nihil intereſt, an Monachus ſit in hoc, vel in illo Monaſterio, cùm utrobique remaneat ſub illius juriſdictione, arg. *c.* 2. *in fin. de Relig. domib.* Licèt etiam hoc caſu requiri licentiam Epiſcopi, teneant hìc Butr. *n.* 13. Card. *n.* 2. *in* 3. *q.* & Abb. *eod. n.* quòd non diſplicet. Tertiò debet intelligi, dummodò præter licentiam Epiſcopi ſimul etiam concurrat licentia Abbatis, ne alias contemnatur bonum obedientiæ, ut dicitur *in d. c. Licèt, verſ. Quo verò de Regular.* Et ita requiri licentiam Abbatis, & Epiſcopi, qui ſuper hoc poteſt diſpenſare, tenet ibi Henr. Boich. *num.* 9. ubi allegat Innoc. *hic*, & alios proximè citatos.

18 Deſideratur etiam ſecundùm aliquos licentia ipſius Conventus, quod tenet gl. *in c. Cùm ſingula in ver. Canonicè de præb. lib.* 6. ubi dicit Monachum ex cauſa poſſe tranſire ad parem de licentia Abbatis, & Conventus, per *c. Statuimus* 19. *q.* 3. & cùm illa gl. concordant, ibid. Joan. Monach. *num.* 4. Anch. *nu.* 2. Cardin. *hic num.* 2. *qu.* 3. Henr. Boich. *in d. c. Licèt n.* 9. *in fin. de regular.* Bellam. *in cap. Ex parte in fin. de tempor. ordinat.* Rebuff. *in praxi benef. in tit. de translat. Monach. nu.* 7. Idque tutius eſſe etiamſi ad arctiorem Religionem fiat tranſitus, affirmant Innoc. *hic* *num.* 1. hic [illegible] Jo. Andr. *num.* 7. & Butr. *numer.* 13. Sed ego exiſtimo non ſolùm hoc eſſe tutius, ſed etiam verius quando fit tranſitus ad æqualem, tum quia ad Abbatem ſimul, & Conventum ſpectat Monachum recipere, & ordini incorporare, gloſſ. 1. *in cap. Porrectum de regular.* & dixi *in cap. Ad Apoſtolicum in* 2. *not. eod. tit.* ergo ad eoſdem ſpectat Monachum dimittere, & ab ordine abſolvere, arg. *c. omnis res de regul. jur. & l. Nihil tam naturale, ff. eod.* Tum quia ſicut in alienatione rerum Eccleſiaſticarum requiritur Capituli conſenſus, *c. Sine exceptione* 12. *q.* 2. Ita & fortiùs in alienatione perſonarum, quia gravior, & major cenſetur alienatio perſonarum, quàm rerum, arg. *c. Præcipimus* 2. *q.* 1. ſecundùm Hoſt. *in d. c. Licet nu.* 12. *de regular.* & Turrecrem. *in d. c. Statuimus nu.* 2. 19. *qu.* 3. Nec refragatur, quod in tranſitu ad ſtrictiorem 19
licentia Conventus non ſit neceſſaria, ut pluribus firmavi in prædicta Decretali, *Licèt num.* 37. *& ſeqq.* Quoniam in tranſitu ad ſtrictiorem Monachus non alienatur, ſed in meliùs commutatur auctoritate Superioris, ut dicit Archid. *in d. c. Statuimus nu.* 2. *in fin.* Item in eo caſu non requiritur licentia Abbatis, ſed ſatis eſt eam petere, ne bonum obedientiæ contemnatur, ut in *d. c. Licèt, verſ. Quocirca.* Et Monachus, tunc tranſit propria auctoritate, ut ibi notat Innoc. *num.* 1. *in ver. Adimplere*, & Hoſt. *num.* 14. At ſecus eſt in tranſitu ad æqualem, quia requiritur licentia petita, & obtenta, ut per Henric. Boich. in *d. c. Licèt nu.* 9. nec fit commutatio in meliùs, & ita eſt ibi alienatio, in qua requiritur conſenſus, ut dictum eſt. Conſulo igitur, ut ſi Monaſterium ſit Epiſcopo ſubjectum, licentia ſe transferendi ad parem impetretur ab Epiſcopo, Abbate, & Conventu, juxta opinionem Cardin. *hic n.* 2. *in* 3. *q.* Hæc de tranſitu ad æqualem.

Tertio autem caſu, ſcilicet cum Religioſus tranſire vult 20
ad laxiorem, ſeu minorem Religionem; ſimiliter diſtingue; nam aut nulla ſubeſt cauſa legitima tranſeundi; & palàm eſt ſolùm Papam poſſe hujuſmodi licentiam impertiri, gloſſ. *in cap. Cùm ſingula in ver. Canonicè de præben. lib.* 6. ubi dicit ſolùm Papam diſpenſare ſi tranſeat ad laxiorem ſine cauſa, cùm ſit contra jura, *c. Propoſuit de conceſſ. præben.* & cum gl. concordant ibi Geminian. *in §. Prohibemus nu.* 5. & Franc. *num.* 4. *verſ. Sed certè*, ubi quòd illam gl. ſequuntur Doctores Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de diſpenſ. §. Sunt quoque nu.* 6. *Littera D.* Lapus *allegat.* 130. *aliàs* 135. *nu.* 3. Butr. *in c. Significatum in fin. de regular. & in c. Non eſt vobis in fine*, ubi etiam Card. & Abb. *numer.* 2. *eod. tit.* Dicunt tamen Doctores hujuſmodi 21
diſpenſationem, quamvis proſit in foro judiciali, tamen non excuſare in foro conſcientiæ, & quo ad Deum, ut in ſimili voluit gloſs. ſingularis *in c. Non eſt voti in ver. Adimplere infrà de voto*, ubi dicit eum, cùm quo Papa in talibus diſpenſat non eſſe ſecurum quoad Deum, niſi ſubſit cauſa diſpenſandi. Et ita in hac ſpecie concludit Abbas *in d. c. Non eſt vobis num.* 6. Jo. Andr. & Butr. *in c. Sane de Regular.* ubi proptereà exclamant contra Prædicatores, & Minores, & alios Mendicantes, qui credunt ſe eſſe tutos quoad Deum, ſi ex diſpenſatione Papæ tranſeunt ad ordinem Monachorum, vel ad aliam Religionem non ſubſiſtente rationabili conſcientia, & juſta cauſa; pro quo etiam eſt bona gl. *in c. Monachi vagantes in ver. Nec in civitatibus* 16. *q.* 1. & ſequitur Franc. *in d. c. Cùm ſingula, §. Prohibemus n.* 4. *verſ. Sed certè de præb. lib.* 6. Angelus *in verb. Religioſus n.* 34. Silveſt. *in ver. Religio* 4. *q.* 2. Navarr. *conſ.* 56. *num.* 2. *de regular.* dicens nec Papam id poſſe abſque peccato, *& in Commentar.* 4. *de regular. num.* 10. aliàs ſuper *c. Statuimus num.* 4. 19. *q.* 3. Sot. *de juſtit. & jur. lib.* 1. *q.* 7. *art.* 3. *in corpor. ad fin.* Adde quod in iſtis votis Papa 22
non diſpenſat, ſed declarat, ut dicit gl. notabilis *in d. c. Non eſt voti in ver. Auctoritate Sedis de voto.*

Aut ſubeſt legitima cauſa ad laxiorem ordinem tran- 23
ſeundi, & hoc caſu variatum eſt ſententiis, nam multi tenuerunt etiam inferiores à Papa ſuper hoc tranſitu diſpenſativè poſſe licentiam indulgere. Et hæc eſt communis opinio, ut patebit ex Doctoribus mox citandis. Sed in dubium vertitur, quinam ſint iſti inferiores an ſcilicet Epiſcopus, vel Abbas, vel ambo ſimul. Et quidem ut ſuprà diſtinximus in caſu tranſitus ad æqualem, ſi Monaſterium ſit exemptum à juriſdictione Epiſcopi, planum eſt non Epiſcopum, qui in exemptos nullam habet juriſdictio-

dictionem, ſed Abbatem dumtaxat poſſe ſuper hoc diſpenſare. Quod tenent Hoſt. *in c. Non eſt vobis n. 2. de reg. per c. Super eo, §. 1. & c. Conſulti, §. 1. verſ. In primo eod. tit.* Jo. And. *in addit. ad Specul. in tit. de diſpenſat. §. Sunt quoque n. 6. litt. D. & in d. c. Non eſt vobis in fin. de reg.* S. Ant. *in 2. p. tit. 11. c. 2. §. 9. verſ. Hoc autem videtur*, Silv. *in ver. Votum 4. q. 3 diſt. 6.* Qui Authores quamvis non diſtinguant, videtur tamen intelligendi de Monaſteriis exemptis, prout intelligunt idem Silv. *in ver. Religio 4. q. 8.* & Tabien. *in ver. Religio q. 23. n. 4.* & ſenti Card. *hic num. 2. qu. 3. verſ. Si cum cauſa*, dum dicit Abbatem ſolùm poſſe ex cauſa ſuper tranſitu ad laxiorem diſpenſare, ſi habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ſic loquitur de Monaſterio exempto à juriſdictione Epiſcopi.

25 Si verò Monaſterium ſit Epiſcopo ſubjectum, tunc requiritur diſpenſatio Epiſcopi, & Abbatis ſimul, ut per Card. *loco citato*, ubi ait hoc tenere Joann. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. 1. §. Nunc Epiſcoporum, verſ. 24.* & ſequuntur Silv. & Tabiena, *ubi ſup.* & de diſpenſatione Epiſcopi loquitur Innoc. *hic n. 1.* Hoſt. *nu. 3.* Jo. And. *n. 7.* Butr. *n. 13.* & Abb. *n. 2.* & idem Innoc. *in c. Dilectus n. 3. ad fin. de temp. ordin.* Specul. *in tit. de diſpenſ. §. Nunc de Epiſcoporum n. 3. verſ. vigeſimo*, Archid. *in c. Quam ſit n. 6. 18. q. 2. & in c. Religioſus in fin. de elect. lib. 6.* Abb. *in c. Significatum in fin. & in c. Non eſt vobis n. 6. de reg.*

26 Quidam verò non tantùm Epiſcopi, & Abbatis, ſed etiam Conventus licentiam putant eſſe neceſſariam per *c. Statuimus 19. q. 3. Hi ſunt*, Card. *hic d. num. 2. qu. 3. verſ. Si cum cauſa*, Bellam. *in c. Ex parte in fin. de tempor. ord.* Petr. de Palud. *in 4. ſent. diſt. 38. q. 4. art. 4. num. 43.* Silveſt. *in ver. Religio 4. q. 8.* Navarr. *conſ. 56. num. 3. de regular.* Addent. ad Abbatem *in c. Non eſt vobis littera C. ad finem de reg.* Idque tutius putant Innoc. *hic num. 1. & alii ſupracit. num. 7.*

27 Cæterùm contrariam opinionem, id eſt ſolùm Papam poſſe ex cauſa diſpenſare, ut fiat tranſitus ad laxiorem Religionem, tenuerunt Specul. *in tit. de diſpenſat. §. Sunt quoque num. 6. verſ. vigeſimo quarto*, ubi dicit Abbatem poſſe diſpenſare, ut Monachus tranſeat ad majorem ordinem, vel etiam ad parem ex cauſa, ſed non ad minorem, gloſſ. *in d. c. Non eſt vobis in ver. Permittatis de Regular.* quæ ſimiliter dicit Abbatem non poſſe diſpenſare, ut Monachus tranſeat ad minorem, Joan. Monach. *in cap. Cùm ſingula n. 6. de præb. lib. 6.* ubi ait: Si vellet tranſire ad Religionem laxiorem, hoc poteſt ſolus Papa cùm hoc ſit diſpenſare contra jura, & ſolus Papa eſt ſupra jura, *c. Propoſuit de conceſſ. præben.* & cum eo concordat ibi Anchar. *numer. 2. verſ. Et dic latius*, Henric. Boich. *in c. Licet num. 10. de Regular.* Imol. *in Clem. 1. num. 11. eod.*
28 *tit.* Abb. *conſ. 99. num. 3. lib. 1.* & hæc opinio ſervatur in practica: nam hujuſmodi licentiæ tranſeundi ad laxiorem Religionem etiam legitimis cauſis ſubſiſtentibus conſueverunt concedi à Papa in ſignatura gratiæ, ut patebit infrà *num. 40.* & à S. Pœnitentiaria, à qua conceduntur plerumque ad ſupplicationem Generalis, vel Procuratoris
29 Ordinis, & de utriuſque Religionis conſenſu Sacræ Pœnitentiariæ exhibito, ut ſæpiſſimè vidi obſervatum: atque ita ipſimet Superiores Regulares agnoſcunt ſe non habere poteſtatem ſuper hoc diſpenſandi, cùm pro ea obtinenda recurrant ad Sedem Apoſtolicam; quæ quidem obſervantia validis etiam nititur fundamentis: nam inferior non diſpenſat in lege Superioris, Clem. *Ne Romani, de elect.* & cùm Epiſcopi, & inferiores Prælati ſint cuſtodes Canonum etiam ex magna cauſa non poſſunt contra Canones diſpenſare, ſecundùm Archidiaconum *in c. Licet Canon. n. 3. verſ. Et ibi aſſertive dixit de elect. lib. 6.* & probavi latiſſimè *in cap. Dilectus à num 2. uſque ad num. 22. infrà de*
30 *tempor. ordinat.* Præterea per extravag. Martini IV. *quæ eſt prima de regular.* interdicitur Mendicantibus tranſitus ad non mendicantes, excepta Carthuſia ſine licentia Papæ ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.
31 Et quamvis Leonard. Leſſ. *lib. 1. de juſt. & jur. c. 41. dub. 13. num. 164.* & Thom. Sanch. *ſuper Decalog. lib. 6. cap. 7. num. 68.* dicant Extravag. illam non eſſe uſu receptam, vel eſſe intelligendam de tranſeuntibus abſque legitima cauſa, ut deducunt ex illis verbis: *Fucatis coloribus, & ut liberius degant, & beneficia Monaſtica conſequi valeant*, tamen ſatis leve eſt, quod dicunt de non uſu prædictæ
Extravag. Imò enim uſu receptum eſt, ut nullus inferior 32
à Papa ex quavis cauſa det tranſitum Mendicantibus ad non Mendicantes; & ex ſtylo S. Pœnitentiariæ numquam datur hujuſmodi tranſitus quantumcumque juſta ſit cauſa, niſi quando inter Mendicantes non inveniuntur benevoli receptores, & nihilominus cùm hodie prædicta Extravag. faciat jus commune, præſumitur uſu recepta, ut benè per Rot. *d. 30. n. 5. p. 1. rec.* Rurſus ſi conſtitutio illa non prohiberet, niſi tranſitum abſque legitima cauſa, eſſet prorſus inanis, & fruſtatoria, quia hoc ipſum jam reperiebatur prohibitum per antiquos canones, ut *c. Non eſt vobis, c. Sanè, & c. Licet, de reg. cum concord.* Nec refragantur verba 33
ut ſupra ponderata, quia non denotant cauſam finalem, ſed impulſivam: nam cùm conſtitutio reſpiciat, & comprehendat omnes, & rationes in ea expreſſæ ſint de aliquibus tantùm; rationes illæ ſunt impulſivæ, quibus ceſſantibus non ceſſat conſtitutio, *l. 1. §. Sexum, ff. De poſtulan.* & notabiliter declarat Bart. *Extravag. ad Reprimendum, in ver. Nec ex eorum abſentia, in princ. nu. 12. & ſeq.* Qui- 34
bus accedit, quod ex Concilio Tridentino *cap. 19. ſeſſ. 25. de regular.* ſtatutum eſt, ut nemo regularis cujuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem. Nec placet quod dicunt Navar. *conſ. 56. num. 3. de regular,* 35
& Sanchez poſt alios *ſuper Decalog. lib. 6. cap. 7. num. 68.* videlicet mentem Concilii in eodem decreto non fuiſſe tollere facultates juridicas, ſed tantùm non juridicas, id eſt ſine juſta cauſa, & ſine cauſæ cognitione, & abſque conſenſu Capituli. Quoniam de hac mente ex verbis Concilii non apparet, & nemo illam revelavit, ad textum in *l. Labeo, §. Id Tuber. ff. De ſuppellect. legat.* Quinimò verba Concilii in eo decreto cùm ſint univerſalia, & geminata, hanc reſtrictionem non patiuntur. Dictio enim, *nemo*, qua utitur Concilium, tamquam univerſalis negativa includit omnes quacumque authoritate ſuffultos, ut notat Archid. *in cap. Nemo, in princ. de elect. lib. 6.* & ſimiliter dictio illa, *cujuſcumque* comprehendit omnes facultates qualeſcumque ſint *c. Solita, verſ. Quodcumque ligaveris de major. & obed.* nam lex, quæ loquitur per illam dictionem, *cujuſcumque*, vel conſimiles, dicitur effrænatè loqui, ut inquit idem Archid. *in c. Si tibi abſenti, col. 2. in ver. Quicumque, de præben. lib. 6.* Abſonum eſt igitur decretum illud reſtringere ad facultates non juridicas: & eò magis, quia non juridicæ nec ſunt, nec dici poſſunt facultates: & ſi de talibus Concilium intellexiſſet, non dixiſset facultatis vigore, ſed potiùs colore, vel prætextu, ut mos eſt Concilii, ubi voluit tollere abuſus, & corruptelas, ut patet *in c. 7. ſeſſ. 14.*

Præterea ſi *d. c. 19.* intelligeretur tantummodò de facultatibus non juridicis, & de tranſitu ſine juſta cauſa, non benè prohiberet in ſpecie tranſitum ad laxiorem Religionem, quia ſine juſta cauſa nec ad parem, nec ad ſtrictiorem tranſire licet, ut notat Jo. Andr. *in d. cap. Licet, n. 2, in ver. Vocatus*, & ibi dixi *in 2. not. de regular.* S. Thom. *in 2. 2. q. 189. art. 8. in corp.* Nec Sedes Apoſtolica ſolet hujuſmodi licentias concedere niſi ex juſta cauſa, ut ſæpiſſimè experti ſumus, & patebit infra num. 40. Dicendum eſt igitur S. Synodum eo decreto voluiſſe generaliter prohibere ſuperioribus ordinum, ne vigore facultatis, quam prætendebant ſe habere de jure communi, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *num. 23. & ſeqq.* aut ex ſtatutis ordinum, vel privilegiis, ſeu indultis Apoſtolicis Regulares ſibi ſubjectos ad laxiorem transferrent: & ideò quoad decreta omnia illius *ſeſſ. 25. in c. ult.* ampliſſimas poſuit derogationes. Sed urgebis: ſi Concilium prohibet tranſitum ad laxiorem etiam ex juſta cauſa: ergo nec Papæ licebit etiam cum legitima cauſa ſuper hoc diſpenſare, quin contraveniat Concilio. At reſpondetur Concilium eo loci non loqui de Papa, quia cùm ei non adaptentur verba illa, cujuſcumque facultatis vigore, nec utique diſpoſitio adaptari debet, *l. 4. §. Toties, ff. De damn. infect. cum ſimil.*

Succeſſivè QUÆRO, quæ ſint cauſæ legitimæ di- 36
ſpenſandi ſuper tranſitu ad laxiorem Religionem.

Conveniunt omnes legitimam cauſam eſſe infirmita- 37
tem, vel debilitatem, per quam Religioſus redditur impotens ad arctioris ordinis ſtatuta ſervanda, juxta text. *in cap. Cum ad monaſterium, §. In refectorio, verſ. Nunquam, infra de ſtatu Monach.* & tenet Abb. *in c. Non eſt*

vobis

vobis n.6. de regul. Gemin. *in cap. Cum ſingula*, §. *Prohibemus num. 6. de præben. lib.6.* & ibi etiam Franc. *nu.* 4. S.Th. *in 2.2.q.189.art.8.in corp. verſ.Tertio propter infirmitatem*, Silveſt.*in ver.Religio* 4.q. 2. & infirmitas ad hoc debet eſſe
38 perpetua, ſecundùm Archid.*in c. Monach. num.* 4. 20.q.1. Gemin. & Franc. *loco cit.* Et quamvis pro juſta cauſa adducant, & ſenectutem: ſecundùm hoc ita videtur temperandum, ſi ſenectus ſit talis, ut per eam Religioſus ſit redditus inhabilis ad ſervandum auſteritates arctioris Regulæ, arg. *c. Niſi cum pridem*, §. *Alia verò cauſa ſuprà eod.* alioquin valdè abſurdum eſſet, ut unicuique Religioſo in ſenectute etiam valida, & robuſta liceret ad laxiorem ordinem tranſvolare, arg. *c.1.ſuprà eod.*

39 Præter infirmitatem, ſeu debilitatem corporis moderni recenſent complures alias cauſas diſpenſandi ſuper tranſitu ad minorem Religionem, videlicet ſi Regularis in ſua Religione odio habeatur, vel malè tractetur à Fratribus. aut in ea ſit adeò infamatus propter aliquod crimen à ſe perpetratum, ut nonniſi magna cùm triſtitia, & rubore poſſit ibi permanere, ibi Manuel Rodriq. *tom. 3. qu. regular. q. 53.art. 9.* Thom. Sanch. *ſuper Decal.lib. 6.c.7.n.* 72. & Moderni in Collectanea ad Concilium Tridentinum *cap. 19. ſeſſ. 25. de regular. nu.* 31. Ego verò exiſtimo has, & conſimiles cauſas ab eis adductas non eſſe ſufficientes ad diſpenſandum ſuper tranſitu, niſi fortè ad parem, ſeu æqualem, non autem ad laxiorem, quia cùm Religioſus poſſit æquè benè ſuæ indemnitati conſulere tranſeundo ad parem, nulla ratio patitur, ut traſmigret ad regulam minùs ſtrictam, ex notatis per gl. *in cap. Monachi vagantes in ver. nec in Civitatibus 16. quæſt.* 1. Nulli enim fas eſt de ſtatu perfectiori ad minus perfectum ſtatum tranſire; hoc enim eſt retroſpicere, quod eſt damnabile, ſecundùm Domini ſententiam dicentis Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei*. S. Thom. *in 2. 2. q. 185. art. 4. in primo arg. contrario*. Undè ſi Regularis in ſuo ordine eſt exoſus fratribus, & ab eis malè tractatur, vel infamis reputatur, inveniat alium ordinem ſaltem æqualis perfectionis obſervantiæ, in quo poſſit quietè vivere, ſed non eligat alium laxioris vitæ, quia retro aſpiceret, & videretur hoc facere, ut diſciplinam effugeret, & jugum Regulæ diſtrictioris excuteret, ac licentius viveret contra textum *in cap. Virgines*, ibi: *Si verò fuga diſciplinæ alium locum quæſierint, redire cogantur* 20. q. 4. *& in cap. Non eſt vobis*, cum gl. *in ver. Permittatis de regular.* Facit text. *in cap.* 1. Et quod ibi dixi *in 4. notab. ſup. de transl. Epiſc.* alioquin omnes Apoſtatæ, & infamia notati transferendi eſſent ad laxiorem, & ita ex eorum nequitia commodum reportarent 40
contra juris regulas, quod multis tribueret incentivum apoſtatandi, ut *cap. Eſt injuſta in fin.* 23.q. 4. *c. Ut Clericorum infrà de vit. & honeſtat. Clericor.* Tutiùs eſt igitur tenere ſolam ægritudinem, ſeu debilitatem eſſe juſtam cauſam ſuper hoc tranſitu diſpenſandi, prout hanc ſolam aſſignavit D. Thom. *in 2.2.q. 189. dict. art. 8. in corp.* propter quam etiam diſpenſat Sac. Pœnitentiaria. Quinimò bon. mem. Antonius Cardinalis Carafa olim Signaturæ Sanctiſſimi Præfectus *in ſua gloſſa manuſcripta ad cap.19.ſeſſ.25.de regular.* teſtatur ſe numquam vidiſſe in Signatura Gratiæ concedi tranſitum ab arctiori ad laxiorem Religionem, niſi ob infirmitatem, vel debilitatem provenientem ex obſervantia ipſius regulæ arctioris, cùm non poſſit illius ſtatuta ſervare.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

Alexander III. Ciſtercienſibus.

CAPUT I.

Statuimus præterea, ut ſi Epiſcopus tertiò cum humilitate ac devotione (ſicut convenit) requiſitus, ſubſtitutos Abbates veſtros benedicere fortè renuerit, eiſdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere; & alia quæ ad officium hujuſmodi pertinent exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiam recogitent, & Abbates benedicere non recuſent.

SUMMARIUM.

1 *Abbas propter contumaciam Epiſcopi in benedicendo recipit poteſtatem alios benedicendi, perindè ac ſi eſſet benedictus.*

2 *Abbas ante benedictionem non conſequitur poteſtatem ſpiritualem, id eſt, facultatem benedicendi Monachos, & Minores Ordines conferendi.*

3 *Benedictio Abbatis, & conſecratio Epiſcopi in quibus differant. Et n. ſeqq.*

4 *Epiſcopi non habent communem cum reliquis inferioris gradus poteſtatem chriſmandi, & ordinandi.*

5 *Ordines ſacros conferendi poteſtas non Epiſcopo delegari non poteſt; poteſtas chriſmandi ſecus.*

6 *Abbates non conſequuntur poteſtatem conferendi minores ordines ex vi ſolemnis benedictionis, ſed ex conceſſione Eccleſiæ, & adminiculo habiti Sacramenti, & n. 29.*

7 *Poteſtas, quæ confertur Epiſcopo per conſecrationem, eſt indelebilis, & remanet in Epiſcopo etiam excommunicato, depoſito, & degradato.*

8 *Epiſcopus prohibitus à Papa chriſmare, vel ordines conferre, ſi contempta prohibitione ſecus faciat, imprimit characterem.*

9 *Abbas etiam benedictus ordinando contra prohibitionem Eccleſiæ nihil confert.*
Declaratur n. ſeqq. & n. 31. & ſeqq.

10 *Abbatum poteſtas conferendi minores ordines poteſt ab Eccleſia ex toto auferri, ſed non pro parte, ſicut nec poteſt pro parte concedi, & num. 32. 33. 46. & 50.*

11 *Prælatus inferior ſæcularis habens facultatem poſt Concilium Tridentinum conferendi primam tonſuram, & minores ordines certis perſonis, ſi alios ordinet, an characterem imprimat, & nu. ſeqq. uſque in fin.*

12 *Abbas benedictus conferens tonſuram, ac minores ordines regularibus etiam ſibi non ſubditis, imprimit characterem.*

13 *Tonſuratus ab Abbate non benedicto, vel non habente hanc facultatem ex privilegio, debet iterum tonſurari, & n. 54.*

14 *Abbas non benedictus habens privilegium ante Concilium conferendi primam tonſuram, & minores ordines, ita demum ordinando characterem imprimit ſi habeat ſubditos regulares; aliàs ſecus, & n. 31.*

15 *Prælatus inferior ſæcularis habens privilegium ante Concilium Tridentinum conferendi jus ſuis ſubditis ſæcularibus primam tonſuram, & minores ordines, ordinando poſt Concilium nihil confert, & n. 31.*

16 *Poteſtas ſacramentalis, & juriſdictionalis, quæ ſit, & in quibus differant.*

17 *Prælatus carens poteſtate dicitur eſſe inſtar chimeræ.*

18 *Ordinatus à Prælato non habente poteſtatem ordinis nihil recipit, & debet iterùm ordinari.*

19 *Epiſcopi accipiunt poteſtatem conferendi ordines in conſecratione.*

20 *Abbates, & alii inferiores Prælati, in quo actu accipiant poteſtatem minores ordines conferendi.*

21 *Epiſcopi juriſdictionem accipiunt in confirmatione, etiam ante conſecrationem.*

22 *Abbates, & alii inferiores Prælati, in quo actu juriſdi-*

dictionem accipiant.

23 *Ordinandi poteſtas ex limitatione juriſdictionis non reſtringitur, cum juriſdictio ad eſſentiam ordinationis non ſpectet.*

24 *Epiſcopus ordinando Clericos alienos imprimit characterem, ſed ordinis executionem non confert.*

25 *Idem in Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.*

26 *In Epiſcopo titulari.*

27 *Et in Epiſcopo hæretico, excommunicato, vel degradato.*

28 *Ordinandi poteſtas licèt non competat inferioribus Prælatis ex vi conſecrationis, ſed ex conceſſione Eccleſiæ; tamen non reſtringitur ex limitatione juriſdictionis ad certas perſonas, & n. ſeqq.*

29 *Abbates benedicti poteſtatem habent conferendi primam tonſuram, & minores ordines ex conſtitutione Eccleſiæ.*

30 *Abbatum juriſdictio quoad ordinum collationem ad quas perſonas reſtringatur.*

31 *Abbas non benedictus poteſt Lectoratum conferre, poſtquam Epiſcopus ter requiſitus benedicere eum recuſaverit.*

32 *Ordinandi poteſtatem habens ex indulto Papæ, ordinando poſt prohibitionem, non imprimit characterem.*

33 *Procedit ſi prohibitio ſit totalis, ſecus ſi reſtricta ad certas perſonas tantum, & n.46. & 50.*

34 *Presbyter cui Papa dedit facultatem chriſmandi, poſt revocationem commiſſionis nihil confert. Secus in Epiſcopo.*

35 *Eccleſia in traditione poteſtatis apponere poteſt legem, quam vult.*
Declaratur, n. 40. 44. & 46.

36 *Taxatio, ſeu modificatio in ejus eſt arbitrio, in cujus eſt totalis denegatio.*
Declaratur, n. 40. 44. & 46.

37 *Actus contra legis prohibitionem factus, an & quando ſit nullus, & n. 44. & ſeqq.*

38 *Poteſtas ordinis neque ex intervallo, neque in actu conceſſionis recipit diviſionem, ſeu limitationem, & n. ſeqq.*

39 *Abbas facultatem habens ex privilegio conferendi primam tonſuram, & minores ordines, vel faciendi ea, quæ poteſt Abbas benedictus, ordinando non ſubditos characterem imprimit.*

40 *Poteſtas ordinis non recipit limitationem, ſive competat de jure communi, ſive ex privilegio Papæ, & n.46.*

41 *Poteſtas ordinis competere non poteſt, niſi ex conſecratione Epiſcopali, vel ex conceſſione Papæ.*

42 *Decretales epiſtolæ etiam non clauſæ in corpore juris habent legis authoritatem.*

43 *Codex Canonum qui ſit.*

44 *Poteſtas juriſdictionis cujuſmodi eſt abſolutio ſacramentalis, reſtringitur ad ſubditos tantùm, & n. ſeqq.*

45 *Confeſſiones, quas audit Sacerdos ab Epiſcopo non approbatus, ſunt irritæ.*

46 *Ordinandi poteſt cur non poſſit pro parte conferri, & pro parte non.*

47 *Juriſdictio an ſit indiviſibilis.*

48 *Poteſtas ordinis ad uſum, juriſdictio ad uſumfructum proximius accedit.*

49 *Frui parte poſſumus, uti parte non poſſumus.*

50 *Lex promotionis conſiſtit in facto.*

51 *Character quid ſit.*

52 *Forma quid.*

53 *Prælatus inferior ſive regularis, ſive ſæcularis ſi conferat primam tonſuram, aut minores ordines, an & quibus caſibus imprimat characterem, aut conferat ordinis executionem, compendioſa diſtinctio.*

1 STatuimus. Si diœceſanus requiſitus benedicere nolit Ciſtercienſem Abbatem, ipſe proprios benedicere poterit. Hoc dicit Cardinalis dividit in duas partes in prima conceſſio. In ſecunda limitatio, ibi, *Donec*.

Nota primò propter contumaciam Epiſcopi in benedicendo, Abbatem recipere poteſtatem alios benedicendi perindè ac ſi eſſet benedictus, ut hic eſt caſus ſecundùm omnes. Et ſic aliquis dat quod non habet, quia non benedictus benedicit contra reg. *cap. Quod autem de Jurepatron. cap. Nuper de donat. inter vir. & uxor. & c. Nemo de reg. jur.* ſecundùm gl. & Innoc. *hic in ver. Benedicere*. Sed hoc contingit virtute hujus Canonis, qui ob duritiam Epiſcopi tribuit Abbati non benedicto authoritatem alios benedicendi, ut per Butr. *n.11. in 2. oppoſ.* & Abb. *n.2.* Similis indulgentia habetur *in c. Nihil, §. fin. ſup. de elect.*

Secundò nota, ibi, *renuerit*, ceſſante Epiſcopi contumacia Abbatem ante benedictionem non recipere poteſtatem ſpiritualem, id eſt, facultatem benedicendi Monachos, 2
& minores ordines conferendi: concordat *cap. Quoniam 69. diſt. & c. Cùm contigant ſuprà de ætat. & qualit.* Quod 3
ergo operatur conſecratio in Epiſcopo, *cap. Transmiſſam ſupra de elect.* operatur ſolemnis benedictio in Abbate, ſecundùm Ant. de Butr. *hic in 3. notab. numer. 6.* Quod ta- 4
men intellige proportionabiliter, quia benedictio non confert Abbatibus idem per omnia, quod conſecratio Epiſcopis, neque enim ex vi ſolemnis benedictionis Abbates poteſtatem habent Sacramentum Confirmationis, aut ſacros Ordines conferendi, *c. Quanto de conſuet. cap. unico, §. Per frontis chriſmationem de ſacra Unct.* Quandoquidem hanc poteſtatem non habent Epiſcopi communem cum reliquis inferioris gradus, ut eſt diffinitum in Conc. Triden. *de Sacram. Ordin. ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 7.* Quod 5
adeò verum eſt, ut neque ex delegatione Eccleſiæ poſſit competere non Epiſcopo facultas conferendi Ordines ſacros, ſecundùm ſententiam D. Thom. *in 4. diſt. 25. qu. 1. art. 1. ad 3.* quæ ſervatur in practica, ut teſtatur Silveſt. *in ver. Ordo 3. num. 7.* licèt ſecus ſit in Sacramento Confirmationis, quod de plenitudine poteſtatis demandari poteſt per Papam etiam ſimplici Presbytero, *c. Pervenit*, & ibi Doct. 95. *diſt.* gl. Innocent. & omnes *in d. c. Quanto*, S. Thom. *ubi ſuprà*, & diffinitum eſt in Concilio Florentino in decreto fidei Eugenii IV. *in §. Secundum Sacramentum*, ut ſcripſi latiùs *in d. §. Per frontis chriſmationem*.

Rurſus quod dictum eſt Abbates per ſolemnem benedi- 6
ctionem conſequi poteſtatem conferendi minores ordines, non ita eſt intelligendum, ut ipſi benedictioni naturaliter, ſeu de jure divino ſit annexa hujuſmodi poteſtas: hoc enim eſt falſum ſecundùm opinionem, quam recitat hìc ſecundo loco Innocentius circa fin. quia, ut dictum eſt, ſoli conſecrationi, ſeu Ordini Epiſcopali ſecundùm proprietatem annexa eſt poteſtas chriſmandi in fronte, & miniſtros Eccleſiæ ordinandi, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris gradus nullam habent, ut dicitur *in d. c. ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin.* ſed ita intelligi debet, ut Abbates in actu ſolemnis benedictionis conſequantur prædictam auctoritatem ſuppoſita conceſſione Eccleſiæ, & adminiculo habiti Sacramenti, ita ut Abbas Presbyter, eo ipſo quod ſolemniter benedicitur, ex antecedenti conceſſione Apoſtolicæ Sedis, de qua in *d. c. Quoniam 69. diſt.* conſequatur dictam poteſtatem minores ordines conferendi: & ſic benedictio eſt veluti conditio ſine qua non, ut dicam pleniùs infrà *numer. 28. verſ. Nec refragatur*.

Et hinc reſultat inter has poteſtates alia notabilis diffe- 7
rentia: nam Epiſcoporum poteſtas, cùm conferatur per ipſam conſecrationem, eſt indelebilis, nec poteſt ab Eccleſia auferri: unde remanet in Epiſcopo etiam excommunicato, hæretico, depoſito, & degradato, *cap. Ordinationes 9. qu. 1. cap. Quod quidam 1. q. 1. cap. Oſtenditur*, & ibi Archid. *de conſecr. diſt. 4.* S. Thom. *in 2. 2. quæſt. art. 3.* Silveſt. *in ver. Degradatio n. 9.* & dixi latiùs *in cap. 1. num. 31. infrà de chriſmat.* Nam contraria opinio Bartholomæi 8
Brixienſis *in ſumma 9. q. 1.* qui dixit degradatum non conficere, & eſt error: & contraria ſententia Joannis ibi poſita, & Laurentii, Alani, Tancredi, & Bernardi in *cap. 2. de Cleric. excommun. miniſtran.* eſt vera, & Catholica, ut docent Theologi uno conſenſu *lib. 4. ſent. diſt. 13.* & S. Thomas *in 3. part. qu. 82. art. 8.* Nec textus *in c. Degradatio de pœn. lib. 6.* eſt in contrarium, ut videtur ibi ſentire gloſſ. *fin.* quæ omninò eſt reſpuenda, ut ibi in margine eſt adnotatum; & ſic Epiſcopus prohibitus ab Eccleſia ordines conferre, ſi nihilominùs contempta prohibitione ordinet, characterem imprimit, ſecundùm Innoc. *in cap. Quanto nu. 4. de conſuet.* quia in his homo non agit, niſi ut miniſter Dei, ut per D. Thomam ubi ſuprà, licèt ordinis executionem non conferat propter Eccleſiæ prohibitionem, gl. & DD. *in d. cap. 1. de ſchiſmat.* At verò poteſtas Abbatis etiam benedicti, cùm ſit ex delegatione

tione, ſeu conceſſione Eccleſiæ, non immobiliter adhæret, quia Eccleſia poteſt mandatum revocare, & ita auferre
9 quod dedit. Undè Abbas ordinando poſt Eccleſiæ prohibitionem, ſeu mandati revocationem nihil confert, ut
10 docet Innoc. *loco cit.* cum quo alii tranſeunt. Quod tamen procedit ſi poteſtas ordinandi auferatur Abbati in totum: non enim poteſt pro parte auferri, cùm ſit individua, ſicuti nec poteſt pro parte concedi. Ac propterea ſi Sacerdos habens ex delegatione Papæ poteſtatem ordinandi limitatam, ſeu reſtrictam ad certas perſonas, egrediatur limites delegationis, ordinatio non eſt irrita, ut diffuſè probabitur in proximè ſeq. quæſt.

11 QUÆRO, An Prælatus inferior ſæcularis habens facultatem à Sede Apoſtolica poſt Concilium Trident. conferendi primam tonſuram, ac minores ordines aliquibus perſonis ſæcularibus tantùm, ſi conferat aliis, quàm expreſſis in litteris Apoſtolicis, imprimat characterem, necne.

12 Quæſtio eſt admodum difficilis, pro cujus clariori explicatione aliqua ſunt præmittenda.

Et primò cùm fuiſſet quæſitum à Sacr. Congregatione Concilii, an habens juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſi aliis, quàm Regularibus ſibi ſubditis, primam tonſuram conferret, cenſeretur ſaltem impreſſiſſe characterem, adeòut taliter tonſuratus non iterùm tonſurari deberet; Sac. Congregatio reſpondit impreſſum eſſet characterem, & ita tonſuratum tonſurari iterum non debere, ſi Abbas fuerit benedictus, vel ex privilegio hanc facultatem habe-
13 ret. Et cùm hac deciſione conſentit alia, quæ manu Cardinalis Caraffæ eſt adnotata ſuper *c. 10. ſeſſ. 23. in margine Concilii*, in verbis: *Tonſuratus ab Abbate non benedicto, vel non habente facultatem ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, debet iterum tonſurari*. Sed huic deciſioni ſubnectitur alia deciſio in hæc verba: *An tonſuratus ab Abbate habente privilegium ante Concilium debeat iterum tonſurari*. Sac. Congregatio cenſuit debere, cùm privilegium fuerit per
14 Concilium revocatum. Nec deciſio poſterior videtur contradicere deciſioni prius relatæ: in illa enim dicitur tonſuratum ab Abbate habente privilegium non eſſe iterùm tonſurandum. In hac verò determinatur oppoſitum; ideò cùm ad has deciſiones conciliandas illarum rationes paulò attentius conſideraſſem, & cùm ſcripturis publicis contuliſſem, comperi eas minimè diſſentire. Quod ut clariùs appareat, diſtinguendi videntur duo caſus. Primus eſt cùm Abbas habens à Sede Apoſtolica privilegium, ut poſſit tonſuram, & quatuor minores ordines conferre; eſt talis, ut ſubditos regulares habeat; & tunc procedit deciſio prius relata, ut alii quam ſubditi regulares ab ipſo prima tonſura initiati iterùm tonſurari non debeant. Quia cùm talis Abbas quoad aliquos habeat poteſtatem, ſcilicet quoad ſubditos regulares, cùm alios ordinat, imprimit characterem, deficit enim quoad alios juriſdictio, ſed non ordinandi poteſtas, gloſſ. *penult.* Arch. & Franc. *in cap. Abbates de privileg. lib. 6.* & idem Arch. *in cap. Quoniam num. 5. in fin. verſ. In eadem gloſſ. invitatus.* Et ibi etiam Turrecrem. *num.* 10. & Præpoſ. *in fin. 69. diſt.* Lap. *alleg.* 138. *num.* 5. & ſecundùm Turrecrem. *ubi ſuprà*. Hanc ſententiam tenet etiam is, qui gloſſavit Summam Raymun. & Richar. *de ætat. & qualit. §. Presbyt.* & omnes in gloſſ. quæ incipit, *Monachis ſuis*. Nec Concilium *d. c.* 10. huic privilegio obſtat, quia revocat tantùm ea privilegia, quæ impertiebantur facultatem alios, quàm regulares ſubditos ordinandi. Undè cùm tale privilegium non ſit ſublatum à Concilio, ſequitur ut Abbas non careat prorſus facultate conferendi quoad omnes, & ita quoad alios, quàm regulares ſibi ſubditos, ſi conferat primam tonſuram, valida eſt collatio. Secundus eſt caſus, cùm tale privilegium eſt conceſſum ante Concilium Abbati, qui nullos ſubditos regulares habet, quales ſunt inferiores Prælati ſæculares, & in hoc caſu cùm privilegium non poſſit dici aliquo modo præſervatum, quia Concilium *d. c.* 10. permittit Abbatibus, ut ſolis ſubditis regularibus tonſuram, & minores ordines conferre poſſint: ſequitur ut prorſus careat hujuſmodi Abbas poteſtate conferendi ordines, cùm nitatur ſolo privilegio in toto ſublato per Concilium, & ita tonſuratus ab eo per doctrinas ſupracitatas debet iterùm tonſurari.

15 Et hoc modo procedit poſterior deciſio Sacræ Congregationis. In quem ſenſum videtur etiam congruere decino Peſcien. alibi adnotata: qua Sacra Congregatio declaravit, nullam fuiſſe ordinationem Præpoſiti Peſcienſis, qui ordinaverat vigore privilegii Concilium ſublati. Et ratio eſt, quia cùm is Præpoſitus non haberet aliquos regulares ſibi ſubditos, quorum reſpectu privilegium eſſet præſervatum, carebat funditus ordinandi poteſtate.

Deindè præmittendum eſt ſecundùm Div. Thomam in 16
2.2. *q. 39. art. 3.* & gl. *in c. Aqua in ver. Juriſdictionis inf. de conſecr. Eccleſ.* poteſtatem ſpiritualem duplicem eſſe, ſacramentalem, ſcilicet, & juriſdictionalem. Poteſtas ſacramentalis, ſeu ordinis eſt, quæ per aliquam conſecrationem confertur, *cap. unico infrà de ſac. Unct.* Sola enim voluntate, & verbo juriſdictio committitur, & revocatur, ſive ſit ordinaria, ſive delegata, *c. Super quæſtionum, §. Intentionis, & §. Porrò infrà de offic. delegat. & l. Judicium, ff. De Judic.* Utraque autem poteſtas requiritur ad ordines conferendos, *c. 2. 9. q. 2. c. Nullus de Paroch.* gloſſ. *in d. cap. Aqua in ver. Juriſdictionis*. Et quidem ſacramentalis poteſtas quoad ſui eſſentiam conſideratur in ordinante ſimpliciter, & abſolutè; Juriſdictionalis verò reſpectivè, & in ordine ad ſubditos, *c. Monachi, & c. ſeqq. cap. Sic vive, c. Si Clericatus, & c. ſeqq. 16. q. 1.* in quibus patet, Monachos quamvis recipiendo ordinem recipiant officii poteſtatem, non tamen recipere juriſdictionem, ſeu executionem niſi occaſione populi. Et idem probatur decreto Concilii Trident. *ſeſſ. 14. c. 7. de caſ. reſervat. in princip.* & declarat S. Th. *quodlib.* 12. *art.* 30. & Turrecrem. in *c. Ita dominus num. 10. 19. diſt.* Poteſtas ſacramentalis pertinet ad ſubſtantiam, & validitatem ordinationis, *c. Presbyteris 68. diſt.* S. Th. *in 4. diſt.* 25. Nam Prælatus carens 17
poteſtate dicitur eſſe inſtar Chimeræ, ſeu Hyppocentauris, vel Hypocriſis, quæ licèt ſint ſimilia entibus, tamen non ſunt entia, ut ait Bald. *conſ. 9. Factum tale eſt, Anno Domini in fin. num. 8. verſ. Et ad clariorem lib.* 1. Ideòque ordinatus ab eo nihil recipit, & debet iterùm ordinari, *c. 2. 68. diſt.* Lap. *dicta allegat.* 138. *nu.* 5. Cùm umbra quædam oſtendantur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu: Quæ ſunt verba textus *in cap. Quanto ſuprà de* 18
conſuet. ubi Bald. ait, *Quod fit, & fieri non poteſt, eſt ſicut chimæra, & fumus, non realitas, l. unic. C. De dedititia libert. tollen.* Juriſdictio verò pertinet ad ordinationem ritè, ac rectè celebrandam, ut *in d. c. Cùm nullus de tempor. ordin. lib. 6.* Sine hac non confertur ordinis executio *d. c. 1. & 3. 71. diſt.* ſine illa ordo non confertur *d. c. Presbyteris de poteſtate ſacramentali ordinantium*, meminit Sacra Tridentina Synodus *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. cap. 4. & can. 7. De juriſdictione in ſubditos loquitur, cap. 2. ſeſſ. 14. & cap. 8. & 11. ſeſſ.* 23. Poteſtatem ſacramentalem 19
ad conferendum Epiſcopi accipiunt in conſecratione, *cap. Quamvis, c. Chorepiſcopis 68. diſt. cap. Tranſmiſſam, & c. Quod ſicut, §. Præterea de elect.* Abbates in actu impoſi- 20
tionis manuum, id eſt, ſolemnis benedictionis, *cap. Quoniam 69. diſt. & cap. Cum contingat de ætat. & qualit.* Benedictio enim hujuſmodi largo modo dicitur conſecratio, *cap. Alienationes 12. q. 2.* & id proportionabiliter præſtat Abbatibus quòd vera conſecratio Epiſcopis, Felin. *in cap. Monaſterium in princip. de re judic.* Quod tamen intellige ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà in ſecundo notab. Reliqui inferiores Prælati illam accipiunt in actu commiſſionis Apoſtolicæ, vel promotionis ad dignitatem, cui privilegium eſt conceſſum cum adminiculo habiti Sacramenti, Innoc. *in cap. Quanto num. 4. ſuprà de conſuet.* ut in Cardinalibus juxta notata *in c. His quæ de majorit. & obed.* & in Abbatibus habentibus ſpeciale indultum à Sede Apoſtolica, *ut in cap. Abbates de privil. lib. 6.* Juriſdictionem 21
verò Epiſcopi recipiunt in actu confirmationis etiam ante conſecrationem, *d. c. Tranſmiſſam*, ubi gl. *in ver. De talibus*, enumerat ſpecies juriſdictionis. Abbates ſimiliter in actu 22
confirmationis etiam ante ſuſceptum munus benedictionis, *c. Noſti de elect.* gl. *hic in ver. Subſtitutos*, Oldr. *conſ. 14. n. 4. & ſeqq.* Felin. *in cap. Meminimus in princip. de accuſat. & in d. c. Inter Monaſterium in princ. de re judic.* poſt Abbat. *ibid. num.* 25. reliqui inferiores juriſdictionem accipiunt, vel in actu delegationis, vel cùm promoventur ad dignitatem, cui hæc facultas competit ex Apoſtolicæ Sedis indulto, ut *in d. c. Abbates de privil. lib. 6. & d. c. 10. ſeſſ. 23.*

His poſitis ad dubium videtur reſpondendum; impri- 23
mere characterem, adeò ut ſic ordinati iterùm ordinari

non

non debeant, licèt ſint malè promoti, & ordinis executionem non acceperint: nam in privilegio, ſeu commiſſione conferendi ordines duo implicitè continentur, videlicet nuda, & ſimplex poteſtas ordinandi: & juriſdictio reſtricta, & limitata ad perſonas in litteris Apoſtolicis deſignatas. At ex limitatione juriſdictionis non infertur ad limitationem prædictæ poteſtatis, quoniam quoad impreſſionem characteris, & eſſentiam ordinationis nulla habetur ratio juriſdictionis. Probatur exemplo Epiſcopi, qui quamvis juriſdictionem non habeat, niſi in ſubditos ratione originis, beneficii, vel domicilii *d. c. Cùm nullus de tempor. ordin. lib. 6.* tamen ordinando Clericos alienos imprimit characterem, qui eſt effectus poteſtatis Sacramentalis, licet ſic ordinati non recipiant ordinis executionem ob defectum juriſdictionis in conferente, *c. 1. & 3. 71. diſt. cap. Lugdunenſis 9. q. 2. & c. 8. ſeſſ.* 23. Conc. Tridentini.

Quinimò tantùm abeſt, ut ex limitatione juriſdictionis referri poſſit ad limitationem poteſtatis Sacramentalis, ut is, qui poteſtatem conferendi accepit, etiamſi nullam prorſus habeat juriſdictionem, tamen validè ordines con-
25 ferat, licèt non rectè Ideòque Epiſcopus, qui renunciavit Epiſcopatui, licèt nullam habeat juriſdictionem, eò quòd careat ſubditis; tamen quia non caret conferendi poteſtate, ordinando imprimit characterem, licèt ordinis executionem non conferat, *cap. 1. De ordinat. ab Epiſcop.* Sil-
26 veſt. *in ver. Irregularitas num.* 8. & eodem modo Epiſcopi Titulares, qui nullam habent juriſdictionem tamquam Clero, & populo carentes; tamen ob poteſtatem, quam in conſecratione ſuſceperunt, validè ordines conferunt, licèt graviter peccent, & incidant in pœnam à Concilio
27 ſtatutam *in c. 2. ſeſſ.* 14. Idemque patet in Epiſcopo hęretico, excommunicato, vel degradato, qui validè ordines confert, licèt non ordinis executionem, *c. Ordinationes 9. qu.* 1. Richard. *in 4. diſt.* 19. & Silveſt. *in ver. Degradatio num. 9.* dicens in idem conſentire D. Th. & idem Silveſt. *in ver. Ordo 3. n. 6. verſ. Quæritur.* Undè Auguſtin. *lib. 2 contra epiſtolam Parmeniani c.* 13. relatus *in cap. Quod quidam 1. q. 1. Sicut autem,* inquit, *habent in baptiſmo, quòd per eos dari poſſit, ſic in ordinatione jus dandi: utrumque quidem ad perniciem ſuam, quamdiu charitatem non habent unitatis, ſed tamen aliud eſt prorſus non habere, aliud ſalubriter habere; quidquid non habetur dandum eſt, cùm opus eſt dari; quòd vero perniciosè habetur per correptionem depulſa pernicie agendum eſt, ut ſalubriter habeatur.* Hæc ibi.

28 Nec refragatur, quòd prædicta videantur procedere in Epiſcopis, quibus per conſecrationem de jure divino confertur poteſtas indelebilis per Divum Thomam *in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. ad ſecundum,* & dixi ſuprà *in 2. notab. num. 7. verſ. Et hinc reſultat.* Imò enim, ut Silveſt. ait *in d. ver. Degradatio num. 9.* Idem dicendum in habentibus poteſtatem òrdinandi à jure poſitivo conceſſione Ec-
29 cleſię: nam ut Abbates Presbyteri, & benedicti poſſint primam clericalem conferre tonſuram, indultum legitur in ſeptima Synodo univerſali, id eſt ſecunda Nicæna relata *in d. c. Quoniam 69. diſt.* ponderando verbum illud, *licen-*
30 *tia.* Sed illorum juriſdictio in tonſurando reſtricta eſt de jure communi ad converſos, & Monachos ſui Monaſterii · textus eſt *in d. c. Quoniam,* ibi, *Lectoris autem manus impoſitione licentia eſt Abbati ſolummodò in proprio Monaſterio faciendi.* Item ad eos, in quos habet ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, *cap. Abbates,* & ibi Franc. *in 2. notab. de privil. lib. 6.* Specul. *in tit. de priv. nu. 5. verſ. Item nequeunt primam tonſuram conferre, niſi Converſis,* & Summa Tabien. *in verſ. Abbas,* §. 2. & ex Concilio reſtricta eſt ad ſubditos regulares tantùm *in d. c. 10. ſeſſ.* 23. & tamen ſi Abbas benedictus conferat primam tonſuram regulari ſibi non ſubdito, aut ſæculari, valida eſt ordinatio ratione poteſtati ſibi traditæ in inpoſitione manuum: idque tàm ante Concilium, Lap. *d. allegat.* 138. gl. Arch. & Franc. *ſupracit. nu.* 14. quàm poſt Concilium, ut patet ex relatis declarationibus S. Congregationis ſuprà *nu. 12. & ſeqq.*

31 Eodem modo, ut Abbates non benedicti poſſint benedicere, & Lectoratum conferre, ſecundùm opinionem gl. *hic in ver. Alia,* poſteaquam Epiſcopus ter humiliter requiſitus munus benedictionis illis impertiri recuſaverit, primum ſtatuit Alexander III. in hac Decretali, ponderando verbum, *ſtatuimus.* Undè gloſſ. præalleg. quærens qualiter hoc poſſint facere ante ſuam benedictionem: *Dic,* inquit, *quod in odium Epiſcoporum Dominus Papa hoc concedit per ipſam conſtitutionem, ne propterea in ſpiritualibus, vel aliis patiantur Monaſteria detrimentum propter negligentiam Epiſcoporum.* Idem notat Innoc. *n.* 1. dicens hujuſmodi Abbate etiam ante benedictionem habere plenam adminiſtrationem authoritate hujus Canonis, & ſequitur Jo. Andr. *n. 4. & 8. in ver Liceat.* Et tamen ſuppoſita gl. opinione, ſi prędicti conferrent Regularibus ſibi non ſubditis, dubitandum non eſſet, quin character eſſet impreſſus. Patet igitur ex limitatione juriſdictionis, ad certas tantùm perſonas non inferri ad limitationem poteſtatis ordinandi, quam Prælatus habet etiam ex conceſſione Eccleſiæ.

Non obſtat, quod ſecundùm Innoc. *in cap. Quanto n. 4.* 32
de conſuet. quando facultas conferendi ordines competit non ratione ordinis Epiſcopalis, ſed ex delegatione, ſeu demandatione facta per Papam, tunc prohibitio efficit, ut nihil conferatur, quia Papa poteſt auferre, quod dedit, ut pleniùs dictum eſt ſuprà *in 2. notab. verſ. Et hinc reſultat.*

Nam reſpondetur id verum eſſe, ſi prohibitio ſit totalis, quia tunc per eam aufertur fundiùs poteſtas per delegationem collata. Et propterea quamvis Concilium in *d. c. 10. ſeſſ.* 23. non procedat per modum ademptionis poteſtatis, ſed per modum ſimplicis prohibitionis, interdicendo ne Abbatibus, & aliis inferioribus liceat ordinare ſubditos non regulares; tamen quoad Prælatos inferiores non habentes ſubditos regulares hæc prohibitio operatur ablationem totius poteſtatis, quia nimirum hujuſmodi poteſtas illis competit, non ratione ordinis Epiſcopalis, ſed ex commiſſione, ſeu privilegio Apoſtolico, & ſublato privilegio per totalem prohibitionem nihil remanet, ut patet ex dictis ſuprà *numer. 14. & 15.* At ſecus eſt, ſi
prohibitio non ſit totalis: ſed limitata ad certos caſus, 33
vel perſonas; quia tunc cùm remaneat aliqua poteſtas quoad alios, ratione illius poteſtatis ordines validè conferuntur, licèt non ritè propter prohibitionem. Quod patet exemplo Abbatum, quibus etſi poteſtas ordinandi non competat ratione Ordinis Epiſcopalis, ſed ex conceſſione Eccleſiæ, ut dictum eſt *num. 6. & num. 28. & ſeqq.* tamen prohibitio Concilii *in d. c. 10. ſeſſ.* 23. non reddit irritam ordinationem ſubditorum ſæcularium, nempè quia dicta prohibitio non eſt totalis, ſed limitata, & reſtricta ad ſubditos ſęculares tantùm; & quia remaneat poteſtas quoad ſubditos regulares, idcirco conferendo ſæcularibus, imprimunt characterem, non obſtante Concilii prohibitione, ſeu limitatione, ut ſimiliter eſt dictum *num. 3. & ſeqq. n.* 18. & hoc ſenſit Innoc. *in d. cap. Quanto num.* 4.
de conſuetud. ait enim: *Si Dominus Papa primo conferret* 34
Presbytero poteſtatem chriſmandi, & poſteà auferret, nihil conferret ſic. Sed ſi prohiberet Epiſcopo chriſmare, & contempta prohibitione confirmaret, imprimeretur character. Ratio diverſitatis, quia Epiſcopus poteſt confirmare ex officio, & ordine; Sacerdos alius ex delegatione, & adminiculo habiti Sacramenti. Mandato ergo ſublato nihil poteſt. Ita Innocentius, qui, ut vides, apertè loquitur de totali ablatione poteſtatis delegatæ, & revocatione mandati, non autem de illius limitatione ad certos caſus, vel perſonas.

Sed dices, Prædicta locum habent in eo, qui priùs ex 35
delegatione Papæ habebat abſolutam poteſtatrm ordinandi; & poſteà ex intervallo illi adjicitur prohibitio limitata, ne ſcilicet illam poteſtatem exerceat, niſi in perſonas deſignatas, ſecus autem eſt, quando eodem contextu traditur poteſtas, & juriſdictio limitata, ut in caſu thematis, de quo agitur; tum quia Sedes Apoſtolica in traditione poteſtatis poteſt adjicere conditiones, quas vult, *c. Eleutherius 18. q. 2. c. Verum de condit. appoſ. l. In traditionibus, ff. De pact.* gl. 1. *in c. Sic quidam 10. quæſt.* 1. Tum 36
quia qui poteſt non concedere poteſtatem in totum, poteſt etiam illam concedere limitatè, & quoad partem, *cap. Paſtoralis, §. Item cum totum infrà de offic. deleg.* In ejus enim arbitrio eſt taxatio, ſeu modificatio, in cujus totalis denegatio, dicit text. *in l. Videamus, verſ. Sed an Judex, & in l. actionibus, verſ. Sed Judex, ff. de in lit. juran.* Rom. *conſ. 369. Circa primum num.* 28. Tum deni- 37
que, quia actus factus contra prohibitionem legis ab eo,

qui

qui prius habebat facultatem illum actum faciendi, non
37 eſt nullus, ut in ordinario; ſecus ſi priùs illam non habebat, ut in delegato, ſecundùm theoricam gl. *in Clem.* 1. *in ver. Inhibentes*, *verſ. Sed quæro de jurepatron.* quam ſequitur Anch. *in cap. Statutum*, §. *fin. verſ. Adverte de reſcr. lib.* 6. Abb. *in c. Ex parte n.* 5. *de Conſtit.* Rom. *conſ.* 203. *Quoad primum n.* 7.

38 Verum hæc objectio tollitur, quia etiam Abbates non benedicti, ſi tamen habeant privilegium, ut poſſint ordines conferre, vel idem facere, quod Abbates benedicti, ordinando non ſubditos, imprimunt & ii characterem, licèt eodem contextu eis tradita fuerit poteſtas, & juriſdictio limitata ad ſubditos tantùm, ut initio diximus.
39 Quod ipſum patet etiam ex infraſcriptis declarationibus S. Congr. Nam cùm nonnulli Abbates Germaniæ in vim privilegiorum ante Conc. obtentorum conferrent minores ordines etiam non ſubditis, & dubitatum eſſet, an ordines collati eſſent validi S. Congr. cenſuit eſſe validos, non obſtante, *c.* 10. *ſeſſ.* 23. & ordinatos non egere alia ordinatione, & iterùm cùm eſſet quæſitum, an Abbas ex privilegio S. Pii V. facultatem habens ea omnia faciendi, quæ facere poteſt Abbas benedictus, qui de mandato Vicarii Apoſtolici quibuſdam ſæcularibus non ſibi, ſed ipſi Vicario ſubditis primam tonſuram, & minores ordines contulit, impreſſiſſet characterem: S. Congreg. reſpondit impreſſiſſe, ſed tam ordinantem, quàm ordinatos incidiſſe in pœnas Conſtitutionis Sixti V.

Conſtat ergo, non eſſe conſtituendam differentiam, an quis habeat juriſdictionem ex intervallo, an in actu traditionis poteſtatis ordinandi, cùm neutro caſu poteſtas recipiat limitationem ex limitatione juriſdictionis.
40 Nec adverſantur regulæ in contrarium adductæ, & theoricam Juriſtarum *in d. l. Non dubium*, *C. de leg.* quia procedunt in his, quæ ſunt juriſdictionis, non autem in his, quæ ſunt ordinis, ut inferiùs dicetur.

Et ex prædictis ceſſat etiam objectio, quòd dicta concluſio procedat in his tantùm, qui habent poteſtatem ordinandi de jure communi juxta terminos *d. c. Quoniam* 69. *diſt. cap. Cum contingat de ætat. & qualit.* Imo enim idem dicendum in Abbatibus habentibus poteſtatem ordinandi ex privilegio, ut patet in prædictis deciſionibus S. Con-
41 gregationis. Ideòque Divus Thomas *in* 4. *diſt.* 25. docet facultatem conferendi ordines duobus tantùm modis haberi poſſe, videlicet ex conſecratione Epiſcopali, & ex conceſſione Papæ, & ſequitur Silv. *in ver. Ordo* 3. *nu.* 1. *verſ. Non poteſt autem Epiſcopus*, *& n.* 7. Atque ita Abbates ſecluſa conceſſione Papæ ex vi ſolemnis benedictionis non conſequuntur poteſtatem conferendi primam tonſuram, & minores ordines, quia ſoli Epiſcopi ex vi conſecrationis Epiſcopalis poſſunt miniſtros Eccleſiæ ordinare, non autem reliqui inferioris ordinis, ut eſt diffinitum à Tridentina Synodo *ſeſſ.* 23. *de Sacram. ordin. cap.* 4. *& can.* 7. Undè neceſſariò ſequitur, ut totalis poteſtas quorumcumque Abbatum minores ordines conferendi ſit ex ſola
42 conceſſione Apoſtolicæ Sedis. Neque verò inter decreta, & indulta Apoſtolica inſerta in corpore juris, & non inſerta extat ulla formalis, & eſſentialis differentia, cum omnia manent ab eodem fonte Apoſtolicæ poteſtatis, & propterea Nicolaus Papa *in c. Si Romanorum* 19. *diſt.* multis rationibus damnat eorum opinionem, qui aſſerebant decretales epiſtolas non obligare, niſi eſſent inſertæ in Co-
43 dice Canonum. Pro Codice Canonum intelligit veterem illam collectionem, in qua continebantur Canones, & regulæ illæ, quæ recenſentur a Leone IV. *in c. De libellis* 20. *diſt.* cujus Codicis tria exemplaria manuſcripta habentur in Bibliotheca Vaticana.
44 Demùm non obſtat, quod Concilium *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. limitaverit poteſtatem Sacerdotum quoad confeſſiones Sacramentales, diſponendo ut quamvis Presbyteri in ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; tamen nullus poſſit confeſſiones audire, nec ad id idoneus repu-
45 tetur, niſi fuerit ab Epiſcopo examinatus, & approbatus, & quòd S. Congregatio declaravit confeſſiones, quas audit Sacerdos, ut ſuprà non approbatus eſſe nullas, atque irritas; nam reſpondetur id procedere in abſolutione ſacramentali, quia eſt actus juriſdictionis, non ordinis; unde à ſancta Synodo *in c.* 5. *&* 6. *& can.* 9. *de Sacram. Pœnit. ſeſſ.* 14. diffinitur eſſe actus judicialis, & contrarium aſſerentes ſubjiciuntur anathemati. Ea verò, quæ ad poteſtatem juriſdictionis pertinent, jam diximus reſtringi ad ſubditos tantùm, nam ut habetur *in c.* 7. *ſeſſ.* 14. *de caſ. reſerv.* Ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; ideòque nullius momenti ſit abſolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem, & declarat S. Th. *dicto quodlib.* 12. *art.* 30. *& in* 4. *diſt.* 9. & fuſius Turrecr. *in c. Ita Dominus n.* 9. *verſ. Secundo ſic diſt.* 19.

Quocirca ex prædictis patet ex eo, quòd juriſdictio 46
Prælati habentis poteſtatem ordinandi, reſtricta ſit ad certum genus perſonarum, non rectè inferri ut reſtricta ſit ipſa ordinandi poteſtas; idque procedere, ſive poteſtas hujuſmodi proveniat à jure divino, ſive ex conceſſione Eccleſiæ; & ſive conceſſio ſit clauſa in corpore juris, ſive non; ac demum ſive poteſtas tradatur in continenti cum juriſdictione, ſive ex intervallo. Undè etiam ſequitur, ut Prælatus inferior ſæcularis habens facultatem poſt Concilium conferendi primam tonſuram, & minores ordines, quamvis ejus juriſdictio reſtricta ſit ad certas perſonas in privilegio expreſſas, quia tamen prorſus poteſtate ordinandi non caret, utique characterem impreſſerit, etiam ordinando alios quàm in privilegio deſignatos.

Et certè ſi Abbas non benedictus habens ſimile privilegium ante Concilium ordinando Clericos ſæculares, imprimit characterem juxta deciſionem Sacræ Congregationis, idque non alia ratione, niſi quia poteſtate ordinandi non caret, cùm ejus privilegium non fuerit funditùs ſublatum à Concilio, ſed tantùm reſtrictum ad ſubditos regulares *in d. c.* 10. *ſeſſ.* 23. non apparet cur non idem ſit dicendum in Prælato ſæculari habente idem privilegium poſt Concilium: nam & hìc non caret omninò ordinandi poteſtate, cùm privilegium poſterius non fuerit à Concilio revocatum, quamvis in litteris ſit reſtrictum ad certas perſonas dumtaxat.

Ratio prædictorum eſt, quia jus illud poteſtatis in ordinante individuum eſt, ut colligitur ex D. Thoma in 2. 2. *quæſt.* 39. *art.* 3. nec poteſt pro parte conferri, & pro parte non. nam Spiritus ſanctus, qui inviſibiliter operatur in Sacramentis Eccleſiæ, *cap. Ita ſit verbum*, *& cap. Ut evidenter q.* 1. Abb. *in cap. fin. n.* 5. *de Baptiſ.* non dimenſuratur, id eſt, non datur per partes, *cap. Nec quemquam*, juncta gloſſ. *in ver. Non dimenſuratur*. Juriſdictio verò, 47
quamvis, & ipſa in ſubſtantia ſit indiviſibilis: Bald. *in cap.* 1. §. *Præterea ductus nu.* 3. *de prohib. feud. alien.* per Frider. tamen, quia eſt in ordine ad ſubditos, diviſionem patitur ratione adminiſtrationis exercitii, ut per Bald. ibidem, & Felin. *in cap. Prudentiam num.* 3. *&* 5. *de offic. deleg.* Solius enim Pontificis, ac Cæſaris juriſdictio non reſtringitur ad lites alicujus territorii, Bart. *in l.* 1. §. *Cùm urbem in princip. ff. De off. Præf. Urb.* Cravett. *conſ.* 128. *n.*
2. & Soccin. *conſ.* 237. *col. fin. libr.* 2. Undè poteſtas uſui 48
aſſimilari poteſt, juriſdictio verò ad uſumfructum proximius accedit, cùm dicatur eſse in fructu, Chriſtoph. Caſtill. *conſ.* 1. *num.* 17. *in fin. & ſeq.* At uſus pars legari non poteſt, nam frui quidem pro parte poſſumus, uti parte non poſſumus, ut ait Juriſconſult. *in l. un. pars, ff. De uſu, & habit. legat.* facit tex. *in l. Libertus, ff. De oper. libert.* ibi, *quia neque ſolvi, nec deberi, nec peti pro parte opera poteſt cum ſimil.* quæ de individuis obligationibus facti habentur *in l.* 4. §. *Cato*, *& in l. Stipulationes non dividuntur*, *ff. De verbor. obligat.* lex enim promotionis conſiſtit in facto, *cap. fin.* 15. *quæſt.* 1. Archid. *in cap. Si evangelica num.* 6. & ibi etiam Præpoſ. *nu.* 4. 55. *diſtinct.* Non obſtat ſi dicatur: Eccleſia poteſt impertiri facultatem Sacerdoti, ut conferat limitatè unum tantùm ex minoribus ordinibus, puta Lectoratum, *ut in cap. Quoniam* 69. *diſtinct.* Quo caſu ſi Presbyter conferret Exorciſtatum, vel Acolythatum, nihil ageret, & characterem non imprimeret, ut poſt Hug. & alios notat Turrecrem. *num.* 13. *&* 15. Ergo Eccleſia poteſt limitare poteſtatem ordinis, & conſequenter tribuere alicui Sacerdoti hujuſmodi poteſtatem reſtrictam ad certas perſonas dumtaxat, adeò ut ſi aliæ ordinentur, characterem non recipiant: nam reſpondetur negando conſequentiam; quia poteſtates ordinum ſunt per ſe diſtinctæ, *ut cap. Perlectis* 25. *diſtinct.* & docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *art.* 2. *qu.* 5. & Turrecr. *in c. Sollicitudo num.* 3. *verſ. Ad ſecundum* 52. *diſt.* Undè dum Eccleſia tribuit

buit alicui Presbytero poteſtatem conferendi certum ordinem, utique poteſtatem ordinis non limitat, ſed jam à Deo limitatam, & diſtinctam confert. At ſecus eſſet, ſi character unius, & ejuſdem ordinis ex ordinatione Eccleſiæ imprimeretur uni, & non alteri; quia cùm poteſtas exerceri poſſit in omnes, niſi ſit repugnantia in ſubjecto, ſi Eccleſia impediret impreſſionem characteris, præſuppoſita poteſtate in conferente, utique poteſtatem ordinis divideret, ac limitaret, quod non eſt poſſibile, ut ex dictis conſtat. Ad hoc Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *de commun. ſub utraque ſpec- cap.* 2. ibi, *ſalva illorum ſubſtantia*. Id quod exemplo etiam naturali evidenter apparet, nam ſi tradidero tibi ſigillum ad hoc, ut imprimas certam materiam dumtaxat, vel inſtrumentum ad cudendam certam monetam, puta argenteam, & tu fines mandati tranſgreſſus aliam materiam, vel monetam ſignaveris: certè imaginem, ſeu characterem in ea relinques impreſſum, niſi ſurgat reſiſtentia ex parte materiæ. Ergo eodem modo qui accepit à Sede Apoſtolica poteſtatem ad imprimendum ordinis characterem aliquibus tantùm perſonis, ſi egrediendo limites commiſſionis, ordinaverit perſonas in ea non deſignatas: utique imprimeret in anima characterem ſpiritualem, niſi obſtet incapacitas ex parte ordinati, ut in muliere, præcisè coacto, & non baptizato, de quibus apud D. Thomam *in* 4. *diſt*. 24. *& diſt*. 25. *q*. 1. *&* 2. *art*. 1. Silveſt. *in ver. Ordo* 4. *n*. 1. *& in ver. Baptiſ*. 6. *num*. 3.

51 Character enim ſecundùm Innocent. Hoſtien. Jo. Andr. & omnes *in cap. fin. de Sacram. non iteran.* eſt quædam figura intellectualis, & indelebilis animæ infixa, per quam ſic inſignitus à non inſignito in die Judicii diſcernetur. Et patet ex diffinitionibus Concilii Florentini *in Decreto fidei Eugenii IV.* §. *Quintò*, ibi, *quæ characterem*, id eſt ſpirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile, & Concilii Tridentini *ſeſſ*. 6. *de Sacramen. can*. 9. ibi, *Characterem in anima hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile*. Undè nihil aliud importat niſi quamdam ſignationem, ut inquit D. Thom. *in* 3. *parte quæſt*. 4. *art*. 1. & ut ſubdit in reſponſione ad ſecundum, character, vel ſignaculum dici poteſt per quamdam ſimilitudinem omne quod configurat alicui, *& art*. 4. *Character*, inquit, *imprimitur animæ rationali ſecundum imaginem, & art*. 2. dicit, *characterem propriè eſſe ſignaculum quoddam, quo aliquid inſignitur, & ordinatur ad aliquem finem, ſicut charactere*

52 *inſignitur denarius ad uſum commutationum*. Quo exemplo in ſimili utitur Bald. *conſ*. 38. Dom. Thomas *in fine lib*. 1. dum ait, *forma non eſt aliud, quàm impreſſio materiæ, ſicut figura Cæſaris impreſſa ferro*. Et confert illa palea 88. *diſtinct*. Ejiciens ibi: Sicut nummus habet charagma Cæſaris, ſic homo habet charagma Dei. Sed & gloſſ. *in cap*. 2. *in ver. Injuriam de Apoſtat.* quærens quid ſit facere injuriam Sacramento per iterationem, *inſigitur*, inquit, *animæ quædam imago, ſive pictura, vel character: unde ſi alia imago ſuperponeretur, illa prima pictura obſcuraretur, & ita videretur obfuſcari primum Sacramentum*. Ac demum in his terminis eſt text. *in d. cap. Quod quidam* 1. *quæſt*. 1. ubi Auguſtinus ad oſtendendum impreſſionem characteris non impediri ex eo, quòd Miniſter ſit prohibitus conferre, eodem exemplo utitur dicens: *Si aliqui furtim non in monetis publicis aurum, vel argentum percutiendo ſignaverint, nonne illis punitis cognitum regale ſignum theſauris regalibus cogetur inferri?* Et infrà: *An fortè minus hærent Sacramenta Chriſtiano,*

53 *quam corporalis hæc nota*. Hæc ibi. Quamobrem ut caſus omnes in hac materia perſtringamus, cùm quæritur an Prælatus inferior conferendo primam tonſuram, & minores Ordines imprimat characterem, & conferat Ordinis executionem, necne, duo caſus principales ſunt diſtinguendi. Primus eſt in Abbatibus Regularibus. Secundus eſt in inferioribus Prælatis ſæcularibus.

Primo caſu, aut Abbas eſt Presbyter ſolemniter benedictus, aut non. Si eſt, aut confert primam tonſuram, & minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus, & non ſolùm imprimit characterem, ſed etiam confert Ordinis executionem; quia facultas, quam habet à jure communi *in dict. cap. Quoniam* 69. *diſtin. & cap. Cum contingat de etat. & qualit.* non eſt ſublata, imò præſervata à Concilio Tridentino quoad ſubditos Regulares *in dict. cap*. 10. *ſeſſ*. 23. Aut illos confert Regularibus ſibi non ſubditis, ſeu Clericis ſæcularibus; & imprimit quidem characterem ratione poteſtatis, quam accipit in impoſitione manuum, ſecundùm gl. Lap. Archidiaconus, & alios initio citatos; ſed Ordinis executionem non confert ob ademptam ſibi à Concilio juriſdictionem quoad non ſubditos Regulares, ut in declarationibus Sacræ Congregationis ſuperiùs adductis. Aut Abbas Presbyter non eſt ſolemniter benedictus; & tunc aut habet privilegium ordinandi ante Concilium, aut non. Si habet, aut ordinat Regulares ſibi ſubditos juxta limites privilegii; & rata eſt ordinatio etiam quoad executionem Ordinum, cùm privilegium hoc quoad ſubditos Regulares tàm de jure communi, ut *in dict. cap. Abbates*, ubi gloſſ. *fin. de privileg. lib*. 6. quàm ex Concilio ſit præſervatum *in d. c*. 10. Aut ordinat alios, quam Regulares ſibi ſubditos; & tunc ſi Abbas ſit talis, ut nullos omninò ſubditos Regulares habeat, irrita eſt ordinatio, quia privilegium ejus in totum fuit ſublatum per Concilium. Sin autem aliquos habeat ſubditos Regulares, tunc ordinando alios imprimit characterem, cùm non careat funditùs ordinandi poteſtate; ſed ſic ordinati remanent ſuſpenſi ab executione Ordinum, cùm privilegium quoad illos ſublatum fuerit à Concilio, ut initio diximus conciliando deciſiones Sacre Congregationis ibi relatas. Quòd ſi privilegium ſit poſt Concilium, idem ſervandum erit quod de Prælatis ſæcularibus inferiùs dicetur. Aut Abbas privilegium ordinandi non habet, & tunc aut Epiſcopus fuit ter requiſitus, ut ei munus benedictionis impenderet; & eo caſu character imprimitur, & confertur Ordinis executio ad eum modum, quo dictum eſt ſuprà de Abbate ſolemniter benedicto, ſecundùm opinionem gl. *hic*. Aut Epiſcopus non fuit requiſitus, & tunc Abbas non benedictus, vel aliàs Prælatus Regularis, qui privilegio caret, ordinando nihil agit, cùm careat requiſitis eſſentialibus ad Ordines conferendos *ut in d. c. Quoniam, & d. c. Abbates*, non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili, ut aliàs cenſuit Sac. Congregatio in cauſa Generalis Silveſtrinorum.

Secundo caſu principali, aut inferior Prælatus ſæcularis habet privilegium conferendi primam tonſuram, vel minores Ordines ſuis ſubditis ſæcularibus ante Concilium, aut poſt. Si ante Concilium, cùm privilegium fuerit funditùs ſublatum, ideòque non ſolùm careat juriſdictione, ſed etiam ordinandi poteſtate, characterem nullo modo imprimit, juxta declarationem S. Congregationis Concilii in cauſa Præpoſiti Peſcieñ. Aut habet privilegium poſt Concilium; & tunc aut ordinat perſonas deſignatas in privilegio: & ordinati ab ipſo recipiunt characterem, & executionem Ordinum, quia Concilium non ſuſtulit privilegia futura, nec eſt opus, ut Concilio Tridentino in litteris privilegii fuerit ſpecialiter derogatum; ſed ſatis eſt, ut fuerit expreſsè conceſſum contrarium ejus, quod Concilium diſponit, ut ſæpiùs cenſuit S. Congregatio. Aut ordinat perſonas in privilegio non comprehenſas, ut in caſu præſentis quæſtionis; & valida eſt ordinatio ratione abſolutæ poteſtatis; ſed ob defectum juriſdictionis Ordinis executio non confertur, ut patet ex ſupradictis.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, & qualitate Ordinandorum.

Alexander III. Epiſcopo Herfordenſi.

CAPUT III.

DE eo autem, quod quæſiviſti, an liceat extra jejunia quatuor temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolytos, aut etiam Subdiaconos promovere: taliter reſpondemus, quòd licitum eſt Epiſcopis, Dominicis & aliis feſtivis diebus, unum aut duos ad minores Ordines promovere. Sed ad Subdiaconatum, niſi in quatuor temporibus, aut Sabbato ſancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum, præterquàm Romano Pontifice, licet aliquos ordinare.

S U M M A R I U M.

1 *ORdines minores conferri poſſunt diebus feſtivis: ſacri vero debent conferri in quatuor temporibus, vel in Sabbato ſancto, vel Sabbato de Paſſione, & n. 2. & 17.*

2 *Abbas Presbyter, & benedictus, an poſſit minores Ordines conferre in Dominicis, & feſtis diebus.*

3 *Ordines minores extra tempora diebus ferialibus conferri non poſſunt.*

4 *Tonſura Clericalis quocumque die, & hora conferri poteſt.*

5 *Dies feſti, in quibus minores Ordines licet conferre, qui ſint.*

6 *Ordines minores extra tempora Epiſcopus una die conferre non poteſt pluribus, quam duobus.*

7 *Verbis edicti in re dubia tutius eſt deſervire.*

8 *Ordines quatuor minores an poſſit Epiſcopus eadem die uni conferre, & n. ſeqq.*

9 *Indefinita æquipollet univerſali.*

10 *Conſuetudo de licito facit illicitum.*

11 *Interſtitia temporum etiam in minoribus Ordinibus ſunt ſervanda, niſi aliud Epiſcopo magis expedire videatur.*

12 *Vicarius generalis habens mandatum generale in forma, poteſt abſente Epiſcopo ſuper interſtitiis diſpenſare.*

13 *Ordines minores, & Subdiaconatum recipiens eadem die indignum ſe reddit executione Ordinis ſic ſuſcepti.*

14 *Tonſura, & quatuor minores Ordines eadem die ab Epiſcopo uni conferri non poſſunt.*

15 *Ordinum plurium collatio ſimul eſt generaliter interdicta.*

16 *Tonſura in minoribus Ordinibus continetur.*

17 *Ordines ſacri conferri non poſſunt ab Epiſcopo, niſi in Sabbatis quatuor temporum, majoris Hebdomadæ, & de Paſſione, & n. 28. & 36.*

18 *Nec id licet die Dominica immediate ſequenti, etiam continuato jejunio.*

19 *Ordines ſacros ſemper, & ubique Papa poteſt conferre.*

20 *Tempus non eſt de ſubſtantia Ordinis.*

21 *Conſuetudo ſuſcipiendi quatuor minores Ordines die Veneris, & Subdiaconatum die Sabbati ſequentis, an excuſet non obſtante Concilio Tridentino ſeſſ. 23. c. 8. & n. ſeqq. uſq. in fin.*

22 *Ordines conferri extra tempora à jure ſtatuta, & non ſervatis interſtitiis, longè differunt.*

23 *Ordines quatuor minores ex conſuetudine licitè poſſunt uni eadem die conferri, & n. 26. & 42. in 3. dubio.*

24 *Ordines minores an conferri poſſint die Veneris præcedente diem Sabbati, in quo eidem ad minores Ordines promoto Ordo ſacer eſt conferendus, & n. 27. uſq. ad n. 41.*

25 *Ordinato una die ad omnes minores an liceat die immediatè ſequenti Subdiaconatum ſuſcipere, & n. 41. uſque in fin.*

27 *Conſuetudo conferendi Ordines ſacros extra tempora à jure ſtatuta reprobatur.*

28 *Ordinationes ſacrorum Ordinum non qualibet die hebdomadæ quatuor temporum, ſed Sabbato tantùm ſunt celebrandæ.*

29 *Palea eſt ſine legis authoritate.*

30 *Ordines minori conferri non debent ab Epiſcopo, niſi in temporibus à jure ſtatutis, vel in Dominicis, & aliis feſtivis diebus.*

31 *Conſuetudo celebrandi publicas Ordinationes die Veneris jejuniorum non valet, licèt eam ſervantes à pœna excuſentur.*

32 *Cautela pro conferendis minoribus Ordinibus extra tempora.*

33 *Conceſſione aliqua utens, ejus qualitates reſpuere non debet.*

34 *Conſuetudo conferendi minores Ordines in die Veneris jejuniorum extra generales ordinationes, & in Capella privata, valida eſt, & n. ſeqq.*

Expediret tamen eam abolere, n. 40.

35 *Conſuetudo conferendi minores Ordines extra tempora non eſt contra, ſed præter jus, & n. ſeqq.*

37 *Debet, verbum non ſemper eſt præcepti.*

38 *Ordines majores cur ſtatutis à jure temporibus conferendi.*

39 *Ordines minores ex conſuetudine conferuntur etiam feria quarta quatuor temporum.*

40 *Ordines minores an urgente neceſſitate poſſint conferri extra tempora in diebus ferialibus, ibid.*

41 *Conſuetudine introduci poteſt, ut una die licitè conferantur eidem quatuor minores Ordines cum Subdiaconatu.*

42 *Ordines minores poteſt Epiſcopus ex conſuetudine privatim aliquibus conferre in die Veneris quatuor temporum, ſi ſit dies feſtus, & in Sabbato ad Diaconatum eos promovere ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ.*

DE eo. Minores Ordines conferri poſſunt diebus feſtivis: ſacri verò conferri debent in quatuor temporibus, vel Sabbato ſancto: vel Sabbato de Paſſione. Hoc dicit, ſecundùm omnes. Communis diviſio. Conſultatio, & bimembris reſponſio. Secunda ibi, *Taliter reſpondemus*. 1

Nota primò ibi, *Feſtivis diebus*, Epiſcopum poſſe minores Ordines conferre in Dominicis, & aliis feſtis diebus, ut hic eſt caſus. & cùm textus loquatur de Epiſcopo, à contrario ſenſu innuit hanc facultatem inferioribus non competere: nam cùm conſultatio generalis fuerit, ſi idem de inferioribus voluiſſet, utique expreſſiſſet, ſicut expreſſit de Epiſcopo, *c. Inter corporalia, §. Sed neque, verſ. Præſertim ſuprà de translat. Epiſcop.* Et ſecundùm hoc quamvis Abbas Presbyter, & benedictus minores Ordines conferre poſſit ſuis ſubditis regularibus, *c. Quoniam 69. diſt. c. Cùm contingat infr. de ætat. & qual.* Concilium Trid. *c. 10. ſeſſ. 23.* tamen non poteſt illos conferre, niſi in temporibus à jure ſtatutis, ſecundùm Hoſt. hìc *in princ. in ver. Epiſcopis*. 2

Sed contrarium tenuit idem Hoſt. in prædicta Decret. *Cùm contingat n. 6. verſ. Sed quo tempore.* Tum quia cùm Abbas poſſit minores Ordines conferre in ſuo monaſterio, ex hoc nulli fit præjudicium; & ideò latior fieri debet interpretatio, *c. Ex tuarum de uſupall.* Item quia potius de Domi-

minicis, quàm de quatuor temporibus hoc videtur ſentiendum, ne Abbates videantur generales ordinationes habere, & ſic epiſcopizare: ſimile in cap. Pervenit de conſecrat. diſt. 3. & cùm hoc tranſeunt hic Jo. Andr. num. 2. Bellam. nu. 1. & Butr. in 4. not. Sed Cardinalis in d. c. Cum contingat in 8. q. dicit rationes Hoſtienſ. in hac ſecunda opinione non multùm valere, & tenet primam, quia cùm in hac Decretali, & in cap. 1. ſuprà eod. hoc de Epiſcopis ſpecialiter concedatur, de aliis intelligitur denegatum, l. Cum Prætor, ff. de
3 judic. cap. Nonne de præſumpt. In diebus autem ferialibus extra tempora certum eſt, nec Epiſcopo id licere, cùm textus hoc permittat in diebus feſtis duntaxat, & concordat Pontificale Romanum in Rubr. de Cleric. facien. verſ. Minores verò ordines.

4 Fallit hoc in prima Clericali Tonſura, quæ licèt ſit Ordo ſecundùm communem Canoniſtarum ſententiam in d. c. Cum contingat, ut ibi plenè ſcripſi; tamen quocumque die poteſt conferri, ut patet ex eodem Pontificali Romano in Rubr. de ordin. conferen. ibi, Clericatus, ſeu prima Tonſura quocumque die, & hora, & loco conferri poteſt, & notat Abbas poſt alios in c. Penult. n. 5. infr. eod. Armill. in ver. Ordo n. 7. & de generali conſuetudine obſervari atteſtatur hic Bellam. in 3. q.

5 Supereſt nunc, ut videamus, qui ſint dies feſti, in quibus fas eſt Epiſcopo minores Ordines conferre. Doctores dicunt eſſe illos, in quibus licet, & Virgines conſecrare, de quibus in d. c. Devotis 20. q. 1. & per Hoſt. in c. 1. n. 2. in ver. Virgines ſup. cod. Et quamvis alii, & in ſpecie Bellam. hic n. 2. hoc latiùs intelligant, ſcilicet de feſtivitatibus ſpecificatis in c. fin. infra de feriis; tamen cùm hæc interpretatio ſpectet tantummodò ad Romanum Pontificem, non ad Magiſtrum, tutior eſt prima opinio. ſecundùm Hoſt. hic in princ. in ver. Dominicis, Jo. Andr. n. 3. Butr. n. 9. Tu verò dicas, ut infrà notavi ex ſententia S. Congreg. Conc. nu. 42. in 1. dubio.

6 Secundò nota ibi, Unum, aut duos, extra tempora à Jure ſtatuta Epiſcopum non poſſe minores Ordines una die conferre pluribus, quàm duobus; nam etſi gl. 1. hic tenuerit poſſe conferre etiam pluribus, dummodò generalem ordinationem non faciat, idemque ſenſerint Alanus, Tancred. Goffred. & Innoc. in princ. tamen primam opinionem ſequutus eſt Hoſt. in princ. in ver. Unum, aut duos.

7 Tum quia hoc quæſitum fuit de aliquibus, & Papa reſpondet, unum, aut duos, & ſic non plures, arg. c. De cætero, & c. Ad audientiam inf. de Cler. non reſid. Tum quia in re dubia tutius eſt edicti verbis deſervire, ut l. 1. §. Si is qui navem, verſ. In re igitur dubia, ff. de exercit. act. & l. Non aliter, ff. de legat. 3. Tum denique, quia nulla neceſſitas cogit ad aliter ſentiendum, cùm Dominici, & Feſti dies ſæpiùs in anno revolvantur: & cum opinione Hoſt. tranſeunt hic Jo. And. n. 4. & Butr. n. 5. Prima opinio communior, ſecunda tutior, ut inquit Card. in 1. q. Placet opinio Bellam. hic in 4. q. videlicet in hoc ſtandum conſuetudini, cùm ſit optima legum interpres, c. Cum dilectus ſup. de conſuet. ſed ea ceſſante ſecurius eſt adhærere opinioni Hoſt.

8 Tertiò nota ibi, Ad minores Ordines, Epiſcopum poſſe eadem die conferre uni omnes minores Ordines; nam cùm textus dicat indeterminatè, ad minores, de omnibus debet intelligi, cùm indefinita æquipolleat univerſali, c. Si
9 Romanorum in fin. 19. diſt. c. Quia circa infra de privileg. & ita ex hac littera deducit gloſſ. 2. adjiciens ita de facto obſervari, ut in cap. 2. infrà de eo, qui furt. ordin. ſuſcept. ubi
10 hoc videtur expreſſum: niſi repugnet conſuetudo, quæ ſcandalum generet, cap. Ordinationes 75. diſt. conſuetudo enim ea, quæ licita ſunt, reddit illicita, c. Cùm olim infra de Cler. conjugat. c. Super eo de cognat. ſpirit. & cùm gloſſa conſentiunt Tancredus, Vincentius, Goffred. Philippus, Doctores antiqui, & Innocent. hic in ver. Ad minores, item gl. 1. in d. c. 2. & hanc primam opinionem ſequuntur moderni, ut hic teſtatur Butr. num. 6. Secunda opinio primæ oppoſita fuit Joan. in cap. Ordinationes, il primo in gloſſ. in ver. Tempore 75. & in c. Quicumque in 3. gloſſ. 77. diſt. qui exiſtimavit ita demum licere Epiſcopo minores omnes uni ſimul conferre, ſi hoc habeat conſuetudo; de jure autem ſecus. Cui valdè ſuffragatur text. in d. cap. 2. in illis verbis: Juxta conſuetudinem patriæ ſibi quatuor minores contuliſti; & ita videtur hoc eſſe de conſuetudine, & non de jure, prout illum textum ponderat Collectar. hic n. 1. verſ. Tamen videtur, quam opinionem ſequutus eſt etiam Goffredus ſibi contrarius in d. cap. 2. & Bellam. hic in fin. ubi dicit ſe credere hanc opinionem Joannis eſſe veram, & eam tenere Martinum de Selva Epiſco- 11
pum Pampilonenſem. Tertia opinio inter prædictas media fuit Innocent. in c. Dilectus circa fin. verſ. Minores autem Ordines inf. eod. exiſtimantis Epiſcopum non poſſe quatuor minores Ordines ſine intervallo temporis ſimul conferre, niſi diſpenſativè, non autem de jure, licèt diſpenſatio juris ſit, arg. c. Præterea infrà de ætat. & qualit. & idem ſenſit originaliter gl. 3. d. c. Quicumque, & Collectar. ubi ſup. nam interſtitia temporum etiam in minoribus Ordinibus ſunt ſervanda, c. In ſingulis 77. diſt. gl. 1. in c. fin. infrà de eo qui furt. ordin. ſuſcep.

Hæc tertia opinio videtur hodie approbata à Tridentina Synodo in c. 11. ſeſſ. 23. ubi diſponitur, ut minores Ordines per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur. Quinimò hæc facultas 12
diſpenſando ſuper interſtitiis, ex ſententia S. Cong. competit etiam Vicario Generali abſente Epiſcopo, poſito quòd habeat mandatum generale in forma. Caveat tamen is, 13
qui in tali caſu omnes minores Ordines ſimul recipit, ne ſimul etiam recipiat Ordinem Subdiaconatus: nam alioquin indignum ſe redderet executione Ordinis ſic ſuſcepti ut legitur, & notatur in c. 2. inf. de eo qui furt. ord. ſuſcep. ſecundùm Hoſt. hic n. 2. Rurſus caveat, ne cùm quatuor mi- 14
noribus Ordinibus eadem die primam Clericalem Tonſuram recipiat, quia cùm Tonſura ſecundùm opinionem Canoniſtarum ſit Ordo, c. Cum contingat, cum ibi notat inf. de ætat. & qualitat. non poteſt Epiſcopus eam cum quatuor minoribus uni ſimul conferre: & talis ordinatio nec per jus, nec per conſuetudinem approbatur, & collatio plurium Ordinum ſimul eſt generaliter reprobata, c. Litteras, 15
& c. Dilectus inf. eod. Ita Hoſt. hic n. 2. verſ. Sed numquid, quem ſequuntur Jo. Andr. n. 7. & Butr. n. 6. verſ. Hoſtienſ. dicit, adjicientes duas alias conſiderationes. Prima eſt, quia non eſt conveniens, ut una die quis ſit laicus, & Acolythus. Altera eſt, quia in hoc c. nihil dicitur de Pſalmiſta, licèt Collect. hic n. 1. hanc ultimam rationem impugnet, quia Ordo Pſalmiſtatus, ſeu Tonſuræ in minoribus Ordi- 16
nibus continetur. Sed tu adde, quod in cap. 2. infra de eo qui furt. ord. ſuſcep. non cavetur de minoribus Ordinibus in genere, ſed de quatuor minoribus, & ſic excluditur prima Tonſura. Et hanc opinionem ſequitur etiam Epiſcopus Pampilon. & Bellam. hic in 5. q. verſ. Hoſtienſ. verò dicit.

Ultimò nota ibi, Sed ad Subdiaconatum, nulli Epiſco- 17
porum licere ſacros Ordines conferre, niſi in quatuor temporibus, id eſt in Sabbatis quatuor Temporum, ut c. Quod à Patribus, cap. Ordinationes, il ſecondo 75. diſt. ſecundùm Hoſt. hic n. 2. verſ. Niſi in quatuor temporibus, & fuſiùs dicam infrà nu. 28. aut in Sabbato ſancto, vel in Sabbato de Paſſione, in quo ſcilicet cantatur, Sitientes, quo in Canone appellatur Sabbatum quadrageſimalis hebdomadæ Medianæ, ut in d. cap. Ordinationes, & poſt Tancred. & Vincent. notant hic Hoſt. num. 3. Jo. Andr. eod. nu. & n. 7. in fin. Butr. num. 7. verſ. Quæritur, & ita hic eſt caſus ſecundùm Jo. Andr. Bellam. Butr. Card. Anchar. & Jo. de Anan. concordant c. Ordinationes, il ſecondo 75. diſt. & Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 8. Quod adeò verum 18
eſt, ut nec liceat ſacros Ordines conferre die Dominica immediatè ſequenti, c. Litteras inf. eod. etiam continuato jejunio, ut in gloſſ. ult. hic in fine, & per Butr. nu. 8. Ex- 19
cipitur Romanus Pontifex, ut hic, & in cap. 1. ſuprà eod. ipſe enim propter poteſtatis plenitudinem ſemper, & ubique poteſt ſacros Ordines conferre, quia tempus non eſt de ſubſtantia Ordinis: & determinatio temporum eſt inducta à lege poſitiva, quæ Papam non arctat, ut hic per Hoſt. 20
num. 3. in ver. Romano Pontifice, & Butr. in 3. not. & eſt ſimile in c. Ad honorem ſuprà de uſu pall. & in c. Quod ſicut, §. Præterea de elect.

In quibuſdam diœceſibus viget conſuetudo, ſecundùm quam ſuſcipientes quatuor minores Ordines die Veneris, 21
die Sabbati ſequentis ad Subdiaconatum promoventur, Quæritur, an hæc conſuetudo excuſet non obſtante Trid. Concilii decreto cap. 8. ſeſſ. 23, quo cavetur hæc facienda eſſe ſtatutis à Jure temporibus, præſuppoſita tamen neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ, juxta cap. 11. ejuſdem ſeſſionis.

Præ-

22 Præmittendum eſt, in decreto *d.c.*8. non agi de eadem materia, de qua agitur *in d.c.*11. Nam *in c.*8. agitur de temporibus, in quibus ſecundùm Canones publicè ſacrorum Ordinum ordinationes celebrari debent; in c. autem 11. agitur de interſtitiis Epiſcoporum, quæ debent obſervari, & intercedere inter collationem præcedentis, & collationem ſequentis Ordinis, de quibus Gratianus in decreto duas conſcripſit differentes diſtinctiones: nam de prima materia, quæ habetur *c.* 8. ſcripſit *diſt.* 75. de ſecunda reſpiciente *c.* 11. compilavit *diſt.*77.

Hinc percipitur quid in propoſita quæſtione quæratur, ex qua elici poſſunt hæ dubitationes.

23 Prima eſt, an ex conſuetudine liceat omnes minores Ordines uno die conferre.

24 Secunda, an id liceat die Veneris præcedente diem Sabbati, in quo eidem ad minores Ordines promoto Ordo ſacer eſt conferendus.

25 Tertia, an ei, qui omnes minores Ordines uno die ſuſcepit, liceat altero die immediatè ſequenti, & ſic abſque aliquo interſtitio Subdiaconatum ſuſcipere.

26 Prima quæſtio, quæ reſpicit *d.c.*11. facilis eſt: nam procuIdubio videtur licere textus eſt *in c.* 2. *De eo qui furt. ord. ſuſcep.* gl. tertia *in. c. Quicumque* 77. *diſt.* & patet ex dictis ſuprà in 3. *not.* Quæ conſuetudo, cùm Concilium illi non derogaverit, utique ſublata non videtur, *c.*1. *de conſuet. lib.*6. ubi Doctores: & hanc ſententiam probavit S. Cong. Concilii, ut patebit infrà *n*, 42. *in* 3. *dubio*.

27 Secunda quæſtio, quæ reſpicit materiam *d.c.*8. ſatis eſt ardua, & quidem pro parte negante adducitur textus *in cap. Prox. ſuprà eod.* ubi conſuetudo conferendi Ordines extra tempora, tamquam Canonibus inimica reprobatur: quo caſu non licet ulteriùs ſimilem conſuetudinem inducere, gl. *in d.c.*1. *de conſuet. lib.*6. *in ver. Expreſsè*, ubi Gemin. *n.* 30. & propterea cùm hæc conſuetudo ſit prohibita, & Concilium mandet *d.c.*8. hac in re antiquos Canones obſervari, ſequitur, ut tolerari nullo modo debeat.

Non obſtat, ſi dicatur: Imò in caſu propoſito Ordines prædicti conferri videntur temporibus à jure ſtatutis, id eſt, tempore Jejunii quatuor Temporum, vel Hebdomadæ Medianæ, vel Hebdomadæ Majoris Quadrageſimæ, ut habetur *in c. fin. d. diſt.* 75.

Et ita cùm minores Ordines conferantur in die Veneris immediatè præcedentis diem Sabbati, in quo Ordines ſacri aliàs (ut arbitror ſupponi) licitè conferri ſolent, quique non poteſt eſſe niſi in prædictis hebdomadibus. hinc ſequitur, ut qui die Veneris confert minores Ordines, dicatur contuliſſe temporibus ad hoc à Jure ſtatutis. Id, inquam non obſtat, quia quod vulgò dicitur ordinationes ſa-
28 crorum Ordinum tenendas eſſe in hebdomadibus ſupradictis, non ita intelligitur, ut quolibet die, in quo in ipſis hebdomadibus jejunatur, teneri poſſint, ſed tantum die Sabbati earumdem hebdomadarum, *c. Quod à Patribus*, *& c. ſeq. ead. diſt.*75. juncto *c. Litteras*, *inf. eod.* & quod Ordines non poſſint conferri niſi in Sabbatis dictarum hebdomadarum, & minores Ordines eiſdem, vel aliis celebrioribus feſtivitatibus, tradunt Præp. *in d.c. Quod à Patribus*, *n.* 4. *& in c. Quoniam*, §. *Cæterorum*, *ead. diſt.* 75. Abbas poſt Hoſt. *in c. Conſultationi, ante fin. & c. Litteras*, *n.*3. ubi etiam gl. *inf. eod.* & idem Hoſt. hìc *n.* 2. *verſ. Niſi in quatuor temporibus*, Silv. *in ver. Ordo, il* 2. *n.*6. & habetur *in d.* §. *Cæterorum*, & alibi ſæpè per Doctores. Item non obſtat text. *in*
29 *c. Quando, ead. diſt.* 75. cujus verba ſunt hæc: Quando, & ubi libitum fuerit, uſque ad Subdiaconatus officium ordinantur Clerici. Quo textu videtur concedi Epiſcopis, ut in collatione minorum Ordinum non teneantur ſervare aliquem locum, vel aliqua tempora. Nam ad hoc reſpondent ibidem Doctores, illum text. eſſe paleam ſine authoritate, & debere intelligi juxta textum hic, ut etiam notat gl. in
30 *cap. Ordinationes*, *il primo*, *ead. diſt.* 75. Hic autem habetur licere Epiſcopis Ordines minores conferre non pro libitu, ſed quando minores conferri poſſunt, vel diebus Dominicis, vel aliis feſtivis diebus, & propterea ut dicitur in *d. c. fin.* 75. *diſt.* non ſufficit, ſi obſerventur hebdomadæ; ſed & dies ipſarum hebdomadarum in id deputati obſervandi ſunt, ita ut majores diebus Sabbati dictarum hebdomadarum; minores verò vel eiſdem, vel Dominicis, ſeu Feſtis conferri debeant.

31 Pro ſolutione diſtinguendum eſt: nam aut in dicto loco Epiſcopus die Veneris habet publicam ordinationem, in eaque publicè confert quatuor minores Ordines, & hoc arbitror non potuiſſe conſuetudine introduci, quamvis eam obſervantes à pœna à ſacris Canonibus inflicta ſint excuſandi, ex gl. penult. *in c. Prox. ſup. eod.* Et hoc eſt quod Epiſcopis conſulunt Doctores hic, videlicet ut cùm voluerint conferre minores Ordines pluribus, quam duobus, caveant, ne ita eos conferant, ut videantur generales ordinationes habere, ut hìc notat gloſſ. 1. & alii, quos retuli ſuprà *num.* 6. & in ſpecie Cardin. advertit hìc *in* 1. *quæſt.* cautum eſſe debere Epiſcopum, ut hos Ordines conferat in Capella, & non in loco publico. Nec obſtat, quòd in hac ordinatione utcumque publica Epiſcopus non conferat niſi minores Ordines, qui ad formam hujus Decretalis poſſunt conferri extra tempora ſtatuta *in d. c. fin.* 75. *diſtinct.* 32
Quoniam ex quo hos Ordines confert per modum habentis generales ordinationes, ſubjicitur regulis, quæ præſcriptæ ſunt omnibus generales ſacrorum Ordinum ordinationes habere volentibus; alioquin Epiſcopo non debet permitti ordinatio, argum. *cap. Dilecti*, *de privileg.* nam qui aliqua conceſſione vult uti, non debet reſpuere ejus qualitates, ex his, quæ plenè notat Ancharan. *conſil.* 208. *Judex de jure*, *ſub num.* 11. *verſ. Et primò pro fundamento*. 33
Cùm igitur ſtatutum fuerit, ne generales ordinationes, niſi ſtatis diebus, & temporibus, habeantur, cùm derogatione conſuetudinis contrariæ, utpotè Eccleſiaſticæ inſtitutioni inimicæ, *cap. Prox. ſuprà eodem*: hinc ſequitur, ut talis conſuetudo non ſit toleranda; præſertim cùm nulla ratio ſufficiens afferri poſſit, ob quam rei tam ſeriò ſtatutæ derogare oporteat: nam ut ſimili notat Hoſt. hìc *in princ. in ver. Unus*, *aut duos*, cùm Dominici, ac Feſti dies, in quibus minores Ordines conferri poſſunt, tam ſæpè occurrant, nullo caſu tanta utilitas, & neceſſitas Eccleſiarum ſubeſſe poteſt, ut adverſus Canones introducenda ſit hujuſmodi conſuetudo.

Aut Epiſcopus dicto die Veneris confert minores Ordines non per modum tenentis generales ordinationes, ſed privatim in ſua Capella, vel etiam in ſecreta Sacriſtia, & ſuppoſita neceſſitate, vel utilitate Eccleſiarum, ut in propoſita quæſtione: & arbitror dictam conſuetudinem legitimè præſcriptam excuſare nedum à pœna, ſed etiam à culpa: nam etſi nullo jure legatur permiſſum Epiſcopis, ut dicto die minores conferant Ordines, ſicut permittitur quoad primam tonſuram, quæ omnibus diebus conferri poteſt, ut dixi ſup. *n.*4. tamen nec aliquo jure hoc eis expreſsè legitur prohibitum, imò nec reperitur aliquis Canon, qui ſpecificè ſtatuerit tempora, in quibus minores ordines conferri debent. Nam *d.c. fin. & c. Ordinationes*, *cum ſeq.* 75. *diſt.* loquuntur de Ordinibus ſacris. Sicut etiam *c. Prox. ſup. eod.* cum aliis ſimilibus loquuntur de ſacris Ordinibus, ſeu publicis ordinationibus. Textus autem in præſenti non loquitur prohibendo, ſed permittendo, videlicet, ut poſſint conferri etiam Dominicis, & feſtivis diebus. Hinc Palud. *in* 4. *diſt.*25. *q.*2. *tit.*3. *in concl.*2. cùm loquitur de minoribus 34
Ordinibus, cautè utitur verbis permiſſivis, videlicet, Epiſcopus poteſt conferre minores Ordines nedum diebus quibus conferuntur ſacri, ſed etiam Feſtis, & Dominicis. At cùm in concluſ. 3. agit de majoribus, loquitur per verba prohibitiva, videlicet, Non liceat Epiſcopis eos conferre, niſi in Sabbatis quatuor temporum, Sabbato Medianæ Quadrageſimæ, & Sabbato ſancto. Quo loquendi modo utitur etiam hæc Decretalis. Cùm ergo nullus Canon reſiſtat, quominus Ordines minores poſſunt conferri aliis diebus; ſequitur, ut ſubſiſtente cauſa potuerit introduci conſuetudo, ut etiam alio tempore, quàm in Jure expreſſo, licitè conferantur, ex not. per gl. *in cap. ult. in ver. Conſuetudo, de conſuet. lib.*6. maximè cùm hoc neque juri naturali, neque divino repugnet, *cap. fin. ſuprà de conſuet.* juncta gl. *cap.* 1. ubi Gemin. & Franc. *eodem tit. lib.* 6. Quod 35
etiam confirmatur ex modo loquendi Doctorum de hac re ſcribentium: nam Abbas poſt Hoſtienſem *in d.c. Conſultationi, ante fin.* cùm dixiſſet majores Ordines non poſſe conferri, niſi in dictis Sabbatis, addidit, Et hoc non obſtante quacumque conſuetudine. At verò poſtea agens de minoribus Ordinibus, inquit, & illos debere eiſdem diebus, vel Feſtis, ſeu Dominicis conferri: & ſic utitur verbo *Debere*, quod non ſemper eſt præcepti, gloſſ. *in Clem. Attendentes in ver. Debeant de ſtatu Monach.* nec addit clauſulam, 36
quæ 37

quæ excludat conſuetudinem. Eodem modo loquendi utitur Rebuff. *in prax. benef. ſuper reg. Cancell. de Cler. male promot.* gl. 1. & alii Doctores, qui propterea tacitè admit-
38 tere videntur contraria conſuetudine id poſſe induci. Quibus accedit, quòd in minoribus Ordinibus ceſſat ratio, ob quam a ſacris Canonibus inſtitutum fuit, ut die Sabbati dictorum Jejuniorum, & non aliis diebus ſacri conferantur Ordines. Ea enim fuit ratio, ut ſignificaretur eos, qui ad ſacros aſſumuntur Ordines, a ſæculi laboribus ad requiem Domini tranſire, gl. *in d. c. Litteras in ver. Pertinere inf. eod.* ad quam, ut notant ibi Hoſt. & Card. cùm non tranſeat qui minoribus initiantur Ordinibus, quippè qui poſſunt ad ſæculum reverti, inde fit, ut quemadmodum ibi citati Authores animadvertunt, minores Ordines conferantur etiam aliis diebus, quàm Sabbati, ſcilicet Dominicis, & Feſtis. Cùm ergo hoc c. & c. 15. ſup. eod. declarent minores Ordines non eſſe adeò adſtrictos diei Sabbati, quin poſſint conferri Dominico, & aliis diebus Feſtis, eò quòd in ipſis non militat ratio, quæ militat in ſacris Ordinibus: nulla ſubeſt cauſa, cur conſuetudo, quæ non minoris eſt authoritatis, quam lex ipſa, *l. Imò, ff. de legib.* non potuerit introducere, ut minores Ordines etiam aliis diebus conferri poſſint, videlicet die Veneris. Quemadmo-
39 dum communis praxis, & conſuetudo habet, ut minores Ordines Epiſcopi conferant etiam in feria quarta quatuor Temporum, ſi credimus Henriq. hoc atteſtanti *in Summ. lib.* 10. *c.* 12. §. 2. Imò quod plus eſt, etiam ceſsante conſuetudine, modò adſit neceſſitas, hoc idem fieri poſse innuit Hoſt. qui cùm *in d. c.* 1. *n.* 2. *in ver. Virgines ſup. eod.* dixiſset Virgines poſse velari diebus Dominicis, ac per totam hebdomadam Paſchæ, & ſi neceſſitas urgeat etiam aliis diebus, *c. Devotis* 20. *q.* 1. poſteà in hoc cap. *in princ. in ver. Dominicis*, addit minores Ordines poſse conferri illis diebus, quibus & Virgines velari: & Hoſt. ſequuntur Jo. Andr. Butr. & alii, ut dixi ſuprà *n.* 5. ex quo infertur, ut etiam ex conſuetudine minores Ordines aliis diebus conferri poſſint.

40 Cæterùm etſi hæc opinio videatur vera, & ex deductis pateat reſponſio ad contraria, quæ loquuntur de ſacris Ordinibus, vel publicis ordinationibus; magis tamen expediret, ut hæc aboleretur conſuetudo: nam cùm minores Ordines poſſint conferri diebus Feſtis, & Dominicis, nimis feſtinat, qui diem crebrò venientem non poteſt expectare; Eccleſiaque ex hac inordinata ordinatione plus damni recipere poteſt, quàm emolumenti, pluraque vitia ad Dei ſervitium pro virtutibus introduci, ut notat Gelaſ. *in Decretali prima ad Epiſcopos per Lucaniam tranſmiſſa*, ex qua ſumitur *c. fin.* 77. *diſt.*

41 Ad tertiam queſtionem, quæ demùm reſpicit Decretum Concilii *d. cap.* 11. *ſeſſ.* 23. reſpondetur affirmativè: nam conſuetudine poteſt introduci, ut uno die poſſint conferri omnes quatuor minores cum Subdiaconatu, Rebuff. d. gl. 1. Cui conſuetudini Concilium non derogavit, Navarr. *in Man. cap.* 25. *n.* 71. Ideoque ex ſententia S. Congregationis qui ex conſuetudine illius regionis quatuor minores Ordines, & Subdiaconatum ſuſceperunt, non ſunt ſuſpenſi. Ergo multo magis potuit introduci, ut duobus diebus, aliàs tamen feſtivis, licitè conferantur, arg. *c. Litteras inf. eod.* Et ita conſuetudo ubiq; recepta concedit, ut feria ſexta veſperè præcedente Sabbatum, in quo de jure Ordines ſacri conferuntur, Epiſcopis fas ſit Ordines minores, dare quaſi in hoc officio dies Sabbati videatur incipere pridie veſperè, ut atteſtatur Henriq. *in Summ. lib.* 10. *c.* 12. §. 2. ubi etiam reddit rationem, ut ſcilicet minoribus jam collatis in die Veneris, poſſint Epiſcopi in Sabbato majori cum ſolemnitate Sacros Ordines dare. Sed hæc non eſt bona ratio, cum minores potuerint dari in Dominica præcedenti. Undè hanc quoque conſuetudinem tollere præſtaret ex ratione adducta in fine præcedentis quæſtionis, ita tamen ut Epiſcopus poſset cum aliquo diſpenſare ex cauſa urgenti.

Vel certè ad hoc tertium dubium poſset reſponderi, licere Epiſcopo in die Veneris omnes minores Ordines conferre, & in Sabbato ſequenti Subdiaconatum, ſi dies Veneris ſit dies feſtus, & ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ judicio Epiſcopi id expoſcat, juxta Decretum *d. c.* 11. *ſeſſ.* 23. non tamen quoad minores Ordines in publicis ordinationibus, ſed privatim, & aliquibus tantùm: & ita S. Congregatio reſpondit, ut in ultima ex infraſcriptis reſolutionibus.

Præſuppoſito, quòd minores Ordines poſsunt conferri diebus Dominicis, aut aliàs feſtivis; dubitatur, an appellatione die feſti comprehendatur Feſtum, in quo ab Eccleſia fit officium; an vero debeat eſse Feſtum, quod à populo colatur.

Secundò, idem eſt dubium quoad promovendos vigore 42
diſpenſationum de promovendo extra tempora diebus feſtis.

Tertiò, an ex conſuetudine poſſit Epiſcopus uno, & eodem die ad minores Ordines aliquos promovere.

Quartò, an ubi conſueverit ordinatus ad quatuor minores Ordines die Veneris, & in die Sabbati ſequentis ad Ordinem Subdiaconatus promoveri, id ſit licitum propter conſuetudinem.

Ad primum S. Congr. Conc. cenſuit, comprehendi dies feſtos, qui à populo ſervantur, *toto tit. de fer. de conſecr. diſt.* 3. *c.* 1. *c.* 12. *ſeſſ.* 25. *de regul.*

Ad ſecundum, idem reſpondit.

Ad tertium, præſuppoſita conſuetudine poſse.

Ad quartum, licere Epiſcopo, ſi dies Veneris ſit dies feſtus, & ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ judicio Epiſcopi id expoſcat, juxta Decretum Conc. *c.* 11. *ſeſſ.* 23. non tamen in publicis ordinationibus, ſed privatim, & aliquibus prædictos minores Ordines conferre.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Idem Alexander III.

CAPUT IV.

EX tenore tuarum litterarum accepimus, quòd N. Clericus adeò deliquit, quòd ſi peccatum ejus eſſet publicum, degradaretur ab Ordine quem ſuſcepit, & ampliùs non poſſet ad ſuperiores Ordines promoveri. Verùm quoniam peccatum ipſius fore occultum dixiſti: mandamus quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, & ſuadeas, ut parte pœnitentia peracta, Ordine ſuſcepto utatur: quo contentus exiſtens, ad ſuperiores ampliùs non aſcendat. Verumtamen quia peccatum occultum eſt: ſi promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere:

SUMMARIUM.

1 *Criminoſus occultus moneri poteſt, ne promoveatur ad Ordines, ſed prohiberi non debet.*

2 *Criminoſus occultus pœnitentia, vel illius parte peracta poteſt in ſuſceptis miniſtrare, etiamſi crimen ſit degradatione dignum.*

Et quid ſi crimen impediat Ordinis executionem etiam poſt peractam pœnitentiam, n. 6.

3 *Satisfactio criminoſi occulti an ex præcepto præcedere debeat celebrationem Miſſæ.*

4 *Crimen etiam enorme ſi ſit occultum, non impedit, quominus acta pœnitentia poſſit quis ſine peccato officio ſuo uti, & ad majores Ordines aſcendere.*

5 *Nec*

5 *Nec requiritur diſpenſatio Epiſcopi.*
6 *Fallit, ſi crimen impediat officii executionem etiam poſt peractam pœnitentiam, quia tunc non licet ſine peccato aſcendere, aut miniſtrare.*
7 *Et quæ ſint ejuſmodi crimina.*
8 *Epiſcopus ob crimen occultum, quantumcumque enorme, non poteſt de jure communi interdicere ſubdito aſcenſum ad Ordines.*
9 *Etiamſi crimen ſit tale, ut poſt peractam pœnitentiam impediat ordinis executionem.*
Et quid poſt Concil. Trid. n. 12.
10 *Vindictæ ratio ceſſat in occultis in criminibus.*
Peccata latentia ſolùm Deum habent ultorem, ibid.
11 *Intellectus hujus c.* & cap. Ad aures infra eod.
Clerico non arctato ratione tituli an poſſit ob occultum crimen prohiberi aſcenſus ad Ordines, ibid.
12 *Epiſcopus ex Concilio Tridentino poteſt ob crimen occultum extrajudicialiter prohibere ſubdito aſcenſum ad ſacros ordines, eumque ſuſpendere à ſuſceptis Ordinibus, gradibus, & dignitatibus.*
13 *Epiſcopus an poſſit ex cauſa occulta extrajudicialiter interdicere Subdiacono aſcenſum ad Ordines Diaconatus, & Presbyteratus, & numer. ſeqq. uſque in finem.*
14 *Pluralis oratio duorum ſaltem concurſum requirit.*
15 *Epiſcoporum præcipuum munus eſt ſubditorum vitia redarguere.*
16 *Prooemii ratio præſumitur finalis, & regulat totam diſpoſitionem, eamque extendit etiam ad caſus non comprehenſos.*
17 *Clerici præſertim in ſacris conſtituti minùs capaces reperti, poſſunt ab Epiſcopo ſuſpendi ab executione Ordinum.*
18 *Dictio*, Præſertim, *quid importet.*
19 *Epiſcopus poteſt ob occultum crimen ſuſpendere jam promotum ad ſacros Ordines, ne miniſtret, etiam ſub pœna excommunicationis.*
20 *Promovendus faciliùs impeditur, quàm dejiciatur promotus.*
21 *Miniſtrat in ſuſceptis, qui ab uno Ordine ſacro ad alium aſcendit.*

1 EXtenore. Criminoſus occultus moneri poteſt, ne promoveatur ad Ordines, ſed prohiberi non debet. Hoc dicit. Communis diviſio. Secunda ibi, *Verum.*

2 Nota primò, criminoſum occultum, pœnitentia, vel illius parte peracta, poſse in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, etiamſi crimen ſit degradatione dignum, ut per
3 Butr. *num.* 15. Card. *in ſecundo notab.* Et clarè probatur ex littera ibi: *Suadeas, ut Ordine ſuſcepto utatur.* Et quod dictum eſt de pœnitentia peracta, intellige de conſilio; non enim peccat celebrando etiam ſtatim facta confeſſione; ſed bonum eſt conſilium, ut prius pro parte ſatisfaciat, ut formaliter inquit Innocent. hic *num.* 1. *verſ. Et idem dicimus quod non peccat*, cum quo alii tran-
4 ſeunt. Sed an qui tale crimen commiſit, aſcendere poſſit ad ſuperiores Ordines: Doctores non conveniunt. Quidam opinati ſunt poſt mortale peccatum, quod depoſitionem inducit, etiam poſt peractam pœnitentiam nec licere Ordines ſuſcipere, nec in ſuſceptis miniſtrare. Et hoc in rigore fuit Hugo: ſed ejus opinio expreſse reprobatur *in c. Niſi cum pridem*, §. *Propter conſcientiam ſupra de renunt.* ſecundùm Hoſtien. hic *num.* 2. Et quoad Ordines jam ſuſceptos, apertè etiam reprobatur hìc in iiſdem verbis: *Suadeas, ut Ordine ſuſcepto utatur.* Et dicit gloſſ. hic. *in ver. Utatur*, quam Innocent. Hoſtien. & omnes ſequuntur, hanc fuiſſe rigidam opinionem: quia res penè contra naturam eſt, ut quis ſit ſine peccato, *cap. Unum*, §. *Hunc autem 25. diſtinct.* Sed Alan. & Tancred. tenuerunt, crimen etiam enorme, ſi ſit occultum, non impedire, quominus acta pœnitentia poſſit quis officio ſuo uti, & ad majores Ordines aſcendere. Et dicit Tancredus hos anfractus ſublatos eſſe per Decretalem ultimam infrà eod. ubi eſt expreſſum, criminoſos occultos, præter reos homicidii, poſt pœnitentiam in ſuſceptis miniſtrare, & ad ſuperiores promoveri. Et hanc opinionem ſequitur gl. hic *in eodem ver. Utatur*, & Innocent. *n.* 1. *verſ. Si enor-*
5 *me, & occultum*, dicens, tamen promoveri poſſe ſine peccato, per *c.* 2. *infrà de Apoſt. & d. c. fin. infrà eod.* nec neceſſariam eſſe diſpenſationem Ordinarii, ſed ſufficere Sacerdotis abſolutionem ex poteſtate clavium, arg. *c. Illi qui*, 6. *q.* 1. quamvis meritoria ſit humilitas, ſi abſtineat. Ita Innoc. cui ſcribunt Hoſt. *n.* 2. *verſ. Notavit autem hic*, Jo. Andr. *n.* 7. *verſ. Et putant Innocentius*, Card. *n.* 1. *verſ. Oppono ad ſecundum*, Anchar. *num.* 2. in prima oppoſitione, & alii communiter. Fallit tamen hoc ſecundùm Innoc. *n.* 1. *verſ. Et hæc ſunt vera*, & omnes prælleg. ſi crimen ſit 6
tale, ut poſt peractam pœnitentiam impediat officii executionem; quia tunc, quamvis prohiberi non poſſit in ſuſceptis miniſtrare, vel ad ſuperiores aſcendere, quia delictum occultum eſt, ut ſtatim dicam *in* 2. *not.* tamen peccat, ſive miniſtret, ſive promoveatur, arg. *c. Erga ſimoniacos*, 1. *q.* 1. *& cap. Matthæus, infrà de ſimon.* & eſt expreſſum *in d. c. fin. infrà eod.* ibi, *Præter reos homicidii.* Quæ autem 7
ſint ejuſmodi crimina, plenè notatur per DD. *in c. Niſi cum pridem*, §. *Propter conſcientiam*, & ibi dixi, *de renunt. & in c. At ſi Clerici*, §. *De Adulteriis*, ubi in ſpecie Butr. *de judic.* Itaque ut dicunt gl. & Innoc. quamvis faciliùs impediatur promovendus, quàm dejiciatur promotus; tamen quoad hoc non conſtituitur differentia inter promotum & promovendum; nam ſi crimen non impediat Ordinis executionem poſt pœnitentiam peractam, licèt ſit enorme, dummodò tamen ſit occultum, poteſt quis ſine peccato in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, & ad majores promoveri, licèt ſit monendus, ut abſtineat à ſuſcipiendis, ut hìc, & faciat actum meritorium, ſi Prælato hoc ſuadenti ex humilitate obtemperet, ſecundùm Innoc. *n.* 1. *verſ. Item non hoc ideò præcipit.* Si verò impediat Ordinis executionem, nec poteſt miniſtrare, nec promoveri ſine peccato, licèt prohiberi non poſſit, ut mox dicetur.

Secundò nota, Epiſcopum, qui per confeſſionem crimi- 8
noſi, vel aliàs extrajudicialiter novit crimen quantumcumque enorme, non poſſe illi abſolutè interdicere, ne promoveatur ad Ordines, ſi crimen ſit occultum; hìc enim delictum erat enorme ſecundùm Innocent. *in princip.* & patet ex verbis textus, ibi: *Adeò deliquit, ut ſi peccatum ejus eſſet publicum degradaretur ab Ordine, quem ſuſcepit.* Hujuſmodi enim pœna non infligitur niſi Clericis enormiter delinquentibus in caſibus in jure expreſſis, *ut in c. Ad falſariorum, de crim. falſi, c. Ad abolendam, de hæret. c. Novimus, de verb. ſignif.* & plenè notatur *in c. Cum non ab homine, de judic. & in c.* 2. *de pœn. lib.* 6. Et delictum innotuit Epiſcopo per confeſſionem rei, ut notat hìc gloſſ. *in figuratione caſus, in fin.* Et fortè in foro pœnitentiali, ut innuit littera, ibi, *Pœnitentiam ei condignam imponas.* Et tamen decidit textum talem poſſe quidem commoneri, ſed non prohiberi, quominus promoveatur. Quinimò hoc ha- 9
bet locum, etiamſi crimen ſit tale, ut impediat Ordinis executionem poſt peractam pœnitentiam. Nam etſi ejuſmodi crimine irretitus non poſſit ſine peccato miniſtrare, aut promoveri, ut dictum eſt ſuprà *n.* 6. tamen ab Epiſcopo prohiberi non poteſt, cum peccatum ejus occultum ſit, ut *in cap. Ex tuæ, infra de ſimon.* & arg. *c. Si tantum*, 6. *qu.* 2.
Et hoc tenet Innoc. hic *n.* 1. *verſ. Et hæc ſunt vera*, Hoſtien. 10
Jo. And. & alii præallegati. Ratio eſt, quia cùm crimen ſecretum ſit, probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit, *c. Chriſtiana*, 32. *q.* 5. Nam ſecretorum ſolus Deus judex, & cognitor eſt, *c. Erubeſcant*, 32. *diſt. & c. Conſuluiſti*, 3. *q.* 5. Latentia igitur peccata ſolum Deum habent ultorem, *leg. Juſjurandi, C. de jurejur.* & not gl. prælleg. hìc *in ver. Utatur, & in ver. Occultum.*

Oppono ex *cap. Prox. infrà eod.* ubi patet criminoſum 11
occultum prohiberi poſſe, ne promoveatur ad Ordines, cujus contrarium hìc deciditur. Gloſſ. fin. & Hoſt. hìc *n.* 13. & Innoc. *in cap. ſeq. in princ.* dat multas ſolutiones. Prima ſolutio eſt, quòd hìc textus procedat in Clerico, qui habet jus petendi Ordines ratione tituli, quem habet, vel dignitatis. Undè ſine cauſa prohiberi non poteſt, arg. *cap. Præterea, il ſecondo, infrà de ſponſal.* Textus verò *in d. c. Prox.* habeat locum in Clerico non intitulato, qui jus petendi non habet. Et in hac ſolutione reſidet gl. dum eam ponit tertio loco, per illa verba, *Vel melius.* Et idem facit Hoſt. *n.* 13. *verſ. Vel melius*, adjiciens hanc ſolutionem ab omnibus communiter commendari. Et fuit intellectus Raymun. ad hunc textum, quem ſequitur Silveſt. *in ver. Ordo*, 3. *q.* 9. & ex recentioribus Th. Sanch. *in tract. de ma-*

trim.lib.3.diſp.15.n.8. verſ. Quartò. Concludentes propterea Epiſcopum poſſe abſolutè repellere Clericum ordinari volentem, niſi ſit arctatus ratione beneficii, cui Ordo ſit annexus, ſicut beneficio curato Sacerdotium, ut in *c. Licet Canon. de elect. in 6. cum concord.* Sed hic intellectus planè divinat, ut benè obſervat Card. hic in tertia oppoſitione. Quis enim revelavit Clericum, de quo hic agitur, fuiſſe beneficiatum, & arctatum ratione tituli, cùm id nullibi colligatur ex verbis hujus Decretalis? Undè hæc ſolutio à Doctoribus non tenetur. Et dicit Vincentius occultum peccatorem non poſſe per Prælatum repelli ab Ordine, ſive Ordo petatur ad titulum, ſive non; ſalvo eo, quòd Epiſcopus non tenetur ordinare non habentem titulum. Et cum eo tranſeunt hìc Jo. Andr. *n.* 16. in ult. gl. *verſ. Et dicit Vincent.* Bellam. *n.* 14. *ad fin.* & Card. *n.* 2.

Secunda ſolutio eſt, quòd *in d.c. Prox.* prohibeatur aſcenſus ad Ordines propter ſcandalum Prælatorum, arg. *cap. Niſi cum pridem*, §. *Pro gravi quoque ſcandalo ſuprà de renunt.* hìc verò nullum imminebat ſcandalum. Sed hìc quoque intellectus ad hunc textum eſt divinativus, ut advertit Card. *ubi ſuprà*. non enim apparet ex littera, quòd ſcandalum non ſubeſſet, quin potiùs colligitur oppoſitum; quia cùm hìc Clericus adeò enormiter deliquerit, ut ſi crimen ejus foret publicum, degradaretur ab Ordine, ut dicitur in littera; utique non potuit aſcendere ad Ordines ſine ſcandalo Prælati, qui illius crimen novit. Et hoc ſcandalum in genere, non autem in aliquo ſpeciali caſu conſiderat text. *in d.c. Prox.* dum dicit, honeſtius, ac tutius eſſe in inferiori miniſterio deſervire, quià cum Præpoſitorum ſcandalo graduum appetere dignitatem. Utrobique igitur in promotione criminoſi occulti ſuberat ſcandalum Prelati, & conſequenter opportet aliam ſolutionem afferre ad hæc jura concilianda.

Tertia ſolutio eſt Innocentii, & Hoſtienſis, quòd ibi agatur de ordinatore, & Prælato ſuo, qui prohibere poteſt aſcenſum etiam ob delictum occultum; hìc verò de Prælato alieno, ſcilicet Pœnitentiario. Sed meliùs Arch. relatus à Silveſt. ubi ſuprà intelligit hunc textum in Prælato proprio. Et probatur tum ponderando illa verba: *Pœnitentiam ei condignam imponas*, juncta ſupraſcriptione: pœnitentia enim ne in foro quidem pœnitentiali poteſt injungi à Prælato alieno, *c. Omnis utriuſque inf. de pœnit. & remiſſ. & c.2. eod. tit. lib.6.* tum quia aliàs deciſio text. noſtri eſſet de indubitabili; nulli enim dubium eſſe poterat Prælatum alienum non poſſe prohibere non ſubdito, ne promoveatur ad Ordines, *c.3. De Parochiis, c. Cum nullus de temp. ord. lib.6. c. Ut animarum de conſtitut. eod. lib.*

Quartam ſolutionem ponit hìc Hoſt. quòd ſcilicet hoc capitulum intelligatur in minoribus criminibus; contrarium verò in gravibus, arg. *c. Quæſitum infrà eod.* Sed hìc intellectus eſt manifeſtè falſus: quia textus noſter expreſsè loquitur de enormi crimine, & degradatione digno, ut dictum eſt ſuprà *n.* 8.

Quintam ponit idem Hoſtienſis, quòd ſcilicet Prælatus non debeat prohibere aſcenſum, ut hìc; ſi tamen omninò prohibeat, neceſſe habet ſubditus obedire, ut in contrario: quia ſecundùm Auguſtinum ſemper in dubio eſt parendum licèt quandoque reum faciat iniquitas imperandi, *c. Quod culpatur ad finem* 23. *q.* 1. Sed huic quoque interpretationi videtur refragari littera hujus textus, ibi, *Suadeas, ut Ordine ſuſcepto contentus exiſtens ad ſuperiores non aſcendat; verumtamen, quia peccatum occultum eſt, ſi promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere*. Nec Hoſtienſis videtur huic ſolutioni acquieſcere, cùm immediatè ſubdat: *Vel meliùs*.

Sextam ſolutionem affert Hoſtien. *in c. Prox. n.2. in ver. Honeſtius*, dicens illud cap. intelligi de cauta honeſtate, ut innuit littera, dum dicit: Cùm honeſtius, & tutius; non tamen fortè juſtius, ut Hoſtienſis inquit: hoc verò capitulum eſſe intelligendum de rigore juſtitiæ. Additque Hoſt. hanc ſolutionem evidenter elici ex utroque. Sed illam reprobat Bellam. *in d.c. Prox. n.6. verſ. Verum Hoſtienſis dicit*: quia utrumque capitulum fundatur in jure.

Ultima igitur ſolutio, quam gloſ. Innocent. Hoſtienſ. & omnes recenſent primo loco, eſt, quod in cap. ſeqq. agatur de Regulari, qui propriam voluntatem non habet, *cap. Nolo, & cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. hìc verò de Clerico ſæculari, qui non eſt ita adſtrictus obedientiæ. Et hæc ultima ſolutio ſecundùm Jo. de An. in hìc *n.*4, eſt vera, & conformis litteræ utriuſque Decretal., & communiter tenetur à Doctoribus, teſte Card. *in 3. oppoſ.* ut dixi latius *in d. c. Prox. n.16. & ſeqq.* eamque probavit S. Congreg. Conc. ut mox dicetur.

Verùm hodie hæc Decretalis hac in parte correcta eſt ex 12
jure noviſſimo Concilio Tridentini *in cap. 1. ſeſſ.* 14. ubi ut Epiſcopi liberius exequi poſſint proprium ſuum munus, quod eſt vitia ſubditorum redarguere, ut eſt expreſſum ibi in prœmio, ſtatuitur, ut ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines à ſuo Prælato ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui à ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, ſive honores reſtitutio ſuffragetur. Undè ex ſententia S. Congregationis Concilii eo decreto corrigitur diſpoſitio textus noſtri in ea parte, in qua determinat criminoſum occultum eſſe tantummodò commonendum, ſed non prohibendum aſcendere ad ſuperiores Ordines: & diſpoſitio *cap. Prox.* quod de Regularibus loquitur, extenditur etiam ad Clericos ſæculares; ac præterea ampliatur in eo, quia Epiſcopus non ſolùm poteſt ob crimen occultum prohibere aſcenſum ad Ordines, ſicut poterant Prælati in vim *d. c. Prox.* ſed etiam eos ſuſpendere ab Ordinibus, gradibus, & dignitatibus jam ſuſceptis, quod nec Epiſcopo, nec Prælatis Regularibus ante Concilium licebat, ut pleniùs dixi *in d. c. Prox.* ubi etiam oſtendi hodie quoad facultatem interdicendi, & ſuſpendendi Epiſcopos, & Prælatos Regulares eodem jure cenſeri.

Si verò crimina ſint publica, diſtingue ut hìc per gloſſ. prææallegat. & ſigna eam, quia magiſtra, & communiter à Doctoribus recipitur.

QUÆRO, an Decretum Concili Trident. *in d. c.* 1. 13
ſeſſ. 14. qua parte tribuit Epiſcopo facultatem interdicendi ſubdito ex quacumque cauſa etiam occulta, ne aſcendat ad ſacros Ordines, vendicet ſibi locum in jam promoto ad Ordinem Subdiaconatus, ita ut aſcenſus ad alios Ordines poſſit illi extrajudicialiter interdici.

Videtur reſpondendum habere locum etiam in ſic promoto: nam Concilium *in d. cap.* 1. tribuit Epiſcopo facultatem ob crimen occultum interdicendi aſcenſum ad ſacros Ordines. Sed cùm Epiſcopus prohibet Subdiacono, ne fiat Diaconus, aut Presbyter, utique interdicit illi aſcenſum ad ſacros Ordines. Ergo cùm hujuſmodi prohibitioni conveniant verba Conc. conſequenter, & illius diſpoſitio convenire debet, *l.* 4. §. *Toties*, & ibi Bart. *ff. de damn. infect. cum ſimilib.* Præterea Concilium loquitur per illa ver- 14
ba, *Ad ſacros Ordines*, quæ cùm ſint pluralis numeri, non poſſunt verificari in ſolo Ordine Subdiconatus, *l. fin. ff. Ad Trebell. l. Ubi numerus, ff. de teſtib.* Bald. Abb. Præpoſ. & alii *in c. fin. de Appell.* Undè ex vi comprehenſiva eorumdem verborum poteſt Epiſcopus prohibere aſcenſum non tantum ad Subdiaconatum, ſed etiam ad Diaconatum, ut ſic pluralis illa oratio ſaltem in duobus verificetur. At prohibitio aſcenſus ad Diaconatum multò congruentius fieri poteſt Subdiacono, quàm Clerico in minoribus; ineptum enim eſſet, ut prohiberetur Acolytho, ne fieret Diaconus, cum prius ordinari debeat Subdiaconus, *c. Sollicitudo* 52. *diſt. cap. Unico infrà de Cler. per ſal. prom.* Igitur ex verbis Concilii poteſt Epiſcopus aſcenſum ad Diaconatum etiam Subdiacono interdicere. Et cùm verba ſint ſatis clara, non admittunt interpretationem, neque voluntas conjecturam, *l. Licèt Imperator, ff. de leg.* 1. Gloſſ. magna *in c. Quod interrogaſti in fin.* 27. *diſt.* Abb. *conſ.* 97. *n.* 1. *verſ. Et primo quia lib.*2.

Sed nihilominùs expreſſa quoque mens Conc. viget æquè in promoto, atque in promovendo, ut patet ex illis verbus: *Cum honeſtius, ac tutius ſit ſubiecto debitam Præpoſitis obedientiam impendendo in inferiori miniſterio deſervire, quàm cum Præpoſitorum ſcandalo altiorum graduum appetere dignitatem*, quę deſumpta ſunt ex *c. Prox. inf. eod.*

Quæ quidem mens quoad jam promotum apertiùs 15
etiam colligitur ex verbis prœmii, ubi poſtquam Patres docuerunt precipuam curã Epiſcoporum eſſe ſubditorum vitia redarguere, illiſque præcipuè cavendum eſſe, ne Clerici, ac Sacerdotes præſertim ad animarum curam conſtituti

ſtituti criminoſi ſint; additur poſteà: (Ut autem Epicopi id liberiùs exequi queant, &c. eadem ſacroſancta Synodus hos, qui ſequuntur, Canones ſtatuendos, ac decernendos duxit.) Et immediatè ſubſequitur dictum c. primum, quo tribuitur facultas Epiſcopo interdicendi ſubdito, ne aſcen-
16 dat ad ſacros Ordines. Igitur hujuſmodi facultas maximè procedit in jam promotis, de quibus præcipuè loquitur prooemium, ad cujus executionem editum eſt Decretum d. cap. 1. Illa enim ratio cùm ſit expreſſa in prooemio, præſumitur finalis, *l. fin. ff. de hæred. inſtit.* Oldrad. *conſ.* 103. *Quæſtio eſt n.* 2. *verſ. Secundo hoc probat præfatio*, Lap. *alleg.* 101. *In Civitate n.* 24. *verſ. Circa ſecundum*, Bart. *in l. Cùm ii n.* 4. *in princ. ff. de tranſact.* ubi propterea ait, expreſſa in præfatione cenſeri repetita in diſpoſitione. Quod clarè procedit hoc caſu, in quo Concilium exprimit ſe ob prædictam cauſam ſequentes Canones ſtatuere; tunc enim abſolutè illa cauſa dicitur inhærens, & finalis, quæ regulat totam diſpoſitionem, ut pluribus probat Socc. *conſ.* 159. *n.* 20. *& ſeqq. lib.* 2. Imò eam extendit etiam ad caſus aliàs non comprehenſos, Jo. de Anan. *conſ.* 7. *Viſis n.* 4. *& ſeqq. verſ. De iis*, Rom. *conſ.* 16. *Viſo themate nu.* 4. *verſ. Primum videtur*, de communi teſtatur Soccin. *conſ.* 24. *Abunde in princ. lib.* 4. & Menoch. *lib.* 6. *præſumpt.* 2. Præſertim cùm prooemium hoc caſu ſit unitum cum diſpoſitione, Ang. *in l. Item quia*, §. *Idem Juliano, ff. de pact.* itaut propterea ſicut corpus pendet ab anima, ita & diſpoſitio à ratione prooemii, ut Jaſ. ait *in l. Qui quadraginta n.* 2. *ff. Ad Trebell.* quem refert, & ſequitur Gomez. *in reg. de annali q.* 1. *n.* 5.

Et confirmatur, quia, ut ſuperiùs diximus, ſacra Congregatio tempore Cardin. Alciati cenſuit ex *d. cap.* 1. fuiſſe correctam hanc Decretalem, dum ſtatuit non poſſe Clericum ob occultum crimen ab Epiſcopo prohiberi aſcendere ad ſacros Ordines, ſed moneri dumtaxat; quia ex Concilio poteſt omninò prohiberi. Cùm autem hoc Capitulum procedat etiam in jam promoto, ut omnes notant, & patet ex *c. fin. inf. eod.* ſequitur, ut ex ſententia S. Congregationis Epiſcopus poſſit nedum monere, ſed etiam prohibere jam promotum, ne ad altiores Ordines aſcendat. Sicuti etiam *d. c. Prox.* quod permittit Superioribus Regularibus prohibere ſubditos etiam promotos, ne aſcendant ad altiores gradus, S. Congr. contra Navarr. *conſ.* 42. *incip. An c.* 1. *in tit. de temp. ord.* cenſuit fuiſſe ampliatum à Concilio etiam ad Clericos ſæculares. Ergo eodem modo ex mente S. Congreg. Decretum Concilii habet locum in Clericis jam promotis, cùm dictum capitulum proximum extenſum à Concilio ad ſeculares loquatur etiam de Regularibus jam promotis.

Quibus accedit, quòd intentio S. Synodi eſt, ut ratione 17
ſcandali diſtrictiùs prohibeantur ab Ordinum miniſterio Clerici in ſacris conſtituti, quàm Clerici in minoribus, ut probatur ex decreto *c.* 3. *ejuſdem ſeſſ.* 14. quo tribuitur Epiſcopo facultas ſuſpendendi ab executione Ordinum quoſcumque Clericos, præſertim in ſacris conſtitutos, quos minùs capaces reperiret, &c. Ubi ponderanda eſt dictio illa, 18
Præſertim, quæ cùm idem importet, quod, *Maximè*, arguit majorem rationem ſubeſſe in promotis, quàm in promovendis, *c. Ex litteris de homicid. c. Continebatur*, & ibi gl. *de deſponſat. impub. c. Cùm contumacia de hæret. in* 6. Dec. *in c. Denique n.* 33. *de except.*

Ac poſtremò, ſi poteſt Epiſcopus ex Decreto *d. c.* 1. ſuſ- 19
pendere jam promotum ad ſacros Ordines, ne miniſtret in ſuſceptis, etiam ſub pœna excommunicationis, ut ſac. Congregat. cenſuit in cauſa Hjeracenſi, tempore ejuſdem Cardinalis Alciati: Ergo multò magis poterit interdicere eidem promoto, ne ad alios ſacros aſcendat, quia faciliùs impeditur promovendus, quàm dejiciatur promotus, §. *ult.* 20
15. *quæſt.* 1. & notat gl. hìc *in ver. Utatur*, Innocentius *num.* 1. *verſ. Nos dicimus*, Butr. & Abb. *in* 3. *notab. ſub num.* 2. Præſertim verò, quia ut ait Navarr. *conſ.* 26. *n.* 2. 21
eod. tit. miniſtrat in ſuſceptis, qui ab uno Ordine ſacro ad alium aſcendit. Undè ſi ex ſacra Congregatione licet Epiſcopo prohibere promoto, ne miniſtret, nulla eſt ratio, cur non item ei liceat prohibere, ne aſcendat, cùm aſcendendo miniſtret.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Lucius III. Archiepiſcopo Turonen.

CAPUT V.

Ad aures noſtras pervenit, quòd Religioſi quidam ad ſuperiores deſiderant Ordines promoveri, ſed Prælati eorum deſideriis contradicunt. Tuæ igitur quæſtioni taliter reſpondemus, quòd honeſtius, & tutius eſt ſubjectis, debitam præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quàm cum præpoſitorum ſcandalo graduum appetere dignitatem. Nec eſt in hac parte ſubjectorum deſiderium confovendum: quoniam eſſe poteſt, quòd Prælati eorum commiſſa ſecreta noverint, ex quibus conſtat eis, quòd ſalva conſcientia nequeunt ſublimari; quia non in ſublimitate graduum, ſed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei.

SUMMARIUM.

1 *Religioſus contra prohibitionem Prælati ſui ordinari non debet.*

2 *Prælati Regulares poſſunt prohibere ſuis ſubditis etiam ob crimen occultum, ne aſcendant ad ſuperiores Ordines.*

3 *Prælatorum Regularium appellatione qui intelligantur.*

4 *Prælatis Regularibus ex Concilio Tridentino an liceat extrajudicialiter criminoſis occultis non ſolum prohibere aſcenſum ad Ordines, & dignitates, ſed etiam eos ſuſpendere à jam ſuſceptis, & n. ſeqq. uſque in finem.*

5 *Intellectus* cap. Ex tenore ſuprà eodem.
Epiſcopus de jure communi monere poſt criminoſos occultos, ne ordinentur, ſed prohibere non debet, ibidem.

6 *Epiſcopi, & Prælati Regulares de jure communi non poterant ſuſpendere criminoſos occultos à ſuſceptis Ordinibus.*

7 *Epiſcopus ex Conc. Trid. poteſt ſuſpendere ſubditos ab Ordinibus gradibus, & dignitatibus jam ſuſceptis, ex cauſa etiam occulta, & extrajudicialiter.*
Item à ſuſcipiendis, n. 9. *&* 12.

8 *Suſpenſio irrogatur ipſo jure ob manifeſtum crimen etiam non enorme.*

9 *Promotum qui poteſt dejicere, multò magis poteſt impedire promovendum.*

10 *Suſpenſus ab Ordinibus ſacris ſuſcipiendis cenſetur etiam ſuſpenſus à dignitatibus Ordinem ſacrum annexum habentibus.*

11 *Prooemii verba cauſam finalem important.*
Dictio, Ut, *an cauſam finalem inducat, vel impulſivam, ibid. & n.* 15.

12 *Clericis ob occultum crimen ab Epiſcopo ſuſpenſis ab Ordinibus, & dignitatibus obtentis, vel obtinendis, appellare non licet.*

13 *Concilii Tridentini decretum in cap.* 1. *ſeſſ.* 14. *expenditur.*

14 *Prælatorum appellatione ex proprietate veniunt etiam Prælati Regulares.*

15 *Verba diſpoſitionis magis attendenda ſunt, quàm præfationis.*

16 *Prælatus Regularis de jure communi majorem habet authoritatem quoad impediendam ſubditorum promotionem, quàm Epiſcopus.*

17 *Regulares non habent velle, nec nolle.*

18 *Regularis magis tenetur obedire ſuo Prælato, quàm Clericus ſæcularis Epiſcopo.*

19 *Beneficia ſæcularia ſunt perpetua; regularia verò manualia.*

20 *Regulares pro dignitatibus obtinendis debent aut eſſe Sacerdotes, aut in tali ætate, ut infrà annum ad Sacerdotium promoveri valeant.*

21 *Regulares ſuſpenſi ob crimen occultum à ſuis Prælatis habent remedium recurſus ad Sedem Apoſtolicam.*

22 *Epiſcopo recuſante aliquem ordinare, quis ſtylus ſervetur in Dataria.*

23 *Religioſus non poteſt obtinere Prælationem abſque ſui Superioris licentia petita, & obtenta.*

1 AD *aures*. Religioſus contra prohibitionem Prælati ſui ordinari non debet. Hoc dicit. Communis diviſio. Secunda ibi, *Tua*.

2 Nota, Prælatos Regulares poſſe inhibere ſuis Religioſis, ne aſcendant ad ſuperiores Ordines, etiam ob occultum
3 crimen. Et Prælatorum, ſeu Præpoſitorum nomine hic intellige Abbates, vel Priores, *c. Ea quæ*, §. *fin. inf. de ſtat. Monach.* vel Miniſtros, vel Cuſtodes, *c. Nimis prava, primo reſpon. in ver. Fidelitatem infrà de exceſſ. Prælat.* vel Guardianos, vel alios, qui Religioſis præſint, quoquo titulo nuncupentur; non enim eſt vis in nominibus, *ut in c. Petitio inf. de Procur.* ſecundùm gl. 1. hic, Hoſt. *in ver. Sed Prælati in princ.* Jo. Andr. *in ver. Præpoſitis n.* 2. Card. *in* 1. *notab.* Butr. *in fin.* & Abb. *itidem in fine*, qui Butr. lecturam de verbo ad verbum tranſtulit in ſuam.

4 QUÆRO, an hodie ſtante decreto Concilii Trident. *in c.* 1. *ſeſſ.* 14. liceat Prælatis Regularibus extrajudicialiter ob crimen occultum non tantùm prohibere ſuis ſubditis aſcenſum ad Ordines, gradus, & dignitates, ſed etiam eos à jam ſuſceptis ſuſpendere.

5 Pro clariori quæſtionis ſolutione præmittendum eſt primò, de jure communi quoad prohibitionem aſcenſus ad ſuperiores Ordines, eſſe differentiam inter Prælatos Regulares, & Epiſcopos. nam Prælati Regulares interdicere poterant ſuis ſubditis, ne promoverentur ad Ordines, etiam ob delictum occultum, ut eſt expreſſum in hoc capitulo, ibi: *Quoniam eſſe poteſt, quod Prælati eorum commiſſa ſecreta noverint, ex quibus conſtat eis, quod ſalva conſcientia nequeunt ſublimari*, & tenet in Summa hujus text. Joan. Andr. Butr. Card. Abb. & omnes, ut dictum eſt ſupra in principio. At verò Epiſcopi monere quidem poterant criminoſos occultos, ne ordinarentur, ſed prohibere non debebant, ut eſt caſus ſuprà *in cap. prox.* Qui textus cùm ſtatuat contrarium ejus, quod hic deciditur, gl. fin. ibi ad jura concilianda dat tres ſolutiones; ſed duæ ultimæ divinant. Primam autem ſequitur Innocent. *hic in princ.* videlicèt quòd textus noſter loquatur de Regulari; textus verò *in d. c. Prox.* de ſæculari. Et hæc ſolutio vera eſt, & communiter tenetur, ut dicam infrà *n.* 18.

6 Præmittendum ſecundò, quoad ſuſpenſionem ab Ordinibus jam ſuſceptis ex juris communis diſpoſitione pari paſſu ambulare Epiſcopum, & Prælatum Regularem; neutri enim licebat ſuos ſubditos ſuſpendere extrajudicialiter, & ob crimen occultum, *cap. fin. inf. eod. & d. c. Prox. cum concord.* de quibus ibi per gl. *in ver. Utatur*, & latius patebit infrà *n.* 12.

7 Præmittendum tertiò, ex decreto *d. c.* 1. *ſeſſ.* 14. fuiſſe attributam Epiſcopis facultatem prohibendo ſuis ſubditis aſcenſum ad alios ordines quomodolibet extrajudicialiter, & ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, ut ibi eſt expreſſum diſertis verbis. Atque ita hodie correctum eſt *c. Prox. ſup. eod.* Et Epiſcopi eamdē habent facultatem quoad prohibendam ordinationem, quam habent Prælati Regulares ex hac Decretali.

Præmittendum eſt quartò, *in d. c.* 1. *ſeſſ.* 14. fuiſſe conceſſam Epiſcopis authoritatem etiam ſuſpendendi criminoſos occultos ab Ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus nam etſi verba illa, *Ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, &c.* non ſint appoſita, niſi in priori parte *d. c.* 1. ubi agitur de interdictione; tamen cenſeri debent repetita etiam in ſequenti, ubi agitur de ſuſpenſione: tum quia Concilium ſub unica ratione, ac verborum ſtructura complectitur interdictionem à ſuſcipiendis, & dejectionem à ſuſceptis; ideòque cenſeri debet utrumque caſum æqualiter determinare, per regulam *l. Jam hoc jure, ff. De vulg. & pupill. l. fin. C. de ſent.* Dec. *in c. Novit n.* 56. *inf. de judic.* tum quia alioquin Concilium in ſecunda parte nullam poteſtatem Epiſcopis attribuiſſet; nemini enim dubium eſſe poterat, quin ob crimen manifeſtum, & judicialiter liceret Epiſcopis Sacerdotes ſuſpendere, ut ſuprà *in c. Prox.* ibi; *Si peccatum ejus eſſet publicum, degradaretur ab Ordine, quem ſuſcepit, & amplius non poſſet ad ſuperiores Ordines promoveri*. Et in *c. fin. inf. eod.* cum multis ſimilibus.

Quinimò manifeſtum crimen propter ſcandalum irro-
gat ipſo jure ſuſpenſionem, etiamſi aliàs non ſit enorme, 8
ſecundùm gl. *in d. cap. Ex tenore in ver. Utatur, verſ. Si mediocre*, & Anton. de Butr. *col.* 3. *verſ. Quædam ſunt delicta mediocria*, cujus verba ad litteram tranſcribit Abbas *ſub n.* 3.

Quintò & ultimò præmittendum eſt, Epiſcopos in vim 9
d. c. 1. *ſeſſ.* 14. poſſe extrajudicialiter, & ob delictum occultum prohibere aſcenſum etiam ad gradus, & dignitates. Nam etſi littera illa non loquatur, niſi de interdictione aſcenſus ad Ordines; tamen idem dicendum in prohibitione promotionis ad gradus, & dignitates: Tum quia cùm ex *d. c.* 1. poſſunt jam promotum ab hujuſmodi gradibus, & dignitatibus dejicere; multo magis poſſunt impedire promovendum, §. *ult.* 15. *qu.* 1. gl. *in d. cap. Ex tenore in ver. Utatur in princ.* Nam turpiùs ejicitur, &c. *c. Quemadmodum de jurejuran.* gloſ. *in d.* §. *ult. in ver. Dejiciunt*. Tum quia cùm Epiſcopi ex *d. c.* 1. poſſint ob occultum crimen prohibere aſcenſum ad ſacros Ordines, poſſunt etiam in neceſſariam conſequentiam prohibere aſcenſum ad dignitates, quæ ſacros Ordines habent annexos, *c.* 1. *de ætat. & qualit. c. Cum in cunctis de elect. Licèt Canon. & c. Cùm ex eo,*
eod. tit. in 6. Qui enim ob Epiſcopi prohibitionem non 10
poſſunt ad ſacros Ordines promoveri, utique dignitates obtinere non poſſunt, ut colligitur ex Decreto Concilii Tridentini *in c.* 4. *ſeſſ.* 22. *& c.* 12. *ſeſſ.* 24. ibi: (Neminem etiam deinceps ad dignitatem, &c. recipiant, niſi qui eo Ordine ſacro, aut ſit initiatus, quem illa dignitas requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, & ab hac S. Synodo ſtatutum initiari valeat.)

Quibus ſuppoſitis, cùm ex Concilio facultas Epiſcoporum in duobus excedat facultatem, quam de jure habent Superiores Regulares. Primò ſcilicet, quia Epiſcopi impedire poſſunt extrajdicialiter promotionem criminoſi occulti etiam ad gradus, & dignitates; quod tamen non erat ita certum de Prælatis Regularibus, cùm hoc capitulum non loquatur de promotione ad dignitates, ſed de promotione ad Ordines. Secundò, quia Epiſcopi ex Concilio ſuſpendere poſſunt criminoſum occultum ab Ordinibus, ſeu gradibus, & dignitatibus jam ſuſceptis, quod Prælatis Regularibus non licebat, ut dictum eſt ſupra in ſecundo ſuppoſito: revocatur in dubium, an ejuſmodi facultates cenſeantur à Concilio attributæ etiam Prælatis Regularibus quoad eorum ſubditos.

Pro opinione negativa duo magis videntur urgere. 11
Primum, quia ex verbis proœmii ante *d. cap.* 1. videtur conſtare, Concilium in hac materia non cogitaſſe, niſi de Epiſcopis, ut ibi, *Cum proprium Epiſcoporum munus ſit ſubditorum omnium vitia redarguere*. Et ibi, *Monebunt propterea Epiſcopi ſuos Clericos*. Et clariùs ibi, *Ut autem ipſi Epiſcopi id liberius exequi valeant, ſacroſancta Synodus hos, qui ſequuntur, Canones ſtatuendos duxit*. Quæ quidem verba ſatis indicant futuros Canones, ac præſertim primum immediatè ſequentem nonniſi ad Epiſcopos pertinere: nam quæ dicuntur in proœmio, cauſam finalem important, *l. fin. ff. De hæredib. inſtit.* præſertim ponderando dictionem, *Ut*, quæ ſimiliter importat cauſam finalem, ſecundùm gloſſam primam, per illum textum in Clement. *Ut ii de ætat. & qualit.* Hæc autem proœmii ratio eſt adeò potens, ut ſicut corpus ab anima, ita diſpoſitio ratione proœmiali reguletur, Jaſ. *in l. Quadragin-*

ta

ta col.2.ff. Ad Trebell. Gomez. *in reg. de annal. q.* 1. *num.* 1. *&* 2. Secundùm, quia hæc materia videtur ſtricte accipienda ex tribus capitibus.

12 Primò, quia corrigit jus commune, ex cujus diſpoſitione poteſt quidem Prelatus regularis interdicere ſubditis aſcenſum ad ſacros Ordines, etiam ob occultum crimen, ut hic deciditur; ſed non videtur poſſe illos ex occulta cauſa ſuſpendere ab Ordinibus, & dignitatibus jam ſuſceptis, cùm id non reperiatur jure cautum, ut dictum eſt in ſecundo ſuppoſito, & tenet Innoc. *in cap. Ex tenore, ſub num.* 3. ibi: *A beneficio tamen non credimus eum debere abſtinere, ſup. eodem.* Et ita cenſuit Sacra Congregatio à Concilio fuiſſe correctam diſpoſitionem, *d. c. Ex tenore*, qua Epiſcopi prohibentur ſuos ſubditos ex occulta cauſa ſuſpendere, & ampliatam dipoſitionem hujus Capituli, ita ut comprehendat quoſcumque Clericos ſæculares, etiam dignitates, vel beneficia, quibus annexus ſit Ordo, obtinentes, tàm quoad facultatem prohibendi aſcenſum ad Ordines, quàm etiam ſuſpendendi, ipſiſque poteſtatem appellandi ademptam eſſe.

Deindè, quia hæc materia eſt odioſa, & pœnalis, ideòque non extendenda extra caſum expreſſum, *cap. Pœnæ, de pœnit. diſt.* 1. *cap. In pœnis, & cap. Odia, de regul. jur. in* 6. *l.* 3. *in fin. ff. de prævaricat.* gloſſ. *in c. fin. in ver. Ex vi juriſpatronatus*, quam ibi omnes ſequuntur, *de jurepatr.*

Ac denique, quia ſi Superiores regulares haberent hanc liberam, & abſolutam poteſtatem prohibendi aſcenſum ad gradus, & dignitates, facilè illa in electionibus abuti poſſent; ſæpè enim accideret, ut Prælati privarent ſubditos voce potiùs ob privatos animi affectus, quàm ob conſcientiam delictorum, vel certè hoc metu libertatem electionis impedirent, contra *c. Cum terra, de elect. & c. Ubi periculum, §. Cæterum, eod. tit. in* 6. *cum concordan.* Unde ut hoc abſurdum vitetur, verba *d. cap.* 1. videntur preſſiùs accipienda, quàm fieri poſſit, *l. Nam abſurdum, ff. de bon. liber.* Mandoſ. *in reg.* 8. *q.* 4. *num.* 8. Ideòque hanc opinionem, etſi nihil allegent, videntur tenere recentiores, in *Manual. Prælator. qu.* 23. *artic.* 22. *concl.* 3. ubi damnant conſuetudinem quarundam Religionum, in quibus Præſidentes in Capitulis generalibus privant ſubditos voce activa, nulla præcedente monitione, aut juris ordine ſervato.

13 Cæterùm his non obſtantibus verius videtur facultatem *d. c.* 1. etiam Prælatis regularibus competere ex infraſcriptis: nam verba illius Canonis æquè conveniunt Prælatis regularibus, atque Epiſcopis, ut ibi: *Cum tutius ſit ſubjecto debitam Præpoſitis obedientiam impendendo*, & ibi: *Quam cum Præpoſitorum ſcandalo*, & ibi: *A ſuo Prælato*,

14 ac demùm ibi: *Contra ipſius Prælati voluntatem*. Quinimò ejuſmodi verba videntur magis convenire Superioribus Regularibus, cùm ad litteram deſumpta fuerint ex Conſtitutione Lucii III. de qua in hoc cap. quæ loquitur de Prælatis Regularibus tantùm, non autem de Epiſcopis, ſecundum intellectum Innocentii, & communem, de quo infra *num.* 18. Nec videtur factum ſine myſterio, ut Concilium hoc loco quatuor vicibus uſum fuerit verbis illis, Prælati, ac Præpoſiti, numquam autem verbo, Epiſcopi, ſeu Ordinarii, quemadmodum uti conſuevit, cùm de illis Epiſcopis, aut Ordinariis ſæcularibus ſtatue-

15 re voluit. Qua ratione Navarr. *conſil.* 42. *de tempor. ordinat.* vice verſa putavit, quamvis malè, *d. cap.* 1. procedere in Prælatis regularibus tantùm, non autem in Epiſcopis.

Ideòque non obſtat, quòd prooemium præcipuè de Epiſcopis loquatur: nam adhuc magis attendenda ſunt verba clara diſpoſitionis, quàm præfationis; ex his, quæ notat Gomez *in d. regul. de annal. q.* 1. *n.* 7. *&* 8. ubi etiam reſpondet dictionem, *Ut*, aliquando non denotare cauſam finalem, ſed impulſivam, ex doctrina Ægidii *dec.* 632. ubi dicit, verba prooemii poſita in regula Gregorii XI. videlicet, ut honori Cardinalium deferatur, non cauſam finalem, ſed impulſivam inducere.

Et propterea, quamvis prooemium *d. c.* 1. declaret ſe ſtatuere ſequentes Canones, ad hoc ut Epiſcopi munus ſuum liberius exequi poſſint; tamen videmus in eadem ſeſſione extare aliquot Canones, qui non diſponunt, niſi de regularibus, ut ſunt in ſpecie *cap.* 10. *&* 11. Unde ſequitur, ut quamvis Concilium principaliter ſtatuerit de Epiſcopis, tamen voluerit etiam Prælatos Regulares comprehendere.

Ad hæc ex diſpoſitione juris communis majorem au- 16
thoritatem habet Prælatus Regularis quoad impediendam ſubditorum promotionem, quàm Epiſcopus. Quod patet, quia Epiſcopus non poteſt cuiquam prohibere aſcenſum ad Ordines ob occultum crimen, *Can. Erubeſcant*, 32. *diſt. c. Si tantum*, 6. *q.* 2. *c. Prox. ſup. eod.* & infra *in c. fin. c. Ex tua, de ſimon.* Prælatus autem Regularis etiam ob delictum occultum poteſt ſuo ſubdito regulari aſcenſum prohibere, ut hic patet. Unde cum jus commune ampliorem poteſtatem in hac materia tribuat Prælatis Regularibus, quàm Epiſcopis, non eſt credendum, Concilium per contrarium voluiſſe ampliorem facultatem attribuere Epiſcopis, quam Regularibus; ſed potiùs cenſendum voluiſſe adæquare amborum authoritatem, cùm recipiat interpretationem paſſivam à jure communi, *l.* 2. *ubi not. C. de noxal.*

Sed & ratio illa Concilii, nempè quia honeſtius, ac tutius eſt ſubjecto debitam Præpoſitis obedientiam impendendo in inferiori miniſterio deſervire, quàm cum Præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem, æquè viget in ſubditis Regularibus, atque in ſæcularibus, Imò Regularibus magis videtur convenire, cùm 17
ipſi propriam voluntatem non habeant, *c. Si Religioſus, de elect. in* 6. ubi dicitur: Religioſi arbitrium non ex ſua, cùm velle, vel nolle non habeat; ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependet. Ad idem textus in *c. Nolo, & in c. Non dicatis*, 12. *qu.* 2. *& in c. Quorundam, de elect. in* 6. *& in ult. de ſepult. eod. lib.* Unde S. Bernardus relatus ab Hoſt. *in c. Prox. num.* 13. *ſup. eod.* Qui curam, inquit, *veſtri nobis ſemel commiſiſtis, quid amplius de vobis vos intromittitis.*

Et hæc eſt ratio diverſitatis, cur Superior Regularis de jure communi poſſit interdicere aſcenſum ad ſacros Ordines, cùm tamen id non poſſit Epiſcopus: nam propter ſo- 18
lemne votum obedientiæ magis tenentur Religioſi obedire ſuis Prælatis Regularibus, quàm Clerici ſæculares Epiſcopo, ſecundùm Innocen. *hic in princ.* in illis verbis: *Hic de regulari loquitur, qui non habet velle, nec nolle; ibi de ſæculari, qui non eſt ita ſtrictus in obedientia.* Et ſequitur hic Petr. de Anchar. *in* 1. *oppoſ. & in d. cap. prox.* gl. fin. Hoſt. *nu.* 13. Butr. & Abb. *col. ult.* ibi, *Sæcularis non poteſt prohiberi, Regularis ſic, quia non habet propriam voluntatem*, Jo. de Anan. *num.* 4. & gloſſ. *in d. cap. Ex tua, in ver. Subjecto, de Simon.* Et eſt communis ſolutio ad textum in *d. c. prox. ſuprà eod.* ut ibi teſtatur Cardin. *num.* 1. *in tertia oppoſit.* quam dicit veram Jo. de Anan. *eod. num.* 4. & dictum eſt ſupra in primo ſuppoſito, & latiùs *in dict. c. approx. nu.* 11.

Nec ſolùm ratione obedientiæ major ratio viget in ſubdi- 19
tis Regularibus, ut poſſint interdici, ac ſuſpendi, quàm in ſæcularibus; ſed etiam ratione præjudicii: nam dignitates, ac beneficia, quæ à ſæcularibus obtinentur, ſunt perpetua, *can. Præcepta*, 55. *diſt. cap.* 1. *de Capell. Monach. in* 6. Felin. *in cap. Poſtulaſti, col.* 1. *&* 2. *de reſcrip.* Mill. *in repert. in ver. Beneficium, num.* 24. Achill. *deciſ.* 1. *nu.* 4. *de offic. Vicar.* At Religioſi, præſertim clauſtrales, nequeunt in beneficiis perpetuari, ut dicit Federic. de Sen. *conſ.* 134. *Caſus talis eſt, num.* 1. *&* 4. & Hoſt. *in cap. ult. Qui Cler. vel voven.* & ſunt jura clara *in cap. Cùm an Monaſterium, §. Tales, de ſtat. Monach. in c. Ad noſtram, & c. Porrecta, de confirm. util. vel inutil.* & in Clem. 1. *verſ. Licet Priores, de ſupplen. neglig. Prælat.* cum ſuis concordant. Et ſacra Congregatio ſæpiùs cenſuit eos non poſſe Eccleſiis præfici, niſi ad nutum amovibiles. Et illorum officia, & dignitates ex Conſtitutionibus omnium ferè Religionum ſunt triennales. Quamobrem ſi Epiſcopus ex Concilio poteſt ſuſpendere ſubditos à dignitatibus, quas in titulum perpetuum obtinent, multò magis licebit Religioſo ſuſpendere ſubditum à dignitate, quam habet ad tempus, cum hoc ſit longè levioris præjudicii, ex notatis per Bart. *in l. fin. C. In quibus cauſis in integr. reſtit. non eſt neceſſ. & in l. Etiam, ff. De minor.* & in propoſito per Anchar. hic *in* 1. *oppoſ. verſ. Vel aliter poſt gloſſ. ſuprà in c. prox. in ver. Prohibere, verſ. Vel melius*, & Butr. *ibi n.* 35. *verſ. Vel ubi quis ratione dignitatis habet titulum.*

Accedit, quòd Prælatus Regularis poteſt etiam ex occulta

culta cauſa prohibere ſubdito aſcenſum ad ſacres Ordines, ut hìc. Ergo poteſt etiam illi prohibere aſcenſum ad dignitates.

Probatur conſequentia dupliciter. Et primò, ex ratione expreſſa in hoc cap. quæ dum comprehendit etiam aſcenſum ad gradus, & dignitates, ibi, *Quoniam eſſe poteſt*, videtur propterea ampliare præcedentem diſpoſitionem, ut *l. Cum Pater*, §. *Dulciſſimis*, *ff. de leg.* 2.

20 Deindè, quia non poteſt eligi ad dignitates is, cui aſcenſus ad ſacros Ordines eſt interdictus, *cap.* 1. *de poſtulat. Prælator. c. Cum dilectus*, *de conſuet. cap. Si celebrat*, *de Cler. excommun. miniſtr.* & tradit Innoc. *in d. c. Prox. n.*4. *ſup. eod.* Regulares enim, qui dignitates obtinere voluerint, debent aut eſſe Sacerdotes, aut ſaltem eſſe tales, ut infrà annum ad Sacerdotium promoveri valeant, Clement. 1. §. *Cæterum*, *de ſtat. Monach.* & Clemen. *Ut ii*, *de ætat. & qualit.* à Trident Concilio innovata in *cap.*4. *ſeſſ.*22. Sed Prælatus Regularis poteſt ſubdito interdicere aſcenſum ad ſacros Ordines, ut hìc. Ergo etiam aſcenſum ad dignitates, quippè quæ obtineri non poſſunt ab eo, qui ad ſacros Ordines promoveri non poteſt, Silveſt. *in ver. Electio*, 1. *quæſt.* 14. *num.* 15. Quamobrem ceſſat abſurdum, quòd Regulares abuti poterunt hac facultate in impedienda libertate electionum; tum quia illis nihil novi juris tribuitur, cum id jam habeant à jure communi ex ſupradictis; tum quia abuti non præſumuntur, ut in hac Decretali, ibi, *Quoniam eſſe poteſt*; atque hìc notant Butr. & alii tum deniq; quia ſi abuterentur, ſubditi: 21 haberent remedium recurſus ad Sedem Apoſtolicam, *cap. Ex litteris*, *de in integr. reſtit.* Ideòque cum olim de hoc 22 ipſo dubitatum eſſet quoad Epiſcopos: Sac. Congregatio re ad Gregorium XIII. delata, edidit deciſionem, quæ poſteà perpetuò obtinuit in Dataria, videlicet. Quotieſcumque Ordinarius recuſaverit quemquam ordinare, committendum eſſe Metropolitano, vel viciniori Epiſcopo, ut ab eodem Ordinario priùs requirat, cur recuſaverit; quo cauſam legitimam non allegante, liceat illi eumdem recuſatum ordinare.

Quod ipſum ſervandum erat quoad Regulares ex ju- 23 ris communis diſpoſitione: nam cum Religioſus non poſſet aſſumi ad Prælationem ſine ſui Superioris licentia petita, & obtenta, *cap. Si Religioſus*, *de elect. lib.* 6. & Extravag. *Si Religioſus*, *eod. tit.* ſi Superior abſque juſta cauſa licentiam denegaſſet; non poterat cogi illam dare, niſi à Papa, ut *in d. c. Si Religioſus*, tradunt Archid. Joan. Mon. Joan. Andr. & alii.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Idem Lucius III.

CAPUT VI.

SI Archiepiſcopus obierit, & alter fuerit ordinandus: omnes Epiſcopi ejuſdem Provinciæ ad Sedem Metropolitanam conveniant, ut ab omnibus ordinetur. Reliqui verò Comprovinciales Epiſcopi (ſi neceſſe fuerit) cæteris conſentientibus, à tribus juſſu Archiepiſcopi poterunt ordinari: ſed melius eſt, ſi ipſe cum omnibus eum, qui dignus eſt, elegerit, & cuncti pariter Pontificem conſecraverint.

SUMMARIUM.

1 *ARchiepiſcopus ab omnibus ſuffraganeis eſt conſecrandus: aliàs irrita eſt conſecratio, & numero* 9.

2 *Epiſcopus ſuffraganeus conſecratur à tribus Epiſcopis Metropolitano jubente, & nu.* 10.

Vel à Metropolitano cum duobus Epiſcopis, dicto num. 10.

Debent tamen omnes ſuffraganei conſentire expreſsè, vel tacitè, num. 11.

Alioquin conſecratus non recipit executionem, numero 12.

Declaratur, num. 15. *&* 16.

3 *Epiſcopi Comprovinciales tenentur unà omnes convenire ad ſedem Metropolitanam pro conſecratione Archiepiſcopi.*

4 *Et quid poſt Concil. Trid. & n. ſeqq.*

5 *Suffraganei nec per ſe, nec per procuratorem extra Concilium Arovinciale poſſunt accedere ad Metropolitanam Eccleſiam, & contraria conſuetudo ſublata eſt à Concilio Tridentino, etiamſi ſit immemorabilis, & num.* 7. *&* 8.

6 *Prchiepiſcopus conſecrari non poteſt, niſi in Civitate Metropoli, Comprovincialibus ibi convenientibus.*

8 *Conſuetudine ſublata tamquam irrationabili, cenſetur ſublata etiam immemorabilis.*

13 *Archiepiſcopi juſſus in conſecratione ſuffraganei eſt actus juriſdictionis, non ordinis.*

14 *Suffraganei defuncto Archiepiſcopo conſecrant Epiſcopum propria authoritate.*

15 *Archiepiſcopus in conſecratione Epiſcopi debet ſtare ſententiæ majoris partis ſuffraganeorum.*

16 *Sed ſi eam non ſequitur, nihilominus tenet conſecratio.*

17 *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

18 *Declaratur procedere in his, quæ competunt pluribus, ut ſingulis, non autem in his, quæ competunt pluribus, ut univerſis.*

SI *Archiepiſcopus*. Metropolitanus ab omnibus ſuffra- 1 ganeis conſecratur: Suffraganeus verò à tribus Metropolitano jubente. Hoc dicit: cum cap. ſeqq. Jo. Andr. Bellam. Butr. Card. Anchar. & Jo. de Anan ponit duo di- 2 cta: ſecundùm ibi, *Reliqui verò*.

Nota primò, ibi, *Ad Sedem Metropolitanam conve-* 3 *niant*, Comprovinciales Epiſcopos teneri unà omnes convenire ad ſedem Metropolitanam pro conſecratione Archiepiſcopi. Concordant *c. Metropolitano*, 63. *diſt. c. ult. in fin.* 51. *diſt.* & hìc notat gloſſ 2. Hoſtienſ. *num.*1. *in verb. Omnes*, Butr. *in notab.* Sed nunquid diſpoſitio hujus text. 4 hac in parte ſublata fuerit à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. quo cautum eſt, ut Epiſcopi Comprovinciales præ- 5 textu cujuslibet conſuetudinis ad Metropolitanam Eccleſiam impoſterum accedere inviti non compellantur: Reſpondeo non videri ſublatam, quia hoc caſu Comprovin- 6 ciales non conveniunt ad Eccleſiam Metropolitanam prætextu conſuetudinis, ſed vigore juris communis, ut hìc, & in præcitatis juribus. Unde quemadmodum tenentur illuc accedere ad celebrandum Provinciale Concilium, ut in *d. cap.* 2. ita quoque ad conſecrandum Metropolitanum, qui conſecrari non poteſt, niſi in Civitate Metropoli, Comprovincialibus ibi convenientibus, ut legitur in *dict. cap. ult. in fin.* 51. *diſt.* Alioqui eis accedere renuentibus, non 7 eſſet, qui Archiepiſcopum conſecraret. Accedit, quòd Concilium Tridentinum eo loco vix referri poteſt ad jus commune, cum particulares conſuetudines, quibus Epiſcopi Comprovinciales gravabantur onere accedendi ad ſedem Metropolitanam, ſuſtulerit tamquam abuſus, & corruptelas, ut Sac. Congregatio declaravit. Nam cum ex conſuetudine immemorabili Epiſcopus Hoſtunen. mitteret ad Ec-

Eccleſiam Metropolitanam Surrenti quotannis procuratorem Presbyterum, qui die 29. Junii horis veſpertinis, Miſſæ; ac proceſſionibus feſtivitatis ejus diei aſſiſteret: Sac. Congregatio dixit illum tali onere liberari, cùm ex hoc decreto ſuffraganei non ſolùm ab acceſſu perſonali, ſed etiam ab onere mittendi procuratorem liberentur, cùm verbum illud, *Accedere*, poſſit etiam intelligi per
8 alium. Conſuetudinem verò immemorabilem in hoc viſam eſſe irrationabilem, & ideò Concilium illius non meminiſſe, præſertim cum nullo jure id cautum reperiatur, nec deceat; & ideò in Concilio Tridentino hæ conſuetudines poſitæ fuerint inter abuſus, & gravamina. Unde ſequitur, ut ſub illa generali excluſione cujuſvis conſuetudinis, cenſeatur etiam ſublata hæc immemorabilis, quia ut irrationabilis excuſat, Covar. *lib. 3. var. reſol. c. 13. n. 15. verſ. Advertendum tamen erit*. Et hìc junge, quæ in propoſito adnotavi in *cap. Quoniam*, *num.* 57. *ſup. de conſtitutionibus*.

9 Secundò, nota ibi, *Ut ab omnibus ordinetur*, Metropolitanum, vel Primatem ab omnibus Epiſcopis ſuffraganeis eſſe ordinandum, id eſt, conſecrandum, ut exponit gloſſ. 1. Innoc. *in ver. Ordinandus*, Hoſtienſ. *num.* 1. *in eod. verb.* Abb. Antiq. Joan. Andr. Butr. & omnes in Summario textus: aliàs irrita eſt ordinatio, ut *cap. Archiepiſcopus*, 66. *diſtinct.*

10 Tertiò, nota ibi, *A tribus*, Suffrageneum à tribus Epiſcopis eſſe conſecrandum, vel à Metropolitano cum duobus Epiſcopis, ut in littera: debere tamen omnes ſuffra-
11 ganeos conſentire expreſsè, vel ſaltem tacitè; & ſatis eſſe, ut non contradicant, vel ſi contradicant, nil rationabile
12 opponant, ſecundùm Antonium de Butr. *hic num.* 12. Alioquin ſi conſecratio fieret vel uno ex eis contempto, ſic conſecratus executionem non reciperet, ut notat gloſſ. Joan. *in cap.* 1. *in ver. Poteſtas*, 64. *diſt.* & Butr. *eod. num.* 12.

13 Quartò, nota ibi, *Juſſu Archiepiſcopi*, in conſecratione ſuffraganei Archiepiſcopum non adeſſe neceſſariò ut conſecrantem, ſed ut jubentem, ut conſecratio fiat. Et ſic
14 ejus actus eſt potiùs juriſdictionis, quàm Ordinis, ut benè hìc per Butr. *n.* 5. Metropolitano tamen vita functo, ipſi ſuffraganei Epiſcopum conſecrant propria auctoritate, *cap. Quia*, 64. *diſtin.* Innocent. *hìc in verb. Juſſu*, Abb. Antiq. *num.* 1. *in eod. verb.* Hoſtienſ. *num.* 1. *poſt med. in verb. Juſſu Archiepiſcopi*, Joan. Andr. *num.* 3. & alii communiter.

Quintò, nota ibi, *Majori numero Metropolitanus conſentiat*, 15
diſcrepantibus ſententiis inter Epiſcopos Comprovinciales, Archiepiſcopum ſtare debere ſententiæ majoris partis, concordat *cap.* 1. 2. 3. *&* 4. 65. *diſtinct.* Verumtamen, ſi eam non ſequitur, ſed minorem, tenebit 16
ſententia Archiepiſcopi, ſecundùm Innocent. *hìc in princip. in ver. Numero*. Quod verum eſt in negotio conſecrationis Epiſcopi, de quo hìc agitur: & eſt ratio ſecundùm Innocent. quia hìc non requiritur conſenſus ſuffraganeorum tamquam ei tribuentium jus in Epiſcopatu, ſed tamquam conſiliariorum; ſecùs autem eſt in aliis negotiis, ut in Concilio Provinciali, quia prævalet ſententia ſuffraganeorum, ut audita ſententia Congregationis Concilii declaravit Gregorius XIII. ut plenè ſcripſi in *cap. Sicut olim*, *in* 8. *q.* 33. *&* 34. *infrà de accuſat.*

In gloſſ. *in verb. Ab omnibus*, nota declarationem regu- 17
læ, quæ habetur hìc, & in *c. Quod omnes*, *de reg. jur. lib. 6.* videlicet: Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Procedit enim in privatis, ut dicit gloſſ. *in fin.* id 18
eſt in his, quæ competunt pluribus ut ſingulis, ut in concedendo hauſtum aquæ, in quo debent omnes convenire, ad quos jus aquæ ſpectat, nec ſufficit major pars, ut *l. In concedendo*, *ff. de aquapluvia arcen.* ad idem *l. ult. C. de auth. præſtand. l. Quicumque*, *in fin. Cod. de comm. agro deſcr. lib.* 11. *l. Nam divus*, *ff. de adopt. cap. Licet ergo*, 8. *q.* 1. Et adde, quod de conceſſione juris paſcendi adnotavi *in c. Cum in cunctis*, *n.* 9. *de his*, *quæ fiunt à major. par. capitul.* Secus verò in his, quæ competunt pluribus ut univerſis, ſeu ut Collegio, quia tunc ſufficit major pars, ut *l. Quod major*, *ff. ad muncipal. & cap.* 1. *de his*, *quæ fiunt à major. par. cap.* cum multis ſimilibus. Quam declarationem, poſuit etiam Dyn. gloſſ. & Doctores communiter in *dict. cap. Quod omnes*, gloſſ. 1. *in cap. Cùm omnes*, *de conſtitut.* ubi etiam Felin. *à num.* 15. & Dec. *n.* 5. Dueno, *reg.* 295.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Ex Concilio Arelaten.

CAPUT VII.

Nec Epiſcopi ſine Metropolitani permiſſu, nec Metropolitanus ſine tribus, vel duobus Epiſcopis Comprovincialibus præſumat Epiſcopum ordinare, ita ut alii Epiſcopi Comprovinciales admoneantur epiſtolis, ut ſe ſuo reſponſo ſignificent conſenſiſſe. Quod ſi inter partes aliqua dubitatio fuerit, majori numero Metropolitanus conſentiat.

SUMMARIUM.

1 *Conſecratio Epiſcopi à tribus ſaltem Epiſcopis facienda eſt.*

Et hoc eſt de ſubſtantia conſecrationis, num. 3. & num. ſeqq. & num. 9.

Nec eſt Epiſcopus, qui minus quam à tribus auctoritate etiam Metropolitani factus, eſt Epiſcopus, num. 5.

2 *Quod ſi in Provincia non ſint tot Epiſcopi, vel unus ſolus, convocari debent vicinorum auxilia.*

4 *Conſecrationis Epiſcopi formam ab Apoſtolis introductam poteſt Papa immutare. & numer. 8. & ſeqq.*

Et ſolus ordinando cenſetur diſpenſare, num. 10.

6 *Chorepiſcopi, qui ab uno fiunt Epiſcopo, non ſunt Epiſcopi.*

7 *Conſecrationem Epiſcopi unus Epiſcopus perficit, alii verò duo ſunt aſſiſtentes.*

8 *Diſpenſandum an ſit, ut in Provincia, in qua Epiſcoporum copia haberi non poteſt, loco duorum Epiſcoporum, qui conſecrationi Epiſcopi intereſſe debent, ſubrogentur duo Abbates. vel duo alii in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, & numero 9. & 10.*

Nec Epiſcopi. Summatum eſt ſuprà *in cap. Prox.* Ponit duo dicta. Secundùm ibi, *Quod ſi*.

In textu ibi, *Sine tribus*, *vel duobus*. Nota conſecratio- 1
nem Epiſcopi faciendam eſſe à tribus Epiſcopis, & non paucioribus: concordat *c.* 1. *c. Comprovinciales*, *& c. penult.* 64. *diſt. c. Porrò*, 66. *diſt. c. Epiſcopus cum ordinatur*, 23. *diſt. & cap. Prox. ſup. eod.* & dum textus dicit, Metropolitanum hoc poſſe cum tribus, intellige ipſo computato in numero trium: nam cum hoc fieri poſſit à tribus juſſu Archiepiſcopi, ut in præcitatis juribus, cur non poſſit fieri ab ipſomet Archiepiſcopo unà cum duobus? Ideòque additum fuit in littera, *Vel duobus*, quod non erat in antiqua compilatione, ut advertit gloſſ. *hìc in ver. Sine tribus*, Hoſt. *in princ. in eod. verb.* Joan. And: *num.* 2. *in ver. Comprovincialibus*, Butr. *num.* 5. Anchar. *in* 1. *notab.*

tab. & refertur ab Anton. Auguſtin. *in* 1. *Compilat. Decret. in tit. de elect. c.* 4.

2 Quod ſi in Provincia non ſint tot Epiſcopi, vel unus ſolus, convocentur vicinorum auxilia, ut *c. Pontifices*, 3 7. *quæſt.* 1. eſt enim de ſubſtantia conſecrationis, ut non à paucioribus, quàm à tribus Epiſcopis alius Epiſcopus conſecretur, ut probatur in cap. præcedenti: nam textus dicit; Epiſcopum, ſi neceſſe fuerit, poſſe conſecrari à tribus Epiſcopis, ſed meliùs eſſe, ut à Metropolitano unà cum omnibus Epiſcopis Comprovincialibus conſecretur: nam ſi eſt ad benè eſſe, ut conſecretur ab omnibus: ergo eſt neceſſarium ſimpliciter, ut conſecretur à tribus, & non 4 paucioribus. Idipſum patet *in cap. Porro*, 66. *diſt.* ubi traditur forma conſecrationis ab Apoſtolis introducta, quæ omninò ſervanda eſt, ut *cap. fin. infr. de Sacr. non ite-* 5 *ran.* & eſt expreſſum in Epiſtola Joannis Papæ III. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ, quæ habetur *tom.* 2. *Concil. par.* 3. *pag.*205. *col.* 2. *littera D.* ubi ſic legitur: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant eum non eſſe Epiſcopum, qui minus, quàm à tribus Epiſcopis, authoritate etiam Metro-* 6 *politani fuerit factus Epiſcopus: Ideoque illos, quos Chorepiſcopos vocatis, quia ab uno, ut audivimus, fiunt Epiſcopo, Epiſcopos non eſſe, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere, perſpicuum eſt.* Hæc ibi: & hìc tenent gloſſ. *in verb. Sine tribus*, Hoſt. *num.* 1. *in ver. Præſumat*, Joan. Andr. *num.* 3. Bellam. *num.* 2. Butr. *in* 3. *notab. & num.* 11. Anchar. *in c. præced. in* 3. *notab.* Hoſtienſ. & communiter Canoniſtæ *in c. unic. de Sacr. Unct.* & ex Theolog. Cajetan. 7 *in* 3. *par. q.*67. *art.* 6. & alii, quos retuli *in cap. Requiſivit, num.* 86. *de Ordin. ab Epiſc.* Unius tamen Epiſcopus totam perficit conſecrationem, alii verò duo ſunt aſſiſtentes, ut *cap. Quod ſicut*, §. *Super eo, ſupra de elect.* Hoſtienſ. *hic num.* 1. *in fine, verſ. Ita quod*, Joan. Andr. *num.* 4. Bellam. *numer.* 3. Butr. *numer.* 12. & patet ex Pontificali Romano *in titul. de conſecration. electi in Epiſcopum.* An autem impoſitio libri Evangeliorum ſit de ſubſtantia Ordinationis Epiſcopi, ſcripſi *in cap. Requiſivit, num.* 55. *de Ordin. ab Epiſcop. in quæſt.* quam ibi latiſſimè diſputavi, *An Epiſcopatus ſit Ordo Sacramentalis*, *à n.* 8. *uſque ad num.* 94.

Ex facto quæſitum eſt, an in Provincia, in qua Epiſco- 8
porum copia haberi non poteſt, diſpenſandum ſit, ut in loco duorum Epiſcoporum, qui conſecrationi Epiſcopi intereſſe debent, ſubrogentur duo Abbates, duove alii dignitates Eccleſiaſticas habentes.

In libris publicis Sacræ Congregationis Concilii hec reperi adnotata manu bon. mem. Cardinalis Alciati illius Præfecti *ad ſeſſ.* 7. *cap.* 9.

Conſecratio Epiſcopi neceſſariò facienda eſt à tribus 9
Epiſcopis, *cap. Porrò*, 66. *diſt.* & eſt de ſubſtantia, adeò ut à paucioribus facta conſecratio non teneat, DD. *in cap. Nec Epiſcopi, de tempor. ordinat.* Poſſet tamen Papa im- 10
mutare hanc formam tamquam traditam ab Apoſtolis, Archid. *d. c. Porrò*, Gemin. quia non eſt juris divini forma, Præpoſit. Card. *d. cap. Porro*, expenſius *in c. Archiepiſcopus*, 66. *diſt.* Item Papa ſolus ordinando videtur diſpenſare ſuper tali forma, Card. Præpoſ. *d. c. Porrò*, Sed ſi in Provincia non adſunt tot Epiſcopi, accerſendi ſunt ex vicina Provincia, *cap. Si fortè*, 65. *diſt.* Quod arguit in caſu neceſſitatis non eſſe adhibendos Abbates, ſed tantùm Epiſcopos ex vicinis. Idque ſenſit Abbas *in cap. Nec Epiſcopi, de tempor. ordinat.* Conſuevit tamen in Curia diſpenſari, & major pars Theologorum, qui conſulti fuerunt, ſic reſponderunt faciendum. Et ita S. Pius V. diſpenſavit Hæc ibi.

Hodie in litteris pro conſecratione Epiſcoporum in Indiis apponitur clauſula infraſcripta, videlicet, Tibi Presbytero, ut à quocumque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, accitis, & in hoc illi aſſiſtentibus duabus, vel tribus dignitatibus, munus conſecrationis recipere valeas, &c.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Innocentius III. Abbati, & Conven. Caroliloci.

CAPUT X.

EX parte veſtra noſtro fuit Apoſtolatui reſervatum, quod quidam Monachus veſter, ſe ad nigros Monachos transferens, & habitum eorum aſſumens, ad Sacerdotii Ordinem in ipſo habitu eſt promotus; unde quia dubitaſtis, utrùm in aſſumpto taliter Ordine miniſtrare debeat: mandamus, quatenùs (niſi canonicum aliud obviet) ipſum Monachum officium Sacerdotis liberè exequi permittatis.

SI Monachus unius Ordinis in ſecundo Ordine, ad quem tranſivit, recepit Sacerdotium, ad primum Ordinem rediens, in eo liberè miniſtrabit. Hoc dicit, Joan. Andr. & ſequentes. Communis diviſio, ſecunda, ibi, *Mandamus.*

Pro intellectu hujus textus, vide quod ſcripſi *in cap. Conſultationi, num.* 6. *infr. de Apoſtatis.*

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Idem Innocentius III. Mutinen. Epiſcopo, & Magiſtro H. Subdiacono noſtro.

CAPUT XIII.

LItteras veſtras recepimus ſuper inordinata ordinatione Imolenſis electi, quem Bononien. Epiſcopus præcedenti Sabbato in Diaconum, & ſequenti die Dominico (continuato jejunio) in Presbyterum ordinavit. In quo, quantum uterque deliquerit, evidenter intelligit, qui prudenter attendit. Si enim utrumque Ordinem eodem die conferre illi non licuit, pari non licuit ratione, unum Ordinem uno die, & alium altero (jejunio continuato) conferri: cùm propter continuatio-

tio-

tionem jejunii fictione canonica, ſive manè diei Dominicæ trahatur ad Sabbatum, ſive veſpera Sabbati ad diem Dominicam referatur, profectò manè cum veſpera, ſeu veſpera cùm manè, ad eumdem diem pertinere dicetur. Nam ſi quantum ad hunc neceſſitatis articulum pertinet, manè ad unum diem, & veſpera referatur ad alium, cur eſſet continuatio jejunii neceſſaria, cùm & Sabbato ante cœnam, & Dominica ante prandium, intelligantur eſſe jejuni? Præfatum itaque Bonon. Epiſcopum (ut puniatur in quo deliquit) à collatione ordinum, Diaconii ſcilicet & Presbyterii: alterum verò ab executione officii ſacerdotalis tamdiù volumus manere ſuſpenſos, donec de illis aliter diſponamus.

SUMMARIUM.

1 *Ordines ſacri duo non poſſunt conferri eidem uno die, vel duobus continuato jejunio.*

2 *Ordinatus Diaconus in temporibus Quadrageſimæ poteſt anno ſequenti in eiſdem temporibus ordinari Sacerdos, licèt Paſcha prævenerit.*

Annus integer judicio Eccleſiæ qui dicatur, ibid.

1 Litteras. Duo ſacri Ordines non poſſunt conferri eidem uno die, vel duobus continuato jejunio. Hoc didicit, ſecundùm Joan. Andr. Butr. Card. & alios communiter. Concordat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 13. ibi: *Duo ſacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur, privilegii, ac indultis conceſſis, non obſtantibus quibuſcumque.* Nec ſuper hoc diſpenſat Epiſcopus; imò punitur, ſi contrafecerit, etiam de mandato Metropolitani, ut *in c. Dilectus, infrà eod.* Diſpenſat tamen ſuper anno interſtitii, quod debet intercedere à Subdiaconatu ad Diaconatum, & à Diaconatu ad Presbyteratum, ut in *d. cap.* 13. ibi: *Promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur*: & *in cap.* 14. immediatè ſequenti, ubi diſponitur: *Ut qui ad Presbyteratus Ordinem aſſumuntur, hi ſint, qui in Diaconatu ad minus annum integrum, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur, miniſtraverint.* Porrò cùm Concilium dicat, *Annum integrum*, hoc 2
intelligas non de anno naturali, vel civili, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur *in l. Anniculus, l. 2. ff. de verbor. ſignific.* ſed de Eccleſiaſtico; ita ut ſi ordinatus Diaconus in quatuor temporibus Quadrageſimæ ordinetur Sacerdos in quatuor temporibus Quadrageſimæ anni ſequentis, annus dicatur integer judicio Eccleſiæ, licèt Paſcha celeriùs advenerit, quàm præcedens, ut ex ſententia Sac. Congreg. dixi *in cap. Ad noſtram, num.* 18. *verſ. Et confirmatur, inf. de regular.*

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Honorius III. Epiſcopo, & Archidiacono Legion.

CAPUT XIV.

Vel non eſt compos ſui Epiſcopus Conventren. vel nimis videtur à ſe ſcientiam repuliſſe, qui M. puerum latorem præſentium adhuc tredecim annorum contra ſacrorum Canonum inſtituta inordinatè in Diaconum dicitur ordinaſſe, in ludibrium Ordinis Clericalis: & infrà. Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenùs ſi rem inveneritis ita eſſe, prædictum Epiſcopum à collatione Ordinum ſuſpendentes, ipſum ut eidem M. quem ab executione officii Diaconi uſque ad ætatem legitimam in injuriam ſuſpendimus ordinantis, provideat in Eccleſiaſtico beneficio competenti, per cenſuram Eccleſiaſticam compellatis.

SUMMARIUM.

1 *Ordinans puerum tredecim annorum in Diaconum ſuſpenditur à collatione Ordinum, & Ordinatus ab ipſius executione uſque ad ætatem legitimam, & num.* 10.

2 *Furioſus, ſeu fatuus, vel idiota præſumitur, qui venit contra jura.*

3 *Mentis indiſcretio ex operibus cognoſcitur.*

4 *Ordinans Clericum ad ſacros ante ætatem legitimam non eſt ipſo jure à collatione Ordinum ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus.*

5 *Puniendus eſt quis in eo, in quo peccavit.*

6 *Ordinans Clericum ætate inhabilem ad unum ex ſacris Ordinibus, an ſuſpendatur à collatione omnium.*

7 *Ordinatus ante ætatem legitimam, aut extra tempora characterem recipit.*

8 *Ordo Presbyteratus non requirit uſum rationis ex neceſſitate Sacramenti; Ordo Epiſcopalis ſecùs.*

9 *Suſpenſus ab Ordine an ſit inhabilis ad beneficium obtinendum.*

10 *Ordinatus ad ſacros ante ætatem à jure præfixam an ſit ipſo jure ſuſpenſus, an verò ſuſpendendus ab illorum executione.*

11 *Et quid poſt Conſtitutionem Pii II.*

Anne, ſi celebret, irregularitatem incurrat, & numero 42.

12 *Conſtitutio Sixti V. contra Epiſcopos in Ordinum collatione peccantes redacta eſt per Clem. VIII. ad terminos juris, Bullæ Pii II. Concilii Tridentini, excepto cap. Simoniæ.*

13 *Ordinati ad ſacros extra tempora, vel ante ætatem legitimam, aut ſine litteris dimiſſoriis, ex Bulla Pii II. an ſint perpetuò ſuſpenſi.*

14 *Irregularis efficitur promotus ante ætatem ad unum ex ſacris Ordinibus, etiamſi miniſtret in majoribus in legitima ætate ſuſceptis.*

15 *Niſi ignoranter hoc fecerit.*

16 *Suſpenſus à collatione certi Ordinis, an ſit etiam ſuſpenſus à collatione Ordinis ſuperioris, vel inferioris.*

17 *Epiſcopus à collatione Ordinum ſuſpenſus, ſi illos conferat, an efficiatur irregularis, & nu. ſeqq. uſque ad num.* 42.

18 *Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ irregularitatem incurrit, ſi Miſſam celebret in ipſa Eccleſia.*

19 *Secus ſi in privato Oratorio, vel Altari viatico.*

20 *Epiſcopus à Pontificalibus ſuſpenſus Miſſam celebrando in apparatu Pontificali non fit irregularis.*

Contrarium, num. 36.

21 *Suſpenſionem violans, ad hoc ut contrahat irregularitatem, requiritur, ut actus, à quo eſt ſuſpenſus, ſit proprius alicujus Ordinis, & n. ſeqq.*

Item requiritur, ut actum illum exerceat tamquam Miniſter, num. 28.

22 *Intel-*

22 *Intellectus* cap. 1. de re judic.& de ſent. excomm.lib.6. *& num.* 28.

23 *Suſpenſus non fit irregularis abſolvendo ab excommunicatione, niſi hæc faciat tamquam ſacerdos, & cum ſolemnitate.*

24 *Collatio beneficii non eſt actus Ordinis, ſed juriſdictionis.*

25 *Epiſcopus à collatione beneficiorum ſuſpenſus, ſi illa conferat, in irregularitatem non incidit.*

26 *Suſpenſus ab officio prædicandi, ſi contraveniat, an efficiatur irregularis,*

27 *Prædicationis officium an ſit annexum Ordini Diaconatus,*

29 *Epiſcopatus eſt verè, & propriè Ordo Sacramentalis,*

30 *Ordines conferre eſt principalis actus Ordinis Epiſcopalis.*

31 *Suſpenſio à collatione Ordinum eſt verè, & propiè cenſura Eccleſiaſtica,*

32 *Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum an fiat irregularis, ſi minores Ordines conferat,*

33 *Suſpenſus ab Ordine, an per exercitium ſolemne minorum Ordinum irregularitatem incurrat,*

34 *Ordinum minorum, & primæ tonſuræ ordinarius miniſter eſt ſolus Epiſcopus, & numeris ſequentibus.*

35 *Epiſcopus à collatione Ordinum ſuſpenſus, an efficiatur irregularis conferendo primam tonſuram.*

36 *Pontificalia, quamvis non ſint de ſubſtantia Pontificalis officii, ſunt tamen actus peculiaris Ordinis Epiſcopalis.*

37 *Epiſcopus ſuſpenſus, ſi ſolemniter benedicat, irregularis efficitur.*

38 *Benedictio ſolemnis eſt Ordinis Epiſcopalis.*

39 *Irregularitas inducitur ex violatione ſuſpenſionis non ſolùm per actum alicui Ordini competentem jure divino, ſed etiam jure Eccleſiaſtico,*

40 *Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum an ſit ſuſpenſus à collatione tonſuræ.*

41 *Irregularitas non inducitur, niſi in caſibus in jure expreſſis.*

42 *Epiſcopus à collatione Ordinum ſuſpenſus, ſi Miſſam celebret, an efficiatur irregularis, & num. ſeqq. uſque in finem.*

43 *Suſpenſus à Deo quoad ſe propter peccatum, non autem à Canone, niſi per approbationem, miniſtrando irregularitatem non incurrit.*

44 *Epiſcopus ſuſpenſus ab Ordinibus conferendis non poteſt abſolvere ſubditum à ſuſpenſione, de qua in cap. 1. de re judic. lib. 6.*

45 *Suſpenſio ab actu Ordinis Epiſcopalis non includit ſuſpenſionem ab actu Ordinum inferiorum.*

1 V*El non eſt compos*. Ordinans puerum tredecim annorum in Diaconum ſuſpenditur à collatione Ordinum, & Ordinatus ab ipſius executione uſque ad ætatem legitimam. Hoc dicit. Et quamvis loquatur de Ordinato in Diaconum; idem tamen dicendum de Ordinato in Sub-
2 diaconum, ſecundùm Hoſt. Joan. Andr. & Card. per jura allegata in gloſſa ſecunda. Dividitur in duas partes. Primò narrat factum. Quod ſecundò puniri præcipit, ſi eſt verum, ibi, *Diſcretioni*.

3 Nota primò, ibi, *Compos ſui, &c.* venientem contra jura furioſum fore præſumendum, ſeu fatuum, vel idiotam omnimodò, ſecundùm Collect. *in princip.* Ad idem textus in *cap. Si homo*, 27. *q.* 1. Et quod dixi, furioſum, ſeu fatuum, intellige, id eſt, in diſcretiva, ſecundùm Abb. Antiq. & Joan. Andr. qui ex littera colligunt mentis indiſcretionem ex operibus cognoſci. Alioquin ſi intelligeretur de totali dementia, ordinatio non eſſet punibilis, *l. Divus, ff. de offic. Præſid. l. penult. ff. ad l. Pomp. de part. l. Infans, ff. ad l. Cornel. de ſicar.* Clem. *Si furioſus*, cum ibi notatis per gloſſ. 1. & Doctor. *de homic.* Et eſt ſimile in *l. 2. ff. de inoffic. teſtam.* ibi, *Quaſi non ſanæ mentis fuerint*; & hoc dicitur, non quaſi verè furioſus, vel demens teſtatus ſit, ſed rectè quidem fecerit teſtamentum, ſed non ex officio pietatis

4 Secundò, nota ibi, *Suſpendentes*, Epiſcopum ordinantem ad ſacros Ordines Clericum ætate inhabilem, quamvis non ſit ipſo jure ſuſpenſus; eſſe tamen ſuſpendendum à collatione Ordinum, ut ſcilicet in eo puniatur, in quo peccavit, *c. Qui & divinis, & c. De viro*, 12. *q.* 2. *Revertimini*, 16. *quæſt.* 1. & ſuprà *cap. Prox.* & notat gloſſ. *hic in ver.* 5
Suſpendentes, Hoſt. *numer.* 4. *in eod. ver.* & Butr. *num.* 3. *in* 2. *notab.* Et quamvis non peccaverit, niſi in collatione 6
unius Ordinis; tamen punitur pœna ſuſpenſionis à collatione omnium, cùm littera loquatur de Ordinibus indiſtinctè, ut per Collect. *num.* 1. Butr. *num.* 7. & Card. *in* 2. *q.* Silveſt. *in ver. Suſpenſio, num.* 5. *verſ. Et ſimiliter, ſi ſit à collatione Ordinum:* idque propter duo, ſecundùm Hoſtienſem. Primò ſcilicet propter quantitatem exceſſus, id eſt gravitatem, vel fortè, quia Ordinatus in Diaconum in decimo tertio anno multùm diſtabat ab anno vigeſimo quinto, qui tunc temporis requirebatur ad Ordinem Diaconatus, *cap. Placuit, cap. Qui Epiſcopus, cap. In ſingulis, & c. Quicumque*, 77. *diſtinct.* deindè, ut cæteri à ſimilibus deterreantur, ut in *cap.* 1. *de transl. Epiſc.* licèt contrariam opinionem, id eſt Epiſcopum non eſſe ſuſpenſum, niſi à collatione Ordinis malè collati, pluribus tueatur Gemin. in *c. Eos, col.* 3. *verſ. Ego tenui opinionem*, Archid. *de tempor. ordin. lib.* 6.

Tertiò, nota ibi, *Ab executione*, defectum ætatis in Or- 7
dinato non impedire impreſſionem characteris. Et de hoc eſt caſus hìc, ſecundùm Compoſtell. & Abb. Antiq. *in prin.* Idem tenet gloſſ. *in verb. Ætate*, Innoc. *num.* 1. *in eod. verb.* dicens, ætatem non eſſe de ſubſtantia, Hoſt. *num.* 6. *itidem in ver. Ætate*, Collect. *num.* 2. *in ver. Ab executione*, Bellarm. *num.* 2. *in* 3. *quæſt.* Butr. *num.* 4. *in* 3. *notab.* Card. *in* 4. *notab.* Eſt eſt ſimile in tempore. Nam Ordinatus ad ſacros extra tempora à jure ſtatuta Ordinem recepit, ut in *c. Conſultationi, infrà eod.*

Procedit autem ſupradicta concluſio, etiamſi Ordines 8
conferantur infanti, quia uſus rationis in Sacramentis, in quibus non requiritur actus ſuſcipientis, ſed aliqua poteſtas ſpiritualis divinitùs datur, ut in ſacra Ordinatione, non eſt ex neceſſitate ſacramenti, ſed tantùm ex neceſſitate præcepti, *cap.* 1. *de Cler. per ſalt. prom.* & poſt S. Thomam, S. Bonavent. Scotum, & alios ſcripſi in *cap. Super inordinata, num.* 36. *& ſeqq. infrà de præben.* Unde puer poſt baptiſmum in cunis ordinatus etiam in Presbyterum, characterem recipit, ut tenent Hugo, Archid. Turrecrem. & Præpoſ. in *cap. Subdiaconus*, 77. *diſt.* Hoſt. *hic num.* 6. *verſ. Adeò quod etiam puer in cunis*, & Collect. *num.* 2. & eſt ad hoc argumentum optimum in *cap. Majores*, §. *penul. & fin. infrà de Baptiſ.* Licèt ſecùs ſit in Ordine Epiſcopali, in quo ex neceſſitate conſecrationis requiritur actus ſuſcipientis curam paſtoralem, & ſic uſus rationis, ut reprobata Hugonis, & Archidiaconi opinione, dixi in prædicta decretali, *Super inordinata, num.* 38.

Quartò, nota ſecundùm Anton. de Butr. *num.* 6. ſuſpen- 9
ſum ab Ordine non eſſe inhabilem ad beneficium obtinendum; quod efficaciter probatur ſic. nam Pontifex ſuſpendit puerum tredecim annorum à Subdiaconatu uſque ad legitimam ætatem; & tamen præcipit, ut ei provideatur de competenti beneficio Eccleſiaſtico. In contrarium, *c. Si celebrat, infrà de Cler. excom. miniſtr.* In ſuſpenſo ab homine, vide textum in *c. Cùm bonæ*, cum gloſſ. *in verb. Suſpenſi, infrà de ætat. & qualit.*

Ultimò, nota ibi, *Suſpendimus*, promotum ad ſacros Ordines ante ætatem à ſacris Canonibus præfinitam, ſuſpendi ab illorum executione quouſque ad ætatem legitimam pervenerit, Simile in *cap. Ex ratione, infrà de ætat. & qualit.* ubi ſuſpenditur adminiſtratio talibus conceſſa uſque ad legitimam ætatem,

Sed Quæro, an ſic Ordinatus ſit ipſo jure ſuſpenſus, vel ſuſpendendus.

Doctores non conveniunt: nam Compoſtell. & poſt eum Abb. Antiq. *hìc in princ.* tenent eſſe ipſo jure ſuſpenſum, aſſerentes de hoc eſſe caſum hìc.

Sed gloſſa *in ver. Ætatem*, item gloſſ. *penult. in Clem. fin. de ætat. & qualit.* ſentit eſſe ſuſpendendum, & ſic recipere Ordinem non tantùm quoad characterem, ſed etiam quoad executionem, niſi ſuſpendatur, Et hoc placet Raym. *in ſumm. de ætat. & qualit.* §. *Pœna cujus, in princ.* Archidiac. *in cap. Placuit*, 77. *diſt.* & Henr. Boic. *in cap. Conſultationi*, §. *Si propter defectum, infrà eod.* cum quibus tranſeunt hìc Bellarm. *num.* 2. *in* 3. *quæſt.* Butr. *num.* 4. *in* 3. *notab.* i
& nu. 22.

& num. 22. *in ult. quæſt.* Card. *in* 4. *quæſt.* Joan. de Anan. *in prin. verſ. An autem iſte minor,* Rebuff. *in praxi benefic. p.* 2. *tit. de Cler. ad ſacros Ordines male prom. gloſſ.* 2. *num.* 8. Navar. *conſ.* 39. *n.* 3. *hoc titulo*, & Covar. *in Clem. Si furioſus, par.* 1. §. 1. *n.* 4. Et ita dixerunt ferè omnes, ut idem Navarr. teſtatur in *Man. cap.* 27. *n.* 155. *verſic. Declaratio prima,* qui etiam in hanc ſententiam citat Sanctum Antoninum *in* 3. *par. tit.* 14. *cap.* 16. & Major. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. Moventur, quia littera dicit, *ſuſpendimus*, non autem, ſuſpenſum nunciamus. Idem notatur in *cap. Placuit*, 77. *diſt.*

11 Verùm hodie prima opinio Compoſtellani, & Abbatis Antiqui eſt canonizata in Conſtitutione Pii II. quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 319. qua ſtatuitur, ut qui ad aliquem ex ſacris Ordinibus ante ætatem legitimam ſe fecerint promoveri, à ſuorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint; & ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante, in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant, & ultra alias pœnas beneficiis Eccleſiaſticis poſſint jure privari. Et pœna irregularitatis fortè adjecta fuit propter opinionem Joannis de ſancto Gregorio, qui tenuit, ordinatum ante ætatem legitimam, licèt non debeat celebrare, tamen ſi celebret, non incurrere irregularitatem, cùm hoc non reperiatur jure cautum, *c. Is qui, de ſentent. excomm. lib.* 6. & ſequitur Gemin. *in cap. Eos, col.* 4. *in princ. verſ. Per prædicta infert*, &
12 ibi etiam Franc. *verſ. Ex quo infertur, de tempor. ord. lib. eod.* Omitto conſtitutionem Sixti V. incipien. *Sanctum, & ſalutare*, contra Epiſcopos in Ordinum collatione peccantes, in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 651. quoniam illa Conſtitutio, præterquàm quod ad ſimoniacè ordinantes, & ordinatos, redacta fuit per Clem. VIII. ad terminos juris Conſtitutionis Pii II. & Concilii Tridentini, ut in Extrav. incipien. *Romanum Pontificem*, in Bullar. *tom.* 3. *pag.* 54.

13 Sed remanet dubium, an ſuſpenſio, de qua in Conſtitutione Pii II. ſit perpetua, vel potiùs temporalis uſque ad ætatem legitimam, ut ſic Conſtitutio accipiat interpretationem paſſivam ab hac Decretali, juxta regulam *lib.* 2. & ibi Bart. *C. de noxal.*

Exiſtimo eſſe perpetuam, quamdiù Ordinatus abſolutionem non obtinuerit; quia cum ſit ſimplex, & indeterminata, non eſt noſtrum eam limitare ad certum tempus; nam jura, ubi volunt ſuſpenſionem eſſe temporalem, id ſolent exprimere, ut in *cap. Eos, de tempor. ordin. lib.* 6. cum aliis allegatis per gloſſ. *in Clem. fin. in verſ. Suſpenſi, de pœnis*, & per Franc. in *cap.* 1. *num.* 6. *de re judic. lib.* 6. Unde & Pius II. ſi voluiſſet ſuam ſuſpenſionem durare tantummodò uſque ad ætatem legitimam, hoc expreſſiſſet, ſicut expreſſit Honorius III. in hac Decretali, arg. *cap.* 2. *ver. Unde ſi circa tranſlationem, ſup. de tranſlat. Epiſcop. & cap. Audientiam, infra de decim.* Præterea Conſtitutio ſub unica determinatione, & verborum ſtructura decernit ſuſpenſos eſſe ipſo jure Ordinatos extra tempora ante ætatem legitimam, & abſque litteris dimiſſoriis. Sed Ordinati in primo, & tertio caſu abſque dubio ſunt ſuſpenſi, quamdiu abſolutionem non obtinuerint. Ergo & Ordinati in ſecundo, quia una determinatio, reſpiciens plura determinabilia debet illa æqualiter determinare, *l. fin.* & ibi Bart. *C. de ſentent. l. Quamvis, C. de impuber. & aliis ſubſtitut. l. Jam hoc jure, §. fin. ff. de vulg. & pupil.* Decius in *cap. Novit, num* 56. *infr. de judic.*

14 Ac demum cum Conſtitutio ſtatuat, ut promotus ad aliquem ex ſacris Ordinibus ante ætatem legitimam, ſi durante ſuſpenſione in eiſdem Ordinibus miniſtraverit, irregularitatem incurrat; ponderanda ſunt illa verba, *Ad aliquem*, nec non illa, *In eiſdem*, quæ important, ut promotus ante ætatem ad unum ex ſacris Ordinibus in irregularitatem incidat etiam miniſtrando in aliis majoribus in legitima ætate ſuſceptis. Ergo per ſupervenientiam legitimę ætatis ſuſpenſio non expiravit; nam ſi expiraſſet, utique miniſtrando non efficeretur irregularis. Et hanc partem, licèt nihil adducant, tenent Rebuff. *in praxi benef. par.* 2. *tit. de Cler. ad ſacros Ordines male promotis, gloſſ.* 4. *num.* 3. & Toletus *in ſumma lib.* 1. *cap.* 71.

15 Cæterum ſi quis credens ſe eſſe in legitima ætate conſtitutum, teſtimonio parentum deceptus ſe faceret ad ſacros Ordines promoveri, & in eis bona fide miniſtraret, non incurreret irregularitatem, quia Conſtitutio hac in parte loquitur per illa verba, *Temerè præſumpſerit*, quæ dolum, & temeritatem requirunt, ſecundùm Card. *in Clem.* 1. *q.* 38. *de privil.* & ita ex facto reſpondit Navarr. *conſil.* 8. *incipien. Quæſitum eſt*, hoc titulo, licèt dicat Conſtitutionem Pii II. quę imponit pœnam ſuſpenſionis ordinato ante legitimam ætatem, loqui per verbum, *Præſumpſerit*. Quod non eſt verum, quia Conſtitutio, qua parte imponit pœnam ſuſpenſionis, loquitur ſimpliciter de illis, qui ante ætatem ſe fecerint promoveri nec utitur verbo, *Præſumpſerint*, niſi in ſecunda parte, ubi imponit pœnam irregularitatis. Hoc ipſum tenet idem Navar. *in Man. cap.* 27. *nu.* 155. *verſ. Declaratio prima*, & fuſiùs in *cap. Accepta, in octava oppoſitione, n.* 34. *de reſtit. ſpoliat.* Conferunt notata per Jo. Andr. in *c. Eos, n.* 1. *in gloſſ. Sed numquid, hoc titul. lib.* 6.

An autem ordinatus ad ſacros Ordines ante annum decimumquartum teneatur continere, necne, plenè examino poſt gloſſ. 2. *in cap. un. infra de Cler. per ſalt. prom.*

Secundò QUÆRO, an ſuſpenſus à collatione Ordinis 16
Diaconatus ſit etiam ſuſpenſus à collatione Presbyteratus, & è converſo.

Videtur prima facie non eſſe ſuſpenſus, per textum in *cap. Si qui Epiſcopi*, 1. *quæſt.* 1. ibi, *Nec illi unquam Sacramento intererunt, quod neglecto divino judicio immeritò præſtiterunt.* Et hoc videtur ſentire ibi gloſſ. *penult.* dum ait, Ordinantem eſſe puniendum in eo, in quo deliquit, & ſic in collatione Ordinis Diaconatus dumtaxat, per jura ibi allegata.

Sed dicendum eſt, ſuſpenſum à collatione certi alicujus Ordinis, putà Diaconatus, non eſſe ſuſpenſum à collatione minoris, *cap. Qualis*, 25. *diſt. cap. Nonnè, de præſumpt. cap. In pœnis, de regular.* & regul. *Odia, eod. tit. lib.* 6. Majorem verò, ideſt, Presbyteratum, conferre non poterit, quia ſi quod minus eſt interdicitur, ergo & quod majus eſt, *cap. Quod ſicut, §. Præterea, ſuprà de elect.* Et quia, quamvis in ipſo majori non deliquerit; fecit tamen ſe indignum delinquendo in minori, per *l. Cui pacto, ff. de ſerv. exportan. & cap.* 1. *inf. de Ordin. ab Epiſ.* Ita Hoſt. *hic nu.* 4. *verſ. Numquid vero interim*, Joan. Andr. *num.* 11. Bellam. *num.* 2. & Butr. *num.* 11. Silveſt. *in ver. Suſpenſio, nu.* 5. *verſ. Et ſi ſit à collatione inforioris Ordinis.*

Tertiò QUÆRO, an Epiſcopus à collatione Ordinum 17
ſuſpenſus, ut hìc, ſi Ordines conferat, efficiatur irregularis.

Negant Gemin. in *cap. Eos, col.* 4. *poſt princ. verſ. Et per prædicta infert*, & Philipp. Franc. *ibid. num.* 5. *verſ. Secundo infertur, de tempor. ordin. lib.* 6. Allegant Joannem de S. Georgio, & Specul. *in tit.* 3. *de diſpenſat. §. Juxta, ver. Quid ſi quis.* Sed certè Specul. ibi tantùm dicit ſuſpenſum ab ingreſſu Eccleſiæ non fieri irregularem celebrando, quia 18
etiam extra Eccleſiam celebratur, *cap. Concedimus, de conſecr. diſt.* 1. Quod hodie eſt expeditum in *cap. Is cui, de ſent. excomm. lib.* 6. ubi patet ſuſpenſum ab ingreſſu Eccleſiæ irregularem fieri, ſi exerceat ea, quæ ſunt Ordinis, in ipſa Eccleſia. Et ex illa littera infert gloſſ. 3. ſecus eſſe, ſi extra 19
eam ſub aere, ſub tentorio, vel in domo privata celebret, vel concelebret, fortè celebrantibus cùm Altari viatico, ut in *cap. In his, de privil. & cap. ult. eod. tit. lib.* 6. quia irregularis non erit. Et in additione allegat Innoc. & Hoſtienſem idem tenentes in *cap. Sacro, de ſent. excomm.* & Specul. *loco cit.* Idem tenet Abb. in *cap. Cum dilectus, num.* 26. *verſ. Aut eſt alicui interdictus, de conſuetud.* & Marian. Socin. in *cap. Ad audientiam, num.* 130. *de homicid.* Pro opi- 20
nione tamen Geminiani, & Franchi facit, quia Epiſcopus à Pontificalibus ſuſpenſus, ſi Miſſam celebret in apparatu Pontificali, irregularitatem non incurrit, ut firmat Innoc. in *cap. Cum medicinalis, in ver. A divinis, de ſentent. excomm. lib.* 6. Specul. *in d. §. Juxta, verſ. Quid ſi Epiſcopus à Pontificalibus ſit ſuſpenſus*, Marian. Socin. *in d. cap. Ad audientiam, num.* 129. S. Antonin. 3. *par. titul.* 28. *de ſuſpen. cap.* 4. *poſt med.* Hoſt. Archid. Abb. & alii apud Silveſt. *in ver. Suſpenſio, n.* 4. *verſ. Cum autem ſuſpenſio.*

Contrariam opinionem, ideſt, Epiſcopum ſuſpenſum à collatione Ordinum incidere in irregularitatem, ſi Ordines conferat, tenet idem Silveſt. *in eod. ver. n.* 4. *verſ. Et ſimiliter, ſi ſit à collatione Ordinum*, juncto *verſ. Et in omnibus prædictis.* Pro ſolutione quæſtionis obſervandum eſt 21
duo copulativè requiri ad hoc, ut quis ex violatione ſuſpenſionis efficiatur irregularis.

Primò enim requiritur, ut actus, à quo eſt ſuſpenſus, ſit pro-

ſit proprius alicujus Ordinis. Et hoc pro regula conſtituunt Abb. *in dict. cap. Cum dilectus, num.* 17. *de conſuetud.* Felin. *in cap. Apoſtolicæ*, *num.* 13. *de excep.* Sanctus Antoninus *in* 3. *par. tit.* 29. *de ſuſpenſ. cap.* 1. *in fin.* Angel. *in ver. Suſpen-*
22 *ſio tertio*, *num.* 1. Silveſt. *in eodem ver. num.* 4. *q.* 5. ubi ait, ſuſpenſum ab eo, quod non pertinet ad actum alicujus Ordinis, ſi contra faciat, non eſſe irregularem, ſed alio modo eſſe puniendum. Et jura *in cap. Cum æterni*, *de ſentent. & re judic. lib.* 6. *& in cap. Cum medicinalis*, *de ſent. excom. eod. lib.* quæ videntur eſſe in oppoſitum, ſecundùm eum loquuntur in eo tantùm caſu, in quo exerceretur actus certo Ordini reputatus, ut notatur *in dict. cap. Cum dilectus*, *de conſuet. in cap. Si celebrat*, *de Cler. excomm. miniſtr.* & in Clemen. *Cupientes*, *de pœnis.* Et fuit ſententia Innocentii *in dict. Cum æterni*, *& cap. Cum medicinalis*, quem ſequitur, & dicit commun. receptum Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 163.

23 Secùs autem eſt, ſi ſuſpenſione durante quis exerceat actum juriſdictionis, puta abſolvendo ab excommunicatione, aut excommunicando; quia tunc non eſt irregularis, niſi hæc faciat tamquam Sacerdos, & cum ſolemnitate, de qua *in cap. A nobis*, *il ſecondo*, *infra de ſent. excomm. & in cap. Debent*, 11. *q.* 3. ut per Marian. Socin. *in d. c. Ad audientiam*, *num.* 107. *de homicid.* poſt Innoc. & Jo. Andr. *in cap. fin. de exceſſ. Prælat.* & Specul. *in tit. de diſpenſ.*
24 §. *Juxta*, *verſ. Quid de abſolvente*. Unde fit, ut cum beneficiorum collatio nullius Ordinis actus ſit, ſed ſolius juriſdictionis, ut probatur *in c. Tranſmiſſam*, juncta gloſſ. *ult. ſupr. de elect.* & notat Abb. *in cap. Cum dilectus*, *n.* 17. *de conſuet.*
25 Epiſcopus à collatione beneficiorum ſuſpenſus, ſi illa conferat, irregularitatem non incurrat, *c. Cum in cunctis*, §. *Clericis*, *de elect. & c. Quia diverſitatem*, *de conceſſ. præb.* quidquid contra ſcriſperit Majol. *de irregul. lib.* 6. *c.* 19. *n.* 2. cujus errorem redarguit Sayrus *de cenſur. lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 3.

26 Hinc etiam fit, ut ſuſpenſus ab officio prædicandi, ſi contraveniat, non ſit irregularis, cum hujuſmodi actus nulli certo Ordini ſit deputatus, ut tenent Paul. de Eleazar. & Calder. *in Clem. Cupientes*, *de pœnis*, Angel. *in ver. Suſpenſio* 3. *num.* 8. Majol. *d. cap.* 19. *num.* 21. Tolet. *in Summ. lib.* 1.
27 *cap.* 14. & plerique alii. Et quamvis Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 163. *verſ. Octavo infertur*, & Gregor. de Valen. *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 18. *punct.* 1. *dub.* 2. exiſtimaverint talem fieri irregularem, eò quòd prædicatio ſaltem ex conſuetudine annexa ſit Ordini Diaconatus; tamen non apparet, unde hujuſmodi annexio probari poſſit, & oppoſitum deducit Sayr. *d. c.* 16. *n.* 20.

28 Secundò, ad hoc ut violans ſuſpenſionem ſit irregularis, requiritur, ut actum Ordinis exerceat tamquam miniſter, *cap.* 2. *de Cler. excomm. miniſt.* & colligitur ex *c. Cum medicinalis*, *in fine*, *de ſent. excomm. lib.* 6. ponderando illa verba: *Si contingeret eos divina officia exequi ſicut prius*, id eſt, tamquam in officio ſuo agentes, ut ibi exponit gloſſa, per textum in *cap. Si quis Epiſcopus in Concilio*, 11. *q.* 3. notatur *in cap. Tanta*, *infrà de exceſſ. Prælat.* & tradunt Marin. Socin. *in d. cap. Ad audientiam*, *num.* 106. Silveſt. *in ver. Irregularitas*, *num.* 14. *verſ. Sextò ſecundum omnes*, & Navarr. *in Man. cap.* 28. *num.* 163.

29 His ita conſtitutis haud difficilis eſt ſolutio quæſtionis propoſitæ; nam cum Epiſcopatus ſit verè, & propriè Ordo ſacramentalis, adeò ut contrarium aſſerere ſaltem poſt Concilium Tridentinum ſit periculoſum in fide, ut latiſſimè probavi in *cap.* 1. *de Ordin. ab Epiſcop.* & in propoſito obſervat Navarr. *d. cap.* 27. *num.* 163. *verſ. Ex quo infertur*
30 *primò*: cùmque principalis actus Ordinis Epiſcopalis ſit conſecrare Sacerdotes, & Miniſtros Eccleſiæ, ut in *cap. Quamvis Chorepiſcopis*, 68. *diſt.* & eſt diffinitum ab eadem Tridentina Synodo *ſeſſ.* 23. *de ſacram. Ordin. cap.* 4. *verſ.*
31 *Proindè*, *& can.* 7. conſequens eſt, ut hæc ſuſpenſio a collatione Ordinum ſit verè, & propriè cenſura Eccleſiaſtica, de qua loquitur *cap. Quærenti*, *de verbor. ſignif.* quippè quæ adimit Epiſcopo principalem actum ſui Ordinis, qui, ut prædixi, eſt miniſtros Eccleſiæ ordinare. Unde ſi Ordines conferat, & ſic tamquam miniſter exerceat actum Ordinis Epiſcopalis, à quo eſt ſuſpenſus, proculdubio irregularis efficitur ex *cap. Cum æterni*, *de ſentent. & re judic. lib.* 6. *& cap. Cum medicinalis*, *de ſentent. excomm. eod. lib.* Concurrit enim hoc caſu utrumq; requiſitum ſuperius firmatum, ad hoc ut ex violatione ſuſpenſionis inducatur irregularitas.

Ampliatur hæc concluſio, ut vendicet ſibi locum, etiam 32
ſi Epiſcopus à collatione Ordinum ſuſpenſus minores Ordines conferat. Nam etſi non ſatis conſtet inter Doctores, an ſuſpenſus à minoribus Ordinibus per ſolemne exer- 33
citium actus efficiatur irregularis; negant enim S. Antonin. poſt Specul. quem citat 3. *par. tit.* 26. *de irregul. cap.* 1. §. *De Subdiaconatu*, Palud. *num.* 4. *diſt.* 18. *q.* 7. *art.* 3. *concluſ.* 2. Vervec. & Aſten. relati à Silveſt. *in ver. Irregularitas n.* 15. *verſ. Fallit tamen eo quod Ordines hujuſmodi communiter exerceri ſoleant etiam à Laicis*; affirmant verò Innoc. *in cap. fin. de exceſſ. Prælat.* Specul. *in tit. de diſpenſat.* §. *Juxta*, *verſ. Hoc etiam nota*, Hoſt. & Joan. Andr. *in cap.* 2. *de Cler. excomm. miniſtr.* ubi Abb. dicit hanc opinionem communem, & veram eſſe, quia jura loquuntur indiſtinctè de Ordinibus, Silveſt. *ubi ſup.* & Navar. *in Man. cap.* 27. *n.* 163. nihilominùs diverſa eſt ratio in minorum Ordinum collatione, quam ſit in ipſorum executione. Quoniam ipſorum 34
collatio jure ordinario ad ſolum Epiſcopum pertinet, adeò ut aſſerere hanc poteſtatem eſſe Epiſcopis communem cum Presbyteris, hodie ſit hæreſis, ut in Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. can.* 7. Non ſic in illorum executione, quæ Clericis, & Laicis communis eſt, ſaltem abſque ſolemnitate, ut per Divum Thomam *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 9. & Silveſt. *in ver. Irregularitas*, *num.* 14.

Ampliatur ſecundò eadem concluſio, ut locum habeat 35
etiam in collatione primæ tonſuræ. Quod ſine difficultate procedit, ſi ſequamur opinionem Canoniſtarum exiſtimantium primam Clericalem tonſuram eſſe verè, & propriè Ordinem, quàm latiſſimè defendimus *in cap. Cùm contingat à num.* 10. *uſque ad num.* 135. *infrà de ætat. & qualit.* Sed ſi ſequamur ſententiam Theologorum, qui tenent tonſuram non eſſe Ordinem, ſed diſpoſitionem ad Ordines; res non caret difficultate.

Pro opinione affirmativa facit, quia ad hoc ut per exercitium actus, à quo quis eſt ſuſpenſus, contrahatur irregularitas, non requiritur, ut actus ille ſit Ordo Sacramentalis, ſed ſatis eſt, ut ſit alicui Ordini deputatus, ut patet ex dictis ſuprà *num.* 21. Prima autem Clericalis tonſura, eſto non ſit Ordo propriè ſecundùm Theologos; tamen conſtat apud omnes illius collationem eſſe actum Ordinis Epiſcopalis, & illius miniſtrum ordinarium eſſe ſolùm Epiſcopum, ut dixi in prædicta Decretali, *Cum contingat*, *num.* 94. Ergo Epiſcopus ſuſpenſus, per collationem tonſuræ exercendo actum ſui Ordinis non videtur ab irregularitate immunis. Et propterea multi tenent Epiſcopum à Pontificalibus ſuſ- 36
penſum, ſi Miſſam celebret in apparatu Pontificali, irregularitatem non effugere; quia etſi Pontificalia non ſint de ſubſtantia Ordinis, nec officii, cùm etiam ſine ipſis poſſit quodlibet officium exerceri, ſecundùm Innoc. *in d. c. Cum medicinalis*, *num.* 2. *verſ. Secùs autem dicunt quidam*: tamen ſunt actus proprius Ordinis Epiſcopalis, ut *c. Tranſmiſſam*, *de elect.* & notat Abb. *in cap. Cum dilectus*, *n.* 20. *verſ. Aut ſuſpenditur Epiſcopus à Pontificalibus*, *de conſuet.* Atque hujus ſententiæ contra Authores ſupracitatos *n.* 20. ſunt Jo. Calder. *in tract. de Eccleſiaſt. interdicto memb.* 2. *q.* 3. *quæ incipit*, *Sed ſi cui*, Gemin. *in d. c. Cum medicinalis*, §. *Si quis autem*, *num.* 5. Angel. *in ver. Suſpenſio* 3. *n.* 3. Navar. *in Man. cap.* 27. *nu.* 163. *verſ. Ex quo infertur primò*, & ex Theologis Paludan. *in* 4. *diſt.* 18. *qu.* 7. *art.* 3. *concl.* 2.

Et ob eamdem rationem irregularis eſt Epiſcopus, qui 37
ſuſpenſione durante ſolemnem benedictionem impertitur, per illa verba, *Sit nomen Domini benedictum*, de qua in *cap. Abbates*, *de privil. lib.* 6. & in Clem. 2. *eod. tit.* ut firmat Nicolaus Dionyſii de Peruſio antiquus Doctor 38
in d. cap. Cum medicinalis, §. *Caveant*: quia nimirum hujuſmodi benedictio, quamvis non ſit Ordo; eſt tamen actus proprius Ordinis Epiſcopalis, qui jure ordinario inferioribus Presbyteris non competit, *cap. Miniſtrare*, juncta gloſſ. *in ver. Benedictionem*, 26. *quæſt.* 1. Suſpenſionis 39
enim violatio irregularitatem inducit non ſolùm per actum alicui Ordini competentem jure divino, ſed etiam jure humano, videlicet ex præcepto Eccleſiæ, vel ex univerſali conſuetudine, ſecundùm Specul. *in præallegato tit. de diſpenſat.* §. *Juxta*, *verſ. Item nota*, *quòd ſuſpenſus*, Paludan. *loco cit.* S. Antonin. *in* 3. *par. tit.* 29. *de irregular. cap.* 1. §. *De Subdiaconatu*, Angel. *in ver. Suſpenſio* 3. *num.* 8. & Navarr. *in man. cap.* 27. *num.* 163.

Pro contraria verò opinione facit, quia ſi tonſura pro- 40
priè

priè non eſt ordo: ego Epiſcopus ſuſpenſus à collatione ordinum, non eſt ſuſpenſus à collatione tonſuræ, arg. *l. 4.*
41 *§. Toties, ff. De damn. inf.* cùm præſertim materia ſit pœnalis, & irregularitas non contrahatur, niſi hoc ſit expreſſum in jure, ut legitur in *c. Is qui, de ſent. excomm. lib. 6.* & not. Innoc. *in d. c. Cùm medicinalis, num. 2. verſ. Secus autem dicunt quidam, eod. tit. & lib.*

Niſi dixerimus primam tonſuram includi in ſuſpenſione à collatione ordinum, etiamſi concedamus eam non eſſe ordinem, ſed diſpoſitionem ad ordines, quia aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud, ut *l. Oratio, ff. De ſponſal.* Jo. Andr. *in reg. Cùm quid probetur, de reg. jur. lib. 6. in Mercurial.*

42 Ultimò, QUÆRO, Numquid Epiſcopus à collatione Ordinum ſuſpenſus Miſſam celebrando efficiatur irregularis.

Negat Rebuff. *in praxi beneficial. in tit. de Cleric. malè promot. in gloſſ. 2. num. 7.* ubi allegat Gemin. in *cap. Eos, de tempor. ordin. lib. 6.* & Philip. Franc. in *c. Cùm æterni, col. ult. de ſent. & re jud. eodem lib.* Sed certè Gemin. dum dicit ſuſpenſum non fieri irregularem celebrando, non loquitur de Epiſcopo ſuſpenſo à collatione ordinum, ſed de Clerico ordinato ante ætatem legitimam, vel ab alieno Epiſcopo, qui quidem Clericus miniſtrando in ſuſceptis ordinibus non efficitur irregularis. Et ita ipſe loquitur ibi, *col. 3. in fine verſ. In eadem gloſſ.* in *fin. poſt gloſſ. in ver. Statuunt*, & Jo. Andr. in *c. Quod translationem, de temp. ordin.* Et eſt ratio, quia talis eſt ſuſpenſus quoad ſe, & non quoad alios.
43 ſecundùm unam opinionem, ut in *c. Si celebrat, de Cler. excomm. miniſtr.* Generaliter enim ſuſpenſi à divinis tantùm, quoad Deum, ut conſtituti in mortali peccato, qui non debent ſe divinis immiſcere, *c. fin. de cohabit. Cler. & Mulier.* celebrando notam irregularitatis non incurrunt, quia nullo jure id cavetur, *d. c. Is qui, de ſent. excomm. lib. 6.* Neque enim talibus eſt directè interdictum officium ipſo jure, ſed peccant celebrando, ideòque non fiunt irregulares, cùm ſint à Deo ſuſpenſi ſolùm quoad ſe propter peccatum, non autem à Canone, niſi per approbationem, ut poſt Innocen. Hoſt. & Abb. in *d. c. Si celebrat*, declar. Marian. Socin. in *c. Ad audientiam, n. 92. De homicid.* Hæc autem ratio non viget in Epiſcopo à collatione ordinum ſuſpenſo, juxta terminos hujus Decretalis, quia eſt directè ſuſpenſus ex præcepto Canonis, ut hic. Et propterea in præcedenti quæſtione firmavimus eum eſſe irregularem, ſi ordines conferat. Franchus verò in *d. c. Cùm æterni, num. 6.* 44
Tantùm aſſerit Epiſcopum ſuſpenſum ab ordinibus conferendis hujuſmodi ſuſpenſione durante non poſſe abſolvere ſubditum à pœna ſuſpenſionis, de qua ibi. Quod etiam tenet ibi Jo. Andr. & in *c. 1. de Cler. venat.* ex notatis per gloſſ. in *c. Cupientes, §. Cæterum de elect. l. 6.* Sed non dicit Franchus Epiſcopum taliter ſuſpenſum celebrando incidere in irregularitatem.

Sed nihilominus exiſtimo opinionem negativam eſſe 45
veram, licèt pro ea Rebuff. nihil adducat. Moveor, quia ſuſpenſus ab actu certi ordinis non eſt ſuſpenſus ab actu ordinis inferioris, ut ex ſententia Hoſtienſis & communi concluſum eſt ſuprà in *2. q. num. 16.* Ordo autem Epiſcopalis eſt major ordine presbyterali, *c. Quanto, de conſuet. cap. Unico, §. Per frontis, de ſacr. Unct. c. Aqua, de conſecrat. Eccleſ. vel altar.* & eſt diffinitum à Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. De Sacramen. Ordin. c. 4. & can. 6. & 7.* Et ordinum collatio ad Presbyteros inferiores non ſpectat, ſed ad ſummos Sacerdotes dumtaxat, id eſt Epiſcopos, ut patet in pluribus præallegatis. Et in Concilio Florentino in decreto fidei Eugenii IV. *§. Sextum Sacramentum.* Ergo ſuſpenſus à collatione ordinum, & ſic ab actu ordinis ſuperioris, ſcilicet Epiſcopalis, non eſt ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, qui eſt actus ordinis inferioris, id eſt presbyteralis, *cap. Perlectis, §. Ad Presbyterum, 25. diſtinct.* & *cap. 1. §. Una verò; verſ. Et hoc utique Sacramentum, ſuprà de Summ. Trinit.* & notat Abb. in *c. Cùm dilectus, n. 20. verſ. Si ergo ſuſpenſio, de conſuet.* ubi expreſsè tenet Epiſcopum ſuſpenſum ab ordine Pontificali non cenſeri ſuſpenſum niſi ab his, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis. Et conſequenter Miſſam celebrando, & ſic exercendo actum ordinis inferioris, à quo non eſt ſuſpenſus, in irregularitatem non incidit.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Idem Honorius III. Leton. & Cala. Abb.

CAPUT XV.

Dilectus filius G. Humilien. Canonicus noſtro dudum Apoſtolatui reſeravit, quòd Humilien. Eccleſia ſuo viduata paſtore, Canonici ipſum unanimiter elegerunt: qui cùm eſſet citra ſacros ordines conſtitutus, Archiepiſcopus Caſſalen. Metropolitanus eorum, Epiſcopo Trecen. mandavit, ut eum uno & eodem die ad tres ſacros ordines promoveret: quod ille (non auſu proprio, ſed ipſius Archiepiſcopi mandato) perfecit. Cùm ergo nobis conſtiterit ſupradictum Epiſcopum in pluribus deliquiſſe, tum quia ſine mandato Archiepiſcopi (ut ipſe confeſſus extitit) ad hujuſmodi ordinationem inordinatè proceſſit: tum quia ſi de mandato Archiepiſcopi conſtaret, cùm illi hujuſmodi diſpenſatio à Canone minimè ſit permiſſa, ipſi obtemperare non debuit in hac parte; tum etiam quia reatum perjurii ſæpiùs variavit, jurando prius quòd Archiepiſcopus id præceperat, & poſteà quòd illud non mandaverat in judicio confitendo: ipſum tamdiu ab ordinandi ſuſpendimus poteſtate, donec noſtram meruerit gratiam obtinere.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopus conferens eidem una die plures ſacros Ordines etiam de mandato Metropolitani ab ordinandi poteſtate ſuſpenditur.*
2 *Epiſcopi diſpenſare non poſſunt contra canones, niſi appareat eis expreſsè permiſſum, & n. ſeqq. uſque ad num. 22.*
3 *Diſpenſationis edictum eſt prohibitorium, ibid.*
Diſpenſare non poteſt in lege humana niſi is, à quo lex auctoritatem habet.
4 *Diſpenſatio eſt juris relaxatio, ſeu vulneratio.*
5 *Inferior jura ſuperioris non relaxat.*
6 *Epiſcopi ſunt cuſtodes canonum, & jurant ſacras regulas defendere, & retinere.*
7 *Epiſcopis diſpenſare non licet in retentione beneficiorum, & fructuum perceptorum cum eis, quæ beneficia irregularitate occulta obtinuerunt.*
8 *Simoniacum occultum poteſt Epiſcopus rehabilitare ad ordines, & cum eo diſpenſare quoad ſuſpenſione tàm ab ordinibus, quàm beneficiis, ſed non diſpenſare quoad beneficia obtenta, vel obtinenda.*
9 *Diſpenſare poteſt Epiſcopus cum ordinato ante ætatem, ſi ad legitimam ætatem pervenerit, & defectus ſit occultus.*
10 *Intellectus*, c. Nuper, de ſent. excomm.
11 *Abſolutio ab excommunicatione eſt favorabilis, diſpenſatio autem odioſa, & n. ſeqq.*

12 *Diſpenſare majus eſt, quàm abſolvere.*
13 *Concilii Trident. decretum in* cap. 6. ſeſſ. 24. *expenditur.*
14 *Epiſcopi in criminibus diſpenſare poſſunt, niſi eis appareat prohibitum.*
15 *Diſpenſare nunquam poteſt Epiſcopus, niſi ei concedatur à canone, etiamſi reperiatur in canone quod Papa diſpenſet.*
16 *Epiſcopus an poſſit omnia in ſua diœceſi, quæ poteſt Papa in univerſo orbe, exceptis reſervatis.*
17 *Diſpenſare poteſt Epiſcopus, ubi Canon permittit diſpenſationem, licèt eam Epiſcopo non indulgeat.*
18 *Et quid ſi Canon ſit Conciliaris.*
19 *Epiſcopi ſunt executores Canonum, & diſpenſatores.*
16 *Diſpenſatio reſpectu diſpenſantis non eſt ſtricti juris, ſed quid favorabile.*
21 *Caſus, in quibus Epiſcopi poſſunt, vel non poſſunt diſpenſare.*
22 *Epiſcopi ex Concilio Tridentino diſpenſant in irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus.*
23 *Item abſolvunt à caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis in foro conſcientiæ tantùm.*
24 *Crimina multa licèt occulta impediunt ordinis executionem, etiam poſt peractam pœnitentiam.*
25 *Epiſcopi Regionum, in quibus Concilium Tridentinum non eſt receptum, uti non poſſunt facultate ſibi tributa in* c. ſeſſ. 24.
26 *Prælati Regulares & Abbates juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes diſpenſare, & abſolvere nequeunt in caſibus occultis ex Concilio Tridentino.*
27 *Cardinales in ſuis titulis Urbis uti non poſſunt facultatibus, quæ tribuuntur Epiſcopis à Concilio Tridentino.*
28 *Diſpenſare poteſt Epiſcopus in irregularitate occulta ex mutilatione membri, licèt non poſſit in irregularitate ex homicidio occulto.*
29 *Homicidium, & mutilatio membri in quibus æquiparentur.*
30 *Epiſcopus abſolvere non poteſt à caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis poſt Concilium Tridentinum.*
31 *Epiſcopis, & Inquiſitoribus ex Bulla Cœnæ adempta eſt facultas, quam habebant ex Conc. Trid. abſolvendi ab hæreſi occulta.*
32 *Bulla S. Pii V. ſuper clauſura monialium habet etiam cum in caſibus occultis.*
33 *Moniales ſecretò delinquentes in materia clauſuræ ab Epiſcopo abſolvi non poſſunt.*
34 *Epiſcopus lapſus in aliquod delictum poteſt etiam in Urbe ad ſe abſolvendum deputare proprium confeſſorem ex Conc. Trid.* c. 6. ſeſſ. 24.
35 *Abſolvi poteſt forenſis in Sacramento Pœnitentiæ ab Epiſcopo, in cujus diœceſi commoratur, ſed non diſpenſari.*
26 *Etiamſi materia ſit conjuncta, ex qua peccatum, & irregularitas incurratur.*
37 *Abſolutus, & diſpenſatus ab Epiſcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus teſtibus, non eſt tutus in conſcientia.*
38 *Occultum dicitur, quod probari non poteſt.*

1 D*ilectus*. Epiſcopus conferens eidem una die plures ſacros ordines, etſi de mandato Metropolitani hoc fecerit, ab ordinandi poteſtate ſuſpenditur. Hoc dicit. Prima pars ponit reprehenſibilem ordinationem. Secunda punit ordinantem: ibi, *cùm igitur*.

2 Nota ex hoc textu inſignem regulam, quod Epiſcopi contra canones diſpenſare non poſſunt, niſi eis expreſsè reperiatur permiſſum; & ſic edictum diſpenſationis eſt prohibitorium. Quam regulam conſtituunt hìc & firmant Laurentius, & Joannes relati ab Anton. de Butr. *num.* 9. Item Innocent. *num.* 2. *in ver. Diſpenſatio*, Abb. Antiq. *in ver. Permiſſa*, Hoſtienſ. *num.* 2. *in verbo Hujuſmodi diſpenſatio*; ubi ait generalem regulam eſſe, ut Epiſcopi, vel Archiepiſcopi circa ordines, ſeu ordinatos diſpenſare non poſſint, niſi probent hoc ſibi permiſſum, Joan. Andr. *num.* 7. *in ver. Diſpenſatio*, Ant. de Butr. *num.* 6. *verſ. Quinto nota regulam, quod inferior à Papa non diſpenſat*, Card. *n.* 2. dicens diſpenſationem intelligi prohibitam omni caſu, quo non invenitur expreſsè permiſſa, & ad hoc quotidie hunc textum allegat Bellam. *num.* 1. ubi notat hanc eſſe bonam conſequentiam de jure; Hæc diſpenſatio non eſt Archiepiſcopo conceſſa, igitur denegata, Abb. *num.* 3. *verſ. Quintò nota regulam*. Idem ſentit gloſſ. *in cap. Cupientes, in ver. Suſpenſos, de elect. lib.* 6. Philipp. & Joan. de Lignan. relati ab Anton. de Butr. *in ca. Ac ſi Clerici*, §. *De adulteriis, num.* 17. *verſ. Prima opinio de Judic.* plenè Archid. *in cap. Licet canon. num.* 3. *ver. Et ibi aſſertivè dixit, de elect. lib.* 6. dicens hanc ſententiam tenendam eſſe tamquam veram, quidquid aliàs ſit notatum; & pluribus eam comprobat Rebuff. *in praxi tit. de diſpenſat. ad plura, num.* 27. Mandoſ. *reg.* 13. *Cancell. quæſt.* 6. *num.* 6. ex quibus apparet hanc eſſe communem Canoniſtarum opinionem, cùm præcipuè eam ſequantur quatuor juris Pontificii cardines, & illuminatores, Innocentius, Hoſtienſ. Archidiac. & Joan. Andreas, prout ita communiter teneri teſtatur Abb. *in dicto* §. *De adulteriis, n.* 6. *verſ. Quandoque conſtitutio loquitur generaliter nec permittendo, nec vetando diſpenſationem.* Unde decipitur Silveſt. qui in *verb. Diſpenſatio, n.* 8. affirmat ſecundùm communem Doctorum opinionem Epiſcopos habere poteſtatem diſpenſandi in his, quæ non ſunt eis à jure, vel aliàs à Superiore prohibita.

Nec aliud ſentit D. Th. in 1. 2. *q.* 97. *ar.* 4. ab aliquibus per- 3
peram allegatus pro contraria ſententia. Ait enim: Ille, qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, quæ ſuæ auctoritati innititur, ut ſcilicet in perſonis, vel in caſibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non ſervetur. Pondera illa verba, *Quæ ſuæ auctoritati innititur*, quæ clarè oſtendunt, eum loqui de poteſtate, quam habet Superior diſpenſandi in lege propria. Quod apertiùs explicat in reſponſione ad tertium dicens, in lege humana publica non poſſe diſpenſare, niſi illum, à quo lex auctoritatem habet, vel eum, cui ipſe commiſerit. Et ſic S. Doctor eſt evidenter pro hac ſententia, ut Epiſcopi non poſſint contra legem Superioris diſpenſare, niſi ex illius commiſſione, ſed diſpenſatio ad eum tantùm pertineat, à quo lex auctoritatem habet; & ſic ad Summum Pontificem, qui ſolus auctoritatem ſacris Canonibus impertitur, §. *His ita*, 25. *q.* 1.

Hæc autem communis regula probatur primò evidenter in hac decretali, ubi reprehenduntur collatio plurium ſacrorum Ordinum una die facta eidem ab Epiſcopo, etiamſi præceſſerint mandatum, ſeu diſpenſatio Archiepiſcopi. Et reprehenſio fundatur in ea ratione, quia illi hujuſmodi diſpenſatio à Canone minimè eſt permiſſa. Igitur ex eo, quod diſpenſatio non permittitur, rectè licet inferre ut cenſeatur prohibita, alioquin ratio text. non eſſet concludens, & adæquata, prout eſſe debet, *l. Neque Natales*, & ibi Bald. & Salicet. *C. De probation.*

Secundò probatur in *c. penult.* & *c. fin. infr. de fil. presbyt.* ubi irritæ declarantur diſpenſationes factæ ab inferiori à Papa contra juris diſpoſitionem, quos canones ad hoc citat gloſſ. *hìc in ver. Permiſſa*.

Tertiò, idem colligitur ex decreto Concil. Trident. in *cap.* 6. *ſeſs.* 25. ubi indulgetur Epiſcopis ut diſpenſare poſſint in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. Ex quo decreto duo eliciuntur; Alterum eſt ut facultas diſpenſandi in irregularitatibus occultis antea Epiſcopis non competeret; aliàs enim ſupervacaneum fuiſſe indultum Concilii, & nihil illis contuliſſet contra tex. in *c. In his, infr. de privileg.* Alterum ut Concilium concedendo Epiſcopis facultatem diſpenſandi in caſibus occultis cenſeatur eam denegaſſe in caſibus publicis, quia conceſſio in uno arguit denegationem in alio, & è converſo, *c. Qualis*, 25. *diſt. c. Nonne, de præſumpt.* gloſ. *fin. in c. De multa, infr. de præb.* & in his terminis eſt gloſ. 1. *in c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis, de Judic.*

Quartò. Diſpenſatio eſt juris relaxatio, ſeu vulnera- 4
tio, ut ait Feder. de Sen. *conſ.* 30. *An capitulum, circa princ. verſ. Sed diſpenſatio*, per *c. Ipſa pietas* 23. *quæſt.* 4. & *cap. Ut conſtitueretur*, 50. *diſt.* Et Oldrad. *conſ.* 327. *Omiſſa thematis repetitione, n.* 1. Unde in decreto Conc. Trid. *c.* 18. *ſeſs.* 25. ſic legitur, *Sicuti publicè expendit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus*

pro

pro communi utilitate ſatisfiat, ſic frequentius legem ſolvere, nil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Igitur ex S. Synodo diſpenſare eſt le-
5 gem ſolvere, & relaxare. Sed inferior jura ſuperioris non relaxat, *c. Inferior*, 21. *diſtinct. c. Cum inferior, de major. & obed.* Clem. *Ne Romani, de elect.* hoc enim eſſet Hierarchiam Eccleſiaſticam confundere Dei ordinatione inſtitutam, ut in Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *De Sacram. Ordin. can.* 4. *& can.* 6. Ergo nec contra jura ſuperioris diſpenſat.

6 Quintò probatur eadem regula manifeſtè ſecundùm Archid. *loco cit. ſupra num.* 2. quia Epiſcopi ſunt Cuſtodes Canonum, *c. Cùm quibus*, 24. *q.* 3. Ita ut à regulis præſtitutis nulla negligentia, aut præſumptione diſcedant, *c. Igitur, in fin.* 25. *q.* 2. Et ut legitur in ſeptima Synodo, Epiſcopi debitores ſunt omnes ſacras regulas cuſtodire, *c. Cùm ſimus*, 9. *quæſt.* 3. & adeò expreſſum in *c. Inſtitutionis*, 25. *quæſt.* 2. ut reſponderi non poſſit ſecundùm eum, ibi enim ait Gregor. *Inſtitutionis noſtræ decreta perpetua ſtabilitate, & ſine aliqua conſtituimus refragatione ſervari, ſive quæ ſcripto decrevimus, ſive quæ in noſtra præſentia videntur eſſe diſpoſita, nec à quoquam Pontificum in totum, vel in partem ex qualibet occaſione convelli decernimus, vel mutari*, Hæc ibi, & alia multa in propoſito congerit Federic. de Sen. *conſ.* 17. *Quæſtio talis eſt, per tot.* & Petr. de Anchar. in *repet. c.* 1. *num.* 188. *verſ. In contrarium, & num.* 190. *verſ. Accedit his utilis quæſtio, ſuprà de conſtitut.* Quid plura? Nonne Epiſcopi obligantur juramento ad regulas ſanctorum Patrum defendendum, & retinendum, ut eſt expreſſum in *cap. Ego N. de jurejur.* Qua ergo conſcientia diſpenſando, vel uti verius loquar, temerando jura ipſa venient contra, niſi in quantum eis ab ipſo jure permiſſum invenitur, non video, quæ ſunt verba formalia Archid. in *d. c. Licet Canon, n.* 3. *verſ. Quid plura, de elect. lib.* 6. allegat. text. hic & in *c. Romana, de ſuppl. neglig. Prælat. eod. lib.*

7 Ultimò hanc ſententiam in caſibus particularibus ſæpiùs ſecuta eſt S. Congregatio Concilii. Aliquando enim dubitatum fuit an ſicut Epiſcopis ex *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. Licet diſpenſare in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, ita etiam liceat diſpenſare in retentione beneficiorum, & fructuum perceptorum cum eis, qui prædicta beneficia in irregularitate,
8 ſed aliàs canonicè obtinuerunt. Item aliàs dubitavit Epiſcopus Bituntin. an poſſet abſolvere ſibi ſubditum à ſimonia occulta, eumque rehabilitare ad ordines, & beneficia tàm obtenta, quàm obtinenda ex dicto *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. Sac. Congregatio cenſuit Epiſcopum poſſe abſolvere ex Concilio, & diſpenſare ſuper irregularitate, ſeu ad ordines rehabilitare, ut poſſit miniſtrare, & aſcendere. Item poſſe diſpenſare quoad ſuſpenſiones tàm ab ordinibus, quàm beneficiis, ſed non poſſe diſpenſare quoad beneficia, quibus privatus quis exiſtit, nec ad beneficia obtinenda rehabilitare. Ampliùs cùm eſſet quæſitum an Epiſcopus ex di-
9 cto *cap.* 6. poſſet abſolvere à ſuſpenſione, & irregularitate eum, qui ante legitimam ætatem ſe fecit ſcienter ad ſacros ordines promoveri, & in eiſdem miniſtravit, ita ut deinceps tuta conſcientia, & abſque periculo irregularitatis propterea incurrendæ poſſet ſic abſolutus in dictis malè ſuſceptis ordinibus miniſtrare, præſuppoſito quod defectus ætatis ſit occultus, Sac. Congregatio reſpondit, ſi is Clericus pervenit jam ad ætatem legitimam, poſſe Epiſcopum cum illo diſpenſare, tàm ſuper ſuſpenſione, quàm ſuper irregularitate; ſi nondum ad legitimam ætatem pervenit Clericus, Epiſcopum non poſſe, ſed petendam diſpenſationem à Sede Apoſtolica. Demum aliis omiſſis declaravit Epiſcopum non poſſe diſpenſare cum ſibi ſubito vero bigamo ad minores ordines, & beneficia ſimplicia, & Congregationis ſententiam ad ſe relatam approbavit Gregor. XIII. ut pleniùs dixi in *cap. Super eo, infrà de bigam.* Igitur ex mente Sacr. Congregationis facultas, quam habent Epiſcopi diſpenſandi reſtricta eſt ad terminos Concilii, ideſt ad irregularitates, & ſuſpenſiones ex delicto occulto provenientes, ita ut in aliis diſpenſare non liceat, niſi in caſibus, in quibus à jure id eis apparet permiſſum, ſed pro diſpenſatione Sedi Apoſtolicæ ſit adeundum.

10 Non obſtat Decretal. *Nuper, infrà de ſentent. excomm.* ubi conſtituitur contraria regula, ibi, *Quia tamen Conditor Canones ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*. Ete- 11
nim primo loco reſpondet Archid. in *d. cap. Licet canon, num.* 3. *in fin.* ſuperſtitioſam eſſe talem objectionem, & inutilem, cùm non loquatur in diſpenſatione, quæ habetur jus vulnerare, & communiter eſt prohibita; ſed in abſolutione ab excommunicatione, quæ eſt favorabilis, & per quam jus minimè vulneratur. Eamdem ſolutionem poſuit 12
gloſſ. in *cap. Cupientes, in ver. Suſpenſos, de elect. lib.* 6. Philip. relatus ab Anton. de Butr. in *d. c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis, num.* 11. *verſ. Prima opinio, de Judiciis*, dicens text. in *d. cap. Nuper*, loqui in abſolutione ab excommunicatione, quæ faciliùs permittitur, quàm diſpenſatio; jura enim nolunt, ut quis in excommunicatione decedat, *cap. Qua fronte, de Appell. cap. Cùm illorum de ſentent. excommunicationis*; atque ita ſecundùm eum major eſt diſpenſatio, quàm abſolutio. Et eodem modo ſolvit Çardin. *hic n.* 2. *in* 3. *oppoſitione*, ſubdens diſpenſationem fieri contra jus, & ideò intelligi prohibitam, niſi inveniatur permiſſa, ut hìc: abſolutionem verò fieri ſecundùm jus, & ideò intelligi permiſſam, niſi inveniatur prohibita, ut in *d. c. Nuper*, & ſequuntur Bellam. *n.* 4. Quæ diſtinctio veriſſima eſt, & pro ea pondero decretum Concil. Trid. in *d. c.* 6. *ſeſſ.* 24. 13
nam in princ. ubi tribuitur Epiſcopis facultas diſpenſandi in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, nulla fit mentio reſervationis Apoſtolicæ; ſed poſteà dum datur illis poteſtas abſolvendi in quibuſcumque caſibus occultis, adduntur illa verba, *Etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis*. Inquiro, cur in primo caſu S. Synodus non meminerit reſervationis. Certè non alia ratione, niſi quia Epiſcopi carent diſpenſandi poteſtate, non ex vi reſervationis Papalis, ſed quia diſpenſatio illis non eſt conceſſa. Unde reſervationis qualitas ineptè adjecta fuiſſet, quia nulla eſt differentia quoad hoc inter reſervata, & non reſervata, ſed indiſtinctè omnis diſpenſatio prohibita eſt, niſi appareat permiſſa, juxta tex. hìc. In ſecundo autem caſu neceſſe fuit addere verba illa, *Etiam in caſibus reſervatis*, quia Epiſcopi facultatem habent abſolvendi à quibuſcumque caſibus non ſolùm occultis, ſed etiam publicis, niſi conditor canonis abſolutionem ſibi retinuerit, juxta regulam *d. c. Nuper, de ſent. excomm.* Undè ſi Concilium dediſſet illis facultatem abſolvendi nulla facta mentione reſervationis, utique contuliſſet, quod priùs habebant, & nihil novi illis contuliſſet, contra text. in *c. In his, de privil.*

Reſpondetur ſecundò regulam *d. cap. Nuper*, quatenus 14
procederet etiam in diſpenſatione, tamen non habere locum niſi in criminibus, in quibus diſpenſant Epiſcopi, niſi ei ſit expreſsè prohibitum, ſecundùm gloſſ. *hic in ver. Permiſſa, in fin.* Innoc. *n.* 2. Butr. *n.* 12. Bellam. *n.* 4. & alios præallegatos. Ratio eſt, quia in Adulterio, & minoribus criminibus à jure tributa eſt poteſtas Epiſcopis diſpenſandi, ut eſt caſus in *d.* §. *De adulteriis*. Ergo in vim illius generalis facultatis conſtituenda eſt regula affirmativa, ut diſpenſatio ſit permiſſa, niſi appareat prohibita, ut ibi omnes notant, & in ſpecie Abb. *n.* 6. *verſ. quandoque conſtitutio*; & Jo. Andr. poſt Hoſt. in *c.* 1. *n.* 3. *de ſupplen. neglig. Prælat. lib.* 6. Et ita intelligo gloſſ. primam in *c. Miror.* 50. *diſtinct.* & gloſſ. 1. in *dict.* §. *De adulteriis*. Rationem verò differentiæ cur liceat Epiſcopo in criminibus diſpenſare, & non in aliis aſſignat Petrus de Sampſone in ſua notabili diſtinctione, quæ ponitur in additione, poſt gloſſ. primam in *dict.* §. *De adulteriis*, Specul. in *tit.* 2. §. *Nunc de Epiſcoporum, verſ. Sed cum Epiſcopus*, Butr. in *c. fin. de fil. presbyt.*

Reſpondet tertio loco Innocent. *hic num.* 2. dicens: ubi 15
jus concedit diſpenſationem ſimpliciter Epiſcopus diſpenſare poteſt. Et ſic loquitur *infrà de ſentent. excommun. Nuper, de Cleric. excommunic. miniſtr. poſtulaſtis*. Si autem diſpenſatio non conceditur à canone, numquam poteſt Epiſcopus diſpenſare, etiamſi in canone reperiatur, quod Papa diſpenſet, ut in *cap. Quod dilectio, infrà de conſang. & affinit* & in *c. Quod ſcripſi, aliàs eſt, c. Quædam lex.* §. *Quod ſcripſi*, 35. *quæſt.* 3. quia cum Epiſcopi debeant ſervare canones, non debent contrafacere, niſi expreſsè concedatur, 35. *quæſt.* 1. *cap.* 1. 2. *&* 3. Ita Innoc. qui tandem reſidet in hac ſolutione, & eam ſequuntur hìc Jo. Andr. *num.* 13. *verſ. Vel dic forte melius*, Card. *num.* 2. *in* 3. *oppoſition.* & Bellam. *num.* 4. *verſ. Quarta ſolutio*. Et quamvis quod ſpectat ad *d. c. Nuper*, eadem ſolutio non

videatur procedere, quia ibi non permittitur diſpenſatio, ſed dicitur videri permiſſum, niſi appareat prohibitum, ut advertit Card. *d. num.* 2. tamen ille text. non loquitur in diſpenſatione, ſed in abſolutione ab excommunicatione, ut dictum eſt in prima ſolutione.

16 Non me latet multos ex recentioribus Theologis firmare contrariam regulam, videlicet Epiſcopis intelligi conceſſam diſpenſandi facultatem, ſi illam Papa ſibi expreſsè non reſervaverit. Quod tenent Henriquez in *Summa lib.* 10. *c.* 35. §. 2. & *lib.* 12. *c.* 3. §. 2. *in comm. littera N.* Sanchez *de Matrimonio lib.* 1. *diſp.* 61. *n.* 8. Suarez *tom.* 4. *de Pœnit. diſp.* 25. *ſect.* 1. *n.* 13. & *de Legibus lib.* 6. *c.* 14. *ſub nu.* 3. & ducuntur hoc principali fundamento, quòd Epiſcopus de jure divino poteſt in ſua diœceſi quicquid poteſt Summus Pontifex in univerſo orbe, iis tantum exceptis, quæ idem Pontifex ſibi expreſsè reſervavit, ut docet Abulen. *c.* 19. *Matth. q.* 87. *littera E.* Victoria *de Matrimon. p.* 1. *num.* 7. Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 4. *verſ. At quo tandem*, & *lib.* 10. *de juſt. & jur. quæſt.* 1. *art.* 3. *ad ſecundum*, & ex Juriſperitis, Hammar. *de offic. leg. lib.* 10. *num.* 466. Majol. *de Irregul. lib.* 3. *cap.* 22. & *lib.* 5. *cap.* 1. Sed hanc doctrinam falſam, eſſe oſtendimus, *in cap.* 1. *infrà de offic. ordin.* & illius falſitas ſatis etiam evidenter apparet ex hac Decretali, ubi Epiſcopus diſpenſare non poteſt, non quia diſpenſandi poteſtas ſit illi adempta ex vi reſervationis, ſed quia diſpenſatio à canone non reperitur ei conceſſa. Prætereà etſi Epiſcopi ſint animarum Paſtores, & juriſdictionem habeant ordinariam in ſua diœceſi, tamen ſubſunt Romano Pontifici, & conſequenter illius canones ſolvere, & diſpenſando relaxare, ſeu temerare non poſſunt, ſecundùm Archid. & alios præallegatos: Et ſicut Papa quamvis habeat plenitudinem poteſtatis in Eccleſia univerſali, *c. Cum ex eo, de pœnit. & remiſſ. cap. Propoſuit, de conceſſ. præb.* tamen non diſpenſat contra jus divinum, cujus authoritas eſt à Deo, *cap. Sunt quidam*, 25. *quæſt.* 1. Ita nec inferior, eſto poſſit omnia in ſua diœceſi, diſpenſat contra Canones, qui à Summo Pontifice authoritatem accipiunt. Quo argumento utitur in terminis S. Thoma *in* 1. 2. *qu.* 97. *art.* 4. *ad tertium.*

17 Stat igitur communis regula, quòd Epiſcopi dipenſare non poſſunt, niſi appareat eis expreſsè permiſſum. Intelligitur autem expreſsè permiſſum, ſi Canon dicat ſimpliciter in aliquo caſu poſſe diſpenſari. Nam etſi expreſsè non indulgeat Epiſcopo diſpenſationem, tamen Epiſcopus diſpenſare poterit, ut tenent Joan. de Lign. & Joan. Calder. in *c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis de judic.* & fuit originale dictum Innocent. *hic num.* 2. *verſ. Vel dic*, & fortè melius, & notatur in *cap. Poſtulaſti, de Cler. excomm. miniſtr.* in gloſſ. 3. Idem firmant in *d.* §. *De adulteriis.* Anton. de Butr. *num.* 17. *verſ. Tamen eo quod jus ſimpliciter permittit diſpenſationem*, & Abb. *num.* 5. *verſ. Si verò expreſsè non indulget.* Archidiac. *in cap. Licèt Canon, num.* 3. *verſ. Et ibi aſſertivè dixit, de elect. lib.* 6. Joan. Andr. poſt Hoſtienſ. *in cap.* 1. *Super gloſſ. penult. de ſupplen. neglig. Prælat. eod. lib.* Bellam. *hic num.* 4. *verſ. At finaliter teneatis*, Silveſtr. *in verb. Diſpenſatio, num.* 15. *verſ. Tertio, quando Canon.* Ratio eſt, quia ubi jus exprimit, ut diſpenſari poſſit, jus ſervatur ſi diſpenſetur. Ergo ipſe Epiſcopus canonum cuſtos diſpenſare poteſt, quia ſic jura conſervat, ſecundùm Jo. de Lignan. & Archid.

18 Et quamvis Anton. de Butr. in *dict.* §. *De adulteriis, eodem num.* 17. *verſ. Si autem apparet ſpecificè permiſſa*, diſtinguat an conſtitutio ſit Concilii, an alia, ut primo caſu non poſſit inferior diſpenſare, per text. in *cap. final. De fil. Presbyter*, & *cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu Monachor.* In ſecundo caſu poſſit: tamen hanc differentiam reprobat ibi Abb. *num.* 5. *verſ. Sed iſta differentia mihi non placet, nec jure probatur.* Ex quo enim conſtitutio cujuſcumque illa ſit, indulget diſpenſationem, ſatis videtur concedere Epiſcopis, maximè ut verba aliquid operentur; nam reſpectu Papæ non poteſt intelligi, quia illius auctoritas ſemper intelligitur excepta, *cap. Significaſti, ſuprà de elect.* Et ſic Epiſcopus hoc caſu diſpenſando non tranſgreditur, quin potiùs ſequitur Concilium indulgens diſpenſationem. Sequitur Card. Jacobat. *de Concilio lib.* 5. §. 7. *art.* 19. Felin. *in cap. Nonnulli, num.* 3. *de reſcript.* & Covarr. *in cap. Alma mater, par.* 1. §. 7. *num.* 8. *De ſentent. ex-*

19 *commun. lib.* 6. Sunt enim Epiſcopi Executores Canonum, & diſpenſatores in cunctis, *cap. Perlectis*, 25. *diſt.* & notat Vincent. in *d.* §. *De adulteriis*, & poſt eum Bellam. *hic eodem numer.* 4. Hoſtienſ. *in cap.* 1. *num.* 5. & ibi etiam Joan. Andr. *num.* 3. *de ſupplend. negligen. Prælat. lib.* 6. Secus ſi Concilium non indulgeret diſpenſationem, ſed generaliter diſponeret, quo caſu loquuntur jura per Butr. allegata. Pro qua concluſione facit ſecundùm Abb. quia diſpenſatio non eſt ſtricti juris reſpectu diſpenſantis, imò quid favorabile, cùm ſæpè diſpenſatio ſit neceſſaria, & debita, ut notatur in *cap. Ut conſtitueretur*, & *cap. Domino Sancto*, 50. *diſtinct.* in *cap. Exigunt*, & *cap. Diſpenſationes*, 1. *quæſt.* 7. & tradit Anton. de Butr. in *cap. Niſi cùm pridem*, §. *Perſonæ verò*, *num.* 36. *de renunciat.* Primam tamen opinionem Butr. conantur tueri Aret. & Dec. in *dict.* §. *De adulteriis*, & pro eis facit decretum Concilii Trid. *in cap.* 5. *ſeſſ.* 24. *De reformat. matrim.* ubi dicitur poſſe diſpenſari cum his, qui bona fide, & ſolemnitatibus adhibitis in gradu prohibito matrimonium contraxerunt, & in ſecundo gradu inter magnos Principes, & ob publicam cauſam, & hic Concilium permittit diſpenſationem, & tamen certum eſt in impedimentis dirimentibus Epiſcopum non poſſe diſpenſare, præſertim in ſecundo gradu, *c. Deus qui infr. de divort.* gloſ. in *c. Propoſuit, in verb. Diſpenſare, de conceſſ. præb.* 20

Duos autem & viginti caſus, in quibus poſſunt, & unde viginti, in quibus non poſſunt Epiſcopi diſpenſare, recenſent hìc Innoc. *num.* 2. Hoſt. *n.* 3. Joan. Andr. *num.* 1. *in fin.* Butr. *n.* 17. Card. *num.* 4. De quibus in Speculat. *in tit. de diſpenſ.* §. *Nunc de Epiſcoporum*, & ex his aliquos concedit Eccleſia, quos negat Innocentius; & aliquos concedit Innocentius, quos negat Eccleſia, ut hìc per Abb. *n.* 7. & de his conſule Silveſtr. *in ver. Irregularitas*, & fuſiùs Navarr. *in Man. c.* 27. 21

Hodie verò ut ſuperius tetigimus, ex decreto Concilii Trident. in *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. Licet Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus diſpenſare, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, & in quibuſcumque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere: Idemque in crimine hæreſis eis tantùm, non autem eorum Vicariis eſt permiſſum. 22 23

Nec refert quòd Hoſtienſ. in *c. Niſi cùm pridem*, *n.* 74. *in verbo Culpa latet*, & poſt eum Joan. Andr. *num.* 53. *ſuprà de renuntiat.* dicant peccatum latens non inducere irregularitatem, in qua requiratur Prælati diſpenſatio, ſed irregularitatem, etiamſi illius culpa lateat, benè requirere diſpenſationem, quia hoc verum non eſſe conſtat apertè ex decreto *dict. c.* 6. ubi apparet ex delicto occulto provenire irregularitatem, in qua ſuperioris diſpenſatio requiritur: multa enim ſunt crimina, quæ utcumque occulta impediunt ordinis executionem, etiam poſt peractam pœnitentiam, *c. Inquiſitionis, infrà de accuſat. dict. c. Niſi cùm pridem*, §. *Propter conſcientiam*, ut ibi dixi, atque ita indultum Concilii non eſt inutile. 24

Porrò ex ſententia S. Congregationis Concilii Epiſcopi illarum regionum, in quibus Conc. adhuc receptum non eſt, non poſſunt uti facultate in hoc decreto conceſſa. Nec Prælati Regularium, atque alii Abbates juriſdictionem habentes quaſi epiſcopalem, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, ſed tantùm Epiſcopi. 25 26

De Cardinalibus autem, qui habent titulos Eccleſiarum Urbis, cùm dubitatum eſſet an poſſent in ſuis Eccleſiis Titularibus, & in earum ſubditis uti illis facultatibus, quæ à Concilio Tridentino tributæ ſunt Epiſcopis in ſuis civitatibus, & diœceſibus, & ſpecialiter illis, quæ comprehenduntur hoc decreto: diſcuſſo articulo Gregorii XIII. dixit ſe nolle ea, quæ Epiſcopis conceſſa ſunt à Concilio Tridentino competere Cardinalibus in ſuis titulis, quia licèt habeant quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ibi tamen verè, & propriè Epiſcopi non ſunt. Quod dictum interpretata eſt Sacra Congregatio approbante Summo Pontifice quoad facultates conceſſas Epiſcopis à Concilio. Unde extra illas ſalva manebit juriſdictio Cardinalium in ſuis titulis, prout Doctores illis attribuunt in *c. His quæ, de major. & obed.* 27

Sed

28 Sed quæritur an Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate proveniente ex mutilatione membri in caſibus occultis ex decreto *dict. cap. 6. ſeſſ.* 24. Non videtur, quia cùm à Concil. excipiatur ea irregularitas, quæ provenit ex homicidio voluntario, videtur etiam excepta irregularitas quæ provenit ex membri mutilatione, quæ illi æquiparatur, ut per gloſſ. *in Clem. 1. in verbo Mutilet, de homi-*
29 *cid.* Sed contrarium reſpondit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres ab Epiſcopo Cremonenſi conſulta; quia æquiparatio homicidii, & mutilationis ibi fit quoad incurrendam ipſam irregularitatem. At præſens quæſtio eſt quoad facultatem diſpenſandi ſuper ea. Et quamvis *Summa* Angel. *in verbo Homicidium*, 5. *num.* 3. videatur ſentire idem etiam quoad diſpenſationem. Tamen gloſſ. *in d. Clem.* loquitur tantùm quoad ipſam irregularitatem, & ita quoque Hermanerus ſenſit.
30 Sed numquid Epiſcopis facultate ſibi tributa in *d. c. 6. ſeſſ.* 24. in caſibus occultis poſt Concilium ex nova lege Sedi Apoſtolicæ reſervatis etiam cum clauſula, *Non obſtantibus*, abſolvere poſſit. Sacra Congregatio cenſuit non
31 poſſe. Et in ſpecie cùm dubitatum fuerit, an Epicopus, & Inquiſitores poſſint hodie ex *d. cap. 6. ſeſſ.* 24. abſolvere lapſos in hæreſim, non obſtante Bulla Cœnæ Domini: cenſuit eam Bullam derogaſſe decreto *cap. 6.* Unde fruſtra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controverſiam adducunt cùm habeamus claram determi-
32 nationem Sacræ Congregationis. Præterea cùm dubitaſſet Archiepiſcopus Florentinus an vigore *cap. 6. ſeſſ.* 24. poſſet abſolvere quamdam Monialem, quæ occultè, & ad malum finem fregerat clauſuram, non obſtante Bulla S. Pii V. quæ videtur habere locum in caſu publico; variatum eſt ſententiis: nam ex decem Cardinalibus, tres cenſuerunt Bullam intelligendam eſſe etiam in occultis, quia illius verba ſunt generalia, & eſt tantùm exceptus caſus niſi in morti articulo, &c. Et quia jam declaratum Bullam Cœnæ Domini, quæ prohibet ab aliis abſolvi, habere locum etiam in occultis. Et quia cùm Bulla ſit confecta poſt Concilium, cenſetur derogaſſe Concilio. Quatuor cenſuerunt eam Bullam non habere locum in caſibus occultis. Reliqui autem tres dixerunt agendum cum Sanctiſſimo, qui declaravit Bullam S. Pii V. habere locum etiam in occultis. Tamen conceſſit facultatem Archiepiſcopo abſolvendi illam Monialem. Unde poſtea Sac. Con-
33 gregatio generaliter conſulta, An ſi Monialis, alicujus monaſterii juriſdictioni Regularium ſubjecti ſecretò deliquerit in materia clauſuræ, in foro conſcientiæ abſolvi poſſit vigore ejuſdem decreti ab Epiſcopo, cui tamquam delegato in iis, quæ ad clauſuram pertinent, auctoritas
34 tributa eſt decreto *cap. 5. ſeſſ.* 25. *De Regular.* ſtante prædicta Bulla S. Pii V. reſpondit non poſſe. Epiſcopo autem lapio in aliquod delictum, de quo in *dict. cap. 6. ſeſſ.* 24. ex ſententia Sac. Congregationis licet ad ſe abſolvendum proprium ipſius Confeſſorem deputare cum eadem authoritate quam ipſe poſſet, ex eodem *c. 6.* in alios ſibi ſubditos exercere, etiamſi Epiſcopus Romæ eſſet, & ſic extra ſuam diœceſim.

Sed cùm eſſet quæſitum, An forenſis, qui habet do- 35
mum, & commoratur in civitate, vel diœceſi, diceretur ſubditus Epiſcopo illius civitatis, vel diœceſis, cum ibidem Eccleſiaſtica Sacramenta percipere teneatur; & ita an ab eodem Epiſcopo abſolvi poſſet in caſibus dicti *cap. 6.* quamvis crimen ſit alibi commiſſum: Gregorius XIII. audita relatione Congregationis declaravit poſſe abſolvi in Sacramento pœnitentiæ ab illo Epiſcopo, in cujus civitate, vel diœceſi commoratur, ſed non diſpenſari.

Nec poſteà probavit Gregorius diſtinctionem Abb. in 36
c. Omnis utriuſque, de pœnit. & remiſs. nam ſuborta dubitatione, an diſpoſitio Concilii Tridentini in *d. cap. 6. ſeſs.* 24. quod liceat Epiſcopis in quibuſcumque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes ſibi ſubditos in diœceſi ſua in foro conſcientiæ gratis abſolvere, comprehendat forenſem fungentem Prætoris, vel Medici officio, & commorantem in civitate, vel diœceſi, adeò ut tamquam ſubditus, ex quo ibi Eccleſiaſtica Sacramenta percipere tenetur, debeat cenſeri: Sacr. Congragatio cenſuit Epiſcopum poſſe hos abſolvere tamquam verè ſubditos ex facultate ei attributa, *d. cap. 6.* poſſe item diſpenſare quando eſt materia conjuncta, nempè idem factum in eadem perſona concurrens, ex quo & peccatum, & irregularitas incurratur, ex doctrina Abb. in *cap. Omnis utriuſque, numer. 23. de pœnitent. & remiſſion.* Verùm relata ad Gregorium XIII. Congregationis ſententia, Sanctitas Sua dixit poſſe Epiſcopum abſolvere dumtaxat in Sacramento Pœnitentiæ, non autem diſpenſare.

Sed quæres an delictum coram uno, aut duobus te- 37
ſtibus dicatur occultum, adeò ut Epiſcopus cum delinquente poſſit diſpenſare in foro conſcientiæ, juxta *dict. cap. 6.* S. Congregatio hac de re conſulta cenſuit hoc pendere ex diſpoſitione juris communis, Poſteà tamen cùm dubitatum eſſet an abſolutus, & diſpenſatus à proprio Epiſcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus teſtibus, quod tamen non fuit notorium; eſſet tutus in conſcientia: Reſpondit non eſſe tutum, quia Concilium utitur termino *occulto*, quod propriè loquen- 38
do eſt illud, quod probari non poteſt. Abb. in *c. Veſtra, de cohab. Cler. & Mulier.* At per duos teſtes probari poteſt, & verba Concilii debent accipi ſecundùm proprietatem.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, qui renunciavit Epiſcopatui.

Alexander III. Toletano Archiepiſcopo:

CAPUT I.

Requiſivit à nobis tua fraternitas, utrùm cleri, qui poſt renunciationem factam à prædeceſſore tuo ordines receperunt, in ipſis debeant remanere: & infrà. Reſpondemus igitur diſtinguendo, utrùm renunciaverit loco tantùm, an loco ſimul & dignitati: nam in primo caſu ordines (ſicut anteà) rogatus ab Epiſcopo aliquo poterit de ratione conferre: In ſecundo verò caſu diſtinguendum putamus, utrùm ſacros contulerit an minores. Si enim à tali ordines uſque ad Subdiaconatum aliquis acceperit: quia & hujuſmodi ordines à non Epiſcopis quandoque conferuntur, & in illis deſervire poterit, & ad majores (ſi idoneus fuerit) promoveri. Sanè ſi ab eodem ſacros ordines ſcienter quis receperit, quia indignum ſe fecit, executionem officii non habebit: ubi autem non ſcienter, poterit (niſi craſſa & ſupina fuerit ignorantia) diſcretus Pontifex diſpenſare.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopus, qui renunciavit loco tantum, invitatus poteſt ordinare ſicut prius. Si vero & dignitati, characterem imprimit; ſed non confert executionem, & num. ſeqq.*
Diſpenſat Epiſcopus ſuus cum ordinato ad minores, vel ignoranter ad ſacros ab Epiſcopo, qui renunciavit loco, & dignitati, ibidem.
2 *Ordinis poteſtas per reſignationem Epiſcopi mortificatur, ſed non funditus moritur.*
3 *Character Epiſcopalis animæ infixus à Deo per miniſterium hominis deleri non poteſt, & num. 34. & ſeqq.*
4 *Reſignatio non ſubtrahit Epiſcopo Ordinem, ſed executionem.*
5 *Ordini renunciare quid importet.*
6 *Epiſcopus, qui renunciavit Ordini, poteſt de licentia Papæ executionem reaſſumere ſine nova conſecratione.*
5 *Character Ordinis, habitus, & exercitium qualiter conſiderentur in ordinante.*
8 *Epiſcopatus an ſit Ordo Sacramentalis imprimens characterem, latiſſimè diſcutitur uſque in finem.*
9 *Opinio eorum qui dixerunt Epiſcaptum non fuiſſe à Chriſto inſtitutum, refellitur tamquam erronea, & n. 69. & ſeqq.*
10 *Epiſcopatum non eſſe Ordinem, prout eſt Sacramentum, ſed prout eſt officium, & poteſtas ad actiones hierarchicas, qui Authores ſenſerint.*
11 *Ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt, & numero 70.*
12 *Concilium Florentinum, & Tridentinum expenditur pro ſententia Theologorum, & n. 78.*
13 *Ordo non requirit characterem alterius Ordinis ex neceſſitate Sacramenti, & n. 81.*
14 *Ordinatus in Presbyterum omiſſo Diaconatu, vel Subdiaconatu recipit characterem, licèt non Ordinis executionem.*
15 *Epiſcopalis conſecrationis fundamentum eſt Sacerdotium, ſine quo nihil recipitur.*
Contrarium, n. 79.
Declaratur, n. 81.
16 *Ordinis Sacramentum confertur in Sabbatis quatuor Temporum; Epiſcopatus verò tantum in Dominicis.*
17 *Epiſcopi conſecratio non fuit inſtituta immediatè à Chriſto.*
Contrarium, n. 68. & ſeqq. & n. 85.
18 *Jacobus frater Domini fuit primus Epiſcopus ab Apoſtolis ordinatus, & n. 85.*
19 *Euangeliorum liber non potuit eſſe materia conſecrationis Epiſcopalis ante obitum Chriſti, & cur, & n. 86.*
20 *Ordo, ſecundùm quod eſt Sacramentum, ordinatur ſpiritualiter ad Sacramentum Euchariſtiæ.*
Declaratur, n. 88. & ſeqq.
21 *Epiſcopus quoad Sacramentum Euchariſtiæ non habet poteſtatem ſuperiorem ſimplici Sacerdote.*
Declaratur, n. 88. & n. 92. & ſeqq.
22 *Ordinum diſtinctio eſt propter Altaris ſacrificium, poſt cujus conſummationem ulterius non eſt Ordo, & nu. 88. & 93.*
Contrarium, 90.
23 *Ordo duplex, & de quo ordine intelligantur Canones loquentes de ordine, & ordinatione Epiſcopi.*
24 *Ordines hierarchici tres à Dionyſio aſſignantur, & num. 41.*
25 *Epiſcopi poteſtas quamvis ſit indelebilis, tamen non habet rationem charecteris.*
26 *Epiſcopatum eſſe Ordinem Sacramentalem, ſed non diſtinctum ab Ordine Sacerdotali, qui Theologi tradiderint.*
27 *Ordinem Epiſcopalem imprimere characterem, & non eſſe Sacramentum, non compatiuntur.*
28 *Character Sacerdotalis in impoſitione manuum extenditur ad poteſtatem ligandi, & ſolvendi.*
Contrarium, num. 91.
29 *Ordo unus eſt eminentior alio, ſecundùm quod proximius ordinatur ad Sacramentum Euchariſtiæ, & n. 88.*
30 *Actus conſecrandi Euchariſtiam, qui ad Sacerdotem pertinet, eſt principalior & nobilior, quàm actus conſecrandi Miniſtros, qui pertinet ad Epiſcopum, & n. 93.*
31 *Finis eſt potior iis, quæ ſunt ad finem.*
32 *Ordo Epiſcopalis eſt ſuperior Presbyterali, & numer. 93.*
33 *Canoniſtæ in quo differant ab opinionibus Theologorum circa ordinem Epiſcopalem.*
34 *Poteſtas, quæ confertur Epiſcopo in conſecratione, an attingat rationem characteris, & numero ſequenti.*
35 *Poteſtas conferendi minores Ordines, quam accipit Abbas in impoſitione manuum, poteſt in totum ab Eccleſia auferri.*
36 *Abbas benedictus ordinando poſt Eccleſiæ prohibitionem, ſeu mandati revocationem, non imprimit characterem.*
37 *Papa poteſt facere de Monacho non Monachum.*
38 *Conſecrationis, vel poteſtas in conſecratione collata auferri poteſt per Papam, præter Sacramentalem.*
Res ſacræ an poſſint in profanos uſus converti authoritate Epiſcopi, ibid.
39 *Ordinis poteſtas remanet in Epiſcopo etiam degradato.*
40 *Intellectus*, c. Cleros, 21. diſt.
41 *Gradus appellatione quid veniat.*
42 *Intellectus*, c. Perlectis, 25. diſt.
43 *Concilium Carthaginenſe quarum expeditur pro ſententia Canoniſtarum.*
44 *Intellectus*, c. Diaconos, 93. diſt.
45 *Intellectus*, cap. 1. 32. diſtinct. & cap. Quia ſanctitas, 50. diſt.
46 *Sacerdotale officium poteſt eſſe ſine Pontificali, ſed non è converſo, & n. 79. & ſeqq.*
47 *Epiſcopatum eſſe Ordinem Sacramentalem, & diſtinctum ab Ordine Presbyterali, deducitur ex Concilio Trid. & n. 71.*
48 *Dictio*, Cætera, *eſt implicativa ſimilium.*
49 *Canones loquentes de Ordine, & ordinatione Epiſcopi, generaliter expenduntur.*
50 *Gratia in Sacramentis confertur, non autem in ſacris cæremoniis non eſſentialibus.*
51 *Ordinatio Epiſcopi gratiam confert.*
52 *Ordo quid ſit.*
53 *Sacramentum quid.*
54 *Ordini Epiſcopatus convenit diffinitio Ordinis, & Sacramenti.*
55 *Materia Ordinis Epiſcopalis quæ ſit.*
56 *Unctiones in conſecratione Epiſcopi non ſunt de ſubſtantia.*
57 *Opinio aſſerentium impoſitionem libri Euangeliorum non eſſe materiam Ordinis Epiſcopalis, ſed manuum impoſitionem, refellitur.*
58 *Græci conveniunt cum Romana Eccleſia in impoſitione libri Euangeliorum ſuper cervices Epiſcopi conſecrandi.*
59 *Forma in ordinatione Epiſcopi quæ ſit.*
60 *Ordinum diverſitas elicitur ex diverſitate materiæ, & formæ.*
61 *Item ex diverſitate miniſteriorum, & poteſtatis.*
62 *Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel poteſtatem, quam habent confirmandi, & ordinandi, eſſe cum Presbyteris communem, eſt hæreſis, & num. 89.*
63 *Græci qua forma utantur in ordinatione Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi.*
64 *Poteſtas ſpiritualis duplex.*
65 *Cardinalis eſt major Epiſcopo dignitate, & officio; Epiſcopus eſt major Ordine, & n. 67.*
66 *Epiſcopi ſunt pares Apoſtolico quantum ad Ordinem, & poteſtatem conſecrationis.*
67 *Epiſcopus eſt major ordine Presbytero Cardinali.*

68 Or-

68 *Ordines à Chriſto inſtituti verè, & propriè ſunt Sacramentum.*
69 *Ordo Epiſcopalis eſt ex divina inſtitutione, & num. ſeqq.*
70 *Sacerdotum Ordo bipartitus eſt.*
71 *Hierarchia Eccleſiaſtica conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris.*
72 *Epiſcopum in primitiva Eccleſia non fuiſſe diſtinctum à Presbytero in collatione Sacramentorum, eſt error.*
73 *Epiſcopus in caſibus à Jure expreſſis actualiter degradatur adhibitis duodecim Epiſcopis.*
74 *Degradatio fit ab Ordine tantum; Depoſitio vero ab officiis, & dignitatibus.*
75 *Res omnis per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.*
76 *Cardinalis depoſitus non retinet dignitatem, ſed Ordinem ſacrum, qui erat impreſſus.*
77 *Ordines novem computantur in Eccleſiaſtica, ſicut in cœleſti hierarchia.*
78 *Dictio*, Sicut, *eſt exemplificativa.*
79 *Ordinis Epiſcopalis collatio an teneat ſi Epiſcopus non ſit ſacerdos, & n. ſeqq.*
80 *Intellectus* c. Ex litteris, de exceſſ. Prælat.
81 *Epiſcopatus cur prærequirat ſacerdotium, & alii Ordines non prærequirant characterem Ordinum inferiorum.*
82 *Epiſcopi actus principalis eſt Miniſtros Eccleſiæ ordinare.*
83 *Epiſcopus conferre non poteſt Ordinem, quem non habet.*
84 *Epiſcopatus eſt ſummus Ordo.*
85 *Intellectus*, c. In novo, 21. diſt.
Petrus fuit primus Epiſcopus à Chriſto inſtitutus. ibidem.
86 *Epiſcopi tres in conſecratione Epiſcopi ſunt adhibendi ex neceſſitate Sacramenti.*
87 *Jacobum fratrem Domini tres Apoſtoli conſecrarunt, ſed unus tantum Epiſcopus, id eſt, Petrus.*
Canon Apoſtolorum primus expenditur, ibidem.
88 *Ordo Sacramentalis non requirit ad ſui eſſe miniſterium cooperativum in ipſo actu conſecrationis Euchariſtiæ.*
89 *Ordo Epiſcopalis quam relationem habeat ad Euchariſtiæ Sacramentum.*
91 *Character Sacerdotalis non extenditur in ordinatione Epiſcopi, ſed novus imprimitur.*
92 *Poteſtas tanto eſt altior, quanto ad plura ſe extendit.*
93 *Epiſcopalis poteſtas in quo excedat poteſtatem Sacerdotalem.*
94 *Character Ordinis prærequirit ex neceſſitate Sacramenti characterem Baptiſmi.*

1 R*Equiſivit*. Epiſcopus, qui renunciavit loco tantùm, invitatus conferre poteſt Ordines ſicut priùs. Si verò & dignitati, cum ordinato per eum ad minores, vel ignoranter ad ſacros diſpenſat Epiſcopus ſuus; cum ordinato verò ſcienter ad ſacros non diſpenſat. Hoc dicit ſecundùm omnes. Et reſpectu minorum Ordinum fuit originaliter intellectus Vincentii, Goffredi, & Tancredi, qui expoſuerunt litteram ibi, *poterit*, id eſt, diſpenſativè, ut refert Jo. Andr. *num. 7. in ver. Poterit*, & Card. *in princ. in eod. ver.* Dividitur in duas partes. In prima ponitur conſultatio. In ſecunda, reſponſio diſtinguens: ibi, *reſpondemus*. Et hæc iterum ſubdiſtinguit, ibi, *in ſecundo*.

Nota primò, ſecundùm Anton. de Butr. *num.* 1. Abb. *eodem num. in* 1. *notab.* & Joan. de Anania *in princip.* duo jura concurrere in Epiſcopo. Primum, jus dignitatis Epiſcopalis cohærens perſonæ, quod acquiritur per conſecrationem. Secundum, jus adminiſtrationis cohærens loco, cui præſidet, quod acquiritur per confirmationem, *cap. Tranſmiſſam, ſupra de elect.* Et quoniam poteſtas in his, quæ ſunt in habitu Ordinis, reſidet in dignitate cohærente perſonæ; quoad exercitium verò reſidet in loco, cui præeſt, & in quo habet adminiſtrationem: Et hæc jura non ſunt individua, ſeu inſeparabiliter connexa, cùm uni poſſit renunciari ſine altero, ſi inhonoretur à loco; inde fit ut Epiſcopus, qui renunciavit loco, id eſt, adminiſtrationis, ſed non dignitati, poſſit illa quæ ſunt ordinis, quoad habitum, ſed non quoad exercitium, quia caret ſubditis, exemplo Epiſcopi titularis clero, & populo carentis, ut in Clem. *In pleriſque, de elect.* & in decreto Concilii Tridentini *c. 2. ſeſſ.* 14. quaſi dicat, bonus faber eſt, non deeſt ei niſi materia, ſuper qua fabricet, ut formaliter dicunt hic Hoſtienſ. *in princip. in ver. De ratione*, & Joan. Andr. *num.* 7. *in eodem ver.* Unde ſi in ſubditis integretur per invitationem alterius Epiſcopi, qui habeat exercitium; utique poterit etiam ipſe ordines illis conferre, ut hic, & in *c. Cùm nullus, de temp. ordin. lib. 6.*

Secundò nota poteſtatem ordinis mortificari quidem 2
per reſignationem, quia Epiſcopus qui ceſſit loco, & dignitati ordinis, executionem non confert; ſed non funditus mori, quia ordinando benè imprimit characte- 4
rem, ut hìc, & in *cap. Conſultationi, ſuprà tit.* 2. & hic notant Innoc. *in ver. Executionem*. Hoſt. *in princ. in ver. Permanere*. Jo. Andr. *nu.* 3. *in ver. In ipſis*, & Card. *in princ. in eod. ver.*

Rationem aſſignat Henric. Boich. ante med. quia ſem- 3
per remanet ſibi character, & ſpirituale matrimonium, quod inter eum, & Eccleſiam generalem intelligitur eſſe conſummatum in conſecratione, *c. Licet, ſuprà de transl.* Et ſic collige ſingulariter ex hac Decretali, poteſtatem ordinis Epiſcopalis eſſe indelebilem, quia character animæ infixus à Deo per miniſterium hominis auferri non poteſt, *cap. Quod quidam*, 1. *quæſt.* 1. gloſſ. & DD. in cap. 1. & ibi dixi *infrà de ſchiſmat.* Et hoc inſinuat gloſſ. hic in ver. Executionem, & Hoſtienſ. *in eod. ver. num.* 3. dum dicunt reſignationem Epiſcopo non ſubtraxiſſe ordinem, ſed executionem.

Nec obſtat textus in *cap. Poſt tranſlationem, in fine, ſuprà* 5
de renunciat. ubi patet Epiſcopum poſſe renunciare non tantùm loco, & dignitati, ſed etiam ordini, ut ibi, *præſertim ſi locum tantum, & non ordinem reſignavit*. Nec non ibi: *loco tantummodo ceſſerit memorato, & non ordini, vel etiam dignitati*, Etenim illud verbum, *ordinem*, exponitur ibi à gloſſ. id eſt, ordinis executionem, quia, inquit, characteri nemo poteſt renunciare. Quinimò quærit gloſſ. 6
ibidem, *in ver. ordini.* Quid ſi Epiſcopus renunciaverit ordini, an nihilominus adhuc poſſit reaſſumere de licentia Papæ ſine nova conſecratione? Et reſolvit poſſe; quia, inquit, characterem retinuit, *c. Quod quidam*, 1. *q.* 1. *ver. Si fortè militiæ*, & *c. Licitè*, 32. *q.* 7. Et ideò ſola executio ſibi deeſt, quam reaſſumit de licentia Papæ. Et ita etiam declarat Innoc. *hìc in ver. Dignitati*, ait enim: Idem quod hic appellat renunciare dignitati, ſupra de renunciat. *c. Poſt tranſlationem*, appellavit renunciare ordini, id eſt, executioni ordinis, vel dignitatis; & ſequuntur Joan. Andr. *n.* 4. *verſ. Et dicit.* Innoc. Card. *n.* 3. & communiter DD. in *d. c. Poſt trans-* 7
lationem. Habeo igitur hìc optimum textum pro opinione Canoniſtarum, quòd Epiſcopatus ſit propriè ordo characterem imprimens. Unde benè ſecundùm Anton. de Butr. *hìc n.* 2. *In ordine, & in conferente conſiderantur tria, character ordinis, habitus, & exercitium. Primum quoad poteſtatem conferendi reſidet in charactere conſecrationis, & dignitatis Epiſcopalis. Secundum reſidet in habitu dignitatis Epiſcopalis prout cohæret perſonæ. Tertium reſidet in adminiſtratione dignitatis. Et ex hoc infertur ut habens omnia hæc tria, conferat characterem, habitum, & executionem: habens primum, & ſecundum, conferat characterem, & habitum, ſed non executionem; habens verò primum ſolùm, confeſerat characterem. Et nota argumentum quod ex toto renuncians dignitati Epiſcopali, non propterea ipſam quoad potentiam ordinandi perdit, quin ordinando characterem imprimat. Et ſecundùm hoc hic apertè videtur probari quod Epiſcopatus eſt ordo, & habet characterem, aliàs ut poſitivus ex toto tolleretur renunciatione.* Hæc Antonius de Butrio, licèt codex ſit corruptus, quia deeſt ſecundum membrum, & ſequitur Abb. *n.* 3. qui formalia verba Butrii, imò integram illius lecturam ſuper hoc Capitulo ad litteram tranſtulit in ſuam. Sed quia hic articulus graviſſimus eſt, & apud Theologos valdè controverſus, operæ pretium duxi illum diligenter examinare: nam Doctores noſtri leviter attingunt, nec materiam tractant ex principiis.

QUÆRO, an Epiſcopatus ſit ordo Sacramentalis im- 8
primens characterem.

Antiqua, & celebris controverſia, in qua non modò Catholici ab hæreticis diſſident, & Theologi à Canoniſtis, ſed nec Theologi conveniunt inter ſe. Unde in univerſum in hoc articulo quatuor ſunt opiniones. Pria opinio eſt eorum qui affirmant Epiſcopatum non eſſe de jure divino, ſed ex Pontificia inſtitutione. Et hi proculdubio ſentiunt Epiſcopatum non eſſe ordinem ſacramentalem, cum Sacramenta omnia, & in ſpecie Sacramentum Ordinis ſint immediatè ex inſtitutione Chriſti, ut in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de Sacram. can.* 1. & *ſeſſ.* 23. *De Sacram. ordin. can.* 3. Et hic quidem fuit quorumdam hæreticorum error, quos noviſſimè refert, & refellit Gabriel Vaſq. *in* 3. *par. D. Thom. to.* 3. *diſp.* 340. *c.* 3. In quem lapſi ſunt etiam nonulli ex Catholicis, quos latè confutavimus in *c. Quanto, ſuprà de conſuetud.*

10 Secunda opinio eſt illorum Theologorum, qui etſi ſentiant Epiſcopatum eſſe de jure divino, & in Eccleſia eſſe Hierarchiam Dei ordinatione inſtitutam: atque ad hunc hierachicum ordinem Epiſcopos præcipuè pertinere, juxta Catholicam veritatem hodie ab eodem Concilio diffinitam *ſeſſ.* 23. *de Sacram. ordin. c.* 4. & *can.* 6. & 7. Tamen putant Epiſcopatum non eſſe ordinem propriè, prout eſt Sacramentum, licèt alia ratione ordo dici poſſit, videlicet quia eſt officium quoddam, & poteſtas ad actiones hierarchicas in corpore myſtico Eccleſiæ, quam poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Quod docuerunt graviſſimi Theologi, inter quos præcipuè numerantur Albertus Magnus *in* 4. *diſtinct.* 24. *art.* 39. S. Thomas *in* 4. *diſtinct.* 24. *qu.* 3. *art.* 2. *quæſt.* 2. Richardus *ead. diſtinct. art.* 5. *q.* 2. & Palud. *q.* 7. Capreol. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. S. Bonaventura *in* 2. *part. diſtin.* 24. *art.* 2. *q.* 3. Scotus *q.* 1. §. *De ſecundo articulo.* Thomas de Argentina *q. un. art.* 2. *ad* 5. & 8. Abulen. *in cap.* 16. *Matthæi, qu.* 74. *col.* 2. Silveſt. *in ver. Epiſcopus. q.* 1. Cajetan. *tom.* 2. *opuſc. quæſt.* 1. *De ordin.* Ferrarienſ. *in* 4. *contra Gentes, c.* 76. §. *An hujus evidentiam.* Et hanc partem latè tuetur Cardin. Turrecrem. *in c. Cleros, n.* 14. §. *Ad quintum,* 21. *diſt.* Et latius Dominicus Sotus *in* 4. *diſt. qu.* 1. *art.* 3. & *lib.* 10. *de juſtit. & jur. q.* 1. *art.* 2. ubi etiam teſtatur eam receptionem eſſe apud Theologos. Quod & Covarr. affirmat eamdem ſequutus *lib.* 1. *variarum reſolut. c.* 10. *num.* 15. ubi
11 etiam citat Abb. *in c. Ex litteris, n.* 4. *de exceſſ. Prælat.* Quinimmo huic ſententiæ non immeritò adſcribitur Magiſter ſententiarum *in* 4. *diſt.* 24. *c. Sunt & alia:* nam poſtquam numeravit ſeptem ordines Eccleſiæ, & diffinivit quid ſit ordo; ſubdit eſſe alia nomina non ordinum, ſed dignitatum, & officiorum, & inter hæc recenſet Epiſcopum. Et quamvis in cap. ſeqq. dicat, ordinem Epiſcoporum quadripartitum eſſe; ſunt enim, inquit, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Metropolitani, & Epiſcopi, quod habuit ex Iſidoro *lib.* 7. *Etymolog. c.* 12. ut refertur in *c. Cleros,* §. *Ordo Epiſcoporum,* 21. *diſt.* tamen hoc loco accepit ordines in latiori ſignificatione, cùm manifeſtum ſit Patriarchatum non eſſe Sacramentum.

12 Pro qua opinione ponderatur primò Concilium Florentinum in decreto fidei Eugenii IV. poſt *ſeſſ.* 25. *in* §. *Sextum Sacramentum,* ubi ſic legitur: Sextum Sacramentum eſt ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo, ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem. Subdiaconatus verò per Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem. Et ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Et poſtea ponit formam Sacerdotii, & ſubdit; Et ſic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continetur, nec ibi ulla fit mentio de ordine Epiſcopatus. Quæ ſanè mentio omitti non potuiſſet, ſi Epiſcopatus eſſet ordo Sacramentalis, ex Silveſtro *in ver. Ordo, primo, n.* 1. *verſ. Tum quia jura.*

Secundò pro hac opinione inducitur Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de Sacram. ordin. c.* 2. ubi generaliter agitur de ordinibus tam majoribus quam minoribus, & ſinguli nominatim recenſentur à Presbyteratu uſque ad Acolythatum, & nuſquam agitur de Epiſcopatu. Ergo ex mente Concilii Epiſcopatus non eſt propriè ordo.

13 Tertiò probatur eadem opinio, quia nullus ordo prærequirit characterem alterius ordinis ex neceſſitate Sacramenti, cùm poteſtates ſint diſtinctæ, ut docet ſanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 2. *qu.* 5. Silveſtr. *in ver. Ordo, ſecundo, num.* 1. *verſ. Nec etiam.* Unde recipiens ordinem 14
poſteriorem omiſſo priori, non iterùm ordinatur in poſteriori, & ordinatus in Presbyterum omiſſo Subdiaconatu, vel Diaconatu recipit characterem ordinis Presbyteralis, licèt non ordinis executionem *c. Sollicitudo,* 52. *diſt.* & *cap. unic. de Cler. per ſal. promoto,* & eſt communis opinio, ut teſtatur ibi Abb. *num.* 4. Sed Epiſcopatus præſupponit cha- 15
racterem Presbyteratus ex neceſſitate conſecrationis; adeò ut ſi non Sacerdos conſecretur Epiſcopus, nihil recipiat, cum fundamentum hujus conſecrationis ſit Sacerdotium, argum. *c. Ex litteris,* ibi: *Cùm igitur Pontificale officium ſine Altaris miniſterio non valeat adimpleri, infrà de exceſſ. Prælat.* & tenent Hugo, & Archid. *in d. cap. Sollicitudo,* & Raymun. *in c. Gratia,* 1. *q.* 1. ubi dicit hujus opinionis eſſe omnes ferè Doctores, ut refert Turrecem. eamdem opinionem ſequutus in *d. c. Sollicitudo, nu.* 4. quam etiam dicit veriorem gloſſ. *fin. in d. cap. unic.* & Silveſtr. *loco citato,* ubi ait contrariam opinionem Joannis Andr. non teneri. Ergo Epiſcopatus non eſt ordo imprimens characterem. Quo argumento utitur Turrecrem. *in d. cap. Cleros, num.* 16. *verſ. Tertio,* 21. *diſtinct.* & Soto *in* 4. *diſtinct.* 24. *qu.* 1. *art.* 3.

Quartò, Sacramentum ordinis in Sabbatis, Quatuor 16
temporum confertur, *c.* 3. *de tempor. ordinat.* Epiſcopatus verò tantùm in Dominicis, *c. Qui in aliquo,* 51. *diſt.* & *cap. Quod die Dominico,* 75. *diſt.* Ergo Epiſcopatus non eſt ordo cùm normam cæterorum non ſequatur. Et ita arguit Soto *loco citat.*

Quintò ſecundùm eum, in conſecratione Epiſcopi nulla apparet materia, & forma Sacramenti, ſive conſideres unctiones, ſive traditionem baculi, ſive impoſitionem mitræ, ſive alia omnia. Ergo neque eſt ordo, neque Sacramentum, quia quilibet ordo, & unumquodque Sacramentum ſuam materiam, & formam peculiarem habet. Concilium Florentinum in decreto fidei Eugenii IV. poſt *ſeſſ.* 25. §. *Sextum Sacramentum,* & Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pœnitent. & Extremæ Unct. c.* 2. *in princ.*

Sextò Sacramenta omnia fuerunt inſtituta immediatè à 17
Chriſto, ut de Sacramentis in genere diffinitum eſt à Tridentina Synodo *ſeſſ.* 7. *de Sacram. can.* 1. & in ſpecie de Sacramento ordinis, *ſeſſ.* 23. *can.* 3. Conſecratio autem Epiſcoporum non fuit inſtituta à Chriſto immediatè. Tum quia à Petro Sacerdotalis, id eſt, Epiſcopalis cœpit ordo, ut legitur in *c. In novo,* 21. *diſt.* & Jacobus Apoſtolus Frater 18
Domini à Petro, Jacobo, & Joanne fuit ordinatus primus Hieroſolymorum Epiſcopus, ut in *cap. Porrò,* 66. *diſt.* ubi hoc latè probat Turrecrem. *num.* 1. Tum quia ad eſſentiam 19
conſecrationis Epiſcopalis requiritur impoſitio libri Euangeliorum ſuper cervice ordinandi, ut in *c. Epiſcopus cum ordinatur,* 23. *diſt.* ubi Turrecr. & latiùs dicam *infra num.* 55. Euangelium verò ante obitum Chriſti non fuit conſcriptum: nam primus omnium Euangeliſtarum hoc præſtitit Matthæus anno Chriſti 45. ſecundùm Irenæum *lib.* 3. *cap.* 1. ut exponit Card. Baron. *ad annum Chriſti* 42. *pag.* 278. *littera E,* & *pag.* 279. *littera* E, & dixi plenius in *cap. unico, nu.* 17. & 18. *de ſacra Unct.* & conſequenter cùm non potuerit eſſe materia conſecrationis Epiſcopalis, hujuſmodi conſecratio non fuit inſtituta immediatè à Chriſto; quia ſicut Sacramenta ipſa, ita illorum materia, & forma ſunt ex immediata Chriſti inſtitutione, ut fusè probavimus in *d. c. unic. de ſacra Unct.* Ergo conſecratio Epiſcopalis non eſt Sacramentum.

Septimò, & ultimo: Omnis ordo ſecundùm quod eſt 20
Sacramentum, ordinatur ſpiritualiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, *c. Perlectis,* 25. *diſtinct.* Concil. Trid. *ſeſſ.* 23.
de Sacram. Ordin. c. 2. & *can.* 2. Sed Epiſcopus, quantum 21
ad Sacramentum Euchariſtiæ, non habet poteſtatem ſuperiorem ſimplici Sacerdote. Ergo Epiſcopalis ordo non eſt Sacramentum. Et ita arguit formaliter S. Thom. in 4. *diſt.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 2. & alii Theologi initio citati, & eſt præcipuum fundamentum pro hac ſententia.

Et confirmatur ſecundùm Turrecrem. in *d. c. Cleros, nu.* 22
16. *verſ. Secundo ſic.* 21. *diſtin.* Nam diſtinctio omnis graduum & ordinum eſt propter altaris ſacrificium, in quo eſt conſummatio omnis divini cultus. Ergo cùm perventum eſt ad illam conſummationem, ibidem eſt ſtatus, ſed per ſimplex Sacerdotium pervenitur ad illam. Ergo ulterius non eſt aliquis ordò.

Et

23 Et tenendo hanc opinionem non obſtant jura, quæ aliquando mentionem faciunt ordinationis, & ordinis Epiſcoporum, ut *in c. 1. 77. diſt. in c. Aqua infrà de conſecr. Eccleſ. cum ſimil.* de quibus *infra num.* 49. Nam ut reſpondet S. Thom. *d. quæſt.* 2. Ordo poteſt accipi dupliciter: uno modò ſecundùm quod eſt Sacramentum; & hoc modo Epiſcopatus non eſt ordo. Alio modo conſiderari poteſt ſecundùm quod eſt officium quoddam reſpectu quarumdam actionum ſacrarum; & ſic cùm Epiſcopus habeat poteſtatem in actionibus hierachicis reſpectu corporis
24 myſtici ſupra Sacerdotem, Epiſcopatus erit ordo. Et ſecundùm hoc loquitur S. Dionyſ. *de Eccleſ. hierarch. c.* 5. ubi aſſignat hos tres ordines hierarchiæ Eccleſiaſticæ, videlicet Epiſcopum, Sacerdotem, & Miniſtrum. Et ita etiam intelliguntur jura in contrarium inducta, ut per Silveſt. *in ver. Ordo primo n.* 1.

25 Item non obſtat hæc decretalis. Nam ut reſpondet S. Thom. *quæſt. 2. ad 2. Ordo ſecundùm quod eſt Sacramentum imprimens characterem, ordinatur ſpiritualiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ipſe Chriſtus continetur, quia per characterem ipſi Chriſto configuramur. Et ideò licèt detur aliqua poteſtas ſpiritualis Epiſcopo in ſui promotione reſpectu aliquorum Sacramentorum; non tamen illa poteſtas habet rationem characteris. Et propter hoc Epiſcopatus non eſt Ordo, ſecundùm quod Ordo eſt quoddam Sacramentum.* Hæc ille. Et ſequitur Silveſt. ubi ſuprà, ſubdens poteſtatem illam eſſe indelebilem, ſicut & character, licèt non attingat ad rationem characteris, quia datur cum conſecratione, quæ annullari non poteſt, ut idem S. Tho. probat in 2.2. *q.* 39. *art.* 2.

26 Tertia opinio eſt aliorum Theologorum, qui exiſtimant Epiſcopatum eſſe quidem Ordinem, & Sacramentum, non tamen diſtinctum à Sacerdotio, non quòd omninò idem ſit Epiſcopus quòd Sacerdos, ſed quòd Epiſcopus ſit quaſi Sacerdos magis perfectus. Ita Duran. in 4. *diſt.* 24. *qu.* 6. *num.* 8. Palud. *quæſt.* 7. *art.* 13. *num.* 14. *ſupplem.* Gabriel. *qu.* 1. *art.* 3. *dub.* 6. Vaſq. *in* 3. *par.* D. Thom. *tom.* 3. *diſp.* 240. *cap.* 4. & 5. Cardin. Bellarm. *lib. de ordine cap.* 5. & recentiores Theologi penè omnes, quorum ſententia ut vides convenit cum ſecunda in numero ordinum. Utraque enim affirmat in Eccleſia non eſſe, niſi ſeptem ordines conſtituentes unicum Sacramentum, ſed diſcrepat ab illa, quia hæc tertia inter hos ſeptem adſcribit etiam Epiſcopatum, licèt indiſtinctum ab ordine Presbyteratus, illa verò Epiſcopatum prorſus excludit à numero ordinum Sacramentalium. Item convenit hæc tertia ſententia cum Canoniſtis in eo, quòd Epiſcopatus ſit ordo imprimens characterem, ſed diſcrepat ab illis in diſtinctione, & numero or-
27 dinum, ut inferius patebit. Sotus verò mediam quandam ſententiam ſequutus in 4. *diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 2. & 3. etſi neget cum Theologis ſecundæ ſententiæ ordinem Epiſcopatus eſſe Sacramentum, & in eo gratiam conferri; tamen concedit cum authoribus tertiæ ſententiæ per eam imprimi characterem, non quidem diſtinctum omninò à Sacerdotali, ſed veluti gradum quendam ipſius ſecundùm extenſionem. Sed eum reprobat Vaſquaz loco citato. Et ſanè hæc non compatiuntur, ut Epiſcopatus imprimat characterem, & non ſit Sacramentum. Nam character interior eſt eſſentialiter, & principaliter Sacramentum Ordinis, ut inquit Divus Thomas in 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *ad primum.* Porrò
28 hęc tertia opinio quatenus affirmat ordinem Epiſcopatus eſſe Sacramentum, nititur fundamentis inferiùs adducendis pro opinione Canoniſtarum, & hac in parte Bellarmin. loco citato illam certiſſimam, & Petrus Soto *lect.* 4. *de Sacram. Ordin.* certa fide tenendam cenſent, Michael Medina *de ſacror. homin. continen. c.* 15. dicit contrariam ſententiam eſſe periculoſam, eamque ſine gravi nota teneri non poſſe, putat Vaſquez *ubi ſupra.* Sed quatenus eadem opinio addit hunc ordinem non eſſe diſtinctum à Presbyterali, probatur à Theologis exemplo Sacerdotis, qui in ordinatione accipit poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam; ac deindè in impoſitione manuum ejus character extenditur ad poteſtatem ligandi, & ſolvendi, ut in ſpecie dicit Palud. *dict. art.* 13. *num.* 16. Sed Vaſquez *d. diſp.* 240. *c.* 5. *nu.* 54. opinatur in ordinatione Epiſcopi, nec imprimi characterem novum diſtinctum à præcedenti, nec præcedentem extendi, ſed permanente eodem charactere conferri aliam poteſtatem diſtinctam à præcedente. Et concludit Epiſcopatum eſſe ſacerdotium perfectum, quo Sacerdos alios Sacerdotes generare, & ordinare poteſt. Et ita Epiſcopus, ut ait Vaſqu. cum Sacerdote comparatur, ſicut vir adultæ ætatis, qui alios homines poteſt gignere, cum juvene, qui non poteſt: nam Epiſcopus generare poteſt Sacerdotes per ordinationem; Sacerdos autem non poteſt.

Ergo verò arbitror hanc Ordinis indiſtinctionem effica- 29
ciùs probari poſſe hoc fundamento: nam ſi Epiſcopatus, & Presbyteratus eſſent ordines diſtincti, ut tenent Canoniſtæ, ſequeretur ut ordo Epiſcopalis eſſet inferior Presbyterali. Quoniam cùm conſecratio, quæ fit in ordinis Sacramento, ordinetur ad Sacramentum Euchariſtiæ, ille eſt principalis actus cujuſque ordinis, ſecundùm quem magis proximè ordinatur ad Euchariſtiæ Sacramentum. Et ſecundùm hoc unus ordo eſt eminentior alio, ſecundùm quod unus actus magis de proximo ad prædictum Sacramentum ordinatur, ut formaliter inquit S. Thom. in 4. *diſt.* 24. *qu.* 2. *art.* 2. Idemque poſt Albertum Magnum, & Durandum tradit Turrecrem. in *c. Presbyter. & c. Diaconus num. 1. verſ. In oppoſitum* 23. *diſt.* Et propterea Diaconus eſt major Subdiacono, *c. A Subdiacono* 93. *diſt.* Quia Diaconus habet poteſtatem ſuper Corpus Chriſti in vaſe contentum, Subdiaconus verò ſuper vaſa tantùm, *c. Cleros* 21. *diſt. & c. Perlectis* 25. *diſt.* S. Thomas, & alii apud Silveſt. *in ver. Ordo ſecundo num.* 4. *verſ. Diacono verò.* Pincipalior 30
autem, & nobilior eſt actus conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti, qui ad Sacerdotem pertinet DD. *c. Cleros, verſ. Sacerdos, & c. Perlectis, ver. Ad Presbyterum, & c. Ecce* 95. *diſt.* quam actus ordinandi miniſtros, qui pertinet ad Epiſcopum, *d. c. Perlectis, verſ. Ad Epiſcopum, & c. Quamvis.* 68. *diſtinct.* Nam ſecundus eſt propter primum, ut poſt Petr. de Pala tradit Turrecrem. *in c. Sollicitudo num.* 4. *verſ. Probatur iſta concluſio* 52. *diſt.* Conſecratio enim miniſtro- 31
rum eſt in ordine, & ad finem conſecrandi Euchariſtiam, in quo actu perficiuntur, & conſumantur ſingulorum ordinum miniſteria. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ord. c.* 2. & finis eſt præſtantior iis, quæ ſunt ad finem, *l. 2. ff. De ſtat. homin.* Authen. *Multo magis, Cod. De Sacroſ. Eccleſ.* S. Thom. in 2.2. *qu.* 88. *art.* 11. Jo. Andr. *in regula Semel num.* 5. *verſ. Finis autem in Mercurial.* Sed con- 32
ſequens eſt falſum, quia ordo Epiſcopalis eſt major Presbyterali, ut eſt diffinitum à Tridentina Synodo *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. c.* 4. *& can.* 7. Propterea enim Epiſcopi dicuntur ſummi Sacerdotes, ut *in c. unic. §. Per frontis de ſacra Unct. & ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pœn. cap.* 7. Ergo falſum eſt etiam ordinem Epiſcopalem eſſe diſtinctum ab ordine Sacerdotali.

Quarta, & ultima opinio, cui tamquam veriori adhæ- 33
remus, eſt Canoniſtarum, qui unanimiter cenſent Epiſcopatum eſſe ordinem ſecundùm quod eſt Sacramentum, & characterem imprimere diſtinctum ab ordine Presbyteratus. Atque ita omninò diſcrepant à ſecunda ſententia Theologorum, qui abſolutè negant Epiſcopatum eſſe ordinem Sacramentalem, & conveniunt cum Theologis tertiæ ſententiæ in eo, quòd Epiſcopatus ſit ordo imprimens characterem. Sed diſſentiunt in numero, & diſtinctione ordinum: nam illi ſeptem tantùm ordines conſtituunt; Canoniſtæ verò aſſignant novem diſtinctos ordines imprimentes characterem, & inter hos numerant primam Tonſuram, ſeu Pſalmiſtatum, & Epiſcopatum. Ita Hoſt. *in c. Cùm contingat num. 6. de ætat. & qualit.* quem ibi ſequuntur Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Abbas, & cæteri omnes, gloſſ. *in procem. ſexti in ver. Epiſcopus,* gloſſ. *unica in c. Sollicitudo,* & ibi etiam Præpoſ. *n.* 4. 52. *diſt.* gloſ. *in Clemen. In pleriſque in ver. Aliquid de elect.* Abb. *in c. Aqua de conſecr. Eccleſ. vel Altar.* Butr. *in c. unic. de Cler. per ſalt. prom.* Præpoſ. *in c. Cleros n.* 9. 21. *diſt.* & tenent hic Doctores communiter, prout de communi teſtatur Card. *n.* 1. Et ex Theologis idem ſentiunt Altiſiodoren. *lib.* 4. *Summæ tract.* 8. *qu.* 1. ubi aſſerit Epiſcopatum adjungendum eſſe ſeptem aliis ordinibus, & ita ordinem eſſe. Dixerat autem initio quæſtionis ordinem eſſe Sacramentum, unde ſequitur ut ex ſententia ipſius Epiſcepatus ſit ordinis Sacramentum. Et apertiùs Major in 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *col.* 2. ubi ait, & Epiſcopatum eſſe ordinem, & cum prima Tonſura conſtituere numerum novenarium. Et deindè aſſerit, ordinem eſſe Sacramentum, & in cujuslibet ordinis collatione ordinato gratiam conferri. Cùm quibus videtur

tur etiam convenire, Petr. Soto *lib. de inſtitut. Sacerdot.*
lib.4.§. Ex his igitur, quatenus aſſerit indubitatum fideli-
bus eſſe debere Sacerdotium, & Epiſcopatum, & Diaco-
natum eſſe tria Sacramenta perfecta, & diſtincta, & qua-
tenus etiam Epiſcopatum, & Sacerdotium duos ordines
vocat: idem de ordine Epiſcopatus, licèt primam Ton-
ſuram excludat. Pro viribus tuetur Michael Medina *lib.*
*1. de ſacrorum hominum continentia c.16. & 18.*qui propte-
reà octo tantùm ordines videtur admittere. Similiter Na-
varr. *in Man. c. 22. n.* 18. planè ſentit Epiſcopatum eſſe di-
ſtinctum ordinem à Sacerdotio, & ita ingenuè fatetur eſſe
octo ordines, licèt non admittat cum Canoniſtis Tonſu-
ram eſſe ordinem.

34 Et pro hac opinione videtur primò textus clarus hìc,
ubi ordinati ſcienter ad ſacros ordines ab Epiſcopo, qui
renunciavit loco, & dignitati, ordinem accipiunt, licèt
officii executionem non habeant, quod non eſſet, niſi E-
piſcopus indelebilem characterem haberet impreſſum.
Quod clarè ſentit gloſſ. *hìc in ver. Executionem*, & alii plu-
res, quos citavi *ſuprà in ſecundo notab. num.2.* Undè Ange-
lus *in Summa in ver. Ordo*, ſequitur Canoniſtarum ſen-
tentiam, dicens, pro ea inconvincibiliter facere hanc de-
cretalem. Et quamvis Theologi, & in ſpecie Silveſt. in
ver. Ordo 1. num.1. verſ. Tertio eſt dubium, dicat Epiſcopi
poteſtatem eſſe quidem indelebilem, ſed tamen non habe-
35 re rationem characteris; ego tamen, ut ingenuè fatear,
non percipio quomodo in conſecratione infigatur animæ
Epiſcopi poteſtas ſpiritualis indelebilis, & illa poteſtas non
ſit character, Nam poteſtas omnis, quæ confertur in
aliis conſecrationibus excepta poteſtate ordinis Sacramen-
talis, auferri poteſt ab Eccleſia. Et ideò quamvis Abbas
in conſecratione, ſeu ſolemni benedictione accipiat pote-
ſtatem conferendi primam Tonſuram, & minores ordines,
ut *in c. Quoniam 69. diſt. in c. Cum contingat ſuprà de ætat.*
& qualit. tamen quia illa poteſtas non habet rationem cha-
racteris, ſed eſt ex conſtitutione, ſeu delegatione Eccle-
ſiæ; poteſt ab ipſa in totum illi auferri; quia Eccleſiæ po-
36 teſt mandatum revocare, & ita auferre quod dedit. Un-
dè Abbas etiam benedictus ordinando poſt Eccleſiæ prohi-
bitionem, ſeu mandati revocationem, nihil confert, ut
determinat Innocent. *in c. Quanto num. 4. ſuprà de conſuet.*
37 cum quo alii tranſeunt. Similiter quamvis S.Thomas in
2. 2. *qu.* 88. *art.* 11. deridens Juriſtas dixerit, Papam non
poſſe facere, ut ille, qui eſt profeſſus religionem, non
ſit religioſus, eò quòd ſolemnitas voti conſiſtat in aliqua
conſecratione, & nullus Prælatus Eccleſiæ poſſit facere,
ut homo Deo conſecratus quandiu vivit, conſecratus eſſe
deſinat, ſicut etiam patet in rebus inanimatis: tamen ejus
opinio in hoc non tenetur, ut latè per Joan. Andr. in *Reg.*
38 *Semel Deo in Mercurialibus*. Nec refragatur quod ſemel
Deo dicatum non ſit in alios uſus transferendum ut in di-
cta *Reg. Semel Deo.* Et ideò etiamſi ædes ſacra diruatur, lo-
cus tamen remanet ſacer, ut *l. In tantùm, §. Sacræ, ff. de rer.*
diviſ. & l. Ædes ſacræ, ff. De contrah. empt. Quandoquidem
hoc reſpici ad juris poſſibilitatem, non autem ad Summi
Pontificis poteſtatem, qui poteſt ſacrum ad profanum re-
ducere, ut eſt textus in *l. Continuus, §. Cum quis, ff. De ver-*
bor. obligat. Quem ita intelligunt Dyn. & Joan. Andr. *in d.*
Regula Semel Deo in princip. ubi etiam Francus *n.* 1. Et ita
hæc impoſſibilitas juris ſecundùm eos non obſtat Papæ, qui
eſt ſuprà omne jus poſitivum, & illud immutat, & contra
illuc diſpenſat, ut *in c. Propoſuit de conceſſ. præb.* Et ideò paſ-
ſim videmus per illius auctoritatem Eccleſias, & loca ſacra
in profanos uſus non ſordidos converti, juxta decretum
Concil. Tridentini in *c.7. in fin. ſeſſ.21.* Licèt de jure com-
muni ſatis ſit dubium, an hoc fieri poſſit authoritate Epi-
ſcopi, de quo vide pro, & contra per Franc. *ubi ſuprà nu.2.*
Quapropter nulla eſt conſecratio, vel poteſtas in conſecra-
tione collata, quæ authoritate Summi Pontificis auferri
non poſſit præter ſolam Sacramentalem, quæ eſt de jure di-
vino, ac proindè omninò indelebilis, ut in Concilio Tri-
39 dentino *ſeſſ.6. de Sacram. can.9.* Poteſtas autem, quæ dicatur
Epiſcopo in conſecratione, eſt omninò indelebilis, ut hìc,
nec poteſt auferri ab Eccleſia. Undè remanet in Epiſcopo
etiam excommunicato, hæretico, depoſito, & derogato, *c.*
Ordinationes 9. qu. 1. c. Quod quidam 1. qu. 1. c. Oſtenditur, &
ibi Archid. *de conſecr. diſt. 4.* S.Thom. in 2.2. *quæſt. 39. art. 3.*
Silveſt. *in ver. Degradatio num. 9.* & dixi pleniùs *in c. 1. num.*
31. *infrà de ſchiſmat.* Ratio eſt, quia in his homo non agit,
niſi ut Miniſter Dei, ut per D. Thomam *ubi ſuprà*, licèt or-
dinis executionem non conferat propter Eccleſiæ prohi-
bitionem, ut notat gloſſ. & DD. in *d. c. 1. de ſchiſmat.* Cùm
igitur poteſtas collata in aliis conſecrationibus extra Sa-
cramentum ordinis auferri poſſit ab Eccleſia, quæ illam
tribuit, poteſtas verò tradita in conſecratione Epiſcopi au-
ferri non poſſit; hinc neceſſariò ſequitur, ut hæc poteſtas ha-
beat rationem veri, & proprii characteris, qui propterea de-
leri non poteſt ab homine, quia non confertur per Mini-
ſtrum, ſed infigitur animæ immediatè à Deo, ut per Innoc.
in c. 1. & ibi dixi *infr. de baptiſ.* S.Th. *in 3. p. q. 63. art. 3. & in*
4. ſent. diſt. 4. q. 1. art. 4. q. 4. Silveſt. *ubi ſuprà*. Et qui negant
hoc, aut aſſignent, ſi poſſunt, rationem diverſitatis, aut
nobiſcum conſentiant.

Secundò pro hac parte adducitur textus *in cap. Cleros 29.* 40
diſtinct. ubi Iſidorus generaliter, inquit, Clerici nuncu-
pantur omnes, qui in Eccleſia Chriſti deſerviunt, quo-
rum gradus, & nomina ſunt hæc: Oſtiarius, Pſalmiſta,
Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus,
Presbyter. Epiſcopus. Ecce igitur novem ordines in
Eccleſia, & inter hos ordo Epiſcopatus. Undè in hoc 41
textu rectè infert gloſſ. *in ver. Epiſcopus*, ut Epiſcopatus
ſit ordo. Neque verò ibi ordines accipiuntur pro hierar-
chicis, quia tales non ſunt, niſi Diaconatus, & Presby-
teratus, & Epiſcopatus ſecundùm B.Thomam ita expli-
cantem authoritatem Dionyſii *in 4. ſentent. diſt. 24. quæſt. 3.*
art. 2. qu. 2. Præterquamquod Dionyſius etſi tres tantùm
ponat ordines hierarchicos, non tamen excludit, quin
omnes illi ſint Sacramentum. Nec ordines *in d. c. Cleros*,
intelliguntur, prout ſunt nomina dignitatum, ſeu officio-
rum, quia ſic inter hos poſuiſſet Iſidor, etiam Archidiaco-
nos, Archipresbyteros, & Abbates. Item Archiepiſco-
pos, Primates, & Patriarchas, ut alibi fecit. Sed pro
gradibus intellexit ordines, prout ſunt Sacramentum,
tum quia ſub unica verborum ſtructura, & determina-
tione ponit Pſalmiſtatum, Epiſcopatum, & reliquos ſe-
ptem ordines, de quibus ſeptem non ambigitur quin ſint
ordines Sacramentales, & conſequenter omnes æquali-
ter determinat. *l. fin. C. de ſentent.* Dec. *in c. Novit num.* 56.
infrà eod. judic. Tum quia initio illius capituli egit de ordi-
natione Matthiæ Apoſtoli. Tum denique quia paſſim
in ſacris Canonibus appellatione graduum comprehen-
duntur ordines tàm minores, quàm ſacri, *c. 2. & c. Mi-*
ramur de ſerv. non ordinan. c. In ſingulis, & cap. Quicumque
77. diſt. & alibi ſæpè.

Tertiò ad idem adducitur textus *in ca. Perlectis 25. diſt.* 42
ubi Iſidor. conſultus à Ludifredo quale eſſet officium cujuſ-
cumque ordinis, recenſet ſingula ordinum miniſteria, in-
cipiens ab Oſtiariatu: & poſteaquam ultimo loco expreſſit
miniſterium Epiſcopi, ſubdit immediatè: Hi ſunt ordines,
& miniſteria Clericorum. Ergo Iſidorus manifeſtè hoc lo-
co ſenſit Epiſcopatum eſſe ordinem Sacramentalem.

Et confirmatur, quia enumeratis miniſteriis ſingulo-
rum ordinum, ſtatim meminit Archidiaconi, Archipres-
byteri, Primicerii, & Theſaurarii; quos inter ordines
non numeravit, cùm ordines non ſint, ſed dixit Mini-
ſteria ordinum Pontificali authoritate dividi in Archidia-
coni cura, & Primicerii, ac Theſaurarii ſolicitudine.
Undè ex hac diſtinctione palàm fit, priori loco Iſidorum
egiſſe de ordinibus Eccleſiaſticis, non prout ſunt officia,
& dignitates, de quibus ſeorſim egit ſecundo loco, ſed pro-
ut ſunt Sacramentum.

Quartò ad idem ponderantur Canones Concilii Car- 43
thag. IV. qui præſcribunt ritum obſervandum in ſingulis
ordinibus conferendis, & incipiunt ab ordinatione Epi-
ſcopi, ut patet in *c. Epiſcopus cùm ordinatur in c. Prebyter*
cùm ordinatur in c. Diaconus cùm ordinatur, & in ſex cap.
ſeqq. 23. diſt. Qui Canones ſic intelliguntur de ordinatione
Presbyteri, Diaconi, & aliorum, prout ſunt Sacramen-
tum, eodem modo intelligendi ſunt de ordinatione
Epiſcopi, cùm per eadem met verba loquantur de Presby-
tero cùm ordinatur, ac de Epiſcopo cùm ordinatur. Et
eo magis, quia ſi egiſſent de ordinibus, prout ſunt officia,
& gradus Eccleſiaſtici, eodem modo debuiſſent præſcri-
bere ritum obſervandum in ordinatione Abbatis, Achie-
piſcopi, Primatis, & Patriarchæ.

Quintò abducitur textus in *cap. Diaconos 93. diſt.* ibi, 44
Pri-

Primis ordinibus, ubi gloſſ. exponit, id eſt, majoribus Epiſcopali ſcilicet, & Presbyterali. Et ita Epiſcopatus eſt ordo. Quæ expoſito colligitur ex littera, quæ ſubſequitur ibi: Abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis ordinibus longiùs conſtitutis. Quo loco ſimiliter ſicut ordo Presbyteralis accipitur propriè, ita & ordo Epiſcopalis, cùm de utroque agatur ſub unica determinatione, arg. *d. l. fin. C. De ſentent. Jam hoc jure, ff. De vulg. c. Tranſlato de Conſtit. cum ſimil.*

Sextò adducitur Canon Concilii Carthaginen. II. *cap.* 2. *relatus in cap. Cùm præterito* 83. *diſt.* ubi habetur: Gradus iſti tres Caſtitati per conſecrationes annexi ſunt, Epiſcopi inquam, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramentis divinis inſerviunt, id eſt, Subdiaconi, ut explicat gloſſ. in *ver. Qui Sacramentis*. Quem textum ad probandum Epiſcopatum eſſe ordinem, ſicut ſunt alii tres ibi enumerati, inducit gloſſ. *in d.c. Diaconus in ver. Primis* 93. *diſt.*

45 Septimò ad idem eſt textus ſatis clarus in *c.* 1. 32. *diſtinct.* ubi Leo Papa: Cùm, inquit, extra Clericorum ordinem conſtitutis, id eſt, ſacrorum, ut ibi exponit gloſſa, nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus eſt, *A capite*, dignum eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, vel in ſecundo, tertiove ſervandum eſt, ne aut Levitico Miniſterio, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe à voluptate uxoria, nec dum frænaſſe detegitur. Qui textus efficaciter probat Epiſcopatum non ſolùm eſſe ordinem ſacrum, ſicut ſunt alii tres ibi enumerati, ut notat gloſſa in *ver. Clericorum*, & in *ver. A capite*. Sed etiam eſſe ordinem diſtinctum à Presbyteratu, alioquin Subdiaconatus non eſſet quartus ordo, ut ibi dicitur *A capite*, id eſt, Epiſcopatu ſecundùm gloſſ. & Archid. ſed eſſe tertius, prout etiam obſervat ibi Præpoſ. *in princ.* dicens de hoc eſſe ibi optimum textum.

Octavò ad idem eſt ſimilis textus in *c. Quia Sanctitas* 50. *diſt.* ibi, à Capite itaque incipientes, id eſt, *ab Epiſcopatu ſecundùm expoſitionem gloſſæ, & Doctorum*, uſque ad quartum Altaris miniſtrum, id eſt, Subdiaconatum, ut ibi per gloſſ. Archid. & omnes; ſi Subdiaconus eſt quartus: ergo Epiſcopus eſt primus Altaris Miniſter, & conſequenter ſacrum ordinem habet, alioquin non eſſet Miniſter Altaris.

46 Nono adducitur textus in *c. Veritatis propè fin.* ibi, & eum tàm à Pontificali, quàm ab omni officio Sacerdoli privantes *infrà de dolo, & contum.* ubi Hoſt. *in ver. Officio Sacerdotali nu.* 7. Hìc inquit eſt expreſſum, quòd ſicut Sacerdotalis eſt certus ordo in Eccleſia Dei, ſic & Pontificalis, & quilibet habet ſuum officium, licèt non debeat eſſe Pontificalis ſine Sacerdotali, ut patet *in cap. Ex litteris*, §. *fin. infr. de exceſſ. Prælat.* Sacerdotalis tamen benè poteſt eſſe ſine Pontificali, ut hìc innuitur. Et ſequitur ibi totidem verbis Bellam. *n.* 7. *in* 2. *notab.*

Decimò adducitur textus in *c. Quod die* 75. *diſt.* ubi Leo Papa agens de ordinatione Epiſcoporũ ſub nomine Sacerdotum illam appellat tantæ benedictionis Sacramentum.

Undecimò allegatur Hieronymus, hoc eſt, author epiſtolæ ad Ruſticum Narbonenſem apud Hieronymum in 9. *tom.* relatus à Michaele Medina *lib.* 1. *de ſacrorum hominum continentia cap.* 16. *&* 18. qui ſeptem tantùm enumerat Ordines, licèt longè diverſa ratione eos recenſeat, videlicet Foſſarios, Oſtiarios, Lectores, Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotes, & Epiſcopos. Et ſic Epiſcopos à Sacerdotibus planè diſtinguit.

47 Duodecimò valdè ſuffragatur eidem ſententiæ Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. c.* 4. ibi, *In ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum.*
48 Quæ verba ſatis clarè innuunt ordinem Epiſcopalem non tantùm eſſe diſtinctum ab ordine Sacerdotali, ſed etiam eſſe Sacramentum, ſicut eſt Presbyteratus, & cæteri ordines, ponderando dictionem, *cæterorum*, quæ ex propria ſignificatione eſt implicativa ſimilium, gloſſ. *in c. Deinde*, & ibi etiam Gemin. & Præpoſ. 26. *diſt.* gloſſ. *in c. Etſi illa in ver. Scienda ſunt* 1. *qu.* 7. Præſertim verò, quia in *can.* 6. ejuſdem ſeſſionis S. Synodus diffinit ſacram Ordinationem verè, & propriè eſſe Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. Et pro ſacra Ordinatione intelligenda eſt ordinatio illa, de qua prius mentionem fecerat in *d.c.* 4. videlicet Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, ut latiùs dicam *inf. n.* 71.

49 Decimotertiò pro hac parte adducuntur generaliter jura, quæ ſæpiſſimè faciunt mentionem ordinis, ſeu ordinationis Epiſcopalis, *c. Si ſervus*, ibi, *Epiſcopalis enim ordo liberat à fortuna ſervili* 54. *diſt. cap.* 1. ibi, *Epiſcopatus ordine de teſtamen. c. Aqua*, ibi, *Quæ ordinis Epiſcopalis exiſtunt, de conſecr. Eccleſ. c. Epiſcopus cura ordinatur* 23. *diſt. cap. Illud*, ibi, *Epiſcopus ordinetur* 77. *diſt. c. Si Archiepiſcopus*, ibi, *Ab omnibus ordinetur, & cap. ſeqq.* ibi, *Epiſcopum ordinare ſuprà de tempor. ordinat. cum ſimil.* Cùm enim tam crebrò ſacri Canones loquantur de ordine, & ordinatione Epiſcoporum, non videtur conveniens, ut ſemper acceperint nomen ordinis largè, & impropriè. Et hoc modo cavillari poſſent omnia jura, quæ inter ordines recenſent Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, aſſerendo illa impropriè loqui. A ſignificatione igitur, & proprietate vocis non recedamus, ut in juribus vulgatis, cùm præſertim Canones multoties non ſimpliciter mentionem faciant ordinis Epiſcopalis, ſed ex profeſſo doceant ritum ipſum ordinationis Epiſcopi, ut *in d.c. Epiſcopus cùm ordinatur* 23. *diſt. in c. Porro* 66. *diſt. & in d.c. Si Archiepiſcopus, & in cap. ſeqq. temp. ordin.*

50 Decimoquartò principaliter validis etiam rationibus innititur Canoniſtarum ſententia; nam gratia in Sacramentis confertur, non autem in ſacris, & cæremoniis non eſſentialibus, docet S.Thom. in 1. 2. *q.* 108. *ar.* 2. *ad* 2. Proprium enim eſt Sacramentorum conferre gratiam gratum facientem, ut inquit Richar. 4. *diſt.* 24. *art.* 4. *q.* 1. & patet ex diffinitionibus Concil. Trid. *ſeſſ.* 7. *de Sacram. can.* 6. 7. *&* 8. Sed
51 in ordinatione Epiſcopi confertur gratia; ait enim Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* Quæ authoritas communiter à Patribus intelligitur de ordinatione Timothei in Epiſcopum, ut patet ex relatis à Vaſq. in 4. *par.* D.Thom. *tom.* 3. *diſp.* 235. *c.* 2. Undè forma ordinationis Epiſcopi exprimitur per illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, ut patebit in ſequenti fundamento. Ergo ordinatio Epiſcopi eſt verè, & propriè Sacramentum.

52 Decimoquintò Ordo à Magiſtro ſententiarum in 4. *diſt.* 24. *in c. Si autem quæritur*, & communiter à Theologis diffinitur eſſe ſignaculum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, & dicitur ſignaculum, id eſt, cum exteriori ſigno traditum. S.Thom. *d. diſt.* 24. *qu.* 1. *ar.* 1. *qu.* 2. & Petr. de Palud. apud Silveſt. in *ver. Ordo primo in princ.* In actu enim traditionis inſtrumentis character imprimitur, ut in Pontificali Romano in *tit. de Epiſcopo conſecrante*, ibi, *moneat ordinandos, ut inſtrumenta, in quibus character imprimitur, tangant*. Unde hæc diffinitio convenit ordini ſecundùm quod eſt Eccleſiæ Sacramentum, imprimens characterem, ut docet S. Thom. *d. q.* 2. Sacramentum autem à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *de Sacram. Euchariſt. c.* 3. Diffinitur eſſe ſymbolum rei ſacræ, & inviſi-
53 bilis gratiæ forma viſibilis, Et dicitur ſymbolum, ſeu forma viſibilis rei ſacræ, id eſt, gratiæ inviſibilis ſecundùm Magiſtrum ſententiarum loco citato. Et in hoc convenit cum illis verbis diffinitionis ordinis ſignaculum quoddam, id eſt, ſacramentum, ſeu ſacræ rei ſignum, ut exponit Magiſter, *ubi ſuprà*. Utraque autem diffinitio convenit per
54 omnia ordini Epiſcopatus. Nam quod pertinet ad ſignaculum, & ſymbolum, ſeu formam viſibilem Epiſcopatus, traditur per inſtrumentum, videlicet per impoſitionem libri Euangeliorum ſuper cervice ordinandi, quem-
55 admodum præſcribitur à Concilio Carthaginenſi 4. *cap.* 2. relato in *c. Epiſcopus cùm ordinatur* 23. *diſt.* Eamque impoſitionem eſſe eſſentialem pluribus, probat ibi Card. Turrecrem. S. Anton. *in* 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. §. 4. Carol. Bov. *in ſcholio ca.* 3. *lib.* 8. Conſtit. Clem. *in primo tomo Conciliorum*, & Franciſ. Turrian. *lib.* 2. *pro epiſt. Pontif. cap.* 21. & cenſent Hoſtien. & unanimiter Canoniſtæ noſtri *in c. Unico infrà de ſacra Unct.* Certum eſt enim unctiones in conſecratio-
56 ne Epiſcopi non eſſe de ſubſtantia, ut clarè probatur in *d.c. unic.* & ibi dixi *n.* 72. poſt Hoſt. Jo. Andr. & omnes, & apertius conſtat ex Conſtitutione Innocentii IV. *Sub Chatolicæ*, in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 76. & Clementis VIII. *Sanctiſſimus tom.* 3. *pag.* 47. Nec admittendum eſt, quod dicunt Ma-
57 jor *in* 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *in ultimis verbis ante* §. *His paucis*. Armill.

milla in *ver. Ordo num.* 10. & Vaſquez *in* 3. *par.* D. Thomæ *tom.* 3. *diſp.* 240. *cap.* 5. *num.* 58. Videlicet materiam proximam ordinationis Epiſcopalis eſſe manuum impoſitionem, non autem impoſitionem libri Euangeliorum, eò quòd materia ab eodem adhiberi debeat, à quo proferri poteſt forma, ut legitimo Miniſtro; liber autem Euangeliorum, aut ait Vaſquez *nu.* 62. imponitur ſcapulis conſecrandi non ab Epiſcopis conſecratoribus, ſed ab uno ex Capellanis, ut in rubrica Pontificalis. Et antiquitùs fiebat à Diaconis, ut tradit Clemens Romanus *lib.* 8. *Conſtit. cap.* 2. *aut* 3. Qui non ſunt Miniſtri, neque formam proferre poſſunt. Et quamvis *in d. c. Epiſcopus cum ordinatur* 23. *diſt.* præcipiatur, ut duo Epiſcopi teneant librum Euangeliorum, & reliqui manus imponant; tamen, ut Vaſquez ſubjicit, cùm oppoſitum ſit in uſu in Eccleſia Romana, & Clemens tradiderit, non pertinet ad eſſentiam ordinationis, ut liber ab Epiſcopo teneatur.

Hoc, inquam, non eſt admittendum, quia repugnant verba clara Pontificalis Romani, ad quæ Vaſquez non benè advertit. Nam in *tit. de conſecr. electi in Epiſcopum*, ponitur materia, & forma ordinis Epiſcopatus his verbis: *Tum conſecrator accepto libro Euangeliorum illum apertum adjuvantibus Epiſcopis aſſiſtentibus, nihil dicens imponit ſuper cervicem, & ſpatulas electi, ita quod inferior pars libri cervicem capitis electi tangat, littera ex parte inferiori manente, quem unus ex Capellanis electi retro ipſum genuflexus quouſque liber ipſe eidem electo in manus tradendus ſit, continuè ſuſtinet. Deinde conſecrator, & aſſiſtentes Epiſcopi ambabus manibus caput conſecrandi tangunt, dicentes: Accipe Spiritum Sanctum.* Hæc ibi.

Ex quibus planè conſtat librum Euangeliorum ab Epiſcopo conſecratore adjuvantibus Epiſcopis aſſiſtentibus imponi ſuper cervice conſecrandi. Et eodem libro ita manente ſuper cervice, à conſecrante, & Epiſcopis aſſiſtentibus formam proferri. Capellanus autem librum non imponit, neque tradit, ſed genuflexus ſuſtinet quouſque ordinatio perficiatur. Quod miniſterium à Diacono tranſlatum eſt in Capellanum, fortè quia indecens viſum eſt, ut Diaconus, qui diſpenſat Corpus, & Sanguinem Chriſti, tamdiu genuflexus à tergo ordinandi librum Euangeliorum ſuſtineret. Undè liquidò apparet decretum Concilii Carthaginenſis prorſus convenire cum Pontificali, & uſu Eccleſiæ Romanæ, quidquid contra incautè ſcripſerit Vaſquez. Generaliter autem manuum impoſitionem in ſacra ordinatione non eſſe materiam eſſentialem, ſed traditionem inſtrumenti, videtur non obſcurè diffinitum à Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. *in §. Sextum Sacramentum*, ut dixi latiſſimè *in fin. de Sacram. non iteran.*

58 Et confirmatur ex uſu Eccleſiæ Græcæ, quæ in conſecratione Epiſcopi utitur eadem materia, qua utitur Eccleſia Latina, & Africana, ut patet in Euchologio, ſeu Rituali, quo Græci utuntur è Græco idiomate in Latinum tranſlato à Petro Arcudio Coregreo *in tract. de concordantia Eccleſ. Orient. & Occiden. in ſeptem Sacram. adminiſtrat. lib.* 6. *de Sacram. Ordin. in tit. Ordo*, qui obſervari ſolet in ordinatione Epiſcopi, ubi ſic legitur: *Pontifex impoſita manu recitat, quæ ſunt ſcripta in charta, videlicet: Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & imperfecta perficit, promovet N. amabiliſſimum Presbyterum in Epiſcopum à Deo cuſtoditæ civitatis N. Cunctis reſpondentibus, &c. aperit librum Euangeliorum, & imponit capiti illius, qui ordinatur ſimul unà tangentibus aliis quoque Pontificibus. Deindè facta trina Cruce in capite illius, impoſitaque manu ſic precatur, &c. & recitat quaſdam orationes, quibus oſtendit eum jam eſſe ordinatum Epiſcopum.* Ex his apparet impoſitionem libri Euangeliorum ubique in Eccleſia haberi pro materia eſſentiali ordinatione Epiſcopi: materia enim in Sacramento Ordinis eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ut diffinitum eſt in Concilio Florentino loco citato. Hæc de ſignaculo, & ſymbolo, ſeu
59 forma viſibili. Quo verò ad ſpiritualem poteſtatem, & rem ſacram, ſeu inviſibilem gratiam, quæ eſt altera pars diffinitionum Ordinis, & Sacramenti, ſimiliter patet hæc tradi Epiſcopo ordinato, manente adhuc libro Euangeliorum ſuper illius cervice dum conſecratur, & aſſiſtentes Epiſcopi proferunt verba formæ, videlicet: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Quæ denotant abundantiam gratiæ Spiritus ſancti, quæ Epiſcopo in ordinatione confertur ad conſecrandos Sacerdotes Miniſtros Dei, & eos cum Eccleſia gubernandos. Nec refragatur quòd eadem verba proferantur etiam in ordinatione Diaconi; nam huic motivo benè reſpondet Vaſquez *d. c. num.* 60. Adde quòd in ordinatione Diaconi ea verba non proferuntur in actu traditionis inſtrumenti, id eſt, libri Euangeliorum, ut in ordinatione Epiſcopi. Quamobrem cùm ordini Epiſcopatus per omnia conveniant verba diffinitionum ordinis, & ſacramenti, neceſſariò ſequitur, ut Epiſcopatus ſit ordo, & ſacramentum: oportet enim naturaliter eſſe tale, cui competit diffinitio talis, ut docet Ariſtoteles 6. *Topic. cap.* 1. & ſæpè alibi, & probatur *in l.* 1. §. 1. *ff. De dolo*, & in *l. Quintus Mutius*, §. *Cui aurum*, *ff. De aur. & argent. leg.* gloſſ. & DD. *in rubr. ſuprà de Summa Trinitate, & fide Catholica*, adeò ut propterea mirum non ſit, ſi Hugo relatus ab Archid. in *c. Diaconos num.* 2. 93. *diſt.* formaliter dixerit de hoc nullum dubitare, niſi cæcum, & inordinatum, cùm ſpecialis ordinatio in Epiſcopum habeatur poſt Sacerdotium. Hoc autem fundamentum non 60
tantùm probat Epiſcopatum eſſe verè, & propriè ordinem ſecundùm quod eſt ſacramentum imprimens characterem, contra ſecundam opinionem Theologorum, ſed etiam probat eſſe diſtinctum ab ordine Presbyterali contra tertiam eorumdem opinionem triplici ratione. Prima ratio eſt, quia habet ſpecialem materiam, & formam ab aliis ordinibus diſtinctam, ut prædiximus: ergo eſt ordo ab aliis diſtinctus, ut probatur in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pænit. & Extremæ Unct. cap.* 2. ubi S. Synodus elici dictorum Sacramentorum diverſitatem ex diverſitate materiæ, & formæ, ibi, *Præterquamquod materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet.* Secunda ratio eſt, quia 61
ex diverſitate miniſteriorum, & poteſtatis oritur diſtinctio ordinum, ut patet *in cap. Perlectis* 25. *diſt.* & docet S. Thom. *in* 4. *diſt.* 24. *qu.* 2. *art.* 1. & 2. Et ex Epiphanio, & Patribus probat Vaſquez *in* 3. *par.* D. Thomæ *tom.* 3. *diſput.* 240. *cap.* 3. *num.* 30. & *ſeqq.* Epiſcopi autem poteſtatem à poteſtate Sacerdotali diſtinctam eſſe liquidò conſtat ex *c. Quamvis Chorepiſcopi* 68. *diſt. c. Quanto de conſuetud.* & *c. unic.* §. *Per frontis de ſacra Unct. c. Aqua de conſecr. Eccleſ.* 62
cum concordan. & eſt diffinitum à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. c.* 4. & *can.* 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, &c. anathema ſit.* Tertia ratio eſt, quia Eccleſia Græca in ordinatione Diaconi utitur hac forma: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. reverendum Subdiaconum in Diaconum*, ut in Eutologio *in tit. Ordo, qui obſervat ſolet in ordinatione Diaconi.* Similiter in ordinatione Presbyteri, ut 63
patet in ſeqq. tit. dicit: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & quæ deſunt, ſupplet; promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum.* Et eodem modo in ordinatione Epiſcopi dicit: *Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & imperfecta perficit; promovet N. amabiliſſimum Presbyterum in Epiſcopum à Deo cuſtoditæ civitatis N.* ut in tit. *Ordo, qui obſervari ſolet in ordinatione Epiſcopi*: & omnes hujuſmodi ordinationes includuntur ſub generali titulo de Sacramento Ordinis. Ergo evidenter apparet Epiſcopatum in Eccleſia Græca haberi pro ordine ſacramentali, & diſtinctò à Presbyterali. Conſtat autem in eſſentialibus Sacramentorum non poſſe eſſe differentiam inter Eccleſiam Orientalem, & Occidentalem, *c. Licèt Græcos de Baptiſm.* & dixi in *c. unic. n.* 25. *de ſacra Unct.*

Decimoſextò duplex eſt poteſtas ſpiritualis: videlicet 64
ordinis, & juriſdictionis, *c. Aqua*, & ibi gloſſ. *in ver. Juriſdictionis*, & Doctores notant *infrà de conſecr. Eccleſ.* In conſecratione autem non confertur Epiſcopo poteſtas juriſdictionis, quia illam accipit Epiſcopus electus, & confirmatus etiam ante conſecrationem, *c. Tranſmiſſam ſuprà de elect.* Ergo in conſecratione confertur Epiſcopo poteſtas Ordinis, prout eſt caſus in *d. c. Tranſmiſſam*, & conſequenter Epiſcopatus Ordo eſt.

Et confirmatur, quia in quæſtione illa: An Cardina- 65
lis ſit major Epiſcopo, vel è converſo, communiter ſic conſuevit diſtingui: Aut Cardinalis ſit major dignitate, & officio, *c. Conſtantinus* 69. *diſt.* Joan. Mon. Jo. Andr. Gemin. & alii *in c.* 1. *de ſchiſmat. lib.* 6. Epiſcopus verò ſit ma-

jor ordine, *c. Ante omnia* 40.*diſt. c. De his*, *de conſecr. diſt.* 5. Clem. *Si quis ſuadente*, §. *Nec ſuper hæc de pœnit. & remiſſ.* gloſſ. *fin. in c. Quamquam* 2. *qu.* 7. Hoſt. Abb. & alii *in c. Eccleſia, il ſecondo de elect.* latiſſimè Andreas Barbatia *in tractat. de præſtan.* Cardin. *à num.* 42. *uſque ad num.* 52. Gomez.
66 *in regul. de valore qu.* 1. *n.* 6. In poteſtate enim ordinis, Papa, & Epiſcopi ſunt æquales, *c. Innovo* 21. *diſt.* ubi gloſſ. in *ver. Pari*, dicit Epiſcopos eſſe æquales Apoſtolico, quantum ad ordinem, & rationem conſecrationis, & docet S. Th. in 4. *diſt.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 3. licèt ſint inferiores juriſdictione, quia Epiſcopi vocati ſunt in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. *c. Qui ſe ſcit*, *& c. Decreto* 2. *q.* 6. *& c. Multum* 3. *q.* 6. Ergo Epiſcopi ordinem habent non prout eſt gradus, dignitas, vel officium, quia hoc reſpectu ſunt inferiores Cardinalibus, & longè magis Summo Pontifice, ſed prout eſt Sacramentum imprimens characterem. Undè
67 Bald. *in c. Bonæ memoriæ, il primo n.* 2. *ſuprà de poſtul. Prælat.* ex eo textu arguit Epiſcopum eſſe majorem Presbytero Cardinali; *quia*, inquit, *Presbyter Cardinalis non poteſt Epiſcopos conſecrare, ſed Epiſcopus. Sic Cardinalatus eſt officium, non ordo Epiſcopalis. Ordo non, quia nil addit ad conſecrationem Miſſæ: non eſt ſupra ordinem Presbyteri; ita quod ſit nova ſpecies, ſed eſt quædam adjectio.* Hæc ille.
68 Decimoſeptimò ſecundùm Catholicam veritatem Ordines à Chriſto inſtituti verè, & propriè ſunt Sacramentum, ut diffinitum eſt à Tridentina Synodo *ſeſſ.* 23. *de Sa-*
69 *cram. Ordin. can.* 3. ordinem verò Epiſcopalem fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum, ut docent Duran. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 5. *n.* 9. Palud. *ead. diſt. q.* 6. *art.* 3. *n.* 12. *Supplem.* Gabriel. *diſt.* 24. *q. unic. art.* 3. *dub.* 4. Major *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *col.* 2. *&* §. *ſeqq.* Almain. *ead. diſt. q. unic. art.* 2. *in fin.* & ex recentioribus Navarr. *in Manuali c.* 22. *n.* 18. Petr. Soto *lib. de inſtit. Sacerd. lect.* 4. *de Sacram. Ordin.* §. *Ex his igitur*, Michael Medina *lib.* 1. *de ſacror. homin. continen. c.* 3. *&* 4. & Vaſq. *in* 3. *par.* D. Thom. *tom.* 3. *diſp.* 24. *c.* 3. & ſequuntur Canoniſtæ *in cap.*
70 *Quanto*, & ibi dixi *ſuprà de conſuet.* Et probatur apertè authoritate Anacleti *ep.* 3. *c.* 1. ubi ait: *Sacerdotum ordo bipartitus eſt, & ſicut Dominus illum inſtituit à nullo debet perturbari.* Deindè explicans, de quo ordine loquutus fuerit, dicit ordinem Epiſcoporum ſub Apoſtolis traditum fuiſſe, & inſtitutum; Sacerdotum autem ſub ſeptuaginta duobus diſcipulis, & *in fine*: *Amplius*, inquit, *quàm iſti duo ordines Sacerdotium, nec nobis à Deo collati ſunt, neque Apoſtoli docuerunt.* Perturbantur ergo, ut inquit Vaſq. *d. c.* 3. *n.* 29. hi duo ordines non tantùm ab hæreticis, ſed etiam à Catholicis, qui putant jure divino inter ſe non differre, cùm Anacletus dicat bipartitum eſſe ordinem Sacerdotum ſicut Dominus conſtituit, & ſicut Apoſtoli à Domino edocti nobis tradiderunt. Neque obſtat, quod cap. 3. dividat ordinem Epiſcoporum in Primates, & Patriarchas. *Si quidem*, ait, *Epiſcoporum ordo unus eſt, licèt ſint Primates illi, &c.* quaſi dicat jure divino unus eſt ordo Epiſcoporum, ſed jure Eccleſiaſtico in plures diviſus. Quæ ſententia, ut ait Vaſq. non
71 ſolùm veriſſima eſt, ſed etiam ſecundùm fidem Catholicam hoc tempore amplectenda, itaut ſine nota hæreſis negari non poſſit. Ita enim expreſsè definivit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. c.* 3. *juncto c.* 4. *& cap.* 6. *&* 7. Nam poſtquam in *d. c.* 3. Patres in univerſum diffinierunt ordinem eſſe verè, & propriè Sacramentum unum ex ſeptem, deindè in *d. c.* 4. docent eos qui dicunt omnes Chriſtianos promiſcuè eſſe Sacerdotes, aut omnes pari poteſtate ſpirituali præditos eſſe nihil aliud facere, quàm hierarchiam eccleſiaſticam confundere, ad quam Epiſcopos præcipuè pertinere definiunt, & Presbyteris ſuperiores eſſe. Hanc autem hierarchiam jure divino conſtare *can.* 6. definiunt his verbis: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* Demum *can.* 7. damnant eos, qui aſſerunt Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores. Quam quidem diffinitionem ſacrarum litterarum teſtimoniis, & Patrum traditionibus conſentaneam eſſe fusè oſtendit idem Vaſq. *dict. diſp.* 240. *cap.* 2. *num.* 27. *circa finem*, Quam tamen referre non eſt opus cùm res diffinita ſit. Conſtat igitur his auctoritatibus ordinem Epiſcopalem non ſolùm eſſe Sacramentum contra primam, & ſecundam opinionem, ſed etiam contra tertiam ex divina inſtitutione eſſe prorſus diſtinctum ab ordine Presbyterali. Cum enim jure divino conſtet de diſtinctione; in ſuperioribus autem probatum ſit habere diverſam materiam, & formam integram, & completam: diverſum inſuper Miniſterium, & poteſtatem; utique hinc neceſſariò fit, ut non tantùm partialiter, ſed etiam integrè diſtinguantur tanquam duo integri ordines ſacramentales.

Neque obſtat, quòd in primitiva Eccleſia idem eſſet 72
Presbyter, & Epiſcopus, ut habetur in *c. Olim* 95. *diſt.* Siquidem hoc fuit quantum ad nomen, non quantum ad officium ſecundùm Hugonem, & declarat D. Thom. in 2. 2. *qu.* 184. *art.* 6. *ad primum*, & ſcripſi plenius in *c. Quanto ſuprà de conſuet. in* 2. *notab. à num.* 6. ubi confutavi errorem Antonii de Butrio, & Abbatis exiſtimantium in primitiva Eccleſia in collatione Sacramentorum nullam fuiſſe differentiam inter Epiſcopos, & ſimplices Sacerdotes. Et ita ſummam poteſtatem ordinis eſſe poteſtatem Sacerdotalem.

Decimooctavò Epiſcopus in caſibus in jure expreſſis 73
ſolemniter, & actualiter degradatur ab ordine. Et quidem duodecim Epiſcopis adhibitis, *c. Felix* 15. *qu.* 7. Abb. *in c. Non poteſt de re judic.* Silveſt. *in ver. Degradatio n.* 1. Clar. *in pract. crim.* §. *fin. qu.* 74. *verſ. Sed quæro quot Epiſcopi*, cùm tamen in degradatione Presbyteri ſex Epiſcopi ſufficiant, & tres in degradatione Diaconi, vel Subdiaconi, *d. c. Felix*, *& cap. ſeqq. & cap. Degradatio*, cum gloſſ. *in ver. Canonibus de pœn. lib.* 6. Dixi *in c. Aqua infrà de conſecr. Eccleſ. vel alt.* Ergo Epiſcopus ordinem habet; alioquin non eſſet poſſibile, ut actualiter degradaretur ab ordine, quem non haberet, cùm privatio præſupponat habitum, *cap. Ad diſſolvendum de deſponſ. impuber. c. Ex parte de reſtit. ſpoliat. l. Decem*, *ff. De verb. obligat. cum concord.*

Neque verò in degradatione actuali conſiderari poteſt 74
ordo Epiſcopalis, prout eſt dignitas, vel officium, quia ab officiis, vel dignitatibus non fit ſolemnis, & actualis degradatio, ſed verbalis tantùm depoſitio, ſeu privatio per ſententiam, ut diſertis verbis declarat Pontificale Romanum in *tit. de degradationis forma*, ibi, *Propriè loquendo quis à dignitatibus, & honoribus deponitur, ſed ab ordinibus degradatur.* Ratio diverſitatis eſt, quia officia, & digni- 75
tates ſicut nuda voluntate, & verbo conferri poſſunt, ita & auferri, gloſſ. *in d. c. Aqua in ver. Juriſdictionis*, S. Thom. *in* 2. 2. *qu.* 184. *art.* 6. *ad ſecundum*. At verò in collatione Sacramenti Ordinis ſola voluntas, aut verbum non ſufficit, ſed opus eſt facto, quia ſacra ordinatio verbis, & ſignis exterioribus perficitur, ut in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. c.* 3. & conſequenter etiam in externa ordinis ablatione non ſufficit verbalis depoſitio, ſed exigitur factum actualis degradationis, qua miles cæleſtis Militiæ ſuſceptis ordinibus, & inſignibus Clericalibus ſpoliatur, ut habetur in *d. c. Degradatio in* §. *Actualis*, quia omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, dicit text. *in cap.* 1. *infrà de regulis jur.* Bald. *conſ.* 28. *Super eo num.* 1. *lib.* 3. Undè, ut idem Bald. dicebat *in c. Bonæ memoriæ, il primo num.* 3. *ſuprà de poſtul. Prælat.* Si Cardinalis deponitur non retinet dignita- 76
tem tamen retinet ordinem ſacrum, qui erat impreſſus, quia mortificari quidem poteſt, ſed non funditùs mori, niſi cum anima, de quo latius per Abb. poſt D. Thomam, quem citat in *c. Si quis Presbyter num.* 6. *infrà de Cler. excommunt. miniſtr.*

Decimononò, & ultimò, noſtra Hierarchia à Deo tra- 77
ditis ordinibus ſanctè diſpoſita, Sanctis, & cœleſtibus hierarchiis conformis eſt, ut inquit Dionyſ. *de Eccleſ. Hierarch. ca.* 6. nam Eccleſia militans exemplata eſt à triumphanti, *c. Ad hoc* 89. *diſt.* gloſſ. *in Clem. fin. in ver. Eccleſia de hær.* Sed in cœleſti Hierarchia, & Eccleſia triumphanti novem ſunt ordines Angelorum, *cap. Principium*, §. *Omnis lapis, de pœnit. diſt.* 12. Ergo totidem ordines eſſe debent in Eccleſia militanti. Atque ita ſi ſeptem ordinibus adjunxeris primam Tonſuram, & Epiſcopatum, novem ordines in Eccleſia Dei ſine errore calculi computabis ut ſic ſuperiori Hierarchiæ hæc inferior conformetur, ut inquit formaliter Hoſt. *in c. Cum contingat num.* 6. *ſuprà de ætat. & qualit.* quem totidem verbis referunt, & ſequuntur ibi Jo. Andr. Butr. Card. & alii communiter Præpoſ. *in c. Cleros num.* 4. 21. *diſt.* Eodem argumento ex Theologis utitur Altiſiodorenſis *lib.* 4. *Summæ tract.* 8. *qu.* 1. dicens novem eſſe ordines in Eccleſia militante, ſicut etiam ſunt in triumphante

novem

novem ordines Angelorum, & aliis ſeptem adjungit duos alios, videlicet Epiſcopatum, & Archiepiſcopatum, Primatum enim, & Patriarchatum cenſet ordines non eſſe, quia, inquit, non differunt niſi penes majorem, & minorem poteſtatem. Et eodem modo arguit Major in 4. *diſt.* 14. *qu.* 1. *col.* 2. exiſtimans novem eſſe ordines Eccleſiaſticos in Eccleſia militante inſtar triumphantis, & aliis ſeptem addit, & benè, primam Tonſuram, & Epiſcopatum, non autem Archiepiſcopatum. Itaque rationibus, & authoritatibus firmatum eſt Epiſcopatum non ſolùm eſſe ordinem propriè; prout eſt Sacramentum, ſed etiam eſſe diſtinctum ab ordine Presbyteratus.

Non obſtant argumenta pro ſecunda ſententia Theologorum.

78 Ad primum enim reſpondetur intentum Concilii Florentini ibi eſſe tantummodò docere Armenos materiam, & formam Sacramenti ordinis in genere, non autem diffinire quot ſint ordines. Et propterea per modum exempli exprimit materiam Presbyteratus dicens, *ſicùt Presbyteratus traditur*, *&c.* ponderando dictionem illam, *ſicut*, quæ eſt exemplificativa, ut *l.* 1. *ff. de rer. diviſ.* Et idem facit de ordine Diaconatus, & Subdiaconatus. Undè hinc non licèt inferre, ut in Eccleſia non ſint alii ordines, quàm ibi expreſſit. Quia exempla regulam non reſtringunt, *l. Damni infecti*, *la ſeconda*, *ff. De damno infect. cum ſimil.* non ſumpſit autem exemplum ab ordine Epiſcopatus, non quia non eſſet ordo, ſed fortè quia noluit diffinire veterem hanc controverſiam inter Doctores Catholicos Theologos ſcilicet, & Canoniſtas. Præterquamquod ſubſequentia verba: *Et ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem.* Necnon illa: *Et ſic de aliorum ordinum formis*, prout in Pontificali Romano latè continentur, in ſui latitudine apta ſunt comprehendere etiam ordinem Epiſcopatus, qui traditur per impoſitionem libri Euangeliorum, & habet ſpecialem formam in Pontificali exaratam, ut dictum eſt in decimoquinto fundamento pro ſententia Canoniſtarum.

Ad ſecundum reſpondetur Concilium Tridentinum licèt in d.c. non meminerit ordinis Epiſcopalis; tamen alibi apertè declaravit Epiſcopatum eſſe ordinem, ſecundùm quod eſt Sacramentum, videlicet in *c.* 3. juncto *c.* 4. *& can.* 6. *&* 7. *ejuſdem ſeſſionis*, ut abundè oſtenſum eſt ſuprà nu. 47. & 71.

79 Ad tertium reſpondetur primò, negando minorem. Imò enim tenet collatio ordinis Epiſcopalis, licèt ordinatus non ſit Sacerdos. Et ita communiter teneri teſtatur Abb. *in c. unic. n.* 5. *verſ. Quoad ſecundum inf. de Cler. per ſalt. promot.* Undè laicus ſi ordinetur Epiſcopus, benè recipit characterem, ut tenet gloſſ. *in c. Solicitudo in ver. Subdiaconatus* 52. *diſt.* Nam præpoſteratio in collatione ordinum non vitiat,
80 licèt impediat executionem. Neque obſtat *c. Ex litteris de conceſſ. Prælat.* quia illud c. loquitur de executione ordinis, non autem de impreſſione characteris, quia ſcilicet non Sacerdos exequi non poteſt Epiſcopalem ordinem, ſed character benè imprimitur ex collatione ordinis Epiſcopalis ſine Sacerdotio ſecundùm Abb. *ubi ſuprà*. Sed quia
81 opinio gloſſæ in *d. c. Solicitudo*, non tenetur ſaltem à Theologis, ut patet ex dictis in argumento contrario nu. 15. & ſcripſi pleniùs in *d. c. unico n.* 6. *de Cler. per ſalt. prom.* Ideò reſpondetur ſecundò, negando majorem; illa enim propoſitio univerſalis negativa, *Nullus ordo*, ex neceſſitate Sacramenti prærequirit characterem alterius ordinis, abſolutè non eſt vera, quia Epiſcopatus eſt ordo; & tamen prærequirit ordinem Sacerdotalem. Prædicta igitur propoſitio procedit tantummodò in aliis ordinibus, quorum nullus ex neceſſitate prærequirit characterem alterius ordinis. Ratio differentiæ eſt, quia in collatione aliorum ordinum accipit ordinatus poteſtatem exercendi principalem actum ordini collato annexum, ſicut Presbyter cùm ordinatur accipit eo ipſo poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti, qui eſt principalis actus Sacerdotis. Ad hoc autem non prærequiritur character Diaconatus, vel alterius ordinis, quia poteſtates ſunt diſtinctæ ſecundùm D. Th. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 5. Abb. *in d. c. unic. n.* 9. *de*
82 *Cler. per ſalt. prom.* & Turrecr. *in d. c. Solicitudo n.* 3. *verſ. Ad ſecundum* 52. *diſt.* At verò, quia actus principalis Epiſcopi eſt ordinare Sacerdotes, *c. Cleros*, §. *Pontifex* 21. *diſtinct. c. Quamvis* 68. *diſtinct.* & poteſtatem exercendi hujuſmodi actum non poteſt Epiſcopus in ſua conſecratione accipere, niſi etiam ſit Sacerdos, cum non ſit poſſibile ut conferat al- 83
teri ordinem Sacerdotalem, quem non habet ſecundùm Innoc. in *c. Quanto. de conſuet.* Silveſt. *in ver. Ordo* 1. *nu.* 1. *verſ. Sed ſi ſit Sacerdos*, conſequens eſt ut character Epiſcopalis ex neceſſitate prærequirat characterem Sacerdotalem tamquam fundamentum ſuæ poteſtatis, quia nimirum principalis actus ordinandi Sacerdotes eſſet inanis, ſi Epiſcopus ordinem Sacerdotalem non haberet, ſed hinc non
rectè infertur, ut Epiſcopatus non ſit ordo, quin potiùs 84
infertur ut ſit ſummus ordo, prout illum appellat Hoſtien. in *c. Cum contingat*, *num.* 6. *de ætat. & qualit.* quia ſcilicet neceſſariò ſupponit ordinem Sacerdotalem, cùm tamen reliqui ordines non requirant ad ſui eſſentiam ordines præcedentes. Poſſet etiam tertio loco reſponderi ex Præpoſ. in *cap. Subdiaconus*, *num.* 4. 77. *diſt.* ubi ait. *Iſta argumenta Theologorum procedunt retento quòd Epiſcopatus non ſit ordo per ſe ſeparatus à Sacerdotali, ſed quædam uberior facultas. Sed retenta opinione Canoniſtarum, quam tenui in cap.* 1. 21. *diſt. ſcilicet quòd Epiſcopatus ſit ordo ſeparatus, & imprimat ſuum characterem; iſta opinio non procederet, quia imò imprimeretur character; & eſt eadem ratio, quæ in ordine Sacerdotali.* Hæc Præpoſitus. Magis tamen placet præcedens reſponſio; quia etiam tenendo opinionem Canoniſtarum, veriùs videtur characterem Sacerdotalem eſſe de ſubſtantia conſecrationis Epiſcopalis per rationem ſuperiùs ponderatam.

Ad quartum reſpondetur, ratiocinationem Soti eſſe valdè frivolam; non enim ſequitur: Epiſcopatus confertur in die Dominico, reliqui ordines in Sabbato. Ergo Epiſcopatus non eſt ordo. Quin potiùs hinc licet inferre, ut ſit præſtantior ordo, cùm confertur in ſolemnioribus diebus; idque ſatis inſinuant verba *c. Quod die*, 75. *diſt.* ibi: *Ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.*

Ad quintum patet reſponſio ex dictis *in* 15. *fundamento*, *n.* 55. ubi oſtenſum eſt ordinationem Epiſcopi habere ſpecialem materiam, & ſpecialem formam ab aliis ordinibus diſtinctam. Et mirum eſt Sotum meminiſſe tantummodò Mitræ & Baculi, & aliorum inſtrumentorum, quæ ad rem non pertinent, & miſiſſe impoſitionem libri Euangeliorum, quæ eſt materia eſſentialis in ordinatione Epiſcopi.

Ad ſextum ſimiliter patet reſponſio ex dictis *ſuprà in decimo ſeptimo fundamento*, *num.* 68. ubi probatum eſt ordi- 85
nem Epiſcopatus fuiſſe à Chriſto inſtitutum. Nec obſtat textus in *d. cap. In novo*, 21. *diſt.* quin potiùs facit pro hac parte, quia dum dicit, *à Petro Sacerdotalis*, ideſt, *Epiſcopalis cœpit ordo*, hoc intelligi debet paſſivè, & idem eſt ac ſi dixiſſet: Petrus fuit primus Epiſcopus à Domino inſtitutus. Et quidem Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ per illa verba: *Paſce oves meas*, ut in *c. Conſiderandum*, & *cap. Fidelior*, 50. *diſt. c. Significaſti*, *ſuprà de elect.* gloſſ. in *d. c. In novo*, *in ver. Tu es Petrus*, Item non obſtat *d. c. Porrò*, 66. *diſt.* quia tantùm probat Jacobum fuiſſe primum Epiſcopum ab Apoſtolis ordinatum, quod verum eſt, quia ſolus Petrus fuit conſecratus Epiſcopus immediatè à Chri-
ſto, ut ibi firmat Turrecr. & dixi latè in *c.* 1. *infrà*, *de off.* 86
ordin. ſicut non obſtat, quòd eo tempore, quo Jacobus fuit ordinatus Epiſcopus, non extaret liber Euangeliorum: nam eadem objectio fieri poteſt de ordine Diaconatus. Certum eſt enim Stephanum fuiſſe ordinatum Diaconum ab Apoſtolis, quo tempore nondum ſcriptus fuerat liber Euangeliorum, qui eſt materia eſſentialis ordinis Subdiaconatus, ut ſcripſi in *c. fin. de Sacram. non iteran.* Undè ad hanc difficultatem reſponde ut ibi dixi.

Sic etiam videmus in conſecratione Epiſcopi eſſe de ſubſtantia, ut ſaltem tres Epiſcopi adhibeantur, ut patet in *d. c. Epiſcopus cùm ordinatur*, 23. *diſtinct.* in *c.* 1. *& per totam*, 64. *diſtinct. cap. Si Archiepiſcopus*, & in *cap. ſeq. ſuprà de tempor. ordinat.* & in Pontificali Romano, & docet Hoſtienſ. in *c. unico*, *num.* 5. *&* 6. *verſ. Item numerus*, *de ſacra Unct.* quem ibi ſequuntur Joan. Andr. Butr. Card. Abb. & alii communiter. Henric. Boich. in *c. fin. de ſacram. non iteran.* Et ex Theologis Cajet. in 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 6. Bellarm. *de notis Eccleſ. cap.* 8. §. *Quantum*, & Vaſq. *de Sacram. diſp.* 243. *c.* 6. *num.* 63. quos noviſſimè citat Franciſcus Halier, Pariſienſis *in tract. de ſacris electionibus & ordinationibus*, *par.* 1. *lect.* 5. *cap.* 2. *art.* 2. Et tamen in con- 87
ſecra-

ſecratione primi Epiſcopi à Petro Apoſtolo ordinati, certum eſt non fuiſſe adhibitos tres Epiſcopos, cùm alius Epiſcopus non extaret, quàm Petrus, qui ſolus immediatè à Chriſto fuit conſecratus Epiſcopus, ut prædiximus. Neceſſe eſt igitur fateri tunc temporis hæc fuiſſe omiſſa ex authoritate divina pro illo tempore Apoſtolis collata, & ad illud tempus videtur referri poſſe Canon Apoſtolorum primus, ubi dicitur: *Epiſcopus à duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur.* Vel meliùs, hic canon videtur intelligendus de Epiſcopis aſſiſtentibus, qui præter Epiſcopum conſecrantem non debent eſſe pauciores, quàm duo, poſſunt tamen eſſe plures; & ideò dictum eſt à duobus, vel tribus, imò ceſſante neceſſitate Epiſcopus conſecrari debet à Metropolitano cum omnibus Epiſcopis Provinciæ, ut eſt text. in *d.c.Si Archiepiſcopus, & in d.c.*1.*& c.Epiſcopum* 64.*diſtin.* Senſus igitur eſt: Epiſcopus ordinetur ab Epiſcopo conſecrante, & ſaltem duobus, vel tribus Epiſcopis aſſiſtentibus: & ita ſi computetur conſecrator in ordinatione Epiſcopi non poſſunt eſſe pauciores tribus.

88 Ad ultimum argumentum, in quo Theologi ſecundæ ſententiæ conſtituunt vim totam præſentis diſputationis, reſpondetur ſecundùm Prepoſ. *in c.Cleros num.*4.*verſ. Non enim* 21.*diſtinct.* ad eſſe ordinis Eccleſiaſtici, & Sacramentalis non requiri, ut habeat miniſterium cooperativum in ipſo actu conſecrationis Euchariſtiæ, ſed ſatis eſſe, ut vel quoad ipſum Sacramentum, vel quoad ſuſcipientes cooperetur præparando; ſicut clarè patet in minoribus ordinibus, *c.Perlectis* 25.*diſt.cap. Acolythus cum trib. ſeqq.* 23.*diſtinct.* & declarat S.Thom.in 4.*diſt.*24.*qu.*2.*art.*1.*qu.*2.*verſ. Et ideò aliter dicendum*, ubi ait Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Euchariſtiæ ordinari, quod eſt Sacramentum Sacramentorum, ut dicit Dionyſ.*de Eccleſ. hierarch. cap.*3.*par.* 3. Et ideò diſtinctio ordinum eſt accipienda ſecundùm relationem ad Euchariſtiam, quia poteſtas ordinis, aut eſt ad conſecrationem Euchariſtiæ ipſius, aut ad aliquod Miniſterium ordinandum ad hoc. Et ibi latè proſequitur quomodo Miniſtri ſinguli cooperentur mediatè, vel immediatè, vel in ordine ad ipſum Sacramentum, vel
89 in ordine ad ipſum ſuſcipientes, Epiſcopi autem poteſtas, quamvis non ſit ad conſecrationem ipſius Euchariſtiæ immediatè; quia hęc eſt poteſtas Sacerdotum, ut in *d.c.Perlectis*, §. *Ad Presbyterum* 25.*diſt.* tamen negari non poteſt quin ſaltem immediatè relationem habeat tàm ad ipſum Sacramentum, quàm ad ſuſcipientes. Ad Sacramentum quidem, quia Sacerdotes, à quibus Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, à ſolo Epiſcopo ordinantur, *c.Quamvis* 68. *diſt.d.c.Perlectis*, §. *Ad Epiſcopum*, Concilium Tridentinum *ſeſſ.*23.*de Sacram.Ordin. c.* 4. *& can.* 7. Quoad ſuſcipientes verò, quia ſolus Epiſcopus conſignat pueros in fronte, *c.De his vero, de conſecr.diſt.*5. *c.Quanto de conſuet. c.unico*, §.*Per frontis, de ſacra Unction.* cum aliis preallegatis. Quod ſi Oſtiarius ex hoc ſolo quod arcet ab Eccleſia infideles; Lector quia inſtruit Cathecumenos, & Exorciſta, quia purgat Energumenos relationem habent ad Euchariſtiam in ordine ad ſuſcipientes, *c.Exorciſta, c.Lector, & c.Oſtiarius* 23.*diſt.* longè magis idem dicendum in Epiſcopo, cujus miniſterio in Sacramento Confirmationis fideles armantur, & inſtruuntur ad agones Mundi hujus, & prælio contra inviſibiles hoſtes, ut *in c. Spiritus Sanctus de conſecr.diſt.* 5. nemo enim negabit quin proximiùs accedat ad Euchariſtiam, quantum ad ſuſcipientes Confirmatio baptizatorum, quàm expulſio infidelium ab Eccleſia; inſtructio Catechumenorum, aut Energumenorum purgatio.

90 Præterquamquod ut dicit Vaſq. *in* 3. *par.* D.Tho. *tom.*3. *diſp.*240.*cap.*2.*num.*51. DD. oppoſitæ ſententiæ abſque ullo fundamento dixerunt ordinem debere tantùm conſtitui per relationem ad Sacramentum Euchariſtiæ. Quid enim inquit obſtare poteſt, quominus per reſpectum ad conſecrandos, & ordinandos Sacerdotes Miniſtros Euchariſtiæ poſſit ordo conſtitui, qualis eſt Epiſcopatus? Et per hoc patet etiam reſponſio ad confirmationem. Nã etſi confectio Euchariſtiæ ſit ultimus actus, & conſummatio divini cultus; nihil tamen proponitur, quin potuerit conſtitui ſpecialis ordo pro conſecrandis Prebyteris, qui actum illum, & conſummationem perficiant; & hic eſt ordo Epiſcopatus, quem conſtitui oportet ad conſecrandos Miniſtros, quia alioquin Sacerdotium fuiſſet extinctum cum Apoſtolis, quos Dominus in Cęna conſtituit Sacerdotes novi teſtamenti, ut in Conc. Trid.*ſeſſ.*22.*de Sacr.Miſſæ c.*1. *& can.*2.

Non obſtant argumenta tertiæ opinionis Theologorum.

Ad primum enim reſpondet Michael Medina *lib.* 1. *de* 91
*ſacr.homin.continen.c.*16.§.*Imbecillior*, ubi irridet eos, qui dicunt per ordinationem Epiſcopi non imprimi characterem omninò diſtinctum à Sacerdotali, ſed ſacerdotalem extendi, quoniam per talem extenſionem, nihil ei diverſæ naturæ addi poteſt, quod in ipſo anteà virtute non contineretur; ac proindè ſi tantùm fieret extenſio à poteſtate ſacerdotali ad Epiſcopalem, nulla poteſtas Epiſcopo tunc conferretur, quæ in ordinatione ſacerdotis collata non eſſet. Nam ſicut, inquit, extenſio non addit rei extenſæ majorem eſſentiam, aut naturam; ita etiam neque majorem virtutem ad operandum tribuit, ut patet in extenſione pollis, per quam acquiritur ſolùm major loci quantitas, non autem major ſubſtantia, vel natura, vel potentia, licèt hanc reſponſionem Medinæ impugnet Vaſq.*d.diſp.*240.*c.*5.*nu.*5. eò quòd extenſio characteris non ſit excogitanda inſtar extenſionis quantitatis, ſed inſtar extenſionis habitus circa varias concluſiones. Reſpondetur ſecundò exemplum quo utuntur Theologi de extenſione characteris Sacerdotalis, quam dicunt fieri in impoſitione manuum ad poteſtatem ligandi, & ſolvendi eſſe magis obſcurum, ac dubium, quàm ſit principalis articulus de quo diſputatur. A pleriſque enim negatur hujuſmodi extenſio. Ac prætereà non procedit ſimile à Presbytero ad Epiſcopum, quia Presbyter qui characterem ſacerdotalem accepit in porrectione Calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, ut in Concilio Florentino in decreto fidei, §.*Sextum Sacramentum*, poſteà in impoſitione manuum non ordinatur iterùm, quia non traditur ei novum inſtrumentum, prout requiritur ad eſſentiam ordinationis, ſed tantùm tribuitur nova poteſtas, ut poſt Silveſtrum *in ver.Ordo ſecundo nu.*4. plenè probavi in *c.fin.nu.* 22.*de ſacram. non iteran.* At verò Sacerdos in conſecratione Epiſcopali iterùm ordinatur per novam materiam, & formam, ex qua oritur ordinum diſtinctio, ut fusè oſtenſum eſt ſuprà in decimoquinto fundamento. Præterquamquod Sacerdos qui manuum impoſitionem accepit non dicitur ſuperior, vel major Sacerdos, quàm is, qui illam non accepit. At Epiſcopus eſt Superior, & major ſimplici Sacerdote, ut eſt diffinitũ. Ergo in hoc ſecundo caſu non eſt ſimplex extenſio, ut fortè in primo, ſed realis diſtinctio ordinũ.

Ad ultimum reſpondetur ex D.Thoma in 4. *diſt.*24.*qu.*3. 92
*art.*2.*qu.*2.*verſ. Sed contra*, poteſtatem tantò eſſe altiorem, quantò ad plura ſe extendit. Poteſtas autem Sacerdotalis, 93
ut dicit Dionyſ.*c.*5.*Eccleſ.Hierarch.* extendit ſe ad purgandum, & illuminandum, Epiſcopalis verò ad hoc, & perficiendum. Et in reſponſione ad ſecundum oſtendit poteſtatem Epiſcopalem quantum ad actum conſecrationis Corporis, & Sanguinis Chriſti non eſſe majorem Sacerdotali, ſed eſſe majorem quoad actum ſecundarium, qui eſt præparare populum ad ſuſceptionem hujus Sacramenti. Item Epiſcopus majorem habet poteſtatem ſuper Corpus Chriſti myſticum, licèt non ſuper Corpus Chriſti verum, ut idem docet 3.*par.qu.*82.*art.*1.*ad* 4.*& in* 4.*ſent.diſt.*24.*qu.*3. *art.* 2. *qu.* 2. Et his reſpectibus Epiſcopus habet ordinem ſuperiorem ordine Sacerdotali, etiam præſcindendo à Sacerdotio. Prætereà poteſtas Epiſcopalis conſiderari non debet ſine fundamento ordinis Sacerdotalis, ſed prout illum includit ex neceſſitate Sacramenti, cùm non poſſit eſſe Epiſcopus quin etiam ſit Sacerdos, & comparatio hoc modo fieri debet, videlicet conſtituendo ex una parte ſimplicem Sacerdotem, & ex altera Sacerdotem Epiſcopum, quo modo dubium non eſt quin Sacerdos Epiſcopus ſit major, quia non ſolùm habet poteſtatem in miniſterio Altaris, ſed etiam conſecrandi miniſtros, & alia pleraque faciendi, quæ inferioribus Sacerdotibus non competunt, ut ſæpiùs repetitum eſt. Hinc autem non ſequitur, ut ordo Epiſcopalis non ſit diſtinctus à Presbyterali, ſed tantùm ſequitur, ut Presbyteralem includat. Sicut character ordinis includit 94
ex neceſſitate Sacramenti characterem Baptiſmi, *c. fin.de Presbyt.non bapt.* Et tamen non ſequitur, ut character Baptiſmi, & character Ordinis non ſint diſtincti. Quia igitur in Epiſcopo cumulantur duæ diſtinctæ poteſtates, & duo characteres, ideſt Epiſcopalis, & Sacerdotalis, quorum unus neceſſariò includit alium, proptereà Epiſcopus ſimpliciter, & abſolutè dicitur in eminentiori ſtatu conſtitutus, quàm ſimplex Sacerdos.

DE ÆTATE, ET QUALITATE, & ordine præficiendorum.

Ex Concilio Pictaven.

CAPUT I.

UT Abbates, Decani, & Præpoſiti, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant: qui Archidiaconatus tenent, Diaconi: qui verò Archipresbyteratus, Presbyteri; aut amittant honorem. Quòd ſi aliqua juſta cauſa prohibente, Presbyteri, aut Diaconi eſſe non potuerint, Prælationes amittant.

SUMMARIUM.

1 *Beneficiati per privationem beneficii arctantur ad ordines ſumendos, quos beneficia requirunt.*
2 *Dignitates, Abbatiæ, Decanatus, Præpoſituræ, & Archipresbyteratus de jure annexum habent ordinem Sacerdotalem.*
Et quid poſt Concilium Tridentinum n. 8. & ſeqq.
3 *Abbas an debeat prius benedici, an in Presbyterum ordinari.*
4 *Archipresbyter habet curam animarum, & ideò debet in Presbyterum ordinari.*
6 *Dignitates omnes, quibus animarum cura nulla ſubeſt, hodie obtineri poſſunt in vigeſimo ſecundo anno completo, ac proindè non ſunt presbyterales.*
5 *Archimandrita idem eſt quod Abbas.*
7 *Ordines ſacros Epiſcopus in vim Concilii Tridentini annectere non poteſt Dignitatibus, ſed Canonicatibus, & Portionibus tantum.*
8 *Abbas de jure antiquo eſſe poterat etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, quinimò & laicus.*
9 *Ordo annexus beneficio non requiritur contemporaneè in ipſo actu collationis.*
Declaratur, n. 11.
10 *Capellania Sacerdotalis in Cathedrali obtineri poteſt in vigeſimo quarto anno incboato.*
11 *Parochialis validè conferri non poteſt ei, qui annum vigeſimum quintum non attigerit, ibidem.*
12 *Archidiaconatus de jure annexum habet ordinem Diaconatus.*
13 *Sed ex ſtylo, ubi eſt prima dignitas poſt Pontificalem, requirit ordinem Presbyteratus.*
14 *Abbates, Decani, Præpoſiti, Archidiaconi, & Archipresbyteri ſunt Prælati.*
15 *Abbatia, an & qualis ſit dignitas.*
16 *Et an comprehendatur in cap. Licet, il primo de praben. lib. 6.*
17 *Abbates titulares, vel habentes uſum Mitræ in Synodis Provincialibus præcedunt Commendatariis.*
18 *In Concilio Tridentino ſedebant immediatè poſt Epiſcopos.*
Abbas Claravallenſis in Concilio Tridentino ſedit inter Abbates primus, ibidem.
19 *Generales ordinum in Concilio Tridentino poſt Abbates collocati fuerunt, & inter hos primus Generalis ordinis Prædicatorum.*
20 *Decanus eſt honorabilior de Capitulo.*
21 *Decanatus an ſit dignitas, & n. ſeqq.*
22 *Decanus non eſt de Capitulo, niſi ſit etiam Canonicus, vel hoc habeat conſuetudo.*
23 *Præpoſiti, & Decani rurales non habent dignitatem.*
24 *Præpoſitura an ſit dignitas.*
25 *Præpoſiti in Germania, Belgio, & Polonia dignitatem habent, & alicubi juriſdictionem, & curam animarum.*
26 *Archidiaconus de jure eſt prima dignitas poſt Pontificalem, & caput Capituli.*
27 *Et ad eum ſpectat Capitulum convocare.*
28 *Ac ſi renuerit, cogi poteſt ab Ordinario.*
Capitulum convocare de conſuetudine ſpectat ad Decanum, ibidem.
29 *Archidiaconatus dignitas an ſit major Abbatiali, vel è converſo, & num. 31.*
30 *Archipresbyter an ſit major Archidiacono, remiſſivè, & num. ſeqq.*
32 *Ordo litteræ non eſt attendendus, quando ex aliis juribus apparet varius, & inverſus.*
Decanus an ſit major Præpoſito, vel è contra, ibidem.
33 *Impeditus ex juſta cauſa ſuſcipere ordines ſuo beneficio annexos, quamvis non ſit ipſo jure beneficio privatus, tamen privari debet.*
34 *Quod procedit ſi culpa ſua ad talem ſtatum pervenit, ut promoveri non poſſit, aliàs ſecus.*
35 *Item procedit in eo, qui impedimentum prius contractum in ordinatione ſua ſubticuit.*
36 *Infirmitas præbet juſtam cauſam excuſationis à privatione beneficii ob non promotionem ad ordines, licèt ex propria culpa provenerit.*
37 *Beneficium Sacerdotale an requirat, ut quis actu ſit, Presbyter tempore collationis, an verò ſufficiat aptitudo. Latè diſcutitur uſque ad n. 60.*
38 *Quid ſi Eccleſia ſit Parochialis.*
39 *Quid in dignitate Curata, & Collegiata Eccleſia etiam Parochiali.*
40 *Quid ſi ſit dignitas non curata.*
41 *Et quid in Canonicatibus præbendis, aut portionibus Presbyteralibus in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia.*
42 *Beneficia ſimplicia de jure communi non habent certos ordines annexos, ſed ad illa obtinenda ſufficit prima Clericalis Tonſura.*
43 *Aliquando tamen habent ordines annexos ex fundatione, privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto.*
44 *Ordinum annexio duplex.*
45 *Ordinis annexio reſpectu actus requirit ordinem in ipſo actu collationis beneficii, aliàs non tenet collatio.*
46 *Epiſcopatus habet annexum ordinem Diaconatus reſpectu actus, majores verò reſpectu aptitudinis.*
47 *Commenda Parochialis Eccleſiæ fieri non poteſt, niſi actu Sacerdoti.*
48 *Ordinis annexio reſpectu aptitudinis non requirit, ut quis habeat ordinem annexum tempore collationis, ſed ſatis eſt, ut infrà tempus à jure præfixum ſe faciat promoveri.*
49 *Expectans Apoſtolicus, an poſſit acceptare præbendam, cui reſpectu actus annexus eſt ordo ſacerdotalis ſi actu non ſit Sacerdos.*
50 *Fundationi beneficii per clauſulas generales Papa non cenſetur derogare.*
51 *Ordinis annexio reſpectu aptitudinis non requirit ætatem ordinis in ipſo actu collationis, ſed ſatis eſt, ut proviſus ſit in ea ætate, ut infrà annum promoveri poſſit, & n. ſeqq.*
52 *Capella, in cujus fundatione cautum eſt, ut Capellanus per ſeipſum Miſſas celebrare teneatur, conferri poteſt ſimplici Clerico, in ea tamen ætate conſtituto, ut infrà annum poſſit in Presbyterum ordinari.*
53 *Capellaniæ in Cathedrali, quarum Capellani à Capitulo electi, tenentur Miſſas Conventuales canere, & divinis intereſſe ſunt ſacerdotales aptitudine.*
54 *Ordinis annexio, an & quando cenſeatur facta reſpectu actus, vel reſpectu aptitudinis, & num. ſeqq. uſque ad n. 60.*
55 *Exempla annexionis ordinis reſpectu actus, & num. ſeqq.*

56 *Qua-*

56 *Qualitas adjuncta verbo intelligitur ſecundum tempus verbi, ideſt in ipſo actus initio.*

57 *Gerundium undè dictum, & quam vim habeat.*

58 *Ordo quibus caſibus cenſeatur beneficio annexus reſpectu aptitudinis.*

59 *Beneficia ſacerdotalia regulariter non requirunt ſacerdotium actu, ſed aptitudine.*

60 *Capellania, cui eſt annexum onus Miſſarum celebrandarum, an ſit ſacerdotalis, anve Capellanus teneatur per ſeipſum Miſſas celebrare, & num. ſeqq. uſque ad num.* 89.

61 *Beneficium ſacerdotale quod dicatur.*

62 *Capellania ea lege erecta, ut Capellanus teneatur Miſſas celebrare, & in divinis deſervire, non eſt ſacerdotalis, & conferri poteſt Clerico quatuordecim annorum, & num.* 66. & 70.

63 *Beneficia ſimplicia ex generali conſuetudine perſonali reſidentiam non requirunt, & num.* 74. & 97.

64 *Verba*, Miſſas, *vel divina officia celebret, aut in divinis deſerviat, non important perſonale ſervitium, & n.* 66. 70. 73. & 74.
Declaratur, num. 88. 97. 100. & 102.

65 *Capellaniam obtinens non tenetur ſacros ordines ſuſcipere, ſed Miſſarum oneri poteſt per olim ſatisfacere, niſi in fundatione cautum ſit, ut per ſeipſum celebret.*

67 *Beneficium ea lege erectum, ut præbendarius ſingulis diebus teneatur Miſſas celebrare, & divinis officiis intereſſe, non eſt ſacerdotale.*

68 *Capellania ſic inſtituta, ut Capellanus quotidiè Miſſam celebret, & ſi negligens fuerit, certam pœnam incurrat, con requirit perſonalem reſidentiam.*

69 *Item ſi cautum ſit, ut domus pro Capellano ædificetur, ubi habitet, & ſerviat divinis; alioquin amoveri poſſit.*

71 *Capella ſic ordinata, ut eligatur idoneus Capellanus Presbyter, qui Miſſam celebret, eſt ſacerdotalis, ſed Capellanus non tenetur inſervire per ſeipſum.*
Declaratur, num. 79.

72 *Capellania in Cathedrali Eccleſia ſic fundata, ut Capellanus debeat celebrare diu, noctuque divinum officium, non requirit, ut Capellanus debeat eſſe Presbyter.*
Officii divini celebratio non refertur ad celebrationem Miſſæ, ibidem.
Declaratur, num. 82. & *ſeqq.*

75 *Capellaniam non requirere ſervitium perſonale declaratur ex obſervantia ſubſecuta, & num.* 99.
Capellano habenti onus per ſeipſum celebrandi Miſſas in Eccleſia à Teſtatore deſtinata, potius indulgetur, ut celebret in eadem Eccleſia per ſubſtitutum, quam alibi per ſeipſum, ibid. verſ. Nec advertatur.

76 *Capellanus tenetur per ſeipſum Miſſas celebrare, ſi id verbis expreſſis, aut æquipollentibus cautum fuerit in fundatione Capellaniæ.*

77 *Legatum ſimplex cum onere aſſumendi ordinem ſacerdotalem, & Miſſas celebrandi nulla eget Ordinarii inſtitutione.*

78 *Reſidentia perſonalis, & obligatio Miſſas celebrandi, & inſerviendi per ſeipſum in Capellis, & beneficiis ſimplicibus, quibus caſibus cenſeatur inducta ex ſententia S. Congregationis Concilii.*

79 *Capellas, & beneficia Sacerdotalia obtinentes in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis tenentur Miſſas celebrare, & onera adimplere per ſeipſos, & n. ſeqq.*

80 *Capellaniæ erectæ in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia cum onere Miſſarum celebrandarum non comprehenduntur in decreto Concilii Tridentini* cap. 4. ſeſſ. 22. *niſi ordinem annexum habeant, & num.* 90.

81 *Beneficia obtinentes in Cathedralibus, & Collegiatis compelli debent divina officia obire per ſeipſos.*

82 *Miſſa Conventualis, quamvis non ſit de horis, eſt tamen de officio, & num. ſeqq.*

83 *Intellectus* cap. De his 12. diſt.

84 *Diſtributiones quotidianæ aſſignantur pro Miſſa Conventuali, ſicut pro horis.*

85 *Beneficia obtinentes in Cathedrali, vel Collegiata cum onere inſerviendi divinis, tenentur intereſſe Miſſæ Conventuali, ſed non illam celebrare, niſi beneficia ſint Sacerdotalia, & num. ſeqq.*
Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

86 *Intellectus* c. Cum creatura de celebr. Miſſar.

87 *Capellam obtinens, an & quando teneatur eſſe Presbyter, & Miſſas, ac divina officia celebrare per ſeipſum compendioſa diſtinctio.*

88 *Verba*, divinis inſervire, *aut* intereſſe *in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia important ſervitium Chori, quod adimpleri non poteſt per ſubſtitutum, & num.* 97. 100. 103. & 105.

89 *Capella ſic fundata in Collegiata Eccleſia, ut illam obtinens obligatus ſit in dicta Eccleſia Miſſas dicere, eique in divinis deſervire, an requirat, ut Capellanus hæc munia expleat per ſeipſum, & num. ſeqq. uſque in finem.*

90 *Capellania cum onere inſerviendi choro, requirit perſonale ſervitium.*

92 *Manſionariæ, & alia beneficia, quibus eſt annexum ſervitium chori, comprehenduntur in cap.* 12. *verſ. Præterea ſeſſ.* 24. *Concilii Tridentini.*

93 *Capellaniæ quibus incumbit onus celebrandi Miſſas, & choro inſerviendi, non ſunt compatibiles cum Canonicatibus, & Parochialibus, quamvis per earum Conſtitutiones liceat ſervire per ſubſtitutum.*

94 *Capellaniæ Cathedralis Eccleſiæ, quarum redditus in diſtributionibus quotidianis conſiſtunt, perſonalem reſidentiam requirunt.*

95 *Capella etiam in Collegiata non dicitur Sacerdotalis ex eo, quod cautum ſit in fundatione, ut Capellanus teneatur Miſsas celebrare.*

96 *Capellania extra Cathedralem, vel Collegiatam Eccleſiam ea lege erecta, ut Capellanus teneatur in divinis deſervire, non requirit ſervitium perſonale.*

98 *Fundator beneficii in dubio cenſetur ſe retuliſse ad univerſalem conſuetudinem.*

99 *Obſervantia plurimum valet ad cognoſcendam qualitatem beneficii.*

101 *Reſidentia intelligitur de perſonali ex vulgari modo loquendi eorum, qui fundant Capellanias in Cathedralibus, & Collegiatis.*

102 *Verba*, reſideant, cantent, interſint, *ſunt æquipollentia.*

103 *Capellania cum onere intereſsendi officiis in Cathedrali, vel Collegiata requirit perſonale ſervitium.*

104 *Capellaniæ cum onere Miſsas, & divina officia celebrandi, quarum redditus diſtribuuntur inter præſentes, requirunt reſidentiam juxta formam Concilii non obſtante contraria conſuetudine.*

105 *Verba*, deſervire in divinis, *intelligenda ſunt ſecundùm ſubiectam materiam.*

106 *Divina officia non requirunt ordinem Sacerdotalem.*

107 *Conſuetudo an poſſit immutare ſtatum beneficii.*

VT *Abbates*. Per privationem beneficii arctantur beneficiati ad ordines ſumendos, quos beneficia requirunt, Hoc dicit, & ſunt duæ partes. Prima loquitur, cùm quis poteſt, & non vult. Secunda eſt contra, cùm vult, & non poteſt, ibi, *Quod ſi*. 1

Nota primò quatuor Dignitates, quæ de jure communi annexum habent ordinem Presbyteratus, videlicet Abbatiam, Decanatum, Præpoſituram, & Archipresbyteratum. Quoad Abbates, ſi hoc intelligatur de Conventualibus, planum eſt; tum quia ſolemniter benedicuntur, ut in *cap.* 1. *ſuprà de ſupplen. negligen. Prælat.* & ita neceſſariò debent eſſe Presbyteri, ſive ſequamur opinionem Hoſtien. *hic*, & in *c. Cùm inter infrà de re judic.* volentis, ut prius debeant eſſe Presbyteri, ac deindè benedici: ſive ſequamur opinionem Collectarii hic in *princ.* ſentientis eſſe benedicendos ante Presbyteratum ex hac littera, quæ de Abbatibus loquitur: nam ante benedictionem non videntur Abbates *in d. c.* 1. Tum quia minores ordines conferunt, idque præſtare nequeunt, niſi ſint benedicti, & Presbyteri, ut in *c. Quoniam* 69. *diſtinct.* & *in c. Cùm contingat infrà eod.* Tum denique, quia curam habent animarum ſaltem reſpectu Monachorum ſuorum, *cap. Nullam* 18. *q.* 2. *cap. Cùm ad Monaſterium infra de ſtatu Monach.* & notat Abb. *in cap. Cum in cunctis num.* 4. *verſ. Sed ego non video ſuprà de elect.* Et idem de Archipresbyteris; nam & ipſis de jure communi cura animarum incumbit, *cap.* 1. ibi, *curam gerere animarum, & per tot. infrà de off. Archi-*

(margin numbers: 2 beside "Nota primò…", 3 beside "in cap. 1. ſuprà de ſupplen…", 4 beside "ſuprà de elect. Et idem…")

presb. Undè abſque dubio promoveri debent ad ordinem Sacerdotalem, ut in *d. c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, &
5 in Clem. *Ne in agro*, §. *Cæterùm de ſtatu Monach.* Verùm ſi hæc littera intelligatur de Abbatibus Titularibus cura, & Conventu carentibus, quales ſunt in aliquibus religionibus, ut per Abb. *conſ.* 101. *In quæſtione num.* 1. *verſ. Nam Papa lib.* 1. & de Decanis, Præpoſitis, & Archipresbyteris, quibus animarum cura nulla ſubeſt, exiſtimo hodie non procedere quod hìc ſtatuitur, ut debeant eſſe, aut fieri Presbyteri; quoniam ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 12. §. *Ad cæteras ſeſſ.* 24. ad quaſcumque Dignitates non curatas ſatis eſt, ut aſciſcantur Clerici viginti duobus annis non minores, id eſt, qui vigeſimum ſecundum ætatis annum expleverint, ut declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres. Et cùm decretum illud loquatur per verba univerſalia, & excipiat illas tantùm Dignitates, quibus cura imminet animarum, utique vendicat ſibi locum etiam in quatuor Dignitatibus, de quibus diſponit hæc decretalis; alioquin decretum illud ferè eluſorium eſſet, nam Dignitates hìc expreſſæ ſunt frequentiores in Eccleſiis, ac ſi illas excipias, paucæ ſunt aliæ à ſacris Canonibus cognitæ, & Archimandrita idem eſt quod Ab-
6 bas, ut exponit gloſſ. *in epiſt. Inter claras*, §. *Manifeſtum igitur in ver. Archimandrita*, *C. de Summa Trinitate*, *& fide Catholica*. Quamobrem cùm *ex dicto cap.* 12. Ad ejuſmodi Dignitates obtinendas ſufficiat annus vigeſimus ſecundus, hinc neceſſariò ſequitur, ut non habeant ordinem Presbyteratus annexum, cùm infra annum ſic proviſi nequeant in Presbyteros ordinari, Clem. *Generalem de ætat. & qualit.* prout requiritur in obtinentibus dignitates, quibus ordo Presbyteratus annexus eſt, ut in Clem. *Vt ii eod. tit.* & in dict. Clem. *Ne in agro*, §. *Cæterum*, *& in c.* 4. *ſeſſ.* 22. Concilii Tridentini, & hanc ſententiam in Abbatia, & Præpoſitura non curata alias probavit S. Congreg. Concilii, ut dixi *in d. c. Cùm in cunctis nu.* 45. *&* 49. *ſuprà de elect.*

Neque obſtat, quod ex decreto *d. cap.* 12. §. *Neminem etiam ſeſſ.* 24. nemo ſit recipiendus ad Dignitatem, niſi qui eo ordine ſit initiatus, quem illa Dignitas requirit, aut in tali ætate, ut infrà tempus à jure, & ab eodem Concilio ſtatutum initiari valeat. Etenim decretum illud intelligi debet de Dignitatibus, quæ annexum habent ordinem ſacrum de jure ſpeciali, id eſt ex privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto, ut notat gloſſ. *in c. Si eo tempore in ver. Ætatem de reſcript. in* 6. non autem de jure communi, Ratio diverſitatis eſt, quia Concilium ſtatuendo generaliter, ut ad obtinendas Dignitates non curatas ſufficiat ætas viginti duorum annorum, non cenſetur ſuſtuliſſe conſuetudines, & ſtatuta localia requirentia majorem ætatem propter annexionem ordinis Sacerdotalis, hæc enim probabiliter ignorari poſſent cùm in facto conſiſtant: at juris communis diſpoſitionem utique revocavit conſtitutionem condendo poſteriorem, juxta textum in *c.* 1. *de Conſtit. lib.* 6.

7 Ac propterea cùm Canonici Eccleſiæ Patavinæ conqueſti eſſent apud Sacram Congregationem Concilii, quòd Vicarius in annexione ſacrorum ordinum, quam fecerat Canonicatibus illius Eccleſiæ, incluſiſſet etiam Dignitates, non adhibitis eis, nec auditis: S. Congregatio cenſuit, cùm Concilium non meminerit Dignitatum, cùm de illa annexione diſpoſuit, cùm item voluerit ſaltem dimidiam partem Presbyteralem eſſe; convocare debere Vicarium iterùm Capitulum, ac de ejus conſilio ſubtrahere Dignitates, & earum loco deſignare, & diſtribuere, quibus aliis Canonicatibus debeat eſſe ſacer ordo annexus. Quo decreto non obſcurè Sacra Congregatio inſinuavit Dignitates hodie circumſcripta conſuetudine, vel alio jure ſpeciali non habere annexum ordinem Presbyteralem; alioquin non juſſiſſet ex annexione, ut præfertur facta abſolutè detrahi Dignitates.

8 Ex præmiſſis, quoad Abbates, collige tria tempora. Primum eſt jus commune antiquum, quo & in minoribus ordinibus conſtitutus poterat eſſe Abbas, quinimò & laicus, ut in *c. A Subdiacono*, & ibi gloſſ. *in ver. Abbas* 93. *diſt.* Innoc. *hic in princ.* Hoſt. *nu.* 1. Jo. Andr. *nu.* 8. Cardin. *in ſecunda oppoſitione*, & Anchar. *in* 1. *notab.*

Secundum tempus eſt Concilii Pictavienſis, ex quo deſumpta eſt hæc Decretalis, & tunc Abbates debebant eſſe Presbyteri, nec aſſumi poterant Clerici in minoribus, niſi inſtante neceſſitate, ut in *c. Tuam*, §. *fin. infrà eod.*

Tertium tempus eſt Concilii Tridentini, & hoc tempore inſpectu ſi Abbatiæ non immineat cura fori Penitentialis, aut juriſdictionalis, ad eam obtinendam ſufficit annus vigeſimus ſecundus completus, & conſequenter non habet ordinem Presbyteratus annexum; ut ex dictis conſtat.

Secundò nota ibi, *Presbyteri fiant*, ad obtinendum bene- 9
ficium, cui ſacer ordo ſit annexus, non requiri, ut quis actu in eo ordine ſit conſtitutus tempore collationis, ſed ſatis eſſe, ut ſe promoveri faciat infrà tempus à jure præfixum: concordat text. *in c. Cùm in cunctis*, §. *Inferiora*, ibi, *Præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati ſupra de elect.* & hìc notat Butr. *in* 4. *notab.* dicens: *De jure ordo ad validitatem promotionis ad beneficium non exigitur contemporaneè cum promotione quantumcumque illi ſit annexus ordo, ſed ſufficit, ut faciat poſt promotionem ſe promoveri*, & ſequuntur Petr. de Anchar. *in* 2. *notab.* & Jo. de Anan. *num.* 3. ideòque cùm Capitulum Eccleſiæ Paduanæ contuliſſet quamdam Capellam ſacerdotalem ad Altare S. Joannis in Cathedrali 10
Franciſco annum vigeſimum quartum agenti, & quæſitum eſſet, an ſic proviſus de dicta Capellania ſacerdotali eſſet inhabilis *ex cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *in fine, & cap.* 5. *ſeſſ.* 25. *Die* 3. *Decembris* 1578. Sac. Congregatio Concilii cenſuit, Parochialem non poſſe validè conferri ei, qui non attigerit vigeſimumquintum annum, *cap. Cùm in cunctis*, §. *Inferiora.* ubi Abb. *n.* 2. *de elect.* ſed ſi Presbyteratus ſit annexus alicui beneficio, non tamen eſt neceſſe, ut promovendus habeat ordinem requiſitum tempore promotionis, ſed ſatis eſt, ut faciat ſe promoveri in proximis temporibus, Abb. *d.* §. *n.* 10. *arg. c. Si pro Clericis*, *de præb. in* 6. De quo tamen dic, ut ſcripſi in *d. c. Cùm in cunctis à n.* 63. *& infrà n.* 44. *&* 48.

Quod tamen limita, niſi in fundatione beneficii ſit cau- 11
tum, ut conferatur actu Sacerdoti, ſeu conſtituto in ordine ſacerdotali, tunc enim requiritur ordo tempore collationis, ut latiùs dixi in *d. c. Cùm in cunctis à num.* 63. & latiſſimè dicam infrà *in* 1. *&* 2. *quæſt.*

Tertiò nota ibi, *qui Archidiaconus tenent Diaconi*, de 12
jure communi Archidiaconatui eſſe annexum ordinem Diaconatus, ut hìc per Butr. *in* 2. *notab.* Sed quia in ple- 13
riſque Eccleſiis hæc dignitas eſt prima poſt Pontificalem, prout eſſe de jure communi affirmat Bellam. in *c.* 1. *in princ. infrà de offic. Archid.* & ideò illius collatio per regulas eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata; in litteris collationis ex ſtylo conſuevit apponi clauſula: *Vt proviſus teneatur infrà annum in Presbyterum ordinari*; *alioquin Archidiaconatus eo ipſo vacare cenſeatur*, ut re ipſa experti ſumus in Archidiaconatu à nobis fundato in Eccleſia noſtra S. Angeli in Vado à S.D.N. Urbano VIII. nuper in Cathedralem erecta.

Quartò nota ibi, *prælationes*, Abbatem, Decanum, Præ- 14
poſitum, Archidiaconum, & Archipresbyterum eſſe Prælatos, prout ex hac littera deducunt Hoſt. & Jo. Andr. ambo *n.* 3. *in ver. Prælationes*, Bellam. *ante n.* 1. *in eod. ver. & n.* 4. *in* 4. *notab.* Butr. *n.* 3. *in ultim. notab.* & Cardin. *in* 3. *notab.* Ad hoc *c. Cùm ab Eccleſiarum infrà de offic. ordin.* De prærogativa Abbatum vide Lapum *alleg.* 85. *num.* 11. *verſ. Item Abbatia*, ubi ait Abbatiam eſſe in primo Dignitatis gradu ſicut Epiſcopatus, & cæteras Dignitates appellari inferiores, & propterea proviſionem Abbatiæ pronunciari, & expediri in Conſiſtorio inſtar Epiſcopatus. Quod probatur optimè in *c.* 15
Si quis deinceps 16. *quæſt.* 7. nam ibi in primo gradu ponitur Dignitas Epiſcopalis, & Abbatialis, cæteræ appellantur inferiores Dignitates, ſecundùm eum, & notat Archid. *in c. Licèt, il primo n.* 1. *de præb. l.* 6. ubi videtur ſentire, licèt vacillando, Dignitatem Abbatialem æquiparari Dignitati Epiſcopali. Verùm Oldrad. *conſ.* 14. *incip. Cùm quæritur n.* 8. *verſ. Non obſtat*, dicit hoc verum non eſſe, niſi in caſibus in jure expreſſis, ut *in cap. Ne pro defectu ſuprà de elect. & in cap. Quam ſit eod. tit. lib.* 6. ſed regulariter recenſeri inter Dignitates inferiores, ut *in c. Cùm in cunctis*, §. *Inferiora ſuprà de elect.* Quinimò Jo. Monach. *in c. Inquiſitores n.* 1. *de hæret. lib.* 6. refert ſe vidiſſe declarari appellatione Dignitatis non contineri Abbatiam. Cujus dictum refert Arch. *in d. cap. Licèt num.* 1. *verſ. Scias tamen quod*, D. Jo. Card. & poſt eum Joan. Andr. *num.* 4. *verſ. Et ibi in Abbatis.* Pro quo facit tex. *in c.* 1. 18. *qu.* 2. ubi nomen Abbatis potius eſt ſolicitudinis, quàm honoris. Sed tu adverte, quia 16
Joan. Monach. *ubi ſuprà*, non dicit abſolutè ſe vidiſſe declarari Abbatiam non venire appellatione Dignitatis; ſed dicit in diſpoſitione *d. c. Licèt*, appellatione Dignitatis Abbba-

tiam non contineri;& ita ſe vidiſſe declarari : unde reſtrin-
git ſe ad terminos prædictæ Decretalis *Licèt*, & ita notabi-
liter declarat Oldrad. *d. conſ.*14.*num.*10.dicens.Nec obſtat,
quod dicit Archid. in præalleg. *cap. Licèt*, ubi videtur in-
nuere quod nomine Dignitatis inferioris Abbatia non
comprehenditur.Quod fateor in caſu illius cap.quod odio-
ſum eſt, & pœnale, videlicet quod manus ordinarii ligen-
tur quin ſuum beneficium conferre poſſit ; & ideò reſtrin-
gi debet potius, quàm laxari, ut extra *de elect. cap.Statu-*
tum, *de regul.jur.c.Odia*, *lib.*6.*& de pœnit. diſt.* 1. §.*penult.*
Sed quidquid ſit de dicto Joan. Monac.illud non recipit
Curia, ut teſtatur Jo.Andr.in *d.c.Licet*, *n.*4.*verſ.Sed quan-*
tum percipio. Conclude igitur Abbatiam eſſe propriè Di-
gnitatem, ut apertè probatur hic,& in *d.c. Si quis deinceps*,
16.*q.*7.*in c.Idemnitatibus*, §. *Verum de elect.lib.*6. *& in cap.*
Vt Apoſtolicæ, de privileg.eod.lib. & tenet gl.*fin. in c.Expo-*
ſuiſti, *infra*, *de corp. vitiat.*Philipp.Franc. *in d. c. Licet n.*5.
*Collegium Paduanum conſ.*2.poſt conſ.Zabar. *num.*24.*& ſeq.*
17 & Felin.alios cumulans *in cap. Decernimus*, *in princ. infra*
*de judic.*Et hanc partem probavit S.Congregatio Concilii,
quæ in Synodis Provincialibus inter alias Dignitates pri-
mum locum tribuit Abbatibus Titularibus , cenſuit enim
in Conciliis ProvincialibusCommendatarios Monaſterio-
rum, ſive Abbatiarum inter Abbates eſſe recipiendos. Ca-
nonicos Cathedralis Eccleſiæ præferendos eſſe quando ca-
pitulariter procedunt. Extra hunc caſum Abbates titula-
res,vel habentes uſum mitræ, debere præcedere Commen-
datarios: poſt hos locum tenere Dignitates ; & poſt Digni-
18 tates collocandi ſunt Procuratores Eccleſiarum Cathedra-
lium. Et in Concilio Tridentino immediatè poſt Epiſco-
19 pos ſedebant Abbates, & inter hos primus Abbas Claraval-
len. & poſt Abbates ordinum Generales, inter quos primus
Generalis ordinis Prædicatorum, ut patet in Catalogo Pa-
trum, qui habetur expreſſus in calce ipſius Concilii.
20 De Decanis, & eorum prærogativis vide textum in *cap.*
Poſt electionem, *infrà de conceſſ. præbend.* ubi patet Deca-
num eſſe honorabiliorem de Capitulo, ut per illum tex-
tum notat gloſſ.1.*in cap.Cum inter univerſas,ſupra de elect.*
21 & Petr. Brixien. *in repert. in verſ. Decanus*, & Rotam *de-*
*ciſ.*242. *incipien. Fuit dubitatum*, *aliàs* 17. *de conceſſ. præ-*
bend.in novis:ubi per illam decretalem ſimiliter videtur fir-
mare Decanatum, ſonare in nomen dignitatis, & eſſe
dignitatem juris, & caput Capituli : præſertim quia, ut in
facto tunc ſopponebatur, in caſu deciſionis non agebatur
22 de Decano in Eccleſia, ſed de Decano Eccleſiæ. Et adde
Abbatem *in d.c. Cum inter univerſas num.*2.ubi dicit Deca-
num eſſe de Capitulo ſi ſit Canonicus, vel hoc habeat con-
ſuetudo : aliàs enim ſoli Canonici faciunt Capitulum, ut
in *cap.Novit*, *& in cap. Quanto*, *de his*, *quæ fiunt a Prælat.*
notatur *in cap.*1.*de elect.& in cap.* 2. *de inſtitut. & in c.Cum*
olim, *de re judic.* id eſt ſi Decanus præter Dignitatem De-
canatus habeat etiam Canonicatum, utique eſt de Capitu-
lo ; ſecùs ſi habeat Dignitatem Decanatus duntaxat, quia
Dignitates non ſunt de Capitulo, ut notatur in juribus
præallegatis, maximè in *d. c. Cum olim*, & ſic Abbas ſup-
ponit Decanatum de jure eſſe Dignitatem. Id quod ex-
preſsè tenet Archid.*in cap.*1.*de conſuetud.lib.* 6. *in fine ma-*
gnæ gloſs. ubi ait Archipresbyteros, Decanos, & Præpo-
ſitos Eccleſiarum Parochialium eſſe conſtitutos in digni-
tate. Sed hoc dictum declarat Feder. de Sen. *in conſ.* 86.
*Caſus talis eſt,n.*1.*in fi.verſ.Sed contra videtur facere ut pro-*
cedat,ſi prædicti habeant Collegiatas Eccleſias;& hanc fuiſ-
ſe mentem Archid. ut patet ex juribus, quæ allegat *in cap.*
Cum ab Eccleſiarum, de offic.ordin.& cap.Cum olim, de præ-
bend. & de talibus videtur intelligenda hæc decretalis in
23 *ver. Prælationes.* Secus autem eſt in Præpoſitis, ſeu Priori-
bus, vel Decanis ruralibus, quia non habent dignitatem,
cùm non habeant prærogativam ſuper alios,vel juriſdictio-
nem,ut ſunt habentes perſonatus, vel dignitates inEccleſiis
Cathedralibus, nec præſunt Collegio, nec alias habent Ca-
pellas ſub ſe, ſecundùm Federicum. Præpoſitura itidem,
quamvis Præpoſiti nomen generale ſit ad omnes qui præ-
24 ſunt,*cap. Quamvis infra*, *de verb.ſignificat.* tamen eſt per ſe
dignitas,ut tenet hic gloſſ.*in ver.Præpoſiti*,Hoſt.*n.*1. *in eod.*
*ver.gloſſa in cap.in ver.Præpoſituras, de conſuet.lib.*6. & Ge-
min.*conſ.*132.*in princ.verſ.Nam licet Præpoſiti.*Sed oppoſi-
tum tenet Innocen.*in cap.De multa,de præben.*& Archid.*in*
*c.*1.*de conſuet.lib.* 6. ubi notant, & deducunt Præpoſituram
de jure communi non eſſe Dignitatem, prout eos adhoc
allegat Rota *in d.deciſ.*17.*de conceſſ.præbend. in novis*; & ſe-
quitur Franc.Aretin.*conſ.*23.*in princ.*ubi reſpondet Præpo-
ſitum non habere Dignitatem etiamſi habeat primum lo-
cum in choro ſine adminiſtratione, & multò magis ſi non
habeat, ut Præpoſitus Senarum. Pro conciliatione poteſt
dici Præpoſituram importare Dignitatem ſi ex privilegio,
fundatione, conſuetudine, vel ſtatuto hoc habeat ut ſit Di-
gnitas, vel ſi habeat adminiſtrationem cum juriſdictione,
aut ſi Caput Collegii, & de tali poteſt intelligi hac *cap. &*
textus in cap. 1.*de conceſſ.præbend.lib.* 6. aliàs ſecus, ut per
Aretin. *d.conſ.*23.*num.*7. Item poteſt dici Præpoſituram ſo-
nare in nomen Dignitatis, quando eſt in Cathedrali cum
præeminentia, vel eſt Collegiata, vel habet ſub ſe Capel-
las, quia ex his tribus judicatur Dignitas, quibus ceſſan-
tibus non eſt Dignitas de jure communi, ut per Feder. de
Sen.*in præalleg.conſ.*86.*n.*1.*in fine verſ.Et meritò*. Sic vide-
mus Præpoſitum Cameracenſem habere dignitatem, ut per
Aretin.*d.conſ.*23.*num.*6. & Præpoſitum Taurinenſem habe-
re primam Dignitatem de conſuetudine, ut per eum *num.*
7. Et in Cathedrali noſtra S. Angeli in Vado Præpoſitura
ex fundatione eſt tertia Dignitas poſt Pontificalem ; è con-
tra verò Præpoſitura Senarum non eſt Dignitas, ſecundùm
Aretin. *loco citato*. In Germania, Belgio, & Polonia Præ- 25
poſiti Dignitatem habent, & alicubi juriſdictionem, &
curam animarum, juxta textum in *cap.Cum in illis*,§.1.*de*
*præbend.lib.*6.*& cap. Quamvis*, *infra*, *de verborum ſigni-*
ficat.& interdum Præpoſitura eſt major Dignitas poſt Pon-
tificalem, ut per Rebuff. *ad l.* 124. *verſ. Præpoſitus etiam*
dicitur pag. 478. *ff. De verborum ſignificat.*
De Archidiacono non ambigitur quin ſit Dignitas; nam 26
de hoc eſt textus expreſſus hic ſecundùm Anton. de Butr.
num. 3. *in ult. notab.* qui remittit adnotata *in cap. Decerni-*
mus, *infra*, *de judic.*Idem efficaciter probatur *in cap.* 1. *in-*
frà, *de offic. Archid.* ubi Doctores communiter tenent Ar-
chidiaconum eſſe primam Dignitatem poſt Pontificalem :
item caput Capituli,ut notat Butr. *in cap.Dilecti num.*2. *de* 27
majoritat. & obed. Unde ad ipſum tamquam ad majorem
ſpectat Capitulum convocare, ut *in cap.* 1.*eod. tit.* notant
Hoſtien.*n.*2.*in ver.Major,verſ.Et eadem ratione*,Joa.Andr.
*num.*5.*verſ.Dicit etiam*,Bellam.*n.*4.*verſ.Et ſimiliter*, *in* 5. 28
quæſt. & Butr. *n.*10.Ac ſi renuerit convocare, ad id cogi
poteſt ab Ordinario, ut notat ibi Innoc.in fine, licèt hoc
jus convocandi Capitulum ſpectet ad Decanum de conſue-
tudine ſecundùm Abbat.*in cap.auditis*, *in* 3.*notab. ſupra,de*
elect. Quinimò Bellam. *in d.c.in princ.* per illum textum *de* 29
offic. Archid. dicit Archidiaconalem Dignitatem de jure
communi poſt Epiſcopalem eſſe majoremDignitatem qua-
cumque alia in Eccleſia Dei, & per conſequens majorem
Abbatiali, licèt Abbates propter pinguedinem reddituum
contrarium uſurpaverint.
De Archipresbyteris denique, & eorum prærogativis 30
ſcripſi latiſſimè *in c. Ad hæc,infra,de offic. Archid.*ubi etiam
videatur de præeminentia inter Archidiaconum, & Ar-
chipresbyterum.
Quintò nota ex ordine litteræ Abbates eſſe majores De- 31
canis, Decanos majores Præpoſitis, & Præpoſitos eſſe ma-
jores Archidiaconis. Sed ad hoc ultimum, ut inquit Bel-
lam. *nu.* 1. *in* 1. *notab.* facilis eſt reſponſio, quia non ideò
ultimò loquitur de Archidiaconis, quod minoris digni-
tatis exiſtant, ſed quia ſunt minores ordine, & quia in eo-
dem ordine cum aliis non conveniunt, major enim vide-
tur Archidiaconus de jure communi poſt Epiſcopum, cùm
ſolus ſit de jure illius Vicarius generalis, ut *in cap.* 1. *De*
offic. Archid. & arg. *l. fin. Cod. de eo qui vic. alter. ger.* Sed
ſi eſt ita, cur textus poſt Archidiaconum poſuit Archipreſ-
byterum, qui eſt major ordine ? Attenta enim ratione
Bellameræ debuiſſet Archidiacono præmittere Archipreſ-
byterum, ſicut præmiſit Abbatem, Decanum, & Præ- 32
poſitum, cùm omnes conveniant in ordine Sacerdota-
li. Fortè hoc fecit Concilium Pictavienſe, quia Ar-
chipresbyter in ſpecie ſubeſt Archidiacono, ut eſt textus 33
in cap. 1.*infra de offic.Archid.* ubi dicitur : Archipresby-
ter ſciat ſe ſubeſſe Archidiacono, & ejus præceptis ſicut 34
ſui Epiſcopi obedire. Unde ſecundùm Hoſtien. *hic nu-*
*mer.*3. Archidiaconi & hic, & infra in ſuis rubricis Ar-
chipresbyteris in ordine præponuntur, quia & ſic debent
eſſe,ut qui major eſt in honore, prior ſit in ſede, ut notatur

32 in *c.1. & c. Statuimus infrà de majorit. & obed.* Poteſt etiam dici ordinem litteræ non eſſe attendendum, quando ex aliis juribus apparet varius, & inverſus. Undè quamvis hìc Decanus præmittatur Præpoſito, tamen in *c. Quamvis infrà de verborum ſignificat.* Præpoſitura aliis præponitur, & ſic videtur major Decanatu, ut per illum textum dixit Rota *deciſ. 17. fuit dubitatum de conceſſ. præbend. in novis.* Et ſimiliter quamvis Decanus, & Præpoſitus hìc præmittantur Archidiacono; tamen in *cap. Innovamus 60. diſtinct.* Archidiaconus ei præmittitur, ut patet ibi Archidiaconi, vel Decani, vel Præpoſiti. Sed & Concilium Tridentinum *in cap.20.§. Ad hæc ſeſſ.24.* etſi præponat Decanos Archidiaconis, ibi, *Non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum*; *nihilominus in c.3. ejuſdem ſeſſ.* ordine inverſo Decanis præpoſuit Archidiaconos, ut patet ibi, *Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores*, & idem fecit *in cap. 14. in fin. ſeſſ.25. de reformat.* Quinimò Concilium Lateranenſe *in c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora ſuprà de elect.* primo loco Decanos Archidiaconis, & paulò poſt Archidiaconos Decanis præpoſuit. Vel dic in his ſtandum eſſe conſuetudini, ut ibi per Cardin. in 3. notab.

33 Ultimò nota ex fine litteræ textum adhoc valdè notabilem, quod impeditus ex juſta cauſa ſuſcipere ordines ſuo beneficio annexos, quamvis non ſit ipſo jure beneficio privatus, *d.cap. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, *ver. Cum autem ſuprà de elect.* & ibi Butr. *in 6. notab.* Clem. *Ut ii, de ætat. & qualit.* Conc. Triden. *c.4. ſeſſ.22.* tamen eſt privandus, ut hìc eſt textus apertus, hoc enim importat illud verbum, *amittant*, ideſt per ſententiam judicis, ut notat Inn. *in c. Accepta in ver. Conſtiterit, verſ. Aliis tamen videtur de reſtit. ſpoliat.* & Hoſt. *in d.c. Cum in cunctis nu.32. in ver. Admoniti.*

34 Sed oppono, quod imò legitimè impediti non ſint privandi, *c.1. infra de Cler. ægrotan. l. Qui furere, ff. de ſtatu homin. & l. 1. §. Caſum, ff. de poſtulan.* & eſt expreſſum in d. Clem. *Ut ii*, §. *Illi vero*, ibi, *Juſto impedimento ceſſante.* Pro ſolutione diſtingue. Aut quis ex culpa ſua ad talem ſtatum pervenit, ut promoveri non poſſit, puta quia duellum obtulit, vel ſuſcepit, vel bello ſpontè ſe ingeſſit, & occulum, vel manum, vel pedem amiſit, ut in *c. infrà de corp. vitiat. & §.1. 23. qu.6.* vel quia vir cum uxore ſua deprehendit eum turpiter converſantem, unde illi ea, cum quibus deliquerat, amputavit, ut *in c.3. §. fin. infrà de ſentent. excomm.* & notatur *in c.3. & 4. de corp. vitiat.* ſecundùm Hoſt. *hìc n. 3. in ver. Juſta cauſa.* Et hoc caſu privari debet beneficio, & ita intelligitur textus hìc. Aut ſine culpa ſua in impedimentum incidit, & privari non debet, & ita procedunt contraria, quia non debet addi afflictio afflictis, ut in *d.c. 1. de Cler. ægrotan.* & hìc declarat gloſ. *in ver. Amittant*, Innoc. *in eod. verſ.* Abb. Antiq. *in verb. Prohibente*, Hoſt. *nu.3. in ver. Juſta cauſa*, cum quibus conſentiunt Jo. Andr. Butr. Card. & reliqui omnes. Vel certè intelligitur de his, qui
35 ante ordinationem hæc habeant impedimenta, & inordinatione ſua hæc fraudulenter tacuerunt, ut legitur, & notatur in *c. Expoſuiſti de corp. vitiat. & in c. 1. verſ. Idem reſpondet ſuprà de ordinat. ab Epiſc.* Quo caſu etiam cedendi licentia peti poteſt, ut in *c. Niſi cum pridem*, §. *Propter conſcientiam*, & §. *Perſonæ vero ſuprà de renunc.* ſecundum Innoc. & Hoſt. *ubi ſup.*

36 Sed contra primam ſolutionem oppono. Qui ex proprio peccato in infirmitatem incidit, juxta text. *in c. Cum infirmitas infra de pœnit. & remiſſ.* non modò non eſt privandus titulo beneficii, ſed nec diſtributionibus quotidianis, ut tradit Covarr. *lib. 3. variar. reſolut. cap.13. num.8.* & cenſuit S. Congregatio Cardinalium Conc. Tridet. interpretum, & declaravit ſanctæ memoriæ Greg. XIII. ut ſcripſi in *c. Licet n.147. infra de præbend.* Et ſimiliter debilitas corporis, quæ reddit Epiſcopum inhabilem ad executionem paſtoralis officii, eſt juſta cauſa cedendi, etiamſi ex peccato proveniat, dummodò Epiſcopum pœniteat, ut notat Hoſt. *in d.c. Niſi cum pridem nu.13. in fine.* Ergo impedimentum præbet juſtam cauſam excuſationis à privatione ob non promotionem, licèt ex propria culpa proveniat.

At reſpondetur id eſſe ſpeciale in impedimento ægritudinis, quod nec a jure, nec ab homine, ſed ab ipſo Deo illatum eſt, *c. Cum percuſſio 7. qu.1.* ubi Gregorius: cum percuſſio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur, & ideò non debet à nobis addi flagellatis afflictio. Et huic reſpexit S. Congregatio, dum dixit Superiorem non debere inquirere, an Canonicus in morbum inciderit ex culpa ſua, necne, quia multæ poſſunt eſſe cauſæ, & non turpes. At ſecus eſt in aliis impedimentis, de quibus non ambigitur quin provenerint ex culpa propria, & de his intelligo hanc decretalem, quod benè nota. Adverte tamen, quia quod hìc ſtatuitur, ut qui ordines ſuis beneficiis annexos non ſuſcipiunt, beneficiis privari poſſint, & conſequenter non ſint ipſo jure privati, hodie corrigitur per decretum Concilii Conſtantienſis ſub Martino V. ut ſcripſi plenius *in d.c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora in ultim. notab. à n.23. ſuprà de elect.*

QUÆRO, An ad obtinendum beneficium Sacerdotale requiratur, ut quis ſit actu Sacerdos tempore collationis, ſeu alterius proviſionis; an verò ſufficiat aptitudo. 37

Si Eccleſia ſit Parochialis, clarum eſt non requiri Sacerdotium actu, ſed ſatis eſſe, ut proviſus infrà annum ad Presbyteratum ſe faciat promoveri; alioquin elapſo anno, monitione aliqua non præmiſſa, eſt ipſo jure beneficio privatus, ut *in c. Licèt canon, & cap. Commiſſa de elect. lib.6.* de quo plenè per Rebuff. *in praxi benefic. in tit. de non promot. intra ann.* Et idem eſt in Prioratibus Conventualibus, ut in Clem. *Ne in agro*, §. *Cæterum de ſtatu Monach.* 38

Si Eccleſia ſit Collegiata etiam Parochialis, aut Dignitas curata, ſimiliter non requiritur ordo Presbyteratus tempore electionis, ſeu proviſionis, ſed ſatis eſt, ut electus promoveatur infrà tempus à jure præfixum, ut in *cap. Cum in cunctis*, §. *Inferiora, verſ. Cum autem*, & ibi gloſſ. *in ver. Canonibus ſuprà de elect.* licèt hoc caſu contraveniens non ſit ipſo jure beneficio privatus, ſed privandus, ut eſt deciſum *in c. Statutum eod. tit. lib.6.* 39

Si ſit Dignitas non curata, ut Abbatia, Decanatus, Præpoſitura, & Archipresbyteratus, eodem modo non requiritur, ut illa obtinentes ſint actu Presbyteri, ſed ſatis eſt, ut Presbyteri fiant. Quod ſi admoniti non paruerint, ſunt à beneficiis amovendi, ut eſt textus hìc, & dixi ſupra in 2. notab. Ex Concilio tamen Conſtantienſi ſub Martino V. ſunt ipſo jure privati, ut ſcripſi in *d.§. Inferiora in 2. notab. à nu.23.* licèt hodie prædictæ Dignitates non habeant ordinem Presbyteratus annexum, cùm ad eas obtinendas ſufficiat ætas viginti duorum annorum ex decreto Concilii Tridentini in *c.12. §. Ad cæteras ſeſſ.24.* ut ſimiliter dixi ſupra in 1. notab. 40

Si ſint Canonicatus, vel Præbendæ, aut portiones Presbyterales in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia, ſimili modo ſatis eſt, ut proviſi infrà annum in Presbyteros ordinentur, ut in Clem. *Ut ii*, §. *Illi verò de ætat. & qualit.* & in Concilio Tridentino *in d.c.12. §. Neminem etiam ſeſſ. 24.* alioquin incidunt in pœnas d. Clem. ab eodem Concilio innovatas *cap.4. ſeſs.22.* ideſt amiſſionis vocis in Capitulo, & ſubtractionis dimidiæ partis diſtributionum, ut ibi non autem in pœnam privationis tituli, de qua *in d.c. Licèt Canon*, quæ non habet locum, niſi in Parochialibus, ut ibi notat gloſs. *in ver. Parochialis*, gloſ. 1. *in d. c. Statutum*, & ibi etiam Gemin. & Franc. *n.2. de elect. lib.6.* Vitalin. *in d. Clem. Ut ii*, §. *Illi vero n.9.* Roman. *conſ.325. nu.2. & 3.* quamvis privari poſſent ſi admoniti contumaciter recuſarent ordines ſuſcipere requiſitos, ut ex ſententia S. Congregationis Concilii dixi in *c. Quæris in 2. qu. num. 33. & 34. infrà eod.* in quo tamen advertendum eſt ad decretum Concilii Conſtantienſis, de quo ſuprà num.40. 41

Alia verò beneficia ſimplicia, & Capellæ de jure communi non habent certos ordines annexos, ut *in d. c. Quæris*, & notant Hoſtien. & omnes in *c. Super inordinata de præben.* Sed ad illa obtinenda ſufficit prima Clericalis tonſura, *c. Ex litteris de tranſact. cap.2. de inſtit.* Felin. *in cap. Cum adeo à nu.2. de reſcript.* Staphil. *de litter. grat. nona forma expectat. var. num. 24.* Rebuff. *in Praxi tit. de Cler. à quib. & quomod. creentur num. 4.* & hodie eſt expreſſum in Conſtitutione Sixti V. de habitu, & tonſura Clericorum, & militum beneficia Eccleſiaſtica obtinentium, quæ incipit, *Cum ſacroſanctam.* Poſſunt tamen habere ordines annexos ex fundatione, privilegio, ſtatuto, vel conſuetudine, ut notat gloſſ. in *c. Si eo tempore in ver. Ætatem, verſ. Et hæc vera intelligo de reſcrip. lib.6.* Item gloſſ. *in d. Clem. Ut ii in ver. Annexi.* Quare ad dignoſcendum, an ejuſmodi beneficia requirant Sacerdotium actu, necne, ſpectandum eſt privilegium, ſtatutum, vel conſuetudo, ut tradit Petr. à 42 43

Biaxio

Biaxio *in direct. elect. c. 9. par. 2. num.* 3. Petr. Gregor. *de bene-*
fic. cap. 36. Sed præcipuè recurrendum eſt ad verba funda-
tionis, ſeu inſtitutionis beneficii, quibus contrariis or-
dinationibus non eſt detrahendum, ut in decreto Conci-
lii Tridentini *cap. 5. ſeſſ. 25. de reformat.*

44 Et quidem Abb. *in c. Cum in cunctis*, §. *Interiora nu.* 10.
de elect. in hoc articulo utitur hac diſtinctione, videlicet:
Quædam eſt annexio ordinum reſpectu actus, quædam
45 verò reſpectu aptitudinis. In primo caſu requiritur, ut
quis ſit conſtitutus in illo ordine tempore collationis; alio-
quin non tenet collatio, ut ſentit gl. in Clem. *Ut ii in ver.*
46 *Annexi de ætat. & qualit.* Undè cum aſſumendus ad Cathe-
dralem Eccleſiam debeat eſſe actu ſaltem Subdiaconus, ut
in *c. A multis de ætat. & qual.* & in decreto Concilii Trid.
cap. 2. ſeſſ. 22. ibi, *In ſacro ordine anteà ſaltem ſex menſium*
ſpatio conſtitutus: inde fit, ut Epiſcopatus dicatur habere an-
nexum ordinem Subdiaconatus reſpectu actus, majores vero
reſpectu aptitudinis, ut per Abb. *loc. cit. & in d. Clem. Ut ii*
47 *n.* 12. Et eſt ſimile in commenda Parochialis Eccleſiæ, quæ
cùm fieri non poſſit, niſi Sacerdoti, *cap. Nemo deinceps*, *de*
elect. lib. 6. neceſſe eſt, ut Commendatarius ſit actu Sacer-
dos, ut ibi notat gloſ. *in ver. Sacerdotio*, & Abb. *d. nu.* 12.
48 *verſ. Item pone exemplum.* In ſecundo autem caſu non re-
quiritur, ut quis habeat ordinem beneficio annexum tem-
pore collationis, ſed ſatis eſt, ut in ea ætate ſit conſtitutus,
ut infra tempus a jure præfixum promoveri valeat: & de
hac annexione ſecundum Abb. intelligitur text. *in d.* §. *In-*
feriora, & in c. Si pro Clericis, & c. Eum cui, de præben. lib. 6.
in quibus juribus patet Eccleſiam curatam, vel dignitatem
habere ordinem Presbyteratus annexum; & tamen non
requiri, ut quis ſit actu Presbyter tempore promotionis;
ſed ſatis eſſe, ut poſteà ad illum ordinem promoveatur: ni-
mirum quia talis annexio eſt reſpectu aptitudinis tantùm,
eò quòd aptus eſſe debeat ad illum ordinem, non autem re-
ſpectu actus: & hanc diſtinctionem ſequitur in *d.* §. *Inferio-*
ra, Dec. *n.* 21. *& ſeqq.* eamque non obſcurè probavit Rota
49 *deciſ.* 3. *incipien. Statutum*, *alias* 1. *de præbend. in novis*: ubi
ponit notabilem, & quotidianam quæſtionem, videlicet,
ſtante ſtatuto Eccleſiæ de certa præbenda non conferenda,
niſi actualiter in Sacerdotio conſtituto, numquid impe-
trans Apoſtolicus poſſit hujuſmodi præbendam acceptare,
50 ſi actu non ſit Sacerdos. Et tandem videtur concludere
poſt Jo. Monach. & alios, quod aut beneficium habet actu
Sacerdotium annexum ex primæva fundatione: & tunc ex-
pectans non poteſt beneficium illud acceptare, niſi actu ſit
Sacerdos, ſaltem in eo caſu, in quo beneficium fuit fun-
datum per laicum, quia non eſt veriſimile, ut per clau-
ſulas generales in litteris appoſitas Papa voluerit derogare
ordinationi beneficii, ne laici à fundationibus retrahan-
tur, arg. *c. Cùm dilectus de jurepatr.* & eorum, quæ legun-
tur, & notantur in *c. Licet de præb. lib.* 6. Aut beneficium
habet Sacerdotium annexum non ex fundatione, ſed ex
ſtatuto poſteà facto per Epiſcopum, & Capitulum; & tunc
beneficium acceptari poteſt per expectantem propter clau-
ſulas, *Non obſtantibus, &c.* quæ in litteris apponi conſue-
verunt; & hoc intelligitur de annexione reſpectu actus,
non autem de annexione reſpectu aptitudinis, quia tunc in-
diſtinctè poteſt expectans beneficium Sacerdotale accepta-
re, licèt actu non ſit Sacerdos, ut *in d. c. pro Cler. de præb. li.* 6.

51 Non tamen in eo caſu, in quo annexio ordinum facta
eſt reſpectu aptitudinis, neceſſe eſt ut quis tempore colla-
tionis ſit in ætate ad ordinem requiſita. Et in hoc admitti
non debet doctrina Abb. *loco citato*, ſed ſatis eſt, ut in ea
ætate ſit conſtitutus, ut infrà annum ad ordinem illum pro-
moveri valeat, ut tenet Rota *in præalleg. deciſ.* 1. *de præben.*
& hodie eſt expreſſum in decreto Concilii Tridentini *c.* 12.
§. *Neminem etiam ſeſſ.* 24. ut ſcripſi plenius *in d. c. Cum in*
cunctis à nu. 63. *de elect.* & patet ex ſubjectis declarationi-
52 bus S. Congregationis Concilii, videlicet, ſi ex fundatio-
ne Capellaniæ cautum ſit, ut Capellanus per ſeipſum ce-
lebret Miſſas, an poſſit iſta conferri ſimplici Clerico, an-
ve Capellania, cui annexum eſt onus duarum Miſſarum
in hebdomada per proprium Rectorem celebrandarum di-
catur Sacerdotalis, & non poſſit conferri Clerico qua-
tuordecim annorum. Sac. Congregatio ad utrumque du-
bium reſpondit poſſe quidem conferri ſimplici Clerico, in
ea tamen ætate, ut infrà annum ad Sacerdotium promo-
veri queat, niſi alia eſſent verba in fundatione poſita,

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

quæ requirerent obtinentem tempore collationis eſſe actu
Presbyterum.

Item poſitis verbis fundationis. Quilibet Sacerdos, qui
pro tempore fuerit, continuam reſidentiam perſonalem in
dicta Eccleſia facere teneatur, & ſingulis diebus, quibus fa-
cultas, & commoditas ſibi aderit, in dicta Eccleſia tenea-
tur Miſſam devotione debita celebrare. Die 13. Junii 1608.
S. Congregatio cenſuit ad hujuſmodi Eccleſiam non poſſe
præſentari aliquem, qui non ſit conſtitutus in tali ætate, ut
infrà annum poſſit ad Sacerdotium promoveri. Item poſi-
tis verbis fundationis videlicet, *Legavit dictæ Eccleſiæ Col-*
legiatæ libras octoginta pro conſtituenda, & erigenda una
Præbenda Sacerdotali in dicta Eccleſia cum onere, ut præ-
bendarius nominandus, & eligendus ad dictam præbendam
teneatur ſingula hebdomada celebrare Miſſas duas in dicta
Eccleſia; queritur, an ſufficiat præſentare Clericum talis
ætatis, ut infrà annum promoveri poſſit ad Sacerdotium.
Die 5. Januarii 1604. S. Congregatio cenſuit ſufficere.

Item in Cathedrali Eccleſia Montis Politiani ſunt plures 53
Capellaniæ perpetuæ, quas obtinentes ex antiqua conſue-
tudine, & conſtitutionibus Eccleſiæ habent onus pluries
in hebdomada celebrandi, & eorum octo electi à Capitulo
diebus feſtis non ſolemnibus, & ferialibus Miſſas Conven-
tuales canere, & unà cum capitularibus choro intereſſe
tenentur cum perceptione dimidiæ partis diſtributionum,
quas percipiunt Canonici; S. Congregatio cenſuit has Ca-
pellanias inſpecta inſtitutione eſſe Sacerdotales, ideòque
ſolis Sacerdotibus, vel conſtitutis in ætate, ut intra an-
num poſſint ad Sacerdotium promoveri, eſſe conferendas,
niſi earum ſtatus fortè fuerit immutatus. Sed ad omnem
dubitationem removendam eſſe agendum cum Sanctiſſi-
mo, ut Sacerdotales in poſterum decernantur abſque eas
nunc obtinentium præjudicio. Sanctitas Sua voluit exhi-
beri veteres conſtitutiones, inclinavitque, ut ſi ita res
habet, hæ Capellaniæ decernantur ſacerdotales.

Item inſtantibus verbis fundationis Capellæ, videlicet:
Uſufructuariȩ teneantur manutenere unum Cappellanum,
ſeu Presbyterum, qui omni die celebret, & celebrare de-
beat Miſsam unam in Eccleſia per ipſum teſtatorem funda-
ta, &c. & poſt earum obitum per N. & N. quos eligit in
patronos dictæ Eccleſiæ, manuteneri debeant duo Capel-
lani, qui omni die reſidentiam faciant in dicta Eccleſia, &
qui celebrent, & celebrare debeant Miſsam in eadem: an
Capella hujuſmodi ſit ſacerdotalis, itaut actu ſacerdoti ſit
conferenda. Die 22. Februarii 1614. S. Congregatio ex
omnium ſententia cenſuit hujuſmodi Capellam eſse qui-
dem ſacerdotalem, ſed ſatis eſse, ut ad eam præſentetur
Clericus in ea ætate conſtitutus, ut infrà annum poſſit ad
ſacerdotium promoveri.

Conclude igitur ad obtinendam Capellaniam, ſeu be-
neficium ſacerdotale requiri ſacerdotium in ipſo actu col-
lationis, ſi ordinis annexio facta ſit reſpectu actus. Si verò
annexio facta ſit reſpectu aptitudinis, nec requiri, ut pro-
viſus ſit actu ſacerdos, quod & Abbas concedit, neque
ut tempore collationis habeat ȩtatem, quam requirit ordo
Presbyteratus, quod Abbas non concedit; ſed ſatis eſse,
ut ſit in tali ȩtate, ut infra annum poſſit in Presbyterum
ordinari, & ſic in vigeſimo quarto anno inchoato, quia ſic
poterit in vigeſimo quinto inchoato promoveri ad ſacer-
dotium ad præſcriptum Clem. *fin. de ætat. & qualit.* & Con-
cil. Trid. *c.* 12. *ſeſſ.* 23.

Sed ſupereſt difficultas quomodo cognoſcatur, an annexio 54
facta ſit reſpectu actus, an verò reſpectu aptitudinis.

Abbas *in d. c. Cùm cunctis*, §. *Inferiora*, *n.* 10. *de elect.* di-
cit in hoc recurrendum eſſe ad verba, & adducit exem-
plum annexionis reſpectu actus. Sed reſpectu aptitudinis,
in qua major eſt difficultas, nihil declarat.

Tu verò ſequere theoricam Rotæ *in Romana Cappella-*
niæ 19. *Martii* 1586. coram Cardinali Pamphilio, & in
aliis quam pluribus relatis *in Recanaten. Beneficii* 14. *Junii*
1608. coram Cardinali Lancellotto, quæ habetur impreſſa
in recent. p. 2. *deciſ.* 216. *nu.* 1. & fuit confirmata coram
eodem 19. Januarii 1619. Quam quidem theoricam ſæpiùs
probavit S. Congreg. Conc. videlicet. Aut verba funda-
tionis, ſeu inſtitutionis beneficii reſpiciunt ex neceſſitate
ipſum actum preſentationis, inſtitutionis, vel collatio-
nis. Aut non reſpiciunt actum, ſed potiùs illius proſecu-
tionem. In primo caſu requiritur Sacerdotium in ipſo

actu, veluti ſi in fundatione beneficii, vel Capellaniæ cautum ſit, ut præſentetur, vel inſtituatur, aut eligatur ſacer-
56 dos, vel ut Capellania conferatur Sacerdoti, ſeu conſtituto in ordine ſacerdotali: nam qualitas adjuncta verbo intelligitur ſecundum tempus verbi, *l. In delictis* §. *Si extraneus*, *ff. De noxal. l. Si Titius*, ubi Bart. *ff. De teſtam. milit.* ideſt in ipſo actus initio, ut declarat Cardin. *in c. Perpendimus ſub nu.7. verſ. Sed redeundo ad contrarium, de ſent. excomm.* Gomeſ. *deciſ.72. in princ. lib.1.* & in propoſito præter Rotam tenent Abb. *in d.c. Cùm in cunctis* §. *Inferiora nu.10. verſ. Secundo caſu*, & Dec. poſt eum *nu. 21. ad finem*, *& nu.22. de elect.* Idem Abb. *in Clem. Ut ii ſub nu. 18. verſ. Item pone exemplum*, & ibi etiam Cardin. *in* §. *Illa vero nu.4.* & Vitalin. *nu. 16.* poſt Imolam *col. 1. de ætat. & qualit.* Pariſ. *conſ.50. nu.12. & ſeqq. lib.4.* Ripa *in l. Ex facto nu.31. ff. De vulgar.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. requiſita ad collationem n. 35. & in repet. c. Extirpandæ*, §. *Qui verò in 2. notab. de præbend.* Lambertin. *de jurepatron. par.1. lib. 2. q.7. art.29.* Ferrett. *conſ.211. nu.8. & 9.*

Et idem eſt ſi cautum ſit, ut præſentetur Presbyter, vel Capellanus, qui Miſſam celebret, in quo caſu propriè loquitur præcitata deciſio Romana Capellaniæ. Et hoc teneas, quidquid contra ſcripſerint nonnulli ex recentioribus, quos citat Nicolaus Garz. *in tract. de benef. par.7. c.1. nu.62. verſ. Et quamvis Zerola*, *& nu. ſeqq.*

Nec requiritur adjectio illius dictionis, *actu*, ſeu *actualiter*, puta præſentetur, ſeu inſtituatur actu Presbyter, vel qui actualiter ſit conſtitutus in ordine Presbyterali, ut perperam opinatus eſt Gonzal. *ad regul.8. Cancell. gl.5. à n.104.* ſed ſatis eſt, ut ſimpliciter cautum fuerit, ut præſentetur, ſeu inſtituatur Sacerdos juxta concluſionem Rotæ, & communem per rationem illam, quod qualitas adjuncta verbo, &c.

Nec refert utrum verba fundationis concepta fuerint affirmativè, puta præſentetur, vel inſtituatur Sacerdos, an negativè, puta præſentari, ſeu inſtitui non poſſit, niſi Sacerdos, vel beneficium non conferatur, niſi Sacerdoti: nam etſi nonnulli exiſtimaverint in eo tantùm caſu requiri Sacerdotium actu, in quo verba ſunt negativè concepta, ut Ferrett. *conſ.305.* veritas tamen eſt inter has annexiones ordinum nullam eſſe realem differentiam, & utroque caſu requiri ſacerdotium actu, ut probat Pariſ. *conſ.50. n.18. lib. 4.* & Moderni *de re benefic. lib.2. cap.47. nu.8.* & de annexione facta verbis affirmativis loquitur Rota, Abbas, & Doctores præallegati *num.54. & ſeqq.*

57 Rurſus nihil refert, an fundator dixerit, præſentetur, vel eligatur Sacerdos: an verò dederit poteſtatem preſentandi, vel eligendi Sacerdotem, hujuſmodi enim due forme æquipollent, & utroq; caſu requiritur Sacerdotium in ipſo actu præſentationis, vel electionis, ut in caſu Rotæ *deciſ. 216. ſub n.1. verſ. Nam qualitas Presbyteri par.2. in recent.* nulla enim conſtitui poteſt differentia inter verbum, & gerundium, cùm gerundium ſui verbi vim gerat. Undè proprium nomem ſortitum eſt, ut notat Bald. in *l. Falſus nu.6. ad fin. verſ. Et nota iſta*, *C. De furt.* & Prob. ad Jo. Monach. *in c. unic. nu.1. de poſtulat. Prælat. lib.6.* & habeat vim hanc imprimendi qualitatem tempore actus perindè, ac verbum ſuum, ut deducit Dec. *conſ.433. nu.6. & 7.* & in propoſito moderni proximè citati nu.9.

58 In ſecundo autem caſu, ideſt cum verba fundationis, ſeu inſtitutionis beneficii, vel Capellanię non reſpiciunt ipſum actum præſentationis, ſeu electionis, vel collationis, ſed illius proſecutionem, annexio ordinis dicitur facta reſpectu aptitudinis, nec requiritur Sacerdotium actu, ſed ſatis eſt ut præſentandus, vel eligendus in ea ætate ſit conſtitutus, ut infra annum ad Sacerdotium promoveri queat, juxta theoricam Abbatis in *d.c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora nu.10. de elect.* & Rotæ à Doctoribus communiter receptam.

Exemplum eſt ſi fundator dixerit, Capellanus debeat eſſe Presbyter, vel præſentetur Clericus, qui per ſeipſum teneatur Capellaniæ in divinis inſervire, & Miſſas celebrare: nam etſi hoc caſu Andreas Siculus *in conſ. 33. Scripſit Pſalmiſta lib.2.* & poſt eum Lambert. *de jurepatr. lib.2. par. 1. qu.7. art.27.* ſenſerint requiri Sacerdotium actu; veritas tamen eſt in oppoſitum; quia hujuſmodi verba reſpiciunt proſecutionem ipſius præſentationis, & tempus poſt inſtitutionem; & ideò ſufficit, ut præſentatus ſit Sacerdos habitu, licèt non actu: & in hoc caſu loquitur Rota *in Romana Capellaniæ de Capiſucchis die 20. Novembris 1573. coram Cotta*: quæ refertur *in præalleg. Romana Capellaniæ coram Cardinali Pamphilio 14. Martii 1586.* Et ita etiam in his, & conſimilibus terminis ſæpiùs reſpondit S. Congregatio Concilii, ut patet ex reſolutionibus relatis in præcedenti quæſtione num. 52. in quibus hujuſmodi verba, *Capellanus per ſeipſum celebret, vel celebrare debeat Miſſas*, & alia id genus S. Congregatio ita interpretata eſt, ut Capella ſit quidem Sacerdotalis, ſed tamen ſatis ſit, ut ad eam præſentetur, ſeu inſtituatur Clericus in ea ætate conſtitutus, ut infrà annum poſſit ad Sacerdotium promo-
veri. Regulare enim eſt in beneficiis Sacerdotalibus ſuffi- 59
cere ſolam habilitatem ad Sacerdotium, *cap.2.* cum ibi notatis *inſtit. lib.6. c. Si pro Clericis*, ubi Gemin. & Franc. *de præben. eod. lib.* Innoc. *in d.c. Cum in cunctis*, & ibi Abb. & Dec. *in* §. *Inferiora*, Roman. *conſ.325. nu.1.* Dec. *conſ.122. ſub nu.2.* & Rolan. *conſ.47. nu.59. lib.1.*

Secundò QUÆRO, An Capellania, cui eſt annexum 60
onus Miſſarum celebrandarum, ſit Sacerdotalis, anve Capellanus teneatur per ſeipſum Miſſas celebrare.

Propoſita quæſtio duas habet partes, de quibus tamen 61
promiſcuè agendum fuit, quia ſunt connexæ, & complicatæ, & plerumque una dependet ab altera. Undè ad evidentiam præmittendum eſt beneficium dici Sacerdotale, cum de jure, aut privilegio, fundatione, ſtatuto, vel conſuetudine ordinem Presbyteratus habet annexum ſive annexio hujuſmodi ſit facta reſpectu actus, ſive reſpectu aptitudinis, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt in quæſtione precedenti, ut notat gl. *in Clem. Ut ii*, §. *Illi verò in ver. Annexi de ætat. & qualit.* & gloſ. *in c. Si eo tempore in ver. Ætatem, verſ. Et hac vera intelligo, de reſcript. lib. 6.* Item gloſ. *in ver. Sacerdotalis*, Archid. & Jo. Andr. *in c. Ei cui*, *de præbend. eod. lib.* & hodie eſt expreſſum in decreto Concilii Tridentini *cap.12.* §. *In omnibus vero ſeſſ.24.* Ex eo autem, quod Capellanus teneatur Miſſas celebrare, non infertur neceſſariò, ut Capella ſit Sacerdotalis, ſeu ut Capellanus debeat eſſe Presbyter, quia onus Miſſarum celebrandarum poteſt per alium adimpleri, ut inferiùs patebit. Et ſimiliter ex eo, quod Capella ſit Sacerdotalis, regulariter non licet inferre, ut Capellanus teneatur celebrare per ſeipſum, quia ſtant ſimul, ut Capellanus debeat eſſe Sacerdos, & nihilominus Miſſas celebrare poſſit per ſubſtitutum, ut pariter conſtabit ex his, quæ dicentur infrà, præſertim nu. 71.

Quibus præcognitis, in propoſita quæſtione etſi multi 62
multa ſcripſerint, ut referunt moderni in *tract. de benefic. par.7. cap.1. à nu.75.* nihilominus vera eſt, & communiter recepta opinio Lapi Abbatis in ſuis allegationibus, videlicet *allegat.35. aliàs 36.* Utrùm abſque diſpenſatione, *alleg.116.* Philippus in ſuo teſtamento *n.3. verſ. In contrarium arguitur*, *& verſ. Et licet prædicta*, *& alleg.117. factum ſuper quo n.2.* quibus in locis cenſuit Altare, ſeu Capellam ea lege erectam, ut Capellanus, ſeu Presbyter eligendus debeat in divinis deſervire, & Miſſas celebrare pro anima fundatoris, neque actu, neque aptitudine eſſe Sacerdotalem, ſed poſſe conferri ſimplici Clerico quatuordecim an- 63
norum. Movetur, quia de generali conſuetudine, quam Papa ſcit, & tolerat, beneficia ſimplicia perſonalem reſidentiam non requirunt, ut notat gl. *in c. Gratia in verb. De jure teneri*, *de reſcr. lib.6.* Et quamvis teſtator juſſerit, 64
ut Presbyter debeat ibi in divinis deſervire, & Miſſas celebrare, tamen ſatis ſit teſtatori ſi ibi per alium divina celebrentur, ut in reg. *Qui per alium cùm jure expreſſum non ſit, ut hoc caſu per ſe deſervire debeat*: & allegat Jo. Calder. *in c. Super inordinata de præbend.* ubi expreſsè dicit majorem quatuordecim annis, licèt minorem viginti quinque poſſe obtinere Eccleſiam non curatam, ſeu beneficium in Eccleſia non curata. Nec obſtat opinio gloſſæ, quod minor vigintiquinque annis Eccleſiam Rectoriæ habere non poſſit ea ratione, quia Eccleſia dedicatur, ut in illa Rector Miſſam celebret, & alia divina officia, *c.1. de conſecr. diſt. 1.* Talis autem Miſſam celebrare non poteſt, niſi ſit Sacerdos, *c.1.* §. *Una, verſ. Et hoc utique Sacramentum ſup. de Summa Trinit.* & minor vigintiquinque annis non poteſt eſſe Sacerdos, Clem. *Generalem de ætat. & qual.* Etenim, ut dicunt Calder. in *d.cap. Super inordinata*, & Lap. *d. alleg.35. num. 3. & 4.* prædicta opinio eſt contra multa jura: quia in Eccleſiis jura diſtinguunt inter curatam, & non curatam, & majorem ætatem requirunt in curatis, quam

quam in ſimplicibus, ut *in cap. Cùm in cunctis*, §. *Inferiora*, *de elect. cap. Licet Canon eod. tit. lib. 6. cap. Eam te*, *de ætat. & qualit.* Ubi autem à jure non exigitur perſonalis reſidentia, ſatis eſt per Vicarium deſervire: ad hoc gloſſ. in *cap. Super eo in ver. Non obviet*, *de præb. lib. 6.* Item ſi hoc habeat conſuetudo, poteſt quis abſque peccato in abſentia redditus percipere, dummodò in beneficio teneat Vicarium, per alium beneficio deſerviat, ut notat gloſſ. *fin. in c. Cùm omnes de conſtit. in c. Extirpandæ in fin. de præbend. & in c. Dudum*, *il ſecondo in gl. pen. de elect.* Ita Lapus Abbas cujus ſententiam ſequuti ſunt Felin. *in cap. Cùm omnes ſub n.* 32. & ibi etiam Dec. *in 2. lectura nu.* 55. *de conſtit.* Mill. *in repert. in ver. Beneficium ſimplex*, Ferrett. *conſ.* 112. & plerique alii: & Rota *in cauſa Brixien. Capellaniæ* 2. *Martii* 1598. *coram Litta*, *& in Romana Capellaniæ*, *de qua infra n.* 73. & eamdem ſæpiùs probavit S. Congregatio Concilii, ut conſtat ex declarationibus infraſcriptis.

65 Cùm petitum eſſet, ut injungeretur Vicario Mediolanenſi, ut inſtitueret præſentatum ætatis annorum 21. ad Capellaniam, ad quam ab immemorabili tempore conſuevit præſentari Capellanus etiam non ſacerdos, nec in ſacris conſtitutus: die 6. Julii 1581. S. Congregatio cenſuit, dummodò in fundatione cautum non ſit, ut Capellanus per ſeipſum celebret, non teneri ipſum ſacros ordines ſuſcipere, ſed per alium Miſſarum oneri ſatisfacere poſſe. Item Archiepiſcopus Compoſt. poſuit ſub ſequeſtro fructus cujuſdam Capellaniæ, eò quòd illius Capellanus non ſatisfeciſſet ibi oneri quatuor Miſſarum in fundatione injuncto. Capellanus verò aſſerens ſe celebraſſe Salamanticæ, ubi ſtudiorum cauſa degebat, adiit Sacram Congregationem Concilii. Die prima Decembris 1581. S. Congregatio cenſuit Miſſas celebrandas eſſe in Capella, ſive per ipſum Capellanum, ſive per alium, niſi ſecus in fundatione cautum ſit, & Archiepiſcopum debere relaxare ſequeſtrum fructuum, retentis tamen fructibus pro ea quantitate, ex qua ſolui debeat ſtipendium iis, qui in defectum Capellani celebrarunt Miſſas in dicta Capella, vel celebrabunt.

66 Item in Bulla Pauli II. exponitur, quòd Jacobellus de Majoribus in ſuo teſtamento inter cætera voluit, ut in Parochiali S. Stephani fundaretur de bonis ſuis Capella, quòdque Paula de Matis teſtatoris filia in executionem teſtamenti Capellam hujuſmodi ſub inſtitutione Sanctorum Laurentii, & Antonii in dicta Eccleſia fundavit, & competenter dotavit pro uno Clerico, qui ei in divinis deſerviret, juſpatronatus ſibi reſervando, utque illud pro tempore obtinens in eadem Capella certas Miſſas qualibet hebdomada celebrare deberet ordinando, & pro prima vice Hieronymum Clericum Romanum præſentavit. Deindè Summus Pontifex ad ſupplicationem ejuſdem Paulæ dictam Capellam in perpetuum ſine cura beneficium Eccleſiaſticum pro uno Clerico, qui eidem Capellæ in divinis inſerviat, erexit cum reſervatione juriſpatronatus. Dubitatum eſt an Capellania, de qua agitur, requirat neceſsariò, ut Capellanus debeat eſse Presbyter. Die 15. Junii 1589. Sac. Congregatio cenſuit non requiri, ſicut etiam aliàs declaravit ſequuta opinionem Lapi in ſuis allegationibus.

Item ſtante fundatione, quòd in dicta Capella ſit, & eſse debeat unus Capellanus bonus Clericus ſæcularis exemplaris, & Deum timens, qui qualibet hebdomada teneatur, & obligatus ſit unam Miſsam celebrare: reſponſum eſt ex verbis appoſitis in fundatione hujus Capellæ non inferri neceſsarium, ut Capellanus debeat eſse Presbyter.

67 Similiter in cauſa Placentina S. Congregatio cenſuit beneficium ea lege erectum, ut in eo deputari debeat unus præbendarius, qui ſingulo quoque die teneatur Miſsam celebrare, & divinis officiis intereſse, utique non eſse Sacerdotale, ideòque poſse Miſsas per alium celebrari facere.

68 Item conſulta an Capellania inſtituta à teſtatore his verbis, ut beneficiarius ipſius Capellæ omni die, ſeu ſaltem quinquies in hebdomada Miſsam celebrare teneatur, & ſi negligens fuerit ipſe beneficiarius incurrat pœnam ſolidorum duorum, cenſeatur requirere perſonalem reſidentiam: Reſpondit obtinentem hanc Capellaniam non te-

69 neri reſidere, nec perſonaliter Miſsam dicere. Idemque dictum fuit in una Caſalen. in cujus fundatione cavebatur, ut domus Capellano ædificaretur, in qua habitaret, & divinis ſerviret; & niſi habitaret, & ſerviret poſset amoveri, & de alio provideri.

Item fuit aliàs in Eccleſia Cathedrali Malecitana erecta 70
quædam Capellania per Michaelem Gilalphonſum eo onere adjecto, ut Capellanus in ea pro tempore teneretur qualibet hebdomada celebrare certum numerum Miſſarum. Et cùm dubitaretur ex parte Jo. Guerrero collitigantis, an prædicta Capellania eſſet Sacerdotalis, vel talis, quæ non ita comprehenderetur ſub decreto *de reform. cap.* 5. *ſeſs.* 25. quominus conferri poſſet Clerico quatuordecim annorum; & illa verba, *Capellanus*, *&c.* eſſent potius poſita ad demonſtrandum onus, quod teſtator Capellæ impoſuit, quàm ut reſpiciant factum ipſum celebrationis Miſſarum per proprium Capellanum: reſponſum eſt ſecundùm ea, quæ proponuntur hujuſmodi Capellaniam non eſſe Sacerdotalem, poſſeque celebrationi Miſſarum per alium ſatisfieri, ac propterea ad illam obtinendam ſufficere ætatem annorum decem, & quatuor.

Rurſus poſitis verbis fundationis, videlicet, Introitus dictæ decimæ diſpenſentur ad tenendum unum Presbyterum, qui celebret Miſſas, & divina officia ad dictum Altare pro eo tempore, quo poterit ibidem ſtare ad celebrandum dicta officia omni die, & inferiùs: N. & N. habeant regere dictos introitus, & diſpenſare ad tenendum dictum Presbyterum tantùm quantum tenere poterunt ſingulo anno. Die 17. Novembris 1605. Sacra Congregatio cen- 71
ſuit dictum Presbyterum poſſe per alium celebrare. Item ſtantibus verbis fundationis: voluit, & ordinavit debere eligi unum idoneum Capellanum Presbyterum per N. & quòd Capellanus debeat, & teneatur celebrare in ea Miſſam pro anima, &c. Dubitatum eſt primò, an hæc Capella poſſit conferri Clerico, qui Sacerdos non ſit: Deindè ſi neceſſarium ſit eam conferri Sacerdoti, an idem Sacerdos teneatur per ſeipſum in dicta Capella celebrare. Die 3. Aprilis 1610. Sac. Congr. ad primum reſpondit Capellam eſſe Sacerdotalem. Ad ſecundum non teneri inſervire per ſeipſum.

Item Epiſcopus Aquilanus petiit declarari, an Capellania de jurepatronatus laicorum poſſet conferri ei, qui non eſt ejus ætatis, ut intra annum ad ordines promoveri poſſit, onera ſubiturus, quæ dictæ Capellaniæ ſunt annexa, juxta *c.* 4. *verſ. Ii vero ſeſſ.* 22. S. Congregatio cenſuit non poſſe conferri ſi ei injunctum ſit onus dicendi Miſſas perſonaliter, vel Evangelium, vel Epiſtolam cantandi, vel in fundatione dictum fuerit, ut obtinens eſſet Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus.

Demum ſtante fundatione Capellæ in Eccleſia Cathe- 72
drali Piſtorienſi ſub his verbis teſtatoris, quod Capellanus debeat celebrare diu, noctuque divinum officium, ſicut cæteri Capellani faciunt, fuit dubitatum an Capellanus debeat eſſe Presbyter. Sacra Congregatio cenſuit ex iſtis verbis poſitis in fundatione hujus Capellaniæ non inferri neceſſariò, ut Capellanus debeat eſſe Presbyter, & ita ſimpliciter reſpondendum abſque eo quod dicatur, vel reſervetur, niſi probaretur, quòd tempore fundationis factæ de huſmodi Capellania cæteri Capellani omnes eſſent Presbyteri celebrantes Miſſam. Tum quia in iſta ſerie facti hoc negatur; tum quia etſi alii Capellani conſueviſſent eſſe Presbyteri, hoc non debet alterare puritatem verborum hujus fundationis, de quorum natura non eſt, ut teneatur eſſe Sacerdos, vel Miſſam dicere, cum verbum. Celebret officium divinum, non referatur ad celebrationem Miſſæ, ut colligitur ex Clem. 1. §. *Ne igitur de celebr. Miſſarum*, ubi Zabar. *num.* 2. & ad exemplum prædictæ deciſionis idipſum reſpondit in Capella fundata in Cathedrali Eccleſia Abulenſi ſub iiſdem verbis, Capellanus debeat celebrare divina officia diu, noctuque.

Nec eſt omittendum, quod propter deciſionem in cau- 73
ſa Piſtorien. ut præfertur editam, Rota *in prææallegata Romana Capellaniæ* 2. *Januarii* 1589. *coram Cardinali Pamphilio*, mutavit ſententiam, & receſſit à reſolutis, ut apparet ex ipſa deciſione infraſcripti tenoris, videlicet: Domini attenta reſolutione Illuſtriſſimorum Dominorum S. Concilii Interpretum in cauſa Piſtorien. quòd præſentandus non debeat eſſe Presbyter ex eo, quod in fundatione dicatur Capellanum debere celebrare divina officia, quia juxta allegat. Lapi 36. niſi expreſsè caveatur, quòd per ſeipſum hoc agat, ſatis cenſetur proviſum voluntati Teſtatoris, ſi per alium divina celebrari faciat, ad reg. Qui

Qui per alium, *&c.* & tradit Cardin. *in c. De multa in fin. verſ. Quanto de præbend.* receſſerunt à reſolutis in hac cau-
74 ſa, & dixerunt Capellaniam non eſſe Sacerdotalem : quia ex verbis fundationis non adſtringitur Capellanus ad deſerviendum Capellæ in divinis, & Miſſam celebrare per ſeipſum. Et cum ſimus in beneficio ſimplici, in quo ex quadam generali totius orbis conſuetudine non requiritur reſidentia, ut poſt Cardin. tradit Imola in *cap. fin. num.9. de Cler. non reſiden.* ſufficit quod deſerviatur per ſubſtitutum, ad notata *in cap. Super eo de præbend. in 6.* Lap. *alleg. 36. ſub num. 5. & alleg. 117. ſub num. 2.* Cardin. *d. cap. De multa in fin.* Dec. *cap. Cum omnes*, *ſecunda lectura de Conſtit. cum aliis allegatis*. Non obſtat, quod in hoc caſu verba fundationis videantur directa in perſonam ipſius Capellani, cùm dicant, quod beneficium pro tempore obtinens certas Miſſas in qualibet hebdomada in eodem Capella celebrare deberet : quia illa non reſpiciunt actum ipſum celebrationis Miſſarum ab ipſomet Capellano, ſed potius ſunt poſita ad denotandam obligationem, & onus, quod ipſa teſtatrix Capellæ imponebat : & ſufficit quod onus non ſit ita impoſitum Capellano, quod per alium expleri non poſſit, quia alias cum à jure perſonalis reſidentia non requiratur, poterit per alium inſervire, ex præallegatis. Ultra quod in caſu reſolutionis Congregationis verba erant directa ad Capellanum, prout etiam in caſu allegationis Lapi, ubi teſtator mandavit dimidiam ſuorum bonorum Presbytero eligendo dari pro celebrandis Miſſis. Quod dicitur in caſu deciſionis Piſtorien. non fuiſſe factam mentionem celebrationis Miſſarum, ſed tantum divinorum, tollitur per rationem deſervire per
75 alium, quæ militat utroque caſu. Et eo magis venerunt Domini in hanc ſententiam, quia concurrit mens fundatricis, quæ colligitur ex præſentatione ab ipſamet facta de Hieronymo de Longonibus, qui huic Capellæ deſervivit per ſubſtitutum. Pariſ. *conſ. 56. nu. 19. lib. 4.* & poſteà fuit ferè ſemper poſſeſſa à ſimplicibus Clericis, qui Miſſas per alios fecerunt celebrari, *l. Si de interpretatione*, *ff. De legib.* Aym. *conſ. 101. cum ſimil.*

Nec adverſatur concluſioni ſuperiùs firmatæ, quod cum quidam Joannes habens Capellaniam in diœceſi Hiſpalen. cum onere celebrandi Miſſas eſſet Romæ litis cauſa, & petiiſſet ſibi indulgeri, ut ſibi liceret eaſdem Miſſas in aliqua Urbis Eccleſia celebrare ; Sac. Congregatio cenſuit ſi Sanctiſſimo placuerit id tantum oratori eſſe concedendum, ut Miſſas in Eccleſia à Teſtatore deſtinata per alium celebrari faciat. Etenim in eo caſu ſupponendum eſt ex fundatione fuiſſe injunctum Capellano onus per ſeipſum celebrandi ; alioquin indultum celebrandi in eadem Capella per ſubſtitutum fuiſſet prorſus inutile, contra *cap. In his*, *de privileg. cum concordan.* de quibus ibi in gloſſ. *ultima*.

Conſtat igitur ex prædictis verum eſſe, quod prius dicebamus, videlicet Capellam non eſſe Sacerdotalem ex eo ; quod Capellanus teneatur Miſſas, vel divinum officium celebrare, neque Capellanum regulariter teneri per ſeipſum celebrare ex eo, quod Capella ſit Sacerdotalis, cùm utroque caſu huic oneri ſatisfieri poſſit per ſubſtitutum.

76 Verùm ſi in ipſa erectione, ſeu fundatione Capellæ, aut aliis conſtitutionibus ſecus conſtitutum fuerit, id omninò erit obſervandum, ut diſertis verbis ſtatuitur à Concilio Tridentino in *cap. 5. ſeſſ. 25.* & ſæpiùs fuit reſponſum.

Obſervandum eſt tamen ad hoc non requiri, ut in fundatione expreſsè ſit cautum, ut Capellanus celebret per ſeipſum, ſed ſatis eſſe, ut id verbis æquipollentibus ordinatum fuerit, arg. *cap. In his infrà de verb. ſignific. l. fin. l. De donat. quæ ſub modo*, *l. Quid tamen*, *§. 1. ff. De arbitr.* & patet ex ſubjecta reſolutione S. Congregationis.

77 Teſtator cavit, ut ſui hæredes dent uni ex filiis ipſius pro alimentis, cui dictis hæredibus meliùs placuerit, & qui ad officium Clericatus aſcendere voluerit, unam vineam ipſius Teſtatoris cum onere, ut cui dederint, ille teneatur pro anima, &c. celebrare annuam Miſſam cantatam in qualibet annali die mortis ipſius Teſtatoris, & dicto ejus filio Sacerdote defuncto alius ex ejus filiis ſimiliter Sacerdos ſuccedat cum eodem onere ; & dictis ejus filiis Sacerdotibus defunctis, vadat in perpetuum cum eodem onere ad propinquiorem Sacerdotem de familia. Dubitatur primò, an ſupradictum relictum ſit ſimplex legatum cum onere tamen aſſumendi ordinem Sacerdotalem, & Miſſam celebrandi, itaut nulla ſit opus inſtitutione Ordinarii, vel potius ſit erectum beneficium Eccleſiaſticum de jurepatronatus dictæ familiæ. Secundò, an is, qui vult conſequi tale legatum, debeat eſſe Sacerdos, & teneatur per ſeipſum Miſſam celebrare. Die 28. Julii 1605. S. Congregatio ad primum cenſuit hoc eſſe ſimplex legatum cum onere aſſumendi ordinem Sacerdotalem, ac Miſſas celebrandi ; ideòque non eſſe opus ulla ordinarii inſtitutione. Ad ſecundum, ad hujuſmodi legatum conſequendum oportere eſſe conſtitutum in tali ætate, ut intra annum ad Sacerdotium poſſit promoveri, eòque anni ſpatio Sacerdotii ordinem debere ſuſcipere. Sed quoad celebrationem Miſſæ poſſe etiam per alium huic oneri ſatisfacere, niſi fundationi præter expreſſa inſint alia verba, quæ ſignificent, ut per ſeipſum id muneris expleat.

Caſus autem, in quibus cenſetur inducta obligatio celebrandi per ſeipſum ſatis colligi poſſunt ex infraſcriptis exemplis. Poſito tenore fundationis, videlicet : Sint tres voces in præſentando Sacerdotem, & Capellanum dictæ Capellæ, qui ſerviat in divinis eidem Capellæ, & ibidem continuè divina celebret, Miſſam, & officia nocturna, & diurna, & reſidentiam continuam faciat juxta Eccleſiam S. Andreæ, & ſerviendo dictæ Capellæ quæritur, an Rector ejuſdem Capellæ teneatur reſidere, ac ſubire onera per ſeipſum. Die 20. Julii 1600. S. Congregatio cenſuit hujuſmodi Rectorem teneri reſidere, ac munia hujuſmodi explere per ſeipſum. 78

Item ſtante fundatione : Quod Capellani, & quilibet illorum debeat dicere pro anima mea in dicta mea Capella centum, & nonaginta duas Miſſas recitatas quolibet anno in perpetuum, &c. Item quod ſit Presbyter bonus Chriſtianus bonæ vitæ, & famæ, & non habeat onus alicujus officii, nec obtineat aliquam præbendam, Vicariam, Rectoriam, nec Curatam, nec aliquod aliud beneficium, nec Capellaniam, quibus inſervire debeat, ſeu quod ſolum debeat ſe occupare, & aſſiſtere ſervitio iſtius meæ Capellaniæ, non in aliqua alia re, ſive præbenda, & ſi poſtquam fuerit nominatus in Capellanum fuerit proviſus de aliqua alia præbenda, ſeu Capellania, ſi illam acceptaverit, perdat eo ipſo hujuſmodi meam Capellaniam, & vacet, & provideatur in perſonam alterius. Præſuppoſitis clauſulis ſupraſcriptis, quæritur utrum Capellanus teneatur præciſè per ſeipſum celebrare. Die 12. Maii 1606. Sac. Congregatio cenſuit ſecundùm ea, quæ proponuntur, teneri celebrare per ſeipſum. Rurſus poſitis verbis fundationis : omne incrementum, & lucrum proveniens ex ſumma 500. ſcutorum dari debeat Capellano, qui dictæ ſocietati in divinis inſerviat, &c. Et quod Silveſter Oliverius ſi voluerit pro Capellano dictæ ſocietatis inſeruire, cæteris præferri debeat. Die 23. Februarii 1608. S. Congregatio cenſuit ex dictis verbis, quæ Silveſtrum præferri mandant, eum per ſeipſum inſervire teneri. Ad hæc poſito tenore dotationis, videlicet, *Dono bona opportuna Vicario Archiepiſcopi nomine, & vice ipſius Eccleſiæ*, *ſeu Capellæ*, *& perpetui Sacerdotalis beneficii ad dictam Eccleſiam creandam*; *eo tamen tenore*, *ut Sacerdotes ad ipſam Eccleſiam*, *ſeu Capellam*, *ut fertur*, *ordinandam inſtituendi illis gaudeant*, *& ſub his conditionibus*, *& non aliter*, *videlicet ut beneficialis ipſius Eccleſiæ*, *ſeu Capellæ omni die*, *ſeu ſaltem quinquies in hebdomada Miſſam in dicta Eccleſia celebrare teneatur*, *juſto tamen impedimento ceſſante*. *Et ſi negligentes fuerint*, *vel remiſſi ad celebrandam ipſam Miſſam*, *ſeu ipſam Miſſam non celebraverint*, *beneficialis incurrat pœnam ſolidorum*, *&c. pro qualibet vice convertendam in utilitatem Eccleſiæ*. Ultimò autem loco Vicarius Capitularis ſede, tunc Archiepiſcopali vacante dotationem, & erectionem hujuſmodi per hæc verba admiſit, videlicet, conſiderans quod ex bonis donatis poteſt unus Sacerdos cum uno Clerico ſervitore vitam congruè ſuſtentare, beneficium creavit, & bona donata prædictæ Eccleſiæ, & perpetuò Sacerdotali beneficio, & pro dote ipſorum Eccleſiæ, ſeu beneficii aſſignavit. Quæritur primò, an dictum beneficium ſit Sacerdotale. Secundò, an proviſus de hujuſmodi beneficio poſſit alium beneficium perſonalem reſidentiam requirens retinere. S. Congregatio ad primum reſpondit eſſe Sacerdotale. Ad ſecundum ex verbis fundationis teneri obtinentem hujuſmodi beneficium per ſeipſum celebrare,

neque

neque poſſe cum eo aliud beneficium reſidentiam requi-
rens obtinere.

79 Sed prædictis videtur valdè obſtare decretum Concilii
Tridentini in *cap.4. ſeſſ.* 22. ubi diſertis verbis ſtatuitur
primò ut qui dignitates, perſonatus, officia, præbendas,
portiones, ac quælibet alia beneficia in Cathedralibus,
vel Collegiatis Eccleſiis obtinent, aut in poſterum obti-
nebunt, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet ut alii
Miſſas, alii Evangelium, alii Epiſtolas dicant, ſeu can-
tent, teneantur juſto impedimento ceſſante infra annum
ordines ſuſcipere requiſitos. Et paulò poſt ſubnectitur.
Cogantque Epiſcopi eos diebus ſtatutis dictos ordines per
ſeipſos exercere: concordat *cap.* 12. *ſeſſ.* 24. ibi, *Omnes
vero divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obi-
re officia.*

Si igitur obtinentes quæcumque beneficia in prædictis
Eccleſiis tenentur onera Miſſarum adimplere, & divina
celebrare per ſeipſos; ergo falſa eſt concluſio ſuperius fir-
mata, quòd obtinentes Capellas Sacerdotales poſſint one-
ri Miſſarum, & divinorum celebrationi per alium ſatiſ-
facere.

80 Solutio eſt difficilis. Sed obſervandum eſt decretum *d.
cap.4. ſeſſ.*22. loqui in eo tantum caſu, in quo ordines ſacri
ſunt annexi beneficio in Cathedrali, vel Collegiata Eccle-
ſia, & ita decretum illud jam pridem intellexit Sacr. Con-
gregatio. Unde obtinens Capellam Sacerdotalem in præ-
dictis Eccleſiis tenetur celebrare per ſeipſum, atque ita
quod ſuperius firmavimus obtinentem beneficium Sacer-
dotale poſſe per alium celebrare, notabiliter limitari de-
bet, ut non procedat in obtinente beneficium ſacerdotale
in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis. Sin autem
ordines non ſint annexi beneficio, ſeu Capellæ eo quod
cautum non ſit in fundatione, ut Capella ſit Sacerdotalis,
vel ut Capellanus debeat eſſe Presbyter, aut celebrare per
ſeipſum, ſed ſimpliciter diſpoſitum ſit ut Miſſas celebrare
teneatur; tunc oneribus hujuſmodi congruè ſatisfieri po-
teſt per ſubſtitutum, etiam in Cathedrali, vel Collegiata
Eccleſia. Neque hoc caſu ut prædixi, eſt locus diſpoſitio-
ni *d. cap.* 4. quia loquitur de beneficiis, quibus onera
ſunt annexa; ſed eſt locus allegationibus Lapi, & decla-
rationibus ſuperius relatis, *num.* 62. & 65. & *ſeqq.*

81 Sed contra hoc ultimum arguitur ſic. Obtinentes be-
neficia in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis tenen-
tur, & cogi debent divina officia obire per ſe, & non per
ſubſtitutos, ut expreſsè ſtatutum eſt in *d. cap.* 12. *verſ. Om-
82 nes vero, ſeſſ.*24. Sed Miſſa quamvis non ſit de Horis, *cap.*
1. *De celebr. Miſſarum, c. un. de Cleric. non reſid. lib.*6. & *no-
tat gl. in Clem. Ut ii. in ver. Certis horis, de ætat. & qualitat.*
eſt tamen de officio, & venit divini officii appellatione. Er-
go obtinentes Capellas cum onore Miſſarum in prædictis
Eccleſiis tenentur per ſeipſos celebrare, & ſic Capellæ hu-
juſmodi cum prædicto onere Miſſarum generaliter, & in-
diſtinctè ſunt Sacerdotales. Minor probatur in *c. De his*, 12.
diſt. in Clem. un. in fine, ibi, Matutinalibus, Veſpertinis.
Miſſæ, ac prædictarum horarum officiis, *de reliq. & vene-
rat. Sanctor.* & tenet gl: *in dicta Clem.* 1. *in verb. Canonicas*,
ubi ait, Miſſam de officio dicimus, ſed non de horis. Qui-
nimo Miſſam eſſe de horis non obſcurè ſentit gl. in *d. Clem.
un. in ver. Totidem*, dum inquit, argue pro æquandis diſtri-
butionibus in his tribus horis, Matutino, Miſſa, & Veſpere.

83 Cæterum reſponderi poteſt Miſſam privatam non eſſe
de officio, ſed tantummodo Miſſam ſolemnem, & Con-
ventualem, de qua loquitur tex. in *c. Cum creatura, de ce-
lebr. Miſſar.* & ita intelligitur textus in *d. c. De his.* 12. *diſt.*
loquitur enim de officiciis publicis ibi, Publca officia, id
eſt veſpertinas, matutinum, ſive Miſſam. Et quamvis gloſſa
exponat illud verbum, *publica*, id eſt Clericorum ſæcula-
rium; tamen expoſitio illa non congruit litteræ, & textus
debet intelligi in propria ſignificatione, ut ibi declarat
Gemin. *nu.* 3. *in fine, verſ. Nec eſt bona expoſitio gloſſæ*,
84 unde Miſſa ibi intelligitur Conventualis, & ſolemnis, &
ita etiam intelligitur textus in *dicta Clem. unica*, & gloſſ.
præallegat. propterea enim dicunt diſtributiones aſſignari
pro Miſſa, ſicut pro horis. Quod etiam adnotavit Præpoſ.
poſt alios in *d. cap. De his, num.* 7. Hoc autem non congruit
85 niſi Miſſæ Conventuali. Concluditur ergo obtinentes be-
neficia in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia cum onere
divinis inſerviendi, ſeu intereſſendi teneri quidem per
ſeipſos intereſſe etiam Miſſæ Conventuali, & mulctari
poſſe niſi interfuerint; ſed hinc non ſequi ut teneantur in-
diſtinctè eamdem Miſſam Conventualem canere, id eſt
ipſum ſacrificium offerre per ſeipſos. Patet, quia in Eccle-
ſiis Cathedralibus non omnibus præbendis jubetur annecti
ordo Sacerdotalis, ſed dimidiæ parti dumtaxat, ut in *d. c.*
12. §. *In omnibus verò, ſeſs.*24. Ergo non omnes præbenda-
ti, ſeu beneficiati tenentur Miſſam ſolemnem celebrare
per ſeipſos, ſed illi tantùm, qui obtinent prebendas, quæ
annexum habent ordinem presbyteratus; alioquin præ-
bendæ omnes eſſent presbyterales, & diſtinctio Concilii
eſſet inanis. Sed Capellæ cum onere Miſſarum celebran-
darum, niſi aliud ſit cautum in fundatione; non habent
ordinem Presbyteratus annexum, ut ſuperiùs dictum eſt
S. Congregationis ſententia. Ergo illas obtinentes non te- 86
nentur Miſſam Conventualem celebrare per ſeipſos, ſed
tantummodo illi intereſſe, hoc important verba, *d. c. Cum
creatura, de celebr. Miſſarum*, ibi, Miſſarum ſolemnia
conventualiter celebretis, ideſt intereſſendo, & pſallendo.
Et hoc modo etiam quoad Miſſam Conventualem dicun-
tur divina officia per ſeipſos obire ad præſcriptum *d.* §.
Omnes verò. Non autem ſacrificium offerendo, quod non
convenit niſi presbyteris, *c.* 1. §. *Una, verſ. Et hoc utique
Sacramentum, ſupra de Summa Trinit.*

Itaque ut in hac materia perſtringantur omnia, cum 87
quæritur an, & quando obtinens Capellam teneatur eſſe
Sacerdos, & oneri Miſſarum, divinorumque celebratio-
ni ſatisfacere per ſeipſum, necne, ſic diſtingue.

Aut Capellæ hujuſmodi eſt annexus ordo Presbytera-
tus, puta quia in illius fundatione cautum eſt, ut Capella-
nus debeat eſſe Sacerdos, aut non eſt annexus. In primo
caſu ſiquidem Capella ſit in Cathedrali, vel Collegiata
Eccleſia: tunc illam obtinens tenetur eſſe Sacerdos, &
Miſsas, ac divina officia in fundatione injuncta per ſeip-
ſum celebrare, ad præſcriptum *d. cap.*4. *ſeſſ.*22. & *cap.*12.
*verſ. Omnes verò, ſeſſ.*24. ut clarius patebit in quæſtione
ſequenti. Sin autem Capella non ſit in Cathedrali, aut
Collegiata Eccleſia, ſed in alia inferiori, in qua horæ ca-
nonicæ non recitantur; tunc iterùm ſubdiſtingue. Nam
aut in illius fundatione expreſsè, aut verbis æquipollenti-
bus ſtatutum eſt, ut Rector teneatur Miſſas dicere, &
onera adimplere per ſeipſum; & lex fundationis adamuſ-
ſim ſervanda eſt, ut in *cap.*5. *ſeſſ.*25. & in reſolutionibus,
de quibus ſupra *num.* 78. *verſ. Caſus autem*. Aut in fun-
datione Capellæ nihil de hoc tacitè; vel expreſsè cautum
reperitur, ſed ſimpliciter dictum eſt, ut Capellanus de-
beat Miſſas celebrare, vel divinis inſervire: & tunc
Capellanus non tenetur ordinem Presbyteratus aſſu-
mere, nec Miſſas, vel divina officia celebrare per ſe-
ipſum, ſed poteſt ejuſmodi oneribus per alium ſatisface-
re. Et in hoc caſu propriè loquuntur Lap. in ſuis allega-
tionibus, Rota *in deciſione ſuperius relata, nu.* 73. & de-
clarationes S. Congregationis, de quibus ſupra, *n.*65.

In ſecundo autem caſu principali, ideſt cum Capella
non habet ordinem presbyteratus annexum, ſed ſimplici-
ter in ejus fundatione cautum eſt ut illam obtinens debeat
Miſſas celebrare, vel divinis officiis inſervire: & tunc
refert an Capella ſita ſit in Eccleſia Cathedrali, vel Col-
legiata, an verò in alia Eccleſia non habente ſervitium
Chori. Et quidem ſi in Cathedrali, vel Collegiata, di-
ſtingue. Aut in fundatione Capellæ cautum eſt tantum-
modò, ut Capellanus debeat Miſſas celebrare; & non tene-
tur eſſe Presbyter, nec Miſſas celebrare per ſeipſum, ut
patet in declaratione Malecitana, de qua ſupra *nu.*80. Ne-
que enim hoc caſu eſt locus decreto Concilii in *d. c.*4. *ſeſſ.*
22. quia, ut dictum eſt, loquitur in eo tantùm caſu, in
quo Capellæ, ſeu beneficia in Cathedrali, vel Collegiata
Eccleſia habent ſacros Ordines annexos. Nec refragatur
reſolutio in cauſa Montis Politiani, de qua ſupra *num.*53.
quia ibi Capellani a Capitulo electi tenebantur Miſſas
Conventuales canere per ſe ipſos ex antiqua conſuetudi- 88
ne, & ſic Capellæ habebant Ordinem Presbyteratus an-
nexum. Aut in fundatione adjectum eſt ut Capellanus te-
neatur divinis inſervire, ſeu intereſse, aut divina officia
celebrare: & tunc propriè locum habent reſolutiones Pi-
ſtorien. & Abulen. de quibus ſupra *num.* 72. ut ſcilicet Ca-
pellanus non debeat eſse Presbyter; ſed nihilominus tene-
bitur divina Officia celebrare per ſeipſum; quia verba,

Di-

Divinis Officiis inſervire, ſeu intereſse in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia important ſervitium Chori, quod adimpleri non poteſt per ſubſtitutum, ut in *d. cap.* 12. *verſ. Omnes vero*, *ſeſſ.* 24. & fuſiùs patebit in ſequenti quæſtione. Nec adverſatur deciſio Piſtorien. quia eo caſu non fuit quæſitum an Capellanus deberet per ſeipſum Horis Canonicis intereſse, ſed tantummodò an deberet eſse Sacerdos. Si verò capella exiſtat in Eccleſia non Cathedrali, vel Collegiata, ſed in alia Eccleſia non habente ſervitium Chori: hoc ultimo caſu quamvis in fundatione Capellæ diſpoſitum ſit ut Capellanus debeat Miſsas celebrare, & divinis inſervire, ſeu intereſse, tamen non tenebitur ordinem Sacerdotalem ſuſcipere, nec Miſsas, aut divina officia celebrare per ſeipſum, ſed ſatis erit ut hæc munia per alium expleat, & in hoc ſpeciali caſu loquuntur declaratio Sac. Congregationis in cauſa Placentina, de qua ſupra *nu.* 67. *verſ. Similiter*, deciſio Rotæ *in cauſa Romana Capellaniæ*, & Lapi allegationes, de quibus ſupra *num.* 62. *&* 73.

89 Tertiò juxta præmiſsa QUÆRO: Poſita fundatione capellæ in Eccleſia Collegiata S. Sixti Viterbii infraſcripti tenoris videlicet, Capellanus teneatur, & obligatus ſit qualibet hebdomada dicere in ipſa Eccleſia pro remiſſione peccatorum ipſius teſtatoris duas Miſsas, & deſervire Eccleſiæ in divinis. An Capellanus hujuſmodi per ſeipſum Miſsas celebrare, atque inſervire teneatur.

90 Propoſita hac cauſa die 9. Novembris 1619. S. Congregatio Concilii viſa eſt probare concluſiones infraſcriptas.

Prima concluſio eſt decretum Concilii Tridentini *cap.* 4. *ſeſſ.* 22. qua parte ſtatuit ut habentes beneficia in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis cum onere dicendi Miſsam, Evangelium, vel Epiſtolam, teneantur infra annum ordines recipere requiſitos, & dictos ordines per ſeipſos exercere, non habet locum in omnibus beneficiis, quorum rectoribus prædicta onera incumbunt, ſed in illis tantùm, quæ certum ordinem habent annexum. Quam concluſionem jam dudum probavit S. Congregatio in cauſa Tudertina dum cenſuit Capellanias in Cathedrali Eccleſia erectas cum onere Miſsarum celebrandarum non comprehendi in *d. cap.* 4. niſi ordinem annexum habeant. Ratio eſt, quia oneribus hujuſmodi congruè poteſt per ſubſtitutum ſatisfieri, nec cenſetur in his electa induſtria perſonæ, ut pluribus probat Lap. *allegat.* 117. qui propriè loquitur de altari, ſeu Capellania erecta in Cathedrali Eccleſia cum onere Miſsas celebrandi, juxta terminos Clement. *Ut ii*, *de ætat. & qualitat. innovata in d. c.* 4.

91 Secunda concluſio. Capellania ea lege erecta in Cathedrali Eccleſia, ut Capellanus teneatur choro inſervire, requirit perſonale ſervitium, quod non poteſt adimpleri per ſubſtitutum. Pro qua concluſione ponderatum fuit decretum Concilii *cap.* 12. *ſeſs.* 24. ibi, Omnes verò divina per ſe, & non per ſubſtitutum compellantur obire officia

92 juncta deciſione S. Congregationis, qua declaratum fuit *d. c.* 12. *verſ. Præterea*, comprehendere etiam Manſionarias, & alia beneficia, quæ ſunt perpetua, & habent annexum ſervitium in choro.

93 Hinc cùm dubitatum fuerit an Capellaniæ, quibus incumbit onus celebrandi Miſsas, & in choro inſerviendi, ſint compatibiles cum Canonicatibus, & Parochialibus, cùm per earum conſtitutiones liceat eis inſervire per ſubſtitutum cum licentia Ordinarii, & capituli: S. Congregatio cenſuit non eſse compatibiles.

94 Item orta dubitatione an Capellaniæ Cathedralis Eccleſiæ, quarum redditus in diſtributionibus quotidianis conſiſtunt, perſonalem reſidentiam requirant: reſponſum eſt requirere.

Sed & S. Congregatio Epiſcoporum olim conſulta an Capellani habentes diſtributiones quotidianas, & onus celebrandi divina Officia in Cathedrali Piſarum teneantur ad reſidentiam; reſpondit Capellanias requirere reſidentiam in choro Cathedralis.

95 Tertia concluſio: ex illis verbis fundationis, de qua nunc agitur, videlicet Capellanus teneatur Miſsas celebrare, non infertur, ut capella ſit Sacerdotalis, quia hujuſmodi oneri poteſt per alium ſatisfieri, licèt capella erecta fuerit in collegiata Eccleſia, ex his quæ dicta ſunt in prima concluſione ex ſententia ejuſdem congregationis.

Quarta, & ultima concluſio. Verba illa, Capellanus teneatur in divinis deſervire, extra Cathedrales, & Collegiatas Eccleſias non important ſervitium perſonale: in quibus terminis loquitur Lap. *alleg.* 35. & deciſiones Sacr. Congregationis, & Rotæ inferiùs allegandæ. 96

Quibus poſitis, ad hoc reſtricta fuit difficultas, an ſcilicet verba illa, Capellanus teneatur in divinis deſervire, in collegiata importent ſervitium chori, ita ut propterea illud non poſſit adimpleri per ſubſtitutum. 97

Et quidem ad probandum hæc verba non importare ſervitium chori infraſcripta adducuntur.

Primò, divinorum celebratio in ſui latitudine apta eſt comprehendere non ſolùm recitationem horarum Canonicarum, juxta *cap.* 1. *de celebr. Miſſar.* verùm etiam celebrationem Miſſæ, lectionem Evangelii, & Epiſtolæ, ac divini Officii extra chorum, *c.* 3. *de vita*, *& honeſt. Clerici*, & *c. Propoſuit*, *de fil. Presbyter.* Card. *in Clem.* 1. §. *Ne igitur*, *num.* 7. *verſ. Quinto quæro*, *de celebrat. Miſſar.* Hoc autem caſu dicta verba, in divinis, videntur potiùs referenda ad electionem Evangelii, vel Epiſtolæ, aut divini officii extra chorum, quàm ad onus pſallendi horas canonicas, quia fuerunt appoſita in fundatione Capellæ, quæ 98
ex ſui natura annexum non habet ſervitium chori, ut in *d. cap.* 3. nec requirit perſonalem reſidentiam ex generali conſuetudine ut poſt Cardin. tradit in *cap. fin.* Imola *num.* 9. & Abb. *num.* 3. *de Cler. non reſidend.* Menoch. *de arbitr. caſu* 201. *nu.* 75. ergo in dubio fundator cenſeri debet ſe retuliſſe ad univerſalem conſuetudinem Bald. in *l. Precibus*, *num.* 44. *C. De impuber.* & in terminis Spin. *in Specul. teſtam.* gloſ. 4. *princ. n.* 66. & Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. *nu.* 80. *& ſeqq.*

Secundò nulla conſtituenda videtur differentia in reſidentiam beneficii ex hoc ſolum quod fuerit erectum in collegiata, vel extra eam, ſed quando erigitur beneficium extra Collegiatam, hæc verba, *deſervire in divinis*, non inducunt perſonalem reſidentiam. Lap. *allegat.* 35. *&* 116. & dictum eſt in 4. concl. Ergo nec quando beneficium in Collegiata erigitur. Major propoſitio probatur, quia aut ex verbis fundationis conſtat beneficium requirere perſonalem reſidentiam, aut non conſtat. Si conſtat, ſervanda eſt lex fundationis tàm in Collegiatis Eccleſiis, quam extra eas, ut in *c.* 5. *ſeſſ.* 25. *de reform.* Si non conſtat, beneficium non requirit reſidentiam perſonalem, etiamſi fuerit erectum in Collegiata quia nec Clem. *Ut ii*, *nec d. c.* 4. habent locum in beneficiis, quæ ex fundatione certum ordinem, id eſt perſonale ſervitium annexum non habent, ut in prima concluſione.

Tertiò affertur deciſio Rotę *coram Pamphilio* 23. *Januarii* 1589. *in cauſa Romana Capellaniæ*, ſuperius relata *n.* 73. in qua fuit reſolutum, Capellaniam non requirere reſidentiam perſonalem, licèt in ejus fundatione cautum fuerit, ut Capellanus teneatur Miſſas celebrare, & deſervire in divinis.

Quartò loco adducitur reſolutio S. Congregationis in cauſa Placentina tempore Cardinalis Matthæi, ut etiam diximus in quæſtione præcedenti; qua declaratum fuit beneficium in Cathedrali Eccleſia ea lege erectum, ut in eo deputari debeat unus præbendarius, qui ſingulo quoquo die teneatur Miſſam celebrare, & divinis Officiis intereſſe, non eſſe Sacerdotale, ideòque præbendarium poſſe Miſſas per alium celebrari facere.

Ultimò affertur pro hac parte obſervantia ſubſecuta, 99
quia Sixtus V. anno 1588. & Clemens VIII. anno 1601. dictam Capellaniam contulerunt tamquam ſimplex beneficium perſonalem reſidentiam non requirens, ut ex litteris collationis exhibitis, hæc autem obſervantia plurimum valet ad cognoſcendam qualitatem beneficii, ut tradit Pariſ. *conſ.* 50. *n.* 19. *lib.* 4. cum aliis allegatis in alia propoſitione hujus cauſæ.

Cæterùm pro contraria parte infraſcripta videntur magis urgere, & primo verba illa. *Capellanus teneatur ſervire in divinis*, *cum fuerint appoſita à fundatore tamquam diverſa à Miſſarum celebratione*, utique in Eccleſia collegiata nihil aliud videntur poſſe importare, quàm recitationem horarum canonicarum. Quod ſatis probatur ex conſtitutione Bonifacii VIII. in *c. unico*, *de Cler. non reſid. lib.* 6. ubi Pontifex agens de Canonicis, qui tenentur in choro horas canonicas recitare, utitur propriis verbis hujus 100

jus fundationis ibi, Ipſis Eccleſiis in divinis officiis deſervire. Si igitur verba, *deſervire in divinis*, in collegiata important ſervitium chori; ergo Capellanus tenetur per ſeipſum inſervire, cum ſervitium chori non poſſit adimpleri per ſubſtitutum, ex dictis in ſecunda concluſione.

101 Secundò ex vulgari modo intelligendi eorum, qui fundant hujuſmodi Capellanias in Cathedralibus, & collegiatis, reſidentia intelligitur de perſonali, juxta *cap. Conquerente, de Cler. non reſiden.* ut teſtatur Navarr. *conſil. 6.*
102 *num. 2. eod. tit.* Verbo autem, *reſideant*, æquipollent ſequentia verba, videlicet interſit, cantet, vel ſerviat, ut
103 per Navarr. *ibidem num.* 3. Unde cùm olim dubitatum eſſet in Sacra Congregatione an habens Capellaniam, cui in fundatione injunctum fuerat onus celebrandi Miſſas, atque intereſſendi divinis officiis, teneretur reſidere, atque celebrare officia per ſeipſum; licèt nihil deciſum fuerit, tamen manu Cardinalis Carafæ adnotatum reperitur Capellanum teneri per ſeipſum celebrare divina officia, quia intereſſe quiſpiam non poteſt per ſubſtitutum, ad *ca. unicum de Cler. non reſid. lib. 6.*

104 Ultimò urget pro hac parte antiqua deciſio Sacræ Congregationis. Siquidem fuit olim dubitatum an Capellaniæ in Eccleſia Cathedrali exiſtentes, quarum reditus ex variis defunctorum relictis cùm onore Miſſas aliquot, & divina officia celebrandi inter ſe tantum diſtribuunt Capellani præſentes, qui onera prædicta per ſeipſos, & per alios presbyteros quoſcumque perſolvunt, reliquis Capellanis, qui præſentes non ſunt, nihil percipientibus, perſonalem reſidentiam requirant, ita ut qui eas obtinent? ad reſidendum præciſè etiam per privationem cogi poſſint, non obſtante conſuetudine contraria: Sac. Congregatio cenſuit teneri ad reſidentiam juxta formam Concilii.

105 Neque verò huic ſententiæ videntur obſtare argumenta ſuperiùs in contrarium adducta: nam ad tria priora in ordine reſpondetur verba illa, *deſervire in divinis*, eſſe intelligenda ſecundùm ſubjectam materiam, ita ut ſi fuerint appoſita in fundatione capellæ erectę intra Eccleſiam, in qua horæ canonicæ non recitantur, tunc non importent ſervitium chori, quia ſubjecta materia id non patitur, ſed ſint referenda ad celebrationem divinorum extra chorum, juxta notata in *c. 3. de vita, & honeſt. Cler.* Quod quidem ſervitium rectè fieri poteſt per ſubſtitutum, & in his terminis loquitur Lap. *d. allegat.* 35. & Rota *in dicta cauſa Romana Capellaniæ.*

Sin autem fuerint appoſita prædicta verba in fundatione Capellæ intra Eccleſiam, in qua horæ Canonicæ recitantur, ut in caſu præſenti, tunc benè important ſervitium chori, quia id ſuadet ſubjecta materia. Ad quod adducitur Gugliel. de Monte Lauduno relatus à Cardin. in *Clem. 1. §. Ne igitur ſub num. 7. verſ. Quinto quæro, de celebrat. Miſſar.* cujus hæc ſunt verba: *Expedit quod pſallendo intra Eccleſiam dicat Clericus officium juxta Pſalmum, Benedicite Dominum, maximè in magnis feſtivitatibus, argum. cap. Si quis in Clero, 7. quæſt. 1. & cap. Si quis extra Parochias, de conſecrat. diſtinct. 1. Quod ultimum procedit in eo, qui habet beneficium in Eccleſia Collegiata, aliàs in non Conventuali, ubi eſt ſolus Sacerdos, & Clericus, hoc non poteſt obſervari, & ſufficit quod Sacerdos, & Clericus dicant officium vel ſimul, vel ſeparatim ſine cantu; tamen bonum eſt ut in Eccleſia dicant.* Hæc ille. Quibus accedit quod hoc caſu fundator non dixit ſimpliciter, Capellanus teneatur deſervire in divinis, ſed addidit, teneatur deſervire in divinis dictæ Eccleſiæ; atque ita fuit ab ipſo contemplatum ſervitium non ipſius Capellaniæ, ſed Eccleſiæ, in qua Capellania inſtituebatur, quæ cùm ſit collegiata habet præcipuum ſervitium in pſallendo horas Canonicas, ut in dicta Clem. 1. *de celebr. Miſſar.* ita ut proinde ſervire in divinis prædictæ Eccleſiæ nihil aliud ſit, quàm choro intereſſe.

Non obſtat quartum argumentum, quod ex ſententia S. Congregationis præbendarius habens onus celebrandi, & inſerviendi in divinis in Cathedrali Eccleſia, non tenatur eſſe Sacerdos.

Nam reſpondetur hinc non inferri quin teneatur divinis officiis perſonaliter intereſſe, ad hoc enim non requiritur ordo Sacerdotalis, ut in Clem. *Ut ii, de ætat. & qualit.* Boer. *deciſ.* 171. *n.* 1. 106

Sicut neque obſtat contraria obſervantia, quia non eſt tanti temporis, ut potuerit immutare ſtatum Capellaniæ, juxta *cap. Cum de beneficio, de præb. in 6.* Ac præterea eſt varia, quia Capellani interdum inſervierunt etiam per ſeipſos, imò nonnunquam fuerunt etiam punctati. Et nihilominus cum verba fundationis importent ſervitium chori, contraria conſuetudo non valeret uti ſublata à Concilio juxta deciſionem S. Congreg. ultimo loco allegatam, *num.* 103. 107

DE ÆTATE, ET QUALITATE.

Alexander III. Cantuar. Archiepiſcopo, & ejus Suffraganeis.

CAPUT III.

INdecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias regere, qui non noverunt gubernare ſeipſos; cùm ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præemineant, & morum fulgeant honeſtate. Nolentes itaque ſuſtinere, ut parvulis Eccleſiæ regimen committatur: Mandamus, quatenus nemini intra annum quartumdecimum conſtituto, perſonatum cujuſlibet Eccleſiæ concedere præſumatis. Sciturì pro certo, quòd ſi contraire præſumpſeritis, quod inde feceritis, irritabimus, & inobedientiam veſtram graviter puniemus.

SUMMARIUM.

1 *Minori quatuordecim annis regimen Eccleſiæ committi non debet.*
2 *Abſurdum eſt ut carens monaſtica elevetur ad œconomicam, & carens œconomica ad politicam.*
3 *Pueri in quibus differant ab adultis.*
4 *Matrimonium ſpirituale cum Eccleſia non contrahunt obtinentes beneficia ſimplicia.*
5 *Verba*, regere, & gubernare, *an, & in quo differant, & num. ſeqq.*
6 *Ethicæ diviſio in Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam.*
7 *Collatio beneficii facta minori quatuordecim annis eſt ipſo jure nulla.*
8 *Epiſcopus an poſſit diſpenſare ſuper defectu ætatis ad beneficia.*
9 *Præpoſitura habens nudum miniſterium aliquot beneficia conferendi approbatis ab Ordinario an poſſit conferri Clerico quatuordecim annorum, & nu. ſeqq. uſque ad nu. 17.*
10 *Dignitas non conſtituitur ex nudo miniſterio conferendi beneficia.*
11 *Beneficium nullam habens juriſdictionem fori contentioſi, vel pœnitentialis non poteſt dici Curatum.*

12 *Con-*

12 *Conſuetudine conferendi beneficia non Curata in minori ætate conſtitutis plurimum defertur.*

13 *Jus conferendi beneficia poteſt competere majori annis quatuordecim tàm ex privilegio, quàm ratione Eccleſiæ: à qua collatio dependet.*

14 *Mulier ſuccedens in officio habente juriſdictionem, & curam annexam, poteſt per ſeipſam adminiſtrare, ac beneficia conferre, & curam Viro committere capaci talis poteſtatis.*

15 *Pupillus major ſeptennio poteſt præſentare, & in concurſu præſentatus ab eo præfertur præſentato à tutore.*

16 *Juriſdictio ſola ſine obligatione reſidentiæ non efficit beneficium curatum.*

17 *Ordo ſacer an eximat à patria poteſtate latiſſime diſcutitur uſque in fin.*

18 *Epiſcopalis dignitas jus patriæ poteſtatis ſoluit tàm de jure civili, quàm canonico.*

19 *Ordines minores non liberant à patria poteſtate.*

20 *Referuntur Authores, & fundamenta pro opinione affirmativa, & nu. ſeqq. uſque ad n.* 33.

21 *Prælati, & qui alios tenentur regere, non debent eſſe ſub poteſtate alterius.*
*Contrarium, nu.*53.

22 *Filius familias pater, cùm ſit in poteſtate alterius, filiam non habet in poteſtate, nec eam poteſt occidere cum adultero.*

23 *Tutor non debet eſſe ſub tutella, nec curator ſub cura.*

24 *Patria poteſtas quantum ad jus publicum non curatur.*

25 *Jus publicum in ſacris, in Sacerdotibus, in Magiſtratibus conſiſtit.*

26 *Intellectus*, c.Cùm voluntate, de ſent. excommunic. *& num.* 48.

27 *Ordo ſacer liberat à ſervitute, & nu.* 55.

28 *Monſtruoſum eſt, ut qui legitimus ad ſpirituales ſit actiones, circa ſæculares actus illegitimus remaneat.*

29 *Dignitas Patritiatus, & Conſulatus jus patriæ poteſtatis ſoluit, & nu.* 56.

30 *Sacerdotali dignitati nulla dignitas ſæcularis æquiparari poteſt, & nu.* 56.

31 *Ordinibus ſacris initiati. & illuſtros interdum æquiparantur.*

32 *Patria poteſtas ſolvitur per profeſſionem regularem, & num.* 58.

33 *Refertur Authores, & fundamenta opinionis negativæ, & n.*36. *& ſeqq.*
Filius familias per ſacrum ordinem non eximitur à patria poteſtate in rebus patrimonialibus, & profectitiis, ibidem, & n. 41.

34 *Secus in rebus Eccleſiaſticis, & in his, quæ agit ratione ordinis, vel dignitatis, & n.*44.

35 *Legitima debetur Patri in bonis profanis filii, non autem in Eccleſiaſticis.*

36 *Ordo ſacer non ſolvit omnino jus patriæ poteſtatis.*
Tollit tamen illius effectus ordini ſacro improportionabiles, & incongrus, num. 44. *& ſeqq. uſque in finem.*

37 *Intellectus*, cap.Per venerabilem, in princip. qui fil. ſint legit.

38 *Ordo Epiſcopalis ſupponit neceſſariò ordinem Sacerdotalem.*

39 *Jus patriæ poteſtatis à jure naturali ſumpſit originem.*

40 *Et quoad vinculum naturale debet immutabile permanere.*

42 *Filius familias per ſacrum ordinem non ſolvitur à naturali reverentia, quam tenetur patri exhibere.*

43 *Pater debet reverentiam filio Sacerdoti in oblationibus, Confeſſionibus, & aliis ſpiritualibus.*

45 *Filius familias Clericus in beneficialibus, & aliis cauſis ſpiritualibus, & ab eis dependentibus, ſine authoritate Patris agere poteſt, & n. ſeqq.*

46 *Si major ſit quatuordecim annis agit per ſe, vel per Procuratorem; Si minor, per Procuratorem datum ad lites authoritate Judicis Eccleſiaſtici.*

47 *Pater percutiens filium in ſacro ordine conſtitutum excommunicationem incurrit.*

49 *Prælatus excommunicatus eſt, ſi correctionis cauſa faciat percuti Clericum per Laicum.*

50 *Pater ob nimiam egeſtatem diſtrahere non poteſt filium in ſacris conſtitutum.*

51 *Filius familias per ſacrum ordinem eximitur à poteſtate patris quoad peculium adventitium. & quæſita poſt clericatum.*

52 *Licet aliàs de illis teſtari non poſſit etiam permittente patre.*

53 *Filius familias Presbyter quidquid acquirit ex cauſa adventitia, & non contemplatione Sacerdotalis officii, acquirit ſibi pleno jure.*

54 *Quiſquis habet alium ſub ſe neceſse, eſt ut recognoſcat alium ſuper ſe, excepto Papa.*

55 *Patria poteſtas in quibus differat à Dominicali.*

56 *Sacerdotalis dignitas eſt eminentior qualibet dignitate ſæculari quantum ad ſpiritualia.*

57 *Patria poteſtas ſicut ſolvitur per dignitatem patritiatus, & Conſulatus in temporalibus, ita ſolvitur per dignitatem Sacerdotalem in ſpiritualibus.*

58 *Profeſſio regularis cur magis ſolvat jus patriæ poteſtatis, quàm ſacer ordo.*

I*Ndecorum*. Regimen Eccleſiæ minori quatuordecim annis committi non debet. Hoc dicit. Et ſunt tres partes, Prima ponit exordium, & cauſas mandati. Secunda mandatum, ibi, *Nolentes*: Tertia comminationem irritationis, & pœnæ, ibi, *Sciturі*. 1

Nota primò minores quatuordecim annis non eſſe habiles ad beneficia ſonantia in nomen rectoriæ, etiamſi curam non habeant animarum; nam de his propriè loquitur hæc Decretalis, ut indicat littera, ibi, *regere*, & ibi, *regimen*, nec non ibi, *perſonatum*. Et advertunt Joan. Andr. *n.*4.*in ver.regimen*, Anton.de Butr.*n.*7.& Card. in 2.*oppoſitione*. Idem firmat Abb.poſt Joan. Calderin.in *cap. Super inordinata*, *n.*12. *infr.de præb.*Guliel.de Benedict.*de repet. c.Raynutius*, *verſ. Adjectæ impuberi*. *n.*60.*de teſtament.* & Lambert. *de jurepatr.lib.*2. *p.*1.*art.*6.*quæſt.*7.*n.*5. Secus autem eſt ſi non ſonent in nomen Rectoriæ, ſed ſint beneficia in Eccleſia; quia tunc ſi maturitatem conſilii non requirant, ut ſunt Capellæ, ſatis eſt ſeptimum annum exegiſſe, ſecundùm Abbatem *loco citato*. Rationem diverſitatis habes hic in littera quia ſcilicet indecorum eſt, ut regant Eccleſias, qui non noverunt gubernare ſeipſos. Sic inſtitut. *de excuſat.tutor.* §.*Minores*, *l.fin.C.De legit. tutel.* & *l. Sic eveniet. ff. De adulter.* Nemo enim teſte Ariſtotele 3. *Ethicor.* juvenes eligit duces, eo quod non conſtat eſſe prudentes. Et ſtultum eſt, ut aliis imperet, qui ſibi ipſi imperare non poteſt, ut ait Socrates hic relatus à Jo. Andr. *n.*3.*in ver. Noverunt*. Bellam. *nu.* 1. & Cardin. *in* 2. *notab.* Rurſus ut inquit Joannes Mon. in *præfatione ſexti num.*4. 2
Abſurdum eſt ut carens monaſtica, quæ docet ſeipſum regere, elevetur ad œconomicam, ut hic, & carens œconomica elevetur ad politicam. §. *Neceſſe*, 47. *diſtinct.*& 48.*diſtinct. in princip.*argum. *l.Ut gradatim*, *primo reſpon.*& *l.Honor*, §.*Gerendorum*, *ff. De muner. & honor.*

Sed hodie hæc differentia ſublata eſt jure noviſſimo Concilii Tridentini in *c.*6. *ſeſſ.*23.quo minores annis quatuordecim redduntur inhabiles ad beneficia, nec diſtinguitur an ſonent in nomen Rectoriæ, vel ſint beneficia in Eccleſia.

Porrò inter pueros, & adultos complures ſunt differentiæ, ſecundùm Hoſtienſ. *nu.*11. nam pueri teſtari non poſſunt, adulti poſſunt, *l.*1.*ff. De teſt.* Item illi non obligantur juramento; hi verò obligantur, *c.Pueri*, & *c. Parv.*22. *q.*5. Unde & tenet contractus adoleſcentis juramento firmatus, *lib.* 1. & Authen. *Sacram. puberum*, *C. Si adverſ. vendit.* & notatur in *c.Cùm contingat*, *infrà de jurejurand.* Item pueri non ſunt habiles ad matrimonium contrahendum; adulti verò habiles ſunt ſive agatur de carnali, ut in *c. Puberes*, *infrà de deſponſ. impub.* ſive de ſpirituali, ideſt profeſſione Regulari, ut in *c. Ad noſtram*, *c.Significatum*, *c.Cùm virum*, & *c.Cùm ſimus*, *infrà de regul.*Et ſummatim majores annis quatuordecim diſcretionem habent, & conſenſum perfectum, ut in *d. c. Cùm virum*, & in *c.*1. *De regul. lib.*6. & in Clem. *Eos eod. tit.* 3

Mo-

4 Moderni *de re beneficiaria lib.2.q.49. nu.19.* aſſignant aliam rationem cur Concilium Tridentinum hac in parte receſſerit a juris communis diſpoſitione, & voluerit ad beneficium non ſufficere ſeptennium, ut prius, videlicet, quia inter beneficiatum, & Eccleſiam ſpirituale matrimonium contrahitur, quod maturiorem exigit ætatem, allegant *c. Sicut in unaquaque*, ubi gloſſ. & DD. 21. *quæſt.* 2. Verùm hæc ratio infirma eſt, quia ſpirituale conjugium contrahitur tantummodò inter Epiſcopum, ſeu Prælatum, & Eccleſiam. Et de Prælato intelligitur *d.cap.Sicut in unaquaque*, ſecundùm Laurent. Archid.& Bellamer.exponentes verbum, *Præsbyterum*, ideſt Prælatum Rectorem.Et in Epiſcopo loquuntur, *c. Sicut vir*, & *c. Sicut alterius*, 7. *q.*1. *c.*2. *& per totum ſuprà de translat. Epiſcop.* At verò inter Rectorem, & Eccleſiam non curatam, de qua loquitur hæc Decretalis, propriè ſpirituale conjugium non contrahitur, ut notat gloſ.1. in *c. Quia propter, ſuprà de elect.* Butr.in *c.fin. nu.*15. *de poſtulat. Prælator.* & Card. Turrecr. poſt D. Thomam in *d. c.Sicut alterius*, *nu.*2. *&* 5.

5 Secundò nota differentiam inter verbum, *regere*, & *gubernare*; nam regere propriè refertur ad alios, guber-
6 nare ad ſe ipſum. Unde infert Butrius *num.*2. ut gubernare reſpiciat partem œconomicam, regere reſpiciat politicam. Sed certè ſi verbum, *regere*, refertur ad ſe: ergo non reſpicit œconomicam, ſed monaſticam, quæ eſt prima pars Ethicæ, ſeu moralis philoſophiæ: nam ut docet Joan. Mon. *in præfatione Sexti*, *numer.* 3. *verſ. Nam cùm Ethica dicta eſt*, monaſtica agit de regimine ſui ipſius, œconomica de regimine domus, & politica de regimine civitatis. Quæ diviſio eſt ex mente Ariſtot. 6. *Ethicorum c.* 8. Eamque ſimiliter ponit, & prolixius explicat Jo.Andr. in *proœm.Decretal. num.*29. dicens: *Eſt autem Ethica, quæ habet mores informare, & virtutibus ornare, & dividitur in tres partes. Eſt Ethica monaſtica, quæ docet quem regere ſeipſum. Unde dicitur Monaſtica, quæ curam ſui gerens ſe virtutibus exornat, nihil in vita committens, quo non gaudeat, nihil faciens pœnitendum. Oeconomica docet patremfamilias benè regere familiam; familiaris enim officii curam mediocri diſpoſitione componens benè diſtribuit. Politica ad Rectores urbium ſpectat, docens Rempublicam benè regere; nam Reipublicæ curam ſuſcipiens cunctorum ſaluti medetur ſuæ prudentiæ ſolertia, juſtitiæ libra, fortitudinis ſtabilitate, ac temperantiæ patientia.* Hæc ille.

Tu dic verba, *regere*, *& gubernare*, eſſe ſynonima, & promiſcuè uſurpari tam in ordine ad ſeipſum, quàm ad alios, ut de verbo regere, in ordine ad ſeipſum eſt textus.

Unde Philoſoph. *de regimen. Princip. Seipſum regere Summa Sapientia eſt.* Et de verbo, *gubernare*, in ordine ad alios ſunt jura clara in *c.penult.*ibi: *Eccleſiam ſalubriter ſibi commiſſam gubernaverit, infra de Cler. ægrotan.* in *c. In ſingula*, *de præb. lib.* 6. *in proœm. inſtitut. in princ.* & paſſim alibi.

7 Tertiò nota ibi, *irritabimus*, collationem beneficii factam minori annis quatuordecim non videri irritam ipſo jure, ſed irritandam, ut hìc per Bellam. *in ultimo notabil.* At in oppoſitum eſt textus in *c. prox. in fin. ſuprà eod.* Timore hujus contrarii Hoſtienſ. *hìc circa finem*, & Jo. Andreas *num.* 5. exponunt verbum illud, *irritabimus*, ideſt irritum eſſe pronunciabimus, ut in *c. Qualiter, in fine, ſuprà de elect.* Et hoc teneas, concordat Concilium Tridentinum in *c.6.ſeſſ.*23. ubi verbum, *poteſt*, præcedente negatione, *nullus*, adimit potentiam, & actum inficit, ſecundùm gloſſam ordinariam in *c.Beneficium, de regular. jur.lib.6.*Et ex ſententia S.Congregationis Concilii dixi in *c. Super inordinata*, *n.*15. *inf. de præb.*

8 Ultimo nota ibi, *inobedientiam veſtram graviter puniemus*: argumentum optimum quod Epiſcopus diſpenſare non poteſt ſuper defectu ætatis ad beneficia: nam ſi poſſet diſpenſare, utique minori conferendo non eſſet puniendus, ut hìc dicitur. Quia quod legitimè factum eſt, pœnam non meretur, *l. Gracchus*, *C.De adult.*& notat.gloſ. 1. *in c.* 2. *ſuprà de conſtit.* concordat textus in *c.Nihil, ſuprà de elect.* ubi puniuntur Prælati confirmantes electum ante ætatem legitimam: & gloſ. ibi, *in verb.Ætatis, expreſſe* inquit, *patet hìc quod Epiſcopi in ætate diſpenſare non poſſunt, cum puniantur ſi hoc fecerint, aliàs non deberent puniri.*

Verùm Innocent. *hìc circa finem*, & Hoſtienſ. *num.* 10. *in verſ. Annum*, dicunt in hac Decretali prohibitam eſſe diſpenſationem infra decimumquartum annum dumtaxat, ſupra verò tenent Epiſcopum diſpenſare poſſe etiam ad perſonatus, & beneficia curata urgente neceſſitate, vel evidenti Eccleſiæ utilitate exigente, cum non ſit prohibitum, argum. *c.Nuper*, *infrà de ſent. excommun.* Nam defectus ætatis morum poterit ſuppleri probitate, *c. fin.* 77. *diſt.l.Certe*, & *l.Unicuique*, *C.De proxim.ſacror.ſcrin.lib.* 12.Nec obſtat *c.prox. ſupra eod.*ubi Archiepiſcopus diſpenſat in decimo. Quoniam ſecundùm Innoc. Decretalis illa corrigitur per hanc. Vel ſecundùm Hoſt. illud fit ibi authoritate Papæ; aliàs enim Epiſcopus cum minore quatuordecim annorum diſpenſare non poteſt, licèt poſſit cum majore.

Sed quidquid dicant, De jure teneas quod habetur in *c.unico*, *de ætat.& qualit.lib.*6.ubi permittitur ut Epiſcopi diſpenſent cum majoribus viginti annis in Dignitatibus, & Perſonatibus, quibus cura non imminet animarum. Ergo a contrario ſi imminet, diſpenſatio eis non permittitur, ut ibi notat gloſſ. *in verſ. Non imminet*, quæ à Doctoribus communiter approbatur, & tenent hìc Jo. Andr. *ad finem, verſ.Sed quidquid dicant*, Bellam. *in* 3.*oppoſition. verſ. Sed contra*, Butr. *num.*6. *verſ. Sed quidquid dicant*, & Card. *in* 4.*notab.* licèt etiam poſt illam Decretalem Archidiac.tenere voluerit eamdem opinionem, & malè, ut inquiunt Joan. Andr. & Card. *ubi ſuprà*. Verùm hodie cum ex decreto Concilii Trident.*c.*12.§. *Ad cæteras*, *ſeſſ.* 24. ad dignitates non curatas aſſumi debeant Clerici viginti duobus annis non minores, adempta eſt Epiſcopis facultas, quam habebant ex *d. c. unico*. Nam contra decretum illud Conciliare Epiſcopi diſpenſare non poſſunt, ut ſcripſi latiſſimè in *c. fin. infrà de fil. Presbyter.* & in *c. Dilectus*, *ſuper. tit. prox.*

QUÆRO, An Clericus quatuordecim annorum ſit 9
capax Præpoſituræ habentis nudum miniſterium aliquot beneficia conferendi approbatis ab Ordinario.

Cùm Præpoſitura, de qua agitur, non ſit Dignitas, ut 10
poſt Archid. deducit. Gemin. *in c.*1. *ſub num.*7. *de conſuet. in* 6.& Rota *deciſ.*17.*incipien.Fuit dubitatum*, *ſub n.*1. *verſ. Præterea*, *de conceſſ. præb.in nov.* nullamque curam fori 11
contentioſi, aut pœnitentialis habeat, quæ beneficio inhæreat ut beneficium dici poſſit curatum, juxta *cap. Dudum*, *il* 2. ubi Abb. *nu.*8. & cæteri, *de elect.* Rebuff.*de nomin. q.*9. *nu.*53. minuſque collationem, vel adminiſtrationem,ſeu juriſdictionem ſuper ſubditos habeat, ſed tantummodò nudum miniſterium in conferendo aliqua beneficia approbatis ab Ordinario: meritò dicitur, & reputatur ſimplex beneficium, & tamquam tale poteſt Clerico in decimoquarto ſuæ ætatis anno conſtituto conferri, ut patet hìc, & in *c. Super inordinata*, ubi Hoſt. Joan. Andr. & omnes notant, *infrà de præbend.* Barbach. *de Epiſc. in* 1. *part.*2. *lib. q.*31. *n.*56. ubi loquitur etiam in Canonicatu, & præbenda, quæ ſonant in Dignitatem. Et Federic. de 12
Sen. *conſ.*132. Qui loquitur in Prioratu. Quod videtur ſine difficultate procedere inſpecta conſuetudine conferendi, ſeu commendandi ſimilia beneficia Clericis in minori ætate conſtitutis, cui plurimum tribuitur quando ipſa beneficia non habent curam animarum, vel ſacrum ordinem annexum ex privilegio, vel conſtitutione, ut notat Abb. in *c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, *in fin. ſupra de elect.*

Non obſtat, quòd Præpoſitura hujuſmodi habeat colla- 13
tionem quorundam beneficiorum in diœceſi Caſſalen. & extra conſiſtentium; & propterea prætendatur ut tàm ratione examinis approbandorum, quàm ipſius collationis requiratur major ætas. Etenim examen pertinet ad Ordinarium, in cujus diœceſi ſita ſunt beneficia tàm ex diſpoſitione juris, ut in *c.Relatum*, *de jurepatr.* & in *c. Ex frequentibus*, *de Inſtitution.*quam Concilii Tridentini, ut in *c.*13.*ſeſſ.*24. Atque ita ſolum nudum miniſterium collationis faciendæ remanet penes Præpoſitum, quod competere poteſt nedum ex privilegio, *c. Cùm aliquibus*, *de reſcript. in* 6.& *c.Is cui*, *de præb. eod.lib.*& tradit Rebuff.*de nominat. q.* 8.*nu.* 6.8. *&* 9. Sed etiam ratione ipſius Eccleſiæ, à qua collatio dependet, ut per Rebuff. *ubi ſupra*, & Abb. in *cap. Cùm nobis*, *circa fin. de elect.*

Et hinc eſt,ut mulier ſuccedens in aliquo officio, ſeu di- 14
gnitate, quæ habeat aliquam juriſdictionem annexam, quam-

quamvis aliàs capax non ſit juriſdictionis, & exercitii cu-
ræ animarum; tamen efficitur capax, & poteſt per ſeip-
ſam adminiſtrare juriſdictionem, & committere exerci-
tium curæ viro capaci talis poteſtatis, & beneficia con-
ferre, ut reſolvit Rota deciſ.21. de præb. antiquior. Abb. in
c. Cùm dilectus, nu. 20. de conſuet. Felin. in c. Cum venera-
bilis, nu. 36. de excep. & Joan. de Selva de benef. quæſt. 5.
15 nu. 1. & 5. Et ſimili modo pupillus major. ſeptennio poteſt
præſentare, & nominare, & quod amplius eſt, ſi concur-
rat cum ejus tutore, præfertur præſentatus à pupillo, c.
Ex eo, ubi gloſſ. fin. & Gemin. num. 8. & Franc. ſub nu. 3.
de elect. in ſexto.

16 Quapropter cùm hoc jus conferendi conſiſtat in mero,
& nudo exercitio, cujus tàm majores, quàm minores, &
mulieres ſunt capaces, & hoc beneficium ſit ſimplex, li-
cèt dictam juriſdictionem habeat, ut ſupra oſtenſum eſt, &
reſpondit alias Sacra Congregatio Concilii ferè in his ter-
minis, quam ſequuta fuit Rota coram Pegna in cauſa Con-
chen. Archipresbyteratus 28. Januarii 1594. quæ habetur
impreſſa apud Garziam de benefic. part. 5. cap. 3. num. 98.
meritò proviſio, pro qua ſupplicatur, niſi aliter San-
ctiſſimo D. N. videatur, non videtur deneganda.

17 In gloſſa prima QUÆRO, an ſacer ordo eximat filium
à patria poteſtate.

18 De ordine, ſeu dignitate Epiſcopali expeditum eſt tàm
de jure civili, ut in Authen. Sed Epiſcopalis dignitas, C.
De Epiſc. & Cler. quam de jure Canonico, ut in cap. Si
ſervus ſciente; ibi; ſed & jus patriæ poteſtatis ſolvit Epiſ-
copalis dignitas, 54. diſt. & in cap. Per venerabilem, circa
princ. ibi, Eo ipſo quod aliquis ad apicem Epiſcopalis di-
gnitatis attollitur, eximitur à patria poteſtate, infrà qui
fil. ſint legit. & tenent hìc Innocent. Hoſt. nu. 5. Anton. de
Butr. num. 3. verſ. Dic quod ordo Epiſcopalis, Anchar. num.
2. & alii communiter, Abb. in c. Cum voluntati, num. 8.
19 infrà de ſent. excommun. Similiter non dubitatur quin Cle-
ricus ſit in patria poteſtate, quandiu eſt in minoribus or-
dinibus conſtitutus, niſi emancipetur: ita enim probat
textus in d. c. Cum voluntate, §. fin. Ubi hoc tenet gloſſ.
ult. communiter approbata. Lap. Abb. & Petr. de Anchar.
in c. fin. De judic. lib. 6. & Bellam. hic nu. 13. verſ. Nec etiam
per promotionem.

20 Sed de Ordinibus ſacris articulus eſt admodum contro-
verſus. Nam gloſſ. 1. hic arguit pro, & contra; & tan-
dem concludit quemlibet ſacr. Ordinem liberare à patria
poteſtate, dicens hoc eſſe verius. Idem tenent hìc Lau-
rent. Vincen. & Tancred. Item gloſ. ult. & Goffred. in d. c.
Cum voluntate, & Bartholom. Brixien. in ſuis quæſt. vene-
ralib. q. [illegible] quæ incipit, Quæritur an pater percutiens, in
titul. de ſent. excomm. ut notatur c. Cum beatus, in gloſ. 1.
in fine, 45. diſt.

21 Pro qua opinione inducitur primò ratio hujus Decre-
talis. Nam indecorum eſt ut regat Eccleſiam qui non no-
vit gubernare ſe ipſum, ut hìc. Ergo ſi debet ſcire ſeipſum
regere, non debet regi, & conſequenter non debet eſſe
in poteſtate alterius, ut deducit gloſſa 1. & Cardinal. in
2. notab. Ex quo apparet nullum Prælatum, aut in ſacris
ordinibus conſtitutum debere in poteſtate patris exiſtere,
ad quod allego textum in Authen. Conſtitutio, quæ de Di-
gnitatibus, §. Propterea, ibi, eum namque qui tantorum
judex eſt, & tantis jubet, manere ſub poteſtate alterius in-
22 dignum judicavimus. Ad idem textus in l. Patri, in fine,
& l. Sic eveniet, ff. de adult. ubi filiusfamilias pater non
poteſt occidere adulterum ſimul cum filia, quia illam in
ſua poteſtate non habet, cum ſit in poteſtate alterius, &
23 in l. fin. C. De legit. tut. ubi tutor non debet eſſe ſub tutela,
nec Curator ſub cura, & §. Minores, inſtitut. de excuſat.
tutor. ubi exiſtentes ſub cura tutelam, vel curam non ge-
24 runt. Secundò pro hac opinione inducitur textus in l. Fi-
liusfamilias, ff. De his, qui ſunt ſui, vel alienan. jur. ubi
quantum ad jus publicum patria poteſtas non curatur, ſed
filiusfamilias loco patrisfamilias habetur, & l. Ille, §. fin. &
in l. Nam quod ad jus, ff. Ad Trebell. ubi filiusfamilias
Magiſtratum gerens cogit patrem adire, & reſtituere hæ-
reditatem, quam dicit ſuſpectam, quia non attenditur
25 patria poteſtas in eo, quod ad jus publicum attinet. Jus
autem publicum in ſacris, in Sacerdotibus, in Magiſtrati-
bus conſiſtit, l. 1. §. Publicum jus, ff. De juſt. & jur. & c. Jus
26 publicum [illegible] 1. diſt. Tertiò inducitur pro hac parte, cap. Cum
voluntate, §. fin. De ſent. excommun. ubi filiusfamilias eſt
ſub patria poteſtate quo ad violentam manum injectio-
nem, ſi ſit in inferiori gradu, ideſt in minoribus ordinibus
conſtitutus, ſecundùm communem expoſitionem. Ergo
à contrario, ſi ſit in ſuperiori gradu, ideſt in ſacro ordine,
exemptus eſt à poteſtate patris, ex eo enim quod de illis
ſpecialiter permittit, videtur de aliis negare, c. Diſcipli-
na, 45. diſtinct. gloſſ. in c. Qualis, in ver. Negatur, 25. di-
ſtinct. Et ita arguit gloſſ. fin. in d. cap. Cùm voluntate.

Quartò probatur eadem ſententia, quia ſacer ordo li- 27
berat à poteſtate Dominica, ideſt ſervitute, quod eſt plus.
Ergo & à patria poteſtate, quod eſt minus, c. Ex parte, il
3. de decim. Aſſumptum patet de Ordine Epiſcopali in d. c.
Si ſervus ſciente, 54. diſt. De Sacerdotio in c. Ex antiquis,
& c. Frequens, ead. diſt. & in d. cap. Per venerabilem, circa
princ. verſ. Præterea, qui filii ſint legit. de Diacono, in eod.
c. Ex antiquis, ubi cautum eſt, ut præſtando Vicarium li-
beretur. Subdiaconus autem eodem jure cenſetur cum
Diacono, ut in c. Miramur, de ſerv. non ordin. & in cap. à
multis, infr. eod.

Et confirmatur, quia ratio cur ordo Sacerdotalis liberet 28
à jugo ſervitutis, ea eſt, quia monſtruoſum videretur, ut
qui legitimus ad ſpirituales fieret actiones, circa ſæcula-
res actus illegitimus remaneret, ut formaliter dicitur in
d. c. Per venerabilem. Hæc autem ratio viget etiam in pa-
tria poteſtate. Ergo utrobique idem jus eſſe debet, ut l.
Illud, ff. ad l. Aquil. & l. Cum Pater, §. Dulciſſimis, ff. De
leg. 2. cum vulgar. Quintò valdè urget pro hac parte, quod 29
Dignitas Patritiatus, & Conſulatus jus patriæ poteſtatis
ſolvit, ut inſtitut. quibus mod. jus patriæ poteſt, ſolvat. §. Fi-
liusfamilias, l. fin. C. De conſul. lib. 12. in Authen. quæ de
dignitate, §. 1. Collat. 6. & Authen. Sed dignitas, C. De Epi-
ſcop. & Cler. Ergo fortius idem dicendum in Sacerdotio, 30
quia nulla dignitas ſæcularis æquiparari poteſt Sacerdota-
li, c. Duo ſunt, 96. diſt. & c. Solitæ, de major. & obed. & no-
tant hic gloſſ. verſ. Item nulla dignitas, & Hoſtienſ. nu. 5. li- 31
cet interdum æquiparentur conſtituti in ſacris, & illu-
ſtres, l. Ad ſimilitudinem, C. De Epiſc. & Cler. Joan. Andr.
hic n. 12. Ultimò, aliis omiſſis pro hac opinione adducitur, 32
quod profeſſio regularis liberat à patria poteſtate, ſicut li-
berat à Dominica, ut in d. c. Si ſervus ſciente, 54. diſtinct.
& tenent gloſſ. in l. Si ex cauſa, §. Pomponius, in ver. Cùm
ſtatum mutat, & ibi Doctores, ff. De minor. Feder. de Sen.
conſ. 191. Quæſtio talis eſt Scholaris, num. 2. verſ. Hinc eſt,
& Alexand. conſ. 78. In cauſa, & lite, in princ. lib. 7. &
Butr. hic num. 15. Ergo idem dicendum in ſacro ordine;
quia ſicut ſolemnizatur votum per profeſſionem regula-
rem, ita & per ſacr. Ordinis ſuſceptionem, ut in c. un. de
voto lib. 6.

Contrariam opinionem tenet Innocent. hic num. 2. verſ. 33
Nobis videtur: qui diſtinguit inter res patrimoniales, ſeu
profectitias, & inter res Eccleſiaſticas. Et in primo mem-
bro concludit Prælaturam inferiorem Epiſcopatu, vel ſa-
crum Ordinem non eximere filiumfamilias à patria pote-
ſtate in rebus paternis, & in omnibus ſæcularibus, cum
hoc jure cautum non reperiatur. Ideòque ſi talis velit age-
re de patrimonio, ſeu conveniri, vel hæreditatem adire
aget authoritate patris, in cujus poteſtate exiſtit, l. Cùm
oportet. & l. Cum non ſolum, C. De bon. quæ liber. Ita Innoc.
cui in hoc primo membro conſentiunt Petr. de Sampſ. &
Abb. Antiqu. hic num. 2. verſ. Sed cùm Innocentio dicebat
magiſter Petrus. Hoſt. num. 5. verſ. Non puto quod ſacer or-
do, & verſ. Unde dicas quod quantum ad patrimonialia,
Joan. Andr. num. 13. Collectar. in princip. Bellam. num. 13.
Butr. num. 8. Anchar. num. 2. & Joan. de Anan. num. 1. Lap.
in c. fin. de judic. lib. 6. Idem tenent in c. Cum voluntate, de
ſent. excommun. Henric. Boich. circa fin. Anchar. numer. 5.
verſ. Ego dico ſecundùm Juriſtas, Abb. num. 8. & Felin. cir-
ca med. in gloſſ. ver. Gradum, & idem Abbas conſ. 45. Vi-
detur primo, n. 3. circa finem, verſ. Et quanquam dictus hæ-
res ſit Clericus, lib. 2. ubi ait hanc opinionem tenere Inn.
hic, & communiter Doctores, licet gloſſ. tertia contra-
rium ſenſerit, & malè.

In ſecundo autem membro, id eſt, in rebus Eccleſiaſti- 34
cis Innocent. tenet filium in ſacris ordinibus conſtitutum
non eſſe ſub patria poteſtate, argum. c. Ex parte, §. Quia
igitur, ubi hoc videtur expreſſum, infra de reſtit. ſpoliat.
c. Bene quidem, 96. diſt. & c. Cauſam, il 1. infrà de Judic.

In

In his enim, quæ filius ratione ordinis, vel dignitatis
agit, nihil ad patrem, ut in *l.Ille a quo*, *§.ult.*& *l.ſeqq. in
princ.ff.Ad Trebell.*& in aliis juribus ſuprà allegatis in pri-
mo argumento contrario, *nu.*21. *& ſeqq.* Ideòque ſi bene-
ficiatus ſit minor, dabitur ei à Prælato curator ad lites,
*cap.*1.12. *quæſt.*1. *l.fin.in princ.C.De Curat.furioſ.*& *l.fin.§.
Qui à Patre, C.De bon.quæ liber.* Si autem major ſit, aget
ut alius, *l.*2.*ff. Ad Macedon.* Si verò nomine Eccleſiæ
agat, authoritas patris non requiritur, ſed Prælati, cujus
etiam authoritate adminiſtrabit, *cap.* 1. *De Procurator. l.
Omnes*, *§. Hoc nihilominus*, *C. De Epiſc. & Cler.*

35 Nec obſtat, Authen. *Presbyteros*, *C. De Epiſc. & Cle-
ric.* ubi patri legitima in bonis filii reſervatur. Quoniam
hoc verum eſt in bonis profanis. In Eccleſiaſticis autem
pater nec per ſucceſſionem, nec alio modo commercium
habebit, ſecundùm Innocentium, cui in hoc ſecundo
membro adſtipulantur Hoſtienſ. *num.* 13. *verſ. alii vero*,
Petr. & Abb. *loco citato*. Cæterùm Joan. Andr. & reliqui
omnes poſt eum, quod ſpectat ad Judicium, non recipi-
unt indiſtinctè dicta Innocentii in bonis Eccleſiaſticis, ſed
dicunt, & benè hodie ſervandam eſſe diſpoſitionem decre-
talis *ultimæ de Judic. lib.* 6. quam Innoc. Hoſtien. Petr. &
Abb. non viderunt, cùm ſcripſerint ante Bonifacium
VIII. illius conditorem.

Quid dicendum? Ego univerſam hanc materiam ex-
pediam per duas concluſiones cum quibuſdam illationi-
bus.

36 Prima concluſio eſt Hoſtienſ. *hic nu.* 5. *verſ. Non puto*.
Anton. de Butr. *num.*8. *verſ.Ordo ſacer*, gloſſ. *penultim.* &
Archid.in *d.s.Circumcelliones, num.*5. *verſ.Dic ergo*,23. *qu.*
5. & aliorum ferè omnium, videlicet: Sacer ordo non ſol-
vit omninò jus patriæ poteſtatis, ſive ſpectemus jus civi-
le, ſive jus canonicum: De jure civili hoc patet in d.Au-
then.*Presbyteros*, *C. De Epiſc. & Cleric.* ubi diſertis ver-
bis expreſſum eſt Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos,
Cantores, & Lectores ſub parentum poteſtate eſſe. Et
ita ibi tenent Legiſtæ, & authen.*Sed Epiſcopalis dignitas*,
C.Eodem, ut hic per Collectar. *in princip.* Ad idem textus
in Authen. *Conſtitutio quæ de dignitatibus*, *§.Illud quoque*,
ubi Angelus ait de jure civili filium Sacerdotem non eſſe
37. liberum a patria poteſtate, & de hoc eſſe textum ibi. De
jure canonico probatur hoc efficaciter in *c. Per venerabi-
lem*, *circa princip.Qui fil.ſint legitim.* inducendo illud du-
pliciter: Primò per locum à ſpeciali: nam ſpeciale eſt in
Epiſcopatu,ut liberet à patria poteſtate, idque propter cul-
men dignitatis Epiſcopalis, ut ibi, & in auth. *Sed digni-
tas Epiſcopalis*, *C.De Epiſc. & Cler.* Ergo in contrarium
eſt jus commune, *l.Jus ſingulare*, & *l.ſeqq.*& *l. Quod vero
contra*, *ff.De legib.* & ita hunc textum inducit Abbas in *c.
Cùm voluntate*, *num.*8. *verſ. Nam dictum gloſſæ*, *infrà de*
38 *ſentent. excommun.* Deinde, & fortius ponderando illa
verba, eò ipſo quòd aliquis ad apicem Epiſcopalis dignita-
tis extollitur, eximitur à patria poteſtate. Ergo filiusfa-
milias antequam ad Epiſcopatum pro moveretur, erat in
poteſtate patris, & tamen erat Sacerdos, quia aliter non
potuiſſet ordinari Epiſcopus, *c.Ex litteris*, *de exceſſ.Præ-
lat.* & tenent communiter Theologi, & plerique ex Ca-
noniſtis, ut ſcripſi in *c.unico*, *in* 1.*notab.num.*6.*de Cler.per
ſalt.promot.* Quam inductionem probant hìc Abb. Antiqu.
*num.*2. poſt Petr. Magiſtrum ſuum, Jo. Andr. *nu.* 10. Bel-
lam. *nu.* 15. *verſ. Probatur hoc*. Butr. *num.* 8. *verſ. Ordo
ſacer non ſolvit*, & Anchar. *num.*2.*verſ.Nam*, *& Presby-
ter eſt ſub patria poteſtate*.

39 Quæ concluſio ratione etiam confirmari poteſt: nam,
ut inquit Hoſtienſis *num.* 5. jus patriæ poteſtatis à jure na-
turali rationabili ſumpſit originem. Quod tamen jus gen-
tium lex vocat ad differentiam juris communis naturalis,
40 ut *l.*1. *in fine*, *lib.*2. *&* 3.*ff. De juſt. & jure*. Unde quam-
vis quoad effectus civiles tolli poſſit, ut inferiùs patebit in
ſecunda concluſione; tamen quad vinculum naturale de-
bet immutabile permanere, ut *§. Sed naturalia*, *inſtitut.
de jure natur.*& *§.fin. de legit. agnator. tutel. l.*2. *§. Sed quia
divinæ*, *C.De veter.jur.enucl.*& *diſt.*5. *in princ.§. Natura-
le jus*, & notat idem Hoſt. in *d. c.Per venerabilem*, *num.*7.
verſ. Eximitur à patria, *cujus vinculum eſt naturale*. *Qui
fil. ſint legit.*

41 Hinc infertur, ut in bonis patrimonialibus, & profe-
ctitiis adhuc remaneant effectus patriæ poteſtatis: nimi-
rum quia hac in parte non reperiuntur à jure ſublati ſe-
cundum opinionem Innocentii hìc, quæ communiter à
Doctoribus, recipitur, ut dictum eſt *ſuprà n.*33.

Infertur ſecundò, ut filius per ſacrum ordinem non ſol- 42
vatur à patria poteſtate quoad naturalem reverentiam,
quam tenetur patri exhibere. Sicut è converſo pater exhi- 43
bebit reverentiam filio in oblationibus, confeſſionibus,
& aliis id genus, & ſic erit inter eos reciproca reverentia,
quia aliud domi, & aliud in Eccleſia, ſecundum Hoſt.
ubi ſuprà, *verſ.Et etiam quoad reverentiam*.

Secunda concluſio eſt, quamvis per ſacrum ordinem 44
funditus non tollatur patria poteſtas, ut in præceden-
ti concluſione; tolluntur tamen illius effectus ordini ſa-
cro improportionabiles, & incongrui. Hæc concluſio eſt
Antonii de Butr. *hic num.* 8. *verſ. Ordo ſacer*, & probatur
in dicta authen. *Presbyteros*, *C.de Epiſc.& Cler.* ubi Pres-
byteri, & alii Clerici in caſibus ibi expreſſis quoad effe-
ctus civiles non tenentur ſequi patris authoritatem, ſed
liberam habent bonorum diſpoſitionem. Et tamen dicun- 45
tur eſſe in patria poteſtate, ut patet ibi, licèt ſub paren-
tum poteſtate ſint. Idem efficaciter probat text. in *c. fin.
in fine*, *de Judic. lib.* 6. ubi in cauſis Eccleſiaſticis Cleri-
cus in poteſtate patris exiſtens ſine aſſenſu patris agere po-
teſt, & ſic tollitur effectus civilis, ſed patria poteſtas non
tollitur.

Hinc infertur primò, ut in beneficialibus, & aliis cau- 46
ſis ſpiritualibus, & ab eis dependentibus filiusfamilias
Clericus agere poſſit ſine patris authoritate, ita ut ſi ma-
jor ſit quatuordecim annis, per ſe, & per procuratorem
poſſit cauſam agere, & defendere. Si verò ſit minor qua-
tuordecim, agere poſſit tantummodò per procuratorem
ſibi datum ad lites authoritate judicis Eccleſiaſtici, ut
de his omnibus eſt caſus litteralis in *d.cap.fin. de Judic. lib.*
6. ad quem generaliter remittunt Doctores hìc, & in
ſpecie Joan. Andr. Collectar. Bellam. Butr. & alii ſupraci-
tati *num.* 35. *verſ. Cæterum*, effectus enim patriæ pote-
ſtatis in hujuſmodi cauſis non congruit cum ſacro or-
dine.

Infertur ſecundò, ut quoad violentam manum inje- 47
ctionem ſacer ordo tollat effectum patriæ poteſtatis, ita
ut pater percutiens filium in ſacro ordine conſtitutum, in
excommunicationem incidat, perinde ac ſi Clericum ex-
traneum percuteret, ut efficaciter probat textus à contra-
rio ſenſu in *c.Cùm voluntate*, *§.fin.De ſentent. excommun.*
Cùm enim percutientes correctionis cauſa propinquos in- 48
feriorum graduum, id eſt, minorum ordinum in ſenten-
tiam excommunicationis non incidant, ut ibi deciditur,
utique à contrario in hujuſmodi ſententiam incidunt, qui
percutiunt propinquos ſuperiorum graduum, id eſt, in
ſacris conſtitutos: & ita videtur ſentire ibi gloſſ. fin. &
tenent expreſsè Hoſt. *nu.* 13. Butr. *nu.* 25. & Abb. *num.*8.
verſ. Item quoad percuſſionem. Idem firmant hìc Hoſtienſ.
num. 8. *verſ. Item quoad nimiam violentiam*. Joan. Andr.
num. 13. *verſ. Item quoad violentiam*, & reliqui omnes,
gloſſ. *in c.* 1. *in ver. Et à Magiſtris*, 23. *q.* 5. dicens: datur
iſta poteſtas patri in filium Clericum quouſque ſacrum or-
dinem receperit, licèt ordo non liberet à patria poteſtate.
Archid. *ibid. nu.* 5. Lap. *in cap. fin. de judic. lib.* 6. Effectus
enim patriæ poteſtatis quoad manuum injectionem uti-
que non eſt proportionabilis com dignitate ſacri ordinis,
ut per Abb. *ubi ſuprà*. Et quamvis nonnulli ex antiquis 49
contrarium ſenſerint, videlicet Barthol. Brixien. & Tan-
cred. *ſuprà citat. num.* 20. aſſerentes patrem non incurrere
excommunicationem ſi correctionis cauſa percutiat filium
in ſacris conſtitutum, quia manus illa non dicitur inju-
rioſa; tamen ut Butr. & Abb. inquiunt, hujuſmodi manus
ſaltem eſt temeraria ratione ſacri ordinis. Ideòque vide-
mus Prelatum in excommunicationem incidere, ſi corre-
ctionis cauſa faciat percuti Clericum per laicum,quia repe-
ritur ibi temeritas, licèt non violentia, ut in *c.Univerſita-
tis*, ibi, Temerarias manus preſumit injicere, *ſuprà eod.*

Infertur tertiò, ut propter nimiam egeſtatem non liceat 50
patri diſtrahere filium in ſacris conſtitutum, juxta text.
*in l.*2.*C.De patrib.qui fil. diſtraxer.* quia hìc effectus diſtra-
ctionis ordini ſacro non congruit. Ita Hoſt. *hic nu.* 8.*verſ.
Quare*, & benè ſequitur, quem Jo. Andr. Butr. & alii ſe-
quuntur. Idem tenet gloſſ. *in c. fin.in ver. Regulariter*, *de
judic. lib.* 6.

Fate-

51 Fatetur etiam Hoſtienſ. *num. 7. in fine*, filium in ſacris conſtitutum eſſe privilegiatum quoad peculium adventitium, ex notatis in *c. Quia nos*, *de teſtament.* Et cum eo tranſeunt ſimpliciter Joann. Andr. *num.* 13. *verſ. Fatetur tamen*. Bellam. *eodem num. verſ. Nec etiam per promotionem ad ſacros*. Butr. *num.* 8. ubi ait quoad peculium adventitium eſſe ſublatum effectum patriæ poteſtatis, Anchar. *num.2. verſ.Fatetur tamen*. Hoſtienſis, & alii communiter. Idem firmat Specul. in *titul. de actore*, *verſ.Sed cum Clericorum*, & Lap. Abbas in *d. c. fin. de judic. lib.* 6. ubi tenet filium per ſacrum ordinem non liberari à patria poteſtate in bonis patrimonialibus, & profectitiis; ſecus in adventitiis, & in quæſitis poſt Clericatum: quamvis
52 aliàs de adventitiis filiusfamilias teſtari non poſſit, etiam permittente patre, ut *l. Qui in poteſtate*, *ff. De teſtam.* & notat hìc Petr. de Anchar. *nu.* 2. *verſ. In adventitiis enim*.
53 Et ita ex facto reſpondit Barthol. in *conſ.* 61. *incipien. Filiusfamilias*, *num.* 3. *verſ. Circa quod ſciendum eſt*, *lib.* 1. Nam, ut ipſe ait, quidquid acquiritur à filio Presbytero, quæritur ſibi pleno jure; & hoc ſi quæratur cauſa adventitia, non contemplatione Eccleſiæ, vel ſacerdotalis officii: allegat text. in d. Authen.*Presbyteros*, *C.De Epiſc.& Cler.* ſubdens hoc tenere ibi Cynum, & Innocent. & Hoſtienſ. in *d. cap. Quia nos*, *de teſtam.* & concludit quoad hujuſmodi acquiſitionem filiumfamilias haberi ſui juris.

54 Non obſtant argumenta ſuperius adducta pro contraria opinione. Ad primum enim reſpondetur non eſſe inconveniens, ut qui alios regit, nihilominus regatur ab alio. Quinimò, ut inquit Hoſtienſ. *hìc numer.* 3. & poſt eum Joan. Andr. *num.* 9. & Bellam. *num.* 15. *verſ. Supple gloſſas*, eò ipſo quòd habet aliquis alium ſub ſe, neceſſe eſt, ut recognoſcat alium ſuper ſe, excepto Papa, *c.Licet*, *§.fin. de elect.* alioquin eſſet acephalus, *c. A Subdiacono*, & *c.Nulla*, 93.*diſt.c.Abbatibus*, 18. *quæſt.*2.Et propterea in *l.* 2.*ff. De muner. & honor.* quantum ad honores dicitur habere filium in poteſtate etiam is,qui eſt in poteſtate alterius. Ad idem text. in *l. Per adoptionem*, & *l. Si conſul*, *ff. De adopt.* ubi ſi Senator à plebejo adoptetur, nec ipſe, nec ejus filius deſinit eſſe Senator, quia dignitas per adoptionem non minuitur.

Ad ſecundum patet ſolutio ex dictis in ſecunda concluſione, *num.*44. *& ſeqq.*

Ad tertium ſimiliter patet reſponſio ex dictis, *numer.* 47.

55 Ad quartum reſpondet Hoſtienſ. *hìc num.* 5. *circa finem*, non eſſe bonum ſimile de dominicali ad patriam poteſtatem: nam etſi Dominicalis ſit fortior quoad quædam, non tamen ſimpliciter, & abſolutè, ut notatur in *c.unico*, §. *Quod & de prædictis ſuprà*, *de infan. expoſ.* Etenim Dominicalis adeò deletur per ſacrum ordinem, ut nec ſervus remaneat, ut in *d. cap.Per venerabilem*, §. *Præterea. Qui fil.ſint legit. cum concord.* ſed patria quantumcumque ſolvatur, ſemper filius remanet, ut §. *Adoptivi verò emancipati*, & §. *ſeqq. inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. deferun.* Rurſuſus Dominicalis odioſa, quia violenta, §. *Jus autem gentium*, *inſtit. de jure natur.* ſed patria favorabilis, quia naturalis, ut *inſtit. de jure natur. reſponſ.* 1. & *de libertin.* §. 1. Non ergo ſequitur: Odioſa ſolvitur per ſacri ordinis ſuſceptionem: igitur & favorabilis. Ad hoc *l. Cùm quidam*, *ff. De liber. & poſthum.* & *c.Odia*, *de regul. jur. lib.* 6. & ſequuntur hìc totidem verbis Joan. Andr. *num.*11.Bellam. *num.* 15. *verſ. Dicebat Hoſtienſis*, & plerique alii: & ex his patet etiam reſponſio ad confirmationem.

Ad quintum reſpondetur, digninitatem ſacerdotalem 56
eſſe eminentiorem qualibet dignitate ſæculari quantum ad ſpiritualia, *c.Suſcipitis*, 10.*diſt. cap. Cùm ad verum*, 66. *diſt.* & *d.cap.Solitæ*, §.*Quod autem ſequitur*, *de major. & obedient.* & hoc reſpectu ſicut dignitas Patritiatus, vel Conſolatus ſolvit jus patriæ poteſtatis in profanis: ita ſacerdotalis dignitas in Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, ut in *cap. fin. de judic. lib.* 6. & latiùs dictum eſt, *ſuprà num.* 46.

Ad ultimum reſpondetur, quoad hoc non procedere 57
paritatem inter profeſſionem regularem, & ſacrum ordinem. Nam filiusfamilias per ingreſſum religionis ita tranſit in poteſtatem Prælati regularis, ut velle, vel nolle non habeat, & ejus arbitrium non ex ſua, ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependeat, ut dicit textus in *c. Si religioſus*, *de elect.lib.6.& concord. c.Non dicatis*, 12. *quæſt.* 1.*c. Quorumdam*, *ſupra de elect. c.ult.De ſepultur.* & *c. Religioſus*, *de teſtam. lib.* 6. Quod non contingit per aſſumptionem ſacri ordinis. Ad hoc autem ut per mutationem ſtatus filiifamilias pater perdat jus patriæ poteſtatis, requiritur ut filius eundem ſtatum prorſus amittat. Quod verificatur ſi filius efficiatur ſervus pœnæ, vel monaſterium ingrediatur, aut ſervituti mancipetur, ut declarat gloſſ. *d. l.Si ex cauſa*, §.*Pomponius*, *in ver.Cùm ſtatum mutat*,*ff. De minor.* Præterea per ingreſſum religionis quicquid habet Monachus, transfert in monaſterium, & monaſterio acquiritur, anthen. *Inggreſſi*, *C. De ſacroſ. Eccleſ. d. cap. Non dicatis*, & *c.Nolo*, 12. *q.*1.Doctores in *c.In præſentia*, *de probat.*ergo pater ex vi patriæ poteſtatis nullum jus poteſt in eiſdem bonis ſibi vendicare quoad proprietatem, vel adminiſtrationem, *cap.*2. & *c. Cùm ad monaſterium*, *de ſtat. Monachor.*

Hæc autem non obtinent in filio ad ſacros ordines aſſumpto, quia nihilominus habere poteſt bona profectitia, quæ patri ex toto acquiruntur, ut *l.Cùm oportet*, *C.De bon. quæ liber.*ſecundum Innoc.& alios ſupracitatos *num.* 33.

DE ÆTATE, ET QUALITATE.

Idem Alexander III.

CAPUT IV.

EAm te decet: & infrà. Arctiùs inhibemus, ne perſonas, quæ in Eccleſiis tui Epiſcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipſis inſtituas, nec aliqua occaſione, vel etiam litterarum noſtrarum obtentu inſtitui patiaris, quæ ſcientia, moribus, & ætate, Concilii non congruant inſtitutis. Sed etiam habentes plures Eccleſias, quæ ex una non pendeant, tibi liceat appellatione poſtpoſita cogere ad unam ipſarum, quam maluerint, dimittendam: niſi ita fuerint tenues in ſubſtantia, quòd proprios ſacerdotes non poſſint convenienter alere.

S U M M A R I U M.

1 *INdignus ſcientia, moribus, vel ætate ad Eccleſiam curatam inſtitui non debet, & num.* 8.
2 *Inſtitutio beneficiorum de jure communi ad Epiſcopum ſpectat.*
3 *Inſtitutio authorizabilis non competit inferioribus Prælatis etiam ex conſuetudine, vel præſcriptione.*
4 *Niſi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Clerum, & Populum privativè ad Epiſcopum.*
5 *Inſtitutio corporalis de jure communi ad Archidiaconum pertinet.*

6 *Epiſ-*

6 *Epiſcopus de jure communi fundat intentionem ſuper collatione omnium beneficiorum ſuæ diœceſis.*

7 *Inſtitutio collativa poteſt competere inferiori ex conſuetudine.*

8 *Epiſcopus etiam diſpenſativè non poteſt præficere Parochiali Eccleſiæ non idoneum ætate, moribus, vel doctrina.*

9 *Scientia in promovendo ad beneficium curatum an ſit moribus præferenda.*

10 *Doctrina ſufficiens requiritur de ſubſtantia in Paſtore; ſanctitas vero tamquam conditio ſine qua non.*

11 *Prælatus eligendus eſt melior non ſimpliciter, ſed quoad regimen Eccleſiæ, & n. 22.*

12 *Idoneus magis ad officium regiminis aliquis eſſe poteſt, qui tamen non excellit gratia ſanctitatis.*

13 *Prælatus poteſt verbum Dei prædicare, & Sacramenta adminiſtrare, etiam ſine charitate; non autem ſi ſit prorſus illiteratus.*

14 *Qualitates ſcientiæ, & morum in Paſtore vario ordine recenſentur à ſacris Canonibus, & Conciliis.*

15 *Examinatores niſi retulerint concurrentes idoneos quoad omnes qualitates, concurſus eſt nullus.*

16 *Sufficit tamen, ſi renuntient ſimpliciter aliquem idoneum, vel non idoneum, approbatum, vel reprobatum.*

17 *Examinatores in concurſu Parochialium Eccleſiarum an debeant vota ſua palàm dare.*

18 *In concurſu Parochialis præferri debet is, cujus mores probati ſunt, doctiori, cujus vita ignoratur, & multò magis ſi prava ſit.*

19 *Criminoſi non prohibentur admitti ad concurſum, cùm ſit in facultate Ordinarii eos non approbare.*

20 *Epiſcopus in concurſu Parochialis an teneatur omninò præeligere digniorem, ita ut aliàs liceat poſtpoſito appellare, & n. ſeqq. uſq. ad n. 40.*
Quid de jure communi, n. 21.
Quid ex Conc. Trid. n. 24.
Et quid poſt Bullam S. Pii V. n. 27.

21 *Dignus eligens poſthabito digniori peccat contra juſtitiam diſtributivam.*

23 *Electio de digno poſthabito digniori poſt factum ſuſtinetur de jure communi.*

24 *Præſumitur Ordinarii judicio.*

25 *Et ad irrationabilitatem Ordinarii excludendam ſufficit, ut poſſint in electo concurrere majores qualitates.*

26 *Appellatio devolutiva in vim Conc. Trid. datur à reprobatione Examinatorum, ſed non ab irrationabili judicio Epiſcopi.*

27 *Appellare poteſt magis idoneus poſtpoſitus à mala Epiſcopi electione, & provocare præelectum ad novum examen, ex Conſtitutione S. Pii V.*

28 *Sed interim executio non ſuſpenditur.*

29 Concurſus, *Judex appellationis ex Bulla S. Pii V. an poſſit vocare præelectum ad novum examen, antequam rejectus doceat per alia documenta de irrationabili judicio Epiſcopi, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

30 *Appellatio a mala Epiſcopi electione ex ſententia Rotæ ita demum conceditur, ſi Epiſcopus doloſè, & irrationabiliter judicaverit.*
Et irrationabilitas, & dolus liquidò probari debent, ibidem.
Contrarium ex ſententia Congregation. Concilii, n. 31. uſque ad n. 40.

31 *Bulla S. Pii V. ſuper collatione Parochialium Eccleſiarum expenditur, & n. ſeqq. uſq. ad n. 36.*

32 *Examen interjectum, & præelectum in concurſu coram Judice appellationis fieri debet non ſolùm quoad ſcientiam, ſed etiam quoad aliàs qualitates, & num. 42.*

33 *Promovendus de jure communi examinandus eſt quoad doctrinam, deinde quoad alias qualitates, & num. 49.*

34 *Bulla S. Pii V. recipit interpretationem paſſivam à jure communi.*

35 *Appellans debet cauſam talem exponere, quæ ſi foret probata, deberet legitimè judicari.*

36 *Appellans à reprobatione Examinatorum, & à mala Epiſcopi electione, poteſt provocare præelectum ad novum examen.*

37 *Concurſus plures in Urbe habiti ex decreto S. Cong. Conc. inter appellantem, & præelectum.*

38 *Electo decretante novum examen ſubire infra præfixum terminum, jubetur appellans coram Urbis Vicario examinari.*

39 *Concurſus novus ex ſtylo Congregationis Concilii in Urbe inſtituitur, ubi appellans de irrationabili judicio Epiſcopi dederit fumum.*

40 *Epiſcopi judicium in præelectione unius ex concurrentibus ad Parochialem Eccleſiam ex quibus deprehendatur fuiſſe irrationabile, & numer. 42. uſque in finem.*

41 *Cauſa appellationis à mala Epiſcopi electione priùs Rotæ commiſſa in tertia inſtantia remittitur à Sanctiſſimo ad Congr. Concilii.*

42 *Concurrentium qualitates ſunt invicem conferendæ, ut liqueat, uter eorum ſit magis idoneos.*

43 *Canoniſta in locis de hæreſi non ſuſpectis præferendus eſt Theologo,*

44 *Nobilis cæteris paribus ignobili eſt præferendus.*

45 *Furoris qualitas ex quibus probetur.*

46 *Furor probatur per teſtes ſingulares.*

47 *Furioſus etiamſi reſipuerit, promoveri non poteſt abſque diſpenſatione Apoſtolica,*

48 *Affectus inordinatus Epiſcopi in præelectione minus idonei ex quibus eliciatur.*

49 *Scientiæ defectus evidentius, faciliùs, & promptiùs probari poteſt per examen, quàm defectus perſonæ.*

E*Am te.* Ad Eccleſiam curatam inſtitui non debet indignus ſcientia, moribus, vel ætate. Et qui habet duas Eccleſias, alteram dimittere cogitur, niſi ſint tenues, vel una dependeat ab alia. Hoc dicit. Communis diviſio. Secunda ibi, *Sed in plures.* 1

Notaprimò ibi, *Tui Epiſcopatus*: nec non ibi, *Inſtituas*; 2
de jure communi inſtitutionem beneficiorum ad Epiſcopum pertinere, *c.* 3. *infrà de inſtitut.* Hoſt. hìc, & Card. ambo *in princ.* & idem Cardin. in Clemen. *unica*, *nu.* 11. *de ſupplen. neglig. Prælat.* Loquitur tamen hæc decretalis de beneficiis curam animarum habentibus, & ſic de inſti- 3
tutione authorizabili, quæ non competit inferioribus Prælatis etiam ex conſuetudine, vel præſcriptione, ut eſt caſus *in c. Cum ſatis, infrà de offic. Archidiac.* niſi juriſdi- 4
ctionem habeant quaſi Epiſcopalem in Clerum, & populum privativè ad Epiſcopum, ſecundùm ea, quæ notantur in *Clem.* 1. §. *Volumus*, in gl. *in ver. Diœceſanis*, & ibi per Cardin. *in* 4. *quæſt. num.* 2. Imola *num.* 38. Vitalin. *num.* 4. & Abb. *num.* 15. *de foro competen.* & ex ſententia ſac. Congregationis Concilii ſcripſi *in cap. Cum contingat*, *nu.* 31. 37. *& ſeqq. infrà de foro compet.* At ſecus eſt in conſtitutio- 5
ne corporali, ſeu inſtallatione, quæ de jure communi ad Archidiaconum ſpectat, ut in *c. Ad hæc*, §. *In quadam*, & in *c. Ut noſtrum*, *in fin. infrà de Offic. Archid.* Hoſtien. in *rubr. de inſtit. nu.* 3. *verſ. Sequi debet alia inveſtitura.* Inſtitutio autem collativa, per quam ſcilicet confertur titu- 6
lus beneficii non curati, pertinet quidem ad Epiſcopum de jure communi, ut in *d. c.* 3. *de inſtit. c. Si quis Epiſcopus*, 1. *qu.* 3. *c. Cum ex injuncto*, *in fin. de hæret. c. Gratiæ*, *de reſcript. lib.* 6. *& c. Si tibi*, *de præb. eodem lib.* Et in hoc Epiſcopus fundat intentionem, *c. Omnes Baſilicæ*, 16. *qu.* 1. Rota apud Card. Seraph. *deciſ.* 779. *num.* 1. Sed tamen po- 7
teſt competere inferiori ex conſuetudine, *c. Cùm veniſſent*, *de inſtitut. c.* 2. *de exceſſ. Prælat. & c. Referente*, *de præbend.* Abb. *in d. c. Cùm ſatis*, *in* 1. *oppoſ. de Offic. Archid.* Seraph. *dec.* 306. *n.* 9.

An autem inſtitutio hæc collativa de jure communi ſpectet ad Epiſcopum ſolum, an verò ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, aut ad Epiſcopum cum conſenſu, vel conſilio Capituli; ſunt opiniones, quas recitant Henric. Boich. *in c. Novit*, *infrà de his quæ fiunt à Prel.* Ægid. Bellam. *in conſ.* 10. *incip. Factum eſt tale*, *col. penult. n.* 58. *verſ. Quæritur ergo*, Caſſador. *dec.* 22. *de præb.* Ego planè examinavi in *c. Cum Eccleſia Vulterana*, *ſup. de elect.* poſt gloſſ. ibi *in ver. Poſtulavit*, Compoſt. Hoſt. & DD.

8 Secundò nota, Epiſcopum nulla occaſione debere curæ animarum præficere non idoneum ſcientia, moribus, & ætate. Prætermiſit qualitatem Ordinis, de qua *in cap. ſequenti*, & in *c. Si pro pluribus, de præb. lib. 6.* Item omiſit qualitatem prudentiæ, cujus meminit *c. Non oportet*, 36. *diſt.* & Conc. Trid. *in c.* 18. §. *Peracto*, *ſeſſ.* 24. ibi: Quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis. Et pondera illa verba: *Nulla occaſione*, quæ a Petr. de Anch. *hic in* 1. *not.* exponuntur, ſcilicet, frivola, puta carnali, vel venali; quia omnia jura ſunt intelligenda, ex cauſa *c. fin. de transl. Epiſc.* Sed hoc judicio meo non benè dicitur, quia Epiſcopus etiam ex cauſa non poteſt diſpenſare cum patiente defectum ętatis, vel aliàs inhabili ad beneficium curatum, cùm qualitates hujuſmodi requirantur ex decreto Concil. Lateran. ſub Alexand. III. *ut in c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, *ſup. de elect.* contra quod etiam ex cauſa non diſpenſat Epiſcopus; gl. eſt ſingularis, quę loquitur de diſpenſatione ſuper ętate *in c. Cum dilectus in ver. In ætate*, *de elect.* quæ à DD. communiter illic recipitur: & movetur per hanc decretalem per *d.* §. *Inferiora*, & per *cap. Nihil*, *eodem tit.* ubi graviter puniuntur, qui hoc faciunt. Et hoc tene per ea, quæ ſcripſi latiſſimè *in cap. fin. infrà de fil. Presbyter. & in c. Dilectus*, *de temp. ordinat.*

9 Ultimò nota arguendo ab ordine litterę juxta textum in *l. Quoties*, *ff. de uſufruct.* in promovendo ad beneficium curatum qualitatem ſcientiæ moribus eſſe præferendam, prout eam in ordine ſcripturæ etiam Symmachus prętulit *in c. Viliſſimus*, 1. *q.* 1. dicens: Viliſſimus computandus eſt, niſi ſcientia, & ſanctitate præcellat, qui eſt dignitate

10 præſtantior: & Hieronym. *in cap. Licèt ergo*, 8. *qu.* 1. ibi: Qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille in Sacerdotium eligitur: & Auguſt. *epiſt.* 29. *ad Hieronymum propè fin.* Quis ferat, ſi quis divitem eligat ſedem honoris Eccleſiæ contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore? Et Concilium Tridentinum *cap.* 12. §. *Nemo igitur ſeſſ.* 24. ibi: Doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur, Id quod eam habet rationem, quia ſufficiens doctrina requiritur de ſubſtantia in Paſtore, *c. Niſi cum pridem*, §. *Pro defectu*, *de renunt. Nam ſi cæcus cæco ducatum præſtet*, &c. *Matth.* 15. *c. Quæ ipſis*, & *per totam*, 38. *diſtinct.* & *c. Cum ſit*, *infrà eodem*. Sanctitas verò exigitur, ut conditio ſine qua non, ex mente D. Thomæ *in* 2. 2. *qu.* 185. *art.* 3. Nam ut

11 docet in corpore: *Ille qui debet aliquem eligere in Paſtorem, vel de eo providere, non tenetur aſſumere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundum charitatem; ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam, & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare.* Et in reſponſione ad primum, dicit, *In Paſtore præcipuè debere attendi eminentiam divinæ dilectionis, ubi tamen aliàs invenitur idoneus ad Eccleſiæ regimen. Et propterea Dominus de ampliori electione Petrum examinavit, quia ſciebat ex ſuo munere eſſe idoneitatem quantum ad alia gubernandi Eccle-*

12 *ſiam*. Et in reſponſione ad tertium, ait, *Nihil prohibere aliquem eſſe magis idoneum ad officium regiminis, qui tamen non excellit in gratia ſanctitatis.* Hæc ibi. Et *quodlib.* 6. *art.* 9. docet, quandoque contingere, ut aliquis ſit melior ſimpliciter, id eſt ſanctior, & plus habens de charitate, qui tamen non eſt melior quantum ad hoc ut prælationem ſuſcipiat, qui alius fortè poteſt religionem magis juvare vel per conſilium ſapientiæ, vel per auxilium potentiæ. Non ergo ſemper eſt præeligendus melior ſimpliciter,

13 ſed quoad aliquid. Ita S. Thomas. Præterea cum præcepto divino Curati teneantur paſcere oves ſibi commiſſas verbi Dei prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & bonorum operum exemplo, ut in decreto Concilii Tridentini *cap.* 1. *in princip. ſeſſ.* 23. non repugnat, quin hæc præſtari poſſint ab eo, qui aliàs ſit habilis ſcientia, & ætate, licèt charitatem non habeat. Ad hoc *c. Veſtra*, & *c. fin. infrà*, *de cohabitat. Cleric. & mulier. c. Denique*, 6. *q.* 3. & *cap. Niſi cum pridem*, §. *Propter conſcientiam*, *cum ibi notat. ſuprà*, *de renunt.* Unde Hieron. *Sicut lixivium per cinerem humidum fluens lavat, & non lavatur; ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lavat a ſordibus peccatorum.* Refertur *in* §. *ult.* 83. *diſt.* At non eſt poſſibile, ut verbum Dei prædicet, & ſacramenta miniſtret prorſus illiteratus, ut in authen. *de Sanctiſſ. Epiſc. c. Damus*, *col.* 9. & *in c. fin. cum gloſſ. in ver. Defectum*, *inf. eod.*

Cæterùm adverte, quia de his qualitatibus vario ordine loquuntur Canones, & Concilia: Nam Lateranenſe in *d. c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, *de elect.* primo loco ponit ætatem, deinde ſcientiam, & tertiò mores. Trident. *in d. c.* 18. *ſeſs.* 24. primò ætatem, ſecundò mores, tertio ſcientiam: & *in cap.* 1. *Ejuſdem ſeſſionis*, primò vitam, ſecundò ætatem, tertiò doctrinam. Textus autem noſter, & Concilium Viennenſe in Clem. 1. *de ætat. & qualit.* primò ſcientiam, ſecundò mores, tertiò ætatem. Unde ſtante hac diverſitate, non licet in his arguere ab ordine litteræ. Quidquid tamen ſit, illud certum eſt, has omnes qualitates debere in Paſtore copulativè concurrere, ut in locis ſupracitatis cum multis ſimilibus. 14 15

Ideòque orta dubitatione, an ſicut Epiſcopo, & Examinatoribus ſimul junctis Conc. Trid. *c.* 18. *ſeſs.* 24. committit examen ſcientię, ſic etiam committat eiſdem ſimul examen morum, & prudentiæ; ita ut ſit examen ætatis, morum, & prudentiæ factum fuerit à ſolo Epiſcopo, concurſus ſit nullus: Die 2. Auguſti 1607. S. Congr. cenſuit, ſi examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates, prout Concilium requirit, nullum eſſe concurſum.

Cave tamen, quia non requiritur ad validitatem concurſus, ut de ſingulis qualitatibus examinatores ſpecialiter; & nominatim referant; ſed ſatis eſt, ut ſimpliciter renuntient aliquem idoneum, vel non idoneum, approbatum, vel reprobatum. Et ita cùm Cardinalis Paleottus aliàs petiiſſet declarari, an Examinatores ad Parochiales per concurſum deberent vota ſua palàm dare, aut per ſuffragia ſecreta; & quid magis expediret. S. Congregatio reſpondit, Concilium nihil de hoc expreſſiſſe; videri tamen magis expedire, ut ſingulis palàm inter ſe ſententias ſuas dicant, deinde jubeant notario, ut ſimpliciter in actis ſuis ſcribat, Titium approbatum idoneum, Sejum reprobatum, prout Romæ fieri dicitur. 16 17

Rurſus certum eſt, Clericum mediocris litteraturæ, & bonis moribus imbutum, in collatione beneficii Curati preferri debere Clerico eminentis ſcientiæ, ſed malæ vitæ. Quinimò propoſito dubio, cùm Examinatores non habeant ullam de vita, & moribus examinati notitiam, licèt eum doctum eſſe comperent, & concurrat alius, qui non ita eſt doctrina idoneus, ſed benè notus, & probatus quoad vitam, & mores, uter eorum ſit præferendus: Sacra Congregatio cenſuit præferendum eum, cujus mores noti, probatique ſint, ei, cujus vita ignoratur prorſus, licèt doctior ſit. Quod multò magis procedere cenſuit, ſi vita & mores doctioris pravi eſſent. Conferunt notata per Abbatem *in cap. Inter cætera*, *nu.* 2. *verſ. Nota ibi potentes*, *ſuprà de Offic. ordinar.* ubi dicit, in prædicatione magis attendendam eſſe vitam, quam ſcientiam, quia longè plus proficit Prædicator exemplo boni operis, quàm verbo doctrinæ. Qua de re plurima notatu digna ibi cumulat Felin. *nu.* 2. Et cujus vita deſpicitur, reſtat, ut prædicatio ejus contemnatur, *cap.* 3. §. *Porro*, *in fin.* 3. *qu.* 7. Et adde Bald. *in c. Cum in cunctis*, *num.* 13. *ſuprà de elect.* ubi ex illo textu notat vitam præmitti ſcientiæ, quia vita facit hominem beatum, ſcientia inflatum. Nam ut ait Pſalmiſta: *Quia non cognovi litteraturas, introibo in potentias Domini.* Cæterùm cùm vacante Parochiali in diœceſi Patavina dubitaretur, an Epiſcopus prohiberetur admittere ad concurſum criminoſos, ſcandaloſos, & eos, qui alia beneficia curata poſſidentes numquam reſederunt: cenſuit non prohiberi admittere ad concurſum criminoſos, cùm in facultate Ordinarii ſit eos non approbare. 18 19

QUÆRO, an ex pluribus ad Parochialem Eccleſiam concurrentibus Epiſcopus teneatur omninò præeligere digniorem, ita ut aliàs liceat poſtpoſito appellare ab irrationabili Epiſcopi judicio. 20

Pro clariori ſolutione inquirendum eſt primò, quid dicendum ſit in terminis juris communis. Secundò, quid dicendum in terminis Concilii Tridentini. Tertiò, quid poſt Conſtitutionem S. Pii V. ſuper collatione Parochialium Eccleſiarum.

De jure communi ante electionem ubique clamant Canones præſtantiorem, ac digniorem eſſe aſſumendum ad regimen animarum, *d. c. Licet ergo*, 8. *q.* 1. & *d. c. Viliſſimus*, 21

1. *q.* 1.

1. *qu.* 1. & ideò peccat contra juſtitiam diſtributivam, qui omiſſo digniori eligit dignum, ut notant omnes *in c. Conſtitutis*, *il ſecondo*, ubi in ſpecie Dec. *n.* 5. *de appell.* Butr. *in cap. Inter cætera*, *n.* 15. *ſupra*, *de offic. ordinar.* ubi dicit hos mortaliter peccare, & orandum pro eis, quia multi incidunt in hunc laqueum. Et docet S. Thomas *in* 2. 2. *qu.* 63. *art.* 2. *ad tertium*, quem ſequitur Covarr. *in reg. Peccatum*, *p.* 2. §. 7. *n.* 3. *verſ. Sed hoc in hunc ſenſum*, & Rota
22 *dec.* 65. *n.* 8. *par.* 1. *in recent.* Et dignior intelligitur, non qui ſimpliciter eſt ſanctior, & plus habens charitatis; ſed ille, qui perſpectis omnibus qualitatibus aptior eſt ad Eccleſiam gubernandam, ut in juribus citatis, & declarat D. Thom. præallegatus *in* 2.2.*q.*185. *art.* 3. *& quodlib.*6.*art.*9.
23 Sed tamen poſt factum ſuſtinetur electio de digno, prætermiſſo digniori, *ut in c. Monaſterium*, 16. *q.*7. *in c. Cùm nobis*, *de elect. in d. c. Conſtitutis*, *& hîc in textu*, ubi patet ſatis eſſe, ut non aſſumatur indignus. Rationem aſſignat S. Th. *d. art.* 2. *ad* 3. dicens: *Quantum ad hoc ut electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam.* Hæc ille, & ſequuntur alii præallegati, & Rota apud Greg. XV. *dec.* 11. *n.* 6. *ad fin.* & in pluribus præſentatis fuit deciſum in una Faventina Juriſpatronatus, ibidem relata. Itaque hoc jure inſpecto nullum remedium competit digniori poſtpoſito ad irritandam, aut reſcindendam prælectionem factam de digno.
24 Ex Concilio Tridentino ſimiliter tenetur Epiſcopus preeligere digniorem. Sed tamen S. Synodus in hujuſmodi prælectione defert judicio Epiſcopi, ut patet *in c.*18. §. *Peracto ſeſſ.* 24. ibi; *Ex hiſque*, (ideſt ex probatis ab Examinatoribus Synodalibus) *Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.* Præſumitur enim pro Ordinarii judicio, qui ex variis animi ſui motibus, penſatis & conſideratis omnibus ſupradictis, ſe informare potuit, ut in *cap. In præſentia*, *in princ. de renuntiat.* Rota *deciſ.* 29. *nu.* 4. *de reſcript. in antiq.* Achill. *deciſ.* 1. *num.* 4. *de Confeſſ.* & dixit eadem Rota *in cauſa Ravennaten. Parochialis* 2. *Decembris* 1592. *coram Cardinale Arigonio deciſ.* 654. *part.* 4.
25 *diverſ.* Et ad irrationabilitatem Ordinarii excludendam ſufficit, ut poſſint in electo concurrere majores qualitates, ut fuit dictum in eadem cauſa Ravennat. & in nullius Parochialis, ſeu Concurſus 4. Decembr. 1600. coram Grego-
26 rio XV. in impreſſis *dec.* 11. *nu.* 6. Ac proinde quamvis ex ſententia S. Congregationis Concilii à reprobatione Examinatorum detur appellatio devolutiva, ut etiam reſolvit Rota coram Gregorio XV. *dec.* 515. *num.* 2. *& dec.* 538. *n.*1. & in Calaguritana Beneficii 21. Februarii 1611. coram Coccino Decano, & patet clarè ex *d. c.* 18. *ſeſſ.* 24. *verſ. Nec prædictorum examinatorum*, ut pleniùs dicam *in cap. Cùm ſit ars*, *in* 4. *q. infr. eod.* tamen non poteſt poſtpoſitus appellare ab irrationabili judicio Epiſcopi in vim Concilii.
27 Ex Conſtitutione verò S. Pii V. quæ incipit, *In conferendis* edita 15. *Calend. Aprilis* 1567. aliud dicendum eſt: nam *in* §. 7. ſtatuitur in hæc verba: *Ut autem non ſolum dignis, ſed magis idonei repertis juxta Tridentini Concilii decretum Parochiales Eccleſiæ conferantur; Volumus, & decernimus, quòd ſi Epiſcopus minus habilem poſthabitis magis idoneis elegerit, poſſint ii, qui rejecti fuerint à mala electione hujuſmodi ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium uti Noſtrum, & Sedis hujuſmodi delegatum, aut aliàs ad ipſam Sedem Apoſtolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipſo appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare. Et conſtito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eundem Judicem appellationis authoritate noſtra (quatenus collatio ad Epiſcopum, à quo appellatum fuit, ſpectaret) conferatur; aliàs eidem magis idoneo per judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum quem collatio, proviſio, vel inſtitutio*
28 *ſpectabit. Hæc tamen appellatio interpoſita interim non impediat, aut ſuſpendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & proviſus ab eadem Eccleſia cauſa appellationis hujuſmodi pendente non amoveatur. Et ſi quis à ſententia per Judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipſam Apoſtolicam appellabit.* Hæc ibi.

Unde palam eſt hodie licere magis idoneis rejectis appellare ad effectum devolutivum à mala electione Epiſcopi, & provocare præelectum ad novum examen coram Judice appellationis. Atque ita quamvis prælectio de digno poſthabito digniori, mero jure & hodie ſuſtineatur, & hac in parte non fuerit immutata diſpoſitio juris communis, & Conc. Trid. tamen poteſt retractari, & infringi in judicio appellationis, conſtito de irrationabili eligentis judicio, quod ex jure veteri, & ex Conc. Trid. fieri non poterat. Et ita fuit multoties reſolutum. Et in ſpecie à Rota fuit ad S.Congr. Concil. tranſmiſſum hoc dubium. Præſuppoſita Bulla S. Pii V. ſuper proviſionibus Parochialium, & quòd vacante Parochiali Firmana, de qua agitur, Nicolaus, & Galeatius fuerint ab Examinatoribus Synodalibus in concurſu examinati, quorum quatuor approbarunt Nicolaum, & quinque Galeatium: & quòd Parochialem Ordinarius Galeatio contulerit, qui illius poſſeſſionem adeptus eſt: an Nicolaus poſſit provocare Galeatium ad novum examen: die 15. Octobris 1573. relato decreto in quadam cauſa Interamnenſi facto à Sacra Congregatione, quòd in fortioribus terminis probat à judicio Examinatorum, etiamſi abſolutè quem reprobaverint, poſſe appellari, item à prælectione Epiſcopi, qui ſequutus judicium examinatorum unum magis idoneum prætulerit, poſſe per eum, qui repulſus ſit, abſolutè appellari, & ad novum examen provocari: Congreg. generalis, re diligentiſſimè perpenſa, cenſuit poſſe. Rationes retuli *in c. Cùm ſit ars in ... q. inf. eod.*

Sed gravior eſt difficultas, an judici appellationis per alia 29
documenta conſtare debeat de irrationabili judicio Epiſcopi, antequam decernat novum examen inter provocantem, & præelectum.

Rota coram Gregorio XV. *deciſ.* 11. *num.* 1. reſolvit 30
in concurſu ad Parochialem ex conſtitutione S. Pii V. ita demum concedi appellationem à judicio, & electione Epiſcopi, ſi doloſè, & irrationabiliter judicaverit; quæ irrationabilitas, & dolus liquidò probari debent: & dixit hoc probari ex verbis conſtitutionis expreſſis aliàs ad hoc ponderatis in præallegata Raven. Parochialis. Et idem reſolvit *in deciſione ejuſdem Gregorii* 538. *numer.* 5. *item in deciſ.* 40. *ſub numer.* 1. *part.* 1. *in recentior. & deci* 654. *numer.* 4. *part.* 4. *in noviſſ.* & complures alias deciſiones refert Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellariæ in gloſſ.* 4. *à num.* 139.

Sed oppoſitum cenſuit S. Congregatio Concilii: nam 31
die 12. *Junii* 1603. *in cauſa Piſtorien.* propoſito hoc dubio; *Cardinalis Matthæjus inter cætera dixit examini valdè favere conſtitutionem ſanctæ memoriæ S. Pii V. ſuper collatione Parochialium Eccleſiarum, quæ dum vult licere magis idoneo poſthabito per Epiſcopum appellare, & ad novum examen provocare, & conſtito de Epiſcopi eligentis irrationabili judicio, Parochialem huic magis idoneo eſſe conferendam: ſatis manifeſtè requirit novum examen ad hujuſmodi irrationabile judicium cognoſcendum, ita ut non ſit neceſſe de illo conſtare antequam decernatur examen; ſed abſque eo quod de tali judicio irrationabili conſtet, illud debere decerni, ut per examen perveniatur ad cognitionem irrationabilis judicii.* Et propterea Rota, quæ in deciſione coram Ludoviſio aliter ſenſit, non videtur conſentanea menti, & verbis dictæ conſtitutionis. Nec deciſio defendi poteſt ea ratione, quòd cùm conſtitutio ita demum tribuat rejecto facultatem appellandi, & ad novum examen provocandi, ſi Prælatus ſibi fuerit minùs idoneus, de hac conditione, ſub qua conſtitutio loquitur ante omnia conſtare debeat. Quia reſpondetur hanc conſtitutionem eſſe ante omnia probandam, ſed de ea conſtare poſteà debere per examen, & proceſſum; alioquin ſequeretur, ut talis conditio deberet verificari nedum ante examen, ſed etiam ante appellationem, cùm illam conditionem Conſtitutio requirat in utroque. Abſurdiſſimum autem eſſet oportere de irrationabili judico conſtare ante appellationem. Prætereà ea non poteſt dici conditio, cùm præſentia rei veritatem reſpiciat, & non futuræ implementum, quod eſt de natura conditionis. Itaque Matthæjus omninò ſenſit novum inter utrumque examen eſse decernendum. Juſtinianus ejuſdem fuit ſententiæ, eo quòd ſimus in caſu Conſtitutionis ſ. memoriæ S. Pii V. quæ requirere videtur novum examen, ut conſtare poſſit de irrationabili judicio, præſertim cum ſuſpi-

ſuſpiciones Epiſcopi ſit graves, & vehementes. De Monte, & Paravicinus eidem ſententiæ adhæſerunt. Plattus quoque ſuſpicionibus prædictis motus novum examen probavit. Blanchettus, Sancti Marcelli, & Roſatus in aliorum ſententiam, & ipſi ierunt, præter unum Sanctorum Quatuor, qui ſenſit hoc relinquendum ad arbitrio Rotæ.

Et in cauſa Montis Regalis, cùm rurſus dubitatum fuerit, an judex appellationis interpoſitæ à rejecto poſſit vocare prælectum ad novum examen, & dictus prælectus ad inſtantiam rejecti teneatur ſe ſubjicere novo examini coram dicto judice, quamvis per alia documenta non doceat de irrationabili judicio Epiſcopi. die 2. Auguſti 1607. Sacra Congregatio cenſuit poſtpoſitum poſſe provocare prælectum ad novum examen coram judice appellationis, etiam antequam per alia documenta doceat de irrationabili judicio Epiſcopi. Atque ita intellexit Conſtitutionem ſanctæ memoriæ S. Pii V. adverſus nonullas Rotæ deciſiones.

32 Quod judicio meo ex ſequentibus confirmari poteſt, Et primò: Conſtitutio S. Pii V. dum concedit rejecto, ut poſſit provocare prælectum ad novum examen coram judice appellationis, & ejus examinatoribus jubetque ut conſtito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo conferatur; utique requirit, ut novum examen inter provocantem, & prælectum fiat, non tantùm quoad ſcientiam, ſed etiam quoad mores, prudentiam, & alias qualitates, quarum meminit Concilium Tridentinum *in d. cap. 18. verſ. Peracto, ſeſſ. 24.* aliàs enim, ſi fieret examen tantummodò quoad ſcientiam, conſtare non poſſet, uter eorum eſſet magis idoneus, quia rejectus poſſet eſſe doctior, & tamen imprudens, aut criminoſus, & conſequenter ex hujuſmodi examine retractari non poſſet judicium Epiſcopi. Unde in novo examine qualitates omnes concurrentium ſunt invicem conferendæ, & ex collatione hujuſmodi formandum eſt judicium, an electio Epiſcopi retractari, aut confirmari debet, ut ſæpiſſimè tàm in Rota, quàm in Sacra Congregatione, fuit reſolutum. Quod cùm ita ſit, dum Rota exiſtimat conſtare debere de irrationabili judicio, antequam decernatur novum examen: inquiro de quo examine hoc intelligatur, an ſcilicet de examine quoad doctrinam tantùm, an verò de examine quoad omnes qualitates. Si intelligatur primo modo de examine ſolùm quoad doctrinam, hoc eſt contra Conſtitutionem S. Pii V. quæ, ut proximè dictum eſt, exigit novum examen quoad omnes qualitates ad regendam Eccleſiam requiſitas, nec ſpecies examinum, aut illorum tempus diſtinguit. Si verò intelligatur de examine hoc ſecundo modo, implicat contradictionem, ut ante examen conſtare debeat de irrationabili judicio, quia examen hujuſmodi nihil eſt aliud quam inquiſitio, ſeu inſtructio, & proceſſus coram judice appellationis ſuper moribus, prudentia, doctrina, & aliis qualitatibus concurrentium, *cap. Si fortè, de elect. libr. 6.* Concilium Tridentinum, *cap. 1.* ibi: *Examinis, ſeu inquiſitionis, aut inſtructionis ſeſſ. 24.* Ex qua quidem inquiſitione, & proceſſu reſultare debet probatio irrationibilis judicii tamquam effectus ex ſua cauſa: unde impoſſibile eſt, ut hæc probatio examen præcedat, quia ſic effectus ſuam cauſam præcederet. Supereſt ergo, ut ante omnia fieri debeat novum examen, & inquiſitio de omnibus qualitatibus, ut inde conſtare poſſit, utrùm Epiſcopus in prælectione minùs idonei irrationabiliter proceſſerit, necnè. Quod apertè liquet ex alio ejuſdem Concilii decreto, nempè ex *dict. cap. 1. ſeſſion. 24.* ibi, *Si idonei per examen, ſeu per inquiſitionem factam reperti fuerint.*

Deindè ſi liquidò conſtare deberet de irrationabili judicio Epiſcopi quoad alias qualitates, & deinde inſtitui examen quoad ſcientiam; & examen eſſet deriſorium, & ſervire, ut ajunt, de vento. Nam probata irrationabilitate quoad alias qualitates, veluti quòd rejectus ſit bonis moribus imbutus, prælectus verò ſcandaloſus, & malæ vitæ; inutile eſſet illos examinare quoad litteraturam. Quoniam etſi in examine prælectus ab Epiſcopo doctior appareret; nihilominùs propter qualitatem melioris vitæ, quæ præponderat in rejecto, revocandum eſſet judicium Epiſcopi; & Parochialis eidem prælecto eſſet conferenda, ut patet ex dictis ſupra, *num. 18.* Ergo ne dicamus Bullam inſtituiſſe examen fruſtatorium, fateri oportet novum examen propterea fieri debere, ut ex illo conſtare poſſit de mala prælectione, & irrationabili judicio Epiſcopi. Præterea cum prælecto objicitur defectus ſcientiæ, & aliarum qualitatum, jura præcipiunt, 33
ut ante omnia inſtituatur examen quoad doctrinam, cùm hæc probatio evidentior, facilior, & promptior ſit, ut eſt textus *in cap. Si fortè, de elect. lib. 6.* ubi Joan. Monach. Jo. Andr. & alii notant, & latiùs dicam infra, nu. 49. Ergo non eſt conveniens, ut ex Bulla S. Pii V. hujuſmodi qualitates ordine inverſo probari debeant, primò ſcilicet quoad prudentiam, & mores, quæ, ut inquit Joan. Monach. *in dict. cap. Si fortè, in princip.* non ita de facili poſſunt probari; & poſtremo loco quoad ſcientiam, quæ illicò per examen probari poteſt. Quin potiùs 34
debemus interpretari Conſtitutionem, ut hac in parte ſit conformis juri communi, *l. 2.* & ibi Bald. *C. de noxal. l. 1. §. Lex Falcidia,* & ibi Bart. & DD. *ff. Ad leg. Falcid. cum ſimil.*

Ad hæc, conſtitutio non requirit, ut conſtet de irrationibili judicio, ad hoc, ut rejectus poſſit appellare, & ad novum examen provocare; ſed ad hoc, ut judicium Epiſcopi revocetur, & Parochialis magis idoneo conferatur, ut clarè innuunt verba illa, Poſſint ii, qui rejecti fuerint, à mala electione hujuſmodi ad Metropolitanum, &c. appellare, ac prælectum ad novum examen provocare, & conſtito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo conferatur. Et ſic clauſula, *Conſtito,* ponitur poſt appellationem, & provocationem, & ad alium effectum, videlicet revocationis judici, & collationis beneficii; & conſequenter ſatis eſt, ut hujuſmodi probatio fiat ante ipſam collationem. Unde quòd ante appellationem, & examen conſtare debeat de mala prælectione, eſt contra expreſſa verba, & mentem conſtitutionis.

Accedit quòd non eſt poſſibile, ut appellans docere poſſit per alia documenta de irrationabili judicio Epiſcopi ante appellationem, ut voluit Rota, quæro enim, coram quo judice docere debeat de hac irrationabilitate. Et quidem non coram Epiſcopo, quia in prælectione, & collatione Parochialis jam functò eſt officio ſuo, nec poteſt eſſe judex gravaminis à ſe illati, & alioquin eſſet judex à quo, & judex ad quem, quod repugnat, ut inquit Jo. Andr. *in c. A collatione, de appell. lib. 6.* Coram judice autem appellationis certum eſt nullam poſſe fieri probationem ante appellationem legitimè interpoſitam, quia antea ad eumdem judicem negotium non eſt devolutum, *c. Romana, c. Si vero de appell. lib. 6.* Atque ita probatio hæc, ſi fieri deberet ante appellationem coram judice appellationis, eſſet impoſſibilis de jure. Ac præterea eſſet contra ca- 35
nonicas ſanctiones, quæ non exigunt, ut in appellatione cauſa probetur; ſed tantummodò, ut talis exponatur, quæ ſi foret probata, deberet legitima judicari, ut ſtatuitur *in c. Ut debitus, de appell. & in d. c. Romana, §. Cum autem.* Unde non mirum, ſi Cardinalis Matthæjus in voto ſuperiùs relato *n. 31.* dixerit abſurdiſſimum eſſe, ut de irrationabili judicio conſtare debeat ante appellationem. Itaque cum conditio illa conſtitutionis, videlicet, ſi Epiſcopus minùs habilem poſthabitis magis idoneis elegerit, nec debeat, nec poſſit verificari ante appellationem, conſequens eſt, ut nec verificanda ſit ante novum examen; cum conſtitutio illam conditionem ponat pariformiter tàm ante examen, quàm ante appellationem, ſicut S. Congreg. conſideravit. Ad hoc *l. fin. C. De ſent. l. Quamvis, C. De impub. & aliis ſubſtitut. l. Jam hoc jure, §. fin. ff. De vulg. & pupill. & c. Majores, verſ. Et ob hoc tota auctoritas, & inf. de baptiſ.*

Poſtremò ſi eadem conditio importaret, ut deberet conſtare de judicio irrationabili ante appellationem, & novum examen, ſenſus conſtitutionis talis eſſet, videlicet: Conſtito de irrationabili judicio Epiſcopi, poſſunt qui rejecti fuerint, appellare, & prælectum ad novum examen provocare, & conſtito de irrationabili judicio Epiſcopi, Parochialis magis idoneo conferatur. Atque ita clauſula, *Conſtito,* eſſet bis reperta. Quod eſſet ſuperfluum & nugatorium, *arg. in c. Abbate, de verb. ſignif.*

Dicamus igitur de irrationabili judicio ſemel tantùm con-

-conſtare debere, id eſt ante illius revocationem, & Parochialis collationem: & ſic judicem appellationis debere illicò inter poſthabitum, & præelectum inſtituere novum examen, primò quoad ſcientiam, deinde quoad aliàs qualitates, juxta ordinem juris, de quo *in d. cap. Si forte, de elect. lib. 6.* & ita ex libris publicis S. Cong. reperi multoties obſervatum fuiſſe, & meo tempore obſervatum vidi.

36 Et in ſpecie tempore Cardinalis Alciati paulò poſt publicationem Conſtitutionis S. Pii V. vacante Parochiali Eccleſia S. Nicolai civitatis Interamnen. poſitis ab Epiſcopo edictis concurſus, ſe inſcripſerunt examini Alemannus Clericus Interamn. & Leontius ejuſdem civitatis. Et cum ab examinatoribus fuiſset approbatus, & præpoſitus Alemannus, atque deinde à Sede Apoſtolica proviſus; Leontius ad Sacram Congregationem appellavit, dicens ſe eſse gravatum tamquam magis idoneum, eo quòd ipſe eſſet Presbyter à decem, & quinque annis, & verſatus in cura animarum; adverſarius verò numquam illam exercuiſset: petiitque novum concurſum, ut per eum poſſet doceri de irrationabili judicio. Sacra Congregatio Concilii cenſuit ex Bulla S. Pii V. licuiſse Leontio appellare ad Sedem Apoſtolicam, & dictum Alemannum ad novum examen provocare; & cùm nunc ambo Romæ ſint

37 examinandi coram Tribunali illuſtriſſimi Vicarii, & deinde ad S. Congregationem referendum, quis eorum magis idoneus ſit ad onus prædictæ Parochialis ſubeundum.

Similiter in cauſa Vicenſi decretum eſt, ut juxta litteras ſcriptas Epiſcopo Vicenſi præelectus Romam veniat, & poſtquam venerit, iterùm uterque examinetur, & videatur, quis ſit magis idoneus. Litteræ ſcriptę fuerunt ſub die 28. Septembris 1570. Rurſus expoſuit Aſcanius Sacerdos Cluſinæ diœceſis, peracto concurſu ad Parochialem S. Angeli ſe examinatum ab examinatoribus Synodalibus, & quamvis magis idoneum, reprobatum, ac ſibi præpoſitum quemdam Civolum: ex quo ſentiens ſe gravatum, appellavit ad Sanctiſſimum; ideòque petiit novum concurſum in Urbe, ut ſic doceret de irrationabili judicio, petens interim ſuſpendi proviſionem Datarii. Die 2. Martii 1580. Sacr. Congregatio cenſuit vocandum adverſarium Romam pro novo concurſu faciendo coram Illuſtriſſimo Vicario, ſed non ideò mandandum ſuſpendi proviſionem Datarii. Atque ita ſcriptæ fuerunt litteræ ad Epiſcopum Cluſinum infraſcripti tenoris, videlicet: *Illuſtriſſimi Cardinales interpretationis Sacr. Concilii Tridentini præpoſiti, cognitis quæ in hoc libello Aſcanii Beltrami nomine expoſita ſunt, amplitudini tuæ ſcribendum cenſuerunt, ut ea intimari curet Civolo de Civolis, eumdemque citari jubeat Romam ad ſubjiciendum ſe novo examini inter ipſum, & Aſcanium prædictum faciendo: Ita igitur Am-*

38 *plitudo tua faciet, &c.* Et quia idem Civolus detrectabat novum examen; die 21. Julii 1580. Sacra Congregatio cenſuit præcipiendum eſse Vicario Cluſino per litteras Congregationis, ut citari faceret prædictum Civolum, ut intra quindecim dies Romæ compareret, & ſubjiceret ſe examini coram Illuſtriſſimo Vicario Urbis; alioquin admitteretur ſine alia dilatione prædictus Aſcanius ad examen.

Ampliùs, cùm in concurſu Plebis S. Natoliæ Camerinen. diœceſis Dominicus Sebaſtianus Presbyter ab Epiſcopo præelectus fuiſset, & Pacificus Vitalis Clericus poſthabitus ad Sanctiſſimum appellaſset, & uterque novum examen in Urbe ſubiiſset: S. Congregatio tempore Card. Arigonii audita relatione Card. Vicarii, qui novo concurſu ex ejuſdem Congregationis ſententia inter dictos duos concurrentes in Urbe habito, Dominicum magis idoneum judicavit: mandavit Parochialem ipſi Dominico adjudicari, atque litteras opportunas hac de re expediri.

39 Cæterùm etſi ad obtinendum novum examen in judicio appellationis non ſit neceſse, ut priùs conſtet de irrationabili judicio, ut ex prædictis liquet; nihilominùs S. Congregatio conſuevit novum examen decernere dato aliquo fumo irrationabilitatis, & malæ præelectionis Epiſcopi, ut ſatis colligitur ex deciſione Piſtorien. & ex aliis ſuperiùs relatis. Sed expreſſiùs hoc dixit in cauſa Feretrana: Nam Petrus Guccius in concurſu Parochialis Eccleſiæ ab Examinatoribus æqualiter approbatus cum Joan. Petr. Migliorino, ſed idem poſtpoſitus, appellavit, novumque in Urbe concurſum petiit, eo quòd ipſe eſset Doctor in Theologia, Adverſarius verò minimè; & quia Migliorinus erat familiaris Epiſcopi; & inter quatuor Examinatores, qui interfuerunt examini, alter item eorum erat Epiſcopi familiaris, alter aſſumptus ad officium Secretarii loco ipſius Migliorini; alter demùm valdè confidens: iidemque Examinatores contra ipſius reſponſiones argumentati ſunt; reſponſiones verò Adverſarii abſque oppoſitione fuerunt admiſſæ. Die 21. Februarii 1612. Sacr. Congregatio cenſuit concurſum novum in Urbe eſſe inſtituendum, ubi orator de veritate narratorum dederit fumum, id eſt poſtquam per atteſtationes extrajudiciales, vel alia informia documenta de hujuſmodi ſuſpicione, & gravamine aliqualem fecerit fidem, ut ſic probabilis, & ſufficiens cauſa eum excuſet à calumnia, *cap. 1. in fine, de elect. lib. 6.* gloſſ. *in cap. Si forte in ver. initium, verſ. Vel dic quarto, eod. tit. & lib.*

Ulteriùs QUÆRO, ex quibus deprehendatur judicium Epiſcopi fuiſſe irrationabile in præelectione minùs idonei inter plures concurrentes, ad Parochialem Eccleſiam. 40

Anno 1603. menſe Auguſti vacavit Parochialis Eccleſia S. Petri Caſalis Plebania nuncupata, Piſtorien. diœceſis. 41 Epiſcopus ſtatim vocavit per edictum omnes comparere volentes cum termino decem dierum. Quem in ultima die termini ad diem ſequentem prorogavit: & poſtea eo die ſequenti ſecunda vice prorogavit terminum ad alios decem dies. Intra terminum ad concurſum præter alios comparuerunt Thomas Celleſius, & Fabius de Verdechiis de Mammiano, uterque Piſtorienſis diœceſis.

Ex quinque Examinatoribus Synodalibus, in hoc concurſu tres adhibiti ſunt ab Epiſcopo, relictis Honuphrio Celleſio uti conſanguineo Thomæ, & Coſmo Fracciolino. Peracto examine, examinatores ſuffragia ſecreta tulerunt, & inſpectis fabis, Fabius inventus eſt approbatus ab omnibus Examinatoribus per tres fabas nigras: Thomas verò à duobus per duas nigras, cum altera eſſet alba Epiſcopus Fabium digniorem pronuntiavit, eique Parochialem contulit. Thomas ab hac pronuntiatione ad Metropolitanum appellavit, & ſententiam favorabilem obtinuit, à qua Fabius appellavit, & cauſam in Rota committi obtinuit. Sed hunc ſupplici libello Sanctiſſimo D. N. à Thoma porrecto, cauſa commiſſa eſt S. Congregationi.

Thomas prætendit judicium Epiſcopi Piſtorienſis, qui illi prætulit Fabium, fuiſſe irrationabile ex duplici capite. 42 Primò quia, ut ait, pluribus qualitatibus adverſario præſtantior eſt. Secundò quia Epiſcopus ſpeciali affectu erga Fabium motus eſt ad judicandum illum magis idoneum, conferendamque ipſi Parochialem.

Quoad primum, ſi aliæ qualitates, excepta prudentia, utriuſque inter ſe conferantur, non magna inter eos reperietur differentia. Nam in quibuſdam ſunt ferè æquales, in quibuſdam alter nunc ſuperat alterum, nunc ſuperatur ab altero. Nam quoad ætatem ſunt fermè pares, cùm Thomas ſit ætatis annorum triginta, & Fabius annorum triginta duorum.

Quoad originem quoque uterque eſt diœceſanus; ſed Thomas ex Civitate, Fabius ex diœceſi.

Quoad gradum, Thomas eſt J. U. Doctor, & ſic Canoniſta, Fabius verò Theologus. In locis autem de hæreſi 43 non ſuſpectis Canoniſta præferendus eſt Theologo, Hoſt. quem Joan. Andr. Abb. & cæteri Doctores ſequuntur, in *cap. 1. de Conſang. & affinitat.* Felin. *in cap. Clerici, num. 5. de Judic.*

Quoad conditionem perſonarum, Thomas eſt nobilis, 44 Fabius verò non item; nobilis autem cæteris paribus eſt ignobili præferendus, Lambert. poſt alios *de jurepatr. lib. 2. p. 3. in 5. princ. art. 3. n. 1.*

Quoad Ordinem, Thom. eſt conſtitutus tantùm in quatuor ordinibus minoribus; Fabius verò eſt Sacerdos, & verſatus in exercitio curę animarum. Sed tamen cum aliàs quæſitum fuerit, an ex pluribus, quorum aliqui in ordine Presbyteratus conſtituti ſunt, aliqui non ſunt, & omnes ab Examinatoribus renuntiati fuerunt idonei, poſſit Epiſcopus ſecundum diſpoſitionem *cap. 18. ſeſſ. 24.* præferre eum,

eum, qui Presbyter non ſit, aliis, quamvis Presbyteri ſint: S. Congregat. cenſuit poſſe, ſi modò ipſum Epiſcopus magis idoneum judicaverit. De ſcientia verò uter ſit præſtantior non conſtat, cùm interrogationes, & reſponſiones examinis habiti coram Epiſcopo Piſtorienſi minimè ſcriptæ fuerint. Atque ita quoad prædictas qualitates non magna eſt differentia inter eos; ſed remanet perpendenda qualitas prudentiæ.

45 Quoad prudentiam nihil adducitur contra Thomam. Sed contra Fabium allegatur eum olim fuiſſe dementem, vel furioſum, utpotè aliquibus diebus detentum hìc in Urbe in Hoſpitali nuncupato *dei Pazzarcli*, nempè à die 22. menſis Maji, & ab eodem poſteà inde dimiſſum die 8. Julii immediatè ſequentis, ut publica fide, libro dicti Hoſpitalis à ſe inſpecto, teſtatus eſt Magiſter domus Hoſpitalis ejuſdem.

Fabius ad hanc fidem evertendam miſit duos Notarios ad librum inſpiciendum, alterum Auditoris Cameræ alterum Capitolinum, qui teſtantur in dicto libro reperiri deſcriptum Fabium Marianum, non autem Fabium Mammanum. E contra Thomas ad fidem prædictam confirmandam producit aliam fidem ejuſdem Magiſtri domus, qui teſtatur de hac re actum eſſe in Congregatione dicti Hoſpitalis, & Congregationem inſpecto dicto libro mandaſſe, ut ex dicta fide jam edita nihil immutaretur.

Præterea ad eamdem fidem coadjuvandam examinatus eſt Annibal Dominici de Bernardinis Piſtorienſis diœceſis, *in proceſsu fol.* 2. qui deponit ſe, cùm eſset familiaris D. Cardinalis Medices, & audiſset filium Sandri (quod eſt nomen patris dicti Fabii de Mammiano) eſse in dicto Hoſpitali Dementium, illuc acceſſiſse tamquam amicum dicti Sandri, ſibique oſtenſum fuiſse quemdam juvenem uti filium dicti Sandri de Mammiano, quem deſcribit, licèt ejus nomen ſe ignorare dicat. Examinatus eſt etiam alius teſtis Dominicus de Caſtigliano, qui deponit, *in d. proceſſu*, *fol.* 6. eſse in loco Mammiani publicam vocem, & famam; quòd dictus Fabius Sandri fuit furioſus, & uti talis detentus fuit Romæ in Hoſpitali prædicto. Quibus accedit, quòd Thomas coram Vicario Florentiæ in ſecunda inſtantia fecit poſitionem de furore Fabii, *ut in proceſsu fol.* 36. *poſit.* 32. Et quia Fabius non comparuit, nec reſpondit, Judex pronuntiavit habendam eſse pro confeſsata, juxta *in c.* 2. *de confeſs.*

46 Hæc qualitas furoris non videtur benè probata, quia quoad fidem ſatis dubia redditur ex atteſtatione contraria duorum Notariorum, ad gloſs. *in cap. Licet cauſam*, *in ver. Uti poſſidetis*, *verſ. Si vero probationes*, *infrà de probat.* niſi oculari inſpectione veritas fidei comprobetur. Teſtes verò etſi ſingulares ad probandum furorem ſufficiant, Alexand. plurimos cumulans *in conſ.* 141. *incipien. Ponderatis*, *num.* 2. *libr.* 1. Ruin. *conſ.* 63. *num.* 3. *vol.* 1. cum aliis adductis per Gabrielem *tit. de Teſtib. concluſ.* 2. *num.* 42. tamen hìc habemus unicum teſtem ſemiplenè tantùm probantem: nam alius teſtis deponit de publica voce, & fama, qui ſolus eam non probat; præſertim cùm non deponat cum requiſitus neceſsariis ad famæ probationem, ad notata per Innocentium *in cap. Cum*

47 *oporteat*, *de accuſat.* Ideò res tota dependet ab inſpectione libri: nam ſi conſtabit, eum furore vexatum fuiſse, etiamſi poſteà reſipuerit, non potuiſset tamen ad ſacros Ordines abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ promoveri, Silveſt. *in ver. Corpore vitiatus*, *num.* 8. & Angel. *cod. ver. num.* 8. & probatur per textum *in cap. Uſque adeò*, 33. *diſtinct.* Et ſic tamquam irregularis non debuiſset admitti ad concurſum, vel ſaltem non erat præponendus adverſario nulla irregularitate, vel defectu ſimili laboranti.

48 Secundum caput, quo nititur Thomas adverſus judicium Epiſcopi Piſtorienſis, eſt id quod pluribus modis probare tentavit, nempè Epiſcopum paſſionis affectum, non rationis judicium, dum adverſarium prætulit, ſequutum eſse; cujus rei inditia, & conjecturas plurimas deducit, quarum urgentiores ſunt infraſcriptæ.

Primò quia Epiſcopus ex quinque Examinatoribus Synodalibus duos excludit, quorum alter nempè Honuprius Celleſius erat conſanguineus Thomæ, alter verò nempè Coſmus Bracciolinus erat ejuſdem amicus; & inter tres adhibuit Archidiaconum, qui extra Urbem morabatur, & in concurſibus adhiberi non conſueverat, eò quòd eſset infeſtus familiæ de Celleſiis, cùm qua ipſe plurimas, & graviſſimas lites habuerat, ut deponunt teſtes examinati coram Vicario Florentino ſuper vigeſimo ſecundo articulo.

Secundò quia Epiſcopus ante concurſum pluribus dixerat ſe nolle Parochialem vacantem conferre Thomæ prædicto, quia homines familiæ illius jactabant futurum eſse, ubi Thomas fuiſset ab Examinatoribus approbatus; vellet, nollet Epiſcopus, Parochialem conſequeretur; & & ad id tum Romam, tum Florentiam litteras miſerant; addiditque Epiſcopus, ſi Parochialem conferret Thomæ, fore, ut non poſset eam aliqua penſione onerare ob literas Magni Ducis Etruriæ, qui eum rogabat, ut ſi Thomas cæteris præferretur, penſione aliqua Parochialem illam gravare non deberet. Qua de re deponit unicus teſtis, nempè Joan. Baptiſta de Vaſellinis, ut in *Proceſsu fol.* 133. Cùm hoc teſte concordant depoſitiones Joan. de Bardis, & Petri Mariæ de Rutatis, dum affirmant Epiſcopum ipſis dixiſse ſe hanc Parochialem nullo pacto conferre velle Thomæ ſupradicto. Sed Joannes addit Epiſcopum ſubjunxiſse ſe velle eam per fas, & nefas conferre Preſbytero Cherubino dicti Joannis amico, & velle, ut is conſentiret penſioni ſcutorum centum ad requiſitionem Epiſcopi, & quinquaginta pro nepote Joannis. Quod ſi nimis gravis ei videretur, poſset ipſe ceſsare ab ea perſolvenda. Et cùm ipſe obiret, tunc nepos Joannis à ſucceſſore eam poſset exigere. Et Petrus Maria alius teſtis ſupradictum addit Epiſcopum dixiſse Parochialem velle conferre Presbytero Cherubino, qui ſibi penſionem promittebat. & propterea ei dixiſse, ut quemdam Canonicum adiret, qui illum inſtrueret pro examine futuro; nolle autem ſe eam Parochialem conferre Thomæ Celleſio, quia penſioni conſentire recuſaverat.

Tertiò ad eumdem Epiſcopi affectum oſtendendum adducitur pro parte Thomæ, quòd non fuerunt ſcriptæ interrogationes, neque reſponſiones concurrentium. Quemadmodum aliàs factum fuiſse ab Epiſcopis prædeceſsoribus videre eſt ex tribus concurſibus, quorum acta authenticè exhibita ſunt. Et propterea dicitur pro parte Thomæ Epiſcopum receſſiſse à conſueto ſtylo Tribunalis, & conſequenter ſe reddidiſse ſuſpectum.

Sed pro parte Fabii negatur hìc ſtylus, & producuntur acta publica quatuor concurſuum habitorum coram Epiſcopis prædeceſsoribus, ex quorum inſpectione conſtat non eſse ſcriptas interrogationes, nec reſponſiones concurrentium. Producitur etiam fides plurium Notariorum atteſtantium has interrogationes, & reſponſiones in illo Tribunali ſcribi non conſueviſse: adeò ut de hujuſmodi ſtylo non poſſit dici conſtare, nec ſuper eo fieri fundamentum.

His ita ſe habentibus in hac cauſa viſum eſt ante omnia inſtituendum eſse inter utrumque novum concurſum in Urbe coram Cardinali Vicario. Nam etſi in vim Concilii Tridentini *cap.* 18. *ſeſs.* 24. non liceat poſtpoſito appellare à mala præelectione Epiſcopi, ſed tantùm à reprobatione Examinatorum, ut dictum eſt ſupra num. 26. datur tamen appellatio ab irrationabili judicio ex Conſtitutione S. Pii V. ſuper collatione Parochialium Eccleſiarum, & novum examen decernitur inter appellantem, & præelectum, etiam antequam conſtet per alia documenta de mala præelectione, ut patet ex deciſionibus relatis in præcedenti quæſtione à nu. 31. Et quamvis oporteat dare fumum de irrationabili judicio; tamen hìc ſufficienter datur. Ideòque plerique ex Patribus in hac ipſa cauſa Piſtorienſi novum examen inſtituendum cenſuerunt, innixi præcipuè ſuſpicionibus Epiſcopi à rejecto ut ſuprà propoſitis. Quippè ex ipſo examine formandum erit judicium 49
uter eorum ſit præſtantior in qualitate ſcientiæ, *ut in cap. Cum ſit ars*, *inf. eod.* ibi, *Si rudes*, *& ignaros ordinare præſumpſerint* (*quod quidem facilè poterit deprehendi*) idest per examinationem, ut exponunt Joan. Andr. *num.* 10. *in ver. Deprehendi*, & Bellam. *in princ. in eod. ver.* Ad idem textus *in c. Si fortè de elect. lib.* 6. ubi ſi promovendo ad dignitatem objiciatur defectus ſcientiæ, vel perſonæ, textus præcipit, ut ſuper ſcientia anteomnia ſubjiciatur examini. Et initium propterea jubetur fieri à defectu ſcientiæ, quia illius probatio evidens, facilis, & promota eſt,

eſt; videlicet per examinationem, ut ibi notat Archidiac. *num. 1. verſ. Et ſecundum hoc*, & Joan. Monach. *in princ. & n. 11.* Statim enim atque adverſus Mathemathicos imperitus Matheſeos examinabitur, riſui patebit; & adverſus philoſophos diſputans, ſi ignoret dogmata philoſophorum; ut inquit [illegible] Hieron. *in c. Qui de menſa*, 37. *di*[illegible]. & in propoſito refert Hoſt. *in d. c.* [illegible] *eſt ars, num.* 18. *in ver. Facilè poterit*. Plura de hac materia examinis per concurſum in Parochialibus Eccleſiis ſcripſi in prędicta decretali, *Cùm ſit ars*.

DE ÆTATE, ET QUALITATE.

Idem Alexander III.

CAPUT V.

PRæthereà licèt ad regimen parochialis Eccleſiæ non debeat aliquis, niſi Subdiaconatus ſit ad minus, admitti; diſpenſativè tamen in minoribus Ordinibus conſueverunt aſſumi: dum tamen tales ſint, quòd infrà breve tempus poſſint in Presbyteros Ordinari.

S U M M A R I U M.

1 *Subdiaconatus Ordo non eſt de minoribus, ſed de ſacris, licèt in primitiva Eccleſia ſacer Ordo non reputaretur.*

2 *Ordines minores an requirantur ad obtinendum beneficium curatum, an vero ſufficiat prima tonſura, & n. ſeq. uſq. in fin.*

3 *Clericus non exiſtens in ſacris, olim non poterat aſſumi ad beneficium curatum niſi diſpenſativè.*

4 *Parochialis conferri poteſt Clerico in tali ætate conſtituto, ut infrà annum ad ſacros Ordines promoveri poſſit.*

5 *Textus hìc an fuerit correctus per* c. Si pro Clericis, de Præb. *lib. 6.*

6 *Ordines minores an requirantur ad obtinendum beneficium curatum tàm per viam impetrationis, quàm electionis, vel inſtitutionis.*

7 *Verba aſſumi, vel admitti, verificantur tàm in electione, quàm in collatione, vel inſtitutione.*

8 *Electio eſt favorabilis, collatio, & inſtitutio odioſa.*

PRætereà. Is qui non eſt in ſacris, ſi aliàs ſit idoneus ad regimen Parochialis Eccleſiæ, diſpenſativè poteſt aſſumi. Hoc dicit. Sunt tres partes. Prima ponit rigorem. Secunda diſpenſationem. Tertia diſpenſationis determinationem. Secunda ibi, *Diſpenſativè*. Tertia ibi, *Dum tamen*.

1 Nota, Ordinem Subdiaconatus non eſſe de minoribus, ſed de ſacris. Licèt enim ſacer Ordo non reputaretur in Eccleſia primitiva, tamen à Conſtitutione Gregorii, atque Urbani ſecundùm moderna tempora ſacer gradus eſſe minimè dubitatur. Quæ ſunt verba Innocentii III. *in c. Miramur, infrà de ſerv. non ordin.* Conſtitutionem Gregorii habes *in c. Ante triennium*, 31. *diſt.* Conſtitutionem Urbanii III. *in c. Erubeſcant*, 32. *diſt.*

Nec audiendi ſunt qui incautè dixerunt Subdiaconatum olim non fuiſſe Ordinem ſacrum, ut Hoſt. *in cap. 1 num. 2. infrà de Sacram. non iteran.* & alibi paſſim, quoniam non reputabatur ordo ſacer, non quòd ſacer non eſſet, ſed quia continentiam non habebat annexam, *ut in d. c. Ante triennium*; unde *in c. 2. de Sacram. ordin. ſeſſ.* 23. Concil. Trident. ſic legitur: Ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis non pari gradu; nam Subdiaconatus ad majores Ordines à Patribus, & ſacris Conciliis refertur.

2 QUÆRO, an ad obtinendum beneficium curatum oporteat eum, cui confertur, eſſe nedum prima tonſura, ſed quatuor etiam minoribus ordinibus initiatum.

3 Deciditur in hac decretali ad beneficium curatum non debere aliquem admitti, niſi ſaltem ſit Subdiaconus. Adjicitur, tamen conſueviſſe aſſumi diſpenſativè eum qui ſit in quatuor minoribus ordinibus conſtitutus.

4 Supervenit deinde text. *in c. Si pro Clericis, de præb. in 6.* quo clarè ſtatuitur, ut is cui Papa mandat beneficium curatum conferri, non oporteat eſſe promotum ad Ordines ſacros, ſed ſufficiat eſſe in tali ætate, ut proximis ſtatutis à jure temporibus poſſit promoveri.

Cùm textus *in d. c. Si pro Clericis*, adverſetur huic De- 5
cretali, quia hìc dicitur non poſſe abſque diſpenſatione obtineri curatum, niſi ab eo, qui ſit Subdiaconus; at *in cap. Si pro Clericis*, ſtatuitur apertè contrarium: gloſſ. *in d. c. Si pro Clericis*, movit dubitationem præſentem, an hoc cap. requirens Subdiaconatum in promovendo ad beneficium curatum, ſit in totum correctum, adeò ut hodie indiſtinctè poſſit quis aſſumi ad beneficia curata, nedum per viam impetrationis, de qua loquitur *d. c. Si pro Clericis*, ſed etiam per viam præſentationis, & electionis; & gloſſ. dicit ſe non eſſe cauſam corrigendi hanc decretalem; ideòque quòd diſponitur *in cap. Si pro Clericis*, habere locum ſolùm in caſibus in quibus hoc eſt expreſſum, nempè in impetratione de qua loquitur ille textus, & in præſentatione de qua habetur *in cap. 2. de inſtitut. in 6.* & ita ſentit ſecus eſſe in electione. Hanc gl. opinionem ſequitur ibid. Jo. Andr. & Petr. de Anchar. & Imol. *in cap. Licèt canon, de electione in 6.* tamen contrarium, hoc eſt etiam in electione locum habere *c. Si pro Clericis*, & ita eligi ad curatum non poſſe non Subdiaconum, & conſequenter hunc textum eſſe indiſtinctè correctum, tenent Paul. Archid. Jo. de Lign. Jo. de Fan. Calderin. Florian. & alii quorum communis eſt opinio, ut teſtatur Franc. *in d. cap. Si pro Clericis, propè fin.* Rebuff. *in tit. Requiſita ad collationem, n.* 34.

Dum ergo in gloſ. agitur de correctione hujus Decretalis, id quæritur, an *d. c. Si pro Clericis*, eam correxerit indiſtinctè, ut nedum per viam impetrationis, & præſentationis, ſed etiam per viam electionis, qui beneficium curatum adipiſcitur, non ſit opus, ut ſit Subdiaconus; non autem quæritur, an hoc *c. Prætereà*, ſi correctum in eo quod dicit de minoribus Ordinibus; ideòque etiam hodie poſt *d. c. Si pro Clericis*, erit locus huic Decretali in ea
parte in qua minores ſaltem ordines requirit: nam quòd 6
non eſt immutatum, cur ſtare prohibetur? *l. Sancimus, C. De teſtament. l. Præcipimus, in fine, C. de appellat.* notat Hoſtienſ. *in cap. Ad Apoſtolicam, num. 2. de regul.* Imò id videtur apertè inſinuare text. *in d. c. Si pro Clericis, & in d. c. 2. de inſtit. in 6.* cùm enim dicant non requiri, ut promovendus ſit initiatus ſacris Ordinibus, per excluſionem ſacrorum, videntur includere, & requirere minores Ordines.

Quam opinionem ſequuntur Doctores *in d. cap. Si pro Clericis.* Supponunt enim minores Ordines eſſe neceſſarios ad curatum obtinendum, dum diſputant, an conſtitutus in minoribus, licèt non Subdiaconus, poſſit aſſumi etiam per viam electionis ad Eccleſiam curatam, Calder. Archidiac. Lap. quos refert ibi Franc. *in col. 2. verſ. Secundo vero caſu, & in verſ. Tu adverte*, & clariùs ac fuſius *in cap. Licèt canon. in 3. col. verſ. In ea*, gloſs. *in fine, de elect. in 6.* Gemin. *ibid. in 4. col. verſ. Item quærit, an de jure, & in d. c. Si pro Clericis, in 2. col.* gloſs. *in ver. Provideri*,

& in ſpecie quoad curatum obtinendum, quamvis non ſit neceſſe, ut aliquis ſit in ſacris, opus tamen eſſe, ut ſit conſtitutus in ordinibus minoribus, expreſsè tradunt Arch. *in c. 2. de inſtit. in 6. in ver. In ſacris*, & ibi Franc. *in ult. not. ib.* ubi citat textum hìc tamquam minimè correctum quoad Ordines minores, & ibid. Gemin. *propè fin. verſ. Sed an poſſit*.

Nec obſtat, quòd Rebuff. *d. tit. n.* 33. dicat expreſsè contrarium, ſcilicet quemlibet poſſe habere beneficia curata, etiamſi ſolum habeat primam tonſuram: tum quia magis eſt deferendum pluribus, ac gravioribus Doctoribus ſupra citatis: tum quia jura quæ Rebuff. allegat, id non probant; imò potius oſtendunt oppoſitum, dum diſponendo non requiri ſacros ad obtinendum curata, videntur tacitè innuere minores ſaltem requiri, ut eſt dictum. Deinde quia contra Rebuff. ſtat text. hìc, qui circa minores Ordines nullibi legitur correctus.

7 Sed objicies: Etſi ad obtinendum curatum ſaltem minores Ordines requirantur, dicendum eſt tamen hoc habere locum quando proceditur per viam electionis duntaxat: nam nullo jure cavetur, ut ad obtinendum curatum requirantur minores Ordines niſi in hac decretali: ergo minores erunt neceſſarii in eo tantùm caſu, in quo loquitur hìc text. ideſt cum proceditur per viam electionis, aut inſtitutionis: & in hunc ſenſum fortè accipi poſsent Archidiaconus, & Franc. locis proximè citatis; nam dum dicunt ad obtinendum curatum eſſe neceſſarios minores Ordines, & citant textum hìc, intelligendi ſunt juxta textum quem allegant, id eſt quando per viam electionis quis ad curatum aſsumitur, ad tradita per Bart. *in l. Non ſolùm*, §. *Si celebrationis verba*, *ff. de liber. legat.*

Aut huic objectioni reſponderi poteſt admittendo minores Ordines requiri juxta terminos hujus Decretalis, ſed negando hunc text. non procedere niſi in electione, nam etſi illa verba, *Admitti*, vel *Aſſumi*, conſueverint frequentiùs uſurpari per ſacros Canones in electionibus, tamen tamquam generalia applicantur etiam proviſis per viam collationis, vel inſtitutionis, ut eſt textus *in c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, ponderando verbum, *Aſſumptus fuerit*, & verbum, *Conferatur*, *ſupra de electione*, *& in c. Licèt canon*, *eod. tit. lib. 6.* ibi: *Quodque talis ad regimen aſſumptus hujuſmodi, ſi monitus non fuerit præfixo à canonibus termino in Presbyterum ordinatus, à regiminis ejuſdem amoveatur officio, & aliis conferatur*, & notat Gemin. *in c. Statutum in 1. not. eod. tit. & lib.* Et eo magis quia hæc conſtitutio non eſt poſita de electione, ſicut duo textus proximè citati, Archidiac. autem, & Anchar. *in d. cap.* 2. expreſsè loquuntur de collatione, & inſtitutione. Et quamvis citent textum hìc tamen hinc potiùs colligitur eos conſentire, ut hìc textus habeat locum etiam in proviſionibus per viam collationis, & inſtitutionis. Nec differentiæ ratio aſſignari poteſt, cur minores Ordines requirantur in electo ad Parochialem Eccleſiam, & non improviſo, ſeu præſentato.
Imò hoc caſu major ſubeſt, ratio cur minores Ordines exi- 8
gantur, ut conſiderat Franc. *in d. c. Si pro Clericis*, *nu.* 5. *propè finem*: Quia via electionis, inquit, eſt ordinaria, & favorabilis, & via præſentationis, vel impetrationis eſt extraordinaria, & ſic odioſa; ubi etiam plures alios allegat in hanc ſententiam.

Præterquamquòd congruentiùs cenſeri debeat præſcripta à Sacris Canonibus hęc qualitas minorum Ordinum in impetrante, quàm in electo, quia majus periculum ſubeſt, ut minùs idoneus de curata Eccleſia provideatur ad ſoliùs Patroni pręſentationem, vel ſolius Ordinarii collationem, quàm ſi aſsumatur ad Collegii electione: integrum enim eſt judicium quod plurimorum ſententiis confirmatur, ut legitur *in c. Prudentiam*, *de Offic. delegat.* & quod à pluribus quæritur ſapientibus faciliùs invenitur, *c. De quibus*, 20. *diſt.* & per ampliores homines perfectiſſima veritas revelatur, *l. ult. ad fin. C. de fideicom.* Negari tamen non poteſt quin in practica ſervetur oppoſitum, nam Parochiales conferuntur etiam Clericis primæ tonſuræ. Et Sanc. Congregatio Concil. aliàs conſulta, an matrimonium contractum coram Parocho adhuc intra annum ad ſacros non promoto, ſed primam tantùm tonſura initiato, ſit validum, necne, cenſuit eſse validum. Quam ſententiam Clemens VIII. ad ſe relatam approbavit.

DE ÆTATE, ET QUALITATE.

Idem Alexander III.

CAPUT VI.

QUæris à nobis, quid agendum ſit de clericis tuæ juriſdictioni commiſſis, qui cùm beneficiis Eccleſiaſticis multis abundent, à te commoniti nolunt ad majores Ordines promoveri, ſe tale quid ſecretò commiſiſſe dicentes, quod eos ſalva conſcientia ordinari non ſinit. Cùm igitur ſuper hoc caſu videantur ſacri Canones diſcordare: cùm quidam dicant eos minimè compellendos: alii verò contrarium aſſeverant; omnis contrarietatis vinculum præſenti pagina enodamus: ſtatuentes, ut ſi prædicti clerici perceptione majorum Ordinum propter occulta ſua peccata, ſe indignos eſſe fatentur, inferiores Eccleſia, quorum ſi vita probabilis, præferantur eiſdem: & niſi fortè illi, qui ordinari pro jam dicta cauſa recuſant, in aliis Eccleſiæ ſervitiis valdè utiles fuerint. auferantur eis beneficia, & aliis canonicè conferantur. Quòd ſi pro ſola voluntate renuerint ordinari, & ſuaſerit utilitas Eccleſiæ, aut neceſſitas, ipſos (dummodò idonei ſint) ad majores Ordines recipiendos, per amiſſionem locorum, & beneficiorum ſubtractionem, appellatione ceſſante, compellas.

S U M M A R I U M.

1 *CLerici beneficia ſimplicia obtinentes compelluntur ſuſcipere Ordines ſacros ſuis beneficiis non annexos ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ.*
Etiamſi beneficia ſint modici, valoris, *n.* 4.
2 *Neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ regulariter æquiparantur.*
3 *Et quæ dicatur neceſſitas, quæve utilitas.*
5 *Epiſcopus non tenetur credere beneficiato aſſerenti ſe non poſſe Ordines recipere propter conſcientiam læſam.*
6 *Ordinari renuentes ob occultum crimen, perpetuò beneficiis privantur, niſi ſint valde utiles in aliis Eccleſiæ negotiis.*
Declaratur, *n.* 16.
7 *Renuentibus vero pro nuda voluntate ſubtrahuntur reditus quouſque ordinentur, ſed de beneficia non auferuntur.*
8 *Niſi rebelles extiterint.*
9 *Et Epiſcopus contra contumaces proceſſerit per ſubtractionem fructuum, vel nihil profecerit.*

10 *Pœna*

10 *Pœna privationis tituli contra renuentes ordinari non eſt puniens, & coercens.*

11 *Niſi ab initio cum obſtinatione dixerint ſe nullo modo promoveri velle.*

12 *Nolle, & non poſſe in jure æquiparantur.*

13 *Ordinari renuentes propter occulta peccata non coguntur præcisè, ſed cauſativè, ut de nolentibus fiant volentes.*

14 *Nec poſſunt excommunicari.*

15 *Renuentes autem pro nuda voluntate, præcisè ſunt compellendi.*

16 *Ordinari renuentes propter occulta peccata, ſi ſint valdè utiles Eccleſiæ, non privantur, ſed tamen coguntur per ſubtractionem proventuum.*

17 *Ordinari non debet inhabilis ad ſacros ordines etiam ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ.*

18 *Illiterati ad ſacros non ſunt promovendi, ſed jam promotis conferuntur Parochiales, quando litteratiores non inveniuntur.*

19 *Ordinandorum habilitas in caſibus neceſſitatis non adeò exactè exquirenda eſt.*

20 *Confeſſio occulti criminis, propter quod Clericus renuit ſuſcipere ordines ſuo beneficio non annexos, an ei præjudicet, ita ut beneficio privari poſſit, & nu. ſeqq. uſque ad n. 25.*

21 *Quid ſi confeſſio emanaverit in foro contentioſo.*

22 *Et quid ſi in foro Pœnitentiali.*

23 *Et quid ſi in foro mixto.*

24 *Epiſcopus poteſt Clericos ab ordinibus repellere, & ſuſpendere ex delicto etiam occulto, dummodò illud noverit extra Sacramentum Pœnitentiæ.*

25 *Epiſcopus an & qualiter poſſit cogere Clericos ſibi ſubditos ad ordines ſuſcipiendos, & n. ſeqq. uſque in finem.*
Quid in Clericis non beneficiatis, n. 26.
Quid in expectantibus, num. 27.
Et quid in Penſionariis, n. 28.

26 *Sacramentum ordinis eſt voluntarium.*

27 *Expectantes, ad titulum beneficii quod expectant, ordinari non poſſunt.*

28 *Penſionarius etiam ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ cogi non poteſt ad ſacros ordines ſuſcipiendos.*

29 *Beneficiati an & qualiter cogi poſſint ad ſuſcipiendos ordines ſuis beneficiis annexos, & nu. ſeqq. uſque ad num. 42.*

30 *Quid ſi beneficium ſit Parochiale, ut Prioratus Conventualis.*

31 *Et quid ſi beneficium ſit Collegiatum, & curatum.*

32 *Et quid in dignitatibus non curatis.*

33 *Et quid in Canonicatibus, Præbendis, & Portionibus.*

34 *Epiſcopus an poſſit ſine adjunctis procedere ad privationem Canonicorum ex eo, quod ordines ſuis præbendis annexos non ſuſceperint, aut non reſederint.*

35 *Beneficiati, qui propter impedimentum non ſuſcipiunt ordines ſuis beneficiis annexos, an & quando amoveri poſſint, aut ad ordines compelli.*
Quid ſi impedimentum fuerit contractum ante adeptum beneficium, n. 36.
Et quid ſi poſt, num. 40.

36 *Ordinandus tenetur prodere impedimentum ſuum, aliàs amoveri debet à beneficio poſt ordinationem obtento.*

37 *Diſpenſatus ſuper impedimento cogi poteſt ordines ſuſcipere perinde, ac ſi impedimentum non contraxiſſet.*

38 *Diſpenſatus ad beneficium, non intelligitur diſpenſatus ad ordinem beneficio annexum.*

39 *Diſpenſatus ſuper defectu ætatis ad præbendam, ob non promotionem ad ordinem eidem præbendæ annexum privari non poteſt.*

40 *Beneficiatus, qui ſine culpa ſua poſt adeptum beneficium in impedimentum incidit, non poteſt privari ob non promotionem ad ordines.*

41 *Secus ſi culpa ſua.*

42 *Beneficiati an & quando cogi poſſint ſuſcipere ordines ſuis beneficiis non annexos, & nu. ſeqq. uſque in finem.*
Quid ſi nulla ſubſit neceſſitas, vel utilitas, ibid.
Et quia ſi ſubſiſtente cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, renuat ordinari propter crimen, num. 43.
Et quid ſi propter impedimentum, num. 45.
Et quid ſi pro ſola voluntate, n. 46.

43 *Peccator quilibet occultus poteſt peracta pœnitentia promoveri, & miniſtrare, niſi ſint crimina, quæ poſt pœnitentiam impediant ordinis executionem.*

44 *Ordo procedendi adverſus Beneficiatos renuentes ordinari propter crimen.*

45 *Appellatio Clerici renuentis ordinari propter impedimentum an ſit admittenda.*

46 *Ordines non ſuſcipere pro nuda voluntate, & ex injuſta cauſa, æquiparatur.*

47 *Ordo procedendi contra beneficiatos renuentes ordinari pro ſola voluntate.*

48 *Appellatione remota privari poteſt beneficio, qui neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ exigente, contumaciter renuit ſuſcipere ordines beneficio non annexos.*

QUæris. Propter neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ 1
compelluntur ipſius Clerici recipere ordines ſuis beneficiis non annexos. Hoc dicit, Communis diviſio. Secunda ibi, *Cùm igitur*. Quæ duo facit. Primò, ponit contrarietatem Canonum. Quos ſecundò diſtinguendo concordat, ibi, *Statuentes;* & ſecundum membrum diſtinctionis proſequitur, ibi, *Quod ſi*.

Nota primò, ibi, *Neceſſitas, & utilitas*, cùm agitur de 2
compellendis Clericis ad recipiendos ordines ſacros ſuis beneficiis non annexos, non eſſe diſtinguendum inter neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiæ, quoniam hæc duo æquiparantur, *cap. Poſt translationem*, §. *Cùm ergo ſuprà de renunc. cap. Et ſi illa in fine* 1. *qu.* 7. *cap. Mutationes* 7. *q.* 1. *cap. Ab excommunicatis* 9. *q.* 1. *cap. Nemo de elect. lib.* 6. & Concilium Tridentium *cap.* 1. *verſ. Nam cum Chriſtiana charitas, & cap.* 11. *in fin. ſeſſ.* 23. *& c.* 18. *ſeſſ.* 25. *cum multis ſimi.* Licèt hoc non ſit perpetuum, ut *cap. Cùm veniſſent infrà de eo qui mitt. in poſſeſſ. & l. Impenſæ cum duabus ſeqq. ff. de impen. in reb. dotal. fact.* & notat gloſſ. in *c. Statutum*, §. *Inſuper in ver. Utilitas de reſcript. lib.* 6. Dicitur 3
autem neceſſitas, cum Eccleſia indiget miniſtris illorum ordinum, nec reperiuntur alii, qui poſſint ordinari. Utilitas verò, quando Eccleſia indiget, ſed non deſunt alii, qui promoveri poſſint, ut hìc declarat Jo. Andr. *n.* 12. Henrinc. Boich. *col.* 2. *ad finem, verſ. Dicitur autem exigere*, Bellam. *ante n.* 1. *in ver. Utilitas*, & Card. *in* 3. *notab.*

Secundò, nota Clericos beneficia ſimplicia obtinentes 4
per amiſſionem locorum, & beneficiorum ſubtractionem cogi poſſe ad ſuſcipiendos ordines ſacros ſuis beneficiis non annexos, ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, ut hìc eſt caſus. Quod procedit in omnibus intitulatis, etiamſi beneficium eſſet viginti ſolidorum, cùm hæc littera loquatur de Clericis in genere: nam & tales ad reſidentiam, & ſervitium tenentur, ut in *cap. Conquerente infrà de Cleric. non reſident.* & notant hìc Hoſtien. *n.* 3. *in ver. Si prædicti Cleric.* Joan. Andr. *num.* 6. & Bellam. *num.* 5. *in verſ. Quæritur.*

Tertiò, nota ibi, *Salva conſcientia, &c.* Epiſcopum non 5
teneri ſtatim credere Beneficiato dicenti ſe non poſſe ad ſacros ordines promoveri, eò quòd læſam habeat conſcientiam; ſed poſſe nihil omnibus eum compellere ad ordines ſuſcipiendos, & per ſeipſum ordinare, vel alteri ordinandum committere, arg. *cap. Paſtoralis*, §. *Quia verò de offic. deleg. & cap. Per tuas, il tertio de ſimon.* ſecundùm Innocen. *num.* 2. *in ver. Auferantur*, Hoſt. *num.* 3. Jo. Andr. *n.* 5. Bellam. *n.* 3. *verſ. Hinc. eſt*, & alios communiter.

Quartò, nota ſecundùm Innoc. *num.* 2. *in ver. Compellas*, duas differentias inter eos, qui renuunt ordinari ex 6
cauſa, eò quòd fateantur ſe aliquid tale ſecretò commiſiſſe, quod eos ſalva conſcientia ordinari non ſinit, puta enorme, vel mediocre delictum, ut in *cap. Ex tenore ſuprà de tempor. ordinat.* & eos, qui renuunt ordinari pro ſola voluntate.

Prima differentia eſt, quia in primo caſu, niſi ſint valdè utiles in aliis Eccleſiæ negotiis, perpetuò beneficiis privantur, ut patet ibi: *Auferantur eis beneficia, & aliis canonicè conferantur:* expedit enim, ut ſuccidantur tamquam arbores inutiles, ut inquit Hoſt. *n.* 5. & in hoc conveniunt omnes. Quod tamen intellige ſecundùm eam, quæ

7 quæ dicentur infrà in 1. quæſt. num. 21. In ſecundo autem caſu, cum renuunt ordinari pro ſola voluntate, non ex toto auferuntur eis locus, & beneficium, ſed tantum redditus ſubtrahuntur ad tempus, quouſque ordines recipiant, & hoc innuit verbum, *Compellas*. Si enim auferrentur eis ex toto, iniquum eſſet eos ulteriùs compellere ad ordines ſuſcipiendos, ut benè advertit hìc Innoc. *n.2. in ver. Per amiſſionem*. Quod etiam ſuadetur ex eo, quod ſequitur in littera, ibi, *Per ſubtractionem*: hæc enim ſubtractio ad tempus fieri conſuevit, *c. Paſtoralis*, §. *fin. infrà de appellat.* ſecundùm Hoſt. *n.* 5. & Butr. *n.* 10.

8 Verùm hoc limitat Hoſt. *n.6.* niſi rebelles extiterint, quia tunc ex toto privandi ſunt beneficiis: & eſt ratio ſecundùm eum, quia magis contemnit is, qui ſua voluntate ordinari recuſat, quàm is, qui juſtum impedimentum allegat. Ergo cùm magis rebelli duriùs, & cum minùs rebelli mitiùs eſt agendum. De quo remittit ad Summam *eodem tit.* §. *Ordo, verſ. Circa hoc quæritur, & verſ. ſeqq.* ubi ad litteram ponit diſtinctionem Raymundi, quam etiam recitat Jo. Andr. in *c. Licèt canon in ver. Privatus, de elect. lib.6. & ſeq.* hìc idem Jo. Andr. *n.*14. Butr. *n.*10. & plerique alii.

9 Sed tu tempora hoc ultimum dictum Hoſtien. ſecundùm Bellam. *nu.4. in 3. oppoſit.* ut locum habeat, dummodò prius contra contumacem Epiſcopus proceſſerit per ſubtractionem proventuum, & nihil profecerit: nam tunc demum procedere poterit ad privationem tituli; alioquin quamdiù ſubeſſet ſpes eum inducendi ad conſentiendum ordinationi, ex toto non eſſet privandus, ſed per amiſſionem fru-
10 ctuum coercendus. Pœna enim privationis tituli ceſſare debet ceſſante contumacia, cùm non ſit puniens, ſed coer-
11 cens, ut in *c. Ex litteris ſuprà de conſtitut.* Fatetur tamen Bellam. & benè, talem fore privandum, ſi ab initio cum obſtinatione diceret ſe nullo modo promoveri velle: eo enim caſu adhibenda non eſſet pœna coercens, ſed infligens, vide-
12 licet depoſitionis, & privationis. Et in hoc caſu ſalvari poteſt dictum Hoſt. arg. *cap. Eum qui de dolo, & contumac. lib.* 6. Nolle enim, & non poſſe in jure æquiparantur, *c. Sciſcitatus de reſcript. & cap. Prudentiam*, §. *Adjecimus infrà de offic. deleg.*

13 Altera differentia eſt, quia in primo caſu cum beneficiati renuunt ordinari propter occulta peccata, non coguntur præciſè, ſed cauſativè, ut ſic de nolentibus fiant volentes: nam ſi voluerint promoveri, non ſunt privandi ſecundùm gloſſ. hìc in *ver. Utilitas*, & Innocen. *num. 2. in ver. Auferantur*, cum quibus alii conſentiunt, & eſt ſimile
14 in *c. Conſuluit* 74. *diſt.* Undè nec poſſunt hoc caſu excommunicari, cùm nemo præciſè cogendus ſit creſcere, *c. Geſta, & c. Ubi ead. diſt.* alioquin ſequeretur hoc inconveniens, ut excommunicatus, qui in ſe novit impedimentum irregularitatis, vel aliud, propter quod ſalva conſcientia promoveri non poſſet, non eſſet abſolvendus, niſi ſatisfaceret, propter manifeſtam inobedientiam. Satisfacere autem non poſſet propter conſcientiam criminis, & ſic numquam poſſet abſolvi, ut in *c. Ex parte, il primo infrà de verbor. ſignific.* ſecundùm Innocen. licèt de hoc non curet Joan. Andr. *nu.* 14. ſed remittat ad notata per ſe in *cap. Pro illorum in gloſſ.*
15 *penult. infrà de præben.* In ſecundo autem caſu abſolutè cogi poſſunt ad ſacros ordines recipiendos, cum impedimentum criminis non allegent, ſed pro nuda voluntate contumaciter reſiſtant.

16 Quintò nota in *verſ. Niſi fortè*, caſum in quo beneficiati, etiamſi ſubſit cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, tamen non coguntur recipere ordines ſuis beneficiis non annexos, ſed tolerantur in minoribus, videlicet cum in aliis Eccleſiæ ſervitiis ſunt valdè utiles; fortè quia ſunt prudentes in negotiis temporalibus, *cap. Accedens* 50. *diſt.* ſecundùm Innoc. hìc *num. 1. in ver. Utiles*; vel ratione potentiæ, *c. Officii ſuprà de elect.* vel ratione ſcientiæ, vel ratione artificii, ſecundùm Hoſt. *n.4. in ver. Auferantur.* Qui tamen ſubdit, quòd etſi hoc caſu non compellantur per ſubtractionem beneficiorum, compelluntur tamen per ſubtractionem proventuum ad tempus, ut in *c. Conſuluit* 74. *diſt.* De quo tamen remittit ad notata in *c. fin. de offic. Vicar.*

17 Ultimò nota textum ad hoc valdè notabilem, quòd Clericus inhabilis promoveri non debet ad ſacros Ordines etiam ſubſiſtente cauſa neceſſitatis, & utilitatis Eccleſiæ. Quod optimæ probat hæc littera in fine, quia dum ſtatuit, ut qui pro nuda voluntate renuunt ordinari, ad id compellantur per ſubtractionem beneficiorum, ſi ſuaſerit neceſſitas, vel utilitas, interſerit conditionem illam, *Dummodo idonei ſint*. Ergo à contrario ſi non ſint idonei, etiam ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis non ſunt cogendi.

Hinc Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ab Epiſcopo Feretrano conſulta, an Subdiaconi, & Diaconi, qui carent doctrina à jure requiſita in ordine Presbyteratus, promoveri debeant ad eum ordinem in eo loco, in quo maxima eſt Sacerdotum inopia, & ubi propter præbendarum exiguitatem, & paucitatem nulla ſpes eſt habendi exteros Sacerdotes: audito quòd numquam in ſimilibus exemplis anteà cenſuerat ignaros poſſe promoveri ad ſacros, licèt jam promotis ad Presbyteratum cenſuerit conferri poſſe Parochiales, quando litteratiores inveniri non poſſunt: ad propoſitam conſultationem reſpondit ignaros nullo modo promovendos ad ſacros Ordines, ſed Epiſcopum diligenter curare debere, ut diſcant, & prout profecerint, tunc promovere, & ex ſua conſcientia, & judicio rem totam conficere: intereà autem ſi adſit penuria Sacerdotum ſæcularium, debere uti opera regularium. 18

Cæterùm in his caſibus neceſſitatis non adeò ſubtiliter exquirenda eſt habilitas promovendorum, arg. *cap. Tuam infrà eod.* Ideòque cùm quidam ante Concilium Tridentinum ad Subdiaconatus ordinem promoti, & poſt idem Concilium quadraginta annorum majores effecti ob beneficiorum, ac Sacerdotum in eorum diœceſi penuriam ſe ad titulum patrimonii in Presbyteros ordinari Sanctiſſimum exorarent; Sanctitas ſua etſi hoc remiſerit arbitrio Epiſcopi, nihilominus ſubjunxit, cum his quoad ſufficientiam Epiſcopum non debere exquirere tam exactè illa, quæ ex Concilio exiguntur, niſi ad adminiſtranda ſacramenta, & ad curam animarum exercendam deputati eſſent. 19

QUÆRO, ſi Epiſcopus ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ velit compellere Clericos ſuæ diœceſis ad ſuſcipiendos Ordines ſacros ſuis beneficiis non annexos, & ipſi fateantur ſe peccatum aliquod ſecretò commiſiſſe, quod eos ordinari non ſinat, an talis confeſſio præjudicet, adeòut ſic renuentes beneficiis privari poſſint? 20

Pro ſolutione diſtinguendus eſt triplex forus, ex mente DD. hìc, & præcipuè Hoſtien. *num. 2. in ver. Secreto*, Joann. Andr. *n.* 4. Bellam. *n.* 2. & Butr. *n.* 4. Alius enim eſt contentioſus, ſeu judicialis. Alius pœnitentialis, qui etiam dicitur forus animæ, ſeu forus ſacramentalis. Alius verò mixtus, quem alii forum quaſi pœnitentialem appellant. 21

Et quidem ſi beneficiati fateantur in foro contentioſo ſe hujuſmodi peccata commiſiſſe, utique talis confeſſio præjudicat, adeòut ſecundùm quantitatem delicti beneficiis privari poſſint, quia facit notorium juris, ut in *cap. Quæſitum ſuprà de tempor. ordinat.* & in hoc conveniunt Hoſt. Joan. Andr. & reliqui omnes. Quod procedit, ſive fateantur ſe talia crimina commiſiſſe ante promotionem; removendi enim ſunt ex quo tempore ſuæ examinationis illa ſubticuerint, *cap. ult.* 24. *diſt. cap. Ex pœnitentibus* 50. *diſt. c. Si quis ſine, & c. ſeqq.* 81. *diſt.* ſive fateantur ſe illa commiſiſſe poſt promotionem: nam ſimiliter ſunt expellendi, ex quo ſua culpa reddiderunt ſe indignos, arg. *cap. 1. ſuprà eod.* ſecundùm gloſſ. hìc in *ver. Fatentur*, quæ à DD. communiter approbatur.

Sin autem hæc confiteantur in foro Pœnitentiali, nullatenùs privari debent, quia ſic proderetur peccator pœnæ impoſitione, contra jura, ut in *c.2. infrà de offic. ordin. cum ſuis concordan.* in quo ſimiliter omnes conveniunt. Debent tamen ſecretò, id eſt, in ipſo Pœnitentiæ ſacramento inſtrui, & informari, quòd ſalva conſcientia beneficium retinere non poſſunt, & ſuaderi, ut cedant, ſi crimina ſint talia, quæ poſt pœnitentiam impediant Ordinis executionem, ſecundùm ea quæ leguntur, & notantur in *cap. Niſi cùm pridem*, §. *Propter conſcientiam ſuprà de renunc.* ac deindè conſcientiæ ſuæ ſunt relinquendi, ſecundùm Hoſt. & alios præallegatos. Si tamen poſteà ex contemptu renuerent ordinari, & de hoc conſtaret judicialiter, benè privari poſſent, aliàs non, prout diſtinguit hæc decretalis, quæ ſic poteſt intelligi ſecundùm Anton. de Butr. *numer. 8. verſ. Si in foro animæ*. Sed certè tunc non verſaremur in hoc ſecundo caſu, ſed in primo, quia Sacerdos non ſolùm ſciret eos eſſe criminis reos, ut Deus in foro ſacramentali, ſed etiam ut judex in foro 22

ro contentioſo, ut in *dict. cap. 2. de offic. Ordinar.*

23 Si verò talis confeſſio fiat in judicio mixto, puta in examinatione ordinandorum, vel ſi audita monitione Prælati ſecretò confiteantur ei, non tamquam Sacerdoti, ſed tamquam Epiſcopo; tunc quia judiciale, repelluntur, & quia pœnitentiale, pœna ordinaria non puniuntur, ut formaliter inquit Hoſt. *d. n. 2. in ver. Secretò*, id eſt talis confeſſio cum emanaverit in judicio mixto, partim ſapit naturam fori judicialis, partim fori pœnitentialis; in quantum participat de foro contentioſo, Clerici, qui confitentur talia, repelluntur; in quantum participat de foro pœnitentiali, non plectuntur pœna ordinaria. Quod ipſum notat idem Hoſt. *in ſumm. de ſcrutin. §. Finem, verſ. penult.* ubi ait hujuſmodi confeſſionem in judicio mixto habere effectum, & finem repellendi, non autem effectum, & finem puniendi: allegat *c. Cum dilectus de ordin. cognit. c. 1. de excep. & l. Lucius, ff. de his qui notan. infam.*

Verùm Bellam. hìc *num.* 3. miratur de dicto Hoſtienſis in judicio mixto, quia ſi Sacerdos ſcit delictum ſecretò, itaut nemo alius ſciat niſi ipſe, non debet peccatorem publicè arguere, nec ei propter hoc pœnitentiam imponere, ut in *d. c. 2. de offic. Ordinar.* quod loquitur alternativè, videlicet, ſi Sacerdos ſciat pro certo aliquem eſſe reum alicujus criminis, vel ſi confeſſus fuerit, & emendare noluerit, ut ibi notat Bernard. in gloſſ. 1. Undè dicit ipſe pœnam hìc non imponi propter criminis confeſſionem occultam, ſed propter alia duo ſimul conjuncta, videlicet quia dicunt ſe nolle promoveri, & quia dicunt ſe habere cauſam quare promoveri recuſent, & illam nolunt propalare. Ex eo enim quòd renuant illam publicè aperire, Epiſcopus non ſolùm tamquam Sacerdos ſecretus, quia hoc non ſufficeret, ſed tamquam judex, & ſuperior præſumere debet eam cauſam non eſſe rationabilem, juxta illud Evangelicum, *Qui facit malum, odit lucem*, arg. *c. Ut noſtrum infra, ut Eccleſ. beneſ.* Et ſic delictum, propter quod hìc pœna infligitur, non eſt occultum, ſed eſt notorium, ſcilicet injuſta recuſatio promovendorum.

24 Sed judicio meo magis mirandum eſt de dictis Bellam. quoniam Hoſt. non dicit ex confeſſione emanata in judicio mixto Clericis poſſe pœnam infligi; imò clarè dicit oppoſitum, videlicet eos propterà puniri non poſſe, ſed tantummodò repelli ab ordinibus. Quod veriſſimum eſt etiamſi crimina ſint prorſus occulta, dummodò illa noverit Epiſcopus extra Sacramentum Pœnitentiæ, ut eſt text. formalis *in c. Ad aures*, ibi, *Quoniam eſſe poteſt, quod Prælati eorum commiſſa ſecreta noverint, ex quibus conſtat eis, quod ſalva conſcientia nequeunt ordinari, ſuprà de temp. ordinat.* Qui textus etſi loquatur in ſubditis regularibus, tamen ampliatus eſt etiam ad Clericos ſæculares à Concilio Trid. *in c. 1. ſeſſ.* 13. ut declaravit S. Congr. ejuſdem Concil. interpres. Nec obſtat text. *in d. c. 2. de offic. Ord.* quoniam loquitur in judice, qui delictum occultum ſibi extrajudicialiter notum vult publicè arguere, & punire; non autem in Prælato, qui ob delictum occultum vult repellere ab ordinibus ſuſcipiendis Clericos non arctatos ratione beneficii, ut ſic concilietur cum prædicta decretali, *Ad aures*. Cum enim ſit in facultate Epiſcopi illos non promovere, ejuſque arbitrio relinquatur, an ſubſit Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas; utique repellendo non intelligitur prodere illorum delicta. Et nihilominùs hodiè *ex d. c. 1. ſeſſ.* 14. poteſt Epiſcopus ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet extrajudicialiter non tantùm prohibere ſuis ſubditis aſcenſum ad ſacros Ordines, ſed etiam eos ſuſpendere à ſuis ordinibus, gradibus, & dignitatibus Eccleſiaſticis; & corrigitur *c. Ex tenore ſup. de temp. ordin.* ut ibi dixi ex S. Congr. ſententia.

25 Secundò, QUÆRO generaliter, an & qualiter Epiſcopus poſſit cogere Clericos ſibi ſubditos ad Ordines ſuſcipiendos. Hæc quæſtio plures implicat inſpectiones. Undè ſic diſtingue ex mente gloſſæ in *Summa* 74. *diſt.* item gloſ. *in c. Licet Canon, in ver. Privati de elect. lib. 6.* Goffred. *in Summa hoc tit. §. Secunda diſcordia*, Raymun. *in Summa rubr. de ætat. & qual. §. Item numquid Epiſcopus poteſt compellere*, Jo. Friburg. *in Summa confeſſ. eod. tit.* 15. q. 48. Aſten. *lib. 6. tit. de obedien. art.* 4. *verſ. Numquid Prælatus*, Hoſt. *in Summ. de ætat. & qual. §. Ordo, verſ. Circa hoc quæritur*, & ejuſdem Hoſt. & DD. hìc, & præſertim Henric. Boich. *in princ.* & Anton. de Bur. *n. 6. & 11.*

Aut Clerici ſunt non beneficiati, nec habentes titulum; 26
& hos Epiſcopus compellere non poteſt, quia Sacramentum Ordinis eſt voluntarium, ut legitur, & notatur in *§. Si ergo ſacramenta 1. qu. 1. in §. ult. 22. qu. 4. & in cap. Veniens infrà de tranſact.* & notat Hoſtien. in *Summa de ſacramen. non iteran. §. Quot ſunt ſpecies, & in cap. 1. infrà eod. tit.*

Quod procedit etiamſi ſint expectantes authoritate 27
Apoſtolica vigore mandati de providendo, ſeu ad vacatura: nam tales, etiamſi velint, ad titulum hujuſmodi expectationum ad ſacros Ordines promoveri non poſſunt, ut notat Joann. Andr. *in cap. Si Epiſcopus, de præben. lib. 6.* & Guglielm. de Monte Laud. in *Extravag. Joann. 22. Sedes Apoſtolica, in ver. Jus ad rem, de conceſſ. præben.* quos hìc ſequitur Henric. Boich. *col. 1. poſt princ. verſ. Quod intellige*, & ſatis probatur jure noviſſimo Concilii Tridentini in *c. 2. ſeſſ.* 21. ubi ſtatuitur, ne quis deinceps ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitimè conſtet, eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere; nam expectantes non poſſident, nec habent jus in re, ſed tantùm jus ad rem, ut in dicta Extravag. *Sedes Apoſtolica*, ideſt jus ad petendum beneficium competens condictione ex Canone, ſeu officio judicis, ut notat Innoc. *in cap. Cum M. in gloſſ. penult. ſuprà de conſtit. & in c. Inter cætera in ver. Scilicet collatio de præb.* & gloſſ. *in prealleg. Extrav. in ver. Jus ad rem.*

Rurſus hoc procedit etiamſi ſint penſionarii, nam nec 28
tales etiam volentes ad titulum penſionis promoveri poſſunt, cùm penſio non ſit titulus ad Ordines, niſi diſpenſativè, ut Sacra Congregatio declaravit, & dixi in *c. Ad audientiam, il ſecondo in ultima qu. num.* 137. *ſuprà de reſcr.* Et cùm hæc materia compulſionis ad Ordines in non arctatis ratione beneficii ſit exorbitans, appellatione beneficii non venit penſio, ut eſt text. *in c. Quamvis*, & ibi Franc. *num. 2. de prebend. lib. 6.* Staphil. *de litter. grat. in nona forma expectativ. nu.* 27. & ſcripſi latè in *d. cap. Ad audientiam à num.* 74. *uſque ad num.* 121. *& in c. Cum in cunctis à n.* 101. *ſuprà de elect.*

Aut Clerici ſunt beneficiati, & tunc ſubdiſtinguenda 29
ſunt duo membra. Primum eſt, cùm beneficia hujuſmodi habent Ordinem annexum. Secundum eſt, cùm non habent.

In primo membro principali, ſiquidem nullum appareat Canonicum impedimentum quod obſiſtat, utique poterit Prælatus compellere Clericos ad ſuſcipiendos ordines ſuis beneficiis annexos, ſub diſtinctione tamen beneficiorum, ſecundùm gloſſ. præalleg. *in cap. Licet Canon in verb. Privati, de elect. lib. 6.* Anton. de Butr. hìc poſt Joan. Andr. *n. 6. verſ. Quia ſi habent ordines annexos.*

Nam ſi beneficium ſit Parochiale, & non fecerint ſe 30
promoveri infrà annum, abſque monitione aliqua ſunt ipſo jure beneficio privati, ut in *d. cap. Licet Canon.* Idemque dicendum de Prioratibus Conventualibus, ut in *Clem. Ne in agro, §. Cæterum de ſtatu Monach.* Et eſt ſimile in Epiſcopatu, in quo non requiritur monitio, ſed ſufficit negligentia electi per lapſum temporis à Canone præfiniti, ut in *c. Quoniam quidem* 100. *diſt. & in d. c. Cum in cunctis, §. Cum vero de elect.* & hodiè eſt expreſſum in Concil. Trident. *c. 2. ſeſſ.* 23.

Si beneficium ſit Collegiatum, & curatum, privari po- 31
terunt, ut in *d. c. Cum in cunctis, §. Inferiora*; quod non eſt correctum per *d. c. Licet Canon*, ut ibi notat gloſſ. *in ver. Parochialis*, & hodiè eſt expeditum *in c. Statutum de elect. lib. 6.* & ibi gloſſ. 1. Gemin. & Franc. *n.* 2. nec eſt correctum per Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis ſub Martino V. ut per Gemin. *conſ.* 131. & dixi *in dict. §. Inferiora.*

Si ſint dignitates non curatæ, puta Archidiaconatus, Ab- 32
batia, Decanatus, Præpoſitura, & Archipresbyteratus ſimiliter cogi poterunt per ſubtractionem beneficii monitione præmiſſa, ut *in c. 1. ſuprà eod.* Sed hodiè, an in hoc ſit ſervanda prædicta Conſtitutio Concilii Conſtantienſis, ſcripſi in præalleg. *§. Inferiora:* an autem dictæ quatuor dignitates poſt Concilium Tridentinum ſint Presbyterales, dixi *in d. c. 1. n.* 5.

Si ſit Canonicatus, vel Præbenda, aut portio in Ca- 33
thedrali, vel Collegiata Eccleſia, quamdiù non promoventur ad ordinem illi annexum, privantur voce in Capitulo, eiſque ſubtrahitur pars dimidia diſtributionum: hìc eſt tex-

tus

tus in *Clem.Ut ii*, §. *Illi verò de ætat.& qualit.* innovata,& ampliata à Concil. Trident.*in c.12.ſeſſ.22.*& ſæpiùs reſpondit Sacra Congreg.Cardinalium Conc.Trid.interpretum.

34 Cæterùm in Eccleſiis, in quibus Epiſcopus tenetur procedere cum adjunctis, ad præſcriptum *cap.6.ſeſſ.25.de reform.* non poterit hoc caſu ſolus ad ſententiam privationis procedere, ut eadem S. Congregatio declaravit: nam conſulta, an Epiſcopus poſſit abſque adjunctis procedere ad privationem Canonicorum ex eo, quòd Ordines eorum præbendis annexos non ſuſceperint, vel quòd non reſederint; reſpondit non poſſe, niſi velit contra eos ad alias pœnas, & mulctas ob non reſidentiam procedere; id enim ſolus poſſet.

Nec refert, quòd oppoſitum videatur cenſuiſſe in litteris ad Archiepiſcopum Burgen. exaratis, quorum tenor talis eſt, videlicet: Dubium viſum non eſt Illuſtriſſimis Patribus ad explicandas, quæ ex Tridentino Concilio poſſunt oriri, quæſtiones à S. D. N. in Concilium adhibitis, quin Amplitudini tuæ liceat tertiam partem ex fructibus dignitatum iſtius Eccleſiæ non quemadmodum deducta olim fuit, ſed ſecundùm veram eorumdem fructuum æſtimationem ex integro nunc deducere. Sed ſi inter utramque deductionem non ita multùm interſit,magis placuit in ea re nihil novari. Illud autem ſine diſtinctione verum eſt, eos, qui non ſuſcipiunt Ordines ſuis Canonicatibus,Portionibuſque annexos,pœnam etiam privationis ab Amplitudine tua per ſeipſam etiam ſolam ſine adjunctis ad id compelli poſſe. Quod & ad eamdem Amplitudinem tuam reſcribi Patres voluerunt, quam Deus incolumem, & divinæ gratiæ muneribus auctam velit. Romæ die 29. Maji 1590. Hieronymus Cardinalis Matthæjus.

Id inquam non obſtat, quia hujuſmodi litteræ videntur intelligendæ de pœna privationis fructuum, vel quotidianarum diſtributionum, de quibus actum fuerat in priori parte,ad formam *Clem.Ut ii*,§.*Illi vero de ætat. & qualit.& cap. 4. ſeſſ. 22.*non autem de pœna privationis tituli:& hoc modo ultima hæc deciſio cum præcedenti conciliatur, quidquid contra ſcripſerit Nicolaus Garz. *de benef. part.3. cap. 4. n. 18.*

Nec refert, quòd ubi non proceditur per viam accuſationis ad pœnam depoſitionis, vel degradationis, ſed tantummodò ad remotionem à beneficio per viam denunciationis, inquiſitionis, vel exceptionis, non dicatur agi criminaliter, actualiter de crimine, ut *in cap. Per tuas,il primo circa fin.de Simon.*& notat Feder. de Sen.*conſ.23.Titius electus num.2.verſ.Sed in caſu noſtro*. Etenim decretum *d. c.6.ſeſſ. 25.* complectitur omnes modos procedendi, ut patet, ibi, *Sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicujus &c.* & dum poſteà præcipit adhiberi adjunctos, hoc tantùm requirit, ut Epiſcopus extra viſitationem procedat,ut in *verſ. Ita tamen*.

35 Si verò appareat aliquod impedimentum canonicum propter quod promoveri non poſſunt, ut irregularitas,vel aliud hujuſmodi;tunc aut tale impedimentum erat contra-
36 ctum antequam Clerici eſſent hujuſmodi beneficium, vel dignitatem aſſecuti, aut poſt: ſi ante, tunc aut in promotione ad beneficium, vel dignitatem tale impedimentum ſubticuerunt; & ſunt ab hujuſmodi beneficio amovendi ut *cap. Ex pœnitentibus 50. diſt. & cap. Expoſuiſti cum ibi notat.infrà de corp.vitiat.*Idque in odium ipſorum ordinandorum, qui debuerunt prodere impedimentum ſuum, ut *c.Quando,& c.ult.24.diſt.cap.Tantis Daniel, & c. Quicumque 81.diſt.& cap. Artaldus 8.q.3.*gloſſ.hìc in *ver.Fatentur.* Quod intellige, ſi hoc judicialiter confeſſi fuerint, quia tunc poſſunt deponi in continenti, & immediatè ex delicto, ut *cap. Si conſtiterit infrà de accuſat.* ſecundùm
37 Antonium de Butr. *num. 11.* ſecus ſi in judicio animæ, aut mixto, ut dixi in præcedenti quæſtione nu. 23. & ſeqq. Rurſus hoc intellige, niſi cum eis fuerit legitimè diſpenſatum ad beneficium, & ordinem illi annexum, quia tunc compelli poterunt ad ordinem ſuſcipiendum, arg. *c. Quia ſimpliciter 56. diſt.* ex quo enim cum eis diſpenſatum eſt quoad ordinem,perindè eſt,ac ſi numquam tale impedimentum contraxiſſent, arg. *l. Quod ita Senatum,ff.de ædilit. edict. & cap.Ferrum 50. diſt.*Sed ab initio non contraxiſſent hujuſmodi impedimentum, utique ad ordinem illum poſſent compelli, ut prædiximus: ergo & nunc.Neque enim hoc caſu debent eſſe melioris conditionis, quàm ſi numquam habuiſſent impedimentum,ut *c. 2. de fil. Preſbyt. lib.6. & l. 1. & 2. ff.de natal. reſt.*

Quod tamen intellige, ut prædixi, ſi cùm eis diſpen- 38
ſatum fuerit nedum ad beneficium, ſed etiam ad recipiendum Ordinem illi annexum; alioquin ſi diſpenſatum fuerit ad beneficium dumtaxat, non poterunt ad Ordinem compelli, cùm non poſſint ad illum promoveri, ut in *c. Tuam, cum ibi notatis infrà eod.* & hìc notat Henric.Boic. *col.1.ante med. verſ. Aut nedum ad beneficium*; & hinc fit, 39
ut obtinens præbendam ante ætatem legitimam ex diſpenſatione Apoſtolica,privari non poſſit ob non promotionem ad Ordinem eidem præbendæ annexum,ut notat Rebuff.in *Praxi benefic. in tit. de non promot.55.*& ſcripſit Sacra Congregatio Concil. ad Epiſcopum Calaguritanum his verbis: *Sac. Congregationi datus eſt ſupplex libellus Joannis Ferret. velle Amplitudinem tuam ei Canonicatum cum præbenda,quæ iſtic obtinet, adimere,ob eam cauſam quod intra annum non ſit promotus ad ſacros Ordines ex decreto Concilii. Qui cùm tantummodò decem, & octo annos,ut ab eo relatum eſt,natus ſit neque per decretum Concilii c. 12.ſeſſ.23.ante vigeſimumſecundum annum ſacris initiari poſſit, non videtur eſſe cogendus, ut niſi ſacros Ordines ſuſcipiat, Canonicatu privetur, de quo Pontificias litteras expedivit. Itaque ſi res ita eſt, mandat tibi ſua Sanctitas, ut conſervata iſti Joanni poſſeſſione, eum prius non cogas ad ſacros Ordines promoveri, quàm ad vigeſimum ſecundum annum pervenerit.*

Si verò hujuſmodi impedimentum eſt contractum, 40
poſteàquam Clerici fuerunt beneficium, vel dignitatem aſſecuti, tunc aut contractum eſt ſine culpa ipſorum, ut quia poſt electionem, & confirmationem, ſed tamen ante ordinationem effecti ſunt irregulares, puta quia ſine culpa oculum, vel manum amiſerunt; & tunc nec privari debent beneficio, nec ad Ordines compelli, ut *c.Cùm in cunctis, §. Inferiora, verſ. Hic ſanè*, ibi, *Si canones non obſtant,ſuprà de elect. cap. 1. infrà de Cleric. ægrot. Clem.Ut ii*,§. *Illi verò*,ibi,*Juſto impedimento ceſſante,de ætat. & qualit. l.Qui furere, ff. de ſtatu homin. l. 1. §. Caſum, ff. de poſtul. & leg.Divus,ff.de offic. Præſid.*Neque enim debet addi afflictio afflictis,ut in *d.cap.1.& in cap.Cum percuſſio 7.q.1.* & ita tenent *in c.1.ſuprà eod.* gloſ.*in ver. Amittant.* Innoc. *in eodem ver.* Abb. Antiq.*in ver. Prohibente*, Hoſtien.*nu.3.in ver. Juſta cauſa*, & alii communiter. Aut in tale impedi- 41
mentum inciderunt culpa ſua, ut ſi duellum obtulerint,vel ſuſceperint, & in eo manum,vel pedem amiſerint, ſecundùm ea quæ declarat Hoſtien.*loco cit.* & hoc caſu non ſunt compellendi ad Ordines,ſed privandi ſunt beneficio, ut in *cap. Ex parte B. & cap. Significavit infrà de corpor. vitiat.* & in hoc caſu loquitur text. in *d.c.1.in fine ſuprà eod.*ut ibi declarant gloſſ. Innoc. & alii proximè citati, ut ibi dixi in prima oppoſitione.

In ſecundo autem membro principali,id eſt,cùm Epiſco- 42
pus vult cogere Clericos ad ſuſcipiendos Ordines ſuo beneficio, vel dignitati non annexos, juxta terminos hujus decretalis, ſiquidem neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ non exigit eos promoveri, non ſunt ullatenùs cogendi. Quinimò puniendus eſſet Epiſcopus,ſi eos cogeret,ut *c.1.& 2.& cap. Ubi iſta 74. diſt.* ut hìc per Henric. Boich. *in fin.* Si verò id 43
exigat Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas,refert,an Clerici renuant ordinari propter crimen, quod fatentur ſe commiſiſſe, aut propter aliud impedimentum, quod aſſerunt ſe contraxiſſe, aut pro nuda voluntate.

In primo caſu, cùm excepto homicida, & ſimoniaco, & aliis criminoſis,qui poſt peractam pœnitentiam Ordinis executionem non habent, de quibus per gloſſ. Innocen. & Doct. in *cap.Niſi cùm pridem,§.Propter conſcientiam ſuprà de renunc.* quilibet peccator occultus peracta pœnitentia ſalva conſcientia poſſit promoveri, & in ſuſceptis miniſtrare, ut *cap. Quæſitum ſuprà de tempor. ordinat.* cogendi erunt ſe dignos facere per pœnitentiam, *cap.Prædicandum 22. qu. 1. cap. Subdiaconus 24. q. 1. cap. Nec licuit 17. diſt.* ut ſcilicet Epiſcopus diſpenſet cum eis, *cap. In ſcripturis 8. qu. 1.* & notat hìc Hoſtien. *num. 4.* Quòd ſi pœnitere,ac ſe dignos facere recuſaverint, Epiſcopus debet alios inferiores ad illos Ordines promovere, & renuentes à beneficiis amovere, & illa conferre Clericis, ut præfertur, promotis, ut hìc; & in hoc caſu poteſt intelligi *cap. Conſuluit 74. diſt.* Niſi tamen renuentes ſint valdè utiles in aliis Eccleſiæ negotiis, Quo caſu tolerandi ſunt in ſuis beneficiis,

ut

ut hic eſt caſus in *ver. Niſi*, & dictum eſt ſuprà in 5.notab. Undè ſecundùm Anton.de Butr. *num.* 11. ordo procedendi eſt, ut ſi Epiſcopus cognoſcat Clericos fore utiles in aliis Eccleſiæ negotiis, eos non cogat ordines aſſumere: ſi minùs,& neceſſitas,vel utilitas Eccleſiæ id poſtulet, eos compellat,& ſtatim privet beneficio,& aliis conferat non ex vi delicti, quod ſibi,judicialiter non innoteſcit, ſed ex contumacia non parendi, quæ ſaltem judicialiter habebit aſpectum veræ contumaciæ, & indicabit talem non ex delicto privari,ſed ex contumacia.Poterunt etiam compelli per ſuſpenſionem ab ordinibus jam ſuſceptis, & ſic poſſunt intelligi textus in *c. Si qui Clerici*, *&* *c. Placuit* 74. *diſt.*

45 In ſecundo autem caſu,id eſt cum renuunt ordines ſuſcipere propter impedimentum, puta infirmitatis, vel aliud temporale, aut perpetuum, non proveniens ex delicto ſuo, tunc non ſunt cogendi. Quòd ſi cogerentur, & appellarent, eſſet eorum appellatio admittenda,arg. *l.* 1. §.*Si quis tutor. ff. quan. appellan. ſit.*

46 In tertio denique caſu,ſcilicet cum renuunt ordinari pro
ſola voluntate,ſeu quod idem eſt ex injuſta cauſa,ut in *c.* 2.
§.*Sed neque*, *verſ. Sicut juxta ſuprà de transl. Epiſc.*ſecun-
dùm Hoſt. *hic n.* 3. *in ver. Voluntate*, & Jo. Andr. *n.*12.pri- 47
mùm debet Epiſcopus eos privare loco, auferendo vocem
in Capitulo, vel quotidianas diſtributiones, vel aliter ag-
gravando,ut hodiè patet in *Clem.Ut ii de ætat.& qualit.*quę
declarat hoc cap. ſecundùm Anton. de Butr. hìc *n.* 11.nam
etſi loquatur de obtinentibus beneficia, quibus certi ordi-
nes ſunt annexi,ut ſtatim non ſint privandi, à fortiori ven-
dicat ſibi locum in obtinentibus beneficia, quæ hujuſmodi
ordines non requirunt, de quibus agitur hìc. Quòd ſi in 48
contumacia perſtiterint,debebit eis beneficiorum redditus
ſubtrahere,ſecundùm intellectum Innoc. Hoſtien. & com-
munem, de quo ſupra in 4. *notab. num.* 7. & durante adhuc
contumacia, poterit eos privare beneficio appellatione re-
mota, ut hìc,*& c.Si quis Clerici,& c.Placuit* 74. *diſt. & c.*
Diſplicet 23.q.4.nam ſi quis non vult operari, nec mandu-
cet,ad Theſſalon. 2.c.3. *l. Si ex duobus*, §.*fin.ff.de noxal. &*
l. Quamvis, *ff. de damn.infect.*

DE ÆTATE, ET QUALITATE.

Innocentius III. Rhotomagen. Archiepiſcopo.

C A P U T XI.

CUm contingat interdum,quòd laici ad Monaſteria convolantes,à ſuis Abbatibus tonſurentur: requiſiſti,an Clericatus ordo in tonſura hujuſmodi conferatur. Super quo tibi taliter reſpondemus, quòd cùm in ſeptima Synodo ſit ſtatutum, ut lectores per manus impoſitionem licentia ſit unicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolummodò faciendi, dummodò ipſi ab Epiſcopo (ſecundùm morem præficiendorum Abbatum) manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum exiſtere Sacerdotem: per primam tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, à talibus Clericalis ordo confertur.

S U M M A R I U M.

1 *ABbas ſi ſit Presbyter, & benedictus, poteſt ordinem Clericalem conferre.*

2 *Item poteſt conferre Lectoratum.*
Et quid de aliis minoribus ordinibus, ibidem & num. ſeqq.

3 *Lectoris appellatione aliquando includuntur etiam reliqui minores ordines.*

4 *Abbas ut poſſit tonſuram, & minores ordines conferre, quæ requirantur.*

5 *Abbas conferens tonſuram, vel minores ordines Monacho alterius Monaſterii, imprimit characterem, ſi ſit Presbyter, & benedictus.*

6 *Tonſura, ſeu Pſalmiſtatus, an poſſit conferri à ſimplici Presbytero, & num. ſeqq.*

7 *Intellectus c. Pſalmiſta 23. diſt.*

8 *Presbyter de jure communi poteſt primam tonſuram conferre ſæcularibus,in quos habet Epiſcopalem juriſdictionem.*

9 *Cardinales de jure communi tonſuram conferre non poſſunt niſi ſubditis, in quos habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.*

10 *Tonſura Clericalis, ſeu Pſalmiſtatus,an ſit ordo, & nu. ſeqq. uſque in fin.*

11 *Thelogi, & Canoniſtæ quomodo ſe invicem habeant in juribus, & rationibus expendendis.*

12 *Sententia Theologorum refertur, qui cenſent tonſuram non eſſe ordinem, ſed præparationem ad ordines, & Pſalmiſtatum eſſe officium Lectori annexum.*

13 *Tonſuram Clericalem non eſſe ordinem propriè, quibus fundamentis probetur, & num. ſeqq. uſque ad numero* 45.
Intellectus capit. Illud 77. *diſt. ibidem num.* 119. *& ſeqq.*

14 *Prophetia, ut eſt ſimpliciter littera,in Eccleſia non habet ordinem ad ſe ordinatum, ſed ut eſt lecta cum explanatione.*
Contrarium, num. 121.

15 *Pſalmiſta, & Cantori idem ſunt, ejuſque officium eſt non ſolum Pſalmos cantare, ſed etiam alios cantus harmoniacos lectionibus interſerere, numero* 19.

16 *Pſalmiſtatus eſt officium communitatis totius corporis Eccleſiæ, n.*27.
Contrarium, n. 108. *&* 124.

17 *Ordo eſt diſtinctarum perſonarum.*

18 *Pſalmiſtatus eſt officium Lectori annexum, n.* 41.
Contrarium, n. 55. *uſque ad n.* 62. *& n.* 71.

19 *Cantor non eſt nomen ordinis ſpecialis, ſed officii.*
Contrarium, n. 56. *uſque ad n.* 62. *& n.* 71.

20 *Pſalmiſtæ officium non habet aliquam relationem ad Euchariſtiam, n.* 28.
Contrarium, n. 110.

21 *Ordinum omnium Miniſter eſt ſolus Epiſcopus.*
Declaratur, n. 94.

22 *Ordo nullus confertur, niſi in Miſſæ celebratione.*
Declaratur, n. 127.

23 *Media diſpoſitio convenienter interponitur in tranſitu de ſtatu ad ſtatum.*
Declaratur, num. 130.

24 *Tonſura eſt media diſpoſitio inter ſtatum laicalem, & Clericalem, & n. ſeqq. n.* 40. 41.
Contrarium, n. 128.

25 *Tonſura Clericorum,& Monachorum quid ſignificet.*

26 *Clericus primæ tonſuræ non eligitur in militiam Dominicam, ſed in ſortem Domini.*
Contrarium, num. 129.

27 *Poteſtas ordinis datur determinatè ad aliquod ſpeciale miniſterium divini cultus, non autem ad ea, quæ communiter fiunt à toto Miniſtrorum Collegio.*

28 *Tonſura Clericalis relationem non habet ad Euchariſtiæ Sacramentum.*
Contrarium, n. 110.

29 *Tonſura non eſt repetenda, ſi ea omiſſa reliqui ordines fuerint collati.*
Contrarium, n. 100. *& ſeqq.*

30 *Miniſtri Eccleſiæ principaliter ordinantur ad Sacra-*

cramentum Euchariſtiæ.

31 *Materia ita eſt de neceſſitate Sacramenti, ut ſine ea nihil perficiatur.*

32 *Ordinis materia quæ ſit.*

33 *Tonſura confertur ſine ulla rei traditione.*
Contrarium, n. 69. & n. 87.

34 *Superpelliceum in collatione tonſuræ non eſt neceſſitatis, ſed congruitatis.*
Contrarium, n. 70.

35 *Clericus poteſt tonſuram Clericalem dimittere, & ad ſtatum laicalem redire.*

36 *Concilium Tridentinum non habuit tonſuram Clericalem pro Ordine Eccleſiaſtico, & n. ſeqq.*
Declaratur, n. 132.

37 *Ordinum functiones à Concilio Tridentino jubentur in Eccleſia reſtitui à Diaconatu ad Oſtiariatum.*

38 *Epiſcopus qui ſubdito alterius Epiſcopi primam tonſuram contulit, declaratur non incidiſſe in pœnam ſuſpenſionis.*

39 *Vicarius Capituli Sede vacante non prohibetur dare dimiſſorias ad primam tonſuram præſentato ad Capellam ſimplicem.*

40 *Catechiſmus Romanus quid ſenſerit de Clericali tonſura, n. 133.*

41 *Ordo multipliciter accipitur, & n. ſeqq.*

42 *Monachi, Virgines, & Viduæ Deo ſacratæ, ſeu Diaconiſſæ, & laborantes in ſepeliendis mortuis, quandoque ordines dicuntur à Patribus.*

43 *Opiniones de numero ordinum inter Theologos, & Canoniſtas conciliantur.*
Contrarium, n. 44. & n. 135.

44 *Canoniſtæ à Theologis diſſentiunt tam in identitate tonſuræ, & Pſalmiſtatus, quàm in numero ordinum, n. 79.*

45 *Tonſuram Clericalem, vel Pſalmiſtatum eſſe ordinem propriè, & characterem imprimere, qui Authores ſenſerint.*

46 *Referuntur fundamenta pro ſententia Canoniſtarum, & n. ſeqq. uſque ad n. 119.*
Intellectus hujus capituli, ibid. uſque ad n. 55.

47 *Reſponſio debet congruere interrogationi.*

48 *Argumentum à majori ad minus qualiter procedat.*

49 *Formæ in Sacramentis tantum ſunt præfinitæ, non autem in collatione officiorum, ſeu dignitatum.*

50 *Tonſuræ collatio irrita eſt, ſi fiat non ſervata forma præſcripta Eccleſiæ.*

51 *Forma, & materia Sacramentorum ſunt ex inſtitutione Chriſti.*

52 *Formæ omnium Sacramentorum cur non habeantur ex ſacris litteris.*

53 *Præparatio ad formam non eſt forma.*

54 *In manifeſtis non ſunt extenuanda, quæ ſcripta ſunt.*

55 *Pſalmiſtatum non eſſe officium Lectori annexum, quibus argumentis probetur, n. 56. uſque ad n. 62. & n. 71.*

56 *Ordinem novem in Eccleſia numerantur ab Iſidoro.*
Intellectus c. Clericos 21. diſt. ibid.

57 *Graduum Eccleſiæ appellatione intelliguntur ordines Eccleſiaſtici.*

58 *Pſalmiſtatus ordo cur aliquando à Patribus ponatur poſt Oſtiariatum.*

59 *Acceſſio non poteſt fieri niſi rei, quæ præexiſtit.*

60 *Oſtiarii, & Acolithi officia quæ ſint.*

61 *Clericus prima tonſura degradatur ab ordine Pſalmiſtatus.*

62 *Intellectus cap. Degradatio de pœn. in 6.*
Clerici primæ tonſuræ degradantur ab ordine, ibid. & n. ſeqq. uſque ad n. 71.

63 *Degradatio ſolemnis quid ſit.*

64 *Degradationis forma in Clericis primæ tonſuræ.*

65 *Privatio præſupponit habitum.*

66 *Degradatio actualis non fit ab officiis, & dignitatibus, ſed tantum verbalis depoſitio.*

67 *Ordinatio ſacra non ſolum verbis, ſed etiam ſignis exterioribus perficitur.*

68 *Solemnitas eadem, quæ requiritur ad conſtructionem actus, requiritur ad illius deſtructionem.*

69 *Character ordinis imprimitur in actu traditionis inſtrumenti.*

70 *Veſtis traditio in collatione tonſuræ non eſt congruitatis tantùm, ſed neceſſitatis.*

71 *Cantoria, ſeu Pſalmiſtatus in primitiva Eccleſia erat ordo Eccleſiaſticus à Lectoratu diſtinctus.*

72 *Ordines Minores Sacramentum eſſe oſtenditur, diffinitum à Concilio Florentino, & Tridentino, & refellitur contraria opinio.*

73 *Conciliorum diffinitionibus obtrudere non licet defectum cauſæ.*

74 *Conciliorum inſtitutum eſt non ſolum hæreticos confutare, ſed etiam Catholicos orthodoxam fidem docere, n. ſeqq.*

75 *Diſpenſari non poſſe ab Eccleſia in nonnullis conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, qui in Levitico exprimuntur, eſt hæreſis.*

76 *Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores in Eccleſiaſtica hierarchia ex inſtitutione divina, eſt de fide.*

77 *Ordinum Minorum nomina, & uniuſcujuſque eorum propria miniſteria ab initio Eccleſiæ fuerunt in uſu.*

78 *Cantorum, ſeu Pſalmiſtarum ordo Conſtitutione Eccleſiæ ſupprimi, aut deſuetudine aboleri non potuit, n. ſeqq.*

79 *Sacramentorum eſſentialia diſpoſitioni juris Eccleſiaſtici non ſubſunt.*

80 *Tonſura Clericalis, & Pſalmiſtatus idem ſunt, num. 88.*

81 *Triburienſis Concilii Canon de Clericali tonſura expenditur.*

82 *Clerici primæ tonſuræ gaudent privilegio Canonis, & fori jure divino, n. 112.*

83 *Pſalmiſtarum, ſeu Cantorum origo, & antiquitas.*

84 *Tonſura Clericalis unde ortum duxerit.*

85 *Tonſura à Pontificali Romano inter ordines computatur, & num. ſeqq.*

86 *Datur inter Miſſarum ſolemnia, ſicut & reliqui ordines in ſolemnibus ordinationibus.*

87 *Tonſuræ Clericalis materia, & forma quæ ſit, & num. ſeqq.*

88 *Pſalmiſtatus forma quæ.*

89 *In Tonſuræ collatione confertur gratia.*

90 *Gratia gratum faciens datur in Sacramentis, non autem in ſacris, & cæremoniis non eſſentialibus.*

91 *Spiritualia in actibus Eccleſiæ corporalibus reſpondent.*

92 *Sacramentum quid.*

93 *Character interior eſt eſſentialiter, & principaliter Sacramentum Ordinis.*

94 *Tonſura Clericalis, ſeu Pſalmiſtatus jure ordinario conferri non poteſt, niſi ab Epiſcopo.*

95 *Ordinis Sacramentum dumtaxat prærequirit Sacramentum Confirmationis ex neceſſitate præcepti.*

96 *Tonſuratus ante ſuſceptum Chriſma eſt malè promotus, & eget diſpenſatione Apoſtolica.*

97 *Ordo importat quendam dignitatis gradum, & poteſtatem ſupra populum.*

98 *Clerici ſicut in Eccleſia militanti per tonſuram, ita in triumphanti per characterem à laicis diſtinguuntur.*

99 *Character quid ſit.*

100 *Præparatio debet ſemper præcedere præparatum.*

101 *Tonſura, ſeu Pſalmiſtatus eſt principium, & quaſi fundamentum militiæ Clericalis.*

102 *Principium eſt pars potiſſima cujuſque rei.*

103 *Hierarchia Eccleſiæ ſanctis, & cœleſtibus Hierarchiis conformis eſt.*

104 *Ordines novem numerantur in Eccleſia militanti, ſicut in triumphanti ſunt novem Ordines Angelorum.*

105 *Pſalmorum cantu aut datur ſpiritus compunctionis, aut ſpiritus prophetiæ.*

106 *Ordinum diſtinctio deprehenditur ex diſtinctione Miniſterii; item ex diverſitate materiæ, & formæ.*

107 *Pſalmiſtæ officium quod ſit, & in quo diſtinguatur ab officio Lectoris.*

108 *Pſalmiſtæ officium non convenit multitudini.*

109 *Ordinum minorum actus exerceri poſſunt etiam à laicis, non tamen ex officio.*

110 *Tonſura Clericalis, ſeu Pſalmiſtatus, quam relationem habeat ad Euchariſtiæ Sacramentum.*

111 *Ordo ad ſui eſſe non requirit miniſterium cooperativum*

vum in ipſo actu conſecrationis Euchariſtiæ.

112 *Tonſuræ Clericalis effectus memorabiles complures recenſentur.*

113 *Sixti V. Conſtitutio de prima tonſura expenditur.*

114 *Dictio*, alius. *eſt implicativa, & repetitiva ſimilium.*

115 *Tonſuræ Clericalis miniſterium eſt ſacrum.*

116 *Clerici etiam primæ tonſuræ male promoti ab executione Ordinis ſunt ſuſpenſi.*

117 *Congregatio Epiſcoporum jubet expungi decretum Epiſcopi, declarans in collatione tonſuræ non imprimi characterem.*

118 *Character imprimitur in collatione tonſuræ ex ſententia Congregationis Concilii.*

119 *Primus dicitur non ſolum quem nemo præcedit, ſed etiam qui habet alios poſt ſe.*

120 *Epiſcopum quem fieri ex mero laico, repugnat Canonicis inſtitutis.*

121 *Ordines minores ante ſeptimum annum completum conferri non poſſunt.*

122 *Actus ejus eſt, cujus eſt potentia.*

123 *Lectoris officium quod ſit.*

124 *Ordo ad ſui eſſe non requirit, ut per ſolum, & unicum exerceri debeat.*

125 *Conſecrationis actum perficere poſſunt plures Sacerdotes ſimul, & una omnes eamdem hoſtiam conſecrare.*

126 *Officii non convenit tam minoribus, quam majoribus Ordinibus, & latiſſimè patet.*

127 *Tonſura, & minores Ordines extra ſolemnes ordinationes dari poſſent etiam ſine celebratione Miſſæ.*

128 *Clerici per primam tonſuram transferuntur à ſtatu laicali ad clericalem, & veniunt propriè Clericorum appellatione.*

129 *Item efficiuntur milites cœleſtis militiæ.*

130 *Diſpoſitio media congruè interponitur in tranſitu de ſtatu ad ſtatum, à quo non datur receſſus.*

131 *Clericus minorum Ordinum poteſt retrocedere, & pro laico ſe gerere, & omnibus privilegiis Clericalibus ſe exuere.*

132 *Concilii Tridentini decreta de Clericali tonſura expenduntur.*

133 *Catechiſmus Romanus de Clericali tonſura expenditur.*

134 *Oſtium continetur appellatione domus.*

135 *Cardinalis Turrecremata in dubio magis favebat opinionibus Theologorum, quam Canoniſtarum, & cur?*

1 CUm *contingat*. Abbas ſi eſt Presbyter, & benedictus, conferre poteſt Ordinem clericalem. Hoc dicit. Communis diviſio. Secunda, ibi, *Super quo*.

Nota primò, per primam tonſuram conferri Ordinem Clericalem, & ſigna textum rotundum contra opinionem illorum, qui dicunt tonſuram non eſſe Ordinem, quorum opinio hìc corrigitur, ut dicit gloſſ. 2. Sed hunc articulum pleniſſimè examino infra in prima quæſtione.

2 Secundò, nota ibi, *Lectores*, Abbatem Præsbyterum, & benedictum poſſe Lectoratum conferre. Quod autem dicitur de Lectoratu, idem intelligas de duobus aliis ordinibus, cum eadem ſit ratio, ſecundùm Hoſtien. hìc *num.* 6. *in ver. Septima Synodo, verſ. Et quamvis*, & Joann. Andr. *num.* 3. *in ver. Lectores*; & ita ſecundum eos ſervatur de facto.

Et quamvis Hoſtien. ſimpliciter loquatur de aliis duobus minoribus Ordinibus, nec aperiat de quibus, & ita à Carpin. in 6. *qu.* & Bellam. *num.* 1. intelligitur de duobus Ordinibus minoribus, Lectoratu, id eſt Pſalmiſtatu, & Oſtiariatu; tamen non videtur hæc mens Hoſtien. quia ſic non dixiſſet, eſt eadem ratio in aliis duobus minoribus, ſed potiùs dixiſſet, de Pſalmiſtatu non eſt dubium, quia eſt expreſſum hìc, & de Oſtiariatu eſt major ratio. Undè illius authoritas de reliquis duobus ordinibus, id eſt Exorciſtatu, & Acolythatu videtur intelligenda, ſicuti etiam intelligitur Joan. Andr. *d. nu.* 3. dum allegat ſimile in *cap. De his* 20. *diſt.* ubi ſub nomine Lectoratus comprehenduntur omnes minores ordines; ut ibi per gloſſ. in *ver. Lectorum*. Sed contrarium tenet Bart. Brixien. in *c. Quoniam* 69. *diſt.* idemque videtur ſentire gloſſ. in *ver. Lectoris, ibid.* & Innoc. *in cap.* 1. *num.* 2. *verſ. Et idem intelligo de ſupplen. negligen. Prælator.* & clarè Turrecrem. in *d. c. Quoniam num.* 3. ubi tenet Abbates hujuſmodi non poſſe conferre, niſi Lectoratum, & duos inferiores ordines, ideſt Oſtiariatum, & Pſalmiſtatum; & *num.* 15. ubi poſt Hugon. in ſpecie concludit eos non poſſe conferre ordines Exorciſtatus, & Acolythatus; & pro eis videtur facere verbum, *Solummodo*, hìc poſitum: quod eſſet verum, ſi determinaret verbum Lectores; ſed non eſt ita, quia determinat verba illa, *In proprio Monaſterio*, quæ ſequuntur, ut per Jo. Andr. *num.* 4. Butr. *num.* 13. Cardin *qu.* 6. Anchar. *n.* 2. quorum opinionem tu ſequere, quia communis eſt, ut hìc teſtatur Joan. de Anan. in *princ.* & eam ſæpiùs probavit in caſibus contingentibus Sacra Congregatio Concilii. Et ad text. 3
hìc, & in *d. c. Quoniam*, reſpondetur ſub nomine Lectoris comprehendi etiam Exorciſtam, & Acolythum, ut in *d. c. De iis* 28. *diſt.* & *in c. Si quis Epiſcopus* 27. *q.* 1. & notat Archid. in *c. Degradatio in ver. Clericus cujuſcumque gradus, de pænit. lib.* 6.

Tertiò, nota quatuor requiſita ad hoc, ut Abbas poſſit 4
conferre tonſuram, & minores ordines. Primò enim ex parte conferentis requiritur, ut habeat ordinem Sacerdotalem, ut in littera, ibi, *Et conſtet eum exiſtere Sacerdotem*. Deindè, ut ſit ſolemniter benedictus; hoc enim importat illa verba, *Dummodo ipſis ab Epiſcopo manus impoſitio facta noſcatur*, ſecundum omnes. Et ſi horum alterutrum deficiat, character non imprimitur, ut ſcripſi in *cap. Quanto ſuprà de conſuet.* ſalvo eo quod habetur in *c.* 1. *de ſupplen. neglig. Prælator.* Tertiò requiritur, ut in conferendo ſervetur forma Eccleſiæ; quod probat littera, ibi, *Juxta formam Eccleſiæ datam, qua prætermiſſa nihil confertur*, ſecundum Hoſtien. *num.* 10. qui ſic intelligit *cap. Extra Catholicam* 1. *q.* 1. *c.* 1. §. *Sacramentum de Summa Trinitate, & fide Cathol.* ſequitur Joan. Andr. in *ver. Juxta formam num.* 11. & Cardin. *num.* 1. *in* 4. *not.* Quartò, exigitur ex parte ejus cui Ordines conferuntur, ut ſit proprius Monachus Abbatis conſecrantis, Butr. hìc *num.* 2. Cardin. & Abb. ambo *num.* 1. & patet ex illis verbis, *Solummodo in proprio Monaſterio*, & in hoc concordat Concil. Trident. in *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. Hoc tamen quartum requiſitum ad ſub- 5
ſtantiam, ſeu validitatem ordinationis non pertinet, ſed tantùm ad legitimum uſum ejus; ac propterea Abbas ordinando regulares alterius Monaſterii, ſi modò ſi Presbyter, & benedictus, & formam Eccleſiæ ſervet, characterem imprimit, cùm non careat poteſtate ordinis. Ita Archidiac. in *cap. Quoniam num.* 5. *in fin. verſ. In ead. diſt.* invitatus, & ibi etiam Turrecrem. *num.* 10. Præpoſ. *in fin.* 59. *diſt.* & fuit ſententia Boattini, quam ſequitur gloſſ. *penult.* Archidiac. & Franc. in *cap. Abbates de privileg. in* 6. & Joan. Andr. *hic n.* 2. Anchar. & Bellam. ambo *num.* 1. & ſecundùm Turrecrem. *ubi ſuprà*, eamdem opinionem tenet is, qui gloſſavit Summam Raym. & Richard. *de ætat. & qualit.* §. *Presbyter.* & omnes in gloſſ. quæ incipit, *Monachus ſuis*. Quod procedit etiam poſt Concilium Tridentinum, ut ſæpiùs reſpondit Sacra Congregatio ſuper *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. cujus reſolutiones complures retuli in *c.* 1. *ſuprà de ſupplen. neglig. Prælat. in quæſt.* An Prælatus inferior ſæcularis habens facultatem a Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum conferendi minores ordines aliquibus perſonis ſæcularibus tantùm; ſi conferat aliis, imprimat characterem, necne, *à n.* 11. *uſque ad n.* 53. An autem Abbates poſt Concilium Trident. uti poſſint facultate, quam habebant ex *c. Abbates, de privileg. in* 6. ordinandi ſæculares, in quos habent Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, eiſque dimiſſorias concedendi, dixi in *c. Significaſti de off. Archid.* & *in c. Nonnulli de reſcript.* Similiter, an Abbates Presbyteri, & benedicti poſſint tonſuram, & minores ordines conferre ſæcularibus habentibus litteras dimiſſorias ab Epiſcopo diœceſano, dixi in *c. Aqua infrà de conſecr. Eccleſ. vel Altar.*

In gloſſ. in *ver. Abbati*; nota, Ordinem Pſalmiſtatus, id 6
eſt primam Clericalem tonſuram conferri poſſe etiam à ſimplici Sacerdote, qui præſit, ut dicunt Hugo, Raym. & Goffred. *in Summ. de ordinat. ab Epiſcop.* gloſſ. *in c. Quoniam in ver. Lectoris* 69. *diſt.* Innoc. hìc, & [illegible] Antiq. ambo *in princip.* Hoſt. *n.* 2. Jo. Andr. *n.* 16. Butr. *n.* [illegible] & Henr. Boich. alios referens in *princ.*

Fundatur hæc opinio in *c. Pſalmiſta*, ubi hoc tenet Archid. *num.* 2. *in fin.* 23. *diſt.* ſed reſiſtit uſus Eccleſiæ, & propterea

pterea illam non eſſe accipiendam, tenet Sotus in 4. *diſt.* 25. *qu.* 1. *art.* 1. *ad ſecundum*. Videtur etiam huic opinioni repugnare hæc decretalis, ubi Innocentius III. ad probandum per primam tonſuram conferri ordinem Clericalem, utitur auctoritate ſeptimæ Synodi, quæ indulſit Abbatibus, ut poſſent conferre Lectoratum, dummodò eſſent ſolemniter benedicti, & Presbyteri. Ergo Pontifex videtur has duas conditiones exigere etiam in collatione primæ tonſuræ; & conſequenter ſimplex Sacerdos non poteſt eam conferre, niſi etiam ſit benedictus; alioquin fruſtrà meminiſſet illius conditionis: Dummodò ipſis ab Epiſcopo ſecundùm morem præficiendorum Abbatum manus impoſitio facta noſcatur.

7 Nec obſtat text. *in d. c. Pſalmiſta*, quia reſponderi poteſt primò ibi non caveri, ut Presbyter poſſit conferre Pſalmiſtatum, ſed ut ad Presbyteri præceptum poſſit ſuum officium exequi. Et ita reſpondent ad illum textum Lauren. & Bart. Brixien. in *c. Non liceat* 92. *diſt.* Et hanc ſententiam ſequebatur Bernar. relatus ab Archid. in *eod. c. Pſalmiſta n.* 2. dicens verba, *Officium cantandi ſuſcipere*, non debere intelligi de Ordinis collatione, ſed de Ordinis jam collati ab Epiſcopo executione; & ſic debere exponi, officium cantandi, id eſt officii executionem, & ſequitur Hoſtien. in *Summa de ordin. ab Epiſcop. qui renunc. Epiſc.*

8 Reſpondetur ſecundò, textum in *d. c. Pſalmiſta*, debere ſuppleri per alia jura, itaut dum loquitur de Presbytero, vel intelligatur de Presbytero ſolemniter benedicto reſpectu Monachorum ſui Monaſterii, juxta hunc textum, vel de Presbytero, qui ſuper laicum, quem ordinat, habeat Epiſcopalem juriſdictionem, vel quaſi, arg. *d. c. Abbates in fin. de privileg. lib.* 6. Et hoc videntur velle Hugo, Innoc. & DD. prææalleg. dum dicunt primam tonſuram poſſe conferri à Presbytero, qui præſit, id eſt, qui in laicos habeat ordinariam juriſdictionem. Et tenent expreſsè hìc Joann. Andr. *ad fin. num.* 17. *verſ. Primam ſequor*, Butr. *n.* 10. *in fin.* Cardin. *q.* 4. *in fin.* & Abb. *num.* 1. *ad fin.* Gemin. *in d. c. Pſalmiſta col.* 2. *circa med. verſ. Joannes Andreas tamen*, & ibi Præpoſ. *num.* 5. *circa fin.* & idem Præpoſ. in *d. c. Quoniam num.* 5. 69. *diſt.* Rota *deciſ.* 731. *num.* 9. *par.* 1. *di-*

9 *verſ.* Undè Cardinales Presbyteri de jure communi non poſſunt primam tonſuram conferre, niſi ſubditis, in quos habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, juxta text. in *cap. His quæ de major. & obed.* ut tenet Joann. Andr. in *c.* 1. *de ſupplen. nigligen. Prælat.* quem cæteri ſequuntur, ut teſtatur Rota *d. deciſ.* 371. *num.* 10. Quæ tamen facultas inferiorum in ordinandis Pſalmiſtis, ſeu Cantoribus, eſt ex conceſſione Eccleſiæ, qua ſecluſa, Cantores à ſolo Epiſcopo eſſe ordinandos, apertè docet Clemens Romanus *lib.* 3. *conſtit. cap.* 11. ubi inquit, Presbyterum, ſeu Sacerdotem non habere poteſtatem ordinandi Diaconos, Diaconiſſas, Lectores, aut Miniſtros, aut Cantores, aut Janitores; ſed Epiſcopis tantùm hoc convenire.

10 QUÆRO, ân prima Clericalis tonſura, ſeu Pſalmiſtatus ſit Ordo.

11 Inſignis eſt quæſtio, in qua diſcrepant Theologi à Canoniſtis. Et quidem Theologi uſque adeò ſuis rationibus, & argumentis nituntur, ut ad ſtatuta Canonum ferè vix advertere videantur; & tamen in articulis deciſis à Canone licet quidem rationes ſcrutari, ſed ad deciſionem ſuſtinendam, non impugnandam; tandem enim aſſentiendum eſt authoritati, & credendum in editione Canonis fuiſſe omnia maturè diſcuſſa, ſeque potiùs hallucinari, quàm Canonis conditorem, juxta documentum Auguſtini in *cap. Ego ſolis* 9. *diſt.* E converſo autem Canoniſtæ ſuis Canonibus hærent tam fixè, & tenaciter, ut Theologorum ratiocinationes, & objecta omnia videantur contemnere. Unde Cardin. hìc *num.* 1. *in* 3. *quæſt.* in hoc ipſo articulo concludit: Sed non expedit vexari, ex quo jure probatur, quòd Epiſcopatus, & Pſalmiſtatus ſunt Ordines, *cap. Scriptum* 6. *q.* 3. Cum tamen ſacrorum Theologorum authoritas magni ſit facienda, quia ſacrorum Canonum diſciplina eſt ſacræ Theologiæ ſubalternata, & Canonicæ ſanctiones ex puriſſimis ſacræ Theologiæ fontibus emanarunt, *cap. Qualiter & quando, il ſecondo in princ. de accuſ.* Abb. in *c. Super ſpecula n.* 7. *Ne Cler. vel Monach.* Joan. Mon. & Doctores *in proæm. Sexti*: & lex eſt omne, quod ratione conſiſtit, *cap. Conſuetudo* 1. *diſt.* Bald. *in cap. Ne innitaris ſuprà de conſtitut.* Expedit igitur jura, & rationes, quæ in hoc articulo utrinque afferuntur, diligenter examinare.

Prima ſententia eſt Theologorum, qui cenſent primam tonſuram, ſeu Coronam non eſſe ordinem, ſed præambulum, vel diſpoſitionem, ſeu præparationem ad ordines, & Pſalmiſtatum eſſe officium ordini Lectoratus annexum, Altiſiodoren. in *Summ. lib.* 4. *tract.* 8. *q.* 1. *col.* 1. *Supplemen.* D. Thom. *qu.* 40. *art.* 2. ubi de Corona, & Pſalmiſtatu, S. Thom. in 4. *diſt.* 24. *qu.* 2. *art.* 1. *q.* 2. Turrecrem. in *c. Pſalmiſta num.* 1. 23. *diſt.* ubi agens de Pſalmiſtatu, affirmat hanc eſſe ſententiam S. Thomæ, Alberti Magni, S. Bonaventuræ, & aliorum quaſi omnium Theologorum. Et de Corona in *cap. Clerici num.* 3. *ead. diſt.* Sot. in 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *circa fin.* Silveſt. *in ver. Ordo* 1. *num.* 1. *in* 1. *&* 2. *dubio*, ubi citat Richard. & Petr. de Palud. & tàm de Corona, quàm de Pſalmiſtatu, ait hanc opinionem Theologorum tenendam eſſe; quia loquuntur in propria materia, & Canoniſtæ in aliena. Et inter Canoniſtas fuit opinio Vincentii, quam ſequuntur Theologi, ut refert Archid. in *d. c. Pſalmiſta num.* 4. 23. *diſt.* quam etiam tenet idem Archid. in *c. Clericos num.* 16. & poſt eum Bellamer. *num.* 4. 21. *diſt.* & Coronam propriè non eſſe ordinem ſecundùm omnes Theologos, affirmat Navarr. *conſ.* 4. *numer.* 1. *de ſacram. non iteran. in ultima editione*. Plures etiam citat Vaſquez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 3. *diſput.* 237. *cap.* 1. adjiciens in id conſentire recentiores omne Theologos: nam ſeptem tantùm Ordines in Eccleſia numerat Magiſter Sententiarum in 4. *diſt.* 24. quem omnes Theologi ſequuntur, teſte Cardin. Bellarm. *controv. tom.* 2. *controv.* 2. *lib.* 1. *de Cleric. cap.* 11. Nititur hæc ſententia his præcipuè fundamentis. 12

Et primò pro ea adducitur textus fortis in *cap.* 1. 77. *diſt.* ubi Cajus Papa: *Ad ordines*, inquit, *Eccleſiaſticos ſic aſcendant in Eccleſia qui ordinari merentur, id eſt, ſi quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primum Oſtiarius, deindè Lector, poſteà Exorciſta, inde ſacretur Acolythus, demum vero Subdiaconus, deindè Diaconus, & poſteà Presbyter, & exindè ſi meretur, Epiſcopus*. Si Oſtiarius eſt primus ordo: ergo nullus alius antecedit, *c. Joſeph. de verb. ſignif. l. Proximus, ff. eod.* & conſequenter prima tonſura, quæ eſt minor Oſtiariatu, ordo non eſt. Et quamvis gloſſ. ut vitet hanc difficultatem dicat illam dictionem, *Primum*, ſequentia reſpicere, & Oſtiarium non eſſe primum, ſed primum reſpectu ſequentium: tamen illa gloſſ. eſt valdè inepta, ut inquit Turrecrem. in *cap. Pſalmiſta nu.* 1. *verſ. Neque valet gloſſ.* 23. *diſt.* quia hoc modo quilibet ſequens reſpectu ſequentium diceretur primus ordo, & non tantùm Oſtiarius. 13

Secundò, pro eadem ſententia ponderatur textus in *c. Seriatim* 23. *diſt.* ubi Leo IX. ſic ait: *Seriatim, & apertè proſequamur quid Sancta Romana Eccleſia in gradibus Clericorum agat. Clericos tantùm Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, Acolythos, &c. uxorem ducere virginem cum benedictione Sacerdotali permittit*: nam cùm textus primò agat de Clericis in genere, & deindè ad nomina Clericorum deſcendat in ſpecie, & non nominet Pſalmiſtam; ſequitur, ut Pſalmiſtatus non ſit ordo; & ita tenent multi per eam litteram, teſte Archid. *ibid. n.* 1. Turrecrem. *n.* 7. & Bellam. in *princ.*

Tertiò, adducitur text. in *cap. A Subdiacono* 93. ubi dicitur, *Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorciſta, Exorciſtæ Lector, Lectori Oſtiarius, Oſtiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco repræſentent obſequium, &c.* Ecce igitur ibi diſtinctè numerantur ſinguli ordines, & gradus Eccleſiæ; & tamen nulla ſit mentio primę Tonſuræ, ſeu Pſalmiſtatus; quod fieri non potuiſſet, ſi eſſet ordo, ut dicit Silveſt. *in ver. Ordo* 1. *nu.* 1. *verſ. Tum quid jura.* Similiter Cornelius Papa in *Epiſt. ad Fabianum apud Euſeb. lib.* 6. *Hiſtor. cap.* 33. dicit in Eccleſia Romana ſuo tempore, id eſt ante annos 130. fuiſſe Presbyteros 46. Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas cum Lectoribus, & Oſtiariis quinquaginta duos: nec meminit Pſalmiſtarum, ſeu Cantorum, ut refert Cardin. Bellarm. *controv. tom.* 2. *controv.* 2. *lib.* 1. *de Cler. c.* 11.

Quartò, probatur hæc ſententia ſecundùm Alber. Mag. apud Turrecrem in *cap. Pſalmiſta num.* 1. *verſ. Ad ſecundum reſpondetur* 23. *diſt.* quia prophetia, ut eſt ſimpliciter lit- 14

littera in Eccleſia, non habet ordinem ad ſe ordinatum, ſed ut eſt lecta cum explanatione, ſicut fit per Lectorem: & pro hoc dicto Alberti videtur text. in *c. Perlectis 25. diſt.* ibi: *Ad Lectorem pertinet non tantum lectiones pronunciare, ſed etiam quæ vaticinati ſunt prophetæ, populis prædicare.* Et in *cap. Cleros 21. diſtin. verſ. Lectores*, ibi, *prædicant populis quid ſequantur*: exponendo verbum, *prædicare*, id eſt cum explanatione legere, ſed Pſalmiſta, ſeu Cantor non habet officium explanandi Pſalmos, ſed tantùm canendi, *d.c. Perlectis*, §. *Ad Pſalmiſtam, & d.c. Cleros*, ibi: *Pſalmiſta à pſalmis canendis*. Ergo ad cantum Pſalmorum non eſt ordo ſpecialiter deputatus; & conſequenter Pſalmiſtatus non eſt ordo.

15 Quintò, ſecundùm D. Bonav. apud Turrecr. in *d. cap. Pſalmiſta nu. 1. verſ. Secundo probatur 23. diſt.* Pſalmiſta, & Cantor pro eodem reputantur, ut patet in *d. c. Pſalmiſta*, ubi dicitur Pſalmiſta, id eſt Cantor, Pſalmiſtæ enim non ſolùm eſt Pſalmos cantare, ſed etiam alios cantus harmonicos ſicut Antiphonarum, & reſponſoriorum Lectionibus interſerere, & hoc ut audientium corda excitentur ad Dei laudem, & eruditionem Lectoris, & non affician-
16 tur tædio in auditione verbi Dei. In hoc ergo, quod eſt ad laudem Dei, eſt omnium fidelium communiter, & ſimul. Undè ut dicit Alber. Magn. *eſt officium communitatis, totus corporis Eccleſiæ in devotione Deo ſervientis, & non officium miniſtrorum, ut miniſtri ſunt. Et quod indicantur ei horæ, & Pſalmi hoc fit ad perficiendum eos in meri-*
17 *to Sanctitatis, ſicut perfecti ſunt in poteſtate ordinum.* Si igitur eſt officium commune ad laudem Dei, non oportet ad hoc ſpecialiter ordinem deputari; quia ordo debet eſſe diſtinctarum perſonarum, *cap. Singula 89. diſtin.* Con-
18 cil. Trident. *ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin. cap. 4. & can. 6.* In hoc autem, quod excitantur corda ad eruditionem, & ad percipiendum ſenſum, quem prædicat Lector eſt officium annexum ordini Lectoris; & ſic patet ſtrictè accipiendo ordines, & gradus, Pſalmiſtatum non debere inter ordines computari. Et ita accipit Iſidor. in *cap. Cleros 21. diſtin. & in cap. Perlectis 26. diſtin.* & Concilium Carthaginenſe in *d. c. Pſalmiſta 23. diſtin.* cum de ordinatione Pſalmiſtæ loquitur: unde notanter non ordinem, ſed officium vocat; & ita exponenda eſt littera, ubicumque
19 reperiatur ordo nominatus. Et concordat Div. Thom. in *4. diſtin. 24. q. 2. art. 1. qu. 2.* Ad quintum, dicens: *Pſalmiſtatum non eſſe ordinem, ſed officium ordini lectoris annexum; quia enim pſalmi cum cantu pronunciantur, ideo dicitur Pſalmiſta, & Cantor. Cantor autem non eſt nomen ordinis ſpecialis; tum quia cantare pertinet ad totum chorum;*
20 *tum quia non habet aliquam ſpecialem relationem ad Euchariſtiæ Sacramentum; tum quia officium quoddam eſt, quod inter ordines largo modo acceptos computatur quandoque.* Hæc D. Thom. & conſentit in his Alber. Magn. ſecundùm Turrecr. *loc. cit.*

21 Sextò, omnes ordines conferuntur ab Epiſcopo tantùm, non à ſimplici Sacerdote, *c. Perlectis*, §. *Ad Epiſcopum pertinent 25. diſtin.* & eſt diffinitum à Trident. Synodo *de Sacram. Ordin. ſeſſ. 23. cap. 4. can. 7.* Sed Tonſura, ſeu Pſamiſtatus confertur etiam à ſimplici Sacerdote, *d.c. Pſalmiſta 23. diſt.* & eſt communis opinio, ut patet ex dictis ſuprà in gloſſa in *ver. Abbati n. 6.* Ergo ſequitur, ut non ſit ordo.

22 Septimò, nullus ordo datur, niſi in Miſſæ celebratione; ſed prima Clericalis tonſura datur etiam abſque officio Miſſæ; nam ut habetur in Pontificali Romano in *rubr. de ordin. conferen. Clericatus, ſeu prima tonſura quocumque die, hora, & loco conferri poteſt.* Ergo non eſt ordo. Et ita arguit ſupplementum D. Thom. *q. 40. art. 3. verſ. Sed contra eſt*, & Turrecr. in *c. Clerici n. 3. 23. diſt.*

23 Octavò, ſecundùm Duran. & D. Bonaventur. & poſt eos Turrec. in *d.c. Clerici n. 4. 23. diſt.* In omni tranſitu de ſtatu ad ſtatum convenienter interponitur aliqua media diſpoſitio; ſicut Novitiatus eſt media diſpoſitio inter ſtatum ſæcularem, & Religioſum: ergo inter ſtatum laicorum, & miniſtrorum Eccleſiæ convenienter ponitur diſpo-
24 ſitio media: hæc autem eſt Tonſura Clericalis, per quam illi, qui tonſurantur, à ſtatu laicorum ſeparantur, & præparantur ad ſtatum miniſtrorum: & quia ſeparantur a ſtatu laicorum, deponunt capillos, & tondentur in ſignum depoſitionis ſuperfluæ curæ temporalium. Quia verò præ-
25 parantur ad miniſterium Dei, cui ſervire, regnare

eſt; ideò raduntur in modum coronæ, quæ eſt ſignum regale. Religioſi verò non Clerci tondentur quidem, quia à ſtatu ſæcularium ſeparantur, ſed non in modum coronę, quia non applicantur ad miniſterium divinum, prout hæc habentur in *c. Duo ſunt 12. q. 1. in c. Cleros 21. diſt.* Ergo Corona non eſt ordo, ſed tantùm diſpoſitio ad ordines, ſeu ut inquit Navarr. *conſ. 4. de Sacram. non iteran.* poſt Sot. in *4. diſt. 24. qu. 1. art. 1. circa fin.* eſt quid medium inter ſtatum laicalem, & clericalem, ut eſt catechumenus inter baptizatum, & nolentem baptizari, & Novitius inter omninò ſæcularem, & Religioſum profeſſum. Sequitur Card. Bellar. *Controverſ. tom. 2. Contro. 2. lib. 1. de Cleric. cap. 11.* dicens primam tonſuram non eſſe ordinem, cùm nullum habeat officium annexum, ſed eſſe præparationem ad ordines, ut Catechiſmus ad Chriſtianiſmum. Qua ratione utitur etiam Catechiſmus Romanus, ut dicemus infrà num. 40.

Nonò, ut formaliter inquit Archid. in *d. cap. Cleros n.* 26
17. & poſt eum Bellam. *num. 4. 21. diſtin.* prima tonſura non eſt ordo, nec ibi confertur character; quia non eſt res, & ſacramentum, ſed ſignum viſibile extra, cùm forma verborum eſt ſacramentum tantùm, & ipſa gratia eſt res tantùm, & hoc ideò eſt, quia prius oportet aliquem eligere in ſortem Domini, & poſtmodum eligere ipſum in militiam. Per Clericatum autem ſignificatur electio in ſortem Domini, ſed per alios ſignificatur electio in militiam. Undè in aliis eſt propriè militia Dominica, & quia militibus debentur ſtipendia propriè; ideò in illis ſunt ſtipendii ſigna, ſcilicet characteres; ſed Clericus à prima tonſura non eſt electus ad militiam Dominicam: ergo non eſt ibi ſacramentum ordinis; ſequitur Lap. *alleg. 138. n. 11.*

Decimò, ſecundùm D. Thom. & Turrecrem. relatos ſu- 27
prà in 6. arg. In collatione cujuslibet ordinis fit mentio de aliqua poteſtate data, non autem in collatione coronæ. Ergo non eſt ordo: nam miniſtri Eccleſiæ à populo ſeparantur ad vacandum divino cultui. In cultu autem divino quædam ſunt, quæ per potentias determinatas ſunt exercenda, & ad hoc datur ſpiritualis poteſtas ordinis. Quædam autem ſunt, quæ communiter à toto Miniſtrorum Collegio fiunt, ſicut dicere divinas laudes, & ad hoc non exigitur aliqua poteſtas ordinis, ſed ſolùm deputatio ad tale officium, & hoc fit per coronam; & ideò non eſt ordo, ſed præambulum ad ordinem.

Undecimò, non apparet quam poteſtatem conſequatur 28
Clercius per primam tonſuram ad Coporis Chriſti conſecrationem; imò ſecundùm Innocen. *hic in ver. Ordo in tonſura nullum officium ſpirituale conceditur.* Et propre- 29
reà ſecundùm eum non eſt repetenda, ſi ea omiſſa reliqui ordines fuerint collati; quia recipiendo quemlibet aliorum ordinum, videtur recepiſſe poteſtatem faciendi omnia, quæ ad tonſuram pertinent. Ergo non eſt ordo, ut hìc per Collectar. *num.* 3. quia ad ordinem non tantùm requiritur, ut tradatur poteſtas ſpiritualis, cùm ordo ſecundùm Magiſtrum ſententiarum, & Theologos in 4. *diſtinct.* 24. ſit ſignaculum quoddam, in quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. Sed etiam ut relationem habeat ad 30
Euchariſtiæ Sacramentum, ad quod omnes Miniſtri Eccleſiæ principaliter ordinantur, *c. Perlectis 25. diſtin.* Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. de ſacram. ordin. cap. 2. & can. 2.* S. Thom. in 4. *diſt. 24. q. 2. art. 1. q. 2. ad* 3.

Duodecimò, materia in Ordine ſicut in reliquis Sacra- 31
mentis ita eſt de neceſſitate Sacramenti, ut ſine ea nihil perficiatur, Concilium Florentinum in decreto fidei Eugenii IV. in §. *Quinto.* Et Concilium Trident. *ſeſſ. 14. de Sacramen. Pœnitent. & Extremæ Unctionis c. 2.* ibi, *materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, & ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin. c.* 3. Materia autem Sacramenti ordi-
nis eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo: ut di- 32
ſertis verbis diffinitur in eodem decreto fidei propè fin. §. *Sextum Sacramentum.* Sed in collatione primæ tonſuræ ni-
hil traditur, ut notant Arch. & alii in *c. Degradatio de pœn.* 33
lib. 6. Ergo prima tonſura non eſt Sacramentum ordinis. Sacra enim ordinatio non ſolùm verbis, ſed etiam ſignis
exterioribus perficitur, ut habetur in Concilio Tridenti- 34
no *d. ſeſſ. 23. de Sacram. Oridin. cap.* 3. Et quamvis in collatione tonſuræ detur ſuperpelliceum; tamen hoc non eſt neceſſitatis, ſed congruitatis, ut inquit Joan. Monach. in *d. cap. Degradatio.*

Decimotertiò, Clericus primæ tonſuræ poteſt re- 35

Dd tro-

trocedere ab ordine, & habitu, & tonſuram Clericalem dimittere, *cap.1.& 3.de Apoſtat.c.1.cap.Cum olim,& c.fin. de Cler.conjug.* ergo tonſura non eſt ordo.

36 Decimoquartò, & ultimò hanc ſententiam Theologorum videtur clarè probaſſe Concilium Tridentinum, quod pluribus in locis contradiſtinguitur tonſuram à minoribus ordinibus, videlicet *ſeſſ.23.de Sacram.Ordin.c.2.* ibi: *Ut qui jam prima Clericali tonſura inſigniti eſſent per minores ad maiores aſcenderent*, & in *c.4. juncto cap. 5. ejuſdem ſeſſ. de reformat.* ſed præcipuè ponderanda ſunt verba, *cap. immediatè ſequentis*, videlicet: *Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, &c.* quæ apertè oſtendunt tonſuram à Concilio non computari inter ordines minores; ſi enim tonſura eſſet unus ex minoribus ordinibus, non fuiſſet opus illam nominatim exprimere, ſed ſatis fuiſſet ſimpliciter dicere, nullus in minoribus ordinibus conſtitutus. Et tamen Concilium non ſolùm tonſuram exprimit, ſed etiam ſejungit ab aliis minoribus, eamque uti diverſam agnoſcit, ponderando dictionem alternativam, *aut*, quæ ponitur inter diverſa, & particula, *etiam*, quæ ex ſui natura eſt augmentativa,

37 ſeu ampliativa præcedentium. Expendendum eſt etiam *cap. 17. ejuſdem ſeſſ.* ubi præcipitur Epiſcopis, ut in Eccleſia reſtituant ordinum functiones à Diaconatu ad Oſtiariatum ab Apoſtolorum temporibus receptas, & pluribus in locis aliquandiù intermiſſas: dum enim dicit ad Oſtiariatum, inſinuat Clericos primæ tonſuræ nullum habere in Eccleſia miniſterium; alioquin illius quoque functiones reſtitui juſſiſſet, ſicut aliorum ordinum. Et hunc ſenſum habuiſſe Patres Concilii ſepiùs declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres.

38 Et in ſpecie cum Epiſcopus Hieracen. dubitaſſet, an incidiſſet in pœnam ſuſpenſionis, quia cuidam extraneo ſubdito alterius Epiſcopi primam tonſuram contulerat: Sacra Congregatio cenſuit non incidiſſe; nec *cap.8.ſeſſ.23.* loquens de ordinationibus habere locum in conferentibus primam tonſuram, quæ à Concilio non habetur pro ordine, ut patet *cap.4. ſeſſ. 23. juncto cap. 5. & 3. ejuſdem ſeſſ.* Item cùm fuiſſet quæſitum, an *cap. 10.ſeſſ.7.de reform.* procedat in inſignito ſolùm charactere primæ tonſuræ: Sacra Congregatio cenſuit non procedere.

39 Rurſus dubitatum fuit, an Vicarius Capituli Sede vacante poſſit concedere litteras dimiſſorias ad primam tonſuram præſentato ad Capellam ſimplicem: Sacra Congregatio cenſuit poſſe; quia non prohibetur dare dimiſſorias ad primam tonſuram, & quia præſentatus eſt arctatus.

Advertitur, Sede Epiſcopali vacante infra annum à die vacationis Vicarium Capituli debere omninò abſtinere à dimiſſoriis concedendis ad primam tonſuram alicui, qui beneficii Eccleſiaſtici recipiendi occaſione arctatus non fuerit. & ita hodie ſervari.

40 Sed & Catechiſmus Romanus ex præſcripto Patrum ejuſdem Concilii editur, ut patet *ſeſſ.25. de indice libror. & Catechiſmo*. Idem apertè docuit *in tit. de Sacramen. Ordin. §. Jam vero*, in hæc verba: *Incipiendum eſt autem à prima tonſura, quàm quidem docere oportet quandam præparationem eſſe ad ordines accipiendos; Ut enim homines ad baptiſmum exorciſmis, ad matrimonium ſponſalibus præparari ſolent, ita cum tonſo capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad ordinis Sacramentum illis aperitur.* Et infrà: *Poſt primam tonſuram ad Oſtiarii ordinem primus gradus fieri conſuevit.*

41 Et tenendo hanc opinionem non obſtant jura, quæ aliquando inter ordines recenſent primam Tonſuram, ſeu Pſalmiſtatum: quia ut dicunt Albert.Magn. Sanct.Thom. & Palud. relati ab Archid. in *c.Cleros n.16. 21. diſtinct.* ordo multipliciter accipitur. Nam aliquando eſt nomen Dignitatis, ut cùm Epiſcopatus dicitur ordo; aliquando nomen officii, ut cùm Pſalmiſtatus dicitur ordo; aliquando nomen Dignitatis, vel Poteſtatis, ut cùm Diaconatus dicitur ordo. Ultimò modo accipitur, quando ordo dicitur Sacramentum; Et hoc modo Pſalmiſtatus non eſt ordo, ſed officium quoddam annexum ordini Lectoris. Et dicunt primam tonſuram non eſſe ordinem, ſed ſolùm diſpoſitionem ad ordines, eamque non exigi ad eſſe ordinis, ſed ad benè eſſe. Eſt enim diſpoſitio congruitatis, non neceſſitatis, ita Archid.

Sed & Card.Bellarm. *Controver. tom. 2. Contr. 3. de Cleric.lib.1.cap.11.* dicit duobus modis accipi ſolere apud Auctores ordinem Eccleſiaſticum. Uno modo propriè, alio modo communiter, propriè illi dicuntur ordines, qui certo ritu ſacro, & ſolemni conferuntur ab Epiſcopo, & ad certum miniſterium ſacrificio divino exhibendum, referuntur. Qua ratione ſeptem dumtaxat ordines numerantur. Communiter autem dicuntur ordines illi omnes, qui 42
quomodocumque dicantur divinis obſequiis, etiamſi non referantur ad ſacrificium. Et hoc modo etiam Monachi, Virgines, & Viduæ Deo ſacratæ, necnon laborantes in ſepeliendis defunctis ordines aliquando dicuntur à Patribus. Nam de ordinat. Monach. ſcribit Dionyſ. *cap. 6. Eccleſiaſt.Hierarch.* De ordine verò laborantium in ſepeliendis mortuis, Epiphanius in compendiaria Doctrina. De ordine Diaconiſſarum, Virginum, aut Viduarum, quæ ſerviebant Eccleſiæ in inſtructione Mulierum, quæ baptizandæ erant, idem Epiphanius ibidem. Quibus præhabi- 43
tis Bellarm. concludit, Canoniſtas facere novem ordines, quia diſtinguunt, Epiſcopum à Presbytero, & Lectorem à Cantore, quod Theologi non faciunt; ſed in re, inquit, non eſt diſſenſio; Theologi enim ſolùm conſiderant ordines, ut ſe habent ad ſacrificium, quo modo Epiſcopus, & Presbyter, Lector, & Cantor non diſtinguuntur. Canoniſtæ autem conſiderant ordines, ut Hierarchiam conſtituunt; & idcircò rectè diſtinguunt Epiſcopum à Presbytero. Quibus addi poteſt Pontificale Romanum in *rubr. de benedictione Abbatis*, ubi Abbas benedicendus ab Ordinario præſtat juramentum hac formula: *Ego N. Monaſterii N. ordinandus Abbas promitto, &c.* ubi patet ordinationem accipi pro benedictione, & ſic largè, & impropriè. Ad idem ſunt jura in *cap. Presbyter 32. diſtin.* ibi, *Presbyteram ſuam*, in Authen. *Diaconiſſam, Cod. De Epiſcop. & Cler.& in cap. Diaconiſſam 27. qu. 1.* dum ibi dicitur Diaconiſſam non debere ante annos 40. ordinari, ubi gloſſ. exponens illud verbum, *ordinari*, dicit: nec ordinatur hæc, ſed fundebatur ſuper eam fortè aliqua benedictio, ex qua conſequebatur aliquod officium ſpeciale.

Quæ diſtinctio videtur etiam ex mente Innocen. *hic in ver. Ordo*. Nam etſi affirmet primam tonſuram, ideſt Pſalmiſtatum eſſe ordinem, tamen ſubdit, in hoc ordine nullum officium ſpirituale conceditur, ſed in aliis ſic. Sentit ergo Innocentius primam tonſuram eſſe ordinem largè, & non eſſe Sacramentum, cùm de eſſentia Sacramenti ordinis ſit, ut ſpiritualis poteſtas tradatur ordinato, ſicut patet ex illius definitione, & ita eum intelligit, & ſequitur Lap.*alleg.138. nu. 11.* Et hac diſtinctione poſſe ad concordiam reduci diſſidentes Theologorum, & Juriſtarum opiniones, putat Turrecrem. in *cap. Cleros num. 17. 21. diſtinct.*

Sed his non obſtantibus adhæreo ſententiæ Canoniſta- 44
rum, qui in duobus diſſentiunt à Theologis, non verbo tantùm, ut putavit Bellarm. ſed re, ut fatetur Silveſt. in *ver. Ordo, primo num. 1.* Nam Canoniſtæ Tonſuram, & Pſalmiſtatum pro eodem accipiunt; Theologi dicunt aliud eſſe Tonſuram, aliud Pſalmiſtatum, ubi per Silveſt. Item Canoniſtæ ponunt novem ordines non ſimpliciter, prout ſunt gradus Eccleſiæ, ſed prout Sacramentum, & inter hos connumerant Tonſuram, & Epiſcopatum; quod non placet Theologis. Itaque primam Clericalem tonſuram, 45
ſeu Pſalmiſtatum eſſe ordinem propriè; & characterem imprimere, tenet hic gloſſ. 2. Abb. Antiq. *num. 1.* Hoſt.*in princ.& num.2.verſ.Quod non placet*, Joan. Andr. *num.12. verſ.Ex eo quod in hac forma*, Ant. de Butr. *n. 6.* Card.*q.2.* Bellarm. ſibi contrarius *quæſt. 7.* Anchar. *in fin.* & Abb. *ſub num.1.verſ.Quaero an Pſalmiſtatus*, Archid.*in cap. Pſalmiſta nu.3.*& ibi Gemin. *col.2.poſt med.verſ. Ad ſecundum*, & Præpoſ.*num.3.23.diſt.*Card.in Clem. *Dudum in princ.de ſepult.* Covarr.*in cap. Quia nos num.3. de teſtam.* latè Gemin. *in c.Cleros col.2.propè fin.verſ. Ad primum*,& latiſſimè Præpoſ. *ibi num. 4. 21. diſtin.* Et hanc eſſe communem opinionem Canoniſtarum, teſtantur Gemin. Præpoſ. & Covarr. *ubi ſuprà*, Felin.*in cap.Sicut,il terzo nu.2.de Simon.* Angel. & Silveſt.*in ver. Ordo primo ſub num.1.* quam etiam multoties ſequuta eſt Rota, & præſertim *deciſ. 731.num. 5.& 6. par.1.diverſ. & deciſ.50. par. 5. recent. ubi num.5.* affirmat, quidquid dicant Theologi, hanc eſſe magis communem ſententiam Canoniſtarum. Et ex Theologis eidem adſtipulantur Major.in *4. diſt. 24. qu. 1. col. 2.* Joannes Echius in ho-

homilia de Ordinibus, Angel. *in ver. Ordo primo num.* 1. Et Clericalem tonſuram vocat ordinem Alcuinus *lib. de divinis officiis c. 35. in 3. tom. Bibliothecæ ſacræ*.

46 Pro qua primò eſt caſus in hac decretali, cui nullatenus aptari poteſt generalis illa Theologorum ſolutio, quod nomen ordinis hìc accipiatur largè, & impropriè pro diſpoſitione ad ordines, ut dicunt Turrecr. Dominicus Sotus, & alii. Siquidem Papa de hoc dubio hìc principaliter requiſitus, deciſivè reſpondet per primam tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalis ordo confertur. Et nemo non videt hanc litteram corrumpi, ſi exponatur, per tonſuram confertur ordo, id eſt per tonſuram quis præparatur, ſeu diſponitur ad ordinem; ut propterea non mirum ſi gloſſ. 2. dixerit hìc corrigi opinionem illorum, qui negant tonſuram eſſe propriè ordinem, & Archid. in *cap. Pſalmiſta num. 3. 23. diſt.* per hanc litteram confundi opinionem Theologorum. Et Cardin. *hìc num. 1. in 3. quæſt.* non expedire ſuper hoc vexari, cùm res ſit à jure deciſa.

47 Præterea ineptum eſſet, ut Papa hìc fuiſſet fortiter requiſitus, an per tonſuram conferatur ordo Clericalis largè, & impropriè. Ergo ineptum eſt etiam, ut reſponſio, & deciſio ad ordinem largè, & impropriè ſumptum referatur, cùm reſponſio debeat congruere interrogationi, *l. 1. §. 1. & 2. ff. De verbor. oblig. leg. Is qui, §. Si fundus, ff. Quod vi, aut clam*, gloſſ. *in cap. Inter dilectos in verb. Petitioni infr. de fid. inſtrum.*

48 Ad hæc textus fundat reſponſionem in diſpoſitione ſeptimæ Synodi, quæ loquitur de Lectoratu, quem nemo negat eſſe propriè ordinem, & arguit à Lectoratu ad primam Tonſuram; & ſic à majori ad minus, ut poſt Petr. dicunt hìc Joan. Andr. *num.* 4. Butr. *num.* 13. Cardin. *quæſt.* 6. & Anchar. *num.* 2. Ineptè autem ad probandum per primam Tonſuram conferri ordinem Clericalem argueret à Lectoratu qui eſt verus ordo, ſi Tonſura eſſet officium, & non ordo propriè. Neque enim procedit argumentum de majori ad minus, *& regul. Plus de reg. jur. in 6.* niſi quando minus comprehenditur ſub majori, ut ibi not. & tradit Cardin. in Clem. *Quia contingit num. 12. de relig. domib.* Dixi in *cap. Recolentes num. 45. infr. de ſtatu Monach.* Undè ſenſus hujus textus eſt: Sicut Abbates Presbyteri, & Benedicti per Lectoratum conferunt verum ordinem, & characterem Lectoratus, ita & multò magis per primam Tonſuram conferunt verum ordinem, & characterem Clericalem. Et ex hoc tollitur reſponſio Paludani aſſerentis nomen ordinis hìc accipi pro Collegio, ſicut dicitur ordo Monachorum, vel pro gradu eminentiori in populo Chriſtiano, non autem in Eccleſia, ut dicit Vaſquez.

49 Ampliùs in collatione officii, ſeu gradus nulla certa forma ab Eccleſia reperitur præſcripta: nam in collatione Sacramentorum dumtaxat formæ ſunt præfinitæ, Conc. Florent. *in Inſtructione Armenorum in decreto fidei in §. Quinto*, Conc. Trid. *in c. 2. ſeſſ. 14. de Sacramen. Pœnitent.*
50 *& Extremæ Unctionis, & ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin. c.* 3. Sed in collatione tonſuræ ſervanda eſt forma Eccleſiæ, ut hìc dicitur, ſine qua nihil daretur, *cap. Extra Catholicam* 1. *q. 1. c. 1. §. Sacramentum ſupr. de Summ. Trinit. & fin. Cathol.* & notant hìc Doctores *in ver. juxta formam*, quos retulimus ſup. num. 4. in 2. notab. Ergo tonſura eſt Sacramentum. Et ita hæc verba videtur expendere Hoſt. *hìc n.* 9. dicens. Et ex hoc etiam quod certa forma requiritur fortiùs arguo, quod certus ordo detur.

51 Præterea ponderanda ſunt eadem verba, *juxta formam Eccleſiæ datam*. Non dicit textus datam ab Eccleſia, ſed datam Eccleſiæ, per hoc innuens Tonſuram eſſe Sacramentum, qui Sacramenta omnia, & conſequenter materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, ut habetur *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. & Extrem. Unct. cap. 2.* ſunt immediatè ex inſtitutione Chriſti, non autem Eccleſiæ. S. Thom. in *3. p. quæſt. 60. art. 3. 5. & 7.* eſt diffinitum à Tridentina Synodo de ſacramentis omnibus in *can. 1. ſeſſ. 7. de ſacram.* & in ſpecie *de Ordine in can. ſeſſ. 23. de ſacramen. Ordin.* & ſcripſi plenè *in cap. fin. à num. 13. infr. de ſacram.*
52 *non iteran.* Et quamvis hujuſmodi formæ omnes non habeantur ex ſacris litteris; tamen ut ex S. Dionyſ. obſervat S. Thom. in *4. diſt. 7. qu. 1. art. 1.* hæc occultanda erant in primitiva Eccleſia propter irriſiones gentilium. Et propterea idem S. Dionyſ. *in fin. Eccleſiaſt. Hierarch.* excuſat ſe à determinatione formarum ſacramentalium.

Demùm præparatio, ſeu diſpoſitio ad formam, non 53
eſt ipſa forma, *l. Fundi, §. Labeo, ff. De action. empt. l. Granaria eod. tit.* Sicut diſpoſitio ad ignem non eſt ignis. Sed in collatione primæ tonſuræ Clericalis ordo confertur, ut formaliter hìc dicitur. Ergo tonſura non eſt diſpoſitio ad or- 54
dinem, ſed ordo. Et ita in hoc textu, ut ſuprà ponderato eſt aperta deciſio pro ſententia Canoniſtarum ſtamus ergo litteræ; quia in manifeſtis non ſunt extenuanda, quæ ſcripta ſunt; ut inquit Jo. Andr. in *cap. Super ſpecula in fin. infr. ne Cler. vel Monach.*

Secundò pro hac ſententia videtur textus clarus in *cap.* 55
Non oportet, il primo 44. diſtinct. dum dicit, Non oportet Clericos Deo ſervientes à Presbyteris uſque ad Subdiaconos, & deinceps omnes Eccleſiaſtici ordinis uſque ad Miniſtros, aut Lectores, aut Oſtiarios, aut Pſalmiſtas, aut qui in propoſito continentiæ ſunt, tabernas, niſi cauſa neceſſitatis intrare. Ecce ſub determinatione Eccleſiaſtici ordinis cum Lectore, & Oſtiario pariformiter comprehendit Pſalmiſtam, id eſt Clericum primæ tonſuræ. Et ita hunc Canonem ad hoc expendit Præpoſ. in *cap. Cleros num. 4. 21. diſtin.* Quo textu etiam confunditur opinio Theologorum, qui dicunt Pſalmiſtatum eſſe officium Lectori annexum: nam ibi Lector, & Pſalmiſta ponuntur tamquam ordines diverſi, tum ponderando dictionem alternativam, *aut*, tum quia Pſalmiſta ponitur poſt Oſtiarium, quod incongruè fieret, ſi eſſet officium annexum Lectori. Et eo magis, quia hujuſmodi ordines non ponuntur ibi reſpectu miniſterii in Eccleſia peragendi; quo caſu admitti poſſet diſtinctio inter Lectorem, & Pſalmiſtam; ſed ponuntur reſpectu ingreſſus tabernæ. Quod ſi officium Pſalmiſtæ incumberet Lectori, & ſic eſſet eadem perſona Lector, & Pſalmiſta, quid opus fuiſſet prohibere ingreſſum tabernarum diſtinctè non ſolùm Lectoribus, ſed etiam Pſalmiſtis, & inter hos interſerere Oſtiarios? Numquid Clericus in taberna aliquando conſideratur, ut Lector aliquando, ut Pſalmiſta, ſeu Cantor? Similis eſt in *c. Si quis Epiſcopus 27. q. 1.* ibi, ut Lector, aut Pſalmiſta, aut Oſtiarius, *& in c. 1. 35. diſtinct.* quod eſt deſumptum ex *Canone Apoſtolorum* 42. ibi: *Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens*, (id eſt ebrietati deſerviens) *communione privetur*. Cantor enim, & Pſalmiſta idem ſunt, ut in *c. Pſalmiſta 23. diſtinct.* Ad idem textus in *c. Clericum 72. diſtin.* ibi: *Clericorum autem nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retinent*.

Tertiò adducitur text. *in d. cap. Cleros 21. diſtinct.* ubi 56
Iſidor. recenſet ſingulos ordines per hæc verba: *Quorum gradus, & nomina ſunt hæc, Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter,*
Epiſcopus. Ecce igitur novem ordines in Eccleſia. Con- 57
cordat text. *in cap. Perlectis 15. diſt.* Et quamvis utrobique Iſidor. hos appellet gradus Eccleſiæ: tamen pro gradibus intelligit ordines Eccleſiaſticos; tum quia ſub determinatione Pſalmiſtatus, & Epiſcopatus ponit etiam reliquos ſeptem ordines, de quibus non ambigitur quin ſint ordines propriè. Undè ſuccedit regula, *l. Jam hoc jure, ff. de vulgar. cap. Tranſlato de Conſtitut.* tum quia paulò ſuperiùs meminit Mathiæ, quem primum poſt Apoſtolos legimus ordinatum, & frequens eſt apud ſacros Canones, ut graduum Eccleſiaſticorum appellatione comprehendantur ordines tam minores, quàm ſacri, *cap. 2. & cap. Miramur de ſerv. non ordinan. cap. In ſingulis, & c. Quicumque 77. diſtin. cum multis ſimil.* Concil. Trident. *ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin. c. 4.*

Nec refert, quod in ordine ponat Pſalmiſtatum poſt 58
Oſtiariatum: quia in hoc videmus variè per ſacros Canones obſervatum fuiſſe: nam ut vidimus in præcedenti fundamento Pſalmiſtatus in *d. c. Non oportet, il primo 44. diſt.* ponitur ſuo loco ultimus, & inferior Oſtiariatu, idemque fit in Concilio Carthaginenſi, ut mox dicetur, & in *d. c. Perlectis 25. diſt.* ponitur immediatè poſt Acolythum. Et fortè hoc fecit Iſidor. ne incipiendo à Pſalmiſtatu præberet alicui anſam exiſtimandi Pſalmiſtatum non eſſe ordinem, ſed præambulum ad ordines; & ideò illum inter alios minores interſervit. Vel fortè id fecit propter ſimilitudinem, quam habet cum ordine Lectoratus: nam Pſalmiſta, qui & Cantor appellatur, officium habet canendi Pſalmos, ſicut Lector legendi alias prophetias,

ut dicetur in 16. fundamento; non autem poſuit Pſalmiſtam ante Lectorem, eò quod ſit officium Lectori annexum: nam ſi hoc eſſet, potiùs præponi debuiſſet Lectoratus, & poſteà poni Pſalmiſtatus, ut quid annexum, & con-
59 mitans ordinem Lectoratus; quia acceſſorium ſequitur, & non præcedit ſuum principale, & acceſſio, ſeu annexio non poteſt fieri niſi rei, quæ præexiſtit, *l. Pomponius*, *§. finali*, *ff. De acquir. poſſeſſ. l. In uſucapione circa princ. ff. De diverſ. & tempor. præſcript.*

60 Præterea cur Iſidor. expreſſit tamquam diſtinctum hoc officium Lectoris, & de nullo alio ordine hoc fecit, cùm tamen alii quoque ordines minores habeant varia officia, ſeu miniſteria; Nam Oſtiarium oportet percutere Cymbalum, & Campanam, aperire Eccleſiam, & Sacrarium, & librum aperire ei, qui prædicat, ut in Pontif. Rom. in *tit. de ord. Oſtiar.* Et Acolythum oportet Ceroferarium ferre, luminaria Eccleſiæ accendere, vinum, & aquam ad Euchariſtiam, ſeu ad miniſterium ſanguinis Chriſti miniſtrare, ut in *tit. de ordinat. Acolythor. & in d. c. Perlectis*, *§. Ad Acolythum*. Præſertim verò, quia officium legendi, & canendi non tam differunt, ſicut prædicta miniſteria Oſtiarii, & Acolythi, ut propterea oportuerit in ſolo Lectoratus ordine conſtituere diſtinctum officium, illudque appellare peculiari nomine Pſalmiſtatus, arg. ad hoc, *l. Si idem*, *C. de Codicill.*

Et confirmatur, quia Concilium Carthaginenſe IV. cujus Canones referuntur in *c. Epiſcopus cum plurib. ſeqq.* 23. *diſt.* decens ritum cujuſque ordinis, incipiendo ab ordine Epiſcopatus, etiam de Pſalmiſtatu, ſicut de aliis ordinibus ſingillatim edidit particularem Canonem, videlicet *c. Pſalmiſta*, & cum poſuit ultimo loco poſt Oſtiarium, quod ſimiliter demonſtrat Pſalmiſtatum non eſſe officium Lectori annexum, cùm inter Lectorem, & Pſalmiſtam interponatur Oſtiarius. Et idem patet ex Pontificali Romano, ubi titulus de officio Pſalmiſtatus, præponitur titulo de or-
61 dinatione Oſtiariorum. Sed apertiſſimè id convincitur ex eodem Pontificali, quod poſt titulos de degradatione ab ordine Lectoratus, & de degradatione ab ordine Oſtiariatus, ſubjicit titulum de degradatione à prima Tonſura, & ibi primò præſcribit formam, qua Clericus primæ tonſuræ actualiter degradatur, videlicet, *Exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali, &c.* Deindè à Pontifice eum tondente dicitur, *Te velut ingratum filium à ſorte Domini, ad quam vocatus fueras abjicimus, & coronam de tuo capite amovemus*. Demùm privatur officio Pſalmiſtæ his verbis: *Quod ore cantaſti, corde non credidiſti, nec opere implevisti, ideo cantandi officium in Eccleſia Dei à te amovemus*. Ex quibus verbis apparet manifeſtè Pſalmiſtatum non eſſe officium annexum Lectori, ſed primæ tonſuræ, quia Clericus ſolummodò tonſuratus non habet Lectoratum, & tamen privatur officio Pſalmiſtatus, ut ibi etiam legitur in margine: Et eo magis, quia de degradatione Lectoris actum fuerat ſuprà ſuo loco ante titulum de degradatione Oſtiarii.

62 Quartò pro ſententia Canoniſtarum affertur text. in *c. Degradatio de pœn. lib. 6*, ubi Bonifacius VIII. præſcribens formam ſolemnis degradationis; Clericus, inquit, degradandus veſtibus ſacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud inſtrumentum, ſeu ornamentum ad ordinem ſuum ſpectans, ac ſi deberet in officio ſolemniter miniſtrare, ad Epiſcopi præſentiam adducatur, cui Epiſcopus publicè ſingula, ſive ſint veſtes, calix, liber, ſeu quævis alia, quæ illi juxta morem ordinandorum Clericorum in ſua ordinatione ab Epiſcopo fuerint tradita, ſeu collata, ſingulariter auferat, ab illo veſtimento, ſeu ornamento, quod datum, vel traditum fuerat ultimò, inchoando, & deſcendendo gradatim, degradationem continuet uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione tonſuræ; tuncque radatur caput ejus, ſed tondeatur, ne tonſuræ, ſeu Clericatus veſtigium remaneat in eodem.

63 Ex quo contextu multipliciter oſtenditur, tonſuram eſſe propriè ordinem, & primo ſolemnis degradatio nihil eſt aliud, quàm actualis depoſitio ab ordinibus ſuſceptis, ut ibi dicitur: Et in Pontificali Romano in *rubr. de degradationis forma, verſ. Et talis degradatio.* Sed Clericus primæ tonſuræ ſolemniter degradatur, ut conſtat ex illis verbis: *Degradationem continuet uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione tonſuræ.* Concordat text. in *cap. Si quis Epiſcopus* 27. *q.* 2. qui loquitur de depoſitione Pſalmiſtæ, & de ſolemni degradatione intelligitur ab Hugone, ut refert Archid: *in dict. c. Degradatio n. 4. verſ. Clericus cujuſcumque gradus*. Idem tenet ibi Joannes Andreas *num. 4. in ver. Primam veſtem*, dicens: Quia in tonſura, vel Pſalmiſtatu nihil traditur, videtur aliquibus degradationi locum non eſſe. Sed iſta littera probat contrarium. Sequitur ibi Gemin. *col. 4. verſ. Quæro an degradatio poſſit fieri in exiſtente in prima tonſura*, Anchar. *n. 5. verſ. Et quia in prima tonſura*, & Franc. *in §. Actualis n. 4. in ult. notab.* Ergo Clericus primæ tonſuræ actualiter deponitur ab ordine, & conſequenter ordinem habet, aliàs non eſſet poſſibile, ut actu deponeretur ab ordine, quem non haberet actu, ſed tantùm potentia, & diſpoſitione. Et confirmatur ponderando illa verba: *Exuimus* 64
te ordine, beneficio, & privilegio Clericali, quæ non minùs ſunt referenda ad Clericos primæ tonſuræ, quàm aliorum ordinum, cùm textus de omnium degradatione promiſcuè loquatur, *c. Majores, verſ. Cæterum ex vi litteræ infr. de Baptiſ.* Et patet manifeſtè ex Pontificali in *tit. de degradatione à prima tonſura*, ubi forma degradationis Clerici primæ tonſuræ præſcribitur his verbis: *Auctoritate Dei omnipotentis, &c. Tibi auferimus habitum Clericalem, & nudamus te religionis ornatu, atque deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali, &c.* Si igitur tonſuratus, ſpoliatur, & exuitur ordine, 65
neceſſe eſt, ut ordinem habeat, cùm privatio præſupponat habitum, *cap. Ad diſſolvendum de deſponſat. impub. capit. Ex parte de reſtit. ſpoliat. l. Deum, ff. De verborum obligatione cum concordant.* Et ita in propoſito arguit Archid. in *cap. Subdiaconus in princip.* & ibi etiam Præpoſ. *num. 1. verſ. Si enim non imprimeret characterem, non deponeretur 77. diſtinct.* Præterea ab officiis, ſeu dignitatibus non fit a- 66
ctualis degradatio, ſed verbalis tantùm depoſitio, ſeu privatio per ſententiam, ut declarat Pontificale Romanum in *tit. de degradationis forma*, in hæc verba: *Talis degradatio ſolemnis depoſitio vocatur: propriè tamen loquendo quis à dignitatibus, & honoribus deponitur, ſed ab ordinibus degradatur*. Hæc ibi: Sed à prima tonſura fit actualis degradatio, ut oſtenſum eſt ſuprà: ergo prima tonſura non eſt officium, ſed propriè ordo. Propterea enim in ejus 67
externa ablatione requiritur factum actualis degradationis, quia ſicut in collatione Sacramenti non ſufficit ſola voluntas, aut verbum, ſed opus eſt facto, id eſt conſecratione; S. Th. in 2. 2. qu. 39. *art.* 3. gloſſ. in *cap. Aqua in ver. Juriſdictionis infr. de conſecr. Eccleſ. vel Altar.* quia ſacra ordinatio verbis, & ſignis exterioribus perficitur, Concil. Trident. *de Sacram. Ordin. ſeſſ.* 23. *cap.* 3. Ita in Sacramenti exteriori ablatione, ſeu dum ordinis veſtigia auferuntur, voluntas, aut verbum non ſufficit, ſed neceſſaria eſt actualis degradatio, ac veluti quædam execratio, qua miles cœleſtis Militiæ ſuſceptis ordinibus, & inſignibus Clericalibus ſpoliatur, ut habetur in ead. Decretal. *Degradatio in §. Actualis*. Nihil enim tam naturale 68
eſt, quàm eo genere, quodque diſſolvere, quo colligatum eſt, *l. Nihil tam naturale, & l. Ferè, la ſeconda, ff. De regul. jur.* Et ut Bald. inquit *conſil.* 38. *Super eo num.* 1. *lib.* 3. Regula generalis eſt, quod prout quodque producitur, ſic reſolvitur, & eadem ſolemnitas, quæ requiritur ad conſtitutionem actus, requiritur ad illius deſtructionem, Rom. *conſ.* 65. *Viſo themate num.* 2. *verſ. Hoc enim, & conſ.* 116. *Viſis in princ.*

Præterea in Sacramento ordinis materia eſt illud, per 69
cujus traditionem confertur ordo, ut diffinitur in Concilio Florentino in *Inſtrum. Armenorum, ſeu in Decreto fidei poſt ſeſſ. 25. in §. Sextum Sacramentum*. Et in actu traditionis Inſtrumenti character imprimitur, ut in Pontificali Romano in *tit. de Epiſc. conſecrante*, ibi, *Moneat ordinandos, ut inſtrumenta in quibus character imprimitur tangant*. Et docet S. Bonav. in 4. *diſt.* 24. *par.* 2. *art.* 1. *q.* 4. *n.* 58. & dixi latiùs in *c. unic. nu.* 34. *infr. de ſacra Unct.* Sed in collatione 70
primæ tonſuræ traditur veſtis, ut dicitur in *d. c. Degradatio*, ibi; *uſque ad primam veſtem, quæ traditur in collatione primæ tonſuræ*. Ergo in eo actu character imprimitur. Et quamvis Joan. Monach. ibi dicat traditionem veſtis, id eſt ſuperpellicei non eſſe neceſſitatis, ſed congruitatis, tamen eum refellit Jo. Andr. *num.* 4. *in ver. Primam veſtem*, per litteram illius Decretalis. Et opinionem Jo. Monach. falſam eſſe clariùs patebit infrà in nono fundamento n. 85. & ſeqq.

De-

Deinùm prædicta Decretalis degradatio pariformiter determinat primam tonſuram, & alios ſuperiores ordines: ſed ſuperiores ſunt ordines propriè: ergo & prima tonſura, per regul. Determinabilium, de qua in *l. Jam hoc iure, ff. De vulg. & pupill.* Et in *l. Quamvis, C. De impuber. & arguendo à connexis, cap. Translato ſuprà de Conſtitut. & c. 2. de transl. Epiſcop.*

Quintò ad idem faciunt plura jura, videlicet *cap. de Apoſtat.* ibi, *relicto ordine Clericali, & habitu tamquam laici converſantur, c. 1. de vit. & honeſt. Cleric. lib. 6.* ibi, *Clerici, qui Clericalis ordinis dignitati non modicum detrahentes, cap. Cùm inter de re judic.* ibi, *tonſuratione, & cap. Eo libentius*, ibi, *& oblati ordini Clericali de ſerv. non ordinan. & §. ne vero 2. qu. 1.* ibi, *Cantores, quos omnes Clericos appellamus:* nam Cantor idem eſt quod Pſalmiſta, ut in *c. Pſalmiſta 23. diſt.*

71 Sextò ponderari poteſt pro hac ſententia Canon Apoſtolorum 25. *alias* 27. ubi ſic legitur: Ex iis, qui non ducta uxore ad Clerum promoti ſunt, jubemus ſi velint uxorem ducere Lectores, & Cantores ſolos. Qui Canon probat primò Cantores, ſeu Pſalmiſtas habere propriè ordinem in Eccleſia, cum ab Apoſtolis numerentur una cum Lectoribus inter eos, qui ad Clerum ſunt promoti, ſeu ordinati. Deindè probat Cantores eſſe diſtinctos à Lectoribus; alioquin non dixiſſet, Lectores, & Cantores. Et confirmatur ex novella Conſtitutione 123. *c.* 19. quæ habetur in Auth. *de Sanctiſs. Epiſcop. §. Presbyteros*, & eſt canonizata in *c. De perſona* 11. *q.* 1. cujus hæc ſunt verba, *Presbyteros autem, & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, omnes Clericos appellamus.*

72 Nec ſubſiſtit, quod ait Vaſq. *in 3. p. D. Th. to. 3. diſp. 237. c. 2. n.* 18. videlicet Cantores, ſeu Pſalmiſtas fuiſſe quidem in primitiva Eccleſia conſtitutos in ordine Eccleſiaſtico ſicut Lectores. Et propterea ex decreto Clementis Romani *lib. 3. Conſtit. c.* 11. Non potuiſſe quem in Cantorem ordinari, niſi ab Epiſcopo: ſed tamen poſt tempora Concilii Carthaginenſis IV. ex Conſtitutione Eccleſiæ hunc ordinem ſublatum fuiſſe, cùm conferri poſſit etiam a ſimplici Presbytero, ut habetur in *d. c. Pſalmiſta*, & hodie non eſſe ampliùs in uſu. Etenim hoc ideò dixit, quia ipſe in ea fuit ſententia, ut quatuor minores ordines non ſint Sacramentum, ut ibi affirmat. Verùm hæc opinio falſa eſt, nec vacat periculo, quia in oppoſitum ſtat diffinitio Conc. Floren. in *decreto fidei Eugenii IV. poſt ſeſſ.* 25. in *§. Sextum Sacramentum*, ubi legitur; Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem: Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem; & ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Et poſteàquam aſſignavit formam Sacerdotii, ſubdit: *Et ſic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continetur*. Si igitur Concilium ibi diffinit materiam eſſentialem ſacramenti ordinis, & exemplificat in ordinibus tàm ſacris, quàm minoribus; in ſacris quidem exprimendo peculiaria eorum inſtrumenta; in minoribus verò generaliter deſignando res ad eorum miniſteria pertinentes; idemque facit de forma eſſentiali Presbyteratus nominatim, & aliorum ordinum per relationem ad Pontificale Romanum: quis audeat negare ex diffinitione Concilii tàm majores, quàm minores ordines eſſe ſacramentum. Repugnat etiam hæc opinio diffinitioni Concilii Tridentini, quod in *c. 2. ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin.* numerant ſeptem ordines; deindè in *c. 3. & can.* 3. Abſolutè diffinit ordinem, ſive ſacram ordinationem eſſe ſacramentum. Et in *can.* 6. itidem diffinit in Eccleſia Catholica eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, ideſt Diaconis, Subdiaconis,

73 Acolythis, & reliquis, quos expreſſit in *d. c.* 3. Neque obſtat, quod Vaſquez ſubjicit *d. diſp. 237. c. 3. n.* 39. Inſtitutum Eugenii, & Concilii Tridentini non fuiſſe hanc controverſiam ſcholæ de ordinibus minoribus definire, cùm hæc definitio, neque Græcis neceſſaria eſſet, quæ illuc uſque non fuerat etiam Latinis, neque Eccleſiæ Dei, in qua cùm hæreticis hac de re nulla fuerat controverſia, ſed tantùm in ſchola inter Catholicos aliqua fuerat opinionem varietas. Id inquam non obſtat, quia ſic liceret philoſophari ſi res dubia eſſet. Sed cum manifeſtum ſit Concilium Florentinum non ſolum definiviſſe materiam in genere ſacramenti Ordines, ſed etiam in ſpecie tam ſacrorum, quàm minorum ordinum; ſacrorum quidem explicitè, minorum verò ſaltem implicitè in verbis, nu. præceden. relatis, & Tridentinum ſimiliter diffiniviſſe ſacram. ordinat. quæ ſeptem ordinibus conſtat eſſe ſacramentum, non eſt noſtrum his diffinitionibus obtrudere defectum cauſæ; quia ſacrorum Conciliorum decreta poſtquam univerſali Eccleſiæ conſenſu ſunt conſtituta, obſervaſi debent ſicut Euangelium, ut Gregor. inquit in *c. Sicut*, 15. *diſt.* & not. Hoſtien. Jo. Andr. & omnes in *c. Cùm laicis, infrà de reb. eccleſ. non alien.* Nec verum eſt ſuper hoc articulo nullum fuiſſe diſſidium inter Catholicos, & hæreticos: imò enim, cùm hæretici audacter negarent ſacram ipſam ordinationem eſſe ſacramentum, conſequenter id fortius negabant de minoribus ordinibus. Unde non ab re fuit diffinire non ſolùm ordinationem in genere, ſed etiam ſingulos ſeptem ordines eſſe ſacramentum. Accedit quod nec verum eſt prædictorum Conciliorum inſtitutum non fuiſſe dirimere controverſias inter Catholicos ſcholaſticos, imò enim illas multoties definierunt, quando Catholici cum hæreticis in aliquo articulo errabant. Et propterea in eodem decreto Eugenii in *§. Secundum Sacramentum*, diffinitur Papam poſſe tribuere poteſtatem conferendi Sacramentum Chriſmatis etiam ſimplici Sacerdoti, de quo tamen olim erat in ſcholis Catholicorum gravis controverſia, ut notatur in *cap. Pervenit*, 95. *diſt.* & in *c. unic. §. Per frontis chriſmationem*, & ibi dixi, *infrà, de ſacra Unctione*. Quinimò in hac ipſa materia ſacramenti ordinis de materia ordinis Presbyteratus, & Diaconatus nullo modo conveniebant Catholici: nam librum Euangeliorum non fuiſſe materiam Diaconatus, complures ſibi perſuadebant eo quod Euangelium quo tempore in Actibus Apoſtolorum Stephanus fuit ordinatus Diaconus nondum fuiſſet ſcriptum à quoquam Euangeliſtarum, ut dixi in *dict. cap. unic. num.* 17. *& ſeq.* & traditionem Calicis cum vino, & patenæ cum Hoſtia non eſſe eſſentialem tradiderunt Innoc. Hoſtien. & Canoniſtæ ferè omnes in *eod. cap. un.* ut ibidem adnotavimus num. 4. Et tamen Concilium Florentinum utrumque articulum diffinivit. Et in Concilio Trident. ut alia exempla omittamus, *ſeſſ. 24. de matrim. can.* 3. damnantur qui dixerunt Eccleſiam non poſſe diſpenſare in nonnullis conſanguinitatis & affinitatis gradibus, qui in Levitico exprimuntur; cùm tamen de hoc non levis eſſet controverſia in ſcholis inter DD. quos noviſſimè citat Thom. Sanch. *de matrim. lib. 8. de impedim. diſp. 6. num.* 10. *&* 11. *& lib. 7. diſput. 52. numer. 5. & ſeq.* & idemmet Vaſq. *eod. tom. 3. diſp. 240. cap. 3. num.* 26. affirmat à Concilio Trident. *ſeſſ. 23. de ſacram. ordin. cap. 3. & can. 6. & 7.* diffinitum fuiſſe Epiſcopatum jure divino inſtitutum fuiſſe ſuprà Sacerdotium; cùm tamen multi ex Catholicis ſenſiſſent hoc diſcrimen inter Epiſcopos, & Sacerdotes non jure divino, ſed eccleſiaſtico conſtitutum eſſe; idcircò enim, ut ipſe ait *ſub num.* 27. Patres ſententiam Catholicorum damnaverunt, quia in hac re Catholici ex parte cum hæreticis communem ſententiam habuerunt. Qua de re nos latè diſſeruimus in *cap. Quanto, à num. 6. uſque ad num.* 20. *de conſuet.* Adde univerſalium Conciliorum inſtitutum fuiſſe non ſolum hæreticorum dogmata confutare; ſed etiam Catholicos ſanam, & orthodoxam fidem docere, ut ſublatis erroribus puritas ipſa Euangelii in Eccleſia conſervetur, ut habetur in d. decreto Conc. Trid. *de Canon. ſcript. ſeſſ.* 4. & ſæpè alibi.

Demum non credimus eſſe conſonam veritati illam varietatem ordinum minorum in Eccleſia, quam prædictus author comminiſcitur in *d. cap.* 2. nec quod in ſpecie aſſerit *num.* 29. videlicet Acolythorum nullam apud antiquos, qui propè tempora Apoſtolorum fuerunt, haberi mentionem, etiam apud eos, qui de aliis ordinibus eccleſiaſticis meminerunt, cum poſt tempora Cypriani, & Cornelii, qui ducentis, & quinquaginta annis poſt Chriſtum floruerunt, illius mentionem apud Patres factam inveniamus. Etenim oppoſitum docet apertè Conc. Trid. *ſeſſ. 23. de ſacramento Ordin. c.* 2. in hæc verba: *Et ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur*. Si igitur ſecundùm Canonem

(right-margin numbers beside the right column, in order: 74 at "controverſias inter Catholicos ſcholaſticos", 75 at "articulum diffinivit", 76 at "& lib. 7. diſput. 52", 77 at "Demum non credimus")

nonem Apoſtolorum ordo Cantorum, ſeu Pſalmiſtarum ab initio Eccleſiæ fuit unus ex minoribus ordinibus, ut admittit Vaſq. Et omnes ordines non ſolùm ſacri, ſed etiam minores ſunt Sacramentum, ut monſtratum eſt ſupra: hinc ſequitur manifeſtè, ut idem ordo non potuerit contra-
79 ria Eccleſiæ conſtitutione ſupprimi, aut deſuetudine aboleri: nam ut idemmet Vaſquez affirmat *eodem tom. 3. diſput. 240. cap. 3. num. 29. in fin.* quæ pertinent ad eſſentiam Sacramenti, qualia ſunt miniſter, materia, & forma illius, ita eſſe jure divino ſtatuta, & diffinita, ut diſpoſitioni juris humani, & Eccleſiaſtici nullo modo ſubdita ſint, concors Catholicorum ſententia eſt: & patet ex decreto Concil. Trident. *ſeſſ. 21. de commun. ſub utraque ſpecie cap. 2.* ubi habetur hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi magis expedire judicaret, ſed ſalva illorum ſubſtantia, quod fuſius explicavimus in *c. fin. n. 13. & ſeqq.*
80 *de ſacram. non iteran.* Quòd ſi Cantorum, ſeu Pſalmiſtarum ordo eſt Sacramentum, conſequenter & Clericalis Tonſura Sacramentum eſt, cùm ex unanimi Canoniſtarum ſententia idem ſit Pſalmiſtatus, & prima tonſura, ut patet ex dictis in præcedentibus fundamentis, præſertim numero 55. & 64. alioquin præter tonſuram, & quatuor minores, daretur in Eccleſia alius ordo ex minoribus, quòd nemo dixerit. Pſalmiſtatum verò, ideſt primam tonſuram in deſuetudinem non abiiſſe, docet quotidianus Eccleſiæ uſus, Unde Innocen. *hic in fin.* Imò, inquit, aliqui dixerunt hunc ordinem Pſalmiſtatus abiiſſe in deſuetudinem, quod nos non credimus: cujus dictum referunt, & ſequuntur Joan. Andr. Butr. Card. & reliqui omnes.

81 Septimò favet huic ſententiæ Concilium Triburienſe *cap. 2. tom. 7. concil. pag. 151. col. 2. in impreſſ. Pariſienſ.* ubi ſic legitur: *Si quis irreverens timorem Domini poſtponens in ſervos ejus ſævire præſumpſerit, quos ipſe præ cæteris ſibi ſegregavit, & coronæ ſuæ ſimilitudinem tradente Apoſtolorum Principe geſtare fecit, ſortemque illorum ſe conſtituit, ſicut de eis ſcriptum eſt, Ego hæreditas eorum, Dominus hæreditas mea eſt.* Et hæc prima pars manifeſtè loquitur etiam de Clericis primæ tonſuræ; qui per eam à populo ſegregantur, coronam geſtant, ſervi Dei ſpecialiter dicuntur, & in ſortem, hæreditatemque Domini aſſumuntur, ut patet in *cap. Cleros 21. diſt. in c. Duo ſunt 12. qu. 1. in cap. Cum ſecundum de præben. & in cap. 2.* & ibi gloſſ. *in ver. Omnibus ſervis de Cler. venat.* Ex proprietate vocabuli veniunt Clericorum appellatione, gloſſ. in Clem. 2. in *ver. Clericus de vita, & honeſt. Cleric.* Deindè proſequitur Concilium: *Si quis, ut diximus, ullum eorum quocumque ordine conſecratum cæſis vulneribus, vel quibuſcumque injuriis anguſtiaverit, &c. conſtringat protervum Epiſcopus authoritate Canonica, ut eidem Clerico, qui contra divinas, & humanas leges contumelias ingeſſit, juſtam, & debitam perſolvat compoſitionem.* Hæc ibi. Et hæc quoque poſteriora verba, *Si quis, ut diximus ullum eorum quocumque ordine conſecratum*, ſimiliter referri debent etiam ad Clericos primæ tonſuræ; tum quia illa dictio, *ullum*, eſt univerſalis diſtributiva, & includit ſingulos gradus in priori parte Canonicis comprehenſos: tum quia illa verba, *ut diximus*, habent relationem ad præcedentia. Atque ita etiam Clerici primæ tonſuræ dicuntur ordine conſecrati. Hæc autem verba non congruunt, niſi ordini à Chriſto in Sacramentum inſtituto, quia ſacra ordinatio, verè, & propriè eſt Sacramentum, ut diffinitur in Concil. Trid. *ſeſſ. 23. de ſacramen. ordinat. can. 3.*

82 Et confirmatur ponderando illa verba, *contra divinas, & humanas leges*, quæ oſtendunt etiam Clericos primæ tonſuræ jure divino gaudere privilegio Canonis, ſicut jure divino gaudent privilegio fori, *cap. Si Imperator 96. diſt.* & dicemus infra in decimonono fundamento nu. 112. Ergo Clericalis tonſura eſt ex Inſtitutione Chriſti; alioquin Clerici non jure divino, ſed Eccleſiaſtico tantùm ſortiti eſſent hæc privilegia.

83 Octavò, multum habet ponderis ipſa Pſalmiſtatus, ſeu Clericalis tonſuræ origo, & antiquitas, nam de Cantoribus, qui iidem, ac Pſalmiſtæ, ut in *d. c. Pſalmiſta 23. diſt.* & fatentur Theologi, ut dictum eſt ſup. num. 15. & 19. habetur mentio tàm in Canonibus Apoſtolorum 25. & 42. *relatis in 2. & 6. fundam.* quàm in Decreto Clementis Romani, qui fuit quartus Pontifex poſt Petrum Apoſtolum, ut ſimiliter dictum eſt ſuprà in textu fundamento. Quorum etiam meminit præter alios antiquos Ignatius Martyr Epiſcopus Antiochiæ ab ipſo Petro conſtitutus in *Epiſtola ad Antiochenſes, quæ eſt 9. alias 12. propè fin.* ubi ſalutat Presbyterum eorum, & Diaconos, deindè poſt pauca ſalutat 84
Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, &c. Et ex Concilio Triburienſi proximè relato conſtat Clericalem tonſuram tradente Apoſtolo Petro in Eccleſiam fuiſſe derivatam; cujus rei etiam fit mentio in Epiſtola Aniceti, quę refertur à Gratiano in *c. Prohibetur 33. diſt.* ſed & Iſidor. *l. 2. de off. Eccleſ. c. 4.* ſcribit hunc uſum tonſuræ in Eccleſiam Euangelicam, & perſonas Eccleſiaſticas fuiſſe derivatum ex tonſura Nazaræorum, qui in lege veteri tondebantur; & hoc ritu fuiſſe tonſos Ezechielem, ut dicitur *c. 5.* ſuæ prophetiæ, & Priſcillam, & Aquilam, & Paulum in Actibus Apoſtolorum *c. 18.* ut quemadmodum Nazaræi in veteri lege divino cultui mancipati crine præciſo innovabantur, ſic etiam Clerici eodem ritu ſuam innovationem denotent. Qua de re plura apud Card. Baron. *anno 58. n. 122.* Et in *notis ad Epiſt. Aniceti tom. 1. concilior. pag. 87. col. 2. Lutetiæ Pariſior.* Ex hujuſmodi autem antiquitate videtur colligi non obſcurè Pſalmiſtatum, ſeu Clericalem tonſuram non ex inſtitutione Eccleſiæ, ſed divina traditione ad nos perveniſſe, ac proindè Sacramentum eſſe. Quo argumento utuntur plerique ex Theologis ad probandum quatuor minores ordines eſſe Sacramentum. Confert decretum Concilii Tridentini *de Canonicis ſcripturis ſeſſ. 4.* ibi, *traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt, &c.* Et Clericatum, ſeu tonſuram eſſe de jure divino, pluribus probat Card. Cajet. *to. 2. opuſc. in tr. 9. de Simon. q. 1. poſt prin. verſ. Clericatum eſſe ex jure divino.*

Nonò, probat Canoniſtarum ſententiam Pontificale 85
Romanum. Primò ex ipſa nuncupatione in *tit. de Cleric. facien.* ibi, *pro Clericis ordinandis parentur forfices pro incidendis capillis*, & ibi, *Quilibet ordinandorum habere debet ſuum ſuperpelliceum ſuper brachium ſiniſtrum.* Necnon in fine ibi, *ordinati*, ideſt prima tonſura inſigniti, *redeunt ad loca ſua.* Et in *tit. de ordinib. conferen.* ibi, *ordinati ad primam tonſuram.* Et in *tit. de ordin. Oſtiar.* ibi, *Pontifex Clericis ordinatis ſurgit*, loquitur enim de Clericis primæ tonſuræ. Deindè ex præambulis ad tonſuram: nam ad eam præmittitur ſcrutinium, & reliqua omnia ad eum modum, quo pręmittuntur ad alios minores, ut in *ead. rubr. de ordin. confer.*

Tertiò ex ſolemnitate, qua confertur tonſuræ; nam in 86
generalibus ordinationibus tonſuræ, ſicut & reliqui ordines dantur à Pontifice ſedente cum Mitra inter Miſſarum ſolemnia, ut in *ead. rubr. verſ. Si ordinationes fiant.*

Quartò ex materia, & forma, quæ in collatione ton- 87
ſuræ adhibentur, ut in *tit. de Cleric. facien.* ibi, *Pontifex ſedet cum Mitra*, & accipiens in manibus ſuperpelliceum dicit ſingulis: *Induat te Deus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Et mox imponit illud ſeriatim cuilibet repetendo, *Induat te.* Quod enim ſpectat ad materiam exiſtimo characterem imprimi in traditione ſuperpellicei, quę videtur res proportionata ad miniſterium canendi divinas laudes; non autem in ipſa tonſuratione, quia in eo actu tantummodo tondentur capilli, & nihil traditur; & ſic deeſt materia quæ in Sacramento ordinis eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo ſecundùm diffinitionem Concilii Florentini, ut dictum eſt ſuprà in 4. fundamento num. 69. *verſ. Præterea in Sacramento*: nec Pontificale ibidem habet tonſos pro ordinatis, niſi poſt traditionem veſtis. Quo verò ad formam verius videtur eam contineri ſub illis verbis Pontificalis, *Induat te Deus novum hominem*, &c. quæ pronunciantur à Pontifice ſedente cum Mitra in ipſo actu traditionis veſtis. Et in ſingulis ordinandis ſeriatim repe- 88
tuntur. Non enim tranſit abſque difficultate, quod ait Abb. Antiq. *hic in princip.* & Hoſt. in *ver. Eccleſiæ*, videlicet formam in collatione tonſuræ, ſeu Pſalmiſtatus eſſe illam, quæ habetur in *cap. Pſalmiſta 23. diſtin.* ideſt, *Vide ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credideris, operibus compleas.* Tum quia Pontificale Romanum in *rubr. de off. Pſalmiſtatus*, relatis ad litteram verbis *d. c. Pſalmiſta*, ſubdit in fine: Etſi Epiſcopus Clericum ordinans hęc faciat, benè facit. Quod ſatis clarè indicant verba illa, *Vide, &c.* ordi-

ordinatione Clerici primæ tonſuræ non eſſe neceſſitatis,
ſed congruitatis: Tum quia illius formæ nulla ſit mentio
in *tit. de Cler. facient.* ubi habetur ritus ſervandus in col-
latione tonſuræ. Quod tamen omitti non potuiſſet, ſi il-
la eiſet forma eſſentialis; alioquin Eccleſia Romana do-
cuiſſet ritum non integrum in ordinatione Clerici, quod
ſine errore affirmari non poteſt. Quare cùm certum ſit in
collatione tonſuræ formam eſſe adhibendam, ut apertè
probatur hìc in illis verbis. Juxta formam Eccleſiæ datam:
oportet fateri formam contineri ſub verbis, quibus ex præ-
ſcripto Pontificalis utitur Pontifex in collatione tonſuræ,
videlicet *Induat te, &c.* cum ibi in *tit. de Cler. facien.* aliam
non habeamus. Niſi fortè dixerimus Pontificale expreſſiſ-
ſe formam illam, *Vide ut quod ore cantas, &c.* in *tit. de offic.
Pſalmiſtatus*, quem poſuit paulò ante titulum *de Cleric. fa-
cien.* & cum Pſalmiſtatus juxta Pontificale ſit officium an-
nexum primæ tonſuræ, ut oſtenſum eſt ſup. in 4. funda-
mento n.64. verſ. *Et confirmatur*. Et ideò pro tonſura ipſa
à ſacris Canonibus, & Canoniſtis accipiatur, ut ſimiliter
monſtratum eſt in ſecundo fundamento pro hac ſententia
n.55. ſatis fuit, ut Pontificale prædictam formam exprime-
ret ſuo loco, ubi in ſpecie egit de Pſalmiſtatu, licèt illam
non repetierit in *tit. de Cleric. facien.* Quod ex eo etiam
confirmari poteſt, quia in *tit. de degradatione*, à prima
tonſura expreſsè cavetur, ut Epiſcopus ſi velit, dicat Cle-
rico degradando: *Quod ore cantaſti, corde non credidiſti,
nec opere complevisti, ideò officium cantandi in Eccleſia Dei
à te amovemus.* Quòd neceſſariò ſupponit illa verba fuiſ-
ſe prolata, & poteſtatem canendi traditam in collatione
primæ tonſuræ. Et tenendo hanc opinionem Abbatis An-
tiqui, quæ videtur à Canoniſtis recepta, non obſtant ver-
ba, quæ ponuntur in fine rubricæ de officio Pſalmiſtatus.
Quoniam in principio ibi dicitur: Pſalmiſta poteſt abſque
licentia Epiſcopi ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipe-
re cantandi, dicente ſibi Presbytero, *Vide ut quod ore can-
tas. &c.* Dum autem poſteà ſubjungitur. Si Epiſcopus
Clericum ordinans hæc faciat, benè facit; ſenſus eorum
verborum videtur eſſe: Pſalmiſta, ſeu Clericus primæ ton-
ſuræ ordinari poteſt etiam à Presbytero ſine juſſione Epi-
ſcopi per illa verba, *Vide ut quod ore cantas, &c.* Sed ſi Epi-
ſcopus ipſe Clericum ordinet, pronunciando illa verba,
bene facit, Quo ſenſu congruentia non refertur ad formam,
ſeu prolationem verborum, ſed ad ipſam ordinationem, li-
cèt primus intellectus videatur magis congruere litteræ.
89 Quintò & ultimo, idem colligitur ab effectu, qui ordi-
nationem conſequitur: nam in tonſura, ſicut & in aliis or-
dinibus datur Spiritus ſanctus, ut patet in ead. rubr. Ponti-
ficalis *de Cler. facien.* ubi Pontifex recitat orationem, di-
cens: *Oremus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro his fa-
mulis ſuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro ejus
amore feſtinant, ut donet eis Spiritum ſanctum.* Et ſic in col-
latione tonſuræ confertur gratia, *c. Omnes, & cap. Spiritus
ſanctus, de conſecr. diſt.* 5. Concil. Triden. *ſeſſ.* 23. *de Sacram.*
90 *Ordin. can.* 4. Ergo tonſura eſt Sacramentum, quia in ſo-
lis Sacramentis gratia confertur, non autem in ſacris, &
cęremoniis non eſſentialibus, aut præambulis ad Sacra-
mentum, ut docet S. Thom. in 1.2. *qu.* 108. *art.* 2. *ad ſecun-
dum.* Et proprium eſt Sacramentorum conferre gratiam
gratum facientem, ut inquit Richard. in 4. *diſt.* 24. *ar.* 4. *q.* 1.
91 Decimò, principaliter Canoniſtarum ſententia probatur
rationibus: nam in actibus Eccleſiæ ſpiritualia corporali-
bus reſpondent; exteriora enim fiunt propter interiora,
92 *cap. Sacrificium, de conſecrat. diſt.* 2. Undè Sacramentum à
Concilio Tridentino in *c. ſeſſ.* 13. *de Sacram. Euchar.* diffini-
tur eſſe Symbolum rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ forma vi-
ſibilis. Et ordo ut dictum eſt ſuprà à Theologis diffinitur
eſſe ſignaculum quoddam quo traditur ordinato ſpiritualis
poteſtas: & dicitur ſignaculum, id eſt cum exteriori ſigno
traditum, ſecundùm Petr. de Palude apud Silveſt. in *ver.
Ordo primo princip.* ſed prima Clericalis tonſura traditur
cum exteriori ſigno coronæ, & impoſitionis veſtis, ut in *c.
Degradatio, §. Actualis de pœn. lib.* 6. Et in Pontificali Ro-
93 mano, ut eſt dictum n.87. Ergo ſignatum interius in anima
ei reſpondet: ſed ſignatum interius in anima eſt character,
qui nihil aliud importat, niſi quandam ſignationem. Sanct.
Thom. in 3. *p. q.* 4. *art.* 1. & patet ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 6.
de Sacramen. can. 9. ibi, *Characterem in anima, hoc eſt
ſignum quoddam ſpirituale, &c.* Ergo prima tonſura im-
primit characterem, & ita eſt propriè ordo: nam chara-
cter interior eſt eſſentialiter, & principaliter Sacramen-
tum ordinis, ut inquit D. Thom. in 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *art.* 1. *q.*
2. *ad primum.*
Undecimò, ſicut ab Epiſcopo datur Confirmatio, & 94
alii ordines; ita & prima tonſura: nam etſi Abbates Pres-
byteri, & benedicti, vel habentes juriſdictionem quaſi E-
piſcopalem poſſint tonſuram conferre, ut hìc, & in *c. Abba-
tes, de privileg. in* 6. ut dictum eſt ſuprà n.6. tamen hoc pro-
venit ex conceſſione Eccleſiæ. At jure ordinario ſolus E-
piſcopus eam confert. Supplementum Div. Thom. *qu.* 38.
art. 1. *in corpore, & q.* 40. *art.* 2. *ad ſecundum.* Undè Cle-
mens Romanus *lib.* 3. *Conſtitut. c.* 11. docet Presbyterum,
ſeu Sacerdotem non habere poteſtatem ordinandi Lecto-
res, aut Miniſtros, aut Cantores, aut Janitores, ſed Epiſco-
pis tantùm hoc convenire, quia inquit, hìc eſt ordo, & har-
monia eccleſiaſtica. Et ſolùm Epiſcopum eſſe ordinarium
miniſtrum Sacramenti ordinis, diffinitum eſt à Concilio
Florentino in *Inſtructione Armenorum, §. Sextum Sacra-
mentum*, & à Triden. *ſeſſ.* 22. *de Sacramen. Ordin. c.* 4. *& can.*
7. Sed in Confirmatione, & aliis ordinibus imprimitur
character, Concil. Trid. *ſeſſ.* 7. *de Sacram. can.* 9. Ergo & in
prima tonſura.
Duodecimò, nullum Sacramentum prærequirit chara- 95
cterem Sacramenti Chriſmatis ex neceſſitate præcepti, ni-
ſi Sacramentum Ordinis, D. Th. in 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *art.* 2.
qu. 4. Silveſt. *in ver. Ordo ſecundo num.* 1. Sed prima tonſura
de neceſſitate præcepti prærequirit Sacramentum Chriſ-
matis, Concil. Triden. *cap.* 4. *ſeſſ.* 23. Undè aliàs declara- 96
vit S. Congregatio Concilii prima tonſura initiatum non
ſuſcepto Chriſmate, ac poſteà ad minores ordines eo ſu-
ſcepto eſſe malè promotum, beneficia minus legitimè ac-
quiſiviſſe, & non poſſe ad ſacros ordines aſcendere, niſi
prævia Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, quicquid contra
incautè ſcripſerit Navar. in *Man. cap.* 22. *in tit. de Sacram.
Confirm. num.* 9. *verſ. Quinto peccat.* Ergo tonſura eſt or-
dinis Sacramentum. Properteà enim ad ordines prære-
quiritur Confirmatio, quia cùm per ſacram ordinationem
tradatur ordinato ſpiritualis poteſtas, convenit ut priuſ-
quam laicus eam adipiſcatur, per Sacramentum Chriſma-
tis roboretur, inſtruatur, & armetur ad pugnam contra
inviſibiles hoſtes, *c. Spiritus ſanctus de conſ. diſt.* 5.
Decimotertiò, ordo importat quendam dignitatis gra- 97
dum, & poteſtatem ſuprà populum, Sanctus Thomas in
4. *diſtinct.* 24. *qu.* 1. *art.* 2. *qu.* 1. Et colligitur ex Concilio
Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. cap.* 4. Sed Clericus
hoc ipſo, quod Clericus eſt in altiori ſtatu, quàm laicus
conſtituitur, *c. Duo* 12. *qu.* 1. *cap. Denique*, & ibi gloſſ. 1.4.
diſt. gloſſ. in *cap. Qui viderit in ver. Studioſa* 32. *qu.* 5. *& in
cap. Sedes in ver. Majores ſuprà de reſcript.* Gemin. *conſ.* 65.
Diſcutiam num. 4. *verſ. Nec obſtat ſi dicatur* & conſtituitur
etiam in majori officiò, & poteſtate, ut patebit infrà in 18.
fundamento. Ergo tonſura, per quam quis efficitur Cle-
ricus, ordo eſt.
Decimoquartò, Eccleſia militans exemplata eſt à trium- 98
phanti, *cap. Ad hoc* 89. *diſtinct.* gloſſ. in Clem. *fin. in ver.
Eccleſia de hæret.* ſed in Eccleſia militanti Clerici per ſo-
lam tonſuram à laicis diſtinguuntur, *d. cap. Duo ſunt* 12.
qu. 1. *& c. Cleros* 25. *diſtinct.* Ergò ſimiliter diſtinguun- 99
tur in Eccleſia triumphanti. At hæc diſtinctio ibi eſſe non
poteſt, niſi mediante charactere, qui ut dicunt Innoc. Hoſt.
Jo. Andr. & omnes in *c. fin. de Sacram. non iter.* eſt quædam
figura intellectualis, & indelebilis animæ infixa, per quam
ſic inſignitus à non inſignito in die Judicii diſcernetur. Er-
go in Clericali tonſura character imprimitur.
Decimoquintò, prima tonſura eſt repetenda, ſi ea præ- 100
termiſſa ſequentes ordines fuerint collati. Ergò eſt ordo,
non autem ſimplex diſpoſitio, ſeu præparatio ad ordines;
alioquin fruſtrà ordinatus diſponeretur ad id quod jam eſ-
ſet aſſecutus, cùm diſpoſitio ſit quidam habitus incom-
pletus ſecundùm Divum Thomam in 4. *diſtinctione* 4.
artic. 1. & præparatio debeat ſemper præcedere præpara-
tum, *l.* 1. *ff. De interrog. action. l. Ad legatum, ff. De
Procur. cap. Ad audientiam de Eccleſ. ædific. can. c. Quoniam
de ſentent. excommun. lib.* 6. notatur in *cap.* 1. *De accuſat.
& in cap. Ante baptiſmum de conſecr. diſtinct.* 4. Antece-
dens probatur authoritate Hoſtien. *hic n.* 2. *verſ. Quod non
placet*, ubi reprobans opinionem Innocentii contrarium

ſentientis, Pſalmiſtatus, inquit, creatus ordo eſt, ut hic dicitur, & eſt principium, & quaſi fundamentum militiæ Clericalis, cui quis per hunc ordinem adſcribitur, *cap. Eo libentius de ſerv. non ordinan.* Et in hæreditatem Domini aſſumitur, *cap. Cleros 21. diſt. cap. Cùm ſecundùm infrà de præbend.* Non eſt ergo contemnendus. Nam in omnibus rebus, id eſt perfectum, quod ex omnibus ſuis partibus
102 conſtat. Et certè cujuſque rei potiſſima pars eſt principium, *l. 1. ff. De orig. jur.* Ordinatè ergo ad ordines aſcendendum eſt: nam caſum appetit, qui poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit aſcenſum, *cap. Sicut Neophytus 48. diſtin.* & cum manus impoſitio, & unctio in aliis ordinibus ritè exhibitis repetantur, *cap. 1. & fin. de Sacram. non iteran. c. unic. de Sacram. unct.* multò fortiùs erit hìc ordo, qui omnes debet præcedere, repetendus. Eſt enim certus in Eccleſia Dei per quem vinculum inter promovendum, & Eccleſiam quodammodo initiatur. Ita Hoſtien. quem totidem verbis referunt, & ſequuntur hìc Jo. Andr. *num. 12. verſ. Ex eo quod in hac forma, & num. 28.* Butr. *num. 6.* Cardin. *num. 2. verſ. 5. Quæro*, Abb. *num. 2.* & alii communiter.

103 Decimoſextò, ut inquit Dion. *de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 6. Noſtra Hierarchia Deo traditis ordinibus ſancta diſpoſita, ſanctis, & cæleſtibus Hierarchiis conformis eſt.* Sed in cæleſti hierarchia novem ſunt ordines Angelorum,
104 *cap. Principium, §. Omnis Lapis, de pœnit. diſtinct. 2.* Ergo totidem ordines eſſe debent in Eccleſia militanti. Atque ita ſi ſeptem ordinibus adjunxeris primam tonſuram, & Epiſcopatum, novem ordines in Eccleſia Dei ſine errore calculi computabis, ut ſic ſuperiori hierarchiæ hæc inferior conformetur, ut inquit formaliter Hoſt. *hic num. 6.* cùm quo tranſeunt Joan. Andr. Butr. Cardin. & cæteri omnes, Præpoſ. *num. 4. 21. diſt.* Quo argumento utitur etiam ex Theologis Altiſiodorenſis in *Summa lib. 4. tract. 8. qu. 1.* & Major. *in 4. diſt. 24. q. 2. col. 2.*

105 Decimoſeptimò, prophetia Pſalmorum non eſt minus nobilis, quàm aliæ. In omnibus enim loquutus eſt Spiritus ſanctus, ut in Symbolo Patrum. Imò, ut ait Gregor. *ſuper Ezechiel.* ſuper illud Pſalmi: *Illuc iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*, relatus à Turrecrem. *in d. cap. Pſalmiſta num. 1. verſ. Quarto Gregorius 23. diſt.* Pſalmorum cantu, aut datur ſpiritus compunctionis, aut ſpiritus prophetiæ ſi cum attentione, & devotione fiat, quod non dixit de aliis prophetiis. Item Pſalmos magis, quam cæteras prophetias frequentant Miniſtri Eccleſiæ. Ergo ſicut eſt ordo in Eccleſia deputatus ad recitandum, ſeu canendum alias prophetias, ſcilicet ordo Lectoratus, *c. Perlectis, verſ. ad Lectorem 25. diſtinct.* ita aliquis ordo fuit in Eccleſia deputandus ad recitandum, & canendum Pſalmos. Sed hic eſt Pſalmiſtatus, *d. c. Perlectis, verſ. ad Pſalmiſtam*. Ergo Pſalmiſtatus eſt ordo.

106 Decimooctavò, Pſalmiſtas habet ſpeciale miniſterium in Eccleſia ab aliorum miniſteriis diſtinctum, quod non convenit multitudini, habet ſpeciale nomen, ſpecialem formã, et ſpecialem materiam. Ergo eſt propriè ordo ab aliis diſtinctus. Conſequentia patet, quia ex diverſitate miniſteriis, & poteſtatis ſpiritualis deprehenduntur diverſitas cujuſque ordinis, ut probatur in *d. c. Perlectis 25. diſt.* Et docet S. Th. in 4. *diſt. 24. q. 2. ar. 1. & 2.* Item ex diverſitate materiæ, & formæ, ut patet in Conc. Trin. *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. & extr. Unct. c. 2.* ibi: *Materia, & forma, quibus ſacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet.* Confert etiam ad oſtendendam diverſitatem ordinis ipſa nominis diverſitas, ut in *c. 2. ſeſſ. 23. de ſacram. ordin.* arg. *l. Si idem, C. de Codicill.*

107 Antecedens probatur quoad diverſitatem miniſterii in *d. c. Perlectis*, ubi ſic legitur: ad Pſalmiſtam pertinet officium cantandi, dicere benedictiones, laudes, ſacrificium, reſponſoria, & quidquid pertinet ad canendi peritiam. Hoc autem officium nulli ex aliis ordinibus competit. De Oſtiario, Exorciſta, & Acolytho eſt manifeſtum. De Lectore autem probatur in *eod. cap. Perlectis*, ubi Lectoris officium exprimitur per hæc verba: Ad Lectorem pertinet lectiones pronunciare, & ea, quæ Prophetæ vaticinati ſunt populis prædicare. Diverſitas igitur in hoc conſiſtit: nam Pſalmiſta officium habet canendi Pſalmos; Lector pronunciandi lectiones. Undè Lectores à legendo, Pſalmiſtæ à Pſalmis canendis vocati; illi enim prædicant populis quid ſequantur; iſti canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium. Quæ ſunt verba textus in *cap. Cleros, verſ. Lectores 21. diſt.* Et propterea, ut ibi ſubnectitur, Lectores dicuntur etiam Pronuntiatores, quod populo annuntient; tanta enim, & tam clara erit eorum vox, ut quamvis longè poſitorum aures adimpleant. Pſalmiſtæ verò dicuntur Cantores, quia vocem modulantur in cantu, Pſalmiſta officium habet cantandi non tantùm Pſalmos, ſed etiam benedictiones, laudes, & quidquid pertinet ad canendi peritiam; Lector pronunciandi ſolas lectiones. Rurſus ad Lectorem pertinet populo prophetias prædicare, ſeu legere cum explanatione, ut interpretatur Alber. Magn. apud Turrecr. in *d. c. Cleros num. 1. verſ. Ad ſecundam reſpondetur.* At munus hoc explanandi non convenit Pſalmiſtæ, ſed canendi ſimpliciter. Demùm ad Lectorem pertinet panem, & omnes fructus novos benedicere, ut in Pontificali Romano in *tit. de ordin. Lector.* quod ſimiliter Pſalmiſtæ non competit.

Sed nec multitudini convenit officium Pſalmiſtæ. Si- 108
quidem multa ad eum peculiariter ſpectant, quæ ab aliis ex officio in Eccleſia præſtari non debent, puta dicere benedictiones, id eſt Benedicamus Domino, ut exponit gloſſ. in *ver. Benedictiones in d. c. Perlectis*, & alia, quæ decantantur à ſolo Pſalmiſta, non autem à Choro. Et quamvis hæc poſſint etiam ab aliis exerceri, non tamen cum ſolemnitate, & ex officio: nam actus quoque aliorum ſe- 109
quentium minorum ordinum exerceri poſſunt ab aliis Clericis; imò etiam à laicis, non tamen ex officio, ut docet S. Thom. in 4. *diſt. 24. q. 2. art. 2. ad 2.*

Nec refragatur quod non appareat, quam relationem 110
habeat hoc officium ad Sacramentum Euchariſtiæ. Imò enim ſicut Lector ex hoc ſolùm, quod erudiat fideles per ſenſum verborum in pronunciandis lectionibus, dicitur habere ſufficienter hanc relationem: eodem modo eamdem relationem dicitur habere Pſalmiſta, propterea quod per cantum, & per emiſſionem vocum reſonantium in Pſalmis, & aliis, quæ illis ex officio incumbunt, excitat corda, & præparat ad Euchariſtiam ſuſcipiendam. Ita formaliter declarat Præpoſ. in *cap. Cleros num. 4. verſ. Et dum dicitur 21. diſt.* dicens: *Clericatus habet ſuum diſtinctum miniſterium, ſcilicet pſallendi, & canendi reſponſoria, hymnos, & reliqua, per quod miniſterium etiam ipſe cooperatur circa Sacramentum Euchariſtiæ, diſponendo fideles, qui habent ſuſcipere Sacramentum.* Et ita dicit Speculat. in *rational. divinorum in lib. 3. c. De graduali*: *nam canendo reſponſoria repræſentat vitam activam, in qua Sancti ad invicem hortantur, ut ad æternam vitam perveniant; auxilium pro populo implorant; Deum ad miſericordiam invitant, labores præſentis vitæ inſinuant, concordiam charitatis in fidelibus debere vigere præmonſtrant. Quæ in Tractu, & in Proſa declarantur, fideles ad profitendum Symbolum invitant; offertoria canunt, ut notet populus dum offert, quod impletionem mandatorum offerimus noſmetipſos. Etiam dum canunt Clerici hymnum Angelicum, & poſteà Sanctus, repræſentant totam Eccleſiam, gloriam Dei, laudem & honorem cantantes, & ſic præparantes ſe ad Euchariſtiæ venerationem, & etiam diſtinatis ab Eccleſiæ temporibus ſuſceptionem.* Hæc ibi. *Quæ omnia*, ut Præpoſ. ſubdit, 111
negari non poteſt quin conferant circa Sacramentum Euchariſtiæ, cum præparent fideles ad Sacramentum ipſum Euchariſtiæ ſuſcipiendum, licèt non operentur in ipſo actu conſecrationis Euchariſtiæ. Non enim ad eſſe ordinis Eccleſiaſtici, & ſacramentalis requiritur, ut habeat miniſterium cooperativum in ipſo actu conſecrationis; ſed ſatis eſt, ut quo ad ſuſcipientes cooperetur ipſos præparando, ſicut clarè patet in Exorciſta, & Oſtiario, dict. c. Perlectis 25. diſt. c. Exorciſta, c. Oſtiarius 23. diſtinct. & docet S. Thom. in 4. *diſtinct. 24. q. 4. verſ. Ad ſecundam quæſtionem*, hactenus verba Præpoſ. locus D. Thom. aliàs eſt *d. diſt. 24. q. 2. art. 1. q. 2.* Undè hoc miniſterium Pſalmiſtæ, ſeu Clerici primæ tonſuræ eſſe ſacrum fatetur Paludan. in 4. *diſt. 24. q. 3. n. 6.* Et contra utrumque Sotum, Vaſquez in 3. *par.* D. Thom. *tom. 3. diſp. 236. c. 1.* Licèt non benè affirment hoc miniſterium convenire multitudini.

De diverſitate nominis patet; quia paſſim hìc ordo appellatur Pſalmiſta, ſeu Cantor à ſacris Canonibus, & conciliis, ut patet in juribus præallegatis in 2. 3. & 6. fundamento. De materia, & forma dictum eſt ſatis ſupra in nono fundamento num. 87. Concurrunt igitur in Pſalmi-

-miſtatu omnia eſſentialia ad conſtituendum ordinem, prout eſt Sacramentum, id eſt traditio poteſtatis ſpiritualis in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ per rem ſenſibilem, & verba, S.Thom.*in 4. diſt. 1. q. 1. art. 3. ad ſecundum.* Et in 3. *part. quæſt. 60. per tot.* Silveſtr. *in ver. Ordo primo, in princ.*

112 Decimononò mirabiles ſunt effectus primæ clericalis tonſuræ; nam per eam Chriſtiani à ſtatu laicali ad Clericalem transferuntur, & de ſorte Domini efficiuntur, *c. Duo ſunt genera*, 12. *q.* 1. *cap. Cleros*, 21. *diſt.* Eximuntur jure divino ab omni poteſtate ſæculari, *cap. Si imperator*, 96. *diſt.* Præpoſ. in *d. cap. Cleros*, *num.* 4. *col.* 4. *verſ. Et ſic ſtat Concluſio*, plenè Alexander *conſ.* 8. Videtur ſuper primo dubio, *num.* 1. *lib.* 1. Unde huic privilegio renunciare non poſſunt, *c. Si diligenti*, *de foro compet.* Hoſtienſ. *hic num.* 4. Eorum bona exempta ſunt ab omnibus impoſitionibus, & oneribus laicalibus ſimiliter jure divino, text. in *c. Quamquam*, *de cenſ. lib.* 6. *c. Benè quidem*, 96. *diſtinct. c. In canonibus* 16. *q.* 1. *c. Cùm laicis*, *de reb. Eccleſ. non alien.* gaudent privilegio Canonis, cui privilegio nec renuntiare poſſunt, *c. Contingit*, *de ſententia excomm.* gloſſ. in *d. c. Si diligenti in ver. Pacto privatorum.* Sunt capaces excommunicandi, beneficia conferendi, cauſas ſpirituales cognoſcendi, perſonas Eccleſiaſticas diſtringendi, & omnis juriſdictionis Eccleſiaſticæ tàm ordinariæ, quàm delegatæ, cujus merus laicus non eſt capax, *c. Ex litteris*, *de tranſact.* Turrecrem. in *c. Clerici*, *n.* 5. 23. *diſt.* Poſſunt beneficia Eccleſiaſtica obtinere, Concil. Trident. *c.* 6. *ſeſſ.* 23. & gaudent omnibus privilegiis Clericorum, Covarr. *pract. q. c.* 31 *ſub n.* 9. & patet ex Pontificali Romano, ut dicetur infra n. 128. Et quamplures alios effectus conſimiles cumularunt Moderni in *tract. de effect. Cleric.* Tot verò, & tam inſignes effectus utique non congruerent primæ Clericali tonſuræ, ſi eſſet tantùm ſimplex diſpoſitio, ſeu præparatio, vel preambulum ad ordines, & non ordo; Cauſa enim per effectus cognoſcitur, & demonſtratur, *cap. Quod Dei timorem*, *de ſtatu Monach.* Clemen. *Exivi*, §. *Cupientes*, *verſ. Cùm enim*, & ibi Cardin. *in* 2. *notab. de verb. ſignif.* & ut Bald. inquit in *c. Dudum*, *il* 2. *n.* 31. *de elect.* ab effectu eſt locus demonſtrativus, & ſufficit ad intelligentiam rei, intelligere effectum.

113 Vigeſimò. Canoniſtarum ſententiæ videtur clarè adhæſiſſe Sixtus V. in conſtitutione *contra Clericos malè promotos*, *edita Nonis Januarii* 1588. quæ incipit, *Sanctum, & ſalutare*, in illis verbis: *Rem quidem ſacram, & divinum munus affectantes, ad ſuſcipiendum Clericalem charecterem, alioſque ordines minus ritè, vel etiam temerè ſe ingerant.* Nec non in illis Clericali charactere non legitimè, inſigniverit. Si enim per primam tonſuram inſignitur quis clericali charactere; Ergo prima tonſura eſt ordo Sacramentalis, quia ut ex D. Thoma diximus in 10. fundamento num. 93. Character interior eſt eſſentialiter, & principaliter Sacramentum Ordinis. Et vim infert litteræ reſponſio Vaſquez in 3. *par. D. Thom. tom.* 3. *diſp.* 236. *cap.* 1. *num.* 12. Quod Pontifex ibi characterem accipiat pro deſtinatione ad ſtatum Clericalem: nam hac ratione verba omnia ſcripturarum licebit in ſenſus extraneos detorquere, & cavillari. Quid enim commune habet character cum deſtinatione? Et eo magis quia Sixtus V. paulò ſuperiùs in *verſ. Quare*, dicit Clericali militiæ quem ad-

114 ſcribi per primam tonſuram: Ergo tonſura non eſt deſtinatio ad ſtatum Clericalem, ut dicit Vaſqu. ſed ſtatus ipſe Clericalis cui ſic promotus adſcribitur. Præterea in Conſtitutione dicitur Clericalem characterem, alioſque ordines. Pondera illam dictionem, *alios*, quæ indicat primam tonſuram eſſe propriè ordinem, cum ex propria vocabuli ſignificatione dictio, *alius*, ſtet implicativè, & ſit repetitiva ſimilium Clem. 2. *de celebr. Miſſar.* gloſſ. in *c.*

115 *Hinc etenim in ver. Aliarum*, 49. *diſtin.* Ad hæc Sixtus appellat primam tonſuram rem ſacram, & divinum munus; quę ſanè verba non congruunt ſimplici deſtinationi ad ſtatum Clericalem: quibus etiam confunditur opinio utriuſque Soti apud Vaſqu. *loco cit.* qui ſcripſerunt miniſterium primæ tonſuræ non eſſe ſacrum, ut dictum eſt ſuprà *num.*

116 111. *in fine.* Demum Sixtus agens de Clericis tàm inſignitis clericali charactere, quàm aliis ordinibus, in eadem conſtitutione declarat eoſdem Clericos poſt hac malè promotos ab executione, miniſterio, & exercitio ordinum ſuſceptorum perpetuò eſſe ſuſpenſos. Ergo Clerici primæ tonſuræ habent ordinem, & peculiare miniſterium in Eccleſia. Quod malè negarunt Palud. & Vaſqu. citati ſuprà in decimooctavo fundamento in fine. Ad idem *cap. Sicut dignum*, *infra de homicid.* ubi interdicitur Clericis irregularibus, ne lectiones in Eccleſiis legant, ſeu reſponſoria in Choro ſeparatim cantent: hoc enim ultimum eſt peculiares officium Clericorum primæ tonſuræ, ſeu Pſalmiſtarum, ut in *c. Perlectis*, 25. *diſt.* Porrò in manifeſtis regula ſcripturarum eſt: non extenuare quæ ſcripta ſunt. Stemus ergo litteræ, ut ex Hieron. formaliter inquit Jo. Andr. *cap. Super ſpecula*, *in fin. Ne Cler. vel Monach.*

Vigeſimoprimò. Eamdem ſententiam probavit ſacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium: nam cùm ei relatum fuiſſet Epiſcopum Cavenſem declaraſſe quemdam Clericum primæ tonſuræ fori privilegio privatum, eo quod tonſura non imprimeret characterem: ſacra Congregatio binis litteris, videlicet 12. Maji 1620. & 16. Novembris 1621. eidem Epiſcopo injunxit ut decretum illud revocaret, & obliteraret, ſi in eo contineretur declaratio: quod prima tonſura characterem non imprimeret, & in poſterum à ſimilibus declarationibus abſtineret. 117

Ad extremum. Apertiùs hanc ſententiam probavit Sac. Congregatio Concilii. Siquidem conſulta an Abbas habens juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſi aliis quàm Regularibus ſibi ſubditis primam tonſuram conferret, cenſeretur ſaltem impreſſiſſe characterem, adeò, ut taliter tonſuratus, non iterùm tonſurari deberet: reſpondit impreſſum eſſe characterem; & ita tonſuratum, tonſurari iterùm non debere. Quæ fuit ſententia Boattini hìc, & Archidiac. in *cap. Quoniam*, *num.* 5. *in fin.* 69. *diſtinct.* & *in cap. Abbates*, *de privileg. in* 6. quam ſequitur gloſſ. ibi in *ver. Tonſuram*, & alii plures, quos ſuprà attulimus in 3. *notab. n.* 4. 118

Supereſt nunc ut reſpondeamus ad contraria argumenta Theologorum.

Ad primum igitur, nempè ad *c. primum*, 77. *diſt.* reſpondet gloſſ. ibi dictionem, *primum*, reſpicere ſequentes ordines. Et quamvis Turrecrem. dicat illam gloſſ. eſſe ineptam, ego tamen ſalvando gloſſam, allego textum ſimilem in *c. Si officia*, 59. *diſt.* ubi habetur: *Aſſueſcat in Domini caſtris in Lectorum primitus gradu, divini rudimenta ſervitii, nec illi vile ſit Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri.* Ecce quod in *d. c.* 1. dicitur, ſit primum Oſtiarius; in *c. Si officia*, dicitur, primus aſſueſcat in gradu Lectoris. Et tamen certum eſt Lectoris gradum non eſſe primum, ſed ſecundum ab Oſtiariatu, ut in *cap. A Subdiacono*, 93. *diſt.* Neceſſe eſt igitur ut dictiones, *primum*, & *primitus*, utrobique reſpiciant ſequentes gradus dumtaxat. Sic aliquando primus dicitur reſpectu ſecundi, *l. Si finita*, §. *Julius*, *ff. de damn. infect.* gloſſ. in *l. Si duos*, *ff. De reb. dub.* Secundus dicitur primus reſpectu tertii, & tertius primus reſpectu quarti, ut in Auth. *de hæred. ab inteſt.* §. *Inordinatum*, text. cum gloſſ. in *l.* 2. §. *Juris civilis ſcientiam*, *ff. De orig. jur.* gloſſ. in *l. Si duobus*, §. 1. *in ver. Primum annum*, *ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* Et ſic dicitur primus non ſolùm quem nemo præcedit, ſed etiam qui habet alios, poſt ſe gloſſ. *fin.* in *c. Joſeph. de verb. ſignif.* 119

Reſpondeo ſecundò litteram *dict. cap.* 1. non eſſe intelligendam de laicis nam etſi dicat, ſi quis tamen dictio illa, *Quis*, referri debet ad Clericos tantùm. Ratio eſt, quia repugnat Canonicis inſtitutis: ut quis de ſtatu laicali ad Epiſcopatum aſſumatur, licèt præmittantur gradatim ſinguli inferiores ordines, *cap.* 1. *c. Non negamus*, *c. Miſſerum*, *c. Quid proderit*, & §. *His omnibus*, 61. *diſt.* Imò grave opprobrium eſt Clero, ſi nullus inter eos ad Epiſcopatum reperiatur idoneus, *c. Studii*, *ead. diſt.* Unde ſenſus illius textus videtur eſſe: Si quis de Clero ordinandus eſt Epiſcopus primum ſit Oſtiarius, deinde Lector, &c. Idque inſinuat littera ibi. *In Eccleſia*, *ideſt qui in Eccleſia exiſtunt, & ſic jam ſunt prima tonſura initiati, & de foro Eccleſiæ ſic aſcendant ad gradus Eccleſiaſticos, Primum ordinentur Oſtiarii, &c.* Alioquin ſi textus de laicis eſſet intelligendus, illius ſenſus eſſet, ſi quis laicus ordinandus ſit Epiſcopus, primum ſit Oſtiarius. At certè abſurdum eſſet ut Pontifex ibi generaliter docuiſſet meros laicos poſſe ad apicem Epiſcopatus aſſumi contra Canonicas ſanctio- 120

ctiones. Præterea ſi ille textus intelligeretur de mero lai-
co, ſequeretur, ut quis de laico poſſet fieri Oſtiarius,
omiſſa prima tonſura, quæ tamen ſive ordo ſit, ſive
non, certè omitti non debet; imò eſt ſupplenda, ſi ea
prætermiſſa ſequentes ordines fuerint collati, ſecundum
opinionem Hoſtienſ. quæ communiter recipitur, ut di-
ctum eſt ſupra in decimoquinto fundamento. Verba igi-
tur textus licèt indefinita, & generalia ad Clericos re-
ſtringi debent, ne hoc abſurdum ſequatur, *l. 2. C. De no-
xal. action.* Bartol. *in repet. l. Omnes populi, in 6. quæſt. prin-
cipali poſt princ. ff. De juſt. & jur.* Et hunc arbitror eſſe ve-
rum, & germanum ſenſum illius textus, licèt alii non
tangant.

Ad ſecundum, & tertium reſpondetur illa jura ſuppleri
per alia, in quibus fit mentio de Pſalmiſtatu. Non enim
eſt inuſitatum in ſacris Canonibus, ut quandoque omit-
tatur aliquis ordo; ut patet in *cap. Si quis Epiſcopus, 27.
quæſtion.* 1. ubi recenſentur ſinguli ordines Eccleſiaſtici ab
Epiſcopo uſque ad Pſalmiſtam; & tamen nulla fit mentio
Acolythi, vel Exorciſtæ. Unde ſicut ex eo textu non
liceret arguere. Ergo Acolytus, & Exorciſta non ſunt
ordines; ita neque ex juribus prædictis; quia omiſſio
Pſalmiſtatus ſuppleri debet per alia jura. Simile, in *c.
Si officia, 59. diſtinct.* & in *cap. In ſingulis, 77. diſtinct.*
ubi ordines Eccleſiaſtici exprimuntur, nec fit mentio O-
ſtiariatus.

121 Ad quartum reſpondetur nec jure, nec ratione probari
ad Lectorem ſpectare munus explanandi prophetias. Nam
verbum *prædicare*, quod ponitur in *c. Per lectis, 25. diſt.* &
in *cap. Cleros, 21. diſt.* à gloſſ. & DD. exponitur, ideſt le-
gere. Undè in Pontificali Romano in *rubric. de ordinat.
Lector.* dicitur, Lectorem ſiquidem oportet legere ea, quæ
prædicat, & lectiones cantare. Et ſanè cùm more Eccleſiæ
receptum ſit ut ad minores ordines ex neceſſitate præcepti
122 ſufficiat ætas ſeptem annorum, ut patet ex Pontificali Ro-
mano in *rubr. de ordinibus conferend.* ibi: *Prima tonſura,
& minores ordines ante ſeptimum annum completum dari
non debent*, & docet S. Thom. in *4. diſt. 25. art. 2. q. 2.* non eſ-
ſet poſſibile, ut puer annorum ſeptem ordinatus Lector ex-
poneret quod vaticinati ſunt Prophetæ, cùm vix præſtare
id poſſint provecti Theologi, & Magiſtri; ac proinde hujuſ-
modi munus explanationis non exigitur, quia ſecundùm
Philoſoph. in *lib. de ſomno, & vigil.* Cujus eſt potentia,
123 ejus eſt actus. Itaque ut dictum eſt ſuprà nu. 107. Lectoris
officium eſt lectiones legere, & prædicare, ſeu cantare, id-
eſt alta voce illas pronunciare, ita ut etiam à longè diſtan-
tibus exaudiantur, ut declarat Iſidor. in *d. c. Cleros, 21. diſt.
verſ. Iidem etiam*, & pronunciatores, licet, ut ibi dicitur,
quidam Lectores ita miſerabiliter pronuncient, in quoſ-
dam ad luctum, lamentationemque compellant. Atque
ita corruit fundamentum, quòd ordo non ſit annexus pro-
phetiæ Pſalmorum, prout eſt littera in Eccleſia, ſed prout
eſt lecta cum explanatione.

124 Ad quintum patet reſponſio ex dictis in decimooctavo
fundamento pro hac ſententia. Reſpondet enim Præpoſ.
in *d. cap. Cleros, num. 4. col. 3. verſ. Nec obſtandum dicitur
quod in aliis ordinibus, 21. diſt.* de eſſentia ordinis non
reperiri cautum hoc, ut debeat per ſolum, & unicum
exerceri, nec eſſe neceſſariam illationem, Miniſterium
125 ordinis impletur per plures; ergo non eſt ordo. Imò
actum conſecrationis Euchariſtiæ, quod eſt principale
ſacramentum, ad quod referuntur ordines Eccleſiæ poſ-
ſunt plures Sacerdotes ſimul expedire, & plures Sacer-
dotes ſimul unam, & eamdem hoſtiam conſecrare, ut do-
cet S. Thom. in *3. part. quæſt. 82. art. 2.* Sicut omnes ſimul
acceperunt poteſtatem in Cœna, & omnes Chriſto inſti-
tuenti Sacramentum Euchariſtiæ, & cœnanti concœnave-
runt: Sacerdos enim non conſecrat niſi in perſona Chri-
ſti. Multi autem ſunt in Chriſto; ideò non refert utrum
per unum, aut multos Sacramentum Euchariſtiæ conſe-
cretur. Multò fortiùs ergo non refert, ut per multos ſi-
mul miniſterium pſallendi, & canendi adimpleatur, ma-
ximè cùm & ipſe chorus Clericorum totam Eccleſiam re-
præſentet, & Congregationem fidelium, quæ una debet
eſſe in Chriſto, *cap. 1. De Summ. Trinitat.* quia in multis
nihilominus iſta unitas repræſentatur. Facit quod not. in
*cap. Romana, §. Univerſitatem, de ſent. excomm. in
6.* Nam ubi actus exercetur à pluribus ſimul, tamen ſin-
gulorum facto, & opere, & eſt applicabilis pluribus ut
ſingulis; tunc videtur eos plures ut ſingulos reſpicere,
non autem ut univerſos. Ita hic, licèt exercitium canen-
di fiat ſimul cum pluribus; tamen quia quilibet Clericus
ratione miniſterii ſibi commiſſi illud implet; quilibet Cle-
ricus dicitur ſingulariter ſuum ordinem Clericalem ſuſce-
piſſe.

Neque obſtat, quod Iſidor. Pſalmiſtatum, non ordi- 126
nem, ſed officium vocet, quia hoc nomen officii latiſſi-
mè patet, ut magiſtraliter explicat Petr. de Anchar. in *c.
Ea quæ in princip. de regul. jur. in 6.* & Felin. in *cap. Poſt
ceſſionem, in princip. de probat.* Et convenit etiam ſuperio-
ribus ordinibus, ut patet in Pontificali Romano in *rubr. de
ordine Oſtiarii*, ibi, *Accedant qui ordinandi ſunt ad officium
oſtiariorum.* Et infrà ibi. *Suſcepturi filii clariſſimi officium
Oſtiariorum.* Et ibi, *Quos in officio Oſtiariorum eligere di-
gnatus es.* Et idem patet in ſequen. *rubr. de off. Lector. Exor-
ciſtar.* &c.

Ad ſextum reſpondetur retorquendo argumentum, ut
dictum eſt in 11. fundamento.

Ad ſeptimum reſpondetur negando majorem. Nam 127
ſicut prima tonſura, ita & minores ordines dari poſſunt
ubicumque & extra Miſſarum ſolemnia, ut patet in Pon-
tificali Romano in *rubr. de Cler. facien.* ibi; *Minores verò
ordines poſſunt dari ſingulis Dominicis, & feſtivis diebus
ubicumque.* Et in *rubr. de minor. ordin. in princ.* ubi dicitur;
Quatuor minores ordines dari poſſunt extra Miſſarum ſo-
lemnia: In ſolemnibus verò ordinationibus tàm minores
ordines, quàm prima tonſura dari debent cum celebratio-
ne Miſſæ, ut in *rubr. de ordin. confer.* Et ita retorquetur ar-
gumentum, cùm tonſura, & minores ordines in hoc pari
paſſu ambulent.

Ad octavum, & nonum reſpondetur negando primam 128
clericalem tonſuram eſſe diſpoſitionem mediam inter ſta-
tum laicalem, & clericalem, ſeu miniſtrorum Eccleſiæ, &
per eam quem non eligi ad militiam Dominicam. Imò
enim per tonſuram de ſtatu laicali quis tranſit ad ſtatum
Clericalem, & efficitur verè, & propriè Clericus, ut in *d. c.
Duo ſunt, 12. q. 1.* & venit Clericorum appellatione gloſſ. in
Clement. 2. *in ver. Clericus, de vit. & honeſt. Clericor.* & gau-
det omnibus prærogativis, & privilegiis Clericalibus, ut
dictum eſt in decimonono fundamento. Et propterea ſicut
Epiſcopus poſt collatam tonſuram dicit Clero ordinato:
*Hodie de foro Eccleſiæ factus es, & privilegia Clericalia
ſortitus es*, ut in Pontif. in *tit. de Cler. faciend.* Ita poſt degra-
dationem dicit Clero degradato: *Te velut Clericalis pro-
feſſionis indignum redigimus in ſervitutem, & ignominiam
habitus ſæcularis, ac ſtatus*, ut in *rubr. de degradatione à
prima tonſura.* Item per primam tonſuram transfertur Cle-
ricus ad ſtatum Miniſtrorum Eccleſiæ, ut ſimiliter patet
ex dictis ſuprà in decimooctavo, & vigeſimo fundamento.
Rurſus Clericus per primam tonſuram efficitur propriè
miles cæleſtis militiæ, *c. Chriſtianis, 11. q. 1.* ibi, *Cum Cleri-
cali cingulo tenerentur adſtricti.* Et ibi, *qui cæleſtem militem
pulſat, c. Degradatio, de pœn. in 6.* ibi cœleſtis militiæ mi-
litis, ideſt Clerici etiam primæ tonſuræ, nam & de his lo-
quitur ille textus, ut in *verſ. Uſque ad veſtem, cap. Nullus
Epiſcoporum, 53. div.* ibi, *Debet enim eſſe immunis ab aliis* 129
*qui divinæ militiæ eſt aggregandus, ut à caſtris Dominicis,
quibus nomen ejus adſcribitur, nullis neceſſitatis vinculis ab-
ſtrahatur.* Itaque per primam tonſuram Clericus non deſti-
natur, imò aggregatur, & adſcribitur Clericali militiæ, ut
illic patet, & in Conſtitutione Sixti V. *Sanctum, & ſalu-
tare*, ibi, *Clericali militiæ adſcribere;* & ſcripſi pleniùs in
c. Cùm percuſſio, in 3. notab. infrà, de Cler. ægrot. Quibus ſtan-
tibus retorquetur argumentum Archid. Nam ſi Clericus
per primam tonſuram efficitur propriè miles cæleſtis, habe-
re debet propria ſtipendia, & conſequenter ſtipendii ſigna,
ideſt characterem.

Præterea eſt ſatis infirma illa ratio interpoſitionis me- 130
dii à ſtatu ad ſtatum; imò enim videmus à ſtatu cœliba-
tus quem tranſire paſſim ad conjugalem, etiam non præ-
cedentibus ſponſalibus. Quod jure fieri poteſt ſecun-
dùm opinionem gloſſæ, quam dicit veriorem Bald. in *l. 1.
ff. De ſponſal.* & in aliis pluribus etiam nullo medio inter-
poſito. Accedit quod in baptiſmate, & profeſſione con-
gruè interponitur medium Catechiſmi, & Novitiatus,
quia à baptiſmate, & profeſſione poſteà non licet retro-
ce-

cedere abſque hæreſis, vel apoſtaſiæ nota; idemque contingit in matrimonio vivente uxore. At à minoribus ordinibus licitus eſt reditus ad ſtatum laicalem, ut patebit in ſeq. reſpon.

Reſponderi etiam poteſt ad argumentum Durandi, & aliorum, ut dicemus infra in reſponſione ad ultimum, *num.* 133. Porrò ad principium noni argumenti omiſimus reſpondere, quia nihil concludit, & fortè intentio Archidiaconi fuit arguere ad eum modum, quo dictum eſt in duodecimo argumento pro ſententia Theologorum *nu.* 31. ad quod reſponſum eſt ſuprà in nono fundamento *nu.* 85. & in quarto fundamento *num. 69. verſ. Præterea in Sacramento*.

131 Ad decimum abundè reſponſum eſt ſuprà in decimo octavo fundamento pro hac ſententia, & *in reſponſione ad quintum*.

Ad undecimum ſimiliter reſponſum eſt in eodem decimo octavo fundamento *numer.* 10. *verſ. Nec refragatur*.

Ad duodecimum itidem eſt reſponſum in nono fundamento. Et doctrina Joan. Monach. refellitur à Jo. Andr. ut diximus in quarto fundamento *num. 69. verſ. Præterea in Sacramento*.

Ad decimum tertium reſpondetur negando conſequentiam, quia etiam à reliquis Minoribus ordinibus poteſt Clericus, dummodò non ſit in ſacris conſtitutus, retrocedere, & uxorem ducere, ac pro laico ſe gerere, & exuere ſe ipſum omnibus privilegiis Clericalibus, ita ut amplius non dicatur Clericus, ut habetur in *cap. unico, de bigam. lib.* 6. *c.* 1. *de Cler. conjug. eodem lib. c. Joannes, cap. Cùm olim, infrà eodem tit. c.* 1. *de vit. & honeſt. Cler. lib.* 6. & in Clem. 1. *eod. tit.* & ita reſpondet Præpoſ. in *cap. Cleros, num.* 4. *verſ. Nam per hoc non concluditur quod non ſit ordo,* 21. *diſt.*

132 Ad ultimum, ideſt ad ponderationes ex decretis Concilii Tridentini deſumptas, reſponderi poteſt ſanctam Syondum noluiſſe diffinire hanc controverſiam inter Theologos, & Canoniſtas an Tonſura ſit ordo Sacramentalis nec ne, fortè quia id neceſſarium, aut expediens non putavit. Et propterea Tonſuram diſtinxit ab aliis minoribus: nam cùm multa ſtatuenda eſſent circa primam Tonſuram, oportuit illam nominatim exprimere; alioquin ſi illam non expreſſiſſet, ſed tantùm meminiſſet minorum ordinum. Theologi dixiſſent Tonſuram non comprehendi, quia non eſt ordo; Canoniſtæ è contra dixiſſent comprehendi, quia ordo eſt. Quod ſi Concilium ſub ordinibus Minoribus intellexiſſet comprehendere Tonſuram, probaſſet ſententiam Canoniſtarum. Si intellexiſſet illam non comprehendere, probaſſet ſententiam Theologorum. At neutrum præſtare voluit, fortè ne condemnaret ſacros Theologos, aut honorabiles Canoniſtas. Ergo neceſſe habuit de illa nominatim loqui, & ſeorſim ab aliis quatuor ordinibus. Et hinc licet tantùm inferre, ut Concilium non declaraverit Tonſuram eſſe ordinem, non tamen licet inferre, ut declaraverit oppoſitum, & hoc intendit. Sacra Congregatio dum dixit Tonſuram à Concilio non haberi pro ordine, ideſt Concilium non diffiniviſſe Tonſuram eſſe ordinem; & ideò illam non comprehendiſſe minorum ordinum appellatione, & certè ſi Concilium hoc diffiniviſſet Congregatio ejuſdem Concilii interpres non declaraſſet in Clericali tonſura imprimi characterem, prout declaravit ſecundùm ea, quæ diximus num. 118. Et ad decretum *cap.* 17. *ſeſſ.* 23. reſponderi poteſt idcircò Concilium juſſiſſe in Eccleſia reſtitui ordinum functiones à Diaconatu uſque ad Oſtiariatum dumtaxat, quia fortè munus Clericorum primæ tonſuræ, videlicet, canendi pſalmos, & divinas Laudes, numquam fuit ... eccleſia intermiſſum, & propterea nec Presbyteratui ullam feci mentionem. Vel certè non meminit primæ tonſuræ propter rationem ſuperiùs expreſſam, quia noluit decidere quæſtionem Theologorum, & Canoniſtarum, ſicut deciſiſſet ſi declaraſſet tonſuratos habere certum miniſterium in Eccleſia. Qui intellectus non abſcurè deprehenditur ex varietate loquendi, qua uſa eſt S. Synodus de clericali Tonſura: nam etſi alicubi uſa fuerit illis verbis, prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ut in *cap.* 6. *ſeſſ.* 23. quæ videntur magis probare ſententiam Theologorum ut tonſura non ſit ordo: tamen alibi loquuta eſt per alia verba, quæ magis favere videntur contrariæ Canoniſtarum ſententiæ, ut patet *ſeſſion.* 21. *cap.* 1. ibi, *Pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonſuræ*. Quæ verba ſatis clarè innuunt tonſuram eſſe ordinem ſacramentalem. Quandoquidem illa dictio *etiam* quamvis exprimat caſum æquè, vel magis dubitabilem; tamen eſt implicativa præcedentium, Clement. 1. & ibi Cardin. in 1. *notab. de teſtament.* Bartol. in *l. Suus quoque, num.* 4. *ff. De hæredit. inſtituend.* Alexand. *conſil.* 116. *Animadverſis nu.* 14. *lib.* 2. Unde quemadmodum ſi quis legaret libros etiam equum, oratio eſſet inepta: quia librorum appellatione equus non continetur, & dictio, *etiam* non retineret propriam naturam quæ eſt implicare, ut notat Calderin. *conſil.* 225. An per iſtam formam, in fin. aliàs 4. *de prabend.* Eodem modo inepta eſſet oratio pro collatione quorumcumque ordinum etiam clericalis tonſuræ, ſi tonſura ſub nomine ordinum non comprehenderetur.

Ad authoritatem verò catechiſmi Romani reſponderi poteſt, ex eo quod dixerit primam tonſuram eſſe præparationem ad ordines, non rectè inferri ut non ſit ordo; Siquidem unus ordo ad alium ſuperiorem præparat, & diſponit, & ita reſpondet Vaſquez in 3. *part. D. Thom. tom.* 3. *diſput.* 236. *cap.* 1. *num.* 4. adjiciens propterea hanc rationem præparationis, ſeu diſpoſitionis ad ordines valdè infirmam eſſe. Quemadmodum nec licet inferre, Tonſura clericalis eſt aditus ad ſacramentum Ordinis; ergo non eſt ſacramentum: nam & Baptiſmus eſt janua omnium ſacramentorum, §. *Verum,* 32. *diſtinct. cap.* 2. *de cognat. ſpirit. lib.* 6. & tamen impium eſſet hinc deducere, ergo Baptiſmus non eſt ſacramentum. Facit quia aditus eſt anterior pars domus, *l.* 1. §. 1. *Si uſusfruct.* per Bart. *conſ.* 109. *Factum tale eſt, num.* 2. *lib.* 2. Alber. in *diction. in ver. Aditus*, & ſi aquæductus debeatur prædio, debentur etiam fiſtulæ, per quas aqua ducitur, *l. Si aquæductus, ff. De contrah. empt.* & appellatione domus etiam oſtium continetur, *l.* 1. *ff. De Cloac. cum concord.* de quibus ibi per Bart. *num.* 1. Oſtiariatus verò non dicitur in Catechiſmo primus gradus ſimpliciter, ſed poſt primam tonſuram, & ſic reſpectu ſequentium ſecundùm ea, quæ dixi ſuprà num. 119. 133 134

Ad extremum quamvis Card. Turrecrem. citatus *ſuprà num.* 43. conciliando opinione dixerit Canoniſtas accipere nomen Ordinis largè, & impropriè; tamen his verbis eò tantùm ſpectaſſe videtur, ut pertraheret Canoniſtas in ſententiam Theologorum; Unde hanc Conciliationem non admittunt Canoniſtæ, & Turrecrem. quamvis ſimul Canoniſta celebris, & Theologus egregius, magis tamen favebat opinionibus Theologorum, quia actu ſacram Theologiam legebat, ut ipſemet fatetur ingenuè in *c. Sunt qui dicunt, n.* 5. 27. *q.* 2. ubi in ſimili quæſtione, in qua diſſident Canoniſtæ, & Theologi, ſic ait: nos cum ſimus Doctor in ſchola Theologorum, magis favemus opinionibus eorum, non audemus tamen honorabiles Canoniſtas oppoſitum aſſerentes condemnare. 135

DE ÆTATE, ET QUALITATE,

Idem Innocentius III.

CAPUT XIII.

Accepimus, te noſtris auribus intimante, quòd quidam clerici, qui ad ſacros ordines ſine titulo ſunt promoti, te ad Eccleſiam Bracaren. ſuper beneficiis obtinendis infeſtant: & infrà. Licet igitur in ordinationibus clericorum, illam tu ac prædeceſſores tui diligentiam debueritis adhibere, ut minus idonei non ordinarentur à vobis; ac ideò poſt promotionem eorum exceptionem non poteris prætendere contra illos, niſi fortè poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos; ex ſuperabundanti tamen quando ſcribere pro talibus nos oportet, facimus in litteris noſtris apponi; ut ſi ordinatus, pro quo ſcribimus, idoneus habeatur, & Eccleſiaſtico beneficio non indignus, ei ab ordinatore vel ſucceſſore ipſius competens beneficium tribuatur; cùm & ſi tecum de jure agere vellemus, te poſſemus meritò ad proviſionem eorum compellere, quos à te vel prædeceſſoribus tuis ordinatos fuiſſe conſtaret, eò præſertim quòd ad obtinendum Eccleſiaſticum beneficium eos debes idoneos reputare, quos ad ordines ſuſcepiſti. Unde graviter ſuſtinere non debes, ſed nobis potiùs devotè inclinare teneris, ſi illos examinari per alios facimus, quos ſine examinatione non credimus ordinatos, antequam ad proviſionem eorum compellere te velimus. Mandamus igitur, quatenus eis pro quibus te contigerit recipere noſtra mandata in forma communi, in majori Eccleſia, vel aliis diœceſis Bracaren. providere non tardes. Exceptiones autem, ſi quas contra tales propoſueris, præcipimus audiendas.

S U M M A R I U M.

1 *Ordinatus ad ſacros ſine titulo ab ordinatore juſtè petit beneficium niſi poſt ordinationem ſe reddiderit indignum, & n. ſeqq.*

2 *Approbato ad ordines, aut ad officium, vel beneficium objici non poteſt quod ſit criminoſus, vel irregularis, niſi poſtea nova cauſa ſupervenerit.*

3 *Ampliatur, & n.37.*
Declaratur, n. 4. 38.

4 *Exceptio criminis contra ordinatum de æquitate ſemper eſt admittenda.*

5 *Clauſula in litteris apponi conſueta ſemper ſubintelligitur.*

6 *Clauſula*, ſi preces veritate nitantur, *ſubintelligitur in reſcripto, licèt non exprimatur.*

7 *Idem de clauſula*, rebus ſic ſtantibus.

8 *Idem de clauſula*, juſto impedimento ceſſante.

9 *Clauſula apponi ſolita in reſcripta ſi fuerit omiſſa, reſcriptum non vitiatur.*

10 *Clauſula*, ſi eſt idoneus, & beneficio non indignus, *an, & in quo differant.*

11 *Ordinato ad ſacros ſine titulo, ac beneficium petenti nec ordinator, nec ſucceſſor poteſt objicere quod ſit illitteratus.*

12 *Succeſſor tenetur non ex delicto, ſed ex facto defuncti.*

13 *Approbatus ad ſacros ordines cenſetur etiam approbatus ad beneficium, nec debet iterùm examinari, & n. 32. & 35.*
Fallit in beneficio curato, n. 40.
Item fallit quando Epiſcopus per alium examinavit, num. 15.
Item fallit in Epiſcopo ſucceſſore, n. 16. & 42.
Item fallit in ordinato, qui eligitur ad beneficium in alia diœceſi, n. 17.

14 *Examinandi non ſunt quoad doctrinam proviſi de Canonicatibus in forma dignum, ſi jam Diaconi, vel Presbyteri ſunt.*

15 *Ordinati ſine examine, & commendatitiis litteris proprii Epiſcopi poſſunt ab eo iterùm examinari, & ab ordinum exercitio ſuſpendi ex Concilio Tridentino c. 3. ſeſſ. 14.*
Quod tamen decretum non comprehendit ordinatos ab Epiſcopo prædeceſſore, niſi nova cauſa ſupervenerit, ibid.

16 *Ordinatus poteſt iterum examinari ab Epiſcopo ſucceſſore quoad beneficium ei de novo conferendum, non autem quoad ordinem jam collatum à prædeceſſore.*

17 *Approbatus ad dignitatem eſt examinandus ad ordinem eidem dignitati annexum, niſi ſtatim cum collatione dignitatis examinatus, & ordinatus fuerit.*

18 *Epiſcopus non præſumitur violare Canonicas ſanctiones.*

19 *Præſumptio ſemper eſt pro judice.*

20 *Præſumuntur omnia ritè, & ſolemniter acta.*

21 *Forma juſtitiæ appellatur forma communis.*

22 *Executor reſcripto præſentato ſuper modo providendi in beneficialibus quomodo debeat procedere, & num. ſeqq.*

23 *Exceptiones frivolas executor debet rejicere, rationabiles admittere, & interim ſuperſedere.*

24 *Idoneus reputatus ad unam dignitatem, ſi eligatur ad aliam, debet ſimiliter idoneus reputari.*
Declaratur, num. 39.

25 *Indignus in uno officio debet indignus haberi in alio, & num. ſeqq.*

26 *Tutor, qui malè ſe geſſit, ſi detur curator, ut ſuſpectus removeri debet.*

27 *Reſcriptum, quo mandatur alicui provideri in Eccleſia Cathedrali, an locum habeat in Eccleſia diœceſis, & è converſo, & num. ſeqq.*

28 *Forma juſtitiæ regulatur ſecundùm naturam obligationis præcedentis.*

29 *Reſcriptum, quo mandatur alicui provideri de beneficio, non extenditur ad Prælaturas.*

30 *Examinatus, & promotus ad ordinem ſacrum, an quoad doctrinam ſit iterùm examinandus ad beneficium juris patronatus requirens eumdem ordinem, & nu. ſeqq. uſque in fin.*

31 *Tridentini Concilii textus* cap. 13. ſeſſ. 8. *corruptus reſtituitur.*

32 *Examinatus ſemel quoad doctrinam regulariter non debet iterùm examinari.*

33 *Medicus ſemel approbatus reprobari poteſt cauſa legitima ſubſiſtente, & num. 44.*

34 *Bis de eodem hominis facto quæri non debet.*

35 *Examinatus ad ordines non poteſt ratione inſufficientiæ à beneficio repelli.*
Declaratur, num. 39.

36 *Ordo, & titulus ſunt connexa.*

38 *Approbatus ſemel, poteſt reprobari ex nova cauſa ſuperveniente reſpectu criminis, ſed non reſpectu illiteraturæ.*

Exa-

39 *Examinatus ad beneficium, vel officium non tenetur ad aliud ſimile ſe iterùm examini ſubjicere; ſecus ſi ad majus, vel diſſimile.*

42 *Approbatus ad ordines poteſt ad beneficium ab Epiſcopo ſucceſſore iterùm examinari, & reprobari.*

43 *Approbatio non eſt ſententia diffinitiva, ſed decretum admiſſorium.*

44 *Doctor ſemel probatus reprobari poteſt.*

45 *Approbatus ad duas Parochiales debet ad tertiam æqualem, vel minorem iterùm examinari.*

46 *Diſpenſare an poſſit Epiſcopus cum illitterato, anve illum promovendo cenſeatur cum eo tacitè diſpenſare.*

47 *Prælatus poteſt contra factum proprium venire reprobando prorſus illitteratum, quem ſemel approbavit.*

48 *Illiteratus an poſſit privari beneficio obtento etiam à promovente.*

49 *Regulares ſemel ab Epiſcopo approbati ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas an, & quando poſſint iterùm examinari, & reprobari: Remiſſivè.*

1 A*Ccepimus*. Ordinatus ad ſacros ſine titulo ab Ordinatore juſtè petit beneficium, niſi poſt ordinationem ſe reddiderit indignum. Hoc dicit. Communis diviſio. Conſultatio, & reſponſio, 2. ibi, *licèt igitur*. Et facit ad 2. *p. Rubricæ, de qualitate Præficiendorum*.

2 Nota primò ibi, *Exceptionem non poteris prætendere contra illos*. Epiſcopum qui aliquem ordinavit non poſſe contra eum excipere, quod ſit crimino ſus, irregularis, vel inſufficiens, niſi poſt ordinationem nova cauſa ſupervenerit, quæ illum reddat indignum, ut hic patet. Idem in electo, *c. Dilectiſſimi, 8. q. 2.* ſeu qualitercumque promoto, *c. Cùm ſuper quæſt. infr. de exceſſ. Prælat. c. Diaconi, 28. diſt. c. In iſtis, 4. diſt. c. Diverſis, infr. de Cler. conjug.* Idem in judice, *c. Inſinuante, infr. de offic. delegat.* Idem in Procuratore, *l. Poſt litem, ff. De Procur.* Idem in teſte, *c. Præterea, §. 2. infr. de teſt.* & ita hic notant gloſſ. 1. Innocent. *num. 1.* Hoſt. *num. 2.* & Abbas Antiq. *in fin.* Joan. Andr. in *c. Cùm venerabilis, in 3. col. verſ. Si autem, inf. de except.* Card. *in Clem. 1. num. 15. de conceſſ. præben.* Quod procedit
3 etiam ſi crimen poſt ordinationem ad notitiam ordinatoris pervenerit; nam nihilominus non poterit contra ordinatum de crimine excipere, dummodo tamen etiam antea per diligentem examinationem id ſcire potuerit arg. *Cùm*
4 *inhibitio, §. Si quis verò infrà de clandeſt. diſponſat.* Et hoc de mero jure. Sed de æquitate exceptio criminis ſive præcedentis, ſive conſequentis ordinationem, ſemper eſt admittenda; quia beneficia indignis conferri non debent, *c. Cùm adeò, ſuprà de reſcript. cap. Dudum, infrà de præſumpt.* ſecundùm Innoc. *hic num. 1.* cum quo tranſeunt Hoſt. *num. 2. verſ. Ideoque non eſt audiendus*, Jo. Andr. *num. 5.* & Butr. *in 3. notab.* Epiſcopus tamen, qui talem ordinavit, puniendus eſt, *c. Cùm ſit ars, infrà eod.*

5 Secundò nota ibi, *Ex ſuperabundanti*. Clauſulam in litteris apponi conſuetam ſemper ſubintelligi, ut hic per Butr. *in 4. notab.* & Cardin. *in 5. notab.* Ad hoc, *c. Cauſam de reſcript. & cap. 2. & c. Cùm oportet de conſt.* & ita de clauſula, *ſi ſit idoneus*, habes text. hic, nam cum Pontifex dicat ſe facere illam apponi in litteris ex ſuperabundanti, apertè innuit illam fore ſubintelligendam, quamvis non
6 eſſet expreſſa. Idem de clauſula, ſi preces veritate nitantur, quæ ſemper in reſcripto ſubintelligitur, *c. 2. ſuprà de reſcript.* Oldrad. *conſ. 223. Pactum tale eſt Dominus, num. 3. verſ. 2. Hoc idem*, & Anchar. *conſ. 240. Per prædicta in princ. & per totum*, Card. *conſ. 92. Favendo pupillis, num. 5.* Idemque de clauſula, ſi eſt ita, vel ſi conſtiterit ita eſſe, Abb. *conſ. 99. Illud in præſentiarum, circa finem, lib. 1. & de*
7 *clauſula, Rebus ſic ſtantibus*, Rota apud Cæſarem de Graſſis *dec. 135. aliàs 4. de rebus Eccleſ. non alien. num. 17. &*
8 *ſeqq.* Et eodem modo clauſula, *juſto impedimento ceſſante*, in omni præcepto, & privatione, & alias pœnali diſpoſitione ſubintelligitur; quia aliàs diſpoſitio eſſet iniqua. Card. *conſ. 32. Primum an valeat, num. 2. verſ. Item præſup-*
9 *poſito*. Et ex his infertur, ut ſi clauſula apponi ſolita in reſcripto deficiat, reſcriptum non vitietur, quia tacitè ſubintelligitur, Roman. in *conſ. 376. Quæſtio eſt in finem*, per text. in *cap. Cùm M.* ibi, *ſicut conſuevit, ſuprà de conſtitut.*

Tertiò nota in eodem verſ. *In litteris gratioſis*, quæ ex- 10
pediuntur in forma dignum, quandoque apponi clauſulam, *Si eſt idoneus, & Eccleſiaſtico beneficio non indignus*, & ſic collige inter hæc duo differentiam eſſe; quia omnis indignus eſt non idoneus; ſed non convertitur, quia aliquis poteſt eſſe non indignus, qui tamen non ſit idoneus, ut comes, cerdo, vel miles, prout hìc notant Anchar. *in 3. notab.* Card. *in 6. notab.* & Joann. de Anan. *num. 2.*

Quartò nota ibi, *Quos à te, vel Prædeceſſoribus tuis or-* 11
dinatus fuiſſe conſtaret. Non tantùm Epiſcopum, qui Clericum illiteratum ordinavit ad ſacros ordines ſine ſufficient, titulo, ſed etiam illius ſucceſſorem teneri, & compelli poſſe ſic ordinato providere de competenti beneficio. Et ita hìc eſt caſus valdè notabilis, quem neſcio alibi, nam *c. Non liceat, c. Epiſcopus, & c. Cùm ſecundum, infrà de præbendis*, loquuntur de ordinato ſine ſufficienti titulo, cui tamen nihil fuit obiectum, ſed de illo, contra quem à ſucceſſore excipitur de inhabilitate, loquitur tantùm hæc Decretalis. Et ſic collige ſucceſſorem teneri non quidem ex 12
delicto, ſed ex facto defuncti, & eſt ſpeciale in hoc caſu, ne clericus cogatur in opprobrium ordinis clericalis mendicare, *c. Diaconi ſunt, verſ. Mendicat infelix clericus, 93. diſt. c. Ad ſupplicationem, ſuprà de renunc.* gloſſ. in *cap. Ad hæc, in ver. Examinentur, in fin. infrà de offic. Archid.* Ita Innoc. *hìc num. 1. verſ. Sed ſi objiceretur*, & *num. 3.* & Hoſt. *eodem num. verſ. Si vero objiceret*. Joan. Andr. *num. 5. eod. verſ.* Butr. *in 1. & in 5. notab.* Cardin. *in 7. notab.* Anchar. *n. 1.* & Jo. de Anan. *n. 5.* & hanc pœnam contra Ordinatorem, & illius ſucceſſorem innovavit Tridentina Synodus *ſeſſ. 21. c. 1.* In illis verbis, *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando*, non autem pœnam ſuſpenſionis contra ordinatum, de qua in *c. Neminem, & c. Sanctorum, 70. diſtinct.* niſi ipſe ordinatus fraudem adhibuerit, ut ex ſententia Sac. Congregationis Concilii in *c. Cùm ſecundum, in 2. q. à n. 63. uſque in fin. infr. de præbend.* ubi etiam plenè videas an, & quando Epiſcopus teneatur providere ordinato ſine titulo, in *1. q. à n. 20. uſque ad n. 63.*

Quintò nota ibi, *Eos debes idoneos reputare quos ad or-* 13
dines ſuſcepiſti. Statim atque Clericus fuit admiſſus ad ſacros ordines, cenſeri etiam idoneum ad beneficium Eccleſiaſticum, ita ut non ſit novo examini ſubjiciendus, ut hìc eſt expreſſum, & notat Innoc. *num. 3. in ver. reputare*, Butr. *num. 8.* Anchar. *in 5. notab.* & Cardin. *in 2. oppoſit.* Rota *deciſ. 16. num. 1. part. 2. diverſ.* Sed hoc latiùs examinabi- 14
tur *infr. in 2. quæſt. à num. 32.* Hic temen declarat regulam hanc ſex modis. Primò ſcilicet, ut procedat in beneficio ſimplici, non autem in Præbenda Cathedralis Eccleſiæ, vel alio beneficio ſpecialem formam requirente, ut hic per Collectar. *in princ.* poſt Gulielm. de Monte Laud. in Clem. *un. de conceſſ. præben.* Hoc credo verum in beneficio curato, ut latiùs dicam infrà, num. 40. non autem in præbend. Cathedralis Eccleſiæ, nam cum bon. mem. Cardin. Borromæus petiiſſet reſponderi à S. Congreg. Concilii, cum à Sede Apoſtolica conferuntur Canonicatus Cathedralium in forma dignum, ſi proviſi jam ſint Diaconi, vel Sacerdotes, an ſint ulteriùs examinandi: S. Congregatio conſ. in his, qui jam Diaconi, vel Presbyteri ſunt, & ad Canonicatus Cathedralis Eccleſię in forma dignum ſibi collatos admitti poterunt, opus non eſſe examine, quod ad explorandam litteraturam pertineat. Eos verò qui ſacris Ordinibus nondum initiati ſunt, examinendos eſſe an illa habeant adjumenta doctrinæ, quæ ex præſcripto Tridentin. Concil. neceſſaria ſunt ſacro illi ordini, qui Canonicatui, quem conſequi volunt, erit annexus. Secundò declara 15
regulam, ut locum habeat quando Epiſcopus per ſeipſum examinavit: ſecus ſi per alium, puta Archidiaconum, juxta text. in *cap. Ad hæc, infrà, de offic. Archid.* quia tunc benè poteſt ſemel examinatum iterùm examinare: nam negligentia primi examinatoris obſtare non debet quominus quæratur an promotus ſit dignus, ut notat gloſſ. in *d. c. Ad hæc in ver. Examinentur*, item gloſſ. *penult. in cap. Cùm ſit ars, infra eodem*, & hìc tenet gloſſ. *in ver. Examinari*, Innocent. *num. 1. verſ. Vel niſi alius ſit, ſicut Archidiaconus*, Hoſt. *num. 14. in ver. Sine examinatione*, Jo. Andr. *num. 7.*

n.7.verſ.Excuſatur, tamen Epiſcopus. & Bellam.*n.8.in* 5.*&* 6.*q.* Quæ declaratio multum corroboratur ex decreto Concilii Trid.*ſeſs.*14.*c.*3.quo ſtatuitur,ut Epiſcopus à ſuſceptorum ordinum exercitio poſſit interdicere, & ſuſpendere quoſcumque ſuos clericos, præſertim in ſacris conſtitutos abſque ſuo præcedenti examine,& commendatitiis litteris quacumque authoritate promotos, quos ad divina officia celebranda, ſeu Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtranda minus idoneos, & capaces repererit; licèt tamquam habilis ab eo, à quo ordinati ſunt, probati fuerint. Obſervandum eſt tamen hoc decretum non vendicare ſibi locum in ordinatis ab Epiſcopis prædeceſſoribus, ut declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres. Expoſuit enim Alphoſus Gomeſius ſe ordinatum fuiſſe ab Anteceſſore Archiepiſcopo Hiſpalen. & ſe solùm beneficium ſimplex poſſidere: tamen præſentem Archiepiſcopum Hiſpalen.voluiſſe eum cogere ad ſubjiciendum ſe novo examini ex decreto *cap.*3. *ſeſſ.* 14. cùmque ipſe noluiſſet conjectum fuiſſe in carcerem, deinde dimiſſum, & à celebranda Miſſa ſuſpenſum: S.Congregatio cenſ. *c.*3, *ſeſſ.* 14. non comprehendere examinatos, & probatos ad ſacros ordines ab Anteceſſoribus Epiſcopis, niſi poſt promotionem nova cauſa ſuperve-
16 niſſet. Tertiò declara ſuprà dictam regulam, ut procedat in Epiſcopo, qui ordinavit, non autem in illius ſucceſſore, qui benè poteſt examinatum ad ordinem à prædeceſſore, iterum examinare ad beneficium, ut dicam infrà num.42. licèt non poſſit prætextu inſufficientiæ denegare alimenta ordinato ad ſacros Ordines ab Epiſcopo prædeceſſore ſine inſufficienti titulo, ut oſtenſum eſt ſuprà *in* 4.*notab.* & notat gloſſ. in *d. c. Ad hæc*, *in ver. Examinentur, infrà de offic. Archid.* & ex hac declaratione collige, aliud eſſe, ut Epiſcopus velit clericum examinare ad ordinem jam ſuſceptum à prædeceſſore; & aliud eſſe, ut velit ſic ordinatum examinare ad beneficium ei de novo conferendum: nam in primo caſu non poteſt; quia decretum Trident. Conc. *d. c.* 3. ad hunc caſum non pertinet, ut prædixi. In ſecundo autem poteſt, ut patet in hac tertia declaratione, & poteſt eſſe, ratio diverſitatis;quia faciliùs repellitur promovendus, quàm dejiciatur promotus, §.*ultim.*15, *qu.* 1,gloſſ. in *c. Ex tenore*, *in ver.Utantur.* & ibi etiam Innoc. *num.* 1. & DD.
17 *ſuprà de tempor. ordinat.* Quartò declara regulam ut non procedat in eo, qui fuit ordinatus, vel obtinuit beneficium in una diœceſi, & poſteà eligitur ad beneficium in alia: nam talis poteſt iterùm examinari; quia fortè in diœceſi, in qua eligitur, ſunt alii mores, ad quos oportet eum adaptari, *c.Oportet*, 8, *quæſt.*1. *c. Illa*, 13, *diſt.* & res inter alios acta, &c. ita notabiliter declarat Collecta, *hic num.* 2. Quintò declara regulam ſuperiùs poſitam, ut non procedat in penitus illiterato, ut dicam infrà nu. 48. Sextò; & ultimò declara eamdem regulam, ut locum habeat, prout loquitur, in eo, qui ſacris Ordinibus initiatus eſt, & intendit obtinere beneficium: non autem in caſu converſo, videlicet in eo, qui jam beneficium obtinet, & intendit ſuſcipere ſacros Ordines eidem beneficio annexos; nam talis utique poteſt ſubjici novo examini, ut Sacra Congregatio Concilii declaravit: nam conſulta, An approbatus ad dignitatem ordinem annexum habentem, alia indigeat probatione ad ſacrum Ordinum ſuſcipiendum. Die 23. Januarii 1580. Reſpondit eum, qui ad dignitatem approbatus eſt, examini nihilominus ſubjiciendum eſſe tam ejus Epiſcopi, qui non contulit dignitatem, quàm ejus, qui contulit; niſi tamen ſtatim cum collatione dignitatis examinatus,& ordinatus fuerit, juxta decretum Conc. Trident.*c.*7. *ſeſſ.*23.

18 Sextò nota ibi, *Quos ſine examinatione non credimus ordinatos*. Non eſſe veriſimile, ut aliquis Epiſcopus violet Canonicas ſanctiones, ut hic per Hoſt. *num.*16. Jo. Andr. *num.* 17. Card. *in* 10. *notab.* & Joann. de Anan. *in* 3. *notab.* licèt quandoque ſecus fiat, ut *c. Vel non eſt compos*, *ſuprà de temporib. ordinationum*, ſunt enim Epiſcopi Cuſtodes Canonum, *c.Cum quibus*, 24.*q.*3. Archid.in *cap.Licet canon.num.*3. *verſ. Quid plura*, *de elect. lib.* 6. Federicus de Sen. *conſ.* 17. *Quæſtio talis eſt*, *per totum.* Anchar. *in repet. cap.Canonum tonſura*, *num.* 188. *verſ. In contrarium*, *num.*
19 190. *verſ. Accedit his utilis quæſtio ſuprà de conſtitut.* Unde eſt argumentum, pro judice præſumi, ut *c.In præſentia*,
20 *ſupra de renunc.* Et omnia præſumi ſolemniter acta, *l. Ab ea parte*, *ff. De probat.*& *inſtitut.de fidejuſſor.in fin.*& *c. Sicut, infrà de re judicat.*Hoſt.*hic n.* 17. *&* 18. Joan. Andr. & Card. *ubi ſuprà.*

Septimò nota ibi, *In forma communi*, formam juſtitiæ 21
appellari formam communem; & in beneficialibus per hujuſmodi formam compelli Epiſcopum providere non solùm in Eccleſia propria, ſed etiam compelli, & poſſe providere in Eccleſiis diœceſis, gloſſ. *hic in verb. In majori Eccleſia*, Sed de hoc latiùs infrà, in prima quæſtione.

Ultimò nota in *verſ. Exceptione autem*, ſecundùm 22
Hoſtienſ.*nu.*20. *in verſ.Exceptiones*, quod quando ſcribitur pro aliquo beneficiando, non eſt neceſſe, ut lis conteſtetur, vel ut libellus detur in ſcriptis; ſed ſufficit, ut impetrans dicat executori: Domine ſupplico, ut exequamini mandatum vobis injunctum, & tunc ſi nil opponatur, procedat executor ſecundùm formam reſcripti, *cap. Si quando*, & *c. Cum dilecta*, *ſuprà de reſcript.* & *c. Pro illorum*, *infrà de præbendis*. Idemque obſervandam ſi frivo- 23
la opponatur exceptio, *c.Dilectus*, *il* 3, *de præb.* & *c. Cum noſtris, de conceſſ. præb.* Si verò aliquid rationabile opponatur, illud examinabitur, & executio ſuſpendetur, *c. Conſtitutus*, *ſuprà de reſcript.* & *c. Dilectus*, *infrà de appellat.* Sed ſuper exceptione propoſita priuſquam teſtes recipiantur, erit lis conteſtanda, *cap. Veniens, ſupra de renunc.* de quo plenè per Hoſt.*in Summ,titul.de exceptione,*§.*Quando, ſub* §. *Hæc de dilatoriis*, *verſ.penult. & ult.* & per Roffred. *Beneventan. in libell. titul. An plures præb.* §. *Et primò videamus*, & per Compoſtell.in *c.Mandatum*, *n.*4.*col.* 6. *verſ. Si vero Capitulum non recipit mandatum*, & *n.*5. *ſupr.de reſcript.*hanc practicam Hoſt. probant hìc Jo.And.*n.*21. Bell. *num.*13. Butr. *num.* 15. Card.*in* 13.*notab.* & Jo.de Anan. *in* 6. *notab.*

In gloſſa ſecunda nota benè hanc gloſſam, quod ido- 24
neus reputatus ad unam dignitatem ſi eligatur ad aliam, debet ſimiliter idoneus reputari, ut hìc & in *c. Geſta*, 74. *diſt.* Ita è converſo, qui reputatus eſt indignus in uno offi- 25
ciò, debet indignus haberi in alio. Nam & qui malè ſe 26
geſſit in tutela, ſi deinde detur Curator, tamquam ſuſpectus removeri debet, ut *l.*3.§. *Quæri poteſt*, *ff. De ſuſpect. tutor.* & *l.Si aliquid*, *Cod. De ſuſpect.* & Anchar. *lib.* 10.& cum gloſſ. conſentit hic Hoſt. *num.* 12. *&* 13. & alii plures apud Boerium *dec.*149.*num.*16.hoc tamen limita, ut dicam infra nu. 39.

QUÆRO, an per illam formam, qua mandatur ali- 27
cui,ut provideat de beneficio in aliqua Eccleſiarum diœceſis, providere poſſit in Eccleſia Cathedrali, & è converſo ſi mandatur, ut provideat in Cathedrali, an poſſit providere in aliqua Eccleſia diœceſis. Pro ſolutione breviter ſic diſtingue. Aut hujuſmodi mandatum fit per litteras juſtitiæ, ſeu in communi forma,puta quia ſcribitur Epiſcopo,ut provideat ordinato ad ſacros ſine titulo de competenti beneficio;& tunc provideri poteſt, & debet in quacumque Eccleſia tam civitatis, quàm diœceſis, & in hoc caſu loquitur iſte textus, & *c.Pro illorum*, & *c.Cum ſecundum*, *infr.de præbendis.* Et gloſſ.*hic in ver.In majori Eccleſia,in princ.* Aut mandatum fit per litteras gratiæ, ſeu in forma gratioſa, & tunc ſi mandatur provideri in aliqua Eccleſia civitatis, non poteſt provideri in Eccleſia diœceſis. Et idem in caſu converſo; quia per clauſulam illam, in aliqua Eccleſia diœceſis, non comprehenduntur Eccleſia civitatis;nec è contra, *c.Rodulphus*, *ſupr.de reſcriptis.* Et eſt expreſſum in *c.Quamvis*, *il* 1. *de præbendis*, *lib.* 6. quod emanavit ad declarationem eorum, quæ notantur In hoc *c. Accepimus*, per Tancred. Bernard.& alios, ut ibi notatur in gloſſ.1. Et in hoc caſu, ideſt in litteris gratiæ, intelligenda eſt gloſſa noſtra in *ver. In* 28
majori Eccleſia, *ver. Sed quid ſi dicatur*. Ratio differentiæ eſt, quia forma juſtitiæ venit executivè ad obligationem ſurgentem ex ordinatione,quæ principaliter reſpicit Eccleſiam Cathedralem, *c.Cùm ſecundum,infr.de præb.*& ideò regulatur ſecundùm naturam præcedentis obligationis. Eſt enim hoc mandatum obligationis excitativum,quod commenſuratur quantitati obligationis antiquæ excitatæ ad hoc *c.Licet*,& *c.Grave*,& quod ibi dixi *in* 1.*notab.*poſt Butr. *n.*3.*&* 6.*ſup.de offic. Ordinar.* At hæc ratio ceſſat in litteris gratiæ ſuper beneficiis obtinendis,quę cùm ſint ambitioſæ, reſtringi debent, ut legitur, & notatur in *d. c. Quamvis*.
Vigore tamen talis mandati non poterit executor de ali- 29
qua Prælatura providere; quia ad Prælaturas non extenditur

dicitur intentio mandatoris, ut eſt caſus in *cap. ... infr. de præben.* & hic fatetur gloſſa præalleg. in ver. *In majori Eccleſia*, & ſupradictam diſtinctionem ſequuntur hic Butr. *num.* 13. Card. *in* 11. *notab.* & Joan. de Anan. *num.* 4. & vide bonam gloſſam in *cap. unic. in ver. Diœceſ. de rerum permut. lib. 6.*

30 Secundò QUÆRO, An præſentatus, ſeu electus à Capitulo ad beneficium requirens ordinem ſacrum, ad quem jam prævio examine ab Epiſcopo promotus fuerat, poſſit & debeat ab eodem Epiſcopo, ad quem jus confirmandi, ſeu inſtituendi pertinet ante confirmationem, vel inſtitutionem quoad doctrinam examinari; & niſi idoneus repertus fuerit, repelli vigore Tridentini Concilii *cap.* 13. *ſeſſ.* 7.

31 Quæſtio hæc diſcutienda eſt juxta terminos juris communis: nam Concilium *d. cap.* 13. loquitur in caſu, quo præſentatio electio, vel nominatio fit aliis, quàm Epiſcopo. Et ſic quando confirmatio, vel inſtitutio ad alium, quam Epiſcopum pertinet, ſecundum quem ſenſum abundat illa præpoſitio, *a*, quæ ante verbum, *quibuſvis*, in aliquibus Codicibus mendosè legitur impreſſa, quæ tamen non habetur in Codice Bibliothecæ Vaticanæ, & expreſsè declaratur alio textu ipſius Concilii, *cap.* 9. *ſeſſ.* 25. *verſ. Quod ſi ad inferiores*, tuncque jubet non aliter quem eſſe confirmandum, vel inſtituendum, quam Epiſcopi examine. Nos autem verſamur in caſu, quo præſentatio, ſeu nominatio fit Epiſcopo, ad quem jus inſtituendi, ſeu confirmandi pertinet, qui caſus à Concilio omittitur,
32 ideoque remanet in diſpoſitione juris communis, *l. Commodiſſimè. ff. de liber. & poſthum.* Perpenſa autem juris communis diſpoſitione, regula eſt, ſemel approbatum prævio examine quoad doctrinam non eſſe rurſus examinandum, nec reprobari poſſe, ut in hoc *cap. Accepimus*, ubi omnes notant Cardin. in *cap. Cùm ſecundum de præben. num.* 5. *in* 3. *oppoſitione*, Felin. in *cap. Cum venerabilis num.* 47. *de except.* & hanc eſſe regulam ſentiunt communiter DD. qui ſemper caſus, in quibus ſemel approbatus poteſt reprobari, dicunt eſſe ſpeciales, gloſſ. in *d. c. Cùm ſecundum in ver. Liceat*, quam ibi, cui adhærent, omnes ſequuntur *de præbend.* ubi Cardin. jam citatus in *dict.* 3. *oppoſ.* Bald. in *l. Ut gradatim*, §. *Reprobari*, *ff. De muner. & honor.* Bart. & Al-
33 ber. in *l. Sed & reprobari*, *ff. De excuſat. tutor.* dum ajunt poſt Dynum, Medicum probatum reprobari poſſe cauſa legitima ſubſiſtente: aliàs ſecus, & ita ſupponunt regulam eſſe in contrarium, ita etiam Joan. Andr. in *addit. ad Speculat. tit. de jurepatr. in med. addit. margin.* ubi ait: *In medico, ut ſemel probatus poſſit reprobari, eſſe ſpeciale propter hominum ſanitatem*, idemque ſcribit Oldrad. *conſ.* 18. *circa primum articulum num.* 1. *verſ. Eſt enim ſpeciale in medi-*
34 *co.* Et ratio eſt, quia bis de eodem hominis facto quæri non debet, *l. Licet, ff. naut. caup. ſtab.* gl. ff. in *cap. Licet in fin. ff. De offic. legat.* gloſſ. *in d. c. Cùm ſecundum in ver. Liceat de*
35 *præben.* Et in ſpecie quæſtionis noſtræ, quod promotus ab Epiſcopo prævio examine ad ordines ſacros, non poſſit repelli per ipſum à beneficio, neque rurſus examinari, text.
36 eſt clarus hìc, ut dixi ſup. in 5. notab. Ordo enim, & titulus ſunt connexa, *cap.* 1. 70. *diſt.* ut qui unum dedit, reliquum dare teneatur, *d. c. Cùm ſecundum*, ut conſiderat Innoc. *hic in princip.* ubi cæteri Doctores, præſertim Hoſt. *num.* 2. *in ver. Contra illos*, & Bellam. *num.* 5. Butr. in *d. c. Cùm ſecundum num.* 18. Idque procedit ſive detegatur
37 quem fuiſſe illiteratum tempore examinis prioris, ſive etiam poſtea talem effectum eſſe, ſecundùm Innocen. &
38 alios proximè citandos. Neque obſtat, quod approbatus poſſit reprobari ex cauſa ſuperveniente, ut hìc patet, & dictum eſt ſup. in 1. notab. Quia id eſt verum ſi loquamur de crimine: ſecus autem ſi loquamur de litteratura, ſeu doctrina, ſicut in caſu noſtro, ut optimè declarat hìc Innoc. *n.* 1. *verſ. Sed ſi objiceretur*, & poſt eum Hoſt. *n.* 3. *verſ. Si vero objiceret*, Jo. Andr. *n.* 5. *eod. verſ.* & Butr. *n.* 9. *verſ. Hoc verum.*
39 Regula tamen ſuperiùs propoſita pluribus modis limitatur.

Primò enim declaratur procedere in examinato, & approbato ad idem, vel ſimile officium, vel beneficium; ſecus autem eſſet ſi beneficium, vel officium eſſet majus, vel diſſimile, gloſſ. hìc in *ver. Reputare*, quam Hoſt. *num.* 12. *& ſeqq.* Butr. *num.* 9. & cæteri ſequuntur Bald. in *cap. Scriptum col. ultim. ſuprà de elect.* dicens, ſemel examinatum debere iterum examinari ſi tranſeat ad longè altiora. Et eſt theorica Innoc. in *a. cap. Cùm venerabilis*, quam ibi ſequuntur alii, teſte Felin. *num.* 48. ubi etiam *num.* 49. *propè finem*, refert id in ipſo ſervatum fuiſſe, qui aſſumptus in Auditorem ſacri Palatii examinatus fuit, tametſi viginti annos in publicis Univerſitatibus jus Pontificium docuiſſet, & in hoc nullus diſcrepat. Et hanc ſententiam aliàs probavit Sac. Congregatio Concilii. Nam conſulta, an ſemel examinatus ab Epiſcopo ad ſimplex beneficium, ſi ad aliud ſimile præſentetur, teneatur iterùm ſe Epiſcopi examini ſubjicere: Reſpondit non teneri, cùm ſit ſimile beneficium. Hinc autem ſequitur magna limi- 40
tatio ad regulam hujus *cap. Accepimus, & cap. Cum ſecundum, de præbend.* ut examinatus, & approbatus ad ordinem non poſſit examinari, & reprobari ad beneficium, ut ſcilicet procedat in ſimplici; non autem in beneficio curam animarum habente, ut per Oldrad. *d. conſ.* 18. *num.* 1.
Et hoc eſt, quod ſcribit Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in* 41
titul. de jurepatr. in addit. margin. in fin. dum ait, *cap. Accepimus*, arctare ordinantem ad dandum beneficium, non autem curam. Huc etiam ſpectat, quod ſcribunt Oldrad. *ubi ſuprà*, & Anchar. *d. Clem.* 1. *de conceſ. præbend.* dum aſſerunt regulam prædictam deſumptam ex *cap. Accepimus*, habere locum in connexis, dependentibus, vel cohærentibus, non autem in diverſis, Anton. de Butr. *d. cap. Cum ſecundum*, *num.* 18. ubi ait poſſibile eſſe, ut dignus beneficio per approbationem ordinum non ſit dignus beneficio quolibet, quaſi inſinuans non eſſe dignum Curatis, vel aliis requirentibus magnam habilitatem, Felin. *loco citato.*

Secundò regula limitatur, ut habeat locum in eodem 42
examinante, & approbante; is enim ſemel probatum ampliùs examinare, vel reprobare non poteſt. At diverſum eſt jus in ſucceſſore ejus, qui ſemel approbavit, ut ſentiunt hìc Doctores poſt gloſſ. in verſ. *Examinari*, Butr. *n.* 9. *verſ. Quandoque ordinavit per ſe*, & Felin. *l. c.* Neque in caſu hujus limitationis obſtat exceptio rei judicatæ ſucceſſori examinare volenti: tum quia cauſa agendi mutatur, & 43
eſt alia res, ſcilicet aliud beneficium: tum quia approbatio non eſt ſententia diffinitiva, ſed appellatur decretum admiſſorium, Oldrad. *d. conſ.* 18. *n.* 3. Anton. de Butr. *in dict. c. Cùm ſecundum n.* 18. Jo. Andr. *in d. Addit.* Anchar. *in dicta Clem.* 1. *n.* 18. & Felin. *in d. c. Cùm venerabilis n.* 49.

Tertiò limita ratione publicæ utilitatis, ob quam Me- 44
dicus, qui ad curandam hominum valetudinem adhibetur, ſemel probatus, reprobari poteſt, *l. Ut gradatim*, §. *Reprobari*, *ff. De muner. & honor. leg. Sed & reprobari*, ubi Bald. *ff. De excuſat. tutor.* ex quo deducit Bart. *in dict. l. Sed & reprobari.* Doctorem ſemel probatum reprobari poſſe, ut facere conſueverat Archiepiſcopus Capuanus, quem hoc nomine laudat, optatque ita etiam hodie obſervari. Idque ſpeciale eſt propter præjudicium publicum, ne Doctoribus imperitis cauſæ defendendæ, aut judicandæ committantur, Lambertin. infrà allegandus num. 6. Hinc 45
etiam ex facto reſpondit Oldrad. *d. conſ.* 18. approbatum ad duas Parochiales ſi velit conſequi tertiam etiam æqualem, vel minorem, debere iterùm examinari, & ſi minus idoneus fuerit, repelli: nam ſi id eſt ſpeciale in Medico corporum, ut propter periculum, quod verſatur in exercitio artis ſuæ, ſemel probatus reprobari queat: multò magis debet eſſe ſpeciale in Medico animarum, in cujus imperitia majus periculum vertitur, *cap. Cum ſit ars*, *infrà eod.* facit *cap. Cùm infirmitas de pœnit. & remiſſ.* Et iiſdem fundamentis ſentit Joan. Andr. *in d. Addit. ad Speculat.* & ſequitur Anchar. *in d. Clem.* 1. *de conceſſ. praben. nu.* 15. Lambert. *in tract. de Jurepatr. in* 1. *part.* 2. *lib.* 9. *quæſt. princ.* 20. *art. num.* 4. *cum ſeqq.* Felin. *in d. cap. Cùm venerabilis num.* 49. *de except.*

Quartò, Regula procedit quoties ſemel examinatus eſt 46
quidem inſufficiens, ſed non penitus illiteratus: nam ſive Epiſcopus promovendo eum, qui non eſt prorſus ſufficiens, tacitè cum eo videatur diſpenſare, juxta *cap. Veniens de filiis Presbyter.* ut ſentiebat Præceptor Hoſt. relatus à Joan. Andr. *in d. cap. Diverſis fallaciis in* 2. *col.* ſive diſpenſare non videatur, juxta doctrinam Innoc. & Hoſtien. ibid. relati; ſatis eſt, ut ipſemet Epiſcopus contra factum ſuum venire non poſſit in caſu, quo ſibi competebat facultas diſpenſandi, ut certè competit cum eo, qui

non

non eſt prorſus illitteratus, ut per Joan. Andr. *ibid.* quem
47 Doctores ſequuntur. At cùm quis eſt prorſus illitteratus, ſecus eſt; quia quoad ipſum diſpenſare non poteſt, imò etiam de Papa dubitatur an poſſit, Felin. in *cap. Si quando in penult. col. de reſcript.* & ideò ſi illum admittat, poteſt Prælatus contra factum proprium venire in caſibus, in quibus aliquid fecit contra jus, nec habebat diſpenſandi facultatem, ut tradit Joan. Andr. poſt Innoc. & Hoſtien. in *loco ſuprà proximè citato*, cui cæteri conſentiunt. Et ita hanc regulam limitat Lambert. in *d. art. 26. num.* 4. qui tamen refert Doctores in *d. c. Diverſis fallaciis*, velle ut quando Epiſcopus promovit illum, cùm quo habet facultatem diſpenſandi, ut habet cum eo, qui non eſt penitus illitteratus, ita demum poſſit venire contra factum proprium, ſi ſine cauſæ cognitione proceſſerit; ſecus ſi cùm cauſæ cognitione, qua in re fallitur Lambert in. nec opus fuit, ut tot rationibus eam opinionem refelleret, quia Joan. Andr. & cœteri numquam ſentiunt Epiſcopum, etiam ſi ſine cauſæ cognitione proceſſerit, poſſe venire contra factum proprium in caſibus, in quibus poteſt diſpenſare; ſed tantùm dicunt ſuperiorem, vel ſucceſſorem Epiſcopi poſſe tunc revocare id, quod Epiſcopus fecit, ſed ipſummet non poſſe factum proprium improbare, ſemperque id pro certo habent, ſive adhibuerit cauſæ cognitionem, ſive non, quando ſumus in caſibus, in quibus ei licet diſpenſare; & tunc tantùm affir-
48 mant ipſum contra factum ſuum venire poſſe, cùm diſpenſare non poteſt, ſicut non poteſt cum penitus illiterato. Et in hunc ſenſum accipiendum eſt, quod ſcribit Felin. in *d. c. Cùm venerabilis num. 19. de except.* dum abſolutè, & ſimpliciter ait inſufficientem poſſe privari beneficio obtento etiam à promovente: quia id eſt verum in penitus inſufficienti, cùm quo Epiſcopo diſpenſare non licet; ſecus ſi non eſſet penitus inſufficiens; quia cùm Epiſcopus diſpenſare potuerit, contra factum ſuum ipſe venire non poteſt, ut per Doctores in *d. cap. Diverſis fallaciis*.

His poſitis ſequitur reſponſio ad quæſtionem ſupra propoſitam: nam cùm nos agamus de eodem Epiſcopo, non autem de ſucceſſore: & de beneficiis, quæ non requirunt majorem idoneitatem, quàm ordo collatus (quæſtio enim eſt de examine ad beneficia requirentia eumdem ordinem ſacrum, ad quem quis anteà fuerat promotus (explorati juris eſt eos promotos non eſſe rurſus examinandos; nec poſſe reprobari, niſi in duobus caſibus, id eſt cum ageretur de beneficio requirente ordinem Presbyteratus, cui ſit annexum onus coadjuvandi curatos, vel cùm jam promoti ad ordines eſſent penitus illitterati. His enim duobus caſibus verſaremur in tertia, & quarta ſuprapoſitis limitationibus, & ita liceret Epiſcopos examinare, & reprobare ſemel probatos.

Inquirendum hìc eſſet, an & quando regulares ſemel ab 49
Epiſcopo approbati ad confeſſiones ac perſonarum ſæcularium audiendas poſſint iterùm examinari, & reprobari; ſed de hoc articulo plenè egimus in *cap. Grave num.* 50. *infrà de offic. ordin.* illuc recurre.

DE ÆTATE, ET QUALITATE.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XIV.

CUm ſit ars artium regimen animarum, diſtrictè præcipimus; ut Epiſcopi promovendos in ſacerdotes diligenter inſtruant, & informent, vel per ſeipſos, vel per alios idoneos viros ſuper divinis officiis, & Eccleſiaſticis Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare. Quoniam ſi de cætero rudes, & ignaros ordinare præſumpſerint, (quod quidem facilè poterit deprehendi,) & ordinatores, & ordinatos ultioni gravi decernimus ſubjacere. Sanctius enim eſt (maximè in ordinatione ſacerdotum) paucos bonos, quàm multos malos habere miniſtros: quia ſi cæcus cæcum ducit ambo in foveam dilabuntur.

S U M M A R I U M.

1 *MInus idoneus ad Sacerdotium promoveri, vel ad regimen animarum aſſumi non debet.*
2 *Ars artium eſt regimen animarum.*
3 *Inſtruendi munus alicui ex debito incumbens poteſt alteri demandari.*
4 *Doctor poteſt interdum ſubrogare ſcholarem.*
5 *Rudes, & ignari in quo differant.*
6 *Ignorantia promoti probatur per examinationem.*
7 *Ordinatoris delictum probatur eo ipſo, quod conſtat de inhabilitate ordinati.*
8 *Quod procedit, ſi per ſeipſum examinaverit, ſecus ſi per alios.*
9 *Niſi inſufficientes malos, vel negligentes ad officium examinationis elegerit.*
10 *Sacerdotes, & curati ſuper quibus ſint examinandi, & num. ſeqq.*
11 *Canones ignorare periculoſum eſt Theologis, & Catholicis omnibus.*
12 *Religioſi, qui canones ignorant, reputandi ſunt idiotæ.*
13 *Sanctus eſt paucos bonos, quàm multos malos habere miniſtros.*
14 *Clericorum numeroſam multitudinem, quibus ex cauſis expediat compeſcere.*
15 *Regulares, qui multitudinem novitiorum, & nova loca indiſcretè recipiunt, corripiuntur.*
16 *Allegationibus multis ſe dilatare inutile eſt.*
17 *Præterquam in compilatione librorum, in legibus, & in gloſſis.*
18 *Examinis forma à Concilio Tridentino præſcripta in Parochialibus conferendis quæ ſit.*
19 *Concurſus an requiratur in Dignitatibus, & Manſionariis, ſeu Hebdomadariis curam animarum habentibus in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, & num. ſeqq. uſque ad n. 28.*
20 *Dignitates curatæ in Cathedrali, vel Collegiata an veniant Parochialis appellatione, & num. ſeqq. & num. 29.*
21 *Intellectus* cap. Statutum de elect. lib. 6. *& num. 25. & 29.*
22 *Vacatio an detur mortuo uno ex pluribus curam animarum exercentibus in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia, & num. ſeqq. & n. 26.*
24 *Concurſus an requiratur in Parochialibus non Collegiatis, ubi cura animarum per plures exercetur, aut in Parochialibus habentibus nomen dignitatis, & n. 27*
28 *Item an requiratur in Prioratu commendari ſolito, qui eſt Dignitas habitu, & non actu, cuive cura imminet animarum, & n. ſeqq. uſque ad n. 41.*
30 *Dignitas habitu tantum curata, an comprehendatur appellatione Parochialis, & n. ſeqq.*
31 *Impoſſibilia reputantur, quæ pendent à voluntate Principis, & concedi non conſueverunt.*
32 *Exercitium cum nec ſubeſt re, nec ſpe, numquam comprehenditur in lege conjunctim reſpiciente habitum, & actum, & n. ſeqq.*

33 *Col-*

33 *Collegio ſublato an Eccleſia deſinat eſſe Collegiata.*
34 *Potentia ita demum attenditur, cum eſt facilè reducibilis ad actum.*
35 *Collegium conſervatur in uno.*
36 *Parochialis habitu tantùm curata non venit appellatione Parochialis.*
37 *Concurſus non requiritur in beneficiis regularibus curatis etiam Clericis ſæcularibus commendari ſolitis, & n. ſeqq. uſq. ad n.* 41.
38 *Commendæ noſtri temporis redactæ ſunt ad inſtar titulorum.*
39 *Commenda etiam perpetua non mutat ſtatum beneficii.*
40 *Beneficium etiam perpetuò commendatum propriè non vacat per obitum Commendatarii.*
41 *Terminus decem dierum à Concilio Trident. præfixus in c.* 18. *ſeſſ.* 24. *an ſit computandus à die habitæ notitiæ vacationis Eccleſiæ, an verò liberum ſit Epiſcopo quandocumque illum præfigere volentibus concurrere, & n. ſeqq. uſq. ad n.*48.
42 *Epiſcopo poteſt differre electionem magis idonei uſque ad ſex menſes, ſi Parochialis in ſuo menſe vacaverit, & uſque ad quatuor, ſi vacaverit in menſe Sedi Apoſtolicæ reſervato.*
43 *Concilii Trid. decretum c.* 18. *ſeſſ.* 24. *expenditur, & n. ſeqq.*
44 *Dictio*, Porrò, *eſt diverſificativa præcedentium.*
45 *Terminum implicat currere ipſo jure, & eſſe ab Epiſcopo aſſignandum.*
46 *Proviſio hominis facit ceſſare proviſionem legis.*
47 *Obſervantia generalis Epiſcoporum plurimum valet ad interpretationem Conc. Trid.*
48 *Concurſus habitus infra terminum decem dierum non eſt nullus, ſi nemo poſt examen comparuit, qui ſe læſum prætendat.*
49 *Idem ſi aliqui fuerint examinati infrà decem dies, alii verò poſt, itaut nullus ex concurrentibus remanſerit non examinatus.*
50 *Appellare an liceat in concurſu Parochialis Eccleſiæ à reprobatione examinatorum Synodalium, & ad novum examen provocare, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
51 *Cap. Conſtitutis, il ſecondo de appell. correctum eſt à Conc. Trid. c.* 19. *ſeſſ.* 24.
52 *Examinatorum officium eſt idoneos judicare; electio autem magis idonei ad ſolum Epiſcopum pertinet, & n. ſeqq.*
53 *Appellari poteſt à prælectione Epiſcopi, qui judicium examinatorum ſequutus, unum magis idoneum prætulerit.*
54 *Examinatorum Synodalium authoritas an & quando expiret, & an Epiſcopus in locum demortuorum poſſit alios extra Synodum ſubſtituere.*
55 *Concurſus, in quo unà cum tribus Examinatoribus Synodalibus alii non Synodales fuerunt adhibiti, eſt nullus, & collatio Parochialis ad Sedem Apoſtolicam devolvitur.*

1 **C***Um ſit ars*. Minùs idoneus ad Sacerdotium promoveri, vel ad regimen animarum aſſumi non debet. Hoc dicit. Primò, exordium. Secundò, præceptum, ibi, *Diſtinctè*. Tertiò, pœna contrafacientis, ibi, *Quoniam*. Quartò, antipophora, ibi, *Sanctius enim eſt*. Quintò, ratio, ibi, *Quia ſi cæcus*.

2 Nota primò, excellentiam regiminis animarum; eſt enim ars artium, ut antonomaſticè hic dicit Concilium generale, & latiùs explicant Hoſt. & Jo. Andr. ambo *in princ.* Bellam. & Card. *n.* 1. *in* 1. *oppoſ.*

3 Secundò, nota ibi, *Per alios*, eum qui tenetur ex debito alios inſtruere, poſſe id munus alteri demandare. Et ſic

4 Doctor poteſt interdum ſubrogare ſcholarem, ut hìc notant Joan. Andr. *nu.* 7. Cardin in 3. *notab.* Anchar. *in* 2. & Jo. de Anan. *n.* 3. de quo dic, ut per eumdem Cardin. *in cap.* 1. *in princip. in* 26. *notab. nu.* 18. *ſuprà de Summ. Trinit.* & per Jo. Andr. *in reg. Qui per alium, in Mercurial. de reg. jur. lib.* 6. & *in c. Extirpandæ infrà de præben.* & per Legiſtas, nempè Bart. *in l. Nemo eſt qui neſciat, ff. de duobus reis*, Cyn. & Bald. *in l. Quiſquis, Cod. de Epiſcop. & Cleric.*

Tertiò, nota differentiam eſſe inter rudes, & ignaros; 5
quia rudes dicuntur quoad temporalia ignari, quoad ſpiritualia, ſive jura; nam utrumque requiritur in Sacerdotibus, & Rectoribus animarum, ut *in c. Petrus* 39. *diſt.* ſecundùm Hoſt. & Jo. Andr. *n.* 10. & Bellam. *in princ.* omnes *in ver. Rudes*, & Card. *n.* 2. *in* 2. *oppoſ.*

Quartò, nota ibi, *Quod facilè poterit deprehendi*, ignorantiam promoti facilè probari poſſe, id eſt per examinationem, ut *c. Si fortè de elect. lib.* 6. & hìc notant Jo. Andr. *nu.* 10. *in ver. Deprehendi*, Bellam. *in princ. in eod. ver.* Butr. *in* 4. *not.* & Card. *in* 6. Statim enim atque imperitus matheſeos examinabitur, riſui patebit, *c. Qui de menſa, & c. Relatum* 37. *diſt.* ſecundùm Hoſtien. *nu.* 10. *in ver. Facilè poterit.* 6

Quintò, nota ibi, *Ordinatores, & ordinatos*, eo ipſo quòd 7
conſtat de inhabilitate promoti, pariter conſtare de delicto promoventis, ut hìc, & in *c. Tantis, Daniel* 81. *diſt. in fin.* ibi. Qualis enim ipſe ſit, quiſquis tales ordinaverit, 8
oſtendit, & arg. *c. Quamvis infrà de reg. jur. & l. Quiſquis, C. de reſcin. vend.* Quod intelligunt Doctores, quando promovens per ſeipſum examinavit. Secus ſi per alios, quia tunc examinatores tantùm punientur, ut *in c. Quando* 24. *diſt. & c. Ad hæc infrà de offic. Archid.* & hìc declarant gloſſ. in *ver. Deprehendi*, Innoc. *n.* 2. *in ver. Ordinatos*, Hoſtien. *nu.* 10. *in ver. Deprehendi*, Joann. Andr. in gloſſ. 3. *n.* 13. & Bellam. *num.* 3. Qui tamen hoc ultimum 9
ſublimitant, niſi Ordinatori ſit imputandum, quòd inſufficientes, malos, vel negligentes ad officium examinationis elegerit, ut *l.* 1. §. *Qui ſunt igitur, & l. fin. ff. naut. caupon. ſtabul. & l.* 1. *Idem Pomponius, ff. depoſ. & c. Ea quæ*, §. *Unico inf. de offic. Archid.* Quid autem in promotis ſine examinatione, dic ut per Arch. *in c. Si quis* 24. *diſt.* & per Collectar. hic *n.* 1.

Sextò, nota, promovendos ad Sacerdotium, & regi- 10
men animarum eſſe examinandos ſuper divinis officiis, & Eccleſiaſticis Sacramentis. Quod plenè fieri non poteſt ſine ſcientia Canonum, *c. Inter cætera infrà de offic. Ordin. c.* 1. *de feriis, cap.* 1. *de celebrat. Miſſarum, & de conſecr. per tot.* & patet in hoc tractatu, & aliis hoc tangentibus.
Hæc autem ſecundùm Hoſtien. *n.* 8. ignorant puri Theo- 11
logi non ſine periculo animarum; quia ad Canonum obſervationem, quæ cenſetur regula omnium, & ipſi, & omnes Catholici adſtringuntur, ut *c.* 1. *ſuprà de conſtit.* Non eſt ergo modicum periculum ſua regulam ignorare, & inniti prudentiæ ſuæ contra canonicas ſanctiones, ut *c. Ne innitaris eod. tit.* & religioſi, qui canones ignorant, reputandi 12
ſunt idiotæ, ut legitur, & notatur *in c. Ex multa in primo reſponſo, verſ. Sic ergo inf. de voto.* Ergo debent tales eſſe gnari divinæ legis, & exercitati in Eccleſiaſticis ſanctionibus, ſecundùm Goffred. & Jo. Andr. *n.* 12.

Septimò, nota axioma in materia regiminis Eccleſiaſti- 13
ci, videlicet, & ſanctiùs eſſe paucos bonos, quàm multos malos habere miniſtros.

Et ſigna hunc textum contra Epiſcopos ordinantes 14
multitudinem Clericorum: nam etſi miniſtrorum numerum augere ſpectet ad incrementum divini cultus, *c. Ex parte ſupra de conſtit.* & notat Innocent. *in cap. Cum ſecundum nu.* 1. & poſt eum Hoſtien. *num.* 9. *infrà de præbend.* tamen plerique Clericalem militiam aſſumunt, non ut Deo fidelem cultum præſtent, ſed ſæcularis judicii fugiendi fraude, contra quos Concilium Tridentinum *c.* 4. *ſeſſ.* 23. Undè & crebra inter utrumque forum oriuntur diſſidia, & libertas Eccleſiaſtica in dies magis violatur. Nec deſunt, qui hanc calumniam obtrudant Eccleſiarum Prælatis, quòd gregem ſibi numeroſum parent avaritiæ ſtudio, non ut paſcant, ſed ut emungant, aut mactent. Præterea, ut inquit Hieronymus *ad Evagrium Epiſcopum epiſt.* 85. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit, *c. Legimus* 93. *diſt.* Ideòque Concilium Chalcedonenſe *can.* 6. à Concilio Tridentino innovatum *c.* 16. *ſeſſ.* 23. præcipit nullum debere ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſariis ſuis Eccleſiis, & jura interdicunt quemquam promoveri ſine titulo etiam ad minores Ordines, ut plerique interpres tradiderunt *in c. Non liceat*, & ibi dixi *n.* 5. *infrà de præben.* Et quamvis id non ſervetur ex conſuetudine, tamen utile eſſet, ut in uſum induceretur ad compeſcendam effrænatam Clericorum multitudinem, ut advertit Abb. *in d. c.*

Non liceat n. 2. Sed & Imperatores Clericorum numerum præfixerunt, ut in Authen. *Ut determinatus ſit numerus Clericorum*, &c. in rubro, & nigro: nam multitudo numeroſa nihil habet honeſti, ut dicitur in Authen. *de referendar. ad fin.* Ergo non refert, quam multos Epiſcopi habeant Clericos, ſed quàm bonos, ut hic, & *in c. Tales* 22.*diſt.* ubi Clemens ad Jacobum fratrem Domini: Tales, inquit, ad miniſterium eligantur Clerici, qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare; melius eſt enim Domini Sacerdoti paucos habere miniſtros, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.

15 Deindè ſigna hunc textum contra Superiores Regulares, qui novitiorum multitudinem ad habitum, & profeſſionem admittunt, quive novas domos, & loca in dies recipiunt, ut religionem longè, latèque diffundant: vix enim fieri poteſt, ut immenſitas camporum benè, ut par eſt, excolatur. Et hinc potiſſimùm contigiſſe arbitror, ut multæ religiones à primævi inſtituti puritatę, & monaſticę diſciplinę obſervantia infeliciter ceciderint. Porrò immoderatum hunc affectum ſe propagandi ut comprimerent Sacri Canones, Concilia, & Apoſtolicę Conſtitutiones, providè ſanxerunt, ut is tantùm numerus in ſingulis monaſteriis conſtituatur, & in poſterum conſervetur, quæ vel ex redditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari, ut *in cap.* 1. *&* 3. *infrà de inſtitut. in c. unico*, §. *Sanè de ſtatu regul. lib.* 6. & in Concilio Tridentino *cap.* 3. *ſeſſ.* 24. *de reg.* Neve Superioribus Ordinum liceat nova loca acquirere ſine conſenſu Ordinarii, & Sedis Apoſtolicæ licentia, ut *in c. unico de exceſſ. Prælat. lib.* 6. *& in d. c.* 3. *in fine ſeſſ.* 25. *de regular.* & in decretis hac de re editis. Ingentem quoque religionum Mendicantium numerum reduxit Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. ut *in c. unico de relig. domib. lib.* 6. Cùm tamen ab eo tempore uſque adeò excreverint, ut à multis piis viris Apoſtolicæ Sedis proviſio hac in re deſideretur.

16 Poſtremò ex hac littera arguit Hoſtien. *n.* 13. & gloſſ. in *c. Tales in ver. Multos* 23. *diſt.* contra eos qui pretioſum tempus conterunt, in allegationibus ſe inutiliter dilatantes, ut in *c. Non mediocriter*, *de conſecr. diſt.* 5. *& c. Odi, & projeci* 24. *q.* 1. Non enim multis opus eſt, ſed efficacibus, ut ait Seneca *ad Lucil. Epiſt.* 38. ideòque doctis, & cordatis viris nauſeam movet tot Authorum, præſertim nullius nominis, aut ponderis, inepta congeries.

17 Hoc tamen limita dupliciter ſecundùm Hoſtienſ. *n.* 13. Primò ſcilicet, ut non procedat in compilatione librorum, ut patet in eo, quod legitur, & notatur *in cap. Ad liberandam inf. de Judæis*, in parte deciſa cum ſuis concordan. & *c. unico in primo reſponſo inf. de Sacram. n. Unct.*

Deindè limita, ut non procedat in legibus, & in gloſſ. quas non debemus, cùm ibi ſint multa difficilia, multa latentia, & obſcura, plerumque tamen utilia, aut etiam neceſſaria, perfunctoriè pertranſire. Aliquando enim vidimus aliquam legem negligi, per quam poſteà quæſtionem difficilem cognovimus terminari; & ſecundùm Ariſtot. 3. *Phyſic. c.* 1. de ſingulis dubitare non eſt inutile. De quo per eumdem Hoſtien. *in cap.* 1. *in fin. ſuper ver. Breviter infra de Sacram. non iteran.* & per Jo. Andr. *in c. Ex multa n.* 2. *de Voto.*

Ultimò nota rationem, cur aſſumendi ad regimen animarum ſubjiciendi ſint examini, videlicet, quia ſunt duces aliorum, ideòque illuminati eſſe debent, ut aliis pręluceant Ignorantia autem eſt cæcitas intellectus, unde ſi cæcus cęcum ducit, ambo in foveam dilabuntur. Matth. 15. & Lucæ 6. & hic in littera. & in *c. Quæ ipſis* 38. *diſt.* & facit ad titulum de qualitate præficiendorum.

18 Hodiè in aſſumendis ad regimen Parochialium Eccleſiarum novam formam examinis per concurſum præſcripſit Sancta Tridentina Synodus *in c.* 18. *ſeſſ.* 24.

Statuit enim primò, ut examen hujuſmodi ſervari debeat in omnibus Parochialibus, etiamſi cura Eccleſiæ, vel Epiſcopo incumbere dicatur, & per unum, vel plures adminiſtretur, per obitum, vel reſignationem vacantibus, etiamſi reſervatæ, vel affectæ fuerint. Secundò ſtatuit, ut cùm Parochialis Eccleſiæ vacatio contigerit, Epiſcopus, qui juſpatronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum (quod hodiè eſt limitatum ad alios decem dies ex Conſtitutione S. Pii V. *In conferendis*) idoneos aliquot Clericos coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum ſit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre. Quòd ſi Epiſcopo, aut Synodo Provinciali videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Tertiò ſtatuit, ut tranſacto conſtituto tempore omnes deſcripti examinentur ab Epiſcopo, ſive eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis, ſi pars, aut ſingulares fuerint accedere poſſit Epiſcopus, vel Vicarius. Quartò præcipit, ut examinatores ſingulis annis in diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel ejus Vicario ad minus ſex proponatur, qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea probentur: & eorumdem qualitates præſcribit, videlicet ut ſint Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel alii Clerici, qui videbuntur magis idonei. An autem alternativa, Vel, hoc caſu ſit ordinis, vel electionis dixi *in c. Inter cæteras à n.* 45. *uſque in fin. ſup. de reſcr.* Quintò jubet, ut examine peracto examinatores renuncient, quos idoneos judicaverint, ex hiſque Epiſcopus eligat digniorem, eique, & non alteri per eum, ad quem ſpectat, collatio Eccleſiæ fiat. Sextò præſcribit, quid obſervandum, ſi Parochiales juriſpatronatus Eccleſiaſtici, aut laicorum fuerint. Septimò ſtatuit, ut examinatorum relationem nulla devolutio, vel appellatio etiam ad Sedem Apoſtolic. impediat, aut ſuſpendat, quominùs executionem habeat. An autem ex Conc. ex Conſtitut. S. Pii V. Epiſcopus in concurſu ita teneatur præeligere digniorem, ut aliàs liceat poſtpoſito appellare; etiam ſi priùs non conſtet de irrationabili Epiſcopi judicio, ſcripſi plenè *in c. Eam te in* 1. 2. *&* 3. *q. à n.* 20. *uſq. in fin. ſup. eod.* Octavò in hujuſmodi forma examinis jubet haberi rationem Parochialium exigui redditus, vel locorum, ubi non ſunt, qui velint ſe examini ſubjicere. Ultimò, tribuit facultatem Synodo Provinciali, providendi circa examinationis formam, ſi quid addendum, aut remittendum eſſe cenſuerit.

QUÆRO, an in dignitatibus, & Manſionariis, ſeu 19
Hebdomadariis curam animarum habentibus in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, requiratur forma examinis per concurſum à Concil. Trident. præſcripta in *d. c.* 18. *ſeſſ.* 24.

Cùm in Eccleſia Paravina, aliiſque ejuſdem diœceſis multa ſint beneficia, quæ licèt curam animarum habeant, tamen Parochiales non ſunt, veluti quædam beneficia Manſionariæ nuncupata, exiſtentia in Collegiatis, quibus per hebdomadas animarum curam exercendi onus incumbit; vel Dignitates, quę caput Collegiatæ exiſtunt, ut Prępoſitura Montis Selicis, vel Cathedralis. quæſitum fuit à S. Congregatione Concilii, an talia beneficia per concurſum conferri deberent ſervata forma *c.* 18. *ſeſſ.* 24. Sacra Congregatio cenſuit, reclamante Cardinali Alciato, & ſubdubitante Cardinali Peruſino, examen concurſus non requiri in Manſionariis Collegiatæ Montis Selicis, & etiam Cathedralis Eccleſiæ Parmenſis nec in dignitate Præpoſituræ Collegiatæ Papienſis. Tamen Sanctiſſimo referendum, bonum eſſe, ut Sanctitas Sua decernat, ut hujuſmodi beneficia, quæ ſunt curata, & ad collationem liberam inferiorum, aut Epiſcopi ſpectant, non poſſint conferri, niſi priùs examinatis, & approbatis ab Epiſcopo. Sanctitas Sua dixit ampliùs ſtudendum, & deliberandum.

In Congregatione Generali etſi dictum fuiſſet in ſum- 20
ma Hebdomadarias, ſeu Manſionarias Eccleſiæ Parmen. Cathedralis, itemque Collegiatæ Montis Selicis diœceſis Patavinæ, item Præpoſituram Collegiatæ Papien. debere appellatione Parochialium venire, ideòque in eis eſſe neceſſarium examen per concurſum, quia in ſubſtantia omnes ſunt Parochiales, eadem cura animarum, idem finis, idem modus eademque ratio Concilii *d. cap.* 18. & cùm nullus ſit Canon qui dicat appellatione Parochi non comprehendi Collegiatam, & dignitatem, niſi *cap. Sta-*
tutum de elect. in 6. Ergo regula eſt in contrarium, & poſ- 21
ſunt duo tantùm contra deduci. Unum *d. cap. Statutum*. Sed illud non obſtaret, quia procedit in materia pœnali tantùm, ut verba *d. c.* expreſsè dicunt, & Joann. Andr. & alii certum aſſerunt eſſe textum illum non habere locum in materia favorabili, qualis eſt iſta, prout etiam declaravit Parcus Major Cancellariæ. Alterum *conſ.* Oldradi 67. *& conſ.* Anchar. 59. ex *cap. Cum non ignores*, *de*

præb.

præben. & cap. Statutum. Sed nec illa obſtaret duplici ratione. Primò, quia loquuntur in materia pœnali, & fundant ſe ſolùm ſuper *dict. cap. Statutum*. Altera, quia verba illa Concilii, *Cura Eccleſiæ, vel Epiſcopo, & Per unum, vel plures*, poſita ſunt à Concilio ad tollendum conſilia Oldradi, & Ancharani, ut Rota jam decidit; & in omnem caſum in dignitate curata non ſubeſſe dubium, ex eiſdem conſiliis Oldradi, Ancharan. Card. *conſ.* 30. prob.
22 *c. Super eo de præb. in 6.* Nec obſtare, quòd Concilium dicit: *Vacatio Parochialis*, ſed uno Manſionario mortuo non vacat Parochialis; quia cùm Concilium dicat: *Per unum, vel plures*, mortuo uno ex illis pluribus, habetur pro vacatione Eccleſiæ reſpectu locis vacantis in illa: Item non obſtare, quòd aliàs Cong. reſpondit in quibuſdam beneficiis Carthaginen. quia factum fuit fundamentum, quòd in Archivio Eccleſiæ repertum fuit in fundatione eorum beneficiorum expreſsè cautum fuiſſe, ut eſſent ſervitoria beneficia ſimplicia: Tamen ex undecim Cardinalibus, Geſualdo, & Alciato exceptis, & Columna nolente proferre ſententiam, quia non ſtuduerat, omnes alii cenſuerunt in ſupradictis tribus caſibus Parmen. Papien. Patavin. nullum examen requiri per concurſum ex Concilio *dict. cap.* 18. & generaliter in omnibus Dignitatibus curam animarum habentibus in Cathedralibus, & Collegiatis; itemque generaliter in omnibus Manſionariis, & Hebdomadariis curam animarum habentibus per plures alternis vicibus exerceri ſolitam in Cathedralibus, vel Collegiatis non eſſe neceſſarium aliquod examen per concur-
23 ſum ex *d. c.* 18. illa præcipuè ratione, quia non datur vacatio Eccleſiæ; *& d. c.* 18. non loquitur de Dignitatibus, nec
24 expreſſit de Collegiatis, prout fecit alibi, ubi voluit. Quid autem ſi in una Eccleſia Parochiali eſſent duo, vel tres exercentes curam animarum, neque eſſet ſimplex Parochialis duobus, vel tribus curam animarum exercentibus, ſed nec Collegiata; Quid item ſi eſſet Parochialis habens nomen Dignitatis, puta Archipresbyteratus, Abbatiæ, vel Præpoſituræ, & non eſſet Collegiata; Congregatio nihil decidit de his caſibus, licèt aliud eſſe inclinaverit, & ita in illa Carthaginen. Beneficii, videtur Rota ſenſiſſe, & ita etiam ſalvari poſse videtur deciſio Rotæ Gerunden. Hæc tamen omnia referenda Sanctiſſimo, & nihilominus dicendum examen faciendum ſaltem ſine concurſu.
25 Sanctiſſimus, licèt ei viſum ſit *d. c. Statutum*, habere tantùm locum in materia pœnali; tamen doctrinam An-
26 charani viſus eſt intelligere etiam in materia favorabili. Licèt idem viſus fuerit non ſatis probare illud argumentum, quòd Eccleſia non vacat mortuo uno: licèt item viſus fuerit bis inclinare in eam ſententiam, ut quando Dignitas habet curam animarum, & obtinentes tenetur eam perſonaliter exercere, ut in illa Papien. requiratur concurſus. Tamen poſtquam tandem audivit ſententiam communem Congr. prævio ſtudio, & diſcuſſione factam, illam approbavit etiam in Dignitatibus, ea ratione, quia Concil. non fecit expreſſam mentionem Dignitatum, In Manſionariis autem, & Hebdomadariis innixa eſt Sanctitas Sua illis rationibus Oldr. & Anch. licèt Concil. viſum ſit iſtis verbis, *Per unum, vel plures*, illas ſuſtuliſse. Sic igitur ſtatuit, in Dignitatibus, & Manſionariis, ſeu Hebdomadariis habentibus curam animarum in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis non eſse neceſſarium examen
27 per concurſum. Quid autem in Parochialibus, quæ non ſunt in Cathedralibus, neque in Collegiatis, in quibus adſunt tres, vel quatuor exercentes curam animarum alternis vicibus, prout videtur fuiſse in caſu Rotæ, vel quia Parochiales haberent ſimplex nomen Dignitatis, Abbatiæ, Prępoſiturę, quem caſum Congr. reliquit indeciſum: Sanctitas Sua dixit, ex quo de præſenti non occurrebat in facto, tale dubium, debere Congreg. eſse contentam deciſione caſuum Parmen. Papien. Patavin. Si poſteà hic caſus occurrerit, tunc agendum. Et quia Rota illa deciſionem fecit, & Parcus Major aliam; Sanctitas Sua interrogata, an admittendi eſsent, reſpondit nihil eis dicendum.

Congregatio Generalis cùm hęc audiviſset, mandavit, ut ſignificaretur hoc decretum iis, quibus opus eſset; & ſic caſus eveniret de Parochialibus non Collegiatis, neque in Cathedralibus, tunc de integro agendum in Congregatione. Licèt Patres unanimiter ſenſerint abſque dubio faciendum examen per concurſum.

Secundò QUÆRO, præſuppoſito quòd beneficium ſit 28
regulare, & quòd in eo aliàs eſsent Prior, & Monachi Conventum, & Capitulum facientes, Dignitatemque habitu, & actu conſtituentes, hodiè tamen per deſinentiam Monachorum deſierit quidem eſse dignitas actu, remanſerit autem dignitas habitu, quia facilè poteſt in actum tranſire quando Monachi revertantur: & quòd ſit ſolitum commendari Clericis ſæcularibus: An propter curam animarum illi imminentem ſubjaceat concurſui, juxta formam *c.* 18. *ſeſſ.* 24. Concilii Tridentini.

Emerſit hæc diſputatio in cauſa Tudertina Prioratus, in qua Rota 14. Junii 1593. coram Litta, & 21. Aprilis 1595. coram Penia, impreſs. *deciſ.* 587. *&* 588. *part.* 4. *diverſ.* concludit Prioratum habere curam animarum ab anno 1523. & dignitatem habitu tantùm, non actu, cùm in eo Monachi jam dudum commorari deſierint. An verò hujuſmodi Dignitas ſit per concurſum conferenda, necne, ſententiam S. Congr. exquiri debere.

In quo articulo etſi S. Congr. tempore Card. Alciati declaraverit Dignitates curatas non eſse conferendas prævio concurſu; ęgrè tamen in eam ſententiam deſcendit, multis enim Patribus, quinimò & Sanctiſſimo contraria ſententia magis probatur, ut patet ex dictis in præcedenti quęſtione. Quod non ideò diximus, ut Dignitas curata conferri non poſſit abſque concurſu; ſed ut inde appareat hujuſmodi deciſionem non ſine opinionum conflictu editam ſtrictè eſse intelligendam, nec eò uſque extendendam, ut 29
ſub ea comprehendantur dignitates, quę habitu tantùm, & non actu ſunt tales. Nam Dignitates curatę regulariter veniunt appellatione Parochialium, ubi non verſamur in materia pœnali, ut clarè colligitur ex *c. Statutum de elect. lib. 6.* Nam ibi deciditur Dignitates curatas non comprehendi *in c. Licèt Canon*, & deciſio fundatur in eo, quia cùm conſtitutio illa de Parochialibus loquatur, & ſit pœnalis, reſtringi potiùs debet, quàm laxari. Ergo innuit textus aliud juris eſse, ſi conſtitutio ſit favorabilis. Et ita ex illa decretali colligit Jo. Andr. in gl. 1. quem ſequuntur Gemin. Anchar. Franc. & alii communiter.

Decretum autem Concilii *in cap.* 18. *ſeſſ.* 14. cùm non modò non ſit pœnale, ſed potiùs favorabile, ut patet ex illis verbis proœmii: *Expedit maximè animarum ſaluti*, circumſcripta declaratione S. Congr. videri potuiſset comprehendere etiam Dignitates habitu, & actu, ſecundùm theoricam Jo. Andr. ergo fortiùs dicendum eſt includere eas Dignitates, quæ habitu tantùm tales exiſtunt.

Confirmatur, quia etiamſi admitteremus Dignitates 30
non comprehendi appellatione Parochialium, de hoc tamen alia ratio reddi non poſset, niſi quia qualitas Dignitatis præponderat qualitati curæ, ut in ſpecie notat Franc. *in d. c. Statutum*. Quæ ratio procedit quidem in Dignitate, quę eſt talis habitu, & actu; ſed ceſsat in ea, quæ eſt Dignitas habitu tantùm. Ideòque proculdubio debet venire appellatione Parochialis. Nam alioquin ſequeretur abſurdum, ut cùm concurrunt cura, & dignitas, & cura imminet habitu, & actu; pluries fieret ſola Dignitas habitu ad excludendum concurſum, quàm cura habitu, & actu ad illum inducendum.

Accedit communis in hac materia Doctorum concluſio, quòd quoties jura utuntur verbis denotantibus exercitium, numquam appellatione alicujus rei venit id, quod habitu tantùm, & non actu ſit tale; & hoc modo procedunt dicta Doctorum limitantium illum textum *in c. Licèt Canon. de elect. lib. 6. & in c. De multa de præben.* ſecundùm opinionem Hoſtien. & Joan. Andr. quam ibi Doctores ſequuntur, & poſt Butr. tradit Barbat. *conſ.* 17. *col.* 4. *lib.* 1. Sed textus in *d. c. Statutum*, dum decidit appellatione Parochialis non venire dignitatem, utitur verbis ſignificantibus exercitium, ibi, *Aſſumptis ad earum regimen*. Ergo ea diſpoſitio intelligitur de Dignitatibus habitu, & actu, & conſequenter quæ ſunt dignitates habitu tantùm non includuntur appellatione Parochialium.

Idque multò magis eſt dicendum; quia cum hujuſmodi Eccleſiæ regulares, quæ prius habebant Collegia, & poſteà commendari à Sede Apoſtolica cœperunt, numquam conſueverint redire ad ſuum ſtatum primævum, nec Collegium recuperare, ſed ſemper Summi Pontifices tales Eccleſias ſemel comendatas ceſsante commenda rurſus commendare ſint ſoliti: ſequitur, ut exercitium in Col-

Collegium conſideratum in prædicta decretali, ſtatutum poſt commendam non ſolùm non adſit re, & actu, ſed nec
31 etiam ſpe: nam quæ pendet à voluntate Principis, & concedi non conſueverunt, reputantur impoſſibilia, *l. Apud Julianum*, aliàs incipit, *Africanus* §. *fin.* & ibi Bart. *n.* 2. & Jaſ. poſt Alex. & alios, *n.* 13. *ff. de legat.* 1. gloſs. *in l. Continuus*, §. *Cùm quis*, *in ver. Relictæ*, *ff. de verborum*
32 *obligat.* Cùm autem exercitium non ſubeſt re, nec ſpe, numquam comprehenditur in lege conjunctim reſpiciente habitum, & actum, ut per Gemin. qui multis diſtinctionibus hanc materiam explicavit *in d.c. Licèt canon. col.* 3. *verſ. Tertio caſu.*

33 Præterea dignitatem Curatam habitu tantùm non eſſe de his, quæ ſpeciali nota dignæ cenſentur, & non veniunt in generali legis diſpoſitione, quando actus eſt ſublatus auctoritate Superioris, tradit gloſſa *in d. cap. Statutum*, *in ver. Collegiatas*, ubi quærens, an illa decretalis habeat locum, cùm deſiit in Eccleſia eſſe Collegium, ita diſtinguit, videlicet ſi Collegium deſiit ibi eſſe ob mortem Canonicorum, ita ut alii in eorum locum debeant ſubſtitui, decretalis habeat locum, quia ob ſpem reverſionis non videtur Collegium ibi deeſſe: ſi autem deſtruatur Collegium Superioris authoritate, tunc non habeat locum, nimirum quia Collegium eſt ſublatum re, & ſpe:
34 & gloſſam Doctores communiter ſequi videntur, & nam ita demum potentia attenditur, cùm eſt facilè reducibilis ad actum, Hoſtien. *in Summa de pœnit. & remiſſ.* §. *Cui.* Nos quidem verſamur in ſecundo caſu, non in primo, cùm Collegium deſierit eſſe non per mortem Canonicorum, ſed per commendam Papæ, qui illud nec reſtituit, nec reſtitutus præſumitur; ideòque hujuſmodi dignitas non comprehenditur *in d. cap. Statutum*, ſed venit appellatione parochialis. Nec poteſt dici nos verſari in primo caſu gloſſæ, cùm Collegium deſierit morte Regularium non per commendam Papæ, & commenda non ſit incompatibilis cum Collegio, cùm ſæpè videamus monaſteria Conventuum habentia commendari: nam reſpondetur, cùm in caſu noſtro à tempore Commendæ conven-
35 tus deſierit eſſe in monaſterio, & numquam tot annis ſit reſtitutus; inde videtur quodammodo inferri poſſe ad mutationem ſtatus longiori tempore; quàm annorum quadraginta, juxta text. *in cap. Cum de beneficio*, *de præben. in* 6. de quo tamen inferiùs dicemus. Et ſic non ſumus in primo caſu gloſſæ, in quo Collegium deſierat per mortem, & alii ſunt reſtituendi; & ſic in uno etiam Collegium remanebat, ut ibidem per gloſſam ex *capit. Gratum*, *de poſtul. Prælat.* & *l. Sicut*, § *fin. ff. Quod cujuſque univerſ. nom.*

36 Sic etiam videmus parochialem habitu tantùm curatam, quæ affectu deſiit habere Parochianos, non venire appellatione beneficii Curati, nec includi in diſpoſitione *cap. De multa*, *de præb.* ut adverſus Spec. & Card. tradiderunt gl. *in d. c. Licèt canon.* Hoſt. Jo. Andr. & Abb. *in d. c. De multa*, & *in c. Quia nonnulli*, *de Cler. non reſiden.* Staphil. *in tract. de qualit. & ſtat. beneſic. n.* 22. Jo. de Selva *in tract. de benef. in* 3. *p. n.* 42. Capra *ex communi reg.* 9. *n.* 74.

37 Cæterùm ex alio capite dicendum eſt, hoc caſu non requiri formam examinis per concurſum, nempè quia verſamur in Prioratu regulari, ac propterea non eſt locus decreto Concilii *in d. c.* 18. *ſeſſ.* 24. ut alias S. Congregatio reſpondit. De monaſteriis enim, ac domibus regularibus, quibus cura animarum imminet perſonarum ſæcularium, Concilium ſpecialiter diſpoſuit *in d. c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regular.* & de monaſteriis commendatis *in d. cap.* 21. *ejuſ-*
38 *dem ſeſſ.* Neque obſtat, quòd hic Prioratus commendari conſueverit Clericis ſæcularibus, & quòd commendæ noſtri temporis redactæ ſint ad inſtar titulorum, Sarnen.
39 *in reg. de infirm. quæſt.* 13. Nam reſpondetur non propterea Prioratum deſiiſſe eſſe regularem, quia commenda etiam perpetua non mutat ſtatum beneficii, Caſſad. *dec.* 1. *n.* 2. *de Privileg.* Put. *dec.* 25. *lib.* 1. & Sarnen. *loco cit.* Quibus accedit, quòd Concilium *in d. c.* 18. loquitur de Parochialibus, quæ conferuntur, ut patet ibi: *Atque ipſi, & non alteri collatio Eccleſiæ fiat*; ac proinde non habet locum in hoc prioratu, qui non confertur, ſed commendatur. Item Concilium loquitur de parochialibus vacantibus, ut patet ibi, *Statuit Sacra Synodus, ut ſi parochialis Eccleſiæ vacatio per obitum, vel reſignationem etiam in curia, vel alias quomodocumque contigerit*, &c. Et infrà ibi, *Debeat Epiſcopus ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ*, &c. At ex declaratione Cancellariæ beneficia etiam perpe- 40
tuò commendata verè, & propriè non vacant; unde numquam dat litteras per obitum commendatarii, ſed ceſſante commenda, ut refert Mandoſ. *in reg.* 32. *de impetran. beneſic. vacan. per obit. familiar. Cardin. qu.* 6. *in fine*. Præſertim verò quia cùm Concilium voluit hujuſmodi commendas comprehendere, de illis ſpecialiter meminit, ut patet in *c.* 18. *ſeſſ.* 21. *in cap.* 17. *ſeſs.* 24. & alibi. Quod cum non fecerit *in d. c.* 18. cenſeri debeat eas noluiſſe comprehendere, ut in ſimilibus terminis arguit d. Mandoſ. *d. q.* 7. *n.* 15. *verſ. Secundo argumento: Quia inquit, quando Summ. Pont. voluit regulam aliquam comprehendere commendas, ſeu vacationes per ceſſationes commendarum, id clarius, & propriis verbis expreſſit, prout in illa de infirmis, itaut idem veriſimiliter feciſſet, ſi de commendis, ſeu de earum ceſſationibus ſenſiſſet.*

Non obſtat, quòd in beneficiis regularibus ideò concurſus non requiratur, quia cùm religioſi ſint obedientiarii, non poſſunt inter eos habere locum quæ perſcribuntur à Concilio *in d. c.* 18. Et quòd hæc ratio impedimenti ceſſet in commendatariis, qui ſunt Clerici ſæculares, ut perpendit Rota in deciſione coram Cardinali Millino.

Nam reſpondetur hanc rationem impedimenti ceſſantis infirmam eſse, quia cùm ſtatus hujus Prioratus ab initio fuerit regularis, nec fuerit poſtea alteratus per commendam, attendi debet illius primordialis natura, Gemin. *conſ.* 8. *n.* 8. & Sarnen. *ubi ſup.* Et quemadmodum ſi iterùm ibi redintegraretur Collegium Monachorum, Prior non eſset eligendus prævio concurſu, ſecundùm declarationem S. Congreg. ita nec Commendatarius ſæcularis, cùm jura omnia, quę de Monachis, loquuntur, habeant locum in his Commendatariis, Philipp. Prob. *ad Monac. in c. Nemo*, *n.* 11. & 23. *de elect. lib.* 6. Rebuff. *in tit. de non promot. n.* 32. & *in rubr. de pacific. poſseſs. n.* 36. & 42. Sarnen. *loc. cit.* & *in reg. de Idiomate*, *q.* 5. *n.* 6.

Demùm S. Congregatio aliàs conſulta, an in beneficiis regularibus curam animarum habentibus commendari ſolitis requiratur concurſus, juxta formam *cap.* 18. *ſeſs.* 24. reſpondit non requiri, die 3. Auguſti 1600. Ad dubium Rotæ ſuperiùs propoſitam Sacra Congregatio reſpondit hujuſmodi Prioratum, utpote regularem, quamvis in commendam concedi conſueverit, nequaquam ſubjacere concurſui. Quam Congregationis ſententiam Sanctiſſimus ad ſe relatam approbavit. De hoc articulo ſcripſi pleniùs in *c. Cum ad naturam*, *à n.* 23. *uſq. in fin. ſuprà de elect.*

Tertiò QUÆRO, cùm decreto Concilii Tridentini 41
in eodem *c.* 18. *ſeſs.* 24. inter cætera caveatur, ut Epiſcopus, & qui jus patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum idoneos aliquos Clericos ad regendam Eccleſiam coram deputandis examinatoribus nominet: An terminus ille decem dierum ſit computandus à die habitę notitiæ vacationis Eccleſiæ, ita ut Epiſcopus poſt habitam hujuſmodi notitiam teneatur Clericos nominare, vel edicta proponere infra decem dies pro concurſu peragendo; an verò hoc ſpatium decem dierum cenſeatur à Concilio præfixum concurrere volentibus, ita ut poſſit quidem Epiſcopus infrà ſemeſtre, vel quadrimeſtre juſta Conſtitutionem S. Pii V. quę incipit, *In conferendis*, quandocumque præfigere tempus decem dierum; ſed qui volunt ſe examini ſubjicere, non admittantur, niſi nomina eorum detulerint infra præfixum terminum.

Videtur reſpondendum hujuſmodi terminum non eſse computandum à die habitæ notitiæ vacationis Eccleſię, ſed liberum eſse Epiſcopo quandocumque decem dies præfigere volentibus concurrere, dummodò faciat infra ſemeſtre, vel quadrimeſtre: nam cùm Epiſcopus ex decreto 42
Lateranenſis Concilii habeat ſemeſtre ſpatium ad conferendum, ut *in cap.* 2. *de conceſs. præb.* & ex Conſtitutione S. Pii V. poſſit differre electionem magis idonei, uſque ad ſex menſes, ſi parochialis in ſuo menſe vacaverit, & uſque ad quatuor, ſi vacaverit in menſe Sedi Apoſtolicę reſervato, fruſtatorium fuiſset illum arctare ad præfixionem termini decem dierum ſtatim poſt habitam notitiam vacationis Eccleſiæ. Quinimò nec utilis fuiſset hæc proviſio, quia multoties poteſt non expedire, ut edicta concurſus illicò proponatur, veluti ſi Epiſcopus abſit, vel aliàs ſit impeditus, ſi aliquis Sacerdos ſit expectandus qui ad regen-

regendam Eccleſiam ſit magis idoneus, vel quid ſimile contingat. Unde veriſimilius eſt, ut Concilium voluerit eſſe in arbitrio Epiſcopi præfigere quandocumque tempus decem dierum concurrere volentibus; ipſis autem concurrentibus ideò hunc terminum præfixiſſe, nec examen invito Epiſcopo diutiùs protraheretur, ſi liberum eſſet unicuique ſe quandocumque examini ſubjicere.

43 Qui ſanè intellectus magis etiam ſuadetur ex verbis ipſius *c.* 18. nam paulò ante dum Concilium agit de congrua Vicario aſſignanda, utitur illis verbis, *Debeat Epiſcopus ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ idoneum in ea Vicarium conſtituere.* At verò cùm poſteà immediatè agit de termino dictorum decem dierum, non exprimit ampliùs verba illa, *Habita notitia vacationis Eccleſiæ*, imò utitur
44 dictione, *Porrò*, quæ potiùs eſt diverſificativa præcedentium, *c. Quoniam*, §. *Porro, ut lit. non conteſt. c. fin.* §. *fin. de ſtatu reg. lib. 6. l.* 1. §. 1. *ff. Si quis à Paren. fuer. manumiſſ.* Quod eſt ſignum in ſecundo caſu terminum decem dierum non currere à die ſcientiæ vacationis Eccleſiæ, ſed aſſignandum arbitrio Epiſcopi, arg. *l. unica*, §. *Sin autem ad deficientis*, *verſ. Sed & varietatis ratio, Cod. de caduc. tollen.* Deindè hæc termini præfixio non videtur inducta à Concilio, niſi ad effectum nominandi Clericos ad regendam Eccleſiam idoneos, & ad deferenda nomina aliorum concurrere volentium non autem ad finem accelerandi Epiſcopum ad edictorum propoſitionem, ut indicant verba *d. cap.* 18. ibi, ***Epiſcopus infrà decem dies**, &c. idoneos aliquot Clericos nominet*: rurſus ibi, *Liberum ſit tamen aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre*, & ibi, *Tranſacto conſtituto tempore omnes, qui deſcripti fuerint, examinentur.*

Ex quibus patet hunc terminum pro deſcriptione concurrentium tantùm Epiſcopo præfixum fuiſſe. Quod manifeſtiùs colligitur ex prædicta Conſtitutione S. Pii V. quę in hunc ſenſum accepit Concilii decretum, ut patet ex illis verbis, *Prohibentes ne decem dies ad nominandum præfixos audeant prorogare, &c.*

45 Ac demum ſi Concilium voluiſſet terminum decem dierum currere ipſo jure a die habitæ notitiæ, non potuiſſet poſtea illum in arbitrio Epiſcopi, ut fecit per illa verba: Infrà decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum; quę ſunt verba facti, hominis miniſterium requi-
46 rentia, Alciati *parerg. lib.* 1. *c.* 58. Pariſ. *conſ.* 33. *nu.* 6. *vol.* 3. Dec. *conſ.* 640. *n.* 6. optimè declarat Felin. *in c. Rodulphus n.* 34. *verſ. Conſidera de reſcr.* Implicat enim terminum currere ipſo jure, & eſſe aſſignandum ab Epiſcopo, cum factum hominis tollat proviſionem legis, *l. Quamdiu la ſeconda, ff. de acquir. hæredit.* gl. magna *in leg.* 2. & ibi per Cyn. & Bart. *C. de jur. emphyteut.*

Itaque ſecundùm verum Concilii intellectum videtur poſſe Epiſcopus infrà quatuor menſes, ſi Parochialis vacaverit in menſe reſervato, ſin minus infrà ſex quandocumque proponere edicta concurſus, vel Clericos nominare ad regendam Eccleſiam idoneos, dummodò in edictis, vel Clericorum nominatione præfigat terminum decem dierum concurrentibus ad ſua nomina deferenda, vel deſcribenda, & poſteà hunc terminum non proroget ultra alios decem dies, hoc enim ſenſu magis conſulitur Eccle-
47 ſiæ, Epiſcopo, & concurrentibus. Quibus etiam accedit univerſalis Epiſcoporum obſervantia, quæ plurimùm valet ad Concilii interpretationem, *c. Cum dilectus de conſuet.* gloſſ. *in c. Cæterum in ver. Actibus de teſtib. cogen.* gloſſ. in *cap. Nonnulli in ver. Ultra duas de reſcr.* Et hanc ſenten-
48 tiam probavit S. Congregat. Porrò cùm Epiſcopus Montis Regalis publicaſſet concurſum, & ſtatuiſſet terminum decem dierum concurrentibus, intra quem terminum habitus fuit concurſus, quæſitumque eſſet, an propterea ſit nullus concurſus intra dictum terminum habitus, die 2. Auguſti 1607. S. Congr. cenſuit examen factum intra terminum dictorum decem dierum non eſſe nullum, ſi nemo poſt examen comparuit, qui ſe læſum propterea prætendat.
49 Rurſus vacante Parochiali Eccleſia Sanctæ Margharitæ Placentinæ Provinciæ Bononienſis, poſitis edictis concurſus decem dierum, in ultima die, nempè decima, duo ex deſcriptis fuerunt examinati, alii verò omnes poſt lapſum dicti termini; & cùm fuerit quæſitum, an propterea concurſus ſit nullus, die 3. Julii 1608. reſponſum eſt, tametſi duo examinati ſint durante termino, ſi tamen reliqui omnes fuerint poſtea examinati, itaut tranſacto conſtituto tempore ante renunciationem examinatorum, & electionem Epiſcopi, nullus remanſerit non examinatus ex deſcriptis, ſatisfactum eſſe formæ Concilii, & concurſum ex hoc capite non eſſe nullum.

Quartò QUÆRO, an in concurſu Parochialis Eccle- 50
ſiæ à reprobatione examinatorum Synodalium liceat appellare, & ad novum examen provocare. Fuit à Rota ad Sac. Congregat. Concilii tranſmiſſum hoc dubium, videlicet, Præſuppoſita Bulla S. Pii V. ſuper proviſionibus Parochialium, & quòd vacante Parochiali Firmana, de qua agitur, & poſitis ab Ordinario edictis, Nicolaus Moretus, & Galeatius Recchia fuerint ab Examinatoribus deputatis in Synodo Epiſcopali examinati, quorum quatuor approbarunt Nicolaum, & quinque Galeatium; & quòd Ordinarius dictam Parochialem Galeatio contulerit, qui illius poſſeſſionem adeptus fuit, appellatione infra legitima tempora Nicolai ab irrevocabili judicio examinatorum, & à proviſione Ordinarii interpoſita coram quibuſdam Canonicis Maceratenſibus; & quòd de mandato Dominorum idem Galeatius fuerit ab Examinatoribus Urbis, non tamen in concurſu examinatus, & approbatus: an hodiè Nicolaus poſſit provocare Galeatium ad novum examen, & interim ſit revocandum ſequeſtrum appoſitum ſuper Parochiali, quia Galeatius nolebat ſe examini ſubjicere.

Pro ſolutione quæſtionis ſatis erit referre diſcurſum manu Cardinalis Alciati exaratum, qui eſt hujuſmodi, videlicet: Tota quæſtio eſt, an novum examen ſit cum concurſu faciendum, vel ſine. Ita dubium Rotæ, prout utraque pars concorditer attulit, & hunc tendunt allegationes utriuſque partis. An verò potuerit, vel non potuerit appellare, neque Rota dubitat, neque partes principaliter controvertunt, licèt aliqua alleget Galeatius ad ſubterfugiendum examen per concurſum. Sed quòd jure potuerit appellare, patet, quia Nicolaus voluit improbare judicium examinatorum, prout in inſtrumento appellationis, & tunc clarum, quòd potuit appellare, ex verbis claris Con- 51
cilii *d. c.* 18. *verſ. In omnibus ſupradictis caſibus*, ibi, *Examinatorum relationem appellatio, &c.* Non obſtante *c. Conſtitutis de appellat.* quod Concilium in hoc correxit, quia voluit magis idoneum. At voluit improbare judicium Epiſcopi. Quod patet ex inſtrumento appellationis, ibi, *De dicta collatione*: & ita Rota fatetur, quòd appellavit à judicio Epiſcopi. Et tunc potuit appellare non ex Concilio, quod id non permiſiſſet, ſed ex Bulla S. Pii V. *verſ. Poſſint ii qui rejecti fuerint.* Et ita appellatio admiſſa fuit, & per ſignaturam commiſſa Rotæ, & de ea Rota non dubitat, ſed de concurſu. Rota nos conſuluit propter concurſum. Ideò reſpondendum ad interrogata. Igitur concludendum, quòd Nicolaus potuit appellare, & à judicio examinatorum, & à judicio Epiſcopi, prout appellavit. Et cùm ab Epiſcopo appellaverit, intrat Bulla S. Pii V. quæ vult examen per concurſum. Solùm ad Bullam reſpondetur, quòd habet locum, quando Epiſcopus minùs habilem poſthabitis magis idoneis elegerit. Sed in iſto caſu videtur Epiſcopus elegiſſe magis idoneum, ex quo elegit eum, qui quinq; vota habebat, poſthabito eo, qui tantùm quatuor habuit. Sed ad hoc reſpondetur, quòd quis ſit 52
magis idoneus, vel non, non judicant examinatores, ſed ſolus Epiſcopus, ut ſe habent verba clara Concilii *d. c.* 18. *verſ. Peracto*, ibi, *Quotquot ab his idonei*. Ponderanda eſt dictio, *Idonei*, non dicit, magis idonei, ſicque ad eos tantùm ſpectat judicare idoneos, & eatenus eorum ſuffragia ſpectanda ſunt, quatenus demonſtrari poſſit idoneitas multorum. Et ita licèt Galeatius habeat quinque vota, & Nicolaus quatuor; tamen non poteſt negari, quin & Nicolaus idoneus reputatus ſit ab examinatoribus, quia habet majorem partem votorum ſcilicet quatuor ex ſex votis. Quis autem magis idoneus ſit, non ſpectat hoc ad Examinatores, ſed ad Epiſcopum, *d. c.* 18. *verſ. Ex his, quæ Epiſcopus quem magis idoneum*. Sicque, an magis idoneus, ſolius Epiſcopi videre eſt, nec major idoneitas argui poteſt ex majori numero ſuffragiorum Examinatorum, cùm ad eos id non ſpectet. Undè cùm Epiſcopus judicaverit, ipſe, qui ab Epiſcopo rejectus eſt tamquam minùs idoneus, poteſt appellare, & judex appellationis definit quis ſit magis idoneus.

Cauſa in S. Congregatione bis propoſita, cum dubitare- 53
tur,

tur, an deferendum eſse appellationi, licèt Rota de hoc non dilataret, duæ ſententiæ Congregationis fuere. Altera quòd deferendum eſset, quia apellatio eſt à collatione Epiſcopi ad ſiniſtram relationem ei per examinatores factam; & ſic ab utroque appellavit, & à judicio examinatorum, & à mala electione Epiſcopi. Quantum ad judicium examinatorum videtur potuiſse appellare, quia nullo jure prohibetur appellatio, & Concilium admittit *d.c.*18. ubi inquit: Examinatorum relationem, quominus executionem habeat nulla devolutio, aut appellatio impediat, aut ſuſpendat. Sicque permittit appellationem, quæ non ſuſpendat, ſed devolvat, & devolutio iſta non impedit executionem. Et ita ſemper Congreg. credidit licere appellare à judicio examinatorum propter iſta verba. Quo autem ad appellationem à collatione Epiſcopi, intrat Bulla S. Pii V. quæ permittit claris verbis appellationem, quæ devolvit, & mandat fieri novum examen. Altera fuit opinio, quòd imò non ſit locus appellationi iſto caſu neque ex Concilio, neq; ex Bulla S. Pii V. Ex Concil. quia non dicit expreſsè quòd liceat appellare, ſed quòd appellatio non impedit. Ad Bullam S. Pii V. reſpondetur quòd non procedit, quando Epiſcopus eligit eum, qui ab examinatoribus pro magis idoneo approbatus eſt, ponderando illa verba, *Magis idoneis repertis*. Sed reſpondetur dupliciter. Primò, iſtud judicium, quis ſit magis idoneus, Conc. dedit Epiſcopo, non examinatoribus, quia illa verba, *Magis idoneis repertis*, reguntur à verbo, *Conferantur*; & hoc pendet ab eventu coram judice appellationis, qui novo examine pronunciabit magis idoneum. Secundò, quia illa verba, *Magis idoneis repertis*, intelliguntur de iis, qui magis idonei reperti fuerint, etiam ex examine ſubſequenti. Sed poſteà relato decreto in quadam cauſa Interamnen. facto à S. Congreg. quod in fortioribus terminis probat à judicio examinatorum, etiam quòd abſolutè quem reprobaverint, poſse appellari, & ad novum examen provocari; item à prælectione Epiſcopi, qui ſequutus judicium examinatorum unum magis idoneum prætulerit; poſse per eum, qui repulſus ſit, abſolutè appellari, & ad novum examen provocari, ita Congregatio generalis re diligentiſſimè perpenſa cenſuit.

54 Quintò QUÆRO, an & quando expiret examinatorum Synodalium authoritas; & an Epiſcopus in locum demortuorum poſſit alios extra Synodum ſubſtituere.

Solutio, ſiquidem Epiſcopus ſi intra annum, quo Synodum tenetur celebrare, & examinatores in ultima Synodo deputati omnes obierint: ex decreto Clementis VIII. hac de re edito ex antiquis examinatoribus Synodalibus, ſi fuerint, ſubroget alios non pauciores numero ſex: quod ſi non exiſtant examinatores Synodales antiqui, qui ad hunc numerum aſcendant, tunc Epiſcopus eligat illos qui fuerint, & alios ſuppleat de novo, approbatos tamen à Capitulo, uſque ad numeri prædicti ſupplementum. Verùm ſi nulli ex antiquis ſuperſtites fuerint, tunc Epiſcopus omnes novos examinatores, qui à Capitulo approbati ſint, non pauciores dicto numero ſex ſubſtituat ex quibus Epiſcopus debebit tres eligere pro concurſibus perficiendis. Verùm elapſo anno, quo Epiſcopus tenetur Synodum congregare, S. Congregat. cenſuit, ſi ex ſex examinatoribus in ultima Synodo deputatis aliquis fuerit defunctus, cæterorum officium expirare, atque eos, qui ſuperſunt pro legitimis ampliùs non haberi, neque ad examen promovendorum ad Parochiales Eccleſias adhibendos eſse; idque etiamſi è ſex examinatoribus unus tantùm obierit.

Porrò tametſi in quolibet concurſu ſufficiant tres examinatores Synodales, ex præcepto Conc. Tridentini *d. c.*18. §.*Tranſacto, verſ. Non paucioribus, quàm tribus ſeſſ.*24. nihilominus quia poteſt contingere, ut aliquis ex eis in illo concurſu ex aliqua cauſa ſit ſuſpectus, aut non uſquequaque idoneus, & ex culpa, & negligentia Epiſcopi, qui Synodum diſtulit celebrare, factum eſt, ut non extet integer numerus ſex examinatorum à Concil. præfinitus; meritò elapſo anno ex ſententia S. Congregationis ceſsat officium, & authoritas cæterorum ſuperſtitum.

Ad hæc S. Congregatio conſulta ab Epiſcopo Carthagi- 55
ginenſi, an concurſu, & examen pro Parochialibus providendis factum à tribus, vel quatuor examinatoribus Synodalibus unà cum aliis tribus, vel quatuor ab Ordinario tamen deputatis, ſit contra formam Trid. Concil. & proviſiones Parochialium, ſic ab eo Ordinario factæ, ſint nullæ, & Sedi Apoſtolicę reſervatæ: reſpondit eſse contra formam à Trid. Conc. præſcriptam, nulliuſque eſse momenti, & collationem ad Sedem Apoſtolicam vigore Conſtitutionem S. Pii V. eſse devolutam.

DE SACRA UNCTIONE.

Innocentius III.

CAPUT I.

Cum veniſſet ad Apoſtolicam Sedem Bracarenſis Epiſcopus, qui in conſecratione ſua ſacram non acceperat unctionem, quoniam apud vos non conſueverunt Pontifices, cùm conſecrantur, inungi: Nos quod illi defuerat, mandavimus in ipſo ſuppleri, facientes caput ejus & manus per Albañ. Epiſcopum (aſſiſtentibus ei duobus Epiſcopis, ſecundùm morem Eccleſiaſticum) ſacro chriſmate deliniri: & infrà. Scire te volumus, duas eſſe ſpecies unctionis; exteriorem, quæ materialis eſt & viſibilis; & interiorem, quæ ſpiritualis eſt & inviſibilis. Exteriori viſibiliter inungitur corpus, interiori inviſibiliter inungitur cor. De prima Jacobus Apoſtolus ait: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum. De ſecunda. Joannes Apoſtolus ait: Vos unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis: & non neceſse habetis, ut aliquis doceat vos; ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus. Unctio viſibilis & exterior, ſignum eſt interioris & inviſibilis. unctionis: Unctio verò inviſibilis & interior non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam Sacramentum, quia ſi dignè ſumitur, vel agit, vel auget abſque dubio quod deſignat. Ad exhibendum autem exteriorem; & viſibilem unctionem, benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum, vel infirmorum: & conficitur chriſma, quod ex oleo fit & balſamo, myſtica ratione. Per oleum enim nitor conſcientiæ deſignatur, juxta quod legitur: Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Per balſamum odor famæ exprimitur, propter quod dicitur: Sicut balſamum aromatizans, odorem dedi. Hoc ergo chriſmate ungi debet Epiſcopus non tàm in corpore, quàm in corde, ut & interiùs nitorem conſcientiæ quantum ad Deum: & exteriùs habeat odorem famæ quoad proximum. De nitore conſcientiæ dicit Apoſtolus: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ; nam omnis gloria filiæ Regis ab intus De odore famæ idem Apoſtolus ait: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, & aliis ſumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Debet enim Epiſcopus bonum habere teſtimonium & ab

iis,

iis, qui ſunt intùs, & ab iis, qui ſunt foris, ut cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat, Veni. Hoc unguento caput, & manus Epiſcopi conſecrantur. Per caput enim mens intelligitur, juxta illud: Unge caput tuum, & faciem tuam lava. Per manus opera intelliguntur, juxta illud: Manus meæ diſtillaverunt myrrham. Manus igitur ungitur oleo pietatis, ut Epiſcopus operetur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Caput autem ungitur balſamo charitatis, ut Epiſcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & proximum ſuum ſicut ſeipſum. Caput inungitur propter auctoritatem & dignitatem, & manus propter miniſterium & officium. Caput inungitur, ut oſtendatur illius repræſentare perſonam, de quo dicitur per Prophetam: Sicut unguentum in capite ejus, &c. Caput enim viri, Chriſtus; caput Chriſti, Deus, qui de ſe dicit: Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxit me evangelizare pauperibus miſit me. Manus Epiſcopi inunguntur, ut oſtendatur accipere poteſtatem benedicendi, & conſecrandi. Unde cum eas conſecrator inungit: Conſecrare (inquit) & ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam unctionem, & per noſtram benedictionem, ut quæcumque conſecraverint, conſecrentur, & quæcumque benedixerint, benedicantur in nomine Domini.

Unde in veteri teſtamento non ſolùm ungebatur Sacerdos, ſed etiam Rex, & Propheta: ſicut in libro Regum Dominus præcepit Eliæ: Vade, & revertere in domum tuam per deſertum in Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges Hazael regem ſuper Syriam, & Jehu filium Namſi unges regem ſuper Iſrael: Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, unges Prophetam pro te. Sed ubi Jeſus Nazarenus (quem unxit Deus Spiritu ſancto, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur) unctus eſt oleo pietatis præ conſortibus ſuis: qui ſecundùm Apoſtolum eſt caput Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius; Principis unctio à capite ad brachium eſt translata, ut Princeps ex tunc non ungatur in capite, ſed in brachio, ſive humero; vel in armo, in quibus Principatus congruè deſignatur, juxta illud quod legitur: Factus eſt Principatus ſuper humerum ejus, &c. Ad quod etiam ſignificandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerant invitati. In capite verò Pontificis, Sacramentalis eſt delibutio conſervata, quia perſonam capitis in Pontificali officio repræſentat. Refert autem inter Pontificis, & Principis unctionem, quia caput Pontificis chriſmate conſecratur; brachium verò Principis oleo delinitur, ut oſtendatur, quanta ſit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis poteſtatem.

Quia verò Chriſtus fecit nos in ſanguine ſuo Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, (propter quod Petrus Apoſtolus ait: Vos eſtis genus electum regale ſacerdotium,) idcircò in novo teſtamento non ſolùm reges, & Sacerdotes unguntur, ſed etiam omnes Chriſtiani, bis ante baptiſmum, ſcilicet Oleo benedicto, primùm in pectore; deinde inter ſcapulas, & bis poſt baptiſmum, ſcilicet Chriſmate ſancto, primùm in vertice, demum in fronte. In pectore namque baptizandus inungitur, ut per ſancti Spiritus donum abjiciat errorem & ignorantiam, & ſuſcipiat fidem rectam, qui juſtus ex fide vivit. Inter ſcapulas, ut per Spiritus ſancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat: quia fides ſine operibus mortua eſt: ut per fidei Sacramentum ſit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium ſit fortitudo laborum. In ſcapulis, quatenus fides per dilectionem, ſecundùm Apoſtolum, operetur. In vertice verò baptizatus inungitur, ut ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens, juxta quod legitur: Oculi ſapientis in capite ejus; cujus ſuperior pars eſt ratio, & inferior eſt ſenſualitas; unde benè per verticem, quæ eſt ſuperior pars capitis, intelligitur ratio, quæ eſt ſuperior pars mentis. In fronte ungitur baptizatus, ut liberè confiteatur quod credit, quia corde creditur ad juſtitiam, ore verò fit confeſſio ad ſalutem: memor ejus, quod Dominus ait: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, &c. Ante baptiſmum ergo ungitur Oleo benedicto, & poſt baptiſmum Chriſmate ſancto: quia Chriſma ſoli competit Chriſtiano. Chriſtus enim à chriſmate dicitur, vel potiùs à Chriſto dicitur chriſma: non ſecundùm nominis formam, ſed ſecundùm fidei rationem. A Chriſto verò Chriſtiani dicuntur, tamquam uncti deriventur ab uncto, ut omnes concurrant in odorem illius unguenti, cujus nomen oleum eſt effuſum.

Per frontis chriſmationem, manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentum datur & robur: unde cum cæteras unctiones ſimplex Sacerdos, vel Presbyter valeat exhibere, hanc nonniſi ſummus Sacerdos, id eſt Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum Vicarii ſunt Epiſcopi) quòd per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant: quemadmodum Actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat: Cùm audiſſent (inquit) Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem: qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu: tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum, cujus adventus per unctionis miniſterium deſignatur: quia columba in qua Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum in baptiſmo deſcendit, ad veſperum in cataclyſmo revertens, ramum retulit virentis olivæ; cujus utique Sacramentum David Propheta prænoſcens, exhilarandam faciem in oleo prædicavit.

Ungitur prætereà ſecundùm Eccleſiaſticum morem, cùm conſecratur Altare, cùm dedicatur Templum, cùm benedicitur Calix, non ſolùm ex mandato legis divinæ, verùm etiam exemplo B. Silveſtri, qui cùm conſecrabat Altare illud chriſmate perungebat: præcepit enim Dominus Moyſi, ut faceret oleum unctionis, de quo ungeret teſtimonii tabernaculum, & arcam teſtamenti, menſamque cum vaſis. Verùm unctionis Sacramentum aliud quidem efficit, & figurat tàm in novo, quàm in veteri teſtamento; unde non judaizat Eccleſia, cum unctionis celebrat Sacramentum, ſicut aliqui mentiuntur, qui neque ſcripturas, neque Dei novere virtutem. Monemus igitur, ut illum in ordinandis Presbyteris, & conſecrandis Epiſcopis morem ſerves, & facias obſervari, quem Apoſtolica ſedes obſervat: & infrà. Licèt Romanus Pontifex non utatur baculo Paſtorali, tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam rationem; tu tamen ad ſimilitudinem aliorum Pontificum poteris eo uti.

S U M M A R I U M.

1 *Eccleſia Græca in odinationibus, & conſecrationibus ſervare debet unctiones, quas ſervat Eccleſia Romana.*

Epiſcopus cùm conſecratur, inungitur Chriſmate in capite, & manibus; quod ſi fuerit omiſſum, per tres Epiſcopos eſt ſuplendum, ibid.

2 *Unctio exterior, & interior, an congruè hic deſcribantur, & an interior unctio ſit gratia, vel character Sacramentalis. Anve Codex ſit mendoſus, & quoniam modo reſtituendus, ex manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ.*

3 *Ordo Presbyteratus an ita requirat porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, ut ſi vinum deſit, character non imprimatur, & n. ſeqq. uſq. in fin.*

4 *Calicis, & patenæ traditio ex ſententia antiquorum Canoniſtarum non eſt de eſſentia Ordinis Sacerdotalis.*

5 *Ordinationis, & conſecrationis ſubſtantialia quæ ſint.*

6 *Ordinatio, ſi quid ex ſubſtantialibus fuerit prætermiſſum, ex integro eſt iteranda, ac ſi nihil eſſet actum, n. 50. & ſeqq.*

7 *Ordinatio, ſi aliquid de ſolemnitate prætermiſſum fuerit, non iteratur, ſed cautè ſuppletur omiſſum, & quæ ſint de ſolemnitate.*

8 *Miſſa, & jejunium ordinantis, & ordinandi, an ſint de ſubſtantia ordinis, vel de ſolemnitate tantum.*

9 *In ordinatione ſi levia fuerint prætermiſſa, ſuppleri poſſunt ad cautelam. Et quæ dicantur levia.*

10 *Canoniſtarum ſententia, quod calicis, & patenæ traditio non ſit de ſubſtantia ordinis Presbyteratus, quibus fundamentis nitatur.*

11 *Character in Sacramento Confirmationis imprimitur in ipſa unctione.*

12 *Veſtimenta ſacra non debent contrectari, niſi à ſacratis hominibus, nec ſemel conſecrata iterùm conſecrantur.*

13 *Et refici poſſunt filo, ſeu panno non ſacro.*

14 *Character idem in Sacramento ordinis iterari non poteſt, & cur.*

15 *Acolytho an imprimatur character in acceptione candelabri, an vero urceoli, n. 63.*

16 *Diaconi in primitiva Eccleſia fuerunt ordinati per manus impoſitionem abſque traditione libri Evangeliorum, n. 65.*

17 *Stephanus ab Apoſtolis fuit ordinatus Diaconus, & miniſtravit in Altari Jacobo Apoſtolo.*

18 *Evangelium quibus temporibus ſcriptum fuerit ab Evangeliſtis.*

19 *Sacramenta omnia ſunt ex inſtitutione Chriſti.*

20 *Eccleſia ſicut non poteſt nova Sacramenta inſtituere, ita nec materiam, & formam Sacramentor. immutare.*

21 *Sacramenta ſunt fundamenta Religionis.*

22 *Ritus, qui in Sacramentis ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ, non ſunt de eſſentia, ſed de ſolemnitate tantum.*

23 *Character ordinis poteſt animæ infigi per inſtitutionem Eccleſiæ, ex ſententia Canoniſtarum.*

Contrarium, n. 67.

24 *Animæ ſunt de juriſdictione Papæ, & ſpiritualium Patrum.*

25 *Eccleſia Græca à Latina diſcrepare non poteſt in eſſentialibus Sacramentorum.*

26 *Sacramentorum uniformitas pertinet ad unitatem fidei.*

27 *Græci in ordinatione Sacerdotum an utantur porrectione calicis, & patenæ; an verò ſola manuum impoſitione, n. 69. & 90. uſque in fin.*

28 *Ordinum materias Chriſtus non inſtituit in particulari, ſed generaliter, & indeterminatè.*

Contrarium. n. 80.

29 *Ordinatio Presbyteri valida eſt, ſi fiat per traditionem vaſis cum altera ſpecierum, ex ſententia Henriq.*

Contrarium à n. 31. uſq. in fin. & præſertim n. 76.

30 *Species una ſufficit ad eſſentiam ſacrificii.*

Contrarium, num. 46.

Papa poteſt ex gravi cauſa diſpenſare, ut in una ſpecie tantùm fiat conſecratio, eod. n. 30.

31 *Sacramenta omnia tribus perficiuntur, materia, forma, miniſtro.*

32 *Ordinis materia eſt illa, per cujus traditionem confertur ordo.*

Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, ibid.

33 *Characterem ordinis Presbyteratus non imprimi, ſi porrigatur calix ſine vino, quibus fundamentis probetur, uſque ad n. 89.*

34 *Sacramentis, in quibus imprimitur character, illud eſt eſſentiale, in quo, ſive per quod character imprimitur.*

35 *Materia in ordine ita eſt ex neceſſitate Sacramenti, ut ſine illa irrita ſit ordinatio.*

36 *Ordinis cujuſque principalis actus eſt, ſecundum quem magis proximè ordinatur ad Euchariſtiæ Sacrament.*

37 *Subdiaconi principalis actus eſt vaſa Dominici Corporis offerre.*

38 *Presbyteri principalis actus eſt miniſtrare Corpus, & Sanguinem Chriſti.*

39 *Character in quolibet ordine imprimitur per ſuſceptionem illius ſigni exterioris, in quo principalis actus quem reſpicit ille ordo, ſignificatur.*

40 *Ordo quid ſit.*

41 *Signi exterioris traditio requiritur ad eſſentiam ordinis.*

42 *Manus impoſitione non imprimitur character ordinis Presbyteratus, ſed tantùm confertur poteſtas ligandi, & ſolvendi, n. 58.*

43 *Subdiaconatus materia eſt traditio calicis vacui, & patenæ vacuæ.*

44 *Materia debet eſſe diſtincta in Sacramentis, in quibus eſt diſtincta forma.*

45 *Presbyteratum, & Subdiaconatum eſſe in Eccleſia ordines diſtinctos, eſt de fide.*

46 *Species una nullo caſu poteſt ſine alia ex intentione conſecrari.*

47 *Materia in Sacramentis debet ſignificare principaliter rem contentam.*

48 *Significatio rei ſacramentalis eſt de eſſentia Sacramenti, & habetur ſufficienter per materiam ejus.*

49 *Copula requirit concurſum omnium copulatorum, & conjungit æquè principaliter.*

50 *Materiæ defectus in qualibet parte totum inficit Sacramentum.*

51 *Oleum non ſanctificatum ſi adhibeatur in Extrema Unctione, non fit Sacramentum.*

52 *Extremæ Unctionis materia eſt oleum olivæ ab Epiſcopo benedictum.*

53 *Confirmationis materia eſt chriſma confectum ex oleo, & balſamo.*

54 *Ordinatio tota eſt repetenda, ſi aliquid omiſſum fuerit, de quo dubitetur, an ſit de ſubſtantia ordinis, necne.*

55 *Iteratum non dicitur, quod ambigitur eſſe factum.*

56 *Manus impoſitio, & unctio cur ſit de eſſentia Confirmationis, non autem Ordinis.*

57 *Unctio in ordinatione Presbyteri eſt de ſolemnitate tantùm.*

58 *Apoſtoli quando, & quibus verbis fuerint ordinati Sacerdotes, & acceperint poteſtatem ligandi, atque ſolvendi.*

59 *Conſecratio veſtium in quo differat à conſecratione Miniſtrorum.*

60 *Veſtis Sacerdotalis traditio quid ſignificet.*

61 *Diaconi poteſtas eſt media inter poteſtatem Subdiaconi, & Sacerdotis.*

62 *Diacono imprimitur character in traditione libri Evangeliorum.*

63 *Acolytho tradendum eſt tàm candelabrum, quàm urceolus; ſed ſi unum ſine alio tradatur, imprimitur character in traditione urceoli.*

64 *Intellectus c. Presbyter, 23. diſt.*

65 *Stephanus, & alii Diaconi, antequam ſcriptum eſſet Evangelium quomodo fuerint ab Apoſtolis ordinati.*

66 *Formas, quibus in ordinatione imprimitur character, eſſe ex inſtitutione Eccleſiæ, erroneum eſt aſſerere.*

67 *Character ordinis infigitur animæ immediatè à Deo, ab Eccleſia autem infigi, aut deleri non poteſt, n. 68.*

69 *Græcorum ritus ordinandi Presbyteros per ſolam manus impoſitionem an olim extiterit in Eccleſia Græca.*

70 *Græci an receperint Canones Conc. IV. Carthaginenſis.*

71 *Græ-*

71 *Græcos in ſacra ordinatione habere uſum porrectionis inſtrumentorum, multis rationibus ſuadetur, & n. ſeqq.*

72 *Unctio in conſecratione Epiſcopi non eſt de eſſentia, ſed de ſolemnitate tantùm.*

73 *Græci an adeſſent in Concilio Florentino, quo tempore editum fuit ab Eugenio decretum fidei.*

74 *Græci in quibus articulis diſcreparent ab Eccleſia Latina in Concilio Florentino,*

75 *Materia Ordinis Presbyteratus quæ dicatur eſſe in Eccleſia Græca.*

76 *Florentini Concilii decretum de materia Ordinis Presbyteratus expenditur.*

77 *Hoſtienſis dictum contra eos, qui ſuo ſenſu præſumunt articulos dubios diffinire circa ſubſtantialia ordinationis.*

78 *Significatio Sanguinis Chriſti non habetur ſufficienter per traditionem patenæ cum pane.*

79 *Conciliorum definitionibus firmiter adhærendum.*

80 *In Sacramentis requiruntur res determinatæ ex inſtitutione Chriſti.*

81 *Sacramentum ſine materia, & forma determinata, non eſt realiter Sacramentum.*

82 *Subſtantiam impoſſibile eſt eſſe ſeparatam ab eo, cujus eſt ſubſtantia,*

83 *Ordinationem ſacram eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, eſt de fide.*

84 *Verba realiter, & cum effectu ſunt accipienda.*

85 *Sacramentum eſt ſacræ rei ſymbolum, & inviſibilis gratiæ viſibilis forma.*

86 *Diffinitum cui convenit, impoſſibile eſt non convenire diffinitionem.*

87 *Eccleſia Ordinem Sacerdotalem non tradit diverſo modo ab inſtititutione Chriſti.*

88 *Sacramentum aliquod Chriſto non exhibuit, niſi quod ipſe accepit in exemplum, excepta Pœnitentia, & Extrema Unctione.*

89 *Materia ſemel determinata in Sacramentis eſt de eſſentia, & ampliùs mutari non poteſt ab Eccleſia.*

90 *Græci quam formam, & materiam adhibeant in ordinibus conferendis, oſtenditur ex eorum Ritualibus.*

91 *Græci in ordinationibus non utuntur inſtrumentis tamquam materia.*

92 *Græcorum Euchologio manuſcripto, quòd aſſervatur in Monaſterio Cryptæ Ferratæ, an & quæ fides ſit adhibenda.*

93 *Decretum fidei Eugenium IV. editum in Concilio Florentino adſtringit etiam Græcos.*

94 *Fides alia eſſe non poteſt apud Græcos, alia apud Armenos, alia apud Latinos.*

95 *Græci non tenentur canere inter Miſſarum ſolemnia ſymbolum Patrum cum additione,* Filioque.

96 *Tenentur tamen credere Spiritum ſanctum etiam à Filio procedere, ſed & pronuntiare, ſi ſubeſſet ſcandalum, aut neceſſitas poſtularet.*

Hæreticus eſt, qui de Sacramentis aliter ſentit, aut docet, quàm Romana Eccleſia prædicat, & obſervat, ibidem.

97 *Attritus non fit contritus, ſi abſolvatur à Sacerdote poteſtatem non habente.*

98 *Ordinatus, de quo dubitatur, an receperit characterem, necne, iterùm ordinari debet ſub conditione.*

1 CUm *veniſſet.* Hoc intendit principaliter: Eccleſia Græcorum in ordinationibus, & conſecrationibus ſervare debet unctiones, quas ſervat Eccleſia Romana. Epiſcopus autem cum conſecratur, inungitur chriſmate in capite, & manibus. Quod ſi fuerit prætermiſſum, per tres Epiſcopos eſt ſupplendùm. Hoſtienſis dividit totam hanc decretalem in novem partes. Sed Joan. Andr. dividit in duas principales. Prima inſtruit Eccleſiam Græcorum circa materiam unctionum. Secunda reſpondet ad principalem *qu. 2. in fin.* ibi, *Licet Romanus Pontifex.* Prima pars poteſt ſubdividi in alias tres principales. Secunda ibi, *Scire.* Tertia ibi, *Monemus.*

2 Nota ex prima parte textus duas eſſe unctionis ſpecies. Alia enim eſt unctio exterior, quæ materialis eſt, & viſibilis, qua inungitur corpus, & de qua loquitur Jacob. quinto: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, &c.* & hæc eſt ſignum interioris, & inviſibilis unctionis. Alia eſt interior, id eſt, ſpiritualis, & inviſibilis, qua inungitur cor, ſcilicet anima, & de qua loquitur 1. *Joan.* 2. *Vos unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, &c.* & hæc non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam Sacramentum, quia ſi dignè ſumitur, vel agit, vel auget quod deſignat, ut diſertis verbis dicitur in textu.

3 Contra hoc oppono. Unctio interior, & inviſibis eſt gratia ſanctificans, *c. Unctio, de pœnit. diſt.* 2. de hac enim loquitur authoritas Joannis citata in textu: hæc autem neque eſt ſignum, neque Sacramentum: non eſt ſignum, quia ſpiritualis, & inviſibilis, ut dicitur in littera: & de ratione ſigni eſt, ut ſit ſenſibile, & externum, *cap. Signum, de conſecrat. diſt.* 2. & docet ſanctus Thomas *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. nec eſt Sacramentum, cùm hoc ſit ſacræ rei ſignum, ſeu inviſibilis gratiæ forma viſibilis, *cap. Sacrificium, ead. diſt.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, capite primo.* Atque ita de eſſentia Sacramenti eſt, ut ſit ſignum viſibile, id eſt, ſenſibile & externum. Ergo non videtur poſſe conſiſtere quod dicitur in littera, *Unctio interior, & inviſibilis non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam Sacramentum;* quia gratia Sacramentalis non Sacramentum, ſed Sacramenti effectus eſt, cujus cauſa inſtrumentalis eſt Sacramentum, ut per Divum Thomam *in* 3. *ſentent. quæſt.* 19. *artic.* 1. *quæſt.* 1. Præterea dùm textus dicit, unctionem interiorem eſſe Sacramentum, quia ſi dignè ſumitur, agit, vel auget quod deſignat, ſcilicet gratiam, ut in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 7. *de ſacram. canon.* 6. ibi, *Gratiam, quam ſignificant:* verba illa, *Si dignè ſumitur,* nullatenùs conveniunt gratiæ ſanctificanti, quæ non poteſt niſi dignè ſumi, *c. Quomodo, de conſecr. diſt.* 4. & declarat ſanctus Thomas *in* 1. 2. *q.* 112. *art.* 2. & *q.* 9. *art.* 6. unde conditio illa, cùm de neceſſitate inſit, videtur inepta, & ſupervacua, & notat gloſ. *in c. in electionibus, in ver. Incerta, de elect. lib.* 6. Et eodem modo gratiæ juſtificanti non congruunt verba ſequentia, *Agit, vel auget quod deſignat:* quia nihil agit, vel auget ſeipſum, *c. Debitum, de Baptiſmo.* Ac demum, dum primò dicitur in textu. *Unctio viſibilis ſignum eſt inviſibilis unctionis,* & poſteà immediatè ſubjungitur, *Unctio verò inviſibilis non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam Sacramentum:* utique per hoc innuitur, ut unctio viſibilis non ſit Sacramentum, ponderando dictionem adverſativam *Vero,* necnon dictiones implicativas, & ampliativas, *Non ſolùm, Sed etiam.* Quod tamen conſtat eſſe falſum; quia unctio viſibilis, & ſignum, & Sacramentum eſt, cùm de illa, ut dicit textus, loquatur Jacobus Apoſtolus, *Infirmatur quis in vobis, &c.* Quam quidem authoritatem Catholica Eccleſia ſemper docuit eſſe intelligendam de Sacramento extremæ Unction. ut in Conc. Flor. *in decreto fidei,* §. *Quintum Sacr.* & in Trid. *ſeſſ.* 14. *de ſacram. extr. Unct. c.* 1. & *can.* 1.

4 Solutio. Quamvis Canoniſtæ has difficultates non attingant, tamen ex mente ipſorum ſalvando litteram dici poſſet, interiorem unctionem, de qua textus loquitur, eſſe characterem, qui imprimitur in Sacramento Chriſmatis, de quo infrà *in* §. *Per fontis:* nam characteri congruunt omnia illa verba, *Non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam Sacramentum quia ſi dignè ſumitur, agit, vel auget quod deſignat.* Primò enim character eſt ſignum, quia ſignat animam, *c. Quod quidam,* 1. *q.* 1. & notatur *in rubr. ſuprà de Sacram. non iteran.* Unde à Concilio Florentino in prælleg. *decreto fidei,* §. *Quintò,* difficitur eſſe ſpirituale quoddam ſignum indelebiliter impreſſum animæ; imprimitur enim per modum ſigni, ut per Divum Thomam *in* 3. *p. q.* 63. *art.* 1. 2. & 3. Item character Sacramentalis eſt Sacramentum, quemadmodùm idem S. Thomas declarat *d. quæſt.* 63. *art.* 3. *ad* 2. & tenent hìc Docteres, ut mox ſubjiciam. Rurſus characteri aptatur illa conditio, *Si dignè ſumitur,* quia imprimitur etiam indignè ſumentibus, *ut d. c. Quod quidam,* §. *Opponitur, circa med.* 1. *q.* 1. Tandem illi conveniunt & verba ſequentia, *Agit vel auget quod deſignat,* ſcilicet gratiam Sacramentalem, cujus cauſa eſt character, ut docet S. Thomas in prælleg. *q.* 63. *art.* 2. & *qu.* 69. *art.* 10. & *in* 4. *diſt.* 1. *qu.* 1. *art.* 4. *qu.* 1. & *diſt.* 4. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. & *q.* 3. *art.* 2. *q.* 3. Et hìc intellectus ad hunc textum elicitur ex Innoc. *num.* 2. Hoſtien. *num.* 11. & Joan. Andr. *num.* 7. dicunt enim, *Unctio ſpiritualis, & inviſibilis nihil eſt aliud, quàm charitas, ſive donum Spiritus ſancti impreſſum animæ, ſicut character corporalis corpori impri-*

imprimitur:& eſt ſignum,quia præter id quod ingerit ſenſibus hominum, ſcilicet exteriorem unctionem, facit & aliud venire in ipſorum notitiam, ſcilicet gratiam animæ infuſam: hic enim character impreſſus animæ eſt Sacramentum, quia facit id, quod ſignificat; nam præter id, quod deſignat, eſt etiam ipſius gratiæ infuſionis cauſa: unde & ſequitur littera: Quia ſi dignè ſumitur, agit, vel auget, quod deſignat. Hæc illi, & ſequuntur totidem verbis Bellam. *num.* 4. Butr. *in* 1. *lect. num.* 16. *&* 20. *& in* 2. *num.* 4. Card. *num.* 2. *&* 3. & reliqui omnes. Cæterùm hìc intellectus Canoniſtarum infraſcriptas patitur difficultates. Primò enim textus diſtinguit duas ſpecies unctionis, ſcilicet exterioris, & interioris, & ponit exemplum exterioris in Sacramento extremæ Unctionis, dum inducit locum Jacobi quinto: *Infirmatur quis in vobis, &c.* qui de hoc Sacramento intelligitur, ut dicunt hìc Doctores in verb. *Infirmatur*, & eſt Catholica veritas, ut ſuperiùs dictum eſt: & iſta unctio, ut dicit textus, eſt ſignum, quia deſignat inviſibilem unctionem; & mox exponens, quæ ſit hujuſmodi unctio inviſibilis, quæ deſignatur per viſibilem unctionem, declarat illam eſſe characterem, ſi ſequamur intellectum Canoniſtarum; quo ſtare non poteſt, quia in Sacramento extremæ Unctionis, in quo textus exemplificat unctionem exteriorem, non imprimitur character ſecundùm Catholicam veritatem, ut in præcitato *decreto fidei*, §. 5. Deinde verba illa, quæ de interiori unctione præferuntur, *Non ſolum eſt ſignum, &c.* ſupponunt eodem modo primam unctionem exteriorem eſſe ſignum. Ergo, ſi unctio interior eſt ſignum, id eſt character, ſeu ſignum indelebile infixum animæ, unctio quoque exterior erit character. Quod eſt falſum, quia unctio exterior, de qua loquitur auctoritas Jacobi inducta in textu, non eſt character: & erroneum eſſet affirmare, unctio exterior, ſcilicet Sacramentum Extremæ Unctionis deſignat interiorem, & inviſibilem unctionem, ſcilicet characterem: nam quomodo poteſt deſignare, ſeu repræſentare characterem, ſi per illam unctionem nullus character imprimitur? Ac denique ſi unctio interior eſſet character, prout intelligunt Canoniſtæ, doctrina, quæ hìc traditur, non eſſet generalis, ſed reſtringeretur ad ſolum Sacramentum Confirmationis, de quo nullam fecit mentionem: nec haberet locum in illa unctione, de qua præcipuè exemplificavit, videlicet in unctione infirmorum, quæ non eſt character.

Ad has difficultates ſubmovendas ſciendum eſt in libro manuſcripto vitæ Innocentii III. authoris hujus Conſtitutionis, qui aſſervatur in Bibliotheca Vaticana, non haberi verba illa, *Unctio vero inviſibilis, & interior*, & ante illa verba, *Non ſolum*, appoſitam eſſe particulam, *Et*. Undè ſic legitur, *Unctio viſibilis, & exterior ſignum eſt interioris, & inviſibilis unctionis; & non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam Sacramentum, quia ſi dignè ſumitur, agit, vel auget abſque dubio quod deſignat.* Et ſecundùm hanc litteram ceſſant objectæ difficultates, & omnia ſunt plana; quia cùm unctio viſibilis non ſolùm ſit ſignum inviſibilis unctionis, ut habet littera in præſenti; ſed etiam Sacramentum, ut convincit Jacobi authoritas, quæ tali unctioni applicatur; utique poteſt dignè, & indignè ſumi, *ut diſt. cap. Quod quidam, §. Opponitur, verſ. Quamvis poſſet generaliter dici* 1. *quæſtione* 1. & ſi dignè ſumitur, id eſt devotè, & ſine mortali, vel agit, ideſt, creat novam gratiam, & juſtificat impium, vel auget, hoc eſt, veterem gratiam ampliat, ſecundum Joan. Andr. *num.* 18. & probantur hæc in Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *de juſtificatione c.* 4. 7. *&* 10. *ſeſſ.* 7. *de Sacram. can.* 6. *&* 7. *& ſeſſ.* 14. *de Sacram. Extr. Unct. c.* 2. *& canone* 2. Vel dic: ſi dignè ſumitur, id eſt, cùm attritione, agit, id eſt, creat primam gratiam ſanctificantem, & juſtificantem, & juſtificat impium, qui virtute Sacramenti ex attrito fit contritus, & Deo reconciliatur. Non tantùm enim Baptiſmus, & Pœnitentia, ut in decreto Concilii Trid. *ſeſſ.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ cap.* 4. ſed & reliqua Sacramenta vivorum conferunt primam gratiam attrito exiſtenti in peccato, ſi illius conſcientiam non habeat, vel probabiliter credat ſe eſſe contritum, ut per Navarr. in *Man. cap.* 22. *nu.* 3. & patet ex Divo Thoma *in* 3. *par. qu.* 72. *art.* 7. *ad ſecundum*. Vel auget, id eſt, ampliat primam gratiam jam infuſam ei, qui Sacramentum ſuſcipit ſine mortali. Neque obſtat, quòd ſecundùm hanc lecturam Pontifex videatur hìc tradere doctrinam diminutam, quia cum generaliter propoſuerit duo membra, poſteà unum tantum proſequitur, videlicet exterioris unctionis: nam reſpondetur de interiori ſufficienter egiſſe, cum illam ter diſtinxit ab exteriori, & utriuſque differentias explicavit; unde non fuit opus, ut ſecundum membrum interioris unctionis iterùm reaſſumeret, ſed congruè proſequi potuit primum membrum exterioris, de quo principaliter erat tractaturus: & admiſſa hac lectura, fateri oportet codicem eſſe mendoſum. Neque hoc mirum videri debet, quia in hac decretali aliud etiam error irrepſiſſe dicitur: illa enim verba, quæ habentur in fine, *Non judaizat Eccleſia ſicut antiqui mentiuntur, qui neque ſcripturas, neque Dei novere virtutem*, ſine dubio corruptè leguntur, adeout Hoſtien. *hic n.* 51. inhærens litteræ redarguat Pontificem dicens: Satis groſſo modo loquitur hic Papa contra antiquos, & verbo utitur ruſticano; quare loco, *Antiqui*, legendum eſt, *Aliqui*, ut noviſſimè advertit Cardinalis Bellarminus *Contr. to.* 3. *lib.* 1. *de Sacr. Ord. c.* 12. *verſ. Quartò mendacium eſt*, contra errorem Kemnitii, qui ex hoc loco Innocentii III. eliciebat in Eccleſia Græca non fuiſſe receptam iſtam unctionem uſque ad annum 1200. imò etiam antiquis diſplicuiſſe. Quibus addo verbum, *Aliqui*, non autem, *Antiqui*, haberi in prima collectione Decretalium, quæ ponitur ab Antonio Auguſtino *lib.* 3. *tit.* 11. *c. unic.* quæ omnia obſerva diligenter, quia non reperies alibi. In his tamen non audeo quidquam firmare, neque huic compilationi aliquid addere, vel detrahere, propter Conſtitutionem Gregorii XIII. *Cùm pro munere*, editam die 1. Julii 1580. quæ habetur ante Decretum Gratiani.

Occaſione Epiſcopi Græci, qui cum in conſecratione ſuam ſacram non accepiſſet unctionem, eò quòd apud Grecos id fieri non conſueviſſet, jubetur ab Innocentio III. inungi per tres Epiſcopos; & ita ex omiſſione unctionis non iteratur ipſa ordinatio, ſed tantùm ſuppletur, quod fuit prætermiſſum; tractant hìc DD. de ſubſtantialibus Sacramenti Ordinis: & cùm ſcripſerint ante Concilium Florent. & Tridentinum, materiam involvunt, incerta pro certis, & clara pro dubiis conſtituentes, & multa etiam incautè affirmantes contra diffinitiones Eccleſiæ, ut patebit in quæſtione ſequenti.

QUÆRO igitur, an porrectio Calicis cum vino, & 3
patenæ cum pane, ita ad materiam Presbyteratus pertineat, ut ſi vinum in Calice infuſum non fuerit, character Sacerdotalis non imprimatur.

Contigit hic caſus in Cathedrali Oxomenſi in Hiſpania, ubi in ordinatione quorundam Sacerdotum tradita fuit ordinandis patena cum hoſtia, & calix ſine vino, quod infuſum non fuit per incuriam Miniſtri. Unde conſuluit Epiſcopus Sacram Congregationem Concilii, an ejuſmodi ordinatio eſſet irrita, necne?

Canoniſtæ ferè omnes cenſent, ne ipſam quidem tradi- 4
tionem calicis, & patenæ pertinere ad eſſentiam ordinis; ideòque non eſſe iterandam ordinationem, ſed ſupplendum actum ordinationis, ſi per errorem fuerit prætermiſſus. Cujus ſententiæ eſt Innocentius *in cap. fin. num.* 2. *infrà de ſacram. non iteran.* ait enim: *Et eſt verum, quod non eſt iterandum, ſed ſupplendum, ubi diviſi, & diverſi ſunt actus, ſicut eſt in Ordinatione Sacerdotis, ubi alius actus eſt tenere manus ſuper caput, aliud dare ei calicem, aliud patenam, aliud inungere, quorum ſi aliquod fuerit legitimè factum, non erit poſtea reiterandum. Quidam tamen dicunt, quod hæc duo, ſcilicet de patena, & calice, non ſunt ſupplenda, quia non ſunt de ſubſtantia; tamen ſecurius eſt ſupplere.* Hæc Innocentius. Idem apertiùs tenet Abb. Antiq. *in eodem cap. fin. num.* 2. in hæc verba: *Cùm in Ordinatione Sacerdotis ſint plures actus, puta tenere manus ſuper caput, dare ei calicem, & dare patenam, & inungere manus: & quilibet actus ſuam ſpecialem habeat ſolemnitatem; ſi in uno actu aliquid eſt omiſſum, non ideo alii actus penitùs ſeparati iterari debebunt, ſed tantùm illa, quæ ei actui inhærent.* Et conſentit Hoſtienſ. *ibidem num.* 9. *in ver. Quod per errorem*, dicens: *Illud autem verum eſt, quod ubi diverſi ſunt actus, ſicut in Ordinatione Sacerdotis, ubi alius actus eſt tenere manus ſuper caput, alius ei dare calicem, alius dare patenam, alius inungere; ſi aliquis iſtorum omittatur, non eſt ordo iterandus, ſed actus, qui omiſſus eſt, cautè ſupplendus.* Aliqui tamen dicunt, quòd hæc duo, quæ dicta ſunt de calice, & patena, non ſunt ſupplenda, quia non

ſunt

ſunt de ſubſtantia, id eſt, quia ſunt de levibus, ut idemmet ſe explicat hic num. 10. ſed tutius eſt ſupplere, Ita Hoſtien. quem ſequitur ſimpliciter Joan. de Anan. *in dict. cap. fin. num.* 2. *de ſacramen. non iteran.* Idem dicit ibi Jo. Andr. totidem ferè verbis *num.* 2. *in ver. Manus*, Bellam. *num.* 3. Butr. *num.* 9. Cardin. *in* 10. *quæſtione*, & Abb. *nu.* 2. licèt Joan. Andr. ſubdat quoſdam tenere in Ordinatione Presbyteri per dationem calicis pleni, id eſt, cùm patena, conferri ordinato poteſtatem principalem quoad principalem actus confectionis Euchariſtiæ, itaut, ſi deſit traditio calicis cum certa verborum forma, non imprimatur character, nec ſit Sacerdos, qui ordinandus erat. Subdit tamen pro prima opinione Innocentii facere textum *in cap. Subdiaconus* 23. *diſt.*

5 Quinimò ſecundùm Hoſtien. *hic num.* 5. in conſecratione, ſeu ordinatione hujuſmodi quædam ſunt ſubſtantialia, ut in conſecratione Epiſcopi liber, qui ponitur ſuprà cervicem conſecrandi, *cap. Epiſcopus* 23. *diſt.* item numerus conſecrantium, ut ad minus ſint tres, *cap. Porro* 66. *diſtinct.* item ut unus totam conſecrationem perficiat, *cap.*
6 *Quorundam* 23. *diſt.* & in his ſi aliquod omiſſum fuerit, totum eſt iterandum, & ex toto, ac ſi nihil eſſet actum, *cap. Nihil* 7. *quæſt.* 1. *cap. Revera, de conſecr. diſtin.* 2. *c. Chorepi-*
7 *ſcopi*, *cap. Quamvis*, *& cap. Presbyteri* 68. *diſt.* Quædam ſunt, de quibus eſt expreſſum in jure, ut non ſint de ſubſtantia Ordinis, ſed ſolemnitate tantùm, ut eſt tempus, *c. Sane*, *& cap. Cum quidam*, ibi, *A ſuſceptis ordinibus*, *&c.* *& cap. Conſultationi ſuprà de tempor. ordinat.* item ætas, *c. Subdiaconus* 77. *diſt. cap. Vel non eſt compos*, *de tempor. ordin.* item unctio, ut *hic*; item manus impoſitio, *ut in cap.* 1. *& cap. fin. de ſacrament. non iteran.* item ut ordinatio fiat à proprio Epiſcopo, *cap. Lugdunenſi* 9. *quæſt.* 2. & ſervatis interſtitiis, *cap. Litteras de tempor. ordin.* Et ſi hæc, quæ non ſunt ſubſtantialia, ſed de ſolemnitate, omittantur, vel aliquid eorum, nihil iteratur, ſed cautè ſuppletur, ut hic, &
8 *in d. c.* 1. *& c. fin. de ſacramen. non iteran.* niſi talia ſint, quæ ſuppleri non poſſint, ut tempus, ætas, & interſtitia. Quædam ſunt dubia, de quibus ſcilicet non conſtat, an ſint de ſubſtantia, vel de ſolemnitate, ut Miſſa, & quòd tàm ordinans, quàm ordinandus ſint jejuni; in quibus, ut Hoſtien. dicit, videntur diſcrepare Canones, & Magiſtri; & in his eligendum quod eſt tutius, itaut, ſi aliquid horum omiſſum fuerit, iteretur ordinatio, *c. Presbyteris*, *& c. Chorepiſcopi* 68. *diſtinct.* (de quo latius dicam infrà in ulti-
9 mo argumento pro 2. ſententia num. 54.) Quædam denique ſunt levia, quæ non ſunt ſupplenda, & multò minùs iteranda ordinatio. Si tamen ſuppleantur, non eſt malum, quia quæ dubitationis tollendæ cauſa, &c. *l. Qui mutuam*, *ff. Mand.* & bonarum mentium eſt ibi culpam timere, ubi culpa minimè reperitur, *cap. Conſilium infrà de obſervat. jejunior.*

Explicans autem Hoſtien. quæ ſint hujuſmodi levia, exemplificat, ut ſi Epiſcopus non tradit librum, vel calicem, vel urceolum, vel candelabrum, vel oſtiarius non tetigit oſtium, vel campanam non pulſavit, & ſimilia. Cenſet igitur Hoſt. calicis traditionem non modò non eſſe de ſubſtantia ordinis, ſed nec de ſolemnitate; ideòque ſi omiſſa fuerit, non ſolùm non eſſe iterandam ordinationem, ſed nec ſupplendum omiſſum. Doctrinam Hoſtien. referunt, & ſequuntur hìc Joan. Andr. *num.* 3. Bellam. Anton. de Butr. & Cardin. omnes *num.* 1. & Abb. *num.* 2. & latiùs Henric. Boich. *in d. cap. fin. de ſacrament. non iteran.*

10 In re tam gravi Doctores præcitati nec Canone, nec ratione ulla moventur, ut non mirum, ſi Silveſt. *in ver. Ordo ſecundo*, *num.* 11. dixerit, Canoniſtas in hac parte materiam involvere, & multiplicare ſcrupulos ſine cauſa, quia non habent clavem. Tantùm Joan. Andr. dicit pro opinione Innocentii facere *cap. Subdiaconus* 23. *diſtinct.* qui tamen textus parum, aut nihil facit, quia ſolùm diſponit, ut Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impoſitionem non recipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum; de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, mantile, & manutergium. Sed non aperit textus, an acceptio patenæ, & calicis ſit de ſubſtantia, necne; imò ille Canon potiùs probat traditionem patenæ vacuæ, & calicis vacui eſſe materiam Ordinis Subdiaconatus; & ideò ſi omiſſa fuerit, non eſſe ſupplendam, ut habet opinio Innocentii; ſed totam ordinationem eſſe iterandam, ex regula, quam ponimus infrà in ultim. argum. pro ſecunda ſententia num. 54. Et in hoc concordat cum diffinitione Concilii Florentini, ut patebit infrà num. 43.

Verùm Canoniſtarum ſententia, id eſt, nec porrectionem calicis, & patenæ, & multò minùs vinum infuſum, & panem ſuperimpoſitum, eſſe de eſſentia Ordinis Presbyteratus, & ita characterem Sacerdotalem non imprimi in ipſa porrectione, videtur probari poſſe infraſcriptis fundamentis.

Et primò, conſecratio Sacerdotis fit quadam unctione, ſicut & Confirmatio, §. *Ecce ſufficienter* 1. *quæſt.* 1. Sed in confirmatione in ipſa unctione imprimitur character, *cap. Munus de conſecr. diſt.* 5. & patet ex Concilio Florentino in decreto fidei, §. *Secundum Sacramentum*: Ergo & in Sacerdotio quod tenet Hugo *in cap. Præterea* 23. *diſtin.* relatus ibi à Turrecrem. *n.* 2. & conſequenter non in porrectione calicis. 11

Secundò, Dominus dedit diſcipulis Sacerdotalem poteſtatem, quando dixit, *Accipite Spiritum ſanctum*, *quorum remiſeritis peccata*, *&c.* Joannis XX. Sed Spiritus datur per manus impoſitionem, *cap. Ex multis* 1. *q.* 3. Extravag. Innocentii IV. *Sub Catholicæ* in Bullar. *tom.* 1. *pagina* 76. Ergo in ipſa manus impoſitione imprimitur character Ordinis: quod tenet Sanctus Bonaventr. *in* 4. *diſt.* 24. *par.* 2. *art.* 1. *q.* 4. *num.* 58. Scot. & Paul. *ead. diſtinct.* Altiſiodoren. *in ſua Summa part.* 4. & quidam alii ex recentioribus Theologis, quos refert, & ſequitur Card. Bellarm. *tom.* 3. *Controverſ. lib.* 1. *cap.* 9. *de Sacram. Ordinis.*

Tertiò, ſicut conſecratur miniſter, ita & veſtes miniſtrorum, *cap. Veſtimenta de conſecr. diſtin.* 1. quæ propterea contrectari non debent, niſi à ſacratis hominibus, ut ibi deciditur, & ſemel conſecratæ iterùm conſecrari non debent, gloſſ. 2. *in cap.* 2. *infrà tit. prox.* Unde in reficiendis ſacris veſtibus poteſt apponi filium non ſacrum, ſive pannus non ſacer, nec eſt opus nova conſecratione, ut ait gloſſ. *fin. in cap. Quod in dubiis*, *de conſecr. Eccleſ. vel Altaris.* Sed veſtes ſola benedictio conſecrat, ut patet *in d. c.* 2. Ergo in ipſa benedictione Epiſcopi & conſecratio Sacerdotis perficitur. 12
13

Quartò, ſicut Sacerdoti datur calix, ita & veſtis Sacerdotalis, ut in Pontificali. Si ergo in datione calicis imprimitur character, eadem ratione & in datione caſulæ; & ſic haberet duos characteres, quod falſum eſt, *cap.* 2. *infrà de Apoſtat.* ubi gloſſ. *in ver. Injuriam*, quærens quid ſit facere injuriam Sacramento? Per iterationem infigitur, inquit, animæ quædam imago, ſeu pictura, vel character; unde ſi alia imago ſuperponeretur, illa prima pictura obſcuraretur, & ita videretur offuſcare primum Sacramentum. 14

Quintò, Ordo Diaconi conformior eſt Ordini Sacerdotis, quàm Subdiaconi Ordo, *c. Perlectis*, *verſ. Ad Subdiaconum*, *juncto verſ. Ad Diaconum* 25. *diſt. cap. A Subdiacono* 93. *diſt.* Sed ſi character imprimeretur Sacerdoti in porrectione calicis, Subdiaconus eſſet conformior Sacerdoti, quàm Diaconus; quia Subdiaconus characterem reciperet in ipſa calicis porrectione, non autem Diaconus, juxta textum *in d. c. Subdiaconus* 23. *diſt.* Ergo character Sacerdotalis non imprimitur in ipſa calicis porrectione.

Sextò, Acolythorum Ordo magis appropinquat ad actum Sacerdotis, per hoc quòd habet actum ſuper urceolum, quàm per hoc quòd habet actum ſuper candelabrum, *cap. Acolythus* 23. *diſt.* ibi: Accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in EuchariſtiamSanguinis Chriſti. Et tamen magis imprimitur character in Acolythatu, quando accipiunt candelabrum, quam quando accipiunt urceolum, quia nomen Acolythi, cerei portationem ſignat, ut tenent Divus Bonaventura, Richard. & Palud. relati à Silveſtr. *in ver. Ordo ſecundo*, *num.* 4. *verſ. Acolythi verò*, Ergo nec in Sacerdotio imprimitur character, quando calicem accipit. 15

Septimò, in Concil. Carthaginenſi IV. in quo deſcribitur, quomodo ſinguli Ordines conferantur, *can.* 3. *de Presbyter. ordinat.* habentur hæc verba. *Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*, ut refertur *in cap. Presbyter* 23. *diſt.* nec ibi ulla fit mentio traditionis inſtrumentorum; quam tamen mentionem utique

que Concilium non prætermiſiſſet, ſi in traditione inſtrumentorum character Sacerdotalis imprimeretur. Idem conſtat ex Concilio Nicæno *c.* 9. Antiocheno *c.* 10. *&* 17. ubi non fit mentio niſi impoſitionis manuum, & clarè ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 3. *de extrema Unct.* ubi habetur, Miniſtros Sacramenti extremæ Unctionis eſſe Epiſcopos, aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinatos per impoſitionem manuum Presbyterii. Ad idem ſunt tex. *in c. Ex multis*, 1. *q.* 3. *in c. Daybertum*, 1. *q.* 7. *& in c.* 2. *de Cler. non ordin. miniſt.*

16 Octavò, in primitiva Eccleſia Diaconi ordinabantur per manuum impoſitionem. Unde in ſecunda Synodo ab Apoſtolis celebrata *Actorum* 6. ſic legimus: *Convocantes autem duodecim multitudinem Diſcipulorum dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei*, &c. *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos*, &c. *Et placuit ſermo coram omni multitudine: & elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto*, &c. Hos à multitudine electos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & ipſi Apoſtoli orantes impoſuerunt eis manus; per orationem, & manus impoſitionem ipſos Diaconos ordinando, ut ibi exponit gloſſa ordinaria. Unde S. Ste-
17 phanum Diaconum fuiſſe, & miniſtraſſe altari B. Jacobo Apoſtolo, tradit ſanctus Ignatius Martyr, & teſtis oculatus, *epiſt.* 6. *ad Trallanos*, *& epiſt.* 13. *ad Hieron.* ut refert Cardin. Baron. *tom.* 1. *ad annum Chriſti* 34. *pag.* 231. *littera D.* At quo tempore Stephanus fuit ordinatus Diaconus, traditio libri Evangeliorum non potuit eſſe materia Diaconatus: nam eumdem fuiſſe paſſum, & mortuum eodem anno, quo Chriſtus Dominus, non longè poſt ejus Aſcenſionem, tradit Martyrologium Romanum 7. *kalend. Januar.* & Baron. *tom.* 1. *pag.* 23. anno Chriſti 34. vel certè ini-
18 tio 35. Evangelium verò ex communi Doctorum conſenſu primus omnium Evangeliſtarum ſcripſit Matthæus, ut apud Baronium *ad annum Chriſti* 41. *pag.* 278. *littera E. & pagina* 279. *littera F.* Idque non præſtitit ſecundùm Irenæum *lib.* 3. *capit.* 1. niſi cùm Petrus Romam acceſſit, anno ſcilicet Chriſti 45. ut Baronius interpretatur; vel ſecundùm Nicephorum *Hiſtoriarum lib.* 2. *cap.* 41. quintodecimo anno poſt Chriſti Aſcenſionem; vel demum ſecundum Euſebium *in Chronica*, cui aſſentitur Baronius *loco citato pag.* 278. *littera C. & pag.* 279. *littera D.* Olympiade 204. anno 3. Caji Caligulæ, & Chriſti anno 41. Marcus ex Euſebio *loco citato*, & Eulpomio *in præfatione ſuper Matthæum*, quos ſequitur Baronius *ubi ſupra pagina* 336. *littera E.* ſcripſit Evangelium Olympiade 205. Claudia anno 3. & Chriſti 45. Lucas Evangelium ſcripſit anno Chriſti 58. ut per Baronium *ibidem pag.* 506. *littera A.* Joannes verò anno Chriſti 99. ex eodem Baronio *ibid. pag.* 703. *littera E. &* 704. Ergo cùm eo tempore, quo Stephanus fuit ordinatus Diaconus, nondum eſſet ſcriptum Evangelium, ut ex prædictis conſtat; neceſſariò ſequitur, ut idem receperit characterem Diaconatus abſque traditione libri Evangeliorum: alioquin Stephanus, & alii, ut præfertur, ordinati ab Apoſtolis per ſolam manus impoſitionem, non fuiſſent veri Diaconi, nec potuiſſent in altari
19 miniſtrare, ut fecit B. Stephanus. Neque verò traditio libri Evangeliorum potuit poſtea effici materia hujus Ordinis; quia Sacramenta omnia ſunt inſtituta à Chriſto; ut eſt diffinitum à Tridentin. Synodo *can.* 1. *ſeſſ.* 7. *de Sacrament. Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta*, *&c. anathema ſit.* Et in ſpecie de hoc Sacramento *in can.* 3. *ſeſſ.* 23. *de Sacramento Ordinis: Si quis dixerit ordinem, ſive ſacram ordinationem non eſſe vere, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum*, *&c. anathema ſit.* Et ideò in Sacramentis requiruntur res determinatæ ex ipſa Chriſti inſtitutione, ut docet ſanctus Thomas *in* 3. *part. qu.* 60. *art.* 3. 5. *&* 7. & latiùs dicam infrà *in reſponſione ad ultimum*
20 *argumentum*, *num.* 80. Unde ſicut Eccleſia non poteſt nova Sacramenta inſtituere, ita nec materiam, vel formam Sacramentorum immutare, *c. Sunt quidam*, 25. *quæſtion.* 1. Idem ſanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtion.* 2. Soto *in* 4. *diſt. q.* 1. *notab.* 7. & conſtat ex Concilio Tridentino *cap.* 2. *ſeſſ.* 21. *de Communione ſub utraque ſpecie*, ubi *Sacra Synodus declarat hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Hæc ibi. Cum enim Sacramenta ſint fundamenta Religio- 21
nis, & gratiam conferant, non eſt puri hominis illa immutare, aut de novo inſtituere, ut Divus Th. dicit *in* 4. *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. *q.* 4. *& in* 1. 2. *q.* 108. *art.* 2. *ad ſecundum.* Si ergo in traditione libri Evangeliorum in primitiva Eccleſia non fuit expreſſus character Diaconatus, nec traditio hujuſmodi potuit poſtea effici materia ejuſdem ordinis, & conſequenter nec in porrectione calicis imprimi poteſt character Sacerdotalis, cùm non poſſit aſſignari ſufficiens ratio diverſitatis.

Nonò, ritus, qui in Sacramenti ſunt ex inſtitutione 22
Eccleſiæ, non ſunt de eſſentia, ſed de ſolemnitate tantùm, *c.* 1. *& in c. fin. inf. tit. proxim. &* tradit S. Th. *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 6. Sed porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia in Ordinatione Presbyteri eſt ex inſtitutione Eccleſiæ. Ergo hujuſmodi porrectio non eſt de eſſentia Ordinis Presbyteratus. Minor probatur auctoritate Innoc. *in* 23
d. c. fin. in princ. ubi, *Credimus*, inquit, *quod niſi eſſent formæ poſteà inventæ, ſufficeret Ordinatori dicere, Sis Sacerdos, vel alia æquipollentia verba; ſed ſubſequentibus temporibus formas, quæ ſervantur, Eccleſia ordinavit; & ſunt tantæ neceſſitatis dictæ formæ, quod ſi, eis non ſervatis, aliquis fuerit ordinatus, ſupplendum eſt quod omiſſum eſt: & ſi formæ ſervantur, character infigitur animæ, id eſt, figura intellectualis, & indelebilis, oſtendens ordinem collatum ipſi conſecrato. Nec mireris, ſi per inſtitutionem Eccleſiæ infigitur* 24
character in anima, cum animæ ſint de juriſdictione Papæ, & ſpiritualium Patrum; unde ſuper eis Conſtitutiones facere poteſt, dummodo non ſint contrariæ Conſtitutionibus Dei, argum. 10. *diſt. Suſcipitis*, 95. *diſt. Cùm ad verum*, *inf. de major. & obed. ſolitæ.* Hæc Innocentius, qui ad hoc etiam allegat exemplum Imperatoris, per cujus Conſtitutiones character militaris indiviſibiliter affigitur multi, *ut in c. Quod Deo* 1. *q.* 1 & illius dicta transſcribunt in eodem *c. fin.* Hoſt. Jo. Andr. Butr. Card. & reliqui omnes. Quinimò Angel. *in l.* 2. *C. de crimin. ſacrileg.* dicit Papam poſſe unico verbo facere quem Sacerdotem, *& in l.* 1. *C. de ſent. paſs.* per illum textum affirmat Papam ſolo verbo facere Epiſcopum. Et eum refert, & ſequitur Felin. *in c.* 1. *n.* 23. *ſup. de Conſtitut.* & ibi etiam Dec. *n.* 50.

Decimò, in ſubſtantialibus conſecrationum, & ordina- 25
tionum, inter Eccleſiam Græcam, & Eccleſiam Latinam 26
non poteſt eſse difformitas, ut probatur à fortiori in hac Decretali, *& in c. Licet Græcos*, *infra de baptiſm.* & patet ex Conſtitutione Innocentii IV. *Sub Catholicæ*, circa Ritus Græcorum, edita 2. *Non. Martii*, *ejus Pontificatus anno undecimo*, & ex alia Clementis VIII. *Sanctiſſimus*, edita 31. *Auguſti* 1595. *Unus enim Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, ad Epheſios 4. Extravag. *Unam ſanctam*, *de major. & obed.* Unde uniformitas Sacramentorum ad uni- 27
tatem fidei pertinet, Extravag. *Sancta Romana*, & ibi gl. *in ver. Sacramenta*, *de Relig. domib. c. ad abolendam*, *inf. de hæret.* Ex diverſitate enim materiæ fit diverſitas Sacramentorum; & cum Sacramenta ſint fundamenta Religionis, ut dictum eſt ſupra, ſi alia eſsent Sacramenta in Eccleſia Græca, quàm in Eccleſia Latina, eſſet etiam alia Religio, & alia Fides. Sed Eccleſia Græca in ordinatione Presbyterorum non utitur porrectione calicis, & patenæ, ſed ſola manuum impoſitione, ut teſtatus eſt Sacræ Congregationi Concilii Antonius Aquinas Archiepiſcopus Tarentinus, anteà Epiſcopo Sarnenſis, & unus ex Prælatis Congregationis à Clemente VIII. inſtitutæ pro reformandis ritibus Græcorum. Ideòque Græci ordinationem vocant manus impoſitionem, & ſcribit Simeon Metaphraſtes in Vita ſancti Joannis Chryſoſtomi, cùm ei manus imponeret Epiſcopus Antiochenus, ut eum crearet Presbyterum, continuò deſcendiſſe in eum viſibiliter Spiritum ſanctum in forma Columbæ, ut refert Cardinalis Bellarminus *tom.* 3. *Controverſiarum lib.* 1. *de Sacramento Ordinis cap.* 9. *verſ. Denique.* Et tamen Sacerdotes Græco rito ordinati indifferenter habiti fuerunt pro veris Sacerdotibus in Eccleſia Latina, ne alioquin cogamur dicere Baſilium, Athanaſium, Chryſoſtomum, Nazianzenum, & alios Patres illius Eccleſiæ veros Presbyteros non fuiſse; nec Græcos Presbyteros ad concordiam, & unitatem fidei converſos Romana Eccleſia præcipit iterum ordinari. Ergo porrectio calicis, & patenæ cum vino,

vino, & pane, non eſt ſubſtantialis in Ordine Presbyteratus.

28 Undecimò & ultimò, eſto traditio inſtrumentorum ſit de ſubſtantia Ordinis Sacerdotalis; tamen in ordinatione, de qua agitur, fuit porrectus calix, & patena cùm hoſtia, & defuit tantummodò vinum, quod per errorem miniſtri non fuit infuſum in calice. Credibile eſt autem, ut ait Cardinalis Bellarminus loco citato, Chriſtum inſtituiſſe materias Ordinum non in particulari, ſed tantùm generatim, monendo Apoſtolos, ut Ordines conferrent per inſtrumenta, quibus ſignificaretur eorum poteſtas. Unde fortè nihil contra inſtitutionem immediatam Chriſti, aut contra eſſentiam Ordinationis Sacerdotalis hoc caſu actum videtur, cùm Epiſcopus aliquot inſtrumenta ad ſignificandam poteſtatem Sacerdotalem adhibuerit; non enim omnia videntur ita neceſſariò ſimul requiri, ut ſi vinum

29 deficiat, character non imprimatur. Et propterea Henriquez alios adducens *in Summa tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 6. §. 1. cenſet validam eſſe ordinationem, ſi per vaſis cum altera ſpecierum porrectionem fiat; cùm enim, ut ipſe ait, poteſtas vini, & panis conſecrandi unica, & indiviſa ſit, ex communi, & certa ſententia ſit, ut patenæ traditio cum hoſtia, dum ſignificat directè, ac per ſe conſecrandi panis poteſtatem, ſimul ſignificet indirectè quaſi concomitanter conſecrandi etiam vini poteſtatem.

30 Et confirmatur; quia multi ex Theologis tenent ad eſſentiam ſacrificii ſufficere unam ſpeciem, ac proinde Summum Pontificem poſſe ex gravi cauſa diſpenſare, ut in una ſpecie tantùm aliquando fiat conſecratio, ſicut multi referunt Innocentium VIII. reipſa olim diſpenſaſſe, ut per Henriquez *loco citato*. Ergo quemadmodum poteſtas conſecrandi non datur diviſim in una ſpecie, ſed qui poteſt unam, poteſt etiam utramque conſecrare, quia ſub qualibet ſpecie adeſt totus Chriſtus, & verum Sacramentum, ut eſt diffinitum à Concilio Tridentino *in can.* 4. *ſeſſ.* 21. *in doctrina de commun. ſub utraque ſpecie*: ſimiliter & per traditionem unius ex ſpeciebus integra, & indiviſa poteſtas Sacerdotis congruè ſignificatur. Ac propterea validè quis videtur ordinari per porrectionem ſolius patenæ cum pane, & multò magis, ſi præter patenam cum pane etiam calix fuerit porrectus, licèt ſine vino, ut hoc caſu.

31 In contrarium ſtat authoritas Concilii Florentini in decreto Fidei Eugenii IV. Nam in paragrapho quinto ſic diffinitur: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquod deſit, non perfi-*

32 *citur Sacramentum.* Et infra propè finem: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem*, ut patet *tom.* 4. *Concil. part.* 1. *pagina* 513. *col.* 2. & *pag.* 612. *col.* 2.

33 Quibus ſtantibus, porrectionem calicis cum vino ita ad eſſentiam Ordinis Sacerdotalis pertinere, ut ſi vinum defuerit, character non imprimatur.

34 Probatur primò, quia in omni Sacramento, in quo imprimitur character, illud eſt eſſentiale, in quo, ſive per quod character imprimitur, ut docet Divus Bonaventura *in* 4. *diſt.* 24. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 4. *nu.* 58. & Tabien. *in ver. Ordo* 2. *num.* 5. *in fin.* Sed character Sacerdotalis imprimitur, & Presbyteratus traditur, cùm porrigitur Calix cum vino, & patena cum pane, ut eſt diffinitum in Concilio Florentino, & conſtat ex verbis Pontificalis Romani *in rubr. de Epiſcop. conſecrante*, ibi, *Moneat ordinandos, ut inſtrumenta, in quibus character imprimitur, tangant*: neque enim in ordinatione Presbyteri alia porriguntur inſtrumenta, quàm calix cum vino, & patena cum hoſtia; & docent *in* 4. *ſent. diſt.* 24. Albertus Magnus *num.* 5. Sanctus Thomas, Sanctus Bonaventura, Durandus, Scotus, Raymundus, Petrus de Palude, & alii omnes; Turrecrem. *in c. Presbyter*, *in princip.* & ibi etiam Præpoſ. *num.* 1. 23. *diſt.* Stephan. de Cajeta *in repet. c. Ad limina*, §. 3. *n.* 117. 30. *q.* 1. Silveſt. *in ver. Ordo* 2. *ſub n.* 4. Ergo vinum eſt eſſentiale in Ordine Presbyteratus, ita ut ſi deficiat, character non imprimatur.

35 Secundò, idem probatur, quia materia in Ordine, ſicut in reliquis Sacramentis, ita eſt ex neceſſitate Sacramenti, ut ſine illa irrita ſit ordinatio, ut conſtat ex prima diffinitione Concilii Florentini proximè relata, & Concilii Tridentini *in c.* 2. *ſeſſ.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis*, ibi: *Materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur*, & *c.* 3. *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ord.* Sed vinum, & panis in ſecunda diffinitione ejuſdem Concilii Florentini ingrediuntur materiam Ordinis Sacerdotalis, non ſecus atque ipſa inſtrumenta. Ergo, ſi alterutrum omittatur, ſacra ordinatio irrita eſt.

Tertiò, cùm conſecratio, quæ fit in Ordinis Sacramento, ordinetur ad Sacramentum Euchariſtiæ, ille eſt principalis actus cujuſque Ordinis, ſecundùm quem magis proximè ordinatur ad Euchariſtiæ Sacramentum; & ſecundùm hoc unus Ordo eſt eminentior alio, ſecundùm quod unus actus magis de proximo ad prædictum Sacramentum ordinatur. Quæ ſunt verba formalia Divi Thomæ *in* 4. *diſt.* 24. *qu.* 2. *art.* 2. Idemque poſt Albertum Magnum, & Durandum tradit Turrecrem. *in c. Presbyter*; & *in c. Diaconus*, *n.* 1. *verſ. In oppoſitum*, 23. *diſtinct.* Et quia principalis actus Subdiaconi eſt vaſa Dominici Corporis offerre, *c. Cleros*, *verſ. Hypodiaconos*, 21. *diſt.* & *c. Perlectis*, *ver. Ad Subdiaconum*, 25. *diſt.* ideò in actu traditionis ſolius Calicis, & patenæ vacuæ Subdiaconus recipit characterem, *c. Subdiaconos*, 23. *diſt.* & dicetur infrà in 5. argumento n. 43. At verò Sacerdos, cujus principalis actus, & miniſterium eſt conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti, *d. c. Cleros*, *verſ. Sacerdos*, *c. Perlectis*, *verſ. Ad Presbyterum*, & *c. Ecce*, 95. *diſt.* Concilium Tridentinum *c.* 1. *ſeſſ.* 23. *de Sacramento Ordinis*, non in traditione ſolius Calicis, & patenæ, ſed Calicis cum vino, & patenæ cùm pane accipit poteſtatem, cùm habet tranſubſtantiare panem in Corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti. Ita Richard. *d. diſt.* 24. *art.* 4. *qu.* 3. poſt Divum Thomam *ibidem q.* 2. *art.* 3. D. Antonin. *de ordinat.* §. 4. Tabien. *in ver. Ordo* 2. *nu.* 7. & 9. Silveſt. *ibidem num.* 3. Ergo, ſi vinum defuerit, character non erit impreſsus, cùm in quolibet Ordine imprimatur hujuſmodi character per ſuſceptionem illius exterioris ſigni, in quo principalis actus, quem reſpicit ille Ordo, ſignificatur, qualis eſt calix cum vino, & patena cum pane in Ordine Sacerdotali, ut docent ſanctus Thomas, Richardus, & ſanctus Antoninus locis proximè citatis: Sanctus Bonaventura *in* 4. *diſt.* 24. *p.* 2. *q.* 4. *n.* 58. Aſten. *in Summ. in tit. de collat. ordinat. verſ. Sequitur ſexto*, Ang. *in ver. Ordo*, §. 1. *n.* 4. *verſ. Poteſtatis Sacerdotis*, Tabien. *ver. Ordo*, 2. *n.* 7. & 9. Silveſt. *ibid. n.* 4. Laud. *in ſacramentali rubr. de ſacr. Ordin.* & fusè explicat Stephanus de Cajeta *in d. repet. c. Ad limina*, §. 3. *n.* 117. & *ſeqq.* & *n.* 124. *verſ. Sed Ordo Presbyteratus traditur*, *cùm ab Epiſcopo datur ſibi calix cum vino, & patena cum pane.* 36 37 38 39

Quartò, Ordo ſecundùm Magiſtrum ſententiarum in 4. eſt ſignaculum quoddam, in quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato; & dicitur ſignaculum ſecundùm Petr. de Palude, & Silveſt. *in verbo Ordo*, 1. *in princip.* id eſt cum exteriori ſigno traditum. Quod clarè conſtat ex Tridentina Synodo *de Sacram. Ordin. ſeſſ.* 23. *cap.* 3. ibi: *Per ſacram ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur.* Ergo ad eſſentiam Ordinis requiritur traditio alicujus ſigni exterioris. Hoc autem exterius ſignum in Ordine Presbyteratus, de quo agitur, non poteſt eſse manuum impoſitio, quia per eam non imprimitur character Sacerdotalis, ſed tantùm confertur poteſtas ſecundaria ligandi, atque ſolvendi, ut plenè probavi *in cap. Presbyter*, *infra de Sacram. non iteran. in qu. An manus impoſitio in Ordinatione Presbyteri ſit de eſſentia Sacramenti, vel de ſolemnitate tantùm*, *à n.* 10. *uſque in fin.* Ergo neceſsaria eſt traditio aliorum inſtrumentorum, quibus deſignetur principalis actus Sacerdotis, qui eſt conſecrare Corpus & Sanguinem Chriſti, *d. c. Cleros*, 21. *diſt.* cum aliis ſupra alleg. in præcedenti argumento. Sed hic actus deſignari non poteſt, niſi per porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum pane. Ergo hæc inſtrumenta cum materia impoſita ſunt de eſſentia Ordinis Presbyteratus. 40 41 42

Quintò, cùm materia Subdiaconatus ſit traditio Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita, *c. Subdiaconus*, 23. *diſt.* & declaratur diſertis verbis in eodem decreto fidei edito ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, §. *Sextum Sacramentum*, *verſ. Subdiaconatus verò*, ſi panis & vinum in Ordinatione Presbyteri non eſſent de neceſſitate 43

Sa-

Sacramenti, materia hujus Ordinis nihil differret à materia Subdiaconatus, quod tamen eſt neceſſarium, quia
44 ubi eſt diſtincta forma in eodem Sacramento, vel in diverſis, oportet, ut etiam ſit diſtincta materia, ſive ſpecies, ſecundùm Petr. de Palud. *in 4. diſtinct. 24.* & Silveſt. *in ver.*
45 *Ordo 1. in princip.* alioquin Presbyteratus, & Subdiaconatus non eſſent Ordines diſtincti, contra *d. cap. Cleros, & cap. Perlectis 25. diſtin. cap. Erubeſcant 32. diſt. cap. In multis de ætat. & qualit.* contra Canones Apoſtolorum *cap. 42. & 43.* & Catholicam veritatem à Tridentino Synodo declaratam *in cap. 2. ſeſſ. 23. de ſacramen. Ordin.* & conferunt ejuſdem Concilii verba *in c. 2. ſeſs. 14. de Sacrament. Pœnit.* ibi, *Materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet*. Ergo cùm Calix, & patena ſine vino, & pane non poſſint eſſe inſtrumenta adæquata Ordinis Presbyteratus, eò quòd ſint inſtrumenta Subdiaconatus; neceſsè eſt, ut pro traditione Ordinis Presbyterii præter Calicem, & patenam etiam panis, & vinum adhibeantur.

46 Sextò, ex veriori, & magis recepta Theologorum ſententia, ad eſſentiam ſacrificii, utraque ſpecies requiritur, nec poteſt ullo caſu una ſpecies ſine alia ex intentione conſecrari, ut colligitur ex Concilio Tolet. VII. *cap. 2.* & ex D. Thom. *in 3. part. qu. 83. art. 6.* & probat Card. Bellarm. *tom. 3. Controverſ. lib. 4. de Sacram. Euchar. c. 33.* Ergo ſimiliter etiam utraque ſpecies requiritur in conſecratione Sacerdotis ad ſignificandum principalem illius actum, conſecrandi ſcilicet Dominicum Corpus, & Sanguinem.

47 Septimò, materia in Sacramentis debet ſignificare principaliter rem contentam, ſecundùm D. Thomam in 4. *diſtinct. 3. qu. 1. art. 3. qu. 1. ad quartum*. Quamvis autem Corpori Chriſti inſit ſanguis, & Sanguini Corpus concomitanter; tamen pani non ineſt vinum, nec vino ineſt panis; ac propterea panis non eſt principaliter ſymbolum
48 Sanguinis. Ergo, ſi in Ordinatione Presbyteri deſit vinum, nihil perficitur, quia deeſt ſignificatio Sanguinis Chriſti. Significatio autem rei Sacramentalis eſt de eſſentia Sacramenti, & habetur ſufficienter per materiam ejus, ut idem S. Th. docet *in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. q. 6. ad ſecundum*.

49 Octavò, Concilium Florentinum clarè diffinit Ordinem Presbyteratus tradi per Calicis cùm vino, & patenæ cum pane porrectionem; & ſic loquitur copulativè. Ergo neceſſe eſt, ut omnia hæc ſimul concurrant; quia de natura copulæ eſt requirere concurſum omnium copulatorum, *l. Si quis ita ſtipulatus*, & ibi Bart. *de verb. oblig. c. Ex parte ſuprà de reſcript.* gloſſ. in Extravag. *Suſcepti in ver. Taxata de elect.* & conjungere æquè principaliter, non autem per modum acceſſorii, ut tradit Abb. *conſ. 75. Attingam col. 1. ſub n. 1. verſ. Fortius idem dicendum lib. 1.*

Et confirmatur, quia cùm Concilium hoc loco declaret materiam, in cujus traditione imprimitur character Ordinis Sacerdotalis, & ſine qua non perficitur Sacramentum; profectò nullatenùs aſſignaſſet pro hac materia primo loco Calicem cum vino, ſi neutrum, id eſt, nec calix, nec vinum eſſet porrigendum ex neceſſitate Sacramenti,
50 ſed tantùm ex neceſſitate præcepti. Certum eſt enim in materia, & forma Sacramentorum per omiſſionem partis totum infici Sacramentum, nec ſatis eſſe ſupplere omiſſum, ſed ex integro eſſe iterandum, ac ſi nihil actum eſſet, ſecundùm D. Thom. *in 4. diſt. 13. qu. 1. art. 3.* & tradit hìc Hoſt. *num. 5.* cùm quo tranſeunt Joan. Andr. Butr. &
51 alii communiter, & probatum eſt ſuprà num. 6. Et propterea ſi in Sacramento Extremæ Unctionis adhibeatur oleum non ſanctificatum, etiam ſi Sacerdos ungendo proferat verba, *Per iſtam Unctionem, &c.* non fit Sacramentum, ut per D. Thom. *in 3. part. q. 60. art. 5.* & ibi Cajet.
52 *in fin.* cùm materia hujus Sacramenti ſit oleum olivæ ab Epiſcopo benedictum, ut diffinitur à Concilio Florentino *in eodem decreto, §. Quintum Sacramentum*; & à Trident.
53 *in cap. 1. ſeſſ. 15. de Extrem. Unction.* Et in Sacramento Confirmationis, ſi deficiat oleum, aut balſamum, character non imprimitur, cum illius materia ſit Chriſma confectum ex oleo, & balſamo, *ut in d. Decreto fidei, §. Secundum Sacramentum*. Et in univerſum ubi ad ſubſtantiam alicujus Sacramenti plura requiruntur, ſi unum deficiat, nihil agitur, *cap. penultim.* & ibi DD. *infrà de Baptiſm.*

54 Nonò & ultimò, generaliter quotieſcunque dubitatur, an aliquid, quod omiſſum fuerit, ſit de ſubſtantia Ordinis, necne, & tamen expreſſum eſt in jure, ut fieri debeat; æſtimari debet de ſubſtantia, & tota ordinatio eſt repetenda, *c. Presbyteris, & c. Chorepiſcopi 68. diſt. & cap. Nihil 7. q. 1. cap. unic. infra de Cler. per ſalt. promotis, & cap. 2. de Baptiſmo.* Ita Innoc. *in cap. Presbyter de Sacram. non iteran.* Raymun. *in Summ. tit. de ætat. ordinand. §. Quid ſi aliqua*, Gofred. *in tit. de ætat. & qualit. §. Unctionem autem*, Hoſt. *in Summ. eod. tit. §. A quo, verſ. Conſilium tamen eſt*, Joan. Friburg. *in Summ. Confeſſ. tit. de ætat. ordinand. qu. 34.* Archid. *in c. Quorundam n. 3. 23. diſt.* S. Antonin. *in Summ. part. 3. de ordin. §. Quinta*, Turrec. *in c. Epiſc. n. 7. 23. diſt.* Angel. *in ver. Ordo ſecundo, n. 14. verſ. Sed quomodo ſupplebitur*, Piſanella *ibidem verſ. Quid ſi aliquid*, & Armilla. *n. 8.* Hoſt. Joan. Andr. Butr. Card. & omnes hìc. Ratio eſt, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum, ut di- 55
citur *in cap. Veniens infrà de Presbyt. non baptiz. in cap. Solemnitates il primo, de conſecrat. diſt. 1. in cap. Si multa, de conſecr. diſt. 4.* & tradunt omnes locis citatis. Hoc autem caſu, aut certum eſt propter vini omiſſionem non eſſe impreſſum characterem, aut certè negari non poteſt, quin res ſit valdè dubia. Ergo tota ordinatio eſt repetenda.

Non obſtat primum argumentum contrarium: nam 56
ut reſpondet S. Thom. *in 6. diſt. 24. q. 2. art. 4. ad primum*, in Confirmatione non datur officium ſuper aliquam materiam exteriorem: & ideò ibi character non imprimitur in aliqua exhibitione alicujus rei, ſed in ſola manus impoſitione, & unctione. Sed in Ordine Sacerdotali aliter eſt; & ideò non eſt ſimile. Prætereà Unctio in Ordinatione 57
Presbyteri fit tantùm propter ſolemnitatem, & dignitatem Dominici Corporis, quod non eſt contrectandum, niſi manibus conſecratis. Unde in ea character non imprimitur, ut poſt D. Bonav. *in 4. diſt. 24.* dicit Turrecrem. *in cap. Præterea à num. 2. 23. diſt.* facit text. *in cap. In ſancta, de conſecr. diſt. 1.*

Non obſtat ſecundùm, quia ut inquit S. Thom. *ibidem* 58
in reſponſ. ad. 2. & Turrecrem. *in cap. Presbyter, nu. 2. 23. diſt.* Dominus Diſcipulis dedit Sacerdotalem poteſtatem quantum ad principalem actum ante paſſionem, quando dixit: *Accipite, & manducate*; unde ſubjunxit, *Hoc facite in meam commemorationem*, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & Joan. 13. & hodie diffinitum eſt à Concilio Tridentino *in can. 2. de ſacrif. Miſſæ ſeſſ. 22. Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum, &c. anathema ſit*. Sed poſt reſurrectionem dedit eis Sacerdotalem poteſtatem quantum ad actum ſecundarium, qui eſt ligare, & abſolvere, ut ſimiliter eſt diffinitum in *can. 3. ſeſs. 14. de Sacram. Pœnit. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum ſanctum, &c. non eſse intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, anathema ſit*. Itaque in impoſitione manus datur Spiritus Sanctus, ideſt poteſtas ligandi, & ſolvendi; ſed non imprimitur in ea character Sacerdotalis, ut ſcripſi latè *in cap. Presbyter infrà de Sacram. non iteran.* Præterea in caſu præſenti tantùm quæritur, an porrectio Calicis cum vino ſit materia eſſentialis Ordinis Presbyteratus; & quoad hoc parum refert, an manus impoſitio ſit de eſſentia, necne; quia etiam Authores, qui tenent eſſe de eſſentia; tamen non negant, quin potiùs admittunt requiri etiam traditionem inſtrumentorum ex neceſſitate Sacramenti. In hoc enim evitari non poteſt aperta diffinitio Concilii Florentini. Et erroneum eſt, quod ait Petrus Arcudius Corcyræus *in tract. quem edidit de Concordia Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione lib. 6. de Sacramento Ordin. cap. 7.* manus impoſitionem in Sacramento Ordinis ſolam eſſe materiam, eamque determinatam à Chriſto Domino, & nullam prorſus aliam, idque eſſe intelligendum non minùs in Eccleſia Latina, quàm Græca; intelligens pro impoſitione manuum illam extenſionem, quam facit Epiſcopus in ipſa inſtrumentorum porrectione. Incongruè enim ab ipſo, neque hactenùs ab alio quoquam illa extenſio manus appellata fuit impoſitio. Nec eſt ſimile de Sacramento Confirmationis, quia in illa Epiſcopus dum Chriſmate ſignat in fronte, imponit manum. Unde manus impoſitio appellatur *in cap. 2. 3. & 4. de conſecr. diſt. 5.* à gloſſ. Archid. & DD. *in cap. Manus 1. quæſt. 1.*

Præ-

Præterea Concilium Florentinum non diffinit materiam Presbyteratus eſſe porrectionem manus, ſed porrectionem Calicis, &c. Ergo manus poteſt dici potiùs conditio, ſine qua non, quam eſſentialis materia Ordinis.

59 Non obſtat tertium, quia ut dicunt S. Thom. & Turrecrem. *locis proximè citatis, in reſponſ. ad ſecundum*, in veſtibus non requiritur alia conſecratio, niſi ut divino cultui mancipentur, & ideò ſufficit pro conſecratione benedictio, ut in *c. 2. infr. tit. prox.* Sed aliter eſt de ordinatis, ut ex dictis patet.

60 Non obſtat quartum, quia veſtis ſacerdotalis non ſignat poteſtatem Sacerdoti datam, ſed idoneitatem, quæ in eo requiritur ad actum poteſtatis exequendum; & ideò nec Sacerdoti, nec alicui imprimitur character in alicujus veſtis datione, ut per S. Thom. *ubi ſuprà ad quartum*.

61 Non obſtat quintum, quia poteſtas Diaconi eſt media inter poteſtatem Subdiaconi, & Sacerdotis. Sacerdos enim directè habet poteſtatem ſuper Corpus Chriſti; Subdiaconus autem ſuper vaſa tantùm; ſed Diaconus ſuper Corpus in vaſe contentum, &c. *d. c. Cleros, 21. diſt. & c. Perlectis, 25. diſt.* Unde ejus non eſt tangere Corpus Chriſti, ſed portare Corpus Chriſti in patena, & diſpenſare
62 Sanguinem cum Calice; & ideò ejus poteſtas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem vaſis tantùm, nec per dationem materiæ, ſed exprimitur poteſtas ejus ad actum ſecundarium in hoc quòd datur ibi liber Evangeliorum; & in hac poteſtate intelligitur alia; & ideò in ipſa libri datione imprimitur character, ſecundùm S. Thom. Richard. Petr. de Palude, & communem opinionem, de qua teſtatur Silveſt. *in ver. Ordo ſecundo, num. 4. verſ. Diacono vero*, & diffinitur in præallegato decreto fidei Eugenii IV. in Concilio Florentino, §. *Sextum Sacramentum, verſ. Diaconus vero per libri Evangeliorum dationem*.

63 Non obſtat ſextum, quia principalior actus Acolythi eſt quo miniſtrat in urceolo, quàm quo miniſtrat in candelabro; quamvis denominetur ab actu ſecundario propter hoc quod eſt magis notus, & magis proprius ei. Et ideò in datione urceoli imprimitur character virtute verborum ab Epiſcopo pronuntiatorum, ex ſententia D. Th. in 4. *d. diſt. 24. quæſt. 2. art. 3. ad ſextum*, quam dicit veriorem Silveſt. *in ver. Ordo ſecundo, num. 4. verſ. Acolythi verò*. Quia propinquiùs ſe habet ad Euchariſtiam præparare materiam ejus, quàm deferre lumen, quod eſt quid communiſſimum, quo utimur etiam in veſperis, & matutinis; & ideò potiùs in acceptione urceoli, quàm candelabri character imprimitur. Intellige ſi unus ſine alio tradatur; quod tamen fieri non debet, quia utrumque debet accipere, *c. Acolythus, 23. diſt. & d. c. Perlectis, 25. diſt.* ut per Silveſt. *ubi ſuprà*.

64 Non obſtat ſeptimum, quia ut reſpondet Turrecrem. in *d. cap. Presbyter, 23. diſt. num. 1. in fin.* quamvis littera ibi dicat, *Cum Presbyter ordinatur, Epiſcopus manum ſuper caput illius teneat*; non tamen ſequi propter hoc, ut in ipſa impoſitione manus imprimatur Sacerdotalis character.

Præterea Concilium Carthaginenſe non ponit ibi eſſentialia Ordinis Presbyteratus, ideòque nec de forma nec de materia ullam facit mentionem, ſed tantummodò docet ritum illum impoſitionis manuum: quod probo apertiſſimè; nam ille canon loquitur expreſsè de illa impoſitione manuum, quam faciunt Epiſcopus, & Sacerdotes adſtantes ſuper caput Presbyteri ordinandi, ut ibi: *Omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*: At certum eſt impoſitionem illam non eſſe de eſſentia, quia fit antequam ordinando porrigantur inſtrumenta, nec tunc enuntiatur forma, ſed tantùm funduntur quædam preces, & orationes, quibus ordinandus præparatur ad Ordinem ſuſcipiendum, ut patet ex Pontificali Romano *in rubr. de Ordin. Presbyt.* ideòque S. Thom. eamdem impoſitionem recenſet inter præparatoria ad Ordinem, in 4. *diſt. 24. q. 2. art. 3.* & latius dixi *in cap. Presbyter in 1. notab. infrà de Sacram. non iteran.* Non benè igitur ex Canone Concilii Carthaginenſis deducunt nonnulli ex Theologis impoſitionem manus eſſe de eſſentia Ordinis Presbyteralis. Eumdem ritum ponit S. Dionyſ. in *lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 5.* qui propterea in fine libri excuſat ſe à determinatione formarum Sacramentalium, quia hæc occultanda erant in primitiva Eccleſia propter irriſiones Gentilium, ut refert S. Thom. in 4. *diſt. 7. q. 1. art. 1.* Cur autem in Actibus Apoſtolorum, in Conciliis, & Decretis Patrum ſacra Ordinatio plerumque exprimatur per manus impoſitionem, cùm tamen manus impoſitio non ſit de eſſentia ipſius ordinationis, dixi in *d. c. Presbyter*.

Non obſtat octavum, quia cùm in primitiva Eccleſia 65
antequam ſcriptum eſſet Evangelium, impoſſibile eſſet adhibere materiam traditionis libri Evangeliorum, credendum eſt Chriſtum Dominum aliam materiam præſcripſiſſe, qua Apoſtoli uterentur in Ordinatione Diaconi quouſque Evangelium ſcriptum eſſet. Ad quod dicendum nos impellit neceſſitas: nam cùm ex una parte Concilium Florentinum diffiniat traditionem hujus libri eſſe materiam Ordinis Diaconatus, & ex altera certum ſit tunc temporis librum hujuſmodi non extitiſſe; ne dicamus Sacramentum Ordinis Diaconatus fuiſſe tunc adminiſtratum ſine materia, cogimur dicere aliam materiam fuiſſe a Domino inſtitutam, cùm eſſentialia Sacramentorum præſcribere non ſpectet niſi ad ipſum Sacramentorum inſtitutorem, ut patet ex dictis ſuprà n. 19. & ex his, quæ dicentur infrà n. 80. & ſeqq.

Quicquid enim ſit de quæſtione, an manus impoſitio ſit de eſſentia ordinationis, necne; tamen apertè diffinitum eſt traditionem inſtrumentorum requiri ex neceſſitate Sacramenti ad impreſſionem characteris. Ergo Beatus Stephanus non fuit ordinatus per ſolam manus impoſitionem, ſed etiam per traditionem alicujus inſtrumenti, quod poſtea mutatum fuit ex inſtitutione Chriſti, non ex determinatione Eccleſiæ, quæ mutare non poteſt Sacramentorum ſubſtantiam, ut conſtat ex decreto Concilii Tridentini *in can. 2. ſeſſ. 21. de commun. ſub utraque ſpecie*, ibi, *Salva illorum ſubſtantia*, & dixi latiùs eod. num. 19. & ſeqq.

Non obſtat nonum, nam doctrina illa, quòd formæ, 66
quibus in ordinatione infigitur character animæ, ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ, hodie erronea eſt ſtantibus diffinitionibus Concilii Tridentini, de quibus ſuprà num. 19. &
ſeqq. Nec valet argumentum: Animæ ſunt de juriſdictio- 67
ne Papæ: Ergo Papa poteſt inſtituere, ut character imprimatur in anima. Etenim à poteſtate juriſdictionali non licet arguere ad poteſtatem Sacramentalem: illa enim ex ſimplici injunctione hominis confertur; & ideò non immobiliter adhæret, *cap. Omnibus, c. Ait Cæleſtinus, & c. Aperte, 29. q. 1.* Poteſtas verò Sacramentalis confertur per aliquam conſecrationem, & character non confertur per miniſtrum, ſed imprimitur in anima immediatè à Chriſto, §. *Verum, 32. diſt.* Ita declarat D. Thom. in 2. 2. q. 39. *art.* 3. & Silveſt. *in ver. Schiſmaticus, num. 3.* & dixi latiùs *in c. 1. num. 31. infra de ſchiſmat.* Præterea character Ordinis ſemel impreſſus ab Eccleſia deleri non poteſt, *c. Quod quidam 1. qu. 1.* gloſſ. penult. *in c. 1. infr. Qui Cler. vel voven.* Archid. *in c. Oſtenditur, 4. diſt.* S. Thom. *loc. cit.* Silveſt.
in ver. Degradatio, num. 9. Nam, ut inquit Bald. *in c. Bo-* 68
næ memoriæ, il 1. num. 3. ſuprà de poſtul. Prælator. mortificari quidem poteſt, ſed non funditùs mori, niſi cum anima, & eſt diffinitum a Concilio Trident. *in can. 4. ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin.* Ergo nec poteſt animæ ab Eccleſia infigi, argum. *c. Verbum, de pœnit. diſt. 1. c. 1. infra de reg. jur. l. Qui condemnare, ff. de re judic. l. Nemo qui condemnare, ff. de reg. jur. l. Poſſideri, & l. Quemadmodum, ff. de acquir. poſſeſſ.*

Non obſtat decimum, quia non probatur hunc mo- 69
rem ordinandi Presbyteros per ſolam manus impoſitionem abſque traditione inſtrumentorum olim extitiſſe in Eccleſia Græca. Quin potiùs contrarium conjici poteſt ex decreto fidei, quod editum fuit ab Eugenio IV. Sacro approbante Concilio, ut legitur in principio decreti; & de conſilio Prælatorum, ut inquit S. Antoninus, qui præſens aderat, cujus verba referuntur in notis ad eamdem Synodum *tom. 4. Concil. part. 1. pag. 731. col. 1.* Et ſic Patres Græci nondum abierant. At Epiſcopi, & Sacerdotes Græci, qui Synodo intererant, nullatenùs fuiſſent paſſi, ut diffiniretur ſine materia nullum Sacramentum perfici poſſe, & in Sacramento Ordinis materiam eſſe illud, per cujus traditionem confertur Ordo, & Presbyteratum tradi per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: non inquam fuiſſent paſſi, ut ſic diffiniretur; quin potiùs re-

reclamaſſent, ſi tunc temporis, vel anteà Eccleſia Græca hu-
juſmodi inſtrumentorum uſum non habuiſſet. Inde enim
reſultaſſet, ut nullus ex antiquis Patribus Eccleſiæ Græcæ,
nec aliquis eorum, qui aderant in Concilio, habendi eſ-
ſent pro veris Epiſcopis, & Sacerdotibus.

70 Præterea in *c. Subdiaconus*, 23. *diſt.* præcipitur, ut Sub-
diaconus, quia manus impoſitionem non accipit, patenam
de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum.
Deſumptus eſt autem hìc Canon ex Concilio Carthagi-
nenſi IV. *cap.* 5. quod fuit celebratum Carthagine anno
Domini circiter 398. à ducentis quatuordecim Epiſcopis
provinciarum Africæ. In Codice autem Canonum unica
eſt Synodus Carthaginenſis, continens Canones triginta
tres, qui ex variis Conciliis Carthagine habitis collecti
fuerunt; & hos Canones Græci cum aliis multis Africa-
narum Synodorum conjunctos in ſuam linguam verte-
runt, & hi ipſi ſunt, quos iiſdem numeris Anſelmus, Bur-
cardus, & Ivo citant, ut eſt adnotatum poſt *can. De libellis*,
20. *diſt. in ver. Carthaginenſium*, & habentur Græcè, &
Latinè *tom.* 1. *Concil. part.* 1. *pag.* 570. *& pag.* 578. Probabile
eſt igitur in Eccleſia Græca jam tunc extitiſſe uſum porre-
ctionis Calicis, & patenæ; alioquin Græci auctoritati
71 Conciliorum Carthaginenſium non adhæſiſſent. Amplius
in ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis nuſ-
quam reperi improbatum hunc uſum Eccleſiæ Græcæ.
Et tamen Summi Pontifices etiam in his, quæ ad ſubſtan-
tiam Sacramentorum non pertinent, multoties reforma-
runt Græcorum diſformitatem ab Eccleſia Latina, ut in
72 *c. Licèt Græcos*, *infrà de Baptiſm.* Et in hac Decretali, ubi
in ſpecie ſancitur, ut Eccleſia Græca in conſecrationibus
Epiſcoporum ſervet unctiones, quas ſervat Eccleſia Ro-
mana; & tamen unctio in conſecratione Epiſcopi non eſt
de ſubſtantia, ſed de ſolemnitate tantùm: quod patet ex
eo, quia ſi fuerit prætermiſſa, non iteratur conſecratio,
ſed tantùm ſuppletur omiſſum, ut hìc dicitur, & notant
Hoſtienſ. Joan. Andr. & omnes per hunc textum. Idem
apertiùs conſtat ex Conſtitutionibus Innocentii IV. *Sub
Catholica*, in Bullario *tom.* 1. *pag.* 76. & Clement. VIII.
Sanctiſſimus, quæ inſcribitur, *Inſtructio ſuper aliquibus
ritibus Græcorum*, in Bullar. *tom.* 3. *pag.* 47. Quod cùm ita
ſit, ergo non percipio, quomodo Pontifices Romani toties
reformaverint Græcorum Catholicorum ritus in his, quæ
ſunt de ſolemnitate tantùm, & tam inſignem diſcrepan-
tiam inter Eccleſiam Græcam, & Eccleſiam Latinam
in materia eſſentiali Sacramenti Ordinis ſilentio præter-
miſerint.

73 Et quòd magis urget, probabilius eſt Patres Græcos
non fuiſſe præſentes in Concilio Florentino, quo tempo-
re ab Eugenio editum fuit ſupraſcriptum decretum fidei,
in quo declaratur materia Sacramenti Ordinis: nam poſt
diffinitum Concilium, & peractum negotium unionis,
tom. 4. *Concil. part.* 1. *pag.* 611. *col.* 2. de Patribus Græcis ſic
legitur *Feria ſecunda die Julii* 20. *ſubſcripſere Tomos Præ-
ſules, qui proficiſci cogitaverant. Hi porro erant Heracleen-
ſis, Cizicenus, Trapezuntius, Monembaſienſis, Nicome-
dienſis, Donamenſis. Ex Clericis etiam profecti ſint cum
illis ad quinquaginta nos expectaturi. Nos autem feria tertia
vno, & vigeſimo die Julii congregati, &c. Tomos ſubſcripſi-
mus; ita finem habuit totum negotium ſanctæ unionis.* Et
immediatè in tit. de Armenis ſic habetur: *Poſt aliquot dies
venerunt Apocriſiarii Patriarchæ Armenorum, qui Beatiſ-
ſimum Papam venerati, viſerunt Imperatorem, conſiliumque
ſuum de conficienda cum Eccleſia Catholica unione expo-
ſuerunt.* Et infra: *His dictis, receſſerunt Armeni: nos* (id
eſt Patres Græci) *Florentia exeuntes, Venetias petivimus,
& inde rurſus domum rediimus.* Et ſic a diffinitione Con-
cilii, & negotio unionis, quod abſolutum fuit anno 1439.
ab Incarnatione, & 6947. ab Orbe condito pridie Nonas
Julii uſque ad diſceſſum a civitate Florentiæ aliquot tan-
tùm dies interceſſerunt: Decretum verò fidei editum
fuit eodem anno 10. Kalend. Decembris, & ſic quatuor
circiter menſibus poſt diffinitionem Concilii. Nec refert
quòd decretum illud fuerit editum ſacro approbante Con-
cilio, ſeu de conſilio Prælatorum, ut ſuperius dictum eſt:
nam hinc non ſequitur neceſſario, ut Patres Græci eſſent
præſentes, quia etiam ſine ipſis potuit Concilium conti-
nuari ab Eugenio cum Patribus Latinis, & Armenis:
cum præſertim Græci ante diſceſſum conſenſerint unioni
Armenorum. Græci ergo abierant, quando diffinitum
fuit, Ordinem Presbyteratus tradi per Calicis cum vino,
& patenæ cum pane porrectionem. At quis credat Con- 74
cilium Florentinum, quod principaliter fuit congrega-
tum ad componendas differentias inter Eccleſiam Græ-
cam, & Eccleſiam Latinam: Græcis præſentibus, &
conſentientibus diffiniviſſe articulos de proceſſione Spiri-
tus Sancti, de Purgatorio, de primatu Eccleſiæ Romanæ,
& de conſecratione in fermentato, in quibus Græci di-
ſcrepabant ab Eccleſia Latina; & tamen de modo ordinan-
di abſque traditione inſtrumentorum ne verbum quidem
feciſſe, quod ex Actis Concilii appareat? Præſertim ve-
rò quia poſt abſolutam unionem Patres Latini objecerunt
Patribus Græcis perplura capita, & petierunt ab eis, ut
reſponderent, cur in his diſcreparent ab Eccleſia Latina;
& tamen inter hæc nulla fit mentio de diſcrepantia in
ordinando per ſolam manus impoſitionem, ut patet
tom. 4. *Conciliorum*, *part.* 1. *pag.* 609. *verſ. Poſt hæc Latini
quæſivere à nobis hæc.* Porrò Græci juſtam querimoniæ
cauſam habuiſſent, quòd Eugenius diffinitionem articuli
adeò præjudicialis Eccleſiæ Græcæ poſt eorum diſceſſum
diſtuliſſet, præterquam quòd ſi Græci in hoc errabant, do-
ctrina de porrectione Calicis, & patenæ cum vino, & pane,
illis potius tradenda fuiſſet, quàm Armenis, de quibus
non conſtat, an hunc errorem haberent, nec ne.

Ad hæc inter Scriptores, qui tractant de eſſentialibus
Sacramenti Ordinis, & præcipuè de traditione inſtru-
mentorum, & de impoſitione manuum, non reperi
quemquam meminiſſe de hac Græcorum diſcrepantia ab
Eccleſia Romana. Imò in libro Græco, ſeu Opuſculo de 75
Sacramentis Gabrielis Metropolitani Philadelphien. edi-
to anno 1600. ſic legitur: *Ordinis Sacerdotalis materia
eſt Sacratiſſimus Panis, & ſacrorum Vaſorum numerus*,
ſeu, ut alii exponunt, *Quantitas, & reliqua cujuſque
Ordinis propria, uti moris eſt.* Ac demum ne quidquam
in re tam gravi prætermitterem, curavi nuper, ut inſignis
Religioſus ſacræ Theologiæ Lector, & ex primariis Ve-
netorum familiis percunctaretur à Græcis Venetiis degen-
tibus, quid hac in re obſervarent: Reſponderunt ſe, & om-
nes Græcos non ſola uti impoſitione manuum in ordinan-
dis Sacerdotibus, ſed panem in patena, & vinum in Calice
ordinandis tangendum porrigere. Probabilius eſt igitur
hunc morem ordinandi ſine traditione inſtrumentorum
nec olim viguiſſe, nec hodie vigere in Eccleſia Græca; ac ſi
fortè aliquando contrarium fuerit obſervatum, hujuſmo-
di errorem irrepſiſſe poſt Concilium Florentinum, quem-
admodùm etiam perplures alii errores irrepſerunt poſt re-
cidivum ſchiſma, & inexcuſabilem receſſum ab unione Ec-
cleſiæ Romanæ.

Non obſtat undecimum, & ultimum argumentum 76
quòd ſufficiat porrectio ſolius patenæ cum pane, cùm per
eam ſufficienter ſignificetur unica, & indiviſa poteſtas
conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti. Etenim hoc
pugnat apertè cum diffinitione Concilii Florentini, quod
diſertis verbis in traditione Presbyteratus ex neceſſitate
Sacramenti requirit concurſum utriuſque inſtrumenti
cum materia impoſita; nam ſi voluiſſet alterutrum ſuf-
ficere, utique concepiſſet orationem alternativè, vide-
licet, Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, vel
patenæ cum pane porrectionem; non autem conjunctivè
per copulam, &, quæ requirit omnium concurſum, ut
oſtenſum eſt ſuprà in octavo argumento num. 49. Cùm
præſertim ibi Concilium declaret materiam Ordinis Pre-
sbyteratus, & primo loco præſcribat porrectionem Calicis
cum vino. Unde ſi Hoſt. *hic nu.* 10. dixit: Cùm in his ju- 77
ra, & magiſtri diſcrepent, quæ nec de lana caprina ſunt,
neſcio, ſi hæc, quæ potiſſimùm dependent ex ſtatutis Ca-
nonicis, quæ & à pluribus ignorantur, ſuo ſenſu purus
Theologus præſumeret diffinire: quid diceret, ſi videret
Concilium Florentinum, & audiret Theologos præſumen-
tes dimidiare integritatem materiæ à Concilio diffinitæ in
Ordine Presbyteratus?

Nec urget, quòd unica ſit poteſtas conſecrandi Corpus, 78
& Sanguinem Chriſti; quia materia in Sacramentis de-
bet ſignificare principaliter rem contentam: licèt autem
Corpori Chriſti concomitanter inſit etiam Sanguis, &
è converſo, & ideò qui poteſtatem habet conſecrandi
Corpus, habeat etiam poteſtatem conſecrandi Sangui-
nem;

nem; tamen pani non ineſt vinum, nec vino ineſt panis;
& conſequenter per traditionem ſolius patenæ cum pane
non habetur ſufficienter ſignificatio Sanguinis Chriſti,
79 prout requiritur ad eſſentiam ſacramenti, ut probatum eſt
ſupra in ſeptimo argumento nu. 47. Et cùm in hoc habea-
mus apertam diffinitionem Oecumenicæ Synodi, neceſſe
eſt quemlibet Catholicum illi adhærere, nec propriæ pru-
dentiæ inniti, *c. De libellis*, 20. *diſt. c. Ne innitaris*, *ſup.*
de conſtit. cum concord.

80 Nec videtur admittendum quod dicunt Henriquez, &
Bellarm. materias ordinum fuiſſe inſtitutas à Chriſto gene-
ratim, & indeterminatè. Imò enim in Sacramentis re-
quiruntur res determinatæ ex ipſa Criſti inſtitutione, ut
conſtat ex D. Thom. *in* 3. *p. q.*60. *art.*3.5. *&* 7. & *in* 4. *diſt.*
81 *q.*1. *art.*1. *q.*3. Et probatur evidenter, nam Sacramentum ſi-
ne materia, & forma determinata, non eſt realiter Sacra-
mentum, ut conſtat ex Concilio Florentino in *decreto fi-*
dei, §. *Quinto*, & ex Tridentino *in c.*2. *ſeſſ.*14. *de ſacram.*
Pœnitentiæ, *& Extrem. Unct.* Sed Chriſtus per ſe ipſum im-
mediatè inſtituit omnia Sacramenta, ut docet S. Th. *in* 3.
82 *p. d. art.*3.5. *&* 7. & eſt hodie diffinitum a Tridentina Syno-
do de Sacramentis omnibus *in can.* 1. *ſeſſ.* 7. *de Sacram.* &
in ſpecie de Ordin. *in can.*3. *ſeſſ.*23. *de ſacram. ordin.* Ergo
Chriſtus immediatè determinavit materiam, & formam
cujuſque Sacramenti, quia ſubſtantiam, qualis eſt mate-
ria in Sacramentis, impoſſibile eſt eſse ſeparatam ab eo,
cujus eſt ſubſtantia, ut dicit Philoſoph. 1. *Methaphyſ. c.*4.
83 & probatur *in c. Inter corporalia*, *de transl. Epiſc.* alioquin
Chriſtus Sacramenta inſtituiſset verbaliter tantùm, &
non realiter; quod eſt apertè contra diffinitionem Conci-
lii Tridentini in dicto *can.*3. ubi non ſimpliciter diffinitur
ſacram Ordinationem eſse Sacramentum, ſed verè, &
propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum;
84 quæ verba non verificarentur, ſi Dominus non deter-
minaſset eſsentialia hujus Sacramenti, ſed reliquiſset A-
poſtolis determinanda: confert text. *in l.* 1. §. *fin. ff. Quod*
quiſque jur. & in l. 1. §. *Idem Pomponius*, *ff. De dolo cum*
ſimil.

85 Præterea Sacramentum eſt ſacræ rei ſymbolum, & in-
viſibilis gratiæ viſibilis forma, ut diffinitur à Concilio
Tridentino *ſeſs.* 13. *de ſanctiſs. Euchariſt. ſacrament. c.* 3.
ſeu ſignum viſibile, ut legitur *in cap. Sacrificium*, *de con-*
*ſecr. diſt.*2. Ergo ſi Chriſtus inſtituit ſacramentum Ordi-
nis, ut *in d. can.* 3. inſtituit etiam ſignum viſibile, & ex-
ternum, & ſic materiam hujus ſacramenti; quia cui conve-
86 nit diffinitum, impoſſibile eſt non convenire diffinitionem,
l. 1. §. *Dolum*, *ff. De dol. inſtit. de tutel. in princ. c. Cum*
cauſam, *infra de raptor.* notat gloſs. Hoſtienſ. Joann.
Andr. Card. & alii *in rubr. ſupra de Summa Trinit. & fide*
Cathol.

87 Accedit quod Chriſtus inſtituit ſacramentum Ordinis,
& Apoſtolos ordinavit Sacerdotes in Cœna noviſſima.
Concilium Tridentinum *in cap.* 1. *& can.* 2. *ſeſs.* 22. *de*
ſacrif. Miſsæ. Ergo tunc determinavit etiam materiam
ordinis Presbyteratus: alioquin non ſolùm inſtituiſset,
ſed etiam adminiſtraſset hoc ſacramentum ſine materia;
& ita Eccleſia hodie diverſo modo traderet ordinem Sa-
cerdotalem, quam inſtituiſset, & adminiſtraſset Domi-
nus, quod eſt abſurdum, cùm omnis Chriſti actio, no-
ſtra ſit inſtructio, *c. Significaſti*, & ibi notatur *ſupra de*
88 *elect.* Et Chriſtus non exhibuerit aliquod ſacramentum,
niſi quod ipſe accepit in exemplum, excepta Pœnitentia,
& extrema Unctione, quia illa accipere ſibi non compe-
tebat, quia ſine peccato erat, ut inquit S. Th. *in* 3. *p. q.*60.
art. 3. *ad* 3. Et ita ex factis Chriſti in propoſito arguit Sot.
in 4. *diſt.*24. *q.*1. *art.* 5. licet in reliquis propter poteſtatem,
quam vocant excellentiæ, Chriſtus multa aliter fecerit,
quàm hodie fiunt ab Eccleſia, ut per Nazianzenum in ora-
tione ad ſanctum lavacrum.

89 Denique eſto, Dominus reliquerit Apoſtolis determi-
nandam materiam ſacramenti Ordinis, hinc tamen non
ſequitur, ut poſteaquam Eccleſia determinavit materiam
Presbyteratus eſse porrectionem calicis cum vino, & pa-
tenæ cum hoſtia, materia hujuſmodi non ſit ex neceſſitate
ſacramenti, cum diffinitum ſit a Conciliis Florentino, &
Tridentino, nullum ſacramentum ſine materia perfici
poſse, ut ſuperiùs dictum eſt. Item hinc non ſequitur, ut
poſteaquam Eccleſia ſemel materiam hujus Ordinis de-
terminavit, nunc poſſit illam immutare, cùm per deter-
minationem ſemel factam expiraverit facultas amplius de-
terminandi, argum. *c. In litteris*, *de off. deleg. c. Publicato*,
c. Cum inter, *ſupra de elect. cum ſimil.* de quibus per Abb.
*conſ.*11. *Tria ſunt*, *num.* 4. *verſ. Venio ad tertium dubium*,
*lib.*2. habens enim poteſtatem declarandi non poteſt decla-
rari, niſi ſemel tantùm, *l. Quidquid adſtringendæ*, *ff. De*
verb. oblig. ubi omnes ſcribentes ad hoc allegant illum tex-
tum pro ſingulari ſecundùm unam lecturam in ver. *Nec*
rurſus, ut ibi eſt adnotatum in margine, quod non reperi-
tur alibi, ſecundùm Bald. *in cap.* 1. *nu.* 57. *ſuprà de conſtit.*
Et propterea Tridentina Synodus declarat ſubſtantialia ſa-
cramentorum non ſubeſſe poteſtati Eccleſiæ, in *cap.* 2. *ſeſſ.*
21. *de comm. ſub utraque ſpecie*, ibi, *Salva illorum ſubſtan-*
tia. Ergo defectus vini in calice poſt Apoſtolorum deter-
minationem eſt ſubſtantialis, ſive porrectio calicis cum
vino proveniat immediatè ex determinatione Chriſti, ſive
Apoſtolorum.

Quid dicendum? Secunda ſententia proculdubio eſt
verior. Cæterùm conſultius videtur ut in præſentia Se-
des Apoſtolica neutram ex his opinionibus approbet, aut
reprobet, ſed tantummodò jubeat ſic ordinatos iterùm or-
dinari ſub conditione, juxta text. *in cap.* 2. & ibi gloſſ. 1.
infr. de Baptiſ. Et tàm his, qui ordinationem iterarunt,
quàm his, qui in Sacerdotio miniſtrarunt, ad cautelam
concedat diſpenſationem; illis quidem à pœnis, in quas po-
tuerunt incidere ex *cap.*1. 68. *diſt.* & *c. Dictum*, *de conſecr.*
diſt. 1. de quibus per Silveſt. *in ver. Irregularitas*, *num.* 6.
His verò, qui miniſtrarunt, ab Irregularitate, de qua in 90
*cap.*1. *&* 2. *de Cler. non ordin. miniſtr.* Hoc enim modo evi-
tabitur difficultas Eccleſiæ Orientalis, quæ ſanè graviſſi-
ma eſt: nam ex Euchologio, ſeu Rituali, quo Græci utun-
tur, apparet eos non uti porrectione calicis, & patenæ, ſed
ſola manus impoſitione, non tantùm in ordinatione Preſ-
byteri, ſed etiam Subdiaconi, qui in Eccleſia Latina, &
Africana manus impoſitionem non recipit, juxta Pontifi-
cale Romanum, & Concilium Carthaginenſe *cap.*5. Ete-
nim in prædicto Euchologio à Græco idiomate in Latinum
tranſlato à Petro Arcudio Coregreo *in tract. de concordia*
Eccleſiæ Orientalis, *& Occidentalis in ſeptem Sacramen-*
*torum adminiſtratione lib.*6. *de Sacram. ord. c.*2. *in tit. Or-*
do qui obſervari ſolet in ordinatione Subdiaconi, ſic legitur:
Deinde ter obſignans ejus caput, *& imponens manum*, *ubi*
Diaconus dixerit, *Dominum deprecemur*, *Pontifex hanc*
recitat orationem Domine Deus noſter, *&c. abſoluta oratio-*
ne, *ſequitur ut infra*: *Accipiens Pontifex Mantile imponit*
ſiniſtro humero ejus, *qui ordinatur*. *Similiter præbet illi vas*
ad infundendam aquam pro lotione manuum: *ille verò vas*
accipiens deoſculatur manum ipſius, *& aquam infundit ad*
manus Pontificis, *qui eas lavat*; *tandem accepta benedictio-*
ne diſcedit, *&c. Peracto verò majori ingreſſu*, *cum ſacram*
menſam Diaconus incenſat, *rurſus lavat manus Pontifex*
in catenulo, *quod geſtat qui ordinatus eſt*: *Porrò in ingreſſu*
majori ipſe quoque ordinatus poſt omnes ſequitur geſtans et-
iam vas pro manuum lotione, *ac mantile*, *&c. ſic fit ordina-*
tio, *& ſi multi ſunt*, *qui ordinantur*, *oratio ad multos acom-*
modatur. Hæc ibi: In ſequenti autem titulo Euchologii,
ordo qui obſervari ſolet in ordinatione Diaconi habetur
ſic: *Pontifex habens manum impoſitam capiti ordinandi*
clara voce enunciat: *Divina gratia*, *quæ ſemper infirma cu-*
rat; *& imperfecta perficit*, *promovet N. Reverendum Sub-*
diaconum in Diaconum. Et infrà: *Tandem peracta commu-*
nione Clericorum in Sanctuario Pontifex porrigit calicem
Diacono tunc conſecrato, *ut ipſe populo ad communionem ac-*
cedenti diſtribuat. Nec ibi ulla fit mentio traditionis libri
Evangeliorum. Rurſus in titulo Ordo quid obſervari ſo-
let in ordinatione Presbyteri. *Surgente Pontifice accedit*
ad eum, *qui ordinatur*, *cujus caput ter ſignat Pontifex*.
Qui verò ordinatur fronte incumbens ſacræ Aræ utrum-
que genuflectit. *Diacono verò elata voce dicente*, *Atten-*
damus, *&c. ſtatim Pontifex impoſita manu unà cum Pallio*
clara voce enunciat: *Divina gratia*, *quæ ſemper infirma cu-*
rat, *& quæ deſunt ſupplet*, *promovet N. Venerabilem Dia-*
conum in Presbyterum. Et infra immediatè eum appellat
ordinatum ibi: *Ut iſte*, *quem tibi placuit à me promoveri*.
Et infrà: *Tu Domine*, *&c. hunc*, *quem voluiſti*, *ut ſubi-*
ret gradum Presbyterii. Et ibi: *Induitur ſtola*, *& diſce-*
dens ſtat unà cùm Presbyteris. Nec non ibi: *Accedit or-*
dina-

dinatus, cui præbet Pontifex ſanctum Panem, hoc eſt particulam panis conſecrati; Et primus inter alios Presbyteros communicat. De porrectione autem calicis cum vino, & patenæ cum Hoſtia, ne verbum quidem. In ſola Epiſcopi conſecratione Græci præter manus impoſitionem utuntur impoſitione libri Evangeliorum ad inſtar Eccleſiæ Latinæ, & Africanæ ad præſcriptum *c. Epiſcopus*, 23. *diſt.* Ut enim legitur *in* Euchologio *in tit. Ordo qui obſervari ſolet in ordinatione Epiſcopi.* Pontifex impoſita manu recitat quæ ſunt ſcripta in charta, videlicet, *Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & imperfecta perficit, promovet N. amabiliſſimum Presbyterum in Epiſcopum à Deo cuſtoditæ Civitatis N. Cunctis reſpondentibus, &c.* Aperit Evangeliorum, & imponit capiti illius, qui ordinatur ſimul unà tangentibus aliis quoque Pontificibus. Deinde facta trina Cruce in capite illius, impoſitaque manu ſic precatur, &c. & recitat quaſdam orationes, quibus oſtendit eum jam eſſe conſecratum Epiſcopum.

91 Ex his apparet in Eccleſia Orientali ordines conferri per ſolam manus impoſitionem abſque ulla inſtrumentorum traditione. Unde Petrus Arcudius *d. lib. 6. de Sacram. ord. c. 5.* concludit apud Græcos præter manus impoſitionem nullam aliam reperiri materiam, & *ſup. in c. 3.* reprehendit Philadelphien. qui dixit materiam apud Grecos eſſe ſacrum panem, & certum inſtrumentorum numerum.

Et quamvis etiam apud Græcos in ordinatione ſit uſus nonnullorum inſtrumentorum; tamen hæc non adhibentur, niſi poſt abſolutam ordinationem; ideòque non poſſunt eſſe materia hujus ſacramenti: nam ut idem Arcudius ait *d. cap. 3. de materia Sacramenti Ordinis. Apud Græcos Lectori, Subdiacono, Diacono, Presbytero, & Epiſcopo cum ordinantur, imponuntur manus a Pontifice, eſtque id commune omnium.*

Deinde peractis orationibus conſecratoriis lectori porrigit Pontifex librum Epiſtolarum Canonicarum cum Actibus Apoſtolicis, Subdiacono præbet vaſa, urceolum, & lebetem unà cum mantili ad infundendam aquam Pontifici. Diacono exibet flabellum, quo arcet muſcas, pulverem, & id genus à Sacratiſſima Euchariſtia. Presbytero Pontifex porrigit miſſale, licèt hoc de porrigendo miſſali in Euchologio non legatur, ſed tantum mos hujuſmodi ſit alibi uſitatus. Et dum celebrat Epiſcopus, præbet Presbytero particulam abſci ſam ex majori particula, quæ eſt in patena ſuper Altari. Et propterea idem Arcudius *eod. lib. 6. de Sacramento Ordinis cap. 3. Inſtrumenta*, inquit, *apud Græcos exhibentur quidem, quia tamen exhibentur ſine ullis verbis peractis jam ſacris ordinibus, & nulla fit eorum mentio in orationibus conſecratoriis, non videntur de facto, & ut nunc ſe res habet, eſſe materia, quamvis poſſent eſſe, ut ſunt apud Latinos, ſi aliter & unà cum forma exhiberentur.* Hæc ille. Nec refert, quod in traditione Panis conſecrati proferantur illa verba, quæ habentur in Euchologio; *Accipe depoſitum hoc, & ſerva illud uſque ad Adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando debet abs te illud repetere.* Etenim non propria illa ſunt forma, neque panis conſecratus eſt materia, quod probatur evidentiſſima ratione: nam antequam Pontifices eum porrigant, ipſemet Presbyter tamquam perfectè ordinatus, unà cùm Epiſcopo eum conſecrat, ut in Euchologio. At conſecrare non poſſet, niſi jam recepiſſet characterem Sacerdotalem. Unde in eodem Euchologio qui accedit ad accipiendum panem, appellatur ordinatus jam; & conſecratus per manus impoſitionem, ut in rubr. Ordo qui obſervari ſolet in ordinatione Presbyteri. Porrò in antiquo Patriarchali Euchologio, ut ipſe Arcudius teſtatur *cap. 2.* ſic habetur: Archiepiſcopus porrigit ordinato unum panem. Et ſecundum eum differentia inter Euchologia manuſcripta, & typis excuſa, hæc eſt; quod in manuſcriptis panis datur Presbytero ordinato non conſecratus, ut eum conſecret; in excuſis datur conſecratus, & putat ipſe corrigendum eſſe Euchologium impreſſum ab Euchologio antiquo manuſcripto, & dandam eſſe particulam panis, quam ipſe nuper ordinatus conſecrare debeat, ſicuti obſervant Rutheni. Sed nihilominus etiam inſpecto hoc ritu Euchologii manuſcripti: panis non conſecratus non poteſt eſſe materia ordinis Sacerdotalis, quia datur Presbytero jam ordinato, ut habent verba Euchologii, nec in traditione hujus panis profertur forma. Forma autem in Sacramentis non poteſt præcedere materiam.

Præterea quicquid ſit de his, illud certiſſimum eſt pleroſque ex Græcis juxta Euchologia ſive manuſcripta, ſive impreſſa in ordinatione Presbyteri non porrigere calicem cum vino, atque ita non adhibere materiam integram à Conc. Florent. diffinitam in traditione Presbyteratus.

Porrò, an hic mos ordinandi per ſolam manus impoſitionem ſervaretur olim in Eccleſia Orientali, planè non conſtat. Nam etſi in Concilio Florentino Georgius Vari Cretenſis Presbyter Græcus exhibuerit Juliano Presbytero Cardinali ſanctæ Sabinæ Euchologium Patriarchali manuſcriptum, quod eumdem prorſus modum præſcribit ordinandis, quem hodie ad unguem ſervat Græcorum Eccleſia; quod quidem Patriarchale dicitur aſservari in Monaſterio Cryptæ Ferratæ manu ejuſdem Cardinalis ſubſcriptum, ut refert Arcudius *in eodem tractatu libro 6. cap. 5.* Ignoratur tamen, quanta fides ejuſmodi Euchologio ſit adhibenda, nec ullam illius rationem habuit Concilium Florentinum, cùm diffinierit materiam ordinis Presbyteratus eſse porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum pane. Et quamvis hæc doctrina in ſpecie tradita fuerit Armenis; tamen decretum illud continet fidem orthodoxam, ut patet ex principio decreti ibi, *nec ulla in futurum de fidei veritate apud ipſos Armenos hæſitatio eſſe valeat, atque idem per omnia ſapiant cum Sede Apoſtolica;* & ibi: *Ut ſub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam ſuper præmiſſis Romana profitetur Eccleſia, per hoc Decretum ſacro approbante Florentino Concilio ipſis Oratoribus ad hoc etiam conſentientibus traderemus.* Unde fit, ut adſtringat etiam Græcos, neque enim alia fides eſse poteſt apud Græcos, alia apud Armenos, alia apud Latinos, *c. Loquitur Dominus*, 24. *nu.* 1. Extravag. *Unam ſanctam de major. & obed. cum concord.* 92 93 94

Neque obſtat, quod in eo decreto fuerit traditum Armenis Symbolum a centum quinquaginta Epiſcopis in Oecumenico Conſtantinopolitano Concilio editum cum illa additione, *filioque*, ipſi Symbolo declarandæ veritatis gratia, & urgenti neceſſitate licitè, & rationabiliter appoſita, & ordinatum, ut per omnes Armenorum Eccleſias intra Miſsarum ſolemnia, ſicut apud Latinos mos eſt, ſingulis ſaltem Dominicis diebus, & majoribus feſtivitatibus decantaretur, aut legeretur, ut habetur *in* §. *In primis ergo damus*, hoc autem præceptum Græcos non arctet. Id inquam non obſtat: nam quod Symbolum Patrum decantetur in Eccleſia cum illa additione, *filioque*, non eſt de jure divino, ſed ex Conſtitutione Eccleſiæ, ut ſcripſi in *cap.* 1. *num.* 32. *ſupra de Summa Trinitate, & fide Catholica.* Unde à præcepto illo juris poſitivi Græci, juſtè eximi potuerunt ab Eccleſia Romana, ſicut fuerunt exempti. At verò in his, quæ ad fidem pertinent, & ſunt de jure divino, ſicut ſunt materia, & forma Sacramentorum, ut patet ex dictis ſuprà n. 19. & 80. 95

Decretum Eugenii ligat etiam Græcos: nam *in cap. Ad abolendam, de hæret.* tamquam hæretici excommunicantur univerſi, qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel de Baptiſmate, ſeu de peccatorum Confeſſione, Matrimonio, vel reliquis Sacramentis aliter ſentire, aut docere non metuunt, quàm ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat, & obſervat. Ad idem text. *in cap. Hæreſis*, 24. *quæſt.* 3. Ac propterea Græci quoque juxtà diffinitionem Florentini Concilii tenentur credere Spiritum ſanctum etiam à Filio procedere, licèt non teneantur pronunciare, niſi ſubeſset ſcandalum; præſertim ſi degant inter Latinos, aut neceſſitas poſtularet cõfitendi fidem: quia tunc oporteret etiam pronunciare, ut habetur in inſtructione Clementis VIII. ſuper aliquibus ritibus Græcorum, §. 6. In Bullar. *tom.* 3. *pag.* 47. & eò magis quia Decretum Eugenii utitur dictione illa *orthodoxæ*, id eſt Catholicæ, *l. 2. C. de Summa Trinit.* Alber. *in repert. in ver. Orthodoxa.* Verbum autem *Catholica* idem importat quod univerſalis, & ubique porrecta, *c. Fundamenta, de elect. lib. 6.* & notat gloſ. *in rubr. C. eod.* Item gl. in d. Extravag. *Unam ſanctam, in ver. Sponſo, de maior. & obed.* 96

Illud certum eſt; etſi Græci, qui Venetiis degunt adhærentes Philadelphienſi calicem, & patenam ordinandis tangenda porrigant; tamen in Orientali Eccleſie innu-

innumeros ferè Sacerdotes fuiſſe initiatos per ſolam manus impoſitiones, quorum ordinationes irritas nunc de-
97 cernere non videtur expedire. Chriſtiana charitas ſuadet, ut ordinatio ſaltem conditionaliter repetatur ob periculum animarum, præſertim in Sacramento pœnitentiæ, quod non proderit attritis ſi abſolvantur ab eo, qui non habet characterem ordinis Sacerdotalis, ut patet ex decreto Concil. Trident. *cap. 4. De contrit. verſ. Et quamvis ſine Sacramento, ſeſs. 14. de ; inctiſs. Pœnitent. & extrem.
Unct. Sacram. juncto c. 7. ejuſdem ſeſs.* Quam repetitionem 98
ſub conditione fieri debere, ſatis etiam probatur ex *c. Solemnitates, il* 1. cum ibi notatis per gl. & DD. *de conſecr. diſt. 1. ex c. 2.* & ibi gl. 1. *infr. de baptiſm.* & ex prædicta inſtructione Clementis VIII. §. *Epiſcopi Latini*, ibi, *Tutius videtur, ut cum cautela, & ſub conditione id faciant*, & infrà §. *Si Epiſcopus Latinus*.

DE SACRA UNCTIONE.

Cap. Cùm veniſſet, §. Per frontis.

S U M M A R I U M.

1 *ABbatis S. Facundi ſupplicatio pro facultate conferendi Sacramentum Confirmationis ſuis ſubditis.*

2 *Papa poteſt munus adminiſtrandi Confirmationem committere etiam ſimplici Sacerdoti, & numer. ſeqq.*

3 *Epiſcopi ſoli manus imponunt ob honorem Sacerdotii non ob legis neceſſitatem.*

4 *Epiſcopus eſt ordinarius Miniſter Confirmationis. Delegatus tamen eſse poteſt etiam non Epiſcopus, & num. 9.*

5 *Chriſma conferendi facultas ex quibus cauſis per Sedem Apoſtolicam ſit concedenda inferiori Prælato.*

6 *Cauſa expreſsa in lege, vel diſpenſatione cenſetur rationabilis, niſi ſit manifeſtus error.*

7 *In Sacramento Confirmationis datur Spiritus ſanctus ad robur ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes.*

8 *Prælati inferiores ſi ſint nullus diœceſis, habeantque juriſdictionem Epiſcopalem, poſſunt convocare quem maluerint Epiſcopum pro chriſmate adminiſtrando.*

9 *Abbati petenti confirmationem facultatis conferendi Chriſma an obſtet Concilium Tridentinum; anve expediat dictam confirmationem concedere.*

10 *Abbas Caſſinenſis, qui ex privilegio poteſt omnia, quæ ad Epiſcopum ſpectant, præterquam Chriſma conficere, & ſacros Ordines conferre, non poteſt adminiſtrare Sacramentum Confirmationis.*
Conceditur tamen ei à Sanctiſſimo hæc facultas de licentia Ordinarii, n. 13.

11 *Ordinis Epiſcopalis quæ ſunt non veniunt in generali conceſſione, niſi de illis fiat ſpeciali mentio.*

12 *Exceptio regulam firmat, ſed non ampliat.*

§. PEr *frontis*. Tractat de Unctione Chriſmatis poſt baptiſmum, quæ dicitur confirmatio. Et ad triplicem Conſultationem Patriarchæ Conſtantinopolitani reſpondet primò, per Chriſmationem in fronte deſignari manus impoſitionem, quæ alio nomine appellatur Confirmatio, quia per eam datur Spiritus ſanctus ad augmentum, & robur. Ad ſecundum reſpondet, etſi cæteras unctiones ſimplices quoque Sacerdotes exhibere poſſint; tamen unctionem Chriſmatis à ſolis Epiſcopis eſse conferendam. Et hoc ea ratione, quia ut in Actibus Apoſtolorum legitur, ſoli Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſcopi dabant Spiritum ſanctum. Ad tertiam reſpondet; per Confirmationem deſignari Spiritus ſancti adventum. Hoc dicit.

Nota Confirmationis Sacramentum à Summis tantùm Sacerdotibus, id eſt, Epiſcopis conferri. Concordat *cap. Presbyteri, de conſecr. diſt.* 4. & *c. Quanto*, & ibi dixi, ſuprà *de Conſuetud.*

1 QUÆRO. Abbas ſancti Facundi Ordinis ſancti Benedicti nullius diœceſis quoddam Territorium per Gregorium VII. & alios Summos Pontifices diſtinctum, & delineatum habet, in quo plura ſunt oppida, & caſtra, in quibus Abbas exercet omnimodam juriſdictionem ſpiritualem privativè ad quoſcumque Epiſcopos, ut per tres conformes ſententias Rotales contra Epiſcopum Legionen. qui vicinior eſt, declaratum fuit. Pro actibus Conſecrationis in hac Abbatia exercendis Abbas habet privilegium ab Alexandro III. conceſſum, & à Cœleſtino III. Gregorio IX. aliiſque Pontificibus confirmatum, convocandi ſcilicet Epiſcopos, qui de licentia Abbatis dictos actus in eadem Abbatia exerceant. Et ſic per quadringentos, & plures annos juxta hujuſmodi privilegium Abbas convocavit Epiſcopos, qui ferè ſemper Titulares erant, & hi adminiſtrabant ibidem Sacramentum Confirmationis. Sed cùm jam poſt Concilium Tridentinum difficilè ſit Epiſcopos Titulares invenire; & diœceſani maximè in Hiſpania ad alienam diœceſim pro Pontificalibus exercendis accedere nolint, & qua hæc Abbatia viciniori civitate diſtet per triginta, & plura milliaria: ideò Abbas ſuppliciter petiit à Sede Apoſtolica facultatem conferendi, & adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis ſuis ſubditis. Dubitabatur an hujuſmodi ſupplicationi annuendum eſſet, necne.

De Summi Pontificis poteſtate hæſitandum non eſt; 2
nam poſſe Romanum Pontificem munus Confirmationis committere ſimplici Sacerdoti, ſenſit S. Ambroſius *ad Epheſ. cap.* 4. dum dixit, in Ægypto Presbyteros confirmare in abſentia Epiſcoporum, & Hieron. *in dialog. contra*
Lucif. ait ob honorem Sacerdotii fieri, ut ſoli Epiſcopi ma- 3
nus imponant, non autem ob legis neceſſitatem. Sed & Gregorius *lib. 13. epiſt. 26.* committit Presbyteris Sardiniæ, ut in abſentia Epiſcoporum confirmarent, ut habetur 95. *diſt. c. Pervenit.*

Et hæc eſt communis Theologorum ſententia *in 4. diſt.* 7. & tenet D. Thomas 3. *p. q. 72. art.* 11. & ibi Cajet. *art.* 8. Ferrarien. 4. *cont. gent. c.* 60. Victoria *in Summa, num.* 50. S. Antonin. 3. *p. tit.* 14. §. *De Miniſtro*. Eſt etiam communis Canoniſtarum *in d. c. Pervenit*, 95. *diſt.* Innoc. Hoſt. & aliorum *in c. Quanto, de conſuet.* ubi ponderanda ſunt illa verba textus, *ſua temeritate*, quaſi dicat Pontifex, ſecus ſi noſtra auctoritate.

Sed jam hoc determinatum videtur in Concil. Florent. *in inſtruct. Armenorum in §. Secundum Sacramentum.* Unde Soto *ubi ſupra* dicit jam non licere de hoc dubitare. Et ex eo quod Tridentinum Concilium *ſeſſ. 7. de confirm.*
can. 3. dicit Miniſtrum ordinarium Confirmationis eſſe ſo- 4
lum Epiſcopum, colligunt moderni Concilium determinaſſe alium eſſe poſſe Miniſtrum delegatum, ut tetigit Navar. *in Catech. Rom. pag.* 226. & expreſsè tenet Durant. *de ritib. Eccleſ. lib. 1. cap. 20. n. 12. ad finem*, & Vivald. *in ſuo Candel. c. De confirmatione, q.* 26. ubi alia citat Concilia pro hac ſententia. Et quamvis pro hoc concedendo ſufficeret voluntas; tamen in hoc caſu non ſolùm affertur congruentia, ſed etiam urgens, & rationabilis cauſa: nam hanc poteſtatem à Domino collatam Summo Pontifici, quandoque exerceri congruit, & oportet, maximè quia hoc extollit, & magnificat Pontificiam poteſtatem, & pulchritudini convenit Eccleſiæ, ut ſicut ſtella à ſtella in claritate differt, ita Prælati prælatis privilegiis, & prærogativis clareſcant amplioribus, *c. Ad hoc*, 89. *diſt.* & ſic patet de congruentia.

Quod autem extet rationabilis, & urgens cauſa; 5

videtur manifeſtum, primò quia Eugenius IV. in Concilio Florentino in decreto fidei pro inſtructione Armenorum *loc. cit.* dicit Pontifices id munus Presbyteris conceſſiſse ex rationabili, & urgenti cauſa, ſed hæc nulla alia erat, niſi illa, de qua loquitur S. Ambroſius, & decrevit Gregorius; abſentia ſcilicet, & penuria Epiſcoporum, & hæc videtur ſuiſſe in caſu noſtro. Ergo & cauſa rationabilis, & urgens.

6 Deinde cauſa à Principe in lege, vel diſpenſationibus expreſſa cenſetur rationabilis, niſi ſit manifeſtus error, ut tenet Cajet. *tract. de indulg. q. 2.* Sed Gregorius *in d. cap. Pervenit*, ob ſolam abſentiam Epiſcoporum commiſit hujuſmodi munus Presbyteris, neque Catholicus aliquis dicet illum erraſſe: ergo hæc cauſa eſt rationabilis.

Præterea Paſtor tenetur paſcere oves, & miniſtrare eis Sacramenta per ſe vel per idoneum Miniſtrum, ut in Concilio Tridentino *c. 1. ſeſſ.* 23. Sed oves iſtius Abbatiæ carent Miniſtro Confirmationis: igitur Paſtor tenetur eis providere de tali miniſtro. Et hæc ratio urget. Ergo datur urgens cauſa.

Denique ſatis urgens, & rationabilis cauſa eſt illa, quando aliquid fit, ne quis privetur, vel defraudetur aliquo bono ſibi conceſſo, maximè ſpirituali; ſed in Sacramento Confirmationis conceditur maximum bonum; in eo enim ut hic patet, & in Concilio Florentino datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes. Quo tanto bono, imò ſummo bono hi privari non debent, præcipuè petentes, & reclamantes.

7 Quod ſi hoc ſuaviori, & commodiori medio fieri debet, cùm Epiſcopi titulares jam vix reperiantur, & diœceſani ad iſtam Abbatiam accedere nolint, & ſubditi non teneantur cum tanto labore, & diſpendio per alienas diœceſes ſic diſtantes peregrinari, quærentes qui pueros ſuos confirment; nullum medium videri poteſt ſuavius, quàm ſi hoc munus committatur Abbati, cui eſt commiſſa cura animarum iſtius Abbatiæ, qui ſemper reſidet, & vigilat ſuper oves ſuas. Deinde quia ſic non committitur hoc munus ſimplici Sacerdoti, ſed Abbati inſigni amplum habenti territorium, & juriſdictionem Epiſcopalem, qui Mitra, Baculo, & aliis Pontificalibus utitur inſigniis, ſolemnemque dat benedictionem, & eſt à Conſiliis Regis Catholici, ſicut Epiſcopi illius Regni. Hæc ſunt quæ pro Abbate adducuntur.

8 Cæterùm cùm res ſit valdè exemplaris, videtur accuratè conſiderandum, an hoc caſu inſpecta inſtantia à viciniori diœceſi, & aliis facti circumſtantiis, verè ſubſit in illis partibus talis neceſſitas, ob quam prædicta facultas ſit concedenda inferiori Prælato: cùm præſertim Abbates, ut proponitur, quadringentorum annorum ſpatio convocaverint Epiſcopos ad Sacramentum Confirmationis adminiſtrandum. Quod jure eis licuit: nam Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ſæpiùs declaravit, inferiores Prælatos, qui nullius diœceſis ſunt, habentque juriſdictionem Epiſcopalem, poſſe convocare quem maluerint Catholicum Antiſtitem pro miniſtrando Sacramento Chriſmatis.

Porrò cùm olim quæſitum fuerit, an Concilium Tri- 9
dentinum *ſeſſ. 7. de Confirm. can.* 3. & *ſeſs. 5. cap.* 5. obſtet, quo minus facultas miniſtrandi Sacramentum Confirmationis conceſſa à Sede Apoſtolica ante Concilium Abbati regulari, nunc confirmetur, accedente præſertim conſenſu Ordinarii. Die 3. Martii 1575. Congregatio generalis cenſuit Papam poſſe id concedere ſi velit. An autem debeat, vel expediat, ſex Cardinales, ſolo diſſentiente Alciato, cenſuerunt non debere, neque expedire, cùm nulla neceſſitas ſubſit. Præſertim cùm in illis regionibus ſint multi hæretici, qui credunt ſimplicem Sacerdotem poſſe miniſtrare Chriſma, ſicut Epiſcopus. Et ſi viderint Abbatem id facere, ſe confirmabunt in iſta hæreſi, quam Concilium Tridentinum damnavit. An autem ſi Papa concederet, videretur facere contra Concilium *d. can.* 3. tres Cardinales cenſuerunt aliquo modo eſſe contra Concilium, quod vult Epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum. Alii quatuor Cardinales cenſuerunt non eſſe contra Concilium, quod decidit ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, extra ordinarium autem eum, cui Papa concederet. Et ita Covarr. *libr.* 1. *variar. reſolut. cap.* 10. *numer.* 4. Referendum tamen Sanctiſſimo, qui dixit videndum an Prædeceſſores ſui reſtrinxerint iſtas facultates.

Ad hæc propoſito dubio an Abbas Caſſinenſis habens 10
ex privilegio Apoſtolico, ut poſſit omnia, quæ ſpectant ad Epiſcopum, exercere, præterquam Chriſma conficere, & ſacros Ordines conferre, poſſet Sacramentum Confirmationis adminiſtrare: Sacr. Congregatio cenſuit non 11
poſſe, cùm ea, quæ ſunt Ordinis requirant ſpecialem mentionem, ut intelligantur inferioribus Prælatis conceſſa, ut in *conſ.* 19. Antonii de Buttio. Et quamvis exceptio firmet regulam in contrarium in non exceptis, præſertim ſi caſus excepti ſint ſpeciali nota digni, & excipiantur taxativè, ut notat Dec. *in l.* 1. *nu.* 30. 36. *& ſeqq. ff. De regul. jur.* non tamen ampliat ejus naturam, ut comprehendat ea, quæ ſunt aliàs reſervata, & de quibus eſt facienda mentio ſpecialis, prout de facultate confirmandi. Cùm præſertim diſpenſatio hujus caſus concedi non debeat, niſi ex cauſa admodum urgenti, ut Eugenius voluit in prædicta inſtructione Armenorum. Unde numquam venit, niſi expreſsè concedatur, & cauſa exprimatur. Præterea Gregorius *in dict. cap. Pervenit*, loquitur diſpenſativè ubi Epiſcopi deſunt, & propter ſcandalum, ut hic notat gloſſ. *in ver. Hanc*. Et ita reſpondit Sacra Congregatio, die 18. Martii 1574. Sanctiſſimus tamen conceſſit tale privilegium ante Concilium habenti, ut poſſit conferre de Sacramentum Confirmationis, de licentia tamen Ordinarii.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

Gregorius IX. Archiepiſcopo London.

CAPUT III.

PResbyter, & Diaconus cùm ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt; quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi ordines conferendos cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum. Suſpenſio autem manuum debet fieri, cùm oratio ſuper caput effunditur ordinandi.

S U M M A R I U M.

1 *Manus impoſitio ſi in ordinatione Sacerdotis fuerit prætermiſſa, ſtatutis temporibus ſupplebitur.*
2 *Manus impoſitio quotuplex ſit, & quæ iterari poſſit, vel non, & n. ſeqq.*
3 *Abbas ſemel benedictus non poteſt iterum benedici.*
4 *Pœnitentia ſolemnis iterari non poteſt, & cur.*
5 *Presbytero, cum ordinatur, manus imponitur ab Epiſcopo, & Presbyteris adſtantibus; Diacono ab Epiſcopo tantùm.*
6 *Ritus impoſitionis manuum, & Ordinationis Epiſcoporum ab Apoſtolis introductus eſt, & n. 53.*
7 *Petrus ſolus immediatè à Chriſto fuit ordinatus Epiſcopus, reliqui Apoſtoli ab ipſo Petro.*
8 *Ordinationis tempore ſupplendum eſt quod in ordinatione fuit prætermiſſum.*
9 *Solemnitas ſuppleri debet eo tempore, quo ſubſtantialiter actus poteſt celebrari.*
10 *Manus impoſitio in ordinatione Presbyteri an ſit de eſſentia Sacramenti, vel de ſolemnitate tantùm, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
11 *Ordinatio tota eſt iteranda, ſi aliquid ex ſubſtantialibus fuerit prætermiſſum.*
12 *Iteratum non dicitur, quod ambigitur eſſe factum.*
13 *Sacramenta omnia, & eorum eſſentialia ſunt immediatè ex inſtitutione Chriſti.*
14 *Eccleſia in Sacramentorum diſpenſatione poteſtatem habet ſtatuendi, vel mutandi, ſalva eorum ſubſtantia.*
15 *Verbum* introducere, *quid importet.*
16 *Ritus propriè quid ſit.*
17 *Sacramentum quid.*
Signum illud exterius in quolibet ordine eſt eſſentiale, in quo principalis actus illius ordinis deſignatur.
18 *In Sacramentis habentibus materiam corporalem, actus humani non ſunt de eſſentia Sacramentorum.*
19 *Res ſenſibilis, & verba ſunt de eſſentia Sacramenti.*
20 *Apoſtoli quando fuerint à Chriſto ordinati Sacerdotes.*
21 *Presbyter ordinatus abſque manus impoſitione non accipit poteſtatem à peccatis abſolvendi.*
22 *Presbyter in impoſitione manus non ordinatur iterùm, nec novum recipit characterem.*
23 *Ordinum diverſitas oritur ex diverſitate materiæ, & formæ.*
24 *Poteſtas ordinis eſt indelebilis; poteſtas juriſdictionis ſecus.*
25 *Confeſſiones quas Sacerdos audit non approbatus, ſunt irritæ.*
26 *Sacerdos ordinatus ante manus impoſitionem eſt verus Sacerdos habens poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti.*
27 *Subſtantiam impoſſibile eſt eſse ſeparatam ab eo, cujus eſt ſubſtantia.*
28 *Subſtantialia rei quæ dicantur, & quæ accidentalia.*
29 *Sacramenta omnia tribus perficiuntur, materia, forma, & miniſtro.*
30 *Ordinum materia quæ ſit ex diffinitione Concilii Florentini.*
31 *Manus impoſitionem non eſſe de ſubſtantia ordinis, qui ſenſerint ex Theologis, & Canoniſtis.*
32 *Manus impoſitionem eſſe materiam eſſentialem ordinis Presbyteratus, qui Theologi affirmaverint, & quibus fundamentis.*
33 *Presbyteri, & Diaconi in primitiva Eccleſia per manus impoſitionem ordinabantur, & n. 38.*
34 *Dictio*, per, *cauſam efficientem ſignificat.*
35 *Manus impoſitione datur gratia, & Spiritus ſanctus.*
Declaratur, n. 37.
Manus eſt organum organorum.
Declaratur, n. 42.
37 *Manus impoſitio in ordinatione Sacerdotis eſt de eſſentia poteſtatis juriſdictionalis non ordinis.*
Proſp. Fagnan. in I. Libr. Decretal.
38 *Ordinis materia, & forma cur in Actibus Apoſtolorum non exprimatur.*
39 *Ordinationis denominatio cur in ſacris litteris fiat ab impoſitione manuum.*
40 *Subdiaconus non recipit manus impoſitionem, ſed ordinatur per traditionem calicis vacui, & patenæ vacuæ.*
41 *Pontificale Romanum habet legis authoritatem.*
42 *Manus quo ſenſu dici poſſit eſſe de eſſentia ordinationis.*

Presbyter. Si in ordinatione Presbyteri, vel Diaconi 1
manus impoſitio fuerit prætermiſſa, ſtatutis temporibus ſupplebitur. Hoc dicit ſecunda pars brevis ibi, *ſuſpenſio.*

Ad intelligentiam tex. præmitto, manus impoſitionem 2
multiplicem eſſe ſecundùm Hugon. gloſs. Archid. Bellam. Turrecr. & Præp. *in c. Manus*, 1. *q.* 1. Quædam enim eſt confirmatoria, id eſt, in fronte baptizatorum facta Chriſmatio, *c. unic.* §. *Per frontis*, *ſup. de ſacr. Unct.* & eſt Sacram. quod non reiteratur, & cujus miniſter eſt ſolus Epiſcopus, & de hac habetur *in c.* 2 13, *&* 4. *de conſecr. diſt.* 5. In Concilio Florentino *In decreto fidei*, §. *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio.* Et in Conc. Trid. *ſeſs.* 7. *de Confirm. can.* 1. 2. *&* 3. Quædam eſt curatoria, id eſt, cum olei unctione ſuper infirmum facta benedictio, de qua Jacob. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, qui orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum*, §. *Sed iſtud*, 95. *diſt.* Et hæc ſimiliter eſt Sacramentum, non tamen imprimens characterem; & ideò iterari poteſt, & ejus miniſter eſt Sacerdos, id eſt aut Epiſcopus, aut Presb. *c. Illud ſuperfluum*, 95. *diſt.* de quo in Conc. Florentino, ubi ſupra, §. *Quintum Sacramentum eſt Extrema Unctio.* Et in Trident. *ſeſs.* 14. *in Doctrina de Sacram. Extremæ Unctionis.* Quædam eſt conſecratoria, quæ ſcilicet fit Epiſcopis dum conſecrantur, ut *in c. Epiſcopus*, 23. *diſt.* de qua dicit Apoſtolus 1. *Timoth.* 5. *Nemini citò manum imponas*, id eſt, nullum citò conſecrabis, ſecundùm Jo. de Fan. & Archid. *in d. c. Manus*, 1. *q.* 1. Et hæc manus impoſitio repeti non poteſt; & fit ab Epiſcopis tantùm, ut *in d. c. Epiſcopus*, *& c.* 1. 75. *diſt.* Et quamvis Turrecr. & Præp. *in d. c. Manus*, dicant hanc manus impoſitionem eſse quæ fit omnibus Clericis in Minoribus dum ordinantur: tamen huic non congruit nomen Conſecratoriæ, cùm ſit quædam benedictio, *c. Quoniam*, 69. *diſt.* & not. gl. *in c.* 1. *In ver. Impoſitione*, *ſup. eod.* Unde meliùs Arch. intelligit impoſitionem manus conſecratoriam pro illa ſolemni, quæ fit in conſecratione Epiſcopi, dum allegat tex. qui de ipſa loquitur *in d. c. Epiſcopus*, & auctoritatem illam, *Nemini cito manum imponas*, quæ propriè de 3
Epiſcopo intelligitur, ut eſt text. *in c. Cùm nobis olim*, *ſup. de elect.* Alia impoſitio manus eſt benedictoria, id eſt, quædam ſolemnis oratio, ſive benedictio ſuper quoſdam Abbates, & Abbatiſsas facta, ut in *c. Quoniam*, 69. *diſt.* & hæc fit ab Epiſcopo, ut ibi, *niſi in caſu*, *c.* 1. *de ſuppl. neglig. Præl.* & eſt quaſi Sacramentum, & non iteratur ad inſtar benedictionis nuptialis, *c.* 1. *& c. Vir*, *de ſecund. nupt.* Et quamvis Arch. referat ſe vidiſse contrarium obſervari in Curia in quodam Abbate, qui priori dignitati ceſserat, & fuit iterùm benedictus: tamen illud potiùs fuit factum, quam jus, ſecundùm Archid. cum quo Turrecrem. & alii tranſeunt, & de hac manus impoſitione ſcripſi plenè *in c. Cùm contingat*, *ſuprà de ætat. & qualit.* Alia eſt reconciliatoria, 4
id eſt manus extenſio ſuper pœnitentes cum invocatione Spiritus Paracliti, vel aliqua oratione, ſicuti Chriſtus, & Apoſtoli leguntur credentibus manus impoſuiſse. Et hæc fit hæreticis reverſis, *c. Arianos*, 1. *q.* 1. Item Excommunicatis, *c. Cùm aliquis*, 11. *q.* 3. Item pœnitentibus, *cap. Si qui pœnitentiam*, 26. *q.* 6. & quidem ſi reconciliatio ſit privata, ſeu occulta, iterari poteſt; quia Sacramentum pœnitentiæ eſt reiterabile, & convenit omnibus Presbyteris, ut *c. Miniſtrare*, §. *Eccleſ.* & *c. Presbyteri*, *ead cauſ. & quæſt.* ſin autem pœnitentia ſit ſolemnis, ſeu publica, convenit Epiſcopo tantùm, *cap. in capite* 50. *diſt. & d.* §. *Ecce*, & iterari non poteſt, non ea ratione quam ponit gloſ. *in d. c. Manus*, quod ſit Sacramentum; quoniam non eſt Sacramentum imprimens characterem: ſed ne ſalutaris medicina ex iteratione vileſcat, & minus utilis ſit ægroto,

ut legitur, & notatur *in cap. Quamvis de pœnit. diſtinct.* 3. & in *c. Si quis poteſt*, §. *poteſt, & aliter*, 50. *diſt.* & ob alias rationes, quas poſt D. Thom. & Durand. recenſet Turrecrem. *in d.* §. *Poteſt*, *num.* 6. Alia eſt exſufflatoria, quæ ſcilicet ſuper Energumenos extenditur ad exſufflationem dæmonum, & hæc repeti poteſt, cum non ſit Sacramentum, & convenit Exorciſtis, ut *in c. Exorciſta* 23. *diſtin.* addit Archid. aliam manus impoſitionem, id eſt, Expulſoriam, quę imponitur ſolemniter pœnitentibus, qui ab Eccleſia abiiciuntur, ut *in d. c. In capite*. Sed hæc coincidit cum Reconciliatoria ſolemni, de qua ſupra num. 4. Alia demum impoſitio manus eſt ordinatoria, quæ ſcilicet imponitur Presbyteris, & Diaconis, dum ordinantur, ut in *c. Presbyter*, & *in c. Diaconus*, 23. *diſt.* & de hac loquitur hęc Decretalis, & non iteratur, ſed tantum ſuppletur, ſi fuerit prętermiſſa, ut hìc, & in *c.* 1. *ſub eod.* Quibus premiſſis.

5 Nota primò Presbyterum, & Diaconum in ordinatione recipere manus impoſitionem: concordat text. *in cap. Quorumdam*, 23. *diſt.* Manus enim impoſitio ſignificat plenitudinem gratiæ, per quam ad magna officia ſint idonei; & ita ſit ſolis Diaconis, & Sacerdotibus, quia eis competit diſpenſatio Sacramentorum, licet uni principali, & alteri ſicut miniſtro, ut docet S. Thom. *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 3. ſed in hoc eſt differentia, quod ſuper caput Presbyteri manus imponitur ab Epiſcopo, & Presbyteri adſtantibus, *c. Presbyter cùm ordinatur*, 23. *diſt.* S. Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad primum*. Intellige ſi ſint veſtibus Sacerdotalibus inducti, ut declarat Hoſt. *in c. Nec Epiſcopus*, *num.* 2. *verſ. Ex præmiſſis*, *ſuprà de temp. ordin.* qui tamen non reprobat contrariam conſuetudinem, quam dicit vigere in aliquibus Eccleſiis, ut manus imponant Presbyteri adſtantes etiam non induti: Super caput verò Diaconi manus imponitur ab Epiſcopo tantùm, *cap. Diaconus*, 23. *diſtinct.* ſed tu adverte, quia ut apparet ex Pontificali Romano *in tit. de ordinatione Presbyteri*, manus impoſitio bis ſit in ordinatione Sacerdotum. Primò antequam eis porrigatur calix cum vino, & patena cum hoſtia, & tunc Presbyteris ordinandis imponuntur manus ab Epiſcopo, & Presbyteri ſimul, ut dictum eſt. Et hanc manus impoſitionem S. Th. *d. art.* 3. recenſent inter præparatoria ad ordinis ſuſceptionem, dicens: *Epiſcopus in collatione ordinum duo facit; Præparat enim ordinandos ad ordinis ſuſceptionem, & ordinis poteſtatem tradit; præparat quidem & inſtruendo eos de proprio officio, & aliquid circa eos operando, ut idonei ſint poteſtatis accipiendæ; quæ quidem præparatio in tribus conſiſtit, ſcilicet benedictione, manus impoſitione, & unctione.* Hæc D. Th. Deinde fit manus impoſitio Sacerdotibus jam ordinatis poſt Miſſæ celebrationem; & tunc ſolemniter imponuntur eis manus ab Epiſcopo tantùm. Et proferuntur illa verba, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* In ordinatione verò Diaconi ſemel tantùm imponitur manus, id eſt, antequam tradatur liber Evangeliorum, & ſic priuſquam in Diaconum ordinetur, ut in eodem Pontificali in *tit. de ord. Diaconi*.

6 Secundò nota ibi, *ritu ab Apoſtolis introducto*, ritum impoſitionis manuum in ordinatione Presbyteri, & Diaconi ab Apoſtolis introductum fuiſſe, *Actor.* 6. 8. & 13. *c. Quod de Dominico*, 75. *diſt.* Et de hoc ritu Apoſtolico, ut inquit Innoc. *hic num.* 1. & Hoſtienſ. *num.* 4. invenitur in Epiſtola ad Timotheum, quod manus imponebant ordinandis, & orationes fundebant ſuper eos. Et eodem modo ordinatio, ſive conſecratio Epiſcoporum ab Apoſtolis, ſcilicet, Petro, Jacobo, & Joanne introducta eſt dantibus forma ſucceſſoribus, ut habetur *in c. Porrò*, 66. *diſt.* & not. hìc
7 gl. *in ver. Ab Apoſtolis*, & Hoſt. *nu.* 1. Solus enim Petrus immediatè a Chriſto fuit ordinatus Epiſcopus per illa verba, *Paſce oves meas*. Reliqui autem Apoſtoli non à Chriſto immediatè, ſed ab ipſo Petro conſecrationem acceperunt, ut probat Præp. *in Summ.* 15. *diſt. n.* 27. & fuſiùs Card. Turrecr. *in c. In novo* 21. *diſt.* & *in d. c. Porro*, ubi etiam per illum textum oſtendit Jacobum Alphæi non fuiſſe conſecratum Epiſcopum a Chriſto, ſed à Petro Apoſtolo, & confutat contrarias rationes gl. & Hugonis tamquam frivolas. Et idem Turrecr. *in Summ. de Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 3. & noviſſimè Card. Bellarm. *t.* 1. *Controverſ. de Summo Pontifice lib.* 1. *c.* 23. *verſ. Vigeſima ſecunda eſt*.

8 Tertiò nota ibi, *ſtatuto tempore*, ſuppletionem ejus, quod in ordinatione omiſſum eſt, faciendam eſſe eo tempore, quo ipſa ordinatio, ſcilicet quatuor Temporibus, *cap.* 1. 2. & 3. *ſup. de tempor. ordin.* Et ſic ſuppletio ſolemni- 9 tatis fieri debet eo tempore, quo ſubſtantialiter actus poteſt celebrari, ut hìc notat Butr. *num.* 4. & Joan. de Anan. *nu.* 1. Unde in Sabbato quatuor temporum vocabitur Sacerdos, & manus impoſitio, quæ defuit in ordinatione, tunc ſupplebitur, & dicentur orationes quæ præcipiuntur dici, quando fit manus impoſitio, ſecundùm Innoc. *hìc n.* 1. *in fin. in ver. Statuto*, & *n.* 2. *in ver. Supplendum*, & Abb. Antiq. *num.* 1.

10 QUÆRO, An manus impoſitio in ordinatione Presbyteri ſit de eſſentia Ordinis, vel de ſolemnitate tantùm.

Canoniſtæ omnes, & plerique ex Theologis, de quibus infrà nu. 31. cenſent manus impoſitionem eſse tantùm de ſolemnitate.

11 Probatur primò, evidenter in hac Decretali: nam ſi eſset de eſsentia, non ſufficeret ſupplere omiſsum, ut hìc deciditur, & *in cap.* 1. *ſupr. eod.* Sed ordinatio ipſa eſset ex integro iteranda, *c. Nihil*, 7. *quæſt.* 1. *c. Revera*, *de conſec. diſtinct.* 2. *cap. Daybertum*, & *cap. Per illicitam*, 1. *qu.* 7. & *c. Choreepiſcopi*, 68. *diſt.* & in ſpecie advertunt hìc Hoſtienſ. *nu.* 8. & Jo. de Anan. *num.* 1. & fuſiùs explicat idem Hoſt. *in c. unic. nu.* 5. *ſup. de ſacr. Unct.* & ibi etiam Collectar. *n.* 7. & docet S. Th. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 3. Sot. *ead. diſt. q.* 1. *art.* 4. & Silveſt. *in ver. Ordo*, *nu.* 11. Ratio eſt; 12 quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum, ut legitur *in c. Veniens*, *inf. de Presbyt. non baptiz. in c. Solemnitates*, *il.* 1. *de conſec. diſt.* 1. *in c. Si multa*, *de conſec. diſt.* 4. & tradunt omnes locis citatis. Nec dicatur hunc textum eſſe intelligendum de prima impoſitione manuum præparatoria ad ordinem ſuſcipiendum, quam certum eſt non eſſe de eſſentia ordinationis, ut dixi ſup. in 1. *not. n.* 5. *verſ. Sed adverte*: nam etſi hoc verum ſit quoad ſecundam partem textus, in qua dicit ſuſpenſionem manuum fieri debere cùm oratio funditur ſuper caput ordinandi, quæ quidem ſuſpenſio non fit, nec oratio funditur, niſi ante conſecrationem Presbyteri, ut in Pontificali Rom. *in rubr. de ordin. Presbyt.* tamen ſecus dicendum eſt quoad primam partem textus, quia cum ſimpliciter, & indefinitè loquatur de impoſitione manus, debet ſimpliciter, & indefinitè intelligi tàm de prima, quam de ſecunda, quę fit ab Epiſcopo tantùm poſt peractam ordinationem, *c. fin.* 55. *diſt.* & *c. Conſuluiſti*, 2. *q.* 5. *cum ſimil.*

13 Secundò idem probatur, quia manus impoſitio in ordinatione Presbyteri, & Diaconi eſt ritus ab Apoſtolis introductus, ut hic dicitur, & oſtenſum eſt ſupra in 2. notab. Ergo non eſt de eſſentia, quia Sacramenta omnia, & conſequenter etiam omnia eſſentialia Sacramentorum Chriſto immediatè per ſeipſum inſtitui, ut docet S. Th. *in* 3. *p. q.* 60. *art.* 3. 5. & 7. & *in* 1. 2. *q.* 108. *art.* 2. *ad ſecundum*, ubi rationem reddit, quia in Sacramentis novæ legis datur gratia, quæ non eſt niſi à Chriſto; & ideò oportuit, ut ab ipſo inſtitutionem haberent, & eſt hodie diffinitum à Tridentina Synodo de Sacramentis omnibus *in can.* 1. *ſeſſ.* 7. *de Sacram.* & in ſpecie de Ordin. *in can.* 3. *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin.* Quæ verò addita ſunt ex ritu ab Eccleſia ſunt de ſolemnitate tantùm, ut per eumdem *in* 4. *diſt.* 13. *qu.* 1. *art.* 2. *ad ſecundum*. Unde *in cap.* 2. *ſeſſ.* 21. *de Commun. ſub* 14 *utraque ſpecie*, declarat S. Synodus hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Nec videtur admittendum, quod dicit Card. Bellarm. *t.* 3. *Controv. lib.* 1. *c.* 9. *de Sacram. verſ. Ad ſecundum*, videlicet hunc ritum dici introductum ab 15 Apoſtolis, non quod illum inſtituerint, ſed quia primi cœperunt uſurpare in ordinationibus: hoc enim propriè non congruit litteræ hujus Decretalis, quia introducere ex vocabuli proprietate eſt originaliter inſtituere, *l. unic. in princip.* ibi, *Ex libellis ortam*, juncto verſu, *Quod belli calamitas introduxit*, *C. de caduc. tollen. l. Sancimus*, §. *Si quis autem*, *per diverſa*, *C. De donat. l. Ex hoc jure*, *ff. De juſt. & jur. cum ſimil.*

16 Præterea ponderandum eſt verbum, *Ritus*, quod ex propria ſignificatione refertur ad ſolemnitatem, non ad ſubſtantiam actus, *c. Cum ſecundum*, *de tempor. ordin. cap.*

Cùm

Cùm olim, de Cler. conjug. l. Non putavit, §. Non quævis, & ibi gl. *in ver. ritè, ff. De bonorum poſſeſs. contr. tabul.* Conc. Trid: *ſeſs. 7. de ſacram. canone* 13. & *ſeſs.* 22. *de ſacrificio Miſsæ can.* 9. Unde Butr. *in d. c. Cùm ſecundum, n.* 1. *Ritus*, inquit, *propriè eſt quædam conſuetudo in ordinandi modo, vel alio actu exercendo ſolemnitatem præbens*. Et Petrus Brixien. *in Repert. Ritus*, inquit, *eſt uſus diſponens circa ſolemnitatem actus*, allegat Innoc. *in c. Quoniam in pleriſque de off. ordin.* & Archid. *in c. Contra Chriſtianos, de hæret. lib.* 6. Et hunc ritum impoſitionis manuum ortum ex ipſa Apoſtolorum inſtitutione, videtur ſatis probari *in c. Quod die Dominico*, ibi, *Apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis*, 75. *diſt.*

17 Tertiò, cùm Sacramentum ſit ſymbolum rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ forma viſibilis, ſeu ſignum viſibile, *cap. Sacrificium, de conſ. diſt.* 2. *c.* 3. *De excellentia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſeſs.* 13. Conc. Trid. & ſignum debeat habere ſimilitudinem ad ſignatum, *c. unic. §. Ad exhibendum, ſup. de ſacram. Unct. c. Qui Eccleſiaſticis, §. Ecce, 36. diſt.* in quolibet ordine illud exteriùs ſignum eſt eſsentiale, & intrinſecum Sacramento, in quo principalis actus illius ordinis deſignatur; idque pro generali regula habendum eſse affirmat S. Bonavent. *in* 4. *diſt.* 24. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 4. *n.* 59. & conſentiunt alii, quos refero in *d. c. unic. in* 4. *arg. n.* 36. Sed in impoſitione manuum non deſignatur principalis actus, qui eſt conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti, *c. Cleros, 21. diſt. can.* 1. *de Sacram. Ord. ſeſs.* 23. Conc. Trid. ſed actus ſecundarius, qui eſt abſolvere, & ligare, ut patebit infrà num. 20. & ſeqq. Ergo impoſitio manuum non eſt eſsentialis, & intrinſeca Ordinis Presbyteratus.

18 Quartò, in Sacramentis habentibus materiam corporalem actus humani non ſunt de eſsentia Sacramentorum, ſed diſpoſitivè ſe habent ad Sacramenta S. Thom. *in* 3. *p. q.* 84. *art.* 1. *ad primum*: nam res ſenſibiles, & verba ſunt de

19 eſsentia Sacramenti, non autem facta: ſed hæc pertinent ad uſum, vel diſpenſationem ejus, ut idem docet *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 3. *ad ſecundum*, & *in* 3. *q.* 60. Sed manus impoſitio eſt actus humanus, non autem res ſenſibilis à facto diſtincto. Ergo non eſt de eſsentia Sacramenti Ordinis.

20 Quintò, Apoſtoli fuerunt à Chriſto ordinati Sacerdotes in cœna, ut conſtat ex Tridentina Synodo *in cap.* 1. *de ſacrificio Miſsæ, ſeſs.* 22. ibi, *In cœna noviſſima Corpus, & Sanguinem ſub ſpeciebus, & panis, & vini Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit*, & *in Can.* 2. *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſse Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſse, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum; anathema ſit*. Et ita, ut inquit ſanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 2. & Turrecrem. *in c. Presbyter num.* 2. 23. *diſt.* Dominus dedit Diſcipulis ſacerdotalem poteſtatem, quantum ad principalem actum ante paſſionem, quando dixit, *Accipite, & manducate*, unde ſubjunxit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. & Joannis 13. Sed poſt Reſurrectionem dedit eis ſacerdotalem poteſtatem, quantum ad actum ſecundarium, qui eſt ligare, & abſolvere, ut ibi per eos, & eſt diffinitum in *Canone* 3. *ſeſs.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ*. Concil. Tridentin. *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum ſanctum, &c. Non eſse intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, &c. Anathema ſit*. Quarum poteſtatum meminit idem Concilium *ſeſs.* 23. *de Sacramento Ordinis, capit.* 1. ibi, *In Sacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti, nec non & peccata dimittendi, & retinendi ſacræ Litteræ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit*. Sen-

21 tentiam Divi Thomæ ſuppreſso nomine recitat hìc Joan. Andr. *nu.* 2. his verbis: *Dicunt aliqui, quod in ordinatione Presbyteri per dationem calicis pleni, id eſt, cum patena confertur ordinato poteſtas principalis quoad principalem actum confectionis Euchariſtiæ; & per impoſitionem manus ſub certa forma verborum, Accipite, &c. Matthæi* 24. *confertur poteſtas Sacerdotalis quoad actum ſecundarium, qui eſt abſolvere, & ligare: nam & has poteſtates Dominus diviſim contulit Apoſtolis: ante paſſionem enim contulit primam; poſt reſurrectionem, ſecundam, quando ſcilicet inſufflavit, &c. Joannis* 19. *Per impoſitionem vero manuum aliorum Sacerdotum deſignatur quædam gratiæ plenitudo. Dicunt ergo iſti, quod ſi deſit traditio calicis cum certa forma verborum, non imprimitur character, nec eſt Sacerdos qui ordinandus erat; ſi vero fiat primum, ſed deſit ſecundum, Sacerdos eſt quoad poteſtatem conficiendi, ſed non poteſt abſolvere, vel ligare, niſi facta ſuppletione: ſi verò deſit manuum impoſitio, quam faciunt alii Sacerdotes, licèt hoc ſit ſupplendum, tamen primum, & ſecundum poterit*. Hæc Jo. Andr. cujus verba hìc tranſcribunt Antonius de Butr. *numer.* 9. licèt illius non faciat mentionem Bellam. *num.* 3. Cardin. Zabar. *nu.* 1. *col.* 3. *verſ. Decimo quarto*, & Abb. *num.* 2. Et in hoc ultimo, id eſt, Sacerdotem, qui non accepit manus impoſitionem; non poſſe confeſſiones audire, conſentit *in Summ.* Roſell. quem refert, & ſequitur Silveſter *in ver. Ordo* 2. *num.* 4. *verſ. Et ideo videtur verum*. Unde quod legitur *in c.* 15. *ſeſſ.* 23. Concilium Tridentinum, quod Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, videtur notabiliter limitari poſſe, ut non procedat in Presbyteris, qui non acceperunt manus impoſitionem, niſi ſuppleatur omiſſum. Hanc autem diſtinctionem probat etiam quotidianus Eccleſiæ uſus: nam Sacerdotes fiunt, cùm eis dicitur: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*. Et tunc non imponitur manus, ſed tantùm porriguntur inſtrumenta, ut patet ex ordine Romano antiquo, & ex Pontificali, quo nunc Eccleſia utitur, in rubrica de ordinatione Presbyteri. Ergo manus impoſitio, quæ ſeorſim fit, ad eſſentiam Sacramenti non pertinet, cùm ante illam ordinati characterem Presbyteralem recipiant. Nec poteſt admitti quod ait 22
Cardin. Bellarminus *tom.* 3. *controverſiarum lib.* 1. *de Sacramento Ordinis cap.* 9. *verſ. Ad tertium*, videlicet Sacerdotes ordinari, cùm illis dicitur, *Accipe poteſtatem ſacrificium offerendi*: ſed ordinari etiam poſteà, cum illis dicitur, *Accipe Spiritum ſanctum*. Hoc enim ſubſiſtere non poteſt: nam etſi Sacerdotes accipiant ſeorſim varias poteſtates, ut dictum eſt ſuprà: non tamen dum ſecundam poteſtatem accipiunt, dicuntur iterùm ordinari: repugnat enim Canonicis inſtitutis, ut quis in Presbyterum bis ordinetur, & duplicem characterem recipiat, *c.* 1. 68. *diſt.* quidquid dixerit Scotus *in* 4. *diſt. n.* 24. quem meritò reprehendit Silveſt. *in ver. Ordo* 2. *n.* 4. *verſ. Non eſt etiam verum quod dicit Scotus*. Præterea ſi per impoſitionem manuum 23
Sacerdos iterùm ordinaretur in Presbyteratu eſsent duo ordines diſtincti. Patet; quia ſecunda ordinatio haberet pro materia impoſitionem manus, & pro forma, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* Et prima ordinatio haberet pro materia porrectionem inſtrumentorum, & pro forma, *Accipe poteſtatem, &c.* Ex diverſitate autem materiæ, & formæ oritur diſtinctio Ordinum, ſicut & diverſitas Sacramentorum, ut conſtat ex *c.* 2. *de Sacramento Pœnitentiæ, ſeſs.* 14. Concilium Trident. ibi: Materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet, & ſic in Eccleſia eſsent quatuor Ordines ſacri, id eſt, Subdiaconatus, Diaconatus, & duo Presbyteratus, quod eſt contra Catholicam veritatem, ut in Concilio Carthaginenſi IV. *cap.* 2. 3. *&* 4. & in Tridentino *c.* 2. *ſeſs.* 23. *de Sacramento Ordinis*. Ulteriùs ſi in ordinatione Sacerdotis eſſent 24
duæ formæ partiales, & in impoſitione manus imprimeretur novus character, ſeu fieret extenſio primi, ut putat Scotus: hinc ſequeretur, ut poteſtas abſolvendi à peccatis, quæ traditur in impoſitione manus, eſſet indelebilis, quia poteſtas, quæ fit per conſecrationem, inhæret characteri, & ab homine auferri non poteſt, ut docet ſanctus Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 39. *art.* 3. Et proptereà Sacerdos etiam hæreticus, excommunicatus, depoſitus, & degradatus celebrando conficit, ſecundùm Archid. *in cap. Oſtenditur*, 4. *diſtinct.* Richard. *in* 4. *diſtinct.* 13. & Silveſt. *in verb. Degradatio, numer.* 9. quia, ut inquit ſanctus Thomas in his homo non operatur; niſi ut inſtrumentum Dei, §. *Verum* 32. *diſtinction.* Sed conſequens eſt falſum, quia poteſtas juriſdictionalis ex ſimplici injunctione hominis confertur, nec immobiliter adhæret. Unde in ſchiſmaticis, & hæreticis non manet, *cap. Omnibus, cap. Ait Cœleſtinus*, & *cap. Apertè*, 34. *quæſt.* 1. & declarat ſan- 25
ctus Thomas, *ubi ſuprà*. Ideoque quamvis Presbyteri in impoſitione manuum à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant: tamen Concilium Tridentinum *in cap.* 15. *ſeſſ.* 23. ſtatuit eos non poſſe confeſſiones ſecularium audire, nec ad id idoneos reputari, niſi aut parochiale benefi-

cium habeat, aut ab Epiſcopis approbatione accipiant. Et ſacra Congregatio ejuſdem Concilii Interpres declaravit irritas eſſe confeſſiones, quas audiunt Sacerdotes ab Epiſcopo non approbati. Ergo ſimiliter eſt falſum, Sacerdotes in manus impoſitione characterem recipere. Quæ
26 cùm ita ſint, inquiro an is, cui Epiſcopus porrexit calicem cum vino, & patena cum hoſtia, & dixit verba, *Accipe poteſtatem ſacrificium offerendi*, ſed nondum impoſuit manus, quia nondum Miſſa fuit abſoluta, ſit verus Sacerdos, & receperit characterem verum Ordinis Presbyteratus, necne. Si dixeris non eſſe verum Sacerdotem; hoc eſt manifeſtè falſum, & contra Divinam inſtitutionem, quia Apoſtoli in Cœna fuerunt ordinati verè Sacerdotes, & acceperunt poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti; & tamen tunc non acceperunt ſecundam poteſtatem abſolvendi à peccatis, quæ traditur in impoſitione manuum, ut patet ex diffinitionibus Concilii Tridentini ſuprà relatis. Item eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, & præſcriptum Pontificalis: nam ſic ordinatus conſecrat unà cum Epiſcopo celebrante; Et propterea in eadem rubr. *de Ordin. Presbyt.* diſponitur, ut Pontifex celebrans ſecreta moroſè dicat, & aliquantulum altè, ita ut ordinati Sacerdotes poſſint ſecum omnia dicere, & præſertim verba conſecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem. At conſecrare non poſſet; niſi eſſet verus Saeerdos, *c.* 1. §. *Una vero*, *verſ. Et hoc utique Sacramentum*, *de Summa Trinitate, & fide Catholica*, *c.* 1. *&* 2. *de Cler. non ordinat. miniſtran.* Quoties enim ſunt duo gradus ſucceſſivi, & ab invicem ſubordinati, exiſtens in primo non attingit ea, quæ ſunt ultimi; Diaconus non attingit, quę ſunt Preſbyteri, *c. Diaconus*, *& c.ſeqq.* 93.*diſt.* Quæ ſunt verba Oldradi *conſ.*180.*Quæſtio eſt*, *nu.* 11. Ideòque in prædicta rubrica pontificalis poſt porrectionem inſtrumentorum, & prolationem verborum, *Accipe poteſtatem*, *&c.* multoties vocantur Sacerdotes ordinati, licèt ſolemnem manus impoſitionem nondum ac-
27 ceperint. Si dixeris ſic ordinatos ante manuum impoſitionem eſſe veros Sacerdotes, & recepiſſe characterem Presbyteratus: ergo evidenter hinc ſequitur, ut manus impoſitio, quæ poſteà accedit, non ſit materia ordinis Preſbyteratus, nec ſit de illius ſubſtantia. Nam quod poteſt fieri poſt actum, non eſt de ſubſtantia actus, *c. Quamquam*, *de uſuris*, *lib.*6.*l.Univerſa*, *C. De precibus Imperator.offeren.* & notat Petr. Brixien. *in ver.Forma*: Impoſſibile enim eſt ſubſtantiam eſſe ſeparatam ab eo, cujus eſt ſubſtantia, ut
28 inquit Ariſtoteles 1. *Metaph. cap.* 4. Item ſubſtantialia rei dicuntur, ſine quibus res non poteſt conſiſtere. Quæ verò accedunt poſteà, dicuntur accidentalia, ut declarat Berengarius *in repet.l.Pacta conventa*, *n.* 45. *ff. De contrahen.empt.* & de ſubſtantia alicujus rei illud eſſe dicitur, quo poſito, & illa res ponitur, & quo remoto, removetur & illa, *c. Inter corporalia*, *de tranſlatione Epiſc.* Manifeſtum eſt autem in Sacramento Ordinis, ſi quid omittatur ex ſubſtantialibus, characterem non imprimi, & totam ordinationem eſſe iterandam, ac ſi nihil eſſet actum, ut tradunt Hoſt. Jo. Andr. & omnes *in c. unic. ſup. de Sacramento Unctionis*, & dictum eſt ſupra in verſ. *Probatur* 1.*n.* 11.

29 Sextò, pro hac ſententia ſtat authoritas Concilii Florentini in decreto fidei Eugenii IV. nam *in* §. *Quinto*, ſic diffinitur: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbo tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquod deſit, non perficitur*
30 *Sacramentum*. Deinde declarat formam, & materiam cujuſque Sacramenti; & in ſpecie §. *Sextum Sacramentum*, diffinit materiam Sacramenti Ordinis eſſe illud, per cujus traditionem confertur ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, nec ibi ullam facit mentionem impoſitionis manuum. Ergo manus impoſitio non eſt materia ordinis Presbyteratus quia alioquin Concilium tradidiſſet materiam ordinis dimidiatam, & doctrinam imperfectam, & maximam erroris cauſam tum Armenis, tum Catholicis omnibus præbuiſſet, ac preterea non verificarentur illa verba Concilii: Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, ſi ad traditionem Presbyteratus pro eſſentiali materia exigeretur etiam concurſus impoſitionis manuum. Accedit quòd cùm Concilium Florentinum aſſignaverit materiam integram in omnibus aliis Sacramentis; cur non idem fecerit in Sacramento Ordinis? Nec valet, quod ait idem Cardinalis Bellarminus etiam Concilium Carthaginenſe *in c.Presbyter.*, 23. *diſt.* meminiſſe tantùm impoſitionis manuum, nec explicuiſſe totum ritum, ſed tantùm eam partem, quam poſteà omiſit Concilium Florentinum, fortè quia Armeni, qui à Concilio inſtruebantur, in hoc non errabant. Etenim inter utrumque Concilium maxima viget diverſitatis ratio: nam Carthaginenſe ibi non declarat eſſentialia Sacramenti Ordinis, ſed tantummodò docet ritum ſolemnitatis ſervandum in ordinatione Presbyteri, ut probavi *in c.unic. nu.*64. *ſup. de Sacramento Unctionis*. At Florentinum explicat materiam eſſentialem Ordinis Presbyteratus. Unde inconvenienter omiſiſset mentionem impoſitionis manuum, ſi illa eſſet de integritate materiæ requiſitæ ad traditionem Ordinis. Et de errore Armenorum, cùm nullum extet veriſimile argumentum, non eſt licitum in hac graviſſima materia divinare, & confugere ad id, quod eſt poſſibile. Prę- terquam quòd ſi Concil. Florentinum in eo decreto docuiſset Armenos ea tantùm; in quibus ipſi errabant: concludendum eſset ipſos erraſse in materia, forma, & miniſtro omnium Sacramentorum, cùm hęc omnia ibi doceantur à Concilio. Quod abſurdum eſset aſserere.

Septimò, materia debet eſse propria cujuſque Sacramenti, ut actum proprium Sacramenti determinatè ſignificet, prout declarat Sotus *in* 4. *diſtinct.*24. *quæſt.* 1. *art.*5. & patet, tum ex Concilio Florentino in præallegato decreto fidei, ubi declaratur peculiaris, & diſtincta materia ſingulorum Sacramentorum: tum ex Concilio Tridentino, quod elicit diverſitatem Sacramentorum tàm ex diverſitate formæ, quàm materiæ, ut patet *ſeſſ.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ c.* 2. *de differentia Sacramenti Pœnitentiæ*, *& Baptiſmi*. At manus impoſitio eſt cœremonia quædam communiſſima, qua Eccleſia utitur non ſolùm in Sacramentis, ut in Confirmatione, juxta textum *in cap.*1.2.*&* 3. *de conſecr.diſt.*5. & in extrema Unctione, ut in §.*Oleo*, aliàs incipit, *Sed iſtud* 95. *diſt.* ſed etiam in aliis per multis actibus extra Sacramenta; & ſeptem ſpecies impoſitionis manuum ex ſacris Canonibus deſumptas retulimus ſupra num. 2. Et Græci manus impoſitione utuntur in collatione ſingulorum Ordinum: Et Eccleſia Romana non tantùm in Ordinatione Presbyteri, & Diaconi, ut hìc, & *in cap.* 1. *ſuprà eodem*, ſed etiam in Ordinibus minoribus; quàm tamen certum eſt non eſſe de eſsentia, cùm ſit quædam benedictio ſecundùm gl. *in d. cap.* 1. *in ver. Impoſitione*. Non igitur impoſitio manus poteſt eſse materia propria, & eſsentialis Ordinis Presbyteratus. Nec diluitur hujus argumenti vis ex eo, quòd noviſſimè ſcripſit Petrus Arcudius Coregræus *in tract. de concordia Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione*, *lib.*6. *de Sacram. Ord. c.*6. *verſ. Ad ſextum*, ubi retorquens argumentum dicit oleum eſse communem materiam Confirmationis cum extrema Unctione; atque ita Sacramenta non ſemper diſtingui materia, & ſatis eſse ut diſtinguantur forma; Falſum enim eſt aſsumptum; nam oleum ſimpliciter non eſt materia Confirmationis, ſed Chriſma confectum ex oleo, & balſamo; ut eſt diffinitum in Conc. Florentino *in eod. decreto fidei*, §. *Secundum Sacramentum*; & ſic tertia quædam ſpecies mixta à ſimplici oleo, & à ſimplici balſamo diſtincta, ut ſi ex vino, & melle fiat mulſum, aut ex medicamentis emplaſtrum, ſeu collyrium, *ut in l. Adeo*, §.*Cùm quis*, ibi, *Ac ne mulſum quidem ad vinum, & mel, vel emplaſtrum, aut collyrium ad medicamenta reverti poſſunt*, *ff.De acquir.rer.domin.* Et ſimiliter non ſimplex oleum olivę eſt materia Sacramenti Extremę Unctionis, ſed oleum olivę ab Epiſcopo benedictum, ut in eodem modo diffinitum eſt in prædicto *Decreto in* §. *Quintum Sacram.* Et in Conc.Trid.*in c.*1.*ſeſſ.*11.*de Extrema Unctione.* Quæ quidem benedictio differentiam adeò eſsentialem conſtituit ab oleo ſimplici, ut ſi adhibeatur oleum non ſanctificatum, etiamſi Sacerdos ungendo proferat verba, *Per iſtam Unctionem, &c.* tamen non fiat Sacramentum, ut docet S. Th. *in* 3. *p. q.*60. *art.* 5. & ibi etiam Cajetanus *in fin.* Facit text. *in c. Statuimus*, *inf. de regul.* ubi per ſolam benedictionem habitus profeſsorum diſtinguitur ab habitu Noviciorum, ad effectum inducendi, vel excludendi tacitam profeſſionem. Cùm igitur ſingula Sacramenta habeant

beant

beant propriam, & determinatam materiam ab aliis diſtinctam : manus impoſitio , quæ communis eſt Sacramento Confirmationis Extremæ Unctionis, & Ordinis ; imò & aliis actibus extra Sacramenta, nullo modo eſſe poteſt materia propria in ordinatione Sacerdotis.

31 Poſtremò, impoſitionem manuum non eſſe de eſſentia Ordinis Sacerdotalis, ſed de ſolemnitate tantùm, tenent Canoniſtæ omnes *in cap. unic. ſuprà de Sacramento Unctionis*, & in ſpecie Hoſtien. *num.* 5. Joan. Andr. *nu.* 3. Bellam. & Anton. de Butr. ambo *nu.* 1. & tradunt hìc Innoc. *num.* 2. Abb. Antiq. *eod. num.* Hoſtien. *num.* 9. Joan. Andr. *n.* 2. Henr. Boich. *in princip.* Bellam. *num.* 2. Butr. *num.* 9. Cardin. *in.* 10. *quæſtione*, & Abb. Siculus *num.* 2. Turrecrem. & Præpoſ. in *cap*, *Presbyter* 23. *diſt.* & eamdem ſententiam ſequuntur plerique ex Theologis, & in ſpecie Sanctus Thomas in 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *art.* 3. Duran. *d. diſt.* 24. relatus à Turrecr. *in d. cap. Presbyter*, Sot. *ead. diſt. q.* 1. *art.* 4. & Silveſt. *in ver. Ordo* 2. *num.* 11.

32 Cæterùm, quamvis hæc ſint ſatis evidentia ; non tamen deſunt graviſſimi Theologi, qui ſentiant manus impoſitionem eſſe eſſentialem, & intrinſecam Ordini Presbyteratus, ut in ſpecie ſanctus Bonaventura in 4. *diſt.* 24. *par.* 2. *art.* 1. *qu.* 4. *num.* 58. Scot. & Palud. *eadem diſtinctione*, Altiſiodoren. *in ſua Summ. par.* 4. & noviſſimè Cardinalis Bellarminus *tom.* 3. *Controverſiarum lib.* 1. *de Sacramento Ord. cap.* 9. Ubi pluribus conatur tueri non ſolùm inſtrumentorum porrectionem, ſed etiam manus impoſitionem eſſe materiam eſſentialem Sacramenti, dicens hanc ſententiam eſſe longè probabiliorem, & veriorem . Id quod etiam affirmant Petrus à Soto *lect.* 5. *de Sacram. Ordin.* Martinus Ledeſm. *in* 4. *qu.* 37. *art.* 4. *ad primum*, & Cardinalis Hoſius *in confeſſione Polonica cap.* 5c.

33 Moventur præcipuè, quia in primitiva Eccleſia Sacerdotes, & Diaconi ordinabantur per manus impoſitionem, *Actorum* 13. *&* 14. 1. *Timothei* 4. *&* 5. *&* 2. *Timothei* 1. Et ſucceſſivis temporibus Presbyteros eodem modo ordinatos fuiſſe, colligitur ex Clemente *lib.* 8. *Conſtitut. cap.* 2. *& ſeqq.* ex Damaſo *epiſtola* 4. Ex Innocentio I. *epiſtola* 22. *ad Epiſcopos Macedoniæ*, ex Leone I. *epiſtola* 87. *ad Epiſcopos Africæ*. Et recentius ex Alexandro II. *in cap. Ex multis* 1. *quæſt.* 3. Urbano II. *in cap. Daybertum* 1. *quæſt.* 7. Urbano III. *in cap.* 2. *de Cler. non ordin. miniſtr.* & ex aliis paſſim. Id ipſum conſtat ex Concilio Nicæno *cap.* 9. Antiocheno *cap.* 10. *&* 17. Carthaginenſi IV. *cap.* 2. 3. *&* 4. & noviſſimè ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *de Extrema Unctione*, ubi

34 habetur miniſtros ſacramenti Extremæ Unctionis eſſe Epiſcopos, aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinatos per impoſitionem manuum Presbyterii, ubi pondera illam dictionem, *per*, quæ cauſam efficientem ſignificat, ut eſt textus *in c. Ut noveritis* 22. *q.* 1. quem dicit ad hoc valdè notabilem Ludovicus Romanus *conſ.* 301. *In propoſita nu.* 13. *verſ. Et ex dictione, per.* Undè Hieronymus *in cap.* 58. *Iſaiæ*, *Ordi-*

35 *natio*, inquit. *non ſolum ad imprecationem vocis, ſed etiam ad impoſitionem impletur manuum*. Et Ambroſius *libro de dignitate ſacerdotali*. *Homo*, inquit, *manum imponit*, *& Deus largitur gratiam.* Et Auguſtinus *libro de geſtis cum Emerito*, & alibi dicit manus impoſitione ordinari Sacerdotes, quod ipſum veteres omnes paſſim affirmant.

Dicere autem (ut verbis Bellarmini utar) *omnia Concilia, Pontifices, & Patres loqui de accidentaria cæremonia, ridiculum eſt, cum nuſquam ponant aliam cæremoniam ; & ſæpè ex profeſſo tractent de ritu ordinationis. Quis enim credat tot Patres, & Concilia, cùm nihil frequentius tractent, quàm ordinatione Sacerdotum, ne ſemel quidem attigiſſe id, quod ad eſſentiam Sacramenti pertinet?* Hæc ille . Qui etiam affirmat, niſi manus impoſitio ſit de eſſentia , non poſſe hæreticos convinci ordinationem eſſe Sacramentum propriè dictum, quia non poſſumus in Scriptura demonſtrare ſymbolum externum hujus Sacramenti . Præterea Scriptura non ſolet in aliis Sacramentis tradere , niſi eſſentiales cæremonias, & vix etiam illas integrè . Quis ergo ſibi perſuadeat in hoc Sacramento ſemper nominare ritum accidentarium, omiſſo eſſentiali? Ad hæc Paulus dicit per manus impoſitionem dari gratiam 1. *Timothei* 4. *&* 2. *Timothei* 1. Ergo manus impoſitio eſt pars Sacramenti eſſentialis ; non enim gratiæ promiſſio facta eſt cæremoniis accidentariis, ſed eſſentialibus. Dicunt inſuper *in canone* 4. *ſeſſione* 23. *de Sacramento Ordinis*. Concilium Tridentinum ac dimniri: *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtrà Epiſcopum dicere, Accipe Spiritum ſanctum, anathema ſit*, ubi Concilium declarat tunc ordinari Presbyteros, & tunc dari illis gratiam, cùm eis dicitur, *Accipe Spiritum ſanctum*. At cùm hoc dicitur, manus imponuntur, ut patet ex Pontificali, & Eccleſiæ conſuetudine. Ergo ſentiebat 36
Concilium illam impoſitionem manus eſſe de eſſentia. Afferunt denique illud generale, manum eſſe organum organorum, ſeu inſtrumentum inſtrumentorum, ut *in* 3. *de Anima text. commen.* 38. Quibus addi poteſt, quòd B. Stephanus Protomartyr fuit ordinatus Diaconus ab Apoſtolis per ſolam manus impoſitionem, *Actorum* 6. Neque enim tunc ordinari potuit per traditionem libri Evangeliorum, quia Evangelium ſcriptum non fuit ab Evangeliſtis, niſi poſt illius obitum, ut oſtendi *in cap. unic. n.* 17. *& ſeqq. ſuprà de Sacramento Unctionis*. Ergo ſola manus impoſitio, non autem traditio inſtrumentorum, tunc fuit materia Diaconatus, nec eadem traditio potuit poſteà affici materia Ordinis ; quia Eccleſia non poteſt inſtituere materiam, & formam Sacramentorum, ut ibidem probavi n. 19. & ſeqq.

His ita reſpondetur : Manus impoſitio in ordinatione 37
Sacerdotis eſt quidem de eſſentia poteſtatis juriſdictionalis, id eſt ligandi, atque ſolvendi ; quia ordinatus ſine impoſitione manus eam poteſtatem non conſequitur, u oſtenſum eſt ſuprà *in verſ. Quinto Apoſtoli num.* 20. Et hoc intendunt auctoritates ex ſacris Litteris deſumptæ, dum dicunt per impoſitionem manuum dari gratiam, vel Spiritum ſanctum . Ideòque Sanctus Thomas , quamvis ſit apertè in ea ſententia , ut manus impoſitio non ſit de eſſentia Ordinis, ut *in* 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *art.* 3. nihilominus *diſt.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 1. dicit impoſitione manuum dari gratiam ſacramentalem, quia ſcilicet per eam confertur poteſtas dimittendi, & retinendi peccata. Et Turrecrem. *in d. c. Presbyter nu.* 4. 23. *diſt.* referens ſententiam Hugonis dicentis : Manus impoſitionem aliorum Sacerdotum non eſſe de eſſentia Conſecrationis, quia ſolus Epiſcopus conſecrat ; non tamen, inquit, intelligas quòd per impoſitionem manus Epiſcopi, fiat impreſſio characteris, licèt per eam detur gratia, per quam ſint idonei ad exequendum ordinem. Et in hunc ſenſum admitti poteſt ſententia dicentium manus impoſitionem in ordinatione Sacerdotis eſſe de eſſentia, id eſt, requiri ad integritatem poteſtatis Presbyteralis . Verùm ſi intendant, ut impoſitio hujuſmodi ſit de eſſentia ipſius ordinationis, itaut ordinatus ſine illa non recipiat characterem ſacerdotalem, nec poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti : eorum opinio nec vera, nec probabilis eſt, ut abundè oſtenſum eſt ſuprà.

Nec urget conſideratio, quòd in Actibus Apoſtolorum 38
non fiat mentio de materia, & forma Sacramenti Ordinis, ſed de ſola impoſitione manuum. Quia ut ex S. Dionyſio obſervat S. Thomas *in* 4. *diſt.* 7. *qu.* 1. *art.* 1. hæc occultanda erant in primitiva Eccleſia propter irriſiones Gentilium. Et propterea idem S. Dionyſius *in fin. Eccleſ. Hierarchiæ*, excuſat ſe à determinatione formarum ſacramentalium. Unde non mirum ſi *in cap.* 5. ubi ordinatio- 39
num ritus declarat, non meminerit niſi ſolius manuum impoſitionis, facta eſt autem denominatio ordinis ab impoſitione hujuſmodi, quia in illa perficitur, & integratur poteſtas ſacerdotalis quoad actum ſecundarium abſolvendi à peccatis. Et hoc inſinuant Hieronymus in contrarium citatus, dum dicit ordinationem impleri ad impoſitionem manuum. Et hunc morem propter authoritatem Apoſtolorum etiam ſummi Pontifices , & Patres poſteà retinuerunt.

Similiter non obſtat, quòd niſi manus impoſitio eſſet eſſentialis, hæretici non poſſent convinci Ordinem eſſe ſacramentum, nam certè admodum levis eſſet hìc modus probandi ſacramentum ab eo actu, quem Canoniſtæ omnes, & plerique ex Theologis tenent eſſe accidentalem, & de ſolemnitate tantùm.

Præterea quomodo manus impoſitio probabit Ordinem eſſe ſacramentum, ſi multò ante ſine illa Dominus in Cæna Ordinem ſacerdotalem inſtituit, & Presbyteros ordinavit, ſicuti etiam quotidiè facit Eccleſia, ut in ſuperioribus probatum eſt.

Ad hæc Subdiaconus non accipit manus impoſitionem, 40
ſed

ſed ordinatur per traditionem calicis vacui, & patenæ vacuæ, ut *in cap. Subdiaconus 23. diſt.* Nec audiendus eſt Hoſtien. *in cap. 1. ſupra eod.* relatus ab Archid. *in d. c. Subdiaconus num.* 1. dum dixit Subdiaconum hodie accipere manus impoſitionem, cùm Subdiaconatus ſit ſacer Ordo, & gaudeat eodem privilegio, quo Diaconus, ut *in cap. Miramur de ſerv. non ordin.* & ita litteram *dict. cap.* 1. quæ habebat, *Subdiaconus* quam dicebat Innocentius eſſe falſam; & legendum eſſe *Diaconus*, hodie eſſe veram litteram; adjiciens non obſtare text. *in d. cap. Subdiaconus*, quia loquitur ſecundùm tempora primitivę Eccleſiæ, ſecundùm quæ Subdiaconatus non erat ſacer Ordo; & ideò non recipiebat manus impoſitionem; & illud tempus reſpicere rubricam libri Pontificalis, In hoc inquam, Hoſtien. non eſt audiendus, quia ut ipſemet fatetur primam opinionem
41 approbat conſuetudo Romanæ Eccleſiæ. Undè cum Innocentio tenet Turrecrem. *in dict. cap. Subdiaconus nu.* 2. 23. *diſt.* Eſt ex Pontificali reformato, quo nunc Eccleſia utitur, & à quo non licet recedere, cùm fuerit approbatum authoritate Clementis VIII. veteribus omnibus Pontificalibus abolitis, ut in ejus Conſtitutione: *Ex quo in Eccleſia edita die* 10. *Februarii* 1596. in Bullar. *to.* 3. *pag.* 53. conſtat apertè Subdiaconum non recipere manus impoſitionem. Neque obſtat text. quem ad hoc Hoſtien. inducit *in cap. 1. De Cler. pereg.* quia etſi generaliter loquatur de Clericis ordinatis in ſacris, quibus facta fuit manus impoſitio: tamen intelligi debet tantùm de Presbyteris, & Diaconis, non autem de Subdiaconis, quibus manus non imponitur; recipere enim debet declarationem ex textu hìc, & ex *cap. 1. ſuprà eod.* Quod cùm ita ſit, quomodo ab impoſitione manuum poterimus convincere hæreticos ſacrum Subdiaconatus Ordinem eſſe ſacramentum, juxta decretum Concilii Tridentini *in can. 2. ſeſſ. 23. de Sacram. Ordin.* ſi Subdiaconatus traditur ſine manus impoſitione: Quamobrem hæc probatio in univerſum ad convincendos hæreticos aliundè ſumenda erit, quod ad Theologos rejicimus.

Non obſtat inductio Concilii Trident. *in can. 4. ſeſſ. 23. de Sacramento Ordinis*, nam hæretici contendebant ſacram ordinationem nan eſſe Sacramentum, nec gratiam conferre, & inde inferebant fruſtrà Eccleſiam in traditione ſecundæ poteſtatis proferre illa verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, *&c.* quia ſi in ipſamet ordinatione quando datur principalis poteſtas conſecrandi ſecundùm eos non confertur Spiritus ſanctus, longè minus conferri poterit in traditione poteſtatis ſecundariæ abſolvendi à peccatis, quæ poſteà accedit per manus impoſitionem. Et hunc errorem damnavit S. Synodus, in quo ſenſu non rectè ex eo canone deduci poteſt Concilium ſenſiſſe impoſitionem manuum eſſe de eſſentia ordinationis.

Ad extremum non obſtat, quod manus ſit organum 42
organorum: hoc enim eſt verum in quantum manus facit omnia inſtrumenta, & eſt loco omnium inſtrumentorum. Undè Ariſtoteles *in 4. de partib. animal. capit.* 10. *Manus*, inquit, *eſſe videtur non unum inſtrumentum, ſed multa; eſt enim ut ita loquar, inſtrumentum ante inſtrumenta*. Hæc ibi. Et in hunc ſenſum manus poteſt dici eſſe de eſſentia ordinationis, ſeu potius conditio, ſine qua non, in quantum ſcilicet illius miniſterium eſt neceſſarium ad traditionem inſtrumentorum; ſed ſi accipiatur manus pro illa impoſitione, quæ fit ſolemniter ab Epiſcopo ſuper caput Presbyteri, hæc non poteſt eſſe materia ordinationis, quia ad hoc non ſufficit qualecumque inſtrumentum; ſed requiritur inſtrumentum aptum ad ſignificationem rei ſacramentalis, ut declarat Divus Thomas *in 4. diſt.* 24. *q. 1. art. 2. q. 6. & in 4. diſt. 3. q. 1. art. 3. q. 1. ad* 4.

Ad objectum de Beato Stephano reſpondi *in d. cap. unic. num.* 65. *de ſacr. Unct.*

Supereſt difficultas Eccleſiæ Græcæ, quæ in ordinatione Sacerdotum dicitur non uti traditione inſtrumentorum, ſed ſola manus impoſitione; & tamen Presbyteri Græco ritu ordinati indifferenter habiti ſunt pro veris Presbyteris in Eccleſia Latina. Sed & hanc difficultatem plenè examino *in eod. c. unico n.* 15. *& n.* 69. *cum ſeqq.*

DE FILIIS PRESBYTERORUM ordinandis, vel non.

Ex Concilio Pictav.

CAPUT I.

UT filii Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad ſacros ordines non promoveantur: Niſi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes: Prælationem verò nullatenus habeant: Sed neque ſervi, niſi à dominis ſuis libertate donentur.

SUMMARIUM.

1 *Illegitimus non ordinatur, niſi Religioſus fiat, nec tunc præficitur.*
2 *Illegitimus etiam ex fornicatione genitus, nec ad ſacros, nec ad minores ordines promovetur.*
In minoribus tamen diſpenſat Epiſcopus, in ſacris verò diſpenſat ſolus Papa, n. 4.
3 *Ordines minores largè dicuntur ſacri.*
5 *Illegitimus tribus ex cauſis repellitur à promotione.*
6 *Illegitimi, ut plurimum parentum vitia, & incontinentiam imitari ſolent.*
7 *Illegitimus ignoranter promotus excuſatur, ſi ignorantia ſit probabilis, aliàs ſecus.*
8 *Filius an teneatur credere matri aſſerenti eum eſſe illegitimum, & n. ſeqq. uſque ad n.* 13.
9 *Rex, qui credidit matri aſſerenti eum ex adulterio genitum, & renunciavit Regno, de fatuitate redarguitur a Legiſtis, & n.* 12.
10 *Conſcientiam ſuam tenetur quis informare ſecundùm leges.*
Et quid ſi habeat conſcientiam læſam, n. 12.
11 *Filius judicatur, qui conſtante matrimonio natus eſt, niſi probetur abſentia, vel infirmitas, ſeu impotentia generandi.*
13 *Profeſſio emiſſa in Monaſterio Monachorum, vel Canonicorum Regularium, aut alterius Ordinis, tollit irregularitatem ex defectu natalium.*
14 *Procedit quoad Ordines ſuſcipiendos, & exercendos.*
15 *Non autem quoad effectum obtinendi dignitates, & Prælationes.*
16 *Irregularitates, quæ ex proprio delicto proveniunt, per ſolemnem profeſſionem non abolentur.*
17 *Conſtitutio Sixti V. contra illegitimos redacta fuit ad terminos juris à Gregorio XIV.*
18 *Filius illegitimus in Religione, in qua pater, ſive ante, ſive poſt nativitatem filii, profeſſus fuit, non admittitur patre vivente.*
19 *Illegitimus per ingreſſum Religionis non habilitatur ad Prælationem, nec in Monaſteriis ſui, vel alterius Ordinis, nec in Eccleſia ſæculari.*
20 *Poteſt tamen obtinere adminiſtrationem ad nutum Prælati, dummodo curam non habeat.*
21 *Illegitimus per Papam diſpenſatus ad Sacerdotium non*

non cenſetur diſpenſatus ad Eccleſiam curatam.

22 *Papa ſolus diſpenſat cum Religioſo illegitimo ad dignitates.*

23 *Poſſunt tamen ſuperiores Ordinum diſpenſare juxta eorum privilegia, dummodò ſint in uſu, & ſub illis revocationibus non comprehenſa.*

24 *Illegitimus à ſæcularibus dignitatibus non repellitur.*

25 *Monialis illegitima, an poſſit elegi in Abbatiſſam, vel Prioriſſam abſque diſpenſatione Apoſtolica.*

Et quid in Italia, ubi Abbatiæ ſunt triennales, n. 36.

26 *Maſculinum concipit fœmininum, non ex propria ſignificatione, ſed ex interpretatione, ſeu extenſione.*

27 *Maſculinum in materia differenti non concipit fœmininum.*

Nec in materia odioſa odio irrationabili, n. 30. & 55.

28 *Mulier non eſt capax Ordinum.*

29 *Moniales S. Claræ non veniunt appellatione Fratrum Minorum, & num. 34.*

31 *Filiis non debent obeſſe iniquitates parentum.*

32 *Venia ſunt digni, qui alieno vitio laborant.*

33 *Moniales illegitimæ non comprehenduntur in Conſtitutione Sixti V. contra illegitimos, & n. 54.*

34 *Monachorum appellatione non veniunt Moniales.*

35 *Monachatus omnem maculam abſtergit.*

36 *Abbatiſſæ in Italia ex Conſtitutione Sixti V. eligi non poſſunt, niſi ad triennium.*

37 *Abbatiſſa, quæ non eſt perpetua, nec habet Monaſterium in titulum, non dicitur habere dignitatem.*

Declaratur, nu. 56. & 57.

38 *Abbatiſſa habet dignitatem.*

39 *Maſculinum in diſpoſitione legis concipit fœmininum.*

40 *Etiamſi materia ſit odioſa, & pœnalis.*

41 *Moniales veniut Monachorum appellatione, ubi materia æquè convenit mulieribus, ac Religioſis.*

42 *Præcipuè ubi militat eadem ratio.*

43 *Perſonæ integri ſtatus debent promoveri ad honores.*

44 *Illegitimum eſſe eſt nota defectus, & vacillat ejus opinio.*

45 *Incontinentiæ paternæ ſuſpicio magis viget in filia, quàm in filio.*

46 *Maſculus, & fœmina à jure in multis æquiparantur.*

47 *Maſculinum probatum a Canone crimina puniente comprehendit fœminas.*

48 *Mulier à ſucceſſione temporali repellitur propter illegitimitatem.*

49 *Abbatiſſa non habet jus à defuncta, ſed à canonica electione, & ideo in dignitate non habet ſucceſſionem hæreditariam, ſed ſucceſſionem ſimpliciter.*

51 *Pœnitentiaria diſpenſat cum Monialibus in utroque foro, ut non obſtante defectu natilium poſſint eſſe Abbatiſſæ.*

Etiam triennales, nu. 60.

52 *Monialis illegitima in Abbatiſſam non eligitur, ſed poſtulatur à Papa.*

53 *Diſpenſare tamen poſſunt ſuperiores Ordinum juxta eorum privilegia, ut illegitimæ poſſint eſſe Abbatiſſæ.*

57 *Vicarius Epiſcopi qualiter dicatur habere dignitatem, licèt non ſit perpetuus.*

58 *Abbatiſſæ in Italia durante triennio removeri non poſſunt, niſi ex juſta cauſa, & juris ordine ſervato.*

59 *Generales Ordinum Regularium, quinam hodie ſint perpetui.*

60 *Curia Romana diſpenſat cum Monialibus, ut defectu natalium non obſtante poſſint eſſe Abbatiſſæ etiam temporales.*

1 UT *filii*. Illegitimus non ordinatur, niſi Religioſus fiat: nec tunc præficitur, Joan. Andr. Bellam. Cardin. & Anchar. id eſt, ad Prælaturam non habilitatur, Butr. & Joan. de Anan. Abb. Siculus ab aliquibus per errorem hìc allegatur, quia non ſcripſit ſuper hoc, & aliis quibuſdam titulis primi libri Decretalium, ſed in ejus volumine, ut opus habeatur completum, inſertæ ſunt lecturæ Anton. de Butr, & Joan. de Imol. ut notatur in lectura ipſius Abbatis poſt *cap. ult. ſuprà de Sacram. non iteran.* Dividitur in duas partes. Secunda ibi, *ſed neque*; & hæc non facit ad titulum. Prima pars duas prohibitiones ponit; & à prima unum caſum excipit ibi, *Niſi*.

2 Nota primò ex principio textus, illegitimos non eſſe
promovendos ad ſacros Ordines, ut dicitur in littera. Sed
quid de Ordinibus non ſacris, Innoc. *hic nu.* 1. arguit,
quò aliud ſit in eis, arg. *c. Priſcis* 55. *diſt.* Contrarium
tamen tenet per *c. Litteras infrà eod.* & quamvis ſubdat id
poſſe intelligi ſpeciale in filiis Presbyterorum, tamen verius
eſt, nec genitos ex fornicatione promovendos eſſe ad Ordines
etiam minores abſque diſpenſatione, ſecundùm Card.
hic nu. 2. *ib* 2. *qu.* & *ver. Sacros*, largè hic ſumitur pro quo- 3
libet ordine, ut *c. De ordinationibus*, & *c. Quibuſdam*, & §.
Quilibet ad fin. qu. 1. & *cap. Non ſolum in princip. qu.* 3. *c.*
Infames 6. *q.* 1. *c. Nullus* 27. *q.* 1. ad idem *cap.* 2. 54. *diſtin.*
facit quod habetur in ſumma 33. *diſt.* & poſt Ægid. hìc notant
Joan. Andr. *nu.* 2. *in ver. Ordines*, Bellam. *in princip. in*
eodem ver. Butr. & Anchar. *in* 1, *not*, Cardin. *ubi ſuprà*, &
Joan. de Anan. *in princ. verſ. Et intellige verbum ſacros*.

In hoc tamen eſt differentia inter minores, & ſacros 4
Ordines, quod in minoribus diſpenſat Epiſcopus ſuper
quocumque defectu, ſive ſint ſpurii, ſive adulterini, vel
naturales, ut eſt textus in *c.* 1. juncta gloſſa communiter
approbata *in ver. Defectum de filiis Presbyterorum lib.* 6. licèt
aliàs quoad ſucceſſiones diſtinguatur, nec ita facilè diſpenſetur
cum uno ſicut cum alio, & ita intelligas *cap. Cùm*
pridem, §. *Perſonæ vero ſuprà de renunciat.* In ſacris verò diſpenſat
ſolus Papa, ut eſt expreſſum in *dict. cap.* 1. & ibi notant
Joan. Andr. Gemin. Franc. & omnes in ſummario.

Triplex autem eſt ratio, cur defectus natalium repel- 5
lat à promotione, ut notat gloſſa 4. in *cap. fin. in ver. De-*
fectu infrà eodem lib. 6. Joan. Monach. in *cap. Indemnitati-*
bus num. 9. *de elect. eodem libro*. Prima ratio eſt propter
ordinis prærogativam, *cap. penult.* & *ult.* 26. *diſt. cap. Inter*
dilectos infrà de exceſſ. Prælator. l. Neque famoſis, C. De di-
gnitatibus lib. 12. Secunda ratio eſt propter deteſtationem
paterni criminis, quod punitur in filio, ut per id puniatur
Pater, *c. Cum ergo*, §. *Sed qui* 24. *q.* 3. *l. Iſti quidem*, §. *ult.*
ff. De eo, quod met. cauſ. Tertia ratio propter incontinen- 6
tiam paternam, quæ in filio timetur ſecundum illud: Sæpè
ſolet ſimilis filius eſſe patri, *l. Quod ſi nolit*, §. *Qui man-*
cipia, ff. De edilit. edict. cap. Sunt plurimi, §. *Verum* 6. *q.* 1. *l.*
Quiſquis, §. 1. ibi, *In quibus paterni, hoc eſt hereditarii cri-*
minis exempla metuuntur, ff. Ad leg. Jul. majeſt. qua ratione
utitur Sixtus V. *In Conſtitutione* 71. contra illegitimos edita,
§. 1. ibi, *Illegitimè genitos, qui ut plurimum parentum*
vitia, & incontinentiam imitari ſolent. Undè ſtylus eſt
Curiæ, ſi paternæ incontinentiæ non ſit imitator, ut notat
præcitata gloſſ. in *c. finali infrà eodem lib.* 6. & ibi Guil. de
Monte Laudun. & Prob. *ad Monach. in c. Indemnitatibus*
num. 12. *in ver. Pro dicto de elect. lib.* 6.

Sed hìc incidit quæſtio quid ſi illegitimi per ignorantiam 7
fuerint promoti: Reſpondeo ſecundum Hoſtien. *hic nu.* 1.
apud omnes habetur probabilis ignorantia excuſata, *c.* 1.
De ordinat. ab Epiſc. arg. *l.* 1. *C. de teſtam.* & *l.* 3. *ff. De off.*
Prætor. Ipſe vero in conſpectu Dei cecidit, ſi veritatem
novit, licèt id ſit occultum, *cap. finali de tempor. ordinat.* Si
vero ignoravit, ut quia mater conjugata latenter admiſit
Sacerdotem, nec filio revelavit, erit in omnibus, & per
omnia excuſatus, arg. *l. filium, ff. De his, qui ſunt ſui, vel*
alien. jur. & *l. Quia ſemper, ff. De in jus vocan.* ſed ſi revela- 8
vit, prima facie verbis matris eſt credendum, arg. *cap. Per-*
ſuas infrà de probat. & *cap. Afferte*, & *cap. Litteras de præ-*
ſumpt. & quia in dubio tutius eſt abſtinere, *c. Ad aures de*
tempor, ordinat. non tamen cogitur credere, ex quo natus
eſt ex nuptiis, ut *l. Neque profeſſio, C. de teſtam.* & patet ex
notatis in *cap. Officii in gloſſ. in ver. Deneganda infrà de Pœ-*
nitentia, & remiſſione. Conſulit tamen Hoſt. ut ſi talis habet
conſcientiam læſam, ipſam ſervet, & accedat ad Sedem
Apoſtolicam pro diſpenſatione, quam facilè in hoc caſu
obtinebit, & cum Hoſt. totidem verbis concordant hìc Jo.
Andr. *num.* 4. & 5. Bellam. in 2. & 3. *qu.* Butr. *num.* 10. &
11. Cardin. in 4. & 5. *qu.* & Jo. de Anan. *num.* 3. quibus ad- 9
de Jacobum de Arena relatum à Cyno in *l. Si vicinis n.* 3. *C.*
de nupt. ubi dicit ſtultum fuiſſe quendam Regem, qui ad
dictum matris renunciavit Regno, utpotè non filius Regis;
nam cùm quondam Regina mater ſua vetula de
morte timeret, traxit eum in partem, & dixit ei: licèt fueritis
conceptus, & natus in matrimonio, nullum jus
habetis in Regno, quia non eſtis filius Regis, quapropter 10
ille Rex reſignavit Regnum, quod fatuiſſimum fuit, quia
nec matri, nec patri debet credere filius; ſed debet ſe, &

con-

conſcientiam ſuam informare ſecundùm legem, quia non debet quis eſſe clementior lege, ut in Auth. *de judic.* §. *Oportet*. At lex judicat filium, qui conſtante matrimonio natus 11
eſt, niſi probetur abſentia, vel infirmitas, ſeu impotentia generandi, ut *dict. l. Filium*, ubi notat Bart. *n.* 2. & communiter Legiſtæ, & Bellam. *hic in* 3. *q. ad fin.* Corn. *conſ.* 137.
12 *Placet mihi nu.* 8. *vol.* 2. Sed tu limita dictum Legiſtarum ſecundùm opinionem Hoſt. nam ſi mater detexit veritatem filio, & filius habet conſcientiam læſam ex delicto matris, debet credere, & omnia bona reſtituere; alias ſi faceret contra conſcientiam, ædificaret ad gehennam; ut in *c. Litteras de reſtit. ſpoliat. & in c. Per tuas de ſimon.* & notat idem Hoſt. *in d. c. Officii nu.* 4. & ibi etiam Joan. And. *n.* 3. Abb. *n.* 4. & communiter Canoniſtæ *de pœnit. & remiſſ.*

13 Secundò nota ibi, *Niſi aut Monachi fiant*. Per ingreſſum Religionis in Monaſteriis tam Monachorum, quàm Canonicorum Regularium tolli irregularitatem provenientem ex defectu natalium, ut hìc notat Bernard. poſt caſum, Butr. *in* 2. *notat.* & alii communiter. Et idem in Monaſteriis aliorum Ordinum, ut hìc notat Anchar. in 2. *notat.* Et ingreſſum Religionis intelligas cum effectu, id eſt, ſequuta profeſſione: nam etſi Rodriq. *quæſt. Regul. tom.* 1. *q.* 13. *art.* 4. teneat irregularitatem hanc ex defectu natalium aboleri non modò per ſolemnem profeſſionem, ſed etiam per novitiatum; quinimò & per ingreſſum educationis, dicens ita ſenſiſſe viros doctiſſimos; tamen contrarium probat hìc textus ibi, *Niſi Monachi fiant*: nam Monachum non facit habitus, ſed profeſſio regularis, ut *cap. Porrectum infrà de Regular. cum concord.* ibi allegatis in gloſſa 1. & verba cum effectu ſunt accipienda, ut in *cap. Relatum infrà de Cleric. non reſident.* alias poſſet fieri fraus, ſcilicet intrando Religionem, & ſuſcipiendo Ordines ſacros, & ante profeſſionem exeundo, & ſic lex eſſet impoſita verbis contra *cap. Commiſſa de elect. lib.* 6. quod in propriis terminis perpendit Francus in *cap.* 1. *nu.* 11. *verſ. Et quod dicitur de filiis Presbyterorum eodem libro*, & Felinus *in c. Cum deputati n.* 2. *verſ. Et intellige quod ſolus ingreſſus infrà de judic.*

14 Cæterum adverte, quia hæc irregularitas per ſolemnem profeſſionem tollitur ſolummodò quoad effectum ſuſcipiendi Ordines, vel in eis miniſtrandi, ut hìc patet; & in *cap.* 1. 56. *diſt.* ubi dicitur: Presbyterorum filios à ſacris Altaris removemus miniſteriis, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canoniis religiosè probati fuerint converſari, & notat Joan. Monach. in *c. Indemnitatibus nu.* 5. *de elect.*
15 *lib.* 6. & alii proximè citandi. Sed quoad alios effectus, ſcilicet obtinendi dignitates, & Prælationes, utique non deletur, ut hìc eſt expreſſum in *verſ. Prælationem ve-*
16 *rò*, & latiùs dicam infra in 3. *notab.* & quamvis gloſſa ultima in *cap. Cum deputati infra de judic.* dicat eo ipſo, quòd quis eſt deputatus obſequio Jeſu Chriſti, omnis tollitur irregularitas: & Collect. hìc poſt princip. notet indefinitè ingreſſum Religionis tollere irregularitatem: tamen communiter tenetur irregularitates, quæ ex proprio delicto proveniunt, per profeſſionem non aboleri, ut probat textus in *cap.* 1. *infrà de Apoſtat.* ubi hoc tenent gloſſ. in *ver. Religionis*, Hoſtien. *nu.* 6. Butr. *nu.* 13. Card. *nu.* 2. *in* 5. *oppoſ.* dicens eam gloſſam ſingularem, & veram, Anchar. *num.* 4. *in* 1. *oppoſit.* Abb. *num.* 6. & Joan. de Anan. *in fine*, Mariam Socin. *in cap. Ad audientiam col. ult. de homicid.* Felinus *in d. c. Cum deputati num.* 2. *de judic.* Silveſt. *in ver. Irregularitas qu. ult.* Navarr. *Comment.* 2. *de Regul. num.* 60. & alibi paſſim Doctores.

17 Sed objicies, ex Conſtitutione 71. Sixti V. incipien. *Cum de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus*, illegitimi prohibentur admitti ad habitum, & profeſſionem regularem. Ergo habilitatio ad Ordines, quam facit iſte textus de illegitimis ingredientibus religionem, eſt inanis, & non reducibilis ad actum. At reſpondetur præditam Conſtitutionem, & aliam illius declaratoriam fuiſſe redactas ad terminos juris à Gregorio XIV. ut in ejus Conſtitutione
18 tertia, quæ incipit, *Circumſpecta*, in Bullam. *to.* 2. *pag.* 687. qua ſtatuitur, ut ii, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum, & profeſſionem Regulares admitti poſſint, quemadmodum admitti poterant, ſi Conſtitutiones memoratæ editæ non fuiſſent; dummodò eorum qualitates probentur ab iis, ad quos receptio pertinet, & dummodò filius illegitimus in Religione, in qua pater ſive ante, ſive poſt nativitatem dicti filii profeſſus fuerit, ipſo patre vivente non admittatur, ut in §. 2. & 3.

Tertiò nota ibi, *Prælationes vero nullatenus habeant*. 19
Illegitimè natos per ingreſſum Religionis, & profeſſionem in eo emiſſam non habilitari ad prælationem, ut hìc eſt expreſſum. Idque intelligas indiſtinctè ſive in eiſdem, ſive in aliis Monaſteriis, ſive in Eccleſia ſæculari, *cap. Legi*, 16. *q.* 1. & hìc notant Joan. Andr. *n.* 6. Butr. *in* 4. *notab. & n.* 13. Card. *n.* 2. *in* 7. *q.* & Anchar. *n.* 3. Navarr. *conſil.* 6. *de filiis Presbyt.* Card. Paleott. *de Not. & Spur. c.* 57. *n.* 4.

Hoc tamen verum eſt de Prælatione perpetua, ut Abba- 20
tia, Prioratu Conventuali, vel alia dignitate: At verò ſimplicem adminiſtrationem, à qua poſſint removeri ad nutum Prælati, poterunt obtinere, dummodò curam non habeat animarum, quod probatur in *cap. Propoſuit, infrà eodem*. Ex quo enim promoventur ad ſacros: ergo & adminiſtrationem non curatam habere poterunt, ut ibi: Et ſic aliud ſtatuitur in adminiſtratione perpetua, aliud in temporali, & aliud in curata, aliud in beneficio ſine cura. Ad hoc *cap.* 1. *infra eodem lib.* 6. Unde ſi per Papam fuerit 21
cum illegitimo diſpenſatum in Sacerdotio, non propterea poterit habere Eccleſiam curatam: nam jus commune diſpenſat cùm Religioſo in ſacris; & tamen per id non præficitur curæ, ut patet in hac Decretali. Et ita poſt Petr. de Sampſ. Abb. Antiq. & Ægid. hìc notant Joan. Andr. *n.* 6. & 7. Butr. *n.* 13. Card. *in* 8. & 9. *quæſt.* Anchar. *n.* 3. & Joan. de Anan. *n.* 4. Et cum talibus ad Prælaturas, & Dignitates 22
ſolus Papa diſpenſat; quod probat ver. *Nullatenus*, hìc poſitum, ſecundum Collect. *in princ.* poſt Archid. in *cap.* 1. *nu.* 3. 56. *diſt.* quicquid dicat Tancred. ſecundum eum, & ita ſacra Pœnitentiaria diſpenſat in utroque foro cum Regularibus ad quaſcumque dignitates, & officia ſuæ Religionis, licèt conſueverit apponere clauſulam, *non tamen ad Generalatum*. Quod etiam ſervatur in Dataria. Verum- 23
tamen Gregor. XIV. in motu proprio ſupracitato *num.* 18. *in* §. 4. declaravit Superiores Ordinum poſſe diſpenſare cum illegitimis ad dignitates juxta eorum privilegia, dummodo ſint in uſu, nec ſub ullis revocationibus ſint comprehenſa. Et has facultates Tridentinum Concilium non ſuſtulit, ut ex ſententia S. Congregationis dixi in *cap. Pernicioſam*, *n.* 24. *infrà de offic. ordinar.*

A ſæcularibus autem dignitatibus illegitimè procreari 24
non repelluntur, ut l. 2. §. *Nullum*, & l. *Spurii*, *ff. De Decurionibus*. Et hìc notant Hoſt. *num.* 1. Jo. Andr. *nu.* 2. *in ver. Promoveantur*, Butr. *n.* 8. Card. *n.* 2. *in* 3. *qu.* Anchar. *in* 1. *notab.* & Joan. de Anan. *ante n.* 1.

Ex his infero ad quæſtionem, an Monialis illegitima 25
poſſit eligi in Abbatiſſam, vel Prioriſſam abſque diſpenſatione Apoſtolica.

Ad partem affirmativam arguitur primò. quia jura illegitimos à dignitatibus etiam Regularibus repellentia loquuntur de filiis, & non de filiabus, ut patet in hoc *c.* & 56. *diſt. per tot.* & in Authent. *Quibus modis natural. effician. ſui*, §. *Filium*. Item hìc textus loquitur de Monachis, & non de Monialibus.

Nec obſtat, quòd appellatione maſculini contineatur 26
fœmininum, *l.* 1. *ff. De verborum ſignific.* Joan. Monach. in *cap.* 1. *n.* 3. *de elect. lib.* 6. Quoniam hoc non eſt ex propria ſignificatione, ſed ex interpretatione, ſeu extenſione, ut *l. Pronunciatio*, *ff. De verb. ſignific.* & notat gloſſ. *unic.* & Dynus *in dict. lib.* 1. & Bald. in *l. Quinque*, *nu.* 10. *C. De ſervis, fugit.* & ideò maſculinum non concipit fœmininum, præcipuè in duobus caſibus. Primus eſt quando maſculi- 27
num profertur in materia differenti, quæ ſcilicet congruit maſculino, & non fœminino, ut *l. ult. ff. De tutel. j uncta l. Fœminæ*, *ff. De regul. jur.* & declarat Butr. in dict. *l.* 1. *n.* 1. *verſ. Aut de mente non conſtat*, *ff. de verb. ſignif.* poſt Joan. Monachum in *cap. Generali*, *num.* 2. *verſ. Quod eſt verum quando maſculinum*, *de elect. lib.* 6. Hoc autem caſu maſculinum pronunciatur in materia, quæ non congruit fœminino: nam textus noſter tria facit. Primò ponit regulam. Secundò limitationem. Tertiò limitationis modificationem. Regula eſt, ut filii illegitimi non promoveantur ad ordines. Limitatio eſt, niſi fiant Monachi. Modificatio limitationis eſt, ut quamvis Monachi fiant, tamen Prælationem non habeant. Sed regula, & limitatio non 28
adaptantur fœminino, quia mulier Ordinum non eſt capax, ſanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 1. Ergo nec limita-

limitationis modificatio, arg. c. *Maiores*, §. *Cæterum in-*
29 *frà de Baptiſmo*. Facit quod notat Bart. in *l. Quicumque n.*17.*C.De ſervis fugit.* ubi dicit appellatione Fratrum Minorum non contineri ſorores S.Claræ, quia illud fœmininum non eſt ex illo maſculino, quia alio jure vivunt, & differunt in alio, quàm in ſexu, quia differunt in reg. & ſpecie, & hic
30 junge, quod ſcripſi in *c.Niſi prava n.* 19. *de exceſſ. Prælatorum* Secundus caſus, in quo maſculinum non concipit fœmininum eſt, cùm materia, in qua profertur, odioſa eſt odio irrationabili, ut *l. Quiſquis, C. Ad leg.Jul. Maieſt. & l.* 1. §. *Quære, ff.De ventr.in poſſeſſ.mitten.* Bart. *in d.l.*1.*n.*1.*uſque in*
31 *fin.verſ. Aut de odio irrationabili, ff.De verb.ſignific.* In propoſito autem videtur agi de odio irrationabili, quia iniquitates parentum filiis obeſſe non debent, *cap.Undecumque*,
32 *cap. Numquam, & per totum* 56.*diſt.* & ſunt venia digni, qui alieno vitio laborant, *l. Legem*, & ibi Bald. *nu.* 1.*Cod.de natural.libert.* ideòque Imperator, quia in ea voluit comprehendere fœminas illegitimas, id expreſſit, ut patet ibi, *Na-*
33 *turalibus inſuper filiis, & filiabus.* Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium declaravit Moniales ex legitimo thoro procreatas Conſtitut. Sixti V. contra Regulares illegitimos non comprehendi quominus ad officium, vel dignitatem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ eligi poſſint; ut refert
34 Julius Lavor.*var.lucubrat. tit.* 4. *cap.*24.*num.*38. Et meritò, quia Monachorum appellatione non veniunt Moniales, ut patet in *cap. Impudicas*, ibi, *Monachorum, atque Monacharum* 27.*qu.* 1. & in Clement. *Eos*, ibi, *Religioſos, & Moniales*, & ibi notat Cardinalis *in fine de conſang.& affinit.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regular. & Monial. cum ſimil.* ut per Alex. *conſ.*135. *circa princ. n.*4. *lib.*1.
35 Præterea Monachatus, qui omnem maculam abſtergit, ut in Auth. *de Monach.in princ.* in maſculis tollit omnem illegitimitatem quoad omnes Ordines ſuſcipiendos, licet non tollat quoad prælationem, ut hic patet, & dictum eſt ſuprà *in* 2. *&* 3. *notab.* Sed mulier Ordinum non eſt capax. Ergo Monachatus ſuſceptio, ne aliàs in illa ſit inutilis, operabitur habilitatem ad prælationem. Et confirmatur, quia multa incumbunt maſculis Prælatis, quæ non competunt mulieribus, ut *cap.Nova infrà de Pœnit. & remiſſ. cap. Dilecta de major. & obed.* Ergo non eſt inconveniens, ut major aptitudo ad Prælationem requiratur in maſculo, cui plura incumbunt.
36 Hæc autem præcipuè videntur procedere in Abbatiſſis Monaſteriorum Italiæ, quia ex Conſtitutione 80. Gregor. XIII. incip. *Expoſcit*, non poſſunt eligi niſi ad triennium.
37 Abbatiſſa autem, quæ non eſt perpetua, nec habet Monaſterium in titulum, non dicitur habere dignitatem, ut dixi *in cap. Quia propter num.* 16. *ſupra de elect.* & conſequenter non includitur in hoc cap. Quod inhabilitat Religioſos ad dignitates, & Prælationes perpetuas, non autem ad officia, & adminiſtrationes temporales, ut dixi ſuprà *num.* 20. Et hanc partem amplectitur Emmanuel Rodriq. ſibi contrarius in *Summa tomo* 2. *cap.* 29. *nu.* 12. Nam primò dixit, illegitimè natas eligi non poſſe in Abbatiſſas perpetuas, quibus benedictio impenditur, ſecus ſi ſint temporales. Sed poſteà *tomo* 1. *qu. regul.q.*13.*art.* 21. tenet abſolutè nullam illegitimam indigere diſpenſatione, ut ſit Abbatiſſa temporalis, vel perpetua, & benedicta. Et idem firmat Ludov. Miranda *in tractatu de Monial. quæſt.* 6. *art.* 3. dicens hanc opinionem tenere Joan. Andr. Gemin. & alios quos refert, & ſequitur Felin. in *cap. Meminimus num.* 4. *de accuſat.* ſed certè Felin. & alii ab ipſo citati tenent oppoſitum, ut ex eorum verbis apparet, & latiùs dicam infrà *num.* 50. Undè pro hac ſententia non ſunt, niſi Rodriq. & Miranda, & quidam alii moderniores.
38 Contrariam verò opinionem, id eſt, Monialem illegitimam eligi non poſſe in Abbatiſſam, vel Prioriſſam ſine diſpenſatione Papæ tenent Doctores antiqui ferè omnes, & plerique ex recentioribus, ut inferiùs patebit *num.* 50. Quæ etiam eſt de jure verior: nam Abbatiſſa prælationem habet, ſeu dignitatem, ut patet in *cap.Indemnitatibus*, §.*Verum ſi quæ*, ibi, *ut à dignitate deiiciatur adepta, de elect.lib.*6. & ibi Gemin. *in* 2. *not.l. Generali*, ibi, *Religioſi honoris, vel dignitatis fœmina, C.de ſacroſ. Eccleſia*, ubi gloſſ. in *ver.Dignitatis*, exemplificat in Abbatiſſa, & notat Bart. *in l.*1.*n.*43. *C. de dignitate lib.* 12. ubi dicit, Abbatiſſam habere dignitatem cum adminiſtratione non ſolùm in ſuas Moniales, ſed etiam quandoque extra, quia habent caſtra, & ſimilia, Bald. in *l. Fœminæ nu.* 10. *ff. de reg. jur.* ubi etiam Dec. *n.*8. Rebuff. *de pacif. poſſeſſ.col.*2. facit. Concilium Tridentinum *cap.*7.*ſeſſ.*25.*de Regular.* ibi, *Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocumque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita, &c.* Licèt S.Th. *in* 4.*diſt.*25. *q.* 2. *art.* 1. *qu.*1. ad ſecundum dicat Abbatiſſas non habere prælationem ordinariam, ſed quaſi ex commiſſione, propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. Profeſſio autem regularis non habilitat patientes defectum natalium ad prælationes, ſeu dignitates, ut hic eſt expreſſum, & dictum eſt ſuprà *in* 3. *not.* Et quam- 39
vis textus utatur verbis maſculini generis, ut patet ibi, Filii Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati: necnon ibi, Niſi aut Monachi fiant, tamen in diſpoſitione legis maſculinum concipit fœmininum, ut eſt textus in *d. l.*1.*ff. De ver. ſignif.* ubi dicitur, hoc verbum, *ſi quis*, tam maſculos, quàm fœminas complectitur, & lex, quæ loquitur de eo, etiam in ea intelligitur, ut *l.*1.§.1.*ff.De Conſtitut.pecu.l.*4. *in princ. ff. De negot. geſt.* & ita communiter omnes tenere atteſtatur Dec. in *d.l.Fœminæ num.*108.*ff. De reg. jur.* quod 40
locum habet, etiamſi materia ſit odioſa, & pœnalis, ut dicit Cynus poſt Odofred. in *l.Quicumque, C. De ſervis fugitiv.* Bart. in *l.* 1. §. *Sed et ſi n.* 2.*ff.De ventr.in poſſeſſ.mitten.* Alberic. *in l.Si quis ad quod*, per illum textum, *ff. De juriſdict. omnium judic.* gloſſ. in *c.Generalis in ver.Univerſos, de elect. lib.*6. & aliis citatis, Dec. *in d. l. Fœminæ num.*108. Et ubi 41
materia æquè convenit mulieribus ſicut Religioſis, Monachorum appellatione veniunt etiam Moniales, ut notat Card. in *Clem.*1.*in* 5.*quæſtione de reſcript.* & Dec. in *d.l.Fœ-* 42
minæ nu. 110. *verſ. Sed tamen iſta limitatio, ff. de regul. jur.*
Quod præcipuè vendicat ſibi locum, ubi militat eadem 43
ratio, Bart. in *l.Si ita ſcriptum in* 2.*oppoſ.ff.De legat.* ſecundò, prout militat in propoſito: nam ut dicunt Joan. Monachus *nu.* 10. & Joan. Andr. *num.*6. *in d.c.Indemnitatibus, de elect. lib.*6. Perſonæ integri ſtatus debent promoveri ad honores, *l.Cognitionum*, §.*Æſtimatio, ff. De ver. & extraordin. cognit. cap. Omnipotens Deus infrà de accuſat.* At eſſe illegi- 44
timum eſt nota defectus, *cap. Accedens infrà de purgat.Canon.* & vacillat ejus opinio, quod eſſe non debet, *c. Laici* 33.*diſtin.* Et cùm illegitimus repellatur propter ſuſpicio- 45
nem imitationis incontinentiæ paternæ, ut dictum eſt ſuprà *num.* 6. hæc ſuſpicio plus ineſt in fœmina, quàm in viro, ſecundùm illud: Inſequitur leviter filia matris iter, arg. *cap. Litteras infrà eodem.* Ergo fœminas fortius repellemus. Item jura maſculos, & fœminas in multis æquipa- 46
rant, ut *cap.Virgines, & cap. Monachum* 20.*quæſtione ultima*, & in Auth. *de Monach.* §. *Ordinationum in fin.* Aliàs §. *Quæcumque, &* §. *Omnibus ad idem, cap.*1.§.*Prætereà infrà de juram.calum.* quia iſti loco unius habentur, ut *l.Cui fundus, ff.De condit.& demonſtrat.* Item, ut inquit idem Joan. 47
Monach. *in cap.Generali num.*1.*in fin. verſ. Dicas igitur, de elect. lib.* 6. Maſculinum prolatum à Canone crimina puniente fœminas comprehendit, quia ita peccant fœminæ, ſicut maſculi, licèt minus puniantur, *c. Si quis ſuadente* 17. *q.* 4. juncto *cap. Mulieres, de ſent. excomm. lib.*6. In repellendis autem illegitimè natis jura puniunt filium, ut per id parentum crimina puniantur, ut not. gl. 4.*in c.fin.in ver. Defectu infrà eod. lib.*6. Prætereà, ut inquit Joan. Monachus 48
in *dict. c. Indemnitatibus n.* 7. & Archic. *ibi nu.* 3. mulier à ſucceſſione temporali repellitur propter illegitimitatem, *c. Tuam infrà de ordin.cognit.* & in Auth. *Quibus modis natur. effic. legit.* §. *Filium.* Ergo multò magis repellitur à ſucceſſione in dignitate Eccleſ. Ubi enim eligitur Abbatiſ- 49
ſa, ſuccedit loco mortuæ; & quia non habet jus à defuncta, ſed à Canonica electione, propter hoc dicitur non habere ſucceſſionem hæreditariam, ſed ſucceſſionem ſimpliciter, *c. Ecce in quibus* 7. *q.* 1.*c. Apoſtolica, & c. ſeqq.* 8. *qu.* 1.
Atque ita Monialem illegitimam eligi non poſſe in Ab- 50
batiſſam, vel Prioriſſam ſine diſpenſatione tenet gl. *in d. c. Indemnitatibus*, §.*Sanè in ver.Canonica, de elect.lib.*6. & ibi plenè Jo.Monach. *a n.*6.*uſque ad n.*10. Arch. *n.*3. Jo.Andr. *n.*6. Butr. *in princ.& n.* 9. Anchar. *n.* 5. *& in* 8. *notab.* Gemin. *n.* 7. *verſ. In ea gloſſ.a*, ibi, *Illegitimè nata in fin.* & Franc. *n.* 4. Bellam. *in c. Cum in cunctis nu.* 36. & ibi etiam Abb. & Dec. *in fin. princ.ſuprà de elect.* Felin. *in c.Meminimus n.*4. *de accuſat.* Navarr. *in comment.* 2. *de regul. n.*60. & in *Manuali c.* 27. *n.* 201. & ſequuntur alii moderniores.
Quòd autem inferiores à Papa ſuper hoc non diſpenſent, expreſsè tenent Felin. & Navarr. locis citatis, & probat
vet.

ver. *Nullatenus*, hic poſitum per Collectar. *in princip.* intelligendo hanc litteram tam de maſculis, quàm de fœminis, ſecundùm ea quæ dixi ſuprà num. 29. Et hæc opinio ſervatur etiam in practica. & ipſimet Epiſcopi agnoſcunt ſe hanc facultatem non habere, cùm etiam ad eorum ſupplicationem in Monaſteriis Monialium ſibi ſubjectis, &
51 in exemptis ad ſupplicationem Superiorum Regularium ſacra Pœnitentiaria ex facultate, quàm habet à Gregorio XIV. diſpenſandi in utroque foro cum Regularibus ſuper quocumque defectu ad officia, gradus, & dignitates ſuæ Religionis, conſuevit etiam diſpenſare cum Monialibus, ut non obſtante defectu natalium poſſint eſſe Abbatiſſæ.
52 Et ego ipſe tamquam illius Corrector multoties Brevia deſuper ſubſcripſi: & ideò Monialis illegitima debet per Capitulum poſtulari, & poſteà eidem diſpenſativè provideri per Sedem Apoſtolicam. Et formulam diſpenſationis, & proviſionis hujuſmodi ponit Philippus Probus in *addit. ad Monach. in d. c. Indemnitatibus n.* 13. *de elect. lib. 6.*

53 Non tamen diffiteor multas Religiones habere à Sede Apoſtolica privilegium diſpenſandi cum Monialibus ſibi ſubjectis, ut non obſtante defectu natalium poſſint eſſe Abbatiſſæ, prout habent ab Eugenio IV. Monachi Caſſinenſes, nec non Generales, & Provinciales Ordinum Mendicantium, ut refert Thomas Sanch. *ſuper Decalogo lib. 5. cap. 5. nu.* 20. & ante eum Emmanuel Rodriq. *quæſtion. Regular. quæſtione* 13. *art.* 22. *& in Summa tom.* 2. *c.* 29. *num.* 12. Quæ quidem privilegia à Trident. Conc. non ſunt ſublata, ut tetigi *ſuprà n.* 23.

Non obſtant modò argumenta contraria: nam ad primum, nempè quod hoc cap. loquatur de maſculis, & non de fœminis, de Monachis, & non de Monialibus, patet reſponſio ex dictis ſuprà *num.* 39. 40. *&* 41. Nec refert, quòd hæc Decretalis non congruat mulieribus reſpectu promotionis ad ordines; quia ſatis eſt, ut congruat reſpectu promotionis ad dignitates ſecundùm ea, quæ ſunt dicta
54 ſuprà *num.* 43. 44. *&* 45. Et quamvis Sacra Congregatio Regularium declaraverit Moniales non comprehendi in Bulla Sixti V. contra illegitimos: tamen non ideò hoc fecit, quod appellatione Regularium non veniant Moniales, ſed quia ipſemet Sixtus V. noluit illas comprehendere, & explicitè hoc declaravit, ut in ejus Conſtitutione declaratoria, quæ incipit, *Ad Romanum*, §. 18. in Bullar.
55 *tomo* 2. *pagina* 605. Quemadmodum nec relevat, quòd maſculinum non concipiat fœmininum, ſi materia ſit odioſa, & odium ſit irrationabile. Imò enim ob publicum bonum, & ex cauſis multùm rationabilibus ſtatutum eſt, ut illegitimè nati à Prælationibus repellantur, ut conſtat ex dictis ſuprà *in* 1. *not. n.* 5. *&* 6.

Ad illud verò, quod profeſſio in muliere illegitima cùm non poſſit operari habilitatem ad ordines, debeat ſaltem operari habilitationem ad dignitates. Reſpondetur illationem non procedere, tum quia jura difficiliùs habilitant illegitimos ad prælationem, quam ad ordines, ut hic probatur; tum quia patientes defectum natalium à prælatione nominatim excluduntur & ſi mulier per profeſſionem non habilitatur ad ordines ſuſcipiendos propter ſuam incapacitatem, habilitatur tamen ad alia, quorum Moniales ſunt capaces.

Nec refragatur, quòd Abbatiſſæ hodiernæ ex Gregoriana Conſtitutione in Italia ſint triennales: Quoniam 56
etſi non habeant dignitatem quoad hoc, ut in earum electione ſervanda ſit forma, *cap. Quia propter ſuprà de elect.* cùm ille textus loquatur de Prælatis, per quorum obitum Eccleſiæ remanent viduatæ, & ſic de perpetuis, & intitulatis, ut ibi dixi in 2. *not.* poſt gloſſ. 1. communiter approbatam: tamen quoad alios effectus dicuntur habere dignitatem, & Prælationem in Moniales ſibi ſubjectas, licèt non ſint perpetuæ, ad exemplum Vicarii Epiſcopi, qui 57
licèt non dicatur habere dignitatem quoad hoc, ut per illius aſſecutionem vacent alia beneficia incompatibilia; habet tamen dignitatem quoad præeminentiam ex juriſdictione provenientem, quamvis non ſit perpetuus, ut notat gloſ. communis in Clem. *Etſi principalis in ver. Delegatus de reſcriptis*, Mill. *in repert. in ver. Dignitas eſt eſſe Vicarium Epiſcopi, cum ſimil.* ut dixi *in c. Ad hæc nu.* 28. *infrà de præbend.*

Nec applicatur objectum, quòd Religioſus illegitimus 58
non prohibeatur habere adminiſtrationem, à qua poſſit removeri ad nutum Prælati; quoniam Abbatiſſæ in Italia non ſunt ad nutum amovibiles; imò durante triennio amoveri non poſſunt, niſi ex juſta cauſa, & juris ordine ſervato, ad textum *in cap. Monachi*, §. *Priores infrà de ſtatu Monachorum*, & notat Hoſt. *in c. Cùm ad Monaſterium n.* 5. & ibi *dixi n.* 24. *eod. tit.*

Quod ſi diceremus defectum natalium non excludere 59
Religioſos, ſequeretur ut habentes hanc maculam ferè in omnibus Religionibus poſſent indiſtinctè aſſumi ad dignitates, & Prælationes, cùm hodie ſuperiores quorumcunque ordinum ſint temporales exceptis Generalibus Carthuſienſi, Ciſtercienſi, S. Antonii Viennen. Præmonſtratenſi, Cluniacenſi, & ſanctiſſimæ Trinitatis in Gallia reſidentibus, S. Dominici, & Societatis Jeſu, qui ſunt ad vitam. Hoc autem eſſet valdè abſurdum, & contra mentem Canonum, & ſtylum Curiæ, quæ diſpenſat cum Regularibus, & Monialibus, ut natalium defectu non obſtante poſſint eligi ad Prælationes etiam temporales, ut conſtat ex d. ſup. *n.* 51. *&* 52.

DE FILIIS PRESBYTERORUM.

Alexander III. London. Epiſcopo.

CAPUT V.

VEniens ad præſentiam noſtram N. Clericus nobis propoſuit, quòd cùm illum ad Capellam ſancti L. quam ei conceſſiſti, in Presbyterum ordinaſſes, ipſum ea poſteà ſpoliaſti, eò quod pater ejus in prædicta Eccleſia miniſtravit. Ideòque fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi tibi innotuerit quando eam ſibi dediſti, quòd pater ejus Presbyter in dicta Eccleſia miniſtraſſet, ipſam ei reſtituas, & in pace dimittas, amoto alio, ſi quem inſtituiſti forſitan in eadem. Verùm ſi hoc ignorans feciſti, ex quo ad Eccleſiam ipſam eum in Presbyterum ordinaſti, eam ſibi reſtituas, donec in alia Eccleſia ſibi provideas, unde honeſtè valeat ſuſtentari.

SUMMARIUM.

1 *Filium Sacerdotis legitimum Epiſcopus amovere non poteſt ab Eccleſia paterna, quam ei contulit ſcienter.*

2 *Sed ſi ignoranter amovere non poteſt, dum tamen aliunde illi provideat.*

3 *Filius illegitimus de capella patris ſcienter proviſus, & ad illius titulum ordinatus, ac deinde ſpoliatus, debet ad eam reſtitui amoto alio inſtituto.*

4 *Diſpenſare an tacitè cenſeatur Epiſcopus ſi ſcienter conferat filio legitimo beneficium, quod pater habuit immediatè.*

5 *Diſpenſare intelligitur Epiſcopus, quotieſcunque facit ſcienter, quod eſt contra ius commune, & materia eſt talis, in qua poteſt diſpenſare.*

6 *Dam-*

6 *Dummodò ſuper cauſa præcedat ſummaria cognitio, & cauſa in diſpenſatione exprimatur.*

7 *Diſpenſare an poſſit Epiſcopus cum filio legitimo ad Eccleſiam paternam.*

8 *Diſpenſare poteſt Epiſcopus contra Canonem in articulo dubio propter diverſas opiniones, ſaltem quo ad hoc ut non poſſit contra venire.*

9 *Filius illegitimus poteſt licitè retinere beneficium paternum ſibi ab Epiſcopo ſcienter collatum, ad cujus titulum fuit ordinatus, & n. ſeqq. uſque ad n. 15.*

10 *Factum ſuum illicitum, & peccati nutritivum quandoque Epiſcopus retractare non poteſt.*

11 *Filii illegitimi promotio ad Eccleſiam paternam, ad cujus titulum ſcienter fuit ordinatus, licet non valeat quoad alios, valet tamen quoad promoventem, ut retractare non poſſit.*

12 *Filius illegitimus ſpoliatus benificio paterno debet reſtitui antequam cognoſcatur de Canonico ingreſſu.*

13 *Licèt vitium innotuerit Epiſcopo.*

14 *Spoliato injuſtè etiam judicialiter datur poſſeſſorium recuperandæ non ſolum contra ſpoliantem, ſed etiam contra ſuccedentem in vitium.*

15 *Filius illegitimus ab Epiſcopo ignoranter promotus ad Eccleſiam paternam, ad cujus titulum fuit ordinatus, poteſt eam licitè retinere, donec in alia Eccleſia ſibi provideatur.*

Et interim erit Prælatus ex tacita diſpenſatione Papæ, num. 17.

Vel Commendatarius, n. 18.

16 *Beneficia ad tempus conferri non poſſunt, niſi per Papam*

19 *Hoc cap.* Veniens, *an ſit abrogatum per Concil. Trident. cap. 15. ſeſſ. 25. & n. ſeqq.*

20 *Collatio beneficii facta filio illegitimo in Eccleſia, in qua pater, eſt ipſo jure nulla .... Etiamſi aliàs mendicare cogeretur, & n. ſeqq.*

21 *Niſi ad illius titulum fuiſſet Presbyter ordinatus.*

22 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*

V*Eniens*. Legitur dupliciter; Uno modo intelligitur
de filio ante Sacerdotium genito, & ſic legitimo:
nam talis congruè appellatur filius Sacerdotis, ut in *cap.*
1 *Ad extirpandas*, & ibi dixi in 3. *notab. infrà eod.* Alio mo-
do, ut intelligatur de filio poſt Sacerdotium genito, & ſic
illegitimo. Juxta primam lecturam, quàm tenet Innoc.
in 1. *gloſſ.* & veriorem dicit Cardinalis *in* 2. *oppoſ.* ſic ſum-
matur. Epiſcopus qui ſcienter contulit filio Sacerdotis,
ſcilicet legitimo, paternam Eccleſiam, exindè eum remo-
2 vere non poteſt. Hoc primo ſecundùm Joan. Andr. Butr.
& Anchar. Si verò ignoranter amovere poteſt, dum ta-
men aliundè illi provideat, undè poſſit ſuſtentari, hoc di-
3 cit ſecundò, ut per Cardin. & Joan. de Anan. Sed ſecun-
dùm poſteriorem lecturam, quam putat veriorem Bellam.
in princip. & eſt ex mente Sacræ Congregationis Concilii,
ut dicam *infra num.* 22. hoc intendit. Si Epiſcopus illegi-
timum de Capella patri Presbyteri, quàm ſciens ejus de-
fectum eidem contulerat, & ipſum ad eam in Presbyterum
ordinaverat, ſpoliavit, & alium inſtituit in eadem: ille-
gitimus debet reſtitui amoto alio inſtituto. Sed ſi igno-
rans defectum contulit, debet ſibi reſtitui, donec ſibi aliàs
idoneo ſit proviſum. Dividitur in duas partes, in prima
ponit querelam Clerici. Secunda ibi, *Ideoque providet di-
ſtinguendo*. Secundum membrum ibi, *Verum*.

4 Tenendo primam lecturam nota ex primo membro di-
ſtinctionis, Epiſcopum, qui ſcienter contulit filio legiti-
mo beneficium, quod pater habuit immediatè, non poſſe
illum exindè removere. Et ſit ratio, quia cùm materia
ſit diſpenſabilis, Epiſcopus ſcienter conferendo, cenſetur
5 cum eo tacitè diſpenſare. Nam ubicumque Epiſcopus fa-
cit ſcienter, quod eſt contra jus commune, & materia
eſt talis, in qua poteſt diſpenſare, pro diſpenſatione habe-
bitur, maximè ſi nullus inde lædatur, *c. Super eo infrà de
bigam. & cap. Diverſis in fin. de Cleric. coniugat.* Et hoc
6 pro regula generali conſtituit hìc Innocentius *nu.* 2. Cave
tamen, quia ad hoc ut intelligatur tacitè diſpenſatum,
oportet, ut præcedat ſummaria cognitio ſuper cauſa diſpen-
ſationis, ſcilicet an ſubſit neceſſitas, vel utilitas, vel alia
juſta cauſa, *l. Libertus, ff. De in jus vocan. §. Niſi rigor.* cum
multis *cap. ſeqq.* 1. *q.* 7. Idque ſecurius dicit, & fieri conſu-
lit Innocen. *d. n.* 2. *verſ. Alii dicunt, & ſecurius*, & conſenſit
Hoſt. *n.* 5. adjiciens requiri etiam, ut cauſa exprimatur in
ipſa diſpenſatione, Jo. Andr. *n.* 12. & 13. Collectar. *in fin.*
Butr. *n.* 8. & Anchar. *n.* 2. *verſ. Quærit Joan. Andr.*

Cæterùm adverte, quia hìc primùs intellectus ſuppo- 7
nit Epiſcopum poſſe diſpenſare cum filio legitimo, ut poſ-
ſit immediatè ſuccedere in beneficio paterno contra diſpo-
ſitionem juris communis, de qua in *cap. Præſentium ſuprà
eodem.* At verior opinio eſt Epiſcopum hoc caſu diſpenſa-
re non poſſe, per textum in *c. penult. infra eodem*, ſecun-
dùm Cardin. *hic num.* 3. *in* 12. *qu. verſ. Si autem legitimus.*
Unde ſi Epiſcopus non poteſt diſpenſare expreſsè, multò
minus tacitè, arg. *l. Licet in princ. & l. Eſt differentia, ff. In
quib. cauſ. pign. tacit. contrah. & l. Si ſtipulatus, in princ. ff. De
uſur.* Verumtamen quia ſunt opiniones, an filius legitimus
inſtitui poſſit ad Eccleſiam paternam per diſpenſationem
Epiſcopi, ut notatur in *cap.* 1. *in gloſſ. quia non paternum in-
frà eod. lib.* 6. In hoc dubio propter opinionum varietatem
videtur ſtandum inſtitutioni factæ per Epiſcopum ſcienter,
per id, quod notatur in *cap. unic.* in gloſſ. *Licet iſta de poſtu-
lat. lib.* 6. Et ita procedat iſte textus ſecundùm Card, ubi 8
ſuprà. Et ex hoc collige notabilem limitationem ad con-
cluſionem, quam firmavi *in cap. Dilectus ſupra de tempor.
ordinat.* Quòd Epiſcopus non poſſit contra Canones diſ-
penſare, ut non procedat in articulo dubio propter diver-
ſas Doctorum opiniones. Tunc enim ſi alteram eligat,
tacitè diſpenſare intelligitur, ſaltem quoad hoc, ut non
poſſit contravenire, ut hìc per Cardin. *in præallegat. q.* 12.
verſ. Ad tertium. Quod numquam obliviſcaris.

Juxta ſecundam lecturam nota caſum ſingularem, 9
quem non reperies alibi, in quo filius Sacerdotis illegiti-
mus ex collatione Epiſcopi poteſt licitè retinere benefi-
cium paternum, videlicet quando Epiſcopus ſciens defe-
ctum, ordinavit eum ad ſacros Ordines ad titulum illius
beneficii, quod videtur mirabile, tum quia illegitimus be-
neficium paternum quantumcumque ſimplex obtinere non
poteſt, etiam per diſpenſationem Epiſcopi, ut *cap. Ex tua
infrà eodem*, & notat infra *in cap. ult.* Henriq. Boich. *num.* 9.
verſ. Si non intervenit. Tum quia eſt contra juris regulas, 10
ut quis factum ſuum illicitum, & peccatum ſuum illici-
tum, & peccati nutritivum retractare non poſſit, ut *cap.
Quod quis commiſit* 35. *quæſt.* 9. & *cap. Noſtri ſuprà de elect.
cum concord.* quibus hìc in gloſſ. *penult.* & not. Butr. in 3.
not. Sed ad hæc triplex datur ſolutio. Prima eſt totum,
quod hìc dicitur gratiam continere; quia Papa hìc in
odium Epiſcopi, qui ſpurium ſcienter promovit; & ne
ſic promotus in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare
cogatur, ex miſericordia diſpenſat cum ipſo, ut poſſit
licitè retinere beneficium paternum, licèt nulliter ſibi col-
latum, & in hoc reſidet hìc gloſſ. *penul.* Abb. Antiq. *in fin.*
Hoſtien. *num.* 7. & Joan. Andr. *num.* 6. *in fin.* Secunda ſo- 11
lutio eſt, quòd licèt promotio illegitimi non valeat quoad
alios; valet tamen quoad ipſum promoventem, & impri-
mitur quidam color tenendi, quem ipſe retractare non
poteſt. Ita Innocentius hìc, cujus verba ad litteram trān-
ſcribit Butr. *num.* 8. Tertia ſolutio deducitur ex verbō, *ſpo-* 12
liaſti, ſecundùm Innocentium *poſt princ. verſ. Sed primam*:
nam ex quo Epiſcopus de facto ſpoliavit filium illegiti-
mum beneficio paterno, debet eum reſtituere antequam
cognoſcatur de Canonico ingreſſu, *cap. Notum* 2. *q.* 1. *c.
litteris, & cap. Item cum quis infrà de reſtitut. ſpoliat.* Quod 13
ſi objiciatur: ex quo notum eſt eum eſſe filium Sacerdotis,
non debuit ſervari ordo, nec fieri reſtitutio, *cap. Significa-
ſti infrà de divort. & cap. Quoniam infrà eodem.* Reſpondet
Innocentius, imò ſervandum fuiſſe, quia fortè promotus
de diſpenſatione contendebat, arg. *c. Demum, il ſecondo ſu-
prà de elect.* & ſequitur Cardin. *hic in* 2. *oppoſ.* & ex hac ter-
tia ſolutione nota ſecundùm Anton. de Butr. *in* 5. *not.* & Jo.
de Anan. *num.* 2. per ſpoliationem injuſtam etiam judicia- 14
lem dari poſſeſſorium recuperandæ, nec ſolùm contra
ſpoliantem, ſed etiam contra quemlibet in vitium ſucce-
dentem.

Nota ex ſecundo membro diſtinctionis, filium Sacer- 15
dotis poſſe ad tempus licitè retinere beneficium, de quo
fuit ab Epiſcopo ignoranter proviſus, & ad illius titulum
ordinatus, donec ſibi de alio ſufficiente titulo proviſum
fuerit: & ſic quamvis illegitimus non poſſit ab initio ob-
tinere ex gratia, & authoritate ordinaria beneficium pa-

tris;

tris; poteſt tamen illud ad tempus poſteà retinere, ſi per viam juſtitiæ ſibi teſtituatur neceſſitate impellente, ex quo ad illius titulum promotus fuit, ut hic per Butr. *in 6. not.* &
16 Joan. de Anan. *num.* 4. & ex hoc collige caſum ſingularem, in quo beneficium confertur ad tempus: nam regulariter contra, quia beneficia Eccleſiaſtica ad tempus conferri non poſſunt, cùm debeant eſſe perpetua, *cap. Præcepta* 55. *diſt.* & arg. *l. Hæreditas, ff. De hæred. inſtituen. l. Actus legitimi, ff. De reg. jur. & l. Libertas, ff. De manumiſ. teſtam.* & ſcripſi pleniùs *in cap. Ex parte num.* 8. *infrà de Cleric. ægrot.* poſt gloſſ. *final.* ibi Hoſt. *num.* 3. Joan. Andr. *num.* 5. & Card.
17 *num.* 3. *in* 2. *oppoſ.* ſed in caſu iſto hoc intelligitur fieri de mandato Domini Papæ, qui ſolus poteſt beneficia ad tempus conferre. Atque hìc filius Presbyteri ordinatus ad titulum Eccleſiæ paternæ ſibi collatæ, & ad eamdem Eccleſiam reſtitutus, interim donec de alia Eccleſia provideatur, erit Prælatus ex tacita diſpenſatione Papæ, ut hic ſenſit gloſſa *ult.* & Innocen. *propè finem in ver. Donec*, &
18 declarat Butr. *num.* 12. Vel certè erit Commendatarius ex cauſa, & adminiſtrabit tamquam Prælatus, & hæc commoditas ei auferri non poterit ſine mandato Papæ, cujus authoritate hoc fit, niſi ex nova cauſa ſuperveniente, ſecundùm Hoſt. *num.* 9. cum quo ſimpliciter tranſeunt Jo. Andr. *num.* 17. & Anchar. *num.* 2. *verſ. Secundo oppono*. Sed primum veriùs, ut per Card. *in* 7. *qu.*

19 Sed QUÆRITUR, An hoc capitulum ſit hodie abrogatum ex jure noviſſimo Concilii Tridentini *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de reform.* & verius videtur eſſe abrogatum, ut in ſequenti declaratione S.R.E. Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum, videlicet.

20 An collatio Beneficii facta filio illegitimo ſit nulla ipſo jure, præſertim in caſu, quo facta ſit Præsbytero, qui ſi beneficium collatum obtinere non poſſit, in dedecus Ordinis Clericalis medicare cogetur.

Die 22. Martii 1576. Congregatio publica cenſ. collatio- 21
nem beneficiorum factam illegitimo in Eccleſia, in qua pater fuiſſe nullam ipſo jure, ut probat ad litteram C. *Ad abolendam de filiis Presbyter.* ibi, *Decernimus non valere*. An autem illegitimo ſuffragetur, *cap. Veniens de filiis Presbyteror.* viſum fuit hoc caſu clarè non ſuffragari ei; quia *d. c. Veniens* procedit quando illegitimus fuit promotus ad Presbyteratum ad titulum beneficii in Eccleſia, in qua pater, ut clarè verba illius textus oſtendunt: nec Abbas in hoc contrarium vult. In caſu autem præſenti agitur de Capellania in Eccleſia, in qua pater, quæ collata fuit illegitimo, poſtquam factus fuit Presbyter, nec in actu promotionis ad Presbyteratum, legitur, quod fuerit promotus ad titulum illius Capellaniæ. Sed etiam quod conſtaret 22
promotum ad titulum illius Capellaniæ, adhuc aliqui ex Cardinalibus Montaltus, Carafa, Lumellinus videntur ſenſiſſe, *cap. Veniens*, fuiſſe correctum à Concilio propter verba generalia, & exuberantia *d. cap.* 15. Sed dixerunt quod ſi caſus eveniet, quod illegitimus ſit promotus ad beneficii paterni titulum, & velit uti beneficio *d. cap. Veniens*, tunc proponatur in Congregatione Concilii, & amplius deliberetur. Et cum Concilium *cap.* 15. prohibeat omnem diſpenſationem, & *cap. Veniens*, innitatur diſpenſationi: videtur à Concilio ſublatum. Item propter illa verba, *longiſſimè arceatur*. Item propter illa verba, *quomodo miniſtrare*. Et ſic etiam prætextu *d. cap. Veniens*, & quamquam dictum fuerit, an ſaltem agendum cum Sanctiſſimo pro gratia: tamen reſponſum eſt, ex quo alteri collactum eſt beneficium, & ſic jus tertio quæſitum, non agendum.

DE FILIIS PRESBYTERORUM.

Idem Alexander III. Archiepiſcopo Cantuarien:

CAPUT VII.

EX tranſmiſſa conqueſtione G. Clerici percepimus, quòd ad Abbatis de Caſtris præſentationem, in quodam beneficio Eccleſiæ de N. eum in præſenti recipere diſtuliſti, eò quòd pater ejus in præfata Eccleſia miniſtravit: quo defuncto media interceſſit perſona, cui prædictum beneficium eſt collatum. Ideòque mandamus, quatenus ſi eſt ita, prænominatum G. ad præfatum beneficium admittere non poſtponas, non ideò minus obſervato Apoſtolici reſcripti decreto, quod ſucceſſionem in Eccleſia Dei hæreditariam deteſtatur.

SUMMARIUM.

1 *Filius præeſſe poteſt Eccleſiæ, cui pater præfuit mediate.*
Declaratur, num. 4.
2 *Vitium ſucceſſionis in beneficio paterno purgatur ex intitulatione extraneæ perſonæ inter patrem, & filium.*
3 *Vitia realia in ſucceſſores tranſeunt, perſonalia verò non tranſeunt in ſingularem ſucceſſorum, ſed bene in univerſalem.*
5 *Nepos an poſſit immediatè ſuccedere in beneficio avi, & n. ſeqq. uſque ad n.* 24.
Referuntur authores, & fundamenta primæ opinionis, ididem, & n. ſeqq.
6 *Abbas Siculus ab aliquibus incautè allegatur ſuper capitulis hujus tituli.*
7 *Nepotes veniunt appellatione filiorum ex proprietate vocabuli.*
Contrarium, n. 15. *& ſeqq.*
8 *Filius unde dicatur.*
9 *Filiorum appellatione deſcendentes omnes continentur.*
Contrarium, n. 15.
Declaratur, n. 21. *&* 22.
10 *Parentum nomine comprehenduntur omnes aſcendentes.*
11 *Cujus filiam habere non licet, nec ejus nepotem.*
Contrarium, n. 18. *&* 19.
12 *Referuntur authores, & fundamenta ſecundæ opinionis.*
Nepos ex filio, quamvis ſuccedere poſſit immediatè in beneficio avi vivente patre, non tamen eo mortuo, & cur ibidem.
Contrarium, n. 14.
13 *Nepos ex filia poteſt immediatè obtinere beneficium avi ſive mater vivat, ſive non.*
14 *Referuntur Doctores, & fundamenta pro tertia opinione. & n. ſeqq. uſque ad n.* 24.
15 *Liberorum appellatione veniunt nepotes, & alii deſcendentes, ſed appellatione filiorum regulariter ſecus.*
16 *Baptizari poſſunt in privatis domibus non ſolùm filii Regum, & Principum, ſed etiam nepotes, & alii deſcendentes.*
17 *Nepos venit appellatione filiorum ex quadam interpretatione, & n.* 21.
18 *Quæ locum non habet in materia odioſa pœnali, vel contra jus commune, & n.* 20. *& ſeqq.*
19 *In filio, & nepote diverſæ ſunt ſpecies, & diverſi gradus.*
22 *Nepos non venit appellatione filiorum, niſi materia ſit merè favorabilis, & tanta, vel ſimilis ratio ſit in nepote, ſicut in filio.*

23 Ex-

23 *Extenſio in odioſis, prohibitivis, & exorbitantibus non fit ad caſum, qui licet videatur ejuſdem rationis, tamen eſt omninò ſimilis.*

24 *Nepos ex fratre, an prohibeatur immediatè ſuccedere in beneficio patrui, vel frater fratris.*

25 *Pater an prohibeatur immediatè ſuccedere in beneficio filii.*

26 *Pater ſuccedit filio, licet turbato ordine, ſicut filius patri, & uterque habet querelam.*

27 *Pater an poſſit obtinere beneficium in Eccleſia, in qua ejus filius illegitimus reperitur intitulatus.*

1 EX *tranſmiſſa*. Joan. Andr. & poſt eum Bellam. & Cardin. ſic ſummant textum, Filius præeſſe poteſt Eccleſiæ, cui Pater præfuit mediatè, id eſt, extraneo mediante, ſecundùm Hoſt. *num.* 8. *verſ. Vt ſicut vides*, Butr. Anchar. & Jo. de Anan. omnes *in princ.* Primò ponit querelam. Secundò providet ibi, *Ideòque*. Tertiò tollit obſtaculum, ibi, *non ideo*.

2 Nota ibi, *quo defuncto media interceſſit perſona*, vitium ſucceſſionis in beneficio paterno purgari ex intitulatione extraneæ perſonæ inter patrem, & filium, prout hìc notant gloſſ. *in princ.* Innoc. *in ver. Decreto*, Hoſt. *n.* 3. Abb. Antiq. *in princ.* Jo. Andr. *n.* 2. Bellam. Anchar. & Joan. de Anan. omnes *in* 1. *notab.* Butr. *n.* 4. & Card. *in* 2. *notab.* Quandoque tamen perſona media vitium non purgat, ſed extenuat, *cap. In primis*, & ibi notatur 2. *quæſt.* 1. ſecundùm Jo. Andr. & Bellam.

3 *locis citatis*. Verùm tamen, ut dicebat Goffred. & poſt eum Hoſt. *hic num.* 4. & Jo. Andr. *n.* 2. vitia, quæ rem afficiunt, ſicut furti, & violentiæ, in ſucceſſores tranſeunt, ut *l. Vitia*, *C. de acquir. poſſeſſ. l. Qui furtum, & l. fin. ff. de condit. furt. l.* 1. *§. Si rem, ff. depoſ. c. Reintegrandæ* 2. *qu.* 1. *& cap. Sæpè de reſt. ſpoliat.* Perſonalia verò, ut dolus, & contumacia non tranſeunt in ſingularem ſucceſsorem, ut in *d. c. In primis, & in c. Cito turpem* 1. *qu.* 1. *& in l. Venditor, ff. De hæredit. & act. vendit.* In univerſalem verò utique tranſeunt, quia ſuccedit cum ſua cauſa, & ſuis vitiis, *l. in vitium, & l. Cum*

4 *hæres, ff. De diverſ.* & temporali præſcribit. Adverte tamen, quia quod ſpectat ad vitium ſucceſſionis in beneficiis parentum, ſic hæc decretalis intelligatur tantùm de filio legitimo, adhuc ſtat in ſuo robore, cùm nullibi reperiatur abrogata, *l. Præcipimus in fin. C. de appellat. l. Statuimus, C. De teſtam.* & ſic etiam hodie filius legitimus poteſt ſuccedere mediatè in beneficio patris, juxta tex. hic, licèt non immediatè, ut *cap. Ad extirpandas*, & ibi dixi in 4. *notab.* poſt gloſs. *ult.* Innoc. & omnes *infrà eod.* Sed ſi intelligatur de filio illegitimo, prout intelligit Innocen. *in princ. & in ver. Admittere*, eſt correcta per Conſtitutionem Clementis VII. quæ incipit, *Ad Canonum conditorem*: & per Concilium Tridentinum *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de reform.* ut plenè notavi in *d. c. Ad extirpandas num.* 7. 9. *&* 12.

5 QUÆRO, An nepos poſſit immediatè ſuccedere in beneficio avi.

Hæc eſt ardua quæſtio, in qua tres principales reperiuntur Doctorum opiniones.

Prima opinio eſt eorum, qui ſimpliciter affirmant prohibitionem immediatæ ſucceſſionis filiorum in beneficiis parentum extendi etiam ad nepotes, & in hac ſententia fuerunt ex antiquis Joannes Theutonicus in *c. Apoſtolica*, in gloſs. *unic.* 8. *qu.* 1. Alanus Tancredus, & Philippus in *cap. Quoniam infrà eod.* Archid. in *c. Presbyterorum nu.* 2. 56. *diſt.*

6 Laurentius in *d. c. Ad extirpandas*, & ibi etiam Bernardus in gloſs. 1. & Innoc. *in princ. in ver. Filiis*, dicens idem eſse in nepotibus, & aliis deſcendentibus, ut in *§. Sui reſtit. de hæredit. qualit. & differ.* eamque communem eſse atteſtantur ibidem ex Petro de Ravenna, Anton. de Butr. & ambo *n.* 7. ut referunt Domini de Rota *deciſ. inferiùs allegando pro* 3. *opinione ſub n.* 5. *verſ. Ex quibus patet*, & Navarr. *conſ.* 9. *num.* 1. *verſ. Et licet hoc tit.* ſed quod ad Abbatem utique falluntur, quia ipſe non ſcripſit ſuper hac Decretali, nec ſuper aliis Capitulis hujus tituli, & integra lectura, quæ in volumine Abbatis inſerta eſt, non eſt ſua, ſed Antonii de Butrio, ut apparet perſpicuè, tum ex collatione utriuſque lecturæ, tum ex ſuprascriptione, quæ habetur in *rub. ſup. eod.* tum denique ex ipſamet ſubſcriptione Antonii de Butrio, quæ legitur poſt finem hujus cap.

7 Præcipuum hujus opinionis fundamentum eſt, quia filiorum appellatione veniunt etiam nepotes, *l. Liberorum*,

8 *§. Sed & Papyrius, & l. Juſta, ff. De verbor. ſignific. l. Filium*, Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

ff. Ad Maced. & hoc ex proprietate vocabuli, ut tenent notabiliter duæ gloſſæ, quarum altera eſt in *§. Quod ſi nepotes in ver. Appellantur inſtit. quibus teſtam. dar. tutor. poſſeſſ.* ubi expreſsè ait ſecundùm veram ſignificationem verbi, quia filius dicitur à *philos*, quod eſt amicus, etiam nepotem dici filium. Altera in *Auth. de non eligen. ſecund. nuben. §. Cùm igi-* 9
tur in ver. Filios, quæ dicit hac appellatione omnes deſcendentes contineri, licèt vulgariter contineantur tantùm conſtituti in primo gradu, id eſt, filii. Sicut è converſo pa- 10
rentum nomine aſcendentes omnes comprehenduntur, *l.* 3. *§. penult. ff. De in jus voc.* & propterea Senatus conſulto, quo cautum eſt ne tutor pupillam ſuam filio tradat nuptui, etiam nepos ſignificatur, dicit textus in *l. Senatus, ff. De ritu nupt.* Atque ita videtur ibi hoc tradi pro regula, ut nomine filii 11
ſignificetur etiam nepos. Ad idem *§. Fratris inſtit. de nupt.* ubi generalis ratio redditur, quia cujus filiam habere non licet, nec ejus nepotem.

Secunda opinio diſtinguit, an pater vivat, necne; ut in pri- 12
mo caſu nepos obtinere poſſit beneficium avi, in ſecundo autem non poſſit immediatè. Ratio differentiæ eſt, quia vivente patre nepos non habet jus ſuccedendi avo in bonis hæreditariis, ſed ejus pater, qui eum præcedit gradu, Auth. *in ſucceſſione, C. De ſuis, & legit. hæred.* & ſic eo caſu ceſſat ratio ſucceſſionis in beneficio. At patre de medio ſublato nepos ſuccedit in bonis avi; ideòque ſi ejus beneficium nulla perſona media obtineret, notaretur in ipſo hæreditaria ſucceſſio, quam ſacri Canones tantoperè deteſtantur in beneficiis eccleſiaſticis, ut dicitur in fin. hujus cap. in *cap. Ad extirpandas*, & in *c. Ad abolendam infrà eod. cum ſuis concordan.* Sicut igitur perſona extranea media purgat vitium, ut hìc dicitur, ſic & perſona media naturalis; & hanc diſtinctionem probant hìc Hoſt. *n.* 8. *verſ. Poteſt dici*, & Bellam. *in* 2. *qu.* Henric. Boich. in *d. cap. Ad extirpandas n.* 2. *infrà eod.* Gemin. & Propoſ. in *cap. Presbyterorum* 56. *diſtin.* Hoſt. in *ſumma hujus tit. §. Qui filii, verſ. Sed numquid*, Aſten. Roſell. Angel. Silveſt. Armilla, & Summiſtæ ferè omnes in *ver. Beneficium*, ut aſſerunt Domini de Rota in deciſione inferiùs citanda pro tertia opinione. Imò hanc declarationem teneri per omnes Doctores liberè teſtatur, Navarr. *conſ.* 9. *n.* 5. *de fil. Presbyter.* Adſcribitur etiam hæc opinio Innocentio in *d. c. Ad extirpadas in princ. in ver. Filiis*, ut ibi per Butr. *n.* 7. & fortè benè, quia licet Rota in ſua deciſione dixerit Innocentium ſimpliciter loqui, & tenere contra nepotem: tamen dum ipſe allegat textus in *§. Sui inſtit. de hæred. qualit. & diff.* videtur intellexiſſe de nepotibus, & deſcendentibus, qui habent jus ſuccedendi? & ſic mortuo jam patre; & eſt ex mente gloſſæ primæ in prædicta decretali, *Ad extirpandas*, 13
dum dicit idem eſſe in nepotibus, quorum eſt jus ſuccedendi: Nepos autem ex filia poteſt indiſtinctè ſuccedere in beneficio avi, ſive mater vivat, ſive non: nimirum quia neutro caſu in hujuſmodi nepote notari poteſt initium ſucceſſionis in beneficio, cùm mater illud habere non poſſit, ad hoc *cap. Licèt, il ſecondo verſ. Cùm ſatis infrà de teſtibus, & cap. Fraternitatis infrà de hæret.* prædium quod non ſervit, impedit ſervitutem, *l. Qui ſella, §. fin. ff. De ſervit. ruſtic. præd.* Ita Bellam. *hic* 2. *qu. verſ. de nepote.*

Tertia opinio primæ oppoſita eſt illorum, qui abſolutè 14
exiſtimant hanc prohibitionem non extendi ad nepotes, etiam patre vita functo. Eamque ex veteribus amplexi ſunt Joan. de Fano, & Barthol. Brixien. in *cap. Apoſtolica* 8. *quæſt.* 1. ut ibi patet in gloſſ. *unica ad fin.* Laurentius, & Joannes in cap. 1. in gloſſ. in *verſ. Filios* 56. *diſtinct.* & ibi etiam Archid. in gloſſ. *penult.* Turrecrem. *num.* 10. Gemin. & Præpoſ. ambo *num.* 2. *& in dict. cap. Ad extirpandas infrà eodem*, Abb. Antiq. *num.* 1. Joan. Andr. *num.* 6. Martinus de Selva Epiſcopus Pampilonen. quem ibi refert, & ſequitur Bellam. *num.* 3. Collectar. *numer.* 1. *in fin.* dum ultimo loco refert Archid. Butr. *num.* 7. *in fin.* dum hanc opinionem ſimiliter refert ultimo loco, Cardin. in 1. *quæſt.* Anchar. *circa med. verſ. Quærit gloſſa*. Idem tenuerunt Goffred. *in ſumma hujus tit. §. De hac ſecunda*, & in apparatu *dict. cap. Ad extirpandas*, Raymun. *in Summa eodem tit.* §. 3. Frater Joan. in *Summa Confeſſ. quæſt.* 8. Summa Piſanella in *ver. Illegitimus*, Bald. *in c.* 1. *§. Et quia num.* 3. *verſ. Quandoque ut terminus, de his qui feud. dar. poſſ.* Dec. *conſ.* 95. Et pro tenui facultate *n.* 5. *verſ. Adde etiam, quos majori parte cumulavit* & ſequuta eſt Rota in cauſa nullius legitimitatis die 12. Februarii 1574. coram Rubeo, quæ habetur im-

 preſſa

preſſa apud Navarr.*conſ.10.de fil. Presbyt.num nu. 5.verſ.Licet in hoc*, dicit Rotam ſequutam fuiſſe hanc tertiam opinionem tamquam melioribus rationibus fultam, magis communem, magiſque ad plenum per Doctores tractatam, & defenſam: & redarguit Butrium, & Abbatem, quod incautè loquuti fuerint, dum dixerunt communem eſſe in contrarium, & hanc deciſionem poſteà approbavit Rota coram Cardinali Seraphino *deciſ.*1442.*num.* 11. ſecundùm quam conſuluit etiam latiſſimè Navarr. *conſ.9.hoc tit.*

15 Hujus ſententiæ potiſſimum fundamentum eſt, quia filiorum appellatione ex proprietate vocabuli non veniunt
16 nepotes. Quod probatur primo per textum in *l. Quod ſi Nepotes*, *ff. De teſt. tutel* inducendo eum dupliciter. Primò ſcilicet in ſui ratione, dum dicit, aliter enim filii, aliter nepotes appellantur. Quæ quidem ratio cùm generalis ſit, & fundetur in proprietate verborum, concludit non modo in tutela, ſed etiam in quacumque alia diſpoſitione, ut conſiderat Dec.*dict.conſ.95.num.5.verſ. Probatur iſta concluſio.* Deindè inducitur ponderando differentiam, quæ ibi conſtituitur inter liberos, & filios: nam ſi do tutorem liberis, de nepotibus intelligitur: ſecus ſi filiis. Unde gloſſ. in Clem. *unic. in ver. Liberi, de baptiſm.* dicit exceptionem, quæ ibi fit de liberis Regum, & Principum, ut in privatis domibus baptizari poſſint, extendi ad nepotes, & alios deſcendentes, quia loquitur ſub nomine liberorum: Secus ſi dixiſſet de filiis, quia filiorum appellatione regulariter nepotes non comprehenduntur. Similiter gloſſa in *cap.Presbyterorum in ver.Filios 56.diſt.* dicit prohibitionem de filiis Presbyterorum non promovendis ad nepotes non extendi ob præmiſſam rationem, quia non de liberis, ſed de filiis loquitur.

17 Probatur ſecundò in *l.Juſta*, *ff.De verbor. ſignificat.* ubi textus dicit per interpretationem filii appellatione nepotem contineri: Si per interpretationem, ergo non ex proprietate vocabuli, *l.Quicquid aſtringendæ*, & ibi Bart. *in princ, ff. De verborum obligat. l. Labeo*, *ff. De ſuppellect.legat.* Ad idem textus in *l. Filium, ff.ad Macedon.* ubi dictum in filiis habet locum in nepotibus per viam extenſionis, & ſic non ex propria ſignificatione, facit textus in *l.Lege*, §.
18 *Hoc capite*, *ff. De ritu nupt.* ubi Senator non poteſt ducere filiam illius, qui artem ludricam exercuit, & tamen ducit neptem.

19 Probatur tertiò ex *cap.2.§.2.de hæret. lib. 6.* Cujus diſpoſitio dum punit filios hæreticorum, nepotes non comprehendiſſet, niſi de ſecunda generatione expreſſiſſet; & tamen etiam illud in ſpeciali caſu reſtringitur, ut patet in *c.Statutum*, *il ſecondo eodem tit.& lib.*

20 Probatur quartò. Quia conſtat in filio, & nepote diverſas ſpecies eſſe, & diverſos gradus, ut *cap. 1. & 3. & ult. 35. quæſt. 5. l.Juriſconſulti, ff.De gradib. & inſtit.eod.tit.per tot.* & patet ex arbore. Ideòque ſi filius eſt mulieri conjunctus in quarto gradu conſanguinitatis linea æquali, vel inæquali, nepos tuus ex illo, cùm ſit remotior, licitè cum illa contrahit, *cap. ult. de conſanguinitate, & affinit.* Rurſus qui contrahere non poteſt cum filia ſpirituali, contrahere tamen poteſt cum illius filia, cùm hoc prohibitum non reperiatur, ut notat Joan. Andr. in *rubr. infrà de cognat.ſpirit.* Idemque patet in filio ſororis adoptivæ, ut §.*Fratris, verſ. Ejus inſtit. de nupt.*

Si igitur ex proprietate vocabuli appellatione filii non venit nepos, conſequens eſt, ut quod de uno dicitur, alium non comprehendat, *l.Illam*, *C.De collat.* interpretatio autem, & extenſio in caſu præſenti ceſſare debet, cùm hæc prohibitio ſit pœnalis, exorbitans, & odioſa, quia pœnæ, &c. *cap.Pœnis, & cap. Odia de reg. iur. lib. 6.c.Pœnæ, de pœnit.diſt.*1. & generaliter cùm aliquid ſpeciale in filiis inducitur contra jus commune, non extenditur ad ulteriores in gradu, *l.Sed & milites, §. 1.verſ. Hoc autem de filiis, ff.De excuſ. tutor.l.Milites*, *C. De quæſtion.* & poſt Jacob.de Arena notat Bart. in *dict. l. Liberorum num.6.ff.De verb.ſignif.* qui per hoc determinat multas notabiles quæſtiones.

Quid dicendum? Pro ſolutione ſupponendum eſt hunc textum loqui de filio tàm legitimo, quàm illegitimo, & non continere diſpenſationem, & gratiam, prout ſentit Innocentius hìc in princ. ſed jus commune, & juſtitiam ſecundùm intellectum, quem ſequuntur Petrus de Sampſone, Abb. Antiq. Hoſtien. Joan. Andr. & ferè omnes, ut teſtatur Ægid. Bellam. in 1. *qu.* Atque hoc ſuppoſito dicendum eſt hanc quæſtionem hodie eſſe de indubitabili, quia Gregorius XIII. ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii re maturè diſcuſſa declaravit, nec jus commune, nec Conſtitutionem Clementis VII. quæ incipit, *Ad Canonum conditorem*, nec Concilium Tridentinum *ſeſſione 25.cap.15.* obſtare, quo minus nepos legitimus ex filio illegitimo poſſit obtinere beneficium avi; idque tamen vivente, quàm defuncto patre, ut dixi latiſſimè in *d.c.Ad extirpandas in 5.quæſtione*, præſertim *num.38.circa fin.* Si igitur caſus eſt deciſus in nepote ex filio illegitimo etiam in terminis Conſtitutionis Clementis, & Concilii Tridentini; utique multò fortiùs cenſetur deciſus in nepote ex filio legitimo. Ad quod vide bonam gloſſam in *Summa 56. diſt.* & in *cap. Ad abolendam in ver. Maximè infrà eodem*, & ita incunctanter tenendum. Sed nihilominus abs re non erit contrariis reſpondere.

Non obſtat igitur, quod filiorum appellatione aliquando comprehendantur nepotes; quia ut ex ſuperioribus patet, hoc non eſt ex propria vocabuli ſignificatione, ſed ex quadam interpretatione, ut dicitur in *dict.l.Juſta de verb.ſignif.* ubi hoc tradit Dyn.& Bar.in *dict.l.Liberorum n.3.ff.eo.*& Jo. Andr. communiter receptus *in dict.cap. Ad extirpandas n. circa fin.verſ. Quæ lex etiam inducitur.* Unde duæ gloſſæ in contrarium allegatæ videntur falſæ, & contra textum in *dict.l.Juſta*, ut animadvertit Bellam.in prædicta Decretali, *Ad extirpandas num.3.col.2.verſ.Cave tamen.* Hæc au- 22
tem interpretatio procedit tantùm ubi eſt tanta, vel ſimilis ratio in nepote, ſicut in filio, & ubi diſpoſitio eſt merè favorabilis reſpectu filiorum, aliàs ſecus, ut notat gloſſ. in *cap. 1. in ver. Filios 56. diſt.* & omnes ſupracitati pro hac opinione, Jaſ.in *l.Gallus, §.Inſtituens à nu.17.ff.De liber.& poſthum.* Alciat.in *dict.l.Iuſta præſertim in ver.Patris*, Paul. de Caſtr. *conſ.* 170. *incipien.Ne impropriis col.* 2. ubi ait appellatione filiorum non venire nepotes ex proprio ſignificatu, nec ex interpretatione in quacumque diſpoſitione legis, vel hominis, quando non tractatur de ipſorum commodo, & favore; & ſequitur illud conſ.Dec.*in conſ.95.Et pro tenui nu. 5. col.5.poſt med.verſ.Et in terminis*, in ſpecie noſtra tradunt Domini de Rota *in prealleg. dec.Nullius legitima-*
tis num. 4. Quinimò Martinus Pampilonenſis, & poſt eum 23
Bellam.in *dict. cap. Ad extirpandas num.3.col.2.poſt princ.* tenuit illum textum non extendi ad nepotes eo fundamento, quia in his prohibitionibus non arguitur ex identitate rationis; Et quia in odioſis, prohibitivis, & exorbitantibus non eſt facienda extenſio ad caſum, qui licèt videatur ejuſdem rationis, tamen non eſt omninò ſimilis, nec ex toto ejuſdem rationis, *cap. Non ſolùm*, *& c.Conſtitutionem de regular. libro 6.* Certum eſt autem hoc caſu non eſſe ſimilem, vel tantam rationem prohibitionis in nepote quanta eſt in filio. Conſtat enim ſucceſſionem in beneficio non equè notari in illo ſicut in hoc, ut poſt alios deducit Rota *in dict.deciſ.num.* 3. & Navarr. *conſ. 9.num.7.de fil.Presbyter.* Non obſtat *d.l.Senatus, ff.De ritu nuptiar.* Quoniam, ut reſpondet Joan. Andr. & alii poſt eum, quamvis ibi videatur tradi regula, ut nomine filii nepos ſignificetur; tamen non eſt ita; imò verius eſt ibi eſſe caſum ſpecialem, ut patet ex prædictis, & ex prealleg. § *Fratris iſtitut. de nupt.*

Secundò QUÆRO. Quid in collateralibus; an ſcili- 24
cet nepos ex fratre prohibeatur obtinere beneficium patrui, vel frater fratris immediatè.

Innocentius in *cap. Ad extirpandas in prin.infrà eod.* dixit hanc prohibitionem extendi non modo ad deſcendentes, ſed etiam ad collaterales, qui petunt jure ſucceſſionis, per *c.Apoſtolica 8.quæſt.* 1. Verum cùm in præcedenti quæſtione firmatum ſit eamdem prohibitionem non porrigi ad nepotem ex filio, utique ex hoc concluditur, ut longè minus porrigatur ad nepotem ex fratre, & alios collaterales, & ita in præalleg. *cap. Ad extirpandas*, tenet gloſſa 1.*verſ. In collateralibus non prohibetur*, Jo. Andr. *in fin.* Bellam.*n.4.* Henric. Boich. *n.* 3. Butr. *n.* 8.& communiter omnes Hoſt. *hic num.8.verſ.Secus eſt de collateralibus.* Collectar. *num.1. in fin.* Bellam.*in 2.qu.verſ.Secus eſt de collaterali*, Butr.*num.* 11. Gloſſa *unic.* licet ſub dictione, *fortè* in *d. c. Apoſtolica*, Sed Archid. *ibi num.* 2. dicit hoc teneas ſine *fortè*, & probatur in *cap. Ex parte, il primo infrà de offic.deleg.in cap.2. de arbitr.& in c. Accedens de accuſat.*

Nec obſtat textus in *d.cap.Apoſtolica*, quoniam prohibet tantùm ſucceſſionem hæreditariam, ut clarè oſtendunt verba illa hæreditario jure valeat vendicare, & hoc videtur in-

intellexiſſe Innoc. in contrarium allegatus : At tunc non quærimus de hujuſmodi ſucceſſione, ſed de illa, quæ ſit ex inſtitutione Epiſcopi, ut benè per Bellam. *hic n.4. verſ. Et iſta plus mihi placet*.

25 Tertiò QUÆRO quid in patre, numquid prohibeatur immediatè ſuccedere in beneficio filii?

26 Ad partem affirmativam arguitur; quia ſucceſſio in beneficiis Eccleſiaſticis generaliter prohibetur, *cap. Apoſtolica 8. qu. 1.* ſicut autem filius ſuccedit patri, ſic & pater filio, licèt turbato ordine mortalitatis, *l. Nam et ſi parentibus, & l. præced. ff. De inoff. teſtam.* & uterque habet querelam, ut in Auth. *Ut cum de appell. cognoſ. §. Illud quoque.* Item eadem ratio eſt in utroque ex correlativis: ergo & idem jus eſſe debet, ut legitur, & notatur in *c. Tranſlato ſup. de conſtit. & in c. Inter cæteras de re reſcript.* & ita per has rationes concludit Hoſt. *hic n.9.* cum quo videtur tranſire Collectar. *n.1. verſ. Item nota*, & Archid. in *dict. cap. Apoſtolica n.3.*

Sed his non obſtantibus contrarium tenuerunt, licèt hæſitanter, Joſ. *in d. c. Apoſtolica*, in gloſſ. *unic.* Alan. Tancred. Vincent. & Philipp. *in cap. Quoniam infra eodem*, & firmant hìc Joan. Andr. *num.3.* Bellam. *num.4.* Butr. *num. 11.* Cardin. *in 2. qu.* & Anchar. *num.2.* Rebuff. *in Praxi benefic. tit. de diſpenſat. ſuper defec. natal. num. 29.* & hanc opinionem contra Hoſt. affirmat eſſe veriorem, Butr. *d. num. 11.* & communem, atque tenendam Gigas *in tract. de penſion. quæſt. 86. num. 16.* & Hicol. Garz. *de benef. par. 7. cap. 3. num. 28.*

Et probatur, quia pater nullibi reperitur prohibitus ſuccedere in beneficio filii: & cum materia ſit exorbitans, odioſa, & pœnalis, non debet fieri extenſio de filiis ad parentes, *c. Pœnæ de pœnit. diſt. 1. c. Quia nonnulli ſuprà de reſcript. cap. Quæ à jure, & c. Odia de reg. jur. lib. 6.* Quòd enim non eſt ſanctorum Patrum decreto ſancitum, &c. *c. Conſuluiſti 2. qu. 5. & c. Inter corporalia, §. Sed neque ſuprà de tranſlat. Epiſcop.* cum concord. *ad cap. Apoſtolica 8. qu. 1.* ſufficienter reſponſum eſt in præcedenti quæſtione in fin. Quod nota pro intellectu Concilii Tridentini *c. 15. ſeſſ. 25. de reform.* ut locum non habeat in caſu converſo; cum præſertim per perſonam filii magis repræſentetur incontinentia paterna, quàm per præſentiam patris, ut dicit Sacra Congregatio Concilii in declaratione relata à Garzia *d. c. 3. nu. 75.*

An autem ſicut pater poteſt immediatè ſuccedere in beneficio filii, vel obtinere beneficium in Eccleſia, in qua ejus filius olim fuit beneficiatus, ita etiam poſt Concil. Trident. in *d. c. 15.* poſſit obtinere beneficium in Eccleſia, in qua ejus filius illegitimus de præſenti reperitur intitulatus, vide per eumdem Garziam negativè concludentem *in d. c. 3. n. 30.* 27

DE FILIIS PRESBYTERORUM.

Idem Alexander III. eidem Archiepiſcopo Cantuarien.

CAPUT XI.

AD extirpandas ſucceſſiones: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi qui filii Presbyterorum Provinciæ tuæ teneant Eccleſias, in quibus patres eorum tamquam perſonę, vel vicarii nulla perſona media miniſtrarunt, eos (ſive geniti ſint in ſacerdotio, ſive non) ab eiſdem Eccleſiis non differas amovere.

SUMMARIUM.

1 *Filius etiam legitimus removetur ad Eccleſia in qua immediatè ſucceſſit patri Vicario vel Rectori, & n.5.*
2 *Archiepiſcopus habet juriſdictionem in ſubditum ſuffraganei, qui publicè beneficium detinet illicitè.*
3 *Et eſt judex in communi vitio provinciæ.*
4 *Filius Sacerdotis appellatur etiam genitus ante Sacerdotium.*
5 *Filius legitimus quamvis non poſſit immediate ſuccedere in beneficio patris; poteſt tamen beneficiari in Eccleſia, cui pater præeſt.*
6 *Secus in filio illegitimo.*
Intellectus c. Ad abolendam, infra eod. *ibid.*
7 *Filius illegitimus de jure communi poteſt intitulari in beneficio, quod pater obtinuit mediatè.*
Secus ex conſtitutione Clem. VII. & Conc. Trident. num. 9. & 12.
8 *Media perſona purgat vitium ſucceſſionis.*
10 *Sex differentiæ inter jus commune, & jus noviſſimum Conſtitutionis Clemen. VII. & Concilii Tridentini circa ſucceſſionem illegitimorum in beneficiis parentum, & n. ſeqq. uſque ad n. 26.*
11 *Filii illegitimi non modo Presbyterorum, ſed etiam Clericorum hodie repelluntur à beneficiis parentum.*
13 *Filius illegitimus non poteſt obtinere beneficium in Eccleſia, in qua pater de præſenti eſt beneficiatus.*
14 *Poteſt tamen de jure communi habere aliud beneficium ab eo, quod in ead. Eccleſia pater habuit in præteritum, niſi in caſu, &c.*
Secus ex Concilio Tridentino, ibid.
15 *Filius illegitimus poteſt intitulari in Eccleſia, cui pater præfuit ſine titulo, & tamquam Capellanus ad nutum amovibilis.*
16 *Secus ex Conſtitutione Clem. VII.*
17 *Conſtitutio Clem. VII. contra illegitimos an fuerit correcta per Concilium Tridentinum.*
Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.
18 *Argumentum à contrario ſenſu non procedit ad correctionem juris communis, nec quando non ſumitur à contrario ſenſu rationis, ſeu mentis legis, ſed ſimpliciter à contrario ſenſu litteræ.*
19 *Filius illegitimus hodie non poteſt eſſe Capellanus amovibilis in Eccleſia, in qua pater fuit intitulatus.*
20 *Item nec Cantor.*
21 *Dictio,* quoquomodo, *generalem modum includit.*
Diſpoſitio excludens illegitimum ab Eccleſia, in qua pater cenſetur favorabilis, & amplianda, ibid. & num. 37. & 44.
22 *Filius illegitimus an hodie poſſit celebrare devotionis gratia in Eccleſia, in qua pater.*
23 *Filii illegitimi non poſſunt hodie obtinere penſiones ſuper beneficiis, quæ eorum patres habent, vel habuerunt.*
24 *Cum illegitimo ad dignitatem perſonatum, & beneficium Curatum ſolus Papa diſpenſat, ad ſimplex verò beneficium diſpenſat etiam Epiſcopus.*
25 *Sed ad beneficium paternum etiam ſimplex ſemper requiritur diſpenſatio Apoſtolica.*
26 *Penſionem habens ſuper Parochiali, ad quam fuit præſentatus cum facultate trasferendi, an poſſit eam transferre in Filium illegitimum ad penſiones obtinendas diſpenſatum, & num. ſeqq.*
27 *Illegitimus diſpenſatus ad Ordines cenſetur etiam diſpenſatus ad penſiones, & beneficia ſimplicia.*
28 *Præſentatio non tribuit titulum, ſed tantummodò jus ad rem.*
29 *Nec per eam contrahitur ſpirituale coniugium, ſicut per inſtitutionem, & electionem.*
30 *Filius illegitimus poteſt obtinere beneficium in Eccleſia, in qua pater olim fuit intitulatus, ſed poſſeſſionem nec per ſe, nec per Procuratorem habuit.*
31 *Beneficium intelligitur cum apprehenſione poſſeſſionis.*
32 *Filius illegitimus prohibetur obtinere beneficium, quod olim ejus pater abſque legitimo titulo, & minus pacificè aliquandiu poſſedit.*

33 *Filius*

33 *Filius legitimatus per reſcriptum Principis prohibetur obtinere beneficium in Eccleſia, in qua pater.*
Secus ſi ſit legitimatus per ſubſequens matrimonium.

34 *Filius illegitimus, cujus pater fuit Rector Eccleſiæ Matricis, an poſſit obtinere filialem dependentem, ſeu aliàs illi unitam.*

35 *Nepos legitimus ex illegitimo patre, an admitti poſſit ad beneficium, quod ipſius avus habuit, non obſtante Concilio Tridentino cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *& num. ſeqq. uſque ad n.* 48.

36 *Nepotes an comprehendantur filiorum appellatione, & num. ſeqq.*

38 *Pater prohibitus relinquere filio ſpurio, non cenſetur prohibitus relinquere nepoti legitimo ex filio ſpurio.*

40 *Nepos legitimus ex filio illegitimo, an prohibeatur obtinere beneficium avitum vivente avo, & patre, adeòut in ejus favorem, nec avus reſignare, nec penſio conſtitui poſſit.*

41 *Reſignationes reciprocæ parentum Clericorum in favorem filiorum reprobantur à Concilio Tridentino.*

42 *Patri ſuper fructibus beneficii, quod filius obtinet, non acquiritur uſusfructus, ſicut in peculio Caſtrenſi, vel quaſi.*

43 *Nepos legitimus ex patre illegitimo eo mortuo non recidit in poteſtatem avi.*

44 *Finis attendi debet ad dignoſcendum, an diſpoſitio cenſeatur favorabilis, vel odioſa.*

45 *Nepotes in materia favorabili veniunt filiorum appellatione, etiamſi diſpoſitio loquatur de filiis ex ſe natis.*

46 *Parentum appellatione avi, & proavi continentur.*

47 *Filii illegitimi quas ob cauſas excludantur ab Eccleſiis parentum.*

48 *Nepos illegitimus ex filio itidem illegitimo, an excludatur à beneficio avi.*

1 A*D extirpandas.* Filius etiam legitimus removetur
ab Eccleſia, in qua immediatè ſucceſſit Patri Vicario,
vel Rectori, hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. & alios poſt
eum. In prima parte ponitur deciſum exordium. In ſecunda
proviſio ibi, *Fraternitati*, & refertur integra ab Antonio
Auguſtino in 2. *collect. Decretal. lib.* 2. *tit.* 9. *cap.* 1.

Nota primò ex principio Decretalis, cauſam, ob quam
filius prohibetur inſtitui in Eccleſia patris, videlicet, quia
per hoc notatur ſucceſſio in beneficiis Eccleſiaſticis, quæ
deteſtabilis eſt, & ſacris canonibus inimica, *cap. Accepimus*,
& ibi dixi in 3. *notab. ſupra de pact. cap. Ex tranſmiſſa in fin. ſupra hoc tit. & cap. Ad abolendam infra eod.*

2 Secundò nota ibi, *Provinciæ tuæ*. Et ſigna caſum notabilem,
in quo Archiepiſcopus in ſubditos ſuffraganei
habet juriſdictionem, videlicet quando publicè Clericus
3 beneficium detinet illicitè, ut hic per Butr. *in* 2. *notab.* Et
ex hoc notat Hoſt. *in princ.* Metropolitanum eſſe judicem
in communi vitio Provinciæ, ad idem *cap. fin. ſupra de reſcript.*
ad hoc *cap.* 3. *infra de inſtitut.* & conſentiunt hìc Joa.
Andr. *num.* 1. *in ver. Provinciæ*, Bellam. & Cardin. ambo *in
princ.* Anchar. in 2. *not.* & Joan. de Anan. *num.* 1. Quod nota
ad declarationem eorum, quæ habentur in *cap. Paſtoralis
infrà de offic. Ordinar.*

4 Tertiò nota, filium Sacerdotis appellari & illum, qui
Ante Sacerdotium genitus eſt, ut hìc probatur evidenter;
nam primò textus dicit filii Presbyterorum, & paulò infra
ſubjungit, ſive geniti ſint in Sacerdotio, ſive non; concordant
text. in *c. Inter cæteras ſuprà de reſcript.* & ibi vide
quod ſcripſi in 3. *not.* de Joan. Andr. qui fuit filius Sacerdotis,
ſed non in Sacerdotio procreatus.

5 Quartò nota ibi, *Nulla perſona media*. Filium etiam
legitimum non poſſe immediatè ſuccedere in beneficio patris,
ut hìc, niſi cum eo per Apoſtolicam ſedem fuerit diſpenſatum,
cap. Ex tua ſuprà eodem. Nam etiam de filiis
ex legitimo matrimonio ſuſceptis intelligitur hæc littera,
arg. *cap. Ex tranſmiſſa, & cap. Conſtitutus ſupra eodem*, ſecundùm
gloſſam *final. hìc*, Innocen. *in fin. in ver. Filii*, Hoſt.
num. 1. *in ver. Sacerdotio*, Joan. Andr. Bellam. Card. & omnes
ſupra in Summar. & Butr. in 5. *not.*

Cæterùm etſi filius legitimus non poſſit intitulari in ipſomet
beneficio, quod immediatè pater obtinuit; poteſt
tamen beneficiari in Eccleſia, cui pater præfuit, aut præeſt,
c. Ad hæc, & ibi notat gloſſ. *final.* communiter approbata
infrà eod. & Hoſt. *hic num.* 1. *in ver. Sine non*. Nec obſtat 6
c. Ad abolendam infrà eod. quoniam ille textus procedit tantùm
in filio illegitimo, qui in Eccleſia paterna præbendari
non debet. Et illa dictio, *maxime*, exponitur pro tantùm,
ut ibi notat gloſſ. 2. & communiter Doctores. Vel dic meliùs
dictio, *maxime*, ibi ponitur ad differentiam illegitimorum,
qui ante Sacerdotium ſunt geniti, itaut ſit ſenſus; Filii
illegimi, id eſt naturales, & non in Sacerdotio, imò dum
laici erant procreati, & maximè ſpurii, id eſt, geniti in Sacerdotio,
Canonci in Eccleſiis Patrum ſuorum eſſe non poſſunt.
Et ſic dictio, *maxime*, ſtat in propria ſignificatione, &
implicat idem in ſenſu contrario, ſed legitimos non includit,
& hunc intellectum ad illum textum poſuit gloſſ. ſeqq.
in ver. *In ſæcularibus*, & Hoſt. *in Summ. hoc tit.* §. *Qui filii circa
princ.* concordat *cap. Cum decorem infrà eodem*.

Quintò nota in iiſdem verbis, *Nulla perſona media*. 7
A contrario ſenſu filium illegitimum hoc jure inſpecto
poſſe intitulari in beneficio, quod pater obtinuit mediatè;
id eſt, cum eo vita functo media interceſſit perſona, cui
beneficium illud eſt collatum, ut in *cap. Ex tranſmiſſa ſup.
eod.* Nam perſona media purgat vitium ſucceſſionis, ut il- 8
lic notant Innoc. in *ver. Decreto*, Hoſt. *num.* 3. Joan. Andr.
num. 2. Butr. *num.* 4. & communiter omnes.

Cæterùm adverte, nam quantum ad ſucceſſionem me- 9
diatam illegitimorum in beneficiis parentum hæc Decretalis
Alexandri III. nominatim corrigitur à Clement. VII.
in Conſtitutione 30. incipien. *Ad Canonum conditorem*, in
Bullar. *tomo* 1. *pagina* 598. quia ſtatuitur, ut de cætero filii
Presbyterorum ex fornicatione nati quæcumque beneficia
Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura ſæcularia, & quorumvis
ordinum regularia, quæ eorum Patres Presbyteri, &
Clerici, ac Religioſi in titulum, vel commendam, ſeu
adminiſtrationem ad tempus, vel in perpetuum aliquando
obtinuerunt, nullo umquam tempore quoquomodò
obtinere poſſint, non obſtante quòd Alexander III. diſpoſuerit
filios Sacerdotum poſſe ſuccedere in beneficiis parentum
media intercedente perſona.

Idipſum, quamvis non ita clarè, poſteà ſanxit Tridentina
Synodus in *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de reformat.* in hæc verba:
Ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis, quos maximè puritas, ſanctitaſque decet, longiſſimè arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio in Eccleſiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam diſſimile beneficium obtinere; nec in dictis Eccleſiis quoquomodo miniſtrare; nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere. Hæc ibi: verba enim illa, *longiſſimè arceatur*,
repellunt filium illegitimum à beneficio
paterno, etiamſi media perſona interceſſerit, & ita declaravit
S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres.

Nam conſulta, an filius illegitimus obtinere poſſit beneficium
in Eccleſia, in qua ejus pater fuit etiam beneficiatus,
media tamen alia perſona: reſpondit non poſſe,
quia illa diſtinctio, an pater mediatè, vel immediatè obtinuerit,
procedit (*ſcilicet poſt Concilium*) tantùm in
legitimis.

Porrò ex contextu tam Conſtitutionis Clementis VII. 10
quàm Concilii Tridentini *in dict. capite* 15. *ſeſſione* 25. collige
ſex notabiles differentias inter jus noviſſimum, & jus
commune antiquum in materia ſucceſſionis filiorum illegitimorum
in beneficiis parentum.

Prima differentia eſt, quia de jure communi non erat 11
uſquequaque clarum, an excluderentur à beneficiis parentum
filii illegitimi Clericorum: nam de filiis Presbyterorum
inſcribitur hæc rubrica, de quibus etiam loquitur
c. Ad præſentiam, & c. Præſentia ſup. eod. Item filiis Sacerdotum,
non autem Clericorum congruit ratio prohibitionis,
quæ habetur in *cap. Cùm decorem in fine infrà
eod.* videlicet, quia indecorum eſt, ut in Altaris officio illegitimus
filius impudico patri miniſtret, in quo unigenitus
Dei Filius Æterno Patri pro ſalute humani generis victimatur.
Nec obſtat *c. Ex ſua ſuprà eodem*, ubi improbatur,
ut filii Sacerdotum, vel Clericorum obtineant immediatè
Eccleſias parentum ſine diſpenſatione Apoſtolica.
Quoniam verba illa, vel Clericorum, referri poſſunt ad
filios legitimos, cùm & ipſi prohibeantur obtinere Eccleſias
parentum nulla intercedente perſona, *c. Ex tranſmiſſa*,

& cap.

& cap. *Conſtitutus ſuprà eod.* & fuſius oſtenſum eſt ſupra *in 4. notab.* & eodem modo reſpondetur ad hoc cap. ubi excluduntur filii ſive ſint geniti in Sacerdotio, ſive non: nam verba illa, *ſive non*, ſunt appoſita propter legitimos, qui pariter repelluntur ab Eccleſiis, quàs patres proximè obtinuerunt, ut prædixi. Verùm hanc dubitationem ſuſtulit jus noviſſimum memoratæ Conſtitutionis Clementis VII. quæ nominatim excludit etiam Clericorum filios, ut patet ex illis verbis: *Presbyteri, Clerici, ac Religioſi eorum patres;* & conſonat Concilium Tridentinum in *dicto cap.* 15. *ſeſſ.* 25. ibi: *Non liceat filiis Clericorum*. Quamobrem beneficium ſimplex, quod pater in minoribus ordinibus conſtitutus aliquando obtinuit, filius illegitimus hodie nullatenus poteſt obtinere ſine diſpenſatione Papæ, qui ſolùm diſpenſat contra Concilium generale, ut ſcripſi plenè in *cap. fin. infrà eod.*

12 Secunda differentia eſt, quia de jure communi filius illegitimus prohibetur inſtitui in beneficio patris immediatè tantùm, non autem mediatè; quia perſona media purgat vitium ſucceſſionis, ut *hic*, *& in concordantibus*, *de quibus ſuprà in* 5. *notab.* ſecus ex Conſtitutione Clementis VII. & Concilio Tridentino, quia prohibita eſt ſucceſſio illegitimorum etiam mediata, ut dixi ſuprà *n.* 19.

13 Tertia differentia eſt, quia ex diſpoſitione juris communis, quamvis filius illegitimus non poſſit obtinere beneficium in Eccleſia, in qua pater de præſenti eſt beneficiatus, ut eſt text. in *c. Cùm decorem*, *& c. ſeqq.* & utrobique
14 omnes notant *infrà eod.* Poteſt tamen obtinere aliud beneficium ab eo, quod in eadem Eccleſia pater habuit in præteritum, ſed non habet de præſenti; niſi debeat patri miniſtrare, ut per Abb. *in dict. cap. Cùm decorem n.* 1. *verſ. Credo*, & niſi ſit perſonatus illius Eccleſiæ, cujus Vicariam perpetuam immediatè habuit pater ſuus, vel è contra, *cap. Michael ſuprà eodem*, & notat Henric. Boich. in *c. ult. n.* 10. *infrà eod.* Verùm ex Concilio Tridentino in *d. c.* 15. *ſeſſ.* 25. filio illegitimo non licet obtinere beneficium etiam diſſimile in Eccleſia, in qua pater in præteritum fuit beneficiatus, licèt non ſit in præſenti, ut patet ibi, *habent*, *vel habuerunt*.

15 Quarta differentia eſt, quia jure communi inſpecto filius illegitimus poterat obtinere Eccleſiam, in qua pater ſine titulo miniſtravit, ut Vicarius temporalis, ut leg. & not. in *c. Conſtitutus ſup. eod.* & declarat Henr. Boich. in *d. c. ult. nu.* 7. *verſ. Et tunc aut quæris inf. eod.* & quoad hoc nil novi juris ſtatuit Concilium Tridentinum in *d. cap.* 15. quia reſpectu patris requirit beneficium, ſicut requirit jus commune, ut *in d. cap. Conſtitutus, & in c. Cùm decorem infrà eod.* & ita declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii Interpres, ut in ſubjecta declaratione, videlicet: An illegitimus prohibeatur acquirere beneficium in Eccleſia, in qua pater numquam fuit intitulatus, ſed aliàs celebravit, vel inſervivit tamquam Capellanus ad nutum amovibilis, & Sacramenta miniſtravit, ſed non habuit in ea titulum proprium Capellani, aut alterius beneficii: S. Cong. cenſuit non prohiberi.

16 At ex Conſtitutione Clement. VII. ſecus dicendum videtur, quia diſertis verbis in ea prohibetur, ne filii Presbyterorum ex fornicatione nati obtinere poſſint adminiſtrationes, officia, vel alia quæcumque beneficia etiam regularia, quæ eorum patres in titulum, vel commendam, ſeu adminiſtrationem ad tempus, ſeu in perpetuum aliquando obtinuerunt. Atque ita filius illegitimus non videtur poſſe obtinere beneficium manuale, ſeu vicariam, aut commendam temporalem, quam pater obtinuit: tales enim ſunt commendæ: vel adminiſtrationes ad tempus, de quibus loquitur conſtitutio, ut patet in *dicto cap. Conſtitutus ſuprà eodem*, *& in cap. Nemo de elect. lib.* 6. Item tales ſunt adminiſtrationes, ſeu beneficia manualia Regularium, de quibus ibi fit mentio, ut in Clem. *Quia Regulares*, §. *Præmiſſa*, & ibi gloſſ. in *ver. Revocari de ſuppl. neglig. Prælat.*

17 Sed dices Concilium Tridentinum *in dict. cap.* 15. *ſeſſ.* 25. ſolùm prohibet ne filius illegitimus poſſit habere beneficium, vel penſionem, aut miniſtrare in Eccleſia, in qua pater fuit beneficiatus. Ergo à contrario ſenſu hoc permittit, ſi pater ibi non fuit beneficiatus, ſed tantùm conductitius, arg. *l. Cum Prætor, ff. De judic. & cap. Nonne infrà de præſum.* & conſequenter Conſtitutio Clement. VII. videtur revocata per legem Concilii poſteriorem illi contrariam, *cap.* 1. *de Conſtitut. lib.* 6. *l. Sed & poſteriores, ff. De legib. & in* 1. *conſtitut. C.* §. *Quidam*, & fortè cùm Concilium gravaverit filium illegitimum in hoc, ut non poſſit miniſtrare, vel penſiones obtinere in Eccleſia, in qua pater fuit intitulatus, ſicut poterat de jure communi, voluit eum relevare in alio, ut poſſit præfici Eccleſiæ, in qua pater miniſtravit ſine titulo, arg. *l.* 1. *in fin. ff. De iis, quia ante apertas tab. l. fin. C. De inſtit. & ſubſtit. & l. Eum qui, ff. De jurejur.*

18 At reſponderi poteſt argumentum à contrario ſenſu non procedere, quando ejus argumenti contrarium reperitur in jure expreſſum, *cap. Si qui à ſimoniacis* 1. *quæſt.* 1. *l. Conventiculam, Cod. De Epiſcop. & Cleric.* & notat Joan. Andr. *in cap. Publicato num.* 18. & Butr. *num.* 24. *ſuprà de elect.* & ita ſumi non poteſt ad correctionem Conſtitutionis Clementis VII. *cap. A nobis, il ſecondo*, & ibi Abb. *nu.* 4. & Felin. *num.* 1. *verſ. Nota argumentum infra de ſent. excommun.* gloſſ. *in Clement.* 1. *in ver. Obſervare eod. tit.*

Præterea cùm Decretum *dict. cap.* 15. emanaverit in odium illegitimorum, & ad arcendam memoriam paternæ incontinentiæ à locis Deo ſacratis, ut patet ibi *in princ.* eſſet contra mentem Concilii, ut in eorum favorem redundaret, arg. *l. Legata inutiliter, ff. De adimendis Legatis*, & notat gloſſ. in *c. Quod ob gratiam in fin. de reg. jur. lib.* 6. Argumentum autem à contrario ſenſu generaliter non procedit, quando non ſumitur à contrario ſenſu rationis, ſeu mentis Legis, vel Canonis, ſe ſimpliciter à contrario ſenſu litteræ, *cap. Quod dicitur cum ſua gloſſ. & cap. Joſeph infra de verb. ſignificat.* & notat Everard. *in ſua centuria legali in loco à contrario ſenſu num.* 21.

Adverte tamen, quia in Conſtitutione Clementis VII. quàm ad litteram referunt Gigas *de penſion. qu.* 86. *in princ.* & Navarr. *in cap. Si quando except.* 2. *in princ. de reſcript.* & ſummatim Nicolas Garz. *de benef. par.* 6. *cap.* 3. *nu.* 9. deſunt illa verba, *ad tempus, ſeu in perpetuum*, & eorum loco leguntur ſequentia, videlicet, *ſeu ut aliis perpetuò unita*, & poſita hac lectura ceſſaret hæc tertia differentia, & ſervandum eſſet jus vetus. Sed prima lectura habetur etiam in Bullario veteri in *Conſtitut.* 31. *Clem. VII. pag.* 221. Quod nota quia ad prædicta conſtitutionis verba Doctores non advertunt.

19 Quinta differentia eſt, quia de jure communi non reperitur prohibitum, quo minus filius illegitimus poſſit miniſtrare ſine titulo, & tamquam Vicarius temporalis in Eccleſia, in qua pater fuit beneficiatus. Nam jura omnia excludunt filios Sacerdotum à beneficiis parentum dumtaxat, non autem ab adminiſtratione ſine titulo Eccleſiaſtici beneficii, ut patet hoc titulo ferè per totum, Et in hoc concordat conſtitutio Clementis VII. Sed Concilium Tridentinum diſertis verbis prohibet, ne illegitimi in Eccleſiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, vel habuerunt, poſſint quoquomodò miniſtrare. Unde ex Concilio illegitimus prohibetur eſſe Capellanus amovibilis in Eccleſia, in qua pater fuit intitulatus.

20 Quinimò propoſito dubio, an filius illegitimus prohibeatur eſſe Cantor in Eccleſia, in qua pater eſt beneficiatus, die 2. Decembris 1574. Sacra Congregatio cenſuit, filium hunc cenſeri prohibitum eſſe Cantorem in Eccleſia,
21 in qua pater eſt Beneficiatus. Tum quia licèt propriè non dicatur filius Cantor miniſtrare; tamen Concilium utendo illa dictione, *quoquomodo*, includit generalem modum, licèt propriè non dicatur miniſterium. Tum quia hæc materia tendens ad decorem, & honeſtatem Clericalem, non eſt odioſa, ſed favorabilis; ideò ad improprium eſt extendenda. Tum quia militare videtur illa ratio, ne memoria incontinentiæ paternæ. Tum quia poteſt contingere, ut pater celebret Miſſam Conventualem, & canat: Surſum corda; filiuſque cum aliis Cantoribus canat: Habemus ad Dominum, & ſic filius patri miniſtret voce ſua in Altari. Et ideò ex duodecim Cardinalibus novem fuerunt in hac ſententia, ut filius comprehendatur decreto *d. c.* 15.

His addo Navarr. *conſ. num.* 46. *de Conſtitut.* ubi conſulit filium illegitimum non poſſe Subdiaconatus, vel Diaconatus officio fungi, neque Sacriſtam, vel Cantorem agere in Eccleſia, in qua pater eſt beneficiatus; quia negari non poteſt quin hujuſmodi actus exercendo in illa Eccleſia aliquo modo miniſtret.

22 Ampliùs putat ibi Navarrus, nec licere illegitimo in tali Eccleſia Miſſam privatim celebrare tamquam extero, & peregrino Sacerdoti: quia etſi videatur non tam miniſtrare in Eccleſia, quàm ſuæ conſolationi conſulere: ne-

negari tamen non poteſt eum miniſtraſſe aliquo modo in illa Eccleſia in Altaris miniſterio; & conſtat rationem arcendi memoriam paternæ incontinentiæ attingere aliqua ex parte celebrationem illam privatam; & ratio legis eſt anima legis, ut Dyn. ait in *cap.fin.de reg.jur.lib.6.* Licèt & Navarri ſententiam in hoc ultimo nimis eſſe rigoroſam, & conſuetudinem eſſe in contrarium affirmet Emmanuel Rodriq. *de regular. tomo 1. cap. 247, num.* 1. quem refert, & ſequitur Nicol. Garz. *in tract. de benefic. par. 7. cap. 3. n. 70.*

23 Sexta differentia eſt, quia filio illegitimo diſpenſato ad penſiones obtinendas non eſt prohibitum de jure communi obtinere penſionem ſuper beneficio paterno: hæc enim decretalis, & jura concordantia tantummodò eum repellunt à beneficio, cujus appellatione non venit penſio, *cap. Quamvis*, ubi hoc notat Franc. *num.* 3. *de præbend. lib. 6.* Sarnen. *in regul. de infir. quæſt.* 16. Paleot. *de noth. & ſpur. cap. 58. num.* 4. & probavi latiſſimè in *cap. Ad audientiam, il ſecondo à num. 74. uſque ad num.* 121. *ſuprà de reſcript.* poſt Abb. *ibi num.* 2. & Felin. *in princ.* & in terminis Conſtitutionis Clement. VII. ſic probat Gigas *de penſion. qu. 86. num.* 4. *& 5. verſ. Prædictis tamen non obſtantibus.* At Concilium in *d.c.* 15. *ſeſſ.* 25. ſtatuit expreſsè, ne illegitimi habere poſſint penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt.

24 Porrò in omnibus caſibus, in quibus ſuperiùs dictum eſt, illegitimum poſſe obtinere beneficium, hoc intelligas tu, per diſpenſationem Papæ, ſi ſit dignitas, perſonatus, aut beneficium curatum, Vel per diſpenſationem Epiſcopi, ſi beneficium ſit ſimplex, ut *cap. 1. ſup. eod. & infrà cap. ult. & cap. 1. eod. tit. lib. 6.* Archid. *in ſumma 66. diſt.* gloſſ. *fin.* & Henric. Boich. poſt alios quos citat *in d. c. ult. num. 4. 5. & 6. infrà*

25 *eod.* Ut autem filius illegitimus obtinere poſſit beneficium patris, neceſſaria eſt diſpenſatio Apoſtolica, qualecumque ſit beneficium, ut in *cap. Ex tua ſuprà eodem*, & hoc propter duplex impedimentum, id eſt, illegitimitatis, & ſucceſſionis, arg. *cap. 2 infrà eod. lib. 6.* & tenet Specul. *in rubr. delegato, §. Nunc oſtendendum, verſ.* 63. Joan. Monach. *in d. c. 1. ſuper ver. Natalium*, quos refert, & ſequitur Henric. Boich. *in d. c. ult. n. 9. verſ. Si non intervenit infrà eodem.*

26 QUÆRO: Poſito Trident. Concilii decreto *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de reform.* Utrum Sacerdos habens generaliter facultatem traſferendi penſionem ſibi authoritate Apoſtolica reſervatam ſuper fructibus Parochialis Eccleſiæ, ad quam anteà præſentatus fuerat abſque ulla inſtitutione, poſſit eamdem penſionem transferre in Clericum ejus filium illegitimum ad penſiones, & beneficia Eccleſiaſtica obtinenda à Sede Apoſtolica diſpenſatum.

27 Videtur affirmativè reſpondendum: nam ex parte filii ſublatum eſt impedimentum illegitimitatis per Apoſtolicam diſpenſationem, per quam fuit habilitatus ad Clericatum; & conſequenter ad obtinendas penſiones, & beneficia ſimplicia, ut notat Innocentius in *cap. ult. num. 2. infrà eodem*, Oldrad. *conſ.* 215. *Puncta brevia num. 6. verſ. Quædam ex intentione*, Calder. *conſ. 66. num. 2. verſ. Quædam diſpenſatio*, quod eſt unicum *in tit. de filiis Presbyteror.* ex parte autem patris Sacerdotis impedimentum non adeſt: nam decretum Concilii *dict. cap.* 15. *ſeſſ.* 25. non prohibet quominus filii illegitimi poſſint obtinere penſiones, quas eorum parentes obtinuerunt, ſed tantùm prohibet filios illegitimos obtinere penſiones ex fructibus beneficiorum, quæ parentes obtinebant, vel aliàs obtinuerunt; & ſic re-

28 quirit, ut patres fuerint intitulati. At in caſu præſenti pater non obtinuit Parochialem Eccleſiam, ſuper cujus fructibus habuit penſionem; ſed tantùm fuit ad ipſam præſentatus; atque ita non habuit titulum, ſed tantùm jus ad rem, *cap. Quod autem de jure patrim.* & notatur in *cap. Cum Ber-*

29 *toldus de re judicat.* Præſentatio enim dicitur quoddam inchoamentum ad inſtitutionem obtinendam, Abb. *conſ.* 76. *Plura num. 3. verſ. Confirmo prædicta lib.* 2. neque ex præſentatione contrahitur cum Eccleſia matrimonium ſpirituale, ſicut contrahitur ex inſtitutione, vel electione. Lapus *allegat. 76. num. 4. verſ. Hinc eſt.* Deficiente igitur hoc caſu intitulatione non intrat diſpoſitio Concilii: Ideòque Sacra Congregatio, ut dixi *ſuprà num.* 16. jam cenſuit filium illegitimum non prohiberi obtinere beneficium in Eccleſia, in qua ejus pater numquam fuit intitulatus ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, licèt pro Capellano amovibili in eadem Eccleſia inſervierit, ut etiam tradit Pariſ. *de reſignat. benef. lib.* [illegible] *q. 4. n. 22. &* [illegible] *qu. 2. n. 108. uſque ad n.* 112. & Gonzal. *ad regul. 8. Cancellariæ gloſſ. 5. §. 5. nu.* 23. ubi in terminis aſſerunt decretum Concilii non obſtare quo minus pater habens poteſtatem transferendi penſionem, quam poſſidet, poſſit illam transferre in filium ſuum Clericum illegitimum. Sed nec jus commune ante Conſtitutionem Clementis VII. obſtare, probat Gigas *de penſ. q. 86. n. 5. verſ. Prædictis non obſtantibus.*

Quamobrem ad dubium ſuperiùs propoſitum Sacra Congregatio Cardinalium Trident. Concilii Interpretum cenſuit ejuſdem Concilii decretum *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. non obſtare, quin prædictus Sacerdos penſionem ſibi, ut proponitur, reſervatam transferre poſſit in Clericum ejus filium illegitimum.

Secundò QUÆRO: An filius illegitimus poſſit obtinere beneficium in Eccleſia, in qua pater olim jus habuerat ad quoſdam Canonicatum, & Præbendam in eadem Eccleſia Cathedrali, ſuper quibus tamdiù litigaverat, quouſq; ceſſerat juri ſibi competenti, nec umquam in ejuſdem Canonicatus, & Præbendæ pacifica poſſeſſione fuerat, nec umquam tamquam Canonicus in Choro, vel in Capitulo dictæ Eccleſiæ comparuerat, vel inſervierat. 30

Breviter reſpondeo ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, Si Pater poſſeſſionem apprehendit etiamſi per ſolùm Procuratorem apprehendiſſet, filium comprehendi *dict. cap.* 15. *ſeſſ.* 25. Sed ſi pater numquam poſſeſſionem habuiſſet, neque per ſe, neque per Procuratorem, filium non comprehendi: nam quando lex loquitur de obtinentibus 31
beneficium, intelligitur cum apprehenſione poſſeſſionis, *cap. Si tibi conceſſo de præbend. lib. 6.* gloſſ. *pragm. ſanct. tit. de collat. §. Item inſuper in ver. Obtinebunt*, & *de pacif. poſſeſſ. §. Ordinarii in ver. Inquirant, fol.* 76.

Itaque poſſeſſio principaliter ſpectanda eſt. Quinimò 32
Sacr. Congregatio cenſuit filium illegitimum prohiberi ex Concilio obtinere beneficium, quod olim ejus pater abſque legitimo titulo, & minus pacificè aliquandiù poſſedit.

Tertiò QUÆRO, An prohibitio Concilii *d. c.* 15. *ſeſſ.* 33
25. extendatur etiam ad filium legitimatum.

Cardinalis Alciatus hæc adnotavit, Concilium dicit, filiis Clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati ſunt, & ſic excluduntur legitimati, qui non ſunt nati ex legitimo matrimonio.

Hoc credo verum in legitimato per reſcriptum Principis, ſecus ſi filius eſſet legitimatus per ſubſequens matrimonium, quia talis venit appellatione nati ex legitimo matrimonio etiam in materia ſtricta, ut firmat gloſſ. in *cap. Innotuit in ver. Coniugata ſuprà de elect.* quàm ſequuntur communiter Doctores, ut ſcripſi in *cap. Cùm in cunctis n. 13. eod. tit.* & notat Brixienſis *in ſuo repertorio in ver. Legitimatus*, & in propoſito hoc tenet Butrius *hic in ultima qu.*

Quartò QUÆRO, An illegitimus, cujus pater fuit 34
Rector Eccleſiæ matricis, poſſit obtinere filialem dependentem, ſeu aliàs illi unitam, in qua eadem matrix habeat etiam quædam jura Parochialia, ſalvo decreto Concilii *cap.* 15. *ſeſſione* 25. Ad hoc dubium Sacra Congregatio reſpondit illegitimum poſſe obtinere Eccleſiam filialem dependentem, ſeu aliàs unitam acceſſoriè, & per viam ſubjectionis matrici, dummodò pater in ea non miniſtraverit; unitam verò æquè principaliter, itaut intitulatus in una cenſeatur in utraque intitulatus, aut ſi in utraque pater miniſtravit, non poſſe. Similem quæſtionem proponit Hoſtienſis in *cap. Ex transmiſſa num. 9. verſ. Quid ſi Eccleſia*, ubi etiam Bellam. *num.* 5. & Butr. *num.* 12. *ſuprà eod.*

Quintò QUÆRO, An nepos legitimus ex illegitimo 35
patre admitti poſſit ad beneficium, quod ipſius avus habuit, non obſtante decreto Concilii Trid. *d. c.* 15. *ſeſſ.* 25.

Die 21. Januarii 1573. Sacra Congregatio ex ſententia omnium, ſolo Cardinale Alciato dubitante, cenſuit non poſſe, propter illam rationem finalem expreſſam in Concilio, ut paternæ incontinentiæ, quæ militat etiam in nepote legitimo ex ſpurio; & præſertim ponderando illam dictionem Concilii, *longiſſimè arceatur*, ſic ut extendatur ad alias perſonas omnes, quæ memoriam hanc facilè refricare poſſent: & quia communis opinio videtur eſſe in *c. Ad extirpandas de filiis Presbyt.* quòd prohibitio in filio extendatur 36
etiam ad nepotem legitimum ex ſpurio, ut atteſtantur ibi Abb. & Butr. ſecundùm quam in terminis indicavit Sena-

natus Tholoſanus, ut refert, & probat Rebuff. in *prax. benef. fol.* 312. *nu.* 27. Et quamvis Jo. Andr. Abb. Butr. Bellam. Cardin. Anchar. Henric. teneant nepotes non comprehendi; & fortè illa opinio ſit hodie communior: tamen procedit in terminis *d. cap. Ad extirpandas*, quod innititur illi ſoli rationi, ne ſucceſſor detur. At Concilium *dict. cap.* 15. innititur rationi, ne memoria paternæ incontinentiæ, &c. Quæ ſemper militat. Unde non obſtat, quòd in caſu præſenti vivat adhuc pater illegitimus, quo caſu Henr. vult non excludi nepotem. Quia hoc eſt intuitu illius ſolius rationis, ne ſucceſſio detur. Et ita quoque non obſtat, quòd in caſu præſenti nepos nolit ſuccedere immediatè avo, cùm beneficium ad perſonam mediam prius tranſierit; & Bero. intelligat *d. c. Ad extirpandas*, quià immediatè ſucceditur. Quoniam hoc quoque rationi illi innititur, ne detur ſucceſſio, & Concilium conſiderat illam
37 rationem paternæ incontinentiæ. Nec obſtat, quòd in materia odioſa nepotes non veniant appellatione filiorum, quia Congregatio non habuit hanc materiam pro odioſa,
38 ſed favorabili, propter honeſtatem Eccleſiaſticam. Nec obſtat, quòd pater prohibitus relinquere filio ſpurio, non cenſeatur prohibitus relinquere nepoti legitimo ex filio ſpurio, Bart. *in l. Gallus, §. Quod ſi is. ff. De liber. & poſth.* & Paleot. *de noth. & ſpur. c.* 53. *per l. fin. C. de natural. liber.* Nam hoc procedit in profanis, & in quibus non eſt poſita illa ratio memoriæ incontinentiæ paternæ. Quamquam autem hæc fuerit ſententia Congregationis totius, ſolo Alciato dubitante; quia tamen duriuſcula, & exemplaris viſa eſt; ideò verbum cum Sanctiſſimo faciendum. Sanctiſſimus audita reſolutione Congregationis juſſit perquiri, an aliquid inveniretur in Dataria, in Cancellaria, & Rota. Sacra Congregatio adhibita diligentia in Dataria, & in Cancellaria, nihil certi invenit. Rota verò re diſcuſſa, exhibuit deciſionem pro nepote. Cùmque de eo caſu iterùm agendum eſſet in Congregatione, dilata res fuit in longum, & ampliùs de eo caſu non fuit tractatum in Congregatione, quia qui procurabant illum caſum, non curarunt ampliùs proſequi, nec ſcire quid ſtatueretur in Congregatione.

Poſteà ſupervenit alius caſus Legionen. quem Sanctiſſimus ad Congregationem miſit, ut tandem decerneret. Viſæque fuerunt novæ allegationes cum deciſione Rotæ, & die 17. Maii 1576. in Congregatione re maturè diſcuſſa, ex novem Cardinalibus duo ſanctæ Crucis, & Comendonus cenſuerunt ampliùs deliberandum, & videndum deciſionem Rotæ. Tres Geſuald. Urſin. Alciat. pro nepote omninò cenſuerunt. Quatuor Vvarmien. Lomellin. Senon. Caraſa contra nepotem, Geſuald. fuit etiam in ſingulari opinione nihil decidendum, ſed ſi decidendum, ſenſit pro nepote, tamen referendum Sanctiſſimo.

Die 7. Junii 1576. Congregatio Generalis dixit, quod licèt aliàs dubitaverit, tamen viſa deciſione Rotæ, ſtat pro nepote, & etiam Comendonus, & ita quinque Cardinales ſteterunt pro nepote.

Die 17. Julii 1576. cùm Alciatus retuliſſet ſupradicta omnia; Sanctitas ſua omnibus diligenter perpenſis, & memor illius legis *fin. C. de natural. libert.* Item illorum verborum Concilii de diſpenſatione agentium, item aliarum rationum aliàs adductarum: ſtatuit pro nepote legitimo ex filio, ſeu filia illegitimis, itaut non comprehendatur decreto Concilii *d. cap.* 15. & ſic poſſit habere beneficium,
39 quod fuiſſet avi. Et addidit duas aliàs rationes. Prima, quia cùm communis ſtet contra aſſertionem illam in *d. c. Ad extirpandas*, ut Rota collegit in ſuo voto; ſicque communis opinio hodie ſtet pro nepote iſto; cùm item ex novem Cardinalibus Congregationis quinque pro nepote ſenſerint: ſtandum eſt communi ſententiæ: Altera eſt (quia Concilium dicit, ut paternæ incontinentiæ:) at hoc nunquam poterit objici iſti nepoti, cujus pater non fuit incontinens, quia eum ex uxore legitima genuit.

Rotæ deciſio edita fuit in cauſa nullius legitimatus die 12. Februarii 1574. coram Rubeo, & habetur impreſſa apud Navar. *conſ.* 10. *de filiis Presbyterorum*, & approbatur apud Cardin. Seraph. *deciſ.* 1442. *num.* 11. Pro eadem ſententia conſuluit latiſſimè idem Navarr. *conſ.* 9. *eod. tit.*

40 Sextò QUÆRO: An declaratio S. Congregationis, qua deciſum fuit nepotem legitimum ex filio illegitimo non prohiberi obtinere beneficium avitum, procedat etiam vivente avo, & patre; adeòut avus beneficium, quod hodie obtinet, huic nepoti renunciare non poſſit, aut ſi tertio renunciaverit, non ſit ſuper eo beneficio nepoti penſio reſervanda.

Ratio dubitandi, cur non procedat vivente avo, eſt, 41
quia præſumitur fraus, quando conſentit avus penſioni in favorem perſonæ tam conjunctæ, arg. *l. penult. §. 1. ff. De bon. liber.* pater enim, & filius una cenſetur perſona, *l. fin. C. De impub.* At Concilium *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. expreſsè fraudibus obviam iri voluit, dum reciprocas reſignationes reprobavit. Secundò, quia majus ſcandalum eſt, ut avus ſolvat penſionem, ſeu renunciet beneficium ſuum nepoti ex filio ſpurio, quàm ut ſolvatur, aut renuncietur ab extraneo, ipſoque avo defuncto. Rurſus videtur non poſſe vivente filio illegitimo. Primò, quia qua ratione excluditur filius, eadem excluditur nepos in ejus poteſtate conſtitutus, *l. Quæritur, ff. De bon. libert.* alioquin ex perſona filii ſui legitimi conſequeretur ſpurius indirectè à patre naturali, quod ipſe prohibetur obtinere, contra *l. Quod conditionis:* ubi hoc notat gloſſ. 1. *ff. De donat. cauſ. mort.* Secundò, turpitudo, & memoria incontinentiæ paternæ magis ſpectatur, & vivit vivente ipſo filio illegitimo, quàm eo mortuo. Imò declaratio videtur non procedere filio illegitimo defuncto, quia tunc nepos incipit eſſe proximior avo, qua ratione Hoſt. *hic*, & *in ſumma eod. tit. §. Qui filii:* aliique nonnulli cenſuerunt ad evitandam ſucceſſionem in beneficiis, nepotem ex filio illegitimo mortuo non poſſe beneficium avi obtinere.

His non obſtantibus videtur reſpondendum, declarationem procedere etiam vivente avo, tum quia ſecundùm conſiderationes S. Congregationis ſufficit nepoti natum eſſe ex legitimo matrimonio, ut capax ſit beneficii aviti, & non comprehendatur ſub diſpoſitione Concilii excluſiva, nec repræſentare incontinentiam paternam. Ergo vivat avus, necne, non debet eidem nepoti obeſſe: tum quia talis diſtinctio non probatur jure, nec fit ab aliquo Doctore, licèt exagitata ſit quæſtio: An nepos ex filio illegitimo ſuccedere valeat in beneficio avito, ut hìc per DD. & patet ex deciſ. Rotæ ſupracitata *n.* 37. *in fine*, quæ collegit tres opiniones Doctorum ea de re: tum quia ſicut Concilium *d. cap.* 15. non diſtinguit, vivat necne pater, ſed indiſtinctè excludit filium illegitimum ab Eccleſia paterna; 42
ita declaratio, quæ non excludit nepotem legitimum, indiſtinctè accipienda eſt: tum quia ratio dubitandi propter fraudem ceſſare videtur ex eo, quod de bonis, & fructibus beneficii, quæ filius obtinet, pater non percipiat, cùm in his non quæratur patri uſusfructus, ſicut nec in peculio Caſtrenſi, vel quaſi Caſtrenſi, *Inſtitut. Per quas perſonas nob. acquir.* & ibi not. Facit reſponſum Guidopap. *conſ.* 99. Si replicetur illos proventus, quos nepos accipit ex beneficio avito, percipere ex occaſione filii ſpurii: Reſpondetur occaſionem non facere, ut ipſi filio quidquam acquiratur, arg. *l. Socium qui, §. Socius, ff. Pro ſocio.* Proviſio Concilii contra fraudes non extenditur ultra terminos præmiſſæ prohibitionis. Ratio majoris ſcandali non eſt per ſe ſufficiens ad includendum nepotem ſub diſpoſitione Concilii, quem declaratio S. Congregationis à decreto Concilii exemit, non obſtante quod viderit aliqua ſcandala ſubeſſe.

Nec diſtinguendum vivat, necne filius illegitimus, tum quia S. Congregatio ſequuta ſententiam Rotæ, hujuſmodi diſtinctionem non admiſit, tum quia cùm ex dictis appareat diverſam eſſe rationem excludendi nepotis, & filii, ceſſat argumentum ex *l. Quæritur*, & *l. Quod conditionis*, nec memoria incontinentiæ paternæ nocere debet nepoti in his, quæ aliundè ſibi, quàm ex patre proveniunt, *l. Cùm qui, ff. De interd. & releg.* Butr. *conſ.* 29. Tum quia ſi aliqua diſtinctio facienda eſſet, videretur amplectenda illa Hoſtienſis, ut nepos tunc excludatur, quando pater mortuus reperitur, propter ſpeciem ſucceſſionis prohibitæ. At iſta non probatur, quia in jure ille, qui eſt incapax, non facit gradum in ſucceſſorio edicto. Spurius autem eſt incapax, &c. Præterea diſtinctio eſt probabilis, ſi nepos per mortem patris recideret in poteſtatem avi: at hoc non contingit, niſi in filiis ſuſceptis ex juſtis nuptiis, *Inſtitut. de patr. poteſtat. in princip.* ergo, &c.

Prædicta multò magis procederent, ſi ageretur de nepote ex filia illegitima, quem non habet in poteſtate, *§. Sui inſtitut. de hæred. qualit. & diff.* neque eſt capax beneficii, ut ejus perſona intermedia prodeſſe, aut obeſſe non debeat.

44 Cæterùm ſi principalis declaratio olim à Sacra Congregatione edita cum approbatione fel.record.Gregorii XIII. in dubium revocaretur, non abſurdè probari poſſet, nepotem ex filio illegitimo comprehendi decreto Concilii excluſivo. Primò, quia fuit præſuppoſitum materiam *cap. 15.* eſſe odioſam, quæ tamen inſpecto fine principali favorabilis cenſenda videtur, utcumque odium, & pœnam reſpectu certi generis perſonarum contineat, arg. eorum, quæ notat Bart.in *leg. Qui exceptionem, ff. de condit. indebit.* In materia autem favorabili appellatione filiorum comprehendi nepotes, in confeſſo eſt apud Bart. & alios in *leg. Liberorum de verbor. ſignificat.* etiamſi diſpoſitio loqueretur de filiis ex ſe natis, ut poſt Bart. *ibi num. 6,* per *l.Lucius de hæred. inſtitut.* tenuit Jaſ.in *l.Gallus,§.Quid ſi is num. 23. de liber. & poſth.* & conſequenter etſi Concilium loquatur de filiis Clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati ſunt; verum eſt tamen hunc nepotem attenta paterna origine non eſſe natum de legitimo matrimonio, & vitium patris influere in filium in jure non eſt novum, *l.Quiſquis, Cod. ad l. Juliam majeſt.* præterquamquod illa verba intelligenda ſunt, ut non excludantur filii eorumdem Clericorum ex legitimo matrimonio.

45 (margin number beside "dit. indebit. In materia autem favorabili…")

46 Secundò, conſidero illa verba Concilii in principio, ut paternæ incontinentiæ memoria longiſſimè arceatur: item illa, quæ parentes eorum obtinent, vel obtinuerunt: nam non arcentur longiſſimè, ſi arcentur dumtaxat filii primi gradus, nec fruſtra uſi ſunt Patres Concilii verbo, *Parentum*, quod avos, & proavos complectitur, *l.Quique, §.Parentem, ff. De in jus vocan.*

Tertiò, non ſola ſuſpicio, quàm Rota conſideravit, 47 quod filius eſſe ſolet patri ſimilis, eſt ratio decreti Conciliaris, ſed multiplex, nempè odium paternæ incontinentiæ, propterquam etiam leges civiles alienos faciunt filios à ſucceſſione parentum, tot tit, *Cod. De natural.liber. puritas, & decor Eccleſiæ, cap.Cum decorem infrà eod. & d.c.Is in princ, ſeſſ. 25.* ne peculium Chriſti indignis concedatur, S.Pius V. in Conſtitutione contra illegitimos, & *cap.incipiens quæ ordini, §.Primo, Scandalum populi,* & ad extirpandas ſucceſſiones in beneficiis, ex quibus rationibus, ſi non omnes æqualiter militant in filio, certè pleræque ſunt conſiderabiles; At quando ſunt plures rationes alicujus diſpoſitionis, non protinus ubi aliqua deficit, ceſſat diſpoſitio, §, *Affinitatis inſtitut, de nupt.*

Non recedendo à principali declaratione in caſu propoſito, videtur reſpondendum nepotem legitimum ex filio, vel filia illegitimis non prohiberi, quin poſſit obtinere beneficium avitum, ſeu penſionem ſuper fructibus aviti beneficii, ſive avus, & pater, vel mater vivant, ſive non.

Quid autem juris ſit in nepote illegitimo, ex filio iti- 48 dem illegitimo, an ſcilicet excludatur à beneficio avi, vide noviſſimè per Nicol. Garz. *de benef.par.7.cap.3.num.27. in fin.* ubi refert deciſum pro nepote.

DE FILIIS PRESBYTERORUM.

Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XVI.

AD abolendam peſſimam (quæ in pluribus inolevit Eccleſiis) corruptelam, firmiter inhibemus, ne Canonicorum filii, maximè ſpurii, Canonici fiant in ſæcularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt patres eorum: Et ſi fuerit contrà præſumptum, decernimus non valere. Qui verò tales (ut dictum eſt) canonicare præſumpſerint, à ſuis beneficiis ſuſpendantur.

1 AD *Abolendam*. Si illegitimus maximè ſpurius inſtituitur in Eccleſia, in qua inſtitutus eſt pater, inſtitutio non valet, & inſtituens à ſuis beneficiis ſuſpenditur. Hoc dicit ſecundùm Joann. Andr. Bellameram, Butrium, Cardinal. Anchar. & Joann. de Anan. & primò ponit inhibitionis cauſam impulſivam. Secundò inhibet. Tertiò decernit. Quartò contrafacientes puniri præcipit. Partes patent, Joan. Andr.

Pro intelligentia hujus text. vide quod ſcripſi in *cap. Ad extirpandas num. 6. ſuprà eod.*

DE FILIIS PRESBYTERORUM.

Gregorius IX. Turonen. Archiepiſcopo.

CAPUT XVIII.

NImis in tua Provincia Eccleſiæ deformatur honeſtas ex eo, quòd filii ſacerdotum, & alii non legitimè nati, ad dignitates, & perſonatus, & alia beneficia curam animarum habentia, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ promoventur. Quocirca mandamus, quatenus prædictis perſonis à perſonatibus, & dignitatibus, & hujuſmodi beneficiis prorſus amotis: ea perſonis idoneis conferri facias per illos, ad quos collationem ipſorum de jure noveris pertinere. Et ne id de cætero præſumatur, diſtrictiùs inhibemus.

S U M M A R I U M.

1 *ILlegitimus abſque diſpenſatione Papæ ad dignitatem, vel perſonatum, vel beneficium curatum promoveri non poteſt.*

2 *Epiſcopus diſpenſare non poteſt contra Concilium generale, licet Concilium non prohibeat diſpenſationem, & num. 44. ubi refellitur contraria opinio.*

3 *Epiſcopi ex magna cauſa, an poſſint contra generale Concilium diſpenſare, & num. 11. uſque in finem.*

4 *Diſpenſatio quid ſit.*

5 *Rigor quid ſit.*

6 *Diſpenſatio cauſam requirit communis utilitatis, vel neceſſitatis, & num. ſeqq.*

7 *Cauſa utilitatis, vel neceſſitatis in diſpenſationem Epiſcopi debet eſſe magna.*

8 *Diſpenſatio fieri non debet cum cauſæ cognitione, aliàs cenſetur ſubreptitia, & num. ſeqq.*

9 *Diſpenſatio ſine juſta cauſa dicitur diſſipatio.*

10 *Epiſcopus ſine juſta cauſa diſpenſans eſt deponendus,*

ſi de

ſi de hoc fuerit accuſatus.

11 *Intellectus Extravag. Joan. XXII.* Sancta Romana, §. Quid autem.

12 *Poteſtatis defectus numquam ſuppletur ex cauſa quantumcumque urgenti.*

13 *Cardinalium cœtus non diſpenſat contra generale Concilium ex defectu poteſtatis.*

14 *Intellectus* c. Canones, & c. Sicut, 15. diſt.
Concilia omnia œcumenica obſervari debent ſicut Evangelia, ibidem.

15 *Papa diſpenſat in omnibus ſtatutis Eccleſiæ.*

16 *Epiſcopi contra Canones non diſpenſant, niſi diſpenſatio illis appareat permiſſa.*

17 *Papa ſolus authoritas in omnibus Conciliis cenſetur excepta.*

18 *Diſpenſatio contra generale Concilium difficilius conceditur, quàm contra alios Canones non Conciliares, & num. ſeqq.*

19 *Concilia generalia habent clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſitiones.*

20 *Epiſcopus cum vero bigamo ad primam tonſuram, & beneficia ſimplicia diſpenſare non poteſt, etiam ex magna cauſa utilitatis, vel neceſſitatis.*

21 *Epiſcopum contra generale Concilium non diſpenſare etiam ex magna cauſa, qui Authores ſenſerint.*

22 *Neceſſitas à rigore juris excepta intelligitur.*

23 *Declaratur.*

24 *Rotæ deciſio, quòd Epiſcopus ex magna cauſa diſpenſare poſſit contra Canones etiam Concilii multipliciter declaratur, & num. ſeqq. uſque in finem.*

25 *Inferior contra legem ſuperioris in caſibus inopinatis non diſpenſat ſi ad ſuperiorem poſſit haberi recurſus.*

26 *Impedimentum recurſus ad Papam ex qua diſtantia ab urbe conſtituatur.*

27 *Opinio Navarri, & nonnullorum Theologorum circa diſpenſationes in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis refellitur.*

28 *Cauſa magna de novo emergens, & impedimentum recurſus non ſufficiunt ad diſpenſandum niſi periculum ſit in mora.*

29 *Lex diſpenſativa ceſſat ceſſante cauſa diſpenſationis.*

30 *Epiſcopi concurrentibus requiſitis poſſunt rigorem Canonum relaxare per viam diſpenſationis, non per viam ſtatuti.*

31 *Conſtitutio reſpicit futura, diſpenſatio autem præterita.*

32 *Concilium Provinciale ſtatuere non poteſt ut aliquis Baro propter inimicitias cum Epiſcopo, & Clero confiteatur extero Sacerdoti, etiam approbato à ſuo Ordinario.*

33 *Epiſcopus cæteris concurrentibus diſpenſat in impedimentis, ſi ſint occulta, & matrimonium publicum, & ſeparatio ſine magno ſcandalo fieri non poſſit.*

34 *Sed non diſpenſat in matrimonio contrahendo in articulo mortis ad legitimandam prolem, & refellitur contraria opinio.*
Declaratur, n. 43.

35 *Diſpenſatur facilius ſuper jam facto, quàm ſuper faciendo.*

36 *Inferior à Principe non diſpenſat ſuper jure prohibitorio.*

37 *Epiſcoporum facultas diſpenſandi in impedimentis, & irregularitatibus occultis habet locum in foro conſcientiæ tantùm.*

38 *Et dummodo matrimonium ſic contractum cum probabili ignorantia impedimenti.*

39 *Matrimonium contrahens ſcienter in gradu prohibito caret omni ſpe diſpenſationis.*

40 *Idem ſi ignoranter quando ſolemnitates requiſitas neglexit.*

41 *Diſpenſatus ab eo, à quo aliàs non poterat ceſſante impedimento, tenetur recurrere ad Sedem Apoſtolicam pro nova diſpenſatione.*

42 *Diſpenſare poſſet inferior in articulo mortis in impedimento dirimente ne publica ſalus Regni periclitaretur.*

54 *Priores facere poſſunt contra aliquod ordinamentum adunantiæ generalis, ſi illius obſervantia ſit damnoſa Reipublicæ.*

NImis. Illegitimus abſque diſpenſatione Papæ ad dignitatem, vel perſonatum, vel beneficium curatum promoveri non poteſt. Hoc dicit. Sunt duæ partes. Prima ponit abuſum provinciæ. Secunda corrigit præteritum, & prohibet in futurum ibi, *quocirca*. 1

Nota primò ex hac Decretali juncto *cap.* 1. ſupra eodem Epiſcopum non habere poteſtatem diſpenſandi contra Concilium, etiamſi Concilium non procedat ulterius prohibendo diſpenſationem: nam in *d. cap.* 1. Statuit Concilium Pictavienſe, ut illegitimi ad ſacros Ordines non promoveantur, niſi ut Monachi fiant, nec tunc præficiantur: id eſt, ad Prælaturum habilitentur, hic vero Gregorius IX. pronunciat irritas promotiones factas de illegitimis ad dignitates Perſonatus, aut beneficia curata abſque diſpenſatione Papæ, & hoc facit non per viam ſtatuti, ſed per viam declarationis, dum mandat ut illegitimis à beneficii hujuſmodi prorſus amotis, ea perſonis idoneis conferantur. Propterea enim hæc conſtitutio traditur ad præterita, quia eſt juris veteris declaratoria, ut hic notant Anton. de Butr. & Abb. ambo *in* 3. *notab.* Nullitas ergo diſpenſationum, quas conceſſerunt Epiſcopi provinciæ Turonenſis, ut in textu, non oritur ex prohibitione, quæ habetur hic in fine, ſed ex præcedenti decreto Pictavienſis Concilii, quo illegitimi arcentur à ſacris ordinibus, & prælationibus. Verùm an hoc procedat magna ſubſiſtente cauſa diſpenſandi, dic plenè ut in quæſtione ſequenti. 2

QUÆRO. An Epiſcopi ex magna cauſa poſſint contra generale Concilium diſpenſare.

Domini de Rota *deciſ.* 262. *incip. In religioſo, aliàs quinta, de jure patron. in nov.* decidunt Epiſcopum diſpenſare poſſe contra canones etiam Concilii ex magna cauſa neceſſitatis, & utilitatis. Moventur per *c. Tali*, & *c. Exigunt*, 1. *quæſt.* 7. & *c. Propoſuiſti, de Præb.* & allegant Joan. de Lignan. in *cap. At ſi Clerici, infrà de judic.* & eos ſequuntur Abb. in *c. Cum dilectus, num.* 5. *ſupra de elect.* Roman. *conſ.* 325. *incip. Quo ad primum conſultationis articulum num.* 7. *verſ. Hinc eſt, quod notabiliter concludunt Domini de Rota, & conſ.* 428. *incipien. In terminis propoſitæ conſultationis, num.* 14. & Felin. in *c.* 1. *num.* 49. *verſ. Et per illum textum dicunt Domini de Rota, de Conſtitut.* Idipſum ante eos voluit Hoſtienſ. in *cap. Expoſuiſti, num.* 6. *de præbend.* ubi per textum ibi, & per *c. Vacante, eod. tit.* dixit Epiſcopum ex magna cauſa, & probabili poſſe venire contra Concilium. 3

Pro veritate quatuor ſunt videnda, Primum quid ſit diſpenſatio. Secundum, quam cauſam requirat. Tertium, an Epiſcopus ex magna cauſa diſpenſet contra Concilium. Quartum, an & quibus concurrentibus deciſio Rotæ ſalvari poſſit.

Quoad primum diſpenſatio communiter diffinitur eſſe juris communis relaxatio facta cum cauſæ cognitione ab eo qui poteſtatem habet diſpenſandi, ut per gloſſ. in §. *Niſi rigor*, 1. *qu.* 7. & in *c. Ut conſtitueretur, in ver. Detrahendum*, 50. *diſt.* Et ita formaliter poſt Innoc. diffinit. Archid. in *c. Licet canon, num.* 3, *de elect. lib.* 6. Joan. Andr. & Abb. in *c. Dilectus, ambo, num.* 6. *ſupra de tempor. ordinat.* Vel ſecundùm Speculat. *lib.* 1. *tit.* 3. *de diſpenſat.* §. 1. *in princ.* Diſpenſatio eſt provida juris communis relaxatio, utilitate, ſive neceſſitate penſata, vel ſecundùm Hoſtienſ. relatum à Turrecrem. in *c. Ut conſtitueretur, num.* 7. 50. *diſt.* & Silveſtro *in verb. Diſpenſatio, n.* 1. eſt rigoris juris per eum, ad quem ſpectat, miſericors canonicè facta relaxatio; quam diffinitionem poſuit etiam Speculat. ubi ſupra abſque illa additione, *miſericors*. 4

Rigor autem nihil aliud eſt quàm quidam exceſſus juris, & quædam auſteritas facta ad terrorem, ſecundùm quod dicit Canon pœnitentiam imponi contrahenti ſecundas nuptias, ut in *c. Hac ratione*, 31. *q.* 1. & communionem non eſſe dandam, etiam in fine vitæ his, qui defecerunt in accuſatione Clericorum, id eſt, Epiſcoporum, ut in *c. Si quis Epiſcoporum*, 2. *q.* 3. Quandoque tamen rigor idem eſt quod ſubtilitas juris, ut in *c. In litteris, infra de reſtit. ſpoliat.* 5

ſpoliat. prout hæc notantur in *cap. Vt eo instituerentur in gloſſ. præalleg. in ver. Detrahendum*, 50. *diſt.* Idem dicit Hugo, ſed ſecundùm Bernardum, Hiſp. & Laurentium relatos ab Archid. *num.* 3. rigor eſt jus; nihil enim aliud eſt, quàm jus rigidum, argum. *l. Generaliter*, §. *Si quis ſervo*, *ff. De fidei-comm. libert.* & hoc tenet ibi bellam. *n.* 1. per text. in *l. Proſpexit*, *ff. Qui, & à quibus*.

6 Quoad ſecundum in diſpenſatione cauſam eſſe neceſſariam ſatis conſtat ex diffinitionibus diſpenſationis proximè relatis, & docet ſanctus Thomas in 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. nam, Diſpenſatio propriè importat commenſurationem alicujus communis ad ſingula. Unde etiam gubernator familiæ dicitur diſpenſator, in quantum unicuique de familia cum pondere, & menſura diſtribuit, & operationes, & neceſſaria vitæ: Sic igitur in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis diſpenſare, quia ordinat, quomodo aliquod commune præceptum ſit à ſingulis adimplendum. Contingit autem quandoque, ut aliquod præceptum, quod eſt ad commodum multitudinis, ut in pluribus non ſit conveniens huic perſonæ, vel in hoc caſu, quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum. Periculoſum enim eſſet, ut hoc judicio cujuslibet committeretur, niſi fortè propter evidens, & ſubitum periculum; & ideò ille, qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, quæ ſuæ authoritati innititur, ut ſcilicet in perſonis, vel in caſibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non ſervetur. Si autem pro ſola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem ſi non habet intentionem ad bonum commune. Imprudens autem ſi rationem diſpenſandi ignoret, propter quod Dominus dicit *Lucæ* 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Hæc S. Thomas cum quo conſentit Archid. in *cap. Licet canon*, *num.* 3. *de elect. lib.* 6. nam ſecundùm eum diſpenſatio dicitur quaſi diſcreta penſatio, quando ſcilicet judex in lance mentis ſuæ diſcretè penſat, & ponderat quid magis Eccleſiæ expedit, ſcilicet ſequi rigorem juris, aut æquitatis diſpenſationem præferre, allegat Innoc. in *c. Cùm ad monaſterium*, in gloſſ. *Niſi ex cauſa*, *infr. de ſtatu Monach.* & Hoſt. in *c. Diverſis*, *de cleric. coniug.*

Requiritur ergo in diſpenſatione cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ: nam etſi in *c. De multa*, *de præb.* addatur tertia cauſa, videlicet prærogativa meritorum, tamen hæc reducitur ad cauſam utilitatis, ut plenè declarat Ludovicus Roman. *conſil.* 325. *Quoad primum conſultationis articulum*, *num.* 8. *verſ. Sed in propoſita*. Unde neceſſitatis, & utilitatis tantùm meminit text. in *c. Etſi illa*, 1. *qu.* 7. *in fin.* ibi: *Quæ nec ulla neceſſitas, nec Eccleſiaſtica prorſus extorquet utilitas*. Ad idem text. in *c. Mutationes*, 7. *q.* 1. ibi. *Communi utilitate, atque neceſſitate*, & infrà ibi:
7 *Quoties utilitas, aut neceſſitas exegerit*. Hæc enim duo æquiparantur *c. Poſt translationem*, §. *Cum ergo*, *de renunciat.* Et quidem cauſa neceſſitatis, vel utilitatis in diſpenſatione Epiſcopi debet eſſe magna, ut notat Archid. in *d. c. Licet Canon*, *num.* 3. *verſ. Item requiritur quod talis utilitas vel neceſſitas ſit magna, de elect. in* 6. *per c. Cenomanen. in fin.* 56. *diſt.* & eſt expreſſum in *c. Ab excommunicatis*, 9. *q.* 1. ibi, *Ad ſuperiores autem conſcendere non concedimus, niſi neceſſitas, vel utilitas maxima flagitaverit, & ipſorum ſancta converſatio promeruerit*, & in *c. Nemo*, *eod. tit. & lib.* ubi Gregorius X. in gnerali Concilio Lugdunenſi ſtatuit, *ut nemo deinceps parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima, & ſacerdotio commendare præſumat, nec tali etiam niſi unam, & evidenti neceſſitate, vel utilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente*. Ad idem text. in *c. Expoſuiſti*, ibi: *Si evidens neceſſitas, vel utilitas exigat*, *infrà de præben.* Quoniam diſpenſationis gratia eget negotium multum, ut dicitur in *c. Didici*, 1 *q.* 7. multum, id eſt, magnum, ut ibi exponunt Hugo, Laurentius, & Joannes; & qui hoc negant, ut Archid. inquit, profectò ſacras regulas non
8 intelligunt. Quod ipſum hodie apertè conſtat ex decreto Concilii Tridentini in *cap.* 18. *ſeſſ.* 25. ubi ſtatuitur, ut ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverint cum alquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate atque gratis fiat à quibuſcumque ad quos diſpenſatio pertinebit; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur. Eodem ſpectat Concilii decretum in *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ibi: *Vrgens neceſſitas, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas*, & in *cap.* 5. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* ubi prohibetur diſpenſari, niſi inter magnos Principes, in ſecundo gradu, & ob publicam cauſam. Eſt igitur unanimis conſonantia Canonum, Conciliorum, & Interpretum, ut cauſa neceſſitatis vel utilitatis in diſpenſatione debeat eſſe magna; ſeu quod idem eſt major, maxima, juſta, evidens, urgens, & his conſimiles, quibus ſacri Canones promiſcuè utuntur tamquam ſynonimis. Alioquin ſi ejuſmodi cauſa deſit, non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio, ut dicunt Joan. Andr. in *cap. Niſi*
cùm pridem, §. *Perſonæ*, *in ver. Diſcretionis*, *de renunciat.* 9
& Petr. de Anchar. in *repet. Canonum ſtatuta*, *num.* 18. *de Conſt.* ubi diſpenſans, inquit, debet habere intuitum rationis, & boni univerſi, & cauſam; propter quam diſpenſat; quibus ceſſantibus diſpenſatio non meretur appellari, ſed diſſipatio. Idem dicit Richar. de media Villa, in 4. *diſt.* 38. *q.* 9. *art.* 1. *in fin.* relatus à Felin. in *c. Quæ in Eccleſiarum*, *num.* 25. *de conſt.* & Cajetan. in 1. 2. *qu.* 97. *art.* 4.
vel ſecundùm Archidiaconum *loco citato*, *numer.* 3. cauſa 10
hujuſmodi deficiente non dicitur diſpenſatio, ſed depoſitio; nam qui ſine juſta cauſa diſpenſat, deponendus eſt, ſi ſuper hoc fuerit accuſatus, ut in *cap.* 1. & *c. Qui in aliquo, in fin.* 51. *diſt.* Ratio eſt, quia cùm diſpenſatio, ut dictum eſt, ſit juris relaxatio, & vulneratio, ut ait Feder. de Sen. *conſ.* 30. *An Capitulum*, *circa princ. verſ. Sed diſpenſatio*, per *c. Ipſa pietas*, 23. *q.* 4. & *c. Vt conſtitueretur*, 50. *diſt.* debet talis receſſus à jure communi non eſſe incoloratus, & ſine notabili cauſa movente. Quæ ſunt verba Oldradi in *conſ.* 327. *omiſſa thematis repetitione*, *numer.* 1. Et non ſolùm debet eſſe cauſa movens, ſed debet exprimi, eo quòd talis actus repugnantiam juris habet, *l. Sciendum*, *ff. De appellat.* & *l. Cùm hi*, §. *Si Prætor*, *ff. De tranſact.* alioquin habetur pro omiſſa, ut ibi latius per eum.

Quoad tertium videtur reſpondendum Epiſcopos non 11
poſſe contra Concilium diſpenſare, etiam ex magna cauſa.

Quod primò apertè deciditur in extrávag. Joan. XXII. *Sancta Romana*, §. *Quidam autem*, ibi: Quod nec eis, ideſt Epiſcopis, vel eorum ſuperioribus, concedere licuit contra formam Concilii generalis; ubi hoc notat gloſſ. in *verb. Concilii*, ponderandum eſt enim in eo textu non
improbari diſpenſationem Epiſcoporum ex defectu cauſæ, 12
ſed quia diſpenſatio eſt contra formam generalis Concilii, & ſic ex defectu poteſtatis: ergo diſpenſatio non valet etiamſi ex magna cauſa proceſſerit, quia cauſa quantumcumque urgens numquam ſupplet defectum poteſtatis, ut tradit Bald. in *l. Cunctos populos*, *num.* 15. *verſ. Iſta ratio non valet*, *C. De Summa Trinit. & fid. Cathol.* Anton. de Butr. in *c. Eccleſia ſancta Mariæ*, *num.* 20. *ſupra de conſtitut.* ubi etiam Dec. *num.* 233. cauſa enim neceſſitatis, vel publicæ utilitatis qualitatem diſpenſationis reſpicit; poteſtas verò ſubſtantiam, ſine qua nulla poteſt conſiderari qualitas, *l.* 2. *ff. De uſufruct.* & *l. Nec ullam aliàs eſt*, *l. Etiamſi*, §. *Si quis abſentis*, & ibi Angel. *in princ. De petit. hæred.* quia impoſſibile eſt prædicari de non ente, ut idem Angel. ait *conſil.* 390. *Chariſſime frater*, *num.* 1. Ideòque parum refert, ut in Epiſcopo adſit modus diſpenſandi, ſcilicet evidens utilitas, vel neceſſitas; niſi etiam adſit poteſtas, quæ ad cujuſcumque actus validitatem requiritur, *c. Cùm ſuper*, *de off. deleg.* *l. Cùm te*, ubi Bald. *num.* 1. *C. De donation. ante nuptias*, & idem Bald. in *conſ.* 326. *Rex Romanorum*, *num.* 2. *lib.* 1. Et conſtat evidenter ex Tridentini Concilii decreto in *cap.* 18. *ſeſſ.* 25. ubi ad validitatem diſpenſationis non ſolùm exigitur, ut diſpenſatio fiat ex juſta, & urgenti cauſa neceſſitatis, vel utilitatis; ſed etiam ut fiat ab eo, qui poteſtatem habet diſpenſandi.

Secundò idem probatur ex text. hic inducendo eum, ut dixi ſupra, *in* 1. *notab. num.* 2. nam, neque hic diſpenſationes Epiſcoporum Conprovincialium declarantur irritæ ex eo quòd emanaverint ſine urgenti, & rationabili cauſa, ſed quia ſunt contra canonem Concilii Pictavienſis; ut ibi dixi: concordat text. ſupra in *c. Proximo*, quæ jura ad hoc propoſitum adducit gloſſ. in *c. Cùm dilectus in verb. In ætate*, *ſupra de elect.* Anton. de Butr. in *c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis*, *n.* 17. *infra de indic.*

Tertiò probatur in Clem. 2. *de elect.* ubi cœtus Cardina- 13
lium non diſpenſat contra conſtitutionem Concilii Lugdunen.

nen. & redditur ratio, quia lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt, & ſic diſpenſatio inferiorum eſt irrita, non ex defectu cauſæ, ſed ex defectu poteſtatis.

14 Quartò ad idem adducitur text. in *c. Canones*, & *c. Sicut*, 15. *diſt.* ubi Gregorius ait, ſicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor. Et quamvis loquatur de Synodis univerſalibus Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Calcedonenſi, tamen paulò poſt ſubiicit rationem generalem, quæ idem concludit in aliis Conciliis Oecumenicis, ibi: Quia ſcilicet, dum ſunt univerſali conſenſu conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt. Et propterea Doctores intelligunt hunc Canonem procedere in omnibus Conciliis: cùm omnia emanaverint ab eodem fonte Apoſtolicæ Sedis, *c. Significaſti*, ibi: cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & ibi dixi de elect. & in Concilio Lateranenſi exemplificant Hoſt. & Joan. Andr. in *c. Cùm laicis propè fin. de rebus Eccleſ. non alienan.* & indefinitè in Conciliis, Bald. in *tit. de Pace Conſtantiæ*, *col.* 4. §. *Imperialis clementia*, *in ver. Mos Roman. ſub num.* 22. *in fin.* Jaſ. in *l. De quibus*, *col.* 13. *numer.* 54. *verſ. Addo quod eodem modo*, *ff. De legibus*, & Roch. de Curte *in tract. de conſuet. num.* 546. *verſ. Secundo limita.*

15 Et quamvis non obſtante hoc dicto Gregorii, Summus Pontifex diſpenſet contra Concilium: tamen hoc ideò eſt, quia Papa eſt ſupra omne jus humanum poſitivum, *c. Propoſuit, de conceſſ. præb.* §. *His ita*, 25. *qu.* 1. & ideò diſpenſat in omnibus ſtatutis Eccleſiæ, S. Thom. *quodlib.* 4. *artic.* 13. Felin. in *cap.* 1. *in* 2. *notab. de Conſtit.* & quia in omnibus Conciliis authoritas Papæ intelligitur excepta, ut in *d. c. Significaſti*. At ſecus in Epiſcopis. Unde per textum in *d. c. Sicut* Epiſcopum non diſpenſare contra conſtitutionem Concilii latæ ſententiæ determinat ibi Archid. quem refert, & ſequitur Anton. de Butr. in *d.* §. *de adulteriis*, *n.* 17. *eodem verſ. Si autem apparet.*

16 Quintò, Epiſcopi contra Canones etiam non conciliares regulariter diſpenſare non poſſunt, idque non ex defectu cauſæ, ſed quia diſpenſatio illis à Canone non eſt permiſſa. Caſus eſt in *c. Dilectus*, *ſupra de temp. ordin.* ubi hoc pro generali regula conſtituunt Innoc. Hoſt. Jo. Andr. Bellam. Anton. de Butr. Cardin. & Abb. & eſt communis, & vera opinio, ut dixi plenius in *eod. cap. Dilectus*: ergo longè minus diſpenſare poſſunt contra Canones Conciliares, contra quos difficiliùs diſpenſatur, ut latè per Oldrad. *conſ.* 326. *incipien. Quod articuli*, *num.* 1. & dicitur latius *in* 6. & 7. *argum.* Et propterea in articulo, An edictum diſpenſationis reſpectu Epiſcopi ſit prohibitorium, quamvis Doctores abierint in diverſas ſententias, quæ recenſetur à gloſſ. 1. & Anton. de Butr. in *d. c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis*, *num.* 17. *de judic.* nihilominus etiam Doctores qui faciunt regulam pro Epiſcopis, id eſt, ut liceat eis diſpenſare contra Canones niſi reperiantur prohibiti; tamen eam limitant ut non procedat ſi Canon ſit Concilii, ut per Butr. in *d.* §. *De adulteriis*, *num.* 17. *verſ. Si autem apparet*, & ibi etiam Abb. *num.* 5. *verſ. Secus ſi concilium non indulgeret diſpenſationem*. Unde idem Butr. in *c. Cùm dilectus*, *num.* 13. *de elect.* Nota, inquit gloſſ. quod licèt aliquo caſu contra canonem diſpenſet Epiſcopus, hæc tamen ſit regula, quod contra Concilium non diſpenſat Epiſcopus.

17 Sextò, in generalibus Conciliis excipitur tantum authoritas Papæ, *d. c. Significaſti*, *de elect.* ergo ſolus Papa ex legitima cauſa contra Concilium diſpenſat, non autem Epiſcopus, & ita hunc text. ad hoc ponderat Abb. in *d. cap. Cùm dilectus*, *n.* 10. *de elect.* & Andr. Barbatia *in addict. ad Abb. in dicto* §. *De adulteriis in verb. Concedere*; Prædicta enim exceptio firmat regulam in contrarium in aliis omnibus non exceptis, *c. Cùm apud*, *de Sponſal. l. Nam quod liquide*, §. *finali*, *De pœn. leg.* cum ſuis concord.

18 Septimò etiam Summus Pontifex reddit ſe difficilem ad diſpenſandum contra Concilium *c. Poſt translationem*, *ſuprà de renunc.* authoritas enim Concilii eſt majoris efficaciæ, ut ſingulariter voluit Archid. in *cap.* 1. *de conſtit. lib.* 6. & Bald. in *l. Humanum*, *C. De legib.* & ita hunc text. notat ad hoc Anton. de Butr. *ibi in* 5. *notab. num.* 11. dicens: *Nota unde ſumitur illa regula, qua dicimus, quod Epiſcopus contra Concilium non diſpenſat*, *Clem.* 2. *de elect. notatur in c. fin. de fil. Presbyt.* & *in cap. Cùm dilectus*, *de elect. ubi gloſſ. quod etiam de facili contra Concilium non diſpenſat Papa, ut hic: nam ſi de facili non diſpenſat Papa contra Concilium, ſequitur ut inferior diſpenſare non poſſit, & eſt cauſa, quia Concilium majori innititur authoritati, quam decretum aliud ſimplex: Unde ſervatur ut Evangelium.* Hæc Butr. quo argumento utitur etiam Andr. Barbatia *loc. citat.*

Octavò, Concilia generalia habent clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſitiones, ita ut ex defectu voluntatis, nec privilegium, ſeu diſpenſatio Papæ ſit valida, niſi Concilio fuerit expreſsè derogatum: text. eſt in *c. Ex parte, de Capell. Monach.* & in *c. Eam te, de ætat. & qualit.* & notat Archid. in *d. c.* 1. *in ver. Noſcatur, de conſtit. lib.* 6. Oldrad. *dict. conſ.* 326. *num.* 1. Cardin. Jacobat. *de Concilio lib.* 5. *art.* 18. Felin. in *c. Nonnulli*, *num.* 2. *de reſcr.* Covarr. *lib.* 4. *variar. reſolut. cap.* 16. *num.* 16. *verſ. Sed & ex his diffinitionibus*: Ergo ſi Epiſcopi haberent facultatem diſpenſandi contra Concilium, oporteret eos expreſsè Concilio derogare, aliàs nulla eſſet diſpenſatio; At non credimus quemquam Epiſcoporum auſurum ponere in ſuis litteris hanc clauſulam, *Non obſtante generali Concilio*, cui expreſsè derogamus, cùm vix hoc fiat in litteris Apoſtolicis, ut in *d. cap. Poſt translationem*, *de renunc.* 19

Nonò, pro hac concluſione faciunt ea, quæ in *c. Dilectus*, *ſuprà de tempor. ordin.* adduximus ad probandum Epiſcopos non poſſe contra Canones diſpenſare, niſi appareat eis expreſsè permiſſum: omnia enim argumenta, & reſolutione Sacræ Congregationis Concilii, quæ probant Epiſcopos non habere poteſtatem diſpenſandi contra Canones non conciliares, à fortiori probant eos diſpenſare non poſſe contra Canones generalium Conciliorum, cum his difficiliùs derogetur, ut oſtenſum eſt ſupra.

Decimò, ſi Epiſcopis liceret ex magna cauſa contra Concilium diſpenſare, non eſſet differentia quoad hoc an conſtitutio eſſet conciliaris, necne: nam hoc ſine magna cauſa etiam in caſibus à jure permiſſis numquam inferior diſpenſat in lege ſuperioris, ut patet ex decreto Concil. Trident. *in cap.* 18. *ſeſſ.* 25. & latè oſtenſum eſt ſupra in ſecunda inſpectione à *num.* 6. Hoc autem eſt abſurdum, & contra unanimem Canoniſtarum ſententiam, qui in hac materia diſtinguunt an conſtitutio ſit Concilii, an non, ut dictum eſt in 5. argum.

Undecimò, propter canonem generalis Concilii Lugdunenſis, de quo in *c. unic. de bigam. lib.* 6. Sacra Congregatio Concilii articulo accuratè diſcuſſo declaravit Epiſcopum non poſſe diſpenſare cum ſibi ſubdito verè bigamo ad primam tonſuram, & beneficia ſimplicia, eamque declarationem Sixtus V. ad ſe relatam approbavit; in diſcuſſione autem illius articuli, in quo inter primarios, & claſſicos Canoniſtas maximè deſſidetur, fuit propoſita diſtinctio Gomeſis *de brevib. num.* 20. qui ad conciliandas opiniones putat diſtinguendum eſſe, an ſubſit legitima, & evidens cauſa diſpenſandi cum bigamo contra Concilium: an non ſubſit. Primo caſu liceat Epiſcopo diſpenſare ſecundùm ſententiam Theologorum. In ſecundo non liceat juxta Canoniſtarum ſententiam. Verumtamen Sacra Congregatio hanc diſtinctionem non admiſit, cenſuitque abſolutè reſpondendum eſſe Epiſcopum diſpenſare non poſſe. Unde ex ſententia Sacræ Congregationis non licet Epiſcopo contra Generale Concilium diſpenſare etiam ex magna cauſa neceſſitatis, vel evidentis utilitatis. 20

Ultimò, Epiſcopos abſolutè non poſſe contra Concilium diſpenſare tenet gloſſ. in *cap. Cùm dilectus*, *in ver. In ætate*, *ſuprà de elect.* quam ſequitur, & dicit eſſe veram ibi Anton. de Butr. *num.* 13. & Abb. *num.* 10. gloſſ. in *cap. Proximo*, *in ver. Non obſtante*, *ſupra eod.* gloſſ. 1. in *c. Dilectus*, *il* 1. *de præb.* gloſſ. in extravag. Joannis XXII. *Sancta Romana*, §. *Quidam autem*, *in ver. Concilii*, *de relig. domib.* Archid. in *c. Licèt canon, de elect. in* 6. & in *c. Sicut*, *n.* 2. *in ver. Abſolvere*, 15. *diſt.* Anton. de Butr in *c. Poſt translationem*, *in* 5. *notab. num.* 11. *de renunc.* Abbas *hic numer.* 6. *verſ. Aut volunt diſpenſare*. Felin. *in cap.* 1. *num.* 1. *de Sponſal.* Rebuff. *in tract. nominat. quæſt.* 5. *num.* 30. Covarr. *in* 4. *decret.* 2. *part. c.* 6. *in princ. num.* 15. *ver. Maximè*, cùm ſit illa conſtitutio à Concilio condita, & Epiſcopi nequeant 21

contra

contra Concilia diſpenſare ex frequentiori ſententia. Doctores in *c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis*, ubi in ſpecie Butr. *num.* 17. *verſ. Si autem apparet*, Abb. *numer.* 5. *verſ.* Secus ſi Concilium non indulgeret diſpenſationem, & Felin. *num.* 5. *de judic.* & hanc opinionem amplectitur Curia Romana in diſpenſatione ſuper defectu ætatis, ut fatetur Hoſtienſ. in *d. c. Cum dilectus*, *num.* 9. *de elect.* & in *c. Ex tua*, *ſupra eod.* & quamvis ſubdat contrarium de jure eſſe verius, ut ſcilicet ex cauſa neceſſitatis diſpenſet Epiſcopus; tamen eum reprehendit Butr. *hic num.* 5. *verſ. Hoſtienſ. iſtud recitat dicens* : *Teneas quod ſervat curia de jure eſſe*. Pro eadem ſententia eſt ſanctus Thomas in 1.2. q. 97. *art.* 4. *in corp.* & *ad tertium*, ubi docet in lege humana publica non diſpenſare niſi illum, à quo lex auctoritatem habet, vel eum cui ipſe commiſerit; & ita ſentit contra Concilium generale non diſpenſare niſi Romanum Pontificem, cum Concilia ab ipſo authoritatem accipiant, *d. c. Significaſti de elect. cap.* 1. *&* 2. *c. multis*, *& per tot.* 17. *diſt.* latiſſimè Card. Alban. *in tract. de poteſt. Papæ*, *& Concilii part.* 2. *à numer.* 188. *uſque ad num.* 220. & loquitur D. Thomas in diſpenſatione ab bonum commune, quæ niſi concederetur, vel impediretur aliquid melius, vel induceretur aliquod malum; & ſic de illa, quæ fit ex cauſa neceſſitatis, vel evidentis utilitatis. Quibus demum adjungi poſſunt Doctores omnes, qui tenent Epiſcopos non poſſe contra canones diſpenſare, niſi appareat eis expreſsè conceſſum, quod cenſent Innoc. & Canoniſtæ ferè omnes in *c. Dilectus*, & ibi dixi *de tempor. ordinat.* Archid. in *d. c. Licet canon*, *num.* 3. *verſ. Et ibi aſſertive dixit*, *de elect. lib.* 6. Hi enim omnes ſentiunt longè minus poſſe Epiſcopos diſpenſare contra Concilium cui difficiliùs derogatur, ut dictum eſt ſupra. Prædicti autem nec poſſunt, nec debent intelligi niſi de diſpenſatione, quæ conceditur ex magna cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, quia ſine hac numquam diſpenſatur, ſaltem in lege ſuperioris, etiam in caſibus à jure permiſſis, ut eſt text. in *c. Ab excommunicatis*, 9. *qu.* 1. & latiùs oſtenſum eſt ſupra in ſecunda inſpectione, & in ſpecie Abb. in *d. cap. Dilectus*, *num.* 6. primo diffinit diſpenſationem eſſe juris communis relaxationem cum cauſæ cognitione, &c. Et poſtea immediatè ponit regulam negativam, id eſt, Epiſcopos diſpenſare non poſſe niſi in caſibus expreſſis in jure, & apertius Archid. *in d. c. Licet Canon*, *num.* 6. *verſ. Item requiritur*, primò oſtendit in diſpenſatione requiri, ut neceſſitas, vel utilitas ſit magna, & mox ſolidiſſimis rationibus determinat, Epiſcopos non poſſe diſpenſare contra Canones: & in ſpecie, etiam ex cauſa imminentis neceſſitatis, Epiſcopum diſpenſare non poſſe in impedimentis dirimentibus, cenſent multi ex recentioribus Theologis, inter quos Sot. *de juſt. & jur.* q. 7. *art.* 3. *verſ. At vero ſciſcitaris*. Corduba *in Quæſtionario lib.* 1. *qu.* 11. *verſ. Hæc igitur* 2. *opin.* & *in Summa qu.* 45. §. *El ſegundo ponto*, Medina *in* 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. Veracrux *in* 3. *part. Speculi art.* 18. & in terminis noſtris Epiſcopum etiam ex magna cauſa, & probabili non poſſe venire contra Concilium generale, tenet apertè Joann. Andr. in *cap. Expoſuiſti*, *num.* 5. *verſ. Et ſic nota*, *de præb.* ubi reprobat Hoſtieſem contrarium ſentientem, & reſpondet ad jura per eum allegata: & dictum Hoſtienſis eſſe contra commune dictum gloſſarum, & jure non probari affirmant ibidem Butr. *n.* 6. Imol. *n.* 3. *verſ. Et per hoc dicebat.* Hoſt. & Card. *n.* 9.

22 Non obſtat, quod ſecundùm Hoſtienſ. *in cap. Cùm dilectus*, *num.* 7. *de elect.* Epiſcopus, ſi ex cauſa diſpenſat, non intelligatur hoc facere contra Concilium, quia ſemper neceſſitas à rigore juris excepta intelligitur, quæ legem non habet, *c. Conſilium*, §. *ult. infra de obſerv. jejun.* & *c. Quod non eſt*, *de regul. jur.* & à juramento, ut in *c. Brevi*, *infra de jurejur.* Et ſicut juramentum contra utilitatem Eccleſiæ promulgatum, vel intellectum ab Hoſt. irrationabile judicatur, quod ſi ratione caret, ergo & jure *c. Conſuetudo*, 1. *diſt.*

23 Id inquam non obſtat, quia neceſſitas eſt in duplici differentia; Alia enim eſt præciſa, ſeu extrema; & hæc exempta eſt ab omni lege, nec requirit ſuperioris diſpenſationem, text. eſt in *c. Exiit*, §. *Porrò*, *de verb. ſignificat. lib.* 6. ibi, nec ipſis fratribus jure poli in extremæ neceſſitatis articulo ad providendum ſuſtentationi naturæ, via omnibus extrema neceſſitate detentis, conceſſa præcluditur, cum ab omni lege extrema neceſſitas ſit exempta. Alia verò eſt neceſſitas non præciſa, & hæc quidem præbet juſtam cauſam relaxandi rigorem juris, ſed tamen relaxatio hujuſmodi, ſeu diſpenſatio fieri non poteſt niſi ab eo, qui poteſtatem habet diſpenſandi, ut in *cap.* 18. *ſeſſ.* 25. Concilii Tridentini, id eſt, ab eo, à quo lex accipit auctoritatem, ſecundùm Divum Thomam præallegatum in 1. 2. *qu.* 97. *art.* 4. *in corpore*, *& ad tertium*, & Archid. *in d. c. Licet canon. nu.* 3. *verſ. Et ibi aſſertivè dixi*, *de elect. lib.* 6. Inferior enim etiam ſuppoſita urgenti cauſa neceſſitatis vel utilitatis jura ſuperioris temerare, ſeu vulnerare non poteſt, *c. Inferior*, 21. *diſt. c. Cùm inferior*, *de major. & obed.* Clem. *Ne Romana*, *de elect.* niſi diſpenſatio appareat ei ſpecialiter permiſſa, *d. c. Dilectus*, *cum materia de tempor. ordin.* quam differentiam inter præciſam, & non præciſam neceſſitatem in terminis *d. c. Exigit*, jam dudum probavit S. Congregatio Concilii, ut dixi *in c.* 2. *nu.* 15. *infrà de ſtat. Monach.*

Ad jura in deciſione Rotæ allegata, nempe *c. Tali*, & *c. Exigunt*, 1. q. 7. & *c. Propoſuiſti* (eſt *c. Expoſuiſti*,) *infrà de præben.* reſpondetur propterea ibi in caſibus expreſſis licere contra canones etiam Concilii diſpenſare ex magna cauſa utilitatis, vel neceſſitatis, quia jura dicunt diſpenſari poſſe: tunc enim diſpenſatio intelligitur permiſſa Epiſcopis, licèt eis expreſsè non indulgeatur, ſecundùm Jo. de Lig. & Jo. Calder. *in cap. At ſi Clerici*, *de judic.* & fuit originale dictum Innocentii *in d. c. Dilectus*, *de tempor. ordin.* cum quo alii tranſeunt, ut ibi dixi *n.* 17. & tradit Silveſtr. *in verb. Diſpenſatio*, *n.* 15. *verſ. Tertio*, quando canon dicit poſſe fieri diſpenſationem, & ita in ſpecie ad textum in *d. cap. Expoſuiſti*, reſpondet Jo. Andr. *ibid. n.* 5. *in fine.*

Ad oppoſitionem, quod circumſcriptis reſervationibus Apoſtolicis Epiſcopi in ſua diœceſi poſſint omnia, quæ ſummus Pontifex in univerſo orbe, reſpondi in eodem *c. Dilectus*. Imò hanc doctrinam periculoſam eſſe diffusè oſtendi in *c.* 1. *infr. de off. ordin.*

Quò ad ultimum deciſio Rotæ 5. *de jurepatron. in nov.* 24
quod Epiſcopus ex magna cauſa utilitatis, & neceſſitatis diſpenſare poſſit contra Canones, etiam Concilii, ſalvari poteſt octo infraſcriptis declarationibus.

Primò enim declaratur ut procedat, quando oriretur aliqua cauſa urgens de novo, & incognita veriſimiliter per Concilium tempore editæ conſtitutionis. Ita in individuo prædictam deciſionem Rotæ declarat Abb. in *c. Cùm dilectus*, *num.* 10. *verſ. Hoc dictum puto procedere*, *ſupra de elect.* allegans text. in *l. Si hominem*, *ff. Mandat.* Idem in terminis tradit Silveſt. *in verb. Diſpenſatio*, *num.* 15. ubi ait, Epiſcopum poſſe diſpenſare contra Canonem, & Concilium, licèt ei non concedatur expreſsè, ratione magnæ neceſſitatis, vel utilitatis noviter emergentis, & tempore conſtitutionis inexcogitatæ, veriſimiliter allegat Jo. de Lignan. & Abb. in *cap. At ſi clerici*, §. *De adulteriis*, *de judic.* idem dicit Tabien. *in eod. ver.* q. 14. & Armill. *in verbo diſpenſare*, *num.* 20.

Declaratur ſecundò prædicta Rotæ deciſio, ut habeat 25
locum, dummodò ſuper caſu opinato emergenti non poſſit conſuli ſuperior. Aliàs enim Epiſcopo ex cauſa quamvis gravi, & urgenti non licet diſpenſare contra legem ſuperioris; ſed ad eumdem ſuperiorem debet haberi recurſus. Ita Ludovic. Roman. in *l.* 1. §. *De viro*, *in* 42. *fall. ff. Solut. matrim.* per tex. in *l. Divus*, *l. ultima ibi*, *Imperatori reſcribatur*, *ff. De falſ.* Abb. in *c. Dilecti*, *il* 2. *col.* 2. *de appellat.* & Petrus de Anchar. *conſ.* 490. *Viſo*, *& diligenter inſpecto*, *num.* 7. & ſic etiam eamdem Rotæ deciſionem in terminis declarat Felin. in *cap.* 1. *num.* 50. *ver. Nihilominus*, *ſupra de conſtit.* & eſt ex mente Sancti Thomæ in 2.2. q. 147. *art.* 4. ubi poſteaquam docuit Legiſlatorem non intendere obligare, ſi quid ex ſpeciali cauſa in aliquo inveniatur, quod obſervantiæ ſtatuti repugnet, immediatè ſubnectit: *In quo tamen eſt diſcretio adhibenda; nam ſi cauſa ſit evidens, per ſeipſum poteſt homo licitè obſervantiam ſtatuti præterire, præſertim conſuetudine interveniente: vel ſi non poteſt de facili recurſus ad ſuperiorem haberi; Si verò ſit cauſa dubia, debet aliquis ad ſuperiorem recurrere, qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi.* Hæc Divus Thomas. Et hanc conditionem, ut non pateat aditus ad ſuperiorem, ad hoc ut Epiſcopis liceat in caſibus inopinatis diſpenſare contra Concilium, exigunt etiam Jo. de Lignan. à Rota allegatus in *d. c. At ſi clerici*, & ibi etiam Abb. in §. *De adulteriis*,

*teriis,n.9.de judic.*Bald. in *l.Omnes populi,n.8.ff. De juſt. & jur.* Roman. *ſign.* 486. Cott. *in memorab.in ver.Epiſcopus*, Mil.*in repet.in ver.Diſpenſare*, Dia.*reg.*238.

26 Porrò ad conſtituendum impedimentum recurrendi ad Summum Pontificem pro diſpenſatione in caſibus non prævifis à Concilio, vel à Canone, obſervandum eſt, non ſufficere quamlibet diſtantiam ab Urbe, ſed ex remotiſſimis regionibus tantùm, puta ex tranſmarinis. Manifeſtum eſt enim ex Germania, Hiſpania, Belgio, & aliis Europæ provinciis ſaltem quæ ſunt citra mare Germanicum, & Balticum, eſſe facilem recurſum ad Sedem Apoſtolicam, ut uſus docet quotidianus: nam in multis annis,quibus exercui Signaturam Sanctiſſimi in officio per Conceſſum, plerumque me reddidit in ſcribendo deffeſſum ingens copia ſupplicationum ex partibus ultramontanis pro diſpenſationibus præſertim matrimonialibus; Et idipſum diu expertus ſum in officio Correctoris Sacræ Pœnitentiariæ in irregularitatibus ex abortu, vel alio homicidio occulto provenientibus, & in diſpenſationibus ſuper matrimonio contracto cum impedimento occulto dirimente, puta homicidii alterius conjugis, animo contrahendi cum alia, juxta textum in *c.Si quis vivente*, 31.*q.*1.vel adulterii cùm fidei datione, ut in *c.ult.infra, de eo qui dux.in matrim.*vel affinitatis ex copula fornicaria occulta, ut in *c.Litteras,de reſtit.ſpoliat.*& in *c.Inquiſitioni, de ſent. excomm.*& in aliis
27 conſimilibus. Unde perperam Navarr. *in manual.cap.* 22. *num.*85.*Dubium autem*,& latius in *d.cap.At ſi clerici*, §. *De adulteriis,de judic.* poſt Jo. de Lign.Abb. Angel. & Silveſtr. quos citat, ſcripſit Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimentis quæ impediunt, & dirimunt, ſi impedimentum ſit occultum, matrimonium publicum, & ſeparatio magno ſcandalo fieret, & ad Papam, aut ejus Nuntium poteſtatem ad id habentem confugi non poſſet, propter paupertatem, & alia legitima impedimenta, & gloriatur ſe hanc doctrinam primum vulgaſſe Salamanticæ, & propter eam nonnullos Epiſcopos aliquoties diſpenſaſſe; eamque noviſſimè ſequitur Thom.Sanch. *de matrim.lib.*2.*diſp.*40.*n.*3.Etenim quidquid ſit de veritate hujus doctrinæ, profectò illa malè fuit applicata à Navarro in partibus Hiſpaniarum. Unde meritò illius ſententiam reprobavit S.Congregatio Concilii. Item Congregatio deputata in cauſa Leodienſi ,ut dixi *in c. Cùm de ſua*, *num.* 15.*de corp. vitiat.* nec eam ſervant Epiſcopi timoratæ conſcientiæ. Multòque minus ſervari poteſt quod generaliter ſcripſerunt idem Sanch. *in Summ. tom.*1.*lib.*4.*cap.*40.*numer.*39.& Salas *de legib.diſput.*20.*ſect.* 3. *num.* 27. videlicet poſſe Epiſcopos diſpenſare in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis cum ſubditis, qui ob paupertatem ad Urbem accedere non valent; Tum quia hujuſmodi cauſa dici non poteſt de novo emergens, & veriſimiliter incognita tempore reſervationis, cum frequentiſſimè Sedes Apoſtolica cum pauperibus diſpenſare conſueverit.Tum quia pro impetratione diſpenſationum non eſt neceſſarius perſonalis acceſſus ad Urbem.Et in impedimentis occultis ſatis eſt, ut Confeſſores in partibus, ſuppreſſis nominibus ſupplicantium per litteras conſulant Pœnitentiarios Baſilicarum Urbis, vel alios,qui poſtea ſupplicationes deferunt ad miniſtros Sacræ Pœnitentiariæ,ut praxis obſervat, & ab ea diſpenſationum litteræ expediuntur gratis omninò etiam quoad ſcripturam. Unde non apparet quomodo paupertas poſſit præbere Epiſcopis juſtam cauſam diſpenſandi.

28 Declaratur tertiò deciſio Rotæ, ut procedat dummodò periculum ſit in mora: nam magna cauſa de novo emergens cum impedimento recurſus ad ſuperiorem non ſufficeret ad diſpenſandum, etiam in remotiſſimis Regionibus, ſi res dilationem pateretur. Ceſſaret enim cauſa relaxandi
29 vinculum ex lege ſuperioris injectum. Textus eſt in *cap. Priſcis*, 55. *diſt.* ubi apparet Epiſcopos non poſſe facultate diſpenſandi ſibi per Canonem attributa uti, ubi nulla, vel rerum vel temporum perurget anguſtia. Et ibi Archidiac. Gemin. & alii notant legem diſpenſativam ceſſare ceſſante cauſa diſpenſationis. Unde conſtitutio permittens aliquid propter periculum ceſſat eo ceſſante,ut inquit Bald.in *l.fin. per illum textum*, *C.Qui non poſſ. ad libert. perven.*& ſequitur Felin.alia adducens in *c. Quæ in Eccleſiarum*, *numer.*29. *ſupra de Conſtitut.* Ad quod optimè facit, quod notat idem Bald. in Authen. *Hodie,C.de judic.* ubi ait minoribus magiſtratibus non licere tranſgredi leges,vel ſtatuta ſuperiorum propter emergentiam caſuum inopinatorum, ſed debere illa tenaciter obſervare,nec ab eorum forma recedere, niſi quando ſuperior non poſſet adiri, & periculum eſſet in mora,atque ita Bald. propter emergentiam caſus inopinati exigit etiam hæc duo copulativè,ut non pateat aditus ad ſuperiorem,& periculum ſit in mora,per text.qui efficaciter hoc probat in *c.unic.*§.*fin.Ne ſede Vacan.lib.*6.Idem probatur in *l.Si longius*,§.*fin.ff. De judic.* quam ad hoc allegat Petrus de Anchar.in *d.c.unic.num.*4.*verſ.Circa tertium*, & cum Baldo tranſit Felin. *in can.* 1. *num.* 50. *verſ. Imo dixit Baldus ſupra de Conſtit.*& ex mente Divi Thomæ in 1.2.*quæſt.*97.*art.* 4. ubi dicit periculoſum fore, ut diſpenſatio judicio cujuslibet committeretur, niſi fortè propter evidens, & ſubitum periculum.Et confert decretum Concil.Trid.*in cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ibi cujus quoniam cauſæ ſunt notoriæ interdum repentinæ,ne eas quidem ſignificare Metropolitano neceſſe erit.

Declaratur quartò, ut habeat locum, dummodò Epiſ- 30
copus procedat per viam diſpenſationis in aliquo ſpeciali caſu,prout loquitur deciſio Rotæ, non autem per viam ſtatuti, ut probatur in *d.cap.Priſcis*. 55. *diſt.* ubi conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi, priſcis tamen manentibus conſtitutis, quæ cuſtodiri debent, ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget anguſtia. Atque ita permittitur Epiſcopis diſpenſatio urgente neceſſitate, ſed non canonis abrogatio, ſeu immutatio. Ratio eſt, quia Epiſc. cùm ſint debitores, ſacras Canonum regulas obſervare debent, ut dicitur *in c.Cùm ſimus*,9. *q.* 3. unde ipſos appellat text. Canonum magiſtros atque cuſtodes *in c. Cùm quibus*, 24.*qu.*3. Igitur nullus Pontificum in totum, vel in partem qualibet occaſione poteſt convellere, vel mutare decreta Summorum Pontificum ſtabilita. Quæ ſunt verba text. *in c. Inſtitutionis*, 25. *q.* 2. Unde nec in Synodo licet eis quidquam ſtatuere quod obviet canonicis inſtitutis, ut eſt caſus *in c. Quod ſuper his*, & ibi dixi infra *de major. & obed.*& ita plenè conſuluit Feder. de Sen. *conſ.* 17. *Quæſtio talis eſt per totum*; quem refert, & ſequitur Petrus de Anchar. *in repet. Canon.ſtatuta*, *de conſtit.n.*188. *verſ. in contrarium*, *& nu.* 190.*verſ. Accedit his utilis quæſtio*. Alioquin ut dicunt Feder. & Anch. Si Epiſcopi id poſſent per viam ſtatuti, per conſequens poſſent totum jus commune ſubvertere in ſingulis caſibus à jure proviſis aliud ſtatuendo; quo ſentire ſecundùm eos modicum differt ab hæreſi, *c.*1.27.*diſt. cap. Nulli*, 19.*diſt.*gloſſ. *in c.* 1. *in ver. Facti*, *verſ.Quod ſi contrarium diceremus*, *de conſt.lib.* 6.& docet S.Thomas *opuſc.* 19.*cap.*3.de quo ſcripſi plenius *in d.c.Quod ſuper his,de major.& obed.* Et hanc differentiam inter diſpenſationem, & 31
ſtatutum ponit expreſsè idem Feder. de Sen. *conſ.* 275. *Caſus talis eſt,num.*2.*verſ. Non obſtat ad præmiſſa*, ubi propterea dicit Epiſcopos diſpenſare poſſe cum illegitimis in multis caſibus contra jura; tamen non poſſe ſuper hoc facere legem, vel ſtatutum ut illegitimi poſſint promoveri, reddens rationem, quia lex, & conſtitutio reſpicit futura; & ſic per eam inducerentur homines ad peccandum; ſed diſpenſatio reſpicit præterita, id eſt,ſuper eo,quod jam factum eſt, diſpenſatur, ut in *c. Quemadmodum, de jurejur.* & *l. Si unus*,§.*Pacta*, *ff.De Pactis*. Hinc S. Congregatio Concilii 32
aliàs conſulta, An contra *cap.* 15. *ſeſſ.* 24. Concilium Provinciale aliquid ſtatuere poſſit, veluti ſi aliquis Baro prætextu inimicitiarum cum Epiſcopo, & ejus Clero vellet confiteri Presbytero etiam approbato à ſuo Ordinario,cenſuit non poſſe.

Declaratur quintò,ut quoad diſpenſationem in gradibus 33
prohibitis procedat, dummodò matrimonium ſit jam publicè contractum, impedimentum ſit occultum,& ſeparatio ſine magno ſcandalo fieri non poſſit, prout requirunt Silveſt. *in ver.Diſpenſatio,nu.*1. *ver. Ex quibus concluditur*. Navarr. *in Man. c.* 22. *n.* 85.*verſ.Dubium autem*.Tabien.& Armilla citati *nu.* 24. in prima declaratione. Alioquin ſi matrimonium eſſet occultum, aut nondum contractum, ceſſaret ratio magni ſcandali, ſuper qua fundatur juſtitia diſpenſationis. Quinimò ſi matrimonium eſſet occultum, aut impedimentum publicum, potiùs eſſet ſcandalum ut conjuges pergerent in copula fornicaria. Unde non benè 34
Baſil. Pontius *de matrim.lib.*8.*cap.*13.*nu.* 6.& alii moderni ſcripſerunt Epiſcopum poſſe diſpenſare in articulo mortis in matrimonio etiam contrahendo ad legitimandam prolem. Et ſanè nec Navarr.nec qui ante eum ſcripſerunt auſi ſunt tradere hanc doctrinam, niſi prædictis conditionibus concurrentibus. Baſil. verò & alii hanc doctrinam liberè ex-

ex-

extenduntur ad impedimentum etiam publicum; imò & ad matrimonium contrahendum, & cum cauſa ſatis levi. Quid enim urget legitimatio prolis ex paupere mulierculа, ut inferior diſpenſare debeat in caſibus Summo Pontifici reſervatis; Unde arbitror contrariam ſententiam ſervari non poſſe ab Ordinariis abſque incurſu excommunicationis quæ in Bulla Cœnæ feriuntur, uſurpantes juriſdictiones, & jura ad Sedem Apoſtolicam pertinentia, ut in ſimilibus
35 caſibus ſæpius reſpondit S.Congregatio Concilii. Ad quod facit quod notat Innoc. in *c. Dilectus*, *n.* 2. *verſ. Dic non licere*, *ſupra de temp. ordin.* ubi conciliāns regulam præd. Decretalis cum contraria regula Decretal. *Nuper de ſent. excomm.* dat unam ſolutionem, dicens Epiſcopos poſſe quidem diſpenſare ſuper jam facto, ut tolleretur niſi prohibeatur, ut in *d.c. Nuper*, ſed numquam poſſe ſuperfaciendo, id eſt, ut aliquid fiat contra Canones, niſi ubi permittitur à jure, ut in *d.c. Dilectus*, allegat, *c. Hoc videtur* 22. *quæſt.* 5. quam ſolutionem ponunt ibi etiam Jo. Andr. *nu.* 13. Anton. de Butr. *n.* 9. Belliam. *num.* 4. *verſ. Tertia ſolutio*, & Abb. *n.* 5. & fuit diſtinctio Petri de Samplone, quæ ponitur in additione poſt gloſſ. 1. in *c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis*, *infra de*
36 *judic.* Poteſt igitur admitti, ut prædictis concurrentibus, Epiſcopus aliquando diſpenſare poſſit ſuper matrimonio contracto, non tamen ſuper contrahendo, quia ſuper jure prohibitorio inferior à Principe non diſpenſat, ut notat Innocent. in *c. Vel non eſt compos*, *ſupra de tempor. ordin.* Bart. in *l. Barbarius*, *ff. de off. Præt.* & Petrus Brixien. in *repert. in ver. Diſpenſatio.*

37 Declaratur ſextò, ut prædicta facultas diſpenſandi in impedimentis dirimentibus, ubi matrimonium eſt publicum, & impedimentum occultum, procedat in foro conſcientiæ tantùm, non autem in foro externo, prout obſervat ſacra Pœnitentiaria exemplo Concilii Tridentini, in *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. quod tribuit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, non tamen deductis ad forum contentioſum, & abſolvendi à caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis pro ſolo conſcientiæ foro. Et tradunt ex recentioribus Henriquez *lib.* 12. *de matrimon. c.* 3. *n.* 2. & Sanchez *in tract. de matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *n.* 10.

38 Declaratur ſeptimò, ut eadem facultas locum habeat, dummodò qui petunt diſpenſationem contraxerint matrimonium bona fide, id eſt, cum probabili ignorantia impedimenti, aliàs enim indigni eſſent diſpenſatione, argum. *c. Frater*, & *Coepiſcopus*, & *c. ſeqq.* 17. *q.* 4. & *c. fin. infra de im-*
39 *mun. Eccleſ.* Et conſtat ex decreto Concilii Tridentini in *c.* 5. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* ubi ſtatuitur, ut ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, Idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantum matrimo-
40 nium contrahere, ſed & conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubiiciatur pœnis; non enim dignus eſt qui Eccleſiæ facilè benignitatem experiatur, cujus ſalubria precepta temerè contempſit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo gratis diſpenſari poterit. Atque ita hanc conditionem exigunt poſt Concilium Tridentinum Bartholomæus à Ledeſma *de matrim. dub.* 5. *ad fin.* & Ludovic. Lopez. 2. *par. inſtructorii*, *c. ult. ad fin.* quicquid contra ſcripſerit Henriquez *loc. cit.* quem meritò refellit Sanch. *d. diſp.* 40. *num.* 4. Et certè ſi Summus Pontifex non diſpenſat cum his, qui mala fide inierunt matrimonium, longè minus diſpenſabit Epiſcopus, ut arguit Anton. de Butr. in *c. Poſt tranſlationem*, *in* 5. *notab. n.* 11. *de renunc.* & Andreas Barbat. *in addit. ad Abb. in c. At ſi Clerici*, §. *de adulter. in ver. Concedere*, *de judic.*

41 Declaratur ultimò, ut procedat, dummodò ſic diſpenſati ab Epiſcopo, cùm primum dabitur facultas, recurrant ad Sedem Apoſtolicam pro nova diſpenſatione per tex. in *cap. Eos qui*, *de ſent. excomm. lib.* 6. ubi abſolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum, à quo aliàs abſolvi non poterat, ceſſante impedimento cum commodè poterit, tenetur ſe præſentare ei, à quo alias abſolvi debebat, alioquin ne ſic cenſuræ illudat Eccleſiaſticæ, in eamdem ſententiam recidit ipſo jure. Quo textu corrigitur ſententia Goffredi Fernard. & Hoſt. qui contrarium dixerunt in *cap. De cætero*, *infra eod. tit.* ut notat gloſſ. in *d. cap. Eos qui*, *in ver. Decernimus.* Et ita in terminis diſpenſationis per illum text. tradit Petr. de Anchar. *conſ.* 409. *Viſo & diligenter inſpecto*, *n.* 7.

His planè omnibus concurrentibus videtur non eſſe in- 42
conveniens, ut juxta prædictam deciſionem DD. de Rota Epiſcopus ex magna cauſa diſpenſet contra canones etiam Concilii. Finge enim à Principe contractum fuiſſe matrimonium bona fide in gradu prohibito, & futurum eſſe, ut niſi proles inde ſuſcepta per ſubſequens matrimonium legitimetur, ſuccedat in Regno Infidelis, vel Tyrannus, certè non eſſet abſurdum ut altero ex conjugibus in periculo mortis conſtituto, Epiſcopus diſpenſaret ſuper matrimonio ſic contracto ad legitimationem prolis, ne alioquin publica ſalus Regni periclitaretur. Non enim credendum eſt Canonis conditorem fuiſſe crudelem, & ſalutem omnium deſpicere voluiſſe, *c.* 3. *de Poſtul. c. Licet*, *de regul. c. Si quis recte*, 11. *q.* 3. *c. Scias*, 7. *qu.* 1. quin potius veriſimile eſt, ut noluerit hunc caſum in ſua prohibitione includere, & hæc eſt Epicheia, ſeu æquitas, quam egregiè explicat S. Thomas in 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. Utitur hoc exemplo in ſimili caſu diſpenſationis Innoc. *c. Cùm ad monaſterium*, *de ſtat. Monach. num.* 4. *verſ. Quid enim ſi tota Chriſtianitas*, *vel etiam aliqua pars ejus eſſet in periculo.* ubi hæc ſolidiſſimis rationibus comprobat, & eum ſequuntur ibi Hoſt. Joan. Andr. *num.* 29. Abb. *n.* 21. & reliqui omnes. Confert quod notat 43
Bart. in *l. Cum Navarchorum*, per illum textum, *C. de navib. lib.* 11. dicens, Priores poſſe facere contra ordinamenta adunantiæ generalis, ſi cognoſcant aliquod ordinatum eſſe, cujus obſervantia ſit Reipublicæ damnoſa. Et quod ſcripſit Bald. in *l. Obſervare in* 10. *q. ff. de off. Proconſul.* ubi ait judicem excuſari in ſyndicatu, qui ob multorum ſalutem tranſgreditur ſtatuta.

Sed his requiſitis deficientibus, vel aliquo ex eis, ut ſi pateret aditus ad Summum Pontificem, aut ſi periculum non eſſet in mora, diſpenſatio irrita eſſet, & ſic diſpenſari non eſſent tuti in conſcientia ob defectum poteſtatis ſecundùm opinionem Inn. & communem in *d. c. Cum ad monaſterium*, Covarr. *de ſponſ. par.* 2. *c.* 6. §. 9. *n.* 11. Unde ſi qui Epiſcopi in Hiſpania innixi doctrinæ Navarri cum pauperibus in impedimentis diſpenſarunt, id malè & ſuo periculo præſtiterunt, ut ex dictis conſtat, &c.

Unde etiam apparet longè minus admittendum eſſe, 44
quod generaliter dixit Baſil. Pont. *de matrim. lib.* 6. *cap.* 8. *nu.* 11. allegans Sotum in 4. *diſt.* 32. *qu. unic. art. ult.* videlicet jure ordinario Epiſcopum diſpenſare contra legem Concilii generalis, vel Summi Pontificis quoties diſpenſandi facultas illi non adimitur; hæc enim doctrina, niſi temperetur ſecundùm ea quæ dicta ſunt falſa, & periculoſa eſt, & nullatenus ad praxim deducenda: nam inferiorem poſſe contra legem ſuperioris abſolutè diſpenſare nihil eſt aliud, quam caput membris, & ſuperiora inferioribus ſubiicere, & ordinem naturalem invertere, *c. Inferior*, 21. *diſt.* gloſſ. *notab. in Clem. fin. in ver. Eccleſiæ*, *de hæret.* S. Thomas *in* 2. 2. *qu.* 104. *art.* 1. & Eccleſiaſticam Hierarchiam confundere Dei ordinatione inſtitutam, ut in *c.* 4. & *canon.* 6. *ſeſſ.* 23. *de ſacr. ordin.* Concilium Trident. Præſertim verò quia mos ſacrorum Canonum, & Conciliorum eſt ferè ubique ſimpliciter precipere, aut prohibere quid faciendum ſit, vel non faciendum: rarò autem deſcendunt ad prohibitionem diſpenſationis. Unde ſi liceret Epiſcopis diſpenſare, quotieſcumque diſpenſatio in ſpecie non prohibetur, conſequenter eſſet in eorum facultate totum jus commune, & Concilia univerſalia ſubvertere in ſingulis caſibus diſpenſando, quod eſt erroneum aſſerere ſecundùm Feder. de Sen. & Petr. de Anch. citatos *ſupra in* 4. *declaratione*, *num.* 30.

DE FILIIS PRESBYTERORUM.

Alexander III. Vigoren. Epiſcopo.

CAPUT VIII.

CONſtitutus in præſentia noſtra G. clericus, ſupplici nobis inſinuatione monſtravit, quòd cùm capellam de Storton. canonicè fuiſſet adeptus, & eam pluribus annis pacificè poſſediſſet: R. miles ipſum ea ſine judicio ſpoliavit. Cùmque memoratus clericus exinde apud te depoſuiſſet querelam; obiectum fuit ei, quòd pater ſuus in capella miniſtravit eadem: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit, quòd idem clericus à capella fuerit prædicta per potentiam laicalem ejectus, & quòd pater ejus præfatæ capellæ perſona ſeu perpetuus vicarius non fuerit (licèt in eadem nomine ejuſdem G. quandoque minaſtraverit) ipſam ſibi cum redditibus perceptis, reſtituere non omittas.

SUMMARIUM.

1 *Filius præeſſe poteſt Eccleſiæ, in qua pater ſine titulo miniſtravit, & n. 26.*
Et quid poſt Concil. Trident. & Conſtit. Clem. VII. num. 27.
2 *Spoliatus beneficio an, & quando ſit reſtituendus antequam doceat de Canonica inſtitutione, & numer. ſeqq. uſque ad n. 21.*
3 *Spoliato potenti reſtitutionem beneficii regulariter obiici non poteſt de non Canonica inſtitutione, & num. 11.*
Fallit ſi ſpoliatus conſentiat, ut cognoſcatur de bona jure, n. 5.
Item fallit ſi defectus tituli non Canonici ſit notorius, num. 6.
Item fallit ſi ſpoliatus ſimul intentaverit poſſeſſorium, & petitorium, n. 9. & 12.
4 *Intellectus plures hujus cap. & numer. ſeqq. uſque ad num. 21.*
6 *Spoliatus non tenetur reſpondere ſuper petitorio.*
7 *Agenti poſſeſſorio recuperandæ in profanis obiici non poteſt vitium proprietatis etiam notorium.*
8 *In beneficialibus ſecus, ſive ſit notorium de jure, ſive per confeſſionem ſpoliati, ſive per evidentiam facti, vel probationum judicialium.*
9 *Poſſeſſorium recuperandæ, & Petitorium ab eadem perſona cumulari poſſunt; & utrumque unica ſententia terminatur.*
10 *Canonica inſtitutio dicitur, quæ eſt ſine vitio conferentis, recipientis, vel formæ.*
13 *Spoliatus agens poſſeſſorio, & petitorio ſi probet poſſeſſionem, & ſpoliationem, ſed non proprietatem, obtinet in poſſeſſorio, ſed ſuccumbit in petitorio.*
14 *Libellus ſuper poſſeſſorio non vitiatur ſi in eo narretur aliquid de proprietate.*
15 *Libellus congnoſcitur ex modo concludendi, non narrandi.*
16 *Commiſſio Papæ præſumitur conformis libello.*
17 *Libellus coram Papa procedit etiam ſine concluſione.*
18 *Spoliatus reſtituitur unà cum fructibus perceptis, & qui percipi potuerunt.*
19 *Etiam ſi egerit ſimul poſſeſſorio, & petitorio.*
20 *Prædo non debet eſſe melioris conditionis, quàm poſſeſſor cum titulo.*
21 *Perſonæ appellatione intelligitur Rector Eccleſiæ.*
22 *Vicaria perpetua, & Rectoria à pari procedunt, quo ad repellendos filios à beneficiis parentum.*
23 *Vicarius perpetuus jus habet in Eccleſia, & ſine cauſa removeri non poteſt.*
24 *Item pro Rectore habetur, & ſicut Rector dicitur intitulatus.*
25 *Vicarius perpetuus, & Rector eamdem curam habent in ſolidum.*

C*Onſtitutus*. Filius præeſſe poteſt Eccleſiæ, in qua pater 1
ſine titulo miniſtravit. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr.
& omnes, & ſunt duæ partes. Prima ponit quæſtionem,
ſecunda proviſionem, ibi, *fraternitati*.
Nota primò ibi, *Si tibi conſtiterit*. Ad hoc ut ſpoliatus 2
beneficio ſit reſtituendus, non ſufficere ut probet ſpo-
liationem, niſi etiam doceat de bono jure, ſeu canoni-
ca inſtitutione. De utroque enim Papa hic mandat in-
quiri.
Sed contra, cùm hic Clericus fuerit beneficio ſpoliatus 3
de facto, debuit ſimpliciter reſtitui abſque eo, quod co-
gnoſceretur de ſuo jure, *c. in litteris, c. Item cum quis, &c. Ex*
conqueſtione, inf. de reſtit. ſpol. 3. q. 1. & quæſt. 2. per tot. Timore
hujus contrarii Decretalis legitur variè, & quinque lecturas 4
proſequitur hìc Card. *à princ. uſque in fin.* Ego tres tantùm
attingam, ex quibus, ni fallor, Decretalis remanebit pla-
na, & clara. Prima lectura eſt Hoſtienſ. *hic num. 1. verſ.*
Tu dicas, qui putavit commiſſionem Apoſtolicam ſuper 5
ſpoliatione, & Canonica inſtitutione hic proceſſiſſe de
voluntate Clerici ſpoliati, cui propterea mos gerendus
fuit, & fortè Papa eum ad hoc induxit ex quadam æqui-
tate ad tollendos circuitus; quia reſtitutus niſi de canoni-
ca inſtitutione appareret, nihilominus brevi manu amo-
veretur. argum. *c. Ad petitionem, ad fin. infra de accuſat.*
& fortè Clericus ſatis confidebat de jure ſuo, & cum
Hoſtienſ. videntur ſimpliciter tranſire Joann. Andr. *hic*
num. 7. & Butr. *num. 10. verſ. Tertio.* Verùm hic intelle-
ctus divinat ad hunc textum, ideòque nullatenus videtur
recipiendus, prout etiam obſervat Cardin. *poſt med. ver.*
Quarto legitur.
Secunda lectura deſumitur ex Innocent. *hic poſt medium,* 6
verſ. Secundum, qui poſuit inſignem declarationem ad ju-
ra præallagata, quæ dicunt Clericum beneficio ſpoliatum
ante omnia eſſe reſtituendum, nempe ut procedant, quan-
do res eſt dubia ſuper proprietate, ſeu canonica inſtitu-
tione: tunc enim ſpoliatus poteſt dicere, Non reſpondebo
niſi de poſſeſſione mea; & tu non es audiendus niſi
priùs facta reſtitutione, ut in *d. c. In litteris;* quod etiam
dixerunt Domini de Rota *deciſ. 365. num. 10. par. 3. recent.*
Secus verò ſi conſtaret per confeſſionem ſpoliati, vel pro-
bationes admiſſas quod eſſet talis, ut Eccleſia non eſſet ei
reſtituenda, puta, quia eſſet illegitimus, vel poſſeſſionem
Eccleſiæ occupaſſet, & diſpenſationem non haberet: tunc
enim ad poſſeſſionem Eccleſiæ non eſſet rintegrandus,
cùm eam ſine peccato retinere non poſſet, ut *c. Significa-*
ſti, infra de divort. l. 1. §. Redigit, ff. quorum legat. & l. Do-
lo, ff. de doli except. Ita Innoc. dicens in hoc convenire
omnes. Tu ſigna, & memoriæ commenda hanc theori- 7
cam: nam etſi aliis juribus, vel rebus contra ſpoliatum
excipi non poſſit de vitio proprietatis etiam notorio; quia
eo quod poſſidet, juſtè poſſidet, etiamſi in totum deficiat
in proprietate, ut hic per Butr. *num. 8. verſ. Sed tu dic*, &
Joan. de Anan. *in fin.* tamen in Beneficialibus ſecus eſt, 8
quia agenti poſſeſſorio recuperandæ obſtat defectus noto-
rius proprietatis; ſive ſit notorius ex juris diſpoſitione,
ſive per confeſſionem ipſius ſpoliati, ſive per evidentiam
facti, ſive per evidentes probationes judiciales. Et eſt ra-
tio, quia beneficia ſine canonica inſtitutione licitè obti-
neri

neri non poſſunt, ut in *reg.* 1. *Sexti*; ideòque non competit reſtitutio, niſi contra notorium aliquid rationabile oſtendatur. Et hoc dictum Innocent. tamquam ſingulare extollunt, & approbant hic idem Butr. *d. num.* 8. *verſ. Sed tu dic*, *& num.* 9. Cardin. *poſt princ. verſ. Tertio legitur*, & *circa fin. verſ. Dic ſtandum tertiæ lecturæ*. Anchar. & Jo. de Anan. ambo *in* 2. *notab.* Navar. in *c. Accepta*, *n.* 9. *verſ. Confirmatio decuplex*, *de reſtit. ſpoliat.* ubi de communi DD. de Rota *deciſ.* 2. *incip. Fuit dubitatum*, *& num.* 2. *eod. tit. in novis*,

9 Tertia lectura, quæ mihi videtur admodum conſona verbis Decretalis, eſt gloſſ. 2. hic? & videtur ex mente Innocent. *in princ. in ver. Querelam*, & Joan. And. *num.* 2. videlicet quòd iſte clericus ſpoliatus non egit tantùm poſſeſſorio reintegrandæ, ſed ſimul intentavit poſſeſſorium, & petitorium, quod jure fieri poteſt, & eo caſu recipiuntur probationes tàm ſuper poſſeſſione, & ſpoliatione, quàm ſuper proprietate: & unica ſententia poſſeſſorium, & petitorium terminatur, ut eſt caſus in *c. Cum dilectus*, & ibi notat gloſſ. 1. & communiter Doctores, *infrà de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Quod intentaverit poſſeſſorium eſt extra dubium, quia in ſua querela diſertis verbis propoſuit ſe fuiſſe ſpoliatum extra judicium per potentiam laicalem, & Papa conſtito de ſpoliatione mandat illum reſtitui: unde inepta eſt quarta lectura eorum, qui dixerunt hunc clericum egiſſe petitorio tantùm. Quod verò ſimul cum poſſeſſorio intentaverit etiam petitorium,
10 conſtat evidenter ni fallor ex ſequentibus: & primò ex querela, quam propoſuit Papæ, in qua ſignificavit ſe fuiſſe canonicè inſtitutum de Capella, à qua fuit per potentiam laicalem ejectus, ut patet ex princ. text. ibi, Eccleſiam de Horton. canonicè fuiſſe adeptus, hoc eſt ſine vitio conferentis, recipientis, vel formæ, ut explicant hic Hoſtienſ. & Card. ambo *in princ.* & Joan. Andr. *num.* 2.
11 quæ omnia procul dubio pertinent ad petitorium. Secundò ex eadem querela, quam Clericus depoſuit coram Epiſcopo Vigoren. & ex objectione illi facta ex adverſo, quod ejus pater in eadem Eccleſia miniſtraſſet: & conſequenter illius inſtitutio non eſſet Canonica: quod fieri non potuiſſet ſi ſolum poſseſsorium intentaſset, quia agenti interdicto recuperandæ non poteſt objici de non Canonica inſtitutione, ut eſt caſus in *d. c. In litteris*, *inf. de reſtit. ſpoliat.* Ac demum ex commiſſione Papæ, qui mandat inquiri non tantùm de ſpoliatione, ſed etiam an pater Clerici ſpoliati fuerit in ead. Eccleſia intitulatus, & ſic an filius eſset canonicè inſtitutus: quod ſimiliter reſpicit
12 proprietatem, & titulum beneficii. Unde ſaltem his omnibus ſimul junctis non videtur ambigendum quin iſte Clericus egerit ſimul poſseſsorio, & petitorio. Et conſequenter ceſsat objectum quod debuerit reſtitui priuſquam cognoſceretur de bono jure juxta textum in *d. c. In litteris*, *cum concordat. ſupra cit.* Quoniam prædicta jura limitantur non procedere, quando ſpoliatus agit ſimul poſseſsorio, & petitorio, quia tunc cauſa committitur, & cognoſcitur ſuper utroque, ut in *d. c. Cum dilectus*, *de cauſ. poſſeſſ.*
13 *& propriet.* licèt poſtea ſi probet poſseſsionem, & ſpoliationem, ſed non proprietatem, obtineat in poſseſsorio, ſed ſuccumbat in petitorio, ut in *cap. Cum Eccleſia Sutrina*, *cum materia*, & in *c. Cum ſuper*, *eod tit.*

14 Non obſtat, quòd iſte clericus ſpoliatus ſolum narraverit in libello aliquid de proprietate, (quod fieri poteſt, & libellum non vitiat, ſecundùm Anton. de Butr. *in* 1. *notab.*) in concluſione verò reſtrinxerit ſe ad poſseſsorium:
15 & conſequenter non obtulerit ſe probaturum de proprietate, & titulo, quia libellus cognoſcitur ex modo concludendi, non narrandi, ut eſt caſus in *c. Ex parte B. infrà de for. compet.* & obſervat idem Butr. *hic num.* 12. & Joan.
16 de Anan. *num.* 1. *in finem*. Id inquam non obſtat, quia de hac concluſione ſuper poſseſsorio nullibi apparet ex littera: quinimò cùm clericus in libello narraverit ſimul poſseſsionem, & proprietatem, ut Butr. fatetur, & Papa de utroque inquiri mandaverit, vehemens eſt præſumptio, quod utrumque deduxerit in concluſione libelli, cui commiſſio Papæ præſumitur eſse conformis, *l.* 1. *C. de diverſ. reſcr.* ubi eſt caſus *c. In inter dilectos*, §. *Cæterùm*, *inf. de fid. inſtrum.* & reſpondit Gemin. *conſ.* 47. *Supplicatur Papæ*, *n.* 1. *verſ. Nam in reſcripto*, & Roman. *conſ.* 132. *Ut retulit in princ.*

Præterquam quod coram Papa procedit libellus etiam ſi- 17
ne concluſione, ſecundùm Inn. in *c.* 1. *n.* 1. *verſ. Niſi cauſa coram Papa ageretur*, *inf. de lit. conteſt.*

Rurſus obſtat, quòd Papa hic mandat reſtitui Capel- 18
lam ſpoliato, unà cum fructibus perceptis, ac etiam qui percipi potuerunt, ſecundùm gl. ult. quod eſt proprium in interdicto poſseſsorio recuperandæ, *c. Gravis*, *infrà de reſtit. ſpoliat.* & ponderant hic Hoſt. *in fin.* Jo. Andr. *num.* 3. *in ver. Eiectus*, Anch. *in* 1. *notab.* & plerique alii: Nam reſ- 19
pondetur fructus perceptos, & qui percipi potuerunt à fortiori deberi ſpoliato, quando docet non ſolùm de poſſeſſione, & ſpoliatione, ſed etiam de titulo & proprietate ut hoc caſu: ne ſit melioris conditionis Prædo, & incubator, quàm legitimus poſseſsor, & intitulatus: contra text. in *c. Ad decimas*, *de reſtit. ſpol. lib.* 6. & *c. Licet cauſam*, *cum ibi not. inf. de probat. cum mult. ſimil.* Unde arg. hoc in quo 20
tantam vim faciunt Doctores concludit quidem hunc clericum egiſse poſseſsorio, ſed minimè concludit, quin ſimul etiam egerit petitorio: Et ex his arbitror optimè ſalvari poſſe intellectum gloſs.

Secundò nota ibi, *perſona*, Appellatione perſonæ in- 21
telligi Rectorem Eccleſiæ, ut hic, & in *c. Ad extirpandas*, *infr. eod.* & adde Innoc. in *c. De multa*, *num.* 6. *inf. de præben.* ubi adnotavit in Anglia perſonas Eccleſiarum dici que præſunt Eccleſiis, qui alibi dicuntur Curati, ut *c. Perſonas*, *inf. de appellat.*

Tertiò nota ibi, *ſeu perpetuus Vicarius*, Rectoriam, & 22
Vicariam perpetuam à pari procedere quoad prohibitam ſucceſſionem filiorum in beneficiis parentum. Nec mirum, 23
quia ſecundùm Goffred. hic, Vicarius perpetuus habet jus in Eccleſia, & ſine cauſa removeri non poteſt, *c. Provideas*, *c. Ad hæc*, & in *c. fin. inf. de offic. Vicar. c. G. Perpetuus*, *inf. de fide inſtrum. c. Poſtulaſti*, *ſup. de reſcr.* ſicut emphyteuta, & qui ad non modicum tempus conduxit jus habet in re, *l.* 1. *& fin. ff. Si ager vectigal. l.* 1. §. *Quod ait*, *ff. de ſuperficiebus*. Item perpetuus Vicarius, ſecundùm Anch. *hic in fin.* pro Rectore habetur, & ut ait Butr. *in* 3. *notab.* dicitur 24
intitulatus ſicut Rector, ad quod vide quæ ſcripſi in *c. Ex parte*, *num.* 1. *& ſeqq. & num.* 19. *de offic. Vicar.* Aliam rationem aſſignat hic Hoſt. *num.* 1. *in ver. Eiectus*. Nempe quia 25
Rector, & Vicarius perpetuus eamdem curam habent in ſolidum, cùm talia diviſionem facilè non recipiant, ut notatur in *cap.* 1. *infrà de iure patr.* Unde ſi filius inſtitueretur Rector poſteaquam pater fuit Vicarius perpetuus; vel è converſo daretur ſucceſſio in eod. vel conſimili jure contra Canonum inſtituta; ut notat idem Hoſt. in *c. Ad hæc*, *ad fin. in ver. Præfuerunt*, *inf. eod.* Non obſtat *c. Ad extirpandas*, *infr. eod.* quod loquitur ſimpliciter de Vicario. Quoniam illa Decretalis intelligitur ſecundùm hanc, & ſi de Vicario perpetuo, ut ibi notat gl. *in verb. Vicarii*, Innoc. *in eod. ver.* Hoſt. *n.* 1. *in ver. Perſonæ*, & Bellam. *in princ.* Henr. Boich. in *c. Nimis*, *n.* 7. *infrà eod.*

Ultimò nota id, quod dictum eſt in Summario, videlicet 26
filium de jure præfici poſſe Eccleſiæ, in qua pater non fuit intitulatus, ſed tantùm nomine filii miniſtravit, ut Vicarius coductitius, ſeu Capellanus amovibilis, & hic notat gl. pen. Hoſt. *n.* 1. *in ver. Miniſtravit*, *& n.* 3. *in ver. Nomine*, Butr. *in* 4. *notab.* & Anch. *in ult. notab.* Et nota diſpoſitionem hujus textus, quatenus intelligatur etiam de filio ille- 27
gitimo, non fuiſſe ſublatam à Conc. Trid. *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. ut ex ſententia S. Congr. dixi in *c. Ad extirpandas*, *n.* 16, *infr. eod.* An autem ſublata fuerit per Conſtit. Clem. VII. quæ incipit, *Ad Canonum conditorem*, ſcripſi in prædicta Decretali *Ad extirpadas*, *nu.* 17. *& ſeqq.* ubi plenè videas,

DE

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA Ordinandis vel non.

Ex Concilio Carthag:

CAPUT I.

MAgnus Epiſcopus Auguſt. dixit: procuratores, actores, executores, ſeu curatores pupillorum ſi debeant ordinari? Gratus Epiſcopus dixit: Si poſt depoſita onera, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipſorum fuerint comprobati in omnibus, debent cum laude Dei (ſi poſtulati fuerint) honore munerari: ſi enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint ordinati, Eccleſia infamatur. Univerſi dixerunt: Rectè ſtatuit Sanctitas veſtra, ideòque ita eſt noſtra ſententia.

SUMMARIUM.

1 *Obligatus ratiociniis depoſito onere, & reddita ratione ordinari poteſt, prius vero non, & nu.* 11. *&* 22.
2 *Clerici non poſſunt eſſe Procuratores, nec Advocati in foro ſæculari, niſi pro Eccleſia miſerabilibus perſonis, conſanguineis, & quorum negotia de jure gerunt.*
3 *Secus in foro Eccleſiaſtico.*
4 *Clerici unum negotium Clericorum, vel etiam laicorum in foro ſæculari procurare non prohibentur.*
5 *Clerici an poſſint eſſe conductores.*
6 *Clerici poſſunt emere fructus Eccleſiæ ad tempus.*
7 *Curator dari poteſt etiam pupillo.*
8 *Tutor teſtamentarius, vel dativus ordinari non debet ante depoſitam tutelam, & redditas rationes; ſecus ſi tutor ſit legitimus.*
9 *Tutela legitima eſt, quæ jure agnationis, vel cognationis defertur.*
10 *Filius vulgò conceptus nullum agnatum habet, neque cognatum.*
11 *Ratiocinia quæ ſint.*
12 *Obligatus ratiociniis prohibetur promoveri ad Ordines, ſed non ad dignitates.*
13 *Clerici prohibentur adminiſtrationes ſuſcipere, ſed non prohibentur eligi, dum tolerantur.*
14 *Debent tamen ſuſpendi ab executione Ordinum quouſque rationes reddiderint.*
15 *Obligati ratiociniis prohibentur in aliqua religione ad habitum, & profeſſionem admitti; Sed ſi de facto admittantur, profeſſio non eſt irrita.*
16 *Obligatus juramento ad librum ſcribendum, vel aliud ſervitium exhibendum, an poſſit religionem ingredi, & n. ſeqq.*
17 *Ingratitudo aboletur Religionis ingreſſu.*
18 *Juramentum non violat, qui in melius commutat.*
19 *Obligati ratiociniis quas ob cauſas prohibeantur ordinari.*
20 *Ordinari quis non debet, ex cujus ordinatione Eccleſia infamatur.*
21 *Executio ſententiæ capitalis, an ſit differenda ſi compareat aliquis, dicens reum eſſe ſibi obligatum ad reddendam rationem alicujus adminiſtrationis, vel negotiationis.*
22 *Adminiſtratores bonorum alterius, an & quibus caſibus prohibeantur ordinari ante dimiſſum officium, & reddita ratiocinia, & n. ſeqq.*
23 *Quid in adminiſtrationibus Eccleſiaſticarum, vel miſerabilium perſonarum.*
24 *Et quid in adminiſtrationibus perſonarum ſæcularium non miſerabilium.*
25 *Laicus, qui ſine ulla fraude factus eſt Clericus, an judicari, & puniri poſſit à Judice ſæculari pro obligationibus contractis, vel delictis commiſſis ante Clericatum, & n. ſeqq. & n.* 64.
26 *Privilegium ſuperveniens univerſaliter eximit, & liberat ab obligatione, qua quis anteà tenebatur.*
Declaratur, n. 42. *verſ. Non obſtat.*
27 *Sacerdotium ſuperveniens tollit munus publicum, & ſolvit compromiſſum prius initum.*
28 *Ordinatus in fraudem fori ſæcularis, an pro maleficiis commiſſis ante Clericatum coerceri, & puniri poſſit à Judice laico, & n. ſeqq. uſque ad num.* 35. *& numer.* 65.
29 *Clericus, qui dimiſſo habitu, & tonſura deliquit, & poſteà habitum, & tonſuram reaſſumpſit, & Eccleſiæ inſervivit, gaudet privilegio fori, niſi reaſſumpſerit habitum in fraudem.*
30 *Fraus in omni diſpoſitione intelligitur excepta.*
31 *Cap.* Odoardus de ſolut. *non ſuffragatur doloſo.*
32 *Clericus in fraudem promotus non poteſt à Judice laico perſonaliter diſtringi, niſi perſona ſit præventa, & n.* 51. *& ſeqq. & n.* 71.
33 *Cognitio an Clericus fuerit ordinatus in fraudem, ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, & interim Judex laicus non poteſt procedere, & n. ſeqq. & n.* 74.
34 *Clericus, qui dimiſſo habitu, & tonſura dedit mandatum ad committendum delictum, quod fuit commiſſum poſtquam habitum, & tonſuram reaſſumpſit, & Eccleſiæ inſervivit, gaudet privilegio fori, niſi reaſſumpſerit habitum in fraudem.*
35 *Fraus an præſumatur ex hoc ſolo, quod quis fuerit ordinatus poſt maleficium commiſſum, an verò requiratur, ut ante Clericatum fuerit in Curia ſæculari conventus, vel accuſatus, aut in crimine deprehenſus, & n. ſeqq. uſq. ad n.* 41. *& n.* 72.
36 *Quid ſi fuerit ordinatus longè poſt commiſſum delictum. Et quid ſi in continenti, n.* 38.
37 *Fraudis ſuſpicio ſicut excluditur ex temporis intervallo, ita arguitur ex brevitate temporis, & num. ſeqq.*
39 *Fraus an præſumatur ex infamia criminis ante Clericatum.*
40 *Votum præcedens Clericatum, vel Monachatum excludit ſuſpicionem fraudis.*
41 *Laicus conventus in Curia ſæculari, qui poſteà factus eſt Clericus, an pro illa cauſa à Judice laico judicari, & puniri poſſit, & n. ſeqq. uſq. ad n.* 77.
42 *Continentia cauſæ non debet dividi.*
*Declaratur, n.*49.
43 *Reus per Eccleſiam tranſiens, dum ad ſupplicium ducitur, gaudet immunitate, nec poteſt inde inviolenter extrahi, n.* 61.
44 *Declinatoria fori noviter orta opponitur etiam poſt litem conteſtatam.*
45 *Res alterata, vel conſecrata non reſtituitur priori domino.*
Declaratur, n. 60.
46 *Fori adjectio aliud eſt, & aliud mutatio.*
47 *Per Clericatum mutatur ſtatus, & forus, quinimò & genus fori.*
48 *Fori privilegio Clericus nec tacitè, nec expreſsè poteſt renuntiare.*
Declaratur, n. 56. *&* 59.
49 *Clerici coercitio eſt juriſdictionis merè ſpiritualis, quæ non cadit in laicum.*
Declaratur, n. 56. *& ſeqq.*

50 *Votum Domini Robuſterii à Signatura Juſtitiæ approbatum ſuper articulo*, An inſtantia contra laicum inchoata in foro ſæculari tranſeat in Clericum ſucceſſorem, *& n. 61. verſ. Non obſtat*.

51 *Theorica notabilis Jo. Andr. à DD. approbata ſuper juriſdictione in Laicum, qui de lite pendente factus eſt Clericus, vel Profeſſus*.

52 *Laicus, qui dum detineretur in carcere Curiæ ſæcularis, factus eſt Clericus, vel Profeſſus, poteſt à Judice laico diſtringi, & puniri etiam in perſona, & n. 85.*

53 *Reus ad mortem damnatus Euchariſtiam ſuſcipiens non gaudet immunitate*.

54 *Judex laicus qualiter, & quando poſſit procedere contra Clericum ordinatum lite pendente, perſtringitur octo concluſionibus ex dictis Joan. Andr. & Canoniſtarum*.

55 *Et concluſiones omnes rediguntur ad unam*.

56 *Juriſdictio Judicis laici in cauſa ante Clericatum præventa perpetuatur in Clericum propter principium habile; licèt devenerit ad cauſam à quo non potuit inchoari*.

57 *Clericus agens contra laicum in foro ſæculari poteſt ibi civiliter reconveniri*.

58 *Clericus hæres laici conventi in foro ſæculari, an teneatur ibi cauſam proſequi, & num. 61. verſ. Non obſtat*.

60 *Res ſacra nullo caſu contrectari poteſt, niſi à ſacratis, & Deo dicatis hominibus*.

61 *Immunitas non fuit conceſſa perſonis ad Eccleſiam confugientibus, ſed ipſi Eccleſiæ*.

62 *Clericus, qui poſt quæſtionem ſibi motam in foro ſæculari ordinatus eſt non ſponte, ſed tractus à ſuperiore, an in cauſa illa teneatur coram Judiee laico reſpondere*.

63 *Laicus, aut Clericus non beneficiatus non poteſt cogi ad ordines ſuſcipiendos etiam ex cauſa utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ*.

64 *Laicus poſt commiſſum delictum ſine ulla fraude prima tonſura initiatus omnino eximitur à juriſdictione Judicis laici, tàm quoad perſonam, quàm quoad bona ex ſententia S. Congr. Concilii*.

65 *Sed ſi in fraudem, eximitur nihilominus quoad perſonam*.

Sed non quoad bona, n. 71.

Præcedere tamen debet declaratio ſuper fraude, numer. 74.

Quæ declaratio pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum, ibid. verſ. Quinta concluſio.

66 *Clericus poſt delictum in fraudem promotus, an ſit degradandus, & tradendus Curiæ ſeculari perſonaliter puniendus*.

67 *Degradatio an requiratur in Clerico primæ tonſuræ, & num. 70.*

68 *Clericus primæ tonſuræ incorrigibilis non poteſt puniri à Judice laico antequam fuerit traditus Curiæ ſæculari prævia declaratione Eccleſiaſtici ſuper delicto*.

69 *Clericus aſſaſſinus poteſt à Judice laico puniri, etiam abſque alia degradatione; requiritur tamen declaratio Ordinarii ſuper qualitate aſſaſſinii*.

73 *Clericus conjugatus, qui poſt dimiſſum habitum, & tonſuram deliquit, & in Curia ſæculari condemnatus fuit, & deindè habitum, & tonſuram reaſſumpſit, & Eccleſia inſervire cœpit, an poſſit à Judice laico judicari, & puniri, & n. 81. & ſeqq.*

74 *Judex Eccleſiaſticus tantùm cognoſcit, an Clericus fuerit ordinatus in fraudem, an duxerit unicam, & virginem, & an inceſſerit in habitu, & tonſura, & interim judex laicus conquieſcit*.

75 *Homicida, & ſpurius licèt tonſurari non debeant, tamen tonſurati recipiunt characterem, ſed non ordinis executionem*.

77 *Laicus conventus in Curia ſæculari, qui poſteà in aliqua religione profeſſionem emiſit, an poſſit pro illa cauſa à Judice laico judicari, & puniri, & nu. ſeqq.*

Et quid infrà annum probationis, n. 79

Et quid in eo, qui factus eſt Becchetus, vel Tertiarius, aut miles S. Gaudentii, nu. 80.

78 *Profeſſi, & Clerici quoad privilegium fori à pari procedunt*.

80 *Signatura quid ſenſerit in muliere, quæ lite pendente in foro ſæculari effecta eſt Mantellata, ſeu Pizzocara S. Auguſtini*.

82 *Clericus conjugatus per dimiſſionem habitus non perdit perpetuò privilegium fori, ſed ad tempus quamdiu habitum non defert*.

83 *Clericus immiſcens ſe enormitatibus, an perdat privilegium fori*.

84 *Laicus inquiſitus, & carceratus in Curia ſæculari, & poſteà dimiſſus ſub fidejuſſione de ſe repræſentando, ſi interim fuerit ordinatus, an poſſit pro cauſa illa à judice laico ad carceres revocari, & puniri, & n. ſeqq.*

86 *E carceribus dimiſſus ſub fidejuſſione de ſe repræſentando cenſetur adhuc detentus*.

87 *Clericus Eccleſiæ non inſerviens, cui Epiſcopus beneficium contulit, dum detineretur in carceribus Curiæ ſæcularis puniri poteſt à judice laico etiam pœna corporis afflictiva*.

88 *Eccleſia poteſt declarare Clericorum exemptionem à ſæculari poteſtate, licèt ſit de jure divino, in aliquibus caſibus non ſuffragari*.

89 *Laicus in exilium pulſus à judice ſæculari cum hoc, ut ſi exilium non ſervaret, incideret in pœnam triremium, ſi poſteà ordinatus exilium non ſervaverit, & propterea ab eodem judice in carcerem conjectus fuerit, an ſit remittendus ad Judicem Eccleſiaſticum*.

90 *Tempus tranſgreſſionis exilii, an debeat attendi ad dignoſcendum qui ſit judex competens tàm contra Clericum, quàm contra Laicum*.

91 *Judex delegatus poſt latam ſententiam, ſi victus inquietat victorem inductum in poſſeſſionem, an poſſit de injuria hujuſmodi cognoſcere*.

92 *Judex Eccleſiaſticus an teneatur ſtare ſententiæ judicis laici contra Clericum, qui dum laicus eſſet in exilium damnatus fuit pœna adjecta in caſu tranſgreſſionis*.

M*Agnus*. Obligatus ratiociniis depoſito onere, & 1
reddita ratione ordinari poteſt, priùs verò non. Hoc dicit ſecundum omnes, & ſunt tres partes. In prima proponitur quæſtio. In ſecunda quæſtioni reſponſio, ibi, *Gratus*. In tertia reſponſionis approbatio, ibi, *Univerſi*.

Nota primò Procuratores, Actores, Executores, & Curatores æquiparari, quoad hoc, ut nullus ipſorum poſſit Clericus ordinari ante dimiſſum officium, & reddita ratiocinia. Aliàs tamen differunt, ut hìc declarat gloſ. 1. & Hoſt. *in princ.*

Secundò nota ibi, *Procuratores*, argumentum opti- 2
mum, quòd Clerici non poſſunt eſſe Procuratores cauſarum; alioquin non prohiberetur quis promoveri ante dimiſſum Procuratoris officium, ut *hic*, ſi etiam promotus poſſet illud ſuſcipere: & exercere: nàm faciliùs datur retentio, quàm nova aſſecutio, *l. Per retentionem, C. de uſufruct. l. 2.* & ibi Bald. *in 3. not. ff. De fideicomm.* facit text. *in c. Quemadmodum infrà de jurejur.* Quod verum eſt in foro ſæculari, in quo Clerici poſtulare prohibentur, niſi pro Eccleſia, vel miſerabilibus perſonis, conſanguineis, necnon iis, quorum negotia de jure gerunt, ut *l. 1. §. 1. & l. ſeqq. ff. De poſt.* & quod dictum eſt de Procuratore; idem intellige de Advocato, ut eſt textus *in c. 1. inf. de poſt.* & notat hìc
Innocen. At verò coram Judice Eccleſiaſtico Clerici poſ- 3
ſunt eſſe Procuratores, & Advocati etiam pro laicis, argumen. ejus, quod dicitur à contrario ſenſu *in dict. c. 1. 2. & 3. de poſtul.* Ita Innoc. *hìc num. 3. in fin.* & Cardin. in 8. *qu.* Vel certè quod dictum eſt, Clericos non poſſe eſſe
Procuratores laicorum in foro ſæculari, intelligi debet ge- 4
neraliter, ſed unum negotium procurare non prohibentur, ſecundùm Innocen. *in fin.* Hoſtien. *num. 3.* & Card. *dict. qu. 8. in fin.*

Hinc ſumpta occaſione quærunt Doctores, an Clerici 5
poſſint eſſe conductores, negat Innoc. *num. 4.* & Hoſt. *num. 2.*

num. 2. ſi ſint conductores publicorum negotiorum, puta vectigalium, & conſimilium; vel etiam ſi ſint conductores aliorum ratione quæſtus, videlicet ſi viliùs conducant, ut carius locent. & ita intelligunt *c.* 1. *&* 2. 21. *q.* 3. *& l. Milites*, *C. Locati*, & idem putant de iis qui conducunt redditus villarum. At verò unam poſſeſſionem pro opere manuum ſuarum egeſtate ingruente ſua, vel conſanguineorum, aut miſerabilium perſonarum, quorum negotia geſſerunt, licet eis conducere, ut in Auth. *de ſanct. Epiſc.* §. *Si autem*, *& c. Clericus* 91. *diſt.* licèt verba Innoc. aliter
6 intelligat Cardinalis *in* 8. *q.* dicens Codicem videri corruptum. Fructus etiam Eccleſiæ emere poſſunt ad tempus, ut *c. fin. ne Præl. vic. ſuas*.

7 Tertiò nota ibi, *curatores pupillorum*: curatorem poſſe dari etiam pupillo, de quo dic, ut notat Bart. *in l. Curator num.* 1. *ff. De tutor. & curat. dat. ab his*, *& l. Qui habet*, §. *Si pupillus n.* 2. *ff. De tutel.* Regulariter tamen pupillo uſque ad decimumquartum annum datur tutor, *& Inſtitut. quibus modis tutel. finiat. in princip.* & à decimoquarto anno uſque ad vigeſimumquintum datur curator, *inſtitut. de curator. in princ.* & hic notat gloſſ. *in ver. Curatores*, & complures alias differentias recenſet gloſſ. *final. in*
8 *l. Ventri*, *ff. De tutor. & curator.* Quod tamen ſpectat ad diſpoſitionem hujus text. curatores & tutores à pari procedunt. Unde Hoſt. Jo. Andr. Bellam. & Card. poſt *ver. Curatores ſupplent, id eſt, adultorum*, & poſt *ver. Pupillorum*, ſubaudiunt tutores. Indiſtinctè enim tàm curator, quàm tutor ordinari prohibetur, niſi ſervato quod preſcribitur hìc. Fallit hoc ſecundùm Innoc. *n.* 4. *verſ. Et nota*, in eo, qui tutelam, vel curam gerit legitimam, & neceſſariam ſibi à lege impoſitam; hic enim non prohibetur ordinari, cùm etiam promotus poſſit eam ſuſcipere, *cap. Pervenit* 86. *diſtinct.* ſaltem authoritate Epiſcopi, licèt non cogatur invitus, ut ibi notat gl. *in ver. Tutelas*. Itaque hic textus intelligi debet tantum de tutela teſtamentaria, vel dativa, quia cùm hanc Clerici habeantur ſuſcipere, ut *c. Cyprianus* 21. *q.* 3. & tenet gl. præalleg. *in d. c. Pervenit*, quæ communiter à Doctoribus recipitur: & Specul. *in tit. de tutel.* §. *Generaliter*, conſequens eſt, ut tutor dativus, vel teſtamentarius ante depoſitam tutelam, & redditas rationes ordinari non debeat, ut hic: & ita eſt ex mente Innocent. cui conſentiunt Bellam. *n.* 1. Card. *in* 5. *oppoſ.* & plerique alii.

9 Et ex hoc notabiliter infero, ut laicus ſuſcipiens tutelam nepotis ex filio ſpurio, ſeu vulgò concepto ſibi datam teſtamento ejuſdem filii non ſit promovendus ad ordines, niſi depoſita tutela, quia nec promotus poſſet eam exercere. Ratio eſt, quia tutela hujuſmodi non eſt legitima, ſed teſtamentaria; cùm legitima tutela ſit, quæ de jure agnationis, vel cognationis defertur, ut Auth. *Presbyteros*, *Cod. De Epiſcop. & Cler.* poſita ſuper *l. Generaliter*.
10 At filius vulgò quæſitus, de quo *in l. Vulgo concepti*, *ff. De ſtat. homin.* nullum agnatum habet, cum agnatio à patre ſit, is autem nullum patrem habere intelligatur, ut *Inſtit. de legitim. ſucceſſor. agnator*, §. *Vulgò quæſitos*. Item conſtat eum non eſſe cognatum, cùm jura cognationis à matre proveniant, *d.* §. *Vulgo*. Ita ex facto conſuluit Bart. 143. incip. *Paulus lib.* 1.

11 Quartò nota, duo copulativè requiri ad hoc, ut adminiſtrator generalis bonorum alterius promoveri poſſit ad ordines, videlicet, ut deponat officium, & rationes reddat, ut probat littera ibi, *poſt depoſita onera*, *& reddita ratiocinia*: nam, ut inquit Goffred. & poſt eum Abb. Antiq. *hic nu.* 2. Ratiocinia ſunt redditiones rationum, quibus aliquis obligatur ex adminiſtratione Reipublicæ, vel private. Undè ſecundùm Hoſtien. *nu.* 4. *in ver. Pupillorum*, debet & reliqua reſtituere, quæ ad ipſum pervenerunt, vel quæ pervenire poterunt, ſi dolo, vel culpa ipſius factum ſit quo minus pervenerint, ut *l.* 1. *& fin. ff. De tutel. & ration. diſtrahen. & l.* 2. *ff. De negot. geſt.* nihil enim de adminiſtratione apud eum remanere debet, *l. Idemque*, *& l. Ex mandato*, *ff. Mandat.* etiamſi indebitum ſit, *l. Qui proprio*, §. *Et ut in cæteris*, *ff. De Procur.*

12 Quintò nota ibi, *Ordinati*. Ratiociniis obligatum repelli ab ordinibus ſuſcipiendis, non autem à dignitatibus, de quibus hìc nulla fit mentio; unde Clericus ex hoc capite non prohibetur eligi. Ratio diverſitatis eſt, quia per promotionem ad ordines fit præjudicium his, quorum negotia geruntur ex mutatione fori. At cùm jam promotus aſſumitur ad dignitatem forus non mutatur, ad hoc *c.* 2. *inf. de alien. jud. mutant. cauſ. fact.* Ita Innoc. & Hoſt. hìc ambo *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 4. *in ver. Ordinati*, Anch. *in* 4. *not.* 13
& alii communiter. Non obſtat, quòd Clerici prohibeantur ſimiles adminiſtrationes ſuſcipere, ut *c.* 1. *&* 2. 21. *q.* 3. quia non prohibentur eligi, dum tolerantur, ſecundum Innocent. & alios præallegatos, & ex prædicta ratione videtur conſequi, ut obnoxius ratiociniis, qui jam Clericus ordinatus eſt, non prohibeatur ad ſuperiores ordines aſcendere. Ex hoc enim non mutat forum, cùm 14
per Clericatum jam effectus ſit de foro Eccleſiæ, *cap.* 1. *&* 2. *& cap. Si diligenti infra de foro compet.* Verùm Innocent. & Collectar. hìc dicunt, talem eſſe removendum, id eſt, ſuſpendendum, vel impediendam ordinis executionem, quouſque rationes reddiderit, argum. *l. Servo legato*, 15
§. *Servus*, *ff. De legat.* 1. Sed viceverſa laicus ratiociniis obligatus prohibetur ingredi religionem, quia ex hoc forum mutat, cum novitius ſit perſona Eccleſiaſtica, & gaudeat privilegio fori, & Canonis, *cap. Religioſos*, §. *Quamvis de ſent. excomm. libr.* 6. & ibi notat gloſſ. *in ver. Non poſſit*. Dixi *in c. Statuimus num.* 44. poſt Hoſt. *ibi n.* 4. *inf. de reg.* Hodie hoc eſt expeditum in Conſtitutione Sixti V. *Cum de omnibus*, in Bullar. *tomo* 2. *pagina* 601. qua ſtatutum eſt, ut ingenti ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum gravati, vel reddendis ratiocinariis ita obnoxii, ut ex hujuſmodi cauſa lis, vel moleſtia jam ſit eis illata, vel timendum ſit ne inferatur, nullatenus in aliqua religione recipiantur, & receptiones ad habitum, vel profeſſionem non ſervata forma ibi præſcripta irritæ decernuntur; licèt quoad nullitatem profeſſionis eam Conſtitutionem ad terminos juris reduxerit Clemens VIII. in Conſtitutione, quæ incipit, *In ſuprema*, in Bullar. *tom.* 3. *pagina* 129.

Sed hic incidit quæſtio, An obligatus etiam juramento 16
ad aliquod ſervitium exhibendum, puta ad ſcribendum librum, vel quid ſimile, poſſit religionem ingredi.

Movet hanc quæſtionem gl. 1. *in cap. Præterea* 51. *diſt.* & recitat tres opiniones. Prima eſt Hugonis, qui arbitratus eſt abſolutè ſic obligatum ingredi poſſe, & Eccleſiam teneri licentiam dare. Neque enim infertur injuria illi, cui tenetur ſervitium preſtare, cùm hoc inſtinctu Spiritus ſancti fiat, ut *c. Dixit* 14. *q.* 1. & huic opinioni ſuffragantur jura *in c. Scripturæ inf. de voto in c. Ex publico*, *& c. fin. de converſ. conjug. in c. Duæ* 19. *q.* 2. *& in c. Admonere* 33. *q.* 2. Item ſuffragatur ſimile, quod ingratitudo aboletur re- 17
ligionis ingreſſu, *c. Non liceat*, & ibi gloſſ. 1. 19. *q.* 3. Secunda opinio eſt illorum, qui putant ingreſſum non prohiberi; ſed nihilominus Monaſterium teneri tantùm de eo, quod ad ipſum pervenerit, niſi ex perſona ipſius plus acquiſierit ex aliqua ſucceſſione, ut *c. Si qua mulier* 19. *q. ult.* Tertia demum opinio eſt gloſſ. Joannis *in dict. cap. Præterea*, quod exiſtens in Monaſterio perficiat opus, ad quod ſe adſtrinxit, dummodò tamen non negligat divinum obſequium, *c. Clericus* 91. *diſt.* Et pro hac parte determinat Innoc. *in hac rubr. in princ.* ait enim: ſi talis nulla fraude ducitur, ſcilicet, ut fugiat laborem, vel expenſas, ſed ſola Dei charitate, ſecurè ingrediatur; quia qui lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut à lege publica conſtringatur, & ubi Spiritus Dei, ibi libertas, *d. c. Duæ*, *& c. Licèt infrà de regul.* tamen de bonis, quæ habet tempore ingreſſus, vel quæ poſteà obvenerint, ſatisfiet illis, quibus erat obligatus, *d. c. Si qua mulier*, *& l. Deo nobis*, §. 1. *C. De Epiſc. & Cler.* vel etiamſi ſciat ſcribere, vel opus facere, ad quod tenebatur, illud expleat propriis manibus, dum tamen id poſſit ſalva regula, & officio non neglecto, argum. *dict. cap. Clericus* 91. *diſtinct.* Ita Innoc. cui adhærent hìc Hoſt. *num.* 10. Joan. Andr. & Butr. ambo *num.* 15. Card. *n.* 2. & Anchar. *eodem num. verſ. Gloſſa magna*, & alii communiter, Raymund. *in Summa hoc tit.* §. *Pone aliquem*, Archid. *in d. c. Præterea num.* 2. *circa finem*, & Specular. *in tit. de ſtat. Monach.* §. *Vigeſimooctavo num.* 34. Neque 18
his obſtat juramentum. Quia illud non violat, qui in meliùs commutat, *c. Pervenit infrà de jurejur. cap. Verùm de converſ. conjugat.* ſecundùm Specul. qui tamen poſt Hoſt. conſulit, ut in talibus priuſquam ingrediatur adimpleat quod promiſit. Quamvis autem Laurentius putat primitus eſſe deducendas expenſas ne ſit Monaſterio oneroſus, *c. De lapſis*, §. *Qui verò* 16. *q.* 6. *& l. Is qui bonis*, *ff. De con-*

ceſſion. honor. Hoc tamen reprobant Innoc. & Hoſt. quia & ſcribere poteſt, & nihilominus Altari ſervire, unde ex Altari vivere debet, cap. Cum ſecundum infrà de præbend. Nec ſecundum eos obſtat d. c. De lapſis, quia loquitur de Monachis in arctiori Monaſterio detruſis ad agendam pœnitentiam, qui multa bona contulerant primo Monaſterio ex quibus ſic detruſis ſuppeditari debent vitæ neceſſaria, quod latiùs proſequitur Hoſt. in Summa hoc tit. §. penult. & idem dicit Speculator ubi ſup. verſ. Vigeſimo nono, de Doctore, qui ſe obligavit ad legendum, & de poteſtate, qui ſe juramento adſtrinxit ad regendam civitatem, & conſimilibus, de quibus, & de obligatis cauſa pignoris, & de filiis uſurariorum, & de eo, qui juravit ad tempus ſolvere, vide pleniùs per Hoſt. loc. cit.

19 Deindè QUÆRO, Cùm hic dicatur ratiociniis obligatos non eſſe ordinandos, niſi depoſito onere, & redditis rationibus, quæ ſit cauſa hujus prohibitionis.

Reſpondeo eſſe duplicem. Prima eſt, quæ hìc ponitur in littera, videlicet, quia ex promotione talium infamatur Eccleſia, hoc eſt, vilificatur, ſeu dehoneſtatur, ſi de dolo, vel fraude conveniantur ſecundùm Hoſt. n. 9. vel infamatur, id eſt, oneratur, & gravatur, quia hac occaſione, quamvis injuſtè hoc fiat, multoties bona Eccleſiæ depredantur à creditoribus, arg. c. Parochianos inf. de ſepultur. Quia igitur Eccleſia hinc vituperari, ſeu gravari poſſet, jure meritò præ-

20 caveri debet; ut hic. Unde colligit generaliter Butr. n. 3. neminem eſſe habilem ad ordines, ex cujus ordinatione Eccleſia infamatur, c. unic. ſup. de ſcrutin. in ord. facien. Ad quod conferunt, quæ leguntur in Conſtitutione Sixti V. ſuperiùs allegata n. 15. in §. Cæterum.

Secunda cauſa eſt, quia ex mutatione fori infertur præjudicium iis, quorum negotia geruntur, ut tetigi ſuprà num. 12. Non ſunt autem promovendi, per quorum ordinationem aliorum jura læduntur, ut notatur in cap. 2. ſuprà tit. prox. Quapropter ſuperſedendum erit ab ordinatione, quouſque fuerint depoſitæ adminiſtrationes, & reddita ratiocinia.

21 Ex hoc infero ad quæſtionem. Quidam fuit condemnatus ad mortem; comparet tertius, dicens, reum eſſe ſibi obligatum ad reddendas rationes ex aliqua adminiſtratione, vel negotiatione, & petit ſuperſederi in executione ſententiæ quouſque ſibi rationes reddantur: numquid ſit audiendus? Dynus format hanc quæſtionem in l. Servus uni, ff. De legat. 1. Alii habent in l. Servo legato, §. Servus eod. tit. & concludit executionem eſſe differendam. Idem firmant Cyn. Bart. & Bald. in l. 1. C. De bon. proſcr. & idem Bart. in l. Interdum n. 2. ff. De publican. Ludovic. Roman. in l. Pomponius ſcribit, ff. famil. herciſcun. Quod dicit eſſe ſingulariter notandum, Bald. in d. l. Servus uni; qui dilata executione interim poſſet haberi gratia à Principe. Pro qua concluſione eſt argumentum optimum in d. l. Servus uni; ubi id notat Bart. n. 1. & in d. §. Servus, & videtur caſus in d. l. Interdum, ubi etiam Bart. n. 2. & eſt caſus ad litteram in d. l. 1. C. de bon. proſcript. Unde dicit ibi Angel. illam legem decidere, ut volens differre executionem condemnati ad mortem, ut ejus gratiam conſequatur à ſuperiore, debeat habere iſtam cautelam, videlicet proteſtari Præſidi, vel Pontifici, ut non exequatur, eò quia condemnatus eſt ſibi obligatus ad reddendam rationem, niſi primò illam reddiderit, & petat ſuper hoc ſibi terminum aſſignari. Eamdem cautelam ad protrahendam executionem ſententiæ capitalis, poſuit Barth. Cæpol. cautela 2. aliàs 5. n. 31. verſ. Si vis differre mortem. Facit quod notat gl. in c. Prætereà 51. diſtin. quæ dicit debitorem etiam mortuum non debere ſepelliri invito creditore, niſi prius ei ſatisfiat, per textum in c. Qua fronte infrà de appell. Verùm cautela hujuſmodi hodie parum prodeſſet, quia hoc de conſuetudine non ſervant Judices, licèt de jure ita ſit, & ſententias capitales executioni demandant, non expectata redditione rationis, ſicut atteſtantur Ang. & Roman. locis citatis, Raphael Cuman. & Jaſ. in d. l. Servus uni in princ. Ang. de Malefic. in ver. Et ibi caput n. 31. Pariſ. de Put. de Syndicat. fol. 356. c. 2. n. 1. Pract. Carer. fol. 149. n. 82. Subdit tamen Cæpol. ubi ſupr. quod ſi in aliquo loco non eſſe ſervatum, quia non fuit petitum, deberet ſervari, quia leges tolluntur per contrarium uſum, non per deſuetudinem, ut notatur per Cynum, & alios in l. fin. C. De iur. dot. & per gl. & DD. in proœmio inſtitut. §. 1. ſed poſſet dici non eſſe denegandam brevem dilationem, puta bidui, vel tridui, dummodò tamen hæc quatuor concurrant. Primò ſcilicet, ut appareat dilationem non peti in fraudem differendæ, aut vitandæ executionis. Secundò, ut non ſubſit timor, vel periculum, ut condemnatus poſſit è carceribus evadere, aut alterius ſcandali. Tertiò, ut ille tertius non potuerit prius petere talem rationem ſibi reddi. Quartò, ut ex eo, quòd ſibi ratio non reddatur, poſſit pati aliquod præjudicium irreparabile. Ita Jul. Clar. pract. crimin. §. fin. q. 97. verſ. Ego vero dicerem.

Ulteriùs QUÆRO, cùm hic ſtatuatur, ut adminiſtratores bonorum alterius ordinari non debeant, niſi dimiſſo officio, & redditis ratiociniis, numquid hoc ſit generaliter verum. 22

Vincentius non advertens ad gloſſam, quæ hìc ponitur in ver. Infamatur, dixit placere ſibi, ut obligati ex adminiſtratione poſſint fieri Clerici, quia ſi nihil habent conveniri non poſſunt; ſi habent, etiam facti Clerici poſſunt conveniri, vel ſi facti ſunt Monachi, Monaſterium convenietur, vel cedet, quæ ad ipſum pervenerunt, & hoc capitulum intelligit procedere poſt litem conteſtatam: conventus enim tutelæ de mala adminiſtratione notatur, & idem in ſimilibus. Fatetur tamen communiter omnes tenere, quod hìc tenet gloſ. magna, Alanus, & Gulielmus Naſo ejus ſcholaris, ut refert hìc Hoſtienſ. num. 9. diſtinctione gloſſæ. Fortè nimis prolixam reputantes indiſtinctè ſcripſerunt obligatum ad ratiocinia nullatenus eſſe promovendum, per id, quod legitur, & notatur in l. Officiales, Cod. De Epiſcop. & Clericis, Etſi, diſtinct. per totam; & quia cùm hæc decretalis non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus, l. 3. ff. De offic. Præſid. & l. De pretio, ff. De public. in rem action. ſed ut verbis utar Hoſtienſis, non videtur tam ſolemnis, & rationabilis diſtinctio unico verbo cancellanda, arg. c. Eccleſia veſtra, il ſecondo, §. Denique ſup. de elect. Verùm 23 Joan. Andr. n. 21. miratur de his verbis Hoſtienſis, cùm iſta diſtinctio gloſſæ fuerit Alani, ut dicit ſe vidiſſe in antiquis apparatibus. Quapropter conjungendo dictæ gloſſæ, & Doctorum in hac materia ſic diſtingue. Aut agitur de adminiſtratoribus bonorum alicujus perſonæ Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, ſed miſerabilis, puta pupillorum, viduarum, vel ſimilium ex cauſa pietatis, & eleemoſynæ & tales etiam in officio perſeverantes non prohibentur ad ordines promoveri, ſi aliud Canonicum non obſtat: nam & promoti poſſunt conſimilium adminiſtrationes ſuſcipere, ut cap. Pervenit 86. diſtinct. cap. Indicatum 89. diſtinct. cap. Monachi, il ſecondo 16. qu. 1. & cap. In nona 16. q. 7. Ergo fortiùs ante Clericatum aſſumptas poterunt retinere, arg. l. 2. & ibi Bald. in 2. not. C. de fideicommiſſ. & l. Per retentionem, ff. de uſufruct & cap. Quemadmodum de jurejur. & hoc planum. Aut agitur de adminiſtratoribus bonorum perſonarum ſæcularium non miſerabilium: & tunc ſi 24 ad agendam adminiſtrationem perpetuò ſunt adſtricti, ab Ordinibus perpetuò repelluntur; & ſic intellige c. Legem 55. diſt. cap. Quicumque 54. diſtin. Si verò ad tempus deputati fuerint, quamdiù in adminiſtratione hujuſmodi perſeverantes, nullatenus promoveri debent, c. 1. & 2. & c. Sed nec procurationes inf. Ne Cler. vel Monach. cap. 1. & 2. 21. q. 3. ita Goffred. & Hoſt. hic nu. 6. Joan. Andr. nu. 16. Henric. Boich. poſt principium, Bellam. num. 1. Butr. n. 7. Archid. in cap. Prætereà num. 2. 51. diſtinct. Sin autem adminiſtrationem depoſuerint, & remanſerint ratiociniis obligati, tunc ſequere diſtinctionem gloſſæ noſtræ in ver. Ratiocinia, cui adhærent Innocen. Hoſtien. Joan. Andr. & reliqui omnes: nam ſi ratiocinia ſint publica, puta quia Rempubl. adminiſtrarunt, promoveri non debent quouſque rationes reddiderint, & liberationem fuerint conſequuti, ut c. Prætereà 51. diſt. & l. Officiales, C. De Epiſc. & Cler. obligatus enim ex cauſa adminiſtrationis Reip. arcetur ab honoribus: ex cauſa verò mutui, vel alia ſimili non arcetur, l. Reſcripto, §. Debitores, ff. De muner. & honor. & l. Quiſquis emenſis, C. De Epiſc. & Cler. ſin autem ratiocinia ſint alicujus perſonæ privatæ; tunc aut ante promotionem, vel in ipſa promotione ſibi mota eſt quæſtio, aut non eſt mota. In primo caſu ſubdiſtingue; nam aut ratiociniis obligatus convenitur de dolo, aut de culpa tantùm, ſi de dolo, vel perfidia ante finem litis ordinari non debet, c. Tantis Dan. 81. diſt. c. Laici 33. diſt. c. Illud 23. diſt. c. Omnipotens inf. de accuſat. & l. Verum, C. De procur. nam ſi condemnaretur, infamis eſſet, l. Furti, §. penult. ff. De his, qui notantur infam.

ſam. & ſic intellige quòd hîc dicitur . ſi enim ante libertatem negotiorum , vel officiorum fuerint ordinati , Eccleſia infamatur . Cæterùm ut hìc prudenter advertit Hoſt. *n.* Quoniam hoc poſſet in fraudem , & per calumniam fieri , attendere debet judex , & qualitatem oppoſitorum , & merita perſonarum;iiſque libratis ſi certus ſit de fraude, repellat opponentem; ſi certus ſit de debito, repellat promovendum ; ſi dubitet , aſſignet opponenti terminum competentem, intra quem probare debeat quod intendit; quo elapſo ſi nihil probaverit de cætero non audiatur, niſi docuerit de rationabili impedimento , *c. Cùm inhibitio inf. de clandeſt. deſponſ. c. Ex publico, de converſ. conjugat.* & meliùs *in c. Frequens, §. Solet, & §. ſeqq. eod. tit. lib. 6.* cum aliis hìc allegatis in gl. Si verò obligatus ratiociniis convenitur de culpa , tunc promoveri poterit non obſtante reclamatione Creditoris , cujus conditio non fit deterior ex promotione, cum lis debeat ſuo marte concurrere ſub eodem judice , coram quo fuit præventa: ex promotione enim hoc caſu forus non mutatur, ut *c. Propoſuiſti inf. de foro compet. & l. Cùm quædam puella , ff. de juriſd. omn. judic.* In ſecundo autem caſu principali , id eſt, cùm ante promotionem , vel in ipſa promotione nulla ſit mota queſtio, ordinator ex officio de qualitatibus ordinandi inquirere debet, ut *c. Quando Epiſcopus 24. diſt.* & notatur *in c. Litteras ſup. de fil. Presbyt.* In qua examinatione ſi manifeſtum apparuerit ipſum de dolo teneri, ordinator debebit eum repellere, ſicut quemlibet criminoſum , ut *c. Infames 6. q. 1.* ſed ſi Canonicum aliquod impedimentum non occurat , promovendum debet idoneum reputare , ut notat Hoſt. *in c. unic. verſ. Idem reſpondet ſup. de ſcrutin. in ordin. facien.*

In magna gl. ibi, *Etiam ſub eodem Judice.* Nota ſingulariter hanc gloſſam , quæ intendit , ut laicus conventus de culpa tantum coram judice ſæculari ; & poſtea effectus Clericus, teneatur ſub eodem Judice cauſam proſequi . Qua ſumpta occaſione Joan. Andr. *num. 19.* & alii poſt eum latè proſequuntur hanc quæſtionem , & recenſent multiplices ſcribentium opiniones . Ego verò plenius reaſſumendo materiam mutationis fori per ſuſceptionem Ordinis , & clara a dubiis ſegregando , ordinatè , & diſtinctè proſequar quæſtiones infraſcriptas . Primò , ſcilicet an laicus , qui non accuſatus , nec conventus in Curia ſæculari, ſed ſine ulla fraude factus eſt Clericus , judicari , & puniri poſſit a judice laico pro obligationibus contractis , vel delictis commiſſis ante Clericatum . Secundò , quid ſi fuerit ordinatus in fraudem fori ſæcularis . Tertiò , an ad hunc effectum fraus ſufficienter probetur ex hoc ſolo , quòd fuerit ordinatus poſt commiſſum delictum . Quartò , an laicus conventus in Curia ſæculari, qui poſteà effectus eſt Clericus, pro illa cauſa à judice laico judicari, & puniri poſſit . Quintò , quid dicendum in profeſſo . Sextò , an Clericus conjugatus, qui poſt dimiſſum habitum , & tonſuram deliquit , & pro eo delicto in Curia ſæculari citatus fuit , deinde reaſſumpto habitu , & tonſura Eccleſiæ inſervire cœpit , poſſit à judice laico propter hujuſmodi delictum judicari, & puniri. Septimò, ſi laicus inquiſitus , & carceratus in curia ſeculari, & poſteà è carcere dimiſſus ſub fidejuſſione de ſe repræſentando interim fuerit ordinatus , an poſſit pro cauſa illa à judice laico ad carceres revocari , & puniri. Octavò, an laicus in exilium pulſus a judice ſæculari cum hoc, ut ſi exilium non ſervaret, incideret in pœnam triremium ; ſi poſteà ordinatus exilium non ſervaverit, & propterea ab eodem judice in carcere conjectus fuerit , ſit remittendus ad Judicem Eccleſiaſticum .

25 Primò igitur QUÆRO , An Laicus, qui non accuſatus, nec conventus in curia ſæculari ; ſed ſine ulla fraude factus eſt Clericus judicari , & puniri poſſit à judice laico pro obligationibus contractis , vel delictis commiſſis ante Clericatum .

26 Hæc prima quæſtio cùm proponatur ſecluſa omni fraude, parum habet dubitationis, quia privilegium ſuperveniens univerſaliter eximit , *cap. Frater noſter* , & ibi gloſſ. *in ver. Aliquid 16. qu. 1. cap. Cum Capella infrà de privil.* & liberat ab obligatione , qua quis anteà tenebatur, *cap. Ex antiquis , cap. Fraternitatem , & cap. Si ſervus 54. diſt. l. penult. §. Si poſt , & l. Spadonem , §. Scire , ff. De excuſat. tutor. l. Is cui , ff. De alimen. & cibar. legat.*
27 Item Sacerdotium ſuperveniens tollit munus publicum jam injunctum , ut expreſsè habetur *in l. Prætor circa principio ff. De vacat. & excuſ. muner.* ibi , *vel ſi qui Sacerdotium nacti ſunt* ; & ſolvit compromiſſum prius initum , ut *l. Non diſtinguemus , §. Sacerdotio , ff. De arbitr.* Item dignitas ſuperviens tollit vinculum obligationis præcedentis etiam voluntariè contractæ, ut *l. Interdum , ff. De oper. libert.* Item ubi ſæcularis, aliàs deberet eſſe judex , propter rei conditionem deſinit eſſe, *c. Tuam, de ord. cognit.* Item confugiens ad Eccleſiam etiam crimine prius commiſſo , non inde abſtrahitur , nec medio tempore contra eum criminaliter proceditur , niſi in quibuſdam criminibus propter eorum enormitatem, ut *l. Præſenti , C. De his , qui ad Eccleſ. confugiunt ,* & in Auth. *de mandat. princ. §. Sed neque , & §. Neque autem homicidiis collat. 3. c. Inter alia de immunit. Eccleſ.* ergo multò fortiùs hoc privilegium dabitur ei , qui ſe incorporat Collegio Eccleſiaſtico ; & videtur de hoc caſus *in l. Hos accuſare, §. Hoc beneficio , ff. De accuſ.* Item videtur caſus à contrario ſenſu *in c. Propoſuiſti inf. de for. compet.* exemplificando illum text. in laico poſt citationem promoto , prout exemplificant ibi Hoſt. *in pr.* Jo. And. *n. 2.* Collect. *in princ.* & plerique alii . Hanc quæſtionem diſputavit Oldr. & determinavit ut ſupra pro exemptione Clerici, ſubdens ita ſententiaſſe Senaculum in Curia Aquenſi , ut videre eſt in ejus *conſ. 4.* incip. *Factus Clericus .* Quod conſ. ad litteram refert Petr. de Anch. *in d. c. Propoſuiſti n. 6.* & fuit opinio Dyni in *l. Idem Ulpian. ff. De excuſ. Tutor.* quem ſequuntur Gulielmus de Cuneo *in l. penult. ff. Si ex noxal. cauſ. agat.* Jacob. Butrigar. *in l. Si quis poſteà per illum tex. ff. De judic.* & Bart. *in l. 1. ff. De pœnis .* Et in hoc concordant opiniones omnes , quas hic ponit Joan. Andr. *nu. 19.* & alii poſt eum: nam illarum varietas eſt in laico convento in curia ſæculari , qui poſteà factus eſt Clericus : ſecus in non convento , ut advertit Oldrad. *d. conſ. 4. verſ. Qui autem contra iſtam opinionem* , & latius dicam infra *in 4. q. n. 41.* nam , ut inquit Bellam. *in d. cap. Propoſuiſti in 2. quæſt. num. 7. de foro compet.* refert multum , an ſolùm delictum præcedat ſtatus mutationem , quia tunc pro parte judicis ſæcularis nulla præventio : & ideò nullum dubium ; hoc ſimiliter certum eſſe affirmat ibidem Marianus Soccin. in 15. *articulo principali num. 53.* Sed & Covarr. *pract. quæſtion. cap. 32. num. 4. verſ. Prima concluſio* , in hac materia ponit hanc concluſionem tamquam indubitatam, videlicet Eccleſiaſticus Ordo poſt commiſſum delictum ſine ulla fraude ſuſceptus eum ominò liberat à juriſdictione judicis ſæcularis: idque frequentiori Doctorum calculo receptum eſſe atteſtantur Plaza *lib. 1. Delict. cap. 35. num. 1.* & Jul. Clar. *in practic. crimin. §. fin. quæſt. 36. num. 38. verſ. Sæpè numerò contingit .* Et hoc teneas ſine trepidatione , quia cùm perſonarum eccleſiaſticarum exemptio à ſeculari poteſtate ſit generaliter tàm ordinatione divina , quàm Canonicis ſanctionibus conſtituta, *c. Si Imperator 96. diſt. cap. 1. & 2. & c. Si diligenti infr. de for. compet.* Concilium Tridentinum *cap. 20. ſeſſ. 25.* & ſcripſi plenè *in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 10. ſuprà de Conſtitut.* non eſt noſtrum eam reſtringere , & coarctare ad obligationes contractas , & delicta commiſſa poſt Clericatum; & hoc tenet Curia, ut dicam infrà *n. 64.* Procedit autem hæc concluſio , etiamſi laicus pro aliqua cauſa conventus fuerit coram judice ſæculari: nam ſi poſteà ordines ſuſceperit, quidquid ſit in cauſa illa, in qua fuit inducta præventio , de quo agemus infrà *in 4. q.* certè pro aliis cauſis judicium erit inchoandum coram eccleſiaſtico ; ſic probat textus *in d. cap. Propoſuiſti* , ponderando illa verba : *In prædicta cauſa jus revocandi forum non habet*: quę reſtringunt deciſionem illam, & perpetuationem deciſionis judicis laici ad cauſam pręventam, & ibi notat Bellam. *in d. not. verſ. Et etiam non obſtante* , ubi dicit privilegium ſuperveniens eximere generaliter à juriſdictione primi judicis, etiam non obſtante citatione præcedenti , quia ſaltem in ſequentibus privilegium locum habebit , argum. *l. Cum quidam, §. Fiſcus, ff. De uſur. & l. Fiſcus , ff. De jure Fiſci , l. Ea quæ* , & Auth. *Si minor. C. De in integr. reſtitut.*

Secundò QUÆRO , An factus Clericus in fraudem , videlicet ad declinandum judicium fori ſecularis, pro delictis commiſſis ante Clericatum , poſſit à judice laico coerceri , & puniri . 28

Non defuerunt qui opinati fuerint Clericum utcumque in fraudem promotum gaudere fori privilegio , & huic opinioni adſcribi poſsunt Authores , qui cenſuerunt laicum ,

cum, etiamſi ordines ſuceperit, poſteaquam fuit conventus in curia ſæculari, nihilominus nec in cauſis civilibus, nec in criminalibus poſſe à judice laico judicari, & puniri. Hi enim abſque dubio ſentiunt ordinatum in fraudem gaudere fori privilegio, cùm fraus indiſtinctè præſumatur in eo, qui ordines ſuſcepit poſt cauſam præventam, & cœptum judicium in foro ſæculari, ut dicam infrà *in* 3. *quæſt. num.* 38. Quod tenuerunt nonnulli ex Antiquis hic relatis à Joan. *num.* 19. *verſ. Tertii dicunt*, & poſt eos Ægidius Bellam. in prædicta Decretali, *Propoſuiſti in* 2. *quæſt. n.*7. *verſ. Quid dicendum*. Et ex Recentioribus Epiſcopus Montis Marani *in ſua praxi Archiepiſcopali Neapolitana cap.* 9. *num.* 5. *verſ. Quamvis etiam*, quorum fundamenta adducam infrà *in* 4. *quæſt. num.* 42. *verſ. Tertia opinio*. Nec obſtat, quod dicitur de fraude: quia ut, reſpondet ibi Bellam. hoc tantùm operatur, ut fraudulofus Clericus de hujuſmodi fraude ſit puniendus, ſed hoc intelligitur per judicem ſuum, cùm ſæcularis judex poteſtatis eum puniendi ſit prorſus incapax, *cap. Cauſam quæ*, *de præſcr.* Item non obſtat, quod ex fraude ſua commodum quis reportare non debeat, *cap. univerſarum*, *de rerum permutat. capit. Officii*, *de teſtam. cum ſimilib.* Quoniam hæc ratio eſſet attendenda ſi privilegium fori emanaſset in favorem perſonæ ſuæ ſingularis. Sed non eſt ita, quia fuit conceſſum in favorem totius Ordinis Clericalis, ut *cap. Si diligenter infrà de foro compet.* Ergo propter delictum, vel odium perſonæ auferri non debet, ut *in reg. ſexti*, *Delictum cum concord.* Fatetur tamen Bellam. hanc eſse juſtam cauſam movendi Summum Pontificem ad edendam conſtitutionem pro judice ſæculari.

Verùm Dynus *in l. Idem Ulpianus*, *ff. De excuſat. tutor.* originaliter diſtinxit inter Clericum promotum bona fide, & promotum in fraudem, ut in primo caſu etiam pro delictis ante ordinationem patratis gaudeat privilegio fori, in ſecundo autem non gaudeat, ut per textum in *l. Si maritus*, §. 1. *ff. de adulter.* ubi qui bona fide abeſt Reipublicæ cauſa non poteſt accuſari; ſecus ſi abſit in fraudem, & data opera, ut evitet cognitionem judicis, ut ibi dicitur. Ad idem textus *in l. Hos accuſare*, §. *Hoc beneficio*, *ff. De accuſat.* & in *l. Et qui data opera*, *ff. Ex quibus cauſ. major.* Ad hoc Conc. Trid. *c.*4. *ſeſſ.* 23. ibi, *Non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent hoc vitæ genus elegiſse*. Nec ſecundùm eum obſtat textus *in l.* 1. *ff. De pœn.* ubi indiſtinctè videtur inſpici tempus maleficii commiſſi: quoniam ille text. procedit quando controvertitur, quæ pœna debeat imponi; hic verò tractatur ſub quo judice reus debeat conveniri. Hanc Dyni diſtinctionem poſteà ſequuti ſunt Oldrad. *conſ.*4. *circa fin. verſ. Qui autem contra*, Arch. *in c. Nemo n.*2. *verſ. Et hoc ubi bona fide* 11. *q.* 1. Collectar. *in d. cap. Propoſuiſti in princ.* & Henric. Boich. *ibidem col.* 2. *verſ. Et hoc ubi bona fide*, & non in fraudem factus eſt Clericus, Barr. & Doctores *in dict. leg.* 1. *ff. De pœn.* Joan. Andr. & alii hic. Quorum opinio communis eſt, ut conſtat ex citatis per Aufrer. in Clem. 1. *reg.* 1. *fallent.* 11. *de offic. Ordin.* & de communi teſtantur Imola *conſ.* 119. incipien. *Ad primum quæſitum nu.* 1. Covarr. alios adducens *practic. quæſt. cap.* 32. *num.* 4. *verſ. Secunda concluſio*, & Clar. *in* §. *fin. quæſt.* 36. *num.* 38. *verſ.*
29 *Sæpe numero contingit*. Eamque multoties probavit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in Clerico, qui demiſso habitu, & tonſura deliquit, & poſteà habitum, & tonſuram reaſsumpſit, & Eccleſiæ inſervivit: declaravit enim hunc gaudere fori privilegio, dummodò non reaſsumpſerit habitum in fraudem. Ergo idem dicendum in laico in fraudem promoto. Quandoquidem Clericus non beneficiatus, quamdiu in habitu, & tonſura non incedit, & non inſervit Eccleſiæ, fori privilegium amittit, perindè ac ſi eſset laicus, ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 6. *ſeſſ.* 23. Unde quemadmodum reaſſumens habitum in fraudem fori privilegio non gaudet, ex S. Congregationis ſententia; ita nec ille, qui in fraudem Clericatum aſsumit. Quinimò in cauſa Nepeſina Sacra Congregatio in ſpecie hanc ſententiam probavit etiam in laico, qui dicebatur prima tonſura initiatus poſt commiſſum delictum ad declinandam judicis ſæcularis juriſdictionem, ut dicam infrà *in* 4. *q. n.* 64. & 76.

Ad conſiderationes Bellameræ reſpondetur, privilegium fori non cenſeri conceſsum ei, qui Clericatum aſsumpſit in fraudem ad eludendum judicium ſæculare, quia fraudem committens beneficio legis ſunt indigni, *cap. penult. de colluſ. degen.* & in generali conceſſione privilegii non venit 30
fraus, *l. Si pater*, & ibi Bart. *in princ. ff. De his, quæ in fraud. creditor.* cùm in omni diſpoſitione fraus ſemper intelligatur excepta, *l. Imperialem*, §. 1. *de prohibit. feud. alien.* per Feder. Afflict. *dec.* 111. *nu.* 3. & *dec.* 8. *nu.* 3. cum aliis relatis ab Alciat. *conſ.* 69. *num.* 10. & *ſeqq. lib.* 8. Put. *dec.* 134. *circa fin. verſ. Si autem lib.* 3. Quod vendicat ſibi locum, etiamſi privilegium non ſit conceſsum in favorem ſingularium perſonarum.

Unde videmus privilegium, *c. Odoardus de ſolut.* tametſi indultum fuerit in favorem ordinis Clericalis, nihilominus non ſuffragari doloſo, ut decidunt Domini de Rota 31
dec. 841. *lib.* 3. *par.* 3. *diverſ.* Verall. *deciſ.* 278. *lib.* 1. Put. *dec.* 251. *par.* 1. Præterea ad rationes Bellam. reſponde, ut dicam infrà *in* 4. *q. n.* 56.

Cæterùm in hac materia fraudis duo ſunt animadvertenda. Primum eſt, quòd etſi laicus ſit judex competens 32
in cauſa Clerici in fraudem promoti; non tamen poteſt eum perſonaliter diſtringere, niſi perſona ſit præventa, ſecundùm opinionem Joan. Andr. de qua infrà in 4. *quæſt. num.* 52. & notat Marianus Socinus *in d. cap. Propoſuiſti num.* 53. & alii inferius relati *in* 4. *quæſt. num.* 71. Alterum 33
eſt, quòd ubi vertitur controverſia, an Clericus fuerit in fraudem promotus, necne, cognitio ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, nec Judex laicus poteſt procedere, niſi præceſſerit declaratoria Eccleſiaſtici ſuper fraude, ut dicam infrà *nu.* 74. Et utramque animadverſionem multoties probavit eadem Sacra Congregatio, & in ſpecie in ſubjectis declarationibus, videlicet: Præſuppoſito quòd quidam Cle- 34
ricus initiatus prima tonſura demiſso habitu, & ſervitio Eccleſiæ dederit mandatum ad committendum prætenſum delictum; poſteà verò reſumpto habitu, & ſervitio Eccleſiæ fuerit commiſsum prætenſum delictum, quo tempore in habitu, & tonſura incedebat inſerviendo divinis: dubitatur an Clericus prædictus fori privilegio gaudeat. Die 1. Februarii 1607. S. Congr. cenſuit debere utique gaudere, niſi in fraudem habitum reſumpſerit, quòd Judex Eccleſiaſticus deſpicere debebit; ac propterea ſi de hujuſmodi fraude conſtiterit, Judicem ſæcularem eatenus in illum juriſdictionem habere, quatenus à ſacris Canonibus permiſſa eſt illi juriſdictio in eos, qui poſt delictum commiſsum in fraudem ordinibus initiati ſunt. Rurſus quidam diœceſis Lunen. Sarzanen. in puerili ætate conſtitutus ſuſcepit Ordines minores, ſed deindè per viginti annos in circa numquam geſtavit habitum, nec tonſuram Clericalem, ſed ſemper inceſſit uti ſæcularis, & uti talis per dictum tempus habitus fuit. Verùm novem, vel decem ab hinc menſibus cùm fuit occiſus quidam ejus frater carnalis, ſtatim reſumpſit ex ſuo capite, & abſque aliqua adſcriptione Eccleſiæ habitum, & tonſuram Clericalem, & aliquando etiam inſervivit Eccleſiæ intereſsendo in choro divinis officiis, ac etiam inſerviendo Miſſis. Modò fuit occiſus pater occiſoris fratris dicti Clerici: & Judex ſæcularis prætendens inquirere de dicto homicidio contra Clericum prædictum, illum carcerari fecit, & in actu capturæ fuit inventus ſine Tonſura, & cum armis: Ipſe verò ad declinandam juriſdictionem ſæcularem exhibuit inſtrumentum ſuorum Ordinum, ac per teſtes probavit à dicto tempore novem, vel decem menſes ſe geſtaſse habitum, & Tonſuram Clericalem, ac etiam inſerviſse Eccleſiæ. Ex hoc dubitatur, numquid debeat gaudere privilegio fori Eccleſiaſtici. Die 26. Aprilis 1607. S. Congr. Conc. cenſuit hujuſmodi inquiſitionem, an inquiſitus reſumpſerit habitum in fraudem, ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum. Ceterùm an talis fraus ſubſit, necne, ipſum magis ſcire poſse: itaque ejus muneris eſse id decernere. Ita etiam fertur reſpondiſse S. Cong. ſuper controverſiis juriſdictionalibus in cauſa Civitatis Caſtellanæ 18. Februarii 1631.

Tertiò QUÆRO, an fraus præſumatur ex hoc ſolo, 35
quod poſt maleficium commiſsum quis fuerit ordinatus, an verò ad hoc requiratur, ut ante Clericatum fuerit in curia ſæculari conventus, vel accuſatus, aut in crimine deprehenſus.

Et quidem indiſtinctè fraudem præſumi ex eo, quòd poſt crimen commiſsum timore ſæcularis punitionis ordinem ſuſceperit, affirmat Bald. *in l.* 1. *n.* 7. *C. An ſervus ex ſuo*

ſuo facto, ubi reprobans Dyni diſtinctionem, de qua *in qu. præcedenti*, *n.* 28. dicit per eam confundi totam regulam; quia cùm ſciat ſe deliquiſſe, & ſe debitorem eſſe, eo ipſo conſtat de fraude, ut *l. Quæſitum, ff. Qui, & à quibus.* Item non prodeſt mutatio fori, cùm jam eſset acquiſitum jus Reipublicæ, arg. *l. Poſt contractum, ff. De donat.* & *l. Chirographis*, *§. fin. ff. De adminiſtr. Tutor.* licèt ſubdat hoc eſse limitandum niſi pœna corporalis eſſet imponenda.

36 Alii diſtinguentes dicunt hunc caſum dupliciter poſse contingere. Primò, cùm quis ordinatur longè poſt male-
37 ficium commiſsum. Et hoc primo caſu indubiè concludunt, fraudem non præſumi; quia temporis intervallum fraudis ſuſpicionem excludit, ut eſt textus notabilis in *l.* 4. *§. Si ab ignoto, ff. De manumiſs.* & poſt Jacob. Butrig. notat Bart. *in l. Pacta noviſſima, col.* 1. *verſ. Et per hoc dicebat, C. de pactis*, Bald. & Angel. *in l. Si quis cum aliter, ff. De verb. obligat.* & idem Bald. *in l. fin. in* 15. *q. C. Si ſervis extero*, Alexander *conſ.* 28. *in cauſa, & lite n.* 7. *lib.* 5. Quemadmodum enim arguitur fraus ex brevitate temporis, ut inferiùs dicetur; ita fraudis ceſsare debet ſuſpicio ex temporis intervallo, ut idem operetur oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propoſito, *l. final. §. fin. ff. De legat.* 3. & ut contrariorum eadem ſit diſciplina, *l.* 1. *ff. De his qui ſunt ſui, vel alieni juris*, & ita arguit Cravetta *conſ.* 44. *Nobilis, n.* 2.

38 Secundò hic caſus poteſt contingere, cùm laicus in continenti poſt maleficium commiſsum curavit ſe Clericum fieri. Et hoc ſecundo caſu exiſtimant hunc præſumi ordinatum ſæcularis judicii fugiendi fraude: conjecturatur enim fraus ex propinquitate actuum, & brevitate temporis quod interceſſit inter delictum commiſsum, & ordinationem ſubſequutam *c. Officii*, & ibi gloſs. & Anch. *in ult. not. de Elect. l. Si ventri, §. fin. ff. De privileg. creditor.* & notat Bart. *in l. Poſt contractum, col.* 4. *verſ. Quinta præſumitur, ff. De donat.* & alii cumulati ab Anton. Gabrieli commun. *concluſ. lib.* 1. *tit. de præſumption. concluſ.* 13. *nu.* 6. & 7. Et ita in ſpecie diſtinguunt, quamvis hæc non allegent, Hippolyt. de Marſil. *in l. Statu liber. ff. de quæſt.* & Boſſ. *in tit. de pœnis, n.* 38.

Sed his non obſtantibus concludendum eſt indiſtinctè fraudem non præſumi, niſi prius fuerit in foro ſæculari conventus, vel accuſatus, aut in crimine deprehenſus, argum. text. opt. *in l. fin. ff. De bon. eor. qui mort. ſibi conſciver.* ubi qui ſibi mortem conſcivit, non præſumitur id feciſſe propter maleficium commiſsum, niſi prius fuerit accuſatus, aut in crimine deprehenſus; ad idem textus *in l. ult. ff. de re milit.* ubi factus miles poſt commiſsum delictum non repellitur è militia, niſi prius fuerit poſtulatus, id eſt, accuſatus, ut ibi exponit gloſs. Concordat textus in *l.* 1. *C. De reis poſtulat. lib.* 10. & notatur *in l. Si quis poſtea, ff. De judiciis*, & in *l. Si adulterium, §. Si eo tempore, ff. Ad l. Jul. de adulter.* & ita concludit Dyn. in præalleg. *l. Idem Ulpianus, ff. de excuſat. tutor.* tum quo alii tranſeunt in *l.* 1. *ff. De pœn.* ut idemmet Bald. fatetur *in d. l.* 1. *num.* 7. *C. An ſervus ex ſuo facto*. Idem firmant Gulielm. de Cuneo, Jacob. Butrigar. & Bart. ſupra cit. *in* 1. *quæſt. num.* 27. ubi declarantes opinionem Dyni quod promotus ſine fraude eximatur à juriſdictione primi judicis, dicunt eam procedere in delinquente per ſecularem Judicem non prævento, & ſequuntur Oldrad. Archid. Collect. & alii citati in præcedenti quæſtione, *n.* 28. *verſ. Hanc Dyni diſtinctionem*, & cenſuit S. Congreg. Concilii, ut dicam infra *nu.* 72. & *num.* 76.

39 Addit Jacob. Butrigar. *in l. Si quis poſtea, ff. De judic.* & criminis infamiam fraudis præſumptionem inducere, allegat *l. Qui rei poſtulati, ff. De bon. eorum, qui mor. ſibi conſciver. l. unic. C. De reis poſtulat. lib.* 10. & *l. fin. ff. De re militar.* idem tenet Covarr. *practicar. quæſt. cap.* 32. *numer.* 4. *verſ. Secunda concluſio*, & ita cenſet major pars Interpretum, ut teſtatur Plaza *lib.* 1. *delict. c.* 35. *n.* 1. & Clar. *in §. fin. d. q.* 36. *verſ. Sed in hoc propoſito*.

Sed hæc opinio non videtur vera, quia non fit fraus judici ex mutatione fori; niſi judicium coram eo fuerit inchoatum, prout requiritur ad hoc ut ejus juriſdictio perpetuetur, & non proſit mutatio fori, ut *l. ubi cœptum, ff. De judic. d. l. Si quis poſtea, & l. penult. ff. De juriſdict. omn. judic.* & *d. c. Propoſuiſti, de foro compet.* Unde præventionem requirit Joan. Andr. *hic num.* 19. *verſ. Puto quod in civili*; cujus opinionem poſteà ferè omnes ſequuti ſunt, ut dicam infra num. 51. & ſeqq. Nec obſtant jura allegata, quia potiùs probant oppoſitum, cum requirant, ut reus fuerit poſtulatus, vel in crimine deprehenſus; & ſic non ſufficit, ut ſit diffamatus. Et eodem modo reſpondetur ad *d. l. Poſt contractum, ff. De donat.* & *d. l. Chirographis, §. fin. ff. De adminiſtr. Tutor.* quas Bald. allegat pro ſua opinione, quoniam requirunt, ut præcedat ſententia condemnatoria; & ita in contrarium retorquentur. Nec obſtat text. *in d. l. Quæſitum, ff. Qui, & à quibus*, quia ibi agitur à quo tempore pœna ſit infligenda, ſed non ſub quo judice.

Longè autem magis abeſset præſumptio fraudis, ſi ante 40
perpetratum delictum quis emiſiſset votum ingrediendi Religionem, aut ſuſcipiendi ordinem ſacrum; ita Bald. *in l.* 1. *n.* 11. *C. An ſervus ex ſuo facto*, dicens hoc caſu poſſe ſalvari Dynum; quia iſte ſtatus erat implicitus tempore delicti; & ideò judicandum eſt tamquam de Clerico, vel profeſso. Idem firmant Jaſ. *in l. Cum quadam puella, ff. De juriſdict. omn. judic.* Marſil. *ſingular.* 534. Covarr. *loc. cit.* & Chaſsan. *in conſuetud. Burgund. rubric.* 1. *§.* 5. *verſ. Archidiaconus, num.* 68. qui tamen ſubdit ſe non credere hanc opinionem à practicis fore admittendam. Sed malè; quia etiam ſine voto fraus non præſumitur, niſi præceſserit accuſatio, vel deprehenſio in crimine, ut ex dictis conſtat.

Quartò QUÆRO, An laicus conventus in curia ſæcu- 41
lari, qui poſtea effectus eſt Clericus pro illa cauſa à judice laico judicari, & puniri poſſit.

Celebris eſt hæc controverſia, & uſu forenſi admodum frequens. Goffredus *in c. Eam te, de reſcr.* arguens pro, & contra, ad partem affirmativam inducebat illam decretalem, & alia jura, quæ probant ex mutatione ſtatus quem non liberari ab eo, ad quod prius tenebatur, videlicet *l. Si quis poſtea, ff. De judic. l. Si reus, ff. Judic. ſolv. l. Cùm quadam puella, ff. De juriſdict. omn. judic. cap.* 3. 16. *quæſt.* 1. *c. Admonere*, 33. *q.* 2. *c. Deſignata*, & *c. Præterea*, 61. *diſt. c. Ex antiquis, c. Frequens, & c. Si ſervus*, 54. *diſt. c. Gaudemus, in fin. inf. de divort.* Ad partem negativam inducebat *c. Si quis jam tranſlatus*, 21. *q.* 2. *c. unico*, 18. *q.* 1. *c. Ne pro cujuslibet*, 16. *q.* 1. *c. Ferrum*, 50. *diſt. c. Deinde*, 26. *diſt. l. Non diſtinguemus, §. Sacerdotio, ff. De arbitr. l. penult. §. ult. ff. de vacat. muner. l. Spadonem, §. Scire, ff. de excuſ. tutor. l. Is cui, ff. de aliment. & cibar. legat. l. Eum actum*, & *l. At qui natura, ff. de negot. geſt. inſtitut. de aſſignat. libert. §. Datur*, & nil ulterius addebat: Sed alibi idem Goffred, & alii juris interpretes in varias opiniones ſcinduntur, quas hic recitant Joan. Andr. *num.* 19. Bellam. *in* 8. *qu.* Butr. *num.* 9. Card. in 9. *qu.* & Anchar. *num.* 2. *verſ. ult.* Jo. Andr. Siquidem Abb. Siculus ſuper hunc textum non ſcripſit, ut incautè dixerunt moderni Collectores hic: nam lectura in ejus volumine inſerta non eſt Abbatis, ſed Antonii Butr. ut patet ex illius inſpectione. Legiſte recenſent has opiniones in *l.* 1. *ff. de pœnis*, & *l. Si quis poſtea, ff. de judic.* Aliqui ex Canoniſtis in *c. Propoſuiſti*, ubi in ſpecie Anch. *n.* 6. *in fin.* & plenius Mar. Socin. 15. *art. principali, n.* 45. *verſ. Primum exemplum, de foro compet.* Archid. Turrecrem. Gemin. & 42
Præpoſit. *in c. Nemo*, 11. *q.* 1.

Prima opinio eſt Alani, Goffredi, & Bernardi hic, qui ſcripſerunt indiſtinctè judicem laicum poſse procedere: idem Vincent. in *cap. At ſi clerici, de judic.* & Hoſtien. hic addentes judicem ſæcularem poſse etiam procedere ad executionem ſententiæ. Id ipſum firmant in *d. cap. Propoſuiſti*, Hoſt. *in princ.* Joan. Andr. *num.* 2. Collectar. *in princ.* Bellam. *num.* 1. Butr. *num.* 7. & Abb. *nu.* 13. qui omnes exemplificant illam decretalem in laico, qui conventus in foro ſæculari poſtea factus eſt Clericus, aſserentes eum non poſse in cauſa illa declinare juriſdictionem judicis laici: & ex Legiſtis Gulielm. de Cuneo *in l. penult. ff. Si ex noxal. cauſ. agat.* Jacob. Buſſigar. *in d. l. Si quis poſtea*, & Bart. *in l.* 1. *n.* 1. *ff. De pœn.* ubi dicunt mutationem ſtatus in prævento non prodeſse, quominus primus judex pronunciet, & exequatur, ut hic refert Bellam. *n.* 8. *verſ. Septima opinio*, & conſentit Bald. *in d. l. Si quis poſtea, in princ. ff. de judic.* dicens, *Nota quod ſufficit, quod citatus ſit tempore citationis de foro citantis, nec mutat forum: licet mutat qualitatem perſonæ, ut quia fiat Clericus. Eſt ergo hic expreſſum quod Clericatus aſſumptus poſt citationem nil prodeſt.* Hæc Bald. Idem determinavit Bar- 43

thol. Brixien. *in q. ſua Venereali* 32. quæ incipit, *Aliquis litigabat*, *inter tract. comm. t.* 17. *pag.* 54. Motus, quia continentia cauſæ dividi non debet, ut *l. Nulli*, *C. De judic. in Auth. De except. collat.* 7. & in *c.* 1. *inf. de ſequeſtr. poſſeſs.* ubi enim ſemel cœptum eſt judicium, ibi finem accipere debet, *ut l. Ubi cœptum*, *ff. De judiciis*, cùm præſertim de qua cauſa cognoverit judex, de ea pronunciare debet, ut *l. De qua re*, *ff. eod. tit.* Item ſi aliquis lite pendente factus eſt miles, nihilominus judicium debet ſuo primo judice terminari, ut *l. Si quis poſtea*, *ff. De judic.* Et ſimiliter ſi mulier, quæ coram aliquo judice litigabat, pendente judicio facta ſit de foro alterius, tamen primus judex terminabit cauſam, ut *l. Cùm quædam puella*, *ff. De juriſd. omn. judic.* Item res tranſire debet cum onere ſuo, & cum ſua cauſa, *ut c. Cùm non ſit*, *de Decim.* & in hoc tandem reſidet per illam Decretalem, *Propoſuiſti*, *de for. compet.* & ad hanc partem Jo. Andr. allegat *l.* 2. *in princ.* & *l. Tutor*, *ff. De excuſat. Tutor. l. Incola*, *la ſeconda*, *ff. Ad municipal. l. Semper*, §. *Hoc circa*, *ff. De jur. imunit. l. Adulteram*, §. 1. *ff. De adulter. l. Officiales*, *C. De Epiſc. & Cler.* Non obſtat, quòd privilegium ſuperveniens univerſaliter eximat, & liberet ab obligatione, qua quis tenebatur, ut in juribus ſupra per Goffred. inductis ad partem negativam quoniam per actum conventionis privilegium fuit preventum; & ideò non ſuffragatur, *ut d. l. Tutor*, & ita ad hanc oppoſitionem reſpondet *in d. c. Propoſuiſti*, Hoſt. *n.* 2. Jo. Andr. *n.* 4. Bellam. *in* 4. *notab.* & Butr. *n.* 10. Federicus de Sen. *conſ.* 97. *n.* 4.

Secunda opinio fuit Joannis de Deo in Cavillationibus ſub *rubr. de privileg. Clericorum in fin.* ubi ſupradictam opinionem diſtinguens, dixit eam eſſe veram, & judicem laicum poſſe procedere ſi cauſa ſit civilis, ſecus ſi ſit criminalis: quia hoc ſecundo caſu procedit judex Eccleſiaſticus tantùm, *c. De perſona*, 11. *q.* 1. *cum ſimil.* Pro hac diſtinctione videtur caſus *in l. Qui cum uno*, §. *Reus*, *ff. De re militari*, ubi reus de capitali crimine poſtulatus, & poſtea factus miles non eſt remittendus ad judicem, ſub quo poſtulatus eſt; quod ſi eſt ita in milite armatæ militiæ, fortius obtinere debet in Clerico, qui eſt miles cœleſtis militiæ, ut in propoſito arguit Jacob. Butrigar. *in l. pen. ff. Si ex nox. cauſ. agatur.*

Tertia opinio primæ oppoſitæ ex diametro eſt eorum, qui ſimpliciter aſſerunt judicem ſæcularem non poſſe procedere nulla habita diſtinctione cauſarum civilium, vel criminalium. Moventur primò per *leg. Non diſtinguemus*, §. *Sacerdotio*, *ff. De arbitris*, & *d. l. Qui cum uno*, §. *Reus*, *ff. De re militari*, & *l. Hos accuſare*, §. *Hoc beneficio*, *ff. De accuſat.* ad idem *l. Prætor*, §. 1. *vel ſi quis Sacerdotium*, & §. *final.* & *l. His honoribus*, §. *Auctis*, *ff. De vacat. muner. leg. Idem Ulpian.* & *l. Spadonem*, §. *Si autem*, & *l. Juriſperitos*, *ff. De excuſat. Tutor.* Movetur ſecundò, quia res lite pendente devenit ad eum caſum, à quo non poterat inchoari. Ad hoc facit regul. *Juri factum*, cum concord. *l. Poſt finitam*, *ff. De ſuſpect. Tutor. l.* 4. §. 1. *ff. De liber. agnoſ.* & quod notatur *in l. Nemo poteſt*, *circa med.* 2.
43 *gloſſ. ff. De legat.* 3. Moventur tertiò, quia fugiens ad Eccleſiam habet immunitatem, *c. Inter alia*, *de immunitate Eccleſiæ*, etiamſi primò fuerit carceratus; quinimò ad mortem damnatus: nam ſi quo tempore ad ſupplicium ducitur, per Eccleſiam, vel Cœmeterium tranſeat, gaudet immunitate Eccleſiæ, neque poteſt inde violenter extrahi: & eſt communis opinio, ut atteſtatur Remig. *de immunitate Eccleſiæ*, *fol.* 301. *in* 30. *fallentia*, & ita ſe vidiſſe in facto judicari affirmat Chaſſan. *ſuper conſuetudin. Burgun. fol.* 55. *num.* 121. quem refert Boer. *deciſ.* 110. *poſt n.* 8. & Clar. *in* §. *fin. q.* 30. *verſ. Scias autem*. Ergo fortius
44 hac immunitate gaudere debet qui factus eſt Clericus. Moventur quartò, quia declinatoria noviter orta benè opponitur poſt litem conteſtatam, *c. Inſinuante*, *de offic. delegat.* gloſſ. in Clem. 1. *de ſequeſtr. poſſeſs. & fruct.* quam in terminis Clerici preventi allegat Socc. ſen. *conſ.* 91. *nu.* 14. *in fin.*
45 *verſ. Aut Clerici*, *lib.* 3. Ultimò moventur per textum fortem in *c. Calumniis*, 14. *q.* 6. ubi res alterata, vel conſecrata non reſtituitur priori domino. His addi poteſt textus in *l. Qui autem*, *ff. Si quis caut.* cujus hæc ſunt verba, Qui autem novo privilegio utitur, non videtur in ead. cauſa ſiſti, ex qua Paul. de Caſtr. *in l. Præcedenti*, colligit privilegium generale, quod quis non teneatur coram tali judice comparere extendi etiam ad judicem præventum, & ſequitur Jaſ. *in l. Cum quædam puella*, *n.* 9. *circa fin. ff. De juriſd. omn. judic.* & pro hac parte ſecundum Jo. Andr. hic bis fuit in diſputationibus determinatum, & placet Arch. Turrecr. Gemin. & Præp. *in c. Nemo*, 11. *q.* 1. propter ordinem impreſſum, præcipuè ubi agitur de pœna corporali. Nec obſtant jura contraria, videlicet *l. Si quis poſtea*, & *l. Cum quædam* 46
puella, & *c. Propoſuiſti*. Quoniam ut ipſi reſpondent in illis juribus, ſi benè inſpiciantur, non mutatur forus, ſed adiicitur forus foro: nam aliud eſt fori adjectio, aliud mutatio, *l. Senatores*, *ff. De Senator.* & *l. Si eum*, §. *Item ſi ſervus*, *ff. De exercit. act.* Per Clericatum verò mutatur ſtatus, & forus, *ut c.* 1. 53. *diſt.* ibi, *nequaquam ſtudens ſæculum fugere*, *ſed mutare*, *c. Qui proderit*, 61. *diſt.* ibi, *in aliud vitæ genus calcata reverentia Eccleſiaſticæ diſciplinæ tranſire*, Concil. Trid. *cap.* 4. *ſeſſ.* 23. ibi: *hoc vitæ genus elegiſſe*. 47
Quinimò non tantùm mutatur forus, ſed etiam genus fori, *ut cap. Duo ſunt genera*, 12. *q.* 1. & ita ad illa jura reſpondent in ſpecie Philipp. & Franciſcus Vercellen. in prædicta Decretali, *Propoſuiſti*, quos hìc refert Jo. Andr. *num.* 19. *verſ. Ad contraria*, & eodem modo reſpondet Archidiac. *in cap. Nemo*, *num.* 2. 11. *quæſt.* 1. & Oldrad. *conſ.* 4. Quod laicus delinquens *num.* 1. *verſ. Ad contraria vero*. In eamdem opinionem dicit ſe magis inclinare 48
Ægidius Bellam. *in eod. c. Propoſuiſti*, *in* 2. *quæſt. numer.* 7. *verſ. Quid dicendum*, *de foro compet.* duplici fundamento. Alterum eſt, quia privilegium non eſt conceſſum Clericis in favorem ſingularium perſonarum, ſed in favorem totius Ordinis Clericalis, ut *c. Si diligenti*, *de for. compet.* Igitur non poſſunt Clerici huic favori tacitè, vel expreſsè renunciare, ut ibi dicitur, & eſt communis Doctorum ſententia, ut atteſtatur Boer. *ſuper conſuetud. Bituricen. fol.* 26. *col.* 3. & Clar. §. *fin. quæſt.* 36. *verſ. Secundò infertur*. Ergo nulla ratio habenda eſt obligationis perſonalis inductæ per cauſæ præventionem coram judice ſæculari. Alterum fundamentum eſt, quia coercitio Clerici eſt ju- 49
riſdictionis merè ſpiritualis, quæ non cadit in laicum, & cujus laicus eſt omninò incapax, *c. Cauſam de præſcript.* & legitur, & notatur *in c.* 1. & 2. & *d. c. Si diligenti*, *de foro compet. in cap.* 2. & *cap. At ſi Clerici*, *de judiciis*. Igitur dependentia, vel connexitas judicii nihil facit, ut *cap. Tuam*, *de ordin. cognit. cap. Lator*, *de re judicat.* & *cap. Cauſam quæ*, *il* 2. *qui filii ſint legitim.* Et hæc duo fundamenta ſimul juncta ſecundùm eum videntur diſſolvere omnia argumenta contraria. Et ad objectum de fraude reſpondet, ut dixi ſupra in 2. *q. n.* 28. *verſ. Nec obſtat*, ſubdit tamen argumenta contraria eſſe ſufficientia ad inducendum Summum Pontificem ſuper hoc poteſtatem habentem ad faciendam novam conſtitutionem pro judice ſæculari.

Demum hanc tertiam opinionem tuetur bon. mem. D. 50
Robuſterius olim Rotæ Auditor in ejus voto relato per Marcheſ. *de commiſ. tit. de commiſ. avoc. cauſ. part.* 2. §. 2. *à num.* 130. *uſque ad nu.* 140. Quod quidem votum fuiſſe ab omnibus votantibus approbatum in plena Signatura Juſtitię teſtatur idem Marcheſ. *d.* §. 2. *n.* 95. *fol.* 314. ſubdens ſe illud retuliſſe ad publicam utilitatem, & futuras controverſias ſedandas, & *n.* 166. refert id ipſum in alio ſimili caſu fuiſſe reſolutum.

Quarta opinio eſt illorum, qui dicunt tertiam opinio- 50
nem procedere ſi bona fide, & ſine ulla fraude factus ſit Clericus, aliàs ſecùs. Et hujus ſententiæ fuit originaliter Dynus, cujus fundamenta retulimus ſuprà *in* 2. *quæſt. nu.* 28. *verſ. Verum Dynus*, licèt hæc quarta opinio videatur extra terminos, de quibus nunc agitur; quia præſens quæſtio proponitur de laico, quia prius fuit conventus coram judice ſæculari, & poſtea procuravit ſe Clericum fieri; quod ſemper præſumitur in fraudem feciſſe, ut fusè oſtenſum eſt *ſuprà in* 3. *quæſt. nu.* 38. *verſ. Sed his non obſtantibus*, niſi dixeris poſſe contingere, ut aliquando abſit fraus etiam in prævento, veluti cùm quis ordinatur non voluntariè, ſed tractus à ſuperiore, ſed de hoc latiùs dicam *inf. n.* 62.

Quinta eſt opinio Specul. *in tit. de reo*, *verſ. Sed quid ſi pendente*, & *ver. ſeq.* Qui videtur potiùs inclinare in opinionem primam Alani, & ſecundam Jo. de Deo, dum ait, in cauſa civili omnes tenere cauſam eſſe terminandam ſub eod. Judice, per *d. c. Propoſuiſti*, *de for. comp.* & per *d. l. Si quis*

po-

poſteà, *ff. De judic. l. Si quis decurio*, *C. Ad l. Cornel. de falſ. l. fin. §. ex bonis*, *ff. de bon. damnat.* licèt quidam contradicant. Sed ſi cauſa eſt criminalis, dicit eam fore terminandam coram Eccleſiaſtico, cùm ſæcularis non poſſit punire, *c. De perſona* 11. *qu.* 1. *& cap. At ſi Clerici ſupra de judic.* In contrarium tamen allegat *cap. Epiphanium* 2. *qu.* 3. Anth. *Qua in Provincia*, *Cod. Ubi de crimin. ag. oport. c.* 1. 3. *qu.* 6. Verùm finaliter concludit etiam cauſam criminalem finiendam eſſe coram judice citante, ſed mandabitur executioni per Eccleſiaſticum, arg. *cap. Poſtulaſti de for. comp. & cap.* 1. *de raptor.*

51 Sexta denique opinio eſt Joan. Andr. *hic num.* 19. *verſ. Puto quod in civili*, qui concordando jura, & opiniones contrarias: *Puto*, inquit, *quod in civili*, *vel criminali nulla diſtinctio perſonalis per ſæcularem judicem fieri poſſit*, *ut ponere in carcerem*, *vel mala pagha*, *vel detinere*, *vel ſimilia*; *& etiam in criminali realis executio per ipſum ſæcularem qui inchoavit*, *fieri poterit*; *ut ſic Clericatus exemerit perſonam quoad omnem manus iniectionem*, *vel diſtrictionem*; *ſed non exemerit cauſam à juriſdictione prævenientis quoad ipſius proceſſum*, *& inſtantiam finiendam*, *& realiter exequendam*, allegat *ſimile in cap. Sane de for. compet.* ubi *in*
52 *reali eſt quis quandoque judex cauſæ*, *& non perſonæ*. Et paulò poſt ſubdit: *Quæ dicta ſunt de perſonali diſtrictione*, *procedere non videntur in illo*, *qui in carcere ſæcularis judicis exiſtens ibi ordinaretur*. *Tum quia hic præventa eſt cauſa*, *& perſona*. *Tum quia Ordo non invenit iſtum liberum*, *Tum*
53 *denique quia ex contrario nimium eluderetur juſtitia*. Et ad hæc duo facit quod notat idem Joan. Andr. *in c. Sane n.* 4. *in ver. Apud omnes infrà de celebrat. Miſſarum*, ubi poſt Vincent. & Hoſt. ibi, & gloſſ. Joan. *in c. Quæſitum in ver. In patibulis* 13. *qu.* 2. concludit damnatum ad mortem ſuſcipientem Corpus Chriſti, juxta textum in *c. Quæſitum* 13. *qu.* 2. non gaudere immunitate; reddens rationem, quia Corpus Chriſti eum captivum invenit, & ſic captivum dimittit, ne videatur juſtitiam damnare, & ita plures judicatum fuiſſe refert Igneus in *l.* 1. *in princ. num.* 6. *ff. ad Syllanian.* quem refert Cler. *in §. fin. q.* 98. *verſ. Sed pone*. Supradictæ opinioni Joan. Andr. poſteà adhæſerunt Doctores frequentiori calculo, & in ſpecie in hac Decretal. Butr. *num.* 9. Card. *in* 9. *q.* Anchar. *num.* 2. *verſ. Ultimo*, Jo. Andr. & Marian. Socin. *in dict.* 15. *articulo principali n.* 53. *& ſeqq.* Anchar. *in cap. Ea quæ q.* 13. *nu.* 19. *de reg. jur. lib.* 6. Feder. de Sen. *conſ.* 97. incipien. *Quoniam*, quæ eſt repetitio *in d. c. Propoſuiſti num.* 5. Et hanc Theoricam Joannes Andr. eſſe communiter receptam teſtatur Steph. Aufr. alios adducens *in tract. de poteſt. ſæcul. ſuper perſon. Eccl. in* 1. *reg. fallent.* 11. *n.* 19. *inter tract. commun. to.* 14. *fol.* 390. & conſentiunt Domini de Rota, ut dicam infrà *n.* 161. *in fin.*

54 Ex dictis Joan. Andr. in hac ſexta opinione eliciuntur quatuor concluſiones in cauſis civilibus, & quatuor itidem in criminalibus. In cauſis civilibus prima concluſio eſt, Judex ſæcularis qui verbaliter citavit laicum, qui poſtea factus eſt Clericus, poteſt cauſam proſequi, & diffinitiva ſententia terminare; & in hoc concordant opiniones omnes, de quibus *ſuprà à n.* 41. excepta tertia.

Secunda concluſio. Idem judex poteſt ſententiam realiter exequi in bonis Clerici, in quo ſimiliter excepta tertia opinione omnes concordant.

Tertia concluſio. Idem judex non poteſt Clericum pro illa cauſa perſonaliter diſtringere, veluti ponere in carcere, vel mala pagha. Diſcordare videtur prima opinio duntaxat inſpecta ſui generalitate.

Quarta concluſio. Judex ſæcularis ſi pro debito civili realiter, id eſt, per capturam perſonæ citaverit laicum, qui exiſtens in carcere ordinatus ſit Clericus, poteſt in cauſa procedere, eumque in carceribus detinere. Opiniones omnes conveniunt, præter tertiam.

In cauſis criminalibus prima concluſio eſt. Judex ſæcularis, qui verbaliter citavit laicum, qui poſt commiſſum delictum factus eſt Clericus, poteſt in cauſa illa procedere & pronunciare. Hæc concluſio concordat cum prima, quarta, & quinta opinione.

Secunda concluſio. Idem judex poteſt ſententiam ſuam exequi realiter in bonis Clerici, concordat prima, & quarta opinio.

Tertia concluſio. Non tamen poteſt eamdem ſententiam exequi in perſona, nec Clericum perſonaliter diſtringere: concordant omnes opiniones, & ſolùm prima videtur diſcrepare attenta ſui generalitate.

Quarta concluſio. Judex ſæcularis, qui pro criminali cauſa realiter, id eſt, per capturam perſonæ citavit laicum, qui dum detineretur, factus eſt Clericus, poteſt eum diſtringere, & punire etiam in perſona: concordat prima, & quarta opinio. Et probantur concluſiones ſuprascriptæ iiſdem rationibus, & authoritatibus, quibus nituntur opiniones cum eis concordantes: quas quidem concluſiones videtur etiam collegiſſe Anton. de Butr. *num.* 12. *verſ. Concludendo*, qui explicans mentem Joan. Andr. diſtinguit ſic: *Quandoque quæritur*, *an mutatione ſtatus de laico in Clericum mutetur juriſdictio*; *quandoque an mutetur executio*, *vel exequendi poteſtas*. *Si quæritur*, *an mutetur juriſdictio*, *tunc tene*, *aut eſt præventa juriſdictio*, *& perſona*, *ſeu executio*, *quia iam captus eſt*, *& efficitur ibi Clericus*; *& non proficit mutatio*, *aut non eſt præventa perſona*, *ſeu executio*, *quia non capta*, *ſed ſola cauſa*, *vel juriſdictio*, *ut quia eſt citatus*, *vel lis eſt contra eum conteſtata*; *& tunc non impeditur juriſdictio quoad proceſſum*, *& cauſam finiendam*, *& ſic iſte remanet judex cauſæ*, *& non perſonæ*. *Quandoque quæritur*, *an mutetur executio*, *& tunc aut perſona*, *aut cauſa*, *ſeu executio eſt præventa*, *quia iam eſt in carceribus poſitus*; *& non proficit etiam quoad executionem*, *& etiam quoad exequendi modum mutatio fori*. *Aut non eſt præventa perſona*, *ſeu executio*, *ſed ſolùm cauſa*, *quia fuit citatus*, *vel lis conteſtata*; *& tunc quædam eſt executio præparatoria*, *& diſtrictiva perſonæ*, *ut ponere ad carceres poſt Clericatum*, *vel aliàs diſtringere perſonam ne fugiat*; *& ab hoc eximitur*. *Quædam eſt diſtrictio realis*, *& hanc adhuc facere poſſet judex ſæcularis*, *nec prodeſt mutatio ſtatus*. *Quædam eſt executio deciſiva*, *& hanc ſicut aliàs*, *ſi eſt perſonalis facere non poteſt*, *ſi realis ſit*. Hæc Butrius.

Supradicta omnia præſtringi poſſunt hac una concluſione, videlicet, judex ſæcularis, qui in cauſa civili, vel criminali, ſive per citationem, ſive per capturam prævenit contra laicum, qui poſteà factus eſt Clericus, poteſt cauſam illam proſequi, ac diffinire, & exequi realiter, vel perſonaliter ad limites præventionis dumtaxat, & non ultrà. 55

Non obſtant duo motiva Bellam. de quibus ſupra in tertia opinione num. 48. videlicet incapacitas laici, & privilegium ordini conceſſum: nam reſponderi poteſt juriſdictionem judicis laici in cauſa ante Clericatum præventa perpetuari in Clericum propter principium habile, licèt poſteà devenerit ad caſum à quo non potuit inchoari, ut in *d. c. Propoſuiſti de for. compet.* & ibi dixi, *nu.* 13. *cum concordant. ſuprà allegat.* pro prima opinione. Facit *l. Nec enim*, *ff. De itin. act. privat. cap. Conſultationibus de jure patr. cap. Placet de converſ. coniug. cap. Diſcretionem de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ*, *& cap. Factum de reg. jur. lib.* 6. 56

Et eſt ſimile in Clerico litigante coram judice ſæculari: nam cùm laicus ſit judex competens, quia actor ſequitur forum rei, *cap. Si Clericus laicum*, *& cap. Cùm ſit generale de foro compet.* propter principium habile eſt etiam judex in cauſa reconventionis, *cap.* 1. *de mut. pet.* ſecundùm opinionem, quam dicit communem, & latè tuetur Decius *in cap. At ſi Clerici à num.* 156. *de judic.* & magis communem, & de conſuetudine obſervatam, Stephan. Aufr. *de poteſt. ſæcular. ſuper Eccl. perſon. in* 2. *regul. nu.* 4. *in* 3. *fallentia*. Idem eſt ſimile in Clerico, qui efficitur hæres laici jam conventi coram judice ſæculari, quia inſtantia ſicut præmittitur cùm laico inchoata tranſit in Clericum; ſecundùm unam opinionem, quam ſequuntur Bald. *conſ.* 340. *Tria ſunt*, *verſ. Item quia dictus Clericus lib.* 2. Imol. in *l. Si cum hominem*, *ff. De fidejuſſor.* & alii, quos refert, & ſequitur Aufr. *ubi ſuprà à nu.* 7. *in* 6. *fallentia*, dicens illam maxima æquitate fulciri, & adducens rationem, quæ facit ad propoſitum noſtrum, videlicet, quia aliàs tertius lęderetur ſine culpa, qui inchoavit litem cum defuncto, ſi cogeretur deſerere judicium prius cœptum coram ſæculari judice, & aliud inchoare coram Eccleſiaſtico, & lites ex litibus orirentur, contra textum *in cap. Paſtoralis infrà de cauſ. poſſeſſ. & propr.* licèt alii contra, ut per eum. Neque verò hoc contingit ex facto, vel miniſterio Clerici renunciantis fori privilegio, ſed ex auctoritate Eccleſiæ, quæ juſtitia ita exigente jubet perpetuari juriſdictionem, ubi ſemel cœptum eſt judicium non obſtante mutatione fori, ut in prædicta Decretal. *Propoſuiſti*. Præterea ſi valeret 57

leret ratio Bellameræ, nullus eſſet caſus, in quo judex laicus poſſet procedere contra Clericum, ſemper enim illi obſtaret incapacitas, & privilegium conceſſum Ordini, quod tamen conſtat eſſe falſum, cum in pluribus caſibus ſit judex competens, & unum & viginti in cauſis criminalibus, & triginta tres in cauſis civilibus enumerat Steph. Aufr. in *d. tract. de poteſt. ſæculari in perſonis Eccleſiaſticis*
59 *in* 1. *&* 2. *reg. à nu.* 1. *uſque in finem*. Rurſus quamvis Clericus directè renunciare non poſſit privilegio fori, poteſt tamen indirectè, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii, puta dimittendo habitum, vel tonſuram, vel ſervitium Eccleſiæ, aut matrimonium contrahendo cum vidua, vel corrupta, ut in decreto Concilii Tridentini *c.* 6. *ſeſſ.* 23. Ad quod facit, quod dixi in *c. Significatum nu.*17.
60 *infrà de reg.* Et ex his patet etiam reſponſio ad *cap. Comperimus* 14. *qu.* 6. ſupra allegatum pro tertia opinione: nam res conſecrata propterea non reſtituitur priori domino, quia in uſus profanos ampliùs non debet redigi, *cap. Aurum* 12. *q.* 2. *& cap. Ligna, de conſec. diſt.* 1. & ita effugit omne commercium laicorum, ut nullo caſu conſecrari poſſit niſi à ſacratis, & Deo dicatis hominibus, *cap. in ſancta, & cap. ſeqq. ead. diſt.* At verò Clericus non ita eximitur à poteſtate ſæculari, quin in certis caſibus illi remaneat ſubjectus, ut prædixi. Inter hos autem conſtat unum eſſe præcipuum, cùm cauſa, vel perſona ante Clericatum eſt præventa. Præterea aliud eſt in re inanimata, aliud in animata, arg. *l. Si rem mobilem. & l. Pomponius in princip. ff. De acquir. poſſeſſ.* Ideòque ſi ſervus alicujus fuerit conſecratus, benè reſtituitur domino ſuo, ut *c. Ex antiquis* 54. *diſt.* Ratio diverſitatis, &c. eſt, quia cùm ſervus ſit res animata, delinquit permittendo ſe ordinari; quemadmodum in caſu noſtro delinquit is, qui permittit ſe Clericum fieri, ut ſæculare judicium effugiat, ſed res inanimata in nihilo delinquit. Ita notabiliter diſtinguit, & declarat gloſſ. *unic. in d. c. Comperimus*, quàm ibi ſequuntur Archid. & DD. Et eſt ſimile *in c. Epiſcopus in diœceſim* 7. *qu.* 1. ibi. Amotis his quos ordinavit, Altaris tamen conſecratione manente.

61 Unde etiam colligitur non procedere argumentum ſuperiùs deductum pro tertia opinione num. 43. à privilegio immunitatis ad privilegium fori. Quandoquidem privilegium fori fuit conceſſum rei animatæ, id eſt Clericis, & ideò non ſuffragatur præventis. Sed immunitas non fuit conceſſa confugientibus, ſed rei inanimatæ, id eſt, Eccleſiæ, quæ non eſt præventa, & cujus privilegium ita violatur per extractionem liberi, ſicut captivi, cùm ſit locale, *l. Præſenti, verſ. Ipſis ſervata locis reverentia, C. De his qui ad Eccleſ. confugien. cap. Reum, cap. Frater, & c. Definivit* 17. *qu.* 2. Abb. *in cap. Sanè num.* 1. *verſ. Item quia ipſa Eccleſia de celebratione Miſſarum*.

62 Demùm non obſtat votum D. Robuſterii, de quo ſuprà num. 59. quoniam loquitur ſatis implexè, & confundit duos articulos valdè diverſos, & quamvis adducat nonnulla fundamenta pro incompetentia judicis laici in cauſa Clerici promoti lite pendente; tamen principaliter tractat, an inſtantia inchoata contra laicum in foro ſæculari tranſeat in ejus hæredem Clericum, ut patet apud Marcheſ. *loc. cit. num.* 135. qui quidem articulus eſt admodum controverſus, ut patet ex dictis ſuprà num. 58. & opinio favens Eccleſiæ habet pro ſe multorum DD. authoritatem, maximè Rot. *deciſ.* 5. *de foro compet. in antiquis*, Seraphin. *deciſ.* 957. *num.* 9. & ſervari in Senatu Sabaudiæ teſtatur Anton. Faber in *ſuo Cod. lib.* 3. *tit.* 1. *definit.* 12. adeòut idemmet Joan. Andr. author opinionis contra Clericum ordinatum lite pendente, ut hìc, tamen prædicto articulo ſentiat pro Clerico hærede in *cap. Qui in jus, de regul. jur. lib.* 6. *in Mercur.* Nec mirum, quia omiſſis aliis rationum diverſitatibus, in Clerico hærede nulla fraus conſiderari poteſt, cùm ſine facto ſuo ſuccedat laico. Secus in illo, qui poſt litem motam voluntariè Clericatum aſſumit, ut idemmet Marcheſ. *obſervat. num.* 140. Præterea in primo caſu judicium fuit cœptum contra tertium, at in caſu noſtro inchoatum fuit contra eamdemmet perſonam, quæ poſtea forum mutavit, & hanc diffinitivam in puncto conſtituit Rota *dict. dec.* 5. *poſt medium*, his verbis *Sed poſſet dici, quod illa vera cum eadem perſona eſſet præventa; hic autem ſunt diverſæ perſonæ debitoris laici, & Clerici*. Hæc ibi. Atque ita Rota in noſtro articulo eſt apertè pro hac ſententia.

Declarant concluſionem ſuperiùs firmatam *n.* 52. Bart. 63
in *l.* 1. *nu.* 3. *verſ. Quod eſt verum, ff. De pœnit.* & Marian. Socin. in *d. c. Propoſuiſti n.* 53. *verſ. Sed ſi appareret de for. compet. & alii recentiores*, ut procedat in eo, qui poſt præventam juriſdictionem voluntariè ordines ſuſcepit; tunc enim præſumitur hoc in fraudem feciſſe, & ideò non prodeſt ei mutatio fori, ſecundùm diſtinctionem Dyni. Secus ſi tractus à ſuperiore: quia tunc ceſſat ſuſpicio fraudis, per *l. Qui autem in princ. ff. Si quis caution. & l. Juriſperitos, & l. Tutor petitus, ff. De excuſ. tutor. l. Idem Ulpianus, §.* 1. *ff. eod. tit. & l. Prætor. in princip. ff. De vacat. & excuſat. muner.* Sed hanc limitationem ego non puto veram. Primò, quia non videtur poſſe dari hìc caſus, ut laicus ad ordines invitus trahatur, quando nec Clericus etiam ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ poteſt compelli ad ordines ſuſcipiendos, cùm Sacramentum Ordinis ſit voluntarium, ut notatur in *§. Si autem Sacramenta* 1. *q.* 1. *§. ult.* 22. *q.* 4. *cap. Veniens infrà de tranſact.* & notat Hoſt. *in Summa de Sacram. non iteran. §. Quot ſint ſpecies*. Nec obſtat textus in *c. Quæris infrà de ætat. & qualit.* quia procedit tantummodò in Clericis beneficiatis, qui ſi neceſſitas, vel utilitas poſtulet, cogi poſſunt ad recipiendos Ordines ſuis beneficiis non annexos, nec habet locum in non beneficiatis, ut ibi declarat Henric. Boich. *in princ.* Præterea jura, quæ probant Clericatum non eximere à juriſdictione judicis prævenientis, non fundant ſe in fraude, ſed in ipſa præventione. ut patet in prædicta Decretali, *Propoſuiſti*, ibi, jus revocandi forum non habet quaſi præventus; & ideò Jo. Andr. in opinione ſua non conſideravit fraudem, ſed præventionem dumtaxat, per quam juriſdictio perpetuatur, & cauſa remanet affecta judici prævenienti, in cujus præjudicium non prodeſt mutatio fori, & compulſio, ſeu attractio ſuperioris excuſat quidem Clericum à fraude, & dolo, ſed non eripit eum à juriſdictione judicis prævenientis, ut ex dictis conſtat. Ac demum ſi tractus à Prælato eximeretur à juriſdictione judicis, ſub quo judicium fuit inchoatum; hinc eſſet aperta via fraudibus, quia laicus ut vitaret ultionem judicis ſæcularis, facilè poſſet colludere, procurando, ut Epiſcopus eum induceret ad ſuſcipiendos Ordines; & ipſemet Prælatus ex ſe poſſet illum attrahere, ut judici prævenienti cauſam, & perſonam præriperet, & ita prædicta Decretalis, *Propoſuiſti*, eſſet ludibrio poſita, contra textum in *c. Commiſſa, de elect. lib.* 6.

Concluſiones ſupra firmatas tàm in hac quarta quæſtione ex mente Jo. Andr. quàm in tribus præcedentibus non 64
obſcurè probavit meo tempore Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum in cauſa Alexandri, & Zuccari Nepeſinæ diœceſis, qui dicebantur prima tonſura initiati in fraudem fori ſæcularis propter homicidium, ut prætendebatur, ab eis patratum. Primò enim cenſuit Sacra Congregatio eos quoad perſonam gaudere fori privilegio; tametſi in fraudem fori ſæcularis Clericatum aſſumpſerint; ſed quoad bona, an ſubſint ſæculari juriſdictioni, maturius eſſe deliberandum. Verùm poſteà, quia ampliùs prætendebatur ex parte Curiæ ſæcularis Clericatum in fraudem ſuſceptum, nedum illis non ſuffragari quoad bona, ſed nec quoad perſonam, cùm de hoc iterùm actum eſſet in S. Congregatione, firmatæ fuerunt concluſiones infraſcriptæ.

Prima concluſio, ſemota fraude, laicus poſt commiſſum delictum prima tonſura initiatus omninò eximitur à juriſdictione judicis laici tàm quoad perſonam, quàm quoad bona, hoc probatur arg. text. in *l. Hos accuſare, §. Hoc beneficio ff. De accuſat.* ubi Angel. notat, & Alber. in *l. Qui cum uno, §. Reus, ff. De re militar.* notatur in *c. Propoſuiſti de for. compt. & in l. Si quis poſteà, ff. De judic.* Et hanc concluſionem pluribus probat Oldrad. *conſ.* 4. *per totum*, & ponit Covarr. *pract. qq. c.* 32. *ſub n.* 4. *verſ. Prima concluſio.* Et dicunt magis communiter receptum Plazza *lib.* 1. *delictor. c.* 35. *n.* 1. & Clar. *§. final. qu.* 36. *verſ. Sæpe num. in primo membro diſtinctionis*, & adde quæ dixi ſuprà *in* 1. *q. à n.* 25.

Secunda concluſio laicus, qui poſt patratum delictum 65
primam tonſuram in fraudem ſuſcepit, ut ſcilicet ſe eximeret à ſæculari poteſtate, quoad perſonam nihilominus gaudet fori privilegio, nec poteſt à judice laico puniri, aut perſonaliter diſtringi, ut probat textus in *d. l. Qui uno, § Reus, ff. De re militar.* Et hanc concluſionem ſtatuunt, & tuentur hìc Joan. Andr. & alii, intelligendo eos, ut dicam

eam in concluſione proximè ſequenti, Bart. in *l. 1. nu. 3. ff. De pœn.* & communem dicunt Aufr. *in tract. de poteſt. ſæcular. ſuper perſon. Eccleſ.* ſeu in Clem. 1. *in reg. nu. 19. de off. ordin.* Covarr. *d. c. 32. poſt nu. 4. verſ. Tertia concluſio*, Boſſ. *in tit. de pœn. num.* 38. & alii plures apud Clarum *d. verſ. Sæpè numero*, & Baiard. *ibidem in Additionibus nu.* 42. *& ſeqq.* &
66 hic junge, quæ dicta ſunt ſupra in 1. *qu. à nu.* 28. Et quamvis nonnulli ex Authoribus relatis ſenſerint Clericum in fraudem promotum eſſe degradandum à judice Eccleſiaſtico, & tradendum ſæculari etiam corporaliter puniendum, ut Bart. in *d. l.* 1. Anchar. *in regul. Ea quæ qu.* 13. *de reg. jur. lib. 6.* & alii Prælati à Covarr. *loc. cit.* qui ampliùs cenſet hanc degradationem non requiri in Clericis primæ tonſuræ: Verius tamen eſt hunc caſum, id eſt, cùm quis eſt promotus in fraudem, non recenſeri inter eos, in quibus pœna degradationis imponitur, ut patet in *c. Novimus de ver. ſignif. in c. Cùm non ab homine de judic. in c. Ad falſariorum de crim. falſ. & in c. Ad abolendam de hæreticis.* Ideòque Clericum neque eſſe hoc caſu degradandum, neque tradendum Curiæ ſæculari probat Butr *hic col.* 4. *verſ. Ex his apparet.* Ac prætereà Bart. & alii aſſerentes Clericum fraude promotum eſſe degradandum, ſunt intelligendi, ſi Clericus talia delicta perpetraverit, ob quæ degradationem mereatur, ut declarat optimè Cardinalis hic propè finem. *Et in eo*, inquit, *quod dicit Bartholus de degradatione, non intelligas quod fieri debeat pro quolibet crimine; quia imò non fit niſi de incorrigibili, præterquam in tribus caſibus, ut notatur in d. c. Novimus*, in gloſſ. 3. *de verbor.*
67 *ſignif.* Et quamvis Covarr. *d. c.* 32. *verſ. Sed ſi Clericus, exiſtimet Clericum primæ tonſuræ poſſe hoc caſu puniri per judicem ſæcularem etiam pœna mortis abſque ulla degradatione; ejus tamen opinio, ſi vera eſt, intelligenda eſt procedere, dummodo Clericus ſit incorrigibilis, vel aliquod delictum ex ſupradictis p traverit, & fuerit traditus ab Eccleſia judici ſæculari, prævia declaratione ſuper delicto; patet, quia Covarr. dicit primò Clericos in minoribus non poſſe puniri à Curia ſæculari ante degradationem. Et hoc certum eſt intelligi debere in caſibus, in quibus degradatio requiritur*, Deindè ſubdit hoc non procedere in Clericis primæ tonſuræ, qui poſſunt puniri per laicum ante ullam degradationem; quæ exceptio ut ſit de regula, ſimiliter eſt intelligenda in caſibus, in quibus in aliis Clericis eſt opus degradatione; alioquin ſequeretur abſurdum, ut Clerici primæ tonſuræ pro quolibet crimine puniri poſſent à poteſtate laica, nec umquam fori privilegio gauderent, contra text. in *d. c. Cùm non ab homine cum ſimil.* & decretum Concil. *c. 6. ſeſſ.* 23. latè
68 Alex. *conſ.* 8. *Videtur n. 1. lib.* 1. Quatenus igitur degradatio in illis non requiratur, adhuc tamen coerceri non poſſunt à ſæculari poteſtate, niſi duobus concurrentibus. Primò ſcilicet, ut tradantur ab Eccleſia Curiæ ſæculari, ut per gloſ-
69 ſam in *d. c. Cùm non ab homine in ver. Poſtmodum*, & eſt communis opinio ſecundùm Alciat. *ibid. nu.* 108. & Clar. *d. q.* 36. *verſ. Scias autem*, deindè ut præcedat declaratio judicis Eccleſiaſtici ſuper delicto, *c. Cum ſecundùm de hæret. lib. 6.* Ideòque Clericus aſſaſſinus poteſt à judice laico puniri, etiam abſque alia degradatione, *c.* 1. ubi Gemin. Franc. & alii *de homicidio lib. 6.* & tamen neceſſe eſt, ut præcedat de-
70 claratoria Ordinarii Eccleſiaſtici, ſuper qualitate aſſaſſinii, ut ibi Joan. Andr. & Geminianus notant, & eſt communis opinio, ut teſtatur Alexand. *conſ.* 166. *nu.* 5. *lib.* 7. & extat hac de re conſ. Cardin. Alban. 13. relatum à Farinac. *tit. de inquiſit. q. 8. n.* 85. qui *n.* 109. ampliùs cenſet etiam Clericum primæ tonſuræ, quantumvis gravia delicta commiſerit, non poſſe à judice laico corporaliter puniri, niſi poſtquam illum judex Eccleſiaſticus degradaverit, & Curiæ ſæculari tradiderit, ſi modò habitum, & tonſuram deferat.

71 Tertia concluſio. Laicus, qui poſt delictum aſſumpſit Clericatum in fraudem, quoad bona ſubeſt ſæculari juriſdictioni; ideòque poteſt à judice laico puniri pœna pecuniaria, & confiſcatione bonorum. Hæc eſt opinio Joan. Andr. *hic num.* 19. *verſ. Puto quod in civili*, & Bart. *in d. l.* 1. *num.* 3. *ff. De pœnis*, quam ſequuntur, & communem dicunt Authores omnes relati ſupra in ſecunda concluſione *nu.* 65. & hic junge, quæ dixi ſupra in 2. *q. n.* 32.

72 Verùm hæc concluſio videtur intelligenda, dummodò judex laicus in cauſa prævenerit, ſic probat textus in *l. Si quis poſteà, ff. De judic.* ex qua lege deſumptus eſt ſimilis textus *in cap. Propoſuiſti de foro compet.* ubi legitimè citatus tenetur coram judice citante cauſam proſequi, licèt poſt citationem forum mutaverit: quem textum ibi exemplificant Hoſtien. & alii in Clerico poſt citationem promoto. Hujus ſententiæ, licèt recentiores illum generaliter referant, fuit Joan. Andr. ubi ſuprà, ait enim: *Puto quod in civili, vel in criminali nulla diſtrictio fieri poſſit per judicem ſæcularem, loquitur de Clerico promoto poſt delictum, ſed realis tantùm executio per ipſum ſæcularem, qui inchoavit, fieri poterit, ut ſic Clericatus exemerit perſonam quoad omnem manus iniectionem, vel diſtrictionem, ſed non exemerit cauſam à juriſdictione prævenientis quoad ipſius proceſſum, & inſtantim finiendam, vel realiter exequendam.* Atque ita Joan. Andr. apertè ſentit judicem ſæcularem eatenus poſſe procedere, quatenus prævenerit: & illum totidem verbis refert, & ſequitur Cardin. *col.* 4. *verſ. Septima eſt opinio.* Hoc idem probat Anton. de Butr. *col.* 4. *verſ. Quandoque quæritur, an mutetur executio*, & apertiùs Feder. de Sen. *conſ.* 97. *Quoniam in fin.* ubi ait: Sola commiſſio criminis non facit præventionem, ſed conventio, vel deprehenſio, ut in fraudem vitandæ pœnę videatur ordinatus. Eamdem opinionem tenet Anchar. in *c. Ea quæ num.* 19. *qu.* 13. *verſ. Secundo caſu, de reg. jur. lib. 6.* ubi quærens coram quo debeat reſpondere laicus poſt commiſſum delictum effectus Clericus, ſic ait: *Cùm ante judicium inchoatum aſſumpſit Clericatum, non videtur dubium quod coram judice Eccleſiaſtico; poſtquam judex ſæcularis non prævenit.* Et infrà: *Quando judicium fuit iam cœptum coram ſæculari*, ſentit cum Joan. Andr. *Clericatum eximere perſonam omnem manuum iniectionem, & diſtricti onem, ſed non eximere cauſam à juriſdictione præveniente quoad ipſum proceſſum, & inſtantiam finiendam, & realiter exequendam.* Hic adde, quæ ad corroborationem hujus concluſionis dicta ſunt ſuprà *in 3. q. à n. 35. uſque ad n.* 41. Atque hoc ipſum videntur ſentire omnes, qui cenſent Clericum in fraudem promotum quoad bona adhuc ſubeſſe ſæculari juriſdictioni; quia quoad bona de fraude tunc dicitur conſtare, quando judicium jam erat cœptum, & cauſa præventa, vel per citationem, vel per litis conteſtationem, juxta text. *in d. l. Si quis poſtquam de judic. in d. c. Propoſuiſti de foro compet. & in l. penult. ff. De juririſdict. omn. judic.* & docet Oldrad. *d. c. conſ. 4. n.* 2.

Ex hac igitur tertia concluſione, & illius declaratione conſtat judicem laicum ita demum poſſe procedere contra bona Clerici poſt delictum promoti, ſi in cauſa prævenerit judicem Eccleſiaſticum ante Clericatum. Et in hunc ſen- 73
ſum accipienda eſt deciſio in cauſa Nuſcana, in qua cùm dubitatum fuerit, an Clericus conjugatus, qui poſt dimiſſum habitum, & tonſuram Clericalem deliquit, & pro eo delicto in Curia ſæculari citatus, & condemnatus fuit; deindè reaſſumpto habitu, & tonſura, Eccleſiæ inſervire cœpit juxta decretum *cap. 6. ſeſſ.* 23. poſſit à judice laico poſt delictum commiſſum judicari, & puniri: Sacra Congregatio cenſ. non poſſe propter idem delictum in carcerem conjici, aut perſonaliter diſtringi, modò non reaſſumpſerit habitum in fraudem: judicem poſſe proceſſui finem imponere, & contra illum realiter procedere, juxta doctrinam Joan. Andr. *in cap. unic. de obligat. ad ratiocin.* Verba enim illa deciſionis, *modo non reaſſumpſerit habitum in fraudem*, non important ut qui habitum reaſſumpſit animo evitandi judicium ſæculare, poſſit indiſtinctè in eo foro perſonaliter diſtingui, ſed ita demum, ſi perſona fuerit præventa, puta quia poſitus in carcere aufugit, aut dimiſſus fuit ſub fidejuſſione; tunc enim de fraude conſtare dicitur quantum pertinet ad perſonalem diſtrictionem, quemadmodum de ea dicitur conſtare quoad bona, quando cauſa eſt præventa, per ſupradicta.

Quarta concluſio. Ad hoc ut judex laicus poſſit proce- 74
dere contra bona Clerici in fraudem promoti, neceſſe eſt, ut præcedat declaratio ſuper fraude, & interim debet ſuperſedere, *c. Si judex laicus in fin.* ibi, *Contra eum interim quivis proceſſus judicis conquieſcat, de ſent. excommunic. lib. 6.* etenim cùm ejus juriſdictio ſit fundata ſuper hac qualitate fraudis, & ea circumſcripta Clericus ſit exempus ab ejus juriſdictione, etiam quoad bona, ut diximus in prima concluſione; priuſquam de hujuſmodi fraude conſtiterit, laicus neſcit ſe judicem; ideòque de qualitate fruadis juriſdictionem tribuentis ante omnia conſtare debet, *l. 2. §. Sed ſi dubitetur, & l. Si quis ex aliena, ff. De judic.* Abb. & alii *in cap. Si Clericus laicum de foro compet.* Bart. in

l. Mul-

l. Multum intereſt, ff. De conſ. tut. & cur. conſtrat. & in l. Si finita, §. Julianus, ff. De damn. infect. & pendebat Roland. *conſ. 4. n. 21. vol. 1.* Idemque de Clerico aſſaſſino, de cujus delicto conſtare debet priuſquam à judice ſæculari puniri poſſit, tradunt omnes *in c. 1. de homic. lib. 6.* & diximus ſuprà in ſecunda concluſione, *verſ. Quatenus igitur n. 69.* & hic junge, quæ ex ſententia Sac. Congregationis poſui ſuprà *n. 33.*

Quinta concluſio. Cognitio, & declaratio, an Clericus fuerit promotus in fraudem, necne, ad judicem ſæcularem non pertinet, ſed ad Eccleſiaſticum tantùm; quia cùm agatur de Clericatu, & illius qualitatibus, ſive quæſtio ſit juris, ſive facti, judex laicus nullam habet jurisdictionem, *d. c. Si judex laicus*, ubi not. *de ſent. excommun. lib. 6.* Ideòque cognitio, an Clericus duxerit unicam, & virginem, ad hoc ut tamquam bigamus omni privilegio Clericali nudatus ſit, pertinet ad judicem Eccleſiaſticum, ut dixit Rota *deciſ. 107.* incipien. *Item ſi Clericus coniugatus*, quam refert, & ſequitur Alex. *conſ. 8. Videtur num. 4. lib. 1.* Ac ſimiliter quæſtio, an Clericus inceſſerit in habitu, & tonſura ab Ordinario Eccleſiaſtico eſt prius definienda, Gemin. in *cap. 1. §. final. in fin. de Cler. coniug. lib. 6.* & Covarr. *practicar. quæſt. cap. 33. ſub nu. 1.* ubi aliam opinionem reprobat, veluti falſam, & contrariam ſacris Canonibus. Et in terminis, an Clericus primæ tonſuræ ſit bene, vel male promotus ad effectum privilegii fori eſſe cognoſcendum ab Eccleſiaſtico, reſpondit Rolan. à Valle *d. conſ. 4. num. 18. 19. & 20. & 33.* & de qualitate aſſaſſinii, Card. Abb. *conſ. 13.* & tetigi ſuprà in ſecunda concluſione propè finem.

75 Ultima concluſio pro præſentis cauſæ reſolutione laicus ſpurius, vel homicida licèt initiari non debeat abſque diſpenſatione Apoſtolica, *cap. Tanta*, & ibi gloſſ. *fin. Qui filii ſint legitimi, & cap. 7. ſeſſ. 14.* Concilium Tridentinum, tonſuratus tamen recipit characterem, & gaudet fori privilegio, licèt ordinis executionem non habeat, ut reſpondit Alexan. *conſ. 149. In cauſa in princip. lib. 6.* & Roland. *d. conſ. 4.* Et quamvis Rebuff. *in tract. nomin. quæſt. 14. num. 70.* dixerit nullam eſſe ordinationem, ſi tonſura conferatur ab alieno Epiſcopo; & ſic initiatum non gaudere fori privilegio, addens ſe vidiſſe ita judicari, eò quod actus factus lege prohibente ſit nullus, *l. Non dubium, Cod. De legib.* Ejus tamen opinio erronea eſt; quia ſive prima tonſura ſit ordo, quemadmodum tenent Canoniſtæ, per *cap. Cum contingat*, & ibi dixi latiſſimè *de ætat. & qualitat.* ſive diſpoſitio ad Ordines, ſecundùm Sanctum Thomam, & Theologos in *4. ſentent. diſt. 24.* ſive quid medium, ſecundùm opinionem Navarr. *in Manual. cap. 22. num. 14. & conſ. 4. de Sacram. non iteran.* illud tamen certum eſt per eam, licèt lege prohibente collatam imprimi characterem, ſive notam, vel ſignum indelebile, quod reiterari ampiius non debet, ut idem Navarr. conſuluit *conſ. 11. de tempor. ordinat. num. 3.* & pluribus probat Guidopap. *deciſ. 449.* ubi cenſet collationem primæ tonſuræ factam à non ſuo Epiſcopo eſſe validam, nec debere reiterari. Quod etiam cenſuit Sacra Congregatio in Clerico ſæculari tonſurato ab Abbate benedicto contra prohibitionem Concil. Trident. *in cap. 10. ſeſſ. 23.*

76 Ex his omnibus videtur reſpondendum Alexan. & Zuccar, quamvis malè promotus, ut in ultima concluſione, dummodò non ſæcularis judicii fugiendi fraude Clericatum aſſumpſerint, tam quoad perſonam, quam quoad bona exemptos eſſe à ſæculari juriſdictione, ex dictis ſupra in prima concluſione, ſed etſi in fraudem primam tonſuram ſuſceperint; gaudere tamen fori privilegio quoad perſonam, patet ex ſecunda concluſione; ſed quoad bona ſubditos eſſe ſæculari poteſtati, ſi modò judex laicus ante illorum promotionem prævenerit in cauſa, ut in tertia concluſione. Cæterùm non poſſe judicem ſæcularem prævenientem in bonis procedere, niſi poſtquam judex Eccleſiaſticus pronunciaverit eos in fraudem curiæ ſæcularis promotos fuiſſe, conſtat ex dictis in quarta, & quinta concluſione, & ita reſolutum. An autem hæc vendicent ſibi locum in Regno Neapolitano propter capitulum Caroli II. quod incipit, *Item ſtatuimus, quod Clerici ad ſæcularia judicia*, vide Vicen. de Franch. *deciſ. 545.* & Marc. Anton. Genuen. *in ſua praxi Archiepiſcopali c. 9. n. 4.*

77 Quintò QUÆRO, an quæ dicta ſunt in ſuperioribus quæſtionibus de Clerico procedant in profeſſo. Videtur reſpondendum procedere ſalvo eo, quòd defenſio cauſæ ſpectabit ad Monaſterium, prout concludit hic Jo. Andr. *num. 20.* cum quo Butr. Card. & alii tranſeunt, & Bart. in *d. l. 1. num. 3. in fin. verſ. Et quæ de Clerico, ff. De pœnit.* & Marian. Socin. *in d. cap. Propoſuiſti num. 52. verſ. Et ſubdit*,
Joan. Andr. & Aufr. *loc. ſuprà citat. n. 6.* nam licèt propter 78
characterem plus habeat ordo, quàm profeſſio, ut ſcripſit idem Joan. Andr. *in cap. Placet infrà de converſ. coniug.* tamen eo reſpectu, quo proceſſus mundo mortuus eſt, ut *l. Deo nobis, C. De Epiſcop. & Cleric.* & plura promittit, ut notatur in *cap. un. in 3. gloſſ. de voto lib. 6.* Concluſiones ſupraſcriptæ fortiùs quoad perſonalem diſtrictionem procedunt in Monacho, quàm in Clerico, & præſertim in minoribus, arg. *cap. Cum ex eo, de elect. lib. 6.* Facit ad hoc §. *His authoritatibus, de pœnit. diſt. 1. cap. Admonere 33. q. 2.* & quod notatur in Auth. *de Monachis in princ. & §. Si quis igitur ad fin.* Itaque in illis caſibus, in quibus judex ſæcularis poteſt procedere contra Clericum pro obligationibus initis, vel maleficiis commiſſis ante ſuſceptos ordines; poteſt etiam procedere contra eum, qui profeſſionem emiſit, & è converſo; in quibus caſibus eximitur Clericus à juriſdictione judicis laici, eximitur etiam profeſſus, cùm in hac
materia à pari procedant. Quid autem ſi nondum ſit pro- 79
feſſus, ſed infra annum probationis, vide per Angelum *in dict. l. 1.* & Alex. *ibi in additione ad Bart. littera A*, & quod legitur, & notatur *in cap. Religioſo, §. Quamvis, de*
ſentent. excommun. lib. 6. Item quid juris ſit de his, qui non 80
promoventur, ſed ſolummodò aſſumunt quemdam modum vivendi ab Eccleſia approbatum, ut quia efficiuntur Becchetti, aut milites gaudentes, aut Tertiarii, vel alium ſimilem habitum, aut regulam ſuſcipiunt, vide per Bart. & Marian. Socin. locis proximè citatis, ubi concludunt in his non procedere ſupradictam diſtinctionem Joan. Andr. Sed habere locum jura, quæ dicunt mutationem fori non eximere quem à juriſdictione judicis prævenientis: & dicit Bart. ita fuiſſe obſervatum de facto: ſubdit tamen eos debere prius denudari inſigniis, ut *l. Qui cum uno, §. Reus, ff. De re milit.* unde removebitur Becchettum, ſeu chordula, ſi ſit tertii Ordinis, & ex loco cincturæ ponetur ad collum, cùm qua ſuſpendatur, ut inquit Marian. Socin. *ibid. & in cap. 1. num. 12. verſ. Nona declaratio de foro compet.* ſed tu vide quod ibi dixi *nu. 65. & ſeqq.* Non me latet quod refert Marcheſ. *de commiſ. par. 2. de commiſ. avocat. cauſar. §. 2. à num. 166. uſque in fin. fol. 324.* videlicet quod cùm fuiſſet introductum judicium reintegrandæ poſſeſſionis contra mulierem in Curia Capitolina, & poſteà lite pendente ipſa mulier devotionis fervore fuiſſet recepta in Mantellatas, ſeu Pizzocaras ſancti Auguſtini Ordinis ſanctæ Monicæ, & obtinuiſſet à Vicario Urbis cauſam reaſſumi, & inhiberi ſecundo collaterali; cùmque actor adiiſſet ſignaturam juſtitiæ pro moderatione inhibitionis, & remiſſione cauſæ ad ſuum judicem: Signatura nihil cenſuit reſcribendum, ex Oldrad. *conſ. 4.* Quod eſt contra concluſiones ſuperiùs firmatas ex communi Canoniſtarum conſenſu, & ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, etiam in Clerico, vel profeſſo: & conſ. Oldradi loquitur in Clerico poſt delictum promoto, ſed nullatenus prævento in Curia ſæculari, ut ipſemet declarat *circa fin. verſ. Qui autem contra iſtam opinionem*, & fuſiùs dictum eſt ſuprà in *1. qu. à num. 25.* Nec eſt omittendum quòd Feder. de Sen. *conſ. 97. in fin.* concludit non eſſe faciendam differentiam, an quis lite pendente fiat Clericus, vel profeſſus, an verò alia Eccleſiaſtica perſona, puta miles S. Mariæ.

Sextò QUÆRO, An Clericus conjugatus, qui poſt 81
dimiſſum habitum, & tonſuram Clericalem deliquit, & pro eo delicto in curia ſæculari citatus fuit; deindè reaſſumpto habitu, & tonſura Eccleſiæ inſervire cœpit, juxta decretum Concilii *cap. 6. ſeſſ. 23.* poſſit à judice laico propter delictum anteà commiſſum judicari, & puniri.

Solutio videtur petenda à jure communi, eò quòd Concilium Tridentinum *in d. cap. 6. ſeſſ. 23.* innovit Conſtitutionem Bonifacii VIII. *in c. unic. de Cler. coniugat. lib. 6.* addendo quòd, niſi Clericus conjugatus ſervitio alicujus Eccleſiæ ab Epiſcopo deputatus eidem Eccleſiæ ſerviat, vel miniſtret, non gaudeat privilegio, fori, nec Canonis, quoad hoc jus commune reſtringendo. Quare adhærendo his, quæ in hac materia tradunt Doctores dicendum videtur, Clericum, qui reaſſumpſit habitum, & tonſuram,

& Ec-

& Eccleſiæ deſervivit juxta requiſita Concilii Tridentini, gaudere privilegio fori, & Canonis quoad ea, in quibus non eſt inducta præventio; ſed quoad ea, in quibus eſset
82 præventus, non prodeſse reaſsumptionem. Ad quod ponderatur quòd Clericus conjugatus per dimiſſionem habitus non perdit privilegium perpetuò, & abſolutè ſed ad tempus, quamdiù habitum non defert. Quod innuunt illa verba *dict. c. unic. in fin. gaudere nolumus*. Ergo quandocumque reaſsumet habitum, & deſervit, gaudebit, prout tenent ibi Joan. Monach. *n.2.* arg. *l. penult. ff. De teſtam. milit. & l. ult. ff. De curat. furioſ.* Archid. *nu.1. in ver. Retinent*, & Jo. Andr. *n.4.* & probatur Clem. 1. *de vita, & honeſtate Clericorum*, ponderando verbum, *quamdiu*, ſecundùm primum intellectum, quem ibi ſequitur Zenzelin. & Card. *qu.12.* & communiter DD. ut teſtatur Alex. hoc latè comprobans *in conſ. 49. In cauſa num. 7. vol. 6.* & Prob. ad Monach. *in d. cap. unic. num. 4.* diſputat Joan. Andr. *in cap. Joannes in 4. q. de Cler. conjugat.* & atteſtatur ſe vidiſse Paduæ ſic definiri, & in hoc reſidet, licèt ſubdat egere declaratione. Huc transferri poſsunt, quæ latè afferuntur per Doctores in ea quæſtione, an ſi laicus conventus poſtea efficiatur Clericus, quæſtio terminanda ſit coram Eccleſiaſtico, vel ſæculari judice, quam proſequitur hìc Jo. Andr. reaſsumendo diverſas opiniones, ubi *n. 19. verſ. Puto quod in civili*: concludendo ponit diſtinctionem, ſecundùm quam apertè videtur reſponſum ad præſens dubium, ut latè oſtenſum eſt ſuprà in quarta quæſtione n. 52.

Non obſtat *cap. Ex parte de Cleric. conjugat.* quia procedit reſpectu obſequiorum, non reſpectu diſtrictionis perſonalis, & ita eſt de mente Franchi *in d. cap. un. de Cler. conjugat. lib. 6.* & Abb. *in d. c. Ex parte*.

83 Non obſtat *c. Ex parte, il tertio de privileg.* arguendo à Clericis non conjugatis ad conjugatos. Quia ibi juriſdictio erat præventa, vel eſt ſpeciale in Clerico deprehenſo in enormitatibus, ut perdat privilegium Clericale, de quo tamen articulo videndus eſt Alexan. *conſ. 61.* quia ſæpiſſimè *lib. 4.* quod eſt conſ. Joan. Andr. & Capyc. qui recenſet ſex conditiones ad id requiſitas *dec. 161. In cauſa*.

Non obſtat, quòd Clericatus ſuperveniens poſt commiſſum delictum non proſit, Oldrad. *conſ. 4.* quia præſumitur in fraudem: nam reſpondetur non prodeſse ſecundùm diſtinctionem, de qua ſuprà per Jo. Andr. Præterea dictum Oldradi non applicatur: ſiquidem in caſu propoſito non ſupervenit mutatio ſtatus, qui eſt fundamentum privilegii, ſed ſublatum eſt obſtaculum impediens fori privilegium, quod ex ordine, & habitu Clericali ſibi competebat. Hanc ſententiam alias probavit S. Congr. Concil. ut dixi ſuprà *in 4. q. n. 73. verſ. Et in hunc ſenſum*.

84 Septimò QUÆRO, An laicus à Curia ſæculari pro criminali cauſa carceribus mancipatus, ac ſub fidejuſſione dimiſsus, ſi poſteà Clericali charactere inſignitus habitum, & tonſuram deferat, atque alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviat, pro eadem cauſa poſſit à judice laico perſonaliter diſtringi, ac puniri.

Joan. Andr. *hìc nu. 19.* tractans quæſtionem, an laicus conventus coram judice ſæculari, qui poſteà effectus eſt Clericus, gaudeat privilegio fori tàm quoad bona, quàm quoad perſonam, relatis aliorum opinionibus, ponit opinionem ſuam, quod in civili, vel criminali cauſa Clericatus exemerit perſonam quoad omnem manus injectionem, & diſtrictionem, ſed non exemerit cauſam à juriſdictione prævenientis quoad ipſius proceſsum, & inſtantiam finiendam, & realiter exequendam, ac deindè ſubjicit
85 limitationem his verbis: Quæ dicta ſunt de perſonali diſtinctione procedere non videntur in illo, qui in carcere ſæcularis judicis exiſtens ibi profiteretur, vel ordinaretur; hìc enim præventa eſt cauſa, & perſona; Item ordo, & profeſſio non invenit iſtum liberum; Item ex contrario nimium eluderetur juſtitia: & adducit ſimile de ſuſcipiente Corpus Chriſti, ut dixi ſuprà *in 4. qu. num. 53.* & ſequitur ad litteram Cardinalis *in 9. q. col. 4. verſ. Quæ dicta ſunt de perſonali diſtrictione*, Butr. *n. 12. verſ. Quandoque quæritur*, Anch. *propè fin.* Marian. Socin *in c. Propoſuiſti num. 52. verſ. Subdit etiam Jo. Andr. de foro compet.* Et ex Legiſtis, Bart. *in l. 1. n. 3. in fin. verſ. Præcedentia vera, ff. De pœn.* & Aug. *in l. Si quis poſtea ſub n. 4. in fin. verſ. Fallit ſi eſſet detentus, ff. De judiciis*, & hanc partem ſequi Legiſtas omnes teſtatur Aufr. *de poteſtate ſæculari reg. 1. num. 19.* & ſimpliciter omnes amplecti hanc opinionem affirmat noviſſimè Vinc. de Franc. *dec. 209. n. 4.* Et revera habet hæc ſententia ſummam rationem: nam Clerici ſive ordinatione Divina, ſive Eccleſiaſtica ſunt prorſus exempti à juriſdictione ſæculari, quoad bona, ſicuti quoad perſonam, & in cauſis civilibus ſicut in criminalibus, ut diffinitur in Synodo Romana 6. cujus diffinitio refertur in Canone, *Bene quidem 96. diſt.* in Conc. Lateran. ſub Innoc. III. *c. 44.* relato *in c. Cum laicis, de reb. Eccleſ. non alien. in c. Eccleſia S. Mariæ de Conſtit. & in c. Quamquam de cenſ. lib. 6.* Undè ſicut aſſumptio Clericatus in fraudem non eximit bona Clerici à juriſdictione judicis laici, quando cauſa eſt præventa; ita nec eximit perſonam quando eſt præventa perſona; utroque enim caſu jus Divinum, ſive Eccleſiaſticum declaratur ab Eccleſia ad eam ſpeciem non pertinere.

Sed quia hic caſus in terminis, in quibus loquitur Joan. 86
Andr. id eſt, ut laicus in carceribus Curiæ ſæcularis ordinetur, vel profiteatur, vix poteſt contingere, cùm in Ordinum collatione, & profeſſione tot ſolemnitates requirantur, & ii, ad quos pertinet Ordines conferre, non accederent ad carceres, & Officiales, & cuſtodes carcerum, etiamſi illi vellent accedere, hoc non permitterent, ut conſiderat Vincen. de Franch. *d. dec. 209. in fin.* dicendum eſt in duobus caſibus hanc doctrinam ad practicam deduci poſſe. Primò cùm laicus aufugit è carceribus, & exindè ab aliquo Epiſcopo ordinatus eſt. Secundò cùm à judice dimiſſus eſt, ſeu relaxatus ſub fidejuſſione de ſe repræſentando: nam adhuc cenſetur carceratus, ſeu in vinculis detentus, ut firmat Guidopap. *dec. 253.* quæ incipit, *Si quis dedit fidejuſſione de tenendo Areſtum*, & probatur apertè *in l. In eadem, ff. Ex quib. cauſ. major.* In vinculis, inquit, eos etiam accipimus, qui ita alligati ſunt, ut ſine dedecore non poſſint in publico apparere, vel quia nudi, ut ibi ait gl. vel quia juraverant, vel ſub fidejuſſoribus ſunt: ad idem text. *in l. Necnon*, ibi. Item ſi quis nec in cuſtodia, nec in vinculis ſit, ſed ſub fidejuſsorum ſatiſdatione, *ff. eod. tit.* Et in individuo per dicta jura ſic cenſet ex recentioribus 87
Anna *conſ. 140. nu. 11.* & Carolus de Graſs. *De effectu Cler. effectu 1. n. 1142.* & ita in caſu valdè huic ſimili anno 1622. Sacra Congregatio cenſuit Clericum primæ tonſuræ, qui in carcerem curiæ laicalis conjectus, ac deindè in carcere Curiæ Eccleſiaſticæ depoſitus fuerat, eò quòd ex defectu ſervitii Eccleſiæ non gauderet fori privilegio poſse à judice laico puniri etiam pœna corporis afflictiva, non obſtante quòd poſt capturam Epiſcopus ei contuliſset beneficium Eccleſiaſticum, & mota fuit Sacra Congregatio, quia quamvis ſolum beneficium eximat Clericum à juriſdictione judicis laici, ex *c. 6. ſeſſ. 23.* tamen hæc qualitas ſuperveniens illi non profuit, quia perſona erat præventa, & beneficium non reperit eum liberum, per doctrinam Jo. Andr. ſuperiùs relatam. Nec conſtituenda videtur differentia in hoc, quòd ille jam eſset Clericus: etenim quoad fori privilegium nulla eſt diverſitas inter laicum, & Clericum non habentem qualitates à Concilio requiſitas; ambo enim pariformiter ſubjiciuntur juriſdictioni judicis ſæcularis. Unde ſicut qualitas beneficii, quæ per ſe ſola poteſt eximere, nihil operantur quando eſt præventa perſona; ita nec operatur Clericatus ſuperveniens. Nec refert, quod Clericorum exemptio ſit de Jure Divino, *c. Si Imperator 96. diſt.* quia nihilominus ex gravi cauſa Eccleſia potuit declarare perſonam Clerici in aliquo caſu non gaudere fori privilegio, arg. *cap. In omni de teſtam.* & tradit Cardin. *in repert. cap. Perpendimus in 7. oppoſit. de ſent. excommun.* & Covarr. alios referens *pract. quæſt. cap. 31. n. 4. & 6.* ſicuti declaravit Clericum hoc privilegio non gaudere cùm non incedit in habitu, & tonſura, & non inſervit alicui Eccleſiæ, ut *in dict. c. 6. ſeſſ. 23.* Et in pluribus aliis caſibus, nempè in Clerico incorrigibili, *ut in c. Cum non ab homine de judic.* in Clerico aſsaſſino, ut *in c. 1. de homic. lib. 6.* in Clerico tabernario, vel carnefice, juxta terminos Clem. 1. *de vita, & honeſtate Clericorum*. In Clerico bigamo, ut *c. un. de bigam. lib. 6.* & in aliis ſimilibus. Eccleſia enim, quæ declarat perſonam Clericis in his caſibus ſubeſſe judicibus ſæcularibus non obſtante exemptione à Jure Divino proveniente, abſurdum non eſt, ut ſimiliter declaret eamdem Clerici perſonam ſubeſse laicorum juriſdictioni, quoties Clericatus aſsumitur poſt perſonalem diſtrictionem curiæ ſæcularis. Et de hac poteſtate Eccleſiæ vi-

cc

de gloſſ. *unic. in cap. Sunt quidam* 25. *qu.* 1. & quæ ſcripſi in *cap. Ex parte n.* 58. *infrà de Cleric. non reſiden.*

89 Octavò QUÆRO, An Clericus qui dum laicus eſſet, ex cauſa homicidii à judice laico ad certum tempus in exilium damnatus, pulſuſque fuerat cum eo, ut ſi exilium non ſervaret, incideret in pœnam triremium, & durante tempore exilii prima tonſura initiatus, Eccleſiaſticum beneficium adeptus, exilium deindè non ſervavit; & hac de cauſa noviſſimè inquiſitus, juſſuque ſæcularis judicis in carcerem conjectus opponit exceptionem fori declinatoriam; ſit remittendus ad judicem Eccleſiaſticum, necne. Magna fuit opinionum varietas apud antiquos Doctores in eo articulo, An laicus, qui poſt delictum commiſſum effectus eſt Clericus, à ſæculari judice coerceri, & puniri poſſit: Sed hæc opinionum diſcordia ferè omnis ceſſavit authoritate Joan. Andr. hìc, qui tradidit theoricam quam poſteà Doctores ferè omnes ſequuti ſunt, videlicet: Ut ſi Ordinem quis ſuſceperit ſine ulla fraude, id eſt, antequam fuerit conventus in foro ſæculari, Clericatus eum eximat à quacumque juriſdictione judicis laici tàm quoad perſonam, quàm quoad bona. Quod primum membrum optimis nititur fundamentis, ut fusè oſtenſum eſt ſupra in prima, & tertia quæſtione, & extat in his terminis *conſ.* 4. Oldradi ab omnibus approbatum. Sin autem Ordines ſuſceperit poſteàquam fuit conventus in curia ſæculari, & ſic in fraudem judicis prævenientis; tunc Clericatus non eximat quoad proceſſum, & inſtantiam finiendam, & realiter exequendam; ſed tantummodò quoad perſonalem diſtrictionem, ut ſic laicus præveniens remaneat judex cauſæ, ſed non perſonæ; niſi perſona ſit præventa, quia tunc Clericatus non impedit, quin judex laicus poſſit pro illo crimine Clericum diſtringere, & punire etiam pœna corporis afflictiva. Ita in effectu diſtinguit hìc Joan. Andr. *n.*19.*verſ.Puto quod in civili*. Cujus diſtinctionem integrè reaſſumit Marian. Socin. *in c. Propoſuiſti num.* 52. *in fin. verſ. Unde ex omnibus prædictis de foro compet.* prout hæc omnia nos fusè explicavimus ſuprà *in* 4.*qu. à num.* 51. *uſque ad num.* 77. Verùm ſi Clericatus aſſumptus fuerit ante maleficium commiſſum, nemo dubitat quin cognitio pertineat ad judicem Eccleſiaſticum; conſtat enim apud omnes à ſæculari poteſtate Clericos diſcuti, & judicari non poſſe; idque conſtitutum eſſe tum ordinatione Divina, *cap.Si Imperator* 96. *diſt.* Concilium Tridentinum *c.*20.*ſeſſ.*25. Tum canonicis ſanctionibus, ut *c.* 1. & 2. & *cap.Si diligenti de foro compet.cum ſimil.* tum etiam Imperialibus Conſtitutionibus, ut in Auth. *Statuimus, C. De Epiſc.& Cleric.* & in Authen. *Ut Clerici apud proprios Epi-*
90 *ſcopos col.* 6. Quamobrem in caſu dubii propoſiti cum inſpecto tempore ſententię, & delicto homicidii Clericatus fuerit aſſumptus, & beneficium acquiſitum poſt delictum; & nedum poſt præventam cauſam, & perſonam, ſed etiam poſt condemnationem executam, inſpecto autem tempore tranſgreſſionis Clericatus fuerit ſuſceptus, beneficiumque receptum ante delictum: videndum eſt quòd tempus attendatur. Et certè videtur attendendum hoc tempus poſterius exilii non obſervari. Qua in re habemus expreſſam deciſionem Alberici in *l.Meminiſſe, ff. De offic. Proconſul. num.* 5. qui in caſu converſo propoſita quæſtione de Officiali Tholoſano, qui Clericum ad tempus relegaverat, reſervata ſibi pœna duplicationis, ſi ante tempus reverteretur: Eo interim laico effecto ob viduam in uxorem ductam, & ante tempus reverſo, reſpondet novum judicem, id eſt, ſæcularem vindicare debere; quia agitur de novo facto, & de nova conditione perſonæ. Quam opinionem Alberici non eſt cur improbare debeamus; tum quia magna eſt ejus authoritas, cùm in hac re non habeat contradictorem; tum quia illam in terminis noſtris ſequutum eſt Neapolitanum Conſilium, teſte Vincent. de Franch. *deciſ.* 209.

Nec obſtat, quod pœna triremium ſit impoſita in prio- 91
ri ſententia jam lata, & exequuta quoad exilium; & ſic exilio non ſervato videatur poſſe cognoſcere judex prior, cum ad judicem pertineat ſuam ſententiam legitimè latam tueri, *l.*1.*ff.Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſ.* qua ratione gloſſ. *in cap.Quærenti de off.deleg.in ver. Ad integrum*, ſentit delegatum, cujus juriſdictio eſt certis limitibus circumſcripta, etiam poſt latam ſententiam, ſi victus inquietat victorem inductum in poſſeſſionem, poſſe de injuria hujuſmodi cognoſcere; licèt enim, inquit, ſit nova injuria, tamen ſequela eſt precedentis, & ſecundùm Anton. de Butr. prior judex poteſt cognoſcere tamquam de connexo, arg. *l.Cuicumque*, §. *pen.ff.De inſtit.act.* Hoc inquam non obſtat, nam reſpondetur poſſe quidem tunc delegatum compeſcere contradictores, ſed non ſumendo ſibi ordinariam cognitionem, quàm ſoli judici ordinario relinquere debet, ut ibidem gloſſa declarat, & Doctores omnes poſt eam tradiderunt. At nos agimus de ordinaria cognitione, quæ requiritur ad condemnandum Clericum ad triremes ob non ſervatum exilium, quod exigit plenam, & exactam ſui judicis cognitionem; ideòque novus judex cognoſcere debet, arg. *l.Si mater*, §.2.*ff.De except. rei judic.* Reſpondetur ſecundò in caſu gloſſ. agi tantummodò de novo facto, ſed in caſu noſtro agimus de novo facto, & nova conditione perſonæ, ut ibidem per Alber. & ideò non eſt mirum, ſi ad poſteriorem judicem pertinet cognitio. Et igitur ab Eccleſiaſticis reſpondendum pro Eccleſiaſtica juriſdictione, quod etiam ſæculares judices jam deciderunt. Die 14. Novembris 1609. propoſito ſupraſcripto dubio in Sac. Congregatione Concilii; Patres unanimiter exiſtimarunt hunc Clericum remittendum eſſe ad judicem Eccleſiaſticum. Actum eſt etiam, an exigenda eſſet ratio ab ejus ordinatione cur illum ordinaverit, utpotè ex homicidio irregularem, & ſententia judicis ſæcularis actum in exilium, quod tempore ordinationis adhuc durabat. Conſultius tamen viſum eſt prius obtinere remiſſionem, & poſteà de actione Epiſcopi in Congregatione iterùm agere. Itaque decretum in hac forma editum eſt: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum re diligenter perpenſa, cenſ. hunc Clericum ante tranſgreſſionem exilii promotum, Eccleſiaſticumque beneficium adeptum, remittendum eſſe ad Judicem Eccleſiaſticum.

Ulteriùs poſſet dubitari, an judex Eccleſiaſticus ſecuta 92
remiſſione teneatur ſtare ſententiæ contra hunc Clericum latæ in foro ſæculari, dum ipſe laicus eſſet, & cogere eum ad ſervandum tempus exilii, ac etiam punire ob exilii tranſgreſſionem pœna triremium. In qua quæſtione Velaſc. *tom.* 1.*conſult.Regni Portugal. conſultat.*44. ſentit non teneri ſtare, ſed denuò cognoſcere debere. Contrarium tradidit Bart. *in l.Cùm quædam, ff. De juriſd. omn. judic.* & Stephan. Aufr. *in præalleg. tract.de poteſt.ſæcular. ſuper perſ.Eccl.reg.* 1.*fallentia* 11. *n.* 30. ſed quia hoc extra dubium, poterit Epiſcopo, cui facta eſt remiſſio, relinqui deliberandum.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

Lucius III. Spal. Archiepiſcopo.

CAPUT II.

SUper eo, quòd tua fraternitas de bigamis requiſivit: Reſpondemus quòd ordinatores eorum poteſtate & officio ordinandi, & ordinati, ſi ad ſacros ordines fuerint promoti, eis ideò ſunt privandi quia in bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, ut debeant ad ſacros ordines promoveri: vel in eis, ſi promoti fuerint, remanere. In ordinatore autem poteſt diſpenſatio adhiberi, ut ordinandi poteſtate & officio non privetur.

SUM-

SUMMARIUM.

1 Bigamus quamvis ordinari non debeat, tamen ſi ſecus fiat, characterem recipit.
2 Epiſcopus ordinans bigamum quas pœnas incurrat, & num. 44.
3 Suſpenſus ab ordinum executione eſt capax pœnæ depoſitionis ab ordine.
4 Bigamus qua ratione ſit irregularis, & n. 10.
5 Diſpenſatur facilius cum ordinante bigamum, quàm cum ordinato.
6 Culpa deletur per pœnitentiam, irregularitas ſecus, & num. 9.
7 Diſpenſare non poteſt Epiſcopus cum bigamo in ſacris Ordinibus.
8 Epiſcopi non diſpenſant contra Apoſtolum.
9 Criminoſus poſt peractam pœnitentiam incipit eſſe, quod non erat.
10 Bigamus ordinari prohibetur non propter culpam, ſed propter Sacramenti defectum.
11 Papa diſpenſare poteſt cum bigamo ad omnes ſacros ordines.
12 Papa quamvis in articulis fidei diſpenſare non poſſit, in aliis tamen poteſt, ut in juramento, & voto.
13 Bigamiæ non eſt adiuncta irregularitas jure naturali, ſed poſitivo.
14 Papa diſpenſat in omni conſtitutione Eccleſiæ.
15 Papa an, & quando diſpenſare poſſit contra Apoſtolum.
16 Papa eſt major Apoſtolo adminiſtratione.
17 Nec Pauli, nec Petri Conſtitutionibus adſtringitur, ſed Dei.
18 Papa non diſpenſat cum bigamo de poteſtate ordinaria, ſed abſoluta.
Papam non decet ſemper uti plenitudine poteſtatis, ibidem.
19 Diſpenſare an poſſit Epiſcopus authoritate ordinaria cum ſibi ſubdito vero bigamo ad primam tonſuram, & beneficia ſimplicia, & n. ſeqq. uſque in finem.
20 Quod ſi diſpenſet, & tonſuram, ac beneficium conferat quas pœnas collator, & collatarius incurrant, & num. 44. & ſeqq.
21 Pro ſententia affirmativa referuntur authoritates Theologorum.
Et Canoniſtarum, nu. 28.
22 Afferuntur fundamenda pro eadem ſententia affirmativa.
23 Intellectus cap. Lector 34. diſt. & nu. 32. verſ. Ad primum igitur.
24 Epiſcopus diſpenſat cum illegitimo.
25 Item cum Diacono, qui matrimonium contraxerat.
26 Item cum Monialibus, & Monachis, qui nubendo bigamiam contraxerunt.
27 Apoſtoli prohibitio ſuper bigamia, de quibus ordinibus intelligatur.
29 Referuntur Authores pro ſententia negativa.
30 Theologorum, & Canoniſtarum conciliatio.
31 Bigami omni privilegio Clericali nudati ſunt, & ſub anathemate prohibentur tonſuram, vel habitum Clericalem deferre.
32 Epiſcopus an poſſit ex neceſſaria cauſa contra generale Concilium diſpenſare, & n. 40.
33 Inferior à Papa non diſpenſat contra præceptum Apoſtoli.
34 Papa poteſt jure ordinario ſuper bigamia diſpenſare.
Epiſcopus non diſpenſat contra Canonem etiam non Conciliarem ſtatuentem per verbum, non poteſt, ibid. verſ. Adſunt etiam.
35 Diſpenſatio contra Concilium cenſetur prohibita, eo ipſo quod non reperitur conceſſa.
36 Diſpenſatur facilius in delictis, quæ pœnitentia tolluntur, quàm ex defectibus, qui durant etiam poſt Baptiſmum.
37 Epiſcopus cur diſpenſet cum illegitimo, & non cum bigamo.
38 Bigamiæ irregularitas cur inducta.
39 Ordines omnes ſunt unum Sacramentum.
40 Epiſcopus quo caſu poſſit ſuper bigamia diſpenſare.
Diſpenſatio nulla concedi debet ſine juſta cauſa, ibid. verſ. Cæterum.
41 Clerici coniugati non ſunt adhibendi in miniſteriis Ordinum, niſi cùm deficiunt Clerici cælibes.
Bigami etiamſi cælibes deficiant, prohibentur ſuffici ab Epiſcopo in minorum ordinum miniſteriis ibid.
42 Epiſcopus an poſſit cum bigamo diſpenſare ad beneficia ſimplicia.
Laicus non eſt capax beneficii Eccleſiaſtici, ibid.
43 Bigamus ordinatus ab Epiſcopo ad primam tonſuram non habet ordinis executionem, nec eſt capax beneficii.
44 Pœna ſuſpenſionis inflicta Epiſcopo bigamum ordinanti, an ſit latæ ſententiæ, vel ferendæ.
45 Ignorantia juris valdè dubii, & intricati, an excuſet Epiſcopum à pœna.
46 Opinionum diverſitas in aliquo articulo excuſat à contemptu, & à pœna.

Super eo. Cùm bigamo, qui ordinatus eſt ad ſacros, 1
non diſpenſatur, & ordinator privabitur poteſtate ordinandi, niſi cum eo fuerit diſpenſatum. Hoc dicit. Primò recitat conſultationem. Secundò dat reſponſionem, ibi, *reſpondemus*. Vel divide in quatuor partes, ut per Cardin. & Joan. de Anan.

Nota primò bigamum, quamvis ordinari non debeat, tamen ſi ſecus fiat, characterem recipere, ut clarè probat hæc littera, ibi, *ſunt privandi;* necnon ibi, *remanere:* nam quomodo privari, & remanere poſſent, ſi Ordines non recepiſſent? Idipſum patet in *cap. Quicumque pœnitens, quicumque bigamus* 50. *diſt.* ibi, *in hoc quo invenitur ordine perpetua ſtabilitate permaneat*, & tenet hìc gloſſa magna *in fin.* Innocent. *num.* 1. *in ver. Diſpenſare*, Butr. *num.* 3. & 7. Anchar. *num.* 2. & cæteri omnes, Sanctus Thomas in 4. *diſt.* 27. *qu.* 3. *art.* 3. Silveſt. *in ver. Bigamia num.* 7. Rota *deciſ.* 1. *de bigam. in novis*, & *deciſ.* 7. *num.* 3. & pleniùs *deciſ.* 50. *num.* 6. *par.* 5. *recent.* & coram Gregor. XV. *deciſ.* 516. *n.* 8. & ſæpè alias. Undè meritò Hoſt. *hic num.* 5. *in ver. Remanere*, redarguit Nicolaum Furioſum, quod non ſine furore ſcripſerit bigamum non magis characterem recipere, quàm aſinum.

Secundò nota pœnam ordinantis bigamum: eſt enim 2
ſuſpenſus ipſo jure à collatione Ordinum: intellige per annum, ut in *cap. Nullus pœnitentem* 55. *diſt.* per quem textum ita ex facto reſpondit Navarr. *conſ.* 3. incipien. *Epiſcopus quidam hoc tit.* Nec obſtat littera hujus textus ibi, *ſunt privandi*, quia exponitur, id eſt, deponendi, ſecundùm Hoſtien. *in princip. in ver. Officio*, Joan. Andr. *n.* 2. Bellam. & Card. *in princ. in eod. ver.* Et notat Archid. *in d. c. Nullus num.* 2. in 1. gloſſ. qui ad hoc allegat *cap.* 1. 51. *diſt.* & *c. ult.*
62. *diſt.* & hoc ſenſit Anton. de Butrio *hic num.* 2. dum dixit: 3
nota quòd carens ordinis executione eſt habilis ad recipiendam ordinis depoſitionem, & ſic eſt capax depoſitionis; per quod videtur, quòd depoſitio ab ordine aliquid operatur in ſuſpenſo ab executione, quia tollit ipſam executionem. His enim verbis Butrius apertè ſupponit ordinatorem, de quo textus loquitur, eſſe ipſo jure ſuſpenſum. Et quamvis Sacra Congregatio Concilii videatur ſenſiſſe Epiſcopum ſic ordinantem in nullam pœnam incidere ipſo jure; tamen contrarium probavit Sixtus V. in caſu contingenti, ut dicam infrà *num.* 46. *in fin.*

Tertiò nota ex textu pœnam bigami ordinati, quia 4
prohibetur in ſuſcepis ordinibus miniſtrare, & ad altiores aſcendere, & ſic eſt irregularis, *cap. Nuper infrà eod.* Quod probat S. Thomas in 4. *diſt.* 27. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 1. quia aliquis per Sacramentum Ordinis miniſter Sacramentorum conſtituitur, & ille qui aliis Sacramenta miniſtrare debet, nullum defectum in Sacramentis pati debet. Defectus autem in Sacramento eſt, quando Sacramenti ſignificatio integra non invenitur. Sacramentum autem matrimonii ſignificat conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam, quæ eſt unius ad unam; & ideò requiritur ad perfectam ſignificationem Sacramenti, ut vir ſit tantùm unius vir, & uxor tantùm unius uxor, & ideò bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit. Ad hoc *c. Debitum infrà eod.* & ſequitur totidem verbis Silveſt. *in ver. Bigamia num.* 1.

Quartò nota faciliùs diſpenſari cum ordinante, licèt 5
gravius delinquat, quam cum ordinato. Et eſt ratio, quia 6
in

in primo eſt culpa tantùm, in ſecundo autem culpa, & ir-
regularitas, quæ non tollitur per pœnitentiam, ſicut cul-
pa, poſt Boattin. notant hìc Card. *col.* 1. *in* 3. *oppoſ.* Anch.
*n.*2. *in* 3. *notab.* & Jo. de Anan. *in princ.*& ſic ſolvitur con-
trarium *deciſ.* 2. *ad finem ſuprà de transl.*

7 Ultimò nota Epiſcopum cum bigamo diſpenſare non
poſſe, ut remaneat in ſuſceptis Ordinibus, vel ad ſuperio-
res aſcendat. Quod hodie admittunt omnes in ordinibus
ſacris: nam contraria opinio, quæ olim irrepſerat, ex-
8 preſsè reprobatur *in cap. Nuper*, *& cap. A nobis infrà eod.*
nec mirum, quia Epiſcopi non diſpenſant contra legem A-
poſtoli, ut hìc patet, ſicut nec contra legem Concilii, ut
in Extravag. Joan. XXII. *Sanctæ Romana*, §. *Quidam au-
tem de relig. domib.*& notat hìc Butr. *num.*5.nec refragatur,
quòd Epiſcopus diſpenſet cum criminoſis, *cap. At ſi Cleri-
ci*, §. *De adulter. de judic.* & tamen Apoſtolus æquè prohi-
9 beat criminoſos ordinari, §. *Nunc autem* 25. *diſtinct.* Quo-
niam, ut reſpondet hìc gloſſa magna, criminoſus poſt pera-
ctam pœnitentiam reſtitutus videtur in priſtinum ſtatum,
& incipit eſſe quod non fuit, *cap. Ferrum*, *cap. Ponderet*, *&
cap. Domino ſancto* 50. *diſt.*& ideò cum talibus diſpenſatur.
10 Sed bigamus non prohibetur promoveri propter crimen,
ſed propter Sacramenti defectum, ut *in cap. Debitum infrà
eod.c. Acutius* 26. *diſt.*quia carnem ſuam diviſit in plures ab
unitate recedendo, & hoc Sacramentum ampliùs reſtitui
non poteſt per aliquam ſatisfactionem, cùm non ſit crimen
& ita aliud conſideravit Apoſtolus cùm dixit non biga-
mum, & aliud conſideravit dum dixit, non criminoſum.
Ita gloſſa, cujus opinionem communiter ſequuntur DD.&
dicunt veram eſſe, Hoſt. *n.* 2. *in ver. Diſpenſare*, & Butr. *n.*
8. In minoribus autem, an Epiſcopus diſpenſet, dicam la-
tiſſimè in proxima quæſtione *à n.* 20. *uſque in finem*.
11 Sed Papa ſi velit diſpenſare poteſt ad omnes ordines
etiam Diaconatus, & Presbyteratus, ſicut Lucius Papa
diſpenſavit cum Panormitato Archiepiſcopo, ut *in c. Le-
12 ctor* 34. *diſt.* nam etſi contra articulos fidei diſpenſare non
poſſit, *cap. Sunt quidam* 25. *qu.*1. gloſſa *fin. in cap. Sicut* 15.
diſtinct. in aliis tamen poteſt, undè & in juramento, & in
voto diſpenſat, ſive in meliùs commutat, *cap. Juratos* 15.
*qu.*6. *cap.*3. *infrà de jurejur. cap. Magnæ*, *& per totum infrà
de voto*. Et Evangelium interpretatur, & illi addit, ut
colligitur ex *cap. In omni infrà de teſtibus*, *& cap. Præſul.*2.
quæſt. ſecundùm Innocentium *hìc num.*2.& Hoſtien. *num.*3.
13 Præſertim verò, quia cùm bigamus characterem ordinis
recipiat, ut dixi in 1. *notab.* inde patet bigamiæ non eſſe
adjunctam irregularitatem de jure naturali, ſed de jure
poſitivo, nec eſſe de eſſentialibus Ordinis, ut quis non ſit
bigamus, ut docet Sanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 3. *art.*3.
& poſt eum Archid. *in cap. Subdiaconus*, *& in cap. ſeqq.* 34.
diſt. Collect. & Anchar. hìc ambo *num.*2.& determinat In-
nocen. communiter approbatus *in cap. Niſi cum pridem*, &
14 ibi dixi *num.* 84. *ſuprà de renunc.* Papa autem diſpenſat in
omni Conſtitutione Eccleſiæ, cùm ſit ſuprà omne jus hu-
manum poſitivum, *cap. Propoſuit*, §. *Licet infrà de conceſſ.
præbend.* *& cap. Ad honorem ſuprà de uſu pallii*. Nec obſtat
authoritas Apoſtoli ad Titum 1. & 1. Timoth. 3. dicentis:
15 *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*. Etenim Apo-
ſtolus dupliciter in doctrina ſua aliqua propoſuit, quædam
ſcilicet, ſicut promulgans jus Divinum, ſicut illud, quod
habetur ad Galat. 5. *Si circumcidimini Chriſtus vobis nihil
proderit*, & multa alia hujuſmodi, & in hoc Papa non
poteſt diſpenſare. Quædam verò ſicut propria authorita-
te aliqua ſtatuens: nam ipſe dicit 1. ad Corinthios 11. *Cæ-
tera cum venero diſponam*. & infrà ibi, *mandavit ut colle-
ctæ, quæ fiunt in Sanctos, per unam Sabbati fiant*, quod non
pertinet ad jus Divinum: & ſimiliter etiam quod dicitur
de bigamo non promovendo, non eſt juris Divini, ſed in-
ſtitutio authoritatis humanæ divinitùs homini conceſſæ.
Ita formaliter declarat Sanctus Thomas *quodlib.* 4. *art.* 13.
ad 1. Unde & in eadem Apòſtoli regula continetur, non
percuſſorem: & tamen Papa nedum cum percuſſore,
ſed & cum homicida diſpenſat, ut notatur *in cap. Sicut di-
gnum*, §. *fin. infrà de homicid. cap. penul. & ultim. de Cleric.
percuſſ. cap.*1. *ſuprà tit. prox.* dixi *in cap. Henricus num.* 30. *de
16 Cler. pugn. in duello*. Poteſt ergo eodem modo diſpenſare
cum bigamo, licèt Paulus prohibeat ipſum ordinari. Præ-
terea ibi Apoſtolus prohibet ordinationem, non autem
diſpenſationem, ſecundùm Goffred. & Joan. Andr. *hìc n.* 9.
ſed etſi diſpenſationem prohibuiſſet, nihilominus Papa eſt
major Apoſtolo adminiſtratione, ut dicit hìc Innocent. *in
fine*, Joan. Andr. *num.* 10. poſt Goffred. Joan. Trancred. Ho-
ſtien. & Abb. Antiq. quos citat, & Collect. *num.*2. Et quam-
vis Apoſtolus oſtendat Papæ quid facere debeat, non ta-
men oſtendit quid facere poſſit, quia poteſtas clavium eſt
talis, ac tanta, ut non recipiat interpretationem reſtricti-
vam, ut formaliter inquit Bald. *in d. c. Niſi cùm pridem n.*
14. ſubdens hanc eſſe intentionem Innocentii notabilem,
& veram. Quinimò ſecundùm Hoſt. *hìc num.* 4. & Joan. 17
Andr. *dict. num.* 10. nedum Beatus Paulus, ſed nec Petrus
Apoſtolorum Princeps in talibus potuiſſet ipſum adſtrin-
gere, etſi hoc expreſſiſſet: eſt enim Papa Succeſſor Petri,
& Vicarius verbi Dei, ut legitur, & not. *in cap.*2.3. *&* 4. *ſu-
prà de transl.* nec ab homine poteſtatem recepit, ſed à Deo,
cap. Sacroſancta 22. *diſt.* Unde nec ipſum adſtringunt ulla
Concilia, *cap. Significaſti de elect.* nec aliqua Conſtitutio,
ſeu regula Apoſtolica, cum non habeat imperium par in
parem, *cap. Innotuit eodem tit.* Unde quidquid dicat gloſſa
ſic docet Sanctus Thomas 4. *diſt.* 27. *qu.*3. *art.* 3. & pleniùs
*quodl.*4. *art.*13. ubi egregiè hanc ſententiam probat, & obje-
ctis reſpondet: & eum ſequitur Archid. *in dict. cap. Subdia-
conus* 34. *diſt.* & concludunt hìc Innoc. Hoſtien. Jo. Andr.
Collect. & communiter Doctores, prout de communi te-
ſtatur Joan. de Anan. *num.* 1. & Silveſt. *in ver. Bigamia n.*7.
Dicit tamen Florian. relatus à Joan. de Anan. *eod. num.* 1. 18
hoc verum eſſe de poteſtate abſoluta, non ordinaria: & eſt
ſimile *in cap. Ex publico infrà de converſ. coniugat.* & eſt ex
mente Hoſt. *hìc num.* 4. ait enim: Licèt Papa hoc poſſet fa-
cere, non tamen decet eum ſemper uti plenitudine poteſta-
tis, & ſic potentię non congruit: & hac congruentia, ſeu de-
centia conſiderata dicimus eum non poſſe. Simile in *c. Cùm
ad Monaſterium in fine infrà de ſtatu Monach.* *& c. Si Pau-
lus* 32. *qu.* 5.

Ex facto QUÆSITUM eſt, An Epiſcopus authoritate 19
ordinaria potuerit cum ſibi ſubdito vero bigamo, qui ſuc-
ceſſivis temporibus cum duabus nunc defunctis virginibus
matrimonium legitimè contraxerat, & conſummaverat, di-
ſpenſare, ut idem bigamus poſſet primam tonſuram, & be-
neficia ſimplicia ſuſcipere, & Epiſcopus illa eidem con-
ferre, prout contulit.

Secundò, quatenus non potuerit, an aliquas, & quas tam 20
Epiſcopus, quàm ſic promotus incurrerit cenſuras, & pęnas.

Quoad primam quæſtionem, ex authoribus qui arbi- 21
trantur Epiſcopum poſſe diſpenſare ad minores Ordines,
adducitur primò ſanctus Raymundus relatus ab Archid. in
cap. Lector 34. *diſt.* qui cenſet Epiſcopum propter neceſſi-
tatem poſſe cum bigamo in minoribus Ordinibus diſpenſa-
re. Secundò adducitur Albertus Magnus relatus à Turre-
crem. *in dict. cap. Lector poſt num.* 6. quia ait Epiſcopum
poſſe diſpenſare ad minores ordines. Tertiò adducitur Di-
vus Thomas *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 3. *art.* 3. ibi, & ideò Papa po-
teſt in tali irregularitate totaliter diſpenſare, ſed Epiſcopus
quantum ad minores Ordines. Quartò adducitur Petrus
de Palude *ead. diſt.* 27. *qu.*4. *art.* 5. qui concluſione quarta
tenet Epiſcopum poſſe abſolutè diſpenſare cum bigamo ad
minores Ordines; ac ſi adſit neceſſitas quando pauci inve-
niuntur miniſtri poſſe diſpenſare etiam in Subdiaconatu: &
concluſione quinta tenet eidem conferri poſſe ſimplex be-
neficium. Quintò adducitur Duran. qui ut refert Tur-
recrem. *in dict. cap. Lector poſt nu.* 6. ait Epiſcopum poſſe
cum bigamo quoad minores Ordines diſpenſare. Sextò
adducitur Joan. de Friburgo *in Summa Confeſſ. lib.* 3. *tit.*3.
de bigam. q. 12. qui idem ſentit, & alios in hanc ſententiam
citat. Septimò adducitur Aſten. *in Summa in* 2. *part. lib.*6.
tit. 7. *de Monogamia q.* 7. quia atteſtatur de communi ibi.
Utrùm Epiſcopi poſſint cum bigamo diſpenſare; Reſpon-
detur quòd ſic, ſicut communiter dicitur in minoribus.
Octavò adducitur Turrecrem. qui ubi ſuprà aliis relatis
latè diſſerit de hac quæſtione, & tenet idem quod Palu-
danus ſuprà allegatus. Nono adducitur Silveſt. *in ver. Bi-
gamia*, qui *qu.* 7. ait ſententiam Divi Thomæ probari in
dict. cap. Lector, ut Epiſcopus diſpenſet cum bigamo quan-
tum ad hoc, ut miniſtret in ſuſceptis, & ſi fuerit neceſſe,
aſcendat ad Subdiaconatum ſecundùm illa tempora, qui-
bus habebatur ordo non ſacer. Decimò adducitur Petrus
de Soto *de inſtitut. Sacerdot. de Sacram. Matrimon. ſect.*18.
poſt med. ibi Poteſt ergo Pontifex diſpenſare juſta de cau-
ſa

ſa in utilitatem Eccleſiæ, & inferiores etiam Epiſcopi quantum de jure, vel conſuetudine non eſt eis inhibitum. Unde in minoribus tantùm diſpenſant. At ſi ſine cauſa fiat nec diſpeſatus, nec diſpenſans eſt tutus in conſcientia. Ultimò, adducitur Dominicus de Soto *d.diſt.* 27. *q.*3. *art.*3.*concluſ.*2. ibi: Licèt ad ſuſcipiendos ſacros Ordines majores ſolus Papa cum bigamo diſpenſare valet; tamen ad ſuſcipiendos minores Epiſcopus id præſtare valet, ſubdens Epiſcopum modò non diſpenſare in Subdiaconatu, eò quòd modò habeat annexum votum caſtitatis, & hanc dicit rationem quare in minoribus Epiſcopus diſpenſet, & non in majoribus, per quos arctè adeò ordinandus Eccleſiæ unitur, & copulatur.

22 Et pro hac Theologorum ſententia, quod ex eorum ſcriptis colligi poteſt, & præcipuè ex Paludano, Turrecr. Soto, & Silv. ubi ſuprà infraſcripta potiſſimum afferuntur.

23 Primò text. *in d. c. Lector*, ubi Martinus Papa ſic ait: *Lector ſi viduam alterius uxorem acceperit, in Lectoratu permaneat, aut ſi fortè neceſſe ſit, Subdiaconus fiat, nihil autem ſuprà.* Similiter, & ſi bigamus fuerit. Qui tex. ut inquit ibi Turrecr. cùm non poſſit referri ad poteſtatem Papæ, ſequitur ut referatur ad poteſtatem Epiſcoporum, & ſic dicto Canone eis conceditur, ut cum talibus diſpenſet.

24 Secundò affertur text. in *cap.* 1. *de fil. Presbyt. in* 6. ubi cum illegitimis facilè diſpenſant Epiſcopi ad minores Ordines. Ergo idem dicendum cum Bigamis, cùm utraque irregularitas ſit ex defectu.

25 Tertiò affertur in argumentum *c.* 1. *Qui Cleric. vel voven.* ubi etiam cum Diacono, qui matrimonium contraxerat, diſpenſat Epiſcopus.

26 Quartò affertur text. in *cap. Virginem*, *cap. Si quis ſacro, il ſecondo, c. Si qua virgo* 27. *quæſt.* 1. ubi permittitur Epiſcopo, ut cum Monialibus, & Monachis, qui nubendo bigamiam contraxerunt, miſericordiam faciant, & cum eiſdem diſpenſent.

27 Et ad contrarium quod poſſet deduci ex prohibitione Pauli in Epiſtola ad Titum, ibi, *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* Reſpondent ſolum loqui de Presbytero, & Diacono, non autem de inferioribus ordinibus, & generaliter eſſe jus poſitivum. Et eodem modo reſponderi poteſt ad alia jura prohibentia, ne Bigami ordinentur. Ad prohibitionem autem *c.* 1. *de Bigam. in* 6. reſpondent, & maximè Soto poſt Silveſt. ubi ſuprà *d. cap.* Non prohiberi cum talibus diſpenſare. Unde ille Canon ſolùm procedit contra Bigamos, qui ſine diſpenſatione in habitu Clericali incedunt.

28 Ex Canoniſtis eandem ſententiam ſecutus eſt Hoſtien. *hic*, *& in Summ. de Bigam. in fin.* ibi: Epiſcopi verò diſpenſare poſſunt cum bigamis uſque ad minores ordines, *cap. Quicumque, il ſecondo* 50. *diſtinct.* & adducit rationem. Quia tales non ſunt miniſtri, nec Rectores, nec habent officium prædicandi. Unde de diviſione non eſt timendum cum talibus *de conſecr. diſtinct.* 2. *c. Tribus*. Secundò in eamdem ſententiam à Joan. de Friburg. *loc. cit.* affertur Innocen. *hic*, *& in c. Nuper in eod.* qui tamen hoc non dicit, imo *in c. Super eo*, apertè ſentit contrarium, ut inferius dicetur. Tertiò allegatur Rota *in noviſ. dec.* 447. quæ modò eſt prima ſub *tit. de Bigam. nu.* 1. *in fin.* cujus hæc ſunt verba: Quoad minores Ordines ſecundùm aliquos etiam Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum vero bigamo. Verùm dicta deciſio dum poſteà concludit, hoc aliorum dictum non ſequitur, imò potius rejicit. Nec additio, ſeu annotatio, quæ ponitur in fine dictarum deciſionum ſub *tit. de Bigam.* id affirmat, imò & ipſa potiùs inſinuat contrarium, dum inquit, Pontificem non ſolere cum talibus diſpenſare, ut poſſint ordinari; licèt indulgeat, ut poſſint gaudere privilegio Clericorum, non obſtante bigamia, ſubdens credere etiam id Ordinarios facere poſſe. Alios Canoniſtas non legi, qui id afferant, licèt in genere dicantur aliqui Doctores id tenere *hic*, *& c.* 1. *eod. tit. in* 6. Tantùm pro hac parte videtur poſſe induci gl. *fin. in d. c.* 2. *in princ. & d. c. Quicumque diſt.* 50. dum ſignat eos, de quibus in textu poſſe accipere minores Ordines. Cujus ſententiæ fuit etiam Gratianus, qui ut patet *in* §. *Sed poſteà*, ante *c. Si Subdiaconus diſt.* 34. aſſerit Papam Martinum condeſcendendo temporum defectui conceſſiſse bigamos poſse conſtitui in minoribus Ordinibus *&* §. *ſeqq. ſubdit*: Item conceſſum, ut ſubſiſtente neceſſitate poſsent uſque ad Subdiaconatum promoveri. Et hoc eſt quod ſcripſerunt Palud. & Turrecrem. *ubi ſuprà*, bigamo non fuiſse neceſsariam diſpenſationem Epiſcopi, niſi pro accipiendo Subdiaconatu.

29 Negativam tenet gl. *in dict. cap. Lector diſt.* 34. nam ibi agitur de minoribus Ordinibus: tunc enim Subdiaconatus non erat de majoribus, & tamen gloſsa intelligit illum textum loqui non de Epiſcopo, ſed de Summo Pontifice, innuens ſecus eſse de Epiſcopo, *& in d. c. Virginem*, abſolutè dicit Epiſcopum non diſpenſare in bigamia, Innoc. item hìc idem ſentit ibi: *Nota quod non licèt diſpenſare cum bigamo, quod fateor in Epiſcopo, Papa autem poteſt uſque ad Subdiaconatum* 34. *diſt. c. Lector*. Et Epiſcopum non poſſe cum bigamo, nec in minoribus Ordinibus diſpenſare contra Hoſt. tenent hìc expreſsè Jo. Andr. Anch. Card. & Abb. Idem tenet Franciſcus Gloſsator, quem refert Jo. Andr. *in c.* 1. *gl.* 2. *de bigam. in* 6. Idem etiam ibi affirmant Gemin. *poſt num.* 5. & Anch. ibi *n.* 6. & Franc. *n.* 4. expreſsè tenentes Epiſcopum non diſpenſare cum bigamo, nec quoad minores Ordines. Item *in d. c. Lector*. Idem Gemin. atteſtatur hanc eſſe communem, ſicut de communi atteſtatur ibidem Præp. qui prolixè tractat hanc quæſtionem, & multis hanc ſententiam, quàm dicit communem tuetur argumentis. De communi etiam teſtatur Joan. Montaigne *de bigam. quæſt. ult. poſt num.* 13. *verſ. Secunda autem pars*, ubi præter alios ad idem citat Imol. & Alberic. de Roſate, & eam comprobat, & reſpondet ad contraria. Eidem ſententiæ adhæret Tabien. *verſ. Bigamia quæſt.* 7. Angel. *ibi nu.* 8. Navarr. *cap.* 27. *num.* 197. *verſ. Sextò dico*, Covarr. qui itidem dicit communem in Clem. 1. *de homicid. par.* 1. §. 2. *num.* 4. & Majol. *de irregular. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. qui ad corroborationem hujus ſententiæ putat adduci poſſe ad Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 17. *in fin.* Adducitur item ab iiſdem Authoribus Rota citata *dec.* 447.

30 Porrò hanc Theologorum, & Canoniſtarum diſſenſionem Gomeſ. *de Brevib. n.* 20. putat ſic poſſe conciliari, videlicet, ut opinio Canoniſtarum procedat regulariter cum
31 decreto Gregorii X. in Generali Concilio Lugdunenſi edito, ac relato *in d. c.* 1. *de bigam. in* 6. Bigami nedum declarentur omni Clericali privilegio nudati, ſed ampliùs ſub pœna anathematis prohibentur tonſuram, vel habitum Clericalem deferre. Theologorum autem ſententia admittatur tan- 32
tùm in illis caſibus, in quibus ſubeſt legitima, & evidens cauſa, quia tali caſu poteſt Epiſcopus contra Concilium diſpenſare: ex Roman. *conſ.* 427. *col. penult. & conſ.* 325. *in* 4. *col.* & eſſet ſufficiens cauſa litteratura, & nobilitas, ſicut ſuis temporibus major Pœnitentiarius diſpenſavit cum Fabio Mignarerello Advocato Conſiſtoriali ad primam tonſuram, & hanc limitationem Gomeſii admittit Covarr. *loc. cit.* quando cauſa diſpenſandi eſſet gravis, ſeu maxima.

Cæterùm non videtur recedendum à ſententia Canoniſtarum, quia potioribus rationibus, & authoritatibus fulcitur, præſertim Siricii, & Gelaſii Papæ, Conciliorum Niceni, Lugdunenſis, Arelatenſis, & aliorum Canonum, de quibus infrà, ut clariùs patebit ex reſponſionibus ad argumenta Theologorum.

33 Ad primum igitur, & præcipuum eorum fundamentum ſumptum ex *c. Lector diſt.* 34. reſpondetur declarari quidem illic bigamos contra Apoſtoli, & Conciliorum ſtatuta ſperare poſſe, ut eis concedatur exercitium, ſeu aſſumptio minorum Ordinum, & in neceſſitate etiam Subdiaconatus, ſed non decerni per quem debeat dicta diſpenſatio, ſeu gratia eis concedi, neque enim tribuitur iis, quibus anteà non erat permiſſa hęc poteſtas, ut in ſimili reſpondet Pontifex *in cap. Ex multa in fin. de voto*. Cùm igitur ante Papam Martinum hæc diſpenſatio tamquam contraria Generalis Concilii præcepto, contra quod Epiſcopus non permittitur diſpenſare, ut habetur in extravag. *Unica*, Joan. XXII. §. *Quidam autem de relig. domib.* gloſſ. *in cap. Cùm dilectus in ver. In ætate de elect.* eis non compe- 34
teret, & ex eo etiam eis non permitteretur, quod eſſet contra Apoſtoli præceptum, in quo inferior à Papa non diſpenſat, ut hìc patet, & dictum eſt ſuprà *in ult. not. num.* utique, nec per illud Papæ Martini reſcriptum dictis Epiſcopis poteſt dici data facultas diſpenſandi, ſed potius Papæ reſervata, ut inſinuat Siricius Papa *in d. c. Quicumque pœnitens ead. diſt.* 50.

Addo prætereà videri alio reſpexiſſe Papam Martinum, 35

quàm ut Epiſcopis dictam prohibitionem relaxaret. Nam cùm, ut patet ex Divo Thoma *ubi ſuprà*, & omnibus aliis Doctoribus, maximè in hac Decretali, controverſum eſset, an Papa poſse bigamum ordinare, adeòut quidam dixiſsent, ſi ordinaſset non magis ita ordinatus characterem recepiſset, quàm aſinus, ût dictum eſt ſuprà in 1. *notab. in fine*, Papa Martinus dicto ſuo reſcripto declaravit jure ordinario Pontificio bigamos poſse admitti ad Ordines minores, & ex neceſſitate etiam ad Subdiaconatum, & hoc abſque eo quod præcepto Apoſtoli contraveniretur, cùm illud de Presbyteris, & Diaconis intelligeretur, ut hìc notat gl. *fin. in princ.*

Nec obſtat ſi quis retorqueat argumentum hoc modo: Si Apoſtolis non prohibuit bigamis Ordines non ſacros: ergo ad illos etiam ſine diſpenſatione ab Epiſcopis poſſunt admitti: nam reſpondetur prohibitioni Apoſtoli ex Concilio Nicæno additum fuiſſe, ne omninò in Clero tales admitterentur, ut expreſsè habetur *in cap. Cognoſcamus eadem diſtinct.* 34. ibi: *Cognoſcamus non ſolum de Epiſcopo, & Presbytero Apoſtolum ſtatuiſſe, ſed etiam Patres in Concilii Nicæni tractatu addidiſſe, neque Clericum quemquam debere eſſe, qui ſecunda conjugia ſortitus ſit.* Adſunt etiam alii Canones Conciliares idem prohibentes, ut habetur *in cap. Si cujus dicta diſtin.* 34. ubi ponitur verbum, *non poteſt*, quo prohibetur inferiori diſpenſatio, etiamſi non eſſet Conciliaris. Idem etiam habetur in *cap. ſeqq.*

Ex quibus patet ex *dict. cap. Lector*, non probari efficaciter relaxatam eſſe poteſtatem Epiſcopis diſpenſandi cum Bigamis uſque ad Subiaconatum. Præterea eſto Papa Martinus id conceſſiſſet, tamen poſteà id prohibitum legitur hìc *in cap. Nuper, & c. fin. infrà eod.* & clariùs ex decreto textus noſtri, de quo *in dict. cap.* 1. *de Bigam. in 6.* quo bigamis ſub excommunicationis pœna prohibetur, ne habitum Clericalem deferant, ſpolianturque omni privilegio Clericali, & tamquam merè laici decernuntur judicibus ſæcularibus ſubeſſe.

Quibus ſtantibus quomodo poterit Epiſcopus laicos bigamos inter Clericos aſſumere, arg. *c. Quemadmodum de jurejur.* gl. *in cap. Cùm omnibus* 81. *diſt.* cum id facere non poſſit, niſi ſimul eiſdem contra dictum conciliare ſtatutum concedat, ut veſtibus Clericalibus utantur, & privilegiis Clericorum gaudeant.

Ex quibus tollitur reſponſio, quam Silv. Soto, & alii dant ad *d. c.* 1. Conciliare, videlicet quòd Epiſcopus poterit diſpenſare, cùm diſpenſatio *d. c. Non prohibeatur*; nam eo ipſo, quòd diſpenſatio non conceditur, cenſetur prohibita d. extrav. *unica de relig. domib.* Eorum autem reſponſio fortè procederet, ſi aliis Canonibus reperiretur in genere conceſſum, ut poſſet contra *d. c.* 1. diſpenſari, Felin. *in c. Nonnulli num.* 3. *de reſcr.* Covarr. *in c. Alma mater par.* 1. §.7.*n.*8.*de ſent.excomm. in 6.*

Tollitur idem ex prædictis ratio Paludani, & Gratiani *ubi ſup.* & Turrecrem. *in dict. cap. Lector num.* 8. atque aliorum putantium Martinum relaxaſſe Bigamis impedimentum irregularitatis uſque ad Subdiaconatum excluſivè abſolutè, & quoad Subdiaconum cum licentia Epiſcopi ſubſiſtente neceſſitate: nam etiamſi Martinus id feciſſet, tamen ejus conceſſio virtualiter, imò tam per Concilium Lugdunenſe *d. cap.* 1. fuiſſet ſublata cum prohibitione pœnali, de qua in eodem cap. quàm per hanc decretalem, *cap. Nuper, & c. fin. inf. eod.*

Aliæ item rationes, quibus innititur contraria ſententia, non ſubſiſtunt, arguunt enim: Sicut Epiſcopis licet in aliis irregularitatibus ab eodem Apoſtolo inductis diſpenſare, ut patet de adulteriis, & de aliis inferioribus delictis *in c. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis, de judic.* ita etiam debet idem ipſis licere in hac, quæ ſine delicto eſt, ſed ad hoc reſpondent DD. & in ſpecie Jo. Montaigne, *ubi ſup. n.* 18. *&* 19. Ideò in dictis delictis Epiſcopos diſpenſare, quia in illis diſpenſationem jura conceſſerunt. Secus in hoc defectu, in quo tale quid conceſſum non legitur, imò potius ex-
36 preſsè prohibitum hìc in *c. Nuper, & in c. fin. inf. eod.* Et quia faciliùs in delictis diſpenſatur, quæ penitentia delentur, quàm in defectibus, qui nec Pœnitentia, nec Baptiſmo tolluntur, ſed & poſtea durant, *c. Acutius, & c. ſeqq.* 26. *diſt. cum ſimil. DD. in d. §. De adulter.*

37 Ad aliud ſimile, quòd ſecundò loco adducunt ex *cap.* 1. *de fil. Presbyt. in* 6. reſpondetur eodem modo quo ſuprà, & adducitur etiam ratio diverſitatis: nam ideò filiis illegitimis prohibetur, ne inter Clericos aſſumantur, quia timetur ne ſint immitatores paternæ incontinentiæ, & ita eorum irregularitas reducitur ad materiam irregularitatis procedentis à præſumpto incontinentiæ delicto, quæ præſumptio poteſt ceſſare ex laudabili eorumdem vitæ inſtituto. Secus eſt in bigamia, quæ eſt inducta ob defectum 38
illum, quia propter carnis diviſionem numquam poteſt repræſentare unitatem Chriſti cum Eccleſia ſibi copulata, *c. Debitum inf. eod. cum concord.*

Et eodem modo reſpondetur ad tertium argumentum deſumptum ex *cap. Qui Cler. vel voventes*: ibi enim non agitur de irregularitate ex defectu, ſed ex delicto illius Diaconi, qui de facto contraxit matrimonium. Et ideò gl. ibi *in ver. Diſpenſativè*. Opponens *d. c. Imper. inf. eod.* ſolvit contrarium, quia ibi agebatur de illo, qui in ſæculari habitu unam habuit de jure uxorem, & in ſacro contraxit cum alia, & ideò cùm illo tàquam cum bigamo non poteſt diſpenſari per Epiſcopum. Conſtituit ergo gl. manifeſtam differentiam quoad facultatem diſpenſandi inter bigamum, & eum qui in ſacris cum una tantùm de facto matrimonium contraxit.

Ad quartum argumentum, quod deſumebatur ex *c. Virginem*, *c. Si quis ſacro*, *il* 2. *& c. Si qua virgo* 27. *q.* 1. reſpondetur poſt gl. *in d. c. Virginem*, ibi agi de abſolutione ab excommunicatione, non autem de diſpenſatione irregularitatis, ut notat Præp. *in d. c. Lector*, & gl. *in d. c. Virginem*.

Ratio item differentiæ quam adducit Soto, *ubi ſuprà*, videlicet quòd Epiſcopus diſpenſat cum bigamo in minoribus, & non in Ordinibus ſacris propter votum ſolemne, quod eis eſt annexum, nihil concludit. Unde Divus Thomas *in* 4. *diſt.* 27. *quæſtione ult. in fin.* dum ait Pontificem totaliter, Epiſcopos verò quoad minores Ordines tantùm poſſe diſpenſare, nullum hujus differentiæ rationem aſſignat, prout nec aſſignare poterat, cùm defectus Sacramenti prædictæ ſignificationis unitatis carnis æquè militet in omnibus ordinibus, qui non plura, ſed unum tan- 39
tùm ſunt Sacramentum, ex eodem Soto *diſt.*24.*q.* 1.*art.*3. *col.penult.* ibi, *Omnes ordines non plura, ſed unum tantum ſunt Sacramentum*: & ſatis colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *c.* 2. *&* 3. *juncto Canone* 2. *de Sacramento Ordinis*. Ex quibus patet omnes gradus hujus Sacramenti Ordinis ſive ſint majores, ſive minores debere dictam unitatem carnis repræſentare. Nec tamen hoc negamus, quin ſit major ratio diſpenſandi cum bigamis ad minores, quàm ad majores, ſed hoc ſolùm adſtruimus dictum defectum diviſionis carnis pariformiter adverſari omnibus hujus Sacramenti Ordinis partibus, cùm ex omnibus unum, & non plura reſultet Sacramentum.

Ad rationem quam hìc refert Hoſt. quòd diviſio carnis parum ſit evitanda quoad conſtitutos in minoribus Ordinibus, qui nec ſunt Rectores, nec miniſtri Sacramenti, nec habent officium prædicandi, reſpondetur per hanc rationem tolli illud incommodum, quod patiuntur Bigami, quòd tam liberè aliis poſſint continentiam perſuadere; ſed non tollitur aliud incommodum, quod eſt principale, videlicet defectus repræſentationis unitatis carnis. Unde ceſſante uno impedimento remanet aliud, §. *Affinitatis inſtit. de nupt. & ad c. Quicumque diſt.* 50. reſpondetur imò ex *d. c.* inferri diſpenſationem cum bigamis Pontifici reſervatam, dum ipſe quoad præterita relaxat eamdem, & hoc limitatur citrà aſcenſum. Ex quibus videtur concludendum Canoniſtarum ſententiam veriorem eſse.

Diſtinctio autem Gomeſii videtur tunc demum admit- 40
ti poſse, quando cauſa cum talibus diſpenſandi eſset neceſſaria, & concerneret utilitatem Eccleſiæ, ut putà quia non adeſsent alii Clerici, qui poſsent Eccleſiæ deſervire, arg. *d. c. Lectores*, & eorum quæ retulimus ſuprà ex Petro, & Soto, nec poſset haberi recurſus ad Pontificem.

Cæterùm veriùs videtur nullatenus eſse admittendam Gomeſii diſtinctionem ex duobus fundamentis. Primum eſt, quia cùm Epiſcopus contra Canones conciliares diſpenſandi facultatem non habeat, ut ſuperiùs deductum eſt, ineptum videtur limitare hanc regulam, ut non procedat quando diſpenſatur ob Eccleſiæ utilitatem, vel neceſſitatem, quandoquidem nulla diſpenſatio abſque hujuſmodi cauſa

cauſa

cauſa eſt concedenda, *dict. cap. Fraternitatis*, & *cap. Lector* 34. *diſtinct. cap. Priſcis* 55. *diſtinct.* alioquin non dicitur diſpenſatio, ſed diſſipatio, ut inquit Richas. *in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 9. *art.* 1. *in fin.* imò nec Papa ſuper bigamia diſpenſat abſque magna, & evidenti cauſa, Felin. qui plura cumulat in *cap. Quæ in Eccleſiarum num.* 28. & *ſeqq. de conſtit.* Unde ſi admitteremus Epiſcopum poſſe ex cauſa diſpenſare, conſequens eſſet, ut abſolutè illi competeret diſpenſandi facultas, cùm ſine juſta, & rationabili cauſa diſpenſare nemini liceat: & eo magis quod decreta Conciliaria, & ſacri Canones non ſolùm repellunt bigamos à ſuſceptione, & miniſterio Ordinum; quinimo & à delatione tonſuræ, & habitus Clericalis ſub pœna anathematis, ſed ſeriò etiam interdicunt, ne quis illorum miniſterio, uti poſſit, ut patet in ſpecie ex *cap. Non confidat* 5?. *diſtinct.* ubi Gelaſius Papa: *Non confidat*, inquit, *quiſquis Pontificum bigamos divinis ſerrituros applicare miniſteriis*; & ex Concilio Arelatenſi relato in *c. Nullus* 54. *diſtinct. Nullus bigamum in prædictis honoribus audeat ordinare*: & ex aliis ſuperiùs relatis, cum præſertim videamus in privilegiis, quæ conceduntur in materia diſpenſandi etiam regularibus cum ſuis profeſſis ſemper abſolutè excludi facultatem ſuper bigamiæ defectu. Confert text. *in cap. Inferior ſedes* 21. *diſt.* & *cap. Cum inferior de major. & obed.*

41 Secundùm fundamentum deducitur ex Concilio Tridentino *dict. cap.* 17. *ſeſſ.* 23. ubi videtur efficaciter refelli Gomeſii conſiliatio: nam ibi *in princip. juncto verſ. Quod ſi miniſteriis*. Primò conſtituitur regula, ut ordinum miniſteria nonniſi per cœlibes conſtitutos in dictis ordinibus exerceantur. Deindè ſubnectitur limitatio his verbis: *Quod ſi miniſteriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cœlibes præſtò non erunt; ſuffici poſſunt etiam conjugati vitæ probatæ*. Itaque Concilium non permittit in hac limitatione, ut Clerici conjugati miniſtrent in minoribus Ordinibus, niſi in caſu neceſſitatis, id eſt, ſi Clerici cœlibes præſtò non erunt. Demùm hanc limitationem, quòd ſcilicet nonniſi in caſu neceſſitatis, id eſt, cùm deficiunt cœlibes, Suffici poſſint Clerici conjugati, ſublimitat Concilium per illa verba, dummodò non bigami. Patet igitur apertè ex eo decreto Clericos bigamos ab Epiſcopis ſuffici non poſſe in miniſterio Ordinum, etiamſi neceſſitas poſtulet eo quod Clerici cœlibes deficiant, quod pugnat ex diametro cum diſtinctione Gomeſii.

Neque obſtat ſi dicas Concilium ibi ſtatuere in eo tantùm caſu, in quo deficiunt Clerici cœlibes, & extant Clerici conjugati, tunc enim permittit, ut in illorum locum ſubrogari poſſint conjugati, dummodò non bigami, ſed nihil diſponere in caſu, in quo etiam Clerici conjugati deficiunt; ideòque tunc admitti poſſe propoſitam diſtinctionem, cùm caſus videatur à Concilio omiſſus, & Clericis etiam conjugatis deficientibus ſit præcisè neceſſarius. Reſpondetur enim imò Concilium nullo caſu voluiſſe, ut contra Canonum, & Generalium Conciliorum inſtituti bigami adhiberentur. Nam quemadmodum depoſuit, ut cùm Clerici cœlibes preſtò non ſunt, ſuffici poſſint Clerici conjugati bigami, ita veriſimiliter ſtatuiſſet, ut deficientibus etiam conjugatis in eorum locum bigami ſubrogari poſſent. Quod cùm non fecerit, ſed ſimpliciter abſque diſtinctione voluerit, ut conjugati ſuffici poſſent, dummodò non eſsent bigami: cenſendum eſt noluiſſe, *c.* 2. *verſ. Unde ſi circa translationem, de translatione Epiſcopi*, & *cap. Ad audientiam, de Decim. ſuprà eodem*.

Similiter quamvis Henricus *in cap.* 1. quem refert Covarr. in Clem. 1. *de homicid. part.* 1. §. 2. *num.* 4. *in fin.* diſtinguat inter illum, qui bigamiam contraxit, dum eſſet ſæcularis, & cùm hoc diſpenſet Epiſcopus, & hanc diſtinctionem etſi non probabilem, dubiam tamen dicat idem Covarr. tamen neque hæc diſtinctio videtur recipienda, tum quia non ſufficit ad evacuandum ea, quæ pro negativa fuerunt adducta; tum quia Authores pro affirmativa fundant ſe ſuper *dict. cap. Lector*, qui Canon loquitur de illis, qui poſt Clericatum tranſierunt ad bigamiam; tum quia nullo jure prohibentur Clerici in minoribus conſtituti æquè, ac merè laici, unam, & plures ſucceſſivè ducere uxores. Undè bigamiæ defectus non debet uni magis, quàm alteri imputari; maximè quia impedimentum bigamiæ non ex Apoſtaſia, vel alio deducitur peccato, ſed à ſolo defectu prædictæ ſignificationis. Unde impertinens eſt ad materiam noſtram diſtinguere, an bigamia ſit contracta à laico, vel Clerico, & nullam eſſe differentiam inter bigamiam contractam in ſtatu laicali, vel Clericali clarè patet ex *c. Si cujus uxorem cum duobus ſeqq. d. diſt.* 34. Unde periculoſum eſt ei adhærere.

Quoad ſecundam partem primæ quæſtionis breviter ex 42
ſupradictis infertur, ut Epiſcopus non potuerit cum prædicto bigamo ad beneficia ſimplicia diſpenſare, ex quo nec ei ritè potuit primam tonſuram conferre, ſine qua minimè capax beneficiorum exiſtit, adnotata per Rebuff. *in prax. tit. de dimiſſoriis num.* 21. & 22. *cum antecedentibus*. Ratio eſt, quia etſi recipit characterem, non tamen 43
recipit executionem ex Divo Thoma *loco citato*, & aliis Doctoribus hìc, & alibi ſæpè. Unde nec eſt capax beneficii quod datur propter officium, *cap. fin. de offic. Vicar. in* 6. & ſucceſſivè ſic proviſus tenetur illud dimittere, arg. *c.* 1. *de reg. jur. in* 6. *cum ſimil.*

Ad ſecundam quæſtionem reſpectu ordinantis non vi- 44
detur reperiri aliqua pœna ipſo jure impoſita, ſed ſolùm imponenda, ut hìc. Et quamvis *in c. Nullus pœnitentem diſt.* 55. videtur imponi pœna ſuſpenſionis à celebratione per annum, tamen ex quo antequam incurratur, requiritur factum judicis, coram quo delictum, ſeu tranſgreſſio probetur, ut patet ex text. ibi; Ab ea die qua potuerit ei hoc approbari, fortè illa pœna non eſt dicenda Canonis latę ſententię, ſed ferendæ ſecundùm Abbat. in *cap. Si diligenti num.* 19. *de foro compet.* qui poſt Hugon. & Archid. notat eſse penam ferendæ ſententiæ, de quo tamen dic ut ſuprà in ſecundo notabili. Prætereà in caſu 45
propoſito Epiſcopus eſset à pęna imponenda excuſandus ex eo, quòd Canones non punitur ſimpliciter ordinantem bigamum, ſed præſumentem ordinare, ut patet in *dict. cap.* 2. *diſtinct.* 55. à qua cùm quælibet cauſa excuſet 46
Cardin. in Clem. 1. *quæſtione* 38. *de privileg.* utique multò magis excuſabitur Epiſcopus hoc caſu; in quo adſunt tot auctoritates ſibi faventes, & articulum valdè dubium, & intricatum reddentes, ex Bellam. *deciſ.* 775. Navarr. *in cap. Nullam* 19. *quæſt.* 2. *num.* 32. ubi in ſpecie Præp. Quando, inquit, de aliquo articulo ſunt duæ opiniones, qui uni adhæret, alteri non dicitur ex contemptu contravenire, ut penam incurrat. At verò reſpectu Clerici, ut præfertur ordinati, aliud dicendum videtur; ſiquidem tamquam non legitimè promotus, venit privandus dicto beneficio, quod de facto obtinuit, inhibendumque illi eſt, ne gerat ſe pro Clerico, argum. *cap. Si quis viduam, diſtinct.* 50. Jo. Montaigne *dict. tract. de bigam. quæſt.* 5. *in ſecundo effectu nu.* 8. ſed obſervat ſtatuta *in d. c.* 1. *de bigam. in* 6.

Porrò cùm hìc caſus olim contigiſset, etiam Congregatio Concilii ob prædictas rationes inclinaret, excuſari poſſe Epiſcopum, qui primam tonſuram, & beneficium ſimplex ſuo ſubdito vero bigamo ordinaria authoritate contulerat; nihilominus Sixtus V. in Conſiſtorio reſpondit ſignificandum Epiſcopo ipſum eſse ſuſpenſum à collatione Ordinum. Item promotum incidiſse in pęnas ſuperiùs propoſitas. Ait tamen ſe benignè acturum cum utroque, ubi abſolutionem, & diſpenſationem peterent.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS,

Innocentius III. Ratiſpo. Epiſcopo.

CAPUT I.

NUper à nobis; & infrà. Tertius articulus videbatur habere non modicum quæſtionis: quoniam cùm in matrimoniis contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attendatur: unde illum comitatur infamia, qui duas ſimul habet uxores; quod partim ad factum convenit retorqueri: ſicut in Canone legitur, de Presbytero, qui non legalibus nuptiis detinetur, eadem cenſura tales videntur inter bigamos reputandi. Licèt obviet ex adverſo, quòd opinioni ſit veritas præferenda: & quòd juxta præmiſſa, qui nullam uxorem habuit, foret bigamus reputandus: quod contingeret, ſi quis de facto contraheret cum diverſis, quibus de jure non poſſet matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quæſtione taliter reſpondemus, quòd cum hujuſcemodi Clericis, qui quantum in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tamquam cum bigamis non liceat diſpenſari, licèt in veritate bigami non exiſtant: non propter ſacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto.

S U M M A R I U M.

1 *Subdiaconus, qui cum vidua contraxit, & eam cognovit, bigamiæ pœnam incurrit, licèt bigamus non ſit.*
2 *Bigamiæ quot ſint ſpecies.*
3 *Bigamia vera quæ ſit.*
4 *Bigamus unde dictus.*
5 *Bigamia interpretativa quæ dicatur, & num. 12. & ſeqq.*
Et quæ ſimilitudinaria.
6 *Bigamiæ irregularitatem an incurrat Clericus in ſacris, vel profeſſus contrahens cum unica, & virgine, ibid. & n. ſeqq.*
7 *Similitudo, & effectus facit, ut quis dicatur de numero eorum, de quorum numero non eſt.*
8 *Bigamiæ pœnam non incurrit Subdiaconus contrahens cum vidua, niſi illa ſit corrupta.*
9 *Intellectus c. 1. Qui Cler. vel voven.*
10 *Diſpenſare poteſt Epiſcopus cum Clerico in ſacris, qui de facto contraxit cum unica, & virgine.*
11 *Votum ſolemnizatur per ſuſceptionem Subdiaconatus.*
12 *Bigamia vera an incurratur ex matrimonio cum vidua legitimè contracto, & conſummato, & num. ſeqq.*
13 *Bigamia cur inducat irregularitatem.*
15 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus, ſed ſolus Papa cum Subdiacono, qui de facto contraxit cum vidua.*
16 *Et an hoc procedat tàm in officio, quàm in beneficio.*
17 *Et quid ſi contraxerit ignoranter.*
18 *Bigamia etiam interpretativa per ſolemnem profeſſionem non aboletur.*
19 *Opinio quandoque magis attenditur, quàm veritas.*
20 *Clericus qui cum vidua de facto matrimonium contraxit, & eam cognovit, an privilegio Clericali gaudere debeat, & n. ſeqq. uſq. ad n. 29.*
Quid in Clerico minorum ordinum, n. 21.
Et quid in conſtituto in ſacris, n. 28.
21 *Intellectus c. unic. de bigam. lib. 6. & n. ſeqq. uſque ad num. 29.*
22 *Bigamia intrepretativa eſt in duplici differentia.*
23 *Bigami ex matrimonio validè contracto, & conſummato cum vidua, vel corrupta omni privilegio clericali nudati ſunt, & ſub pœna anhatematis interdicti habitum, & tonſuram Clericalem deferre.*
24 *Bigami, & viduarum mariti per omnia æquiparantur.*
25 *Voluntas non habetur pro facto, quando actus non tenet ex impedimento juris.*
26 *Bigamiam contrahens ex eo, quod reddat debitum uxori adulteræ, Clericale privilegium non perdit.*
27 *Nec qui contraxit plura matrimonia de facto.*
29 *Subdiaconus à Summo Pontifice diſpenſatus ad matrimonium contrahendum, qui poſteà cum vidua contraxit, & conſummavit, an fori privilegio gaudeat, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
30 *Ordo ſacer non opponitur in matrimonio eſſentialiter.*
31 *Diſpenſare poteſt Eccleſia ſuper voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri ordinis.*
32 *Græci legem continentiæ non ſuſceperunt, & n. 37.*
33 *Subdiaconis licuit habere uxores uſque ad tempora Gregorii I. nec anteà Subdiaconatus ordo inter ſacros computabatur.*
34 *Subdiaconus gaudet privilegio fori, etiamſi habitum, & tonſuram non deferat.*
35 *Milites Calatravæ, & Alcantaræ, licèt uxorati gaudent fori privilegio.*
26 *Fori privilegium conceſſum eſt Clericis propter characterem animæ indelebiliter impreſſum.*
34 *Conſuetudo Anglorum, quæ Clerici conjugati etiam in ſacris conſtituti conveniuntur coram judice ſæculari improbatur.*
38 *Regularis, qui ex diſpenſatione Apoſtolica matrimonium contraxit, eſt perſona Eccleſiaſtica, & gaudet fori privilegio.*
39 *Bigami omni privilegio Clericali nudati ſunt, ſi ſint in minoribus tantùm ordinibus conſtituti; Secus ſi in ſacris.*
40 *Bigamiæ irregularitatem an incurrat Clericus minorum ordinum, vel laicus contrahens invalidè matrimonium cum vidua, vel corrupta, & num. ſeqq. uſque in fin.*
41 *Voluntas in maleficiis ſpectatur, non exitus.*
42 *Ratio generalis expreſſa in lege ampliat diſpoſitionem ſpecialem etiam in pœnalibus, & exorbitantibus à jure communi.*
43 *Et quæ ſunt ejuſdem rationis includuntur ſub diſpoſitione ex ſignificatione tamquam expreſſa propriè, non tacitè, & n. 44.*
44 *Bigamiæ pœnam incurrit Clericus minorum ordinum, vel laicus, qui ſecundam uxorem accepit de facto propter quodcumque impedimentum dirimens.*
45 *Bigamiæ pœnam inducit matrimonium invalidè contractum in omnibus caſibus, in quibus contractum validè induceret bigamiam.*

NUper à nobis. Subdiaconus qui cum vidua contraxit, & eam cognovit, bigamiæ pœnam incurrit, 1
licèt bigamus non ſit. Hoc dicit, & primò ponit quæſtionem. Secundò ſolutionem ibi, *profectò*.

Ad intelligentiam textus præmitto tres eſſe ſpecies biga- 2
miæ. Alia enim eſt vera, alia interpretativa, alia ſimilitudinaria, ut notat Specul. *in tit. de diſpenſ. §. Juxta n. 6.* Cujus diviſionem Navarr. *in Manual. c. 27. n. 195.* & poſteà Moderni ferè omnes ſequuti ſunt. Licèt duo tantùm membra, videlicet bigamiam veram, & interpretativam conſtituat gl. *in c. Super eo in ver. In bigamis*, & ibi etiam Butr. *num. 6.*

n. 6. ſup. eod. Hoſt. *in Summ. eod. tit.* §. *Quot ſunt ſpecies*, Jo. Andr. in gl. ordin. *in c. un. in ver. Bigamos eod. tit. lib. 6.* Rota *dec.* 447. *aliàs* 1. *de bigam. in noviſ.* & alii complures apud Jo. Montaigne *de bigam. q.* 4. *inter tract. commun. t.* 14. *pag.* 108. qui bimembrem gl. diviſionem aplectitur, utì veriorem, & magis communem, & pluribus conatur probare tertiam ſpeciem ſimilitudinariæ eſſe ſupervacuam.

3 Bigamia vera eſt, cùm quis diverſis temporibus ſucceſſivè habuit, & cognovit duas legitimas uxores etiam prius non corruptas, quamvis utramque, vel alteram habuerit ante Baptiſmum. Jura ſunt clara *in c. Acutius, & in c. Deinde* 26. *diſt.* & in hoc conveniunt omnes: nam ſtrictè, & propriè, & juxta alluſionem vocabuli dicitur bigamus, id eſt, binæ uxoris maritus, ſicut monogamus, qui habuit unam tantum, *c. Unius* 26. *diſt.* Et ſic dicimus trigamum, & octogamum, *c. Aperiant* 31. *qu.* ut declarant Jo. Andr. *in d. c. Super eo n.* 8. Bigamia interpretativa eſt illius, qui fingitur, ſeu interpretatur duas uxores habuiſse, veluti cum contrahit cum unica, & vidua prius cognita, vel cum corrupta ab alio, & eam cognoſcit, *c. Maritum* 33. *diſt. c. Si quis viduam* 34. *diſt. c. De bigamis, & c. Debitum ſup. eod.* etiamſi crediderit eam virginem, *c. Nemo* 32. *diſt. c. Illæ* 32. *q.* 5. ſecundùm Jo. Andr. *loc. citato*, Hoſtien. *in Summa hoc tit. quæſt.* 7. Decian. *in tract. crimin. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 135. *in fin.* quamvis enim talis juxta propriam verbi ſignificationem non ſit verè bigamus; tamen quia per carnalem copulam vir, & uxor efficiuntur una caro, & eadem perſona reputantur, *c. Martinus de cognat. ſpirit. c. Siſcitatur, & cap. Si quis ex uno* 32. *q.* 4. ex eo, quod mulier carnem ſuam divitit in plures, cenſetur & vir hoc feciſſe, ideòque interpretativè bigamus reputatur, *cap. Quiſquis* 84. *diſtinct. cap. Si quis viduam, il ſecondo* 34. *diſtinct.* & in Auth. *de Sanctiſſ. Epiſc.* §. *Clericus autem collat.* 9. Et ita ſentit gloſſa præalleg. *in dict. cap. Super eo in ver. In bigamis ſupr. eodem*, dicens veram bigamiam contrahi uno tantùm caſu, videlicet cùm quis ſucceſſivè habuit uxores duas, reliquos verò dicit interpretativè bigamos reputari, quantum ad legem promotionis, & inter hos recenſet contrahentes cum vidua, vel corrupta. Et cum illa gl. tranſeunt ibi Jo. Andr. Butr. & communiter DD. Jo. Montaigne, & Nav. *loc. cit.* Licèt Rot. in præall. *dec.* 1. *de bigam. in noviſ.* dicat maritum viduæ, vel corruptę eſſe verè bigamum; & hæc opinio videtur de jure verior, ut plenè dicam infrà *in* 2. *not.* Similiter dicitur bigamus interpretativè, qui contraxit cum duabus de facto, aut cum una de jure, cum alia de facto ſimul aut diverſis temporibus, & ambas carnaliter cognovit. Item qui de facto contraxit, & conſummavit, cum vidua, vel corrupta, ut *in c. Nuper ſuprà eod.* Rurſus dicitur interpretativè bigamus, qui contraxit cum virgine, eique debitum reddidit poſt adulteriū ab ea commiſſum, *c. Si cujus* 34. *diſt.* & dicam infra *n.* 14. Licèt reddiderit ad præceptum Eccleſię ſecundùm communem opinionem, de qua teſtatur Aufrer. ad Capell. Tholoſ. *dec.* 234. etiamſi ignoranter id fecerit, ut in *d. c. Si cujus*, tenet gl. Hugo, Laurent. Raymun. & Hoſtien. *in Summa hujus tit.* §. *Item pone*, quos ſequitur Joan. Andr. *in dict. cap. Super eo nu.* 8. quia non agitur hic de vitio ordinandi, ſed de defectu Sacramenti, quem etiam ignorans poteſt pati. Undè ut feſtivè dicebat Hoſtien. in præalleg. Decretali, *Super eo*, cum teſtante Ovidio, *Caſta ſit, quam nemo rogavit*; non eſt ſine periculo promovere conjugatum, & remittit

6 ad Summam *eod. tit.* §. 1. 2. & 3. Bigamia ſimilitudinaria dicitur, cùm quis ſacro ordine inſignitus, vel ſolemniter profeſſus cum unica, & virgine matrimonium contrahit de facto: & eam cognoſcit, ad quod allegatur textus *in cap. Quotquot* 27. *quæſt.* 1. In hac tamen tertia ſpecie Doctores non conveniunt: nam quidam putant tales incurrere irregularitatem bigamiæ, licèt bigami non ſint, quia textus prçallegatus dicit: Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati ſunt profeſſione contempta, inter bigamos, id eſt inter eos, qui ad ſecundas nuptias tranſierunt,

7 haberi debebunt, ubi gl. 2. ex eo textu colligit propter ſimilitudinem, & effectum quem dici de numero eorum, de quorum numero non eſt, *c. ult.* 27. *diſt.* & ex illa gloſſa videntur Doctores ſumpſiſſe denominationem ſimilitudinariæ: cùm enim per ſacri ordinis ſuſceptionem, vel votum ſolemne religionis quis contraxerit ſpirituale conjugium cum Chriſto, poſtea contrahendo carnale matrimonium, licèt de facto, propter affectum contrahendi cum opere ſubſequuto cenſetur quodammodò diviſus; & ideò pęnam bigamiæ incurrit ad ſimilitudinem bigami. Quam rationem aſſignat Archid. ibi *in ver. Bigamos*, quia inquit primò Deo, & poſteà homini nubunt, & hanc partem amplectuntur Specul. *loco citato*, Sanctus Antoninus *in* 3. *p. tit.* 21. *c.* 1. Angel. *in ver. Bigamia* §. 9. Navarr. *dict. c.* 27. *nu.* 195. Covarr. in Clem. *Si furioſus p.* 1. §. 2. *verſ. Tertio de homicid.* & communiter recentiores. Quibus etiam adjungi poteſt authoritas gl. *in d. cap. Super eo in ver. In bigamis ſuprà eodem*, & ſequacium, qui hanc tertiam ſpeciem ſimilitudinariæ tribuunt bigamiæ interpretativæ. Alii dicunt voto ſolemni adſtrictos de facto contrahentes cum unica, & virgine eſſe irregulares, non ex ulla ſpecie bigamiæ, ſed propter præſumptionem incontinentiæ, & ad majorem ſacri ordinis reverentiam. Quorum opinio fundatur *in cap.* 1. *qui Cler. vel voven.* ubi Epiſcopus per acta pœnitentia diſpenſat cum Diacono. qui de facto matrimonium contraxit, nec ulla ſit mentio de bigamia, *& in cap.* 2. *eod. tit.* ubi ſimiliter Epiſcopus diſpenſat cum Subdiacono, qui de facto uxorem accepit, ut ad ſuperiores ordines promoveatur ſi ad religionem tranſire voluerit: & in hanc partem propendit Silv. *in ver. Bigamia in princ.* qui ſic videtur conciliare diſſidentes opiniones. Alii demum affirmant tales nulla ratione eſse irregulares, ſed ſolùm ſuſpenſos tamquam notoriè criminoſos. Ita Hoſt. *in c. Sanè, il ſecondo nu.* 2. *in ver. Ex indulgentia inf. de Cler. conjug.* qui conſentiunt ibi Imol. & Abb. ambo *nu.* 2. & Covarr. in dict. Clem. *Si furioſus par.* 1. §. 2. *nu.* 2. *verſ. Secundo*. Quibus etiam adſcribi poſſunt Abb. Antiq. *hic* 8
in princ. Hoſtien. itidem *in princ. in ver. Viduam*, Jo. Andr. *num.* 1. *in eod. ver.* Butr. *num.* 8. & Cardin. *in princ.* dum tenent Subdiaconum, qui de facto contraxit cum uidua, non incurrere pœnam bigamiæ, niſi illa ſit corrupta, ſupplentes verbum, *viduam*, ſcilicet & corruptam, ne ſit contra *cap. Sanè, il ſecondo de Cleric. conjug.* hi enim procuidubio ſentiunt contrahentem cum virgine in hanc pœnam non incidere. Pro qua opinione facit, quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus in jure expreſſis, ut notat Jo. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de legat.* §. *Juxta, verſ. Et generaliter*, & Marian. Soc. *in c. Ad audientiam n.* 1. *de homicid.* Item facit textus *in d. cap.* 1. *qui Cleric. vel* 9
voven. qui loquitur promiſcuè de diſpenſatione cum Diacono, qui alium Diaconum vulneravit, de facto uxorem accepit. Sed reſpectu vulneris diſpenſatio non poteſt verificari in irregularitate, cùm ibi nulla fiat mentio de mutilatione. Ergo nec reſpectu matrimonii contracti, ne difformis ſit determinatio, arg. *l. Jam hoc jure*, §. *Sed ſi*, & ibi Bart. *ff. de vulg. & pupill. & l. fin. Cod. de ſentent. & interlocut. omn. judic. cum ſimil.* Nec eſt incongruum, ut diſpenſationis verbum referatur ad ſuſpenſos, ut clarè probatur in decreto Concilii Tridentini *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. *in princip.* ubi Epiſcopi dicuntur poſse diſpenſare tàm in irregularitatibus, quàm in ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus. Non obſtat *dict. cap. Quotquot* 27. *qu.* 1. quia ibi nulla ſit mentio de virgine, & de contrahentibus cum corrupta, ut ſic concordet cum hac decretali intelligunt illum textum Archid. & Summa Piſan. ut refert Silv. *loco citato*. Hæc tamen controverſia videtur ferè inu- 10
tilis: nam ſi caſus ſit publicus, cùm Doctores conveniant in duobus, videlicet ut tales miniſtrare, & promoveri non poſſint niſi diſpenſativè; atque ut Epiſcopus poſſit cum eis diſpenſare, cùm hæc ſint expreſsa in præcitatis juribus, & poſt Innocent. & Hoſt. tenet Abb. *in cap. Ex litterarum num.* 5. *qui Cler. vel voven.* & Silveſt. *in ver. Bigamia in* 7. *quæſt. verſ. Si vero exiſtens in ſacris*, parum refert, an ſint per ſimilitudinem bigami, an verò irregulares, aut ſuſpenſi. Quod ſi caſus ſit occultus, ſuccedit diſpoſitio Concilii Tridentini in præalleg. *c.* 6. *ſeſſ.* 24. Quibus præmiſſis,

Nota primò ibi, *de jure non potuit*, votum ſolemnizari 11
per ſuſceptionem Subdiaconatus quoad hoc, ut dirimat matrimonium poſt contractum, concordat *c. Presbyterum* 28. *diſt. c. A multis*, §. *Verùm ſuprà de ætat. & qualit. infrà de Cler. conjug. per tot. c.* 1. *qui Cler. vel voven. & c. unic. de voto lib.* 6.

Secundò nota ibi, *profecto bigamus non exiſtit*, ex matri- 12
monio validè contracto, & conſummato cùm vidua ve-

ram bigamiam inſurgere, ut hic probatur apertè: nam textus decidit eum, qui de facto contraxit cum vidua, bigamum non exiſtere, ſcilicet verè, ut exponit gloſſa in figuratione caſus, & probat illud adverbium, *profectò*, ſed tantummodò pœnam bigamiæ incurrere, & ſic fieri bigamum interpretativè, ut omnes intelligunt hanc litteram, & redditur ratio cur ſic contrahens non ſit verè bigamus, quia ſcilicet non poteſt in veritate dici maritus viduæ, cùm inter ipſum, & illam non fuerit vinculum maritale contractum. Ergo à contrario ſenſu ſi matrimonium inter eos fuiſſet validum, ſic contrahens fuiſſet verè bigamus. Quod argumentum eſt fortiſſimum in jure, *l.* 1. §. *Ejus rei*, *ff. De offic. ejus cui mand. eſt juriſdict.* & ſemper eſt verum, quando ponitur cauſativè, ſicut ponitur hic, ut notat Jo. Andr. *in cap. Publicato numer.* 18. *ſupr. de elect.* & ita hic eſt textus clarus pro opinione Dominorum de Rota *in præcit. deciſ.* 1. *in princip. de bigam. in novis*, ubi firmant veram bigamiam incurri, non autem interpretativam ex matrimonio validè contracto cum vidua. Et ponderandum eſt deciſionem illam eſſe magiſtralem, & materiam fuiſſe diſcuſſam ibi de mandato Sanctiſſimi, & ſecundùm illam deciſionem Sanctitatem ſuam diſpenſaſſe, & conſentit Petrus de Anchar. *in conſ.* 124.

13 *circa bigamos num.* 2. Præterea ut docet Sanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 1..... *Bigamia irregularitatem inducit, quia habens aliis miniſtrare Sacramenta, ut habens Sacramentum ordinis, nullum debet in Sacramentis defectum pati: defectus autem in Sacramento eſt, quando Sacramenti ſignificatio integra non invenitur. Sacramentum autem matrimonii ſignificat conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam, quæ eſt unius ad unum, unde ad perfectam ſignificationem Sacramenti pertinet, ut vir ſit tantum unius vir, & uxor tantùm unius uxor; & conſequenter bigamia quæ hoc tollit, irregularitatem inducit.* Hæc ex illo, & ſequitur Silv. *in ver. Bigamia in princ.* Sed in matrimonio validè contracto cum vidua deeſt ſignificatio Sacramenti, quia vidua non eſt unius uxor, & ſic non repræſentat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt unius ad unam. Ergo ſic contrahens veram bigamiam incurrit, cùm eſſentia, & veritas bigamiæ in defectu Sacramenti conſiſtat, & hoc innuit textus hic, dum dicit contrahentem cum vidua de facto verè bigamum non exiſtere, quia non patitur defectum Sacramenti, ſed interpretativè tantùm propter affectum intentionis cum opere ſubſequuto; per hoc clarè inſinuas eum fore bigamum in veritate propter

14 Sacramenti defectum ſi matrimonium eſſet validum. Nec refragatur quod cognoſcens uxorem poſt adulterium ab ea commiſsum patiatur defectum Sacramenti, cùm illa diviſerit carnem ſuam in plures; & tamen non ſit verè bigamus, ſed interpretativè tantùm, ut dixi ſuprà *num.* 5. *verſ. Rurſus*, quandoquidem hoc verum eſt nunc, non autem tempore primæ diſpenſationis cum unica, & virgine, vel conſummati matrimonii, quod eſt reſpiciendum, *cap. Qualis* 30. *quæſt.* 5. Cappell. Tholoſ. *dict. dec.* 234. *circa med. verſ. Nec obſtat quod iſta dimiſerit*, & facit quod notat Abb. *in cap. Debitum in ultima gloſſa ſuprà eod.* Ad hæc ponderandum eſt, textum in præſenti ponere eamdem deciſionem, quam ponit *cap. Nuper ſupr. eodem*, in caſu tamen diverſo, quia hic agitur de Subdiacono, qui de facto contraxit cum vidua: ibi verò de Clerico in ſacris, qui mortua uxore de facto contraxit cum ſecunda, & utrobique deciditur hos non eſse bigamos in veritate, ſed tamquam bigamos eſse reputandos non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſequuto. Sed in caſu *d. c. Nuper*, ſi ſecundum matrimonium fuiſset validum, abſque dubio maritus verè fuiſset bigamus propter defectum Sacramenti. Ergo idem dicendum in terminis hujus cap. Cùm utrobique ratio deciſionis fundetur in nullitate matrimonii. Quibus etiam addi poteſt quod Siricius Papa *in cap. Quiſquis* 84. *diſt.* volens denudare bigamos omni privilegio Clericali, primo loco commemorat viduarum maritos, deindè qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, ibi, *viduam, vel ſecundam uxorem duxerit.* Incongruè autem maritum viduæ prætuliſset bigamo verò, ſi ille non eſset niſi interpretativè bigamus, argum. *c.* 2. *infra de majorit. & obed. cum ſimil.* Neque huic opinioni adverſatur alluſio vocabuli, de qua ſuprà *num.* 4. Quoniam maritus viduę congruè dici poteſt binæ uxoris maritus, ſcilicet illius, quæ fuit bina uxor, id eſt, duorum, & hæc videtur veritas, ſed nihilominus in contrarium ſtat communis Doctorum ſententia, ut dixi ſuprà in evidentialibus *num.* 5. Licèt reſpectu effectus nulla ſit diſsonantia, quia verè bigami, & viduarum mariti per omnia æquiparantur, ut *cap. De bigamis ſupr. eod.*

Tertiò nota ibi, *diſpenſare non licet*: ſuper bigamia interpretativa, quàm incurrit Subdiaconus de facto contrahens cum vidua, non eſse licitum diſpenſare, & doctrinam Apoſtoli 1. ad Timoth. *c.* 3. *de bigamis non ordinan.* comprehendere hanc quoque ſpeciem bigamię interpretativę; Doctores tamen intelligunt hoc verum eſſe in diſpenſatione Epiſcopi, non autem Papæ, qui diſpenſat in omni irregularitate, *c. Niſi cum pridem*, §. *Propter conſcientiam ſup. de renunc.* Ita Abb. Antiq. *in princ. in ver. Non licet*, Jo. Andr. *nu.* 4. & Butr. *n.* 8. *in* 2. *oppoſit.* qui omnes referunt Petrum de Sampſone aſserentem ſe vidiſse ab Innocent. IV. ſic diſpenſatum cum quodam Monacho in caſu hujus decretalis. 15

In his Doctorum aſsertionibus tu adverte ac duo. Alterum eſt, quod dum affirmant Epiſcopum diſpenſare non poſse ſuper hac ſpecie bigamiæ interpretativæ, nonnulli intelligunt hoc verum eſse in officio, ſecus in beneficio ut *c. Preſbyterum*, & ibi gl. *in ver. Habere* 28. *diſt.* & tenent hic Jo. Andr. Bellam. Butr. omnes *in fin.* Neque obſtat, quod tales cum omnibus bonis ſuis tradi debeant Curiæ ſervituti, ut in Authen. *de Sanctiſſ. Epiſc.* §. *Si verò poſt.* Quoniam ibi non prohibetur diſpenſatio ſecundùm Vincen. Jo. Andr. & Butr. *ubi ſup.* licèt Cardin. *in* 2. *oppoſ.* dicat verius eſse, ut ſicut nullus citrà Papam diſpenſat cum bigamo ſuper officio, ita nec ſuper beneficio, quod accedit officio, ut *c. fin. de reſcr. libr.* 6. & ad textum *in d. c. Preſbyterum*, reſponderi poteſt ibi permitti diſpenſationem cum Presbytero, quia ignoranter contraxit, ut ibi notat gloſſ. 1. & Archid. *num.* 3. & vide quod ſcripſi *in c. Super eo ſuprà eod.* 16 17

Alterum eſt, quod dum Doctores referunt per Papam fuiſſe diſpenſatum cum Monacho, per hoc ſentiunt irregularitatem bigamiæ interpretativæ per ſolemnem profeſſionem non aboleri, ut per Butr. *nu.* 8. Quæ concluſio vera eſt, & eam tenent Domini de Rota *in alleg. dec.* 1. *de bigam. in noviſ.* & ita Urbanus VI. diſpenſavit cum Monacho, qui ante ingreſſum religionis cum vidua de facto matrimonium contraxerat, ut ibi refertur, motus rationibus in ipſa deciſione adductis. Nec mirum, quia nec per Baptiſmum hujuſmodi irregularitas aboletur, quamvis in Baptiſmo uberius, quam in religionis ingreſſu quidquid in vetere homine geſtum eſt, ſit ſolutum, ut *c. Deinde* 26. *diſt.* Bigamia enim non eſt peccatum, imò contrahitur etiam cum meritò, ut *c. Inter opera charitatis inf. de pœnit. & remiſſ.* & notant *in c. Nuper ſup. eod.* Jo. Andr. *n.* 3. Butr. *n.* 8. & Card. *in* 7. *not.* Et quando irregularitas ex defectu, vel ex delicto proveniens per ingreſſum religionis tollatur, vide per Marian. Socin. plenius diſtinguentem *in c. Ad audientiam n.* 421. *verſ. Tertiò quæro inf. de homicid.* 18

Ultimò nota ibi, *propter affectum intentionis*, quandoque magis attendendam eſſe opinionem, quam veritatem. Sed vide jura pro, & contra, in *c. Nuper*, in gloſſ. *in verb. Non videntur ſuprà eod.* & ſolve ut ibi. Vel dic ſecundùm Collect. *hic ad fin.* in terminis hujus cap. Non interceſſiſſe ſolam, & nudam opinionem, ſed voluntatem, & factum ipſum, & veritatem, quia hic Subdiaconus voluit contrahere, & contraxit de facto, id eſt, quantum in ſe fuit, ut dicitur *in d. c. Nuper*, & opere conſummavit, ut hic dicitur. Ad hoc *c. Si quis pulſatus, de pœnit. diſt.* 1. *cum ſimil.* 19

QUÆRO, An Clericus, qui cum vidua de facto matrimonium contraxit, & eam cognovit, privilegio Clericali gaudere debeat. 20

Propoſita quæſtio implicat duo dubia ſeorſim examinanda. Primum eſt, an hæc ſpecies bigamiæ, quæ contrahitur ex matrimonio invalido, excludat à Clericali privilegio Clericos minorum Ordinum. Secundum eſt, an excludat in ſacris conſtitutos. Circa primum de Clericis minorum Ordinum, quatenus ex matrimonio ſic contracto efficiantur bigami, qua de re latiſſimè agemus infrà in ultima quæſtione. Punctus difficultatis ad hoc reſtringitur, videlicet an *c. Unicum de bigam. lib.* 6. quod declarat bigamos omni privilegio Clericali eſſe nudatos, locum habeat in hac ſpecie bigamiæ, necne. Ad partem affirmati- 21

ti-

tivam inducitur primò textus *in c. De bigamis ſup. eod.* ubi verè, & interpretativè bigami per omnia æquiparantur. Sed verè bigami exuti ſunt omni privilegio Clericali, ut *d. c.un.* ergo & bigami interpretativè, quales ſunt contrahentes de facto, ut hìc, & in *c. Nuper ſup. eod.* & dixi ſuprà *in 2. not.* Secundò inducitur hoc cap. ubi patet contrahentes de facto cum vidua, vel corruptæ bigamiæ pœnam incurrere, licèt bigami non ſint. Sed præcipua pœna bigamię eſt amiſſio Clericalis privilegii, ut in prædicta decretali unica. Ergo hujuſmodi pœna incurritur etiam à ſic contrahentibus. Tertiò inducitur gl. 3. *in d. c. un.* quæ exponit verbum, *bigamos*, ſcilicet verè, vel interpretativè, inter quos recenſentur etiam qui de facto cum vidua, vel corrupta matrimonium contrahunt, ut proximè dictum eſt.

22 In oppoſitum eſt veritas, quæ ut faciliùs innoteſcat, obſervandum eſt interpretativè bigamos eſſe in duplici diffe-
23 rentia. Quidam enim ſunt bigami propter Sacramenti defectum ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *n. 5.* veluti cum quis validè contrahit cum vida, vel corrupta, juxta textum in *cap. Maritum 33. diſt.* qui dicitur bigamus interpretativè ſimpliciter ſecundùm Gemin. & alios proximè citandos, & in his concludendum eſt habere locum Conſtitutionem Concilii Lugdunenſis *in d. c. unico inf. eod. lib. 6.* ut ſcilicet omni privilegio Clericali ſint ſpoliati. Precipua ratio eſt, quia *d. c. un.* ut ibi notat gl. *in ver. Altercationis*, emanavit ad decidendam controverſiam, quæ olim erat inter Doctores antiquos ſuper interpretatione, *c. Quiſquis* 84. *diſtin.* in illis verbis: Omni Eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox denudetur, quibus non videbatur privatus, ſed privandus, quæ altercatio fuit deciſa *in d. c. Unico.* Sed illud *c. Quiſquis*, loquitur tantùm de Clerico, qui viduam, vel ſecundam uxorem duxit; & ſic de bigamo propter Sacramenti defectum: ergo eodem modo intelligi debet *d. c. Unicum*, quod emanavit ad illius declarationem, arg. *l. 2. C. De noxal.* & ita ibi concludit Gemin. Franch. & alii, Jo. Andr. & Abb. *in c. Joannes de Cler. conjug.* Capell. Tholoſ. *dec.* 64. & fuſiùs *dec.* 234. & hanc ſententiam aliàs probavit S. Congr. Cardinalium Tridentini Concil. interpretum. Cenſuit enim Clericum, qui minoribus ordinibus ſuſceptis cum vidua matrimonium contraxit, utì bigamum omni Clericali privilegio eſſe nudatum, & ſub pœna anathematis interdictum deferre tonſuram, & habitum Cle-
24 ricalem. Et in hac ſpecie bigamiæ procedit æquiparatio, quæ fit *in d. c. De bigamis ſup. eod.* dicit enim textus: De bigamis: & viduarum maritis idem ſancimus omninò: & in hoc caſu etiam loquitur gl. præall. *in ver. Bigamos*: nam poſteàquam expoſuit verbum illud, *bigamos*, id eſt, verè, vel interpretativè; immediatè hoc declarans ſubjungit, ut quia duas uxores habuit, vel cum vidua, vel corrupta contraxit, atque ita gl. reſtringit opinionem ſuam ad illam ſpeciem interpretativa, quæ contrahitur propter defectum Sacramenti. Quæ ſententia extra dubium eſſet ſi ſequeremur opinionem Rotæ, quam diximus eſſe veriorem ſuprà in 2. *notab.* ut ſcilicet maritus viduæ ſit verè, non autem interpretativè biga mus. Sed hìc non eſt caſus noſter.

Quidam verò ſunt bigami interpretativè, non propter defectum Sacramenti, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſequuto: ut cùm quis contrahit cum vidua, vel corrupta de facto propter aliquod impedimentum dirimens, quem Gemin. *in d. cap. unic.* & Aufrer. *in addit. ad dictam dec.* 64. appellant bigamum interpretativè non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; & tales dicendum eſt non comprehendi *in dict. cap. unic.* Ratio eſt, quia cùm conſtitutio illa loquatur ſimpliciter de bigamis, intelligi debet in propria ſignificatione, tum quia eſt pœnalis, cùm exuat tales omni privilegio Clericali, *c. Pœnæ, de pœnit. diſtin.* 1. tum quia hoc cap. *& cap. Nuper ſu-*
25 *prà eodem*, deviant à regula juris, quæ habet, ut quando actus non tenet ex impedimento juris, voluntas non habeatur pro facto, ut *l. Inter omnes*, §. *penult. ff. De furt. inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſcun.* §. *Placuit*, & notatur *in* §. *His autem ultima gloſſ. 22. quæſt. 5. & cap. In audientia infrà de ſentent. excomm.* & conſequenter jura prædicta extendi non debent ad illos, qui largè, & impropriè ſunt bigami, ſecundùm Cardin. *hic circa fin.* & ita tenent Gemin. Abb. & Capell. Tholoſ. *locis ſuprà citatis*, Stephan. Aufrer. *in tract. de poteſtat. ſæcul. ſuper perſon. Eccleſ. reg. 1. limit. 8. n. 16.*

Quibus etiam adjungi poſſunt Doctores, qui dicunt pri- 26
vilegio Clericali gaudere Clericum, qui uxorem poſt adulterium ab ea commiſſum carnaliter cognovit, quod tenent concorditer omnes, ut atteſtatur Capell. Tholoſ. *d. deciſ.* 64. referens ita fuiſſe deciſum in facti contingentia, quia talis non eſt bigamus propter defectum Sacramenti inſpecto initio, prout inſpici debet, ut dixi ſuprà *num.* 14. Et quamvis ſit bigamus quoad legem promotionis, non ta-
men quoad privilegium conceſſum Clericis conjugatis, per 27
c. un. de Cler. conjug. lib. 6. Sequitur Aufrer. ibi *in addit. & dicta limit. 8. nu.* 16. Decian. *in tract. crimin. p. 1. & lib. 4. c. 9. n.* 134. qui ſimiliter teſtatur ita judicatum fuiſſe, & Jul. Clar. *in pract. crimin.* §. *fin. q. 36. n. 7. verſ. Sed an ille.* Rurſus *d. c. un.* non habere locum in eo, qui contraxit plura matrimonia de facto nec talem amittere fori privilegium, tradit Marian. Socin. *in c. Pervenit n.* 101. *de ſent. excomm.*

Circa ſecundùm breviter concludendum eſt Clericos or- 28
dine ſacro inſignitos; qui de facto uxorem ducunt viduam, vel corruptam, non amittere privilegium Clericale, prout hìc concludit Hoſt. *n.* 3. dicens Subdiaconum, qui ſic contraxit juxta textum in præſenti retinere privilegium Clericale ſi corrigibilis ſit, *cap. dictum* 81. *diſt. c. Studeat* 50. *diſt.* aliàs ſecus, *c. Cùm non ab homine de judic. c. fin. de vita, & honeſt. Cleric. & c. 2. 3. & 4. de cohabitat. Cleric. & mulier.* & cum eo tranſeunt hìc Jo. Andr. *n.* 3. Collect. *in princ.* & Card. *col. ult.* qui hanc opinionem contra Boattinum dicit æquiorem, & illam approbat: & idem Joan. Andr. *in cap. Joannes infrà de Cler. conjug.* plenè Capell. Tholoſ. *dec.* 234. & Tiber. Decian. *tractat. crimin. part. 1. cap. 9. num.* 31. Nititur hæc concluſio triplici fundamento. Primum eſt, quia Conſtitutio Gregorii X. in *d. cap. unic. de bigam. lib. 6.* quæ loquitur ſimpliciter de bigamis, complectitur tantùm bigamos verè, vel interpretativè propter defectum Sacramenti, ſcilicet illos, qui ſecundam uxorem duxerunt, aut viduam, vel corruptam, ut oſtenſum eſt ſuprà *nu.* 23. nec locum habet in contrahentibus de facto, qui non ſunt bigami niſi fictè, propter affectum intentionis cum opere ſubſequuto, ut hìc dicitur, *& in c. Nuper ſup. eod. arg. cap. Si quem infrà de ſent. excomm. & c. Suſceptum, de reſcr. lib. 6.* & ita intelligunt *d. c. un.* Jo. Monach. Arch. Gul. de Monte Laud. & omnes gloſſantes illam decretalem, ut inquit Capella Tholoſ. *in præalleg. dec.* 234. Secundum fundamentum eſt, quia hæc decretalis, *& c. Nuper ſup. eod.* decidunt ſic contrahentes de facto non eſſe bigamos, ſed tantummodò bigamiæ pœnam incurrere quantum ad legem promotionis. Igitur hæc pœna extendi non debet ad privationem Clericalis privilegii, *ut c. 2. ſup. eod.* Tertium, & fortè validiùs fundamentum eſt, quia decretalis *unic. de bigam. lib. 6.* locum habet tantummodò in Clericis minorum Ordinum, nec extenditur ad conſtitutos in ſacris, ut dicam plenè *in q. ſeqq. à n. 39. uſq. in fin. quæſtionis.*

Secundò QUÆRO, An Subdiaconus à Summo Pon- 29
tifice diſpenſatus ad matrimonium contrahendum, qui poſteà cum vidua contraxit, & conſummavit, fori privilegio gaudeat, necne?

Præſens quæſtio duas habet difficultates. Altera eſt, an matrimonium obſtet Subdiacono, quo minus hoc privilegio uti poſſit. Altera an ei obſtet bigamia, eò quòd contraxerit cum vidua.

Quoad primam receptum eſt ſacrum ordinem non op- 30
poni matrimonio eſſentialiter, quia non habet intrinſecè annexum votum continentiæ, ſed lege poſitiva tantùm, ut docet D. Thomas *in 2. 2. qu. 88. art.* 11. ubi propterea aſ-
ſerit Eccleſiam poſſe diſpenſare in voto continentiæ ſole- 31
mnizato per ſuſceptionem ordinis ſacri: quam ſententiam ſequuntur ex Canoniſtis Jo. Andr. *in regul. Semel Deo in Mercurial.* Bellam. *in c. Sunt quidam 25. q. 1. in 3. qu.* gl. & Hoſtienſ. *in cap. Rurſus, qui Cler. vel voven.* Joan. Andr. & Anch. *in c. unico de voto libr. 6.* & eſt communis opinio, ut teſtatur Steph. de Gajet. *in repet. cap. Ad limina 3. qu. 1. in qu.* 194. *nu.* 464. *& ſeqq.* quam latè tuetur Navarr. *conſ.* 37. incipien. *Peto 1. num. 6. de voto.* Ideòque olim Sacerdotes veteris teſtamenti contrahebant, *cap. Tenere 31. diſtin.* & hodie Græci non tenentur continere, quia legem Canonicam hac in parte non ſuſceperunt, *c. Nicæna, c. Quoniam, & c. Aliter ead. diſt. c. Cùm olim de Cler. conjugat.* & no-

33 notatur *in c. Diaconi 28. diſt.* Quod nullam habet dubitationem quoad Subdiaconos: nam eis licuit habere uxores uſque ad tempora Gregorii I. ut patet *in c. 1. 31. diſt.* ubi cùm olim promoverentur Subdiaconi non promiſſa continentia: & licitè uterentur uxoribus, & beneficiis; & Pelagius Papa poſteà edidiſſet Conſtitutionem, in qua præcisè prohibuit, ne Subdiaconi ſuis uxoribus commiſcerentur: Gregorius illius ſucceſſor revocavit illam Conſtitutionem tamquam iniquam, ſtatuitque ut Subdiaconi, qui tunc erant, inviti non cogerentur; at in futurum nemo promoveretur, niſi continentiam voveret, quod refertur etiam *in cap. Multorum 27. q. 2.* & notat gloſſ. 1. *in d. c. Diaconi 28. diſt.* Ad idem text. *in c. Miramur de ſerv. non ordin.* Cujus hæc ſunt verba: licèt Subdiaconatus ſacer ordo non reputaretur in Eccleſia primitiva; tamen à Conſtitutione Gregorii, atque Urbani ſecundùm moderna tempora ſacer gradus eſſe minimè dubitatur, habetur in *c. Nullus 60. diſt.* & refertur *in c. A multis de ætat. & qualit.* quamobrem cùm ordo Subdiaconatus, & matrimonium eſſentialiter non ſint oppoſita, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ tantùm; hinc ſequitur, ut ſublato conſtitutionis impedimento per diſpenſationem Pontificis, Subdiaconus qui matrimonium legitimè contraxit, adhuc ſit immunis à poteſtate ſæculari, ſicuti erat ante matrimonium, tam ordinatione divina *c. Si imperator*, ubi Tancred. & alii notant *91. diſt. c. Quamquam de Cenſib. lib. 6.* quam ex Conſtitutione Eccleſiæ, ut *in c. 1. 2. & c. Si diligenti de for. comp.* & in Conc. Trid. *c. 20. ſeſſ. 25.* plenè Rota *dec. 10.* incip. *Utrum valeat conſuetudo*
34 *Anglicana de conſuet. in antiq.* Idque etiamſi habitum, & tonſuram non deferat, quia Conſtitutio Bonifacii VIII. *in cap. unic. de Cler. conjug. lib. 6.* & decretum Trid. Conc. *c. 6. ſeſſion. 23.* non ſtatuit niſi de Clericis conjugatis conſtitutis in minoribus, ut in *d. c. un.* notat Gemin. *in 1. not.* & Covarr. *pract. q. c. 31. ſub n. 6. verſ. Quintò hinc apparet, & c. 32. in fin.*

Secundò Clerici in minoribus licèt conjugati ideò fori privilegium retinent, quia matrimonium contrahunt lege permittente, nec ſtatus conjugalis eſt incompatibilis cum Clericali, ut fusè probat Lap. *allegat. 118. per tot.* Covarr. *d. c. 31. nu. 7.* & Clar. *in praxi*, *§. fin. q. 26. verſ. Quæro an*
35 *Clericus*. Sed & Subdiaconus in vim Apoſtolicæ diſpenſationis legitimè contrahit, nec ſtatus conjugalis eſt incompatibilis cum ſacro ordine, ut ſuprà oſtendimus. Ergo & Subdiaconus licèt conjugatus retinet fori privilegium. Sicuti videmus Milites Alcantaræ, & Calatravæ non ideò minus potiri privilegiis perſonarum Eccleſiaſticarum, quod matrimonium contrahant ex diſpenſatione Papæ, ut apud Navarr. *in tract. de reddit. Eccleſ. q. 1. monit. 55. & ſeq. & conſ. 10. & 11. de regul.* & Rot. *dec. 266. n. 5. p. 2. diverſ.* & de oblatis, qui ante, vel poſt oblationem matrimonium contraxerunt, ſcripſi plenè *in c. Ut privilegia n. 28. inf. de privileg.*

36 Ad hæc beneficium fori conceſſum eſt Clericis ratione characteris eiſdem indelebiliter impreſſi in ipſa ordinum ſuſceptione, Joan. Andr. *in d. c. unic. nu. 3.* Gemin. *ibid. §. 1. paulò ante fin. n. 7. in princ. verſ. Nam illud eſt privilegium*, Præpoſ. *in c. 1. ſub nu. 3. in ultimis verbis, & nu. 5. 11. q. 1.* Oldrad. *conſ. 83. nu. 5.* Sed per matrimonium ſubſequens character impreſſus non deletur, ut notat Abb. in *c. Joannes in 2. not. de Cler. conjugat.* & eſt Catholica veritas, ut in Concil. Florentino in decr. fidei, *§. Quintò*, & in Tridentino *ſeſſ. 7. de Sacram. can. 9.* Ergo nec fori privilegium tollitur. Et quamvis neque per degradationem deleatur character, & tamen Clericus degradatus ſubjiciatur ſæculari diſtrictione, *c. 2.* ubi gl. *fin. de pœn. lib. 6.* id tamen ſpecialiter ſtatutum eſt in pœnam Clericorum enormiter delinquentium, *c. Ad abolendam de hæret. cap. Super eo, & c. Accuſatus eod. tit. lib. 6. cap. Ad falſariorum de crimin. fal. & cap. Cùm ab homine de judic.* At Subdiaconus nihil peccat contrahendo Pontifice concedente, *c. Qui peccat 23. qu. 4. cap. Dixit 14. qu. 5. l. Gracchus, C. De adult. l. Auxilium, ff. De minor.*

37 Ac demùm Græci conjugati in ſacris ordinibus conſtituti gaudent privilegio fori Eccleſiaſtici, ut tenet Joan. de Imol. *in cap. Nullus nu. 3. infra de foro compet.* & Covarr. *pract. qu. c. 31. ſub nu. 5. verſ. Qua ratione*, ubi improbat conſuetudine Anglorum, apud quos Clerici conjugati, etiam in ſacris, coram judice ſæculari litigare coguntur, & refert eam improbaſſe etiam judices, Rot. *dec. 840. aliàs 10. de conſuet. in antiq. & dec. 2. in antiquior.* Idemque probant authores omnes, qui cenſent hoc privilegium extendi etiam ad uxores Clericorum. Quod ſenſit gl. *in c. 2. 11. q. 1.* Gemin. *in d. c. un. §. In cæteris n. 7.* & Franc. *ſub nu. 6. de Cler. conjug. lib. 6.* Abb. *in c. 2. n. 9.* ibique Imol. & Felin. *n. 3. de for. comp.* Dec. *in tract. de crim. t. 1. lib. 4. n. 53.* & eſt ratio, quia de hoc jure civili, & communi eſt, ut uxor ſequatur forum viri, *l. Cùm quædam puella, ff. de juriſd. omn. judic. l. penul. & fin. C. De Incol. lib. 10.* Abb. & Felin. *in d. c. 2. de for. compet.* etiam circumſcripto communi Clericorum privilegio, ſecundùm quod ex perſona Clerici etiam familiaribus privilegia communicantur, *l. 1. & 2. C. De Epiſc. & Cler.* gl. 1. *in c. Clericum 11. q. 1.* & ſic corruit argumentum Franchi *in d. c. unic* per illum text. in fin. ibi, *in cæteris*, & ad argumenta Joan. Andr. *in ead. c. un.* reſpondet Abb. *in d. c. 2.* Licèt cùm de hoc aliàs dubitatum eſſet, reſponſum fuerit non eſſe Sacræ Congregationis id decidere, ſed quæſtionem eſſe ſolvendam ex diſpoſitione juris communis, ut ſcripſi plenè *in d. c. 2. à num. 33. uſque ad num. 46.* Ergo eodem privilegio potiri debet etiam Subdiaconus Eccleſiæ Occidentalis, qui matrimonium contraxit ex legitima diſpenſatione: nam Græci uxorati ideò retinent Clericale privilegium, quia cùm Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſerit, *d. c. Cum olim de Cler. conjugat. c. Aliter 31. diſt.* & notatur *in cap. Diaconi 28. diſt.* uſus matrimonii non eſt illis interdictus. Quæ ratio viget etiam hoc caſu, quia Subdiaconus propter Pontificis diſpenſationem ſolutus eſt voto continentiæ perindè, ac ſi non voviſſet, & legitimè utitur matrimonio, ut initio diximus ex doctrina D. Th. & aliorum.

Quare, quoad hanc primam dubitationem videtur reſpondendum, matrimonium, ut proponitur, contractum non obſtare Subdiacono quo minus gaudeat exemptione à judicibus ſæcularibus, & revera abſurdum eſſet, ut exiſtens in ſacris ſubjiceretur laicorum juriſdictioni ob matrimonium contractum approbante Pontifice, cùm tamen ob quodcumque crimen quantumvis enorme, & irregularitatem irrogante fori privilegium non amittat ante actualem degradationem, & traditionem Curiæ ſæculari, *c. Cum non ab homin. de judic.* ubi omnes notant, & tradit Clar. poſt alios *in §. fin. q. 36. verſ. Succeſſivè quæro, & verſ. Dixi etiam*: & pro hac ſententia adducitur Navarr. *in d. tract. de red-*
dit. Eccleſ. monit. 55. n. 10. ubi in fortioribus terminis do- 38
cet, regularem ſolemniter profeſſum, qui ex diſpenſatione Summi Pontificis matrimonium contrahit, eſſe perſonam Eccleſiaſticam, & gaudere privilegio fori, & canonis. Pari enim paſſu ambulant quoad Clericale privilegium Clericus, & Profeſſus, ut notat Jo. Andr. *in c. unic. nu. 19. verſ. Et quæ dicta ſunt de Clerico procedunt in profeſſo ſupr. de oblig. ad ratioc.*

Quoad ſecundam verò difficultatem Bonaguida, aliàs 39
Boattinus Doctor antiquus *in cap. 1. ſup. eod.* opinatus eſt Sacerdotem, qui cum vidua matrimonium contraxit, eſse omni Clericali privilegio nudatum, ac poſse per judicem ſæcularem coerceri, & gl. *ult. in c. Si Subdiaconus 34. diſt.* dicit Subdiaconum, qui ſecundam uxorem duxit, de jure communi perdere privilegium Clericale, ſed loquitur ſecundùm illud tempus, quo Subdiaconatus non exiſtimabatur eſse inter ſacros Ordines, ut illic notatur; & advertit Sot. *in 4. ſent. diſt. 23. qu. 3. art. 3.* quod etiam ſenſit Navarr. *conſ. 3.* incip. *Quidam ex Illuſtriſſimo ſub num. 6.* ubi poſtquam dixit Pontificem poſse cum Subdiacono diſpenſare, ut ducat uxorem, ſubdit immediatè; diſpenſatus enim, ut contrahat matrimonium, eo contracto, & conſummato præſertim cum vidua, poteſt juſta bella gerere, milites ducere, ſententiam ſanguinis ferre, &c. Et perindè eſt ab Eccleſiaſtica poteſtate exemptus, ac quilibet alius laicus conjugatus jure ipſo communi id ſtatuente. Quo loco Navarrus loquitur apertè de Subdiacono; tum quia de eo proximè egerat, tum quia verba illa, *diſpenſatus ut contrahat matrimonium*, non poſſunt congruè referri ad Clericum in minoribus, qui nulla eget diſpenſatione ad matrimonium contrahendum. Jura tamen adducta à Navarro, nempè *cap. 1. de bigam. lib. 6.* & alia alium habent intellectum, ut inferius dicetur. Hanc eamdem opinionem ſequitur Sanch. *de matrim. lib. 8. diſp. 8. num. 11. verſ. Quare hinc infero*, ſed perfunctoriè loquitur, & nul-

lam

lam affert rationem, vel authoritatem. Ac demum idem cenſet Suarez adverſus Anglos *lib.9.c.28.n.3.*

Verùm huic ſententiæ nemo adhæret ex antiquis,& gravioribus ſcriptoribus; quia Conſtitutio Siricii Papæ relata *in Quiſquis* 84. *diſt.* & Gregorii X. in Concilio Lugdunenſi edita, per quas bigami declarantur omni privilegio nudati, & coercitioni fori ſæcularis addicti ad Clericos ſacris Ordinibus inſignitos non pertinent, nec ad eos extenduntur, ſed ad Clericos in minoribus tantùm, ut docet gloſſ. *in ver. Clericus in d. c. Quiſquis*, cui adhærent ibi Archid.& Præpoſ. & gloſſ. *in cap.unic. in ver. Bigamos, de bigam. lib. 6.* atque ibidem Archid.Jo.Andr.Gemin.Franc.& alii omnes, Tiber. Decian. *tract. crimin. cap.9.num.*31.ubi propterea cenſent exiſtentem in ſacris, ſi de facto contrahat matrimonium cum vidua, cenſeri quidem bigamum quoad inhabilitatem Ordinum per hoc cap. & *cap. Nuper ſuprà eodem*, ſed non quoad privationem privilegii Clericalis. Quod etiam tenent Hoſtienſ. & Joan. Andr. ambo *num.* 3. Collectar. *in princ.* & Cardin. *in ult. col.* Addo Capell. Tholoſ. *dec.* 234. Joan. de Montaige in *tr. de bigam. q. 5.effectu 4. ſub num.* 15.*verſ. Nono*, & eumdem Navarr. *in tract. de reddit. Eccleſ. monit.*55.*num.*13.Ratio differentiæ eſt, ut inquit Gemin. *ibi nu.* 6. quia in minoribus conſtitutus ſic contrahendo matrimonium, cùm ad ſæculum redeat, & non remaneat perſona Eccleſiaſtica, privatur fori privilegio; ſed conſtitutus in ſacris cùm propter characterem ordinis ſacri non poſſit ad ſæculum redire, nec deſinere eſſe perſona Eccleſiaſtica, retinet privilegium fori, & Joan. de Fan. ibidem eamdem rationem aſſignans dicit non eſſe juſtum, nec æquum, ut conſtituti in ſacris in pœnam bigamiæ exuantur privilegio Clericali, cùm jam religati divino obſequio ad laicalem ſtatum redire non valeant. Sequitur Joan. de Montaigne *de bigam. q.* 5. *effectu* 4. *num.* 24. *in fin.* ubi aſſerit cum Joan.de Fant.communiter tranſire omnes Doctores, & Silveſt. *in ver. Bigamia num.* 8. ubi reprobata opinione Boattini,atque aliis relatis, ſimiliter teſtatur hanc eſſe magis communem, & veriorem ſententiam; quæ in caſu ſpeciali, de quo agitur, redditur clarior, quia Summus Pontifex in litteris diſpenſationis, multifariam oſtendit hunc Subdiaconum non deſinere eſſe de foro Eccleſiæ; illi enim indulſit, ut poſſet abſque metu irregularitatis eſſe judex in cauſis criminalibus, etiamſi ſanguinis effuſio, membrorum mutilatio,ſeu mors inde ſequeretur. Rurſus eidem reſervavit penſionem Eccleſiaſticam ſuper Archidiaconatu,eumque obligavit ad recitationem officii B. Mariæ Virginis. Quæ omnia neceſſariò ſupponunt eum eſſe perſonam Eccleſiaſticam qui laici non egent diſpenſatione pro judicio in cauſis Capitalibus ferendo, nec ſunt capaces penſionis Eccleſiaſticæ, ut eſt notiſſimum, & ita reſolutum in Sacra Congregatione Concilii pro Archidiacono Toletano ex unanimi Patrum ſententia.

40 Tertiò QUÆRO: An diſpoſitio hujus Decretalis vendicet ſibi locum in Clerico minorum Ordinum,vel laico,qui cum vidua, vel corrupta de facto propter aliquod impedimentum dirimens matrimonium contraxit, & eam cognovit,adeòut exindè bigamiæ irregularitatem incurrat.

Ad partem negativam arguitur primò, quia irregularitas non inducitur, niſi in caſibus à jure expreſſis, *c. Super eo, ſupra eodem*, & dictum eſt ſuprà *num.* 7. At nullibi reperitur Jure cautum, ut Clericus minorum Ordinum, vel laicus invalidè contrahens cum corrupta incurrat irregularitatem; cùm Jura,quæ contrahentibus de facto hanc pœnam infligunt, loquantur de Clericis ad ſacros Ordines promotis, ut inferiùs dicetur.

Secundò omnis bigamia, vel eſt vera, vel interpretativa,vel ſimilitudinaria,ſecundùm Speculat. *in tit. diſpenſat. §.Juxta num.6.*& fuſius oſtenſum eſt ſuprà *num.* 2. Hoc autem caſu non adeſt bigamia vera, quia talis non contraxit validè cum duabus ſucceſſivè, *cap. Acutius, & cap. Deinde* 26.*diſt.* neque interpretativa,quia non contraxit cum duabus invalidè,vel cum una validè,& cum alia invalidè, ut in *c.Nuper ſuprà eod.*nec cum corrupta validè; ut *in cap. Maritum* 33.*diſt.*neque ſimilitudinaria, quia non contraxit de facto cum unica, & virgine poſt votum ſolemne ſacri Ordinis, vel Religionis, ut *in cap. Quotquot* 27. *qu.* 1.& ita per hæc fundamenta concludit Navarr.*conſ.*1.quod incipit *Quidam laicus hoc tit.* & idem firmat *in Man.cap.* 27. *num.* 195.ubi etiam teſtatur ſic nuper concluſum fuiſſe in ſacra Pœnitentiaria,& eidem ſententiæ poſteà adhæſerunt Gregor. de Valen.*in* 4. *par.diſp.*7.*qu.*19.*punct.*3.*in prima ſpecie irregularitatis*,& Sanch. alios recentiores adducens *de matrimon.diſp.*84.*num.*11.Et tenendo hanc partem non obſtat ſecundùm Navarr. hæc Decretalis, quia non loquitur de Clerico minorum Ordinum, ſed de Subdiacono, qui per ſuſceptionem ſacri ordinis Subdiaconatus obligatur voto ſolemni, quo contraxit ſpirituale matrimonium cum Chriſto.ut *cap. A multis ſupra de ætat.& qualit.*juncto *cap. unico de voto lib.6.* unde poſteà contrahendo, licèt de facto, aliud matrimonium carnale, bigamiæ pœnam incurrit, ut *hic*. Quæ ratio non viget in Clerico minorum ordinum, vel laico, qui prius nullum ſpirituale conjugium contraxit, ut palam eſt. Undè meritò Innoc. *in cap. Nuper ſup. eod.* exponit illud verbum, *Clericis*, id eſt,in ſacro Ordine conſtitutis,quaſi per hoc ſentiat illam Decretalem non habere locum in Clericis minorum ordinum,& eodem modo reſpondetur ad *c.*1. *infrà,qui Cler.vel voven.& ad cap. Sanè Sacerdotes de Cler. coniugat.* Illud enim loquitur de Diacono; hoc verò de Presbyteris, qui poſt contractas nuptias ſpirituales contraxerunt, licèt invalidè;aliàs carnales.

Ad contrariam partem inducitur textus hìc, qui non fundat ſe in ratione illa, quod Subdiaconus per ſacri Ordinis ſuſceptionem contraxerit ſpirituale matrimonium cum Chriſto, ut putavit Navarr. aliàs enim Subdiaconus incurrere t pœnam, de qua hìc, etiam contrahendo cum unica, & virgine:nam & eo caſu vigeret illa ratio, quòd priùs contraxiſſet nuptias ſpirituales, & deindè carnales; & tamen Doctores communiter intelligunt Subdiaconum in hanc pœnam non incidere contrahendo cum vidua, niſi illa ſit corrupta, ſupplentes verbum, *Viduam*, ſcilicet, *& corruptam*, ne ſit contra *cap. Sanè,il ſecondo de Cler.coniug.* prout hìc ſupplent Abb. Antiq. Hoſtienſ. Joan. Andr. Bellam. & Card.omnes *in princip. in ver. Viduam*, & Butr.*n.*8. Quinimò hic textus ſi ſedulò expendatur, potius excludit rationem binarum nuptiarum: nam cùm dicat, hunc Subdiaconum incidere in pœnam bigamiæ non propter Sacramenti defectum; utique per hoc excludit rationem duplicis conjugii, ſpiritualis, & carnalis, quæ inducit defectum Sacramenti, cùm perimat ſignificationem conjunctionis, & unitatis Chriſti cum Eccleſia, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *num.* 13. Vera igitur ratio eſt, quæ exprimitur in textu, videlicet propter affectum intentionis cum opere ſubſequuto, quia quantum in ſe fuit, matrimonium contraxit, & conſummavit, ut *hic, & in cap. Nuper ſuprà eodem*. Hæc autem ratio æquè viget in Clerico minorum Ordinum, vel laico, qui invalidè contrahit propter impedimendum dirimens, atque in Subdiacono, cùm in utroque adſit affectus conjugii hìc ponderatus: nam in matrimoniis contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attenditur, ut legitur *in d. c. Nuper*, & in maleficiis ſpectatur voluntas,non exitus,*cap.ult.*48.*diſt.l. Divus,ff.ad leg. Cornel.de Sicar.& l.Servo, C.eodem*, ſecundùm Innoc. *in dict. cap. Nuper num.*2.& Hoſtienſ.*num.*5.Ergo quamvis 42
textus loquatur de Subdiacono;tamen vendicat ſibi locum etiam in Clericis inferioribus,& laicis,qui ſub dicta ratione includuntur: nam ubi ratio legis, vel Canonis eſt amplior, vel generalior dicto, ſeu diſpoſito, tunc ad ampliationem rationis extenditur ipſa diſpoſitio,text. eſt *in l. Regula,§.fin.* & ibi Bart.& Bald.notant,*ff.de jur.& fact.ignor.* & hoc pro regula conſtituunt Cardin. in Clem.1.*num.*18.*de elect.*Abb.*in cap. Sicut circa finem de teſtib.* Corſett. *ſingul. ſuo* 23. *& ſingul.* 218. Everar. *in ſua centuria legali in loco à ratione legis larga*, & paſſim Doctores. Quæ regula procedit etiamſi materia ſit exorbitans, & pœnalis, ut eſt gloſſ.*not.ib. in dict. Clem.* 1. *in ver. Eligatur de elect.* Item gloſſ. *in cap.Cupientes,§.Denique in ver.Inſtructas eod.tit.*& tradunt Gemin.*conſ.*37.*Dubitatur de duobus num.* 6. *verſ. Item licet conſtitutio*,Petr. de Anchar.*conſ.* 304. *Iſta allegata num.*4.& Cravett.*conſ.*227.Jaffredus *Regiſ.nu.* 4. 5. *&* 6. Et ex hoc tollitur primum fundamentum contrariæ ſententię quod pęna irregularitatis non ſit inducenda,niſi in caſibus à Jure expreſſis. Quoniam caſus, de quo agitur, ſatis dicitur expreſſus in Jure, cùm includatur ſub generali ratione expreſſa in hoc *cap.Ita notabiliter*,dicit gloſſ.præalleg.*in d.c.Cupientes,§.Denique in ver.Inſtructas*,& Paul. de Caſtr. *conſ.* 441. *Pro declaratione num.* 6.*verſ. Item caſus tacitus à*

ſta-

ſtatuto videtur expreſſus lib. 1. nam ut ait Calder. *conſ.* 1. *Ut*
43 *lit. penden.* ubi locum habet legis ratio, circa id prodita dici debet lex, & ſecundùm Bald. *conſ.* 384. *Statuto Civitatis col.* 2. *n.b.* 5. quæ ſunt ejuſdem rationis includuntur ſub diſpoſitione ex ſignificatione, id eſt, tamquam expreſſa propriè, non tacitè, & ſequitur Cravet. plura cumulans *conſ.* 183. *Regula num.* 3.

44 Secundò ad hanc partem inducitur textus *in cap. Nuper ſupra eodem*, ubi qui de facto ſecundam uxorem accepit, bigamiæ pœnam incurrit, licèt bigamus non ſit. Qui textus loquitur de Clerico in ſacris Ordinibus conſtituto; & tamen procedit etiam in Clerico minorum Ordinum, & in laico, qui contraxit ſecundum matrimonium de facto propter quodcumque impedimentum dirimens, ut tenet ibi Hoſt. *num.* 4. *in ver. Clericis*. qui expreſsè ponit exemplum in Clerico minorum Ordinum, qui contraxit ſecundum matrimonium de facto cum conſanguinea, vel affine: & conſentiunt ibi Joan. Andr. Card. Butr. & omnes; & in non Clerico Silveſt. *in ver. Bigamia num.* 7. *verſ. Et ſimiliter*, & fatetur Navarr. *in prælleg. conſ.* 1. *nu.* 8. Ergo eodem modo textus noſter, quamvis loquatur de Subdiacono, tamen includit etiam Clericum minorum Ordinum, & laicum qui contraxit cum vidua, vel corrupta de facto propter impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel aliud ſimile, arg. *cap.* 2. *ſupra de transl. Epiſcopi.* Et ſtringitur argumentum, quia textus decidit tales non eſſe bigamos, ſed bigamiæ pœnam incurrere, & rationem exprimit non propter defectum Sacramenti, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſequuto. Cùm ergo hos caſus nectat eadem ratio, quoad juris diſpoſitionem non ſunt ſeparandi: textus *in l. Illud*, & ibi Oldrad. *ff. ad leg. Aquil.* & notat Bald. *in l. De quibus, ff. De legibus*, ait enim: Ubi eſt eadem ratio in pluribus caſibus, una & eadem ratio decidit omnes illos caſus, non per extenſionem, ſed ſicut genus comprehendit ſpecies, ſic generalis ratio diverſas ſpecies. Quod Baldi dictum pro eleganti referunt, & ſequuntur Paul. de Caſtr. *d. conſ.* 441. *num.* 6. *ad fin. lib.* 1. & Cravet. *d. conſ.* 183. *num.* 3. Et hinc patet reſponſio ad authoritatem Innocentii *in d. c. Nuper.* Ipſe enim exponit verbum, *Clericis*, id eſt, in ſacris conſtitutis, quia textus de illis loquitur non ad excluſionem inferiorum Clericorum, ſed in quantum ordo ſacer eſt impedimentum dirimens matrimonium: unde ex quocumque capite proveniat impedimentum dirimens ſive in Clerico, ſive in laico, procedit illa deciſio ſecundùm omnes.

Tertiò ad idem arguitur, quia contrahens cum duabus ſucceſſivè, & ſemel contrahens cum corrupta in omnibus æquiparantur ubi matrimonium eſt validum, *cap. De bigamis ſupra eodem*, & latè oſtenſum eſt ſuprà *in* 2. *notab.* Ergo eodem modo æquiparantur cùm matrimonium eſt nullum, ut idem operetur oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propoſito, ut *l. Si ex toto, ff. De legat.* 1. *leg.* 3. *§. fin. l.* 4. *& l. Legata in fin. ff. De adimen. legat.* & contrariorum eadem ſit diſciplina, ut *leg.* 1. *ff. De his qui ſunt ſui, vel alien. jur. cum ſimil.* Sed contrahens nulliter, & de facto cum duabus incurrit pœnam bigamiæ, etiamſi ſit Clericus in minoribus, aut laicus, ut ſuprà proximè oſtenſum eſt. Ergo eamdem pœnam incurrit Clericus, vel laicus contrahens nulliter cum vidua, vel corrupta: & revera negari non poteſt, quin iſti duo caſus æquiparentur conjungendo deciſionem *dict. cap. Nuper*, cùm deciſione textus noſtri. Et per hoc patet reſponſio ad ſecundum fundamentum Navarri, quòd talis non ſit bigamus verè, nec interpretativè, nec ſimilitudinariè: nos enim dicimus contrahentem cum vidua de facto ſive propter impedimentum Ordinis ſacri, ſive propter quodcumque aliud impedimentum fieri bigamum interpretativè per hoc cap. Sicut efficitur talis, qui contrahit cum ſecunda de facto: & ſic diviſio illa trimembris non eſt integra, quia in ſecundo membro interpretativæ omittitur hæc ſpecies, quæ incurritur propter matrimonium quomodolibet contractum de facto cum vidua, vel corrupta.

Ultimò ad hanc partem inducitur theorica Joan. Andr. 45
in dict. cap. Nuper nu. 5. ubi regulam generalem conſtituit his verbis: *Quomodocumque non teneat matrimonium conſanguinitate, affinitate, voto, vel alia quacumque de cauſa, ſi de jure contractum induceret bigamiam, contractum de facto copula ſubſequuta inducit pœnam bigamiæ, & infrà: Satis eſt enim quod habuerit affectum coniugii, & iſte affectus hic attenditur, ut dixi ſupra poſt Innocent. Sicut ergo publica honeſtas inducitur ex matrimonio, quod non tenet, dummodo teneat ex conſenſu, de ſponſal. cap. unic. lib.* 6. *ſic ex tali matrimonio conſummato inducitur bigamia.* Hæc ille. Et eamdem regulam ante ipſum poſuit *ibid.* Hoſt. *n.* 4. *in ver. Clericis*, & eam ſequuntur Collectar. *num.* 3. Butr. *num.* 8. Cardin. *in* 6. *notab.* Anchar. *in* 3. *notab.* & Joan. de Anan. *num.* 2. Sed matrimonium de jure contractum cum vidua, vel corrupta inducit bigamiam etiam in Clerico minorum Ordinum, & in laico, ut *c. Si quis viduam* 1. *&* 2. 34. *diſt. c. Quiſquis* 84. *diſt. & c. Maritum* 33. *diſt.* Ergo contractum de facto etiam in talibus inducit pœnam bigamiæ.

Et hanc ſententiam ſequuntur Domini de Rota *deciſ.* 1. *de bigam. in nov.* ubi articulo de mandato Papæ maturè diſcuſſo unanimiter reſolvunt Clericum minorum Ordinum, qui de facto contraxit cum vidua, eſſe bigamum interpretativè, & egere diſpenſatione Apoſtolica; ſubeſſe tamen juſtam cauſam diſpenſandi, quia ille Clericus ignoravit impedimentum, & poſteà matrimonio divortiato, bona fide intravit religionem, & promotus fuit ad omnes ſacros Ordines, & ita Urbanus VI. diſpenſavit propter illam deciſionem, ut ibi refertur. Quamobrem ſententiæ S. Pœnitentiariæ opponitur ſententia Papæ, qui diſpenſando utique probavit tales contrahere irregularitatem bigamiæ, & egere diſpenſatione Apoſtolica. Eidem ſententiæ adhæſerunt *in Summa hujus tit.* Goffred. & Hoſtienſ. *num.* 3. *§. Quot ſunt ſpecies, verſ. Quartò*, Alber. *in Dictionar. littera B. in ver. Bigamia in fin.* Aſten. *in Summa* 2. *par. lib.* 6. *tit.* 7. *art. unic. quæſt.* 2. Montaign. *de Bigam. qu.* 6. *num.* 2. *verſ. Quarto*, & ex Theologis Richard. *in* 4. *diſt.* 27. *art.* 4. *q.* 3. *in corpore, & ad primum*, & Petr. de Palud. *ibid. quæſt.* 4. *art.* 4. *num.* 28. *& diſt.* 38. *art.* 5. *concluſ.* 2. *in fin. num.* 34. Et eſt communis omnium ſententia, ut teſtatur Covarr. in Clem. *Si Furioſus par.* 1. *§.* 2. *num.* 2. *verſ. Secundò, & tertio de homicid.*

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Innocentius III.

CAPUT VII.

Ad hæc nos dicimus: & infrà. Sanè conſuluit nos tuæ fraternitatis devotio, quid ad officium Archidiaconi debeat pertinere: & in quibus per ipſum cura Epiſcopalis ſolicitudinis debeat relevari; & nos, prout poſſumus, reſpondemus, quòd Archidiaconus (ſecundùm ſtatuta beati Iſidori) imperat Subdiaconis, & Levitis: Parochiarum ſolicitudo & earum ordinatio ad ipſum pertinet: & audire debet jurgia ſingulorum. Archipresbyteri autem, qui à pluribus Decani nuncupantur, ejus juriſdictioni ſe noverint ſubjacere. Secundùm verò Romani ordinis conſtitutionem, major poſt Epiſcopum, & ipſius Epiſcopi Vicarius reperitur: omnem ſolicitudinem & curam, tàm in Clericis, quàm

in Eccleſiis eorum (prout meliùs ſecundùm Deum poterit) impendendo: cùm ſuper his ſit redditurus rationem in diſtricti examinis judicio. Item in Epiſtola beati Clementis Papę prędeceſſoris noſtri oculus Epiſcopi Archidiaconus appellatur: ut loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat & emendet: niſi adeò fuerint ardua negotia, quòd abſque majoris ſui pręſentia nequeant terminari. In quadam verò noſtra conſtitutione jam alia vice, nos meminimus expreſſiſſe, quòd inſtitutio corporalis, tam ſuper beneficiis, quàm etiam dignitatibus, ad ipſum debeat pertinere: examinatio etiam Clericorum, ſi fuerint ad ſacros ordines promovendi; & hoc idem in collationibus beneficiorum credimus obſervandum: ut qui beneficiis Eccleſiaſticis præficiendi fuerint, à ſuo prius examinentur Archidiacono, & per ipſum poſtmodum Epiſcopo præſententur. Subſequenter poſteà quæſiviſti, utrùm decani rurales, qui pro tempore ſtatuuntur, ad mandatum tuum ſolùm vel Archidiaconi, vel etiam utriuſque inſtitui debeant, vel deſtitui, ſi fuerint amovendi. Ad hoc breviter reſpondemus, quòd cùm ab omnibus: quod omnes tangit, approbari debeat, & cùm commune eorum decanus officium exerceat, communiter eſt eligendus, vel etiam amovendus.

S U M M A R I U M.

1 *Archidiaconi, & Archipresbyteri officia quomodo invicem ſe habeant, & in quibus diſtinguantur, & num. ſeqq. uſque in fin.*

2 *Dubia plura inter Archidiaconum, Archipresbyterum Atrien. & n. 10. verſ. Ex ſupradictis.*

3 *Archidiaconus, & Archipresbyter Vicarii Epiſcopi à jure ſunt conſtituti.*

4 *Dignitates Archidiaconatus, & Archipresbyteratus habent ſe tamquam excedentia, & exceſſa.*

5 *Archipresbyter eſt major ordine, Archidiaconus eſt major adminiſtratione.*

6 *Archidiaconi poteſtas quæ complectatur.*

7 *Archidiaconus unde dicatur.*

8 *Archipresbyteri officium quod ſit, & n. ſeqq.*

9 *Archidiaconus eſt Vicarius Epiſcopi quoad juriſdictionem, Archipresbyter quoad Sacerdotalia,*

10 *Archipresbyter in quibus ſubſit Archidiacono, & numer. 16.*

11 *Presbyteri Cardinales qui dicantur.*

12 *Archipresbyter poteſt vices ſuas alteri delegare.*

13 *Divinorum celebratio an ſpectet ad Archidiaconum, vel Archipresbyterum.*

14 *Conſuetudines, & Conſtitutiones per diverſa loca prævalent in officiis.*

15 *Archidiaconi, Præpoſiti, & Decani ferè tot ſunt ex conſuetudine, quot ſunt Eccleſiæ.*

16 *Archidiaconus poſt Epiſcopum omnibus præeſt.*

17 *Si ſit Presbyter, in quibus præſit Archipresbytero.*

18 *Jura nihil magis abhorrent, quàm unum occupare officia duorum.*

19 *Epiſcopus ordine non eſt minor Archiepiſcopo, nec Presbyter Archipresbytero.*

20 *Papa, & omnes alii Epiſcopi ſunt coæquales in his, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis.*

Cauſa naturalis in concurſu prævalet accidentalis, ibidem verſ. Nam ubi concurrunt.

21 *Canonicus ratione Præbendæ Subdiaconalis dicitur Subdiaconus, licèt ex accidenti ſit Presbyter, & Miſſam ſolemnem non celebrat, ſed inſervit in officio Subdiaconi, & ſedet poſt Canonicos Diaconos.*

Euchariſtiæ cuſtodia an ſpectet ad Archidiaconum, vel ad Archipresbyterum, ibid. verſ. Decii conſ.

22 *Abbates, & Abbatiſſas ponere in ſede, & inſtitutio corporalis ſpectat ad Archidiaconum.*

23 *Archidiacono quæ competant de jure communi.*

24 *Jurigia appellatione quid veniat.*

25 *Archidiaconi jus examinandi promovendos ad ordines, & beneficia, an ſit ſublatum à Concilio Tridentino.*

26 *Archidiaconus cur dicatur oculus Epiſcopi.*

27 *Poteſt modicam pœnam imponere, & ad modicum tempus ſuſpendere.*

28 *Habet curam.*

29 *Eſt Vicarius Epiſcopi in omnibus, & habet juriſdictionem ordinariam.*

30 *Archidiaconatus dignitas poſt Epiſcopalem eſt major dignitas in Eccleſia Dei, & ſicut major Abbatiali.*

31 *Epiſcopus an poſſit removere Archidiaconum à Vicaria, & illius munera exercere.*

32 *Archidiaconus eſt Vicarius non ab Epiſcopo aſſumptus, ſed datus à jure.*

A*D hæc*. Dicit primò, quod ſit officium Archidiaconi, & in quo per eum relevetur Epiſcopus. Secundò dicit, Decanus rurales per Epiſcopum, & Archidiaconum eligendos, & amovendos, ſi illorum vices communiter gerant. Secunda ibi, *Subſequenter*. Et quælibet pars ſubdividitur in conſultationem, & reſponſionem.

QUÆRO, cùm textus dicat Archipresbyteros juriſdictioni Archidiaconi ſubjacere, quomodo ſe invicem habeant, & in quibus diſtinguantur officia Archidiaconi, & Archipresbyteri; & in ſpecie quid dicendum de infraſcriptis controverſiis vertentibus inter Archidiaconum, & Archipresbyterum Atrien. 1

Primò ſcilicet, quis eorum in feſtivitatibus Miſſarum ſolemnia celebrare debeat. 2

Secundò, quis ferre debeat Sacramentum ad Sepulchrum feria quinta majoris hebdomadę, & in feſto Corporis Chriſti proceſſionaliter.

Tertiò, quis debeat aperire portam, quam vocant Sanctam, in Aſſumptione Beatæ Mariæ, qua aperta incontinenti nulla interpoſita mora de dicta porta incedendo ad Altare majus proceſſionaliter, ſtatim inchoantur primæ veſperæ ſolemniter.

Quartò, quis debeat communicare populum in Eccleſia, & præſertim in Paſchate Reſurrectionis.

Quintò, quis debeat dare benedictiones Presbyterales in Eccleſia Cathedrali, & pręſertim in proceſſionibus quadrageſimalibus.

Sextò, quis portare debeat Crucem in die Veneris ſancti, & ſabbati Pentecoſtes.

Septimò, quis aſperget populum in Eccleſia prædicta Aqua baptiſmali in die Sabbati ſancti, & Sabbati Pentecoſtes.

Ultimò, cui competat in poſſeſſionem mittere Prælatos, item & Canonicos novos.

Et quidem cùm Epiſcopus multiplici cura, variiſque oneribus, ac ſolicitudinibus prematur, ad eum laboribus aliqua in parte ſublevandum ſacri Canones duos ipſi Vicarios, Archidiaconum ſcilicet, & Archipresbyterum conſtituerunt, ut inter eos, quamvis ipſe idoneus, eſſet, ſua onera partiretur, ut patet hìc, *& in cap.* 1. *ſuprà eodem*, & *in cap.* 1. ibi, *Ad vicem ejus infrà de offic. Archipresbyt.* & notat Hoſt. *in Summa hoc tit.* §. *Quis dicatur in princ.* & *in* §. *Quod ſit ejus officium, verſ. Et demum, & tit. de offic. Archipresbyt.* §. *Quæ pertinent, verſ. Hæc quæ ſuprà, & verſ. Ad Epiſcopum.* 3

Hæ duæ dignitates habent ſe tamquam excedentia, & exceſſa. Altera enim aliquibus reſpectibus eſt minor, & aliquibus eſt major altera, ut per Hoſt. *dict.* §. *Quis dicatur, verſ. Quarta hoc tit.* Joan. Andr. *in d. c.* 1. *de offic. Archipresbyt. in gloſſ.* 1. 4

Archidiaconus quidem eſt major Archipresbytero adminiſtratione: Archipresbyter verò eſt major ordine, gloſſ. *in cap. Deliberatione in ver. Electio de offic. Leg. lib.* 6. Hoſt. & DD. *in locis ſuprà citatis.* 5

Utriuſque dignitatis diſtincta ſunt munia, & officia, quæ ſpeciali utriuſque titulo ſunt comprehenſa.

Archidiaconi ſanè poteſtas, & juriſdictio complectitur jus viſitandi, jurgia audiendi, & alia mandandi, ac faciendi, quæ habentur in textu *hic*, *& in cap.* 1. *ſuprà eodem*, & recenſentur præter alios diligenter ab Anton. de Butr. & Abbate *hic in princ.* ab Hoſt. *in dict.* §. *Quod ſi ejus officium*, Joan. Andr. *in cap. Officium ſuprà eodem*, & Silveſt. *in ver. Archidiaconus nu.* 1. *verſ. Ubi verò non eſſet talis conſue-* 6

ſuetudo, adeòut officium Archidiaconi ad duo præcipuè
capita reducatur, videlicet ad ea, quæ ipſi competunt tam-
quam Principi Diaconorum Cathedralis, atque ad ea,
quæ ſunt ſimplicis juriſdictionis Epiſcopalis. Illa enim
competunt ipſi ea ratione, quia caput Diaconorum con-
ſtituitur, ut per Hoſt. in §. *Et unde dicatur hoc titulo*. Di-
citur enim Archidiaconus ſecundum eum ab *Archon*, *quod*
eſt Princeps, & *Diaconus*, quaſi Princeps Diaconorum,
& ſequitur Bellam. *in cap. 1. num. 7. ſupra eod.* Hæc verò ſunt
illi à jure tributa, ut Epiſcopus faciliùs vacare poſſit his,
quæ ſunt ordinis, atque authoritatis Epiſcopalis, à qui-
bus Archidiaconus excluditur, ut declarat poſt Hoſt. Jo.
Andr. *in cap. Dilecto infra eod.* & Henric. Boich. *ſuprà in c.*
Archidiaconis. Et hoc intendunt Anton. de Butr. & Abb.
hic in princip. dum dicunt Archidiaconi officium principa-
liter conſiſtere in relevando Epiſcopo in per ſe gerendis, &
aliqua habere eo quod Archidiaconus.

Officium autem Archipresbyteri illud eſt præcipuè, ut
præſit Præsbyteris in Presbyteralibus officiis, *cap. 1. infrà de*
offic. Archipresbyt. ubi DD. ut benedictiones Sacerdotales
in Eccleſia impertiatur abſente Epiſcopo, Confeſſiones au-
diat, Miſſarum ſolemnia celebret, ſolicitudinemque quo-
ad Sacramentum Euchariſtiæ, & Baptiſmatis gerat, & alia
præſtet, quæ copiosè ſcripta reliquit Hoſtienſ. in *Summa*
de officio Archipresbyt. §. *Quæ pertinet*, & ferè habentur
omnia in *cap. Miniſterium eod. tit.* adeòut ſi ſingulas fun-
ctiones ipſi attributas diſpiciamus, conſtet evidenter ei-
dem tamquam Presbyterorum capiti competere poteſta-
tem ſuper Presbyteris, atque rebus, quæ ab illis admini-
ſtrandæ, ac peragendæ ſunt ratione Ordinis Presbyteralis.
9 Hinc rectè utriuſque muneribus perpenſis, ſcripſit Joan.
Andr. *in cap. 1. tit. prox.* Archipresbyterum gerere vicem
Epiſcopi quoad Divinorum celebrationem; Archidiaco-
num verò quoad juriſdictionem, vel ut inquit ibidem
Cardin. *num. 1.* Archidiaconus eſt Vicarius Epiſcopi quoad
10 juriſdictionem; Archipresbyter verò quoad Sacerdota-
lia. Et quamvis Archipresbyter ſubſit Archidiacono, ut
hìc. *& in cap. 1. infrà tit. prox. & in cap. Perlectis 25. diſt.*
id tamen eſt intelligendum quoad ea tantùm, quæ Archi-
diacono competunt de jure, vel conſuetudine, ſecundùm
Innoc. *in d. c. 1. in ver. Et intellige*. Et Jo. Andr. *ibidem poſt*
princ. & ſic ratione hujus juriſdictionis Archidiaconus nul-
lam habet authoritatem in Archipresbyterum quoad ea,
quæ ſibi non ſunt à jure communi tributa.

Ex ſupradictis fluunt ſua ſponte ſolutiones ſeptem du-
biorum, quæ inter Archidiaconum, & Archipresbyte-
rum ſunt excitata; nam cùm ex his quædam ſint ſpeciali-
ter Archipresbytero tributa, ſcilicet ut Miſſarum ſolemnia
celebret, per text. in *d. c. 1. de off. Archipresbyteri*, & ſo-
lemnes benedictiones impertiatur, juxta *c. Officium eod.*
tit. alia verò, quæ continentur in dictis ſeptem dubiis, ce-
lebrationem Divinorum reſpiciant, & à Presbyteris ſint
præſtanda; ſequitur ut ad Archipresbyterum, non autem
ad Archidiaconum pertineant, ut deducitur ex ſupradictis,
quibus conſtat hæc eſſe attributa Archipresbytero, non
autem Archidiacono, & hoc eſt, quod dicit textus in *dict.*
cap. Miniſterium, videlicet Archipresbyterum, ſi defue-
rit Epiſcopus, debere providere cuncta, quæ in Sacerdo-
11 tum miniſterio ſunt præſtanda. Et quod adnotavit Hoſt.
in Summa de offic. Archipresbyteri, §. *Quæ pertinent*, *verſ.*
Tertio debet, nempè Archipresbyterum debere provide-
re miniſterium Presbyterorum Cardinalium, id eſt, Ec-
cleſiam regentium, à cardine, quo oſtium ſuſtentatur, ſic
dictorum, ut ipſe declarat, & habetur in *dict. cap. Miniſte-*
rium. Et confirmatur, quia cùm prædicta Decratalis,
Miniſterium, apertè concedat Archipresbytero, ut pro-
videat cuncta præſtanda in miniſterio Sacerdotum, exce-
ptis his, quæ ſunt prohibita, quæ ſecundùm gloſſ. ibi in
ver. Prohibita, continentur *in cap. Quamvis 68. diſtinct.*
& ſunt omnia ordinis Epiſcopalis, adeòut ad ea accerſiri
debeat vicinus aliquis Epiſcopus, ut ibi gloſſ. & Doctores
notant, & Hoſtien. *in dict. verſ. Hac quæ ſuprà*. Sequitur
hinc, ut exceptio firmet regulam in omnibus aliis ca-
ſibus non exceptis, & ita in omnibus, quæ ad Sacer-
dotum miniſterium pertinent, & non ſunt ordinis E-
piſcopalis, Archipresbyter eſt præordinator. Hæc au-
12 tem Archipresbyter, vel per ſeipſum præſtare debet,
vel committere alii, ut patet ex notatis per Hoſtienſ.
in *dict.* §. *Quæ pertinent*, *verſ. Hæc quæ ſuprà*.

Non obſtat, quòd ibi Hoſtienſ. poſteàquam explicavit 13
jus Archipresbyteri quoad Divinorum celebrationem,
ſubdat illud ſpectare principaliter ad Archidiaconum, &
ſecundariò ad Archipresbyterum ſub Archidiacono, qua
diſtinctione conciliat textum *d. c. Miniſterium*, tribuen-
tis Archipresbytero Divinorum præordinationem, cùm
dict. cap. Officium, quo cavetur Archidiaconum omne
Eccleſiaſticum officium debere providere. Id, inquam,
non obſtat, quia Hoſtienſ. ei ſolutioni non acquieſcit, cùm
poſteà aliam afferat, ut ſcilicet id proveniat ex diverſis
conſuetudinibus diverſarum Eccleſiarum. Et hanc poſte-
riorem ſolutionem, cui videtur Hoſt. adhærere, veram
eſſe, non autem priorem, probatur reſpondendo etiam
ad textum in *dict. cap. Officium*, quod etiam favet Archidia-
cono, & pugnat valdè cum *dict. cap. Miniſterium*: nam *d. c.*
Officium, loquitur de conſuetudine, quæ ubi non ſubeſt,
Archidiacono non competit jus ordinandi officium Eccle-
ſiaſticum. Id quod optimè colligitur ex traditis per Joan.
Andr. *hic in 2. col. verſ. In quadam*, dum ait, illa tantùm,
quæ continentur in hac Decretali, de jure ad Archidiaco-
num pertinere, adeòut in illis minimè opus ſit ipſum ali-
quid probare: Cætera autem omnia, quæ & in *d. c. Offi-*
cium, & toto hoc titulo habentur, procedere de conſue-
tudine, itaut niſi eam probet, debeat Archidiaconus ſuc-
cumbere, Joannem Andr. refert, & ſequitur Abb. *hic nu. 5.*
Et ſecundùm hanc doctrinam cùm Archidiaconus de
jure communi non habeat jus ordinandi officium Eccleſia-
ſticum, eò quòd jus hujuſmodi hìc non enumeretur: Hinc
reſultat, ut textus in *d. cap. Officium*, loquatur ubi viget
conſuetudo, qui intellectus congruit etiam cum ſupradi-
cta conciliatione, Hoſtienſ. ut ſcilicet Archipresbytero id
jus divina celebrandi competat de jure communi, juxta
dict. cap. Miniſterium. Archidiacono verò tantùm, ubi
eſt conſuetudo, ut in *d. c. Officium*. nam ut dicit Inno- 14
centius in *cap. 1. ſuprà eod.* Conſtitutiones, & conſuetudi-
nes per diverſa loca prævalent in officiis, *cap. Cùm olim de*
conſuet. Et ſecundùm Raymundum relatum à Silveſtro in 15
ver. Archidiaconus in princip. ferè tot ſunt in officiis Archi-
diaconatus, Præpoſiti, vel Decani, quot ſunt Eccleſiæ.
Undè in officio ſuo facit ſecundùm quod habet Eccleſiæ
ſuæ conſuetudo præſcripta, qua ceſſante, ſervandum erit
quod hìc dicitur ſecundùm Joan. Andr.

Prætereà ad textum in *d. c. Offic.* poteſt aliter reſponderi,
ut ſcilicet non procedat quoad miniſteria Presbyterorum,
quorum præordinatio pertinet ad Archipresbyterum, ſed
tantùm, ut determinet lectiones, & reſponſoria officii, &
ante illa auſcultet, ut declarat ibi Anton. de Butr. *n. 1.*

Non obſtat, quò ad Archidiaconum omnia pertineant 16
ſub Epiſcopo, cùm ſit Vicarius in omnibus, ut hìc, & ad
Archipresbyterum omnia ſub Archidiacono, adeòut poſt
Epiſcopum Archidiaconus omnibus præſit, ut notat Ho-
ſtienſ. *in Summa hoc tit.* §. *Et quibus præeſſe*. Nam reſpon-
detur doctrinam Hoſtienſis cum ſimilibus, quæ adduci poſ-
ſunt, eſſe ſano modo intelligendam, ut ſcilicet Archipres-
byter ſubſit Archidiacono eo modo, quo ut ſuprà dixi illum
ſubeſſe intelligunt Innoc. Jo. Andr. & Abb. *in d. c. 1. infrà tit.*
prox.

Secundò reſpondetur, hujuſmodi miniſteria ſpectare
quidem ad Archipresbyterum, non ad Archidiaconum, ſed
tamen Archipresbyter, etiam cùm illa præſtat, ſubeſt Archi-
diacono, adeòut ab eo viſitari, & corrigi poſſit, ac ſi in eis
quid perperam, aut inordinatè geſſerit, coerceri cùm hæc
omnia ad Archidiaconum jure pertineant, ut hìc.

Non obſtat, quòd agatur de Archidiacono, qui eſt Pres- 17
byter, quo caſu cùm ſit Archipresbytero major admini-
ſtratione, & par ordine, debeat ei Archipresbyter cede-
re, ut per Hoſt. in *cap. 1. num. 5. verſ. Quid ſi Archidiaco-*
nus, *de offic. Archipresbyt.* quem ibi ſequuntur Joan. And.
Butr. Anchar. & alii. Reſpondetur enim, doctrinam
Hoſtinſ. eſſe intelligendam quoad præcedentiam, ut ſcili-
cet in omnibus actibus indifferentibus Archidiaconus
Presbyter præferatur Archipresbytero: nam alioquin
ſi eam intelligeremus, ut miniſteria ad Archipresbyterum
jure pertinentia illi præcipere poſſet, Hoſtienſis uno ver-
bo ſubvertiſſet totum titulum de offic. Archipresbyt. Quis
enim eſſet Archidiaconus, qui non curaret ad Sacerdo-
tium aſcendere, cum non propterea amittat Archidiaco-
na-

natum, ut notat Goffred. in *c. Ad ſupplicationem de renunc.* quem ibi ſequuntur Hoſtienſ. Joan. Andr. & alii. Præterea cùm Jura miro ordine conſtituerint has duas dignitates ad relevandum Epiſcopum, & cuique propria munia ita aſſignaverint, omnia perverterentur ſola Archidiaconi voluntate, ubi ſcilicet Presbyteratus ordinem ſuſciperet; tunc enim Archidiaconus tot curis implicitus, quot in hoc, & ſequenti titulo continentur, vix illis par eſſe poſſet, & Archipresbyter omni jure ſibi adempto, ludibrio
18 omnibus eſſet. Quodquam ſit abſurdum, nemo non videt, cùm jura nihil magis abborreant, quàm unum occupare officia plurium, *cap. Singula 89. diſt.* ubi Gregorius. *Sicut*, inquit, *varietas membrorum per diverſa officia, & robur corporis ſervat, & pulchritudinem repræſentat, ita varietas perſonarum per diverſa nihilominus diſtributa officia, & fortitudinem, & venuſtatem ſanctæ Eccleſiæ Dei manifeſtat. Et ſicut indecorum eſt in corpore humano, ut alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, ſimulque turpiſſimum eſt, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtributa*, quem text. cum aliis concordantibus ad probandam duorum officiorum incompatibilitatem, adducit Alphonſ. Hoieda *in tract. de incompatibil. benef. cap. 8. n. 4.*

19 Accedit, quod ratio, ob quam Archipresbyter præeſt Presbyteris, & Presbyteralibus officiis, ea eſt, quia ipſe eſt caput eorum, quamvis ſit eis æqualis in ordine:
20 nam ſicut Epiſcopus ordine non eſt minor Archiepiſcopo, quia Archiepiſcopus Epiſcopus eſt: imò Papa, & omnes alii Epiſcopi ſint coequales in his, quę ſunt ordinis Epiſcopalis, ut docet S. Thomas in 4. *diſt.* 24. *qu.* 3. *art.* 2. *qu.* 3. *ad* 3. ita & ſimplex Presbyter non eſt minor ordine Archipresbytero; quia & Archipresbyter Presbiter eſt, ut per Hoſtien. *in Summa hoc tit.* §. *Unde dicatur*, ex quo ſequitur, ut hæc miniſteria non competant Archipresbytero propter ſolùm ordinem, ſed quia ſunt aſſignata peculiariter ſuæ dignitati; alioquin omnibus Presbyteris competerent. Nulla eſt igitur ratio, cur Hoſt. velit, ut Archidiaconus ex eo, quòd promotus ſit Sacerdos, debeat ſibi aſſumere ea, quæ ſpectant ad Archipresbyterum, cum potius dicendum ſit eum ratione hujus ordinis tamquam unum ex Presbyteris Cardinalibus, de quibus in *d. cap. Miniſterium*, quoad celebrationem divinorum ſubeſſe Archipresbytero, ut Presbyterorum capiti.

Et ex his tollitur ratio in oppoſitum conſiderata, quòd Archidiaconus Presbyter ſit par ordine cum Archipresbytero: nam Archidiaconus eſt Presbyter per accidens, cùm illius dignitati ſit tantùm annexus ordo Diaconatus, non autem Presbyteratus: Archipresbyter autem, ut caput Presbyterorum, eſt Presbyter per ſe, & ejus dignitati ordo Sacerdotalis eſt annexus; ac proindè incumbit ei ex officio Miſſam celebrare, prout hæc probantur in *cap.* 1. *ſuprà de ætat. & qualit. & in cap.* 1. *& per tot. infrà de offic. Archipresbyt.* Sacri enim ordines non annectuntur perſonis, ſed dignitatibus, & præbendis, ut eſt textus clarus in Clem. *Ut ii*, ibi, *Dignitates, Perſonatus, Officia, vel Præbendas, quibus certi ordines ſunt annexi, de ætat. & qualit.* innovata à Concilio Tridentino *in cap.* 4. *ſeſſ.* 22. Ideoquè *in cap.* 12. §. *In omnibus ſeſſ.* 24. ſtatuitur, ut in Cathedralibus omnes Canonicatus, ac portiones habeant annexum ordinem Presbyterii, Diaconatus, Subdiaconatus; & Epiſcopus cum conſilio Capituli deſignet, ac diſtribuat, quibus quiſque ordo ex ſacris annexus in poſterum eſſe debeat. Quamobrem ex eo, quod Archidiaconus ſit Sacerdos, non ſequitur ut ſit par ordine cum Archipresbytero quoad hoc, ut in celebratione Miſſæ ſit ei præferendus, cùm id munus non ſpectet ad officium Archidiaconi, ſed ad officium Archipresbyteri, & in Archidiacono Presbyteratus ordo ſit accidentalis, & ideò non attendendus in præjudicium Archipresbyteri, cui idem ordo eſt naturalis: nam ubi concurrunt duæ cauſæ, una naturalis: & alia accidentalis, prævalet naturalis, ut *leg. Qui habent*, & ibi Bart. *in Summa*, *ff. De tutelis*, & idem Bart. *in ſua qu.* 18. incip. *Pupillus num.* 2. *verſ. Tertio ſic*, Abb. *conſ.* 62. *in controverſia n.* 16. *lib.* 2. *& in c. Si quis con-*
21 *tra n.* 2. *infrà de foro compet.* Undè videmus in Cathedralibus Eccleſiis, & in Baſilicis Urbis hoc ſervari, ut Canonici habentes Canonicatus Subdiaconales, licèt Presbyteri ſint, Miſſam ſolemnem non celebrent, ſed inſerviant in officio Archidiaconi, & ſedeant in choro poſt Canonicos Diaconos: & meritò, quia ratione præbendæ Subdiaconalis dicitur quis Canonicus Subdiaconus, licèt ex accidenti ſit Presbyter, Cardin. Seraph. *dec.* 924. *num.* 1. Quinimò & in ipſa Capella Pontificia Cardinales Diaconi, quamvis ſint in Presbyteros ordinati, & habeant Epiſcopatus, vel Archiepiſcopatus, tamen non celebrant, ſed aſſiſtunt celebranti in officio Diaconi, & ſedent ultimi poſt Cardinales Presbyteros.

Poſt hæc ſcripta reperi Dominos de Rota in cauſa Viterbien. celebrationis Miſſarum coram Cardinali Sacrato tenuiſſe pro Archidiacono contra Archipresbyterum, ut in impreſſis *dec.* 244. *par.* 3. *recent.* ubi reſolvunt Archidiaconum ſi ſit Sacerdos, in celebratione Miſſarum Epiſcopo abſente præferendum eſſe Archiepiſcopo ex præallegata doctrina Hoſtienſis, qui ſecundùm eos non loquitur de ſimplici præcedentia, ſed de celebratione Miſſarum; & ad objectum, quod ordo Presbyteralis in Archidiacono ſit ex accidenti, reſpondent ordines non eſſe annexos dignitati, ſed perſonæ, in cujus anima character imprimitur. Sed certè obſtant jura, & fundamenta ſuperiùs ponderata.

Decii *conſ.* 420. *num.* 4. pluribus poſſet rationibus impugnari, ſed quantum ad caſum noſtrum pertinet, ſatis eſt ibi agi de cuſtodia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, quam dicit eſſe ſeparatam ab his, quæ per Canones mandantur Archipresbytero. At nos loquimur de celebratione divinorum, & miniſteriis Sacerdotalibus, quæ ad ipſum ſpectant, ut dictum eſt.

Ex his patet ſeptem dubia priora in ordine pro Archi- 22
presbytero eſſe decidenda. Octavum verò clari juris eſt debere decidi pro Archidiacono cùm ſit id ei tributum, per *c. Ut noſtrum infrà eodem*, ubi dicitur de jure communi ad Archidiaconum pertinere Abbates, & Abbatiſſas ponere in ſede: quod etiam conſtat ex hac decretali, §. *In quadam*, ubi deciditur inſtitutionem corporalem tam ſuper beneficiis, quàm etiam dignitatibus debere ad Archidiaconum pertinere, & tradunt DD. in locis ſupracitatis.

Neque eſt, quòd Archidiaconus conqueratur quaſi exi- 23
gua ſit ejus poteſtas, cùm juriſdictionem habet contentioſam, in eaque ſit curæ Epiſcopalis Socius, & Adminiſter.

Nam primò jurgia audit ſingulorum, ut hìc, id eſt, ci- 24
vilia, & ubi de crimine civiliter agitur, ſecundùm Innoc. Vel jurgia, id eſt, humilia, & minima, ſecundùm Hoſtienſ. & Joan. Andr. nam magna refert, ut infrà dicitur. Secundò, inſtituit *cap. Si plebibus* 63. *diſt. & cap. Cum ſatis ſuprà eodem*, intellige auctoritate, & mandato Epiſcopi, non autem auctoritate propria, ut in prædictis juribus patet, & declarat Silveſt. *in ver. Archidiaconus num.* 2. *verſ. Sed intellige*, niſi inſtitutio ſit corporalis, ut dictum eſt ſuprà *num.* 22. Tertiò, præcipit ſubjectis obſequia, *cap. Ad hæc de exceſſ. Prælat.* Quartò, imperat Diaconis, & Levitis, ut 25
hìc. Quintò, examinat Clericos promovendos ad ſacros ordines, & ad beneficia, ut qui beneficiis Eccleſiaſticis præficiendi fuerint, à ſuo prius examinentur Archidiacono, & per ipſum poſtmodum Epiſcopo præſententur, ut hìc dicitur. Quàm quidem facultatem ex ſententia Sacræ Congregationis Concilium Tridentinum non ſuſtulit, niſi quoad Parochiales, quæ conferendæ ſunt prævia forma examinis per concurſum. Cùm enim quæſitum fuerit, An facultas de jure antiquo competens Archidiacono examinandi, nedum promovendos ad ſacros ordines, ſed etiam inſtituendos in Eccleſiis, ut habetur in *cap. Ad hæc de offic. Archid.* ſit ſublata per Concilii Tridentini diſpoſitionem, quæ habetur *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ubi quoad Eccleſias Parochiales hoc munus demandatur Examinatoribus electis in Synodo. Secundò, quatenus ſit derogatum prærogativæ Archidiaconi, ut non poſſit ſolus hæc facere, an ſaltem debeat intervenire cum examinatoribus, licèt ipſe non ſit unus ex deputatis in Synodo: Sacra Congregatio ad primum cenſuit Concilium privaſſe Archidiaconum ſua facultate examinandi. Ad ſecundum, reſpondit non debere, niſi ſit unus ex deputatis in Synodò. Sexto, loco Epi- 26
ſcopi per Epiſcopatum proſpiciens, quæ corrigenda viderit, corrigit, & emendat: & ideò oculus Epiſcopi dicitur, ut in Epiſtola Clementis, *cap. Diaconi, il primo* 93. *diſt.* & in text. hic, & in Epiſtola Evariſti, *c. Diaconi, il ſecondo ead. diſt.* & in Concilio Tridentino *c.* 12. *ver. Archidiaconi vero ſeſſ.* 26. Corrigit verbis, *monitionibus, & præceptis*: pœ- 27

nam

nam tamen ſine Epiſcopo non imponit, ut *in cap. 1. infrà tit. prox.* & ita intelligi poteſt Decretalis, *Referente infrà de præbend.* ubi Archidiaconus privat beneficiis, id eſt, Epiſcopi authoritate. Si quis tamen dicat eum modicam pœnam imponere poſſe, vel ad modicum tempus ſuſpendere, fortitan non errabit, ſecundùm Innocent. & Joan. Andr. *hic in ver. Corrigat num.* 5. ad hoc *cap. Licet de pœnis.*
28 Septimò, curam habet tàm in urbe poſitorum, quàm eorum, qui Parochias habitant, & delinquentium rationem coram Deo redditurus eſt, ut legitur *in dict. cap. 1. ſuprà eodem.* Octavo, viſitat diœceſim de triennio in triennium impedito Epiſcopo, ut *in eod. cap. 1.* Nonò, poſt Epiſcopum
29 eſt ejus Vicarius in omnibus, & conſequenter habet juriſdictionem ordinariam, ſecundum Innoc. & Hoſt. *in d. c. 1.* tum quia juriſdictionem ordinariàm tribuit perpetua Vicaria, ut *in cap. 2. infrà de offic. Vicar.* tum quia ejus juriſdictio eſt ad univerſitatem cauſarum, *cap. penul. infrà de offic. leg. l. 1. Cod. De offic. ejus, qui vicem alterius gerit, c. Per-*
30 *lectis 25. diſt.* & ſequitur Silveſt. *loco citato.* Addit Bellam. *in d. c. 1.* per illum tex. *in princ.* Archidiaconalem dignitatem de jure communi poſt Epiſcopalem eſſe majorem dignitatem in Eccleſia Dei, & per conſequens majorem Abbatiali, licèt Abbates propter pinguedinem reddituum contrarium uſurpaverint: circa quod tamen vide quod ſcripſi *in cap. Accedentibus num. 27. & 28. infrà de exceſſ. Prælat.* Quæ omnia, ac ſi, quæ alia ei competant, ſi Archidiaconus voluerit, prout tenetur, ſedulò adimplere, profectò non ſupererit illi otium ad alieni muneris negotia peragenda.

Cæterùm ſi in aliquibus ex dubiis ſuperiùs propoſitis ex conſuetudine aliter obſervaretur, ab ea non eſſet recedendum, cùm in prædictis magna ſit vis conſuetudinis, ſecundum Innocentium, & omnes *in d. c. 1.* & dictum eſt ſuprà *num.* 14.

Illud non omitto. Si Archidiaconus, & Archipresbyter 31
prædictis non acquieſcant, forſitan poſſe Epiſcopum cuilibet eorum prohibere ne muneribus fungantur ſibi per Canones attributis; nam cùm in illis ſint Epiſcopi Vicarii, neuter eorum aliquid agere poteſt Epiſcopo prohibente, ut de Archidiacono tradit Abb. in *d. c. Officium num.* 5. poſt Anton. de Butr. *ſuprà eod.* Et de Archipresbytero Hoſt. *in Summa tit. de officio Archipresbyteri, §. Quæ pertinent in fin.* Verum id non auſim affirmare, quia contrarium determinat Lucerna juris Innocentius *in cap. 1. num. 1. ſupra eodem*, dicens Archidiaconum, & ſimiles ideò dici Vicarios Epiſcopi, quia exercent ea, quæ etiam ad Epiſcopum pertinent; ſed tamen non eſſe tantùm Vicarios, ſed certa dignitate potiri, adeout propterea removeri non poſſint ad libitum Epiſcopi, nec ipſo pro ſuo velle illorum officia exercere, & ſequuntur ibi Hoſt. *num.* 1. Jo. Andr. *num.* 4. Anton. de Butr. *nu.* 8. pleniùs Petrus de Anchar. *nu. 2. in 3. not.* & Abb. *num.* 8. in cujus volumen tranſlata fuit de verbo ad verbum integra lectura Anton. de Butr. *ſuper eodem cap.* idem ſentit Arch. *in d. c. Perlectis 25. diſt.*

Ex quibus apparet opinionem Innocentii communiter 32
teneri à Canoniſtis, & videtur etiam de jure verior: nam Archidiaconus eſt Vicarius non ab Epiſcopo aſſumptus, ſed datus à jure; & ſic non eſt amovibilis, ſed habet Vicariam perpetuam ſuæ dignitati annexam ex privilegio Canonis, quod in totum, vel in partem à quoquam Pontificum convelli, vel mutari non poteſt, ut eſt text. *in cap. Inſtitutionis 25. q. 2.* cui non poteſt reſponderi, ut inquit Archidiaconus *in cap. Licèt canon n. 3. verſ. Et ibi aſſertive dixit de elect. lib. 6.*

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Idem Innocentius III.

CAPUT VIII.

Significaſti: & infrà. Interdicas Archidiacono tuo, ne ſine conſcientia tua, & auctoritate litteras ſuas promovendis concedat: Et eis etiam diſtrictè prohibeas, ne ad ordines audeant convolare. Qui ſi contra prohibitionem tuam venire præſumpſerint, executionem eis ordinum ſuſceptorum totaliter interdicas.

S U M M A R I U M.

1 *Archidiaconus non dat commendatitias ad ordines.*
2 *Litterarum commendatitiarum, & dimiſſoriarum quot ſint ſpecies, & à quibus concedi poſſint.*
3 *Capitulum Sede vacante non concedit litteras formatas, quibus Clericus abſolvitur à poteſtate ſui Epiſcopi.*
4 *Apoſtoli qui dantur appellantibus cur dicantur dimiſſoriæ.*
5 *Dimiſſorias concedendi facultas, an includatur in generali mandato, & num. ſeqq.*
6 *Vicarius Epiſcopi, an & quando poſſit concedere dimiſſorias ad ordines.*
7 *Capitula tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Eccleſiarum Sede vacante prohibentur ſub pœna interdicti dare dimiſſorias ad ordines infrà annum, niſi arctatis occaſione beneficii recepti, vel recipiendi.*
8 *Ordinati cum dimiſſoriis Capituli, vel alterius ſuccedentis in juriſdictione Epiſcopi Sede vacante ſi in minoribus ordinibus non gaudent privilegio Clericali; ſi in majoribus ſunt ſuſpenſi ab executione ordinum.*
9 *Vicarius Capituli Sede vacante concedens dimiſſorias, non incidit in pœnam interdicti à Concilio Tridentino impoſitam.*
10 *Ordinati cum dimiſſoriis Vicarii Collegiatæ Eccleſiæ, an incidat in pœnas Concil. Trid.*
11 *Archidiaconus de jure communi an poſſit concedere dimiſſorias abſente Epiſcopo.*
12 *Abbates qui in Parochos, & Parochianos quaſi Epiſcopalem habent juriſdictionem privativè ad Epiſcopos an poſſint ſuis ſubditis ſæcularibus litteras dimiſſorias ad ordines concedere, & n. ſeqq. uſque in fin.*
13 *Abbas Presbyter, benedictus de jure communi poteſt minores ordines conferre, & dimiſſorias concedere tam ſuis ſubditis regularibus, quàm ſæcularibus, in quos habet ordinariam juriſdictionem.*
14 *Concilio Tridentino in cap. 10. ſeſſ. 23. obiici non poteſt, quod non derogaverit ſeptimæ Synodo, aut privilegiis clauſis in corpore juris.*
15 *Rotæ deciſio in cauſa Salamantinæ juriſdictionis, cur non impreſſa inter deciſiones Cardinalis Seraphini, & num. 20.*
16 *Prælati inferiores habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem excluſis Epiſcopis non prohibentur cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere.*
17 *Abbates nullius diœceſis, de quibus in cap. 10. ſeſſ. 23. propriè dicuntur qui habent juriſdictionem ordinariam in Clerum, & populum privativè ad Epiſcopos.*
18 *Nullius diœceſis exiſtere, & habere proprium territorium ſeparatum à diœceſi Epiſcopi idem important.*
19 *Territorium proprium ab inferiori Prælato ſine omnimoda juriſdictione privativè ad Epiſcopum acquiri non poteſt.*
21 *Conſuetudines etiam ſpeciales, & privilegia tolluntur per clauſulam generalem.* Non obſtantibus conſuetudinibus, & privilegiis.
22 *Conſuetudo immemorabilis inferiorum cognoſcendi cauſas matrimoniales, & criminales, non eſt ſublata*

lata à Concilio Tridentino .

23 *Ordinatio Clericorum nullius diœceſis pertinet ad Epiſcopum intra cujus diœceſis fines ſitus locus eſt ; ac ſi ſit extra fines , ad proximiorem Epiſcopum .*
Et proximitas attenditur Eccleſiæ , non territorii, ibid. & num. 31.

24 *Abbatibus etiam nullius , & utramque juriſdictionem habentibus ſive intra , ſive extra fines diœceſis , non licet ſuis ſubditis ſæcularibus tonſuram , & minores ordines conferre , nec dimiſſorias dare , ſed commendatitias tantum .*

25 *Abbas Caſſinenſis à Sixto V. & Cavenſis à Paulo V. jus habent dimiſſorias concedendi ſuis ſubditis ſæcularibus .*

26 *Litteræ commendatitiæ juriſdictionem non conferunt, unde illarum vigore non licet Epiſcopo alienos ſubditos ordinare .*

27 *Abbates , ſeu Commendatarii Farfen. S. Laurentii in Campo , & Caſtri Durantis non poſſunt ſuis ſubditis ſæcularibus minores ordines conferre , aut litteras dimiſſorias concedere , & n. 33.*

28 *Abbates habentes uſum mitræ , & baculi prohibentur à Concilio Tridentino concedere dimiſſorias ſuis ſubditis ſæcularibus .*

29 *Prepoſiti Praten. & Piſcien. minores ordines conferre, ac litteras dimiſſorias concedere non poſſunt .*

30 *Epiſcopus obtinens in commendam Monaſterium exemptum non poteſt ibi ordinare ſæculares ſubditos ratione dicti Monaſterii .*

32 *Epiſcopus Marſican. non poteſt viſitare oppidum Caven. in quo Abbas Caſſinenſis utramque juriſdictionem exercet; poteſt tamen hominibus dicti loci dimiſſorias concedere .*

1 S*ignificaſti* . Archidiaconus non dat commendatitias
ad ordines . Hoc dicit ; Et ſunt tria dicta . Secundum
ibi , *& eis* . Tertium ibi , *qui ſi* .

2 Nota ex hac Decretali inferiorem Epiſcopo , & etiam
ejus Vicarium , ſicuti eſt Archidiaconus , concedere non
poſſe litteras dimiſſorias ad ordines : nam verbum ,
commendatitias , non eſt hic accipiendum pro litteris te-
ſtimonialibus , quæ ſimpliciter perhibent teſtimonium
de vita , & moribus , & conceduntur etiam à Parocho ,
& Magiſtro ſcholæ , ut in *cap. 5. ſeſs. 23.* Concilii Triden-
tini . Nec de commendatitiis , quæ promovendos de vita,
& moribus ſimpliciter commendant ordinatoribus , quæ
dicuntur commendatitiæ pacificæ à Joan. Andr. in *c. Fra-
ternitati nu. 2. de Cleric. non reſiden.* & conceduntur etiam
ab inferioribus Prælatis , ut ibi per eum , ſi modo habeant
juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut dicam infrà *num. 24.
& ſeqq.* Sed eſt accipiendum pro litteris commendatitiis ,
quę non ſolum commendant , ſed etiam facultatem imper-
tiuntur ordines ſuſcipiendi ab alieno Antiſtite , quas litte-
ras appellat dimiſſorias idem Concilium in *cap. 10. ſeſs. 23.*
ibi, *litteras dimiſsorias , ut ab aliis ordinentur , & reveren-
das in cap. 10. ſeſs. 7.* Quæ itidem dimiſſoriæ , & formatæ
dicuntur a Nicæna Synodo relata in *cap. 2. 73. diſt.* ubi po-
nitur formula earumdem litterarum ; & ita intelligunt
hunc textum gloſſ. 2. Innocen. Hoſtien. *num. 3.* & Joan.
Andr. *num. 1.* exponentes verbum , *litteras* , id eſt , conti-
nentes , ut poſſint ab alio Epiſcopo ordinari . Quas Ho-
ſtien, *num. 1.* appellat licentiales , quia inquit , per tales lit-
teras datur licentia , vel ordinandi , vel peregrinandi , &
quas minor Epiſcopo non poteſt concedere , ut hìc , & in *c.
Quamvis 68. diſt. c. Extraneo, & c. Primatus 71. diſt. c. Non*
3 *oportet de conſecr. diſt. 5.* & multò minus dimiſſorias , ſeu
formatas , de quibus notatur in *cap. 1. & 2. de Cleric. pere-
grin.* id eſt , quibus Clericus dimittitur , & abſolvitur à
poteſtate ſui Epiſcopi , & perhibetur teſtimonium de vita ,
& ordinibus illius , gloſſ. *unic. in cap. Fraternitati de Cler,
non reſiden.* quarum formulam edidit Concilium Nicæ-
num , & refertur in *c. 1. 73. diſt.* & has non concedit Ca-
4 pitulum Sede vacante , quia ſunt ſpecies alienationis, ut di-
cit Joan. Andr. in *d. c. Fraternitati num. 1.* Dicuntur etiam
dimiſſoriæ , quæ dantur appellantibus , & vulgò Apoſtoli
appellantur, *l. Dimiſsoriæ, ff. De verborum ſignific,* gloſſ. *in d.
c. Fraternitatis* , & dicuntur dimiſſoriæ , quia ad eum ad
quem appellatur , cauſa dimittitur, Joan. Andr. *ibid. n. 3.*

In gloſſ. in *ver. Litteras* , collige tres cauſas , in quibus 5
inferior Epiſcopo concedere poteſt litteras commendati-
tias , ſeu dimiſſorias ad ordines . Primus habetur in fine
gloſſæ , cùm ſcilicet inferior habet ſpeciale mandatum ab
Epiſcopo ; hæc enim poſſunt ab Epiſcopo delegari , & com-
mitti , ut hìc & in *cap. Cum Bertoldus, primo reſponſo infrà
de ſentent. & re judic.* Hoſtien. *hic nu. 3.* & hæc, & ſimilia ſe-
cundùm eum *num. 4. verſ. Nec iſta etiam non tranſeunt in
generali commiſſione* , arg. *cap. Poſt translationem in fin.* de
*off. leg. l. Obligatione generali , ff. De pignor. c. penult. in fin.
de off. Vicar.* ubi de hoc . Si tamen aliquis gereret vices Epi- 6
ſcopi generaliter, & in generali commiſſione eſſet hìc caſus
expreſſus , vel aliqui ſimiles appoſita clauſula generali, quæ
conſuevit apponi in hujuſmodi litteris , ſcilicet ſuper præ-
miſſis , & in omnibus aliis ad nos ſpectantibus; utique poſ-
ſet dimiſſorias concedere, arg. *cap. 1. ſupra eodem , & c. Se-
des Apoſtolica reſcr. l. Sed et ſi, §. Quæſitum, ff. Si quis caution.*
& notatur in *cap. unico infrà de commod.* ſubdit tamen Hoſt.
in præſentia Epiſcopi , qui ſic generaliter hoc commiſit ,
non debere hoc ſine ipſius conſcientia expediri , arg. *c. Vo-
lentes infrà de off. leg. & cap. Romana in fin. de off. ordin. lib.
6.* & cùm eo tranſit hìc Joan. Andr. *n. 4. in gloſſ.* & ibi ſpe-
ciale, Butr. *n. 7.* & alii communiter, & hanc theoricam Hoſt.
ſequitur etiam gloſſ. *fin.* & Doctores in *c. 2. de off. ord. lib. 6.* E-
piſcopo tamen in remotis agente ipſius in ſpiritualibus Vi-
carius generalis dare poteſt licentiam ordinandi, ut forma-
liter dicit text. in *c. Cum nullus, §. Epiſc. in fin. ord. lib. 6.*

Secundus caſus eſt in *cap. Sede vacante , cap. Cùm olim, de* 7
major, & obed. ſecundum gloſſ. & eſt text. in *d. §. Epiſcopo in
fine* . Sed in hoc hodie ſervari debet diſpoſitio Concilii
Tridentini in *cap. 10. ſeſs. 7.* quo ſtatutum eſt, ut non liceat
Capitulis Eccleſiarum Sede vacante , infrà annum à die
vacationis ordinandi licentiam , aut litteras dimiſſorias
tam ex juris communis diſpoſitione , quàm etiam cujuſ-
vis privilegii , aut conſuetudinis vigore , alicui, qui bene-
ficii Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus
non fuerit concedere ; ſi ſecus fiat , Capitulum contrave-
niens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto , & ſic ordinati ſi 8
in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio
Clericali , præſertim in criminalibus gaudeant; in majori-
bus verò ab executione ordinum ad beneplacitum futuri
Prælati ſint ipſo jure ſuſpenſi . Quam pœnam poſteà in
cap. 10. ſeſſ. 23. Concilium extendit etiam ad illos, qui eaſ-
dem litteras non à Capitulo , ſed ab aliis quibuſvis in juriſ-
dictione Epiſcopi loco Capituli Sede vacante ſuccedenti-
bus obtinerent. Quo decreto non extenditur pœna interdi- 9
cti impoſita Capitulo , ſed tantùm pœna impoſita obtinen-
tibus dimiſſorias; unde vacante Prioratus Barenſi cum Vi-
carius Capituli deputatus nonnullis ſubditis dimiſſorias
conceſſiſſet , ut Prior conſueverat , quarum vigore fue-
runt ordinati , & dubitatum fuiſſet , an potuiſſet illas con-
cedere , & an incidiſſet in pœnam *cap. 10. ſeſſ. 5.* quæ eſt,
ut Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto : Sacra Congregatio
die 18. Aprilis 1578. cenſuit eum non potuiſſe concedere
dimiſſorias , quia Capitulum Collegiatæ prohibetur , &
quilibet alius , *dict. cap. 10. ſeſs. 23.* non autem incidiſſe in
pœnam Eccleſiaſtici interdicti *dict. cap. 10. ſeſs. 7.* quia fuit
tantùm extenſum ad perſonas obtinentium dimiſſorias à
Vicariis Cathedralium , ut ſubeant eas pœnas , quas ſubi-
rent obtinentes ab ipſo Capitulo Cathedralis . quod voluit
incurrere interdictum , juxta *cap. 10. ſeſs. 7.* Item fortè eſ- 10
ſet dubium , an reſpectu Capituli Cathedralis concedentis
voluerit Concilium ſubire tantùm pœnas *dict. cap. 10. ſeſs.
23.* Ratio hujus dubitationis eſt, quia *c. 10. ſeſs. 7.* loquitur
tantùm in Capitulo Epiſcopali . Ita declarat ad litteram
d. cap. 10. ſeſs. 23. verſ. Pœnam, & licèt etiam *cap. 10. ſeſs. 20.*
prohibeat etiam Capitulo Collegiatæ, tamen nihil de Vica-
rio deputato ab eo . Unde ſicut *cap. 10. ſeſs. 7.* de Capitu-
lo loquens non extenditur ad Vicarium, ita *cap. 10. ſeſs. 23.*
niſi fortè includi poſſet ſub illis univerſalibus verbis , *aliis
quibuſcumque, &c.* Sed eſto Vicarius Collegiatę comprehen-
datur in prohibitione , non tamen videtur incidiſſe in pœ-
nam *cap. 10. ſeſs. 7.* quia illud extenſum tantùm eſt ad Vica-
rios Cathedralium *d. c. 10. ſeſs. 13. verſ. Pœnam* .

Tertius caſus , in quo inferior Epiſcopo concedere po- 11
teſt commendatitias , ſeu dimiſſorias ad Ordines ſecun-
dùm gloſſ. eſt , quando Epiſcopus abeſt à Parochia ſua ,
id eſt , diœceſi , & imminet neceſſitas , vel utilitas ordi-

nan-

nandorum; quia tunc poteſt Archidiaconus illos præſentare aliis Epiſcopis, per quos ordinentur: ſi tamen hoc habeat ex conſuetudine, quia abſente Epiſcopo Archidiaconus ſupplet vices illius, argum. *cap.* 1. *& cap. Ad hæc ſuprà eodem*, & ſequuntur Butr. *hic nu.*5.& Abb. *verſ. Oppono*. Sed hanc gloſſam Bernardi reprobat Hoſtienſ. *num.* 4. *verſ. Sed quid ſi Epiſcopus*. Quia hæc littera contradicit; benè enim ſciebat Papa illa jura, & tamen nullum caſum excepit: & cùm hoc prohibeatur generaliter, contradicit alia littera evidenter in *c.* 2. §. *Si Epiſcopus defuerit infrà de off. Archipresbyt.* ibi, *Exceptis his, quæ prohibita ſunt, Archipresbyter provideat, &c.*

His addi poteſt quartus caſus, videlicet in Abbatibus, qui concedere poſſunt dimiſſorias ſæcularibus, ſi in eos habeant Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem jurisdictionem, vel aliàs id eis competat ex Apoſtolicæ Sedis indulto: nam cùm hoc caſu poſſint eis Tonſuram, & minores Ordines conferre, ut eſt text. in *cap. Abbates*, juncta gloſſ. *in ver. Tonſuram, de privileg. lib.*6. utique eis poſſunt etiam litteras dimiſſorias concedere, ut ab aliis ordinentur, *cap.* 1. 72. *diſt.*

Verùm hodie in his ſervandum eſt Decretum Concilii Tridentini in *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. quo ſtatutum eſt, ut Abbatibus, ac aliis quibuſcumque, quantumvis exemptis, non liceat impoſterum intra fines alicujus diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre: nec ipſi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque etiam Eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, ſed horum omnium ordinatio ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtant, pertineat, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus.

Quo decreto ſtante nulli omninò inferiorum ab Epiſcopo, excepto primo, & ſecundo caſu ſuperiùs propoſito, licèt hodie concedere perſonis ſæcularibus litteras dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos: unde ceſſant quæ dicta ſunt in tertio, & quarto caſu de Archidiacono abſente Epiſcopo, & de Abbatibus habentibus Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem jurisdictionem. Sed quia nonnulli ex recentioribus adhuc cenſent hoc decreto Concilii non comprehendi inferiores Prælatos habentes jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in Clerum, & Populum, excluſis Epiſcopis, non abs re futurum putavi hanc dubitationem plenè examinare.

12 Revoco igitur in dubium, an Abbates, qui in Parochos, & Parochianos jurisdictionem habent quaſi Epiſcopalem privativè ad Epiſcopum, poſſint ſuis ſubditis ſæcularibus litteras dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos concedere, non obſtante Concilii Tridentini decreto *cap.* 10. *ſeſſ.* 23.

13 Ex juris communis diſpoſitione Abbates, ſi Sacerdotalem ordinem, & munus benedictionis ſuſceperint, Tonſuram, & minores Ordines conferre, & conſequenter dimiſſorias concedere poſſunt non modò ſuis ſubditis regularibus, *cap. Quoniam* 69. *diſtin. cap. Cùm contingat ſuprà de ætat. & qualit.* ſed etiam ſæcularibus, in quos habent Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem jurisdictionem, ut eſt text. in *dict. cap. Abbates, de privileg. lib.*6. quem etiam de puris laicis, nec converſis, nec convertendis intelligit gloſſ. ibi in *ver. Quaſi Epiſcopalem*, & poſt Hugon. & Archid. confirmat Turrecrem. in *dict. cap. Quoniam num.*6. 69. *diſt.* & docuit Innocen. *in rubr. de Cler. peregr. num.* 3. Angel. in *ver. Ordo ſecundo*, poſt Jo. Andr. & Butr. in *dict. cap. Cùm contingat de ætat. & qualit.* Et hanc facultatem quoad ſubditos regulares expreſsè præſervavit Concilium in *dict. cap.* 10. *ſeſſ.* 23. ſed illam ſuſtulit quoad ſubditos ſæculares in illis verbis, *cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit*, & paulò infrà ibi, *aliquibus Clericis ſæcularibus*, atque ita ſuſtulit diſpoſitionem prædictæ decretalis *Abbates*, ut ſæpiùs declaravit Sac. Congregatio Concilii, & dixit etiam Rota coram Cardinali Seraphino *deciſ.* 985. *num.* 1.

14 Sed nihilominus, quamvis diſpoſitio Concilii ſit ſatis clara, non deſunt tamen, qui illam in dubium revocent, Quidam enim exiſtimant decretum *dict. c.* 10. *ſeſſ.* 23. non valere, tum quia non derogat ſeptimæ Synodo univerſali, de qua in *dict. c. Quoniam* 69. *diſt.* tum quia non derogat privilegio in corpore Juris inſerto, de quo in *dict. cap. Abbates*, & utramque derogationem pùtant fuiſſe neceſſariam ad illius decreti validitatem. Horum opinionem falſam eſſe diffusè probavimus *in cap. Nonnulli à num.* 20. *uſque in fin. ſuprà de reſcript.*

Sed alii paulò modeſtius, non audent affirmare decretum illud eſſe nullum, ſed dicunt in eo non comprehendi Abbates, qui habent jurisdictionem ordinariam in Parochos, & Parochianos privativè ad Epiſcopum. Ac proptereà hujuſmodi Abbates eo decreto non obſtante poſſe ſuis ſubditis ſæcularibus dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos concedere opinatus eſt, Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. tom.* 2. *c.* 212. *per tot.* & alii recentiores.

Moventur quia cùm hujuſmodi Abbates habeant jurisdictionem Epiſcopalem, vel quaſi in locis ſibi pleno jure ſubjectis, cenſentur habere facultatem concedendi dimiſſorias jure proprio, cum ſint Ordinarii, & vices Epiſcoporum gerant, ſecundùm gloſſ. in Clæm. 1. *in ver. Propriis de reb. Eccleſ. non alien.* latè Mandoſ. *reg.*24. *qu.* 2. *n.* 4. *col.* 1. *in fin.*

Adducunt etiam pro hac ſententia deciſionem Rotæ in 15 cauſa Salamantinæ jurisdictionis 9. Maii 1594. coram Cardinali Seraphino, in qua deciditur Abbatem exercentem jurisdictionem ordinariam in aliquo territorio ex conſuetudine immemorabili confirmata à Sede Apoſtolica, poſſe concedere litteras dimiſſorias ad ordines ſuis ſubditis ſæcularibus, non obſtante decreto *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. per doctrinam gloſſæ in *cap. Cùm nullus*, §. *Inferiores in ver. Indultum de tempor. ordinat. lib.* 6. quæ ſentit Prælatos inferiores ex conſuetudine preſcripta poſſe concedere litteras dimiſſorias, & hujuſmodi conſuetudinem non cenſeri ſublatam per poſteriorem Conſtitutionem, juxta *c.* 1. *de Conſtit. lib.* 6.

Afferunt etiam ſimile decreto *cap.* 20. §. *Ad hæc ſeſſ.*24. 16 in quo tametſi cautum fuerit, ut cauſæ matrimoniales, & criminales non inferiorum Prælatorum judicio, ſed Epiſcopi tantùm examini, & jurisditioni relinquantur: tamen non comprehenduntur inferiores habentes jurisdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem in loco, excluſis Epiſcopis. ut Sacra Congregatio declaravit, & alia 17 multa idem Gratianus congerit auctoritate eorumdem Abbatum. Quibus tamen non obſtantibus dicendum eſt, Abbates hujuſmodi nequaquam poſſe ſuis ſubditis ſæcularibus litteras dimiſſorias concedere; nam decretum Concilii Tridentini in *dict. cap.* 10. *ſeſſ.* 23. cùm ſtatuat, ut Abbatibus, & aliis quibuſcumque intra fines alicujus diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, non liceat cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre; nec litteras dimiſſorias concedere; apertè includit Abbates, & inferiores illos, qui jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, & ordinariam habent: nam ſive ſequamur opinionem Archidiaconi, & Joan. Andr. aſſerentium inferiorem Prælatum poſſe præſcribere territorium ſeparatum à diœceſi Epiſcopi, ſive ſequamur opinionem Hoſtienſis, & Antonii de Butrio exiſtimantium non eſſe poſſibile, ut inferior acquirat territorium, ut ſeparatum ab Epiſcopo, itaut faciat caput in eadem civitate, ſeu diœceſi, ſed ad hoc requiri privilegium Papæ, qui ſolus poteſt hòc concedere, ut per Abb. in *c. Cùm contingat num.* 18. & ibi dixi de foro compet. illud tamen certiſſimum eſt, ad conſtituendum Prælatum in ſtatu nullius diœceſis, ſive ex immemorabili præſcriptione, ſive ex privilegio, neceſſariò requiri, ut habeat jurisdictionem Epiſcopalem in Clerum, & populum, excluſo Epiſcopo, per hoc enim inferior efficitur Ordinarius cum territorio ſeparato à quacumque diœceſi, ut tenet gloſſ. in Clem. 1. §. *Volumus in ver. Diœceſanis de for. comp.* Gemin. poſt Joan. de S. Georgio in *cap.* 2. *col.* 4. *verſ. Quæro an inferiores Prælati habeant territorium*, atque ibi etiam Archid. *ſub num.* 10. *verſ. Si verò per privilegium de conſtit. lib.* 6. gloſſ. pragmaticæ ſanctionis *tit. de annuis, &c. verſ. In diœceſi pag.* 117. tunc enim territorium ſeparatur à diœceſi Epiſcopi, & fit proprium Abbatis, quando privilegium nedum eximit, ſed etiam tribuit jurisdictionem, ſecundùm Joan. Andr. in *cap. Nimis circa med. de jurejuran.* Anchar. *in cap. Poſtulaſti ſub n.* 4. *de for. compet.* Abb. *in cap. Sicut unire de exceſſ. Prælat.* & in Clemen. *diœceſani, de vit. & honeſt. Cler.* Rot. *deciſ.* 207. *in fin. par.* 2. *diverſ.* Quamobrem dum Concilium decernit, ut Abbatibus etiam nullius diœceſis non liceat Tonſuram, & minores Ordines con-

conferre; vel dimiſſorias concedere, niſi ſuis ſubditis regularibus; perindè eſt, ac ſi expreſsè id prohibuiſſet Abbatibus juriſdictionem ordinariam,& Epiſcopalem habentibus
18 privativè ad Epiſcopos. Idem enim omninò importat eſſe nullius diœceſis, & habere proprium territorium ſeparatum à diœceſi Epiſcopi, ſecundùm gl. præalleg. in d. Clem.
19 1. *de for. comp.* & ibi Card. *in* 4. *q. n.* 2. Imol. *n.* 38. Vital. *n.* 4. & Abb. *n.* 15. Territorium verò ſine omnimoda juriſdictione privativè ad Epiſcopum ab inferioribus Prælatis acquiri non poteſt, ſecundùm Gemin. & alios ſupracitatos.
20 Non obſtat deciſio Rotæ in cauſa Salamantinæ juriſdictionis: nam præterquamquòd loquitur in ſuo ſpeciali caſu conſuetudinis a Sede Apoſtolica confirmatæ, ulteriùs cum de illa actum eſſet in S. Congregat. & compertum eſſet eam non eſſe conformem decretis Concilii Tridentini, & declarationibus hac de re editis: S. Congregatio facta relatione Sanctiſſimo juſſit eam non imprimi. Unde factum eſt, ut deciſio illa non habeatur inter deciſiones im-
21 preſſas Cardinalis Seraphini. Neque applicatur doctrina gloſſæ, quòd conſuetudo Abbatum concedendo dimiſſorias non cenſeantur ſublata per poſteriorem conſtitutionem. Siquidem Concilium in fine *d. c.* 10. *ſeſs.* 23. expreſsè derogavit non ſolùm privilegiis, ſed & conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Unde ſive hæc facultas competat Abbati jure ordinario, ſive jure ſpeciali privilegii, aut præſcriptæ conſuetudinis; indiſtinctè ſublata fuit à Concilio per prædictam generalem derogationem, Bart. in Extravag. *Ad reprimendum*, *in ver. Non obſtantib. in fin. nu.* 13. *verſ. Tertiò caſu*, Bald. poſt Cyn. *in l. fin. C. Si contra jus, vel util. publ.* Feder. de Sen. *conſ.* 47. *Habita ſuper caſu præfato n.* 2. *verſ. Si diceremus*, *quòd generalis derogatio*, Alex. *conſ.* 122. *Viſo puncto nu.* 8. *lib.* 4.
22 Rurſus non obſtat, quòd in decreto *c.* 20. §. *Ad hæc ſeſs.* 24. ex ſententia Sacræ Congregationis non comprehendantur Abbates nullius diœceſis facultatem habentes ante Concilium cognoſcendi de cauſis matrimonialibus, & criminalibus in ſuis ſubditos, & omnem juriſdictionem. Siquidem decretum illud loquitur per alia verba, quàm loquatur decretum *c.* 10. *ſeſs.* 23. nam in *d.* §. *Ad hæc*, Concilium prohibet, ne hujuſmodi cauſæ Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio relinquantur. Quæ quidem verba non conveniunt Abbatibus nullius diœceſis, qui habent dignitatem excellentem, & primam poſt Pontificalem, Bald. *in c. Paſtoralis*, in gl. *in ver. Superiores de offic. deleg.* & ſequitur ibi Felin. *col.* 4. Lap. *alleg.* 84. *n.* 15. *verſ. Item Abbatiam*, per text. *in c. Si quis deinceps*, 16. *qu.* 7. maximè ſi ſint Abbates habentes juriſdictionem ordinariam, & Epiſcopalem privativè ad Epiſcopos, per doctrinam Abbatis in Clem. *Diœceſani*, *de vit. & honeſt. Cleric.* ubi determinat etiam in materia nova, & inferenti præjudicium, appellatione diœceſani venire inferiores habentes ſupradictam juriſdictionem. Nec refragantur illa verba *d.* §. *Ad hæc*, *Et aliorum inferiorum*, quæ videntur comprehendere omnes Prælatos Epiſcopis inferiores, gl. *in cap. Cum ab Eccleſiarum*, *in ver. Eccleſiaſtica*, *de off. ord.* quandoquidem dictio illa, *aliorum*, importat omnimodam ſimilitudinem ad expreſſa, ſecundùm Bald. *in l. Si fugitivi nu.* 6. *C. de ſerv. fugit. & in l. Conventicula col.* 4. *in princip. verſ. Si ſtatutum*, *C. de Epiſc. & Cleric.* Bart. *in l. Sed & is probari*, *in princ. col.* 1. *de excuſ. tut.* Bero. *conſil.* 41. *n.* 10. *volum.* 1. Sed ſupra expreſſi fuerunt Decani, & Archidiaconi, qui ſunt inferiores Epiſcopis, & quoad legem juriſdictionis, & quoad legem diœceſanam, & quoad obedientiam, quam illis præſtare tenentur. Ejuſmodi enim inferiores utcumque exempti, quamvis non ſint de diœceſi, ſunt tamen in diœceſi, Cardin. in Clem. 2. §. *Simili num.* 4. *de privileg.* Rota *deciſ.* 207. *num.* 2. *part.* 2. *diverſ.* Ergo illa verba, *aliorum inferiorum*, non comprehendunt Abbates, de quibus agitur. Ad decretum *dict. cap.* 10. *ſeſs.* 23. diſertis verbis loquitur de Abbatibus nullius diœceſis, qui alii non ſunt, quàm habentes juriſdictionem ordinariam in Clerum, & populum, excluſis Epiſcopis, ut oſtenſum eſt ſuprà. Meritò de uno decreto ad aliud non eſt facienda illatio, *l. Papinianus exuli*, *ff. de minor. cum vulg.* Præſertim verò, quia inter illa à Concilio aliæ etiam differentiæ conſtituuntur, & in ſpecie *d.* §. *Ad hæc*, non comprehendit inferiores habentes facultatem cognoſcendi cauſas matrimoniales, & criminales ex immemorabili conſuetudine, ut S. Congr. cenſuit At *c.* 10. expreſsè ſuſtulit præſcriptiones, & conſuetudines etiã immemorabiles.

Demum non obſtante illa verba *dict. cap.* 10. *Intra fines* 23
alicujus diœceſis exiſtentibus, quæ à contrario ſenſu videntur innuere, ut ſi locus nullius diœceſis omninò extra fines cujuſque diœceſis exiſtat, non ſit locus prohibitioni Concilii: nam reſpondetur ea verba habere alium ſenſum; tantùm enim important, ut ſi locus nullius ſit intra fines alicujus diœceſis, ordinatio Clericorum, & conceſſio litterarum dimiſſorialium ſpectet ſolummodò ad Epiſcopum, intra cujus diœceſis finem idem locus ſitus eſt, juxta terminos *d. c.* 10. Quòd ſi locus ſit omninò extra fines, non ſequitur à contrario ſenſu, ut ad nullum Epiſcopum id jus pertineat; eo enim caſu hoc jus ex ſententia S. Congregationis competit illi Epiſcopo, cujus Cathedralis Eccleſia eſt proximior, & qui poteſt eumdem locum viſitare jure delegato, ad præſcriptum *c.* 9. *ſeſſ.* 24. per quod declaratur decretum *d. c.* 10. *ſeſſ.* 23. ut latè oſtendimus *in c. Nullus n.* 10. *inf. de Paroch. in quæſtione*, an Epiſcopus, quando, & quomodo poſſit loca nullius diœceſis viſitare, & illorum ſubditis Ordines conferre, & dimiſſorias ad Ordines concedere; ubi etiam in fine reſponſum eſt ad exceptionem, quę habetur in *c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de reg.* de locis, in quibus Abbates Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem exercent in Parochos, & Parochianos.

Itaque nullus Prælatus inferior regularis, aut ſæcularis 24
hodie reperitur cui liceat tonſuram, & minores Ordines conferre perſonis ſæcularibus, tametſi omnimodam juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ac etiam temporalem habeant in Clerum, & populum, excluſis Epiſcopis, & ſive illorum territorium ſit intra fines alicujus diœceſis, ſive extra: nec ſcio quemquam poſt Conc. obtinuiſſe ſuper hoc privilegio à Sed. Apoſtol. Sed nec quiſquam eorum circumſcriptis privilegiis poſt Concil. dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos concedit cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit. Unde S. Congr. olim declaravit, nec Abbati Caſſinenſi, nec Cavenſi, nec Farfenſi, nec Sublacenſi, nec Caſtri Durantis (*hodie Urbanea*) nec Nonantulano, nec S. Laurentii in Campo hanc facultatem competere,
quamvis Abbas Caſſinenſis cum prætenderet per ſuppreſ- 25
ſionem Epiſcopatus ſe remanſiſſe in propria diœceſi, ex ſententia S. Congr. id obtinuerit ex privilegio Sixti V. & Abbas Monaſterii Cavenſis, in cujus territorio, & ex cujus redditibus Eccleſia Cathedralis Cavenſis erecta fuit, cùm prætenderet ſe poſſe dimiſſorias concedere in vim concordiæ, ſeu pacti oneroſi in limine erectionis ante Concil. à Sede Apoſtolica confirmati, obtinuerit ſuper
hoc indultum à Paulo V. ex ipſius Congr. ſententia. Con- 26
cedunt quidem prædicti, & alii ſimiles Abbates litteras teſtimoniales, ſeu commendatitias, quas Jo. Andr. appellat pacificas in *c. Fraternitati n.* 2. *de Cleric. non reſid.* & de quibus dictum eſt ſuprà *in* 1. *not.* idque præbuit multis occaſionem erroris exiſtimantibus prædictos Abbates concedere litteras dimiſſorias ad Ordines, cùm tamen non concedant, niſi dictas commendatitias, in quarum vim, cum juriſdictionem non conferant, ſicut dimiſſoriæ, non licet alieno Epiſcopo quemquam ordinare, ut cenſuit S. Congr. Ideòque cùm Archimandrita Meſſanen. in litteris teſtimonialibus uteretur verbo, *Mittimus*, faceret mentionem de Ordinibus, quòdque proclamata præceſſerint, prætenderetque ſe non eſſe comprehenſum decreto Concilii, eò quòd non modò eſſet nullius, ſed etiam extra fines diœceſis Meſſanen. Item cum Archiepiſcopus conquereretur, quòd ex litteris Congregationis Epiſcoporum Archimandrita deberet atteſtari de qualitatibus Ordinandorum, de valore beneficii, &c. Sanctiſſimus juſſit omnia reduci ad formam decretorum Congr. Concil.

Quæ omnia clarius patebunt ex ſubjectis reſolutionibus 27
ipſius S. Congr.

Et primò, Cardinalis Farneſius obtinens in Commendam Abbatias S. Zeni, & Farfæ, in quibus habet jura Epiſcopalia, dubitavit, an poſſet dimiſſorias ad Ordines concedere: Sacra Congregatio reſpondit non poſſe, licèt die 26. Januarii 1635. hæc facultas fuerit conceſsa Cardinali Barberino, ſicut etiam facultas faciendi concurſus, ut habetur in Regiſtris S. Congregationis Epiſcoporum 26. Aprilis 1641.

Item Epiſcopus Oſcen. petiit declarari, an *c.* 10. *ſeſſ.* 23.

prohibens Abbatibus concedere dimiſſorias, habeat locum in habentibus uſum mitræ, & baculi, Sac. Congregatio cenſuit Epiſcopo reſcribendum ex decreto Concilii *c.* 10. *ſeſſ.* 23. nulli Abbati licere quocumque privilegio ſuffulto concedere alicui Clerico ſæculari litteras dimiſſorias etiam ad Ordinarium directas.

29 Item inſtante Cardinali Medices declarari, an ipſe uti Præpoſitus Praten. poſſet concedere ſuis ſubditis ſæcularibus dimiſſorias ad Ordines; & ſic an *c.* 10. *ſeſſ.* 23. procedat etiam in Abbatibus ſæcularibus exemptis, & ordinariam juriſdictionem habentibus: S. Congregatio cenſuit Præpoſitum Praten. ex Conclio *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. non poſſe dare dimiſſorias ſuis ſubditis ſæcularibus, ſicque *d. cap.* 10. intelligi tàm de ſæcularibus, quàm de regularibus reſpectu Clericorum ſæcularium.

Ad hæc dubitante Præpoſito Piſcien. habente in ſuos ſubditos quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, an eos poſſet ordinare quoad minores Ordines litteraſque dimiſſorias quoad majores eiſdem concedere juxta privilegium ei conceſſum à Leone, præſertim cum habeat populum, & territorium à quocumque alio diſtinctum: S. Congregatio cenſuit non poſſe.

30 Item propoſito dubio, an Epiſcopus, cui commendatum eſt Monaſterium exemptum, poſſit ſibi ſæculares ſubditos ratione dicti Monaſterii ordinare, non obſtante *c.* 10. *ſeſſ.* 23. S. Congr. cenſuit non poſſe, quia ordinaret eos ſubditos tamquam Abbas, non tamquam Epiſcopus.

31 Ulteriùs cùm terra Putiniani nullius diœceſis juriſdictioni Hoſpitalis S. Joan. Hieroſol. in temporalibus, & ſpiritualibus ſubeſſet, dubitavit, à quo poſſent ordinari homines dicti loci; & an tenerentur adire Epiſcopum Motulan. qui cum obtinente d. Hoſpitale ſuper juriſdictione ſpirituali dictæ Terræ litigat: Sacra Congregatio cenſuit facultatem hanc relinquendam viciniori Epiſcopo, ſi neſcitur intra cujus diœceſis fines conſiſtant, & vicinitatem attendi Eccleſiæ, non territorii, ut aliàs deciſum fuit ſuper *c.* 9. *ſeſſ.* 24. nec habendam eſſe rationem Epiſcopi litigantis.

Item Epiſcopus Marſican. dubitavit, an poſſet viſitare Oppidum Caven. in quo Congregatio Caſſinen. utramque juriſdictionem exercet; & hominibus ejus oppidi litteras dimiſſorias concedere. Sacra Congregatio cenſuit quoad *c.* 10. *ſeſs.* 23. dimiſſorias dandas eſſe à ſolo Epiſcopo, ſed quoad *c.* 11. *ſeſs.* 25. *de regular.* cùm Monachi in eo oppido utramque juriſdictionem ſpiritualem, & temporalem exerceant, non poſſe Epiſcopum viſitare. 32

Rurſus Cardinalis Urbini obtinens Abbatias Sancti Laurentii in Campo, & Caſtri Durantis nullius diœceſis intra fines alicujus diœceſis non conſiſtentes, exemptos, quarum Commendatarii ſubditis litteras dimiſſorias concedere, & Ordines conferre conſueverunt, dubitavit, an eadem & ipſe facere poſſet: S. Congr. cenſuit non poſſe, ſed hoc jus ſpectare ad Epiſcopum, intra cujus diœceſis fines Abbatie conſiſtunt: & ſi intra nullius fines exiſtant, vel id non conſtet, ad viciniorem, niſi regulares ſubditi ſint. 33

Demùm cenſuit, Abbatem regularem nullius diœceſis intra alicujus diœceſis fines non conſiſtentem, territorium ſeparatum, & utramque juriſdictionem habentem in Parochos, & Parochianos, habentem etiam ſpontaneam renunciationem Epiſcoporum à Sede Apoſtolica confirmatam, non poſſe minores Ordines Clericis ſæcularibus conferre, nec dimiſſorias concedere; ſed harum conceſſionem ſpectare ad Epiſcopum viciniorem, non autem ad Epiſcopos, qui ceſſerunt 34

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Honorius III. Abbati Ariminen. Trecen. Diœceſis, & Archidiac. & Decano Sancti Stephani Trecen.

CAPUT X.

Dilecto filio: & infrà. Ad petitionem Archidiaconi Senoneñ. conquerentis, quòd Abbas, & Conventus Monaſterii S. Petri Senoñ. procurationem annuam, & quædam alia ratione ſui Archidiaconatus ad ipſum ſpectantia, exhiberi ſibi contra juſtitiam denegabant: Abbati ſancti Criſpini, & collegis ejus dedimus in mandatis, ut audirent cauſam, & fine debito terminarent. Coram quibus petiit prædictus Archidiaconus, ut cum Monaſterium intra metas ſui Archidiaconatus ſit ſitum, Abbas & Monachi ſibi obedirent in his, quæ pertinent ad juriſdictionem, correctionem, & viſitationem, ad jus (ut dicebat) Archidiaconale ſpectantes, videlicet ut coram ſe conquerentibus reſponderent; citati etiam venirent ad ejus præſentiam, & ejus mandata honeſta, & ſancta ſecundùm Deum de correctione exceſſuum, & aliis, quæ Archidiaconi ſolent, & poſſunt rationabiliter injungere, audituri, & (ſalva ſua regula, & Abbatis ſui debita obedientia) ſervaturi. Petiit inſuper, ne de cætero facerent aliquos de Senoñ. ballivia, eo prætermiſſo, coram officiali Senoñ. Archiepiſcopi conveniri: aſſerens illos priùs debere conveniri ſub ipſo, quàm coram officiali prædicto; ſpecialibus ipſius Archiepiſcopi, & hominum, ac familiæ ſuæ cauſis dumtaxat exceptis: & infrà. Ideòque diſcretioni veſtræ mandamus, quatenùs per majores Eccleſiæ Senoñ. Canonicos, qui habere debent de hujuſmodi conſuetudine notitiam pleniorem; ſuper his ſolicitè veritatem inquiratis, & niſi vobis conſtiterit præfatum Archidiaconum, vel prædeceſſores ipſius, de pacifica ſic obtenta conſuetudine, juriſdictionem aliquam in ipſo Monaſterio, vel in hujuſmodi Abbatiis hactenùs habuiſſe, præfatum Monaſterium ab ejus impetitione penitùs abſolvatis, perpetuum ſuper hoc ipſi Archidiacono ſilentium imponentes. Si verò de præmiſſis conſtiterit, per eoſdem, eamdem juriſdictionem dumtaxat adjudicantes eidem, in Monaſterio ſupradicto, quam ipſum vel prædeceſſores ſuos in Monaſterio ipſo, vel in eiſdem Abbatiis habuiſſe conſtiterit, ſuper aliis perpetuum ei ſilentium imponatis.

1 *Dilecto.* Archidiaconus in Monaſteriis juriſdictionem non habet, niſi quantum tribuit ei generalis, vel ſpecialis conſuetudo. Hoc dicit, Jo. And. Bell. Bur. Card. Anch. Abb. & Jo. de Anan. Et ſunt tres partes. In prima, generalis cauſę commiſſio. In ſecunda, ibi, *Coram*, actoris petitio. In tertia, ibi, *Ideòque*, ſecunda determinata commiſſio, Jo. And.

Pro intelligentia hujus text. vide quod ſcripſi *in c. Nullus n.* 4. *de foro compet.*

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

UT *Archipresbyter*. Hæc tria capitula non ſummantur, nec dividuntur propter multiplicitatem dictorum. Sed tamen ſecundum Joann. Andr. Butr. Abb. & alios principaliter hoc intendunt: Archipresbyter civitatis ſubeſt Archidiacono, & principaliter præeſt Presbyteris, & Presbyteralibus officiis.

Archidiaconi, & Archipresbyteri officia invicem ſe habent tamquam excedentia, & exceſſa. In ſpecie autem in quibus conſiſtant, & in quibus diſtinguantur, examinavi in *c. Ad hæc à n. 1. uſq. in fin. ſup. tit. prox.* ubi plenè videas.

DE OFFICIO CUSTODIS.

Ex Libro Romani Ordinis.

CAPUT I.

CUſtos Eccleſiæ, cui ea, quæ Eccleſiæ competunt, cuſtodienda committuntur, oportet ut ſui Archidiaconi juſſioni in cunctis obediat: in Canonicis horis ſigna tintinnabulorum pulſandæ, ipſo Archidiacono jubente, ab eo pulſentur: pallia vel linteamina altaris, ſe cuncta utenſilia Eccleſiæ indeſinenter cuſtodiat: lampades & laternas in accendendo, ſeu extinguendo pervigil exiſtat, ne aut ſupra modum lucendo oleum depereat, aut minùs lucendo obſcurior ſit Eccleſia; ſed omnia cum diſcretione agantur, quæ noſcitur omnium virtutum eſſe mater. Si verò is minùs idoneus ad hoc peragendum extiterit, ab Archidiacono coerceatur, ut ſe emendet, ſi autem indomitus permanſerit, Archidiaconus Epiſcopo denunciando provideat, ut indecente ejecto: aptus domui Dei conſtituatur miniſter, ut omnia in laudem Dei fiant.

SUMMARIUM.

1 *CUſtos Eccleſiæ dicitur is, cui ea, quæ Eccleſiæ competunt, cuſtodienda committuntur ſub obedientia Archidiaconi.*

2 *Cuſtodis officium quod ſit.*

3 *Campanarum uſus multiplex, & ad quid fuerit adinventus, & n. ſeqq.*

4 *Indulgentiam plenariam pro recitantibus ſalutationem Angelicam ad tria ſigna campanæ in Solis occaſu dicitur conceſſiſſe Adrianus VI.*

5 *Cámpanæ cur benedicantur.*

6 *Et unde dictæ.*

7 *Tintinnnbulorum ſex ſunt genera.*

C*Uſtos Eccleſiæ*. Ponit quæ ſpectant ad officium Cuſtodis, & non dividitur.

1 Nota primò ex principio litterę, quis dicatur Cuſtos Eccleſiæ. Dicitur enim is, cui ea, quæ Eccleſia competunt, cuſtodienda committuntur ſub obedientia Archidiaconi.

2 Secundò, nota plura, quę ad officium Cuſtodis pertinent: oportet enim primò, ut in horis Canonicis pulſet tintinnabula, ſeu campanas jubente Archidiacono. Secundò, ut pallia, & linteamina altaris, ſeu cuncta utenſilia Eccleſię indeſinenter cuſtodiat; excipe tamen vaſa aurea, & argentea, & veſtimenta pretioſa, quorum cuſtodia pertinet ad Sacriſtam, ut *c. un. ſup. de off. Sacriſt.* ſecundùm Hoſt. hìc *n. 2. in ver. Utenſilia*, & Jo. And. *n. 1. in eod. ver.* Tertiò, ut lampades, & laternas in accendendo, ſeu extinguendo pervigil exiſtat, ne aut ſupra modum lucendo oleum depereat, aut minùs lucendo obſcurior ſit Eccleſia, ut in littera.

3 Tertiò, nota ibi, *In Canonicis horis ſigna tintinnabulorum*, unum peculiare ſignum pulſationis campanæ, videlicet horarum dicendarum, ut hìc, & *in c. prox. verſ. Et per ſingulas infrà eod.* Alibi hoc eſt ſignum Capituli congregandi, ut in *cap. In cauſis*, §. 1. *ante finem*, ibi, *Campanam pulſari fecerunt, ut moris eſt, ad Capitulum congregandum, ſup. de electione*. Sed & quandoque eſt ſignum gratiarum actionum, veluti cùm Chriſtiani adverſus aliquem obtinuerunt aliquam glorioſam victoriam. Quandoque eſt ſignum celebratę electionis: quandoque ſubtractionis alicujus ab hac vita: quandoque aliquem excommunicandi: quandoque gaudii, & honoris, & alicui perſonæ ſublimi proceſſionaliter occurrendi: quandoque ignem extinguendi, & ad bellum exeundi: quandoque lectum intrandi: quandoque parlamentum populi convocandi: quandoque ad menſam veniendi: quandoque ad ſcholas, quandoque ad prædicationem conveniendi; & quandoque corpus Epiſcopi honorandi, Quæ ſigna ſingillatim recenſet Hoſt. hìc *num. 1.* & poſt eum Jo. Andr. *num.* 13. Bellamer. *num.* 4. Cardin. *num. 2. verſ. Quæro in eo quod dixi de tintinnabulis*, Anchar. *nu.* 4. & Abb. *num.* 2. Addit Joan. Andr. *dicto num.* 13. quòd eſt etiam ſignum ſalutationis Beatæ Mariæ Vir- 4
ginis in crepuſculo de laudabili conſuetudine, ad quam orantibus cum ſalutatione Angelica Clemens Papa dedit indulgentias, ut refert Bellamera *n.* 5. & Adrianus VI. dicitur conceſſiſſe Indulgentiam plenariam omnibus Chriſti fidelibus, qui ad tria ſigna campanæ in ſolis occaſu ter recitant ſalutationem Angelicam cum verſiculo *Angelus Domini nunciavit Mariæ, &c.* Et generaliter eſt ſignum multorum aliorum, ſecundùm varios mores, & conſuetudines Civitatum, ut per Anchar. hìc *in fine*. Adde tu Concilium Colonienſe *p. 9. in tit. de conſtitutionibus, & conſuetudinibus, cap. 14. tom. 4. Concilior. par. 2. pag. 201.* 5
col. 1. ubi ſic legitur. *Benedicuntur quoque Campanæ, ut ſint tubæ Eccleſiæ militantis, quibus vocetur populus ad conveniendum in templum, & audiendum Verbum Dei: Clerus verò ad annuntiandum manè miſericordiam Dei, & veritatem ejus per noctem, ut per illarum ſonitum fideles invitentur ad preces, & ut creſcat in his devotio fidei. Quamvis etiam Patres aliò reſpexerit, videlicet ut Dæmones tinnitu Campanarum Chriſtianos ad preces concitantium terreantur, quin potiùs precibus ipſis territi abſcedant, illiſque ſubmotis, fruges, mentes, & corpora credentium ſerventur, ut procul pellantur hoſtiles exercitus, & omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempeſtatum, & fulgurum temperentur, infeſta tonitrua, & ventorum flamina ſuſpendantur, ſpiritus procellarum, & aereæ poteſtates proſternantur. Breviter, ut audientes confugiant ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium, ac ante Sanctæ Crucis vexillum, cui flectitur omne genu.* Hæc ibi. Quæ omnia complectitur gloſsa *unica* in extravag. Joann. XXII. *Quia cunctos de offic. Cuſtod.* ubi campana de se ipsa loquitur his verſibus.

Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, peſtem fugo, feſta decoro.

Dicitur autem Campana à Campania, ut dicunt Hoſt. 6
Jo. Andr. & alii ſupracitati *num.* 3. vel major vaſa à Campania regione; minora verò Nolæ ſunt appellatæ a Nola civitate Campanię, ubi primùm illarum uſus fuit adinventus, ut notat Specul. *in Rationabili divini offic. lib. 1. in tit. Campanis in princ.* & Jo. de Selva *in tract. de benef. p. 1. q. 5.*

nu. 93. Sed dê antiquiori tintinnabulorum, & campanarum uſu in Eccleſia, lege Cardinalem Baronium *Annalium t. 1. ad annum Chriſti 58. pag. 16. verſ. Cæterum*, *fol. mihi*
7 403. Sunt autem tintinnabulorum, quibus Eccleſia utitur, ſex genera, ut notat Speculator *ubi ſuprà num. 11.* & ex ipſo Jo. de Selva *loco cit. nu. 98.* videlicet Squilla, Symbolum, Nola, Noluba, ſeu Dupla, Campana, & Signum. Squilla pulſatur in Triclinio, idest Refectorio; Symbolum in Clauſtro; Nola in Choro; Noluba, ſeu Dupla in Horologio; Campana in campanili; Signum in turri: quodlibet tamen generaliter poteſt nuncupari tintinnabulum, & minora tintinnabula appellantur Campanulæ in præallegata Extravag. *Q*[illegible] *§. Verùm campanulas, quæ in Refectoriis, de off. Cuſtod.* & de illarum ſignificatione, & allegoria plenè videas apud Speculatorem, *ubi ſup. num. 4. & ſeqq.* Jo. de Selva *locis citatis*; & an Religioſus Mendicantibus liceat in eorum Eccleſiis, & Oratoriis unam, vel plures habere campanas, dic ut ſcripſi *in cap. Patentibus à num. 6. uſque ad n. 28. de privileg.* De campanis ſcripſerunt Jodocus Coccius in *Theſaur. Cathol. t. 2. lib. 3. cap. 7.* Jodocus Lorithius in *Theſauro Novo Theologico*, Petrus Creſpetius *in Summa Cathol. fid. eod. ver.* & campanas legitimè benedici, Vvilhelmus Lindanus in *Apolog. pro Relig. concord. tom. 3. c. 52.*

DE OFFICIO VICARII.

Honorius III. Vigoren. Epiſcopo.

CAPUT VI.

EX parte tua fuit propoſitum coram nobis: & infrà. Mandamus, quatenus perpetuos Vicarios, ut in Eccleſiis, in quibus Vicarias obtinent, reſideant, & ſe in Presbyteros (ut eorum cura exigit) faciant promoveri, per ſubtractionem proventuum, vel ipſarum Vicariarum compellas.

SUMMARIUM.

1 *Vicarii perpetui compelluntur ordinari, & Eccleſiis deſervire per ſubtractionem proventuum, & Vicariarum.*
2 *Vicarii perpetui tenentur ad reſidentiam ſicut Parochi intitulati.*
3 *Vicarius perpetuus tenetur habitare in domo Parochialis Eccleſiæ, & in ejus defectum, in alia à ſe conducta infra limites Parochiæ.*
4 *Coadjutores perpetui in cura animarum ea lege ad reſidentiam tenentur, qua Rectores Eccleſiarum Parochialium.*
Nec poſſunt ſibi alios Vicarios ſubſtituere, ibid.
5 *Vicarius perpetuus tenetur ſe facere in Presbyterum ordinari, ſicut Rector principalis, n. 25.*
6 *Beneficium quodlibet curatum habet ordinem Presbyteratus annexum.*
7 *Vicarii perpetui habent curam animarum.*
8 *Et in eis habent locum jura de pluralitate incompatibilium, de ætate, & promotione ad Sacerdotium.*
6 *Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum curam animarum habentium, & eam per Vicarios temporales exercentium, an cogi poſſint ad conſtituendos Vicarios perpetuos, qui eam curam exerceant, & n. ſeqq. uſq. ad n. 14.*
10 *Anve expediat, ut Sedes Apoſtolica decernat de cætero hujuſmodi Vicarios perpetuos in prædictis Eccleſiis eſſe inſtituendos, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
11 *Vicarii perpetui inſtituendi ſunt in Parochialibus unitis Capitulis, Collegiis, Monaſteriis, & piis locis.*
12 *Vicarii temporales inſtitui poſſunt à Capitulis in Parochialibus ſibi pleno jure ſubjectis.*
13 *Cura animarum incumbit Capitulo, non autem Epiſcopo cum Eccleſia Collegiata habet Parochiam.*
14 *Cura animarum in Cathedralibus, & Collegiatis curatis non eſt penes ſingulares perſonas, ſed penes Capitulum.*
15 *Cura non eſt dividenda inter Sacerdotes, ſed unus conſtituendus qui eam regat.*
16 *Mutatio frequens Miniſtrorum eſt plerumque Eccleſiis pernicioſa.*
17 *Curam animarum exercentes quas qualitates habere debeant ex ſacrorum Canonum præſcripto.*
18 *Hæreſum cauſa, Paſtorum abſentia.*
19 *Vicarii perpetui in quos tota cura animarum tranſlata eſt, habent curam tam in habitu, quàm in exercitio.*
20 *Item habent verum titulum.*
21 *Item veniunt Parochi appellatione.*
22 *Vicaria perpetua comprehenditur in extravaganti Execrabilis, & eſt incompatibilis cum alia ſimili Vicaria, vel beneficio curato, & n. ſeqq.*
24 *Vicarius perpetuus comprehenditur in Clem. Gratiæ, de reſcriptis.*
25 *Vicarius perpetuus tenetur ſuſcipere infrà annum ordinem Presbyteratus.*
26 *Regula de annali, & de idiomate habet locum in Vicariis perpetuis, & ſeqq.*
27 *Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum Vicario perpetuo ſuper ætate, n. 17.*
28 *Vicarii perpetui privari non poſſunt abſque legitima cauſa.*
29 *Vicarius perpetuus fundat intentionem ſuam ſuper decimis.*
30 *Vicarii temporales non poſſunt conſtituere Procuratores ad agendum ſicut poſſunt perpetui pro juribus ſuis.*
31 *Vicarius Eccleſiæ an dici poſſit Rector Eccleſiæ.*
32 *Vicarii amovibiles an comprehendantur in diſpoſitione de Vicariis perpetuis.*
33 *Vicarii temporales non habent titulum.*
34 *Eccleſiæ conductitiis Sacerdotibus non committendæ.*
35 *Vicarii perpetui utiliter inſtituti in Eccleſiis Patriarchalibus, & Collegiatis Urbis curam animarum habentibus, n. 25.*
36 *Vicarii perpetui an ſint conſtituendi in Monaſteriis curam animarum habentibus.*
37 *Præjudicium minimum non attendendum.*

E*X parte*. Vicarii compelluntur ordinari, & Eccleſiis 1
deſervire per ſubtractionem proventuum, & Vicariarum. Hoc dicit. Et in prima ponitur deciſa conſultatio. In ſecunda reſponſio, ibi, *Mandamus*.

Nota primò, ibi *reſideant*, Vicarios perpetuos, id eſt, 2
authoritate Epiſcopi inſtitutos ſecundùm Hoſtienſem, teneri ad reſidentiam, ſicut tenentur Parochi intitulati. Unde fit, ut quemadmodum Parochus tenetur habitare 3
in domo Parochialis Eccleſiæ, nec permittendus eſt in alia domo habitare, etiam infrà limites Parochiæ, ut dixi in *c. Extirpandæ, §. Qui verò nu. 12. infrà de præben.* ita & Vicarius perpetuus ex ſententia S. Congregationis Concil. reſidere teneatur in ædibus Parochialis unitæ præbendis Capitularibus, non obſtante immemorabili conſuetudine. Quòd ſi Parochialibus ædibus careat, teneatur reſidere in alia domo propinquiore infrà Parochiæ limites à ſe conducta.

Similiter declaravit S. Congregatio, Rectores Capel- 4
laniarum, ſeu beneficiorum, quibus in exercenda cura animarum onus coadjuvandi Rectorem Parochialis Eccleſiæ annexum eſt, ea lege ex Concilio Trident. *c. 1. ſeſſ. 23.* ad reſidendum teneri, qua Rectores Parochialium Eccleſiarum ex eodem decreto tenentur. Et aliàs conſulta, an Coadjutores perpetui in cura animarum exercenda Rectori à Sede Apoſtolica conceſſi, reſidere teneantur:

Reſ-

Reſpondit Epiſcopum ex Concilio Tridentino *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. poſſe eos cogere ad reſidentiam, & curam animarum perſonaliter exercendam. Ad hoc *cap. Clericos ſup. eod.* ubi eſt expreſſum, Vicarios perpetuos non poſſe ſibi alios Vicarios ſubſtituere, cum id ſatis ſit abſonum, & abſurdum.

5 Secundò nota ibi, *Presbyteros*, Vicarii perpetuum teneri ſe facere in Presbyterum ordinari, ſicut Rector principalis, ut per Card. *n.* 1. *in* 2. *not.* Unde generaliter colligit
6 Anton. de Butr. *nu.* 1. quodlibet beneficium curatum habere annexum Ordines Presbyteratus.

7 Ultimò nota ibi, *Ut eorum cura exigit*, Vicarios perpetuos habere curam animarum, ut hìc probatur, *& in cap. Super eo de præben. lib.* 6. Et notant hìc gl. 1. Joan. Andr. & Bellam. ambo *n.* 1. *in ver. Cura*, Ant. de Butr. *in* 3. *not.* Card.
8 & Anch. *n.* 1. *in* 1. *not.* Unde infertur, ut decretalis *De multa, de præb. c. Cum in cunctis de elect. & c. Licèt Canon eod. tit. lib.* 6. ita vendicent ſibi locum in Vicariis perpetuis, ſicut in Parochialium Eccleſiarum Rectoribus; quod hodiè eſt expreſſum in *Clem. unic. de off. Vicar.*

9 QUÆRO, An Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum curam animarum habentium, & eam per Vicarios temporales exercentium, cogi poſſint ad conſtituendos Vicarios perpetuos, qui eam curam exerceant.

10 Anve expediat, ut Sedes Apoſtolica decernat de cætero hujuſmodi Vicarios perpetuos in prædictis Eccleſiis eſſe inſtituendos.

Quoad primam partem propoſitæ quæſtionis, inſpecta juris communis diſpoſitione, videtur reſpondendum, prædicta Capitula minimè cogi poſſe ad deputandos Vicarios perpetuos.

11 Nam etſi aliàs in beneficiis Eccleſiaſticis curatis, quæ Cathedralibus Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuò ſunt unita, inſtituendi ſint Vicarii perpetui, *c. Extirpandæ*, §. *Qui verò de præbend. c. de Monachis eod. tit. & cap.* 1. *de Capell. Monachorum lib.* 6. *cap. Tuarum de privil.* quem textum poſt alios ponderat ibi Marian. Socin. *num.* 10. *& c.* 7. *ſeſſ.* 7. Concilii Tridentini.

12 Ubi tamen beneficia curata ſunt in eiſdem Eccleſiis Cathedralibus, ſeu Collegiatis, pleno jure eis ſubjecta, poſſunt Capitula dictarum Eccleſiarum, penes quæ animarum cura reſidet, pro libitu deputare Vicarios temporales idoneos, gloſſ. communiter recepta in *Clem. Frequens in ver. Ad menſam, de exceſſ. Prælat.* quam ibi Abb. *nu.* 17. dicit ad hoc eſſet valdè notabilem, & ſequuntur cæteri præſertim Vitalin. *num.* 82. *cum ſeqq.* Anton. de Butr. *conſ.* 51. *nu.* 6. Rota *dec.* 2. *ſub tit. de exceſſ. Prælat. aliàs eſt* 273. *in novis, & dec.* 1. *ſub tit. de offic. ordinar. quæ eſt* 290. *in antiquis*, Rebuffus *in praxi benef. tit. de Vicar. perpetuis nu.* 6.

13 Ubi enim Eccleſia Cathedralis habet Parochiam, jura Parochialia pertinent ad Capitulum, non ad Epiſcopum, *cap. Cùm ſuper de ſepultur.* ubi notat poſt alios Abb. *not.* 3. *nu.* 4. & idem Panorm. *in cap.* 1. *nu.* 5. *de Capell. Monach.* ubi ait: In Eccleſiis ſæcularibus, & Collegiatis videmus, quòd unus, vel duo exercent curam nomine Collegii: nec per hoc notatur diverſitas, quia is facit cujus nomine fit, *cap. Cùm quis de ſent. excomm. lib.* 6. *c. Cum veniſſent de inſtit.* Et ſanè, inſpecta juris communis diſpoſitione, res videtur ſatis clara.

Quo verò ad ſecundam partem videtur reſpondendum, magnoperè expedire, ut Sanctiſſimus ſtatuat, de cætero inſtituendos eſſe Vicarios perpetuos in dictis Eccleſiis; quod ſuadetur ex ſequentibus.

14 Primò, quia cum beneficia curata ſunt in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu Collegiatis, animarum cura non eſt penes ſingulos Canonicos in particulari, ſed potiùs penes Collegium, ſeu Capitulum Oldrad. *conſ.* 7. Roman. *conſ.* 235. *nu.* 2. *&* 3. & tenet gl. Joann. Andr. *in Clem. ult. in verbo Capitulo, de reb. Eccleſ. non alien.* quatenus ſe remittit ad notata per Hoſtien. *in cap. Expoſuiſti, de præb.* ſequitur Marian. Socin. *in cap. Sicut unire nu.* 125. *de exceſſ. Prælat.* atque ita deciſum fuiſſe, refert Puteus *deciſ.* 288. *lib.* 1. Rebuff. *in praxi beneficiorum tit. de non promotis intra annum nu.* 64. *&* 65. At Capitulum penes quod reſidet cura animarum, etſi dicatur repræſentare perſonas ejuſdem Capituli viventis, non tamen eſt perſona vera, ſed ficta, & repræſentata, & carens anima. Facit text. in *c. Romana*, §. *In univerſitatem. de ſent. excomm. lib.* 6. & tradit Imol. in *l. Mortuo, ff. de fidejuſſoribus*, Felin. *in c. Eam te n.* 14. *verſ. Secunda declaratio de reſcr.* Gomez. in *reg. de annali q.* 12. *col.* 1. & ſic Parochia non habet certum, & particularem Paſtorem, qui curam animarum exerceat.

Siquidem cùm quid eſt commune pluribus ut ſic, nullus de Collegio poteſt dicere: Hoc eſt meum, Lapus *alleg.* 50. *n.* 15. & ut ait Divus Thomas *in* 1. *ſent. diſt.* 19. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad primum*: Omne id, quod convenit pluribus, convenit eis ſecundum id quod eſt eis commune, non autem ſecundum id quod eſt eis proprium; atque ita inconveniens videtur, ut in hujuſmodi Eccleſiis non ſit unus, & certus Rector, ſeu perpetuus Vicarius, cui animarum cura incumbat, *c. Sicut* 21. *q.* 2. *Sicut*, inquit, *in* 15
unaquaque Eccleſia unus Presbyter eſſe debet, ita ipſa quæ ſponſa, vel uxor ejus dicitur, non poteſt dividi in plures Preſbyteros, ſed unum tantummodo habebit Sacerdotem, qui eam caſtè, & ſincerè regat. Facit *c. Cum non ignores de præb.* ibi, *Cùm non ignores, quod una Eccleſia unius debeat eſſe Sacerdotis.*

Suadetur ſecundò, quia, ut inquit Ariſtoteles 2. *Politicorum cap.* 2. quæ communia ſunt, negligentiùs curari, atque aſſervari ſolent, & ut dicitur *in leg. Meminimus, Cod. Quando, & quibus quarta pars debetur, lib.* 10. naturale vitium eſt negligere, quod communiter poſſidetur, utque ſe nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur.

Suadetur tertiò, quia experientia, quæ eſt efficax rerum magiſtra, *c. Quàm ſit de election. lib.* 6. & veritatis probatio legitima, *Clem. Cùm Eccleſia de ætat. & qualit.* docuit in dictis Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus eſt cura animarum communis, circa nominationem, ac deputationem Vicariorum temporalium, crebras inter ipſos capitulares oriri diſcordias, & contentiones, cùm quilibet eorum ſtudeat nominare Vicarium pro ſuo libitu, & ſæpè etiam non zelo utilitatis Eccleſiæ. Ad hoc *lege Cùm Pater*, §. *Dulciſſimis, ff. de legat.* 2. ibi, *Cùm diſcordiis ſedandis proſpexerit, quas materia communis ſolet excitare*, & quod notat gl. *in cap.* 1. *in ver. Diſſolveretur Religio, ne Sede vacan. & in cap. Nullus in ver. In mutuam* 17. *q.* 4.

Suadetur quartò, quia cùm Vicarii temporales, qui ſolent nominari per dicta Capitula, ſint ad nutum eorum amovibiles, ſæpè etiam ſine cauſa ob privatos effectus à Capitulis amoventur.

Hæc autem frequens Miniſtrorum mutatio ut plurimum eſt valdè Eccleſiis perniciosa, arg. tex. cum ibi notatis, 16
in *Clem. Cùm illuſio de renunciat.*

Suadetur quintò, quia ex parte etiam ipſorum mercenariorum, mutationes non rarò fiunt: nam cùm non ſint in Eccleſiis intitulati, oblato majori ſtipendio ſtatim recedunt, ideòque Eccleſiam non diligunt, nec ovium ſollicitam curam gerunt, &c. Ad hoc *c.* 1. *ſeſſ.* 14. Conc. Trid. ibi, *Cum ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habebant, non quæ Jeſu Chriſti, &c. ſed alienas oves, &c.*

Suadetur ſextò, quia vel ob mutationum frequentiam, vel ob periculum amotionis, vel ob ſtipendii tenuitatem, ſeu aliam cauſam conſimilem, vix reperiuntur Vicarii, qui qualitates habeant requiſitas ad curam animarum exercendam, ut docet experientia. Quòd quàm Eccleſiis, atque ovibus pernicioſum ſit, patet ex *c. Grave de præb. cap. Petrus* 39. *diſt. c. Indecorum eſt, & cap. pen. de ætat. & qualitat. c.* 1. *verſ. Verum de præb. in* 6. *Clement.* 1. *eod. tit.* & paſſim alibi. Unde Dionyſius Carthuſianus *lib. un. de vita, & regimine Epiſcoporum art.* 34. *Cum igitur*, inquit, *peccet Antiſtes ſæcularia, & civilia officia committendo viris inſufficientibus, imprudentibus, & injuſtis multo, & quaſi incomparabiliter enormius peccat conſtituendo in officio Paſtorali, & curatos eos, qui ad talem executionem officiorum non ſunt ſcientia, moribus, virtutibus, & ætate idonei: ſimiliter ſi diſpenſet, & permittat, quòd inſufficientes conſtituantur, & ſint Capellani Vicariique Paſtorum.* Hæc Dionyſius.

Suadetur ſeptimò, quia etſi hujuſmodi Vicarii temporales paſſim non mutarentur, nec ipſi Eccleſiarum curam desererent, & prædicti eſſent qualitatibus requiſitis; negari tamen non poteſt, quin ſint mercenarii, & conductitii, de quibus Joann. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat*

pro ovibus ſuis: Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.

17 Unde Rebuffus in *praxi beneficiorum tit. de diſpenſatione de non reſidendo nu. 57. & 58. Cultus*, inquit, *diminuitur Divinus per mercenarios, qui non ſerviunt, & quibus nul-*
18 *la eſt cura de ovibus, ut ſacrum docet Evangelium, & textus in c. Ex parte de conſtitut. Hæreſes naſcuntur, & pullulant.* Et hanc fuiſſe etiam potiſſimam cauſam hæreſum, ſcribit Alphonſus Caſtrenſis *lib. 1. adverſus omnes hæreſes c. 13.*

19 Suadetur octavò, quia Vicarii perpetui, in quos tota cura animarum tranſlata eſt, dicuntur habere verè titulum Eccleſiæ Parochialis, & curam animarum non tantùm in exercitio, ſed etiam in habitu: & quamvis propriè non dicantur Rectores Eccleſiarum, ſunt tamen propriè Rectores curæ animarum, eiſque incumbit ex officio gregem ſibi creditum paſcere; cùm enim Canonico titulo ſint ſubrogati in animarum cura, tenentur ad omnia illa, ad quę tenentur Rectores, ut hic, & in *c. Provideas*, & ibi Doctores *ſup. eod. & in Clem. unic.* ubi gl. Abb. & Vitalin. *eod. tit.* Rota *dec. 274. aliàs 2. de exceſſ. Prælator. in noviſ.* Thomas Faſtolus *caſu 8. dub. 25. num. 21.* Dec. *in cap. Poſtulaſti num. 1. de reſcriptis*, Navarr. *in cap. Placuit num. 69. de pœnit. diſt. 6.* Quintil. Mandoſ. *in reg. de annali q. 3. n. 3.* Unde opinio gl. *penult. in cap. Ad hæc ſupra eodem*, quòd Vicarii perpetui non habeant titulum, ſed Eccleſiam quaſi commendatam; non videtur vera, quia imò habent verùm titu-
20 lum in ipſa Eccleſiâ, ut ſenſit ibi Abbas, & Vital. *in Clem. Cæterùm n. 3. de ſepulturis*, Roman. *conſ. 35. n. 5.* & alii paſſim.

Unde pro regula conſtituitur, ut diſpoſitio loquens de Parochiali, habeat locum in Vicaria perpetua, quæ venit
21 appellatione beneficii curati, ut in *dict. Clement. 1.* ubi
22 hoc tenet gloſſ. Abb. Vitalin. ſuperiùs citati. Unde fit, ut diſpoſitio extravagantis *Execrabilis*, Joann. XXII. *de præbendis*, habeat locum etiam in Vicariis perpetuis, ſecundum gl. *in dict. Clement. de officio Vicarii*, in verbo *Amittendis*, quam ibi ſequuntur Abb. Vitalin. & cæteri com-
23 muniter, Anton. de Butr. *conſ. 51. num. 2.* Atque ita, qui habet Vicariam perpetuam, non poteſt ſimul habere beneficium curatum, nec poteſt habere duas Vicarias, *cap. 1. & cap. Provideas ſupra eodem.* Et Vicarius in una non poteſt in alia intitulari, Vicaria retenta, *c. Poſtulaſti de reſcriptis*, notat Hoſtien. in *Summa rubric. de officio Vicarii*, §. *ult.* & Goffred. *in ead. rubr. n. 8.*
24 Item *Clem. Gratiæ de reſcript.* procedit quando quis beneficium adipiſcitur uti perpetuus Vicarius, Rom. *conſ. 376. num. 5.* Item *cap. Licèt Canon de elect. lib. 6.* habet lo-
25 cum in Vicario perpetuo. Quinimò obtinens Vicariam perpetuam poteſt compelli etiam infra annum ad ſuſcipiendum Ordinem Sacerdotii; non obſtante pœna privationis ipſo jure, quæ imponitur *in d. cap. Licèt Canon*, poſt lapſum anni, gloſſ. *in d. Clem. 1. de offic. Vicarii*, in verbo *Promovendus*, quam ſequuntur ibi Abb. *num. 4.* & cæteri.
26 Item procedit eodem modo in Vicariis perpetuis, Gomez. *in ead. reg. q. 11.*
27 Et ſicut Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum Rectore ſuper ætate, *c. 1. de ætat. & qual.* ita nec cum Vicario perpetuo, gl. *in d. Clem. 1. in ver. Ætate*, ubi Abb. *nu. 9.* Rota *dec. 2. aliàs 273. de exceſſ. Prælat. in novis.* Nec Vicarii perpetui poſſunt removeri, nec privari, niſi ex legitima cauſa, & per judicem competentem, *c. Ad hæc*, ubi DD. *ſupr. eod.* Hoſt. *in Summa eod. tit.* §. *Et quod n. 6.* & Goffr. *n. 8.*
28 Et denique Vicarii perpetui poſſunt agere pro juribus concernentibus ſuam Vicariam abſque alio mandato, cùm habeant verum titulum, ita probat text. *in d. Clem. 1. de off. Vicarii*, ubi notant Card. Ant. de Butr. Abb. & Felin. *in c.*
29 *9. Perpetuus de fid. inſtrum.* Goffr. *loc. cit. n. 9.* & Hoſt. *d. n. 6.* Unde Vicarius perpetuus petendo decimas, & jura Parochialia habet ſuam intentionem fundatam de jure communi, Rot. *dec. 5. alias 542. de off. Vicarii in antiquis*: & Vica-
30 rii perpetui pro juribus ſuæ Vicariæ conſtituere poſſunt procuratorem ad agendum; quod quidem non poſſunt Vicarii temporales, ut poſt alios tenet Vitalinus *in d. Clement. 1. n. 41.* & idem *in Clem. Cæterùm de ſepultur. nu. 4.*
31 addit, ſi Vicarius perpetuus agat pro aliquibus juribus ſuæ Vicariæ, ſi in libello vocet ſe Rectorem Eccleſiæ, non nocere, quia intelligitur id ex jure populi illius Eccleſiæ, & ſic illo reſpectu poteſt dici Rector Eccleſiæ: ſubdens ſe ita in facti contingentia obtinuiſſe in curia; & dicit Petr. Rebuff. *in tract. congruæ portionis nu. 110. & 112.* ſive vocetur Vicarius, ſive Curatus, ſive Rector, non eſſe curandum.

Hæc autem omnia, & alia ſimilia, quę diſpoſita ſunt cir- 32
ca Vicarios perpetuos, non habent locum in temporalibus, gl. verb. *Perpetuis in d. Clem. 1. de officio Vicarii*, ubi Abb. *num. 10.* ſiquidem hujuſmodi Vicarii temporales, & ad nutum amovibiles, de quibus in *cap. Pervenit, il ſecon-* 33
do de appellat. & in cap. Cum ex eo, de elect. lib. 6. nullum habent titulum, nec animarum curam dicuntur habere; ita probat text. juncta gl. *in verbo Perpetuus in cap. Conſtitutus de fil. Presbyterorum*, & in Extravag. *Execrabilis*, §. *Quantum autem* cum gl. *in verbo Temporales Vicarios, de præb.* gl. in *c. Si pauper in ver. Eſſet eod. tit. lib. 6.* Faciunt notata per gl. *in Clem. Dudum*, §. *Deindè in ver. Impendant de ſepult.* & per Gem. *conſ. 86. incip. In cauſa.*

Ex quibus differentiis planè conſtat, multò fructuoſiùs conſultum eſſe Eccleſiis, & curæ animarum per inſtitutionem Vicariorum perpetuorum, quàm per deputationem amovibilium, ut colligitur in dicta extrav. *Execrabilis de præb. in princ.* ibi: Divinus cultus minuitur, hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur, & dum non ſunt ſui in unaquaque regione Rectores, Eccleſiarum detrahitur commodi, & honoris, quæ carentes defenſorum auxilio in juribus ſuis, & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia, quę magnificentia extruxerat deceſſorum; & quod amariùs eſt dolendum, animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculosè præbetur.

Suadetur nonò ex *cap. Præcipimus 21. diſt.* ubi Innocen- 34
tius II. *Præcipimus*, inquit, *nec conductitiis Presbyteris Eccleſia committatur, ſed unaquaque Eccleſia cui facultas ſuppetit proprium habeat Sacerdotem.* Ad idem text. *in c. Extirpandæ*, §. *Qui verò de præb. cap. 1. de Capell. Monachorum lib. 6.* Item in Concilio habito in Alemania ſub Conrado Epiſcopo Cardinali Portuenſi, & ſanctæ Rufinę Legato Apoſtolico, *c. 12. tom. 3. Conciliorum*: Quia enormis quædam conſuetudo in quibuſdam Alemaniæ partibus contra Canonicas ſanctiones inolevit, ut imponantur in Eccleſiis conductitii Sacerdotes, Vicarii temporales, ne id fiat de cætero, auctoritate Legationis qua fungimur, omnibus modis inhibemus, ut cum Vicarius poni debet, & poteſt, perpetuò inſtituatur, idque aſſenſu, & auctoritate diœceſani. Hæc ibi. Unde Rotæ *dec. 21. aliàs 331. n. 2. in novis*, efficaciter probat longè meliùs deſerviri Eccleſiæ per proprium Rectorem, quàm per Vicarium temporalem.

Suadetur decimò, quia ratio qua moti fuerunt Pontifices, & Concilium Tridentinum in locis ſuperiùs citatis ad ſtatuendum, ut in Parochialibus unitis perpetui Vicarii conſtituantur, militat etiam in noſtro caſu, ut conſtat ex ſupradictis. ergo idem jus ſtatuendum, *cap. Inter corporalia de tranſlat. Epiſcopi cum vulg.* Rotæ *dec. 21. nu. 2. de præb. in novis.* Imò ut plurimum Parochiæ Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum ſunt ampliores: ergo longè periculoſius eſt, ut ibi ſerviant Vicarii mercenarii, *c. Præcipimus 16. q. 1. cap. 3. & cap. ult. cum ibi not. de Eccleſ. ædificandis.* Quod tenet in Opuſculo *de vita, & regimine Epiſcopi art. 32. ad fin.*

Suadetur undecimò, quia hujuſmodi Mercenarii cum ut plurimum pauperes ſint, facilè contemnuntur à Parochianis, nec poſſunt miniſterium ſuum exercere, ut pars eſt, juxta præceptum Apoſtoli ad Titum 2. *Loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat.* Unde Gregorius *in Paſtorali c. 15.* agens de Prælatis animarum curam habentibus: *Sæpè*, inquit, *improvidi, humanam gratiam amittere formidantes, loqui liberè rectâ pertimeſcunt, in hoc jam non Paſtores, ſed mercenarii, quia lupo oves vorante, ipſi ſilent, aſſimilati canibus mutis, non valentibus latrare.*

Suadetur ultimò, quia in omnibus Urbis Eccleſiis Pa- 35
triarchalibus, & Collegiatis, quibus cura animarum imminet, conſtituti ſunt Vicarii perpetui, quod quidem in maximam Eccleſiarum utilitatem, & animarum profectum, & cultus divini augmentum evaſiſſe palàm eſt. Unde congruum eſt, ut Eccleſiæ inferiores ad illarum exemplum inſtituantur, arg. *c. Di his 12. diſt.*

Nec

Nec ſupradictis obſtat, quod cum multi Canonici ejuſdem Capituli ſint viri docti, & graves, aptiùs & ſolertiùs poterunt invigilare circa animarum curam, & gregi prodeſſe, quàm quilibet Vicarius, etiam perpetuus, arg. *c. Prudentia de off. delegat.* nam ad hoc reſpondetur, imò, ut ſuprà in principio probavimus, hac ratione communitatis potiùs
36 curam negligi. Unde Soto *lib. 9. de juſtit. & jur. qu. 4. art. 3. ad fin.* ſic ait: *Utrum congruat ſacerdotia cum curis animarum Monaſteriis annecti: nam ex una parte videntur Monachi ſolertiùs, ac vigilantiùs poſſe gregi proſpicere: ex altera vero propinquius Evangelio videtur, ut proprius Parochus ſit in ſua Parochia, qui cum ſuis ſubditis converſetur, & denique conſiliis, ope, & eleemoſynarum largitate juvet, cùm tamen Monachi nonniſi per Vicarium rem adminiſtrare poſſint:* & certè hæc ratio apud me ſemper invaluit.

Minùs etiam obſtat, quod in terminis videtur tenere Anton. de Butr. *conſ. 51. num. 6. verſ. Item etiam hoc.*

Denique non obſtat, quòd ex hoc irrogaretur præjudicium Capitulo, & nihil cum præjudicio alterius ſit faciendum, *cap. Cum olim de Conſ. cum ſimilib.* nam ad hoc primò reſpondetur, leve eſſe præjudicium, quod Capitulis ex hoc inferri poſſit: nam ex ſtipendio, quod aſſignari conſuevit Vicariis temporalibus, ſaltem addendo quid modicum, poterit conſtitui portio ipſis Vicariis perpetuis, & ex hoc meliùs, ac ſecuriùs poterunt ſuas conſcientias exonerare, & ſe eximere à moleſtiis, quæ occaſione frequentis mutationis Vicariorum contingere ſolent.

Secundò, reſpondetur, cùm damnum ſit minimum, non 37
eſſe in conſideratione, ut dicit gloſſ. in *d. cap. Cùm olim:* & nihilominus etiamſi eſſet conſiderabile damnum particulare; utilitas tamen publica Eccleſiæ præferenda eſt. Textus, juncta gloſſ. in verbo, *Præferenda*, eſt in *cap. Scias 7. qu. 1.* In omni enim diſpoſitione intelligitur excepta publica utilitas, *l. Jubemus nullum*, & ibi Bald. *C. de ſacroſan. Eccleſ. l. Si quis in gravi, ff. ad Sillanian.* Salicet. in *l. 2. C. de Noxal.* Gambara *l. 7. de offic. & poteſtat. Leg. de Later. num. 194.* Utilitas autem publica conſiſtit in ſacris, & Sacerdotibus, *c. Jus publicum 1. diſt.*

DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Alexander III. Carnoten. Epiſcopo.

CAPUT XI.

2. SAnè quia nos: & infrà. Tuæ quæſtioni duximus reſpondendum, quòd judex à nobis delegatus vices noſtras gerit, unde in cauſa illa ſuperior eſt, & major illis, quorum cauſam ſuſcepit terminandam. Ideòque ſi Epiſcopus, vel alia perſona, quæ non ſit de juriſdictione illius, in cauſa quam ei delegamus, rebellis aut contumax fuerit, ſecundùm qualitatem facti poterit vel interdicti, vel ſuſpenſionis ſententia à judice delegato compelli; ita quòd judex ſecundùm negotii qualitatem temperatè procedens, Epiſcopo vel ingreſſum Eccleſiæ, vel ſacerdotale officium interdicat; aut etiam terram illius, quæ ad juriſdictionem ſuam pertinet, ſpecialiter interdicto ſupponat.

SUMMARIUM.

1 *DElegatus Papæ in cauſa ſibi commiſſa juriſdictionem habet ſuper Ordinarium, & quemcunque majorem.*
2 *Perſona una diverſis reſpectibus poteſt eſſe ſuperior, & inferior.*
3 *Delegatus Papæ poteſt procedere etiam contra Epiſcopum, qui in cauſa ei delegata contumax, aut rebellis extiterit, n. 15.*
4 *Inferior aliquando juriſdictionem habet in ſuum ſuperiorem, & etiam poteſt in eum animadvertere.*
5 *Delegatus à Sede Apoſtolica gerit vices Papæ.*
6 *Interdicto an ſupponi poſſit tota civitas vel diœceſis ob contumaciam Epiſcopi, & n. ſeqq. uſque ad nu. 15.*
7 *Civitas vel Diœceſis pertinet ad juriſdictionem Epiſcopi in ſpiritualibus, n. 14.*
8 *Non tamen dicitur propria ipſius Epiſcopi.*
Contrarium, n. 14.
9 *Interdici poteſt terra ob delictum Domini, vel Rectoris, num. 13.*
10 *Regnum ob delictum Regis, & terra feudalis ob delictum vaſſalli.*
11 *Interdictum eſt pœna ſpiritualis.*
12 *Tranſitus eſt facilior in habentibus ſymbolum.*
13 *Epiſcopus dicitur Officialis communis.*
15 *Delegatus Apoſtolicus poteſt procedere contra Epiſcopum rebellem, aut contumacem, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas.*
16 *Debet tamen in his deferre dignitati Pontificali, & ſervare ordinem hìc deſcriptum, n. 38.*
17 *Conſervatores Regularium an poſſint procedere per cenſuras contra Epiſcopos, & alios ſuperiores, n. 37.*
18 *Angelopolitani Epiſcopi in Indiis Occidentalibus cum Societate Jeſu controverſia ſuper confeſſionibus, prædicatione, & Conſervatorum juriſdictione, refertur, num. 41.*
Examinatur n. 19. & ſeqq. uſque ad n. 40.
Deciditur in Congregatione ad hoc deputata, & deciſio à Sanctiſſimo confirmatur, nu. 40. & ſeqq. uſque in finem.
19 *An Epiſcopus præcipere poſſit ſuis ſubditis, ne alienent prædia Regularibus privilegiatis, niſi reſervatis Eccleſiæ decimis.*
20 *Decimalia prædia alienari prohibentur ſub conditione de non ſolvendis decimis; tenet tamen alienatio, ſed conditio vitiatur.*
21 *Locatio prædiorum decimalium in eos, qui ex conſuetudine non ſolvunt decimas, eſt prohibita.*
22 *Societatis Jeſu, & aliorum Ordinum Regulares audire non poſſunt confeſſiones perſonarum ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi diœceſani, num. 42. & num. 54. & 55.*
23 *Nec prædicare in Eccleſiis ſui Ordinis non petita Epiſcopi benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ejus licentia, nec in Eccleſiis etiam ſui Ordinis ipſo contradicente.*
Non tamen poſſunt ab Epiſcopo prohiberi per cenſuras, & alias pœnas; nec ſi contrafecerint, in vim Concilii ab Epiſcopo, ſed à ſuis Superioribus ſunt puniendi, num. 25.
Secus ex Bulla Gregoii XV. n. 27. & nu. 43. & 55.
24 *Epiſcopi ſunt executores decretorum Concilii Trident. non tamen contra exemptos, niſi in caſibus, in quibus hæc facultas ſpecialiter eis attribuitur, nu. 46.*
26 *Conſervatores dicuntur contra notorias injurias ſervatores.*
28 *Confeſſariis omnibus unius Conventus Epiſcopus ſimul adimere non poteſt facultatem audiendi confeſſiones ſæcularium, S. Congregatione inconſulta.*
29 *Quod locum non habet in Epiſcopis Indiarum, quibus tamen ab hac generali ſuſpenſione abſtinendum eſt, niſi graviſſima ſubſiſtente cauſa, n. 64.*
30 *Confeſſarios Regulares liberè à ſe prævio examine approbatos Epiſcopus ſuſpendere non poteſt ſine nova cauſa, eaque ad confeſſiones pertinente, n. 65.*

31 *Injuriam non infert qui jure publico utitur.*

32 *In Conſervatorem an eligi poſſit Prior Conventualis, & num. ſeqq.*

33 *Prior Conventualis dicitur habere dignitatem in Eccleſia Collegiata.*

34 *Diffinitores Ordinum Prædicatorum nullam habent dignitatem Eccleſiaſticam, nec poſſunt eſſe Conſervatores.*

35 *Conſervatores ultrà unam dietam aliquos à fine diœceſium eorum trahere non poſſunt.*

36 *Et privilegium de tribus dietis, quod habet Societas JESU à Gregorio XIII. ſublatum eſt per conſtitutionem Gregorii XIV.*

38 *Conſervatores in cenſuris contra Epiſcopos ferendis deferre debent dignitati Pontificali, nec incipere ab excommunicatione.*

39 *Si tamen incipiant, excommunicatio tenet, ſed ipſi malè faciunt.*

44 *Regularibus etiam Societatis Jeſu, qui non docent ſe obtinuiſſe approbationem, ſeu licentiam Epiſcopi pro confeſſionibus audiendis, & verbi Dei prædicatione, poteſt Epiſcopus per cenſuras præcipere, ut ab his abſtineant, num. 56.*

45 *Nec ob eam cauſam licet Regularibus quaſi à manifeſtis injuriis ad Conſervatores recurrere.*

46 *Conſervatores eligere non licet ex eo, quòd Epiſcopus injungat Regularibus obſervantiam alicujus decreti Concilii Trident. in illis caſibus, in quibus exempti ſubjiciuntur juriſdictioni, & correctioni Epiſcopi.*

47 *Idem ſi Epiſcopus in prædictis caſibus contra Regulares procedat juris ordine ſervato.*

48 *Regularibus aſſerentibus ſe habere privilegia, &c. non tenetur Ordinarius fidem adhibere abſque integrali illorum exhibitione.*

49 *Privilegiorum verba ſi ſint obſcura, & ambigua, pro interpretatione adeundus eſt Papa, nec licet in Indiis recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Epiſcopum, aut Conſervatores.*

50 *Conſtitutio Gregorii XIV. de Conſervatoribus æquè afficit Religioſos Societatis Jeſu, atque aliorum Ordinum, eorumque privilegia ad illius terminos ſunt redacta.*

51 *Regulares in cauſis civilibus coram Ordinario loci ſunt conveniendi, ſi Conſervatores infrà tempus præſcriptum in Conſtitut. Greg. XIV. non elegerint, &c.*

52 *Regulares in cauſis coram ſuis Conſervatoribus non tenentur cavere de judicio ſiſti, & judicatum ſolvendo.*

53 *Ad Conſervatores recurrere non licet, ſi Epiſcopi coram judice competenti jura Eccleſiarum ſuarum producant, & immoderatas Regularium acquiſitiones veraciter, ac modeſtè referant.*

54 *Regulares etiam Societatis Jeſu in una diœceſi approbati ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, non poſſunt eas audire in alia diœceſi ſine approbatione Epiſcopi diœceſani.*

55 *Regularibus audientibus confeſſiones ſæcularium, vel prædicantibus ſine licentia Epiſcopi, &c. poteſt Epiſcopus adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, & prædicationem interdicere.*

57 *Regulares inſurgentes maledictis contra Epiſcopum cum populi ſcandalo, an & quando ab Epiſcopo puniri poſſint.*

58 *Conſervatores tenentur ante exercitium ſuæ juriſdictionis exhibere ſuæ electionis documentum coram Ordinario ſub pœna nullitatis actuum.*

59 *Regulares ſi uti voluerint privilegiis contra juriſdictionem Epiſcopi, tenentur coram eo illa exhibere.*

60 *Societatis Jeſu prædia ruſtica, opificinæ, & domus ſæculares, in quibus unus, vel duo Religioſi degunt, non gaudent privilegiis Collegiorum.*

61 *Regularibus non poteſt Epiſcopus prohibere, ne illicita negotia exerceant; ſed ſi in his deliquerint notoriè, & cum populi ſcandalo, ſervandum Concilium Trident. c. 14. ſeſſ. 25. de regul.*

62 *Societatis Jeſu Religioſi familiaribus degentibus in eorum opificinis & domibus ſæcularibus ſacramenta hic enumerata adminiſtrare non poſſunt, &c.*

63 *Nec in diœceſi Angelopolitana vaſa ſacra, altaria, & ſimilia conſecrare.*

66 *Conſtitutio Pii V. ſuper adminiſtratione Sacramentorum in Indiis non eſt revocata, ſed non ſuffragatur, niſi in locis, ubi non ſunt Parochi.*

67 *In Regulares inobedientes in confeſſionibus audiendis, & prædicatione verbi Dei, poteſt Epiſcopus per cenſuras procedere, non in vim Concilii Triden. ſed in vim Bullæ Gregorii XV.*

68 *Licentias audiendi confeſſiones, & prædicandi, poteſt Epiſcopus concedere etiam per litteras miſſivas, vel oretenus.*

69 *Societatis Jeſu privilegium eligendi Conſervatores an ſuffragetur ubi non ſunt judices Synodales.*

70 *Conſervatores Societatis Jeſu poſſunt compeſcere Vicarios Generales Epiſcoporum à manifeſtis injuriis, & violentiis, etiam cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis.*

SAnè, il ſecondo. Delegatus Papæ in cauſa ſibi commiſſa juriſdictionem habet ſuper Ordinarium, & quemcumque majorem. Hoc dicit in ſumma Joann. Andr. Bald. Bellam. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. Joann. de Anañ. Felin. & Decius. Dividitur, ut per eos. 1

Nota primò ibi, *Superior eſt, & major*, ſecundùm Abbatem hìc *num.* 3. diverſis reſpectibus poſſe unam, & eandem perſonam eſſe ſuperiorem, & inferiorem. Nam ſi Papa delegat cauſam, v. g. Præpoſito Senenſi contra Archiepiſcopum Senen. Præpoſitus eſt major Archiepiſcopo reſpectu illius cauſæ, ut hìc in littera; & tamen in reliquis eſt minor, cùm ſit Archiepiſcopo ſubditus: & adde Hoſtien. in *c. Cùm Canonis num.* 1. *de cenſibus*, ubi ait, Epiſcopum diverſis reſpectibus eſſe dominum, & ſubditum; item Baldum idem dicentem in *c. Cùm inferior num.* 1. *in fin. de major. & obed.* per text. in *leg. Sed ſi hac*, §. *Si liberta*, *ff. de in jus vocand.* cum ſimilibus, ut per Tiraqu. in *tract. de nobilitate cap.* 28. *num.* 15. dixi in *cap. Poſtulaſtis num.* 14. *infrà de conceſſ. preben.* 2

Secundò, nota ibi, *Si Epiſcopus*, Judicem delegatum poſſe procedere etiam contra Epiſcopum, qui in cauſa ei delegata contumax, aut rebellis extiterit, ſcilicet non obediendo in his, quæ ad cauſam pertinent, vel ipſius juriſdictionem impediendo, ut *c.* 1. *c. Significaſti*, *& c. Si quando ſuprà eod.* ſecundùm Joan. Andr. hìc *num.* 4. & Abbatem *eod. num.* Et ſic nota caſum, in quo inferior habet juriſdictionem in ſuum ſuperiorem, & poteſt in eum animadvertere, ut per Abbatem *num.* 3. Et ſigna rationem in textu expreſſam, nempè quia delegatus à Sede Apoſtolica gerit vices Papæ, & ideò eſt ſicut & ipſe Papa honorandus, & reverendus in eo, in quo vices ipſis gerit, *c. fin.* 90. *diſt. cap.* 1. 94. *diſt. l. Etſi Prætor*, *ff. de offic. ejus*, cui *mandata eſt juriſdictio*, & patet in *c. Cùm olim Magiſter circa princip. infrà eod.* ſecundùm Hoſtien. hìc in *princ. in ver. Vices noſtras*, & Abb. in 1. *notab.* 3 4 5

Tertiò, nota ibi, *Aut etiam terram illius*, ob contumaciam Epiſcopi judicem delegatum poſſe interdicere totam terram illius juriſdictioni ſubjectam, ut hìc eſt expreſſum. 6

Et ex hoc notabiliter infertur, ut tota civitas, vel diœceſis poſſit ſubjici generali interdicto ob contumaciam Epiſcopi, prout ex hac littera deducunt Tancredus, & Bernardus in *gloſſ. ult.* quia negari non poteſt, quin tota civitas, vel diœceſis pertineat ad juriſdictionem Epiſcopi in ſpiritualibus, *c. Cùm Epiſcopus de offic. ordin. lib.* 6. 7

Sed Vincentius intellexit hunc textum de terra pertinente ad menſam Epiſcopi: aliàs niſi ſic pertineat, non debet ex facto Epiſcopi ſubjici interdicto, ſecundum eum. Et hanc opinionem Vincentii ſequuntur Cardin. Barbat. & Abb. hìc *num.* 7. qui pro illa ponderat litteram hujus textus ibi: *Terra illius*. Nam civitas non eſt Epiſcopi, licèt ibi habeat juriſdictionem ſpiritualem, ſed dicitur dominus temporalis, *cap.* 1. *de poſtul. Prælat.* juxta gloſſ. in *ver. Terram propriam*. Ponderat etiam verbum, *Specialiter*, hìc poſitum in fine textus, quod innuit hanc litteram eſſe intelligendam de terra ſpecialiter pertinente ad juriſdictionem Epiſcopi, id eſt, in qua Epiſcopus habet juriſdictionem temporalem. 8

Verùm Hoſtienſis hìc *num.* 4. generaliter dicit hunc textum loqui, qualitercumque Epiſcopus contumax fuerit, & rebellis, cùm propter delictum domini ſui terra interdica- 9

catur, ut hic, *& in cap. P. & G. infrà eodem in cap. Ex reſcripto de jurejur. & in cap. Non eſt vobis infrà de ſponſal.* Unde Archid. *in cap. Si ſententia, nu. 3. de ſentent. excommunic. lib. 6.* dicit per hoc Hoſtienſem accedere opinioni Tancredi, quòd propter contumaciam Epiſcopi civitas ipſius poſſit ſubjici interdicto: & hæc opinio ibi placet ipſi Archidiacono, qui pro ea inducit textum *in d. cap. Si ſententia*, & eam ſequuntur Gemin. ibi *in §. Cæterùm col. 2. verſ. Quæro, an propter contumaciam Epiſcopi*, & Franc. *n. 1.* eamque probant, & communem eſſe atteſtantur Felinus *hic num. 2.* & Decius *num. 26. & ſeqq.*

10 Quæ etiam videtur de jure verior: nam pro peccatis Regis regnum interdicitur, *dict. cap. Non eſt vobis de ſponſal.* civitas pro peccatis domini, aut rectoris, *dict. cap. Si ſententia, de ſentent. excommunic. lib. 6.* terra feudalis propter delictum vaſſalli, ut determinat Calder. *in tractat. de*
11 *Eccleſ. interdict. in 2. membr. quæſt. 17.* & aſſignari non poteſt ſufficiens ratio diverſitatis, cur non item interdici poſſit civitas pro peccatis Epiſcopi. Quinimò ſi interdictum poni poteſt ob delictum ejus, qui juriſdictionem habet temporalem; à fortiori ob delictum Epiſcopi, qui ſpiritualem habet juriſdictionem, quia interdictum eſt pœna
12 ſpiritualis, *cap. Quærenti de verb. ſignific.* in qua ſpiritualitate terra interdicta Epiſcopum recognoſcit; & in haben-
13 tibus ſymbolum facilior eſt tranſitus, *l. Cùm Aquiliana, ff. De tranſact.* Prætereà Epiſcopus dicitur officialis communis, ut per Anchar. *conſ. 340. Viſo themate, num. 1.* & ſic dici poteſt Rector civitatis; ideòque in eo verificatur quod dicitur *in d. cap. Si ſententia*, ibi, Domini, vel Rectoris, *de ſent. excommun. lib. 6.* Ac demùm pro communi opinione videtur textus hic in illis verbis, *Terram illius*, ſcilicet Epiſcopi: nam intellectus Vincentii nimis reſtringit hanc litteram. Nec obſtat ponderatio Abbatis: quia etiam ratione juriſdictionis ſpiritualis civitas, vel diœceſis dicitur propria ipſius Epiſcopi. Ad quod allego tex-
14 tum *in cap. Romana in princ.* ibi, Ac civitatem, & diœceſim propriam, *de cenſib. lib. 6.* Præſertim quia poſt verba, *Terram illius*, immediatè ſubnectitur, *Quæ ad juriſdictionem ſuam pertinet.* Quæ verba propriè verificantur etiam in juriſdictione ſpirituali, Clem. 1. *in princ.* cum gloſſa *in ver. Juriſdictionem de foro compet.* Nec obſtat adverbium, *Specialiter*, ponderatum per Abbatem, quia referri poteſt ad interdictum, quod ſpecialiter ponatur, punctando poſt verbum, *Pertinet*, ut benè hic per Decium *nu. 27. verſ. Et non obſtat.*

15 Ultimò nota ex poſteriori parte textus, Delegatum Apoſtolicum poſſe procedere contra Epiſcopum rebellem, aut contumacem, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, prout de interdicto eſt caſus hic, & de aliis cenſuris in *cap. 2. in-*
16 *frà eodem lib. 6.* ita tamen, ut in his promulgandis dignitati Pontificali reverenter deferatur, & primò interdicatur ei ingreſſus Eccleſiæ, vel Sacerdotale officium; deindè ab officio ſuſpendatur; & ſubſequenter aggraventur cenſuræ Eccleſiaſticæ contra eum, id eſt, ſententia excommunicationis, quæ primò ferri non debet, niſi aliud ſuaſerit nimia contumaciæ protervitas, ut dicitur *in d. cap. 2.* puta quia injurias, vel contumelioſa verba profert in judicem, *cap. Dilectus infrà de pœnis*, & notat gloſſ. *ult. in d. c. 2.*

17 QUÆRO, quid in Conſervatoribus, qui à Sede Apoſtolica aliquibus conceduntur, ut eos tueantur à manifeſtis injuriis, & violentiis, juxta *c. 1. & cap. final. de offic. Deleg. lib. 6.* numquid procedere valeant per cenſuras Eccleſiaſticas contra Epiſcopos, & alios Superiores.

18 Hic caſus non ita pridem contigit in Indiis Occidentalibus inter Epiſcopum Angelopolitanum, ſeu de la Puebla, & Clericos Societatis JESU: nam cùm Proviſor Epiſcopi publicis edictis intimari mandaſſet Rectoribus Collegiorum S. Spiritus, & S. Ildefonſi ipſius Societatis in civitate Angelopolitana, ut infrà diem naturalem exhiberent Epiſcopo omnes licentias, quas habent Religioſi commorantes in dictis Collegiis audiendi confeſſiones perſonarum ſæcularium, & verbum Dei prædicandi, & interim ab ipſis confeſſionibus, & prædicatione abſtinerent: Provincialis ejuſdem Societatis, qui tunc degebat in civitate Mexicana, de his admonitus, prætendens plures injurias Societati illatas fuiſſe in hujuſmodi edictis, nominavit duos Conſervatores ex Ordine Prædicatorum, qui ſic nominati ſuis edictis præceperunt Epiſcopo, & Proviſori, ut decreta ab ipſis, ut præfertur, edita revocarent, ſub pœna bis mille aureorum quoad Epiſcopum, & excommunicationis quoad Proviſorem. Quam ob cauſam ab eodem Proviſore Conſervatores denuntiati fuerunt incidiſſe in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, & ipſi viciſſim Epiſcopum, ejuſque Proviſorem excommunicatos declararunt.

Re ab Epiſcopo ad SS. D. N. delata, ac proceſſu tranſmiſſo, Sanctitas ſua mandavit has controverſias dirimi in Congregatione ad hoc ſpecialiter deputata, ut infrà *n. 40.*

Diſcordiarum origo fuit edictum, quo Ordinarius Angelopolitanus in executionem Concilii Moguntini relati 19
in cap. Si quis laicus, vel Clericus 16. qu. 1. & Lateranenſis ſub Innoc. III. *in c. In aliquibus de decimis*, præcepit ſæcularibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut in alienationibus, quas facerent in Regulares exemptos, reſervarent decimas Cathedrali Eccleſiæ. Hæc fuit petra ſcandali, ut Epiſcopus ſuis litteris ad Sanctiſſimum ſcriptis teſtatur.

Cæterùm *d. c. Si quis laicus*, minimè interdicit, ne bona 20
alienentur Regularibus exemptis; nec præcipit, ut in hujuſmodi alienationibus decimæ reſerventur Eccleſiis; ſed tantum inhibet, ne prædia decimalia alienentur ſub conditione, vel pacto de non ſolvendis decimis; & ideò tenet alienatio, ſed conditio, vel pactum vitiatur, ut ibi notant gloſſ. Archid. & Turrecrem. Similiter *d. cap. In aliquibus*, non prohibet, quin fiant alienationes in perſonas 21
exemptas: ſed ſolùm ne prædia decimalia locentur iis, qui decimas non ſolvebant ſecundùm ritus ſuos, & de more, id eſt, ex prava conſuetudine, ut ibi per Hoſtien. *in princ. in ver. de more.* At Societas Jeſu in ſua exemptione à decimis prædialibus non innititur pactis in alienatione appoſitis, nec pravæ conſuetudini, ſed tantùm privilegiis Apoſtolicis.

Quo verò ad alia edicta circa Sacramentum Pœniten- 22
tiæ, & prædicationem verbi Dei, manifeſtum eſt Regulares etiam Societatis Jeſu non poſſe audire confeſſiones perſonarum ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi, ut in Concilio Tridentino *cap. 15. ſeſſ. 23.* & in Brevi ſan. mem. Urbani VIII. incipien. *Cùm ſicut accepimus*, in Bullar. *tomo 4. pag. 418.* edito ex voto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quo revocantur indulta omnia audiendi ſæcularium confeſſiones abſque Ordinarii examine, & approbatione, quibuſvis Regularibus conceſſa, etiam Societatis Jeſu; & ex Authoribus ipſius Societatis cenſent Suarez *tom. 4. in 3. par. diſp. 18. ſect. 7. dub. 3.* Gabriel Vaſqu. *tom. 4. in 3. part. quæſt. 93. lib. 4.* & alii complures. Similiter manifeſtum eſt prædictos Religioſos non 23
poſſe prædicare in Eccleſiis ſui Ordinis non petita Epiſcopi benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ipſius licentia, ut in *c. 2. ſeſſ. 25.* nec in Eccleſiis etiam ſui Ordinis, ipſo contradicente, *ut in c. 4. ſeſſ. 24.*

Verùm etſi Epiſcopi Decretorum Tridentini Concilii 24
ſint executores, non tamen illa exequi poſſunt contra exemptos, niſi in caſibus, in quibus hæc facultas ſpecialiter eis attribuitur; quod factum non legitur in præcitatis Decretis, & Bulla Pii IV. *Benedictus Deus in §. Mandamus autem*, dum præcipit Epiſcopis, ut decreta ipſius Concilii in ſuis Eccleſiis, civitatibus, & diœceſibus obſervent, & obſervari faciant, addit illa verba, *A ſubditis quiſque ſuis*, quales non ſunt Regulares exempti. Quinimò Concilium *in dict. cap. 2. ſeſſ. 5.* poſteaquàm inhibuit, ne Regulares prædicent non petita benedictione, vel non obtenta licentia Epiſcopi, immediatè ſubjunxit: Si verò, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populum, Epiſcopus ei prædicationem interdicat: ſed ſi hæreſes prædicaverit, contra eum ſecundùm juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem, procedat tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus. Unde patet, quanta circumſpectione proceſſerint Patres Concilii in non violandis exemptorum privilegiis, cùm noluerint quoad hoc eos ſubjicere coercitioni Epiſcopi, niſi in prædictis duobus caſibus, & tunc auctoritate tantùm delegata. Ideòque Sac. Congregatio Cardinalium ejuſdem Concilii 25
interpretum conſulta, an Regulares abſque Epiſcopi approbatione perſonarum ſæcularium confeſſiones audire præſumentes ab ipſo Epiſcopo jure puniri queant: die nona Maji 1597. reſpondit, non poſſe puniri ab Epiſcopo,

ſed

ſed tantùm à ſuis Superioribus Regularibus. Et in cauſa Hieracen. die 14. Decembris 1613. cenſuit in Eccleſiis ſuorum Ordinum Prædicatores debere priùs ſe Epiſcopo præſentare, ab eoque petere benedictionem: ſi verò in aliis Eccleſiis prædicare voluerint, etiam licentiam habere teneri. Nullo autem modo Epiſcopo contradicente prædicare debere. Cæterùm non poſſe ab Epiſcopo prohiberi per cenſuras, atque alias pœnas, quemadmodùm, ſi contrafecerint, non ab Epiſcopo, ſed à ſuis Superioribus Regularibus eſſe puniendos.

Quamobrem in vim Concilii Tridentini minimè potuiſſet Ordinarius Angelopolitanus prohibere ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna Religioſis Societatis Jeſu, qui non docuerunt ſe hujuſmodi approbationem, ac licentiam obtinuiſſe, ut à confeſſionibus audiendis, & prædicatione verbi Dei abſtinerent; & ab hac manifeſta injuria, & violentia licuiſſet eis ad remedium Conſerva-
26 torum confugere, *ut cap. 1. & fin. de Offic. Deleg. lib. 6.* Dicuntur enim Conſervatores contra notorias injurias ſervatores, ut inquit Archid. *in d. c. 1. num. 1.* Tabiena *in ver. Conſervator in princ.*

27 Sed poſteà ſupervenit Conſtitutio Gregorii XV. *Inſcrutabili Dei providentia*, compilata in Sacra Congregatione Concilii, quæ tribuit facultatem Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coercendi, ac puniendi etiam per cenſuras Eccleſiaſticas Regulares delinquentes in adminiſtratione alicujus Sacramenti, & verbum Dei prædicantes, non petita, vel habita Epiſcopi benedictione, aut ipſo contradicente: & quamvis hæc Conſtitutio dicatur fuiſſe ſuſpenſa in Hiſpania per Breve ſanct. mem. Urbani VIII. tranſmiſſum ad D. Cardinalem Sachettum tunc temporis ibi Nuntium Apoſtolicum; de hoc tamen non liquet authenticè, & Conſtitutio Gregorii dicitur recepta in Indiis, etiam ex ordine Regio. Unde non videtur ambigendum, quin Epiſcopus Angelopolitanus in vim hujus Conſtitutionis potuerit ſub cenſuris prohibere Patribus Societatis, ne confeſſiones ſæcularium audirent, aut verbum Dei prædicarent abſque ſua approbatione, ac licentia.

28 Neque obſtat, quòd ex decreto S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium edito die 20. Novembris 1615. Epiſcopus non potuerit duobus integris Collegiis ſimul adimere facultatem audiendi ſæcularium confeſſiones ipſa
29 Congregatione inconſulta: etenim decretum hoc ex intentionis defectu non videtur extendi ad remotiſſimas Indiarum partes, ad textum *in cap. Cùm longè 63. diſt.* Ac præterea hoc caſu Ordinarius non ademit facultatem audiendi confeſſiones, ſed tantùm prohibuit, ne illas audirent Religioſi, qui approbationem non obtinuiſſent; juſſitque, ut vel oſtenderent, vel peterent licentias, quas promptè
30 ſe daturum obtulit, ut in proceſſu. Et ex hoc tollitur etiam aliud objectum, quòd Epiſcopus ex decreto ipſius Congregationis non potuerit ſuſpendere Confeſſarios à ſe liberè approbatos ſine nova cauſa, eaque ad confeſſiones pertinente. Quoniam Ordinarius hoc caſu non ſuſpendit Confeſſarios jam approbatos, ſed tantùm inhi-
31 buit, ne confeſſiones audirent non approbati. Atque ita videtur ſolùm executioni demandaſſe decretum Concilii in vim facultatis ſibi attributæ in præcitata Bulla Gregorii XV. & hoc poſito nullam fecit injuriam, quia is, qui jure publico utitur, non dicitur injuriæ faciendæ cauſa hoc feciſſe; juris enim executio non habet injuriam, dicit textus *in l. Injuriarum, la prima, ff. De injuriis*; & conſequenter non videtur licuiſſe Patribus Societatis ob eam cauſam quaſi à manifeſtis injuriis Conſervatores eligere.

32 Quibus accedit, quòd ex duobus Conſervatoribus electis alter fuit Prior Conventus S. Dominici: nam etſi ubi non ſunt judices Synodales, ut in diœceſi Angelopolitana, poſſint eligi Conſervatores habentes dignitatem in Collegiata Eccleſia, ad præſcriptum *d. cap. finalis de offic. Deleg.*
33 *lib. 6.* ut Sac. Congr. Concilii declaravit; & Prior Conventualis dicatur habere dignitatem in Eccleſia Collegiata; ideoque poſſit eſſe non modò judex Delegatus, ut eſt text. in Clem. 2. *de reſcript.* & notat Felin. poſt alios *in cap. Cùm olim num. 1. de major. & obed.* ſed etiam Conſervator, ut in d. Clem. 2. firmant gloſſa *in ver. Delegatus*, Imol. *nu. 30.* & Vital. *nu. 37.* Tabiena *in ver. Conſervator* §. 2. tamen non deſunt qui oppoſitum ſentiant, ut Antonius de Butr. relatus per Imol. *loco citato*, & noviſſimè Thomas Sanch. *in Decalogum tom. 2. lib. 6. c. 13. nu. 79.* Item quærente Archiepiſcopo Turritano, an Regulares unius Conventus, Monaſterii, vel Domus, aliquem Priorem, ſeu Guardianum, vel quemvis alium quavis dignitate Regulari fulgentem in ſuum Conſervatorem eligere, vel deputare poſſint: Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum non poſſe reſpondit, Romæ 6. Octobris 1617.

Sed quidquid ſit de Priore, alter electus in Conſervato- 34
rem fuit diffinitor Provinciæ ejuſdem Ordinis S. Dominici pro Capitulo Generali, qui nullam habet dignitatem Eccleſiaſticam, ejuſque authoritas ultra decem dies non extenditur, ut in Conſtitutionibus Ordinis *diſt. 2. cap. 9. littera G. &* §. 7. Ideòque in Conſervatorem eligi non potuit, *ut in dict. cap. fin. de Offic. Deleg. lib. 6.* Licèt geſta fortè ſuſtineri poſſent ex perſona alterius legitimi Conſervatoris, ſi ambo fuiſſent deputati in ſolidum, *ut cap. Cùm plures eodem tit. & lib.* vel cum clauſula, *Quod ſi non omnes, &c. ut cap. Suſcitatus de reſcript.* licèt ſit argumentum contra *in cap. Maſſana ſuprà de elect.*

Ampliùs ex Conſtitutione Bonifacii VIII. in præcitato 35
cap. fin. ſtatutum eſt, ut Conſervatores ultra unam dietam aliquos à fine diœceſium eorum trahere non præſumant. Iſti autem Conſervatores proceſſerunt in civitate Mexicana contra Epiſcopum Angelopolitanum, cujus diœceſis fines diſtare dicuntur à Mexico per duodecim leucas, & ſic ultra unam dietam. Et quamvis in ſuo edicto aſſerant, ſe 36
hoc feciſſe in vim Conſtitutionis Greg. XIII. quæ extendit facultatem Conſervatorum ad tres dietas: tamen hæc Conſtitutio ſublata eſt per Bullam poſteriorem Gregorii XV. *de Conſervatoribus* §. 11. ubi Gregorius innovat prædictam Conſtitutionem Bonifacii VIII. in omnibus, quæ ſuæ Conſtitutioni non adverſantur, & contrariis privilegiis derogat.

Ad extremum, exceſſerunt iſti Conſervatores etiam 37
in ordine procedendi; quia etſi generaliter Conſervatores Regularium poſſint uti cenſuris, etiam contra Epiſcopos, tam de jure communi, ut eſt textus *in cap. 2. de Offic. Deleg. lib. 6.* quàm hoc caſu, ex memoratis litteris Gregorii XIII. *in* §. 3. & Sacra Congregatio Concilii in Compilatione Bullæ Gregorii XV. de Conſervatoribus noluerit 38
eis hanc facultatem adimere; tamen in his deferendum eſt dignitati Pontificali, & ſervandus ordo præſcriptus in *d. c. 2.* Ipſi autem ab initio excommunicarunt Epiſcopum. 39
Et quamvis excommunicatio ex hoc capite non ſit nulla, quia ille textus procedit de honeſtate; tamen ut ibi ait gloſſa, ipſi non benè fecerunt.

Placeret tamen aliquod temperamentum ad pacem componendam, & poſſet moneri Epiſcopus, ut erga Societatem, quæ in Eccleſia Dei fructus tam uberes in dies profert, paterno ſe gerat affectu, eamque ſuæ priſtinæ benevolentiæ reſtituat. Et Pater Generalis ſimiliter poſſet injungere Religioſis illis, ut ſe humilient Epiſcopo, eique, ut par eſt, honorem ac reverentiam exhibeant.

In Sacra Congregatione ſuper his controverſiis ſemel, 40
atque iterùm habita, nempè die 6. & 16. Aprilis anno 1648. cui interfuerunt S. R. E. Cardinales Spada, Sacchettus, Ginettus, Carpineus, Franciottus, & ex Prælatis Farneſius Archiepiſcopus Patraceñ. Maraldus, Paulutius, & Ego, editæ fuerunt quamplures reſolutiones poſteà confirmatæ à Sanctiſſimo Domino Noſtro per litteras in forma Brevis, quarum tenorem hìc inſerendum duxi ad communem utilitatem, cùm ſint de rebus admodùm gravibus, & exemplaribus.

INNOCENTIUS PAPA DECIMUS
Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut accepimus, aliquæ fuerint ortæ differentiæ in- 41
ter Venerab. Fratr. Joannem Epiſcopum Angelopolitanum, ſive Populi Sanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus ex una, & dilectos filios Clericos Regulares Societatis Jeſu in iis partibus ex altera, de & ſuper munere prædicationis Verbi Dei in propriis eorumdem Clericor. Regularium, petita ſolùm Epiſcopi benedictione ** *quàm in alienis Eccleſiis petita, & obtenta ab eodem Epiſcopo diœceſano licentia exercendi, necnon ſuper confeſſionibus laicorum audiendis prævio examine, ſive approbatione ejuſdem Epiſcopi diœceſani, quæ dicti Clerici Regulares in vim privilegiorum prædictæ Societati Apoſtolica authoritate conceſſorum ſibi*

ſibi proprio jure licere prætendebant: & deſuper in partibus fuerit deventum ad plures actus judiciales, & pro parte Clericorum Regularium hujuſmodi ad electionem Conſervatorum privilegiorum hujuſmodi. Nobiſque tam dicti Joannis Epiſcopi, quam eorumdem Clericorum Regularium nomine pro ſopiendis differentiis hujuſmodi quædam dubia deciſionem differentiarum præfatarum, necnon juriſdictionem Ordinariorum in exemptos, & ipſorum Clericorum Regularium exemptionem a juriſdictione Ordinarii concernentia fuerint propoſita, ad quæ ambæ partes reſponderi, & quid deſuper obſervandum ſit, authoritate noſtra Apoſtolica ſtatui, & ſtabiliri deſiderabant. Nos, qui omnium fidelium, & præſertim Eccleſiaſticorum quieti libenter incumbimus. differentias prædictas, totumque negotium particulari Congregatione aliquorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum examini commiſimus, qui auditis ſæpius Procuratoribus prædicti Joannis Epiſcopi, necnon Procuratore Generali Societatis prædictæ, negotio maturè diſcuſſo omnibus dubiis, & petitionibus hinc inde propoſitis reſponderunt prout ſequitur, videlicet.

42 *Sacra Congregatio a Sanctiſſimo D. Noſtro deputata ſuper controverſiis vertentibus inter Epiſcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religioſos Societatis JESU, ſæpius auditis Procuratoribus ab eodem Epiſcopo ad Urbem ablegatis, necnon ipſius Societatis Procuratore Generali, negotioque accuratè diſcuſſo, cenſuit prædictos Religioſos nequaquam poſſe in Civitate, & Diœceſi Angelopolitana perſonarum ſæcularium confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi diœceſani, nec verbum Dei prædicare in Eccleſiis ſui Ordinis non petita ipſius benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ejus licentia, nec in Eccleſiis etiam ſui Ordinis*
43 *ipſo contradicente, & contravenientes ab Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coerceri, & puniri poſſe etiam cen-*
44 *ſuris Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis ſanctæ mem. Gregorii XV. quæ incipit: Inſcrutabili Dei Providentia: ac proinde memoratis Religioſis, qui hujuſmodi approbationem, & licentiam ſe obtinuiſſe non docuerunt, potuiſſe Epiſcopum, ſeu ejus Generalem Vicarium præcipere ſub pœna excommuni-*
45 *cationis latæ ſententiæ, ut à Confeſſionibus audiendis, & verbi Dei prædicatione abſtinerent; nec ob eam cauſam licuiſſe dictis Religioſis quaſi à manifeſtis injuriis, & violentiis eligere Conſervatores, eoſque, ut præfertur, electos in Epiſcopum, ejuſque Vicarium Generalem indebitè, ac nulliter excommunicationem fulminaſſe. Cæterùm Congregatio ſeriò in Domino hortatur, ac monet Epiſcopum, ut Chriſtianæ manſuetudinis memor, erga Societatem JESU, quæ laudabili ſuo inſtituto in Eccleſia Dei tam fructuosè laboravit, ac ſine intermiſſione laborat, paterno ſe gerat affectu, eamque in regimine Eccleſiæ ſuæ perutilem adjutricem agnoſcens, benignè foveat, ac priſtinæ ſuæ benevolentiæ reſtituat, quemadmodum S. Congregatio ipſum facturum confidit, ſibique certo pollicetur, cum ejus zelum, pietatem, ac Paſtoralem ſolicitudinem compertam habeat. Datum Romæ die 16. Aprilis 1648.*

Et præmiſſorum occaſione pro parte prædicti Joannis Epiſcopi, necnon Religioſorum Societatis Jeſu in eadem Congregatione propoſita fuerunt diverſa dubia de mandato Sanctiſſimi reſolvenda, quæ quidem Sac. Congregatio ſæpiùs auditis procuratoribus, ut in præmiſſis, ab eodem Epiſcopo ad Urbem miſſis, necnon Procuratore Generali ipſius Societatis, negotioque maturè perpenſo, ad ſingula dubia ab utraque parte propoſita reſpondit ordine quo ſequitur.

46 Primò, an in caſu, quo Epiſcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini à Regularibus obſervari, & executioni demandari, Regulares quicumque etiam Societatis Jeſu ſub prætextu, quòd hujuſmodi præcepta infringant ſua privilegia, poſſint eligere Conſervatores: Congregatio reſpondit, ſi Epiſcopus præcipiat Regularibus etiam Societatis Jeſu, ut decreta aliqua Concilii Tridentini obſervent, ac exequantur in illis caſibus, in quibus per ipſum Concilium, vel Conſtitutiones Apoſtolicas Regulares exempti ſubjiciuntur juriſdictioni, & correctioni Epiſcopi, minimè licere ipſis Regularibus ob eam cauſam Conſervatores eligere.

47 Secundò, an quando Ordinarius procedit juris ordine ſervato adverſus Regulares exemptos in caſibus, in quibus per Concilium Tridentinum, vel Conſtitutiones Apoſtolicas ipſi ſubjiciantur, poſſint Conſervatores judices aſſignare. Reſp. ut ad proximum, non poſſe.

Tertiò, an Regularibus etiam Societatis Jeſu aſſerentibus ſe habere privilegia, quominus obediant, Epiſcopo in executione decretorum juris communis, Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, Ordinarii debeant ipſis abhibere fidem abſque exhibitione hujuſmodi privilegiorum. Reſp. Ordinarios non debere hujuſmodi aſſertioni fidem adhibere abſque integrali privilegiorum exhibitione. 48

Quartò, an in caſu, quo Regulares quicumque etiam Societatis Jeſu exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent ea non ſuffragari caſui, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati poſſint, ac debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotiſſimis ad Metropolitanum, ſive Ordinarium viciniorem, vel potiùs poſſint hoc caſu eligere judices Conſervatores. Reſp. ſi verba privilegiorum ſunt obſcura, & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Epiſcopum, nec Conſervatores eligere, ſed ad Summum Pontificem pro interpretatione eſſe adeumdum. 49

Quintò, utrùm Conſtitutio felic. record. Gregor. XV. circa Conſervatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentiſſimorum S. Congregationis Concilii interpretum deſuper editis, æquè afficiat, & comprehendat Religioſos Societatis Jeſu, ac reliquos Regulares, itaut omnia alia præfatæ Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Conſtitutionis, & ſic in poſterum debeant ab iis eligi Conſervatores juxta formam, & tenorem præſcriptæ Conſtitutionis. Reſpondit hujuſmodi Conſtitutionem cum declarationibus, ut præfertur, editis, æquè afficere Religioſos Societatis Jeſu, atque aliorum Ordinum, & Conſervatores ad illius præſcriptum eſſe eligendos non obſtantibus quibuſvis privilegiis, quippè quæ omnia ſunt redacta ad terminos ipſius Conſtitutionis. 50

Sextò, an Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel teſtamentorum executores poſſint conveniri coram Ordinario, ſi Conſervatores non nominaverit intra tempus habile ab Ordinario præſcriptum. Reſp. Regulares in cauſis præfatis coram Ordinario loci eſſe conveniendos, ſi ad præſcriptum Conſtitutionis ſanct. mem. Gregorii XV. Conſervatores non elegerint, ipſumque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis curiæ ipſius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiſerint. 51

Septimò, an dicti Regulares Conſervatores ſive ad jura, ſive ad privilegia tuenda aſſumentes teneantur ante exercitium commiſſionis præſtare cautionem coram Ordinario, ſive alio judice competente, de judicio ſiſti, & judicatum ſolvendo, caſu quo in lite, ſeu cauſa ſuccubuerint. Reſp. Non teneri. 52

An quando Epiſcopi jura, vel decimas Cathedralium adverſus Regulares prædictos dote ſua ſpoliantes Eccleſias coram judice competenti tuentur, libroſque, memorialia, & allegationes producunt, jus Eccleſiarum Cathedralium exprimentes, & acquiſitiones Religioſorum, aliaque id genus adnumerantes, hujuſmodi ſcriptorum occaſione poſſint Regulares nominare Conſervatores, prætendentes injuriam ſibi inferri in referendo immoderatas acquiſitiones. Reſp. Si Epiſcopi pro tuendis juribus Cathedralium Eccleſiarum coram judice competenti hujuſmodi ſcripta producant, & Regularium immoderatas acquiſitiones veraciter, & modeſtè referant, non licere ob eam cauſam ad Conſervatores recurrere. 53

Nonò, utrùm Regularis quicumque etiam Societatis Jeſu poſſit adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ ſæcularibus abſque licentia Epiſcopi diœceſani, etiamſi in alia diœceſi ab Epiſcopo approbatus ſit: Reſpondit Regulares etiam Societatis Jeſu in una diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam poſſe in alia diœceſi hujuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi diœceſani. 54

Decimò, an Epiſcopus contra dictos Regulares audientes in ſua diœceſi confeſſiones ſæcularium abſque approbatione, vel concionatores abſque licentia Epiſcopi intra, & extra proprias Eccleſias, poſſit procedere eos à talibus miniſteriis removendo, ſive præceptis, & aliis juris 55

ris

ris remediis coercendo: Reſpondit, eiſdem Regularibus, qui confeſſiones perſonarum ſæcularium audiunt ſine approbatione Epiſcopi loci, vel prædicant in Eccleſiis ſui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Eccleſiis abſque ipſius licentia, vel in Eccleſiis etiam ſui Ordinis ipſo contradicente, poſſe Epiſcopum in vim Conſtitutionis felic. record. Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili Dei Providentia*, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum, adminiſtrationem Sacramenti Pęnitentię, ac munus prędicationis interdicere, eoſque juris remediis coercere, & punire.

56 Undecimò, an quando Epiſcopo conſtat dictas licentias obtentas non fuiſſe, ipſe poſſit præcipere, ut donec licentiam intra præſcriptum tempus exhibeant, à tali miniſterio abſtineant; & an requirendus ſit per Epiſcopum pro his exhibendis Provincialis in alia diœceſi, vel longiſſimè exiſtens, vel ipſi Regulares Confeſſarii, vel eorum Superiores ejuſdem diœceſis, in qua prædicta exercentur: Reſp. poſſe Epiſcopum ſic præcipere, nec pro hujuſmodi licentiis requirendum eſſe Provincialem, ſed ſatis eſſe ipſos Religioſos requirere, aut eorum Superiores in diœceſi Epiſcopi exiſtentes.

57 Duodecimò, an ſi contingat, ut aliquis prædictorum Regularium inſurgat contra Epiſcopum in propria diœceſi maledictis, ſcripto, vel dicto, populum ſcandalizando, poſſit ab Epiſcopo puniri, & qua animadverſione; & quid, ſi hujuſmodi delinquens tranſiverit ad aliam diœceſim, hoc caſu ſervandum ſit; & qua pœna puniendus ſit Regularis, qui commorans in una diœceſi, ſpargat famoſos libellos contra Ordinarium alterius diœceſis: Reſpondit: Si Regularis intra clauſtra degens, extra ea in caſibus in dubio expreſſis ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante teneri Superiorem Regularem infrà tempus ab eo præfigendum ſeverè illum punire, ac de punitione Epiſcopum certiorem facere; alioquin ſic delinquentem ab Epiſcopo puniri poſſe ad præſcriptum Concilii Tridentini *cap.* 14. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus*: quòd ſi delinquens ad aliam diœceſim migraverit, ſervandum eſſe quod præcipitur in Conſtitut. ſanct. mem. Clem. VIII. incip. *Suſcepti muneris ratio*.

58 Decimotertiò, an Conſervatores nominati, & electi à Regularibus præſcriptis, ante exercitium ſuæ juriſdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario ſub pœna nullitatis actuum: Reſpondit utique teneri.

59 Decimoquartò, an privilegia, quæ ſunt contra juriſdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares præfati, debeant Epiſcopis notificari, ſeu inſinuari: Reſp. Regulares teneri hujuſmodi privilegia Epiſcopo exhibere, ſi eis uti voluerint.

60 Decimòquintò, an prædia ruſtica, metallorum fodinæ, ſacchari opificinæ à Regularibus Societatis, vel aliis poſſeſſa, vel aliæ domus ſæculares, in quibus videlicet unus, vel duo Regulares tantùm commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, ſeu Conventuum: Reſpon. non gaudere.

61 Decimoſextò, utrùm Regulares præſcripti apothecas quarumcumque mercium, macella, & ſimilia, præſertim propè Collegia, ſeu Conventus exercentes poſſint ab Ordinario ſub cenſuris inhiberi, ne hujuſmodi exerceant, Reſpondit non poſſe Epiſcopum hæc prohibere Regularibus exemptis; ſed ſi in præmiſſis ita notoriè delinquant extra clauſtra, ut populo ſcandalo ſint, ſervandum eſſe quod dictum eſt ſupra in reſponſione ad duodecimum.

62 Decimoſeptimo, utrum Regulares etiam Jeſuitæ in ſuis prædiis, opificinis, aliiſque ſuis domibus ſæcularibus ſitis intra limites Parochiarum ad ſe ſpectantium poſſint adminiſtrare Sacramenta Baptiſmatis ſolemnis, Matrimonii, Extremæ unctionis, & Euchariſtiæ in feſto Paſchatis famulis mercenariis, ruſticis, ſive aliis id genus hominibus ſæcularibus abſque Ordinarii, vel Parochi licentia: Reſpondit non poſſe.

63 Decimooctavò, utrum Patres Societatis in civitate, & diœceſi Angelorum poſſint conſecrare vaſa ſacra, altaria, & ſimilia, in quibus unctio requiritur. Reſpondit, itidem non poſſe. Pro parte verò Religioſorum Societatis Jeſu propoſita fuerunt infraſcripta dubia.

64 Primò, an Epiſcopi in partibus Indiarum poſſint ex integro totum unum Monaſterium, vel Collegium ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere: Reſp. Epiſcopos Indiarum poſſe quidem omnibus ſimul unius Monaſterii, vel Collegii Confeſſariis adimere facultatem audiendi Confeſſiones perſonarum ſæcularium etiam inconſulta Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita, cum decretum ab ea editum ſub die 20. Novembris 1615. ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad regiones illas tam longè ab Urbe diſſitas. Verùm ab hac generali ſuſpenſione, quæ vix ſine ſcandalo, & animarum pernicie contingere poteſt, abſtinendum eſſe Epiſcopis, niſi graviſſima ſubſiſtente cauſa; ſuper quo S. Congr. illorum conſcientias graviter voluit eſſe oneratas.

Secundò, an Epiſcopus Regularem pro Confeſſionibus ſemel approbatum ſine nova cauſa ſuſpendere poſſit ab ipſis Confeſſionibus audiendis: Reſpondit, Regulares aliàs liberè ab Epiſcopo prævio examine approbatos ad audiendas confeſſiones perſonarum ſecularium, ab eodem Epiſcopo ſuſpendi non poſſe ſine nova cauſa, eaque ad confeſſiones ipſas pertinente. 65

Tertiò, an Bulla S. Pii V. 34. *in ordine tom.* 2. Bullarii, conceſſa inſtante, & ſupplicante Sereniſſimo Rege Catholico non ad petitionem Regularium, ſit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur: Reſpondit agendum cum Sanctiſſimo, an velit declarare Bullam non eſſe revocatam; illam tamen non ſuffragari, niſi in locis ubi eſt defectus Parochorum. 66

Quartò, an Epiſcopus poſſit cum cenſuris procedere contra Regulares exemptos, ſi inobedientes fuerint in confeſſionibus audiendis, vel prædicatione Verbi Dei; & hoc an vigore Concilii Tridentini, vel per quem Canonem: Reſpondit poſſe procedere non quidem in vim Concilii Tridentini, ſed in vim Conſtitutionis Gregorii XV. quæ incipit, *Inſcrutabili Dei Providentia*. 67

Quintò, an licentia audiendi confeſſiones, & prędicandi ab Epiſcopo per litteras miſſivas, an ſolùm per litteras patentes Cancellariæ concedi poſſit: Reſpondit poſſe concedi etiam per litteras miſſivas, ſi ita Epiſcopo videbitur. 68

Sextò, an talis licentia oretenus ſine ſcripturis concedi poſſit: Reſp. ad proximum. 69

Septimò, an facultas eligendi Conſervatores conceſſa Societati à Greg. XIII. ſuffragetur illis in locis, in quibus non adſunt judices Synodales. Reſpondit privilegium Gregorii XIII. ſuffragari quoad hoc, ut Societas non teneatur ex illis eligere Conſervatores, dummodò tamen in reliquis ſervetur forma Conſtitutionis Greg. XV. hac de re editæ.

Octavò, an Conſervatores Societatis Vicarios Generales Epiſcoporum auctoritate Apoſtolica per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas compellere poſſint virtute Bullæ Greg. XIII. incipien. *Æquum reputamus*, datum ultima Februarii 1573. Reſpondit poſſe à manifeſtis injuriis, & violentiis eos compeſcere etiam cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, datum Romæ die 16. Aprilis 1648. Quapropter ut præmiſſa firmiùs ſubſiſtant, & inviolabiliter obſerventur, Nobis pro parte Joannis Epiſcopi hujuſmodi fuit humiliter ſupplicatum, ut illa auctoritate Apoſtolica confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dicti Joannis Epiſcopi votis hac in re annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eumdem Joannem Epiſcopum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolven. & abſolutum fore cenſentes, hujſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſerta reſponſa, ſeu reſolutiones auctoritate prædicta tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque Apoſtolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus, & inviolabiliter obſervari mandamus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate dictæ Congregationis, decernentes ſic, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus

libus Conciliis editis generalibus, & ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Eccleſiæ Angelopolitanæ, ac Societatis prædictæ etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ejuſdem Eccleſiæ, & Societati ſub quibuſcumque verborum tenoribus,& formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis,etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis,eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa,& individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis haben. illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 14. Maji 1648. Pontificatus noſtri anno 4.

DE OFFICIO DELEGATI.

Idem Alexander III. Eboracen. Archiepiſcopo, & Epiſcopo Conventren.

C A P U T XII.

1. EX parte N. nobis innotuit, quòd cum ad te frater Conventren. noſtras litteras impetraverit, ut ei Archidiaconatum,quem in Eccleſia tua primò vacare contingeret,aſſignares:R. (adverſarius ejus) alias ad te frater Eboracen: litteras impetravit, nulla de prioribus habita mentione: ut ſi avunculus ſuus Archidiaconatum, quem habebat in eadem Eccleſia,vellet omninò dimittere, ipſum ei faceres aſſignari. Quoniam igitur, ſi memores fuiſſemus, nos pro prædicto N. litteras direxiſſe, pro adverſario nullatenus ſcripſiſſemus; mandamus, quatenus præfato N. Archidiaconatum ipſius Eccleſiæ (ſi vacat) non obſtantibus poſterioribus litteris, aſſignetis.

S U M M A R I U M.

1 *IMpetrans dignitatem in Eccleſia primò vacaturam præfertur ſecundo impetranti certam dignitatem ipſius Eccleſiæ cùm vacaret.*
2 *Succeſſio immediata tranſverſalium in beneficiis à jure non improbatur.*
3 *Nepos de jure poteſt obtinere beneficium vacans per reſignationem avunculi.*
Et quid poſt Conſtitutionem S. Pii V. n. 8.
4 *Filius etiam legitimus non poteſt immediatè ſuccedere in beneficio patris.*
5 *Idem in nepote ex filio, & aliis deſcendentibus.*
6 *Succeſſio hæreditaria in collateralibus non conſideratur.*
7 *Dignitates etiam ſæculares non debent pluribus de eadem domo ſucceſſivè deferri.*
8 *Beneficia per reſignationem vacantia hodie ab Epiſcopo conferri non poſſunt ejus, aut reſignantium conſanguineis, vel familiaribus.*
9 *Idem in vacantibus per dimiſſionem ob alterius incompatibilis aſſecutionem.*
10 *Litteræ ſecundæ de prioribus mentionem non facientes ſunt ſubreptitiæ, ubi ambæ ſuper eodem beneficio reflectuntur.*
11 *Clauſula*, anteferri, *facit de poſteriore priorem.*
12 *Eſt odioſa, & ſtricte intelligenda.*
13 *Reſignatio facta in manibus Ordinarii eo pacto, ut beneficium certæ perſonæ conferatur, eſt ſimoniaca.*
14 *Vitium tamen purgatur, ſi Papæ auctoritas intercedat.*
15 *Simoniaca an ſit reſignatio facta ea intentione, ut beneficium conferatur nepoti, vel alteri.*
16 *Canonicus, qui principaliter intereſt divinis pro denario committit ſimoniam mentalem, & num. 20.*
17 *Simoniaca quædam ſunt quia prohibita, quædam prohibita quia ſimoniaca.*
18 *Simoniam an inducat ſola voluntas in his, quæ ſimoniaca ſunt quia prohibita, & num. ſeqq.*
19 *Simonia mentalis reſignationem, aut collationem non inficit, nec obligat ad beneficium dimittendum.*
20 *Uſurarius mentalis tenetur ad reſtitutionem rei acceptæ ultrà ſortem.*
21 *Simonia mentalis inducitur ſola voluntate, & propoſito quoad Deum, licèt non quoad Eccleſiam.*
22 *Papa poteſt involvi ſimonia in prohibitis quia ſimoniacis, non autem in ſimoniacis quia prohibitis.*
23 *Beneficium vendere an ſit prohibitum, quia ſimoniacum. Et quid de exactione annatarum, remiſſivè.*

E*X parte, il primò*. Si primus impetravit primam digni- 1
tatem in Eccleſia vacaturam,ſecundus impetravit certam dignitatem ipſius Eccleſiæ cum vacaret, & iſta poſteà vacat, primo, non ſecundo debetur. Hoc dicit. Primò ponitur partis conqueſtio. Secundò proviſio, ibi, *Quoniam*.

Nota primò, ſucceſſionem immediatam collateralium, 2
ſeu tranſverſalium in beneficiis à jure non improbari. nam
ut hìc vides nepos obtinuit beneficium vacans per reſigna- 3
tionem avunculi. Idem habetur *in c. 2. de arbitr. & in c. Ac-*
cedens de accuſat. Unde collige aliam eſſe cauſam filiorum, 4
& deſcendentium, aliam collateralium: nam filius etiam legitimus non poteſt immediatè ſuccedere in beneficio pa-
tris, *c. Ad extirpandas de fil. Presbyt.* Et idem in nepote 5
ex filio, & aliis deſcendentibus, quorum eſt jùs ſuccedendi,
ut inſtit. de hæred. qualit. & differ. §. Suum, & tenet gloſſ. 1.
in d. c. Ad extirpandas, Gulielm. de Benedict. *in repet. c.* 6
Raynutius in ver. Et uxorem n. 693. de teſtam. & Rebuff. poſt alios *in praxi benefic. in tit. de diſpenſat. ſuper defectu natalium, n. 25.* Quidquid contra ſcripſerint Moderni *in d. c. Ad extirpandas*, ut ibi dixi *n....* At ſecus eſt in collateralibus, quia in his non conſideratur ſucceſſio hæreditaria, quam in Eccleſia Dei ſacri Canones deteſtantur, *cap. Ex tranſmiſſa eod. tit.* & ita per hanc decretalem concludit gloſſa præallegata, Jo. Andr. *hic in ver. Avunculus, n. 3.* Anton. de Butr. *n. 9.* Card. *in 1. oppoſitione*, Anchar. *in 2. notab.* Abb. *n. 1. in 3. notab.*
& Dec. *num. 6.* Cæterùm quamvis hoc negari non poſſit, ta- 7
men non decet, ut notat Abb. per illum textum *in cap. Venerabilem, num. 15. in penult. notab. ſuprà de elect.* ubi notabiliter concludit, non ſolùm beneficia Eccleſiaſtica, ſed etiam dignitates ſæculares non debere pluribus de eadem domo ſucceſſivè deferri, ne videantur delatæ ex ſucceſſione. *Ad quod*, inquit, *non advertunt nonnulli improbi laici, qui ſæpènumero inſtant, ut beneficium aliquod non exeat de familia eorum, allegantes antiquitatem pro cauſa; dicunt enim: Jamdiù illud beneficium ſemper fuit collatum alicui de domo eorum: nam hæc ſola allegatio debet eſſe ſufficiens ad impediendum collationem alicui de domo fiendam: nam ſi iſtud debet ſervari in dignitatibus ſæcularibus, fortius in*
Ec-

Eccleſiaſticis. Hæc ille, quem ſequitur Dec. *hic num.* 6.

8 Adverte tamen, quia quod ſpectat ad Ordinarios collatores, hæc differentia inter deſcendentes, & tranſverſales hodie procedit tantùm in beneficiis vacantibus per obitum, ſecus verò in vacantibus per reſignationem: nam ex Conſtitutione S. Pii V. quæ incipit, *Quanta Eccleſiæ Dei incommoda*, *in* §. *Cæterum*, prohibentur Epiſcopi beneficia in eorum manibus reſignata, ſuis, aut reſignantium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus conferre. Atque ita quantumcumque reſignatio ſit libera, non ſolùm filii, & deſcendentes, quibus obſtat jus commune, ſed etiam tranſverſales prohibentur obtinere beneficium reſignantis. An autem prædicta conſtitutio vendicet ſibi locum in Parochialibus per dimiſſionem vacantibus ob alterius Parochialis aſſecutionem: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum meo tempore reſolvit affirmativè, de quo articulo ſcripſi plenè *in c. Non ſine infra de arbitr.*

9 Secundò nota ibi, *Nulla de prioribus facta mentione*, ſecundas litteras de primis mentionem non facientes, ubi ambæ ſpecificè ſuper eodem beneficio reflectuntur, eſſe ipſo jure nullas, tamquam ſubreptitias, ut hìc per Butr.
10 *num.* 2. *in* 1. *notab.* & Abb. *num.* 3. Ratio eſt, quia non eſt veriſimile, ut Papa voluerit pro ſecundo reſcribere in præjudicium primi, ut patet ex littera ibi, *Si memores fuiſ-*
11 *ſemus*. Quandoque tamen in litteris apponitur clauſula, *Anteferri*, *ut in cap. Auctoritate de conceſſ. præbend. lib.* 6. Sed tunc præfertur ſecundus, quia conſtat de intentione Papæ volentis primo præjudicare, *cap. Quorumdam eod. tit. & lib.* Oldrad. *conſ.* 136. *Quod ex productis, num.* 2. *verſ. Et quamvis*, Cardin. *hìc in* 1. *notab.* Hujuſmodi enim clauſula facit de poſteriore priorem, Ægidius Bellamera *conſ.* 33. *nu.*
12 20. *verſ. Tertiò hoc probatur*. Dicit tamen Cardin. *ubi ſuprà*, hanc clauſulam non habere multum honeſtatis. Eamque odioſam eſſe, & repugnantem juri, & ideò reſtringendam quantum fieri poteſt, ſcripſerunt Oldrad. *conſ.* 198. *n.* 3. *verſ. Tertio clauſula anteferri*, & Bellamera *d. conſ.* 33. *num.* 22. *verſ. Modò clauſula*.

13 Ultimò nota ibi, *Omninò dimittere*, eum, qui vult licitè beneficio ſuo renuntiare, non poſſe in pactum deducere, ut beneficium certæ perſonæ conferatur; ſed debere purè, ac liberè reſignare in manibus Superioris; alioquin ſi hoc in pactum deduceret, reſignatio eſſet nulla, & ſimoniaca, *cap. Talia* 8. *q.* 3. *cap. Veniens de teſtib.* & tenet hìc gloſſa 1. & 2. dum exponit *ver. Omninò*, id eſt, ſine aliqua pactione, conditione, vel modo, Innocentius in *ver. Omninò*, Hoſtien. *ante num.* 1. *in eod. ver.* Joan. Andr. *num.* 9. in gloſſ. ibi, *Conditione*, Abb. *num.* 4. & reliqui omnes. Idem firmat Innocent. *in cap. Tua nos in ver. Culpabiles de ſimonia*, & poſt eum Hoſtien. *ibi ad finem*, &
14 Cardin. *in* 1. *quæſt.* Alios complures cumulat Redoan. in *tract. de ſimonia part.* 2. *cap.* 10. Hæc tamen ſpecies ſimoniæ non eſt prohibita jure divino, ſed ex Conſtitutione Eccleſiæ tantùm, ſecundùm Innocentium, & omnes *in d. cap. Tua nos, & in c. fin. de ſimon.* & ideò vitium purgatur, ſi Papæ auctoritas intercedat, *ut in c. Niſi*, juncta gloſſa *in ver. Ex juſſione de præbend. in c. Quæſitum de rurum permut. & cap.* 1. *eod. tit. lib.* 6. Hoſtien. & Henr. Boich. *in cap.* 1. *Ne Prœl. vices ſuas*, Joan. Andr. *in c.* 1. *de ſimonia*, Redoan. *in tract. de ſimonia par.* 2. *c.* 12. Caſſad. *dec.* 2. *de ſimonia*.

15 An autem reſignans beneficium in manibus Ordinarii ea intentione, ut certæ perſonæ conferatur, ſimoniam committat, ſi hoc tacitè, vel expreſsè non deducat in pactum, gloſſ. 2. *hic*, & Hoſt. *num.* 1. tenent non committere. Idem determinant Innoc. & Hoſt. *in cap. fin. de ſimonia*, ubi Card. dicit nullam ſimoniam committere reſignantem beneficium ea intentione, ut detur nepoti, vel alteri, nulla de hoc facta conventione, ſequitur Felin. *in c. Ad audientiam, il ſecondo de reſcript.* & Redoan. *de ſimonia par.* 1. *c.*
16 25. *nu.* 3. Sed circa hoc vide quod ſcripſi *in c. Tua nos ad finem de ſimonia*, & quod dicam infra *n.* 18. & 21. Item vide Hoſt. *in c. Olim de verbor. ſignificat.* ubi firmat, Canonicum, qui divinis officiis intereſt principaliter pro denario, quamvis veram ſimoniam non committat, cùm nulla expreſſa pactio intercedat; graviter tamen peccare, & committere ſimoniam mentalem. Cujus dictum ſequitur gloſſ. *in cap. unico in ver. Receperit in fine, de Cleric. non reſiden. lib.* 6. & idem firmat Arch. *in cap. Odi* 43. *quæſt.* 1. Cardin. in Clement. 1. *in* 6. *notab. de celebrat. Miſſarum*, Jo. de Anan. *in cap. Suam in* 1. *notab. de ſimonia*, Abb. *hic nu.* 4. *in fine*, & Felin. *nu.* 2. Ratio differentiæ inter hos duos caſus patebit infrà *n.* 18.

Gloſſa Vincentii *hic in ver. Dimittere.* ponit celebrem 17
diſtinctionem in materia ſimoniæ, videlicet: Quædam ſunt prohibita, quia ſimoniaca, quæ in veteri, novoque Teſtamento ſimoniaca erant in ſui natura, ut vendere Sacramenta. Quædam verò ſunt ſimoniaca, quia prohibita, quæ ſcilicet per Conſtitutionem Eccleſiæ facta ſunt ſimoniaca, ut reſignare beneficium cum pacto, ut alteri conferatur, vel paſtum dare poſt receptionem in Canonicum. Quam diſtinctionem ſequuntur hìc Hoſt. Joan. Andr. Butr. Card. Imola, & alii communiter, Innoc. Hoſtien. & alii *in c. Tua nos*, *& in cap. fin. de Simonia*, eamque amplectuntur etiam Theologi ferè omnes. Et quamvis illam impugnet Duran. *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 5. ejus tamen objecta diluit Petr. de Palude, & poſt eum Turrecrem. & Præpoſ. *in cap. Latorem* 1. *q.* 1. Soto *lib.* 9. *de juſt. & jur. q.* 5. *art.* 2. & nos latiſſimè *in cap. Cùm pridem à num.* 2. *uſque ad n.* 30. *infrà de pactis*.

Inter hæc duo genera ſimoniæ conſtituuntur à Docto- 18
ribus. Duæ potiſſimùm differentiæ. Altera eſt ſecundùm aliquos, quia in his, quæ ſimoniaca ſunt quia prohibita, ſola voluntate ſimonia non committitur; dum tamen ſit contenta ſuis terminis, ut concludit gloſſa noſtra, Innocen. *in cap. Tua nos in ultima gloſſa in ver. Culpabiles de ſimonia*; in his verò, quæ prohibita ſunt quia ſimonia- 19
ca, ſola voluntate committitur ſimonia mentalis, *cap. Qui ſtudet* 1. *quæſt.* 1. Quæ tamen reſignationem, aut collationem beneficii non inficit, nec obligat ad beneficium dimittendum, ſed ſatis eſt per pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori, ut eſt text. ſingularis *in cap. fin. de Simonia*, ubi ſic determinat Innocentius, cum quo alii tranſeunt. Et ibi torquentur Doctores indagantes rationem diverſi- 20
tatis, cur uſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem rei acceptæ ultrà ſortem, juxta textum *in c. Conſuluit de Uſuris*; ſimoniacus autem mentalis non teneatur, ut in *dict. cap. fin.* Hinc etiam intelligi poteſt diſcrimen, cur reſignans beneficium ea mente, ut alteri conferatur; quamvis peccet, non tamen committat ſimoniam mentalem; & nihilominùs illam committat Canonicus, qui vadit ad Horas principaliter, ut lucretur diſtributiones quotidianas, ut dictum eſt ſuprà *num.* 16. Illud enim eſt ſimoniacum, quia prohibitum, ut hìc, *& in cap. Quæſitum de rerum permutat. & cap.* 1. *eodem tit. lib.* 6. hoc verò eſt prohibitum, quia ſimoniacum, ut eſt text. *in cap. Licèt*, & ibi notat gloſſ. *fin. infrà de pœnis*, Abb. *in cap. Conſuluiſti de celebrat. Miſſar. & in cap. Significatum, num.* 8. *de præben.* Cæterùm adverte, quia primum membrum 21
diſtinctionis gloſſæ, & Innocentii, quòd in ſimoniacis, quia prohibitis, ſola voluntas nullam inducat ſimoniam, à Doctoribus non tenetur. Imò enim ſola deliberatio, & propoſitum inducit peccatum ſimoniæ mentalis quoad Deum, licèt non quoad Eccleſiam, quæ non judicat de occultis, *cap. Chriſtiana* 32. *qu.* 5. *& cap. Sicut, il ſecondo de Simonia*; & ita declarat Abb. *in c. Tua nos nu.* 5. *eodem tit.* & poſt eum Marian. Socin. *num.* 9. & Felin. *num.* 3. & idem Socin. *in rubr. eodem tit. num.* 5. & Silveſt. *in ver. Simonia, num.* 5. *verſ. Quintò quæritur*. Nec contradicit gloſſ. *ultim. in dict. cap. fin. de Simon.* quia ſecundùm Silveſt. loquitur quantum ad forum judicialem,

Altera differentia eſt, quia in his, quæ prohibita ſunt, 22
quia ſimoniaca, etiam Papa poteſt ſimoniam committere, *cap. Qui ſtudet* 1. *quæſt.* 1. In his verò, quæ ſimoniaca ſunt, quia prohibita, Papa hoc crimine non involvitur, cùm ſit ſuprà omne jus humanum poſitivum, *cap. Propoſuit de conceſſ. præbend.* Ita diſtinguit gloſſa notabilis *in dict. cap. Cùm pridem in ver. Illicitæ pactionis infrà de pactis*, Henric. Boich. *in cap.* 1. *in princip. Ne Prælat. vices ſuas*, Joan. de Anan. *in cap.* 1. *num.* 7. *verſ. Et hic concordant opiniones de Simonia*, Felin. *in cap. Ad audientiam, il ſecondo, num.* 3. *verſ. Quòd autem dicta conventio de reſcript.* & in hoc conveniunt unanimiter Canoniſtæ, ac Theologi ferè omnes, ut teſtatur Turrecrem. *in cap. Latorem, num.* 5. *verſ. In oppoſitum* 1. *quæſt.* 1. & alii quos retuli *in dict. cap. Cùm pridem num.* 6. *verſ. Sed his non obſtantibus*, & *num.* 57.

An

An autem vendere titulum beneficii Eccleſiaſtici ſit prohibitum, quia ſimoniacum, an è converſo, inſignis eſt controverſia, quam ad partes examino in prædicta decretali, *Cùm pridem, in* 2. 3. *qu. à nu.* 30. *uſque ad nu.* 139. De annatis verò, & an illarum exactio ſit ſimoniaca, quod non tantùm Hæretici, ſed nonnulli etiam ex Catholicis ſcriptoribus auſi ſunt affirmare, latiſſimè diſſero in *d. c.* 1. *infrà Ne Prælat. vices ſuas.*

DE OFFICIO DELEGATI.

Idem Alexander III. Abbati, & Conventui Majoris Monaſterii.

C A P U T XIV.

QUoniam Abbas Leiceſtriæ, qui ſuſcepto mandato noſtro, partibus diem ad agendum præfixit, Abbatem Vinceſtriæ de novo ſubſtitutum judici præmortuo, illi mandato noſtro porrecto, quia ſub expreſſis nominibus locorum, & non perſonarum commiſſio emanavit, ſibi ſocium in cauſæ cognitione adjunxit: Nos ſententiam illorum (ſicut eſt juſta) ratam, & firmam habemus.

S U M M A R I U M.

1 *DElegatus Papæ poteſt ſubdelegare, licèt datus ſit ex officio, vel de partium conſenſu, vel cum clauſula,* Quòd ſi non omnes, *& n.* 9.

2 *Subdelegare poteſt de partium conſenſu is, cui committitur negotium perſonaliter exequendum, niſi in duobus caſibus.*

3 *Secus ſi committatur nudum miniſterium.*

4 *Vicarius Epiſcopi an poſſit ſine ſpeciali mandato procedere in illis caſibus, in quibus ex Concilio Tridentino tribuitur Epiſcopi facultas tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato.*

5 *Et an Epiſcopus poſſit hujuſmodi facultatem Vicario ſuo ſpecialiter ſubdelegare.*

Diſtinguitur, ut n. ſeqq. uſque in fin.

Quid ſi Epiſcopo tribuatur facultas in his, quæ jure ordinario ei competebant ante Concilium, n. 6.

*Et quid in his, quæ Epiſcopo non competebant, n.*8.

Et quid ſi Epiſcopus jubeatur procedere der dictionem taxativam tantùm, *vel* ſolus, *n.*17.18.23. *&* 40.

6 *Epiſcopus habens facultatem etiam ut delegatum, poteſt jure ordinario procedere in his, quæ prius ei competebant de jure communi.*

7 *Dictio.* etiam, *eſt implicativa.*

10 *In Vicarium Generalem non tranſit facultas, quæ competit Epiſcopo de jure ſpeciali.*

11 *Juriſdictio delegata non extenditur de perſona ad perſonam.*

12 *Epiſcopus in cauſa ſibi delegata non procedit ut Epiſcopus, ſed ut Delegatus.*

13 *Juriſdictio delegata non tranſit in Capitulum Sede vacante.*

14 *Delegatio facta Vicario non tranſit in Epiſcopum.*

15 *Vicarii, & Epiſcopi unum eſt Tribunal in juriſdictione ordinaria, ſecus in delegata.*

16 *Delegatus Papæ in cauſa ſibi commiſſa eſt major Ordinario.*

18 *Vicario non poteſt Epiſcopus ea ſubdelegare, in quibus induſtria Epiſcopi cenſetur electa, & n.* 23.

19 *Vicarius Epiſcopi an poſſit ſine ſpeciali commiſſione explicare infraſcripta.*

Abbates compellere ad lectionem Sacræ Scripturæ, ibidem.

20 *Procedere contra Regulares prædicantes hæreſes.*

21 *Vicarios in Parochialibus deputare abſentibus Rectoribus.*

22 *Regulares extra clauſtra degentes punire.*

23 *Cognoſcere de obreptione, vel ſubreptione gratiæ, abſolutionis, vel remiſſionis pœnæ, à Sede Apoſtolica obtenta.*

24 *Exceſſus privilegiatorum corrigere.*

25 *Tertiam partem fructuum præbendarum, & dignitatum in diſtributiones convertere.*

26 *Parochos cogere ad coadjutores ſibi adjungendos, & novas Parochias erigere.*

27 *Viſitare Monaſteria, & beneficia commendata, hoſpitalia, Confraternitates laicorum, & alia pia loca, & num.* 30.

28 *Exequi decretum de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ.*

29 *Cognoſcere de obreptione, & ſubreptione Apoſtolicarum diſpenſationum.*

31 *Notarios imperitos ab officio ſuſpendere.*

Viſitare Eccleſias exemptas, vel nullius diœceſis num. 33. *& n.* 39.

Clauſuram Monaſteriorum Monialium reſtituere, & conſervare, & gubernare Monaſteria Monialium Sedi Apoſtolicæ immedictè ſubjecta, n. 36.

Cognoſcere de ſubreptione Unionum à 40. *anni citrà ad Eccleſias juriſpatronatus, n.* 37.

Clericos concubinarios à beneficiorum adminiſtratione ſuſpendere, & beneficiis privare, n. 38.

32 *Approbatus ſemel, poteſt reprobari favore publicæ utilitatis.*

34 *Epiſcopus viſitare volens Eccleſias exemptas, vel nullius diœceſis, exprimere debet ſe id facere ut Sedis Apoſtolicæ delegatum.*

35 *Et poteſt eas viſitare etiam per Vicarium Generalem, cùm ſpeciali tamen in ſcriptis facultate.*

39 *Vicario Epiſcopi an cenſeantur ſubiecta Monaſteria regularium in Congregationem non redacta.*

40 *Vicarius Epiſcopi, & Capituli Sede vacante, an poſſint decernere excommunicationes ad finem revelationis, & n. ſeqq.*

41 *Vicarius Generalis Epiſcopi, & Capitulum Sede vacante, in his, quæ pertinent ad juriſdictionem, nec competunt Epiſcopo jure aliquo ſpeciali, continentur Epiſcopi appellatione.*

42 *Actus juriſdictionis contentioſæ comprehenduntur ſub generali commiſſione.*

43 *Epiſcopus non poteſt alteri quàm Vicario Generali delegare facultatem decernendi excommunicationes ad finem revelationis.*

44 *Monitoria ad finem revelationis pro locis nullius diœceſis petenda ſunt à Sede Apoſtolica.*

Legati de Latere non prohibentur à Concilio excommunicationes ad finem revelationis decernere, ibid.

45 *Litteræ in forma, ſignificavit, committi poſſunt Abbatibus temporalem, & ſpiritualem juriſdictionem habentibus.*

Q*Uoniam.* Subdelegare poteſt Delegatus Papæ, licèt 1
datus ſit ex officio, vel de partium conſenſu, vel
cum clauſula, *Quòd ſi non omnes, tu cum altero, &c.* 2
Idem poteſt conſentientibus partibus is, cui committitur
negotium perſonaliter exequendum. Fallit in duobus ca-
ſibus hìc expreſſis, in quibus induſtria perſonæ videtur ele-
cta; ſecus ſi commiſſum ſit ſibi nudum miniſterium. 3
Hoc dicit Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Cardin. Anchar.
Imol.

Imol. Abb. Joan. de Anan. Barbatia, Felin. & Guidopap.
Dividitur in quatuor partes principales, quæ per ſe
patent.

4 Cùm à Tridentina Synodo in quampluribus caſibus at-
tributa ſit Epiſcopo facultas procedendi tamquam Sedis
Apoſtolicæ Delegato; Quæro generaliter, an in dictis caſi-
bus procedere poſſit Vicarius generalis Epiſcopi ſine ſpe-
5 ciali ipſius commiſſione, anve Epiſcopus poſſit eidem Vi-
cario facultatem hujuſmodi ſpecialiter ſubdelegare.

6 Pro ſolutione propoſitæ quæſtionis obſervandum eſt,
Epiſcopo à Concilio Tridentino multifariam tribui ſolere
juriſdictionem. Quandoque enim tribuitur illi juriſdictio
in his, in quibus etiam ante Concilium Tridentinum jure
ordinario facultatem habebat: & in his caſibus etſi conſti-
tuatur etiam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, poteſt tamen
ut ordinarius cognoſcere, & videtur potiùs excitata juriſ-
dictio prius competens, quàm nova conceſſa, *l. Sæpe*, &
l. ſeqq. ff. De offic. Præſid. cap. Licèt in corrigendis, ubi
7 Felin. *n.* 1. *infrà de offic. ordin.* Etenim illa dictio, *Etiam*,
implicat Epiſcopum cognoſcere poſſe etiam jure ordinario
*l. Conventicula C. de Epiſcop. & Cleric. l. Etiam, ff. de verb.
ſignific.* Clem. *Religioſus*, & ibi Cardin. *in* 1. *notab. de pro-
curat.* Unde Vicarius poterit hos actus explicare, quippè
qui vices gerit Epiſcopi, ut in *rubr. de offic. Vicarii*.

8 Quandoque & ſecundò Epiſcopus conſtituitur delega-
tus in caſibus, in quibus jure ordinario ante Concilium
9 non habebat facultatem: & in his poteſt quidem facultatem
ſibi attributam ſpecialiter concedere Vicario ſuo, quia
10 Delegatus a Principe ſubdelegat, ut hìc patet, & in *l. A,
Judice, C. de judiciis*; ſed per generalem Vicarii conſtitu-
tionem non cenſetur in eum tranſlata facultas, quæ com-
petit Epiſcopo de jure ſpeciali, & tamquam Delegato, ut
cap. fin. cum ibi notat. *de offic. Vic. lib.* 6. Franch. *in c. Non
putamus num.* 4. *ver. Delegatio tamen de conſuetudine lib.* 6.
Dec. *in cap. Quoniam*, Abbas *num.* 19. & 20. *ſuprà eod.* Do-
11 ctores in Clem. 2. *de reſcript.* In juriſdictione enim dele-
gata non fit extenſio de perſona ad perſonam, *cap. Edoce-
ri*, ubi gloſſ. ult. *de reſcript.* Feder. de Sen. *conſ.* 163. *Su-
12 per invocatione num.* 2. *verſ. Ad primum*: nec in cauſa de-
legata Epiſcopus procedit ut Epiſcopus, ſed ut Delegatus,
Dec. poſt Gulielm. de Cuneo quem citat in *d. cap. Quoniam
Abbas*, & ante eum Alex. in *l. Et quia ad fin. ff. de juriſd.
13 omn. jud.* Unde juriſdictio delegata nec tranſit in Capitu-
lum Sede vacante, Dec. in *c. Eam te*, ubi in ſpecie Felin. *n.*
17. *de reſcript. & in cap. Cùm olim*, ubi Abb. *in* 5. *qu. de
majorit. & obed.* Federic. de Sen. *conſ.* 130. *Factum tale eſt,
quædam domus circa fin.* ubi allegat Archid. & idem Feder.
conſ. 30. *An Capitulum Sede vacante*, Dec. in *d. c. Quoniam
14 Abbas n.* 20. Quod adeò verum eſt, ut non ſolùm in cauſa
Epiſcopo delegata non poſſit Vicarius procedere, ſed nec
in caſu converſo poſſit procedere Epiſcopus in cauſa ejus
Vicario delegata, ut notat DD. in d. Clem. 2. præſertim
Card. *n.* 10. Anchar. *col.* 1. & Imol. *n.* 14. *de reſcript.* Franc.
in *cap. Dilecti, il ſecondo q.* 5. *de appellat. & in d. c. Non pu-
tamus n.* 4. *verſ. Sicut è contra dicitur, quod Delegatio facta
15 Vicario non tranſiret ad Epiſcopum, de conſuetud. lib.* 6.
Quod tamen limita, ut ibi per eum. Nec refert, quòd
Epiſcopi, & Vicarii unum, & idem ſit Tribunal, ſeu Con-
ſiſtorium, *cap. Romana in princip. de appellat. lib.* 6. & no-
tant in dicta Clem. 2. Cardin. *n.* 10. & Imola *n.* 14. quoniam
id vendicat ſibi locum in juriſdictione ordinaria, non in
delegata, & Vicarius cauſam ſibi delegatam non cognoſcit
ut Vicarius Epiſcopi, ſed ut Delegatus Papæ, Gul. de Cu-
neo in *l. Etſi Prætor, ff. de offic. ejus*, Dec. *loc. cit.* Delega-
16 tus autem in cauſa ſibi per Papam commiſſa eſt major ordi-
nario, *c. Sane*, & ibi dixi *in* 2. *notab. ſuprà eodem*, Feder.
de Senis *conſ.* 216. *Domino Federico n.* 2. *verſ. Cùm igitur
hic Delegatus*.

17 Aliquando & tertiò Epiſcopus jubetur aliqua explicare
per dictionem taxativam, *Tantùm*, vel *Solus*, aut cum alia
adjectione, quæ ſpecialem Epiſcopi perſonam deſignando
cæteros excludat: & eodem modo Vicarius cenſeri debet
18 excluſus, quia cum induſtria perſonæ cenſeatur electa, non
poterit Epiſcopus negotium alteri demandare, ut eſt text.
hìc in §. *Is autem, verſ. Propter quam*, & notat. gloſſ. in *ver.
Inquiſitionem*, quæ communiter approbatur, Jaſ. in *l. à Ju-
dice n.* 11. *in* 5. *limit. C. de judic.* facit text. *in l. Inter artifi-
ces, ff. de ſolut.*

Ex his infertur ad ſolutionem infraſcriptorum dubio-
rum.

Et primò, an Vicarius Epiſcopi poſſit compellere Abba- 19
tes negligentes, ut in eorum Monaſteriis habeant lectio-
nem Sacræ Scripturæ, ſicut Epiſcopus tamquam Delegatus
Sedis Apoſtolicæ hoc poteſt ex Concil. Triden. *ſeſſ.* 5. *c.* 1.
Et videtur reſpondendum non poſſe niſi ex ſpeciali delega-
tione, juxta regulam hujus textus, quia ante Concilium
Epiſcopus jure ordinario hanc facultatem non habebat, ni-
ſi quoad ſubditos, *c.* 2. *de magiſtri* ubi gloſſ. in *ver. Liceat*,
& propterea Concilium in *d. c.* 1. non ponit dictionem im-
plicativam, *Etiam*, ſed ſimpliciter dicit: *In hoc ut Sedis
Apoſtolicæ Delegatus*.

Secundò, an poſſit Vicarius concedere licentiam regu- 20
laribus prædicare volentibus, & contra prædicantes hære-
ſes procedere, etiamſi exemptione muniantur, ſicut po-
teſt Epiſcopus ex *cap.* 2. *ſeſſ.* 5. Et videtur poſſe, quia hæc
facultas jure ordinario Epiſcopo competebat ante Conci-
lium, *c. Excommunicamus, il primo*, §. *Qui verò de hæret.*
Sed contra Prædicantem exemptum non videtur poſſe pro-
cedere, niſi ſpecialiter delegetur ad hunc effectum, quia
contra exemptos jure ordinario Epiſcopus non habet juriſ-
dictionem, *c. Sicut nobis, verſ. Niſi à juriſdictione tua ex-
empti ſint, de ſuppler. neglig. Præl. cum concordant.* Quod
clarè indicant verba illa Concilii: Etiamſi Prædicator ipſe
generali, vel ſpeciali privilegio exemptum ſe eſſe prætende-
ret, quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, & tamquam
Sedis Apoſtolicæ Delegatus procedat. Ponderando dictio-
nem illam reſtitutivam, *Quo caſu*, quæ oſtendit tunc ſolùm
Epiſcopo utendum eſſe auctoritate delegata, cùm procedit
contra exemptos, ad notata per Anchar. *conſ.* 356. *ex ſerie
n.* 3. *verſ. Tertio cum ſimilib.* & per Cravettam *conſ.* 98. *No-
bilis, & Potens n.* 5. & 6.

Tertiò, an facultas deputandi idoneos Vicarios in Pa- 21
rochialibus, à quarum reſidentia Rectores ſunt à Sede Apo-
ſtolica diſpenſati, Epiſcopo competens ex *cap.* 2. *ſeſſ.* 6.
tranſeat in ejus Vicarium Generalem. Et videtur diſtin-
guendum; nam aut agitur de non exemptis: & vide-
tur tranſire; nam jure ordinario hæc Vicariorum deputatio
ſpectabat ad Epiſcopum ante Concilium, *c. Cùm ex eo*, §.
Porro, de elect. lib. 6. Aut agitur de privilegiatis, & exem-
ptis: & non videtur tranſire ſine ſpeciali delegatione, quia
eo caſu Concilium jubet Epiſcopum procedere Apoſtolica
auctoritate, ut patet ibi, *Tamquam in hac parte à Sede Apo-
ſtolica delegatorum*: non enim voluit privilegia exempto-
rum violare, ex his, quæ notat Abb. *in cap. Grave n.* 1. &
infrà de offic. ordinar. & dixi in *cap. Tuarum n.* 31. & 33. *de
privileg.*

Quartò, an transferatur in Vicarium Generalem facultas 22
puniendi Regulares privilegiatos extra clauſtra degentes,
quam habet Epiſcopus ex *c.* 3. *ſeſſ.* 6. uti Delegatus Apoſtoli-
cæ Sedis. Et non videtur transferri, niſi per ſpecialem dele-
gationem, cùm jure ordinario careat Epiſcopus hac pote-
ſtate, niſi quoad non exemptos, *c. Quantò, & c. Licet infrà de
off. ordin.* & Concilium non utatur dictione implicativa, *E-
tiam*, ſed tantùm dicat: *Tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtoli-
ca delegato*.

Quintò, an Vicarius poſſit cognoſcere de obreptione, vel 23
ſubreptione gratiæ à Sede Apoſtolica obtente, ſicut poteſt
Epiſcopus juxta *c.* 5. *ſeſſ.* 13. Hæc facultas priùs Epiſcopo
non competens tribuitur Epiſcopo, ut per ſe ipſum tam-
quam Sedis Apoſtolicæ Delegatus cognoſcat: & ideò non
ſolùm non tranſit in Vicarium Generalem, ſed nec ſpeciali-
ter eidem demandari poſſe videtur. Illa enim verba, *Per ſe
ipſum*, demonſtrant cenſeri electam induſtriam perſonæ, &
cauſam non eſſe delegabilem, ut per Felin. hìc *in* §. *Jus au-
tem n.* 3. & fuſiùs dictum eſt ſuprà in tertio membro *n.* 17.

Sextò, an auctoritas conceſſa Epiſcopo per *cap.* 4. *ſeſſ.* 14. 24
cognoſcendi de exceſſ. privil. transfundatur in Vicarium?
Non videtur transfundi per generalem commiſſionem: poſ-
ſet tamen ei ſpecialiter ab Epiſcopo delegari, juxta regulam
hujus cap. Conſtituitur enim ibi Epiſcopus delegatus Papæ
in his, quæ non poterat ante Concilium explicare, *c. Irre-
fragabili infrà de offic. Ordinar.* ſed non per verba denotan-
tia electam eſſe induſtriam perſonæ, ut patet ibi, *Tamquam
ad hoc Sedis Apoſtolicæ Delegati*.

Septimò, an poſſit Vicarius, quæ Epiſcopo etiam 25
tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato committuntur in

cap. 3.

cap. 3. *ſeſſ.* 21. *& in cap.* 3. *ſeſſ.* 22. & videtur diſtinguendum, nam aut agitur de Capitulis exemptis, & non poteſt, quia hæc facultas ante Concilium Epiſcopis non competebat, & ideò opus eſt ſpeciali delegatione, ut hìc. Aut agitur de Capitulis non exemptis, & poteſt, quia Epiſcopi hanc poteſtatem habebant de jure communi quoad Capitula illis jure ordinario ſubjecta. Ideòque Concilium hoc loco utitur dictione illa, *etiam*, quæ innuit Epiſcopum aliquando debere procedere jure delegato, id eſt, reſpectu exemptionum, quibus utrobique in fin. dictorum capp. Sancta Synodus derogavit; ſed tamen poſſe etiam aliquando procedere jure ordinario, quod verificari non poteſt, niſi in non exemptis.

26 Octavò, An Vicarius poſſit, quæ Epiſcopo ſimili modo committuntur, *c.* 4. *ſeſſ.* 21. *in princ.* Et videtur poſſe propter illam dictionem, *etiam*, quæ ut dictum eſt ſupra, eſt implicativa juriſdictionis ordinariæ, niſi tamen obſtarent proviſiones, derogationes, vel ſuſpenſiones, quibus ibi derogatur. Eo enim caſu, quia ſublata eſſet facultas erigendi novas Parochias Epiſcopo competens de jure communi, juxta *c. Ad audientiam*, *il primo de Eccleſ. ædificand.* non poſſet Epiſcopus procedere, niſi jure delegato; ideòque talis facultas Vicario non competeret abſque ſpeciali ſubdelegatione.

27 Nonò, An Epiſcopus per ſuum Vicarium Generalem poſſit viſitare Abbatias, & alia beneficia exempta, ut in *c.* 8. *ſeſſ.* 21. Hoc decretum loquitur de beneficiis quibuſcumque commendatis tam exemptis, quàm non exemptis, ut probant verba illa, *etiam exempta*, & propterea tribuit Epiſcopis jus viſitandi etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, nempè quia quoad beneficia illis jure ordinario ſubjecta noluit eos arctare ad procedendum authoritate delegata, ſed tantùm quoad exempta. Ex quo infertur, ut Vicarius reſpectu exemptorum non poſſit uti facultate illius decreti niſi ei ab Epiſcopo ſpecialiter delegetur, juxta regulam hujus cap. Sicut poteſt quoad non exempta. Ideòque S. Congregatio jam cenſuit, ſi Epiſcopus velit viſitare ex *c.* 4. *ſeſſ.* 6. debere id perſonaliter agere, ſecus ſi ex aliis Concilii Decretis, cùm id per ſuum Generalem Vicarium agere poſſit, aut viſitatorem; ſi modò legitimè impeditus fuerit, ut permiſſum eſt *ſeſs.* 24. *c.* 3. etiamſi de viſitandis exemptis ageretur, juxta *c.* 8. *ſeſs.* 22. cùm *d. c.* 3. exemptiones tollat.

28 Decimò, An exequi poſſit Vicarius, quæ Epiſcopo injunguntur in decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ *in fin. ſeſs.* 22. & videtur eodem modo diſtinguendum inter exemptos, & non exemptos: nam Concilium ibi loquitur tam de ſæcularibus, quàm de regularibus, & ſuſtulit in fine exemptiones, ac privilegia. Unde dum jubet Epiſcopos procedere in hìs, quæ ad Miſſæ Sacrificia pertinent, pro data ſibi à Sacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam ut Delegatus Sedis Apoſtolicæ ſatis innuit, eos reſpectu ſæcularium, & non exemptorum poſſe jure ordinario procedere, reſpectu verò aliorum uti debere delegata authoritate, quæ Vicario Epiſcopi non competit, niſi de ſpeciali mandato ex regula hujus cap.

29 Undecimò, An poſſit cognoſcere Vicarius de obreptione, & ſubreptione Apoſtolicarum diſpenſationum, quemadmodum poteſt Epiſcopus *ex cap.* 5. *ſeſſ.* 22. & videtur non poſſe ſine ſpeciali delegatione, quia Epiſcopus hanc cognoſcendi facultatem jure ordinario non habebat, ut dixi in *c. Si quis num.* 16. 21. *&* 26. *infrà de confirmat. util. t. vel inutil.* Ideòque Concilium hoc loco non utitur dictione, *etiam*, ſed ſimpliciter ait ab eiſdem tamquam Delegatis Apoſtolicis.

30 Duodecimò, An poſſit Epiſcopus viſitare per Vicarium Confraternitates ex *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. Et videtur poſſe, juxta diſtinctionem ſuperiùs poſitam in nono dubio: nam hoc decretum tribuit facultatem Epiſcopo etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato viſitandi Confraternitates, Hoſpitalia, & loca pia, etiamſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loco exemptionis privilegio ſint munita.

31 Decimotertiò, An Vicarius poſſit ſcrutari ſufficientiam Notariorum, ſicut poteſt Epiſcopus ex *cap.* 10. *ſeſſ.* 22. Et videtur poſſe, quia jure ordinario poterat id Epiſcopus ante Concilium, quod innuitur ex illa dictione, *etiam*, &
32 patet ex notatis per Bart. & Bald. *in l. Sed & reprobari in princip. ff. De excuſ. tutor.* ubi dicunt favore publicæ utilitatis approbatum ſemel poſſe reprobari, & refert ibi Bart. *num.* 2. ab Archiepiſcopo Capuano fuiſſe exauthoratos omnes, qui Doctoris inſignia adepti, ſed minus quàm decebat eruditi Capuam reverſi fuerant.

Decimoquartò, An poſſit Epiſcopus per Vicarium exer- 33
cere, quæ ſtatuta ſunt in *c.* 8. *ſeſs.* 7. *& in c.* 9. *&* 10. *ſeſs.* 24. Hoc loco obſervanda eſt differentia, qua Concilium utitur in his decretis: nam in *c.* 8. *ſeſs.* 7. *& in cap.* 10. *ſeſs.* 24. loquitur implicativè per dictionem, *etiam*, At *in c.* 9. ſimpliciter loquitur de Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, quod idcircò factum eſt, quia in *c.* 8. tribuitur Epiſcopo jus viſitandi Eccleſias etiam exemptas, & in *c.* 10. diſponitur, ut Epiſcopi jus, & poteſtatem habeant procedendi in his, quæ ad viſitationem, & morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, non obſtantibus exemptionibus: itaque in his duobus decretis Concilium promiſcuè loquitur tam de exemptis, quàm de non exemptis. Unde non mirum ſi utatur oratione implicativa, *etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati*: nam quoad Eccleſiam, & perſonas ſibi ſubjectas Epiſcopus uti poterit authoritate ordinaria, quæ etiam transfunditur in generalem Vicarium ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *in* 1. *membro n.* 6. In exemptis verò delegata dumtaxat, quæ Vicario non competit ex generali commiſſione; poteſt tamen ei ſpecialiter ſubdelegari, ut in princ. hujus cap. At verò in *cap.* 9. *ſeſs.* 24. non agitur niſi de jure viſitandi Eccleſias nullius diœceſis, quod ante Concilium Epiſcopo non competebat, itaut propterea mirum non ſit, ſi Concilium velit Epiſcopum procedere ſimpliciter tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum. Unde etiam factum 34
eſt, ut Sac. Congregatio declaraverit Epiſcopum Eccleſias exemptas, vel nullius diœceſis viſitare volentem exprimere debere, ſe id facere utì Delegatum Sedis Apoſtolicæ, & 35
poſſe illas viſitare etiam per ſuum generalem Vicarium, ſed opus eſſe ſpeciali in ſcriptis facultate.

Decimoquintò, An Vicarius habeat authoritatem circa 36
clauſuram Monialium Epiſcopo ſubjectarum, ſicut habet Epiſcopus ex *cap.* 5. *ſeſs.* 25. *de regul. & c.* 9. *Decreto cap.* 5. apertè approbatur diſtinctio ſuperiùs propoſita: nam præcipitur Epiſcopis, ut in Monaſteriis ſibi ſubjectis ordinaria, in aliis verò, id eſt, in exemptis, Sedis Apoſtolicæ authoritate procedant. Idemque prius ſtatuerat Bonifacius VIII. in Decretali *Periculoſo*, §. *ult. de ſtat. Regular. lib.* 6. à Concilio innovata. Quo fit, ut quoad non exempta idem jus competat Vicario generali Epiſcopi, quo verò ad alia non item, niſi ei ab Epiſcopo ſpecialiter committatur juxta regulam hujus tex. At in *dict. cap.* 9. quia ſubjiciuntur Epiſcopo Monaſteria Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta, quæ prius illi non ſuberant, jubetur Epiſcopus ſimpliciter procedere tamquam Delegatus: unde fit, ut abſque ſpeciali commiſſione hoc jus in Vicarium generalem non tranſeat, juxta ſuperiùs dict. in 2. *membr. n.* 8.

Decimoſextò, An Vicarius poſſit cognoſcere de ſubre- 37
ptione unionum ad Eccleſias jurispatronatus, quemadmodum poteſt Epiſcopus ex *cap.* 9. *ſeſs.* 25. *verſ. Quæ vero.* Et videtur non poſſe, niſi ad hoc ſit ſpecialiter delegatus, cùm hanc facultatem Epiſcopus non habeat jure ordinario, Clemen. *Ne Romani de elect.* & propterea Concilium tribuat Epiſcopo hanc facultatem ſimpliciter tamquam Delegato Sedis Apoſtolicæ abſque particula, *etiam*.

Decimoſeptimò, An facultas conceſſa Epiſcopo in *c.* 14. 38
ſeſs. 25. etiam utì Delegato Sedis Apoſtolicæ, ut poſſit Clericos concubinarios à beneficiorum adminiſtratione ſuſpendere, & beneficiis privare, tranſeat in Vicarium: videtur tranſire quoad non exemptos, quia & jure ordinario poterat Epiſcopus in concubinarios animadvertere, toto *tit. de cohabitatione Cleric. & mulier.* quoad exemptos verò opus eſſe ſpeciali ſubdelegatione ſecundùm regulam, de qua hìc. Idcircò enim hoc loco Concilium utitur dictione implicativa juxta propoſitam diſtinctionem.

Decimooctavò, aliis omiſſis, An Vicario cenſeantur 39
ſubjecta Monaſteria, quæ in *c.* 20. *ſeſs.* 25. *de regul.* ſubjiciuntur Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, quando infrà præſcriptum tempus ſe in Congregationem redigere neglexerunt? Videtur reſpondendum non cenſeri ſubjecta, quia cùm hæc facultas prius Epiſcopo de jure communi non competeret obſtantibus, ſcilicet exemptionibus, ut *cap. Sicut nobis*, *verſ. Niſi à juriſdictione ſuprà de neglig. Prælator. cap. Cum tempore infrà de arbitr. & cap. Cum olim*, *il ſecondo de privileg.* non cenſetur tranſlata

in Vicarium abſque ſpeciali mandato ex ſupradictis.

40 Ulterius QUÆRO, An excommunicationes, ad finem revelationis pro rebus ſubtractis, vel deperditis, de quibus in *cap.3.ſeſſ.*25.concedere poſſit Vicarius generalis Epiſcopi, ſi hanc ei facultatem ſpecialiter Epiſcopus non delegavit, & an Vicarius Capituli Sede vacante poſſit eaſdem excommunicationes decernere.

Aliàs Sacra Congregatio in una Eboren. cenſuit Vicarium Generalem Epiſcopi poſſe concedere monitoriales ad finem revelationis,. In alia Senen. Congregatio cenſuit poſſe, ſi hanc ei facultatem Epiſcopus ſpecialiter delegavit, ſed poſteà propoſitis ſuprafcriptis dubiis in Congregatione generali, cui interfuerunt Cardinales Geſualdus, Palavicinus, Senonenſi, Montaltus, Albanus, ſancti Sixti, & Carafa die 10. Febuarii 1583. Congregatio nihil decrevit:

41 Sententiæ enim fuerunt inter ſe diſcrepantes. Tres enim Palavicinus, Senonenſis, & Carafa partem affirmativam defenderunt dicentes nihil officere negativam illam poſitam in decreto Concilii, *nemine prorſus*, quandoquidem intelligi debet ad excludendos inferiores Epiſcopo, & appellatione Epiſcopi in iis, quę pertinent ad juriſdictionem, nec competunt Epicopo jure aliquo ſpeciali, continentur Vicarius Generalis Epiſcopi, & Capitulum Sede vacante, & dum Concilium id committit arbitrio, & conſcientiæ Epiſopi, id innuere videtur ne Epiſcopi aliqua Magiſtratus, vel Principum ſæcularium auctoritate adducantur ad id concedendum. Montaltus verò cenſuit non poſſe per ea verba Concilii, *neminc prorſus*, & per alia, *arbitrio, & conſcientia Epiſcopi*: unde videtur electa induſtria perſonæ, nihilominus credidit poſſe per ſpeciale mandatum Vicario delegari. Albanus per geminatam negationem,& exceptionem a nemine prorſus, præterquam, &c.negavit omninò hujuſmodi facultatem poſſe delegari, tum etiam propter eam dictionem, *ipſe*, quæ eſt dictio perſonaliſſima, & demonſtrativa ad oculum. Demùm quia committitur arbitrio, & conſcientiæ ipſius Epiſcopi. Quam ſententiam C. ſancti Sixti ſequutus eſt. Poſtremò Geſualdus ait etiamſi ante Concilium hujuſmodi facultas competeret etiam Vicariis, tamen poſt Concilium effecta eſt Epiſcopalis. Unde neceſſarium videtur ſpeciale mandatum tam Epiſcopi ad Vicarium, quàm Capituli ad Vicarium Capituli. Fuit præterea additum agi de impoſſibili, quia Epiſcopus in hujuſmodi cauſis ſemper erit occupatus,ideò agendum cum Sanctiſſimo,qui die 27.Februarii 1583. reſpondit ad utrumque dubium,nimirum poſſe Vicarium tum Epiſcopi, tum Capituli concedere litteras monitoriales ad finem revelationis 42
pro rebus deperditis. Addit Sanctiſſimus rationem, quia hic eſt actus juriſdictionis contentioſæ, quæ comprehenditur ſub generali commiſſione.

Verùm cùm poſtea dubitatum fuerit, An liceat Epiſco- 43
po alteri, quàm Generali Vicario hujuſmodi facultatem ſpecialiter, delegare, ſtante *cap.*3. *ſeſſ.* 25. die 8. Februarii 1590. Sacra Congregatio cenſuit non licere.

Rurſus orta dubitatione, an monitoria ad finem revelationis decernere ſpectet ad Archipresbyterum nullius 44
diœceſis exemptum, an verò ad viciniorem Epiſcopum, reſponſum eſt neutrum ſpectare ſed hujuſmodi monitoria, petenda eſſe à Sede Apoſtolica. Idemque reſponſum de Abbatibus habentibus Epiſcopalem juriſdictionem, licèt verba dicti *c.* 3. à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernantur, non excludant Legatos de Latere, ut Sacra Congregatio cenſuit.

Verumtamen cùm eſſet quæſitum, an expeditiones, quæ 45
Significavit, appellantur poſſent committi Abbatibus temporalem, & ſpiritualem juriſdictionem in loco habentibus: Sacra Congregatio cenſuit poſſe.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Innocentius III. Epiſcopo Bajacen.

C A P U T XXXI.

CUm in jure peritus: & infrà. Præterea quæſiviſti, cùm tibi ab aliquo ſub hac forma mandatur: Authoritate qua fungor, injungo, ut talem denunties excommunicationis ſententiæ ſubjacere: ac tibi ſuper mandato Apoſtolico hæſitanti, ab aliquo non ſit facta fides, an mandatum hujuſmodi exequi tenearis. Super quo tibi hujuſmodi damus reſponſum, quòd niſi de mandato ſedis Apoſtolicæ certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.

S U M M A R I U M.

1 *Delegatus quis non creditur, niſi delegationem probet.*

2 *Delegatus Papæ in ſuis litteris dicit noſtris, ſeu verius Apoſtolicis parere mandatis, & cur,*

3 *Delegatus poteſt præcipere Ordinario, ut exequatur factum ſuum.*

4 *Delegato non tenetur Ordinarius fidem adhibere, ut ejus mandatis obtemperare, niſi ille ſuam delegationem probet.*

Hæc regula ampliatur tredecim modis, ut num. 7.uſque ad num. 44.

Et declaratur duobus modis à d.n.44.uſque in fin.

5 *Delegatus quis non præſumitur, licet præſumatur bonus.*

6 *Bonus quilibet præſumitur, ibid.*

Fallit in quinque caſibus, & præſertim cùm agitur de præjudicio alterius.

7 *Delegatio Principis probari non poteſt, niſi per litteras delegationis, & n. 35.*

8 *Mandatum Principis non probatur,niſi per ſcripturam.*

9 *Delegatio probari debet per mandatum originale.*

10 *Vel per exemplum ab originali ſolemniter ſumptum.*

11 *Inſtrumenti regiſtratio facta in actis partibus præſentibus, & non contradicentibus probat originale.*

Secus ſi ſolus Notarius exemplaverit originale inſtrumentum reducendo illis tenorem ad acta, num. 13.

12 *Præſens in judicio, & non contradicens his, quæ aguntur in ſui præjudicium, cenſetur conſentire.*

14 *Inſtrumenta cùm producuntur ſola productio eſt de actis, & non tenor.*

15 *Delegatus ſi citet aſſerendo ſe Delegatum, non tenetur citatus comparere, niſi in citatione inſeratur tota copia reſcripti.*

Contrarium, num. 17.

16 *Citatio non inſerta copia delegationis cenſetur emanaſſe tamquam à privato, & non valet.*

Sed contra.

18 *Citatus tenetur comparere ſi delegatus ponat in citatione cauſam juriſdictionis, ut ſi dicat ſe delegatum.*

19 *Delegato creditur in minoribus etiam non oſtenſis litteris delegationis.*

20 *Delegatus tenetur inſerere in citatione copiam reſcripti, quando eſt perſona incapax delegationis.*

21 *Idem quando citatus eſt in loco longinquo.*

22 *Niſi citatio fiat per Nuncium publicum, & notum, puta Curſorem Papæ.*

23 *Commiſſarius tenetur non modo oſtendere litteras ſuæ commiſſionis, ſed etiam illarum copiam parti dimittere.*

24 *Sententia, in qua judex aſſerit ſe delegatum, non ſtatur, niſi oſtendatur commiſſio.*

Etiam ſi lata ſit contra contumaciter abſentem, n.27.

Secus

Secus ſi pars fuerit præſens in probatione ſententiæ, & non appellaverit. Item ſecus, ſi quandoque comparuerit ante litis conteſtationem, & non contradixerit, num. 26.

25 *Exceptio quòd non conſtet de delegatione, poteſt opponi etiam in actu executionis.*

27 *Contumax dici non poteſt qui negat juriſdictionem.*

28 *Juriſdictio Ordinarii cenſetur notoria, & ideo non eſt opus de ea fidem facere.*

29 *Excommunicatio lata in Ordinarium à Delegato non oſtenſis litteris ſuæ commiſſionis, eſt ipſo jure nulla.*

30 *Proceſſus Delegati, qui de ſua commiſſione non docuit, eſt nullus.*

31 *Ordinarius poteſt ex officio ſuo petere, ut ſibi exhibeatur reſcriptum Delegationis etiam parte non petente.*

42 *Delegato juriſdictionem exercenti non oſtenſis litteris ſuæ commiſſionis, poteſt Ordinarius de facto reſiſtere, & num. 43.*

33 *Nunciis Principis non creditur ſine litteris, & aliorum bona capientibus poteſt reſiſti de facto.*

34 *Delegato etiam ab inferiore à Principe non eſt credendum, niſi delegationem probet.*

35 *Delegatio Papæ, vel Imperatoris non probatur, niſi per ſcripturam; ſed delegatio inferioris probari poteſt etiam per teſtes.*

36 *Subcollectoris commiſſio facta à Collectore, poteſt per teſtes probari.*

37 *Litteræ Delegationis non oportet, ut ſint ſcriptæ, vel ſubſcriptæ à Delegante; ſed ſufficit, ut ſint ejus ſigillo munitæ.*

38 *Sigilli appoſitio tantum probat, quantum ſubſcriptio manu propria.*

39 *Arbitro non creditur, ſi de compromiſſo non conſtat, licèt aſſerat in laudo factum fuiſſe compromiſſum.*

40 *Niſi laudum ſit latum partibus præſentibus, & non contradicentibus.*

41 *Executori, de cujus facultate non conſtat, impunè non paretur.*

42 *Nuncio, ſeu alii deſtinato ad aliquid non creditur, niſi doceat ſe habere poteſtatem ab eo, qui poteſt dare.*

43 *Commiſſarii, qui de Provincia ad Provinciam mittuntur, debent præſentare litteras ſuæ facultatis præſidii Provinciæ, aliàs poteſt eis reſiſti.*

44 *Ordinarius prudenter agit, ſi pareat Delegato, etiam non viſis litteris, dummodo ille ſit probata perſona.*

45 *Cardinali aſſerenti ſe Legatum creditur etiam ſine litteris.*

46 *Idem ſi aſſerat ſe delegatum in aliqua cauſa, & num. 50.*

47 *Sed contra.*
Declaratur, num. 48. & ſeqq.

48 *Legatis ad Curiam Romanam venientibus de ſtylo non creditur ſine litteris.*

49 *Legato etiam de Latere aſſerenti ſe habere mandatum Principis non creditur ſine programmate legationis in his, quæ directè concernunt præjudicium tertii.*

50 *In aliis ſecus.*

51 *Cardinali aliquid aſſerenti de mandato Papæ creditur tribus concurrentibus.*

1 CUm in jure. Non creditur quis Delegatus, niſi delegationem probet. Hoc dicit, ſecundùm Joan. Andr. & communiter Doctores. Vel ad idem ſecundùm Abb. & Felin. Non tenetur quis parere mandatis aſſerentis ſe Delegatum, niſi mandatum probet. Communis diviſio. Secunda ibi, *Super quo.*

Nota primò, quod dictum eſt in Summario textus.

2 Secundo, nota practicam præcipiendi, cum quis utitur alterius poteſtate; injungit enim authoritate, qua fungitur, ut in littera ibi: *Authoritate, quod fungor, injungo;* & ſic Delegatus Papæ præcipit authoritate Apoſtolica, quod facit ſecundùm Abb. *hic ſub num.* 2. pro ſtylo hodierno: nam Delegatus in ſuis litteris inter cætera dicit: *Noſtris, ſeu veriùs Apoſtolicis parere mandatis.*

3 Ultimò nota ex fine textus, Delegatum poſſe præcipere Ordinario, ut exequatur factum ſuum, ut hic per *Proſp. Fagnan in I. Libr. Decretal.* Abb. *num.* 3. & notat Speculat. *in tit. de offic. Ordinar.* §. *Officium, n.* 3. ubi ait, Ordinarium debere ſententias Delegatorum Principis, ſi eis injunctum fuerit, executioni debitæ demandare, per *c. Quærenti, & c. Paſtoralis, & c. Si quando ſupra eodem.* Nec mirum, quia Delegatus gerit vices Papæ quoad illam cauſam, & eſt major quolibet Ordinario, etiam de Latere Legato, *c. Studuiſti infrà de offic. Leg.*

Expeditis breviter notabilibus venio ad materiam Decretalis, quæ valdè utilis eſt, & quotidiè occurrit in practica, præſertim in iſtis Commiſſariis, qui in dies mittuntur ad diverſas Provincias pro aſſumendis informationibus judicialibus, vel executionibus faciendis. Et pro faciliori explicatione eam expediam propoſita regula cum ſuis ampliationibus, & declarationibus.

Regula eſt; Ordinarius non tenetur fidem adhibere 4
aſſerenti ſe judicem delegatum, nec ejus mandatis obtemperare, niſi ille ſuam delegationem probet. Habetur hæc regula in hoc cap. ſecundùm Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. Joan. de Anan. & Felin. in Summario textus, & notat Bernard. poſt caſum. Innocen. *num.* 1. Hoſtienſ. *eodem num. in ver. Certus extiteris*, Abb. *num.* 1. *verſ. Item nota quod Ordinarius*, & reliqui omnes, Ludovic. Roman. *conſ.* 336. *Circa prædicta ſub num.* 4. *verſ. Non autem exhibita*, Guidopap. *deciſ.* 286. *ſub num.* 6. & alibi paſſim Doctores. Neque 5
obſtat, quòd cum quilibet præſumatur bonus, *cap. unico de Scrutinio, cap. final. de præſumpt.* qui dicit ſe delegatum, non ſit credendus mentiri, & ideò illius aſſertioni ſit fides adhibenda: nam reſpondet Hoſt. *hic num.* 1. licèt quilibet præſumatur bonus, non tamen quilibet præſumitur judex. Ratio eſt, quia ex Baptiſmo non conſequitur quis judicaturam, ſed virtutes tantùm, & de malo fit bonus, *c. Majores*, §. *Illud vero de Baptiſm.* Clem. *un.* §. *Ad hoc de Summ. Trinit. & fid. Cathol.* Et ſic, quod ſemel verum, ſemper verum, niſi contrarium probetur, *l. Sive poſſidetis, C. de probat. l. Ait Prætor*, alias incipit, *Et ſine*, §. *penult. in fine, ff. De minoribus.* At verò qualitas judicaturæ cum ſit accidentalis, & non proveniat à natura, vel à Baptiſmo, non
præſumitur, niſi probetur, ut *in c. Si fortè de elect. lib.* 6. De- 6
indè reſpondetur, regulam illam, Quilibet præſumitur bonus, pati multas fallentias, & quinque recenſet hìc Felin. *n.* 1. inter quas illa eſt præcipua, niſi agatur de præjudicio alterius: tunc enim non ſufficit præſumptio, ſed fieri debet plena probatio, *c. Cùm à nobis de teſtibus*, & quod notatur *in c. Sicut in gloſſ. in verſ. Litteras noſtras de ſentent. excomm.* & pro hac fallentia adducitur S. Thomas in 2. 2. *qu.* 20. *art.* 3. *in fin.* dicens: Ubi imminet periculum alterius, non eſt de quolibet præſumendum bonum; ſed adhibenda eſt cautela, ut de non facili unicuique credatur; allegat illud Joannis Apoſtoli *epiſt.* 1. *cap.* 4. *Nolite credere omni ſpiritui*, & eſt bona gloſſa *in cap. Si quis præpropera, in ver. Videri* 50. *diſtin.* quæ dicit: Non eſt ſemper credendum bono viro, ubi agitur de periculo tertii; cum ſimilibus, ut hìc per Felin. *n.* 1.

Amplia primò, regulam hujus textus, ut probatio aſſe- 7
rentis ſe Delegatum à Principe aliter fieri non poſſit, quàm per litteras delegationis, ut eſt textus *in l. unica*, ibi, *Niſi quod ſcriptis probaverit*: & infra, ibi, *Sed ſacras noſtras litteras eſſe quærendas, C. de mandat. Princip.* quem textum
ſic ſummat Baldus: Mandatum Principis non poteſt pro- 8
bari niſi per ſcripturam: ad idem textus *in l. Prohibitum, C. de jure fiſc. lib.* 10. *& in c.* 1. *de fid. inſtrum.* & in Extravag. *Injunctæ poſt princ. de elect.* ibi Aſſerenti namquè cum mandatis Principis ſe veniſſe credendum non eſt, niſi hoc ſcriptis probaverit: cum multis concordantibus cumulatis ab Angelo de Peruſio *in conſ.* 182. *Mandatum Principis in princ.* & notat Specul. *in tit. de probat.* §. *Videndum reſtat, n.* 1. *& in tit. de Legat.* §. *Supereſt, ver. Quid ſi Delegati juriſdictionem, n.* 14. *&* 15. Butr. *in c. Venerabilis ſub n.* 10. *ver. Quartus caſus, de cenſibus*, & decidunt Domini de Rota *diſp.* 397. incipien. *Si Epiſcopus, aliàs* 5. *n.* 3. *verſ. De ſecundo dubio, de offic. Vicar. in novis*, Bellam. *diſt.* 110. incipien. *Præſumitur*: & hunc caſum inter alios quàm plures, in quibus requiritur ſcriptura, recenſet gloſſ. in *c.* 1. §. *Poſtquam, verſ. Vigeſimus quintus in Delegato Papæ, de cenſ. lib.* 6.

Amplia ſecundò, ut delegatio probari debeat vel per 9
mandatum originale, ut *in l. Sancimus, C. de diverſis reſcriptis*, quæ eſt canonizata *in c. Sancimus* 25. *q. ultim. & infra*

de fid. inſtrum. quaſi per tot. ſecundùm Abbatem *hic n. 6.* &
multis confirmat Ludovicus Romanus *conſ. 336. circa pro-*
10 *poſitum, num. 5.* Vel per exemplum ab originali ſolemniter
ſumptum, ut per Abbatem *d. num. 6.* Quæ autem ſolemni-
tas ſit adhibenda, dic, ut legitur, & notatur *in c. penult. &*
ult. de fide inſtrum. & in c. Significavit, & c. Albericus de
11 *teſtibus.* Idem eſt, ſi partibus conſentientibus, vel præſen-
tibus, & non contradicentibus orignale fuerit exemplatum
in actis; hujumodi enim regiſtratio probat originale, adeò-
ut non ſit opus illud ampliùs producere, ut dicit Innocen-
tius *hìc num. 5.* cujus dictum allegant Domini de Rota *dec.*
93. quæ eſt prima ſub fide inſtrumen. & ſequuntur *hic* Hoſt.
num. 2. circa med. ver. Tu dicas, Abb. *n. 6.* & pluribus exor-
12 nat Felin. *num. 8.* Nam in præjudicium ipſarum partium
acta faciunt fidem de tenore originalis, arg. *l. 1. C. de relat.*
per quem textum dicit Bart. *num. 6.* quòd ſi partes præſen-
tes in judicio non contradicunt his, quæ poſſunt tendere in
earum præjudicium, videntur conſentire; ſecus verò di-
cendum eſt, ubi ſolus Notarius exemplavit inſtrumenta
13 originalia, reducendo tenorem ad acta: nam ut notabili-
14 ter ait Innocentius *hic num. 6.* cùm producuntur inſtrumen-
ta, ſola productio eſt de actis, & non tenor; quaſi dicat,
ſi Notarius ſcripſit in actis, quòd pars produxit tale inſtru-
mentum, creditur Notario ſuper productione, *ut in cap.*
Quoniam contra de probat. ſed non creditur ſuper tenore in-
ſtrumentorum, niſi probetur tenor per originalia, vel aliis
modis prædictis. Notarius enim non eſt rogatus de con-
tentis in inſtrumentis productis, & ideò de illorum tenore
fidem facere non poteſt; & ita mentem Innocentii declarat
Abb. *hic n. 6. verſ. Nam ut notabiliter.*
15 Ampliatur tertiò ſecundùm unam opinionem ut ſi de-
legatus citet aſſerendo ſe delegatum, non teneatur citatus
comparere, niſi in citatione inſeratur tota copia reſcripti,
ita ſingulariter determinat Innocentius *in c. Præterea nu. 1.*
16 *in ver. Ulterius de dilat.* & idem firmat Feder. de Sen. *conſ.*
251. Caſus talis eſt in princ. verſ. Primò, quia, dicens, hujuſ-
modi citationem, ſeu præceptum non inſerta copia juriſdi-
ctionis cenſeri emanaſſe tamquam à privato, & ideò poſſe
illi impunè non pareri, Angelus *conſ. 8. His proximis diebus*
n. 2. verſ. Secundo quia, Paulus de Caſtro *conſ. 81. In cauſa,*
quæ vertitur col. 4. circa medium, verſ. Eſt etiam alius lib. 2.
ubi ait defectum citationis, in qua non fuit inſertus tenor
delegationis, eſſe patentem, & manifeſtum, cui non poteſt
reſponderi, Angel. Aretin. *conſ. 6. in caſu n. 17.* & hanc par-
tem tenet gloſſa *in c. Si Epiſcopus in ver. Convocari cir. me-*
dium 3. q. 2. quæ expreſsè dicit citationem non valere, ſi in
ea reſcriptum Apoſtolicum non inſeratur, & Bart. in Auth.
Qui ſemel num. 12. C. Quomodo, & quando jud. ubi ſequitur
17 Innocentium *in dict. c. Præterea.* Verùm ut formaliter in-
quit Felin. *hic num. 5.* veritas eſt in contrarium, quia dele-
gatus minimè tenetur inſerere copiam reſcripti delegatio-
nis, ſed ſufficit citare aſſerendo ſe delegatum, licèt parti
comparenti teneatur dare copiam reſcripti per iſtum text.
& pro hac parte allegat gloſſam, & Bart. *in locis ſupracita-*
tis, ſed non benè; idem voluit Speculator *in tit. de citat. §. 1.*
ſub num. 14. verſ. Item quod reſcriptum, Apoſtolicum, & Butr.
in d. cap. Præterea, num. 7. verſ. Puto quod ſi in citatoriis de
dilat. cujus hæc ſunt verba poſt recitatas varias ſcribentium
opiniones: *Puto quod ſi in citatoriis aſſerit ſe delegatum,*
dato quod nec reſcriptum, nec copia reſcripti tranſmittatur,
arctetur citatus ad comparendum, quia ſufficit per judicem
cauſam allegari in citatione, per quam probetur juriſdictio,
quia ſatis eſt, quod hæc aſſertio judicis ingerat probabilem du-
bitationem reo, quod poſſit eſſe verum, quod ſit delega-
tus. Hæc Butrius. Contra Innocentium tenent etiam
in eodem cap. Præterea, Hoſtienſ. *col. 3. verſ. Non ſunt ul-*
terius, Cardin. *col. 2. verſ. Oppono quod non teneatur*,
Imola *num.* & Baldus *n. 2. circa finem, verſ. Nota enim*
primo de tenoris inſertione. Quorum verba ſingillatim ad
hoc expendit Tiberius Decianus *conſ. 18. Ex prædicta num.*
156. volum 1. allegando etiam Pariſium *conſ. 99. nu. 9.*
18 *volum. 4.* Quid plura; Ipſemet Innocentius *in cap. Pru-*
dentiam, num. 1. ſupra eodem contrarium docuit his ver-
bis: *Ergo tantum tenetur citatus ire, quando citans ponit*
in citatione ſua cauſam juriſdictionis, puta quia dicit ſe de-
legatum: nam ex his dictis judicis fit res dubia, vel ſal-
tem aliquam cauſam dubitationis habet, & ideo comparere
19 *tenetur.* Et idem in effectu voluit in hoc *cap. num. 1. verſ.*
In minoribus, ubi limitat illum textum, ut non procedat in
minoribus, in quibus fortè quis parere debet, etiamſi non
videat reſcriptum delegationis, puta, ſi citetur, ut compa-
reat, *c. 2. de dilat.* niſi eſſet nimis remotus, & judex eſſet vi- 20
lis perſona. Et hanc partem puto veram. Addit Felin. *ubi ſup.*
Doctores præallegatos aſſerere ita practicari, præterquam
in duobus caſibus, in quibus Delegatus tenetur inſerere co-
piam reſcripti in citatione. Primus eſt, quando citans eſt
perſona incapax Delegationis, ut cùm quis citatur à ſim-
plici Sacerdote. Ita Jo. Andr. *in add. ad Speculatorem in tit.* 21
de citat. §. 1. verſ. Item quod reſcriptum. Secundus eſt quando
citandus eſt in loco longinquo, ut per Abbatem in *d. c. Præ-*
tereà, n. 5. ver. Idem videtur velle Innocentius de dilat. Quem
caſum poſuit etiam Innocentius *in d. c. Prudentiam, n. 1. ſu-*
prà eod. Limitatur tamen hic ſecundus caſus, niſi citatio 22
fieret per nuncium publicum, vel notum, ſicut ſunt Curſo-
res Papæ, ita Domini de Rota *dec. 15.* incipien. *Si executor*
de dolo, & contumacia, in novis, quos ſequitur Butr. *in c.*
Cùm parati, n. 7. in penult. col. de appellat. & Felin. *hic n. 5.*
verſ. Limita iſtum caſum.
Amplia quartò, ut non modò Delegatus teneatur oſten- 23
dere reſcriptum parti, ſed etiam cogatur ei dimittere co-
piam commiſſionis, ita tenet gloſſ. 3. *in cap. Porrò de privil.*
fortè enim pars intendit redarguere reſcriptum de falſo,
& opus eſt ſtudio ad ponderandam falſitatem, facit textus
in c. Accepimus in c. Ex litteris, & in c. Contingit de fide in-
ſtrum. & in c. Cùm perſonæ circa medium, de privileg. lib.
6. & ſequitur Felin. *hic n. 6.*
Amplia quintò, etiamſi Delegatus oſtendat ſententiam, 24
in qua aſſerit ſe Delegatum, quia non creditur ejus aſſer-
tioni, nec præſumitur pro ſententia, niſi oſtendatur com-
miſſio, arg. *c. Cùm à nobis infr. de teſtibus*; & ſententia poteſt
dici nulla ex defectu juriſdictionis, ita gloſſ. 1. hìc dicens,
hoc eſſe valdè notabile; & propterea conſulit, ut quiſquis
impetret à Principe cauſam committi alicui, vel delegari,
& ſententia pro ipſo lata fuerit, ſit cautus, ut ita benè cu-
ſtodiat commiſſionem, ſicut ipſam ſententiam; lapſu enim
temporis, ſi conveniretur, ut oſtenderet ſententiam ſine
commiſſione, non prodeſſet ei, niſi probaret de commiſ-
ſione. Quinimò hæc exceptio, quòd non conſtat de Delega- 25
tione, poteſt opponi etiam in actu executionis, *c. Pia de ex-*
cept. lib. 6. Feder. de Sen. *conſ. 251. Caſus talis eſt in princip.*
Hanc tamen quintam ampliationem limitat notabiliter 26
Innocentius *hìc n. 4. verſ. Sed certè hoc quibuſdam non pla-*
cet, ut locum non habeat, ſi pars fuerit præſens in prolatio-
ne ſententiæ, & non appellaverit: & idem eſt, ſi pars quan-
doque comparuit ante litis conteſtationem, & non contra-
dixit: nam poſt litis conteſtationem non poterit allegare
defectum commiſſionis, ſeu mandati, ut *c. Inter Monaſte-*
rium de re judicata: ex quo enim pars comparuit, & defe-
ctum juriſdictionis non oppoſuit, præſumendum eſt judicem
habuiſſe juriſdictionem, & opponenti defectum juriſdictio-
nis incumbit onus probandi; ſecus autem eſt, ſi ſententia
fuerit lata contra abſentem in caſu, in quo ferri potuit, &
pars abſens nunquam paruit Delegato; quia tunc ſemper
poteſt allegare incompetentiam judicis, & opponere defe-
ctum juriſdictionis; & onus probandi contrarium incumbit
adverſario. Quidam tamen ſentiunt contrarium, ut refert
Innocentius; ſed nihilominus prædicta diſtinctio eſt ſatis 27
æqua, ſecundùm Abbatem *hic n. 7.* qui eam extendit, etiam-
ſi pars fuerit abſens contumaciter, motus optima ratione,
quia pars negando juriſdictionem, negat per conſequens
contumaciam: nam ſi non erat judex, non tenebatur co-
ram eo comparere. Quam rationem ponderavit etiam Pau-
lus de Caſtro *conſ. 81. In cauſa quæ vertitur, n. 3. col. 4. poſt*
medium lib. 2. facit text. *in l. Non videtur latitare, ff. de ju-*
dic. Item ceſſat præſumptio juriſdictionis, quando pars fuit
ſemper abſens, quia delegatio cùm ſit facti, non præſumi-
tur, nec adeſt tacitus conſenſus partium.
Porrò hæc procedunt in Delegato; ſententiæ autem Or- 28
dinarii ſemper ſtatur, quia conſtat de juriſdictione, *cap. Si-*
cut infrà de re judic. c. Hoc etiam 2. q. 6. & notat Laurentius
hic relatus in gloſſ. 1. & Innoc. *n. 4. poſt princip. verſ. Et hoc*
in Delegato: nam ut Bald. inquit in *l. Ea quidem, n. 14. verſ.*
Hinc eſt, C. de accuſat. juriſdictio Ordinarii cenſetur noto-
ria, ideò non eſt opus de iſta facere fidem, ſecus in dele-
gata. Sequitur Felin. *hic* plura cumulans, *n. 10.*
Amplia ſextò, ut geſta per Delegatum, qui non do- 29
cuit

cuit de mandato pètito, ſunt ipſo jure nulla; ut notabili-
ter dicit Innocentius *hìc num.* 1. *in ver. De mandato*. Un-
de ſecundùm eum ſi Delegatus in Ordinarium parere vo-
lentem proferret ſententiam excommunicationis, ſenten-
tia non teneret, quia non habet juriſdictionem in Ordi-
narium, niſi quando eſſet ei rebellis; petendo autem
ſibi fidem fieri de commiſſione, ſeu mandato, facit quod
ſibi à jure permittitur; & ideò non poteſt dici rebellis, &
ſic non tenet excommunicatio ex defectu juriſdictionis,
& cum Innocen. concordant hìc Abbas *num.* 3.& Felin. *eo-*
30 *dem num. verſ. Et ad hanc materiam*, Butr. *in cap. Vene-*
rabilis, num. 10.*verſ. Quartus caſus, de cenſibus*, ubi ait,
quòd ſi Delegatus viſitare vellet, non poſſet, niſi oſtende-
ret ſuam delegationem; & ſi viſitaret, vel excommunica-
ret, non teneret viſitatio, nec excommunicatio, plenè
Cæphal. *conſ.* 236. *in princip*. Et ſententia poteſt dici nulla
per viam actionis, & exceptionis, quando non conſtat
de delegatione, Angel. Aretin. *conſ.* 137. *Quoniam à me*
num. 8. *& ſeqq.* Et ſimiliter nullus eſt proceſſus fabricatus à
Delegato, qui de ſua commiſſione non docuit, præſertim
quoad actus, qui ſunt de ſubſtantia judicii, ut citatio, li-
tis conteſtatio, oblatio libelli, & Procuratoris legitimatio,
& ſimilia, *ut cap. Quoniam contra de probat. cap.* 1.*de fide*
inſtrumentorum, l. 1. *C. de mandat. Princip. l. Ne arbitris,*
§. Sin autem, C. de arbitr. ſecundum Innocen. *hic num.* 4.
in princip.

31 Amplia ſeptimò, etiam parte non petente, quia nihilo-
minus Ordinarius poteſt ex officio ſuo petere, ut ſibi
reſcriptum delegationis, ſeu mandatum Apoſtolicum ex-
hibeatur; ita Innoc. *hic num.* 1. *in ver. De mandato, verſ.*
Et poteſt petere.

32 Amplia octavò, ut Delegato volenti juriſdictionem
exercere non oſtenſis litteris delegationis poſſit Ordina-
rius de facto, & quaſi vim vi repellendo impunè reſiſte-
re: caſus eſt *in leg. Prohibitum, Cod. de jur. Fiſci lib.* 10.
33 quem textum ſic ſummat Bart. Nunciis Principum non
creditur ſine litteris, & ipſis volentibus aliorum bona
capere, quilibet, cujus intereſt, poteſt de facto reſiſtere,
concordat textus in Auth. *de collat. §. Eos colat.* 14. Poteſt
enim Ordinarius poſſeſſionem ſuam tueri armis materiali-
bus, & ſpiritualibus, ut *c. Dilecto, §. Et quidem de ſentent.*
excommun. lib. 6. & ſic poteſt eam turbantem excommuni-
catione percellere, etiam nulla monitione præmiſſa, quia
non procedit ut judex, ſed ut pars pro ſui juris conſerva-
tione, ut determinat Innocentius in ſua celebri gloſſa,
quam poſuit *in c. Venerabili de cenſibus*, & quam ibi ſequun-
tur Joan. Andr. Butr. Cardin. Abb. & communiter Doctores,
& reaſſumpſit Hoſtienſis *in c. Procurationes eodem titulo*, ut
ibi dixi *n.* 27. *& ſeqq.*

34 Amplia nonò, regulam hujus textus, ut locum ſibi ven-
dicet non tantùm in Delegato à Principe, ſed etiam in De-
legato à quocumque alio inferiori. Quod ſentit Innocen.
hic n. 4. dicens: Nullius Delegati ſententiæ creditur, nec
aliqua executioni mandabitur, niſi oſtendat litteras com-
35 miſſionis. Hæc tamen eſt differentia, quòd delegatio Papæ,
vel Imperatoris aliter probari non poteſt, quàm per ſcriptu-
ram, ut plenè oſtenſum eſt ſupra in prima ampliatione, *n.* 7.
Secus verò in delegatione inferiorum, quia in ea locum
habent jura communia, quæ dicunt eamdem vim habere te-
ſtes, & inſtrumenta, *ut l. In exercendis, C. de fid. inſtrument.*
Ita Speculat. *in titul. de probat. §. ult. n.* 1. *verſ. Sed numquid*
Delegatus, & decidunt Domini de Rota *dec.* 397. *alias* 5. in-
cipien. *Si Epiſcopus, n.* 3. *verſ. De ſecundo dubio de Offic. Vi-*
car. in novis, & apud Bellam. *dec.* 110. incipien. *Præſumitur*,
ſentit gloſſ. 2. *in c. Nobiliſſimus* 97. *diſt.* Millis *in Repertorio*
in ver. Probatio gratiæ Papalis, Bart. Bellencinus *de Chari-*
36 *tat. ſubſid. q.* 111. ubi propterea dicit gratiam Subcollectoris
Apoſtolici, quæ fit à Collectore, & ſic ab inferiore à Prin-
cipe, poſſe probari per teſtes, ſecundùm Dominos de Rota
37 *dec.* 10. *alias* 266. incipien. *Dixerunt, & concluſerunt n.* 4. *de*
offic. Delegat. in novis. In eo tamen caſu, in quo Delegatus
ab inferiore vellet probare ſuam commiſſionem per litte-
ras, non eſſet opus, ut litteræ hujuſmodi eſſent ſcriptæ, vel
ſubſcriptæ manu propria ipſius delegatis; ſed ſufficeret, ut
ejus ſigillo eſſent munitæ, ut notat Angelus *in l. Conſenta-*
neum, n. 7. *C. Quomodo, & quando jud.* Innoc. & Doctores *in*
38 *c. Quoniam contra de probat.* Hippol. Marſill. *in rubrica, C.*
Eodem tit. n. 323. *ver. Et idem Angel.* Appoſitio enim ſigilli
tantum probat, quantum ſubſcriptio manu propria, ut per
Marſill. *ibidem n.* 320. *verſ. His expeditis*.

Amplia decimò, eamdem regulam, ut procedat etiam in 39
arbitro, cui non creditur, ſi de compromiſſo non conſtat, li-
cèt ipſe atteſtetur in laudo factum fuiſſe compromiſſum,
leg. Ne in arbitris cum l. ſeqq. & ibi Doctores, *C. de arbitris,*
Socinus in Auth. *Si quis in aliquo in ult. not. n.* 10. *verſ. Ex*
quo videtur, C. De edendo, & innuit gloſſ. 1. *hic*. Sed hoc in- 40
telligas, niſi laudum eſſet latum partibus præſentibus, &
non contradicentibus aſſertioni arbitri, *cap. Niſi eſſent de*
præben. Felinus *in c. Quoniam contra, n.* 37. *& ſeqq. verſ. Sex-*
ta concluſio de probationibus, Angel. & Joan. de Imola *in l.*
Sciendum circa fin. ff. de verb. obligat. Blanchett. *in tract. de*
Compromiſſ. q. 9. *col. penult.* & facit quod dixi ſuprà *n.* 26.

Amplia undecimò, in Executore, vel Subexecutore, 41
quia, ſi non conſtat de ejus facultate, non poteſt procedere,
& ei impunè non paretur, Rota *deciſ.* 14. *de dot. & contum.*
in novis, quam ſequitur Felinus *hic num.* 3. *verſ. Pro hoc ad-*
de, Federic. de Senis *conſ.* 251. *Caſus talis eſt, per totum*, &
irrita eſt executio facta non oſtenſa delegatione, Romanus
conſ. 336. *num.* 4.

Amplia duodecimò, in quocumque Nuncio, Miſſo, & 42
alio deſtinato ad aliquid, ut ſibi non credatur, niſi doceat
ſe habere poteſtatem ab eo, qui poteſt dare, Feder. de Se-
nis *d. conſ.* 251. *n.* 1. *verſ. Non enim debet*.

Amplia 13. in omnibus judicibus commiſſariis, qui de 43
Provincia ad Provinciam mittuntur; debent enim præſen-
tare litteras ſuæ facultatis Præſidi Provinciæ, antequam
exercere incipiant, aliàs poſſet eis reſiſti, Auth. *de collat.*
§. Eos collat. 14. & notat Bart. & Bald. *in l. Prohibitum, C. De*
jur. fiſci lib. 10. *& in l.* 1. *C. de ſuper indict. eod. lib.* & probatur
clarè *in l.* 1. *C. de mandat. Princip.*

Nunc declara primò regulam hujus textus, ut quamvis 44
Ordinarius non cogatur parere mandato aſſerentis ſe De-
legatum, niſi oſtendat litteras ſuæ delegationis, ut patet in
littera ibi, *Niſi &c.* tamen poteſt, & prudenter agit, ſi exe-
quatur, etiamſi litteras non videat, dummodò probata per-
ſona ſit, quæ hoc dicit, ita formaliter Innoc. *hic n.* 1.

Declara ſecundò eamdem regulam, ut locum non ha- 45
beat in Cardin. cui atteſtanti de commiſſione ſibi facta per
Papam credendum eſt, licèt litteras ſuæ commiſſionis non
oſtendat, *c. Nobiliſſimus*, juncta gloſſ. *in ver. Nihilominus*
97. *diſt.* Sed adverte, quia ille textus non loquitur de ſpe-
ciali commiſſione, ſed de ipſa legatione, & gloſſ. dicit Car-
dinali credendum eſſe ſine litteris, maximè cùm non con-
tingat Cardinalem unquam abeſſe, niſi legationis cauſa.
Itaque creditur Cardinali, ſi aſſerat ſe Legatum. Idem te-
net gloſſa *in c. Cum olim, il primo in ver. Sine reprehenſione*
de privil. & gloſſ. *in c. Ad Apoſtolicæ in ver. Proponi de re*
judicat. lib. 6. Lapus *allegat.* 14. quæ incipit, *Idem eſt dice-*
re, & allegat. 33. incipien. *An Frater Minor*, Rota *dec.*
2. incipien. *Item nota quod Legatus, de offic. Legat. in antiq.*
Hoſtien. Butr. Anchar. Abb. & alii copioſè relati ab Anton.
Gabriel. *commun. concluſ. lib.* 1. *in tit. de probat. concluſ.* 3.
n. 2. *&* 3. & hoc planum.

Sed nihilominùs credendum eſſe Cardinali ſine litteris, 46
etiam quando atteſtatur ſe delegatum in aliqua cauſa, do-
cuit Hoſt. *in Summa in tit. de probat. §. Interdum, verſ. Quid*
de Auditoribus, Abb. *in c. Quod ſuper his, num.* 5. *de fid.*
inſtrumen. & in conſ. 17. incipien. *In cauſa Ottonelli in fin.*
lib. 2. Bald. & Salicet. *in l. Jurisjurandi, C. de teſtibus*, Ro-
man. *conſ.* 59. *Ad diſcutiendum, num.* 6. *in* 4. *dubio*, Alex.
conſ. 92. *Perſpectis, n.* 14. *lib.* 6.

Contrarium tenet Angelus *conſ.* 182. *Mandatum Princi-* 47
pis poſt principium, verſ. In contrarium facit, ubi redarguit
Jo. Andr. quòd alleget jura in contrarium facientia, nec ad
ea reſpondeat, videlicet *ad l. unicam, C. de mandat. Princ. ad*
l. Prohibitum, C. de jure fiſci. lib. 10. *& ad l. Miſſi opinatores,*
ibi, *Cùm delegatoriis, C. de exact. tribut. lib.* 10. & ſubdit An-
gelus ſuper hoc puncto non poſſe ſine dubio pertranſiri, &
Decretiſtas ſic, & indiſcuſsè procedere.

Tenendo primam opinionem, quæ proculdubio eſt 48
magis communi, eam limita in duobus caſibus, ſecun-
dùm Felin. *hic num.* 12. *verſ. Præterquam*. Primus eſt in Le-
gatis venientibus ad Curiam Romanam, quia de ſtylo Cu-
riæ eis non creditur ſine litteris, text. eſt *in d. c. Nobiliſſimus*
97. *diſt.* ibi: Licèt nunquam Apoſtolicę Sedis mos fuerit abſ-
que ſignatis apicibus undecumque legationes ſuſcipere,

& notat Abbas *in dict. cap. Quod ſuper his num. 5. poſt med. verſ. Poſſet tamen dici de fid. inſtrum.* Secundus eſt, ubi le-
49 gatio, ſeu commiſſio eſt alteri præjudicialis. Hanc limitationem poſuit Angelus *in d.conſ. 182. poſt princ. his verbis: Finaliter credo, quod quandoque Legatus quantumcumque de latere, vel quis alius quocumque alio pollens honore, aut dignitatis fulgore, aſſerit ſe habere mandatum Principis, aut Papæ ſuper his, quæ directè concernunt præjudicium alienum, & tunc nullo modo creditur ſine programmate legationis. Sic intelliguntur in contrarium allegata, ſi bene inſpi-*
50 *ciantur. Quandoquidem aſſerit ſe habere mandatum ſuper eo, quod principaliter ordinatur, nec tendit in præjudicium alienum, ſed ad commodum Papæ, vel Principis, & ad commodum aliorum abſque alieno diſpendio, ſicut eſt, ut diſpenſare poſſit ſuper his, de quibus aſſerit ſe ſpecialem commiſſionem habere: & tunc ſine litteris creditur, quia ſatis eſt veriſimile, ut hanc commiſſionem habeat*, Hactenùs verba Angeli, qui ut vides in effectu non diſcrepat ab opinione Canoniſtarum. Et iſtud conſilium Angeli ſequuntur Petrus de Anchar. in Clem 1.*n.*3.*de probat.* Barbat.de Cardin. Legat.*q.*1.*in* 2.*prælud.* & alii quos retuli *in c. De Rectoribus, n. 42. infrà de Clerico ægrot.*

Conclude, Cardinali aſſerenti aliquid de mandato Papæ ſtandum eſſe, quando tria ſimul concurrunt. Primum eſt, ut Cardinalis aſſerat veriſimilia. Secundum eſt, ut Papa, vel Princeps ſit præſens in loco, & ad eum facilè poſſit haberi recurſus. Tertium, ut aſſertio non contineat rem tertio prejudicialem, prout hęc tria ad conciliandas opiniones requirit Rot.*dec.*630.*n.*2.*p.*4.*rec.* & de hac materia vide latiſſimè per Ant.Gabr.*comm.concl.in tit.de prob.concl.*3.*per tot.*

DE OFFICIO DELEGATI.

Gregorius IX. Præcentori, & Magiſtro N. Canon. Ambian.

CAPUT XXXVIII.

SIgnificantibus M. muliere, & J. nato ejus nos noveritis accepiſſe, quòd cùm nobilis mulier Juliana vidua, mentiens ſe pauperem, contra eos ſuper terris, & rebus aliis ad judices noſtras litteras impetraſſet, iidem coram eis excipiendo proponere curaverunt, quòd cùm dictæ litteræ ſuggeſto mendacio impetratæ fuiſſent, cùm prædicta Juliana (quæ nobilis eſt & dives) pauperem ſe dixiſſet eis, coram ipſis (niſi requiſito priùs domino, ſub cujus jnriſdictione ipſi conſiſtunt, & coram quo parati erant eidem exhibere juſtitiæ complementum) non debebant dè jure per tales litteras conveniri; unde dicti judices interloquendo pronuntiarunt, ſe per eaſdem litteras procedere non debere: & infrà. Demum fuit à partibus in quoſdam tamquam in arbitros taliter compromiſſum, quòd ſi infrà terminum in compromiſſo expreſſum, cauſam non deciderent, partes ad eorumdem judicum redirent examen. Verùm arbitris cauſam infra terminum negligentibus terminare, dicti judices juriſdictionem per formam compromiſſi hujuſmodi reſumpſerunt: à quibus iidem ſe ſentientes gravari, quòd ſuper his, ſuper quibus ab eis fuerant abſoluti, litigare compellebant eoſdem; ad noſtram audientiam appellarunt. Ideòque mandamus, quatenùs, ſi eſt ita, revocetis in irritum & cætera.

SUMMARIUM.

1 *DElegatus, qui pronuntiavit ſe juriſdictionem non habere, etiam de conſenſu partium cauſam non reaſſumit.*

2 *Viduarum, & miſerabilium perſonarum cauſæ ſine qualitate paupertatis contra laicos non pertinent ad Eccleſiam principaliter, ſed ſecundario, & n.64.& ſeqq. & n.85.*

3 *Sententia, qua quis pronuntiat ſe incompetentem, eſt interloqutoria.*

4 *Habet tamen vim diffinitivæ.*

5 *Et ab ea appellari poteſt etiam ſecundùm leges:*

6 *Sententia interlcutoria regulariter revocari poteſt ab eodem judice, qui eam tulit, reponendo partem appellantem.*

7 *Sententia, qua quis pronuntiat ſe juriſdictionem non habere, non poteſt contrario imperio revocari.*

8 *Etiamſi judex male pronuntiaverit, eo quod aliàs eſſet competens.*

9 *Fallit primo in judice Ordinario.*

10 *Fallit ſecundo, ſi tali pronuntiatione fuerit appellatum.*

Fallit tertiò, ſi judex pronuntiaverit non ſuper principali, ſed ſuper aliquo incidenti, n. 12.

Fallit quarto in exequutore dato ſuper gratia beneficiali, n. 13.

11 *Appellatio inſpecto futuro eventu ſententiam ſuſpendit, ſed inſpecto ſtatu præſenti eam extinguit.*

14 *Juriſdictio delegati, qui pronuntiavit ſe incompetentem, etiamſi aliàs eſſet competens, ex pacto prorogari non poteſt, & numer. ſeqq. uſque ad numer. 19.*

15 *Juriſdictio extincta non poteſt per partes reſuſcitari.*

16 *Scholaris ſi faciat pactum de litigando coram uno ex judicibus ſuis, tenet pactum.*

17 *Prorogatio juriſdictionis impeditur, ſi partes erant in jure, vel in facto.*

18 *Clauſula, quòd partes redeant ad primos judices, in compromiſſo appoſita, non ſapiat compromiſſum.*

19 *Judicis eſt non tantùm æſtimare, ſed etiam pronuntiare, an ſua ſit juriſdictio.*

20 *Juriſdictio licèt competat ipſo jure, tamen ſi ope exceptionis ſit elidibilis, per pronuntiationem ſuper exceptione ipſo jure extinguitur.*

21 *Miſerabiles perſonæ quæ ſint, & num. ſeqq. uſque ad num. 35.*

22 *Et quæ miſerabilia.*

23 *Miſerabiles qui ſint in genere, & cur ſic appellati.*

24 *Miſericors quis.*

25 *Miſerabilis ut aliquis dicatur, num ſit relinquendum arbitrio judicis.*

26 *Miſerabiles qui ſint in ſpecie, & num. ſeqq. uſque ad num. 35.*

27 *Vidua dicitur non tantùm, cujus maritus eſt mortuus, ſe etiam quæ maritum non habuit.*

28 *Item illa, quæ virum habet inutilem, vel proſcriptum, aut damnatum ad perpetuum carcerem.*

29 *Pupillus, & orphanus in quibus differant.*

30 *Peregrini quoad res, quas ſecum deferunt, & injurias, quas patiuntur, & contractus in ipſa peregrinatione initos, ſunt miſerabiles, & de foro Eccleſiæ, & num. 85.*

31 *Mercatores ſi in teloniis, vel pedagiis graventur, quando ſunt in itinere, poſſunt conqueri coram judice Eccleſiaſtico, & n. ſeqq.*

33 *Idem ſi exiſtant in nundinis.*

34 *Moniales an veniant appellatione miſerabilium perſonarum, remiſſive.*

35 *Vidua, pupillus, & orphani, & conſimiles, an ſint miſerabiles perſonæ ſi divites ſint, & num. ſeqq. uſque ad num. 58.*

36 *Vi-*

36 *Vidua, & pupillus non gaudent privilegio* l. unicæ, C. Quand. Imper. inter pupill. & vid. *niſi ſint pauperes, & num. ſeqq.*
Contrarium, n. 42.
37 *Statutum ut de relictis miſerabilibus perſonis non ſolvatur gabella, non comprehendit divites.*
38 *Conſtitutio regni, quæ providet pupillis, viduis, & aliis de advocato, non includit tales, niſi etiam ſint pauperes.*
39 *Cæcus non numeratur inter perſonas miſerabiles, niſi ſit pauper; ſed contra, n. 50.*
40 *Pecuniæ obediunt omnia.*
Declaratur, n. 57.
41 *Viduarum, pupillorum, & orphanorum cauſas audit Eccleſia, negligente judice ſæculari, etiamſi divites ſint.*
42 L. unica, Cod. Quando Imperator, & pupill. & vid. *comprehendit tales etiam divites ſecundùm magis communem, & veriorem opinionem, quam ſervat ſignatura.*
43 *Delegatio cauſæ inter laicos ad petitionem miſerabilis perſonæ non pauperis non eſt nulla ab initio, ſed pendet validitas ex negligentia judicis ſæcularis.*
44 *Regina vidua eſt miſerabilis perſona, & ratione ſpolii, de quo conqueritur, eſt principaliter de foro Eccleſiæ.*
45 L. unica, C. Quando Imperator inter pupill. & vid. *expenditur.*
46 *Alimenta ſunt privilegiata, etiamſi diviti relinquantur.*
47 *Dos dicitur cauſa pia, ſive detur pauperi, ſive diviti.*
48 *Miſerabiles perſonæ quoad protectionem, & defenſionem Eccleſiæ pari paſſu ambulant cum pauperibus, & num. 53.*
49 *Dictio*, alius, *importat diverſitatem in ſubſtantia, & identitatem in qualitate.*
50 *Cæcitatis calamitas quanta ſit, & n. 52.*
Cæcitas corporis, & cæcitas mentis quid ſint, n. 50.
51 *Miſeriam quilibet naturaliter fugit, & appetit felicitatem.*
52 *Cæci, & ſenio confecti, licèt divites, ſunt pauperibus miſerabiliores.*
54 *Miſerabiles perſonæ qualiter dicantur, quæ res proprias adminiſtrare non poſſunt, & n. ſeqq.*
55 *Clerici poſſunt patrocinari pro miſerabilibus perſonis etiam divitibùs, quæ advocatum non reperiunt.*
58 *Miſerabiles perſonæ an & quando ſint de foro Eccleſiæ, & num. ſeqq. uſque in fin.*
59 *Quid ſi ſint pauperes, & n. 86.*
Et quid ſi ſint divites, n. 64. & 85.
60 *Cauſæ viduarum, aliarumque miſerabilium perſonarum, ſi ſint pauperes, principaliter, & immediatè ad Eccleſiam pertinent, & n. 86.*
61 *Etiam extra caſum oppreſſionis, & negligentiæ judicum ſæcularium.*
62 *Delegationis litteræ contra laicos ad petitionem viduæ pauperis ſunt validæ ab initio.*
63 *Miſerabiles perſonæ pauperes, ſi magnas hæreditates, vel caſtra petant, non poſſunt directè agere coram judice Eccleſiaſtico.*
64 *Cauſæ viduarum, pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum, quæ pauperes non ſunt, principaliter ad Eccleſiam non ſpectant, & num. 85. ſed ſecundariò, num. 67. & 85.*
65 *Niſi quoad protectionem, & defenſionem, & n. 77.*
66 *Miſerabiles perſonæ utcumque divites, ſi opprimantur, vel ſpolientur, poſſunt conqueri Eccleſiæ etiam aliis judicibus Ordinariis prætermiſſis, & n. 86.*
69 *Papa vacante Imperio vices Imperatoris gerit.*
70 *Judex ſæcularis quando dicatur negligens ad effectum, ut judex Eccleſiaſticus procedere valeat in cauſis miſerabilium perſonarum non pauperum.*
71 *Et quid ſi ſit ſuſpectus de malitia.*
72 *Laici non miſerabiles nunquam poſſunt in ſuis cauſis temporalibus contra laicos directè, & principaliter ad Eccleſiam recurrere, & n. 84.*
Niſi quando in Provincia nullus extat judex ſæcularis, vel ſi extat recuſatur, aut negligit juſtitiam adminiſtrare, numer. 74.
Idem ſi judex non extet in civitate, n. 75.
73 *Cauſas miſerabilium non pauperum audit Eccleſia in defectum judicis ſæcularis, nec rejicit illos ad proximum ſuperiorem.*
75 *Civitas quælibet hodie habet ſua regimina.*
76 *Miſerabiles perſonæ non pauperes, ſi in judicio, vel extra graventur injuſtè, poſſunt ad Eccleſiam recurrere non per viam appellationis, ſed per viam ſimplicis querelæ.*
77 *Miſerabiles perſonæ favorabiliùs ſunt exaudiendæ, quàm aliæ non miſerabiles.*
78 *Et in earum cauſis potiori gaudent prærogativa, quàm Clerici.*
79 *Et reſcriptum contra eas impetratum non valet, niſi de illarum miſeria mentionem faciat.*
80 *Indulta miſerationis cauſa non tolluntur per generales obſtantias.*
81 *Nec poteſt illis expreſsè renuntiari.*
82 *Legatum miſerabilibus perſonis dicitur ad pias cauſas.*
83 *Nec de illo detrahitur Falcidia.*
84 *Laici non miſerabiles regulariter nec habitu, nec actu ſunt de foro Eccleſiæ.*
85 *Miſerabiles perſonæ aliquando ſunt de foro Eccleſiæ habitu tantùm; aliquando vero habitu, & actu, & num. ſeqq.*

S*Ignificantibus*. Delegatus qui pronuntiavit ſe juriſdi- 1
ctionem non habere, etiam de conſenſu partium cau-
ſam non reaſſumit. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In
prima appellans narrat factum. In ſecunda Papa dat ei judi-
ces, ibi, *Ideòque*.

Nota primò ibi, *Mentiens ſe pauperem*, cauſam vi- 2
duæ, ſeu alterius miſerabilis perſonæ ſine qualitate pau-
pertatis contra laicum non pertinere ad Eccleſiam imme-
diatè, & principaliter, ſed ſecundariò tantùm, negli-
gente ſcilicet judice ſæculari, ut hìc per Imol. *n.* 1. Prima
pars apertè probatur hìc; quia hæc vidua immediatè adivit
Papam contra laicos, & ſub expreſſione paupertatis ab eo
litteras delegationis impetravit. Secunda pars itidem pro-
batur: quia cùm eſſet dives, validitas litterarum pendebat
à negligentia judicis ſæcularis, ut patet ex littera ibi, *Niſi
requiſito prius domino;* & conſequenter illius cauſa pertine-
bat ad Eccleſiam ſecundariò, & in defectum ſæcularis ju-
ſtitiæ, ut latiùs dicam infrà *n.* 43. 62. & 85.

Secundò nota ibi, *Interloquendo*, ſententiam qua quis 3
pronuntiat ſe incompetentem, eſſe interlocutoriam, pro-
ut hìc notant Bald. *num.* 3. Butr. *num.* 8. Cardin. *in* 2. *notab.*
Imol. *num.* 9. & Abb. *num.* 3. & meritò, quia non diffinit ne-
gotium principale, ideòque dici non debet diffinitiva. 4
Habet tamen vim diffinitivæ, quia non expectat aliam
ſententiam poſt ſe, ſed prorſus extinguit juriſdictionem
pronuntiantis, ut hìc patet, & notat Abb. & alii præci-
tati, Angel. *conſ.* 200. *In Civitate Lucana, nu.* 5. *verſ. Ad ſe-
cundùm*, & Roman. *plenè conſ.* 358. *In præſenti per totum.*
Unde fit, ut quamvis de jure civili ab interlocutoria ap- 5
pellari non poſſit, ut *l. Apertiſſimi, C. de judic. l. Ante ſen-
tentiæ tempus, C. Quorum appellat. non recip. & cap. Super
eo, il ſecondo infrà de appellat.* tamen à ſententia, qua quis
ſe incompetentem pronuntiat, appellari poteſt, etiam ſe-
cundùm leges, ut ſentit gloſſ. *fin. in Auth. Habita, C. Ne
filius pro patre*, & notant *in d. c. Super eo*, Abb. *num.* 3. *verſ.
Et qui ſint iſti caſus*, Franc. *in* 2. *notab. verſ. Et communis
concluſio*, & Præpoſ. *num.* 7. *verſ. Et eſt alia regul.* Bald.
hinc eod. num. 3. Hinc etiam fit, ut quamvis interlocutoria 6
regulariter revocari poſſit per ipſummet judicem, qui
eam tulit, reponendo partem appellantem, *ut l. Quod juſ-
ſit, ff. de judic. cap. Cùm ceſſante*, ubi gloſſ. *unica*, &
Doctores notant infrà de appellat. Bald. *conſ.* 65. *Præmitten-
dum eſt in fin. lib.* 4. Cardin. *conſ.* 32. *verſ. Ad ſecundum*, ple-
nè Jaſ. *in d. l. Quod juſſit à num.* 23. *verſ. Breviter conclude.*
Tamen ſecus, ſi ſit interlocutoria lata ſuper incompetentia; 7
quia cùm habeat vim diffinitivæ, & judicis officium to-
taliter extinguat, non poteſt contrario imperio revoca-
ri, ut hìc eſt caſus, qui non reperitur alibi ſecundùm
Cardin. *in* 4. *notat.* Et eſt communis concluſio, quam hìc
firmant Butr. *num.* 11. Imol. *num.* 4. Abb. *num.* 3. Felin. *num.* 1.

Paul. de Caſtr. *conſ.* 281. *In cauſa iſta*, *num. verſ. Nam imo dicitur lib.* 1. Angel. & Roman. *locis citatis*, & ad textum *in cap. Dilectus*, *il terzo de præben.* ubi apertè videtur probari contrarium, reſponde, ut hìc per Imol. *nu.* 5.

8 Ampliatur hæc concluſio, ut locum habeat, etiam ſi judex, qui pronuntiavit ſe incompetentem, malè pronuntiaverit, eo quòd aliàs eſſet competens, ut hìc eſt caſus ſecundum Collectarium *in princip.* & Cardin. *nu.* 4. nam iſti judices, qui pronuntiant ſe incompetentes, juriſdictionem habebant; quia etſi reſcriptum delegationis cauſæ eſſet ſubreptitium, quia vidua illud impetravit ſuggeſto mendacio paupertatis; tamen per hujuſmodi reſcriptum ad lites fuit illis collata juriſdictio, licèt elidibilis ope exceptionis, ut *cap. Super litteris cum materia ſuprà de reſcipt.* & ſcripſi plenè *in cap. Ad audientiam*, *il primo*, *num.* 32. *&* 38. *eodem tit.* & tamen, quia ſic pronuntiando juriſdictionem à ſe abdicarunt, non potuerunt illam reaſſumere, ut apertè hìc deciditur.

9 Limita primò eamdem concluſionem, ut procedat in judice Delegato, prout loquitur hec Decretalis, non autem in judice ordinario. Et ita eam limitant Bald. *in l. Præſes in* 1. *oppoſ. C. Quom. & quand. judex*, *& in l. penult. C. de pactis*, & Paul. de Caſtr. *in d. l. Quod juſſit*, *& in l. Pater in fin. ff. Si quis jus dicen. non obtemper.* Ratio limitationis eſt, quia in judice Delegato, qui ſe incompetentem pronuntiat, non remanent aliquæ reliquiæ juriſdictionis, ſuper qua fundari poſſit revocatio interlocutoriæ. At ſecus eſt in Ordinario, quia ſibi firma remanet ſua ordinaria juriſdictio. Et quamvis contrarium teneant Roman. *ſingular.* 121. incipien. *Si judex*, & Marian. Socin. *in c. Qualiter*, *il primo de accuſat.* eò quòd neque in Ordinario remaneat aliqua juriſdictio in illa cauſa, in qua pronuntiat ſe juriſdictionem non habere: magis tamen placet prima opinio, quam etiam dicit veriorem Felin. *hìc num.* 1. *verſ. Limita primò*.

10 Limita ſecundo prædictam concluſionem, ut locum non
habeat, ſi ab hujuſmodi interlocutoria appellatum fuerit;
11 tunc enim poterit delegatus illam revocare. Ratio eſt, quia ſententia hujuſmodi, quamvis inſpecto futuro eventu per appellationem ſit tantùm ſuſpenſa, *cap. Venientes de jurejur.* Oldrad. *conſ.* 255. *Contra proviſionem in princ. num.* 2. *verſ. Sed in caſu noſtro*: tamen inſpecto ſtatu præſenti dicitur extincta, adeòut perindè ſit non fuiſſet lata, text. eſt *in l.* 1. §. *fin.* ibi: Provocationis remedio condemnationis extinguitur pronuntiatio, *ff. Ad Turpilian.* & declarat Bartol. *in ſua quæſt.* 9. incip. *Judex per imperitiam in princ.* & fuſiùs Alexan. *conſ.* 36. *Viſo themate n.* 5. *&* 6. *lib.* 4. Caſtill. *conſ.* 34. *num.* 2. Roman. *conſ.* 41. *nu.* 4. Sed ſi ſententia ſuper incompetentia non fuiſſet lata, judicis poteſtas remanſit integra, ut eſt clarum. Ergo eodem modo remanſit poſt interpoſitam appellationem; & ſic poteſt Delegatus ſuam interlocutoriam revocare, juxta regulam *cap. Cùm ceſſante de appellat.* Ita Domini de Rota *deciſ.* 74. incipien. *Si Auditor*, *aliàs* 9. *& deciſ.* 86. incipien. *Si à pronunciatione*, *aliàs* 12. *appellat.* in novis, ubi decidunt, ut ſi judex pronuntiaverit ſuper deſertione appellationis, & ab hujuſmodi pronuntiatione fuerit appellatum, poſſit judex ſuam interlocutoriam revocare, & appellantem reponere in primis terminis, juxta textum *in dict. cap. Cùm ceſſante*, *& cap. Si à judice*, *de appellat. lib.* 6. & ita ſingulariter limitant hoc cap. Et quamvis Paulus de Caſtro in præallegat. *conſ.* 281. *nu.* 2. *verſ. Nec obſtat quædam deciſio Rotæ lib.* 1. dicat deciſionem Rotæ loqui, quando ſuper deſertione fuit pronuntiatum incidenter, ſecus ſi principaliter; & ulterius miretur de deciſione illa, dicens nullum ex ſcribentibus in jure civili, vel canonico facere talem diſtinctionem, an fuerit appellatum, an non, nec jure probari: tamen non videtur recedendum à limitatione Rotæ, quia ratio ſuperius ponderata multùm ſtringit, & deciſionem illam ſequuntur Butr. & Abbas *in c. Pervenit*, *il ſecondo de appellat.* Imol. & Abb. *in d. c. Cum ceſſante*, Felin. *hìc n.* 2. & idem Abb. *in c. Cum dilectus*, *l. ult. de præben.* ubi de hoc eſt textus valde ſingularis, ſecundum unam lecturam.

12 Limita tertiò concluſionem ut ſupra firmatam, ut procedat, quando judex pronuntiat ſe incompetentem ſuper principali negotio ſibi commiſſo; ſecus ſi ſuper aliquo incidenti, ſeu dependenti a negotio principali. Ratio eſt, quia talis interlocutoria cum non extinguat funditùs officium judicis, non habet vim diffinitivæ, & ideò poteſt contrario imperio revocari, juxta regulam *d. l. Quod juſſit*, & per Gemin. *in c. fin. in* 8. *col. de elect. lib.* 6. quam limitationem ponit Salicet. *in l. Poſt ſententiam, C. de ſent.* dicens ſe ita intelligere text. *in d. c. Dilectus*, & conſentit Paul. de Caſtro *in d. l. Quod juſſit*, & Felin. *hìc n.* 2. *in* 3. *limit.*

Limita quartò prædictam concluſionem, ut vendicet 13
ſibi locum in judice, qui fuit datus in cauſa principaliter, non autem in eo, qui fuit datus acceſſoriè, ut eſt executor in cauſa beneficiali; nam ſi talis pronuntiet ſe non eſſe executorem, non propterea abdicat à ſe juriſdictionem, quin poſſit revocare, quia cùm adhuc perduret principalis gratia, ſuper qua fuit deputatus executor, non potuit ſua pronuntiatione jus partis auferre; non enim iniqua pronuntiatio executoris nocet impetranti, ut notat gloſ. *magna in fin. in c. Si ſoli*, *de conceſſ. præb. lib.* 6. Et ita limitat hoc cap. Felin. *hìc n.* 3. poſt Paul. de Leazar. & Gemin. *in c. Si ſuper gratia*, *de offic. deleg. eod. lib.*

Tertiò nota ibi, *An eorumdem judicium rediret examen*, 14
partes non poſſe ex pacto prorogare juriſdictionem judicis Delegati, qui pronuntiavit ſe eſſe incompetentem, etiamſi aliàs eſſet competens. Prima ratio eſt, quia prorogatio fieri non poteſt in eum, qui funditùs juriſdictionem non habet, *l. Privatorum*, *C. de juriſdict. omn. jud. & c. Significaſti cum materia infrà de foro compet.* ſecundùm Innocent. *hìc n.* 5. *in ver. Reſumpſerunt*, Hoſtien. *n.* 12. Joan. Andr. *n.* 8. & Imol. *n.* 7. Talis autem eſt Delegatus, qui pronuntiat
ſe juriſdictionem non habere; abdicat enim à ſe juriſdi- 15
ctionem, etiamſi malè pronuntiaverit, ut hìc eſt caſus ſecundùm Collector. *in princ.* Nam, un inquit Bald. *n.* 3. talis interlocutoria funditùs eradicat juriſdictionem, itaut non remaneant aliquæ litteræ, quæ poſſint prorogari, vel demum ad juriſdictionem ſic eliſam redire: nam juriſdictio
extincta non poteſt per partes reſuſcitari, ſecundùm Imol. 16
n. 8. Non obſtat textus *in l. Si quis in conſcribendo*, *Cod. de pact.* quia ſecundum eos illa lex procedit, quando quis habet plures judices ordinarios, ut Scholares Bononiæ, qui habent judices Epiſcopum, Poteſtatem, & Magiſtrum ſuum: nam ſi Scholaris faciat pactum de litigando ſub uno ex illis, tenet pactum: ſecus ſi ex pacto velit prorogare juriſdictionem in eum, cujus juriſdictioni non ſubeſt; quia nihilominùs non cogitur invitus coram eo litigare, *ut in l. Si convenerit*, *ff. de juriſdict. omn. judic.* Et ita contigit in caſu hujus cap. quia partes conſenſerint in judices delegatos, qui juriſdictionem à ſe prorſus abdicaverant. Secunda
ratio eſt, quia etſi prædicti judices aliàs eſſent Ordinarii, 17
tamen partes non intendebant illorum juriſdictionem ordinariam prorogare, ſed priori commiſſioni innitebantur, quaſi ex debito, cum tamen non tenerentur; tum quia delegatio fuerat ſubreptitiè impetrata ſuggeſto mendacio paupertati; tum quia judices pronuntiarunt ſe juriſdictionem non habere: atque ita partes errabant in jure, vel in facto, quorum utrumque prorogationem impedit, *l.* 1. *in*
princ. ff. De juriſd. omnium judic. Non obſtat, quòd per viam 18
compromiſſi partes conſentire poſſint etiam in eum, qui non præeſt juriſdictioni, *l. Prædius*, *& l. Sed et ſi in ſervum*, §. 1. *ff. de arbitr. cum ſimil.* Bart. *in tract. de arbitr. in princip.* Quoniam reſpondetur in caſu hujus cap. partes non compromiſiſſe tamquam in arbitris, ſed fecerunt pactum de redeundo ad illos judices, ſicut erat de jure, & ſic per viam prorogationis, quod fieri non potuit, ut ex dictis patet, & declarat Innoc. *hìc in fin.* Et ex hoc infert Bald. *n.* 5. ut clauſula, quòd partes redeant ad primos judices, appoſita in compromiſso, non ſapiat compromiſſum; quia litigatores non intendebant compromittere id judices, ſed redire ad juriſdictionem ipſorum: quod eſt benè notandum ſecundùm eum, ſequitur Imol. *n.* 14.

Quartò nota ibi, *Pronuntiarunt*, Judicis eſse non tantum 19
æſtimare, an ſua ſit juriſdictio, ut dicit text. *in l. Si quis ex alieno*, *ff. de judic.* ſed etiam pronuntiare, ut hìc patet evidenter ſecundùm Hoſt. *n.* 11. Joan. Andr. *n.* 7. *in ver. Pronuntiarunt*, & Imol. *n.* 6.

Quintò nota ibi, *Reſumpſerunt*, quòd ubi juriſdictio 20
ipſo jure competit, ſed eſt exceptione elidibilis, prout contingit in reſcriptis contentioſis ad lites ratione ſubreptionis, *cap. Super litteris ſuprà de reſcript.* per pronuntiationem ſuper exceptione funditùs, & ſic ipſo jure extinguitur juriſdictio; quod ſatis probatur hìc ſecundùm Anton. de Butr. *num.* 12. & Imol. *num.* 4. quia, ſi poſt pronuntiatio-

tiationem remanſiſſent iſtis judicibus aliquæ reliquiæ juriſdictionis, licèt eliſæ, potuiſſet ex pacto eorum juriſdictio prorogari, cujus contrarium hìc deciditur.

Venio ad apparatum, & pro explicatione materiæ tria ſunt inveſtiganda. Primum, quæ ſint perſonæ miſerabiles. Secundum, an tales dici poſſint, quamvis divitiis abundent. Tertium, an & in quibus caſibus hujuſmodi perſonæ ſubſint juriſdictioni Eccleſiæ,

21 Primò igitur QUÆRO, quæ ſint perſonæ miſerabiles. Proponitur hæc quæſtio generaliter, & circumſcripto effectu, de quo agetur in tertia quæſtione.

22 Et quidem authore Ariſtotele 2. *Rhetor in tit. de miſericordia text.* 11. *Quæ ægritudinem, & dolorem afferunt, & ad interitum perducunt, omnia miſerabilia ſunt, & quæcumque perdendi, & deſtruendi vim habent, & quæ mala à fortuna proveniunt, magnaque ſunt; quæ vero dolorem afferunt, & interitum, ſunt mortes, verbera, corporum vexationes, ſenectus, morbi, & cibi penuria, quæ à fortuna proveniunt mala; hæc fere ſunt, amicis penitus ſpoliari, aut cum paucis relinqui; quo fit ut miſerabile ſit ab amicis, & familiaribus divelli; deformitas, imbecillitas corporis, membri alicujus privatio. Atque hæc quidem, & cætera hujuſmodi ſunt, quæ homines ad miſericordiam moveant.* Hæc Ariſtot.

Sed jure noſtro miſerabiles perſonæ in genere dicuntur omnes, quibus natura movemur ad miſerendum propter fortunæ injuriam. Sic probat textus in *l. unic.* §. *Quod ſi pupilli, C. Quando Imper. inter pupill. & vid.* & diffinit Azor. in *Summ. illius tit. nu.* 4. & ſequuntur Hoſt. hic *n.* 1. Joan. Andr. *nu.* 2. Bellamer. *in princ.* Alber. in *diction. in ver. Miſerabiles*, Stephan. Aufrer. ad Guidopap. *deciſ.* 566. *in ver. Miſerabiles*, Rebuff. in *tract. de ſent. proviſ. art.* 3. *in gl. fin.* Af-
23 flict. *deciſ.* 257. *in princ.* Et dicuntur miſerabiles, quia propter miſeriam, in qua ſunt conſtituti, ſunt miſericordia digni, ut *cap. Licèt infrà de cenſib. c. Omnis* 7. *qu.* 1. *& in Auth. ut immob. ante nupt. donat. in princip.* & ibi gl. 1. *collat.*
24 5. Dicitur enim miſericos, quaſi ſuper miſeria alterius miſerum habens cor, ut inquit D. Th. *Joan.* 2. *lect.* 1. *in princ.* Eſt autem miſeria non quicumque defectus, ſed tantùm defectus naturæ rationalis, quia opponitur felicitati; ut idem docet in 1. *part. quæſt.* 21. *art.* 4. *& in* 2. 2. *quæſt.* 30. *art.* 1. Alibi dicuntur perſonæ miſerabiles, quæ cauſas proprias adminiſtrare non poſſunt, ut *cap.* 1. *in fin. infrà de poſtulan.* Card. hìc in 1. *q.* Sed de hoc latiùs infrà in 2. *q. n.* 54. *& ſeqq.*

25 In ſpecie autem, quæ perſonæ ſint miſerabiles, Bart. & Bald. in *l. unic. in fin. C. Quando Imper.* concludunt eſſe relinquendum arbitrio judicis; ſed hoc dictum limitant Doctores, ut non procedat in illis caſibus, in quibus in jure expreſſum eſt, ut aliqua perſona ſit miſerabilis, ita Marian. Socin. in *c. Ex tenore n.* 4. *de foro compet.* Covarr. *practicar. qu. c.* 6. *nu.* 3. *in fin.* & Menoch. *de arbitr. judic. in addit. ad lib.* 2. *caſ.* 66. *n.* 1. & meritò, quia in his, quæ ſunt à jure determinata, judicis arbitrium non intrat, *cap. Cauſis*, §. *Illis ſuprà eod. c. fin. de tranſact. lib.* 1. §. *Ait prætor, ff. de jur. deliber. cum concordant.* de quibus per Hoſtien. in *d. c. De cauſis nu.* 9.

26 In Jure autem cautum eſt, ut dicantur perſonæ miſerabiles infraſcriptæ, ſecundùm Innocentium hìc *n.* 1. cui cæteri adſtipulantur, videlicet viduæ, pupilli, & orphani, ut in *dict. leg. unic. Cod. Quando Imper. c.* 1. *&* 2. 87. *diſtinct. c. Super quibuſdam*, §. *Cum autem infrà ..... de verbor. ſignific.* Et dicitur vidua non tantùm, cujus maritus mortuus eſt,
27 ut *c. Vidua*, & ibi gloſ. 1. & Archid. 34. *diſt.* ſed etiam, quæ maritum non habuit, *l. Malum*, §. *Viduam, ff. de verb. ſignif.* ubi text. & notat gloſ. *unic. in dict. c.* 1. Bart. in *dict. leg. unic. n.* 4. & Guidopap. *deciſ.* 566. *nu.* 2. licèt gloſ. 2. in *dict. leg. unic.* videatur intelligere illum textum ſtrictè pro mulieribus, quæ virum habere deſierunt. Generaliter in materia ſtricta teneri poteſt opinio gloſſæ, ſed in materia larga, & favorabili vidua dicitur, licèt impropriè, etiam quæ virum non habuit, ſecundùm Felin. hìc *nu.* 8. qua de
28 re latiſſimè differit Covarr. *pract. quæſt. c.* 7. *n.* 2. Sed & illa, quæ habet maritum inutilem, vel ad perpetuum carcerem damnatum, aut proſcriptum, dicitur vidua, & miſerabilis perſona, ſecundùm Bald. in *l. fin. per gl. ibi in fin. de plagiar.* & Felin. hìc *nu.* 8. Pupillus autem dicitur qui ſimul im-
29 pubes eſt, & extra poteſtatem patris, vel morte, vel emancipatione, *l. Pupillus, ff. de verbor. ſignific.* & orphanus, qui infra quartumdecimum annum exiſtens, parentibus orbatus eſt, ut per Rebuff. in *commentar. ad Conſtitutiones Regias Galliar. to.* 1. *in tit. de ſent. proviſional. in gl. ult. col.* 2. *verſ. Secundò orphani*, & Menoch. *de arbitrar. in addit. ad lib.* 2. *caſ.* 66. *n.* 7. Covarr. Quam differentiam inter pupillum, & orphanum conſtituunt Paulus de Caſtro in *rubr. Cod. Quando Imper.* & Rolan. à Valle *conſ.* 76. *Pluribus ex cauſis n.* 42. *lib.* 1. Similiter ſecundùm Innocentium *d. nu.* 1. 30
miſerabiles perſonæ, & de foro Eccleſiæ ſunt peregrini
quoad res, quas ſecum ferunt, & injurias, quas patiun- 31
tur, & contractus in ipſa peregrinatione initos, *c. Si quis*
Romipetas, *& c. ſeqq.* 24. *q.* 3. Et idem intelligit de Merca- 32
toribus ſi in teloneis, vel pedagiis graventur, per jura præallegata. Unde ſi graventur paſſagiis injuſtè, poſſunt immediatè conqueri coram judice Eccleſiaſtico, quando ſunt in itinere, quia dicuntur miſerabiles, cùm ſuſtineant in itinere multos labores, & pericula, ut per Alex. *conſ.* 130. *Super eo in fin. lib.* 7. & hìc per Bald. *n.* 8. & Felin. *n.* 6. qui ad hoc
allegat Anchar. & Jo. de Anan. in *c. fin. de Judæis*, ubi di- 33
cunt negotiatores exiſtentes in nundinis poſſe agere coram Eccleſiaſtico. De Romipetis vide Bullam Cœnæ, §. 10..... Idemque intelligit de manumiſſis ab Eccleſia, vel eis commendatis, aut ad eam confugientibus, *c. Eos qui, & c. ſeqq.* 87. *diſt. l. fin. C. de his, qui ad Eccl. confug. c. Inter alia infrà de immunit. Eccleſ.* Idemque de pœnitentibus, *cap. Aliud* 11. *qu.* 1. de quibus latè Covarr. *pract. quæſt. c.* 34. *à n.* 3. Idem de officialibus Eccleſiæ, libertis, ruſticis, uxoribus, filiis, & ſervientibus, ut *l. Aſſumptio, ff. ad municipal. leg. Cum quædam puella, ff. de juriſdict. omn. jud. l.* 1. *&* 2. *Cod. de Epiſcop. & Cler. c. Indicatum* 79. *diſt.* & de his vide quod ſcripſi in *c.* 2. *infrà de foro compet.* Idem de ſenibus, *c.* 1. 87. *diſt.* de quibus egi latiſſimè in *c. Cùm ſis infrà de converſ. conjugat.* Idem de omnibus libertis, *c. Liberti* 87. *diſt.* Rurſus idem intelligit Innoc. de cæcis, mutilatis membris, leproſis, captivis, debilibus, furioſis, ac diuturno morbo fatigatis, *c. Licèt infrà de cenſibus*, *c. Cum percuſſio* 7. *q.* 1. *c.* 2. *infrà de Eccleſ. ædifican. cap.* 1. *de reſtit. ſpoliat. leg. Judices, Cod. de Epiſcopal. audient. & d. leg. unic. Cod. Quando Imper.* & inter captivos recenſentur etiam carcerati, qui inter perſonas miſerabiles numerantur, ut notat Bart. in *tract. de carc. in fin.* Marſil. in *pract. crimin.* §. *Nunc videndum nu.* 11. Ac demùm idem de Cruce ſignatis, *cap. Ad liberandam infrà de Judæis*. Suprаſcriptæ omnes perſonæ dicuntur miſerabiles ſecundùm Innocentium, cui conſentiunt hìc Hoſtien. *num.* 5. *& ſeqq.* Joann. Andr. & Bellam. ambo *num.* 4. Butr. *num.* 22. Cardin. *nu.* 3. *in* 6. *queſt.* Imol. *nu.* 10. Abb. *num.* 6. *verſ. Quoad ſecundam ſpeciem*, & Jo. de Anan. *num.* 5. *verſ. Quæ autem dicuntur*, & Henric. Boich. in *cap. Ex tenore circa fin. de for. compet.* Quibus adde Judæos noviter ad fidem converſos; nam & hi dicuntur miſerabiles perſonæ ſecundùm Innoc. in *c. Judæi*, *il ſecondo infrà de Judæis*, quem hìc ſequuntur Cardin. in 6. *quæſt. in fin.* Joann. de Anan. *nu.* 5. *ad fin.* & Felin. *num.* 8. *in fin. verſ. Item nota quod Judæa noviter baptizata.* Item his adde expoſitos, ut in *cap. ult.* 87. *diſt.* ſecundùm Card. hìc *in* 6. *q. circa finem*. Perſonæ tamen ſupra numeratæ ponuntur per modum exempli, quod regulam non reſtringit: nam & aliæ poſſunt eſſe miſerabiles, ſi in eis qualitas concurrat, quæ moveat ad habendam de ipſis miſericordiam, ut per eumdem Cardinalem in 12. *qu. poſt princip.*
34 An autem Moniales veniant appellatione miſerabilium perſonarum, itaut frui poſſint beneficio *leg. un. Cod. Quand. Imper.* vide Covarr. *pract. qu. cap.* 7. *num.* 3. & de Eccleſia, Civitate agricolis, ſcholaribus, & meretricibus, conſule Menochium *d. caſ.* 66. *à n.* 25. *uſque ad n.* 33.

35 Secundò QUÆRO, an vidua, pupillus, cæcus, & alii, de quibus in præcedenti quæſtione, ſint miſerabiles perſonæ, ſi divites ſint.

Viduam non eſſe perſonam miſerabilem, ſi ſit locuples, tenet Speculat. in *tit. de advoc.* §. 1. *n.* 7. Hoſtien. *hìc n.* 1. *verſ. Non tamen omnis vidua*, Joann. Andr. *nu.* 2. *in ver. Et dives*, Bellam. in *princip. in eodem ver.* Cardin. in 1. *not. & in* 1. *qu.* Alexan. in *l.* 1. *col.* 5. *verſ. Nec obſtat, ff. ſolut. matrim.* Decius in *l.* 1. *nu.* 8. *ff. de juriſdict. omn. jud. & in cap. Cæterùm n.* 72. *de judic.* Idemque de viduis, pupillis, & orphanis notant idem Specul. in *tit. de inſtrum. edit.* §. *Nunc verò aliqua, verſ. Et ſcias num.* 62. Hoſt. in *c.* 1. *nu.* 3. *in fin.* & ibi etiam Joann. Andr. *num.* 7. *&* 8. *infrà de poſtul.* ubi aſſerunt non om-

omnes viduas, & pupillos, & orphanos, & conſimiles
debere miſerabiles reputari, quia multi divites ſunt, &
potentes; & in talibus magis eſt conſideranda oppreſſio-
36 nis potentia, quam vocalis nominatio perſonarum. Et
inde fit, ut tales non gaudeant beneficio *l.unic. C. Quand.*
Imper. inter pupill. & vid. niſi concurrat paupertas, ut fir-
mant Specul. *loco proxime cit.* Paul. de Caſtr. in *rubr. Cod.*
eod. Alexand. *conſ.* 121. *Viſo proceſſu num.* 14. *lib.* 1. ubi ait
pupillos, & orphanos tunc enumerari inter perſonas mi-
ſerabiles, & frui beneficio *d.leg.un.* quando ſunt pauperes,
aliàs ſecus: & de jud. idem dixit in *conſ.*126. *In hac hæſita-*
*tione nu.*9. *lib.*4. & eum ſequitur Jaſ. in *l.Titiæ textores col.*
5. *in princip. ff. de legat.* 1. & Addent. ad Guidopap. *deciſ.*
566. Idem tradit Maranta in *Spec. diſp.* 9. *nu.* 195. Cornel.
37 Benincaſ. in *tract.de privil.pauper.qu.*4.*nu.*12. & Tiraqu. in
*leg. Si unquam in ver. Facultatum nu.*1. *circa fin. Cod. de re-*
38 *vocan. donat.* Inde etiam fit, ut in ſtatuto diſponente, ut
de relictis miſerabilibus perſonis non ſolvatur gabella, non
comprehendantur tales, ſi divites ſint, ut ex Baldo dedu-
cit Alexan. *d.conſ.*126. *nu.*9. Sed & conſtitutio Regni, quæ
provídet pupillis, viduis, & aliis ibi nominatis de advo-
cato, locum non habet niſi in viduis, & pupillis pauperi-
bus. Quòd ſi divitiis abundarent, non teneretur pro eis
advocatus pauperum advocare; quia non dicerentur mi-
ſerabiles perſonæ, ut tradit Afflict. in *conſtitut. Regn. con-*
39 *ſtitut. lege præſenti col.*2. Similiter cæcum non pauperem in-
ter perſonas miſerabiles non adnumerari, & idcircò non
eſſe à collectis immunem, tenet Card. hìc in *6. qu. in fin.*
& in c. Licet infra de cenſ. & Petr. Antibol. in *tract. de mu-*
ner. in 3. *part. princ. nu.* 28. *inter tractatus communes to.* 11.
*fol.*60.

Ad hanc partem inducitur primò hoc cap. ubi patet lit-
teras à vidua impetratas eſſe nullas; quia expreſſit ſe pau-
perem, cùm tamen eſſet nobilis, & dives. Propterea
enim judices ſe juriſdictionem non habere pronunciarunt,
& benè, ſecundùm Hoſt. *nu.* 8. *in ver. Pronunciaverunt.*
Ergo pro vidua divite Pontifex non reſcribit, nec illi dat
judices; & conſequenter talis non dicitur miſerabilis per-
ſona.

Secundò inducitur *d. rubr. Cod. Quand. Imper. inter pupill.*
& vid. vel miſerabiles, &c. ponderando particulam, *Vel*,
quæ ponitur inter diverſa, *l. Hac ver. ff. de verb. ſignific.* &
ſic abſolutè pupilli, & viduæ inter perſonas miſerabiles
non numerantur: & ita rubricam inducit Alex. in *præall.*
conſ. 121. *num.*14. *lib.* 1.

Tertiò inducitur textus in *cap.*1. *infrà de poſtul.* ubi mi-
ſerabiles perſonæ dicuntur, quæ proprias cauſas admini-
ſtrare non poſſunt; ſubaudi quoad ſumptus, ſecundùm
Card. hìc in 1. *quæſt.* Tales autem dici non poſſunt viduæ,
pupilli, & orphani, qui opibus abundant, ut per ſe patet.
40 Quartò, ut formaliter arguunt hìc Hoſt. *nu.* 1. *verſ. Non*
tamen omnis vidua, & Joan. Andr. *num.*2. *in ver. Et dives*,
mulier, de qua hìc, erat dives: ergo non miſerabilis, licèt
vidua; quia is dicitur miſerabilis, ſuper quem natura mo-
vetur ad miſerendum, ut diutino morbo gravata, fatiga-
ta, & debilis, *d. leg. un. Cod. Quand. Imper.* vel pauper,
oppreſſa, vel deſolata, *c. Defenſionis* 87. *diſt.* ſed iſta erat
nobilis, & dives, & per conſequens potens, quia pecuniæ
obediunt omnia, *Eccl.* 10. igitur non miſerabilis. Con-
trarium tenet Azo in *ſumma, Cod. Quand. Imper. inter pu-*
*pill. & vid. nu.*4. ubi ait, miſerabiles dici ſenes decrepitos,
& diuturno morbo fatigatos, & debiles, & omnes, qui-
bus natura movetur ad miſerendum propter fortunæ inju-
riam, etiamſi divites ſint: & eum ſequuntur Rebuff. in
*præalleg. tit. de ſent. proviſional. art.*3. in gloſ. *fin.* & Stephan.
Aufrer. ad Guidopap. *deciſ.*566. *in ver. Miſerabiles.* Et in
ſpecie de vidua, pupillo, & orphano hoc firmat Inn. hìc,
nam *n.* 1. eos connumerat inter perſonas miſerabiles, &
41 *verſ. Pupillorum autem*, ſic ait: *Pupillorum autem, & or-*
phanorum cauſas audiet Eccleſia, non negligente judice ſæ-
culari eis facere juſtitiam, etiam ſi ſint divites, ſicut de vi-
duis diximus: & conſentit Card. *nu.*2. *in* 1. *oppoſit.* ubi dicit
viduam, quamvis divitem, tamen videri miſerabilem re-
ſpectu judicii; quia non poteſt adminiſtrare proprias cau-
ſas, ſed per alium cogitur eſſe in judicio, nec habet ſpecia-
lem defenſorem, ſcilicet maritum. Idem voluit Inn. in *c.*
Ex parte nu. 1. *in fin. de foro compet.* ubi ait, defenſionem
viduarum ex ſpeciali gratia, & in odium ſpoliatorum eſſe
Eccleſiæ reſervatam, etiamſi viduæ ſint divites. Et eodem
modo privilegium *d. leg. un. Cod. Quand. Imper. inter pupill.* 42
& vid. conceſſum miſerabilibus perſonis, competere vi-
duis, pupillis, orphanis, & conſimilibus, etiamſi divitiis
affluant, firmant Azo *ubi ſuprà*, Alber. in *d. leg. un. col.*2.
*verſ. Sed numquid ſi tales, & in tract. ſtatut. quæſt.*112. in-
cipien. *Quid ergo ſi prædicta part.* 1. Iſern. in *conſtitutione*
Statuimus, Afflict. *deciſ.*257. Nevizan. in *Sylva nupt. fol.*25.
*col.*3. Roland. à Valle *conſ.* 76. *Pluribus ex cauſis nu.* 44. *lib.*
1. plenè Natta *conſ.*590. *Circa præſentem nu.*8. Covarr. *pract.*
qu. cap. 6. *nu.*2. Theſaur. *deciſ.*177. *nu.* 7. Vincent. de Fran-
ch. *deciſ.*100. *nu.* 19. Viv. *dec.*459. *nu.*12. *& dec.*521. *à nu.*7.
Menoch. *de arbitr. in addit. ad librum ſecundum caſu* 66. *nu.*
9. *&* 18. Et hanc ſententiam uti magis communem, & ju-
ri, æquitatique conſentaneam, quotidiè amplectitur, &
ſervat Signatura, ut noviſſimè teſtatur Marcheſ. *de com-*
miſſ. part. 4. *in tit. de commiſſ. avocat. cauſ. ar.* §.2. *num.*31.
Quam etiam probavit Rota in Romana Caſalis Trifuſæ 15.
Februarii 1593. coram Litta, inter impreſſas apud eum-
dem Marcheſ. *d. part.* 2. *pag.* 369. & ſervatur etiam in Se-
natu Pedemontano, in Concilio Neapolitano, in Sena-
tu Patavino, in Senatu Cathaloniæ, & in Regia audientia
Barenſi, ut noviſſimè refert Novar. in *tract. de elect. &*
varietat. fori q. 30. ubi latè.

Pro qua allegatur primò hæc Decretalis: nam litteræ 43
delegationis, quas hæc vidua nobilis, & dives impetravit
ſub falſa expreſſione paupertatis, non fuerunt ipſo jure
nullæ ab initio, ut ſupponitur in primo argumento con-
trario; ſed manſerunt in ſuſpenſo, earumque validitas
pendebat ex negligentia judicis ſæcularis, qua ſuſpenſio-
ne manente judices delegati benè potuerunt pronunciare ſe
incompetentes. Ergo hæc vidua, quamvis locuples, erat
perſona miſerabilis, & de foro Eccleſiæ; alioquin litteræ
ab initio non manſiſſent in ſuſpenſo, ſed fuiſſent nullæ ipſo
jure, cùm pro laico non miſerabili Pontifex non reſcribat,
nec illi det judices. Unde Butr. hìc *num.* 3. *Nota*, inquit,
quod Delegatio cauſæ inter laicos ad petitionem miſerabilis
perſonæ non pauperis non eſt nulla, ſed pendet validitas ex
negligentia Ordinarii. Idem tenet Imol. *num.* 22. & Abbas
num. 6. & idem Abbas in *cap. Licèt ex ſuſcepto num.* 7. *verſ.*
Si verò alias miſerabiles infra de foro compet. & eſt commu-
nis opinio, ut bis teſtatur Butr. hìc *nu.*18. *verſ. Communis*
opinio.

Secundò, pro hac parte allegatur *c. Ex parte de foro com-* 44
pet. ubi vidua dives, imò & Regina, ratione ſpolii, de quo
conqueritur, eſt principaliter de foro Eccleſiæ, & coram
Eccleſiaſtico judice experitur, ut ibi etiam notat Innocen.
n. 1. *in fin.* & communiter ſcribentes, & conſequenter eſt
miſerabilis perſona, quia laicus non miſerabilis etiam in
cauſa ſpolii non eſt directè, & principaliter de foro Eccle-
ſiæ, ut plenè dicam infra *n.*72. *&* 84.

Tertiò, pro hac opinione inducitur textus in *d.l.un.Cod.* 45
Quand. Imper. inter pupill. & vid. nam dicitur ibi: *Si pupil-*
li, vel viduæ, aliique fortunæ injuria miſerabiles judicium no-
ſtræ Serenitatis oraverint, cogantur adverſarii examini no-
ſtro ſui copiam facere. Ponderandum eſt namque Impera-
torem ibi appellare pupillos, & viduas miſerabiles; quia
pupillus amiſit patrem, ſeu patria poteſtate exivit intra
quartum decimum annum, & vidua amiſit virum: & hæc
eſt fortunæ injuria, quia ex hoc conſequitur, ut neuter ſi-
bi poſſit in propriis cauſis opem ferre, pupillus propter æta-
tem, vidua propter ſexus imbecillitatem: hoc enim eſt
miſeratione dignum, uxores, & filios, maritorum, &
parentum ſubſidio orbatos conſpicere. Quod procedit,
etiamſi non ſubſit timor oppreſſionis, ut probatur in *d.l.un.*
ibi, *Præſertim cum alicujus potentiam perhorreſcunt:* nam
implicativa illa, *præſertim*, oſtendit idem eſſe in caſu con-
trario, ut etiamſi divites ſint, & nullius potentiam formi-
dent; tamen ratione pupillaris ætatis, & viduitatis poſſint
adverſarios ſuos ad Curiam trahere: & ita illum text. indu-
cit Natta *d. conſ.* 590. *n.* 3.

Quartò, divina Scriptura, Canones, & Leges de pu-
pillis, & viduis loquuntur generaliter, & indiſtinctè, nec
conſiderant niſi viduitatem ipſam, & pupillarem ætatem.
Ergo non eſt conſtituenda differentia, an pauperes ſint,
an divites, *cap. Si Romanorum* 19. *diſt.* Quod ſuadetur
exemplo alimentorum, quæ ſunt privilegia, etiamſi relin-
quantur diviti; quia attenditur, quid ſint ipſa alimen-
ta,

ta, etiamſi relinquantur diviti; quia attenditur quid ſint ipſa alimenta, non cui relinquantur, ut eſt textus in *leg.*
47 *Cum hi*, §. *Nihil*, *ff. de tranſact.* Similiter dos dicitur cauſa pia, ut *leg. Cum his*, §. *Si mulier*, *ff. de condict. indeb.* & tamen non fit differentia, an detur pauperi, vel diviti, ut per Nattam *ubi ſupra num. 5. & 6. & in addit. ad Alex. conſ. 121. in ver. Decidit lib. 1.* Sic igitur in propoſito non paupertas, vel divitiæ, ſed conditio ipſa pupillaris ætatis, & viduitatis inſpicitur, quia tales ſolent communiter opprimi, *c. Regum* 23. *q. 5. & c. 1. & 2. 87. diſt.* Quinimò magis commiſerandum eſt viduis, & pupillis, cum divites ſunt, quia tunc majores patiuntur inſidias, ut conſiderat Menoch. *de arbitr. in addit. ad lib. 2. caſ. 66. n. 8.*

48 Quintò, pro hac parte allegatur Conc. Trident. in *c. 1. in princip. ſeſſ. 23.* ubi dicitur, præcepto Divino mandatum eſſe omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere. Ergo quoad protectionem, & defenſionem Eccleſiæ, miſerabiles perſonæ cenſentur etiam non pauperes; & pari paſſu ambulant cum pauperibus: nam illa dictio,
49 *Aliarum*, importat diverſitatem in ſubſtantia, & identitatem in qualitate, *l. Quidam relegatus*, *ff. de rer. dub.* & notat Bald. in *l. Filiæ dotem in 1. oppoſit. C. de collat.* Card. in *Clem. Ut his in 2. q. de ſtat. & qualit. & conſ. 126. Vacarunt n. 8.*

50 Sextò, ad idem allegatur textus in *cap. Licèt infrà de cenſibus*, ubi patet cæcum eſſe perſonam miſerabilem, ponderando litteram, ibi, *Inhumanum eſt nimis*, necnon ibi, *Miſereris*, & tenent ibi gloſſa, Hoſt. & Doctores frequentiori calculo; & tamen ille cæcus non erat pauper; ut ibi latiſſimè probavi in *1. qu. à num. 9. uſque ad num. 15.* Et confirmatur reſpectu cæci ex formulis loquendi, quibus utuntur jura divina, & humana, dum calamitatem cæcitatis exaggerant; alibi enim cæcitas dicitur oppreſſio, ut in *l. 1. Cod. qui morb. ſe excuſ. lib. 10.* & totius corporis humani debilitas, in *d. l. 1.* & ibi Lucas de Penna *num. 4.* alibi gravamen, & miſeria, ut in *d. cap. Licèt de cenſib.* alibi flagellum, ut in principio Epiſtolæ B. Gregorii, ex qua deſumptus eſt textus in *cap. 1. infrà de reſtit. ſpoliat.* tentatio & plaga Tobiæ *cap. 2.* qui etiam ajebat, *cap. 5. Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* nam ut dicitur *Eccleſ. 11. Dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem.* Alibi etiam tenebræ, & umbra mortis, ut in cantico Zachariæ. Sumitur enim ſimilitudo illa à cæcitate oculorum, ut ſicut in tenebris ſedent, & umbra mortis corporalis, qui cæci ſunt corpore; ita ſedeant in tenebris, & umbra mortis ſpiritualis, qui cæci ſunt mente, ut *cap. penult. 40. diſt.* nam ut inquit Divus Thomas in 2. 2. *qu. 15. art. 1. Sicut cæcitas corporalis eſt privatio ejus, quod eſt principium corporalis viſionis; ita etiam cæcitas mentis eſt privatio ejus, quod eſt principium mentalis, ſive intellectualis viſionis.*

51 Septimò, idem ſuadetur ratione naturali: nam ille dicitur miſerabilior, cui propter majorem fortunæ injuriam natura magis movemur ad miſerendum, ut in *d. leg. unic. §. Quod ſi pupilli*, *Quando Imper. inter pupill. & vid.* major autem fortunæ injuria, & miſeria eſt, quam natura vehementiùs refugit: naturaliter enim, & ex neceſſitate quilibet homo appetit felicitatem, & abhorret miſeriam, arg. *cap. Si evangelica, verſ. Nec quicquam ei prodeſt 55. diſt.* & docet Sanctus Thomas in *1. part. qu. 94. art. 1.* & ſæpè ali-
52 bi. Hoc poſito: ſi quiſpiam magnus dives interrogaretur, an mallet eſſe cœcus, an pauper, ſi eſſet neceſſitas alterutrum eligendi; utique reſponderet ſe malle pauperem eſſe, quàm cæcum; & ita ſine trepidatione reſponderunt multi, quos curioſè hac de re ſum percontatus. Quemadmodum etiam plures requiſiti, an juventutem, & paupertatem ſuam permutarent cum decrepitate, & opibus alicujus magni divitis; ex tempore dederunt reſponſum, ſe proculdubiò malle juvenes, & pauperes eſſe, quàm Papam ſenio confectum. Si igitur cæcitatem, & ſenium magis refugit natura, quàm paupertatem, utique miſera-
53 biliores ſunt cæci, & decrepiti, quàm pauperes. Ad extremum, inter miſerabiles perſonas jura connumerant pupillos, viduas, orphanos, & conſimiles, ac præter hos etiam pauperes, ut in *cap. Defenſionis 78. diſt.* & in præalleg. decr. Concilii Trident. *cap. 1. in princip. ſeſſ. 23.* ibi, Pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum. Quod etiam facit Ariſtotoles 2. Rhetor. in *tit. de miſericord. text. 11.* ibi, *Mortes, verbera, corporum vexationes, ſenectus, morbi, & cibi penuria.* Ergo neceſſe eſt dari perſonas miſerabiles, quæ pauperes non ſint; alioquin ſola paupertas efficeret quem miſerabilem; & nulla eſſet differentia inter pupillos, & adultos, inter viduas, & conjugatas, inter decrepitos, & juvenes; quandoquidem omnes indiſtinctè eſſent miſerabiles, ſi inopia laborarent, & nullus indiſtinctè miſerabilis eſſet, ſi opibus abundaret, & tam ſolemnis legum, & canonum diſtinctio unico verbo deſtrueretur, contra text. in *cap. Eccleſia veſtra, il ſecondo de elect.* Conclude veritatem. Cæcus, vidua, pupillus, orphani, & alii, de quibus in præcedenti quæſtione, ſunt miſerabiles perſonæ, ſeu pauperes ſint, ſeu divites. Differunt tamen reſpectu effectus; quia ſi pauperes ſint, principaliter, & directè ſunt de foro Eccleſiæ tàm quoad habitum, quàm quoad actum: ſi verò ſint divites, ſunt de foro Eccleſiæ ſecundariò, & habitu tantùm, non actu, niſi in caſibus, ut in quæſtione ſeq. fuſiùs explicabitur.

Non obſtat hoc c. imò probat oppoſitum, quia litteræ delegationis non fuerunt nullæ ab initio, prout fuiſſent, ſi hæc vidua dives non eſſet perſona miſerabilis, ut fuſiùs dictum eſt ſupra in primo fundamento pro hac ſententia *n. 43.*

Non obſtat fundamentum Alexandri, quòd Imperator habuerit viduam, & pupillum pro perſona miſerabili in *rubr. Cod. Quand. Imper.* ponderando dictionem alternativam, *Vel.* Quoniam reſpondetur, alternativam illam non fuiſſe adjectam ſimpliciter, ſed cum illa dictione, *Aliàs*, quam omiſit Alex. & ponitur inter diverſa in ſubſtantia, & ſimilia in qualitate, ut dixi ſuprà *num. 49.* & advertit Natta *d. conſ. 590. n. 12.*

Non obſtat, quòd miſerabiles ſint, qui res proprias 54
adminiſtrare non poſſunt, juxta textum in *cap. 1. de poſtulan.* & hoc intelligi debeat quoad ſumptus ſecundùm Cardin. Quoniam reſpondetur hoc poſſe admitti in terminis *dict. cap. 1.* quia in patrocinando pro miſerabilibus perſonis magis ſpectatur paupertas, & oppreſſio, quàm miſerabilitas, ut ibi notant Hoſtien. *num. 13. in fin.* & Joann. Andr. 55
nu. 8. & propterea comprehenduntur ibi miſerabiles etiam divites, ſi non reperiant advocatos, ſecundùm Abb. *ibid. num. 2.* Et eodem modo reſpondetur ad deciſionem Affli- 56
cti, de qua ſupra *num. 38.* nam Conſtitutio Regni loquitur de Advocato, qui non tenetur pro miſerabilibus perſonis patrocinari, niſi quando ſunt pauperes. Sed hujuſmodi deciſiones extendi, non debent generaliter ad alios caſus, in quibus magis perſonæ miſerabilitas, quàm inopia conſideratur: & propterea idemmet Cardin. hìc in *12. qu.* concludit eſſe perſonas miſerabiles; quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, ſive propter ætatem, ut pupillus, ſive propter ſexum, ut vidua; æquiparantur enim orphano: ſive propter inopiam, ſive propter ſimilem cauſam, quæ moveat ad habendam de ipſis miſericordiam.

Demùm non obſtat illatio, Vidua dives: ergo non 57
miſerabilis, quia pecuniæ obediunt omnia: quoniam hæc illatio procederet, ſi ratio miſerabilitatis conſtitueretur in ſola paupertate. At non eſt ita, quia conſtituitur in injuriæ fortunæ, quam divitiarum copia propulſare non poteſt. Neque enim pecunia cæcis lumen, orphanis parentes, aut juventam ſenibus unquam reſtituit, ut palam eſt: & authoritas Hoſtien. & Specul. aſſerentium tales non eſſe miſerabiles, ſi ſint divites, intelligi debet quoad effectum, ut ſint principaliter de foro Eccleſiæ, non autem quoad protectionem, & defenſionem, ut in quæſtione ſequenti clariùs apparebit.

Tertio QUÆRO, an & quando miſerabiles perſonæ 58
ſint de foro Eccleſiæ.

Pro clariori ſolutione duo caſus ſunt diſtinguendi. Primus eſt, quando perſonæ miſerabiles ſunt pauperes. Secundus, quando ſunt divites.

In primo caſu gloſſ. 1. hìc, & Hoſtien. *num. 4. verſ. Et ſi* 59
pauper eſſet, tenent, viduas, pupillos, & orphanos etiam pauperes principaliter non eſſe de foro Eccleſiæ, ſed ſub judicio Regis, vel ſui Ordinarii, *c. Regum 23. qu. 5. & c. Ab Imperatoribus q. 3.* ideòque ſequi debere forum rei juxta regulam *c. Cùm ſit generale infrà de foro compet.*

Sed communis opinio eſt in contrarium, videlicet cau- 60
ſas viduarum, & miſerabilium perſonarum, ſi ſint pauperes, principaliter, & immediatè ad Eccleſiam pertinere. Quod tenet in ſpecie Innoc. *num. 1.* dicens: Sed ſi viduæ eſſent

eſſent pauperes, ſicuti cæteri pauperes, etiam non negligentibus dominis, vel judicibus ſuis, non tantùm de oppreſſione eorum, ſed etiam de aliis juribus poſſent conqueri Eccleſiæ, *c. Si quis de potentibus* 24. *qu.* 3. *c. Super quibuſdam de verb. ſignif.* & ſequuntur totidem verbis idem Hoſtien. *num.* 5. *verſ. Quid ergo ſi pauperes*, Joann. Andr. *num.* 4. Collectar. *num.* 1. Bellam. *eod. num. verſ. Sed quid ſi ſint pauperes*, Butr. *num.* 18. *verſ. Secundus caſus*, Cardin. in 5. *q.* Imol. in 1. *notab.* & *num.* 16. Abbas in 1. *not.* & *num.* 6. & idem Abbas in *c. Licet ex ſuſcepto num.* 7. *infrà de for. compet.* & *in c.* 1. §. 1. *in* 1. *notab. ne Cler. vel Monach.* Bart. in Extravag. *Ad reprimendum in ver. Denunciationem num.* 9. Paul. de Caſtro *conſ.* 350. *Quæritur an laicus, verſ. Quartus caſus lib.* 1. Natta *conſ.* 590. *Circa præſentem n.* 8.

62 Probatur hæc opinio à contrario ſenſu in hac decretali; nam hìc litteræ delegationis ideò initio fuerunt in ſuſpenſo, quouſque pateret, an judex Ordinarius recuſaret, aut negligeret juſtitiam adminiſtrare, necne; quia iſta vidua erat dives, & falsò expreſſit ſe pauperem eſſe. Ergo ſi verè fuiſſet pauper, litteræ ipſo jure fuiſſent validæ ab initio, & ſic vidua potuiſſet trahere adverſarios coram Delegatis Apoſtolicis, ſecundum communem opinionem; de qua teſtatur hìc Anton. de Butr. *nu.* 18. *verſ. Communis opinio*.

63 Adverte tamen, quia etſi perſonæ miſerabiles, habito reſpectu ad ea, quæ poſſident, ſint pauperes; tamen ſi magna hæreditates, vel caſtra petant, non poterunt directè, & principaliter agere coram judice Eccleſiaſtico; quia ceſſat cauſa, ob quam toleratum eſt, ut Eccleſiaſticus cognoſcat non deficiente ſæculari, quia ſcilicet de modica re agitur: ita expreſsè Innoc. hìc *num.* 4. id eſt, cùm petunt exigua, ſubeſt ratio miſerabilitatis; non ſic cùm petunt magna, ſecundum Cardin. in 8. *quæſt.* Et hoc modo ad concordiam reduci poſſunt opiniones Innocentii, & Hoſtien. qui tamen in hac materia remittit ad ea,
64 quæ notantur in *cap. Cùm ſit generale de foro compet.* In ſecundo caſu, ideſt cum miſerabiles perſonæ ſunt divites, firmandæ ſunt duæ concluſiones. Prima concluſio eſt: Cauſæ viduarum, pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum, quæ pauperes non ſunt, principaliter ad Eccleſiam non pertinent. Ideòque ſi tales conveniantur ſub judice ſæculari, vel Ordinario, tenentur coram ipſo reſpondere, nec unquam poſſunt excipere, quòd ſint de foro Eccleſiæ. Hæc concluſio eſt gloſſæ primæ hìc, Innocent. *n.* 2. Collect. *n.* 1. Butr. *n.* 17. *in fin.* Imol. & Abb. *loc. cit.* Cardin. *n.* 3. in 2. *qu.* Nattæ *dict. conſ.* 590. *n.* 8. & probatur ſecundum omnes in *c. Ex tenore de foro compet.* & in hac decretali inducendo eam, ut dixi ſuprà in 1. *not.* & *n.* 43. & 62.

65 Fallit hæc concluſio quoad protectionem, & defenſio-
66 nem, *cap.* 1. & 2. 87. *diſt.* Unde ſi miſerabiles perſonæ utcumque divites à quoquam opprimantur, vel bonis ſuis per violentiam ſpolientur, poſſunt principaliter conqueri Eccleſiæ, etiam aliis judicibus ordinariis prætermiſſis, textus eſt in *cap. Super quibuſdam in fin. infrà de verb. ſignificat.* & *in cap. Ex parte*, & ibi Innoc. *num.* 1. & communiter Doctores *de foro compet.* ubi vidua dives, imò & Regina in cauſa ſpolii, de quo conqueritur, eſt principaliter de foro Eccleſiæ. Et tenet idem Innoc. hìc *n.* 1. *verſ. Imò de expoliatione*, cum quo Cardin. *qu.* 5. Imol. *n.* 19. Abb. *n.* 6. & alii tranſeunt, Henric. Boich. in *c. Ex tenore in princip. de foro compet.* Abb. in *c. Cæterum n.* 16. *de judic.* Natta *dict. conſ.* 590. *num.* 8. & innuit gloſſ. 1. hìc, dum dicit textum in *dict. cap. Ex parte*, loqui in poſſeſſorio, (ſcilicet recuperandæ) in quo caſu miſerabiles perſonæ poſſunt implorare judicium Eccleſiæ. Ad idem text. in *c.* 1. *infrà de reſtitut. ſpoliat.* ubi cæcus, cui bona per violentiam fuerant occupata, conqueſtus fuit, & obtinuit judices; licèt non fuerit redintegratus, quia renunciaverat poſſeſſorio, ut ibi omnes notant; & loquitur ille textus de cœco non paupere, ut fusè probavi in *c. Licèt in prima quæſtione infrà de cenſibus*.

67 Secunda concluſio eſt: Cauſæ viduarum, pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum, quæ non ſunt pauperes, pertinent ad Eccleſiam ſecundariò. Hæc concluſio ſimiliter eſt gloſſ. 1. Innoc. & aliorum, de quibus in prima concluſione, & probatur hìc à contrario, ut dixi ſuprà in 1. *notab.* & *in c. Adminiſtratores* 23. *q.* 5.

68 Hinc infertur primò, ut ſi proprius judex non faciat miſerabilibus perſonis juſtitiæ complementum, judex Eccleſiaſticus facere debeat, *cap. Ex tenore de foro compet.* & arg. *cap.* 1. & 2. 87. *diſt.* & *cap. Epiſcopus* 88. *diſt.* & hìc tenet gloſs. & Innoc. *num.* 1. *in princip.* & *verſ.* (Pupillorum, & orphanorum cauſas, ſicut & viduarum audiet Eccleſia, negligente judice ſæculari eis facere juſtitiam, etiam ſi divites ſint) & ſequuntur Imol. in 1. *notab.* Abb. in 2. *notab.* & alii communiter. Quod regulare eſt etiam de jure civili; nam in defectum judicis, ſive quia non habetur, ſive quia recuſatur, ſive quia juſtitiam facere negligit, ſive quia notoriè ſubditum lædit, nedum Papæ, ſed etiam Epiſcopi eſt judicare, & in melius reformare, ut in *Auth. Ut differ. judic. reſponſ.* 1. §. 1. & §. *Si tamen contigerit*, & §. *In Civitatibus col.* 9. Sed & vacante Imperio Papa in caſibus vi- 69
ces Imperatoris gerit, ut *c. Licet de foro compet.* ſecundùm Hoſtien. *num.* 9. *in fin.* & *num.* 10. & Joann. Andr. *num.* 6. & 7.
Ad hoc autem, ut judex Eccleſiaſticus in cauſis miſerabi- 70
lium perſonarum non pauperum procedere valeat, requiritur, ut proprius judex expreſsè dicat ſe juſtitiam eis non rediturum, vel aliis hoc ſit notorium; alioquin ſi ſuus judex inciperet eis juſtitiam adminiſtrare, non eſset judicis Eccleſiaſtici dicere: Da breviores terminos, vel ſententiam pro eis, arg. *cap. Statuimus infrà eodem lib.* 6. ut formaliter inquiunt Innocen. hìc *num.* 1. *verſ. Etſi ſuus judex*, Hoſtien. *num.* 5. Joann. Andr. *num.* 3. Vel dic, proprii judicis negligentiam probari ſecundum Bald. *nu.* 7. quando requiſitus non exhibet juſtitiam, cùm debeat, & poſſit, eò quòd ſibi liqueat de cauſa, vel litigator vult litigare, & ipſe non vult audire, vel non reſpondet ad interrogata, ut in *c.* 1. *de mil. vaſſall. qui contum. eſt col.* 10. & *in l. Si pro meis*,
§. *fin. ff. de arbitr.* Quòd ſi judex laicus ſit ſuſpectus de mali- 71
tia, poterit ei præfigi terminus ab Eccleſiaſtico, infrà quem cauſam cognoſcat, & terminet, vel ſaltem incipiat procedere, arg. *c. Cauſam*, & *c. Lator infrà qui fil. ſint legitimi*, & *cap. Irrefragabili*, §. *Exceſſus de Offic. Ordinar.* ſecundùm opinionem, quam ultimo loco recitat Innoc. *loc. cit.* & expreſsè approbat Hoſtien. *n.* 5. *verſ. Quid ſi ſit ſuſpectus*, Joan. Andr. *n.* 3. & Cardin. in 4. *qu.*

Sed objicies: Quid eſt ſpeciale in miſerabilibus perſo- 72
nis, cùm etiam omnibus Eccleſia debeat juſtitiam adminiſtrare, ſi judices ſæculares ſint negligentes? *c. Licèt infrà de foro competen.* & in *Auth. Ut differ. judic.* §. *Si tamen contigerit col.* 9. Reſpondeo, inter perſonas miſerabiles, & alios laicos non miſerabiles, quod ſpectat ad rem præſentem, præcipuè duas eſse differentias. Prima eſt, quia querelas miſerabilium perſonarum quandoque audit Eccleſia etiam non requiſitis dominis, vel judicibus ſæcularibus, puta in caſu violentiæ, ſpolii, oppreſſionis, & conſimilibus, ut dixi ſuprà *num.* 66. vel quando miſerabiles ſunt pauperes, ut ſimilter oſtenſum eſt ſuprà *num.* 60. quod non contingit in aliis ſæcularibus non miſerabilibus, qui nunquam in ſuis cauſis temporalibus contra laicos poſſunt directè, & principaliter ad Eccleſiam recurrere, *cap. Quo jure* 8. *diſt.* & *cap. Cauſam quæ, il ſecondo infrà, qui*
fil. ſint legitimi. Secunda differentia eſt, quia Eccleſia 73
ſemper audit querelas perſonarum miſerabilum, quandò judex ſæcularis tenuit, aut negligit juſtitiam facere, nec dicitur eis: ite ad alium proximum ſuperiorem: & ita intelligitur *cap. Ex tenore de foro compet.* & 87. *diſt. per to-*
tam: & hoc ideò, ne diu laborent pro juſtitia obtinenda: 74
ſed in aliis ſæcularibus non miſerabilibus ſe non intromittit Eccleſia, niſi quando aliquem ſuperiorem non habent, ad quem poſſint ſuas querelas deponere, ut in *d. cap. Licet*, id eſt, cùm in Provincia nullus extat judex ſæcularis, vel ſi extat, recuſatur, aut negligit juſtitiam adminiſtrare: nam tunc demum poteſt quilibet laicus contra alium quemlibet recurrere ad judicem Eccleſiaſticum, ut habe-
tur in *d. Auth. Ut differ. judic.* §. *Si tamen contigerit*. Et 75
cum hodiè quælibet civitas habeat ſua regimina, ſicut olim quælibet Provincia, ut notat gloſs. in *l. fin. in ver. Id eſt in una Provincia*, *Cod. de præſcript. long. tempor.* propterea quod olim ſtatutum fuerat in una Provincia, hodiè locum habet in qualibet civitate, ut ſcilicet ſi in civitate non adſit judex ſæcularis, vel ſi adſit recuſetur, aut negligat juſtitiam facere, tunc cuilibet liceat recurrere ad judicium Eccleſiæ, ut ſingulariter tenet Abb. hìc *num.* 5. Itaque in primo caſu ſtatim ſe ingerit Eccleſia, renuente, aut negligente judice laico; ſed in ſecundo nonniſi in defectum aliorum omnium ſuperiorum, & in ſubſidium: ita in

effe-

effectu prædictæ objectioni reſpondet Inn. hic *nu.* 3. Hoſtien. *nu.* 8. *verſ. Hoc tamen eſt ſpeciale*, Bald. *eod. num. verſ. Dicit Innoc. quod ubi eſt quæſtio*, Cardin. in 7. *qu.* Imol. *num.* 17. & Abb. *num.* 5. idem firmat Calder. *conſ.* 95. *alias* 1. *de treg. & pac. num.* 5. *verſ. Quia tamen prædicta*. Alias duas differentias inter miſerabiles, & alios non miſerabiles, ponit Imol. *ad n.* 17.

76 Infertur ſecundò, ut ſi perſonæ miſerabiles non pauperes in judicio, vel extra graventur injuſtè, poſſint ad Eccleſiam recurrere, non quidem per viam appellationis, ut quidam putarunt; quoniam appellatio gradatim interponi debet, videlicet à ſæculari judice ad primum ſuperiorem, ut *cap. Anteriorum* 2. *quæſt.* 6. ſed per viam ſimplicis querelæ, ut *cap. Libertos*, §. *Libertis* 87. *diſt.* ſecundùm Innocen. hìc *num.* 2. Hoſtien. *num.* 8. Joann. Andr. *num.* 4. *verſ. Supradictæ perſonæ*, & Bald. *num.* 8. *verſ. Nam iſtæ perſonæ*.

77 Infertur tertiò, ut miſerabiles perſonæ favorabiliùs ſint exaudiendæ, quàm aliæ non miſerabiles, ſecundùm Hoſtien. *num.* 9. Joann. Andr. *num.* 5. & Cardin. in 10. *qu.* nam ut legitur in Ezech. *cap.* 22. *Viduis, & pupillis non nocebitis; & ſi eos læſeritis, vociferabunt ad me, & audiam clamorem eorum, indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores veſtræ viduæ, & filii orphani*. Hæc ibi. Ideòque Gervaſius Pontifex in *cap. Licèt* 87. *diſtinct. Plus tamen*, inquit, *viduarum, & orphanorum cauſas duximus exequendas, quas tueri à nobis, vel ab omnibus di-*
78 *vina manifeſtat aſſertio*. Quod uſque adeò verum eſt, ut tales in eorum cauſis potiori gaudeant prærogotiva, quàm Clerici; quod eſt notatu dignum: nam viduæ, pupilli, orphani, & conſimiles, etiamſi abſint à curia, & divitiis affluant, poſſunt alios ad curiam trahere, vigore *leg. unicæ. Cod. Quando Imper. inter pupill. & vid.* & adverſarii coguntur ibi reſpondere, nec unquam Signatura remittit cauſas ad partes, ut patet ex dictis ſupra *num.* 42. At Clerici etiamſi in curia ſint præſentes, tamen non poſſunt ibi quemquam convenire, ſed tenentur ſequi forum rei, ut *cap. Si Clericus laicum infrà de foro compet.* cùm Beneficium Eugenianæ Conſtitutionis locum non habeat in Clerico actore, ut ſcripſi plenè in *cap. fin. num.* 47. *eod. tit.*

79 Illud etiam eſt ſpeciale in his miſerabilibus perſonis: nam reſcriptum contra eas impetratum, niſi de miſeria ipſarum mentionem faciat, non valet, ut hic tenet Innocen. *num.* 5. Hoſt. *num.* 9. Jo. Andr. *num.* 5. & Felin. *nu.* 6. *verſ. Item nota quod ſi quis*, Archid. in *cap.* 1. *in princip.* 87. *diſt.*

80 Et indulta miſerationis cauſa non tolluntur per generales non obſtantias, ut ſingulariter notat Cynus in *d. leg. unica*, quem refert, & ſequitur Bald. in *l.* 1. *ff. Si quis in jus vocat. non ier.* Roman. *conſ.* 269. *Non eſt dubium num.* 3. & Felin. in
81 *cap. Nonnulli num.* 19. *verſ. Prima concluſio de reſcript.* Imò nec poteſt illis expreſsè renunciari, ſecundùm Felin. in *cap. Si diligenti nu.* 3. *concluſ.* 4. *infrà de foro compet.* Roman. *loc. cit.* Afflict. in *Conſtit. Regni*, incipien. *Statuimus lib.* 1. *num.* 8. Nevizan. in *Silva nupt. lib.* 6. *num.* 3. Ulterius relictum, ſeu legatum factum perſonis miſerabilibus, dicitur 82
factum ad pias cauſas, ut tenet Specul. it. in *tit. de inſtrum. edit.* §. *Nunc aliqua*, *verſ. Et ſcias quod relicta*. Cujus deciſionem ſequuntur Bald. in *Authen. Similiter*, *Cod. ad leg. Falc.* & Alexan. *conſ.* 126. *In hac hæſitatione n.* 5. *in fin. lib.* 4. inferentes propterea, ut de relictis miſerabilibus perſonis 83
non detrahatur falcidia, ſicut non detrahitur de relictis ad pias cauſas, ut in prædicta Auth. & generaliter ex deciſione Specul. infert Felin. hìc *num.* 7. ut omnes favores, qui præſtantur piæ cauſæ, præſtari etiam debeant miſerabilibus perſonis. De cauſis autem mercedum, & miſerabilium perſonarum, vide Concil. Trident. *ſeſſ.* 7. *c.* 14.

Ad extremum ex mente Cardin. hìc in 12. *qu.* Imol. *num.* 84
10. & Abb. *num.* 6. ſupraſcripta omnia redigi poſſunt in compendium diſtinguendo tres ſæcularium ſpecies. Quidam enim ſunt non miſerabiles, qui nec habitu, nec actu ſunt de foro Eccleſiæ, cujuſmodi ſunt adulti, potentes, fœminæ conjugatæ, divites, & alii id genus, qui nullam habent qualitatem, quæ naturam moveat ad miſerendum; & tales nec principaliter, nec ſecundariò poſſunt trahere ſæculares ad Tribunal Eccleſiæ, niſi ratione cauſæ, aut ratione perſonæ. Unde ſi ab his impetrarentur litteræ ad judices Delegatos, eſſent ipſo jure nullæ: & hic propriè eſt caſus in *cap. Licèt infrà de foro compet.* niſi daretur priùs totalis defectus juſtitiæ ſæcularis ad eum modum, quo dixi ſuprà *num.* 73. & 74. Quidam verò ſunt miſerabiles, qui 85
habitu, ſed non actu ſunt de foro Eccleſiæ, quales ſunt viduæ, & pupilli divites; & tales non poſſunt trahere laicos immediatè ad judicium Eccleſiaſticum, ſed debent priùs recurrere ad judicem ſæcularem, ut conſtat ex dictis ſupra *num.* 64. & ſi litteras delegationis ab Eccleſia impetrant ante negligentiam judicis laici, litteræ non ſunt ab initio nullæ ipſo jure, ſed ſtant in pendenti, quouſque appareat de hujuſmodi negligentia, ut eſt textus hìc, & fuſiùs oſtenſum eſt ſupra *num.* 43. Fallit hoc in caſu oppreſſionis, vel ubi ageretur de poſſeſſorio recuperandæ; tunc enim poſſunt tales habitu, & non actu miſerabiles, principaliter, & immediatè recurrere ad judices Eccleſiaſticos, patet ex dictis ſupra *n.* 66. & ſub hac ſecunda ſpecie Innocentius comprehendit peregrinos quoad res, quas ſecum deferunt, & quoad injurias eis illatas, & contractus initos in peregrinatione, mercatores ſi in teloneis graventur, liberos, officiales Eccleſiæ, & alios quos numeravi ſuprà 86
in 1. *q. n.* 30. Quidam denique ſunt miſerabiles, & de foro Eccleſiæ, quoad habitum, & quoad actum, ut viduæ, pupilli, pauperes, vel ſimpliciter pauperes; & tales poſſunt trahere laicos ad judicium Eccleſiæ, etiam principaliter, & immediatè, & non data negligentia judicis laici, ut hìc eſt text. à contrario, & in *cap. Supra quibuſdam in fin. de verb. ſignif.* & fuſiùs oſtenſum eſt ſupra *n.* 60.

DE OFFICIO LEGATI.

Cœleſtinus III.

CAPUT II.

STuduiſti (à nobis) quærere, utrùm de cauſa, quam alicui delegamus, alius, qui ſit generalis in Provincia legatus, ante cognitionem vel poſteà cognoſcere valeat: vel commiſſionis noſtræ proceſſum, quem judici delegato transmittimus, taliter impedire. Reſpondemus, quòd cùm mandatum ſpeciale deroget generali, legatus commiſſionem alii factam ſpecialiter impedire non poteſt; & ſi ſecundum formam mandati noſtri ſententiam jam fuerit promulgata, non poterit ipſe legatus (niſi ſuper hoc mandatum ſpeciale receperit) eam quomodolibet irritare; ipſam tamen (ſi rationabiliter lata fuerit) confirmare valebit, & executioni mandare.

S U M M A R I U M.

1 *Legatus Papæ de cauſa alteri ſpecialiter delegata per Papam ſe intromittere non poteſt.*

2 *Juriſdictio minoris judicis non expirat per præſentiam majoris, ſed ſuſpenditur uſus inſigniorum.*

3 *Delegatus Papæ in cauſa ſibi commiſſa eſt major quolibet Ordinario etiam de latere Legato.*

4 *Legatus non poteſt ſe intromittere in cauſa alteri delegata, etiam antequam Delegatus incipiat cognoſcere.*
Declaratur, n. 13.

5 *Nec poteſt adverſus illius ſententiam reſtituere.*

6 *Legatus in cauſis per Papam alteri univerſaliter delegatis an poſſit ſe intromittere, & n. ſeqq.*

7 *In cauſa hæreſis concurrunt Legatus, & Epiſcopus cum Inquiſitore.*

8 *Viſitare an prohibeatur Ordinarius, ſi Papa det ſpecialem Viſitatorem.*

9 *Ordinarii, quorum unus habet juriſdictionem univerſalem, alius ſpecialem, an ſimul concurrant, remiſſivè.*

10 *Delegatus Papæ, quamvis ſua facultate abutatur, tamen à Legato prohiberi non poteſt.*
Contrarium, n. 14. & n. 19.

11 *Legatus non poteſt ſupplere negligentiam Delegati, niſi ubi vertitur periculum animæ.*

12 *Juriſdictio delegata poteſt præveniri per Ordinarium, antequam litteræ delegationis fuerint Delegato præſentatæ.*

13 *Legati proceſſus in cauſa alteri delegata valet, niſi opponatur declinatoria ante litis conteſtationem.*

14 *Si Delegatus procedat contra formam commiſſionis, vel aliàs nulliter, Legatus poteſt de nullitate cognoſcere.*

15 *Inferior non prohibetur cognoſcere de geſtis per ſuperiorem, ubi geſta ſunt nulla.*

16 *Statutum prohibens opponi contra ſententiam, non impedit, quin poſſit dici de nullitate.*

17 *Collector decimæ ſi capiat calices, vel miſſalia, aut alia ornamenta divinis officiis deputata, an poſſit puniri ab Ordinario.*

18 *Delegatus Papæ an ſortiatur forum Ordinarii loci, ubi delinquit, & n. ſeqq.*

19 *Delegatus exigens immoderatas ſportulas poteſt puniri ab Ordinario.*

20 *Legatus de Latere exequi poteſt ſententiam judicis Delegati, ſed ab eo non poteſt compelli.*

21 *Niſi Legatus aliàs eſſet ibi Ordinarius.*

22 *Legatus poteſt cogere delegatum à ſuo Prædeceſſore ad ſententiam ferendam, commiſſionem revocare, & malum illius proceſſum corrigere.*

23 *Mandatum ſpeciale derogat generali.*

24 *Species quando evellitur de generali corpore, ſemper derogat generi; aliàs ſecus.*

25 *Exequutor ſpecialis ad maritandas virgines poteſt illis dotes conſtituere, non autem generalis exequutor.*

26 *Contrariorum quandoque non eſt eadem diſciplina.*

27 *Legatus de Latere qualiter poſſit confirmare ſententiam Delegati Papæ.*
Confirmatio quotuplex ſit, ibid.

28 *Collector Portugalliæ an poſſit cognoſcere cauſas appellationum à ſententiis Commiſſarii Cruciatæ, non obſtante clauſula,* Appellatione remota, *& nu. ſeqq. uſque in fin.*

29 *Quid de jure communi.*
Et quid vigore facultatum, n. 37.

30 *Appellari non poteſt à ſententia Delegati Papæ ad legatum de Latere.*

31 *Appellatio eſt à minori judice ad majorem provocatio.*

32 *Appellari non poteſt à ſententiis, & gravaminibus Conſervatorum, niſi ad Papam.*

33 *Conſuetudo, ut a Delegato Papæ appelletur ad Legatum de Latere non valet.*

34 *Conſuetudo nil poteſt contra ſubſtantiam rei.*

35 *Conſuetudo appellandi ad parem, ſeu ad æqualem, eſt contra ſubſtantiam appellationis.*

36 *Appellari non poteſt à delegato, niſi ad delegantem.*

37 *Collector Portugalliæ facultatem habet cognoſcendi cauſas tam per viam querelæ, quàm appellationis à quibuſvis judicibus etiam Sedis Apoſtolicæ Delegatis.*

38 *Clauſula,* Appellatione poſtpoſita, *quæ habetur in Bulla Cruciatæ, an ſolum tollat appellationes contra reſiſtentes de facto, an verò etiam contra reſiſtentes de jure, & n. ſeqq.*

39 *Commiſſarius Cruciatæ non eſt conſtitutus judex, ſed exequutor.*

40 *Appellatio in reſcripto Papæ tribus modis removeri poteſt.*
Clauſula, Contradictores, *juriſdictionem non confert, niſi contra reſiſtentes de facto, ibid.*

41 *Clauſula,* Appellatione remota, *in medio litterarum appoſita quid operetur, & n. ſeqq.*

42 *Exequutores litterarum Apoſtolicarum non habent juriſdictionem, niſi contra reſiſtentes de facto.*

43 *Appellatio qualiter, & quando prohibeatur per clauſulam,* Appellatione remota, *& n. ſeqq.*
Indulgetur à jure in quinque caſibus hic expreſſis, prædicta clauſula non obſtante, n. 45.

44 *Intellectus c. Paſtoralis de appellat. & n. ſeqq.*

46 *Appellatio à ſententiis, & gravaminibus Commiſſarii Cruciatæ in illis caſibus, in quibus non eſt prohibita per clauſulam,* Appellatione remota, *an interponi poſſit ad Collectorem, an verò ad Papam ſit interponenda, & n. ſeqq.*

47 *Appellatio devolutiva à decretis Epiſcopi in viſitatione editis jure delegato interponi poteſt etiam ad Metropolitanum.*

48 *Collector Portugalliæ ex conſuetudine admittit appellationes etiam ad Papam interpoſitas.*

49 *Appellari poteſt ad Papam omiſſo medio.*

STuduiſti. Legatus Papæ de cauſa alteri ſpecialiter dele- 1
gata per Papam ſe intromittere non poteſt. Hoc dicit Communis diviſio. Secunda, ibi, *Reſpondemus.*

Nota primò ex textu, Legatum de latere nullatenùs ſe poſſe ingerere in cauſa per Papam alteri delegata, nec illius proceſſum, aut ſententiam, vel exequutionem impedire, aut infirmare, ut hic eſt caſus ſecundum omnes, & in ſpecie notat Butr. in 3. *notab.* Anchar. *nu.* 3. & Abb. *nu.* 2. Prima ratio deciſionis exprimitur in textu, videlicet quia mandatum ſpeciale derogat generali, de quo latiùs dicam infrà in 2. *notab. num.* 23.

Secunda ratio ponitur in gloſſ. in ver. *Non poteſt*, quia 2
juriſdictio minoris judicis non expirat per præſentiam majoris, *c. Denique 21. diſt. c. Pervenit 11. qu. 1. c. Ecce 95. diſt. l. fin. ff. de offic. Proconſul. & l. In hac ſacratiſſima, C. de donat.* licèt ſuſpendatur uſus inſigniorum, ut *c. Antiqua, §. Dominicæ de privileg.* & notatur in *c. Volentes infrà eod.* ſecundum Hoſt. hic *n. 1. in ver. Non poteſt.*

Tertia ratio eſt, quia Delegatus Papæ quantum ad cau- 3
ſam ſibi commiſſam eſt major quolibet Ordinario etiam de latere Legato, argum. *c. Præcipimus 93. diſt. c. Paſtoralis infrà de off. Ordin. & c. Sanè, il ſecondo ſuprà de off. deleg.* Et quamvis Hoſt. hic *n. 1.* aſſerat hoc verum non eſſe, quia uterque gerit vices Papæ: tamen hanc opinionem approbant gl. *prææallegat. in ver. Non poteſt*, Butr. in 1. *notab. & n. 8.* Card. in 4. *& 5. notab.* Imol. in 1. *notab.* Abb. *in fi.* & alii communiter.

Extenditur primò; concluſio ſupra firmata, qua dictum 4
eſt Legatum de Latere ſe intromittere non poſſe in cauſa alteri delegata, ut locum habeat, etiamſi delegatus nondum cœperit in cauſa procedere, ut probat hæc littera, ibi, *Ante cognitionem*, id eſt, antequam incipiat cognoſcere Delegatus, prout exponunt Innoc. Hoſtien. Joann. Andr. Bellam. & Cardin. omnes in princ. quòd benè nota pro intellectu eorum, quæ dicam infrà in 1. *limitat.*

Extenditur ſecundò, ut non poſſit Legatus de Latere à ſententia Delegati appellationem admittere, ut hìc probatur ponderando illa verba, *Quomodolibet irritare*, ſecundum Joan. Andr. *nu.* 3. & latius dicam infrà *nu.* 30.

Extenditur tertiò, ut nec poſſit Legatus reſtituere ad- 5
verſus ſententiam judicis delegati, arg. *leg. Adverſus, C. Si adverſus rem judic.* ubi adverſus ſententiam ejus, qui vice Principis judicavit, ideſt Vicarii, vel Delegati Principis, ut exponunt Bald. & Salic. non Prætor, ſeu Præſes Provinciæ, ſed ſolus Princeps cognoſcit, & reſtituit; & in Legato ita ſentit gloſſ. hic in *ver. Mandatum ſpeciale*, Hoſt.

Hoſt. *nu.* 2. *in eod. ver.* & Joan. Andr. *nu.* 5. *in* 4. *gloſſ.* & tenet expreſsè Abbas *nu.* 3.

6 Extenditur quartò eadem concluſio, ut locum habeat, etiamſi agatur de delegatione non ad unam cauſam tantùm, ſed ad univerſitatem cauſarum: nam & talis dicitur ſpecialis commiſſio ad hoc, ut intret diſpoſitio hujus Capituli, & deroget generali; adeòut Legatus in cauſis ſic delegatis ſe intromittere non poſſit, prout hìc firmat Car-
7 din. in 1. *oppoſit.* Non obſtat, quod in generali inquiſitione hæreticæ pravitatis concurrant Legatus, vel Epiſcopus cum Inquiſitore, ut in *cap. Per hoc*, *de hæret. lib.* 6. Et quod Jo. Andr. *hìc num.* 1. *in ver. Delegamus*, ſuppleat verbum, *ſpecialiter*, quaſi ſentiat hoc cap. non procedere, quando univerſitas cauſarum alicui delegatur: nam, ut reſpondet Card. *loc. cit.* contrarium procedit, quia ſic ibi exprimitur in caſu illo: & intellectus Joan. Andr. nimis reſtringit hunc textum. Unde ſive delegatio ſit ad unam cauſam, ſive ad univerſitatem cauſarum, ſemper derogat generali, quia ſic delegatus gerit vices Papæ, & eſt major Legato. Poteſt dici ſpeciale eſſe in caſu hæreſis, ut plures judices concurrant. Et ratio ſpecialitatis eſt, quia favore fidei geminantur juriſdictiones reſpectu certi generis cauſarum, ut notat Joan. de Imola in *d. cap. Per hoc*. Vide tamen
8 Petr. de Anchar. *hic in* 3. *notab.* ubi videtur velle, ut ſi Papa det ſpecialem Viſitatorem Fratribus Humilitatis, per hoc Epiſcopus non cenſeatur prohibitus viſitare, & ita ſentit per generalem delegationem non derogari ordinariæ juriſdictioni. Movetur præcipuè per text. *in l.* 1. *Cod. De off. Præf. ct. Urbis*: ubi creatio novi Officialis non derogat officiali antiquo, nec illius juriſdictioni. Adde Jacob. de Are in *l. Quod in rerum*, §. *Si quis poteſt*, *ff. De legat. primo*, ubi vult, ut ſpecialis Viſitator deputatus faciat ceſſare generalem. Et vide Abb. in *c. Paſtoralis ſub nu.* 4. *verſ. Sed in regularibus*, aliud puto, & ibi Felin. *nu.* 4. *de offic. ordin.* declarantes hìc procedere in Prælato regulari, cui ex ſpeciali jure cenſetur conceſſa juriſdictio privativè. Et ſe-
9 quitur hanc declarationem Rota apud Gregor. XV. *dec.* 8. *num.* 3. ubi etiam vide quid juris ſit in terminis Concilii Tridentini *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. Quid autem juris ſit in duobus Ordinariis, quorum unus habet juriſdictionem univerſalem, alius ſpecialem, vide Bart. magiſtraliter diſtinguentem *hìc num.* 3. & Marian. Socin. in *cap. Propoſuiſti in ſecundo principaliter articulo à n.* 8. *infra de for. compet.* ubi latiſſimè examinat materiam præventionis juriſdictionis inter judices Ordinarios, ſive Delegatos.

10 Extenditur quintò, etiamſi delegatus ſua facultate abuteretur: nam quicquid ſit in aliis mandatis, ut *leg. Si hominem*, *ff. Mandati*, tamen in materia juriſdictionis habens generale mandatum non poteſt eum prohibere, qui ſpeciali mandato abutitur, ſecundùm Bald. *hìc num.* 2. quia quod ſpecialiter eſt conceſſum uni, alteri eſt prohibitum, arg. *l. Maritus*, *Cod. De procurator*, & *l. Cùm Prætor*, *ff. De judic.* Præterea diſtincta ſunt officia. Ergo unus non poteſt ſe de alterius officio intromittere, ut leg. & not. in *l. Quicumque*, *Cod. De accuſat. & exact. lib.* 12. ad hoc *cap. Singula* 89. *diſtin.* Sed huic doctrinæ difficultatem ingerunt, quæ dicam infrà in 3. & 4. *limitatione num.* 14. & 17.

11 Extenditur ſextò, ut locum habeat, etiamſi Delegatus fuerit negligens in procedendo, quia nihilominus Legatus non poterit eum compellere, aut illius negligentiam ſupplere, ut tenet Speculator in *tit. de denunciat.* §. *Qualiter*, Collect. *hìc nu.* 1. & Bellam. *col.* 2. *in princip. verſ. Sed numquid Delegatus*, ſequitur Bart. Bellenc. *in tract. de Charitativo ſubſidio qu.* 91. *num.* 9. ubi hoc limitat, niſi ubi vertitur periculum animæ, puta in cauſis matrimonialibus, vel ſimilibus, allegat *cap. Significavit infrà de offic. ordinar.* & Archid. *in* §. *Spatium* 3. *qu.* 3.

12 Recipit tamen ſupradicta concluſio limitationes, ſeu declarationes infraſcriptas.

Et primò limitatur, ut non procedat, ſi Delegati juriſdictio per Legati citationem fuerit præventa; quia tunc Legatus poterit in cauſa illa procedere, nec proderunt Delegato litteræ ſpecialis commiſſionis, ita hunc tex. limitat Abb. Antiq. *nu.* 1. & Butr. *nu.* 7. judex enim Delegatus poteſt præveniri per Ordinarium, ut tenet Innoc. Hoſt. & alii in *cap. Ad petitionem infrà de accuſat.* & idem Hoſt. *in Summ. in tit. de offic. delegati*, §. *Quod ſit officium*, Henr. Boich. *in cap. Plerumque ſuprà de reſcript.* & Marian. Socin. *in dict. cap. Propoſuiſti nu.* 11. *de foro compet.* & eſt tex. ſecundùm unum intellectum in *cap. Ut debitus de appell.* verùm hoc intellige, & ſublimita, dummodo Legatus, ſeu Ordinarius in cauſa prævenerit, & proceſſum contra impetrantem inchoaverit antequam litteræ commiſſionis fuerint ab eo præſentatæ judici Delegato: *ſecus* poſt præſentationem; quia tunc Legatus, ſeu Ordinarius non poteſt ampliùs prævenire juriſdictionem delegati; hìc eſt tex. in *d. c. Ut debitus*, nec requiritur, ut delegatus prævenerit citando, ſed ſufficit ſola litterarum receptio ſecundùm intellectum Goffred. quem dicit eſſe communem, & latè tuetur Abb. *ibi nu.* 4. & 22. & fuſiùs Marian. Socin. *in* 6. *notab.* & in gloſ. 4. *in fin.* Unde quod hìc dicitur, Legatum non poſſe ſe intromittere de cauſa alteri delegata etiam antequam Delegatus incipiat cognoſcere, notabiliter limita, ut procedat tantùm poſt litterarum præſentationem. Et eſt ratio, quia quoad exercitium juriſdictionis non attenditur tempus Datæ, ſed præſentationis litterarum, ut *cap. Super eo*, *il ſecondo in fin.* & ibi notat Collectar. *nu.* 3. *infrà de appellat.* Et impetrans antequam litteras præſentaverit, poteſt ipſis renunciare, & eis non uti, ſecundùm Innoc. & Hoſt. in *cap. Ex conqueſtione infrà de reſtitutione ſpoliat.* & Aretin. in *d. c. Ad petitionem num.* 19. *de accuſat.*

Secundò limitatur prædicta concluſio, ut procedat, 13
dummodò opponatur exceptio declinatoria fori; aliàs enim parte non opponente, teneret proceſſus legati in cauſa alteri ſpecialiter delegata, arg. *cap. Si duobus de appellat.* & quod notatur per Innoc. *in cap. Cum M. Ferrarien. de conſtitut.* & tenet hìc Petr. de Anchar. in 1. *notab.* Unde ſi cautus qui intendit litem proſequi coram judice delegato, ut opponat declinatoriam, & quidem ante litis conteſtationem, quia poſteà non prodeſſet, ut *cap. Paſtoralis infrà de except.* & *cap. Inter Monaſterium de re judic.* & notat Marian. Socin. *in cap. Licèt num.* 6. *de foro compet.*

Tertiò limitatur, ut non procedat ſi judex delegatus 14
proceſſerit contra formam mandati Apoſtolici, quia tunc Legatus poteſt de hujuſmodi nullitate cognoſcere, & delegati proceſſum, & ſententiam irritare, ut probatur hìc à contrario ſenſu in illis verbis, *ſi ſecundum formam mandati noſtri ſententia fuerit promulgata*. Et notant Anton. de Butr. *in* 4. *notab.* & Joan. de Imol. *num.* 3. & idem videtur ſecundùm Imol. ſi ſententia delegati ex aliquo capite ſit nulla, puta quia lata contra jus conſtitutionis; atque ita hæc Decretalis, & concluſio ſuperiùs firmata procedit tantùm ubi ſententia eſt aliqua, licèt lata contra jus litigatoris; tunc enim legatus non poteſt ſe intromittere: ſecus
ſi ſit nulla, quod nota perpetuò. Et generaliter hinc col- 15
lige. Quod etſi inferior, qualis eſt legatus quantum ad cauſam alteri ſpecialiter delegatam; non poſſit ſe intromittere de geſtis per ſuperiorem, qualis in ea cauſa eſt delegatus: hoc tamen eſt verum ubi geſta ſunt valida; ſecus ſi ſunt nulla, quia tunc non impeditur inferior cognoſcere,
quod eſt notabile ſecundùm Imol. Unde etiam infertur, 16
ut ubi per conſtitutionem, vel ſtatutum tollitur facultas opponendi contra ſententiam, vel diſputandi, aut cognoſcendi de ſententia; per hoc non cenſetur ſublata facultas dicendi de nullitate ſententiæ, vel cognoſcendi de illa, ut tenent Butr. & Imol. *ubi ſupra*, de quo tamen dicendum, ut notat Bart. in *l.* 1. §. 1. *ff. Quod vi*, *aut clam.*

Quartò limitatur concluſio initio firmata, ut locum 17
non habeat ſi delegatus delinquat in ſua commiſſione, veluti ſi collector deputatus à Papa ad colligendam decimam capiat calices, miſſalia, vel alia ornamenta divinis officiis deputata pro exactione decimæ contra prohibitionem Concilii Viennenſis in Clement. *Si Beneficiorum de decim.* Nam
etſi multi ſenſerint Delegatum Papæ non poſſe puniri per 18
Ordinarium loci, ubi exceſſum fecit, inter quos Feder. de Sen. *conſ.* 115. quod incipit, *Caſus talis eſt*, *Quidam Delegatus*, & Petr. de Anchar. *in repet. cap. Poſtulaſti in* 6. *oppoſ. infrà de foro compet.* præſertim ſi adhuc pendeat juriſdictio Delegati, & ex hoc impediretur exequutio mandati Apoſtolici, ut tenet Joan. Andr. *in cap. fin. ſuprà de reſcript.* cum quo ſimpliciter tranſit Joan. Calder. in *c.* 1. *in ult. qu. infrà de raptor.* verior tamen videtur contraria opinio, quam tenet Petrus Cyn. & Bald. in Auth. *Qua Provincia*, *Cod. Ubi de crimin. agi oportet*, gloſſ. *ult.* Butr. & Abb. *in d. cap. fin. de reſcript.* Anchar. *hìc nu.* 3. & latiùs Bartholo Bellenc. *in tract. de charit. ſubſid. qu.* 91. *nu.* 3. nam ratione

tione delicti non ſubditus efficitur ſubditus, ut eſt textus
in dict. Auth. *Quæ in Provincia in cap.fin.de foro compet. &*
cap. Volentes de privil. lib.6. & reatus omnem honorem ex-
19 cludit, *l.1.in fin.C.Ubi Senator, vel Clariſſ.*Et eſt ſimile in
Delegato, qui delinquit in exigendis immoderatis ſportu-
lis, poteſt enim puniri ab Ordinario, ut eſt caſus in §. *Vo-*
lumus: & ibi Angelus in Auth. *ut judices ſine quoquo ſuffra-*
gio. Quod multo magis procederet ſi delictum eſſet noto-
rium, ut per Bellencin. *loco citato.* Contraria autem opi-
nio Federic. de Sen. & aliorum de quibus ſupra; idem Bel-
lenc. intelligit eſſe veram, quando Ordinarius vellet co-
gnoſcere de injuſtitia ſententiæ delegati, fortè ad finem
inquirendi utrum feciſſet litem ſuam injuſtè judicando,
vel quando per hujuſmodi punitionem impediretur proceſ-
ſus, & juriſdictio Delegati Apoſtolici, his enim caſibus,
non liceret Ordinario ſe intromittere, ut ibi per eum.

Quintò limitatur ſupradicta concluſio, ut non procedat
reſpectu confirmationis: nam etſi legatus non poſſit ſen-
tentiam delegati irritare: poteſt tamen eam confirmare,
ut hic patet expreſsè in *verſ. Ipſam tamen*, ſed quomodo
hoc ſit intelligendum, & de qua confirmatione, latiùs di-
cam infra *in 3. notab.*

20 Sextò limitatur, ut ſimiliter non procedat reſpectu exe-
cutionis ſententiæ; quia poteſt Legatus ſententiam Dele-
gati executioni demandare, ſi velit, ut probant verba tex.
ibi, *confirmare valebit, & exequutioni mandare.* Ergo ad
id cogi non poterit à Delegato; quia textus non dicit, *de-*
bebit, ſed *valebit*, quod eſt verbum facultativum, & ne-
ceſſitatem non inducit, ut *l.Sæpè, ff.De offic.Præſid. & l.*
*Non quicquid, ff.De judic.*notatur *in cap. Si tibi conceſſo ſu-*
*per ver.Valeas, de præben.lib.6.*Debebit ergo delegatus ipſi
legato ſupplicare, ut ſuam ſententiam exequatur, cùm in
aliis legatus ſit major delegato: & in hoc tandem reſidet
gloſſ. *ult. hic in fin.* cui conſentiunt Hoſt.& Joan. Andr.iti-
dem *in fin.* qui allegat Speculatorem *in tit. de delegat.* §.*Su-*
pereſt, verſ. Is cui aliqua cauſa, & ſequuntur Bald. *nu.* 9.
Butr. *nu.*10. & Imol. *nu.* 5. & hanc opinionem dicit æquio-
rem Abb. *in fin.* licèt ſubdat contrariam fortè veriorem eſ-
ſe; quia delegatus in cauſa ſibi commiſſa eſt major legato.
21 Sed tenendo primam opinionem eam limitabis, ut lo-
cum non habeat ſi legatus aliàs eſſet ibi Ordinarius; tunc
enim ratione illius juriſdictionis ordinariæ utique cogi
poſſet à Delegato: ita notabiliter limitat Vincen. hìc cum
quo tranſeunt Joan. Andr. & Abb. uterque ad finem.

22 Septimò limitatur concluſio ſupraſcripta, ſeu declara-
tur procedere in terminis, in quibus loquitur hæc decreta-
lis, videlicet in Delegato Papæ. Secus ergo eſt ſi delega-
tio facta ſit à Prædeceſſore ipſius Legati; quia tunc ſucceſ-
ſor poteſt cogere delegatum ad ſententiam ferendam, aut
etiam commiſſionem revocare, ſeu prohibere ne pronun-
tiet, ut *l. Venditor, cap.fin. & l. Judicium ſolvitur in 1.reſ-*
ponſo, ff. de judic. & malum proceſſum illius corrigere, ut
c.3.§. fin.infrà de eo, qui mittitur in poſſeſſ. ſecundùm Hoſt.
hic in princ. in ver. Alii factam.

23 Secundò nota regulam, quæ quotidiè allegatur, vide-
licet mandatum ſpeciale derogat generali: intellige quoad
illam ſpeciem, ut hìc per Bald. *nu.1. in fin.*Procedit autem
hæc regula ſecundùm Petr. de Anchar. *nu.* 2. *in reſcriptis*;
ut hic: & in *cap.1. cum materia ſupra de reſcriptis*; in ul-
timis voluntatibus, ut *l.Cohæredi, §. Cum filiæ, ff. De*
vulgar. & pupillar. in contractibus, ut *l. Doli clauſula, de*
verbor. obligat. & in materia delictorum, ut *l. Sanctio le-*
gum, ff. De pœn. ſed pleniùs, an & quando generi per ſpe-
ciem derogetur, vide hìc prolixam diſtinctionem Henric.
Boich. *in princip.* & ferè per quatuor columnas; & quæ
notantur per DD. in regula *Generi, de reg. jur. lib.6.*& ge-
neraliter, quando ſpecies evellitur de generali corpore,
24 ut hoc caſu, ſemper derogat generi, licèt ſecus ſit ubi de
ipſo corpore non evellitur, ut in caſu *l.Si alii, ff.De uſufr.*
legat. ut hic per Bald. *nu.*1. qui ex hoc infert, ut ſi teſtator
25 [illegible] Titium generalem exequutorem, & Bertam ad
[illegible] virgines; ſola Berta poſſit virginibus maritan-
[illegible] dotes conſtituere; quia dos eſt de exequutivis ſpecialis
[illegible]: facit ſecundum eum, *l. Theopompus, ff. De*
[illegible] quod notatur in *c.ult. de judic. lib.6.*

26 [illegible] *verſ. Ipſam tamen*, legatum poſſe con-
firmare ſententiam Delegati Papæ, licèt non poſſit eam
infirmare [illegible] poteſt prodeſſe, qui non poteſt obeſſe.
Unde hinc colligit Abb.Antiq. *in fin.* ut contrariorum non
ſit eadem diſciplina, ſic quandoque poteſt quis abſolvere,
qui tamen non poteſt condemnare, arg.*c.Quoniam Apoſto-*
lica, §. fin. ſuprà de offic. Deleg. l. fin. Cod.ubi Senator, vel
Clariſſ. & §.Si tamen, in Auth.*Ut Clerici apud propr.Epiſc.*
*col.6.*Regulæ tamen ſunt in oppoſitum, ut *l.Qui condemna-*
re, ff. De re judic. & l. Ejus eſt nolle, ff. De reg. jur. & Do-
minus par jus eſſe voluit ligandi, atque ſolvendi, ut *cap.*
*Verbum de pœnit. diſt.*1. Unde quidam dicunt hunc textum 27
eſſe intelligendum de confirmatione de facto, quæ nihil
operatur. Alii de confirmatione in forma communi, quæ
parum prodeſt, ut *c.Quia diverſitatem infrà de conceſſ.præ-*
ben. non autem de confirmatione ex certa ſcientia, & cum
cauſæ cognitione. Communiter tamen recipitur intelle-
ctus Hoſt. & Joan. Andr. *nu.*3. qui exponunt verbum, *con-*
firmare, id eſt approbare, laudare, & commendare, ut *c.*
1.*infrà de treg.& pac. Atque ita ut notabiliter ait* Bald. *nu.*5.
Iſta confirmatio fit ad bene eſſe, & quia teſtimonium, & opi-
nio legati eſt elegans, & magnæ authoritatis; ſed non ad ſub-
ſtantiam eſſe; quia qui non poteſt infirmare, non poteſt autho-
rizabiliter confirmare. Hæc ille. Ex prædictis collige duas
ſpecies confirmationis. Altera enim eſt confirmatio autho-
rizationis, quàm Legatus impertiri non poteſt, ſive ſit ex
certa ſcientia, ſive in forma communi; quia neque hanc
poteſt concedere, niſi ſuperior, ut hìc tenet gl.*ult.*& ſic re-
gula contrariorum non vacat; quia ſicut legatus non po-
teſt ſententiæ delegati robur adimere infirmando, ita nec
poteſt robur adjicere confirmando. Altera eſt confirmatio
commendationis, quæ magis propriè dicitur approbatio,
& hæc competit etiam inferiori. Unde quamvis Papa con-
firmet decreta generalis Concilii, cùm ſit ſupra Conci-
lium, *c.Significaſti ſupra de elect.* tamen è contra Conci-
lium decreta Summorum Pontificum non confirmat, ſed
approbat, ut egregiè declarat Cardin. Turrecrem. in *c.*
Sancta Romana num. 2. & 6. 15. diſt. poſt Hoſt. *in c. Quali-*
ter, il ſecondo in princ. infrà de accuſat. & fuſiùs dixi in
prædicta Decretali *Significaſti num.*53. *& ſeqq.*

QUÆRO, An Collector Portugalliæ poſſit cognoſcere 28
cauſas appellationum à ſententiis latis per Commiſſarium
Cruciatæ, non obſtante clauſula appoſita in litteris ejus
commiſſionis, Omni, & quacumque appellatione poſtpoſita.

Si hæc quæſtio ſolvenda eſſet inſpecta juris communis diſ- 29
poſitione, manifeſtum eſſet Collectorem non poſſe hujuſ-
modi cauſas cognoſcere; quia nec Legatus de Latere po-
teſt ſe intromittere in cauſis per Romanum Pontificem al- 30
teri ſpecialiter delegatis, ut hìc eſt caſus ſecundùm Joan.
Andr. Bald. Butr. Cardin. & omnes in Summa hujus text.
Quod procedit etiam per viam appellationis, ut probat hæc
littera ibi, *Non poterit Legatus eam*, (ſcilicet ſententiam
Delegati,) *quomodolibet irritare*, & notat Joan.Andr. *n.*3.
ubi ponderando adverbium illud, *quomodolibet*. Per hoc in-
quit, patet quod ad eum non poterit appellari, & ſequuntur
Butr. *in ult. qu. num.*11.Imol. *num.*5.& Abb. *nu.*3. Ratio hu- 31
jus concluſionis eſt, quia appellatio eſt à minori judice ad
majorem provocatio, *c. Anteriorum 2.qu.6. c.2.de conſuet.*
lib.6. Abb. *in ſua quæſtione prima*, quæ incipit, *Epiſcopus,*
& quidam Rector num. 17. verſ. In ſecunda quæſtione. Sed
delegatus à Papa in cauſis ſibi commiſſis eſt major Legato,
ut tenet gloſ.*hic in ver.Non poteſt*, quæ à Doctoribus com-
muniter approbatur, ut dixi ſuprà *num.*3. Ergo à ſententia
Delegati ad Legatum appellari non poteſt. Et ita per hanc 32
rationem firmat Petr. de Anchar. *in conſ.*132. incipien. *In*
primo dubio, ubi ex facto reſpondit de appellationibus, &
querelis interpoſitis à gravaminibus illatis à Conſervatore,
qui eſt judex Delegatus Sedis Apoſtolicæ, non autem Or-
dinarius, ut *c.1.*& ibi gloſſ.2. *& cap.fin.de off.delegat.lib.6.*
Legatum de Latere non poſſe cognoſcere; alioquin exce-
dere limites ſuæ facultatis; & geſta ab ipſo, tamquam à
judice incompetenti, eſſe ipſo jure nulla, ut *Cod. Si non à*
competent. judic. per totum. Quinimò, ut ſubdit Anchar. 33
etiamſi vigeret conſuetudo, ut à gravaminibus illatis per
judicem Delegatum à Sede Apoſtolica appellaretur ad Le-
gatum de Latere, talis conſuetudo non valeret; quia dele-
gatus in cauſis ſibi commiſſis eſt major Legato, cùm fun-
gatur vice Papæ, *l.1.§.Qui mandatum, ff.De juriſdict.omn.*
judic. ut autem à majori appelletur ad minorem, non po-
teſt conſuetudine introduci, ut tenet gloſ.in *d. c.2. in ver.*
Officiali, de conſuetud.lib.6. nam de ſubſtantia appellationis 34
eſt,

eſt,ut à minori provocetur ad majorem,nec contra ſubſtantiam rei quidquam poteſt conſuetudo, ut ibi per gl. & per Abb. in præll.*q.n.20.verſ.Appellatio enim.*Et probatur naturali ratione: nam judex appellationis corrigit, & infirmat ſententiam judicis à quo, & illam irritat, & annullat, atqui ut inferior corrigat, & infirmet geſta ſuperioris, omnia jura abhorrent,*c.inferior 21.diſt.c.Cùm inferior, de majorit. & obed.* & Clem. *Ne Romani, de elect.*ita Petr. de Anchar. conſilium ejus refert, & approbat in ead. facti ſpecie Ruin.*conſ.3.circa illud n.2.lib.*4.Sed etſi admitteremus opinionem Hoſt. qui voluit Legatum,& Delegatum eſſe pares,
35 cùm uterque gerat vices Papæ, ut dixi ſupra *eod. n.* 3. nihilominus non licere Legato recipere appellationes à ſententiis delegati, aut illas quomodolibet revocare, ſeu irritare, ut hìc deciditur, quia par in parem non habet imperium,*ut l.Adverſus ſententiam, ff. ſi adverſus rem judicatam, & c. Innotuit, de elect.* cum aliis hìc aſſignatis in gl. *penult.* Quod adeò verum eſt, ut nec valeat conſuetudo appellandi ad parem, ſeu ad æqualem, ut firmat gl. communis *in d. cap. 2. in ver. Officiali ad finem, de conſuetud. lib. 6.* &
36 Abbas *d. quæſt. 1. num. 20.* Quamobrem jure communi inſpecto à ſententiis, & gravaminibus Commiſſariis Cruciatæ nullatenus appellari poteſt ad Collectorem, ſed tantummodò ad Summum Pontificem delegantem, *ut cap.ſuper quæſtionum, ſup. de offic. Delegat. & cap. licèt in corrigendis, inf. de off. Ordinarii,* Marian. Socin. *conſ.*83. *pro clariori n. 5. & per tot. lib.* 4. Anch. & Ruin. *loc. cit.*

37 Verùm attentis facultatibus Collectoris ſecus dicendum videtur:quia in litteris ſpecialem habet facultatem audiendi, & terminandi cauſas motas, & movendas tàm per viam ſimplicis querelæ, quàm per viam quarumcumque appellationum à quibuſvis judicibus Ordinarijs, & à Sede Apoſtolica Delegatis. Ergo intrat exceptio, quæ habetur in hac Decretali ibi, *Niſi ſuper hoc ſpeciale mandatum receperit,* & ſcripſit Ferretus *conſ.* 270. incipien. *Videtur prima facie num.* 5. ubi de Nuntio Veneto, qui eamdem facul-
38 tatem obtinuit ab Adriano VI. Sed quia Commiſſarius Cruciatæ habet in litteris ſuæ commiſſionis clauſulam, *appellatione poſtpoſita;* idcircò tota hæc controverſia videtur dividenda in tres articulos. Primus eſt, an hæc clauſula in caſu, de quo agitur, ſolùm habeat locum contra reſiſtentes de facto. Secundus quatenus locum habeat etiam contra reſiſtentes de jure, aut ſint aliqui caſus, in quibus liceat appellare ejuſmodi clauſula non obſtante. Tertius, an in illis caſibus appellari poſſit ad Collectorem, an verò appellandum ſit ad Summum Pontificem.

39 Quoad primum articulum ſupponimus Commiſſarium non fuiſſe conſtitutum judicem,ſed executorem:nam Bulla Cruciatæ duo facit. Primò deputat executorem his verbis: *Eumdem, &c. Indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium hujuſmodi Executorem, & Commiſſarium generalem deputamus.* Deindè removet appellationem in hæc verba: Eidemque plenam, & liberam in præmiſſis facultatem tribuimus ad exequutionem præmiſſorum, omni, & quacumque appellatione poſtpoſita, procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea, &c. His autem clauſulis non demandatur cauſæ cognitio, ſed nudum miniſterium dumtaxat, *juxta cap. Paſtoralis, §. Quia verò de offic. delegati,* ibi, *Attendentes quod non cognitio, ſed exequutio tantum demandatur eidem, & l. Si ut proponis, C. de exequut. rei judic.* Quamvis enim verba, *procedas in negotio, vel cauſa,* importent cauſæ cognitionem, *ut c. ult. in fin. inf. de judic. & c. tenor, de re judic. cum ſimil.* Secus tamen eſt ſi dicatur, procedas ad exequutionem, *c. Siſcitatus, ſupr. de reſcriptis,* Rota *dec.* 30. *eod. tit. in novis.*

40 Hoc ſuppoſito, obſervandum eſt appellationem in reſcripto Papæ quandoque removeri in clauſulis exequutivis in fin. litterarum per illa verba, *Contradictores quoslibet, & inobediens auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo.* Et tunc conveniunt omnes per hujuſmodi clauſulam intelligi collatam juriſdictionem exequutori ſolùm adverſus eos, qui de facto, non autem de jure contradicunt, & reſiſtunt impedientes effectum, & exequutionem litterarum Apoſtolicarum, *ita tenet gl.2. & DD. in c. Pro illorum, inf. de præb.* Oldrad. *conſ.*81. *Quod proceſſus in fin.verſ.Prætereà poſito,* Rom. *conſ.*482.*in caſu præmiſſo, in princ.*Card.*in Clem.2.in ver.Contradictores, de relig.domib.* & Felin. *in c.Cauſam quæ n.20. de reſcr.* Sed hic non eſt caſus noſter.

Quandoque removetur appellatio in diſpoſitiva, quod 41
poteſt contingere duobus modis. Primò ſcilicet cum removetur in ea parte litterarum, in qua committitur cognitio cauſæ, veluti cum dicitur in reſcripto, *Procedas in negotio, appellatione remota, ut cap. Paſtoralis, §. fin. ſupra de offic.Delegat.* Et tunc ſimiliter ferè omnes conſentiunt appellationis remedium eſſe ſublatum, juxta terminos,*cap. Paſtoralis, infra de appellat.* & hoc caſu intrant difficultates inferiùs examinandæ *in 2. articulo nu.* 43. Sed neque hic eſt caſus noſter. Secundò poteſt removeri appellatio in diſpoſitiva in ea parte, in qua committitur gra-
tiæ exequutio: qui propriè eſt caſus, in quo nunc verſa- 42
mur: & tunc videtur admittenda doctrina Philippi Franchi *in c. 1. in princ. n. 6. de conceſſ. præben. lib. 6.* ubi firmat exequutores litterarum Apoſtolicarum non habere juriſdictionem niſi contra rebelles, vel reſiſtentes de facto. Secus ſi appellent, & reſiſtant de jure. Sequuntur Domini de Rota apud Puteum *dec.* 271. *nu. 6. lib.* 1. & Achill. *deciſ. 4. num. 11. de ſent. excomm.* Rebuff. *in forma litterarum exequutorialium in ver. Contradictores.* Et in propriis terminis clauſula, *appellatione remota,* poſitam in medio capituli diſponentis de exequutione in litteris Apoſtolicis intelligi ſolùm de appellatione interpoſita ab actu exequutivo, tradit Corn. *conſ.* 122. *Egregiè diſcuſſa num. 7. volum.* 3. Et in hoc caſu verificari poteſt quod ſcripſerunt Hoſt. & alii relati à Præpoſito *in d. cap.Paſtoralis num.* 22. *de appellat.* videlicet clauſulam, *appellatione remota,* nihil operari de conſuetudine. id enim propriè locum habet cùm hujuſmodi clauſula apponitur in ea parte, in qua committitur exequutio litterarum, ut declarat Puteus *deciſ.*328. *lib.* 2. & ſcripſi pleniùs in prædicta decretali *paſtoralis num.* 32. Itaque ſi quis de facto obſtaret exequutioni Bullæ Cruciatæ, puta impediendo illius publicationem, de facto abſque ulla cauſa, aut reſiſtendo quo minus abſolveretur quis à caſibus reſervatis juxta formam ibi præſcriptam: utique poſſet commiſſarius cogere contradictores ad deſiſtendum, non obſtante illorum appellatione. Verùm ſi quis obſtaret de jure, puta quia haberet privilegium ne in ſua Eccleſia aliqua Bulla publicaretur ſine ſuo conſenſu, vel quia Prælatus regularis prætenderet Religioſis non licere in vim Cruciatæ obtinere abſolutionem à caſibus reſervatis eorum ſuperioribus, ut nuper contigit in Monachis Benedictinis: his caſibus liceret appellare, & collectori appellationem admittere, ut ex dictis coſiſtat.

Sed quatenus clauſula ſupradicta locum habere etiam 43
contra reſiſtentes de jure, tunc ſuccedit ſecundus articulus, videlicet, An ſint aliqui caſus, in quibus appellari poſſit, quamvis appellatio ſit remota in reſcripto.

Ad evidentiam præmittendus eſt tenor *c.Paſtoralis, in-* 44
fra de appellat. ubi Pontifex conſultus, An quando inhibetur appellatio in reſcripto, fruſtatoria tantùm inhibita videatur. Reſpondetur per hæc formalia verba, videlicet, *Nos igitur attendentes quod per appellationem fruſtratoriam etiamſi non fuiſſet inhibita, negotium non debeat impediri? Reſpondemus quod qualibet provocatoria intelligitur removeri, quæ à jure non indulgetur expreſsè: Sed ſi appellans fuerit gravatus injuſtè, gravamen hujuſmodi per ſuperiorem poterit emendari.* Hæc ibi. Ex quo contextu, quod ſpectat ad rem præſentem, eliciuntur à Doctoribus concluſiones infraſcriptæ.

Prima concluſio. Per clauſulam,*appellatione remota,*non 45
impeditur appellatio, quæ à jure expreſsè permittitur. Sic notant in ſumma illius text. Joan. Andr.Bald.Bellam.Butr. Cardin. Abb. Franchus, & omnes. Dicitur autem appellatio à jure expreſsè permiſſa, ubicumque in jure expreſsè cautum eſt,ut liceat appellare non obſtante clauſula,*appellatione remota,* & in hoc conveniunt gl. & Doctores nemine diſcrepante *in d. c. Paſtoralis, & in c. Ut debitus de appellat.* Accipe quinque exempla. Primum eſt cùm locus minus tutus aſſignatur, *ut in c.Ex parte il primo eod.tit.* Secundum eſt cùm ſpoliato reſtitutio denegatur, *ut in c.Ex conqueſtione ſupr. de reſtit.ſpoliator.* Tertium, ſi judex non faciat ſpecificari rem, quæ petitur in libello, *ut in c. Significantibus de appell.* Quartum ſi juſtam cauſam recuſationis non admittat, *c.Poſtremo eod.tit.* Quintum ſi cogat coram ſuſpecto Subdelegato litigare,*ut in c.Super quæſtionum,*

§. *fin. de offic. Delegat.* in ſupraſcriptis caſibus jura exprimunt, ut liceat appellare non obſtante, quod appellatio in litteris ſit inhibita. Unde res eſt extra omne dubium. Sed nihilominus etiam ſi jura ſpecificè non loquantur in caſu, in quo appellatio eſt remota in reſcripto, ſed ſimpliciter in aliquo caſu permittant appellationem; in caſu illo dicitur appellatio expreſsè à jure indulgeri, ideòque ad præſcriptum *d. cap. Paſtoralis*, licitum eſt appellare non obſtante clauſula, *appellatione remota*. Sic reprobata Bernardi opinione concludit Hoſt. in illa Decretali, *Paſtoralis n.*2. *verſ. Tu dicas expreſsè*, cùm quo tranſeunt communiter DD. ut ibi teſtatur Abb. *n.* 14. Habentur exempla *in c. Significante, c.Rodulphus, & c.Significavit, ſup.de reſcr.in c. Exhibita, inf. de jud. in c.Dilecti, c.Dilectæ, & c.Significaverunt, de except.& in c.Significavit, de appell.* Quamobrem in his caſibus, & aliis conſimilibus, eſto appellatio fuerit remota in Bulla Cruciatæ, nihilominus appellari poterit à ſententiis, & gravaminibus Commiſſarij, & tenebitur ipſe Commiſſarius ejuſmodi appellationibus deferre.

Secunda concluſio eſt. Per clauſulam, *appellatione remota*, prohibetur omnis appellatio, quæ à jure indulgetur expreſsè, hìc eſt caſus ad litteram in *d. c. Paſtoralis de appellat.* quod non eſt correctum per *c. Ut debitus eod. tit.* ut adverſus opinionem gl. & Innocent. concludit Hoſtien. in eod. *c. Paſtoralis nu. 8. verſ. Sed ſi benè advertas*. Cujus opinio optimis nititur fundamentis, eique poſtea adhæſerunt omnes ſcribentes, ut ibi dixi *nu. 26. verſ. Sed his non obſtantibus*.

Tertia concluſio eſt declaratio concluſionis præcedentis, videlicet quamvis clauſula, *appellatione remota*, tollat omnem appellationem, quæ à jure non eſt expreſsè permiſſa; hoc tamen procedit reſpectu judicis à quo, qui non tenetur hujuſmodi appellationi deferre; non autem reſpectu partis quin ei licitum ſit appellare, nec reſpectu judicis ad quem, quin poſſit appellationem admittere, & ſic per clauſulam, *appellatione remota*, in his caſibus removetur appellatio ad effectum ſuſpenſivum tantùm, non autem devolutivum. Sic probat textus in prææallegato *c. Paſtoralis, verſ.Sed ſi appellans*, ſecundùm intellectum Abb. Antiq. *ibidem nu.* 3. quem communem eſſe atteſtatur ibi Præpoſitus *nu. 6.* & magis communem Abb. Siculus *num.* 15. Et hanc opinionem ſervat Curia Romana teſte Collectario, ut ibi pleniùs dixi in *ult. not.* Quarta concluſio eſt. Ubicumque judex notoriè gravat, licitum eſt appellare non obſtante quod ſit datus cum clauſula, *appellatione remota*, textus eſt in *c. Ex conqueſtione, inf. de reſtit. ſpoliat.* ubi id notat gl. penult. Hoſt. Jo. Andr. & communiter DD. ut teſtatur Abb. *conſ.*44. *in præſenti quæſtione n.*3. *verſ. Sed his non obſtantibus p.*1. ſequitur Put. *dec.* 414. *lib.* 3. & Verall. *dec.* 33.*p.*1.

Collige ex prædictis, à ſententiis, & gravaminibus Commiſſarij non obſtante clauſula, *appellatione remota*, quandoque licitum eſſe appellare ad utrumque effectum, devolutivum ſcilicet, & ſuſpenſivum, ut quando appellatur ex cauſa in jure expreſſa, vel à notorio gravamine; quandoque ad effectum devolutivum tantùm, ut quando appellatur ex juſta cauſa, non tamen expreſſa in jure.

46 Supereſt nunc tertius articulus, videlicet an in caſibus ſupraſcriptis appellari poſſit ad Collectorem; an verò appellandum ſit ad Papam. Ratio dubitandi oritur *ex d.cap. Paſtoralis de appell.* quod cùm decidat non obſtante clauſula, *appellatione remota*, ſi appellans fuerit gravatus, poſſe gravamen hujuſmodi per ſuperiorem emendari: quidam opinati ſunt Superiorem hoc caſu eſſe ſolùm Papam; quia ipſe ſolus poteſt dare judices appellatione remota, ut notatur in *c. Super quæſtionum*, §. 1. *ſup. de off. Deleg.* & in hac ſententia fuit Hoſt. in prædicta Decretali, *Paſtoralis nu.*4. *in ver. Per ſuperiorem*, & Henric. Boich. *col.* 1. *verſ. Aut appellatur ex cauſa expreſſa in jure*.

47 Sed nihilominus videtur reſpondendum appellari poſſe etiam ad Collectorem. Primò per doctrinam Innocentii *in d. c. Paſtoralis num.* 1. qui exponit verbum, *Per Superiorem*, idest per judicem appellationis, in quo etiam reſidet ibi Joan. Andr. *num.* 3. intelligens ſuperiorem eſſe non ſolum Papam, ſed etiam alium proximum, ad quem prædicta clauſula non obſtante appellari poteſt à judice Ordinario, vel Delegato, & ſequuntur Bellam. *num.* 1. *in ver. Superiorem*, Abb. *n.*16. Franc. *col.*5. *verſ. Sexto operatur*. dicens, Poſſe Superiorem admittere appellationem, & emendare gravamen, licèt ſit dicta clauſula, *appellatione remota*; & hoc procedere non ſolùm quando foret appellatum ad Papam, ſed etiam ad quemlibet alium Superiorem; quia textus ille indiſtinctè loquitur. Et conſentit Decius ibi propè finem, qui dicit hoc verum, dummodò Superior poſſit adiri per viam querelæ, qui propriè eſt caſus noſter.

Et confirmatur, quia etſi Epiſcopus in vim Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.*10. non obſtante appellatione poſſit procedere in his, quæ ad viſitationem, & morum correctionem pertinent tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus; tamen S. Congr. ejuſdem Conc. interpres cenſuit non propterea impediri appellationem devolutivam etiam ad Metropolitanum.

Sed etſi ſequeremur opinionem Hoſt. *loco citato*, tamen ipſe dicit Superiorem eſſe Papam, vel illum, cui Papa commiſerit, ſed Collector in litteris ſuæ commiſſionis habet, ut poſſit recipere appellationes à quibuſcumque judicibus, etiam à Sede Apoſtolica delegatis: ergo ad ipſum tamquam ad ſuperiorem licebit appellare.

Præterea in illis caſibus, in quibus clauſula *appellatione remota*, nihil operatur ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra, *num.* 42. perindè eſt ac ſi non eſſet adjecta, *arg. l.* 2. *ff. de author.tutor. l.de ætate*, §. *Ait Prætor*, *ff.de interrog.action. l.*4.§.*Condemnatum, ff.de re jud.c.non præſtat, de reg.jur.lib.* 6. & notat Bald. *conſ.*367. *ad evidentiam nu.*1.*lib.*1.*& conſ.* 440.] *conſiderandi ſunt in pr. lib.*3. ſed ſi dicta clauſula non eſſet adjecta in Bulla Cruciatæ, utique poſſet Collector in vim ſuarum facultatum recipere appellatione à ſententiis, & gravaminibus Commiſſarii. Ergo idem poterit in caſibus, in quibus clauſula in litteris appoſita nihil operatur.

His accedit quod Collector ex conſuetudine admittit 48
appellationes interpoſitas, etiam ad Papam, quaſi ipſe in hoc vices illius gerat, ut *c.*1. *in fin.ſup.eod. & l.*1.§.*Mandatum, ff.de off.ejus, cui mandata eſt juriſd.* Ergo in illis caſibus, in quibus per clauſulam non prohibetur appellatio, licebit Collectori recipere appellationes à Commiſſario interpoſitas, etiamſi aliàs ad Papam eſſent interponendæ. In quo etiam concurrit multa æquitas, & veriſimilis mens Pontificis, qui non eſt credendus in Regno adeò remoto voluiſſe judicem conſtituere ad univerſitatem cauſarum, & ſubtrahere partibus appellationis remedium, prout per directum videretur quodammodo ſubtraxiſſe, ſi pro quolibet gravamine à Commiſſario illato recurrendum illis foret ad Sedem Apoſtolicam. Ob quam rationem & in Sardinia fuit conſtitutus judex à Sede Apoſtolica ad recipiendas appellationes, quæ illic à ſententiis Ordinariorum, & Delegatorum interponuntur, ut in litteris Pii II. incip. *Cunctorum fidelium, datis Petrioli Senen. diæceſis, nonis kal. Julii anno* 1541. Ad hoc text. optimus *in l. Cum poſt ſententiam, C.de appell.* ibi, Si longinquitas regionis ad judicium ſuum litigatores venire non patiatur, judicio Rectoris provinciæ negotium deleges facit, *c.Cum longè 63.diſt.c.Juxta 93.diſt.c.Nihil eſt*, §.*fin. ſup.de elect.cap.audientiam, il primo de Eccl. ædific. & l. Si longius, ff.De judic.* Quæ omnia magis roborantur ex obſervantia ſubſequuta: nam Collectores non ſolùm indiſtinctè admiſerunt appellationes à ſententiis, & gravaminibus Commiſſariorum, ſed eis inhibuerunt, ipſique Commiſſarii habuerunt ſe pro inhibitis, ut apparet ex proceſſu exhibito, *ad l. Si de interpretatione, ff. de legib. & c.Cum dilectis de conſuetudine*.

Non obſtat Stylus Signaturæ: Quia reſpondetur primò 49
non valere illationem; Signatura gratiæ committit cauſas appellationum à Delegatis, cum clauſula *appellatione remota*. Ergo ad ſolùm Papam licèt appellare, quandoquidem hoc eſt partibus arbitrarium, cùm liceat ad Papam appellare omiſſo medio, *c. Ad Romanam* 2.*q.*6. & tradunt Gemin. *conſ.*63. *quia ſubtiliter n.*2. Abb. *conſ.*77. *in qu.fin. verſ. Ego puto lib.* 2. Jo. de Ann. *conſ.*51. *in cauſa illorum n.*3. & eſt ſpeciale in Papa, ut per Alex. *conſ.* 12. *viſo proceſſu nu.* 11. *libr.* 6. Deinde reſpondetur hunc ſtylum procedere quando, in partibus non eſt alius judex ad recipiendas appellationes; tunc enim à ſententia Delegati neceſſariò appellandum eſt ad Sedem Apoſtolicam, juxta text. hic, ſecus alius ſi judex ſit ibi conſtitutus, ut hoc caſu, quia tunc intrat arbitrium, *ut in d.c. Ad Romanam*.

Ex quibus omnibus videtur concludendum, ſi ſequamur primam opinionem, de qua ſupra *num.* 42. Collectorem poſſe recipere quaſcumque appellationes interpoſitas à ſententen-

tentiis, & gravaminibus Commiſſarii, illis tamen exceptis, quæ de facto, & non de jure interponuntur ab ipſamet exequutione litterarum Apoſtolicarum: ſi verò ſequamur ſecundam, de qua ſupra *num.* 43. poſſe Collectorem recipere appellationem ad effectum devolutivum indiſtinctè, & etiam ad effectum ſuſpenſivum in illis caſibus, in quibus appellatio a jure indulgetur expreſsè, vel ubi gravamen eſſet notorium.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

Ex Synodo Joannis Papæ.

CAPUT I.

PErnicioſam: & infrà. Habeant igitur Epiſcopi ſingularum urbium in ſuis diœceſibus liberam poteſtatem, adulteria & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare ſecundùm quod Canones cenſent, abſque impedimento alicujus. Et cùm opus fuerit, publicum convocent auxilium: non ad præjudicandum, ſed potiùs ad ea, quæ Deo ſunt placita, proſequendum.

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopi in ſuis diœceſibus poſſunt crimina inquirere & punire, & cùm opus fuerit invocare brachium ſæculare.*

2 *Epiſcopi ſinguli in ſingulis urbibus ſunt conſtituendi.*

3 *Judex non poteſt ad ordinariam, & ſpecialem inquiſitionem contra aliquem procedere, niſi clamoſa inſinuatione præcedente.*

4 *Fama in judicio inquiſitionis obtinet vicem accuſatoris.*

5 *Appellari poteſt ab inquiſitione, quæ fit contra ſubditum non præcedente fama.*

6 *Inquiſitio extraordinaria, & generalis quæ ſit.*

7 *Fieri poteſt etiam fama non præcedente ſummariè, & ſine ſtrepitu judiciali.*

8 *Epiſcopus in viſitatione inquirere poteſt, nedùm de rebus ſcandaloſis, & publicis, ſed etiam ſecretis.*

Edicta contra non revelantes concubinarios, & uſurarios publicari poſſunt ab Epiſcopo, etiam non adhibitis duobus de Capitulo.

10 *Executio non debet præcedere ſententiam.*

11 *Pœna in notoriis infligitur etiam ſententia non præcedente.*

12 *Epiſcopus in criminibus Eccleſiaſticis inquirere poteſt contra laicos privativè ad judicem ſæcularem.*

13 *In criminibus mixti fori procedit tàm judex Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis, & eſt locus præventioni.*

14 *Judex Eccleſiaſticus in terris Imperii regulariter non ſe ingerit contra laicos in delictis non Eccleſiaſticis, nec mixtis.*

15 *Adulterii crimen eſt mixti fori.*

16 *Laici adulteri poſſunt ab Epiſcopo excommunicari, & in Monaſterium detrudi.*

17 *Judex Eccleſiaſticus tantùm procedit in crimine adulterii, quando agitur ad ſeparationem thori.*

18 *Concubinarii tàm ſoluti, quàm uxorati ſi ter admoniti concubinas non ejecerint excommunicari poſſunt ex Conc. Trident.*

19 *Etiamſi cum diverſis concubinis ſucceſſivo tempore fuerint deprehenſi.*

20 *Monitio trina contra adulteros, & concubinarios non eſt neceſſaria, niſi quando ad excommunicationem proceditur, & puniri poſſunt aliis pœnis etiam non expectato anno poſt excommunicationem, & numer. 22.*

21 *Concubinarii in prima, ſecunda, & tertia monitione puniri poſſunt pœna pecuniaria piis locis, vel apparitoribus applicanda.*

22 *Pœnæ à jure communi, vel ſtatutis Synodalibus contra concubinarios inflictæ non ſunt ſublatæ à Concilio Tridentino.*

23 *Pœna ejectionis extra oppidum contra mulieres adulteras, & concubinas non habet locum in viris.*

24 *Privilegium habilitandi illegitimos ad dignitates, & gradus aliquibus Religionibus conceſſum non eſt ſublatum à Conc. Trid.*

25 *Epiſcopus in ſua diœceſi habet juriſdictionem ordinariam, & merum, & mixtum imperium, & num. ſeqq.*

Juriſdictio ordinaria, quæ dicatur ibid.

26 *Diœceſis appellatione etiam civitas includitur.*

27 *Imperium merum quid ſit.*

28 *Epiſcopi an poſſint in ſua diœceſi quidquid poteſt Papa in univerſali Eccleſia, exceptis his, quæ Papa ſibi ſpecialiter reſervavit, & num. ſeqq. uſque ad numer. 72.*

29 *Epiſcopi an accipiant poteſtatem juriſdictionis immediatè à Chriſto, an verò à Papa, & n. ſeqq. uſq. ad num. 55.*

30 *Juriſdictio haberi poteſt ab alio immediatè dupliciter.*

31 *Epiſcopi vocati ſunt ab Eccleſia Romana in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, & numer. 67.*

32 *Intellectus* c. Qui ſe ſcit, & c. Decreto 2. *q.* 6.

33 *Papæ, & omnes alii Epiſcopi ſunt coæquales in poteſtate ordinis.*

34 *Intellectus* c. In novo 21. diſt.

35 *Conceſſio liberæ poteſtatis cenſetur reſtricta ad limites juris.*

36 *Eccleſiæ omnes reguntur per authoritatem Eccleſiæ Romanæ.*

37 *Dignitates omnes inſtituit, & fundavit Romana Eccleſia.*

38 *Juriſdictio omnium Prælatorum Eccleſiæ dependet ab Eccleſia Romana non quoad executionem, ſed etiam quoad ſubſtantiam poteſtatis.*

39 *Juriſdictiones ſunt principaliter apud Principem tamquam apud fontem.*

40 *Eccleſiæ particulares ad Eccleſiam Romanam comparantur ſicut radii ad Solem, rivuli ad fontem, & rami ad radicem.*

41 *Caput unde dictum.*

42 *Juriſdictio non eſt ſine ſubditis, & n. ſeqq.*

43 *Correlativa poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt.*

44 *Poteſtas ſacramentalis non poteſt auferri ab Eccleſia.*

45 *Poteſtas juriſdictionalis eſt ex injunctione hominis, nec immobiliter adhæret.*

46 *Epiſcopi titulares habent poteſtatem ordinis, ſed non executionem, ſeu poteſtatem juriſdictionis.*

47 *Apoſtoli non receperunt immediatè juriſdictionem à Chriſto, ſed à Petro.*

48 *Petrus ſolus immediatè à Chriſto fuit creatus Epiſcopus.*

49 *Juriſdictio non poteſt eſſe niſi in ſubjecto, & principaliter cohæret perſonæ.*

50 *Epiſcopos eſſe poſitos à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, quomodo ſit intelligendum.*

51 *Petro, & illius ſucceſſoribus tantùm data eſt à Chriſto poteſtas regendi univerſalem Eccleſiam.*

52 *p oſtolis populos Chriſtus non diviſit.*

53 *Juriſdictio non debet eſſe vaga, & incerta.*

54 *Juriſdictio ordinaria, & univerſalis cohæret territorio.*

55 *Epiſcopi poſſunt cauſas fidei ventilare, ſed non diffinire.*

56 *Cauſæ majores Eccleſiæ ex divina inſtititutione ad Romanam Eccleſiam referuntur.*

57 *Canonizatio Sanctorum, tranſlatio, depoſitio, & ceſſio Epiſcoporum pertinent ad ſolùm Papam non tàm inſtitutione canonica, quàm inſtitutione divina.*

58 *Papa ſolus diſpenſat in voto ſolemni paupertatis, & continentiæ.*

59 *Item delegat mero laico cauſas criminales Clericorum & facultatem excommunicandi.*

60 *Epiſcopus Clericorum cauſas delegare non poteſt laico, & Clerico ſimul, nec Clerico conjugato.*

61 *Papa ſolus diſpenſat in matrimonio rato non conſummato.*

62 *Item in aliquibus gradibus prohibitis in Levitico.*

63 *Item inducit impedimenta dirimentia, & inhabilitat homines ad contrahendum.*

64 *Item diſpenſat contra Apoſtolum ſuper bigamia.*

65 *Poteſtas clavium non recipit interpretationem reſtrictivam.*

66 *Indulgentias concedendi poteſtas plenè reſidet in Papa, in Epiſcopis verò eſt taxata ſecundùm Papæ ordinationem.*

67 *Papa ſolus poteſt commutare pias diſpoſitiones tàm in ultima voluntate, quàm inter vivos.*

68 *Item derogare juramento, pactis, & privilegiis in limine fundationis.*

69 *Et rem uni Eccleſiæ auferre, & dare alteri.*

70 *Item novum ordinem, ſeu Religionem approbare, & erigere dignitates omninò novas.*

Epiſcopus de Capituli conſenſu poteſt in Cathedrali novas dignitates erigere, uſitatas tamen, & ſacris Canonibus cognitas, ibid.

71 *Ordo Epiſcoporum eſt de jure divino, & præcipuus in Eccleſiaſtica Hjerarchia.*

72 *Epiſcopi cogere poſſunt judices laicus ad præſtandum brachii ſæcularis auxilium, ſed non è converſo.*

73 *Conſilium reverentiæ obligationem non excludit.*

1 P*Erniciosam*. Epiſcopi in ſuis diœceſibus poſſunt crimina inquirere, & punire, & cùm opus fuerit invocacare brachium ſæculare. Hoc dicit. Primò ponit deciſum exordium. Secundò diſpoſitionem ibi, *habeant*.

2 Nota primò ex illis verbis, *Epiſcopi ſingularium urbium*, in ſingulis urbibus ſingulos Epiſcopos eſſe conſtituendos, *cap. Epiſcopi 80. diſt. c. 1. de privil.* & notant hic Jo. Andr. & Card. *in princ.* & Abb. *n. 1. in 3. not.*

3 Secundò nota, *inquirere*, Epiſcopum in criminibus procedere poſſe per viam inquiſitionis, intellige dummodò præcedat infamia, ſi inquiſitio ſit ordinaria, & ſpecialis contra
4 certam perſonam, ſecundùm DD. quia tunc frequens, & clamoſa fama obtinet vicem accuſatoris, *c. Qualiter inf. de accuſ. c. Inter ſollicitidines de purgat. canon. c. Licèt Heli de Simon.* & ideò recipiuntur teſtes etiam lite non conteſtata, *c. Quoniam frequenter, ut lit. non conteſt.* ſecundum gl. *hic in ver. inquirere*, Butr. *n. 16.* qui poſt Hoſt. *n. 18.* declarat hoc ultimum verum eſſe, quando proceditur ex puro, & mero
5 officio judicis; ſecus ſi ad alterius inſtantiam. Quod ſi fieret ſpecialis inquiſitio contra ſubditum non præcedente fama, poſſet appellari, ſecundùm gl. *in c. Licet in verb.*
6 *Appellare inf. eod.* & Bald. *hic in princ.* Sin autem inquiſitio ſit extraordinaria, & generalis, quæ fit quando incerta ſunt delicta, & perſonæ, in viſitando diœceſim, vel Provinciam, *c. Sicut olim de accuſat. & cap. Romana, §.*
7 *Sanè de cenſ. lib. 6.* vel quando maleficium eſt certum, ſed ignoratur quis fecerit, ut in *l. Congruit, ff. de off. Præſid.* tunc ſummariè, & ſine ſtrepitu judiciorum procedi poteſt etiam infamia non præcedente, *cap. Bonæ, il primo*, ibi gl. *de elect. cap. 1. de poſtul. Prælat. c. Ut Clericorum, de vit. & honeſt. Cler.* Ita poſt Petr. de Samplone diſtinguit, & declarat hìc Abb. Antiq. *n. 2.* & poſt eos Guido, Hoſt. & Jo. Andr. *n. 15. in gl. 1.* Ant. de Butr. *n. 16. verſ. Veniamus ad gl. 1.* Imol. *n. 8.* Bald. *n. 21. verſ. Si maleficium eſt commiſſum*, 8
& Abb. *n. 6.* Unde S. Congr. Concilii ab Epiſcopo Abulenſi conſulta, An Epiſcopus poſſit nedum de rebus ſcandaloſis, & publicis, ſed etiam ſecretis in viſitatione inquirere: Reſpondit poſſe. Et cùm aliàs Epiſcopus Gerunden. publi- 9
caſſet edicta adverſus ſcientes, & non revelantes concubinarios, & uſurarios tàm Clericos, quàm laicos, eaque Canonici prætenderent ipſos non afficere, cùm non fuiſſent adhibiti duo de Capitulo, juxta *c. 6. ſeſſ. 25. Conc. Trid.* S. Congregatio cenſuit ejuſmodi edictis, & Canonicos comprehendi, nec opus eſſe, ut eis proponendis Epiſcopus adjunctos adhibeat.

Tertiò nota differentiam inter verbum *ulciſci*, *judi-* 10
care, atque ita ordo eſt præpoſterus: nam primò fertur ſententia, deindè infligitur pœna, nec præmittitur executio, *c. Quod ad conſultationem de re judic.* ſimile habetur in *c. 1. de judic.* Sed dic verbum, *ulciſci*, referri ad notorium verbum, *judicare*, ad non notorium. Quo ſenſu or- 11
do hìc poſitus non eſt præpoſterus, quia in notoriis pœna infligitur non præcedente ſententia, *c. Ex parte de verb. ſignif.* & ibi notat Innoc. Vel dic verba, *ulciſci*, & *judicare*, eſſe hìc ſynonyma, vel primum quando Epiſcopus procedit ex officio. Secundum quando in forma judicii, id eſt, per viam accuſationis, quos intellectus ad hunc textum poſuit Boattinus, cùm quo tranſeunt Jo. Andr. *nu. 4. in ver. Ulciſci*, & Butr. *n. 9.*

Quartò nota Epiſcopum in adulterio, & aliis crimini- 12
bus poſſe ad inquiſitionem, & punitionem procedere, non ſolùm contra Clericos, ſed etiam contra laicos; quia hæc Decr. generaliter loquitur ſecundùm Innoc. *hic in princ. in ver. Inquirere*, cui ſubſcribunt Hoſtien. & Joan. Andr. *in eod. ver.* Allegantes textum in *cap. At ſi Clerici de judic. & in cap. Ad petitionem de accuſat.* Anton. de Butr. *n. 10.* Bald. *n. 12.* & Abb. *num. 3.* Et quamvis Innocentius ſubdat hoc verum eſſe, dummodò ſint ſpiritualia, vel aliàs pertineant ad ſuam juriſdictionem ea, de quibus inquirit: hoc tamen ideò dixit, quia quædam ſunt crimina merè Eccleſiaſtica, in quibus palàm eſt Epiſcopum privativè ad judicem ſecularem procedere poſſe etiam contra laicos, ut in crimine hæreſis, *c. Ut inquiſitionis, §. Prohibemus de hæret. lib. 6.* Quædam ſunt crimina mixti fori, in quibus 13
procedit Epiſcopus etiam contra laicos, non tamen privativè ad judicem ſæcularem, ſed uterque procedere poteſt, & eſt locus præventioni, ut in crimine ſacrilegii, *c. Cum ſit generale de foro comp. & c. Felicis de pœn. lib. 6.* De 14
aliis verò criminibus, quæ nec ſunt merè Eccleſiaſtica, nec mixta, regulariter non ſe ingerit judex Eccleſiaſticus contra laicos in terris imperii, *c. Venerabilem de elect. c. Cauſam, il ſecondo, qui fil. ſint legit.* quia non debet ponere falcem in meſſem alienam, cùm diſtinctæ ſint juriſdictiones, *c. Quorum 10. diſt. c. Cum ad verum, & c. Si Imperator 96. diſt.* pulchrè Oldrad. *conſ. 83. incip. An Epiſcopus*, niſi indirectè quoad pœnitentiam imponendam, & ad peccatum prohibendum, *c. Novit*, cum ibi notatis per Innoc. & Doctores, *de judic.* vel niſi notoria ſint crimina, ut ſuper his meritò notari poſſit judicis laici negligentia, *dict. c. Novit, c. 1. §. Sanè de cenſ. lib. 6. & cap. Ex tranſmiſſa infrà de for. comp.* Et de his vide gl. quæ alios etiam caſus recenſet *in Summa 11. quæſt. 1.* Crimen autem adulterii eſt 15
mixti fori, & poteſt in Epiſcopus procedere etiam contra laicos, ut tradit Abb. *in cap. Intelleximus nu. 1. de adulter.* Et eſt communis opinio, ut teſtatur hìc Alciat. *num. 18. in 5. notab.* & Jul. Clar. *in pract. crimin. §. fin. quæſt. 37. verſ. Numquid cauſa adulterii ſit communis fori*, & de hoc dicit Abb. *num. 3.* eſſe textum notabilem hìc, quem ſæpiùs ſolet allegare, quia non reſtringitur ad Clericos, nam de Clericis nullum fuiſſet dubium, ſed loquitur generaliter in tota diœceſi; & ideò locus eſt præventioni inter judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem, ut per eum. Unde Epiſcopus præveniens poteſt laicos excommunicare, & in Monaſterium detrudere, & eſt communis 16
opinio teſte Covarr. *in 4. Decretal. par. 2. cap. 7. nu. 20.* quem refert Villalob. *in ſua collecta communium opinionum littera L. num. 5.* & Clar. *loco citato*. Et ſanè cum hoc delicto violetur ſacramentum matrimonii, ut in *cap. Nemo 32. quæſt. 4.* & in decreto Concilii Tridentini

ſeſſ.

ſeſſ.24. de reform. matrim. c. 8. ibi in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum: meritò ejus vindicta non minus pertinet ad judicem Eccleſiaſticum, quàm ad ſæcularem, ut ibi ait Clar. Præterquamquod ſi Epiſcopus in crimine ſtupri, in quo nulla fidei matrimonialis violatio intercedit, poteſt procedere etiam contra laicos, ut eſt tex. in *c.* 1. *&* 2. *de adulter.* fortiùs idem dicendum in crimine a-
17 dulterii. Quinimò Jo. Andr. *in c.fin. de foro comp. lib.* 6. & Butr. *hic num.* 10. dicunt adulterium eſſe crimen Eccleſiaſticum, itaut in eo nullatenus procedere poſſit judex ſæcularis: & eſt de mente gloſſæ *hìc in verb. Secundum quod canones cenſent*, dum dicit pertinere ad Epiſcopum inquirere de hujuſmodi criminibus Eccleſiaſticis, & primo loco exemplificat in adulterio. Verùm hoc debet intelligi quando agitur ad ſeparationem thori; ſed quando agitur ad pœnam, non eſt merè Eccleſiaſticum, ſed mixtum, & in eo procedit etiam laicus, ut in *c. Rex debet* 23. *quæſt.* 5. *& in c. Tuæ de procur.* & declarat hìc Abb. *n.* 3. Et de communi opinione teſtantur Dec. *conſ.*212. *poſt n.*2. Covarr. & Clar. *loc. cit.*

18 Hodie Epiſcopum procedere poſſe in crimine adulterii, etiam contra laicos, eſt extra omne dubium, quia in *dict. c.8. ſeſs.24. de reform. matrim.* ſtatutum eſt, *concubinarios tam ſolutos, quàm uxoratos cujuſcumque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint; excommunicatione feriendos eſse, à qua non abſolvantur donec re ipſa admonitioni factæ paruerint. Quod ſi in concubinatu per annum cenſuris neglectis permaſerint, contra eos ab Ordinario ſeverè pro qualitate criminis procedatur. Et mulieres, ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ cum adulteris, ſeu concubinariis publicè vivunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum nullo etiam requirente ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel diœceſim, ſi id eiſdem Ordinariis videbitur, invocato ſi opus fuerit brachio ſæculari, ejiciantur; aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus*. Hæc
19 ibi. Quod decretum S. Congr. cenſuit eſſe intelligendum etiam in eo, qui cum diverſis concubinis ſucceſſivo tempore fuerit comprehenſus: & monitionem de qua in eodem decreto, poſſe fieri quandocumque in peccato deprehenditur, & poſſe procedi non modò in viſitatione, ſed in o-
20 mnibus temporibus, & omnibus modis etiam per inquiſitionem: nec trinam monitionem eſse neceſsariam, niſi quando ad excommunicationem proceditur, nec poſt excommunicationem eſse expectandum annum antequam ad alias pœnas contra concubinarios procedatur.

21 Sed an ſtante forma hujus decreti, & probato concubinato poſſit judex Eccleſiaſticus in prima, ſecunda vel tertia monitione, & in unaquaque earum laicum concubinarium punire aliqua pœna pecuniaria piis locis, vel apparitoribus applicanda? Et fuit reſponſum poſſe, ſtante præſertim conſuetudine Eccleſiæ: nec judices ſæculares poſse inhibere judicibus Eccleſiaſticis ne ſervent formam trium monitionum, dum contra concubinarios procedunt.

22 Porrò hoc decreto non tolluntur aliæ pœnæ à jure communi, vel ſtatutis Synodalibus contra concubinarios inflictæ; neque alius contra eoſdem modus procedendi, niſi vellet Ordinarius illos excommunicare, quia tunc forma trium monitionum ibi præſcripta ſervanda eſt, ut S. Con-
23 gregatio declaravit. Verùm quod ſtatuitur de mulieribus ejiciendis, fuit judicatum non intelligi de viris. Sed mulieres quæ cum adulteris, & concubinariis publicè vivunt, poſse ultrà exilium aliis etiam pœnis contra adulteros, &
24 concubinarios inflictis cumulativè puniri. Non tamen eo decreto ſublatum eſse privilegium alicui religioni conceſſum habilitandi illegitimos ad dignitates, & gradus illarum. Contra Clericos verò concubinarios ſervandum eſt quod ſtatuitur ejuſdem Concilii decreto in *cap.*14. *ſeſs.*25. *de reform.*

25 Quintò nota in Epiſcopum in ſua diœceſi habere juriſdictionem ordinariam, & merum, & mixtum imperium. De juriſdictione patet, tum quia hìc tribuitur à lege: ergo eſt ordinaria, ut notatur *in c. Cùm ab Eccleſiarum inf. eod.* & tradit hìc Card. *in* 3. *notab.* & ad hoc quotidiè allegatur decretalis: tum quia eſt ad univerſitatem cauſarum in civitate, & diœceſi: ex hoc enim deprehenditur juriſdictio eſſe ordinaria, *c. pen. ff. de off. Deleg. lib.* 1. *C. De off. ejus qui vic. alter. ger.* & notat Hoſt. *in c.* 1. *n.* 1. *ſup. de off. Arch.* Bart. *in l. Ambitioſa in fin. de decr. ab ordin. facien.* & Bald. *conſ.*90. *Quæritur utrum arbitri*, *& conſ.* 364. *Dominus Dux lib.* 1. 26
Dixi in civitate, & diœceſi, quia hìc diœceſis appellatione etiam civitas includitur, ſecundùm Hoſt. Jo. And. & omnes; abſurdum enim eſſet, ut Epiſcopus haberet juriſdictionem in diœceſi, & non in civitate, ut advertit Abb. *n.* 2.

De mero, & mixto imperio ſimiliter patet, quia Epiſco- 27
pi in ſuis diœceſibus liberam habent poteſtatem inquirendi, & puniendi crimina, ut hìc ſtatuitur. Hoc autem eſt meri imperii, *l. Imperium, ff. de juriſd. omn. judic. l. Illicitas, §. Qui univerſas*, juncta gl. *in verb. Jus gladii, ff. De offic. Præſid. l. Sciant, C. de probat.* Eſt enim merum imperium poteſtas, ſeu juriſdictio ſeverioris ultionis exercendæ in perſonam pro utilitate publica introducta, ut magiſtraliter diffinit, & explicat Oldrad. *conſ.* 10. *Venditum eſt Caſtrum n.* 2. ſic Præſes, ad quem ſpectat Provinciam malis hominibus purgare, ut *l. Congruit, ff. De off. Præſid.* majus omnibus poſt Principem habet imperium, *l. Præſes Provinciæ, la prima, ff. eod.* & ita de Epiſcopis tenet per hanc litteram Card. *in* 3. *not.* & Abb. *in* 2. *gloſs. in cap. Si quis Epiſcopus, in ver. Quia alibi* 2. *q.* 7. & Gundiſal. Villadiego *in tract. de hæret. q.*11. *n.*16. *& ſeqq.*

QUÆRO, An vera ſit eorum opinio, qui putant Epiſ- 28
copos jure divino in ſua diœceſi poſſe quidquid poteſt Papa in tota univerſali Eccleſia exceptis his, quæ Papa ſibi ſpecialiter reſervavit.

Id enim affirmant Abulen. *cap.* 19. *Matth. q.* 87. *litt. E.* Victor. *de matrim. p.* 1. *num.* 1. Soto *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.*4. *verſ. At quo tandem*, *& lib.* 10. *de juſt. & jur. qu.* 1. *art.* 3. *ad ſecundum*, Sanch. *de matrim. lib.*1. *diſp.*61. *nu.*3. Suarez *t.*4. *de pœnit. diſp.*25. *ſect.*1. *nu.*13. *& de legibus lib.* 6. *cap.* 14. *ſub num.* 3. & ex Juriſperitis Gammara *de offic. leg. lib.*10. *cap.* 35. §.2. *& lib.*12. *cap.* 3. §.2. *in commen. littera N.*

Exiſtimo hanc doctrinam falſam eſſe. Quod ut eviden- 29
tiùs appareat, diſcutiendum eſt prius, An Epiſcopi accipiant poteſtatem juriſdictionis immediatè à Chriſto, an verò à Papa.

Pro cujus articuli clariori ſolutione præmittendum eſt 30
ex Divo Thoma *in* 1. *ſent. diſt.* 12. *qu.* 1. *art.* 3. & Card. Turrecr. *in c. Omnes n.* 2. & Præp. *ibidem n.* 1. *verſ. Nam ut etiam dicit* 22. *diſt.* duobus modis dici poſſe aliquem habere juriſdictionem ab alio immediatè. Primò, quantum ad immediationis virtutis, & hoc modo omnis authoritas, & poteſtas cujuſcumque Prælati in Eccleſia eſt à Chriſto immediatè ſecundùm illud ad Rom. 13. *Omnis poteſtas eſt à Deo*, & hìc non eſt caſus noſter. Deindè quantum ad immediationem ſuppoſitorum agentium; quomodò tunc tantùm dicitur aliquis à Chriſto immediatè poteſtatem ſuſcipere, quando inter accipientem poteſtatem, & ipſum Chriſtum conferentem non eſt aliquod medium ſuppoſitum ſuſcipiens à Chriſto, & conferens ipſam poteſtatem alteri. Et ſecundùm hoc ſtatuenda eſt concluſio Epiſcoporum juriſdictionem non eſſe immediatè à Chriſto, ſed à Romano Pontifice.

Probatur primò *in c. Qui ſe ſcit* 2. *quæſt.* 6. ubi Vigilius 31
Papa ſic ait: *Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem vocatæ ſint ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*, *& in c. Decreto ead. cauſ. & qu.* ubi Gregorius ad omnes Epiſcopos, *Romana*, inquit, *Eccleſia vices ſuas ita aliis largiendas impertivit Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudine poteſtatis*. Ponderanda ſunt enim illa 32
verba, *largiendas impertivit*, quæ clarè oſtendunt juriſdictionem Epiſcopi collatam fuiſſe non immediatè à Chriſto, ſed ex largitione, & conceſſione Eccleſiæ Romanæ. Prætereà ponderanda ſunt verba, *vocatæ in partem*. Nam ſi Eccleſia Romana vices ſuas impertitur aliis Eccleſiis in partem ſolicitudinis eas vocando: ergo ab ipſa Eccleſia Romana aliæ Eccleſiæ poteſtatem regiminis accipiunt. 33
Quam conſequentiam dicit eſſe claram Turrecr. *in d. cap. Omnes nu.*3. *verſ. Sextò* 22. *diſt.* Neque verò præcitati canones intelligi poſſunt de poteſtate ordinis, quia in illa Summus Pontifex, & omnes alii Epiſcopi ſunt coæquales, & omnem actum hjerarchicum, quem poteſt facere Papa in miniſtratione Sacramentorum, poteſt facere Epiſcopus,

ut formaliter inquit S. Th. in 4. *diſt.* 24. *qu.* 3. *art.* 2. *q.* 3. *ad tertium*. Et de hac poteſtate ordinis intelliguntur verba Anacleti in *cap. In novo* 21. *diſt.* ibi: *Cæteri Apoſtoli cum eo-*
34 *dem* (ſcilicet Petro) *pari conſortio honorem acceperunt*, ut illic declarat gl. *in ver. Pari*, Arch. *n.* 12. Bellam. *n.* 5. Præp. *n.* 9. Supereſt ergo, ut prædicta jura loquantur de poteſtate juriſdictionis, & concordat text. *in c. Multum* 3. *q.* 6. ibi: *Vices enim noſtras ita tuæ credimus charitati, ut in partem ſit vocatus ſolicitudinis*.

Secundò id etiam probatur in hac decretali, ubi dicitur: *Habeant Epiſcopi in ſuis diœceſibus liberam poteſtatem adulteria, & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare*; non enim dicit, habent, per viam declarationis, ſed habeant, per modum ſtatuti, & conceſſionis, ſecundùm gl. *in princip.* Ideòque Card. in 3. *notab.* ex hac littera elicit juriſdictionem Epiſcoporum eſſe ordinariam, quia illis tribuitur à lege. Concordat text. *in cap. Omnes* 16. *qu.* 7. *in cap.* 1. 16. *quæſt.* 2. *& in cap. Perlectis* 25. *diſtinct.* per quæ jura Innoc. *in cap. Cùm ab Eccleſiarum num.* 4. *infrà eodem*, dicit Epiſcopos habere ordinariam juriſdictionem à Canone.
35 Prætereà quamvis text. dicat, *liberam poteſtatem*, ſubdit tamen, *ſecundùm quod canones cenſent*: ex quibus verbis Anton. de Butr. *n.* 3. & Abb. *num.* 4. notant conceſſionem liberè poteſtatis reſtrictam cenſeri ad limites juris, *c.* 1. *& cap. Ne innitaris ſup. de conſtit.*
36 Tertiò idem conſtat ex *c. Sacroſancta* 22. *diſtinct.* ubi Anacletus: *Hæc vero*, inquit, *Apoſtolica Sedes cardo, & caput omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio eſt conſtituta, & ſicut cardine oſtium regitur, ſic hujus Sanctæ Sedis authoritate omnes Eccleſiæ Domino diſponente reguntur*. Si reguntur per authoritatem Romanæ Eccleſiæ, ergo ab ipſa immediatè habent juriſdictionem.
37 Quartò, *omnes ſive Patriarchii cujuslibet apices, ſive Metropoleon primatus, aut Epiſcoporum Cathedras inſtituit Romana Eccleſia*. Quæ ſunt verba Nicolai II. relata in *cap. Omnes* 22. *diſt.* Idemque habetur in decretali epiſtola, quam ad Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit Eugenius IV. dum præſideret in Concilio Florentino, quæ incipit, *Non mediocri in §. Quod verò hæc dignitas*. Sed & Vigilius Papa in decretis ſuis ſcribens Epiſcopo Eleutherio: *Nulli*, inquit, *vel tenuiter ſcienti, vel pleniter ſapienti dubium eſt, quod Eccleſia Romana fundamentum ſit, & forma Eccleſiarum, à qua omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe nemo rectè credentium ignorat.* Et Innocentius I. ad Decentium Epiſcopum, *Manifeſtum eſſe ait omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interiacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt*
38 *Sacerdotes.* Quod refertur in *c. Quis neſciat* 11. *diſt.* Si igitur omnes Eccleſias inſtituit, & fundavit Eccleſia Romana; conſequenter ab ipſa in omnes Eccleſiæ Prælatos juriſdictio derivavit, cùm fundamentum ſit principium, & origo totius ædificii, *Cùm Paulus* 1. *q.* 1. Unde Turrecr. *in d. cap. Omnes diſt.* 22. *nu.* 3. *verſ. Quintò, Nullus*, inquit, *credentium dubitare debet, quin poteſtas juriſdictionis omnium Prælatorum non modo quoad executionem, ſive uſus amplitudinem, ut quidam fingere voluerunt, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam poteſtatis dependeat à Romana Eccleſia, à qua etiam omnes principium ſumpſiſſe dicuntur.*

Quintò ſecundùm Alex. de Ales, Albertum Magnum S. Thomam, S. Bonaventuram, & Turrecr. inferiùs citandos ſub *num.* 50. probatur eadem ſententia, quia in omni Principatu poteſtas juriſdictionis derivatur ad quamcumque perſonam illius Principatus ab ipſo Principe. Unde Beatus Dyoniſius tàm in cœleſti Hjerarchia, quàm in Eccleſiaſtica docet ab ipſo Hjerarcha in omnes Hjerarchiæ
39 perſonas irradiationis lumen profluere. Et ut Bald. inquit *in cap.* 1. *§. Ad hoc n.* 11. *de pac. juram. firman. juriſdictiones principaliter ſunt apud Principem tamquam apud fontem, à quo fluunt, & refluunt ſicut flumina ad mare*; adeòut ſecundùm eum in *d. §. Ad hoc n.* 2. nec minima juriſdictio poſſit conferri, niſi authoritate Principis mediata, vel immediata, allegat notata in *l. Et quia, ff. De juriſd. omn. judic. in l. Privatorum, C. eod. tit.* & per Innoc. *in c. Cùm ab Eccleſiarum inf. eod.* Sed Papa eſt Princeps, ſive Monarcha Principatus Eccleſiæ, *c. Nolite* 11. *diſt.* & dixi latiſſimè in *c. Significaſti ſup. de elect.* Ergo poteſtas juriſdictionis omnium Prælatorum Eccleſiæ derivatur à Papa.

Sextò, in unoquoque ordine ab eo, in quo reſidet plenitudo virtutis, pendet, & profluit virtus ſequentium illo ordine, ſecundùm Ariſtotelem 2. *Metaphyſic.* ſed Romanus Pontifex eſt primus in ordine Prælatorum Eccleſiæ, ut in Concilio Conſtantinopolitano, in quo Patres ſic dixiſſe leguntur: *Veneramur ſecundùm ſcripturas & canones, & diffinitiones Sanctiſſimum Romæ Epiſcopum primum, & maximum omnium Epiſcoporum.* Et in eo reſidet plenitudo poteſtatis, ut in *c. Cùm ex eo, de pœnit. & remiſſ. & in c. Quodcumque* 24. *qu.* 1. Ergo poteſtas juriſdictionis omnium ſequentium Prælatorum pendet, & derivatur ab ipſo Romano Pontifice.

Septimò, Eccleſiæ particulares ad Eccleſiam Romanam 40
comparantur ſicut radii ad Solem, ſicut rivuli ad fontem, ſicut rami ad radicem, *c. Loquitur Dominus* 24. *q.* 1. Ergo quidquid habent virtutis, regiminis, aut juriſdictionis ab Eccleſia Romana habent.

Octavò, omnia membra à capite recipiunt derivationem 41
virtutis, ſenſus, & motus ſui regiminis: nam ut inquit Iſidor. relatus à Turrecr. in *d. c. Omnes n.* 3. *verſ. Quartò* 22. *diſt.* Ideò datum eſt capiti hoc nomen, quod ſenſus omnes, & nervi initium capiant, atque ex eo omnis vigendi cauſa oriatur. Sed Summus Pontifex eſt caput omnium Prælatorum, *c. Non decet* 12. *diſt. c. Ita Dominus* 19. *diſt. & c. Sacroſancta* 22. *diſt.* Ergo à Summo Pontifice cæteri Eccleſiæ Prælati poteſtatis ſuæ capiunt originem.

Nonò, Epiſcopi omnes recipiunt ſubditos immediatè à 42
Romano Pontifice, ad quem pertinet ſingulis Epiſcopis diœceſes aſſignare, Eccleſias, & ſubditos præfinire, *c. Omnes* 16. *q.* 7. & notatur in *c. Sicut unire*, in gl. *in ver. Pertineant, de tranſlat. Epiſc.* Sicut fecit Dionyſius Papa, ut in *c. Eccleſias* 13. *q.* 1. Ergo ab ipſo Romano Pontifice recipiunt immediatè juriſdictionem: nam poteſtas juriſdi- 43
ctionis dicitur relativè ad ſubditum. Relativa autem poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt, *l. fin. ff. De acceptilat.* quam ad hoc notat Bald. in Auth. *Si quas ruinas col.* 2. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Unde ſicut ſi non eſt ſervus, non eſt dominus, propterquod ſecundùm Auguſtinum, *Deus non fuit Dominus quouſque non habuit creaturam ſuam*: ita ſi non eſt ſubditus, non eſt Prelatus, nec judex qui poſſit eum judicare, ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? ſuo domino ſtat, aut cadit*. Et declarat Turrecr. in *c. Dominus n.* 10. 19. *diſt.* Atq; ita ſine ſubditis non eſt juriſdictio, *c. Monachi, c. Sic jure, c. Si Clericatus, & c. ſeqq.* 16. *q.* 1. quibus patet Monachos, quamvis recipiendo ordinem recipiant officii poteſtatem, non tamen recipere juriſdictionem niſi occaſione populi, & idem probatur in Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. *de caſ. reſervat.*

Decimò, ſi poteſtas juriſdictionalis Epiſcoporum eſſet 44
immediatè à Chriſto, non poſſet auferri ab Eccleſia, ut patet in poteſtate Sacramentali, ſeu ordinis, quæ cùm conferatur per conſecrationem, eſt immobilis ſicut aliæ conſecrationes Eccleſiæ, *c.* 1. *& c.* 3. *de conſecr. Eccleſ. vel Altar.* & ideò ſecundùm ſuam eſſentiam manet in Epiſcopo quamdiu vivit, ſive in ſchiſma, ſive in hæreſim labatur, *c. Quod quidam* 1. *q.* 1. S. Th. in 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. & in Epiſcopo etiam depoſito, & degradato ſecundùm gl. & DD. *in Summa* 9. *q.* 1. & Arch. in *c.* 1. oſtenditur, *de conſecr. diſt.* 4. quia character, ſuper quo fundatur poteſtas Sacramentalis animæ impreſſus à Deo, ab homine auferri non poteſt, ut inquit Silv. *in ver. Degradatio n.* 9. Sed conſequens eſt falſum, 45
quia poteſtas juriſdictionalis auferri poteſt ab Eccleſia, nec immobiliter adhæret, ut patet in Epiſcopo ſuſpenſo, excommunicato, hæretico, vel ſchiſmatico, *c. Omnibus, c. Ait Cœleſtinus, c. Apertè, & §. His auctoritatibus* 24. *q.* 1. ergo falſum eſt etiam poteſtatem juriſdictionalem eſſe immediatè à Chriſto. Quo argumento S. Thom. *loc. cit.* concludit poteſtatem juriſdictionis in Epiſcopo eſſe ex injunctione hominis.

Undecimò, ſi ex Divina inſtitutione unuſquiſque eo ipſo, quod eſſet conſecratus Epiſcopus, haberet poteſtatem juriſdictionis in proprietatem, ut in neceſſario conjunctam cum poteſtate Sacramentali, ſequeretur ut nullus Epiſcopus creari, aut reperiri poſſet ſine poteſtate juriſdictionis. Sed conſequens eſt falſum, quia Epiſcopi titulares in partibus infidelium, quamvis habeant poteſtatem ordinis, tamẽ executionem, & poteſtatem juriſdictionis non habẽt tamquã Clero, & populo carentes, ut *in c.* 2. *ſeſſ.* 14. Conc. Tridentini:

tini: ſicut nec Epiſcopi ante expeditas litteras Apoſtolicas
ſuæ promotionis, conſecrationis, vel confirmationis, ut
in Extravag. *Injunctæ de elect.* nec Epiſcopus qui renun-
ciavit Epiſcopatui. Ergo & antecedens.
47 Duodecimò, & ultimò, aliis omiſſis probatur hæc ſen-
tentia, quia Apoſtoli non receperunt immediatè juriſdi-
ctionem a Chriſto, ſed à Petro, *c. Ita Dominus* 19. *diſt.* ubi
Leo Papa: *Ita Dominus hujus muneris Sacramentum ad
omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in Bea-
tiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter col-
locaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in cor-
pus omne diffunderet*; & docet S.Th. *in Summa contra genti-
les quæſt.* 7. dicens: *Soli Petro promiſit Dominus, Tibi
dabo claves Regni Cœlorum, ut oſtenderetur poteſtas clavium
per eum ad alios derivanda ad conſervandam Eccleſiæ uni-
tatem*, juxta *cap. Loquitur Dominus* 24. *q.* 1. Idque ſolidiſ-
ſimis rationibus, & authoritatibus comprobat, & ab obje-
ctis tuetur Cardinalis Turrecr. *in d. c. Ita Dominus num.* 9.
verſ. Ad tertium, uſq. in fin. 19. *diſt.* & Cardin. Jacobatius
48 *de Concil. lib.* 10. *art.* 7. Et confirmatur, quia ſolus Petrus
immediatè à Chriſto fuit creatus Epiſcopus per illa verba,
Paſce oves meas: reliqui verò Apoſtoli facti fuerunt Epiſco-
pi non à Chriſto immediatè, ſed ab ipſo Petro, ut colligi-
tur ex *c. Porro* 66. *diſt.* ubi hoc latè probat Turrecrem. &
ex *cap. In novo* 21. *diſt.* ubi dicitur: Ab ipſo Petro Sacer-
dotalis, (id eſt, Epiſcopalis) cœpit ordo, & ibi ſimiliter
hoc ipſum docet Turrecr. Præpoſ. *in ſumma* 15. *diſtin. nu.*
27. & noviſſimè Card. Bellam. *tom.* 1. *controverſ. de Sum-
mo Pontifice lib.* 1. *cap.* 23. *verſ. Vigeſima ſecunda eſt*. Et
conſequenter Apoſtoli excepto Petro non potuerunt acci-
pere poteſtatem ordinariam juriſdictionis Epiſcoporum
immediatè à Chriſto, cùm nondum eſſent creati Epiſco-
pi. Juriſdictio enim non poteſt eſſe, niſi in ſubjecto, arg.
c. Baptizari 15. *diſtinct. & l.* 2. *ff. de uſufruct.* cùm prin-
cipaliter cohæreat perſonæ, ut notat Bartol. *in leg. Primo,
ff. De juriſdict. omn. judic. circa fin.* & Paulo de Caſtro
conſ. 203. *Viſo quodam ſalvo conductu n.* 3. *lib.* 1. Ergo lon-
gè minus à Chriſto recipiunt immediatè juriſdictionem
alii Epiſcopi, qui in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt,
cap. In novo 21. *diſtinct.* Concil. Trident. *cap.* 4. *ſeſſ.* 23.
de ſacram. Ordin. effectus enim quantò eſt remotior à ſua
cauſa, tantò eſt debilior, ut inquit S. Th. in 1. 2. *quæſt.*
66. *art.* 1. *& in* 3. *ſent. diſt.* 1. *qu.* 1. *art.* 4. Unde Epiſco-
49 pos non accipere poteſtatem juriſdictionis à Chriſto
immediatè, ſed à Romano Pontifice docent Alex. de A-
les, Albertus Magnus, S.Thomas, & S. Bonaventura rela-
ti à Card. Turrecrem. *in cap. Omnes* 22. *diſt.* ubi latè hanc
ſententiam tuetur: & latiùs *in ſumma de Eccleſ. lib.* 2. *c.* 54.
& pro eadem ſententia Henriq. *in ſumma lib.* 6. *cap.* 5. *in
commen. littera A.* citat S. Thomam *in* 4. *contra gentes c.*
76. *& in* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. Silveſt. *in ver. Indulgentia, verſ.
Quinto quæritur nu.* 9. *& ſeqq.* Cajetan. *de Poteſt. Papæ c.* 2.
19. & 27. & Victor. *in relect.* 1. *de poteſt. Eccleſ. q.* 1. ſubdens
illam tribui S.Bonavent. *in* 4. *diſt.* 25. *art.* 1. *q.* 2. Durand.
diſt. 24. *q.* 5. & Major. *q.* 3. Eamdem ſententiam amplecti-
tur Dominicus à Soto in 4. *diſt.* 20. *qu.* 1. *art.* 2. Franciſcus
Vargas *in libello de hac ipſa quæſtione*, Herueus *in lib. de po-
teſtate Papæ*, Gabr. *in Canonem Miſſæ lect.* 3. quos citat
Cardin. Bellarm. *t.* 1. *controverſ. de Summo Pontifice lib.* 4.
dicens hanc videri ſententiam veterum ſcholaſticorum,
& veriſſimam eſſe, eamque pluribus confirmat in *cap.* 24.
Item docet ex Canoniſtis Innoc. in *c. Cum ab Eccleſiarum
n.* 4. *infrà eod.* dum firmat Epiſcopos habere ordinariam
juriſdictionem à Canone, Anton. de Butr. *ibidem nu.* 18.
verſ. Canon dat juriſdictionem Epiſcopo, Card. *n.* 3. *in* 4. *qu.
verſ. Item Canon*, Joan. de Imola *n.* 7. *verſ. Et eodem modo
ſi Papa perficiant aliquem alicui civitati*, Bellam. *num.* 15.
verſ. Sic etiam dicit: & idem Innoc. *in cap. Cùm ex eo n.* 1.
infrà de pœnit. & remiſſ. ubi reddens rationem cur Papa poſ-
ſit reſtringere poteſtatem Epiſcoporum in concedendis
indulgentiis, disertis verbis inquit: *Quia Prælati minores
omnes habent hanc poteſtatem à Papa, & ipſe à ſolo Deo, c.
Quamquam* 21. *diſt. c.* 1. 22. *diſt.* & concordat ibi Jo. Andr.
num. 13.
50 Non obſtat quod legitur Act. 20. *Attendite vobis, &
univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus vos poſuit Epiſcopos
regere Eccleſiam Dei, c. Suggeſtum* 7. *q.* 1. Concil. Trident.
c. 1. *ſeſs.* 6. Nam primo reſpondetur hoc debere intelligi me-
diante juriſdictione illis tribuenda, & determinanda à Ro-
mano Pontifice. Quod evidenter probatur: nam aut ver-
bum illud, *Eccleſiam*, volumus intelligere de Eccleſia uni-
verſali reſpectu ſingulorum Epiſcoporum, itaut quilibet E-
piſcopus ſit poſitus à Spiritu ſancto ad regendam Eccleſiam
univerſalem. Et hoc eſt erroneum, quia hæc poteſtas da- 51
ta eſt ſoli Petro Apoſtolorum Principi, & Romanis Pon-
tificibus illius ſucceſſoribus, *c. Quamvis* 21. *diſt. c. Omnes,
& c. Sacroſancta* 22. *diſt. c. Decreto, & c. ſeqq.* 2. *q.* 6. *c. Ne-
mini* 17. *qu.* 4. & diffinitum eſt in Concilio Florentino ſub
Eugenio IV. *poſt ſeſſ.* 25. *t.* 8. *Conc. pag.* 854. Lutetię Pariſio-
rum; alioquin tot eſſent Papæ, quot Epiſcopi contra uni-
tatem Eccleſiæ, & Catholicam veritatem, *c. Loquitur* 24. *q.*
1. Extrav. *Unam Sanctam, de major. & obed. cum concord.* Aut
volumus intelligere prædictam authoritatem de ſingulari-
bus Eccleſiis, itaut quilibet Epiſcopus poſitus à Spiritu ſan-
cto ad regendam ſuam Eccleſiam particularem; & ita con- 52
currant omnes collectivè ad regimen univerſalis Eccleſiæ:
& hoc ſimiliter eſt falſum, quia Chriſtus populos Apoſto-
lis non diviſit multò minus Epiſcopis illorum ſucceſſoribus,
ſed dixit omnibus, & ſingulis: *Docete omnes gentes*, Marc.
ult. *& prædicate Evangelium omni creaturæ*, Matth. ult.
*Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœ-
lo*, Matth. 18. *& quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*,
Jo. 20. Ergo non eſt noſtrum fingere hanc limitationem, &
diviſionem juriſdictionis fuiſſe factam immediatè à Chri-
ſto, cùm ex Evangelio haberi non poſſit: nulla enim limi-
tatio, aut quoad ſubditos, aut quoad cauſas ibi legitur, ut
Turrecr. in *c. Ita Dominus n.* 10. *verſ. Tertio ſic* 19. *diſt.* Su-
pereſt ergo, ut Apoſtolis, & aliis Epiſcopis Eccleſiæ, & 53
ſubditi, & conſequenter juriſdictio præfinita fuerit imme-
diatè primum à Petro, & deinde à Summis Pontificibus
ejus ſucceſſoribus. Atque ita Epiſcopi conſtituti ſunt à
Spiritu ſancto ad regimen Eccleſiæ mediante juriſdictio-
ne, quæ ſingulis tribuitur, & præfinitur ab Eccl. R. quia
ſecundùm Turrecr. *ubi ſup.* Collatio poteſtatis ſive ſit anti-
qua, ſive nova, debet eſſe certa quantum ad caſus, & quan-
tum ad territorium; alioquin habens talem poteſtatem ne-
ſciret quid agere deberet, aut in quem, ſive ſuper quo, aut
quatenus ſua authoritas ſe extenderet, & illius poteſtas eſ-
ſet vaga, & incerta, quod eſt inconveniens. Unde juriſdi-
ctio ſemper reſtringitur ad ſubditos, *c. A nobis, il primo de
ſent. excommun. c.* 3. *de Paroch. cap. Ut animarum, de con-
ſtit. lib.* 6. Item juriſdictio ordinaria, & univerſalis cohæret
territorio, & illius finibus circumſcribitur, & termina-
tur, *l. fin.* & ibi Bart. *n.* 9. *C. ubi & apud eum quem*, & de com-
muni opinione teſtatur Caſtill. *conſ.* 4. *Illuſtriſſime Princeps
n.* 19. & conſiſtit, ſicut ſervitus in gleba, & ſicut ſigillum
in cera, ut cum Baldo loquar *conſ.* 322. *Punctus quæſtionis
n.* 2. *lib.* 4. vel certè, ut idem ait in *in tit. de pac. juram. firm.
§. Ad hoc verſ. Imaginetis*, juriſdictio eſt ſupra territorium,
prout nebula ſupra paludem, & ſic ſe extendit juriſdictio
per modum menſuræ territorii, ſicut nebula per mo-
dum menſuræ paludis; & de juriſdictione Epiſcoporum,
quę reſtringitur ad diœceſim, & ad ſubditos ſunt jura aper-
ta in *c. Epiſcopi cum duob. c. ſeqq.* 9. *q.* 2. *in c. Placuit, & ſeqq.*
7. *q.* 1. & in Clem. 1. *de for. comp. cum multis ſimil.*

Et eodem modo diluitur objectum ex authoritate Ber-
nardi ad Eugenium III. dicentis: Non ſolùm poteſtatem
Papalem, ſed etiam aliorum inferiorum Prælatorum pote-
ſtates à Chriſto eſſe: Stant enim ſimul, ut poteſtas Prælato-
rum Eccleſię ſit à Chriſto, & tamen mediante Rom. Pont.
ejus Vicario, & ita hunc locum Bernardi exponit idem
Turrecrem. in *dict. cap. Omnes num.* 3. *verſ. ad ſecundam*
22. *diſt.* Deindè reſpondetur ex præallegatis authoritati-
bus deſumptis ex ſacris litteris ad ſummum inferri poſſe,
ut Apoſtoli acceperint juriſdictionem immediatè à Chri-
ſto, quòd etiamſi verum eſſet, non tamen inde ſequere-
tur, ut idem procederet in aliis Epiſcopis; quia non eſt
bona conſequentia, Apoſtoli, & Diſcipuli Chriſti habue-
runt ab ipſo immediatè poteſtatem juriſdictionis: ergo &
nunc Prælati Eccleſiæ poteſtatem juriſdictionis recipiunt
à Chriſto immediatè, ut fusè oſtendit Turrecr. loco pro-
ximè citato, & ſequitur Præpoſ. *n.* 1. *verſ. Et licèt aliquo
loco dicatur.*

Ex concluſione ut ſupra firmata deducitur falſitas pro-
poſitæ aſſertionis, quod Epiſcopi circumſcriptis reſervatio-
nibus Apoſtolicis poſſint in ſuis diœceſibus quidquid poteſt

Papa in Eccleſia univerſali: nam ſi poteſtatem jurisdictionis recipiunt Epiſcopi immediatè à Papa, ut probatum eſt ſupra, neceſſariò hinc ſequitur, ut illam partem dumtaxat habeant juriſdictionis, ad quam ſecundùm Canonicas ſanctiones ſunt vocati ab Ec. R. nam poteſtatis plenitudinem Sedes Apoſtolica illis non impertivit *in d. c. Decreto*, & *c. ſeqq. q. 6.* & quamvis juriſdictio ab eadem Sede fuerit cuique Epiſcopo in ſua diœceſi generaliter demandata juxta text. hic tamen in hac conceſſione non veniunt multa, non quia Rom. Pont. de illis fecerint ſpeciales reſervationes, ſed quia in generalitate hujuſmodi non includuntur, quæ ſpeciali indigent commiſſione, ut *c. Quod translationem ſup. de off. leg. c. 2. de off. Vicar. lib. 6. c. Qui ad agendum, de procur. eod. lib. & l. 1. in princ. ff. de offic. ejus cui mand. eſt juriſdictio.* Et eſt ſimile, nam licèt Paterfamilias liberam concedat filio adminiſtrationem, non tamen filius poteſt alienare, *l. Si pater, ff. de his, quæ in fraud. credit. & l. Contra juris, ff. De pact.* Item in generali conceſſione non veniunt ea, quæ veriſimiliter quis non eſſet ſpecialiter conceſſurus, *c. In generali de reg. jur. lib. 6. cap. ult. de offic. Vicar. eod. lib. l. Obligatione generali, ff. De pignor. l. Qui peculii, ff. De pecul.* Item majora non committuntur ſine ſpeciali mandato, *l. Pomponius, & l. Mandato, ff. de procur.* & propterea per plura poteſt Romanus Pontifex in univerſali Eccleſia,
55 quæ non poſſunt Epiſcopi in ſuis diœceſibus etiam ſecluſis reſervationibus Apoſtolicis: nam ut omittamus ea quæ ſunt fidei, quæ ad ipſum tantùm ſpectat determinare, *c. Hæc eſt fides, cap. Eſt aliud, c. Quoties, & per tot. 24. qu. 1. cap. Majores de bapt.* & docet ſanctus Thomas in 2. 2. *qu. art.* 10. Pro Petro enim Dominus rogavit, ut non deficeret fides ejus, ut *in d. c. Majores in princ.* Epiſcopi autem, quamvis poſſint cauſas fidei ventilare, non tamen poſſunt diffinire, ut per gloſſam primam, & ſecundam *in dict. cap. Quoties*, generaliter majores omnes Eccleſiæ
56 cauſæ ad Summum Pontificem referuntur, non ex vi reſervationis Apoſtolicæ, ſed ex divina inſtitutione, ut conſtat ex *cap. Dudum* 3. *qu. 6.* ibi Domino inſtituente ad Romanam Eccleſiam quaſi ad matrem, atque apicem omnes majores Eccleſiæ cauſæ, & judicia Epiſcoporum recurrant: & in *c. 1. ſupr. de translat. Epiſc.* ubi dicitur ex illo generali privilegio, quod Beato Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus indulſit, canonica poſtmodum
57 emanaſſe inſtituta, continentia majores Eccleſiæ cauſas ad Sedem Apoſtolicam perferendas, & idcircò canonizatio Sanctorum pertinet tantummodò ad cognitionem, & determinationem Eccleſiæ Romanæ, *cap. 1. & 2. de reliq. & vener. Sanctorum*, idque non ex vi Apoſtolicæ reſervationis, ſed ob rationes quas adducit gl. in *cap. unico in ver. Sedis Apoſtolicæ eod. tit. lib. 6.* quarum prima eſt, quia hæc cauſa eſt de majoribus. Secunda, quia miracula attribuuntur fidei; & ideò cauſa fidei eſt. Tertia, quia dubia Scripturæ pertinent ad declarationem Summi Pontificis; multò fortiùs dubia ſanctitatis. Quarta ne propter multorum Epiſcoporum ſimplicitatem populum decipi contingat. Quinta ne in infinitum contingat Sanctum multiplicari, & ſic devotionem refrigeſcere, & Sanctitatem vileſcere, quibus adde rationes Turrecr. *in cap. 1, n. 21. verſ. Ad quintum, de conſecr. diſt.* 3. ſimiliter translatio, depoſitio, & ceſſio Epiſcoporum, per quas conjugium ſpirituale diſſolvitur, non tàm Conſtitutione Canonica, quàm inſtitutione divina pertinent ad ſolum Papam, ut legitur *in cap. Inter corporalia eod. tit.* Nec apparet in majoribus cauſis ullam poteſtatem fuiſſe Epiſcopis attributam ab Eccleſia Romana; & ideò hanc poteſtatem
58 ſibi vendicare non poſſunt, *c. Huic 17. diſtin.* Item ſolus Papa diſpenſare poteſt ex magna cauſa, ut Monachus habeat proprium, ſecundùm Innoc. in *c. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* cujus opinionem communiter recipiunt Teeologi, & Canoniſtæ. Item ut Monachus matrimonium contrahat, licèt in ſacris ſit conſtitutus, ut notat Jo. Andr. *in cap. Semel Deo, de reg. jur. lib. 6. in Mercur. & in d. c. Cùm ad Monaſterium in fin.* & plenè Dec.
59 *conſ. 108. In præſenti conſultatione per tot.* idque ex plenitudine ſuæ poteſtatis, quo poteſt etiam committere ſimplici Sacerdoti ut conferat chriſma, ut eſt diffinitum in Concilio Florent. *in decreto fidei Eugenii IV. §. Secundum Sacramentum*, & dixi pleniùs *in cap. un. §. Per frontis chriſmationem ſup. de ſacr. Unct.* & delegare mero laico cauſas criminales Clericorum, ſecundum communem opinionem, de qua teſtatur Clar. *in §. fin. q. 41. num. 6. verſ. Sed quid dicendum*: & facultatem excommunicandi, ut per gl. in extravag. *Suſcepti Joannis XXII. in ver. vel perſonis, de elect.* cùm tamen Epiſcopus hujuſmodi cauſas non 60
ſolùm delegare nequeat ſoli laico, ſed nec laico, & Clerico ſimul, imò nec Clerico conjugato, ut per Clar. *d. q. 41. n. 5. & n. 7. verſ. Sed an poterit*, ubi de communi. Similiter ſolus Papa diſpenſat ſuper matrimonio rato non conſummato, ſecundùm gl. Vincentii in *c. Ex publico, de converſ. conjug.* & Bellam. *conſ. 28. In facto col. 2. ante med. verſ. Quartò quia*, ubi teſtatur de magis communi opinione. 61
At Epiſcopis certum eſt hanc facultatem non competere, quia non reperitur illis conceſſa per ſacros Canones, ut fatentur omnes. Quinimò plerique ex antiquis Theologis, nec Summo Pontifici eam concedunt, licèt in hoc prævaluerit ſententia Canoniſtarum, quia Sedes Apoſtolica multoties diſpenſavit, ut referunt Cajet. *in opuſc. t. 1. tract. 28. de matrim. q. unic.* & Navarr. *in Manual. c. 22. n. 2.* Et ego ipſe memini in S. Cong. Conc. cui prima vice interfui, ut Secretarius anno 1613, die 20. Aprilis reſolutum fuiſſe concedendam eſſe diſpenſationem ſuper matrimonio contracto, & non conſummato inter Julium Cæſarem Stellam, & Gineuram Roverellam, prout poſteà audita Sacræ Congregationis ſententia Sanctiſſimus diſpenſavit. Et eodem modo diſpenſat Papa in aliquibus gradibus pro- 62
hibitis in *Levitico* 18. & eſt de fide, ut patet in Conc. Triden. *ſeſſ. 24. de ſacram. matrim. canone* 3. & ex facto reſpondit pleniſſimè Anchar. *conſ. 373. Revocatur in dubium per tot.* ubi *nu.* 5. dicit Papam hoc poſſe ratione plenitudinis poteſtatis, quia ipſe eſt ſucceſſor Petri, & Vicarius Jeſu Chriſti, vicem non puri hominis, ſed veri Dei gerens in terris, ut in *cap. Inter corporalia, de translat. & c. Pro humani, de homic. lib. 6.* unde omnia regit, ordinat, & diſponit, prout ſibi placet, *c. Cuncta per mundum, & c. Per principalem 9. q. 3.* & generaliter, dummodò non faciat contra fidem, poteſt omnia; nec quiſquam poteſt ei dicere, Cur ita facis? *cap. In memoriam 19. diſt. §. Ex perſona aliàs, c. Quamvis de pœnit. diſt.* 3. & notat Specul. *in tit. de leg. §. Nunc oſtendendum, verſ.* 89. Hæc Petr. de Anch. nec ullibi appareat hanc poteſtatem fuiſſe Epiſcopis communicatam à Summo Pontifice. Ampliùs ſolus Papa po- 63
teſt inducere impedimenta matrimonium dirimentia, & inhabilitare ad contrahendum, ut in Concil. Triden. *ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 1.* Doctores *in c. fin. de ſponſa duor.* Anchar. *conſ. 239. Parum dubitationis nu. 1. verſ. Circa contracta derimenda, & conſ. 409. Viſo diligenter inſpecto n. 3. verſ. Sed in oppoſitum*, quod ſimiliter hodie eſt de fide, ut in *canone 4. ejuſd. ſeſſ. de ſacram. matrimon.* Epiſcopi autem id non poſſunt, non quia caſus ſit reſervatus, ut putant Victoria *relect. de matrim. 1. part. 2. partis ad fin.* Ledeſm. *2. p. qu. 56. art. 3. dub. 1. concl. 2. ad med.* & Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſp. 1. num. 9.* nullibi enim conſtat de hac reſervatione, ut idem Sanch. fatetur, licèt malè opinetur hunc caſum eſſe reſervatum de conſuetudine; ſed hoc provenit, quia ut inquit Anch. *d. conſ. 239. num. 1.* Chriſtiani conjuncti in gradibus prohibitis non dicuntur conjuncti à Deo, ſed contra Deum, quia contra ejus Vicarium, & hoc facit non homo, ſed Deus, vel ejus Vicarius, cui ſuam poteſtatem dedit. Unde Butr. in *c. Tua fraternitas nu.* 5. *de ſponſa duor.* ſimpliciter dicit jus poſſe introducere novam cauſam perpetuam prohibitionis matrimonii, ſed inferiorem à Papa hoc non poſſe, & ſequuntur in *c. penult. de deſpon. impub.* Abb. *in fin.* & Alexan. de Nævo *num.* 21. Quod fuſiùs explicat Covarr. *in 4. Decret. 2. p. cap. 6. §. 10. n. 16.* poſt Paludan. *in 4. ſentent. diſt. 26. quæſt. 4. art.* 3. reddentes rationem, quia ſolus Papa poteſt ſubtrahere materiam Sacramenti inhabilitando homines ad contrahendum in certis caſibus, eodem modo ſolus Papa diſpenſat contra Apoſtolum, ut in bigamia, *c. Lector 34. diſtinct. cap. Niſi* 64
cùm pridem, §. Perſonæ vero, & ibi Innocen. Hoſtien. Joan. Andr. Butr. & cæteri notant *ſuprà de renunciat.* Anchar. *conſ. 124. Circa bigamos*, Ægid. Bellam. *conſ. 28. In facto, verſ. Quartò*, ubi de communi; nam licet Apoſtolus oſtendat Papæ quid facere debeat, non tamen oſtendit quid facere poſſit, quia poteſtas clavium eſt talis, & tanta, ut non recipiat interpretationem reſtrictivam. Quæ ſunt verba 65
Baldi *in d. c. Niſi cùm pridem nu. 14.* atque ita id facit Summus

mus. Pontifex ex plenitudine ſuæ poteſtatis: Epiſcopi autem licèt habeant clavium in ſua diœceſi, eam tamen non habent cum plenitudine, ut conſtat ex dictis in primo ar-
66 gumento *n.* 31. & mox dicetur. Idem patet indulgentiis: nam ut docet S. Th. *in* 4. *diſtinct.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 4. *qu.* 3. *Papa habet plenitudinem pontificalis poteſtatis quaſi Rex in Regno, ſed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſolicitudinis, quaſi judices ſingulis civitatibus præpoſiti: propter quod etiam eos ſolos in ſuis litteris fratres vocat; reliquos autem vocat filios; & ideo poteſtas faciendi indulgentias plenè reſidet in Papa, quia poteſt facere quod vult, cauſa tamen exiſtente legitima; Sed in Epiſcopis eſt taxata ſecundum ordinationem Papæ; & ideo poſſunt dare ſecundum quod eis taxatum eſt, & non amplius.* Hæc S. Thomas, cujus mentem explicans Silveſt. *in ver. Indulgentia num.* 11. dicit ſolùm Papam concedere poſſe indulgentiam plenariè in toto orbe, quia ſolus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis, *cap. Cum ex eo, de pœnit. & remiſſ. & cap. Quodcumque* 24. *quæſt.* 1. Epiſcopum verò eo ipſo, quòd eſt Epiſcopus ex commiſſione generali Papæ poſſe indulgentias concedere particulariter
67 in ordine ad ſubditos ſuos. Inſuper ſolus Papa poteſt in alium uſum commutare pias diſpoſitiones; Concilium Tridentinum *cap.* 6. *ſeſſ.* 22. Epiſcopi autem non poſſunt, non quia caſus ſit reſervatus, ſed quia ſola authoritas Sedis Apoſtolicæ in his ſalva eſſe intelligitur, juxta text. in Clem. *Quia contingit*, & ibi notat gloſſ. *in ver. Sedis Apo-*
68 *ſtolicæ*, & Abb. *num.* 3. *ver. Solus Papa, de relig. domib.* & hæc etiam eſt ratio cur diſpenſet in juramento, *c.* 2. 15. *qu.* 6. quia ſcilicet in eo authoritas Papę intelligitur excepta, *c. Venientes. de jurejur.* Petrus de Anchar. *dicto conſ.* 239. *num.* 4. Qua itidem ratione derogat pactis, concordiis, & privilegiis in limine fundationis, ut in *cap. Significatum*, & ibi dixi *num.* 13. *& ſeqq. de præben.* & in Concilio Tridentino *c.*
69 *ult. ſeſſ.* 25. *de regular. & cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de reform.* Item poteſt ipſe ſolus non autem Epiſcopus rem uni Eccleſiæ auferre, & dare alteri, *cap. Conqueſtus, cap. Nec vero, & cap. per principalem* 9. *quæſt.* 3. gloſſ. *in cap.* 1. *in ver. Iniuſtitiam* 22. *diſt.* Paul. de Caſtr. *conſ.* 415. *In facto præſenti nu.* 4. *verſ. Præterea, & conſ.* 228. *Primum dubium col.* 2. *verſ. Nam aut quæritur lib.* 1. Ratio, eſt, quia ut inquit Laudun. in dicta Clem. *Quia contingit*, & poſt eum Cardin. *ibi num.* 4. Papa eſt gubernator in ſolidum univerſalis Eccleſiæ; cujus caput eſt Eccleſia Romana; & ideò ejus eſt tamquam capitis ad membra ſingula alimenta transfundere, *c. Cuncta per mundum* 9. *qu.* 3. *& d. c. Per principalem*.
70 Ulteriùs ſolus Papa poteſt approbare, & confirmare novum ordinem, ſeu religionem, *cap. unic. de voto lib.* 6. *cap. unico*, & ibi Franç. *num.* 1. *in* 3. *notab. de relig. domib. eod. lib. c. fin. eod. tit. in antiquis.* Item ſolus creare poteſt dignitates omninò novas, & uſitatas: Epiſcopi autem id non poſſunt, ut tenet Compoſtell. in *c. Cum acceſſiſſent, de conſtitut.* gloſſ. Archid. Turrecrem. Bellam. & Præpoſ. *in c.* 1. 22. *diſt.* quorum ſententiam ſequuta eſt ſacra Congregatio Concilii; Sæpiùs enim declaravit poſſe Epiſcopum de conſenſu Capituli in Cathedrali Eccleſia erigere novam dignitatem; dummodò ſit ex iis, quæ uſitatæ ſunt, & ſacris Canonibus cognitæ. Quod ſimiliter non provenit ex vi reſervationis Apoſtolicæ, ſed quia ſola Romana Eccleſia à principio inſtituit dignitates, id eſt, ordinavit quæ dignitates eſſent in Eccleſia, ut *in d. cap.* 1. *& in c. Perlectis* 25. *diſtinct.* Et ideò poteſt quidem Epiſcopus cum ſuo Capitulo novam dignitatem puta Sacriſtam, quæ non erat in Eccleſia ſua, ibidem inſtituere; Cardinalatum autem non poteſt ſine auctoritate Romanę Sedis, cùm non ſit per Romanam Eccleſiam ordinatum, ut Cardinalatus ſit dignitas in Eccleſiis Cathedralibus, ſed ſolùm in Romana Eccleſia, ut formaliter dicunt Compoſtell. & Archid. *ubi ſuprà*, & ſequuntur alii præallegati.

Alia complura his ſimilia addi poſſent, quæ longum eſſet recenſere, de quibus per gloſſ. & DD. *in cap. Sicut unire, de exceſſ. Prælat. in cap.* 1. *de translat. Epiſc. in c. Propoſuit, de conceſſ. præben. in cap. Quod translationem, de off. Legati, & in cap. Sunt quidam* 25. *quæſt.* 1. de quibus per Anchar. *dicto conſil.* 373. *num.* 4. & latiùs per Hoſt. *in Summ. de offic. Leg.* §. *Illud quidem nota*, & Speculat. *in tit. de Legatis*, §. *Nunc oſtendendum*: nam ex prædictis ſatis ſuper que conſtat non eſſe tutum affirmare Epiſcopum poſſe in ſua diœceſi ſemotis reſervationibus Apoſtolicis, quidquid poteſt Papa in univerſo orbe. Et ita hanc propoſitionem non eſſe veram, poſt Vincentium, Hoſtienſem, & alios tenet Petr. de Anchar *in dict. cap. Sicut unire in* 1. *notab.* & ibi dixi *nu.* 2. & contrarium clarè colligitur etiam ex *c. Dilectus de tempor. ordin.* ubi improbatur diſpenſatio Archiepiſcopi non quia ſit prohibita, ſed quia non reperitur illi conceſſa à canone: ergo etiam ſecluſa prohibitione, vel reſervatione, non poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi quod poteſt Summus Pontifex in univerſali Eccleſia.

Fatemur tamen ordinem Epiſcoporum in univerſum eſ- 71
ſe de jure Divino, juxta text. in *cap. In novo* 21. *diſt.* & ſententiam Turrecrem. *in Summa lib.* 5. *cap.* 54. Cajetan. *tom.* 1. *tract.* 1. *de poteſt. Papæ cap.* 19. S. Bonavent. Albert. Magn. Richard. Durand. & aliorum in 4. *diſt.* 19. & eſſe præcipuum in Eccleſiaſtica hierarchia divina ordinatione inſtituta, ut in Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *de ſacram. ordin. c.* 4. *& can.* 6.

In gloſſ. *publicum convocent auxilium*, nota Epiſcopos u- 72
bi opus fuerit non ſolùm poſſe invocare auxilium brachii ſæcularis, ut in textu, *& in cap. Principes* 23. *q.* 5. *& c. Cum ad verum* 96. *diſt.* utraque enim poteſtas per alteram adjuvatur, ut ibi dicitur, *& in cap. Quoniam infr. eod.* ſed etiam poſſe ſæcularem poteſtatem ad hoc compellere, ut *in c.* 2. *de maledic.* Idem tenet Innoc. *hic n.* 1. *in ver. Præjudicandum*, dicens eſſe diverſitatem inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſæcularem, quia Prælatus exequi non cogitur per ſæcularem poteſtatem, ſed ſæcularis benè cogitur per ſuum Prælatum, arg. *c. Ad reprimendam inf. eod.* & ſequuntur alii. Adde Conc. Trid. *in cap.* 5. *ſeſſ.* 25. *de regular.* ibi, *Quod auxilium, ut præbeatur omnes Chriſtianos Principes hortatur Sancta Synodus, & ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda omnibus magiſtratibus ſæcularibus iniungit.* Et adverte quia etſi Concilium quoad Principes utatur verbis hortatoriis, tamen cum materia ſit neceſſitativa, ut in *d. c. Principes*, hoc dicitur conſilium reverentiæ, cui eſt parendum, ut *in cap. Ad aures*, juncta gloſſ. *in ver. Conſilio ſuprà de ætat. & qualit.* & ſcripſi pleniùs *in c.* 1. *n.* 44. *de Conſtit.*

DE OFFICIO ORDINARII.

Alexander III. Florentino Epiſcopo.

C A P U T III.

CUm ab Eccleſiarum Prælatis Eccleſiaſtica ſententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet & firma conſiſtere, & uſque ad condignam ſatisfactionem inviolabiliter obſervari: Quapropter mandamus, quatenus ſi quando Plebanus ſancti P. in Clericos vel laicos parochianos ſuos interdicti vel excommunicationis ſententiam rationabiliter tulerit, ipſam facias inviolabiliter obſervari, & eam ſine congrua ſatisfactione, & abſque ejuſdem Plebani conſcientia non relaxes.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *ORdinarius Epiſcopo ſubiectus ſi in ſibi ſubditum juſtam ſententiam ferat, Epiſcopus eam ſervari faciat, & ſine ſatisfactione non relaxet.*

2 *Prælati Eccleſiarum dicuntur non tantum Epiſcopi, ſed etiam inferiores ordinariam juriſdictionem habentes.*

3 *Ordinariam juriſdictionem qui habere dicantur.*

4 *Plebanus an ſit Prælatus, & ordinarius Parochianorum ſuorum.*

5 *Prælati propriè dicuntur illi tantùm, qui habent juriſdictionem fori contentioſi.*

6 *Sed large dicuntur Prælati etiam Presbyteri Parochiales.*

7 *Sententiæ Eccleſiaſticæ appellatione venit excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum.*

8 *Exequi debent Epiſcopi ſententias juſtas Prælatorum ſibi ſubiectorum.*

9 *Executor poteſt admittere excepiones ſententias infringentes, & de eis cognoſcere.*

10 *Exequi poſſunt minores judices ſententias ſuas verbaliter, non autem realiter.*

11 *Abſolvere poteſt Epiſcopus ab excommunicatione lata ab Ordinario ſibi ſubiecto ſi injuſta ſit, aliàs ſecus.*

12 *Ordinarius inferior an ſubſit Epiſcopo diœceſano.*

13 *Prati oppidum an ſit nullius diœceſis, an vero in diœceſi Piſtorienſi, & n. ſeqq. uſque in fin.*

14 *Loca nullius diœceſis aut origine, aut privilegio, aut præſcriptione.*

15 *Pratenſis Eccleſiæ originalis exiſtentia in diœceſi Piſtorienſi.*

16 *Enunciativæ Papæ per modum ſtatuti plenè probant ſituationem in diœceſi.*

17 *Piſtorienſis diœceſis fines ex Mappa Geographica.*

18 *Locus probatur eſſe in diœceſi ſi Epiſcopus ibi tribunal erexerit, & juriſdictionem exercuerit.*

19 *Enunciativæ plures, & antiquiſſimæ plenæ probant ſituationem.*

20 *Præſertim ſi ſint aliis adminiculis, & probationibus fulcitæ.*

21 *Locus eximitur à diœceſi per diſmembrationem territorii, & conceſſionem juriſdictionis in Clerum, & Populum excluſo Epiſcopo.*

22 *Præpoſituræ Pratenſis privilegia conſiderari poſſunt juxta tria tempora.*

23 *Prati origo.*

24 *Exemptio ſupponit exiſtentiam in diœceſi.*

25 *Prælatus inferior non acquirit territorium, niſi tam ipſe, quàm ſubditi eximantur à juriſdictione Epiſcopi.*

26 *Enunciativæ partis non probat.*
Licèt Papa in ea ſe fundet, num. 28. verſ. Item non obſtat.

27 *Enunciativa unica non probat, etiamſi ſit ſupra centum annos, cum ad minus debeant eſſe duæ.*

28 *Juriſdictio tributa ad limites conſuetudinis non competit, niſi probata conſuetudine.*

29 *Loca nullius diœceſis præſcriptione, & n. 34.*

30 *Præpoſitus Pratenſis, an juriſdictionem quaſi Epiſcopalem præſcripſerit privativè ad Epiſcopum Piſtorienſem, & num. ſeqq. uſque in fin.*

31 *Prælatus inferior poteſt præſcribere jura Epiſcopalia.*

32 *Præſcriptio Epiſcopi contra inferiorem Prælatum non requirit titulum.*

33 *Præſcriptio inferioris nondum completa interrumpitur per actus Epiſcopi.*

34 *Præſcriptio juriſdictionis quaſi Epiſcopalis non conſtituit inferiorem in proprio territorio, niſi ſit privativè ad Epiſcopum.*

1 CUm ab Eccleſiarum. Si Ordinarius ſubjectus Epiſcopo fert in ſibi ſubjectum juſtam ſententiam, Epiſcopus illam ſervari faciat, & eam ſine ſatisfactione, & illius conſcientia non relaxet. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. Bald. Butr. Cardin. & alios communiter. Et primò ponit exordium, ex quo ſecundò infert mandatum; ibi, *quapropter.*

Nota primò ex principio litteræ juncta ſupraſcriptione. 2
Prælatos Eccleſiarum appellari non tantùm Epiſcopos, & illorum ſuperiores, ſed etiam inferiores juriſdictionem ordinariam habentes ſecundùm Abb. *hic in* 1. *not.* Ad idem *cap.* 2. *infrà de judic.* Unde Abbates, Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, & Præpoſiti dicuntur Prælationem habere in *cap.* 1. *& ibi* dixi in 4. *notab.* poſt Hoſtienſ. Joan. Andr. Bellam. & alios *ſuprà de ætat. & qualit.* Dicun- 3
tur autem habere ordinariam qui electi ſunt à Collegio, vel Univerſitate, & qui Collegio, vel Univerſitati præficiuntur ab eo, qui adminiſtrationem habet cum juriſdictione, puta Epiſcopo, ut hìc in gloſſ. 1. *in fin.* reliqui autem ſecus, niſi hoc habeant à Principe, vel ex conſuetudine, quod latiùs hìc proſequitur Innoc. *in princip.* cum quo Hoſtien. Joan. Andr. Butr. Cardin. & alii tranſeunt.

Secundò nota ibi, *Plebanus*, juncto principio textus. 4
Plebanum eſſe Prælatum Eccleſiæ, & habere poteſtatem ferendi cenſuras, & ita eſſe Ordinarium Parochianorum ſuorum, quod concedunt Innoc. *num.* 5. Hoſtien. *num.* 11. Joan. Andr. *num.* 4. Anchar. *in* 3. *notab.* & Imol. *num.* 2. Sed tu adverte, quia iſte Plebanus Sancti P. habebat juriſdictionem contentioſam de jure ſpeciali, videlicet ex privilegio, vel præſcriptione; & ideò poterat excommunicare, & interdicere, ut benè deducit Abb. *hic num,* 1. *ver. Nam iſte Plebanus.* At ſecus eſt de jure communi, quia Plebani, & Presbyteri Parochiales, quamvis habeant curam, & juriſdictionem ordinariam fori Pœnitentialis tam in Clericos, quàm in laicos habitantes ipſorum Parochiam; tamen nullam habent juriſdictionem fori contentioſi; & ideò poteſtatem non habent excommunicandi nec in genere, nec in ſpecie, ut firmat Abb. in *cap. Si Sacerdos nu.* 10. *ſup. eod.* Nec Prælati propriè appellari poſſunt: nam ſtri- 5
ctè illi tantùm dicuntur Prælati, qui habent juriſdictionem aliquam fori contentioſi, ut probatur in *cap. Decernimus*, juncta gloſſ. *ult. infrà de judic. & in cap.* 1. & ibi gloſſ. 2. *de eo, qui furt. ordin. ſuſcept.* & propterea Prælati à Parochialium Eccleſiarum Rectoribus diſtinguuntur in Clem. *Dudum*, §. 1. *de ſepult.* Licèt latè ſumpto vocabulo 6
etiam Plebani, & alii Presbyteri Parochiales dici poſſint Prælati hoc reſpectu, quia præſunt Parochianis ſuis in foro animæ, & ita intelligas textum in *cap. Tua infrà de Cleric. ægrotant.* ſecundùm Abb. *hic num.* 1.

Tertiò nota ibi, *Interdicti*, juncto princ. text. appel- 7
latione ſententiæ Eccleſiaſticæ comprehendi ſententiam excommunicationis, & interdicti, adde & ſuſpenſionis, ut *cap. Quærenti infrà de verb. ſignificat.*

Quartò nota ibi, *ipſam facias inviolabiliter obſervari.* 8
Superiores Prælatos debere Prælatorum ſibi ſubjectorum ſententias exequi, ſi ſint rationabiles, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes, concordat text. in *l. Properandum*, §. *Sin autem reus, Cod. de judic.* & ſic Superior ubi requiritur ab 9
inferiore, ut exequatur illius ſententiam, videtur poſſe admittere exeptiones eamdem ſententiam infringentes, & de eis cognoſcere, ut hìc per Butr. *num.* 4. & Imol. *n.* 3. Hæc 10
tamen exequendi facultas competit Superiori Prælato non privativè ad inferiorem, qui ſententiam tulit: nam & minores judices tam Ordinarii, quàm Delegati à Principe, ac etiam Subdelegati poſſunt exequi ſententias ſuas ex vi juriſdictionis quam habent, ut in, *dict.* §. *Sin autem reus*, & arg. *cap. Significaſti, & cap. In litteris ſuprà de offic. Deleg.* ſecundùm Innoc. *hic num.* 7. & Joan. Andr. *num.* 3. Intellige verbaliter, ſcilicet pronunciando exequendum, excommunicando, mulctam indicendo, & ſimilia; & non autem realiter in poſſeſſionem mittendo, ut per Innocen. *d. n.* 7. & Anchar. *num.* 2. *in* 2. *oppoſ.* Speculat. *in tit. de execut. ſent.* §. *Nunc dicendum eſt à quibus circ. princ.* qui tamen nil firmat Sed tu vide Bart. in *leg. à Divo Pio n.* 14. *ff. De re judic.*

Quintò nota ex fine textus, Epiſcopum poſſe abſolvere 11
ab excommunicatione lata per Ordinarium inferiorem ſibi ſubjectum, ſi eam minus juſtam eſſe compererit, ipſo tamen vocato, qui ſententiam tulit, ut per Butr. *hic nu.* 4. Sed ſi eam invenerit rationabilem, non debet illum abſolvere, ſed remittere ad ſuum excommunicatorem, ut abſolvat, ad præſcriptum *cap. Ad reprimendam infrà eod.* ut hìc in gloſſ. *final.* & per Abb. *num.* 3.

Ultimò nota Ordinarios inferiores eſſe ſubjectos Epi- 12
ſcopo

ſcopo diœceſano, eorumque juriſdictionem non eſſe privatam, ſed cumulativam cum ipſo, ut hic probatur apertè: nam iſte Epiſcopus Florentinus jubetur exequi ſententiam juſtam Plebani, eamque non relaxare niſi eo vocato, quorum neutrum facere poſſet, ſi Plebanus illi ſubjectus non eſſet, ad idem *cap. 1. infrà de eo qui furt. ordin. ſuſcept. cum multis ſimilibus*. Hoc tamen intellige, niſi inferior præſcripſiſſet incerta parte diœceſis juriſdictionem ordinariam in excluſionem Epiſcopi, quod fieri poteſt, ut eo textus in *cap. Auditis*, & ibi plenè ſcripſi *infrà de præſcript.* Item hoc intellige, niſi inferior ex privilegio Apoſtolico haberet territorium ſeparatum cum juriſdictione Epiſcopali, vel quaſi in Clerum, & populum excluſo Epiſcopo, ex hoc enim locus efficeretur nullius diœceſis, ita ut nec eſſet de diœceſi, nec in diœceſi Epiſcopi, ut dixerunt Domini de Rota *deciſ.* 207. *num.* 2. *diverſ.* & fuſiùs ſcripſi in *cap. Grave num.* 10. *infrà eod.* & in *cap. Nullus n.* 20. *de Paroch.* & dicam infrà *num.* 21. Quorum quidem locorum meminit Tridentina Synodus in *cap. 9. in princ. ſeſſ. 24. & aliis in locis*.

13 Hinc infero ad juriſdictionem Præpoſiti Pratenſis, & quæro, An oppidum Prati ſit nullius diœceſis, an verò in diœceſi Piſtorienſi.

Cùm jam dudum penderet in Sacra Congregatione Concilii cauſa juriſdictionis inter Epiſcopum Piſtorienſem, & Præpoſitum Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Stephani Terræ Prati, ut hæc controverſia quantociùs diffiniretur, D. Cardinalis Medices præſens dictæ Eccleſiæ Præpoſitus, & Epiſcopus Piſtorienſis per ſupplicem libellum ab utroque ſubſcriptum ſupplicaverunt fel. record. Gregorio XV. quatenus eidem Congregationi committeret, & mandaret, ut cauſam hujuſmodi tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio terminaret, ac decideret, & ejus ſanctitas per ſpeciale reſcriptum annuit illorum petitioni, mandavitque ipſi Congregationi, ut totam hanc cauſam cognoſceret, ac diffiniret. Poſt hujuſmodi autem commiſſionem partes concordarunt, ut pro cauſæ expeditione ante omnia proponeretur infraſcriptum dubium, videlicet An Terra Prati ſit in diœceſi Piſtorienſi in caſu, & ad effectum de quo agitur. Ex ſcripturis autem ab Epiſcopo exhibitis videtur concludenter probari exiſtentia in diœceſi.

14 Quod ut evidentiùs appareat obſervandum eſt tribus modis poſſe contingere, ut aliquis locus ſit nullius diœceſis, videlicet origine, privilegio, ac præſcriptione, ut ſcripſi latiſſimè in *cap. Nullus à num. 12. infrà de Paroch.* origine, quia in antiqua diviſione Provinciarum, & Urbium, in quibus Petrus Apoſtolorum Princeps Archiepiſcopos, & Epiſcopos conſtituit, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur in *cap. 1.* & in *cap. In illis 80. diſt. & in cap. 1. 99. diſtinct.* quædam loca remanſerunt omninò extra limites cuiuſque diœceſis, quæ utcumque contermina, ſeu adjacentia, uni, aut pluribus diœceſibus, verè tamen in nullius finibus fuerunt incluſa. Quorum quidem locorum meminit Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. tit. de privil. verſ. Et ſciendum quod quidam ſunt Abbates*, ubi de Abbate Sublacenſi, Farfenſi, atque aliis pluribus, *& verſ. Aliqui vero poſt Hoſt. in c. Cùm contingat n. 1. de foro compet.*

15 Et quidem quod pertinet ad originem tantùm abeſt, ut Pratum fuerit ex illis locis, quæ in diviſione limitum remanſerunt extra limites cujuſque diœceſis, ut potius conſtet apertiſſimè incluſum fuiſſe in diœceſi Piſtorienſi: nam inter alia exhibentur ab Epiſcopo litteræ Apoſtolicæ, & Conſiſtoriales ſex diverſorum Pontificum ab anno 1134. videlicet Innocentii II. Cœleſtini II. Anaſtaſii IV. Urbani III. Innocentii III. & Honorii III. Epiſcopo Piſtorien. directæ, in quibus præſcribuntur termini, & Eccleſiæ Piſtorien. diœceſis, inter quas primo loco recenſetur Plebs S. Stephani in Prato, & deindè adjiciuntur hæc formalia verba: *Ad hæc adiicientes ſancimus, ut occaſione privilegii, quod Pratenſes à nobis ſe impetraſſe congaudent, nulla injuria, vel imminutio, & inobedientia matri ſuæ Piſtorienſi Eccleſiæ in aliquo inferatur, nec Pratenſis Eccleſia, vel Clerici ipſius loci eodem reſcripto contra juſtitiam, vel dignitatem, aut inobedientiam Eccleſiæ, ſeu Epiſcopi Piſtorienſis utantur; ſed quemadmodum prædeceſſorum noſtrorum tempore extitit, ita iam dicta Pratenſis Eccleſia abſque alia diminutione poteſtatis, aut dignitatis Piſtorienſi Eccleſiæ, vel Epiſcopo ejus in omnibus obediens, & ſubiecta permaneat, ſimile in cap. ult. infr. de confir. util. vel inutil. & in cap. Cum non liceat de præſcript.*

Rurſus exhibentur litteræ in forma Brevis ejuſdem Cœleſtini II. quibus anno 1147. Idem Pontifex ſcripſit Clero, & Populo Pratenſi his verbis: *Per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus Venerabili Fratri Noſtro Piſtorienſi Epiſcopo tamquam proprio Paſtori, & animarum veſtrarum Epiſcopo, abſque ulla contradictione debitam obedientiam, & reverentiam ſimiliter deferatis*. Quæ quidem litteræ Apoſtolicæ clariſſimè probant originalem exiſtentiam in diœceſi Piſtorienſi, & omnimodam dictæ Præpoſituræ ſubjectionem Piſtorienſi Epiſcopo; quia emanarunt principaliter ad deſcribendam diœceſim, & in illis non enunciatur ſimpliciter, ſed authoritate Apoſtolica ſtatuitur, & diſponitur, ut Præpoſitura, & illius Clerici ſubſint eidem Epiſcopo, illumque recognoſcant in Paſtorem, & proprium Epiſcopum animarum ſuarum. Unde ex his reſultat pleniſſima probatio, *cap. Si Papa, §. 1.* ubi omnes notant *de privileg. lib. 6.* Clem. *unic. de probat.* & in his terminis reſolvit Rota *deciſ.* 405. *num.* 1. *& 2. & per totam, & deciſ.* 432. *num.* 2. *& deciſ.* 683. *nu.* 2. *ad finem par.* 1. *recent.* Cùm quibus conſonat Mappa antiquiſſima, ſeu Planta Geographica compulſata ex Archivio Piſtorienſi, ex qua apparet limites dicti Epiſcopatus ab Oriente eſſe flumen Biſentii dividens diœceſim Piſtorienſem à Florentina; & trans flumen à parte Piſtorii ſitam eſſe Terram ipſam Prati, quod ponderat Rota in præallegata *deciſ.* 405. *n.* 1. 16 17

Ac prætereà extat in Oppido Prati antiquiſſimum Epiſcopalem Palatium, in quo Epiſcopi tamquam in proprio Tribunali ſemper ordinariam juriſdictionem exercuerunt, ut patet ex innumeris ferè actis productis, & compulſatis ab anno 1424. uſque in præſentem diem, & dantur Vicariorum deputationes in eadem Terra Prati factæ non ſolum ab Epiſcopo, ſed etiam à Capitulo Piſtorienſi Sede vacante uſque ad annum 1536. quo ex concordia inita inter Epiſcopum, & Præpoſitum fuit conſtitutus communis Vicarius, qui nomine utriuſque jus diceret, videlicet pro Epiſcopo in his, quæ ſpectant ad juriſdictionem Ordinariam, & pro Præpoſito in his, quæ pertinent ad illius indultum. Erectio autem Tribunalis, & exercitium juriſdictionis nulli dubium eſt quin probent ſituationem in diœceſi, per text. in *c. Cùm Epiſcopus, de offic. Ordin. lib. 6.* & docuit Bald. *conſ.* 420. *n.* 1. *in fin. verſ. Item per exercitium lib.* 1. & alii citati à Maſcardo *de probat. concl.* 103. *volum.* 1. 18

Ac poſtremò dantur innumeræ ferè enunciativæ antiquiſſimæ tàm in litteris Apoſtolicis, quàm in aliis ſcripturis etiam à Præpoſito compulſatis, & productis uſque ab anno 1246. in quibus Pratum enunciatur Piſtorienſis diœceſis: inter quas extat mandatum procuræ Coſmi Primi Magni Ducis Etruriæ anno 1549. ad præſentandum Præpoſitum coram Epiſcopo Piſtorienſi, vel ejus Vicario cum inſtitutione ſubſequuta, & effectum ſortita; in quo mandato, & inſtitutione ſimiliter Præpoſitura pluries enunciatur Piſtorien. diœceſis, & datur etiam ſolemnis enunciativa Joan. Cardinalis Medices, qui poſteà ad Pontificatum evectus eſt, & Leo X. appellatus. Is enim in inſtrumento ſui perſonalis acceſſus ad dictam Præpoſituram enunciatur Præpoſitus Collegiatæ Eccleſiæ Prati Piſtorienſis diœceſis anno 1492.

Sed noviſſimè exhibitæ ſunt centum quinquaginta tres ſimiles enunciativæ, ex regiſtris Apoſtolicis extractæ à Sixto IV. uſque ad Paulum V. inter quas quatuor ſunt de ipſamet Præpoſitura, prima ſcilicet Innoc. VIII. ad favorem dicti Joan. Cardin. Medices; ſecunda ejuſdem Leonis; tertia Julii III. quæ fuit nova proviſio ſuper inſtitutione facta ab Epiſcopo Piſtorienſi ad præſentationem ipſius Coſmi; quarta Gregorii XIII. ad favorem Ferdinandi Cardinalis Medices poſteà Magni Ducis. Reliquæ enunciationes ſunt in collationibus Canonicatuum dictæ Eccleſiæ, ſeu Beneficiorum in Terra Prati, ſeu illius Comitatu exiſtentium. Quæ quidem enunciativæ cum ſint quamplurimæ, & antiquiſſimę, plenè probant ſituationem, ut notant Butr. Aretin. & alii in *c. Cùm cauſam, de probat.* DD. in *l. Cùm aliquis, C. jur. deliber.* & ſæpiùs decidit Rota, ut apud Card. Seraph. *deciſ.* 438. *n.* 1. *& deciſ.* 161. *num.* 4. *& in recent. deciſ.* 261. *nu.* 8. *part.* 6. & ſæpè aliàs. Cùm præſertim non ſolùm ſint fulcitę tot adminiculis, ſed etiam aliis corroboratę probationibus, Achil. 19 20

deciſ.

deciſ. 7. de confeſſ. Rot. *dec.* 405. *num.* 3. *part.* 1. *&* *deciſ.*
223. *par.* 2. *recent.* Hęc quoad originem.

21 Privilegio autem locus fieri poteſt nullius diœceſis per
ſeparationem, ſeu diſmembrationem à diœceſi, in qua
prius exiſtebat, & per conceſſionem juriſdictionis quaſi E-
piſcopalis factam inferiori Pręlato in Clerum, & Popu-
lum privativè ad Epiſcopum. Per hoc enim inferior con-
ſtituitur in proprio territorio; & ſic extra diœceſim Epi-
ſcopi, ut reſolvit Rot. *deciſ.* 324. *par.* 1. *recent.* & dictum eſt
ſuprà *num.* 12. Quotieſcumque enim Prelati inferiores ha-
bent territorium ſeparatum, illud dicitur eſſe nullius diœ-
ceſis; itaut nec in diœceſi, nec de diœceſi alterius eſſe
dicatur; ſed ſit proprium territorium, reſpectu cujus ipſi
quoque diœceſani vocantur, ut voluit gloſſ. in Clem. 1. §.
Volumus in ver. Diœceſanis, quam ibi ſequuntur Cardin.
in 4. quæſt. num. 2. Imol. *num.* 38. Abb. *nu.* 15. & Vital. *n.* 4.
de foro compet. Et ubi privilegium eſt tale, ut non modo
eximat, ſed etiam tribuat juriſdictionem excluſo Epiſco-
po, territorium dicitur effectum, veluti propria diœceſis
Prælati inferioris, ut notat Joan. Andr. *in cap. Nimis cir-
ca med. de jurejur.* Anchar. *in cap. Poſtulaſti ſub num.* 4. *de
foro compet.* & Rota *deciſ.* 207. *in fin. par.* 2. *diverſor.*

22 Verùm hujuſmodi diſmembratio, ac juriſdictio nullate-
nus probatur ex parte Præpoſituræ: nam illius privilegia
conſiderari poſſunt juxta tria tempora.

23 Primum tempus eſt ab erectione Prati, quod dicitur ini-
tium cæpiſſe ſub anno 1107. ut Ricordanus Malaſpina an-
tiquiſſimus rerum Florentinarum Scriptor teſtatur, uſque
ad annum 1534. Et hoc tempore quamvis Eccleſia Praten-
ſis obtinuerit quædam privilegia ab Urbano, Paſchali, &
aliis Pontificibus; tamen Innoc. II. & alii quinque Pon-
tifices declararunt ex hoc privilegio nihil cenſeri detra-
ctum poteſtati Epiſcopali Piſtorienſi, & Eccleſiam Pra-
tenſem eſſe eidem Epiſcopo ſubjectam ſicut prius, ut di-
ctum eſt ſupra *num.* 15.

Secundum tempus eſt anni 1463. quo tempore Eccleſia
Pratenſis obtinuit indultum exemptionis à Pio II. ſed hoc
privilegium tantùm abeſt, ut probet ſtatum nullius diœce-
ſis, ut potius illum excludat: tum quia in eo dicta Eccle-
24 ſia enunciatur diœceſis Piſtorienſis: tum quia tribuitur
eidem Eccleſiæ indultum ſimplicis exemptionis, quæ qui-
dem exemptio neceſſariò ſupponit exiſtentiam in diœceſi,
ut probat text. in *c. Cùm Epiſcopus*, & ibi Gemin. *in 3. not.
de offic. Ordinar. lib.* 6. Joan. Andr. *in addit. ad Specul. tit.
de privil. verſ. Sciendum.* Tum denique quia exemptio
non eſt univerſalis totius Cleri, & Populi, ſed reſtricta
ad Eccleſiam illius beneficia, & perſonas his verbis De-
cernentibus Eccleſiam, ſeu Plebem cum Præpoſitura,
Canonicatibus, Præbendis, & Beneficiis ejuſdem, nec-
non Præpoſitum, Capitulum, & Perſonas, & Beneficia-
tos Presbyteros nobis, & ejuſdem ſedi immediatè ſubje-
ctos exiſtere; & tamen ad conſtituendum Prælatum extra
diœceſim requiritur, ut tam ipſe Prælatus, quàm Clerus,
& Populus eximatur, ut patebit infrà *num.* 25.

Nec eſt omittendum ex dictis litteris Pii II. Præpoſitum
obligari ad præſtandum juramentum ſub forma infraſcri-
pta, videlicet, Ego Carolus de Medicis Præpoſitus Ec-
cleſiæ, ſeu Plebis S. Stephani Praten. Piſtorienſis diœce-
ſis, &c. quod eſt ſumptum ex Regiſtro Bullarum Cameræ
Apoſtolicæ, & exhibetur in forma authentica.

25 Ultimum tempus eſt anni 1543. quo Paulus III. conceſ-
ſit indultum Epiſcopalis juriſdictionis Cardinali de Ro-
dulphis tunc Præpoſito Pratenſi cum enunciativa nullius
diœceſis. Quod tamen privilegium tribuit Præpoſito ju-
riſdictionem in Canonicos, & beneficiatos dictæ Eccleſiæ,
& oppidi Pratenſis tantùm, ſed non in populum, neque in
alios Clericos non beneficiatos. Ergo non conſtituit Præ-
poſitum in proprio territorio, ſeu in ſtatu nullius diœce-
ſis juxta gloſſ. communiter receptam in Clem. 1. §. *Volu-
mus in ver. Diœceſanis de foro compet.* & dictum eſt ſupra
num. 21. Rurſus non eximit Præpoſitum a juriſdictione
Epiſcopi, ut requiritur ad hoc, ut inferior dicatur habere
proprium territorium, ut firmat Gemin. poſt Joan. de
S. Georgio in *c.* 2. *col.* 4. *verſ. Quæro an inferiores Prælati*,
& ibi etiam Petr. de Anchar. *ſub num.* 10. *verſ. Si vero per
privilegium, de conſtit. lib.* 6. & animadvertit S. Congrega-
tio Concilii in cauſa juriſdictionis inter Archiepiſcopum
Urbinaten. & Abbatem Caſtri Durantis, ut dixi in *cap.
Cum contingat num.* 37. *infrà de for. comp.* Unde Piſtorien.
Epiſcopus remanet Ordinarius Cleri, & Populi in privile-
gio non comprehenſi, *cap. Ex ore ad fin. de privil. c. Cùm
olim in fin. de præſcript.*

Neque obſtat dicta enunciativa, nullius: tum quia eſt 26
enunciativa partis, & non Papę, ideòque non probat Serap.
dec. 330. *n.* 2. Rota *in recent. dec.* 71. *n.* 5. *par.* 2. *&* *dec.* 160. *par.*
1. tum quia eſt unica, & ideò non probaret etiamſi eſſet an-
tiquiſſima ſupra centum annos, Crotus *conſ.* 34. *Viſo nu.* 17. 27
verſ. Hoc enim caſu lib. 1. & fuit deciſum in cauſa Aſtoricen.
Beneficii die 4. Novemb. 1585. coram bon. mem. Card. Pam-
philio, & in aliis pluribus cauſis, ut refertur in præallegata
dec. 160. *n.* 6. Ad minus enim debent eſſe duę, ut per Aret. in
c. Cùm cauſam n. 23. *verſ. Sed poteſt reſponderi de probat.*

Ac præterea Paulus III. tribuit præpoſito juriſdictionem 28
adjectis verbis, prout hactenus exercere conſueviſti: qua-
re ut ſit locus privilegio, Præpoſitus probare debet ſe hanc
juriſdictionem exercere conſueviſſe, arg. *l. Fundum, ff. De
contrah. empt.* & notat Innoc. Abb. & alii in *c. Inter dilectos,
de fid. inſtrum.* Seraphin. *dec.* 360. *n.* 1. *&* *dec.* 404. *nu.* 10.

Item non obſtat, quod Præpoſitus aſſeruerit ſe eſſe in pa-
cifica, & immemorabili poſſeſſione dictam juriſdictionem
exercendi: nam præterquamquod hæc eſt aſſertio partis,
quæ nihil probat, ut dictum eſt ſupra *nu.* 26. etiamſi Papa
in illa ſe fundaret, Rota *deciſ.* 154. *nu.* 4. *par.* 2. *diverſ.* ubi
de communi. In hoc indultum eſt manifeſtè ſubreptitium,
quia idem Cardinalis Præpoſitus, qui indultum impetravit,
iniit concordiam cum Card. Puccio Epiſcopo Piſtorien.
anno 1536. & ſic ſeptem annis ante indultum, in qua con-
cordia partes, ut aſſeruerunt, finem imponere cupientes
omnibus differentiis, diſcordiiſque, & controverſiis ortis,
& oriundis durante eorum vita ſuper juriſdictione tam Ec-
cleſiæ Piſtorienſis, quàm Præpoſituræ Pratenſis in Oppido
Prati, convenerunt deputare in dicto Oppido Vicarium
communem, qui nomine utriuſque, videlicet Epiſcopi Pi-
ſtorienſis in iis, quæ ad juriſdictionem ipſius, & Prepoſiti
occaſione indulti Apoſtolici concernunt, jus dicere.

Demum præſcriptione acquiri poteſt ſtatus nullius diœ- 29
ceſis, ſi inferior Prælatus in certo territorio omnimodam
juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exerceat in Clerum,
& Populum privativè ad Epiſcopum ſpatio annorum
quadraginta cum titulo, vel per tantum tempus, cujus
initii non extet memoria, *c. Cùm perſonæ, de privil. lib.* 6.
& notat Abb. poſt alios in *cap. Auditis nu.* 7. *de præſcript.*
& tangetur infrà *n.* 34. Cæterùm hæc præſcriptio ex parte 30
Præpoſituræ ſimiliter non probatur, quod patebit ſatis a-
pertè ex diſtinctione temporum, quibus Epiſcopus, & ſic
Præpoſitus juriſdictionem exercuerunt. Præpoſitus enim
cępit actus juriſdictionales anno 1282. uſque ad 1372. &
ſic per annos 90. quo tempore nulli dantur actus pro Epi-
ſcopo. Unde Præpoſitus concurrentibus requiſitis potuit 31
hoc ſpatio præſcribere jura Epiſcopalia, *c. Irrefragabili*,
§. *Exceſſus infrà eodem*, *cap. Cùm contingat de foro compet.
cap. Dilectus de appellat. cap. Auditis*, *&* *c. Cum olim de
præſcript.* Sed è converſo ab anno 1372. uſq; ad 1561. & ſic
per annos 189. nulli dantur actus pro Præpoſito. Epiſco-
pus verò docuit ſe omnimodam juriſdictionem exercuiſſe
per ſe ſolùm abſque ullo actu intermedio Præpoſiti ab an-
no 1424. uſque ad annum 1536. quo anno inita fuit con-
cordia ſupradicta. Unde ſpatio annorum 112. dubium
non eſt quin Epiſcopus pręſcripſerit contra pręſcriptionem
Præpoſiti, *cap.* 1. 13. *quæſt.* 2. *&* *cap.* 1. *&* 2. 16. *qu.* 3. Præ- 32
ſertim, quia præſcriptioni Epiſcopi, cùm per eam fiat redi-
tus ad jus commune, Canones aſſiſtunt, adeòut nec titu-
lus requiratur, *cap.* 1. *ubi omnes notant, de præſcript. lib.* 6. A
tempore autem concordiæ, id eſt, ab anno 1536. uſque ad
annum 1561. nulli dantur actus Præpoſiti, itaut potuerit
præſcribere contra Epiſcopum. Ac demum ab anno 1561.
uſque ad annum 1607. quo tempore lis mota fuit, actus
ut plurimum geſti fuerunt à Vicario communi, qui juriſ-
dictioni Epiſcopi nullatenus præjudicavit juxta tenorem
concordiæ. Ac prætereà per actus ab Epiſcopo geſtos ſem- 33
per fuit interrupta qualiſcumque Prępoſiti pręſcriptio non-
dum completa, ut notat Innoc. in *cap. Auditis de præſcript.
num.* 4. *verſ. Poteſt etiam, &* *num.* 5. *verſ. Item ſit interruptio*,
quem ibi ſequuntur Hoſt. *nu.* 2. *in fin.* *&* *nu.* 3. *verſ. ſit etiam*,
Joan. Andr. *num.* 5. *eod. verſ.* Butr. *nu.* 10. *verſ. Oppono*, An-
char. *n.* 8. *in* 5. *oppoſ.* & Joan. de Anan. *num.* 9. Præterquam

quod

quod etiamſi hoc tempore, quod capit annos quadraginta, Præpoſitus potuiſſet præſcribere juriſdictionem, ſecundùm ea, quæ leg. & not. in *dict. cap. Cum perſonæ, de privil. lib. 6.* non tamen illam præſcripſiſſet privativè, ſed cumulativè cum Epiſcopo, quia etiam Epiſcopus illam eodem tempore exercuit: hoc enim caſu, aut nullo modo inferior præſcribit, cùm actus Epiſcopi interrumpant præſcriptionem inferioris, ſecundùm opinionem Innoc. de qua ſupra proximè, aut ad ſummum præſcribit cumulativè, ſecundum opinionem Abb. & Alex. de Nævo in *dict. cap. Auditis*, ut
34 ibi plenè ſcripſi *à num. 6. uſque in fin.* At certum eſt juriſdictionem non conſtituere Prælatum inferiorem in proprio territorio, niſi illa ſit privativè ad Epiſcopum, ut notat gloſſ. communiter approbata in præallagata Clemen. 1. §. *Volumus in ver. Diœceſanus, de foro compet.* Abb. in *cap. Sicut unire num. 3. verſ. Aut iſte Prælatus de exceſſ. Prælat.* & in Clem. *Diœceſanis num. 1. in ver. Proprii, de vit. & honeſtat. Clericor.* & dictum eſt ſupra *num. 29.* Unde quod pertinet ad præſens dubium, perindè eſt Præpoſitum præſcripſiſſe cumulativè, ac ſi nullo modo præſcripſiſſet.

Ex quibus videtur reſpondendum oppidum Prati exiſtere in diœceſi Piſtorienſi. Poſteà tamen hoc oppidum fuit erectum in civitatem à fel. recor. Innoc. X. & ejus Eccleſia in Cathedralem æquè principaliter unitam Eccleſiæ Piſtorienſi.

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Alexander III. Cantuarienſi Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis.

CAPUT IV.

CUm vos plerumque oporteat ordinationem Eccleſiarum differre, pro eo quòd quandoque perſonæ vobis minus idoneæ præſentantur: aut inter vos & præſentatores, alia de cauſa radix diſſenſionis emerſerit: & infrà Fraternitati veſtræ mandamus, quatenus ſi quando in vacantibus Eccleſiis, in quibus Eccleſiaſtica perſona præſentationem non habet, vel quia perſonæ minus idoneæ præſentantur vel alia de cauſa de jure perſonas non poteritis in eis inſtituere: appellatione remota ponatis œconomos, qui debeant fructus percipere: & eos, aut in Eccleſiarum utilitatem expendere, aut futuris perſonis fideliter reſervare.

S U M M A R I U M.

1 *OEconomus in Eccleſia vacante per Epiſcopum eſt ponendus, ſi illius ordinatio ex aliqua cauſa differatur, & num. 4.*

Patronus laicus præſentans indignum, an ſit ipſo jure privatus poteſtate præſentandi, & num. 34. & ſeqq. uſque in fin.

3 *Oeconomus de jure communi non poteſt conſtitui per Epiſcopum in Eccleſia vacante, ſi ea ſit juriſpatronatus Eccleſiaſtici, & num. 8.*

Secus ex Concilio Tridentino, num. 7.

4 *Patronus Eccleſiaſticus de jure habet cuſtodiam Eccleſiæ vacantis.*

Contra ex Concilio Tridentino, num. 6.

5 *Patronus laicus non poteſt ſe ingerere in rebus Eccleſiæ, nec habet cuſtodiam, ſed defenſionem tantum.*

6 *Patroni tam laici, quàm Eccleſiaſtici poſt Concilium Tridentinum nullatenus poſſunt ſe ingerere in fructibus beneficii.*

7 *Oeconomum debet Epiſcopus conſtituere in Parochiali ſtatim habita notitia illius vacationis.*

10 *Oeconomus dicitur cui res Eccleſiæ gubernandæ mandatur.*

11 *Capitulum ſede vacante poteſt ponere œconomos in beneficiis vacantibus, quorum collatio pertinet ad Epiſcopum.*

12 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*

13 *Cuſtodia Eccleſiæ vacantis ad quem ſpectet, remiſſivè.*

14 *Principes ſæculares an ex conſuetudine poſſint habere jus deputandi œconomos in Eccleſiis vacantibus.*

15 *Oeconomus in Eccleſia vacante ab Epiſcopo deputatus habet adminiſtrationem omnium bonorum Eccleſia vacantis, etiamſi inſtitutio non ad Epiſcopum, ſed ad inferiorem ſpectet.*

16 *Non tamen debet fructus ſibi applicare, ſed in utilitatem Eccleſiæ convertere, vel ſucceſſoribus reſervare.*

17 *Item tenetur inventarium conficere.*

18 *Et debet eſſe Clericus.*

19 *Debetur tamen illi congrua arbitrio Epiſcopi.*

20 *Et unde hæc portio ſumenda ſit ſi fructus ſint conſumpti, vel inſufficientes.*

21 *Fructus Eccleſiæ vacantis ſucceſſori ſunt reſervandi.*

22 *Niſi ſint tales, qui ſervando ſervari non poſſint.*

23 *Vel niſi ſint fructus, ſeu ſpolia beneficiati præmortui.*

24 *Oeconomi deputatio in Eccleſia vacante non pertinet indiſtinctè ad Epiſcopum, ſed ad eum, qui habet jus inſtituendi.*

25 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*

26 *Oeconomi deputatio in Parochialibus vacantibus non ſpectat ad Abbatem habentem jus coferendi, ſed ad Epiſcopum viciniorem.*

27 *Patronus præſentando indignum, an ſit ipſo jure privatus pro illa vice poteſtate præſentandi, latiſſimè diſcutitur, ut num. ſeqq. uſque in fin.*

28 *Quid in Patrono Eccleſiaſtico, qui præſentat indignum ſcienter, & num. 49.*

Et quid ſi ignoranter, num. 32.

Et quid in patrono laico, qui præſentavit indignum ignoranter, num. 33.

Et quid ſi patronus laicus præſentavit indignum ſcienter, num. 34. & ſeqq. uſque in fin.

Referuntur auctores, & fundamenta pro opinione negativa, num. 35. & num. ſeqq. uſque ad num. 39.

Item referuntur auctores, & fundamenta pro contraria opinione affirmativa à dicto numer. 39. uſque ad numer. 46.

Approbatur prima opinio negativa à dicto nu. 46. uſque ad num. 56.

Et refellitur diſtinctio Lambertini num. 56. & nu. ſeqq. uſque in finem.

29 *Patronus Eccleſiaſticus non poteſt variare, & eo ipſo quod præſentat ſcienter indignum, jus providendi Eccleſiam ad Epiſcopum devolvitur, vel ad eum, ad quem pertinet inſtitutio. & num. 31.*

30 *Eligentes ſcienter indignum ſunt ipſo jure privati pro illa vice poteſtate eligendi, & num. 44. & 50.*

32 *Patronus Eccleſiaſticus qui ignoranter præſentavit indignum, poſt caſſationem poteſt variare, & habet integrum tempus ad præſentandum.*

33 *Patronus laicus qui præſentavit indignum ignoranter, infra quatuor menſes poteſt variare, & alium præſentare.*

36 *Præſentare minus idoneum, vel nullum paria ſunt.*

37 *Variatio faciliùs permittitur, quando actus eſt illicitus.*

38 *Patronus Clericus habet ſemeſtre ad præſentandum, quia*

variare non poteſt, laicus verò quadrimeſtre tantum, quia poteſt variare.

40 *Intellectus*, §. Si quis Oratorii domum, *in authen. de* Sanctiſſ. Epiſcop. *& num.* 53.

41 *Electionem habens ex diſpoſitione teſtatoris, eligendo indignum privatur ipſo facto poteſtate eligendi.*

42 *Idem ſi habeat electionem ex gratia, vel ex privilegio. Declaratur, num.* 54.

43 *Patronus laicus habet poteſtatem præſentandi ex gratia, & num. ſeqq.*

Declaratur, num. 54.

45 *Poſtulantes dignum ante præſentationem factam ſuperiori poſſunt variare, ſed poſtulantes indignum non, quia ſunt ipſo jure privati.*

46 *Pœna privationis poteſtatis præſentandi non debet induci, niſi expreſsè de jure cautum reperiatur, & n.* 48. *&* 51.

47 *Præſentans indignum præſumitur eum præſentare ſcienter.*

52 *Electio dat jus in re, præſentatio verò jus ad rem.*

53 *Leges civiles diſponentes de materia ſpirituali, vel ſpirituali annexa, ſicut eſt juſpatronatus, etiam in favorem Eccleſiarum non ſunt attendendæ.*

55 *Patronus laicus non obſtante reprobatione examinatorum de primo præſentato, & appellatione ab eo interpoſita poteſt alterius nomen deferre.*

56 *Præſentatio de non idoneo, & de indigno differunt, & refellitur contraria opinio Lambertini.*

1 CUm vos. Si ordinatio vacantis Eccleſiæ differtur ex cauſa, œconomus in ea per Epiſcopum eſt ponendus: Hoc dicit Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Cardin. Jo. de Anan. & Barbatia. Communis diviſio. Secunda ibi, *Fraternitatis*.

2 Nota primò ibi, *Perſonæ minus idoneæ præſentantur.* Patronum laicum ex eo, quod præſentet indignum, non eſſe privatum jure, nec privandum poteſtate præſentandi, ut non obſcurè innuitur hìc: nam ſi eſſet privatus, ordinatio Eccleſiæ non eſſet differenda, ſed ſtatim ad Epiſcopum devolveretur, ut hìc per gloſſ. 2. & Abbatem *in* 1. *notab.* Sed an hoc ſit verum, plenè dicam infra *à num.* 34. *uſque in finem.*

3 Secundò nota ibi *In quibus Eccleſiaſtica perſona præſentationem non habet.* Si Eccleſia ſit juriſpatronatus Eccleſiaſtici, & ordinatio Eccleſiæ ex cauſa differatur, Epiſcopum non poſſe in ea œconomum conſtituere, nec eſſe locum diſpoſitioni hujus textus. Rationem reddit gloſſ. 1. quia perſona Eccleſiaſtica faciliùs cogitur ad concordandum, & conſentiendum, puta per ſuſpenſionem, vel per

4 ſubtractionem beneficii, ut *cap. Conſuluit* 74. *diſt.* Aliam rationem reddit hìc Innocen. *num.* 1. *verſ. Ubi autem*, Hoſtien. *num.* 4. & Joan. Andr. *num.* 15. *verſ. Sed ſi patronus*, & Abb. *num.* 4. *verſ. Sed tu dic meliùs*; videlicet, quia ubi Patronus eſt Eccleſiaſticus, cùm ei debeat de temporalibus reſponderi, *cap.* 2. 16. *qu.* 2. *cap.* 1. *de Capell. Monach.* ipſe habet cuſtodiam Eccleſiæ vacantis, & non Epiſcopus, arg. *cap. Bonæ de appellat. cap. Relatum, il ſecondo*, §. *Nomine de*

5 *teſtam. cap. Cum & plantare*, §. *In Eccleſiis de privileg.* Et ſic differentia eſt inter patronum laicum, & Eccleſiaſticum, quia patronus laicus non poteſt ſe intromittere de rebus Eccleſiæ, nec habet cuſtodiam, ſed defenſionem tantum, ut *cap. Decernimus, & cap. Filii* 16. *qu.* 7. *c.* 1. *cum quatuor cap. ſeqq.* 10. *diſtin.* gloſſ. *penult. hìc verſ. Et ex hac littera*, Innocen. *num.* 1. Hoſt. *num.* 3. *verſ. Et idem eſt*, Jo. Andr. *num.* 15. Et ideo ſi Eccleſia ſit patronatus laicalis, œconomus in ea ab Epiſcopo eſt conſtituendus, ſecus ſi ſit patronatus Eccleſiaſtici, quia cuſtodia pertinet ad patronum, ut dictum eſt.

6 Sed hæc differentia ſublata eſt à Concilio Tridentino in *cap.* 9. *verſ. Patroni autem ſeſſ.* 25. ubi ſtatuitur, ut patroni beneficiorum cujuſcumque ordinis, & dignitatis etiamſi Communitates, Univerſitates, Collegia quæcumque Clericorum, vel laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiamſi vere de jurepatronatus ipſorum ex fundatione, & dotatione eſſent, nullatenus, nullave cauſa, vel occaſione ſe ingerant, ſed illos liberè Rectori, ſeu Beneficiato non obſtante etiam quacumque conſuetudine diſtribuendos dimittant. Itaque ſive Eccleſia ſit liberæ collationis, ſive juriſpatronatus Eccleſiaſtici, ſive laicalis, Epiſcopus ſtatim habita notitia vacationis, debet in ea Oeconomum, ſeu Vicarium conſtituere, qui onera Eccleſiæ ſuſtineat, ejuſque cuſtodiam, & adminiſtrationem habeat, ut patet in *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *ejuſdem Concilii*. 7

Adde quod Hoſtien. *hìc num.* 2. *verſ. Idem tamen juris eſt, & num.* 5. *verſ. Et idem puto*, firmiter concludit non eſſe differentiam, an Eccleſia ſit juriſpatronatus Eccleſiaſtici, vel laicalis, ſed utroque caſu pendente tempore ſex, vel quatuor menſium ad præſentandum Epiſcopum debere œconomum conſtituere: & hæc opinio Hoſt. eſt hodie approbata à Concilio Tridentino, ut prædixi. 8

Tertiò nota ibi, *Ponatis œconomos*, ubi proviſio Eccleſiæ, vel ex præſentatione minus idonei, vel ex diſcordia inter præſentatores, & Epiſcopos, vel ex alia cauſa protrahitur, & ſuperior non poteſt juridicè Rectorem præficere, Epiſcopum, vel alium habentem jus inſtituendi debere in ea œconomum deputare ad fructus conſervandos, ut hìc, & in *cap. Quoniam quidam* 75. *diſt.* Dicitur enim œconomus, cui res Eccleſiæ gubernanda mandatur, *l. Omnes*, §. *Hoc nihilominus, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* ſecundùm Hoſtien. *hìc num.* 5. Et ita qui non poteſt ponere Rectorem in Eccleſia, ponat œconomum, ut inquit Abb. *hìc in* 2. *notab.* Ad quod tamen vide omninò quod ſcripſi in *cap. Quoniam à n.* 16. *uſque ad n.* 22. *infrà de jurepatr.* 9 10

Et ex hoc infert idem Abb. *ubi ſuprà*, ut Capitulum Sede vacante, quamvis non poſſit beneficia conferre, *cap. Illa infrà ne Sede vacante*, tamen poſſit ponere œconomum in beneficiis vacantibus, quorum collatio pertinet ad Epiſcopum, allegat Joan. Andr. in *c. unic. ne Sede vacan. lib.* 6. 11

Sed hodie Capitulum Sede vacante nullam ſibi vendicat auctoritatem deputandi œconomos in Parochialibus vacantibus, ſed infra octo dies poſt mortem Epiſcopi Officialem, ſeu Vicarium conſtituit, ut in Concilio Tridentino *cap.* 16. *ſeſſ.* 24. Qui quidem Vicarius ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ conſtituet in ea Vicarium, ſeu Oeconomum, & illa omnia munia obibit, quæ idem Concil. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ſtatuit obeunda ab Epiſcopo, ſeu ejus Vicario, cùm Parochialis Eccleſiæ vacatio contigerit, ut ex ſententia S. Congregationis Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum, dixi in *dict. cap. Illa nu.* 17. 18. *&* 28. *Ne Sede vacant.* 12

Generaliter autem ad quem ſpectet cuſtodia Eccleſiæ vacantis, dic ut plenè per Henric. Boich. in *cap. In Lateranenſi infrà de præbend.* & an cuſtodia, vel jus deputandi œconomos in Eccleſiis vacantibus poſſit competere Principi ſæculari ex conſuetudine, vide hìc per Hoſt. *num.* 3. *verſ. Et idem eſt ubi habet patronum laicum*, Jo. Andr. *num.* 15. Abb. *nu.* 4. & per DD. in *c. Generali, & c. Quia ſæpè de elect. lib.* 6. *& in c. Præſenti*, §. *Porro, de offic. ordinar. eod. lib.* 13 14

Quartò nota ibi, *qui debeat fructus percipere*, Oeconomum in Eccleſia vacante ab Epiſcopo deputatum debere illius fructus percipere, ut hìc in littera, quod locum habet etiamſi jus inſtituendi ſpectet ad inferiorem Prælatum, ut aliàs cenſuit Sacra Congregatio Concilii: nam conſulta, an Vicarius ex *c.* 18. *ſeſſ.* 24. conſtitutus habeat cuſtodiam, & adminiſtrationem omnium bonorum Eccleſiæ vacantis, etiam cujus inſtitutio non ad Epiſcopum, ſed ad inferiorem ſpectaverit: Reſpondit habere, non obſtantibus iis, quæ traduntur per Doctores in *c. Vos de off. ordin.* Non tamen debet fructus ſibi imburſare, ut inquit Hoſtien. *hìc num.* 5. *in ver. Percipere*; ſed in utilitatem Eccleſiæ convertere, aut ſucceſſoribus fideliter reſervare, videtur in littera. Unde & debet de fructibus inventarium conficere, ut hìc per Bald. *n.* 5. *verſ. Quæro utrum*, iſte œconomus, & debet eſſe Clericus; quia perſona Eccleſiaſtica faciliùs poteſt cogi rationes reddere Epiſcopo, quàm perſona laica, *l. Omnes*, §. *Nihilominus, Cod. De Epiſcop. & Cler.* Bald. *loco cit.* Debetur tamen illi congrua portio, ut in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ibi, *Idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus* (ſcilicet Epiſcopi) *arbitrio fructuum portionis aſſignatione.* Qualiter autem hujuſmodi arbitrium in taxatione congruæ portionis ab Epiſcopo ſit moderandum, dic ut ſcripſi ex ſententia ejuſdem Sacræ Congregationis in *cap. de Rectoribus num.* 9. *&* 10. *infrà de Cler. ægrot.* & cum quæſitum fuerit unde hæc portio ſumenda ſit, quando conſtat fructus eſſe conſumptos, aut extantes ita tenues, ut 15 16 17 18 19 20

Vi-

Vicarii ſuſtentationi non ſufficiant: reſponſum eſt ſumendam eſſe ex fructibus percipiendis, niſi aliquæ perſonæ ſint jure obligatæ ad ſupplendnm aliundè.

21 Ultimò nota ex fine textus, fructus Eccleſiæ vacantis eſſe reſervandos in tempus ſucceſſoris, ut hìc, & in concordantibus, de quibus in gloſſ. *ultim.* Ad idem Concilium Tridentinum *ſeſſ.25.cap.9.verſ.Patroni autem*, ibi: ſed illos liberè Rectori, ſeu Beneficiato, non obſtante etiam quacumque conſuetudine diſtribuendos dimittant. Nec debet œconomus aliquid exindè alienare, niſi ſint tales, qui

22 ſervando ſervari non poſſunt, ut *l.Lex quæ tutores in fin. C. De adminiſtr. tutor.l.Divus in fin.primi reſponſ. ff. De petit. hæred.cap.Si quis Epiſcopus* 10.qu.2.gloſſ.*ubi ſup.* Hos enim poteſt œconomus vendere, cùm hoc expediat Eccleſiæ, ſed tamen illorum pretium debet fideliter conſervare, ut *l. Si & rem,& pretium,ff.De petit.hæredit.l.Non utitur,& l.ſeqq. quia pretio, ff De uſufruct.& l.Procuratoris,§.Non autem totum,ff. De tributar. action.* ſecundùm Hoſtien. *hic in fin.* in

23 Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis locum habet, *cap. Quia ſæpè de elect.lib.6.* ſecundùm Joan. Andr. *hic in fin.* & quod dixi de fructibus Eccleſię vacantis intelligas de fructibus, & redditibus tempore vacationis provenientibus, de his enim loquitur hæc Decretalis, & tex.in *c.Præſenti de of. ordin.lib.6.in c.Quia ſæpè de elect.eod.lib.* Secus verò de ſpoliis beneficiati præmortui, quia de his nullo jure cautum reperitur, ut reſervandi ſint ſucceſſori. Et ita hunc text. declarat Navar. in *tract. de ſpol.Clericor.* §.10.*n.*1. 2.3.*&* 30.

24 In gloſſ.penult. ibi, *vel alius Prælatus*. Nota ex hac gloſſ. deputationem œconomi in Eccleſia vacante non pertinere indiſtinctè ad Epiſcopum, ſed ad eum, ad quem pertinet inſtitutio, & cum gloſſ. tranſit hìc Joan. Andr. *num. 16.*

25 Sed hodie ex Concilio Tridentino in *dict.cap.*18.*ſeſſ.*24. in Parochialibus vacantibus Epiſcopus ſolus poteſt Vicarium, ſeu Oeconomum conſtituere, & alia facere, quæ ibi præſcribuntur, non autem inferiores Prælati, niſi habeant requiſita, quæ poſui ex ſententia Sacræ Congrega-

26 tionis Concilii in *cap. Cùm contingat nu.* 31. *&* 38. *infrà de foro compet.* Unde propoſito dubio, an jus deputandi Vicarios in Parochialibus vacantibus ex *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. vel alia quapiam ratione competat Abbati, ad quem ipſarum Parochialium collatio pertinet, an verò ad viciniorem Epiſcopum: Sacra Congregatio cenſuit pertinere ad Epiſcopum viciniorem.

27 QUÆRO, An patronus præſentando indignum ſit ipſo jure privatus pro illa vice poteſtate præſentandi.

28 Pro ſolutione quæſtionis diſtinguendum eſt cum gloſſ.2. hìc inter patronum Eccleſiaſticum, & patronum laicum, ſeu Clericum ratione patrimonii.

Et quidem patronus Eccleſiaſticus præſentando indignum, ſi hoc fecerit ſcienter eſt ipſo jure privatus pro prima vice præſentandi poteſtate, quia cùm non poſſit variare, *c. Cùm autem de jurepatr.* Hoſtien. *in ſumm. de jurepat.* §. *In quibus,verſ.Eccleſiaſticus autem,* eo ipſo quod præſentat indignum, jus providendi Eccleſiam ad Epiſcopum de-

29 volvitur, ut *cap.2.in fin.ſuprà de ſupplen.neglig. Prælat.& c. 3.in fin.infrà de Eccleſ.ædifican.* idque ad exemplum eligen-

30 tis ſcienter indignum, *cap.Cùm in cunctis,§.ultim.cap.Innotuit,& in cap.Cùm Vvintonien.ſuprà de elect. & cap. Quam-*

31 *quam eod. tit.lib.6.* & hoc ſi Epiſcopus habeat jus inſtituendi; alioquin devolutio fit ad eum, ad quem pertinet inſtitutio, ut voluit gloſſ. in Clem. *unica in verb. Prælati,& in verb.Diſpoſitionem de ſupplen. negligen. Prælat.* quam dicit ſingularem Abb. *hìc num.6.* & ſequitur Lambertin. *de jurepatr.1.par.2.lib.in* 10. *qu. princip.art.4.nu.6. verſ. Demum,*

32 ibi Abbas ſubdit. Si verò patronus Eccleſiaſticus hoc fecerit ignoranter, tunc non poteſt variare uſque ad caſſationem, & poſt caſſationem habet integrum tempus ſemeſtre ad præſentandum, arg. *cap.Electi de elect.lib. 6.* ſecundùm Hoſt. *in ſumma de jurepatr.* §. *In quibus dicto verſ. Eccleſiaſticus autem,* Joan. Andr. *hic num.*13.*verſ.Et ſic erit differentia,* Butr. *eod. num.& verſ.* Imol. *num. 6. verſ. Sed ſi Clericus.* Quod credo verum, niſi ignorantia ſit craſſa, & ſupina, ut notat gloſſ. in *d. cap. Innotuit in verb.Ignorantiam de elect.* & in hoc primo membro gloſſę noſtræ concordant Hoſt. *in ſumma de jurepatr. d.§. In quibus in princ. 3.col. in verſ. Pœna,* & communiter DD. uno excepto Cardin. nullus diſcrepat, ut inquit Lambert. in *tract.de jurepat. 1. par. 2. libri in* 10. *q. princip. art.* 4. *num.* 15.

Sed patronus laicus, vel Clericus ratione patrimonii ſi 33 præſentavit indignum ignoranter, conveniunt omnes, ut non ſit privatus poteſtate præſentandi, quia poteſt variare præſentando alium idoneum infra quadrimeſtre tempus, ut *in c. Cùm autem de jurepatr.*

Verùm ſi hoc fecerit ſcienter, magna eſt Doctorum 34 altercatio, an ſit ipſo jure privatus, necne gloſſ. 2. hìc tenet non eſſe privatum, nec privandum, & cum gl. con- 35 ſentit Archid. in *c. 1. n. 1. verſ. Sed contra in laico de præb. lib. 6.& in c.un. in fin.de jurepatr.eod.lib.* Feder.de Sen.*conſ.* 129. *caſus talis eſt teſtator n.*3.*in fin. verſ. Ad ultimum, & conſ.*147. *quidam de civitate Tuderti nu.* 4. *verſ. Nam patroni eligentes indignum*, Innoc. *hic in princ. in ver. Minus, verſ.Vel dic quod licet patronus laicus, tametſi loquatur alternativè*, Card. *in 2. q.* & cum hac opinione in effectu concordat Jo.And. *n.*12.*in fin. verſ.Per quæ dico*, ubi finaliter concludit patronum laicum non eſſe privatum per hoc quod preſentat indignum ſcienter, ſed ex tunc erit privatus, cùm infrà quatuor menſes ſibi ad pręſentandum præfixos reſpectu prioris inchoationis alium non præſentat, & tùnc demum poterit Epiſcopus de alio providere: & cum opinione Jo. Andr. conſentiunt Butr. *hic num.* 13. *col.*3.*poſt princ.verſ.Per hoc concludit*, dicens hanc opinionem eſſe æquiorem, licèt de rigore poſſe contraria dici verior: & Paulus de Eleazar. in Clem. 1. *de jurepatr.* prout eum refert Cardin. *hic in 2. qu. num. 1. verſ. Paulus.* Idem per omnia Anchar. *hic num.*4. *verſ. Joan. Andr. tenet,* latè Imol. *nu.* 5. *eod. verſ. & num. 6. verſ. Et per prædicta*, dicens tutius eſſe tenere cum gl. cùm qua etiam videtur tranſire Innoc. eamque videri etiam æquiorem. Licèt diſputationis gratia poſſet etiam alia opinio ſuſtineri: tamen in judicando, & conſulendo non eſſe recedendum à gl. ſequitur Jo. de Anan. *nu.* 3. dicens hanc opinionem tenere communiter DD. quam etiam ex Legiſtis ſequutus eſt Bart. *in tract.de differentiis inter jus civile, & canonicum n.* 119. ubi conſtituens in hoc differentiam inter jus civile, & canonicum, dicit patronum præſentando indignum de jure civili privari poteſtate præſentandi ea vice, & illam poteſtatem devolvi ad ſuperiorem, juxta text. in auth. *de ſanctiſſ. Epiſc.* §.*Si quis oratorii domum*, ſed de jure canonico pattonum nòn perdere talem poteſtatem, ut in hoc c.

Pro hac opinione gloſſæ inducitur. Primò hæc Decretalis: nam hic certò præſuppónitur fuiſſe præſentatum indignum à patrono laico, & tamen non devolvitur ad Epiſcopum jus providendi Eccleſiam, ſed tantummodò jus deputandi œconomum durante vacatione: ergo patronus non fuit, privatus: nam ſi hoc eſſet, Epiſcopus ſtatim debuiſſet providere de Rectore, & non de Oeconomo, *c. Nulla infrà de conceſſ. præben.& cap.unic.de ſupplen.neglig.Prælator. lib. 6.*

Secundò pro hac opinione Joan. Andr. arguitur ſic. Pa- 36 ria ſunt nullum præſentare, vel minus idoneum, ut in *c. 2. de tranſlat. Epiſcop.& in cap.Tuæ de Cleric.non reſident.* ſed quando patronus laicus infra quadrimeſtre neminem præſentavit, eo termino elapſo Epiſcopus poteſt de Rectore providere, ut in *cap. unic.* §.*Verum de jurepatron.lib. 6.* ergo eodem modo providere poterit ſi fuerit præſentatus minus idoneus.

Tertiò pro eadem opinione adducitur ratio, quæ mul- 37 tùm ſtringit: nam ſi licitum eſt patrono ſæculari variare, quando præſentavit idoneum, ut in *cap.Cùm autem de jurepatr.* fortiùs debet eſſe licitum ſi præſentavit indignum: nam ut formaliter inquit Joan. Andr. *hic nu.* 12. Abſurdum videtur, ut patronus benefaciendo poſſit variare, vel accumulare; malè faciendo, non cùm tamen variatio à jure præcipuè concedatur, quando actus eſt illicitus, ſecundùm ea, quæ notantur in *cap. Noſti de elect. & in c. Diverſis fallaciis de Cleric.coniugat.* quaſi hęc fuerit mens juris permittentis variationem, ut patronus accumulando variare poſſit, quod malè fecit.

Gloſſa ſecunda hic pro ſua opinione ponderat rationem 38 differentiæ inter patronum Clericum, & patronum laicum. nam Clericus variare non poteſt, laicus verò poteſt antequam præſentatus ſit confirmatus, ut *in dict. c. Cùm autem de jurepatron* & hæc eſt ratio cur laico dentur tantùm quatuor menſes à tempore vacationis, *cap. Cùm propter de jurepatron.* Collegio verò, ſive Clericis dentur ſex menſes, ut in *c.Nulla de conceſſ. præben.* Igitur laicus non privatur po-

te-

teſtate præſentandi, licèt indignum præſentet, Clericus verò ſecus. Concordat textus in *l. Cum quidam*, ita cum ibi notatis per Bart. *n.* 4. *ff. De leg.* 2. nam ut dicit gloſſ. hìc fit quædam compeſatio hinc inde; nam laici quoniam gravantur in tempore, relevantur in hoc, quia non puniuntur. Contra verò Clerici quoniam relevantur in majori tempore, gravantur in hoc, quia puniuntur eligendo, vel preſentando indignum. Item quia Clerici magis debent eſſe diſcreti, & ſcire jura, idcircò puniuntur ſi peccent in electionibus, ſeu præſentationibus. Sequitur Bald. *hic num.* 4. aliàs rationes differentiæ aſſignans inter patronum Clericum, & patronum laicum.

39 Contrariam opinionem id eſt patronum laicum, qui ſcienter præſentavit indignum, eſſe privatum ipſo jure poteſtate præſentandi pro illa vice, & proviſionem Eccleſiæ ſtatim ad Epiſcopum devolvi ſequutus eſt variando Innocen. in *cap. Propoſuit num.* 1. *circa fin. verſ. Sed dices*, ubi recitata diſtinctione Bernardi inter patronum Clericum, & patronum laicum concludit ad ſuperiorem revolvi proviſionem patrono præſentare indignum, licèt ſubdat Epiſcopum benefacere ſi reddat proviſionem, ideſt præſentationem patrono, quia laici non ſunt ita inſtructi in Eccleſiaſticis negotiis, & cum eo conſentit ibi Hoſt. *n.* 5. *verſ. Si quæras*, & idem Hoſt. *hìc num.* 2. *verſ. Abbreviavi*, dicens gloſſam Bernardi eſſe omninò cancellandam, Bald. *num.* 3. ubi concludit Epiſcopum poſſe prævenire variationem patroni laici, & pœnitentiam non expectare. Allegat notata per Innoc. & Hoſt. *in dicto cap. Propoſuit*, & ita ſentit patronum laicum eſſe privatum ipſo jure, licèt ei ſit parcendum ex benignitate, Henric. Boich. *in cap. Auditis num.* 2. 3. & 4. *ſuprà de elect.* uti concludit patronum laicum, qui indignum præſentavit etiam infrà quatuor menſes variare non poſſe, niſi Epiſcopus variationem admittat, Joan. de Lignan. in Clem. 1. *de jurepatr.* Gemin. in *cap.* 1. *in* 2. *col.* & ibi etiam Franc. *num.* 2. *verſ. Debet tamen, de præbend. lib.* 6. licèt malè alleget Archid. & Joan. Andr. pro hac opinione. Latè Bellam. *hic num.* 2. *col.* 3. *poſt princ.* ubi *in verſ. Ego autem*, concludit pro hac parte, licèt fateatur ſe in conſiliis ſemel dixiſſe, nec in præſentatione patroni Clerici, nec in præſentatione patroni laici habere locum pœnam, *cap. Cum in cunctis de electìon.* Hanc etiam opinionem ſequitur, & veriſſimam dicit Abb. *hic num.* 5. & allegat Doctores de Rota idem tenentes *deciſ.* 205. & ex Legiſtis eam tenent Bart. & Angel. in Auth. *de Sanctiſſ. Epiſcop.* §. *Si quis Oratorii domum*, relati à Joan. de Anan. *hic num.* 3. *verſ. Et iſtam partem*. Sed certè Bart. ibi de hoc nihil dicit, & Angel. remittit ſe ad hoc cap. Et ad Archidiac. *in cap.* 1. *de præbend. lib.* 6. & ſic potuiſſet potius allegari pro contraria opinione. Hanc tamen tenet Angel. Aretin. *in conſ.* 99. Videndum cenſeo *num.* 18. & eam aliàs approbavit Rota apud Creſcent. *deciſ.* 11. *de jurepatronat.* ubi reſolvit patronum etiam laicum ſcienter præſentantem crimin oſum, vel aliàs indignum privari ea vice poteſtate iterùm præſentandi, ex notat. per Rocch. de Curt. *in tract. de jurepatronat. in ver. Honorificum num.* 15. *quæſt.* 4. *verſ. Si autem præſentans*, Rota *deciſ.* 262. *aliàs* 5. *de jurepatronat. in Novis*, Bellamer. *deciſ.* 172. & *deciſ.* 751. & alios apud Lambertin. *in eod. tract.* 1. *part.* 2. *lib. in* 10. *q. art.* 4. *col.* 5. *in fin. cum ſeqq.* Henric. Boich. *in dict. cap. Auditis*, & Collectar. hìc adde Caputaqu. *deciſ.* 293. *par.* 2.

40 Moventur omnes per text. *in dict.* §. *Si quis Oratorii domum*, in Auth. *de Sanctiſſ. Epiſcop.* In illis verbis: ſi verò qui ab eis (ſcilicet patronis laicis) eliguntur, tamquam indignos prohibent ſacræ Regulæ ordinari; tunc Sanctiſſimus Epiſcopus quouſque putaverit meliores ordinari procuret, & loquitur tex. de præſentantibus indignos ſcienter, alioquin non eſſet delictum, ut ibi ſupponitur.

Nec refert quod textus non dicat, ut Epiſcopus ordinet Eccleſiam, cùm patronus præſentat indignum, ſed ut procuret ordinari, ſcilicet ſollicitando patronum ad alium præſentandum, prout exponit Joan. Andr. *hic num.* 12. *verſ. Meliùs potuiſſet*. Quoniam ut reſpondet Abbas *num.* 50. *circa fin. verſ. Et ad* §. *Si quis Oratorii*, expoſitio Joan. Andr. non eſt bona, quia textus dicit, Epiſcopus quoſcumque putaverit meliores; & ſic ad Epiſcopum ſpectat alium idoneum proponere, cum præſentatus à patrono eſt indignus.

Deinde moventur per textum in Authen. *de Eccleſiaſt. titul.* §. *Si quis ædificationem*: ubi cavetur, ut ſi Patronus præfecit Hoſpitali Rectorem indignum, Epiſcopus eo amoto alium idoneum ſubſtituat.

Tertiò pro hac opinione Abb. allegat Bart. *in l. Cùm quidam ita*, *ff. De legat.* 2. & ibi bonum textum juncta gloſſ. ubi probatur eum, qui habet electionem ex diſpoſitione teſtatoris, eligendo indignum privari ipſo facto poteſtate eligendi. 41

Quartò idem Abbas adducit aliud ſimile; nam ſi alicui ex privilegio, ſeu gratia competit poteſtas eligendi, vel poſtulandi, ſi ſcienter eligit, vel poſtulat indignum, perdit eo ipſo poteſtatem ſibi attributam, quia dicitur abuti privilegio, textus eſt notab. *in cap. Gratum ſuprà de poſtulat. Prælat.* Sed patronus habet poteſtatem eligendi, ſeu præſentandi ex gratia, ut *in cap.* 3. *de jurepatr.* ergo præſentando ſcienter indignum hujuſmodi gratia abutitur, & conſequenter cadit eo ipſo à poteſtate præſentandi, quod argumentum fortificat Lambertin. *in tract. de jurepatr.* 1. *part.* 2. *lib. in* 10. *qu. princ. art.* 4. *nu.* 6. *verſ. Fortifico*. 42 43

Ultimò, pro hac opinione Joan. de Lignan. in dicta Clem. 1. *de jurepatr.* arguit à fortiori: nam ſi eligentes, vel habentes collationem de jure communi privantur ipſo jure eligendo, vel inſtituendo indignum, ut *in c. Cùm in cunctis*, §. *ultim. de elect.* fortiùs patroni, qui habent preſentationem ex ſola gratia, *cap.* 3. *de jurepatron.* quia jus commune difficiliùs tollitur, quem privilegium, *l. Ejus militis*, §. *Militia*, *ff. De militar. teſtament.* 44

Ad hanc Decretalem reſpondent Hoſt. & Abb. eam poſſe intelligi de patrono, qui ignoranter preſentavit indignum.

Ad rationem Joan. Andr. quòd jura faciliùs admittant variationem contra actum illicitum, reſpondet Henr. Boich. *in dict. cap. Auditis num.* 4. *de electìon.* inſtantiam eſſe in promptu; nam poſtulantes dignum re integra, ſcilicet ante præſentationem factam ſuperiori poſſunt variare, *cap. Bonæ, il ſecondo*, §. *Nec nocebat ſuprà de poſtulat. Prælat.* & tamen poſtulantes ſcienter indignum ſunt privati ipſo jure, ut *in cap. Scriptum eſt in fin. eod. tit.* 45

Ex his patet articulum eſſe ſatis dubium, & diſputabilem, cùm utrinque ſint rationes, & authoritates Doctorum primæ claſſis, opinio tamen gloſſæ æquior, & benignior eſt; & videtur etiam de jure verior, quia pœna poteſtatis præſentandi non debet induci, niſi de jure expreſsè cautum reperiatur, ut notat gloſſ. 2. *in cap. fin. infrà de jurepatron.* Sed nullibi reperitur de jure cautum, ut patronus laicus præſentando ſcienter indignum, ſit ipſo jure privatus poteſtate præſentandi; imò oppoſitum non obſcurè cautum reperitur in hoc cap. Ut oſtenſum eſt ſuprà *num.* 2. & *num.* 35. *verſ. Imò hac opinione*. Neque enim videtur admittendum, quòd dicunt Hoſt. & Abb. videlicet hunc textum poſſe intelligi in patrono, qui præſentavit indignum ignoranter; hoc enim eſt divinare, cùm textus hoc non aperiat, ſed indefinitè loquatur de laico præſentante non idoneum. Et eò magis, quia præſentans indignum præſumitur eum præſentare ſcienter, ut hìc firmat Bald. *num.* 6. allegat ſimile in *l. Qui cùm alio contra lit. ff. De reg. jur.* & ſequitur Lambertin. *dicto art.* 4. *num.* 14. 46 47

Quare cùm iſta pœna hoc caſu non ſit in jure ſcripta, non debes eam ex tuo capite invenire. Quæ ſunt verba Hoſtien. *in d. cap. fin. nu.* 4. *de jurepatron.* Imò propter hanc rationem Cardin. in Clem. 1. *in* 13. *quæſt. de jurepatron.* & poſt eum Imol. *in* 3. *quæſt.* dicunt, nec patronum Eccleſiaſticum præſentando indignum eſſe privatum, cùm hoc non ſit jure expreſſum. Nec dicatur id eſſe cautum in eligentibus ſcienter indignum, ut *in cap. Cùm in cunctis*, §. *ult. de electìon.* Ideòque fortiùs debere procedere in præſentantibus ſecundùm rationem Joan. de Lignano, de qua ſupra *num.* 44. Quoniam ut benè reſpondet Imol. *hic num.* 6. *verſ. Item non obſtat ratio*, cum illud jus pœnale ſit, & pœnam infligat ipſo jure, non debet extendi extra proprios terminos, ut plenè notatur per Joan. Andr. *in reg. Odia*, *de regul. jur. libr.* 6. Et ideò quamvis in eligentibus indignum habeat locum pœna privationis; hinc tamen non ſequitur ut locum habere debeat in præſentantibus indignum, arg. *cap. Statutum ſuprà de elect.* cùm præſertim ſubſit etiam diverſitas rationis: nam eligentes dant jus in re, præſentantes autem dant jus ad rem, *cap. Cùm Bertoldus infrà de re judicat.* unde non mirum ſi puniatur eligens, qui tribuit jus indigno, non autem præſentans, qui jus non tribuit, 48 49 50 51 52

buit, ut contra Barbat. conſiderat Lambertin. *de jurepa-*
tron. 1. par. 2. lib. in 10. quæſt. principal. art. 4. num. 13. verſ.
Sed tu Adverte. Ad quod confert etiam diverſitas titulo-
rum, & quod notat gloſſ. in *cap. fin. in ver. Electione*, *de*
elect. lib. 6. ubi tenet illam decretalem, quæ loquitur in
electione, non habere locum in præſentatione. Adde
quod cum laicis mitiùs eſt agendum, ne ab Eccleſiarum
fundationibus retrahantur, gloſſ. magna *in fine*, & Ho-
ſtien. *num. 10. in cap. Cum dilectus infrà de jurepatron.* Et
plenè notatur *in cap. Dilectus ſuprà de offic. Legat.* Nec re-
53 fragantur leges civiles, & ſignanter textus *in §. Si quis*
Oratorii domum, in Auth. *de Sanctiſs. Epiſcop.* Quoniam
cum diſponant de materia Eccleſiaſtica, & ſpirituali, ſeu
ſpirituali annexa, qualis eſt materia juriſpatronatus, ut
cap. Quanto de judic. non ſunt attendendæ ſecundùm ea,
quæ notantur *in cap. 1. infrà de nov. oper. nunciat.* ut benè
hìc per Imol. *num. 6. verſ. Poſſet etiam reſponderi*. Et ſic
eſt bona ſolutio gloſſæ noſtræ, dicentis in hoc ſtandum
eſſe canoni, & non legi, ut hìc per Bald. *num. 4. verſ.*
Dicit Bernardus. Nec refert, quod Joan. de Anan. *nu. 3.*
verſ. Tu conſidera, dicat hanc ſolutionem non eſſe bonam
ex notatis per Hoſtien. & Joan. Andr. *in cap. fin. de ſolu-*
tion. quia quod patronus præſentando indignum ſit priva-
tus, eſt favor Eccleſiæ. Etenim non benè loquitur, quia
leges civiles de rebus Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus ſpe-
cialiter diſponentes etiam in favorem Eccleſiarum ponunt
falcem in meſſem alienam, & non valent ex defectu juri-
dictionis ſecundùm communes theoricas *in cap. Eccleſia*
Sanctæ Mariæ, *& in cap. Quæ in Eccleſiarum*, & ibi di-
xi *num. 25. & 30. ſuprà de Conſtitutionibus*, unde ineptè
Lambertin. *in dicto artic. 4. num. 14. verſ. Certè opiniones*,
dixit ſolutionem, quod aliud ſit de jure civili, aliud de
54 jure canonico, eſſe refugium miſerorum. Nec obſtat,
quod habentes jus eligendi, vel poſtulandi ex privlegio,
&c. incurrant hanc pœnam ſi eligant, vel poſtulent in-
dignum, ut dictum eſt ſuprà *num. 42.* Quoniam juriſpa-
tronatus conceſſio, poſtquam redacta eſt in corpore ju-
ris, non dicitur privilegium, ſeu gratia, ſed juſtitia,
ut dixi in *cap. Quoniam num. 12. de jurepatron.* Ac præ-
tereà in hac materia pœnali non licet arguere ab electio-
ne ad præſentationem, ut dictum eſt ſuprà *num. 46. 48. &*
55 51. & hanc ſententiam videtur aliàs probaſſe Sacra Con-
gregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum:
nam cùm eſſet quæſitum, an poſt primum præſentatum
à patrono, ſcilicet laico, ſed examinatorum judicio re-
probatum, liceat patrono alterius nomen ſecundo de-
ferre, quem ordinarius, ſi idoneus repertus fuerit ad-
mittat, non obſtante appellatione ad Sedem Apoſtolicam
interpoſita per priori loco nominatum: fuit privatis litte-
ris ſcriptum licere alterius nomen deferre, eumque admit-
tendum eſſe ſi idoneus reperiatur, non obſtante appella-
56 tione priori. Non omitto Lambertin. *dicto artic. 4. nu.*
15. verſ. Aut ſumus in patronis laicis, quaſi conciliando
opiniones diſtinxiſſe inter præſentationem de non ido-
neo, & præſentationem de indigno. In primo caſu pu-
tavit patronum non eſſe privatum poteſtate præſentandi,
niſi poſt lapſum quatuor menſium, & exemplificavit non
idoneum in illiterato, bigamo, Clerico conjugato, Mo-
nacho, & conſimilibus: & in hoc caſu ſecundùm eum
loquitur textus noſter, ponderando litteram ibi, *perſonæ*
minus idoneæ præſentantur; & locum habet prima opinio
gloſſæ, & ſequacium. In ſecundo autem caſu, id eſt,
cùm patronus laicus præſentat ſcienter indignum, tunc
eo ipſo pro illa vice privatus eſt poteſtate præſentandi; &
jus ordinandi Eccleſiam ad Epiſcopum devolvitur, &
intelligit indignum, id eſt, habentem impedimentum,
quod ſonat in vitium, id eſt ſimoniacum, homicidam,
vel alium notoriè criminoſum, item laicum, puerum,
illegitimum, ac prorſus illiteratum: & in hoc ſecun-
do caſu ſecundùm eum loquitur textus *in dict. §. Si*
quis Oratorii domum, in Auth. *de ſanctiſſ. Epiſcopis*, ibi
tamquam indignum prohibent ſacræ Regulæ ordinari, &
locum habet ſecunda opinio Hoſtienſ. & ſequacium. Al-
legat pro ſua diſtinctione Hoſtienſem *in ſumma de jurepa-*
tron. §. in quibus, *col. 3. in princip. verſ. Pœna*, ſed certè
Hoſtienſ. non dicit, id ad quod eum allegat Lambert. nam
ibi recitat primò opinionem quorumdam, qui diſtinguen-
do dicebant patronum Clericum præſentando non ido-
neum privari poteſtate præſentandi, laicum verò non:
& hanc diſtinctionem reprobat ibi Hoſtienſ. dicens, etiam
laicum præſentando indignum eſſe privatum, & ſic nul-
lam conſtitui differentiam; imò pro eodem accipit non
idoneum, atque indignum; nec immeritò, quia hæc di-
ſtinctio Lambertini, quamvis videatur plauſibilis, ta-
men jure non probatur, quia canones de non idoneis, &
indignis promiſcuè loquuntur, ut *in cap. 2. in fin. de ſup-*
plen. negligen. Prælat. & in cap. 3. in fin. de Eccleſ. ædificand.
ubi ad effectum, ut jus providendi Eccleſiam devolvatur
ad ſuperiorem, non requiritur, ut fuerit præſentatus indi-
gnus, ſed ſatis eſt, ut non fuerit præſentatus idoneus: &
gloſſ. 2. hìc exponendo litteram ibi, *minus idoneæ*, dicit:
& ſic patet quod patronus laicus, licèt præſentet indi-
gnum, non eſt privatus, &c. unde malè ſalvatur prima
opinio gloſſæ hoc fundamento, quod non procedat in
indigno, ſed in non idoneo, cum gloſſ. exponat non ido-
neum, id eſt, indignum. Sed nec ſecunda opinio Ho-
ſtienſ. hac diſtinctione ſalvari poteſt, quia Hoſtienſ. *hic*
num. 2. verſ. Abbreviavi, reprobat gloſſam, quia lex di-
cit expreſsè, quod ſi ſæcularis patronus non repræſentet
idoneum, Epiſcopus Eccleſiam ordinabit, ut in Auth. *de*
ſanctiſſ. Epiſcop. §. Si quis Oratorii domum: & ita ille tex-
tus, qui expreſsè loquitur de indigno ab Hoſtienſi ex-
ponitur in minus idoneo. Item Monachus ſecundùm
Lambertin. non eſt indignus, ſed non idoneus, & ta-
men Rota inducit devolutionem ſi patronus laicus ad Ec-
cleſiam ſæcularem præſentet Monachum, ut apud Bel-
lam. *diſp. 172.* incipien. *collatio*, *& diſput. 751.* incipien.
patronus, Rota *dec. 262. In religioſo aliàs 5. de jurepatron.*
In novis. Itaque in hac materia omnis non idoneus eſt in-
dignus, & è converſo: nam tales prohibent ſacræ Re-
gulæ ordinari, ut *de fil. Presbyter. ordinand. vel non.*, *de*
ſerv. non ordinand. de corpor. vitiat. ordin. vel non, *& de*
bigamis non ordinandis cum ſimilibus. Item textus opti-
mus *in cap. Qui in aliquo 51. diſt.* in hac materia promotio-
nis æquiparat criminoſos, bigamos, laicos, litterarum
inſcios, ſervos, ſæculari militiæ deditos, curiales, &
alios complures: & ipſemet Lambertin. ſe confundit mi-
ſcendo vitioſos cum non vitioſis, ut illegitimos, lai-
cos, & illiteratos, & inter non idoneos recenſendo bi-
gamos, conjugatos, Monachos. Quamobrem rejecta
illius diſtinctione, adhæreo opinioni gloſſæ noſtræ, quam
dicunt ſequendam in judicando, & conſulendo Imol. &
Joan. de Anan. *in locis ſupradictis num. 35.* & quæ videtur
etiam magis communis: habet enim ſequaces Archid. Jo.
Andr. Paul. de Elez. Butr. Cardin. Anchar. Imol. & Joan.
de Anan. Item Bart.

Pro contraria verò ſunt Hoſtien. Joan. de Lignan. Hen-
ric. Boich. Abb. Authen. Gemin. & Franc. nam Inno-
cent. & Bellamer. tamquam varii pro neutra allegari de-
bent, & Collectarius *hìc num. 1.* tantùm recitat opinio-
nes. Rurſus hæc opinio præponenda, cùm habeat pro ſe
gloſſ. & Archidiaconum: nam opinio gloſſæ in dubio præ-
valet communi opinioni ſecundùm Jacob. Butring. *in l. 1.*
Cod. Qui pro ſua juriſdict. & Bald. *in l. Cùm hæreditas depo-*
ſit. & adde quod de authoritate gloſſæ ſcripſi *in cap. Ne in-*
nitaris num. 75. & 109. ſuprà de Conſtitut. & ſimilter opi-
nio Archidiaconi ſuper ſexto etiam ſingularis communi
opinioni eſt præferenda ſecundùm Felin. *in c. 1. nu. 54. in*
4. limitatione de Conſtitut. qui ad hoc allegat Rotam *de-*
ciſ. 348. in Antiquis.

DE OFFICIO ORDINARII.

Innocentius III. Auſitano Archiepiſcopo.

CAPUT VII.

QUanto devotio religioſorum: & infrà. Ad audientiam noſtram noveris perveniſſe, quòd Monachi, Canonici, & alii Regulares tuæ Provinciæ, cùm deberent potiùs in clauſtro juxta regularia conſtituta divinis obſequiis vigilare, de obedientiis & redditibus, quorum curam geſſerunt, pecunia congregata, clauſtrum abhorrentes, per curias Principum & Potentum diſcurrere non verentur: & infrà. Mandamus, quatenus quoſcumque tales inveneris, niſi ad commonitionem tuam reſipuerint, ut proprium in manibus Prælatorum ſuorum ſine difficultate reſignent, convertendum in utilitatem domus, ſecundùm Abbatis conſilium, & regularem vitam obſervent: ſi Prælati eorum poſt tuam commonitionem id exequi negligenter omiſerint, per ſuſpenſionem officii & beneficii, appellatione remota, compellas.

S U M M A R I U M.

1 *ORdinarius ſupplet negligentiam Abbatis non revocantis Monachum vagabundum.*
2 *Monachus ſine Monaſterio caret vita, ſicut piſcis ſine aqua.*
3 *Canonici Regulares debent in Clauſtro Divinis obſequiis invigilare, nec hodie poſſunt exercere curam animarum in Parochialibus annexis eorum Monaſteriis.*
4 *Regulares accedentes ad Curiam Principis ſine licentia Superioris ſunt ipſo facto excommunicati.*
5 *Regulares de licentia ſui Superioris non prohibentur eſſe in obſequio alicujus Principis, vel Epiſcopi.*
Sed hodie contra, num. 7.
6 *Epiſcopus poteſt ſibi aſſumere Monachum in cubicularium, etiam contradicente Abbate; ſi ſit neceſſarius.*
Contrarium, num. 7.
7 *Regularibus concedi non poſſunt facultates degendi extra clauſtra, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica approbanda.*
8 *Monachorum correctio, & coercitio primo loco pertinet ad Abbatem.*
9 *Regularium cauſæ an ab Epiſcopo, vel Abbate cognoſci, ac diffiniri debeant, diſtinguitur, ut num. ſeqq.*
10 *Regularium coercitio, quando agitur criminaliter in figura judicii, cognitio ſpectat ad Epiſcopum.*
Sed de pertinentibus ad Regulam Clauſtralem cognoſcit Abbas, & num. 18. & ſeqq.
11 *Prælatus Collegiatæ Eccleſiæ, qui præficitur per electionem, habet juriſdictionem ordinariam in illos de Collegio.*
Declaratur, num. 21.
12 *Abbas, vel Prior Conventualis poteſt Monachos excommunicare.*
13 *Abbas habet juriſdictionem in Monachos etiam in criminalibus.*
14 *Abbas exercet juriſdictionalia ante benedictionem, & num. 17.*
15 *Conſecratio in Epiſcopo magis operatur, quàm benedictio in Abbate.*
16 *Abbas vocatur etiam ante benedictionem.*
18 *Monachus in his, quæ pertinent ab obſervantiam Regulæ, magis tenetur obedire Abbati, quam Epiſcopo.*
19 *Abbas poteſt Monachum vagabundum revocare, punire, & eiicere ad præſcriptum Regulæ.*
20 *Regularis eſt puniendus ab Epiſcopo tantùm, quando agitur judicialiter, & ad pœnam ordinariam.*
22 *Regularis vagabundus à quibus, & quo ordine ſit revocandus, & puniendus.*
23 *Monachus in cauſis civilibus, & pecuniariis conveniri non poteſt coram Abbate, ſed Eccleſia, vel Monaſterium convenietur coram Ordinario.*
24 *Regulares exempti tàm in civilibus, quàm in criminalibus reſpondere debent coram Superiore ſuo, & non coram Ordinario.*
25 *Et quid poſt Conſtitutionem Gregorii XV. de Conſervatoribus.*
26 *Juriſdictio in parvis Conventibus Ordinario attributa ex Decreto Innocentii X. an cenſeatur Superioribus Regularibus adempta, & privativè in Ordinarium translata, & num. ſeqq. uſque ad 43.*
27 *Abbas, vel Prior in Monaſterio, Provincialis in omnibus Conventibus Provinciæ, & Generalis in toto Ordine habent juriſdictionem univerſalem, & ordinariam.*
28 *Juriſdictio ſpecialis à lege uni tributa non cenſetur aliis adempta.*
29 *Juriſdictio in dubio cenſetur cumulativè collata.*
30 *Juriſdictio inter Epiſcopum Burgi S. Donini. & Præpoſitum Buxeti eſt cumulativa.*
31 *Juriſdictio Epiſcopo tributa à Concilio Tridentino ſeſſ. 7. cap. 7. & 8. & ſeſſ. 25. de regul. cap. 11. intelligitur cumulativè cum inferioribus.*
32 *Juriſdictio data favore certarum perſonarum cenſetur privativè collata, ſecus ſi ratione cauſarum.*
33 *Juriſdictio an cenſeatur collata privativè, vel cumulativè, in primis ſpectanda eſt mens concedentis.*
34 *Monaſteria omnia de jure communi ſubjecta ſunt juriſdictioni Epiſcopi Diœceſani, ſed cumulativè cum Prælatis Superioribus, & num. 39.*
35 *Monachi in Monaſterio Epiſcopatui unito ſubſunt Epiſcopo, & Præpoſito, vel Priori.*
36 *Decretum Innocentii X. de parvis Conventibus Ordinario ſubjectis expenditur.*
37 *Regulares delinquentes in caſibus Conſtitutionis Greg. XV. de exempt. privilegiis, quamvis ſubſint juriſdictioni Ordinarii, tamen puniri poſſunt etiam a ſuis Superioribus.*
38 *Idem in Regularibus degentibus in Monaſteriis poſt Decretum Urbani VIII. erectis non minori numero, quàm duodecim Religioſorum.*
39 *Abbas habet totam poteſtatem in Monaſterio, excluſo Epiſcopo.*
40 *Juriſdictio delegata eſt extraordinaria, & odioſa.*
Juriſdictio ordinaria eſt favorabilis, neceſſaria, & amplianda, ibid.
41 *Regulares ſunt ſubjecti Prælatis ſuis ex obligatione ſurgente à voto ſolemni obedientiæ, quod tenetur eſſe de jure naturæ.*
42 *Declarationes Congregationis ſuper ſtatu Regularium ad Decretum ſubjectionis parvorum Conventuum juriſdictioni Ordinarii.*
43 *Synodo Diœceſanæ an ex Decreto Innocen. X. intereſſe teneantur Abbates, Priores, & Guardiani parvorum Conventuum, latè diſcutitur, ut num. ſeqq. uſque ad num. 64.*
44 *Abbates non ſunt cogendi ab Epiſcopo ad Synodum accedere, niſi rationabilis cauſa ſubſit, num. 43.*
Declaratur, num. 58.

Re-

Regulares lege Diœceſana Epiſcopo ſubjecti cogi poſſunt illius Synodo intereſſe.
Declaratur, *num.* 53.

45 *Vocatio ad Synodum eſt de lege Diœceſana.*
Declaratur, *num.* 53.

46 *Intellectus* c. Nimis prava de exceſſ. Prælat. *& num.* 59. *&* 60.

47 *Fratres Mendicantes an cogi poſſint accedere ad Synodum Diœceſanam*, *& num.* 59. *& num.* 60.

48 *Exempti qui ſubſunt Generalibus Capitulis, non tenentur Synodo intereſſe.*
Declaratur, *num.* 60.

49 *Exempti habentes Capellas, vel Populum ſubjectum Epiſcopo, vel Parochiales Eccleſias, ab acceſſu ad Synodum Diœceſanam non eximuntur.*

50 *Synodus celebratur ab Epiſcopo auctoritate ordinaria, & eſt de juribus Epiſcopalibus.*
Declaratur, *num.* 63.

51 *Exempti à juriſdictione Epiſcopi non tenentur ire ad illius Synodum.*
Declaratur, *num.* 57.

52 *Abbates, & alii Superiores Regulares, qui ſubſunt juriſdictioni Epiſcopi tenentur accedere ad illius Synodum, quamvis ſub ſe non habeant Capellas, vel Populum.*

53 *Synodus mixta eſt de lege Diœceſana, & de lege juriſdictionis.*

54 *Prælati Regulares juriſdictioni Epiſcopi ſubjecti, quamvis non teneantur ad ea, quæ ſunt de lege Diœceſana, tamen tenentur ire ad Synodum.*

55 *Abbatibus bonum eſt accedere ad Synodum Epiſcopi, & cur.*

56 *Synodus eſt præambulum viſitationis.*

57 *Regulares parvorum Conventuum hodie ſunt exempti à juriſdictione Epiſcopi ordinaria, ſed non à delegata.*

58 *Abbates Ciſtercienſes non tenentur ire ad Synodum.*

60 *Priores, & Guardiani cogi poſſunt ad Synodum venire, ſed non fratres.*

61 *Monachus Clauſtralis non tenetur ire ad Synodum.*

62 *Abbas habens Eccleſias in diverſis Epiſcopatibus ad Synodum unius ire tenetur per ſeipſum, ad alias per ſubſtitutos, ſi Synodi eodem tempore celebrentur.*

63 *Jura Epiſcopalia exercentur ab Epiſcopo in ſubditos auctoritate ordinaria, in exemptos verò delegata.*

64 *Declaratio Apoſtolica ſuper acceſſu Superiorum parvorum Conventuum ad Diœceſanam Synodum.*

1 QUanto. Ordinarius ſupplet negligentiam Abbatis non revocantis Monachum vagabundum. Hoc dicit Jo. Andr. Bellam. Butr. Card. Imol. Anchar. Abb. & Joan. de Anan. communis diviſio. Secunda ibi, *Mandamus*.

2 Nota primò ibi, *In clauſtro*. Non tantùm Monachos, qui ſine Monaſterio carent vita, ſicut piſcis ſine aqua, *c. Placuit communi* 16. *qu.* 1. ſed etiam Canonicos Regula-
3 res, qui regulæ inſerviunt laxiori, *cap. Quod Dei timorem de ſtatu Monachor.* debere in clauſtro juxta Regularia conſtituta divinis obſequiis invigilare, ut in littera. Unde fel. recor. Innocentius X. noluit eos morari extra clauſtra etiam pro exercenda cura animarum in Parochialibus annexis eorum Monaſteriis, non obſtante præallegata Decretali, *Quod Dei timorem*. Sed juſſit in talibus Eccleſiis per Epiſcopos deputari Sacerdotes ſæculares ad nominationem ſuperiorum Regularium in Vicarios perpetuos, vel amovibiles ad præſcriptum S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 7. *cap.* 7. ut ſcripſi *in cap. Relatum num.* 67. *&* 68. *infrà ne Cler. vel Monach.*

4 Secundò nota ibi, *Per curias Principum*, interdictum eſſe Regularibus cujuſvis Ordinis per curias Principum percurrere; & hodie accedentes ad curiam Principis ſine licentia Superioris ſunt ipſo facto excommunicati, ut in Clem. *Ne in agro*, §. *Quia verò de ſtatu Monachor.* Ex quo ſequitur, ut mortaliter peccent, cùm excommunicatio non feratur, niſi pro culpa mortali, *cap. Nemo Epiſcopo-*
5 *rum* 11. *qu.* 3. dicit tamen Hoſt. *hic in princip.* per hoc non tolli, quin Religioſus de licentia Abbatis deputari poſſit obſequio alicujus Principis, vel Epiſcopi, ſicut fit tota
6 die, ut *in d.* §. *Quia vero*, à contrario ſenſu. Quamvis ſubdat hoc eſſe valdè periculoſum propter proprium, quod

conantur acquirere, & ideò Abbas de facili conſentire non debet, de quo remittit ad ſummam *de major. & obed.* §. *Et ad quid*, *verſ. Si Epiſcopus*; & ſequuntur, & concordant hìc Joan. Andr. *num.* 5. Bellam. *nu.* 1. Butr. *nu.* 11. Imol. *nu.* 5. Guidopap. *num.* 6. & Abb. *in primo not.* ſubdens ſic tenere Doctores *in cap. Ex reſcripto de jurejurand.* Ampliùs dicit gloſſ. *in cap. Cum Paſtoris in ver. Ut quidam* 2. *qu.* 7. Epiſcopum poſſe ſibi aſſumere Monachum in ſocium etiam contradicente Abbate, ſi ſit neceſſarius, niſi Monaſterium ſit exemptum. Quinimo in *dict. cap. Cum Paſtoris*, inducitur Epiſcopus, ut potius Religioſos, quàm alios habeat in cubicularios, qui vitam ejus in ſecreta converſatione videant, & ex viſione ſedula exemplum profectus ſumant. 7
Verùm hodie in decretis generalibus Clementis Papæ VIII. ſuper reformatione Regularium innovatis ab Urbano VIII. *in Decretis de celebratione Miſſarum in* §. 19. ſic ſtatuitur: Ineatur ratio, quia ſublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis degendi extra Conventus clauſtra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, hujuſmodi facultates concedi poſſint, ut in Bullar. *tom.* 3. *pagina* 81. Quare ſublata videtur facultas, quam habebant Prælati Regulares de jure communi, deputandi ſuos Religioſos ad ſervitia Principis, vel Epiſcopi: & Cardinales qui voluerunt penes ſe habere aliquem Regularem pro Theologo, obtinere ſolent licentiam à Papa, ut ſæpiùs vidi obſervari.

Tertiò nota ibi, *ſi Prælati eorum*, correctionem, & 8
coercitionem Monachorum primo loco ad Abbatem pertinere: ut hìc, & in *cap. Reprehenſibilis in fin. de appell. & in cap. Corripiantur* 24. *qu.* 3. & ita ex hac littera colligit gloſſ. *ult. hic*, Innocent. *num.* 1. Hoſtien. *num.* 8. Butr. & Card. *in* 5. *not.* Imol. *num.* 6. & Abb. *in* 3. *not.* & communiter Doctores.

Sed pro pleniori doctrina cum quæritur, an juriſdictio 9
in cauſis Regularium ſpectet ad Abbatem, vel ad Epiſcopum? Diſtingue, nam aut agitur de delictis, aut de contractibus, vel quaſi; primo caſu ſunt plures opiniones, quas hìc proſequitur Innoc. & alii poſt eum.

Prima opinio eſt Hugonis hìc relati in ultima gloſſa. 10
Quod aut agitur criminaliter in figura judicii de iis, quæ ſunt delicta quoad omnes, ut furtum, homicidium, & ſimilia; & tunc ad ſolum Epiſcopum ſpectat cognitio, & correctio, ut videtur eſſe caſus *in cap. Hoc tantum*, ibi, *atque extra regulam facta corrigere*, *& in cap. Abbates* 18. *quæſt.* 2. aut agitur de iis, quæ ſpectant ad officium Abbatis, & ad Regulam clauſtralem, ut quia Monachus exivit è Monaſterio ſine Abbatis licentia, vel alias deliquit contra regulam Monachalem; & tunc ad Abbatem pertinet cognitio, & correctio, ut hìc, & in *c. De perſona* 11. *qu.* 1. *& in cap. Cum ad Monaſterium*, §. *Si vero Abbate infrà de ſtat. Monach. & in l.* 4. *c. de patr. poteſt.* & dic ad ſolum Abbatem ſine Conventu, ut notat Hoſt. *in c. Reprehenſibilis in fin. infrà de appellat.* & Joan. Andr. ibi poſt eum Archid. *in cap. Nullam* 18. *qu.* 2. notat hìc Henric. Boich. *num.* 3. & hanc opinionem Hugonis tenent Joan. in præallegato *cap. Hoc tantum*, in gloſſ. *in ver. Corrigere*, & ibi etiam Laurentius 18. *qu.* 2. & Hoſt. *in ſumma de temp. ordinat.* §. *Et cui ad finem ſub* §. *Sed nunquid Religioſus*, *verſ. Puto in iis*, *& in c. Dilecto de off. Archid. & in c. Nimis prava in ver. Nec in iis ſuper hoc corrigendis de exceſſ. Prælat.* & idem Hugo, Laurentius, & Archid. *in cap. Qui reſiſtit* 11. *qu.* 3. eamque dicit veriorem Henric. *hic in princ.* & cum ea ſatis concordat Innocentius, ut dicam infrà in 5. *opinione*.

Secunda opinio eſt Bernardi hìc in ultima gloſſa, qui 11
rejecta diſtinctione Hugonis, tenet correctionem Monachorum etiam, quando agitur in figura judicii primo loco ſpectare ad Abbatem, quia Prælatus Collegiatæ Eccleſiæ habet juriſdictionem, *cap.* 1. 16. *qu.* 5. & Abbas, & Prior 12
Conventualis poteſt Monachos excommunicare, ut eſt expreſſum *in cap. Cum in Eccleſiis infrà de major. & obed. & in cap. Sicut, il primo de Simonia*, & hanc opinionem tenuerunt Laurent. Joan. Vincent. & Philippus, quos hìc refert Joan. Andr. *num.* 15. & Abb. *num.* 3. licèt gloſſa fateatur in his potiſſimum ſpectanda eſſe cujuſque Eccleſiæ conſuetudinem, quæ dat juriſdictionem, ut *in c. Conqueſtus* 9. *q.* 3. *& l.* 1. *& fin. C. de emancipat. liber.*

Tertia eſt opinio relata in gloſſ. *ult. in d. cap. Hoc tantum* 13
18. *quæſt.*

18. quæſt. 2. quod in minimis exceſſibus correctio pertinet ad Abbatem, ſed in majoribus, & gravioribus ad Epiſcopum tantum, *cap. Monachi infrà de ſentent. excomm. cap. Si quis Monachus* 90. *diſtin. & cap. Non dicatis* 12.q.1. & in hac opinione videtur fuiſſe Abbas *in cap. Cùm ab Eccleſiarum num.*10. *ſuprà eodem*, ubi tenet Abbatem habere juriſdictionem in Monachos etiam in criminalibus, *cap. Ea quæ, & cap. In ſingulis de ſtat. Monach.* ubicumque deliquerint, ut *cap. Abbates* 18.*quæſt.* 2. niſi eſſet crimen, pro quo veniret imponenda pœna diſpoſitionis, quia tunc non Abbas, ſed Epiſcopus cognoſcere debet, *cap. Viſis* 16. *quæſt.* 2. *& c. Monaſteria* 18. *quæſt.* 2. Idem ſi Abbas eſſet negligens, ut hìc; & licèt de hoc ſint opiniones, tamen id ſibi videtur verius, & allegat Joan. de Lignano in Clem. *Ne in agro de ſtat. Monach.*

14. Quarta eſt opinio, quod aut Abbas recepit manus impoſitionem, ſeu benedictionem, ſecundùm morem præficiendorum Abbatum; & tunc poteſt primo loco Monachos corrigere, & coercere, ſicut quilibet Prælatus Colleg. Eccleſiæ: nam talis & minores Ordines confert, & baculo Paſtorali utitur, & Monachum benedicit, *c. Quoniam* 69. *diſt. c. Cùm contingat de ætat. & qualit.* Aut manus impoſitionem non recepit, & correctio Monachi ad ipſum non ſpectat, quia non habet plenitudinem officii, ſed eſt nudus Miniſter, ut olim erat, arg. *cap. Tuam de ætat. & qualit. c. A Subdiacono* 93. *diſt. cap. Accedens* 50. *diſtin. & d. cap. Hoc tantum* 18. *quæſt.* 2. & ſic ante benedictionem Epiſcopus eſt adeundus. Sed Hoſt. *nu.* 8. *verſ. Sed hoc ſecundùm quoſdam*, dicit hanc diſtinctionem reprobari in *cap. Tranſmiſſam ſuprà de elect.* ubi Epiſcopus ante conſecrationem ex quo confirmationem recepit, conſequitur ea, quæ ſunt juriſdictionis, licèt non ea, quæ ſunt Ordinis. Ergo fortiùs idem dicendum in Abbate confirmato, nondum
15 benedicto; quia magis operatur conſecratio in Epiſcopo, quàm benedictio in Abbate, ut notat gloſſ. in Clem. 2. *in ver. Benedici de ſtatu Monach.* & hinc eſt, ut electus non poſſit appellari Epiſcopus ante conſecrationem, ut *in cap. Niſi de auct. & uſu pall.* & tenet gl. in Clem. 2. *in ver. Pon-*
16 *tificum de celebrat. Miſſar.* & tamen Abbas appellatur ante benedictionem, ut notat Hoſtien. *in cap. Inter cæteras de ſent. & re judicat.* & pro hoc videtur text. *in cap.* 1. *de ſupplen. neglig. Prælat.* Et hanc opinionem, quod Abbas ante
17 benedictionem exerceat juriſdictionalia, tenet Innoc. & Joan. Andr. *in cap. Venerabilem de elect.* & idem Joan. Andr. *hic num.* 15. Butr. *nu.* 19. Cardin. 5. *quæſt.* & Abb. *nu.* 4.

Quinta opinio eſt ipſius Innocentii *hic num.* 1. *verſ. Hoc autem bene credimus*, qui ſic diſtinguit, videlicet aut Monachus delinquit in his, quæ regulæ ſunt, & correctio
18 magis pertinet ad Abbatem, quàm ad Epiſcopum: & eſt ratio, quia Monachus in his debet potius obedire Abbati, quàm Epiſcopo. Ad hoc faciunt notata in *cap. Quæ contra*
19 8. *diſt. c. Qui reſiſtit* 11. *qu.* 3. *c. Noluit* 33. *qu.* 5. Aut delinquit in aliis non pertinentibus ad regulæ obſervationem, & tunc Innocen. ſubdiſtinguit; nam aut agitur de revocando, & puniendo Monachum vagabundum, vel de illo ejiciendo ad præſcriptum Regulæ per Superiorem approbatæ; & tunc punitio, revocatio, & ejectio hujuſmodi ſpectat ad Abbatem. Et ratio, quia ex quo ſuperior confirmavit regulam, & illius executionem demandavit Abbati, videtur etiam ei conceſſiſſe poteſtatem faciendi ea, quæ in regula continentur, de quo dic, ut legitur, & notatur *in c.* 2. *cap. Joannes, & c. fin. de regular.* Quod ſi Abbas per ſe hoc facere non poſſit, Epiſcopus ei auxilium impendet, ut hic & in *cap. Abbates, & c. ſeqq.* 18. *qu.* 2. Aut
20 agitur de puniendo Monachum judicialiter, & pœna ordinaria, putà quia in judicio accuſatur: & tunc ad ſolùm Epiſcopum pertinet cognitio, & punitio, cùm minor Epiſcopo cauſas criminales non agat, *c. Monaſteria* 18. *quæſt.* 2. ita Innocentius cujus opinio revera coincidit cum opinione Hugonis, & illam ſequuntur hìc Hoſt. *n.*8. *poſt med. verſ. In his autem quæ regulæ ſunt*, Joan. Andr. *nu.* 15. *eodem verſ.* Butr. *nu.* 19. *verſ. In his quæ ſunt regulæ*, Cardin. *in* 5. *quæſt. verſ. In his, & in* 6. *qu.* Anchar. *nu.* 6. Imol. *num.* 10. *verſ. Si autem nihil diſponit.* Et Joan. de Anan. *nu.* 1. eamque dicit tenendam tamquam veram, Bellam. *n.* 4. *verſ. Et ſic iſta diſtinctio*; & ante eum Collectarius *nu.* 1. *circa fin.* dicens: Tutius, & verius eſſe ſentire cum Innocentio, quam etiam dicit eſſe veriorem Henric. Boich. *in princip.* & mihi quoque videtur verior, maximè per textum in *d. cap. Hoc tantum* 18. *qu.* 2. ubi ſatis clarè approbatur iſta diſtinctio Hugonis, & Innocentii; pro qua etiam facit textus *in l. Magiſteria, C. De juriſdict. omn. judic.* cum ibi notatis in gloſſ. 1.

Et tenendo hanc opinionem non obſtat, quòd tota diſ- 21
poſitio Monachi ſpectet ad Abbatem, ut *c. Nullam, & c. Abbates* 18. *qu.* 1. & quod electus à Collegio Clericorum, vel Religioſorum habeat juriſdictionem ordinariam in illos de Collegio, ut in juribus hìc allegatis in gloſſa *ultim.* & poſt Innoc. & Hoſt. notat Abbas in *c. Cùm ab Eccleſiarum nu.* 5. *ſuprà eodem*. Nam reſpondetur hæc ſibi vendicare locum in concernentibus Regularem diſciplinam, & in civilibus ſecundùm Bellam. *ubi ſuprà*. Item non obſtat hæc 22
Decretalis, ubi Ordinarius loci non corrigit primo loco Religioſos, ſed monere debet Prælatos eorum, ut corrigant, & iis negligentibus, poteſt ſupplere: nam reſponderi poteſt primo verbum, *Prælati*, hìc poſitum eſſe exponendum, ideſt, Abbates, vel Epiſcopi, nam cùm ambo ſint negligentes, & ambo habeant juriſdictionem, ambo monendi ſunt ſecundùm Innocentium *hic ante nu.* 1. *in ver. Si Prælati*, atque ita ſervabitur hìc ordo ſecundùm meum *num.* 3. *in verb. Negligentes*. Nam primo Archiepiſcopus monebit Abbatem, ut revocet Monachum vagabundum cum proprio, quod tenet. Si fuerit negligens, monebit ſecundo loco Diœceſanum, ut ſuppleat Abbatis negligentiam, *cap. Romana*, §. *Sanè de Cenſ. lib.* 6. ſi ambo negligentes fuerint, monebit tertiò ipſum Monahum, ut redeat, & proprium reſignet in manibus Prælati convertendum in utilitatem Monaſterii: & ſi obedire noluerit, ipſum compellet per ſuſpenſionem ab officio, & beneficio: & in his concordant Hoſt. *num.* 8. Joan. Andr. *num.* 10. Quia ad hoc allegat Petrum, & Abbatem, Butr. *num.* 15. Ancar. & Joan. de Anan. *num.* 4. Sed quia alius intellectus, quod ſcilicet ver. *Prælati*, exponi debeat, id eſt, Abbates, vel Priores, communiter tenetur, ut dicit Abbas *hic in* 3. *notabili, ver. Sed primus intellectus*. Ideò reſpondetur ſecundò hanc decretalem fundari in regulari obſervantia, videlicet ſuper tertiò regulæ voto, quod in proprietatis abdicatione conſiſtit, ut *in cap. Ad Monaſterium in fin. de ſtatu Monach.* necnon in clauſtri, ac divinorum frequentatione, & obedientia filiali, quæ nullus dubitat quin ad regularem obſervantiam pertineant.

Secundò autem caſu principali, ideſt; cùm agitur de 23
contractibus, vel quaſi dicit hìc Innoc. *num.* 2. *verſ. Cùm autem*. Monachos non poſſe civiliter conveniri ſub Abbate, quia nihil poſſunt habere proprii, *c. Nolo, & cap. Non dicatis* 12. *quæſt.* 1. Sed ſi Monachus in ſcholis mutuum contraxerit, vel alium contractum licitum fecerit, non ipſe Monachus, ſed Eccleſia, ſeu Monaſterium poterit conveniri, non tamen coram Abbate, quia ipſe Abbas judex, & reus eſſe non poteſt, ſed ad Ordinarium erit recurrendum, ut in Auth. *Cauſa quæ fit cum Monacho, C. De Epiſcop. & Cler. cum ſuis concordantiis*. Et cum Innocent. concordant hìc Hoſt. *num.* 9. *verſ. Ubi vero agitur de pecunia*, Joan. Andr. *nu.* 16. Henr. Boich. *num.* 4. *verſ. Aut quæris de contractibus*, Bellam. *num.* 5. Butr. *num.* 21. Cardin. *in* 7. *qu.* Anchar. *num.* 6. *verſ. Ubi autem agitur de pecunia num.* 1. & alii communiter.

Hæc ferè ſunt, quæ de juriſdictione Epiſcopi, & in cau- 24
ſis Regularium criminalibus, & civilibus diſſerunt Magiſtri Canonum. Verùm hodie videtur ceſſare hujuſmodi controverſia, quia Regulares omnes ſunt muniti ampliſſimis privilegiis exemptionis à juriſdictione Epiſcopi, etiam ratione delicti commiſſi, contractus initi, & rei ſitæ extra locum exemptum, ut ſcripſi latiſſimè *in cap. Tuarum infrà de privileg.* & opiniones Doctorum ſuperiùs relatæ locum non habent in Regularibus ſic exemptis: nam ut hìc dicit Henric. Boich. *num.* 1. exempti à juriſdictione Epiſcopi reſpondebunt tàm in civilibus, quam in criminalibus, vel coram ſuo Superiore, ſi hoc ei competat de conſuetudine legitimè præſcripta, vel ex tenore privilegii: & ita intelligit gloſſam Accurſii in d. Auth. *Cauſa in gloſſ.* 2. *C. de Epiſc. & Cler.* vel coram Papa, vel Legato ipſius, ut notatur *in c. Quod translationem ſuprà de off. Legat. & in c.* 2. *infrà de in integr. reſtitut.* unde tenor privilegii eſt ſervandus, *c. Porrò de privileg.* ſimiliter Bellam. *hic num.* 4. *verſ. Et adverte*; De exemptis, inquit, à juriſdictione Epiſcopi non

qu æ-

quærimus, quia illi tàm in civilibus, quàm in criminalibus coram ſuo Superiore reſpondent, maximè ſi de conſuetudine legitimè præſcripta, vel ex tenore privilegii hoc illis competat. Rurſus hodie in cauſis civilibus Regulares conveniri debent coram ſuis Conſervatoribus, & quamdiu illos ſecundùm formam ſibi præſcriptam non elegerint, coram Ordinariis locorum ſunt conveniendi, ut ſtatuitur in Conſtitutione 9. Gregorii XV. publicata die 20. Septembris 1621. in §. 7. & 9. ut in Bullar. *tom. 4. pag.* 80. de quo dic, ut ſcripſi in *d. c. Tuarum nu. 37. & ſeqq. de privil. & in c. Si Clericus de foro compet.* Plurimi etiam ſunt caſus, in quibus hodie Regulares, non obſtantibus quibuſvis exemptionibus, ſubjacent juriſdictioni Epiſcopi, & quadraginta ſeptem poſcimus in *cap. Grave infra eod.*

26 Hìc QUÆRO, poſito decreto ſanct. mem. Innocentii Papæ X. editò 10. Februarii 1654. in quo Regularium virorum Conventus non habentes numerum Religioſorum, ibi præſcriptum plenè in omnibus ſubjiciuntur viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica Delegati: an juriſdictio hujuſmodi cenſeatur ſuperioribus Regularibus adempta, & privativè in Ordinarium translata. Quamvis hìc articulus utrum juriſdictio uni conceſſa cenſeantur aliis adempta, ſit valdè intricatus, ut inquit Angel. *in leg. Teſtamenta n. 1. C. de teſtam.* & poſt eum Felin. *in c. Paſtoralis n. 2. infrà eod.* & Grammat. *dec. 30. n. 9.* tamen in caſu propoſito verius videtur juriſdictionem fuiſſe Ordinario loci attributam cumulativè cum ſuperioribus Regularibus, non
27 autem privativè. Nam ſecluſo Decreto Innocentii cùm ſuperiores Regulares ex privilegiis Apoſtolicis habeant in ſubditos omnimodam juriſdictionem ordinariam tam in civilibus, quàm in criminalibus, ut dixi ſupra *n. 24.* & fuſiùs in præallegato *c. Tuarum de privileg.* itaut Abbas, vel Prior in ſuo Monaſterio, Provincialis in omnibus Conventibus Provinciæ ſuæ, & Generalis in toto Ordine habeant juriſdictionem univerſalem, & ordinariam, ut notat Feder. de Senis in *conſ.* 145. Joan. Epiſcopus *nu. 2. verſ. Nec poteſt negari nu. 7. verſ. Ad prædicta facit*, Cardin. *in conſ. 89. Caſus ſuper quo n. 2. verſ. Nam tales miniſtri*, &
28 Abbas *in c. Cùm ab Eccleſiarum nu. 10. ſuprà eodem.* Cùmque Papa in dict. Decreto non proceſſerit eximendo, juriſdictionem adimendo, ſeu juriſdictionem tribuendo, uti que per ſpecialem conceſſionem juriſdictionis factam Ordinario loci in aliquibus Conventibus ſuæ Diœceſis juriſdictio minimè intelligitur adempta Ordinariis Regularibus. Quod patet efficaciter ex juribus infraſcriptis. Primò ſcilicet ex text. *in l. fin. C. de juriſd. omn. judic.* ubi quamvis Rectori militum in eorum cauſis tribuatur à lege juriſdictio, per hoc tamen Præſidii, vel alteri Superiori in cauſis eorumdem juriſdictio ablata non intelligitur. Secundò, ex text. *in l. ult.* juxta gloſ. *in ver. Examen, C. Ubi cauſ. fiſcal.* ubi licèt Comiti domorum detur juriſdictio ſpecialis in colonos, aut inquilinos Imperiales, & per verba taxativa, ut patet ibi, *non alterius, quàm ſui culminis, &c.* nihilominus circa eaſdem perſonas juriſdictio non cenſetur adempta Præſidi Provinciæ, ut *l. Cùm aliquis eodem tit.* Tertiò, ex text. *in l. Viri, ff. De off. Præfect. urb.* ubi quamvis ſecundùm intellectum Baldi Conſuli Argentariorum (qui hodie ſunt mercatores, ſeu campſores) detur ſpecialis juriſdictio in cauſis eorum; tamen circa eaſdem non intelligitur adempta juriſdictio Præfecto Urbis. Quartò, ex text. *in l. 1. Cod. de off. Præfect. Urb.* ubi licèt in concernentibus annonam tribuatur ſpecialis juriſdictio Præfecto annonæ, per hoc tamen non cenſetur juriſdictio abdicata à Præfecto Urbis. Quintò, ex tex. *in l. Quoties, §. fin. ff. de adminiſtrat. tutor.* ubi quamvis propter patrimonium pupilli augmentatum reſpectu partis adauctæ deputetur ſpecialis curator; nihilominus poteſtas adminiſtrandi, cætera non intelligitur adempta tutori univerſaliter conſtituto. Sextò, ex text. *in c. Super hoc de hæret. lib. 6.* & in Clem. 1. *eodem tit.* ubi in cauſa hæreticæ pravitatis, quamvis deputetur aliquis ſpecialis Inquiſitor, nihilominus per hoc adempta non cenſetur circa eaſdem juriſdictio ordinaria ejuſdem diœceſis. Quæ jura cum aliis pluribus ad hoc ponderat Ludov. Rom. *in conſ. 393. Præſens conſultatio n. 1. & ſeqq.*

29 Ultimò, idem probatur, quia juriſdictio tributa per legem cenſetur conceſſa cumulativè cum aliis illam habentibus DD. *in dict. leg. fin. C. De juriſdict. omn. judic.* Roman. *loco citato*, Felin. *in c. Paſtoralis n. 2. infrà eod.* Ad quod facit doctrina Bart. *in leg. Viros in 1. notab. Cod. De diverſ. offic. lib. 12.* ubi ſentit ſtatuto diſponente, ut ſcholares coram Epiſcopo conveniantur, non eſſe ademptam juriſdictionem Rectori illam habenti vigore legis, aut conſuetudinis, niſi ſtatutum uteretur dictione taxativa, videlicet ut Epiſcopus ſolus cognoſceret: in quo caſu tantùm putat auferri juriſdictionem Rectori competentem de jure communi, non autem ſi ei competat ex conſuetudine, & eum refert, & ſequitur Felin. *in dict. c. Paſtoralis n. 2. in 3. limit.* & hanc eſſe regulam, quòd juriſdictio in dubio cenſeatur cumulativè collata; poſt Joan. Andr. & alios firmat Felin. *in dict. c. Paſtoralis nu. 2. & in c. Cæterum n. 4. de judic.* & Jaſon plura cumulans *in leg. Quod in rerum, §. Si quis poſt col. ult. ff. de leg. 2.* ubi teſtatur hanc eſſe magis communem opinionem, quam etiam multoties probavit Sacra Congregatio 30
Concilii, in ſpecie in cauſa juriſdictionis inter Epiſcopum Burgi ſancti Donini, & Præpoſitum Buxeti: cenſuit enim neque litteras erectionis Eccleſiæ Burgi ſancti Donini in Cathedralem, nec ſubreptionem litterarum Eugenii IV. quam Epiſcopus afferebat, quidquam obeſſe Præpoſito, quin ſua juriſdictione uti poſſit in Eccleſias; Canonicos, & perſonas iiſdem litteris obſignatas. Cæterùm nec Præpoſiti privilegium obſtare Epiſcopo, quominus, ſi prævenerit, jus ſuum in eaſdem Eccleſias, Canonicos, & perſonas exercere valeat, ita Præpoſiti juriſdictionem eſſe cumulativam cum Epiſcopo, non autem privativam. Rur- 31
ſus cùm in *c. 7. ſeſſ. 7.* detur facultas Ordinariis viſitandi beneficia Eccleſiaſtica curata Monaſteriis annexa, *& in c. 8.* immediatè ſeq. ſtatuatur, ut locorum Ordinarii Eccleſias quaſcunque quomodilibet exemptas authoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, *& in c. 11. ſeſſ. 25. de Regular.* in Monaſteriis, quibus incumbit cura animarum perſonarum ſæcularium, perſonæ illam exercentes in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, ſubjiciantur immediatè juriſdictioni, correctioni, & viſitationi Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt ſita: Sacra Congregatio declaravit juriſdictionem tributam Epiſcopo vigore prædictorum Decretorum intelligi cumulativè cum inferioribus. Nulla ergo ſubeſt ratio, cur 32
non idem ſit dicendum in terminis Decreti, de quo agitur, præſertim verò, quia etſi juriſdictio data favore certarum perſonarum cenſeatur privativè collata, quando eſt eis favor, ut intelligatur aliis adempta, ut per Angelum *in dict. l. Teſtamenta ſub n. 1. verſ. Cumque contingit, c. De teſtament.* tamen ſecus eſt ſi data ſit ratione cauſarum, ut plenè probat Afflict. *deciſ. 41. nu. 3. verſ. Ut in ſimili, uſque in fin.* Paul. de Caſtr. *in l. Si quis cum Procurat. §. fin. ff. de procurat.* poſt Bald. in *l. Unica, §. Sin autem, C. de caduc. tollen.* hoc autem caſu juriſdictio tributa fuit Ordinario loci non favore perſonarum, ſed ratione cauſarum, nempè ut in parvis Conventibus piè, ac religioſè vivatur, & regularis diſciplina quò exactius fieri poteſt, obſervetur, & hæc fuit cauſa finalis in proœmio Decreti expreſſa, ad text. in *l. 1. ff. de orig. jur. & in l. ult. ff. de hæred. inſtituen.*

Hìc autem finis pinguiùs adimpletur, ſi juriſdictio ſit 33
cumulativa inter Ordinarium, & ſuperiores Regulares, quia quo plures ſunt Judices, & Viſitatores ſuper dictis Conventibus invigilantes, eò magis continebunt Religioſos in officio, & obſervantia Regularium inſtitutionum, arg. *c. Super hoc de hæret. lib. 6.* & Clemen. 1. *eod. tit.* Quare mens Pontificis juriſdictionem tribuentis fuit novum judicem Superioribus Regularibus addere, & cumulare, non autem illis juriſdictionem auferre, quæ quidem mens in hac materia juriſdictionis cumulativè, vel privativè in primis ſpectanda eſt, ut plenè notat Angelus *in d. l. Teſtamenta nu. 1. verſ. Cum contingit, C. De teſtam.* Ludov. Roman. *in dict. conſ. 393. nu.* 12. & ibi Hor. Mand. *in additionibus in ver. Accumulativè*, & Felin. *in d. c. Paſtoralis n. 2. in 1. limit.*

Quibus accedit, quòd jure communi inſpecto, Mona- 34
ſteria omnia ſubjecta erant juriſdictioni Epiſcopi Diœceſani, *c. Monaſteria 18. quæſt. 2.* ubi dicitur, Monaſteria, vel Monachorum diſciplina ad eum pertineant Epiſcopum, in cujus territorio ſunt conſtituta, *c. 2. 9. qu. 3. cap. Nulla 93. diſt. cap. Cùm dilectus*, ubi Joan. Andr. & omnes *in ſumm. tex. de Relig. domib.* & tamen juriſdictio hujuſmodi non cõpetebat Epiſcopo privativè ad ſuperiores Regulares, ſed

cumulativè cum ipſis, quia nihilominus Monachi erant ſub poteſtate Abbatis, ut *c. Abbates*, *& c. Nullam* 18. *qu.* 2. *& c. Cum ad Monaſterium*, §. *Abbas de ſtat. Monach.* & plenè dictum eſt ſupra *n.* 22. & per diſcurſum in examinatione quinque opinionum a *nu.* 10. ſed & Monaſteria, quæ in Congregationem non ſunt redacta, nec ſuos habent ordinarios Viſitatores, ſed Epiſcopis ſubduntur, de quibus legitur, & notatur in *c. In ſingulis de ſtat. Monachor.* & in
35 Conc. Triden. *c.* 8. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* prout ſunt multæ Abbatiæ in Germania, & in Polonia, nihilominus ſubjiciuntur etiam juriſdictioni Abbatis, ut *in d. c. Abbates cum ſuis concordantibus*. Quinimò & in Monaſteriis Epiſcopatibus unitis juxta text. in *c.* 1. *ne ſede vac.* cujuſmodi eſt Monaſterium Afflighenien. unitum Archiepiſcopatui Meclinien. in Belgio, & alia plura, quamvis Epiſcopus ſit loco Abbatis, & omnimodam habeat juriſdictionem, ut notat Abb. *in c. Cauſam n.* 8. *de judic.* Rota coram Coccino *deciſ.* 157. *n.* 1. nihilominus Monachi ſubſunt etiam Præpoſito, vel Priori ipſius Monaſterii, ut patet in Bulla Pii IV. ſub datum Romæ 1566. Idibus Martii, Pontificatus anno ſecundo; & ſic juriſdictio ſemper eſt cumulativa, prout notat gloſſ. *in d. c. Nullam in ver. Tota* 18. *qu.* 2. cum qua concordant ibi Archid. & alii, Hoſt. Joan. Andr. & omnes in *d. cap. Cauſam*.

36 Nec refragatur, quòd verba memorati Decreti ſint multùm prægnantia, univerſalia, ac geminata, videlicet viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci plenè in omnibus ſubjiciuntur. Nam reſpondetur hæc verba non fuiſſe appoſita in Decreto ad effectum juriſdictionis adimendæ, ſed ad effectum juriſdictionis conferendæ. Unde ſenſus eſt, ut Ordinarius loci in prædictis Conventibus habeat juriſdictionem omnimodam, & plenariam in omnibus, id eſt, tàm in civilibus, quàm in criminalibus, & in mixtis cauſis, & tàm in minoribus, quam in gravioribus delictis, & ſive procedatur in figura judicii per viam accuſationis ad pœnam depoſitionis, ſive ad correctionem in concernentibus regularem obſervantiam, & ſive Prælati Regulares ſint negligentes, & moniti, ſive non, & in his prægnantia verborum Decreti multùm operatur, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra in examinatione quinque opinionum à *n.* 16. ſed reſpectu exemptionis, & abdicationis juriſdictionis à Prælatis Regularibus prægnantia hujuſmodi nihil operatur, ut *c. Nullam*, juncta gl. *in ver. Tota* 18.
37 *q.* 2. Et obſervandum eſt hæc verba fuiſſe ad calamum deſumpta ex Conſtitutione Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, quæ incipit, *Inſcrutabili Dei providentia*, in qua Regulares delinquentes in exercitio curæ animarum, vel adminiſtratione alicujs Sacramenti, aut in prædicatione verbi Dei ſubjiciuntur per ipſamet verba plenè in omnibus omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi Diœceſani tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ampliando Decretum Conc. Triden. *in c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* & nihilominus ex eo tempore inconcuſsè obſervatum eſt, ut Regulares in præmiſſis delinquentes etiam a ſuis ſuperioribus Regularibus coerceri, & puniri valeant; & Sacra Congregatio ejuſdem Concilii Interpres aliàs declaravit juriſdictionem Epiſcopo attributam, *ex d. c.* 11. in Conſtitutione Gregoriana innovato, & extenſo eſſe cumulativam cum Superioribus Regularibus, ut ſuperiùs dictum eſt *nu.*
38 31. Similiter in Decretis felicis record. Urbani VIII. *de celebr. Miſſar.* me Secretario compilatis in eadem Sacra Congregatione, §. *Deinceps*, diſertis verbis ſtatuitur, ut Monaſteria deinceps recipienda, in quibus ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis duodecim ſaltem Religioſi ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur, & tamen perpetuo obſervatum eſt, ut juriſdictio in Religioſos ibi degentes non cenſeatur adempta Superioribus Regularibus. Igitur prægnantia verborum tribuit quidem Ordinario loci totalem, & plenariam juriſdictionem, ſed non transla-
39 tive, ſeu privativè. Et eſt ſimile in *d. c. Nullam* 18. *qu.* 2. ubi dicitur: univerſa, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem Monaſterii pertinent, Abbatis ſollicitudo, ad quem poteſtas tota pertinere convenit, debeat adimplere. Et ſic text. loquitur per verba univerſalia, & geminata, & nihilominus gl. ibi *in ver. Tota*, dicit iſtud verbum, *tota*, non excludit Epiſcopum, ut *c. In venditionibus* 17. *qu. ult. & c. ...bationibus* 12. *qu.* 2. Et eò magis, quia in Decreto Urbani VIII. juriſdictio datur ſimpliciter loci Ordinario: in Decreto autem Innocen. tribuitur Ordinario loci tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato: ergo in terminis Decreti Urbani non cenſetur illatum præjudicium Ordinariæ juriſdictioni ſuperiorum Regularium in concurſu alterius juriſdictionis ordinariæ, fortiùs idem dicendum in terminis Decreti Innoc. in quo juriſdictio ordinaria concurrit
cum delegata. Nam juriſdictio delegata eſt extra ordina- 40
ria, & odioſa, ut *l. Siquando, C. de dilat.* juriſdictio ordinaria eſt favorabilis, neceſſaria, & amplianda, *l.* 1. §. *Cùm urbem de off. Præfect. urb.* & notat Bald. in *l. Barbarius num.* 18. *ff. de offic. Prætor.*

Poſtremò nunquam mox fuit Apoſtolicæ Sedis eximere 41
Religioſos à ſuis Prælatis Regularibus, quibus ſunt ſubjecti ex obligatione ſurgente à voto ſolemni obedientiæ, quod tenetur eſſe de jure naturæ, ut poſt Innoc. in *c. Cùm ad Monaſterium n.* 2. *de ſtatu Monachorum*, notat Jo. Andr. *in reg. Semel Deo n.* 3. *de reg. jur. lib.* 6. & quando Romani Pontifices in aliqua ſpeciali cauſa voluerunt tribuere juriſdictionem Epiſcopo privativè ad Superiores Regulares, id claris verbis expreſſerunt, ſicut fecit Urbanus VIII. in Conſtitutione edita contra Monetarios. Quod cùm Innoc. X. non fecerit in Decreto, de quo agitur, utique cenſetur noluiſſe, *l. unic.* §. *Sin autem ad deficientis*, *C. de caduc. tollen.* Et ſanè quaſi monſtrum eſſet in Eccleſia, ut in tot Conventibus eſſent Abbates, Priores, & Guardiani, qui non poſſent ſuos Religioſos corrigere, & coercere, & liceret ſubdito cornua erigere, & rebellare contra Prælatum, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, ut legitur *in c. Si Religioſus de elect. lib.* 6. *& in c.* 2. *de teſtam. eod. lib.* & notat Abb. *in c. Cùm ab Eccleſiarum n.* 10. *ſup. eod.* Præſertim cùm multi ſint conventus in inſulis, aut locis campeſtribus, ſuper quibus Epiſcopi in urbibus reſidentes vix poſſunt vigilare, & Religioſos ſine capite, & Rectore clauſtrali in regulari diſciplina continere.

Ex quibus concludendum videtur juriſdictionem inter Ordinarium, & Prælatum regularem eſſe cumulativam, itaut ſit locus præventioni, quod tenet Abb. poſt Innoc. *in dict. c. Cum ab Eccleſiarum n.* 9. dicens Epiſcopum concurrere in juriſdictione cum Prælatis inferioribus, & locum eſſe præventioni, arg. *l. fin. C. de juriſdict. omn. judic.* & in hanc ſententiam ſcriptæ fuerunt litteræ à Sacra Congr. ſuper ſtatu Regularium ad Epiſcopos Caſſani, & Avellini ſub die 17. Decemb. 1654. ſed quia Prælatus Regularis facilè poſſet in omnibus cauſis prævenire, & juriſdictionem Ordinarii eludere, videtur expedire, ut Sacra Congr. ſtante prægnantia verborum ipſius decreti, declaret non obſtante præventione ſuperioris Regularis Ordinarium nihilominus poſſe cauſam reaſſumere, & illi inhibere ſi juſta cauſa ſubſit, veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia ſeveritate, vel indulgentia quid durius, aut remiſſius conſtituere, quàm cauſa depoſcit, in quo ipſius Epiſcopi ſcientia oneretur, & ita fuit reſolutum, ut patebit infra in duodecima declaratione.

Decreti tenorem habes per extenſum *in c. Relatum n.* 71. 42
infra ne Cler. vel Monach. nunc ſequuntur declarationes ad dictum Decretum à Sacra Congr. ſuper ſtatu Regularium editæ, atque a S.D.N. Alexandro Papa VII. approbatæ. Poſito decreto felic. recor. Innoc. Papæ X. ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum correctioni, viſitationi, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, contingit dubitari de infraſcriptis.

1 An Epiſcopus in Conventibus ſuæ juriſdictioni ſubjectis poſſit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam conſtituere.

2 An poſſit Epiſcopus a prædictis Conventibus Religioſos amovere.

3 An Regulares eorumdem Conventuum compelli poſſint ab Epiſcopo ad exhibendos liberos introitus, & exitus, & reddendas rationes adminiſtrationis.

4 An Epiſcopus in eiſdem Conventibus ſe ingerere poſſit in his, quæ regularem diſciplinam concernunt.

5 An Eccleſiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Granciarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, ab Epiſcopo viſitari poſſint.

6 An ipſæ Granciæ, & Converſi in eis degentes ſubſint viſitationi Epiſcopi.

7 Quid

7 Quid in Eccleſiis, ſeu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Converſus, an ſimiliter ſubſint Epiſcopi viſitationi.

8 An liceat Epiſcopo viſitare Conventus tam ſuppreſſos, & poſteà reſtitutos, quàm non ſuppreſſos ad effectum cognoſcendi, an in illis re ipſa alantur ſex Religioſi.

9 An Epiſcopus viſitans hujuſmodi Conventus ſuæ juriſdictioni ſuppoſitos, aut perſonas in eis degentes poſſit à viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia.

10 An juriſdictio Ordinariis locorum tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis attributa in ſupradicto Decreto competat Vicariis Generalibus Epiſcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus.

11 An Provinciales, & alii Superiores Regulares poſſint ejuſmodi Conventus juriſdictioni Ordinarii ſubjectos, & Religioſos in illis degentes viſitare, corrigere, & punire, omnemque juriſdictionem in eis exercere, ſicut poterant ante dictum Decretum.

12 Si Superior Regularis in cauſa præveneri contra ſubditum degentem in aliquo ex eiſdem Conventibus Ordinario ſubjectis fabricando proceſſum, vel eum carceri mancipando, an Epiſcopus poſſit hujuſmodi cauſam reaſſumere, ac ſuperiori inhibere.

13 Si è converſo Epiſcopus in cauſa prævenerit contra Religioſum in tali Conventu commorantem, an Superiori Regulari eo caſu liceat illum amovere, & in alio Conventu collocare: & ſi de facto collocaverit, an nihilominus Epiſcopus poſſit cauſam proſequi, ac Religioſum ſic amotum revocare ad primum Conventum.

14 Si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus à tali Conventu removere, an Epiſcopus prohibere poſſit.

15 Si à Conventu primum ſuppreſſo, ac deindè Religioni reſtituto abſint ex aliqua rationabili cauſa, & ad breve tempus unus, vel plures ex numero ſex Religioſorum ibi degentium, an gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus remaneat ſuppreſſus, ut prius.

16 Quid ſi à Conventu non ſuppreſſo ſimiliter ex cauſa rationabili, & ad modicum tempus abſit aliquis è ſex Religioſis ibi exiſtentibus, an durante tali abſentia, Conventus ſubjaceat juriſdictioni Ordinarii.

17 An Religioſo illo redeunte, vel aliàs impleto numero ſex Religioſorum Conventus recuperet priſtinam exemptionem.

18 Si gratia reſtitutionis Conventus ſuppreſſi reddatur nulla ex eo, quod in illo ad formam decreti cum effectu non alantur ſex Religioſi, & poſteà contingat, ut ejuſmodi numerus impleatur, an gratia reſtitutionis Conventus reviviſcat.

19 Ad hoc ut gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus denuò remaneat ſuppreſſus, propterea quòd in eo non ſuſtententur ſex Religioſi, an debeat præcedere declaratoria Epiſcopi ſuper facto prævia cauſæ cognitione.

20 An ab hujuſmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apoſtolicam appellare ad effectum tam devolutivum, quàm ſuſpenſivum.

21 Cùm ex Decreti præſcripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant eſſe maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura.

Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia ſuperius propoſita hunc in modum reſpondit, videlicet,

Ad 1. Non poſſe.

Ad 2. Poſſe ex rationabili cauſa, commonito tamen prius ſuperiore Regulari, ad quem pertinet, ut eoſdem Religioſos aſſignet in aliis Conventibus.

Ad 3. Poſſe compelli.

Ad 4. Poſſe.

Ad 5. Poſſe.

Ad 6. Subeſſe.

Ad 7. Itidem ſubeſſe.

Ad 8. Minimè licere antequam aliundè conſtet de fundamento intentionis Epiſcopi in deficientia numeri conſtituto.

Ad 9. Expedire ut Sanctiſſimus Dominus Noſter decernat, & declaret non licere Epiſcopo tales Conventus viſitanti quicquam accipere procurationis nomine.

Ad 10. Competere.

Ad 11. Poſſe ſicut prius, non tamen privativè ad Epiſcopum.

Ad 12. Non poſſe, niſi ex juſta cauſa, veluti cùm videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia ſeveritate, vel indulgentia quid durius, aut remiſſius conſtituere, quàm cauſa depoſcit, in quo ipſius Epiſcopi conſcientia oneratur.

Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religioſum ab Epiſcopo inquiſitum à loco amovere, & ſi amotus fuerit, poſſe Epiſcopum cauſam proſequi, & illum quibuſcumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio ſæculari, ſi opus fuerit, cujuſcumque loci, in quo Religioſus ille reperiatur:

Ad 14 Non poſſe.

Ad 15. Gratiam ob id non eſſe nullam, ceſſante omni fraude, nec Conventum remanere ſuppreſſum.

Ad 16. Subjacere durante abſentia.

Ad 17. Recuperare.

Ad 18. Non reviviſcere.

Ad 19. Debere ita procedere, nec ante declaratoriam licere Epiſcopo Conventus poſſeſſionem apprehendere, aut Religioſos inde expellere.

Ad 20. Licere ad effectum devolutivum tantùm, non autem ſuſpenſivum.

Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadrageſimo.

Declarationes ſupraſcriptas S. D. N. ad ſe relatas approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obſervari præcepit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ die 27. Julii 1655.

Ulteriùs QUÆRO, ſtante eodem decreto Innocentii X. quo parvi Conventus non habentes numerum Religioſorum ibi præſcriptum viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegati plenè in omnibus ſubjiciuntur. An Abbates, Priores, Guardiani, & alii prædictorum Conventuum Superiores ab Epiſcopo vocati ad Diœceſanam Synodum accedere teneantur. 43

Ad partem negativam allegatur primò Concilium Turonenſe *cap.* 2. ubi ſic legitur Epiſcopus non debet Abbatem cogere ad Synodum ire, niſi aliqua rationabilis cauſa exiſtat; Refertur in *c. Epiſcopus, il ſecondo* 18. *diſtinct.* & *in* §. *final.* 18. *quæſt.* 2. Per quæ jura gloſſ. *in cap. Abbates in ver. vocatione* 18. *quæſt.* 2. exponens litteram ibi, *accepta vocatione conveniant*: dicit, ſi neceſſitas magna fuerit, aliàs Abbates non debent vocari ad Synodum. Item gloſſ. 1. *in cap. Nimis prava de exceſſ. Prælat.* dicit: omnes enim Religioſi, qui populum non habent, ad Synodum ire non tenentur, & concordat gloſſ. *in cap. Decernimus in ver. Abbates* 18. *diſtinct.* Item gloſſ. 1. *in cap. Quod ſuper his infrà de major. & obed.* quæ ſimiliter ait Abbates non habentes populum, non teneri ad Synodum venire, niſi cauſa rationabilis ſubſit; & ideò Abbates Ciſtercienſes non teneri, quamvis non eſſent exempti, cùm non habeant populum, & ſequitur ibi Butr. *numer.* 10. *verſ. Unde dicit*, Ergo parum refert, quòd hodie ex Decreto Innocentii X. Abbates ſubſint juriſdictioni Epiſcopi, cùm etiam ſuppoſita hujuſmodi ſubjectione, ad Synodum non ſint vocandi.

Secundò, ad hanc partem inducitur text. *in d. cap. Quod ſuper his de major. & obed.* ubi Innocentius III. Abbates, inquit, & Sacerdotes Diœceſana tibi lege ſubditos, qui ad tuam Synodum venire contemnunt, &c. per cenſuram Eccleſiaſticam ad Synodum ipſam venire compellas. Ex quo textu arguitur ſic: Regulares qui non ſubſunt Epiſcopo lege Diœceſana, non tenentur ad illius Synodum accedere, ut ibi probatur à contrario ſenſu: Sed Regulares non ſubſunt Epiſcopo lege diœceſana, *cap. Elutherius* 18. *quæſt.* 2. gloſſ. *in cap.* 1. *in ver. Diſciplinæ infrà de ſtat. Monach.* & ex Decreto Innocentii ſubjiciuntur Epiſcopo lege juriſdictionis dumtaxat, ut patet ex illis verbis, *omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci ſubjiciuntur*. Ergo ad illius Synodum ire non tenentur. 44

Et confirmatur, quia lex Diœceſana, & lex juriſdictionis ſunt diverſæ; unde res judicata in una non obſtat agenti

agenti in alia, ut eſt caſus in *cap. Dilectus*, & ibi Joan. Andr. & omnes notant in *ſumm. infrà eodem*. Vocatio autem ad Synodum pertinet ad legem Diœceſanam, ut ibi
45 notat gloſſa magna ante medium verſ. *Ad legem verò Diœceſanam ſpectat vocatio ad Synodum*, & Butrius in *dict. cap. Quod ſuper his in 2. not. num.* 3. Ergo Decretum Innocentii, quòd loquitur de lege juriſdictionis trahi non debet ad vocationem ad Synodum, quæ eſt de lege Diœceſana, arg. *l. Papinianus Exuli, ff. de Minoribus*, & conſequenter Regulares quoad hujuſmodi vocationem ad Synodum remanent exempti, quemadmodum erant ante illud Decretum: nam quod non mutatur, &c. *l. Sancimus, C. De teſtam. l. Præcipimus in fin. C. de appellat.* Gloſſ. *in cap. Conſtitutionem in ver. Prorogamus de Regularibus lib.* 7.

46 Tertiò, ad idem allegatur textus in *cap. Nimis prava infrà de exceſſ. Prælat.* ubi Gregorius IX. inter gravamina Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus illata recenſet primo loco, quòd Prælati eos ad Synodos ſuas cogunt ac-
47 cedere. Igitur quicquid ſit de Abbatibus, & Monachis, certè Fratres Mendicantes non videntur cogendi, prout hanc differentiam inter Abbates, & Mendicantes poſt Gemin. conſtituit Felin. in *cap. Quod ſuper his num.* 1. *infrà de major. & obedien.* & Henric. Bott. *de Synodo Epiſcopi in 2. par. num. 4. & num. 12. inter tractatus communes vol. 2. fol.* 209.

48 Quartò, exempti qui ſubſunt Generalibus Capitulis, non tenentur Synodo Epiſcopi intereſſe, ut in Decreto Concilii Tridentini *cap. 2. §. Synodi quoque ſeſſ.* 24. ſed Regulares parvorum Conventuum in Italia, ad quam reſtringitur Decretum Innoc. X. ſubſunt omnes Generalibus Capitulis. Ergo Synodo Epiſcopi intereſſe non tenentur.

Et confirmatur, nam ratio cur Patres Concilii noluerint adſtringere ad Synodum Regulares ſubjectos ſuis Capitulis Generalibus, ea videtur fuiſſe, quia cùm tales habeant ſuos Generales Viſitatores, & eorum ſtatutis ligentur, ut *cap. Quia in ſingulis infrà de ſtatu Monach.* non videtur conveniens, ut legibus, & Conſtitutionibus alterius Superioris adſtringantur: hæc autem ratio viget etiam poſt Decretum Innocen. cùm per illud Regulares non eximantur à ſuis Prælatis Regularibus, ut fusè probatum eſt in præcedenti quæſtione à *nn.* 26. & in declarationibus *num.* 42.

49 Quintò, tam de jure communi, quàm ex Concilio Tridentino eximuntur ab acceſſu ad Diœceſanam Synodum ſoli exempti habentes Capellas, vel populum ſubjectum Epiſcopo, & habentes animarum curam perſonarum ſæcularium, ut *in cap. Ex ore in fin. de privileg. & in dict. c. 2. ſeſſ.* 24. Ergo in aliis omnibus firmatur regula, quòd accedere non teneantur, vulgata *leg. Nam quod liquidæ, §. fin. ff. De pœna legata*.

50 Sexto, Synodus celebratur ab Epiſcopo authoritate ordinaria, cùm ſit de juribus Epiſcopalibus, *cap. Conquerente infrà eod.* Ergo facultas delegata, quæ tribuitur Ordinario in Decreto Innocen. quantum ad Synodum videtur impertinens.

51 Septimò, & ultimò, Religioſi exempti à juriſdictione Epiſcopi non tenentur illius Synodo intereſſe, *cap. Ex ore in 1. membro diffinitionis de privileg. dict. cap. Nimis prava de exceſſ. Prælator.* Gloſſ. *in dict. cap. Quod ſuper his de major. & obedien.* quam ibi omnes ſequuntur, ut teſtatur Henric. Bott. *de Synod. Epiſcopi in 2. par. ſub num. 4. circa finem, verſ. Si autem Abbates*, reddens rationem, quia ex quo tales exempti non ſubſunt Epiſcopo, non adſtringuntur, nec ligantur ſtatutis ejus, ut not. in *cap. 1. ſup. de Conſtitut.* Religioſi autem ferè omnes exempti ſunt ex privilegiis Apoſtolicis à juriſdictione Epiſcopi, ut ſcripſi plenè in *cap. Tuarum infrà de privileg.* Et hanc exemptionem non ſuſtulit ipſum Decretum Innocentii, quia authoritas Apoſtolica in illo Epiſcopis delegata non violat privilegia, nec perimit exemptionem, Abb. *in cap. Grave num. 1. & 5. ſuprà de offic. ordin.* & ſcripſi *in d. c. Tuarum n. 31. & 33.* Igitur Religioſi tamquam exempti ab Epiſcopi juriſdictione illius Synodo ex prædicto Decreto intereſſe non tenentur.

Quibus tamen non obſtantibus, ad propoſitum dubium videtur reſpondendum, Abbates, Priores, Guardianos, & alios parvorum Conventuum hujuſmodi ſuperiores teneri ad Synodum Diœceſanam accedere, ſi ad eam vocentur ab Epiſcopo, ut Sedis Apoſtolicæ Delegato, ex infraſcriptis.

Et primò ad hoc allegatur Concilium Auralianenſe relatum in *cap. Abbates* 18. *qu.* 2. his verbis: Abbates pro humilitate Religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant: & ſi quid extra Regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur: qui ſemel in anno, in loco, ubi Epiſcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.

Concordat *c. Annis ſingulis* 18. *diſtinct.* ubi habetur: Annis ſingulis Epiſcopus in ſua Diœceſi Synodum faciat de ſuis Clericis, necnon Abbatibus, & diſcutiat alteros Clericos, & Monachos, *ad idem cap. Decernimus eodem diſtin.* Ecce igitur perſpicua facultas Epiſcoporum vocandi Abbates ad Synodos ſuas. Et quamvis jura præallegata intelligenda ſint de Abbatibus non exemptis, ſecundùm Goffred. & Hug. quos refert, & ſequitur Archid. *in d. c. Abbates nu. 9. verſ. Vel loquitur*, tamen tales ſunt hodie Superiores Regulares parvorum Conventuum ex Decreto Innoc. X. ut mox dicetur.

Secundò, pro hac parte multùm ſtringit text. *in cap. Ex-* 52
ore infrà de privileg. ubi exorta controverſia, an Abbas Cœnobii Evaſen. tam in capite, quàm in membris eſſet liber ab acceſſu ad Synodum Epiſcopalem, Innocentius III. ait: *Sententialiter diffinimus, quod Evaſen. Cœnobium liberum eſt in capite tamquam ab Epiſcopali juriſdictione prorſus exemptum, & ſoli Romanæ Eccleſiæ ſubjectum; in membris autem quæ non probantur exempta, Diœceſano Epiſcopo ipſum ſubjacere decernimus: propterquod Abbas ad Synodum ejus debet accedere.* Hactenus verba Innocentii, ex quibus evidenter apparet fundamentum acceſſus ad Synodum eſſe ſubjectionem juriſdictioni Epiſcopi, ac proindè Superiores Regulares, qui juriſdictioni Epiſcopi ſubſunt, abſque dubio teneri ad illius Synodum accedere, quamvis Capellas, vel populum Epiſcopo ſubjectum non habeant. Et ita hanc Regulam conſtituit Hugo *in cap. Abbates* 18. *quæſt.* 2. Innocen. *in cap. Grave in princ. infrà de præbend.* & poſt alios quamplures Henric. Bott. *de Synodo Epiſcopi in 2. par. ſub num. 4. ante medium, verſ. Si verò Abbates, & infrà in verſ. Quid tenendum*, dicens hanc opinionem eſſe communem, & de jure veriorem. Quamobrem cùm ſuperiores Regulares parvorum Conventuum ex Decreto Innocentii ſint ſubjecti juriſdictioni Epiſcopi, ut Sedis Apoſtolicæ Delegati, dubitandum non eſt quin ad illius Synodum teneantur accedere, ſi ad eam vocentur ab ipſo authoritate delegata.

Tertiò, Synodus mixta eſt de lege Diœceſana, & de lege 53
juriſdictionis, ut notat Hoſtien. *in dict. c. Quod ſuper his n. 2. de major. & obed.* ubi exponens illud verbum, *Diœceſana*: Dicas, inquit, quòd Synodus mixta eſt, in eo enim, quòd Synodus de lege Diœceſana eſt: & in eo, quòd ibi judicatur, vel aliquid ſtatuitur, de lege juriſdictionis eſt: unde dic, Diœceſana, ſubaudi & juriſdictionis: & eum ſequuntur ibi totidem verbis Joan. Andr. *n.* 6. Butr. *n. 12. verſ. Idem Hoſt.* Abbas *col.* 2. & alii communiter, Gemin. *in dict. c. Epiſcopus, il ſecondo poſt medium verſ. Aut non ſunt exempti* 18. *diſtinct.* ubi concludit Synodum eſſe mixtam, & participare de utraque lege, propter ſtatuta, & aliqua, quæ ibi fiunt reſpicientia utramque legem; & ideò tales Abbates etiamſi habeant populum, debere venire ad Synodum, & ita procedere text. *in d. c. Quod ſuper his*, & eum ſequitur ad litteram Præpoſitus *ſub n. 1. poſt medium, verſ. Aut non ſunt exempti*. Et 54
hoc præcipuo fundamento Doctores unanimiter tenent Prælatos Regulares, ſicut ſunt Abbates, Priores, & Guardiani: qui à juriſdictione Epiſcopi non ſunt exempti, quamvis non teneantur ad Cathedraticum, & alias angarias, & perangarias, quæ ſunt de lege Diœceſana, tamen teneri ad Synodum propter mixturam juriſdictionis. Et ita expreſsè notat Hoſtien. *ubi ſuprà*, dicens: ex hoc cap. evidenter patet, quòd etſi Monaſteria ſint exempta à lege Diœceſana quoad præſtationem Cathedratici, &c. Abbas tamen non eſt exemptus quoad Synodum, imò tenetur ad ipſam venire, & ſi populum non habeat, & concordant ibi Jo. Andr. *num.* 7. Butr. *num.* 11. *dict. verſ.* Idem Hoſt. & reliqui omnes. Quare cùm hodie ex Decreto Innocen. Superiores Regulares parvorum Conventuum ſint ſubjecti juriſdictioni Epiſcopi, ſequitur perneceſſe, ut ad illius Synodum accedere teneantur, quod argumentum ni fallor ſufficeret pro deciſione præſentis controverſiæ, & eo utitur Hugo *in cap. Abbates* 18. *quæſt.* 2. ubi ait, quòd Abbas non exemptus tenetur ire ad Synodum, in qua aliquid ſtatuitur, quod

ipſum

ipſum tangat, quia hoc eſt de lege juriſdictionis, Butr. *d. num.* 12. *verſ. dicit Hugo*, & Præpoſitus *in dict. cap. Epiſcopus il ſecondo col.* 2. 18. *diſtinct.* Et aliis relatis Henric. Bott. *de Synodo Epiſcopi in* 2. *p. ſub num.* 4. *verſ. quid tenendum.* Et confirmatur, quia Decretum Innocentii ſubjicit Religioſos juriſdictioni Epiſcopi non ſimpliciter, ſed dicit omnimodæ juriſdictioni plenè in omnibus, quæ verba univerſalia, & geminata includunt etiam ea, quæ alias in diſpoſitione generali non includerentur, *ut ſcripſi in c. ex parte n.* 31. *&* 44. *de Privileg.*

55 Quartò, cùm Superiores parvorum Conventuum ex Decreto Innoc. jure delegato ſubſint juriſdictioni, & foro Epiſcopi, ambigendum non eſt, quin eodem jure etiam ligentur illius ſtatutis, qui forum ſortiri, & ſtatutis ligari à pari procedunt, *cap. Ut animarum de Conſtitut. lib.* 6. & ſcripſi *in cap. quæ in Eccleſiarum num.* 23. *ſuprà de Conſtit.* & ſtatuendi poteſtas à juriſdictione regulatur, ut notat Bart. *in l. omnes populi in* 1. *quæſt. principali de juſt. & jure*, Dec. *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ num.* 69. *de Conſtit.* & in his terminis Henric. Bott. *de Synodo Epiſcopi in* 2. *part. num.* 4. *circa fin. verſ. Si autem Abbates.* Ex quo ſequitur, ut teneantur etiam accedere ad Synodum: nam qui Conſtitutionibus ſynodalibus adſtringuntur, non eſt ratio, cur ſimiliter non teneantur Synodo intereſſe ad illas diſcutiendas, *arg. cap. Nimis prava*, ibi: *Ad Synodos ſuas cogunt accedere, & ſuis Conſtitutionibus ſubjacere, de exceſs. Prælat. cum ſimilibus.* Quinimò dicunt Doctores bonum eſſe ut Abbates interſint propter ſtatuta, quæ in Synodo fieri poſſunt, ſibi præjudicialia, quibus poterunt reſiſtere, ſi ſunt præſentes, *cap. Nicæna* 31. *diſtinct.* ita Cardinales *in dicto cap. Quod ſuper his quæſt.* 1. *in fin. de major. & obedien.* dicens, tutius eſſe, ut tales Abbates veniant ad Synodum Epiſcopi propter evitandas opiniones falſas, quia propter ſtatuta bonum eſt etiam Abbates accedere ad Synodum Provincialem, & ſequitur Henric. Bott. *de Synodo Epiſcopi in* 2. *part. ſub num.* 4. *verſ. Adverte etiam.*

56 Quintò, Synodus eſt præambulum viſitationis, quia juxta praxim ſacræ Congregationis Concilii Epiſcopi debent primò Synodum congregare, & ſtatuta edere, ac deinde Diœceſim viſitare, ut cognoſcant, an ſtatuta Synodalia ſerventur, nec ne. Ergo Epiſcopus qui ex Decreto Innocentii poteſt Regulares viſitare, poteſt etiam hos vocare ad Synodum, quia quando aliquid permittitur, videntur, eſſe omnia permiſſa, per quæ pervenitur ad illud, *leg. ad rem mobilem, & l. ad legatam, ff. de Procurat. leg.* 2. *ff. de juriſdictione omn. Judic.* & notat Barthol. *in leg. Oratio, ff. de ſponſalibus.*

57 Ultimò obſervandum eſt, in Epiſcopo conſiderari poſſe duplicem juriſdictionem, videlicet ordinariam, & delegatam. Reſpectu juriſdictionis ordinariæ Regulares exempti, qui ſubſunt Generalibus Capitulis, ſunt prorſus immunes ab acceſſu ad Diœceſanam Synodum tàm de jure communi, *ut in d. c. Ex ore in fine, de Privileg.* cum aliis ſupracitatis, quàm ex Decreto Concilii Tridentini, *in d. c.* 2. *§. Synodi ſeſſ.* 24. & hac in parte nil novi ſtatuit Decretum Innocentii, quia poteſtas delegata in eo Decreto Epiſcopo attributa non violat exemptionem à juriſdictione ordinaria, *ut dixi ſuprà in ultimo argumento contrario n.* 51. At reſpectu juriſdictionis Delegatæ à Sede Apoſtolica Regulares parvorum Conventuum nunquam fuerunt exempti, quia Papa neminem eximit à ſeipſo, vel à ſua authoritate, ut notat Abbas *in c. Grave n.* 1. *&* 5. *ſuprà de offic. Ordin. & dixi in c. Ex parte n.* 22. *infrà de Privileg.* Et hodie poſt Decretum Innocentii expreſsè ſunt ſubjecti Epiſcopo proceden. ti, ut Sedis Apoſtolicæ Delegato. Ergo palam eſt eos tamquam ſubjectos juriſdictioni delegatæ teneri accedere ad Synodum Epiſcopi, ſi ad eam vocentur ab ipſo delegata authoritate. Et per hoc patet reſponſio ad ſeptimum, & ultimum argumentum contrarium, quia dum dicitur facultas delegeta non violat exemptionem, hoc verum eſt de exemptione à juriſdictione ordinaria, à qua Regulares remanent exempti, prout erant ante Decretum Innocentii; & ideò non tenentur venire ad Synodum, ſi jure ordinario vocentur ab Epiſcopo. at verò ab authoritate ei delegata non ſunt exempti, imò expreſsè ſubjecti ex eodem Decreto; ac proinde tenentur accedere, ſi ab Epiſcopo vocentur ex facultate delegata.

Non obſtant alia contraria.

Ad primum cùm reſpondetur illam paleam in *d. cap.*
Epiſcopus il ſecondo 18. *diſtinct.* poſſe intelligi de Abbati- 58
bus Ciſtercienſis Ordinis, & ſic de privilegiatis, & exemptis, prout intelligit ibi gloſſa 1. ſed alii Abbates tenentur venire ad Concilium, ut gloſſa ſubdit, cum qua videtur tranſire ibi Præpoſitus *num.* 1. & concordant Archidiaconus, & Lapus *in d. cap. Abbates* 18. *quæſt.* 3. Facit *c. Cum ſecundum ordinem de præſcript.* Licèt hoc durum videatur Henric. Bott. *de Synod. Epiſc. in* 2, *part. num.* 8. Vel dicas *d. c. Epiſcopus*, non loqui de obligatione accedendi ad Synodum, ſed de coactione, qua Epiſcopus uti non debet etiam contra Abbates non privilegiatos ſine rationabili cauſa. Et ita expreſse notant Hoſtien. Joann. Andr. Gemin. & Præpoſ. ſupra relati *n.* 53. dum dicunt Synodum participare de utraque l. Diœceſana, & juriſdictionis; & ideò Abbates juriſdictioni Epiſcopi ſubjectos, quamvis ſint exempti à lege Diœceſana, teneri ad Synodum Epiſcopi accedere, ſed tamen Epiſcopum non debere illos cogere ſine cauſa rationabili, puta ſi ageretur de illorum reformatione; Itaque vocati ab Epiſcopo tenentur omninò parere, quia divinare non poſſunt, ob quam cauſam Synodus congregetur, ut conſiderat Abbas *in d. c. Quod ſuper his col.* 2. *circa fin. verſ. ult. oppono.* Et ideò indiſtinctè accedere tenentur, ſed non debet Epiſcopus per cenſuras, & pœnas eos compellere, niſi aliqua rationabilis cauſa exiſtat, ut dicitur in illa palea. Et hoc modo ad concordiam reducuntur jura, quæ in hac materia videntur oppoſita, ſecundum DD. In contrarium tamen videtur textus in prædicta Decretali, *Quod ſuper his in fin.* ibi, *Per cenſuram Eccleſiaſticam ad Synodum ipſam venire compellas.*

Ad ſecundum, & ad illius confirmationem patet reſponſio ex dictis ſupra *in* 3. *argumen. pro hac ſententia n.* 53. quia Synodus non eſt abſolutè de lege Diœceſana, ſed mixta etiam de lege juriſdictionis, & ideò tenentur accedere omnes, qui ſunt de lege juriſdictionis, quamvis non ſint de lege Diœceſana, ſecundùm Hoſt. *& alios ibi allegatos.*

Ad tertium reſpondetur, textum in præallegato *cap. Ni-* 59
mis prava de exceſſ. Prælat. loqui de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus in hoc ſpecialiter privilegiatis, ut innuit ibi gloſ. 1. dum allegat *cap. ex ore in fin. de Privileg.* quod loquitur de privilegiatis, & exemptis ab acceſſu ad Synodum: & apertius notat Hoſt. *in d. cap. Quod ſuper his num.* 2. *verſ. niſi Privilegium aliud inducat.* Et ex illo Joan. Andr. *num.* 7. *eodem verſ.* Et Abbas *col.* 2. *circa fin. verſ. limita textum de major. & obed.* Regulares autem parvorum Conventuum poſt Decretum Innocentii non ſunt in hoc privilegiati, imò expreſsè ſubjecti Epiſcopo ut Delegato Sedis Apoſtolicæ; & conſequenter tenentur ire ad illius Synodum, ſi jure delegato vocentur.

Vel dicas textum *in d. cap. Nimis prava*, loqui de Fra- 60
tribus ſimplicibus, non autem de Prioribus, & Guardianis, qui coguntur accedere, ita Hoſtien. *in d. c. quod ſuper his num.* 2. *in fin. verſ. vel illud de fratribus, hoc de Abbatibus*: coguntur ergo Priores & Guardiani, & non fratres: hactenus Hoſt. cum quo concordant, ibi Joan. Andr. *num.* 7. *in fin. verſ. Fratres non tenentur venire, Prælati vero ſic.* Et Abbas *col.* 2. *circa fin. verſ. vel intelligatur in ipſis Religioſis inferioribus, ſecus in eorum Prælatis.* Et eſt ſimile in ſimplici Monacho clauſtrali, qui non tenetur venire ad Synodum, *cap. Convenientibus* 1. *q.* 7. Felin. *in d. cap. quod ſuper his num.* 1. & Henric. Bott. *de Synod. Epiſc. in* 2. *part. num.* 11. & tamen Abbas tenetur, *ut in d. c. Abbates* 18. *q.* 2. *& in c. Annis ſingulis* 18. *diſt.*

Ad quartum reſpondetur exemptos, qui ſubſunt Capi- 61
tulis generalibus, non teneri ad Synodum accedere in vim Concilii Tridentini, ſed tamen teneri in vim Decreti Innocentii, *ut in parvis.*

Ad confirmationem reſpondetur Innocentium in ſuo Decreto nullam rationem habuiſſe, quòd Regulares parvorum Conventuum ſubſint pluribus judicibus, quin potius voluit juriſdictionem Epiſcopo attributam eſſe cumulativam cum Superioribus Regularibus, & Religioſos in eis degentes adſtringi, & ligari tam legibus ſuorum Prælatorum, quàm ſtatutis Epiſcoporum, & ab utriſque viſitari, corrigi, ac puniri poſſe: & ſic juriſdictionem inter Epiſcopos, & Superiores Regulares eſſe cumulativam, & locum eſſe præventioni, ut fusè probatum eſt *in quæſt. præced. à num.* 26. *uſque ad num.* 43. & in declarationibus ibi poſitis in fine.

fine, Quod ſi contingat, ut Synodus congregetur eo tem-
62 pore, quo celebratur eorum Capitulum, tunc Prælatus Regularis poterit uni accedere per ſeipſum, & alteri per ſubſtitutum, ſicuti dicunt DD. de Abbate habente Eccleſias in diverſis Epiſcopatibus, quia poterit ire ad Synodum unius Epiſcopi perſonaliter, & ad Synodos aliorum Epiſcoporum per ſubſtitutos, ſi eodem tempore celebrentur, ut inter alios notat Anton. de Butr. *in d. cap. Quod ſuper his n. 2. de major. & obed.*

Ad quintum reſpondetur argumentum procedere in terminis juris communis, & Concilii Tridentini, ſecùs verò poſt Decretum Innocentii.

63 Ad ſextum reſpondetur negando conſequentiam, quia non eſt novum in jure, ut Epiſcopus exerceat jura Epiſcopalia in ſubjectos authoritate ordinaria, & in exemptos delegata à Sede Apoſtolica. Unde videmus viſitationem, & correctionem ſubditorum fieri ab Epiſcopo ordinaria authoritate, cùm hæc ſint de juribus Epiſcopalibus, *ut in d. c. Conquerente infrà eod.* & tamen Religioſos in parvis Conventibus degentes Epiſcopus viſitat, & corrigit ut Delegatus Apoſtolicus, prout eſt expreſſum in Decreto Innoc. X. ſed & loca nullius Diœceſis ſimiliter viſitat Epiſcopus proximior ut Delegatus Apoſtolicæ Sedis ex Concil. Trident. *cap. 9. ſeſſ. 24.* Ergo eodem modo quamvis Synodus reſpectu ſubditorum celebretur jure ordinario; tamen ex Decreto Innocentii reſpectu exemptorum poteſt Epiſcopus eam congregare, exemptos vocare, & ſtatutis Synodalibus adſtringere non ſua, ſed Apoſtolica authoritate. Ad hoc textus optimus *in c. Periculoſo, §. final. de ſtat. Regular. lib. 6.* innovato à Concilio Tridentino *in cap. 5. ſeſſ. 25. de Regular.* ibi: *In omnibus monaſteriis ſibi ſubjectis ordinaria; in aliis vero, Sedis Apoſtolicæ authoritate, &c.* & quamplurimos alios caſus, in quibus Epiſcopus eo Concilio procedit in ſubditos facultate ordinaria, & in exemptos delegata, enumeravimus *in c. quoniam ſuprà de offic. Deleg.* ubi plenè videas.

Ad ſeptimum reſponſum eſt ſuprà *in ultimo argumento pro hac parte n. 57.*

Et hanc ſententiam probavit Sanctiſſimus, ut in ejus litteris in forma Brevis; quarum tenor talis eſt:

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum (ſicut accepimus) poſito Decreto fel. rec. Innocent. PP. X. Prædeceſſoris noſtri incipien. Ut in parvis, &c. 64
die 10. Februarii 1654. edito, *quo parvi Conventus non habentes præſcriptum numerum Religioſorum viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica Delegati plenè in omnibus ſubjiciuntur, dubitetur, an Abbates, Priores, Guardiani, & alii prædictorum Conventuum Superiores ab Epiſcopo vocati, ad Diœceſanam Synodum accedere teneantur: Nos ejuſmodi dubium tollere cupientes, poſſeſſos Abbates, Priores, Guardianos, & alios parvorum Conventuum hujuſmodi Superiores ad Synodum Diœceſanam accedere teneri, ſi ad eam ab Epiſcopo utì Sedis Apoſtolicæ delegato vocentur, authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus. Et ita ab omnibus, ad quos pertinet, ſervari præcipimus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque in præmiſſis per quoſcumque judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non quorumvis Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus proplenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Martii 1661. Pontificatus noſtri anno ſexto.*

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XIII.

IRrefragabili conſtitutione ſancimus, ut Eccleſiarum Prælati, ad corrigendum ſubditorum exceſſus, maximè Clericorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur. Ut autem correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere, decernimus ut executionem ipſorum, nulla conſuetudo, vel appellatio valeat impedire: niſi formam in talibus exceſſerint obſervandam. Exceſſus tamen Canonicorum cathedralis Eccleſiæ, qui conſueverunt corrigi per Capitulum, per ipſum in illis Eccleſiis (quæ talem hactenus conſuetudinem habuerunt) ad commonitionem, vel juſſionem Epiſcopi corrigantur infrà terminum competentem ab eo præfigendum; alioquin ex tunc Epiſcopus Deum habens præ oculis, ipſos ut animarum cura requirit, per cenſuram Eccleſiaſticam corrigere non poſtponat. Cæterùm ſi Canonici abſque manifeſta & rationabili cauſa (maximè in contemptum Epiſcopi) ceſſaverint à divinis, Epiſcopus ſi voluerit nihilominus celebret in Eccleſia cathedrali; & Metropolitanus ad querelam ipſius, tamquam ſuper hoc delegatus à nobis, taliter eos per cenſuram Eccleſiaſticam cognita veritate caſtiget, quòd metu pœnæ talia de cætero non præſumant. Provideant itaque diligenter Eccleſiarum Prælati, ut hoc ſalutare ſtatutum, ad quæſtum pecuniæ, vel gravamen aliud non convertant, ſed illud ſtudioſè ac fideliter exequantur, ſi canonicam velint effugere ultionem, quoniam ſuper his ſedes Apoſtolica authore Domino attentiſſimè vigilabit.

SUMMARIUM.

1 *PRælati ſubditos corrigant, & reforment, appellatione, vel conſuetudine, non obſtante.*

2 *Diſſimulatio peccatorum in Prælato eſt culpa mortalis.*

3 *Conſuetudo quæ morum reformationem, & correctionem impedit, non valet.*

4 *Diuturnitas temporis ſine veritate, & ratione eſt vetuſtas erroris.*

5 *Præſcriptio non valet, ſi ſit correctionis impeditiva; Secus ſi correctionis translativa.*

6 *Appellatio non impedit executionem eorum, quæ ad morum reformationem, & correctionem pertinent.*

7 *Admittitur tamen ad effectum devolutivum.*

8 *Et admittitur ad utrumque effectum, ſi Prælatus limites viſitationis, ſeu correctionis excedat.*

Irre-

1 IRrefragabili. Prælati ſubditos corrigunt, & reformant, appellatione, vel conſuetudine non obſtante. Hoc dicit, uſque *ad §. Exceſſus*. Dividitur in duas partes, in prima providet, in ſecunda removet obſtacula, ibi, *Ut autem*.

2 Nota primò ibi, *Ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur*. Diſſimulationem peccatorum in Prælato eſſe culpam mortalem. Quod ſatis innuit gloſſ. 1. *hic*, dum dicit: Durum verbum eſt iſtud pro Prælatis negligentibus ſubditos corrigere: cùm enim increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo Paſtor occidit, ut Gregorius ait *in cap. Epheſiis* 43. *diſt*. & hoc intendit hæc littera, dum dicit: Sanguis eorum. Idem probatur *in c. ſit Rector, eadem diſtinctione, & in cap. error* 83. *diſtinct*. & tenet gloſ. penult. *in cap. Clericis §. fin. de Immunitate Eccleſ. libr.* 6. Petrus Brixien. *in repertorio in verb. Diſſimulatio*, gloſſ. *pragmat. in proœmio*, §. *Quæ omnia in ver. Diſſimulare*, Antonio de Butrio *in c. Novit n.* 27. *verſ. nota diſſimulationem peccatorum inferiorum eſſe mortalem in Prælato*, & ibi etiam Petrus de Anchar. *n.* 12. *infrà de judic. dixi in c. final. in* 1. *notabili de regular.*

3 Secundò nota conſuetudinem, quæ correctionem, & reformationem impedit, non valere, ut hic *& in c. Cùm ex officii, de præſcriptionibus*: cùm enim ſit nutritiva peccati, corruptela potius, quàm conſuetudo dicenda eſt, *cap. Cùm venerabili, ſuprà de conſuetud.* nam diuturnitas temporis ſine veritate, & ratione eſt vetuſtas erroris, ut
4 in *cap. Veritate* 8. *diſtinct*. & quantò diuturnior, tantò culpa gravior, *cap. final. de conſuetud. cap. Flagitiæ* 32. *quæſt.* 7. Abb. *in cap. Extirpandæ*, §. *qui vero num.* 36. *verſ. Conſuetudo autem infrà de Præbend.* Unde meritò hujuſmodi conſuetudinem ſuſtulit etiam Concilium Tridentinum *in capite* 4. *ſeſſione* 14.

5 Quod tamen vendicat ſibi locum, ſi ſubditus conſuetudine, vel præſcriptione velit ſe tueri adverſus correctionem Prælati, *ut in cap. Cum non liceat de præſcript.* Secus ſi alius Superior alleget conſuetudinem, vel præſcriptionem corrigendi alterius ſubditos, *ut probatur in d. cap. Cum ex officii*, ubi ſubditus non poteſt præſcribere viſitationem, vel procurationem contra Prælatum, ſed alius in perſonam alterius præſcribere poteſt utramque. Et ita ſecundùm Abb. *hic in princ.* Conciliatur prima pars hujus Decretalis, quæ improbat conſuetudinem cum ſecunda, quæ illam admittit; nam prima loquitur de conſuetudine correctionis impeditiva; Secunda verò de conſuetudine correctionis translativa, per quam ſcilicet jus corrigendi, ſeu reformandi ſubditos ab uno in alium ſuperiorem transfunditur.

6 Ultimò nota appellationem non impedire executionem quæ ad morum eorum reformationem, & correctionem pertinent, *concordat cap. Reprehenſibilis in finem, & cap. ad noſtram infrà de appellat. & cap. Prox. ſuprà eodem*. Quod ipſum ſancitum eſt a Concilio Tridentino *in c.* 1. *verſ. nec appellatio exequutionem hanc, quæ ad morum reformationem pertinet, ſuſpendat ſeſſ.* 22. & fuſius *in cap.* 10. *ſeſſ.* 24. Verùm neque ex diſpoſitione textus noſtri, neque ex Decretis Concilii ſublata eſt appellatio devolutiva, ſed ſuſpenſiva tantùm, ut oſtendunt verba illa, *Impediat, aut ſuſpendat*. Niſi Prælatus procedens tela judiciaria excederet limites viſitationis, ſeu correctionis; quia tunc liceret appellare ad utrumque effectum, ut hìc patet *in verſ. niſi formam in talibus exceſſerint obſervandam*, & ex ſententia ſacræ Congr. Conc. plenius ſcripſi *in dict. cap. Ad noſtram de appellat.*

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

Cap. Irrefragabili, §. Exceſſus.

SUMMARIUM.

1 *CApitulum ſi Canonicorum exceſſus conſuevit corrigere, niſi hoc faciat infra terminum ab Epiſcopo præfixum, Epiſcopus corriget, & n.* 11.

2 *Capitulum ex conſuetudine poteſt habere poteſtatem corrigendi exceſſus Capitularium.*

Etiam excluſo Epiſcopo, n. 7.

3 *Et quid in criminibus gravibus, & n.* 10.

Et quid poſt Concilium Tridentinum n. 9.

4 *Præſcribi poſſunt per inferiorem Epiſcopo jura omnia Epiſcopalia ad utramque legem pertinentia.*

5 *Negligentia inferioris convincitur ex præfixione termini.*

6 *Terminus Capitulo præfixus ab Epiſcopo ad corrigendos Capitulares non eſt expectandus, ſi Capitulum dicat ſe nolle corrigere.*

7 *Dictio*, alioquin, *orationem conditionalem facit, & inducit conditionem in caſu contrario.*

8 *Dictio*, ex tunc, *denotat temporis extremitatem.*

9 *Capitula quæ conſuetudine, privilegio, vel alio jure ſpeciali ſe tuentur adverſus juriſdictionem Epiſcopi, qua forma procedere debeant in cauſis criminalibus Capitularium, & n. ſeq. &* 21.

11 *Capitulo negligente in corrigendis exceſſibus Capitularium, an, & quando juriſdictio ad Epiſcopum devolvatur, & n. ſeqq. uſque ad n.* 22.

Quid ſi Epiſcopus interſit Capitulo tamquam Prælatus, n. 13.

Et quid ſi interſit tamquam Canonicus, n. 14.

Et quid ſi vocem in Capitulo nen habeat, n. 18.

Et quid poſt Concilium Tridentinum, n. 20. *&* 21.

12 *Epiſcopus de jure communi eſt caput Capituli.*

15 *Canonici ſinguli non ſunt conjudices, ubi Capitulum conſuevit exceſſus illorum corrigere, ſed ipſum Capitulum eſt judex, & penes ipſum eſt juriſdictio.*

16 *Epiſcopus, ad quem propter negligentiam Capituli devoluta eſt juriſdictio, tenetur procedere contra Canonicos cum Capituli conſilio, vel aſſenſu, & num.* 26.

17 *Item tenetur cauſam appellationis ad ſe interpoſitæ alteri delegare, ſi interfuit Capitulo tamquam Canonicus, & animum ſuum propalavit.*

19 *Juriſdictio negligente Capitulo propriè ad Epiſcopum non devolvitur, ſed impedimentum removetur.*

21 *Juriſdictio ad Epiſcopum non devolvitur, ſi adjuncti à Capitulo electi unà cum Epiſcopo negligant, vel recuſent procedere contra Capitulares; ſed cogi debent à Metropolitano, vel à Sede Apoſtolica, ut procedant.*

22 *Epiſcopus Abulen. an poſſit cognoſcere de appellationibus Capitularium à ſententiis contra eos latis à Capitulo pro delictis in Eccleſia patratis, & n. ſeqq. uſque in fin.*

23 *Appellatio, & negligentia quoad devolutionem juriſdictionis ad ſuperiorem æquiparantur.*

Declaratur, num. 32.

24 *Appellatio ad proximum ſuperiorem devolvitur, nec omiſſo medio eſt appellandum.*

25 *Appellatio ad parem interponi non poteſt, & num.* 28.

26 *Epiſcopus in cauſis criminalibus contra Capitulares de jure communi procedere debet cum conſenſu Capituli.*

27 *Capitulum in cauſis Capitularium an de jure communi ſit conjudex cum Epiſcopo.*

29 *Appellatio in cauſa alteri delegata ab uno ex duobus ſociis in juriſdictione non devolvitur ad delegantem, ſed ad ſuperiorem amborum.*

30 *Appellatio à ſententiis Capitulorum in Cathedralibus Hiſpaniarum non conſuevit interponi ad Epiſcopos, ſed ad alios Superiores.*

31 *Conſuetudini interpretativæ potius ſtandum eſt, quàm communi opinioni.*

1 EXceſſus. Si Capitulum Canonicorum exceſſus conſuevit corrigere, niſi hoc faciat infrà terminum ab Epiſcopo præfixum, Epiſcopus corriget. Hoc dicit uſque *ad §. Cæterum*, & ſunt duæ partes. In prima ſtatuitur de correctione

ctione facienda per Capitulum. In ſecunda de ſuppletione
facienda per Epiſcopum, ibi, *Alioquin*.

2 Nota primò, ibi, *Qui conſueverunt corrigi per Capitulum*.
Ex conſuetudine Capitulum Eccleſiæ Cathedralis poſſe ac-
quirere poteſtatem corrigendi exceſſus Capitularium, ut
3 hic eſt caſus ſecundùm omnes. Verùm Hoſt. *n.*5. *in ver. per
Capitulum*, hoc notabiliter temperat, ut habeat locum in
correctione exceſſuum plana, & ſimplici, non autem in cri-
minibus gravibus, *argum. l. Reſpiciendum, §. Furta, ff. de pœn.
& l. fin. ff. de his, qui ad Eccleſ. confug.* nam ſi ageretur de de-
gradatione, non poſſet conſuetudo hanc poteſtatem in in-
feriorem transfundere, & ita ſecundùm eum intelligitur
textus in c. Cum contingat, de foro compet. maximè cùm ta-
lia nec electus, & nondum confirmatus poſſit expedire, *ut
c. Tranſmiſſa, §. fin. de elect.* & notat idem Hoſtien. *in c. Di-
lecto, §. fin. in ver. Dumtaxat de offic. Archid.* & cum eo ſim-
pliciter tranſeunt hic Joan. Andr. *n.*22. Bald. *n.*3. Butr. *n.*27.
& Card. *n.*4. *in* 1. *q.* Sed tu ad verte, quia degradatio eſt ordi-
nis Epiſcopalis, ut notatur *in c. Cum non ab homine, infrà
de judic.* & per Hoſtien. *in c. Dilectus infrà hoc tit.* & Colle-
ctar. *in d. c. Cum contingat n.* 3. Unde non mirum ſi acqui-
ri non poſſit ex conſuetudine; quia quæ ordinis Epiſcopa-
lis ſunt, nullo unquam tempore præſcribuntur, *c. Quanto,
ſuprà de conſuetud. c. un. §. per frontis, de Sacram. unct.* & in
terminis degradationis ſcripſi plenè *in cap. aqua n.* 20. *in-
4 frà de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* At ſecus eſt in materia
juriſdictionis, ſecundùm ea, quæ notantur *in d. c. Tranſ-
miſſa* in gloſſ. *ult.* Quia etſi privatæ perſonæ conſuetudo
non poſſit niſi modicam juriſdictionem tribuere; tamen
Capitulo, vel Abbati, aut alteri inferiori Prælato conferre
poteſt etiam ordinariam, & omnimodam quaſi Epiſcopa-
lem, *ut cap. Auditis, & c. Cum olim, infrà de præſcript. c.
Accedentibus*, & ibi gloſſ. *fin. infrà de exceſs. Prælator.* Ar-
chid. & Joan. Andr. *in c. Cum Epiſcopus infrà eodem lib.* 6.
Et in terminis Capitulum poſſe præſcribere jus diſtinguen-
di, & excommunicandi Beneficiatos Eccleſiæ, & alia fa-
ciendi quæ ſunt meri imperii, concludunt Domini de
Rota *deciſ.* 417. incipien. *Fuit dubitatum alias* 2. *de præ-
ſcript. in nov.* Moventur, quia omnia jura Epiſcopalia ad
utramque legem ſive juriſdictionis, ſive diœceſanam per-
tinentia ſunt per inferiores Epiſcopis præſcriptibilia, alle-
gant jura ſupracitata, *& c. Quicumque* 16. *quæſt.* 3. de hoc
dicunt eſſe textum in hoc §. Et ſequitur Abb. *in d. c. Cùm
contingat num.* 9. 10. *&* 18. ubi latè refellit opinionem Ho-
ſtienſis. Et hæc eſt veritas, quæ videtur hodie canonizata
à Concilio Trident. *ut dicam infrà n.* 10.

5 Secundò nota ibi, *infrà terminum competentem ab eo præ-
figendum*. Hanc eſſe practicam convincendi inferiorem de
negligentia, ut ſcilicet præfigatur ei terminus à Superiore
ad actum explicandum, quo elapſo, poterit Superior ſup-
plere, & actum explicare, *ut cap. Paſtoralis, infrà de exce-
ptionibus*, & hic notant Butr. *num.* 10. *in* 5. *notab.* & Abb.
num. 1. *in ult. notab.* Quod tamen procedit niſi terminus
ſit ſtatus à jure; quia tunc dies interpellat pro homine, *cap.
Potuit de locato, cap.* 2. *de conceſſ. Præbend.* Cardin. *hic in* 2.
not. & 4. *oppoſ. & in cap. Cum Eccleſia in* 7. *quæſt. ſuprà de
6 elect.* Rurſus hoc procedit niſi inferior ſtatim diceret ſe
nolle actum explicare; quia tunc non oporteret expectare,
ut terminus laberetur, ſed illicò poſſet ſuperior ad actum
procedere, ſecundùm Joan. Andr. *num.* 9. & Cardin. *in* 5.
q. arg. dict. c. Potuit de locat. c. Ab eo, de appellat. lib. 6. *& c.
Venerabilibus, §. ſecus de ſent. excommun. eod. lib.*

7 Tertiò nota Capitulum Cathedralis Eccleſiæ poſſe puni-
re exceſſus Canonicorum etiam excluſo Epiſcopo, ſi ita
ſe habeat conſuetudo, ut per Butr. *num.* 10. *in* 4. *not.* Quod
eſt valdè notabile, & clarè probat hæc littera ibi, Alioquin
ex tunc ipſos corrigere non poſtponat: ponderando di-
ctionem *alioquin*, quæ non ſolùm orationem conditiona-
lem facit, ſed in ſeipſa orationem continet, & conditio-
nem inducit in caſu contrario, ut declarat Bart. *in l.* 1. *n.*
11. *ff. de cond. & demonſtrat.* Unde clauſula illa importat,
ut ita demum poſſit Epiſcopus ad correctionem Capitula-
rium procedere, ſi Capitulum infrà terminum præfixum
neglexerit eos corrigere: & conſequenter ſecluſa negli-
gentia, hæc poteſtas eſt ſolius Capituli privativè ad Epiſco-
pum, ſecundùm Hoſtien. *num.* 8. *in ver. Alioquin.* Joan.
Andr. *eod. num. & ver.* & Cardin. *in* 4. *not.* Idem inſinuat
8 illa dictio, *ex tunc*, quæ denotat temporis extremitatem,
cap. Perſona infr. de appellat. atque ita poteſt Epiſcopus ad
correctionem procedere lapſo termino ipſi Capitulo ad cor-
rigendum præfixo, & non prius, nec eſt locus præventioni,
ut dicunt Joan. And. *n.*9. & Card. *in* 5. *notab.* & idem Card.
in c. Paſtoralis in 2. *q. ſupr. eod.* Oportet tamen ut ad exclu-
dendum Epiſcopum à ſua juriſdictione ſolùm Capitulum
eam exercere conſueverit, *ut in c. auditis infr. de ſcript.* &
ita contigit in caſu hujus Decretalis: nam Capitulum con-
ſuevit procedere Prælato non vocato, nec requiſito, ſecun-
dùm Hoſt. *n.*8. *ver. Sed tot. hæc quæſtio*, & Butr. *n.* 25. Neque
verò hic intellectus eſt divinitativus, ut putat Abbas *nu.* 1.
verſ. Item nota quod in dubio, quandoquidem ſi ſolùm Ca-
pitulum quamdiu non eſt negligens, poteſtatem habet cor-
rigendi delicta Capitularium excluſo Epiſcopo, & hoc in
vim conſuetudinis, ut hic deciditur: Ergo neceſſe eſt ut
Capitulum conſueverit ad illorum correctionem procede-
re Epiſcopo non adhibito; aliàs enim ſi illum adhibuiſſet,
aut conſuetudo Capituli fuiſſet interrupta per actus Epi-
ſcopi, ſecundùm unam opinionem; aut fuiſſet cumulativa
ſecundùm aliam, ut ſcripſi latiſſimè in prædicta Decretali,
Auditis, *à n.* 2. *uſque in finem*.

Sed hodiè tota hæc controverſia ſublata eſt à Concilio 9
Tridentino: nam *in cap.* 4. *ſeſſ.* 6. datur Epiſcopo facultas
viſitandi, & corrigendi Capitulum ſuæ Cathedralis Eccle-
ſiæ, illiuſque perſonas non obſtantibus exemptionibus, &
conſuetudinibus, &c. Et hæc facultas extenditur etiam
extra viſitationem, *in cap.* 6. *ſeſſ.* 25. & corrigitur ſeu am-
pliatur diſpoſitio hujus §. cujus vigore erat præmittenda
monitio, & terminus præfigendus, quo elapſo, & non
antea Epiſcopus corrigebat. Hodie verò *ex dict. cap.* 4. Epi-
ſcopus vel ſolus, vel illis, quibus ſibi videbitur adjunctis,
poteſt Capitularium exceſſus in viſitatione corrigere, &
emendare, etiam non data Capituli negligentia in corri-
gendo: extra viſitationem verò *ex d. cap.* 6. Epiſcopus, vel
illius Vicarius tam informando proceſſum, quàm in cæ-
teris omnibus actibus uſque ad finem cauſæ incluſivè pro-
cedere debet cum conſilio, vel aſſenſu duorum Capitula-
rium initio cujuslibet anni à Capitulo eligendorum, & ſer-
vata in reliquis forma ibi præſcripta. Quo loco obſervan-
dum eſt, ſacram Congregationem de voto Rotæ cenſuiſſe
d. cap. 6. comprehendere non ſolùm Capitula exempta,
ſed etiam omnia alia præcedentia ſe poſſe tueri non modò
adverſus viſitationem, *ut in cap.* 4. *ſeſſ.* 6. Sed etiam ad-
verſus ea, quæ eodem *cap.* 6. diſponuntur, quæ agenda
ſunt extra viſitationem ſive vigore privilegiorum etiam
ex fundatione competentium, nec non conſuetudinum,
(ut in caſu hujus §. *Exceſſus*) etiam immemorabilium,
ſententiarum, juramentorum, concordiarum, quæ tan-
tùm ſuos obligent authores. Hactenus verba declaratio- 10
nis. Rurſus obſervandum eſt decreto *d. cap.* 6. ſpecialiter
cautum eſſe, ut in criminibus ex incontinentia prove-
nientibus, & in atrocioribus delictis depoſitionem, aut
degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, poſſit
Epiſcopus ſolus ad ſummariam informationem, & neceſſa-
riam detentionem procedere, ſervato tamen in reliquis
ordine præmiſſo, quæ verba non obſcurè videntur corri-
gere opinionem Hoſt. *hic num.* 4. exiſtimantis Capitulum
vigore conſuetudinis procedere poſſe ad correctionem
Canonicorum planam, & ſimplicem, & in levibus tan-
tùm, ut latiùs dixi ſuprà *num.* 3. Etenim ex Concilio ſi Ca-
pitulum conſuetudine ſe tueatur adverſus juriſdictionem
Epiſcopi juxta declarationem Sacræ Congregationis uti-
que adjuncti ab ipſo Capitulo electi poterunt procedere
etiam in atrocioribus, & ad ſententiam depoſitionis, ac
degradationis, licèt non ad actualem degradationem, quæ
eſt ordinis Epiſcopalis, ut tetigi *eodem num.* 3. *in fin.* Ipſi
enim adjuncti ſunt conjudices unà cum Epiſcopo, licèt
utriuſque unum tantùm ſit votum, poſſitque alter Epi-
ſcopo accedere, ut diſertis verbis ſtatuitur *in d. cap.* 6. Et
conſequenter Capitulum vigore conſuetudinis per ſe ſo-
lùm poterat ante Concilium in his criminibus procedere,
cùm Concilium ex parte reſtituerit Epiſcopo juriſdictio-
nem illi ex conſuetudine ademptam.

In gloſſa, per Capitulum, QUÆRO, an procedat 11
generaliter, & indiſtinctè, quod hic deciditur, ut propter
negligentiam Capituli in puniendis exceſſibus Capitula-
rium juriſdictio ad Epiſcopum devolvatur.

Ratio dubitandi eſt, quia Epiſcopus de jure eſt caput 12
Capi-

Capituli, *argum. c. Cùm clerici, de ver. ſignific. leg. 2. ff. de his, qui not. infam. & §. Plebs inſtitut. de jur. nat.* & tenet hic gloſſ. præalleg. & Innoc. *num. 1. verſ. Sed cum Epiſcopus ſit de Capitulo*, Feder. de Sen. *conſ. 1. num. 5.* Aut igitur Epiſcopus unà cum Capitulo eſt negligens: & ad eum non poteſt fieri devolutio, ſed ad Metropolitanum; quia paria delicta pari pœna puniri debent, *cap. dilecto, ſupr. de ſupplen. neglig. Prælator. & cap. Bonæ memoriæ il 1. in fin. de elect.* Aut non omnes ſunt negligentes, & penes non negligentes remanet judicandi poteſtas, *cap. gratum de poſtul. Prælat. & d. cap. Bonæ.* Præterea Epiſcopus ſolus non cognoſcit de cauſa criminali Canonicorum, ſed de Capituli conſilio, vel aſſenſu, *ut cap. Epiſcopus nullius 15. qu. 7.* At ſolus cognoſceret, ſi ad eum fieret devolutio.

13 Pro ſolutione Doctores communiter diſtinguunt plures caſus. Quandoque enim Epiſcopus intereſt Capitulo tamquam Epiſcopus, & caput Capituli ſive de jure communi, ſive ex conſuetudine Eccleſiæ: & tunc habent locum ſupradicta, ut ſcilicet ſive Epiſcopus cum Capitulo, ſive ſolùm Capitulum fuerit negligens, poteſtas judicandi non ad
14 Epiſcopum, ſed Archiepiſcopum dèvolvatur. Quandoque Epiſcopus intereſt Capitulo non tamquam Epiſcopus, ſed tamquam Canonicus, puta quia Papa eidem contulit Canonicatum, vel quia Epiſcopatus habet ſpeciale privilegium, ut quiſquis eſt Epiſcopus, ſimul etiam ſit Canonicus; vel ita ſe habet Eccleſiæ conſuetudo, & hoc caſu cùm Epiſcopus gerat vices duarum perſonarum, ad eum tamquam ad Epiſcopum fit devolutio. Et ſic votum habet in Capitulo quatenus eſt Canonicus, & ſupplet negligentiam Capituli quatenus eſt Epiſcopus. Similis diſtinctio habetur *in c. Poſtulaſtis infr. de conceſſ. Præben. & in c. à collatio-*
15 *ne de appellat. lib. 6.* Neque hoc mirum videri debet, quia ſtante conſuetudine, de qua hic, Epiſcopus, & alii Concanonici, ut ſinguli non ſunt judices illius, de quo inquiritur, ut malè putavit gloſ. noſtra, ſed ipſum Capitulum eſt judex, ut determinat Innoc. *n. 1.* pro quo facit hæc littera ibi, *per Capitulum*, nec non ibi, *per ipſum*; atque ita penes Capitulum eſt juriſdictio, & non penes ſingulos Canonicos, ut probatur *in l. Sed ſi ab hac lege, §. Qui manumittitur, ff. de in jus vocan. in leg. ſicut municipium, ff. quod cujuſque univerſ. nom. & in c. qui manumittitur 14. q. 2.* Et de nullo poteſt dici, hic eſt judex, vel conjudex, ſed verba reſonantia actum de eis dici poſſunt, ſcilicet Canonicus judicat: ſicut electio eſt penes Capitulum, & non penes ſingulos, *c. in Geneſi ſupr. de elect.* & tamen ſinguli coeligunt: ita Innoc. quem totidem verbis referunt, & ſequuntur Joan. Andr. *n. 23.* Bellam. *n. 2. in 3. oppoſit.* Bald. *n. 8.* Butr. *n. 29.* Card. *in 2. q.* & Abbas *n. 2. verſ. Sed quilibet.* Hinc ſacra Congregatio Cardinalium Concil. Trid. Interpretum conſulta, An ex decreto *c. 6. ſeſſ. 25.* tributa ſit aliqua juriſdictio Adjunctis ab Epiſcopo ſejunctis: cenſuit nullam eſſe tributam. Et iterùm conſulta, An decreta, ordinationes, actuſque omnes, & ſententiæ in caſibus *d. cap. 6.* fieri debeant ſub nomine Epiſcopi, & Adjunctorum, videlicet exprimendo Epiſcopum ita decreviſſe etiam de conſilio, & aſſenſu Adjunctorum: & an ea, quæ ſic communi conſenſu decreta fuerint, communi pariter nomine exequenda ſint, & mandata relaxanda: Reſpondit tàm quoad primam, quàm quoad ſecundam partem ita debere. Si igitur Epiſcopus, qui in cauſa Canonici intereſt ut Canonicus, non eſt judex, ſed ſolùm Capitulum; nulla eſt abſurditas, ut à Capitulo ad Epiſcopum, tamqam ad judicem ſuperiorem fiat devolutio, ut
16 *in d. cap. à collatione.* Non obſtat quòd ſi eſſet locus devolutioni, ſequeretur, ut Epiſcopus ſolus cognoſceret ſine aſſenſu, vel conſilio Capituli contra textum *in cap. Epiſcopus nullius 25. quæſt 7. cap. Novit. & cap. quanto infr. de his, quæ fiunt à Prælatis*: nam reſpondetur negando conſequentiam, quia poſteaquam per negligentiam Capituli facta erit devolutio ad Epiſcopum, tenebitur nihilominus Epiſcopus procedere cum conſenſu, vel conſilio Capituli, prout tenetur de jure communi, niſi adſit conſuetudo legitimè præſcripta, ut ejuſmodi conſilium requireret non teneatur, *ut eſt text. in c. Non eſt de conſuet. lib. 6.* nam etſi Capitulum propter negligentiam perdiderit jus corrigendi, quod habebat de conſuetudine; non tamen perdidit jus præſtandi conſilium; quod habebat de jure communi, prout concludit gloſſa noſtra, quæ in hoc communiter approbatur; *& eſt ſimile in cap. ne pro defectu, ſupr. de elect.* licèt contrarium videatur ſentire Bald. *hic in fin.* quia conſilium non eſt habendum cum ſuſpecto, ut in Auth. *de Triente,*
& ſemiſſ. §. Et quod ſæpe, ubi eſt gloſſ. *not. in ver. Artifi-* 17
cis. Adverte tamen ad unum valde notabile, quod ponunt Doctores, nam in eo caſu, in quo Epiſcopus interfuit Capitulo tamquam Canonicus, ſi inquiſitus ad ipſum appellat tamquam ad Epiſcopum, quod poteſt, *ut in d. c. à collatione de appell. lib. 6.* tunc Epiſcopus tenebitur cauſam alteri delegare; quia cùm propalaverit animum ſuum, ſi judicaret, eſſet ſuſpectus, *argum. l. Prætor ff. de juriſdict. omn. judic.* Unde poteſt per ſeipſum judicare in eo tamen caſu, in quo propter negligentiam, vel aliam cauſam non interfuit Capitulo, & voluntatem ſuam non manifeſtavit, ut hìc; ita Innoc. *n. 2. verſ. ſed dices*, cum quo tranſeunt Hoſt. *n. 7.* Joan. Andr. *n. 25.* Card. *n. 4. in 2. opp.* Abb. *n. 4.* & reliqui omnes. Quando-
que verò Epiſcopus nec tamquam Prælatus, nec tamquam 18
Canonicus habet vocem in Capitulo, *ut c. Eam te ſupr. de reſcript.* puta quia ex conſuetudine ſolùm Capitulum Prælato excluſo poteſtatem habet judicandi de criminibus Capitularium, ut in caſu hujus §. Et tunc propter negligentiam Capituli ad Epiſcopum fit devolutio, ut hic deciditur, & omnia ſunt plana, ita in effectu diſtinguit gloſſa noſtra, licèt ſecundùm Anton. de Butr. ſit ineptè compoſita, & conſentiunt Innoc. *n. 2. verſ. Nos dicimus*, Hoſtien. *n. 8.* dicentes ſecundùm hanc diſtinctionem eſſe intelligendam *l. 1. §. ſolent. in fin. ff. quando appellat. ſit*, Butr. *num. 20.* Card.
num. 4. in 2. oppoſ. & Abb. *num. 3. verſ. Conclude mentem* 19
gloſſæ. Subdit tamen Hoſt. *d. num. 8.* & poſt eum Joan. Andr. *num. 27.* neque hoc ultimo caſu poteſtatem devolvi, ſed tantummodò impedimentum removeri; hanc enim poteſtatem habet Epiſcopus jure ſuo, *ut cap. de perſona 11. quæſt. 1.* ſed propter conſuetudinem illius exercitium impeditur, & eſt ſimile *in cap. quanto ſupr. eod. & infr. cap. Gravè*, ſecundùm unam lecturam, *& in cap. Paſtoralis, §. fin. ſupr. de reſcript.* & ad hoc impedimentum ſubmovendum adhibetur hic remedium monitionis, & præfixionis termini.

Verùm hodie poſt Concilium Tridentinum ſupradicta 20
diſtinctio eſt ferè inutilis, quia aut verſamur in terminis juris communis, eo quod Capitulum non ſit exemptum ex conſuetudine, vel alio jure ſpeciali, ſed ſubjectum juriſdictioni Epiſcopi, qualia ſunt Capitula omnia Cathedralium Eccleſiarum in Italia, & non eſt quærendum de negligentia Capituli, aut de juriſdictioni devolutione; quia Epiſcopus primò, & principaliter jure ſuo Ordinario poteſt, & debet exceſſus Canonicorum corrigere, & punire, *ut cap. 1. & c. Cùm ab Eccleſiarum.* & ibi notatur *ſupr. eod. & d. c. de perſona 11. quæſt. 1.* & notant hic Innoc. *num. 1. in ver. Conſueverunt*, & Hoſt. *num. 5. in eod. ver.* Ideòque in *c. 4. ſeſſ. 6.* Concilii Tridentini decernitur, ut poſſint Epiſcopi exceſſus Capitularium corrigere, & emendare etiam authoritate Apoſtolica, & illa particula, *etiam* ex ſacræ Congregationis ſententia fuit appoſita propter Capitula non exempta, quæ ab Epiſcopo viſitari poſſunt
ordinaria authoritate. Aut non verſamur in terminis ju- 21
ris communis, eo quod Capitulum conſuetudine, privilegio, vel alio jure ſpeciali ſe tueatur adverſus juriſdictionem Epiſcopi, prout ſunt Capitula Cathedralium in Hiſpania: & tunc ex diſpoſitione Concilii *in cap. 6. ſeſſ. 25.* Epiſcopus nulla expectata Capituli negligentia procedere debet adverſus Capitulares cum duobus adjunctis à Capitulo electis, ut fuſiùs dictum eſt ſupra *num. 9.* Quod ſi ambo adjuncti in aliquo actu, ſeu interlocutoria, vel diffinitiva ſententia ab Epiſcopo diſcordes fuerint, non fit devolutio juriſdictionis ad Epiſcopum, ſed intra ſpatium ſex dierum tenentur cum Epiſcopo tertium eligere. Quod ſi in electione tertii etiam diſcordent, eo caſu ad viciniorem Epiſcopum electio devolvitur; & juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus in quo erat diſcordia, terminabitur, aliàs proceſſus, & inde ſequuta nulla ſunt, nulloſque producunt juris effectus, ut diſertis verbis ſtatuitur *in d. cap. 6.* & ſacra Congregatio declaravit totam juriſdictionem non devolvi ad Epiſcopum, ſi adjuncti cum eo procedere negligant, vel recuſent: itemque nec ab Epiſcopo negligente, vel recuſante ad Adjunctos. Præſuppoſita autem hac deciſione cum fuerit quæſitum quid agendum ſit ut adverſus Capitulares delinquentes ſine dilatione procedatur, *die 27. Octobris 1589.* S. Congregatio cenſuit

ſuit adeundum Metropolitanum; & ſi Eccleſia ipſa fuerit Metropolitana, ad eamdem Sedem Apoſtolicam, ut compellat recuſantem, vel negligentem procedere.

22 Ex facto QUÆSITUM, An poſito ſtatuto Eccleſiæ Abulen. de quo infrà proximè, liceat Epiſcopo cognoſcere de cauſis appellationum, quas ad eum interpoſuerunt nonnulli Capitulares à ſententiis contra eos latis à Capitulo pro prætenſis delictis in Eccleſia commiſſis.

In Eccleſia Abulen. extat ſtatutum *ſub cap.* 57. quo diſponitur, ut ſi beneficia in eadem Eccleſia obtinentis inter ſe ipſos jurgati fuerint, vel injurioſa verba contra Capitulares Eccleſiæ prædictæ protulerint, vel aliud quidpiam in contemptum ejuſdem Capituli egerint, liceat ſolis Decano, & Capitulo abſque eorum Prælato, ipſoque excluſo delinquentibus hujuſmodi ſuam domum pro carcere ſub gravibus pœnis etiam amiſſionis fructuum ſuæ præbendæ per duos menſes aſſignare, & culpabiles inventos pœna amiſſionis fructuum prædictorum per unum menſem, & aliis pœnis ad menſuram delicti punire. Capitulo autem negligente deveniat Prælatus unà cum Capitulo ad correctionem. In cujus ſtatuti quaſi poſſeſſione Capitulum jamdiu obtinuerat mandatum de manutenendo. Procedente autem Capitulo ſuper certis delictis in Eccleſia per nonnullos Capitulares commiſſis, datis judicibus per Capitulum, cùm ipſi Capitulares gravatos ſe prætenderent; à certis gravaminibus, ad Epiſcopum Abulen. appellarunt; cujus occaſione coram Nuntio Apoſtolico in Regnis Hiſpaniarum motum, & agitatum fuit judicium ſuper eo, An liceat Epiſcopo prædicto de hujuſmodi appellationum cauſis cognoſcere. Quæ controverſia ad S. Congregationem Concilii delata non parum difficilis viſa fuit: multa enim pro parte Epiſcopi adducebantur, quibus cognitionem cauſarum hujuſmodi per appellationem ad ipſum Epiſcopum pertinere poſſe contendebatur. In primis verò adducebatur textus in præſenti, ubi quamvis Capitulum in exceſſibus Capitularium judicet ex conſuetudine; tamen in caſu negligentiæ ad Epiſcopum tamquam ad ſuperiorem juriſdictio devolvitur: parificari enim videntur caſus ap-
23 pellationis, & negligentiæ, ut notat Abb. *in c. Cæterum num.* 12. *de judic.* & *in cap. licèt ex ſuſcepto num.* 9. *verſ. Hac dicta*, & *in cap. Poſtulaſtis num.* 10. *de for. compet.* quod confirmabatur ex ipſomet ſtatuto, cujus vigore in caſu negligentiæ ad Epiſcopum juriſdictio devolvitur. Ad id etiam adducebatur *text. in cap. à collatione de appellat. lib.* 6. ubi etiam in fortioribus terminis quando Epiſcopus tamquam Canonicus interfuit electioni, appellatio à Capitulo ad Epiſcopum devolvitur, & ibi notant Doctores. Rurſus adducebatur *cap. Romana*, §. 1. *eod. tit.* & *lib.* juncta gloſſ. *in ver. Prælatis*, quorum appellatione Capitulum continetur, *ut c. Cum ab Eccleſiarum Prælatis*, *ſupr. eod.* nec non gloſſ. *in c. Paſtoralis in ver. invitum*, ibi, *Niſi per appellationem deferantur ad eum ſuprà eod.* ubi etiam Abb. *n.* 6. Et facit ra-
24 tio, quia appellatio ſemper ad proximum ſuperiorem devolvitur, nec omiſſo medio eſt appellandum *c. dilecti*, *il tertio appellat. Romana*, §. 1. *eodem tit. lib.* 6.

25 Prædictis tamen non obſtantibus contraria ſententia in caſu propoſito verior videtur, nempè à ſententia Capituli in vim dicti ſtatuti prolata ad Epiſcopum appellari non poſſe, pro qua idem Nuntius judicavit. Hoc autem ſuadetur ex multis. Et primò, quia ad parem judicem non appellatur; *cap. anterior*, §. *Illo videlicet*, & *cap. placuit* 2. *q.* 6. *l. ſi quis*, *ff. de appellat.* gloſſ. *in c.* 2. *in ver. Officiali de conſuetud. lib.* 6. Bart. *in Rubrica*, *ff. eodem*. Capitulum verò in cauſis criminalibus, ad Capitulares ſpectantibus, tum de jure communi, tum virtute Concilii Tridentini, tum etiam, & multò magis ex vi ſtatuti prædicti 57. & demum ex uſu ipſo, & modo procedendi ipſius Capituli Abulen. parem juriſdictionem cum Epiſcopo habere convincitur.
26 Nam etſi controverſa admodum ſit quæſtio illa, an Epiſcopus debeat cum conſenſu, vel cum conſilio Capituli procedere; tamen recepta magis videtur opinio ut in criminalibus Capituli conſenſus requiratur, *per text. in c. Epiſcopus nullius* 15. *q.* 7. & *in c. ſi quid vero* 86. *diſt.* ubi hoc tenet gloſ. *ultim. in fin.* item gloſſ. *un. in c. Epiſcopus ſine conſilio* 24. *diſtin.* & gloſſ. 1. *in c. Cum nos de his quæ fiunt a Prælat.* Innoc. *in c. Grave. n.* 5. *in verb. item ſecus de præben.* Felinus *hic n.* 3. & alii plures cumulati ab Ant. Gabriel. *comm. concluſ. lib.* 7. *concluſ.* 36. *num.* 2. & 3. quam opinionem etiam amplectitur Rota, ut per Put. *dec.* 209. *lib.* 1. Cui non adverſatur quod replicat Epiſcopus, juriſdictionem quidem ſolius eſſe Epiſco-
pi, licèt cum conſilio, vel etiam conſenſu Capituli judicet, 27
ut per gloſſ. *hic in ver. per Capitulum*, ubi etiam Abb. *n.* 3. & Innocent. *in cap. Poſtulaſtis in fin. de conceſſ. præben.* & videtur ſentire Gemin. *in cap. à collatione n.* 3. & 4. & Franc. *ibid. num.* 4. *de appellat. lib.* 6. poſt Feder. de Sen. *conſil.* 1. nam tollitur objectum, quia conſenſus ille, quem præſtat Capitulum, non eſt ſine juriſdictione, ut ſupponunt informantes pro Epiſcopo, dum dicunt adhiberi tantummodò pro quadam actus ſolemnitate; ſed Capitulum habet votum in proferenda ſententia unà cum Epiſcopo, unde & ſimul cum eo judex nominatur, ut per gloſſ. *in d. cap. Epiſcopus nullius in fin.* quam ſequitur ibi Archid. & videtur conſentire Anchar. *hic in* 1. *notab.* Quæ opinio videtur canonizata à Trident. Concil. *in d. cap.* 6. *ſeſſ.* 25. ut patet ex dictis ſuprà *num.* 9. & 21. In caſu verò, de quo agitur, nullo modo de hoc dubitari poteſt propter verba clariſſima ipſius ſtatuti, quæ indicant juriſdictionem eſſe penitus communem in puniendis exceſſibus Capitularium inter Capitulum, & Epiſcopum, dum dicit Epiſcopum, & Capitulum conveniſſe corrigere, punire, & caſtigare beneficiatos Eccleſiæ. Et inferius etiam dum dicit, hujuſmodi delinquentes caſtigandos eſſe per Epiſcopum, & Capitulum junctim. Et ſic quidquid ſit de jure communi, ex forma certè ipſius ſtatuti neceſſe eſt fateri juriſdictionem non eſſe ſolius Epiſcopi, ſed amborum ſimul & Epiſcopi, & Capituli, præſertim verò quia ſtatutum ſupponit Capitulum ipſum non ſolùm habere id, quod jus commune ſibi tribuit, ſed aliquod amplius ex conſuetudine acquiſiviſſe, ut in princ. ſtatuti, quod non eſſet, ſi Capitulum haberet tantummodò jus dandi conſenſum, ut ita dicam, ſolemnizantem, ſicut ex parte Epiſcopi ſupponitur. Coadjuvantur prædicta ex concordia inita anno 1562. inter Epiſcopum, & Capitulum, in qua apparet ſimul conveniſſe partes ambas, ut juriſdictio in hujuſmodi cauſis æqualiter
ad ipſos pertineret. Et demum ex modo ipſo procedendi 28
clarè conſpicitur: nam in caſibus, qui acciderunt, Epiſcopus, & Capitulum tamquam judices ſimul proceſſerunt; non autem proceſſit Epiſcopus ſolus de conſenſu Capituli. Ex quibus omnibus colligitur in hujuſmodi cauſis Capitularium juriſdictionem eſſe communem inter Epiſcopum, & Capitulum, & ipſos eſſe judices hac in parte pares, & conſequenter à Capitulo ad Epiſcopum appellari non poſſe, ut conſtat ex dictis ſuprà *num.* 25. Quod autem non ſit conveniens ut hoc caſu à Capitulo ad Epiſcopum appelletur, conſtat *ex deciſione* Rotæ 27. *de præbend. in nov.* quæ propriè loquitur in terminis hujus §. *Exceſſus*, & ſupponit juriſdictionem Capituli eo caſu non ſolùm eſſe parem, ſed ſuperiorem. Et ex hoc tollitur reſponſio, quæ datur *ad d. deciſ.* 27. dum deciſio illa dicitur loqui reſpectu primæ inſtantiæ, non reſpectu ſecundæ: nam cùm juriſdictio in hac materia ſit communis Epiſcopo, & Capitulo Abulen. in prima inſtantia; clarum eſt non poſſe juriſdictionem hujuſmodi, à qua Epiſcopus fuit pro parte excluſus per Capitulum virtute dicti ſtatuti, reverti ad eumdemmet Epiſcopum; quia cùm eſſet ſocius, & ſic æqualis Capitulo in prima inſtantia (Societas enim quodammodo æqualitas eſt, *l. Verùm ff. pro ſoc.*) non poteſt appellatio ab æquali ad æqualem, ut dictum eſt, interponi, ad quod facit etiam aliud fundamentum, quod ſtatim ſubjicitur.

Secundò igitur loco pro parte Capituli adducitur Alber. 29
in l. comm. dividundo, §. *Cùm de uſufructu*, *ff. comm. dividunt.* ubi ſi alter ex ſociis in juriſdictione deleget cauſam; non ad ſocium delegantem, ſed ad ſuperiorem amborum ſociorum devolvitur juriſdictio: & ſic videtur illa deciſio in terminis noſtris. Hic enim, ut diximus, juriſdictio ab initio erat communis virtute concordiæ, & per ſtatutum de conſenſu Epiſcopi factum fuit conceſſa Capitulo tota juriſdictio reſpectu delictorum hujuſmodi in Eccleſia commiſſorum. Unde appellatio ad ſuperiorem amborum ſociorum devolvi debet: Nec intrat reſponſio, quæ dabatur, quod ibi juriſdictio erat partim ordinaria, partim delegata; ideò prævalebat ordinaria, hic verò ſola eſt juriſdictio ordinaria. Imò enim, ſi benè advertatur, in caſu præſenti eſt major ratio, quàm in caſu Albert. quia ibi facta fuerat delegatio per unum ex ſociis: unde à delegato ad delegantem appellari poſſe videbatur, *cap. ſuper* *quæ-*

quæſtionum, §. *fin. de off. Deleg.* & tamen ne apppelletur ad ſocium, & ſic ad parem, devolvitur appellatio ad ſuperiorem utriuſque; hìc verò ceſſat ratio delegationis, & firma remanet ea ratio, ne ad ſocium ipſum, & ſic parem in juriſdictione appelletur; cùm enim deberent eſſe ſocii in prima inſtantia, non poterat poſtmodum Epiſcopus eſſe ſuperior in ſecunda.

Tertio loco adducitur textus *in* §. *Cæterùm*, & ibi gloſſ. & Innocen. *infrà eod.* ibi enim ex eo non punit Epiſcopus ipſos Canonicos, & datur juriſdictio Archiepiſcopo, quia Capitulum erat reum: & propterea juriſdictio defertur ad Metropolitanum: ita ergo in caſu noſtro cum conſenſus Capituli adhiberi non poſſit, quia jam judicavit; meritò ad ſuperiorem appellatio devolvitur. Quod certè multò majorem habet rationem in hoc caſu; quia, ut dixi, juriſdictio, quæ in prima inſtantia erat communis, virtute ſtatuti ad ſolum Capitulum eſt delata.

30 Quarto loco non parum urgere videtur, quod cum hujuſmodi ſtatuta, ſeu conſuetudines in pleriſque Cathedralibus Eccleſiis Hiſpaniarum vigeant, nuſquam tamen apparet ad ipſos Epiſcopos appellationes fuiſſe devolutas à ſententiis ipſorum Capitulorum, ſed benè ad alios ſuperiores ut in nonnullis Eccleſiis compertum extitit: conſue-
31 tudo enim eſt optima legum interpres, *l. Si de interpretatione*, *ff. de leg. & cap. Cùm dilectus*, *de conſuetud.* adeò ut conſuetudini interpretativæ potius, quàm communiori opinioni ſit ſtandum, ut per Abb. *in d. cap. Cùm dilectus num.* 7. Bald. *conſ.* 275. *num.* 3. *lib.* 1. Mant. *de conjectur. ultimar. volunt. lib.* 11. *tit.* 18. *num.* 34.

Quinto ad id adducuntur verba ſtatuti prædicti, quæ habent ut de hujuſmodi delictis in Eccleſia commiſſis ſolùm Capitulum poſſit excluſo Epiſcopo cognoſcere: nam ibi appoſita eſt illa dictio, *ſolum*, per quam ita excluditur omnis cognitio, ut alius nullo modo poſſit cognoſcere: Ita poſt Angel. *in l. ſi vacantia*, *C. de bon. vac.* concludat Barbat. *in cap. Studuiſti num.* 36. *de offic. Legat.* Dum verò in d. ſtatuto ponitur verbum, *exlcuſo Epiſcopo*, ſatis oſtenditur ante ſtatutum pertinuiſſe juriſdictionem ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, prout in reliquis delictis Capitularium pertinebat; ſed poſteà virtute ſtatuti illum excludi: privatio enim præſupponit habitum, *cap. ad diſſolvendum de deſponſ. impuber. & leg. decem*, *ff. de verb. obligat.*

Unde & ſextò pro Capitulo facit, quod cùm ſtatutum circa hoc emanaverit ad excludendum Epiſcopum, & ad favorem Capituli, ut ſolùm hoc caſu cognoſcat, non debet in odium ipſius retorqueri, & contrarium effectum reſpectu Epiſcopi operari, *contra l. quod favore*, *C. de leg. cum vulg.* nec ad rem facit reſponſio Epiſcopi, quod ſtatutum loquatur de prima inſtantia, non de ſecunda; quia advertendum eſt Epiſcopum, nec quidem ante ſtatutum potuiſſe de hujuſmodi cauſis in ſecunda inſtantia cognoſcere propter duplex impedimentum: alterum erat, quia jam judicaverat in prima inſtantia cum Capitulo, alterum verò quod juriſdictio erat ſibi communis cum Capitulo. Unde non poterat ſolus in ea ſe intromittere. Hæ duæ cauſæ remanent etiam poſt ſtatutum. Prima quidem permanet, quia facto Epiſcopi conſentientis ſtatutis accidit ut non poſſit cognoſcere in prima inſtantia. Unde non debet eſſe melioris conditionis, quàm eſſet ante. Altera verò cauſa, & quidem evidentior adhuc manet; quia ſi non poterat propter communionem juriſdictionis cognoſcere ſolus in prima inſtantia, nec poterit in ſecunda, cùm adhuc eadem communis ratio vigeat, & ſic intrat deciſio Alber. *in d. §. Cùm de uſufructu de qua ſup. num.* 29. Quod ſecunda inſtantia agi debeat coram ſuperiore utriuſque judicis, & Innoc. 1. *in d.* §. *Cæterum*, quod Epiſcopus non poſſit in ſecunda inſtantia ſolus cognoſcere.

Hinc etiam & ultimum omiſſis cæteris reſultat pro Capitulo fundamentum; quia ex voluntate Epiſcopi fuit data facultas Capitulo, ut ſolum in hujuſmodi cauſis cognoſceret. Unde non videtur apud Epiſcopum transferentem remanſiſſe, *arg. l.* 1. *ff. de conſtit. princ. & §. Sed & quod Principi*, *inſt. de jur. nat. gent. & civ. & cap. Tranſlato de conſtitut. & cap. Ex tranſmiſſo de renunc.* Nec dicatur Epiſcopus non tranſtuliſſe, ſed id factum fuiſſe ex conſuetudine, quia reſpondetur potius ex vi concordiæ factum fuiſſe, ut tota juriſdictio in delictis Capitularium eſſet communis, ut verò ſolum Capitulum judicaret in commiſſis intra Eccleſiam vi ſtatuti factum videtur, ut ex lectura ſtatuti patet. Præterea cum tota juriſdictio reſpectu Capitularium ſit communis Epiſcopo, & Capitulo, ut fuit dictum, ſemper manet firma concluſio, quod nec in prima, nec in ſecunda inſtantia poteſt Epiſcopus ſolus contra voluntatem Capituli cognoſcere, cùm in re communi potior ſit conditio prohibentis, *l. Sabinus*, *ff. de communi divid. l. in re communi*, *ff. de ſerv. urb. prædior.*

Ex quibus facilis eſt reſponſio ad ſuperiùs objecta, & alia, quæ forſan pro parte Epiſcopi deduci poſſent, revera enim nec textus aliquis dicit dari appellationem à Capitulo ad Epiſcopum quando juriſdictio eſt communis, ut eſt hoc caſu, nec Doctores ex adverſo adducti id aſſerunt, imò potius contrarium ſupponunt.

Itaque ad textum in hoc §. & æquiparationem inter devolutionem ob negligentiam, & appellationem, reſpondetur non procedere æquiparationem ex diverſitate rationis, quia appellatio à pari ad parem, ut oſtendimus, non interponitur. Et communio quæ operatur devolutionem tantum abeſt, ut pariat appellandi facultatem, ut etiam contrarium operetur; quia ut dictum eſt, in re communi potior eſt conditio prohibentis, & inter ſocios ſervanda eſt paritas, ſeu æqualitas, quæ impedit ad æqualem appellationem interponi. Unde cùm inter iſta diverſa ſit ratio, diverſa quoque eſſe debet juris diſpoſitio, *l. Papinianus ff. de minor. cum ſimil.* ſtatutum verò quod admittit in caſu negligentiæ devolutionem ad Epiſcopum, potiùs poteſt in contrarium retorqueri; quia admittit cum illa qualitate ut cognoſcat ſimul cum Capitulo; quod cùm in cauſa appellationis verificari non poſſit, etiam in hoc oſtenditur diverſitas inter caſum, & caſum.

Minus obſtat *cap. à collatione*, *de appellat. lib.* 6. quia in illa materia, quæ eſt civilis, tota juriſdictio pertinet ad Epiſcopum abſque participatione Capituli, ut fatentur ibi Doctores omnes; hìc verò juriſdictio criminalis eſt communis Epiſcopo, & Capitulo, qui termini ſunt longè diverſi, ut eſt dictum, & eodem modo reſpondetur ad alia jura, prout etiam reſpondetur ad rationem illam de ſuperiore immediato; quia ex ſupradictis apparet in hujuſmodi juriſdictione Epiſcopum eſſe ſocium, & æqualem, non autem ſuperiorem.

Quibus omnibus accedit, quod hæc ſententia non parum convenit cum recta gubernandi ratione: nam ut plurimum juriſdictio hujuſmodi ſoli Capitulo conceſſa verſatur circa ea, quæ in choro, & in Capitulo fiunt; quæ vel ob ipſorum levitatem nullam appellationem admittunt, vel ita ſunt aperta, ut Capitulo ipſi, quod in actibus Capitularibus ſemper eſt præſens: in Eccleſia verò frequentiſſimè ſunt notoria, & ſine ambagibus judiciorum unico momento expediuntur. Unde ſi poſſent ſtatim impediri interpoſita appellatione ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium; profectò Eccleſiaſtica diſciplina plurimum minueretur.

An verò cauſæ atrociores poſſint per ſolum Capitulum cognoſci, quia partes ſuper eo non inſtabant, nec ſatis ſufficienter jura ſua deduxerant, placuit Nuncio ad aliud judicium reſervari. Illud verò videtur correctione, & declaratione dignum, ut Capitulum non poſſit in poſterum cenſuras in ipſos Epiſcopos, vel eorum proviſores occaſione juriſdictionis hujuſmodi, prout aliàs fecit, fulminare, ne ipſi ſibi in propria cauſa jus dicant, ſed ut ſuperiores Judices, vel Conſervatores adeant.

DE OFFICIO ORDINARII.

Cap: Irrefragabili, §. Exceſſus.

S U M M A R I U M.

1 *CAnonici ſi ſine juſta cauſa ceſſent à divinis, Epiſcopus ceſſationem non ſervabit, & Metropolitanus cognoſcet.*
2 *Prælatus in impoſitione pœnæ cavere debet à quæſtu pecuniæ.*
3 *Epiſcopus, vel alius judex Eccleſiaſticus an poſſit pœnam pecuniariam imponere, latiſſimè diſcutitur uſque ad num.* 33.
4 *Judex ordinarius poteſt contra contumaces procedere etiam per mulctas pecuniarias, ſi illæ magis timeantur.*
5 *Et quid in judice Delegato.*
6 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*
7 *Et quid ſi in litteris data ſit certa forma procedendi per cenſuram Eccleſiaſticam.*
8 *Statutum, vel conſuetudo ut pro quolibet dilicto imponatur pœna pecuniaria, non valet.*
9 *Delinquens nullam pertimeſcit culpam cùm ſperat eam nummis redimere.*
10 *Statutum, vel conſuetudo ut ultra pœnam juris imponatur pœna pecuniaria, tenet, niſi procedat ex radice cupiditatis.*
11 *Epiſcopus poteſt Canonem adjuvando novam pœnam adjungere.*
12 *Epiſcopus, vel Prælatus non poteſt pœnam pecuniariam exigere extra judicium.*
13 *Intellectus cap.* Licet de pœnis.
14 *Prælatus, qui pecuniam recipit, ut criminoſos non corrigat, juſtitiam vendit.*
15 *Prælati, qui in viſitatione ſubditos de crimine ſuſpectos concutiunt, ut ſe nummis redimant, increpantur.*
16 *Judex Eccleſiaſticus ubi certa pœna non eſt à jure ſtatuta poteſt judicialiter pecuniariam infligere, ſi videat illam magis timeri, & abſit avaritiæ ſtudium.*
17 *Pœna ubi non reperitur ſtatuta à jure, imponenda eſt arbitrio judicis.*
18 *Appellari poteſt à pœna arbitraria, non autem à pœna in jure expreſſa.*
19 *Judex Eccleſiaſticus, qui poteſt ſuper crimine diſpenſare ut Epiſcopus, poteſt per ſententiam ſuam pœnam à jure, vel conſuetudine ſtatutam in pecuniariam commutare, & n. ſeqq.*
Secus ſi diſpenſare non poſſit, ut inferior Prælatus vel judex delegatus, ibid.
Contrarium, num. 22.
20 *Pœna determinata à conſuetudine habetur pro ordinaria, perinde ac ſi eſſet determinata à jure.*
21 *Conſuetudinis tranſgreſſor puniendus eſt, ut tranſgreſſor legis.*
22 *Judex quilibet, qui poteſt de cauſa cognoſcere, poteſt pœnam à jure ſtatutam alterare, & commutare, dummodò id faciat cauſa cognita, & in ipſa ſententiæ prolatione.*
23 *Quod procedit tàm in judice ordinario, quàm delegato.*
24 *Judex delegatus qui cauſa cognita temperat pœnas à jure impoſitas, non excedit fines mandati, nec jura tranſgreditur.*
25 *Judex etiam delegatus poſt Concilium Tridentinum uti non debet cenſuris, niſi in ſubſidium.*
26 *Pœnam à lege, vel ſtatuto impoſitam ipſo jure non poteſt judex per ſententiam ſuam commutare, vel alterare.*
27 *Niſi poteſtatem habeat ſuper illa pœna diſpenſandi.*
28 *Canonicis, qui ultra tres menſes abfuerunt à ſervitio Eccleſiæ, poteſt Epiſcopus pœnam privationis fructuum ante ſententiam, vel in actu ſententiæ augere vel diminuere, & non in totum remittere.*
29 *Judex quibus ex cauſis temperare poſſit pœnas à jure inflictas.*
30 *Judex Eccleſiaſticus poſt ſententiam, non poteſt pœnam à jure ſtatutam in pecuniariam commutare.*
31 *Niſi poſſit ſuper illo crimine diſpenſare.*
32 *Mulcta propter inopiam rei poteſt à quolibet judice etiam poſt ſententiam temperari.*
33 *Metropolitanus in cauſa appellationis an poſſit reo ex gratia pœnam remittere, an verò id ſpectet ad Epiſcopum, à quo fuit appellatum.*
34 *Judicis appellationis juriſdictio expirat per ſententiam.*
35 *Gratiam facere reo eſt actus juriſdictionis.*
36 *Epiſcopus an poſſit reo gratiam facere poſt ſententiam.*
37 *Et quid in inferiori Prælato.*

CÆterùm. Si Canonici ſine manifeſta, & rationabili cauſa maximè in contemptum Epiſcopi ceſſant à divinis, Epiſcopus ceſſationem non ſervabit, & Metropolitanus vice Papæ cognoſcet. Hoc primò, Prælatus in impoſitione pœnæ cavere debet à quæſtu pecuniæ, & ab omni alio gravamine. Hoc dicit ſecundò uſque in finem. Et ſunt duæ partes principales. Secunda ibi, *provideant*. §. 1 2

Circa primam partem textus nota caſum, in quo Archiepiſcopus exercet juriſdictionem in Canonicos ſui ſuffraganei. Quod benè nota pro limitatione regulæ, quæ habetur *in cap. Paſtoralis*, ibi, *Cùm in eum, exceptis quibuſdam articulis, nullam habeat poteſtatem, ſuprà eodem*. Quomodo autem ſit hodie procedendum in ceſſatione à divinis, dic ut legitur, & notatur *in cap. ſi Canonici, & in c. quamvis infr. eodem lib. 6.*

Circa ſecundam partem QUÆRO, An Epiſcopus, vel alius judex Eccleſiaſticus poſſit pœnam pecuniariam imponere. 3

Gloſſa *in cap. licèt in ver. Pœnam*, ad quam quotidiè fit remiſſio, diſtinguit tria membra, nam aliquando jus ſtatuit pro aliquo crimine pœnam pecuniariam eſſe infligendam, & tunc quicumque judex cognoſcit de illo crimine, poteſt eam infligere. Aliquando jus non pœnam pecuniariam, ſed aliam ſpiritualem, vel corporalem ſtatuit; & tunc judex non debet, nec poteſt illam pœnam in aliam commutare, ſed ille tantùm qui ſuper illo crimine poteſt diſpenſare. Et in his duobus membris conſentit Innocent. *ibi num.* 1. *in ver. Pœnam*, & alii complures. Aliquando de pœna criminis nihil reperitur de jure cautum; & tunc judex poterit pecuniariam, vel aliam arbitrio ſuo infligere ſecundùm gloſſam, cum qua ſimpliciter tranſit ibidem Henric. Boich. *in princip.* ſed Abb. *num.* 4. impugnat ſecundum membrum diſtinctionis; tum quia nimis reſtringit illam litteram; tum quia quilibet judex cognoſcens de crimine, poteſt ex cauſa, dum pronunciat, pœnam temperare, Felin. *hic in princ. num.* 5. in hoc articulo ponit more ſuo concluſionem cum quatuor limitationibus. Sed non complectitur omnia.

Ego verò in hac materia plenius diſtinguo duo membra principalia: nam aut quæritur an judex Eccleſiaſticus poſſit imponere pœnam pecuniariam mulctando pro contumacia arcenda. Aut quæritur an poſſit eam imponere diffiniendo, ſeu puniendo. 4

Primo caſu tenendum eſt poſſe judicem Eccleſiaſticum adverſus contumaces etiam per mulctas pecuniarias procedere, ſi illæ magis timeantur, *arg. cap. de cauſis ſupr. de offic. deleg. & l.* 1. *ff. Si quis ſuſpicen. non obtemper.* & tenet Hoſtien. *in cap.* 1. *num.* 16. *verſ. ſed ordinarius*, quem ibi totidem verbis ſequitur Joan. Andr. *num.* 3. *in fine de homicid. lib.* 6. Abb. *in d. cap. licet nu.* 4. & Marian. Socin. *num.* 8. *infr. de pœn.* & ſatis innuit gloſſa præallegata: nam cùm ad frangendam contumaciam nulla certa pena ſit à jure ſtatuta, judex poteſt illam ſuo arbitrio infligere, juxta tertium membrum diſtinctionis gloſſæ, & latius patebit *infrà num.* 17.

Hodie hoc eſt extra omne dubium, quia ex Decreto Concilii Tridentini *in cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de reform.* expreſsè ſtatutum eſt, ut judicibus Eccleſiaſticis in cauſis civilibus ad fo-

ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, ſi expedire videbitur, liceat contra quoſcumque etiam laicos procedere per mulctas pecuniarias. Et ſimiliter in cauſis criminalibus, ubi fieri poſſit, ad executionem realem, vel perſonalem procedant, nec cenſuris utantur, niſi in ſubſidium; de quo vide quod ſcripſi latiſſimè *in d. c. licet*,
5 *& in cap. Pervenit infra de adult.* Limita ſupradictam concluſionem, ut procedat in Epiſcopo, & judice ordinario, non autem in delegato, quia non poteſt mulctam gravem inducere, niſi hoc in litteris ſit expreſſum; licèt poſſit parvam, & temperatam; *ut declarent in d. cap. 1. de homicid. in 6.* Hoſt. *n. 16. in ver. Ferire*, ut metus *& n. 17. verſ. Sed & quod ſupradixi*, & Jo-Andr. *n. 3. verſ. dicit Hoſt.* & Franc. *in 2. not.* Facit quod dicam *inf. n. 19. verſ. Nec diſſentit*.

Sed contra hanc limitationem valdè urget quod ubi certa pœna non eſt à jure ſtatuta, non tantùm judex ordinarius, ſed etiam delegatus poteſt illam infligere arbitrio ſuo, ut eſt caſus *in d. c. De cauſis, §. fin. de offic. deleg.* Sed pro contumacia nulla certa pœna reperitur à jure ſtatuta, *l. antepenult. ff. de verbor. ſignif.* Abb. *in d. c. licèt num. 4. de pœnis*. Ergo delegatus poterit eam ſuo arbitrio infligere, & ſic etiam pecuniariam. Et hoc ſentiunt Abb. & Mar. Soccin. *loc. citat.* dum firmant quemlibet judicem poſſe mulctam pecuniariam imponere, *& allegant textum in d. c. de cauſis*, qui loquitur de delegato, & eſt ex mente gloſſæ *in d. cap. licèt*, in tertio membro ſuæ diſtinctionis, *ut dictum eſt ſu-*
6 *pra nu. 4.* Et hoc videtur verius, & conſtanter tenendum eſt poſt Concilium Tridentinum, *in d. cap. 3. ſeſſ. 25.* Tum quia Decretum illud utitur verbis univerſalibus, & geminatis ibi, *omnibus judicibus cujuſcumque dignitatis*. Et ibi, *Quomodolibet*. Et ita includit judices tàm ordinarios, quàm delegatos & cauſas ad forum Eccleſiaſticum pertinentes tàm jure proprio, quàm ex commiſſione, ſeu delegatione alterius. Tum quia cùm præcipiat judicibus, ut abſtineant à cenſuris etiam contra contumaces, niſi in ſubſidium; utique deficiente hoc remedio gladii ſpiritualis, neceſſe eſt, ut judicibus delegatis competant alia remedia temporalia mulctarum, captionis pignorum, & hujuſmodi ad fragendam reorum contumaciam, ne alioquin illorum juriſdictio reddatur inanis, & eluſoria *ad textum in cap. 1. de offic. deleg. & in cap. 1. de pœn. lib. 6.* Fortè
7 poſſe procedere doctrina Hoſtien. quando in literis commiſſionis data eſt certa forma procedendi per cenſuram Eccleſiaſticam tantùm; tunc enim delegatus videtur poſſe tantum procedere ad excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, quæ tria veniunt cenſuræ appellatione, *ut in cap. Quærenti infra de verbor. ſignificat.* nec debet ultra ſe extendere. Et in his terminis loquitur Hoſtien. & alii præallegati: ſecus ſi talis forma in litteris non ſit præſcripta, quia tunc procedere poterit etiam per mulctas pecuniarias ex ſupradictis. In litteris commiſſionum ex ſtylo Curiæ apponitur clauſula, Contradictores, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia compeſcendo.

8 In ſecundo membro principali quando ſcilicet judex Eccleſiaſticus vult pœnam pecuniariam infligere diffiniendo. & puniendo, ſubdiſtingue: nam aut extat ſtatutum, vel conſuetudo, ut pro quolibet delicto imponatur pœna pecuniaria; & non valet, quia inde inſurgit diſſolutio, &
9 incentivum ad delinquendum. Nullam enim delinquens pertimeſcit culpam, cùm ſperat eam nummis redimere, *ut dicit textus in c. Pauper 11. qu. 3.* & hoc tenent Hoſtien. & Jo. Andr. *in c. fin. de Conſtitut. & in cap. 2. de delict. pueror.* Abb. *in c. licèt n. 5.* Marian. Soccin. *n. 13. inf. de pœn.* & Felin.
10 *hic num. 6. verſ. limita hanc concluſionem*. Aut extat ſtatutum, vel conſuetudo, ut ultra pœnam juris imponatur pœ-
11 na pecuniaria, & valet, dummodò non procedat ex radice cupiditatis; poteſt enim Epiſcopus Canonem adjuvando novam pœnam adjungere, *ut in c. 2. de Conſtitut. lib. 6.* & notat gl. in Clem. *Ne Romani in ver. Tolli de elect.* Joan. Andr. *in c. fin. de off. Archid.* Abb. *in d. cap. licèt num. 5.* & Marian. Soccin. *nu. 14.* & Felin. *loco citato*, Aut ſuper hoc
12 nullum extat ſtatutum, vel conſuetudo; & tunc iterùm ſubdiſtingue duos alios caſus.

Primus eſt, cùm Epiſcopus, vel Prælatus vult pro delicto pœnam pecuniariam exigere extra judicium, & non poteſt, quia certi modi ſunt à jure præſcripti, quibus contra
13 delinquentes procedendum eſt. Et in his terminis poteſt intelligi *textus in d. c. licèt de pœnis*, nam Archidiaconi illi fortè extrajudicialiter abſque alia cauſæ cognitione pro quolibet delicto pœnam pecuniariam exigebant, nec aliter procedebant contra criminoſos, ſed eos in delictis ſuſtinebant recepta pecunia ſecundum Cardin. ibi, *num. 2. in 3. oppoſit. & num. 3. verſ. Et cùm quæritur*, Abb. *nu. 5. verſ. aut non ſubeſt ſtatutum*, Marian. Soccin. *n. 14. eodem verſ.* 14
Imola *in cap. Dilectus in ult. col. infra eod.* & Felin. *hic num. 6. verſ. limita ſecundo*, & ſatis clarè ſenſit Innoc. in prædicta Decretali *licet in princ.* nam explicans illud verbum, *corrigendis*, hic, inquit, vult dicere quod cùm crimina eſſent punienda, & exceſſus corrigendi perpetua ſuſpenſione, vel temporali; ipſi accipiebant pecuniam, ut non corrigerent, & quandoque, ut in peccato remanerent. Quod eſt juſtitiam vendere, *ut in d. cap. licèt de pœnis*, notat Hoſtien. *in princ. in ver. pro corrigendis* Joan. Andr. *num. 1. in eod. ver.* & Marian. Soccin. *nu. 7. in 7. notab.* & inter graviora crimina computatur, *cap. fin. §. fin. de purgat. canon.* Undè hos meritò appellat judices ſimoniacos Bald. *hic num. 3. in fine*. Quod facit con- 15
tra illos Epiſcopos, qui diœceſim viſitationis titulo peragrantes diligenter inveſtigant an in loco reperiantur aliquis de ullo crimine ſuſpecti, vel diffamati; eiſque accerſitis conteſtantur ſe velle contra eos criminaliter procedere, ſuadentque, ut ſe componant in certa pecuniarum ſumma, quam ſi recuſent ſolvere, minantur ſe proceſſuros ad formalem inquiſitionem, carcerationem, & condemnationem, & his concuſſionibus brevi manu ingentes pecuniarum ſummas extorquent. Quod eſt deteſtabile; & non ſemel vidi proceſſus contra Epiſcopos ſuper hujuſmodi extorſionibus, & concuſſionibus fabricatos.

Secundus caſus eſt, quando judex Eccleſiaſticus vult 16
procedere judicialiter, & cauſa cognita, & tunc ſiquidem certa pœna non ſit à jure ſtatuta; indubitanter poteſt pœnam pecuniariam irrogare, ſi cognoſcat illam magis timeri, & abſit cupiditatis, & avaritiæ ſtudium, ut poſt Hugonem tenet gloſſ. *in d. cap. licèt in ver. Pœnam de pœnis*, & ibi etiam Butr. *num. 5. verſ. Tertius* 17
eſt caſus, Card. *n. 3. verſ. Aliquando judicialiter*, Abb. *n. 5. verſ. aut vult judex procedere judicialiter*, & Marian. Socc. *n. 14. in eod. verſ.* Et hanc regulam firmant hìc Hoſt, Jo. And. Abb. & alii, ut per Felin. *n. 5.* Et eſt ratio, quia cùm certa pœna non eſt impoſita à jure, venit imponenda judicis arbitrio, ut ſunt jura aperta *in d. c. de cauſis ſup. de off. deleg. & in l. 1. §. Expilatores, ff. de effract. & expilat, & in l. Hodie, ff. de pœnis*, gl. *in c. ſuper his in verſ. Arbitrium inf. de accuſat.* quæ etiam addit à tali pœna arbitraria poſſe appel- 18
lari, licèt ſecus ſit à pœna expreſſa in jure, *ut l. antepenult. ff. de verb. ſignif.*

Sin autem certa pœna pro crimine ſit ſtatuta, & determinata à jure, tunc aut quæritur an judex poſſit illam in pecuniariam commutare per ſententiam ſuam, aut poſt latam ſententiam.

Primo caſu gloſſa præalleg. *in d. cap. licèt in ver. Pœnam* 19
de pœnis, diſtinguit an judex habeat poteſtatem diſpenſandi ſuper illo crimine, ſicuti habet Epiſcopus juxta textum in *c. at ſi Clerici, §. de adulteriis infra de Judic.* & tunc poſſit pœnam juris in pecuniariam commutare. An verò non habeat poteſtatem diſpenſandi, & hoc caſu commutare non poſſit. Et in his terminis poteſt intelligi quod legitur *Deutoronomii cap. 19. Homicida morietur, nec miſereberis ejus*. Et hanc diſtinctionem ſequuntur ibi Innocent. *in ver. Pœnam*, Hoſtien. *n. 1. in eod. ver.* Butr. *num. 6.* Cardin. *n. 2. in 3. oppoſit. & in 4. verſ. ad hoc oppono*, & Anchar. *num. 2.* Gemin. *in cap. Quoniam ad finem 18. diſtin.* & Felin. *hic num. 7. verſ. limita tertiò*, ubi concludit inferiores Prælatos non poſſe pœnam à jure ſtatutam in pecuniariam commutare, quia ſoli Epiſcopi diſpenſant in pœnis. Nec diſſentit Henric. Boich. *in cap. in Archiepiſcopatu, in princip. infra de raptor.* dum firmat judicem delegatum abſolutè non poſſe pœna à jure ſtatutam mutare, diminuere, vel augere, cùm debeat ipſe procedere ſecundùm juris ordinem, nec valeat diſpenſare, aut fines mandati excedere, *cap. Cùm dilecta ſupra de reſcript. cap. Venerabili, de offic. deleg.* Et in hoc conſentit Marian. Soccin. *in d. c. licèt nu. 11. de pœnis*. Ordinarium verò ita demum poſſe pœnam à jure ſtatutam commutare, ſi poſſit ſuper illo crimine diſpenſare; & dummodò

modo id faciat cauſa cognita, in ipſa ſententiæ prolatione.

20 Idemque putat DD. ſi pœna ſit determinata à conſuetudine; quia habetur pro ordinaria, perindè ac ſi eſſet ſtatuta à jure; nec eam immutare poteſt niſi qui ſuper crimine poteſt diſpenſare, *ut in d. cap. licèt de pœn.* tenet Butr. *n.6. verſ. tertius eſt caſus*, & Card. *n.2. in ultima oppoſitione, per text. in l. Saccularii, §. ſunt quædam, ff. de extraord. crimin. & notatur in l. quid ergo, §. Pœna gravior, ff. de*
21 *his qui notant infam.* Tranſgreſſor enim conſuetudinis ut tranſgreſſor legis puniendus eſt, *c. in his* 11. *diſt.* gl. 1. *in c. Cùm omnes ſup. de conſtit.*

22 Verùm ſupradictam gloſſæ diſtinctionem impugnat Abbas *in eod. cap. licèt num.4. & 5. in fine, verſ. ſi vero eſt certa pœna*: concludens indiſtinctè quemlibet judicem, qui poteſt de cauſa cognoſcere poſſe pœnam à jure ſtatutam alterare, & commutare, dummodò id faciat cum cauſæ cognitione. Et hæc ſecunda opinio verior videtur, & probatur *in cap. in Archiepiſcopatu de raptor. & in d. l. Quid ergo, §. Pœna gravior, ff. de his qui notant infam. & in l. hodie, §. de pœn.* & eam tenent Bart. Bald. & Angel. *in repet. l. & ſi ſeverior, C. de infam.* & Marian. Soccin. qui eam communem eſſe teſtatur *in d. c. licèt num.* 21. Licèt revera uſque ad tempora Abbatis communis eſſet in contrarium, ut ex prædictis patet.

23 Nec placet diſtinctio, quam faciunt Henric. Boich. & Marian. Soccin. *locis ſupracitatis nu.* 19. inter judicem delegatum, & ordinarium. Imò enim quicumque judex, qui de illo crimine poteſt cognoſcere, poteſt cauſa cogni-
24 ta pœnam alterare ſecundùm Abbatem. Neque hoc caſu judex etiam delegatus excedit fines mandati, aut tranſgreditur jura, quin potius illa exequitur, ut ſcripſi plenè *in c. 1. à*
25 *nu.* 55. *ſupr. de conſtit.* Quod maximè procedit poſt Concilium Tridentinum *in c. 3. ſeſſ. 25.* nam ex ſacrorum Canonum præſcripto ante omnia uti debebant cenſura Eccleſiaſtica judices tam Ordinarii, *ut in cap. dilecto de ſentent. excommun. in 6.* quam delegati, *ut in c. 1. de offic. Deleg.* cum ſuis concordant. At poſt Concilium uti non poſſunt cenſura, niſi in ſubſidium, ut ſcripſi plenius *in d. c. licèt de Pœnis, & in cap. 2. de adulter.* Ergo neceſſariò concluditur, ut judices etiam delegati non ſolùm poſſint, ſed etiam debeant pœnam ſpiritualem à jure ſtatutam in aliam
26 commutare. Limita nunc ſupradictam concluſionem ſecundùm Marian. Soccin. *in d. cap. licèt n.21. de pœnis*, ut non procedat ſi pœna à jure, vel ſtatuto ſit impoſita ipſo jure; quia tunc judex non poteſt illam alterare, vel commutare, etiamſi erraſſet, *ut l.1. §. fin. ff. de quæſtion. & l. divi Fratres, & l. Relegati, ff. de pœnis*, per quæ jura ſic firmat Bald. *in l. Quid ergo, §. Pœna gravior, ff. eod.* Et ratio eſt evidens, quia ubi pœna eſt ipſo jure impoſita, judex non procedit ad aliam pœnam condemnatoriam, ſed tantummodò ad declaratoriam pœnæ inflictæ à jure, ut notat Archid. *in c. Salonitanæ 63. diſt.* Jo. Andr. *in c. 1. infra de Sagittar. & in c. 1. de eo, qui furt. ordin. ſuſcept.* Verumtamen
27 ſi judex haberet poteſtatem diſpenſandi ſuper illa pœna, ſeu delicto, tunc poſſet illam alterare, & commutare, ſicut poſſet poſt ſententiam, ut mox dicetur. Et in hoc caſu poteſt ſalvari opinio gloſſæ, Innocentii, & Hoſtienſis ſecundùm Marian. Soccin. *ubi ſupra*.

Concluditur ergo, cuicumque judici licere in ipſa ſententiæ prolatione alterare, vel commutare pœnam à jure ſtatutam. Dummodò id faciat cauſa cognita, & pœna non
28 ſit impoſita ipſo jure. Et hanc ſententiam videtur olim probaſſe S. Congreg. Concilii: nam cum Canonici, qui ultra tres menſes abfuerunt à ſervitio Eccleſię, fructibus privandi ſint ex decreto *c. 12. ſeſſ. 24.* Epiſcopus Vercellen. ſupplicavit declarari, an hujuſmodi pœnam poſſet ipſis Canonicis remittere: Sacra Congregatio cenſuit poſſe Epiſcopum ante ſententiam, vel in actu ſententiæ ex cauſa juſta augere, vel diminuere, & non in totum remittere ad tradi-
29 ta per Abb. *in c. niſi ſpecialis de offic. leg. in 6.* Soccin. *in c. licèt de pœnis nu.* 21. In cauſæ autem cognitione judex qui vult pœnam temperare, vel commutare, principaliter conſiderare debet cauſam, perſonam, tempus, locum, qualitatem, quantitatem, & eventum, ut dicit textus notab. *in l. Aut facta, ff. de pœn.* quę ſingula luculenter explicat idem Marian. *in præællec. cap. licèt à n. 22.* & ante eum Henric. Boich. *in c. in Archiepiſcopatu col. 2.* & in hac cauſæ conſideratione de raptor.

Secundo caſu, id eſt, poſt latam ſententiam condemnatoriam dic breviter, judicem regulariter non poſſe pœnam 30
irrogatam alterare, vel commutare: textus eſt in *cap. Si quem pœnituerint, §. Notandum 2. qu. 3. & in l. 1. §. Calumniatoribus, ff. ad Turpil.* & tenet Henr. Boich. *in d. c. in Archiepiſcopatu poſt princip. verſ. Aut eam facit cauſa cognita*, & poſt ſententiam, & Abb. *in d. cap. licèt nu. 6.* & eſt ex mente Cardin. *ibid. nu. 2. in 4. oppoſit.* dum firmat judicem Eccleſiaſticum poſtquam pronuntiavit poſſe quidem incontinenti pœnam à jure impoſitam in pecuniariam commutare ſecus ſi ex intervallo, *ut in d. §. Calumniatoribus.* Ratio differentiæ eſt, quando incontinenti facit legis permiſſione, quę vult ſecundùm qualitatem judicem poſſe pœnas arbitrari, ac temperare, *ut in d. §. Calumniatoribus, & l. Hodie, ff. de pœnis.* Sed quando ex intervallo, tunc obſtat ratio, quia ſuccedit pœna legis, cui judex non poteſt contravenire, *c. Cùm devotiſſimam* 12. *q. 2. c. Forus de ver. ſignif.*

Fallit prædicta concluſio ſi judex poteſtatem habeat ſuper 31
crimine diſpenſandi, *ut in d. c. at ſi Clerici, §. de adulter. de judic.* quia tunc etiam poſt ſententiam, & ex intervallo poteſt pœnam minuere, vel commutare ſecundùm Card. *in d. c. licèt n. 3. ad fin.* & Abb. *d. n. 6. de pœnis.*

Item fallit in mulcta impoſita, quæ propter inopiam rei 32
poteſt à quolibet judice, etiam poſt ſententiam temperari, *ut eſt textus notabilis in l. illicitas, ff. de off. Præſid.* & tenet Abb. *ubi ſup.*

Ulteriùs QUÆRO, An Metropolitanus, ad quem cau- 33
ſa per appellationem eſt devoluta, poſſit reo gratiam facere, ſeu pœnam pecuniariam, vel aliam, in qua fuit condemnatus, illi ex gratia minuere, vel remittere; an verò hæc facultas ſpectet ad Epiſcopum, à cujus ſententia extitit appellatum.

Cùm in caſibus à jure permiſſis ab Epiſcopo ad Metropolitanum appellatur in cauſis criminalibus, Metropolitanus vel ſententiam confirmat, vel infirmat, aut pœnam minuit, vel auget. Sed quia poſt ſententiam confirmatam, vel reformatam aliquando Metropolitani prætendunt ad ſe etiam ſpectare, ſi velint reo gratiam facere: Quæſivit Epiſcopus Tropien. an hujuſmodi facultas ad Metropolitanum; an verò ad Epiſcopum pertineret.

Videtur reſpondendum non ſpectare ad Metropolita- 34
num, quia illius partes ſolùm ſunt in pronuntiando benè, vel malè appellatum, *l. eos, C. de appellat.* & Joan. Andr. *in c. Diſpendio, de reſc. in 6.* At per ſententiam expirat juriſdictio judicis ad quem, & executio ad primum judicem rejicitur, gloſ. *in cap. Paſtoralis, §. Præterea in verb. diſcuſſa ſupra de offic. deleg.* Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. tit. de execut. ſentent. verſ. Sed pone.* Unde 35
loquitur ut Metropolitanus, qui poſt ſententiam functus eſt officio ſuo, & amplius juriſdictionem non habet, minimè poſſit reo gratiam facere, cum hic ſit actus juriſdictionis, *l. 1. in fine, ff. de quæſt. l. Relegati in fine*, ubi notat Bart. *ff. de pœnis.*

Præterea hic caſus faciendi gratiam reo non recenſetur inter eos, in quibus Archiepiſcopus habet juriſdictionem in Suffraganeos, ut patet ex his, quæ notantur in *cap. Pa-* 36
ſtoralis ſupra eod. Propoſito hoc dubio S. Congr. Concilii exiſtimavit Metropolitanum, ad quem cauſa appellationis eſt devoluta, nequaquam poſſe reo gratiam facere. Sed quia non levis eſt difficultas, num id liceat judici, qui in prima inſtantia ſententiam tulit. Et ſi decideretur Metropolitanum id non poſſe, videretur inde quodammodo inferri hanc facultatem eſſe reſervatam judici à quo; ideò conſultius putavit à deciſione ſuperſedere, donec diffinitum fuerit an revera judici primæ inſtantiæ ejuſmodi facultas competat.

Porrò cùm in adulterio, & minoribus criminibus Epiſcopus poſſit diſpenſare, *ut in cap. At ſi Clerici, §. de adulter. infra de judic.* non videtur ambigendum quin poſſit pœnam minuere, vel remittere etiam poſt ſententiam, ut *patet ex dictis ſupra num.* 31. dum tamen ſervet ea, quæ habentur in decreto Concilii Tridentini *cap. 18. ſeſſ. 25.* Aliis verò judicibus, & inferioribus Prælatis certum eſt hoc non licere, cùm diſpenſandi facultatem non habeant, *ut eſt textus in d. cap. licèt, de pœnis.* Et ſimiliter patet *ex dictis ſupra num.* 19. Et hanc diſtinctionem in puncto ſequitur Abbas *in cap. Niſi ſpecialis n. 6. verſ. poſt ſententiam vero, ſup. de off. Legati.*

DE

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Innocentius III. in eodem Concilio Generali.

CAPUT XV.

INter cætera, quæ ad ſalutem ſpectant populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei permaximè ſibi noſcitur eſſe neceſſarium: quia ſicut corpus materiali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur; eò quòd non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Undè cùm ſæpè contingat, quòd Epiſcopi propter occupationes multiplices, vel invalitudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis reprobandum eſt omninò, nec de cætero tolerandum) per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceſes, & effuſas; generali conſtitutione ſancimus, ut Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant: potentes in opere & ſermone qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum (cùm per ſe iidem nequiverint) ſolicitè viſitantes, eas verbo ædificent & exemplo, quibus ipſi cùm indiguerint, congruè neceſſaria ſubminiſtrent: ne pro neceſſariorum defectu, compellantur deſiſtere ab incœpto. Unde præcipimus tàm in Cathedralibus, quàm in aliis conventualibus Eccleſiis, viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadjutores & cooperatores habere non ſolùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc adimplere neglexerit diſtrictæ ſubjaceat ultioni.

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopi in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis inſtituere debent viros idoneos pro prædicationibus, viſitationibus, & confeſſionibus audiendis.*

2 *Prædicatio verbi Dei eſt pabulum ſpirituale non minus neceſſarium animæ, quàm ſit cibus materialis corpori.*

3 *Anima occiditur per ſubtractionem panis ſpiritualis ſicut corpus per ſubtractionem materialis.*

4 *Prædicatores dicuntur ſpiritualiter mortuos ſuſcitare.*

5 *Occupatio, morbus, & hoſtium incurſus æquiparantur.*

6 *Prædicatio Evangelii eſt præcipuum Epiſcoporum munus.*

7 *Incumbit tamen omnibus curam animarum habentibus, & Parochialium Eccleſiarum rectoribus.*

8 *Prædicandi licentiam generalem concedit ſolus Epiſcopus in ſua diœceſi.*

9 *Prædicare prohibentur de jure communi tàm Clerici ſæculares, quàm regulares ſine Ordinarii licentia.*

10 *Epiſcopi, ſi legitimè impediti non fuerint, tenentur prædicare per ſeipſos.*

11 *Nec excuſantur in vim contrariæ conſuetudinis, vel prætextu quòd aptitudinem non habeant ad concionandum.*

12 *Epiſcopus de jure communi fundat intentionem ſuper deputatione Prædicatorum in tota ſua diœceſi, & n.19. & ſeqq.*

13 *Poſſeſſio ſola non ſuffragatur inferiori contra Epiſcopum in interdicto*, uti poſſidetis, *& n. 29.*

14 *Prædicatori miniſtrari debent expenſæ ab Epiſcopo de jure communi, & n. 19.*

15 *Legati Cæſaris cùm mittuntur in provinciam, vivere debent expenſis Imperatoris, vel fiſci.*

16 *Legati Papæ recipiunt procurationem ab iis, ad quos declinant.*

17 *Romanam Eccleſiam excuſat neceſſitas, cùm non poſſit de ſuo omnibus providere.*

18 *Prædicatoris electio tàm in Cathedrali, quàm in aliis inferioribus Eccleſiis, & onus ei ſolvendi eleemoſynam, ad quem ſpectet, & n.ſeqq. uſq. ad n.33.*

19 *Prædicatorem eligere, & eleemoſynam eidem ſolvere in Cathedrali Eccleſia, circumſcripta conſuetudine, ad ſolum Epiſcopum pertinet.*

20 *Conſuetudo eligendi Prædicatorem in Cathedrali, eique præſtandi eleemoſynam an, & quando ſit obſervanda, & n.ſeq. uſq. ad n. 25.*

21 *Et quid ſit immemorabilis, & n.ſeqq.*

24 *Epiſcopus in Cathedrali, an, & quomodo poſſit ſibi vendicare electionem prædicatoris populo competentem ex immemorabili conſuetudine.*

25 *Prædicatoris electio, & præſtatio eleemoſynæ in inferioribus Eccleſiis cui incumbat, & n. ſeqq. uſq. in finem.*

26 *Conſuetudo eligendi Prædicatorem, eique expenſas miniſtrandi in Eccleſiis inferioribus an, & quando ſervanda ſit, & n. ſeqq.*

Et quid ſi ſit immemorabilis, & n.28.

27 *Epiſcopus quando & quomodo poſſit vendicare ſibi electionem alteri ex conſuetudine competentem in alia Eccleſia, quàm Cathedrali, & n.31.*

29 *Prædicatoris electio, & præſtatio eleemoſynæ ſpectat ad Epiſcopum, donec populus probaverit immemorabilem.*

30 *Quandoque tamen ex cauſa jubetur ſervare ſolitum per modum proviſionis.*

32 *Conſuetudo, qua Epiſcopus Prædicatores deputat in Eccleſiis Regularium, ſervanda eſt; ſed Prædicatores ejuſdem ordinis cæteris paribus ſunt præferendi.*

33 *Parochi an teneantur in ſuis Eccleſiis formaliter prædicare.*

I*Nter cætera.* In Cathedralibus, & Collegiatis Eccle- 1
ſiis inſtituendi ſunt viri idonei, quibus cùm expedierit,
Epiſcopi committere poſſint prædicationes, viſitationes, &
confeſſionum auditiones. Hoc dicit: Dividitur in tres
partes. In prima ponitur exordium. In ſecunda, Conſtitutio, ibi, *unde*. In tertia, pœna ibi, *Si quis autem*.

Nota primò, Prædicationem verbi Dei eſse pabulum 2
ſpirituale, & non minus neceſsarium animę, quàm ſit cibus
materialis corpori. Cùm enim homo conſtet corpore, &
anima, *c. in quadam verſ. Nam eſſe hominis inf. de celebr. Miſsarum.* Sicut corpus materiali, ita anima cibo ſpirituali nutritur, ut hìc in littera. *Non* enim *in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, Matth.3. in princ. Lucæ 4. & Deuteron.8. c.4.* Et ſermo Domini dicitur
Panis cœleſtis, *ut in c. Jejunium, il ſecondo in fine 76. diſtin.*
quo ſubtracto Chriſtiani dicuntur pati famem, & ſitim, ut
ibi patet ad finem, *& in c. audacter* 8.q.1. ibi: *Sub quo famem*
ac ſitim populus patiatur, non famem panis, neque ſitim aquæ, 3
ſed famem audiendi verbum Domini. Unde quemadmodum
per ſubtractionem panis corporalis occiditur corpus, *cap. Immolans* 14.*qu.* 5. *cap. Paſce* 86. *diſtinct. leg. Necare, ff. de*
liber. agnoſcen. ita per ſubtractionem panis ſpiritualis occi- 4
ditur anima, *c. Epheſiis* 43. *diſt.* gloſsa *unica in d.c. Paſce*,
ubi plura ſimilia cumulat. In eo autem cibum corporalem pręcellit cibus ſpiritualis prędicationis Evangelicæ,

quòd ille corpus extinctum non vivificat. At Prædicatores dicuntur ſpiritualiter mortuos ſuſcitare, *ut in c. Olim* 8. *qu.* 1.

5 Secundò nota ibi, *occupationes*. Hæc tria æquiparari, ſcilicet occupatorum, morborum, & hoſtium incurſum, ut hic per Bald. *ſub. n.* 1.

6 Tertiò nota, ſecundùm Ant. de Butr. *n.* 8. *in* 7. *not.* & Imol. *n.* 3. officium prædicandi de jure communi ad Diœceſanum pertinere, & alium à Diœceſano de jure communi non exercere officium prædicandi, niſi ab Epiſcopo hoc ipſi in diœceſi committatur. Sed hoc ultimum non videtur verum: quia etſi prædicatio Evangelii ſit præcipuum Epiſcoporum munus, *c. Epiſcopus nullum* 88. *diſt.* Concil. Carthag. IV. *cap.* 20. Conc. Trident. *c.* 2. *ſeſſ.* 5. *& c.* 4. *ſeſſ.* 24. tamen generaliter incumbit omnibus curam animarum habentibus non tantùm jure communi Eccleſiaſtico,

7 ut de Parochis eſt expreſſum *in c. quod Dei timorem de ſtatu Monach.* & in Clem. *dudum*, §. *Hujuſmodi de ſepult.* & in Conc. Trid. *d. c.* 2. *ver. Archipresbyteri quoque*, *& d. c.* 4. *verſ. in aliis autem Eccleſiis*, & firmat gl. in Clem. 1. *in ver. Officia de reg.* Card. in d. Clem. *Dudum*, §. *Ab olim n.* 7. *in* 6. *qu.* Abb. *hic nu.* 1. *verſ. dic etiam*, quòd quilibet *Rector*, & Felin. in cap. *Excommunicamus in primo*, §. *Quia verò n.* 4. *infra de hæret.* Sed etiam præcepto divino, quo mandatum eſt omnibus curam animarum habentibus oves ſuas paſcere verbi Dei prædicatione, *Jo.* 21. *Actor.* 20. *c. Epheſiis* 43. *diſtinct.* & habetur in decreto Concilii Tri-

8 dent ini *c.* 1. *in princ. ſeſſ.* 23. Salvari tamen poteſt dictum Antonii de Butr. & Joan. de Imola in tribus caſibus. Primus eſt in generali licentia prædicandi, quam in ſua diœceſi impertiri poteſt ſolus Epiſcopus. Et ita procedit text. hic ſecundùm Cardin. *loco citato verſ. Sed generaliter licentiam*, & Felin. *in dict.* §. *Quia verò num.* 1. *in eod. verſ.*

9 Secundus eſt reſpectu Clericorum, quibus cura animarum non incumbit: non enim poſſunt prædicare ſine Ordinarii licentia, ſive ſint regulares, ſive ſæculares de jure communi, *ut eſt text. in cap. Quam ſit de judic.* ibi: *Quicumque Religioſi, ſeu Clerici idonei ad annuntiandum Gentibus Evangelicam veritatem requiſita, & habita Prælatorum ſuorum licentia.* Ad idem ſunt jura *in c. Cum ex injuncto, in c. ſic ut, & in d. c. Excommunicamus*, §. *Quia vero de hæret.* De quo tamen vide plenius per Cardin. *in prææalleg. quæſt.* 6. ubi latiſſimè examinat quibus liceat prædicare. Fratres tamen Mendicantes ſunt in hoc ſpecialiter privilegiati in d. Clem. *Dudum in princ. de ſepultur.* Sed hodie quoad regulares ſervari debet diſpoſitio Concil. Tridentini *in d. cap.* 2. *ſeſſ.* 3. *& d. c.* 4. *ſeſſ.* 24. & Conſtitutio Gregorii XV. *de exemptor. privileg.* ut ſcripſi pleniùs *in c. Cum Capella inf. de privileg.* Tertius eſt in formali prædicatione ad quam gravis eſt difficultas: An Parochi teneantur, an verò ſufficiat, ut ſe vergant ad altare, & ſacram Scripturam, divinamque legem annuntient ad preſcriptum Conc. Trid. *in d. c.* 4. *ſeſſ.* 24. de quo latius *inf. in* 2. *q. n.* 35.

10 Quartò nota ibi, *per ſeipſos non ſufficiunt*; nec non ibi, *cùm per ſe iidem nequiverint*. Epiſcopos juſto impedimento ceſſante teneri prædicare per ſeipſos. Idem habetur *in d. c.* 2. *ſeſſ.* 5. ibi: *Omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum JESU Chriſti Evangelium, & in d. cap.* 4. *ſeſſ.* 24. ibi: *in Eccleſia ſua ipſi per ſe; aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument, &c.* Ubi etiam præſcribitur quibus diebus id muneris obire teneantur.

Ratio eſt, quia officium paſcendi, quod eſt principalis actus Epiſcopi, perſonale eſt, nec poteſt per ſubſtitutum adimpleri, ut poſt Cajetan. Sot. & alios latiſſimè probavi *in c. Ex parte il primo à num.* 38. *uſq. ad num.* 54. *infra de Cler. non reſiden.* Sed officium paſcendi principaliter conſiſtit in prædicatione verbi Dei, *ut patet in cap.* 1. *ſeſſ.* 23. Ergo munus prædicationis per alium impleri non poteſt. Præterea cùm hoc ſit præcipuum munus Epiſcopi, ut prædiximus, cenſetur electa induſtria perſonæ; ac proinde non admittitur ſubſtitutus, *c. fin.* §. *His enim de off. deleg.* Arch. *in c. Sacerdotibus* 11. *qu.* 1. Abb. *in cap. Extirpandæ*, §. *Qui verò num.* 32. *verſ. quia in commiſſione curæ infra de præb.* Dec. *in cap. Cum omnes in ſecunda lectura in* 1. *notab. ſupr. de Conſtit.* Confert optimus textus *in l. inter artifices*, *ff. de ſolut.* Neque in his Epiſcopi poſſunt ſe excuſare in vim contrariæ conſuetudinis, quia cùm ſit contra 11 præceptum divinum, eſt corruptela, *cap. Flagitia* 30. *qu.* 7. *cap. Cum venerabilis*, *& cap. fin. de conſuetudine*, & clarè probatur in decreto *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. nam in principio dicitur præcepto divino mandatum eſſe omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, paſcere oves ſuas verbi Dei prædicatione, & propè finem derogatur conſuetudini etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela cenſenda eſt. Rurſus quamquam multi Epiſcoporum nitantur ſe eximere à nexu obligationis hujuſmodi eo prætextu, quòd aptitudinem non habeant ad concionandum, & majori cum fructu id munus explere valeant per Religioſos idoneos: hanc tamen excuſationem uti frivolam refellit, ac funditus evertit Pater Hieronymus à Narnio, Apoſtolica illa verbi Domini tuba.

Quintò nota ibi, *aſſumant*, Epiſcopum de jure com- 12 muni fundare intentionem ſuper deputatione Prædicatorum in tota ſua Diœceſi. Quo fit, ut ex ſola juris aſſiſten- 13 tia deputare poſſit, etiamſi populus, vel alius ſit in quaſi poſſeſſione deputandi *per text. in c. Cum perſonæ*, cum materia, *de privil. lib.* 6. inferior enim non poteſt juvari ſola poſſeſſione, nec obtinere contra Superiorem in interdicto retinendæ, ut notat Bart. *in l.* 1. §. *Hujus auctoritate interdicti ſub n.* 3. *verſ. Nam interdictum hoc*, *ff. uti poſſidetis*, Verall. *dec.* 306. *n.* 4. *p.* 1. Sed de hoc latius *inf. nu.* 20. *uſq. in fin.* & præſertim *n.* 29. 30. *&* 32. Nec in deputatione hujuſmodi requiritur Capituli conſenſus, non obſtante contraria conſuetudine, etiam immemorabili, ut olim reſpondit S. Congr. Concilii à Didaco Covarruvias Epiſcopo Segobien. conſulta.

Ultimò nota ibi, *quibus ipſi cùm indiguerint, congruè* 14 *neceſſaria ſubminiſtrent*. Epiſcopos ex juris communis diſpoſitione teneri miniſtrare expenſas Prædicatoribus, prout hic notant Butr. *num.* 10. *in* 9. *notab.* Joan. de Anan. *num.* 3. Non enim, ut inquit Bald. *hic in fine*, cogitur quis prædicare expenſis ſuis, *l. ſuo victu*, *ff. de oper. libert.* & confert text. *in cap. Cum ab omni infra de vita, & honeſt. Cleric. & in cap. Statutum*, §. *inſuper de reſcr. lib.* 6. Nec eſt magnum ſi ab eo metantur temporalia, per quem ſpiritualia ſeminantur, 1. *ad Corinth.* 9. *cap. ſi Epiſcopus de offic. Ordin. lib.* 6. *cap. Cum officii infr. de præſcript.* ſecundum Innoc. *hic in ver. indiguerint*, & laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere, ut dicitur 2. *ad Timoth.* 2. quem locum gloſſa exponit de Prædicatore, qui ſcilicet in agro Eccleſiæ ligone verbi Dei excolit corda auditorum, ut refert S. Thomas *in* 2. 2. *qu.* 187. *art.* 4. *ad ſecundum*, ſubdens poſt gl. *ad Rom.* 15. poſſe de Evangelio vivere non tantùm Prædicatores, ſed etiam eos, qui Prædicatoribus miniſtrant. Sed de ſumptibus Prædicatori miniſtrandi dic pleniùs, *ut infr. in* 1. *q. n.* 18.

In gloſ. ultimam nota differentiam inter legatos Cæſa- 15 ris, & legatos Papæ: nam legati Cæſaris cùm mittuntur in provinciam, expenſis Imperatoris, vel fiſci vivere debent, ut in juribus allegatis in gloſſa. Legati autem, & 16 Nuntii Papæ recipere debent procurationem ab iis, ad quos declinant, non obſtante contraria conſuetudine, vel præſcriptione, *cap. Cum inſtantia*, *& cap. Procurationes de cenſib. & cap. Accedentes de præſcr.* Nec mirum 17 quia ut Hoſtienſis inquit *num.* 9. Romanam Eccleſiam excuſat tum neceſſitas, cùm nec poſſit de ſuo omnibus providere; tum privilegium de antiqua conſuetudine jam obtentum cujus exemplum, ut Hoſt. ſubiicit, ſequuntur Epiſcopi noſtri temporis quantum poſſunt. Quod eſſe non debet, *cap.* 1. *de tempor. ordin. & cap. in cauſis de re judic.* Et idem repetunt Jo. Andr. Bellam. Cardin. & Abb. omnes ad finem. Addit Jo. Andr. quid expediret ſtatuere pro ſuſtentatione Papæ & Cardinalium, & quid ad ſui clamorem deliberatum fuerit in Concilio Viennenſi. Et illius verba ad litteram referunt Bellam. & alii proximè citati.

QUÆRO, Ad quem ſpectet electio Prędicatoris tàm in 18 Cathedrali, quàm in aliis inferioribus Eccleſiis, & cui incumbat onus eidem preſtandi eleemoſynam. Cùm in materia electionis Predicatoris, atque eleemoſynę eidem preſtandę variç extent S. Congregat. Concilii declarationes: ad controverſias, quę ſuper hoc crebrò oriuntur, faciliùs diri-

dirimendas, ſex caſus in Cathedrali, ſex itidem in aliis Eccleſiis inferioribus ſunt diſtinguendi.

19 Primus caſus eſt in Cathedrali, ubi non conſtat de conſuetudine eligendi concionatorem, aut præſtandi eidem eleemoſynam, neque ex parte Epiſcopi, neque ex parte Univerſitatis, vel alterius: & hic caſus eſt extra dubium, quia utrumque onus in ſua Eccleſia incumbit Epiſcopo tàm ex diſpoſitione juris communis, ut hìc patet, & dictum eſt *ſupra in 5. & ult. notab.* quàm ex decretis Concilii Tridentini *in d. cap. 2. ſeſſ. 5.* ubi Epiſcopo impedito jubetur ſervari decretum Concilii generali, de quo hìc, *& in c. 4. ſeſſ. 24.* Hinc S. Congregatio conſulta, An deputatio Prædicatoris in Cathedrali Eccleſia pertineat ad ſolùm Epiſcopum, ita ut Canonici & Capitulum non poſſint ſe in deputatione intromittere: reſpondit pertinere ad ſolùm Epiſcopum. Item ſæpiùs cenſuit Epiſcopum teneri propriis expenſis alere Prædicatorem in Cathedrali Eccleſia. Id quod multò magis vendicat ſibi locum, ſi Epiſcopus ſit in poſſeſſione eligendi, & præſtandi eleemoſynam.

20 Secundus caſus eſt, cùm Epiſcopus eligit, & populus, vel alius ex conſuetudine, non tamen immemorabili, eidem præſtat eleemoſynam: & tunc hac conſuetudine non obſtante Epiſcopus, qui eligit, tenetur illi ſic electo eleemoſynam erogare. Etenim Concilium *d. c. 4.* ſuſtulit conſuetudinem non immemorabilem, ſecundùm quam præſtatio eleemoſynæ Prædicatori in Ctahedrali deputando incumbit alteri, quàm Epiſcopo. Et ita fuit ſæpiùs reſolutum, ut patebit ex his, quæ dicentur in caſu proximè ſequenti.

21 Tertius eſt, ubi Epiſcopus eligit, & Univerſitas, vel alius ex immemorabili conſuetudine eleemoſynam præſtat: Quo caſu cùm ab immemorabili tempore communitas Potentiæ conſueviſſet præſtare ſtipendium Concionatori; & dubitaſſet Epiſcopus Potentiæ, an poſſet compellere civitatem ad prædictæ conſuetudinis obſervantiam: S. Congregatio cenſuit poſſe, cùm Concilium non ſuſtulerit immemorabilem conſuetudinem.

Poſteà verò cùm Epiſcopus Eugubinus dubitare, an poſſet cogere regulares ad eleemoſynam, quam Prædicatori ab immemorabili tempore præſtiterunt; relatum fuit ad Gregor. XIII. an vellet obſervari ſupradictum S. Pii V, decretum. Gregorius de eo decreto valdè dubitavit, & interrogavit Cardinalem Alciatum quid ſibi videretur: qui reſpondit duriuſculum ſibi videri declarationem S. Pii V. cùm decretum Conc. *d. c. 4.* non ſuſtulerit immemorabilem, & quando voluit tollere, expreſſit, & in dubio non cenſetur ſuſtuliſſe: Sanct. Sua viſa eſt approbare diſtinctionem Card. Urſini, videlicet ſi laici ſoliti contribuere, nunc quoque contribuere debeant: ſecus ſi regulares, quoniam prædicationes fiunt præcipuè ad utilitatem laicorum, tamen nihil certi ſtatuit. Sed quia agebatur tunc tantùm de Epiſcopo Eugubino, cui aliàs ſcriptæ fuerunt litteræ ſecundùm decretum S. Pii V. ideò ſimpliciter reſcribendum, relatis ſuis litteris in Congr. & relatione facta Sanctiſſimo, Sanctitas Sua dixit ut obſervare, id quòd aliàs tempore S. Pii V. ſcriptum fuerat ad ipſum. Poſteà verò dubitante Epiſcopo Reatino, an poſſet compellere univerſitatem ad præſtandum Concionatori ſalarium juxta immemorabilem conſuetudinem, & facta relatione Sanctiſſimo die 19. Maij 1575. Sanctitas Sua juſſit ſcribi litteras Epiſcopo, ut cogeret univerſitatem ad ſervandam hanc immemorabilem conſuetudinem, quam Concil. non ſuſtulit. Et licèt S. Pius V. aliud decreverit; voluit tamen ut litteræ manerent in ſuo robore, quoad eos tantùm ad quos ſcriptę fuerint. In reliquis verò caſibus, & locis, ſuper quibus nihil ſcriptum fuit, ut ſcriberentur, ſecundùm hoc decretum, ut hæc conſuetudo immemorabilis indiſtinctè obſervaretur.

Ideòque S. Congregat. ab eo tempore conſuevit reſpondere, poſſe Epiſcopum in ſua Cathedrali Concionatorem deputare, & populum nihilominus compellere ad præſtandam eleemoſynam à tempore, cujus initij memoria non extat, præſtari ſolitam.

Et in ſpecie Epiſcopus Meliten. expoſuit Sacræ Congregationi obſervatum fuiſſe à tempore immemorabili, etiam antequam Inſula Militæ à Religione Hieroſolymitana poſſideretur, ut tempore Quadrageſimæ eleemoſyna præſtaretur Concionatoribus Eccleſiæ Cathedralis de redditibus cujuſdam gabellæ appellatæ *laſceta del vino*, quæ antiquitus ad jura Univerſitatis pertinebat, & deinde ad Magnos Magiſtros neſcitur quo jure pervenit; qui licet ſemper dictam eleemoſynam præſtiterint ex gabella prædicta, tamen Magnus Magiſter Petrus de Monte contra inſtitutum ſuorum anteceſſorum perſolvere recuſavit, & hujuſmodi eleemoſynas de redditibus Epiſcopatus ſede vacante contra dictam conſuetudinem de facto percipi, & ſubminiſtrari mandavit; cumque ſuper hoc Epiſcopus declarationem, & remedium poſtulaſſet: S. Congr. cenſuit ſervandam eſſe conſuetudinem.

Quartus caſus, raró tamen contingibilis eſt, ubi Epiſcopus præſtat eleemoſynam, & populus vel alius eligit ex quacumque conſuetudine. Et hoc caſu poteſt, ac debet Epiſcopus perdere in præſtatione eleemoſynæ, quia hoc eſt onus ipſius, ut ſupradictum eſt in primo caſu. Sed poteſt etiam electionem ſibi vendicare. Quia S. Congr. ſæpiùs cenſuit deputationem Predicatoris in Cathedrali ad ſolùm Epiſcopum ſpectare non obſtante conſuetudine etiam immemorabili. Et in ſpecie cùm petiiſſet declarari Epiſcopus Cæſarauguſtanus, ad quem pertineret electio Prædicatoris in Cathedrali Eccleſia, & an eſſet habenda ratio immemorabilis conſuetudinis, quę talem electionem alteri, quàm Epiſcopo tribueret: reſponſum eſt, electionem, & deputationem Predicatoris in eorum Eccleſiis Cathedralibus ad ſolos Epiſcopos pertinere, nulla habita ratione cujuſcumque conſuetudinis etiam immemorabilis, qua talis electio, vel deputatio Capitulo, vel Epiſcopo unà cum Capitulo, ſive de ejus conſilio, aut cuivis alteri competeret. 22

Quintus caſus eſt, ubi populus, vel alius ex conſuetudine, non tamen immemorabili eligit Prædicatorem, atque illi ſic electo præſtat eleemoſynam. Et hoc quoque caſu poteſt, ac debet Epiſcopus electionem ſibi vendicare, non obſtante conſuetudine, quam ſuſtulit Concil. *d. c. 4.* ut ſupra dictum eſt *in 2. caſu*. Sed non poteſt compellere populum ad conſuetam eleemoſynam, quia Concilium eodem modo ſuſtulit conſuetudinem non immemorabilem, ſecundùm quam prętatio eleemoſynę alteri, quàm Epiſcopo in ſua Cathedrali incumbit, ut etiam dictum eſt in ſecundo caſu ex ſententia S. Congr. 23

Sextus, & ultimus caſus, cum populus, vel alius ex immemorabili conſuetudine eligit Prædicatorem, atque eidem præbet ſalarium. Hoc caſu quamvis immemorabilis conſuetudo, ſecundùm quam alius, quàm Epiſcopus eligit Prędicatorem in ſua Cathedrali, ſublata fuerit, & præſervata quoad eleemoſynam, quam alius præſtare conſuevit, juxta declarationem Greg. XIII. ſuperiùs relatam, tamen ubi hæc duo ſimul concurrunt, ut ex immemorabili conſuetudine populus & eligat Concionatorem, & ſalarium prebeat; eo caſu ſemper S. Cong. cenſuit poſſe quidem Epiſcopum electionem ſibi vendicare, ſed non compellere populum ad eleemoſynam, quam illi ab immemorabili prętare conſuevit. Eſſe autem in electione Epiſcopi utrum ipſe malit Prædicatorem eligere, cùm populus, vel alius illum ab immemorabili tempore eligere conſueverit, vel Prædicatoris electionem alteri ex immemorabili competentem relinquere: Ita tamen ut ſi Epiſcopus hujuſmodi electionem ſibi aſſumat, populum, vel alium ad ſolitas impenſas Prędicatori erogandas non compellat. Sin verò populum, vel alium prædicta facultate eligendi Predicatorem uti ſinat, eumdem cogere poſſit ad eas impenſas, quas in hanc cauſam præſtare ſolitus eſſet. Atque ita in ſpecie reſpondit S. Cong. ab Archiepiſcopo Cęſarauguſtano conſulta. 24

In Eccleſiis verò inferioribus primus caſus poteſt conſtitui, ubi Epiſcopus eligit, & alter ſolvit eleemoſynam, qui illam tenetur, vel ſolet præſtare. Et hic primus caſus eſt ſatis clarus; quia in aliis Eccleſiis, quàm Cathedralibus electio Concionatoris, ſi Parochi impediti fuerunt ipſi per ſe prædicare, ſpectat ad Epiſcopum impenſis eorum, qui illas tenentur, vel ſolent præſtare, ut apertè cavetur decreto *d. c. 4. verſ. in aliis autem Eccleſiis ſeſſ. 24.* 25

Hinc cùm Epiſcopus Meliten. providere voluiſſet de Concionatore in ſuburbio Victorioſę ſubditis ſuis, & Officiales ipſius conſulto prius Magno Magiſtro Petro de Monte reſpondiſſent electionem dicti Concionatoris non ſpectare ad Epiſcopum, ſed ad eos, qui eleemoſynam Concionatoribus ex bonis Univerſitatis miniſtrant; Epiſcopo ſuper hoc declarationem poſtulante, Sacr. Congrega-

gregatio cenſuit electionem Concionatoris ad Epiſcopum pertinere ex decreto Concilii *c.*4. *ſeſſ.*24.

26 Secundus caſus eſt, ubi Epiſcopus Prædicatorem eligit, & eleemoſynam præſtat: & tunc ſimiliter manifeſtum eſt Epiſcopum debere utrumque adimplere, quia tàm facultas Prædicatorem deputandi in tota diœceſi, quàm onus miniſtrandi expenſas incumbit Epiſcopo de jure communi, ut dictum eſt *ſuprà in* 4. *& ult. not.* Et ex Conc. Trid. *in d. c.*4. in Eccleſiis inferioribus eodem modo jus deputandi ad Epiſcopum pertinet, & ſumptus miniſtrari debent ab his, qui tenentur, vel ſolent. Epiſcopus autem, ut ſupponitur in hoc ſecundo caſu, & tenetur, & ſolet.

27 Tertius eſt, cùm populus, vel alius eligit Prædicatorem in Eccleſiis inferioribus ex conſuetudine non immemorabili, non tamen ei præſtat eleemoſynam. Et in hoc tertio caſu S. Congregatio ſæpius cenſuit conſuetudinem non immemorabilem, quam habet populus, vel alius eligendi Prædicatorem in ſupradictis Eccleſiis, eſſe ſublatam à Concilio *dict. c.* 4. Ideòque poſſe Epiſcopum electionem ſibi vendicare.

28 Quartus caſus eſt, cùm populus, vel alius Prædicatorem eligit ab immemorabili tempore, licèt ei ſumptus non miniſtret: & tunc Epiſcopus non poterit ſibi vendicare electionem, quia Concilium *in d. c.* 4. non ſuſtulit immemorabilem, ſecundùm quam facultas nominandi Prædicatorem in Eccleſiis non Cathedralibus alii, quàm Epiſcopo competeret, ut ſæpiùs fuit reſolutum.

Et in ſpecie cùm Abbas Sancti Majoris Eccleſiæ Collegiatæ Neapolitanæ eſſet à tempore immemorabili in quaſi poſſeſſione deputandi Concionatores in ſua Eccleſia: Poſtea verò ſuperveniente Tridentino Concilio Archiepiſcopus Neapolitanus prætenderet ex Concilio facultatem deputandi Concionatorem in dicta Collegiata non ad Abbatem, ſed ad ſe tantùm pertinere; proindeque dubitatum eſſet, *an cap.* 4. *ſeſſ.* 24. Tridentini Concilii ſuſtuliſſet immemorabilem conſuetudinem, S. Congreg. cenſuit *per d. cap.* immemorabilem conſuetudinem non eſſe ſublatam quoad effectum prædictum.

Quintus, ubi populus, vel alter ſolet præſtare eleemoſynam, & ex immemorabili conſuetudine eligit Prædicatorem, Et hic quoque caſus eſt clarus, quia Concilium illam non ſuſtulit. Et propterea populus, vel alius poterit eligere Concionatorem, quem ab immemorabili eligere conſuevit, & debebit etiam illi à ſe electo impenſas ſolitas miniſtrare, juxta decretum *dict. cap.* 4. Quouſque tamen
29 Univerſitas probet immemorabilem per tres conformes, Epiſcopum debere eligere cenſuit Sacr. Congregatio. Sufficit enim Epiſcopo ſola juris communis aſſiſtentia,
30 ut dictum eſt *ſuprà num.* 12. *in* 5. *notab.* Licèt quandoque ex aliqua rationabili cauſa, puta ad vitanda ſcandala, S. Congregatio Epiſcoporum, ac Regularium, cum imminente jam Quadrageſima præ anguſtia temporis jura partium examinari non poſſunt, in hoc quinto caſu conſueverit reſcribere, ut pro ea vice ſervetur ſolitum per modum tamen proviſionis, & abſque præjudicio jurium utriuſque tàm in petitorio, quàm in poſſeſſorio.

31 Sextus denique caſus eſt, ubi populus, vel alius miniſtrat expenſas, & eligit ex conſuetudine non tamen immemorabili; & tunc quamvis conſuetudo hujuſmodi, ſecundùm quam alius, quàm Epiſcopus eligit Prædicatorem in Eccleſiis inferioribus, ſit à Concilio ſublata, ut ſæpius repetitum eſt ex Sacræ Congregationis ſententia: ubi tamen hæc duo concurrunt, ut populus præſtet eleemoſynam, & eligat ex conſuetudiue; tunc ſacra Congregatio multoties reſpondit, & præcipuè in cauſa S. Marci poſſe quidem Epiſcopum electionem ſibi vendicare, ſed non compellere Univerſitatem ad eam eleemoſynam Prædicatori præſtandam, quam à ſe electo tantùm præbere conſuevit.

32 An autem ſit ſervanda conſuetudo, ſecundùm quam Epiſcopus in monaſteriis Regularium, Prædicatores deputat, qui aliquando eorum Ordinis non ſunt, S. Congregatio cenſuit conſuetudinem eſſe obſervandam. Si tamen Prædicatores ejuſdem Ordinis haberi poſſint, cęteris paribus eſse præferendos.

33 Secundò QUÆRO, An Parochi teneantur in ſuis Eccleſiis formaliter prædicare,

Cùm Epiſcopus Eugubinus vellet compellere Regulares Montis Oliveti ad præſtandum ſalarium Concionatori ſuæ Cathedralis; alias autem comminaretur ſe eos compulſurum ad ſuſtentandum proprium Concionatorem in eorum Eccleſiis Curatis; Regulares adierunt S. Congregationem Concilii, dicentes onus eſse Epiſcopi prеſtare ſalarium Concionatori Cathedrali. Quoad Eccleſias autem eorum curatas Conc. Trid. non jubere, ut in eis predicetur formiter, ſed ſufficere, ut Parochus ſe vergat ad altare, & declaret Evangelium, & ſermocinetur. Unde cùm hoc ſit onus Parochi, compellendus ipſe erit ab Epiſcopo, & non Regulares cogendi ad ſuſtentandum Concionatorem. S. Congr. cenſuit hos Regulares non teneri contribuere impenſę Predicatoris Cathedralis, ut alias deciſum fuit. Quod autem pro minori impenſa eorum Epiſcopus conſentiat, ut contribuant Cathedrali, & ſublevet eos à ſuſtentandum proprium Predicatorem in eorum Eccleſiis Curatis, non probavit S. Cong. quia ſi verè tenentur ſuſtentare proprium Predicatorem in ſuis curatis, malè facit Epiſcopus eximendo eos ab hoc onere pro ſervitio Cathedralis ſuę; imò ad ſuſtentationem propriam, cùm ipſe teneatur de ſuo alere Prędicatorem in ſua Cathedrali. Si non tenentur, non debet Epiſcopus eos aggravare, ut habeant ibi Prędicatorem formalem. An autem teneantur eſt probabile dubium: nam licèt jure veteri qui habet curam animarum videatur teneri ad prędicandum, *c. quod Dei timorem, de ſtatu Monach. verſ. ad Parochiarum Eccleſiarum regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium exercere*, ubi Abb. *num.* 2. notat officium Presbyteri Parochialis eſse prędicare, Ripa *lib.* 1. *reſponſ.* 14. *n.* 39. *&* 41. tamen Concilium *cap.* 4. *ſeſſ.* 24. non videtur adegiſse Parochos ad prędicandum formiter, ſed tantùm ad ſacram Scripturam, & divinam legem annuntiandam, quod fieri poteſt lectione Catechiſmi. Sed quia certum eſt verba illa *Sacras Scripturas, & divinam legem annuncient*, ita referri ad Epiſcopos in ſuis Eccleſiis, ſicut ad Parochos, quia verba illa ſuperiora, *ipſi per ſe, &c.* reguntur ab illis verbis inferioribus, *Sacras Scripturas, &c.* ſicut illa, *in aliis autem Eccleſiis per Parochos, &c.* In Epiſcopis intelligitur de prędicatione formata, ita ut in Parochis per regulam, *Determinatio una reſpiciens plura determinabilia debet illa æqualiter determinare*: ideò referendum ad Congregationem Generalem.

Congregatio Generalis die 9. *Februarii* 1576. fecit magnam vim quòd Concilium *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. non adegerit Parochos ad prędicandum, ſed ad docendum, prout ibi dicitur. A quo capitulo videtur *cap.* 4. declarationem accipere. Item *in d. cap.* 4. leguntur illa verba, *Aptius accommodando præſentium temporum uſui ſtante quod uſus rei invaluit poſt Concilium, ut Parochi non prædicent formaliter, ut fit in Cathedralibus*, & ſic uſus ita videtur interpretatus per Concilium. Nec obſtat quòd *d. cap.* 4. ſub una ſtructura verborum, eademque determinatione comprehendat, & Parochos, & Epiſcopum, ideò ęqualiter debeat determinare. Quia reſpondetur dupliciter. Primò, quando Concilium priùs expreſſit de Epiſcopis, ibi, *ipſi per ſe, aut per eos, quos ad prædicationis munus aſſument*, in perſona Epiſcoporum expreſſit illam vocem, Prędicationis. At quando poſtea diſponit de Parochis, non repetit eam dictionem; ita ut propterea ſit ſenſus: Annuncient Epiſcopi in Cathedralibus per prędicationem; Parochi verò in Parochialibus ſimpliciter. Secundò illa regula, *Una determinatio, &c.* fallit, quando eſt diverſa ratio, Jaſ. *in l. Jam hoc jure de vulg. & pupill.* Sed munus prędicandi formiter dicitur eſse Epiſcoporum, non Parochorum. Sanctus Thomas in 2.2. *qu.* 184. *art.*8. ubi Cajetan. Sot. *de juſt. & jur. lib.*10. *quæſt.*9. *art.*3. Item in Cathedralibus conveniunt Auditores intelligentes, in Parochialibus ut plurimum rudes. Et magna eſt diverſitas reſpectu locorum, & perſonarum, Et ad jura vetera, quę dicunt Parochos teneri prędicare, reſponſum, ea forma qua Parochi ſolent, alioquin ſi in omnibus Parochialibus prędicaretur formiter, quodammodo plures eſsent Prędicatores, quàm Auditores. Fuere tamen qui diſtinguerent, ut Cardinalis Alciatus. Aut Parochialis numeroſi eſt populi, & pinguis, ut Pariſiis 60. millia, ut in Hiſpaniis 347. millia; & tunc ibi prędicetur formiter; in aliis verò non. Alii dixerunt ſimpliciter, & generaliter reſpondendum Parochos non cogendos

habere

habere in ſuis Parochialibus Prædicatores formatos, ſed ſatis eſſe ſi doceant ſecundùm *d. cap.* 2. Alii conſiderarunt rem hanc eſſe gravem, & exemplarem; & ſi ita univerſaliter enunciaretur, parituram ſcandalum, multos Parochos, qui prædicant formiter avocaturam ab hoc bono opere. Præterea non eſſe tutum ſententiam ſic generalem enunciare propter Parochiales, & populo, & reditu magnas, quæ plerumque majores ſunt pluribus Cathedralibus. Ideò ſatis eſſe ita ſolùm reſpondere Epiſcopo Eugubino pro Parochialibus ſuæ civitatis, diœceſis, & præſertim horum regularium Olivetanorum, quas ſciunt omnes; & parvi reditus, & non ſatis frequentes populo eſſe. Tandem omnium conſenſu decretum fuit, ut Alciatus ore tantùm, & abſque ſcriptis dicat Epiſcopo Eugubino, ut nolit cogere iſtos regulares ad ſuſtentandum Prædicatorem formatum in ſuis Parochialibus. Etſi alius Epiſcopus hoc idem quæſierit, aut alia ſimilis quæſtio occurrerit, referret Alciatus, & proponeret in S. Congr. nec hanc reſponſionem datam Epiſcopo Eugubino daret alii, niſi facto verbo in Congregatione. Dictum eſt etiam, dum S. Thomas, Cajetan. & Sot. dicunt officium eſſe Epiſcopi præcipuè prædicare, verùm id eſſe. Sed cùm ſubjiciunt Parochum autem ſolùm docere debere Orationem Dominicam, & Symbolum, non alia fidei myſteria; non eſſe ſecundùm *c. quod Dei timorem*, quòd dicit eos debere prædicare. Et dum Sotus dicit in Concilio Tridentino ſuperſeſſum fuiſſe à danda Parochis facultate prædicandi, verùm eſſe ſub Paulo III. ſecundùm *d. cap.* 2. cui Sotus interfuit. Secus autem eſſe quoad Conc. Trident. ſub Pio IV. cui Sotus non interfuit.

Supraſcriptis adde Concilium Arelatenſe IV. celebratum ſub Leone III. Carolo Magno Imperatore anno ſalutis 813. *cap.* 10. *de prædicatione tomo* 3. *Concil. part.* 1. *ſect.* 2. *pag.* 188. ubi ſic legitur: *Providimus enim pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro utilitate totius populi ut non ſolum in civitatibus, ſed etiam in omnibus Parochiis, ut Presbyteri ad populum verbum faciant, & ut benè vivere ſtudeant, & populo ſibi commiſſo prædicare non negligant.* Hæc ibi. De prædicatione etiam loquitur Concilium Viennenſe in Clem. *Dudum*, §. *hujuſmodi de ſepultur.* ibi, *Parochiales Eccleſiæ, & ipſarum Curati, ſive Rectores, qui miniſtrare habent Eccleſiaſtica Sacramenta, quibus noſcitur de jure competere prædicare, ſeu proponere verbum Dei, &c.* Et Concilium Tridentinum *in cap.* 1. *in princ. ſeſſ.* 23. ubi eſt expreſſum curatos omnes teneri præcepto divino oves ſibi commiſſas paſcere verbi Dei prædicatione. Et de officio prædicandi ſimiliter loquuntur DD. quos citavi ſupra *n.* 7.

Præterea orta dubitatione, an in Parochiali Eccleſia unita Regularium Monaſterio, in qua per Regularem cura animarum exercetur, poſſit Epiſcopus compellere Regulares ut aliquem ejuſdem ordinis ad prædicandum in eadem Eccleſia deputent, qui de licentia Epiſcopi hoc munus expleat non obſtante quòd in Eccleſia Monaſterii per eoſdem Regulares concio habeatur: Sacra Congregatio cenſuit poſſe compellere, ſed non poſse alium, præterquam ejuſdem ordinis invitis Fratribus ad prædicandum in dicta Eccleſia deputare.

DE OFFICIO ORDINARII.

Honorius III. Epiſcopo Aſſiſinatin.

CAPUT XVI.

CONquerente œconomo monaſterii S. Benedicti montis Subaſii nobis innotuit, quod tu juribus Epiſcopalibus non contentus, quæ in Eccleſiis, ſeu capellis ejuſdem monaſterii debes habere, à quibuſdam earum procurationem exigis: quas ad dandam procurationem minimè ſufficere proponebat: petens ut ſpecificares quæ tibi ratione juris Epiſcopalis competerent in eiſdem: quorum quibuſdam ſpecificatis, lis fuit legitimè conteſtata. Nos autem inſpectis probationibus, & quæ ab utraque parte fuere propoſita intellectis; Decrevimus, ut in Eccleſiis, ſeu capellis tuæ diœceſis ad monaſterium ipſum ſpectantibus, habeas Canonicam obedientiam, ſubjectionem & reverentiam, inſtitutionem & deſtitutionem, correctionem, & reformationem, ac cenſuram Eccleſiaſticam, juriſdictionem quoque cauſarum omnium, ad forum Eccleſiaſticum de jure ſpectantium, pœnitentias, & ſacrorum omnium, quæ ab Epiſcopo ſunt recipienda, collationem, ſynodum, & ſynodatici ſeu Cathedratici nomine duos ſolidos, quartam decimationum & mortuariorum, viſitationem quoque annuam: ita quòd cùm ad eas viſitandas acceſſeris, non amplius procurationis nomine requiras ab eis, niſi quantum (penſatis facultatibus earumdem) moderatè poterunt exhibere, ne plus cæteris capellis ejuſdem diœceſis in procurationibus onerentur: & infrà. Tu autem his juribus in præfatis Eccleſiis contentus exiſtens, non amplius ab eis exigas, præter moderatum auxilium, quod juxta formam Lateranenſis Concilii, ſi manifeſta, & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate poſtulandum, ſicut ab aliis Eccleſiis ejuſdem diœceſis; pro neceſſitate temporis ſuſtinemus.

S U M M A R I U M.

1 *EPiſcopus in Eccleſiis diœceſis ſuæ debet eſſe contentus juribus Epiſcopalibus.*
2 *Oeconomus agit nomine Monaſterii, & ſtat in judicio pro cauſis ad Monaſterium ſpectantibus.*
3 *Oeconomi appellatione quis veniat.*
4 *Abbas agere poteſt pro Eccleſiis, ſeu Cappellis ſuo Monaſterio ſubjectis, ne indebitis graventur oneribus.*
5 *Sed ſi illarum Rectores agere voluerint, erunt præponendi.*
6 *Actor an, & quando cogi poſſit ſuam petitionem ſpecificare, & n. 40. & ſeqq.*
7 *Epiſcopus ab Eccleſiis ſibi ſubjectis non poteſt petere niſi jura Epiſcopalia in jure expreſſa.*
8 *Clerici non poſſunt cogi ab Epiſcopo ad præſtandum aliquod ſervitium non expreſſum in jure.*
9 *Collecta aliqua ab Epiſcopo imponi non poteſt Eccleſiis ſibi ſubjectis præter charitativum ſubſidium, & num. 38.*
10 *Capellæ Monaſterio ſubjectæ an, & quando teneantur Epſicopo ad jura Epiſcopalia.*
11 *Epiſcopalia jura, quæ competunt Epiſcopo in Eccleſiis ſuæ diœceſis, etiam inferiori Prælato ſubjectis, ſunt decem, & octo hic per ordinem enumerata, uſque ad num. 40.*
12 *Clerici, & laici quantumcumque potentes tenentur Epiſcopo, & ad Canonicam obedientiam.*
13 *Imperator, & omnes Principes Epiſcopis ſuis in ſpiritualibus ſunt ſubjecti.*
14 *Reverentia in quibus conſiſtat.*
15 *Debetur Epiſcopo ſuo etiam ab exemptis.*

Item à Regibus, & Principibus ſæculi, n. 17.
16 *Exemptus à juriſdictione Epiſcopi non cenſetur exemptus à jure reverentiali.*
18 *Inſtitutio cui de jure communi competit, eidem & deſtitutio.*
Secus ſi de jure ſpeciali.
19 *Epiſcopus fundat intentionem ſuper jure inſtituendi, & deſtituendi in Eccleſiis omnibus ſuæ diœceſis.*
20 *Præſcripta inſtitutione non cenſetur præſcripta deſtitutio.*
21 *Deſtituere qui poteſt, multò magis poteſt corrigere, ſed non è converſo.*
22 *Correctio, & reformatio, an, & in quo differant, remiſſivè.*
23 *Epiſcopus de jure communi procedere poteſt contra omnes Clericos ſuæ diœceſis, licèt ſubſint inferiori Prælato.*
23 *Declaratur.*
25 *Pœnitentiam publicam ſolus Epiſcopus poteſt injungere, pro enormibus tamen criminibus, & ſcandaloſis.*
26 *Et poteſt eam in aliam ſecretam commutare.*
27 *Parochus cui debeat confiteri.*
28 *Super quarta decimationum Epiſcopus fundat intentionem de jure communi contra Parochos, non contra Parochianos.*
29 *Quarta mortuariorum quæ dicatur.*
30 *Debetur Epiſcopo non jure conſuetudinario, ſed jure communi.*
31 *Item debetur etiam cùm Eccleſia hæres ex aſſe inſtituta eſt.*
32 *Super quota ſtandum eſt conſuetudini.*
33 *Et poteſt Epiſcopus juxta conſuetudinem exigere trigeſimam rationem viſitationis teſtamentorum.*
34 *Viſitare poteſt Epiſcopus Eccleſias ſuæ diœceſis ſemel tantum in anno. Niſi neceſſitas aliter poſtulaverit.*
35 *Ad viſitationem diœceſis abſolvendam Concilium Tridentinum nullum tempus præfixit, ſed reliquit arbitrio Epiſcopi.*
36 *Debet tamen eam continenter proſequi, nec ad extraneos actus divertere.*
37 *Viſitator non poteſt recuſari, niſi judicialiter procedat, vel modum excedat in corrigendo.*
38 *Charitativuum ſubſidium quas ob cauſas ſit ab Epiſcopo poſtulandum, & an ſit liberalitas.*
39 *Et quâ verborum formula ſit petendum, & an reges poſſint illud imponere.*
40 *Petitio Actoris alia univerſalis, alia generalis, alia ſingularis.*
41 *In Libello non tenetur Epiſcopus exprimere Epiſcopalia jura, quæ ſunt in jure expreſſa.*
42 *Secus ſi petat jura ſibi competentia ex conſuetudine.*
43 *Ad Cathedraticum monaſteria non tenentur, utpotè exempta à lege diœceſana; ſed eorum Capellæ ſolvunt hoc nomine duos ſolidos.*
44 *Cathedraticum, ſeu ſynodaticum cur ita appellatum, & n. 53.*
45 *Denominatio ſumitur quandoque à cauſa, quandoque à loco.*
46 *Pro Cathedratico ad cujus monetæ æſtimationem duo ſolidi ſint ſolvendi, & n. ſeq.*
47 *Solidi appellatione intelligitur aureus, & quot ſolidi conſtituant libram.*
48 *Cathedraticum an ſit ſublatum à Conc. Trid. & n. ſeqq. uſq. in fin.*
49 *Eſt de juribus Epiſcopalibus, & adeò privilegiatum ut in totum præſcribi non poſſit.*
50 *Non comprehenditur in generali diſpoſitione, niſi de re fiat mentio ſpecialis.*
51 *Fuit introductum ex Concilio Bracharenſi ſecundo.*
52 *Cathedraticum eſt cenſus duorum ſolidorum, qui ſolvuntur Eccleſiæ Cathedrali in ſignum ſubjectionis, & honorem Cathedræ.*
53 *Non exigitur in viſitatione, ſed in Synodo.*
54 *Eſt de lege diœceſana; Viſitatio de lege juriſdictionis.*
55 *Concilii Tridentini decretum c. 3. ſeſſ. 24. expenditur, & n. ſeq. uſq. in fin.*
56 *Relatio non eſt facienda ad præcedentia quando induceretur correctio juris communis.*
57 *Quarta canonica, & alia jura Epiſcopalia præſervata ſunt à Conc. Trid.*
58 *Dictio*, alius *eſt repetitiva ſimilium etiamſi ei adjuncta ſit dictio univerſalis.*
59 *Argumentum de pacto ad legem validum eſt.*
60 *Exceptio facta per dictionem taxativam non excludit alias ſimiles exceptiones.*
61 *Viſitationis Eccleſiæ typus, & compendioſa deſcriptio.*

C*Onquerente*. Epiſcopus in Eccleſiis diœceſis ſuæ debet 1
eſſe contentus juribus Epiſcopalibus: & quæ ſint ju-
ra Epiſcopalia declarat. Hoc dicit ſecundùm omnes; &
ſunt duæ partes. In prima ponitur petitio, & conteſtatio.
In ſecunda ſententia, ibi, *nos autem*.

Nota primò ex principio textus œconomum agere no- 2
mine monaſterii, & ſtare in judicio pro cauſis ad monaſte-
rium ſpectantibus, ut hìc, *& in c. Imperatorum inf. de juram.*
calum. & notant *hic* Butr. Card. Anch. & Imol. omnes *in* 1.
not. Quibus autem veniat appellatione œconomi notatur 3
in *c. impertractandis eod. tit.* non tamen diſtinguit Canon
an nominetur Oeconomus, Syndicus, Actor, vel Procu-
rator; quia licèt nomina ſint diverſa, officium tamen eſt
idem, *c. petitio*, & ibi gl. *in ver. Actores inf. de procur.* gl.
penult. in c. 1. *de juram. calum.*

Secundò nota Abbatem agere poſſe pro Eccleſiis, ſeu 4
Capellis ſuo monaſterio ſubjectis, ne indebitis gravetur
oneribus: ad idem *cap.* 1. *& ultim. ſupra de offic. Archid.*
cap. Auditis, *& cap. Ex tranſmiſſa infra præſcript.* Clem.
1. *de reſcript.* Innocent. *hic in princ.* Hoſtien. & Bellam.
uterque *num.* 1. Joan. Andr. *nu.* 3. & Abb. *in* 1. *notab.* nam
ſi poteſt agere œconomus, multò fortius Abbas, ſecun- 5
dùm Imol. in 1. *notab.* Si tamen Rectores ipſarum Capel-
larum voluerint agere, erunt præferendi, *arg. cap. penult.*
infrà de re judic. & notat Innoc. *in cap. Edoceri ſupra de*
reſcript. Quod latiùs proſequitur idem Innoc. *hic*, & poſt
cum Hoſtien. & Joan. Andr. omnes *in princ.*

Tertiò nota ibi, *petens ut ſpecificares*: reum pete- 6
re poſſe ut generalis petitio actoris declaretur, & ſpe-
cificetur ad hoc ut ſcire poſſit an ſibi expediat cedere,
vel contendere, *cap. penult. & ult. infrà de libell. oblat.*
Sed quomodo hoc intelligatur, plenius examinabitur
infrà in gloſſa prima.

Quartò nota ibi, *his juribus in præfatis Eccleſiis conten-* 7
tus, Epiſcopum ultra jura Epiſcopalia in jure expreſſa non
poſſe aliud petere ab Eccleſiis ſibi ſubjectis. Ex quo infert
Abbas *hic num.* 1. ut Epiſcopus petere non poſſit à Clericis 8
ſuæ diœceſis aliqua ſervitia, quæ in jure non ſunt ex-
preſſa, *cap. quia cognovimus* 10. *qu.* 3. Et per hoc alias re-
ſpondi Epiſcopum Burgi Donnini potuiſſe quidem invita-
re, ſed non compellere Clericos ſuæ civitatis, ut inte-
reſſent Litaniis Beatiſſimæ Virginis, quas in Sabbato de-
cantari juſſerat in ſua Cathedrali Eccleſia. Et aliàs reſpon-
ſum eſt Clericos non habentes officium, vel beneficium
Eccleſiaſticum cogi non poſſe ab Epiſcopo ad publicas pro- 9
ceſſiones accedere, Nec etiam ſecundùm Abbatem poteſt
Epiſcopus Eccleſiis imponere aliquam collectam, præter
charitativum ſubſidium, manifeſta, & rationabili cauſa
imminente, ut in fine textus, & dicam *infrà num.* 38.

Quintò nota ibi, *ad monaſterium ſpectantibus*, Capel- 10
las monaſterio ſubjectas teneri Epiſcopo ad jura Epiſcopa-
lia, ut hìc eſt caſus ſecundùm Joan. Andr. & omnes, li-
cèt monaſterium ipſum non teneatur ad ea, quæ ſunt de
lege diœceſana, ut ad Synodaticum, & ad alia, quæ notan-
tur *in cap. dilectus infrà eod.* Hoc tamen intelligit Abbas
hic num. 1. *verſ. ſed nota*, dummodò Capellæ, & Eccleſiæ
ſint ſæculares, & ſubjectæ monaſterio de jure ſpeciali:
ſecus ſi ſint regulares, ibique inhabitent Monachi; quia
tunc gaudent privilegio Monaſterii, cùm monaſteria
dici poſſint, allegat Archid. & Joan. Andr. *in cap.* 1. *de*
præb. lib. 6. & Joan. de Lignan. in Clem. 1. *de exceſſ. Prælat.*
& notata per Innocent. *in cap.* 1. *de ſtatu Monach.* Tu verò
dicas hoc pendere ex forma privilegii, *cap. Porro de privil.*
cap. Si Papa, & c. Per exemptionem eodem tit. lib. 6. Multæ
enim

enim ſunt Eccleſiæ ſæculares ſubjectæ monaſteriis exemptis, vel nullius diœceſis, quæ non tenentur Epiſcopo de juribus Epiſcopalibus reſpondere, ut ſcripſi latiſſimè in *cap. Grave infrà eodem*.

11 Sextò nota ex integro contextu jura Epiſcopalia hìc per ordinem enumerata, quæ competunt Epiſcopo de jure communi in Eccleſiis, ſeu capellis diœceſis ſuæ etiam ſubjectis inferiori Prælato, ſive ſæculari, ſive regulari, ut hìc per Butr. *num.* 9.

12 Primum jus Epiſcopale eſt canonica obedientia, quæ conſiſtit in obſervando Epiſcopi monita, & mandata, ut *cap. Dilecto infra de major. & obed.* & ad hanc tenentur tàm Clerici, quàm laici quantumcumque potentes, *c. Omnes Principes*, & ibi gloſſ. *unic.* & Doctores *eod. tit.* Abb. *hic n.* 2.

13 Secundùm jus Epiſcopale eſt ſubjectio, ſcilicet in ſpiritualibus, *cap.* 2. 16. *qu.* 5. ſecundùm Innocen. *hic nu.* 3. *in ver. Subiectionem*. Ad quam ſimiliter tenentur indiſtinctè omnes: nam in ſpiritualibus Imperator, & omnes Principes ſunt ſubjecti Epiſcopis ſuis, *cap. Duo ſunt 96. diſt.* gloſſ. *in d.c. Omnes Principes*, Petr. de Anchar. *in repet. c. Canonum ſtatuta num.* 5. *verſ. Similiter ratione ſpiritualium de conſtit.* Si quis verò non exemptus hanc ſubjectionem Epiſcopo negaverit, tolerandus non eſt, ſed abjiciendus ab Eccleſia, & tamquam acephalus judicandus, nec ſunt ei aliqua Epiſcopalia ſuffragia miniſtranda, *c. Nulla ratione 93. diſt. & cap. Abbatibus* 18. *qu.* 2. Hoſt. *hic num.* 8. *in ver. Subiectionem*, & Joan. Andr. *num.* 17.

14 Tertium jus Epiſcopale eſt reverentia, quæ conſiſtit in honore, qui exhibetur in aſſurgendo, caput inclinando, genuflectendo, & his ſimilibus. Licèt multoties reverentia, & obedientia accipiantur ut ſynonyma, ut dixi in *c. His quæ in 2. notab.* poſt Cardin. ibi *in 3. quæſt.* & Abb. *nu.* 1.
15 *in antepenult. notab. de major. & obed.* Ab hanc autem reverentiam Epiſcopo exhibendam tenentur etiam exempti, ut poſt Oldrad. notat. Bald. *in l. fin. nu.* 3. *verſ. Item per hunc*
16 *textum*, *C. de bon. libert.* ubi ait exemptum à juriſdictione Epiſcopi non cenſeri exemptum à jure reverentiali, & ſe-
17 quitur hìc Felin. *in princip.* Et ad hanc ſimiliter tenentur etiam Principes ſupremi, ut eſt textus in *c. Schiiæ*, ibi, *cùm alii Reges, & Principes Archiepiſcopis ſuis, ſicut debent reverenter aſſurgant, de maior. & obedien.*

18 Quartum, & quintum Epiſcopale jus eſt inſtitutio, & deſtitutio, ſcilicet authorizabilis, ſecundùm Hoſtien. *hìc num.* 8. *in ver. Inſtitutionem*, & Joan. Andr. *num.* 18. qui remittunt ad *cap. Cùm ſatis ſuprà de offic. Archid.* & ita cui competit de jure communi jus inſtituendi, competit &
19 jus deſtituendi. Unde ſuper utroque Epiſcopus fundat intentionem in Eccleſiis omnibus ſuæ diœceſis, ut hìc, & in *cap. Omnes Baſilicæ, & in cap. Si quis deinceps 16. q. 2. & in*
20 *cap. Cùm ex juncto in fin. infrà de hæret.* Abb. *hic nu.* 2. Secus ſi inſtitutio competeret alicui de jure ſpeciali, puta ex præſcriptione: nam præſcripta inſtitutione non cenſetur præſcripta deſtitutio, ut tenet Hoſtienſ. & omnes *in d. c. Cùm ex iniuncto*, teſte Felin. *hìc num.* 1. *verſ. Præſcripta inſtitu-*
21 *tione*, & pleniùs *in cap. Auditis infrà de præſcript.* An autem præſcriptio juris inſtituendi cenſeatur cumulativa cum Epiſcopo, an privativa latiſſimè examinavi in prædicta Decretali, *Auditis*.

Sextum, & ſeptimum jus Epiſcopale eſt correctio, & reformatio, & ita hæc duo non comprehenduntur in inſtitutione, cùm hìc ponantur tamquam diverſa, ſecundùm Anton. de Butr. *num.* 1. Quod non placet, quia qui poteſt deponere, ſeu deſtituere, quod plus eſt, utique multò magis poteſt corrigere, & emendare, quod minus eſt, *cap. Ex parte, il terzo de decim. & c. Cui licet de reg. jur. lib.* 6. ad hoc
22 *c. Ad petitionem infrà de accuſat.* Hìc verò ponuntur tamquam diverſa, quia in correctione non continetur deſtitutio, ſed non è converſo. An autem, & in quo differant correctio, & reformatio, vide Abb. *hìc num.* 2. *verſ. Quintò*, *& in c. Irrefragabili in 2. notab. ſup. eod.*

Octavum jus Epiſcopale eſt cenſura Eccleſiaſtica, ſcilicet excommun. ſuſpenſio, & interdictum, ut *c. Quærenti de verb. ſignific.* gloſſ. *in c.* 1. *in ver. Interdicti de his, quæ vi met. cau.*

23 Nonum jus Epiſcopale eſt juriſdictio in cauſis omnibus ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus, de quibus vide Concilium Tridentinum *cap.* 20. *ſeſſ.* 24. & ex hoc infert Abb. *hic num.* 2. *verſ. Septimo*, ut Epiſcopus de jure communi procedere poſſit contra omnes Clericos ſuæ diœceſis, licèt ſubſint inferiori Prælato. Adde tu etiamſi Prælatus ſit 24
regularis, ut dixi ſupra *in* 5. *notab.* Hoc tamen, ut ibi tetigi, pendet ab inſpectione, an juriſdictio competens inferiori Prælato de jure ſpeciali ſit cumulativa, vel privativa ad Epiſcopum. De quo dic ut plenè ſcripſi *in d.c. Auditis infrà de præſcript. & in cap. Grave infrà eodem*.

Decimum jus Epiſcopale eſt pœnitentia, ſcilicet publica 25
ſecundùm gloſſ. *hic in ver. Pœnitentias*: nam ſoli Epiſcopo jus competit hujuſmodi pęnitentiam injungendi, *cap. In capite 50. diſt. cap. Accedentibus*, & ibi gloſſ. *pen. de exceſſ. Prælat.* Nec tamen pro omnibus criminibus, ſed tantùm pro enormibus, & ſcandaloſis, *cap. fin. 26. qu.* 6. Abb. *hic nu.* 4. *verſ. Et in eo quod gloſſa dicit*. Quando enim ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalos offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pęnitentiam publicè injungi oportet, ut quot exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam, Concilium Tridentinum *cap.* 8. *ſeſſ.*
24. Epiſcopus tamen, ut ibi dicitur, publicæ hoc pœnitentię 26
genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. Alii verò intelligunt hunc textum de pœnitentiis etiam privatis, quæ ſcilicet pro majoribus criminibus imponuntur in caſibus Epiſcopo reſervatis à jure communi, de quibus vide gloſſ. *in cap.* 2. *in ver. Reſervantur, de pœnit. & remiſſ. lib.* 6. vel in aliis, quos ſibi Epiſcopus duxerit ſpecialiter reſervandos ad pręſcriptum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pœnitent. cap.* 7. *de caſ. reſerv.* & decreti Clementis VIII. impreſſi apud Steph. Quarant. *in ver. Caſus reſervati fol.* 163. Sed Abbas *hic n.* 4. *col.* 4. 27
in princ. intelligit hunc textum propriè, prout loquitur, ut ſcilicet Presbyteri Parochiales teneantur pro omnibus pœnitentiis recurrere ad Epiſcopum: nam cùm ei ſubſint immediatè, non poſſunt ab alio, quàm ab ipſo abſolvi, vel ab Archipresbytero Eccleſiæ Cathedralis, qui in hoc eſt Vicarius Epiſcopi, ut eſt textus *in c. Officium ſuprà de offic. Archipresbyter.* de quo pleniùs per Hoſtien. *in Summa de Pœnit. & remiſſ.* §. *Cui confitendum*, *verſ. Cui Presbyter Parochialis*. Qui tamen hoc limitat, niſi Parochus ſit alteri ſubjectus in ſpiritualibus, & ſequitur Felin. *hic num.* 2. vide Concilium Tridentinum *c.* 15. *ſeſſ.* 23. Extrav. *Vas elect. de hæret.* & quod ſcripſi *in c. Omnis infrà de pœnit. & remiſſ.*

Undecimum jus Epiſcopale eſt collatio omnium ſacrorum, id eſt, chriſmatis, & ordinis, *c. Quantò ſuprà de conſuet. cap. unic.* §. *Per frontis de ſac. Unct.* Concilium Florentinum *in decreto fidei Eugenii IV.* §. *Secundum Sacramentum, &* §. *Sextum.* Item conſecratio Eccleſiarum, Altarium, virginum, & conſimilium, de quibus *in cap. Quamvis Chorepiſcopis 58. diſt.*

Duodecimum jus Epiſcopale eſt Synodus, ad quam tenentur accedere exempti omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent. Concilium Tridentinum *in c.* 2. *ſeſſ.* 24. Dixi *in cap. Quod ſuper his num.* 5. *infrà de major. & obedien.*

Decimumtertium Epiſcopale jus eſt Synodaticum, ſeu Cathedraticum, de quo infrà in gloſſ. *Duos ſolidos*.

Decimumquartum eſt quarta decimationis, & ſic Epi- 28
ſcopus de jure communi fundatam habet intentionem ſuper jure exigendi quartam decimarum totius Epiſcopatus, ut hìc, *& in cap. Quoniam infrà de decim.* & eſt communis opinio omnium ferè Doctorum, ut deducunt Domini de Rota *dec.* 31. *num.* 5. *par.* 2. *diverſor.* Dixi *in cap. Cùm contingat num.* 23. *de decim.* non tamen fundat intentionem contra Parochianos, ſed contra Parochos, ut ſcripſi plenè *in dict. cap. Quoniam num.* 23.

Decimumquintum jus Epiſcopale eſt quarta mortuario- 29
rum, quæ ſcilicet debetur Epiſcopo ex legatis piis, & appellatur mortuariorum, quia in morte relinquitur, ſecundùm gloſſ. *hic in ver. Mortuariorum*, & Butr. *num.* 46. & aliàs appellatur quarta, ſeu portio canonica, de qua *in c. Officii*, *& c. Requiſiſti infrà de teſtam.* & hæc debetur Epiſcopo non jure conſuetudinario, ut hìc putavit Innoc. *num.* 4. ſed jure communi, cùm inter jura Epiſcopalia hìc connumeretur, ſecundùm gloſſ. proximè citatam, Butr. *nu.* 47. & communiter Doctores. Quorum ſententiam non obſcurè proba- 30
vit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. in illis verbis, præter id quod ex relictis piis jure debetur. Unde cùm Fundanus 31
Epiſcopus quæſierit, an juris diſpoſitio, qua de legatis piis

Le-

Eccleſiis, ſeu Capellis relictis debetur quarta Canonica portio Epiſcopo, ſit ſervanda quando Eccleſia, vel Capella ipſa hæres inſtituta eſt: Die 31. Auguſti 1606. Sacra Congregatio cenſuit deberi etiam cum Eccleſia eſt hæres ex aſ-
32 ſe inſtituta. Quod ſentiunt Lapus *de Canon. portion. cap.2. num. 22.* & Petr. de Ubald. *eod. tract. cap.2.num.12.* Fateor tamen ſuper quota ſtandum eſſe conſuetudini, quia ali-
33 quando eſt quarta, & aliquando medietas, *c. 1. & 2. & c. Certificari de ſepultur.* Butr. *hic num.5.* Unde aliàs reſponſum eſt potuiſſe Epiſcopum juxta conſuetudinem exigere trigeſimam ex relictis piis ratione viſitationis teſtamentorum: ſecus ſi in teſtamentis nullum eſſet relictum pium.

34 Decimumſextum jus Epiſcopale eſt annua viſitatio, & ſic Epiſcopus ſemel tantùm in anno poteſt Eccleſias ſuæ diœceſis viſitare, ut hìc tenet gloſſ. *in ver. Annuam,* concordat *c. Decrevimus, c. Epiſcopus, & c. Placuit 10.qu.1. & cap. Mandamus,* ubi gloſſ. *ultim.* & DD. *ſup. de offic. Arch.* Concilium Tridentinum *cap.3.ſeſſ.24.* Verumtamen ſi neceſſitas poſtulaverit, etiam pluries in anno viſitare poterit, *cap. Regenda 10. qu. 1. c. Viſitanti, & c. Non ſemel 18.q.2.* & ita intelligi debet, quod alibi dicitur bis in anno, ut in *c. Cùm venerabilis infrà de cenſib.* id eſt, ſi toties opus fuerit, ut declarant gloſſ. prælleg. Butr. *hic num. 48.*

35 An autem Epiſcopus teneatur ſuam viſitationem concludere intra certum, & determinatum tempus juxta latitudinem ſuæ diœceſi: S. Congregatio Concilii ab Epiſcopo Aſtoricen. conſulta cenſuit Concilium nullum tempus præfixiſſe, ſed reliquiſſe arbitrio Epiſcopi, quod tamen debet
36 eſſe moderatum, & diſcretum. Item conſulta, an Epiſcopus poſſit interpolatis temporibus proſequi viſitationem. Reſpondit debere Epiſcopum viſitationem incontinenter proſequi, nec ad extraneos actus divertere, ſed quamprimum, juſto impedimento ceſſante, ut perficiatur incumbe-
37 re. Rurſus orta dubitatione, an Epiſcopus viſitans poſſit tamquam ſuſpectus revocari: Sac. Congregatio cenſuit non poſſe, nec cum generalem viſitationem aggreditur, nec cùm ad ſpecialem deſcendit, ſi modò ſine ſtrepitu, & figura judicii procedens, pœnas non imponat delictorum ordinarias, ſed eas tantùm, quæ morum correctionem reſpiciunt, & modum corrigendo non excedat, per doctrinam Archid. *in cap. Quia plerique, de offic. Ordin. lib. 6.*

Porro de viſitatione egerunt copioſiſſimè Jo. Franciſcus de Pavinis Rotæ Auditor *in ſuo tractatu de Viſitationibus inter tractatus communes tom. 14. fol. 115. alias fol. 178.* & Marian. Socin. *in Opuſculo de Viſitatione in 13. libello diſtinct., quem habes in 2. vol. ſuper Decretal. pag.226.* omiſſis recentioribus. Tu verò quanta ſit Viſitationis latitudo, & quam multa oporteat Viſitatorem inquirere, & ſcrutari, ut muneri ſuo ſatisfaciat, aſpice quaſi in tabula, & ſub compendio ex typo viſitationis Eccleſiaſticæ, quem in calce hujus cap. inſerendum duxi ad communem utilitatem.

Decimumſeptimum Epiſcopale jus eſt procuratio, de qua ſcripſi latiſſimè *in c. Venerabili inſ. de cenſib.* illuc recurre.

38 Decimumoctavum, & ultimum jus Epiſcopale eſt charitativum ſubſidium, ſeu moderatum auxilium ab Epiſcopo ex neceſſaria cauſa poſtulandum, ut *hic in fin. & in cap. Apoſtolus infra de cenſib.* veluti ſi Epiſcopatus ſit tenuis, vel ære alieno gravatus, aut Epiſcopo eundum ſit ad generale Concilium, ad Papam, vel Imperatorem pro communibus negotiis, vel quid ſimile, ut hìc per Hoſtien. *num. 16.* Anchar. *num. 4.* & Abb. *num. 2. verſ. Ultimo.* Quo fit, ut charitativum ſubſidium licèt cum charitate petatur, tamen non ſit liberalitas, quia in neceſſitatibus nemo charitati-
39 vus eſt, ut inquit Bald. *hic num. 10.* Qua autem verborum formula cum charitate a ſubditis ſit poſtulandum, pulchrè hìc docet Hoſt. *nu. 17.* & an Reges poſſit ejuſmodi ſubſidia imponere, vide hic per Bald. *in ult. quæſt.* & per Butr. *in cap. Pervenit num. 6. infra de immunit. Eccleſiaſt.* De charitativo ſubſidio egregium tractatum ſcripſit Bart. Bellencin. Rotæ Auditor, & Remigius de Gonn. *inter tract. comm. tom. 15. par. 2. fol. 169.*

40 In gloſſa prima cum quæritur, an Auctor teneatur petitionem ſuam in libello declarare, ſeu ſpecificare, diſtingue triplicem petitionem, ut hic magiſtraliter per Innoc. *nu. 5.* Quæ jam enim eſt petitio univerſalis; videlicet cum petitur univerſum jus, exemplum in petitione hæreditatis, & in judicio familiæ erciſcundæ, in quibus venit univerſum jus defuncti. Quædam eſt petitio generalis, quæ ſcilicet includit multa capitula, ut actio pro ſocio, vel tutelæ, ſeu negotiorum geſtorum. Quædam eſt petitio ſingularis, cujus ſignificatio ſumitur ex re undique circumſcripta ſecundùm Bald. *hic num. 7. ver. Ille autem dicitur,* ut rei vendicationis, hypothecæ, & ſimilium, de quibus omnibus notatur *in l. 1. ff. De edend. & in cap. 2. infra de libell. oblat.* In petitione igitur univerſali, vel generali non eſt opus, ut ſingularia Capitula ſpecificentur, ſed ſatis eſt cauſam exprimere.
Unde ſive petitio juris Epiſcopalis ſit univerſalis, ut ſentit 41
gloſſa noſtra, & Bald. *n. 7.* ſive ſit generalis, eò quòd non complectatur univerſum jus Eccleſiæ, ſed tantum jura Epiſcopalia hìc enumerata, ut tenet Inn. tamen indiſtinctè procedit libellus, in quo Epiſcopus petit ſibi adjudicari totum jus Epiſcopale ſecundùm Innoc. cum quo Hoſt. Joan. Andr. Butr. Anchar. Abb. & alii tranſeunt; & quamvis Butr. dicat Actorem teneri ſingula hæc jura ſpecificare, ſi reus hoc poſtulaverit per iſtum textum. Hoc tamen verum non eſt ſecundùm Abb. *num.4.* quia cùm jura Epiſcopalia ſint in jure expreſſa, ſunt certa, & clara, nec tenetur quis exprimere, quæ à jure ſpecificantur. Nec obſtat textus hìc, quo- 42
niam ille Epiſcopus quotidiè has Capellas vexabat, nec erat contentus juribus Epiſcopalibus, ut dicitur in littera, meritò Abbas petiit, ut jura Epiſcopalia exprimeret, quia multa poterant illi competere ex conſuetudine, quo caſu neceſſaria eſt Actoris ſpecificatio, & probatio, ſecundùm Innoc. & omnes. In petitione autem rerum ſingularium, quæ debeant ſpecificari, dic ut plenè notatur *in d. cap. 2. infrà de libell. oblat.*

In gloſſa, *duos ſolidos*. Nota primò differentiam inter 43
Monaſteria, & eorum Capellas: nam Monaſteria ad Cathedraticum non tenentur, Capellæ verò hoc nomine tenentur ſolvere duos ſolidos, ut hìc, *& in c. Inter cætera 10. quæſt. 3.* Ratio differentiæ eſt, quia Monaſteria exempta ſunt à lege diœceſana, ut ibi, *& in cap. Pro utilitate 16.q.1. & cap. Quam ſit 18. q. 2.* ſed eorum Capellæ ſecus, ut *c. ult. & c. penult. infrà de Capell. Monach. & cap. De Monachis, de præben.* & notat gloſſ. *in d. c. Inter cætera in ver. Solutiones,*
& Hoſtien. *hìc num. 12.* Secundò nota hoc jus Epiſcopale 44
quandoque appellari Cathedraticum, quia ſolvitur pro honore Cathedræ, cui præeſt Epiſcopus, *cap. Placuit 10. qu.3.* Quandoque Synodaticum, quia ſolvitur in Synodo, *c. Olim infra de cenſib.* Innoc. *hic nu. 3. in ver. Synodatici,* Abb. *conſ. 7. Tria circa primum num.4. verſ. Sed quamquam lib.2.*
Dixi *in cap. Venerabili nu. 16. eodem tit.* & hinc collige de- 45
nominationem ſumi quandoque à cauſa, quandoque à loco, ut hic per Butr. *n. 42.* concordat textus *in l. Ius pluribus. in fin. ff. De juſt. & jur.* Tertiò nota duos ſolidos pro Cathe- 46
dratico ſolvendos eſſe juxta æſtimationem illius monetæ, quæ antiquitus, & ab initio ſolvi conſuevit, niſi circa ſolutionem minoris, vel majoris monetæ, quæ modò eſt in uſu, ſit præſcriptum, ut *in d. c. Olim de cenſib.* & cum gloſ. tranſeunt hìc Hoſt. *n. 12. in fin.* Joan. Andr. *n.39.* Butr. *n.43.* &
Abb. *n. 6.* Nomine autem ſolidi intelligitur aureus, ut no- 47
tat gloſſ. *1. in c. 1. 10. q.3.* nam & lex civilis pro ſolido aureum intelligit, & antiquitus ſeptuaginta duo ſolidi unam libram auri conſtituebant, ut *l. Quotieſcumque,* & ibi gloſſ. *ult.* & Bart. *C. de ſuſcept.* & Anchar. *lib. 10.* Unde ad illam æſtimationem ſolvendi eſſent, niſi obſtaret conſuetudo. Hodie verò nonaginta ſex aurei conſtituunt unam libram, ut per Abb. *d. n. 6.* Quod latiùs proſequitur hìc Felin. multos cumulans *n.2. verſ. Dum Abbas tantùm,* & de varia ſolidorum, & aureorum æſtimatione vide Cov. *var. reſol. c. 10. n.3.*

Quæro, An Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 3.* pro- 48
hibens quidquam exigi ex cauſa procurationis pro viſitatione etiam teſtamentorum ad pios uſus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, & alio quovis nomine, exceptis victualibus cenſeatur ſuſtuliſſe Cathedraticum.

Videtur negativè reſpondendum.

Primò, quia cùm de jure communi Epiſcopis Cathedra- 49
ticum debeatur, & inter Epiſcopalia jura connumeretur, ut hìc patet; & ſit adeò privilegiatum, ut in totum præſcribi non valeat, ſecundùm Archid. & Joan. Andr. *in c. 1. de præb. lib.6.* Abb. *in cap. Cum venerabilis num. 3. de cenſib. & conſil. 99. Videtur primo in fin. lib. 1. & dict. conſ. 7. num. 4. verſ. Sed quamquam lib. 4.* ubi teſtatur hanc eſſe communem opinionem; & in eo frequenter pars non modica redituum Epiſcopalis menſæ dicatur conſiſtere: non eſt veriſimile ſublatum fuiſſe jus tam inſigne ſine nota, & mentione ſpeciali,

li, & a l *l. Item apud Labeonem*, §. *Hoc edictum*, *ff. De iniur.* de quo eſt textus expreſſus *in cap. Paſtoralis de donat.* ubi deci-
50 ditur Cathedraticum non comprehendi in diſpoſitione generali, niſi de eo fiat expreſſa mentio: & ibi hoc notat gloſſ. *in ver. Cathedraticum*, Joan. Andr. & cæteri Hoſtien. *in ſumm. e in titul. de off. Ordin.* §. *Quid pertinet*, *verſ. Et nota*, Henric. Bott. *de Synod. Epiſcop. par.* 3. *num.* 83. Cardin.
51 *in cap. Cum venerabilis in* 3. *qu.* ubi etiam Abb. *nu.* 3. *de cenſib.* Et confirmatur, quia Cathedraticum inductum fuit ex Concilio Bracharenſi II. *cap.* 2. ut refertur in *c. Placuit* 10. *q.* 3. Unde multò minus cenſeri debet illi derogatum fuiſſe abſque ſpeciali mentione, *cap. Ex parte de Capell. Monach. cap. Eam te de ætat. & qualit. & cap. Novit*, ubi Felin. *n.* 2. *verſ. Sed nota de reſcript.* Quamvis enim ſecunda conſtitutio Conciliario tollat primam contrariam, etiamſi Concilio ſpecialiter non deroget, ſecundùm gloſſ. Archid. Joan. Monach. Joan. Andr. & alios *in cap.* 1. *de conſtitut. lib.* 6. tamen requiritur, ut ſecunda Conſtitutio ſtatuat expreſsè contrarium ejus, quod diſponitur in prima: neque enim decretis in Concilio tanta cum deliberatione, & ſolemnitate editis præſumitur fuiſſe derogatum ſub tali taciturnitate ut benè per Oldrad. *conſ.* 326. *Quod articuli num.* 1.

Secundò, quia Concilium prohibet exactiones cauſa procurationis pro viſitatione: ergo non cenſetur prohibere Cathedraticum, quod neque exigitur cauſa procuratio-
52 nis, neque pro viſitatione. Tum quia titulo valido, & à procuratione diverſo exigitur, ut conſtat ex hoc cap. Eſt enim cenſus duorum ſolidorum, qui ſolvitur Eccleſiæ Cathedrali in ſignum ſubjectionis, & honorem Cathedræ, *d. c. Placuit, cap. illud te, & cap. fin.* 10. *qu.* 3. Abb. *in c. Paſtoralis*
57 *num.* 7. in gloſſ. *in ver. Præter Cathedraticum de donat.* Tum quia non exigitur in viſitatione, ſed in Synodo, *c. Olim infrà de cenſib.* & ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, dixi *in cap. Venerabilis num.* 16. *eod. tit.* propterea enim appellatur etiam ſynodaticum, ut hìc patet, & tetigi *ſup. nu.* 44. vel quia datur pro Synodo, quam Epiſcopus celebrare debet ſingulis annis, ſecundùm Gemin. *conſ.* 85. *Super primò*
54 *dubio num.* 6. *verſ. Sed Cathedraticum à viſitatione*, quia viſitatio eſt de lege juriſdictionis, Cathadraticum verò de lege diœceſana, gloſſ. *in cap. Dilectus in ver. de lege juriſdictionis*, & ibi Hoſt. *num.* 6. Abb. *num.* 4. & communiter Doctores *infrà eod.* Unde ex prohibitione unius, tamquam ex diverſis non poteſt inferri ad probationem alterius ad *l. Papinianus exuli*, *ff. De minor. cum volg.* & cum differenter, diverſis locis, & temporibus exigatur, non poteſt applicari ad cauſam viſitationis, quæ habet tempus, & loca particularia, & præciſa; Effectus enim non debet tribui non proportionatæ cauſæ, quæ limitata limitatum producit effectum, *l. In agris*, *ff. De acquit. rer. demin. l. Quod dictum*, ubi Angel. *ff. de pact.*

55 Tertjò, quia illa verba Concilii Tridentini, *vel alio quovis nomine*, videntur referri potius ad exceptionem, quàm ad regulam negativam *in d. c. Poſitam*; ut ſit ſenſus, Epiſcopus nihil exigat pro viſitatione etiam teſtamentorum, præter id quod debetur ex relictis piis, vel alio quovis nomine, & ita Cathedraticum expreſsè ſub illis verbis præ-
56 ſervaretur. Quæ interpretatio rationabilis videtur, cùm non ſit facienda relatio ad præcedentia, quando induceretur correctio juris communis, ſicut in hoc caſu, ut per Alex. *conſ.* 88. *Quod concurrere num.* 6. *vol.* 1. & quia cùm
57 prohibuiſſet Concilium quidquam exigi pro viſitatione etiam teſtamentorum ad pias cauſas, quæ cadunt ſub viſitatione, ut videat Epiſcopus, an executioni mandentur juxta teſtatorum voluntatem, Bald. *in l. Si quis ad declinandam*, §. *In omnibus num.* 19. *C. de Epiſc. & Cler.* Et poſſet dubitari, quia ſub hac generalitate verborum ſublata eſſet quarta Canonica Epiſcopo debita juxta textum hìc, *& cap. Officii infrà de teſtam.* Idcircò eam excepit ſub illis verbis præter id, quod ex relictis piis jure debetur. Et ne occaſione hujus exceptionis poſſet quis opinari ſublatum eſſe quod alio nomine legitimè deberetur, adjecit verba, alio quovis nomine. Quibus verbis omnia jura legitimè Epiſcopo competentia præſervavit.

Quartò, quia etiamſi illa verba, *vel alio quovis nomine*, referantur ad prohibitionem, ut ſit ſenſus, non poſſe exigi quidquam pro viſitatione teſtamentorum, vel alio quovis nomine: tamen utcumque generalia ſint, referri debent ad cauſam expreſſam, & ſic ad viſitationem, *leg. Si de certa re*, ubi Jaſon. *in* 2. *notab. C. De tranſact.* atque ita non comprehendunt Cathedraticum, quod non debetur ex cauſa viſitationis, ut oſtenſum eſt ſupra.

Præſertim cum dictio illa, *alio*, ſit repetitiva ſimilium 58
etiamſi adjuncta ſit dictio univerſalis, ſicut eſt adjuncta *in d. cap.* 3. ibi, *alio quovis, &c.* ut probat textus *in l. Si fugitivi*, juncta gloſſ. *in ver. Alia pœna*, *C. De ſerv. fugit.* Rom. *in conſ.* 92. *Indubitatiſſima num.* 2. & Jaſ. *in l. Quicumque n.* 3. *C. Qui admitt.* & propterea intelligendum, alio quovis ſimili nomine, non de Cathedratico, quod prorſus diverſum eſt à viſitatione. Generalitas enim ultimorum verborum coarctari, & limitari debet à ſpecie præcedenti, nec ultrà eam evagari, Oldrad. *conſ.* 8. *Quidam paterfamilias nu.* 1.

Quintò, validum eſt argumentum de pacto ad legem,
l. Non impoſibile, ubi Doctores, *ff. de pact.* Sed in generali 59
remiſſione, ſeu donatione, quam alicui faceret Epiſcopus, non comprehenditur Cathedraticum, *d. cap. Paſtoralis de donat.* Franc. poſt Joan. Andr. *in cap.* 1. *de præben. lib.* 6. *ſuper gloſſ. in ver. Onera*, ergo nec in verbis *d. cap.* 3. generalibus dicendum eſt eſſe comprehenſum.

Nec obſtat, quòd fuerit per Concilium excepta ſolà exa- 60
ctio, quæ fit ex legatis piis, & ſic in cæteris caſibus non exceptis regula firma maneat, ad *l. Nam quod liquidè*, §. *fin. ff. De pœn. leg.* Nam reſpondetur exceptionem factam per dictionem taxativam, *præter*, non excludere alias ſimiles exceptiones *l. Ob æs*, *C. de præd. min. cum ſimil.* & in hanc ſententiam S. Congregatio reſpondit, ut dixi *in cap. Venerabili num.* 16. *infrà de cenſibus*.

Typus, ſeu compendioſa deſcriptio
Viſitationis Eccleſiaſticæ.

Capita Viſitationis,

Loca.
Res.
Munera.
Perſonæ.

Loca ſunt

- Eccleſia Cathedralis.
- Eccleſiæ Collegiatæ.
- Eccleſiæ Parochiales, vel Curatæ.
- Eccleſiæ ſimplices.
- Oratoria.
- Altaria.
- Sacraria.
- Chori.
- Cœmeteria.
- Monaſteria.
- Hoſpitalia.
- Mons Pietatis.
- Confraternitates.
- Loca pia omnia.

Res ſunt.

- Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum.
- Fons Baptiſmalis.
- Fons Aquæ benedictæ.
- Cruces.
- Calices.
- Patenæ.
- Vaſa ſacra.
- Corporalia.
- Purificatoria.
- Mappæ.
- Sacerdotalia veſtimenta.
- Thuribula.
- Lampades.
- Candelabra.
- Nablia, vel Organa.
- Laquearia.
- Nolæ.
- Fores.
- Claves.
- Miſſalia.
- Gradualia.
- Antiphonaria.
- Breviaria, &
- Reliqui libri Rituales.
- Scripturæ ad Eccleſias ſpectantes.

Pri-

Privilegia.
Jura.
Regulæ.
Conſtitutiones.
Statuta.
Tituli.
Proviſiones.
Redditus Eccleſiarum.
Proventus beneficiorum.
Eleemoſynæ.
Expenſæ.
Beneficia de jurepatronatus.
Dotationes.
Fundationes.
Fabricæ.
Obligationes.
Servitia.

Munera ſunt.
Celebrandi Miſſam.
Prædicandi verbum Dei.
Audiendi Confeſſiones Pœnitentium.
Publicandi excommunicationes.
Theologi.
Pœnitentiarii.
Magiſtri Chori.
Magiſtri Cæremoniarum.
Punctatoris.
Sacriſtæ.
Theſaurarii.
Archiviarii, vel Conſervatoris Scripturarum.
Procuratoris Capituli.
Capellanorum.
Magiſtri actorum.
Fiſcalis, &
Cuſtodis Carcerum.

Perſonæ ſunt
Vicarius Epiſcopi cum ſua Curia.
Dignitates Eccleſiaſticæ.
Canonici.
Presbyteri.
Diaconi.
Subdiaconi.
Clerici quiſque ſuo ordine.
Parochi, vel Curati.
Monachi, ac Religioſi.
Moniales.
Confratres.
Populus.

Quoad Loca
Urbana.
Suburbana.
Ruralia.
Silveſtria.

Scrutanda ſunt
Penetralia.
Species, vel forma.
Situs.
Diſpoſitio.
Ornatus.

Si quid
Non firmum.
Non concluſum.
Imperfectum.
Indecorum.
Immundum.
Araneoſum.
Hians.
Malè tutum.
Vexatum.
Pollutum.
Violatum.

Quoad res ſcrutanda,
Neglectus.
Indignitas
Deformitas.
Pædor.
Caries.
Deturdationes.
Lacerationes.
Diſtractiones.
Conſumptiones, ac denique portentoſæ, ſi quæ erunt, beneficiorum, ac rerum ſacrarum.
Venditiones.
Emptiones.
Alienationes.
Permutationes.
Intruſiones.
Uſurpationes.
Confidentiæ.

Quoad munera exquirenda
Officia.
Divina.
Humana.
Media.
Utrum.
Vigeant.
Langueant.
Colantur.
Negligantur.
Serventur.
Prætermittantur.

Diligentes, & officioſi viri
Qui.
Qua fide.
Qua pietate.
Qua prudentia.
Qua diligentia,
Qua religione.

Officia.
Polliceantur.
Deferant.
Suſcipiant.
Præſtent.
Perſolvant.

Inofficioſi autem, & indulgentes, qui officia
Recuſent.
Fugiant.
Intermittant.
Deſerant.
Ut illi pro meritis laudentur.
Hi corripiantur.

Quoad perſonas exquirendum
De Vicario, an ſit.
Virtute potens.
Corripiat inquietos
Conſoletur puſillanimes.
Unicuique reddat jus.
An alicui inferat injuriam.

De Dignitatibus, & Canonicis.
An in promovendis Clericis ad ſacros ordines juverint aliquem favorem.
Pretio.
Prece.
An aſſiſtant Epiſcopo, illique, ut par eſt, obediant.
An inter ſe ordinem, pacem, & charitatem ſervent.
An in dicendis ſententiis pro rebus publicis in Capitulo à veritate, & juſtitia declinent.
An Canonicè, & ſecundùm regulam vivant.

Et generaliter de Sacerdotibus omnibus, an habeant.
Doctrinam ſanam.
Probatos mores.
Verba pudica.
Teſtimonium bonum ab iis, qui foris ſunt.
An ſtudeant Pſalmodiæ, & ſacris lectionibus.
An induantur viſcera miſericordiæ, & pietatis.

De Parochis
An ſæpè offerant Hoſtias pro delictis populi.
An ſolliciti ſint, ne quis ſua ipſorum culpa de Eccleſia pereat.
An ſint ſine crimine, & irreprehenſibiles.
An dona Dei dent gratis, quæ gratis acceperunt.

De Diaconis, Subdiaconis, univerſiſque ſingulorum ordinum Clericis.
An habeant litteras ſuarum ordinationum.
An ſint devoti, idque
Domi, &
Foris.
An aſſidui ſint in divinis Officiis.

An

An revereantur Sacerdotes, & omnes Dignitates.
An ſint benevoli.
Officioſi.
Faciles.
Benè ſentientes.
Honore invicem prævenientes.
Sive potius,
Duri.
Rigidi.
Indociles.
Inhoſpitales.
Inofficioſi.
Inurbani.
Inhumani.
Monachi, & Religioſi, tametſi Apoſtolicis privilegiis ab Epiſcopi juriſdictione ſint exempti, poterunt tamen qua par eſt charitate in Domino admoneri ut ſint.
Pauperes ſpiritu, & non elati.
Mites animo, & manſueti, non iracundi.
Diligentes, ſed non curioſi.
Religioſi, ſed non ſuperſtitioſi.
Pacifici prorſus, & nullo pacto contentioſi, itaut populus boni expers exemplum accipiat, & propter eorum laudem glorificetur, non blaſphemetur nomen Dei.
De Sanctimonialibus.
Ut ſint ſimplices corde, ore, & opere,
Ut nihil ſit in eis fictum, vel fucatum.
Ut orationibus vacent.
Ut colloquia exterorum vitent.
Ut virginitatem, & humilitatem perpetuò colant.
Ut in communi vivant.
De Confratribus.
An ſit inter eos lis, & contentio.
An conventicula faciant, & diſſidia excitent adverſus Religiones, & Presbyteros.
An vacent comeſſationibus.
An Parochis obediant.
An Conſtitutiones Canonicas habeant, & illas obſervent.
De populo.
Gubernator admonendus.
Ut non accipiat munera.
Ut defendat viduas.
Ut introeat ad eum clamor pauperum.
Ut non inferat falcem in meſſem alienam.
Ut diſcernat inter ſanctum, & profanum.
Senes, & juvenes ut ſint.
Illi ſobrii.
Pudici, & tam animo, quàm capite cani.
Hi dociles, & obedientes, ac nullis parcentes laboribus.
Viri.
Ut quiſque poſſideat vas ſuum in ſanctificatione, & honore.
Uxores,
Ut timeant, ac diligant viros ſuos.
Patres, & filios,
Ut hi obediant parentibus.
Illa ſua ipſorum bona non prodigè fundant, & filios non provocent ad iracundiam.
Domini,
Ut remittant ſervis minas, & onera.
Et illos mercede ſua nulla ratione defraudent.
Servi,
Ut Dominis non ſolùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis in omni timore ſubditi ſint.
Divites, & pauperes.
Ut illi faciant ſibi amicos de Mammona iniquitatis.
Hi confidant repoſitum ſibi eſſe theſaurum in cœlis.
Viduæ,
Ut dum deſolatas ſe putant, non contriſtentur, ſed delectentur in Domino.
Docti.
Ut ornent in omnibus doctrinam ſuam exemplo inculpatæ vitæ.
Idiotæ,
Ut amplectantur ſupereminentem.
Scientiæ charitatem.
Denique omnes Chriſti fideles,
Ut poteſtatem Eccleſiæ, ac Sedis Apoſtolicæ.
In primis revereantur.
Timeant gladium excommunicationis.
Excommunicatos vitent.
Ablata reſtituant.
Se morituros credant, ac ſæpè recogitent.
Abſtineant à fœnore, & uſuris.
Sacerdotibus, & Religioſis obedientiam, ac reverentiam præſtent.
Verbum Dei libenter audiant.
Miſſas frequentent.
Dies feſtos cuſtodiant.
Decimas ritè ſolvant.
Pœnis ſibi in foro pœnitentiæ injunctis deligenter cum fiducia remiſſionis peccatorum ſuorum quoad poſſunt, ſatisfaciant.
Tandem ut
Deum timeant, &
Mandata ejus obſervent, ſicque
Unanimes in fide.
Fraternitatis amatores.
Miſericordes.
Modeſti.
Humiles.
Non reddentes alicui malum pro malo, neque maledictum pro maledicto.
Alter alterius onera portantes, ut adimpleant legem Chriſti.
Quibus habetur, perficitur, abſolvitur materia, forma, finis viſitationis.

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Honorius III. Abbati, & Conventui S. Remigii:

CAPUT XVII.

Ut juxta: & infrà. Attendentes igitur quòd indecens eſt, ut Rhemen. Archiepiſcopo, in Monaſterio veſtro viſitationis officium exercente, ſæculares interſint, per quos poſſit in clauſtro diſſolutionis materia provenire. Firmiter inhibemus, ut nullos de cætero ſæculares in capitulum (niſi duo, vel tres de Canonicis Eccleſiæ ſuæ, in decenti habitu, aliis quos expedire viderit Religioſis adjunctis) ſecum viſitationis tempore introducant.

S U M M A R I U M,

1 *VIſitans Epiſcopus Monaſterium non introducat ſæculares, ſed duos, vel tres Canonicos ſuos cum aliquot Religioſis.*
2 *Viſitare poteſt Epiſcopus de jure communi Monaſteria Regularium, ſicut Eccleſias ſæculares.*
3 *Diſſolutionis materia generatur ex introductione Clericorum ſæcularium intra clauſtra Monaſterii.*
4 *In viſitatione an Epiſcopus poſſit ſecum ducere Clericos ſæculares.*
5 *In viſitatione laici non ſunt admittendi.*
6 *Nec advocati.*
7 *Viſitator inquirit de his, quæ ſecretò denunciantur.*
8 *Exceptio, quæ non eſt de regula, eſt deriſoria.*
9 *Declarat regulam de materia exceptionis eſſe intelligendam.*
10 *In Viſitatione Capituli Cathedralis præcipuè Regularis Epiſcopus poteſt ſecum habere tres Clericos, quorum unus ſit Religioſus, item Notarium, qui ſit Clericus, & num.* 33.
11 *Archiepiſcopus in viſitatione poteſt uti opera trium Canonicorum Eccleſiæ ſuæ.*
12 *Et quid in Epiſcopo, & num.* 25.
13 *Viſitator poteſt majorem numerum perſonarum adhibere, dum ad locum viſitationis accedit, quàm in actu ipſius viſitationis.*
14 *In Viſitatione poteſt Epiſcopus ſecum ducere aliquot Religioſos, ſi ita expedire judicaverit.*
15 *In Viſitatione Monialium ſervari debet Clem.* Attendentes de ſtat. Monach. *in viſitatione Capituli Cathedralis extravag.* Debent de officio Ordinar. *in aliis viſitationibus hoc cap.* Ut Juxta, & 33.
16 *Viſitatores Monaſterii Monialium quot, & quales perſonas poſſint ſecum introducere.*
17 *Differentiæ ſex quoad numerum, & qualitatem perſonarum, quas Epiſcopus poteſt ſecum ducere in viſitatione Monialium, & aliis viſitationibus.*
18 *Notarii duo adhiberi poſſunt in viſitatione ſanctimonialium.*
19 *Et quid in aliis viſitationibus.*
20 *Canonici in viſitatione adeſſe debent in habitu, cum quo intrant Chorum cum cappa, & ſuperpelliceo.*
21 *Eccleſia tàm Cathedralis, quàm inferior poteſt dici Eccleſia ipſius Epiſcopi.*
22 *In Viſitatione Monaſterii Monialium Epiſcopus poteſt ſecum ducere Clericos ſæculares.*
23 *Et quid de laicis.*
24 *Et quid de Religioſis, & num.* 35.
25 *In Viſitatione Epiſcopus poteſt de Religioſis, & Clericis ſæcularibus tot ſecum ducere, quot expedire judicaverit.*
26 *Viſitans Monaſterium Monialium, ſi introducant ultrà octo perſonas à jure præſcriptas, an Moniales poſſint propria authoritate omnes ejicere, an vero illas tantum, quæ ſunt ultrà numerum.*
27 *Utile per inutile vitiatur ratione inſeparabilitatis.*
28 *Et inſeparabilitas intelligitur non reſpectu juris, ſed reſpectu facti.*
29 *Monaſterii Monialium ſepta Prælatis hodie ingredi non licet, niſi in caſibus neceſſariis, & cum parvo, ſeniore, & religioſo comitatu.*
30 *Viſitatores, qui intra ſepta Monaſterii Monialium introducunt ultra octo perſonas, incidunt in pœnas Conſtitutionis Gregorii XIII.*
31 *Bulla Gregorii XIII. an reſtringat numerum perſonarum, quas Viſitatores de jure poſſunt ſecum ducere intra clauſtra Monaſterii Monialium.*
32 *Pauci quot dicantur.*
34 *Arbitrium regulatur à jure.*
35 *Decretum prohibens Regularibus acceſſum ad Monaſteria Monialium, an deroget Conſtitutioni Greg. XIII.*
36 *Proviſio generalis non extenditur ad ea, de quibus ſpecialiter eſt proviſum.*
37 *Viſitans Epiſcopus Capitulum ſuæ Cathedralis vigore Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 4. an teneatur ſibi adiungere aliquem ex Canonicis, & num. ſeqq.*
38 *Diſpoſitio loquens de ſolo Epiſcopo non excludit Capitulum ratione coniunctionis.*
39 *Quod procedit in materia, quæ communiter explicatur.*

UT *juxta*. Epiſcopus viſitans Monaſterium non introducat ſæculares, ſed duos, vel tres Canonicos ſuos cum aliquot Religioſis. Hoc dicit: Et duo facit. Primò præmittit motivum prohibitionis. Secundò prohibet, ibi, *Firmiter*. 1

Nota primò ibi, *In Monaſterio veſtro viſitationis officium exercere*. Epiſcopum habere jus viſitandi Monaſteria Regularia, ſicut Eccleſias ſæculares, Abb. *hic in 2. not.* hoc jus commune eſt, ſed ſtantibus privilegiis, & Tridentini Concilii decretis, an & quibus caſibus Monaſteria Religioſorum ſubſit viſitationi Epiſcopi, plenè notavi in *cap. Grave à num. 9. infrà eodem*. 2

Secundò nota ibi, *Per quos*, ex introductione Clericorum ſecularium intra Monaſterii clauſtra diſſolutionis materia generari: nam de Clericis ſæcularibus intelligitur hæc littera ſecundùm communem intellectum, ut dicam in ſequenti notab. Et eſt ratio, quia cohærere, & conjungi non poſſunt quibus ſtudia ſunt diverſa, *c. In nona 16. qu. 7.* gloſſ. 1. *hic*. Hoſt. *num.* 1. & Butr. *in 2. not.* facit *cap. 3. infrà ae regular. cap. Dudum 18. q. 2. & cap. Quæ ſemel 19. qu. 3.* 3

Tertiò nota ibi, *ſæculares:* Epiſcopum in viſitatione non debere ſecum ducere ſæculares, ut in text. 4

Sed in dubium vertitur, an hæc littera intelligatur de laicis, an verò etiam de Clericis ſæcularibus. Gloſſa prima ponit duos intellectus. Unus eſt, ut hæc prohibitio referatur ad meros laicos, quos de facto ſecum ducebant Viſitatores, & in hoc videntur reſidere gloſſ. & Butr. *num.* 6. cùm eum ponant ultimo loco: laici enim in talibus non ſunt admittendi, quia nobis oppidò ſunt infeſti, *cap. Laicos, & cap. Laicis 2. q. 7. & cap. Clericis laicos de immunit. Eccleſiar. lib. 6.* Unde nec congruit in actu viſitationis Advocatos admittere, ſecundùm Hoſtienſ. *hic num.* 1. cum quo tranſeunt Joan. Andr. *num.* 7. Bellam. *in gloſſ.* 1. Butr. *num.* 1. Cardin. *in* 1. *quæſt.* & Imol. *num.* 1. *in fin.* nam Viſitator ſecundùm eos inquirit de his, quæ ſecretò denunciantur, ac proindè ſecretò ſunt corrigenda, *cap. Si peccaverit 2. q. 1.* Et ſecundùm hanc lecturam non eſſe inhibitum Epiſcopo Monaſterium viſitanti uti miniſterio Clericorum ſæcularium. Alter intellectus eſt, ut hæc prohibitio referatur ad Clericos ſæculares: nam de laicis non erat dubium. Et hanc lecturam ſequitur Hoſtien. *num.* 3. licèt *num.* 4. prohibitionem reſtringat ad Clericos in habitu ſæculari incedentes, quod hìc non probatur. Eumdem intellectum approbat Abb. *ſub nu.* 2. in gloſſ. 1. & mihi magis placet triplici conſideratione. Prima eſt, quia *ver. Seculares*, hic ponitur ad differentiam Religioſorum, de quibus paulò infrà fit mentio. Unde non ad meros laicos, ſed ad Clericos referendum videtur. Ad hoc *cap. Duo ſunt 12. qu. 1.* Secunda eſt, quia textus dicit, *Nullos de cætero ſæculares*. Dictio autem, *nullos*, cùm ſit univerſalis negativa, excludit ſæculares omnes ſive laicos, ſive Clericos, *cap. Nullus*, cum ibi not. per Hoſtien. *in princ. infrà de foro compet.* & ponderat Hoſtienſ. *hic dict. num.* 3. Ultima conſideratio eſt, quia exceptio, quę in textu ſubſequitur ibi, niſi duos, vel tres de Canonicis; oſtendit prius actum fuiſſe de Clericis, non autem de laicis; alioquin exceptio illa non eſſet de regula, & eſſet deriſoria, *l. Sed an ultro, §. 1. verſ. Sed iſtam ſententiam, ff. De negot. geſt.* Paul. de Caſtr. *conſ.* 79. incip. *Pro pleniori num.* 3. *lib.* 1. Exceptio ergo de Canonicis, qui Clerici ſæculares ſunt, declarat regulam de materia exceptionis eſſe intelligendum, & ſic de Clericis ſæcularibus, ut notat Bald. *conſ.* 401. *Super facto n. 2. verſ. Secundò quæritur lib. 5.* & ita ſenſus Decretalis eſt, Archiepiſcopus in viſitatione Monaſterii, nullos Clericos ſæculares ſecum ducat, exceptis duobus, vel tribus Canonicis. 5 6 7 8 9

Non obſtat extravag. Bonifac. VIII. quæ incip. *Debent de Offic. ordin.* ubi cavetur, ut Epiſcopus viſitans poſſit ſecum habere tres Clericos, quorum unus ſit Religioſus, & Notarium, qui ſit Clericus: quoniam ille textus loquitur in Epiſcopo viſitante Capitulum ſuæ Cathedralis, quæ in caſu illo Regularis erat, ut hìc notant Joan. Andr. *nu.* 6. Butr. *num.* 11. Card. *num.* 1. *in 2. oppoſ.* Anchar. *in 3. notab.* Abb. *num.* 3. *verſ. Et hodie vide*, & Joan. de Anan. *eod. nu.* gloſſ. in Clem. *Attendentes in ver. Contentos de ſtat. Monachor.* In 10

aliis

aliis verò viſitationibus ſervabitur hoc cap. ut notat gloſſ. in præalleg. Extravag. *in ver. Religioſa*.

11 Quartò nota ibi, *Vel tres de Canonicis*. Archiepiſcopum in viſitatione poſſe uti opera trium Canonicorum Eccleſiæ ſuæ Cathedralis.

12 Nec obſtant jura *cap. De cætero, & cap. Ad audientiam infra de Cleric. non reſid.* ubi cavetur de duobus tantùm. Quoniam illa jura loquuntur in Epiſcopo; hìc in Archiepiſcopo, cui major numerus permittitur, faciat *c. Cum Apoſtolus infrà de cenſib.* Vel illa loquuntur de Canonicis, qui continuè cum Epiſcopis equitant; hìc de comitantibus Epiſcopum in actu viſitationis, qui per paucos dies abſunt; ac proindè Eccleſia non gravatur. Et ita jura contraria: cùm textu noſtro conciliat Hoſtien. *hic num. 4. in ver. Niſi duos*, cui ſubſcribunt Joan. Andr. *eodem num.* Bellam. *in 2. notab.* Butr. *num. 9.* Cardin. *num. 1. in 1. oppoſ.* Imol. *num. 3.* & Abb. *num. 2. verſ. Oppono*, contra text. qui tamen meminit poſterioris tantum ſolutionis.

13 Non obſtat *cap. Cum Apoſtolus infrà de cenſib.* Quoniam ille text. loquitur de numero, quem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus ſecum ducit, dum accedit ad locum viſitandum, qui poteſt eſſe major, ut ibi dicitur: hìc verò loquitur de numero eorum, qui à Viſitatore in Capitulum, ſeu intra clauſtra introducuntur, & in ipſa inquiſitione adhibentur, ut obſervat Petr. de Anchar. in Clem. *Attendentes num. 5. de ſtat. Monachor.*

14 Quintò nota ibi, *Religioſis adiunctis*: Epiſcopum in viſitatione poſſe ſecum ducere aliquot Religioſos, ſi ita expedire judicaverit.

15 Sed QUÆRITUR, An diſpoſitio hujus textus vendicet ſibi locum in Monaſteriis Monialium.

Gloſſa Bernardi, Joan. Andr. & DD. ſummantes textum videntur eum intelligere generaliter, cùm loquantur de viſitatione Monaſterii indefinitè, nec exprimant, an Monachorum, an verò etiam Monialium. Sed contradicit littera, quæ ſe reſtringit ad Monachos, ibi, *In Monaſterio veſtro*: juncta ſupraſcriptione.

Tu dicas in viſitatione Sanctimonialium ſervandam non eſſe hanc decretalem, ſed Clemen. *Attendentes*, §. *Ipſos autem Viſitatores de ſtat. Monach.* ut ibi notat gloſſ. *in ver. Contentos*, Cardin. *in 1. qu.* & Vital. *num. 2.* Et hìc Joan. Andr. *num. 6.* Butr. *num. 11.* Cardin. *nu. 1. in 2. oppoſ.* Anchar. *in 3. notab.* Imol. *num. 4.* & apertè Abb. *nu. 2. verſ. Secundo quæritur*, dicens in Monaſteriis virorum ſervan-
16 dum eſſe quod hìc dicitur. In Monaſteriis verò Monialium ſervandam eſſe Clem. *Attendentes*: ubi ſtatuitur, ut Viſitatores Monaſteriorum Monialium contenti ſint Notariis duobus, & perſonis duabus ſuæ Eccleſiæ, qua-
17 tuorque viris aliis honeſtis, atque maturis. Ex quo contextu collige text. differentias quoad numerum, & qualitatem perſonarum, quos Epiſcopus ſecum ducit in Viſitatione Monaſterii Monialium, & in aliis viſitationibus.

18 Prima differentia eſt, quia in viſitatione Monialium Epiſcopus debet eſſe contentus duobus Notariis, ut in dict. Clem. *Attendentes*; & ſic non pluribus, quia negativè ſumitur, ut ibi notat gloſſa *in ver. Duobus*, Abb. *nu. 22.*
19 Cardin. & Vitalin. *in §. Ipſos ambo nu. 1.* quod non reperitur jure cautum in aliis viſitationibus, quin imò contrarium innuitur hìc, quia univerſalis negativa, *nullos*, excludit etiam Notarios, ſive ſint laici, ſive Clerici, ut dixit ſuprà *in 3. notab. num. 7. verſ. Secunda eſt*. Et ſolùm in viſitatione Capituli Cathedralis Eccleſiæ præcipuè regularis cautum legitur de uno tantùm Notario, qui ſit Clericus, & in Extravag. Bonifacii, *Debent de offic. ordinar.* & dixi ſupra *num. 10.*

Secunda differentia eſt, quia in aliis viſitationibus Epiſcopus poteſt ſecum ducere duos, vel tres Canonicos, ut hìc, & fuſius dictum eſt ſupra *in 4. notab*, At in viſitatione Monialium duas perſonas Eccleſię ſuę, & ſic non plures, quia negativè ſumitur, ut in dict. Clem. *Attendentes*, ubi hoc notant gloſſ. Cardin. & Imol. ſupracitati *in 1. differentia*.

20 Tertia differentia eſt, quia in viſitatione aliorum locorum illi duo, vel tres debent eſſe Canonici Cathedralis Eccleſiæ, prout Doctores communiter intelligunt litteram textus noſtri: & debent adeſſe decenti habitu, in quo ſcilicet intrant in chorum cum cappa, & ſuperpelliceo, argum. *cap. Clerici officia, verſ. Cappas infrà de vita, & honeſtat. Cler.* & hìc notant Hoſtien. *num. 4. in ver. In decentis*, Joan. Andr. *in fin.* Bellam. *itidem in fin.* Butr. *n. 8.* & Anchar. *in 4. notab.* In viſitatione verò Monaſterii mulierum ſatis eſt, ut Epiſcopus adhibeat perſonas duas Eccleſiæ ſuæ, ut in dict. Clem. *Attendentes*, & ſic non requiritur, ut ſint Canonici, ſed ſatis eſt, ut ſint alias Prebendati, imò gloſſ. ibi *in ver. Suæ Eccleſiæ*, intelligit illam litteram tam de Cathedrali, quàm de inferiori Eccleſia ſuæ diœceſis, & quamvis Vitalinus contradicat *nu. 3.* tamen cum gloſſa tenent ibi Paulus, & Joan. de Imola *num. 25. in fin.* & Abb. *num. 23.* qui ex illa gloſſa ſingulari- 21
ter notat tam Eccleſiam Cathedralem, quam inferiorem ſuæ Diœceſis poſſe dici Eccleſiam ipſius Epiſcopi.

Quarta differentia eſt, quia ab aliis viſitationibus ex- 22
cluduntur non tantùm laici, ſed etiam Clerici ſæculares, ut hìc in text. & dixi ſupra *in 3. notab.* à viſitatione verò Monaſterii mulierum Clerici ſæculares non excluduntur: & in hoc conveniunt omnes. Sed de laicis ſunt opinio- 23
nes, quia Concilium Viennenſe in dict. Clem. loquitur ſimpliciter de aliis quatuor viris honeſtis, & maturis, & gloſſa ibi *ver. Viris aliis*, dicit non diſtingui, an ſint Clerici, vel laici, & idem Paul. & Joan. de Imol. *num. 26.* ſed Cardin. ibi, *in §. Ipſos n. 4.* dicit videri abſonum, ut ſi viſitetur Monaſterium virorum, non poſſint duci ſæculares, & ad Monaſterium Monialium ſic; ideòque meliùs eſſe intelligere illam Clem. ſecundùm hanc Decret. quia unum jus per aliud ſuppletur, *c. Cùm expediat de elect. lib. 6.* & ſequitur Vitalin. *ibi n. 4.* Hanc tamen controverſiam ſuſtulit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, quę prohibuit laicos ullo modo intervenire viſitationi Monaſteriorum Monialium, ut in Tarviſina 20. Novembris 1601. quæ habetur in originali regiſtro *fol. 105.* etiamſi eſſent officiales, ſeu ſanctèſii ejuſdem Monaſt. ut in Genuen. 16. Januarii 1607. *in regiſt. fol. 2. & 3.* & in Lucana 22. Janua. 1616. *fol. 15.*

Quinta differentia eſt, quia Epiſcopus cum viſitat alia 24
loca, poteſt ſibi adjungere aliquot Religioſos, ut hìc: ſed cùm viſitat Monaſterium puellarum in prealleg. Clem. *Attendentes*, nulla fit mentio de Religioſis. Unde reſtat dubium, an ſaltem poſt prohibitiones Apoſtolicas ſuper acceſſu, & ingreſſu Regularium ad Monaſteria Monialium, poſſit Epiſcopus ſecum introducere Religioſos, Pro cujus ſolutione vide quod dicam infrà *num. 35.*

Sexta & ultima differentia eſt, quia in aliis viſitationi- 25
bus taxatur quidem numerus duorum, vel trium Canonicorum; idque ob eam rationem, ne ſi Epiſcopus plures, aut omnes Canonicos ſecum duceret, Eccleſia remaneret debito ſervitio deſtituta, ſed aliarum perſonarum numerus non determinatur. Unde viſitator de Religioſis, & Clericis ſæcularibus idoneis, & in decenti habitu poterit ſecum ducere quotquot expedire judicaverit, ut hìc in littera, & notant Hoſt. *num. 5. verſ. De his*, ergo Joan. Andr. *nu. 5.* Bellam. *in 3. not.* Butr. *num. 9.* Cardin. *in 4. q.* & Anchar. *in 3. not.* At verò in viſitatione Monialium taxatur nume- 26
rus octo perſonarum, quas viſitator poteſt ſecum ducere, ut in præcitata Clem. *Attendentes*. Unde ſi introducat plures, quærit ibi Paulus de Eleazar poſt Vincentium, quem citat, utrùm Moniales poſſint omnes ejicere propria authoritate; an verò illos tantùm, qui ſunt ultrà numerum conceſſum. Arguit in utramque partem, & ad extremum concludit ſub diſtinctione, videlicet aut Viſitator ex pluribus, quos ſecum duxit ultra, vel intra numerum, non elegit quos velit ſecum eſſe; & tunc ejici poſſunt omnes, imò & ipſemet Prælatus, *cap. Ad quorundam infrà de exceſſ. Prælatorum, cap. Quia cognovimus 10. q. 3. l. 1. §. Trebatius, ff. De aqua quotid. & æſtiv.* ubi dicitur, cùm amplior numerus pecoris ad aquam appelleretur, quam deberet appelli, poſſe univerſum pecus impunè prohiberi. Et eſt ratio, quia ratione inſeparabilitatis utile per inuti- 27
le viciatur, ut notatur in reg. *Utile de regul. jur. lib. 6.* Hanc 28
autem inſeparabilitatem intelligit non reſpectu juris, ſed reſpectu facti. Vel quia Prælatus non vult viſitare, niſi omnes interſint: alias enim homo ab homine ſeparabilis eſt, ſicut animalia, *ut in dict. §. Trebatius*. Vel propter impotentiam ſeparationis provenientem ab ignorantia, quia neſcitur quos Epiſcopus eſſe velit intra, vel ultra numerum; & ſic nil eſt ibi utile propter animum excedentis Prælati. Aut Viſitator ſeparat exiſtentes intra numerum ab iis, qui ſuperfluunt: & tunc admitti debent illi tantùm, quos de numero elegit. Ita Paulus quem ibi ſequun-

quuntur Petr. de Anchar. *num.* 5. & Cardin. *in §. Ipſos n.*4. *in* 2. *&* 3. *quæſt.*

29 Hodie ex declaratoria Greg. XIII. ſuper dubiis Conſtitutionis 28. incip. *Ubi gratiæ.* Prælati omnes tàm ſæculares, quàm regulares, quibus circa, & regimen Monaſteriorum Monialium incumbit, ita demum uti poſſunt facultate ingrediendi illorum ſepta ſibi ex officio attributa (& ſic etiam ex cauſa viſitationis) ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & à paucis, iiſque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati, & contrafacientes, ſi Pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice ingreſſu Eccleſiæ interdicti, pro ſecunda à munere Pontificali, & à divinis ſuſpenſi; ac deinceps excommunicati; Regulares verò omni officio, & miniſterio privati, & excommunicati decernuntur, ut in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 393.

30 Pondera primò, nam in declaratoria non determinatur numerus perſonarum, quas Prælati poſſunt ſecum ducere intra ſepta Monaſterii Monialium, determinatur tamen in præcitata Clement. *Attendentes de ſtatu Monachorum*, à qua Coſtitutio Gregorii recipit interpretationem paſſivam, juxta text. *in l.* 2. *Cod. De noxal.* Unde ſi viſitatores introducerent plures quàm octo, ibi præfinitas, utique

31 pœnas conſtitutionis non evaderent, & hoc planum. Sed ambigui juris eſt, an eadem Conſtitutio reſtringat numerum perſonarum conceſſum in dict. Clement. Et ratio dubitandi oritur ex illis verbis, *à paucis comitati*, quæ

32 videntur eumdem numerum reſtrinxiſſe. Nam pauci quandoque dicuntur duo, ut *l.* 1. *ff. De præſcript. verbor.* Quandoque tres, *l. Sciendum*, *ff. De verbor. ſignific.* quandoque quatuor, *l.* 1. *ff. Quod cujuſque univerſitatis nomine*,

33 & ſi verba illa, *à paucis comitati*, intelligerentur de quatuor, declaratoria Gregor. eſſet conformis Extravag. *Debent de offic. ordinar.* in qua taxatur numerus quatuor perſonarum in viſitatione Capituli Cathedralis, præcipuè Regularis, ut dixi ſuprà *num.* 10. In contrarium facit, quia dictio, *paucis*, majorem etiam habet latitudinem, prout patitur ſubjecta materia, ut ſcripſi *in cap.* 1. *in* 1. *notab. infrà ne Cleric. vel Monach.* Quare interdum pauci dicuntur quatuordecim, ut ibi; Interdum quadraginta, *cap. Latores de Cler. excommunic. miniſt.* Interdum viginti tria millia, *c. Diſciplina* 45. *diſtinct.* & in ſpecie pauci dicuntur octo, ut notat Bart. *in leg. Scire etiam oportet num.* 1. *ff. De excuſat. tutor.* & ſic intelligendo verba illa, *à paucis comitati*, declaratoria Gregorii eſſe conformis prædictæ Clement. *Attendentes de ſtatu Monachorum.* Et hoc credo verius: nam cum ſignificatio illius verbi, *paucis*, in jure ſit varia, arbitrio judicantis relinquitur, ut notat gloſſ. *in cap. Cupientes*, *§. Cæterum in ver. Contradicentium paucitas, de elect. lib.* 6. *& in cap. Statutum*, *§. Inſuper in ver.*

34 *Paucis de reſcript. eodem lib.* Arbitrium verò ad juris correctionem non extenditur, cum potius debeat a jure regulari, ut notat Bart. in Extravag. *Ad reprimendum in verb. Videbitur num.* 8. Cæſar. de Graſſ. *deciſ.* 7. *num.* 7. *& deciſ.* 8. *num.* 2. *&* 4. *de ſentent. & re judic.* Rota *deciſ.* 264. *num.* 1. *part.* 7. *recent.*

35 Pondera ſecundò, quia Gregorius in præallegata Conſtitutione declarat Prælatos non aliter poſſe ingredi ſepta Monaſterii Monialium, quàm comitati à Religioſis perſonis: atque ita Epiſcopi in viſitatione Clauſuræ non ſolum poſſunt, ſed etiam debent ſecum introducere aliquot regulares ad præſcriptum hujus Decretalis. Et quamvis decretum prohibens Regularibus acceſſum ad Monaſteria Monialium ſit poſterius Conſtitutiones Gregorii, ut apud Stephan. Quaranta *in Summa Bullarii in ver. Monaſteria*

36 *Monialium fol.* 348. non tamen videtur eidem Conſtitutioni derogaſſe; tum quia proviſio generalis non refertur ad ea, de quibus ſpecialiter eſt proviſum, *c. Studuiſti ſuprà de offic. legat.* Lap. *alleg.* 68. *nu.* 5. Angel. *conſ.* 214. *Primo eſt videndum num.* 2. Tum quia ob Epiſcopi præſentiam in actu viſitationis ceſſant rationes prohibitionis acceſſus conſideratæ *in c. Diffinimus* 18. *quæſt.* 2. Quod nota ad declarationem eorum, quæ dixi ſuprà *num.* 24. & circa pœnas, in quas incidunt Prælati ingredientes ſepta Monaſterii Monialium, non ſervata forma Conſtitutionis Gregorii, vide quod ſcripſi *in cap. Nuper in ultim. quæſt. infrà de ſentent. excommunic.*

Secundò QUÆRITUR, An Epiſcopus viſitans Capitulum Eccleſiæ ſuæ Cathedralis vigore Concilii Tridentini *cap.* 4. *ſeſſ.* 6. teneatur ſibi adjungere aliquot Canonicos ad præſcriptum hujus Decretalis, non obſtantibus illis verbis *dict. cap.* 4. *Per ſeipſos ſolos*, vel illis, *quibus ſibi videbitur adjunctis.* 37

Ad propoſitum dubium Rota dixit, Epiſcopum de jure communi teneri ſibi adjungere in viſitatione aliquem ex ſuis Canonicis, per tex. in hoc *cap. Ut juxta*, cùm hìc notatis per Doctores. Unde idem dicendum hoc caſu intelligendo decretum Concilii juxta terminos juris communis, quos videtur reſpexiſſe in illis verbis, quibus ſibi videbitur adjunctis juxta canonicas ſanctiones. Nec obſtare illa verba, *per ſe ipſos ſolos*, quia non excludunt Capi- 38
tulares propter conjunctionem, quam habent cum Epiſcopo, *cap. Novit de his, quæ fiunt à Præl.* & alternativa, *Vel illis, quibus ſibi videbitur*, quaſi declaratur per ſubſequentia, *juxta canonicas ſanctiones*, ut intelligi debeant de extraneis.

Sed his non obſtantibus, contrarium ex ſententia Sac. Congregationis Concilii probavit Greg. XIII. videlicet Epiſcopum poſſe per Concilium *dict. cap.* 4. viſitare ſuum Capitulum per ſeipſum ſolùm, nullis ſibi Capitularibus adjunctis; quidquid ſecundum antiquos Canones dicendum fuerit: imò poſſe aſſumere aliquos extra Capitulum omiſſis ſuis Capitularibus: tum quia hoc expreſsè permittunt illa verba, *per ſeipſos ſolos*, excludentia etiam illos de Capitulo, ut in Extravag. *Debent de offic. ordinar.* Unde videntur deſumpta: tum quia aliàs ceſſaret arbitrium Epiſcopo tributum, ibi *Vel illis, quibus ſibi videbitur.* Et quamvis interdum diſpoſitio loquens de ſolo Epiſcopo non 39
excludat Capitulum ratione conjunctionis; hoc tamen dicendum procedere in materia, quæ communiter explicatur: Capitulum verò ſeipſum viſitare cum Epiſcopo, novum eſt.

Quòd ſi dicas, aliud eſſe Epiſcopum viſitare Capitulum cum Capitulo; aliud cum aliquibus de Capitulo: jam ceſſabit ratio conjunctionis cum toto Capitulo, non cum ſingulis, *cap. Ut juxta*, loquitur de viſitatione alterius Eccleſiæ, quàm Cathedralis, prout declarat gloſſ. in d. Extravag. *Debent in ver. Religioſa*, ubi dicit ſecus eſſe in viſitatione Cathedralis, quam ideò viſitare facilius poteſt, quia præſumitur habere notitiam perſonarum; & ſi velit aliquos ſibi adjungere, convenientius eliget extraneos, quàm Capitulares, ne ſe committat ſuſpectis, prout conſiderat ibi Bonifacius VIII. Et quatenus ſecundùm antiquos Canones debuiſſet Epiſcopus aſſumere adjunctos ex Capitulo, Concilium intendens removere omnia impedimenta viſitationum, liberavit Epiſcopos hac neceſſitate. Nec faciunt negotium illa verba relativa, *juxta Canonicas ſanctiones*; quia potius determinant ſubſequentia, ut ſit ſenſus: Epiſcopos viſitare poſſe, & corrigere juxta Canonicas ſanctiones, quoties opus fuerit per ſeipſos ſolos, vel etiam, &c. prout eadem verba habentur *in cap.* 4. *ſeſſ.* 14. ubi determinant ipſam viſitationem, & correctionem, *& in c.* 10. *ſeſſ.* 24. *& alibi*, quod autem non poſſint commodè referri ad precedentia de adjunctis, oſtenditur quia non reperiuntur Canones, in quibus ſtatuatur Epiſcopum in viſitatione ſui Capituli debere adhibere Canonicos, præter eos, qui ſibi videbuntur: & quatenus adeſſent, non erat neceſſe ad eos ſe referre, ſi Concilium diſertis verbis aliud expreſſit, arg. *l. Doli clauſula*, *ff. De verbor. obligat.* Itaque S. Congregatio cenſuit Epiſcopum in viſitatione Capituli ſuę Eccleſię Cathedralis non teneri aſſumere aliquos ex gremio Capituli, ſed poſſe vel per ſeipſum ſolùm viſitare, vel aliis, quos voluerit extra Capitulum, adjunctis,

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Honorius III. Epiſcopo Bajoc.& Archidiacono Rothom,

CAPUT XVIII.

DIlectus filius Abbas Monaſterii Rothomagen. nobis expoſuit, quòd tertia pars emendarum, quas homines quinque Parochiarum pro ſuis exceſſibus ſolvere compelluntur, ad ſuum ſpectat Monaſterium ab antiquo: & infrà. Cùmque Innocentius Papa prædeceſſor noſter vobis dederit in mandatis, ut auditis hinc inde propoſitis, cauſam remitteretis ad eum ſufficienter inſtructam, dictus Epiſcopus proceſſum veſtrum diutiùs impedivit, occaſione cujuſdam ſententiæ, quæ ſuper quibuſdam Eccleſiis, quoad legem diœceſanam, promulgata extitit pro eodem. Unde præfatus Abbas nobis humiliter ſupplicavit, ut cùm citatio, cauſarum examinatio, & deciſio, ac emendæ ad legem juriſdictionis pertinere noſcantur, non ſineremus ſententiæ memoratæ prætextu, negotii proceſſum ulterius impediri. Cùm igitur prædicta de lege juriſdictionis exiſtant, mandamus quatenus hujuſmodi ſententia non obſtante, procedatis in negotio juxta traditam vobis formam.

SUMMARIUM.

1 *LEx diœceſana, & lex juriſdictionis ſunt diverſæ, & res judicata in una non obſtat agenti in alia.*

2 *Epiſcopus habet duplicem legem in Eccleſiis ſibi ſubjectis, id eſt, legem juriſdictionis, & legem diœceſanam, in quibus conſiſtit totum jus, & poteſtas Epiſcoporum.*

3 *Leges diœceſanæ, & leges juriſdictionis quæ dicantur.*

4 *Juriſdictio Epiſcopalis tota reducitur ad ea, quæ ſunt ordinis, juriſdictionis, & ſimplicis poteſtatis, ſeu dignitatis.*

5 *Privilegium conceſſum Abbati, ut poſſit omnia liberè ſicut verus Epiſcopus, & Ordinarius tam in his, quæ ſunt juriſdictionis, quàm in aliis quibuſcumque ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, non extenditur ad ea, quæ ſunt ordinis Epiſcoporum.*

6 *Pœnas pecuniarias ex juriſdictione ſpirituali provenientes, an judex Eccleſiaſticus poſſit ſibi applicare ſaltem ſtante conſuetudine, & num. ſeqq. & n. 20. & 22.*

7 *Judex Eccleſiaſticus poteſt levare ſportulas.*

8 *Ulixbonen. Archiepiſcopus an poſſit applicare Officiali Merino pœnas pecuniarias ex Conſtitutione Synodali impoſitas exponentibus res venales tempore prædicationis, & n. ſeqq. uſque in finem.*

9 *Pœnæ pecuniariæ ex decretis Concilii Tridentini, in quibus caſibus ſint piis locis applicandæ, & n. 18.*

10 *Pœnas pecuniarias à ſtatuto impoſitas poteſt judex Eccleſiaſticus ſibi retinere, ſed impoſitas per ſententiam debet in piam cauſam expendere ex honeſtate.*
Contrarium, n. 12. & 19.

11 *Epiſcopi habent fiſcum, & ex conſuetudine ſolent pœnas pecuniarias ſuæ Cameræ applicare.*
Declaratur, n. 13.

12 *Prælati pœnas pecuniarias ſibi imburſantes vehementer præſumuntur id facere non ad correctionem, ſed ad quæſtum.*

14 *Pœnæ de jure Civili quibus ſint applicandæ.*

15 *Pœnas pecuniarias à jure, vel Conſtitutionibus præfinitas Epiſcopus ſibi poteſt applicare, ſi verè, & evidenter egeat, & n. 17.*

16 *Eleemoſynam alterius nomine facere obligatus poteſt eam facere ſibi ipſi ſi ſit in neceſſitate conſtitutus, vel ſuis conſanguineis ſi ſint pauperes.*

17 *Pœnæ pecuniariæ, quæ ex arbitrio imponuntur, piis tantùm uſibus ſunt applicandæ.*

21 *Beneplaciti Apoſtolici præſumptio ex obſervantia quadraginta annorum non intrat niſi data ſcientia ſpecifica, & patientia Papæ.*

23 *Pœnæ violantium dies feſtos pro tertia parte debentur accuſatori, & pro quarta executoribus ex Bulla S. Pii V.*

D*ilectus*. Lex diœceſana, & lex juriſdictionis ſunt diverſæ; unde res judicata in una, non obſtat agenti in alia. Hoc dicit, ſecundum Joan. Andr. & omnes, & ſunt duæ partes. In prima ponitur partis conqueſtio. In ſecunda Papæ proviſio, ibi, *Cùm ergo*. 1

Nota primò ex textu, Epiſcupos habere duplicem legem 2
in Eccleſiis ſibi ſubjectis, videlicet legem juriſdictionis, & legem diœceſanam, in quibus conſiſtit totum jus, & poteſtas Epiſcoporum. Ad dignoſcendum autem quæ ſint de 3
lege juriſdictionis, vel de lege diœceſana, gloſſa magna videtur conſtituere duas regulas. Prima eſt, quòd ea, quæ conſiſtunt in dando, vel conferendo, ſeu ut inquit Hoſtien. in actione, ad legem juriſdictionis pertinent; & in hac ſpecie connumerantur datio curæ animarum, ſecundùm gloſſ. Item omnis inſtitutio, deſtitutio, confirmatio, & inveſtitura ſecundùm Innoc. & Jo. Andr. *num.* 10. Item delictorum coercitio, ſecundùm gloſſ. Item cauſas audire, & omnia, quæ circa judicium aguntur, expedire, viſitare, corrigere, excommunicare, ſuſpendere, interdicere, ſtatuta facere, inquirere tam de vita Clericorum, quàm de officiis, & ſtatu Eccleſiarum, ſecundùm Innoc. & Joan. Andr. *ubi ſup.* Item Sacramentorum omnium collatio, & dicit Innocen. *in ver. Diœceſanum*, mirabile videri, quòd de lege juriſdictionis dicatur collatio Sacramentorum: probat tamen *in c. Interdicimus* 16. *qu.* 1. quod ad id arctat Monachos, qui non tenentur niſi ad ea, quæ ſunt de lege juriſdictionis, ut hìc. Secunda regula eſt, quòd ea, quæ conſiſtunt in recipiendo, ſeu in paſſione dulci, ut inquit Hoſtienſis, ſpectant ad legem diœceſanam, ſicut eſt recipere Synodaticum, quartam decimarum, & mortuariorum, & ſi qua poſſunt ſimilia reperiri. Similem gloſſam habes *in Summ.* 10. *qu.* 1. & hæc theorica gloſſæ placet Baldo *in l. Si quis ad declinandam*, §. *In omnibus n.* 3. *C. De Epiſc. & Cler.* dicenti opinionem gloſſæ non eſſe totaliter ab interpretatione nominis alienam. Placet etiam Mariano Socino *in tract. de viſitatione Epiſcopi lib.* 1. *col.* 1. *& lib.* 11. *col.* 34. *verſ. Quid de Capellis*, & Præpoſito *in c.* 1. *col.* 10. *q.* 1. ubi ait, legendo hoc *c. Dilectus*, ſe ſemper eam tenuiſſe; ſed aliam regulam dat Cardin. *hìc in* 1. *q.* nam ſecundùm eum cùm in hoc non poſſit dari certa doctrina; ideò qui dicit aliqua eſſe de lege juriſdictionis, ita ut non ſint de lege diœceſana, vel è converſo, debet hoc probare inducendo jura dicentia tale quid eſſe de lege diœceſana, vel de lege juriſdictionis; & ſi nihil probet, ſuccumbet; nam ſola illa dicuntur de lege diœceſana, & non juriſdictionis, vel è converſo; de quibus invenitur ſic jure expreſſum, aliàs non dicuntur de lege diœceſana, diſtincta à lege juriſdictionis, nec è converſo, ſed dicuntur de jure Epiſcopi. Verùm Innoc. *in c.* 1. *de ſtatu Monach.* proſequendo ea, quæ ſpectant ad utramque legem *num.* 2. Similiter dicit in hac materia dari non poſſe propriam, generalem, & invariabilem doctrinam, quia in juribus antiquis non reperitur hæc diſtinctio, quod aliqua ſint de lege diœceſana, & aliqua de lege juriſdictionis, ſed solùm in hac decretali nova, quæ tamen plenè non declarat, ſed tantùm facit mentionem de his, quæ in textu continentur. Unde concludit unicam eſſe legem Epiſcopi, ſcilicet diœceſanam,

nam, ſub qua comprehenditur lex juriſdictionis. Ideòque ſolùm in expreſſis à jure poſſumus facere iſtam diverſitatem inter has leges; ſed quia jure cautum eſt, ut Monaſteria non ſubſint Epiſcopo quoad legem diœceſanam, ut *in cap.* 1.10.*qu.*1.poſſumus dicere ſecundùm eum ad legem diœceſanam pertinere illa, à quibus Monaſteria de jure exempta reperiuntur, reliqua verò ſpectabunt ad legem juriſdictionis,& hanc doctrinam Innocentii ſequuntur hìc Hoſtienſis *num.* 6. Joan. Andr. *num.* 15. Anchar. *num.* 1. *in* 2. *qu.* Imol. *num.* 6. *poſt med. verſ. Item etiam*, Abb.*num.*4. dicens eam meliorem eſſe, ac communiorem, quàm theoricam gloſſæ, prout etiam dicunt Petrus de Ravenna *in compendio cap.* 1. *de offic. Ordinarii col.* 26.& Henric. Bottæus *de Synodo Epiſcopi par.* 1.*num.* 61. *verſ. Quid tenendum:* nam regulæ gloſſæ ullo modo probantur; nullibi enim cavetur, ut ea, quæ conſiſtunt in recipiendo, ſint de lege diœceſana; & ea, quæ conſiſtunt in dando, ſeu conferendo,ſint de lege juriſdictionis. Imò hęc regula apertè reprobari videtur tum exemplo procurationis, quæ conſiſtit in recipiendo, & tamen Monaſteria non ſunt exempta à procuratione debita rationis viſitationis,ut *in c.Soppitæ,& in cap. Venerabilis infrà de cenſibus*. Tum exemplo quartæ mortuariorum, quæ ſimiliter in recipiendo conſiſtit, & nihilominus Monaſteria ad illam tenentur, *cap.Requiſiſti infrà de teſtam.* Contrà verò Synodus non conſiſtit in recipiendo; quinimò, Epiſcopus ibi præeſt, & exercet juriſdictionem, & punit contemnentes accedere; & tamen ſecundùm gloſſam eſt de lege diœceſana.

4 Tu verò ad prædicta vide Anton. de Butr. in ſuo celebri *conſ.* 19. quod incipit, *In nomine Patris, &c.* quia hìc agitur. *num.*1.ubi redarguit iſtum modum loquendi de lege Diœceſana, & Juriſdictionis, dicens eam non eſſe doctrinalem, quia Epiſcopalis juriſdictio in univerſum reduci poteſt ad tria membra. Quædam enim ſunt Epiſcopo competentia ratione ordinis; quædam ratione juriſdictionis, & quædam ſunt ſimplicis poteſtatis, ſeu dignitati: &
5 ſingula membra luculenter proſequitur concludens principaliter privilegium conceſſum Abbati, ut poſſit omnia liberè ſicut verus Epiſcopus, & Ordinarius, tàm in iis, quæ ſunt juriſdictionis, quàm in aliis quibuſcumque ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus, non extendi ad ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis: & nota perpetuò illud conſilium, quia fuit ſæpiùs approbatum in ſupremis Urbis Tribunalibus, & ejus meminit Felin. poſt Gemin. *hìc num.* 8. Henric. Bottęus *d. nu.* 61. *verſ. Felin. autem*.

6 Secundò nota ibi, *Tertia pars emendarum*: Judicem Eccleſiaſticum poſſe ſibi applicare pœnas pecuniarias provenientes ex ſpirituali juriſdictione, ſaltem ſtante conſuetudine: nam etſi judex ordinarius adſtringatur ad gratis reddendum officium, arg. *c. Inter cætera ſuprà eodem*, tamen ſuper hoc poteſt habere conſuetudinem certam & moderatam, qua uti poteſt, arg.*c. Ad Apoſtolicam*,§.*fin.in-*
7 *fra de Simon.* Secundùm Hoſtienſem *hìc num.* 3.*in verb. Ac emendæ*. Item poteſt levare ſportulas ſecundum ea, quæ notantur per eumdem Hoſtienſem *in cap.Cùm.ab omni ſpecie num.* 2. *&* 8. *infra de vita, & honeſtate Cleric.* Quidam tamen intelligunt hanc Decretalem, *& cap. Referente*, de delictis puerorum in caſu, in quo adeſt ſtatutum, ut ſi quis tale quid commiſerit tantùm ſolvat;tunc enim poteſt levare, & ſibi retinere, ut per Hoſtienſem *in Summa hoc tit.*§. *Quid pertinet ſub nu.* 4. *circa med. verſ. Non tamen debet*, ſed hoc latius examinabitur *in qu. ſeqq.*

8 Ex facto quæſitum eſt, an Archiepiſcopus Ulixbonenſis poſſit Officiali ſuo Merino applicare pęnas pecuniarias,quę ex Conſtitutione Synodali imponuntur eis, qui diebus feſtis tempore prædicationis res venales exponunt.

9 Hæc quęſtio videtur ſolvenda ex diſpoſitione juris communis: nam decreta Tridenti Concilii, quibus ſtatuitur, ut pœnæ applicentur locis piis, non videntur ad hunc caſum pertinere: nam *c.* 1.*ſeſſ.*23.loquitur de pœnis non reſidentium, *c.*3.*ſeſſ.*25. de mulctis, quæ ob contumaciam irrogantur, *c.* 14.*ejuſdem ſeſs.* de pœnis in concubinarios. In præſenti autem caſu agitur de pœna ex conſtitutione Synodali inflicta iis, qui prædicationis tempore res venales ex-
10 ponunt. De jure communi verò Hoſt. *in Sum. de offic. Ordinar.dict.*§.*Quid pertinet ſub nu.*4.*circa medium, verſ. Non tamen debet*, aſſerit pœnas pecuniarias in caſibus permiſſis à ſtatuto impoſitas poſſe ſibi judicem Eccleſiaſticum retinere, ac in proprios uſus convertere: ſed pœnas, quas ipſe per ſententiam ex officio infligit, poſſe quidem ſibi applicare, ſed ſi velit evadere cupiditatis ſuſpicionem,debere illas in piam cauſam expendere. Atque ita ſentit Hoſt. utroque caſu poſſe judicem Eccleſiaſticum convertere hujuſmodi pœnas in proprios uſus,ſed de honeſtate non eſſe ita, quando ex ſuo officio opponuntur, & hanc ſententiam Hoſtien. ſequuntur Joan. Andr.*in cap.Licet ſub num.*50. *verſ. Et conſuluit Hoſtienſ.* & ibi etiam Henric.Boich. *in fin.verſ. Conſuluit tamen*,Anton.de Butr.etiam *in fin. verſ. Ultimo*, Anchar.*num.*2.*verſ.Et hic dicit*, & Abbas *ſub num.*9.*verſ. Sed quæro quid fiet de iſta pœna infrà de pœnis*,& idem Hoſtienſ. & Jo.Andr.*in cap. Pro humani, de homicid. lib.* 6. Henricus Bottæus *de Synod.Epiſcop. par.* 3. *artic.* 1.*num.*129.*& ſeqq.* Abbas *in cap. Qui plerique in* 3. *notab.* per illum textum *de immunit. Eccleſ.* Gemin. *in cap. Quoniam col. fin.* ubi etiam Præpoſ.*ſub num.*8,*verſ.Vos latius diſtinguite* 18. *diſt.* Henr. Boich.*in cap.Irrefragabili col.*2.*verſ.Superiores provideant*, & Felin.*ibid.in* §.*Cæterùm n.*8.*&* 9.*ſuprà eodem*.

Prælati enim ex veriori opinione, atque uſu ubique 11
comprobata habent fiſcum, & ex conſuetudine pœnas pecuniarias ſuæ Cameræ applicare conſueverunt, ut atteſtatur Bald. in Auth. *Bona damnatorum num.*2. *C. De bon.proſcript.* quem refert Joan.de Anan.*in cap.Excommunicamus in princip.n.*9.*de hæret.*Angel.*de Malefic.in verb.Et ejus bona n.*30.Andr.Barbatia *conſil.*22.*n.*12. *lib.* 3. & alii apud Julium Clar.*in pract.*§.*fin.q.*80.*verſ.In hac autem materia*.

Contra verò, id eſt, de jure communi, pœnas eſſe indi- 12
ſtinctè applicandis locis piis, ſcripſerunt idem Hoſtienſ. *in cap.Irrefragabili num.*21. *verſ. Caveat tamen ſuprà eodem*, ubi dicit cavendum eſſe Prælatis Eccleſiaſticis, ut pœnas pecuniarias in pios uſus convertant, nec ſibi imburſent, quia tunc vehementer præſumerentur id facere non ad correctionem,ſed ad quæſtum, Gemin.*in c.Si Canonico*, §. *Licet autem in* 4.*notab.de offic.Ordin.lib.* 6. Dec.*in rubr.de judiciis in ſecunda lectura n.*66. Covarr.*lib.*2.*var. reſol.cap.*9. *num.*11.ubi ait eſſe quidem communem opinionem, Eccleſiam, & Prælatum diœceſanum fiſcum habere, non tamen id eſſet temerè permittendum ad explendam avaritiam Epiſcoporum, ſed ut ea, quæ eorum fiſco fuerunt delata, in uſus pios erogentur.

Pro quibus videtur textus *in cap. Presbyteri de pœnis*, 13
ubi compoſitionem Presbyteri interfecti jubet Pontifex pro dimidia parte in Eccleſia utilitatem, pro altera in eleemoſynam erogari: atque ita ibi notat gloſſ. *in verb.Utilitatibus*, & poſt alios Petr.de Anchar.*in* 4.*notab.*Quod multò magis procedit hoc caſu, in quo Archiepiſcopus poteſt alia ratione provideri officialibus ſuis, nempè ex redditibus admodum pinguibus menſæ Archiepiſcopalis, prout tenetur de jure, arg.*c.Cum ab omni de vita, & honeſt.Cleric.* & ſcripſi latiùs *in dict. c. Presbyteri à n.* 24. *de pœnis*.

Porrò idem Anchar. *in dict.cap.Presbyteri num.* 4. ſic di- 14
ſtinguit. Aut jus accuſationem inducit,& pœna fiſco applicatur, aut inducit actionem, & applicatur parti. Aut ſimpliciter loquitur, & cenſetur actionem inducere, & ſequitur Silveſt.*in Summa in verb. pœna num.*26. Quæ tamen diſtinctio procedit de jure civili, non autem de jure Canonico, ut declarat Dec.*in rubr.de judiciis d.n.*66.*in* 2. *lectur.*

Cæterùm in hac opinionum diſcrepantia admittunt om- 15
nes, poſſe Epiſcopum, ſi verè, & evidenter indigeat, in proprias neceſſitates hujuſmodi pœnas à jure, vel conſtitutionibus præfinitas expendere, Hoſtien.*in cap.Irrefragabili n.*21.*verſ.Caveat tamen*,ibi,*niſi forſan egeret ſup.eod.* quem ibi ſequuntur Joan. Andr.*num.*18.*verſ.Dicit hic Hoſtien.*Jo. de Anan.*num.*14.Abb.*in* §.*Cæterum nu.*1. & Felin. *ibid.n.*9. *verſ.Limita dupliciter*,ubi dicit ita ibi omnes tenere,& hìc notant idem Hoſt. *num.* 5. *verſ. Et idem dicit de Epiſcopo ſi egeret*, Jo.Andr.*num.*6. *verſ.Item ſi egeat*, Butr.*n.*8. *poſt medium*,*verſ.Vel in ſuam utilitatem*, Anchar.*num.*2. *verſ. Non obſtat*, Præpoſit. poſt Gemin. *in cap. Quoniam ſub num.* 8. *verſ.Dicit tamen Hoſtienſ.*18.*diſtin.*Diaz.*in pract.criminal. Canonic.c.*134.*circa med.* Covarr.*var.reſol.lib.*2.*cap.*9.*verſ. Quintum*,Joan.Lap.*in rubr.de donat.inter virum, & uxor.* §. 19.*col.ult.*Jul.Clar.*in pract.*§.*fin.qu.*8.*verſ.In hac autem materia.* Sic etiam obligatus ad eleemoſynam nomine alterius 16
poteſt eam facere ſibi ipſi, ſi ſit in neceſſitate evidenti, ut docet Divus Thomas *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 9. *quæſt.* 2. *artic.* 6. *& in* 2. 2. *quæſt.* 185. *artic.* 7. *ad fin.* Abb. *conſ.* 34.

At-

Attingam in fin. lib. 1. & alii à Fel. relati *in dict.* §. *Cæterùm*
ſub num. 9. *verſ. Limita dupliciter*, ſicut poteſt eam applica-
re ſuis conſanguineis, ſi indigeant, ut notat Imol. *in cap.* 1.
num. 2. & 6. *de cohabitat. Cleric. & mulier.* Et hanc ſenten-
tiam probavit Sac. Congregatio Concilii, quæ ſæpiùs cen-
ſuit Epiſcopum, ſi indigeat, poſſe pro ſe retinere eas tantum
pœnas pecuniarias, quæ à ſacris Canonibus, vel Synodali-
bus ſtatutis pro delictis ad certam quantitatem fuerint
præfinitæ: eas autem, quæ vel ab ejus arbitrio, vel per ſen-
tentiam nulla præcedente Canonum, vel ſtatutorum Syno-
dalium determinatione imponuntur, nequaquam aliis,
18 quàm piis locis, vel uſibus applicare poſſe: verùm pœnas
Clericorum non reſidentium, item concubinariorum, ac
mulctas pecuniarias ſemper piis locis eſſe applicandas,
quemadmodum Tridentini Concilii decretis ſalubriter
cautum eſt. Licèt poſteà Sacra Congregatio exiſtimave-
rit Epiſcopos pauperes conſultiùs facturos, ſi pro hujuſmo-
di applicationibus ſibi, vel ſuis officialibus faciendis, ad
Sedem Apoſtolicam recurrant, ubi dixi *in cap. Presbyteri*
num. 22. *de pœnis*.

19 Ex his patet non licere Archiepiſcopo hujuſmodi pœnas
Merino applicare: nam priorem Hoſtienſis ſententiam,
videlicet pœnas ex ſtatuto impoſitas poſſe Epiſcopum in
proprios uſus convertere, jam rejecit S. Congregatio, niſi
in caſu indigentiæ, redditus autem Eccleſiæ Ulixibonen. di-
cuntur aſcendere ad ſexaginta millia aureorum.

Neque obſtat, quòd hoc caſu Archiepiſcopus applicet
pœnas hujuſmodi officiali Merino, qui niſi hoc lucro alli-
ceretur, delicta Tabernariorum impunita remanerent in
diminutionem divini cultus, & contemptum authoritatis
Archiepiſcopalis: nam reſpondetur, huic inconvenienti non
eſſe obviandum per aliud inconveniens, *c. Is autem*, & *c.*
Nequis 22. *qu.* 2. *c. Non magnoperè*, & ibi gloſſ. *infr. ne Cle-*
rici, vel Monach. & in puncto reſpondit eadem S. Congre-
gatio Concilii conſulta ab Epiſcopo Montis Alcini: nam
cùm is petiiſſet facultatem applicandi ſuis miniſtris ſaltem
dimidiam partem pœnarum hujuſmodi, ſicut fecerant ejus
anteceſſores; cùm præ inopia ipſe non poſſet ſalarium con-
ſtituere, eaque de cauſa vix reperiretur, qui operam ſuam
ejus Curiæ præſtare vellet: Sacra Congregatio cenſuit hu-
juſmodi miniſtros ea de cauſa nihil percipere debere, nec
quidquam eſſe contra jus, quod aliquid percipi vetat con-
cedendum. Cui conſonat alia declaratio edita tempore 20
Cardinalis Alexandrini: nam cùm Epiſcopus Tudertinus
quæſiviſſet, an Vicario Epiſcopalis Curiæ ex pęnis, & mul-
ctis aliqua portio aſſignari poſſet pro ejus mercede, ut vigi-
lantiùs criminibus indagandis incumberet juxta antiquum
ritum ipſius Curiæ: Sac. Congregatio cenſuit non poſſe.

Rurſus non obſtat, quòd dicta Conſtitutio fuerit obſer- 21
vata per quadraginta annos, ideòque præſumatur confir-
matio Apoſtolica, gloſſ. 1. *in cap. Pervenit de cenſib.* Seraph.
deciſ. 536. *num.* 5. Quoniam id fortè poſſet procedere, ſi pro-
baretur ſcientia ſpecifica, & patientia Papæ, ut declarat
Cardin. *in proœm. Clement.* §. *Univerſitati num.* 2. *verſ. Dic*
meliùs, & patet exemplo alienationis bonorum Eccleſiæ
ſine beneplacito Apoſtolico, in quo cùm ſit neceſſaria
ſcientia Papæ, illa non præſumitur ex antiquitate temporis,
ut pluribus probat Alexand. *conſ.* 9. *Viſo themate nu.* 8. *lib.* 3.
Afflict. *deciſ.* 107. *num.* 7. Cravett. *de antiq. temp.* 3. *part. in*
princ. num. 18.

Ac poſtremò tollitur objectum, quia ex ſententia Sac. 22
Congregationis pęnæ pecuniariæ ſunt ab Epiſcopo piis uſi-
bus applicandæ, contraria conſuetudine non obſtante.

Adverte tamen, quia pœnæ violantium dies feſtos pro 23
tertia parte debentur accuſatori, & pro quarta executori-
bus ex peculiari Conſtitutione S. Pii V. *Cum primum, verſ.*
Cùm verò dierum feſtorum, & inferiùs, *verſ. Multæ autem*
pecuniariæ, ut dixi *in c. Presbyteri n.* 34. & 35. *de pœnis*,
& ibi vide latiùs per diſcurſum de hac materia applicatio-
nis pœnarum.

DE OFFICIO ORDINARII.

Gregorius IX. Epiſcopus Suanen.

CAPUT XIX.

GRave gerimus, quòd, cùm in Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Orbitello, & quaſdam alias in tua diœceſi exiſtentes, ad Monaſterium ſancti Anaſtaſii de Urbe ſpectantes, nullam juriſdictionem habeas ordinariam, aut etiam delegatam, occaſione literarum noſtrarum, quas ſuper correctione Clericorum tibi tranſmiſimus, in eas interdicti, ac in Clericos earumdem ſuſpenſionis ſententias promulgaſti: quamquam Abbas ejuſdem Monaſterii eos corrigere ſit paratus: & infrà. Mandamus quatenus ſi eſt ita, prudenter corrigens per teipſum quæ minùs providè attentaſti, prædictas ſententias ſine difficultate relaxes.

S U M M A R I U M.

1 *ORdinarius in vim reſcripti de corrigendis Clericis ſuæ diœceſis non poteſt procedere contra exemptos.*

2 *Mandatum juriſdictionis excitativum non ampliat juriſdictionem, ſed commenſuratur poteſtati juriſdictionis antiquæ excitatæ.*

3 *Appellatio ad Metropolitanum non impeditur per litteras commiſſionis excitativas juriſdictionis Ordinarii.*

4 *Clauſula*, authoritate noſtra procedas, *importat juriſdictionem delegatam.*

5 *Delegatus Papæ an procedere poſſit contra exemptos, ſi in litteris non ſit facta mentio exemptionis.*

6 *Sententia Ordinarii in exemptos eſt ipſo jure nulla ex defectu juriſdictionis, & n. ſeqq.*

7 *Relaxari debet de facto, quod de facto proceſſit.*

8 *Exemptus excommunicatus à jure in caſu Papæ non reſervato, an poſſit abſolvi ab Ordinario loci.*

9 *Eccleſiæ, & perſonæ exemptæ, vel nullius diœceſis tàm ſæculares, quàm regulares, an & quibus caſibus hodie ſubſint viſitationi, & juriſdictioni Epiſcopi, & num. ſeqq. uſque in fin.*

10 *Locus exemptus in quo differat à loco nullius diœceſis.*

11 *Epiſcopi viſitationi, vel juriſdictioni, an & quando ſubſint Eccleſiæ ſæculares exemptæ.*

12 *Eccleſiæ exemptæ regulares.*

13 *Monaſteria in Congregationem non redacta.*

14 *Monaſteria non curata.*

15 *Parochiales Monaſterio unitæ.*

16 *Monaſteria non curata, in quibus viget regularis obſervantia.*

17 *Monaſteria commendata.*

18 *Eccleſiæ regulares non curatæ, nec commendatæ.*

19 *Eccleſiæ nullius diœceſis regulares.*

20 *Beneficia regularia nullius diœceſis quoad ſeminarium.*

21 *Eccleſiæ ſæculares nullius diœceſis.*

22 *Perſonæ ſæculares nullius diœceſis.*

23 *Clerici nullius diœceſis quoad Synodum.*

24 *Regulares perſonæ nullius diœceſis.*

25 *Regulares Curati nullius diœceſis.*

26 Regulares nullius diœceſis quoad proceſſiones.
27 Item quoad ordines, & dimiſſorias.
Item quoad falſam monetam, n. 80.
28 Perſonæ ſæculares exemptæ curam animarum exercentes.
29 Aut non exercentes.
30 Exempti ſæculares privilegio perſonali, vel locali, & Capitula Cathedralium.
31 Regulares degentes extra clauſtra.
32 Apoſtatæ, & ejecti.
33 Regulares extra clauſtra in civilibus cauſis.
34 Regulares degentes intra clauſtra.
35 Et quando cenſeantur intra clauſtra degere.
36 Perſonæ ſæculares intra clauſtra degentes.
37 Regulares ſubſunt Epiſcopo in caſibus infraſcriptis, videlicet: Cum delinquunt in adminiſtratione alicujus Sacramenti.
38 Cùm delinquunt circa perſonas, clauſuram, & adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium.
39 Quoad præſidendum electioni Abbatiſſæ, & quoad confeſſiones Monialium, & bonorum adminiſtrationem.
40 Cùm evulgant libros non ſervata forma Concilii.
41 Quoad lectionem ſacræ Scripturæ.
42 Cum prædicant ſine licentia Epiſcopi, vel benedictione, aut eo contradicente.
43 Cùm prædicant errores, & ſcandala, & quoad fidei profeſſionem.
44 Quoad Conſervatores.
45 Quoad indulgentias, & eleemoſynas.
46 Quoad celebrationem Miſſarum.
47 Cùm adminiſtrant bona Confraternitatum, vel Hoſpitalium.
48 Quoad viſitationem Confraternitatum in Eccleſiis Regularium.
40 Quoad interſtitia, & ordines.
50 Cum audiunt confeſſiones ſine Epiſcopi licentia, aut ea expirata, vel revocata.
Et an, & quando ſemel approbati ad confeſſiones reprobari poſſint, ibidem.
51 Quoad acceſſum ad Synodum diœceſanam.
52 Quoad præfixionem numeri Monialium.
53 Quoad erectionem Monaſteriorum utriuſque ſexus.
Et qua authoritate, & quibus conditionibus Monaſteria ſint erigenda, ibidem.
54 Cum reperti fuerint extra Conventus ſine mandato ſuorum Superiorum.
55 Cum ſtudiorum cauſa abſentes in Conventibus non habitant.
56 Quoad clauſuram Monaſteriorum Monialium.
57 Quoad licentiam Monialium exeundi à Monaſterio.
58 Quoad licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium.
59 Quoad licentias accedendi ad Colloquia cum Monialibus.
60 Quoad jus educendi Abbatiſſam pro inſtitutione alterius Monaſterii.
61 Quoad oblationem Confeſſoris extraordinarii pro Monialibus.
62 Cum ſe in Congregationem redigere neglexerunt.
63 Quod Monaſteria Monialium Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta.
64 Quoad Vicarios perpetuos in Parochialibus Monaſterio unitis, & amovibiles in Monaſteriis curatis.
65 Quoad publicationem cenſurarum Epiſcopalium.
66 Quoad dies feſtos ab Epiſcopo indictos.
Et quid quoad ritus, & conciones, ibid.
67 Quoad controverſias de præcedentia.
68 Quoad publicas proceſſiones.
69 Cum delinquunt extra clauſtra notoriè, & cum ſcandalo.
70 Quoad novitiorum renunciationes.
71 Quoad explorationem puellarum Deo dicandarum.
72 Quoad judicium nullitatis profeſſionis.
73 Quoad executionem decretorum, ſeſſ. 25. de regul.
74 Quoad quartum funeralium.
75 Cum ob notorium delictum ſunt excommunicati.
76 Cum impediunt Epiſcopum in exercitio juriſdictionis.
77 Quoad expoſitionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.
78 Cum in Monaſteriis poſthac recipiendis actu non inhabitant duodecim Religioſi.
79 Cùm monetam auream, vel argenteam in Italia adulterant.
81 In Conventibus ſuppreſſis, ac poſteà reſtitutis donec habuerint redditus pro duodecim Religioſis.
82 In Conventibus non ſuppreſſis, in quibus non aluntur ſex Religioſi.

GRave. Per reſcriptum, quo Papa mandat Ordina- 1
rio, ut corrigat Clericos ſuæ diœceſis, non datur ei juriſdictio ſuper exemptos. Hoc dicit ſecundùm Joannem Andr. & alios communiter. Vel ſic: Mandatum directum Ordinario non ampliat juriſdictionem, nec confert eam quoad Eccleſias in ejus diœceſi exiſtentes ſub juriſdictione, & poteſtate Abbatum, Baldus. Sunt duæ partes. In prima, Conqueſtio, In ſecunda, Proviſio ibi, *Mandamus*.

Nota primò ex hoc textu per mandatum juriſdictionis 2
excitativum non ampliari juriſdictionem in exemptos, quia mandatum hujuſmodi commenſuratur poteſtati juriſdictionis antiquæ excitatæ, & illius terminos non egreditur. Et ſic cùm id mandatur, quod prius competebat de jure communi, non creatur nova poteſtas, quia expreſſio illorum, quæ inſunt ſui natura, nihil operatur, ſecundùm Ant. de Butr. *hic num.* 3. *&* 6. Quod facit contra Epi- 3
ſcopos, qui ſtudiosè procurant ſibi mandari per litteras S. Congregationis Epiſcoporum, ut procedant in aliqua cauſa civili, vel criminali aliàs ſpectante ad eorum ordinariam juriſdictionem eo tantùm fine, ut ſic impediant appellationem ad Metropolitanum: nam per regulam hujus Decretalis patet eos per hujuſmodi litteras non effici delegatos, ut neceſſe ſit appellare ad delegantem juxta gloſſ. *fin. in ca. Dilecti, il terzo infrà de appellat.* Unde ſi cauſa ſit appellabilis, ad Archiepiſcopum poterit nihilominus appellari, perindè ac ſi mandatum hujuſmodi non emanaſſet, ut eſt caſus apertus *in cap. Licèt ſuprà eodem*, etenim ut hìc dicit Goffred. hoc caſu reſcribitur incitando eorum officium, non delegando. Cujus dictum ſequuntur Hoſtienſis *nu.* 3. *in ver. Tranſmiſimus*, Joan. Andr. *in eodem ver. & num.* 1. Cardin. *num.* 2. *in* 4. *oppoſit.* Butr. *num.* 2. *&* 3. Anchar. *n.* 1. *in* 3. *not.* Et ita aliquando ſuas litteras declaravit eadem Sacra Congregatio. Quinimò interdum ad has pravas 4
interpretationes ſubmovendas Sanctiſſimus mandavit exprimi in litteris commiſſionis, ut Epiſcopus procedat authoritate ſua ordinaria. Si tamen in litteris appoſita eſſet clauſula, *noſtra authoritate*, Delegatus cenſeretur, ſecundùm Collectar. *hic in princ.*

An autem eo caſu Epiſcopus delegatus à Papa procede- 5
re poſſit contra exemptos, ſi de exemptione nulla ſit facta mentio in litteris, Hoſtien. *hic num.* 2. *in ver. Occaſione litterarum*, ſentit non poſſe procedere, quia in generali mandato non includuntur exempti ex defectu intentioni Papę. Et cum eo tranſit Joan. Andr. *n.* 3. *in ver. Tranſmiſimus.* Sed contrarium tenet Abbas *nu.* 5. quia hoc caſu ſcribitur Ordinario tamquam cuilibet extraneo, nec eſt opus facere mentionem de exemptione, quia in nullo derogatur privilegio exemptionis, cùm Ordinarius procedat ut Delegatus Papę, & tamquam Delegatus non infert prejudicium exemptioni, cùm gerat vices Papæ. Et hæc eſt ratio cur Concilium Tridentinum, dum tribuit Epiſcopis authoritatem in exemptos, jubet eos procedere tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatos, ut *in c.* 3. *ſeſſ.* 6. *in c.* 8. *ſeſſ.* 7. *in c.* 4. *ſeſs.* 14. *in c.* 9. *ſeſs.* 24. & ſæpè alibi. Nimirum quia authoritate delegata jura exemptorum non violantur, ut dixi *in c. Tuarum n.* 31. *&* 32. *infr. de priv.* Cęterùm opinio hęc Abbatis ſingularis eſt, nam reliqui omnes tenent contrarium. Unde non videtur recedendum à ſententia Hoſt. & Jo. Andr. contra quam difficilè eſſet in practica obtinere, ut inquit Fel. *hic n.* 5. ubi hanc partē pluribus confirmat, & ad motiva Abb. reſpondet.

Secundò nota ſententiam, quam profert Ordinarius in 6
exemptos, eſſe ipſo jure nullam ex defectu juriſdictionis, quod evidenter probat hæc Decretalis ibi, *nullam habeas juriſdictionem ordinariam, aut etiam delegatam*, & notat gloſſ. *fin.* Hoſt. *num.* 4. *in ver. Relaxes*, Butr. *num.* 3. Card. *n.* 2. *verſ. Secundo oppono*. Neque obſtat verbum, *relaxes*, quia 7
ſecundùm Innocentium intelligitur de facto, ut ſic de facto reſcindatur, quod de facto proceſſit, ut in *cap. Dilecto infrà de teſtament.* Magnæ enim prudentiæ eſt errorem

rem proprium revocare, *cap. Magnæ* 22. *qu.* 4. Hoſtienſ. *hic in ver. Relaxes*, & Bald. *num.* 1. qui propterea exponit verbum, *attentatum*, id eſt, à jure non conſummatum, & ſic de facto. Vel dic relaxes, id eſt, relaxatas eſſe oſtendas. Simile *in cap. Accedens inf. ut lit. non conteſt.* Quas duas ſolutiones ponit hic gloſſ. *fin.* cum qua alii tranſeunt.

Procedit autem hæc concluſio, etiamſi exempti ab Ordinario citati non venerint allegaturi ſuam exemptionem, quia nihilominus ſi eorum exemptio ſit notoria, ſicuti eſt exemptio regularium, proceſſus Ordinarii eſt nullus, ut per Collectar. *hic num.* 5. de quo articulo ſcripſi plenè in *dict. c. Tuarum infra de privileg.*

8 Sed numquid exemptus excommunicatus à jure in caſu Sedi Apoſtolicæ non reſervato poſſit abſolvi ab Ordinario loci, Feder. de Sen. conſuluit poſſe abſolvi, ſed eum refellit Abb. *hic n.* 4. per tex. juncta gloſſ. not. in Clemen. *pen. de ſentent. excomm.* & per textum *hic in ver. Nullam juriſdictionem habeas*. Et pleniùs hunc articulum examinat in quæſtione ſua incip. *De Clericali ordine inſigniti*. Et hanc partem efficaciter probat decretum Concilii Tridentini in doctrina *de Sacramento Pœnitentiæ ſeſs.* 14. *c.* 7. *de caſuum reſervat.* juncto textu hic, nam *in dict. c.* 7. dicitur: Quoniam ratio, & natura judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Hæc ibi. Sed Ordinarius in exemptos nullam habet juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, ut hìc deciditur. Ergo ſententia abſolutionis nulla eſt. Concordat *c. Omnis de pœnitent. & remiſs. & c. Paſtoralis*, §. *Præterea ſupr. eodem.*

9 QUÆRO, An & quibus caſibus hodie Eccleſiæ, & perſonæ exemptæ, vel nullius diœceſis tam ſæculares, quàm regulares ſubſint viſitationi, & juriſdictioni Epiſcopi.

Quoniam de viſitatione, ac juriſdictione Epiſcoporum in Eccleſias, & perſonas hujuſmodi varia Decreta in Tridentino Concilio, atque in Conſtitutionibus Apoſtolicis ad idem Concilium ſpectantibus reperiuntur, & ob multiplicem caſuum diverſitatem facilè poſſunt perplexitatem ingerere; non abs re futurum exiſtimavi illa omnia aliquo ordine diſtinguere, atque in compendium referre, ut uſui eſſe poſſint.

10 Ad evidentiam præmittendum eſt Eccleſias exemptas hoc differre ab Eccleſiis nullius diœceſis, quod Eccleſiæ exemptæ in diœceſi eſſe dicuntur, ut clarè probat littera hujus text. ibi, *In tua diœceſi exiſtentes*. Idem probat text. *in c. Cum Epiſcopus hoc tit. lib.* 6. dum dicit in qualibet parte ſuæ diœceſis, dummodò in loco non exempto. Ergo locus exemptus eſt in diœceſi, prout ibi ponderat Gemin. *in* 3. *not.* & Franch. *in* 2. *not.* Idem tenet gloſſ. Clem. 1. *in ver. Aut earum de foro compet.* Cardin. in Clemen. *Ne Romani*, §. *Sanè in* 5. *quæſt. de elect.* Abb. *hic in* 1. *not.* & Felin. poſt alios *num.* 1. Eccleſiæ verò nullius diœceſis neque ſunt de diœceſi, neque in diœceſi, ut verba ipſa ſonant, & tradit Rota *dec.* 207. *num.* 2. *par.* 2. *diverſ.* Conſtituitur enim locus nullius diœceſis non per ſimplicem exemptionem à juriſdictione diœceſani, ſed per diſmembrationem territorii cum omnimoda juriſdictione inferioris Prælati in Clerum, & populum excluſo Epiſcopo; gloſſ. communiter approbata in d. Clem. 1. *in ver. Diœceſanis de foro compet.* & ex ſententia Sac. Congregationis Concilii dixi *in cap. Nullus nu.* 20. *infrà de Parochiis*. Itaque ſtatus nullius diœceſis liberat non modò à ſubjectione, ſed etiam à ſituatione, & denominatione; exemptio verò à ſubjectione tantùm, Vitalin. in Clem. 2. *n.* 44. *de privil.* Franch. *in c.* 2. §. *Statuto, verſ. Sed adverte, de conſtit. lib.* 6. quas differentias latiùs proſequor *in c. Cum contingat infr. de foro compet.*

His præhabitis, primò agendum de Eccleſiis, deindè de perſonis.

11 Eccleſiæ aut ſunt exemptæ, aut nullius diœceſis, prout hæ duæ ſpecies diſtinguuntur à Concilio *in cap.* 10. *& cap.* 18. *ſeſs.* 23. *& in cap.* 9. *ſeſs.* 24. Si exemptæ, aut ſunt ſæculares, aut regulares. Si ſæculares ſunt, Epiſcopus poteſt eas viſitare tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus ex *c.* 8. *ſeſs.* 7. Quod procedit etiamſi dictæ Eccleſiæ ſæculares exemptæ ſint commendatæ, & ſive illis cura animarum immineat, ſive non, ut patet *in c.* 8. *ver. Nec non beneficia ſeſs.* 21.

Si verò Eccleſiæ exemptæ ſint regulares, aut in Monaſteriis viget regularis obſervantia, aut non; ſi viget, aut Monaſteria non ſunt redacta in Congregationem, aut ſunt redacta. 12 Primo caſu ſi infra annum regulares neglexerint ſe 13
in Congregationem redigere, habet Metropolitanus tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ authoritatem eos convocandi pro prædictis cauſis; eoque prædicta exequi non curante, Monaſteria hujuſmodi ſubjiciuntur Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, in quorum diœceſibus ſita ſunt, juxta *c.* 8. *ſeſs.* 25. *de regul.*

Secundo caſu, aut Monaſteriis in Congregationem re- 14
dactis imminet cura animarum perſonarum ſæcularium, aut non. Si imminet, viſitari poſſunt ab Epiſcopo diœceſano in his tantum, quæ curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem concernunt ex *c.* 11. *ſeſs.* 25. *de reg.* Quod tamen fallit in tribus caſibus ibi exceptis in *verſ. Excepto Monaſterio*. Et hæ tres fallentiæ iterùm ſublimantur in fine *d. c.* 11. *verſ. Salvo tamen illorum Epiſcoporum jure*. Quod ſi Monaſterio Parochiales Eccleſiæ per- 15
petuò unitæ, vel annexæ reperiantur, Epiſcopus poteſt illas viſitare ex *cap.* 6. *ſeſs.* 7. Non tamen poteſt viſitare domus ipſarum Parochialium, in quibus non viget regula- 16
ris obſervantia, ſed ſoli Parochi regulares ab ipſo approbati habitant, ut aliàs reſpondit S. Congregatio. Poteſt etiam Epiſcopus in iiſdem Parochialibus unitis erigere Vicarias perpetuas ad præſcriptum *d. c.* 7. quas tamen erigere nequit, ſi cura incumbat Monaſterio, ſed tantùm uti poteſt facultate ſibi attributa *in d. c.* 11. *verſ. Nec ibi aliqui*, ut ſæpiùs fuit reſolutum. Si verò iiſdem Monaſteriis in Congregationem redactis cura animarum non immineat, nullo modo poſſunt ab Epiſcopo viſitari, etiamſi ſint commendata, cùm facultas Epiſcopis attributa *in d. c.* 8. viſitandi
Monaſteria qualitercumque commendata reſtringatur ad 17
ea tantùm, in quibus non viget regularis obſervantia, ut in *verſ. In quibus non viget*.

Si verò in dictis Eccleſiis regularibus non Curatis regularis obſervantia non vigeat, tunc aut illæ ſunt commendatæ, aut non. Si commendatæ poſſunt ab Epiſcopo viſitari, ſive illis immineat cura animarum, ſive non, ex *d. c.* 8. *ſeſs.* 21. Idque authoritate delegata, quia illa particula, *etiam*, in illis verbis: *Etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis in dicto c.* 8. *ſeſs.* 21. Fuit appoſita ad diſtinctionem Eccleſiarum non exemptarum, quæ authoritate ordinaria viſitari poſſunt, vel certè cumulatur juriſdictio ordinaria cum delegata, ut aliàs perpendit Sac. Congregatio. Quod tamen dictum eſt de Monaſteriis Commendatis, non habet locum in iis Monaſteriis, ſeu Prioratibus, quæ ſuorum ordinum Capitibus ſubſunt, ut declaratur *in c.* 20. *ſeſſ.* 25. *de regul.*

Quod ſi prædictæ Eccleſiæ regulares non curatę non ſint 18
commendatæ, Epiſcopus nullam habet authoritatem illas viſitandi, ut patet tum ex *cap.* 20. *in fin. ſeſſ.* 25. *de regul.* tum quia *c.* 8. *ſeſſ.* 7. quod tribuit Epiſcopo facultatem viſitandi Eccleſias exemptas, ex ſententia Sacrę Congregationis non habet locum in Eccleſiis Regularibus, & Regulares, interpretata eſt eadem Congregatio etiam Monaſterio unitas, aut ab eo dependentes, ſi eis à Regularibus deſerviatur.

Eccleſiæ autem nullius diœceſis, aut ſunt regulares, aut 19
ſæculares. Si regulares, Epiſcopus non poteſt eas viſitare, nec ullam in eas authoritatem exercere, quia *c.* 9. *ſeſſ.* 24. reſtringit ſe ad Eccleſias ſæculares dumtaxat in *verſ. Eadem etiam*; quemadmodum & *c.* 18. *ſeſſ.* 23. quod Seminario Clericorum jubet uniri beneficia, etiam nullius diœceſis, ſtatim adjicit verba illa non tamen regularia.

Quod procedit etiamſi prædictis Eccleſiis Regularibus nullius diœceſis cura animarum immineat quia *c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regul.* non habet locum in Eccleſiis nullius diœceſis, ut patet ibi, *Epiſcopi in cujus diœceſi ſita ſunt.* Item procedit ſive ſint commendatæ, ſive non, quia *cap.* 8. *ſeſs.* 21. tribuens Epiſcopis facultatem viſitandi Monaſteria commendata, loquitur de Monaſteriis, & beneficiis regularibus exemptis; non autem nullius diœceſis, ut patet ex verbis tex. ibi, *etiam exempta*, quàm ex ampliatione, quæ de *d. c.* 8. poſtea facta fuit ad Eccleſias ſæculares nullius diœceſis *in c.* 9. *ſeſs.* 24. Solùm in caſu *c.* 18. *verſ. Et quia ad Collegii ſeſs.* 23.
Regularia beneficia nullius diœceſis Epiſcopi juriſdictionē 20
agnoſcunt, cùm obligentur contribuere Seminario Epiſco-

pi, ut patet, ibi beneficiorum quorumcumque etiamſi exempta, etiamſi nullius diœceſis. Quod eſt intelligendum de Seminario Epiſcopi, intra cujus diœceſis fines dicta beneficia ſita ſunt, aut ſi extra fines de Seminario Epiſcopi, cujus Cathedralis Eccleſia proximior eſt, ut inferiùs diſtinguemus in Eccleſiis ſæcularibus.

21 Si verò Eccleſiæ nullius diœceſis ſint ſæculares; tunc aut ſunt omninò extra fines cujuſque diœceſis, ſive Origine, ſive Privilegio, ſive præſcriptione, ſecundùm ea, quæ dixi *in cap. Nullas num.* 12. *infrà de Parochis*; & tunc poteſt eos viſitare Epiſcopus, cujus Cathedralis Eccleſia proximior eſt ex *cap.* 9. *ſeſſ.* 24. Idque authoritate tantùm delegata, ut illic patet. Aut ſunt intra fines alicujus diœceſis: & tunc poteſt hujuſmodi Eccleſias ſæculares viſitare Epiſcopus, intra cujus diœceſis fines exiſtunt, qui poteſt etiam illorum ſubditos ordinare, eiſque dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos concedere, juxta *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. ut alias interpretata eſt S. Congregatio. Hactenus de Eccleſiis.

22 Perſonæ ſimiliter aut ſunt nullius diœceſis, aut exemptæ. Si nullius diœceſis, aut ſunt ſæculares, aut regulares. Si ſæculares Epiſcopus in dictis locis poteſt tantùm eas viſitare tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, juxta diſtinctionem ſuperiùs propoſitam in viſitatione Eccleſiarum ſæcularium nullius diœceſis: nam Epiſcopus viſitans hujuſmodi loca in vim *d. c.* 9. *ſeſſ.* 24. ex mente S. Congregationis admitti debet ad viſitationem plenariam non tantùm Eccleſiarum, ſed etiam Cleri, & populi ibi exiſtentis.

23 Et ad exemplum viſitationis, Clerici nullius diœceſis tenentur accedere ad Diœceſanam Synodum illius Epiſcopi, qui ex Concilio poteſt eos viſitare, ut S. Congregatio declaravit; ſed excepta viſitatione, & Synodo, item ordinibus, ac dimiſſoriis, ut ſupra *num.* 11. & infrà *nu.* 17. nulla facultas per Concilium conceditur Epiſcopo in perſonas eorumdem locorum, Ideòque cùm Epiſcopus Feretranus conſuluiſſet S. Congregationem, An Concilium Tridentinum quotieſcumque mandat aliquid fieri per Epiſcopum, det ei juriſdictionem etiam in exemptos, & eorum ſubditos tàm exiſtentes intra ſuam diœceſim, quàm extra eam, Cathedrali tamen ipſius Epiſcopi proximiores, & ab ipſo Epiſcopo viſitandos: Congregatio reſpondit affirmativè, dum tamen ſit intra diœceſim Epiſcopi.

24 Si verò perſonæ nullius diœceſis ſint regulares, nullatenus viſitationi Epiſcopi ſubjiciuntur, quia *d. c.* 9. *ſeſſ.* 24. ut ſuperiùs dictum eſt, reſtringit ſe ad Eccleſias ſæculares tantùm.

25 Quod habet locum etiamſi regulares nullius diœceſis in Monaſteriis, ſeu domibus regularibus, aut aliàs animarum curam perſonarum ſæcularium exerceant, quia decreta Concilii, quæ ſubjiciunt regulares juriſdictioni Epiſcopi in his, quæ dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, reſtringunt ſe ad loca, quæ in diœceſi Epiſcopi ſita ſunt, ut patet in caſu *c.* 2. *ſeſſ.* 5. ibi modò reipſa in diœceſi ſint, Et generaliter *in c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regul.* in illis verbis: In cujus diœceſi ſita ſunt. Et in his terminis etiam loquitur Conſt. Greg. XV. *de exemptorum privilegiis*: non enim comprehendit perſonas nullius diœceſis, ut aliàs Sac. Congregatio declaravit. Quemadmodum autem Epiſcopus non poteſt regulares nullius diœceſis viſitare; ita nec ullam

26 in eos juriſdictionem exercere. Ideòque Monachos Sanctiſſimæ Trinitatis Caven. Sac. Congregatio cenſuit non poſſe cogi ab Epiſcopo accedere ad publicas proceſſiones in vim *c.* 13. *ſeſſ.* 25. *de regul.* tum quia nullius diœceſis, tum quia non poſſunt dici exempti, cùm nunquã ſubjecti extiterint.

Verumtamen in duobus caſibus Regulares eorumdem locorum agnoſcunt Epiſcopi ſuperioritatem.

27 Primus eſt quoad ordines ſuſcipiendos *in cap.* 10. *ſeſſ.* 23. Secundus eſt quoad litteras dimiſſorias *in eod. c.* 10. nam ſuperiores Regulares nullius diœceſis ſubditis regularibus dimiſſorias concedentes ex ſententia S. Congregationis tenentur illas dirigere ad Epiſcopum proximiorem, vel ad Epiſcopum intra cujus diœceſis fines exiſtunt, ut ſuperiùs diſtinximus in viſitatione Eccleſiarum ſæcularium nullius diœceſis.

28 Perſonæ itidem exemptæ, aut ſunt ſæculares, aut regulares. Si ſæculares, aut curam animarum exercent, aut non. Primo caſu in iis, quæ d. curam, & Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, ſubſunt juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi diœceſani, ex *dict. cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regul.* & ex prædicta Conſtitutione Gregorii XV. *de exemptorum privilegiis*, ut inferiùs dicetur *n.* 27.

Secundo caſu ſimiliter poſſunt viſitari ab Epiſcopo authoritate delegata, ex *c.* 4. *ſeſſ.* 6. At ſi Epiſcopus in ſua Eccleſia ſederit, ſubſunt illius juriſdictioni in cauſis criminalibus etiam extra viſitationem, ut patet ex *c.* 4. *ſeſſ.* 14. Por- 29

rò hîc text. videtur pugnare cum decreto *cap.* 14. *ſeſſ.* 7. nam 30 *in dict. cap.* 4. decernitur, ut Clerici ſæculares poſſint puniri ab Epiſcopo etiam extra viſitationem, non obſtantibus quibuſvis exemptionibus. In decreto autem *d. cap.* 14. in cauſis exemptorum jubetur ſervari Conſtitutio, *c. Volentes de privileg. lib.* 6. qua præſervantur exemptorum privilegia, & declarantur non habere locum in tribus caſibus delicti, ſeu contractus, aut rei litigioſæ. At pro conciliatione obſervandum eſt *dict. cap.* 4. loqui de exemptionibus perſonalibus dumtaxat; nam cùm *in cap.* 3. *ſeſſ.* 6. ſtatutum eſſet, ut nullus Clericus ſæcularis cujuſvis privilegii perſonalis prætextu tueri ſe poſſet contra viſitationem Epiſcopi; ſupervenit poſteà *cap.* 4. *ſeſſ.* 14. quo fuit ampliatum *d. c.* 3. quoad Clericos ſæculares etiam extra viſitationem. Unde manifeſtum eſt *d. cap.* 4. procedere tantùm in Clericis ſæcularibus habentibus perſonale privilegium; cùm veniat ampliativè ad *dict. cap.* 3. quoad ſimiliter loquitur de Clericis ſæcularibus ſimile privilegium habentibus, ut indicant verba illa, *cujuſvis perſonalis*, *&c.*

At verò decretum *dict. cap.* 14. *ſeſſ.* 7. loquitur tantùm de exemptionibus mixtis, id eſt, conceſſis loco, & perſonis ſimul. Quod manifeſtè liquet ex Decretali *dict. c. Volentes*, à Concilio innovata, quæ dum ſubjicit Epiſcopo exemptos quotieſcumque delinquunt, ſeu contrahunt, aut res ſita eſt extra locum exemptum, apertè ſupponit eorum exemptionem eſſe mixtam: nam ſi eſſet merè perſonalis, numquam poſſet verificari diſtinctio illa, an delinquant, ſeu contrahant, aut res litigioſa conſiſtat in loco exempto, an extra eum. Itaque privilegia exemptionum perſonalia in criminalibus ſunt funditùs ſublata à Concilio *in d. c.* 4. in favorem Epiſcoporum reſidentium. Mixta verò reſtricta ſunt *in d. c.* 14. ad tres caſus exceptos *in d. c. Volentes*.

Capitula item exempta Cathedralium, & aliarum majorum Eccleſiarum, illorumque perſonæ ab Epiſcopo, vel aliis majoribus Prælatis per ſeipſos, vel illis, quibus ſibi videbitur adjunctis viſitari poſſunt etiam authoritate Apoſtolica ex *c.* 4. *ſeſſ.* 6. quod jam ſæpiùs cenſuit Sacra Congregatio habere locum in Capitulis dumtaxat, quæ privilegio, vel alio ſpeciali jure tuentur ſe adverſus juriſdictionem Epiſcopi, Extra viſitationem verò ſervandum *c.* 6. *ſeſſ.* 25. *de reformat.* quod ſimiliter ex ſententia Congregationis non habet locum niſi in Capitulis exemptis.

Si verò perſonæ ſint regulares, aut degunt extra clau- 31 ſtra, aut intra. Si degunt extra, viſitari, corrigi, & puniri poſſunt ab Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicę delegato, ex *c.* 3. *ſeſs.* 6. Quod tamen procedit in viſitatione tantùm, ut patet ex ampliatione, quam de *dicto cap.* 3. facit *cap.* 4. *ſeſs.* 14. ad Clericos ſæculares etiam extra viſitationem, ut Sacra Congregatio declaravit, Ex Bulla tamen Pii IV. ſuper reſidentia Epiſcoporum regulares extra clauſtra degentes etiam extra viſitationem puniri poſſunt ab Epiſcopis, ſi in ſuis Eccleſiis reſederint. Et ſimiliter regulares apoſta- 32 tæ, & ejecti indiſtinctè ſubſunt Epiſcoporum juriſdictioni, ut patet ex decretis editis à Sacra Congregatione Concilii de Apoſtatis, & ejectis. Sed & in civilibus cauſis merce- 33 dum, & miſerabilium perſonarum Regulares extra Monaſterium degentes quomodolibet exempti, etiam ſi certum judicem non habeant coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc à Sede Apoſtolica delegatis conveniri, & jure medio ad ſolvendum debitum cogi, & compelli poſſunt, ut ſtatuitur *in c.* 14. *ſeſs.* 7.

Si verò regulares degant intra clauſtra, tunc pro re- 34 gula conſtituitur, ut nullo modo ſubſint viſitationi, aut juriſdictioni Epiſcopi. Quod probatur *in c.* 11. *in verſ. Sive iis, qui legitimè ſeſs.* 24. & clariùs *in c.* 20. *in fin. ſeſs.* 25. *de regul.* nec quidem ratione delicti commiſſi, contractus initi, aut rei ſitæ extra locum exemptum; nam cùm regulares reperiantur ſpecialiter privilegiati etiam in dictis tribus caſibus exceptis, non comprehenduntur in conſtitutione, *c. Volentes de privil. lib.* 6. ac proindè nec in decreto Concilii, *c.* 14. *ſeſs.* 7. dictã Conſtitutionem innovante, ut articulo diligenter diſcuſſo alias cenſuit S. Congregatio. Et inde fit, ut

Con-

Concilium attribuat Epiſcopis poteſtatem in regulares degentes intra clauſtra in certis tantum caſibus, ut inferiùs
35 dicetur. Unde in reliquis ſalva manent illorum jura, ac privilegia. Cenſentur autem degere intra clauſtra etiam cùm degunt in Parochialibus Monaſterio unitis. Ideòque etiamſi curam animarum exerceant, ſi delictum non concernens curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem commiſerint; non poſſunt puniri ab Epiſcopo in vim dicti *cap.* 3. ut in Canonico Regulari Lateranenſi olim reſpondit Sacra Congregatio. Idemque reſpondit ſi Regulares degant in domo ad erectionem Monaſterii deſtinata, ibique ſub Superiore regulariter vivant.

36 Quæcumque autem de Regularibus intra clauſtra degentibus dicta ſunt, eadem habent locum etiam in perſonis ſæcularibus, quæ eorum Monaſteriis, ſeu militiis actu inſerviunt, intra eorum ſepta, ac domos reſident, ac ſub eorum obedientia vivunt, ut patet *in cap.* 11. *ſeſſ.*24. *verſ. Exceptis tamen*, & in eodem *cap.*21. *verſ. Præter eas, quæ ſunt ſeſſ.* 25. *de regul.* & in Bulla Greg. XIII. quæ incip. *Circumſpecta*. A regula ſuperiùs propoſita excipiuntur caſus infraſcripti, in quibus Regulares etiam intra clauſtra degentes ſubſunt viſitationi, aut juriſdictioni Epiſcopi.

37 Primus caſus eſt in Regularibus, qui quamvis non exerceant animarum curam perſonarum ſæcularium, tamen adminiſtrant perſonis ſæcularibus aliquod Sacramentum prævia Epiſcopi licentia, aut in alicujus Sacramenti adminiſtratione de facto abſque ulla authoritate ſe ingerunt: nam & ſi hoc caſu non ſubſint Epiſcopo in vim Concilii, eò quòd *cap.*11. *ſeſſ.*25. *de regul.* non habeat locum niſi in regularibus exercentibus curam animarum perſonarum ſæcularium Monaſteriis incumbentem: tamen ſupervenit poſteà Conſtitutio Greg. XV. *de exempt. privil.* compilata in Sac. Congregatione Concilii, quæ ipſius Concilii diſpoſitionem in *dict. cap.* 11. ampliavit ad exemptos tam ſæculares, quàm regulares, etiam aliquod Sacramentum adminiſtrantes; ſubjecit enim illos in his, quæ eamdem adminiſtrationem concernunt, plenè in omnibus juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati; cùm tamen ex d. cap. Epiſcopus habeat juriſdictionem ordinariam, non delegatam in regulares curam animarum exercentes, ut indicant verba illa, *ſubſint immediatè*. Cæterùm facultas Epiſcopis eo caſu attributa per dictam Conſtitutionem non habet locum niſi cùm regulares delinquunt in adminiſtratione alicujus Sacramenti: nam & ſi Conſtitutio initio generaliter ſubjiciat regulares omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi in his, quæ dictam adminiſtrationem concernunt: tamen reſtringitur poſteà in *verſ. Ita ut Epiſcopi, &c.* ad perſonas in ſupradictis caſibus delinquentes dumtaxat, ut interpretata eſt S. Congregatio Concilii, ex cujus voto edita fuit prædicta Conſtitutio, eamque interpretationem ad ſe relatam poſteà approbavit Gregor. Conſtitutionis conditor.

38 Secundus, tertius, & quartus caſus eſt, cùm regulares delinquunt circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa earumdem Monialium clauſuram, aut circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium: nam in his tribus caſibus etiamſi Monaſteria ſint ipſis Regularibus ſubjecta; tamen nullis privilegiis, & exemptionibus Regulares tueri ſe poſſunt, quo minus ab Epiſcopo loci tamquam in hoc à Sede Apoſtolica delegato quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant, ut ſtatuitur in eadem Conſt. Greg. XV. *in* §. *Ad hæc.*

39 Quintus, ſextus, & ſeptimus habentur in ipſa Conſtitutione, §. *Ac ſimiliter*, ubi indulgetur Epiſcopis, ut poſſint unà cum ſuperioribus regularibus Abbatiſſarum electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere; Et in regularibus, qui deputari non poſſunt ad audiendas confeſſiones Monialium etiam regularium ſubjectarum ſine Epiſcopi approbatione, & in regularibus adminiſtrantibus eorumdem Monaſteriorum bona, qui adhibitis ſuperioribus tenentur ſingulis annis reddere rationem adminiſtrationis Epiſcopo loci, licetque Epiſcopo ex rationabili cauſa admonere ſuperiores regulares, ut eoſdem Confeſſores, & adminiſtratores amoveant; iiſque negligentibus, ſtatur facultas Epiſcopo eos amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit, ut ſimiliter ſtatuitur in eadem Conſtitutione Gregorii *in* §. *Confeſſores verò*.

40 Octavus caſus eſt in regularibus, qui libros de rebus ſacris imprimunt, vel imprimi faciunt ſine nomine Authoris; aut illos vendunt, vel etiam apud ſe retinent abſque Epiſcopi, & ſuorum ſuperiorum examine, & approbatione; ſubjiciuntur enim pœnæ anathematis, & pecuniæ in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſitæ, atque à Tridentina Synodo innovatæ *ſeſſ.*4. *de edit. & uſu ſacrorum librorum*, iiſdemque pœnis illic ſubjiciuntur qui ſcriptos communicant, vel evulgant, niſi anteà, ut ſuprà examinati, probatique fuerint, & qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint Authores, pro Authoribus habentur. Ad cujus decreti intelligentiam cùm olim Magiſter Sac. Palatii aſſereret nullum poſſe aliorum ſcripta tuta conſcientia abſque licentia retinere; & tamen contrà communis uſus conſtare videretur, cùm pauci ſint ii, qui ſacras litteras profitentur, qui lectiones, annotationes, diſputationes, conciones, & pleraque alia ſine alicujus licentia apud ſe non retineant; Cùmque propterea quæſitum eſſet, num ſic univerſaliter eſſet authoritas illa intelligenda: Sac. Congregatio cenſuit comprehendi etiam conciones, & omnia; Et ideò Oratorem debere petere abſolutionem pro omnibus, ſi in ea commiſit.

Nonus eſt *in cap.*1. §. *In Monaſteriis ſeſſ.* 5. quo ſtatuitur, 41
ut in Monaſteriis Monachorum, ubi commodè fieri queat, lectio ſacræ Scripturæ habeatur. Quod ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc, ut Sedis Apoſtolicæ delegati eos ad id opportunis remediis compellant. Et inferiùs in *verſ. Et ne ſub ſpem*: ubi diſponitur neminem ad hujuſmodi lectionis officium tàm publicè, quàm privatim admittendum eſſe, qui prius ab Epiſcopo loci de vita, moribus, & ſcientia examinatus, & approbatus non fuerit. Quo decreto etiam Monachi comprehenduntur, cùm ab illo in *verſ. Quod tamen*, excipiantur tantùm Lectores in clauſtris Monachorum.

Decimus caſus eſt in Regulari, qui in Eccleſia ſui ordi- 42
nis ſine benedictione, vel in Eccleſia alterius ordinis ſine licentia Epiſcopi, aut in alterutra contradicente Epiſcopo prædicare prohibetur *in cap.*2. *verſ. Regulares verò ſeſs.*5. & *cap.*4. *ſeſs.*24. Verùm regulares in hoc delinquentes S. Congregatio olim declaravit non ab Epiſcopo, ſed à ſuis ſuperioribus regularibus eſſe puniendos.

Poſteà tamen attributa fuit Epiſcopis facultas illos puniendi hoc caſu per Conſtitutionem prædictam Gregorii XV. *de exempt. privil.* §. *Ac demum*.

Putant nonnulli decretum *cap.*2. *ſeſs.* 6. corrigi per *cap. ſeſs.*24. Sed hoc eſt omninò falſum, quia aliud eſt ſimpliciter non concedere benedictionem, aliud expreſsè contradicere: nam Epiſcopus qui benedictionem non concedit, habet ſe merè negativè. At qui contradicit, facit actum poſitivum interdicendo prædicationem. Si igitur Epiſcopus tantummodò non impertiatur benedictionem, ſed ulteriùs non procedat, Regularis poterit nihilominus prædicare in Eccleſia ſui ordinis licentia petita, licèt non obtenta, juxta *d.c.*2. *ſeſs.* 5. Sed ſi non tantùm benedictionem non concedat, ſed ulteriùs etiam progrediatur contradicendo, ſeu expreſsè prohibendo Regulari ne audeat prædicare; tunc non licebit ei prædicare etiam in Eccleſia ſui ordinis, prout loquitur *d.c.*4. *ſeſs.*24. ac ſi contrafecerit, puniri poterit ab Epiſcopo non in vim Concilii, ſed ex Gregoriana Conſtitutione. Et ita me Secretario declaravit S. Congregatio Concilii à Cardinali Epiſcopo Giennenſi conſulta; eamque declarationem approbavit S.D.N. Urbanus VIII. per litteras in forma Brevis die 30. Januarii 1629. in hæc verba: *Ad hæc quod in eiſdem præinſertis litteris dicitur*, (loquitur de prædicta Conſtitutione Gregorii XV.) Regulares non poſſe verbum Dei prædicare ſine Epiſcopi licentia, id locum ſibi vendicare in iis tantùm Eccleſiis, quæ ſui ordinis non ſunt, cùm in aliis Eccleſiis ſui ordinis ſufficiat Epiſcopi benedictio petita, licèt non obtenta: ita tamen, ut ſi Epiſcopus non modò benedictionem ſimpliciter non conceſſerit, verùm etiam Regularibus prohibuerit quo minus prædicent; tunc illo contradicente ne in ſui quidem Ordinis Eccleſiis liceat illis prædicare, quemadmodum Sac. Trid. Concilii decretis ſalubriter eſt cautum. (Quod ſi Regulares ſive in confeſſionibus audiendis, ſive in prædicando adverſus ea, quæ ſuperiùs declaravimus, quoquomodò deliquerint, in vim earumdem præinſertarum literarum ab Epiſcopo Giennenſi coerceri, & puniri poſſint, etiã cenſuris Eccleſiaſticis). Hæc ibi. Quo loco abs re non erit admonere ſupraſcriptas litte-

ras S.D.N. haud fideliter referri ab aliquibus recentioribus: nam verba illa, *ne*, in ſui quidem ordinis Eccleſiis liceat illis prædicare, referuntur ſine illa particula negativa, *ne*, ut apud Auguſt. Barb. *in Collectar. ad c.4. ſeſſ.24. de refor. n.24.* Quod multis occaſionem præbuit decreta hæc detorquendi in ſenſus à mente S. Synodi prorſus alienos.

43 Undecimus habetur *in c.2. verſ. Si verò quod abſit ſeſſ. 5.* in Regulari, qui errores, & ſcandala diſſeminaverit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius ordinis prædicaverit, debet enim ei ab Epiſcopo munus prædicationis interdici, ut illic præcipitur. Adde quod decretum cùm olim fratres ſancti Franciſci Provincię del Zuzco petierint declarari, an ipſi vigore ſuorum privilegiorum eximentium eos ab Ordinariis, poſſint ſi prædicando aliquod hæreticum, vel erroneum protulerint, caſtigari ab Ordinario, juxta *d.c. 2.* cum eorum privilegia ſint poſt Concilium confirmata: Sac. Congregatio cenſuit per confirmationem privilegiorum non eſſe derogatum *d.c.2. verſ. Si verò*, niſi in ipſis privilegiis appareat expreſsè diſpoſitio, quæ ſit contraria diſpoſitioni Concilii. Rurſus cenſuit Congregatio ab Archiepiſcopo Mediolanenſi conſulta ex Bulla Pii IV. de fidei profeſſione, Regulares conciones habere volentes non tenere facere illam fidei profeſſionem, antequam hoc munus aſſumant: poſſe tamen Ordinarios, quo tempore concionandi licentiam ex decreto Concilii *cap. 4. ſeſſ. 24.* dabunt Regularibus, exigere ab eis hanc profeſſionem fidei, ſi ita ipſis expedire videbitur.

44 Duodecimus eſt circa Conſervatores, nam etſi decretum Concilii *cap.5. in fin. ſeſſ.14.* quoad hoc nominatim excipiat regularia loca; tamen ſupervenit poſteà Conſtitutio Gregorii XV. *De Conſervatoribus*: itidem compilata in Sac. Congregatione Concilii, qua inter cætera ſtatuitur, ut Reguleres, qui ſecus quam juxta formam ibi præſcriptam Conſervatores eligere, aut electis uti auſi fuerint, voce activa, & paſſiva ſint ipſo jure privati, & illorum Conventus, ac Monaſteria, eorumque perſonæ, ac bona careant Conſervatore ad annum, itaut illorum cauſæ interea coram locorum Ordinariis cognoſci, ac diffiniri debeant. Præterea *in §. Inſuper*, decernitur ut Regulares infrà tempus ibi præſcriptum Conſervatores eligere, ejuſque electionis documentum infrà idem tempus penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur: alioquin eo termino elapſo, quamdiu Conſervatores ſecundùm formam ejuſdem Conſtitutionis non elegerint, coram eiſdem Ordinariis conveniantur. Et infrà, ut Conſervatores ſemel deputati durante quinquennio amoveri non poſſint, niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout Regularibus libuerit approbanda.

45 Decimuſtertius eſt quoad Indulgentiarum publicationem, & eleemoſynarum corrogationem, de quibus in *c. 9. ſeſſ. 21.* nam cum dubitatum fuerit, an Regularibus liceat publicare, vel proponere populo Indulgentias olim ſibi conceſſas ſine licentia, vel approbatione, vel authoritate Ordinarii, aut illas quæ Confraternitatibus quibuſcumque ſint conceſſæ: S.Congreg. cenſuit non licere. Et quoad eleemoſynas declaravit, Fratres Ordinum Mendicantium non poſſe quidem ab Epiſcopis prohiberi, quominus per ſeipſos in diœceſibus, ubi habent Conventus, eleemoſynas quærant; Sed tamen ſi extra loca, ubi Monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint, teneri ſuorum ſuperiorum licentiam Ordinario oſtendere: Ac ſi extra diœceſim, teneri etiam illius conſenſum obtinere. Cæterùm nulli eſſe permittendum, ut eleemoſynas quærant per alios, quàm ſui Ordinis fratres.

46 Decimuſquartus habetur *in c. unic. ſeſſ.22. de obſer. & evitand. in celebr. Miſſ.* ibi: Neve patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut regularibus quibuſcumque peragi. Quibus verbis ſublatum eſt privilegium ab Honorio III. conceſſum fratribus Prædicatoribus, & Minoribus celebrandi in Altari Viatico etiam Epiſcopo non permittente juxta text. *in c. In his de privileg.* Et generaliter hoc decretum cenſuit Sac. Congregatio comprehendere etiam Regulares quantumvis exemptos, eoſque ea omnia, quæ ab Ordinariis locorum circa obſervanda, & evitanda in Miſſarum celebratione ſtatuta fuerint, omninò ſervare teneri, ad idque etiam pœnis, ac cenſuris Eccleſiaſticis ab iiſdem ordinariis cogi, & compelli poſſe. Qua de re extat etiam extravagans S. Pii V. publicata die 29. Martii 1566. quæ dum interdicit Presbyteris omnibus tàm ſæcularibus, quàm regularibus ſub pęna ſuſpenſionis à divinis, ne prętextu licentiarum, aut facultatum Miſſas celebrent veſpertino tempore; pręcipit locorum Ordinariis, ut eamdem conſtitutionem ſub prædictis, & aliis ſibi benè viſis pęnis inviolabiliter obſervari faciant.

Decimuſquintus eſt in Regularibus, qui Confraternita- 47
tum, vel Hoſpitalium adminiſtrationem ſuſcipiunt: poteſt enim Epiſcopus eos cogere ad reddendas rationes adminiſtrationis, & in eos, quos culpabiles repererit, ad juris præſcriptum animadvertere juxta *cap.8. & 9. ſeſſ.22.* ut Sac. Congregatio declaravit. Verùm conſulta, an Abbates, Abbatiſſæ, & Præpoſiti Regulares, qui habent liberam adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum ex immemorabili conſuetudine, teneantur reddere rationem fabricarum ſuarum Eccleſiarum Epiſcopo vigore decreti *d. c. 9.* Reſpondit: Non teneri.

Decimuſſextus eſt, quoad Confraternitates laicorum 48
in Eccleſiis Regularium exiſtentes, quas Epiſcopus poteſt viſitare, atque ab illarum adminiſtratoribus rationes adminiſtrationis exigere ac præſcriptum *d. cap. 8. & 9. ſeſſ. 22.* non tamen poteſt earum Capellas inibi ſitas, aut Altaria viſitare, niſi quatenus Confratrum adminiſtrationem concernunt, ut ſimiliter S. Congregatio reſolvit.

Decimuſſeptimus eſt quoad interſtitia, & examen or- 49
dinandorum *in cap. 11. 12. 13. & 14. ſeſſ. 23.* nam cùm dubitatum fuerit, an *d.c. 11. 12. & 13.* quibus diſponitur, ut promoti ad ordines minimè poſſint ad altiorem gradum aſcendere, niſi in ſubjectis ordinibus ſint verſati, regulares comprehendant, præſertim eos, qui vel ſuo inſtituto, vel alia ratione in ſacris ordinibus ſe exercere non ſolent: S.Congregatio cenſuit comprehendere, quia *c. 11.* generaliter loquitur, & eadem ratio ſubeſt; & mentiones de regularibus *in c. 12. & 13.* fiunt ad tollendam dubitationem de privilegiis Regularium. Et iterum diſponente *c. 11. & c. 14. ead. ſeſſ.* ordinatos ad minores ordines, nonniſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi ordinis ad ſacros ordines promoveri debere, nec ad Presbyteratus ordinem aſſumendum, qui in Diaconatu integrum annum verſatus non fuerit, niſi utroque caſu utilitas, vel neceſſitas Eccleſiæ aliud ſuadeat; Cùm dubitaſſent Regulares S. Franciſci de Paula, an hoc judicium quoad Regulares eſſet Generalium, & Provincialium Ordinis, adeòut ipſi utilitate Provinciarum, vel Conventuum inſpecta, in hujuſmodi caſibus valerent diſpenſare: Sac. Congregatio cenſuit judicium hoc ad Epiſcopum ſolùm pertinere, non ad Generales, vel Provinciales ordinum: poſſe tamen eos in ſuis litteris dimiſſorialibus ad Epiſcopum ſignificare cauſas utilitatis, ſeu neceſſitatis ſuæ Religionis, ex quibus poſſit Epiſcopus judicium ſuum formare.

Decimuſoctavus eſt quoad confeſſiones ſacramentales 50
perſonarum ſæcularium etiam ſacerdotium, quas nec Regulares audire poſſunt, niſi fuerint ab Epiſcopo approbati, ut in *c.15. ſeſſ.23.* Si tamen eas de facto audierint, non poſſunt puniri ab Epiſcopo in vim Concilii, ut aliàs cenſuit S. Congregatio. Cæterùm puniri poterunt ab eo, ut Sedi, Apoſtolicæ delegato in vim Conſtitutionis Greg. XV. *de exempt. privil.* tamquam delinquentes in adminiſtratione Sacramenti Penitentię, ſi confeſſiones audierint, aut omninò abſque Epiſcopi licentia, aut illa expirata, vel revocata.

Porrò cùm quæritur, an & quando licentia audiendi confeſſiones ſemel Regularibus conceſſa expiret, aut revocari poſſit; tres caſus ſunt diſtinguendi.

Primus eſt, cùm Regularis fuit approbatus ab Epiſcopo ad certum tempus, puta ad annum, vel biennium; quo tempore elapſo expirat facultas audiendi confeſſiones, poſſunt enim Regulares ad certum tempus approbari poſt decretum S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium hac de re editum.

Secundus eſt, cùm fuit approbatus ad beneplacitum: poteſt enim confeſſiones audire, quamdiu Epiſcopus beneplacitum non revocaverit.

Tertius eſt, cùm fuit approbatus ſimpliciter: & tunc, aut poſt approbationem ſupervenit nova cauſa, & ſemel approbatus poteſt iterùm reprobari, dummodò cauſa illa confeſſiones concernat; quam tamen Epiſcopus non tenetur

tur

tur ſuperioribus Regularibus patefacere. Aut nova cauſa, ut ſupra non ſupervenit: & tunc aut Regularis fuit approbatus à Vicario Epiſcopi, aut ab ipſo Epiſcopo. Si à Vicario, poteſt Epiſcopus Regularem ſemel à ſuo Vicario examinatum iterùm examini ſubjicere, & minus idoneum repertum reprobare: ſi ab Epiſcopo, non poteſt idem Epiſcopus quem ſemel ſimpliciter approbavit abſque nova cauſa reprobare: poteſt tamen Epiſcopus ſucceſſor juxta Conſtitut. S. Pii V. quæ incipit: *Romani Pontificis providentia*, §. 2. *verſ. Volumus autem.* Quamdiu tamen ſic approbatus per ſucceſſorem reprobatus non fuerit, poteſt audire confeſſiones virtute approbationis Epiſcopi prædeceſſoris. Probantur hæc, tum ex his quæ ſcripſi *in c. Accepimus ſupra de ætat. & qualit.* tum ex infraſcriptis declarationibus.

Prima eſt S. Congregationis Concilii in hæc verba. An Regulares approbati ab Ordinario ad audiendas confeſſiones prævio examine ad tempus, elapſo tempore tamquam ſemel approbati poſſint invito Ordinario deinde audire confeſſiones: S. Congregatio cenſuit non poſſe.

Secunda, an Epiſcopus volens ex nova cauſa Regulares ſemel ad confeſſiones audiendas approbatos examinare, teneatur eam patefacere ſuperioribus Regularibus, & an de hujuſmodi cauſa conſtare debeat, vel ſit credendum Epiſcopo atteſtanti hujuſmodi cauſam ſubeſſe: Congregatio Concilii cenſuit poſſe Epiſcopum ex nova cauſa, etiamſi de ea non conſtet in actis, rurſum examinare, ac minus repertum idoneum reprobare Regularem ſemel ad audiendas confeſſiones approbatum, idque ejus arbitrio, quod tamen eſſe debebit moderatum, atque diſcretum, ita ut eo non abutatur. Verum ubi hoc facere voluerit, debere id ſuperioribus Regularibus ſignificare, non quidem cum individua expreſſione cauſæ; ſed tantùm exprimendum ſe velle ob novam, quæ ſupervenerit, cauſam ad hujuſmodi examen procedere.

Tertia, conquerentibus Regularibus S. Dominici Neritonen. quod cum ſint prævio examine approbati ad confeſſiones ſæcularium audiendas à Vicario Epiſcopi, dum Epiſcopus Romæ moraretur, nunc Epiſcopus ad ſuam Eccleſiam accedens velit eos rurſus pro audiendis confeſſionibus examini ſubjicere: Sac. Congregatio Concilii cenſuit, poſſe Epiſcopum rurſum examinare confeſſarios Regulares à ſuo Vicario approbatos.

Quarta eſt ſacræ Congregationis Epiſcoporum his verbis: An Epiſcopus, qui Regulares ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas approbavit, poſſit eoſdem ex nova cauſa ab iiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendere, aut licentias illis conceſſas revocare, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis in favorem quarumcumque perſonarum, atque ordinum: & qualis hujuſmodi cauſa eſſe debeat, ſacra Congregatio negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, ac Regularium præpoſita cenſuit, Epiſcopum quamvis ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione approbaverit Regulares ad confeſſiones preſonarum ſæcularium audiendas; poſſe tamen eoſdem, ſi nova cauſa superveniat, ut ſupra, ſuſpendere, ac licentias illis conceſſas revocare, dummodò cauſa hujuſmodi confeſſiones ipſas concernat. Cæterùm ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam voluit eſſe oneratam, cùm præcipua miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit integritas vitæ, ac morum honeſtas; utique etiam eam cauſam ad confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quo minus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à confeſſionibus audiendis.

Quinta eſt S. Congregationis Concilii, ut infra. An Regulares poſſint perſonarum ſæcularium confeſſiones audire virtute licentiarum à prædeceſſoribus Ordinariis obtentarum etiam renuente Epiſcopo Ordinario pro tempore exiſtente: Sacra Congregatio cenſuit poſſe, quamdiu Epiſcopus non prohibuerit. Cæterùm eſſe in facultate Epiſcopi ſucceſſoris illos rurſum examinare, atque interim prohibere.

51 Decimusnonus habetur *in cap. 2. verſ. Synodi quoque ſeſſ.* 24. quoad acceſſum ad Synodum Diœceſanam. Quibus autem caſibus ex eo Decreto Abbates & Regulares cogi poſſint ad illam accedere ex ſententia Sac. Congregationis Concilii, *dixi plenè in c. Quod ſuper his à n. 1. & præſertim n. 5. & ſeqq. de major. & obed.*

Vigeſimus eſt quoad præfixionem numeri in Monaſteriis Monialium, *de qua in cap. 3. ſeſſ. 25. de regul.* Verùm Sacra Congregatio aliàs conſulta, an taxatio numeri Monialium Regularibus ſubjectarum, quæ facienda eſt ex decreto Concilio *in d. cap. 3.* pertineat ad Epiſcopum ſolùm, vel ad Superiorem Regularem: Reſpondit ſpectare ad utrumque, & ad Ordinarium, & ad Superiorem. Poſtea edita fuit Conſtitutio Gregorii XIII. quæ incipit, *Deo ſacris virginibus*, quæ obſervanda eſt. 52

Vigeſimusprimus habetur in eodem *cap. 3. in fin. ſeſſ. 25. de regular.* ubi Monaſteria tàm virorum, quàm mulierum de cætero erigi prohibentur ſine Epiſcopi, in cujus diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta. Quo decreto ſublata eſt prohibitio Bonifacii VIII. *in cap. un. de exceſſ. Prælat. lib. 6.* & Clem. *Cupientes de pœnis*, ut cenſuit S. Congregatio. Qua tamen de re extant tria Decreta Apoſtolica. 53

Primum eſt Clementis VIII. qui de voto S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub *die 26. Auguſti* 1603. motu proprio declaravit, locorum Ordinarios non poſſe licentiam ad novos Conventus, cujuſque etiam Mendicantium Ordinis in civitatibus, & locis eorum ordinariæ juriſdictioni ſubjectis, erigendos impertiri, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem civitatibus, & locis exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa ſervatis ſervandis cognita conſtiterit, in eiſdem civitatibus, & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe. Si verò ab eorum in hujuſmodi cauſis ſententiis ad Apoſtolicam Sedem provocari, & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum ſuſpendere debere, quouſque ab Apoſtolica Sede in eadem cauſa pronunciatum extiterit, irritum &c. Alterum Decretum eſt Gregorii XV. quo ſancitum eſt, ut deinceps novi Conventus non erigantur, niſi in eis duodecim ſaltem Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis competenter ſuſtentari valeant.

Tertium S. D. N. Urbani VIII. quo adjicitur, ut alioquin Conventus impoſterum erigendi, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecti eſſe intelligantur, ut dicam infrà *n.* 78.

Conſuevit quandoque dubitari, an Epiſcopis liceat ordinaria authoritate Monaſterium Monialium erigere in vim dicta *c. 3. ſeſſ. 25. de regul.* Practica eſt, ut erectiones fiant à Sede Apoſtolica, tum propter gratias, indulgentias, privilegia, & exemptiones, quæ ab illa impetrantur; num propter facultatem educendi Abbatiſſam ex aliis Monaſteriis pro novi Monaſterii inſtitutione. Cùm enim hæc facultas fuerit Epiſcopis adempta per Conſtitutionem S. Pii V. ſuper clauſula Monialium, ut idemmet S. Pius V. declaravit; illa non cõſuevit concedi niſi pro monaſteriis erigendis authoritate Apoſtolica. Supplicationes autem rejiciuntur à Sanctiſſimo ad Congregationem Epiſcoporum, ac Regularium in qua examinantur conditiones, & qualitates ad id requiſitæ, nempè ut erectio non fiat pro pauciori numero, quàm duodecim Monialium Choriſtarum: ut dos conſtituatur non in cenſibus, ſed in bonis ſtabilibus frugiferis, ac liberis ab omni onere, & fideicommiſſo purificato, aut purificando; & non minoris redditus pro dicto numero duodecim, quàm trecentorum Ducatorum aureorum, & majoris pro locorum qualitate, ultra dotes ordinarias à puellis deferendas: ut monaſterium erigatur intra mænia in loco ſalubri, ac libero à proſpectu: ut fabrica, clauſura, Eccleſia interiori, & exteriori, loco pro novitiis diſtincto, atque omnibus officinis ſit ſufficienter inſtructum, & alia id genus.

Vigeſimusſecundus habetur *in cap. 4. ſeſſion. 15. de regul.* in illis verbis: nec licet Regularibus à ſuis Conventibus recedere etiam prætextu ad Superiores accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam deſertor ſui inſtituti puniatur. 54

Vigeſimustertius habetur in eodem *cap. 4. in fin.* ubi decernitur, ut Regulares, qui ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent; alioquin ab Ordinariis puniantur. 55

Vige-

56 Vigeſimusquartus habetur *in cap. 5. in princ. ſeſſ. 25. de Regularibus*, quo innovatur Conſtitutio Bonifacii VIII. *in cap. Periculoſo de ſtat. reg. lib. 6.* & tribuitur Epiſcopo, ut Sedis Apoſtolicæ delegato pleniſſima authoritas in his, quæ pertinent ad clauſuram conſervandam, & in Monaſteriis Monialium exemptis. Unde ex ſententia ſacræ Congregationis licet Epiſcopo Monaſteria Monialium etiam Regularibus ſubjectarum viſitare, & ſingulas Moniales abſque Regularium interventu alloqui in concernentibus clauſuram, & examinare, & clauſuram violantibus pœnam imponere. Præterea cùm Epiſcopus N. ſcripſiſſet ad Sacram Congregationem quoſdam laicos cujuſdam conventionis vigore detinere claves Monaſterii Monialium Carmelitanis regularibus ſubjectarum: Sacra Congregatio cenſuit claves auferendas iſtis Oeconomis ſæcularibus, & tradendas Epiſcopo tamquam Ordinario, cui Concilium cuſtodiam clauſuræ Monialium commiſit. Quod ſæpiùs etiam ordinatum fuit à Sacr. Congr. Epiſcoporum, ac Regularium in caſibus contingentibus.

57 Vigeſimusquintus ponitur *in eod. c. 5. ſeſſ. 25. de regul.* in illis verbis: Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire à Monaſterio etiam ad breve tempus quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda. Cæterùm hæc facultas poſtea in Conſtit. S. Pii V. De clauſura Monialium reſtricta fuit ad tres caſus dumtaxat, videlicet epidemiæ, lepræ, & magni

58 incendii. Quod verò ſubnectitur *in d. cap. 5.* ut ingredi intra ſepta monaſterii nemini liceat ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ita eſt intelligendum, ut Epiſcopus dare poſſit licentiam in Monaſteriis ſibi ſubjectis tantum; at verò talem licentiam obtinendam eſſe à Regularibus cenſuit ſacra Congregatio, ſi eis, non autem Epiſcopo ſubjecta ſint. Sed tamen cùm dubitatum fuerit, an attendenda ſit conſuetudo poſt Concilium introducta, ut Ordinarii concedant licentiam ingreſſus ad Monaſteria Regularibus ſubjecta, privativè ad ipſos Superiores Regulares: Congregatio cenſuit attendendam eſſe hujuſmodi conſuetudinem, ſi legitimè præſcripta fuerit, quod judex competens cognoſcat, maneatque Epiſcopus in ea quaſi poſſeſſione, in qua nunc reperitur.

59 Porrò quoad licentias accedendi ad colloquium cum Monialibus ad crates, Sacra Congregatio dixit, ſi in loco ſit conſuetudo non accedendi ad Monaſteria Regularibus ſubjecta ſine licentia Epiſcopi, eam conſuetudinem eſſe obſervandam, ſed circumſcripta conſuetudine aliud dicendum eſt: nam cùm Epiſcopus Potentiæ conſuluiſſet ſacram Congreg. an poſſet prohibere edictis ſuis, ne ſæculares accederent ad colloquia cum Monialibus abſque ſua licentia in ſcriptis, etiamſi ſint ex Monaſteriis ſubjectis Regularibus: Sacra Congregatio cenſuit Epiſcopum non potuiſſe ex Concilio prohibere acceſſum ſæcularium ad crates ferreas Monaſterii non ſubjecti ſibi, cùm de licentia Superiorum Regularium Monaſterii poſſint accedere ſæculares, ſed antequam reſcribatur Epiſcopo, ſciendum à Tribunali Vicarii Romæ quid obſervetur, qualia edicta proponat in hac re; & ſi edicta, & obſervantia Romæ conſentiant cum ſententia Sacræ Congregationis reſcribendum Epiſcopo abſque alio verbo faciendo in Congregatione, viſis poſteà edictis propoſitis à Vicario urbis, repertum eſt ea eſſe concepta hiſce verbis: Prohibetur cuique perſonæ, ne audeat ire ad colloquendum cum Monialibus ad crates, vel ad rotam Monaſterii ſine licentia Vicarii in ſcriptis, aut Protectorum dictorum Monaſteriorum: ex quibus verbis apparuit in Monaſteriis ſubditis Regularibus habitam fuiſſe rationem eorum Superiorum, & datam illis facultatem concedendi hujuſmodi licentiam. Et quia Romæ inter Superiores Monaſteriorum nullus major Protectoribus; ideò eorum facta mentio. Hac relatione ſic facta Sanctiſſimo ex ſententia Sacræ Congreg. Sanctiſs. cenſuit ſcribendum Epiſcopo licere Superioribus Regularibus dicti Monaſterii dare licentiam accedendi, & alloquendi ad crates, à fortiori arguendo, quia poſſent etiam dare licentiam ingrediendi ex Concilio; ideo non poſſe prohiberi edictis ipſius Epiſcopi. Admonendos tamen Regulares à ſuis Viſitatoribus, ne abutantur iſta facultate.

Poſtquam reſolutionem cum hæſitatum eſſet, an ſi Ordinarii ſæpe licet ex aliqua legitima cauſa, & juſta videretur, licentias à ſuperioribus Regularibus conceſſas aliquando improbare poſſent: Sacra Congregatio cenſuit non poſſe improbare, cùm Epiſcopus in exemptos nullam habeat juriſdictionem, niſi illam, quæ vel à Canone, vel à Sede Apoſtolica reperitur conceſſa, *c. Sanè de exceſſ. Prælat.* Cæterùm, etſi hæc ita ſe habeant, tamen poſtea Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium ob rationem recti regiminis authoritate ſibi tributa decrevit licentias acceſſus ejuſmodi etiam ab Epiſcopo eſſe ſubſcribendas, licèt ex conſuetudine à ſuperioribus Regularibus dumtaxat ſubſcribi conſueverint.

Quo verò ad acceſſum ipſorummet Regularium ad colloquendum cum Monialibus, cùm anno 1590. Sac. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium de mandato Sixti V. decreverit, ne ulli Religioſo, excepto Superiore, cui cura Monaſterii incumbit, Viſitatoribus, Confeſſarioque ordinario, & extraordinario, cùm ad tempus deputabitur, liceat abſque licentia ejuſdem Congregationis accedere ad Monaſteria Monialium ſive ſui, ſive alterius ordinis ad colloquendum, ſive tractandum cum eis; neve permiſſi ad prædicandum, vel Miſſas celebrandas Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam perſonam intra clauſuram degentes alloqui poſſint ſub pœna privationis officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, nec non reatu mortalis peccati, ut poſteà declaravit *die 1. Julii* 1606. Nuper tamen juſſu Sanctiſs. D.N. Urbani VIII. eadem Sacra Congr. facultatem tribuit locorum Ordinariis, ut poſſint licentiam concedere per quatuor vices ad ſummum quolibet anno cuicumque Regulari, ut Moniales ſibi in primo tantùm, & ſecundo conſanguinitatis gradu conjunctas convenire, & alloqui poſſit; Id verò non aliter quàm ſervata ad unguem forma infraſcripta; Ut id nullo modo liceat diebus feſtivis, aut in Adventu, Quadrageſima, feria ſexta, Sabbato, & vigiliis, prædictaque licentia obtenta conſignetur Confeſſario ordinario Monaſterii, qui penes ſe retinere debeat, iſque aſſociet, & præſens ſit, & auſcultatrices de more, non autem aliæ aſſiſtant, & licentiæ hujuſmodi pro die, & hora certa, & in ſcriptis concedantur, in libriſque Cancellariæ ejuſdem Ordinarii annotentur. Serióque præcipit Ordinariis, ne aliter licentiam concedant, quàm juxta formam ſupraſcriptam; alioquin Sanctitatis Suæ judicium reformident, & Regulares eo ipſo ſint addicti penis decreti, perinde ac ſi nullam licentiam obtinuiſſent; ut in Decreto edito 13. *Calend. Decemb.* 1623.

Sanè quod decernitur *in dict. cap. 5. ſeſſ. 25. de regul.* de translatione, & reductione Monaſteriorum Sanctimonialium extra mœnia ad nova, vel antiqua Monaſteria intra urbes, vel oppida frequentia, non pertinet ad Epiſcopum ſi Monaſteria ſint exempta, ſed ad eorum Superiores, ut indicant verba illa, *& alii Superiores*: Et Sac. Congregatio declaravit.

Vigeſimusſextus eſt in *cap. 7. ſeſſion. 25. de Regul.* quo 60 decernitur, ut ſi in Monaſterio nulla Monialis reperiatur qualitatibus requiſitis ad hoc, ut poſſit eligi in Abbatiſſam, ex alio ejuſdem Ordinis eligi poſſit. Verùm facultas Epiſcopo attributa educendi Monialem ex Monaſterio ex cauſa ſuperius propoſita, ſublata fuit per Bullam S. Pii V. editam ſuper clauſtra Monialium; ut idemmet S. Pius V. Conſtitutionis lator declaravit, Quod autem ſubjicitur in eodem *cap. 7. verſ. Si hoc etiam incommodum*, ut Abbatiſſa eligi poſſit cum qualitatibus ibi præſcriptis Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, hunc habet ſenſum, ut Epiſcopi quidem in Monaſteriis ſibi ſubjectis tantùm, in aliis verò ſuperioris conſenſus exigatur. Et eumdem ſenſum habent verba, quæ ponuntur *in fin. d. cap. 7. verſ. Si verò*, nec non verba *cap. 10. ejuſdem ſeſſ. 25. de Regul.* quibus jubetur 61 ut præter ordinarium Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur. Hæc enim facultas in Monaſteriis Monialium Regularibus ſubjectarum non pertinet ad Epiſcopum, ſed ad ſuperiores Regulares dumtaxat, ut Sac. Congregatio reſpondit ab Archiepiſcopo Januenſi conſulta. Hodie tamen in hoc ſervari debent, quæ præſcribuntur in Conſtitut. Gregor. XV. *de exempt. Privileg.*

Vigeſimusſeptimus eſt in Monaſteriis, quæ generali- 62 bus capitibus, aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent Regulares ordinarios Viſitatores: nam ſi infra annum in Congregationem ſeſe redigere neglexerint, licet Metropolitano, in cujus provincia prædicta monaſteria ſunt, tamquam

quam Sedis Apoſtolicæ delegato eos pro prædictis cauſis convocare. Quòd ſi Metropolitanus id exequi non curaverit, Monaſteria, eorumque perſonæ ſubduntur Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſita ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, ut ſtatuitur *in cap. 8. ſeſſ. 26. de Regul.*

63 Vigeſimus octavus habetur *in cap. 9. ejuſdem ſeſſ. 25. de Regul.* quo Monaſteria Monialium Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta ſubiiciuntur Epiſcopo tamquam ejuſdem Sedis Delegato.

64 Vigeſimus nonus habetur *in cap. 11. ſeſſ. 25. de Regul.* in ea parte, in qua diſponitur, ut in monaſteriis; quibus imminet cura animarum perſonarum ſæcularium, aliqui etiam ad nutum amovibiles non deputentur, niſi de Epiſcopi conſenſu, & prævio examine per eum, vel ejus Vicarium faciendo. Quo loco obſervanda eſt differentia inter *cap. 7. ſeſſ. 7.* & hoc Decretum. Illud enim loquitur cùm Parochiales ſunt Monaſterio unitæ: hoc verò cùm cura animarum principaliter ipſi Monaſterio incumbit: in caſu *c. 7.* poteſt Epiſcopus in Parochialibus unitis erigere Vicarias perpetuas, ſi pro bono Eccleſiarum regimine ita expedire judicaverit, prævia tamen erectione tituli Vicariæ, ut Sacra Congregatio cenſuit; in terminis verò *d. cap. 11.* Vicarias erigere non poteſt, ſed Regulares pro tempore præficiendi ad curam animarum perſonarum ſæcularium exercendam in Eccleſia Monaſterii, ſeu etiam in membro Monaſterii non unito, ex ſententia Sacr. Congregationis non aliter ſunt deputandi, quàm ad ſuorum Superiorum nutum amovibiles. Prætereà Vicaria perpetua beneficium Parochiale cenſetur, ubi abdicata eſt prorſus cura à Rectore, & in Vicarium translata, DD. *in c. Extirpandæ*, §. *Qui verò de Præbend.* & in Clem. *unica de offic. Vicarii.* Ideòque eo caſu conferri debet prævia forma examinis per concurſum à Concilio præſcripta *in cap. 18. ſeſſ. 24.* & Sacr. Congregatio cenſuit, licèt regulariter in hujuſmodi Vicariis concurſus non requiratur: at in beneficiis Regularibus curatis cenſuit non requiri formam concurſus, quia de eis extat ſpecialis proviſio Conc. *in d. c. 11. ſeſſ. 25. de regul.* Rurſus nominationem Vicariorum ſæcularium amovibilium in beneficiis curatis unitis cenſuit ſpectare ab Epiſcopos: Vicariorum verò ſæcularium perpetuorum, atque regularium ſive perpetuorum, ſive amovibilium in vim certæ Conſtitutionis à S. Pio V. emanatæ ſpectare ad eos, in quorum Eccleſiis unitis ipſi Vicarii ponentur: Illoſque non eſſe prævio concurſu, ſed tantùm examine, & approbatione Epiſcoporum deputandos. Atqui in caſu *c. 11.* nominationem Capellani pro exercenda cura Monaſterio incumbente indiſtinctè ad ſuperiores Regulares pertinere. Et generaliter dixit, ſi Monaſterium erectum legitimè fuerit ſuper corpus Parochialis ſervandum eſſe *d. c. 11. ſeſſ. 25. de regul.* & ſic poſſe curam animarum exerceri per Regularem; qui tamen prævio examine Epiſcopi fuerit idoneus approbatus; ſecus autem eſſet, ſi Parochialis eſſet unita, quia tunc ſervaretur *c. 7. ceſſ. 7.* Cæterùm quid obſervandum, ſi Parochiales nec ſint Monaſterio unitæ, nec cura ipſi Monaſterio incumbat, liquet ex infraſcripta declaratione Sacræ Congregationis, videlicet utrum in collatione Parochialium, quæ Regularibus conferri conſueverunt, requiritur examen de litteratura, vita, & moribus, &c. ita ut nullæ ſint proviſiones dicto examine non præcedente: Sacra Congregatio cenſuit hanc rem non eſſe determinatam ullo textu Concilii, quia *c. 11. ſeſſ. 25. de regul.* loquitur de cura animarum incumbente Monaſteriis Regularium, & *c. 7. ſeſſ. 7.* loquitur de unitis; In dubio autem propoſito agitur de Parochiali, quæ nec Monaſterium eſt, nec unita Monaſterio, ſed pertinet ad collationem Regularium, tamen ex identitate rationis Patres exiſtimarunt requiri examen, & approbationem Ordinarii, ita tamen, ut nullæ non ſint proviſiones, ſed Regularis poſſit amoveri, niſi ab Ordinario fuerit examinatus, & approbatus.

65 Trigeſimus eſt in *c. 12. ſeſſ. 25. de regul.* ubi ſtatuitur, ut cenſuræ, & interdicta Eccleſiaſtica etiam ab Ordinariis emanata mandante Epiſcopo à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur. Et adhunc textum cùm dubitatum fuerit an Epiſcopus loci ordinarius prohibere poſſit, ne Regulares in Eccleſiis ſuis Sacerdotes ſæculares exteros divina Officia celebrare permittant, niſi prius ab ipſo Epiſcopo viſis litteris commendatitiis ipſi Sacerdotes admiſſi fuerint: S. Congregatio cenſuit poſſe.

Trigeſimus primus ponitur in eodem *c. 12. in 2. parte*, ubi 66 mandatur Regularibus, ut ſervent dies feſtos, quos obſervari in ſua Diœceſi Epiſcopus præcipit. Quod quidem decretum Sac. Congregatio declaravit ita eſſe intelligendum, ut Regularium ritus illis diebus feſtis ſemper permaneat quoad Miſſas celebrandas, & cætera divina officia tàm publicè, quàm privatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſiis perſolvenda. Nec circa hunc ritum ab Epiſcopis quoquomodo quidquam in contrarium eiſdem Religionibus præcipi poſſe; quod ſi de facto præceperint, Regulares neutiquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Evangeliis, & Epiſtolis, quibus utitur clerus ſæcularis illis diebus feſtis.

Trigeſimus ſecundus eſt *in cap. 13.* immediatè ſequenti, 67 quo tribuitur Epiſcopis facultas componendi appellatione remota controverſias omnes de præcedentia inter Eccleſiaſticas perſonas tàm ſæculares, quàm regulares tùm in Proceſſionibus publicis, tùm in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda Umbella, & aliis ſimilibus.

Trigeſimus tertius ponitur in eodem *c. 15.* ubi ſtatuitur, 68 ut exempti omnes ſive ſæculares, ſive regulares ab Epiſcopo ad publicas Proceſſiones vocati accedere compellantur. Quod fieri poſſe cenſuit Sac. Congregatio etiam compellendo eos per pœnas, vel cenſuras Eccleſiaſticas; nec eo caſu abſolvi poſſe à ſuis Superioribus, quia ſunt excommunicationes ab homine, quarum abſolutio petenda eſt à judicibus, qui tulerunt, vel à Sanctiſſimo.

Excipiuntur in fine hujus Decreti, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò vivunt. Item Gregor. XIII. excipit Regulares, quorum Monaſteria diſtant à civitate ultra medium milliare.

Trigeſimus quartus eſt in Regularibus, qui etſi degant 69 intra clauſtra, tamen extra ea notoriè & cum ſcandalo delinquunt; hi enim puniri poſſunt ab Epiſcopo juxta terminos *c. 14. ſeſſ. 25. de regular.* & Conſtitut. Clementis VIII. editæ *decima octava Martii 1596.* ideſt, cùm ſuperior Regularis ab Epiſcopo admonitus delinquentem infra tempus ab Epiſcopo præſcribendum non punierit, ac de punitione Epiſcopum certiorem non fecerit. In qua quidem Conſtitutione illud etiam adiicitur, ut ſi Superior ſic delinquentem ad aliam Diœceſim tranſmiſerit, inſtante Epiſcopo intra terminum ab Epiſcopo præſcribendum, ad locum, in quo deliquit, illum revocare teneatur: alioquin Ordinarius loci, in quo tranſmiſſus fuit, ab Ordinario loci commiſſi delicti, requiſitus, vel aliàs de illius delicto informatus tamquam Sedis Apoſtolicę delegatus Decretum Concilii exequi, & eum punire poſſit, ac debeat. Extra clauſtra verò S. Congregatio intellexit Regularem delinquere, etiam cùm in Eccleſia Monaſterii delinquit, niſi clauſis portis, & ſolis Regularibus in ea exiſtentibus delictum ſit commiſſum. Cæterùm quando extra clauſtra Regularis delinquit, cùm dubitatum fuerit, an detinendus ſit in carceribus Epiſcopi, donec proceſſus in curia Epiſcopali conficiatur; eoque compilato inſtante ſuperiore remittendus ſit unà cum proceſſu puniendus, vel potiùs non expectata compilatione proceſſus; ſtatim remittendus ſit ad Superiorem unà cum iis probationibus, quæ habentur: S. Congregatio cenſuit ſtatim eſſe remittendum.

Trigeſimus quintus eſt *in c. 16. ſeſſ. 25. de regul.* quo nullæ 70 decernuntur renunciationes novitiorum, niſi fiant cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii infra duos menſes ante profeſſionem.

Trigeſimus ſextus habetur in eodem *cap. 16. in fin.* ubi ſtatuitur ut Novitiis à Monaſterio ante profeſſionem abeuntibus, omnia reſtituantur, quæ ſua erant. Idque ut rectè fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.

Trigeſimus ſeptimus eſt quoad voluntatis puellarum Deo 71 dicandarum explorationem ab Epiſcopo faciendam ex Decreto *7. ejuſdem ſeſſ.* tam ante habitus ſuſceptionem, quàm ante profeſſionem, ſi puella ſit major duodecim annis; ac ſi minor duodecim annis ſit, ante profeſſionem dumtaxat. Ita enim hunc textum Sac. Congr. interpretata eſt, cujus profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, tenetur Præfecta Monaſterii eum ante menſem certiorem facere; alioquin ſuſpenſa eſt ab officio, quamdiu Epiſcopo videbitur.

Tri-

72 Trigeſimus octavus eſt in *cap.19. ſeſſ.25. de Regul.* ubi ſtatuitur, ut Ordinarius debeat adhiberi unà cum Superiore regulari in judicio nullitas profeſſionis; quem textum Sacra Congregatio declaravit habere locum ſive. Profeſſus nullitatem ſuæ profeſſionis alleget, ſive Religio velit illum expellere tamquam nulliter profeſſum.

73 Trigeſimus nonus ponitur in *cap. ult. ſeſſ.25. de regul. in fin.* ubi Capitulis Generalibus deficientibus exequi decreta illius ſeſſ. diſponitur, ut Concilia Provincialia per deputationem aliquorum ejuſdem ordinis provideant.

74 Quadrageſimus habetur in *cap.13. ſeſſ.25. de reform.* quo decernitur, ut quibuſcumque in locis jam ante annos 40. Quarta funeralium Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocumque privilegio aliis Monaſteriis, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integrè Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus privilegiis, etiam Mari Magno nuncupatis.

75 Quadrageſimus primus eſt in Regularibus, qui ob notorium delictum in excommunicationem inciderunt, quos cenſuit Sac. Congregatio poſſe ab Epiſcopo publicè denunciari excommunicatos ut ab aliis evitentur.

76 Quadrageſimus ſecundus eſt in Regularibus etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani qui in perſonam Epiſcoporum delinquunt, Prælatorumve juriſdictionem turbant, aut illos impediunt, ne munus ſuum exequantur; quibus caſibus Sac. Congregatio cenſuit eos citra ullam exceptionem per eoſdem Ordinarios legitimè coerceri, & puniri poſſe, nec non incidere in Bullam, quæ legi conſuevit in die Cœnæ Domini. Quam S. Congregationis ſententiam Gregorius XIII. ad ſe relatam approbavit, præterquam quoad illud verbum, *turbant*, quod viſum eſt nimis generale; ideò dixit decretum concipiendum eſſe contra impedientes juriſdictionem Prælatorum, eodem verbo utitur Alexander III. *in cap.1. ſupra de off. deleg.* ibi: *Si eos maniſeſtè cognoveris juſtitiam impedire*: & Innocentius IV. *in cap. 1. de pœnis lib. 6.* ibi: *Si hac occaſione ſua impediatur juriſdictio.*

77 Quadrageſimus tertius eſt quoad expoſitionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: decrevit enim Sacra Congregatio, ut non liceat Regularibus etiam in propriis Eccleſiis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario, ex cauſa autem privata poſſint, dummodò ſanctiſſimum Sacramentum è Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita ut ipſa Hoſtia videri non poſſit, &c.

Quadrageſimus quartus habetur in decretis de celebratione Miſſarum à Sacr. Congregatione Concilii editis authoritate Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. *in §. Deinceps verò in Bullar. tom. 4. pag. 314.* ubi ſtatuitur, ut Monaſteria, & loca regularia poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur. Decreta fuerunt edita *anno 1625. die 21. Junii*, & publicata *die 22. Septembris*. Quod nota propter adverbium illud *poſthac*. 78

Quadrageſimus quintus habetur in alia ejuſdem Conſtitutione quæ incipit, *In ſuprema, edita Idibus Novembris* 1627. qua ſtatutum eſt, ut cognitio cauſarum contra perſonas Eccleſiaſticas tàm ſæculares, quàm Regulares, quæ monetas aureas, vel argenteas tundunt, fabricant, colorant, vel aliàs adulterant, erogant, aut exponunt, in Italia ſpectet ad Ordinarios locorum privativè quoad omnes Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis: & quoad loca intra fines alicujus Diœceſis, non tamen de Diœceſi exiſtentia, ad Ordinarios ipſarum Diœceſum, intra quarum fines eadem loca extiterint: quo verò ad ea, quæ extra fines alicujus Diœceſis conſiſtunt, ad viciniores eorumdem locorum Ordinarios. 79 80

Quadrageſimus ſextus eſt in Conſtitutionibus Regularium, qui primum fuerunt ſuppreſſi, & ſæcularizati, ac deinde ex rationabilibus cauſis ad primævum ſtatum Regularem reducti, ac ſuis Religionibus reſtituti; ſubſunt enim omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, donec habuerint redditus ſufficientes, quibus ſuſtentari valeant, & cum effectu ſuſtententur duodecim Religioſi, ut in Decreto ſan. mem. Innocentii X. cujus tenorem retulimus *in cap. Relatum num. 71. infr. ne Cler. vel Monach.* 81

Quadrageſimus ſeptimus eſt in Conſtitutionibus Regularium numquam ſuppreſſis, in quibus actu non aluntur ſaltem ſex Religioſi, quorum ad minus quatuor ſint Sacerdotes; ſubjacent namque juriſdictioni Ordinarii ſimiliter tamquam Delegati Sedis Apoſtolicæ, ut habetur in eodem Decreto, verſ. *Inſuper*. 82

An autem juriſdictio in his ultimis duobus caſibus cenſeatur attributa Ordinario privativè ad Superiores Regulares, an cumulativè, plenè examinavimus *in cap. Quanto ſupra eodem*.

DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA.

Gregor. Auguſtino Anglorum Epiſcopo.

CAPUT I.

Cum certum: & infrà. Sit honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior & major habeatur, qui prius communitatis conſilio & concordi fuerit actione ordinatus,

SUMMARIUM.

1 *Major in honoribus reverentialibus exhibendis æſtimatur cæteris paribus ex prioritate temporis.*

2 *Honores, & munera etiam inter perſonas Eccleſiaſticas diſtribui debent ſecundum diſtinctionem graduum, & ordinum, & num. ſeqq.*

3 *Graduum, & ordinum diſtinctio cur à Deo conſtituta fuerit in Eccleſia militanti.*

4 *Hierarchiam Eccleſiaſticam confundit, qui affirmat omnes in Eccleſia pari poteſtate præditos eſſe.*

5 *Præcedentia in honoribus deferenda eſt ex temporis prioritate.*

Declaratur procedere, ſi cætera ſint paria, nu. 11.

6 *Prior tempore potior eſt jure.*

7 *Doctoribus antiquis magis eſt deferendum, quàm modernis.*

8 *Præcedentia debetur ratione antiquioris ingreſſus in Religionem.*

9 *Congregatio Canonicorum Regularium Lateranenſium præ antiquitate præcedit omnes alias Religiones.*

10 *Canonici Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum veniunt Cleri ſæcularis appellatione, & ideò præcedunt Canonicis Regularibus Lateranenſibus.*

11 *Præcedentia ex prioritate temporis debetur iis, qui ſunt ejuſdem dignitatis, & ordinis; aliàs ſecus.*

12 *Major ordine, licèt in Eccleſia poſterius receptus, præfertur in loco, & portione: nec valet conſuetudo contraria.*

Conſuetudo ut non habens dignitatem præferatur illam habenti, irrationabilis eſt, ibid.

Præ-

13 *Præcedentia Epiſcoporum in Conciliis Provincialibus attendi debet ſecundùm tempus ordinationis, non ſecundùm dignitatem Eccleſiarum.*
Canonici, Abbates, Commendatarii, Dignitates, & Procuratores Cathedralium quem locum habeant in Concilio Provinciali, ibidem.
14 *Ordinatus à majore, major eſt, & præcedit antiquiori ſi ſit ejuſdem ordinis; ſecus ſi inferioris.*
15 *Miles creatus à Rege præfertur militi creato ab inferiori ſi ſint pares dignitate.*
16 *Conſuetudo attendi debet in deferenda præcedentia, etiamſi repugnet juri communi.*
17 *Conſuetudo ut minor præferatur majori, vel poſterior antiquiori, eſt irrationabilis, & impræſcriptibilis.*
18 *Niſi contingat ratione dignitatis, vel officii.*
19 *Patriarcha Conſtantinopolitanus etiam poſterius ordinatus præfertur inter quatuor Patriarchas.*
20 *Præcedentia in honoribus quo ordine ſingulis adjudicari debeat.*
21 *Epiſcopi appellatione remota nequeunt componere controverſias de præcedentia vertentes inter perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares, ſed inter Eccleſiaſticas tantùm.*
22 *Fratres Mendicantes quo ordine inter ſe præcedere debeant: & quid de Confratribus ſocietatum.*
23 *Præcedentia an ſit adjudicanda Capitulo Valvenſi, an vero Capitulo Eccleſiæ Sulmonen. & n. ſeq. uſque in fin.*
24 *Valvenſis Eccleſia ubi, & quo tempore conſtructa fuerit, & num. 29.*
25 *Sulmonenſis Eccleſiæ origo, & nu. 27.*
26 *Blondi error quòd Sulmo eſſet caput Epiſcopatus Valvenſis.*
28 *Valvenſis Provincia pro dote Eccleſiæ S. Pelini à Romano Imperio donata.*
29 *Præcedentia arguitur ab ordine litteræ.*
30 *Concordia Capituli Valven. ac Sulmonen. an præſumatur confirmata.*
31 *Unio principalis operatur, ut quælibet Eccleſia ſuas retineat prærogativas.*
32 *Cathedralis Eccleſiæ ſtatus deducitur ex electione Vicarii Capitularis.*
33 *Epiſcopus olim eligebatur ab univerſo Clero.*
34 *Electio Prælati fit per Collegium utriuſque Eccleſiæ æque principaliter unitæ.*
Eccleſia Conventualis per unionem æquè principaliter non efficitur Cathedralis, ibid.

1 C*Um certum*. In honoribus reverentialibus impendendis major ponderatur cæteris paribus ex temporis diuturnitate, ſeu prioritate. Hoc dicit, ſecundùm Antonium de Butr. & Joan. de Imol. Prima pars ponit deciſum exordium. Secunda diſpoſitionem, ibi, *Sit*.

2 Nota primò, ex hac Decretali etiam inter perſonas Ec-
cleſiaſticas habendam eſſe diſtinctionem in honoribus exhi-
bendis: noſtra enim Hierarchia, ut Dionyſ. inquit *in c. 6.*
Eccl. Hierarch. à Deo traditis ordinibus ſanctè diſpoſita
Sanctis, & Cœleſtibus Hierarchiis conformis eſt: & ſic Ec-
cleſia militans exemplata eſt à triumphante, ut dicit gl. in
3 Clement. *fin. in ver. Eccl. de hæret.* Undè quemadmodum in
Eccleſia triumphante non omnes ſunt pares ordine, & officio. *Sunt enim ibi Angeli, Archangeli, &c. c. Principium, §. Omnis lapis de pœnit. diſtinct. 2.* ita & in Eccleſia militante non omnes debent eſſe pares gradu, & poteſtate; ſed alii majores, & alii minores; & ſecundùm majoritatem, & minoritatem honores, & munera ſunt deferenda. Quippè ut legitur *Epiſt. 52. Gregorii I. ad Epiſcopos Galliarum*; & totidem ferè verbis in Epiſtola Bonifacii II. ad Eulalium. *Ad hoc diſpenſationis divinæ proviſio gradus diverſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diverſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim Univerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi hujuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſervaret.* Refertur
4 *in c. ad hoc 89. diſt.* Idque ad exemplum Cœleſtis militiæ, ut
ibi *in verſ. Quia verò*. Unde Conc. Trident. *de Sacram. Ordin. ſeſſ. 23. c. 4. Si quis, inquit omnes Chriſtianos promiſcuè novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ eſt ut caſtrorum acies ordinata, confundere; perinde ac ſi contra B. Apoſtoli doctrinam omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Evangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores.* Hæc ibi. Quare honores, & munera non ordinatis omnibus, ſed potioribus quibuſve injungenda ſunt, *dicit text. in l. Honores, ff. de decurion.*

Secundò nota præcedentiam in honoribus deferendam 5
eſſe ex prioritate temporis, ut hic eſt caſus ſecundùm omnes, idque in voto, in ſede, & perceptione præbendæ, in ſcribendo, in ſigillando, & ſimilibus, ſecundùm Innoc. *in princ.* cum quo tranſeunt Hoſt. *num. 5. in ver. Qui prius*, Joan. Andr. & Bellam. ambo *in princ. in ver. Prior*, Abb. *nu. 2. verſ. Sed quæro pro declaratione*, & reliqui omnes. In his
enim habet locum illud brocardum: Qui prior eſt tempo- 6
re, potior eſt jure, *c. ult. 75. diſtinct. c. Concilia. §. Hinc etiam 17. diſt. cum concord.* de quibus hic per gl. 2. Quod facit pro Senibus; & Doctoribus, qui prius lauream adepti ſunt; & pro militibus, qui prius militare cœperunt, ut
poſterioribus ſint præponendi, ſecundùm Butr. *hic num. 2.* 7
Imol. *num. 1.* & Abb. *nu. 3.* Item facit pro Scriptoribus antiquis, quibus magis eſt deferendum quàm junioribus, quia temporis diuturnitas videtur eis authoritatem contuliſſe. Silveſt. *in ver. Opinio num. 2.* & fusè oſtendimus *in c. Ne innitaris ſupra de Conſtit.* contra opinionem quorumdam recentiorum, qui dixerunt Doctores neotericos, ſeu modernos antiquioribus præſtare authoritate.

Hinc præeminentia debetur ratione antiquioris ingreſ- 8
ſus in Religionem, ut per hunc textum dixit Rota *in Meliten. præcedentiæ 15. Maii* 1577. ut apud Cardin. Seraphin. *deciſ. 326. nu. 3.* poſt Aretin. *conſ. 23. n. 10. verſ. ad tertium*.

Hinc etiam Religio Canonicorum Regularium, cùm 9
ortum habuerit ab initio naſcentis Eccleſiæ, in proceſſionibus, & aliis actibus publicis præcedit omnes alias Religiones, & obtinet primum locum immediatè poſt Clerum ſæcularem, ut patet in Conſtitutione S. Pii V. quæ incipit, *Cùm ex ordinum edita 10. Cal. Januarii* 1570. *in Bullar. tom. 2. pag. 324.* & dixi plenius in cap. *Quod Dei timorem nu. 8. &*
ſeq. infra de ſtat. Monach. licèt non præcedat Congrega- 10
tioni Canonicorum S. Gregorii in Alga Venetiarum, quia veniunt Cleri ſæcularis appellatione, ut idemmet S. Pius V. poſteà declaravit in alia Conſtitutione incipien. *Cùm aliàs 10. Calen. Junii* Pontificatus anno *6. in Bullar. tom. 2. pag. 340.* Et complures prærogativas, quæ antiquioribus, & ſenioribus competunt, congerit Ludov. Roman. *in repet. leg. Si verò, §. De viro in 53. Fallen. ff. ſolut. matrim.* & decem enumerat Archid. *in cap. Domino Sancto 50. diſt.*

Cæterùm prædicta concluſio quòd præcedentia in hono- 11
ribus ex prioritate temporis adjudicari debeat, ex mente omnium declaratur procedere tantummodò cæteris paribus: & ita in ſpecie adnotarunt Anton. de Butr. *in ſumma hujus textus*, Imola *num. 1.* in gloſ. 1. & Abb. *num. 3.* Aretin. *d. conſ. 23. num. 10. verſ. ad tertium*.

Unde infertur primò, ut habeat locum dumtaxat inter
eos, qui ſunt ejuſdem dignitatis, & ordinis, ut Epiſco-
pus inter Epiſcopos, Presbyter inter Presbyteros, & ſic de
ſingulis: aliàs ſecus. Quare Epiſcopus antiquior non præ-
cedit Metropolitano, nec Diaconus Presbytero etiam po-
ſterius ordinato, ut eſt caſus in *c. Statuimus infra eodem*,
ubi major ordine, licèt in Eccleſia poſterius receptus, in 12
loco, & portione præfertur, & tradunt hic Innocent. *in princ. verſ. Item in his, qui ejuſdem ordinis ſunt*. Hoſt. *n. 2.* Jo. Andr. *n. 1.* Anchar. *in princ.* Abb. *n. 2.* & alii communiter. Imò non valet conſuetudo, ut prius recepti preferantur poſtea receptis, ſi poſtea recepti ſint conſtituti in ordine majori, *ut per text. in d. c. Statuimus*, dixit Rota coram Seraphin. *deciſ. 716. n. 4.* & irrationabilis eſt conſuetudo, ut non habens dignitatem præferatur illam habenti, Aretin. *d. conſ. 23. in fin.* Dec. *in l. Cum quid nu. 24. ff. Si cert. petatur*, Seraphin. *ubi ſupra*. Quo verò ad digniores meritis vide textum *in cap. licèt ergo 8. quæſt. 1.* & diſtinctionem Abbatis *hic num. 2. verſ. Adverte quia hæc ultima limitatio*.

Porrò in Conciliis Provincialibus ex ſententia Sacræ 13
Congregationis Concilii attendi debet in præcedentia Epiſcoporum tempus ordinationis, non autem dignitas Eccleſiarum: & Commendatarii inter Abbates ſunt recipiendi.

piendi. Canonici Cathedralis Eccleſiæ præferendi ſunt, quando Capitulariter procedunt. Extra hunc caſum Abbates titulares, vel habentes uſum mitræ debent præcedere Commendatarios. Poſt hos locum obtinentes Dignitates; & poſt Dignitates collocandi ſunt procuratores Eccleſiarum Cathedralium.

14 Infertur ſecundò, ut eadem concluſio non procedat, ſi poſterior ordinatus fuerit a majore: quia major eſt, & præcedit antiquiores, *cap. Per tuas infrà eodem l.* 1. *& ultim. ff. de alb. ſcriben.* gl. 1. hic Innoc. *in princ. verſ. Ordinatis tamen à Papa*, Butr. *n.* 3. & Imola *nu.* 1. *verſ. Salvo*, niſi poſterior fuerit ordinatus à Papa, & primus ab Ordinario. Conſilium Bononienſe *conſ.* 1. *Pro Monachis S. Benedicti num.* 8. *& ſeq.* Quod tamen intellige dummodò ſint ejuſdem ordinis: neque enim Diaconus etiam prius à Papa ordinatus præfertur Presbytero poſterius ordinato ab Epiſco-
15 po, quia termini non ſunt pares, ut Imol. *ubi ſupra*, qui hinc infert ad militem creatum à Rege, ut præferri debeat militi etiam prius creato ab inferiori. Adde dummodò ſint pares dignitate, aliàs ſecus, ut ex dictis patet.

16 Infertur tertiò, ut locum habeat prædicta concluſio niſi probetur contraria conſuetudo, quæ præcipuè attendi debet in honoribus exhibendis, *cap. Cum omnes de conſtit. cap. Cùm olim de conſuet.* ſecundum Innocent. *hic in fin.* Bald. *in d. cap. Cùm olim num.* 1. Card. *conſ.* 62. *incipien. in Eccleſia Bellunen. num.* 1. Mantic. *deciſ.* 244. *nu.* 2. Rota *in Oriolen. juris ſedendi* 24. *Octobris* 1586. coram Blanchetto, & in Calaguritana Præeminentiarum 13. *Novembris* 1591. coram Seraphino, ut in ejus *deciſ.* 264. *num.* 1. Quod procedit etiamſi talis conſuetudo repugnaret juris diſpoſitioni, puta ut minus dignus præferendus ſit digniori, ut in caſu dictæ deciſionis Oriolen. in qua datus fuit locus dignior Cantori ſupra Sacriſtam, licèt digniorem, ex notatis per Hoſtien. *in cap. Indecorum de ætat. & qualit.* cum aliis congeſtis per Menoch. *in conſ.* 52. *num.* 99. *lib.* 1. ut per Seraph. *ubi ſupra*.

17 Sed Hoſt. *hic num.* 2. *verſ. Verum ſi ſubtiliter attendas*: dicit conſuetudinem ut minor præferatur majori, vel poſterior antiquiori, eſſe irrationabilem. *cap. Ad hoc* 89. *diſt.* & ſic impræſcriptibilem tamquam Eccleſiis oneroſam,
18 *cap.* 1. *& ult. de conſuet.* niſi contingat ratione dignitatis, vel officii: & cum Hoſtien. conſentiunt Joan. Andr. *num.* 3. Collectar. *in fin.* Butr. *num.* 11. & Anchar. *num.* 1.

19 Et hac ratione licèt omnes quatuor Patriarchæ ſint pares dignitate, tamen inter eos præfertur Conſtatinopolitanus etiam poſterius ordinatus, *cap. Antiqua de privil.* ſecundùm Joan. Andr. & Anchar. *ubi ſupra*. Quem quidem ordinem inter Patriarchas renovavit Eugenius IV. in diffinitione Concilii Florentini, quæ habetur poſt *ſeſſionem* 25. §. *Renovantes*.

20 Itaque ex mente Innocentii, cum quo alii tranſeunt, in præcedentiis deferendis hoc ordine eſt procedendum, ut ille primo majori honore fungi debeat, qui majoris eſt dignitatis in Eccleſia; vel ſi non eſt ibi dignitas, qui majoris eſt ordinis; vel ſi ſunt æquales ordine, ille, qui ordinatus eſt a majore; alioquin qui primò ordinatus eſt, niſi aliud ſit de jure conſuetudinario, vel privilegio. Hanc autem prioritatem temporis, & conſuetudinem, ſeu obſervantiam in deferenda præcedentia conſuevit multoties attendere in caſibus contingentibus etiam Sac. Congregatio Concilii.

21 Unde orta controverſia præcedentiæ inter Capitulum, Canonicos, & Priores, & Magiſtratum civitatis, fuit dubitatum an eam Epiſcopus quacumque appellatione remota componere poſſet vigore facultatis ſibi à Concilio tributæ *cap.* 13. *ſeſſ.* 25. *de regular.* & dictum eſt ex hoc decreto non poſſe; tamen agendum cum Sanctiſſimo: Sanctitas Sua dixit idem, quod Congregatio, caſum hunc non comprehendi decreto Concilii, quia Concilium dicit inter Eccleſiaſticas perſonas: hic autem ſunt ſæculares ex una parte. Et quod ad deciſionem attinet ſcribendum Epiſcopo, ut faciat obſervari id, quod hactenus ab annis viginti quatuor citra fuit ſolitum obſervari.

22 Rurſus delata ad Sacram Congregationem Concilii controverſia de præcedentia inter Dominicanos, Franciſcanos, Auguſtinianos, & Carmelitanos, ſumptæ fuerunt informationes, & repertum, conſuetudinem ita inoleviſſe, & obſervatum ſemper fuiſſe, ut ea Religio, quæ prius in loco habuit Monaſterium, illa præcedat: quam conſuetudinem Sanctiſſimus juſſit obſervari & nihil innovari: & ſecundùm hoc poſtea edita fuit Conſtitutio ab eodem Gregorio XIII. incip. *Expoſcit* 15. *Julii* 1583. qua diffinitum eſt quòd inter Fratres Mendicantes, nec non inter Confraternitates Chriſti fidelium in proceſſionibus tam publicis, quam privatis, ii præcedere debeant qui ſunt in quaſi poſſeſſione præcedentiæ. Quod ſi de quaſi poſſeſſione hujuſmodi non conſtet, inter Fratres quidem Mendicantes præcedere debeant, ii qui antiquiores in loco controverſiæ: inter Confratres verò inter ſe litigantes, qui prius Saccis uſi ſunt.

Ex facto QUÆSITUM eſt, An præcedentia ſit adjudicanda Capitulo Eccleſiæ Valvenſis, an verò Capitulo Eccleſiæ Sulmonenſis. 23

Cùm de præcedentia diu litigatum eſſet inter Capitulum Sancti Pelini Valven. & Capitulum Sancti Pamphili Sulmonen. tandem Gregor. XIII. juſſit, ut cauſa hujuſmodi ageretur in Sacra Congregatione Concilii, quæ poſtea conſideratis diligenter ſcripturis tunc exhibitis, auditiſque ſæpius partium Procuratoribus, & Advocatis, & eorum allegationibus accurato ſtudio perpenſis, *die ſexta Aprilis* 1576. cenſuit ex his, quæ hactenus in dictis ſcripturis deducta fuerunt, deberi, & ita deferendam, adjudicandamque eſſe præcedentiam Capitulo Valven. cui quidem decreto cum poſt multos annos Capitulum Sulmonenſe non acquieſceret: Sacra Congregatio tempore Cardinalis Matthæi perſtitit in decretis, ac deinde ſæpiùs dedit litteras ad Epiſcopum, ut in Synodo, in proceſſionibus, ac aliis ejuſmodi actibus Capitulo, & Canonici Valven. primum locum aſſignaret, ut ſæpiùs reipſa factum eſt, præſertim in Synodis habitis anno 1590. & 1603. Quinimò cùm ab aliquot annis Epiſcopus Synodum convocaturus petiiſſet, ut in unaquaque Cathedrali ad vitandos tumultus liceret ſibi Synodum celebrare, ita ut Capitulum, & Clerus unius in alia non intereſſet: Sacra Congregatio abnuit, deditque ad Epiſcopum litteras, ut Synodum celebraret, & præcedentiam Capitulo Valvenſi tribueret.

Ex notis autem Cardinalis Alciati, quæ in libris Sacræ 24
Congregationis leguntur, conſtat fuiſſe adjudicatam præcedentiam Capitulo Valvenſi his præcipuè fundamentis, videlicet: quia Eccleſia Sancti Pelini de Valva olim in celebri Corfinii urbe conſtructa ſemper fuit Cathedralis, ut conſtat ex inſtrumentis, & ſcripturis exhibitis. At verò Eccleſia Sancti Pamphili de Sulmona erat Plebania diœce- 25
ſis Valvenſis, ut apparuit ex Bulla Lucii III. anno 1383. & Honorii III. 1225. ubi deſcribuntur Eccleſiæ, & bona Epiſcopatus Valvenſis his verbis: *In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; Eccleſia videlicet Sancti Pelini, ubi ſedes Epiſcopalis habetur cum caſtello de victoria cum omnibus pertinentiis ſuis: plebem Sancti Pamphili de Sulmona cum omnibus ſuis pertinentiis*. Necnon ex litteris collationis Canonicatus anno 1496. productis in Rota à Capitulo Sulmonenſi, in quibus Eccleſia Sancti Pamphili de Sulmona dicitur eſſe Valvenſis diœceſis, & litteræ diriguntur in forma dignum Epiſcopo Valvenſi, quod etiam aſſeritur in litteris ejuſdem Epiſcopi Valven. 1421. & 1561. & in manuſcriptis pluribus bibliothecæ Vaticanæ uſque ad annum 1488.

Deinde quia nulla erectio oſtenſa fuit Epiſcopatus Sulmonenſis. Quinimò redditus ferè omnes Epiſcopatus Valven. ſunt in loco de Valva: ex Sulmona verò nulli propemodum fructus percipiuntur.

Ac demum, quia anno 1539. Canonici Sulmonenſes moverunt litem in Rota contra Epiſcopum Valvenſem, quod Sulmo eſſet Epiſcopatus, & ab eo ſumenda eſſet Epiſcopi denominatio. Et Mohedanus anno 1541. ſententiam tulit contra Canonicos Sulmonenſes, quæ deinde tranſitum fecit in judicatum.

Concordiam verò anno 1238. initam inter Capitulum Valvenſe, & Capitulum Sulmonenſe, qua conventum fuit, ut deinceps unum eſſet Capitulum, una Eccleſia Cathedralis, eaque Sulmonenſis appellaretur: Sacra Congregatio tunc cenſuit non obſtare, quia Canonici non potuerunt transferre Cathedralem Eccleſiam Sancti Pelini ad Plebaniam Sancti Pamphili, nec Capitula hujuſmodi unire, *cap. Et temporis qualitas* 7. *quæſt.* 1. *cap. ſicut unire de exceſſib. Prælat.* Auctoritas autem Papæ non interceſſit, nec

nec præſumitur interceſſiſſe, quia concordia non fuit poſtea obſervata.

26 Advertit etiam Sacra Congregatio errore fuiſſe deceptum Blondùm, qui in opere de illuſtrata Italia videtur ſentire Sulmonam eſſe caput totius Epiſcopatus Valvenſis: nam Eccleſia S. Pelini eſt caput ejus Epiſcopatus, ut patet ex Bullis, & aliis ſcripturis ſupra relatis.

At nunc Sulmonenſes exhibent alias ſcripturas, quibus prætendunt recedendum eſſe à deciſis, & ſibi adjudicandam præcedentiam.

27 Et primò quia Epiſcopatus Sulmonenſis eſt antiquior Epiſcopatu Valvenſi, cùm habeatur memoria cujuſdam Palladii Epiſcopi in Concilio habito ſub Symmacho Papa. Cùm tamen Epiſcopatus Valvenſis initium cœperit anno 700. & ſic pluſquam ducentis annis poſt Epiſcopatum Sulmonenſem. Verùm ad hoc poteſt reſponderi ſubſcriptionem ex dicto Concilio deſumptam non eſſe originalem, & variam eſſe in diverſis Codicibus, cùm alicubi legatur,
28 Sulmontinis. Nec conſtat cujus Eccleſiæ tunc temporis potuerit eſſe Epiſcopus, cum Eccleſia Sancti Pamphili de Sulmona conſtructa fuerit ducentis annis, & amplius poſt dictum Concilium, ut patet ex vita Sancti Pamphili. Quod eo magis fit veriſimile, quia ex ſcripturis ſupra adductis oſtenditur Eccleſiam Sancti Pamphili fuiſſe ſimplicem Plebaniam diœceſi Valvenſis. Sed quatenus vera eſſet ſubſcriptio Epiſcopis Sulmontini, & ſignificaret Epiſcopum Sulmonenſem, extant tamen indicia ſtatus Epiſcopatus Valvenſis multò antiquioris; nam ex vita Sancti Pelini habemus poſt illius Martyrium contigiſſe dedicationem ejus Eccleſiæ, cui in dotem Imperium Romanum adſcripſit totam adjacentem Provinciam, quæ Valvæ eſt appellata. Unde ſubductis rationibus temporis ejus martirii, atque obitus Juliani Apoſtatæ, ſub cujus Imperio paſſus eſt, conſtat dictam Eccleſiam fuiſſe ædificatam anno circiter 325. atque ita 163. annis ante Concilium Romanum. Et quamvis in quadam tabula marmorea Eccleſiæ S. Pelini, & in vita S. Pamphili enuncietur S. Pamphilus primus Epiſcopus Valvenſis: tamen id fortè factum fuit, vel Sanctitatis ratione, vel quia qui hiſtoriam ſcripſit notitiam non habuit antiquioris Epiſcopi, præſertim quia in quinta Synodo habita anno 504. degitur interfuiſſe Fortunatus Epiſcopus Valvenſis, qui fuit longè ante Sanctum Pamphilium, quamvis in Codice Coloniæ Agrippinæ impreſſo anno 1567. habeatur Fortunatus Epiſcopus Valvenſis, qui fortè fuit Valventiis. Sed revera anno 320. nec ex vita S. Pelini apparet in Eccleſia extitiſſe ſexaginta tres Canonicos: neque eſt veriſimile, ut ibi eſſent abſque Epiſcopo, & in ſexta Synodo habita anno Domini 681. ſub Agathone, actione quarta in ſubſcriptione ſic legitur: *Benedictus humilis Epiſcopum S. Eccleſiæ Valven. & eſt medius inter Epiſcopus Aſten. & Albiganen.*

Secundò Canonici Sulmonen. deducunt Eccleſiam Sancti Pamphili fuiſſe Cathedralem ex Bulla Leonis IX. 1504. in qua Pontifex confirmat Epiſcopo Valvenſi ad Epiſcopalem Sedem Eccleſiæ Sancti Pelini, cum ſuis pertinentiis pariter Eccleſiam Sancti Pamphili cum cæteris Eccleſiis.

Sed reſpondetur hinc potiùs probari ſolam Eccleſiam Sancti Pelini eſſe Cathedralem. Neque obſtat ad verbum, *pariter*, quia eſt poſitum reſpectu confirmationis, non re-
29 ſpectu Sedis Epiſcopalis. Et nihilominus hoc nihil faceret ad præcedentiam, cùm primo loco Epiſcopus fuerit confirmatus ad Eccleſiam Sancti Pelini, gloſſ. *in c. Quorumdam in ver. Prædicatores de elect. lib. 6.* quam ibi Dominicus, & Francus ſequuntur. Item Abbas *in cap. Sedes de reſcript. & in cap. Avaritiæ de præben.*

Tertiò produnt litteras Epiſcopi Sicinulphi 1164. in quibus ipſe vocat ſe Epiſcopum de Epiſcopio S. Pelini, & Pamphili.

Sed Canonici Valvenſes reſpondent eorum Eccleſiam, quæ ab initio Sancto Pelino fuit dedicata, poſtea ſuſcepiſſe in Patronum Sanctum Pamphilum, quia fuit ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus. Ideòque deinde retinuiſſe utramque invocationem S. Pelini, & S. Pamphili, ita ut non mirum ſit ſi Epiſcopi nonnumquam ſe nuncupaverint de Epiſcopio utriuſque Sancti. Aliæ autem ſcripturæ, in quibus fit mentio de Epiſcopio Sancti Pamphili civitatis Sulmonæ non ſunt in forma probante. Ac prætereà in dictis quoque ſcripturis primo loco in ordine recenſetur Epiſcopium S. Pelini, deinde S. Pamphili.

Quartò exhibent Bullam Innocentii III. 1206. in qua committitur Canonicis Sulmonenſibus, ut aliquem ex eis mittant ad recipiendum Epiſcopum eis datum.

Verùm reſpondetur hinc non inſerri, ut Eccleſia Sulmonen. eſſet Cathedralis, quia Epiſcopus datur omnibus diœceſanis, & conſtituitur Prælatus omnium Eccleſiarum ſuæ diœceſis in quibus Prælatus non reperitur, ſecundùm Hoſt. *in cap. Cum contingat de foro competenti*; quem refert, & ſequitur. Oldrad. *conſ. 67. Quæſtio talis eſt verſ. Et dicimus in talibus num. 3.*

Et tales commiſſiones olim fieri conſueverunt non ſolùm Capitulo Cathedrali, ſed etiam Canonicis, & Clero civitatis, vel diœceſis; imò etiam ſæcularibus Principibus, ut patet ex Regeſtis Apoſtolicis.

Quintò exhibent Bullam 1404. in qua Innocentius VII. donat mitram Canonicis Sulmonenſibus ad uſum Eccleſiæ illorum.

Ad quod reſpondetur hanc donationem factam fuiſſe, ut Epiſcopus poſſet in dicta Eccleſia Pontificalia exercere, non quòd eſſet Cathedralis. Quod patet eo quod idem Pontifex erat oriundus Sulmon. & tamen in alia Bulla dicit Sulmonam eſſe Valven. diœceſis.

Sextò exhibent ſcriptum, in quo Epiſcopus Valvenſis anno 1350. dedit mandatum ad capiendam poſſeſſionem Epiſcopatus in civitate Sulmonæ.

At Capitulum Valvenſe reſpondet id non fuiſſe factum in vim litterarum Apoſtolicarum. Quinimò repugnare proviſionibus Apoſtolicis, quæ ſunt tantùm de Eccleſia Valvenſi, ac ſententiæ Rotali.

Septimò deducunt validam eſſe unionem utriuſque Epi- 30
ſcopatus, & concordiam olim initam inter utrumque Capitulum; quia cum aliqua ſaltem in parte fuerit obſervata, præſumitur beneplacitum Apoſtolicum.

Verùm reſpondetur non probari hujuſmodi obſervantiam ſaltem in ſubſtantialibus: nam in concordia primum tranſactum fuerat, ut deinceps eſſet una tantùm Eccleſia, quæ diceretur Eccleſia Sulmonen. & unum Capitulum. quod Sulmonenſe appellaretur.

Et tamen in iiſdemmet ſcripturis, ex quibus Canonici Sulmonenſes deducunt obſervantiam concordiæ, patet tam Eccleſiam, quàm Capitulum fuiſſe appellatum Valvenſe, & Sulmonenſe; & ex juribus productis à Capitulo Valvenſi apparet illas eſſe duas Eccleſias diſtinctas, quæ in hoc ſtatu reperiuntur; Itidem duo Capitula, ac ſub diverſis nominibus: & quamvis nonnumquam promiſcuè fecerint nonnullos actus; id tamen contigit, quia ea negotia ad utrumque Capitulum pertinebant.

Deinde tranſactum fuerat, ut unicum eſſet ſigillum cum duabus imaginibus, id eſt, S. Pelini, & S. Pamphili continens in circuitu ſigillum Capituli Sulmonen. Et tamen nullum tale ſigillum exhibetur à Canonicis Sulmonenſibus, & ſigillum quo utuntur Canonici Valvenſes eſt longè diverſum.

Tertiò tranſactum fuit, ut bona univerſa eſſent communia. Quod tamen obſervatum non fuiſſe iidemmet Canonici Sulmonenſes non diffitentur.

Quartò fuit tranſactum, ut una eſſet dignitas Præpoſituræ utriuſque Eccleſiæ: cujus tamen obſervantiam non probant ſcripturæ, & litteræ exhibitæ à Sulmonenſibus: nam in illis hoc ſolùm legitur: nempè N. Præpoſitus Valven. & Canonicus Sulmonen. quod tantùm indicat Præpoſitum Eccleſiæ S. Pelini habuiſſe etiam Canonicatum in Eccleſia S. Pamphili.

Ac demum omiſſis aliis levioribus tranſactum fuit ut peteretur confirmatio tranſactionis à Sede Apoſtolica, quod ſimiliter non conſtat factum fuiſſe.

Deindè reſpondetur quatenus hæc unio auctoritate Apoſtolica proceſſiſſet, tamen cùm facta fuerit æquè principaliter, ut prætendunt Canonici Sulmonenſes, quælibet Eccleſia retinuiſſet ſuas prærogativas, & præeminentias, ut tradit in unionibus æquè principalibus, Caccialup. *in tract. de union. art. 8. ſub num. 5. verſ. & hoc ſi modo*: & latè conſuluit Mandoſ. *conſ. 27. per totum*. Unde etiam poſita unionis validitate præcederet Eccleſia Valvenſis, quippe quæ priùs erat Cathedralis, & caput totius Epiſcopatus.

Et hoc modo tollitur etiam fundamentum quod ſumitur ex

ex Bullis Innocentii VII. 1359. Clementis VII. 1529 & S. Pii V. 1571. in quibus hæ duæ Eccleſiæ enunciantur invicem unitæ; hinc enim non ſequitur quo minus Eccleſia Valvenſis retinuerit ſua privilegia, & prærogativas.

Octavò pro Sulmona producitur collatio 1532. de. Eccleſia Sulmonen. tamquam de Cathedrali Eccleſia.

At reſpondetur hanc collationem dediſſe cauſam liti, quæ poſtea initium ſumpſit anno 1538. & tamen hoc ad præcedentiam non pertinet.

32 Nonò deducitur ſtatus Cathedralis Sulmonenſis, quia Capitulum ejus Eccleſiæ Sede vacante Vicarios Capitulares eligit. Qui quidem actus fieri non poteſt niſi à Capitulo Cathedralis Eccleſiæ: & hinc ſtatum Cathedraticum deduxit Rota in cauſa *Vercellen. Unitatis Capituli* 12. *Junii* 1598. *coram Penia*.

Cæterùm reſpondetur eodem modo hos actus electionis factos fuiſſe ab anno 1571. & ſic poſt motam litem, quæ in Rota initium habuit anno 1539. coram Epiſcopo 1572. & in Sac. Congregatione 1575.

Decimò producuntur plures ſcripturæ, ex quibus colligitur Capitulum Sulmonenſe cum Capitulo Valvenſi de jure, & conſuetudine habere jus eligendi Valvenſem Epiſcopum.

33 At poteſt reſponderi ex jure eligendi Epiſcopum non probari ſtatum Cathedralis Eccleſiæ: tum quia Epiſcopi antiquitus eligebantur ab univerſo Clero, *cap. Epiſcopos*,
34 *& cap. Obeuntibus* 63. *diſtin.* Tum quia quotieſcumque Eccleſia Cathedralis unitur cum Eccleſia Collegiata æquè principaliter, fit electio Prælati in Eccleſia Cathedrali per Collegium utriuſque Eccleſiæ, nec per hujuſmodi unionem Conventualis efficitur Cathedralis, ut in ſpecie declarat Petr. de Peruſ. *de unione Eccleſiar. cap.* 129. *verſ. tertiò*, ut neutra ſubjiciatur alteri, & Caccialup. *in eod. tract. art.* 8. *ſub num.* 2. *verſ. Si verò ea eſt Cathedralis*.

Ultimò Canonici Sulmonenſes ut evitent enunciativas litterarum Apoſtolicarum, pluribus connantur probare ſub nomine Valven. Eccleſiæ comprehendi etiam Sulmonenſem. Sed ſcripturæ, quæ producuntur ad hoc probandum, ſunt folia volantia, & nihil probant: & contrarium apparet concludenter ex innumeris ferè ſcripturis, etiam per eos productis, in quibus Eccleſia Valven. contra diſtinguitur ab Eccleſia Sulmonen. Et in ſpecie ex dicta Bulla Innocentii VII. in qua Sulmo dicitur eſſe Valven. diœceſis, & ex Bullis Lucii III. & Honorii III. quæ carent omni ſuſpicione tamquam ſubſcriptæ à Collegio Cardinalium, & recenſent Eccleſiam S. Pamphili de Sulmona tamquam Plebem Epiſcopatus Valvenſis. Item anno 1541. Cùm in Rota Canonici Sulmonenſes prætenderent ſe proprium habere Epiſcopatum, & ab eo denominandum eſſe Epiſcopum Valvenſem, & Sulmonenſem, à tali denominatione Epiſcopus fuit abſolutus per ſententiam Rotalem, quæ in rem judicatam tranſivit.

His omnibus accedit quòd probationes Capituli Sulmonenſis magis confunduntur, & conquaſſantur ex contrariis probationibus, & ſcripturis nunc primùm productis à Capitulo Valvenſi, & præſertim ex litteris Leonis IX. Nicolai II. Benedicti XI. & Joannis XXII. *in Summ. nu.* 7. quibus conſtat Eccleſiam S. Pelini ſemper fuiſſe Cathedralem, & ſolam illic primatum tenuiſſe: Eccleſiam verò S. Pamphili de Sulmona eſſe plebaniam ſeu Collegiatam diœceſis Valven. ſine diœceſi, ſine dote, ſine dignitate. Et in ſpecie advertunt Canonici Valvenſes Pontificem, qui dixit Sedem Epiſcopalem eſſe in Eccleſia S. Pelini, & Eccleſiam S. Pamphili de Sulmona eſſe plebem ejus diœceſis, fuiſſe Innocentium VII. qui erat oriundus Sulmona, ac noverat ejus diœceſis ſtatum. Unde nullo modo hoc præjudicium patriæ intuliſſet illam inter Eccleſias inferiores recenſendo, niſi verè talis fuiſſet; præterquam quòd in omnibus ſcripturis, in quibus fit mentio de Eccl. aut Capitulo Sulmonen. ſemper præcedit Valven. atque ita obſervat Cancelaria. Et revera hoc ſaltem negari non poteſt, quin ſtatus Eccleſiæ Valvenſis ſit undequaque limpidus, & inconcuſſus, Sulmonenſis verò Eccleſiæ turbidus, & confuſus: unde nihil proponitur quamobrem à deciſis ſit recedendum.

DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA.

Innocentius III.

CAPUT IX.

QUod ſuper his: & infrà. Abbates & Sacerdotes diœceſana tibi lege ſubditos, qui ad tuam Synodum venire contemnunt: (Dummodò in ipſa Synodo non ducas aliquid ſtatuendum, quod Canonicis obviet inſtitutis) per cenſuram Eccleſiaſticam ad Synodum ipſam venire compellas, & debitam tibi obedientiam, & reverentiam exhibere.

SUMMARIUM.

1 *Abbates in diœceſi Epiſcopi exiſtentes tenentur accedere ad ejus Synodum diœceſanam, ſi habeant populum, licet ſint exempti.*

2 *Sacerdotes cogi poſſunt accedere ad Synodum Epiſcopi ſi curam habeant animarum; alias ſecus.*

3 *Clerici civitatis, & diœceſis an & quando teneantur accedere ad diœceſanam Synodum.*

4 *Laicus ex cauſa poteſt ad Synodum vocari.*

5 *Synodo diœceſanæ qui exempti intereſſe teneantur ex Concilio Tridentino.*

6 *Abbates habentes uſum mitræ, & baculi, quorum Abbatiæ nec curam habent, nec conventum, non tenentur accedere ad Synodum Epiſcopi, ſi populum non habeant, etiamſi exempti non ſint.*
Declaratur, ibid.

7 *Abbas poteſt per Vicarium Synodo intereſſe ſi per eum curam animarum exerceat, & non per ſe ipſum.*

8 *Regulares omnes, qui vel Capitulis generalibus non ſubduntur, vel curam animarum exercent, cogi poſſunt ab Epiſcopo etiam ſub pœna excommunicationis venire ad Synodum, & illius decreta obſervare.*

9 *Fratres Capellani S. Joannis Hieroſolymitani curam animarum habentes tenentur Synodo Epiſcopi intereſſe.*

10 *Parochi nullius diœceſis tenentur accedere ad Synodum illius Epiſcopi, qui ex Concilio Tridentino poteſt eos viſitare.*

11 *Exempti actu exercentes utramque juriſdictionem non tenentur Synodo Epiſcopi intereſſe ratione Parochialium Eccleſiarum.*

12 *Abbates. & Monachi Parochialium rectores, quorum exemptio confirmata fuit poſt Concilium Tridentinum, ad diœceſanam Synodum accedere non tenentur.*

13 *Nec Sacerdotes, qui in aliena diœceſi dumtaxat obtinent beneficium, & ibi morantur.*

14 *Epiſcopus in diœceſana Synodo, & Archiepiſcopus in Concilio Provinciali an poſſint aliquid ſtatuere adverſus Regularium privilegia.*
Synodi Cracovienſis, & Genſnenſis decreta circa Regularium exemptionem an ſuſtineantur, ibid. & nu. ſeqq. uſque in fin.

15 *Synodi Cracovienſis decreta contra Regulares expenduntur.*

Abba-

16 *Abbates, & Monachi an, & quando ſint conveniendi coram Epiſcopo ex Concilio Provinciali Gneſnenſi à Sede Apoſtolica confirmato.*
17 *Regulares privilegiis Apoſtolicis ſine licentia Papæ renunciare non poſſunt.*
18 *Clericus ſine licentia proprii Epiſcopi non poteſt ſubjicere ſe alieno, & illius juriſdictionem prorogare.*
19 *Conſuetudo conveniendi Regulares coram Ordinario ſublata fuit ex privilegiis Apoſtolicis.*
20 *Regulares exempti ſunt à juriſdictione Epiſcopi, etiam ratione rei, contractus, delicti.*
Regulares tamquam ſpecialiter exempti à juriſdictione Ordinarii non comprehenduntur in cap. Volentes de privileg. lib. 6. *nec in cap.* 14. *ſeſſ.* 7. *Concilii Tridentini, ibid.*
21 *Regulares notoriè, & cum ſcandalo extra clauſtra delinquentes quando ab Epiſcopo puniri poſſint.*
22 *Regulares degentes extra clauſtra ſi delinquant, puniri poſſunt ab Epiſcopo in actu viſitationis tantum.*
23 *Regularium privilegia in caſibus non exceptis præſervantur à Conc. Trid. & n. ſeq.*
24 *Concilium Provinciale non poteſt quidquam ſtatuere contra Concilium Generale, nec contra Regularium privilegia, & n.* 28.
25 *Concilium Provinciale non poteſt ſuper Regularium exemptionibus ſtatuere etiam illud idem, quod Concil. Trident. ſtatuit.*
26 *Epiſcopi in Synodo non poſſunt quidquam ſtatuere, quod obviet Canonicis inſtitutis.*
27 *Concilii Provincialis Gneſnenſis decreta contra Regularium exemptionem expenduntur.*
28 *Privilegia Regularium inviolabiliter ab Epiſcopis cuſtodiri debent.*
29 *Regulares ſunt Coadiutores Epiſcoporum in iis, quæ ad ſalutem pertinent animarum.*

Quod ſuper his. Abbates, & Sacerdotes, qui ſunt diœceſani Epiſcopi, ad ejus Synodum venire, & eidem obedire per cenſuram Eccleſiaſticam compelluntur. Hoc dicit, ſecundùm Cardin. Abb. vel plenius ſecundùm Bald. Abbates, & Sacerdotes diœceſana lege ſubjecti coguntur venire ad Synodum, & debitam obedientiam, & reverentiam exhibere, dummodò ibi non ſit aliquid ſtatuendum, quod canonibus ſit inimicum. Ponit dictum cum incluſa limitatione, ibi, *Dummodo*, ſed formaliter non dividitur.

1 Nota primò ad Synodum Epiſcopi teneri accedere Abbates, & Sacerdotes eidem lege diœceſana ſubjectos, id eſt, in diœceſi Epiſcopi, exiſtentes, accipitur enim hìc lex diœceſana generaliter, ut comprehendat etiam legem juriſdictionis, ſecundùm Cardin. *nu.* 2. *in* 1. *oppoſ.* poſt Hugon. & Abb. Antiq. Unde Jo. Andr. Anton. de Butr. & Petr. de Anchar. ſic ſummant ſimpliciter hanc Decretalem, videlicet ſubditi Epiſcopi ad ejus Synodum venire, & illi obedire coguntur.

Quod autem dictum eſt de Abbatibus, intellige de habentibus populum, de quibus loquitur *cap. Abbates* 18. *q.* 2. Hi enim propter populum tenentur accedere etiamſi ſint exempti, ſecundùm Innoc. *hic in princ. per c. Ex ore infr. de privil.* Sed alii populum non habentes non tenentur, *c. Epiſcopus* 18. *diſtin.* §. *fin.* 18. *quæſt. ult.* gloſſ. 1. hìc Innoc. *in princ.* Hoſt. *num.* 1. Joan. Andr. *num.* 5. Butr. *eod. num.* 5. Card. *n.* 2. *in* 1. *oppoſ.* & alii communiter.

2 Rurſus quod dictum eſt de Sacerdotibus, intellige de Curatis: nam alii curam non habentes non ſubjiciuntur legi diœceſanæ, cùm non habeant Eccleſias, quarum ratione teneantur ad Cathedraticum, & ad quartam decimarum, & ſimilium, ut *in cap. Conquerente de off. ordin.* & ideò cogi non poſſunt venire ad Synodum, ſecundùm Joan. Andr. *hic num.* 2. Butr. *nu.* 8. & Cardin. *num.* 2. *in*
3 3. *oppoſ.* & idem dicendum de Sacerdotibus obtinentibus beneficia ſimplicia: nam etſi etiam tales ſubſint viſitationi Epiſcopi, *c. fin. de cenſ.* tamen ſufficit ut accedant Curati, qui poſteà populis publicant ſtatuta Synodalia, ſecundùm Card. Verùm Abb. *in* 1. *not.* declarat hoc procedere: ſi in Synodo eſſet agitandum aliquid animarum curam, vel ſtatum Eccleſiarum corcenens: tunc enim accedere non tenentur niſi Curati. At ſecus eſſet ſi Epiſcopus in Synodo procedere vellet ad morum reformationem, vel ad aliquid ſtatuendum concernens totum Clerum, quia tunc omnes Clerici civitatis, & diœceſis tenerentur accedere, ita tamen ut Eccleſiis debita ſervitia non ſubtrahantur. 4
Nec mirum, quia etiam laicus ex cauſa poteſt ad Synodum vocari, *ut in c. fin.* 18. *diſt.* & ita ſecundum Abb. poteſt intelligi Innoc. *in c. Grave de præb.* dum dicit totum Clerum civitatis & diœceſis debere accedere ad Synodum Epiſcopalem.

Hodie decreto Conc. Trid. *in c.* 2. *ſeſſ.* 24. ſancitum eſt: 5
ut ad Synodum diœceſanam exempti, etiam omnes, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur: ratione tamen Parochialium, aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum etiam annexarum debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi ſint, Synodo intereſſe.

Porro Abbates habentes uſum Mitræ, & Baculi, quo- 6
rum Abbatiæ, nec curam habent, nec Conventum, S. Congregatio Trid. Concilii interpres cenſuit non teneri accedere ad Synodum diœceſanam, ſi populum non habeant, etiamſi exempti non ſint, niſi aliqua rationabilis cauſa adeſſet, vel conſuetudo invaluiſſet, ut accederent.

Et cùm quæreretur an Abbas Monachus, cujus Mona- 7
ſterio vel Eccleſiæ imminet cura animarum, cui facit deſervire per Vicarium ſæcularem ab Epiſcopo loci approbatum, teneatur accedere ad Synodum ipſius Epiſcopi per ſeipſum, vel ſufficiat mittere dictum Vicarium: reſponſum eſt ſufficere, cùm cura animarum per ipſum Vicarium exerceatur.

Item reſponſum Abbatem S. Matthæi, cui incumbit cura animarum perſonarum ſæcularium, teneri, & compelli poſſe tàm ipſum, quàm Rectorem S. Therami Eccleſiæ annexæ accedere ad Synodum diœceſanam Archiepiſcopi Januenſis; quamvis exempti eſſent, atque obſervare in eadem Synodo ſtatuta, perinde atque alios non exemptos.

Et generaliter deciſum eſt, Regulares omnes, qui vel 8
Capitulis generalibus non ſubduntur, vel curam animarum exercent, teneri, & cogi poſſe accedere ad Synodum diœceſanam ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda aliiſque pœnis arbitrio Epiſcoporum etiam excommunicationis, adeò ut jus declarandi, & pœnas imponendi ad Epiſcopos exemptione non obſtante pertineat. Item jus eſſe Epiſcopis dictos Regulares, qui nullis Capitulis ſubduntur, abſolutè cogere ad Synodi obſervationem: Alios verò curam animarum exercentes ad ſervanda ea, quæ fuerint decreta circa ipſam curam & adminiſtrationem Sacramentorum.

Item Fratres Capellanos S. Joannis Jeroſolymitani ha- 9
bentes curam animarum teneri accedere ad Synodum diœceſanam, cenſuit S. Congr.

Quinimò conſulta an Rectores, qui ſunt nullius diœ- 10
ceſis, teneantur accedere ad Synodum diœceſanam illius Epiſcopi, qui tamquam proximior poteſt eos viſitare; reſpondit teneri, quia cùm Epiſcopus jus habeat eos viſitandi, fruſtrà viderentur viſitare, niſi priùs ad Synodum vocati, & inſtructi eſſent eorum omnium, quæ ſcire eos oportet.

Verùm ſuborta dubitatione an exempti, qui actu exer- 11
cent utramque juriſdictionem ſpiritualem, & temporalem in Parochos, & Parochianos, *juxta cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regul.* teneantur ratione Parochialium Eccleſiarum Synodo Epiſcopi intereſſe: Sac. Congregatio cenſuit non teneri.

Item Abbates, & Monachi Sanctæ Sophiæ negabant 12
velle accedere ad Synodum diœceſanam Epiſcopi Beneventani, allegantes eorum privilegio à S. Pio V. confirmata, quibus ab hoc onere eximebantur, etſi Rectores eſſent Parochialium Eccleſiarum dicto Monaſterio ſubjectarum. Contra Archiepiſcopus eos compellere volebat ad accedendum, ex quo poſt Concilium per decem, & ſeptem annos, non obſtantibus privilegiis, Monachi ipſi Rectores ſemper ad Synodum diœceſanam acceſſerant. Et cùm utraque pars Sacram Congregationem Concilii hac de re conſuluiſſet: Congregatio cenſuit non teneri hos Monachos accedere ad Synodum, quia privilegia expreſſè diſponentia de hoc fuerunt à S. Pio V. poſt Concilium confirmata, quo caſu cenſetur derogaſſe Concilio, tantò magis

magis cùm unicam exceptionem fecerit de viſitatione facienda ex Concilio, quod arguit in reliquis Concilio derogatum. Hæc de Abbatibus, & Sacerdotibus curam animarum habentibus.

13 Quo verò ad alios, cùm Nicolaus Georgius diœceſis Comenſis Sacerdos conqueſtus eſſet apud S.Congr. Conc. quod licèt in dicta diœceſi nullum beneficium haberet, & jam decem annos extra eam commoratus, beneficia in aliena diœceſi obtinuiſſet, ſuſpenſus fuiſſet ab Epiſcopo, eo quòd ad ejus diœceſanam Synodum non acceſſiſſet: Sacr. Cong. cenſuit ſi hic Presbyter tunc non obtinebat aliquod beneficium in diœceſi Comenſi, non potuiſſe Epiſcopum illum ſuſpendere, quia non comparuerit in Synodo, ſi in aliena diœceſi tunc manebat, & beneficium obtinebat: ideò tollendam eſſe ab Epiſcopo ſuſpenſionem.

Quæ omnia ut vides conſonant cum diſpoſitione ſacrorum Canonum, & dictis Doctorum hìc.

Quid autem dicendum de Pœnitentiario Cathedralis Eccleſiæ, an ſcilicet ſit admittendus in Synodo diœceſana, ſcripſi *in cap. Grave à num. 9. uſque in finem infra de præb.* ubi plenè videas.

Secundò nota ex littera *in verſ. Dummodò*, Epiſcopum non poſſe etiam in Synodo quidquam ſtatuere contra Canones: & ad hoc quotidiè à Doctoribus, de quo dicam plenè in quæſtione ſequenti præſertim *n. 26.*

14 QUÆRO, An Epiſcopus in diœceſana Synodo, & Archiepiſcopus in Concil. Provinciali poſſint aliquid ſtatuere adverſus Regularium privilegia, Anve ſuſtineantur decreta Synodi Cracovien. & Gneſnen. ſuper exemptione Regularium.

15 Epiſcopus Cracovienſis in diœceſana Synodo menſibus præteritis habita decrevit inter cætera, ut Abbates, & Præpoſiti Regulares, ideſt, ordinum non mendicantium, forum habeant in Epiſcopali audientia, hoc eſt indiſtinctè coram Epiſcopo conveniantur: Alii autem Regulares mendicantium ordinum poſſint abEpiſcopo judicari ratione rei, contractus, & delicti juxta Conſtitutionem Innocentii IV. in Concilio Lugdunen. editam, quæ incipit, *Volentes*, innovatam per Concilium Tridentinum *in cap. 14. ſeſſ. 7.* Et cùm deinde actum eſſe de his decretis inſerendis in Provinciali Synodo Gneſnenſi poſtea habita, obtentum quidem fuit Regularibus, ut ea decreta expungerentur ex Synodo, in qua inſerta jam fuerant. Sed tamen Epiſcopo Cracovienſi acriter urgente, decretum fuit *Abbatibus magnoperè reclamantibus*, ut ſalva eſſet Regularium exemptio, præterquam in his, quæ ſacris Canonibus, & conſuetudinibus adverſantur. Et quamvis Abbates inſtitiſſent, Concilii decretis ut in eo capite adderentur verbo, *ſalvis Sedis Apoſtolicæ privilegiis*: nihil tamen obtinuerunt, reclamante ſcilicet Cracovienſi Epiſcopo.

16 Quod pertinet ad Synodum diœceſanam Cracovienſem decretum ſuperiùs propoſitum duas habet partes. In prima abſolutè ſupponit Abbates Epiſcopi juriſdictioni, & hac in parte Epiſcopus duobus modis conatur tueri ſuum decretum ſynodale.

Primò, quia in Synodo Provinciali illius Regni paulò ante celebrata, & confirmata à Paulo V. ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii ſtatutum eſt; ut infra, videlicet judicium rationis exigit, ut qui in Eccleſia Dei, vel ob officii Excellentiam, vel Religionis, vitæque tranquillioris ſtatum ſublimiori loco poſiti ſunt, peculiari quoque præ cæteris modo in eorum occurrentibus tractentur negotiis. Proponentibus itaque dominis Abbatibus diverſorum ordinum Provinciæ hujus, ſtatuit & decernit Synodus, quòd de cætero coram locorum Ordinariis ipſis, aut coram ſpecialibus commiſſariis conveniantur. Quo quidem decreto contendit Epiſcopus ſublatam in Regno Poloniæ Abbatum, & Monachorum exemptionem.

Alii autem hoc decretum aliter interpretantur: nam Præpoſitus Corporis Chriſti Calumniæ, qui eidem Synodo interfuit, putat illud non eſſe intelligendum, niſi in cauſis, in quibus exempti poſſunt coram Ordinariis conveniri; ita ut propterea editum fuerit in favorem exemptorum, declarandos eos in illis cauſis, in quibus ſubſunt Ordinariis non debere tamen remitti ad quemcumque Officialem, ſed ab ipſiſmet Epiſcopis, vel eorum ſpecialibus Commiſſariis eſſe judicandos. Atque hoc judicant illa verba proœmii, judicium rationis exigit, ut qui ſublimiori loco poſiti ſunt, peculiari etiam modo tractentur, &c. Atque alia ſequentia coram Ordinariis ipſis, aut coram ſpecialibus Commiſſariis conveniantur. Et cùm decretum enuncietur editum Abbatibus proponentibus, non eſt credendum Abbates ipſos propoſuiſſe Synodo, ut eos ſubmitteret juriſdictioni Epiſcoporum. Nuntius verò Apoſtolicus putavit decretum non loqui de Abbatibus, & Monachis exemptis, cùm hæc qualitas exemptionis ibi non exprimatur.

De quibus cùm aliàs actum fuerit in S. Congregatione Concilii re ad eumdem Paulum V. delata, Sanctitas ſua *die 9. Julii 1618.* mandavit dari litteras ad Nuntium, quibus ei ſignificaretur ex deductis ab ipſo prætenſionem Epiſcopi Cracovienſis, & aliorum Epiſcoporum non ſubſiſtere, ſed antequam alio remedio uteretur, ageret cum ipſis Epiſcopus, & eos moneret ad petendam à Sede Apoſtolica determinationem; ac prætereà ageret cum Sereniſſimo Rege, atque illius ſenſum exquireret.

Secundus modus, quo Epiſcopus Cracovienſis conatur defendere decretum Synodale, eſt conſuetudo, ſecundùm quam à ducentis annis aſſerit ſe cognoviſſe Abbatum Regularium cauſas, adeò ut ipſimet jam juriſdictionem ordinariam recognoſcant: ſed in ſuis litteris ſemper loquitur de Abbatibus non exemptis.

Nuntius Apoſtolicus anno 1618. quando de hac ipſa exemptione actum fuit, ſuis litteris teſtatus eſt præteritis temporibus variè fuiſſe obſervatum: Monachos fuiſſe admodum ſegnes, & negligentes in ſua exemptione tuenda, ita ut quidam Abbas Gneſnenſis apertè faſſus fuerit ſe exemptionem perdidiſſe, atque Epiſcopo Cracovienſi eſſe ſubjectum.

Quæ tamen negligentia, imò etiam ipſa exemptionis renunciatio Romanorum Pontificum privilegiis, quibus Regulares immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjiciuntur, nullum intulit præjudicium, *ut eſt tex. in c. Cum tempore*, & ibi Abb. *in 5. not. de arbitr.* Ad idem text. *in cap. 2. de in integr. reſtit. & in cap. Cum olim il ſecondo de privil.* Et ita plenè conſuluit Paul. de Caſtr. *conſ. 432. Videtur dicendum num. 3. & ſeq. lib. 1.* ubi pluribus oſtendit Regulares, nec tacitè, nec expreſsè poſſe ſuis privilegiis renunciare, & proceſſus fabricatos in curia Epiſcopali contra Monachos renunciantes eſſe ipſo jure nullos. Et idem reſpondit Rom. *conſ. 369. circ. primum n. 19.* generaliter enim nemini licet alieni judicis juriſdictionem prorogare etiam tacitè non opponendo declinatoriam fori gl. communiter approbata *in l. Si convenerit in ver. Stare, ff. de juriſd. omn. jud.* Maran. *de ord. jud. in 4. p. n. 15.* Sic videmus nec Clericum ſine proprii Epiſcopi licentia poſſe ſubjicere ſe alieno, & ejus juriſdictionem prorogare, *c. Significaſti de for. comp.* Ang. *in l. fin. n. 4. de conſtit. Princ.* Soc. poſt Innoc. Arch. & alios *conſ. 87. Viſis n. 3. lib. 3.* Mar. *ubi ſup. n. 20.* Ratio, quia ex conſequente obeſſet juri, ac favori proprii Epiſcopi, ſecundùm Abb. *in d. c. Significaſti n. 9.* Et per illum textum Abb. *in cap. Grave num. 3. de off. Ordin.* dicit exemptum etiamſi vellet, non poſſe ſe ſubmittere juriſdictioni Ordinarii ſine licentia Papæ, aut illius, cui ſubeſt. Et allegat Jo. Andr. *in reg. Scienti de reg. jur. lib. 6. in Mercurial.* Quinimò ob prædictam rationem præjudicii alieni ne in una quidem cauſa poteſt Regularis etiam indirectè exemptioni renunciare, ut not. idem Abb. *in cap. Si terra num. 5. de privil.* Soccin. *in d. cap. Significaſti num. 40. de for. compet. & in cap. Recepimus num. 69. de privil.* Felin. *in cap. P. & G. num. 13. de off. Deleg. & in c. Cum olim num. 3. de reſcript.* Dec. *in cap. 1. de jud. in prima lect. n. 86. & in 2. lect. num. 64.* Et quamvis Federic. de Sen. videatur contrarium ſentire *conſ. 14.* Monachus Peruſinus *num. 6.* tamen non figit pedes, & ſua dicta veluti dubia ſubjicit correctioni Patris, & illuminatoris juris Canonici Joannis Andreæ, quem dicit oppoſitum ſentire in gloſa ſua in Clem. *penult. de ſentent. excommunicat.* & tandem ſe retractat *in 6. addit.* & ad hanc partem contra Federicum amplectitur Rota apud Creſcen. *deciſ. 3. de for. comp.* & Greg. XV. *dec. 325. n. 23.* 17 18

Conſuetudo autem quatenus etiam probaretur, eam habet difficultatem, quod cum Regulares ante privilegia ſubeſſent Ordinariorum juriſdictioni, præterquam in concernentibus diſciplinam Regularem, *cap. Abbates, cap. Abbas pro, cap. Si quis Abbas, & c. Monaſteria. 18. qu. 2.* Conſuetudo conveniendi eos coram Ordinariis, cum 19

cùm eſſet juri communi conformis, nihil aliud erat, quàm juris communis obſervantia. Ideoque ſublato jure communi ex privilegiis Regularium, ſublata etiam fuit conſuetudo illi conformis, gloſ. *in cap. 1. in ver. Facti, verſ. Item probo id evidentiſſima ratione, de Conſtit. lib. 6.* Joan. Andr. Gemin. Anchar. & alii *in c. unic. de Cler. conjug. eodem lib.* & alias in cauſa Mediolanen. privilegii fori animadvertit S.Congr. Præterquamquod Regularium privilegia habent derogationes conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Item habent clauſulas derogatorias ampliſſimas, & decreta irritantia, quæ inficiunt titulum, & poſſeſſionem, ut de clauſula decreti decidit Rot. *dec. 2. de reſtit. Spol. in Antiq. & dec. 11. & 12. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* itidem in Antiq. Bellam. *dec. 342. & dec. 536.* Caſſad. *dec. 1. & dec. 2. de reſtit. ſpol.* qui fusè hoc probat, Put. *dec. 99. p. 1. & dec. 27. part. 2.* Rota *diverſ. deciſ. 99. part. 3. lib.* Et nihilominus probanda eſſet ſcientia, & patientia Summi Pontificis, ſecundùm communem Canoniſtarum opinionem in proœmio Clementinarum, ubi in ſpecie Card. §. *Univerſitati num. 3.* Gloſ. Hoſtien. Abb. & DD. *in cap. fin. de conſuet.* Put. *d. dec. 1.* Imò Rota reſolvit propter decretum irritans non poſſe allegari non uſum, neque uſum contrarium, ut apud Caſſad. *deciſ. 2. de reſervat. & deciſ. 11. num. 5. ſuper regulis Cancellariæ*, & Veral. *deciſ. 134. part. 3.*

His accedit, quòd Regulares conſueverunt crebrò obtinere à Summis Pontificibus ſuorum privilegiorum confirmationes, atque innovationes, quibus qualiſcumque præſcriptio ſi cœpta fuit, interrumpitur, ſi completa, tollitur per derogationem in iiſdem confirmationibus appoſita, ut per Felin. *in cap. Cum non liceat col. fin. de præſcript.*

20 In ſecunda parte decretum Synodi Cracovienſis ſupponit Regulares Mendicantes juriſdictioni Epiſcopi non abſolutè: ſed ſolùm ratione rei, contractus, & delicti, & innititur Conſtitutioni Innocentii IV. in Concilio Lugdunenſi editæ, *relatæ in cap. Volentes de privil. lib. 6.* & innovatæ à Concil. Trid. *c. 14. ſeſſ. 7.*

Sed hac in parte Synodale decretum, omninò perimit Mendicantium exemptionem, nam cùm ipſi ex privilegiis Sedis Apoſtolicæ ſint ſpecialiter exempti ab Ordinariorum juriſdictione, etiam ratione delicti commiſſi, vel contractus initi, aut rei ſitæ etiam extra locum exemptum, ut dixi pleniſſimè *in d. cap. Tuarum infra de privileg.* utique non comprehenduntur in ea Decretali, quæ nullo modo ſuſtulit privilegia ſpecialium exemptionum, nec aliquid novi juris induxit, ſed tantùm emanavit ad dirimendas antiquas altercationes ſuper exemptionibus generalibus declarando eas non habere locum in dictis tribus caſibus delicti, contractus, & rei, ut illic advertunt Archid. & Jo. Monach. *in princ.* quos cæteri communiter ſequuntur, & ex facto reſpondit Gemin. *conſ. 72.* Et cùm Regulares non comprehendantur in Conſtitutione *d. cap. Volentes*, neceſſariò ſequitur, ut nec comprehendantur in decreto Concil. *cap. 14. ſeſſ. 7.* eamdem Conſtitutionem innovante, quemadmodum olim re diligentiſſimè examinata, declaravit S.Congr.Conc. nam cùm eſſet dubitatum an Regulares degentes intra clauſtra, comprehenderentur *in d. c. 14.* ita ut ratione rei, contractus, & delicti poſſent coram Ordinariis locorum conveniri: S. Congr. cenſuit non comprehendi.

21 Quod etiam colligitur ex decreto Conc.Trident. *cap. 14. ſeſſ. 25. de Regul.* & ex Conſtitutione Clementis VIII. ubi Regulares ratione delicti notorii commiſſi extra clauſtra, & ſic in loco non exempto, non poſſunt puniri ab Epiſcopo, niſi Superioribus negligentibus poſt terminum eiſdem ab Epiſcopo præfixum. Et ſi delictum non ſit notorium, & cum ſcandalo, nullo modo puniri poſſunt. Ergo in ipſis non habet locum Conſtit. *d. cap. Volentes*, aliàs enim pro delicto commiſſo extra clauſtra, ſubeſſent indiſtinctè Ordinariorum juriſdictioni.

22 Præterea idem probatur *in cap. 3. ſeſſ. 6.* ubi Regulares extra clauſtra degentes, & ſic in loco non exempto, ſi delinquant, ſubiiciuntur Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato in actu viſitationis dumtaxat; verba enim illa punitioni, & correctioni Epiſcopi, intelliguntur de punitione, & correctione morum, cùm regulentur, & reſtringantur à verbo viſitari, quòd immediatè præcedit, qui intellectus colligitur apertiſſimè *ex cap. 4. ſeſſ. 14.* ubi quæ ſtatuta fuerant *in d. cap. 3.* de Clericis exemptis tàm ſæcularibus, quàm regularibus extra clauſtra degentibus, extenduntur quoad Clericos ſæculares tantum etiam extra viſitationem, quod clarè innuit Concilium *in d. c. 3.* non ſtatuiſſe niſi in actu viſitationis; nam ſi etiam extra viſitationem ſtatuiſſet, ſupervacaneum fuiſſet illam diſpoſitionem ampliare quoad Clericos ſæculares tantum etiam extra viſitationem, atque ita decretum illud aliàs interpretata eſt S. Congr. Ex illo igitur textu duo apertè colliguntur: alterum Regulares extra viſitationem, etiamſi degant in loco non exempto, atque ibi delinquant, nullatenus ſubeſſe Epiſcopi juriſdictioni: alterum Regulares intra clauſtra degentes ubivis delinquant, ne viſitationi quidem Epiſcopi ſubjectos eſſe, cum ad hoc ut Epiſcopus habeat jus viſitandi, Concilium voluerit duo concurrere, ideſt ut Regulares extra clauſtra degant, atque ibi delinquant.

Eodem reſpicit decretum *c. 11. ſeſſ. 25. de Regul.* ubi Regulares adminiſtrantes curam animarum perſonarum ſæcularium Monaſterii incumbentem, ſubjiciuntur juriſdictioni Epiſcopi in iis tantùm, quæ dictam curam, & ſacramentorum adminiſtrationem concernunt. Ergo ſi extra dictam curam delinquant, Epiſcopi juriſdictioni non ſubſunt.

Rurſus idem probatur *in cap. 5. ſeſſ. 14.* ubi decernitur, 23 ut litteræ Conſervatoriæ nemini ſuffragentur ad hoc ut in cauſis criminalibus, & mixtis coram Epiſcopo accuſari, & conveniri, ac contra eum inquiri, & procedi non poſſit. Deindè præſcribitur certa forma in cauſis civilibus obſervanda. Ac demum in fine adjicitur clauſula infraſcripta, videlicet, *Regularia loca eorumque perſonæ in præſenti canone minimè comprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint, & eſſe intelligantur.* Ex quo decreto ſatis patet Regulares nec ratione delicti in cauſis criminalibus, nec ratione contractus, aut rei ſitæ in cauſis civilibus poſſe coram Epiſcopo accuſari, & conveniri, ſed eorum privilegia ſalva, atque illibata permanere. Ideòque cum Epiſcopus Mantuanus conqueſtus eſſet quòd Regulares pro contractibus, vel debitis non ſinerent ſe in prima inſtantia coram locorum Ordinariis conveniri: Sac. Congregatio cenſuit, ſi hi Regulares extra clauſtra Monaſterii degunt, ſervandum eſſe quod dicitur *ſeſs. 7. cap. 14.* Si intra Monaſteria maneant, conveniendos eſſe coram Superioribus, vel Conſervatoribus eorum, non autem coram Ordinariis, aut alibi. Salva igitur manent Regularium privilegia, quorum præſervatio etiam generaliter habetur *in cap. 20. ſeſs. 25. de Regul. in fin.* his verbis, *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & jura concernunt, firma ſint, & illæſa.*

Unde Synodus dum vulnerat privilegia Regularium, adverſatur etiam Conc.Trid. contra quod certiſſimum eſt Synodum Provincialem non habere ullam ſtatuendi poteſtatem. Unde in Extrav. Jo. 22. *Sanct. Romana*, §. *Quidam autem*, ibi *Quos nec eis*, (ideſt Epiſcopis vel eorum ſuperioribus) *concedere licuit contra formam Concilii generalis*, ubi gl. *in ver. Conc. de Relig. domib.* Item gl. *in c. Cùm dilectus in ver. in ætate*, & ibi Abb. *col. 5. de elect.* Felin. *in c. 1. n. 1. de deſponſ.* Et de privilegiis, quæ Generalis Conc. ſunt fixa decretis, *eſt text. in c. Privilegia il 3. 25. q. 2.* Ad idem eſt auctoritas Auguſtini *lib. 2. de Baptiſ.* in hæc verba: *Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere.* Et infra de Cypriano ait: *Si autem Concilium ejus attenditur, huic eſt univerſæ Eccleſiæ Concilium præponendum, cujus ſe membrum eſſe gaudebat: nam & univerſum partibus ſemper optimo jure præponitur.* Quem locum ad hoc propoſitum citat Turrecrem. *in cap. Domino ſancto num. 5. ver. Secundò patet 50. diſt.* Ideòque Sacra Congregatio conſulta an contra *cap. 15. ſeſs. 23.* Concilium Provinciale aliquid ſtatuere poſſet, veluti ſi aliquis Baro prætextu inimicitiarum cum Epiſcopo, & ejus Clero vellet confiteri extero Presbytero etiam approbato à ſuo Ordinario; cenſuit non poſſe. Et cùm Provincialia Concilia priuſquam publicentur ex Conſtitutione Sixti V. recognoſci, atque emandari debeant à Sacra Congregatione Concilii, mos ejuſdem Congregationis fuit ex hujuſ-

hujuſmodi Synodis delere decreta omnia, quibus Regularium exemptiones, indulta, ac privilegia quoquomodo
25 violantur. Quinimò etiam quando Synodus Provincialis ſtatuit in exemptos illud idem quod ſtatuit Concilium Tridentinum; ut ſi dicat Statuimus, ut Regulares, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, quod præcipitur eis *in cap.* I. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* nihilominus Sacra Congregatio jubet expungi verbum *ſtatuimus*, & in ejus locum jubet reponi, Intelligant Regulares ſe teneri ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituere, ut ſæpiùs vidi obſervatum, nimirum, quia verbum, *ſtatuimus*, eſt authoritativum & inducit jus novum Clem. *fin.* §. *fin. de reſcr.* gl. in Extrav. *Suſcepti Joan. XXII. in ver. Statuimus*. Et ſuper ſtatutis legem item ſtatuere non eſt æquitatem in medium proponere, ſed prateritis calumniam invenire, *l. penult. C. de decur. lib.* 10. Anch. *in c. Cùm veniſſent n.* 5. *de jud.* Generaliter autem non poſſe Epiſcopos in Synodo quidquam ſtatuere, quod obviet Canonicis inſtitutis, deciditur apertè in hac Decretali: nam Canon præcipit ſtatuta Romanorum Pontificum ab omnibus cuſtodienda *c.* I. *de conſtit.* præſertim ab Epiſcopis, qui ſunt debitores ſacras regulas cuſtodire, *c. Cùm ſimus* 9. q. 3. Et hoc jurant, c. *Ego N. de jurejur.* Et pœna depoſitionis eis imminet ſi fuerint tranſgreſſores, *ut in* §. *ultim.* 4. *diſt.*
26 *cap. Hac conſona*, *& c. Violatores* 25. *quæſt.* I. Sic Præfectus Prætorio Conſtitutionem legi contrariam facere non poteſt, *l.* 2. *C. de off. Præf. Præt.* & Legatus non poteſt mandare, ut in cauſa procedatur ſine ſtrepitu, & figura judicii, *cap. fin. de hæret. lib.* 6. quia hoc eſſet contra jura, *c.* I. *de lit. conteſt. & l. prolatum*, *Cod. de Sen.* & pro hac parte ex facto conſuluit Feder. de Sen. *conſ.* 17. *Quæſtio talis eſt*, *per totum*, quem refert, & ſequitur Petr. de Anchar. *in repet. Canonum ſtatuta num.* 188. *verſ. in contrarium*, *& num.* 190. *verſ. his Accedit utilis quæſt. ſupra de Conſtitut.* Alioquin ſecundùm eos ſi Epiſcopi hoc poſſent, per conſequens poſſet tum jus commune ſubvertere in ſingulis caſibus à jure proviſis aliud ſtatuendo, quod ſentire, modicum differt ab hæreſi, *cap.* 27. *diſtin. cap. Nulli* 19. *diſt.* gl. *in cap.* I. *in ver. Non enim revocat*, *verſ. Etſi in contrario diceremus de conſtit. lib.* 6. Sanctus Thom. *opuſc.* 19. *cap.* 3. Quamobrem integrum hoc caput tàm ob regularium, ac Sedis Apoſtolicæ præjudicium, quàm ob defectum authoritatis, videtur omninò expungendum. Hæc quoad Synodum diœceſanam Cracovienſem.

27 Quo verò ad Provincialem Gneſnenſem, decretum illud, quod ſalvam facit Regularium exemptionem præterquam in his, quæ ſacris Canonibus, conſuetud. & Concilii decretis adverſantur, videtur itidem abſolutè perimere Regularem libertatem; nam illorum privilegia, & exemptiones ſunt ferè omnes aut præter, aut contra ſacros Canones, *cap. In his de priv.* cum multis ſimil. Unde illas reducere ad limites ſacrorum Canonum nihil ferè aliud eſt, quàm illas ad nihilum redigere.

Ad hæc non videtur tolerandum decretum, dum ſalvam facit exemptionem Regularium præterquam in his, quæ conſuetudinibus adverſantur; id enim eſt confirmare, & Canonizare tamquam validas quaſcumque conſuetudines contra Regularium privilegia. Quod tamen habet difficultates ſuperiùs propoſitas circa præſcriptionem à Cracovienſi Epiſcopo allegatam.

Accedit, quod Synodus Provincialis nullam habet auctoritatem ſtatuendi in regulares exemptos: nam privilegia Pontificia per quamcumque inferiorem poteſtatem convelli, aut labefactari non poſſunt, *cap. Inferior* 21. *diſt. cap. Cùm inferior de major. & obed.* Clem. *ne Romani de elect.* Unde Leo Papa Martiano Auguſto *Epiſt.* 52. *aliàs* 54. *Privilegia*, inquit, *Eccleſiarum, & Monaſteriorum ſanctorum Patrum auctoritate inſtituta*, *nulla poſſunt improbitate convelli*, *nulla novitate mutari*, & Greg. *lib.* 7. *Epiſt.* 17. *Inſtitutionis noſtræ decreta*, *quæ pro defenſorum ſunt privilegiis*, *& ordinatione diſpoſita*, *perpetua ſtabilitate*, *& ſine aliqua conſtituimus refragatione ſervari*, *nec à quoquam Pontificum in totum*, *vel in partem ea qualibet occaſione convelli decernimus*, *vel mutari*. Cui textui reſponderi non poteſt, ut inquit Archid. *in c. licèt Canon. n.* 3. *verſ. & ibi aſſertivè dixit*, *de elect. lib.* 6. Idem Greg. *lib.* 7. *Epiſt.* 115. *Cura eſt ſolicitudinis adhibenda*, *ut ea*, *quæ pro quiete Monachorum*, *Religioſæque converſationis fuerunt ordinata*, *nec diſſimulatio negligere*, *nec quædam valeat præſumptio perturbare*. *Sed ſicut hoc*, *quod ratio exigebat utilitatis*, *oportuit diffiniri*, *ita quod diffinitum eſt*, *non debet violari*. Referuntur à Gratiano *in cap.* 2. *c. Inſtitutionis*, *& c. Cum piæ* 25. *quæſt.* & concordant *ibid. c. I. c. Privilegia*, *& c. Quæcumque*, Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi, *privilegia*, *quæ quibuſdam Religioſis Romana conceſſit Eccleſia*, *permaneant inconcuſſa*. Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi decernit, *libertatem*, *quam nonnullis Apoſtolica ſedes privilegio exemptionis indulſit*, *ſic integram obſervari*, *ut & illam alii non infringant*, *& ipſi ejus limites non excedant*, ut refertur *in cap. ut privilegia infrà de privileg. & in cap.* I. *eod. tit. lib.* 6. Id ipſum & leges civiles ſanxere, *ut in l. Privilegia*, *Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. & l. omnia privilegia*, *C. de Epiſcopis*, *& Cler.* necnon leges Regiæ, *ut leg.* 4. *in fin. tit.* 3. *lib.* 2. *recopil.* in qua referuntur notabilia verba Gratiani *in c. fin.* §. *Hoſpitalitatis* 25. *quæſt.* 2. *& in cap. fin.* §. *Oportet* 25. *quæſt.* I.

In primis autem dedecet ea privilegia violari ab Epiſcopis, quibus Regulares ſubſerviunt, & Coadjutores exiſtunt, in prædicatione verbi Dei, in Sacramentorum adminiſtratione, & in cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum, *ut habetur in cap. Ex auctoritate* 19. *quæſt.* I. & docet S. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 187. *art.* I. *verſ. Sed contra*, *& quæſt.* 188. *art.* 4. Quapropter Hoſt. *in cap. Inter cætera num.* 16. *verſ. Hodie tamen ſupra de off. ordin.* exagerat valdè dolendum, quod Epiſcopi non agnoſcant Regulares eſſe Coadjutores ſuos, adjiciens Paraclitum providere per Ordines Prædicatorum, & Minorum; licèt non omnes capiant verbum iſtud, cujus dictum referunt ibidem Joan. Andr. *num.* 10. *verſ. dicit demum*, qui idcircò *num.* 11. *in ver. cooperatores*, conqueritur, quòd Epiſcopi noſtri temporis ædificent parietes, & ſubtrahant columnas, &c. Card. *num.* 3. & Silveſt. *in ver. Epiſcopus n.* 12. *verſ. Decimò quæritur*.

DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA.

Idem Innocentius III. S. Stephani, & S. Proculi Abbatibus. Bononienſibus.

C A P U T X.

CUm in Eccleſiis ſancti Victoris & ſancti Joannis de Monte: & infrà. Nos igitur ad reformationem earumdem Eccleſiarum diligenti ſolicitudine intendentes, univerſis Canonicis dedimus in mandatis, ut Priori ſuo in his, quæ ad eum pertinent, obedirent. Cùmque omnes (quatuor dumtaxat exceptis) ſe obedire velle concorditer reſpondiſſent, prædicti quatuor ſe contra Priorem in ſuperbiam erigentes, licèt de obedientia ſuo Priori præſtanda, præſtitiſſent corpora-

liter

liter juramentum: tamen exhibiti juramenti immemores, ſuo Priori per omnia reſtiterunt; & cùm pro contumacia ſua nequiviſſent ad debitam obedientiam revocari, dictus Prior in eos excommunicationis ſententiam promulgavit. Cùm igitur Præfati Canonici ad Apoſtolicam Sedem acceſſiſſent, per ſcripturas authenticas ex multorum teſtimonio Prælatorum effecti de ipſorum contumacia certiores, recepto ſecundùm formam Eccleſiæ ab eiſdem corporaliter juramento, ipſis fecimus abſolutionis beneficium impendi; præcipientes eis ſub debito juramenti, ut ad ſuum clauſtrum, de quo exierant, redeuntes, Priori ſuo ſecundùm Deum devotè ac humiliter obedirent, Ideòque mandamus, quatenus præfatos Canonicos, ut ad Prioris ſui obedientiam revertantur, per cenſuram Eccleſiaſticam compellatis; & ne de ſua poſſint contumacia (vel malitia) gloriari, cogatis eos (ſi videritis expedire) ut juramentum, quod de parendo mandatis Prioris, pro abſolutionis beneficio impetrando ſuperbè negaverant, humiliter præſtare procurent: alioquin eos de fratrum conſortio penitùs excludatis.

S U M M A R I U M.

1 *Canonici Regulares inobedientes Priori ſuo per ipſum excommunicari poſſunt, & ſi fuerint incorrigibiles, de Fratrum conſortio expelli debent.*

2 *Prior poteſt ſuos Canonicos excommunicare, quia Ordinarius eſt.*

3 *Regulares inobedientes, & incorrigibiles excludendi ſunt à conſortio Fratrum, ſed non expellendi à Monaſterio, & n. ſeq.*

4 Penitùs *dictio quid importet.*

5 *Profeſſio emiſſa ſub conditione, ut ſi profeſſus umquam repertus fuerit fregiſſe vota caſtitatis, paupertatis, vel obedientiæ eiici poſſit à Religione, an ſit valida, & n. ſeq. uſq. in fin.*

6 *Adjectio non repugnans contractui, vel actui, qui geritur, non vitiat, nec vitiatur.*

7 *Conditio, quæ non adverſatur ſubſtantiæ Religionis, ſi ſit licita, tenet, ſi illicita, vitiatur, ſed non vitiat profeſſionem.*

8 *Monachus, qui in profeſſione ex pacto ſibi reſervat proprium, in dubio intelligitur reſervaſſe tamquam obedientiarius Monaſterii.*

9 *Conditio reſervationis proprii licèt adverſetur ſubſtantiæ Religionis, tamen ex communi opinione vitiatur, & non vitiat ingreſſum.*

10 *Conditio reſolutiva alias honeſta an vitiet matrimonium carnale, & n. 14.*

11 *Profeſſionem non vitiat conditio reſolutiva, ſed vitiatur, & n. ſeq.*

12 *Status Religioſi eſt perpetuus, & ſua ratione immobilis.*

13 *Profeſſio eſt votum ſolemne de præſenti, quod diem, aut conditionem non recipit.*

1 *CUM in Eccleſiis*. Canonici Regulares inobedientes Priori ſuo per ipſum excommunicari poſſunt; & ſi fuerint incorrigibiles de fratrum conſortio expelli debent. Hoc dicit Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Cardinal. Anchar. Imol. Abb. & Jo. de Anania. Dividitur ut per Joan. Andr.

2 Nota primò, ibi, *In eos excommunicationis ſententiam promulgavit*. Priorem poſſe in Canonicos excommunicationis ferre ſententiam, quia Ordinarius eſt, *ut notatur in cap. 1. & cap. Cùm ab Eccleſiarum ſupr. de off. ordinar.* ſecundùm Innoc. *hìc in princ.* Poſſunt ergo Abbates, & Priores excommunicare ſubditos, *ut hìc, & in cap. Sicut infra de ſimon.* quia ad ipſos ſpectat primo loco correctio Monachorum, *cap. Quanto ſupra de offic. Ordinar.* cum ibi notatis, *& in c. fin. in primo reſponſo de offic. Archid.* & hìc notant Bernard. poſt caſum, Hoſt. *num.* 3. *in ver. Sententiam*, Bald. *num. 2. in fin.* Joan. Andr. & omnes, *in Summ. textus*, ſed aliud eſt in Abbatiſſis, *cap. dilecta inf. eod.* Hoſt. *hìc n. 4.*

3 Secundò nota ex fine textus Regulares inobedientes, & incorrigibiles à conſortio fratrum eſſe excludendos. Et pondera benè, quia textus non dicit à Monaſterio, ſeu ab Ordine expellatis, ſed dicit de fratrum conſortio excludatis: & ex hoc collige ne decipiaris: Religioſos incorrigibiles non eſſe eijciendos ab Ordine, ſeu Monaſterio, ita ut ad ſæculum redeant, ne ſic ſtudioſè faciant ſe inobedientes, & jugum Religionis excutiendo ex ſua malitia commodum conſequantur, ſed eſſe ſeparandos, & ſejungendos a ſocietate, & conſortio fratrum, & recludendos in ergaſtulis ad agendam pœnitentiam: & ita intelligas jura, quæ loquuntur de expulſione Regularium incorrigibilium, prout ex hac littera deducunt Petr. de Sampſon. & Abb. Antiq. *qui ſub num.* 4. ponderando *ver. Excludatis, Ergo*, inquit, *ſecundum hoc quandocumque voluerit vagari Regularis, faciat ſe inobedientem, & ſit expulſus ſuæ intentionis conſequitur effectum: quod eſt prorſus abſurdum. Sed reſpondeo non eſt ſenſus, quod ipſi à Monaſterio excludantur, ſed tantùm à conſortio aliorum, ut cum aliis non comedant in refectorio, vel in dormitorio non jaceant, ſed in eodem Monaſterio detrudantur in carcerem, hoc dicit & non à Monaſterio excludantur, ne occaſionem habeant evagandi*. Hæc Abbas
Antiquus, & concordat Joan. Andr. *num.* 9. Bellam. *poſt*
princ. in ver. Conſortio. Et quamvis Goffredus exponat 4
verbum, *penitùs*, ideſt irrevocabiliter, & Hoſtienſis
num. 10. intelligat penitùs, ideſt ſine ſpe reſtitutionis
cùm ſit ejicienda ab ovili ovis morbida: ne inficiat ſanas oves, *cap. ſed illud 45. diſtin. cap. Ea quæ, §. 1. de ſtat. Monach.* tamen ut dicit Henric. Boich. *numer.* 15. facienda eſt vis in eo, quod dicit textus de fratrum conſortio, *cap. Impudicas 27. quæſt.* 1. Non enim dicit de Monaſterio ejiciendos, quia etiam ejecti eſſent revocandi, *cap. fin. de Regular.* Sed excludantur à conſortio, ideſt non ſtent cum aliis fratribus in Capitulo, Refectorio, & ſimilibus, ſed in aliquo loco arcto ponantur ad pœnitentiam peragendam: & ſubdit hoc eſſe veriùs, & tutiùs, *arg. cap. Pervenit 27. diſt.* ubi hoc notat Archid. *Ad hoc cap. dilectus de ſimon.* & ſequitur hìc Bellam. *num.* 4. Butr. *num.* 19. & 20. Cardin. *num.* 5. *in 7. oppoſit.* Anchar. *num.* 6. Imol. *nu.* 8. Abbas *in ult. notab.* & Joan. de Anan. *num.* 4. Ex quibus patet hanc eſſe magis communem Canoniſtarum ſententiam, de cujus veritate pleniùs diſſero *in d. c. fin. à n. 36. uſq. ad n. 71. de regul.* ibi videas.

Quæſiverunt Regulares Ordinis Reformatorum San- 5
ctiſſimæ Trinitatis an ſit nulla, vel valida profeſſio emiſſa à nonnullis in eorum Religione in manibus ſuperioris Regularis cùm conditione, ut ſi procedente tempore comperiatur, eos fregiſſe vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, vel aliud quid grave commiſiſſe, à Religione ejici poſſint exuti habitu Regulari.

Viſum eſt reſpondendum profeſſionem eſſe validam.

Primò, quia hujuſmodi conditio non videtur adverſari ſubſtantiæ Religionis, quæ conſiſtit in tribus votis ſubſtantialibus, *juxta notata in cap. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachor. & in cap. Dudum de converſ. conjugat.* & per Abbatem *in Rubrica de Regularib. numer.* 1. Tantùm enim abeſt, ut dictis tribus votis adverſetur talis conditio, ut potiùs oppoſita videatur ad illorum executionem, & firmitatem, dum tribuit faculta-
tem eijciendi, & ſic puniendi vota non ſervantem. At 6
quando adjectio non repugnat contractui, vel actui, qui
geritur, tunc nec vitiat, nec vitiatur, ſed valet regulariter, ſicut & actus, cui adjicitur, ſive cedat ad argumentum, *ut l. Ea tamen adjectio, ff. de legat. tertio, l. 1. cum quatuor ſequentibus, & per totum, ff. de fundo inſtructo, l. Si ſtipulatus, ff. de uſuris, l. Si ut certo, §. Si de me, ff. Commodati, l. qui mutuam, ff. mandati, l. Illi, ff. de uſufruct. legat. l. 1. §. Qui depoſitis*, cum ibi notatis, *ff. depoſiti, cap.* 1.

& 2. de fil. Presbyt. cap. Quamvis il primo, & c. Cum in illis, §. 1. *&* §. *Is cui, verſ. vel niſi de præb. lib. 6.* & Clemen. *Si dignitatem eod. tit.* Sive cedat ad diminutionem, & *l. legatis Sejus, ff. de legat.* 3. *cap. quoniam*, ibi, in quibus *de conceſſ. præben. lib. 6.* & notat Henric. Boich. 7 *in cap. final. nu.* 13. *de condit. appoſit.* Et in ſpecie quando pactum, vel conditio non contrariatur Religionis ſubſtantiæ, vel pactum, & conditio tenent ſi ſunt licita, vel ſi ſunt illicita vitiantur, & non vitiant profeſſionem, ita videtur eſſe de mente omnium *in d. cap. final. in d. c. Cùm ad Monaſterium de ſtatu Monachorum, & in cap. inſinuante, qui Cleric. vel voven.* Ideòque in illa quæſtione utrum reſervatio proprii facta à Regulari profitente ſub conditione vitiet ingreſſum, vel vitietur, omnes laborant circa eam difficultatem tamquam ab ea pendeat ſolutio quæſtionis, videlicet an retinere proprium ſit contra ſubſtantiam Religionis, necne, ut per Henric. Boich. *in d. c. fin. n.* 14. *& num.* 15. *verſ. Sed hoc quod Monachus habeat proprium.*

8 Secundò quia hoc pactum, ſeu conditio poſſet fortè recipere aliquem intellectum, ita ut nec etiam contineret injuſtitiam: nam ut declarat Abb. *in d. cap. Inſinuante n. 6. verſ. Sed ego*, quem referunt, & ſequuntur Angel, *in ver. Religioſus num.* 13. & Silveſter *in ver. Religio tertio n.* 8. verba appoſita in tali contractu ſi fieri poteſt intelligenda ſunt ſecundùm naturam contractus, *ut l. Si uno in princ. ff. Locati*, maximè ut res potius valeat, quàm pereat, *l. quoties, ff. de verbor. obligat, & cap. Abbate de verb. ſignif.* etiam impropriatis verbis, *ut eſt textus in d. c. inſinuante, ſecundùm unum intellectum.* Ex quibus concludit Abbas eum, qui reſervat ſibi proprium, niſi magis declaret, intelligi reſervare tamquam obedientiarium Monaſterii, ita in propoſito illa conditio ut Regularis compertus aliquod ex votis fregiſſe, vel aliud grave commiſiſſe, ejici poſſit, fortè eſt intelligenda, ſi is, qui vota fregit, vel aliud grave commiſit, nolit corrigi, nec recipere pœnitentiam condignam, juxta inſtituta Religionis; quo caſu etiam de jure communi ejici poteſt. Umbertus *in Regula S. Auguſtini cap.* 99.

9 Tertiò etiam ſi dicta conditio ſubſtantię Religionis eſſet contraria, nec aliquo modo reciperet intellectum congruentem ſubſtantiæ Religionis; tamen ex communi ſententia, quamvis multos habeat contradictores, valet ingreſſus, & conditio rejicitur, ut de conditione proprium reſervante tenent Innoc. Hoſtienſ. Archid. Laudunus: Joan. Andr. & alii relati pleniſſimè ab Henric. Boich. *in cap. fin. de condit. appoſ. in ultima quæſtione num.* 14. *verſ. Sed contrarium*, & de communi teſtatur Imola *in c. Cùm M. Ferrarien. nu.* 41. *verſ. Quandoque vera de conſtit.* & ratio præcipua Jo. Andr. *in d. cap. final. num.* 9. *verſ. Dic quod in Monaſterio*: eſt, quia culpa miniſtri pactum, vel conditionem injuſtam ad [...] obligationem, quæ Deo quæritur non diſſolvit, ut latiùs per Henric. Boich. *ibid. n.* 15. *verſ. Hoc idem tenet*,

Ultimò obſervandum eſt hoc caſu non agi de conditione ſuſpenſiva, ſed de conditione reſolutiva, quæ ſi aliàs 10 ſit honeſta, non vitiat matrimonium carnale, puta contraho tecum matrimonium, & ſi non dederis mihi decem, vel ſi Romam iveris, volo te relinquere: nam ex quo à principio matrimonium fuit validum, non poteſt diſſolvi ex futuro eventu, *ut in cap. Cùm ſis de converſ. conjugat.* & ideò ſervandum eſt conditione rejecta: caſus 11 eſt *in cap. Quicumque de condit. appoſ.* juxta intellectum Vincentii, cum quo tranſeunt ibi Jo. Andr. Butr. & Abb. omnes *num.* 2. & Alex. de Nævo *num.* 1. *ad finem*: quem ſequitur, & communem dicit Navarr. *in Manual. cap.* 22. *num.* 62. *verſ. Tertium*. Ergo nec vitiat profeſſionem Regularem, per quam conjugium ſpirituale contrahitur: nam ſicut non poteſt contrahi ad tempus matrimonium carnale, *ut in d. cap. final. de condit. appoſit.* ita nec ſpirituale illi æquiparatum, *c. inter corporalia, & c. quanto de translat. Epiſcopi*. Status enim Religioſi perpetuus eſt, & ſua ratione immobilis, ut docet S. Thomas, *in* 12 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 7. *& quæſt.* 183. *art.* 1. Et quemadmodum lex abhorret adoptivos filios temporales, *ut l. Si tibi*, aliàs 13 incipit *Quæſitum, ff. de adopt.* ad eumdem modum ſacri Canones abhorrent filios ſpirituales Religionum ad tempus conſtitui, & ad ſæculum remeare, cùm profeſſio ſit votum ſolemne de præſenti, quod diem, aut conditionem non recipit, *cap. de viduis, cap. Hæ vero, & cap. quæ Chriſto* 27. *quæſt.* 1. *cap. inſinuante. Qui Cler. vel vov.* & ſcripſi pleniùs *in cap. Porrectum num.* 6. *de Regular.* Præte- 14 reà eſto conditio reſolutiva tamquam deſtructiva matrimonii, & ſic repugnans illius ſubſtantiæ vitiaret ab initio matrimonium carnale, ſecundùm aliam opinionem, quæ fortè eſt verior, *ut dixi in d. cap. fin. num.* 2. *de condit. appoſ.* tamen non ſic vitiaret votum ſolemne Religionis per quod obligatio acquiritur Deo, ſecundùm rationem differentiæ, quam inter hæc aſſignat, & pluribus confirmat Jo. Andr. *in eodem cap. fin. num.* 9. *verſ. dic quod in matrimonio*, & poſt eum Henric Boich. *ibid. num.* 15. *verſ. Hoc idem tenet*.

Ex his patet validam eſſe profeſſionem, & pactum vel reduci ad ſenſum congruum, vel vitiari, & non vitiare profeſſionem. Quia tamen eo pacto Superiores Regulares occaſionem captare poſſunt ſæviendi in Regulares, & facilè eos ejiciendi, quod multa mala parit, & reprehenditur ab Uberto *dict. cap.* 99. expediret interdicere Prælatis, ne deinceps cum tali pacto aliquem reciperent ad profeſſionem. Quod ſi aliqui ejecti, qui uxores duxerint, audiri vellent, æquum eſſet eos audire, & ita reſolutum.

DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA.

Honorius III. G. Presbytero Cardinali, & Capitulo S. Laurentii in Damaſo.

CAPUT XI.

His, quæ pro Eccleſia ſancti Laurentii in Damaſo ex parte una, & Capellis ſibi ſubjectis ex altera, ſuper ſcrutinio aliiſque articulis fuere propoſita, diligenter auditis, ſententiando decrevimus, ut earumdem Capellarum Presbyteri & Clerici, Cardinali qui nunc eſt in ipſa Eccleſia & qui fuerint per tempora, manualem obedientiam, & reverentiam, & honorificentiam omnem exhibeant; & ad Eccleſiam ipſam pro ſcrutinio, baptiſmo, & capitulo celebrandis, conveniant temporibus conſuetis: correctionem ipſius Cardinalis recipientes humiliter: & excommunicationis, interdicti, vel ſuſpenſionis ſententias, quas tulerit in eos, & Eccleſias eorumdem, inviolabiliter obſervantes. Quando autem Eccleſia ipſa Cardinali vacabit, Capellani & Clerici memorati, eidem Eccleſiæ reverenter exhibeant omnia ſupradicta, excepto quod de correctione, excommunicatione, & ſuſpenſione ipſorum pro bono pacis, noſtræ providentiæ reſervamus.

SUMMARIUM.

1 *Cardinali Titulari Presbyteri, & Clerici Capellarum Titulo ſubjectarum debeat obedientiam, & alia, de quibus hic.*
2 *Capitulum vacante titulo Cardinalatus ſuccedit in juriſdictione, niſi pro bono pacis aliquid ſit exceptum.*
3 *Obedientiam manualem Presbyteri, & ſimplices Clerici tenentur Prælato ſuo & ſucceſſoribus exhibere.*
Declaratur n. 7.
4 *Et quæ dicatur obedientia manualis.*
5 *Feudatarius ſatis eſt, ut juret fidelitatem Eccleſiæ, ibid. n. 5.*
6 *Curati tenentur præſtare Prælato obedientiam per juramentum, nec ſufficit manualis.*
8 *Obedientia, reverentia, & honorificentia, an & in quo differant.*
9 *Salutandi modi complures referuntur ſecundùm diverſas nationes.*
10 *Prælatos hodie, & maximè Papam adoramus, & genuflectimus.*
11 *Matricem Eccleſiam tenentur adire Presbyteri, & Clerici Capellarum pro ſcrutinio, baptiſmo, & Capitulo.*
12 *In his tamen prævalere debet conſuetudo,*
13 *Scrutinium quot modis accipiatur.*
14 *Ad Capitulum, vel Congregationem ſubditi convenire debent non ad voluntatem Superioris, ſed temporibus conſuetis.*
15 *Cardinales habent in ſuo titulo, & in Eccleſiis titulo ſubjectis Epiſcopalem juriſdictionem, & num. ſeqq. uſque ad n. 27.*
16 *Non tamen quoad ea, quæ à Concilio Tridentino Epiſcopis ſunt conceſſa.*
Quod intellige, ut n. 52.
17 *Vicarius Urbis non cognoſcit de cauſis ſub titulis Cardinalium.*
18 *Cardinales Presbyteri in ſuis titulis, & Diaconi in ſuis Diaconiis, & in Capellis ſubjectis habent jus Epiſcopale.*
19 *Id eſt corrigendi, & cenſuras fulminandi.*
20 *Item jus viſitandi in ſuis titulis ſicut Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus.*
21 *Item inſtituendi, & deſtituendi.*
22 *Unde poſſunt conferre beneficia ſuarum Eccleſiarum Titularium.*
Dummodo ſint præſentes in curia alioquin ſolus Papa confert.
Item jus habent reſignationes admittendi, ibidem, & n. 37.
24 *Item utendi inſigniis Pontificalibus, & ſolemniter benedicendi more Epiſcoporum, licèt Epiſcopi non ſint.*
25 *Item ſuis ſubditis, & familiaribus in ſuis titulis primam tonſuram, & minores ordines conferendi.*
26 *Cardinales in ſuis titulis habentur loco Epiſcoporum quoad juriſdictionalia tantùm, non autem quoad Epiſcopalia, niſi ſint Epiſcopi.*
27 *Cardinalis in ſua Eccleſia habet titulum, ac per ejus obitum Eccleſia dicitur vacare.*
28 *Cardinales Presbyteri tantùm habent titulum, & cum titulo inſcribuntur, præter unum.*
29 *Cardinalibus Presbyteris quinquaginta tituli, & quatuordecim Diaconis totidem Diaconiæ aſſignantur à Sixto V.*
30 *Eccleſia S. Laurentii in Damaſo eſt titulus Cardinalis, & perpetuò aſſignata Vicecancellario pro tempore exiſtenti.*
31 *Capitulum an ſuccedat in juriſdictione Prælati vacante Eccleſia, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
32 *Quid in Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ, quæ eſt titulus Cardinalis, & n. 42.*
Et quid in Capitulo alterius Collegiatæ, n. 36. & 39.
Et quid in Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, n. 49.
Et quid poſt Conc. Trident. n. 67.
33 *Capitulum Eccleſiæ in qua eſt titulus Cardinalis, mortuo Titulari, non ſuccedit in juriſdictione quoad jus puniendi crimina, & fulminandi cenſuras, & n. 42.*
34 *Et an hoc procedat de jure communi, an vero propter reſervationem, de qua hic.*
35 *Privilegium in corpore juris clauſum facit jus commune inter nominatos.*
36 *Prælati inferiores, exceptis Cardinalibus in ſuis titulis, non habent juriſdictionem ordinariam de jure communi, & n. ſeqq.*
37 *Cardinales in ſuis titulis habent jus pinguius, quàm plebani.*
38 *Plebs non fundat intentionem in Capellis de jure communi, niſi Eccleſia matrix ſit titulus Cardinalis.*
39 *In Capitulum ſede vacante an tranſeat juriſdictio competens inferiori Prælato de jure ſpeciali, & n. ſeqq. uſq. ad n. 49.*
40 *Devolutio juriſdictionis non inducitur niſi in caſibus jure expreſſis.*
41 *Abbatiali ſede vacante Epiſcopus de jure ſuccedit in facultate dandi licentiam Monacho acceptandi executionem teſtamenti.*
43 *In Capitulum ſede vacante non tranſeunt quæ competunt Prælato de jure ſpeciali, & n. 46.*
44 *Capitulum Paduanum ſede vacante non ſuccedit in facultate conferendi gradum Doctoratus, & Magiſterii.*
45 *Monaſterio vacante an Conventus poſſit Monachos recipere.*
47 *Prælatus, & Capitulum faciunt unum corpus, & poteſtas eſt in Eccleſia, & dignitate.*
48 *Juriſdictio ſimultanea inter Prælatum Eccleſiæ inferioris, & Capitulum, item adminiſtratio bonorum abſque dubio tranſit in Capitulum ſede vacanti.*
49 *Capitulum ſede Epiſcopali vacante poteſt judicare, abſolvere, & excommunicare, ſed non anathematizare.*
50 *Item poteſt viſitare, & procurationes recipere, & n. 75.*
51 *Item poteſt de delictis, etiam extra viſitationem contra certas perſonas inquirere.*
52 *Item poteſt ſindicare Fiſcalem Epiſcopi prædefuncti.*
53 *Item poteſt ſtatuta condere, non tamen duratura in tempus ſucceſſoris.*
54 *Capitulum ſede Epiſcopali vacante non ſuccedit in juriſdictione Epiſcopo delegata, etiam ex generali delegatione Sedis Apoſtolicæ.*
55 *In Capitulum ſede vacante non tranſeunt ea, quæ ex Conc. Trid. competunt Epiſcopo tamquam Sed. Apoſt. delegato.*
56 *Niſi detur Epiſcopo facultas procedendi etiam authoritate Apoſtolica.*
Vicarius Capituli ſede vacante poteſt transferre beneficia ſimplicia ab Eccleſiis collapſis, ibid.
57 *Capitulum ſede Epiſcopali vacante non poteſt beneficia conferre, licèt poſſit præſentationes admittere, & inſtituere.*
58 *Item non poteſt bona Eccleſiæ alienare, & n. ſeqq.*
59 *Item non poteſt dare licentiam Clerico tranſeundi ad aliam Eccleſiam.*
60 *Item non poteſt dimiſſorias ad Ordines concedere infra annum à die vacationis, niſi arctatis ratione beneficii recepti, vel recipiendi.*
61 *Et quibus caſibus Capitulum poteſt dimiſſorias concedere, poteſt etiam interſtitia remittere, non autem Capituli Vicarius, niſi ex mandato ſpeciali.*
62 *Ad Capitulum Epiſcopo exiſtente hæretico ſpectat facultas concedendi dimiſſorias.*
Dimiſſorias ſufficit obtinere ab uno ex Canonicis ſi reliqui propter hæreſim ſint diſperſi, vel adeunda eſt Sedes Apoſtolica, ibid. & n. ſeq.
63 *Capituli jus in uno conſervatur.*
64 *In Capitulum ſede Epiſcopali vacante, an, & quomodo tranſeant ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, & n. ſeq.*
65 *Ordinum, & Sacramentorum collatio eſt de lege juriſdictionis.*
66 *Capitulum ſede vacante de jure communi non arctatur ad conſtituendum Vicarium, ſed poteſt juriſdictionem per ſeipſum exercere.*
67 *Capitulum infra octo dies poſt mortem Epiſcopi ex Concilio Tridentino tenetur Vicarium, ſeu Officialem conſtituere, vel exiſtentem confirmare.*
68 *Capitulum ſede Epiſcopali vacante poſt Concilium Trident. ita demum poteſt duos Vicarios in ſolidum, vel alternis menſibus conſtituere, ſi ita ſe habeat immemorabilis conſuetudo.*

69 *Vicarius ſede vacante datus etiam ad certum tempus poteſt ad libitum Capituli revocare.*
70 *Non obſtante juramento, licèt revocantes ſint perjuri.*
71 *Aliquando tamen dari ſolent litteræ ad Capitulum, ut Vicarium non amoveat.*
72 *In Vicarii deputatione ſede vacante Capitulum poteſt præfinire tempus, quo elapſo ejus juriſdictio expiret.*
73 *Sede vacante juriſdictio reſidet principaliter penes Capitulum; exercitium verò penes Vicarium.*
74 *Ad Capitulum ſede vacante non ſpectat ſubſtitutio facienda propter abſentiam Vicarii, vel aliorum Officialium, ſed ad ipſos Officiales.*
75 *Capitulum ſede vacante abſque Vicario non poteſt Viſitatorem eligere ad viſitandam diœceſim.*
76 *Item non poteſt eligere arbitros ad cognoſcendum de cauſis ſuſpicionum Vicarii, ſed per ſeipſum cognoſcere.*
77 *Capitula Cathedralium dumtaxat arctantur à Concil. Trid. ad eligendum Vicarium ſede vacante, non autem Capitula Collegiatarum Eccleſiarum.*

1 HIS *quæ*. Mortuo Prælato ipſius ſubditi debent Capitulo in omnibus obedire, niſi pro bono pacis aliquid fuerit exceptum. Hoc dicit, ſecundùm Joan. Andr. Bald. Bellam. Butr. Cardin. Anchar. & Imol. vel aliter ſecundùm
2 Abb. & Joan. de Anan. Presbyteri, & Clerici Capellarum in titulo Cardinalatus debent Cardinali obedientiam, & cætera. de quibus hic. Vacante autem titulo ſuccedit Capitulum illius Eccleſiæ, niſi pro bono pacis ſit aliquid exceptum. Dividitur in duas partes. In prima determinat quid juris ſit non vacante Eccleſia. In ſecunda quid juris ea vacante. Secunda ibi, *Quando autem*.
3 Nota primò, ibi, *earum Capellarum Presbyteri, & Clerici*. Sacerdotes non curatos, & ſimplices Clericos teneri exhibere Prælato ſuo, & Succeſſoribus manualem obedien-
4 tiam, *ut hic & in c. Olim in 1. reſponſo verſ. à quo ſupra de reſtit. ſpoliat.* & hìc notant Innoc. *in princ.* Hoſt. *n.* 3, & Jo. Andr. *n.* 9. & dicitur manualis, ſcilicet ſine ſcriptura, *ut hic, & c. Legebatur ſup. eod.* & ſine juramento, *ut in c. nul-*
5 *lus de jurejur.* & declarat gl. 1. *hic*, & Butr. *n.* 11. Neque hoc eſt ſpeciale in Cardinalibus, ut quidem putant; ſed obtinet etiam in aliis Prelatis ſecundùm Hoſt. cujus opinionem dicit eſſe veriorem Cardin. *n.* 1. *per d. c. legebatur*, ubi etiam hoc tenet gl. 1. Non obſtat *c. Veritatis infr. de jurejur.* ubi non tenetur quis præſtare obedientiam Succeſſori. Quo-
6 niam illud procedit in feudatario, qui ſatis eſt, ut juret fidelitatem Eccleſiæ, ſecundùm Abb. Antiq. *hìc n.* 1. Item non obſtat *d. cap. Nullus*, ubi Sacerdotes tenentur præſtare obedientiam Prælato ſuo per juramentum, & ſic non ſufficit manualis. Quoniam loquitur in Sacerdotibus curatis ſecundùm gloſ. primam *in d. cap. Legebatur*, & Butr. *hìc num.* 10. Demum non obſtat *cap. ſi in plebibus* 63. *diſt. & cap. Poſtulaſti infra de jurepatr.* ubi ſatis eſt ut Presbyteri, & Clerici Capellarum faciant obedientiam manua-
7 lem Prælato ſuo immediato. Siquidem illa jura vendicant ſibi locum in Capellis, in quibus ſunt Collegia: tunc enim ſatis eſt, ut is, qui præeſt Collegio, manualem obedientiam exibeat Prælato Superiori: quod verò hìc dicitur, obtinent in Capellis, in quibus non ſunt Collegia, ſed in ſingulis ſinguli, unus, vel plures non tamen, ut Collegium; tunc enim facient obedientiam Cardinali, vel alteri cui ſubſunt, *cap. dilecta infra de exceſſ. Prælat.* ſecundùm Vincen. *hìc*, cum quo tranſeunt Jo. Andr. *num.* 3. Bellam. *in* 1. *oppoſ.* Card. *in* 2. *qu.* Anchar. *in* 2. *not.* & Jo. de Anan. *n.* 1.
8 Secundò nota ibi, *obedientiam*, aliud eſſe obedientiam, aliud reverentiam, & aliud honorificentiam, ut per Butr. *num.* 5. Obedientiam ſecundùm Abb. Antiq. *num.* 1. *in ver. Obedientiam*, conſiſtit in his, quæ fiunt in judicio, ut veniant cum citabuntur: & extra judicium, ut pareant juſtis præceptis, reverentia pertinet ad executionem præcepti in his, quæ fiunt extra figuram judicii, veluti ut quotannis accedant ad Synodum, *c. quoniam quidam* 18. *diſt.*
9 niſi neceſſitas eos excuſet, *c. Romana de ſentent. excomm.* Honorificentia eſt in aſſurgendo, & hujuſmodi. Vincentius exponit honorificentiam, ſcilicet Hiſpanicam, *humiliamus nos*. Francorum *Deus vos ſalvet*. Lambardorum,
10 *Benvegna*. Saracenorum *ex illa mela aloc.* ſecundùm Romanos pilei depoſitio. Hodie ſecundùm Jo. Andr. *n.* 4. & Bellam. *in princ.* flectimus genua, & Prælatos adoramus, præcipuè Papam: de quo tamen remittit Joan. Andr. ad ea, quæ ipſe notat poſt Hoſt. *in cap. Etſi Chriſtus num.* 5. *in ver. transferetur infra de jurejur.* Tu vide S. Thomam *in* 2.2. *q.* 84. *art.* 1. vel ſecundùm alios, obedientia conſiſtit in executione mandatorum. Reverentia in honore, qui exhibetur ſine verbis: Honorificentia cum verba proferuntur, vel dic iſta eſſe Synonyma, & hìc fuiſſe inculcata majoris expreſſionis cauſa, ut per Cardin. *in* 3. *q.* & Abb. *n.* 1. *in antepenult. not.*

Tertiò nota ibi, *Scrutinio*. Presbyter, & Clericos Capel- 11
larum tenere accedere ad Eccleſiam matricem pro ſcrutinio, baptiſmo, & Capitulo, concordant *c. Dilectus inf. de Capell. Monach.* & hìc notant Innoc. *n.* 2. *verſ. nam de jure*, Hoſt. *n.* 5. *in eodem verſ.* Joan. Andr. *n.* 7. & Bellam. *in princ.* 12
verſ. nam de jure, & idem Innoc. *in c. ad audientiam il primo circa fin. in ver. Honor. infra de Eccleſ. ædific.* cum quo Hoſt. *n.* 3. *in verſ. Competens*, Jo. Andr. *n.* 10. & alii tranſeunt, licèt in his ſecundùm eos prævalere debeat conſuetu- 13
do, *c. fin. ſup. de off. Archid.* Scrutinii autem nomine intelliguntur catechiſmi, ſive exorciſmi, qui fiunt baptizandis per viginti dies ante baptiſmum, *ut cap. ante viginti de conſecr. diſt.* 4. *& c. Pervenit* 10. *q.* 1. Hoſt. & Abb. Antiq. *hìc* ambo *n.* 1. & eſt vulgare Romanorum, ut notat gloſa in *d. c. Dilectus in ver. in ſcrutiniis de Capell. Monachor.* Hæc enim ſcrùtinia in majori hemodmada fieri conſueverunt circa pueros poſt in magno ſabbato baptizandos, ut ibi adnotatur in gloſa marginali, & ex Goffredo ibidem referunt Hoſt. & Jo. Andr. Aliter accipitur ſcrutinium in Concilio Generali, *c. Quia propter de elect.* & in Concil. Lugdunenſi, *c. in electionibus eod. tit. lib.* 6. ubi Hoſt. *n.* 3. ponit tredecim modos, quibus accipitur ſcrutinium.

Quartò nota ibi, *conveniant temporibus conſuetis*. Non 14
ad voluntatem Superioris, ſed ſicut conſuetum eſt debere ſubditos venire ad Capitulum, ſeu Congregationem, ut ex hac littera colligunt Petr. de Sampſone, & Abb. Antiq. *n.* 2. Jo. Andr. *n.* 5. Bellam. *n.* 3. Butr. *n.* 6. Card. *in* 3. *not.* & Abb. *in penult. not.*

Quintò nota ibi, *ipſius Cardinalis correctionem*. Car- 15
dinales habere in ſuo titulo, & in Eccleſiis titulo ſubjectis Epiſcopalem juriſdictionem, ut hìc eſt text. qui ad hoc conſuevit quotidie allegari, & non reperitur alibi, ſecundùm Abb. *in* 2. *not.* & quem omnes extollunt, ut inquit Felin. *in princ.* & ita Joan. Monach. *in cap. unic. num.* 2. *infrà eodem lib.* 6. atteſtatur Papam ſibi reſpondiſſe, cujus dictum hic referunt, & ſequuntur Joan. Andr. *num.* 11. Bellam. *in fine*, Cardin. *in* 3. *oppoſ. in fin.* & communiter 16
Doctores, ut dicit Abb. *in* 2. *notab.* & Ludovicus Romanus in ſermone ſuo, quem habuit in Concilio Baſileenſi poſito in calce Conciliorum ſuorum *num.* 19. *in fin.* Idem firmant Cardin. in Clem. *ne Romani*, §. *Irritum num.* 4. *de elect.* Cardinalis Jacobat. *de Concilio lib.* 2. *art.* 2. *nu.* 11. Gondiſal. Villadiego *de orig. Cardin. n.* 7. Æneas de Falcone *de reſerv. q.* 2. *principali n.* 10. & alii paſſim. Et quamvis Gregor. XIII. dixerit, ſe nolle, ut ea, quæ Epiſcopis conceſſa ſunt à Conc. Triden. competant Cardinalibus in ſuis titulis, eò quod licèt habeant quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ibi tamen verè, & propriè non ſunt Epiſcopi: nihilominus extra facultates à Concil. conceſſas ſalva manet juriſdictio Cardinalium in ſuis titulis ad præſcriptum 17
hujus Decretalis, ut ex S. Congr. ſententia ſcripſi plenius *in c. ne pro dilatione n.* 42. *inf. de pœnit. & remiſ.* Ideòque Cardinalis Urbis Vicarius non cognoſcit de cauſis ſub titulis Cardinalium, ut per Manfred. de Cardin. *deciſ.* 106. & modernos *de reſignat. benef. lib.* 7. *quæſt.* 12. *num.* 12.

Procedit autem hæc concluſio non ſolùm in Cardinali- 18
bus Presbyteris, ſed etiam Diaconis videlicet, ut illi in ſuis titulis, hi verò in ſuis Diaconiis quaſi Epiſcopalem habeant juriſdictionem, ut eſt expreſſum in conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *Religioſa, Idibus Aprilis* 1589. *in Bullar. tom.* 2. *pag.* 571. ubi in princ. ſic legitur: *Præter ſex Epiſcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Urbi finitimis præſunt, ſingulis Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe Eccleſiæ tituli videlicet, & Diaconiæ cum ſuis Clero, & Populo, ac quaſi Epiſcopali juriſdictioni in ſpiritualibus, & temporalibus regendæ, & adminiſtrandæ committantur*. Hæc ibi.

Ita-

19 Itaque Cardinales in ſuis Titulis, Diaconiis, & in capellis ſubjectis jus habent corrigendi, & excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias fulminandi, ut
20 hic eſt expreſſum, & notat Abbas *loco citato*. Item jus habent viſitandi in ſuis titulis, ſicut Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus, ut tradit Joan. Franciſcus Pavin. *de viſitat. par.* 1. *qu.* 2. *num.* 26. per hunc textum, & Felin. *hic num.* 1. *verſ. Et iſtis adde*, & patet ex Conſtitutione Leonis X. incipiente, *Supernæ*, §. 19. *in Bullar. tom.* 1. *pag.* 474. ubi diſponitur, ut Cardinales tituli ſua loca ſi præſentes in Curia fuerint perſonaliter, ſi verò abſentes per Vicarium idoneum ſemel ſaltem ſingulis annis viſitent Clericos, & populos Eccleſiarum titulo ſuo ſubjectarum, cùm diligentia inquirant, vigilentque circa cultum Divinum, & bona dictarum Eccleſiarum, moreſque in primis, & vitam Clericorum, & Parochianorum ſolerter explorent, eoſque omnes, & ſingulos ad rectè, honeſtèque vivendum paterno moneant
21 affectu. Item jus habent inſtituendi in ſuis titulis, ut eſt textus *in cap. Querelam ſuprà de elect.* ibi, *à Cardinali S. Suſannæ, cui eadem Eccleſia tamquam capella ſuo titulo in ſpiritualibus eſt ſubjecta, canonicè fuerat inſtitutus*, & notat Innocent. *in cap. Dilectus nu.* 4. *de capell. Monachor.* dicens inſtitutionem, & deſtitutionem ſpectare ad Cardinales in ſuis titulis, Felin. *hic num.* 1. *verſ. Adde Innocentium*, & alii apud Quintil. Mandoſ. *in reg.* 7. *Cancellar. q.* 31. *n.* 5.

22 Unde poſſunt conferre beneficia ſuarum Eccleſiarum titularium, ut per Sarnen. *in reg. de Trien. qu.* 31. *num.* 16. & Felin. *loco citato*, ubi refer Joan. Franciſc. Pavin. *in tract. de poteſt. c. Sede vacante fol.* 38. enumerantem aliqua privilegia Cardinalium, inter quæ dicitur fuiſſe eis conceſſum à Sixto IV. ut liberè poſſint conferre omnia beneficia Eccleſiarum, in quibus intitulati ſunt, vel Commendatarii, non obſtantibus expectativis, & reſervationibus, niſi vacent in Curia, nec de illis Papa providet, niſi de expreſſo Cardinalis, Ordinarii, vel Commendatarii conſenſu. Sed circa hoc indultum vide tu Conſtitutionem Pauli V. incip. *San-*
23 *ctiſſimus in Bullar. t.* 3. *pag.* 246. Et prædicta intellige dummodò ſint præſentes in curia, alioquin ſolus Papa confert, ut in prædicta regula ſeptima Cancellariæ, & eadem ratione jus habent eorundem beneficiorum reſignationes admittendi, ut tradunt Moderni *de reſignat. beneficior. lib.* 7.
24 *q.* 12. *nu.* 8.Ampliùs inſigniis Pontificalibus in ſuis titulis uti, & ſolemnem benedictionem impertiri more Epiſcoporum, licèt Epiſcopi non ſint, ut notat Hoſt. & Joan. Andr. *in cap.* 1. *de ſupplen. neglig. Prælat.* & Felin. *in cap. Inter Mo-*
25 *naſterium num.* 2. *de re judic.* Item poſſunt ſuis ſubditis, & familiaribus in ſuis titulis primam tonſuram, & minores ordines conferre, ſecundùm Hoſt. & Joan. Andr. *loco citato*, & idem Joan. Andr. *in c. Cum contingat*, & ibi dixi *n.* 9. *ſuprà de ætat. & qualit.* Felin. *in dict. c. Inter Monaſterium num.* 2. Martin. Lauden. *in tract. de Card. qu.* 20. Cardin. Jacobat. *de Conc. lib.* 1. *art.* 12. *verſ. Item Cardinalibus*, Rota *dec.* 731. *n.* 10. *par.* 1. *diverſ.* Dummodò tamen ſint Sacerdotali charactere inſigniti: aliàs ſecus, per ea, quæ leguntur, & notantur *in c. Quoniam* 69. *diſt. & in dict. c. Cum contingat*.
26 Reliqua verò, quæ ordinis Epiſcopalis ſunt, exercere non poſſunt, niſi ſint Epiſcopi, ut hic per Bald. *n.* 1. Imol. in Clem. *Ne Romani in* 4. *q. n.* 24. *de elect.* ubi dicit Cardinales in ſuis titulis haberi loco Epiſcoporum quoad juriſdictionalia, & quoad Epiſcopalia ſi ſint Epiſcopi, aliàs quoad juriſdictionalia, ſecundùm cujus dictum ſequitur Felin. *hic n.* 1.

27 Sextò nota ibi, *vacabit*. Cardinalem in ſua Eccleſia habere titulum, ac proindè per ejus obitum Eccleſiam vacare, ut hìc per Butr. *in* 1. *notab.* ſoli tamen Presbyteri Cardi-
28 nales habent titulum, & cum titulo inſcribuntur, ut *in cap. Querelam, & in cap. Coram ſuprà de elect. in cap. Licèt, il terzo de teſtib. & in cap.* 2. *de Cler. non reſid.* & notat hic Hoſtienſ. *num.* 1. Cardin. *in* 1. *notab.* & Joan. Andr. *num.* 2. Hoſtienſis *in cap. Cùm olim, il primo ante numerum* 1. *in ver. Baſilicæ de privileg.* ubi notat omnes Cardinales Presbyteros ſcribi cum titulo pręter unum, qui inſcribitur, Baſilicę duodecim Apoſtolorum Presbyter Cardinalis, ut illic patet, & ſequitur Joan. Andr. *nu.* 3. *in eod. ver.* Ubi redarguit Speculatorem, quod ad hoc non adverterit *in tit. de libell. convent.*
29 §. *Iam nunc videndum poſt principium*. Hodie hæc ſunt expreſſa in Conſtitutione Sixti V. de qua in præcedenti notabili, ubi quinquaginta Cardinalibus Presbyteris aſſignantur quinquaginta tituli, & quatuordecim Diaconis totidem Diaconiæ, & in §. 7. *in fin.* interdicitur ne unquam aliqua ex Diaconiis Præsbytero, neque contra ullus ex titulis Diacono Cardinali concedatur, vel aſſignetur. Verùm tamen quod attinet ad diſpoſitionem hujus textus prædicta diſtinctio impertinens eſt, quia ſive Cardinales ſint Presbyteri, ſive Diaconi, & ſive habeant titulum, ſive Diaconiam, habent indiſtinctè in ſuis Eccleſiis, & Capellis ſubjectis jus Epiſcopale, ut concluſum eſt in præcedenti notab.

Septimò nota ibi, *Eccleſia S. Laurentii in Damaſo*: 30
juncta ſupraſcriptione, hujuſmodi Eccleſiam eſſe titulum Presbyteri Cardinalis, per litteras Clementis VII. Eccleſia hæc Vicecancellario pro tempore exiſtenti perpetuò conceſſa, & aſſignata fuit, ut refertur in præcitata Bulla Sixti V. ubi etiam in §. 5. diſponitur, ut alius prætereà titulus ultrà numerum præfinitum additus ſit, ut ſi quando contingat Diaconum, vel Epiſcopum Vicecancellarium eſſe, & ideò eumdem prædictæ Eccleſiæ Sancti Laurentii præeſſe, alicui Presbytero Cardinali proprius titulus non deſit.

QUÆRO, generaliter in ſecunda parte textus, an 31
Capitulum ſuccedat in juriſdictione Prælati vacante Eccleſia.

Pro clariori ſolutione diſtingue. Aut quæritur de Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ, quæ eſt titulus Cardinalis: Aut de Capitulo alicujus Eccleſiæ Collegiatæ: Aut de Capitulo Eccleſiæ Cathedralis.

In primo membro breviter concludo, mortuo Cardi- 32
nali titulari juriſdictionem devolvi ad Capitulum ipſius Eccleſiæ. Textus apertus eſt *in ver. Quando autem*, & in hoc conveniunt omnes. Ab hac tamen concluſione exci- 33
pe correctionem, excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. Hæc enim quatuor Papa hìc ſibi reſervat pro bono pacis, ut *in ver. Excepto*, & correctio, intelligas judicialem, ſcilicet in puniendo crimina, diffiniendo, & ſententias ferendo, ſecundùm Innoc. *in fin.* cum quo Hoſt. Joan. Andr. Bellam. & alii tranſeunt.

Sed hìc quærunt Doctores, an prædicta quatuor, quæ hìc 34
excipiuntur, mortuo Cardinali Titulari de jure communi tranſeant in Capitulum, quæ ſunt opiniones. nam gloſſa ultima, ex eo quod Pontifex prædicta ſibi reſervaverit pro bono pacis, arguit ut ſecluſa reſervatione, in Capitulum hæc tranſeant. Et ita iure communi inſpecto ſecundùm gloſſ. Capitulum vacante Eccleſia poteſt judicare, abſolvere, & excommunicare, ad hoc *cap. Cùm olim infrà eodem, & cap. Ad abolendam de hæred.* cum aliis in gloſſa allegat. & hanc partem amplectitur Abb. Antiq. *hic in fin.* & Bellam. *in* 5. *notab.* Sed alii, & fortè meliùs, ſecundùm Innocent. *in ver. Alii aliter nu.* 2. juriſdictionem, quàm habet Cardinalis Titularis, non tranſire in Capitulum ſede vacante quoad poteſtatem corrigendi, & fulminandi cenſuras. Tum quia cùm excommunicatio ſit mucro Epiſcopalis, *c. Corripiantur* 24. *q.* 3. Capitulum hanc poteſtatem excommunicandi non habet jure proprio, nec Cardinalis Titularis, vel alius Prælatus illam recipit à Capitulo eligente, ſed à Papa, vel alio confirmatore, ut notatur, *in c. Quanto ſuprà de offic. Ordinar.* & conſequenter talis poteſtas non eſt in Capitulum tranſmiſſibilis. Nec obſtant jura allegata in gloſſa: quia loquuntur in Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, de quo dicetur infrà *in* 3. *membro*. Item non obſtat, quod Papa hæc ſibi reſervando, videatur innuere, ut prius competerent Cappitulo. Quoniam reſpondetur Papam noluiſſe hunc articulum diffinire, quia conſuetudo Urbis contraria allegabatur, ſecundùm quam Capitulum dicebatur poſſe excommunicare, & corrigere. Unde Pontifex, ut litigium vitaret, & ſcandalum, noluit hanc conſuetudinem approbare, ſed ex ſuo officio pro bono pacis hoc ſuæ providentiæ reſervavit, ut hìc dicitur. Ita Innocen. quem totidem ferè verbis referunt, & probare videntur Joan. Andr. *num.* 7. Bellam. *num.* 5. *in* 2. *oppoſ. & num.* 6. & plerique alii. Prima tamen opinio videtur magis placere Hoſtien. & eam ſequitur Abb. *num.* 2. *in ult. notab.* quia intellectus Innocentii circa conſuetudinem, quę in Urbe allegatur, eſt divinativus, & impropriat litteram hujus text. ut hìc per eum. Sed circa hunc articulum ulterius non inſiſto, quia hoc unum eſt, quod mortuo Cardinali Titulari Capitulum non poteſt hodie cauſas criminales cognoſcere, nec cenſuras promulgare. Unde parum refert utrum hanc poteſtatem non habeat ex jure communi, vel ex eo quod fuerit illi ablata

lata per reſervationem Papæ: nam cùm talis reſervatio ſit
35 in jure inſerta, ut hìc patet, eſt jus commune; ſicut dicimus de reſervatione beneficiorum vacantium in Curia, ut *in cap. 2. de præben. lib. 6.* & de privilegio in corpore juris clauſo, quod facit jus cummune inter nominatos, ut notat gloſſ. 4. *in c. Conſtitutionem de regular. eod. lib.* & in Clemen. *Dudum, §. Verum in ver. De jure, de ſepult.* & apertiùs Joan. Andr. poſt Hoſtienſ. *in c. Ex parte, il primo n. 3. ſuper verb. Cæteris de decim.*

36 In ſecundo membro principali ideſt in Capitulis Collegiatarum Eccleſiarum, quæ non ſunt tituli Cardinalium, ſolutio quæſtionis pendet ab alia inſpectione, videlicet, An illarum Prælati habeant de jure communi in Eccleſia, & Capellis eidem ſubjectis ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem: nam ſi eam non habent, fruſtrà quæritur, an illa ſit tranſmiſſibilis in Capitulum ſede vacante, ut dicit Imol. *hic in fin. nu. 2. verſ. Ecce quomodo*. In hoc autem articulo, quamvis nonnulli contradicant, ut latiſſimè per Abbatem *in cap. Cum contingat à num. 21. infra de foro compet.* tamen magis communis, & verior opinio eſt Prælatos inferiores, exceptis Cardinalibus in ſuis titulis, non habere ordinariam juriſdictionem de jure communi. Ratio eſt, quia ſolus Epiſcopus de jure fundat intentionem ſuper juriſdictione ordinario tota diœceſi, *cap. Omnes Baſilicæ 16. q. 7. c. Conquerente de offic. Ordinar. cap. Cum Epiſcopus eodem tit. lib. 6.* cum multis ſimilibus. Unde inferior Prælatus, vel Plebanus, qui contendit juriſdictionem ad ſe pertinere, docere debet, aliàs ſuccumbit, *c. Dilectus infrà de Capell. Monachorum, & c. Cùm olim de præſcript. lib. 6.* & hanc opinionem ſequuntur hìc Bellam. *num. 6.* & Butr. *num. 11.* Joan. de Lignano in Clem. *Ne in agro de ſtat. Monachorum*, relatus à Bellam. *dict. num. 6. verſ. Lignanus dicit*
37 *ſic.* Idem ſentit Innocen. *in c. Dilectus in verb. hoc jus, verſ. Poſſet dici*, dum ait per hunc text. Cardinales in ſuis titulis habere jus pinguius, quàm Plebanos, quia in ipſis inſtitutio, & deſtitutio ſpectat ad Cardinales, ſed in aliis ſpectat ad Epiſcopum, ut *in dict. cap. Conquerente de offic. Ordin.* & hæc verba Innocentii ſequuntur ibidem Joan. Andr. *num. 9. verſ. Sed poſſet dici*, & Card. *col. 2. in 2. oppoſ.* & Butr. *in cap. Dilecto in 2. not. & n. 23. verſ. In fine gloſſæ ſuprà de offic. Archid.* & conſentit idem Cardin. in Clem. *Ne Romani, §. Irritum. num. 4. in fin. de elect.* dicens hoc eſſe verius, *& in cap.*
38 *Cum venerabilis ad fin. de except.* ubi ait Plebes non fundare intentionem ſuam in capellis de jure communi, niſi Eccleſia matrix eſſet titulus Cardinalis, per hunc textum, & ſubdit ſe ita ſæpius conſuluiſſe, præſertim in ardua lite inter plebem de Cento, & Eccleſiam Centi. Eſt ejus *conſ. 65.* quod incipit: *Thema tale eſt, Plebs Sanctæ Mariæ de Cento*, & eum ſequitur Felin. *hic n. 1. verſ. Et dicit Cardinalis, & in d. c. Cum venerabilis n. 32. infra de excep.* ubi ponit regulam cum quinque fallentiis. Et hæc opinio ſervatur in Curia: Nam probata exiſtentia Eccleſiæ, vel Capellæ intra fines alicujus diœceſis, tàm in Rota, quàm in Sacra Congregatione Concilii illicò dari ſolet Epiſcopo diœceſano mandatum de manutenendo in exercitio totius juriſdictionis Epiſcopalis ex ſola exiſtentia juris communis, quamdiù inferior non docuerit juriſdictionem de jure ſpeciali ad ſe pertinere, ut plenè ſcripſi *in cap. Nullus nu. 27. infrà de Paroch.* & vide quod dixi *in c. Significaſti n. 2. & ſeqq. inf. de foro compet.* Itaque inſpecta juris communis diſpoſitione inferior Prælatus, ſeu Plebanus non vendicat ſibi juriſdictionem in Eccleſia, & Capellis eidem ſubjectis, & conſequenter fruſtra quæritur, ut initio dixi. an hujuſmodi juriſdictio mortuo Prælato ſit tranſmiſſibilis in Capitulum.

39 Sed quia talibus poteſt competere juriſdictio de jure ſpeciali privilegii, ſtatuti, conſuetudinis, præſcriptionis, *c. Cum ab Eccleſiarum de offic. Ordin. dict. cap. Cum olim, & cap. Auditis de præſcript. cap. Accedentibus de exceſſ. Prælat. cum multis ſimilibus*, ideo ſuccedit quæſtio: An talis juriſdictio competens Prælato Eccleſiæ inferioris, quæ non eſt titulus Cardinalis, tranſeat in Capitulum.

Et quidem Ægid. Bellam. *hic n. 6. verſ. Sed pone*, tenet, licèt vacillando, juriſdictio ad matricem Eccleſiam, & ejus Prælatum de jure aliquo ſpeciali pertinentem Eccleſia ipſa va-
40 cante in ejus Capitulum, ſeu Collegium, non tranſire. Tum quia licèt hoc ſit expreſſum in Capitulis Cathedralium Eccleſiarum, ut *in cap. Cum olim infra eod. cum ſuis concord.* tamen in Collegiis inferiorum Eccleſiarum hoc non reperitur jure cautum, & devolutio juriſdictionis induci non debet niſi in caſibus in jure expreſſis, *c. Quamquam*, cum ibi notatis, *de elect. lib. 6.* & eo magis, quia inter hæc magna eſt rationis diverſitas: nam in Cathedrali, ſi in juriſdictione Capitulum non ſuccederet, non eſſet alius, qui poſſet huic defectui providere: ſed in matrice ſecus, quia adeſt Epiſcopus, qui adiri, & providere poteſt ad hoc quod notant 41
Archid. & Jo. Andr. *in cap. 2. de teſtam. lib. 6.* quos ſequitur Felin. *hic col. 3. poſt princ. verſ. Quarto arguitur*, decidentes Epiſcopum Sede Abbatiali vacante ſuccedere Abbati in danda licentia Monacho acceptandi executionem teſtamenti; quia ſecundùm eos Epiſcopus habet curam ſtatus Monaſterii vacante ſed, & ipſe dat adminiſtrationes in temporalibus, & ſpiritualibus. Non obſtat hæc decretalis; tum quia loquitur in Eccleſia, quæ eſt titulus Cardinalis; tum quia varios recipit intellectus; tum verò quia non apparet, quæ jura pro matrice Eccleſia hìc allegata, & producta fuerit ſecundùm Bellam. qui tamen in fine nihil decidit, ſed cogitandum relinquit. Sed huic opinioni 42
non obſcurè adhæſit Innocentius *in cap. Cum acceſſiſſent de conſtitut.* quem refert, & ſequi videtur Abb. *in c. Cum dilectus num. 9. ſuprà de conſuetud.* dicens pleroſque voluiſſe, ut mortuo Prælato inferiori, Capitulum non ſuccedat in illius juriſdictione, & idem Innoc. *hic*, & poſt eum Butr. Imol. & Domin. relati à Felin. *col. 3. poſt med. verſ. Secundo eſt deciſio*: nam ut ipſi dicunt, ſi eſt Capitulum Eccleſiæ tituli Cardinalatus, tunc Capitulum ſuccedit, niſi aliquid reperiatur exceptum, prout hìc factum fuit: & ideò ſicut Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſuccedit, *cap. Cùm olim infrà eodem*; ita ſuccedit Capitulum titulorum Cardinalium: Si autem loquimur de aliis matricibus Eccleſiis, tunc Capitulum de jure nihil ſibi vendicat vacante Eccleſia in Capellis eidem ſubjectis. Idem tenet Imola *hìc in prima columna, verſ. Sed certè*, dicens ſpeciale eſſe in titulo Cardinalis, ut juriſdictio quoad quædam tranſeat in Capitulum Sede vacante. Ergo ſecus in aliis, *l. Jus ſingulare*, 43
ff. De legib. Idem Cardin. *hìc col. 2. in 3. oppoſ. verſ. Et dicit Joan. Monachus*, ubi ait, quod hìc dicitur, quod Capitulum ſuccedit Presbytero Cardinali vacante ſede, non habere locum in alio Prælato non Epiſcopo, qui non eſt Cardinalis: & ita interpretatur reſponſum à Papa Bonifacio datum Joan. Monacho Cardinali: & pro hac opinione allegari poſſunt qui dicunt in Capitulum Sede vacante non tranſire illa, quæ competunt Prælato de jure ſpeciali, gloſſ. *in c. Scriptum in ver. Temporis*, & ibi Abb. *in 5. col. de elect.* Inn. *in c. Verum*, & ibi etiam Felin. *in princip. infrà de foro compet.* Et ideò Capitulum Paduanum non ſuccedit in poteſtate conferendi gradum Doctoratus, & Magiſterii, qui competit Epiſcopo de jure ſpeciali, ſecundùm Card. *in d. c. Verum*, 44
& Joan. de Anan. *hic nu. 3.* nec in juriſdictione dalata, ut dicam infrà *n. 54.* nec in feudali juriſdictione, ut per Joan. de Anan. *d. n. 3.* de quo plenè *in d. c. Verum*, & pro hac opinione Felin. *hic col. 3. verſ. Sed adverte*, inducit ſeptem motiva, concludens eam in puncto juris poſſe ſuſtineri; ſed non reſpondet objectis, & fatetur materiam eſſe dubitabilem; ſic tamen ſervari de conſuetudine videtur atteſtari Speculator 45
in tit. de ſtat. Monach. n. 26. verſ. Vigeſimo primo, ubi dicit Monaſterio vacante quoſdam tenere totam poteſtatem reſidere penes Capitulum; ideòque Capitulum, ſive Conventum poſſe Monachos recipere, maximè de Epiſcopi voluntate. Sed ſtatim ſubdit: contrarium tamen ſervari videmus, & benè arg. *cap. Illa, Ne Sede vacante, & c. Novit de his, quæ à Prælat. ſine conſenſ. Capit.* niſi velimus referre dictum Speculatoris ad ſolam receptionem Monachorum, quod hodie expeditum eſt *in c. fin. de regular. lib. 6.*

Contrariam opinionem, videlicet etiam in Eccleſiis inferioribus, quæ non ſunt tituli Cardinalium, mortuo Prælato juriſdictionem ad Capitulum devolvi, amplectitur Abb. *hic num. 2.* ubi poſt multa concludit, quod ubi poteſtas aliqua ratione Prælaturæ competit Prælato, eo mortuo illa poteſtas tranſit in Capitulum, exceptis his, quæ non poſſunt explicari Sede vacante, ut alienatio bonorum. Et idem firmat *in cap. Bonæ num. 12. verſ. Notabis duo de appellat.* & latiùs *in cap. Ea quæ num. 9. de ſtat. Monachorum*, Cardin. poſt Laud. in Clem. *Ne in agro, §. Abbate in 2. qu. eod. tit.* dicens mortuo Abbate totam adminiſtrationem ſpiritualem, & temporalem tranſire in Conventum, & ita ſervari de facto, idem Joan. de Imol. ibi *nu. 79. verſ.*

Sed

Sed quid de caſu mortis. Movetur Abbas primò per iſtum textum dicens non eſſe alibi ita expreſſum, ut nedum in Eccleſia Cathedrali Sede vacante ſuccedat Capitulum, ſed etiam in Eccleſia inferiori. Sed certè hic textus parum facit, quia loquitur in titulo Cardinalatus, in quo ſecun-
46 dùm Innocen. & alios præallegatos hoc eſt ſpeciale. Unde non debet extendi ad alias Eccleſias, & conſidero rationem diverſitatis; quia Cardinalis in ſuo titulo habet juriſdictionem ordinariam de jure communi, ut hìc patet, & firmatum eſt ſuprà *in* 5. *notab.* Reliqui autem Prælati Collegiatarum Eccleſiarum eam non habent niſi de jure ſpeciali, ut ſimiliter concluſum eſt ſuprà *num.* 36. Unde non mirum ſi in primo caſu tranſeat in Capitulum, non autem in ſecundo, quia quæ competunt Prælato de jure ſpeciali, in Capitulum non tranſeunt, ſed illa tantùm, quæ competunt
47 de jure communi, ut ſuprà dixi *num.* 43. Deindè movetur Abbas, quia poteſtas eſt in Eccleſia, & Dignitate, & Prælatus, & Capitulum faciunt unum corpus, ut *in cap. Ea noſcitur de his, quæ fiunt à Prælat.* meritò mortuo Prælato ſucce-
48 dit Capitulum, Sed hæc illatio non videtur concludens, niſi quando poteſtas eſt ſimultanea, ſeu communis inter Prælatum, & Capitulum, in quo caſu loquitur textus *in dict. cap. Ea noſcitur*. Tunc enim abſque dubio concedendum eſt juriſdictionem ad Capitulum devolvi, per textum *in cap. fin. de regular. lib.* 6. & facit *cap. unic. Ne Sede vacante eodem lib.* ſecundùm Felin. *hic col.* 3. *ad fin. verſ. Secundus caſus*. Secus ſi poteſtas competat ſoli Prælato, quia tunc eo mortuo, & ſic capite de medio ſublato, corpus Capituli remanet acephalum, *c. Nulla ratione* 93. *diſt.* 6. *Generalem*, in Auth. *de appellat.* Innoc. *in c. Conſtitutus de relig. domib.* unde ad illud non fit juriſdictionis devolutio, niſi ſit expreſſum in jure, prout eſt expreſſum in Capitulo tituli Cardinalatus, ut hìc & in Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ut *c. Cùm olim infrà eodem*, & pleniùs dicetur in tertio membro. Demum movetur Abbas per doctrinam Innocen. *in cap. Dilectus in princip. de conſuetud.* ubi dixit mortuo Abbate adminiſtrationem tranſire in Capitulum. Sed neque hæc doctrina videtur urgere; quia quando non quæritur de juriſdictione, ſed de adminiſtratione bonorum, concedendum eſt Conventum ſuccedere Prælato inferiori, per *cap. Ea quæ*, §. *Quod ſi Abbas de ſtat. Monachorum*, & *in dict. cap. fin. de reb. reg. lib.* 6. ſecundùm Felin. *hìc num.* 2. *col.* 3. *verſ. Primus eſt.* Verùm tamen, ut ſubdit Felin. *d. col.* 3. *ad fin.* etiam ubi juriſdictio ſpectat de jure ſpeciali ad ſolum Prælatum, communiter tenetur, ut Capitulum ſuccedat in illa, & iſta opinio ſecundùm eum ſequenda eſt, tum propter authoritatem Abbatis & eorum, quos allegat; tum propter conſuetudinem, quæ eſt optima dubiorum interpres, *c. Cùm dilectus de conſuet.* & de ipſa atteſtantur Doctores in dict. Clem. *Ne in agro*, hanc etiam opinionem communiter teneri affirmat Jo. Franc. Pavin. *in d. tr. de off.* & *poteſt. c. Sede vacan. prælud.* 6. *verſ. Septima Sedes nu.* 16. eamque ſequuta eſt Rota in Burgen. juriſdictionis 22. Junii 1611. coram Cardinali Cavalerio, quæ habetur impreſſa *in rec. par.* 1. *dec.* 346. ubi reſolvit Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ de Covarruvias, cujus Abbas juriſdictionem habet quaſi Epiſcopalem cum territorio ſeparato, Sede Abbatiali vacante ſuccedere in juriſdictionalibus, & in ſpecie in jure viſitandi, ſicut Capitulum Eccleſiæ Cathedralis.

49 In tertio membro principali, ideſt in Capitulo Eccleſiæ Cathedralis conſtituenda eſt regula affirmativa, videlicet mortuo Epiſcopo juriſdictionem Epiſcopalem ad Capitulum devolvi, ut probant jura in *cap. Cum olim infrà eod. cap. Ad abolendam infrà de hæret. cap. unic. infrà hoc tit. lib.* 6 *cap.* 1. *de inſtitut. eod. lib.* Clem. 1. *de hæret.* & firmant hìc Innoc. *num.* 2. Abb. Antiq. *in princ.* Hoſtienſ. *num.* 3. Bald. *num.* 1 & reliqui omnes, & quamvis nonnulli conſtituant contrariam regulam negativam, videlicet, juriſdictionem vacante Epiſcopatu non devolvi ad Capitulum, niſi in caſibus in jure expreſſis: tamen contrarium tenent omnes, ut dixi *in dict. cap. Cùm olim in* 1. *notab.* Quare Capitulum Sede Epiſcopali vacante poteſt judicare, abſolvere, excommunicare, ut *cap. unic. infrà eod. lib.* 6. *gloſſ. fin.* & omnes hìc, non tamen poteſt anathematizare, ideſt excommunicare cum ſolemnitate, de qua *in cap. Debent* 11. *quæſt.* 3. & eſt commu-
50 nis opinio, ut hìc teſtatur Joan. de Anan. *n.* 2. Item poteſt viſitare, & procurationes recipere, ut cenſuit Rota in cauſa Burgen. Procurationis 10. Martii 1597. coram Orano, quæ refertur in præalleg. *dec.* 346. *num.* 2. *par.* 1. *recent.* per doctrinam Archid. *in cap. Si Epiſcopus nu.* 2. *de ſupplen. negligen. Prælator. lib.* 6. & Collecta. *in dict. cap. Cum olim. num.* 3. *infrà eod. cum aliis tunc allegat.* Item poteſt de delictis etiam 51
extra viſitationem contra certas perſonas inquirere, ut dixit Rota in dicta cauſa Burgen. juriſdictionis, & *deciſ.* 166. *num.* 2. *par.* 3. *recent.* per doctrinam Vitalini in Clemen. 1. *nu.* 177. *de hæret.* & Feder. de Sen. *conſ.* 16. incipien. *Capitulum Eccleſiæ Cathedralis nu.* 1. *in fin.* ubi dicit in puniendis criminibus, & exceſſibus, & reformandis moribus Capitulum id poſſe Sede vacante, quod poteſt Epiſcopus. Item poteſt 52
ſyndicare Fiſcalem Epiſcopi prædefuncti, ut reſolvit Rota in præcitata *deciſ.* 166. *per totam.* Item poteſt ſtatuta conde- 53
re, non tamen duratura in tempus Succeſſoris, de quo dic plenè, ut per Federic. de Sen. *dict. conſ.* 16. & generaliter poteſt omnia exercere, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis, ut notant omnes hìc, & *in d. c. Cum olim*, maximè Abbas *circa fin.* Rota *deciſ.* 166. *nu.* 1. *par.* 3. & *deciſ.* 632. *n.* 4. *par.* 2. *recent.*

Excipe primò à prædicta regula juriſdictionem Epiſcopo 54
competentem non jure ſuo ordinario, ſed jure delegato, quæ vacante Epiſcopatu in Capitulum non tranſit, etiamſi competat Epiſcopo ex generali delegatione Sedis Apoſtolicæ, ut ſentit Innoc. *in cap. Ad abolendam num.* 1. *verſ. Item Epiſcopus*, & *Capitulum*, & apertiùs ibi Jo. Andr. *ſuper ult. gloſſ. infrà de hæred.* Feder. de Sen. *conſ.* 30. incipien. *An Capitulum poſt princ. verſ. Suo jure igitur dixi.* Et quamvis multi contradicant; tamen hanc partem tuentur, & veriorem eſſe oſtendunt Card. in Clem. 1. *qu.* 8. *de hæret.* & Abb. *in d. cap. Cùm olim num.* 2. *verſ. Quinto dubitatur*, & communem 55
eſſe, & tenendam atteſtatur Franc. *in cap. unic. num.* 6. *infrà eod. lib.* 6. Ex quo notabiliter infero, ut poteſtas à Concilio 56
Tridentino Epiſcopis attributa tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis defuncto Epiſcopo in Capitulum non tranſeat. Secus ſi competat illis utroque jure, ſcilicet Ordinario, & Delegato, veluti ſi Concilium det illis facultatem procedendi etiam authoritate Apoſtolica. Ideòque S. Congregatio cenſuit facultatem transferendi beneficia ſimplicia ab Eccleſiis collapſis competentem Epiſcopo ex *c.* 7. *ſeſſ.* 21. tranſire in Vicarium Capituli Sede vacante, quippè decretum illud non dicit ſimpliciter authoritate Apoſtolica, ſed addita particula, *etiam*, quæ eſt implicativa juriſdictionis ordinariæ, ut fuſiùs dixi *in cap. Ad audientiam, il primo num.* 46. *infrà de Eccleſ. ædifican.* Quod nota propter ea, quæ de Cardinalibus in ſuis titulis dicta ſunt ſuprà *n.* 16. & quid in juriſdictione voluntaria, vide Rotam in præallegata *deciſ.* 166. *num.* 5. *par.* 3. *recent.*

Excipe ſecundò à prædicta regula collationem beneficio- 57
rum, in qua Capitulum non ſuccedit Sede Epiſcopali vacante, *cap. Illa infrà ne Sede vacante*, & *dict. cap.* 1. *de inſtitut. lib.* 6. Hoſt. *hìc num.* 4. *verſ. Beneficia tamen*, Card. *nu.* 2. & conſentiunt omnes, licèt poſſit præſentationes admittere, & inſtituere, ut patet *in d. c.* 1. & hìc notant Jo. Andr. *n.* 10. *verſ. In gloſſa*, & ibi conferendi, & Card. *d. n.* 2.

Excipe tertiò à prædicta regula alienationem bonorum, 58
quam Capitulum facere non poteſt vacante Epiſcopatu, *c. Si qua de rebus* 22. *q.* 2. gloſſ. 1. *in cap. Si quis Epiſcopatus* 10. *qu.* 2. gloſſ. *ult. in d. c. Cùm olim*, & ibi Butr. *num.* 16. *infrà eod.* Quid autem in caſu magnæ neceſſitatis, notant Hugo, & Joannes *in d. c. Si qua de rebus in gloſſ.* 2.

Excipe quartò, licentiam tranſeundi ad aliam Eccle- 59
ſiam, quam Capitulum Clerico impertiri non poteſt Sede vacante, *cap. Presbyteri* 24. *diſt. cap. Fraternitatem* 71. *diſt.* Et eſt ratio, quia ibi eſt quædam alienatio perſonæ, ſed Capitulus ſine conſenſu Prælati bona Eccleſiæ alienare non poteſt, *dict. cap. Si qua de rebus*. Major autem eſt alienatio perſonæ, quàm rerum, *cap. Præcipimus* 12. *q.* 1. quam rationem aſſignat gloſſ. 2. *in dict. cap. Fraternitatem*, item gloſſ. *ult. in dict. cap. Cùm olim*, & ibi etiam Hoſtien. *num.* 1. Butr. *num.* 16. & alii communiter.

Excipe quintò, ordinandi licentiam, & litteras dimiſ- 60
ſorias, quas Capitulum Sede vacante infra annum à die vacationis concedere non poteſt, niſi arctatis ratione beneficii recepti, vel recipiendi; alioquin Capitulum, & ſic ordinati incidunt in pœnas à Tridentino Concilio ſtatutas *in cap.* 10. *ſeſſ.* 7. Quod decretum intelligitur de Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ut idemmet Concilium poſteà declaravit ſub Pio IV. *in cap.* 10. *ſeſſ.* 23. & modificatur diſpoſitio *cap. Cùm nullus de tempor. ordin. lib.* 6. Solùm autem 61
Ca-

Capitulum ex S. Congregationis ſententia, quibus caſibus poteſt dimiſſorias concedere, poteſt ordinum interſtitia remittere, non item Capituli Vicarius, niſi ex mandato ſpeciali.

62 Sed hic incipit dubitatio, an Epiſcopo exiſtente hæretico facultas concedendi dimiſſorias juxta *dict. cap.* 10. *ſeſſ.* 7. pertineat ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ; Anve eo caſu, quo Capitulum concedere poteſt dimiſſorias, ſi Canonici propter hæreſes diſperſi ſint, & nequeant convenire, aut conveniri ſine difficultate, ſufficiat habere litteras dimiſſorias ab uno aliquo ex Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, aut omninò ſine dimiſſoriis adire pro ſuſcipiendis Ordinibus viciniorem Epiſcopum. Die 14. Januarii 1588. Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Inter-
63 pretum. Ad primum cenſuit ad Capitulum pertinere ſi Epiſcopus ſit notoriè hæreticus. Ad ſecundam, & primam ejus partem ſufficere habere dimiſſorias à reſidentibus Capitularibus, etiam ſi unus dumtaxat reſideret; quia jus Capituli etiam in uno conſervatur, gloſſ. *penult. in c. Gratum*, ubi Abb. *n. 9. de poſtulat. Prælator.* Ad ſecundam partem, neque adeundum viciniorem Epiſcopum, neque Metropolitanum, ſed adeundam Sedem Apoſtolicam.

64 Excipe ſextò, à prædicta regula ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, quæ mortuo Epiſcopo ad Capitulum non devolvuntur, ſed ſecundùm aliquos ad proximum ſuperiorem, ſcilicet Archiepiſcopum, vel Patriarcham, qui vel ea expediet per ſeipſum, vel Viſitatorem conſtituet, per quem expediantur, *cap. Obitum, & cap. Catinenſis 61. diſt.* & hoc reſidet Innoc. *hic num.* 2. qui tamen remittit *ad cap. Ad abolendam infrà de hæred.* Verùm gloſſ. *ult. hic*, dicit ea, quæ miniſterium conſecrationis deſiderant, ad Capitulum devolvi, non quidem ut illa exerceat per ſeipſum, quia nec per minorem expediri poſſunt, *cap. Aqua infrà de conſecrat. Eccleſ. vel Altar. cap. Quanto ſuprà de conſuetud.* Sed ad illa expedienda vocabit quem maluerit ex vicinis Epiſcopis cum cautelæ ſtudio, id eſt, cum proteſtatione, quod per hoc nihil juris illi Epiſcopo acquiratur, *cap. Pontifices*, & ibi gloſſ. *ult.* 7. q. 1. Et hoc dictum gloſſæ probare videntur Hoſtien. *num.* 4. Joan. Andr. *num.* 10. Butr. *num.* 14. & dicunt eſſe verius Card. *num.* 1. *in* 2. *oppoſit.* & Abb. *nu.* 3. & clarè probatur *in c. Cum nullus de tempor. ordin. lib.* 6. ubi expreſſum eſt Capitulum Sede vacante poſſe dare licentiam ordinandi. Facit text. *in cap. Suffraganeis de elect.* ubi electus in Archiepiſcopum, & confirmatus, licèt pallium non receperit, poteſt ſuum Suffraganeum non per ſe ipſum, ſed per alios Suffraganeos conſecrare, licèt licentiam dare non poſſit, ut ſubditi ſui ab alio Epiſcopo ordinentur, ſecundùm Abb. *ubi ſuprà*, & ita in hoc jus pinguius habet Capitulum, quàm confirmatus, ut in *d. c. Cum nul-*
65 *lus*. Item facit gloſſ. *ult. in c. Dilectus ſuprà de offic. ordinar.* dum aſſerit collationem Ordinum, & Sacramentorum eſſe de lege juriſdictionis. Et quamvis Innocent. ibi dicat hoc videri mirabile dictum; id tamen probat *cap. Interdicimus* 16. q. 1. ſecundùm Joan. Andr. *ibidem num.* 11. Nec placet diſtinctio, quam hìc facit Joan. de Imol. *nu.* 3. *in gloſſ. fin. verſ. Potes dicere*: videlicet quod Capitulum Sede vacante poſſit per alium expedire ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis negligente Superiore, aliàs ſecus: quoniam hæc diſtinctio jure non probatur, & videtur contra prædictam Decretalem, *cum nullus*, quæ hoc jus tribuit Capitulo principaliter, non autem jure devoluto ob negligentiam Superioris. Aliæ exceptiones ad regulam ſupraſcriptam haberi poſſunt ex Joan. Andr. *in cap. unic. infra hoc tit. lib.* 6. Materia enim eget declaratione, & multa ſunt, quæ in Capitulum non tranſeunt, ut ibi per eum, & fuſiùs per Joan. Franciſcum Pavinum *in ſuo tract. de poteſtat. & offic. cap. Sede vac.*

66 Cæterùm etſi jure communi inſpecto vacante Epiſcopatu Capitulum non arctetur ad conſtituendum Vicarium, ſed poſſit juriſdictionem ad ſe devolutam per ſeipſum exercere, ut notat Abb. *in c. Irrefragabili n.* 2. *ſuprà de offic. Ordinar.* & Felin. *in c. Cum olim n.* 9. *infrà eodem*.

67 Hodie tamen ſervari debet jus noviſſimum Concilii Tridentini *in cap.* 16. *ſeſſ.* 24. quo ſtatutum eſt, ut Capitulum teneatur infrà octo dies poſt mortem Epiſcopi Officialem, ſeu Vicarium conſtituere, vel exiſtentem confirmare, qui ſaltem in jure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus. Alioquin ad Metropolitanum deputatio hujuſmodi devolvatur. Et ſi Eccleſia ipſa Metropolitana fuerit, ad antiquiorem Suffraganeum; & ſi exempta, ad propinquiorem Epiſcopum.

Circa hoc decretum animadvertendum eſt primò, 68
quod etſi jure communi Capitulum Sede vacante deputare poſſit duos Officiales, ſeu Vicarios, ut probat text. *in c. unic.* ibi unum, vel duos, *de Cleric. ægrotan. lib.* 6. & per illum textum firmat Joan. Franc. Pavin. *dict. tract. de offic. & poteſt. Capit. Sede vacan. par.* 2. *q.* 10. *n.* 6. tamen poſt Concilium ita demum poſſit duos conſtituere, ſi ita ſe habeat immemorabilis conſuetudo, ut fuit ſæpiùs reſolutum: & in ſpecie cum Capitulum Tarentinum conſuetum à tempore immemorabili Sede vacante duos eligere petiiſſet declarari, numquid poſt Concilium idem ei liceret: Sacra Congregatio Concilii cenſuit unum tantùm Vicarium eligi poſſe, ex quo Concilium *ſeſſ.* 24. *cap.* 16. injungit Capitulo, ut deputet Sede vacante Oeconomum unum, vel plures, & eligat Officialem, ſeu Vicarium. & ita ubi facit mentionem de Vicarii electione, non repetit illam dictionem, *plures*. Verumtamen cùm allegetur immemorabilis, agendum cum Sanctiſſimo, an eam velit ſublatam. Sanctiſſimus reſpondit conſuetudinem immemorabilem, ſi legitimè probetur, non eſſe ſublatam à Concilio; ideòque permittendum eſſe, ut juxta eam duo Vicarii eligantur; cum illis tamen qualitatibus, quas ipſum Concilium requirit: Unde poſteà in cauſa Panormitana propoſito dubio: An Capitulum Sede vacante duos Vicarios conſtituere poſſit, ut alternis menſibus Vicariatus munere fungantur, præſertim ſi ita ab immemorabili tempore conſueverit: die 20. Junii 1589. S. Congregatio cenſuit, ſi legitimè probetur conſuetudo immemorabilis deligendi hujuſmodi Vicarios, poſſe utique Capitulum in ea perſeverare, cum tamen prædìti ſint illis qualitatibus, quas Tridentinum Concilium requirit *cap.* 16. *ſeſſ.* 24.

Animadvertendum ſecundò, Vicarium poſſe ad nutum 69
Capituli amoveri, & ad tempus conſtitui ex ipſius Congregationis ſententia: nam conſulta, an Capitulum poſſit ad ejus libitum revocare Vicarium aliàs ab ipſo Sede vacante electum, & confirmatum: reſpondit poſſe, dum intra octo dies alium conſtituat. De jure communi ſimi- 70
liter Vicarius datus per Capitulum Sede vacante ad certum tempus, etiam ante tempus revocari poteſt: & ita Jo. Andr. *in c. Tua de offic. Vicar.* refert ſe Paduæ conſuluiſſe per *c. fin. de precar. & l. Judicium ſolvitur, ff. De Judic.* Ita etiam ſe conſultum vidiſſe per Anton. de Roſellis in cauſa Tarviſina atteſtatur Joan. Franciſ. Pavin *d. q.* 2. *n.* 7. Quod procedit etiamſi juraſſet non revocare: quia licèt revocan- 71
tes ſine cauſa ſint perjuri, tamen tenet revocatio per jura præallegata, ſecundùm eos. Verumtamen Sac. Congregatio Epiſcoporum (ut credimus, pro bono Eccleſiarum regimine) decrevit Capitulum non poſſe eligere Vicarium ad tempus determinatum, ſed debere eum eligere pro toto tempore vacationis, nec poſſe eum revocare niſi ex cauſa à Sacra Congregatione approbanda: & juriſdictionem ei totum conferre teneri non cumulativè, ſed privativè. Similiter reſponſum eſt à Sacra Congregatione Con- 72
cilii in ipſa Vicarii deputatione Capitulum poſſe præfinire tempus, quo elapſo ejus juriſdictio expiret. Hoc ipſum poterat de jure communi, arg. *cap. De cauſis ſuprà de offic. Deleg.* & not. Joan. Andr. *in d. c. Tua*, & Pavin. *loc. cit.*

Animadvertendum tertiò, juriſdictionem vacante E- 73
piſcopatu principaliter reſidere penes Capitulum, ut per Pavin. *ubi ſuprà*. Exercitium verò penes Vicarium ab eo 74
deputatum. Unde cenſuit S. Congregatio Concilii ſubſtitutionem faciendam propter abſentiam Vicarii, vel aliorum Officialium ſpectare ad ipſos Officiales, & non ad Capitulum. Item Capitulum abſque Vicario non poſſe 75
Viſitatorem eligere ad viſitandam diœceſim, refert deciſum Nicol. Garz. *de benef. par.* 5. *cap.* 7. *nu.* 23. *declarat.* 7. Quod nota propter ea, quæ dicta ſunt ſuprà *num.* 50. Orta 76
tamen dubitatione, an Capitulum poſſit eligere arbitros ad cognoſcendum de cauſis ſuſpicionum, quæ contra Vicarium ab eo Sede vacante deputatum proponuntur; Reſponſum eſt, non poſſe Capitulum eligere arbitros, ſed poſſe per ſeipſum cognoſcere de cauſis ſuſpicionum.

Animadvertendum ultimò, diſpoſitionem Concilii 77
Tridentini *in dict. cap.* 16. procedere in Capitulo Cathedralis, & Metropolitanæ Eccleſiæ dumtaxat, ut patet ex illius contextu, & declaravit S. Congregatio ejuſdem Con-

Concilii interpres: nam propoſito dubio, An decretum Concilii *in cap. 16. ſeſſ. 24.* quod Capitulum Sede vacante conſtituere debeat Vicarium, qui ſaltem in jure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, locum habeat etiam in Collegiata, defuncto ejus Prælato, qui ordinariam juriſdictionem, & omnia jura Epiſcopalia habeat. Sac. Congregatio cenſuit non habere locum. Quamobrem in Capitulis Titulorum Cardinalium, & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum tamquam omiſſis a Concilio ſervanda diſpoſitio juris communis, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *in 1. & 2. memb. num. 32. & num. 39. l. Commodiſſime, ff. De liber. & poſthum.* nam quod non mutatur, &c. *l. Sancimus, C. de teſtam. cum vulgar. gloſſ. in cap. Conſtitutionem in ver. Prorogamus in fin. de regul. jur. lib. 6.*

DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA.

Gregorius IX. Priori Fratrum Prædicatorum, & Archidiacono Rhegin.

CAPUT XIV.

Cum olim: cauſa & infrà. Quocirca mandamus, quatenus, licèt Conventus Monaſterii ſancti Salvatoris Meſſan. ſint ipſo jure hac vice eligendi poteſtate privati; de gratia tamen eligendi, ſeu poſtulandi detis ipſis auctoritate noſtra liberam facultatem; Mandantes eiſdem, ut, cùm Eccleſia Meſſan. vacet ad præſens, electionem ſuam confirmandam, prout de jure fuerit, vel etiam infirmandam, præſentent Capitulo Meſſan.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum vacante Epiſcopatu confirmat electiones ab Epiſcopo confirmandas.*
2 *Juriſdictio Epiſcopi ſede vacante ad Capitulum devolvitur.*
3 *Cardinalium Collegium an ſuccedat in juriſdictione Papali Sede vacante, & n. ſeqq. uſque ad n. 63.*
4 *Quid inſpecto tempore ante Decretalem, ubi periculum, de elect. lib. 6.*
Et quid poſt dictam Decretalem uſque ad tempus Clementis; Ne Romani, de elect. num. 38.
Et quid poſt dictam Clem. uſque ad tempus Conſtitutionis, num. 59.
5 *Cardinales quam juriſdictionem habeant ſede vacante ex ſententia veterum Canoniſtarum.*
6 *Papa mortuo plenitudo poteſtatis eſt penes Romanam Eccleſiam.*
7 *Dormitat tamen quouſque creatur Papa.*
8 *Juriſdictionem multoties habet quis habitu, licèt non actu, & num. 39.*
9 *Cardinalium Collegium Sede vacante habet exercitium juriſdictionis Papæ in his tantùm, quæ ſunt neceſſaria, vel utilia Eccleſiæ, ſeu Reipublicæ Chriſtianæ ex ſententia Hoſtienſis, & num. 17.*
Declaratur, num. 26.
10 *Cardinales Sede vacante olim utebantur juriſdictione Papali ex conſuetudine, & num. 36. Hodie ſecus, num. 37.*
11 *Cardinales Epiſcopi Romano Pontifice obeunte funguntur vice Metropolitani.*
Intellectus cap. In nomine Domini 23. diſt. *ibidem, & num. ſeqq.*
12 *Papa eſt Metropolitanus Romanæ Eccleſiæ.*
13 *Cardinales ſede vacante poſſunt anathematizare, & num. 51.*
14 *Anathema eſt mucro Epiſcopalis, & major pœna, quæ ſit in Eccleſia Dei.*
15 *Cardinales ſede vacante non ſunt ſine capite, & num. ſeqq.*
16 *Romanæ Eccleſiæ vacantis Paſtor, Sponſus, & Caput inviſibile eſt Chriſtus, & num. 24.*
18 *Cardinalium cœtus ante Concilium Lugdunen. habebat in habitu ſede vacante plenitudinem poteſtatis Papæ, & num. 21.*
Contrarium, num. 22.
19 *Cardinales ſede vacante nullam habent juriſdictionem in his, quæ ratione excellentiæ, & dignitatis Papæ tantùm ſunt reſervata, & num. 31.*
20 *Cardinalium Collegium ſede vacante ad minus eam habet juriſdictionem in Eccleſia univerſali, quam habet Legatus Apoſtolicæ Sedis, & num. 28.*
Contrarium, numer. 29.
32 *Romana Eccleſia mortuo Papa dicitur acephala, & viduata.*
Declaratur, num. 24. & 25.
23 *Papa ſolus eſt caput viſibile Eccleſiæ.*
27 *Cardinalis Hoſtienſis conſilium circa clauſuram Conclavis, & cibaria, Cardinalibus ſubtrahenda.*
29 *Legatus de Latere confert beneficia intra ſuam legationem vacantia.*
30 *Cardinalium Collegium ſede vacante beneficia conferre non poteſt, ſicut nec inferiora Collegia, & num. 34.*
32 *Cardinales ſede vacante, nec poſſunt Epiſcopos creare, nec confirmare, nec deponere.*
33 *Cardinales ſede vacante, quamvis poſſit Papam eligere, non tamen poſſunt Cardinales creare, & num. ſeqq.*
34 *Capitulum ſede vacante non confert beneficia ad ſolius Epiſcopi collationem ſpectantia.*
35 *Cardinalium cœtus ſede vacante, an poſſit Cardinales per Papam privatos rehabilitare ſaltem quoad vocem.*
37 *Decretum irritans tollit contrariam conſuetudinem tàm præteritam, quàm futuram.*
38 *Cardinales ſede vacante non poſſunt ſe de alio negotio intromittere, quàm electionis Papæ.*
Fallit, num. 40. & 61.
39 *Cardinalibus per cap.* Ubi periculum, de elect. lib. 6. *non admittitur juriſdictio ſede vacante, ſed juriſdictionis exercitium.*
Secus ex Clemen. Ne Romani, de elect. ex Bulla Pii IV. num. 53. num. 59.
41 *Cardinalium cœtus mortuo Papa pro Terra Eccleſiæ defendendæ, vel evidenti periculo poteſt mittere unum Cardinalem.*
42 *Qui tamen non erit propriè Legatus cum juriſdictione, ſed Nuncius ad illum actum.*
Nec mitti poterit niſi volens, num. 44.
Legatos mittere pertinet ad ſolum Papam de Cardinalium conſilio, num. 42. & 46.
43 *Cardinalium cœtus poteſt mittere unum Cardinalem Legatum ad Papam electum in abſentia.*
45 *Item poteſt Legatum miſſum à Papa revocare ex magna & evidenti cauſa: Aliàs ſecus.*
47 *Cardinalium cœtus an poſſit Cardinalibus nuper creatis inſignia Cardinalatus tradere, & os aperiri ſede vacante, & num. ſeqq.*
48 *Anve aperitio oris ad ſubſtantiam electionis pertineat.*
49 *Et an poſſit ad effectum electionis faciendæ Cardinalis à cenſuris abſolvere, & cum eis ſuper irregularitate diſpenſare.*
50 *Cardinalium Collegium duobus de Papatu contendentibus,*

bus, aut electione ſimoniacè celebrata, poteſt generale Concilium indicere, & convocare.

51 *Item poteſt intruſum in Papatu anathematizare.*

52 *Non tamen eſt judex intruſi, niſi deviaret à fide.*

53 *Decretum irritans operatur, ut quidquid contra fit, irritum ſit ipſo jure.*

54 *Et inficit titulum, & poſſeſſionem.*

55 *Cardinalium Collegium eſt deterioris conditionis, quàm ſint inferiora Collegia, in qua tranſit juriſdictio ſede vacante.*

56 *Et quæ ſit ratio differentiæ.*

57 *Capitulum ſede vacante poteſt ſtatuta condere: Collegium Cardinalium ſecus.*

58 *Camerarii, & Pœnitentiariorum Papæ officium mortuo Papa non expirat; iiſque deficientibus poteſt Collegium Apoſtolicum alios ſubrogare pro tempore vacationis.*

60 *Habere propriè eſt jure dominii poſſidere.*

61 *Bulla Pii IV. in quo immutaverit jura antiqua quoad juriſdictionem Cardinalium ſede vacante in caſibus urgentis neceſſitatis, & imminentis periculi.*

62 *Et quid ſtatuerit de illorum authoritate circa ſtatum temporalem Romanæ Eccleſiæ, remiſſivè.*

63 *Congregationum Cardinalium juriſdictio an expiret, vel ſit ſuſpenſa Apoſtolica ſede vacante, & num. ſeqq. uſque in finem.*

64 *Congregationum quindecim à Sixto V. inſtitutarum juriſdictio eſt ordinaria, & num. ſeqq.*

65 *Juriſdictio, quæ defertur à lege, vel ſtatuto, & ad univerſitatem cauſarum, vel unum negotium univerſale, ordinaria eſt.*

66 *Etiamſi inter plures judices ſit partita.*

67 *Juriſdictio ordinaria mortuo Papa non expirat, & nu. ſeqq. uſque ad num. 72.*

Legati Apoſtolici officium non expirat per obitum Papæ ibibem.

68 *Cardinalium juriſdictio in ſuis titulis Apoſtolica ſede vacante non extinguitur.*

Declaratur, num. 84.

69 *Vicarii Papæ ad vitam deputati officium durat ſede vacante, cum ejus juriſdictio ſit ordinaria.*

70 *Auditor Cameræ, & Mareſcallus habent ordinariam, quæ per obitum Papæ non expirat.*

71 *Auditorum Rotæ juriſdictio eſt ordinaria in procedendo ſed delegata ſententiando.*

72 *Congregationum à Sixto V. inſtitutarum facultates ſunt perpetuæ, & durant etiam in tempus Pontificium ſucceſſorum.*

73 *Congregationum Cardinalium juriſdictio non includitur in prohibitione Clem. Ne Romani, de elect. nec Bullæ Pii IV. circa juriſdictionem Collegii Apoſtolici ſede vacante.*

74 *In juriſdictione univerſali conceſſa, vel abdicata non includitur juriſdictio alteri ſpecialiter attributa.*

75 *Signaturæ Cardinales, & Prælati ſede vacante ſupplicationes, vel commiſſiones ſignare non valent.*

76 *Congregationum Cardinalium facultates creato novo Pontifice non conſueverunt renovari.*

77 *Juriſdictio ſemel extincta, etiam cauſa extinctionis ceſſante, non reviviſcit.*

78 *Congregationum juriſdictio Cardinalibus in conclavi manentibus debet conquieſcere quoad negotia, quæ in Congregatione expediuntur per ſubſcriptionem Cardinalis Præfecti.*

Secus ſi manerent extra, num. 81.

79 *Cardinales vacante ſede, nec in arduis poſſunt ſe immiſcere, niſi pro terra Eccleſiæ defendenda, & grandi periculo imminenti.*

80 *Ad Cardinales in conclavi non licet mittere Nuncium, vel ſcripturam, nec cum eis loqui etiam publicè, & palam: non tamen excommunicantur niſi qui hæc faciunt ſecretè.*

82 *Pœnitentiarius Major in conclavi non poteſt perſonaliter officium exercere, niſi quoad eos, qui in eodem conclavi exiſtunt. Secus ſi maneat extra conclave, & n. 85.*

83 *Congregationum negotia, quæ in communi forma à ſolo Secretario expediri ſolent, ſimiliter expediri poſſunt ſede vacante.*

84 *Cardinales in conclavi exiſtentes poſſunt in ſuis titulis juriſdictionem exercere non perſonaliter, ſed per ſuos miniſtros.*

CUm olim. Vacante Epiſcopatu, Capitulum confir- 1
mat electiones ab Epiſcopo confirmandas. Hoc dicit, dividitur in duas partes. In prima providet circa electionem faciendam. In ſecunda circa confirmationem, ibi, *Mandantes*.

Nota ex Decretali regulam affirmativam, quod pote- 2
ſtas, ſeu juriſdictio Epiſcopi Sede vacante ad Capitulum devolvitur, concordat *cap. His quæ ſuprà eod. c. Ad abolendam infrà de hæret. cap. unic. infrà hoc tit. lib. 6. & eodem lib. cap. 3. de tempor. ordinat. c. 3. & 4. de ſupplen. neglig. Prælat. cap. 1. de inſtitut.* & Clem. 1. & quod ibi notatur *de hæret.* Et ita hanc regulam ex hoc textu colligit gloſſa ſecunda, & Hoſtienſ. *num. 2. in ver. Præſentent*, Innocen. *in d. cap. His quæ num. 2.* cum quo cæteri tranſeunt, Feder. de Sen. *conſ.* 16. incipien. *Capitulum Eccleſiæ Cathedralis num.* 2. & paſſim alii: Et quamvis nonnulli, videlicet Vincent. *hìc*, Roffred. Benevent. *in libello tit. Ne ſede vacante ad fin.* Hoſtienſ. *in Summa eodem tit.* §. 3. & Archid. *in cap. 1. de major. & obed. lib. 6. & in c. 1. de inſtit. eodem lib.* conſtituant in hac materia contrariam regulam negativam, id eſt, juriſdictionem mortuo Epiſcopo ad Capitulum non devolvi, niſi in quantum invenitur permiſſum, vel ex indulgentia ſpeciali, ut in *c. Ex parte ſuprà de reſcript.* vel ex conſuetudine præſcripta, ut *in c. Irrefragabili de offic. Ordinar.* & in cauſa hæreſis, ut *in d. c. Ad abolendam de hæret.* aſſerentes quod hìc dicitur de confirmatione electionis eſſe intelligendum ex gratia, tamen communiter omnes contra tenent, ut hìc teſtantur Jo. And. *nu.* 5. Butr. *nu.* 15. Card. *in* 8. *q.* Abb. *nu.* 2. *verſ. Sed communiter.* Et hanc partem latiſſimè comprobat, & ab objectis tuetur Jo. Franciſ. Pavin. *in tract. de offic. & poteſt. Capituli Sed vacante in 1. q. primæ partis principalis à n.* 3.

Verùm hodie in Capitulis Cathedralium Eccleſiarum ſede Epiſcopali vacante ſervari debet diſpoſitio Tridentini Concilii *in c.* 16. *ſeſſ.* 24. ut ſcripſi latè in prædicta Decretali, *his quæ ſuprà eodem*.

QUÆRO, Quid in Collegio Cardinalium, numquid 3
Romana Eccleſia vacante ſuccedat in juriſdictone Papali: Joan. Andr. movet hanc quæſtionem hic in gloſſ. 2. *n.* 8. & dicit de hoc notari *in c. Nullus, il ſecondo 79. diſt.* plenius *in c. unic. de ſchiſmat. lib. 6.* & hodie hoc eſſe expeditum per Conſtitutionem Clementis in Clem. *Ne Romani, de elect.* ſed quia hæc quæſtio graves, & multiplices implicat difficultates; pro clariori ſolutione exiſtimo quatuor tempora eſſe diſtinguenda.

Primum tempus eſt ante Conſtitutionem Gregorii X. 4
editam in Concilio Lugdunenſi, ac relatam *in cap. Ubi periculum, de elect. lib. 6.* & hoc tempore inſpecto regula conſtituebatur affirmativa, videlicet Romana Eccleſia vacante ad cœtum Cardinalium juriſdictionem devolvi. Unde 5
veteres Canoniſtæ quotquot ſcripſerunt ante Bonifacianam compilationem ſexti libri Decretalium, juriſdictionem tribuerunt Collegio Cardinalium, non tamen uniformiter. Nam Hugo *in d. c. Nullus 79. diſt.* dixit, cœtum Cardinalium in multis cenſeri vice capitis, Jo. ibidèm in gloſſ. *unic.* dixit Cardinales ſupplere defectum mortui Papæ, arg. *c. Si quis ead. diſt.* Idem dixit ibi Bernard. ſubdens hoc meliùs probari *in c. His quæ ſuprà eodem*, & in hac Decretali: quæ jura cùm probent juriſdictionem Epiſcopalem mortuo Epiſcopo devolvi ad Capitulum, ad eum modum videtur Bernardus ſenſiſſe, juriſdictionem Papalem mortuo Papa devolvi ad Collegium Cardinalium, quod poſteà clarè dixit Bart. *in l. Ubi ſunt num* 3. *ff. de tutor & curator. dat.* ab his ſimiliter Laur. *in eod. cap. Nullus*, aſſeruit tempore vacationis Cardinales obtinere vicem Curiæ, ut *l. Nominationum, ff. de Decurion.* ſed Matth. relatus à Cardinali in Clem. *Ne Romani, §. Irritum num.* 4. *de elect.* dicebat mortuo Papa Cardinales fungi vice Archiepiſcoporum ſi ſint Cardinales Epiſcopi, & cæteros non Epiſcopos fungi vice Epiſcoporum. Ad hoc *cap. In Nomine Domini* 23. *diſtin.* ſtrictius locutus fuit Joan. Fan. ait enim eo tempore Cardinales non poſſe ſe immiſcere niſi in confirmatione, & excommunicatione juxta text. *in d. c. Si quis 79. diſtin.* ut refert Gemin. *in d. c. Nullus num.* 1. ſimiliter Archidiaconus *in c. unic. nu.* 1. *de ſchiſm. lib. 6.* colligit ex eo textu, quòd Car-

Cardinales ſede vacante poſſent abſolvere excommunica-
6 tos à Papa niſi obſtaret illa prohibitio. Quod etiam innuit
gloſſ. ibi *in ver. Sede vacante in princ.*& Gemin.*in ead.gloſ.
circa finem*. Verùm Hoſt. hunc articulum prolixius tra-
ctans *in cap.Cum ex eo num.*21.*infra de pœnit.& remiſſ.*pri-
mum aſſerit, Pontifice vita functo plenitudinem poteſtatis
reſidere penes Romanam Eccleſiam, quæ mori non poteſt,
cap.Liberi 12.*qu.*2. nec unquam poteſt eſſe nulla, *c. Puden-
7 da* 24.*qu.* 1. Deindè ſubdit eam juriſdictionem dormitare,
donec creetur caput, cui illa competit, arg. text.opt.in *l.
8 penult.ad fin. C. de curat. furioſ*. Multoties enim habet quis
juriſdictionem habitu, ſed non actu, & exercitio, ut *c.Pa-
9 ſtoralis ad fin. ſupra de reſcript*. Poſtmodum *n.*24.in propo-
ſita quæſtione firmat,Romana Eccleſia vacante Collegium
Cardinalium habere juriſdictionem Papæ, & illius exerci-
tium ſaltem in his,in quibus de grandi neceſſitate,evidenti
& imminenti provideri oportet. Movetur primò, quia alia
inferiora Collegia hoc habent, ut ad ea devolvatur juriſdi-
ctio Sede vacante,ut *hic,& in concord.ſupra citatis in* 1.*no-
10 tab.*Movetur ſecundò,quia Cardinalium cœtus hac juriſdi-
ctione utitur ex conſuetudine, arg. *c.Venerabilem*, §. *Obje-
ctioni,verſ.Quod autem ſupra de elect.& c.Quanto in primo reſ-
ponſo ad fin.de transl. Epiſc. c. Irrefragabili*,§.*Exceſſus*,&
quod ibi notatur *de offic.Ordinar.& c.Cum contingat de for.
compet.* nam beata conſuetudo in talibus eſt attendenda, *c.
Multis ad fin.*17.*diſt.*Movetur tertiò,quia Romana Eccle-
ſia vacante non eſt alius judex,ad quem poſſit haberi recur-
ſus,*c.Licet de vitanda ſuprà de elect.&in c.In nomine Domi-
ni* 23.*diſt.*ibi,*quia Sedes Apoſtolica*, *&c.* In quo caſu multa
conceduntur,quæ aliàs non concederentur,ut *in d.c. In no-
mine Domini in princ.in l.Generali in princ. C. de Decurion.
lib.*10.& in aliis juribus per eum citatis. Movetur quartò,
quia neceſſitas legem non habet,*c.Quod non eſt licitum infr.
de regul.jur.*Ac tandem movetur,quia veriſimile eſt,ut filio
Dei placeat hic intellectus,ne Eccleſiam reliquiſſe videatur
11 ſine Paſtore, ut *c. Pro humani*, *de homic. lib.* 6. Et pro hac
opinione videtur textus in *d.c.In nomine Domini,verſ.Quia
vero Sedes Apoſtolica* 23.*diſt.*ubi Cardinales Epiſcopo Ro-
mano Pontifice obeunte dicuntur fungi vice Metropolita-
ni. Neque hoc reſtringi poteſt ad conſecrationem propter
verba illa immediatè ſequentia qui videlicet electum Epiſ-
copum ad Apoſtolici culminis apicem provehant, quæ de
conſecratione intelliguntur ibi à gloſſ. *in ver.Funguntur*,&
ab Hugone, & Turrecrem *in* §. *Pateant nu.* 1.3.*qu.* 1. Imò
12 enim ſecundum Hoſtien.illa littera generaliter loquitur,&
ex genere ſpeciem infert, & exponi oportet, Metropolita-
ni, id eſt, Papæ, quia nec alius poſſet eſſe Metropolitanus
Romanæ Eccleſiæ. Ergo illam poteſtatem, ac juriſdictio-
nem habere videntur per totam Chriſtianitatem, quam
habet Papa dum vivit; nam & ipſe Metropolitanus eſt,
13 ut legitur, & notatur *in c.Sua ſuprà de offic.Vicarii.*Rurſus
pro hac parte allegari poteſt tex. *in c.Si quis pecunia 79.diſt.*
ubi patet Cardinales Romana Eccleſia vacante habere po-
14 teſtatem anathematizandi. Unde ut deducit Hoſtienſis,
eorum poteſtas eminens eſt,& excellens, tum quia anathe-
ma mucro eſt Epiſcopalis, *cap. Viſis* 16. *q.* 2. tum quia ma-
jor eſt pœna, quæ ſit in Eccleſia Dei, *c. Corripiantur* 24.
quæſt. 1. quare ſi majorem pœnam poſſunt ex poteſtate or-
dinaria infligere, ergo & minorem, *c. Venerabilem in* 1.
*reſponſo infra qui filii ſint legitimi,& cap. Ex parte,il terzo
de decim.*& ex his ceſſat objectum quod hoc non ſit ſpecia-
liter jure cautum. Et nihilominus ut Hoſtienſ. inquit,
non eſt quærendum in omnibus jus expreſſum, ut *l. Non
poſſunt,ff.de legi.cap.De quibus* 20.*diſt.cap.Certificari de ſe-
pult.*& multa ſupplentur,ut legitur, & notatur *in cap. Cum
15 Martæ*, §. 1. *infrà de celebrat. Miſſar.* Non obſtat, quod
aliqui dicunt Cardinales eſſe ſine capite, quoniam ut reſ-
16 pondet Hoſtienſis, hoc verum non eſt; imò habent ca-
put Eccleſiæ proprium, & generale, ſcilicet Chriſtum 1.
Corinth. 11. Ipſe enim eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt
Princeps primogenitus mortuorum, ut ſit in omnibus ip-
ſe primatum tenens, & ipſum dedit caput ſupra omnem
Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, Epheſ. 1. Unde & Cardi-
nalibus propriè convenit illud, Epheſ. 4. *Creſcamus in illo
per omnia,qui eſt caput noſtrum Chriſtus*,dicens eis Matthæi
ultimo: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad con-
ſummationem ſæculi*. Quaſi dicat, non ſolùm inſtituta
Eccleſia, ſed etiam vacante: Quippè valdè abſurdum
eſt ſentire Eccleſiam illam carere capite,quæ caput eſt alia-
rum,*cap. Beati* 2. *q.* 7.imò etiam non procul eſſet ab hære-
ſi, *cap.*1.*&* 2. 22.*diſt.*ſuper quo vide quod legitur, & nota-
tur *in cap.unic.*§.*hoc unguento, verſ. Caput ſuprà de ſacra un-
ction.* alioquin res eſſet monſtruoſa, ut patet in eo,quod le-
gitur, & notatur *in cap. Quoniam in pleriſque ſupra de offic.
Ordinar.* & cum hoc dicto Hoſtienſ. videtur ſimpliciter
tranſire Archid. *in cap. Nullus,il ſecondo num.* 31.79.*diſtin.*
Rurſus non obſtat,quod ſi Cardinales haberent juriſdictio 17
nem Papalem, hinc poſſent ſchiſma,ſcandalum, & vacatio
ſedis diutina ſuſcitari. Quoniam ſecundum Hoſtienſ. id
verum eſſet ſi indiſtinctè hoc eis concederetur; ſed poteſt
reſtringi ad neceſſaria, vel utilia Eccleſiæ, ſeu Reipublicæ,
quibus eſt omnino providendum.ut patet *in c.Scias* 7.*qu.*1.
*& in c. In cauſis ſuprà de elect.cum ſuis concordant.*Caveant
ergo ne nimis laxent habenas,arg. *l. Nec quidquam*, §. *Ubi
decretum,&* §. *De plano,de offic.proconſult.* Concludit Hoſt.
diſtinguens per hæc formalia verba, dici poteſt quod Car- 18
dinales habent plenitudinem poteſtatis,in quantum ſcilicet
Romana cenſentur Eccleſia,quæ numquam moritur,etiam-
ſi unus tamen ſit ſuperſtes,*c.Si forte* 65.*diſt.* non autem uſu,
arg.*c. Majores*, §. 1.*ſuprà de bapt.* juriſdictionis verò pote- 19
ſtatem habent in exercitio ad eum modum,quo ſuperius di-
ctum eſt. Salvis forſan his,quæ ratione Excellentiæ,Digni-
tatis, & Eminentiæ, ac prærogativæ Summi Pontificis Se-
di tantùm Apoſtolicæ reſervantur,ut *in c.* 1.*ſuprà de transl.
Epiſc. & in cap. Quod translationem de off. legat.*Ad extre-
mum dicit concedendum eſſe,ut Collegium ad minus illam 20
juriſdictionem habeat,quam & Legatus Apoſtolicæ Sedis,
quæ nec mortuo Papa expirat, de quo dic, ut notatur *in c.
Tum ex litteris in* 1. *reſponſ. infrà de reſtitut. in integrum*.

Ex dictis Hoſtien. inſpecto hoc primo tempore, quod 21
præceſſit Lugdunenſe Concilium, eliciuntur concluſiones
infraſcriptæ. Prima concluſio eſt: Collegium Cardina-
lium Sede vacante habet in habitu plenitudinem poteſtatis
Papalis. Quod multò magis admittitur ab iis, qui dice-
bant, Cœtum Cardinalium eſſe caput Eccleſiæ; quia non
eſt veriſimile, ut filius Dei voluerit mortuo Papa gregem
fidelium eſſe ſine Paſtore, vel Eccleſiam ſine ſponſo. Sed 22
hæc concluſio non eſt vera, & eam refellit gloſſa in Clem.
Ne Romani in ver. Non conſonam,de elect. & plenius Card.
Turrecrem.*in dict.cap.Nullus,il ſecondo num.* 6. *& ſeqq.*79.
diſt. quia mortuo Papa, & nondum alio electo Eccleſia di-
citur vacare. Item dicitur vidua, ſeu viduata, quia ca- 23
ret ſponſo ſuo. Item dicitur Acephala,quia eſt ſine ſuo ca-
pite. Item Vicariatus solùm Petro Apoſtolo, & ſucceſſo-
ribus datus fuit. Ideòque ſolus Papa eſt caput viſibile
Eccleſiæ: nam Joannis I. dicitur Petro primo Rom. Pon-
tifici, Tu vocaberis Cephas, quod ſonat caput: unde
Cephalis græcè idem eſt, quod caput latinè, ut inquit Iſi-
dor. Idem probant jura *in cap. In novo* 21. *diſt. in cap. Non
decet* 12.*diſt.in cap.Ita Domini* 19.*diſt.& in c. Sacroſancta*
22. *diſt.*alioquin non eſſet opus Vicarium eligere,ſi Cardi-
nalium Cœtus Vicariatum haberet, & plenitudinem pote-
ſtatis Papæ. Nec propterea Eccleſia remanet ſine capite, 24
Sponſo, & Paſtore; quia ut reſpondent gloſſa, & Tur-
recrem. & idem met Hoſt. fatetur, Sponſus, Rector, &
Paſtor eſt Chriſtus, & caput inviſibile Eccleſiæ, quæ eſt
ipſius corpus, ut de primo patet *in cap. Jejunium, il ſecondo*
76.*diſt.*de ſecundo *in c.* 1. *circa medium* 96. *diſt.* & de ter-
tio *in cap.* 1.*verſ.Sed ubi de ſacr. Unct. & in cap. fin.* 3. *q.* 4.
Et in hac ſententia fuerunt etiam plerique ex antiquis:nam 25
gloſſ.*unic.in dict. c. Nullus,il ſecondo* 79. *diſt.* dixit mortuo
Papa Eccleſiam vivere, ſed tamen carere capite, ſcilicet
viſibili: & cum ea gloſſa concordat Hugo relatus ibi ab
Archid. *num.*3. nam ſecundùm eum quomodo tot homines
eſſent unum caput, aut quomodo vacaret Eccleſiæ, aut
acephala diceretur, ſi caput haberet: & conſentiunt Joan.
Fan.& Lau.ut dictum eſt ſuprà *num.* 4. & contra concluſ-
ſionem Hoſtienſis tenet Auguſtinus Triumph. *in tractat. de
poteſt. Eccleſ.quæſt.* 3. *artic.* 9. ea ratione,quia non plus poſ-
ſunt Cardinales ſine Papa, quàm Apoſtoli ſine Chriſto: ſed
ad Apoſtolos dictum eſt Jo. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*,
Ergo ſimiliter Collegium Cardinalium nihil poteſt abſque
Pontifice.Non obſtat,quod hoc habeant inferiora Collegia
Sede vacante: Quoniam hoc reperitur eis expreſsè permiſ-
ſum:non ſic Collegio Cardinalium,ut reſpondet gloſſ.præ-
alleg. in dict. Clem.*Ne Romani in ver. Non conſonam.*

Se-

26 Secunda concluſio Hoſt. eſt, Cardinales Romana Eccleſia vacante habent poteſtatem juriſdictionis Papalis in exercitio, non quidem indiſtinctè, ſed in iis tantùm, quæ ſunt neceſſaria, vel utilia Eccleſiæ, ſeu Reipublicæ, quibus eſt omninò providendum. Hæc concluſio fortè vera fuit antequam emanaſſet Decretalis, *Ubi periculum*, quæ ſtrictius loquitur, quam Hoſt. ut patebit infra *n.*40. & idemmet Hoſt. paulò ante ſtrictius fuit loquutus, dum dixit, Cœtum Cardinalium Sede vacante habere exercitium juriſdictionis Papalis ſaltem in his, in quibus de grandi neceſſitate, evidenti, & eminenti provideri oportet. Et ab Hoſt. fortaſsè Concilium Lugdunen. deſumpſit verba exce-
27 ptionis, quę habentur *in d.c.Ubi periculum*, §. *Iidem quoque*, ibi, *Niſi forſan neceſſitas adeò urgens*, necnon ibi, *vel niſi aliquod tam grande, & evidens periculum immineret, &c.* Quod inde etiam validiùs ſuadetur, quia *in c. Licèt de vitanda n.* 27. *ſup. de elect.* ſcriptum reliquit faciendam eſſe Conſtitutionem, ut Cardinales mortuo Papa claudantur in Conclavi, eiſque cibaria ſubtrahantur: & Addent. ibi littera B. dicunt eam Conſtitutionem factam eſſe, ut patet ex *d.c.Ubi periculum de elect. lib.*6.

28 Tertia concluſio, Ante Concilium Lugdunen. Cardinales ſede vacante habebant in Eccleſia univerſali juriſdictionem illam, quam habet in Provincia Legatus Apoſto-
29 licæ Sedis. Verùm hæc concluſio non probatur jure. Item tollitur data inſtantia: nam Cardinalis Legatus confert beneficia intra ſuam Legationem vacantia, *c.*1. *de offic.legat.lib.*6. Specul. *in tit. de Legat.* §. *Nunc tractemus in princ.* Feder. de Senis *conſ.* 65. *Infraſcriptæ quæſtiones in*
30 *princ. & conſ.* 195. *Factum ita ſe habet in fin.* At Collegium Cardinalium mortuo Papa beneficia conferre non poteſt, Jo. de Selva *de benef. par.*2. *quæſt.*2. *n.*16. *&* 18. & Auguſt. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. qu.* 68. *art.*3. Nec mirum, quia nec inferiora Collegia hoc habent mortuo Prælato, *c. Illa infrà ne Sede vacan. c. unic. eod. tit. lib.*6. *cap.*1. *de inſtit. eod. lib.* & notat gl. *hic in ver. Capitulo*, & communiter DD. Item ſi Cœtus Cardinalium non habet juriſdictionem Capituli Sede vacante, ut prædixi; utique longè minus habet juriſdictionem Cardinalis Legati, quę major eſt, *c. Ex parte, il terzo de decim.* Demum ſi Cardinales in tota Eccleſia hanc juriſdictionem exercerent; hinc poſſet ſchiſma, ſcandalum, & vacatio ſedis diutina ſuſcitari. Qod inconveniens conſideraverat Hoſtien. & ideò priùs reſtrinxerat ſuam concluſionem ad caſus urgentis neceſſitatis, & evidentis utilitatis, ut dictum eſt ſuprà *n.*17.

31 Quarta concluſio, quæ ex dictis Hoſt. elicitur. Cœtus Cardinalium tempore vacationis nullam habet juriſdictionis poteſtatem in his, quæ ratio Excellentiæ, Dignitatis, & Præeminentiæ, ac prærogativæ Romano Pontifici tantùm ſunt reſervata. Hæc concluſio eſt indubitabilis, & optimè probatur juribus per eum allegatis, & hodie a fortiori eſt canonizata *in d.c.Ubi periculum*, §. *Idem quoque, de elect. lib.*6. & apertius *in Clem. Ne Romani, de elect.*

32 Ex hac concluſione deducitur primò, ut Collegium Cardinalium Apoſtolica Sede vacante minimè poſſit Epiſcopos creare, nec electos confirmare, Petr. Andr. Gambar. *de offic. Legat. lib.*6. *num.*59. nec jam creatos deponere, gl. *unic. in c. Nullus, il ſecondo*, quam ibi ſequuntur Arch. & alii 79. *diſt.*

33 Deducitur ſecundò, ut nec poſſit Cardinales creare, gl. in dict. Clem. *Ne Romani in ver. Poteſtatis, de elect.* quam ibi omnes ſequuntur, Gondiſal. Villadiego *de orig. Card. qu.* 6. Manfred. *deciſ.*14. & quamvis Hugo *in d. cap. Nullus, il ſecondo* 79. *diſt.* quem citat Hoſtienſis *in dict. cap. Licet de vitanda num.* 26. *ſuprà de electione*, contrarium ſenſerit eò quòd cùm Cardinales poſſint eligere Papam, quod plus eſt, poſſunt & Cardinales creare, quod minus eſt: & facit pro ipſo *cap. Per Venerabile*, §. *Rationib. infrà, qui filii ſint legit.* tamen hoc argumentum refellit Hoſtienſ. *ubi ſuprà*, & gloſſ. in dict. Clem. *Ne Romani in ver.*
34 *Poteſtatis, de elect.* Nam & Capitulum creat Epiſcopum, & tamen Sede vacante non confert beneficia ad ſolius Epiſcopi collationem ſpectantia, *dict. c. unic. Ne ſede vacante lib.*6. & hoc indubiè teneas, etiamſi ſubeſſet neceſſitas viſitandæ diſcordiæ, & accelerandæ electionis Romani Pontificis; quia huic neceſſitati aliis rationibus eſt occur-
35 rendum, ſecundum Hoſt. *loc. cit.* Et ob eamdem rationem Collegium Apoſtolicum non poteſt Sede vacante reſtituere, nec habilitare Cardinales per Papam privatos, ſeu depoſitos, etiam ad vocem, *cap. un. de ſchiſmat. lib.*6. ſentit Barbat. *in tract. de Cardin. in decima Baſilica quæſtione, verſ. Tales ergo*, ait enim: ſi Cardinales delinquunt, & per ſententiam removentur, ſine ſpe reſtitutionis deponuntur ad exemplum Luciferi, *cap. Principium de pœnit. diſt.*2. allegat Hoſtienſ. hoc dicentem *in Summ. de pœnit. & remiſſ.* §. *Cui confitendum in ver. Cardinales.* Quæſtionem ad partes diſputat, & reſpondet objectis Capyc. *deciſ.* 114. *per totam, licet in fin.* videatur inclinare in eam ſententiam, ut Cœtus Cardinalium hoc poſſit, ſi immineret periculum ſchiſmatis, vel aliud grave, niſi Cardinales privatos ad vocem habilitaret.

Deducitur tertiò, ut Cœtus Cardinalium Sede vacante, etiam urgente neceſſitate non poſſit mittere aliquem Cardinalem, etiam volentem cum poteſtate, & juriſdictione Legati de latere, ut plenè dicam infr. *n.*42.

Quinta, & ultima concluſio, quæ inſpecto tempore 36
ante Concil. Lugdunen. colligitur ex dictis Hoſt. Cardinalium cœtus Apoſtolica Sede vacante tunc temporis exercebat juriſdictionem Papalem ex conſuetudine, quæ in talibus eſt obſervanda, ut in juribus per eum citatis. Fortè ad hanc conſuetudinem tollendam emanarunt poſteriores conſtitutiones, ut innuit gl. *in c. unic. de ſchiſm. lib. 6. in* 37
ver. Sede vacante circa fin. ibi: Quidquid Cardinales de facto obſervent: nam decretum irritans appoſitum in dict. Clem. *ne Romani*, §. *Irritum de elect.* tollit contrariam conſuetudinem tàm præteritam, quàm futuram, ut poſt Arch. notat Jo. Andr. *in c. Cùm de beneficio, in princ. in ver. Legitima*, & ibi apertius Gemin. *col.*2. *verſ. Nota benè iſtud dictum*, & Franc. *col.*1. *verſ. Ex quibus nota de præb. lib.* 6. Præpoſ. *in c. In iſtis*, §. *Leges n.*3. 4. *diſt.* & alii apud Ant. Gabriel. *in tit. de clauſul. concl.*3. *n.*40.

Secundum tempus eſt poſt Decretalem: *Ubi periculum* 38
*de elect. lib.*6. quæ in §. *Iidem quoque* in propoſito poteſtatis Cardinalium Sede vacante primo conſtituit regulam, deinde adjicit limitationem, regula habetur ex illis verbis: *Cardinales accelerandæ proviſioni ſic vacent attentis quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant.* Hæc ibi. Et ſe- 39
cundum hoc tempus uſque ad Concilium Viennenſe Collegium Apoſtolicum videtur habuiſſe eamdem juriſdictionem habitualem Sede vacante, quam habebat ante prædictam Decretalem. Quoniam illius verba non evellunt juriſdictionis radicem, nec habitum tollunt, ſed tantummodò impediunt juriſdictionis exercitium, non enim procedunt declarando Collegium non habere juriſdictionem, aut quam prius habebat illi adimendo, ſed procedunt prohibendo ne ſe ingerat niſi in negotio electionis, ut ſonant verba illa, nequaquam ſe intromittant, quę magis denotant factum, quàm jus, & eſt ſimile *in cap. Majores*, §.1. *ſupra de baptiſ.* facit quod notat gl. *in cap.* 1. *in ver. Irritas infra de ſchiſm.* & quod dicitur de Officialibus Romanæ Curiæ, quorum juriſdictio durat mortuo Papa, ſed ſuſpenditur illius exercitium, de quo tamen dic ut per Archid. *in cap. Experientiæ* 15. *quæſt.*1. Item facit quod notat Abb. Antiq. *in c. Accepimus in ver. Debet*, ibi factum notat, & non jus, *infra de pact.* Ex quo notabiliter infero, ut actus juriſdictionales, quos hoc tempore Cardinalium cœtus exercuiſſet Apoſtolica Sede vacante, non eſſent ipſo jure nulli, ſed ſuſtinerentur ex vi authoritatis præexiſtentis, & juriſdictionis habitualis, ex notabili theorica gloſſæ in Clem. 1. *in ver. Inhibentes verſ. Sed quæro de jure patron.* quam ſequitur Anchar. *in c. Statutum*, §. *fin. verſ. Adverte de reſcr. lib.* 6. & Abb. *in cap. Ex parte num.* 5. *ſupra de conſtitut.* Roman. *conſ.* 203. *quod primum num.* 7. & fortè ad hoc dubium removendum emanavit poſteà Clemen. *Ne Romani de elect.* cum decreto irritanti, ut latius dicam infra *num.* 53. Limitatio habetur *in d. cap. Ubi peri-* 40
culum in eodem §. *Iidem quoque* in ſequentibus verbis, videlicet, *Niſi neceſſitas adeo urgens incideret; ut oporteret Cardinales de terra Romanæ Eccleſiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere, vel niſi aliquod tam grande, & tam evidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.* Hæc ibi. Et in caſu hujus limitationis Cardinalium juriſdictio præſervatur *in d. Clem. Ne Romani in princ.* ibi, niſi quatenus in Conſtitutione prædicta permittitur. Nec non in Bulla Pii IV. cum modificatione

tamen,

41 tamen, de qua ibi in §.6. ut latiùs dicam infra *num.* 61. Ex
hac limitatione infertur primò, ut cœtus Cardinalium
pro terra Eccleſiæ defendenda, vel evidenti periculo poſ-
ſit Sede vacante mittere unum Cardinalem Legatum,
ſecundum Paulum de Eleazaris in dict. Clem. *Ne Romani*,
de electione, & ibid. Imol. *num.*26. & Gondilal. Villadieg.
42 *de orig. Cardinal. quæſt.* 6. *nu.* 35. Cæterùm adverte, quia
Cardinalis ſic miſſus non erit propriè Legatus cum impe-
rio, & juriſdictione, hoc enim eſt de pertinentibus ad ſu-
premam authoritatem Summi Pontificis de ipſorum Car-
dinalium conſilio, ut notat Speculator *in tit. de Legato*, §.
*Qualiter nu.*7. Unde nullo caſu competit ſoli Collegio, per
ea, quæ dicta ſunt ſuprà *in quarta concluſione nu.*31. Sed po-
tius erit Nuncios, nec habebit juriſdictionem, ſed ſolum
nudam tutationem, ſeu defenſam, ut reprobata Pauli opi-
nione firmat Cardin. in dict. Clem. *Ne Romani*, §. *Irritum*
in 2. quæſtion. de electione, & ibi etiam Imol. *nu.*26. dicens
eum non fore Cardinalem Legatum, ſed tamen in actu il-
43 lo. Quo fit ut ſi Cardinales crearent Pontificem abſentem,
tunc poſſent quidem ablegare unum ex Cardinalibus ad
novum electum ad Urbem reducendum, illique expenſas
neceſſarias conſtituere de redditibus Romanæ Eccleſiæ, ut
tenet Petr. Andr. Gambar. *de offic. & auctorit. legat. lib.*9.*n.*
185. Sed tamen ſic miſſus non habebit juriſdictionem, &
poteſtatem Legati, ſed erit Nuncius ad nudum illud mini-
44 ſterium facti per prædicta. Rurſus adverte, quia ante pe-
ractam electionem Collegium Apoſtolicum non poterit
compellere invitum, ut legationem ſuſcipiat; nam etſi
Epiſcopus pro utilitate Eccleſiæ poſſit præcipere Clerico,
ut peregrinetur, *c. Quamvis* 7. *qu.*1. tamen oppoſitum di-
cendum eſt hoc caſu, non quidem ex ratione illa Pauli.
Quod par in parem non habeat imperium; imò enim Col-
legium Cardinalium non eſt par, ſed ſuperior, ſed quia
Cardinalis ille ſine culpa privari non debet jure ſuo, ſcili-
cet voce in electione Romani Pontificis, quamobrem non
poterunt mittere niſi volentem, ut concludunt idem Paul.
Cardin. Anchar. & Villadieg. *locis citatis*.
45 Infertur ſecundò, ut Cœtus Cardinalium Apoſtolica Se-
de vacante poſſit Legatum miſſum à Papa revocare ex ma-
gna, & evidenti cauſa, argumento *c. Ne pro dilatione in-
frà de pœnit. & remiſſ. cum ſuis concordant.* aliàs ſecus, arg.
cap. Cum inferior infrà eodem, & *l. Minor magiſtratus*, *ff.*
46 *De minor.* nam Legatus generalis, nec aliter eſt mittendus,
quàm à Papa de Cardinalium conſilio, ut *l. fin. C. De legat.
lib.*10. & notat Speculat. *in tit. de legat.* §. *Qualiter num.* 6.
Igitur ſicut in miſſione Papa, & Cardinales unanimiter
conſenſerunt, ita & in revocatione debent unanimiter
conſentire, arg. *l. Ab emptione*, *ff. De pactis*, & *c. Omnis
res infrà de reg. jur.* Sed Papa conſentire non poteſt, quia
mortuus eſt. Expectetur ergo Succeſſor, arg. *c.*1. *infr. Ne
Sede vacante*. Prætereà Collegium non ſuccedit in colla-
tione beneficiorum, ut oſtenſum eſt ſuprà *nu.*30. Ergo mul-
tò minus in Legati revocatione, quod magis eſt. Item Le-
gatus mittitur propter ſalutem animarum, quæ per hujuſ-
modi revocationem impediri non debet. Ita Hoſt. *in cap.
Tum ex litteris nu.*2. *infrà de in integr. reſtitut.* quem refert,
& ſequitur Speculator *dicto titul. de Legato*, §. *Finitur nu.*5.
& hodie videtur planum per Clemen. *Ne Romani de elect.*
ſecundùm Joan. Andr. *in d. c. Tum ex litteris nu.*4. ſequitur
Joan. Franc. Pavin. *in tract. de offic. & poteſtat. Capituli Sede
vacante in* 6. *prælud.* & Capyc. *deciſ.* 114. *num.* 9. *verſ. Sic
quoque Collegium Cardinalium*.
47 Infertur tertiò, ſecundùm aliquos, ut Collegium Apo-
ſtolicum Sede vacante poſſit Cardinalibus recens creatis os
aperire, ac poſſeſſionem Cardinalatus tradere. Ita Mar-
cus Mantua, & Hieronymus Torniellus inter conſ. De-
ciani *conſ.*8. *vol.*1. quos noviſſimè refert, & ſequitur Hie-
ronymus Campanil. *in diverſ. jur. Canon. rubr.*7. *cap.*6. *nu.*83.
48 Verùm hæc opinio potuiſſet fortaſsè obtinere, quando ad-
huc vigebat conſtitutio Eugenii IV. incipien. *In eminenti*,
quæ eſt prima inter ejus Conſtitutiones *in Bullar. tom.* 1.
pag. 269. in qua diſponitur, ut Cardinales pronunciati,
etiam poſteaquam inſignia receperint, in electione Pontifi-
cis vocem non habeant, donec eis fuerit os apertum: quaſi
tunc videretur urgere neceſſitas aperiendi os, ut Clericus
ad electionem procederetur, ac proinde locus eſſet limita-
tioni Decretalis, *Ubi periculum in d. §. Iidem quoque de elect.
lib.*6. Licèt revera, neque tunc temporis hujuſmodi neceſ-
ſitas ſubeſſet: quandoquidem electionis negotium expe-
diri poterat per Antiquiores Cardin. quibus os apertum jam
fuerat. Sed quidquid ſit de illo tempore, certè hodie ceſ-
ſat omnis difficultas, quia Conſtitutio Eugenii hanc in par-
te ſublata fuit ex decreto S. Pii V. edito 26. Januarii 1571.
ubi hæc oris clauſura declaratur eſſe ſimplex ceremonia,
quæ ad ſubſtantiam electionis non pertinet, ut refertur in
Cæremoniali electionis Papæ nuper edito à Gregorio XV.
in §. Porro, *verſ. de Cardinali autem*. Et ita vacante Sede
per obitum Clementis VIII. dicitur obſervatum fuiſſe in
perſona bon. mem. Cardin. de Comitibus, cui nondum fue-
rat os apertum, & tamen ad Pauli V. electionem admiſſus
fuit. Idemque hoc ipſo tempore obſervatum vidimus in ele-
ctione Sanctiſs. D.N. Inn. X. in qua ſimiliter ante aperitio-
nem oris vocem habuerunt Cardinales Panzirolus, Roſſet-
tus & Eſtenſis noviter pronunciati. Itaque jam omni neceſ-
ſitate accelerandæ electionis ceſſante minimè licebit Col-
legio Apoſtolico tradere pileum, vel alia inſignia Cardina-
litia, nec claudere, vel aperire os cuiquam ex Cardinali-
bus noviter creatis; hæc namque ad Romanum Pontificem
dum viveret pertinebant, ac proindè eſt locus regulæ, de
qua *in dict. §. Iidem quoque*, necnon prohibitioni Clem. *Ne
Romani*, §. *Irritum de elect.* & Bullæ Pii IV. §. 6.
Infertur quartò, ex quorumdam ſententia, ut Collegium 49
Apoſtolicum Sede vacante ad effectum electionis faciendæ
poſſit Cardinales electores à cenſuris abſolvere, & cum
eis ſuper irregularitate diſpenſare. Ita Auguſt. Triumph.
*de poteſtat. Eccleſiaſt. qu.*3. *art.*8. & Suar. *de cenſur. diſp.*41.
*ſect.*2. *verſ. Hæc vero:* quos refert, & ſequitur Hieronym.
Campanil. *in diverſor. in tract. de poteſt. Colleg. rubr.*7. *c.*6. *n.*
84. Sed neque hæc illatio eſt admittenda: quia ratio neceſ-
ſitatis hoc caſu nulla poteſt conſiderari: nam exceptio ex-
communicationis, irregularitatis, & conſimiles non ad-
mittuntur contra electionem Papæ celebratam à duabus
partibus Cardinalium, ut *in c. Licèt de vitanda*, & ibi ple-
nè ſcripſi *n.* 12. *ſuprà de elect.* & apertiùs in d. Clem. *Ne Ro-
mani*, §. *Cæterum eod. tit.* & in dict. Bulla Pii IV. §. 29. & in
alia Gregorii XV. *de elect. Papæ* §. 122. quibus in locis ex-
preſsè ſtatutum eſt, ut ad evitandas diſſenſiones, & ſchiſ-
mata; per exceptionem excommunicationis, ſuſpenſio-
nis, vel interdicti Cardinales ab electione non repellantur.
Nec Triumph. *loc. cit.* quidquam dicit in oppoſitum.
Infertur quintò, ex prædicta limitatione, ut duobus de 50
Papatu contendentibus, & generale Concilium convocare
renuentibus, convocatio fieri poſſit à Collegio Cardina-
lium, ut ex facto reſpondit Cardinalis Zabarella *in conſ.*
150. incipien. *in quæſtione num.*6. *in* 3. *quæſt.* quoniam cùm
ſint in poſſeſſione eligendi Romanum Pontificem, *cap. Li-
cèt de vitanda ſuprà de elect. cum concordant.* per conſequens
ad eos ſpectant omnia, quæ ſunt conſequentia ad ele-
ctionem, *cap. Cupientes*, §. *Ad hæc*, & §. *Si vero de ele-
ctione lib.* 6. & *cap. fin.* & quod ibi notatur in gloſſ. 3. 65.
diſtinct. Nec obſtat dict. Clem. *Ne Romani in* §. *Irritum*,
ubi irritatur quidquid faciat Collegium Cardinalium de
his, quæ ad Papam dum viveret pertinebant; Convocatio
autem generalis Concilii ad ſolùm Papam pertinet, *cap.
Significaſti ſuprà de elect.* Nam ut reſpondet Cardinalis,
cùm ille, §. *Irritum*, excipit ea, quæ permittiuntur Colle-
gio Apoſtolico in præcitato *cap. Ubi periculum*, §. *Idem*,
quoque ſtandum eſt eidem §. Ibi autem Cardinalibus non
interdicuntur ea, quæ concernunt electionis negotium,
ſed alia extrinſeca; Inhibetur enim ne de alio negotio
ſe intromittant, niſi in caſibus ibi exceptis, idque aut ac-
celerandæ proviſioni vacent attentius, ut ibi dicitur.
Cùm igitur convocatio generalis Concilii ſit hoc caſu ne-
ceſſaria ad ſedandum ſchiſma, meritò ad Collegium Car-
dinalium pertinet, quid annexum, & acceſſorium pro-
viſioni; nec dicitur prohibita, quin potius permiſſa *in
dict.* §. *Irritum*, hæc enim ſunt de his, quæ Sede vacante,
vel quaſi vacante meliùs expediuntur, quàm non vacan-
te, ut in ſimili notat Innoc. *in c.*1. *infrà ne Sede vacan.* Ho-
die in caſu electionis nulliter celebratæ propter ſimonia-
cam pravitatem, hoc eſt expreſſum in Bulla Julii II. quæ
incipit, *Cùm tam Divino in* §. *Et inſuper in Bullar. tom.* 1.
fol. 403. ubi diſponitur, ut liceat Cardinalibus Concilium
generale indicere, & convocare in loco idoneo, prout
eis videbitur expedire.
Infertur ſextò, ut eadem ratione poſſit, & debeat Car- 51
dina-

dinalium Cœtus anathematizare intruſum in Papatu, ut eſt textus *in c. Si quis pecunia 79. diſt.* cujus diſpoſitio non eſt ſublata, quin potius præſervata *in dict.* §. *Idem quoque*. Nam extrudere invaſorem Pontificatus negari non poteſt, quin ſpectet ad electionis negotium, cui attentius eſt vacandum; & hæc eſt urgens neceſſitas, & grande periculum, cui celeriter eſt occurrendum, ut ibi dicitur. Non
52 tamen poterunt Cardinales eſſe judices intruſi, niſi deviaret à fide, ut poſt Hugon. firmat Cardinalis Turrecr. *in* §. *Pateat num.* 1. *&* 3. *qu.* 1.

53 Tertium tempus eſt poſt Conſtitutionem Clementis V. in Conc. Viennenſi editam; ac relatam in dict. Clem. *Ne Romani de elect.* qua irritum, & inane decernitur quidquid poteſtatis, aut juriſdictionis ad Romanum, dum vivit Pontificem pertinentis Cœtus Cardinalium Romana Eccleſia vacante duxerit exercendum. Atque ita geſta à Cardinalibus contra hanc prohibitionem non ſuſtinentur ampliùs ex vi authoritatis præexiſtentis, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *nu.* 39. quia clauſula decreti irritantis operatur, ut quidquid contra fit, nullum ſit ipſo jure, ut eſt textus *in c. penult. de præbend. lib. 6. & in cap. Si ſoli, verſ. Niſi nos in gratia de conceſſ. præben. eod. lib.* Brun. *in tract. de forma in rubr. Quando aliquid cenſ. trad. pro for. col.* 2. ubi plura cumulat. Quinimò quamvis ex dicta Clemen. *Ne Romani*, prima fronte non videatur ſublata juriſdictio in radice, & quantum ad habitum, ſed quantum ad actum, & exercitium dumtaxat, ut innuit verbum illud, *exercendum*, argum. eorum, quæ dicta ſuprà eodem *nu.* 39. Nihilominus
54 contrarium videtur verius; quia decretum irritans inficit titulum, & poſſeſſionem, Rota *dec.* 2. *de reſtit. ſpoliat. in antiq. & deciſ.* 3. *eodem tit. in novis, & deciſ.* 250. *nu.* 34. *par.* 7. *recent.* Caſſador. *deciſ.* 1. *de reſtitutione ſpoliat.* Mohedan.
55 *deciſ.* 15. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Itaque hodie regula conſtituitur negativa, videlicet juriſdictio, & poteſtas Papæ non tranſit in Collegium Cardinalium Sede vacante; & in hoc ipſorum Collegium eſt deterioris conditionis, quàm Collegia inferiora, in quæ tranſit, ut hìc *& in cap. His quæ ſuprà eod.* ita Joan. de Imol. in dicta Clemen. *Ne Romani in 7. notab. num.* 14. Capyc. *deciſ.* 114. *num.* 9. & eſt ſpeciale in Collegio Cardinalium, ut inquit Federic. de Senis *conſ.* 16. incipien. *Capitulum Eccleſiæ Cathedralis num.* 2.
56 *verſ. Præterea ſpeciale eſt*. Rationem ſpecialitatis aſſignat Zenzelinus in eadem Clemen. & gloſ. magna *in fin. in cap. unic. de ſchiſm. lib.* 6. videlicet quia ob accelerandam proviſionem Eccleſiæ, in cujus tardatione imminet periculum, ſpeciale quid ſtatui debuit. Et eſt ſimile *in cap. Accuſatus*,
57 §. *Sanè de accuſat. eod. lib.* Aliam rationem diverſitatis aſſignat Capyc. *dict. deciſ.* 114. *num.* 3. videlicet quia Capitula inferiora habent majorem communionem cum Prælato, quàm Collegium Cardinalium, cùm illa condant ſtatuta Sede vacante, per Federic. *dict. conſ.* 16. *per totum*, & Præpoſ. latè *in cap. Epiſcoporum num.* 2. *diſt.* 18. Cœtus Cardinalium non, ut per Dec. *in cap. Translato in 2. lectura num.* 9. *de Conſtitut.*

Sed hæc ratio non placet, quia Cardinales ſunt pars corporis Papæ, ſecundum Jo. de Lignano *in c. 2. infra de Cler. non reſid.* & ipſius membra, *c. Felicis de pœn. lib.* 6. Ideòque licèt Epiſcopi jurent fidelitatem Papæ, ut *in c. Ego N. de jurejuran.* tamen Cardinales non jurant Papæ fidelitatem tamquam inviſcerati, & pars corporis ipſius, ut notabiliter dixit Hoſt. *in c. Antiqua de privil.* & poſt eum Barbat. *conſ.* 1. *nu.* 17. *verſ. Et licet Cardinales*. Tene igitur primam rationem. Unde quamvis Bart. *in l. Ubi abſunt n.* 3. *ff. De tutor. & curat. dat. ab his*, dixerit vacante Papatu juriſdictionem remanere apud Collegium Cardinalium, ſicuti vacante Epiſcopatu remanet juriſdictio apud Capitulum: tamen ejus opinio confunditur per dictam Clem. *Ne Romani*, ut dicit Barbat. *ibi in addit. ad Bart. in ver. Apud Collegium*, & plenius in ſuo *conſ.* 1. *num.* 17. *vol.* 1. Tene igitur incunctanter cum gloſſ. *in dicto cap. Ubi periculum*, in dict. Clem. *Ne Romani*, *& in dict. cap. un. de ſchiſm. lib.* 6. Cum quibus etiam conſentit Bald. *in ſuo conſilio ſchiſmat. in ver. Suppono autem quod Cardinales*, & alibi paſſim Doctores.

Excipitur tamen in dict. Clem. Caſus urgentis neceſſitatis, & grandis periculi imminentis ad præſcriptum prædictæ Decretalis, *Ubi periculum*. Unde quæ poterat Cardinalium cœtus tunc temporis exercere ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra in illationibus *à num.* 41. poterit etiam exercere poſt dictam Clement. *Amplius*, cùm officium Camerarii, & Pœnitentiariorum Papæ eo mortuo non 58
expiret, iiſdem deficientibus poterit Collegium Apoſtolicum in eorum locum alios ſubrogare pro tempore vacationis, ut diſponitur in dicta Clem. *Ne Romani*, §. *Eo tamen proviſo*.

Quartum, & ultimum tempus eſt poſt Bullam Pii IV. 59
editam 7. Idus Octobris 1562. incipien. *In eligendis*, *quæ in* §. 6. *ſtatuit ut infrà*, videlicet *Sedis autem vacatione durante Collegium Cardinalium in iis, quæ ad Pontificem Maximum dum viveret pertinebat, nullam omnino poteſtatem, aut juriſdictionem habeat, neque gratiam, neque juſtitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, ſed ea omnia futuro Pontifici reſervare teneatur*. Hactenus verba Bullæ, quæ cùm non procedant declarando, 60
aut juriſdictionem ſuſpendendo, aut illius exercitium prohibendo, ſed juriſdictionem ipſam adimendo per illa verba univerſalia negativa, nullam omninò poteſtatem, aut juriſdictionem habeat: proculdubio abdicant à Cardinalibus, & evellunt radicitus quamcumque juriſdictionem, & poteſtatem, non ſolùm quoad exercitium, & poſſeſſionem, ſed etiam quoad habitum, & proprietatem, hoc enim importat verbum, *habere*, quod propriè eſt jure dominii poſſidere, ut *l. Stipulatio iſta*, §. *Habere*, *ff. De verborum ſignificat. l. Hoc Senatus*, juncta gl. *in ver. Habuit*, *ff. De uſufr. ear. rer. quæ uſu conſum.* Præſervatur tamen in Bulla Pii IV. juriſ- 61
dictio illa, quam cœtus Cardinalium poterat exercere in vim Decretalis, *Ubi periculum*, videlicet in caſibus urgentis neceſſitatis, & grandis periculi imminentis, ut plenè dictum eſt ſuprà *à nu.* 40. ſed hæc præſervatio fit cum duplici differentia. Prima eſt, quia eſt dicto *cap. Ubi periculum*, cauſa neceſſitatis dijudicanda erat concorditer ab omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus. Unde unius contradictio, vel diſſenſio poterat impedire, ut ibi notat gloſſa *in* §. *Iidem quoque in ver. Singulis*, *verſ. Si vero ultra prædicta*. At ex Conſtitutione Pii IV. in dict. §. 6. ſufficiunt duæ tertiæ illorum partes. Secunda differentia eſt, quia ex Decretali, *Ubi periculum*, ſatis erat, ut Cardin. quoquomodo conſentirent. Sed ex Bulla duæ tertiæ partes conſentire debent per ſecreta ſuffragia, ut in *eod. verſ. expreſsè diſponitur*. Hæc de juriſdictione ſpirituali cœtus Cardinalium Apoſtolica Sede vacante. Quo verò ad ſtatum temporalem Romanæ Eccleſiæ quatenus ſe extendat Cardina- 62
lium Authoritas, & juriſdictio facilè haberi poteſt ex eadem Bulla Pii IV. in dict. §. *verſ. Neque de ſtatu temporali*, cujus verba huc transferre ſupervacaneum duxi.

Succeſſivè QUÆRO, An juriſdictio Congregatio- 63
num S. R. E. Cardinalium expiret, vel ſit ſuſpenſa Apoſtolica Sede vacante. Hodie 8. Septembris 1644. Romana Eccleſia vacante per obitum ſan. mem. Urbani VIII. de hoc dubio conſultus fui à Sac. Collegio Cardinalium in Conclavi exiſtentium ex ordine dato ad Rotas R. P. D. Farneſio Archiepiſcopo Patracen. à Secretis Sacræ Congregationis Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ.

Reſpondi juriſdictionem Congregationum per obitum Papæ non expirare: debere tamen conquieſcere ipſis Cardinalibus in Conclavi manentibus quoad illa negotia, & cauſas, quæ in ipſis Congregationibus expediuntur per ſubſcriptionem Cardinalis Præfecti, ſeu habentis ſigillum. Alia verò, quæ ex communi forma à Secretario expediri ſolent vivente Pontifice, poſſe itidem expediri Sede vacante.

Quoad primam partem reſponſi, quòd ſcilicet juriſdi- 64
ctio Congregationum mortuo Papa non expiret, motus fui primò, quia illarum juriſdictio eſt ordinaria: tum quia data eſt Congregationibus per Conſtitutionem Sixti V. de qua infrà proximè; juriſdictio enim, quæ defertur à lege 65
vel ſtatuto ordinaria eſt, ut *l. Et quia, ff. De juriſd. omn. judic. l.* 1. *in* 1. *reſpon. ff. De offic. ejus cui mandat. eſt juriſdict.* & notat Innoc. *in c. Cum ab Eccleſiarum num.* 3. *verſ. Et quia lex ſuprà de offic. Ordinar.* & Abb. *in c. In ſingulis nu.* 3. *infrà de ſtatu Monachor.* Tum quia eadem juriſdictio eſt ad univerſitatem cauſarum, ſeu negotiorum, ut patet in Conſtitutione Sixti V. edita 11. Kalend. Februarii 1587. in qua inſtituuntur quindecim Congregationes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium cùm juriſdictionum, & facultatum partita conceſſione ad faciliorem univerſæ

Rei-

Reipublicæ Chriſtianæ, Statuſque Eccleſiaſtici, & Romanæ Curiæ negotiorum, & cauſarum expeditionem, ut legitur in proœmio §.1. & §.2. & conſtat ex facultatibus cuique Congregationi attributis. Juriſdictio enim data ad univerſitatem cauſarum, vel ad unum negotium univerſale proculdubio eſt ordinaria, ut notat Bart. *in l. Ambitioſa n.34.verſ.Sed concedendo, ff.De decret.ab Ordin.facien.& in l.More qu. 5. nu.9.* ubi etiam Jaſ. *nu.*51. & communiter Doctores, *ff.De juriſdict.omn.judic.*& probatur in *leg.1.in princip.& §.Cum urbem, ff.De offic.Præfect.Urb.& in l.fin. Cod. Ubi, & apud quem*, ibi, *vel certæ adminiſtrationi, cui & juriſdictio adheret in prima conſtitutione, ff. orum*, §.*penult.*& in Auth.*habita*, *C.Ne fil.pro patr.*ubi Doctoribus conceditur juriſdictio in ſcholares, quæ ſine dubio eſt Ordinaria,
66 ſecundùm Bart. *in d. l. Ambitioſa*. Quod procedit etiam partita inter plures judices juriſdictione, quia illa eſt potius diſtributio cauſarum, quàm Delegatio, ut notat Bald. *in l.Præcipimus in princip.C.De appellat.& in l.fin.ad fin.C. Ubi Senat.vel Clariſſ.*dicens per illam legem ita fuiſſe conſultum per ſapientes: & ſequitur Jaſ. *in d.l. More n.*52. Ex-
67 plorati autem juris eſt juriſdictionem ordinariam per obitum Papæ non expirare: hìc eſt textus *in c. 2. de offic.legat. lib.6.* ubi Clemens IV.declarat Legatos Apoſtolicæ Sedis habere juriſdictionem ordinariam, ac proindè illorum officium mortuo Papa non expirare: & ita ibi eſt caſus ſecundùm Jo. Andr.Gemin.Franc. & omnes, de quo dic, ut per Petr.Andr.Gambar.*de auctor.legat.lib.9.nu.*40.Hinc eſt, ut
68 ordinaria juriſdictio, quam habent Cardinales in ſuis titulis ad præſcriptum *c. His quæ ſuprà eodem*, non expiret Sede vacante, ut per Cardin.in Clemen. *Ne Romani*, §. *Ir-*
69 *ritum qu.*3. *de elect.* Hinc etiam eſt, ut officium Vicarii Papæ ad vitam deputari, ut moris eſt, per illius obitum non extinguatur, quia habet ordinariam, Gambar. *in eodem tract.lib.9.nu.*78.Idemque dicendum de officio Camerarii, & Pœnitentiarii, ut probatur in dict.Clem.*Ne Romani*, §.
70 *Eo tamen proviſo de elect.* Similiter hinc eſt, ut juriſdictio A.C.& Mareſchalli non expiret Pontifice vita functo, ut tenet gloſſa in dict.§.*Eo tamen proviſo in verb. Expirare*, & ibi etiam Cardin.*n.*3. & hoc ideò, quia habet Ordinariam, ſecundùm Hoſt. *in c.Quod de his in fin.infrà de ſent. excom.* Specul. *in tit.* 3. §. 1. Jaſ.Purpurat. & alios relatos à Petro Barboſ.*in l.Cum prætor*, §.1.*n.*75.*ff.De judic.*& de Auditore Cameræ eſt expreſſum in Bulla Pii IV. quæ incipit, *Ad eximiæ*, §.5. ibi, *Tua Ordinaria authoritate in Bullar. to.* 2.*pag.*48. & in alia ſimili Pauli V. incipit, *Eximiæ*, §.7. ubi eadem verba repetuntur *tom.*3.*pag.*212. Et propterea in ſuis litteris ſemper inſcribitur, Cameræ Apoſtolicæ Gene-
71 ralis Auditor, Romanæque Curiæ judex ordinarius. Qua ratione ex parte idem dici poteſt de Auditoribus Rotæ, quia illorum juriſdictio eſt ordinaria in procedendo, licèt ſit delegata in ſententiando, ut notat gloſ.1. in Clem. *Auditor de reſcript.*Speculat. *loco citato*, Gambar.*dict.tract. de offic.legat.lib.6. nu.*64. *verſ. Undecimo quæro*, licèt Archid. *in cap.Experientiæ* 11. *qu.*1. dixerit Bonifacium interlocutum fuiſſe, quod in Curia nullus habet ordinariam niſi Papa, ut refertur in gloſſa præallegata.

72 Deindè principaliter motus fui quoad primam reſponſi partem, quia facultates Congregationibus Cardinalium attributas in præcitatis litteris Sixti V. conſtat eſſe perpetuas, & perdurare etiam in tempus Pontificum ſucceſſorum. Idque non ſolùm ex generali regula, quod de natura Conſtitutionis eſt, ut ſit perpetua, *c.ult.ſuprà de offic.legat.* Feder. de Sen. *conſ.*16. incipien. *Capitulum in princ.*Verùm etiam, quia hoc caſu id ſatis apertè cautum reperitur in declarationibus facultatum earumdem Congregationum poſteà editis ab eod. Sixto V. *in* §. 3. *in Bullar. tom.* 2. *pag.* 616. ibi, *graviora verò quæcumque ad nos, vel Succeſſores noſtros deferantur*, & clariùs in §.8.Ubi ſic legitur, *ut autem hæ noſtræ litteræ quamprimum ubique locorum, & gentium innoteſcant, quas inter alias Apoſtolicas, & perpetuas Conſtitutiones annumeramus, &c.*

73 Tertiò motus fui, quia in Clem.*Ne Romani*, §.*Irritum de elect.* & in Conſtitutione Pii IV. *In eligendis* §.6. abdicatur à Cardinalibus Sede vacante illa tantùm juriſdictio, quæ ad Pontificem Maximum dum viveret pertinebat, ut dictum eſt ſuprà *num.* 53. *& nu.* 59. ſed juriſdictio Congregationibus attributa in litteris Sixti V. non pertinebat ad Summum Pontificem dum viveret, ſcilicet privativè, ſed ad ipſaſmet Congregationes, inter quas idem Sixtus Pontificiam juriſdictionem partitus eſt, ut patet ex iiſdem litteris, §. 2. ibi, *Pontificium hoc onus Angelicis planè humeris formidandum inter Senatores Orbis terræ fratres noſtros Cardinales apta quadam diſtributione pro temporum conditione, negotiorum multitudine, & varietate, ipſaque utilitatis ratione ſalubriter partiri decernimus.* Ergo talis juriſdictio non cenſetur à Cardinalibus abdicata, & per conſequens remanet apud illos, ut prius, nam quod non mutatur, &c. *l.Sancimus, C.de teſtam.cum ſimilibus.* Præterea *in d.*§.*Irritum*, abdicatur juriſdictio Cardinalium cœtu, & in Bulla Pii IV.*d.*§.6.à Collegio Cardinalium. Hæc autem verba non comprehendunt juriſdictionem conceſſam particularibus Congregationibus, quia illæ non conſtituunt unum corpus univerſale, nec dici poſſunt cœtus, ſeu Collegium Cardinalium, ſed ſunt corpora inter ſe diſtincta, nec ulla ex Congregationibus facultates exercet nomine Collegii, ſuo peculiari nomine, veluti Inquiſitionis Concilii, Rituum, & alias, prout in litteris erectionis. Unde cum tali juriſdictioni non adaptentur verba Conſtitutionum, conſequenter nec earum diſpoſitio adaptari debet, *c.Tua infrà de ſponſal.l.*4.§. *Toties*, & ibi Bart. *ff.De damn.infect.cum ſimil.*ut per Gemin.*conſ.*88. Inn.*ſub num*4.
*verſ.Cùm ergo concurrant.*Et confirmatur,quia ſicut in con- 74
ceſſione juriſdictionis univerſalis non venit juriſdictio alteri ſpecialiter demandata, ut eſt caſus *in c.Studuiſti*: & ibi dixi *in* 1. *not. ſuprà de offic. leg.* eò quòd mandatum ſpeciale deroget generali, ut ibi, *& in c.*1.*Cùm materia ſuprà de reſcript.*& generi per ſpeciem derogetur,ut *in reg.generi lib.6.* ita è converſo in abdicatione juriſdictionis univerſalis à Collegio Cardinalium non includitur juriſdictio particularibus Congregationibus ſpecialiter attributa, ut idem operetur oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propoſito, *l.Si ex toto, ff. De legat.*1.*l.*3.§.*fin.l.*4. *& l.Legata, ff. De adim. legat.* & per conſequens cenſeri debet eis permiſſum, quod non reperitur expreſsè prohibitum, *c. Illud* 30. *qu.*3.*& c.Qui ſpirituale qu.*4.*c.Sunt nonnulli* 16.*qu.*1. *l.Mutus*, §. 1. *ff. De procurat. cum multis ſimilib.*

Quartò motus fui,quia in eadem Conſtitutione Pii IV.*in* 75
§. 10.*verſ. Pœnitentiarius verò*, limitatur juriſdictio Majoris Pœnitentiarii, itaut extra forum conſcientiæ penitus conquieſcat, & in §.12. tolluntur facultates Cardinalium, & Prælatorum Signaturæ Gratiæ, quæ eſt ſecunda ex Congregationibus à Sixto V.inſtitutis,ut in Bull.*t.*2.*pag.*612.& decernitur ut illius Card.& Prælati ſupplicationes,& commiſſiones aliquas, etiamſi ſupplicantes parvas datas anteà obtinuerint, ſignare non valeant, & officia eorum omninò ceſſare intelligantur. Hæc autem planè convincunt in generali diſpoſitione prius facta in §.6. quod Collegium Cardin.nullam habeat juriſdictionem in ſpectantibus ad Papam dum vivit, nullatenus fuiſſe comprehenſas particulares Congreg.Cardin. alioqui quid opus fuiſſet illarum facultates limitare, vel auferre,ſi in alia parte Conſtitut.eædem facultates jam fuiſſent eis ex omni parte ademptæ? Et ita in terminis ſimilis Conſtitut. poſt Archid. arguit gl. *in c.unic. de ſchiſmat.lib.6.in ver.Sede vac.in princ.* ut dixi ſuprà *n.*5.

Ad extremum motus fui quoad hanc primam partem reſ- 76
ponſi ex diuturna obſervantia ſubſecuta, ad *l. Si de interpretatione*, *ff. De legib.& c.Cum dilectus de conſuetud.* nam creato novo Pontifice facultates Congregationum non conſueverunt renovari, ſed fiunt Congregationes, prout ſolebant vivente Papa, quod clarè demonſtrat eas facultates non expiraſſe, alioquin opus eſſet nova conceſſione; 77
quia juriſdictio ſemel extincta, etiam cauſa extinctionis ceſſante non reviviſcit, *l. Qui res*, §. *Aream*, *verſ.In perpetuum*, cum concordant.de quibus ibi per gloſ.*ff.De ſolut.* *c.Quæris*, *verſ.Non poteſt autem*, & ibi gloſ.*in verb. Contrahatur de conſecr. diſt.*4. Speculator *in tit. de ſalar.* §.*Poſtremo*, *verſ.Primo*, Bald. *in l.Qui liberatus nu.*1.*ff.De adopt.*licèt ſecus eſſet ſi tantùm eſſet ſuſpenſa, ut notat Inn. *in c. Cùm inter in ver.Licitum nu.*2.*de conſuetud.*& Bald. *loc. cit.*

Quoad ſecundam partem reſponſi, videlicet, quòd ju- 78
riſdictio Congregationum Sede vacante Cardinalibus in Conclavi manentibus debeat conquieſcere, & dormitare quoad negotia, & cauſas,quæ in Congregatione expediuntur per ſubſcriptionem Cardinalis Præfecti, ſeu habentis ſigillum;motus fui,quia *in c.Ubi periculum*,§.*Idem quoque de elect. lib.* 6. præcipitur Cardin. exiſtentibus in Conclavi,

ut accelerandæ electioni Summi Pontificis, ſic vacent attentius, ut ſe nequaquam de alio negotio intromittant, & excipiuntur duo tantùm caſus, id eſt, urgentis neceſſitatis pro terra Eccleſiæ, vel aliqua ejus parte defendenda, & grandis periculi imminentis, quæ exceptio in aliis firmat regulam in contrarium, itaut imminente electione Papæ electores non debeant ſe ad alia divertere, nam pluribus intentus, &c. *c. Diverſis de Cleric. conjugat. l. Nemo,*
79 *C. De ſeſſor.* notant *in d. c. Ubi periculum*, Joan. Andr. *in ver. Alio negotio*, & Petr. de Anchar. *nu.* 4. *verſ. Item notat in ver. Iidem quoque*, ſubdens Cardinales vacante Sede, nec in arduis poſſe ſe immiſcere, niſi ſtrictè, prout textus loquitur, id eſt, in defenſione terræ, vel cùm immi-
80 net grande periculum, aliàs non. Præterea in d. Decretali, *Ubi periculum in §. Nulli*, fiunt quinque prohibitiones. Prima eſt, ut nemini ad Cardinales in Conclavi aditus pateat. Secunda, ut nec ipſi Cardinales aliquos ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præſentium vocarentur pro inſtanti electionis negotio. Tertia, ut nulli liceat ad eoſdem Cardinales, vel eorum aliquem nuntium mittere. Quarta, ut nec liceat ad eoſdem mittere ſcripturam. Quinta, ne quis ſecretò cum eis loquatur. Et quamvis pœna excommunicationis non adjiciatur, niſi tribus poſterioribus prohibitionibus, id eſt, contra mittentes nuntium, vel ſcripturam, & ſecretò loquentes: & hoc verbum, *ſecreto*, quoad ipſam pœnam determinet tertiam, & quartam prohibitionem, ſcilicet mittentium nuntium, vel ſcripturam: tamen ſalva manet inhibitio in reliquis omnibus, videlicet non ſolùm quoad extraneos, qui accedunt ad Cardinales, & quoad Cardinales, qui extraneos admittunt; ſed etiam quoad illos, qui publicè, & palàm mittunt ad Cardinales nuntium, vel ſcripturam; licèt his quatuor caſibus, in quibus hæc palàm fiunt, & non ſecretò, contrafacientes non ligentur pœna excommunicationis, ut ibi declarat Archid. *ſub n.* 4. *col.* 3. *in ver. Secretè*, Jo. Andr. *n.* 6. Butr. *n.* 7. *in eod. ver.* Et alii communiter. Si ergo quicumque aditus, ſeu acceſſus ad Cardinales, & miſſio Nuntii, vel ſcripturæ etiam publicè, & palàm in prædicta Decretali interdicuntur, & viceverſa non licet iiſdem Cardinalibus quemquam admittere, niſi vocatum de conſenſu omnium pro negotio electionis: profectò hinc ſequitur neceſſariò, ut nec liceat illis Secretarios, vel Miniſtros audire, vel ſcripturas recipere, nec alia tractare, aut expedire negotia particularia Congregationum, quæ ad Papæ electionem non pertinent, ex his, quæ dicta ſunt ſuprà *nu.* 78.
81 Dixi Cardinalibus in Conclavi manentibus; quia ſecus eſſet ſi illorum quiſpiam reperiretur extra Conclave, quia tunc ceſſaret ratio accelerandæ electionis, cùm electio fieri non poſſit niſi in Conclavi, & eo clauſo, & hodie hoc fit de forma, ut Conſtitutione Gregorii XV. *de elect. Papæ*
82 *in §. Quod ſi electio*. Unde quamvis Cardinalis Major Pœnitentiarius, cujus officium non expiràt per obitum Papæ, Clement. *Ne Romani*, §. *Eo tamen proviſo de elect.* poſſit Sede vacante exercere, quæ pertinent ad forum conſcientiæ, ut in præcitata Bulla Pii IV. §. 10. Hoc tamen fallit ſi ſit in Conclavi; quia tunc licet retineat juriſdictionem, non tamen retinet exercitium, cùm ſit impeditus extra negotiari. Quo impedimento ſublato, veluti ſi maneret extra conclave, utique poſſet concernentia forum conſcientiæ expedire. Ita ſingulariter declarat gloſ. *in d.* §. *Eo tamen proviſo in ver. Majorem*, dicens, *tempore incluſionis Major Pœnitentiarius ſi eſt Cardinalis, per ſe non poteſt uti officio: ſi tamen nollet in clauſura manere, etiam perſonaliter utetur officio*, & ſubdit gloſſa ſic feciſſe Cardinalem Tuſculanum. Veruntamen etiam in Conclavi poſſet officium perſonaliter exercere quoad eos, qui in eodem conclavi exiſtunt; exceptis tamen illis, quæ ſunt ei ſpecialiter interdicta, ſicuti eſt abſolutio à cenſuris in terminis ejuſdem Conſtitutionis Gregorii XV. §. 19.

Quo verò ad ultimam partem, videlicet quòd negotia, 83
quæ in communi forma à ſolo Secretario expediri ſolent vivente Pontifice, poſſit ſimiliter expediri ipſo vita functo, breviter motus fuit, quia in his levibus, & ordinariis, quæ à Cardinalibus non per ſe ipſos, ſed per Miniſtros expediri conſueverunt, ceſſat omninò ratio prohibitionis, de qua in prædicta Decretali, *Ubi periculum*, videlicet ne electionis negotium protrahatur, in quo grave imminet periculum, ut ibi in principio, & in §. *Idem quoque*. Ergo & prohibitio ceſſare debet, *c. Et ſi Chriſtus de jurejur. cum ſimilibus*, & conſequenter cùm facultates Congregationum mortuo Papa non ſint extinctæ, ut abundè oſtenſum eſt ſuprà in prima parte *à nu.* 64. utique poterunt in his levibus per miniſtros, ut anteà exerceri, ut ſentit gloſ. in d. Clem. *Ne Romani*, §. *Eo tamen proviſo in ver. Expirare*. Unde dixi per Secretarium Congregationis ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium poſſe expedire licentias pro puellis educandis, prout fuerunt expeditæ hoc ipſo tempore Sedis vacantis ex ordine dato à Cardinalibus ante ingreſſum in Conclave, & eadem ratione dari poterunt tranſumpta, & duplicata, ſeu ut vocant, *Ita reperitur*, & alia hujuſmodi, quæ cùm ſola ſubſcriptione Secretarii expediri ſolent. Idemque dicendum de cauſis, & negotiis ante obitum Papæ jam reſolutis in Congregatione, quæ expediri poterunt à Secretario in illis caſibus, in quibus ſufficit ejus ſubſcriptio, ut mos eſt in expeditionibus, quæ fiunt in Cu- 84
ria. Ex quibus etiam deducitur, ut liceat Cardinalibus tempore recluſionis exercere juriſdictionem, quam habent in ſuis titulis, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſuprà *nu.* 68. non quidem per ſe ipſos, ſed per ſuos Vicarios, & Miniſtros. Quod & licebit majori Pœnitentiario non perſona- 85
liter, ſed per Officiales Pœnitentiariæ, ut colligitur ex gl. præallegata *in d. §. Eo tamen proviſo in ver. Expirare*.

DE TREGUA, ET PACE.

Alexander III. in Concilio Lateranen.

CAPUT I.

Treguas à quarta feria poſt occaſum Solis, uſque ad ſecundam feriam in ortu Solis; ab Adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuageſima, uſque ad octavas Paſchæ ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Si quis autem treguas frangere præſumpſerit poſt tertiam admonitionem ſi non ſatisfecerit, ſuus Epiſcopus ſententiam excommunicationis dictet in eum, & ſcriptam vicinis Epiſcopis annuntiet: quorum nullus excommunicatum in communionem recipiat, imò ſcriptam ſententiam quiſque confirmet, ſi quis autem hæc violare præſumpſerit, ordinis ſui periculo ſubjaceat. Et quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur, præcipimus ut Epiſcopi ad ſolum Deum, & ad ſalutem populi habentes reſpectum, omni trepidatione ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam, mutuum ſibi conſilium, & auxilium præbeant, neque hoc alicujus amore vel odio prætermittant. Quòd ſi quis in hoc opere trepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.

S U M-

SUMMARIUM.

1 Treguæ Canonicæ quibus diebus, & quas ob cauſas ſint ſervandæ.
2 Treguæ conventionales omn. tempore ſervari debent.
3 Dies in actibus, qui commodè nocturno tempore exerceri non poſſunt, non naturaliter, ſed artificialiter ſunt computandi.
4 Dies quotuplex ſit.
5 Laicis poteſt Eccleſia indicere ferias in actu, ex cujus exercitio arguitur quædam quaſi irreverentia Altiſſimi.
6 Excommunicatus in una diœceſi haberi debet pro excommunicato in Univerſo Orbe.
7 Excommunicatio ſequitur perſonam, ſicut lepra leproſum.
8 Executionem, & publicationem ſententiæ ſuæ Judex unius territorii poteſt committere Judici alterius territorii.
9 Verba, ſui ordinis periculo ſubjaceat, quid importent.
10 Funiculus triplex difficilè rumpitur.
11 Tregua eſt ſecuritas præſtita rebus, & perſonis diſcordia nondum finita.
12 Diſcordiæ verbum comprehendit etiam privatorum diſſidia.
13 Bellum, & tregua largè dici poſſunt etiam inter privatos.
14 Treguæ, & induciæ in quo differant.
15 Pax eſt finis diſcordiæ.
16 Lex Eccleſiaſtica præceptum, vel prohibitionem continens, an obliget tranſgreſſores ad culpam, vel pœnam ſi caſu recepta non fuerit, & nu.ſeqq.uſque in fin.
17 Conſtitutio de tregua ſervanda hodie non tenet, nec Epiſcopi cenſentur illius tranſgreſſores, quia non fuit moribus utentium approbata.
Contrarium, num. 22.
Declaratur, num. 71.
18 Leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur.
Declaratur, num.25.27.32.39.49. & 56.
19 Lex ad ſui eſſentiam tria requirit, ut inſtituatur, ut promulgetur, ut moribus utentium approbetur.
Contrarium, num. 48. & 57.
20 Lex nullam vim habet, ut eis parcatur, niſi ex more.
Leges multæ moribus Patriæ non conveniunt, ibid.
21 Lex ab initio cenſetur lata à Principe ſub conditione, ſi moribus utentium recipiatur, & num.47.
Contrarium, num. 48.
22 Lex præcepti neceſſitatem imponit, & contravenientes mortaliter peccant, & num. 34.
23 Deſuetudo habens principium vitioſum non excuſat.
Declaratur, num. 29. & 41.
24 Tempus non eſt modus tollendæ obligationis.
Declaratur, num. 30.
25 Intellectus, §. Leges 4. diſtinct. & num. 27. 32. 39. 49. 56.
Inter Leges præcipientes, & leges ſimpliciter ſtatuentes debet eſſe differentia, ibid. & num.35. & 44.
26 Magiſtrorum authoritas contra leges non excuſat.
27 Lex non tollitur contraria conſuetudine ſi infligat pœnam ipſo jure. Secus ſi mandet infligi.
Contrarium, num. 72.
28 Lex lata ſuper eo, cujus contraventio ex ſe generat mortale, non tollitur deſuetudine etiamſi à principio non recipiatur, & num. 42.
29 Legis primi tranſgreſſores, quamvis peccaverint, tamen ſequentes non peccaverunt, & num. 41. Contrarium à num. 47.
31 Lex recepta ab initio non tollitur conſuetudine, niſi quadraginta annorum. Secus ſi non ſit recepta, quia ſufficit decennium etiam Principe ignorante.
Contrarium, num. 40. & num. 67.
32 Error communis excuſat Prælatos non ſervantes legem uſu non receptam à tranſgreſſione, & à pœna.
Contrarium à num. 47.
33 Prælati exequi poſſunt Conſtitutionem, licèt moribus utentium approbata non fuerit.
34 Prælati non ſervantes legem uſu non receptam excuſantur à pœna, ſed non à culpa ſecundum opinionem Cardinalis.
35 Lex permittens, vel puniens, aut diſponens poteſt per deſuetudinem tolli.
36 Lex præcipiens, aut vetans poteſt deſuetudine abrogari, ſi lata fuerit ad commodum privatum.
37 Et quid ſi fuerit lata in honorem Dei, vel ad commodum publicum.
38 Lex præceptiva non ligat ſi numquam fuit recepta in obſervantia ſciente Legislatore, & valente contradicere, & non contradicente.
39 Nec requiritur tempus ad præſcribendum, ſed ſufficit binus, vel trinus actus.
Contrarium, num. 66. & ſeqq.
40 Lex uſu non recepta Principe ignorante non tollitur conſuetudine, niſi illa ſit rationabilis, & annorum quadraginta, num. 67.
41 Legem non recipientes ab initio ex aliqua rationabili cauſa Papa ſciente, & tolerante non peccant.
42 Lex continens jus Naturale, vel Divinum, aut illius declarationem, nulla unquam conſuetudine tolli poteſt, licèt ab initio non fuerit recepta.
43 Secus ſi aliquid addat juri Naturali, vel Divino, quia reſpectu additionis de illa judicatur tamquam de lege poſitiva.
45 Lex conſilii tollitur indiſtinctè per deſuetudinem.
46 Lex Eccleſiaſtica poſt promulgatione, an ſtatim liget à principio antequam recipiatur à ſubditis, & num. ſeqq. uſque ad num. 59.
47 Conditio nihil ponit in eſſe, etiamſi ſit tacita, & à jure ſubintellecta.
48 Legis non receptio indiſtinctè nihil operatur, niſi tranſeat in conſuetudinem à Legislatore non ignoratam.
49 Lex recipit ex moribus firmitatem ſtabilitatis, non firmitatem authoritatis.
50 Legislatoris poteſtas, & voluntas requiruntur ad hoc, ut ſubditi obligentur ad acceptandam legem.
51 Legislator ſupremus poteſtatem habet legem ferendi abſque ſubditorum conſenſu.
52 Papa immediatè à Chriſto poteſtatem habet ferendi leges habentes vim obligandi Eccleſiam ad illas acceptandas, & obſervandas.
53 Voluntas Legislatoris obligandi ſubditos ad acceptandam legem præcipuè ex verbis conjecturatur.
54 Pœna imponitur legem tranſgredientibus, ne de contumacia valeant gloriari.
55 Legis acceptatio eſt effectus, qui ſubſequitur ipſam legem, ideòque impoſſibile eſt, ut concurrat ad eſſe legis, vel ad producendam legis obligationem.
56 §. Leges 4. diſt. non eſt Auguſtini, ſed Gratiani, nec habet Canonis authoritatem.
57 Publicatio eſt ultimus actus perficiens legem.
48 Orientalis Eccleſia non ideò excuſatur à lege continentiæ, quod illam non ſuſceperit, ſed quia Papa ejus conſuetudinem approbavit.
59 Non uſus legis tribus modis conſiderari poteſt, & num. ſeqq.
60 Lex per non uſum nullo tempore abrogatur, ſi nunquam accidit caſus, in quo potuerit obſervari.
61 Servitus aquæ ducendæ nunquam perditur per non uſum, ſi fons aruerit.
62 Non uſus legis non legem abrogat, niſi implicitum habeat contrarium uſum.
63 Electio fieri poteſt per viam compromiſſi, quamvis ab immemorabili tempore facta fuerit per viam ſcrutinii.
64 Electio licèt ſemper facta fuerit ex gremio unius Eccleſiæ; non tamen per hoc cenſetur præſcriptum, quo minus fieri poſſit ex gremio alterius.
65 Appellandi facultas ad Patriarcham non cenſetur ſublata, licèt per mille annos fuerit ſemper appellatum ad Papam.
66 Negativa aliquando habet implicitum contrarium actum, & non facere eſt aliquid facere.
67 Lex Eccleſiaſtica non recepta ab initio non tollitur per

non uſum minoris temporis annorum quadraginta, ſive Princeps ſciat, ſive ignoret.

68 *Secus in legibus civilibus, quia ſufficit ſpatium decem annorum.*

69 *Item ſecus ſi non uſus non ſit contra, ſed præter legem.*

70 *Mos non fit niſi temporis longitudine.*

72 *Lex recepta ab initio indiſtinctè abrogatur per deſuetudinem, vel contrariam conſuetudinem rationabilem, & legitimè præſcriptam.*

73 *Deſuetudo ut legem abroget, quæ debeant concurrere.*

74 *Conſtitutiones Apoſtolicæ non tolluntur per non uſum, vel contrarium uſum, niſi ſpatio annorum quadraginta cum ſcientia, & patientia Papæ.*

75 *Deſuetudo non excuſat contravenientes, ſi aliqui in eodem loco legem ſervaverint.*

1 TRegnas. Statuit tempora treguarum, & pœnas violantium, & quatuor habet partes. Prima determinat tempus feriarum in actu bellandi. Secunda ſtatuit pœnam frangentibus treguam. Tertia pœnam Epiſcopis negligentibus. Quarta inſtruit quid facere debeant, ut tregua, & pax ſerventur. Secunda ibi, *ſi quis autem*. Tertia ibi, *ſi quis autem hoc*. Quarta ibi, *& quoniam*.

2 Nota primò ex textu quibus diebus, & quas ob cauſas ſervandæ ſint treguæ: nam die Jovis à bello abſtinendum propter Aſcenſionem Domini in Cœlum, & propter Cœnam cum Diſcipulis, *c. Porrò de conſecr. diſt.* 1. *& c. Litteris diſt.* 3. Die Veneris ob reverentiam Dominicæ Paſſionis. Die Sabbati, quia die illa Diſcipuli latuerunt ob metum Judæorum, & quia Corpus Domini latuit in ſepulchro, *c. Sabbato de conſecr. diſt.* 3. Die Dominico, quia quodlibet inſigne ea die conſtitutum fuit à Domino, *c. Quod die in fin.* 75. *diſt.* & in honorem Reſurrectionis Dominicæ: & aliis diebus hìc expreſſis ob illorum reverentiam, ſecundùm Goffred. & Hoſt. quos hìc ſequitur Jo. Andr. *n.* 1. & ita hunc text. ſummant Bellam. Butr. & Imol. Hæc autem vendicant ſibi locum in tregua canonica, ideſt præſcripta à Canone, ut hìc: non autem in treuga conventionali, quæ omni tempore ſervari debet, quia fides etiam hoſti ſervanda eſt, *c. Noli* 23. *q.* 1. *& ff. De pact. convent. per tot.* ſecundùm gloſ. 2. *hic*, & Innoc. *in princ.* dummodò tamen infidelis ipſe fidem non frangat fideli, *c. Pervenit, il ſecondo de jurejur. cum multis ſimilibus*, ut per Hoſt. *in ſumma hoc tit.* §. *Quot ſint ſpecies in princip.*

3 Secundò nota ibi, *poſt occaſum Solis*. In actibus, qui commodè nocturno tempore exerceri non poſſunt, dies non naturaliter, ſed artificialiter eſſe computandos. Quod facit pro illis, qui locant operas ad terminum, ut hìc notant Butr. & Imol. ambo *num.* 3. qui remittunt ad *c. Conſuluit*

4 *ſuprà de offic. Delegat.* Dies enim artificialis incipit ab ortu Solis, & deſinit in occaſu, ut hìc patet. Naturalis verò eſt viginti quatuor horarum, ut *l. More Romano, ff. De feriis.* Sed Bald. *hic in princ.* dicit triplicem eſſe diem. Alius enim eſt dies lucis, donec Sol eſt ſuper Terram. Alius dies tenebrarum ab occaſu uſque ad manè. Alius naturalis utrumque Hemiſphærium complectens.

5 Tertiò nota ibi, *ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus*. Eccleſiam poſſe ligare laicos, & indicere illis ferias, quando agitur de exercitio actus, ex quo arguitur quædam quaſi irreverentia Altiſſimi, ſaltem in illis diebus, ut hic per Butr. *n.* 8. & Imol. *n.* 4.

6 Quartò nota ibi, *Nullus excommunicatum in communione recipiat*. Excommunicatum in una diœceſi habendum eſſe pro excommunicato in univerſo Orbe: concordat *cap. Curæ* 11. *q.* 3. & notant gloſſ. *fin. in c. Si quis Presbyter* 7. *q.* 1. *in c. Quiſquis autem in ver. Communicet* 4. *q.* 1. Archid. *in c. Si autem n.* 1. 11. *q.* 3. gloſſa magna *in c. Paſtoralis*, §. *Verum de appellat.* Abb. *hic n.* 2. & Felin. *in princip.* Ratio eſt, quia

7 excommunicatio afficit animam, & corpus; & ideò non circumſcribitur territorio, ſed ſequitur perſonam, ſicut lepra leproſum, *c. Cito turpem* 1. *q.* 1. *& c. Ad reprimendam ſuprà de offic. Ordinar.* Facit quod notat Hoſt. *in c.* 1. *n.* 9. *verſ. Sed nec ſequitur infrà de reliq. & vener. Sanctor.*

8 Quintò nota ibi, *Sententiam quiſque confirmet*. Judicem unius territorii poſſe committere executionem, & publicationem ſententiæ ſuæ Judici alterius territorii, vel diœceſi, de quo plenè per Canoniſtas *in cap. Poſtulaſti infrà de foro compet.* & per Bart. & Legiſtas *in l. A Divo Fio*, §. 1. *ff. De re judic.* & hìc notant Butr. *num.* 10. & Imol. *num.* 6.

Sextò nota importantiam illorum verborum, *Sui ordinis periculo ſubjaceat*: ideſt excommunicetur, ut hìc probatur juncto *c. Illi qui* 24. *qu.* 3. & hìc notat gloſſ. *in ver. Periculo.* Vel deponatur ſecundùm Hoſt. *num.* 9. *in ver. Periculo*, & Joan. Andr. *num.* 11. 9

Ultimò nota illud tritum, quod *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, ut hìc, & in concord. de quibus in gloſſ. *penul.* & habetur originaliter Eccleſ. 4. *cap.* 12. & ſic ad multiplicationem vinculi gradatim ſequitur difficultas in diſſolvendo. Ad idem *c. Ex ſuarum de privil.* Butr. *hic n.* 11. Imol. *nu.* 8. Simile ponit Valerius Maximus *lib.* 9. *cap.* 3. *exempl.* 8. de caudis equorum, quæ paulatim carpi poſſunt, ſed non ſimul evelli, referunt hìc Joan. Andr. *num.* 3. & Anchar. *in* 7. *notab.* 10

In gloſſa prima nota quid ſit Tregua, & quid ſit Pax. 11
Tregua enim, ut diffinit gloſſa eſt ſecuritas præſtita rebus, & perſonis diſcordia nondum finita: quam lex vocat fœdus, vel fiduciam, ut *l. Non dubito, ff. De capt. & poſtlim. reverſ.* Hoſt. *in ſumm. hujus tit. in princ.* Arch. *in c. Illi qui* 24. *q.* 3. Calder. *conſ.* 37. incipien. *Mandavit nu.* 1. *de teſtam.* Aptius tamen gloſſa dixiſſet, bello nondum finito: quia verbum, *diſcordia*, nimis latè patet, & comprehendit etiam privatorum diſſidia, inter quos propriè bellum non eſt; licèt lato ſumpto vocabulo poſſit dici bellum, & conſequenter tregua etiam inter privatos; & ſic ſalvari poteſt gloſſa, quia diffinit treguam generaliter ſumptam, ut hìc per Butr. *n.* 17. Cardin. *n.* 3. *col.* 2. *verſ. Quæro quid eſt tregua*, & Imol. *n.* 8. Differt autem ab induciis, quia induciæ ſunt ad modicum tempus, tregua in longum extenditur, *l. Poſtliminium*, §. *Induciæ, ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* Pax verò eſt finis diſcordiæ, ſecundùm Goffred. & Joan. Andr. *hic in addit. poſt gloſſ.* 1. Idcircò enim bellamus, ut pacem habeamus, *cap. Niſi bella, & cap. Noli æſtimare* 24. *quæſt.* 1. & habetur *lib.* 10. *Ethicor. cap.* 6. Et quamvis hanc diffinitionem impugnet Cardinalis *hic in* 3. *quæſtione*, eò quòd poſſit eſſe pax, etiamſi diſcordia non præceſſerit: tamen diffinitio ſalvari poteſt, quia pax magis dicitur quantum ad remotionem diſcordiæ, quàm quantum ad unionem, ut docet ſanctus Thomas *in* 3. *ſentent. diſtinct.* 27. *qu.* 2. *art.* 1. *ad ſextum*. 12 13 14 15

In gloſſa ſecunda QUÆRO, Utrùm Lex Eccleſiaſtica præceptum, vel prohibitionem continens obliget tranſgreſſores ad culpam, vel pœnam, ſi uſu recepta non fuerit. 16

In hac perdifficili quæſtione mirum eſt quanta ſit opinionum diſcordia inter primarios Canoniſtas. 17

Prima opinio fuit gloſſæ ſecundæ hìc, quæ dixit hanc Conſtitutionem de tregua ſervanda hodie non tenere, neque Epiſcopos cenſeri illius tranſgreſſores, quia non fuit moribus utentium approbata, & ſic gloſſa relata ad textum, qui loquitur præceptivè, ut patet ibi, *Præcipimus*, ſentit apertè legem præcepti nullam vim habere obligandi ſi non fuerit uſu recepta. Quam gloſſam dicunt eſſe ſingularem, Imol. *n.* 12. Abb. *n.* 4. & Joan. de Anan. *ad fin.* & famoſam Felin. qui pluribus illam exornat *n.* 6. eamque ſequuntur hìc Goffred. *& in Summa hujus tit.* Innocen. *hic poſt princ.* Oldrard. *conſ.* 259. incipien. *Impugnatur electio n.* 5. Imol. *in cap. Cum olim in* 2. *notab. de Cler. conjugat.* & alii quos more ſuo copioſè cumulat hìc Felin. *dicto n.* 6. & Rota *dec.* 781. *n.* 11. *p.* 4. *diverſ.* & hanc fatetur eſſe communem opinionem, Hoſt. *hic n.* 9. *in fin.* quam ſimpliciter ſecutus fuit *in Summa hujus tit.* §. *Quot ſunt ſpecies in fin. verſ. Sed quæritur*. De communi etiam teſtatur Ruin. *conſ.* 13. *Videtur n.* 28. *lib.* 2. & de magis communi Alex. *in conſ.* 132. *viſa facti narratione n.* 1. *lib.* 1.

Fundatur opinio gloſſæ radicaliter *in* §. *Leges* 4. *diſt.* ubi dicitur; Leges inſtituuntur cùm promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur: nam ſi tunc firmantur, ergo prius non obtinent roboris firmitatem, & ſic ſunt nullæ, & non ligant, *cap. Ne captandæ de conceſſ. præbend. lib.* 6. Felin. *in cap. Rodulphus num.* 30. *ſuprà de reſcript.* Quod apertè docuerunt Paul. & Matth. relati à Cardin. *in proœm. Clem. in verſ. Univerſitati num.* 1. dum dixerunt per dictum §. *Leges*, tria requiri ad eſſe legis, primò ut inſtituatur, ſecundò ut promulgetur, tertiò ut moribus utentium approbetur; ac ſi quid horum deficiat non eſſe legem 18 19

legem. Quorum dictum ſequutus eſt Henric. Bortæus *in*
20 *tract. de Synod. poſt tertiam partem art. 2. à nu. 50. maximè num. 62.* & patet *ex lib. 2. Politic. cap. 6. circa fin.* ibi, *Nam lex nullam vim habet, ut ipſi pareatur, niſi ex more.*

Fulcitur etiam opinio gloſſæ plauſibili ratione, quam reddit Petr. de Anchar. *in conſ. 218. Juxta ordinem num. 1. in fin.* videlicet, quia multæ leges moribus Patriæ non conveniunt, ideò permittitur cuilibet Provinciæ abundare in ſenſu ſuo, *cap. Certificari de ſepultur. & leg. Sæcularii, §. Sunt quædam, ff. De extraordin. crimin.*

21 Item inquit Gemin. *in dict. §. Leges ad fin. 4. diſtinct. Non eſt veriſimile Principem velle ſubditos ligare, ex quo lex moribus utentium non approbatur, quia videtur à principio ſtatuere ſub tali conditione, videlicet ſi moribus utentium recipietur.* Ergo non ſervantes non videntur venire contra præceptum ſuperioris. Quæ verba Gemin. multum extollit dicens eſſe valdè ſingularia, & aurea, Felin. *hic num. 12. verſ. Intellige quarto*, & ſequitur Ruinus *dict. conſ. 13. nu. 28. lib. 2.* & Covarr. *lib. 2. variar. reſolut. c. 16. num. 6.* dicens hanc eſſe communem opinionem, & alii apud Suarez *lib. 4. de legib. cap. 16. in princip.* Et hìc etiam ſpectat ratio Anchar. *in repet. cap. Canonum ſtatuta nu. 83. verſ. Sed quæro reperitur Conſtitutio ſuprà de conſtit.* dum ait non eſſe verum, quod Conſtitutio adeò obliget à principio, ut hodie, & omni tempore duret talis obligatio, quaſi lex ſemper loquatur, *leg. Ariani Cod. de hæret.* Nam ſi non fuit recepta moribus utentium, fingitur à principio me non obligaſſe. Quod patet, quia abrogatur per non uſum, *d. §. Leges*, cujus dictum uti egregium approbat hìc Felin. *num. 6. verſ. Plenius loquitur.*

22 Secunda opinio fuit Hoſt. *hic nu. 7.* qui reprobans gloſſam, & recedendo ab eo, quod dixerat in Summa, tenet hanc Conſtitutionem ligare, quamvis non fuerit uſu recepta.

Movetur primò per id, quod habetur *in cap. 2. 12. diſtin. & in cap. Propoſuiſti in fin. 27. diſt.*

Deindè movetur, quia lex præcepti, prout eſt hæc Conſtitutio, neceſſitatem imponit, *cap. Quiſquis præceptis, §. Quod præcipitur 14. quæſt. 1.* adeòut contravenientes mortaliter peccant, ut patet ibi, *& in cap. 2. ſuprà de major. & obedien.* & notat Archidiac. *in cap. Deteſtanda n. 4. de conceſſ. præben. lib. 6.* & idem Hoſtien. *hic num. 9. in*
23 *ver. Periculo*, Abb. *in 2. not.* & alii communiter. Unde in talibus deſuetudo, vel conſuetudo non excuſat, ut legitur, & notatur *in cap. fin. ſuprà de conſuetud.* quia principium fuit vitioſum, & contra inobedientiam non currit præſcriptio, *cap. Cum ex officii, & cap. Cum non liceat, de præſcript.* Collectar. *hic num. 3.*

24 Demum movetur, quia negari non poteſt, quin ſaltem ab initio ad legis obſervantiam adſtringerentur Prælati, cùm adhuc lex in deſuetudinem non abiiſſet. Ergo ex ipſa vi legis ſequitur, ut ad idem hodie adſtringantur, quia tempus non eſt modus tollendæ obligationis, *l. Obligationum, la ſeconda, §. Placet, ff. de action. & obligat.*

25 Non obſtat *dict. §. Leges*, & jura concordantia. Quoniam ut reſpondet Hoſt. intelligi debent de illis ſtatutis, ſive legibus, quæ non ſunt præceptoriæ, ſed ſimplices: exemplum *in c. Statuimus de major. & obed. & in c. Statuimus cum duobus c. ſeqq. 4. diſtinct.* quorum fit mentio *in d. §. Leges, & in §. Hæc etſi legibus.* Debet enim inter has præceptorias, & alias leges eſſe differentia, *c. Omnis autem 3. diſt.*

26 Rurſus non obſtat authoritas gloſſæ prææallegatæ. Quoniam ut Hoſt. ſubjungit, quamvis ita dicant Magiſtri, tamen in talibus Magiſtrorum authoritas non excuſat: ut legitur. & notatur *in cap. A nobis de bigam.* & ignorans, ignorabitur, *cap. Niſi cum pridem, §. Pro defectu ſuprà de renunciatione.*

27 Tertia opinio, ut hìc refert Joan. Andr. *num. 10.* diſtinguit Conſtitutiones, quæ infligunt pœnam ipſo jure, ab his quæ mandant infligi, ut in primis locum non habeat contraria conſuetudo, quia non ſervantes ſtatim incidunt in factum damnatum, *cap. 1. 2. & 3. 24. quæſt. 1.* In ſecundis verò procedat *dict. §. Leges, & §. fin. 4. diſt.* & hoc modo diſtinxit Matth. relatus à Card. *in proœm. Clement. in ver. Univerſitati in ſecunda quæſtione.*

28 Quarta opinio fuit Joan. Calderin. *hic in addit.* qui ex not. *in Rubrica de conſuetud.* per Innoc. *num. 10.* Compoſt. *in fin.* & Jo. Andr. *num. 15.* ſic diſtinxit. Quandoque Conſtitutio fertur ſuper eo, cujus contraventio ex ſe generat peccatum mortale: & tunc non tollitur per deſuetudinem, etiamſi à principio non recipiatur, arg. *c. fin. ſuprà de con-*
ſuetud. Quandoque fertur ſuper eo, cujus contraventio ex 29
ſe non generat mortale: & tunc quamquam primi hujuſmodi legi non obtemperantes mortaliter peccaverint, per *cap. ult. §. Quod præcipitur 14. qu. 1. & §. final. 4. diſt.* tamen contra ipſam poteſt præſcribi, ut *in dict. §. Leges*, & poſtquam erit præſcriptum, contrafacientes non peccabunt mortaliter, ut *in eod. §.* Et ex hoc patet reſponſio ad ratio-
nem Hoſt. Quia non ſequitur, Primi non parentes pecca- 30
verunt; ergo & ſequentes, quia ultimi non adſtringuntur poſt præſcriptionem. Item non obſtat alia Hoſtien. ratio. Quod tempus obligationem non tollat. Quoniam hoc non operatur ſolum tempus: ſed reſiſtentia, ſeu actus contrarius ſubditorum unà cum lapſu temporis hoc inducunt, & ſequitur Collectar. *hic nu. 3.* & Alex. *d. conſ. 132. nu. 1. verſ. Et*
ſaltem hoc procedit lib. 1. Hujuſmodi autem tempus, ut ſub- 31
dit notabiliter Calder. non debet eſſe annorum quadraginta; quia licèt ubi Conſtitutio à principio fuit recepta, requiratur hoc ſpatium quadraginta annorum ad eam abrogandam, ſecundùm ea, quæ notantur *in c. fin. de conſuetud.* tamen quando à principio non recipitur, ſufficit lapſus decennii, arg. eorum, quæ habentur *in d. §. Leges*, & quæ notantur per gloſſ. *in c. fin. in ver. Conſuetudo de conſuetud. lib. 6.* Quinimò ſecundùm eum ſufficit hoc caſu tempus decem annorum etiam Principe ignorante: & dicit hìc Imol. *n. 12.* hanc opinionem eſſe multum notandam, & approbari per Butr. & Card. *hic*, & cum eis tranſit etiam Felin. *n. 13. verſ. Conſidera ſecundo, & verſ. Primo modo*, dicens tutiùs eſſe ita tenere, & Covarr. *lib. 2. reſolut. cap. 16. n. 6.*

Quinta opinio fuit Ægid. Bellam. *hic in 3. qu.* qui conci- 32
liando opiniones, aliter diſtinguebat: videlicet aut quæritur, an Conſtitutio uſu non recepta obliget Prælatos eam non ſervantes ad peccatum mortale, & ad pœnam incurrendam. Et concludendum non obligare, quia communis error totius Eccleſiæ eos excuſat à peccato, & à pœna, arg. eorum, quæ notantur *in cap. un. de poſtulan. lib. 6.* & quia Romani Pontifices ſcientes legem non ſervari, videntur illius tranſgreſſioni tacitum conſenſum accommodaſſe, & ita intelligit *dict. §. Leges 4. diſt.* Quod tamen limitat; niſi Prælati haberent conſcientiam remordentem, arg. *c. Litteras de reſtitut. ſpoliator. & c. Inquiſitioni de ſent. excomm.* Aut quæritur, An Epiſcopi exequi poſſint Conſti-
tutionem non obſtante, quod moribus utentium approba- 33
ta non fuerit: & concludendum poſſe per motiva Hoſtienſis, de quibus ſupra in ſecunda opinione.

Sexta opinio eſt Cardinalis hìc in lectura, prout eum re- 34
fert Jo. de Imola *n. 12. verſ. Et cum illa*, qui diſtinguendo inter culpam, & pœnam, tenet Prælatos adſtringi ad ſervandam legem præcepti uſu non receptam; & ſic peccare ſi eam non ſervent; nec quoad hoc legem cenſeri abrogatam per non uſum; ſed tamen in pœnam non incidere, & hoc reſpectu legem eſſe abrogatam, arg. ejus, quod notat gloſ. *in c. Dolentes in ver. Divinum officium, de celebr. Miſſar.*

Septima opinio eſt Antonii de Butr. *hic num. 23. verſ. Vi-* 35
de ſi Conſtitutio, quia alia utitur diſtinctione, videlicet, Aut Conſtitutio permittit, vel punit, aut diſponit, & poteſt per deſuetudinem tolli, & ſic loquitur *dict. §. Leges*, & in hoc primo membro concordant Hoſt. & omnes. Sed eſt extra punctum quæſtionis, quæ proponitur de lege præce-
ptoria, Aut Conſtitutio præcipit, vel vetat, & tunc Butr. 36
ſubdiſtinguit: nam aut lata fuit ad commodum privatum, & poteſt per deſuetudinem abrogari, quia etiam facto ipſo, & renunciatione tolli poteſt, *cap. Ad Apoſtolicam, de regular.* Et ita notabiliter ait gloſ. *in l. De quibus in ver. Abrogentur circa fin. verſ. Item alii diſtinguunt, ff. De legib.* & in hoc conſentiunt Imol. & Gemin. *hic*, cum quibus tran-
ſit Felin. *num. 12. verſ. Intellige tertio*. Aut Conſtitutio fuit 37
lata in honorem Dei, ut hìc, vel ad commodum publicum: & hoc caſu ſi Conſtitutio non recipitur tempore editionis, ſeu promulgationis, & Superior ſcit, & patitur, & ſic tacitè conſentit hujuſmodi non receptioni: tunc jus non ligabit, & ſic loquitur *d. §. Leges*. Secus ſi Superior ignorat; quia tunc ligabit ſecundùm eum, nec conſuetudo operabitur per motiva Hoſtienſis.

Octava opinio eſt Abb. *hic num. 4.* ſic diſtinguentis. Aut 38
lex præceptiva numquam fuit recepta in obſervantia

ſciente Legiſlatore,& valente contradicere,& non contradicente: & talis lex non ligat, per textum juncta gloſſ. *fin. in cap. De libellis 20. diſt. & in c. Cum olim de Cler. conjugat.*

39 Nec ſecundùm eum requiritur hoc caſu tempus aliquod ad inducendam præſcriptionem, ſed ſufficit binus, vel trinus actus in contrarium; quia hìc non agitur de præſcribendo contra legem, ſed de impediendo vinculum legis: nam per binum, vel trinum actum apparet de conſenſu tacito Legiſlatoris, arg. *l. 3. C. de Epiſcop. audien. & c. Ita nos 24. q. 2.* & ita in hoc conſentit Fel. *hic n. 13. verſ. Primo modo*, dicens hoc caſu non eſſe opus tempore, ſed ſufficere tot actus majoris partis populi, ex quibus eliciatur Superioris tolerantia: & ita ſecundùm eum procedit text. *in dict. §. Leges diſt.* allegatus, & approbatus univerſaliter per omnes Gloſſatores, & Magiſtros noſtros. Et quod ſufficiant hoc caſu duo actus contrarii, Benintend. *dec. 13. n. 9. & ſeqq.* qui loquitur

40 in Extravag. *Ambitioſæ Pauli II.* Aut legiſlator ignorat non uſum legis: & tunc Abb. putat requiri tempus quadraginta annorum; & ſic legem poſſe abrogari, dummodò conſuetudo ſit rationabilis, ut *in c. fin. de conſuetud.* Et requiri tempus quadraginta annorum tenet etiam Joan. de Imol. *hic n. 14. verſ. Et quod dixi de decennio*: licèt Calder. Butr. & alii ſentiant hoc caſu ſufficere tempus decem annorum, ut dictum eſt ſuprà in 4. *opinione n. 31.*

41 Non obſtat, quod in principio omnes peccaverint legem tranſgrediendo: nam ad hoc reſpondet Abbas dupliciter, & primò, quod ſi moti fuerunt ex aliqua rationabili cauſa, non peccaverunt, quia Superior ipſe indulſiſſet, ex notatis per Archidiac. *in cap. Utinam 26. diſtin.* & eſt ex mente Cardin. *hic in 3. oppoſit. verſ. Dic tenendo gloſſam.* Dum voluit legem à principio poſſe non recipi ex aliqua juſta, & rationabili cauſa Papa ſciente, & tolerante: & ſequitur hìc Felin. *num. 12. verſ. Intellige hac.* Deindè reſpondet Abbas. Eſto primi contrafacientes peccaverint, tamen ſucceſſores eorum propter bonam fidem non peccaverunt, quia potuerunt exiſtimare illam legem ex aliqua rationabili cauſa non fuiſse obſervatam, argum. eorum, quæ notantur *in cap. De quarta, de præſcript.* Quam diſtinctionem inter primos Violatores, & ſequentes poſuit etiam Cardin. in Clem. *fin. in fin. 3. oppoſit. de ætate, & qualitate*, & admiſerunt hìc Calderin. Butr. & Imol. ut dictum eſt ſuprà *in 4. opinione num. 29.* & Felin. *num. 12. verſ. Intellige ſecundo.*

42 Ego verò in tanto opinionum diſcrimine, ſolo veritatis ſtudio, ac ſalva reverentia tantorum Patrum, totam hanc materiam diſtinguo in tres articulos, qui videntur à Doctoribus confundi, & promiſcuè tractari. Proponuntur autem de legibus Eccleſiaſticis merè poſitivis: nam ſi continerent jus Naturale, vel Divinum, aut illius declarationem; ineptum eſſet inquirere de illorum non uſu, vel contrario uſu, quia in talibus non cadit conſuetudo, ſed corruptela, & diuturnitas temporis non minuit, ſed auget peccatum, *cap. fin. de conſuetud. cap. Flagitia 32. qu. 7. cap. Veritate 8. diſt.* Abb. *in cap. Extirpandæ, §. Qui vero nu. 36. verſ. Conſuetudo autem infrà de præben.* & notant *in rubrica de conſuetudine*, Innoc. *nu. 10.* Compoſtell. *in fin.* Jo. Andr. *nu. 15.* Felin. alios adducens *hic num. 9. verſ. Tertia declaratio*, & conſentiunt Calder. & alii ſupracitati pro quarta opinione in primo illius membro *n. 28.* & Domini de Rota

43 *deciſ. 10.* incipien. *Utrum valeat conſuetudo nu. 4. de conſuet. in antiq.* licèt ſi lex poſitiva per omnia non eſſet conſona juri Divino, ſed aliquid illi adjiceret, reſpectu additionis, de illa judicandum eſſet tamquam de lege poſitiva, ut probatur *in c. Ut animarum in ſecundo reſponſo de Conſtit. lib. 6.* & declarat Gemin. *in dict. §. Leges 4. diſtin.* & Felin. *hic nu.*

44 *8. verſ. Secunda declaratio.* Rurſus proponuntur hujuſmodi articuli de legibus Eccleſiaſticis, quæ aliquid præcipiunt, aut vetant, non autem de illis, quæ conſulunt, permittunt, puniunt, vel diſponunt, in quibus Hoſtien. & Doctores videntur convenire, ut vim obligandi non habeant, ſi moribus utentium non ſint approbatæ, ita intelligentes *dict. §. Leges*, ut dictum eſt ſupra in ſecunda opinione, Hoſtien. *nu. 25. & in 7. in 1. illius membro num. 35.* licèt Joan. de Imol. *in cap. 1. num. 14. infra de vit. & honeſtat. Clericorum*, reprobet hanc diſtinctionem, quia quando lex ſtatuit, ut aliquid fiat, vel non fiat, ſatis vi-

45 detur præcipere, ut de ſe patet, ad hoc *c. Conſequens 11. diſt.* Et de lege conſilii, quæ indiſtinctè tollitur per deſuetudinem, notant Archid. & Gemin. *in dict. §. Leges*, & Felin. *hic num. 7. verſ. Prima declaratio.* Quibus ita conſtitutis, venio ad articulos.

Primus eſt, An lex Eccleſiaſtica poſt promulgationem à 46 principio ſtatim liget antequam recipiatur à ſubditis.

Secundus eſt, An lex non recepta ab initio tollatur per non uſum, vel deſuetudinem?

Tertius, An lex uſu recepta poſteà per deſuetudinem, 47 vel contrariam conſuetudinem abrogetur?

Circa primum in quo quæritur, an lex promulgata ſtatim liget ante acceptationem populi, Ad partem negativam arguitur, quia leges firmantur moribus, *§. Leges 4. diſt.* Unde nullam vim habent obligandi, niſi ex more, ut docuit Ariſtotel. *lib. 2. Politicor. c. 6. circa fin.* nec ulla alia cauſa nos tenent, quam quod judicio Populi receptæ ſunt, ut dicitur in *l. De quibus, ff. de legib.* & hoc ea ratione, quia cenſentur latæ à Principe ſub conditione, ſi moribus utentium approbentur, ut dixerunt Gemin. Felin. & alii ſupracitati in prima opinione *nu. 21.* Ergo ante implementum illius conditionis lex non dicitur in eſſe producta, quia conditio nihil ponit in eſſe, *leg. Si fundum, ff. De contrahen. empt.* etiamſi conditio ſit tacita, ut hoc caſu, & à jure ſubintellecta, ut per Alexan. *conſ. 42. Conſideratis nu. 1. lib. 7.* Quare legem tam Civilem, quàm Canonicam ex defectu voluntatis Legiſlatoris non obligari niſi à ſubditis recipiatur, cenſuerunt Gemin. *in dict. §. Leges*, Navarr. *in Manual. c. 23. nu. 41. & conſ. 1. qu. 5. de Conſtit.* Covarr. *lib. 2. variar. reſolut. c. 16. nu. 6.* & ex Theologis Major. *in 4. ſentent. diſt. 15. qu. 4. in argumentis contra ſecundam concluſionem*, Armil. *in verb. Lex nu. 11.* Angel. *nu. 4. in fin.* quinimò Major. ubi ſuprà opinatus eſt legem Pontificiam hoc caſu non obligare, non tantùm ex defectu voluntatis Papæ, ſed etiam poteſtatis, quia non poteſt aliter jus ferre, & ad hoc ſuadendum dicit Eccleſiam eſſe ſupra Papam, & ideò ſi Eccleſia non acceptet legem Papæ, non poſſe per illā obligari.

Sed his non obſtantibus intrepidè concludendum eſt le- 48 gem Eccleſiaſticam poſt publicationem ligare, à ſui principio ante ullam populi acceptationem. Quam concluſionem tenet apertè Cardin. *in proœm. Clem. in ver. Univerſitati quæſt. 2.* Ait enim, non receptionem indiſtinctè nihil operari, niſi tranſeant in conſuetudinem, à Legiſlatore non ignoratam, & Turrecrem. *in §. Ideo 4. diſtinct.* dicens cum Hug. & Archid. Legiſlatorem poſſe compellere ſubditos ad acceptandam legem, quia aliàs poteſtas ejus eſſet illuſoria, *& in §. Leges eadem diſt.* dicit, leges accipere ex moribus firmitatem ſtabilitatis, non firmitatem auctoritatis, ubi etiam refert Lauren. & Archid. dicentes, leges firmari moribus de facto, nam de jure ſatis firmatæ ſunt ab ipſa inſtitutione. Idemque ſentit ibi Præpoſitus, & inclinat Silveſt. *in verb. Lex quæſt. 6.* quatenus ſentit non receptionem non tollere legem, niſi per modum conſuetudinis, quando Princeps ſcit, & tolerat. Tenet etiam Greg. Lop. *in lib. 16. part. 1. n. 4.* ubi plures refert, & dicit eſſe communem in- 49 tentionem Doctorum loquentium in hac materia. Et idem tenet Medin. *Cod. de reſtitut. quæſt. 36. ad quintum*, quibus ſubſcribit Suarez *lib. 3. de legib. cap. 19.* ubi *de legib. civil. & lib. 4. c. 16. ubi de legib. Eccleſ.* Et hanc concluſionem uti certam, & indubitatam ſupponit Hoſtien. *hic nu. 7.* dum dicit; nec negare poſſunt Magiſtri, quin ſaltem ab initio ad legem obſervandam adſtringerentur Prælati, cùm adhuc in deſuetudinem non abiiſſet. Idemque ſupponunt Calder. Butr. Abb. & alii complures ſupracitati pro 4. 7. & 8. opinione, dum fatentur, primos tranſgreſſores legis ab initio non receptæ mortaliter peccaſſe, niſi ex aliqua rationabili cauſa excuſentur. Hi enim omnes proculdubio admittunt legem ligare à principio antequam recipiatur à ſubditis. Ex quibus perſpicuè apparet hanc eſſe magis communem opinionem.

Præcipuum illius fundamentum eſt, quia ad hoc, ut ſub- 50 diti obligentur ad acceptandam legem ex parte Legiſlatoris duo ſunt neceſſaria, videlicet poteſtas, & voluntas, *c. Cum ſuper, de offic. delegat.* Et quidem de poteſtate non 51 eſt ambigendum, quia cùm ſupremus Legiſlator poteſtatem habeat legem ferendi abſque ſubditorum conſenſu, *l. 1. ff. De conſtitut. Princip. §. Sed & quod Princi pi inſtitut. de jur. natur. cap. Cuncta per Mundum 9. qu. 3.* habet etiam poteſtatem obligandi ſubditos ad illius obſervantiam, *l. Leges, ff. de legib. cap. Supra de Conſtitut.* Et conſequenter ad illius ac-

acceptationem, *ut eſt textus in c. de libellis ad fin. 20. diſt.* alioquin inefficax eſſet illa poteſtas, & planè inutilis, & leges eſſent ludibrio, quod eſſe non debet, *cap. Non fruſtrà 23. quæſt. 5. cap. Commiſſa. de elect. lib. 6. & l. final.* §. *Ubi autem, C. de bon. quæ liber.* Prætereà forum ſortiri, & ſtatutis ligari à pari procedunt, *cap. Ut animarum de Conſtitut. lib. 6.* Butr. *in rubr. de conſuetud. num.* 7. Dec. *in cap. Decernimus num.* 197. *de judic.* Sed ad hoc ut ſubditi forum ſortiantur non requiritur eorum conſenſus, quia judicium redditur in invitum, *l. Inter ſtipulantem*, §. 1. *ff. de verborum obligatione* gloſſ. 3. & Doctores *in cap.* 1. *de judic.* Ergo nec requiritur ſubditorum conſenſus ad hoc ut ſtatutis, ſeu legibus conſtringantur, *d. c. non fruſtrà* 23. *q.* 5.

52 Quæ concluſio in Summo Pontifice eſt tam certa, ut ſecundum fidem negari non poſſit, ut inquit Suar. *d. cap.* 16. *verſ. Dico vero primo*, & notat gloſſ tertia, & Doctores *in d. c. de libellis* 20. *diſtinct.* Quia ſoli Petro à Chriſto Domino data eſt ſuprema poteſtas in Eccleſia, & non alteri, *Joan.* 21. unde illam habent Pontifices Succeſſores Petri immediatè à Chriſto, à quo Petrus illam habuit, & non ab Eccleſia, *c. Omnes, & c. Sacroſancta* 22. *diſt.* gloſ. & DD. *in* §. *Hinc etiam* 11. *diſt.* dixi *in c. Significaſti à n.* 32. *ſuprà de elect.* Hinc concluditur, Chriſtum ita dediſſe hanc poteſtatem Vicario ſuo, ut per ſe poſſet validè, & efficaciter operari ſine dependentia à conſenſu populi: Ergo poteſt per illam ferre leges habentes efficaciam, & valorem ad obligandum Eccleſiam ad conſentiendum, & acceptandum leges, & præcepta; quia aliàs poteſtas non eſſet abſoluta & efficax; & lex Eccleſiaſtica non haberet vim, ut eſt à ſolo Pontifice, ſed ut ab illo ſimul cum Eccleſia, ad hoc *bon. text. in c. Bonæ memoriæ il ſecondo*, ibi, ſi poſſent ab ea recedere nobis frequenter illuderent, & judicium noſtrum ab eorum pendere arbitrio videretur, *ſuprà de poſtulat. Prælatorum*. Et ſic poteſtas inter Papam, & ſubditos eſſet ſimultanea, ſecundum ea, quæ leguntur, & notantur *in cap. Cum Eccleſia Vulterana ſuprà de electione, & in cap. Poſtulaſtis infra de conceſſ. præben. in cap. Novit, & in cap. Quanto de his quæ fiunt à Prælat.* Si enim lex non poteſt eſſe lex niſi populo conſentiente, profectò populus eſt Conlegiſlator ſimul cum Pontifice: quod abſurdiſſimum dictum eſt, *cap. Eccleſia S. Mariæ de conſtit.* Prætereà Chriſtus abſolutè dixit: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. Matth.* 16. *cap. Solitæ d. majorit. & obed. Et paſce oves meas, Joan.* 21. *cap. Significaſti de elect.* De populo autem nihil dixit, nec poſuit conditionem, ſi populus acceptaverit. Eſt ergo concluſio certa de hac poteſtate Summi Pontificis independenter à populo. Ad hoc *c. Cuncta per Mundum*, ibi etiam ſine ulla Synodo præcedente 9. *q.* 3.

53 Quod autem nec voluntas deſit, probatur primò ex vi verborum legis, quæ ſimpliciter ſunt præceptiva. Præceptum autem abſolutè latum non obligat ſub conditione ſi ſubditus velit acceptare, ſed abſolutè inducit neceſſitatem; aliàs eſſet potiùs lex conſilii, & exhortationis, quàm præcepti, ut irrefragabiliter probat textus *in cap. Quiſquis præceptis* 14. *quæſt.* 1. *facit cap. Præceptis* 12. *diſt. & c. Propoſuiſti* 72. *diſtinct.* Voluntas autem Legiſlatoris præcipuè ex verbis conjecturatur, quia nullum eſt majus mentis teſtimonium, quàm qualitas inſpecta verborum, *leg. Labeo*, §. *Id. Tubero, ff. de ſupellect. legat.* Bald. *conſ.* 305. *Verba Principis num.* 1. *verſ. Aut eſt dubium lib.* 1. Secundò id conſtat quia cùm hæc poteſtas ſit in Legiſlatore, certè non eſt vana, nec ſuperflua, ſed propter uſum neceſſarium, & Reipublicæ congruentem, *ut textus eſt in cap. Non fruſtra* 23. *quæſt.* 5. *& dictum ſupra num.* 51. Ergo quotieſcumque Princeps fert legem, cenſetur hac poteſtate uti velle, quando aliud non declarat, & de contraria voluntate ex conjecturis non apparet, *argum. cap. Cum ſuper*, çum ibi

54 plenè notatis per Dec. *in penult. colum.* poſt Calder. & Abb. *ſuprà de offic. Delegat.* Tertiò idem probatur à poſteriori, quia Principes pœnis, & ſuppliciis cogunt ſubditos ad legis executionem, *dict. cap. Non fruſtrà* 23. *quæſt.* 5. *cap. Ut Clericorum, de vita & honeſtate Clericorum*, cùm infinit. ſimilib. Nec ab initio cùm lex promulgatur, auderent ſubditi coram Judice excuſationem afferre, quod legem non ſervaverint, quia illam non acceptarunt: nam hoc eſt quod tunc agitur, & ad quod coguntur, & propter quod puniuntur, ſcilicet quia legem non ſervant, nec obſervando acceptant: idcircò enim pœna imponitur, ne de contumacia valeant gloriari, dicit textus *in cap. Cùm in Eccleſiis de major. & obed.*

Si igitur de poteſtate, & voluntate Principis non ambigitur; ergo lex ſufficienter, promulgata ſtatim obligat ſubditos ad eam ſervandam, & acceptandam; & ſic acceptatio legis eſt effectus, qui ſubſequitur ipſam legem, *cap. Commiſſa verſ. Ne ſtatutum de elect. libr.* 6. Sicut actio ſubſequitur obligationem, quæ propterea dicitur mater actionis, *leg. Licet*, §. *Ea obligatio, ff. de procurat.* gloſſ. *in leg.* 1. *in verb. Juſtitia, ff. de juſt. & jur.* ergo impoſſibile eſt, ut acceptatio legis concurrat ad eſſe legis, vel ad producendam legis obligationem; quia nihil poteſt eſſe, vel operari antequam ſit, *l. ult. ff. de collat. honor.* Oldrad. *conſ.* 280. *Quæſtio eſt utrum Imperator num.* 7. Quare hanc concluſionem, id eſt, in Conſtitutionibus Papæ, qui habet poteſtatem immediatè à Deo, non eſſe neceſſariam acceptationem inferioris, firmavit Rota *deciſ.* 630. *num.* 6. *part.* 4. *recent.* & fuit decisum in Romana concordiæ S. Petri 11. *Junii* 1610. coram Card. Cavalerio, quæ habetur impreſſa *deciſ.* 85. & in recent. *deciſ.* 213. *p.* 1. 55

Non obſtat *d.* §. *Leges* 4. *diſt.* quia quamvis ſit radicalis in hac materia, & approbatus univerſaliter per omnes gloſſatores, Magiſtros noſtros, ut ait Felin. *hic num.* 13. *verſ. Conſiderabam tertiò, & verſ. Primo modo*, tamen non eſt Auguſtini, ut incautè putavit Silveſter. *in verb. Lex*, ſed eſt Gratiani, qui non habuit poteſtatem legis condendæ, ut obſervat Imo, *hic num.* 13. *verſ. Item nec conſtat*, & Suar. *lib.* 4. *de legib. cap.* 16. *verſ. Deinde confirmari poteſt*, & cujus dicta quotidiè reprobamus, ut inquit Joan. Andr. & omnes poſt eum *in cap.* 2. *ſuprà de reſcript.* & reprobationes plures cumulat ibi Felin. ut pleniùs ſcripſi *in cap. Canonum ſtatuta num.... ſuprà de Conſtitut.* Sed quia fortè malè in practica audiretur, ut authoritas illius tex. refricaretur in dubium; ideò reſpondere poſſumus legem firmari ex moribus, non ut tunc incipiat obligare, quia ipſe uſus ex obligatione naſcitur; ſed ut quandam ſtabilitatem ex uſu acquirat, ita ut poſteà non ita facilè per contrariam legem, vel conſuetudinem abrogetur, *argum. l. Minimè, ff. de legib.* & ſic firmantur moribus de facto, & non de jure. Quem intellectum ad illum, §. *Poſuerunt*, Archid. Turrecrem. & alii, ut tetigi ſuprà *hoc eodem num. in princ.* Unde optimè gloſſa magna poſt medium in *proœmio Clemen. in verb. Univerſitati*, dicit publicationem eſſe ultimum actum perficientem legem, *per textum in l. Humanum, C. de legib.* Idque veriùs eſſe affirmat ibi Cardinalis *num.* 1. *in fin.* Ad idem in Authent. *ut factæ novæ Conſtitutiones*, §. 1. 56 57

Non obſtant jura, quæ Abbas adducit pro ſua opinione, idest *c. De libellis* 20. *diſt. & c. Cùm olim, de Cler. conjugat.* Quoniam Orientalis Eccleſia non ideò excuſatur à voto continentiæ, & tranſgreſſione Canonum, quod illos non receperit; ſed quia Papa eorum conſuetudinem approbavit, *ut c. Si Romanorum* 19. *diſt.* & notat gloſſ. *ult. in d. c. De libellis.* 58

Circa ſecundum articulum, in quo quæritur, an lex non recepta ab initio tollatur per non uſum, vel deſuetudinem. Dic tribus modis poſſe conſiderari non uſum legis. Primò ſcilicet quando numquam contigit caſus, in quo lex potuerit obſervari. Et hoc primo caſu ſine trepidatione tenendum eſt, per hujuſmodi non uſum nullo unquam tempore legem poſſe abrogari, ita Joan. Andr. *in cap. Joannes num.* 14. *verſ. Ubi vero non uſus infrà de Cleric. conjugat.* exemplum, Lex ſtatuit, ut Hermaphroditus judicetur ſecundum ſexum, in quo magis incaleſcit, *l. Quæritur ff. de ſtatu homin.* Pone quod in loco mille annorum ſpatio non contigerit hic caſus, ut ibi fuerit aliquis Hermaphroditus, & ſic non fuerit uſus legis: certè per hoc lex non tollitur, ſecundùm Jo. Andr. & ſequitur Gemin. *in d.* §. *Leges* 4. *diſtinct.* & Felin. *hic num.* 10. & Silveſtr. *in verb. Lex num.* 26. Alexand. *d. conſ.* 132. *num.* 4. *lib.* 1. latiſſimè Aretin. *in proœm. inſtitut.* §. *Igitur in ultim. colum.* & Jaſ. *in l. Rem non novam num.* 8. *cap. de judic. & in l. de quibus num.* 33. *ff. de legib.* Nam jura, quæ dicunt leges abrogari per non uſum, intelliguntur quando evenit caſus, ut ſervari potuerit, ut probat textus notabilis *in l. Unus ex ſociis*, §. *fin. cum l. ſeq. ff. de ſervit. Ruſticor. prædiorum*, ubi non omitto ſervitutem deducendi aquam in fundum, ſi ideò uſus non fuit, quia fons exaruit, & per illum textum ſic firmat in privilegiis gloſſ. *ordin. in cap. Abbate in verb. ibid. ante fin. infrà de verbor. ſignificat.* & ibi etiam Butr. & Abb. *propè fin.* & Felin. 59 60 61

Felin. *in cap. Cùm acceſſiſſent num.* 25. *verſ. Hanc regulam limita primo,ſuprà de conſtitut.* quibus adde gloſſam notabilem *in cap. ut privilegia in verb. Semel in anno in fin. infr. de privileg.* & hoc planum.

62 Secundo modo poteſt conſiderari non uſus legis, quando accidit quidem caſus, ut lex potuerit obſervari, ſed tamen non uſus non habet implicitum actum contrarium diſpoſitioni legis, nec in ſubſtantia, nec in forma, ſed ſimpliciter homines non ſunt uſi lege pro illo caſu, nec tamen fecerunt contrarium: & hoc caſu lex per non uſum non abrogatur, exemplum: Pone quod domus minatur ruinam, nec data eſt cautio damni infecti, quia non eſt petita, & ſæpè damna illata fuerunt in agro, nec tamen fuit actum lege *Aquilia*, non per hoc tolluntur illæ leges: ſimiliter ſi longiſſimo tempore ædificatum eſt uſque ad certam altitudinem, & non altiùs iſta eſt ſimplex abſtinentia, quæ non tollit jus ædificandi uſque ad Cœlum. Ita Joan. Andr. *loc.*
63 *citat.* & Felin. *hic num.* 10. Item pone, quod in aliqua Eccleſia fuit facta electio per viam ſcrutinii per tantum tempus, cujus non ſit memoria in contrarium; utique ex hoc non cenſetur præſcriptum contra eligentes, quominus
64 ſi velint, eligere poſſint per viam compromiſſi. Et idem ſi ſemper elegiſſent de gremio certæ Eccleſiæ, non enim ex hoc præſcriptum eſſet, quominus poſſent eligere ex gremio alterius Eccleſiæ. Quæ duo exempla ponit Calderin. *conſil.*
65 19. incipien. *An in operaria n.* 1. *de præbend.* & eodem modo ſi per mille annos fuiſſet appellatum ab Papam, non propterea intelligeretur ſublata poteſtas appellandi ad Patriarcham, ut dixit Cardin. *in ſuis notis cauſarum nota* 146. incipien. *Ad excludendam*, quem hìc ſequitur Felin. *n.* 10. *in* 4. *declarat. verſ. Similiter dixit:* & hanc theoricam poſuit Barthol. *in proœm. Digeſtor.* §. *Et antea*, dicens: *deſuetudine, quæ deviat à lege, ſeu divertit à vero intellectu, tollitur lex, ſed ex eo, quod nullus utatur lege, abſit à ſæculo, ut lex illa dicatur tolli.* Idem docuit Martinus Epiſcopus Pampilonen. relatus hìc à Bellam. *n.* 9. *verſ. Dominus Martinus*, nam ſecundùm eum ſolus non uſus non poteſt tollere Conſtitutionem Canonicam: ſed non uſus habens implicitum uſum contrarium cum tempore à lege præfinito, utique eam tollit. Idem firmat Cardin. *in proœm. Clemen. in verb. Univerſitati in* 2. *q.* Alex. *d. conſ.* 132. *n.* 54. *lib.* 1. *& conſil.* 136. *nu.* 19. *lib.* 2. Roland. *conſ.* 5. *Pulchra n.* 72. *lib.* 1. Jaſon alia exempla adducens *in d. l. De quibus n.* 33. *&* 34. *ff. de legibus*, ubi teſtatur hanc eſſe veritatem, & ita communiter teneri, & eſt de hoc bona gloſſ. *in* §. *Igitur in verb. Obtinebat*, juncta gloſſ. marginali ibi poſita *in proœm. Inſtit.* quod pluribus exemplis egregriè confirmat Joan. Andr. *in d. c. Joannes n.* 14. *verſ. Contrariam conſuetudinem de Cler. conjugat.*

66 Tertio modo poteſt conſiderari non uſus legis prout habet implicitum contrarium uſum. Negativa enim quandoque habet affirmativum contrarium actum, & non facere eſt aliquid facere, *c. Nemo de Simon.* & ſatis eſt ut cadat in
67 intellectum, ſecundùm Jo. Andr. *in d. c. Joannes nu.* 14. *verſ. Sic ad contrarium de Cleric. conjugat.* & in hoc tertio caſu quando lex nova ab initio non fuit recepta, multi tenent eam tolli per duos, vel tres actus contrarios, ſciente, & patiente Principe; nec ullum tempus requiri ad inducendam præſcriptionem: ipſo autem ignorante ſufficere longi temporis præſcriptionem, ideſt decem annorum, ut vidiſtis ſuprà in 4. & 8. opinione 28. & 38.

Sed iſtæ opiniones judicio meo ſunt falſæ, quia innituntur tantùm illi fundamento, quod hìc non agatur de præſcribendo contra legem, ſed de impediendo vinculo legis, ut per Felin. *hic num.* 13. *verſ. Conſidera ſecundo*, & ita hoc fundamentum ſupponit vinculum legis non eſſe ortum ante legis acceptationem. Quod quidem eſſe evidenter falſum, ſatis ſuperque oſtendimus ſuprà in primo articulo *à n.* 48. Quare cùm non agatur de vinculo legis impediendo, ſed potiùs de vinculo legis tollendo, & ſic de ipſius legis abrogatione, dicendum eſt ad hoc requiri tempus quadraginta annorum, cùm præſcriptio ſit contra jus, ex his, quæ notantur *in c. ultim. infr. de conſuetud.* & in terminis noſtris te-
68 net Imol. *hic n.* 13. *verſ. Et quod dixi*, & Abb. *n.* 4. Et quod dicunt de decennio Calder. & Butr. non procedit in legibus Eccleſiaſticis, de quibus loquimur, ſed in legibus civilibus tantùm, prout loquitur gloſſ. *in l. De quibus in verb. Inveterata, ff. de legibus*, & eſt magis communis opinio, ut teſtatur Alex. *d. conſ.* 132. *n.* 1. *verſ. Et ſubdunt iſti lib.* 1.

Nec obſtat alia gloſſ. quam ibi allegant pro fundamento, *in c. ult. in ver. Conſuetudo de conſuetud. lib.* 6. Quia loquitur 69
in conſuetudine, quæ eſt præter jus, & non contra jus, ut benè per Imol. *loco cit. Ad* §. *Leges* 4. *diſt.* abundè reſponſum eſt ſuprà *in* 1. *art. n.* 56.

Item prædictis non adverſatur gloſſ. 2. *hic*, quam totus 70
mundus amplectitur. Quoniam dum dicit hanc conſtitutionem hodie non tenere, quia non fuit moribus utentium approbata, intelligi debet de moribus longi temporis. Mos enim non fit niſi temporis longitudine, ut inquit Ariſtot. *lib.* 2. *Politicorum cap.* 6. *prope finem*, & ſic debet intelligi de moribus cum lapſu temporis requiſiti ad præſcribendum contra legem, quod ſecundùm Canones eſt quadraginta 71
annorum, *ut in d. cap. fin. de Conſuetud.* & ita contingit in caſu hujus Conſtitutionis, quæ ſpatio annorum ſuprà quadraginta, qui interceſſerunt à Concilio Lateranenſ. ſub Alexandro Tertio illius Authore uſque ad Gregorianam compilationem, numquam fuit moribus utentium recepta, quia indiſtinctè fuit bellatum etiam temporibus hìc prohibitis, & ſic abrogata fuit per non uſum longi temporis habentem implicitum uſum contrarium, juxta prææallegatam theoricam Joan. Andr. *in d. cap. Joannis*, quam ibi ſequuntur omnes præſertim Imol. ut hìc teſtatur Felinus *nu.* 13. *verſ. intellige.* Conclude igitur legem etiam ab initio non receptam non tolli per deſuetudinem minoris temporis, quàm annorum quadraginta.

Circa tertium, in quo quæritur an lex recepta ab initio, 72
poſteà tollatur per deſuetudinem, vel contrariam conſuetudinem; Hoſtienſis, ut vidiſtis ſuprà *in* 2. *opinione num.* 22. tenet, contra legem præcepti deſuetudinem, vel conſuetudinem non excuſare. Sed eum reprobant communiter Doctores, & illius rationibus cumulatè reſponſum eſt ſuprà *n.* 29. *&* 41. nam quod pertinet ad conſuetudinem, nulla eſt lex humana quæ abrogari non poſſit per contrariam conſuetudinem rationabilem, & legitimè præſcriptam, *ut probatur in d. c. fin. de conſuetud.* ſecundùm Abbatem *hic n.* 4. ibi enim contra conſuetudinem præſervatur tantummodò jus Naturale, & Divinum; nec privati dicuntur tollere legem Superioris, ſed ipſe Superior conſenſum præſtando huic conſuetudini legem abrogat, cùm jura ipſa ſtatuant, ut per conſuetudinem tolli poſſit jus poſitivum, & ſequitur Felinus *hic n.* 13. *verſ. Secundo modo.* Quod per plura exempla egregiè proſequitur Jo. Andr. *in d. c. Joannes n.* 14. *verſ. Contrarium conſuetudinem.* Et quod conſuetudo etiam in Sacramentalibus tollat legem, ſi Papa ſcit, & tolerat, eſt gloſſ. *unic. in c. unic. de ſecundis nupt.* & ad prædicta pleniùs vide Barth. & Legiſtas *in l. fin. C. quæ ſit longa conſuetudo*, & Canoniſtas, præſertim Marian. Socc. *in d. c. fin. de conſuetud.*

Quod verò etiam deſuetudine lex tolli poſſit, admit- 73
tunt ferè omnes quatuor concurrentibus. Primò ſcilicet ut caſus acciderit, in quo lex potuerit obſervari. Secundò, ut materia non ſit voluntaria, ſeu facultativa. Tertiò, ut deſuetudo non ſit merè negativa, ſed implicitum habeat contrarium uſum, qui ſaltem cadat in intellectu. Quartò, ut ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, ſecundùm ea, quæ de non uſu dicta ſunt ſuprà in ſecundo articulo. Et intelli- 74
gitur legitimè præſcripta ſpatio annorum quadraginta cum ſcientia, & patientia Papæ, ſine qua non uſus Populi, vel contrarius uſus contra Conſtitutiones Apoſtolicas nihil poteſt operari, ut poſt Joan. Andr. & Gemin. *in cap. Cùm de benefic. de præbend. lib.* 6. declarat. Præpoſ. *in d.* §. *Leges n.* 3. *verſ. Niſi dato conſenſu Papæ* 4. *diſtinct.* Idque habuerunt pro indubitato Domini de Rota *deciſ.* 387. *num.* 6. *part.* 2. *recent.* ex latè deductis *in Romana concordiæ Sancti Petri* 13. *Novembris* 1609. 11. *Januarii & 22. Februarii* 1610. coram Cardinale Cavalerio, quæ habentur impreſſæ *in recent. deciſ.* 197. *num.* 3. *&* 4. *deciſ.* 223. *num.* 2. *& deciſ.* 221. *num.* 4. *& ſeq. part.* 1. Quibus concurrentibus legem tolli poſſe per deſuetudinem probatur *in proœmio digeſtor.* §. *Et antea*, ibi, *Cæteris eam deſuetis*, *in lege* 2. *in princip.* ibi *in uſitato receſſit veſtigio, Cod. de conſtit. pecun.* in Authentic. *de hæredib. & falcid.* §. 1. ibi, *Leges jam neglectas venimus reparare*, & in Authentic. *Quibus modis Natura effic. ſui*, §. *prope finem*, ibi, *Quoniam non utendo perempta eſt*, *& in prima Conſtitutione Codicis*, §. *Quibus*, ibi, *in deſuetudinem abjerunt*, *in l. De quibus*, ibi: *per deſuetudinem abrogentur, ff. de legibus*, *& in leg.* 1. ibi, *& per deſuetudinem, abolita, Cod. de caduc. tollend.* cum ſimil. ut per Angel. Aretin.

cin. *In procem. Inſtitut. §. Igitur* & Felinus *hic ſuo num. 6. verſ.
Lex nova*, & firmat Joan. Andr. & exemplis comprobat in
præallegat. *cap. Joannes num. 4.* quem communiter Abbas
& alii recipiunt, ut teſtatur Navarr. *in conſil. 1. num. 2. de
conſuetud.* & ſequuntur Anchar. *conſil. 218. juxta ordinem
num. 1. in fin.* Roch. *in cap. fin. ſection. 4. num. 66. eod. titul.* &
Jaſon latè *in d. l. de quibus n. 33. ff. de legibus*.

75 Limita tamen concluſionem proximè firmatam, ut non
procedat ſi aliqui in eodem loco legem ſervaverint; quia
tunc alii contravenientes non excuſantur, *argum. c. Cùm
jam dudum in fine, de præbend.* & tenet Abbas *hic num. 4.
verſ. Si verò aliqui, & in cap. Cum olim num. 4. verſ. Et ex
hoc nota, de Clericis conjugatis*, Butr. *in cap. quia circa ad
finem de conſanguinit. & affinit.* & Silveſt. *in verb. Lex num.
6.* Hoc enim caſu tolerantia Papæ non inducit diſpenſa-
tionem, nec excuſat tranſgreſſores à peccato, ut per eos,
& per Felin. *hic num. 11.* qui hanc limitationem tripliciter
ſublimitat.

DE TREGUA, ET PACE.

Idem. Alexander III.

CAPUT II.

INnovamus ut Presbyteri, Monachi, converſi, peregrini, mercatores; ruſtici, euntes, & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant, & ſemina portant ad agrum, congrua ſecuritate lætentur.

SUMMARIUM.

1 *SEcuritatis privilegio quæ perſonæ gaudent tempore guerræ.*
2 *Ruſticis tamdiu privilegia ſuffragantur quamdiu agros colunt, & vadunt, & recedunt, & num. 10.*
3 *Mercatores gaudent privilegiis quamdiu mercimonia exercent, & Peregrini quamdiu peregrinantur, & milites quamdiu militant.*
4 *Salvus conductus datus in eundo intelligitur datus etiam in redeundo.*
5 *Salvus conductus eundi, & redeundi an intelligatur datus pro una vice tantùm, an vero pro pluribus: diſtinguitur ut numeris ſeqq. uſque ad num. 10.*
6 *Conceſſio indeterminata intelligitur juxta formam petitionis.*
7 *Sermo ſimplex regulariter verificatur pro prima vice.*
8 *Fallit in ſeptem caſibus.*
9 *Salvus conductus eundi, & redeundi datus alicui pro pace facienda intelligitur, ut poſſit ire, & redire donec pendet tractatus pacis.*
10 *Animalia, quæ arant, & ſemina portant ad agrum, ſemper gaudent ſecuritate ſicut Presbyteri, nec pignori dari poſſunt.*
11 *Boves aratorii executioni non ſunt obnoxii.*
12 *Boves aratorii, & inſtrumenta ruſtica in diſtrictu Urbis quibus gaudeant privilegiis.*

1 INnovamus. Perſonæ hìc enumeratæ plena ſecuritate
gaudent tempore guerræ. Hoc erat jus vetus, *ut cap.
Si quis Romipetas, & cap. Paternarum 24. quæſt. 3.* quod
malè obſervabatur, & ideò innovatur hìc: ſed nihilominus
adhuc non benè obſervetur, ut dicunt Hoſtienſ. &
Abbas in princ.

2 Nota primò ibi, *In agricultura exſiſtentes*. Privilegium
ruſticis conceſſum tandiù eis ſuffragari, quamdiù agros
3 colunt, & vadunt, & recedunt. Et idem intelligas de
Mercatoribus dum mercimonia ſua exercent: & de Peregrinis
quamdiu peregrinantur, ſecundùm Hoſtienſ. *hic
num. 2.* Sic milites quandiu militant, ſuo gaudent privilegio,
*l. fin Cod. de militi. teſtam. ult. Cod. Quibus non obeſt
long. tempor. præſcript.* Sic Clerici etiam Monachi quandiù
regulariter vivunt, *l. Generaliter, Cod. de Epiſcopi, &
Clericis*, quæ refertur à Gratiano in capite *Generaliter 16.
quæſt. 1.*

Sic Legati quamdiù in legatione ſunt, *leg. 2. §. Legatis,
& §. ſeq. verſ. Plane, ff. de judic.* Hoſt. *hic num. 5.* & Joan.
Andr. *eodem num.* Sic & Lectores, & Scholares quandiù
Scholis publicè docuerint, & ſtuduerint, *cap. Super Specula
in fine de Magiſtris*, Concilium Tridentium, *cap. 1.
in fine, verſ. Docentes verò ſeſſ. 5.* & generaliter privilegium
perſonis conceſſum reſpectu certi loci non ſequitur eas
extra locum, *ut eſt textus in cap. Quoniam de privileg.* &
ibi hoc notant Innoc. *in fin.* Abbas antiquus *in princ.* Butr.
num. 2. Abb. Sicul. & Mar. Soccin. *in ult. notab.* concordat
*cap. Ex ore, & c. Cum Capella, eod. tit. & cap. Volentes, §.
Eos, de privileg. lib. 6.*

Secundò nota ibi, *Euntes, & redeuntes*, argumentum 4
ſecundùm Abb. *hìc num. 1.* quod ſecuritas data in eundo,
intelligi debet data etiam in redeundo. Hæc enim duo
communiter in jure pari paſſu ambulant, *ut cap. Magnæ,
ad finem de voto*, & eſt textus optimus *in leg. Si cui, §. Tandiu,
ff. Ex quibus cauſ. major.* Et notat Barthol. *in l. Utimur
num. 1. ff. de ſepulchr. violat.* redens rationem quia non
venit ſecurè ille, qui non poteſt recedere, *leg. Sciendum,
§. 1. ff. de Legationibus, leg. de ætate, ff. Trebellian.* &
ſequitur Felin. *hic in princip.* qui more ſuo hanc regulam
pluribus exornat.

Sed hìc dubitatur de quæſt. quotidiana. Pone data eſt 5
alicui ſecuritas, ſeu ſalvus conductus eundi, & redeundi,
an intelligatur pro una vice tantùm, an verò pro pluribus.

Abbas *hic num. 2.* examinat hanc quæſtionem & ante
eum Bart. *in l. 1. n. 5. ff. ad legem Julian. Majeſtat.* ubi refert
Oldradum diſputaſſe quandam quæſtionem in ſimili: &
ex eorum dictis diſtingue tres caſus: Primus eſt quando
ſecuritas fuit determinatè petita, & determinatè conceſſa:
& hoc primo caſu quæſtio procedit de plano, quia
ſtandum eſt determinationi, *ut l. Continuus, §. Cùm ita,
ff. de verb. obligat.* Secundus eſt quando ſecuritas fuit determinatè
petita, ſed indeterminatè conceſſa, veluti quia 6
bannitus petiit ſalvum conductum per decem dies, & Superior
conceſſit indeterminatè. Et hoc caſu indeterminata
conceſſio intelligitur juxta determinatam petitionem,
ut §. Prætereà, Inſtit. *de Inutilibus ſtipulat, & l. Defenſor. §.
Qui interrogatus, ff. De interrogator. act.* Et eſt bonus textus
in c. inter dilectus, §. Cæterùm, ibi: *Ex forma petitionis, infr.
de fide inſtrument.* Quippè omnis gratia, & conceſſio Principis
facta ad preces intelligitur juxta petita, *leg. 1.* & ibi
plenè Jaſon. *n. 7. verſ. Nota ex iſta lege regulam, Cod. de diverſ.
reſcript.* Fulgoſ. *conſ. 153. In caſu num. 1.* Roman. *conſ.
132. Ut retulit in princip.* Pariſ. *conſ. 9. Olim Dominus num.
42. lib. 2.* Tertius caſus eſt quando ſecuritas fuit indetermi- 7
natè conceſſa, & ſic verſamur in dubio. Et hoc tertio caſu
intelligitur pro prima vice: per regulam *l. Boves, §. Hic ſermone,
ff. de verbor. ſignific.* ubi, hoc ſermone dum nupta
erit, primæ nuptiæ intelliguntur, & ita poſt Oldrad. concludunt
Bart. & Abb. *loc. ſupracitatis*, Gemin. *in cap. 1. §.
Ille verò, in 3. notat. de filiis Presbyter. lib. 6.* Et Felinus 8
hìc, qui hanc regulam pluribus exemplis roborat, & limitat
ſeptem modis. Primò, ſcilicet quando primus actus non
valet. Secundò, ubi ſermo ſimplex profertur in materia,
quæ de conſuetudine requirit iterationem. Tertiò ubi datur
licentia in materia favorabili. Quartò ubi licentia 9
veniendi, & recedendi data eſt uſque ad certum tempus.

Sed

Sed hæc limitatio cadit ſub primo membro diſtinctionis, de quo ſuprà *num.* 5. Quintò quando per primum actum non eſt ſatisfactum menti diſponentis. Sextò ubi profertur ſermo negativus. Septimò quando diſpoſitio inducta eſſet per viam privilegii, de quibus limitationibus dic latiùs, ut per eumdem Felinum *ubi ſuprà uſque in fin.* Et ad tertium membrum quæſtionis propoſitæ adde ſingularem limitationem Bartoli *in d.l.1.ſub num. 5. verſ. Prædicta intelligo vera, ff. ad leg. Jul. Majeſt.* videlicet niſi conceſſio ſit facta pro certa cauſa, ut puta conceſſa eſt ſecuritas veniendi, & redeundi pro pace facienda; tunc enim debet intelligi ut poſſit venire, & redire donec pendet tractatus pacis, *arg.l.Continuus, §.Item qui inſulam, ff. de verb.oblig.* Facit lex veteres cum *l, ſeq. ff, de itin. act. privat,*

10 In gloſſa ultima nota differentiam inter ruſticos, & animalia; nam ruſtici gaudent ſecuritate ad tempus, id eſt quamdiu in Agricultura exiſtunt, ut ſupra eſt concluſum in 1.*notab.* Sed animalia, quæ arant, & ſemina portant ad agrum, gaudent hac ſecuritate in perpetuum, ſecundùm gloſſam. Unde nec pignori dari poſſunt, ut *l. Pignorum, C. Quæ res pignori obligar. poſſ.* Atque ita in hoc pariſicantur Presbyteris, & Clericis, qui ſimiliter perpetua gaudent ſecuritate, ſecundùm Hoſtienſ.*n.1.in verb. Presbyter.* Unde dicebat Abbas Antiquus hìc relatus à Joan. Andr. *hìc n.1.in verb.Portant,* Privilegiatus eſt in hoc Aſinus ſicut Presbyter. Quo fit ut ſuper Bobus aratoriis non poſſit fieri 11
executio, *ut l.Executores,* & Auth.*ſeq.C.Quæ res pignor. obligar.poſſ.* Qua de re plura Jacobus Cujacius *lib. 4. Obſerv. jur.c.*20.& Menoch.*de arbitr.judic.caſ.* 378. In diſtrictu au- 12
tem Urbis quibus privilegiis Agriculturæ cauſa gaudeant Boves aratorii, & alia inſtrumenta ruſtica, vide Conſtitutionem 19. S. Pii V. *in Bullar.tom.2.pag.*197.

DE PACTIS.

Ex Concilio Africano.

CAPUT I.

ANtigonus Epiſcopus dixit: & infrà. Aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conventus (ſi ſe non cohibuerit) Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam. Universi dixerunt, pax ſervetur, pacta cuſtodiantur.

SUMMARIUM.

1 *ABbatis Panormitani, & aliorum error circa præſidentiam Papæ in Concilio Africano, & numer.* 65.
2 *Sanctitatis veſtræ titulo in veteribus Conciliis aliquando Epiſcopi deſignabantur.*
3 *Ad pacti obſervatiam paciſcens compelli debet per cenſuram Eccleſiaſticam.*
4 *Pacta contra leges, aut bonos mores, vel alia captioſa non ſunt ſervanda.*
5 *Pactum non ſervans peccat mortaliter, & refellitur contraria opinio quorundam Theologorum.*
6 *Obligatio, quæ ex pacto proficiſcitur, habet concurſum juris naturalis, & divini.*
7 *Princeps naturaliter obligatur ex nudo pacto etiam inito cum propriis ſubditis.*
8 *Juris naturalis, & divini tranſgreſſio periculum ſalutis inducit.*
Pacti violatio opponitur juſtitiæ, & charitati, ibid.
9 *Judex Eccleſiaſticus poteſt procedere ad obſervantiam pacti etiam contra laicum.*
10 *Eccleſia habet juriſdictionem etiam in laicos, ut pax ſervetur.*
11 *Idem ubi agitur de materia peccati.*
12 *Cancellaria non dat litteras laico contra laicum ratione peccati, vel pacti, ſeu contractus bonæ fidei, niſi de antiqua conſuetudine ad curiam ſpectet cognitio.*
13 *Laicus ad obſervantiam pacti cogi poteſt per Eccleſiam ſaltem indirectè, & per Euangelicam denunciationem, & num.* 25.
14 *Canon Provincialis Concilii allegari poteſt ad deciſionem cauſarum in ea parte, quæ clauſa eſt in corpore juris, & n.*20.*verſ. Ad hanc difficultatem.*
15 *Pactum quantumcumque nudum ſecundum Canones parit actionem, uſque ad n.* 31.
16 *Verbum conventus quid importet.*
17 *Deus, & bona conſcientia non diſtinguunt inter pactum nudum, & veſtitum.*
18 *Pactum nudum quid ſit.*
19 *Pactum nudum veſtitur ſex modis.*
20 *Pactum nudum veſtitur Chirographo.*
21 *Pactum nudum de jure civili non parit actionem.*
22 *Fallit in octo caſibus.*
22 *Specialitatem allegare non licèt niſi ratio ſpecialitatis reddatur.*
24 *Pactum nudum de jure canonico dicitur veſtitum robore Canonicæ ſanctionis.*
25 *Ex pacto nudo in foro Eccleſiæ an poſſit procedi per viam actionis inter laicos ſubiectos imperio, an verò ſit procedendum per Euangelicam denunciationem, & num. ſeqq.*
26 *Judex laicus in terris ſubjectis Imperio poteſt repellere agentem contra laicum ex pacto nudo.*
*Secus in terris Eccleſiæ, n.*30.
27 *Lex civilis in locis non exiſtentibus de temporali dominio Eccleſiæ ſervanda eſt in foro laicali, & lex Canonica in foro Eccleſiæ etiam extra materiam peccati.*
28 *Papa in ſuo foro poteſt tollere legem civilem etiam ubi non habet temporalem juriſdictionem.*
29 *Jus Canonicum in cauſis mixti fori ſervari debet in foro Eccleſiæ etiam inter laicos ſubjectos Imperio, non autem jus civile diſcrepans à Canone.*
30 *Jus Canonicum contrarium juri civili prævalet etiam in merè temporalibus, & inter laicos, in locis, in quibus Papa habet temporalem juriſdictionem.*
31 *Conſtitutiones in Concilio generali an edendæ ſint nomine Concilii, uſque in finem.*
32 *Decreta in Conciliis, quibus Summi Pontifices non præfuerunt, aut concipiuntur imperativè, ſeu imperſonaliter, aut nomine Concilii.*
33 *Pontifices Maximi quibus Conciliis univerſalibus præfuerint.*
34 *Conſtitutiones in Conciliis Generalibus præſente Papa variis nominibus reperiuntur conceptæ.*
35 *Conſtitutiones quæ fiunt à Papa de conſilio Concilii denominari debent à Papa, & illius nomine promulgari.*
36 *Idem ſi de conſenſu Concilii, contra diſtinctionem Abbatis, vel de conſilio, & conſenſu ſimul.*
37 *Conſtitutiones in Concilio edendæ ſunt nomine Papæ ſi materia legis originatur à Papa, & nomine Concilii ſi materia orignatur à Concilio.*
Contrarium n. ſeq. uſque in fin.
Declaratur, num. 41.
38 *Authoritas actum præcedit.*
39 *Concilium primum ubi, quando, & cur ab Apoſtolis celebratum.*
40 *Concilium tertium Apoſtolorum fuit plenaria Concilii* for-

forma poſtmodum à Summis Pontificibus obſervata.

41 *Decreta in Concilio, cui Papa præſidet, ita demum edenda ſunt nomine Concilii, ſi Papa in hoc conſentiat aliàs ſecus, & n. ſeqq. uſque in fin.*

42 *Pontifices Maximi aliquando ex humilitate conſenſerunt, ut geſta, quæ ſibi tribuenda eſſent, adſcriberentur Concilio.*

43 *Dictio,* cùm, *conjungit per modum acceſſorii, non autem principalis diſpoſitionis,*

44 *Concilia omnia univerſalia congregantur, & authoritatem accipiunt à Romano Pontifice.*

45 *Legis denominatio ſumitur à tribuente authoritatem, non à condente.*

46 *Actus tribuitur primæ cauſæ.*

47 *Concilia Generalia, & eorum Canones à Romano Pontifice confirmantur, aliàs nullum habent robur.*

48 *Denominatio fieri debet à ſuperiore confirmante.*

49 *Statuta confirmata per Papam dicuntur Papalia.*

50 *Papa eſt ſuprà Concilium.*

51 *Denominatio fieri debet à majori, & digniori.*

52 *Papa in ordine ſcripturæ præferri debet Concilio.*

53 *Papa in Concilio poteſt Conſtitutiones facere etiam ſine Concilio.*

54 *Etiam in materia dogmatum.*

55 *Patres in Concilio exiſtentes non poſſunt aliquid ſtatuere ſine authoritate Papæ.*

56 *Papa Concilio deponit Imperatorem etiam non approbante Concilio.*

57 *Papa non ſubjicitur Canonibus, nec ab eis authoritatem habet, ſed è contra.*

58 *Papa requirit conſilium Patrum in Concilio non ex neceſſitate, ſed de ſolemnitate tantum.*

59 *Denomitatio facienda eſt ab eo, qui producit effectum. Item à potentiori, ibidem.*

60 *Metropolitanus in Concilio Provinciali non poteſt Conſtitutiones facere abſque conſilio, & conſenſu Epiſcoporum ſuffraganeorum.*

61 *Metropolitano, & Epiſcopis comprovincialibus in Concilio diſcrepantibus adeundus eſt Superior, & num. ſeqq.*

62 *Epiſcopi ſuffraganei in Synodo Provinciali habent votum deciſivum, & ſunt Conjudices.*

63 *Metropolitanus ſine conſenſu Epiſcoporum Provincialium nihil poteſt ſtatuere, neque agere quod pertineat ad communia negotia Provinciæ, nec è converſo.*
Et in diſcordia recurrendum eſt ad Sedem Apoſtolicam.

64 *Conſtitutiones Concilii Provincialis non tribuuntur Concilio, ſed Archiepiſcopo.*
Et quomodo verba concipiantur, ibid.

65 *Conciliis Africanis Sardicenſi, & Triburienſi Romanus Pontifex non præſedit,*

1 ANtigonus. Legitur variè, & hoc dicit ſimpliciter ſecundùm Anton. de Butr. Pacta ſunt ſervanda Joan. de Lignan. & Bellam. addunt verbum, *licita.* Secundùm Joan. de Imol. Pax & pacta ſunt ſervanda, aliàs quis poteſt excommunicari, vel ſecundùm Petrum de Anchar. Per cenſuram Eccleſiaſticam eſt quis paciſcens ad pacti obſervantiam compellendus. Sed Card. Zabar. ſummat ſic. Judex Eccleſiaſticus providet ſervanti pactum contra non ſervantem. Abbas verò ponit duas lecturas. Secundùm primam hoc dicit. Pacta quantumcumque nuda ſervanda ſunt. In ſecunda concordat cum lectura Cardin. Secundùm lectura omnium hoc dicit. Ad obſervantiam pacis, & pacti quatumvis nudi cogendus eſt quis per cenſuram à Judice Eccleſiaſtico. Dividitur in duas partes. In prima ponitur petitio Epiſcopi Madurenſis. In ſecunda approbatio Synodi ibi. *Univerſi dixerunt.*

Deſumptus eſt hìc Canon ex Concilio Carthaginenſi primo *c.*12. quod fuit Provinciale celebratum in Africa ab Epiſcopis illarum Provinciarum, tempore Julii primi, & deinde approbatum à Leone IV. *ut patet to.*1. *in c. De libellis,* 2. *diſt. p.*1. *Concil. General. & Provincial. pag.*456, & 457. Unde malè hic Butr. Imol. Felin. & expreſſius Abb. *in ult. notab.* & alii quos retuli infrà *n.* 65. Supponunt fuiſſe Concilium Generale eique Romanum Pontificem præfuiſſe ut
ibi dicam. Errori fortè cauſam præbuit quod in eodem *cap.*
12. legitur: Antigonus dixit, gravem injuriam patior, & 2
credo dolere Sanctitatem veſtram contumeliam meam. Verùm illa verba Sanctitatem veſtram non deſignant Summum Pontificem, ſed Epiſcopos in Concilio exiſtentes. Mos enim fuit antiquorum Patrum in Conciliis eo titulo non raró Epiſcopos appellare, idque multoties in eodem Concilio fuit obſervatum, ut in ſpecie legitur *in c.*8. ubi ad propoſitionem magni Epiſcopi Aſtvagenſis Synodus reſpondit, Rectè omnia ſtatuit Sanctitas tua, & paſſim alibi.
Nota primò ex illis verbis, *Eccleſiaſticam ſentiat diſci-* 3
plinam: quoad pacti obſervantiam poſſe quem compelli per cenſuram Eccleſiaſticam, ideſt per excommunicationem, interdictum, vel ſuſpenſionem, *cap. Quærenti in-*
frà de verbor. ſignif. quod habet locum, ſi pacta ſint legiti- 4
ma, *c. Puellæ* 20. *q.*1. *c. Innocens* 22. *q.*4. *c. Eleutherius* 18. *q.*2. Unde ſecus eſt ſi ſint contra leges, aut bonos mores, aut ſi dolo fiant, *l. Juriſgentium, ff. eod.* aut ſi ſint alii damnoſa, ſeu captioſa, *l. Si id quod in fin. ff. de reſcind. vendit.* aut ſi vergant in detrimentum ſalutis æternæ, vel corporalis, §. *Illicitum* 22. *q.*4. ut legitur & notatur *in c. Si verò aliquis, infr. de jurejur. & c. final. infr. eodem.* Unde Auguſtinus: *In malis promiſſis reſcinde fidem, ut in turpi voto muta decretum. Quod incautè voviſti, ne facias. Impia enim eſt promiſſo, quæ ſcelere adimpletur*, refertur *in c. In malis* 22. *q.* 4. Hodie tamen contra pacti quantumvis legitimi violatorem non debet Judex Eccleſiaſticus uti gladio excommunicationis, niſi ubi alia remedia non ſuppetunt, & in ſubſidium. Ita enim generaliter ſancitum eſt à Tridentina Synodo *in cap.*3. *ſeſſ.* 25. *de reform.* de quo vide quod ſcripſi *in c. Pervenit n.* 30. *& ſeqq. infr. de adulter.*
Secundò nota non ſervantem pactum peccare mortali- 5
ter, *arg. cap. Prædicandum* 22. *quæſt.* 1. & tenet hìc gloſſ. cum qua tranſeunt Hoſtien. Joan. Andr. Collectar. Bellam. Card. Butr. Imol. & alii communiter, & Archid. *in cap. Quicumque il ſecondo* in gloſſ. *videtur* 12. *quæſt.*2. & probatur efficaciter ex hac littera, quia recedens à pacto poteſt excommunicari. Excommunicatio autem non infligitur niſi pro mortali, *ut eſt text. in cap. Nemo Epiſcoporum* 11.
*quæſt.*1. Atque hinc patet perperam à quibuſdam ex moder- 6
nis Theologis traditum eſſe promiſſionem non obligare ad culpam lethalem etiamſi à parte fuerit acceptata. Loquuntur enim contra textum hìc, & contra naturalem rationem. Nam violare fidem proculdubio peccatum eſt, cùm grave ſit fidem fallere, *leg.* 1. *ff. De conſtit. pecun.* Unde ex qualibet promiſſione obligatur quis ad implendum quod promiſit ſecundùm Hugon. Archidiac. & Turrecrem. *in d. cap. Quicumque.* Scriptum eſt enim, *quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita*, Pſalm. 88. *cap. Pſalmiſta* 23. *diſt.* ut per Hoſt. *hic*, & Archid. *ubi ſupra*, & gloſſ. *in cap. Qualiter infrà eodem.* Atque ita hæc obligatio habet concurſum tam juris divini, ut per Abbat. *hic num.* 5. quam juris naturalis, *d. leg.* 1. *de conſtit. pecun. & l.*1. *ff. eod.* & docet D. Thom. *in* 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 1. Et propterea Princeps licèt ſit ſolutus legibus, *l. Princeps, ff. De legib. & l. Digna vox, C. eodem*, tamen obligatur ex nudo pacto
etiam inito cum propriis ſubditis, *ut eſt text. in cap.* 1. & 7
ibi dixi *infr. de probat.* adeò ut ab eo recedere non poſſit etiam de plenitudine poteſtatis, ut notat Bald. *in cap.* 1. §. *Ad hæc col.* 5. *ff. De pact. juram. firman.* Paul. de Caſtr. *in d. l. Digna vox, Cod. de legib.* & reſpondit Cardinal. Zabarell. *conſ.* 147. *Dominus noſter Papa*, Socin. *conſ.* 86. *num.* 14. *lib.* 4. Idque non alia ratione, niſi quia Princeps ex pacto obligatur jure naturali, & divino, cui etiam Papa, & Imperator ſubjiciuntur Clem. *Paſtoralis de re judic.* Secundùm Cardin. *dict. conſ.* 147. *num.* 7. & Abb. *in cap.* 1. *num.* 7. *de conſtit.* Quinimò Deus ipſe obligaretur ex ſua promiſſione, ut inquit Bald. *in leg.* 1. *in princ. ff. eodem*,
ubi Magiſtrum ſententiarum refert ita dicentem, & ſequi- 8
tur Dec. *in d. cap.* 1. *circa princ. de probat.* At tranſgreſſio juris naturalis, & divini periculum ſalutis inducit, *ut legitur in cap. fin. de conſuet.* & ſecundùm hoc violatio pacti opponitur juſtitiæ. Nulla enim major juſtitia, quam pacta ſervare, §. *Sed nulla alia juſtior cauſa.* Quæ fuit prima cauſa benefic. amitten. In uſib. feudorum. Præterea ex fidei violatione graviter læditur, tranquillitas ſocietatis humanæ, *ut leg.*1. §. *Merito, ff. de poſ.* ibi: *creſcit perfidiæ crimen, & publica utilitate coercendum eſt vindicandæ Reipublicæ*

blicæ cauſa : *eſt enim inutile in cauſis hujuſmodi fidem frangere*: ubi gloſſ. exponit verbum illud, *inutile*, ideſt contra utilitatem, & ſecundùm hoc violatio fidei opponitur charitati, & conſequenter eſt mortalis, licèt multa ſubtiliter hac de re diſſerat Cajetan. *in* 3.2.*q*.113. *art*. 1. Vide S. Thomam *in* 2. 2. *q*. 88. *art*.1. Richar. de Media Villa *in* 4. *ſent. diſt*.38.*&* *q*.3. & Felin. *hic n*. 11.

9 Tertiò nota ad obſervantiam pacti poſſe quem compelli per Eccleſiam, ſeu judicem Eccleſiaſticum : quod probatur hic ponderando illa verba, *Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam*, cenſura enim ferri non poteſt per Judicem laicum, cùm careat clavibus, *c*.1.§.*Unà*, *ſupra de Sum. Trinit.& fide Cathol.* gloſſ. *in cap. Paſtoralis*, §. *Præterea*, *in verb.Præterquam de offic. Ordin.* Idem probatur *in c*. 1.*infrà de probat.* ubi ſuper pactis initis inter prædeceſſores Regis Tancredi, & Juſtinianum Principem ſuper obſequiis Im-
10 peratori præſtandis Papa eſt judex competens, ut ibi notant Butr.Imol. & alii. Præterea etiam in laicos Eccleſia habet juriſdictionem ut pax ſervetur, *c.Novit.*& ibi Innoc. *n*.7.*de judic.c.fin.in verb.Ruſtici de Tregu. & pac.* & notant
11 hìc Hoſt,*n*.6.& Butr.*n*. 5. Præterea omne pactum quantumcumque ſimplex poteſt appellari fides, *c*.1. *de ſponſ. duor.* & in concernentibus animam, & ubi agitur de materia peccati, ſicut eſt violatio pacti, ut probatum eſt ſupra *in* 2. *notab.* Eccleſia habet etiam in laicos juriſdictionem, *d.cap. Novit.de judic.* ibi : *Nullus qui ſit ſanæ mentis ignorat quin ad officium noſtrum ſpectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere*, ubi Innoc. *n*. 4. & alii notant, & in hoc concordant omnes, ut dicit hìc Bellam.*n*.3. Abb. *in ſua qu.* incipien. *Epiſcopus colum*.2. *circa med.*Paul,de Caſtr.*conſil*. 229.*Viſis & ponderatis n*.3.
12 *verſ.Secundo probatur*, & *conſil*. 396. *Quantum ad id lib*. 1. Et quamvis ut dicit hìc Collect.*n*. 1. Cancellaria non daret litteras laico contra laicum ratione peccati, vel pacti, ſeu contractus bonæ fidei, niſi diceretur quod de antiqua conſuetudine ad Curiam ſpectaret cognitio, tamen præmiſſa ſunt vera de jure, & ſervantur de facto, ſicut per experientiam in pluribus locis habetur : quidquid ſit de ſtylo Cancellariæ, ſecundùm eum. Neque verò conſtituenda eſt dif-
13 ferentia quoad hoc inter laicos ſubjectos Imperio, & exiſtentes de temporali juriſdictione Eccleſiæ. Hæc enim diſtinctio tantummodò admitti poteſt ad effectum procedendi contra laicos per viam actionis. Plerique enim cenſent communem opinionem Canoniſtarum quod laicus directò conveniri poſſit per viam actionis pro obſervantia pacti nudi, habere locum in terris Eccleſiæ tantùm, non autem in terris Imperii, *ut dicam infr.n*.25.*& ſeqq.*At ſecus dicen-
14 dum eſt ſi imploretur officium Judicis, aut procedatur per Euangelicam denunciationem, quia tunc laicus etiam non exiſtens de temporali juriſdictione Eccleſiæ ratione peccati, quod committeret frangendo pactum, poteſt ſaltem indirectè conveniri coram Eccleſiaſtico Judice, *arg. cap. Qualiter infr. eodem, & cap.Cum C.Laicus, de for.compet.lib*. 6. cum ibi notatis in novella ſuper verb. convenire, & tradit Butr. *in cap. Dilecti in* 3. *notab. de Judic.* Imol. *in cap*. 1. *De probat.* & Felin. *hic n*. 10. ubi ait ſecundùm omnes hìc inter laicos ſubjectos Imperio habere locum denuntiationem Euangelicam, quam poſſunt practicare in Curia Epiſcopi. Nec diſſentit hìc Bellam. *nu*. 3. *verſ.Verum fateor*. Quod clarè probatur *in d.c.Novit.de Judic.*ubi diffinitur ratione pacis inter Regem Francorum, & Regem Angliæ, & ſic inter laicos, & ubi agitur de peccato, Judicem Eccleſiaſticum poſſe per viam denunciationis Euangelicæ, ſeu judicialis procedere. Id ipſum conſtat ex dictis *c*.1. *de probat.* ubi Summus Pontifex cognoſcit ſuper pactis initis inter Regem Vinceſtriæ, & Imperatorem : licèt dici poſſit hoc ibi determinari non ratione pacti, ſed quia de cauſa temporali inter Imperatorem, & Subditum ejus ſolus Papa cognoſcit, non autem inferior, *ut ibi dixi in* 1.*notab.* Denique idem colligitur ex textu noſtro, ubi Eccleſia procedit per cenſuram Eccleſiaſticam contra pacti violatorem, nec diſtinguitur an talis violator ſit laicus, Eccleſiaſticus, & an de temporali juriſdictione Eccleſiæ vel Imperii. Nec refert quid hìc ageretur de pactis initis inter duos Epiſcopos ſuper juribus Parochialibus, & ſic cognitio ad Eccleſiam ſpectaret tam ratione perſonarum, quam ratione cauſæ: nam etſi hoc verum ſit, quia *in c*.12,Concilii Carthaginenſis apparet Antigonum Epiſcopum depoſuiſſe querimoniam in Synodo contra Optantium Epiſcopum, qui pacta inita ſuper diviſione plebium non ſervabat, & populos uſurpabat : tamen obſervandum eſt conſulto in hac Gregoriana compilatione illud caput fuiſſe mutilatè huc translatum, & omiſſam mentionem Epiſcopi Optantii contra quem agebatur, & tituli cauſæ, & ſimpliciter fuiſſe appoſitum reſponſum Patrum in Synodo, *pax ſervetur*, *pacta cuſtodiatur*; quia Papa intendit per Generalem Conſtitutionem decernere, ut pro pacti obſervantia Judex Eccleſiaſticus poſſet procedere contra quoſcumque, prout ex hoc textu deducunt Doctores, & in ſpecie Abb.*nu*. 2. dicens non apparere rationem quare gloſſa reſtringat iſtum textum ad pacta inita inter Epiſcopos, niſi fortè cauſa exempli, ideòque textum meliùs eſſe intelligendum generaliter, ut pacta inita ex quo non ſunt à lege improbata propter aliquam turpitudinem, obſervanda ſint inter quoſcumque tàm Clericos, quàm laicos.

Quartò nota, ibi, *pacta ſuam obtineant firmitatem*, 15
&c. ex pacto quantumcumque nudo oriri actionem ſecundùm Canones, prout tenet hìc gloſſ. Hoſt. Jo. Andr. Butr. Imol. Collect. Bellam. & alii communiter gloſſ. *fin.* Hug. Archid. Turrecrem. & Præpoſ.*in cap.Quicumque, il ſecondo*, per illum textum 12. *quæſt*. 2. Quæ concluſio probatur hic quia ſecundùm Butr.*num*.1. & Abb. *num*. 5, ubicumque lex mandat aliquid ſervari, inde oritur actio, *ut l. Statuas*, *ff.de acquir. rerum dominio*, & in ſimili de juramento notat Bart.*in l. Si quis pro eo*, *ff.de fidejuſſor.* concordat textus *in cap.Qualiter infrà eod.in cap. Per tuas*, *de arbitr. & in cap. hoc tit. l. 6*. Præterea pondero verbum, *Conventus*, poſitum hìc in textu, quod etſi ſecundùm Abb.antiq. exponatur, ideſt commonitus, vel convictus ſecundùm 16
Bellam. tamen Innocent. Hoſtienſis Joan. Andr. & alii rectiùs, & propriùs ad litteram exponunt; conventus, id eſt coram Eccleſiaſtico Judice. At conveniri ex vocabuli proprietate quis dicitur per viam actionis, non autem per denunciationem Euangelicam, ſeu per officium Judicis *l. Quotis*, *ff. Si quis cautionem*, *& l. Quoties*, *la prima*, *ff. De noxal. act.* cum multis ſimilibus. Albert.*in diction. in verb. Convenire*, ideſt contra aliquem agere. Et quamvis text. apertè non exprimat de pactis nudis, ta- 17
men cùm generaliter decernat ut pacta cuſtodiantur, nec diſtinguat inter pacta nuda, & veſtita, non eſt noſtrum ſic diſtinguere, quia ut inquit hìc Bald. *num*. 5. inter pactum nudum, & veſtitum nec Deus, nec bona conſcientia diſtinguit, nec conſtituit Deus differentiam inter ſimplicem promiſſionem, & juramentum, *cap. Juramenti*, 15. *quæſt*. 5. *cap. Rurſus infr. Qui Cleric.vel voven.*Neque verò ſecundùm Canones eſt curandum de nomine actionis, & ſecundùm Baldum aut vocabitur actio in factum, *leg. Quoties*, *ff. De præſcript. verb.* aut condictio ex hoc Canone. Quod ultimum tenet gloſ. in verb. *Promiſerint*, Archidiac. & alii ſupracitati *in dict. cap. Quicumque*, 12. *quæſt*. 2.

Sed adverte, quia in hoc textu opinio Canoniſtarum 18
non videtur concludenter probari: nam hìc non agebatur de pactis nudis, ſed veſtitis, quod ſic probo. Pactum nudum dicitur quod ſtat in puris, & ſimplicibus finibus conventionis, ſicut ille dicitur nudus, qui eſt, ſicut de utero proceſſit, ut declarat. Bart.*in l.Juriſgentium*, §. *Igitur n*.1. *eod.* & Abb.*hic n*.4.& dicitur nudum quando non intervenit ſtipulatio, neque litterarum obligatio, aut aliquis contractus actualis nominatus, ex quo actio oriri poſſit; nec pactum habuit aliquod veſtimentum, ut per Ægid. Bellam. *conſ*. 8. *Suppoſito facto n*. 2.*verſ. Secundo probatur.* Dicebat enim Azo *in Summa eodem tit*. §. *Supereſt*, *n*.16.cùm paciſcimur, pactum quidem ſua nativitate nudum eſt; ſed cùm natum eſt, antè,& retrò aſpicit,& oculos aperit an præceſſerit, vel ſequi poſſit, vel ſtatim inſit aliquis contractus, cujus variis & griſiis pennis, ſeu veſtibus induatur, ut Boream, rabiemque procellæ expellat,& ſuum ſuo Domino in agendo auxilium præbeat. Veſtitur autem ſex modis, ut notat gloſſa *in d.l.Juriſgentium*, §. *Quinimo* Azo *ubi ſupr.* 19
& Barth. *in l. Legem num*.3.*C.eodem*, videlicet re, verbis, litteris conſenſu, cohærentia contractus, rei interventu, *ut Inſtitut. de obligat.* & illud dicitur nudum, quod non eſt veſtitum aliquo de prædictis veſtimentis ſecundùm Barthol. *in d. l. Legem. num*. 7. Pactum verò initum 20
in-

inter Antigonum, & Optantium Epiſcopos fuit in ſcriptis
redactum, *ut patet in d. cap.* 12. Concilii Carthaginenſis,
unde hîc Canon fuit tranſumptus, ibi, *Optantius pactum*
mecum habuit, & diviſimus plebes. Manuſcriptiones no-
ſtræ tenentur epitacia. Ergo pactum hoc fuit veſtitum, &
vallatum robore, ut veſtimento Scripturæ, ut hîc notat
Abb. *num.* 4. dicens, *Pactum eſſe nudum ſi ſtet in puris, & me-*
ris finibus conventionis, quia non interceſſit aliquod extrin-
ſecum, puta nec ſtipulatis, nec interventus alicujus rei, nec
litterarum ſolemnitas, nec Chirographum, & infrà.
Quando inquit veſtitur Chirographo ut quando per ſcriptu-
ram meam promiſi tibi dare decem, vel quid ſimile, ut In-
ſtitut. *de litterar. obligat.* & ſcripſit Alex. *conſ.* 113. *Perſpe-*
ctis num. 12. *&* 13. *verſ. Præterea ſcriptura lib.* 6.

Ad hanc difficultatem, quam hîc Doctores non exci-
tant, reſponderi poteſt Canoniſtarum opinionem non
fundari in Canone Concil. Carthaginenſis. Sed in hoc
textum, qui de interventu ſcripturæ nullam facit mentio-
nem. Propterea enim Gregorius IX. qui legis authorita-
tem tribuit huic compilationi, ut ſupra in proœmio, non
tranſtulit illud caput integrum, quia non intendit Legem
condere ſuper pactis veſtitis, de quibus nulla ſuberat diffi-
cultas, ſed ſuper nudis, & ideò clauſit in corpore juris
tantummodò illa generalia verba, *pacta ſuam obtineant fir-*
mitatem, &c. quæ ex propria ſignificatione conveniunt
pactis nudis, non autem veſtitis, quæ tranſeunt in pro-
prium nomen contractus, *ut l.* 1, *in princip. juncto* §. *fin. &*
l. Juriſgentium, in princip. & §. *Quinimò*, juncta gloſ. *in*
ver. Ex pacto, ff. eod. Præterquam quod nec Synodus Car-
thagineſis reſtrinxit ſe ad pactum initum inter Epiſcopos,
ſed generaliter dixit, *Pacta cuſtodiantur, cap. Si Romano-*
rum 19. *diſtinct. cap. Si dormierit* 31. *quæſt.* 1.

21 Porrò Legiſtæ tenent ex pacto nudo non oriri actionem
de jure civili per text. *in d. l. juriſgentium*, §. *Sed cum nulla,*
& §. *Quinimò, & in l. Ex placito, C. de rer. permut.* Nam
ut inqui Azo *in Summ. eodem tit.* §. *Supereſt num.* 14. Pa-
ctum nudum propter inimiam frigiditatem parere actio-
nem non poteſt, niſi mirabiliter hoc in quibuſdam caſibus
accidat, in quibus nudum pactum parit actionem, ut in
22 donatione, in pecunia, conſtituta, in dote, in uſuris Ci-
vitati promiſſis, in acceſſionem frumenti, in promiſſione
nuda Civitati facta, *ſed hic caſus coincidit cum quarto,*
in nautico fœnore, & in ſalario Advocati. Quos qui-
dem octo caſus recenſent etiam hîc Hoſt. *num.* 4. Joan.
Andr. *num.* 8. & reliqui omnes, niſi quod loco octavi po-
ſiti ab Azone de ſalario Advocati, Canoniſtæ ponunt, Si
23 ſervus ita venierit ne in Italia eſſet: & in his caſibus Le-
giſtæ aſſerunt eſſe ſpeciale, ut ex nudo pacto ſecundùm
leges oriatur actio. Verùm ut dicunt Hoſt. & Joan. Andr.
cùm caſus ſpeciales non ſint recipiendi, niſi ratio ſpecia-
tatis reddatur, ut notatur *in cap. Si quando ſuprà de re-*
ſcript. reddant rationem ſpecialitatis de prædictis ſuffi-
cientem, & ſic eis adhæreamus. Sed cùm omninò defi-
ciat, maximè in uſuris, & nautico fœnore, dicamus ſicut
& ipſi dicunt, ex pacto nudo naturalem oriri obligationem
leg. 1. *ff. eodem, leg. Stichum,* §. *Naturalis. ff. de ſolut.* ex
qua ſecundùm Canones debemus actiones: alioquin dici-
tur eſſe refugium miſerorum ad ſpecialitatem confugere,
gloſſ. magn. *circa princip. in l. Filium quem habentem, Cod.*
Famil. herciſc. Unde Collect. *hic num.* 4. quaſi deridens
Legiſtas omiſſis multis ſubtilitatibus, & magnis indumen-
tis, quibus pactum ſecundùm leges veſtiri oportet ſecun-
dùm Canones agitur ex nudo pacto; Non enim Canoni-
ſtæ pauperes ad id ſunt benè ſolvendo, & ideò ſubveniunt
Canones, quia nudo pacto ſine aliqua veſte eis ſubvenitur,
& Bald. *n.* 7. omnia inquit ſunt ambages, & verba ſuper-
flua in foro Legiſtarum, & Antigonus benè cantavit, ſed
24 artem ignoravit. Præterea, ut idem Baldus ait *num.* 5. hoc
non erit pactum nudum, ſed veſtitum robore Canonicæ
ſanctionis, & vocabitur iſtud veſtimentum Canonis ſuf-
fragio, ſubdens: Unde tu Canoniſta addis ad veſtimen-
ta pactorum veſtimentum, quod appellatur veſtimentum
roboris, & ſequitur Felinus *hic n.* 15. Et quamvis Innocent.
hic n. 4. ſentiat, nec ſecundùm Canones ex pacto nudo ori-
ri actionem, ſed competere remedium denunciationis E-
vangelicæ, & implorationem officii Judicis ad obſervan-
tiam ejus, quod naturaliter debetur, & ad peccatum vitan-
dum, & hanc partem tenent Dynus in *c. Non eſt mora, de*
regul. jur. lib. 6. Tamen Canoniſtæ communiter tenent op
poſitum, & de communi opinione teſtantur hîc Butr. *n.* 5.
verſ. Communiter tenetur, quod de jure Canonico ex pacto a-
gatur, & ex juramento, Imol. *n.* 1. Bald. *n.* 11. Abb. *n.* 15. & Fe-
lin. *num.* 4. Bellam. *conſ.* 8. *n.* 2. *verſ. Nec obſtat.* Corneus *conſ.*
83. *Circa primum in princ. lib.* 1. Alexand. *conſil.* 16. *Viſo the-*
mate, n. 3. *lib,* 2. *verſ, Præterea, & conſ.* 91. *Circa primum n.* 3.
verſ. Et ex his lib. 4. Quæ etiam ſervaretur in practica, ut
poſt Imol. *in c. Cum veniſſent de inſtit.* dicit hîc Felin. *nu.* 4.
& de facto ſervatur teſte Collect. *hic n.* 1. Alex. *dict. conſ.* 16.
& ibi etiam Natta *in ver. Practica*, ubi ait, ita ſervari in
toto Regno, & opinionem Canoniſtarum dicit etiam
de jure veriorem Bald. *hic numer.* 12. quia ad roboran-
dum pactum ſufficit æquitas naturalis impulſiva cauſa ſub-
ſiſtente.

Limitant multi communem opinionem Canoniſtarum, 25
ut procedat tantummodò inter Clericos, aut inter laicos
exiſtentes de temporali juriſdictione Eccleſiæ; ſecùs verò
inter laicos ſubjectos Imperio, quia tunc in foro Eccleſia-
ſtico procedi non poteſt per viam actionis ad obſervantiam
pacti nudi, ſed tantùm per Euangelicam denunciationem,
vel officium Judicis: cujus ſententiæ ſunt Bald. in Auth. *Ad*
hæc col. 3, *n.* 16. *C. de uſur.* Angel. qui loquitur in Civitate Pi-
ſarum *conſ.* 26. *Punctus, & caſus, talis eſt, col,* 5. Bellam. *hic*
n. 3. *verſ. Verùm fateor,* & Felin. *n.* 10. Sed tu diſtingue, Aut 26
loquimur in foro ſæculari, & inter laicos ſubjectos Impe-
rio, & tunc Judex laicus poteſt repellere agentem ex pacto
nudo. Ratio eſt ſecundùm Bellam. *hic n.* 3. quia non tene-
tur poteſtas ſæcularis ſervare Canones contrarios legi ſuæ,
cùm poſſit ſuam legem ſine peccato ſervare propter diſtin-
ctionem juriſdictionum, *cap. Quoniam idem* 10. *diſtinct.*
cap. Cauſam quæ, Qui fil. ſint legit. de qua diſtinctione
habetur magiſtraliter per Joan. Andr. ad Specul. *in Rubr.*
de off. Ordin. verſ. Ad negativam, & pulchrè per Oldrad.
conſ. 53. *an Epiſcopus per tot.* Multis tamen in locis ſerva-
tur in practica, ut etiam inter laicos non exiſtentes de
temporali juriſdictione Eccleſiæ procedatur hoc caſu etiam
in foro ſæculari per viam actionis, prout practicari in
Regno Franciæ teſtatur Natta paulò ante citatus. Aut ve-
rò loquimur in foro Eccleſiæ; & tunc tene indiſtinctè
procedi poſſe per viam actionis ad obſervantiam pacti nu-
di non ſolùm inter Clericos, ſed etiam inter laicos ſubje-
ctos Imperio. Ratio eſt, quia cùm leges non dent regula- 27
riter actionem ex pacto nudo, & contrarium reperiatur
ſtatutum per ſacros Canones, in locis non exiſtentibus
de temporali dominio Eccleſiæ lex civilis ſervanda eſt in
foro civili, & lex Canonica in foro Eccleſiaſtico etiam
extra materiam peccati, ut notatur *in cap. Cùm eſſes, & in*
cap. Relatum de teſtam. & in cap. 1. *de nov. oper. nunc.* & tra-
dit gloſſ. *ordin. in cap. Poſſeſſor. de reg. jur. lib.* 6. dicens Pa-
pam in ſuo foro poſſe tollere legem civilem etiam ubi non
habet temporalem juriſdictionem, & ibi Joan. Andr. in
Mercur. Abb. *in cap. Clerici num.* 2. *de judic.* ubi ait in ma-
teria indifferenti data contrarietate inter Canonem, & le-
gem, Canonem ſervari in foro ſuo, & legem in foro ſuo:
& ſequitur Marant. *in praxi* 3. *part. num.* 73. *& ſeq. verſ.*
Quoad novam. Et certè cùm ad obſervantiam pacti nudi 28
uterque judex Eccleſiaſticus, & ſæcularis poſſit procede-
re, & ſic materia ſit mixti fori, quod ſpectat ad forum
Eccleſiaſticum impertinens eſt, diſtinctio: An verſemur
in terris Eccleſiæ, vel in terris Imperii, quia in materia
mixta in foro Eccleſiaſtico ubique locorum, & indiſtin- 29
ctè etiam inter laicos ſervanda eſt lex Canonum, & non
lex civilis diſcrepans à Canone, ut dicit Antonius de Bu-
trio *in d. cap. Clerici num.* 12. *verſ. Si materia eſt mixta:*
quem refert, & ſequitur Alex. *conſil.* 167. *Viſo proceſſu*
num. 5. *in fin. lib.* 2. Felin. dicens ita communiter teneri *in*
cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 43. *de Conſtitut.* Et eo-
dem modo in terris Eccleſiæ procedi poteſt per viam actio-
nis ad obſervantiam pacti nudi etiam in foro ſæculari, 30
quia in locis, in quibus Papa habet temporalem juriſdi-
ctionem, lex Canonica contraria legi civili prævalet etiam
in merè temporalibus, etiam inter laicos, *ut eſt text. in*
cap. Si duobus de appellat. quem textum dicit ad hoc ſin-
gularem Abb. ibi *in* 2. *col. num.* 6. Ibi enim in terris Eccle-
ſiæ licèt laico appellare ante ſententiam, & appellatur
omiſſo medio, quæ duo non permittuntur de jure civili,
ut in juribus per eum allegatis. Idem tenet gloſſ. *in cap.* 2.

in ver. Lex civilis de arbitr. lib. 6. Bart. *in l. Privilegia num. 4. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Calder. *conſ. 18. in princip. de Conſtitut.* & in terminis actionis ex pacto nudo tenet Imol. *in cap. Quæ in Eccleſiarum n. 22. de Conſtitut.* quem refert, & ſequitur Felin. *loc. cit. n. 47.*

Alias octo declarationes ad communem opinionem Canoniſtarum ponit hìc Felin. *n. 7.* & vide Socin. *reg. 9.* Actio ex pacto nudo non oritur, ubi ampliat duobus modis, & limitat quindecim.

Ultimò ex hoc textu notat Abb. *num. 1. in fin.* quod lex edita in Concilio fit nomine ipſius Concilii, & non Papæ tantùm. Quod an ſit verùm dicam plenè in ſequenti quæſtione uſque in fine.

31 QUÆRO, An Conſtitutiones in Concilio generali edendæ ſint nomine Papæ, an nomine Concilii.

Conſtat apud omnes in Conciliis generalibus, quibus Pontifices Maximi non per ſe ipſos, ſed per ſuos legatos præſident, Conſtitutiones edendas eſſe nomine Concilii,
32 *ut in cap. Diffinivit. 17. quæſt. 8. in cap. 1. infr. de judic. & in cap. 1. de ſponſ.* cum mult. ſimil. Unde in octo Synodis univerſalibus, *de quibus in cap. Canones cum duob. ſeqq. 15. diſtinct. in cap. Sancta octo univerſalia Concilia, & in cap. Sexta Synodus 16. diſtinctione.* Item in Tridentina Synodo decreta reperiuntur concepta, aut imperativè, id eſt Epiſcopi teneantur reſidere, fructus ſuos non faciant, habeant jus viſitandi: aut imperſonaliter, ut Synodi celebrentur, profeſſio non valeat, & his ſimilia; aut ipſius Concilii nomine, videlicet Sancta Synodus diffinit, ſtatuit, mandat, prohibet, & alia hujuſmodi. Quapropter
33 præſens quæſtio proponitur de iis tantùm Conciliis, quibus præſunt ipſimet Summi Pontifices, qualia fuerunt quinque Lateranenſia, duo Lugdunenſia, Viennenſe,
34 Conſtantienſe, & Florentinum, in his enim videmus variè obſervatum fuiſſe, nam plerumque illorum Canones leguntur editi ſub verbis, decernimus, ſancimus, præcipimus, prohibemus, & conſimilibus, nulla Pontificis, aut Concilii facta mentione, *ut in c. Ne pro defectu, cum tribus ſeqq. ſupr. de elect. in c. Irrefragabili, in c. Quoniam idem, & in c. inter cætera, de off. ordin.* aliquando ſacro approbante Concilio, *in c. Cùm laicis, de reb. Eccleſ. non alien. in c. Antiqua de privil. & in c. Sacro approbante Concilio de ſentent. excom.* aliquando ſacro ſuadente Concilio, *ut in c. licèt Græcos infr. de Bapt.* Interdum Sacri authoritate Concilii, *ut in c. Nimis de jurejur.* & nonnumquam etiam Sacro præſente Concilio, & cum Concilii deliberatione præhabita, *ut in c. ad Apoſtolicæ infr. de re judic.* Prætereà ejuſmodi Conſtitutiones editæ in Conciliis generalibus, quibus Romani Pontifices præferunt, in inſcriptione plerumque tribuuntur Pontifici in Concilio, *ut in c. 1. ſuprà de Summ. Trinit. & fid. Cathol. in c. 1. de Tregu. & pac. in c. Sæpè infrà de reſtit. ſpoliat.* & aliquando tribuuntur Summo Pontifici etiam abſque ulla Concilii mentione, ut in compluribus Clementinis, quarum multæ ſimpliciter inſcribuntur, per dictionem, *idem*, licèt ferè omnes editæ fuerint in Concilio Viennenſi, & in ſpecie ſic inſcribitur Clem. *Quia contingit de relig. domib.* quamvis in corpore dicatur edita Sacro approbante Concilio. Item quandoque ſimpliciter inſcribuntur, ex Concilio generali, ex Concilio Lateranenſi, ut in inſcriptionibus, *cap. Nonnulli infrà de Cler. non reſid. & cap. 2. de ſtat. Monach.* & quandoque etiam, idem ex Concilio generali, *cap. Adverſus infrà de immun. Eccleſ.*

35 In hac igitur varietate Abb. *in cap. 1. num. 5. infrà de ſponſ.* & in ſermone, quem habuit in Concilio Baſileenſi *col. 4. in ultima parte*, ponit in effectu duas diſtinctiones. Prima diſtinctio eſt, quod aut Conſtitutiones fiunt à Papa de conſilio Concilii; & denominari debent à Papa, & illius
36 nomine promulgari. Aut fiunt à Papa de conſenſu Concilii, & tunc Abbas ſentit edendas eſſe nomine Concilii, allegat notata per Archid. *17. diſt. in princ.* qui in Concilio Provinciali ponit hujuſmodi differentiam inter conſilium, & conſenſum.

Sed hanc diſtinctionem meritò impugnat Dec. *in cap. 1. in prima lectura num. 4. infrà de judic.* ubi concludit Conſtitutionem eſſe tribuendam Summo Pontifici, quia ipſe principaliter nominatur, Concilium verò conſentit, & qui alteri facienti conſentit, non dicitur facere, nec ab eo actus denominatur, *l. Si pater in fin. ff. de manum. vindict. & leg. Aliud eſt vendere in princ. ff. de reg. jur.* & quod per hæc jura tradit Bald. *in l. 2. in 20. quæſtione, C. de reſcin. vendit.* Non ergo ſecundùm eum conſtituenda eſt differentia quantùm ad propoſitum an dicatur de conſenſu, vel de conſilio, quia utroque caſu actus fundatur in perſona Summi Pontificis, & ad hoc ſuffragantur multa jura, in quibus conſenſus alicujus requiritur, & tamen actus tribuitur illi tantùm, qui principaliter illum facit, *c. Cauſam quæ infr. de judic. c. Nobis, de jurepatr. c. Apoſtolica, & c. tua de his quæ fiunt à Prælat. c. Super quæſtionum, §. 1. Suprà de off. deleg. & c. Sicut, §. ult. infr. de jurejur.* Quinimò etſi dicatur de conſilio, & conſenſu ſimul; Conſtitutio tamen à Summo Pontifice denominatur *in c. 1. de renunc. lib. 6.* ubi dicitur, de concordia, conſilio, & conſenſu Cardinalium. Idemque habetur *in c. 1. infrà de Reliq. & vener. Sanctorum, & in cap. unic. Ne Sed vac.* ſecunda diſtinctio Abbatis ubi ſupra, & hìc in ult. no- 37
tab. eſt quod aut materia legis originatur à Papa; & quamvis Concilium approbet, tamen lex eſt edenda nomine Papæ, à quo ſumpſit originem, & vigorem; nam & ſine Concilio Papa poteſt legem condere, *c. Cuncta per mundum 9. q. 3.* & notat gloſſ. *in cap. Ad Apoſtolicæ de re judic. lib. 6.* Innoc. *in cap. 2. de Cler. non reſid.* Aut materia legis originatur à Concilio; & tunc nomine Concilii lex eſt edenda: nam in Concilio intereſt Papa, *ut caput. allegat. cap. Oſius de elect. cap. Convenientibus 1. quæſt. 7. & cap. Adrianus 63. diſt.* & ſequuntur *in cap. 1. infrà de ſponſ.* Felin. *n. 4. verſ. Et ideo*, Alex. de Nævo *num. 13. verſ. Abbas tamen ſic diſtinguit.* & Præpoſ. *nu. 5.* ubi nota, inquit, quod quando aliquid facit Papa in Synodo, vel Concilio, illud tamen adſcribitur Concilio, non ipſi Papæ, *cap. 1. de Pact.* Quod intellige verum quando ad motum Concilii, vel ſuaſum Papa unà cum ipſo aliquid facit: ſecus autem ſi ipſe ſit principalis promotor illius determinationis, quia tunc aſcribitur Papæ, non Concilio, *cap. licèt de elect. cap. Adverſus de immun. Eccleſ.* juncta ſupraſcriptione. Cæterùm neque hæc poſterior diſtinctio videtur vera, & contra eam adduco *text. in cap. licèt Græcos, infrà de Bapt.* ubi Conſtitutio, ut loquar cum Præpoſ. *ubi ſupra* facta fuit ad motum,
vel ſuaſum Concilii, *ut patet in verſ. Sacro ſuadente Concilio*, & tamen non fuit edita nomine Concilii, ſed Papæ, 38
cui etiam tribuitur in ſupraſcriptione, Ad idem videtur *tex. in cap. Nimis de jurejur.* ponderando illa verba: Sacri authoritate Concilii prohibemus: nam de natura authoritatis eſt, ut actum præcedat, *l. Obligari, §. Tutori, ff. de authorit. tutor.* Bart. *in l. Si quis bona, §. Juſſum, ff. de acquir. hæred.* & in propoſito notat Felin. *in d. cap. 1. num. 6. verſ. Et adde. prædictis, de ſponſal.* & ſic materia ibi videtur fuiſſe orignata à Concilio & tamen ille Canon in ſupraſcriptione tribuitur Innocentio III. & ejus nomine editus fuit. Prætereà contra propoſitam diſtinctionem valdè urget hæc conſideratio, quod Conſtitutiones inſertæ in Clementinis tribuuntur Clementi V. in Concilio Viennenſi, & ſeptuaginta capita generalis Concilii ferè omnia tribuuntur Innocentio III. & tamen non eſt credendum nullam ex tot conſtitutionibus habuiſſe originem ex propoſitione, & motivo Patrum in Concilio. Et viceverſa in primo Concilio 39
ab Apoſtolis celebrato Jeroſolymis anno Chriſti 34. in domo Mariæ Matris Joannis qui cognominatus eſt Marcus, ut in locum Judæ proditoris alius ſubrogaretur, & Epiſcopatum ejus acciperet, de quo Concilio habetur *Act. 1.* & ibi per gloſ. ordin. & Baron. 34. *num. 236. Exſurgens Petrus in medio fratrum dixit: Viri fratres oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Sipitus ſanctus de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum, &c. Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis.* Et ita hujuſmodi actus originatus fuit à Petro Apoſtolorum Principe, & tamen determinatio non ſoli Petro tribuitur, ſed univerſis in Concilio congregatis. Sequitur enim littera: *Et ſtatuerunt duos, &c. & orantes dixerunt, &c. & dederunt ſortes eis, &c. & cecidit ſors ſuper MATHIAM, & connumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Similiter in 40
tertia Apoſtolorum Synodo itidem habita in Jeruſalem anno 14. poſt mortem, & reſurrectionem Chriſti, quæ fuit plenaria Concilii forma poſtmodum à Summis Pontificibus, & Sanctis Patribus obſervata, *ut tom. 1. Concil. part. 1. pag. 2.* Petrus tamquam Apoſtolorum ſupremus, & caput propoſuit quæſtionem de circumciſione gentibus non impo-

po-

ponenda. Legimus enim *Actor 15. Surgens Petrus dixit*
ad eos: Viri fratres, vos ſcitis, &c. Nunc ergo quid tenta-
tis, &c. Sed per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſal-
vari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitu-
do conſentiens Petro, & paulò poſt, reſpondit Jacob dicens.
Viri fratres, audite me &c. Propter quod ego judico, non in-
quietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, ſed
ſcribere ad eos ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimula-
crorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine. Tandem
ſequitur determinatio his verbis: *Placuit Apoſtolis. &*
Senioribus, cum omni Eccleſia, & ſic decretum ſumpſit o-
riginem ex propoſitione Petri, & nihilominus fuit editum
nomine totius Conc. Dicendum eſt igitur non eſſe haben-
41 dam rationem à quo materia legis fuerit originata, ſed cùm
Summus Pontifex præſidet Concilio, ita demum decreta
edenda eſſe nomine Concilii circumſcripto nunc effectu,
de quo dicam *in c. 1. infrà de judic.* ſi Pontifex in hoc con-
42 ſentiat. Hac enim ratione factum eſt, ut multæ Conſtitu-
tiones à Concilio fuerint denominatę, quia Romani Pont.
ad limitationem B. Petri quandoque ex humilitate conſen-
ſerunt, ut geſta quæ ſibi tribuenda eſſent, adſcriberentur
Concilio. Et ita procedit text. in *c. fin. 2. q. 1.* ibi: *Decernen-*
te nobiſcum ſancta Synodo, ponderando dictionem, *cum*,
43 cujus natura eſt conjungere per modum acceſſorii, non au-
tem per modum principalis diſpoſitionis, *l. Si cui fundus, ff.*
De fund. inſtruct. Gemin. *conſ. 32. Pro examinatione col. ult.*
ſub n. 11. verſ. Quo autem ad conceſſionem, Bart. in *l. 3. in fin.*
C. Ubi pend. appell. & eodem modo intelligi debent alia jura
initio allegata, quæ inſcribuntur, *ex Concilio, &c.* Sed ex-
tra hunc caſum conſenſum Papæ, cum factum Petri ejus
Succeſſoribus non intulerit præjudicium, ut in hac ſpecie
inquit Præp. in *c. Canones, n. 48. 15. diſt.* Conſtitutiones ſive
44 originatæ à Papa, ſive a Concilio indiſtinctè tribuendæ
ſunt Papæ, & ejus nomine edi debent, ut probant jura pro
hac parte allegata: cujus aſſertionis multiplex etiam eſt ra-
tio. Primò enim Concilia omnia univerſalia congregan-
tur, & authoritatem accipiunt à Rom. Pontif. *c. Signifi-*
caſti, de elect. c. Benè quidem, 96. diſt. c. Nec licèt, c. Multis,
& per tot. 17. diſt. Abb. poſt Jo. Andr. *in c. Super quibuſdam,*
n. 3. de verb. ſignif. S. Thom. *in 1. part. q. 36. art. 2. ad 2.* &
45 *in 2. 2. q. 1. art. 10.* Ergo ipſi Summo Pontifici Conſtitutio-
nes ſunt adſcribendæ, quia denominatio ſumitur à tribuen-
te authoritatem, non à condente, *c. Apoſtolicæ, de præb.*
lib. 6. Cùm aliquibus, & ibi Archid. Jo. Monach. Jo. Andr. &
alii notant *de reſcr. eod. lib. 1. ante med. §. Sed neque, C. de*
veter. jur. enucl. & in propoſito tradit Felinus in *cap. 1. n. 4.*
46 *verſ. Unde denominatio, de Sponſ.* Actus enim tribuitur
primæ cauſæ, *cap. Litteris, de reſcript. l. Item eorum, §. Si*
Decuriones, ff. Quod cujus, univerſ. nom. Bart. in *l. Unum ex*
familia, §. Scirem, de leg. 2. & à primordio tituli poſterior
formatus eventus, *leg. 1. C. de imponend. lucrat. deſcript.*
47 *lib. 10.* Anchar. *conſ. 4. in princip.* Secundò Concilia omnia
œcumenica, & eorum Canones à Summo Pontifice con-
firmantur, *d. c. Significaſti, de elect. d. c. Multis, & c. Conci-*
lia, 17. diſt. & patet ex ſexta actione Concilii Chalcedo-
nenſis ubi dicitur. *In omnibus Synodis Apocriſiarii Apo-*
ſtolici decretas ſententias, propter ſummam authoritatem
ejuſdem Apoſtoli, & Sedis, confirmabant; quia aliter nullum
robur habebant: Unde Patres Concilii Niceni, quod fuit
primum œcumenicum in Eccleſia celebratum, *c. Canones,*
& c. Sicut 15. diſt. humiliter petierunt ut omnia ſua geſta
ac diffinita confirmarentur à beato Silveſtro, ut conſtat ex
litteris Patrum, & decreto confirmationis *t. 1. p. 1. Concil.*
pag. 284. Idemque cum Leone Papa obſervarunt Patres
Concilii Chalced. quorum epiſtola, ſeu relatio itidem re-
fertur *t. 2. Concil. p. 1. pag. 353. col. 2.* epiſtola autem, & con-
firmatio Leonis paulò poſt *pag. 369. col. 1.* & plura alia e-
xempla congerit Turrecrem. *in Summa*, quam edidit con-
tra adverſarios Eccleſiæ, & principatus Petri Apoſtoli, *lib.*
2. cap. 100. ut idemmet refert in *c. Sancta Romana n. 4. 15.*
diſt. ubi etiam poſt D. Th. *loco cit.* idipſum multis rationi-
bus comprobat. Et noviſſimè his temporibus Patres Conc.
Trident. eodem modo petierunt, & obtinuerunt confir-
mationem à Pio IV. ut in decreto de fine Concilii. & con-
firmatione petenda à Sereniſſimo, *ſeſſ. 25.* & in Bulla ejuſ-
dem Pii IV. quæ incipit *Benedictus Deus.* Denominatio
autem fieri debet à Superiore confirmante, *c. Si eum, de*
48 *præben. lib. 6.* Ad quod facit quod ſcripſit Bald. in *l. Ex pla-*
cito, in 3. col. C. De rerum permutat. dum ait, Statuta Spole-
tana confirmata per Papam dici ſtatuta Papalia, quod di-
xit etiam Rota coram Greg. XV. *dec. 267. nu. 6.* & coram
Cardinale Cavalerio *dec. 433. nu. 3. non Spoletana.* Item 49
facit quod notat gl. *in §. fin. inſtit. de tutel.* ubi Tutor da-
tus à Patre filio emancipato ſi confirmatur à Prætore dici-
tur dativus, non teſtamentarius. Et quod notat gl. *fin.* in
c. Ex frequentibus, de inſtitut. ubi decidit excommunica-
tionem latam ab Archiepiſcopo, & confirmatam a Papa
cenſeri Papalem quoad abſolutionem, & in terminis Con-
cilii generalis tradit Felin. alia cumulans in *d. c. 1. ſub n. 4.*
verſ. Sed mirum videri poteſt, de ſponſ.

Tertiò Romanus Pontifex eſt ſupra Concilium, ut fuit 50
ſæpiùs diffinitum, videlicet ab Innocentio in *cap. Nemo*
judicabit, à Symmacho in *c. Aliorum*, ab Anthero in *cap.*
Facta ſubditorum, à Gelaſio in *cap. Cuncta per mundum, 9.*
quæſt. 3. à Bonifacio Martyre *in cap. Si Papa, 40. diſtinct.*
& apertius à Pio II. in Conſtitutione quæ incipit, *In mi-*
noribus agentes, edita 6. Kalendas Maji 1463. in Bullar.
tom. 1. pag. 322. & eſt conſtans Theologorum, & Canoni-
ſtarum ſententia, ut ſcripſi latiſſimè in *cap. Significaſti,*
ſupra de electione, quam pluribus tuentur Petrus de
Monte, Epiſcopus Brixienſis *in ſua Monarchia, ſeu tra-*
ctatu de poteſtate Papæ in rubr. de Concilii præeminentia, à
numero 6. verſ. His ita expeditis, ingrediendum illud ma-
re magnum, Sanctus Antoninus *in 2. parte ſua Summæ ti-*
tul. 2. cap. 11. Andreas Barbat. in Clemen. *Ne Romani de*
electione, ubi à num. 31. uſque ad numerum 86. pro ſuperio-
ritate Papæ in Concilium adducit octuaginta ſeptem ar-
gumenta, Turrecrem. in *d. cap. Si Papa, 40. diſtin.* & *in*
Summa de Eccleſ. lib. 2. per tot. Præpoſ. *in Summa 15. diſt.*
à num. 1. uſque ad num. 76. & plenius Cardinal. Jacobat. *de*
Concil. lib. 10. art. 7. num. 72. & ſeq. Ergo à Pontifice Ma- 51
ximo tamquam majori, & digniori Conſtitutiones in Con-
cilio editæ principaliter denominari debent, Bald. *in leg.*
Rogaſti, n. 4. per illum text. *ff. Si cert. petat*, Felin. *in proœmio*
Decret. in ver. Gregorius, in princ. & in terminis Conſti- 52
tutionum Conciliarum idem Felin. *in dict. cap. 1. ſub n. 4.*
de ſponſ. Quemadmodum & in ordine ſcripturæ Papa præ-
ferri debet Concilio, *c. Ego Berengarius*, ibi, *Dominus &*
Venerabilis Papa Nicolaus, & hac S. Synodus, de Con-
ſecr. diſtinct. 1. Quartò, & ultimò Summus Pontifex in 53
Concilio poteſt Conſtitutiones facere etiam ſine Concilio,
text. eſt in *c. Ad Apoſtolicæ de re judic. lib. 6.* & in *c. Cuncta*
per mundum, 9. q. 3. Abb. *hic in ult. notab.* Etiam in materia 54
dogmatum, *c. Rogamus, c. Quotiens, 24. q. 1. c. Majores, de*
Bapt. Abb. *in ſua q. 1. num. 13.* Præpoſ. in *c. Sicut, in fin. 15.*
diſtinct. & probat Sanctus Thomas *in quæſtionibus ſuis de*
Chriſto, q. 4. art. 10. & in 2. 2. qu. 1. art. 10. At è converſo 55
exiſtentes in Concil. non poſſunt aliquid ſtatuere ſine au-
thoritate Papæ, ut docet idem S. Thom. *in opuſc. contra im-*
pugnantes Religionem, quem refert, & ſequitur Turrecr.
in *Summa de Eccleſ. q. 56.* & Felin. *in cap. 1. num. 6. verſ.*
Et adde prædictis, de ſponſ. Unde gloſſ. in *d. cap. Ad A-* 56
poſtolicæ, ſingulariter ait: nota quod in ſupraſcriptione
dicitur, *ſacro præſente Concilio ad memoriam ſempiternam.*
Quod dicit de Concilio potius eſt ad honeſtatem, quàm ad
neceſſitatem: nam ſine ſententia Concilii ſententia Papæ
ſufficeret contra Imperatorem, & quemcumque alium, *c.*
Alius 15. q. 6. ubi non dicitur quod in Concilio facta fuerit
depoſitio. Ipſe enim habet plenitudinem poteſtatis, *c. De-* 57
creto, 2. q. 6. ibi, *Ut in parte ſint, &c. c. Ad honorem, de uſu*
pall. & paulò poſt. Papa non ſubjicitur Canonibus, nec ab
eis authoritatem habet, ſed è contra *c. Significaſti, de elect.*
& infr. in eadem gl. ſuper verbis inſcriptionis, *ſacro præ-*
ſente Concilio, ſic legitur, *Præſente*, non dicit approbante,
ſicut in *c. Sacro de ſent. excomm.* forſan ex cauſa ne crede-
ret aliquis ſine approbatione Concilii depoſitionem
Imperatori fieri non poſſe. Unde infrà dicit: *Nos*
itaque cum fratribus noſtris, & ſancto Concilio delibe-
ratione præhabita, quam gloſſam ad litteram refe-
runt, & ſequuntur ibi Joann. Andr. *numer. 5. verſ. in*
gloſſ. 1. Geminian. *col. 3. verſ. In ea gloſ.* ibi, *præſente.*
Idem ante eos adnotavit ibid. Joann. Mon. *num. 3. ubi*
nota, inquit, *quod Papa ſententiam ſuam non ſuppo-*
ſuit correctioni, vel emendationi Concilii, & requiſitio
Concilii non eſt neceſſitatis, ſed ſolemnitatis tantum,
quia Papa ſine Concilio poſſet procedere ad ſenten-
tiam

tiam, cum habeat plenitudinem poteſtatis, c. Cùm ex eo de pœnit. & remiſſ. & Papa dat robur Conciliis, non è contra, & ſequitur totidem verbis Franc. *num.* 3. *in* 5. *notab.* & propterea in diſcordia inter Papam, & Concilium prævalet ſententia Papæ, gloſſ. in *c. Iſtis*, *in ver. Judicent*, 4. *diſtinct.* gloſ. 1. in *c. Quodcumque* 24. *quæſt.* 1. Joan. Andr. in *c. Significaſti*, *num.* 9. *de elect.* & ibi etiam Abb. *num.* 3. *verſ. Et per iſta*, Felin. *hic num.* 1. & in *cap.* 1. *nu.* 14. *in* 3. *am-*
59 *pliat. de Conſt.* igitur cùm Papa præeſt Concilio, Conſtitutiones edendæ ſunt nomine Papæ quia denominatio fieri debet ab eo, qui producit effectum, ut inquit Bald. in *l.* 1. *nu.* 6. *Cod. de teſtam. tutel.* & à potentiori juxta text. in *l. Quæritur*, *ff. De ſtat. homin.* ubi id notant Bart. Bald. & reliqui Interpretes.

60 Et confirmatur; nam Metropolitanus in Concilio Provinciali non poteſt Conſtitutiones facere abſque conſilio, & conſenſu Epiſcoporum Suffraganeorum, ut patet in *c. Ne Epiſcopi*, *de tempor. ordin.* ubi in fine in materia conſecrationis dicitur Metropolitanum debere conſentire majori parte ſuorum ſuffraganeorum; & communis opi-
61 nio eſt eo caſu diſcrepantibus Metropolitano, & Epiſcopis comprovincialibus, adeundum eſſe Superiorem. Ita poſt Hugon. concludunt gloſſ. Archid. Gemin. Turrecrem. & Præpoſ. in *c.* 1. 65. *diſt. in ver. Contradicant.* Habent e-
62 nim Suffraganei votum deciſivum, & ſunt conjudices. Et propterea Metropolitanus debet cum conſilio, & aſſenſu Suffraganeorum, ſeu majoris partis pronunciare, ut generaliter docet Hoſtien. *in cap.* 1. *ad fin. de libell. oblat.* &
63 Metropolitanum ſine conſenſu Epiſcoporum Provincialium nihil poſſe ſtatuere, neque agere quod pertineat ad diſpoſitionem, & communia negotia provinciæ, neque è converſo Epiſcopos comprovinciales ſine Metropolitani conſenſu, & votis diſcrepantibus neutri ſententiæ adhærendum, nec Metropolitani, nec Suffraganeorum, ſed abſolutè in quocumque caſu ad Sedem Apoſtolicam referendum eſſe, formaliter dicunt in *c. Per ſingulas*, 9. *q.* 3. Archid. Gemin. Turrecrem. & Bellam. & idem Archid. in *cap. fin.* 36. *diſt.* Quinimò Barbat. *de Concil. lib.* 6. *art.* 2. *verſ. Nonò facit*, ampliùs affirmat prævalere ſententiam provincialis Concilii ſententiæ Archiepiſcopi, & in hanc opinionem audita relatione, S. Congregationis Concilii ſuper dubio Archiepiſcopi Ulixbonenſis perpendit Grego-
64 rius XIII. *die* 14. *Januarii* 1577. Et tamen Conſtitutiones editæ in Synodo provinciali non tribuuntur Synodo, ſed Archiepiſcopo: nam verba, ita concipiuntur, *Nos Metropolitanus decernimus*, ut Gregorius animadvertit: & in ſpecie in ſex Conciliis provincialibus Mediolanenſibus à S. Carolo celebratis in principio legitur *Nos Carolus Borromæus*, &c. *De conſilio, & aſſenſu DD. Coepiſcoporum noſtrorum ſtatuimus*, &c. Inſcriptio autem ſic fieri ſolet: *Conſtitutiones editæ ab Archiepiſcopo N. in Concilio Provinciali*, &c. ut vidi obſervatum in quamplurimis Conciliis à S. Congregatione Concilii recognitis ad præſcriptum Conſtitutionis Sixti V. in inſtitutione ejuſdem Congregationis. Ergo ſi Conſtitutiones provinciales, quæ conſtantur, & accipiunt eſſe ſimultaneo conſenſu Metropolitani, & ſuffraganeorum, ſive originatæ fuerint à Synodo, ſive à Metropolitano, non Synodo, ſed Metropolitano tribuuntur; longè magis Conſtitutiones editæ in Concilio generali, cui Papa præſidet, adſcribendæ ſunt Papæ, cùm hoc caſu conſenſus Concilii non requiratur ad ſubſtantiandas Conſtitutiones, quas, ut dictum eſt, Summus Pontifex poteſt condere etiam ſine Concilio.
Non obſtant jura, quæ Abb. allegat pro ſua diſtinctio- 65
ne: nam text. hìc, in *c. Oſius*, *de elect. in cap.* 1. *de judic.* & in *cap.* 1. *de ſponſ.* ex quibus Doctores eliciunt Conſtitutionem edendam eſſe nomine totius Concilii, non autem ſolius Papæ ponderando illa verba, *Synodus reſpondit*, *univerſi dixerunt*, *placuit omnibus Epiſcopis*, *diffinivit Sancta Synodus*, ad rem non pertinent. Et mirum eſt quod Abb. *hic in ult. notab.* tam liberè dixerit: ultimo nota, & tene menti ex verbo, Univerſi, quod lex edita in Concilio fit nomine Concilii, & non Papæ tantùm; hìc enim nulla fit mentio de Papa, qui præſidebat in Concilio, ſed de Concilio tantùm. Lapſus eſt enim hoc loco Abb. & qui eum poſteà ſecuti ſunt: nam verè ille Canon deſumptus eſt ex *cap.* 12. Concilii Carthaginenſis Primi, cui Romanus Pontifex non interfuit, imò fuit Concilium provinciale celebratum tempore Julii I. & deinde confirmatum à Leone IV. ut dixi *ſupra in princip.* & Concilio Sardicenſi ex quo deſumptum eſt *d. cap. Oſius de elect.* Oſius, Archidamus, & Philoxenus Julii Papæ nomine præfuerunt, ut habetur in hiſtoria ejus Concilii *tom.* 1. *pag.* 423. ſed nec Concilio Africano, ſeu Milevitano, in quo acta fuit cauſa illius Epiſcopi Quodvultdei, relata in *cap.* 1. *infrà de judic.* Præſidet Innocentius Primus, ſed omnia illa octo Concilia ab anno 403. uſque ad annum 410. ab Epiſcopis Provinciæ Africæ celebrata fuerunt dum Innocentius in Urbe degeret, ad quem etiam quandoque legationes à Concilio fuerunt decretæ, ut ex eod. *tom.* 1. *par.* 1. apparet *pag.* 630. 631. & 727. *cap.* 5. Idemque dicendum de Triburienſi Concilio, ex quo deſumpta eſt Decretalis prima de ſponſ. fuit enim celebratum tempore Formoſi Papæ à vigintiduobus Epiſcopis tantùm præſidente Arnulpho Imperatore, ut *tom.* 3. *Concil. par.* 2. *pag.* 120. In Conciliis autem habitis abſque præſentia Summi Pontificis extra dubium eſt Conſtitutiones edendas eſſe nomine Concilii, ut dictum eſt ſupra *num.* 32. Et eodem modo reſpondetur ad *c. Convenientibus*, 1. *q.* 7. & ad *c. Adrianus*, 63. *diſt.* nam in 7. & 8. Synodo quarum ſunt prædicti Canones, Papa non interfuit, ſed illius Legati, ut legitur in eodemmet *c. Convenientibus*, & in *c. Adrianus*; unde non mirum ſi fuerint editi nomine Synodi.

Poſtquam hæc ſcripſiſſem, reperi propoſitam diſtinctionem Abbatis reprobari à Cardin. Jacobat. *de Concilio fol.* 294. *col.* 4. Famaguſtan. *in eod. tract. verſ. Diſpoſitio*, §. *Videndum*, & ab aliis, quos refert, & ſequitur Rota *deciſ.* 123. *n.* 2. *verſ. Nec obſtat*, *par.* 1. *diverſ.*

DE PACTIS.

Alexander III. Exonen. & Vvigornen. Epiſcopis.

CAPUT IV.

CUm pridem S. clericus procurator Prioris, & Monachorum de Acra, & P. clericus pro cauſa, quæ inter eos, & prædictum P. ac fratrem ejus, cujus vicem ſe gerere dicebat, ſuper Eccleſia, & Capella de L. vertebatur, ad noſtram præſentiam acceſſiſſent: inter ſe (non tamen nobis mediantibus) convenerunt, quòd eidem P. pro expenſis quas fecerat, tres marchæ argenti ſolverentur, & idem P. liti cederet, & à Monachorum infeſtatione ceſſaret. Cùmque compoſitionem iſtam auctoritate Apoſtolica peterent confirmari: Nos eam non duximus admittendam, pro eo quod videbatur pravam illicitæ pactionis ſpeciem continere: & infrà. Ille igitur noſtris monitis acquieſcens, & eidem liti pro ſe ac fratre ſuo renuntians, authentica inſtrumenta, quæ ſuper hoc habebat, in noſtris manibus reſignavit, quæ nos Priori & Monachis deſtinantes, mandavimus ut eidem P. & fratri ejus in aliquo ſtuderent beneficio providere, de quo majus lucrum valeant Apoſtolica interceſſione percipere, quam eis deberet ex illa pactione illicita provenire. Cæterùm quia Prior & fra-

fratres acquieſcere noluerunt; Mandamus quatenus moneatis eoſdem, ut præfato P. & fratri ejus competens beneficium conferant, & aſſignent: alioquin ſi vobis conſtiterit dictos clericos à prænominata Eccleſia & Capella, abſque ordine judiciario violenter ejectos, ipſas eiſdem reſtitui faciatis, non obſtantibus litteris noſtræ confirmationis, quas prædicti Prior & Monachi à nobis impetraſſe noſcuntur.

S U M M A R I U M.

1 *Pactum, per quod beneficium debet pecunia reſignari, non valet.*
2 *Simoniaca quædam eſſe quia prohibita, & quædam prohibita quia ſimoniaca, an convenienter diſtinguant Canoniſtæ, & n.ſeq. uſq. ad n.30.*
3 *Durandi objecta referuntur adverſus prædictam diſtinctionem.*
Diluuntur, n. 11. & n.22.
4 *Peccatum non committitur niſi inobedientiæ in his, quæ non ſunt in ſe mala niſi quia prohibita.*
Contrarium, n.22. & n.22. & ſeqq.
5 *Prohibitio juris naturas rerum non mutat.*
Contrarium, n.27.
6 *Jejunium frangere an ſit peccatum inobedientiæ, vel gulæ, & n.22.& 28.*
7 *Vendere gratiam, & Sacramenta eſt in ſe ſimoniacum, jure divino, ac natura prohibitum.*
8 *Simoniæ Authores qui fuerunt in novo, & veteri teſtamento.*
9 *Simonia quales habeat ex jure naturali inordinationes, & deformitates.*
10 *Hæreſis Macedonii, & ſequacium tolerabilior eſt, quàm ſimonia.*
11 *Eccleſia an potuerit ſimoniam inducere in his, quæ ex ſui natura non ſunt ſimoniaca.*
12 *Inceſtus committitur etiam in gradibus prohibitis ex conſtitutione Eccleſiæ tantùm.*
13 *Inceſtus quid ſit.*
14 *Contractus, & officia ſpiritualia lege Eccleſiæ determinantur, ſicut officia humana legibus humanis.*
15 *Eccleſia an re ipſa ſtatuerit ut in aliquibus caſibus ſimoniacum eſſet quod prius non erat, & n. ſeqq. uſque ad n.30.*
16 *Species neceſſariò infert genus, licèt non comprehendat.*
17 *Officium Oeconomi, Sacriſtæ, aut Protectoris vendere non eſt ſimoniacum niſi quia prohibitum.*
18 *Permutationes beneficiorum, & reſignationes cum penſione ſine authoritate Papæ ſunt ſimoniacæ de jure poſitivo tantùm.*
19 *Simoniacæ non ſunt partium conventiones ſuper modo permutationum, & reſignationum cum penſione, niſi fiant independenter à voluntate Superioris.*
20 *Tractatus non includit deliberatum conſenſum.*
21 *Simoniacum non eſt concludere tractatum permutationis, aut reſervationis cum penſione ſub conditione, ſi Papæ placuerit.*
22 *Medium in omni virtute conjecturatur non ſolùm ex his quæ per ſe incidunt, ſed etiam ex iis, quæ per accidens.*
23 *Peccata quandoque ſimili nomine cenſentur, quæ ſimili pœna puniuntur.*
24 *Simonia an, & quando ſit propriè hæreſis.*
25 *Prohibitio juris non mutat res ſecundùm naturam, ſed ſecundùm rationem.*
26 *Sacra ex Conſtitutione Eccleſiæ tantùm poſſunt fieri non ſacra authoritate Papæ.*
27 *Papa facit jus de eo, quod non eſt jus, & naturam rei immutare poteſt.*
28 *Jejunium conſtituit Eccleſia in virtute abſtinentiæ.*
29 *Mendacium jocoſum præcepto addito non ſolùm eſt peccatum inobedientiæ, ſed etiam linguæ.*
30 *Beneficium Eccleſiaſticum vendere an ſit prohibitum quia ſimoniacum, an è converſo, & n. ſeq. uſque in finem.*
31 *Simoniacum eſt, & jure divino prohibitum accipere pecuniam pro collatione beneficii, cui ſit annexa executio ordinis, vel poteſtas Clavium, & nu. ſeq. uſque ad num. 39.*
32 *Poteſtas Clavium tribuitur habitu in ordinatione, actu verò in collatione beneficii Curati.*
33 *Ordinis executionem vendens cenſetur vendere ipſum Ordinem, & donum Dei.*
34 *Vendens unum, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit, & n.90.& 106. & ſeq.*
35 *Ordinis executio dicitur Ordinis perfectio.*
36 *Simoniacum eſt vendere Sacramenta vel principaliter, vel per connexionem.*
37 *Poteſtas Clavium etiam in actu poteſt eſſe ſine beneficio Curato; ſed non è converſo.*
38 *Intellectus* c. Conſtitutus de relig. domib.
Penſionem dare, vel accipere in conceſſione juris ſpiritualis, an ſit ſimonia, ibid.
39 *Canonicatum vendere, vel aliud ſimplex beneficium an ſit ſimoniacum quia prohibitum, vel è converſo, & n.ſeq. uſq. ad n.53. & 67.*
40 *Simoniaci in ordine, & in beneficio à Chalcedonenſi Concilio ſimili pœna damnantur.*
41 *Beneficii Eccleſiaſtici venditores Domum Dei ſpeluncam latronum faciunt.*
42 *Intellectus* c. Ex multis 1.q.3.
43 *Canonicatibus Cathedralium Eccleſiarum quo tempore ſacri Ordines annexi fuerint.*
44 *Dictio*, deinceps, *quid importet.*
45 *Eccleſiæ Rom. authoritas in exponendis ſacr. Scripturis.*
46 *Intellectus* c. Salvator 1. q.3.
Res Eccleſiaſticæ dona Dei ſunt, ibid.
47 *Intellectus* c. Si quis dator 1. q.3.
48 *Cauſarum diſſimilium diſſimiles debent eſſe effectus.*
49 *Intellectus* c. Ex diligenti de ſimonia.
50 *Simoniaca hæreſis eſt altare, & decimas, & Spiritum ſanctum vendere, vel emere.*
51 *Simoniacum eſſe vendere titulum Canonicatus quibus rationibus probetur.*
52 *Beneficiato quid conferat Prælatus in collatione beneficii.*
53 *Papa an poſſit involui crimine ſimoniæ, & nu. ſeq. uſq. ad n. 141.*
54 *Electus in Papam per ſimoniam non eſt Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus.*
55 *Papa non poteſt ſimoniam committere quoad pœnas juris poſitivi.*
56 *Nec incidit in Can.* Si quis ſuadente. *Si Clericum percutiat.*
57 *Papa ſi pro gratia, & Sacramentis pecuniam reciperet, ſimoniam committeret, & gravius peccaret, quam quilibet alius.*
58 *Peccatum quid ſit.*
59 *Papa vendere non poteſt titulum beneficii, cui ſit annexa poteſtas clavium ſine labe ſimoniæ.*
60 *Papa accipiens pecuniam pro collatione Canonicatus, vel alterius beneficii ſimplicis an ſimoniam committat: latiſsimè in utramque partem diſcutitur uſq; ad num. 137.*
61 *Referuntur authores pro opinione negativa.*
62 *Papa non involuitur ſimonia in his, quæ ſunt ſimoniaca quia prohibita.*
63 *Simonia in his, quæ ſimoniaca ſunt quia prohibita, non habet locum in Curia Romana.*
64 *Princeps non poteſt committere ſimoniam laicalem, & num. 115.*
65 *Lex Julia de ambitu non habet locum Romæ.*
66 *Canones non ligant Papam, ſicut nec leges Imperatorem.*
67 *Simoniacum non eſt niſi vendere Sacramenta, aut principaliter, aut per connexionem.*
Contrarium, n. 118.
68 *Vaſa ſacra poſſunt licitè vendi, dummodò non pluris vendantur ratione conſecrationis.*
69 *Tituli beneficiales ſunt de jure poſitivo.*
70 *Eccleſia Romana uſque ad Urbanum I. dicitur abſque redditibus vixiſſe.*

71 *Cardinalis Turrecrematæ judicium de opinione Canoniſtarum circa ſimoniam in beneficialibus.*
72 *Referuntur authores pro opinione affirmativa.*
73 *Papa ex cauſa limitat jus divinum, ejuſque prohibitionem relaxat.*
Declaratur, n. 81.
74 *Neceſſitas extrema eò redigit ut cenſeantur omnia communia.*
75 *Papa ex cauſa diſpenſat contra Evangelium.*
Contrarium, n. 81.
76 *Diſpenſatio nulla fieri poteſt contra legem divinam, & n. ſeq. uſq. ad n.* 84.
77 *Diſpenſatio inferioris contra legem ſuperioris juſtam cauſam requirit.*
78 *Dei voluntas, à qua lex divina proficiſcitur, eſt immutabilis.*
79 *Papa ita ſe habet ad legem divinam, ſicut quilibet privatus ad legem humanam.*
80 *Papa in lege divina non diſpenſat propriè, ſed declarat eam in aliquo caſu non obligare.*
81 *Interpretatio obſequi debet Evangelio; aliàs non eſt interpretatio, ſed corruptio.*
82 *Uſurarum crimen eſt prohibitum de jure divino, & ſuper eo Papa non diſpenſat.*
83 *Neceſſitas extrema excuſat à ſimonia, uſura, & furto.*
84 *Simoniacus non eſt Pater dans pecuniam Sacerdoti nolenti aliter baptizare parvulum in extremis poſitum.*
85 *Res Eccleſiæ ſunt Papæ ut principalis diſpenſatoris, non autem ut Domini, & poſſeſſoris.*
86 *Docendi licentiam vendere an ſit prohibitum, quia ſimoniacum.*
87 *Canonicatum vendens dicitur vendere jus eligendi Epiſcopum Canonicati annexum.*
88 *Electio ex votis ſingulorum publicatis, & invicem collatis immediatè producitur.*
89 *Epiſcopi diſpenſant cum ſimoniacis in præambulis ad ordinem quoad pœnam juris poſitivi tantùm.*
90 *Simonia in beneficialibus an excludatur ex eo quod vendantur fructus beneficii, ſeu præbenda, non autem beneficium, ſeu Canonia, & n. ſeq. uſque ad num.* 114. *& n.* 123.
91 *Inſtituere quid ſit.*
92 *Præbenda an, & quando conſiſtat in mera temporalitate, & cadat etiam in laicum.*
93 *Beneficio Eccleſiaſtico inſunt Clericatus, & præbenda.*
94 *Beneficium quodlibet requirit ſaltem primam tonſuram.*
95 *Clerici vivere debent de patrimonio Jeſu Chriſti.*
96 *Canonia non datur ſine præbenda.*
97 *Clericatus eſt de jure divino.*
Clericatus quid ſit, ibid.
98 *Clerici officium in ſpiritualibus conſiſtit.*
Spiritualium author eſt Deus, ibid. & n. 120.
99 *Spiritualis genus totum eſt materia repugnans venalitati.*
100 *Præbenda quid importet.*
101 *Jus ſtipendii ſpirituale eſt, & competit Clericis de jure divino.*
102 *Stipendium eſt quid temporale, ſed Clericis divino jure debitum.*
103 *Clerico in collatione præbendæ non confertur novum jus; ſed juri quod habet à Deo, determinatur ab Eccleſia certa poſſeſſio.*
104 *Præbendæ, ſeu ſtipendii determinatio eſt de jure poſitivo, & ex Conſtitutione Eccleſiæ.*
105 *Jus præbendæ, ſeu ſtipendii etiam determinati vendere prohibitum eſt quia ſimoniacum.*
106 *Præbenda ut res purè temporalis in ſe vendi poteſt.*
107 *Sed prohibetur vendi ratione connexionis cum Clericali officio.*
108 *Jus præbendæ eſt annexum Clericatui per identitatem vel quaſi, & n.* 123.
109 *Beneficium eſt ſequela officii, & ſine ſpiritu illi non poteſt conſiſtere.*
110 *Clericus poteſt beneficii ſui fructus vendere, & locare.*
111 *Præbenda, ſeu fructus illius cur beneficiato vendi non poſſint.*
112 *Jus, & illius executionem vendere, paria ſunt.*
113 *Præbendam vendere duplex eſt peccatum.*
114 *Cardinalis Cajetani judicium de opinione Canoniſtarum in ſimonia beneficiali.*
115 *Magiſtratus, & Officia laicalia vendere, an & quale ſit peccatum.*
116 *Spiritualia in nullius ſunt dominio niſi ſolius Dei.*
117 *Titulus Eccleſiaſticus eſt ſpiritualis poteſtas ad actus ſpirituales exercendos.*
118 *Actus omnes ſpirituales lege divina prohibentur vendi.*
119 *Miniſtrum Templi pro pecunia inſtituere ſimoniacum erat in lege veteri.*
120 *Spirituali formaliter accidit, ut habeat cauſam ſpiritualem divinam.*
121 *Juſpatronatus tranſit vendita Villa, vel Caſtro cum univerſitate bonorum.*
122 *Nec ſuper ipſo cadit venditio directè, vel indirectè.*
123 *Venditio beneficii Eccleſiaſtici an cadat directè ſuper jure ſpirituali.*
124 *Spiritualitas quæ ſufficiat ad hoc ut ſpiritualium venditio ſit prohibita quia ſimoniaca, & n. ſeqq.*
125 *Jus Canoniæ ſpirituale eſt, & invendibile.*
126 *Tituli beneficiales ſunt ex ſe formaliter ſpiritualia, licet effectivè per Eccleſiam.*
127 *Jus poſitivum dupliciter conſideratur.*
128 *Conſecrationes aliquæ ſubtrahi poſſunt ab Eccleſia, ſed quamdiu ſuſtinetur repugnant venalitati.*
129 *Tituli Epiſcopatus ſunt de jure poſitivo; & tamen vendi non poſſunt, ſine labe ſimoniæ.*
130 *Simoniaci in ordine gravius puniuntur, quàm ſimoniaci in beneficio.*
131 *Pœnæ diverſitas non probat in delictis diverſitatem in ſpecie.*
132 *Teſtamenti utriuſque author eſt Deus.*
133 *Futurum, & præteritum non eſt in Deo.*
134 *Beneficium vendere habenti an æqualiter ſit ſimoniacum.*
135 *Beneficiati tenentur Ordines beneficiis annexos per ſeipſos exercere.*
136 *Canoniſtarum opiniones de ſimonia in beneficiis expenduntur.*
137 *Papa an poſſit ſimoniam committere in Hoſpitalibus, & aliis beneficiis, quorum executio concernit temporalia tantùm.*
138 *Hoſpitalia, quæ in titulum conferuntur, verè, & propriè ſunt beneficia Eccleſiaſtica.*
139 *Adminiſtrationes Hoſpitalium, & officiorum temporalium poſſunt committi etiam laicis, & illas vendere non eſt ſimoniacum, niſi quia prohibitum.*
140 *Annatæ an in Curia Romana licitè exigantur, & ſine labe ſimoniæ.*
141 *Simoniaci an ſint dantes pecuniam Papæ pro collatione beneficii, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
142 *Ligari, vel abſolvi à ſeipſo nemo poteſt.*
143 *Correlativa in eodem ſubjecto eſſe non poſſunt.*
144 *Epiſcopus ludens cum ſubdito non ligatur pœna excommunicationis ſuo ſtatuto contra ludentes impoſita.*
145 *Papa faciens actum prohibitum, ſuper quo poteſtatem habet diſpenſandi cum inhabili, cenſetur tacitè diſpenſare.*
146 *Correlativorum natura eſt ut conceſſio uno, cenſeatur conceſſum, & aliud.*
147 *Diſpenſare non cenſetur inferior à Papa faciendo actum ſuæ conſtitutioni contrarium.*

CUM *pridem*. Non valet pactum, per quod Eccleſiaſticum beneficium debet pecunia reſignari. Hoc dicit: Dividitur in duas partes. Prima narrat factum, ſub quo continetur proceſsus cauſæ, partium tranſactio ipſius rei probatio, Papalis ordinatio, & interceſſio. Secunda dat Judices, ibi; *Cæterum*. 1

Gloſsa *in ver. Illicitæ pactionis*, quærit an auctoritas Papæ excuſet à Simonia, & ponit inſignem diſtinctionem, qua utuntur paſſim Canoniſtæ in hac materia. Quædam enim, inquit, ſunt prohibita, quia ſimoniaca, ut vendere Sacramento, & hujuſmodi ſpiritualia, quæ damnantur in veteri Teſtamento, & Simoniaca ſunt in ſui natura: & in his non excuſat auctoritas Papæ. Quædam verò ſunt

ſunt ſimoniaca quia prohibita, quæ ſcilicet per Conſtitutionem Eccleſiæ ſimoniam inducunt: & in his Papæ auctoritas excuſat, quia poteſt in talibus diſpenſare. In his dictis gloſſæ implicitè continentur plura dubia. Et quia materia graviſſima eſt, & valdè a Doctoribus controverſa, eam expediam per ſequentes quæſtiones.

Prima eſt, an diſtinctio gloſſæ ſit in ſe vera, & conveniens.

Secunda eſt, an accipere pecuniam pro collatione beneficii ſit prohibitum quia ſimoniacum, an è converſo.

Tertia an ſit poſſibile ut Papa involvatur crimine ſimoniæ.

Quarta an Papa recipiendo annatas in beneficiorum collationibus ſimoniacum committat.

Quinta, & ultima an dantes pecuniam Papæ pro collatione beneficii ſint ſimoniaci.

2 QUÆRO igitur primò juxta ordinem propoſitum, an ſupradicta diſtinctio, videlicet quædam ſunt prohibita quia ſimoniaca, quædam ſimoniaca quia prohibita, ſit in ſe vera, & ſacris Regulis, & Canonicis Conſtitutionibus conſentanea.

3 Petrus Brixienſis *in repert. in ver. Simonia*, refert ſè vidiſſe hujuſmodi diſtinctionem improbari à Theologis Pariſienſibus, eamque quod ſecundum membrum diſtinctionis: (Nam de primo non eſt dubium) refellit Thom. Campeg. *in tract. An Papa labem Simoniæ incurrere poſſit*, *num.* 2. *tom.* 15. *Tractatuum*, *part.* 2. *fol.* 531. ubi ait ſibi non placere prædictam diſtinctionem gloſſatoris quamplures plus nimis faventes, ne dicam adulantes Romano Pontifici, ſequuntur. Et illam acriter impugnat Durand. *lib.* 4. *ſentent. diſtinct.* 25. *quæſt.* 5. nullam admittens ſimoniam contra jus merè poſitivum infraſcriptis fundamentis.

4 Et primò. Circa illud, quod non eſt in ſe malum, niſi quia prohibitum, non contingit peccari niſi peccato ſimplicis inobedientiæ, quia in talibus tota ratio peccati eſt ex tranſgreſſione prohibitionis. Ergo nulla ſunt ſimoniaca niſi ex ſui natura ſint talia, quia ex prohibitione juris non poſſunt eſſe, niſi in ſola inobedientia.

5 Secundò ſimonia eſt venditio rei Spiritualis pro temporali; ſed prohibitio juris naturas rerum non mutat, ut de temporali facit ſpirituali, aut è converſo. Ergo ubi non eſt ſimonia ex natura rei, non poteſt eſſe ex prohibitione juris.

6 Tertiò id probat exemplo: nam comedere pluries in die non eſt ex ſe illicitum, ſed tantùm ex prohibitione juris in diebus jejuniorum: ſed qui tunc comedit pluries in die non peccat niſi peccato inobedientiæ. Ergo, &c.

Quartò; ſimiliter mentiri jocoſè eſt peccatum veniale: ſi autem additur præceptum Prælatis ne quis mentiatur jocosè, tunc mentiendo non additur mendacio ſimplici niſi peccatum ſolius inobedientiæ, & ſic eſt in omnibus, quia prohibitio hominis, vel juris non addit niſi inobedientiæ peccatum.

Sed his non obſtantibus non videtur recedendum à propoſita diſtinctione gloſſæ Bernardi hìc, quam etiam ponit gloſſa Vincentii, quæ eſt clavis in materia, & quotidiè à Doctoribus allegatur *in cap. Ex parte*, *il primo*, *in ver. Dimittere*, *ſupra de offic. deleg.* Item gloſſa Joannis Theutonici *in cap. Salvator*, *in ver. Judicio*, 1. *quæſt.* 3. & eam ſequuntur Raymun. & Goffred. *in Summis ſuis*. Innoc. *in cap. Tua nos*, *in ver. Culpabiles*, *infrà de Simon.* Henric. Boich. *in cap.* 1. *in princ. Ne Præl. vices ſuas*, qui perperam ab aliquibus allegatur pro contraria ſententia: nam etſi in oppoſitum recitet verba S. Thomæ; tamen poſtea ſubdit hanc diſtinctionem poſſe ſuſtineri de jure. Cui etiam adhærent *in cap. fin. de Simon.* Hoſt. *num.* 9. Joan. Andr. *in gloſſ. ult. num.* 7. & alii communiter, Jo. de Anan. *in cap.* 1. *n.* 7. *verſ. Et hic concordant opiniones*, *eod. tit.* Felin. *in cap. Ad audientiam*, *il ſecondo*, *num.* 3. *verſ. Quod autem dicta conventio*, *de reſcr.* Alexand. *conſ.* 93. *Repetitus*, *n.* 7. *verſ. Nec obſtat*, *lib.* 6. ubi Addentes *in ver. Eccleſiæ*, dicunt ita tenere Canoniſtas omnes, licet excipiant Henr. Boich. & non benè, & Abb. *in repetit. cap. Extirpandæ*, §. *Qui verò*, *nu.* 53. *de præben.* & *in d. cap. Ex parte num.* 5. ubi non improbat diſtinctionem ipſam, ſed exemplum in beneficialibus, ut inferiùs patebit. Sequitur Turrecrem. *in cap. Latorem*, *n.* 5. & ibi etiam Præpoſit. *nu.* 12. *verſ. in oppoſitum*, 1. *q.* 1. ubi teſtantur ita diſtinguere communiter ſcribentes in jure Canonico, & famoſiores, Silv. *in ver. Simonia*, *n.* 4. & ex recentioribus Theologis Sot. *lib.* 9. *de juſt.* & *jur. q.* 5. *art.* 2. ubi affirmat diſtinctionem gl. *in d. c. Ex parte*, ſolemnem eſſe doctoribus Canonici Juris, quin verò & multis Theologis, & Greg. de Valent. *t.* 3. *diſp.* 6. *q.* 16. *punct.* 5. dicens eamdem diſtinctionem communiter a Doctoribus Juris, & Theologiæ receptam fuiſſe. Allegantur etiam pro hac ſententia à Turrecrem. *ubi ſup.* Alex. de Ales *in ſecunda ſent.* Petrus de Tharentalia *in* 4. Ulricus *in ſumma ſua*; Petrus de Palude *in* 4. quos affirmat ſe vidiſſe; ſubditque valdè durum eſſe illos, & alios, quos citat, ita faciliter damnare, cùm multi eorum fuerint tàm in jure Divino, quàm Canonico illuminatiſſimi.

Et quidem quoad primum membrum hæc diſtinctio eſt 7 manifeſta, quia certum eſt vendere gratiam, Sacramenta, & alia id genus in ſe ſimoniacum eſſe, & prohibitum jure divino, & naturali. De jure divino, authoritate ſcilicet novi, & veteris Teſtamenti, patet Matth. 10. ubi enumeratis donis ſupernaturalibus Spiritus ſancti, ſubdit Chriſtus: *Gratis accepiſtis*, *gratis date*. Et Joann. 2. in figuram ejus flagello ejecit de Templo ementes, & vendentes columbas. Et per Columbas, Spiritum ſanctum, ejuſque dona deſignavit, prout hanc authoritatem interpretantur Alexander II. *in cap. Ex multis* 1. *quæſt.* 3. & Gregor. *in c. ſeq.* & Nazianzenus *in cap. Qui ſtudet*, 1. *quæſt.* 1. Idem patet *Actor.* 8. ubi de Simone Mago, cui fuit ſimoniæ auctor in novo Teſta- 8 mento. Cùm enim Spiritus ſancti gratiam emere vellet, damnationis ſententiæ a Petro audivit: *Pecunia tua tecum ſit in perditione*, *quia donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*: *non eſt tibi pars*, *neque ſors in ſermone iſto*. *Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua*: & *roga Deum*, *ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. *In felle enim amaritudinis*, & *obligatione iniquitatis video te eſſe*. Idipſum patet 4. Reg. 5. ubi de Giezi, qui vendidit Naaman Syro gratiam ſanitatis, & hujus vitii auctor fuit in lege veteri, prout de utroque habetur *in c. Qui ſtudet*, 1. *q.* 1.

De jure naturali ſimiliter patet, quia vendere gratiam, 9 & dona ſupernaturalia Spiritus ſancti naturaliter habet plurimas inordinationes, & deformitates inſeparabiliter annexas; tum ex parte Dei, cui atrox injuria infertur, ut in *c. Eos* 1. *quæſt.* 1. ubi dicitur: *Tolerabilior eſt impia hæreſis Macedonii*, & *ſequacium*, *quàm ſimonia*. *Illi enim ſervum Dei Patris*, & *Filii Spiritum ſanctum eſſe delirando fatentur*: *ſimoniaci vero eumdem Spiritum ſanctum efficiunt ſuum ſervum*: tum ex parte rei, quæ venditur, quæ cùm longè ſit excellentior omni pretio temporali, *cap. Illud*, & *cap. Solitæ*, *de major.* & *obedien.* iniquè emitur, & venditur. Et huic præcipuo fundamento innitur ſententia damnationis Simonis, quia exiſtimavit donum Dei pecunia poſſideri, ut per Turrecrem. *in cap. Presbyter*, *num.* 13. 1. *quæſt.* 1. Qua ratione utitur Hormiſda Papa in Epiſt. 10 *ad Epiſcopos Hiſpaniæ*; tum denique ex parte ejus, qui vendit, qui cum non ſit dominus rei ſpiritualis, ſed diſpenſator, ut 1. ad Corinth. 4. *c. Fraternitatem*, *de donat. cap. Videntes* 12. *quæſt.* 1. non poteſt illam licitè vendere, *ut l.* 1. *C. de uſucap. pro empt.* Quas deformitates, & aliàs complures ponunt Theologi *in* 4. *diſtinct.* 25. S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. Sot. *lib.* 9. *de juſt.* & *jure*, *qu.* 6. *art.* 1. & ex Canoniſtis Archid. *in cap. ultim.* 1. *quæſt.* 7. Et in hoc primo membro conveniunt gloſſæ præallegatæ, & unanimiter Doctores tàm Theologi, quàm Canoniſtæ.

Secundum verò diſtinctionis membrum, ideſt quæ- 11 dam eſſe ſimoniaca quia prohibita, pendet ex duabus inſpectionibus. Prima eſt an Eccleſia potuerit ex ſua prohibitione ſimoniæ vitium inducere in his, quæ ex ſui natura non ſunt ſimoniaca. Secunda eſt, An re ipſa in aliquo caſu conſtituere ut ſimoniacum eſſet, quod priùs non erat.

Quoad primam inſpectionem dicendum eſt Eccleſiam potuiſſe inducere hoc vitium etiam in his, quæ ex ſui natura non ſunt ſimoniaca, & ita efficere aliquid ſimoniacum quia prohibitum. Quod ſatis probatur exemplo; nam cla- 12 rum eſt ex Conſtitutione Eccleſiæ poſſe nunc prohiberi aliquem gradum conſanguinitatis, vel affinitatis, qui antea non ſit prohibitus, Clem. *Eos*, *de conſang.* & *affinit.* Hoc autem dato ſi quis copularetur carnaliter cum conſanguinea in gradu noviter prohibito, proculdubio

non tantum peccaret peccato luxuriæ, & peccato inobedientiæ, ſed etiam peccato inceſtus, *cap. De inceſtis*, 35. q.3. non faceret ante prohibitionem, cùm inceſtus ſit abu-
13 ſus Mulierum conſanguinitate, vel affinitate junctarum, quæ uxores ſimpliciter eſſe non poſſunt, ut per D. Thomam *in* 4. *diſtinct.* 41.*q.*1.*art.*4. & in 2.2. *quæſt.* 154. *art.*1. & patet *in c. Lex illa*, §. *Cùm ergo*, *verſ. Inceſtus eſt*, 36. *q.*1. Poteſt enim Eccleſia efficere, ut carnalis copula ſit licita, vel illicita ſecundùm diverſa tempora in diverſis gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, ut in *cap. Non*
14 *debet*, *de conſanguin. & affinit.* quia ut inquit S. Thomas apud Turrecremat. & Præpoſ. *locis citatis*. *Sicut officia humana legibus humanis determinantur; ita contractus, & officia ſpiritualia lege Eccleſiæ*. Hæc ille. Et ad idem propoſitum in 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 9. *ad tertium*, docet perſonas, quæ non conjugantur ſecundùm ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habere ex ſe ipſis indecentiam, ſed variari circa decentiam, vel indecentiam ſecundùm conſuetudinem, & legem humanam, vel divinam. Non igitur mirum ſi in officiis Eccleſiaſticis ex prohibitione juris fiat aliqua mutatio, *cap. Miramur*, *de ſerv. non ordinan. cap. Cum olim*, *de cleric. conjug.* ut quod non erat prius ſi modò ſimoniacum. Sicut ex prohibitione juris conſtituitur aliqua ſpecies peccati, quæ talis non erat ante prohibitionem. Quæ aſſertio clarius etiam patebit ex reſponſionibus ad argumenta Durandi, de quibus infr. *n.* 22.
15 Quoad ſecundam inſpectionem ſimiliter dicendum eſt Eccleſiam in aliquibus re ipſa ſtatuiſſe, ut ſimoniacum eſſet, quod prius non erat. Quod probatur rationibus, & auctoritatibus inferiùs adductis *in* 2. *&* 3. *quæſtione*: nam eadem fundamenta quæ probant ſimoniam in beneficiis eſſe prohibitam ex Conſtitutione Eccleſiæ tantùm; & ideò auctoritate Papæ hoc vitium purgari poſſe; æqualiter probant quædam eſſe ſimoniaca quia prohibita. Spe-
16 cies enim neceſſariò infert genus, licèt non comprehendat, *c. Pœnale*, 14. *q.*5. *cap. Auditis*, *de præſcript. cap.*2. *de Capell. Monach. l. Si quid earum*, §. *Inter emptum*, *ff. De legat.*3. *notab.* Bart. *in l.* 2. §. *Doli mali*, *ff. De vi bonor. ra-*
17 *ptor.* Nunc verò ſatis erit afferre aliquod exempla ſimoniæ jure tantùm poſitivo inhibitæ. Primum deſumitur ex *cap. Salvator*, 1. *q.*3. ubi Urbanus Papa prohibet ne vendatur officium Oeconomi Eccleſiæ, aut Sacriſtæ, aut Protectoris, adducens Concilium Chalcedonenſe. Hæc enim officia vendere non eſt contra jus divinum, aut naturale, quoniam nec perſonæ hujuſmodi, aut res ſunt per ſe ſacræ; nec eas Eccleſia facit ſacras, ſicut per conſecrationem facit Sacerdotes, Templa, & vaſa. Et ita tenet gloſſ. ibi *in ver. Judicem*, ubi poſt Hugon. concludit vendere, vel emere hujuſmodi officia, & adminiſtrationes eſſe ſimoniacum quia prohibitum, non ideò prohibitum, quia fuit ante ſimoniacum, & ſequitur Hoſtienſ. in *d. c. Ex parte*, *il* 1. *num.*5. *verſ. Quædam verò*, *de offic. deleg.* & Sot. *lib.*9. *de juſt. & jure in præ illeg. q.*5. *art.*2, *col.*5. *verſ. Sed interro-*
18 *gando urges*. Aliud exemplum eſt in permutationibus beneficiorum, vel in reſignatione præbendæ cum pacto ſolvendi penſionem ſine auctoritate Papæ, aut non reſervato illius beneplacito: hoc enim non eſt in ſe ſimoniacum niſi quia prohibitum, *c. Quæſitum*, juncta gloſ. *de rer. permutat. c. Sicut unire*, *de exceſſ. Prælat.* & *cap. Prohibemus*, *de cenſ.* & tenet Sotus *ubi ſuprà*. Ratio eſt, quia permutare ſpirituale pro ſpirituali, præſertim ſi tale ſit jure poſitivo tantum, non eſt contra jus divinum. Quod ex eo vel maximè deprehenditur, quod ſi hoc eſſet jure divino prohibitum, non poſſet Papa ſuper his permutationibus, & reſervationibus authoritatem impertiri, & ſimoniæ vitium purgare, ſicut illius authoritas non purgat vitium ſimoniæ in venditione Sacramentorum, ut arguit Dec. *in c. Ex parte*, *il* 1. *n.*25. *de offic. deleg.* & tamen Eccleſia paſſim admittit hujuſmodi permutationes, & reſervationes, ut in *d. c. Quæſitum*, in *cap.*1. *de rer. permut. lib.* 6. & *c. Niſi eſſent inf. de præben.* & notant DD. in *c. Conſti-*
19 *tutus*, *de relig. domib.* Et valere in his partium conventiones, & pacta ſuper modo quem cupiunt ſuperiorem tenere in hujuſmodi permutationibus quoad penſiones, dummodò non paciſcantur independenter à Superioris voluntate, probavit ex Theologis Adrian. *quodl.* 9. *ad quintum principale*, Silveſt. *in ver. Permutatio*, 2. *nu.* 5. Sot. *lib.*9. *de juſt. & jur. q.* 5. *art.* 2. *col.*6. *verſ. Secundo id confirmatur*, & Gregor. de Valen. *tom.*3. *diſput.*6. *quæſt.* 16. *punct.*3. Et contrariam opinionem Hoſt. & Joan. Andr. uti periculoſam, & falſam refellit Abb. *in d. cap. Quæſitum*, *num.* 10. *de rer. permut.* & Silveſtr. *loco cit.* Eſt enim periculoſa, quia pauci ſunt, qui prius ad invicem non habeant tractatum: alioquin partes numquam convenirent de permutatione coram Superiore, niſi à caſu. Eſt etiam falſa, 20
quia tractatus non includit deliberatum conſenſum, *cap. Tuæ de his quæ fiunt à Prælat.* & melius *in cap. fin. de his quæ fiunt à major. part. Capit.* & not. Abb. *in cap. Cum univerſorum*, *nu.* 2. *de rer. permut.* Imò partes non ſolùm tractare 21
poſſunt, ſed etiam concludere ſub expreſſa conditione, & reſervatione, ſi Superiori placuerit; quia talis concluſio non eſt concluſio, cùm ſuſpendatur uſque ad ſuperioris conſenſum, ut tenet Silv. ibid. Sot. & Gregor. de Valen. *locis citatis*.

Aliud quoque exemplum ſimoniæ jure Eccleſiaſtico tantùm prohibitæ ponit Abb. *in c. Extirpandæ*, §. *Qui verò n.* 55. *de præben.* videlicet in beneficiis, quorum executio non concernit divina, ſed adminiſtrationem temporalium dumtaxat, puta in Hoſpitalibus, quia hoc non eſt vendere donum Dei; ſed dicitur ſimoniacum quia prohibitum ab Eccleſia, ut ibi per eum. Quod tamen intellige ut dicam infrà *nu.* 137. Et in his exemplis, ac ſi quæ ſint conſimilia, ſatis ſalvari poteſt prædicta diſtinctio gloſſarum.

Non obſtante objecta Durandi, de quibus ſup. *n.* 3.

Ad primum enim reſpondetur negando aſſumptum. Imò 22
enim tranſgreſſio illa aliud peccatum conſtituit, quàm inobedientiæ, quia in omni virtute medium conjecturatur non ſolùm ex his, quæ per ſe incidunt, ſed etiam quæ per accidens. Unde primi Parentes cum cibum vetitum comederunt, peccatum commiſerunt non ſolùm inobedientiæ, ſed etiam gulæ. Et ita hoc primum Durandi objectum ſolvit poſt Palud. in 4. Turrecrem. in *d. cap. Latorem*, *nu.* 5. *verſ. His habitis*, & poſt eum Præpoſ. *ibidem n.* 12. *in fine*, 1. *qu.* 1. Et probatur exemplo inceſtus, de quo *ſupra num.* 12.

Deinde reſpondet ad objectum ſuum idemmet Durand. qui poſtquam improbavit ſupra dictam diſtinctionem; quia tamen, inquit, prædicta diſtinctio ponitur in jure, ne videatur totaliter reprobari dictum Juriſtarum, poteſt ſic exponi videlicet, illud quod non eſt ſimoniacum de ſe, eſt ſimoniacum quoad prohibitionem, non quidem quoad culpam, quia illud, ut ipſe ait, non poteſt eſſe culpa ſimoniæ, ſed quoad pœnam, quia faciens contra talem prohibitionem juris, eadem pœna punitur ac ſi eſſet verè ſimoniacus. Contingit autem quandoque ut illa peccata ſimili 23
nomine cenſeantur, quæ ſimili pœna puniuntur. Faciunt quæ habentur in *l. Si quis ſervo*, *C. de furt.* & in *l.* 1. *ff. ad l. Cornel. de falſ.*

Tertiò loco reſponderi poteſt ſimoniacum ex prohibi- 24
tione Eccleſiæ, licèt non ſit propriè tale, poſſe tamen appellari ſimoniacum ſimilitudinariè ad eum planè modum, quo ſimonia dicitur hæreſis in *cap. Presbyter*, *in c. Quiſquis*, & in *c. Qui ſtudet*, 1. *quæſt.*1. quæ tamen non eſt hæreſis propriè, ſi abſit error intellectus, ſed per quamdam ſimilitudinem, ut poſt Alex. de Ales, Alber. Magn. Divum Thomam, & D. Bonavent. declarat Turrecrem in. *d. cap. Presbyter*, *num.* 3. *verſ. Secunda concluſio*. Simoniacus enim talia operatur, ac ſi æſtimaret dona Spiritus ſancti poſſe pecunia poſſideri. Cæterùm hæ duæ ultimæ ſolutiones videntur deſtruere diſtinctionem Juriſtarum. Unde non videtur recedendum à prima, cui etiam magis adhærent Turrecr. & Præp. *in d. c. Latorem*.

Ad ſecundum reſpondetur ſecundùm Petr. de Palude 25
apud Turrecremat. & Præpoſ. *ubi ſup.* etſi prohibitio juris non mutet naturas rerum; mutare tamen ſecundùm rationem, ad hoc *l.* 1. *ff. De uſufr. earum rerum, quæ uſu conſum.* Quædam enim dicuntur ſpiritualia ex ſola juris, vel hominis ordinatione, ſicut omnia, quæ ex conſecratione Eccleſiaſtica dicuntur ſacra, ut Calices, & alia hujuſmodi. Quidquid autem non habet ſanctitatem, vel ſpiritualitatem, niſi ex ſtatuto Eccleſiæ, poteſt per Papam fieri non ſanctum, vel ſpirituale. Quod tenent etiam 26
Dyn. & Jo. Andr. *in reg. Semel Deo*, *de reg. jur. lib.* 6. per textum *in l. Continuus*, §. *penult. ff. De verbor. obligation.* Et ſic ſine labe ſimoniæ poterit emi, vel vendi amota illa ſpiritualitate. Præterea brevius reſponderi poteſt, quamvis

vis prohibitio juris non mutet naturas rerum; tamen inducere novam ſpeciem in actu peccati, ut in exemplo inceſtus de quo ſupra *n.* 12. Confert quod hic notat gl. noſtra *In ver. Illicitæ paſſionis*, videlicet, Papa facit jus de eo, quod non eſt jus, *c. Hoc quippe*, 3. *q.* 6. & naturam rei immutare poteſt, ut *l.* 1. *C. de rei uxor. action.* & ita ſimoniacum facere quod non erat prius. Conſimilis gl. eſt in *c. Quanto in ver. Veri Dei*, *de transl. Epiſc.* in Extravag. *Execrabilis in ver. Vacare decernimus*, *de præb.*

28 Ad tertium reſpondet idem Petr. de Palude, & alii præallegati negando minorem. Imò enim qui comedit pluries in diebus jejunii, non ſolùm peccat peccato inobedientiæ, ſed etiam peccato intemperantiæ, ſive gulæ; quia ſobrietas attendit medium non ſolùm penſatis circumſtantiis, quæ ſæpè occurrunt, ſed etiam quæ tunc accidunt, quando agendum eſt, & ſequitur Sot. *lib.* 9. *de juſt. & jur. qu.* 5. *art.* 2. *col.* 6. *verſ. Unde ad primum Durandi argumentum*, ubi ait Eccleſiam dum abſtinentiam quadrageſimalem indicit, jejunium illud conſtituens in virtute abſtinentiæ, & ideò non ſolùm ille contra obedientiam peccaret, qui jejunium ex contemptu frangeret; verùm & ille contra abſtinentiam, qui non ex contemptu, ſed præ gula id faceret. Unde eodem modo Eccleſia poteſt aliquem actum in vitio ſimoniæ conſtituere.

29 Ad quartum ſimiliter reſpondet Paludan. & poſt eum Turrecremat. & *ubi ſupra* Præpoſ. negando minorem. Ajunt enim mendacium jocoſum præcepto addit non ſolùm eſſe peccatum inobedientiæ, ſed etiam linguæ. Aliquando enim eſt duplex deformitas in peccato, ſed una non eſt niſi alia ſuppoſita. Sicut ſurripere rem alienam in Eccleſia eſt duplex peccatum, ſcilicet furti, & ſacrilegii, & tamen niſi fuiſſet furtum, non eſſet ſacrilegium; quia accipere rem ſacram in Eccleſia nullum eſt peccatum. Ita ubi loqui non eſt peccatum; ſi ſit prohibitum, non ſolum eſt peccatum inobedientię, ſed etiam linguæ, licèt non ſit linguæ, niſi præſuppoſita inobedientia.

30 Secundò principaliter QUÆRO, An accipere pecuniam pro collatione beneficii ſit ſimoniacum de jure divino, an verò ex Conſtitutione Eccleſiæ tantùm; & ſic an vendere titulum beneficii ſit prohibitum, quia ſimoniacum, an è converſo.

Pro ſolutione tres articuli ſunt diſtinguendi. Primus eſt quid juris ſit in beneficiis, quibus annexa eſt executio Ordinis, ſeu poteſtas Clavium. Secundus quid dicendum in Canonicatibus, & aliis beneficiis ſimplicibus. Tertius quid in Hoſpitalibus, quorum executio non concernit divina, ſed adminiſtrationem temporalium dumtaxat.

31 Quoad primum articulum, communis concluſio eſt vendere titulum beneficii, cui ſit annexa executio Ordinum, ſeu poteſtas clavium, eſſe in ſe ſimoniacum, & jure divino prohibitum. Et ita concludit Abb. *in cap. Extirpandæ*, §. *Qui vero num.* 53. *de præb.* & de communi opinione teſtantur *in cap.* 1. *de ſimonia*, Joann. de Anan. *poſt num.* 7. & Felin. *num.* 2. & Julius Clarus *in pract. crim. in* §. *Simoniæ*, *num.* 5. *verſ. Quæro etiam*, & ſequitur Redoan. *in tract. de ſimonia*, *par.* 1. *cap.* 22. *num.* 8. quidquid contrà ſcripſerit Cardinal. Jacob. *de Concilio lib.* 4. *art.* 5.
32 an in Papam cadat ſimonia. Et in hoc concordes eſſe tàm ſacræ Theologiæ profeſſores, quàm Canonum interpretes, affirmat Thomas Campeg. *in d. tractatu*, *An Papa labem ſimoniæ incurrere poſſit in princ.* Probatur hæc concluſio, quia per titulum conſimilium beneficiorum non tantùm conferuntur bona temporalia, ſed etiam executio Ordinis, & Clavium. In ordinatione enim datur poteſtas Clavium in habitu. Et ita procedit decretum Concilii Tridentini in *cap.* 15. *in princ. ſeſſ.* 23. ubi Presbyteri dicuntur in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipere. Sed non in actu. In inſtitutione verò, ſeu collatione beneficii Curati tribuitur executio illius poteſtatis. Textus eſt apertus *in cap. Generaliter*, §. *Ecce ſufficienter*, & in *cap. ſeqq.* 16. *q.* 1. & conſtat ex *dict. cap.* 15. *in*
33 *verſ. Niſi aut Parochiale beneficium*. Hæc autem executio eſt annexa Sacramento Ordinis. Ergo vendens executionem Ordinis, cenſetur vendere ipſum Ordinem & donum Dei, ut clarè probatur *in cap.* 1. *qu.* 3. Ubi Paſchalis Pa-
34 pa. Si quis objecerit non conſecrationes emi, ſed res ipſas, quæ ex conſecratione proveniunt; penitùs deſipere probatur: nam cùm corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus in nullo proficiat; ſicut nec anima ſine corpore corporaliter vivit: quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit, ubi gl. exponit verba illa, *Epiſcopus aut Abbas*, ideſt dignitas Epiſcopalis, & Abbatialis. Et concordat text. in *c. Salvator*, immediatè ſequen. Quamobrem dum quis vendit Ordinis executionem, quæ non provenit ſine Ordine, ipſum Ordinem vendere intelligitur. Quod tenet gl. fin. in *c. Licet de pœn.* ubi cum textus damnet abuſum quorumdam Archidiaconorum, qui à Vicariis pecunia exigebant, ut ſibi permitterent in Eccleſia celebrare, & ſic poteſtatem Ordinis exe- 35
qui; gl. inquit, hoc erat ſimoniacum, cum Ordo ſit Sacramentum, cui adhæret executio. Si ergo unum vendunt, & reliquum; & allegat præcitata jura, & illam gl. ad hoc reputat ſingularem Abb. in *d.* §. *Qui vero*, *eod. n.* 53. Item dum venditur Ordinis executio, videtur vendi donum Dei, & non Eccleſiæ. Ad hoc *c. Verbum de pœn. diſt.* 1. Unde Ordinis executio dicitur Ordinis perfectio in *c. Qui perfectionem*, 1. *q.* 1. Sed vendere ipſum Ordinem, ſeu donum Dei proculdubiò eſt prohibitum, quia ſimoniacum, & damnatum in novo, & veteri Teſtamento, ut *cap. Qui ſtudet*, 1. *qu.* 1. & *cap. Vendentes*, *cum multis ſeqq.* 1. *qu.* 3. & patet ex dictis ſupra *num.* 7. Ergo & vendere Ordinis executionem, & conſequenter beneficium Curatum, in cujus collatione confertur Ordinis executio. Et hanc concluſionem eſſe claram dicit Præpoſ. in *cap. Latorem*, *numer.* 16. *qu.* 1. De curatis, inquit, & dignitatibus, clarum 36
eſt, quod vendere talia de ſe eſt ſimoniacum, & jure divino prohibitum; & ſic eſt prohibitum quia ſimoniacum: nam cum verſentur principaliter circa Clavium executionem, & Sacramentorum miniſtrationem, *c. Cum ſit*, *de ætat. & qualit. cap. Licet canon. de elect. lib.* 6. *c. Cum ab Eccleſiarum*, & *c. Si Sacerdos*, *de offic. ordin. cap. Cum contingat*, *de foro competen.* clarum eſt, quod collatio talium transfert executionem ſpiritualium, & ad hoc ſit collatio. Ergo ſi vendantur tales collationes, cùm talia beneficia multipliciter habent annexa dona gratiæ Spiritus ſancti, dicetur prohibitum quia ſimoniacum. Et infrà *nu.* 17. *verſ. Secundo probatur*, dicit de ſe ſimoniacum eſſe vendere Sacramenta, vel principaliter, vel per connexionem, ut in beneficiis Curatis, quæ ſpiritualia dici poſſunt, quia propter Claves Eccleſiæ exercendas ſunt inſtituta, & ſunt curæ animarum connexa, & illud eſt principale verè, temporalitas eſt acceſſoria quaſi dos ad matrimonium.

Sed adverſus prædictam concluſionem Joann. de Anan. 37
in *c.* 1. *num.* 7. *verſ. Sed contra*, *de ſimon.* inſurgit duobus fundamentis. Primum eſt, quia textus *in d. c. Si quis objecerit*, 1. *qu.* 3. procedit in his connexis, quorum unum ſine altero ſtare non poteſt. At poteſtas Clavium etiam in actu poteſt eſſe ſine beneficio, ut patet in ordinato ad titulum patrimonii, qui de licentia Parochialis Presbyteri poteſt à peccatis abſolvere, ut in *c. Omnis infrà de pœniten. & remiſſ.* Et in Prædicatoribus, & Minoribus, qui ſimiliter poteſtatem habent ligandi, & ſolvendi, licèt ſint ordinati ad titulum paupertatis, ut in Clem. *Dudum*, *de ſepult.*

Verùm hæc prima ratiocinatio non concludit, quia etſi poteſtas Clavium in actu poſſit eſſe ſine beneficio curato, ut in exemplis Joan. de Anan. tamen beneficium curatum eſſe non poteſt ſine poteſtate Clavium. Unde cùm hanc poteſtatem neceſſariò habeat annexam, & ſine illa ſtare non poſſit, conſequens eſt ut in venditione beneficii parochialis cenſeatur vendita etiam poteſtas Clavium, juxta textum in *d. c. Si quis objecerit*, & in *c. ſequen.* quod eſt prohibitum jure divino.

Alterum fundamentum eſt, quia ſicut conceſſio facta ab 38
Epiſcopo omnis juris, quod habebat in Monaſterio pro annua penſione octo denariorum, non eſt ſimoniaca, quamvis in illo jure ſit connexitas ſpiritualitatis, & temporalitatis, ut eſt text. in *c. Conſtitutus*, *de relig. domib.* quia nimirum pecunia cenſetur data pro temporali, non pro ſpirituali, ut ibi per Doctores: ita quamvis in collatione beneficii ſit connexa executio Ordinis, ſeu poteſtas Clavium: tamen pecunia non videtur data pro ipſa executione Ordinis, ut res potiùs valeat, quàm pereat. Ita Jo. de Anan. cui adſtipulatur Dec. in *c. Ex parte*, *il* 1. *n.* 27. *de offic. deleg.*

Sed hoc argumento Jo.de Anan.nimis probat, quia concludit, ut ſicut conceſſio illius juris facta authoritate Epiſcopi pro pecunia non fuit ſimoniaca; ita non ſit ſimoniaca collatio beneficii facta pro pecunia Epiſcopi authoritate; quod tamen eſt falſum, & contra omnia jura, ut hìc, & in *c.Si quis Epiſcopus*, & *c.Quæſitum*, *c.Ex multis*,& *c.Si quis dator*, 1.q.3. cum ſexcentis ſimilibus. Ac prætereà concluſio Joan. de Anan.eſt extra terminos præſentis quæſtionis, quia hìc non quæritur an ſit ſimonia accipere pecuniam pro collatione beneficii curati; hoc enim ſupponitur tamquam indubitatum; ſed quæritur an ſit ſimonia jure divino prohibita. Ad quod nihil facit text. *in d.c. Conſtitutus*. Præterquamquod ibi penſio non fuit impoſita ex pacto, ſed liberaliter data, ut ibi intelligunt DD. Et ita ad illum textum reſpondet Felin. *in d. c.* 1. *n.* 2. *verſ. Sed contra iſtam concluſionem*, *de ſimonia*: & Andreas Barbatia relatus à Decio *loco citato*.

Concludendum eſt igitur in hoc primo articulo vendere titulum beneficii hujus generis eſſe prohibitum quia ſimoniacum, prout de Epiſcopatibus ſunt jura clara *in c.Si quis neque*, & *in c. Reperiuntur* 1.q.1.

39 Quoad ſecundum articulum, longè major eſt difficultas: nam plerique ex Canoniſtis ſentire videntur vendere titulum Canonicatus, vel alterius beneficii cui non ſit annexa executio Ordinis, ſeu poteſtas Clavium, non eſſe ſimoniam lege divina damnatam, ſed conſtitutione Eccleſiæ dumtaxat, & hanc differentiam inter beneficia hanc poteſtatem annexam habentia, & non habentia, conſtituit, Abb. *in c.*1.*num.*6.*de ſimon.* & in *d. cap. Extirpandæ*, §.*Qui verò n.* 53.55.& 58. *de præben.* Et eſt communis diſtinctio, ut teſtantur Joan. de Anan.& Felin. & Clar. *locis ſupracitatis*, *num.*31. Nititur autem hæc opinio ferè iiſdem fundamentis, quæ in ſequenti quæſtione adducentur ad probandum Papam poſſe accipere pecuniam pro collatione Canonicatus, vel alterius beneficii ſimplicis ſine labe ſimoniæ; eadem enim concludunt hoc non eſſe prohibitum quia ſimoniacum, ſed ſimoniacum quia prohibitum.

Sed in oppoſitum adduco quinque textus, qui, ni fallor, irrefragabiliter probant accipere, vel dare pecuniam pro collatione Canonicatus, vel conſimilis beneficii eſſe lege divina damnatum.

40 Primus textus eſt in *cap. Ex multis* 1. *q.* 3. qui eſt Alexandri II. ubi habetur: *Chalcedonenſe Concilium unum ex principalibus ſimili pœna condemnat eos, qui Eccleſia beneficium interventu pecuniæ acquirunt, & eos qui ſacram manus impoſitionem, per quam Spiritus ſanctus confertur, mercari dignoſcuntur; & utroque caſu authoritate inexpugnabili illos à beneficio, iſtos à ſacro Ordine jubet expelli. Unde humani generis Redemptor omnes ementes, &*
41 *vendentes de templo ejiciens, Cathedras vendentium columbas evertit, Nummulariorum effudit æs: præcepti ſui authoritate denuncians, & dicens: Nolite facere Domum Patris mei Domum negotiationis.* Et paulò poſt ſubiicit textus: *Sicut per Columbarum venditores deſignantur qui ſacram manus impoſitionem vendere conantur; ſic per nummularios Eccleſiaſtici beneficii venditores denotantur, qui Domum Dei, Evangelio teſte, ſpeluncam latronum faciunt*: & tandem concludit: *Quod ſi aliquis divinorum præceptorum, & animarum ſalutis immemor præfatum beneficium Eccleſiæ iniqua cupiditate ductus, vendere, vel temerario auſu præſumpſerit; gradus ſui, periculo eum, ſubjacere decernimus, & inſuper terribili anathematis mucrone profeſſus, (niſi reſipuerit) ab Eccleſia Dei, quam læſit, modis omnibus abſcindatur.* Hæc ibi. Pondera diligenter hunc Canonem, quia non reſtringit ſe ad bene-
42 ficia, quibus annexa eſt poteſtas clavium; ſed loquitur de beneficio indefinitè: ibi, *qui Eccleſiæ beneficium*. Et in ſpecie de Canonicatibus, & præbendis, ut patet in littera paulò poſt medium ibi, *Eccleſiæ beneficium*, quod quidam Canonicam, vel præbendas vocant. Neque enim tunc temporis Canonicatus, & præbendæ habebant an-
43 nexum miniſterium Altaris: cùm Alexander II. Author illius Canonis electus fuerit Romanus Pontifex anno Chriſti 1061. Decretum verò de ſacris Ordinibus per Canonicos ſuſcipiendis editum fuerit in Concilio Viennenſi poſt annos ducentos, & quinquaginta ſub Clemente V. ut in Clem. *Ut ii*, *de ætat. & qualit.* & Hoſt. in *c. Extirpandæ*, §.*Qui verò*, *de præb.* deſideraverit illud decretum fieri, arg. *c. Epiſcopus*, & *c.Jubemus*, *de conſecr. diſt.* & *c. Satis evidenter* 96. *diſt.* ut notat gl. *in princ.* d.Clem. *Ut ii*, Decretum verò de annexione ſacrorum Ordinum Canonicatibus, & portionibus Cathedralium Eccleſiarum, primò editum fuit à Concil. Trid. *in c.*12. *verſ.Neminem*, *ſeſſ.*24. ponderando dictionem, *deinceps*, per quam patet illam fuiſſe novam Conſtitutionem, ut notat gl. in Clem. *Eos in ver. Deinceps*, *de reg.* Unde jure veteri Canonici non tenebantur ſacros Ordines ſuſcipere, ſicut etiam advertit Præpoſ. *in c. Latorem n.* 17. 1. *qu.* 1. loquitur ergo prædictus
Canon de beneficiis non habentibus annexum miniſte- 44
rium altaris, ſeu clavium, & tamen tripliciter decidit ſimoniam in his beneficiis eſſe prohibitam jure divino. Primò dum juxta diffinitionem Chalcedonenſis Concilii dixit pariformiter damnari ſimoniacos, qui interventu pecuniæ prædicta beneficia acquirunt, & ſimoniacos, qui ſacram manus impoſitionem, & Spiritum ſanctum mereantur, quos jure divino damnari nemo ambigit, ut patet ex dictis ſupra *nu.*7. Secundò dum decidit hujuſmodi venditores ſub nomine Nummulariorum damnari in lege Evangelica auctoritate præceptorum Chriſti, ex eo quod faciant domum Dei ſpeluncam latronum. Tertiò dum diſertis verbis ait, prædictorum beneficiorum venditores, & emptores eſſe divinorum præceptorum immemores, ſeu contemptores. Unde hic textus ita ponderatus apertiſſimè convincit ſimoniam eſſe prohibitam lege divina etiam in beneficiis non habentibus annexam Ordinis executionem, ſeu poteſtatem clavium. Nec refert quod Præpoſ. in *c. Latorem*, *num.*30. *verſ.Nec obſtat*, 1. *q.* 1. ut evitet illius diſpoſitionem, dicat locum Evangelii alias etiam inter-
pretationes admittere. Quandoquidem interpretatio, 45
quam ibi facit Alexander II. eſt neceſſaria, cùm princeps Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius poſſit Evangelium authoritativè exponere, & declarare, *cap. Quoties* 24. *q.* 1. *can. Præceptis*, 12. *diſtinct. c. Majores*, *de Baptiſ.* Extravag. *Cum inter nonnullos*, & in gl. *in ver. Declaramus*, *de verbor.ſignificat.* Aliæ verò expoſitiones Doctorum ſunt probabiles tantùm, gloſ. in *c.*1. *in ver. Interpretatus de poſtul. Præl.* dixi latè in *c.Cum veniſſent*, *de jud.* Præterea etſi verbis Chriſti alii quoque ſenſus tribuantur à contemplativis; tamen fateri oportet quidquid ſub latitudine illius prohibitionis includitur, jure Evangelico prohibitum eſſe ſive ſit peccatum ſimoniæ, ſive alterius ſpeciei. Ac demum multiplicitas aliarum expoſitionum non excludit authoritatem interpretationis, quam facit Papa in *d.cap.Ex multis*. Unde ſemper verum erit lege Evangelica damnari vendentes Eccleſiaſtica beneficia, cùm in hunc ſenſum authoritatem illam intelligat Romana Eccleſia. Ad hoc Conc.Trid. *ſeſſ.* 4. *de edit. libror. c.* 2.

Secundus textus eſt Urbani II. *in c.Salvator*, 1.q.3. ubi 46
conſultus an vendere Eccleſiaſticam rem, id eſt Eccleſiaſticum beneficium, ut ibi explicat gl. *in ver.Eccleſiaſticum*: ſit ſimoniacum, ponit determinationem his verbis: *hoc ſimoniacum eſſe patenter colligitur ex hoc quod Beatus Apoſtolus Petrus ait Simoni: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. Donum quippe Dei eſt Spiritus ſanctus, & donum Dei eſt res ipſi Eccleſiæ oblata. Et ſi benè animadvertis, Simon Magus, qui ad fidem ficte acceſſit, non Spiritum ſanctum propter Spiritum ſanctum, quo ipſe erat indignus; ſed ideò quantum in ipſo erat emere voluit, ut ex venditione ſignorum, quæ per eumdem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur.* Et paulò infrà. *Quiſquis igitur res Eccleſiaſticas, (quæ dona Dei ſunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent) propter ſua lucra vendit, vel emit; cum eodem Simone donum Dei poſſideri pecunia exiſtimat, & ſimoniacus eſt.* Et inferiùs per rerum Eccleſiaſticarum venditores intelligit eos, qui pecuniam ordinant, ſeu inſtituunt Archipresbyterum, Archidiaconum, Canonicum, Monachum, vel quemlibet Eccleſiaſticum mancipatum officio. Et authoritate Auguſtini probat prædictos eſſe venditores, ſeu emptores Columbæ, id eſt Spiritus ſancti. Si igitur qui interventu pecuniæ inſtituunt Canonicos, & ita vendunt res Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſtica beneficia, incurrunt ſimoniam Simonis, & dona Dei, & Spiritum ſanctum vendunt, quis neget eos incurrere ſimoniam lege divina damnatam?

Ter-

47 Tertius textus eſt in *cap. Si quis dator*, *eod. cauſ.* & *qu.* ubi Gregorius: *Si quis dator, vel acceptor Dei Eccleſias, vel Eccleſiaſtica beneficia (quæ præbendas vocant) ſub pecuniæ interventu ſuſceperit. ſive dando emerit, ſive accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione.* Concordat *cap. Non ſatis*, *de ſimonia*, quod eſt Concilii Turonenſis, ubi prohibentur vendi Prioratus, & Capellaniæ quælibet Monachorum, vel Clericorum. Et in fine ſubnectitur: *Quiſquis contra hoc decretum attentare præſumpſerit, tam ille qui dederit, quàm ille qui recepit, vel conſenſerit, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum.* Et conſimilis textus in *cap. ſeq.* quod eſt Concilii Lateranenſis, ubi damnat conſuetudinem recipiendi pecuniam pro Epiſcopis, vel Abbatibus, aut quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in ſedem, vel Presbyteris introducendis in Eccleſiam, & concludit, *quiſquis contra hoc venire præſumpſerunt portionem cum Giezi ſe noverit habiturum.* Ergo (ut inquit Turrecrem. in *c. Latorem, num.* 9. *verſ. Quintò*, 1. *quæſt.* 1.) niſi talia emere, vel vendere fuiſſet damnatum lege naturali, vel divina in perſonis Simonis, & Giezi; quomodo poſſet eſſe verum quod ibi dicitur, niſi vendere, vel emere beneficia Eccleſiaſtica, ſeu præbendas eſſet peccatum ejuſdem ſpeciei, ſcilicet ſimoniæ, cum peccatis eorum? Quod ſi unum ſimilium individuorum eſt lege divina, vel naturali prohibitum omnia ſimilia pariter ſunt prohibita, quia idem de ſimilibus omnibus judicium,
48 ut in *cap. Inter cæteras, de reſcript.* & *in cap. inter corporalia, de translat. Epiſcop.* Si autem non ſunt ejuſdem ſpeciei quomodo Conſtitutio Papæ, vel Concilii poſſet efficere, ut qui non peccavit eodem peccato, vel eadem ſpecie peccati cum Giezi, vel Simone, debeat cum eis magis portionem habere, quàm cum homicidis, aut cum eis ſimilem damnationis pœnam incurrere; cùm tamen non ſimiliter cum eis peccaverit. Et tamen diſſimilium cauſarum diſſimiles debent eſſe effectus. Ad hoc *c. Legi*, 16. *q.* 1. *c. Sanè*, *de renunc. c. Pervenit*, *de fidejuſſor. c. Majores*, *verſ. Si ad hoc*, *de baptiſ. c. Cum non deceat*, *de elect. lib.* 6. *l.* 1. *C. de furt. l. inter ſtipulantem*, *ff. de verborum obligat.*

49 Quartus textus eſt in *c. Ex diligenti*, *de ſimon.* ubi præſtatio homagii, & ſic rei temporalis, ſeu muneris ab obſequio pro beneficio Eccleſiaſtico obtinendo, judicatur ſimoniaca, & dicitur eſſe contraria divinis, & humanis legibus, ubi gloſſ. *in ver. Divinis*, exponit verbum illud, *quia*, hoc eſt contra vetus, & novum Teſtamentum, ut in *c. Qui ſtudet*, 1. *quæſt.* 1. ubi de Giezi, & Simone. Et quamvis gloſſ. primo loco ibi ponat aliam ſolutionem; tamen in illa non perſiſtit, nec videtur bona ſolutio, ut ibi dixi in 2. *notab.*

50 Quintus textus eſt, aliis omiſſis, qui pro hac parte induci poſſent, in *c. Presbyter*, 1. *quæſt.* 1. ubi imponitur pœna Presbytero, qui per pecuniam obtinuit Eccleſiam. Et in fine ſubiicitur ratio; quia altare, & decimas, & Spiritum ſanctum emere, vel vendere ſimoniacam hæreſim eſſe, fidelium nullus ignorat, concordat *cap. Altare*, 1. *qu.* 3. Et quamvis hæc non ſit propriè hæreſis, ſi abſit error intellectus, ut per Innoc. in *c. Quoties, de ſimon.* & dixi ſupra *num.* 24. tamen ſacri Canones non appellarent hoc crimen deteſtabili nomine hæreſis, niſi eſſet lege divina damnatum.

51 Quæ ſententia probatur etiam ratione: nam in ſimplici Canonicatu ſunt duo, ſcilicet Officium ad quod aliquis mancipatur, ut in Clemen. *Ut ii, de ætat. & qualitat.* & beneficium temporale, quod inde percipitur. Beneficium enim datur propter officium ad ſuſtentationem Miniſtri, *cap. fin. de reſcript. in* 6. *cap. Cum ſecundum*, *infra de præb.* Illud autem beneficium non eſt aliud, quam quodam emo-
52 lumentum temporale datum à fundatoribus Eccleſiarum, & aliis devotis perſonis, loco, & officio pro ſuſtentatione Miniſtri, qui debet in loco officiare, *cap. Nemo, de conſecr. diſtin.* 1. Inſtituere autem Miniſterium pro tali officio; & pro tali loco pertinet ad Prælatum, cujus eſt judicare de idoneitate Miniſtri, *cap.* 3. *de inſtitut. cap. Conquerente*, *de offic. ordin.* Cardin. in Clem. 1. *in* 6. *quæſt. num.* 11. *de ſup. plen. negl. Prælat.* Sed quod inſtitutus recipiat beneficium non eſt ex dono Prælati, qui nihil juris habet in beneficio quod hoc, ſed ex dono fundatoris, qui tale beneficium dedit Miniſtro in tali loco, & in tali officio, ut in *c. Salvator.* 1. *qu.* 3. Et hoc ſatis innuitur in Authen. *ſanct. Epiſcop. §. Si quis Oratorium*, *collat.* 9. ubi expreſsè dicitur fundatores Eccleſiarum debere expreſſas miniſtrare Clericis, ſed Clericos debere inſtitui per Epiſcopum, & inſtitutos debere obſervare, hoc eſt inſervire Eccleſiis ſuis, & adimplere miniſterium Eccleſiaſticum. Ex quo ſic arguitur. Dare ſpirituale pro temporali eſt ſimoniacum, & contra jus naturale, & divinum, ut patet ex dictis à *num.* 7. Sed vendere Canonicatum eſt dare ſpirituale pro temporali, quia ut dictum eſt, Prælatus non dat aliquod beneficium, niſi quia inſtituit miniſtrum loco, & officio; quæ quidem inſtitutio eſt jus merè ſpirituale, quod ex ſe vendi non poteſt. Ergo eſt in ſe ſimoniacum & contra jus naturale, & divinum. Quo argumento utuntur Duran. & Petr. de Palude apud Turrecremat. in *cap. Latorem, n.* 8. *verſ. Tertia ratio*, 1. *quæſt.*

Præterea hæc ſententia aliis etiam rationibus fulcitur, quas adducemus in quæſtione ſequenti *num.* 86. ad probandum Papam vendere non poſſe titulum Canonicatus, vel conſimilis beneficii ſine labe Simoniæ. Eædem namque rationes æquè concludunt hanc ſpeciem ſimoniæ non eſſe prohibitam jure tantùm poſitivo, cui Papa non ſubjicitur, *cap. Propoſuit. de conceſſ. præb.* Unde authores ibi allegati *num.* 72. & 114. ſunt etiam pro hac ſententia.

53 Tertiò principaliter QUÆRO, An Papa poſſit involvi crimine ſimoniæ.

Hæc quæſtio graviſſima eſt, & perdifficilis ob multiplices rationes, & authoritates quæ utrinque afferuntur. Sed ut clara ſecernantur à dubiis, plures caſus ſunt diſtinguendi.

Aut enim quæritur an Papa potuerit committere ſimoniam pro Papatu adipiſcendo. Aut quæritur an poſſit illam committere poſt Papatum adeptum, & electionem canonicè celebratam,

54 In primo caſu manifeſtum eſt Papam pro acquirendo Papatu potuiſſe ſimoniam committere: textus eſt apertus in *c. Si quis pecunia*, 79. *diſtinct.* & notant Gemin. in *cap. Pro humani*, *de homicid. lib.* 6. & Præpoſ. in *cap. Latorem*, *num.* 6. 1. *q.* 1. & hodie eſt expreſſum in Conſtitutione Julii II. quæ incipit, *Cum tam divino. edita* 19. *kal. Februarii* 1505. & ita intelligendæ ſunt gloſſæ, quæ dicunt Papam poſſe de crimine ſimoniæ accuſari, ut per Præpoſ. in *cap. Si Papa*, 40. *diſtin.* licèt hic caſus videatur extra terminos quæſtionis, quia ſimoniacè electus non eſt Papa, nec eſt Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus, ut dicitur in *d. c. Si quis*, & in præalleg. Conſtitutione Julii II.

55 In ſecundo autem caſu ſubdiſtingue; nam aut quæritur an Papa canonicè electus poſſit committere ſimoniam quoad pœnas juris poſitivi; aut an poſſit illam committere quoad culpam. Quoad pœnam concludendum eſt negativè, quia Papa, ſicut Imperator non ligatur legibus ſuis, vel Prædeceſſorum ſuorum quoad vim coactivam, ita ut incurrat pœnas ſuis Conſtitutionibus inflictas, *l. Princeps, ff. de leg.* §. *His ita*, 25. *q.* 1. & ſcripſi latè in *c.* 1. *de Conſtitutione.* Unde fit ut ſi Papa Clericum percotiat, non incidat in Canonem, *ſi quis ſuadente*, 17. *q.* 4. ut notat gloſ. *unica in c. Nulli*, *infrà*, *de ſent. excom.* & Card. in *c. Perpendimus*, *eod. tit.* Et ita in terminis ſimoniæ firmant in *c. Latorem*, 1. *q.* 1. Turrecrem. *n.* 3. & Præpoſ. *n.* 7. Silveſt. poſt Petr. de Palude. *in ver. Simonia*, *nu.* 4. *verſ. Limitat etiam*, Thomas Campeg. *in d. tractatu*, *An Papa labem ſimoniæ incurrere poſſit*, *nu.* 25. Cardin. Jacob. *in tract. de Concil. lib.* 4. *art.* 4. dicens idem eſſe ſi pœnæ ſint impoſitæ per decreta Conciliaria, cùm Papa ſit ſupra Concilium: & ſequitur Redoan. *in tract. de ſimon. part.* 1. *c.* 22. *n.* 8.

Quo verò ad culpam & peccatum tres caſus ſunt diſtinguendi.

56 Primus caſus eſt in his, quæ ex ſui natura principaliter ſunt ſimoniaca, & damnata in novo, aut veteri Teſtamento, ut vendere gratiam, ſacram manus impoſitionem, & alia id genus. Et pro his ſi Papa, quod abſit, pecuniam reciperet, proculdubio ſimoniam committeret ſicut quilibet alius, & tanto gravius peccaret, quanto præ altitudine dignitatis cæteris omnibus præeminet. Hæc concluſio eſt, S. Thomæ, Alberti Magni, Ulrici, Durandi, Petri de Palude, Turrecrem., & aliorum, de quibus *infrà nu.* 84. Et eam ponit gloſſa hìc *in ver. illicitæ pactionis*. Item aliæ gloſſæ, & Doctores ſupracitati *n.* 6. *verſ. Sed his non obſtantibus*, dum firmant Papam poſſe involvi criminæ ſimo-

ſimoniæ in his, quę prohibita ſunt, quia ſimoniaca. Eamdem ſequuntur Hoſt. & communiter Doctores *in c.* 1. *de ſimonia*. Et ita in hoc conveniunt Theologi,& Canoniſtæ, ut teſtatur Silveſt. *in ver. Simonia n.* 4. Et ita etiam omnes fateri affirmat Dec. in *d. c. Ex parte il primo*, *num.* 26. *de offic. deleg.*

58 Et clarè probatur, quia quiſquis facit contra legem,cui ſubjectus eſt,peccat,*c. Qui peccat*, 23.q.4. Sed Papa abſque dubio eſt ſubjectus legi naturali, & divinæ. Imò illam uſque ad animam tueri debet, *cap. Sunt quidam*, 25. *q.* 1. *cap. Memor*, 24. *qu.* 1. & notatur *in cap. Sicut* 15. *diſtin.* Ergo ſi contra faciat, peccat, ut in *cap. Si Papa* 40. *diſt.* Peccatum enim eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, ut diffinit Auguſtin. *lib.*22. *contra Fauſt. c.* 24. *in princ.* & explicat S. Thomas *in* 1.2.*q.*71.*art.* 6. *& in* 2.*ſentent.diſtin.*22. *art.*2.Sed vendere Sacramenta, & hujuſmodi eſt ſimonia contra legem naturalem, & divinam, ut in *cap. Qui ſtudet* 1. *quæſt.* 1. & oſtenſum eſt *ſupra num.* 7. *&* 9. Ergo ſi Papa contrafaceret,proculdubiò ſimoniam committeret.

59 Secundus caſus eſt in his, quæ in ſe ſimoniaca ſunt, non quidem principaliter, ſed per connexionem: ut vendere beneficia, quibus annexa eſt Ordinum executio, ſeu poteſtas Clavium, & in his ſimiliter concludunt ferè omnes Papam poſſe involvi crimine ſimoniæ; & de communi opinione teſtantur Doctores, quos citavimus *ſuprà nu.*31. Et probatur eodem argumento, de quo in caſu proximè præcedenti: nam cùm æquè ſit prohibitum lege naturali, & divina vendere Sacramenta,ac vendere beneficia,quibus diſpenſatio Sacramentorum, & poteſtas Clavium annexa, eſt, ut probatum eſt in *præcedenti qu. n.* 32. Conſequens eſt ut ſicut Papa ſimoniacus eſſet ſi venderet Sacramenta ipſa, ita etſi venderet hujuſmodi beneficia utroque enim caſu faceret contra legem naturalem, & divinam.

60 Tertius caſus, & quidem valdè dubius eſt in Canonicatibus, & beneficiis ſimplicibus: nam plerique ex Theologis diſcrepant à Canoniſtis, nec Canoniſtæ conveniunt
61 inter ſe. Prima ſententia eſt eorum, qui opinantur Papam in his beneficiis ſimoniam non committere. Et ita, licet valdè ſuccinctè, firmat Cardin. in *cap.* 1.*num.* 2.*de ſimonia*, ubi tenet Papam poſſe vendere titulum beneficii ſine labe ſimoniæ, licèt ſubdat; res tamen eſt mali exempli, & deberet Curia abſtinere, & boni Pontifices abſtinent, *cap. Cùm ab omni*, *de vita,& honeſt. Cleric.* & dicit Abb.in *cap. Extirpandæ*,§.*qui verò*, *nu.* 53. *de præben.* ſe non repeririſſe hanc quæſtionem expreſsè per alium tactam. Sed verè multò ante Cardin. Zabarellam hoc tenuit Henric. Boich. *in cap.* 1. *in princ.Ne Prælat.vices ſuas*,ubi concludit Papæ authoritatem excuſare à ſimonia in his, quæ ſunt ſimoniaca quia prohibita, ſicuti eſt vendere, vel emere titulum beneficii Eccleſiaſtici. Idemque probavit *in d. cap.* 1.*de ſimon.* Joan. de Lign. relatus à Silveſtro *in ver. ſimonia*, *num.* 4.

Et in ſpecie Papam non committere ſimoniam ſi vendat titulum beneficii, cui non ſit annexa poteſtas Clavium, dicunt communem eſſe opinionem Joan. de Anan. Felin. & Jul. Clar. citati in *præced. quæſt. num.* 31. plenè idem Felin. in *cap.Ex parte*, *il primo*, *num.* 1.*verſ.Dicunt hic Moderni*, *de offic. deleg.* ubi eamdem ſequitur, & dicit communem. In qua etiam poſt multa tandem reſidet Præpoſ. in *cap. Latorem*, 1.*qu.* 1. *à nu.* 28. ubi ſimiliter eam communem eſſe teſtatur, quibus etiam non immeritò adſcribi
62 poſſunt Doctores omnes, qui generaliter aſſerunt Papam non involvi crimine ſimoniæ in his, quę ſunt ſimoniaca quia prohibita, & exemplificant in beneficialibus, ut poſt multa concludit gloſſ. *hic in ver. illicitæ pactionis.* Hoſt. *in cap.fin. num.* 9. & ibi etiam Joan. Andr. *num.* 7. *de ſimon.* Alexand. *conſ.* 93. repetitus *num.* 7. *verſ. Nec obſtat.*, *lib.* 6.
63 Et paſſim alii. Et ejuſdem ſententiæ ſunt etiam illi, qui affirmant in Curia Romana non habere locum ſimoniam in his, quæ ſimoniaca ſunt quia prohibita, ut emere, vel vendere beneficia, vel officia, ſi Papa ſciat, & toleret. Inter quos recenſentur Joan. de Lign. & Henr. Boich. *locis citatis*, Card. & alii *in dict. cap.* 1. *de ſimon.*quos tacito nomine referunt Joan. de Anan. *ibidem*, *num.* 7. *verſ. Et multi alii dicunt*, & Abb. *in dict.* §. *Qui vero*, *ſub num.* 53, *& in cap.Cum veniſſent*, *num.* 7. *de judic.*Et hanc eſſe communem opinionem teſtatur ibi Felin. *col.* 1. *verſ. In quantum Abbas*, prout illum refert Apoſtilla ad Abb.*in d.*§.*Qui vero ſub eodem num.* 53. *in ver. Non habet locum in Curia*; licet Felin. ibi nihil loquatur in hoc propoſito, prout etiam advertit Clar. *in* §. *Simonia*, *nu.* 6. *verſ. Item quæro*, qui tamen tenet cum prędictis non committi ſimoniam in Curia Romana, cùm ſit ibi præſente Pontifice tolerata. Et hoc dicit tenendum eſſe Silveſt. *in ver. Simonia*, *num.* 4. *verſ. Imo ſecundum aliquos*, licet revera Henric. Boich. & ante eum Hoſt. *in eodem cap.* 1. *Ne præl.vices ſuas*, non loquantur de tolerantia, ſed dicant in Curia Romana non committi ſimoniam, dummodò fiat Principe authorizante, & ſciente. Et de authoritate Papæ ſimiliter loquitur gloſſa noſtra,Caſſador. *deciſ.* 2.*ſub tit. de ſimon.*& Redoan. *de ſimonia*, *part.* 1. *cap.* 25. *num.* 27.

Probatur primò hæc ſententia, quia non minus eſt Do- 64
minus Papa in ſpiritualibus, quàm Imperator in temporalibus imò plus, arg. *cap. Solitæ*, *de major. & obed. & cap. Cùm ad verum*, 96. *diſt.* Sed quia omnia ſunt Principis, ipſe non poteſt committere ſimoniam laicalem, quæ puni- 65
tur per leg. *Jul. de ambitu*, ut patet in *l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de ambitu*, quia ſcilicet dignitates Urbis per Principem conferuntur. Ergo nec Papa committit ſimoniam ſpiritualem, conferendo beneficia Eccleſiaſtica. Quo argumento uti videtur gloſſa ſecunda in *c. fin.* 1. *qu.* 6. & apertius Henric. in *cap.* 1. *Ne prælat. vices ſuas*, & paſſim Doctores aſſerentes ſimoniam non habere locum in Curia Romana, ſicut ibi locum non habet lex *Julia de ambitu*.

Probatur ſecundò quia quod non eſt ex ſui natura ſi- 66
moniacum, ſed tantùm ex juris prohibitione, non ligat Papam, quia ſtatuta Canonum Papam non adſtringunt, ſicut nec leges Imperatorem, *l. Princeps*, *ff. de leg. cap. Cuncta per Mundum*, 9. *qu.* 3.§. *His ita* 25. *qu.* 1. Sed conferre ſimplicem Canonicatum, cui non ſit annexa cura animarum, nec ſacer ordo, non eſt ex ſui natura ſimonia- 67
cum, ſed ſolùm ex juris prohibitione. Ergo &c. Minor probatur, quia nihil videtur in ſe ſimoniacum,niſi emptio, vel venditio Sacramentorum vel principaliter,ut patet per illud quod legitur *Actor* 8. unde radix ſimoniæ proceſſiſſe videtur; Simon enim, à quo ſimonia dicta eſt,pro pecunia voluit emere gratiam conferendi Spiritum ſanctum, quem videbat viſibiliter dari in ſacramento confirmationis per impoſitionem manuum Apoſtolorum: vel per connexionem, ut in beneficiis Curatis, quæ ſpiritualia dici poſſunt, quia propter Claves Eccleſiæ exercendas ſunt inſtituta, & poteſtatem Clavium habent annexam, ut probatum eſt *ſupr. n.*31.ſed in ſimplici Canonicatu ſine cura nulla eſt obligatio ad ſuſceptionem, vel adminiſtrationem Sacramenti,ut oſtenſum eſt in *præc. q. n.*43. ergo emere, vel vendere hujuſmodi beneficium non eſt in ſe ſimoniacum.

Probatur tertiò, quia quando ſpirituale, & temporale ſunt connexa; licitum eſt ex venditione temporalis transferre ſpirituale, dummodò pretium non augeatur,ut patet in *cap. Cum ſæculum*, *& in c. de jure*, *infrà de jurepat.* Sed in ſimplici Canonicatu ſunt connexa ſpiritualia cum temporalibus, ſcilicet officium, ſeu Canonia cum præbenda, *cap. Tua nos*, *de ſimonia*, *gloſſ. in cap. Cùm M. in ver. ad vacaturas*, *ſupra de conſtitut* Ergo cùm præbenda poſſet vendi circumſcripta prohibitione juris poſitivi, cui Papa non ſubjicitur,*cap.Propoſuit,de conceſſ.præben.*Si Papa vendat præbendam, videtur cum ea poſſe licitè transferre Canonicatum, dummodò pluris non vendatur præbenda propter Canoniam.

Probatur quartò, quia non minus ſpiritualia ſunt ante- 68
cedentia ad Sacramenta, quam ſequentia. Sed antecedentia ad Sacramenta, ut vaſa ſacra, poſſint licitè vendi,dummodò non pluris vendantur ratione conſecrationis, ut patet in eo quod legitur,& notatur in *cap.Hoc jus porrectum*, 10. *qu.* 2. Ergo quodcumque beneficium Eccleſiaſticum cùm ſit conſequens ad Sacramentum, vel natum ſequi, poteſt licitè vendi, dummodò non pluris vendatur ratione ſpiritualitatis.

Et confirmatur, quia merè ſpirituale nullo modo vendere licet, temporale omninò vendi poteſt. Ergo quod eſt partim temporale, & partim ſpirituale, ut Canonicatus cum præbenda, poteſt licitè vendi, ſecluſa juris poſitivi prohibitione, cui ut prædixi, Romanus Pontifex non eſt ſubiectus.

Probatur quintò, quia illa, quæ non fuerunt inſtituta 69
tem-

tempore Apoſtolorum, non videntur prohibita vendi niſi ex prohibitione juris poſitivi. Sed tituli beneficiorum Eccleſiaſticorum, ut Decanatus, Archipresbyteratus, &c. non fuerunt tempore Apoſtolorum, ſed poſteà videntur inducta ex inſtitutione humana, *cap. 1. & 2. 22. diſt. cap. Olim, 95. diſt. cap. In illis, 80. diſt. cap. 1. 86. diſt.* Abb. *in ſua quæſtione prima num. 4. colum. 3. verſ. Nam tituli beneficiales.* Et patet ex eo quia in primitiva Eccleſia erant Pa-
70 ſtores, & Ordines abſque præbendis. Imò uſque ad Urbanum I. Eccleſia Romana dicitur abſque redditibus vixiſſe: quod latè proſequitur Præpoſ. *in Summa 44. diſt.* & dixi *in cap. fin. infrà de pecul. Clericor.* Ergo hujuſmodi venditio non videtur prohibita, niſi juris poſitivi prohibitione, quæ non ligat Papam, ut *in d. c. Propoſuit, de conceſſ. præben. capitul. Non debet, de conſangu. & affinit. cum concordan.*

71 Hæ ſunt rationes, quæ potiſſimum afferuntur pro dicta opinione, ſi tamen opinio, & non error dicenda ſit, ut verbis utar Turrecrem. *in d. cap. Latorem, nu. 9. verſ. Reſpondeo dicendum, 1. qu. 1.*

72 Secunda ſententia eſt eorum, qui cenſent etiam Papam irretiri crimine ſimoniæ, ſi vendat titulum canonicatus, vel alterius beneficii ſimplicis. Cui videtur adhærere Abb. *in cap. 1. num. 6. de ſimon. & in repet. cap. extirpandæ, §. Qui verò num. 55. & 58. de præben.* dum firmat Papam eſſe immunem à vitio ſimoniæ tantummodò in Hoſpitalibus, & aliis habentibus tantùm adminiſtrationes temporales: & eam expreſsè approbat, & pluribus tuetur Cardin. Turrecrem. *in dict. cap. Latorem, in 3. quæſt. à num. 6. uſque ad num. 10. quæſt. 1.* Thomas Campeg. *in præallegat. tractatu, An Papa labem ſimoniæ incurrere poſſit, Tractatuum tom. 15. part. 2. fol. 531.* Et pro eadem ſunt graviſſimi Theologi, quos citabimus *infrà num. 14.*

Affertur pro hac ſententia textus apertus *in c. Ex multis, 1. quæſt. 3.* cui reſponderi non poteſt, ut inquit Felin. *in cap. 1. num. 2. verſ. Sed fortius urget, de ſimonia,* & alia jura, quæ citavimus, & expedimus *in præced. quæſt. à num. 40. uſque ad num. 51.* quæ irrefragabiliter probant vendere, vel emere titulum Canonicatus eſſe in ſe ſimoniacum, & jure divino prohibitum. Manifeſtum eſt autem etiam Papam Simoniæ labe poſſe inquinari, ſi vendat ea, quæ prohibita ſunt quia ſimoniaca, cùm faciat contra legem æternam, cui eſt ſubjectus, ut *in cap. Si Papa 40. diſt.* & oſtenſum eſt *ſuprà num. 58.*

73 Non me latet Felin. *in cap. Ex parte, il primo, num. 1. verſ. Utrum Papa involvatur, ſuprà de offic. deleg.* tripliciter reſpondere ad textum *in dict. cap. Ex multis,* & omiſſa ſecunda, & tertia reſponſione, quæ non attingunt punctum præſentis diſputationis, de quibus egimus *in cap. 1. num. 53. & 78. infr. Ne Præl. vices ſuas:* principaliter reſpondet ſic: *Quamvis vendere titulum beneficii ſit prohibitum jure divino, juxta textum in dict. cap. Ex multis, tamen ex cauſa limitat Papa jus divinum, & probatur efficaciter in cap. Salubriter de uſur. ubi ex cauſa limitat prohibitionem uſurarum. Ad idem cap. Gaudemus de divort. ubi ex cauſa diſſolvit matrimonium conſummatum inter Judæos, quibus dicta fuerunt illa verba, Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet: ut in cap. De infidelibus, de conſangu. & affinit. Ad idem cap. Præſul, 2. quæſt. 4. ubi limitat legem divinam, In ore duorum, vel trium, &c. ut in cap. In omni, de teſtibus. Ad idem gloſſ. in cap. A nobis il primo, in ver. exemptus, de decim. ubi Papa limitat obligationem decimarum, quæ eſt de jure divino. Ergo poteſt dictam prohibitionem ſimoniæ firmatam in univerſali Eccleſia limitare reſpectu Apoſtolicæ Sedis; Et in dubio in eo præſumitur cauſa ſecundum omnes in cap. Quæ in Eccleſiarum, de Conſtitut. & hic eſt apparens: nam ceſſante hujuſmodi redditu, qui maximus eſt, attenta hodierna Tyrannide, Sede Apoſtolica contemneretur.* Hæc ille. Et idem ferè voluit Præpoſ. *in cap. Latorem, num. 17. 1. quæſt. 1.* ubi in propoſito ſimoniæ dicit Papam ex cauſa poſſe quandoque relaxare etiam prohibitiones juris divini, & notatur *in cap. Lector, 34.*
74 *diſt.* & per Innocent. & alios *in dict. cap. Quæ in Eccleſiarum.* Unde videmus in præcepto, *Non furtum facies:* quod habet prohibitionem juris divini, hujuſmodi prohibitionem relaxari in caſu extremæ neceſſitatis, *cap. Si quis propter neceſſitatem, de furt.* Nam talis neceſſitas eo redigit, ut cenſeantur omnia communia; ita ſtante cauſa, ut inquit Præpoſ. Papa cenſetur redigere temporalitatem, ut pro tunc non ſequatur beneficium, ſed ſit ſeparata pro illo uſu. Hæc & alia plura in materiis poteſtatis Papæ contra jus divinum cumulant Hoſt. *in Summa de reſcriptis, § Quas vices, verſ. Poteſt autem, & ſeq.* Joan. Andr. *in cap. Actus legitimi. num. 5. in fin. verſ. In contrarium allegatur in Evangelio, de regul. juris lib. 6.* Petr. de Anchar. *conſil. 373. Revocatur in dubium, & conſ. 239. Parum dubitationis,* & Dec. *conſ. 108. In præſenti conſultatione,* & adde Innocent. *in cap. Cum ad monaſterium, num. 3. infra de ſtatut. Monach.* ubi dicit Papam 75
ex cauſa poſſe diſpenſare contra Evangelium. & eum ſequuntur ibidem Hoſt. *num. 3. verſ. Dicunt etiam,* Joan. Andr. *ſub num. 29. verſ. Refert etiam Innocentius,* Butr. *eodem num. 29. verſic. Nunquid autem Papa,* & alii complures.

Verùm hujuſmodi propoſitiones, quas ubique infar- 76
ciant Canoniſtæ, de diſpenſatione & limitatione juris Divini, niſi declarentur, repugnant ſacris regulis, ut patet *in cap. Sunt quidam, & in duobus cap. ſeqq. 25. quæſt. 1. & 5. diſt. in princ. in cap. Super eo, de uſur. in cap. Litteras, de reſtit. ſpoliat. & in cap. Cùm ad Monaſterium, in fine de ſtatut. Monach.* Item repugnant Theologorum traditionibus, qui unamini conſenſu docent contra divinas leges non admitti Romani Pontificis diſpenſationem. Ita S. Thom. *quodlib. 4. art. 13. in corp. & ad 1. & in 4. diſtin. 15. quæſt. 3. art. 2. & in 1. 2. quæſt. 97. art. 4. ad 3.* Turrecrem. *in dict. cap. Sunt quidam num. 1.* Sot. *in 4. diſtin. 18. quæſt. 1. art. 5. & diſtin. 21. quæſt. 2. art. 2. & lib. 1. de juſt. & jure, qu. ultim. art. 2.* Silveſt. *in ver. Papa, quæſt. 15. & 16.* Navar. *conſ. 39. num. 16. de ſponſal. in antiq.* alias *conſ. 4. num. 16. de Sponſ. impub. in novis.* Covarr. *de Sponſal. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 4.* Gregor. de Valen. *in 1. 2. diſputat. 7. quæſt. 4. punct. 6. verſ. Et quod ad priorem, & quæſt. 8. punct. 4. verſ. Diſpenſatio autem, & in 2. 2. diſputat. 10. quæſt. 3. punct. 5. colum. 4. verſ. Certum. ea,* Suarez *tom. 3. de Euchariſtia, qu. 74. art. 2. diſputat. 43. ſect. 4. verſ. Tertia ſententia, & verſ. Quinto poteſt, & alii paſſim.*

Nullitas autem diſpenſationis Apoſtolicæ in lege Divina 77
ſurgit ex duplici capite. Primò ex defectu cauſæ, quia diſpenſatio inferioris contra legem Superioris ad ſui validitatem requirit juſtam cauſam, *cap. Et ſi illa, 1. qu. 7. cap. Mutationes, 7. qu. 1. cap. Ab excommunicatis, 9. quæſt. 1. & cap. Nemo, de elect. lib. 6.* Archid. *in cap. Licet Canon, num. 3. eodem tit. & lib.* & docet S. Thom. *in 1. 2. quæſt. 97. art. 4.* Dixi *in cap. fin. num. 6. de fil. Presbyter.*
At nulla cauſa ſubeſſe poteſt, quæ juſtificat diſpenſationem 78
contra legem Divinam, quoniam illius conditor Deus omnes vidit caſus, & cauſas, quæ ſub lege illa poterant contingere, *cap. Deus omnipotens, 2. quæſt. 1. cap. Novit, de judic. cap. Novit ille, de appellat.* & divina voluntas, à qua lex æterna proficiſcitur, eſt prorſus immutabilis, *cap. Incommutabilis, 22. quæſt. 4.* Ergo ſi aliquo caſu Deus voluit legem obligare, juſtiſſimum eſt ut obliget, nec poteſt eſſe juſtum, ut obligationem, & nexum hujuſmodi relaxare poſſit quiſquam mortalium, ut eſt textus *in capitul. Quæ contra omnes, 8. diſtinct.* Et conſequenter diſpenſatio propriè, quæ ſcilicet legis vinculum relaxat, nullatenus cadere poteſt contra præcepta divini juris.

Secundò nullitas diſpenſationis ſurgit ex defectu pote- 79
ſtatis: nam ad legem Divinam ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona privata ad legem publicam, cui ſubjicitur, ut inquit S. Thom. *d. quæſt. 97. art. 4. ad 3.* Imò minor eſt proportio Pontificis ad legem Divinam, quam inferioris Prælati ad legem humanam, *cap. 2. ad fin. verſ. Nam inter creatorem, & creaturam, ſuprà de Summ. Trinit.* Sed in lege humana inferior non diſpenſat contra legem Superioris, *cap. inferior, 21. diſt. cap. Cum inferior, de major. & obedien.* Clem. *Ne Romani, in princ. de elect.* Ergo nec Pontifex contra legem divinam. Quo argumento utitur etiam Turrecrem. in *d. cap. Sunt quidam, nu. 2. verſ. Sexto ſic, qu. 1.*

Unde quod dicunt Doctores noſtri de diſpenſatione, & 80
limitatione juris divini, non poteſt intelligi propriè prout diſpenſatio eſt juris relaxatio ſecundùm ea, quæ notantur *in §. Niſi rigor, 1. quæſt. 7. & id cap. Ut conſtitueretur, in gloſſ.*

gloſſ. in ver. Detrahendum, 50. *diſtinct.* & per Archid. *in cap. Licet Canon*, *num.* 3. *de elect. lib.* 6. ſed intelligi debet pro juris divini declaratione, ut poſt Ricard. de media Villa *in* 4. *ſentent. diſtin.* 38. *quæſt.* 9. *art.* 1. declarat Cardin. *in cap. Cum ad Monaſterium*, §. *Abbas*, *num.* 16. *infrà*, *de ſtat. Monach.* Poteſt enim Apoſtolicus declarare divinas leges in aliquibus caſibus propter aliquas circumſtantias non obligare, cùm ſcilicet ex earum obſervantia, aut aliquid ſequitur iniquum, aut majus bonum impeditur aliàs enim cùm pro interpretatione ad Deum recurſus non pateat, non dediſſet ipſe Vicario ſuo ſufficientem poteſtatem ad Eccleſiam gubernandam, quod erroneum eſſet aſſerere. Atque ita his caſibus concedunt Theologi Summo Pontifici jus declarandi, non autem diſpenſandi, ut in ſpecie S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 54. *art.* 5. ibi, non tollitur lex naturalis humana lege, ſed declaratur Almain. *de poteſtat. Eccleſ. cap.* 13. Turrecrem. *in ſumma de Eccleſ. lib.* 2. *capit.* 7. *& lib.* 3. *cap.* 53. Silveſt. poſt alios *dict. quæſt.* 16. *in fine*, Covarr. *variar. reſol. libr.* 3. *cap.* 13. *numer.* 9. *verſ. Fateor enim*, Sot. *de juſt. & jur. lib.* 10. *quæſt.* 3. *art.* 1. *&* Vaſq. *in opuſc. moral. in tract. de benefic. cap.* 4. §. 2. *dub.* 1. *num.* 122. *in fin.* Et in terminis declarationis intelligenda ſunt exempla, quæ in oppoſitum adducunt Felin. & Præpoſ. *locis ſupracitatis num.* 73. Nam in illis caſibus Pontifex non relaxat, nec reſtringit, aut limitat legem divinam, ſed illam declarat, ut in *cap. Licet*, *in fine*, *de teſtib.* Et ita etiam notat gloſſ. unica *in dict. c. Sunt quidam* 25. *quæſt.* 1. dum dicit Papam diſpenſare in Evangelio interpretando ipſum.

81 Quinimò Turrecrem. in eodem *cap. Sunt quidam num.* 2. *in fine*, affirmat nec valere, nec verum eſſe quod dicit gloſſ. prælleg. Quia, inquit, *interpretatio obſequitur*, *& obſequi debet Evangelio*, *aliàs non eſſet interpretatio*, *ſed corruptio. Interpretari quippè Evangelium ad ſenſum bonum*, *& Catholicum non contradicendo veritati fidei*, *& ſcripturæ ſanctæ hoc licet Summo Pontifici*, *ſed per hoc non diſpenſat in Evangelio*, *ut aliud dicat*, *quàm quod Dominus*, *& Evangelium dicit.* Hæc ille.

Quæ cùm ita ſint, ſi lex divina dicit ſimoniacum eſſe interventu pecuniæ beneficium dare, vel accipere, ut in ſuperioribus probatum eſt; quomodò poteſt declarari Romanum Pontificem poſſe beneficium Eccleſiaſticum vendere ſine vitio ſimoniæ, quippè hæc non eſſet declaratio, ſeu interpretatio, ſed potiùs inverſio, & corruptio legis divinæ. Et ſanè ſi ad dignitatem tuendam adverſus hodiernam tyrannidem liceret Romano Antiſtiti accipere pecuniam pro collatione beneficii ſine labe ſimoniæ, ut dicit Felin. liceret etiam ipſi accipere pecuniam pro gratia, & Sacramentis: & tamen admittunt omnes hoc Summo Pontifici non licere, ut ait Dec. qui propterea, licet multum ſuccinctè, reprobat Felini reſponſionem *in dict. cap. Ex parte*, *il primo num.* 25. *de off. deleg.* Item hac ratio-
82 ne liceret Apoſtolico ad dignitatem ſervandam accipere lucrum ex mutuo ſine uſuraria pravitate, & tamen hoc nemo Catholicus auderet affirmare. Idque non alia ratione, niſi quia uſurarum crimen utriuſque teſtamenti pagina deteſtatur, Et propterea ſuper eo nulla fieri poteſt diſpenſatio, ut formaliter dicit textus *in cap. Super eo*, *de uſur.* & notat gloſſ. *in cap. Ex parte*, *il primo*, *in ver. Dimittere*, *de offic. deleg.* quæ apertè dicit propterea Papam non poſſe ſuper uſura diſpenſare, quia in utroque Teſtamento prohibita eſt. Et idem notant Innoc. Hoſt. Joan. Andr. & omnes *in capitul. fin. de ſimon.* Ergo idem dicendum de ſimonia, quæ ſimiliter damnata eſt in novo, & veteri Teſtamento, ut *in dict. cap. Ex multis*, *& cap.*
83 *Salvator*, 1. *quæſt.* 3. cum nulla ſufficiens ratio diverſitatis afferri poſſit. Atque ita diluitur reſponſio Felini. Inepta eſt etiam ſimilitudo, quam ponit Præpoſ. *ubi ſupra*, *numer.* 75. videlicet: ſicut in extrema neceſſitate non committitur furtum, ita nec Papa, qui ex cauſa accipit pecuniam pro collatione beneficii committit ſimoniam: oportet enim ut procedat ſimilitudo utrinque conſtituere extremam neceſſitatem; & tunc poſſet ſuſtineri, ut poſitus in extrema neceſſitate ſicut non committit furtum, ita nec ſimoniam. Quemadmodum
84 non committit uſuram, qui in extrema poſitus neceſſitate promittit aliquid mutuanti ultra ſortem nec eſt ſimoniacus Pater neſciens baptizare, qui dat pecuniam ſacrilego Sacerdoti aliter baptizare nolenti parvulum in extremis agentem, ut poſt Abb. *in cap. In Eccleſiæ*, *de ſimon.* Richard. & Cajetan. fusè probat Sotus *lib.* 9. *de juſtit. & jur. quæſt.* 8 *art.* 1. *colum.* 8. *verſ. Ad primum igitur.* Sed extra caſum neceſſitatis retorqueri poteſt argumentum Præpoſiti: nam ad dignitatem ſuſtinendam utique non liceret furari, & juris divini prohibitionem relaxare, ut probatur *in dict. cap. Si quis*, cum ibi notat. per gloſſ. & DD. Ergo nec ſpiritualia vendere.

Atque hujus ſententiæ eſt apertè S Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 1. *ad ſeptimum*, ait enim, *Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ*, *ſicut & quilibet alius homo. Peccatum enim tanto in aliqua perſona eſt gravius*, *quanto majorem obtinet locum. Quamvis ergo res Eccleſiæ ſint ejus ut principalis diſpenſatoris*; *non tamen* 85
ſunt ejus ut domini, *& poſſeſſoris. Et ideò ſi reciperet pro aliqua re ſpirituali pecuniam ex redditibus Eccleſiæ*, *non caret vitio ſimoniæ. Et ſimiliter poſſet etiam ſimoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico*, *non de bonis Eccleſiæ.* Hæc ibi. Et idem docuit *in quarta diſtinct.* 25. *quæſt.* 3. *artic.* 3. *ad* 2. in hæc verba: *Opinio illa erronea eſt* (*videlicet quæ adſtruit Papam non poſſe ſimoniam committere*) *ſi enim Papa pro aliquo ſpirituali munus acciperet*, *ſimoniam committeret*, *ſicut & alius homo*, *quia in ipſo Petro*, *cui Papa ſuccedit*, *ſimoniæ vitium damnationem inchoavit in novo Teſtamento.* Ejuſdem ſententiæ eſt Alber. Magn. itidem *in quarta diſtinct.* 25. ubi reſpondendo quæſtioni ſic ait: *In veritate benè puto quod Papa poteſt committere ſimoniam*, *nec videtur mihi hoc dubium quando vendit ſpirituale.* Idem ſenſit Ulricus, ſeu Udalricus de Argentina Alberti Magni Auditor *in ſua Summa Theologiæ* relatus à Turrecrem. & Præpoſ. *in capitul. Latorem*, 1. *quæſt.* 1. ubi ait: *Dicunt quidam Papam non poſſe committere ſimoniam cum quacumque perſona Eccleſiaſtica*, *quia nihil lucratur*, *cùm omnes res Eccleſiarum ſint ſuæ. Sed ſtultum eſt hoc dicere*; *cùm origo ipſius hæreſis fuerit in voluntate ineundi pactum cum primo Papa*, *id eſt cum Petro etiam tunc temporis quando omnibus omnia erant communia*; *nec res Eccleſiarum ſint Papæ*, *niſi ſicut ſecundùm leges omnia ſunt Principis*, *ſcilicet ad gubernandum*, *non ad poſſidendum. Etſi etiam ſecundo modo ſint ſuæ*, *tamen eſſet ſimonia*, *quia non poſſidet eas actu*, *ſed ſibi debentur cùm voluerit accipere. Et qui debitori ſuo daret aliquod ſpirituale*, *ut recuperet quod ſuum eſt*, *ſimoniam committeret. Idem eſt ergo in propoſito.* Hæc ille. Nec refert, quod multi Doctores declarent ſeu potiùs reſtringant, & limitent doctrinam S. Thomæ ut procedat in his tantùm, quæ ſunt prohibita quia ſimoniaca, non autem in his, quæ ſunt ſimoniaca, quia prohibita, prout eam intelligunt Archid. Bellam. & Gemin. quos citat, & ſequitur Præpoſ. *in cap. Non decet*, *numer.* 6. 12. *diſtinct.* Nicolaus de Auſmo *in ſupplement. Summæ Piſanæ in ver Simonia* 1. *in fine*. Paul. in Clem. 1. *de Summ. Trinit.* & Felin. *in cap. Ad audientiam*, *il ſecondo*, *numer.* 3. *verſic. Eſt verum quod B. Thomas de reſcript.* & Silveſt. *in ver. Simonia*, *num.* 4. *verſ. Quartò quæritur*. Quoniam eſto hoc verum ſit, tamen quod ſpectat ad rem præſentem, cùm vendere titulum Canonicatus, vel alterius ſimplicis beneficii ſit prohibitum quia ſimoniacum, ut probatum eſt in *præcedenti quæſtione num.* 40. conſequens eſt, ut ſi Papa pro collatione hujuſmodi beneficii pecuniam accipiat, in ſententia D. Thomæ non ſit à ſimoniæ vitio immunis. Idque non obſcurè docuit idem S. Thomas, *dict. quæſtion.* 109. *artic. quarto*, dum ait beneficium Eccleſiaſticum dici ſpiritualibus annexum quaſi ab eis dependens. Non enim competit niſi ordinem clericalem habenti; & per conſequens eſſe non poſſe ſine ſpiritualibus: & propterea nullo præmio, aut pretio conferri debere, quia beneficio vendito, intelliguntur etiam ſpiritualia venditori ſubjici. Et apertius hoc ſenſit Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis *in tractat. de ſimon.* his verbis: *Super materia ſimoniacæ labis in collatione beneficiorum per Papam reſolvendo materiam*

adra-

adradicem Scripturæ ſacræ, qua dimiſſa percurrere ramos opinionum particularium fine caret; ponitur hæc *concluſio. Simoniaca labes contra jus divinum, vel de ſimoniaca ſpecie ſuſpectum eſt in conferente beneficium Eccleſiaſticum, etiamſi ſit Papa, exigere, vel extorquere à beneficiando promptam pecuniam ſub titulo primorum fructuum, ac impedire poſſeſſionem, & officiationem ſuam, quouſque ſolverit illam pecuniam: licet quoad ſpectat ad primos fructus, ſeu annatam egregius hic vir deceptus fuerit ex illorum ſuggeſtione, qui in Concilio Conſtantienſi aſſerebant Papam quaſi ex contractu pro collatione beneficii exigere pecuniam contra Evangelicum præceptum, gratis ſcilicet accepiſtis, gratis date.* Quod tamen erroneum eſſe fusè oſtendimus *in cap.* 1. *Ne Præl. vices ſuas in* 3. *oppoſ.*

Ex ſupradictis ſatis liquet de veritate hujus ſententiæ; ſed nihilominus ad majorem evidentiam ſubnectuntur etiam rationes infraſcriptæ, quas in propoſito adducunt Durandus, & Petr. de Palude apud Turrecrem. *in d. c. Latorem, n. 7. verſ. Pro qua opinione,* 1. q. 1.

86 Prima ratio eſt. Major ſpiritualitas eſt authoritas officiandi Eccleſiam, quàm authoritas docendi quamcumque humanam ſcientiam. Sed authoritas, ſive licentia docendi ſine peccato vendi non poteſt, ut habetur infra de *Magiſtr. in Rubro, & Nigro, quaſi per totum.* Ergo fortiori ratione, nec authoritas officiandi Eccleſiam. Et quamvis Præpoſ. *in d. cap. Latorem, num.* 21. reſpondeat hanc prohibitionem eſſe juris poſitivi, in quo Papa poteſt diſpenſare; hoc tamen non videtur admittendum, quia prohibitio ne quid exigatur pro licentia docendi fundatur in authoritate Evangelii, *Matth.* 10. *Gratis accepiſtis, gratis date, ut in c.* 2. *de Magiſtr.* & ſcientia eſt donum Dei, ut dicit *gloſſ. in c.* 1. *in ver. pretium exiga., eod. tit.*

87 Secunda ratio. Venditio beneficii eſt prohibita jure divino in Evangelio, *Matth.* 10. Non quidem in ſe, ſed in ſuo ſimili: non enim minus ſpirituale eſt authoritas eligendi Epiſcopum, & officiandi Eccleſiam, quàm authoritas prædicandi. Sed in ſimplici Canonicatu eſt authoritas eligendi Epiſcopum, *cap.* 1. *& quaſi per totum, de elect.* & officiandi Eccleſiam, *c. unico, de Cleric. non reſiden. lib.* 6. *cap. fin. de reſcript. eodem lib.* Clemen. *Ut ij, de ætat. & qualit.* cum multis ſimilibus. Si ergo authoritas prædicandi prohibetur vendi jure Evangelico. Ergo & authoritas eligendi Epiſcopum, & officiandi Eccleſiam, quæ eſt in ſimplici Canonicatu. Nec ſatisfacit reſponſi Præpoſiti *ubi ſupra,* quod Canonici non eligant, ut ſinguli, ſed ut Collegium: nam nihilominus unuſquiſque cum ſua voce cauſat electionem, & concurrit in collatione juris ſpiritualis, quod per electionem acquiritur electo, ſecundùm ea, quæ dixi in *cap. Bonæ, il primo, num.* 77. *ſupra de poſtulat. prælat.* Nec
88 ſubſiſtit quod ſubjicit Præpoſ. quod cauſa ſit multum remota. Imò enim eſt proxima, & immediata, quia ex votis ſingulorum publicatis, & invicem collatis immediatè ſurgit, & producitur electio, ut in *cap. Quia propter, de elect.* Et quatenus eſſet remota, eſt tamen originalis, quæ præcipuè attenditur, ut *in c. Litteris, de reſcript.* nam ad primordium tituli poſterior formatur eventus, *l. unica, ad finem, C. de imponen. lucrat. de ſcript. lib.* 10. Item ad rem
89 non pertinet quod cum ſimoniaco in præambulis ad Ordinem diſpenſet Epiſcopus, ut *in cap. per tuas, il terzo, de ſimonia;* quoniam diſpenſat poſt factum in pœna, quæ eſt de jure poſitivo. Sed hinc non ſequitur ut ſimonia illa non ſit prohibita jure naturali, & divino. Sicut videmus Epiſcopum diſpenſare poſſe in crimine adulterii, ut *in cap. At ſi Clerici, §. de adulteriis, infrà de jud.* Et tamen certum eſt adulterium eſſe prohibitum in lege æterna, & eſſe intrinſecè malum, *c. Ita ne,* 32. *qu.* 5. *c. Litteras, de reſtitut. ſpoliat. & cap. Inquiſitioni, de ſentent. excommunicat.*

90 Tertia ratio. Si Papa recipiendo pecuniam in collatione beneficii Eccleſiaſtici non committeret ſimoniam; hoc ea tantùm ratione proveniret, quia non reciperet pecuniam pro beneficiis, ſed pro fructibus, cùm poſſit ſeparare præbendam à Canonica ex notatis *in cap. Cum M. Ferrarien. de Conſtitut. & in cap. fin. de conſuetud. lib.* 6. Et in hac ſpecie tradit Præpoſ. *in cap. Latorem, num.* 22. *verſ. poteſt reſponderi,* 1. *qu.* 1. Cardin. Joan. *de Concil. lib.* 4. *art.* 4.

Sed hæc ratio falſa eſt, quia ut arguit ibidem Turrecrem. *num.* 8. *verſ. Quarto poteſt argui.* Si verum eſſet Papam non conferre niſi fructus; tunc nullus, cui Papa conferret beneficium haberet titulum beneficii, nec dicendus eſſet talis Eccleſiæ Epiſcopus, Decanus, aut Canonicus, nec deberet ea exercere, quæ ſunt illius officii. Præterea litteræ Papales ſuper talibus proviſionibus confectæ, patentiſſimè declarant contrarium, dum proviſos jubent inſtitui. Inſtituere 91
autem eſt jus Canonicum in Eccleſia, ſeu Eccleſiæ beneficio conferre, ut in *c. Ex frequentibus, de inſtitut.* Card. in Clem. 1. *in* 6. *q. in ſolut. n.* 11. *de ſupplen. neglig. Prælat.* Ergo fateri oportet non ſolùm vendi fructus beneficiorum qui ſunt acceſſorii ad titulum, ſed etiam illud quod eſt merè ſpirituale, & principale, ſcilicet titulum, ſeu poteſtatem exercendi hujuſmodi miniſterium, propter quod iidem fructus ſunt deputati. Idque clarè deciditur in *c. Si quis objecerit,* 1. *q.* 3. *& in c. ſeq.* ubi dicitur: Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.

Præterea quamvis præbenda poſſit conſiſtere in mera 92
temporalitate, & cadere etiam in laicum, & de hac intelligenda ſit gloſſa *in d. cap. Cum M. in ver. Receperunt, de Conſtitut.* tamen ſecus eſt ſi præbenda ſit annexa Canoniæ, quia tunc eſt jus ſpirituale, ut in *cap. Dilecto, infrà de preben.* & declarat Abb. *in cap. Tua nos, num.* 3. *de Simonia.* Ac proindè prohibetur vendi jure divino, naturalique, ut efficaciter probat Cajetan. *loco proximè citando.*

Demum ut optimè explicat Cajetan. *tom.* 2. *opuſcul. in* 93
tract. 9. *de ſimonia, q.* 1. Eccleſiaſtico beneficio duo inſunt, videlicet Clericatus, & præbenda: nam cuilibet beneficio annexa eſt ſaltem prima Clericalis tonſura, *cap. Cum adeo de reſcr. & cap. Ex litteris, de tranſaction.* & cuilibet inti- 94
tulato debita eſt præbenda, quia Clerici vivere debent de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur, *cap.* 95
Cum ſecundum, de præben. nec datur Canonia ſine præbenda, 96
id eſt titulus beneficii ſine ſtipendio, *c. Relatum, & cap. Dilectus, il primo eod. tit. cap. Cum ſuper, de conceſſ. præben. cap. Jacobus de ſimonia, cum concordan.* Et quidem Clerica- 97
tum eſſe ex jure divino, ut inquit Cajetanus, conſtat tum ex eo, quod Clericatus nihil eſt aliud, quàm addictio ad miniſtrandum ſacrificiis divinis. Unde & à ſorte nomen accepit, quia in ſortem Domini qui Clerici ſunt, electi ſunt. Ad hoc *cap. Cleros,* 21. *diſtin. cap. Duo ſunt,* 12. *qu.* 1. *& d. cap. Cum ſecundum.* Fuerunt enim omni tempore Clerici. Ante legem quidem primogeniti Clerici erant. Unde & primogenituræ jus ſacrum erat. Sub lege autem tota Tribus Levi ſanctificata eſt ad divina officia. Tum ex eo quod 98
ſpirituale quoddam eſt: omnis enim Clerici officium in ſpiritualibus actibus conſiſtit, ut in *cap. Perlectis,* 25. *diſt.* Unde in prima tonſura ex utraque parte præciſio corporalis in capite fit, ſcilicet ſecundùm partem ſuperiorem, in qua fit tonſura & ſecundùm partem inferiorem per quatuor angulos, in qua inciduntur capilli, ad ſignificandum eos à temporalibus undique præciſos, ad ſuperna, quæ ſpiritualia ſunt, miniſtros deputari, ut in *d. cap. Duo ſunt.* Tum authoritate S. Thomæ in 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. qui officium clericale non ſpirituali annexum, ſed ſpirituale eſſe à Deo dicit, itaut propterea beneficium Eccleſiaſticum Spirituali annexum cenſeatur, quia Clericali officio conjunctum eſt. Spiritualium autem author Deus eſt. Unde quemadmodum Summus Pontifex involveretur crimine ſimoniæ, ſi venderet titulum beneficii cui eſſet annexa poteſtas Clavium, ita & ſi vendat titulum beneficii, cui ſit annexum officium Clericale. Quoniam, ut Cajeta- 99
nus ſubiicit, quamvis in ſpiritualibus ſint gradus, & ordo ſit ſpiritualior clericatu, & Claves ſint magis ſpirituales multis Ordinibus, omnia tamen in ſpiritualium genere ſunt, & omnia invendibilia ſunt, quia totum genus ſpiritualium eſt materia repugnans venalitati, id quod egregiè oſtendit S. Thomas loco citato. Eſt ergo in omnibus Eccleſiaſticis beneficiis unum ſpirituale, & omninò invendibile ſcilicet officium clericale, & in hoc Cajetanus ſupplet diſtinctionem Abbatis tamquam diminutam, qui in *c. Extirpandæ, §. Qui verò, n.* 53. *de præben.* enumeravit executionem Ordinis, & poteſtatem Clavium, & prætermiſit Clericatum, licèt fortè Abbas ſub executione Ordinis comprehenderit etiam primam tonſuram, quæ à Canoniſtis habetur pro ordine, ut dixi in *c. Cum contingat ſupra de ætat. & qualit.* cùm preſertim excludat Papam à vitio ſimoniæ tantummodò in Hoſpitalibus, & aliis habentibus ſolam adminiſtrationem temporalem. Hæc quoad Clericatum.

Quo-

100 Quo verò ad præbendam, obſervandum eſt diligenter ex Cajetano, ubi ſupra hoc nomen in ſe multa continere: nam præbenda dicit duo, ideſt ſtipendium Clericale, & certam determinationem talis ſtipendii, vel ad certam quantitatem, puta mille ducatorum; vel ad certum tempus, puta ad annum; vel ad certum locum, puta ex fructibus talis prædii, &c. & conſequenter in præbenda poſſunt conſiderari quatuor. Primò jus ſtipendii; ſecundò ſtipendium ipſum: tertiò jus talis, & tanti ſtipendii, in tali loco, &c. Quartò ipſum tale & tantum ſtipendium, de quibus ſigillatim diſpiciendum eſt.

101 Jus ſtipendii procul dubio ex divino jure eſt ſpirituale, ſicut & jus accipiendi decimas, ut per D. Thom. in 2. 2. *qu.* 100. *art.* 4. *ad* 3. quia eo ipſo quod quis Clericus eſt, & divinis officiis mancipatus, jus habet ut ſuſtentetur ab Eccleſia, *cap. Clerici*, 1. *qu.* 2. nam dignus eſt operarius mercede ſua 1. ad Timoth. 5. *cap. Quicumque* 12. *q.* 2. & denario fraudari non debent in Vinea Domini laborantes, Matth. 20. *c. fin. de Magiſtr.* neque os bovi ligari debet trituranti, Deuteron. 25. *c. Eccleſias, verſ. Item non alligabis*, 13. *q.* 1. *c. Extirpandæ*, *infrà de præben.* Et qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede, *cap. Cum ſecundùm*, *eod. tit.* Juſtum namque eſt, ut illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium, *cap. Charitatem*, 12. *q.* 2. Et propterea Sacerdotibus Ægypti ex publico providebatur, ut dicitur Geneſ. 14. & Tribus Levi quia jus hoc habebat, partem inter fratres ſuos non accepit. Et ut dicitur 1. ad Corinth. 9. *Qui altari deſerviunt, cum altari participant.* Et paulò ante, *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam?*

102 Stipendium verò ipſum eſt quid temporale, ſed divino jure debitum, ut probatum eſt. Iniquum quippe eſſet ut aſſiſtentibus Deo pro nobis opportuna non daremus, *cap. Eccleſias*, §. *His ita*, 13. *q.* 1.

103 Jus autem talis & tanti ſtipendii, licèt habeat determinationem ſeu taxationem ab Eccleſia; tamen re ipſa non eſt aliud à primo, quia per hoc, quod Clerico confertur certa præbenda, non confertur ei novum jus, ſed juri quod habet à Deo determinatur certa poſſeſſio; Jus enim, quod Clericus habet à Deo indeterminatum eſt, nec magis exigit hoc, quàm illud ſtipendium: ſed Eccleſia tribuendo certos redditus, determinat illud aſſignando illi propriam materiam, Exemplo Sacerdotis, cui cùm datur Parochialis Eccleſia, vel authoritas audiendi Confeſſiones, non confertur novum jus, cùm in ſua ordinatione jam à peccatis abſolvendi poteſtatem acceperit, ut in decreto Concilii Tridentini *cap.* 15. *ſeſſion.* 23. ſed juri, quod habet à Deo, determinatur ab Eccleſia materia, circa quam operatur. Ad hoc *cap. Generaliter*, §. *Ecce ſufficienter*, & *cap. ſequent.* 16. *q.* 1. & docet S. Thom. *quodlib.* 12. *art.* 30. Unde ſimiliter non ſunt duo jura in Clerico reſpectu beneficii, ſed unum tantùm à Deo indeterminatè datum quoad materiam, & poſtmodum ab Eccleſia determinatum. Quod etiam patet exemplis præcepti de ſanctificatione feſtorum, de confeſſione facienda, de jejunio, de decimis ſolvendis, & conſimilibus, quæ ex jure divino ſunt indeterminatè, & ab Eccleſia ſunt quantum ad determinationem temporis, quantitatis, modi, &c. Et tamen non ſunt duo præcepta, unum de jure divino, & alterum de jure poſitivo, ſed unum tantùm de jure divino indeterminatum, & determinatum ab Eccleſia. Ad hoc Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pænit. c.* 5. & dixi *in cap. Omnis utriuſque*, *num.* 25. *infrà de pænitent. & remiſſ.* Quemadmodum ergo ex determinatione Eccleſiæ non multiplicantur præcepta, ita nec multiplicantur jura, *arg. cap. Inter corporalia*, *de translat. E-*
104 *piſcop.* Eorum igitur, quæ in Clerico beneficiato ſunt, omnia ex jure divino ſunt, præter quartum, videlicet determinatio ſtipendii. Quoniam ex jure poſitivo à Prælatis Eccleſiæ inſtitutum eſt ut annua ſtipendia, & tantæ quantitatis, &c. in illa, aut illa ſint Eccleſia, & tali Miniſtro applicata, ut in *c. Nemo*, *de conſecr. diſtinct.* 1.

105 Quibus ita conſtitutis facilè dignoſci poteſt quid in præbenda ſit venale, & quid non: nam cùm ſpirituale venditionis materia naturaliter eſſe non poſſit, & jus omne Clericale tam reſpectu ſtipendii indeterminati, quàm reſpectu talis, & tanti ſtipendii ſpirituale ſit: huic neceſſariò ſequitur ut jus præbendæ non ſit venale, & illud vendere ſimoniacum ſit, non quia prohibitum, ſed quia ex ſui natura eſt ſimoniacum, & conſequenter vetitum etiam Papæ ſecundùm determinationem gloſſarum, *ut hic in ver. Illicitæ pactionis*, & *in dict. cap. Ex parte, in primo in ver. Dimittere*, *de offic. deleg.* Ipſum autem ſtipendium, ſeu ipſa 106
præbenda cùm ſit res purè temporalis, vendi poteſt. Unde ſecundùm D. Thomam in prælleg. *quæſt.* 100. *art.* 4. *ad* 3. cùm Papa concedit decimas militibus, non concedit eis jus ſpirituale accipiendi decimas, ſed tantummodò res temporales, quæ decimæ appellantur.

Quare ſupereſt tantum examinandum an præbenda ipſa, 107
quæ ut diximus, ex ſui natura venalis eſt, prohibeatur vendi ratione connexionis cum Clericatu. Et quidem eſt hic duplex connexio, ſcilicet juris præbendæ ad Clericatum, & ipſius præbendæ ad hunc Clericum. Prima connexio venalitatem omninò excludit, tum ex natura connexorum, quia utrumque, ideſt tam Clericatus, quàm jus præbendæ ſpirituale eſt, ut patet ex dictis: tum ex 108
natura connexionis: conſtat enim jus præbendæ non eſſe connexum quaſi rem alienam coniunctam cum Clericali officio, ſed per identitatem vel quaſi, ut explicat Cajetanus. Ideòque beneficium, ſeu præbenda dicitur ſequela officii, *cap. Eos*, & *cap. Si quis Sacerdotum*, 81. *diſtin.* 109
cap. Præter hoc 32. *diſtinct. gloſſ. in cap. fin. in ver. Datur, de reſcript. lib.* 6. Nec datur Canonia ſine præbenda, ut prædiximus, & notat gloſſa *penultim. in cap. unico, de Clerico non reſident. lib.* 6. Ideòque S. Thomas *dict. art.* 4. *in corpore*, affirmat beneficium Eccleſiaſticum eſſe neceſſariò annexum officio Clericatus tamquam ab eo dependens, & nullo modo ſine ſpiritualibus poſſe conſiſtere. Quare præbenda utcumque ſit res temporalis: tamen cùm ſit annexa officio Clericatus ex debito divini juris: & ex illo proveniat neceſſariò quiſquis horum alterum vendit, neutrum invenditum derelinquit, & ſimoniacus eſt, juxta textum *in c. Si quis obiecerit*, 1. *q.* 3. relatum à D. Thoma *ubi ſupra in argumento contrario*.

Secunda autem connexio, ideſt ipſius præbendæ ad 110
hunc Clericum ſecundùm diverſos reſpectus venalitatem compatitur, & excludit. Compatitur quidem ratione ipſius Clerici activè, quia poteſt ipſi beneficii ſui fructus vendere, & locare. Extravag. *Ambitioſæ*, *verſic. Ac de fructibus*, *de rebus Eccleſ. non alien.* Excludit autem ratione ejuſdem Clerici paſſivè, quia non poteſt eidem 111
vendi propter duo. Primò, quia non poteſt res vendi à non Domino: *l.* 1. *C. de uſucap. pro empt.* Nullus autem Prælatus, nec Summus Pontifex eſt Dominus fructuum percipiendorum: redditus enim omnium Eccleſiarum quamvis ſint Papæ ut principalis diſpenſatoris: non tamen ſunt ejus ut Domini, & poſſeſſoris, ut inquit S. Thom. & Ulric. *locis ſupracitatis*, *num.* 46. Secundò, quia conferre alicui Clerico beneficium, & vendere illi fructus per- 112
cipiendos nihil eſt aliud, quàm vendere illi executionem proprii, & ſpiritualis juris. Paria autem ſunt vendere jus, & illius executionem, ut patet ex dictis *ſupra numer.* 31. Unde & duo peccata hìc concurrunt, Iniuſtitiæ, quia venditur Clerico quod ſuum eſt, *l. Rei ſuæ*, *ff. de contrahend. empt. l. Cum res*, & *l. Si Mater*, *Cod. eod.* Prius 113
enim Clericus intelligitur habere titulum, qui dicitur gratis dari, & deindè executionem, quæ titulum conſequitur. Item peccatum ſimoniæ, quia vendi convincitur executio ſpiritualis juris. Et hoc ipſum ante Gajetanum docuerunt Petr. de Palude, & Turrecrem. ut patebit infrà *nu.* 123. *verſ. At ſi venderentur*.

Quamobrem ex prædictis concludendum eſt venditio- 114
nem beneficiorum Eccleſiaſticorum ſive habeant annexam poteſtatem Clavium, & executionem Ordinis, ſive officium Clericatus eſſe prohibitam quia ſimoniacam, non autem ſimoniacam quia prohibitam: & conſequenter nec Summo Pontifici licitam eſſe, cùm emptionis materia res ſpiritualis ſit, quæ jure naturali, & divino venalitatem omninò excludit.

Unde hanc ſententiam non tantùm in Canonicatibus, ſed etiam in aliis beneficiis ſimplicibus uti veram, & conſonam ſacris regulis, amplectuntur Durand. & Petr. de Palude *in quarta diſtinct.* 25. quos refert, & ſequitur Cardin. Turrecrem. in *cap. Latorem*, *num.* 6. 1. *quæſt.* 1. Item Cardin. Cajet. *in prealleg. tract.* 9. *de ſimonia*. ubi teſtatur hanc eſſe communem Theologorum opinio-

opinionem, & oppoſitam appellat errorem Canoniſtarum, & conſentit Sotus *lib. 9. de juſt. & jure quæſt. 7. art. 1.* Et quamvis impugnet rationem illam Cajetani, quod Clericalis tonſura ſit de jure divino, exiſtimans etiam minores ordines eſſe ex Conſtitutione Eccleſiæ, tamen quoad hoc Soti doctrina nedum falſa, ſed etiam periculoſa eſt, ut vidimus *in cap. Cum contingat, nu. 72. ſupra de ætat. & qualit.* Eamdem latè tuetur Thomas Campeg. *in d. tractatu*, An Papa labem ſimoniæ incurrere poſſit, ubi *num. 11.* dicit magno applauſu recipiendam eſſe ſententiam Petr. de Anchar. *in cap. 1. de Conſtitut. in 11. oppoſitione*, quod facere beneficia Eccleſiaſtica venalia eſt denigrare univerſalem ſtatum Eccleſiæ, per *l. Si quemquam, C. de Epiſcop. & Cleric.* cùm dicitur profectò enim quis locus tutus, & quæ cauſa poterit eſſe excuſata, *Si veneranda Dei Templa pecuniis expugnentur?* Quod ſi denigratur ſtatus univerſalis Eccleſiæ, nec Romano Pontifici erit permiſſa, per ea, quæ habentur *in c. Sunt quidam, 25. qu. 1. & infra n. 25.* dicit eſſe reiciendam, & prorſus abominandam doctrinam Cardinalis *in cap. 1. de ſimonia:* aſſerentis Papam ex juſta cauſa poſſe quandoque in collatione beneficiorum aliquid recipere, licèt non paſſim, ne ſcandalizet Eccleſiam.

115 Non obſtant modò contraria argumenta. Ad primum enim reſpondetur ex Durando apud Turrecrem. *in d. cap. Latorem, num. 9. verſ. His habitis, 1. quæſt. 1.* Imperatorem, ſi vendat Magiſtratum, quamvis non peccet contra legem Juliam de ambitu; tamen peccare in legem naturalem, cui ſubjicitur. Unde ſimiliter, & Papa vendendo quodcumque beneficium Eccleſiaſticum, tametſi non peccet in legem Canonicam, cui non ſubjicitur; peccat tamen in legem divinam & naturalem. Sed hanc reſponſionem quatenus habet Imperatorem vendendo Magiſtratum peccare in legem naturalem, refellit Petr. de Palude apud Turrecrem. *ubi ſupra*, quia illa poteſtas eſt temporalis, & propter utilitatem Reipublicæ poteſt inſtitui ut Magiſtratus, ſeu Præpoſituræ laicales venderentur, ſicut alicubi fit, & obſervatur in multis Curiis Regum, & Principum. Hoc enim ſecundùm eum fieri poſſet ſine peccato, dum tamen caveretur ne mala exindè ſequerentur, licèt hanc venalitatem etiam in Principe ſæculari plurimum damnet Præpoſ. *in Summa, 1. quæſt. 1. num. 35.* & in eam invehat gloſſa pragmat. Sanct. *in titul. de Annatis, in princ. in ver. Eccleſiaſticis.*

Itaque reſpondetur ſecundò leges civiles ad rem præſentem non pertinere; quia loquuntur in dignitatibus, & officiis ſæcularibus, quæ multum differunt à dignitatibus, & officiis ſpiritualibus, ut *in cap. Solitæ, de major. & obedien.* Unde ex diverſis non debet fieri illatio, vulgata, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* nam ſicut res temporales in quantum uſui noſtro deſerviunt ſunt in poteſtate noſtra, *l. In re mandata, C. Mand. & l. Nemo Exterus, C. de Judæi*; & ideò vendi, & emi poſſunt: ita & jura, & officia, & dignitates ad gubernationem, & diſpoſitionem quaruncumque rerum hujuſmodi ordinatæ, naturæ non repugnat quin poſſint vendi, ſed ſubſunt ſoli Conſti-
116 tutionis Principi. At contrarium eſt in ſpiritualibus, quæ in nullius ſunt dominio, niſi ſolius Dei, ſicut ſunt virtutes ſpirituales, quarum naturæ repugnat venditio, ut *in cap. Gratia, 1. quæſt. 1.* cum nullum pretium ſit, quo æſtimari poſſint. Quare idem dicendum in officiis, & digni-
117 tatibus Eccleſiaſticis, quæ cum diſponant, aut verſentur obiectivè circa talia, ſunt ejuſdem naturæ, vel ſunt merè ſpirituales quædam poteſtates: nam quilibet titulus Eccleſiaſticus eſt quædam ſpiritualis poteſtas, ſeu jus ſpirituale ad aliquos actus ſpirituales exercendos. Ad hoc *cap. Conceſſa, 12. quæſt. 2. cap. Generaliter, 16. quæſt. 1. c. ult. 1. quæſt. 2. & cap. fin. de reſcr. lib. 6.* Et quod notat gloſſa *in cap. Dudum, il ſecondo, in ver. Intitulatum, ſupra de elect.*

118 Ad ſecundum reſpondetur negando minorem; falſum enim eſt in ſacra Scriptura non inveniri damnatum ut ſimoniaco, niſi venditionem Sacramentorum, & operationem miraculorum. Imò enim Matth. 10. prohibentur vendi omnes actus ſpirituales, ad quorum aliquem ſimplex quoque Canonicus deputatur, ut in Clem. *Ut ii, de ætat. & qualitat.* & in decreto Concilii Tridentini
119 *cap. 3. ſeſſion. 21. & cap. 12. ſeſſ. 24.* & in lege veteri reprobatur ut fiat Miniſter per pecuniam: habetur enim 3. Reg. 13. *Quicumque volebat, replebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos.*

Nec obſtat ſi dicatur; Olim erat quidem ſimoniacum ut quis fieret Miniſter Templi pro pecunia, quia inſtitutio miniſtrorum Eccleſiæ erat de jure divino, & ſanctificatio Sacerdotum & Levitarum: licèt diſtinctio, & ordinatio fuerit facta à David. At inſtitutum Canonicorum eſt de jure divino, ſicut Ordinum, & Sacramentorum. Item authoritas Matth. 10. *Gratis accepiſtis, &c.* intelligi poteſt de his, quæ accipiuntur à Deo, non ab homine, ut ſunt Canonicatus.

Id inquam non obſtat, quia ſpirituali formaliter accidit, ut habeat cauſam ſpiritualem divinam ad hoc ut ejus venditio ſit ſimoniaca. Unde cùm deputari ad divinum cultum ſit ſpirituale, ſicut & ipſe cultus, à quocumque fiat hæc deputatio, dum tamen ad illum pertineat, eſt ex poteſtate à Deo derivata: & conſequenter deputare eſt in ſe ſimoniacum, eodem modo ſimoniacum erit illam deputationem vendere ſive eadem deputatio fiat à Deo immediatè, ſive ab homine habente poteſtatem Dei. 120

Et quæ de Canonicatu dicta ſunt, eadem vendicant ſibi locum in quolibet ſimplici beneficio, cùm illi ſit annexa neceſſariò ſaltem prima clericalis tonſura, & conſequenter deputatio ad divinum cultum, *cap. Cleros, 21. diſtinct. cap. Pſalmiſta 23. diſtin. c. Perlectis, §. Ad Pſalmiſtam 25. diſtin. & cap. Duo ſunt, 12. quæſt. 1.* Quod efficaciter probat Cajetanus ſuperiùs relatus *numero 97. 98. & 99.*

Ad tertium reſpondetur negando conſequentiam, quia 121
non procedit ſimilitudo à jurepatronatus ad collationem beneficiorum: nam juſpatronatus tranſit vendita villa,
vel Caſtro cum univerſitate bonorum, nec venditur directò, & principaliter, quia ſuper ipſum non cadit venditio, ſed ſuper villam, nec indirectè, & ſecundariò: quia villa non pluris venditur propter juſpatronatus annexum, alioquin eſſet ſimonia, ut *in cap. Ex litteris, & d. cap. Cum ſæculum* cum utrobique notatis per Doctores *de jurepatron.* At ſi venderetur beneficium Eccleſiaſticum, venditio caderet directè ſuper id, quod eſt ſpirituale: quia Prælatus non habet aliter beneficium conferre, niſi quia habet inſtituere miniſtrum ad officium. Et ideò ſi quid venderet, hoc principaliter venderet, & ratione hujus quodcumque annexum temporale. Atque ita caderet venditio directè ſuper id, quod ſpirituale eſt, quod fieri non poteſt ſine vitio ſimoniæ. Et ita ad argumentum contrarium reſpondet Durandus. 122 123

Verùm hæc reſponſio non placet Petro de Palude, quia Prælatus non ſolùm dat ſpirituale, ſed etiam temporale: confert enim Papa eodem contextu Canoniam, quæ eſt jus ſpirituale, & præbendam primò vacaturam, quæ eſt beneficium temporale, ut *in cap. Cùm M. de Conſtitutionibus.* Unde poſſet dicere. Ego confero tibi gratis Canoniam: ſed ſi cùm hac velis habere præbendam, dabis mihi tantum. Unde dimidius Canonicus quoad jus ſpirituale eſt integer Canonicus. Ergo ſi Papa faceret eum integrum Canonicum pro pecunia, venditio caderet ſuper purè corporale. Et cum Paludano ſimpliciter tranſit Turrecrem. in *d. cap. Latorem, nu. 9. verſ. Ad tertiam rationem, 1. q. 1.*

Quinimò ob hanc rationem ſeparationis Cardinal. Jacobat. *de Concilio libr. 4. articul. 4.* relatus à Redoan. *de ſimonia, part. 1. cap. 22. num. 8.* tenet Papam non eſſe ſimoniacum ſi pro pecunia conferat beneficium requirens Ordinis executionem, puta Epiſcopatum, vel beneficium Curatum, ſi non gerat in mente vendere Ordinem: quia pecuniam non videtur recipere pro Ordine, ſed pro beneficio tantùm. Et Papa poteſt ſeparare Ordinis executionem ab ipſo beneficio: nam ubi vult liberat aliquem, ut non teneatur miniſtrare in Ordine requiſito in beneficio, quod habet, & poteſt facere, ut ſerviet per ſubſtitutum, ut ibi per eum. Et videtur ſequi Gundiſal. Villadiego in *tract. de legat. num. 36.* Sed certè Durand. videtur immeritò impugnari, quia præbenda etſi temporalis res ſit: tamen ex debito juris divini eſt neceſſariò connexa cum Clericali officio: & ideò vendito uno, neutrum invenditum derelinquitur, ut *in dict. capitul. Si quis obiecerit, & in cap. ſequen. 1. qu. 3.* & latè probatum eſt ſupra *numero 34. 90. & 106.* Et nihilo-

hilominus idem Petr. de Palude, & Turrecrem. ad quintum argumentum contrarium reſpondet ſecundo loco, acceſſorium ſequi ſuum principale, & non è converſo, ut in reg. *Acceſſorium*. Unde cùm principale eſt in ſe corporale; tunc ſuper ipſo utique cadit venditio, & ſpirituale gratis conſequitur, & ita eſt in jurepatronatus, ut in *dict. cap. Ex litteris, & cap. Cùm ſæculum, de jurepatron.* At verò cùm è converſo ſpirituale eſt principale, & temporale acceſſorium, prout eſt in beneficio, tunc ſicut titulus beneficii debet gratis concedi, & non vendi: ita & acceſſorium. Quapropter cùm de jure divino ſit, ut qui altari ſervit, de altari vivat, ut *in cap. Cum ſecundum, de præbend.* & ex dictis patet: contra jus divinum eſſet, ſi illud quod pro officio dari debet, non daretur niſi pro pecunia. Quod ſi Prælatus de facto ſic diviſim ageret, dicens: *Do tibi gratis Canonicatum, & vendo tibi præbendam*; ageret tum injuſtè, quia ſemel datum venderet: dando enim Canonicatum dat per conſequens præbendam, ut in *cap. Relatum, & cap. Dilectus il primo, de præbend.* tum ſimoniacè, quia non venderet fructus ipſos, ſed jus percipiendi fructus. Ipſum autem jus eſt ſpirituale per eſſentiam, quia eſt idem re quod Canonia, ut dictum eſt, *nu.* 118. Ad hoc *cap. Dilecto eodem tit.* & quod notat Abb. *in cap. Tua nos, in ſecundo notab. de ſimonia.*

Ad quartum reſpondetur negando conſequentiam. Ratio eſt, quia ſecundùm Durandum, & Turrecrem. *locis citatis*, antecedentia ad Sacramenta poſſunt licitè vendi, dummodò pluris non vendantur ratione conſecrationis, quia ſuper illud, quod eſt corporale, cadit directè venditio, ſed officium ſequens ad ſacramentum ſecundùm ſe eſt ſpirituale, & ideò nec ratione temporalis annexi conſequentis vendi poteſt, cùm non transferatur, niſi prius translato officio. Unde oportet venditionem cadere ſuper officium, quod eſt ſpirituale.

Et hinc patet etiam reſponſio ad ſequentem confirmationem: quia quando eſt aliquid partim corporale, & partim ſpirituale poteſt aliquo modo fieri venditio ratione corporalis, ubi vendens directè, & per ſe poteſt illud corporale in alterum transferre, & non mediante ſpirituali, quod non eſt in propoſito.

124 Ad ultimum reſpondetur negando majorem. Ratio, eſt, quia ut, inquit Turrecrem. *in dict. cap. Latorem, numer. 9. verſic. Ad quintam*, poſt Petr. de Palude, ad hoc ut aliquid ſit ſpirituale, ita ut illud vendere ſit ſimoniacum, non requiritur, ut ſit in eo ſpiritualitas, quæ ſit ens reale, naturale, vel ſupernaturale, ſicuti ſunt gratia, & Sacramenta, & hujuſmodi; ſed ſatis eſt, ut ſit in eo ſpiritualitas, quæ ſit relatio rationis, ſicut vendere Calicem conſecratum ratione conſecrationis, quæ in eo nihil reale ponit: & tamen eſt ex ſe ſimoniacum. Similiter

125 cum per omne beneficium Eccleſiaſticum Clericus ordinetur ad divinum cultum, *cap. Cum ad hoc, de Cleric. non reſiden. cap. Cum ſecundum, de præbend.* Concilium Tridentinum, *cap.* 3. *ſeſſ.* 21. ipſum jus Canoniæ proculdubio eſt ſpirituale relatione, ſeu ordinatione ad divinum, cultum, licèt in ſe non habeat rem ſpiritualem. Ad

126 hoc autem ut aliquid ſit ex ſe ſimoniacum, non exigitur ut habeat cauſam ſpiritualem divinam: ſed ſufficit, ut in ſe ſit tale formaliter. Si enim Papa feciſſet Calicem, non propterea Calix plus eſſet conſecratus, quàm ſi faber feciſſet: cùm formaliter ſua ſpiritualitas ſit ex conſecratione. Quamobrem quæ ſunt ex Conſtitutione Eccleſiæ divino cultui annexa, ſicuti ſunt tituli Dignitatum, & beneficiorum quorumcumque, ſunt ex ſe formaliter ſpiritualia, licèt effectivè per Eccleſiam.

Sed clariùs ad hoc argumentum, in quo Canoniſtæ conſtituunt vim totam præſentis diſputationis, quodque, ut Cajetanus ait eſt fundamentum totius erroris, reſpondet idem Cajetanus duobus modis.

Et primò dicitur hoc argumentum peccare, quia aſſumit non cauſam ut cauſam, dependentia enim, quam habent tituli beneficiorum a jure poſitivo, non eſt cauſa venalitatis, ſed negotiatio ſpiritualitatis. Unde ſpiritualia, quæ ex jure poſitivo pendent, venalia non ſunt ut patet de conſecratione ſacrorum Vaſorum, Veſtium, de benedictione nuptiarum, &c. quæ ſunt de jure poſitivo: & tamen vendi non poſſunt. Oportet ergo, ut oppoſitum argumentum procedat, pro fundamento aſſumere, quod titulus beneficii ſit res temporalis, & non quia eſt de jure poſitivo, ut ſecundùm ſe poſſit eſſe materia venditionis.

Deindè aliquid eſſe de jure poſitivo contingit dupliciter. Uno modo quoad ſubſtantiam rei, ut ſunt officia, & adminiſtrationes temporales. Alio modo quoad determinationem tantùm. Prima quia ſunt totaliter ab homine, venalia ſunt, ut notat gloſſ. *in cap. Salvator, in ver. Judicem*, 1. *quæſt.* 3. Alia verò, quia ſecundùm ſubſtantiam eorum ſpiritualia ſunt, & ab Eccleſia tantùm modificationem, & determinationem recipiunt: venalitati repugnant. Rurſus prima poteſt Eccleſia annullare, utpotè totaliter ſua opera. Secunda verò poteſt mutare, & aliter determinare. Undè quamvis in poteſtate Eccleſiæ ſit ſeparare à jure clericali determinationem præbendæ, quam conſtituit, ſi tamen illam ſuſtinet, ex quo ſpiritualis juris determinatio eſt, omninò vendi non poteſt. Quemadmodum in poteſtate Eccleſiæ eſt ſubtrahere conſecrationem Virginum, quam determinavit; ſi tamen ſuſtinet, vendi non poteſt niſi ſimoniacè. Ita Cajetanus in præallegat. *tract. 9. de ſimonia, q. 1. ad fin. opuſc. tom. ſecundi.* 127 128

Demùm fallacia argumenti Canoniſtarum convincitur ex eo quod tituli Patriarchatus, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus ſunt de jure poſitivo, ut eſt textus in *cap. 1. & 2. 22. diſtin. & in cap. Olim*, 95. *diſt.* Dixi *in cap. Quanto, ſupra de translat. Epiſcop.* Et tamen conſtat apud omnes Papam vendere non poſſe titulum Epiſcopatus ſine labe ſimoniæ, ut firmatum eſt ſupra *num.* 31. Igitur non licet arguere. Papa eſt ſupra omne jus poſitivum. Ergo poteſt vendere titulos beneficiales, qui ſunt de jure poſitivo. Sufficit autem dare inſtantiam ad tollendam vim conſequentiæ, ut poſt Ariſt. 8. Topic. notat gloſſ. 2. *in cap. Sicut urgeri*, 1. *q.* 1. & Joan. de Anan. *in cap. Suſcepimus, nu.* 5. *verſ. Facit etiam, de homicid.* 129

Sed rurſus adverſus prædictam concluſionem inſurgit Præpoſitus *in dict. cap. Latorem, nu.* 29. 1. *quæſt.* 1. duobus fundamentis. Primum eſt, quia ſi ſimonia in beneficio eſſet jure divino prohibita, ſicut ſimonia in Ordine: diverſimodè non punirentur. Quod tamen eſt falſum, ut notatur *in cap. Presbyter*, 1. *quæſt.* 1. *& in §. Verùm, & in §. Ad hæc*, 32. *diſtinct.* Item non fieret tanta diſtinctio ſuper diſpenſatione, ut cum ſimoniaco in Ordine non diſpenſetur: in ſimoniaco autem in beneficio in multis caſibus diſpenſari poſſit, ut patet in *cap. Quicumque, in cap. Eos, in princ. & in cap. Præſentium*, 1. *qu.* 5. 130

Sed certè hoc primum fundamentum eſt valdè infirmum: quia in peccatis etiam ejuſdem ſpeciei jure divino prohibitis ſunt gradus, & unum eſt gravius altero. Ideòque pro modo culpæ ab Eccleſia ſtatuuntur pœnæ, & conceduntur diſpenſationes. Sicut homicidium ex inſidiis gràvius, eſt homicidio in pura rixa, vel ad defenſam. Ideòque primum gravius punitur, & ſuper eo non diſpenſatur: cùm tamen diſpenſari ſoleat in ſecundo, *cap. 1. infrà, de homicid. cap. 1. eodem tit. lib. 6. cap. Miror*, 50. *diſtin.* & patet in decreto Concilii Tridentini *cap.* 7. *ſeſſ.* 14. Et nihilominus utrumque eſt divina lege prohibitum, ut in Decalogo, *Non occides*. Et idem patet in aliis criminibus jure divino prohibitis, quæ ex variis circumſtantiis gravius, vel mitius puniuntur juxta textum in *l. Aut facta, ff. de pœnis*, & fusè explicat Henric. Boich. *in cap. In Archiepiſcopatu, colum. 2. verſ. Et in hac cauſa conſideratione, infr. de raptor.* & fuſius Marian. Soccin. *in cap. Licet, à nu. 22. de pœnis.* 131

Præterea Concilium Chalcedonenſe ſimili pœna condemnat eos qui Eccleſiaſtica beneficia interventu pecuniæ acquirunt, ac eos, qui ſacram manus impoſitionem, per quam Spiritus ſanctus confertur, mercari dignoſcuntur. Quæ ſunt formalia verba textus *in cap. Ex multis*, 1. *quæſt.* 3. Atque ita argumentum Præpoſ. in oppoſitum retorquetur. 132

Alterum fundamentum eſt quia Inſtitutio beneficiorum eſt de jure poſitivo. Sed ad hoc ſatis, ſuperque reſponſum eſt ſupra *num.* 125. *& ſeqq.* Et quod Præpoſitus ſubjicit neque legem Veteris, neque novi Teſtamenti potuiſſe de his titulis cogitare, cùm nondum eſſent inſtituti,

tuti,

tuti, ridiculum eſt quia utriuſque Teſtamenti Author eſt Deus, cui nihil eſt abſconditum, ſed omnia manifeſta ſunt
133 etiam antequam fiant, *c. Deus omnipotens*, 2.q.1. Futurum enim, & præteritum non eſt in Deo: quia quidquid eſt in eo totum eſt in præſenti æternitatis, ut docet S. Thom. *in quæſtionibus diſputatis de potentia Dei*, *quæſt.* 1. *art.* 5. *ad ſecundum*. Imò redemptorem noſtrum de hoc cogitaſſe, ſatis convincitur *ex d.cap. Ex multis*, ubi Summus Pontifex, qui authoritatem habet Evangelium declarandi dicit per nummularios, quorum fit mentio, *Matth.* 10. denotari venditores Eccleſiaſtici beneficii, qui *Domum Dei*, Evangelio teſte, *ſpeluncam latronum faciunt*.

Demum etſi daremus legem veteram, aut Evangelium de his titulis non cogitaſſe; ſatis eſt tamen ut damnaverit in genere venditionem ſpiritualium: nam ſub hoc genere comprehenduntur etiam beneficia Eccleſiaſtica, quę utique ſpiritualia ſunt, ut in Superioribus monſtratum eſt.

134 Nec videtur ſubſiſtere media opinio, quam Præpoſitus excogitavit *in eod. cap. Latorem*, *nu.* 33. diſtinguendo an beneficium habens certum Ordinem annexum: puta Presbyteratum conferatur pro pecunia non habenti illum Ordinem; an verò conferatur talem Ordinem habenti, ut primo caſu ſit Simonia jure divino prohibita. In ſecundo autem ſit Simonia de jure poſitivo tantùm.

135 Hæc inquam diſtinctio non videtur ſubſiſtere; quandoquidem jam promotus ad Ordinem, quem requirit beneficium, licèt per aſſequutionem beneficii non adſtringatur ad novum Ordinem ſuſcipiendum, adſtringitur tamen ad illius executionem in loco, cùm omnes obtinentes beneficia, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet ut alii Miſſas, alii Evangelium, alii Epiſtolas dicant, ſeu cantent, teneantur, & cogendi ſint ab Epiſcopo in diebus ſtatutis dictos Ordines per ſeipſos exercere, ac cætera omnia officia, quę debent, in cultu divino præſtare, ut in Clem. *Ut ii, de ætat. & qualit.* innovata, & ampliata à Conc. Trid. *c.* 4. *ſeſſ.* 22. Atque ita in venditione cujuslibet beneficii Eccleſiaſtici neceſſariò venditur executio Ordinis, aut ſaltem officium Clericale, quod ex ſui natura ſpirituale eſt, & invendibile, *ut ex dictis conſtat*. Et ita ſupradictam diſtinctionem refellit, licèt multum ſuccinctè, Thom. Campeg. in præcitato tractatu. An Papa labem ſimoniæ incurrere poſſit, *n.* 13.

Poſtremò ad authoritatem Canoniſtarum reſponderi
136 poteſt pauciſſimos eſſe ex antiquis, & celebrioribus, qui affirment vendere titulum beneficii Eccleſiaſtici eſſe prohibitum de jure poſitivo tantùm, adeò ut Abbas *in dict. cap. Extirpandæ*, *num.* 53. *de præb.* dicat ſe non reperiſſe hanc quæſtionem per aliquem tractam, niſi per Cardin. *in cap.* 1. *de Simonia*: omnes enim affirmant Papam non involui crimine Simoniæ in his, quæ ſunt Simoniaca quia prohibita, & nullus eorum excepto Cardinali, *ubi ſup.* Hoſtienſ. *in c. Ex parte il primo*, *n.* 4. *verſ. Quædam vero*, *de offic. deleg.* & Henrico Boich. *in cap.* 1. *Ne Prælati vices ſuas*, exemplificat in venditione beneficii Eccleſiaſtici. Et Cajetanus *tom.* 2. *opuſc. in tract.* 9. *de Simonia q.* 1. in hoc haud fideliter refert Ant. de Butr. & Joan. de Imol. *in c. Ex parte, il primo, de off. deleg.* Non enim dicunt vendere titulum beneficii eſſe prohibitum de jure poſitivo, prout illos refert Cajetanus, ſed ſimpliciter diſtinguunt cum gloſſa quędam eſſe prohibita quia Simoniaca, quędam verò Simoniaca quia prohibita. Imò Butr. *n.* 10. declarans quæ ſint Simoniaca quia prohibita, utitur exemplo gloſſę, videlicet paſtum, vel paſtillum dare poſt receptionem in Canonicum, quaſi innuens per hoc aliud eſſe, ſi daretur in actu ipſius receptionis. Similiter DD. citati ſupra, *n.* 63. qui dicunt in Curia Romana non committi Simoniam, excepto Henric. Boich. *ubi ſupra*, non exemplificant in venditione beneficii Eccleſiaſtici; ſed generaliter in Simoniacis, quia prohibitis, ut in permutationibus, & conſimilibus juxta terminos *d. c. Ex parte*, *il* 1. *de off. deleg.* & hujus Decretalis. Unde non video quomodo Prępoſ. *in d.c. Latorem n.* 29. & quidam alii recentiores atteſtari potuerint hanc eſſe communem opinionem, cùm eam ex Claſſicis Canoniſtis nullus tangat præter Hoſtienſem, Henricum, & Cardin. qui etiam tranſeunt ſicco, ut ajunt, pede, nec punctum ex profeſſo examinant. Imò Hoſt. & Henr. uno tantùm verbo obiter hoc tetigerunt. Et nihilominus etſi hæc ſententia eſſet communis Canoniſtarum, tamen illi opponitur communis ſententia Theologorum. Quare arbitror concludendum Sum-

mam Pont. ſentiete non poſſe titulum cujuslibet beneficii Eccleſiaſtici abſque vitio Simoniæ, quæ tamen omnia determinationi Sanctæ Matris Eccleſiæ humiliter ſubjicio.

Quoad tertium articulum Abbas *in cap. Extirpandæ*, §. 137
Qui vero n. 55. *&* 98. *de præben.* concludit in Hoſpitalibus, & aliis beneficiis, quorum executio concernit temporalia tantùm Papam non committere Simoniam recipiẽdo quid temporale. *Quia*, inquit, *hoc eſt vendere domum Dei*, *ſed dicitur prohibitum ab Eccleſia*. Et in hoc putat poſſe procedere ſimilitudinem legis *Juliæ de ambitu*, quæ locum non habet in Romana Curia. Et hoc ideò, quia ipſe Princeps hoc prohibuit. Secus autem ſi prohibuiſſet Deus. Subdit tamen utroque caſu Papam debere abſtinere, & malè facere ſi non abſtinet. Licèt hoc ultimo caſu non dicatur Simoniam propriè committere: nam Papa non poteſt facere id, per quod denigratur, ſeu decoloratur ſtatus Eccleſiæ, *c. Et ſi illa*, 1.q.7. facit quod notatur *in c. Et ſi Chriſtus*, *de jurejur.* De hoc in Specul, *in tit. de legat.* §. *Nunc breviter*, ubi ponit caſus in quibus Papæ prohibitum eſt diſpenſare, & inter cæteros prohibitos connumerat ſupradictum. Sequitur Redoan. *de Simonia p.*1.*c.*22.*n.*6.

Ego verò in hoc articulo ſic arbitror diſtinguendum. 138
Aut Hoſpitalia conferuntur in titulum perpetui beneficii juxta terminos Clem. *Quia contingit*, §. *Ut autem*, *de Relig. domib.* Aut conceduntur in adminiſtrationem. Primò caſu arbitror vendere titulum Hoſpitalis eſſe prohibitum, quia Simoniacum. Patet quia hujuſmodi Hoſpitalia in titulum collata, eò quod in eorum fũdatione ita cautum ſit, aut per electionem de illorum Rectoribus provideatur, verè, & propriè ſunt beneficia Eccleſiaſtica, nec conferri poſſunt niſi Clericis, *ut eſt expreſſum in d.* §. *Ut autem*, habentque jura ſpiritualia, ut in Clem. *Per litt. de præb.* & conſequenter cum habeant officium Clericale annexum, non poſſunt eſ- 139
ſe materia venalitatis, ut abundè probatum eſt ſuprà, *n.* 96. & in hoc puto ſupplendam diſtinctionem Abbatis, qui prætermiſit Clericatum, prout eam ſupplet Cajetanus ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſup. *n.* 99. In ſecundo autem caſu exiſtimo veram eſſe Abbatis doctrinam, ita ut recipere pecuniam pro hujſumodi adminiſtrationibus, & officiis temporalibus non ſit ex ſe Simoniacum. Idque ſive adminiſtrationes hujuſmodi ſint temporales inſtar Tutorum, & Curatorum, *ut d.* §. *Ut autem*, *verſ. Illi etiam*, vel Præſidentium Civitati Romanæ, *ut in c. Fundamenta*, *de elect. lib.* 6. Aut Præſidentium aliis Civitatibus, vel Univerſitatibus, de quibus per Hoſt. & Jo. And. *in c. fin. de judic.* ſive ſint perpetuæ; nam hodie, ſicut olim, inſtituuntur Rectores perpetuò in locis talibus, ut dicit gl. *in d.* §. *Ut autem in ver. Committitur*. Et eſt ratio quia hujuſmodi adminiſtrationes, & officia poſſunt committi etiam laicis, ut probatur in eodem §. *Ut autem*, nam poſteaquam textus prohibuit Hoſpitalia conferri Clericis ad titulum beneficii, immediatè ſubdit, *ſed eorum gubernatio viris providis, & idoneis, & boni teſtimonii committatur*. Unde nec perſonæ, nec adminiſtratione hujuſmodi ſunt per ſe ſacræ. Neque Eccleſia eas facit ſacras, & ideò talia vendere non eſt jure divino, aut naturali prohibitum, ſed tantùm ex conſtitutione Eccleſiæ. Et ita in effectu poſt Hugon. tenet gl. *in c. Salvator*, *in ver. Judicem*, 1.q.3. Præp. *in c. Latorem*, *n.* 30. *verſ. Alioquin ſequeretur*, 1. q. 1. & dixi ſuprà *in* 1. *q. n.* 21.

Quartò QUÆRO, utrum annatæ in Romana Curia 140
licitè exigantur, & ſine labe Simoniæ.

Ex eò quod in præcedentibus quæſtionibus firmatum ſit accipere pecuniam pro collatione beneficii Eccleſiaſtici eſſe prohibitum quia Simoniacum, adeò ut hoc vitium nec ſupremæ Sedis purget auctoritas; exiſtimare quiſpiam poterit annatas in Curia Romana exigi non poſſe à proviſis abſque Simoniaca pravitate. Sed profectò longè diverſa eſt cauſa annatarum; quoniam illarum exactio nullatenus fit pro ipſa collatione, ſeu proviſione, ſed pro fructibus primi anni beneficiorum vacantium, qui pro dimidia ſpectant ad Sedem Apoſtolicam ex juſtiſſimo titulo reſervationis, quam Romani Pontifices pro tanti officii, laboris, & dignitatis ſuſtentatione ſibi fecerunt à tempore, cujus initii non extat memoria. Idque non tàm lege poſitiva Eccleſiæ, quàm jure divino, & naturali. Unde ſolutioni annatæ, quam exigit Camera Apoſtolica non pro ullo jure ſpirituali, aut ſpiritualibus annexo, ſed pro fructibus merè temporalibus ad ſe legitimè perti-

Tt nen-

nentibus, nefas eſt ullam ſimoniæ, aut turpis lucri notam ingerere, ut ſcripſi latiſſimè *in cap.* 1. *infr. Ne Præl. vic. ſuas, à num.* 6. *uſque ad num.* 98. ubi de annatarum origine, natura, & juſtitia copioſè diſſervi adverſus aliquot Scriptores tam hæreticos, quàm Catholicos, qui in illas invehunt, ubi etiam reſpondi ad decretum Concilii Baſileen. *ſeſſ.* 21. & ad pragmaticam ſanctionem *in tit. De annatis* cum ſua temeraria, & ſacrilega gloſsa *in ver. Annatarum* ibi videas.

141 Quintò, & ultimò QUÆRO juxta ordinem initio propoſitum, an dantes pecuniam Papæ pro collatione beneficii ſint ſimoniaci.

Et quidem in illis caſibus, in quibus etiam Papæ poteſt involui crimine ſimoniæ ſecundùm ea quæ dicta ſunt *in* 3, *quæſt num.* 53. extra dubium eſt eodem vitio involui ſolventes pecuniam pro beneficii collatione. In aliis verò, in quibus Papa ſimoniam non committit, eò quòd ſint ſimoniaca quia prohibita, Abb. *in præalleg. cap. Extirpandæ*, §. *Qui verò num.* 57. *de præben.* poſt Specul. *in tit. de legat.* §. *Nunc breviter*, putat nihilominùs eum, qui dedit pecuniam Papæ, non eſse tutum quoad Deum, & ligari Conſtitutione Papali contra ſimoniacos promulgata, licèt ipſe

142 Papa ſua Conſtitutione non ligetur. Nec mirum eſse ut unus ligetur, & alter non; quia hoc contingit propter diverſas perſonarum qualitates, nam Papa idcircò non ligatur, quia nemo poteſt ligari à ſeipſo, cum nec ſeipſum poſſit abſolvere, *ut in cap. final. de Pœnitent. & remiſſ.* Diſcretio enim perſonarum eſse debet inter agentem, & patientem, cùm ſint correlativa, quæ in eodem ſubjecto eſse non poſsunt, *ut in c. fin. de inſtitut. in c. Debitum, de*

143 *bigam. & in c. Per veſtras de jurepatr.* At ſubdito nihil obſtat quominùs ligetur, cùm conſtitutio prohibens remaneat firma, nec fuerit ſublata per habentem poteſtatem illa vice diſpenſandi. Sic etiam videmus multoties in facto inſeparabili unum peccare, & puniri, & alium non, *ut in c.*

144 *in lectum*, 34. *quæſt.* 1. Exemplum ponit Jo. Andr. *in reg. Cui licèt, in Mercur. lib.* 6. ubi format quæſtionem in his terminis, videlicet, Statuto Epiſcopi cavetur ut ludentes ad hazardum ſint ipſo jure excommunicati. Ludit Epiſcopus ſtatuti Conditor cum Titio, quæritur an uterque in excommunicationem inciderit. Et poſt multa determinat Epiſcopum non incidiſse, ſed Titium dumtaxat, quia Epiſcopus ſua Conſtitutione adſtringi non potuit. Ita ergo in propoſito, tametſi Papa, qui ex pacto pecuniam recipit, ſimoniam non committit in his, quæ ſunt prohibita de jure poſitivo tantùm; nihilominùs pecuniam dantes à ſimoniæ labe non ſunt immunes.

Sed certè Abbas videtur falli, quia Papa dum facit actum 145
prohibitum: ſuper quo poteſtatem habet diſpenſandi cum inhabili, intelligitur tacitè diſpenſare, *l. Idem Vulpianus, ff. de excuſ. tutor. l. Quidam conſulebat, ff. de re judic. l. Imperialis, verſ. Sed ſi talis, Cod. de nupt.* Oldrad. *conſ.* 31. *nu.* 4. Et ad hoc accedit Calder. *conſ.* 31. *n.* 3. *verſ. Item quæritur, alias* 8. *de reſcript.* Bald. *conſ.* 446. *Recolo me conſuluiſse nu.* 7. *verſ. Præterea quando Princeps lib.* 5. Innoc. & communiter DD. *in cap. Diverſis fallaciis, inf. de Cler. conjug.* Et hanc eſſe magis communem opinionem teſtatur Natta *conſ.* 402. *n.* 9.

Non ergo procedit quod dicit Abbas dantem pecuniam 146
Papæ pro collatione beneficii Simoniam committere, licèt Papam illam non committat, eo quod Conſtitutio prohibitiva non ſit ſuſpenſa. Imò enim Papa gerendo actum, ſatis cenſetur illam ſuſpendiſse, & cum contrahente ſecum diſpenſaſse, cùm hæc ſit natura correlativorum, ut conceſſio uno cenſeatur conceſsum & aliud, *l. fin. C. de indict. viduit. tollen.* Gemin. *in c. Eos, de tempor. ordin. lib.* 6. Felin. in terminis *in c.* 1. *n.* 2. *verſ. In quantum Abbas, de Simonia*. Unde quemadmodum Conſtitutio non aſtringit Papam illius conditorem; ita nec contrahentem cum ipſo. Nec 147
urget ſimile de Epiſcopo; quia inferior à Papa faciendo actum contrarium non cenſetur tacitè diſpenſare ſicut Papa, ut notat Innoc. *in d. c. Diverſis, & in c. Veniens*, & ibi etiam Doctores, *de fil. Presbyter.* Unde meritò Abbatis diſcrimen inter Papam, & Subditum refellit Præpoſitus *in c. Latorem, n.* 2. *ver. Mihi videtur quod Panormitanus fallatur*, 1. *q.* 1. & Felin. *loc. cit.*

DE PACTIS.

Idem Alexander III. Archiepiſcopo Eboracen.

CAPUT V.

ACcepimus quòd quædam Eccleſiæ Clericis ſint tali tenore conceſſæ, quòd poſt eorum obitum, alii nominatim ſuccedant. Verùm quoniam hoc iniquum eſt, & ſacris Canonibus inimicum, & ideò non debet aliquatenus tolerari. Mandamus quatenus hujuſmodi ſucceſſiones tam deteſtabiles, & iniquas appellatione ceſſante prohibeas, & omninò frivolas & inanes eſſe decernas.

SUMMARIUM.

1 *Pactum de ſuccedendo poſt mortem Prælati in ipſius Eccleſia non valet, & n.* 12. *&* 14.

2 *Dignitas Eccleſiaſtica non acquiritur ſucceſſione, ſeu jure hæreditario, ſed Canonica inſtitutione.*

3 *Pactum futuræ ſucceſſionis in beneficiis Eccleſiaſticis votum captandæ mortis inducit.*

4 *Educari non debet apud ſubſtitutum ex fideicommiſso is, cui per obitum ſuccedendum eſt.*

5 *Pactum de hæreditate viventis valet, dummodò ille conſenſerit, & in conſenſu uſque ad mortem perſeveraverit.*

6 *Pactum de ſuccedendo in beneficio non ſuſtinetur ex conſenſu beneficiati.*

7 *Succeſſio in beneficio viventis à jure improbatur in vacatione per obitum dumtaxat, non autem per matrimonium, per ingreſsum Religionis, aut per alios modos vacationis.*

8 *Pactum initum tempore prohibito non valet, licèt ejus effectus conferatur in tempus permiſsum.*

9 *Citatio, quæ fit die feriato pro non feriato non tenet.*

10 *Actus confirmari non poteſt ſi adſit inhabilitas perſonæ à principio.*

11 *Hæres poteſt inſtitui in tempus cum capere poterit.*

12 *Principium an ſit ſpectandum, vel finis.*

13 *Succeſſio Eccleſiæ Dei eſt deteſtabilis, & Canonibus inimica.*

14 *Beneficium non poteſt alicui conferri ab Epiſcopo cum pacto, ut ei poſt mortem alius ſuccedat.*

15 *Prælatus non poteſt ſibi eligere Succeſſorem niſi cum authoritate Romani Pontificis.*

16 *Papa an poſſit ſibi Succeſſorem ſubſtituere, & nu. ſeq. uſque in fin.*

17 *Referuntur authores, & fundamenta pro opinione affirmativa, & n. ſeqq. uſq. ad n.* 29.

18 *Chriſti omnis actio noſtra eſt inſtructio.*
Declaratur, n. 55.

19 *Petrus Clementē ſibi Succeſsorē inſtituit, & n.* 57. *& ſeqq.*

20 *Clementis Epiſtola* 1. *de ejus ſubſtitutione in Papatu refertur illius fides expenditur, n.* 59.

21 *Bonifacius II. in Concilio Romano Vigilium ſibi ſucceſſorem inſtituit.*
Sed factum illud in Synodo iterùm congregata fuit ab omnibus reprobatum, n. 60.

22 *Pontifices plures referūtur, qui ſucceſsores ſibi elegerunt.*
Contrarium, n. 33.
Declaratur, n. 61.

Papa

23 *Papa ante tranſitum ſuum poteſt cum fratribus de ſucceſſore decernere, ac deliberare.*
Declaratur, n. 62.
24 *Papa poteſt ex ſpeciali gratia indulgere Epiſcopo, ut in mortis articulo ſibi ſucceſſorem deſignet, & n. 63.*
25 *Adrianus I. Carolo Magno, & Leo VIII. Othoni I. dederunt poteſtatem eligendi, ſeu confirmandi Romanum Pontificem.*
Contrarium n. 64.
Declaratur, n. 65.
26 *Papa poteſt Conſtitutiones facere ſuper electione Succeſſoris.*
Declaratur, n. 67.
27 *Papa non prohibetur ſibi ſucceſſorem eligere niſi de jure Canonico.*
Contrarium, n. 38. & ſeqq.
28 *Papa non ligatur Conſtitutionibus Prædeceſſorum etiam in generali Concilio editis.*
29 *Referuntur Authores, & fundamenta opinionis negativæ.*
30 *Paulus III. perſuaſus à Cardinali S. Marci ut ſibi ſucceſſorem eligeret, omninò reſpuit.*
31 *Conſtitutio à Papa, vel à Collegio Cardinalium validè fieri non poteſt, ut Romanus Pontifex poſſit ſibi ſucceſſorem inſtituere.*
32 *Papa non poteſt immutare ſtatum Eccleſiæ.*
34 *Tempore inhabili, vel habili aliud gerere paria ſunt ſi effectus conferatur in tempus inhabile.*
35 *Potentia ejus eſt, cujus eſt actus.*
36 *Papæ poteſtati repugnat poteſtas electiva Papæ.*
37 *Papa, & Epiſcopus ſe habent ad Eccleſiam ſicut vir ad uxorem ſuam.*
38 *Papa prohibetur ſibi inſtituere ſucceſſorem jure nedum Canonico, ſed etiam divino, & naturali, & n. ſeq. uſque ad n. 54.*
39 *Principis Summi inſtitutionem ſibi Deus reſervavit.*
40 *In electione Papæ quanta ſit virtus Spiritus ſancti.*
41 *Sanctuarium Dei jure hæreditario poſſideri non poteſt.*
42 *Petro per illa verba,* Paſce oves meas, *non fuit collata poteſtas ſibi ſucceſſorem inſtituendi.*
43 *Vicarius non poteſt ſuam poteſtatem alteri comittere.*
44 *Poteſtatis defectus in agente ſemper reddit actum ipſo jure nullum.*
45 *Redditus Eccleſiarum dare conſanguineis cur gravius ſit peccatum, quàm dare extraneis.*
46 *Cæci ſunt Epiſcopi erga nepotes.*
47 *Prælationem alicui conferre quia eſt conſanguineus, eſt acceptio perſonæ, quæ opponitur juſtitiæ diſtributivæ.*
38 *Principem oportet eſſe optimum, & perfectum virtute.*
Papa qualis eligendus.
50 *Exceptio ætatis, dummodò adſit rationis uſus, contra electum à duabus partibus, Cardinalium non admittitur.*
51 *Quæſtio de ambagibus, & ineptiis fieri non debet.*
52 *Cardinalium Collegium eſt honorabilius Eccleſiæ membrum.*
Cardinalium Collegium jure eligendi Romanum Pontificem privari non poteſt ibid. & n. ſeq.
53 *Error ſtultus Joannis VVicleff.*
54 *Petrus miniſterialiter etiam ab Apoſtolis electus fuit.*
56 *Pontificalis authoritas non à quolibet, ſed à Deo inſtituta eſt.*
57 *Petri factum ſibi Clementem ſucceſſorem ſubſtituentis non eſt trahendum ad conſequentiam.*
58 *Clemens à Petro electus renuntiavit Papatui, & cur.*
61 *Pontificum nullus præter Beatum Petrum, & Bonifacium II. ſibi ſucceſſorem ſubſtituit, ſed tantùm deſignavit.*
63 *Aliis multa indulgemus, quæ nobis indulgere non poſſumus.*
64 *Cap. Adrianus, & cap. In Synodo, 63. diſtin. authoritas, & fides expenditur.*
65 *Papa non poteſt alteri tribuere facultatem eligendi Romanum Pontificem.*
66 *Nemo poteſt per alium facere quod per ſeipſum facere non poteſt.*
60 *Leg[illegible]æ feruntur ab Eccleſia etiam de his, quæ lege divina damnantur.*
69 *Paſtore aliquandiu carere minus malum eſt, quàm diſculum, ſtultum, & malum habere.*

ACcepimus. Non valet pactum de ſuccédendo poſt mortem Prælati in ipſius Eccleſia. Hoc dicit. Prima pars narrat exceſſum, quem ſecunda præcipit corrigi, ibi, *Verum*. 1

Nota primò, pactum futuræ ſucceſſionis in beneficiis Eccleſiaſticis non valere, ut hìc eſt caſus ſecundùm Joan. Andr. Bald. Bellam. Card. & omnes. Exemplificat Petrus de Sampſone in Eccleſia ære alieno gravata, quam ſe non locuples volebat recipere exonerandam, eo tamen pacto ut nepos in illa ſibi ſuccedere: & ſequitur Joann. Andr. *num.* 1. *in ver. Alii*, Bellam. *in princ. in eod. ver.* & Butr. *num.* 1. Quod duplicem habet rationem. Prima ratio eſt, quia Eccleſiaſtica dignitas non acquiritur ſucceſſione, ſeu jure hæreditario, ſed Canonica inſtitutione, *c. Apoſtolica*, 8. *quæſt.* 1. *& c. Ad extirpandos, ſupra de fil. Presbyt.* & hìc notant Butr. *in* 2. *notab.* & Imol. *num.* 1. Altera ratio eſt, quia hujuſmodi pactum inducit votum captandæ mortis, *ut l. De fideicommiſſo, C. de tranſact. & l. fin. C. de pact.* ubi dicitur: omnes hujuſmodi pactiones odioſæ eſſe videntur, & plenè triſtiſſimi, & periculoſi eventus, *c. Nulla infrà de conceſs. præben.* ibi, *ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium ſe crediderit ſuccesſurum, cap. Deteſtanda, eod. tit. lib. 6.* ibi, *alienæ mortis votum ingeritur, & Eccleſiis, & prælatis, ac perſonis Eccleſiaſticis gravamina plurima inferuntur, & cap. Ne captandæ, eod. tit. & libr.* Nefas autem eſt alicujus mortem ſperare, *l. Inter ſtipulantem, §. Sacram, ff. De verb. oblig. l. [illegible]ater Severinam, §. Socius, ff. de condit. & demonſtr.* ubi dicit gl. Mulieres multum gaudere de morte maritorum, Bald. *hìc n.* 2. & ob hanc rationem leges civiles ſanxerunt, ut quamvis poſſit quis habere ſpem ſuccedendi ex fideicommiſſo eo quod illa non ſit hæreditas viventis, ſed defuncti, *ut c. Raynutius, inf. de teſtam.* tamen apud ſubſtitutum morari non debeat is, cui per obitum ſuccedendum eſt, *ut l. ult. C. ubi pupill. educar. deb.* & hìc notat Petr. de Anch. *n.* 2. *verſ. Ex fideicommiſſo.* Non obſtat quod valeat pactum de hæreditate viventis, dummodò ille conſenſerit, & in conſenſu uſque ad mortem perſeveraverit, *ut l. fin. C. De pact.* Quoniam reſpondetur ſpeciale eſſe in beneficiis Eccleſiaſticis, ut quoad hoc cõſenſus beneficiati nihil operetur. Et eſt ratio ſpecialitatis, quia non ſpectat ad eum dare ſucceſſorem in beneficio, *d. c. Deteſtanda de conceſs. præb. lib.* 6. & notat gl. *in d. c. Nulla, in ver. Condemnare, inf. eod. tit.* Jo. Andr. *hìc n.* 1. Bellam. *in princ. in* 1. *oppoſ.* Butr. *n.* 6. & Card. *n.* 2. *in* 1. *oppoſ.* 2 3 4 5 6

Porrò cùm hæc ratio captandæ mortis alienæ in hac materia ſucceſſionis in beneficiis Eccleſiaſticis ſit præcipua, ex hoc notabliter infero ut ſucceſſio hujuſmodi à ſacris Canonibus non improbetur niſi in vacatione per obitum ejus, cui ſucceditur in beneficio. Secus ſi vacatio contingat per alium caſum, quàm mortis, puta per contractum matrimonii, per promotionem, vel aſſecutionem incompatibilis, aut per ingreſsum religionis, quia in his caſibus Papa poteſt facere prout quotidiè facit gratias de beneficiis viventium, cùm eſset ratio ante dicta, ut ex ſtylo Cancellariæ excipitur in litteris caſus vacationis per mortem. Ita poſt Collectar. notat hìc Bellam. *n.* 4. *in* 4. *q.* 7

Secundò nota ex hac Decretali ſecundùm Petr. de Anchar. *in* 1. *notab.* & Joan. de Anan. *num.* 1. pactum initum tempore prohibito non valere, licèt ejus effectus conferatur in tempus permiſſum, inſtar citationis, quæ fit die feriato pro non feriato, quæ ſimiliter non valet, ut notat Bart. & Doctores *in l.* 1. *§. Nunciatio, ff. de nov. oper. nunc.* Canoniſtæ *in cap. fin. infrà de fer.* & eſt opinio vera, & communis, ut per Lanfranc. de Oriano *in repet. cap. Quoniam contra, §. Citationis, verſ. Tandem quæritur, de prob.* Similis regula habetur *in l. Si minor, ff. de ſerv. export.* ubi actus confirmari non poteſt ſi adſit inhabilitas perſonæ à principio, licèt conferatur in tempus permiſſum, & ita ibi eſt caſus ſecundùm Bald. Sed contraria regula habetur *in l. In tempus, ff. de hæred. inſtit.* ubi patet poſse inſtitui hæredem in tempus cum capere poterit. Materia eſt brochardica, ſed dici poteſt in caſu hujus cap. Canonem reſi- 8 9 10 11 12

Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.   T t 2   ſtere

ſtere à principio ex juxta cauſa ut videtur votum captandæ mortis, & ideò pactum non ſubſiſtere licèt effectus confeſratur in tempus, habile, ſecundùm Anchar. & Joann. de Anan. *locis citatis*. Vel dic in ultimis voluntatibus, quæ morte confirmantur, finem eſſe attendendum, & ita procedit textus *in d. l. In tempus*. In pactis verò, & ubi agitur de viribus contractus, ſpectandum eſſe initium, *ut in d. l. Si minor*, & ita declarat Henric. Boich. *in cap. Dudum, il primo nu.* 14. *verſ. Si quæratur, de viribus relictorum, & nu.* 21. *verſ. Si de viribus contractus, ſuprà de elect.* & ibi plenè videas de hoc brocardo, utrum initium ſit ſpectandum, an non? ubi materiam, *à num.* 7. ferè per novem columnas luculenter examinat. Plura etiam in propoſito cumulat Everard. *in ſua Centuria legali, in loco, à virtute, finis*; & adde Abb. *in c. De uxore n.* 2. *&* 4. *inf. de ſepultur.*

13 Tertiò nota ſucceſſionem in Eccleſia Dei non eſſe aliquatenus tolerandam, quia eſt iniqua, deteſtabilis, & ſacris Canonibus inimica, ut dicitur in textu. Canones autem eam improbantes allegantur hìc in gl. ult. *Non obſtat, cap. Petiiſti*, 7. *q.* 1. quia ibi fuit ſpecialis indulgentia Papæ, ut hìc notat Hoſt. *num.* 2. *in ver. Omninò frivolas*, Bellam. *in princ. verſ. Non obſtat*, Butr. *n.* 8. & Jo. Andr. *in fin.* dicens idem tenere Goffred. Tancred, & Hoſtien. *in c. Conſtitutus, infrà de conceſſ. præb.* & eodem modo reſpondet Hoſt. *hìc num.* 2. *ad Conſtitutus, infr. eod. tit.* Vel dic melius illum textum non obſtare, quia loquitur de poteſtate conferendi primum vacaturum, & hìc verò de pacto ſuccedendi, ſecundùm Anton. de Butr. *num.* 8. *verſ. Oppono ad idem*, & Card. *num.* 2. *in* 2. *oppoſit.* Verbaliter ſolve, ut hìc per Card.

14 Ultimò nota Epiſcopum non poſſe Eccleſiam aliqui conferre cum pacto, ut ei poſt mortem alius ſuccedat Butr. *hìc in* 4. *notab.* Quod ſecundùm Abbatem facit ad quæſtio-

15 nem, numquid Prælatus poſſit ſibi eligere ſucceſſorem, & concluditur non poſſe, *cap. Epiſcopo non, ac ferè per tot.* 8. *quæſt.* 1. niſi cum authoritate Papæ, ut probat text. *in d. cap. Petiiſti*, 7. *quæſt.* 1. ubi hæc facultas ſucceſſorem ſibi eligendi in mortis articulo tribuitur à Papa Archiepiſcopo Moguntino ex ſpeciali gratia: ſed de intellectu illius textus vide, quod ſcripſi *in c. Nulla num.* 48. *&* 49. *&* 78. *inf. de conceſſ. præb.*

16 QUÆRO, An Papa poſſit ſibi ſucceſſorem ſubſtituere.

17 In partem affirmativam inclinat Petrus Epiſcopus Brixien. *in ſuo magno Repertorio in ver. Papa*, ubi relata opinione gloſſæ *in cap. Apoſtolica*, 8. *quæſt.* 1. ſentientis Papam non poſſe ſibi eligere ſucceſſorem: fortè, inquit, hoc non eſt verum, quia hoc tantùm videtur prohibitum de jure poſitivo, contra quod Papa poteſt diſpenſare, ſed tandem cogitandum relinquit. Hanc tamen opinionem ſuſtineri poſſe in via diſputativa, & de poteſtate abſoluta, firmat Dec. *in c. Licèt de vitanda, num.* 8. *verſ. Sed tamen diſputativè, ſuprà de elect.* & ex Theologis eam ſequuntur Victor. *in relect. de poteſt. Eccleſ. q.* 2. *nu.* 23. Martin. Ledeſm. 2. 4. q. 20. *concluſ.* 2. *cum duab. ſeqq. pag.* 313. Suar. *de fide tract.* 1. *ſect.* 4. *num.* 16. & Gabr. Vaſq. *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 244. *c.* 3. *à n.* 2.

18 Pro qua affertur primò exemplum Chriſti Domini, qui ſuo arbitrio Petrum ſibi ſucceſſorem inſtituit cum poſt reſurrectionem dixit ei Jo. 21. *Paſce oves meas, cap. Significaſti*, & ibi gloſſ. *in ver. Paſce*, Abb. & Dec. ambo *in* 3. *notab. ſuprà de elect.* Ergo idipſum licebit Romanis Pontificibus, qui vices Chriſti gerunt, *c. Ad Apoſtolicæ §. Nos itaque de re judic. lib.* 6. quia omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio, *d. c. Significaſti*. Quo argumento utitur Dec. *in d. c. Licet, n.* 7.

19 Secundò ad hanc partem inducitur text. *in cap. Si Petrus*, 8. *quæſt.* 1. ubi refertur B. Petrum Apoſtolorum Principem ſibi elegiſſe ſucceſſorem Sanctum Clementem.

20 Quod ipſemet Clemens atteſtatur in Epiſtola prima ad Jacobum fratrem Domini dicens: *Simon Petrus in ipſis diebus, quibus vitæ finem ſibi præſentit, apprehenſa manu mea repente conſurgens, in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit verba; Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado*, ut refertur *in cap. Unde, ead cau. & quæſt.* & latiùs in eadem Epiſtola, quæ habetur integra *tom.* 1. *Concilior. part.* 1. *fol.* 27. *col.* 1. Hoc autem Petrus utique non feciſſet, ſi jure divino, & Chriſti inſtitutione prohibitum extitiſſet, *c. Sunt quidem*, 25. *q.* 1.

Tertiò ad idem affertur decretum, quo Bonifacius II. 21
in Concilio Romano I. Vigilium Diaconum ſibi ſucceſſorem delegit anno Chriſti 531. Cùm enim Gothorum Reges impiè ſibi uſurpaſſent electionem Romani Pontificis, Bonifacius Eccleſiæ conſultum putavit, ut nullo relicto Sedis vacantis loco, ſucceſſorem ſibi conſtitueret. Cujus rei meminit Aneſtaſius Bibliothecarius *in vita ipſius Bonifacii*: & habetur *t.* 2. *Concil. part.* 1. *fol.* 463. *col.* 2. *& fol.* 646. *col.* 3. in hæc verba: *Hic*, ſcilicet Bonifacius, *congregavit Synodum in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, & fecit conſtitutum, ut ſibi ſucceſſorem ordinaret. Quo conſtituto cum chirographis Sacerdotum, & jurejurando ante confeſſionem B. Apoſtoli Petri in Diaconem Vigilium con- 22
ſtituit*. Hæc ibi: nec deſunt alia exempla his ſimilia: nam Gregorius VII. miraculis clarus Salerni ante tertiam diem ſui obitus rogatus ab Epiſcopis, & Cardinalibus, qui tunc aderant, ut de Romanæ ſedis poſt obitum ſuum ordinatione juberet, hortatus eſt ut Deſiderium Pontificem facerent, aut Origenem Lugdunenſem Archiepiſcopum, aut Othonem Hoſtienſ. Epiſcopum. Sicque poſt ejus mortem electus fuit à Cardinalibus ipſe Deſiderius, & Victor III. vocatus. Et ſubinde idem Victor gravi dyſenteriæ morbo laborans, convocatis ad ſe Epiſcopis, & Cardinalibus, juſſit ut juxta Gregorii Papæ voluntatem, Othonem Hoſtienſem Epiſcopum eligerent, quem manu apprehenſum cæteris Epiſcopis tradidit, dicens: *Accipite eum, & in Romana ſede locate*. Rem ut præfertur in Synodo geſtam refert Leo Hoſt. *lib.* 3. *c.* 71. & habetur *t.* 3. *Concil. p.* 2. *fol.* 406. *col.* 4. *litter. F.* Itaque Gregorii tempore de conſenſu Patrum aſtantium ſtatutum fuit, ut unuſquiſque ante mortem eligeret ſibi ſucceſſorem, prout Gregorius anno 1085. elegit Victorem III. Victor III. Urbanum II. anno 1086. Urbanus II. Paſchalem II. anno 1099. lege Card. Baron. *ad annum Chriſtum* 1085. *fol.* 188. *& annum* 1087.

Quartò, ad hanc partem inducitur textus in *c. Si tranſitus*, 79. *diſt.* ubi innuitur Papam poſſe antè tranſitum ſuum de ſucceſſore decernere, & deliberare. Videtur enim hujuſmodi decretum, & deliberatio habere in ſummo Pontifice vim Canonicæ inſtitutionis *arg. l. Quoniam, C. de teſtam.* 23

Quintò, inducitur textus *in cap. Petiiſti*, 7. *q.* 1. ubi patet Papam poſſe hanc facultatem ſibi elargendi ſucceſſorem 24
alteri tribuere, prout ibi Zacharias Papa illam attribuit Archiepiſcopo Moguntino. Ergo etiam poterit ipſe ſibi eligere, *cap. Poteſt quis, cap. Qui facit, & cap. Nemo poteſt de reg. jur. lib.* 6.

Sextò, ad idem inducitur, *cap. Adrianus, il ſecondo*, 25
63. *diſt.* ubi expreſſum eſt hanc poteſtatem ſubrogandi ſucceſſorem in locum Romani Pontificis prædefuncti ab Hadriano I. attributam fuiſſe Carolo Magno in Synodo Romana: & Bullam hujus conceſſionis aſſervatam fuiſſe Pariſiis inter præcipuos Regni Theſauros teſtantur gloſſ. *Pragmat. ſanction. in tit. de annat. in ver. Regalia*, & Gulielm. de Benedic. *in repet. cap. Raynutius, in ver. Et uxorem, nu.* 367. *de teſtam. in antiq. impreſſ. & in novis eod. ver. num.* 61. Similem conceſſionem fecit Leo VIII. Othoni I. *ut in cap. In Synodo ead. diſt.* Hanc autem poteſtatem eligendi Papam utique non potuiſſent Romani Antiſtites Imperatoribus tribuere ſi eam non haberent, cùm nemo poſſit dare quod non habet: dicit textus *in c. Quomodo de conſecr. diſt.* 4. *in cap. Daibertum*, ibi, *Qui nihil habuit, nihil dare potuit*, 1. *quæſt.* 7. *& in cap. Quod autem de jure patr.* Ad idem *cap. Nemo poteſt de reg. jur. lib.* 6. Quod ſi hujuſmodi poteſtatem Pontifices exercuerunt per Imperatores laicos, longè magis eam potuerunt per ſeipſos exercere, *arg. cap. ult. §. Is autem, ſuprà de off. deleg.* facit regula Sexti, *qui in jus, & c. Cum contra de pignor.*

Septimò allegantur, *cap. In nomine Domini*, 23. *diſt. c. Li- 26
cèt de vitanda, ſuprà de elect.* quæ probant Papam poſſe conſtitutiones facere circa electionem ſui ſucceſſoris. Quod hodie apertius conſtat ex Bulla Greg. XV. quæ incipit, *Æterni Patris filius*, in qua præſcribitur nova forma electionis Papæ. Quod igitur eis permittitur per viam legis univerſalis, debent etiam cenſeri permiſſum per viam ſpecialis ordinationis, ſeu inſtitutionis, *ar. c. Privilegia*, 3. *diſt.* & eorum, quæ not. gl. *in c.* 1. *in ver. Noſcatur de conſtit. lib.* 6.

27 Ultimò hæc prohibitio ſibi eligendi ſucceſsorem in Prin-
cipatu Eccleſiaſtico videtur eſse tantum de jure poſitivo,
& ex Conſtitutione Eccleſiæ, ut innuitur *in cap. Apoſtolica*,
§. *His omnibus*, 8. *quæſt.* 1. ubi Gratianus dicit factum B.
Petri poſse in argumentum aſsumi ab illis, qui tales ſibi eli-
gerent ſucceſsorem qualem ſibi B. Petr. elegit, ſcilicet S.
Clementem. Verùm quia officium non vitæ, ſed ſanguini
deferri cœpit, ideò ſtatutum eſt ne quiſquam ſui officii ſibi
quærat ſucceſſorem. Ex quo. §. *Decius in cap. Licèt de vi-
tanda num.* 8. *de elect.* deſumit in primitiva Eccleſia per-
miſſum fuiſſe, ut Papa poſſet ſibi ſucceſsorem eligere,
ſed poſteà hoc fuiſse prohibitum ex conſtitutione Eccleſiæ,
quia ceſsat ratio, quæ vigebat in Petro. Idem innuit textus
in cap. Moyſes 8. *quæſt.* 1. ubi dicitur Moyſes potuiſse ſuc-
ceſsores Principatus filios ſuos facere, & poſteris pro-
priam relinquere dignitatem: ſicut David Salomonem
ſibi ſucceſsorem inſtituit, ut ibi notat gloſs. *in. ver. Non
ſanguini*. Ad idem textus *in cap. Si tranſitus* 89. *diſt.* ubi
Symmachus Papa in Synodo Romana prima *cap.* 4. Si
tranſitus, inquit, Papa inopinatus evenerit, ut de ſui ſuc-
ceſsoris electione non poſſit ante decernere; Pondera
quia textus non dicit, non poteſt, ſed non poſſit: & ſic
non declarat jus vetus, ſed jus novum inducit in futurum.
28 Papa autem non ligatur Conſtitutionibus ſuorum Præde-
ceſsorum etiam in generali Concilio editis, *ut eſt textus
apertus in cap. Innotuit, ſupr. de elect.* cum ſit ſupra omne
jus humanum poſitivum, *cap. Propoſuit, infrà de conceſſ.
præb.* & fuſius dixi *in cap. Conculcationibus num.*25. *de Cler.
ægrot.* & in his terminis notat Dec. *in d. cap. Licèt n.* 8.

Addit Victoria ſupracit. *de poteſt. Eccleſ. relect.* 2. *q.* 2. *n.*
23. multa inconvenientia evitari per hujuſmodi electio-
nem. Tum quia Eccleſia numquam vacaret, ſed ſuo orbata
Paſtore illicò provideretur. Tum quia ſchiſmata ambitio-
nes, contentiones, & cætera mala ceſsarent.

29 Sed præmiſſis minimè obſtantibus ſine trepidatione te-
nenda eſt hæc concluſio, videlicet Papa nullatenus poteſt
ſibi ſucceſsorem eligere, ac ſi eligat, irrita eſt electio. Ita
gloſ. *in cap. Apoſtolica*, §. *His omnibus in verſ. Beatus*, 8.
quæſt. 1. quam ſequuntur omnes teſte Felino *in cap.* 1. *ſub
num.* 23. *col.* 5. *verſ. Fallit quarto, ſupra de conſtit.* Item
gloſsa *in cap. Si tranſitus, in ver. Non poſſit*, & ibi etiam
Archidiac. Bellam. Gemin. & Præpoſ. 79. *diſt.* Jo. de Li-
gnano in Clem. *Ne Romani, de elect.* Abb. *in rubr. inf. de
teſtam. num.* 2. *verſ. Hinc dixit gloſsa*, & idem Abb. *hic
num.* 2. ubi teſtatur hanc eſse communem concluſionem.
Doctores *in cap. Licèt de vitanda, ſuprà de elect.* & ibi in
ſpecie Joan. Andr. *num.* 15. Butr. *num.* 3. & *num.* 21. Car-
30 din. *nu.* 9. *in* 6. *quæſt.* Abbas, qui ſimiliter hanc dicit com-
munem *num.* 2. & poſt eum Dec. *num.* 7. *verſ. His tamen
non obſtantibus*, & *n.* 8. ubi Silveſter Aldobrand. *in addit.
in ver. Communiter*, plures alios adducit. & refert Pau-
lum III. perſuaſum à Cardinali S. Marci, qui fuit Franci-
ſcus Piſanus Venetus Epiſcopus Patavinus, ut ſibi ſuc-
ceſsorem eligeret, omninò reſpuiſse. Idem firmat Jaſ. *in
rubr. cap. Qui teſtam. ſacer. poſſ. num.*2. Joan. à Capiſtrano
de poteſt. Papæ, n. 2. *inter tract. commun. tom.*13. *fol.*32. Car-
dinal. Jacobat. *de Concil. lib.* 10. *art.* 7. *in ſolutione undeci-
mi argumenti fol.* 34. Auguſtin. Trimph. *de poteſt. Eccleſ.*
31 *quæſt.* 2. *art.* 3. *in corp.* Cardin. Turrecrem. *in ſumma de
Eccleſ. lib.*1. *c.*13. & *lib.*2. *cap.*15. & *in d. cap. Si tranſitus
num.* 1. 79. *diſt.* Cardin. Zabarel. *in dict. Clem. Ne Romani
in* 5. *quæſtione num.*5. *de elect.* qui tres poſteriores affirmant
nec poſse fieri ſtatutum, quod ſit validam, ut Papa poſſit
ſibi ſucceſsorem ſubſtituere, Martin. Lauden. *de Cardin.
quæſt.* 39. *inter tract. commun. tom.* 14. *fol.* 62. ubi ampliat
id Papæ non licere etiamſi Collegium Cardinalium id ſta-
tueret. Quod etiam tenent Bertach. *de Epiſc. in* 4. *ſeu*
40. *qu. tertiæ partis lib.* 1. Hieron. Manfred. *de Card.
deciſ.* 15. *tom.* 13. *tract. part.* 2. *fol.* 86. Eidem ſententiæ
adhærent ex Theologis Petr. de Palud. *de poteſt. Eccleſ.
lib.* 5. Cardin. Cajet. *opuſc. t.* 1. *tract.*2. *de poteſt. Pa-
pæ, & Concil. Apolog.* 2. *cap.* 22. Silveſt. *in ver. Excom-
municatio nono, num.* 3, Greg. de Valen. *tom.* 3. *diſp.* 10. *q.*
3. *de ſtatu Epiſc. punct.*3. §. *Quarta aſſertio*, & paſſim mo-
derni, quibus addè Cardin. Baron. *ad annum Chriſti* 11.
fol. 188.

Pro hac concluſione quamplura adduci poſsent, ſed
præcipua fundamenta ſunt quinque.

Primum fundamentum deducitur ex gloſſis ſupracita- 32
tis, videlicet, quia ſi liceret Romanis Pontificibus ſibi in-
ſtituere ſucceſsores, hoc eſset immutare ſtatum Eccleſiæ,
quod non licet Papæ, per ea, quæ ſcribit P. Leo *in c. Ad
perpetuam*, 25. *qu.* 1. & facit ſingulare dictum Innocentii
*in cap. Quanto, ad fin. verſ. Si Papa talia faceret de con-
ſuet.* quem referunt, & ſequuntur Oldrad. *conſ.* 72. *incip.
Et circa num.* 2. *verſ. Et hoc eſſet mutare generale ſtatum
Eccleſiæ*, Abb. *in cap.* 1. *in* 2. *notab. de Cler. ægrot. & in c.
Cum parati num.* 9. *de appellat.* Roman. *conſ.* 483. *Dubita-
tur primo n.* 23. & Felin. *in cap. Quæ in Eccleſiarum, verſ.
Limita tertio de conſtit.* Quandoquidem ab Adventu Chri- 33
ſti ad hæc uſque tempora nemo umquam ad Apoſtolatus
apicem evectus eſt niſi per electionem, ut tradit Auguſt.
Triumph. *de poteſt. Eccleſ. quæſt.*2. *art.*2. Ad exempla verò
B. Petri, & aliorum Pontificum, qui dicuntur ſibi ſucceſ-
ſorem delegiſse, reſpondebitur *infr. n.* 57. & 61.

Secundum fundamentum eſt, cui innituntur gloſsæ, & 34
plerique ex Canoniſtis præcitatis, videlicet, quia inſtitu-
tio, ſeu electio ſucceſsoris confertur à Papa in tempus, in
quo ipſe non eſt amplius Papa, & conſequenter non valet
ex defectu poteſtatis, *ut probat textus in l. Eum qui, ff. de
juriſd. omn. judic.* nam, ut inquit, Abb. *hic num.* 2. quem-
admodum Papa non poſſet tunc temporis hujuſmodi ele-
ctionem facere, ita nec modo; quia paria ſunt aliquid ge-
rere tempore inhabili, vel tempore habili, ſi effectus con-
feratur in tempus inhabile, *ut l. Quod ſponſæ, C. de donat.
ante nupt.* & facit *cap. De uxore, infrà de ſepult.* & idem
in caſu controverſo, *ut dixi ſuprà in* 1. *not.*

Tertium fundamentum eſt accutiſſimi Cajetani loco ſu- 35
præcitato *num.* 31. quia ſcilicet ejus eſt potentia, cujus eſt
actus Ariſt. *de ſomno & Vigil.* Sed actus electionis Papæ ſim- 36
pliciter, & abſolutè non eſt Papæ. Ad hoc *c. In ſcriptu-
ris*, 8. *q.* 1. & *c. fin. de inſtit.* Ergo poteſtas electiva Papæ
non convenit formaliter Papæ, quia poteſtas electiva Papæ
eſt actus, qui facit Papam quantum ex ſe eſt. Ergo repu-
gnat poteſtati electivę, ut præſupponat tunc Papam, cum id
quod fit, non ſit: ſi enim eſset, non fieret.

Quartum fundamentum eſt, quia ita ſe habet Papa, & 37
Epiſcopus ad Eccleſiam, ſicut ſe habet vir ad uxorem ſuam
cap. Sicut vir, 7. *q.* 1. *c. Sicut viri*, 40. *diſt.* Sed vir licèt ſit
caput Uxoris, 1. *ad Corinth.*6. non tamen poteſt uxori ſuę
alium virum relinquere, quia eo mortuo ab illius legibus
eſt ſoluta, 1. *ad Corinth.* 8. Ergo nec Papa licèt ſit caput
Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, *c. Ita Dominus*, 19. *diſt.* poteſt eidem
Eccleſiæ alium ſponſum relinquere, cum eo mortuo ſpiri-
tuale conjugium ſit ſolutum, & Eccleſia remaneat vidua-
ta, *c. Ne pro defectu, & c. Quia propter de elect.* gl. *un. in
c. Nullus, il* 2. & ibi Turrecr. *n.*6. 79. *diſt.*

Quintum, & ultimum fundamentum eſt, quia hæc po- 38
teſtas ſibi ſubrogandi ſucceſsorem non ſolùm eſt contra jus
Canonicum, ut oſtenſum eſt ſuprà *in ult. arg. contrario n.*
27. & habetur *in c. Epiſcopo non quaſi per tot.* 8. *q.* 1. ſed etiam
adverſari videtur de jure divinò, & naturali, ad quod non
pertinet diſpenſatio, *c. Sunt quidam*, 25. & *q.* 1. & 5. *diſt. in
ſumm.* §. *Jus naturale*, S. Th. *quodl.* 9. *art.* 15. Idem ſuadetur ex
infraſcriptis. Et primò, quia etſi Deus dederit poteſtatem 39
populo eligendi Principes inferiores, ut Exodi 18. *Provide
de omni plebe viros ſapientes, &c.* Nu. 11. *Congrega mihi ſe-
ptuaginta viros de Senioribus Iſrael*, & Deut. 1. *Date ex vo-
bis viros ſapientes, gnaros, &c.* tamen ut inquit S. Th. *in* 1.
2. *q.* 105. *art.* 1. *ad* 1. Inſtitutionem ſummi Principis Domi-
nus ſibi reſervabit; & hoc eſt quod Moyſes petiit. Nu. 27.
*Provideat Dominus Deus Spirituum omnis carnis, hominem,
qui ſit ſuper multitudinem hanc*: & ſic ex Dei ordinatio-
nes inſtitutus eſt Joſue in Principatu poſt Moyſem, & de
ſingulis Judicibus, qui poſt Joſue fuerunt legitur quod
Deus ſuſcitavit Populo Salvatorem, & quod Spiritus Do-
mini fuit in eis, ut patet Deuter. 17. *Eum conſtitues Re-
gem, quem Dominus Deus tuus elegerit.* Hæc S. Th. Tranſ-
lato autem Sacerdotio neceſse eſt ut legis translatio fiat ad
Hæbreos 7. *cap. Translato, ſupra de conſtit.* Unde quæ
dicta ſunt in lege Veteri de Moyſe, qui erat ſummus
Sacerdos, *ut c. Sacroſancta*, 22. *diſt.* poſt legem Evangeli-
cam ad Pontificem Maximum referenda eſse, ſatis conſtat
ex *c. Electionem*, 79. *diſt.* ubi Anacletus Papa, *Electio-
nem*, inquit, *Summorum Sacerdotum ſibi Dominus reſer-
vavit.* Alia littera habet, *Summorum Pontificum*, ut etiam

innuit Gratiani rubrica ibi, *Præpoſita*: & de Summo Pontifice authoritatem illam intelligit Auguſt. Trimph. *de poteſt. Eccleſ. quæſt. 2. art. 2. verſ. In contrarium*, & ita per illum textum Cardin. Turrecrem. *in ſumma de Eccleſ. lib. 2. cap. 51. verſ. Septimo*, *de jure*, inquit, *naturali*, *& quaſi divino videtur eſſe, ut Papa non faciat ſibi ſucceſſorem nec poſt mortem, nec poſt reſignationem, quando non præeſt licet quamdiu vivit, poſſit loco ſui ponere Legatos, & Vicarios ubi vult, & ſicut vult*. Hæc ille. Idipſum colligitur ex *cap. Si ergo*, 8. *quæſt.* 1. ubi relato exemplo ipſius Moyſis, qui non permiſit judicio ſuo electionem ſucceſſoris in Principatu, ſed electus fuit extraneus ex alia Tribu, ſcilicet Joſue filius Nave, quem Dominus ordinavit, dicit textus, Nulla hìc populi acclamatio, nulla conſanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio eſt: & mox exemplo hujuſmodi ad ſummum Sacerdotium tranſlato, ſubjicit: *Propinquis agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas; gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit*, & concordat *c. Moyſes ead. cau. & quæſt.* Unde gloſ. prima *in cap. Si tranſitus 79. diſt.* dicit Papam non poſſe ſibi ſubſtituere ſucceſſorem, quia nec Moyſes id potuit: *& allegat d. c. Moyſes*.

40 Sed objicies: Si electionem Summi Principis ſibi Dominus reſervavit, Ergo nec Cardinalibus licebit eligere Apoſtolicum. Reſpondeo, Deus eſt, qui eligit, & Cardinales ſunt Miniſtri, ac veluti inſtrumenta divinæ voluntatis, *ut in c. Valentianus* 63. *diſt. & in cap. Licet*, 8. *quæſt.* 1. *c. Ubi periculum*, §. *Cæterum*, ibi, *Ut eorum miniſterium*, *de elect. lib. 6.* etiamſi malus eligeretur, quod eſt mirabile, *ut in cap. Audacter*, *ead. cau. & qu.* de qua voluntate tametſi non appareat per ſigna exteriora, *ut olim per Columbam*, *c. Statuimus*, §. *His omnibus*, & ibi Archid. *nu.* 3. 61. *diſt.* tamen inviſibiliter operatur Spiritus ſanctus, qui non datur niſi Congregatis, *cap. Audivimus*, §. *Sin autem*, 24. *q.* 1. *& c. Cum Eccleſia Sutrina*, & ibi gloſ. 1. *infra de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Unde Auguſt. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. qu.* 3. *art.* 11. *in reſponſione ad primum*, ſic ait: *Cooperatores Dei ſumus, & ideo ſemper non eſt expectanda vocaliter terminatio divinæ ſententiæ; ſed illum eligit Deus, quem eligit charitas Eccleſiæ, & communis conſenſus eligentium, ſicut dicit Aug. ad Hebr.* 5. Hæc ille. Cujus rei efficax argumentum eſt, quod cùm inſtat tempus electioni Divinitus præfinitum; electores ſuperna quadam vi ſentiunt ſe rapi ad coeligendum adeò ut interdum de ſeipſis mirati fuerint quod in talem electum conſenſerint. Et fama eſt recolendæ memoriæ Federicum Cardinalem Borromæum è Conclavi exeuntem prorupiſſe in hæc verba: *Huc ingrediantur qui negant Spiritum ſanctum, & fient credentes.*

41 Secundò idem ſuadetur, quia Sanctuarium Dei jure hæreditario poſſideri non poteſt, *cap. Conſuluit*, *infrà de jurepatr. cap. Ad hæc de decim. c. Plerique*, *& cap. Apoſtolica*, 8. *qu.* 1. & turpe eſt, & divini plenum animadverſione judicii ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, dicit Canon Lateranen. Concilii *in cap.* 2. *inf. de conceſſ. præb.*

42 Tertiò idem ſuadetur, quia Dominus Pontificiam poteſtatem contulit Petro per illa verba, *Paſce oves meas*, Joan. 21. & dictum eſt ſuprà *in* 1. *arg. contrario n.* 18. Hujuſmodi autem verba cum ſint perſonaliſſima ut per Cajetan. *in* 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. utique non includunt facultatem ſibi eligendi ſucceſſores: alium enim eſt paſcere, aliud ſucceſ-
43 ſorem ſibi eligere, qui paſcat ad hoc textus optimus *in l. Inter artifices*, *ff. de ſolut.* & facit quod notat S. Th. *quodl.* 12. *art.* 31. *in corp.* ubi docet Vicarium non poſſe totam ſuam poteſtatem alteri committere. De quo eſt textus *in capit. Clericos*, *ſup. de offic. Vicarii*: dicens hoc eſſe ſatis abſo-
44 num, & abſurdum. Ergo hic actus inſtituendi ſucceſſorem eſt extra poteſtatem Petro, & in ejus perſona Rom. Pontificibus attributam & ſic non valet, quia defectus poteſtatis in agente ſemper reddit actum ipſo jure nullum, *c. P. & G.* & ibi Doctores *ſup. de offic. deleg.* Pulchrè Bald. *conſ.* 326. *n.* 2. *verſ. Quod primum lib.* 1.

45 Quarto, ſi eſſet aperta hæc via ſubrogandi ſibi ſucceſſorem in Papatu, verendum eſſet ne communiter ſubſtituerentur nepotes, & conſanguinei per ea, quæ habentur *in cap. Pervenit*, juncta gloſ. 1. *quæſt.* 3. Nam textus dicit gravius eſſe jura, & redditus Eccleſiarum dare conſanguineis, quam extraneis, gl. *in ver. Gravius*, opponit quod imò minùs peccatum ſit dare conſanguineo, *c. Non ſatis* 86. *diſt.* hæc eſt enim ordinata charitas, & dat duas ſolutiones. Prima eſt, quia tradendo conſanguineis enormiter lædunt Eccleſias; & ideò dicit textus, pejus eſt conſanguineis dare, ideſt inde graviorem leſionem ſentit Eccleſia: & eſt ſimile *in c. Latorem* 33. *q.* 2. Secunda ſolutio eſt, quòd 46
verbum, *gravius*, exponatur, ideſt communius, *c. Quid in omnibus*, 32. *q.* 7. Quia, ut gloſ. inquit, cæci ſunt Epiſcopi erga Nepotes, *c. Dilectiſſimi*, 8. *q.* 2. Unde tantus impetus in eos omnia fundendi fuit refrænandus, ut in alio caſu dicit *l. Nec in ea*, *ff. ad l. Jul. de adulter.* Ad hoc Concil. Trid. *cap.* 1. *ſeſſ.* 25. ibi, *affectum erga nepotes deponant*, *unde tot malorum in Eccleſia Seminarium extat*. Si igitur ex textu, & gloſſa Prælati erga nepotes gravis peccant, quia enormiter lædunt Eccleſias cùm facultates illarum profuſiùs effundant; idque communiter, quia cæci ſunt, & impetu quodam erga illos feruntur: quis ſperet humanum affectum à carne, & ſanguine tam abſtinentem fore, ut poſſit nepoti ſuo ſupremum principatum poſt ſe relinquere, & non faciat? Atque ita ſummum Sacerdotium non pro meritis, & dignitate, ſed affectu carnis quaſi patrimonium tranſmitteretur in poſteros. Et tamen, ut inquit S. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 1. *in corp. Si aliquis promoveat aliquem* 47
ad Prælationem, quia eſt conſanguineus, eſt acceptio perſonæ, quæ opponitur juſtitiæ diſtributivæ, & conſanguinitas facit eum dignum, ad hoc ut inſtituatur hæres patrimonii, non autem ad hoc ut inſtituatur ei Prælatio Eccleſiaſtica. Hæc ille. Hoc autem eſſe contra dictamen juris naturalis, 48
inde percipitur, quod qui præeſſe debet multitudini, & illam regere, melior cæteris eſt eligendus. Idque bruta ipſa nos docuerunt, ut Apes, & Grues, *cap. in Apibus*, 7. *qu.* 1. *Unde Regum* 4. ſcriptum eſt, *Eligite meliorem, & eum ponite ſuper ſolium patris ſui*, & 3. *Et hic*, dicitur, *Oportet principem eſſe optimum, & perfectum virtute*. 49
Quod potiſſimùm procedit in Papa, qui eſt caput omnium fidelium, *cap. In novo* 21. *diſt. & cap. Sacroſancta*, 22. *diſt.* Is enim proculdubio eligendus qui præſtantior eſt, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, dicit textus *in cap. Licet*, 8. *quæſt.* 1. Unde Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi ſerio obteſtatur Cardinalis ut penſent attentiùs, quid eis imminet cum agitur, de creatione Vicarii Jeſu Chriſti, Succeſſoris Petri, Rectoris univerſalis Eccleſiæ, Gregis Dominici Directoris, ut eorum miniſterio acceleretur utilis & pernéceſſaria totius mundi proviſio, refertur *in c. Ubi periculum*, §. *Cæterùm de elect. lib.* 6. Quid verò ſi inordinatus carnis affectus eo 50
uſque captivaret humanum judicium, ut in ſucceſſorem ſubſtitueretur minor, aut diſcolus, vel aliàs inſufficiens? Ubique data hac poteſtate ſubſtituendis, talis eſſet Papa, quia exceptio ætatis, dummodo adſit uſus rationis, & conſimiles exceptiones, quæ juris poſitivi ſunt, contra electum à duabus partibus Cardinalium non admittuntur, *ut cap. Licet de vitanda*, & ibi, dixi poſt Bellam. *& alios ſupr. de elect.* Quanta autem hinc pericula, & mala Eccleſiæ Dei proventura eſſent nemo non videt. Ad hoc bonus textus *in cap. Indecorum*, & quod ibi adnotavi *ſuprà de elect. ætat. & qualitat.* Ne dicatur hoc 51
abſurdum poſſe contingere etiam in Collegio Cardinalium: nam reſpondetur id moraliter eſſe impoſſibile. Tum quia ratio ſanguinis erga unum non concurrit æquè in omnibus. Tum quia integrum eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur, *cap. Extra*, 63. *diſt. c. Prudentiam*, *ſuprà de offic. deleg.* & multis argumentis comprobat Turrecrem. *in ſumma de Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 51. Unde Bald. *in d. cap. Licet num* 9. *de elect.* quærens an poſſit opponi Papæ quod ſit Hermaphroditas, ſurdus, vel mutus. Reſpondet his verbis: *Cardinales non facerent ita fatuam electionem, & ideo non debet fieri quæſtio de ambagibus, & ineptiis*. Hæc Baldus. Quinimò, ut inquit Auguſtin. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 2. *art.* 2. quia plura vident plures, quam unus, quia homines judicant de his, quæ foris patent, ſolus autem Deus intuetur cor, ideò talis electio caret errore, & meretur ſuper hoc divinam inſpirationem ipſo Salvatore dicente, Matth. 18. 20. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*.

Ad extremum ex inſtitutione ſucceſſoris Collegium 52
Apo-

Apoſtolicum, quod eſt honorabilius Eccleſiæ membrum,
c. Conſtantinus 96. diſt. privaretur jure eligendi Romanum
Pontificem, quod habet ex conſenſu univerſalis Eccleſiæ,
& in cujus poſſeſſione per tot ſæcula exiſtit, *ut cap. In no-
mine Domini 23. diſt. & cap. Licet de vitanda, ſupra de
elect. cum ſuis concord.* Auguſtin. Triumph. *de poteſt.*
53 *Eccleſ. quæſt. 3. art. 7.* Idque per quam convenienter, ut
ſolidis rationibus probat Cardin. Turrecrem. *citatus in
ſumma de Eccleſ. lib. 2. cap.* 51. contra ſtultum errorem
Joannis VVicleff dicentis electionem Papæ à Cardinalibus
per diabolum eſſe introductam: & Auguſt. Triump. *ubi
ſupra quæſt. 2. art. 2. & 3.* Repugnat autem naturali ra-
tioni, ut Cardinales hoc jure ſibi quæſito ſine juſta, & ne-
ceſſaria cauſa ſpolientur, *reg. ſine culpa lib. 6.* & notat Card.
conſ. 142. *verſ. Sed his litteris non obſtantibus*, ubi late o-
ſtendit hoc eſſe peccatum, & impoſſibile etiam Papæ.
Quod plenius proſequor *in c. Conſultationibus in 2. qu. per
tot. maxime n. 50. inf. de Cleric. ægrot.* adeò ut propterea ſi
Cardinales viderent ſibi hanc poteſtatem ademptam, quæ
ipſos ubique locorum, & gentium tàm ſpectabiles, & ho-
norabiles reddit, timendum foret ne ſucceſsori a Papa ele-
cto negarent Canonicam obedientiam, & ſchiſmata in
Eccleſia ſuſcitarentur; cùm præſertim ſententia negativa
ſit Canoniſtarum omnium, & graviorum Theologorum
conſenſu recepta, & melioribus fulcita rationibus arg.
Clem. 1. *§. fin. de ſumm. Trinit. & fide Cathol.* & Papa vo-
lens turbare ſtatum univerſalis Eccleſiæ, non ſit ſuſtinen-
dus, ut inquit Innoc. *in c. Quanto ad fin. verſ. Si Papa de
conſuet.* & alii ſupracitati *n.* 32.

Nunc reliquum eſt ut ad argumenta contraria reſpondea-
mus.

54 Ad primum igitur reſpondetur negando conſequen-
tiam: nam Chriſtus uti ſupremus Dominus potuit de re
ſua, id eſt Eccleſia, abſolutè diſponere, eamque ſuo arbi-
trio fundare; non ſic alii Pontifices, qui non domini, ſed
diſpenſatores exiſtunt. Ita Cardin. Turrecrem. *in ſumma
de Eccleſ. lib. 2. d. cap. 51. col. 3. verſ. Cæterum.* Præterea
ut inquit Auguſtin. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. qu. 2. art. 2.
in corp. Chriſtus fuit Deus, & homo: ideo in ſuo judicio
non potuit falli, neque fallere, ſed quia judicium huma-
num eſt fallibile, quia purus homo poteſt falli, & fallere;
ideo conveniens fuit poſt Chriſti aſcenſionem, & poſt mor-
tem illius, qui immediatè à Chriſto electus fuit, ut promo-
tio cujuslibet alterius ſummi Pontificis fieret per electionem,
ut ex collatione, & concordia plurium talis electio careret
errore, & mereretur ſuſcipere divinam inſpirationem.* Hæc
ille. Quinimò ipſe quoque S. Petrus miniſterialiter etiam
ab Apoſtolis electus fuit poſt Domini in cœlos aſcenſum,
ut patet in d. cap. in novo 21. diſt. & d. cap. Sacroſancta 22.
55 *diſt.* Deinde ad primum argumentum ſic reſpondet Dec.
in cap. Licet de vitanda num. 8. de elect. videlicet quod
Chriſtus fecit ut homo noſtra eſt inſtructio, ſecus quod fe-
cit ut Deus: nam ipſe ambulavit ſuper aquas, & jejunavit
quadraginta diebus, & ad hæc nos non adſtringimur, quia
56 talia miraculosè fecit ut Deus. Dum autem Petrum ſibi
ſucceſsorem inſtituit, eique poteſtatem contulit ligandi,
& ſolvendi, non ut homo quidquid dicat ibi Decius, ſed
ut Deus operatus eſt, *ut patet 22. diſt. c. Ita Dominus, &
cap. Omnes*, ubi dicitur: Non ergo quælibet terrena ſen-
tentia, ſed per illud verbum, per quod conſtructum eſt
cœlum, & terra, per quod denique omnia condita ſunt
elementa, Romanam fundavit Eccleſiam, *cap. Solitæ, §.
Potuiſſes, de major. & obed.* ubi Pontificalis authoritas non
à quolibet, ſed à Deo dicitur inſtituta, cum ſuis concord.
Unde & Eccleſia dicit: *Deus, qui B. Petro Apoſtolo collatis
clavibus Regni cœleſtis ligandi, atque ſolvendi Pontificium
tradidiſti.*

57 Ad ſecundum argumentum reſpondet Turrecrem. *in c.
Si tranſitus n. 1. verſ. Ad ſecundam 79. diſt.* poſt gl. ibi, *in
ver. Non poſſit*, non eſse trahendum ad conſequentiam fa-
ctam S. Petri ſibi Clementem ſubſtituentis. Quoniam mo-
tus fuit inſpiratione divina; nam & ad ejus umbram cura-
58 bantur infirmi, *facit c. Si non licet 23. q. 5. & c. Duæ ſunt, 19.
q. 2.* Præterea ſubſtitutio illa effectum non habuit, nec eam
ſanctus vir acceptavit, ſed Petro immediatè ſucceſſit Linus
Lino Cletus, & Cleto Clemens, ut tradunt Ignatius Mar-
tyr. *in Epiſt. 4. ad Mariam Caſſabolitem*, quæ habetur *t.
1. Concil. p. 1. fol. 25. col. 2. lit. B.* Irenæus *lib. 3. c. 3.* Epiphan.
hæreſ. 37. Optat. Milevit. *lib. 2.* Auguſt. *Ep. 161.* & Hieron.
ſequutus Optatum *in lib. de Scriptor. Eccleſ. in Clement. c.*
15. ubi Clementem ponit Quartum Pontificem poſt Pe-
trum, corrigens ſententiam, quam dixerat *in 52. Iſajæ in
fin.* Quod ipſum conſtat ex Martyrologio, Breviario Ro-
mano, & Canone Miſsæ, ubi poſt Linum Cleti, deinde
Clementis fit commemoratio, licèt non deſint qui contra-
dicant. Unde gl. *in c. 1. in ver. Aut ligandi 8. q. 1. recitat
verſum.*

Diſputat hic mundus quartus, fueritve ſecundus. Ete-
nim, ut inquit gloſsa ibi, Poſt S. Petrum Clemens ani-
madvertens perniciosum fore exemplo, ut aliquis ſibi eli-
geret ſucceſsorem, renunciavit Papatui, in manibus ſci-
licet Sacerdotum, qui tunc Romæ aderant: vide Auguſt.
Triump. *de poteſt. Eccleſ. quæſt. 2. art. 2. in reſponſione ad
primum.* Turrecrem. *in ſumma de Eccleſ. lib. 2. c. 51. col.
3. verſ. Nec obviat quod S. Petrus*, & Baron. *ad annum Chri-
ſti 69. n. 39. & notas ad Epiſtolas, & Decreta Clementis Pa-
pæ I. tom. 1. Concil. part. 1. fol. 25. col. 2. littera C.* & Pla-
tinam *in vita ipſius Clementis pag. 8. c. His accedit*, quod 59
de fide Epiſtolæ ſuperiùs relatæ n. 20. Unde hoc factum de-
ſumitur, meritò hæſitari poteſt; quia ut alia omittam,
cum ſcripta ſit poſt obitum S. Petri, & ſic poſt annum Ne-
ronis decimum tertium, ſcribi non potuit ad Jacobum
Fratrem Domini, qui teſte Hieron. *de Vir Illuſtr.* 30. Ne-
ronis anno præcipitatus fuit Hieroſolymis è vertice tem-
pli. Quare illa Epiſtola vel non eſt Clementis, vel ſcripta
fuit ad Simonem, qui ſimiliter fuit Frater Domini, & vox
Jacobum, mendosè irrepſit. Lege Baronium *ad annum
Chriſti 69. fol. 689.* & Poſsevin. *in appar. ſacr. in ver. Cle-
mens Romanus.*

Ad tertium reſpondetur factum illud Bonifacii II. in 60
Concilio iterùm congregato ab omnibus reprobatum
fuiſse, ut idem Anaſtaſius teſtatur dicens: *Eodem tempo-
re facta iterum Synodo, hoc cenſuerunt Sacerdotes omnes,
propter reverentiam S. Sedis. Et quia contra canones hoc
fuerat factum, & quia culpa eorum reſpiciebat; ut ſucceſſo-
rem ſibi conſtitueret, ipſe Bonifacius Papa reum ſe confeſſus
eſt Majeſtatis, quod Diaconum Vigilium ſua ſubſcriptione
Chirographi ante confeſſionem S. Apoſtoli Petri conſtituiſſet,
ac ipſum conſtitutum in præſentiam omnium Sacerdotum,
& Cleri, & Senatus incendio conſumpſit*, refertur *t. 2. Conc.
p. 1. fol. 643. col. 2. litt. C.* Unde ex tam inſigni retractatio-
ne validiſſimum deſumitur argumentum pro hac ſenten-
tia. Sed & Silverius Papa in decreto anathematis in Vigi-
lium exprobrat, quod contra jura Canonica tempore Bo-
nifacii ipſo vivente ſucceſsor ejus deſignare conatus fue-
rat, ut patet ex Epiſtola ipſius Silverii ad Vigilium Pſeudo-
papam quæ habetur *t. 2. Concil. p. 1. fol. 772. col. 1.* & vide
Baron. *t. 7. ad annum 521. fol. 166.* Alia verò exempla in 61
contrarium adducta *n.* 22. præterquamquod adverſantur
decreto Symmachi Papę *in d. c. Si tranſitus 79. diſt.* non vi-
dentur obſtare, quia ſi accuratè conſiderentur, illæ non
fuerunt ſubſtitutiones ſucceſsorum, ſed potius deſignatio-
nes. Pontifices enim à Cardinalibus rogati indicarunt
quem dignum putarent Cathedra Petri, ſalvis tamen
Cardinalium ſuffragiis. Ideòque nullus ex deſignatis poſt
obitum Pontificis deſignantis geſſit ſe pro Papa niſi poſt
ſubſequutam Cardinalium electionem. Ad hoc *cap. Petiiſ-
ſti 7. q. 1.* ibi, *Si eum aptum cognoveris, tibi ſucceſſorem de-
ſigna, ut huc veniat ordinandus.*

Ad quartum reſpondet gloſs. *in d. cap. Si tranſitus in* 62
ver. Non poſſit 79. diſtinct. dicens aliud eſse de ſui ſucceſ-
ſoris electione cum fratribus deliberare quod ibi permitti-
tur, & poteſt fieri, & aliud ex teſtamento quaſi dignita-
tis ſuæ hæredem ſubſtituere, quod penitus prohibetur, *ut
c. Epiſcopo non*, 8. *qu.* 1. & cum illa gloſsa tranſeunt ibi
Archid. Bellam. Turrecr. & reliqui omnes. Quæ reſponſio
ad litteram eſt Gratiani *in c. Apoſtolica, §. His omnibus, 8.
quæſt.* 1.

Ad quintum reſpondetur negando conſequentiam: 63
nam ſecundùm Hugonem relatum *in d. cap. Si tranſitus,
ab Archid. n.* 1. & Turrecrem. *eod. num. verſ. Ad tertiam.*
Multa ſunt quæ aliis indulgemus, quæ nobis indulgere,
non poſsumus. Epiſcopus enim ſæpè cum aliis diſpenſat,
privilegium, vel honorem aliis confert, quæ ipſe ſibi im-
pendere non poſset, quia nemo ſibi honorem aſsumit, *c. in
ſcripturis 8. q. 1.* Ad hoc bonus text. *in c. fin. de inſtit. & in c.*

debitum cum concord. de quibus in gloſ. 1. *infrà de Baptiſm.* Adde quod *in d. cap. Petiiſti 7. q. 1.* non continetur indultum ſibi ſucceſſorem ſubſtituendi, ſed deſignandi, ut ſcripſi *in cap. Nulla nu. 79. & ſeqq. de conceſſ. præb.* ubi plenè videas de intellectu illius textus, & adde Auguſt. Triumph. *d. q. 2. art. 2. in reſponſ. ad 2.*

64 Ad ſextum nempè *ad cap. Adrianus, & in c. Synodo 63. diſt.* reſpondetur illos Canones eſſe Apocryphos, & commentitios, & primum illorum authorem fuiſſe Sigebertum Monachum, qui honoris avidus illos mendaciſſimè conſcripſit ad aucupandam gratiam Imperatoris ſchiſmatici, & Gratianus nimis credulus hanc fabulam, & impoſtoris Commentum veluti hiſtoriam Decreto ſuo inſervit. Lege Cardinal. Baron. *ad annum 526. & 555.* & præſertim *ad annum 774. à num. 10. & ad annum 964. à nu. 22.* Suar. *de defenſ. fid. Cathol. contra Anglicanæ ſectæ errores lib. 3. cap. 29. num. 7.* Cardin. Bellarm. *de Summo Pontifice lib. 2. cap. 22. & de Clericis c. 9. & notas in vita Adriani Papæ I. tom. 3. Concil. part. 1. ſect. 1. fol. 421. col. 2.* Sed quatenus

65 prædictis Canonibus aliqua eſſet adhibenda fides; tamen confirmatio electionis, quam ex aſſerto indulto Apoſtolicæ Sedis tunc temporis concedebant Imperatores, non conferebat Papæ authoritatem Papatus: alioquin Papatus eſſet ab Imperatore, quod eſt hæreticum, cum ſit à Deo tantùm, *cap. Omnes, & cap. Sacroſancta 22. diſtinct.* ſed ſolùm dabat robur facto, ut ſchiſmatici, & hæretici non auderent contravenire, ut optimè declarat Turrecr. *in d.*

66 *cap. Adrianus numer. 1.* Adde Cardinalem Albanum *in tract. de Cardin. quæſt. 32.* ubi pluribus probat Summum Pontificem non poſſe alteri impertiri facultatem eligendi Papam; quia regula eſt neminem facere poſſe quod per ſe facere non poteſt, ut in regula Sexti, *quoad alicui ſuo* cum ſuis concord.

67 Ad ſeptimum reſpondetur aliud eſſe ut Papa cum Cardinalibus faciat conſtitutionem ſuper modo electionis Romani Pontificis, quod poteſt, ut in juribus ex adverſo allegatis; aliud ut creet ſibi ſucceſſorem, quod ei non licet, ſicut non licet ex teſtamento ſibi adſcribere dignitatem. Ita ad calamum reſpondet Paul. de Eleaz. & poſt eum Cardin. in Clem. *Ne Romani in 5. q. nu. 5. de elect.* & Gambar. *in Extravag. Julii II. n. 96.*

Ad ultimum reſpondetur hanc prohibitionem ſibi eligendi ſucceſſorem non inniti ſolùm jure Canonico, ſed etiam jure divino, & naturali, ut ſuperiùs monſtratum eſt à *num. 38.* Nec refragatur §. *His omnibus 8. qu. 1.* in contrarium adductus. Quoniam non loquitur in Papa, ſed in Epiſcopi, qui ad exemplum S. Petri ſuſtituebant ſibi ſucceſſores. Id quod fuit eis inhibitum ex Conſtitutione Eccleſiæ: & ideò Papa poteſt cum eis diſpenſare, prout diſpenſavit cum Archiepiſcopo Moguntino, *ut in c. Petiiſti 7. q. 1.* ſed hinc non licet inferre, ut Papa poſſit ſibimet ſucceſſorem ordinare, *ut dictum eſt ſupra in reſponſione ad quintum argumentum nu. 63.* Similiter non refragatur quod Moyſes potuiſſet ſibi in Principatu filios ſubſtituere *ut dicitur in d. cap. Moyſes 8. q. 1.* Nam reſpondetur id verùm eſſe antequam divina prohibitio emanaſſet, ut ibi notat gloſſ. *in ver. Potuit.* Et ad ponderationem *d. cap. Si tranſitus 79. diſtinct.* reſponderi poteſt nec abſonum eſſe, nec inuſitatum ut leges prohibitivæ ferantur ab Eccleſia etiam de his, quæ lege divina damnantur, *cap. Cùm tu,* & ibi gloſſ. *in ver. Sive poſt infrà de uſur.* cum multis ſimil. 68

Demum ad id, quod addit victoria circa utilitatem hujus ſubſtitutionis cum Auguſtino Triumpho *de poteſt. Eccleſ. qu. 2. art. 3. ad 4.* reſpondeo diuturnam Eccleſiæ vacationem quandoque eſſe bonam, ſi fiat propter bonum finem, ut ſi fiat propter hoc ut ſufficientior, & ſanctior quæratur. Tutius enim eſt, aut ſaltem minus malum populo Chriſtiano tempore aliquo Paſtore carere, quam diſcolum, ſtultum, & malum habere, qui non ut Paſtor, ſed ut Mercenarius proprium bonum quærat, vel ut lupus oves diſperdat. Ad hoc *cap. Tres perſonas 23. quæſt. 4.* Rurſus itidem ait in reſponſione ad ſecundum diſcordiæ, lites, imò, & contentiones poſſunt eſſe in electione Papæ abſque peccato, dummodò ſic diſcordantes ordinent eorum conſcientiam ad bonum ſtatum Eccleſiæ. Ad quod inducit authoritatem Daniel. 10. *ut ibi per eum, Salvo, &c.* 69

DE TRANSACTIONIBUS.

Alexander III. Abbati de Straphor. & Priori de Phe.

CAPUT VIII.

VEniens ad Apoſtolicæ Sedis clementiam Magiſter G. de Favill. ſua nobis inſinuatione monſtravit, quòd Monachi majoris monaſterii terras in Parochia ſanctæ M. de Marchia excolunt, & ab eadem Eccleſia coloni eorum omnia Eccleſiaſtica, tàm neceſſaria quàm voluntaria, ſuſcipiunt ſacramenta; & tamen eidem Eccleſiæ decimas ſolvere contradicunt: & infrà. Arbitrantur autem ſe poſſe tueri cujuſdam tranſactionis prætextu, inter præfatos Monachos & quemdam ſacerdotem memorati G. prædeceſſorem factæ, ut de duabus carruatis terræ, quas in dominio ſuo Monachi tenent, tertiam tantùm decimarum partem exſolvant: & infrà: Mandamus, quatenus niſi præfati Monachi, tranſactionem præſcriptam authoritate Apoſtolica confirmatam eſſe docuerint, cùm aliàs inter perſonas facta potiùs quàm inter Eccleſias videatur, nec pacta inter alios acta aliis obeſſe patiamur: ipſos & agricolas, decimationes ex quibuslibet rebus provenientes ex integro, & illarum quas illicitè detinuerant, juſtam æſtimationem reſtituere eidem Eccleſiæ compellatis.

SUMMARIUM.

1 *TRanſactio facta de rebus Eccleſiæ per Prælatum ſine conſenſu ſuperioris non obligat ſucceſſorem.*
2 *Sed valet in præjudicium tranſigentis, & quamdiu Eccleſiam poſſidebit.*
3 *Tranſactio perſonalis efficitur realis, & obligat etiam ſucceſſores ſi fuerit per Sedem Apoſtolicam confirmata ex certa ſcientia.*
4 *Papa poteſt facere, ut tranſactio, quæ nulla eſt, ſit aliqua.*
5 *Plus de nihilo aliquid facere, quàm de aliquo aliud.*
6 *Concordiæ per Papam confirmatæ ex certa ſcientia & cum cauſa cognitione non ſunt ſublatæ à Concilio Trid. c. 4. ſeſſ. 6. & c. 6. ſeſſ. 25. & n. 10.*
7 *Secus in pacto gratuito.*
8 *Tranſactio omnis eſt pactum, ſed non è converſo.*
9 *Attrebatenſis Epiſcopi concordia, ſeu exemptio an fuerit à Conc. Trid. ſublata, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
10 *Congregatio Concilii conſulitur à Nuncio Apoſtolico in Belgio de conſenſu Conſilii Privati Archiducis in ſcriptis habito.*
11 *Concordia ex quibus diverſificetur à pacto gratuito ſeu privilegio.*
12 *Exemptionis privilegium ab Epiſcopo conceſſum non obligat ſucceſſorem.*

Tran-

13 *Tranſactionis ſubſtantiale eſt, ut aliquid utrinque detur, aut remittatur.*
14 *Reſervatio juris nihil dat, & nihil aufert, ſed tamen ius reſervantis conſervat.*
15 *Prælati tenentur ſibi mutuum præſtare auxilium.*
16 *Tranſactio fit ſuper re dubia, & lite incerta; aliàs non tenet.*
17 *Concordia in latiori ſignificatione accipitur, prout contra diſtinguitur à diſcordia.*
18 *Supplicationi tamquam matrici magis ſtandum eſt, quàm litteris.*
19 *Enunciativis Papæ in litteris ad ſupplicationem non ſtatur in præjudicium tertii.*
20 *Juramenta contra utilitatem Eccleſiæ periuria potius dicenda ſunt.*
21 *Juramentum Prælati de non repetendis juribus Eccleſiæ ſuæ non valet.*
22 *Confirmatio non dicitur ex certa ſcientia, ſi illius tenor ſit incertus in litteris, non autem in ſupplicatione.*
23 *Clauſula*, quorum tenores, *in ſupplicatione cum facultate inſerendi tenorem in litteris, inducit ſcientiam Papæ fictam, non autem veram.*
24 *Scientia Papæ ubi requiritur vera, non ſufficit ficta, vel præſumpta per clauſulam*, quorum tenores.
25 *Ex mere à ſe pleno jure non poteſt Epiſcopus Eccleſias ſibi ſubjectas.*
26 *Exempti ſimpliciter à juriſdictione Epiſcopi ſunt Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti.*

1 VEniens. Tranſactio facta de rebus Eccleſiæ per Prælatum ſine conſenſu Superioris non obligat ſucceſſorem. Hoc dicit. Prima poſt factum narrat. Secunda dat judices, ibi, *Mandamus*.

2 In textu ibi, *Inter perſonas facta potius, quàm inter Eccleſias*. Nota ſingulariter tranſactionem à Prælato initam ſuper juribus Eccleſiæ validam eſſe in ſui præjudicium, & quamdiu Eccleſiam poſſidebit, etiamſi Superioris auctoritas non intercesserit; ſed non obligare ſucceſſores, cùm ſit merè perſonalis, ut hìc eſt caſus multum notabilis, ſecundùm Jo. Andr. & omnes: & notat Abb. *num.* 1. Ab hoc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.* 4. ibi, *Concordiis quæ ſuos tantum obligent Auctores, non etiam Succeſſores, & ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 6.

3 In gloſſa *in ver. Confirmatam*, nota ex hac gloſſa tranſactionem perſonalem fieri realem, & obligare etiam ſucceſſores ſi fuerit per Sedem Apoſtolicam confirmata, ut dicitur in textu, dummodò tamen confirmatio non ſit in forma communi, ſed ex certa ſcientia, ut gloſſa dicit.
4 Nam Papa poteſt facere, ut tranſactio, quæ nulla eſt, ſit aliqua, arg. *cap. ult. 16. quæſt.* 1. *& cap. Cum Apoſtolica de iis, quæ ſiunt à Prælat.* Ergo multò magis poteſt efficere, ut ſit
5 alia, ſeu alterius naturæ; quia plus eſt de nihilo aliquid facere, quàm de aliquo aliud, arg. *cap. Re vera, de conſecr. diſtin.* 2. *& l. unic. circa princip. Cod. de rei uxor. act.* & cum gloſſ. conſentiunt Innoc. *num.* 1. *in ver. Confirmatum*, Hoſt. *num.* 3. *in ver. Auctoritate Apoſtolica*, Joan. Andr. *nu.* 10. *ver. In gloſſ.* 3. Butr. *n.* 14. Abb. *num.* 2. & alii communiter.
6 Et ex hac gloſſa collige, tranſactionem, ſeu concordiam in formam ſpecificam à Sede Apoſtolica confirmatam ſuperinduere aliam naturam, & habere duplex vinculum ad obligandum; Unum ſcilicet à Prælato tranſigente, aliud à Superiore confirmante, ut notat gloſſ. antepenult. in Clem. *Dudum de ſepult.* Quo fit, ut Concil. Trident. tribuens Epiſcopis facultatem viſitandi Capitula exempta *in cap.* 4. *ſeſſ.* 6. & procedendi contra Capitulares cum adjunctis *in cap. 6. ſeſſ.* 25. quamvis utrobique ſuſtulerit concordias: non tamen cenſeatur ſuſtuliſſe confirmatas à Sede Apoſtolica ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, ut per illam gloſſ. aliàs reſolvit Rota: & declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres, ut dixi *in c. Si quis num.* 24. *&* 34. *infr. de confirm. util. vel inutul.* nam per hujuſmodi derogationes non cenſetur derogatum pactis, ut præfetur, confirmatis, Puteus *deciſ.* 171. *lib.* 3. Achill. *deciſ.* 1. *de confirmat.* Romanus *ſingular.* 7. Alex. *in l.* 1. *nu.* 25. *ff. ad l. Falcid.* Ruin. *conſ.* 201. *num.* 13. *lib.* 1. Sarnen. *in re-*
7 *gula de Annali q.* 78. *num.* 5. Hoc tamen intelligas dummodò agatur de vera, & reali concordia; ſecus ſi de pacto gratuito: nam etſi omnis tranſactio, ſeu concordia ſit pactum, ut probat littera hujus textus, ibi, *Ne pacta inter alios acta*: & notat Butr. *num.* 10. tamen non convertitur, quia pactum gratuitum non eſt concordia; & confirmatio Apoſtolica reſolvitur in nudum privilegium, quod ſublatum eſt à Concilio. 8

Hinc ſumpta occaſione QUÆRO, de quæſtione facti.
Fortigarius olim Attrebaten. Epiſcopus anno 1439. exemit, ac totaliter liberavit Eccleſiam ſuam Cathedralem, ejuſque Canonicos, Præbendatos, ac Miniſtros à ſua, & ſucceſſorum ſuorum juriſdictione ſpirituali, ad temporali, & hanc exemptionem poſt aliquod menſes confirmavit Eugenius IV. Nuper verò cùm preſens Epiſcopus vellet procedere contra præbendatum dictæ Eccleſiæ ob delictum inceſtus ab eo, ut dicebatur, patratum in vim *cap.* 4. *ſeſſ.* 6. *& cap.* 6. *ſeſſ.* 25. Concil. Tridedt. quod ſuſtulit hac in parte quæcumque Capitulorum privilegia, & exemptiones: Capitulum objecit coram Nuncio Apoſtolico in Belgio, cui cauſa commiſſa fuerat conceſſionem Epiſcopi Fortigarii non eſſe ſimplex privilegium, ſed concordiam, quæ cùm fuerit confirmata ab Eugenio ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, propter duplex vinculum non erat ſublata per decretum *dict. cap.* 4. *&* 6. Quemadmodum ſæpiùs reſpondit Sac. Congregatio Concilii, ut tetigi ſuprà *num.* 6. De quo quidem articulo Nuncius accedente ad hoc expreſſo conſenſu Conſilii Privati Archiducis in ſcriptis habito, Sac. Congregationem duxit conſulendam, tamquam de articulo pertinente ad interpretationem ipſius Concilii: Itaque nunc quæritur, an prætenſa concordia fuerit à Concilio ſublata, necne. 9 10

Multa hinc inde afferuntur ab Advocatis, ſed difficultas reſtringitur potiſſimum ad duo capita. 11

Primum eſt, an conceſſio Epiſcopi Fortigarii ſit verè concordia, quam Concilium præſervat ex ſententia Sac. Congregationis; an verò nudum privilegium, quod tollitur decretis *dict. cap.* 4. *&* 6.

Secundum caput eſt, quatenus ſit concordia, an poſteà fuerit confirmata ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, quemadmodum requiritur ad hoc, ut non cadat ſub Concilii derogationibus.

Quoad primum videtur reſpondendum ejuſmodi conceſſionem eſſe nudum privilegium, ſeu pactum gratuitum, non autem concordiam propriè ſumptam. Id autem probatur à cauſis conceſſionis, & à rebus, quæ conceduntur.

Cauſa fuit beneficiorum retributio: nam cùm ille Epiſcopus Forrigarius diù fuiſſet Canonicus, & Archidiaconus Attrebatenſis Eccleſiæ, & probè à Canonicis tractatus, ideòque benè affectus erga Capitulum, & jura illius; Cumque ab eodem Capitulo in Epiſcopum electus fuiſſet, quod conſtat ex inſcriptione ejus ſepulturæ exhibita, & ex litteris Eugenii IV. volens parem gratiam referre Capitularibus, conceſſit illis exemptionem tam exorbitantem in grave detrimentum Eccleſiæ, ac Succeſſorum ſuorum. Quod conſtat ex illis verbis conceſſionis: *Accedit ſocialis dudum cum memoratis fratribus convictus, ac ſpatio fermè* 22. *annorum in ipſa Attrebaten. Eccleſia intitulatio, de cujus bonis enutriti ſumus, priùs quidem in Canonia, & Præbenda, poſtmodum in Archidiaconatu, utrobique pacificè, utrobique modeſtè tractati: Undè nobis juſtum videtur eidem Eccleſiæ noſtræ reſpondere vices; & qui nos benignè, ac familiariter ſupportarunt, eos ad majora vocari paterno proſequamur affectu, & favore gratioſo.*

Quæ quidem verba apertè ſonant in gratuitam conceſſionem, & gratiam, non autem in concordiam, *cap. Gratiam* 1. *qu.* 1. *cap. Si gratioſe de reſcript. lib.* 6. Rurſus intentio principalis Epiſcopi fuit præſervare, atque augere privilegia Capitularium, quod patet illis verbis, *Ad fratres noſtros cariſſimos humaniter inclinati, eorum libertates, & privilegia volumus inviolabiliter obſervari, & quæ obſcura in eiſdem videbantur, augendo ad clarum reducere*, & infrà: *Juncto etiam quod comperimus eoſdem fratres noſtros à nonnullis Prædeceſſoribus noſtris Epiſcopis quam plura privilegia, & libertates obtinuiſſe, nos inducunt ut eos gaudere velimus ſuis libertatibus, & exemptione.*

Cùm autem ejuſmodi privilegia non obligarent ſucceſſores, *c. Cum venerabilis*, ubi Innoc. & Abb. notant *infrà de cenſib.* & patet ex dictis ſuprà *num.* 1. *&* 2. hinc apparet mentem Epiſcopi Fortigarii fuiſſe merum privilegium concedere, non autem tranſigere, aut concordare. 12

Ac

Ac demum finis Epiſcopi fuit antiquas lites extinguere, & pacificè vivere, non per viam tranſactionis, ſed per viam ceſſionis jurium ſibi competentium. Quod ſimiliter patet ex conceſſione, ibi, *Ut pro veritate, & pace acquirenda, & ſervanda parum nobis videatur cedere juri, vel rebus noſtris.* Hæc enim verba, & alia ſupraſcripta cùm ſint appoſita in proœmio, indicant mentem, & cauſam finalem Epiſcopi concedentis, *l. Cùm hic in princip.*& ibi Bart. *num.* 4. *ff. De tranſact.* Oldrad. *conſ.* 103. *Quæſtio eſt, verſ. Secundo ex hoc*, Alex. *conſ.* 7. *Viſis num.* 3. *lib.* 2.

23 Sed clariùs hoc idem colligitur ex rebus, quæ conceduntur: nam cùm de ſubſtantia tranſactionis ſit, ut aliquid utrinque detur, aut remittatur, *l.* 1. ubi Doctores, *ff. De tranſact. l. Tranſactio, C. Eodem*, Rota diverſorum *dec.* 119. *nu.* 2. *par.* 2. tamen in hac aſſerta concordia Epiſcopus concedit Capitulo quam plura, eaque maximi ponderis; & viceverſa aut nihil prorſus recipit, aut ita leve, ut parum diſtet à nihilo.

Nam Epiſcopus concedit primò, ut Canonici omnes, Capellani, & Vicarii, Choreales, & alii quicumque habitum dictæ Eccleſiæ deferentes ſint prorſus exempti à juriſdictione tàm ſpirituali, quàm temporali Ordinarii Attrebatenſis.

Secundò concedit, ut Eccleſia Attrebatenſis ſit omninò libera ab eadem juriſdictione Epiſcopi, itaut Epiſcopi non poſſint in eadem Eccleſia ſua, ſeu clauſtro, vel domibus ejuſdem facere, aut mandari facere aliquam perſonam citari, vel moneri, aut aliquam juriſdictionem exercere, nec in illis valvis affigere litteras cenſurarum, ſeu pœnarum, & aliàs quaſcumque niſi cedulas pro Ordinibus celebrandis.

Tertiò concedit Epiſcopus, ut omnes ſervitores dictorum de Capitulo in ſuis domibus commorantes ſint ſimiliter omninò exempti à juriſdictione ſpirituali, & temporali Epiſcoporum pro tempore.

Quartò, ut duæ domus juriſdictionis Eccleſiæ Attrebatenſis ſint de totali juriſdictione ſpirituali, & temporali Capituli.

Quintò, ut Eccleſia Parochialis ſita in clauſtro Cathedralis, quam dicit eſſe de juriſdictione, & dominio Capituli, ſit eodem modo exempta ab Epiſcopo, & ſucceſſoribus.

Sextò concedit, ut oblationes, quæ fient in Capella domus Epiſcopalis, ipſi de Capitulo, & Curatus recipiant, ut conſueverunt, exceptis tamen oblationibus, quæ offeruntur Epiſcopo in conſecrationibus Epiſcoporum, & benedictionibus Abbatum, & Abbatiſſarum.

Septimò concedit, ut ſi aliquis ex deferentibus habitum dictæ Eccleſiæ captus fuerit à miniſtris Curiæ Epiſcopalis teneatur Epiſcopus illum ſtatim remittere Capitulo, ſicut Capitulum tenebitur facere de familiaribus Epiſcopi.

Octavò concedit, ut ſi Canonici, & Beneficiati emere voluerint domos exiſtentes in juriſdictione temporali Epiſcopi ejuſmodi emptionibus, atque etiam donationibus teneantur Epiſcopi conſentire; ſalvis tamen eorum juribus.

Nonò, ut Canonici, & Beneficiati liberè uti poſſint privilegio Apoſtolico de percipiendis fructibus non reſidendo, & renunciat liti ſuper hoc introductæ in Romana Curia.

Ac demum Epiſcopus jurat obſervationem prædictorum Capitulorum, promittitque per ſe, & ſucceſſores ſuos numquam contravenire, nec contra ea diſpenſationem proſequi, aut obtinere, ut patet in inſtrumento exhibito in forma probanti.

Videamus nunc quid è converſo recipiat Epiſcopus à Capitulo pro ejuſmodi conceſſionibus adeò præjudicialibus Eccleſiæ Attrebatenſi. Et quidem toto tenore inſtrumenti perſpecto reperitur Epiſcopum non recipere, niſi hæc quatuor, quæ ſequuntur.

Primò enim, dum Epiſcopus transfert in juriſdictionem Capituli duas domus ad Epiſcopatum pertinentes, ut dictum eſt ſupra; adjicit hoc pactum, ut ſi (quod abſit) Capitulum locaverit dictas domus alicui, qui publicè in iiſdem vendat vinum, illo caſu Epiſcopus recipiat jus af-

14 ferragii, ideſt galellam pro venditione dicti vini. Hæc reſervatio ridicula eſt; transtulit enim Epiſcopus duas domus pro obolo in incertum eventum; & tamen nihil per hanc reſervationem eſt aſſecutus, quia Epiſcopi Attrebatenſes habent hoc jus afferragii in aliis domibus. Unde tradendo domos ſuæ juriſdictionis Capitulo, reſervavit ſibi illud jus afferragii, quod prius habebat: Reſervatio enim nihil dat, & nihil aufert, ut Bald. *ait in l. Peremptorias, C. Sent. reſcin. non poſſ.* & fit ad conſervandum jus reſervantis, non autem ad acquirendum de novo, *l. At ſi quis, §. Plerique, ff. de religioſ. & ſumpt. funer. l.* 3. *§.* 1. *ff. Quib. modis pignus, vel hypoth. ſolu.* cum aliis adductis per Cravet. *conſil.* 29. *Pro Clariori num.* 8.

Secundò, dum Epiſcopus eximit Capitulum à ſua juriſdictione, adiicit hanc conditionem, ut in delictis degradationem requirentibus Promotor Epiſcopalis poſſit intereſſe proceſſui fabricando, abſque eo tamen, quod per hoc Epiſcopo ulla juriſdictio acquiratur; ſed ſolùm ad conſulendum, & videndum an dicti proceſſus juſtè fiant. Hoc loco ſimiliter Epiſcopus nihil acquirit, ſed ſolùm retinet minimam quamdam particulam juriſdictionis Epiſcopalis, quam priùs habebat: nam cùm delicta hæc graviora ab ipſo punienda eſſent, *cap. de perſona* 11. *quæſt.* 1. nec de jure teneretur niſi Capituli conſilium requirere, *c.* 3. *de conſuet. lib.* 6. *c. Novit, &c. Quanto infra de his quæ fiunt à Prælat.* tamen privat ſe ſua juriſdictione, nec ſibi retinet niſi nudam aſſiſtentiam ſui officialis in proceſſu fabricando.

Tertiò loco Epiſcopus promittit, ubi fuerit requiſitus, mittere ejus ſubditos ad deponendum coram Capitularibus in cauſis pendentibus in Capitulo; & pari modo vult ut Capitulum mittere teneatur ejus ſubditos ad deponendum coram Officiali Epiſcopi. Sed hìc quoque nihil Epiſcopus recipit: tum quia omnes tenentur coram Epiſcopo teſtimonium ferre, *cap.* 1. *& tot. tit. de teſt. cogen.* etiam in cauſa criminali, *cap. Super eo*, ſecundùm communem intellectum, *cap. Pervenit, & cap. ſeq. eod. tit.* Tum quia 15 uſu receptum eſt ut ſubditi unius Prælati mittantur ad teſtimonium ferendum coram alio Prælato; nec tamen propterea ulla juriſdictio alicui acquiritur. Tenentur enim Prælati ſibi mutuum præſtare auxilium, *cap. Præcipimus, & cap. Perlatum* 90. *diſtinct. cap.* 1. & ibi gloſſ. *ult. ſupra de tregu. & pac.* & vide quod ibi dixi *in* 5. *notab.* Ac demum, quia promiſſio de mittendis ſubditis ad teſtimonium ferendum, habet ſuam compenſationem à promiſſione, quam ſimiliter facit Epiſcopus de mittendis ſuis ſubditis ad teſtimonium ferendum coram Capitulo. Unde non poteſt Capitulum prætendere ut hæc promiſſio, quæ leviſſima eſt, debeat æquivalere aliis conceſſionibus Epiſcopi, ita ut propterea illius conceſſio appellari debeat concordia propriè ſumpta.

Quarto denique ſtatuit Epiſcopus ut deberet peti à Sede Apoſtolica confirmatio dictarum ordinationum communibus expenſis; id eſt Epiſcopi, & Capituli. Et in hoc quoque non ſolùm Epiſcopus nihil conſequitur, ſed mirum eſt eum voluiſſe contribuere pro ſumptibus confirmationis privilegii tam enormiter damnoſi Eccleſiæ ſuæ, *ad l. Sed an ultra, §. Is autem, & §. Ego vero, ff. de negot. geſt.*

Ex his ergo liquet quàm longè diſtet dicta conceſſio à 16 natura tranſactionis, ſeu concordiæ propriè ſumptæ, quæ non fit niſi ſuper re dubia, & lite incerta, aliàs non tenet, *l.* 1. *& l. Poſt rem judicatam, ff. de tranſact. & l. Eleganter, §. Si poſt rem judicatam, ff. de condiction. indebit.* & ex facto reſpondit Abb. *conſ.* 15. *duo ſunt per tot. lib.* 2.

Neque obſtat quòd Epiſcopus utatur verbo, *concordavimus*; quia hoc verbum accipitur latiori ſignificatione, 17 prout importat receſſum à diſcordia: quod ſatis patet ex illis verbis: *ut rata ſint, & firma inter nos fœdera pacis, certa capitula communi conſenſu edidimus.* Et hoc etiam modo accipi debet verbum, *concordia*, appoſitum in litteris confirmationis Eugenii IV. ideſt prout contradiſtinguitur à diſcordia juxta textum in *leg.* 2. ubi Paul. de Caſtr. & alii *de jurejur.* & Bald. *in leg. De fideicommiſſo in* 1. *notab. C. de tranſaction.* Præterquamquod in ſupplicatione nullibi legitur hoc verbum, *concordia*, ſed ſolùm in ea dicitur, Epiſcopus Fortigarius de conſenſu edidit, & ordinavit.

Supplicationi autem tamquam Matrici magis ſtandum 18 eſt, quàm litteris, Verall. *deciſ.* 75. *num.* 6. *& deciſ.* 227. *lib.* 1. Rota *deciſ.* 730. *num.* 1. *part.* 2. *recentior.*

Et quidquid ſit de nomine, ſtandum eſt veritati, non 19 autem enunciativis Papæ in facto alieno in præjudicium tertii, etiamſi in eis fundaret intentionem ſuam, quando emanarunt ad ſupplicationem partium, non motu proprio, Alex.

Alex. *conſil.* 11. *Viſa copia litterarum nu.* 2. ubi de comm. *lib.* 7. *& num.* 5. ubi ait omnes in hoc concordare. Hanc etiam eſſe communem concluſionem dicit Rota *deciſ.* 154. *part.* 2. *diverſor.*

20 Non obſtat juramentum ab Epiſcopo præſtitum ſuper obſervatione dictorum Capitulorum. Quoniam non juramenta, ſed perjuriæ potius ſunt dicenda, quæ contra utilitatem Eccleſiaſticam attentantur, dicit text. in *c. Si-*
21 *cut, de jurejur.* Ideòque non valet juramentum præſtitum à Prælato de non repetendis juribus, aut rebus Eccleſiæ ſuæ, *c.* 2. *eod. tit.* Et quamvis actus eſſet talis, ut potuiſſet validari juramento, non tamen valuiſſet ut tranſactio, ſeu concordia præſervata à Concilio, ſed ut pactum gratuitum a Concilio ſublatum, ut per Riminal. Jun. *conſ.* 28.
22 *num.* 7. *lib.* 2. Sed quatenùs prædicta conceſſio verè eſſet concordia, non tamen videtur confirmata ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, quia totus tenor fuit inſertus in litteris tantùm: in ſupplicatione autem, cui magis eſt ſtandum, ex dictis ſupra *num.* 18. non fuerunt expreſſa omnia ſubſtantialia, ſed ſolùm primum, & ſecundum caput exemptionis initio propoſitum. Et quamvis
23 propter clauſulam, *quorum tenores*, cum facultate ipſum tenorem inſerendi in litteris, inducatur ſcientia Papæ juxta *conſ.* 2. Anton. de Butr. quod incipit, *Viſis litteris*, & duplicatur *conſ.* 49. *num.* 1. tamen illa ſcientia dicitur ficta, vel præſumpta, ſecundùm Butr. *ibid.* quia Papa verè igno-
24 ravit id, quod in litteris inſertum fuit. At ubi requiritur certa ſcientia cum cauſæ cognitione; non ſufficit ſcientia ficta, quæ inducitur per dictam clauſulam, *quorum tenores*, ſed requiritur ſcientia vera, ut in terminis tradit Mareſcot. *variarum lib.* 2. *cap.* 57. *per totum*, Ferret. *conſ.* 38. *In cauſa Burgundiorum, num.* 2. *& ſeqq. & num.* 6. *&* 8. Seraph. *deciſ.* 981. *num.* 1. & Mant. *deciſ.* 222. *per totam.* Præſertim verò, quia in eadem ſupplicatione habita fuit relatio ad inſtrumentum conceſſionis his verbis: *Nonnullaque alia, diverſa, honeſta, & utilia ipſius Eccleſiæ, & ejus perſonarum decus, decorem, & ſtatum contingentia. Idem Epiſcopus fecit, ſtatuit & ordinavit, prout in Epiſcopi litteris plenius continetur.* Ex quorum verborum involucro potiùs apparet Pontificem deceptum fuiſſe; quàm ut veram ſcientiam habuerit, ut per Ferrettum, & Mant. *locis cit.* Et eo magis quia Eugenius ob graviſſimum ſchiſma, quod tunc torquebat Eccleſiam Dei, Florentiam ſe receperat, & ſummis perturbationibus agitatus minus vacare poterat negotiis peragendis, patet ex Hiſtoria Concilii Florentini *tom.* 4. *Concil. par.* 1. *fol.* 411.

Quod dicitur ante exemptionem Epiſcopi Fortigarii 25
Capitulum Attrebatenſe fuiſſe ſubjectum prius Archiepiſcopo Rhemenſi, ac poſtea Cameracen. eſt merum commentum, nam exemptio illa ab initio fuit nulla, cùm Epiſcopus non poſſit Eccleſias ſibi ſubjectas pleno jure eximere ſecundum communem ſententiam Canoniſtarum in *cap. Cum venerabilis*, ubi Abb. *num.* 3. *de cenſ.* Feder. de Sen. *conſ.* 111. *Quæſtio talis eſt, An Diœceſanus*, *num.* 4. Abb. in *c. Cum olim*, *il* 2. *num.* 4. *de privil.* Felin. in *cap. Cum inter*, *num.* 4. *circa princ. verſ. In contrarium, de re judic.* Ubi teſtatur hanc eſſe magis communem opinio- 26
nem. Unde propter confirmationem Apoſtolicam illa fuit ſimplex exemptio Papæ, *c. Conſtitutus, de religioſ. domib.* per quam manifeſtum eſt Capitulum remanſiſſe immediatè ſubjectum Sedi Apoſtolicæ, ut eſt text. in *cap. Si Papa de privil. lib.* 6. & notant Doctores in *cap. Cum inter vos, ſupra de conſuetud.* Et revera ſæpius audivi à Procuratoribus Epiſcopi Cameracen. eumdem Archiepiſcopum nihil juris prætendere, nec ullam juriſdictionem ſibi vendicare in Capitulum Attrebaten. ſed Capitulum ipſum hoc allegat ut remaneat acephalum, *c. Nulla ratione*, 93. *diſt.* *c. Abbatibus*, 18. *q.* 2. & notat Hoſt. *in c. Conquerente*, *n.* 8. *in ver. Subjectionem, ſupr. de Offic. Ordin.* Ac præterea etſi per dictam exemptionem remanſiſſet ſub Cameracen. jure Metropolitico; tamen Concilium *cap.* 4. *ſeſſ.* 6. & *cap.* 6. *ſeſſ.* 25. videtur ſuſtuliſſe non ſolùm exemptiones eorum, qui ſubſunt immediatè Sedi Apoſtolicæ, ſed etiam eorum, qui aliis, quàm ſuis Epiſcopis ſubjiciuntur ob ampliſſimas derogationes, quibus utitur, uſque ob rationis identitatem.

Inquirendum hìc eſſet an Concilium Tridentinum *d. c.* 4. *ſeſſ.* 6. & *c.* 6. *ſeſſ.* 25. ſuſtulerit concordias à Sede Apoſtolica confirmatas in forma communi: ſed hunc articulum plenè examinavi in *c. Si quis, à n.* 24. *uſque in fin. inf. de confirm. util. vel inutil.*

DE POSTULANDO.

Ex Concilio Lateranen.

CAPUT I.

Clerici in ſubdiaconatu, & ſuprà: in ordinibus quoque minoribus, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur, coram ſæculari judice advocati in negotiis ſæcularibus fieri non præſumant: Niſi propriam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ fuerint proſecuti, aut pro miſerabilibus fortè perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt.

SUMMARIUM.

1 *Clericus in ſacris, vel minoribus beneficiatus in foro ſæculari poſtulare non debet, niſi pro ſe, vel ſua Eccleſia, vel miſerabili perſona.*

2 *Clericis opprobrium eſt ſi ſe peritos diſceptationum forenſium oſtendant.*

3 *Clerici in minoribus non beneficiati non prohibentur eſſe Advocati etiam pro laico in foro ſæculari.*

Et quid ſi aliunde habeant unde commodè vivere poſſint num. 5.

4 *Et quid in Clerico in ſacris non beneficiato, & indigente, & num.* 6.

7 *Clerici etiam in ſacris, & beneficiati coram Eccleſiaſtico judice etiam pro laico patrocinari non prohibentur.*

8 *Advocatus Clericus an poſſit ſalarium exigere.*

9 *Clerici quamvis generaliter prohibeantur eſſe Advocati, tamen unum negotium adminiſtrare non prohibentur.*

10 *Clerici in ſacris non beneficiati poſſunt in foro ſæculari eſſe Advocati pro negotiis, & cauſis Eccleſiaſticis.*

11 *Cauſæ Eccleſiaſticæ, quæ coram judice laico tractari poſſint dicuntur ratione perſonæ, delicti, aut rei, & num. ſeqq.*

12 *Clericus poteſt pro Clerico eſſe Advocatus in foro ſæculari.*

13 *Fidejubere non poteſt Clericus pro laico, & tamen poteſt pro Clerico.*

14 *Advocatus in cauſa propria poteſt eſſe quilibet Clericus, nec cogitur Procuratorem conſtituere.*

15 *Agere per ſeipſum facilius eſt, quàm alium conducere.*

16 *Advocatus pro Eccleſia ſua quilibet Clericus eſſe poteſt.*

17 *Item pro miſerabilibus perſonis.*

18 *Et quid ſi tales ſint divites, nec ſit timor oppreſſionis.*

19 *Item pro perſonis coniunctis.*

20 *Clericus in ſacris, & beneficiatus non prohibetur domi conſulere etiam in ſcriptis, & num. ſeqq.*

21 *Po-*

21 *Poſtulare quid ſit.*
22 *Advocationis, & procurationis munera Clerici in Romana Curia exercent ex tolerantia Pontificis.*
23 *Advocatus in cauſa ſanguinis Clericus eſſe non debet etiam pro reo.*
24 *Irregularis an ſit Clericus, qui fratrem ſuum criminaliter accuſatum ſuo patrocinio adiuvit, propter quod accuſatus fuit decapitatus.*

1 CLerici. Clericus in ſacris, vel minoribus beneficiatus in foro ſæculari poſtulare non debet, niſi pro ſe, vel ſua Eccleſia, vel miſerabili perſona. Hoc dicit. Secundùm Jo. Andr. cui cæteri conſentiunt. Dividitur in duas partes. Primò ponit prohibitionem, à qua. Secundò excepit, ibi, *Niſi*.

2 Nota primò ex hac decretali regulam negativam cum ſeptem declarationibus, quæ infrà juxta ordinem litteræ explicabuntur, quibus ſi adjunxeris alias tres habebis totam materiam breviter, & dilucidè explicatam.

Regula igitur hæc eſt. *Clerici in ſacris, vel in minoribus beneficiati advocationis officium exercere non poſſunt:* & ita hic eſt caſus ſecundùm Bald. Opprobrium enim eſt Clericis ſi ſe peritos diſceptationum forenſium oſtendere voluerint *leg. Repetita, C. De Epiſc. & Cleric. l. Conſulta divalia, C. De teſtam.* gloſſ. *ult. hic*, & communiter Doctores.

3 Declaratur primò hæc regula, ut locum non habeat in Clericis minorum ordinum non beneficiatis: nam cùm tales hìc prohibeantur poſtulare ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur; ergo à contrario ſenſu ſi talibus ſtipendiis non ſuſtententur, & ſic beneficium non habeant, non prohibentur; & ita hìc firmant gloſſ. 1. *verſ. Videtur à ſenſu contrario*. Innoc. *in princ.* dicens: *Si tamen non ſunt beneficiati, & in inferioribus ordinibus conſtituti, poſſunt coram ſæculari judice litigare*. Hoſt. *num.* 1. licèt Codex ſit mendoſus. Jo. Andr. *nu.* 2. *verſ. Conſtituti verò*. Abb. in 1. *n.* 4. *verſ. Si verè eſt Clericus in minoribus*.

4 Sed circa hoc emergit duplex difficultas. Prima difficultas eſt. Numquid hæc prohibitio locum habet in Clerico in ſacris, qui de facto competens beneficium non habet.

Ad partem affirmativam inducitur hoc capitulum quod conſtituit differentiam inter Clericos in ſacris, & in minoribus: nam Clericos in ſacris, prohibet fieri advocatos ſimpliciter, & abſolutè; in minoribus verò ita demum ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur. Ergo in ſacris conſtituti prohibentur, licèt beneficium non habeant. Et hanc differentiam agnoſcunt Joann. Andr. Bald. Bellam. Butr. & omnes ſupra in ſummario. Præterea ordinatus ad ſacros ſine competenti titulo poteſt agere contra Epiſcopum, ut ſibi provideat, *c. Epiſcopus ſi aliquem, & c. Cum ſecundùm, infrà de præben.* Ergo non ſubeſt cauſa cur liceat ipſi advocationis officium exercere. Et hanc partem ſequitur gloſſ. 1. hìc, dicens de iis, qui ſunt in majoribus ordinibus aliud eſſe dicendum, quàm de minoribus Clericis, quia illi in foro ſæculari advocare non debent, & ſine titulo ſunt promoti, Epiſcopus debet eis providere.

Contrarium, & meliùs tenet *hic* Hoſtienſ. *num.* 3. *verſ. Sed & conſtituti, & num.* 8. ubi firmat, Clerici ſacrorum ordinum, qui de facto egent, hac neceſſitate inſtante, licitum eſſe etiam advocationis officio ſibi victum quærere, argum. *c. Clericus victum, 91. diſt.* & *l.* 2. *C. De patr. qui fil. diſtraxer. cap. Conſilium, §. ult. de obſervat. jejun.* & ſequitur Abb. *hic num.* 4. Nec obſtat conſideratio gloſſ. quod talis egere non poſſit, cùm Epiſcopus debeat ei providere. Quoniam ut reſpondet Abb. fortè hoc ab Epiſcopo obtinere non poteſt vel propter impotentiam, vel indigentiam Epiſcopi, vel aliam cauſam, & ſanè ſcilicet Clerico in ſacris opus rurale exercere, ut *c.* 1. *de celebr. miſſar. d. c. Clericus victum*, ibi, *artificiolo, vel agricultura*, 91. *diſt. cap. Numquam, de conſecr. diſt.* 5. & rudem materiam emere, ut illam redigat in aliam formam, ut *c. Eiiciens*, 88. *diſt.* & notat gloſſ. *un. in c. Canonum*, 14. *q.* 4. quinimmò & negociationem, ſeu mercaturam exercere, ſi ex artificio nequeat ſibi victum comparare, ut dixi in *c. Secundum inſtituta, num.* 8. & 9. *infr. qui Clerici, vel Monachi*, longè magis eis licere debet urgente, ac neceſſitate victum ſibi quærere advocationis officio, cum hoc magis congruat dignitati Clericali: nam Advocati dicuntur Rempublicam defendere, nec minus proſunt humano generi, quàm milites armatæ militiæ, ut *l. Advocati, C. De Advoc. diverſ. judic.* quod veriùs, & æquius videtur.

Secunda difficultas eſt, an prohibitio hujus Decretalis vendicet ſibi locum in Clerico in minoribus, qui licèt beneficium Eccleſiaſticum non obtineat, tamen aliundè habet unde commodè vivere poſſit. 5

An partem negativam inducitur hæc littera, quæ interdicit Advocationis officium minoribus Clericis ſi redditibus Eccleſiaſticis ſuſtententur. Ergo à contrario ſenſu ſi non ſuſtententur redditibus Eccleſiaſticis, ſed patrimonialibus vel aliundè quæſitis, non obtinebit hæc prohibitio.

Contrarium puto verum, quia Clericis minorum ordinum etiam non beneficiatis non licet ſæcularibus negotiis ſe immiſcere, ſi aliundè habeant unde ſuſtententur, ut latiſſimè probavi in *cap.* 1. *num.* 83. *uſque in fin. infra. Ne Clerici, vel Monachi*. Officium autem advocationis in foro ſæculari eſt unum ex quatuordecim ſæcularibus negotiis, quæ Concilium Maguntinum interdicit Clericis in *d. c.* 1. per illa verba, *In placitis ſæcularibus diſputare*, ubi gloſſ. allegat text. noſtrum. Ergo hoc officium interdictum eſt Clericis etiam non beneficiatis ſi aliundè neceſſariam habeant ſuſtentationem.

Nec refragatur hæc Decretalis, quæ videtur ſuam prohibitionem reſtrinxiſſe ad Clericos, qui ſuſtentantur redditibus Eccleſiaſticis. Quoniam in hoc reſpexit ad id, quod de jure eſſe debet, quia etiam ad minores ordines quis promoveri non debet ſine titulo, ut *c. Non liceat*, & ibi dixi poſt gloſſ. 1. & Abb. *num.* 1. & 2. *infrà de præben.* licet de facto non ſervetur: ſed ſi titulo careant de facto, & tamen aliundè habeant unde ſuſtententur, idem dicendum videtur, quia ceſſat cauſa neceſſitatis, propter quam permittitur Clericis juſtum negotium exercere, ut in *d. c.* 1. *verſ. Nec tamen juſtum negotium. Ne Cler. vel Monach.* & notat gloſſ. *in ſumm. circa fin.* 14. *q.* 3. & Hoſt. *hic num.* 8. *verſ. Quid ergo ſi de facto egeant*; & cum hoc capitulum in conditione illa, ſi redditibus Eccleſiaſticis ſuſtententur, reſpexerit unum, & determinatum finem, ut ſcilicet non immiſceant ſe negotiis ſæcularibus Clerici non indigentes; non refert quid ex æquipollentibus fiat, ut *l. fin. ff. Mandati*. Unde quamvis beneficio careant ſi tamen non egeant, eo quod bonis patrimonialibus abundent, non videtur eis licere coram ſæculari judice cauſas agere, *cap. Quod pro neceſſitate*, 1. *q.* 1. ad hoc bonus textus in *c. Epiſcopus, il* 3. ibi, *Niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere, infrà de præben.* & ſecundùm hoc non erit differentia inter Clericos in ſacris, & Clericos in minoribus, & conditio illa, *ſi ſtipendiis*, &c. ad omnes erit referenda, nam ſi habeant unde vivant, nec iſti, nec illi poterunt in negotiis ſæcularibus patrocinari: ſi verò non habeant, & indigeant, utique poterunt tàm illi, quàm iſti: nam neceſſitate cogente etiam Clericis ſacrorum Ordinum licitum eſt poſtulare, ut hìc firmant Hoſt. *num.* 8. Joan. Andr. *num.* 6. *in ver. Non præſumant, & n.* 11. *circa fin. verſ. Tamen ſi de facto egeant*: & Butr. *num.* 4. & ita in hoc majores, vel minores Clericos pari paſſu ambulare affirmat Abb. *num.* 4. *verſ. Si verò eſt Clericus in minoribus*. 6

Nec prædictis adverſantur gloſſ. & Doctores ſupracitati *num.* 5. quia dum dicunt Clericos in minoribus non beneficiatos poſſe poſtulare ſupponunt eos eſſe pauperes propter defectum tituli, ſine quo de jure non ſunt promovendi, ut prædixi: & adde quod ſcripſi in *c. Sicut te, numer.* 27. *& ſeqq. infr. Ne Cleric. vel Monach.* ubi pluribus probavi, minores Clericos etiam non beneficiatos ſi aliunde habeant unde ſuſtententur, non poſſe tabellionatus officium exercere, cum & illud ſit genus negotiationis.

Declaratur ſecundò principalis regula ſuperius firmata, ut locum habeat in foro ſæculari dumtaxat, ut patet in text. ibi, *Coram ſæculari Judice*. Ergo à contrario ſenſu in foro Eccleſiaſtico Clerici etiam in ſacris, & beneficiati pro laico advocare non prohibentur: & ita per hanc litteram tenent Innocent. *num.* 1. Abb. Antiq. *num.* 3. Hoſtien. *num.* 8. *in ver. Sæculari*. Cardin. *in* 1. *notab.* & communiter Doctores, ut Abb. Siculus teſtatur *num.* 3. & idem Abb. in *c. Per venerabilem, num.* 2. *qui filii ſint legitim. in c.* 1. *num.* 3. 7

num. 3. *Ne Cler. vel Monach. & in cap. Cum eſſent num.* 2. *de teſtam.* Feder. de Sen. *conſ.* 270. *Quod Clericus in princ.* ubi reſpondit Clericum eſſe poſſe procuratorem laici in Curia Eccleſiaſtica, adjiciens hoc probari in *cap. Per venerabilem infra, qui filii ſint legit.* ubi apparet Archiepiſcopum Arelaten. fuiſſe Procuratorem Regis in Audientia Papæ, & notat Innoc. *in c. unic. num.* 3. *in ver. Imitari circa fin. verſ. Intelligo ſuprà de obligat. ad ratiocin.* confert text. *in c. Cum pridem ſuprà de pact.* quæ tamen declaratio fallit in Sacerdote, qui nec in foro Eccleſiaſtico poteſt regulariter patrocinari, ut plenè ſcripſi poſt Innoc. Joan. Andr. & alios
8 *in cap. ult. in* 1. *not. infrà eod.* An autem in caſibus, in quibus Clericus poteſt eſſe Advocatus, poſſit ſalarium exigere, vide textum *in cap.* 1. *&* §. *Hoc autem* 15. *qu.* 2. & quod hìc notant Abb. Antiq. *num.* 2. & alter Abb. *num.* 5.

9 Declaratur tertiò, ſecundùm Innoc. *in dicto cap. unic. in fin. de obligat. ad ratioc.* ubi ſingulariter ſic ait: *Ubicumque invenitur, quod Clerici non poſſunt eſſe Procuratores, vel Advocati intelligendum eſt generaliter: nam unum negotium Clericorum, vel Laicorum procurare, vel adminiſtrare non prohibentur:* & hoc dictum Innocentii ſequuntur Archid. *in cap. Pervenit num.* 1. *verſ. Ipſe tamen Innocentius* 86. *diſt.* & Feder. de Sen. *in præalleg. conſ.* 270. *n.* 1. *verſ. Poteſt etiam eſſe Procurator*, Abb. *in d. c. Per venerabilem nu.* 2. *verſ. Quinimo plus dico, qui fil. ſint legit. & in cap. Cùm I, & A, nu.* 12. *verſ. Secundo conſidero de ſent. & re judic.*

10 Declaratur quartò, ut procedat in negotiis ſæcularibus tantùm, prout loquitur hoc capitulum. Unde à contrario ſenſu negotiis, & cauſis Eccleſiaſticis Clerici etiam in ſacris, & beneficiati non prohibentur patrocinari coram Judice ſæculari: & ita arguit Innoc. *hìc num.* 3. cui adſtipulantur Hoſt. *n.* 9. *in ver. Negotii*, Joan. Andr. *n.* 3. *in ver. Sæcularibus*, Butr. *n.* 3. Card. *in* 14. *q. & reliqui omnes.*

11 Dicitur autem negotium Eccleſiaſticum, quod coram ſæculari Judice tractari poteſt: ratione perſonæ, veluti ſi Clericus agat contra laicum, quia ſequi debet illius forum, *cap. Cum ſit generale, & c. Si Clericus laicum de foro com-*
12 *pet.* & hinc collige Clericum poſſe pro Clerico poſtulare in foro ſæculari; ſecundùm Hoſt. *hìc num.* 11. Joan. Andr.
13 *num.* 3. *in ver. Sæcularibus.* Et eſt ſimile: nam Clericus non poteſt fide jubere pro laico, *cap. Te quidem* 11. *q.* 1. & tamen poteſt pro Clerico, *cap.* 1. 2. *&* 3. *de fidejuſ.* item dicitur negotium Eccleſiaſticum ratione delicti, ut quia pro ſacrilegio, vel alio crimine mixti fori Eccleſia voluit convenire laicum coram Judice ſæculari, quod poteſt, ut *in d. c. Cùm ſit generale.* Item ratione rei, de qua agitur, puta quia eſt Eccleſiæ ſecundùm Hoſt. *d. num.* 10. In his caſibus poterit Clericus eſſe advocatus etiam in foro ſeculari ut hìc per Abb. *num.* 3. *in ver. In negotiis ſæcularibus.*

14 Declaratur quintò propoſita regula, ut non procedat in cauſa propria in qua Clericus quilibet benè poteſt eſſe Advocatus in foro ſæculari, ut patet in textu ibi, *Niſi propriam cauſam*, & notat Innoc. *num.* 1. *verſ. Sacerdotes autem*, neque enim cogitur in propria cauſa Procuratorem
15 conſtituere, *cap. Querelam infrà de Procur.* & faciliùs eſt per ſe agere, quàm alium conducere, ſecundùm Hoſtien. *hìc num.* 12. Joan. Andr. *num.* 7. & Bellam. *num.* 1. *ver. Propriam cauſam*, & vide gloſſ. *in cap. De occidendis in ver. Pro ſe* 23. *q.* 5.

16 Declaratur, ſextò, ut non procedat in cauſa Eccleſiæ ſuę, cui Clericus deeſſe non debet, ſecundùm Hoſt. *nu.* 12. Joan. Andr. *num.* 7. & Bellam. *num.* 1. omnes *in verb. Eccleſiæ ſuæ.*

17 Declaratur ſeptimò, ut locum non habeat in cauſis miſerabilium perſonarum, ut viduarum, pupillorum, orphanorum, & conſimilium, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, ut dicitur in tex. & probatur *in cap.* 2. *& per tot.* 87. *diſt.* & idem dicendum de aliis perſonis, quæ numerantur *in l.* 1. §. *fin. & quinque ll. ſeq. ff. de poſtul.* ſecundùm Innoc. *hìc in fin.* Hoſt. *nu.* 12. *&* 13. Joan. Andr. *n.* 7. Bellam. *num.* 1. *in ver. Miſerabilibus, & plenius in* 1. *not.*

18 Verùm idem Hoſt. *num.* 13. ponderando verba illa textus, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, dicit legem non eſſe verbis, ſed rebus propriis imponendam, *l.* 2. *in fin. C. comm. deleg.* Ideòque non omnes viduas, & pupillos reputari miſerabiles, quia multoties ſunt divites & potentes; quare in talibus magis eſt conſideranda oppreſſionis potentia, quàm denominatio: de quo remittit ad ea, quæ notantur *in cap. Significantibus ſuprà de offic. delegat.* & eum ſequuntur hìc totidem verbis Joan. Andr. *num.* 8. *in ver. Non poſſunt*, Bellam. *num.* 1. *in eod. ver.* Card. *in* 6. *not.* qui reſtringit hunc textum ad impotentes propter ſumptus; & ſic ad pauperes, & Abb. *in* 3. *notab.* dicens ad hoc non ſufficere miſerabilitatem in habitu, ſed debere eſſe in actu: quia textus hoc non permittit indiſtinctè pro miſerabilibus, ſed pro illis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, ut quia ſunt viduę, & pauperes, vel ſi ſint divites non reperiunt advocatos. Tu adverte, quia ſecundùm hæc pro vidua, vel pupillo, aut orphano divite Clericus in foro laico patrocinari non poterit, niſi in caſu oppreſſionis, quod non puto verum, quia in his perſonis non requiritur oppreſſio, ſed conſideratur ipſa miſerabilitas propter fortunæ injuriam, ut probat text. *in l. unic.* §. *Quod ſi pupilli, C. quando Imper. inter. pupill. & vid. ibi.* Præſertim cùm alicujus potentiam perhorreſcunt ponderando dictionem, *præſertim*, quæ implicat idem in caſu contrario, prout illum textum ad hoc ponderat Natta *conſ.* 590. *Circa præſentem num.* 3. Alioquin ſoli pauperes potirentur privilegio miſerabilium perſonarum, & jura fruſtrà expreſſiſſent viduas, pupillos, ſeniò confectos, debiles, & diuturno morbo fatigatos, ut *in d. l. un.* & alios, de quibus per Innoc. & DD. *in d. cap. Significantibus de offic. deleg.* Nec placet expoſitio Cardinalis, quòd perſonæ miſerabiles hìc dicantur, quæ res proprias adminiſtrare non poſſunt, idest quoad ſumptus. Imò enim textus conſiderat potius impotentiam ex ipſa miſerabilitate provenientem, videlicet quia vidua propter ſexſus imbecillitatem, & carentiam viri, pupillus, & orphanus propter defectum ætatis, & parentum rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, nec habent defenſorem, ut benè per Nattam *d. conſ.* 690. *num.* 8. ad hoc *cap. Defenſionis* 87. *diſt.* ibi, *deſolati auxilio, & qui ſuis actibus adeſſe præ ætatis infirmitate non poſſunt*: pondera, quia non dicit propter ſumptus, ſed propter ætatis infirmitatem. Unde illorum patrocinium ſuſcipere opus pietatis eſt, quod & Sacerdotes decet impendere, ut *cap.* 1. *& per tot. ead. diſt.* quamobrem conſimilia privilegia competere perſonis miſerabilibus etiamſi divitiis affluant, latiſſimè defendimus in prædicta Decretali, *Significantibus à n.* 40. *verſ. Contrarium tenet Azo, uſque ad n.* 58. & hìc junge quod de cæco divite ſcripſi *in cap. Licèt à n.* 9. *uſque ad n.* 15. *infrà de cenſ.*

Declaratur octavò eadem regula ultrà text. ut non procedat in cauſa conjuncti, ſeu conſanguinei, in qua Clericus benè poteſt eſſe Advocatus in foro ſæculari, ut *in cap. final. infrà eod.* ſecundùm Innoc. *hìc num.* 1. *in ver. Sacerdotes autem*, Petrum de Sampſone, Abb. Antiq. & Hoſt. quos ſequitur Joan. Andr. *num.* 7. *in ver. Perſonis*, Bellam. *n.* 1. *circa finem in eod. ver.* Sed gloſſ. *in d. c. final.* dicit non eſſe verum indiſtinctè, ut Sacerdotes poſſint poſtulare pro conjunctis, ſed ſolùm quando ſunt impotentes, vel ita bonum Advocatum invenire non poſſunt: & ſequitur Anchar. *hìc num.* 2. qui videtur reſtringere illum textum ad conjunctos ſi ſunt miſerabiles, aliàs non per gloſſ. præallegatam. Sed certè hæc eſt magna reſtrictio ad illum textum, qui loquitur alternativè, ibi, *Pro perſonis conjunctis, aut miſerabilibus:* tamen gloſſa benè dicit, quia text. hoc permittit ſub illa conditione, *ſi neceſſitas immineat:* & vide quod ibi pleniùs ſcripſi *nu.* 7. *& ſeqq.* 19

Declaratur nonò, ut quamvis Clericus regulariter prohibeatur poſtulare, non tamen prohibeatur domi allegationes conficere, & conſilium petentibus dare etiam in ſcriptis, ſecundùm Alciat. *reſpon.* 91. *num.* 4. Nam poſtulare eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in jure apud eum, qui juriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſiderio contradicere, *cap. Infames*, §. *Sunt autem* 3. *q.* 7. *l.* 1. §. *Poſtulare, ff. de poſtul.* gloſſ. *in cap. ult. in ver. Poſtulare infrà eodem.* Pondera illa verba, *in jure*, ideſt in loco, in quo ſolet jus reddi, ut *l. penult.* §. *final. ff. De juſt. & jur.* & exponit gloſſ. *in d. l.* 1. *in ver. In jure*, ex quo ſequitur, ut prohibitus poſtulare non cenſeatur prohibitus domi conſulere, & hoc tenet Bartol. *in l.* 1. §. *Advocatus num.* 3. *&* 4. *ff. De var. & extraordin. cognit.* Abb. *ſupra in rubr. num.* 1. Alciat. *reſponſ.* 30. *num.* 22. *vol.* 1. Roſella, Angel. Silveſtr. Armil. & Tabien. omnes *in ver. Advocatus in princ.* 20 21

Declaratur ultimò ſupraſcripta regula, ut non obtineat in Curia Romana, ubi contrarium ſervatur de conſuetudine, ut atteſtatur Octavianus Veſtrius *in ſua pract. lib.* 3. *cap.* 4. 22

cap.4.num.4. dicens, *ex tolerantia Pontificis ſervatum eſſe, ut Clerici in Romana Curia Advocationis, & Procurationis publica munera exerceant contra juris regulas*, Majol. *de regul. lib.* 5. *cap.* 19.*num.*4.& noviſſimè Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 57. *num.* 38.

23 Porrò in omnibus illis caſibus, in quibus dictum eſt, Clericum poſſe in foro ſæculari advocationis officio fungi, hoc limitari debet, ut non procedat in cauſa ſanguinis, in qua Clericus ſe immiſcere non debet etiam ad defenſam accuſati propter periculum irregularitatis, ſi fortè ex ejus imperitia accuſatus ſuccumbat, & decapitetur, vel mutiletur, vel propter ipſius Advocati malitiam, & cavillationem, pœnam talionis ſubeat accuſator, ut hìc firmat Hoſt. *num.*6. cum quo Joan. Andr. *num.*11.& cæteri tranſeunt, & vide eumdem Hoſt. *in c. Ad audientiam*
24 *n.*11.*verſ. Quid ſi aliquis de homicid.* cujus dicta hunc tranſtulit Joan. Andr. ubi ſupra, ubi quærit de Clerico juriſperito, qui fratrem ſuum accuſatum criminaliter ſuo patrocinio adjuvit, adeòut abſolutus fuerit, & accuſator ultimo ſupplicio affectus, an ſit irregularis, & arguit pro, & contra, & poſt prolixam diſcrepationem videtur concludere Clericum non eſſe irregularem, ſi reus abſolvatur ex eo, quia accuſatur nil probavit, vel probavit per falſos teſtes, de hoc convictos: tunc enim videtur potius ex propria calumnia damnari, quam ex facto Advocati ipſius rei. Secus verò ſi conſtaret reum eſſe culpabilem, & Advocatus ſuis falſis probationibus, & allegationibus illum obtinuiſſet abſolvi, vel aliàs directè, & ſine proteſtatione, vel contra proteſtationem veniendo calumniam, accuſatoris arguiſſet, propterquod accuſator fuiſſet decapitatus: nam hoc caſu Clericus abſque dubio eſſet irregularis. Subdit tamen Hoſt. quod & ſi hæc magiſtraliter, & ad ſtudentium exercitium ſcripſerit, hujus tamen dubii ſolutionem Papæ reſervat, ad quem pertinet hujuſmodi dubia declarare, *cap. Per venerabilem,*§. *Rationibus infrà, qui fil. ſint legitim.*

DE POSTULANDO.

Gregorius IX.

CAPUT III.

Cum Sacerdotis ſit officium nulli nocere, omnibus autem velle prodeſſe. Nonniſi pro ſeipſo, vel Eccleſia ſua, vel (ſi neceſſitas immineat) pro perſonis conjunctis, aut miſerabilibus, ſibi licitum eſt poſtulare: & infrà. Clericus autem qui contra Eccleſiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus, vel procurator eſſe præſumit, tamquam ingratus poteſt (maximè ſi Clericus ſit ejuſdem Eccleſiæ) beneficio hujuſmodi ſpoliari.

S U M M A R I U M.

1 *Advocationis officium Sacerdoti exercere non licet. Etiam in foro Eccleſiaſtico.*
2 *Niſi in quatuor caſibus hic exceptis, n.* 5. *& ſeqq.*
3 *Sacerdotis officium eſt nulli nocere, omnibus autem velle prodeſſe.*
4 *Advocationis officium coram judice Eccleſiaſtico Clerici etiam in ſacris, & beneficiatis exercere poſſunt etiam pro laico; Sacerdotes ſecus.*
5 *Advocatus eſſe poteſt Sacerdos pro ſe, & Eccleſia ſua.*
6 *Cauſa Eccleſiæ non dicitur propria ipſius Rectoris.*
7 *Sacerdos poteſt eſſe Advocatus pro conjunctis, qui alium Advocatum non reperiunt, vel non æquè bonum.*
8 *Conjuncti dicuntur conſanguinei, & affines ex licita copula uſque ad quartum gradum.*
9 *Illicita verò uſque ad ſecundum.*
10 *Canonici, & Clerici ejuſdem Eccleſiæ veniunt conjunctorum appellatione.*
11 *Amicus intimus fraterna charitate dilectus poteſt dici conjunctus.*
12 *Sacerdos poteſt patrocinari pro miſerabilibus perſonis, etiamſi divites ſint.*
13 *Non tamen contra Eccleſiam ſuam, niſi immineat neceſſitas, & num.* 20.
14 *Sacerdos qui eſt Advocatus, vel Procurator, pro extraneo contra Eccleſiam, in qua, vel à qua beneficium obtinet, tamquam ingratus eſt ipſo jure privatus beneficio.*
15 *Libertus, qui contra Eccleſiam teſtificatur, vel agit, in ſervitutem revocatur.*
16 *Vaſſallus, qui eſt Advocatus, vel Procurator, contra Dominum poteſt feudo privari.*
17 *Beneficium collatum remunerationis cauſa non eſt gratuitum, nec eo privari quis poteſt propter ingratitudinem.*
18 *Doctor habens ſalarium à civitate non prohibetur contra eam eſſe Advocatus.*
19 *Donatio facta magiſtro ex cauſa diſciplinæ non eſt mera donatio, nec indiget inſinuatione.*
20 *Sacerdos, ſi neceſſitas immineat, poteſt eſſe Advocatus pro conjunctis contra Eccleſiam ſuam.*
21 *Vaſſallus, qui contra Dominum eſt Advocatus pro conjuncto, non poteſt ob id feudo privari.*

Cum Sacerdotis. Se ſummat, & partes per ſe patent. Secunda ibi, *Clericus.*

Nota ex prima parte textus regulam cum quatuor limitationibus. 1

Regula eſt, Sacerdoti non eſſe licitum advocationis officium exercere, ſeu poſtulare, ut hìc eſt expreſſum: & habet locum hæc regula etiam in foro Eccleſiaſtico: nam etſi Hoſt. *hic num.* 1. dicat appellatione Sacerdotum, de quibus loquitur hoc capitulum comprehendi etiam Clericos in ſacris, quinimò & in minoribus ſi ſint beneficiati, *& num.* 8. ſentiat Sacerdoti eſſe illicitum poſtulare in foro ſæculari dumtaxat, non autem in foro Eccleſiaſtico, niſi cum perceptione ſalarii: tamen ejus opinio ab antiquis, & modernis Doctoribus communiter reprobatur: Tum quia advocationis officium Sacerdotibus non prohibetur in hoc capitulo adjectis illis verbis, *coram ſæculari judice*, ſicut fit *in cap.* 1. *ſuprà eod.* Sed prohibetur ſimpliciter, & abſolutè. Ergo debet intelligi generaliter tàm in foro ſæculari, quàm in foro Eccleſiaſtico: Tum quia ſecundùm opinionem Hoſtien. hoc capitulum nihil adderet ad dictum *cap.* 1. & ſuperflueret, quia Clericis in ſacris, & inferioribus beneficiatis hoc jam fuerat prohibitum in eodem *c.* 1. Ergo aliquid ſpeciale voluit hæc Decretalis inducere in Sacerdote, cujus officium eſt nulli nocere, omnibus autem velle prodeſſe, ut hìc dicitur, & in *cap. Denique* 14. *q.* 5. & ſic Sacerdos non debet nocere alteri, neque in veritate, neque quoad opinionem, quia non debet inſervire uni, & alteri diſplicere, & ideò prohibetur advocationis officium exercere, ut hìc per Abb. *in* 1. *notab.* 2 3

Tene igitur differentiam eſſe inter Clericos, & Sacerdotes: nam Clerici etiam in ſacris, & beneficiati in foro Eccleſiæ poſſunt eſſe Advocati etiam pro laico, præterquam in cauſa ſanguinis, ut dixi *cap.* 1. *num.* 7. *& num.* 23. *ſuprà eod.* ſed Sacerdotibus hoc non licet etiam coram judi- 4

ce

ce Eccleſiaſtico, niſi in quatuor caſibus hìc exceptis; & ita tenent hìc Philipp. Pet. de Sampſ. & Innocen. *in princip. in ver. Poſtulare num. 2. in ver. Licitum*, Joan. Andr. *num.* 4. Collectar. *num.* 1. Bellam. *num.* 1. *in verb. Poſtulare*, & communiter moderniores ſequentes, ut teſta-
5 tur Abbas Siculus *num.* 5. *verſ. Et ex his ſentit*. Idem tenet Speculator *in tit. de Advocat. verſ. Sacerdos*. Primus caſus hìc exceptus, in quo Sacerdos poteſt eſſe
6 Advocatus, eſt pro ſeipſo. Secundus pro Eccleſia ſua: & hinc collige ſecundùm Abb. *hic in 2. notab.* cauſam Eccleſiæ non dici cauſam propriam ipſius Rectoris, cùm hìc ponantur ut diverſa: ad idem textus *in cap. 1. ſuprà*
7 *eodem*, ubi hoc ipſum notat idem Abb. *in 2. notab.* Tertius caſus hìc exceptus eſt pro conjunctis, pro quibus tamen ita demum licet Sacerdoti poſtulare, ſi neceſſitas immineat, ut dicitur in textu: nimirum quia propter impotentiam nequeunt habere advocatum, vel non æquè bonum ſicut Sacerdotem; prout hanc litteram exponit gloſſ. 2. Abb. Antiq. *num.* 1. *ver. Neceſſitas*, Hoſtienſ. *num.* 7. *in eod. ver.* Collectar. *num.* 3. Abbas Siculus *in 2. notab.* & reliqui omnes argum. *l. Exigendi, C. De Procurator.* & ſic limita quod de conjunctis generaliter
8 dixerunt Innocent. & alii *in cap. 1. ſuprà eodem*. Dicuntur autem conjuncti qui recenſentur *in l. Sed & hæc perſonæ, ff. De Procur.* & pleniùs *in cap. Infames, §. Nam ut præmiſimus, verſ. Alii enim omnes 3. quæſt. 7.* & latè per Anchar. *in dict. cap. 1. in 1. notab. ſuprà eodem*, ac præter eos etiam conſanguinei, & affines uſque ad quartum gradum, ut *l. Petitionem, §. Licentiam, Cod. De Advoc. diverſ. judic. & cap. Non debet infrà de conſan. & affinit.*
9 ſecundùm Hoſtienſ. *hic num. 7. in ver. Conjunctus*. Sed quoad affines hodie hoc intelligas ex legitima copula, quia affinitas ex fornicatione reſtricta eſt ad primum, & ſecundum gradum à Concilio Tridentino *in cap. 4. ſeſ-*
10 *ſion. 24. de reformat. matrimon.* Conjuncti etiam dici poſſunt conjunctione ſpirituali Confratres, ſeu Clerici ejuſdem Eccleſiæ, vel Canoniæ, argum. *cap. Cùm R. Canonicus ſuprà de offic. deleg.* & tenet hìc gloſſ. 2. Hoſtienſ. *ubi ſuprà, verſ. Et etiam de Concanonico*, Anchar. *in 2. notab.* Abb. *num.* 4. & plerique alii: licèt Cardin. contra
11 *in 5. quæſt.* Sed dic, ut proximè dicam de amico. Quinimò conjunctus dici poteſt etiam amicus intimus fraterna charitate dilectus, argum. *l. Nemo dubitat, §. Qui frater, ff. De hæred. inſtitut. l. Latæ, §. Amicos, ff. De verbor. ſignificat.* Quod ſatis poteſt permitti ſi non pecuniæ, ſed Dei charitas hoc operetur, ut inquit Hoſtienſ. *loco citato*, quem totidem verbis ſequitur Joan. Andr. *numero* 12. Butr. *num.* 18. Anchar. *ubi ſuprà*, licèt Abb. *num.* 4. videatur hoc indubium revocare, & contrarium teneat Cardinalis *in 4. quæſt.* magis placet primum quoad potentiam exercendi advocationis officium, licèt ſecùs ſit quoad potentiam agendi ſine mandato, ut per Butr. *ubi ſuprà*. Ad quod vide quod ſcripſi *in cap. Cùm M. numer. 9. ſuprà de Conſtit.*

12 Quartus caſus hìc exceptus, in quo licitum eſt patrocinari, eſt pro miſerabili perſona, nempè vidua, pupillo, orphano, & conſimilibus, de quibus *in cap. 1. & 2. 87. diſtinct. & in cap. 1. & 7. 88. diſtinct.* & per Innocent. & DD. *in cap. Significantibus ſuprà de offic. deleg.* & hoc intellige etiamſi non immineat neceſſitas, ideſt timor oppreſſionis, argum. *leg. Unicæ, §. Quod ſi pupill. verſ. Præſertim, Cod. Quand. Imper. inter pupill. & vidu.* nam conditio illa, quæ habetur in hoc cap. ibi, *ſi neceſſitas immineat*, videtur referenda ad conjunctas dumtaxat, non autem miſerabiles perſonas, de quibus textus loquitur disjunctivè per dictionem, *Aut, cap. Nos in quemquam 2. quæſt. 1.* Quod videtur ex mente gloſſ. 2. hìc dum ait, hanc Decretalem reſtringi quodammodò ad neceſſitatem quantum ad conjunctas; quaſi ſentiat non quantum ad miſerabiles. Ex quo infero, ut pro miſerabilibus perſonis poſſit Sacerdos eſſe Advocatus etiamſi divites ſint, ut ſcripſi plenè *in cap. 1. in 7. declaratione ſuprà eodem*.
Fateor tamen dari caſum, in quo non ſufficit, ut perſona 13
ſit miſerabilis, niſi immineat neceſſitas, videlicet ſi Clericus vellet eſſe Advocatus pro aliquo miſerabili contra Eccleſiam ſuam: hoc enim ei liceret tantùm neceſſitate imminente, ut hìc per Hoſtienſ. *num. 9. verſ. Quinimò*, & Joan. Andr. *num.* 7. & dicam infrà *num.* 20.

Secundo nota ex ſecunda parte textus uſque adeò pro- 14
hibitam eſſe Clerico Procuratoris, vel Advocati officio fungi pro extraneis contra Eccleſiam, à qua (ideſt ab Epiſcopo ſecundùm Abb. Antiq. *hic in fin.*) vel in qua beneficium obtinet, ut ex hoc cap. ſpoliari poſſit benefi-
cio tamquam ingratus, ut hìc eſt caſus ſecundùm omnes, 15
& dic ſpoliari, ſcilicet de facto, qui titulo eſt ipſo jure privatus, ſecundùm Hoſtienſ. *num. 13. in ver. Spoliari*, & Joan. Andr. *num.* 8. & eſt ſimile in liberto, qui contra Eccleſiam teſtificetur, vel agat, in ſervitutem revocatur, *cap. De famulis ſuprà de ſerv. non ordinan.* &
ex hoc inferunt Doctores, ut Vaſſallus non poſſit eſſe 16
Advocatus, vel Procurator contra Dominum; aliàs tamquam ingratus poſſet feudo privari, ut *in titul. In quib. cauſ. feud. amitt. in uſib. feud.* arg. hujus Decretalis, ut hìc in gloſſ. *ult.* & per Abb. *num.* 3.

Sed circa hoc declara primum hunc textum, ut pro- 17
cedat in beneficio gratuito. Secus verò ſi quis obtinuerit beneficium ab Eccleſia, vel civitate ex cauſa remunerationis, & pro ſervitiis impenſis, quia tunc beneficium non eſſet gratuitum; & ideò Clericus, aut Vaſſallus non poſſet eo ſpoliari propter ſuſceptum munus Advocationis, vel Procurationis contra Eccleſiam, vel Dominum feudi, ut tenet Speculator *de Advocat. §. 1. ver. Sed numquid poteſt num.* 22. & hìc firmant Vincentius, Abb. Antiq. *num. 2. in verſ. Clericus*, Joan. Andr. *n.* 5. Butr. *n.* 13. & Abbas Siculus *num.* 3. qui ex
hoc deducit, ut Doctores habentes ſalarium à civitate 18
non prohibeantur contra eam munus advocationis ſuſcipere, quia illa non eſt donatio gratuita, ſed quædam remuneratio: ad quod eſt bonus textus *in l. Aquilius Regulus, ff. de donat.* ubi quod donatur Magiſtro ra-
tione diſciplinæ, non eſt mera donatio, nec indiget 19
inſinuatione. Et quod conceſſio à Principe facta propter benemerita, ſeu ex cauſa remunerationis, revocari non poſſit etiamſi ingratitudo ſuperveniat, per textum *in l. Si pater, §. Si quis, ff. de donat.* tradit Alexan. *conſil.* 216. *numer. 2. libr.* 2. Felin. *in cap. 1. numer. 10. verſ. Secunda diſpoſitio ſuprà de reſcript.* Dec. *conſil.* 186. *Pro tenui num.* 4. & adde in propoſito quod ſcripſi *in cap. Conſultationibus num. 62. & ſeqq. infrà de Cleric. ægrot.*

Declara ſecundò hunc textum, ut vendicet ſibi lo- 20
cum ſi Clericus contra Eccleſiam ſuam munus advocationis, vel procurationis ſuſcipiat pro perſona extranea; nam littera dicit pro extraneis. Ergo à contrario ſenſu pro conjunctis ſtrictè ſumptis, vel pro miſerabilibus ſi neceſſitas immineat, non prohibetur, ut contra Vincentium, qui litteram ibi, pro extraneis ſupplebat, maximè firmant hìc Abb. Antiq. *numer.* 3. Hoſtienſ *num. 9. verſ. Quinimò*, Joann. Andr. *num.* 7. Butr. *num.* 14. Abb. Sicul. *num.* 6. & communiter DD. de quo
tamen dic pleniùs, ut per Specul. *de Advoc. num.* 19. infe- 21
rentes ex hoc, ut ſi Vaſſallus ſit Advocatus, vel Procurator pro conjuncto contra Dominum, non poſſit ob id feudo privari, ut per Abb. Antiq. *loco cit.* Collect. *num.* 5. & Specul. *dict. tit. de Advoc. num.* 30.

DE

DE HIS QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

Alexander III. Oſcen. Epiſcopo, & Priori Sanctæ Mariæ Cæſaraug.

CAPUT I.

PErlatum eſt ad audientiam noſtram, quòd cùm quidam nobilis & potens M. uxorem ſuam ſuſpectam heberet, milites ſui ejus præcepto eam ad quamdam ſilvam ducentes, evaginato gladio uccidere voluerunt: ſed tandem pietate ducti, ſub tali conditione pepercerunt eidem, quòd in Monaſterio de Colobris habitum ſuſciperet Monachalem: & infrà. Epiſcopi verò miſſi à viro: ut ei velum imponerent: quia juvenis erat, & filium parvulum habebat, mutationem vitæ ſuæ ſuſpectam habentes, ſeorſum convenerunt eamdem: quæ rem patefaciens, quòd mortis timore Monaſterium intrabat, propoſuit: & quòd indè quandocumque poſſet, exiret; ſed alter Epiſcoporum (ut viri tyrannidi ſatisfacere videretur) mulieri velum imponere ſimulavit: tandem viro de medio ſublato, prædicta mulier de Monaſterio exiens, alium maritum accepit, quos Calaguritanus Epiſcopus ad inſtantiam Sororum, vinculo excommunicationis adſtrinxit: & infrà. Ideòque mandamus, quatenus prædictam mulierem & virum (recepto ſacramento, quòd veſtro debeant ſtare mandato) ab excommunicationis vinculo abſolvatis: deinde tàm mulierem, quàm Prioriſſam, & Monjales præſcripti Monaſterii, ante veſtram præſentiam convocantes, ſi legitimè probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem religionem intraſſe, aut quod fecit, poſtmodum ratum habuiſſe, ipſam ad Monaſterium redire, & habitum depoſitum reaſſumere, cenſura Eccleſiaſtica compellatis.

SUMMARIUM.

1 *PRofeſſio metu mortis emiſſa non obligat, niſi ſpontè ratificetur, & num. 5. & ſeqq.*

2 *Moniales agere non poſſunt ad recuperationem ſororis è Monaſterio egreſſæ ſine conſenſu Abbatiſſæ.*

Abbas, vel Abbatiſſa poſſunt eſſe in judicio ſine conſenſu Monachorum, vel Monialium, ibidem.

3 *Metus mortis qualiter probetur.*

4 *Metus mortis in actibus à libera voluntate pendentibus inficit actum ipſo jure.*

5 *Profeſſio timore mortis emiſſa non eſt nulla, niſi metus fuerit incuſſus in ordine ad profeſſionem extorquendam.*

6 *Metus mortis præſumitur ſemper durare quandiu vivit is, qui metum incuſſit.*

Declaratur num. 10. *verſ.* Limita.

7 *Metus continuus per patientiam non purgatur.*

8 *Silentium quando habeatur pro diſſenſu.*

9 *Religionem ingrediens timore mortis, quando & qualiter teneatur proteſtari.*

10 *Proteſtatio durante metu mortis, an & quando ſit facienda coram probis viris.*

11 *Mulier quæ metu mortis Religionem intravit, poteſt quandocumque exire, & matrimonium contrahere, niſi mortuo viro ingreſſum ratificaverit.*

12 *Profeſſus metu mortis, an ſtatim ceſſante metu cenſeatur profeſſionem ratificaſſe.*

13 *Intellectus* c. 2. de Regular.

14 *Profeſſio expreſſa non inficitur ex metu, niſi cadente in conſtantem virum.*

15 *Proteſtatio debet eſſe veſtita juſto timore.*

Profeſſionem tacitam impedit qualiſcumque metus, aut præſumptio, vel proteſtatio, ibidem.

16 *Et quid in metu reverentiali.*

17 *Regularis, qui ex cauſa nullitatis profeſſionis è Monaſterio exivit, de jure communi poteſt in ſæculo remanere quamdiu cauſa nullitatis diſcutitur.*

18 *Secus poſt Concilium Tridentinum.*

19 *Profeſſus nulliter an poſſit in foro conſcientiæ à Monaſterio exire non ſervata forma à Concilio Tridentino præſcripta.*

20 *Profeſſi in Conventu non deſignato ad recipiendos Novitios contra formam decretorum Clementis VIII. an poſſint libere ad ſæculum redire tam intra, quàm poſt quinquennium a Tridentino Concilio præfixum in* c. 19. ſeſſ. 25. de Regular. *& nu. ſeqq. uſque in fin.*

21 *Profeſſio in Conventu non deſignato ad recipiendos Novitios, nec expreſſè, nec tacite fieri poteſt.*

22 *Profeſſionis appellationi venit etiam tacita, & num. ſequenti.*

Profeſſionem expreſſam, qui non poteſt emittere, nec poteſt tacitam, ibidem.

24 *Profeſſio expreſſa an ſit majoris virtutis, quàm tacita.*

25 *Profeſſio etiam tacita ſublata eſt à Tridentino Concilio* c. 15. ſeſſ. 25. de Regul.

26 *Reſtitutio adverſus lapſum quinquennii ad deducendam profeſſionis nullitatem, quibus clauſulis concedatur, & num.* 33. *&* 38.

27 *Profeſſi in locis non deſignatis ad recipiendos Novitios, an ſint obligati ad Religionem in genere, & numer.* 32.

28 *Profeſſio infra annum probationis emiſſa de jure, an obliget ad Religionem in genere, & num. ſeqq. & num.* 31.

Profeſſio emiſsa in Religione non approbata, an obliget ad Religionem in genere, ibid. & num. 30.

34 *Obligatio ad Religionem in genere, an dirimat matrimonium poſteà contractum.*

35 *Profeſſi in Conventibus non deſignatis ad recipiendos Novitios, an teneantur deducere cauſas nullitatis profeſſionis infrà quinquennium, & coram Superiore regulari, & Ordinario, & num.* 37.

36 *Concilium Tridentinum in* c. 19. ſeſſ. 25. de regul. *an habeat locum in impedimentis perpetuis, & n.* 39.

40 *Profeſſi per vim, & metum elapſo quinquennio à die profeſſionis, etiamſi prætendant vim, & metum ſemper duraſse, non ſunt audiendi niſi infrà quinquennium reclamaverint.*

41 *Vir profeſsus in Monaſterio Monialium eſt illicò eiiciendus non obſtante lapſu quinquennii.*

42 *Notorium facti permanentis nulla eget probatione.*

43 *Ordo judicii in notoriis non requiritur.*

44 *Lex non debet eſse nutritiva peccati.*

45 *Profeſſionem tacitam Concilium Tridentinum per præfixionem quinquennii non inducit, ſed audientiam denegat, & num.* 49.

46 *Profeſsio tacita an ſit à Concilio ſublata, & quando incipiat, & finiatur.*

47 *Profeſſio, & votum requirunt conſenſum jure naturali divino.*

48 *Conſenſus defectus in matrimonio tàm carnali, quàm ſpirituali ſuppleri non poteſt.*

Profeſsus nulliter non poteſt cogi ad iterùm profitendum ibidem.

50 *Reſtitutio in integrum contra profeſſionem non datur, etiamſi dolus interceſserit.*

51 *Quæ-*

51 *Quæſtionis ſolutio.*
52 *Epiſcopus, aut Capita ordinum non poſſunt reſtituere Regulares adverſus lapſum quinquenii.*
53 *Decreta Clementis VIII. de Novitiis ad habitum & profeſſionem non recipiendis ad quos terminos reſtringantur.*
54 *Actus geſti à ſuperioribus non legitimè profeſſis ſuſtineri poſſunt ex communi reputatione.*
55 *Reſtitutio in integrum adverſus lapſum quinquenii an poſſit juſtè denegari nulliter profeſſis.*
56 *Litteræ S. D. N. Vrbani de admittendis profeſſis in locis non deſignatis ad novam profeſſionem qualiter intelligendæ.*

1 PErlatum. Si quis timore mortis poſteà ratum non habens Religionem profiteatur, exire, & matrimonium contrahere poterit. Secus ſi à principio, vel ex poſt facto liberè conſenſerit. Hoc dicit. Secundum Joan. Andr. & DD. communiter, vel brevius ſecundùm Baldum: Velum ſuſceptum metu mortis non obligat, ſi non eſt ſpontè ratificatum. Et ſunt duæ partes. Prima narrat factum. Secunda dat Judices, ibi, *Ideòque*.

2 Nota primò ibi, *Ad inſtantiam ſororum, Religioſos agere poſse contra eorum profeſsum, qui dimiſso habitu è Monaſterio exivit, eumque judicialiter repetere*. Ad hoc *l.* 1. & quod ibi notatur, *ff. de rei vendic.* Intellige de conſenſu Superioris: aliàs enim Monachi, ſeu Moniales agere non poſſunt per ſe ſine Abbate, ſeu Abbatiſſa, *cap. Cauſam, infra de judic.* Nec refragantur verba hujus textus, *ad inſtantiam ſororum*, quia intelliguntur de Prioriſſa, & Monialibus, ut colligitur ex *verſ. Ideoque*, ſolus tamen Abbas, vel Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa benè poteſt eſſe in judicio ſine conſenſu Monachorum, vel Monialium, *arg. c. Edoceri, ſup. de reſcrip.* & expreſſius *in c. Abbates*, 18. *q.* 2. & hoc tenet Innoc. *in princ. in ver. Sororum*, qui ſupplet, & Prioriſſe, quia ipſæ ſine Prioriſſa non poſſunt agere, ſed ipſa ſine eis poſset, & ſequuntur Hoſtien. *num.* 3. *in ver. Sororum*, Joan. Andr. *num.* 5. Abb. *n.* 3. & alii communiter, licet Butr. *n.* 13. dicat & non benè ſolam Abbatiſsam abſque Monialium conſenſu non poſse in judicio eſse pro recuperatione Monialis, quæ dicitur aufugiſse. Motus fortè ex littera ibi, *Prioriſsam, & Moniales ante veſtram præſentiam convocantes*. Quod tamen non obſtat, quia hic contigit in facto, ut actio fuerit intentata conjunctim nomine Prioriſsæ, & Monialium, ut patet ſupra ibi, *ad inſtantiam Sororum*. Unde meritò omnes fuerunt vocandæ, intellige per Procuratorem, & non per ſe, *c.* 2. *de judic. lib.* 6. Joan. Andr. *hic n.* 8. Sed hinc non ſequitur, ut à principio Prioriſsa non potuerit agere ſola ad recuperationem ſuæ Monialis.

3 Secundò nota irritam eſse profeſſionem emiſsam timore mortis, & obſerva practicam probandi juſtum metum, ut articuletur in probanda comminatione mortis quod evaginato gladio in loco ſolitario minatus eſt, & ſic ad actum propinquum morti eſt deventum, ſecundùm Anton. de Butr. *hic in* 2. *notab. n.* 4. & Joan. de Anan. *num.* 1. talis enim metus dicitur cadere in conſtantem virum, ut *l. Nec timorem, & l. Iſti quidem, ff. Quod met. cau.* Hoſt. *hic num.* 2. *in ver. Evaginato gladio*, & Joan. Andr. *num.* 3. Unde non mirum
4 ſi in actibus à libera voluntate pendentibus timor mortis ipſo jure inficiat actum, ut hic per Butr. *num.* 9. *in* 3. *notab.*
5 Quod tamen notabiliter limita dummodò metus mortis fuerit incuſsus in ordine ad extorquendam profeſsionem juxta terminos hujus Decretalis. Aliàs enim ſi metu mortis ex infirmitate, vel naufragio, aut conſcientia, ſcelerum, vel aliter ſibi imminentis, aut etiam ab homine incuſso quis profiteretur, profeſsio non eſset nulla, ut probatur *in cap. Sicut, il ſecondo, infr. de regular.* & dixi plenè *in cap.* 2. *num.* 81. *eod. tit.*

6 Tertiò nota ibi, *Viro de medio ſublato*, & ibi, *poſtmodum ratum habuiſſe*, metum præſumi ſemper durare quamdiù vivit ille, qui metum incuſsit; & ſic cauſa metus perdurat, prout hic not. Innocent. *n.* 1. *in ver. Ratum*, dicens metum mortis non tantùm imminere quando gladii erant præſentes, ſed toto tempore quo vixit Maritus, qui poteſtatem necis habebat ſuper eam ex quo capitaliter eam perſequebatur, argum. ad hoc *cap. Litteras*, §. *fin. infr. de reſtit. ſpoliat. & l. Si per impreſſionem, C. Quod met. cau.*

& ſequitur totidem verbis Hoſtienſ. *numer.* 10. *verſ. Cave* 7
tamen. Nam cum metus non fuerit inſtantaneus, ſed
continuus uſque ad mortem Mariti per patientiam non 8
purgatur ſecundùm Joan. de Anan. *num.* 10. & ſilentium
habetur pro diſsenſu ubi præceſsit diſsenſus, niſi medio 9
tempore ſupervenerit cauſa conſentiendi, *l.* 2. §. *Voluntate, ff. Solut. Matrimon.* Bald. *hic num.* 2. Quod adeò verum eſt ut durante cauſa metus nec teneatur poteſtari, quia ſicut timor mortis excuſat à reclamatione, ut hìc, ita & à proteſtatione, ut ſentit gloſs. 1. *verſ. Quid ſi non audet proteſtari*, per textum *in l. Generaliter*, §. *Ipſe, C. de reb. credit.* ubi dicitur qui Sacramentum ſibi illatum dare recuſaverit, vel hoc atteſtetur, vel ſi fortè non audeat, habeat ſibi in ultima provocatione repoſitum auxilium, & argum. *c. non ſatis in princ.* 39. *quæſt.* 2. dummodò tamen id conſtet in judicio ſecundùm gloſs. & Ho-
ſtien. *num.* 3. *verſ. Quid ſi non audet*, qui tamen ſubdit 10
hoc caſu proteſtationem fieri debere coram aliis probis viris, ut hic, & in *cap. Si juſtus, infr. de appellat. & cap. Paſtoralis*, §. *final. ſupra de offic. ordin.* Et cum eo tranſit Joan. Andr. *nu.* 12. in gloſs. 1. ibi *Cumana*. Licèt hoc non placeat Abbati *num.* 6. quia potuit timere ne ſua proteſtatio à probis viris revelaretur Marito. Unde putat ſatis eſse ut metum probet, ſi non audeat proteſtari, ut *in cap. ſeq. & in cap. Ad aures, infra eodem*. Sed tu intellige Hoſtien. dummodò proteſtatio coram probis viris tutò fieri poſsit, ut ipſemet declarat *num.* 13. & mox dicetur.

Limita nunc prædicta duobus modis; Et prima ut procedant dummodò Maritus ſit ita potens, ut Mulier veriſimiliter non potuerit ſine metu mortis confugere ad locum tutum: & hoc tenet Innocent. *hic nu.* 1. *in ver. Ratum*, ait enim, *& intelligo hunc metum præſentem, cùm ſemper poſſit occidi per maritum, quia ita potens erat, ut non poſſet habere locum, ad quem confugeret ſine timore mortis, ut l. Metum, in princ. ff. Quod met. cauſ.* Unde toto tempore vitæ ejus non præſumitur ratificare. Sequitur Abb. *num.* 15. *verſ. Vltimo nota*, ex gloſſa, poſt Hoſtienſ. *num.* 10. *verſ. ſemper enim, & num.* 13. ubi ait: *Quod autem ſupradixit, quod quamdiu vixit maritus videatur ſemper metus fuiſſe preſens, intelligendum eſt, quando ad alium aliquem locum non poterat tuto confugere, dum tamen & hoc frequenter proteſtaretur in Capitulo, vel ſaltem coram Abbatiſſa, ſi & hoc tutò fieri poterat; alioquin nec ei imputaretur, argum. in eo quod legitur, & not. in cap. Si juſtus, infr. de appellat.* Imputaretur autem, ſi non feciſſet, quod tutò, & commodè facere potuiſſet, arg. *cap. Faciat*, 22. *quæſt.* 2. & quod legitur, & notatur *in cap. Sciſcitatus*, §. 1. *ſupra de reſcr.*

Deindè limita ut poſt Concilium Tridentinum *in cap.* 19. *ſeſs.* 25. *de regular.* hoc non procedat ſi elapſum ſit quinquennium à die profeſſionis, tunc enim ſive metus ſemper duraverit, ſive non, & ſive fuerit proteſtata, ſive non, audiri non poterit ad deducendam cauſam nullitatis ſuæ profeſſionis, ut dicam *infra num.* 40.

Quartò nota ex fine litteræ, mulierem, quæ metu mor- 11
tis Religionem intravit poſſe quandocumque exire, & matrimonium contrahere, niſi mortuo viro ingreſſum hujuſmodi ratum habuerit.

Ambigui tamen juris eſt, an mulier cenſeatur in- 12
greſſum ratificaſſe eo ipſo quod ſcivit maritum objiſſe, & non reclamavit. Quidam dicunt expectandum per menſem, argum. *cap. Conſtat*, 1. *quæſt.* 1. Quidam per duos menſes, argum. *cap. Ex publico, infra de converſ. coniug.* Alii dicunt expectandum per annum, ut *in cap.* 2. *de Regular.* Alii verò ſentiunt ingreſſum cenſeri ratificatum eo ipſo quod marito de medio ſublato mulier non exivit è monaſterio. Et hoc tenet Innocent. *in dict. cap.* 2. *numer.* 3. ait enim, *Si per metum vovit, vel profeſsus eſt, vel tonſuram accepit quamdiu metus durat, non fit ei præjudicium, ſed eo ceſſante, niſi incontinenti exeat, ratum habere videtur*, & allegat hanc Decretalem. Communiter tenetur hoc eſſe arbitrarium argum. *l. Continuus*, §. *Cùm ita, ff. de verb. obligat. & cap. de cauſis, ſupra de offic. delegat.* Et ita concludit Innocent. *hic numer.* 2. *verſic. Nos dicimus hoc relinquendum arbitrio Judicis*, Hoſtienſ. *numer.* 10. *in fin. verſic. Ipſo autem mortuo*:

opportebit enim judicem arbitrari ex qualitate perſonæ, & ex diuturnitate temporis an tacitè approbaverit ingreſſum perſeverando in monaſterio per aliquod tempus poſt obitum mariti. Et hanc eſſe communem Doctorum opinionem teſtatur Abb. *hic num.* 13. Sed tu adverte quia contra eam videtur textus *in dict. cap. 2. de regular.* ubi qui in legitima ætate per vim ingreſſus eſt monaſterium, poteſt quandocumque exire, niſi ceſſante metu potuerit reclamare, & infra annum non reclamaverit, ut ibi not. gloſs. *fin.* Innocent. Hoſtienſ. Joan. Andr. & omnes. Ergo non eſt arbitrarium Judici infra quod tempus exire poſſit, cùm ibi ſit præfixum unius anni ſpatium ad exeundum. Unde pro ſolutione tu diſtingue
13 ex mente Innocentii *hic num.* 2. & Hoſtienſ. *num.* 11. *verſ. Item hoc intelligendum.* Aut mulier expreſsè vovit, vel ſolemniter velum accepit; quo caſu ingrediendo monaſterium voviſſe videtur; & tunc cenſetur votum tacitè ratificare, ſi ceſſante timore in monaſterio perſeveret. Et hoc primo caſu procedat communis opinio, ut relinquatur arbitrio Judicis infra quod tempus cenſeatur votum ratificaſſe. Aut ſine ſolemnitate velum accepit, nec verbo vovit; & tunc non intelligitur ratificare, ut notatur *in cap. Ex parte de Regular.* niſi ceſſante metu per annum tacendo, & diſſimulando in Religione perſeveraverit. Et ita procedat textus *in dict. cap.* 2. de cujus intellectu vide quod ſcripſi in *cap. Cum virum*, *num.* 7. *de Regular.*

14 Item pondera aliam notabilem differentiam, quam ponit Innocent. *hic num.* 3. inter profeſſionem expreſſam, & tacitam, quæ inducitur ex ſuſceptione veli converſionis, ſeu habitus profeſſorum, *ut in cap. 1. de regul. lib. 9.* & Clem. *Eos*, *eodem tit.* Nam ad irritandam profeſſionem expreſſam requiritur probatio metus cadentis in
15 conſtantem virum; nec aliter proteſtatio relevat, quia proteſtatio debet eſſe veſtita juſto timore, *cap. Cum M. de Conſtitut.* Secus in profeſſione, quæ tacitè inducitur per ſuſceptionem habitus, quia illam impedit qualiſcumque metus, vel etiam alia præſumptio, vel proteſtatio ſuper hoc habita. Unde ſi patris comminationibus habitum quis ſuſceperit, illum poſſet dimittere, *cap. Præſens*, 20. *quæſt.* 3. Et eſt ratio diverſitatis ſecundùm eum, quia votum, ſeu profeſſio fit per verba expreſſa, quibus ſtandum eſt, donec legitimè probetur oppoſitum; ſed ex ſuſceptione habitus oritur ſola præſumptio profeſſionis, quæ de facili tollitur per contrariam præſumptionem: nam una præſumptio elidit aliam, & quandoque ad invicem colliduntur, *ut in cap. Litteras*, *infra*, *de præſumpt.* & notatur *in cap. Transmiſſæ. Qui fil. ſint legit.* Et cum opinione Innocent. tranſeunt Hoſtienſ. *numer.* 12. *verſ. Item differentia.* Joan. Andr. *num.* 9. *verſ. Item dicit.* Card. *num.* 4. *in 3. quæſt. verſ. Dicit etiam*, Anchar. *num.* 6. & alii communiter. Nec refragatur quod in hac Decretali intervenerit ſola veli ſuſceptio, & tamen Papa mandet requiri an metu mortis mulier religionem intraverit: quoniam hoc ideo eſt quia dicta mulier affirmabat in facto ſic contigiſſe ſecundùm Abb. *hic in fine*. Vel ſecundùm eum hoc *cap.* habet locum quando mulier ſolemniter recipit velum: tunc enim minæ precedentes non impediunt ratihabitionem, ſed requiritur metus cadens in conſtantem virum, quia qui ſuſcepit habitum cum ſolemnitate, perinde habetur ac ſi verbo voviſſet. Secus ſi velum ſuſceperit ſine ſolemnitate, quia tunc ſolæ minæ ſufficiunt. Et pro hac ſolutione Abbatis facit prima diſtinctio Innocentii, de qua ſupra *num.* 13. *verſ. Unde pro ſolutione*, ubi quoad inducendam ratihabitionem ingreſſus, æquiparantur profeſſio expreſſa, & ſolemnis ſuſce-
16 ptio veli. An autem metus reverentialis annullet profeſſionem, vide per Abb. *in cap. Cum virum*, *num.* 8. *infra eod.* ubi contra Butr. tenet ſolum metum reverentialem non ſufficere, niſi præceſſerint minæ, vel verbera, aut pater ſit terribilis, eique ſubſcribunt Covar. *de ſponſal. part.* 2. *cap.* 3. §. 6. *nu.* 7. & 8. & alii recentiores: licet primam opinionem teneat gloſs. *in cap. Præſens*, *in ver. Patrem*, 20. *quæſt.* 3. Hyppolit. de Marſil. *ſingul.* 347. incip. *Matrimonium*, *num.* 3. Navarr. *conſil.* 5. *Ex præcedent.*, *num.* 2. *de elect.* & *conſ.* 10. *Quædam puella*, *num.* 4. *hoc tit.* & alii complures.

17 Ultimò nota ſecundùm Abb. *nu.* 3. quod ſi profeſſus qui è monaſterio exivit juſtam cauſam timoris ſeu nullitatis ſuæ profeſſionis deducat, interea non compellitur redire ad monaſterium niſi prius diſcutiatur juſtitia cauſæ allegatæ. Unde Papa hic præcipit, ut mulier, & maritus ejus abſolvantur recepto juramento de parendo mandatis Eccleſiæ, & cauſa prius examinetur.

Verùm hodie hoc eſt abrogatum per Concilium Triden- 18
tinum *in cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de regular.* quo ſtatutum eſt, ut quicumque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem non audiatur, niſi infra quinquenium cauſas nullitatis deduxerit coram Superiore ſuo, & ordinario. Quod ſi antea habitum ſpontè dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tamquam Apoſtata puniatur. Atque ita non eſt ampliùs locus huic Decretali ſecundum quam Regularis qui exivit è monaſterio ex cauſa nullitatis profeſſionis non cogitur redire, ſed poteſt remanere in ſæculo, dum cauſa nullitatis diſcutitur.

Hoc decretum Concilii multi exiſtimant non habere 19
locum in foro conſcientiæ, aſſerentes nulliter profeſſum non ſolùm poſſe, ſed quod magis eſt etiam debere data occaſione à monaſterio fugere tam infra, quàm poſt quinquennium: Sed horum opinionem falſam, & pernicioſam eſſe, latiſſimè oſtendimus *in cap.* 2. *infra de Regular.* Sed quoniam alii putant etiam in foro externo diſpoſitionem Concilii procedere in impedimentis temporalibus dumtaxat, puta metus, defectus ætatis, & conſimilibus non autem in perpetuis: Et idcircò profeſſos in Conventibus non deſignatis ad recipiendos Novitios contra formam Decretorum Clementis VIII. vel alias nulliter ex perpetuò impedimento poſſe quandocumque etiam elapſo quinquennio, & non ſervata forma à Concilio præſcripta à Religione exire, & uxorem ducere, operæ pretium putavimus hujus doctrinæ veritatem diligenter examinare.

QUÆRO igitur, an profeſſi in conventu non deſigna- 20
to ad recipiendos Novitios contra formam Decretorum Clementis VIII. poſſint liberè ad ſæculum redire tàm infra, quàm poſt quinquennium à Tridentino Concilio præſcriptum *in cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de regul.*

Quæſtio propoſita implicitè continet dubia infraſcripta. Primum eſt an hæc Decreta Clementis irritas decernant profeſſiones non ſolùm expreſſas, ſed etiam tacitas.

Secundum an profeſſi contra formam ipſorum decretorum remaneant ſaltem obligati ad Religionem in genere, ita ut propterea ad ſæculum redire non poſſint, ſed teneantur eligere aliam ex Religionibus approbatis.

Tertium eſt an ſic profeſſi teneantur nullitatem ſuæ profeſſionis deducere infra quinquennium, & coram Superiore ſuo, & Ordinario, adeò ut quinquennio elapſo amplius audiri non debeant.

Quoad primum cum decreta Clementis annullent pro- 21
feſſiones in locis non deſignatis per hæc formalia verba: *Receptiones verò, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra hujuſmodi decretum noſtram admiſſi fuerint nullas, & irritas eſſe ex nunc decernimus, & declaramus*; manifeſtum videtur decerni irritas profeſſiones tam expreſſas, quàm tacitas.

Primò quia ſimpliciter, & indiſtinctè loquuntur de pro- 22
feſſione, cujus appellatione verè, & propriè etiam tacita comprehenditur, ut probatur *in cap.* 1. ibi, *profeſſionem per hoc feciſſe*, atque ibi, *præſumitur veraciter eſſe profeſſus, de regul. in 6.* & in Clement. *Eos*, ibi: *hoc ipſo decernimus eſſe profeſſos, eod. tit.* Et paſſim alibi: In quacumque enim materia etiam odioſa ſit lata interpretatio quatenus patitur verborum proprietas, *l. Cum lege*, *ff. de teſtam.* Decius *in rubrica infra de judiciis*, *in prima lectura*, *n.* 76. & *conſ.* 534. *Procedendo breviter*, *num.* 5.

Deinde quia cùm hujuſmodi decreta irritent profeſſio- 23
nem expreſſam, ut apud omnes eſt in confeſſo, cenſentur irritam decernere etiam tacitam, quæ in ſubſtantia non differt ab expreſſa, ſed cùm illa eodem jure cenſetur, ut *in d. cap.* 1. ibi. *niſi eo completo profeſſionem faciat in ſequenti, vel habitum religionis ſuſcipiat, qui dari profitentibus conſuevit*, & *in c. Significatum*, ibi: *Si decimumquartum annum compleverit, cùm religionem intravit, ſeu poſt decimumquartum annum profeſſionem à ſe prius factam ratam habuerit*, *de regul.* cum concord.

Ideò-

Idèòque ubicumque prohibetur profeſſio expreſſa cenſeri prohibitam etiam tacitam poſt Marian. Socin. quem citat, tradit Philip. Prob. *in d. c. 1. n. 4.*

24 Quinimò ſi aliqua differentia conſiderari poſſet, illa eſſet, quia profeſſio expreſſa aliquando eſt majoris virtutis, quàm tacita, ut patet ex dictis *ſupra num. 13. verſ. Unde pro ſolutione, & num. 14.* & probatur *in cap. Conſtitutionem, de reg. in 6.* ubi profeſſio expreſſa infra annum emiſſa in Religionibus non Mendicantium, illi religioni præcisè, quam quis eſt proffeſſus: tacitè verò facta non illi ſpecialiter, cujus habitus eſt ſuſceptus: ſed generaliter alicui religioni recipientem obligat. Ergo ſi Clemens ſuſtulit profeſſionem expreſſam; cenſeri etiam debet ſuſtuliſſe tacitam, quod minus eſt.

25 Et propterea cùm decretum Tridentini Concilii *cap. 15. ſeſſ. 25. de regul.* eodem modo indiſtinctè nullas decernat profeſſiones factas ante 16. annum completum, & non peracto anno probationis, S. Congregatio declaravit eo decreto etiam profeſſionem tacitam comprehendi. Ac ſimiliter Sixtus V. cùm in Conſtitutione contra illegitimos edita priùs ſtatuiſſet, ut nulla eſſet profeſſio emiſſa ab illegitimis ex inceſtu, vel ſacrilegio, necnon ab aliis illegitimis, vel criminoſis, aut ære alieno obnoxiis contra formam ibi præſcriptam: poſtea in alia conſtitutione edita ſuper dubiis in priori Conſtitutione emergentibus hoc ipſum apertè declaravit his verbis, ſed cum eadem ratio vigeat in tacita profeſſione emittenda, quæ militat in expreſſa, ſtatuimus quod in quibuſvis ordinibus, & religionibus, neque etiam tacita profeſſio quorumcumque religioſorum induci poſſit, nec inducta intelligatur, niſi in receptione Conſtitutionis forma ſervata fuerit.

Prȩtereà aut profeſſio tacita eſt minoris virtutis, quam expreſſa, aut paris, aut majoris; ſi minoris, juxta text. *in d. cap. Conſtitutionem, & reg. expreſſa nocent, &c.* ergo ſublata eſt ex decretis Clementis à fortiori & ex majoritate rationis, *ad reg. cap. Cui licet, & cap. Cum in cunctis, in princ.* ubi gloſſ. Joan. Andr. Abb. Imol. & alii notant, *de elect.* Si paris, ſeu æqualis virtutis juxta *reg. l. Cum quid, ff. ſi cert. pet.* de qua per Bald. *in l. 3. ff. de teſtam. tutel.* & tunc quoque tacita profeſſio cenſeri debet ſublata a pari, ſeu ex identitate rationis, ut dicitur in prædicta Sixti V. Conſtitutione, inſpecto tempore, quo nondum redacta fuerat ad terminos juris per Clem. VIII. & notat Prob. *in d. cap. 1. de regul. in 6.* Si majoris quod eſſet contra omnes juris regulas adhuc tamen idem dicendum, quia decreta Clementis irritant receptiones, & profeſſiones, *quaslibet, &c.* de natura autem illius dictionis, *quaslibet*, cum ſit univerſalis, *l. ſi pluribus*, ubi gloſſ. Bart. & DD. *de leg. 2.* eſt comprehendere etiam ea, quæ aliàs non comprehenderentur, *cap. Solitæ, in ver. Quodcumque ligaveris, de major. & obed.* Salyc. *in l. 2. num. 9. C. de noxal.* Roman. *conſ. 31. Viſis his, num. 2.* ubi Mandoſ. *in apoſtill.* id pluribus exemplis confirmat.

Ac demum ſi decreta Clementis tacitam profeſſionem non ſuſtuliſſent, redderentur omninò eluſoria, quia Superiores Regulares qui prohibentur novitios ad profeſſionem expreſſam admittere, poſſent illos admittere ad tacitam, permittendo eos per annum deferre habitum indiſtinctum, vel illicò expleto anno probationis habitum profeſſorum illis concedendo juxta *d. cap. 1.* & Clem. 2. *de regul.* aut admittendos eos ad actus, qui a ſolis profeſſis fieri conſueverunt, juxta *cap. Vidua, extr. eod.* contra expreſſam mentem Clementis, qui ad Religionum reformationem neceſſarium putavit prohibere ne in Conventibus præſertim majore reformatione indigentibus ſinguli ad religionem venientes paſſim reciperentur. Certum eſt autem Conſtitutionem utcumque juris communis correctoriam extendi debere ad caſum aliàs non comprehenſum quando alioquin eſſet fruſtratoria, & nullum ſortiretur effectum, niſi extenderetur, Felin. *in c. Translato, circa fin. de Conſtit.* Bart. *in repet. l. Omnes populi, in penult. col. ff. de juſt. & jur.* Jaſ. *in auth. quas actiones, C. de ſacroſ. Eccl.* & Roman. *d. conſ. 31. n. 2. verſ. Quinimo.*

26 Atque hunc ſenſum ſemper admiſit S. Congregatio Regularium, quæ profeſſiones non ſolùm expreſsè emiſsas in locis non deſignatis habuit pro nullis, atque irritis, ſed & tacitas numquam admiſit in caſibus contingentibus, & in reſtitutionibus, quas cenſuit concedendas adverſus lapſum quinquennii profeſſis in Conventibus non deſignatis non conſuevit apponere clauſulam illam in aliis reſtitutionibus apponi ſolitam, videlicet, *dummodo profeſſionem, ut præfertur emiſſam tacite, vel expreſse non ratificaverit*, nimirum quia profeſſio hujuſmodi nec expreſsè, nec tacitè rata haberi poteſt, cum impedimentum decreti irritantis ſemper duret.

Itaque quoad hoc primum dubium videtur concludendum ſic profeſsos neque expreſsè, neque tacitè eſse alligatos illi Ordini in ſpecie in quo profeſsionem emiſerunt.

Videamus nunc an ſaltem ſint alligati Religioni in genere, quod eſt ſecundum dubium ſuperiùs propoſitum.

Pro ſolutione præmittendum eſt ex diſpoſitione juris 27
profeſsionem emiſsam infra annum probationis in Ordinibus Mendicantium, non obligare præcisè ad illum Ordinem, in quo fuit emiſsa, ſed ad Religionem in genere: in aliis verò Ordinibus expreſsè emiſsam illi Religioni præcisè obligare, quam quis eſt profeſsus; tacitè autem factam non illi ſpecialiter, cujus habitus, ſed generaliter alicui Religioni. Jura ſunt aperta *in cap. Non ſolum,* 28
& cap. Conſtitutionem, de regul. in 6. Quamvis autem prædicti Canones loquantur in caſu profeſsionis emiſsæ infra annum probationis, tamen DD. ob rationis identitatem ubique interpretati ſunt illos habere locum etiam in aliis caſibus nullitatis profeſsionis præterquam ex defectu conſenſus. Et proptereà profeſsos in Religione a Sede Apoſtolica non approbata remanere obligatos ad Religionem in genere cenſuerunt plerique *in cap. un. de voto, lib. 6.* idemque de profeſsione emiſsa in manibus Truffatorum poſt Joan. de Deo ſcripſit Specul. *in tit. de ſtat. Monach. num. 45.* & de viro, qui fingens ſe fœminam profeſsus fuit in Monaſterio Monialium, Butr. *in cap. Porrectum, de regul. num. 10.* & Abb. *in cap. Tuarum, num. 7. de privil.*

29 Supervenit deinde Tridentinum Concilium quod *in cap. 15. ſeſſ. 25. de regul.* ſtatuit, ut profeſsio in quibuſcumque Ordinibus ante 16. annum completum emiſsa, aut non peracto anno probationis ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus. Quibus verbis S. Congregatio reſpondit ſublatam eſse obligationem ad Religionem in genere, & jura antiqua *in d. cap. Non ſolum, & cap. Conſtitutionem,* in hoc eſse correcta.

Cæterùm tam decretum Concilii *in d. c. 15.* quàm declaratio S. Congregationis vendicant ſibi locum in duobus illis caſibus dumtaxat, in quibus loquuntur, videlicet cum profeſsio eſt nulla ob defectum ætatis, vel ob defectum anni 30
probationis. Unde in aliis caſibus nullitatis profeſsionis remanent incorrecta jura antiqua, ut in hac ipſa materia anni probationis perpendit gl. *in d. c. Conſtitut. in ver. Prorogamus,* idque habuit pro conſtanti tam S. Congregatio Conc. quam S. Congregatio Regularium in diſputatione illius articuli; An profeſsio emiſsa in Religione non approbata obliget profitentem ad Religionem in genere; ſuppoſuit enim pro indubitato obligationem ad Religionem in genere in caſu illo non fuiſse ſublatam per decretum Conc. *in d. c. 15.* Licèt valdè anceps fuerit an verior eſset opinio Jo. de Deo relati à Spec. *ubi ſupra*, diſtinguentis inter eum qui voluit abſolutè vitam mutare, & eum qui intendebat ſe obligare in certo Ordine tantùm, vel potius opinio Franc. *in c. Conſtitutionem, n. 4.* exiſtimantis generaliter, & indiſtinctè ex hujuſmodi profeſſione oriri obligationem ad Religionem in genere.

31 Ex præmiſsis infertur, ut decretum Tridentini Concilii qua parte ſuſtulit obligationem ad religionem in genere ſimili modo non ſit extendendum ad profeſsionem nulliter emiſsam extra conventus deſignatos ad recipiendos Novitios, ita ut proptereà ſolutio quæſtionis, an hujuſmodi profeſsio pariat obligationem ad religionem in genere, necne, non ſit petenda ex Concilio, quod ad hunc caſum non pertinet, ſed ex ipſiſmet decretis Clementis, & juris communis diſpoſitione. Inſpectis autem verbis ultimi decreti Clementis veriùs videtur ſublatam fuiſse hujuſmodi obligationem ad Religionem in genere: nam in ea parte in qua Clemens decrevit receptiones, & profeſsiones quaslibet eorum, qui

contra hujuſmodi decretum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe: adjecit ſtatim illa verba, *ad quemcumque effectum*, quod non fecerat in primo decreto. Quemadmodum autem ex verbis illis Concilii, *nullam inducat obligationem ad alicujus regulæ obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus*, Congregatio exiſtimavit correcta fuiſſe jura antiqua inducentia obligationem ad Religionem in genere; ita videtur reſpondendum eadem jura fuiſſe correcta ex illis verbis Decreti, *ad quemcumque effectum*: Dictio enim illa, *quemcumque*, univerſalis eſt, nihilque penitus excipit, *d. cap. Solitæ, verſ. Quodcumque ligaveris*, & ibi Abb. *in ultim. not. de major. & obed. & cap. Si tibi abſenti*, ubi Archid. *in verſ. Quicumque de præbend. in 6.* complectitur etiam ea, quæ aliàs non comprehenderentur, gloſſ. in Clem. 2. §. *Dignitatem, in ver. Quodcumque, de vita & honeſt. Cler.* & gloſſ. in Clem. 1. *in verſ. Quibuſcunque, de judic.* quam ſingularem dicit Barbat. *conſ.* 23. *Sapientiſſimus, col. 2. lib.* 2. eamque dictionem propterea cum miniſterio videtur Clemens appoſuiſſe, ut hac in parte ſe conformaret cum diſpoſitione Concilii.

Et quamvis Concilii verba ſint magis prægnantia ac geminata, quàm verba Decreti, tamen cùm præcipuus effectus profeſſionis nullæ ſit obligare ad religionem in genere, *ut in d. cap. Non ſolum, & c. Conſtitutionem*, certè illa verba, *ad quemcumque effectum*. non aliò videntur reſpexiſſe, quàm ad tollendam hujuſmodi obligationem, præſertim verò quia cùm Sac. Congregatio declaraverit *d. cap.* 15. in illis verbis, *vel ad alios quoſcumque effectus*, nihil diſpoſuiſſe de voto, utique ſublata obligatione quæ ex voto proficiſcitur non apparet quis alius effectus poſſit prevenire ex profeſſione nulliter emiſſa in Conventu non deſignato, quàm obligationis ad Religionem in genere. Unde hic effectus potiſſimum ſublatus per illa verba, cenſeri debet. Ad text. *in l. Nominatim, ff. de liber. & poſthum. & l. Si optio, ff. de opt. leg.* Roman. *conſil.* 385. *verſ. Et hujus eſt ratio*, ne alioquin reddantur eluſoria, *cap. ſi Papa, de privil. in 6.* Roman. *conſil.* 295. *Donatio Patris, colum. 2. verſ. Præterea*, Cravett. *conſil.*
33 201. *num.* 13. Atque hanc interpretationem videtur ſemper admiſiſſe Sac. Congregatio Regularium in reſtitutionibus, quas conceſſit hoc caſu adverſus lapſum quinquennii: commiſit enim Ordinario, & Superiori Regulari, ut ibi eis conſtitiſſet profeſſionem emiſſam fuiſſe in loco, ut præfertur non deſignato, profeſſionem nullam declararent, nec unquam coegit ſic profeſſos ad ingrediendam aliam Religionem ex Religionibus approbatis, prout feciſſet, ſi eos Religioni in genere adſtrictos cognoviſſet.

A quo quidem ſtylo vix poſſet hodie abſque periculo recedi, præſertim propter eos qui poſt ſententiam declaratoriam nullitatis profeſſionis ad ſæculum redierunt, &
34 matrimonium contraxerunt. Matrimonia enim hujuſmodi nulla remanerent, ac mulieres diffamatæ non abſque metu inimicitiarum, & ſcandali, ſi ſequamur opinionem eorum, qui putant obligationem ad Religionem in genere non ſolùm impedire matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimere poſteà contractum, cujus ſententiæ videntur eſſe in ſpecie Specul. poſt Joan. de Deo *in tit. de ſtatut. Monach. numer.* 45. & apertius Anton. de Butr. *in cap. Cum virum, numer.* 3. *infra de regular.* dicens de hoc eſſe ibi textum expreſſum, & Franc. in *cap. Conſtitutionem, num.* 4. *verſ. Secundo adverte, eodem tit. lib.* 6.

Quamobrem quoad ſecundum dubium videtur poſſe concludi ex hac profeſſione nullam eſſe ortam obligationem ad Religionem in genere, & in hoc capite profeſſos impediri non poſſe, quominus liberè ad ſæculum redire valeant.

35 Supereſt nunc tertium dubium an ſaltem teneatur deducere cauſas nullitatis profeſſionis infra quinquennium, & coram Superiore ſuo, & Ordinario ad præſcriptum *c.* 19. *ſeſſ. 25. de regul.*

Quidam ex recentioribus arbitrantur decretum Concilii ad hunc caſum non pertinere, & moventur præcipuè hoc fundamento, quod impedimentum inductum ex decreto Clementis eſt perpetuum, cum profeſſio nulliter emiſſa in Conventu non deſignato neque ex parte Religionis, neque ex parte ſubditi ullo unquam tempore expreſsè, vel tacitè ratificari poſſit; Decretum verò Concilii *in d. cap.* 19. dicunt non habere locum in impedimento perpetuo, ſed temporali dumtaxat quod eliciunt non ex verbis *d. cap.* 19. ubi ſtatuitur ut quicumque regularis 36
prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa non audiatur, *&c.* Quibus verbis duo caſus nullitatis profeſſionis nominatim exprimuntur, alii verò generaliter tantùm per illa verba, *vel quid ſimile*, ſed caſus expreſſi nullitatis profeſſionis, videlicet ob vim, & metum, & ante ætatem non inducunt impedimentum perpetuum, cùm profeſſio per metum emiſſa ceſſante metu ratificare poſſit, ut patet in hac Decretali, ſicut & profeſſio ante ætatem, *cap. Significatum, de regul. & cap.* 1. *eodem tit. in* 6. Ergo nec alii caſus à Concilio generaliter comprehenſi per illa verba, *aut quid ſimile*, ſi enim hæc importarent perpetuum impedimentum hic caſus non eſſet ſimilis duobus ſuperiùs ſpecificatis, & ſub hac generalitate comprehenderetur caſus magis dubitabilis, quod non eſt dicendum. His adjiciunt quod ſi Concilium impedimenta etiam perpetua ſuſtuliſſet, ſequeretur abſurdum, ut vir, qui ſe fœminam ſimulans profeſsus fuiſſet in monaſterio Monialium, vel è converſo, ut *in cap. Quod interrogaſti, 27. diſtinct.* elapſo quinquennio prohiberetur deducere cauſam nullitatis ſuæ profeſsionis, & cogendus eſſet in monaſterio Monialium perſeverare.

Præterea exiſtimant decretum *d. cap.* 19. in præfixione quinquenii nihil aliud efficere, quàm inducere tacitam profeſſionem. quæ quidem profeſsio cum nullo unquam tempore induci poſſit contra decreta Clementis, ut initio probatum eſt, aſſerunt diſpoſitionem Concilii ex his decretis poſterioribus ſublatam fuiſſe. Neque enim eſt opus, ut Tridentino Concilio expreſsè derogaverint ſed ſatis eſt ut ſtatuerint contrarium ejus, quod Concilium diſponit, ut ſæpius cenſuit S. Congr. Pugnant autem hæc duo, ut per lapſum quinquenii inducta ſit tacita profeſsio, quod facit Concilium, atque, ut profeſsio in loco non deſignato emiſſa nullo unquam tempore convalidari poſsit, quod faciunt decreta Clementis.

Cæterùm hæc ſententia ſemper fuit à Congregatio- 37
nibus reprobata. Nam Sac. Congregatio Concilii aliàs diſcuſſo articulo reſpondit ejuſmodi profeſſos poſt quinquennium non eſſe audiendos: nam etſi impedimentum ſit perpetuum, illud tamen deducendum fuit infra legitima tempora. Et Sac. Congregatio Regularium nun- 38
quam conſuevit audire Regulares qui poſt quinquennium eam adierunt pro declaratione nullitatis ex hoc capite, niſi prævia remiſsione ſupplicationis Sanctiſsimo oblatæ ſuper reſtitutione adverſus lapſum quinquenii, & tunc reſcribit pro commiſsione declaratoria juxta formam Concilii.

Nec vera ſunt fundamenta in contrarium adducta: 39
nam quod pertinet ad verba, *cap.* 19. obſervandum eſt primum impedimentum metus non poſſe abſolutè dici temporale, cum poſſit durare uſque ad obitum profeſſi, & reipſa ſæpius duraverit. Unde Concilium loquitur eo caſu etiam de impedimento, quod poteſt eſſe perpetuum; Quod ſi urgeas tamen poſſe fieri etiam temporale per metus ceſſationem; Replicabimus hanc poſſibilitatem poſſe contingere etiam in terminis decretorum Clementis ſi Summus Pontifex indulget ſic profeſſis, ut profeſsionem à ſe emiſſam ratam habere poſſint, ut fecit Sanctiſsimus D. N. per litteras in forma Brevis ſub die 2. *Aprilis Anni* 1631. Licèt regulariter dicatur impoſſibile, quod fieri non poteſt ſine facto Principis, Lap. *alleg.* 93. *num.* 3. *verſ. Diſponit.*

Deindè quamvis in primis duobus caſibus Concilium egiſſet de impedimentis temporibus tamen per ſubſequentia verba, *vel quid ſimile*, cenſeri debet voluiſſe comprehendere quaſcumque nullitates etiam perpetuas: ſimilitudo enim non eſt conſideranda reſpectu accidentis durationis, ſed reſpectu nullitatis profeſſionis; ita ut ſit ſenſus. *Quicumque regularis prætendat ſuam profeſſionem eſſe nullam, ſive quod facta fuerit per vim, & metum, ſive ante ætatem, ſive ex alia ſimili cauſa nullitatem importante non audia-*

audiatur, *&c.* Atque ita ſimilitudo in eo conſiſtit, ut profeſſio ſit nulla, nec curandum an nullitas ſit duratura, necne.

Qui intellectus clariùs deducitur ex ſubſequentibus verbis Concilii, *velitque habitum dimittere quacumque de cauſa*, quæ cùm ſint univerſalia, & apta comprehendere cauſas nullitatis etiam perpetuæ, aut declarant præcedentia, ita ut illa verba, *aut quid ſimile*, procedant ex quavis cauſa oriatur nullitas profeſſionis: aut certè ampliant, ut habeant locum in quacumque nullitate ſive ſit temporalis, ſive perpetua. Quemadmodum dictio, *Alius*, quamvis referatur ad ſimilia tantùm, tamen adjecta dictioni univerſali, *quicumque*, refertur etiam ad caſus diſſimiles ſecundùm gloſ. in Clem. 1. *in ver. Quavis*, *de re jud.* & ibi Imol. *nu.*8. Sarnen. *in reg. de Trien. q.*52. §. *Tandem*, Mandoſ. *in ren.*12. *q.*6. *num.*8. & Covarr. *pract. quæſt. cap.*25. *num.*3.

Et quamvis Sanchez *de matrim. lib.* 7. *de imped. diſputat.* 37. *numer.* 32. affirmet verba illa, *quacumque de cauſa*, de quibus *in dict. cap.* 19. eſſe reſtringenda ad perſonas habiles ex theorica Jaſ. *in l.* 2. §. *Præter*, *numer.* 3. *ff. Qui ſatiſdar.* Ideòque non comprehendere habentes impedimentum perpetuum: tamen fallitur, quia id procederet, ſi Concilium, ut ipſe putat, per lapſum quinquennii induceret novam profeſſionem, ad quam requiritur habilitas, *ut in cap.* 16. ibi: *quos habiles invenerint ad profeſſionem admittant*, *ſeſſion.* 25. *de regul.* At qui hoc non facit Concilium ex ſententia Sacr. Congregationis, ſed tantùm audientiam denegat, ad quod nulla habilitas requiritur. Unde verba, *quacumque de cauſa*, accipienda ſunt in ſuo proprio ſignificatu, ut caſus etiam diſſimiles comprehendant.

40 Præſertim verò quia cùm nullitates temporales ferè non reducantur, niſi ad profeſſiones emiſſas per vim, & metum, ante legitimam ætatem, & non expleto anno probationis, certè ſi Concilium hos tantùm caſus comprehendiſſet, ferè nihil feciſſet, & parum proſpexiſſet Religionum tranquillitati: nam profeſſio ante ætatem emiſſa, vel ante annum probationis expletum per delationem annalem habitus indiſtincti, vel per ſuſceptionem habitus profeſſorum poſt legitimam ætatem ex diſpoſitione ſacrorum Canonum jam cenſebatur ratificari præſumptione juris, & de jure, ut tradunt in *cap.* 1. *de reg. in* 6. Joan. Mon. *in ver. præſumitur*, Gemin. Anchar. & alii communiter. Quinimò etiam per vim in legitima ætate religionem ingreſſi elapſo anno præſumebantur tacitè profeſſi, ut eſt textus *in cap.* 2. §. *Si vero*, & ibi dixi *in* 2. *notab. num.* 18. *&* 19. poſt gloſſ. *fin.* & Innocent. *numer.* 1. *infra*, *de regular.* quapropter quoad eos tantum parum profuiſſet præfixio quinquennii, cùm jam per Canones præfixus eſſet terminus unius anni, poſt quem audiendi non erant gloſſ. communiter approbata *in cap. Ex parte*, *in ver. Per annum*, *de reg.* & in Clem. 2. *in fin. eodem titul.* Conſequens igitur eſt, ut diſpoſitio Concilii ne ferè inutilis videatur per illa verba, *aut quid ſimile*, *& quacumque de cauſa* omnem ſpeciem nullitatis comprehendat. Ac demum magis à Concilio ſuccurendum fuit his, qui profeſſionem fecerunt per vim, & metum, quàm ſuccurrendum eſſet his, qui illam emiſerunt in locis non deſignatis, cùm illi nihil peccaverint, & inviti profeſſionem emiſerint: hi verò volentes, & contra legis prohibitionem, & tamen profeſſi per vim, & metum elapſo quinquennio à die profeſſionis non ſunt audiendi, niſi infra quinquennium reclamaverint, etiamſi prætendant vim, & metum ſemper duraſſe, ut olim articulo ſæpius diſcuſſo reſpondit Sac. Congregatio Concilii, cujus ſententiam Gregorius XIII. ad ſe relatam approbavit: Ergo longè minus audiendi ſunt, qui contra formam decretorum Clementis profeſſionem emiſerunt.

41 Neque obſtat abſurdum de viro profeſſo in monaſterio Monialium: reſpondetur enim ex eo caſu nullitatem profeſſionis poſſe deduci etiam poſt quinquennium; non propterea quod impedimentum ſit perpetuum: ſed quia eſt notorium facti permanentis; quod ex tempore apparere poteſt, ideòque nulla eget probatione, Cardin. *conſ.* 56. *ver. Sed ad hoc ſtatim*, & cum Concilium jubeat cauſas nullitatis deduci coram ſuperiore, & Ordinario, atque ita requirat ordinem judicii, manifeſtum eſt non habere locum in notorio facti permanentis, puta quod 42
quis non habeat oculos, ut exemplificat Paul. de Caſtr. *in l. cives*, *C. de appellat.* tunc enim non debet judicium fieri, nec teſtes recipi, aut cauſæ in judicium deduci, Oldrad. *conſ.* 195. *verſ. ad primum*, Card. *d. conſil.* 59. *nu.* 6. *&* 7. & Abb. *in ſua quæſt. incip. Titius colum.* 2. *verſ. Sed numquid*, nam ut inquit Bald. *conſ.* 379. *num.* 6. *lib.* 1. Quod oculus vidit, nemo faciliter negat, & extrinſecus, quod patet expreſsè non eſt probare neceſſe. *l. Si irruptione*, §. *Ad officium*, *ff. final. regund.* Ideòque tunc Partes Judicis ſunt tantum in exequendo, Lap. *alleg.* 37. *n.* 3. *verſ. Item ex quo*, Bald. *conſ.* 502. *num.* 3. *verſ. Nam in notoriis*, *lib.* 5. & Canoniſtæ *in c. Veſtra*, ut plenè Butr. *de cohab. Cler. & Mulier.*

Præterea ex alio capite eo caſu non obſtaret quinquennium Concilii, nempè propter periculum ſcandali, & peccati, cum Concilium ita interpretari debeat, ut non ſit peccati nutritivum, *cap. Erit autem lex*, *diſtinct.* 4. nam ut legitur *in cap. Conſuetudo*, 1. *diſtinct.* Lex eſt omne quod ratione conſtat, quod Religioni convenit, quod diſciplinæ congruit, quod ſaluti proficit. 43

Quamobrem ex eo caſu particulari non licet inferre ad impedimentum nullitatis profeſſionis in loco non deſignato, tum quia negativa illa probari debet à profeſſo, qui in ea ſe fundat, *l. Hoc jure*, *& l. ita ſtipulatus*, ubi ſcribentes, *de verb. obligat.* & in his terminis tradit gloſſ. *hic in ver. Non timore*, quam Doctores communiter recipiunt: nec probari poteſt illicò per evidentiam facti, imò vidi multos in ea probtione ſuccubuiſſe: tum quia hoc caſu non viget illud peccati, aut ſcandali periculum, quod conſideratur in viro inter Moniales profeſſo, ut in decreto 7. Synodi *cap.* 20. & Concilii Hiſpalen. 2. *cap.* 11.

Sed urgebis, ergo ducens originem à parentibus Hæreticis, vel Judæis, qui non habent impedimentum notorium facti permanentis, tenebitur ſemper perſeverare in Monaſterio non obſtantibus ſtatutis nonnullarum Religionum à Sede Apoſtolica confirmatis profeſſionem irritantibus, atque ita quinquennium in favorem Religionis inductum in ejus odium retorquebitur; contra *l. Quod favore*, *Cod. de leg. & regul. Quod in gratiam*.

At reſpondetur id non eſſe inconveniens, quia cùm hoc impedimentum poſſit eſſe falſum, & incontinenti probari non poſſit per evidentiam facti, & infra quinquennium probatum non fuerit: ſtat præſumptio pro habilitate perſonæ, & profeſſio in foro externo cenſetur valida, cùm ejus nullitas eo termino elapſo probari non poſſit. Aliquando enim Regulares comminiſcuntur hæc, vel ſimilia impedimenta, ut jugum Religionis excutiant: quemadmodum contigit ſuperioribus annis in quodam Regulari Luſitano, qui coram Collectore judicialiter deduxit ſe legitimè profeſſum non eſſe, eo quod deſcenderet à progenitoribus Hebræis; Quod cum perſenſiſſent conſanguinei docuerunt id eſſe falſum, & confictum ab illo, ut poſſet ad ſæculum redire. Itaque cognita rei veritate rejecta eſt Religioſi imprudentia. Non eſt igitur abſurdum, ut qui tamdiù tacuit, deinceps non audiatur. Quod ſi illicò conſtare poſſet de obſtaculo impuritatis ſanguinis conſuli poſſet tam illius, quàm Religionis indemnitati adeundo Sedem Apoſtolicam pro beneficio reſtitutionis in integrum. 44

Falſum eſt itidem ſecundum fundamentum quod per quinquennium inducatur à Concilio tacita profeſſio: idque patet primò ex diverſitate loquendi, qua Canones utuntur, dum profeſſionis præſumptionem inducunt, & qua utitur Concilium *in d. c.* 19. Nam canones his fermè verbis uti ſolent, videlicet: Profeſſionem per hoc feciſſe, vel ſi quam priùs fecerat, ratam habuiſſe videtur, *c.* 1. *de reg. in* 6. Præſumitur veraciter eſſe profeſſus, *ibid.* in ſecundo reſponſo Religioni habitum recipientem obligat, *c. Conſtitutionem eod. tit. & lib.* Hoc ipſo decernimus eſſe profeſſos. Clem. 2. *eod. tit.* In eo quod cœperunt, perſeverare cogantur, *cap. Conſtituit* 20. *q.* 3. Ut regulam ſervent Eccleſiaſtica diſtrictione compellas, *c. Ex parte de regul.* & aliis conſimilibus obligationem inducentibus. At Concilium ſim- 45

plicet ait : Non audiatur niſi cauſas deduxerit , atque ita non facit illum profeſſum, ſed tantùm ei denegat audientiam .

46 Deindè profeſſio ante ætatem emiſſa, de qua fit mentio *in dict. cap. 19.* cenſetur tacitè ratificari, ſi profeſſus poſt legitimam ætatem habitum profeſſorum aſſumpſerit, vel per annum geſtaverit habitum indiſtinctum, ut *in dict. cap. ſignificatum extr. de regul. & in dict. cap. 1. eodem in 6.* & Sac. Congregatio ſæpiùs declaravit hujuſmodi tacitam profeſſionem non fuiſſe à Concilio ſublatam, eamque incipere à prima hora poſt perfectum annum 16. & finire anno 17. Ergo decretum *dict. cap. 19.* in præfixione quinquennii profeſſionem non inducit: nam cùm jam reperiretur à jure inducta per lapſum unius anni, quid opus fuiſſet illam rurſus inducere per lapſum quinquennii ?

47 Ad hæc cùm Concilium *in d. c. 19.* primò, & principaliter ſtatuat, ut profeſſi per vim, & metum elapſo quinquennio non audiantur : & Gregorius XIII. ex ſententia Congregationis declaraverit id habere locum etiamſi profeſſus alleget vim, & metum ſemper duraſſe : hinc manifeſtè convincitur non induxiſſe tacitam profeſſionem, quandoquidem in profeſſione, & voto conſenſus requiritur jure naturali, & divino, *cap. Præſens, 20. q. 3. c. Licet de regul.* Silveſt. *in verb. Religio 2. num. 12.* & tradunt paſſim Theologi .

48 Quomodo ergo Concilium potuiſſet invitum, ac diſſentientem Religioni alligare, aut vi, ac metu durante tacitæ profeſſionis præſumptionem inducere, cùm in matrimonio tam carnali, quàm ſpirituali defunctum conſenſus Eccleſia ſupplere nequeat, ut per Cardin. in *cap. fin. num. 10. in 14. quæſt. verſ. Pars prima probatur, de poſtul. Prælat.* & dixi in *c. Quanto, de translat. Epiſc.* & Navarr. *conſ. 10. num. 2. Quod met. cauſ.* nec quemquam invitum cogere , ut profeſſionem à ſe nulliter emiſſam ratam habeat , ut per eumdem Navarr. *conſ. 39. numer. 2. de regul.*

Poſtremò Sanctiſſimus ſupplicationes eorum, qui petunt reſtitutionem adverſus lapſum quinquennii ob profeſſionem emiſſam in conventibus non deſignatis, reiicere ſolet ad S. Congregationem Regularium quæ receptis aliquibus probationibus ſuper narratorum veritate, reſcribit eſſe committendum Superiori Regulari, & Ordina-
49 rio, ut poſtquam compererint profeſſionem in loco nondeſignato emiſſam fuiſſe, declarent ſic profeſſum nullatenus eſſe Religioni alligatum, & poſſe liberè ad ſæculum redire ; quæ certè fieri non poſſent, ſi per quinquennium inducta eſſet à Concilio tacita profeſſio : quia contra profeſſionem numquam datur reſtitutio in integrum, etiamſi dolus, aut ſeductio interceſſerit : Gloſ. in *c. Cùm dilectus, in ver. Ad facultatem, infrà eod.* Abb. in *c. Cùm virum, de regul. in 6.* & Silveſt. *in ver. Religio 3. n. 11.*

50 Itaque Patres Tridentini Concilii animadvertentes ex eo quod nullitates hujuſmodi quandocumque deduci poſſent, maximam oriri in Religionibus perturbationem, ut conſuleretur Religioſorum quieti terminum quinquennii præfigendum duxerunt , quo elapſo profeſſis clauſerunt aditum , ita ut ſuper nullitate profeſſionis non eſſent ampliùs audiendi, ſed non propterea profeſſionem convalidarunt, aut de novo induxerunt, quod etiam cenſet Navar. *conſ. 23.* Petrutius *de regul.*

Unde ſtant ſimul , & quis ſit validè profeſſus, & tamen infra quinquennium ſit audiendus, ſi prætendat ſuam profeſſionem eſſe nullam : & ſtant ſimul, ut quis ſit nulliter profeſſus, & tamen ſuper hujuſmodi nullitate elapſo quinquennio audiri non poſſit.

51 His ita conſtitutis ad dubium videtur ſub diſtinctione reſpondendum ; nam aut profeſſi in locis ut ſupra non deſignatis ſunt adhuc infra quinquennium à die profeſſionis emiſſæ, & cum nec tacitè, nec expreſsè ſint alligati Ordini, in quo profeſſionem emiſerunt, nec teneantur ad ullam Religionem in genere ex dictis ſupra in *1. & 2. dub.* poſſunt quidem ad ſæculum redire , ſed tamen ſervata forma à Concilio præſcripta , ideſt poſteaquam coram Superiore Monaſterii , & Ordinario loci , ubi profeſſionem emiſerunt, cauſam nullitatis deduxerint, & ſuper nullitate declaratoriam obtinuerint , niſi tamen non ſervata forma Concilii ſponte habitum dimiſiſſent , quia tunc etiam infra quinquennium in pœnam tranſgreſſionis nullatenus eſſent audiendi , ut *in dict. cap. 19. in verſ. Si ante.* Aut verò elapſum eſt quinquennium , & tunc etiamſi hujuſmodi impedimentum ſit perpetuum , quia tamen illud infra legitima tempora deductum non fuit, ſic profeſſi habent os clauſum , nec ſunt audiendi, niſi illis Papa os aperiat prævia reſtitutione in integrum adverſus lapſum quin- 52
quennii ex dictis *in 3. dubio*, quam quidem reſtitutionem inferior Principe concedere non poteſt, cùm ſit contra generalem Concilium , ſuper quo nec Epiſcopi , nec Superiores Ordinum habent diſpenſandi poteſtatem , ut *in extrav. unica , de relig. domib.* & tradit *gl. in c. Cùm dilectus in ver. In ætate , de elect.*

Præſertim ſtante clauſula ſublata, & decreto irritante, de quibus in Conſtitutione Pii IV. quæ incipit, *Benedictus Deus*, edita ſuper Tridentini Concilii confirmatione, & generaliter reſtitutionem in integrum prorſus ab alio, quam à Papa concedi non poſſe, ex facto reſpondit Abb. *conſ. 88. Dico unum, per totum lib. 1.* Quod adeò verum eſt, ut nec Congregationes hanc ſibi vendicent poteſtatem reſtituendi in integrum, niſi prævia Commiſſione Sanctiſſimi.

Sed objicies quamvis de jure hæc ita procedere videantur ; tamen expedire pro quiete Religionum , ut profeſſi in prædictis locis non deſignatis, nec infrà , nec poſt quinquennium audiantur, ne aperiatur via quamplurimis Religioſis ad ſæculum redeundi cum populi ſcandalo, & Religionum detrimento, præſertim quoad eos, qui muneribus , & officiis functi ſunt , quorum actus legitimi nullitatis periculo ſubjacebunt, ſi eorum profeſſionis irritæ decernantur. Navarr. *conſ. 40. in ultim. quæſt. de regul.*

Verùm ut hæc objectio tollatur conſiderandum eſt 53
decreta Clementis non habere locum, niſi in Italia, & Inſulis adjacentibus , ut in eis expreſsè cautum reperitur .

Deindè conſiderandum eſt in decretis ipſis reperiri exceptas Religiones infraſcriptas, videlicet, Carthuſianorum, Minorum de ſtrictiori obſervantia, Capucinorum, Reformatorum S. Dominici, Diſcalceatorum Carmelitarum, Congregationis Folienſis, Eremitarum Camaldulenſium, ac Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Jeſu, S. Pauli Decolati, de Somaſcha, & Miniſtrorum Infirmorum, inter quos Congregatio cenſuit eſſe comprehenſos etiam Diſcalceatos Ordini Sancti Auguſtini .

Conſiderandum tertiò Religiones poſt decreta Clementis erectas in eis non comprehendi, cùm omnes habeant peculiarem formam recipiendi Novitios à Sede Apoſtolica approbatam , quæ tamquam poſterior ſervanda eſt .

Itaque hæc decreta reſtringuntur ad aliquot tantùm Religiones Italiæ ; & Inſularum adjacentium , eaſque laxioris obſervantiæ , & tamen in his etiam Religionibus non multi conventus reperiuntur pro recipiendis novitiis, qui juxta formam decretorum non ſint deſignati .

Et tot igitur reſtrictivis ſatis liquet numerum eorum, qui ex hoc capite poſſent habitum regularem dimittere non eſſe tam magnum, ut Religionibus detrimento eſſe poſſit. Præterquamquod cum numerus Regularium in Regligionibus antiquis , quæ à ſtrictioris obſervantiæ inſtituto pauliſper deviarunt , jam plus nimio excreverint, parum oberit , quod aliqui nulliter profeſſi ab eis abſcedant, cùm præſertim qui profeſſionis ſuæ validitatem impugnant, plerumque ſint dyſcoli aut inquieti, qui nituntur jugum religionis excutere, ut propterea abeuntibus ſatius ſit pontem , ut dicitur, argenteum conſtruere, quam viam occludere, ex his quæ docet D. Thom. *quodl. 12. art. ult.*

Nec prædictis officit conſideratio ſuperius facta quoad Superiores , & officiales ; nam ſi agamus de iis , quibus quinquennium non eſt elapſum hæc conſideratio ceſſat, quia mos Religionum non eſt , ut ſubditi infrà illud tempus ad gradus , & Prælaturas promo- 54
veantur. Quo verò ad eos quibus quinquennium eſt elapſum . Reſpondetur actus ab hujuſmodi Superioribus geſtos ſuſtinere poſſe ex communi reputatione

juxta

juxta terminos *l. Barbarius*, *ff. de off. Prætor.* quam etiam in ſpiritualibus habere locum, tradunt Innoc. Hoſt. Card. & alii communiter *in cap. Nihil*, *de elect.* Roſell. *in ver. Confeſſio Sacramentalis tertio*, *numer.* 41. Angel. *Confeſſio* 4. *num.* 12. Silveſt. *Confeſſor* 2. *numer.* 15. Tabien. *Abſolutio num.* 3. & Navarr. *in cap. Placuit*, *de pœnit. diſt.* 6. *num.* 177.

Præterquamquod hi caſus non admodum frequenter ſolent contingere: nam multorum annorum ſpatio, quibus Secretarii munere functus ſum in S. Congregatione Epiſcoporum, ac Regularium obſervavi vix tres aut quatuor Regulares quot annis petiiſſe reſtitutionem adverſus lapſum quinquennii ex hoc capite quod profeſſionem non emiſiſſent in Conventibus non deſignatis; iique ferè nunquam fuerunt Superiores: nam qui in Religionibus poſſent authoritate, & aliis præſunt libenter in Religionibus perſeverant: ſed ſubditi, atque adminiſtratione carentes ſunt qui contendunt ad ſæculum reddire. Quale autem inconveniens eſt, ut ex omnibus Religionibus laxiori obſervantiæ ſimul junctis in univerſum abſcedant quot annis tres, aut quator ſubditi nulliter profeſſi?

55 Et nihilominus ſi aliquis caſus contingeret, in quo non expediret, ut aliquis Regularis reddiret ad ſæculum, poſſet fortè Sanctiſſimus illi denegare reſtitutionem adverſus lapſum quinquennii, quæ eſt mera gratia ſecundùm Bald. *conſ.* 338. *Reparatio*, *in princ. lib.* 3. Et quemadmodum Tridentinum Goncilium rem injuſtam non putavit denegare Religioſis omnibus etiam nulliter profeſſis audientiam poſt quinquennium: ita neque injuſtum videri debet, ut Sedes Apoſtolica ex aliqua juſta, & rationabili cauſa audientiam deneget alicui Religioſo in particulari abſtinendo à gratia reſtitutionis in integrum ex his quæ notat Silveſt. *in ver. præſcriptio* 1. *numer.* 14. & in terminis *dict. cap.* 19. Navarr. *conſ.* 23. Petrutius *num.* 4. *de regul.* aut certè Sanctitas Sua poſſet aliam rationem inire, ut ſic profeſſus vel induceretur ad iterum profitendum, vel ad aliam Religionem tranſire.

Non me latet poſt litteras in forma Brevis quibus S. D. N. aſſerendo invalidam exiſtere profeſſionem eorum, qui annum probationis non fecerunt in Conventibus ad recipiendos Novitios deſignatis, mandat Ordinariis locorum, & Superioribus regularibus, ut ſic profeſſos ad profeſſionem denuò emittendam admittant abſque novo probationis anno, gravia ſcandala fuiſſe exorta, quia quamplurimi Religioſi tam intra, quàm poſt quinquennium nullo juris ordine ſervato dimiſſo habitu regulari ad ſæculum redierunt.

56 Hujus mali cauſa fuit, quia Regulares interpretati ſunt has litteras eſſe facultativas: indeque inferri, ut nolentibus iterum profiteri licuerit ad ſæculum redire. Qui quidem intellectus verus eſt in ea parte, ut inviti non cogantur iterum profiteri, ſed falſus eſt in alia, ut propterea poſſint redire ad ſæculum abſque eo quod ſervetur forma è Concilio præſcripta, quæ conſiſtit in hoc, ut cauſa nullitatis infra quinquennium deducatur, & coram Superiore Regulari, & Ordinario, cui quidem formæ in litteris Sanctitatis ſuæ nec expreſsè, nec tacitè reperitur derogatum; neque enim cenſeri debet unico illo verbo Sanct. Sua funditus ſuſtuliſſe Trid. Concil. diſpoſitionem, ut in terminis alterius Concilii legitur in *c. Eccleſia veſtra*, *il* 2. *de elect.* & in noſtris ferè terminis tradit Navarr. *conſ.* 40. *Matth. num.* 6. *de regul.* Quamobrem pro remedio deliberandum an ſit edenda declaratio particularis per alias litteras in forma Brevis, mentem Sanctitatis ſuæ non fuiſſe in primis litteris ullatenus derogare Tridentino Concilio: ac proindè eos quibus quinquennium à die profeſſionis elapſum non fuit, ita demum potuiſſe habitum regularem dimittere, ſi declaratoriam nullitatis obtinuerint à ſuo Superiore; eos verò quibus quinquennium jam fuit exactum nullo modo potuiſſe è religione exire, & tàm primos, quàm ſecundos, qui de facto non ſervata forma Concilii habitum dimiſerunt teneri: cogendoſque eſſe habitum reaſſumere, atque ad religionem redire, ac niſi paruerint tamquam apoſtatas eſſe puniendos ad præſcriptum *d. cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de regul.* noviſſimè ex ſententia Sac. Congregationis Concilii editum fuit à S. D. N. decretum infraſcripti tenoris videlicet.

[Sanctiſſimus Dominus noſter Urbanus divina providentia Papa VIII. ad occurrendum moribus qui poſſent in Religionibus oriri occaſione receptionis Novitiorum, & profeſſionis per eos emiſſæ in Conventibus non deſignatis contra formam decretorum Sanctæ memoriæ Clementis VIII. de Novitiis ad habitum regularem, & profeſſionem non admittentis, niſi in Conventibus deſignatis, audita ſuper hoc ſententia Sacræ Congregationis declaravit, & decrevit huſmodi ſuſceptos contra formam dictorum decretorum allegantes propterea nullitatem receptionis, & profeſſionis non poſſe ſuper hujuſmodi nullitate poſt lapſum quinquennii quoquo modo audiri. Quod ſi aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti, & profeſſi è religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam reſpectivè illos ejicere voluerint, eadem Sanctitas Sua decrevit, ut tàm ipſi profeſſi, quàm Superiores reſpectivè teneantur Jura quæ ſibi favere viſa fuerint, priùs deducere coram eadem Congregatione quæ ex ſpeciali etiam Sanctitatis Suæ facultate ſuper hoc conceſſa providebit. Inhibendum propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus Juriſdictionem exercentibus, & quibuſcumque Judicibus Ordinariis, & delegatis etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus & S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Sediſque Apoſtolicæ Nuntiis, ne in poſterum in hoc quoquomodo ſe ingerant abſque ſpeciali ejuſdem Sanctitatis commiſſione ſub pœna ipſo facto incurrenda quoad Epiſcopos. Archiepiſcopos, Patriarchas, & Primates interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ: quoad Abbates, Prælatos inferiores, ac alios Judices prædictos excommunicationis latæ ſententiæ: Quo verò ad Nuntios, ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de latere Legatos indignationis Suæ Sanctitatis & pœnarum arbitrio ejuſdem imponendarum.

Si verò iidem ut ſupra recepti, & profeſſi Juribus ſuis minimè deductis coram Sac. Congregatione Concilii, & ſine illius expreſſa licentia è Religionis exire, vel Superiores Religionis ejicere auſi fuerint recepti, & profeſſi tamquam Apoſtatæ puniantur, & pro talibus habeantur, necnon contra eoſdem juxta formam decreti de Regularibus Apoſtatis, & ejectis ejuſdem. Sanctitatis Suæ juſſu ab eadem Sacra Congregatione ſub die 21. Septembris 1624. editi procedatur, & Superiores, qui ejecerint pœnam ſuſpenſionis ad divinis, necnon privationis officiorum omnium; quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in poſterum obtinenda, vociſque activæ ac paſſivæ ipſo facto abſque alia declaratione incurrant. Datum Romæ die 15. Januarii 1636.)

DE HIS QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

Innocentius III. Vidronen. Archiepiſcopo.

CAPUT V.

SAcris eſt Canonibus: & infrà. Diſtinguimus autem utrùm is qui communicat excommunicatis invitus, ſit per coactionem adſtrictus; aut per metum inductus. In primo caſu talem non credimus excommunicatione teneri, cùm magis pati quàm agere convincatur. In ſecundo licèt metus attenuet culpam; quia tamen non eam prorſus excludit; cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.

S U M M A R I U M.

1 *EXcommunicatus non eſt qui abſolutè coactus excommunicato communicat. Secus ſi coactio fuerit conditionalis.*
2 *Coactio duplex; ideſt abſoluta, ſeu præciſa, & conditionalis, ſeu cauſativa, & n. 23.*
3 *Coactio abſoluta, eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt.*
4 *Fit per manum attractionem, vel detentionem, & num. 9.*
Conſenſu prorſus excludit num. 5.
5 *Coactus abſolutè magis pati, quàm agere convincitur, & dormienti æquiparatur. Nec meretur, nec demeretur, num. 7.*
6 *Violentum eſt, cujus principium eſt extra, nihil conferente vim paſſo.*
8 *Vis quotuplex, & n. 17. & 19.*
9 *Coactionis abſolutæ exempla.*
10 *Virginitatis flos perditur etiam per vim attrativam in fœmina.*
11 *Corrupta per vim abſoluta dormiendo, vel in furore exiſtens, non poteſt inter Virgines velari.*
12 *Martyris præclarum triumphatæ incontinentiæ exemplum.*
Coactio abſoluta, ſeu oppreſſio ad culpam cadit in mulierem: ſed non in virum, ibid.
14 *Coactio abſoluta non poteſt intervenire in emiſſione verbi.*
Verba per vim extorqueri non poſſunt ſine conſenſu, ibid.
15 *Ad juramentum verbale quis cogi non poteſt præciſè: ſecus ad actuale.*
16 *Ad Deſponſationem verbalem non poteſt quis abſolutè compelli, ſed benè ad actualem per annuli immiſſionem.*
17 *Coactio conditionalis, ſeu vis compulſiva, & metus idem ſunt.*
18 *Metus eſt inſtantis, vel futuri periculi cauſa, mentis trepidatio.*
19 *Non excludit prorſus, ſed attenuat conſenſum.*
Ejus principium eſt intra, num. 21.
20 *Facta per metum ſunt magis voluntaria, quàm involuntaria, & n. 24.*
22 *Voluntas coacta voluntas eſt.*
23 *Violentum aliud eſt ſimpliciter, alud mixtum.*
24 *Violentum mixtum eſt voluntarium ſimpliciter, involuntarium ſecundum quid.*
25 *Excommunicato ſcienter communicans an peccet mortaliter, & num. ſeqq. uſque in finem.*
Quid ſi communicet per metum cadentem in conſtantem virum, n. 27. 31. & 45.
Quid ſi communicet in oratione, convivio, & ſimilibus, num. 33. & 35.
Et quid ſi nimis frequenter, num. 41.
Quid ſi excommunicatio ſit lata etiam in participes, n. 34. & 40.
Quid ſi communicet in Divinis, n. 35. & 40.
Quid ſi in crimine, n. 35. 36. & 40.
Quid ſi communicet cum excommunicatis à Canone, vel ab homine, num. 39.
Quid ſi in contemptum Clavium, vel Superioris, ibidem & num. 40.
Et quid poſt Concilium Conſtantienſe, num. 43.
26 *Excommunicato communicare quis poteſt licitè ad emendam, vel recipiendum victui neceſſaria, ne fame pereat, & n. 32.*
28 *Peccato mortali non conſentiendum, ſed potiùs omnia mundi mala toleranda.*
29 *Metus excuſat à pœna, ſed non à culpa.*
30 *Papa poteſt à ſua ſententia eximere, ſed non licentiam peccandi tribuere.*
32 *Metus mortis excuſat à peccato, quando eſt à cauſa naturali: ſecus ſi ab accidentali.*
34 *Excommunicato communicans etiam ſimpliciter ligatur majori excommunicatione, ſi lata fuerit etiam in participes, & num. 40.*
35 *Idem ſi communicet in crimine, in Divinis, vel in contemptum, & num. ſeq. & 40.*
36 *Excommunicato communicans etiam in divinis ob metum mortis non peccat mortaliter.*
Contrarium, num. 28. & 46.
37 *Miſſam celebrans coram excommunincato ob metum ſibi incuſſum ab hæretico, mortaliter peccat, ſecus ſi à Tyranno.*
38 *Contrarium, & num. 46.*
43 *Excommunicatis à Canone, vel ab homine poſt Concilium Conſtantienſe licitum eſt communicare etiam in divinis, niſi ſint publicè denunciati, vel notorii Clericorum percuſſores.*
44 *Et cum publicè denunciatis ſcienter communicare etiam ſimpliciter eſt mortale peccatum.*
45 *Nec excuſat metus etiam cadens in conſtantem virum.*
46 *Metus mortis non excuſat à mortali eos, qui tranſgrediuntur præcepta nedum Divina, ſed etiam Eccleſiaſtica.*
47 *Excommunicatis communicare in oratione, convivio, & ſimilibus, imò etiam in Divinis eſt prohibitum ex conſtitutione Eccleſiæ.*
48 *Eccleſia poteſt ſub mortali obligare ad aliquid vitandum, vel faciendum etiam cum periculo mortis.*

S*Acris*. Excommunicatus non eſt qui abſolutè coactus 1
excommunicato communicat: ſecus ſi coactio fuerit
conditionalis. Hot dicit ſecundùm Joan. Andr. qui in gratiam Milantiæ Dominæ ſuæ, quam didicit divini, & humani juris ſociam ſolemni commento hanc Decretalem illuſtravit, ut ſacra eſſet eo amplius, & famoſa. Dividitur in duas partes. In prima ponitur deciſa Conſultatio. In ſecunda bimembris reſponſio. Ibi, *diſtinguimus*. Et primum membrum proſequitur ibi, In primo, Secundum ibi in ſecundo. Et pars hujus dicitur eſſe *cap. Sacris, infra de ſentent. excomm. & cap. Sacris, de ſepult.* Et fundatur ſuper dictis Philoſophi *lib. 3. Ethicor. c. 1. paulo poſt princ.* ut hìc per Butr. *num. 2.*

Nota primò ibi, *per coactionem adſtrictus, aut per me-* 2
tum inductus, coactionem eſſe in duplici differentia. Quædam enim eſt coactio abſoluta, ſeu præciſa: quædam verò conditionalis, ſeu cauſativa. Coactio abſoluta eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt, ut diffinit Juriſconſultus,

4 tus in l. 2. ff. Quod met. cauſ. vel cui renui ... poteſt, ſe-
cundum Joan. Andr. hic in 1. quæſt. num. 15. & ſi per manum
attractionem, vel detentionem, ſecundum Hoſtien. in
5 princip. in ver. coactionem, & Joan. Andr. ubi ſupra. Qua-
propter conſenſum prorſus excludit; quia abſolute coactus
potius pati, quam agere convincitur, ut hic dicitur. Imo
dormienti æquiparatur, ut l. 1. in fin. ff. de author. tutor. &
6 hic notat gloſſ. 1. & DD. In eo enim, quod per vim agi-
tur, voluntas interior nihil agit, & violentum non ſo-
lum diffinitur eſſe, cujus principium eſt extra, ſed addi-
tur etiam nihil conferente vim paſſo. S. Thom. in 1. 2.
7 quæſt. 6. art. 5. in corpore ad primum. Unde ſic coactus nec
laudem, nec vituperium, nec præmium, nec pœnam me-
retur, Joan. Andr. hic num. 15. ad fin. verſ. Primo igitur
8 caſu, & Butr. num. 1. Et ad hanc ſpeciem coactionis refe-
runtur vis expulſiva, vis ablativa, & vis turbativa, ut notat
gloſſ. ultima in l. 1. ff. Quod met. cauſ. Exempla ſecundum
Beatin. & Joan. Andr. hic num. 15. Invitus trahor in Ec-
cleſiam ad audiendam Miſſam excommunicati, vel cum
excommunicatis, ibi audientibus; vel ibi exiſtens deti-
neor invitus, nec permittor exire. Vel ſecundum Abb.
num. 2. ligatis manibus, & pedibus cogor communicare
excommunicato in lecto, vel in Eccleſia. Idem in Ju-
dæo, vel Pagano, quem invitum Chriſtiani veſtibus
9 exeunt, & ad fontem portant, & batizant. Idemque ſi
hæretici per eumdem modum baptizant. Chriſtianum, vel
cogunt illum Idola thurificare aperiendo ipſius manum,
thus imponendo, & demum ipſam manum reſolvendo ſu-
per prunas ante Idolum exiſtentes, cap. Presbyteros, 50. diſt.
cap. Conſtat, 1. q. 1. & cap. Majores, §. ultim. de baptiſm.
Sic invitus detinetur Accolytus coram Epiſcopo, a quo
Subdiaconus ordinatur. Sic invitus quis inducitur habitu
10 Religioſo, vel veſte Profeſſorum. Et his ſimilia. Et huc
etiam ſpectat illud Beatæ Luciæ Virginis: Si invitam juſſe-
ris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam, ut
per D. Thom. in 3. ſentent. diſtinct. 39. quæſt. 1. art. 3. quæſt.
3. ad tertium, dicen. Luciam loqui de violento ſimpliciter,
11 in quo patiens nihil confert agenti. Flos tamen virgini-
tatis perditur etiam per vim attractivam; nec poteſt cor-
rupta velari inter virgines etiam ſi ſit deflorata dormien-
do, vel in furore, vel in phreneſi exiſtens, ſicut lilium cor-
rumpitur non ſentiens, ut hic per Bald. n. 4. Huc demum
12 ſpectat illud S. Martyris Nicetæ, qui dum lecto manibus, pe-
dibuſque devinctus ab impudica fœmina vi opprimeretur,
linguam ſibi dentibus amputavit, & in illius faciem expuit,
teſte D. Hieronymo in vita S. Pauli primi Eremitæ, ut re-
ferunt Baron. Annal. ad Annum Chriſti 253. & Nicephor.
apud Hieremiam Drexelium a Soc. Jeſu in libro de Trium-
phata incontinentia, licèt Jo. Andr. hic in 1. q. 12. n. 16. & in c.
Is qui, n. 3. de ſponſ. ſentiant abſolutam coactionem conjun-
ctionis ſexuum, vel oppreſſionem ad copulam cadere in
13 mulierem, ſed non in virum. Fatetur tamen paſſivè etiam
virum abſoluta coactione poſſe ſtuprari, ut cap. In Archie-
piſcopatu, de raptor. quamvis hoc caſu florem virginitatis
non perdat, l. 1. §. Removet, ff. De poſtulan. ſecundum Bald.
14 d. num. 10. in fin. Et ſimili modo in emiſſione verbi non
poteſt intervenire abſoluta coactio; quia ut inquit Bald.
hic num. 3. actus verbi habet organa propria, quæ de ſub-
jecto in ſubjectum ambulare non poſſunt, nec extorqueri
per vim, niſi interveniat aliquis conſenſus, ſicut totus
mundus non poteſt facere, ut mutus loquatur. Quò fit,
15 ut ad juramentum verbale non poſſit præciſè quis cogi, li-
cèt poſſit ad actuale, per vim ponendo manum meam
ſuper libro juramento mihi delato, ut notant Joan. Andr.
& Abb. in c. verum, de jurejur. & Covarr. in c. Alma ma-
ter, de ſentent. excomm. part. 1. §. 3. n. 9. verſ. Illud eſt præmit-
16 tendum. Inde etiam fit, ut ad verbalem deſponſationem quis
præciſè cogi non poſſit, ſed benè ad actualem per violen-
tam annuli immiſſionem; manus enim poteſt attrahi,
ſed non verbum, ſecundùm Joan. Andr. hic numer. 16.
ad fin.

17 Coactio conditionalis, quæ aliàs dicitur jus compulſi-
va; idem eſt, quod metus, ut notat gloſſ. 1. in l. Nihil con-
ſenſui, ff. De reg. jur. & ideò metus nomine ſimpliciter ap-
pellatur in hac Decretali, nihil aliud eſt quàm inſtantis,
vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio, ut l. 1. ff. Quod
met. cauſ. S. Thom. in 4. ſentent. diſt. 29. q. 1. art. 1. in corp.
18 eo quod propter inſtans, vel futurum periculum aliquid ago
quod ſponte non agerem veluti ſi timens mortem, mem-
brorum mutilationem, aut bonorum confiſcationem,
aliquid faciam ex prædictis vel ſimilibus, ſine attractione
abſoluta, ut explicat Joan. Andr. hic num. 15. verſ. Coactio
conditionalis. Et hæc ſpecies coactionis, ad quam reduci- 19
tur etiam jus inquietativa, ut per gloſſ. fin. in l. 1. ff. Quod
met. cauſ. non excludit prorſus, ſed attenuat conſenſum, ut
hic in littera. Nam quod per metum fit, dicitur magis vo- 20
luntarium. Eſt enim voluntarium ſimpliciter in quantum
videlicet eſt hic, & nunc, prout ſcilicet in hoc caſu eſt
impedimentum majoris mali, quod timebatur, ſicut pro-
jectio mercium in mare fit voluntariè tempore tempeſtatis
propter timorem inſtantis periculi; Unde convenit ei ra- 21
tio voluntarii ſimpliciter, cum ejus principium ſit intra:
Involuntarium autem eſt ſecundum quid, id eſt prout con-
ſideratur extra hunc caſum periculi: unde eſt involunta-
rium ſub conditione; ideſt ſi talis metus non immineret, ut
docet D. Thom. in 1. 2. q. 6. art. 6. in corp. & in reſponſione ad
tertiam. Et hoc caſu procedit quod dicit Canon, Coacta 22
voluntas eſt, cap. Merito, 15. quæſt. 1.

Utramque ſpeciem coactionis optimè diſtinguit idem 23
S. Thom. in 4. ſentent. diſtin. 29. q. 1. art. 1. dicens: Duplex
eſt coactio, vel violentia; una, quæ facit neceſſitatem abſolu-
tam, & tale violentum dicitur à Philoſopho violentum ſim-
pliciter, ut cum quis alium corporaliter impellit ad actum.
Alia, quæ facit conditionatam neceſſitatem. Et hanc vocat
Philoſophus violentum mixtum, ſicut cum quis proiicit mer- 24
ces in Mare, ne periclitetur. Et in iſto violento quamvis
hoc, quod fit, non ſit per ſe voluntarium, tamen conſideratis
circumſtantiis hic, & nunc, voluntarium eſt. Et quia actus
in particularibus ſunt, ideo ſimpliciter voluntarium eſt, ſed
ſecundum quid involuntarium. Hæc S. Thom. quæ latius re-
aſſumit, & proſequitur hic Anton. de Butr. numer. 1. & 2.
eamdem diſtinctionem probarunt Domini de Rota in Va-
lentina Nullitatis ſuſceptionis Ordinis Subdiaconatus
apud Cæſarem de Graſſis deciſ. 1. & 2. De his quæ vi met.
cauſ. Ad quæſtionem illam, An coactè promotus ad Or-
dinem Subdiaconatus teneatur ad continentiam, de qua
ſcripſi latiſſimè poſt alios in c. Majores: §. Item quæritur, in-
fra de baptiſm.

Secundò nota ibi, pro nullo metu debeat quis mortale pec- 25
catum incurrere. Coactum conditionaliter communicare 26
cum excommunicato mortaliter peccare, & in excommu-
nicationem incidere, ut hic eſt caſus; ſed quia pleriſque
id per quam durum videtur, cum ob periculum mortis ra-
tione famis procedens licita ſit communicatio cum ex-
comunicato ad emendum, vel recipiendum ea, quæ ſunt
victui neceſſaria, ut cap. Si verè, §. Eſt autem, de ſentent.
excommunicat. idemque periculum excuſet a furto, ut cap.
Si quis propter neceſſitatem, de furtis: hinc emerſerunt va-
rii intellectus ad hanc Decretalem.

Nonnulli enim verba illa textus, Pro nullo metu debeat 27
quis mortale peccatum incurrere, intelligunt de metu va-
no, ſeu levi, non autem de eo, qui cadit in conſtantem vi-
rum, ut hic refert Innoc. poſt princip. in ver. Pro nullo. Sed
hanc expoſitionem meritò refellunt Doctores, tum quia
nimis reſtringit litteram, & dictio illa univerſalis negati-
va, pro nullo metu, hujuſmodi reſtrictionem non pati-
tur, ad gloſ. in Clem. 1. in ver. Nullius, de præben. Tum quia 28
potius debemus omnia Mundi mala tolerare, quàm mor-
tali peccato conſentire, c. Ita ne, 32. q. 5. à quo propterea
non excuſat metus emiſſionis temporalium, cap. Illud, de
major. & obed. expedit enim potius poſt tunicam relinque-
re pallium, cap. Suſcepimus, §. final. de homicid. Nam quid
prodeſt homini, ſi univerſum Mundum lucretur, Ani-
mæ verò ſuæ detrimentum patiatur, c. Matthæus, in fin.
de ſimon.

Nec obſtat text. in c. Significavit, de ſent. excommun. qui 29
ſignatur contra. Quoniam metus excuſat quidem à ſen-
tentia, & pœna, ut ubi, ſeu non a culpa, ut hic. Ratio dif- 30
ferentiæ, quia Papa poteſt quemlibet à ſententia ſua exime-
re, c. Quoniam multos, 11. q. 3. Sed non poteſt cuipiam
peccandi licentiam impertiri, ut notatur in c. Ad aures,
§. 1. ſupra de temp. ordinat. ſecundùm Hoſt. hic num. 5. &
ſeqq. & Collect. in fin. Quamobrem metum mortis, vel 31
confiſcationis bonorum non excuſare à mortali peccato
eum, qui excommunicato communicat tenent hic In-
nocent. poſt princip. in ver. Pro nullo, Hoſt. d. num. 5. Joan.
no-

nocent, *poſt princip. in ver. Pro nullo*, Hoſt. *d. num.* 5. Joan. Andr. *num.* 4. *exponens ver. Nullo*; ideſt etiam mortis, vel alio, qui etiam poſſit cadere in conſtantem, & *nu.* 7. Bellam. *in princ. in ver. Nullo*, Cardin. *num.* 3. *circa medium, verſ. Sed Innocentius dicit*, Anchar. *n.* 7. *in* 3. *qu. verſ. Sed ipſe cum Hoſtienſe*, & Abbas *n.* 4. *verſ. Sed quia hæc ſolutio*, & ſequuntur Theologi in 4. *ſentent. diſt.* 18. & ibi in ſpecie S. Thomas *q.* 2. *art.* 4. & Durand. *quæſt.* 5. Idem S. Thom. *in quolibet.* 11. *art.* 9. *& in addit. ad* 3. *part. quæſt.* 23. *art.* 3.

32 Nec obſtant rationes oppoſitæ: nam ut reſpondet Covarr. in *cap. Alma mater*, *de ſentent. excomm. in* 1. *par.* §. 3. *num.* 9. *verſ. Primis igitur*, qui emit ab excommunicato neceſſaria ad victum, nec mortaliter, nec venialiter peccat, nec incidit in excommunicationem minorem, quia non agit directè ad communionem cum excommunicato, ſed ad petendum alimenta, ne fame pereat. At qui metu mortis ſibi incuſſo cum excommunicato communicat, utique primò, & principaliter in communionem ipſam conſentit. Unde metus mortis in primo caſu excuſat, non ſic in poſteriori, cum maleficia voluntate diſtinguantur, *c. Cum voluntate, de ſentent. excommun. l. Qui injuriæ, in princ. ff. de fur.* Et eſt ſimile, nam ad vitandam mortem naturalem licet ſe ipſum mutilare, ut ſi membrum putridum ſit corporis corruptivum, *cap. Reſecandæ* 24. *q.* 3. S. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 1. Item licet urgente neceſſitate ſe inebriare ad morbum depellendum, Cajet. *in* 1. 2. *qu.* 150. *art.* 2. *in reſponſione ad tertiam*, & tamen peccat mortaliter qui membrum ſibi obtruncat, vel ſe inebriat ad evitandam Tyranni ſævitiam, cum illud ſit à cauſa naturali, hoc verò ab accidentali, ut fusè probavi in *cap. A crapula*, *à num.* 33. *infrà de vita, & honeſt. Cler.* Sic etiam Judæi coacti noluerunt carnes porcinas comedere, quas tamen comederunt fame compulſi, *Machabæor.* 1. *cap.* 2. & *Machabæor.* 2. *c.* 7. Sed adhuc remanet dubium de qua communione Decretalis ſit intelligenda.

33 Plerique autem ex Antiquis intellexerunt hanc litteram generaliter, ita ut ſit mortale peccatum communicare excommunicato in quocumque caſu, in quo participatio eſt prohibita, & ſic etiam de communione, quæ inducit excommunicationem minorem tantùm, ut quæ ſit in oratione, ſalutatione, convivio, & ſimilibus. Et hunc ſecundum intellectum probarunt Goffred. *in ſumma de ſent. excommun.* §. *ult. verſ. Quæritur an peccet*, Raym. *in ſua Summa eod. tit. ad fin. verſ. Sic*, quid ſi aliquis communicat. Subdens quod contrarium tenentes blandiuntur peccatoribus in ſtragem, & periculum animarum, Innocen. *hic poſt princ.* Hoſt. *nu.* 5. & ita communiter hoc capitulum ſolet legi, ut teſtatur Jo. Andr. *in* 4. *q. num.* 19. Imò ut formaliter inquit Abb. Antiquus *num.* 1. Doctores juris Canonici quaſi omnes communiter tenuerunt per hanc Decretalem, ut in caſu non conceſſo excommunicato communicare, ſit mortale peccatum. Et pro hac opinione Joan. Andr. *hic in* 5. *q. num.* 20.

Jura plurima, & rationes inducit, eamque probare videtur Abb. Siculus, ut patebit infra *n.* 42.

34 Quidam verò intelligunt litteram hujus textus in eo caſu, in quo aliqui ſunt excommunicati cum fautoribus, & complicibus ſuis: tunc enim cum eis participantes etiam ſimpliciter ligantur majori excommunicatione, & mortaliter peccant. Idque deducunt ex eo, quia hujus Decretalis pars eſt, *cap. Sacris*, *infrà de ſentent. excommunic.* quod loquitur de communicante cum omnibus fautoribus, & complicibus. Et hunc tertium intellectum poſuit hic Abb. Antiq. *in princ.* & *ad fin. in ver. Excommunicationis*, & Hoſtienſ. *in Summa de ſentent. excomm.* §. *final. ver. Sic*: Sed numquid participans, ut hic recitat Abb. Siculus *num.* 8. *poſt medium*, *verſ. Ad illud*. Sed idem Hoſt. ſibi contrarius hunc intellectum reprobat *hic in princ.* dicens melius eſſe hanc intelligere ut jacet; quia hodie talis ſententia in fautores non eſt ferenda, ut leg. & not. in *d. cap. Sacris*, & *cap. Statuimus*, *de ſent. excomm. lib.* 6. Adde non probari concludenter Decretalem illam eſſe partem iſtius; quia etſi idem Author Innocentius, & idem initium ſit utriuſque: tamen illa dirigitur ad Archiepiſcopum Strigonien., hæc ad Archiepiſcopum Vidronen. ut in ſupraſcriptione alias Vicroſien. ut in gloſſ. Marginali, ſeu Nidroſien. ut refert Ant. Auguſt. *in* 3. *Collect. Decretal. titul.* 23. *cap.* 5. hic tamen intellectus, & ſi fortè non congruat Decretali, eſt tamen in ſe verus, eumque probat Joan. Andreas & ſequaces, ut dicam infra *num.* 40. *ad finem*.

35 Alii intelligunt hanc litteram in participantibus cum excommunicatis in crimine, vel in Divinis, aut in contemptum, ſeu poſt monitionem; hoc enim non excuſat metus mortis, quominus majorem excommunicationem, & mortale peccatum incurrant; ſecus verò in participantibus ſimpliciter; quia textus primò dicit peccatum mortale contrahi per communionem cum excommunicato. Ergo de ea tamen communione intelligi debet, quæ ſub reatu peccati mortalis prohibita: ad hoc *cap. ult.* 24. *qu.* 1. & hunc quartum intellectum poſuit Silveſt. *in ver. Metus*, *q.* 7. & *ver. Excommunicatio*, 5. *q.* 3. ut refert Covarr. in *d. c. Alma Mater*, *in* 1. *part.* §. 3. *num.* 9. *verſ. Tertio ſolet aliter*, & eſt ſententia D. Thomæ teſte Archid. in *c. Rogo*, 11. *q.* 1. & Theologorum, ut refert Abb. Antiq. *hic num.* 1. *verſ. Sed iſtæ rationes*. Imò eam tenent omnes DD. communiter, ut ait Collectar. *n.* 1.

36 Alii, ut Tancredus, & Ægidius adhuc ſtrictius intelligunt hoc capitulum in eo tantùm caſu, in quo quis participat cum excommunicato in crimine, aliàs non putant metu coactum peccare mortaliter, ſi excommunicato communicet etiam in Divinis. Idque ob eam rationem, quia lex Canonica, quæ in humanis, & temporalibus prohibuit communicare cum excommunicatis, minimè voluit obligare ad vitandum excommunicatos cum mortis periculo, & ſic dato metu cadente in conſtantem virum; dummodò tamen communicatio fiat citra contemptum Religionis. Unde inferunt, ut ſi hæreticus cenſuras 37
Eccleſiæ vilipendens alicui mortem minaretur, niſi cum eo in Divinis communicaret, parendum non eſſet, ſed potius mors ſubeunda: ſecùs ſi Tyrannus metu mortis cogeret Sacerdotem ad celebrandum coram ipſo non in contemptum fidei Catholicæ, vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ; quia ſic celebrando non peccaret mortaliter, nec minorem excommunicationem incurreret: & in hac ſententia fuit Covarr. *d.* §. 3. *num.* 9. *verſ. Quarto*, & ante eum Joan. à Friburgo *in ſumm. Confeſs. tit. de ſent. excommun. qu.* 165. Silveſter *in ver. Excommunicatio*, 5. *dub.* 14. Joan. Major. *in* 4. *ſent. diſt.* 18. *q.* 4. & Navarr. in *c. Inter verba*, 11. *q.* 3. *prælud.* 8.

38 Verùm hi duo poſteriores intellectus nimium reſtringunt litteram hujus textus, quæ indiffinitè loquitur, ſecundùm Abb. *hic num.* 4. *verſ. Sed quia hæc ſolutio*, & contrarium tenent Innoc. Hoſt. Jo. Andr. & alii, ut patebit infra *num.* 40.

39 Alii verò aliter diſtinxerunt, videlicet, Aut quis participat cùm excommunicato contra prohibitionem Canonis, & venialiter peccat, niſi hoc faciat nimis frequenter, & in contemptum Canonis. Aut communicat contra prohibitionem hominis ſpecialem, vel generalem, & mortaliter peccat, quia ante prohitionem hominis non poteſt excommunicari, poſtea verò poteſt: Ergo prius non eſt mortale, poſteà ſic, per *cap. Statuimus, de ſent. excomm. lib.* 6. qua diſtinctione utitur Hoſtien. *in ſumma ejuſdem tit.* §. *ult. verſ. Sed numquid participans*, & ſecundùm eam dicit eſſe intelligendam hanc Decretalem, & *c. Si celebrat infrà de Cler. excomm. miniſtr.* & *c. Excellentiſſimus*, 11. *q.* 3. qua etiam utitur Abb. Antiq. in *d. cap. Si celebrat*, *num.* 3. quia in ſecundo caſu mortaliter peccat magis ratione contumaciæ, quàm ratione communionis: & hanc diſtinctionem nota propter ea, quæ dicam infrà *num.* 44. *& ſeqq. de Concilio Conſtantienſi*. Poſtremò Joan. Andr. *hic in præ-* 40
allegata quæſt. 5. *num.* 20. in utramque partem egregiè examinat articulum, An ſcienter communicare excommunicato in caſibus non permiſſis ſit peccatum mortale: & poſt multa *d. num.* 20. *circa finem verſ. Mihi videtur ſalva pace Raymundi*, concludit, communicare excommunicato regulariter eſſe peccatum veniale, niſi in caſibus infraſcriptis. Primus quando id fit in contemptum Clavium. Secundus quando id fit in contemptum Superioris, & contra ipſius monitionem. Tertius quando in crimine, *c. Si concubinæ*, *de ſent. excommunicationis*. Quartus quando excommunicatio fuit lata etiam in participantes, *c. Statuimus*, *eodem tit. lib.* 6. Quintus quando in Divinis commu- 41
nicat, & præcipuè in caſu *c. Significavit*, *de ſent. excomm.*

Sextus

Sextus & ultimus quando communicat nimis frequenter,
argum. *c. Vnum*, §. *Criminis*, 25. *diſt.* & hic ultimus caſus
poſſet etiam includi ſua primo, & facit quod notat Spe-
culator *de ſentent. prolat.* §. *Vt autem*, *verſ. Quandoque
etiam in fin.* Aliàs non credit Joan. Andr. communicantem
cum excommunicato in oratione, ſalutatione, convi-
vio, & ſimilibus mortaliter peccare, ſed venialiter tan-
tùm: alioquin magnus eſſet rigor hujus Decretalis: &
cum eo tranſeunt hic Bellam. *num. 10, circa med. verſ. Dicit
Novella*. Butr. *num. 17. verſ. Joan. Andr.* Card. *num. 5. circa
med. verſ. Joan. Andr. dicit*, & Anchar. *num. 8. in queſtion.
Florian.* dicit eum, qui communicat ex propoſito, pecca-
re mortaliter; ſecus ſi caſu, vel quadam facilitate.
42 Sed opinio Joan. Andr. communis eſt, ut hic teſtantur Jo.
de Anan. *num. 4. in fin.* & Abb. *num. 9. verſ. Vnde videtur*,
licèt ipſe multum dubitet de illius veritate, quia pro ſe-
cunda opinione Goffredi, & Raymundi multum ſtringunt
c. Sicut Apoſtoli, *cum tribus ſeqq.* 10. *q.* 3. Nam Chriſtus
videtur hoc primo prohibuiſſe, dum dixit Matth. 18. *Si
autem Eccleſiam non audierit*, *ſit tibi ſicut Ethnicus*, &
Publicanus, *cap. Si peccaverit*, 2. *q.* 1, & *c. Novit, de judi-
ciis*. Item Apoſtoli hoc poſtmodum prohibuerint, ut in
d. cap. Sicut Apoſtoli. Item Canones diverſorum Pontifi-
cum, ut in *cap. Excommunicatos*, & in *c. Cum excommu-
nicato*, 11. *q.* 3. ad idem *cap. final. ead. cauſ. & quæſt.* ubi
communicans ſimpliciter excommunicato; etiamſi per
metum id fecerit, puniri debet. Si enim communio ſo-
lùm produceret veniale peccatum, non ita loquerentur
illi textus, cùm venialia peccata facilè remittantur, *cap.
De quotidianis*, *de pœnit. diſt.* 6. Demum hoc capitulum
generaliter loquitur, & ſi oppoſitum diceremus, evacua-
retur effectus excommunicationis. Hæc Abbas qui ta-
men immediatè ſubnectit notandam eſſe communem opi-
nionem.
43 Sed tu adverte, quia hæc altercatio hodie magna ex
parte ſublata eſt per Extravagan. Martini V. in Concilio
Conſtantienſi editam incipien. *Ad evitandam*, qua gene-
raliter indultum eſt, ut liceat communicare cum excom-
municatis à Canone, vel ab homine etiam in adminiſtra-
tione, & receptione Sacramentorum, vel aliis Divinis,
præterquam in duobus caſibus, videlicet ſi excommuni-
cati ſint publicè denunciati, aut notorii Clericorum per-
cuſſores, qui dicuntur excommunicati non tolerati, de
qua Extravag. aliquid tetigi in *cap. Nuper*, *num.* 15. *verſ.
Cæterùm adverte, infrà de ſentent. excomm.* & diſſervi latiſ-
ſimè in *c. Quod à Prædeceſſore*, *à num.* 39. *de ſchiſmat.* Ita-
que hodie communicantes cum excommunicatis etiam in
Divinis, exceptis duobus caſibus antedictis, non modo
non peccant mortaliter, ſed nec venialiter, nec incidunt in
excommunicationem minorem, cùm id faciant lege per-
mittente, *c. Qui peccat*, 23. *q.* 4. Unde controverſia Do-
ctorum reſtringitur tantùm ad communicantes cum ex-
44 communicatis non toleratis. Quidquid ſit de notoriis
percuſſoribus Clericorum, in quibus nihilominus videtur
fortè requiri declaratoria ſuper facto, ut *c. Secundùm Apo-
ſtolum de hæretic. lib. 6.* Certè quoad publicè denunciatos
verius exiſtimo eſſe peccatum mortale cum eis ſcienter
communicare etiam in oratione, convivio, & ſimilibus.
Moveor tum per rationes Abbatis, de quibus *ſupra num.*
42. quæ ſunt ſatis validæ; tum quia in hoc videntur con-
venire quaſi omnes intellectus ſuperiùs relati. Concordat 45
enim ſecundus Goffredi, & ſequacium, qui indiſtinctè
tenuerunt eſſe mortale cum excommunicato communi-
care etiam ſimpliciter, quorum opinio communis fuit uſ-
que ad tempora Joan. Andr. ut dixi *ſupra num.* 33. Item
concordat ſeptimus intellectus ipſius Joan. Andr. qui ho-
die eſt communis, ut tetigi *ſupra num.* 40. & 42. nam in
ſecundo caſu admittit eſſe culpam lethalem communicare
etiam ſimpliciter contra monitionem Superioris. Rurſus
concordat manifeſtè ſextus intellectus Hoſtienſ. & Abb.
Antiqu. diſtinguentium inter excommunicatum à Cano-
ne; & excommunicatos ab homine. Nec videntur diſ-
ſentire tertius, quartus, & quintus, quia etſi reſtringant
peccatum mortale ad caſum, in quo excommunicatio lata
eſt etiam in participes, vel communicantes in crimine,
aut in divinis: tamen fatentur idem eſſe ſi id fiat in con-
temptum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, vel contra monitionem
Superioris quod ſatis videtur verificari, quando excommu-
nicati ſunt publicè denunciati per affixionem Cedulonum.
Et ita hæc videtur communis ferè omnium ſententia.
Quamobrem hoc caſu nec coactio conditionalis excuſa-
ret communicantes à reatu mortalis peccati ad præſcri-
ptum hujus Decretalis. Quod probat Card. Cajetan. in
1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. Et ex hoc notabiliter infero, ut metus 46
cadens in conſtantem virum non modo non excuſet à cul-
pa mortali, eos qui tranſgrediuntur præcepta Divinæ le-
gis, *c. Injuſtum*, *c. Si quis Epiſcopus*, *cum tribus ſeqq.* *c. Qui
reſiſtit*, *cap. Imperatores*, *c. Quid ergo*, & *c. Si is qui præſt*,
11. *qu.* 3, *cap. Itane*, 32. *q.* 5. Sed nec eos, qui contrave-
niunt præceptis Eccleſiæ: quod ſentit Cardinalis *hic circa
finem*, & apertè probatur in hac Decretali. Nam com- 47
municare cum excommunicatis in oratione, ſalutatione,
convivio, imò etiam in Divinis eſt prohibitum ex Con-
ſtitutione Eccleſiaſtica tantùm: aliàs Concilium Conſtan-
tienſe minimè potuiſſet ſuper hoc diſpenſare, *c. Sunt qui-
dam* 25. *q.* 1. prout fecit in præallegat. Extravagan. *Ad evi-
tandam*. Et tamen Pontifex determinat hic inductum per
metum cadentem in conſtantem ad communicandum ex-
communicato in excommunicationem incidere, reddens
rationem, quia pro nullo metu debet quis mortale pecca-
tum incurrere. Et eſt ſimile de metu excommunicationis
in *c. Litteras*, *de reſtit. ſpoliat.* & in *c. Inquiſitioni*, *de ſent.
excomm.* Ergo metus mortis non excuſat à mortali tranſ-
gredientes præcepta Eccleſiæ. Nec mirum, quia Eccleſia 48
ſancta divinitus poteſtatem habet obligandi etiam cum pe-
riculo mortis ad aliquid vitandum, vel agendum ſub pœ-
na mortalis paccati, ut efficaciter probat Cajetan. *loc. ci-
tato* dicens, contrariam opinionem eſſe erroneam, & ſe-
quitur Covarr. in *cap. Alma mater*, *de ſent. excommun.
in 1. par.* §. 3. *num.* 9. *verſ. Tertio*, *circa medium*. Et adde
quod ſcripſi in *cap. A crapula*, *circa fin. de vit. & honeſtat.
Clericor.*

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

Alexander III. Alphanen. Epiſcopo.

CAPUT I.

REquiſivit tua fraternitas, quid agendum ſit de poſſeſſionibus laicis, ſub modico cenſu con-
ceſſis. Noveris itaque, quòd ſi Eccleſia læſa eſt, & manifeſtè apparet detrimentum ipſius
(cùm Epiſcopo ejuſdem Eccleſiæ conditionem facere deteriorem non liceat, & Eccleſia jure mi-
noris debeat ſemper illæſa ſervari) quæ in damnum ejus data conſtiterint, ad ipſius convenit jus,
proprietatemque redire. Providendum eſt tamen, ne, ſi fortè coloni poſſeſſiones illas expenſis
ac labore ſuo reddiderint meliores, ſumptibus, quos bona fide fecerunt, debeant defraudari.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *ECcleſia reſtituitur adverſus contractus aliàs legitime celebratum ſi enormiter ex illo ſit læſa.*

2 *Locatio perpetua, ſeu ad longum tempus transfert utile dominium, & in ea ſervari debent ſolemnitates requiſitæ in alienatione rerum Eccleſiæ.*

3 *Bona Eccleſiæ locari poſſunt ſub annuo cenſu, & in Emphyteuſim concedi, ſervatis tamen ſolemnitatibus requiſitis, & num. 5.*

4 *In Emphyteuſi cenſus debet eſſe modicus, in locatione verò debet eſſe magnus, ita ut fructibus correſpondeat.*

6 *Reſtitutio in integrum ut Eccleſiæ poſſit concedi, requiritur ut ſit læſa, & de læſione appareat manifeſtè.*

Item ut læſio ſit magna, ſeu enormis, num. 8.

Item ut Eccleſia ſit infra tempus reſtitutionem petendi, num. 9.

Item ut remedium ordinarium non competat, num. 10.

7 *Læſio dici poteſt manifeſta, ſi de illa conſtet per teſtes vel alia legitima documenta.*

11 *Reſtitutio in integrum poſt quadriennium non datur minori, neque Eccleſiæ, quæ jure minoris cenſetur, niſi ex rationabili cauſa, & num. ſequent.*

Et quadriennium non currit quamdiu vivit Prælatus, qui malè alienavit, n. 14.

12 *Dictio*, ſemper, *quid importet.*

13 *Reſtitutio in integrum datur Eccleſiæ etiam poſt quadriennium, ſi enormiſſimè ſit læſa.*

15 *Alienationis contractus aliàs legitimè celebratus non eſt nullus ex eo, quod Eccleſia enormiter ex illo ſit læſa, ſed annullandus ope reſtitutionis in integrum.*

16 *Reſtitutio in integrum eſt remedium extraordinarium, quod non datur, niſi in ſubſidium, & ubi remedium ordinarium non competit.*

17 *Sententia ſi ſit nulla, agendum eſt via ordinaria nullitatis, non autem remedio reſtitutionis in integrum.*

18 *Eccleſia ſi ſit læſa ultra dimidiam juſti pretii, non juvatur beneficio reſtitutionis, ſed experiri debet remedio juris ordinario.*

19 *Melioramenta, & ſumptus, ut repeti poſſint, duo ſunt probanda; ideſt tantum in ſumptum, & tantumdem melioratum, & n. ſeqq.*

20 *Expenſæ repetuntur rei valore inſpecto.*

21 *In melioramentis, & expenſis repetendis, ſeu deducendis, ſemper attenditur quod minus eſt, ſive illud minus ſit inſumptum, ſive melioratum.*

22 *Melioramenta, & ſumptus repeti poſſunt à bonæ fidei poſſeſſore.*

23 *Ædificans bona fide in ſolo alieno repetit ſumptus rei valore inſpecto.*

24 *Idem in eo, qui reficit domum, quam ex cauſa fideicommiſſi tenetur reſtituere.*

25 *Idem ſi in re communi ædificaverit communi nomine ſocio ſciente, & patiente.*

26 *Frater major ſi in re communi amplum ædifficium fecerit, à fratre minore ſumptus non repetit.*

27 *Melioramenta bona fide facta poſſunt recuperari, vel excipiendo ante ſententiam, vel officium judicis poſt ſententiam implorando.*

28 *Melioramenta ſi nullo modo ſint liquida nec in genere, nec in ſpecie, non dant retentionem nec impediunt immiſſionem, aut ſententiæ executionem.*

Et multo minus mandatum de manutenendo, n. 31.

Neque hoc caſu petens rem melioratam tenetur cavere de melioramentis reficiendis, n. 32.

29 *Melioramenta probari debent ab eo, qui dicit ſe illa feciſſe.*

30 *Melioramentorum exceptio altiorem requirit indaginem.*

33 *Melioramenta, ſi ſint probata in genere tantùm, non retardant immiſſionem, ſed ſuccurritur bonæ fidei poſſeſſori per cautionem de illis reficiendis liquidatione facta.*

34 *Melioramenta mala fide facta non repetuntur. Declaratur, n. 42.*

35 *Ædificans ſcienter in ſolo alieno ſumptus non repetit, & ædificatum cedit domino ſoli.*

36 *Melioramenta facta in re fideicommiſſo ſubjecta ab eo, qui rem illam ſcienter emit, non repetuntur.*

37 *Idem ſi facta fuerit in re ſubjecta retractui.*

38 *Uſus fructuarius non acquirit dominium meliorationum, quas ſciens fecit, nec ſumptus repetit.*

39 *Melioramenta faciens in re aliena Domino contradicente fingitur donare.*

40 *Denunciatio ſola facit aliquem malæ fidei poſſeſſorem.*

41 *Ædificans in re communi nomine proprio non repetit melioramenta.*

42 *Melioramenta utilia, & neceſſaria repeti poſſunt etiam à malæ fidei poſſeſſore. Secus ſi ſint utilia tantùm.*

R*Equiſivit*. Legitur variis modis. Primò enim textus 1
poteſt intelligi generaliter in omni contractu; nam
etſi loquatur in ſpeciali caſu locationis, quia ſic contingit
de facto: ratio, in qua ſe fundat generalis eſt ad omnes contractus,
ut patet ibi, *Cùm Epiſcopo Eccleſiæ conditionem
facere deteriorem non liceat, & Eccleſia jure minoris ſemper
debeat illæſa ſervari*. Et juxta hanc lecturam, quæ
communis eſt, Decretalis hoc dicit ſecundùm Joan. Andr.
Bellam. Butr. Cardin. Anchar. Imol. & Joan. de Anan. Eccleſia
reſtituitur adverſus contractum aliàs legitimè celebratum,
ſi enormiter ex illo ſit læſa. Secundò poteſt intelligi
textus ſtrictè in locatione ad longum tempus: & huic lecturæ
ſuffragatur littera ibi, *ſub modico cenſu conceſſis*; nec- 2
non ibi, *Ne ſi fortè Coloni*. Nec refragantur verba illa,
jus proprietatemque redire: quæ impulerunt gloſſam penultimam
ad credendum hoc capitulum intelligi in contractu
alienationis, non autem locationis, in qua proprietas
non transfertur: quia motivum procederet in ſimplici
locatione, non autem in locatione perpetua, ſeu ad longum
tempus, in qua utile dominium transfertur, & ſervari
debet ſolemnitas, quæ requiritur in alienatione rerum
Eccleſiæ, ut in *c. Ad audientiam, infrà de reb. Eccleſ.
non alienandis*: & in Extravag. *Ambitioſæ, eod. tit.* & notatur
in *cap. 1. & 2. eod. tit. lib. 6.* & hic per Bald. *num. 2.* Butr.
& Imol. *in 1. notab.* Rot. *deciſ. 14. num. 16. & 30. par. 6.
recent.* & juxta hanc lecturam textus hoc intendit; ſecundùm
Bald. *Eccleſia contra locationem ſolemniter celebratam
reſtituitur in integrum, ſi eſt enormiter læſa, ſalva
indemnitate Adverſarii, qui bona fide fecit expenſas. Tertiò
poteſt intelligi hoc capitulum, in contractu tàm venditionis,
quàm locationis prout intelligit Abb. ſecundùm quem hoc
dicit: ſi in contractu venditionis, vel locationis Eccleſia
fuit enormiter læſa, poteſt adverſus talem contractum petere
reſtitutionem in integrum: Emptor tamen, ſive conductor
non debet fraudari in pretio ſuo, vel in ſumptibus per eum factis*.
Cæterùm etſi lecturæ ſint variæ, per hoc tamen non
variatur jùris effectus, quia Eccleſia poteſt petere in integrum
reſtitutionem non tantùm adverſus venditionem,
& locationem, ut hìc in gloſ. prima; ſed etiam adverſus
quemcumque alium contractum, in quo enormiter ſit
læſa, ut per Abb. *in 1. notab.* & Joan. de Anan. *in princip.*
Communis diviſio, Conſultatio, & Reſponſio. Secunda
ibi, *Noveris*.

Nota primò ibi, *ſub modico cenſu conceſſis*: ſecundùm 3
Anton. de Butr. & Imol. *in 1. not.* poſſeſſiones Eccleſiæ poſſe
locari ad annuum cenſum præſtandum: & ſic ſuper eis
contractus Emphyteuticus, & cenſualis iniri poſſunt, debitis
tamen ſolemnitatibus obſervatis, ut in *d. cap. Ad
audientiam, de reb. Eccleſ. non alienan.* cum aliis ſupracitatis.

Sed certè quod dicunt de emphyteuſi, non probatur 4
hìc, quia textus decidit Eccleſiam eſſe in integrum reſtituendam,
ſi fuerit læſa ex modicitate cenſus: hoc autem
non poteſt verificari in contractu emphyteutico, in quo
cenſus ex illius natura debet eſſe modicus; ſed tantùm in
contractum locationis, in quo penſio debet eſſe magna,
ita ut fructibus correſpondeat. Quam differentiam inter 5
hos duos contractus conſtituunt Bald. in *c. Litteræ, num. 5.
verſ. Modo ergo quæro, de dilation.* Barbat. *in rubrica de locat.*

cat. num. 8. & alii, quos ſequitur Rota *d. deciſ.* 14. *num.* 8.
& 24. *part.* 3. *recent.* Dictum tamen Butrii, & Imolæ eſt in
ſeverum; quia Eccleſia poteſt poſſeſſiones ſuas in emphy-
teuſim concedere, ad præſcriptum tamen prædictæ Extra-
vag. *Ambitioſæ, de reb. Eccleſiæ non alien.*

6 Secundò nota ibi, *Læſa eſt, & manifeſtè apparet*: duo
eſſe neceſſaria ad hoc ut Eccleſia adverſus contractum poſ-
ſit in integrum reſtitui, videlicet ut occaſione illius con-
7 tractus ſit læſa, & de læſione appareat manifeſtè, ut hic
per Butr. *in* 3. *notab.* Imol. *num.* 2. & Abb. *in* 2. *notab.* ſatis
tamen poteſt dici læſio manifeſta ſi de illa conſtet per te-
ſtes, vel alia legitima documenta, ſecundùm Imol. & Ab-
batem *ubi ſupra*: quia intereſſe proveniens ex contractu
debet probari per teſtes, ut notat gloſ. ult. in *c. Dilecti, in-*
8 *fra de for. compet.* Adde & tertium requiſitum, videlicet ut
læſio ſit magna, ſeu enormis; nam pro modica cauſa non
datur in integrum reſtitutio, ut *l. Si ex cauſa judicati, in*
1. *reſponſ. ff. de minor. l. Scio illud, ff. de in integr. reſtit. c. pe-*
nult. de reb. Eccleſ. non alien. & hic notant gloſſ. 2. Hoſt.
num. 2. Abb. *in* 2. *notab. verſ. Adde & tertium*, Joan. Andr.
9 Bald. Butr. & omnes ſupra in Summario textus. Adde &
quartum requiſitum, videlicet ut Eccleſia ſit infra tempus
in integrum reſtitutionem petendi, de quo plenè dicam *in*
10 *ſeqq. notab.* Adde & quintum nempe ut Eccleſiæ remedium
ordinarium non competat, quia tunc non ſuccurritur ei
remedio extraordinario reſtitutionis in integrum, ut ſimi-
liter dicam *infra in* 4. *notab.*

11 Tertiò nota ibi, *ſemper illæſa ſervari*. Eccleſiam pete-
re poſſe beneficium reſtitutionis in integrum quandocum-
que, & ſic etiam poſt quadriennium elapſum ſecundùm
unam opinionem, quam tenuerunt Alanus, Gulielmus
12 Naſo, & Goffred. hic & idem Goffred. *in ſumma hujus tit.*
§. Sit computatio, & *§. Quando autem*, inhærentes ſuper-
ficiei hujus verbi, *ſemper*, ſcilicet quocumque tempore.
Sed alii contrarium tenuerunt, quia Eccleſia cenſetur ju-
re minoris, cui poſt quadriennium non datur in inte-
grum reſtitutio, ut *l. final. C. de tempor. in integrum reſtit.*
atque ita verbum, *ſemper*, non notat tempus circa eum-
dem contractum, vel circa eamdem læſionem, ut de
eodem contractu, vel de eadem læſione ſemper in per-
petuum poſſit Eccleſia reſtitui: ſed ita eſt intelligendum
illud, *ſemper*, id eſt quotieſcumque læditur illa Eccleſia,
debet petere reſtitutionem ſuper hujuſmodi læſione uſque
ad quadriennium, ita ut ſi millies lęderetur, millies poſ-
ſet reſtitui. Et hæc eſt communis opinio, ut hìc teſtatur
Bernardus in gloſſ. in *ver. Semper*. Tu dicas hodie hoc eſſe
expeditum in *cap.* 1. *infrà eod. lib.* 6. ubi deciditur, Eccle-
ſiam poſt quadriennium non admitti ad petendam reſtitu-
tionem contra contractum, vel ſententiam; niſi manifeſtè
fraudis commentum, vel alia rationabilis cauſa aliud ſua-
deat: quo textu reprobrata eſt prima opinio Alani, Guliel-
mi Naſonis, & Goffredi; & approbata opinio Vincentii,
Bernardi, Joannis, Innocentii, Hoſtienſi, & Abb. Antiq.
ut ibi notat Joan. Andr. in gloſſ. ordinar. in *ver. Admitten-*
13 *da*. Quo fit, ut ſi Eccleſia ſit læſa enormiſſimè, poſſit reſti-
tui etiam lapſo quadriennio, ut notat gloſ. *ult. in fin. in d.*
cap. 1. quam uti ſingularem extollit Abbas *hìc num.* 2. *in fin.*
14 Hoc tamen quadriennium non currit quamdiu vivit Præ-
latus, qui malè alienavit, ut *cap. ſi ſacerdotes*, 16. *q.* 3. &
tenent gloſſa, & Abbas *ubi ſupra*, poſt Innocent. in *c. Tum*
ex litteris, infra eod.

15 Quartò nota ibi, *Ius proprietatemque redire*: Contra-
ctum alienationis aliàs legitimè celebratum non eſſe nul-
lum ex eo, quòd Eccleſia enormiter ex illo ſit læſa, ſed tan-
16 tùm eſſe illi ſubveniendum ope reſtitutionis in integrum:
nam ſi contractus eſſet nullus, non eſſet locus reſtitutioni,
quæ eſt remedium extraordinarium, & non datur niſi in
ſubſidium, videlicet ubi ordinarium remedium, ſeu alia
actio non competit, ut *l. in cauſæ, la* 2. *in princ.* & ibi Bart.
& alii, *ff. de minor. l. In provinciali*, §. 1. ubi Bart. & Do-
ctores, *ff. de nov. oper. nunciat. cap. ulti.* & ibi gloſſ. 2. *ſupra*
de offic. Judic. & hic notat gloſſ. *in ver. Redire*, Innocent.
in princ. ver. Conceſſis, Jo. Andr. *num.* 6. *in gloſſ. penultim.* &
alii communiter, Odd. *de reſtit. in integr. par.* 1. *q.* 17. *art.* 2.
num. 1. & *art.* 5. *num.* 48. & Rota *deciſ.* 731. *num.* 2. *part.* 2.
17 *recentior.* ubi propterea dicidit adverſus ſententiam nul-
lam agendum eſſe via ordinaria nullitatis, nec poſſe in-
tentari remedium ſubſidiarium reſtitutionis in integrum.

Hinc fit ut ſi Eccleſia ſit decepta ultra dimidiam juſti pretii, 18
juvari non poſſit beneficio reſtitutionis, quia experiri de-
bet remedio ordinario, *l.* 2. *C. de reſcind. vendit. c. Cùm di-*
lecti, & *c. Cum cauſam, infra de empt. & vendit.* & tenet
hic gloſſ. *penult.* & Doctores.

Quinto nota ibi, *expenſis redi̇derint meliores*: & ſigna 19
perpetuò hunc textum, quòd ad hoc, ut quis poſſit repete-
re expenſas, vel meliorationes, quas bona fide fecit in re
aliena, duo debet copulativè probare, videlicèt tantùm
fuiſſe inſumptum, & tantundem fuiſſe melioratum. Unde
ſi ſint impenſa centum, & res facta ſit pretioſior in cen-
tum quinquaginta; non reficiuntur niſi centum impenſa;
quia in illis centum duntaxat concurrunt duo requiſita,
quod tantùm impenſum, & tantundem melioratum; in
quinquaginta verò, in quibus melioramenta excedunt im-
penſam, non concurrit illud requiſitum, quod tantundem
fuerit impenſum, quia in illis nihil impenſum fuit. Et è
converſo ſi ſint impenſa centum quinquaginta, & res facta
ſit pretioſior in centum, reficiuntur ſolùm illa centum
meliorata, quia in quinquaginta, in quibus impenſa exce-
dunt melioramenta, non verificatur illud requiſitum,
quod tantumdem fuerit melioratum, cum pro illa ſumma
nihil melioratum fuerit: & ita ſingulariter probat hoc ca-
pitulum, dum mandat reſtitui ſumptus propter meliora-
tiones. Si ergo melioratio non eſt facta niſi in centum,
utique hæc centum ſolummodo ſunt reſtituenda, & im-
putandum eſt illi, qui imprudenter fecit ſumptus, ut benè
hic per Abb. *num.* 4. *verſ. Sed dubium majus*, & eſt ex men-
te Innoc. *num.* 1. *in ver. Sumptibus*, dum dixit Colonum
repetere ſumptus, quos fecit utiliter ac neceſſariò: in-
nuens per hoc non fore locum repetitioni, niſi ſumptus
æquivaleant utilitati, ſeu meliorationi, & utilitas, ſeu me-
lioratio ſumptibus, ad hoc *c. Ad noſtram*, ibi, *Pro utilitate* 20
ipſius monaſterii expendiſſe noſcitur, infrà de reb. Eccleſ. non
alienan. & apertius in *l. Paulus*, *§. Domus, ff. de pignor.* ibi,
ſumptus in executione erogatos, quatenus res pretioſior facta
eſt, reciperent, & in *l. Domos, ff. de legat.* 1. ubi expenſæ
repetuntur rei valore inſpecto. Et ibi notant Bartol. &
communiter Doctores. Atque ita ad hoc ut expenſæ me-
lioramentorum debeantur, hæc duo eſſe copulativè arti-
culanda, & probanda, videlicet tantum in ſumptum, &
tantumdem melioratum, docuit expresè Bart. in *l. In fun-*
do, num. 2. *ff. de rei vendicat.* & poſt alios Neguſan. *de pign.*
in 4. *membro* 5. *part. in* 4. *concluſ. num.* 11. & reſolvit Rota
deciſ. 38. *n.* 15. *par.* 17. *recent.*

Et cùm prædicta coincidit alia theorica, quam ponit tex- 21
tus apertus in *d. l. In fundo, verſ. Et ſi plus, ff. de rei ven-*
dicat. videlicet in repititione, ſeu deductione expenſarum,
aut melioramentorum, ſemper eſſe attendendum, quod
minus eſt ſive illud minus ſit impenſum, ſive ſit meliora-
tum. Unde ut ibi ait gloſſ. *in verſ. Plus pretio*. Si eſt im-
penſa decem, & melioratio quindecim, repetuntur ſola
decem. Item ſi decem impenſa, & melioratio quinque ſo-
la quinque repetuntur, & ſequuntur ibi Bart. *num.* 1. *verſ.*
Secundò oppono, Alber. *num.* 5. Fulgoſ. *num.* 3. Card. Al-
ban. ad Bart. *ibi num.* 3. Jacob. de Arena in *l. Domos, ff. de*
legat. 1. ubi Bald. & Jaſ. *num.* 4. Paulus de Caſtr. *conſ.* 270.
Viſo puncto ſupradicto, col. 3. *circa medium, verſ. Item quod*
dixi, lib. 2. Abb. in *c. Quod quibuſdam, num.* 9. *verſ. Item*
per eamdem legem, infr. de fidejuſſor. & in *d. c. Ad noſtram*,
in 3. *notab. de reb. Eccleſ. non alien.* Felin. in *c. Cùm cauſa*,
num. 29. *in ver. Sumptus, de ſent. & de re judicat.* & eſt com-
munis opinio, ut atteſtantur Burſattus *conſ.* 71. *num.* 22.
& 23. *lib.* 1. Joſeph. Ludoviſ. *deciſ.* 24. *num.* 7. & Petr. Ant.
à Petra *de Fidcicommiſſ. q.* 15. ubi latiſſimè *à num.* 261. *uſ-*
que ad num. 274. quam etiam paſſim ſervat Rota, ut apud
Card. Seraph. *deciſ.* 890. *num.* 1. ubi de communi, & *in re-*
cent. deciſ. 650. *nu.* 2. *part.* 2. *deciſ.* 206. *num.* 2. *part.* 4. *deciſ.*
399. *num.* 47. *par.* 5. & *deciſ.* 116. *num.* 1. & 2. *par.* 6. ubi di-
citur ſemper deberi quod minus eſt dictante ratione natu-
rali, ut ſcilicet id ſolum recuperetur, quod verè fuit im-
prenſum, & non repetatur id, quod inutiliter fuit eroga-
tum, & ex quo res non eſt facta melior, nec pretio-
ſior.

Ultimò nota ibi, *quos bona fide fecerunt*: Sumptus, & 22
meliorationes repeti poſſe à bonæ fidei poſſeſſore, ut hic
patet. Unde ſi quis neſciens alienum eſſe ſolum tamquam 23
in ſuo bona fide ædificaverit, ſi Dominus ſoli ædificium pe-
tat,

tat, nec ſolvat pretium materiæ, & mercedes fabrorum, poterit per exceptionem doli mali reppelli, *l. Adeo*, §. *Ex diverſo*, *ff. de acquir. rer. domin.* §. *Certè: Inſtit. de rer. diviſ.*

24 Quod locum habet etiamſi quis refecerit domum, quam incertum eventum, puta ex cauſa fideicommiſſi, tenetur reſtituere: nam repetit ſumptus rei valore inſpecto, ut eſt text. in *l. Domos*, & ibi notant Bart. & communiter Do-
25 ctores, *ff. d. legat.* 1. Rurſus hoc procedit etiamſi quis ædificaverit in ſolo communi: nam quamvis ædificium commune efficiatur, tamen ædificans repetit a conſocio ſumptus, quos bona fide fecit, ut eſt textus in *l. Si in area*, *C. de rei vendicat. cum mult. concord.* de quibus ibi in gloſſ. *ult.* & conſuluit Corn. *conſ.* 222. *In præſenti conſultatione*, *num.* 5. & 6. *vol.* 2. & cenſetur in re communi bona fide ædificare, ſi hoc fecerit communi nomine, ſciente, & patiente ſocio, qui ſibi imputare debet ſi tacuit, & non prohibuit, ut *l. Sabinus*, *in* 2. *reſponſo*, *ff. comm. divid.* & tradit Bald. *conſ.* 478. *ſuper hoc puncto*, *lib.* 2. & Angel. *conſ.*
26 1. *in princ.* Si tamen Frater major in re communi amplum ædificium fecerit, non repetit a Fratre minori ſumptus nulla re urgente, ſed voluptatis cauſa factos, ut eſt text. ſingularis in *l. Ex duobus*, *ff. de negot. geſt.* & dicam pleniùs in *c. Ad noſtram*, *infra de reb. Eccleſ. non alien.*

27 Porrò in ſupracitatis caſibus bonæ fidei poſſeſſor poteſt ſumptus recuperare excipiendo ante ſententiam, vel officium Judicis poſt ſententiam implorando, ut notat Bald.
28 *conſ.* 257. *Titius emit fundum*, *in princ. lib.* 1. Et interim qui bona fide fecit melioramenta, habet retentionem rei, in qua impendit, donec melioramenta illa ſolvantur, *l. Si in area*, *in fin. ff. de condit. indebit.* & *l. Paulus*, *ff. de dol. mal. except.* & tradit Neguſant. *de pignor.* 4. *membro* 2. *part. principalis*, *num.* 9. Capyc. *deciſ.* 17. *num.* 7. Theſaur. *quæſt.* 672. *num.* 10. etiam ſi hujuſmodi melioramenta bona fide fecerit in re communi, ut *l. In hoc judicio*, §. *Diverſum*, *ff. comm. divid.* Cæterum in hoc puncto adverte, quia ut melioramenta nullo modo ſunt liquidata nec in ſpecie, nec in genere: & tunc exceptio melioramentorum non impedit immiſſionem, nec poteſt ſuper illis fieri aliquod fundamentum, licèt fuerint articulata, ut ſæpiùs reſolvit Rota, & in ſpecie *deciſ.* 312. *num.* 5. *part.* 2. *diverſ.* & *deciſ.* 610. *num.* 3. *part.* 1. *recent.* Ratio eſt, quia cum meliora-
29 menta ſint quid facti, non ſufficit, ut articulentur, ſed probari debent ab eo, qui dicit ſe illa feciſſe, & bona fide, Pariſ. *conſ.* 33. *Exarato*, *num.* 53. *lib.* 1. Rot. *d. deciſ.* 312.
30 *num.* 4. & eo magis, quia hujuſmodi exceptio requirit altiorem indaginem, unde non mirum ſi immiſſionem, aut ſententiæ executionem non impedit, per ea, quæ notantur in *l. A Divo Pio*, §. *Si ſuper*, *ff. de re judic.* & ha-
31 betur in *l.* 4. §. *Condemnatum*, *eod. tit.* Benintend. *deciſ.* 77. *num.* 13. Gozadin. *conſ.* 100. *num.* 21. Rota *deciſ.* 659. *num.* 1. & 2. *part.* 1. *diverſ.* qua ratione multò minus retardat executionem mandati de manutenendo, ut cenſuit Rota
32 *deciſ.* 604. *in fin. par.* 3. *recent.* Neque hoc caſu petens rem melioratam, tenetur cavere de melioramentis, aut ſumptibus reficiendis, licèt dare poſſit cautionem ad omne dubium ſubmovendum, ut dixit Rota *dec.* 276. *num.* 4. *part.* 6. *recent.*

33 Aut melioramenta ſunt probata tantum in genere, ut quia de illorum valore per teſtes, vel aliàs non conſtat, nec probatum eſt quantum melioratum, licèt probatum ſit quantum impenſum, vel è converſo: hæc duo copulative requiruntur, ut *l. In fundo*, *ff. De rei vendicat.* & dictum eſt in præcedenti notab. & tunc exceptio melioramentorum tamquam illiquida non retardat quidem immiſſionem, ſed tamen ſuccurritur bonæ fidei poſſeſſori per cautionem de ſolvendis melioramentis liquidatione facta, ut articulo diligenter excuſſo, decidit Put. de ſtylo atteſtans *deciſ.* 471. *lib.* 2. quam multoties Rota ſequuta eſt, ut in *deciſ.* 52. 54. 86. & 543. coram Cardinali Cavalerio, & *deciſ.* 48. *num.* 16. *part.* 7. *recent.* & in hoc caſu intelligenda eſt *deciſ.* 137. *num.* 3. *part.* 2. *recent.* Idem poſt prolixam diſputationem concludit Benintend. *deciſ.* 77. & quamvis nonnulli ſentiant competere retentionem pro melioramentis, de quibus conſtat ſolum in genere, etiam ſi actor offerret cedulam banchariam, vel fidejuſſionem de illis ſolvendis ubi fuerint liquidata, inter quos Anton. Maſſa Galleſ. *ad formam Cam. oblig. ad* 4. *part. quæſt.* 2. *num.* 13. & *ſeqq.* ubi teſtatur ita fuiſſe determinatum in Rotæ Auditorio, per ea, quæ tradit Capyc. *deciſ.* 17. *num.* 17. & Ruin. *conſ.* 84. *col. fin. lib.* 1. quos ſequitur Menoch. *de recuperat. poſſeſſ. remed.* 15. *num.* 569. Nihilominus ad prædictas authoritates Capyc. & Ruin. benè reſpondet Put. *in prælegat. deciſ.* 471. Unde in practica ſervaretur prima opinio, præſertim in Curia propter ſtylum Rotæ, qui facit jus; & ſi reperiantur deciſiones contrariæ, adeò ut nequeant conciliari, ſtabitur ultimis, ut notat Jo. Franciſcus Pavin. celebris Rotæ Auditor *in Proœm. extravag. ver. Deciſiones Rotæ*. Hæc de meliorationibus, & expenſis factis à bonæ fidei poſſeſſore.

Sed è converſo qui meliorationes fecit mala fide, illarum repetitionem non habet, ut probatur in hoc *cap.* à 34
contrario ſenſu, ibi, *quos bona fide fecerunt*. Quapropter 35
ſi quis ſcienter in ſolo alieno inædificavit, ſumptus non repetit, & inædificatum cedit Domino ſoli, ut *l. Si quis ſciens*, *C. De rei vendicat.* & §. *Ex diverſo*, *inſtitut. de rerum diviſ.* Ratio eſt, quia qui ſciens ſolum eſſe alienum inibi ædificium conſtruxit, ſua voluntate amiſiſse proprietatem materiæ intelligitur *d.* §. *Ex diverſo*. & *l. Adeo*, §. *Ex diverſo*, *ff. de acquir. rer. domin.* & ædificanti objici poteſt quod temerè ædificaverit in eo ſolo, quod intelli- 36
gebat alienum eſse, ut dicitur in §. *Certè*, *Inſtitut. de rer. diviſ.* Quo fit, ut emens ſcienter rem fideicommiſso ſubjectam, ſi in ea faciat melioramenta, propter malam fidem illa non repetit, ut *l. final.* §. *fin. C. Comm. Delegat.* ubi omnes notant, & in ſpecie Paul. de Caſtr. in §. *Sed & quia*, *num.* 10. Igneus in *l. Dudum*, *num.* 40. *C. De contrahen. empt.* Joſeph. Ludovicus *deciſ. Peruſ.* 24. *numer.* 13. 37
Neguſ. *de pignor. in* 4. *memb.* 5. *part. num.* 10. & idem juris in eo, qui emit ſcienter rem ſubjectam retractui, eamque melioravit, ut ibi per Igneum. Rurſus idem in uſu- 38
fructuario, qui nec meliorationum, quas ſcienter fecit dominium acquirit, nec ſumptus repetit, ut decidit Rota *deciſ.* 116. *num.* 6. *par.* 6. *recent.* Concluſio autem ſupe- 39
rius firmata, maximè procedit ſi quis in ſolo alieno meliorationes fecerit Domino contradicente, & denunciante; quia fingitur donare, ut *l. final. Cod. De negot. geſt.* & notat Florian. de S. Petro *conſ.* 1. *numer.* 11. & *ſeqq. verſ. Alia eſt impenſa*, ubi loquitur in Columbario, & Fornace ædificatis poſt intimationem. Sola enim denunciatio 40
facit aliquem malæ fidei poſſeſſorem, ſecundum eum: & idem docuit Baldus *d. conſ.* 257. *Titius emit fundum*, *per tot. lib.* 1. Rurſus procedit eadem concluſio etiam in eo, qui in 41
ſolo communi ædificavit mala fide, puta quia ædificavit nomine proprio; tunc enim melioramenta non repetit, *l. Si his contra*, *C. De ædific. privat.* Ad idem textus in *l. Si quis putans*, §. *ſive autem*, *ff. Comm. dividit.* & tradit Corn. *d. conſ.* 222. *num.* 6. *verſ. Ubi autem militaret ſimilitudo*, *vol.* 2. Jaſ. in *l. Creditor*, *la* 1. *in fin. ff. Si cert. petat.* & in §. *ſequent. ad fin. Inſtit. de act.*

Fallit prædicta concluſio ſi melioramenta ſint ſimul utilia, & neceſſaria, quia repeti poſſunt etiam à malæ fidei 42
poſſeſſore; ſecus ſi ſint utilia tantùm, ut *l. Domum in fin.* 6. *de rei vendicat.* Jaſ. in *l. final.* §. *fin. in* 2. *notab. C. comm. deleg.* Joſeph. Ludovicus *d. deciſ.* 24. *num.* 13. Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed.* 15. *num.* 537. qui tamen limitat in fure, *num.* 538.

DE ARBITRIS.

Alexander III. Eboracen. Archiepiſcopo.

CAPUT II.

NOn ſine multa neceſſitate A. presbyter nobis propoſuit, quòd cum in Eccleſia ſancti Alphridi, per manum R. Archidiaconi de Suella perſonæ illius Eccleſiæ capellanus inſtitutus fuiſſet, eodem R. mortuo M. nepos eius, qui ſibi in Eccleſia jam dicta ſucceſſit, eumdem presbyterum capellanum ibidem iterùm ordinavit: & infrà. Cum autem idem presbyter extra provinciam exulans, de ſuo beneficio non poſſet juſtitiam obtinere, nec ſuam ulterius inopiam ſuſtinere, per dolum & fraudem ipſius M. ab eo eſt Sacramentum extortum, ut arbitrium clericorum duorum exinde ſuſciperet, & ſervaret: qui jam dicto M. faventes, presbytero præceperunt, ut quinque marchas ab eodem ſuſciperet, & toti cederet quæſtioni. Quoniam igitur non decet te aliquatenus ſuſtinere, ut quod perperam arbitrati ſunt, debeat incorrectum relinqui. Mandamus quatenus ſi ſe cognoverint præfati clerici tam nequiter arbitratos fuiſſe, dictum presbyterum ab obſervantia juramenti auctoritate noſtra prorſus abſolvas: vel ſi arbitrium ipſum noveris æquitate ſubnixum, ad obſervantiam ipſius utramque partem appellatione remota compellas.

SUMMARIUM.

1 ARbitrium ſimoniacum, & doloſum non valet.

2 Arbitramentum iniquum etiam juratum per Superiorem emendatur, & num. 26. verſ. 4. nota.

3 Arbitrium ut una pars cedat liti ſuper beneficio, & recipiat pecuniam ab altera eſt ſimoniacum.
Fallit ſi intercedat authoritas Papæ, n. 5.
Item fallit ſi renuncians nullum jus habeat in beneficio, num. 6.
Et quid in dubio, num. 8.

4 Simonia ſicut committitur in beneficii aſſecutione, ita & in illius dimiſſione.

5 Intellectus cap. Niſi eſſent, de præbend. *& numer. ſeqq.*

6 Arbitri poſſunt ordinare, ut una pars de facto dimittat beneficium, in quo jus non habet, & pecuniam à colligante recipiat.

7 Simoniacum eſt redimere adverſantium obſtacula ſuper dignitate, vel præbenda ante jus quæſitum; ſecus ſi poſt.

8 Arbitris an, & quando liceat ordinare, ut una pars cedat liti ſpirituali, & recipiat aliquid temporale.

9 Compromiſſum ſuper beneficio Eccleſiaſtico, ſeu jure ſpirituali licitè fieri poteſt.

10 Compromiſſum de jure, & de facto alienationem includit, & habet vim tranſactionis, & num. ſequent.

12 Compromitti non poſſunt de facto, quæ alienari prohibentur de jure.

13 Compromiſſum de re ſpirituali, in laicum fieri non poteſt.

14 Compromiſſum etiam juratum generaliter initum in laicum non includit cauſam ſpiritualem.

15 Laicus ſimul cum Clerico poteſt eſſe Arbiter in cauſa ſpirituali.

16 Etiamſi unus ſit Clericus, & plures laici.

17 Laicus in cauſa ſpirituali poteſt eſſe Arbitrator.

18 Compromittentes in Arbitrum, vel Arbitratorem de jure Canonico poſſunt ſe juramento adſtringere ad obſervantiam Arbitrii, vel arbitramenti.

19 Et hoc jus Canonicum ſervari debet etiam in foro Civili.

20 Intellectus Authen. Decernit. C. De arbit.

21 Compromiſſum de jure Civili prohibetur fieri cum juramento tàm Arbitrorum, quàm partium.

22 Legis Civilis præcepto contraveniens peccat mortaliter.

23 Lex Civilis non poteſt impedire obligationem juramenti.

24 Jus Canonicum in juramentis, & aliis ſpiritualibus ſervari debet etiam ex præſcripto legis Civilis.

25 Juramentum à quacumque lege etiam Canonica, imò & divina prohibitum ſervandum eſt ſi fieri poſſit ſine interitu ſalutis æternæ.

26 Compromiſſum juratum quamvis de jure Civili actionem non producat; tamen ſecus eſt de jure Canonico.

27 Nepos ex fratre, vel ſorore non prohibetur immediatè ſuccedere in beneficio Patrui, vel Avunculi.

28 Nepotis appellatione propriè intelligitur Nepos ex filio, vel filia.

29 Sed ex communi uſu loquendi venit etiam Nepos ex fratre, vel ſorore in materia quantumcumque odioſa.

30 Succeſſio immediata collateralium in beneficiis Eccleſiaſticis de jure communi non eſt prohibita.

31 Etiam vacantibus per liberam reſignationem.

32 Reſignatio in manibus Ordinarii eſt ſimoniaca ſi reſignans tacitè, vel expreſsè in pactum deducat, ut beneficium certæ perſonæ conferatur.

33 Beneficia in eorum manibus reſignata Ordinarii prohibentur ſuis, aut reſignantium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus conferre ex Bulla S. Pii V.

34 Bulla S. Pii V. an obſtet, quiminus Ordinarii ſuis, aut dimittentium Conſanguineis, &c. conferre poſſit Parochiales per dimiſſionem vacantes ob alterius Parochialis aſſecutionem, & n. ſeqq. uſque in fin.

35 Parochialis vacans per aſſecutionem alterius non eſt Papæ reſervata.

36 Niſi ſecunda Parochialis eſſet collata à Sede Apoſtolica, vel niſi poſſeſſio ſecundæ capta fuiſſet in menſe reſervato, aut per proviſum ſtetiſſet quominus in eo menſe caperet.

37 Parochialis prima quamvis vacet ipſo jure adepta pacifica poſſeſſione ſecundæ, proviſus tamen tenetur primam illico dimittere cum effectu in manibus Ordinarii.

38 Bulla S. Pii V. permittit Epiſcopis ut poſſint admittere dimiſſionem beneficii vacantis ob alterius incompatibilis aſſecutionem, & num. ſeqq. uſque ad n. 45.

39 Promotio fit de minori ad majus.

40 Beneficium vacans per profeſſionem, & matrimonium poteſt dimitti coram Ordinario.

41 Dimiſſio beneficii quam facit Novitius, non ſortitur effectum niſi poſt profeſſionem.

42 Beneficium matrimonii cauſa dimiſſum non vacat ante matrimonium reipſa contractum.

43 Bulla S. Pii V. loquitur tàm de dimiſſione, quàm de reſignatione.

44 Reſignationis appellatione ex proprietate vocabuli venit etiam dimiſſio.
Dimittere quid oportet, ibid.

Ver-

45 *Verbum* admittentium *mendose appoſitum in Bulla S: Pii V.*
46 *Interpretatio latiſſima fieri debet ubi agitur de fraude tollenda.*
47 *Beneficia reſignata cur Ordinarii prohibeantur ſuis, aut reſignantium conſanguineis conferre.*
48 *Bona Eccleſiaſtica jure conſanguinitatis acquiri non debent.*
49 *Epiſcopus, qui ignoranter contulit Parochialem ob aſſecutionem alterius dimiſſam ſuo conſanguineo, an incidat in pœnas Bullæ S. Pii V.*
50 *Bulla S. Pii V. quoad pœnam requirit temeritatem, & præſumptionem.*
51 *Decretum irritans quoad pœnas non ligat ignorantes.*
52 *Epiſcopus conferens beneficium reſignatum contra Bullam S. Pii V. quas pœnas incurrat.*
53 *Bulla S. Pii V. habet locum etiam in Parochialibus per reſignationem vacantibus, quæ per concurſum conferuntur.*
Conſanguinei, vel familiares Epiſcopi, aut reſignantis admitti non debent ad concurſum Parochialis ſic reſignatæ, ibidem.

1 N*On ſine*. Non valet arbitrium ſimoniacum, & do-
loſum. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr. & Doctores
communiter. Vel quia, ut dicitur in gloſ. fin. textus lo-
quitur in arbitramento, juxta hunc intellectum poteſt ſic
2 ſummari. Arbitramentum iniquum etiam juratum per
Superiorem emendatur. Vel comprehendendo utrumque
intellectum hoc intendit. Nullum eſt arbitrium, ſeu arbi-
tramentum etiam juratum continens peccatum per par-
tes non remiſſibile. Sunt duæ partes. In prima ponitur
facti narratio. In ſecunda commiſſio, ibi, *Quoniam
igitur*.
3 Nota primò ibi, *ut quinque marchas ab eodem ſuſciperet:*
arbitrium ut alter ex litigantibus cedat liti ſuper beneficio,
& pecuniam pro ceſſione recipiat à collitigante, eſſe irri-
tum, & continere ſimoniacam pravitatem quia ſicut ſi-
4 monia committitur in beneficiis aſſecutione, ita & in il-
lius renunciatione, *c. Cùm pridem*, & ibi gloſ. *in ver. Illi-
citæ pactionis, ſupra de Pactis, c. Ex parte, il* 1. ubi gloſſ.
in ver. Dimittere, de offic. deleg. cap. Prætereà, 1. *&* 2. *cap.
Conſtitutus, de tranſaction.* gloſſ. *hic in ver. Vt quinque mar-
chas*, Hoſt. *num.* 7. *in eod. ver.* Anton. de Butr. *num.* 9. *in* 6.
notab. Cardinal. *num.* 5. *in* 6. *oppoſit.* Joan. de Anan. *num.* 5.
Bero. *num.* 48. gloſ. *fin. in c. ult. de rer. permut.* Guliel. de
Benedict. *in repetit. cap. Raynutius, in verſ. Adiectæ, nu-
mer.* 25. *de teſtament.* Rebuff. *de pacif. poſſeſſ. num.* 124. *&*
127.
5 Hoc limita dupliciter. Primò ſi Superioris authoritas
intercedat, quia purgatur vitium, textus eſt in *cap. Niſi
eſſent, de præben.* & hic notat Butr. *num.* 8. Et pro Superio-
re intelligo, Papam. Nam Judicis authoritas non excuſa-
ret, cum de jure hoc facere non poſſit. Unde Pontifex
ibi dicit: *Nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, &
ad tempus tantum*. Et ita declarat gloſ. *ibi in ver. Ex juſſio-
ne*. Et idem notant ibidem Goffred. Tancred. Vincent.
& Joann. & poſt eos Joann. Andr. *numer.* 11. Hoſtienſ. &
Henric. Boich. in *cap.* 1. *in princip. infrà Ne Prælat. vices
ſuas*. Dixi in *d. cap. Ex parte, num.* 22. In hoc tamen
vide invectivam Cardinalis Bellam. *hic num.* 1. *in* 1. *oppo-
ſitione*.
6 Secundò limita ſi renuncians nullum jus haberet in be-
neficio. Eo enim caſu poſſent Arbitri ordinare, ut benefi-
cium de facto dimitteret, & viceverſa Collitigator ei pe-
cuniam perſolveret. Et ita procedit textus in *d. cap. Niſi*,
ut hic declarat Cardinal. *num.* 5. *in* 6. *oppoſition. verſ. Dic
quod ſic mandatur*. Non enim ſemper eſt ſimoniacum da-
re pecuniam pro redemptione litis ſpiritualis, veluti ſi jus
non habenti ſolveretur pecuniam ad redimendam vexa-
tionem ut liti cederet; ſecundùm Joann. de Anan. *hic*
7 *num.* 8. De quo dic, ut legitur, & notatur in *cap. Dilectus,
de ſimonia*, & adde S. Thomam *in* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5.
ubi docet in caſu contrario, *antequam alieni acquiratur jus
in Epiſcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per
electionem, vel proviſionem, ſeu collationem, ſimoniacum
eſſe adverſantium obſtacula removere. Sic enim per pecu-
niam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam. Sed
poſtquam jus alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta
impedimenta removere*. Hæc S. Thomas. Et ita intelligitur
textus in *c. Matthæus, de ſimon.* ut declarat ibi Abb. *in fine*,
& fuſiùs in *c. Dilectus n.* 4. *eod. tit.*
Quod ſi dubium ſit utrum renuncians habeat jus in be-
neficio, nec ne, & ſic an detur ſpirituale pro temporali,
& Arbitri pro bono pacis ordinent, ut pars renunciet juri,
ſi quod habet, & cedat liti, & viceverſa aliquid tempo-
rale recipiat; hoc non eſt ſimoniacum; habet tamen ſpe-
ciem ſimoniæ: quia ſi jus competit parti, datur tempo-
rale pro ſpirituali: & hoc caſu contra arbitrium urget ma-
xima præſumptio, quæ tamen purgari poteſt; eaque pur-
gata arbitrium erit obſervandum. Et ita intelligitur hìc
textus in fine, ſecundùm Abb. *num.* 10. Purgabitur autem
ſi Arbitri aliquam allegent excuſationem, ut ſic dicant
ſe ita ordinaſſe pro bono pacis, quia renuncians nullum
jus habebat in beneficio, vel illud erat valdè dubium: non
tamen Arbitris omninò eſſet adhibenda fides; ſed Supe-
rioris arbitrium erit ex circunſtantiis, ex actis, & per-
ſonarum qualitatibus illorum excuſationem admittere,
vel reiicere: ad quod eſt bonus textus in *cap. Cum dilecti,
verſ. Quod ſi excuſationes*, cum gloſ. *in ver. Dilapidatione,
infra, de accuſ.* Poſſent enim Arbitri, & partes eſſe talis
qualitatis, ut præſumendi eſſent hoc feciſſe pro bono pa-
cis; & quia cedens quæſtioni revera nullum jus ſpirituale
habebat: & in hoc caſu Abbas intelligit textum in *d. c. Niſi
de præben.* ut ibi patet ex principio litteræ. Et hæc vide-
tur fuiſſe mens Innocentii *hic in ver. Clerici, verſ. Hoc au-
tem licet confiteantur*, dum dixit non eſſe ſimoniam, ſi re-
nuncianti jus ſpirituale detur aliud temporale, fortè quia
pro bono pacis datur, vel cauſa pietatis; ſed tamen quia
ſpeciem continet ſimoniæ non obſtante juramento licet
contravenire, ut hìc, & in *cap. Conſtitutis de tranſaction.*
Item nec iudex ſemper his adhibebit fidem, cum ſæpè ſuum
factum tueantur, & ex gratia loquantur, ut *l. Eum qui,
ff. De judic.*
Ex prædictis cùm quæritur utrùm Arbitri poſſint ordi- 8
nare, ut una pars cedat quæſtioni ſpirituali, & recipiat
pecuniam ab altera, breviter diſtingue. Aut certum eſt
renuncianti competere jus ſpirituale; & ordinatio non
valet, ſed eſt ſimoniaca, ut conſtat ex dictis ſupra *num.* 3.
niſi fieret Papa ſciente, & authorizante, ut dictum eſt
in prima limitatione num. 5. Aut viceverſa certum eſt re-
nuncianti nullum jus competere; & abſque dubio valet
talis ordinatio ſecundùm omnes, ut ſupra *in ſecunda limi-
tatione num.* 6. Aut eſt dubium utrum jus competat, nec-
ne; & tunc quia talis ordinatio præſefert ſpeciem ſimoniæ,
Superior ex circumſtantiis arbitrabitur, an eorum excu-
ſatio ſit admittenda, vel reiicienda, ut proximè dictum
eſt.
Secundò nota ſuper beneficio Eccleſiaſtico, & ſic ſuper 9
re ſpirituali licitè fieri poſſe compromiſſum, ut hìc, & *in
cap. Ex parte, infra eod. & cap. Niſi de præben.* & tenent
hic Joan. Andr. *num.* 11. Bellam. *ante num.* 1. & Abb. *num.*
6. Idque non tantùm in Arbitrum, ſed etiam in Arbitra-
torem, ut hìc eſt caſus ſecundùm intellectum gloſſæ *final.*
& Cardin. *in* 13. *&* 16. *oppoſitione*. Quod tamen intellige 10
dummodò compromiſſum fiat de jure, ita ut compromiſ-
ſarius debeat cognoſcere, & judicare quis eorum foveat
bonum jus, & habeat canonicum titulum, ut eſt caſus
in d. cap. Niſi, de præben. Secus ſi compromiſſum fiat de
facto ita ut compromiſſario liceat adjudicare beneficium
cui velit: hoc enim fieri non poteſt, cùm beneficia Eccle-
ſiaſtica non poſſint ſine canonica inſtitutione obtineri,
ut *in cap. Ex frequentibus, de Inſtitution.* & in regula, *Be-
neficium, de regul. jur. lib.* 6. & ita ex facto reſpondit Ge-
min. *conſ.* 109. *Circa primum dubium. in princ.* Et confir- 11
matur quia compromiſſum de jure, & de facto alienatio-
nem includit, ut notatur in Authen. *Si verò, C. de judic.*
Unde quæ alienari non poſſunt ut res Eccleſiaſticæ, & jura 12
ſpiritualia, nec de facto poſſunt compromitti, *cap. Perve-
nit*, & ibi gloſ. *fin. infr. eod.* Hoſtienſ. infra *in cap. Cum
tempore, in ver. Licentiam*, & Abb. *num.* 3. Lap. *alleg.* 102.
Non poteſt Clericus, verſ. Hinc eſt quod Clericus, Roman.
conſil. 175. *Dictum ultimum laudum, num.* 3. & *conſil.* 369.
Circa primum, num. 18. Item arbitramentum hoc eſt
quæ-

quædam tranſactio, ut in Authen. *Ut differ. judic. §. Si verò*
contigerit, & ibi gl. *in ver. Conventum*, Petr. de Anchar.
conſil. 34. *In hac cauſa num.* 7. Paul. de Caſtr. *conſ.* 239.
Quod Nanes num. 3. *lib.* 1. Super beneficio autem, aut
jure ſpirituali tranſigi non poteſt ſine labe ſimoniæ, *cap.*
Conſtitutus, *c. Super eo*, *c. Præterea* 1. *&* 2. *ſuprà de tran-*
ſact. dict. cap. Niſi eſſent de præben. Ubi autem non valet
tranſactio, nec valet arbitramentum, ut notat Angel.
13 *conſ.* 198. *col.* 2. *circa med. verſ. Aut dicimus*. Rurſus hoc
intellige, dummodò compromiſſum fiat in Clericum,
prout hic factum fuit in duos Clericos; nam in laicum
de re ſpirituali compromitti non poteſt, ut eſt textus *in*
c. Contingit infrà eodem, & tenent Abb. *hic num.* 6. & Fe-
14 deric. de Sen. *conſ.* 125. *Super eo in princ.* ubi hoc extendit
etiamſi compromiſſum in ſpecie non eſſet de re ſpirituali,
ſed generaliter de omnibus, quia ſub generalitate non
venit cauſa ſpirituali in laicum compromiſſa, licèt
compromiſſum eſſet juramentum vallatum, quia hujuſ-
15 modi juramentum non tenet, ut ibi per eum. Hoc tamen
ſublimita in duobus caſibus. Primus eſt cum cauſa ſpiri-
tualis compromittitur ſimul in Clericum, & laicum:
quia propter mixturam Clerici etiam laicus efficitur capax
ut eſt textus ſingularis *in c. Per tuas infrà de arbitr.* & ibi
DD. Hoſtienſ. *in cap. Cùm olim num.* 1. *in ver. Arbitrium*
de præſcript. Joan. Andr. *ibidem num.* 3. *in eodem verb.* Ro-
man. *conſ.* 173. *Pro deciſione circa princip. verſ. Aut com-*
promiſſum, Jaſ. *in l. Si emancipati col.* 4. *ad finem*, *C. de*
Collat. & Lambert. *de jurepatron. lib.* 1. *par.* 1. *qu.* 1. *art.* 6.
16 *num.* 7. Quod procedit etiamſi unus tantùm ſit Clericus,
& plures laici, ut eſt caſus *in d. c. Per tuas*, & ibi notat
Abb. *in* 4. *notabili*.
17 Secundus caſus eſt cum compromiſſum de re ſpirituali
fit in laicum non tamquam Arbitrum, ſed tamquam Ar-
bitratorem. Hoc enim fieri poteſt ſecundùm communem,
& veriorem opinionem, ut ſcripſi plenè *in cap. Contingit*
infrà eodem.
18 Tertiò nota compromittentes in Arbitrum, vel Arbi-
tratorem de jure Canonico poſse ſe juramento adſtringere
ad obſervantiam arbitrii, vel arbitramenti, & laudum
eſſe executioni demandandum, ſi alias ſit licitum, concor-
dat textus *in cap. Cùm tempore infrà eodem*, & tenet gloſſ.
19 *hic in ver. Sacramentum*, Abb. *num.* 3. *in* 4. *notab.* & ſe-
quuntur omnes DD. dicentes hoc jus Canonicum ſervari
debere etiam in foro civili, & teſtatur Joan. de Anan. *nu-*
mer. 7.
20 Non obſtat textus in Auth. *Decernit*, aliàs incipit, *De-*
cernimus, *C. de Arbitr.* ubi prohibetur fieri compromiſſum
cum juramento: nam primò reſponderi poteſt illam Au-
thenticam intelligi de juramento Arbitrorum, non autem
partium, ut ſentit hìc Innoc. *in princ. in verb. Extortum*, &
fuit intellectus Bulgari, ut ibi gl. 2. qui placet Collectario
hìc, qui aliàs corrigeretur *l. Ne in arbitris*, *C. eodem*.
21 Sed quia gloſſa, & Doctores juris civilis communiter in-
telligunt illam Authenticam generaliter tàm in juramento
arbitrorum, quàm partium, ut hìc teſtatur Abb. *nu.* 8. &
fuit originaliter intellectus Azonis, & Joannis; Ideò reſ-
pondetur ſecundò prohibitionem illam procedere de jure
civili dumtaxat, non autem de jure Canonico, ut hìc pro-
batur in fine. Unde illa Authentica per jus Canonicum
corrigitur, & lex antiqua reſuſcitatur, quæ hoc admittebat
in d. l. Ne in arbitris, ut inquit diſertis verbis Hoſt. *hic n.* 4.
in ver. Sacramentum. Cujus dictum ſequuntur Jo. Andr.
n. 14. Bellam. *n.* 2. *&* 3. *in* 3. *oppoſit.* Card. *n.* 5. *in* 5. *oppoſit.*
Anchar. *n.* 6. *in* 1. *oppoſit. & reliqui*.
22 Nec refert, quod Bart. in prædicta Authen. dicat etiam
de jure Canonico, niſi aliud foret expreſſum prædictum
juramentum non ligare, eò quòd cùm lex inhibeat jura-
mentum in compromiſſo, jurans in contrarium peccat
mortaliter, quia venit contra præceptum legis, *c.* 2. *de ma-*
jorit. & obed. & conſequenter juramentum non ſit obſer-
vandum, quia non ligat ad peccatum, ut *in c. Quanto de*
jurejur. Nam ut benè reſpondet Abb. *d. nu.* 8. poſt Cardin.
n. 5. *in* 5. *oppoſit.* Bartolus loquitur contra hanc Decreta-
lem, & contra *c. Cum tempore infrà eodem*, ubi Pontifex
mandat partes compelli ad obſervantiam juramenti, ſi ar-
bitrium aliàs ſit licitum.
23 Nec urget Bartoli argumentum; quia lex civilis non
poteſt impedire obligationem juramenti, cùm juramen-
tum dirigatur in Deum, ut *c. debitores de jurejur.* & Impe-
rator ipſe jubet, ut in juramentis, & aliis Eccleſiaſticis
non ſecundùm Canones judicetur, ut patet in Auth. *ut*
Cler. apud propr. Epiſc. §. Si vero Eccleſiaſticum, *& de Ec-* 24
cleſiaſt. tit. §. 1. *cum ſuis concord.* & in propoſito conſiderant
hic Hoſt. *n.* 4. *in ver. Sacramentum*, & alii præallegati.
Imò quantumcumque juramentum prohibeatur a qua- 25
cumque lege etiam Canonica, imò & divina, tamen ſi il-
lud quòd juratur, ſervari poteſt ſine interitu ſalutis æter-
næ, jurans tenetur ad illius obſervantiam, licèt peccave-
rit in jurando, & probat textus apertus *in c. Etſi Chriſtus*
de jurejuran. & in c. Movet 22. *qu.* 1. ſecundùm Abb. *eod.*
num. 8.
Et quamvis habito reſpecto ad jus civile non produca- 26
tur actio ex compromiſſo juramento vallato, & ut inquit
Bald. in Auth. *Decernit*, *C. de Arbitr.* quoad privilegium
actionis, ut non naſcatur actio ſtandum ſit hodie jure
civili: Sed quoad hoc, ut jurans compellatur ad obſer-
vantiam per cenſuram Eccleſiaſticam ſtandum ſit juri Ca-
nonico: tamen dicendum eſt habito reſpecto ad jus Cano-
nicum, & divinum utique oriri etiam actionem: quia
ex quo hujuſmodi jura præcipiunt hæc juramenta obſerva-
ri; hinc conſequitur etiam ut competat actio, ut *l. unica, ff.*
de condict. ex leg. ſecundùm Abb. *d. num.* 8. & eſt ſimile in
pacto nudo, quod etſi jure civili non producat actio-
nem, ut *l. Juriſgentium*, *§. Sed cum nulla*, *& §. Quinimò*, *ff.*
de pactis: tamen ſecus eſt de jure Canonico, ut tenet
gloſſ. communiter approbata *in cap.* 1. *ſuprà de pactis*.
Nam Canones jubent ſervari pacta quantumcumque nu-
da, ut ibi. Quotieſcumque autem lex mandat aliquid ſer-
vari, inde oritur actio, ut *l. Statuas*, *ff. de acquir. rer.*
domin. & notant *in d. cap.* 1. Butr. *nu.* 1. & Abb. *nu.* 5. De
quo articulo ſcripſi plenè *ibidem in* 4. *notabili à nu.* 15. &
idem de juramento, & notat Bartol. *in l. Si quis pro eo*, *ff.*
de fidejuſſor. & Abb. *in cap. Cùm veniſſent infrà de In-*
ſtitut.
Quartò nota ibi, *incorrectum*. Laudum continens ini-
quitatem eſſe corrigendum per Superiorem Eccleſiaſti-
cum, & reducendum ad arbitrium boni viri. Ad idem
text. *in c. Quintavallis infrà de jurejuran.* notat gloſſ. *in*
c. Expoſita in ver. Revocetis infrà eod. & latiùs proſequi-
tur hìc Hoſt. *nu.* 9. *Ego autem*, & Jo. Andr. *num.* 18. *verſ.*
Unde colligebat Hoſtienſis, qui etiam notant, an in hoc ſit
differentia inter jus Canonicum, & jus civile.
Ultimò nota ibi, *Nepos ejus*, *qui ſibi in Eccleſia jam* 27
dicta ſucceſſit. Nepotem ex fratre, vel ſorore de jure
communi non prohiberi immediatè ſuccedere in benefi-
cio Patrui, vel Avunculi, ut hìc, *& in cap. Ex parte*, *il*
primo ſuprà de offic. deleg. & in cap. Accedens de accuſat.
Et de hoc Nepote tranſverſali Doctores intelligunt hanc 28
Decretalem. Nam etſi Nepotis appellatione propriè in-
telligatur Nepos ex filio, vel filia, ut *leg. Inconſultus*,
§. Nepos, *ff. de gradib.* tamen ex communi uſu luquen-
di dicitur Nepos etiam ex fratre, vel ſorore, ut in præ-
citatis juribus, *& in c.* 1. *quib. mod. feud. amit.* prout etiam
intelligitur in decreto Concilii Tridentini *cap.* 1. *ſeſſ.* 25.
ibi, *Synodus monet*, *ut omnem humanum hunc erga fratres*,
Nepotes, *propinquos carnis affectum*, *unde multorum ma-*
lorum in Eccleſia ſeminarium extat, *penitus deponant*,
& ita tenet Jo. Andr. *in cap. Fundamenta*, *de elect. lib.* 6. 29
ubi notabiliter concludit, quamvis mero jure inſpecto
in materia odioſa appellatione Nepotis non veniat filius
fratris: tamen ex communi uſu loquendi hujuſmodi
Nepotem comprehendi quantumcumque materia ſit ſtri-
ctè intelligenda. Et hoc dictum Abb. *hic in* 2. *notab.* di-
cit ſe ſemper ſequutum fuiſſe contra Federic. de Sen.
conſ. 30. *In meo Codice eſt conſ.* 39. & incipit, *Viſo pun-* 30
cto. Et hoc modo capitur hìc. Et hinc collige ſucceſ-
ſionem immediatam Collateralium in beneficiis Eccleſia-
ſticis de jure non eſſe prohibitam: & ſic diverſam eſſe
cauſam filiorum, & tranſverſalium: nam filius etiam
legitimus non poteſt immediatè ſuccedere in beneficio Pa-
tris, *cap. Ad extirpandas ſuprà de fil. Presbyter.* nec
Nepos in beneficio Avi, ut tenet ibi gloſs. 1. & Doctores
communiter. Quidquid contra ſcripſerint moderni
Collectores, ut ibi dixi, & in *dict. cap. Ex parte in* 1.
notab. Et hanc ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis ſacri Ca-
nones deteſtantur, ut *in c. Ex tranſmiſſa de fil. Presbyter.*

At ſecus eſt in Collateralibus, quorum non eſt jus ſuccedendi, ut hic firmant Abb. Antiq. *num.* 2. *in ver. Succeſſit*, Hoſtienſ. *num*, 3. *in eod. verſ.* Joan. Andr. *num.* 2. Collectar. & Bellam. ambo *in princip.* Butr. *in* 2. *notabil.* Card. & Anchar. ambo 3. *notab.* Abb. *in* 2. & Joan. de Anan. *nu.* 1. *&* 4. Unde patet hanc eſse unanimem Canoniſtarum ſententiam mero jure inſpecto, licèt ſecus videatur de honeſtate, ut dixi in prædicta Decretali *Ex parte*. Pro-
31 cedit autem hæc concluſio non tantùm in beneficiis vacantibus per obitum, ut hìc, *& in dict. cap. Accedens*, ſed etiam in vacantibus per reſignationem in manibus Ordinarii, ut eſt textus *in dicto cap. Ex parte*, ubi de ſucceſſione Nepotis in Archidiaconatu vacante per reſignationem Avunculi: & ibi notant Joan. Andr. *in ver. Avunculus num.* 3. Anton. de Butr. *num.* 9. Cardin. *in* 1. *oppoſit.* Anchar. *in* 2. *notab.* Abb. *num.* 1. *in* 3. *notab.* & Dec. *nu.* 6.
32 Dummodò tamen reſignatio ſit libera, & hoc innuit littera *dict. cap. Ex parte*, ibi, *omninò dimittere*, ut explicat gloſs. & Doctores, aliàs enim ſi reſignans tacitè, vel expreſsè in pactum deduceret, ut beneficium conferretur Nepoti, imò & alteri cuipiam extraneo: reſignatio eſset nulla, & ſimoniaca, cùm ab his omnis pactio, conventio, & conditio abeſse debeat, *cap. Talia* 8. *quæſt.* 3. *cap. Cum pridem ſuprà de pactis*, *cap. Veniens infrà de teſtib.* & notant omnes *in dict. cap. Ex parte*, Innocent. *in cap. Tua nos in verb. Culpabiles*, Hoſtienſ. *ibi ad finem*, Cardin. *in prima quæſt. de ſimon.* gloſs. *unica ad finem in c. Apoſtolica* 8. *quæſt*, 1. Navarr. *in Man. conſ.* 23. *num.* 107. *verſ. Ad decimum*, *& conſ.* 18. *de ſimon.* Et hodie apertiùs cautum eſt in Conſtitutione S. Pii V. proximè citanda in §. *Caveant autem Epiſcopi*. Sed ſi reſignatio Patrui, vel Avunculi ſit libera, Ordinarius non prohibetur conferre illud beneficium Nepoti reſignantis jure communi inſpecto.
33 Verùm hodie hoc corrigitur per Conſtitutionem S. Pi V. quæ incipit, *Quanta Eccleſiæ Dei incommoda*, edita Kalen. Aprilis 1568. qua providè interdictum eſt Epiſcopis ne beneficia in eorum manibus reſignata, eorum, aut dimittentium Conſanguineis, Affinibus, vel familiaribus conferant: alioquin collationes ſint irrita, ut ibi patet *in* §. *Cæterum præcipimus*. Atque ita hodie Collaterales obtinere non poſsunt beneficium dimittentis, quantumcumque reſignatio ſit libera: & in hoc corrigitur *dict. cap. Ex parte*, & ſalva manet juris communis diſpoſitio in beneficiis per obitum vacantibus, ut hìc, *& in c. Accedens de accuſat.*
34 QUÆRO, An prædicta Conſtitutio S. Pii V. qua parte prohibentur Epiſcopi beneficia in eorum manibus reſignata eorum, aut reſignantium Conſanguineis, Affinibus, vel familiaribus conferre vendicet ſibi locum in Parochialibus per dimiſſionem vacantibus ob alterius Parochialis aſsecutionem.
35 In hac quæſtione ſupponendum eſt, Parochialem vacantem ob aſsecutionem alterius non eſse Sedi Apoſtolicæ reſervatam ex Conſtitutione, quæ incipit, *Execrabilis, de*
36 *præben.* Ideòque illius collationem ad Ordinarium pertinere, niſi aſsecutio ſecundæ facta ſit Apoſtolica auctoritate, quo caſu Parochialis eſt reſervata ex Conſtitutione, *Ad regimen*: per regulas Cancellariæ innovata. Atque hunc eſſe longo tempore obſervatum ſtylum Cancellariæ jam pridem teſtatus eſt Parcus inſpectis vetuſtis formulis. Qui quidem ſtylus comprobatur authoritate Oldradi *conſ.* 157. *n.* 2. Felin. *in cap. Cauſam quæ n.* 4. *col.* 6. *verſ. Limita quinto de reſcript.* & Æneæ de Falcon. *in tract. reſervat.* 1. *q. princ. eff.* 41. qui refert ita etiam ſenſiſse Federic. de Sen. Ac propterea cùm in hac dubitatione olim Sacra Congregatio Concilii diviſa eſset; Gregorius XIII. audita ſententia Parci, declaravit primam Parochialem, quæ ipſo jure poſt adeptam pacificam poſseſſionem ſecundæ Parochialis vacavit, non eſse reſervatam Papæ, niſi ſecunda Parochialis eſſet collata à Sede Apoſtolica, vel niſi profeſſio ſecundæ capta fuiſset in menſe reſervato, aut per proviſum ſtetiſset quominus in eo menſe caperet, cùm poſset.
37 Deindè ſupponendum eſt, quamvis adepta poſseſſione ſecundæ Parochialis vacet prima ipſo jure, *cap. De multa de præben. & c. Licet Epiſcopus eodem tit. in* 6. proviſum tamen teneri primam Parochialem ſic vacantem dimittere in manibus Ordinarii, ut ſtatuitur in d. Extravagan. *Execrabilis*, §. *Qui vero*, his verbis: *Qui vero deinceps receperint beneficium Curatum animarum habens annexam, ſi antea ſimile beneficium obtinebant, illud quo ipſo jure poſtquam ſecundi poſſeſſionem habuerint, privati noſcuntur, abſque moræ diſpendio in ordinariorum manibus dimittere debeant pari modo, ideſt verbaliter, realiter, & cum effectu*, ut ibi declarat gloſſ. & fuſiùs Bellam. *deciſ.* 254. *ſub n.* 3. & idem ſtatuitur *in cap. Cùm ſingula de præben. in* 6. ibi, *Primum, quo ſit ipſo jure privatus, ſtatim omninò dimittere teneatur*.

Quibus ſuppoſitis videtur reſpondendum Conſtitutionem S. Pii V. habere locum etiam in Parochialibus per dimiſſionem vacantibus ob aſſecutionem alterius Parochialis. Ideòque nullam eſſe collationem Parochialis dimiſſæ ab Ordinario factam ſuo Conſanguineo: nam dicta Conſtitutio duas habet partes, in quarum prima prohibet Ordinariis, ne aliàs beneficiorum reſignationes admittant; quàm illic expreſſas, inter quas commemorat præcipuè tacitam illam renunciationem, ſeu demiſſionem, quæ fit ob promotionem ad aliud beneficium, in illis verbis: vel ad aliud contigerit promoveri. Quo loco Conſtitutionem loqui de promotione ad aliud incompatibile, propter, quod inducitur vacatio primi ipſo jure. 38

Suadetur primò, quia de aſſecutione aliorum beneficiorum non adeò incompatibilium fecerat mentionem paulò ſuperiùs ibi, *ſeu qui unum aliud, vel plura beneficia obtinuerint*. Unde ut hìc ſecundus caſus de eo, quia ad aliud beneficium promovetur, differat à priore de eo, qui obtinet unum aliud beneficium; dicendum eſt Conſtitutionem in primo caſu loqui de beneficio, ob cujus aſſecutionem non vacat primum ipſo jure; ſed proviſus habet electionem dimittendi quod maluerit juxta *cap. Referente, & cap. Præterea de præben.* In ſecundo autem caſu loqui de promotione ad beneficium ob cujus aſſecutionem ipſo jure inducitur vacatio primi, ſecundùm *cap. De multa, & Extravag. Execrabilis*; hi enim duo caſus ponuntur in Conſtitutione tamquam diverſi, ut patet ex dictione alternativa, *Vel, leg. Hæc verba, leg. ille, aut ille, ff. de verbor. oblig. cum ſimilibus*. Et tamquam caſus diverſi recenſentur à modernis, qui dictam Conſtitutionem interpretantur.

Suadetur ſecundò, quia verba illa, vel ad aliud contigerit promoveri propriè referuntur ad dignitates, ſeu beneficia Curam animarum habentia, communiter enim non dicimus quemquam promoveri ad beneficium ſimplex, ſed benè ad dignitatem, vel Parochialem Eccleſiam, cùm promotio ſit de minori ad majus, *cap. legimus in fine* 93. *diſt. cap. Si officia, & cap. Ordinatos* 59. *diſt.* 39

Suadetur tertiò, quia hæc prima pars Conſtitutionis in duobus aliis caſibus vult poſſe dimitti coram Epiſcopis beneficia ipſo jure vacantia, nempè illorum, qui ingreſſuri ſunt Religionem, & eorum, qui contracturi ſunt matrimonium, ſi ſtatim id re ipſa exequantur. Quo loco Conſtitutio debet intelligi de reſignatione beneficii vacantis per profeſſionem, *juxta cap. Beneficium de regul. in* 6. quia alioquin dimiſſio, quam facit Novitius non poteſt ſortiri effectum, niſi ſequuta profeſſione ſaltem poſt decretum Concilii *cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de regul.* ut jam cenſuit Sacra Congregatio. Et ſimiliter Conſtitutio debet intelligi hoc loco de reſignatione beneficii vacantis propter matrimonium contractum; quia prius non poteſt beneficium ex hac cauſa dimiſſum conferri, ut in terminis dictæ Conſtitutionis tradit Fuſc. *de Viſitatione lib.* 2. *c.* 26. *ſub nu.* 16. Ratio eſt, quia ante matrimonium re ipſa contractum beneficium non vacat, gloſſ. Abb. & DD. *in cap.* 1. *De Cler. conjug.* Cùm ergo Conſtitutio in his duobus caſibus intelligatur de renunciatione beneficii ipſo jure vacantis, non eſt incongruum, ut etiam in caſu promotionis ad aliud beneficium intelligatur de ſimili renunciatione, cum una pars Conſtitutionis declaret aliam, *leg. Utrum, ff. de petit. hæred. cum concordan.* 40 41

Denique hoc ipſum ſuadetur, quia nulla ratio conſiderari poteſt, cur liceat Ordinario admittere reſignationem voluntariam eorum, qui plura beneficia obtinent, non autem neceſſariam illorum, qui ad aliud incompatibile promoventur. Imò ratio ſuadet, ut liceat ei longè faciliùs admit- 42

mittere hanc neceſsariam: cùm ab ea longius abſit periculum ſuſpectarum pactionum, & fraudum, quas S. Pius V. in dicta Conſtitutione conſideravit, ut olim advertit Sac. Congregatio in vacatione per obitum.

43 Nec obſtat, quod Conſtitutio ſolùm loquatur de reſignationibus: nam reſpondetur imò, & de demiſſionibus loqui, ut patet initio ibi, *Quia vero hoc malum cum hoc in cæteris frequens, tum maximè in beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum dimiſſione admittitur.* Et infra ibi, *denique cùm quis ex aliis caſibus acciderit qui in Conſtitutione Innocentii III. de dimitt. Cathed. Eccleſ. edita continentur.*

44 Rurſus reſpondetur reſignationis appellatione ex proprietate vocabuli etiam dimiſſionem comprehendi, cùm verbum, *dimittere*, importet quemcumque actum, quo quis à ſe abdicat beneficium, *cap. Admonet de renuntiat. c. Significatum*, ubi Joan. Andr. *in ver. Dimittere*, *& cap. Si beneficia*, juncta gl. *in ver. Dimiſſa de præben. lib. 6.* & pluribus probat Quintil. Mandoſ. *in reg. de infirm. q. 3. n. 8. & ſeqq.*

Itaque certum videtur hanc primam partem Conſtitutionis, in qua relinquitur facultas Epiſcopis in certis tantùm caſibus reſignationes admittendi, apertè loqui etiam in dimiſſionibus beneficiorum ipſo jure vacantium ob aſſecutionem alterius incompatibilis.

Secunda pars Conſtitutionis prohibet quominus Epiſcopi conferant prædicta beneficia reſignata aut ſuis, aut reſignantium conſanguineis affinibus, vel familiaribus his verbis, *Cæterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipſi Epiſcopi de beneficiis reſignandis prædictis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus audeant providere*, quæ ſecunda pars non poteſt intelligi niſi de beneficiis, quorum reſignationes, ſeu dimiſſiones Ordinarii poterant admittere, & de quibus in prima parte Conſtitutionis facta fuerat mentio: nam cùm aliæ reſignationes nullatenus fieri poſsent coram Ordinariis, fruſtratorium fuiſset eis prohibere ne de beneficiis nulliter reſignatis providerent ſuis conſanguineis, vel familiaribus. Et hic ſenſus apertè etiam colligitur ex illis verbis, *interdicimus ne Epiſcopi de beneficiis reſignandis prædictis aut ſuis aut admittentium conſanguineis, &c. audent providere*, ponderando verbum, *prædictis*, quod habet relationem ad præcedentem diſpoſitionem, idest ad illas omnes reſignationes, quarum ſuperiùs meminerat. Unde cùm in prima parte Conſtitutio relinquat Ordinariis facultatem admittendi in ſpecie reſignationem, ſeu dimiſſionem beneficii vacantis ob alterius aſsecutionem, ut initio probatum eſt, & in ſecunda parte provideat ne beneficia dicto modo reſignata, vel dimiſsa eorum, aut reſignantium conſanguineis conferantur: apertè ſequitur, ut Conſtitutio etiam in ſecunda parte intelligatur de collatione beneficiorum in manibus Epiſcopi dimiſsorum ob aſsecutionem alterius incompatibilis, juxta Extravag. *Execrabilis*.

45 Præſertim quia etiam in hac ſecunda parte Pontifex utitur verbo, *dimiſſiones*, ibi, *Ne Epiſcopi aut ſuis, aut admittentium conſanguineis audeant providere*, verbum enim illud, *admittentium*, videtur mendosè appoſitum, pro *dimittentium*; & hoc modo reſtitutum fuit in Codice ſeptimi libri Decretal. Clementis VIII. *cap. 1. tit. de renuntiat.* Quamobrem cùm verba Conſtitutionis ſint clara, ab ipſis

46 non eſt recedendum, *l. Ille aut ille*, ibi, *Cùm in verbis nulla eſt ambiguitas, & l. Non aliter in princ. de leg. 3.* & in terminis hujus verbi, *dimiſſionis*, tradit Mandoſ. *dict. regul. de infirm. q. 13. n. 16. cum ſeqq.* Nec eſt locus alicui interpretationi, quæ tamen latiſſima fieri debet, ubi agitur de fraude tollenda, *l. 1. §. Sed & Conſtitutio, & §. Pecuniam autem, ff. de calumniat.* & in ſimili tradit idem Mandoſ. *d. q. 13. n. 21.*

47 Sed verbis Conſtitutionis accedunt etiam rationes: nam S. Pius V. noluit beneficia reſignata poſse conſanguineis Ordinariorum, aut reſignantium conferri. Primò ad ſubmovendas [illegible], & confidentiales pactiones, quæ ſolent ſæpe in hujuſmodi renuntiationibus intercedere, ut colligitur ex §. *Caveant autem Epiſcopi*. Secundo, ne reſignationes fierent ob carnis affectum, & Eccleſiaſtica bona quodammodo jure conſanguinitatis acquirerentur, quod deteſtantur ſacri Canones, *cap. Apoſtolica 8. quæſt. 1. cap. Præſentium, c. Conquerenti, & cap. Tranſmiſſa de fil. Preſbyteror. & cap. 1. de præben.* Concilium Tridentinum *cap. 1. ſeſſ. 25.* Ac demum, quia ſi Ordinarius poſset conferre ſuis, aut reſignantium conſanguineis, vel familiaribus; reſignationes tacitè, & per indirectum conferentur factæ in ipſorum conſanguineorum, vel familiarium favorem. Quod eſset abſurdum: cum hujuſmodi reſignationes in favorem in manibus Epiſcoporum fieri non poſſit ſine labe ſimoniæ, ut patet in ipſamet Conſtitutione in §. *Caveant autem Epiſcopi*, & latius dictum eſt ſuprà *num. 32.* Hujuſmodi autem rationes æquè vigent in collatione Parochialis dimiſse ob alterius Parochialis aſsecutionem, atque in reſignationibus factis ex aliis cauſis expreſſis in prima parte Conſtitutionis. Nam facilè eſset Ordinariis Parochialem Eccleſiam habenti conferre aliud beneficium incompatibile ad hoc, ut poſtea Parochialem ſic vacantem conferre poſsent ſuo, vel dimittentis conſanguineo. Atque ita quod una via non poſsent, per aliam indirectè conſequerentur contra regul. *Cum quid una via de regul. jur. lib. 6. l. fin. C. Si mancip. ita veni, l. Scire, ff. de Tutor. & Curator. c. Tua*, & ibi gloſs. *in ver. Effectum de Procurat.* gloſs. *fin. in c. Conſtitutus de conceſs. præben.* Nec 48
dimiſſiones carerent periculo confidentiarum, atque illicitarum pactionum. Quinimò ſæpè à dimittentibus tacitè deſignarentur perſonæ conſanguineorum, vel familiarium in fraudem Conſtitutionis, §. *Caveant autem Epiſcopi*. Et hanc ſententiam probavit S. Congr. Conc.

In pœnas tamen Bullæ fortè non incidit Epiſcopus, qui 49
Parochialem ſic dimiſsam ignoranter contulit ſuo conſanguineo; quia Conſtitutio ad hoc requirit temeritatem, 50
ac præſumptionem, ibi, *audeant providere*, & ibi, *temerè attentatum*, ut in ſimili caſu arguit Cardin. in Clem. 1. *ſub numer. 7. verſ. Videtur tamen de privileg.* tum quia reſpectu 51
pœnæ decretum irritans non videtur ligare ignorantes, ut eſt textus *in cap. Si beneficia*, ubi Anchar. notat in 2. *notab. de præben. in 6.* & de communi teſtatur Gabr. *commun. concluſ. tit. de clauſul. num. 8.* Tutius tamen videtur petere abſolutionem à Sede Apoſtolica: cum præſertim etiam dictam Conſtitutionem ignorantes eam petere conſueverint, ſi credimus Flam. Pariſio hoc atteſtanti *in tract. de reſignat. benefic. lib. 6. qu. 6.* Et Ordinarios non excuſari à pœna ob ignorantiam dictæ Bullæ S. Pii V. ſaltem in foro exteriori, reſpondit Navarr. *conſ. 6. Quidam Chryſoſtomus de renunt.* Inde conſultius eſt, ut Epiſcopus petat à Summo Pontifice relaxationem ſuſpenſionis: nam in alias pœnas non incidit, ſi poſt ſuſpenſionem nullam fecerit collationem, ut patet ex *verſ. Et nihilominus*. Alioquin petenda eſset abſolutio ab excommunicatione, & diſpenſatio ab irregularitate, ſi miniſtraſset, ut per Navarr. *d. conſ. 9. num. 3.*

An autem prædicta S. Pii V. Conſtitutio prohibens vacantia per reſignationem per Ordinarios eorum, vel reſignantium conſanguineis, vel familiaribus conferri, habeat locum etiam in Parochialibus, quæ conferuntur ſervata forma examinis per concurſum à Concilio Tridentino præſcripta *in c. 18. ſeſſ. 24.* adeòut hujuſmodi perſonæ ad concurſum vacantis Parochialis admitti non debeant: S. Congreg. cenſuit Conſtitutionem S. Pii V. comprehendere etiam iſtas Parochiales, & iſtas perſonas, quibus per concurſum conferuntur. Tamen cùm Sanctiſſimo agendum, qui idem ſenſit, ut ſcilicet hę perſonæ cenſeantur comprehenſæ in Bulla S. Pii V. in collatione Parochialium per concurſum; ideò monendum Epiſcopum, ne iſtos deinceps ad concurſum admittat.

DE ARBITRIS.

Innocentius III. Abbati, & Conventui de Pigravia.

CAPUT V.

CUm tempore C. Papæ prædeceſſoris noſtri: & infrà. Super controverſiis, quæ inter te & Merſburgeñ. Epiſcopum, & quoſdam tuos Monachos vertebantur, te promiſiſti arbitrium Magdeburgeñ. Archiepiſcopi ſervaturum: & infrà. Quia legitimè conſtitit, quòd fide hinc inde data, compromiſſum eſt in Archiepiſcopum memoratum: Nos arbitrium ab ipſo prolatum decernimus ob ſervandum, illis dumtaxat capitulis exceptis, quæ contra libertatem ipſius Monaſterii, & duarum Capellarum ejuſdem, in arbitrio ſunt expreſſa. Cùm & ſi ſpontè volueris, de jure tamen nequiveris ſine licentia Romani Pontificis renuntiare privilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ Monaſterium illud indicant ad jus, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia minor in præjudicium Papæ de libertate compromittere non poteſt, & n. 6.*
Declaratur n. 11. & n. 29. & ſeqq. & n. 38.
2 *Exemptionis privilegia Eccleſia exempta non poteſt renuntiare.*
3 *Papa dum Eccleſiam ab aliſs eximit intelligitur eam ſibi immediatè ſubjicere.*
4 *Privilegio libertatis poſt exemptus renuntiare in ſui præjudicium non autem concedentis, vel alterius, & n. 20. 26. & 29.*
5 *Prælatus an poſſit compromittere ſineConſenſuCapituli.*
6 *Compromiſſum cur fieri non poſſit ab Eccleſia exempta in præjudicium libertatis, & n. ſeqq. uſq. ad n. 16.*
7 *Prælatus exemptus cùm recipiat dignitatem à Papa, jurat bona Eccleſiæ non alienare ipſo inconſulto, & num. 19.*
8 *Compromitti non poteſt de liberali cauſa.*
9 *De privilegiis Apoſtolicæ Sedis inferior, nec ut Judex, nec ut Arbiter poteſt cognoſcere, & n. ſeqq. uſq. ad n. 16*
Arbitraria redacta ſunt ad inſtar Judiciorum.
11 *Arbiter eſſe non poteſt, qui non poteſt eſſe Judex.*
12 *Nec poteſt Arbiter, quod non poteſt Judex.*
13 *Compromiſſum ab initio eſt voluntatis, poſt factum neceſſitatis.*
14 *Arbiter an habeat coercitionem.*
15 *Lauda arbitrorum ex conſuetudine mandantur executioni Judicis officio, ſicut ſententiæ Judicum.*
16 *Arbitrium latum ſuper pluribus capitibus ſuſtinetur quoad illa, quæ à compromittentium poteſtate dependent.*
17 *Arbitria tot videntur, quod ſunt res, de quibus fuit compromiſſum.*
18 *Arbitri, vel Judicis ſententia, an & quando poſſit pro parte valere, & pro parte non.*
19 *Alienare prohibitus an poſſit compromittere, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
20 *Compromittere poteſt Clericus in ſui præjudicium, non autem in præjudicium Eccleſiæ, n. 26. & 29.*
Declaratur, n. 38.
21 *Bona Minorum alienari prohibentur ſine cauſæ cognitione, & decreto, nec valet laudum ſuper his prolatum, & n. 40.*
22 *Arbitrium eſt quædam tranſactio in arbitrium boni viri collata, & boni viri arbitrio moderanda.*
Declaratur, n. 29. verſ. Et in hoc caſu.
23 *Vaſſallus non poteſt ſuper feuda compromittere ſine licentia Domini, & n. 28.*
24 *Curator datus hæreditati jacenti compromittere non poteſt, & n. 20.*
Poteſt tamen cogi ad compromiſſum ex forma ſtatuti, num. 40.
25 *Prælatus qui juravit bona Eccleſiæ non alienare, ſi compromittat non eſt perjurus.*
26 *Interpretatio in dubio facienda eſt, ut evitetur perjurium.*
27 *Tranſactio facta per eum, qui non poteſt alienare; valida eſt, ſi per ipſum non fiat alienatio.*
28 *Compromiſſum ſuper his, quæ alienari prohibentur, non valet, ſi fiat de facto, & n. ſeqq.*
Secus ſi de jure, num. 30. & ſeqq. uſq. in fin.
29 *Compromiſſum non valet, per quod Eccleſia obligetur.*
30 *Compromitti poteſt de rebus temporalibus Eccleſiæ etiam in mulierem habentem juriſdictionem de jure, vel conſuetudine.*
31 *Etiam ſine auctoritate Epiſcopi.*
32 *Compromiſſum ſuper juriſdictione Archidiaconali, item ſuper quæſtione ſpirituali Hoſpitalis valet, etiamſi authoritas Superioris non interveniat.*
33 *Compromitti poteſt ſuper beneficio, dummodò arbiter ex vi compromiſſi beneficium adjudicare non poſsit titulum non habenti.*
34 *Caſus eventitii non computantur, & ſeqq.*
35 *Appellare an & quomodò liceat à ſententia Arbitri.*
36 *Prælatus poteſt eſse in judicio ſuper re Immobili Eccleſiæ etiam ſine Capituli conſenſu, & n. 41.*
37 *Appellationis remedium introductum eſt ad corrigendam Judicum iniquitatem, vel imperitiam.*
38 *Compromiſſum fieri poteſt de omnibus etiam tangentibus jus alterius, ſed arbitrium non tenet in alterius præjudicium.*
39 *Alienare prohibitus cogi poteſt ad compromittendum juxta formam ſtatuti.*
40 *Minor ſtante ſtatuto tenetur compromittere ſine ſolemnitatibus.*

C*Um tempore.* Minor Eccleſia in præjudicium Papæ 1
de libertate compromittere non poteſt. Hoc dicit.
Dividitur in duas partes. In prima recitat factum Compromiſſi. In ſecunda laudum latum pro parte approbat, & pro parte reprobat, ibi, *Quia legitimè.*

Nota primò *in verſ. Cum etſi ſpontè nolueris*, Eccle- 2
ſiam exemptam privilegio libertatis renuntiare non poſſe, ut hìc eſt textus ad litteram, qui quotidie ſolet à DD. allegari: non enim hoc caſu agitur de favore ſolius renuntiantis; ac proindè non eſt locus regulæ: *Quilibet poteſt renuntiare, ei quod pro ſe noſcitur introductum, ut in c. Ad Apoſtolicam de regul. & in l. Si quis in conſcribendo, C. de pact.* Sed agitur de jure Eccleſiæ Romanæ: nam cùm nulla Eecleſia poſſit eſſe acephala, id ſine capite, *c. Nulla* 93. *diſt.* dum
Papa Eccleſiam ab aliis exemit, conſequenter juriſdictio- 3
ni Sedis Apoſtolicæ immediatè ſubjecit, ut hìc per Hoſtienſ. & omnes. Huic autem juri Eccleſiæ Romanæ, ac Beati Petri Eccleſia exempta præjudicare non poteſt. Ad quod allego optimum textum *in cap. 2. ad finem ſuprà de in integr. reſtitut.* ibi, *Jus tamen non tam ſuum, quàm noſtrum, & in cap. Cùm olim, il ſecondo, verſ. Hos igitur attendentes infrà de privileg.* Et ita hìc firmant gloſs. *final.* Innocent. *numer. 1. in verb. Libertatem*, Cardin. *n. 4. in 5. notab.* Butr. *num. 6. in 4. notab.* & reliqui omnes gloſs. *in cap. Cùm olim in cap. Tenorem infrà de præſcription.* Abb. *in cap. Grave num. 3. de Offic. Ordin. & in cap. 1. nu. 19. infrà de re judic.* Silveſt. *in ver. Exemptio num. 11.*

num. 11. Covarr. *variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. Tiraq. *de retract. lignag.* §. 1. *gloſſ.* 9. *num.* 121. Accedit quod non Prælatus, vel Conventus poſſidet ſubjectionem Eccleſiæ, vel Monaſterii exempti, ſed Romanus Pontifex: & hæc ſubjectio cum ſit res incorporalis, non poteſt acquiri per alium ſine conſenſu illius, qui eam poſſidet, ut in *l.* 2. *C. de ſervitut. & aqua*, ubi patet poſseſſionem incorporalium quæri non poſse ſine conſcientia, & patientia poſseſsoris, & notat Innoc. *in cap. Bonæ, il ſecondo de poſtulat. Prælator. & in c. Conquerente de Offic. Ordin.* Bart. *in l.* 1. *ff. de aqua pluviali arcen.* quos in propoſito refert, & ſequitur Abb. *in cap. Cum dilectus num* 7. *verſ. Sed ego tenenerem hoc dictum de relig. domib.* De quo dic plenius, ut ſcripſi *in cap. Quod ſuper his à num.* 14. *uſque in finem de major. & obed.* ubi in caſu notabili Regularium Poloniæ latiſſimè probavi, nec Synodum Provincialem Gneſnen. etiam Regularibus conſentientibus, ac juri ſuo renunciantibus, potuiſse illorum exemptiones, & libertates convellere, aut illis aliquatenus derogare; fatetur tamen
4 gloſſa exemptum poſse renunciare privilegio libertatis quantum ad ſe, licèt non quantum ad Papam per *dict. cap. Cum olim de præſcript. cap. Suborta de re judic. & cap. Inter dilectos de donat.* & conſentiunt Goffred. Philipp. & Innocent. Item Hoſtienſ. *num.* 5. *in fine*, ubi exponit verbum, *renunciare*, id eſt in Domini Papæ præjudicium: nam quantum ad ſe benè poſset, Joann. Andr. *in ult. gl.* Butr. *num* 12. Anchar. *num.* 5. *in* 2. *oppoſit.* Cardin. *in* 7. *oppoſit.* & Abb. *in* 5. *notab.* Qua de re pleniſſimè conſuluit Federic. de Sen. *conſil.* 14. incipien. *Monachus Peruſinus per totum*, & ſequitur Felin. *in cap. P. & G. num.* 13. *de offic. deleg.* Sed circa illud Concilium Federici vide quod dixi *in dict. cap. Quod ſuper his num.* 18. *verſ. Et quamvis Federicus.*

Secundò nota ex textu, ibi, *arbitrium Magdeburgenſis Archiepiſcopi*, juncta gl. 1. in Judicem ordinarium poſſe fieri compromiſſum, concordat textus *in cap. Ex parte infrà eodem.* Et idem dicendum de Judice delegato *ut in cap. Litteras de præſumption. & in cap. Niſi eſſent de præb.* An autem hoc procedat tam de jure Canonico, quàm de jure civili, plenè examino *in dict. cap. Ex parte in* 1. *quæſtione.*

5 Tertiò nota Prælatum poſse compromittere ſine conſenſu Capituli: nam Abbas hìc habebat Conventuum, ut patet ex ſupraſcriptione, & tamen ſolus compromiſit, ut innuit littera, ibi, *promiſiſti*. Facit quod notat gloſs. 2. in Clem. *unica de reſtitut. in integr.* verùm Hoſtienſis intelligit Abbatem compromiſiſse de conſenſu Monachorum, & remittit ad *cap. Edoceri ſupra de reſcript.* & conſentit Imola *in* 4. *not.* & Petr. de Anchar. *in* 2. *notab.* quia hæc Decretalis dirigitur ſimul ad Abbatem, & Capitulum. Unde compromiſsum cenſeri debet initum de conſenſu Monachorum; aliàs factum Abbatis non potuiſſet illis nocere, *ut in dict. cap. Edoceri.* Tu dic Abbatem poſse compromittere ſine conſenſu Collegii in his, in quibus non agitur de perpetuo Eccleſiæ præjudicio, ut benè per Cardin. *num.* 1. *in* 1. *notab.* & fuſiùs *in cap. Contingit in* 1. *oppoſit. & in cap. De cætero in* 2. *notab. ſuprà de tranſact.* quem hìc ſequitur Jo. de Anan. *n.* 3.

6 Quartò nota Eccleſiam exemptam non poſse in præjudicium libertatis compromittere, ut hìc eſt caſus apertus ſecundùm omnes. Quod multiplicem habet rationem.

Prima, & principalis ratio colligitur ex textu in *verſ. Cum etſi ſponte volueris*, quia ſcilicet exemptus non poteſt directò exemptionis privilegio renuntiare, ut pleniùs dictum eſt ſuprà *in* 1. *notabili*. Ergo nec poteſt ſuper eo compromittere, quoniam hinc per indirectum ſequi poſset laudum contra exemptionem, ut hìc per Abb. *num.* 3. Confert text. *in leg. Oratio, ff. de ſponſal. cum concordan.* de quibus hìc per gloſs. unicam.

7 Secunda ratio colligitur ex dictis Hoſtienſis *num.* 4. videlicet quia Prælatus exemptus cùm recipiat dignitatem à Papa, jurejurando ſe adſtrinxit jura Eccleſiæ non alienare ipſo inconſulto, ut *in cap. Quod quis commiſit*, juncta gloſs. 1. 35. *qu.* 9. *cap. Caſellas*, §. *Hoc jus* 10. *q.* 2. *& cap. Nulli de rebus Eccleſ. non alienan.* Et conſequenter de hoc jure exemptionis compromittere non poteſt: nam qui alienare non poteſt, nec poteſt compromittere, ne per arbitrium contingat alienationem fieri. Sed an hoc verum ſit latiùs dicam infrà *in quæſt. à num.* 19. *uſque in finem.*

Tertiam rationem aſſignat *gloſſ. final. hic*, & Innocen. 8
num. 1. *in ver. Libertatem*, videlicet quia de liberali cauſa compromitti non poteſt, ut *in cap. penultim. de reſtitut. in integr. & in l. Non diſtinguemus*, §. *Julianus*, & §. *de liberali*, *ff. de arbitr.* Sed hæc ratio non probatur à Doctoribus; quia jura prædicta loquuntur de libertate hominis; nos verò loquimur de libertate Eccleſiæ, ut dicunt Petr. de Sampſ. & Abb. Antiq. ejus Auditor, *hic in fine*, Hoſt. *num.* 6. *in ver. Libertatis*, Bellam. *nu.* 10. *in* 3. *oppoſit.* Cardin. *in* 6. *oppoſitione*, Abb. *n.* 3. *verſ. Quarta ratio*, & Henr. Boich. *col.* 2. *verſ. Super gloſſ. final.* ubi reddit rationem diverſitatis.

Quarta demum ratio, quam puto magis adæquatam, 9
ad deciſionem hujus Capituli, eſt quia nemo inferior à Papa poteſt cognoſcere de privilegiis Apoſtolicæ Sedis, ut eſt text. *in cap. Cum veniſſent infrà de judic.* Et hanc rationem uti potiſſimam reddunt Hoſtienſ. *eodem num.* 6. *in verb. Libertatis*, Joan. Andr. *num.* 5. *in verb. Privilegiis*, Henr. Boich. *col.* 2. *poſt med. verſ. Aut eſt immediatè ſubjecta Papæ*, & Bellam. *num.* 1. *in eodem verb.* Et quamvis Abb. *nu.* 3. *verſ. Tertia ratio*, videatur illam impugnare eo, quod ille textus procedat in Judice, cujus judicium redditur in invitum, ut *leg. Inter ſtipulantem*, §. *Si ſtichum*, *ff. De verbor. obligat.* Et quoniam in privilegiis tangentibus tantum favorem privilegiati benè poſſunt partes ſe ſponte ſubjicere arbitrio alicujus, ſicut poſſent illis renuntiare: tamen objectiones hujuſmodi propoſitam rationem non convellunt; quia cùm arbitria redacta 10
ſint ad inſtar judiciorum, *leg.* 1. *ff. eodem*, *l. Rem non novam*, §. 1. *C. de judic.* Dyn. *conſil.* 50. *Prius dicendum in princ.* plenè Innocent. *in cap. Quintavallis num.* 4. & ibi DD. *de jurejuran.* Quemadmodum de privilegio Papæ inferior cognoſcere non poteſt judex, *ut in dict. cap. Cum veniſſent*, ita nec poteſt cognoſcere, ut arbiter: nam qui non poteſt eſſe Judex, nec poteſt eſſe arbiter, *l. Cùm lege*, *ff. eodem*. Et ita arguit Oldrad. *conſ.* 156. *Primum* 11
quæritur in princip. & Petr. de Anchar. *conſil.* 34. *in hac cauſa num.* 6. Et quod non poteſt judex, nec poteſt arbi- 12
ter, ut notat Bald. *conſil.* 470. *Statuto cavetur lib.* 1. Et 13
quamvis compromiſſum ab initio ſit voluntatis, *leg. Si dictum*, §. *Si compromiſero*, *ff. De evict.* & patet ex diffinitione Innocen. *in dict. cap. Quintavallis num.* 4. ibi, *cauſa voluntariè poſita*: tamen poſt factum eſt neceſſitatis, *l.* 3. *ff. de arbitr. & l. Sicut*, *ff. de action. & obligat.* & arbitrium redditur in invitum, *l. Diem*, §. *Stari*, *ff. De arbitr.* Arbiter enim poteſt punire contumaciam litigantium, 14
ut eſt textus *in l. Non ex omnibus*, *ff. eodem*, & *l.* 2. *ff. de judic.* & ſic habet coercitionem, ut notat gloſſ. 2. *in cap. Ex litteris de offic. deleg.* Imol. & alii *in cap. Cum dilectus infrà eodem.* Quod ſaltem verum eſt; ſi ita ſit cautum in compromiſſo, ut notatur *in dict.* §. *Si quis Judex*. Imò 15
hodie ex conſuetudine lauda arbitrorum mandantur executioni officio Judicis, prout aliæ ſententiæ, ut Bald. teſtatur *conſil.* 73. *Contra laudum nu.* 2. *verſ. Supereſt videre lib.* Atque ita poſt initum compromiſſum pari paſſu ambulant arbitrium, & judicium. Facit textus *in cap. ſeqq.* ubi arbiter dicitur judicare, & *in cap. Ex parte infrà eodem*, ubi arbitrium appellatur ſententia diffinitiva. Nec refert, ut Abbas ſubjicit, quod partes poſſint ſe ſubjicere arbitrio alicujus in tangentibus earum præjudicium; quia nihilominus compromiſſarius non poteſt ſibi cognitionem aſſumere, nec laudare ſuper privilegio Papæ, qui ſolus eſt Judex exemptorum, ut *in cap. Authoritate*, §. *Inhibemus*, *de privileg. lib.* 6.

Quintò nota *in verſ. Illis dumtaxat Capitulis exceptis*; 16
arbitrium prolatum ſuper pluribus capitibus, quorum aliqua excedunt compromittentium poteſtatem, ſuſtineri quoad illa, quæ ab ipſorum poteſtate dependent, & non infici propter inutilia; Atque ita arbitrium pro parte tenet, & pro parte non; concordat *c. Dilectus*, *il primo*, & *cap. Niſi infrà de præben.* & *c. Poſt appellationem*, §. *Si quis ex pluribus* 2. *q.* 6. & hìc notat gloſſ. *in ver. Capitulis exceptis*, Innoc. *n.* 1. *in ver. Exceptis*, & reliqui omnes. Et poteſt eſſe ratio ſecundùm Abb. *in* 3. *notab.* quia tot viden-

tur arbitria, quot ſunt res, de quibus fuit compromiſſum, argum. *l. Scire debemus*, *ff. de verb. obligat.* & *l. Etiam*, §. 1. *ff. de minor.* ubi tot videntur ſententiæ, quot ſunt articuli in ea contenti, & tot videntur ſtipulationes, quot
18 ſunt res in ſtipulatione deductæ. Sed in hoc tu pleniùs diſtingue, ut per Henric. Boich. *col.* 2. *verſ. Si quæris utrum arbitrium*, & Bellam. *num.* 7. *in* 2. *oppoſit.* poſt Goffred. *hìc*, & Archid. *in* §. *Diffinitiva* 2. *quæſt.* 6. videlicet cum quæritur, an arbitrium, vel ſententia pro parte teneat, & pro parte non: Aut in arbitrio, vel ſententia ſunt plura Capitula, aut eſt unum ſolum Capitulum; ſi ſint plura Capitula, aut ſunt diverſa, & ſeparata, aut ſunt connexa; ſi ſunt diverſa, & ſeparata, tunc aut non eſt actum inter partes, ut de omnibus ſimul pronuncietur; & tunc tenet pro parte laudum, vel ſententia, & pro parte non. Et ita poteſt intelligi hæc Decretalis, & alia jura præallegata. Aut eſt actum, ut de omnibus ſimul pronuncietur; & tunc arbitrium, vel ſententia non poteſt pro parte valere, & pro parte non. Et ſic loquitur *l. Quid tamen*, *ff. eodem*, & tenet Innoc. *ubi ſupr.* ubi dicit ſi ea forma initum ſit compromiſsum, ut arbiter teneatur ſuper omnibus pronunciare, laudum non valere ſi ſuper uno tantùm pronuntiaverit: ſi verò Capitula ſunt connexa: tunc non poteſt pro parte valere, & pro parte non. Et idem ſi unum tantùm Capitulum eſset in laudo, vel ſententia; & ita intellige *l. In hoc judicio*, *ff. famil. herciſcun.* De hac materia vide plenius per Hippol. de Marſil. *ſingul. ſuo* 199. incip. *Confirmatio Superioris*.

19 QUÆRO generaliter, An prohibitus alienare poſſit nihilominùs compromittere.

Opinionem negativam amplectuntur hìc Doctores ferè unanimiter ducti auctoritate Hoſtienſ. qui *num.* 4. formaliter dicit: omnes exempti quando fidelitatem faciunt Romano Pontifici jurant nihil alienare ſine licentia, *cap. Ego N. de jurejur.* & *cap.* 2. *primò reſponſ. de feud.* Et per conſequens non poſsunt compromittere, ne occaſione ſententiæ contingat fieri alienationem, vel Eccleſiam gravari quoad pœnam. Cujus dictum in ſpecie ſequuti ſunt Joan. Andr. *num.* 4. Bellam. *col.* 1. *in ver. Licentiam*, Butr. *num.* 11. *in* 3. *oppoſit.* Anchar. *nu.* 2. *in* 6. *notab.* Imol. *num.* 4. & 6. Abb. *nu.* 3. *verſ. Ultimò poteſt colligi*, & *verſ. Nam circa prædicta*, ubi ait poſse in prædictis dari regulam, ut ſuper omnibus, quæ quis poteſt alienare, poſſit compromiſsum facere. In aliis autem, quæ alienare non poteſt ſaltem ſine certa ſolemnitate, nec poſſit ſine hujuſ-
20 modi ſolemnitate compromittere. Idem tenet gloſs. *ultim. in cap. Pervenit*, *ſuprà eodem*, Lap. *alleg.* 102. incipien. *Non poteſt Clericus num.* 3. ubi ait Clericum non poſse compromittere quoad perpetuum Eccleſiæ præjudicium. Et idem infert, ut is, qui juravit non alienare Romano Pontifice inconſulto, non poſſit compromittere, ne per arbitrium contingeret alienationem fieri. Quibus accedit Cardin. *conſ.* 95. *Ad primum col. penult.* ubi quærit, an valeat compromiſsum initum à Prælato ſine licentia Superioris: & reſpondit valere quoad ea, quæ cadunt in poteſtate Prelati, quoad alia verò non. Unde ſi per laudum fuit pronunciatum aliquid, per quod perveniatur ad alienationem rei Eccleſiaſticæ, non valet compromiſsum quoad hoc, niſi authoritas Superioris intercedat. Et ita intelligit, quod notat Speculator *in tit. de arbitr.* §. *Reſtat*, *verſ. Sed numquid Clericus*. Idem firmat Roman. *conſ.* 175. *Dictum ultimum numer.* 3. dicens compromiſſum reddi nullum ex eo, quia Clerico non eſt permiſſum de re Eccleſiaſtica compromittere, niſi in ſui tantum præjudicium, non autem in præjudicium Eccleſiæ ſine authoritate Diœceſani, ut notat gl. *in cap. Pervenit de arbitr.* & ibid. Hoſtienſ. & alii, Ant. de Butr. *hìc*, & Specul. *in d.* §. *Reſtat*, *verſ. Sed numquid Prælatus*. Quod idem repetit *conſ.* 369. *Circa primum num.* 18. *verſ. Tria autem*, ubi conſuluit immediate ſubjectum Romanæ Eccleſiæ non poſſit ſine conſenſu Apoſtolico compromittere. Eodem ſpectat quod ſcripſit Soccin. *conſ.* 18. *Proſequendi col.* 10. ubi concludit compromiſsum factum per Abbatiſsam de re ſuæ Eccleſiæ non tenere; & hanc videri communem opinionem ex notatis per Butr. & Imol. *hìc*. Hanc ipſam regulam, id eſt, qui non poteſt alienare non poteſt compromittere, conſtituit Dec. *in cap. Quæ in Eccleſiarum numer.* 115. & *ſeqq.* ubi ſequitur dicta Hoſtienſis, & Doctorum *hìc ſuprà de Conſtit. in conſil.* 39. *Juridicam num.* 4. ubi ait: *Quemadmodum bona minorum*, & 21
pupillorum non poſſunt alienari ſine cauſa legitima, & decreto, ut l. Lex quæ tutoris, C. de adminiſtr. tutor. ita nec tenere laudum arbitri, vel arbitratoris ſuper his prolatum. Quod ante ipſum docuit Bald. *in leg.* 1. *num.* 3. *verſ. Secundo oppono*, *Cod. Si adverſ. tranſact.* ubi determinat non valere compromiſſum factum in arbitratorem ſuper rebus minorum, quæ non poſſunt alienari ſine decreto, niſi minor compromiſerit cum decreto judicis, & authoritate Tutoris, vel Curatoris: nam ipſum compromiſſum eſt quædam tranſactio in arbitrium boni viri collata, & boni viri arbitrio moderanda; & ideò requiritur decretum tempore compromiſſi, non tempore laudi. Facit quod notatur in Authen. *ut differ. judic.* §. 1. *col.* 9. Et idem Dec. *conſil.* 282. *Viſo puncto col.* 1. *vol.* 2. ubi affirmat eum, qui non poteſt aliquà bona alienare, ſimiliter 22
prohiberi ſuper illis compromiſſum facere, quia ex compromiſſo poſſet ſequi alienatio. Plenè Tiraquell. *de legib. connubial. in gloſſ.* 5. *num.* 205. Gratian. *reſponſ.* 155. *Dubitatus n.* 20. Et ſequitur in compromiſſo voluntario Marcus Antonius Blancus *in tract. de compromiſſo q.* 4. *nu.* 28. 23
inter tractatus communes volum. 3. *pagina* 165. Et ex prædicta regula infert Hoſtienſ. *hìc numer.* 7. ut Vaſſallus non poſſit ſuper feudo compromittere ſine licentia domini: allegat notata *in cap. Pervenit ſuprà eodem*, & notata per ſe ipſum *in ſumma*, *eod. tit.* §. *De qua re*, *verſ. Sed numquid vaſſallus*, & ſequuntur Joann. Andr. Bellam. Butr. Imol. & alii ſupracitati *numer.* 19. Hinc etiam infert Angel. *conſil.* 192. *Quæritur ut curator datus hære-* 24
ditati jacenti, ſicut non poteſt alienare, ita nec poſſit compromittere.

Fundatur principaliter hæc opinio in hac decretali, ubi ſecundùm communem intellectum Eccleſia exempta in præjudicium libertatis compromittere non poteſt, & ſubnectitur illa ratio; quia etſi ſpontè voluerit, de jure tamen nequiverit ſine licentia Romani Pontificis renunciare privilegiis, vel indulgentiis libertatis: Ergo qui non poteſt renuntiare, ſeu alienare, non poteſt compromittere; aliàs enim illa ratio non eſſet concludens, & adæquata, ad *l. Neque natales*, *C. de probat.* & *l. Non hoc*, *C. Unde legit. cum vulgar.* Ideòque Butr. & Abb. præallegati ex hoc capitulo dicunt colligi argumentum optimum, quod prohibitus alienare, non poſſit compromittere.

Contrariam opinionem ſequitur Cardin. *hìc ſub num.* 4. 25
col. 4. *in* 2. *quæſt.* ubi contra Hoſtienſ. dicit ſe conſuluiſſe cum Guaſc. de Calder. Prælatum, qui juravit bona Eccleſiæ non alienare inconſulto Romano Pontifice, & deindè compromiſit, non eſſe perjurum. Movetur primò, 26
quia non ſemper per compromiſſum ſequitur alienatio. Et quatenus ſequeretur, non tamen ſequitur immediatè ex facto compromittentis: Et in dubio debemus interpretari, ut evitet perjurium, *cap. Cùm tu de teſtib.* Deindè movetur, quia compromiſſum de his, quæ prohibentur alienari validum eſt, ut hìc, & *in cap. Præſentata infrà de teſtib.* Sed ſi per laudum poteſt fieri perpetuum præjudicium Eccleſiæ, non tenet laudum niſi in vita compromittentis, arg. *l.* 1. *C. Si adverſ. tranſact.* Movetur demum, 27
quia valet tranſactio facta per eum, qui non poteſt alienare, ſi per eum non fiat alienatio, *l. Nulli*, *ff. de tranſact. in gl. quæ eſt notabilis*. Et de hoc ibi per Bart. Ergo eodem modo valet compromiſſum, quod ſecundùm eum tenet Bald. *in d. l.* 1. & cum Card. tranſit hìc Joan. de Anan. *n.* 5. *verſ. Ultimò quærit*.

Quid dicendum? Ego exiſtimo primam opinionem 28
eſſe declarandam, ut procedat ſi compromiſſum fiat de facto. Et hanc puto fuiſſe mentem Hoſtienſ. & Sequacium, licèt explicitè non diſtinguant: nam ferè omnes 29
aſſerunt non valere compromiſſum, ſi fiat in præjudicium Eccleſiæ, aut per quod Eccleſia obligetur, ut inquit Joan. Andr. poſt Hoſtienſ. *in cap. Pervenit in fine ſuprà eodem*, & Abb. *in c. Contingit itidem in fine de tranſact.* Itidem dicunt compromiſsum non valere ſi fiat de his, quæ non dependent à poteſtate compromittentium. Quæ verba utique verificari non poſsunt, niſi in compromiſso ſit data facultas pronunciandi etiam de facto, & ad præjudicium Eccleſiæ. Et ita poteſt intelligi hoc Capitulum, quia hic initum fuerat compromiſsum in præjudicium liber-

libertatis, cui etiam expreſsè Eccleſia exempta renunciare non potuit, & ſic de facto. Similiter Hoſtienſ. & omnes dum affirmant non tenere compromiſsum de his, quæ alienari prohibentur, reddunt rationem illam, quia ex laudo poſſet contingere alienationem fieri; quæ quidem ratio non explicatur, niſi arbiter juxta latitudinem facultatis ſibi attributæ de facto poſſit pronuntiare. Et in compromiſſo inito de facto: ſatis apertè loquitur Lap. *in prædicta allegat.* 102. & apertiùs Gemin. *in conſ.* 109. *in princip.* & in hoc caſu puto compromiſſum non valere, quia eſt ſpecies tranſactionis, & alienationem includit,
30 ut ſcripſi pleniùs *in cap.* 2. *a num.* 10. *ſuprà eodem*. At verò contrarium puto ſi compromiſſum fiat de jure tantùm: quòd probo primò per textum *in cap. Cùm olim de præſcript.* ubi patet ſuper juribus Eccleſiæ compromitti poſſe etiam in Clericos ejuſdem Eccleſiæ: nam Pontifex ibi approbat arbitrium, ut patet in fine Capituli: & illic notant Joann. Andr. *num.* 4. *in verb. Lucanis*, Butr. *numer.* 6. *in* 9. *notab.* Cardin. *num.* 1. Anchar. & Abb. ambo *in* 5. *notab.* & tamen certum eſt jura Eccleſiæ alienari non poſse ſine licentia Romani Pontificis, Can. *Ea enim*, 10. *quæſt.* 2. qui eſt deſumptus ex *leg. Jubemus*, *la ſeconda*, §. *Scientes*, *verſ. Ea enim*, *Cod. De ſacroſanct. Eccleſ.* Ergo de prohibitis alienari non eſt prohibitum compromitti. Deindè hoc probo per textum apertum *in cap. Dilecti ſupr. eodem*, ubi deciditur de rebus temporalibus Eccleſiæ etiam in mulierem habentem juriſdictionem de jure, vel conſuetudine, poſſe compromitti tamquam in arbitratricem. Quem textum intelligunt Doctores etiamſi Superioris authoritas non interveniat, ut probat littera, ibi, *Præſertim*, & notat Tancred. Vincent. Innoc. & Hoſtienſ. ut dixi *in cap. Contingit num.* 2. *ſuprà eodem*. Et tamen ſimiliter conſtat res temporales Eccleſiæ ſine beneplacito Apoſtolico alienari non poſſe, *cap. Nulli infrà de rebus Eccleſ. non alienan.* & Extravag. *Ambitioſæ*,
31 *eodem tit.* Tertiò hoc probo per *cap. Præſentata infrà de teſtam.* ubi patet valere compromiſsum factum ab Archid. Sueſſioneñ. ſuper juriſdictione, quam in dicta Eccleſia ratione Archidiaconatus ſe habere proponebat, ad idem textus *in cap. Per tuas ſuprà eodem*, ubi patet valere compromiſsum ſuper quæſtione ſpirituali Hoſpitalis, licèt factum fuerit in Clericum, & duos laicos: nam & ibi Pontifex jubet arbitrium executioni demandari, ſi à partibus receptum fuerit, & tamen eodem modo manifeſtum eſt tam juriſdictionem ſpiritualem, quàm jura, & bona Hoſ-
32 pitalis Eccleſiaſtici abſque licentia Sedis Apoſtolicæ alienari non poſse, *dict. cap. Ea enim* 10. *quæſt.* 2. & notatur per DD. *in c. De Xenodochiis de relig. domib.* & *in c. Nulli de rebus Eccleſ. non alienan.* & patet in Authen. *Hoc jus porrectum*, *C. de Sacroſan. Eccleſ.* Et quamvis Doctores intelligant textus *in d. cap. Per tuas*, dummodò compromittatur authoritate Superioris, ut tenet ibi gl. *fin.* communiter approbata. Item gl. Hoſt. Henric. Bellam. Butr. & Abb. *in cap. Contingit*, & ibi dixi *num.* 8. & 9. *ſupr. eod.* tamen hoc dicunt propter mixturam laici. Sed ſi compromiſsum fiat ſimpliciter in Clericum, hanc ſolemnitatem non exigunt.

33 Similiter ſuper beneficio poteſt fieri compromiſsum, dummodò fiat de jure tantùm, non autem de facto, ut conſuluit Gemin. *in præallegat. conſil.* 109. Et conſentit Cardin. *in cap. penultim.* §. *In matrimoniali in* 1. *oppoſit. ſuprà de in integr. reſtitut.* & *in cap. Ex parte in* 3. *oppoſit. infrà eodem*, ubi tenet ſuper beneficio poſse fieri compromiſsum, dummodò non ita fiat, ut ex vi compromiſſi arbiter adjudicare poſſit beneficium ei, qui titulum non habet; & tamen beneficio renuntiari non poteſt ſine licentia Superioris, ut *in cap. Admonet de renuntiat.* Non eſt igitur bona conſequentia; prohibetur quis alienare jura, & bona Eccleſiæ: ergo etiam prohibetur de his compromittere, nec ex laudo contingat alienationem fieri. Ratio eſt, quia cùm arbiter teneatur de jure pronuntiare, ſi malè pronuntiaverit, & contra jura Eccleſiæ, alienatio non contingit ex facto compromittentium, ſed ex facto arbitri; & ideò poſſibilitas alienationis non inficit compromiſsum, ut colligitur ex Baldo *in leg.* 1.
34 *nu.* 3. *C. Si adverſ. tranſaction.* Et hujuſmodi caſus eventitii non computantur, argum. *leg. Julianus*, *ff. Qui*, & *quibus*, & *cap. final. de homicid.* & notant *in cap. Cùm terra de elect.* Joan. Andr. *num.* 4. *verſ. Oppones*, & Card. *num.* 3.

Prætereà cùm à partibus nihil ſit collatum in liberam 35
voluntatem arbitri, ſi ille de facto malè laudaret, & contra jus; ſuppeteret remedium appellationis, ſaltem in caſu *l. Cùm ſpeciali*, *C. de judic.* & *cap. Arbitris de offic. deleg. lib.* 6. & in caſu *l. Arbitro*, *ff. Qui ſatiſd. cogan.* Secundùm unam lecturam. Item ſuppeteret correctio, & emendatio laudi de jure Canonico, *cap.* 2. *ſuprà eodem*, & ibi plenè per Hoſtienſ. *poſt num.* 7. *in ver. Incorrectum*, & Joan. Andr. *num.* 18. Roman. *conſil.* 27. *viſo themate n.* 3. *verſ. Aut dictum fuit, quod procederent ut Arbitri?* Ergo hic caſus alienationis non eſt conſiderabilis ad invalidandum compromiſsum. Quod apertè ſenſit Lap. *in prædicta allegat.* 102. *in princip.* ubi arguens pro validitate compromiſſi facti de jure, *nihil*, inquit, *compromittitur cum effectu arbitrio alicujus, ſed de jure. Quod ſi non ſit ſervatum, locus eſt appellationi: licèt per alias rationes concludat in ſuo caſu compromiſſum non valere.*

Nec urget conſideratio Decii *in dict. c. Quæ in Eccleſiarum num.* 115. *de Conſtitut.* quod appellans poſset ſuccumbere, & ſic occaſione compromiſſi poſset contingere alienatio. Etenim ſi hæc conſideratio valeret, eodem modo non liceret cuiquam de juribus, aut rebus Eccleſiaſticis in judicio experiri, quia ex partis actoris judicium eſt voluntarium ſicut compromiſsum, & judex poſset malè judicare, & appellans ſuccumbere in cauſa appellationis, &
ſic contingeret alienatio rei Eccleſiæ. Et tamen certum 36
eſt Prælatum poſse eſse in judicio ſuper re immobili Eccleſiæ etiam ſine capituli conſenſu, *cap. Edoceri de reſcript.* & eſt communis opinio, ut teſtatur Abb. *in cap.* 6. *ſuprà de tranſact.* nam Jura ad corrigendam Judicum iniquitatem, vel imperitiam ſatis putarunt remedium appella-
tionis inſtituere, *ut l.* 1. *ff. de appellat.* & *l. Præfecti*, *ff. de* 37
Minor. Sicut igitur ex eo, quod judex poſſit iniquam ſententiam proferre, & appellans in ſecunda inſtantia poſſit ſuccumbere, non impeditur quis de rebus alienari prohibitis in judicio agere, ita nec impeditur compromiſsum de jure facere, cùm nulla ſufficiens ratio diverſitatis afferri poſſit, *cap. Inter corporalia de translat.*
Epiſcop. Accedit quod indiſtinctè de omnibus etiam tan- 38
gentibus jus alterius: & ſic de alienari prohibitis poteſt fieri compromiſsum à partibus, ſed arbitrium non tenet, quatenus concernit alterius præjudicium, ut recitatis opinionibus poſt multa concludit hìc Innocent. *num.* 1. *in ver. Libertatem*. Et ſecundùm hoc opiniones conciliantur, & ſolvuntur contrarietates, argum. optim. *in cap.* 2. *infrà de Cappell. Monach.* Nec contradicit hæc Decretalis: quia ſecundùm eam hìc compromiſsum tenuit, ſed arbitrium non valuit in capitibus contrariis libertati. Et in hac opinione etiam reſidet Hoſtienſ. *in verb. Sine licentia num.* 5. *verſ. Alii dicunt*, Joan. Andr. *in ultim. gloſſ.* Martinus de Salva Epiſcopus Pampiloneñ. & Joan. de Lignano, quos refert, & ſequitur Bellam. *num.* 11. *verſ. Finaliter tamen*, & *num.* 12. ubi dicit hanc eſse veritatem. Et conſentit Cardin. Zabarell. *num.* 4. *in* 7. *oppoſit.* Et quibus arbitror concludendum prohibitum alienare non eſse prohibitum compromittere, niſi ea forma fiat compromiſsum, ut inde ſequi poſſit alienatio, & ſic de facto.

Quod ſi magis placeat adhærere contrariæ opinioni, 39
eam limitabis, ut procedat in compromiſſo voluntario dumtaxat, non autem in compromiſſo neceſsario ex forma ſtatuti. In hoc enim ſtat regula in contrarium videlicet qui non poteſt alienare, tenetur nihilominùs compromittere.

Ideòque minor de re ſua immobili etiam cùm tutoris 40
authoritate non poteſt diſponere, ut *l. Lex quæ Tutoris*, *C. de adminiſtr. Tutor.* niſi interveniat cauſæ cognitio, & decreti interpoſitio, ut ibi: & tamen minor tenetur comptomittere ſine ſolemnitatibus ſtante hujuſmodi ſtatuto, arg. tex. *in l. Si plures*, *ff. de pact.* ubi hoc tenent Ang. Paul. de Caſtr. Alexan. & Jaſ. qui ponit eam legem *in l. Et ſuum*, §. *Hodie eod. tit.* & decidit Bald. Salyc. Aret. Paul de Caſtr. Alexan. & Jaſ. dicens hanc opinionem eſse veram *in l. fin. Cod. de in integr. reſtitut.* & conſuluit Alexand. in *conſ.* 254. *Abunde ſatis vol.* 6. poſt Bald. *conſil.* 358. *Super eo quod quæritur vol.* 3. Similiter Curator datus hære-

ditati jacenti non poteſt voluntariè compromittere, ut ſuperiùs dixi ex Angelo *conſ.* 92. *Quæritur*, & nihilominus talis curator poteſt ſtante hoc ſtatuto compromittere, cùm non dicatur eo caſu alienare, ut idem Angel. tenet *in d.conſ.*92. *& in conſ.ſeqq.* Pro deciſione *col.fin.* Ratio diver-
41 ſitatis inter compromiſſum voluntarium, & neceſſarium poteſt colligi ex Abbate *in cap. Contingit in fine ſup.de tranſact.* nam ut ipſe ait, Prælatus ſolus poteſt eſſe in judicio, etiam ſuper re immobili, quia judicium eſt neceſſarium; & ideò in eo eſſe poteſt. Quæ ratio militat etiam in compromiſſo neceſſario ex forma ſtatuti: At verò ceſſante hujuſmodi ſtaturo regulariter compromiſſum eſt voluntarium, ut *l. Si dictum*, §. *Si compromiſero* ibi, *nulla enim neceſſitate cogente id feci*, *ff. de evict.* Blancus *in tractat. de compromiſſo in* 4. *quæſtione principali nu.* 28. *verſ. Contrarium mihi magis ſemper placuit*, ubi rebrobat Decium, qui conſuluit oppoſitum *in conſil.* 44. *Et diligenter*.

DE ARBITRIS.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT VIII.

Contingit interdum, quòd cùm actori: & infrà. Ad hæc generaliter prohibemus, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum: quia non decet ut laicus in talibus arbitretur.

SUMMARIUM.

1 *Compromiſſum de rebus ſpiritualibus in laicum fieri non poteſt, & n.ſeqq.*
2 *Compromiſſum initum contra legis prohibitionem eſt irritum, quamvis lex non procedat ulteriùs ad irritationem actus.*
3 *Laico delegari non poteſt cauſa ſpiritualis, niſi per Papam.*
4 *Laici ſpiritualia negotia tractare non debent.*
Declaratur, n. 29.
5 *Compromiſſum de re ſpirituali in laicum fieri non poteſt etiam auctoritate Epiſcopi.*
6 *Inferior conſtitutionem Superioris tollere, modificare, aut illi aliquatenus detrahere non poteſt.*
7 *Laicus nec incidenter poteſt eſſe arbiter in cauſa ſpirituali.*
8 *Compromiſſum de re ſpirituali fieri poteſt in Clericum, & laicum ſimul.*
9 *Etiamſi unus ſit Clericus, & plures laici.*
Dummodò tamen fiat authoritate Superioris, ibidem.
10 *Cauſa ſpiritualis ſimul Clerico, & laico delegari non poteſt.*
Arbitrari de re ſpirituali non eſt actus ſpiritualis, ibidem.
11 *Laicus non eſt capax juris ſpiritualis, etiam admixto Clerico.*
12 *Compromitti poteſt in laicum de rebus Eccleſiæ non ſpiritualibus, ſed merè civilibus.*
13 *Nec requiritur conſenſus judicis Eccleſiaſtici.*
14 *Uſuraria quæſtio an poſſit in laicum compromitti, remiſſive.*
15 *Laicus an poſſit eſſe arbitrator in cauſa ſpirituali, & n. ſeqq. uſq. in fin.*
16 *Compromiſſum de jure, & de facto ſuper beneficio, vel jure ſpirituali fieri non poteſt etiam in Clericum.*
17 *Laici nec principaliter, nec miniſterialiter tractare poſſunt negotia Eccleſiæ.*
Contrarium, n. 27.
18 *Verbum*, tractare, *quid importet, & n.*29.
19 *Tranſactio de ſpiritualibus fieri non poteſt.*
20 *Arbitramentum eſt quædam tranſactio.*
21 *Arbitria redacta ſunt ad inſtar judiciorum.*
22 *Arbiter procedit in ſubſtantialibus ſervato ordine judiciali.*
23 *Arbitrium quid ſit.*
24 *Laicus cur non poſſit eſſe arbiter in cauſa ſpirituali; & tamen poſſit eſſe arbitrator, & n. ſeqq.*
25 *Arbitrator eligitur, ut differentiam amicabiliter componant ſine ordine judiciario.*
26 *Arbitramentum non dicitur propriè ſententia, vel quaſi; neque actio oritur ex arbitramento, ſed compromiſſo.*
27 *Laicus etiam in ſpritualibus Procurator eſſe poteſt, & acceptare beneficium pro Clerico abſente.*
28 *Laico cauſa civilis Eccleſiaſtica ab Epiſcopo delegari poteſt.*
29 *Intellectus* cap. de Judic.
30 *Cauſa ſpiritualis, quamvis non poſſit tranſigi, poteſt tamen amicabiliter componi, & cur.*
31 *Tranſactio ex ſui natura requiritur ut aliquid detur, promittantur, vel retineatur.*
32 *Et dicitur ſpecies alienationis.*
33 *Compromiſſum factum in laicum de re ſpirituali tamquam in arbitrum arbitratorem, an ſuſtineatur.*
34 *Compromiſſarius in dubio, an cenſeatur pronunciaſſe ut arbiter, an ut arbitrator.*

Contingit. De rebus ſpiritualibus in laicum compro- 1
mitti non poteſt. Hoc dicit. Et eſt pars *cap. Contingit infrà de dol. & contum.* Primò ponit prohibitionem. Secundò prohibitionis rationem, ibi, *Quia*.

Nota ex textu non valere compromiſſum initum in 2
laicum ſuper rebus, vel cauſis ſpiritualibus: nam etſi hæc littera ſimpliciter prohibeat; tamen geſta contra legis prohibitionem ſunt ipſo jure nulla, licèt lex non procedat ulteriùs ad irritationem actus, *l.Non dubium, Cod. De legib.* quæ eſt canonizata *in c. Imperiali* 25. *qu.* 2, *cap. Nimia de relig. domib. c. Unico in princip. eod.tit. lib.* 6. *cap. Quæ contra jus, de reg. juris eodem lib.* gloſſ. *in cap. Vides in verb. Diſſolvi* 10. *diſtinct.* Dixi *in cap. Cùm acceſſiſſent num.* 14. *ſuprà de Conſtitut.* Et ita intelligunt DD. ſummantes hoc Capitulum, dum dicunt in laicum de rebus ſpiritualibus non poſſe compromitti: negant enim potentiam, ad gloſs. *ordinar. in cap.* 1. *in ver. Non poteſt, de regul. jur. lib.* 6. quam Bartol. & Legiſtæ ſequuntur *in leg. Gallus, ff. de libert. & poſthum.* & expreſſius hujuſmodi compromiſsum, ſeu arbitrium non tenere, firmat hìc gloſsa *in ver. Si verò compromittatur*, quam Butr. *num.* 4. & reliqui ſequuntur. Et quamvis textus reddit rationem illam, quia non decet, ut in talibus laicis arbitretur; tamen ut dicunt Hoſtienſ. *nu.* 4. & Joan. Andr. *num.* 2. nec debet, nec expedit: & ſecundum Abb. *in ultim. not.* id quod non decet, non licet, ut hìc, licèt quandoque quod non decet liceat, ut *in cap. Magnæ de voto, & in c.* 1. *de deſponſ. impuber.* Itaque laicus non poteſt eſſe arbiter in cauſa ſpi- 3
rituali, ut hìc, ſicut non poteſt eſse delegatus, niſi delegatio ei fieret per Papam, *c. Præter hoc*, §. *Verùm* 32. *diſt. cap. Mennam* 2. *qu.* 5. *& cap. Nos ſi eadem cauſ. qu.* 7. plenè notatur *in cap. Decernimus infrà de judic.* per gloſs. *hìc ad fin.* Innocent. *num.* 2. Hoſtienſ. *num.* 5. Henric. Boich. & Bellam. *num.* 2. *verſ. Sed circa hoc ſubdiſtinguit*, & Abb. *num.* 1. Nec poteſt in talibus eſse judex etiam in cauſa reconventionis, *ut in cap.* 1. *de mut. petit.* Ratio eſt, 4
quia ſpiritualia negotia laici tractare non debent, *cap. Maſ-*

Maſſana, *ſuprà*, *de elect.* ne illorum arbitrio talia diſponantur, in quibus eis manet neceſſitas obſequendi, non auctoritas imperandi, *cap. Benè quidem*, 96. *diſtinct.* Et quoniam ſi res ſpiritualis in laicum compromitteretur, ex illius judicio videretur pendere talis rei diſpoſitio; cùm tamen de univerſa Eccleſia malè judicet qui judicium quærit laicorum, *cap. Placuit*, 11. *quæſt.* 1. & hìc per gloſſam, & Hoſt. *num.* 4. *in ver. Ut laicus:* qui addit hoc procedere etiam de jure civili, ut in Authen. *de Eccleſiaſt. tit.* §. *Si vero*, *collat.* 6. & ſequitur Joan. Andr. *num.* 5. *in gloſ.* 1.

5 Ampliatur primò hæc concluſio ut habeat locum, etiamſi Epiſcopi authoritas intercedat: nam nihilominus compromiſſum non ſuſtinetur; quia ſicut nullus inferior à Papa poteſt laico cauſam ſpiritualem committere, ut dictum eſt, ſuprà proximè; ita nullus inferior à Papa poteſt authorizare, ut de jure ſpirituali in laicum compromittatur, ut concludit gloſſa noſtra *ad fin. verſ. Sed in laicum*. Et quamvis oppoſitum tenuerint Vincentius hìc, & Joannes *in cap. Plures*, *in gloſ. in ver. Diſcernant*, per illum textum, 16. *quæſt.* 1. Idemque ſenſerit Innoc. *hìc in princ. & num.* 2. *verſ. Quod autem diximus*, in eo ſpeciali caſu, in quo compromiſſum authoritate Judicis ſive Ordinarii, ſive delegati fit poſt litem conteſtatam: tamen primam opinionem gloſſæ ſequitur indiſtinctè Hoſtien. *num.* 1. *in verſ. Laicum*, & *num.* 5. & Bellam. poſt Henric. *num.* 2. & 3. *verſ. Quia quoad verum arbitrium*, eamque putat tutiorem Henricus, & veriorem Abb. *num.* 3. quia textus hìc genera-
6 liter prohibet ne hujuſmodi compromiſſum fiat in laicum. Ergo nullus citra Papam poteſt hanc Conſtitutionem violare, cùm inferior conſtitutionem Superioris non poſſit tollere, nec modificare, aut illi aliquatenus detrahere, ut in Clem. *Ne Romani*, *de elect.* & eſt adeò expreſſum *in cap. Inſtitutionis*, 25. *quæſt.* 2. ut reſponderi non poſſit ſecundùm Archid. *in cap. Licèt Canon. num.* 3. *verſ. Et ibi aſſertivè dixit*, *de elect. lib.* 6. & ſcripſi plenius *in cap. Dilectus*, *ſuprà de temp. ordinat.* Præſertim verò quia hæc prohibitio eſt Concilii generalis, contra quòd non diſpenſant Epiſcopi, ut eſt textus in Extravagan. Joannis XXII. *Sancta Romana*, *circa med.* §. *Quidam autem*, & ibi notat gloſſ. *in ver. Concilii generalis*, *de relig. domib.* & probavi latiſſimè *in cap. fin. ſuprà de fil. Presbyter*. Eidem opinioni ſuffragatur textus *in cap. Decernimus*, *infr. de judic.* ubi eſt expreſſum non debere Prælatus negotia Eccleſiaſtica laicis committere per eos tractanda.

7 Ampliatur ſecundò eadem concluſio, ut nec incidenter de re ſpirituali compromitti poſſit in laicum: nam de talibus Judex laicus nec incidenter poteſt cognoſcere, *cap. Tuam de ordin. cognit. c. Lator, qui fil. ſint legit.* & hìc tenet gloſſa, Innoc. *num.* 1. & Hoſt. *num.* 4. *in ver. Ut laicus*.

8 Fallit tamen concluſio ut ſuprà firmata primò ſi compromiſſum de re ſpirituali fiat in laicum, & clericum ſimul, quia ſuſtinetur propter mixturam Clerici, ut eſt textus *in cap. ſeq.* nam magis dignum trahit ad ſe minus dignum, ut res potiùs valeat, quàm pereat, *cap. Quod in dubiis*, *de conſecr. Eccleſ.* & *cap. Abbate de verbor. ſigni-*
9 *ficat*. Quòd procedit, etiamſi unus tantùm ſit Clericus, & plures laici, ut eſt caſus *in d. cap. ſeq.* dummodò tamen ejuſmodi compromiſſum fiat authoritate Superioris, prout ibi factum fuit authoritate Archiepiſcopi; aliàs non valeret, ut illic patet, & tenet hìc gloſ. *circa med. verſ. Sed ſi compromittatur*, Hoſt. *num.* 1. *in verſ. Laicum*, Henric. & Bellam. *num.* 2. Butr. *num.* 4. & Abb. *num.* 3. *verſ. Cum ergo*, gloſſ. *fin.* communiter approbata *in d. cap. proxm. in-*
10 *frà eod.* Non obſtat quod cauſa ſpiritualis non poſſit delegari ſimul Clerico, & laico, ut hìc per Abbatem *num.* 4. Quoniam arbitrari de re ſpirituali non eſt actus ſpiritualis, ſecundùm Joan. Andr. *in d. cap. prox.* & Martinum de Salva relatum à Bellam. *hìc num.* 3. *verſ. Martinus autem;* nec ab eo removetur laicus, niſi propter decentiam, & authoritatem judiciorum, & arbitrorum, quæ ad inſtar judiciorum ſunt redacta: meritò in Clericum, & laicum poteſt compromitti authoritate Superioris: at ju-
11 dicare de cauſa ſpirituali eſt quid ſpirituale, *ut in cap. Quando*, *de judic.* laicus autem non eſt capax juris ſpiritualis etiam admixto Clerico, ut probatur *in cap. Maſſana ſuprà de elect.* & notat Joan. Andr. *in cap. nobis de jure patr.* & Abb. *hìc num.* 4.

Fallit ſecundò ſi compromiſſum fiat in laicum de rebus 12
Eccleſiæ non ſpiritualibus, ſed merè civilibus, ſeu temporalibus: nam tenet compromiſſum, ut firmat gloſſa hìc, argumento hujus Decretalis: cum enim tantum prohibeat de ſpiritualibus, de temporalibus cenſetur permittere, *cap. Qualis*, 25. *quæſt.* 1. *cap. Expoſita, infra eod.* & *cap. Nonne de præſumption.* Sequitur Innocent. *num.* 2. Hoſtienſ. *num.* 1. Joan. Andr. *num.* 5. Henric. Boich. *in princ.* Bellam. *num.* 2. Butr. *num.* 3. & eſt caſus *in cap. Dilecti*, *ſuprà eodem*, & infra *in cap. Expoſita*, adeò ut in tali com- 13
promiſſo nec requiratur conſenſus Judicis Eccleſiaſtici, ſecundùm Tancred. Innocent. Hoſtienſ. *in d. cap. Dilecti*, & Bellam. *hìc num.* 2. qui etiam allegat Archidiac. *in cap. Clericum cujuslibet ordinis*, 11. *quæſt.* 1. licèt Goffred. contra in prædicta Decretali, *Dilecti*. Quod intellige dummodò compromiſſum fiat de jure; ſecus ſi de facto, ut patebit *infrà num.* 16.

An autem ſuper quæſtione uſuraria iniri poſſit compro- 14
miſſum, præſertim in laicum, plenè examinant Abb. *hìc num.* 2. Joan. de Anan. *in cap. Poſt miſerabilem*, *de uſur.* & Felin. *in cap. Cum ſit*, *num.* 3. *de foro competen.* Et quidquid de cauſa electionis, vide hìc Innocent. *in fine*, concludentem negativè. Idem Joan. Andr. itidem *in fin. per cap. Maſſana*, *de elect.*

QUÆRO, utrum de re ſpirituali poſſit in laicum com- 15
promitti tamquam in arbitratorem, ſeu amicabilem compoſitorem.

Pro ſolutione duo caſus ſunt diſtinguendi, Primus eſt 16
cùm compromiſſum hujuſmodi fit de jure, & de facto, ita ut liceat arbitratori controverſiam dirimere pro libito ſuæ voluntatis, & uni rem auferre, & dare alteri. Et manifeſtum eſt hoc compromiſſum non valere: quoniam nec in Clericum poteſt ſub hac forma de rebus ſpiritualibus compromitti, ut reſpondit Gemin. *conſ.* 109. *Circa primum dubium in princip.* & ſcripſi plenius *in cap.* 2. *nu.* 10. & *ſeqq. ſuprà eodem*.

Secundus caſus eſt, cùm compromiſſum in arbitratorem fit de jure tantum, ita ut teneatur controverſiam amicabiliter decidere, & componere tamquam vir probus, & declarare cui ex compromittentibus res de jure debeatur. Et in hoc ſecundo caſu Doctores non conveniunt.

Prima opinio eſt eorum, qui abſolutè affirmant laicum eſſe non poſſe arbitratorem in cauſis ſpiritualibus, ſive Eccleſiaſticis; cui adhærent Abb. *hìc num.* 1. *verſ. An autem poſſit compromitti*. Andr. Siculus *in cap.* 2. *infrà de judic.* & Roman. *in l. Titia col.* 5. *verſ. Et quia paſſus notabilis*, *ff. ſolut. matrim.* ubi refert ſe ita conſuluiſſe, ut plenè habetur in ejus *conſilio* 299. *In propoſita conſultatione*, *col. penul. num.* 9. & *num.* 10. *verſ. Quod autem*, ubi hoc extendit, ut nec incidenter in cauſa ſpirituali laicus poſſit eſſe arbitrator.

Movetur primò per hanc Decretalem, quæ generaliter prohibet fieri compromiſſum in laicum de re ſpirituali, nec diſtinguit an in arbitrum, vel arbitratorem. Ergo generaliter, & indiſtinctè eſt intelligenda, *l. Non diſtinguemus*, *ff. eod. cum ſimilib.* cùm præſertim textus reddat rationem prohibitionis, quia non debet ut laicus in talibus arbitretur. Quæ ratio militat etiam in arbitratore, ſecundùm Roman. *d. num.* 9.

Deinde movetur, quia laici nec principaliter, nec mi- 17
niſterialiter, ſeu miniſtraliter poſſunt tractare negotia Eccleſiæ, ut videtur probari in *d. cap.* 2. *de judic.* ubi hoc tenet Abb. poſt alios, & cæteri ſequuntur ponderando illud verbum, *tractare*, quod generale eſt. Confert textus *in* 18
cap. prox. ſuper eod. ibi, *tractare cum ea*, & *in cap. Tua*, in gloſ. *in ver. Tractatu, de his quæ fiunt à Præl.* & *in l. Eleganter*, §. *fin. ff. de pignor. act.* ibi, *malè tractavit creditor*, cum aliis allegatis per Dec. *in d. c.* 2. *n.* 2.

Demum moventur: quia de his ſpiritualibus non poteſt 19
tranſigi, *cap. Super eo*, *de tranſact.* Arbitramentum verò eſt quædam tranſactio, ut per gloſſ. in Authen. *Ut differen. judic.* §. *Si verò contigerit*, *in ver. Conventu*, Oldrad. *conſ.* 176. *Factum tale eſt*, *nu.* 2. *ver. Per amicabilem tamen compoſitionem*. Dixi *in c.* 2. *num.* 12. *ſuprà eod.*

Sed contrariam opinionem, ideſt compromiſſum de 20
re ſpirituali fieri poſſe in laicum tamquam arbitratorem, am-

amplectuntur communiter Doctores, & in ſpecie Hoſt. &
Jo. Andr. *in c. fin. in princ. de re permut.* quos refert Ro-
man. *d. conſ. 299.* Specul. *in tit. de arbitr. §. Reſtat, verſ. Quid
de ſententia excommunicationis*, Bald. *in d. c. 2. col. fin. de jud.
& in tit. de pace*, Conſtan. *in ver. Poſſeſsioni in princip.* Petr.
de Anchar. *conſ. 34. In hac cauſa, n. 7. & conſ. 98. Iſtam quæ-
ſtionem in princ.* Quod conſilium probavit Roman. ſibi con-
trarius *conſ. 173. Pro deciſione*. Idem tenent Alexand. *in l.
Quoties, C. de juridic. & conſ. 91. Viſis actis col. 2. lib. 2.* &
Joan. de Anan. *in cap. Sicut in uno col. 1. de hæret.* quos re-
fert, & ſequitur Dec. *in d. c. 2. n. 4.* ubi affirmat hanc eſſe
communem opinionem, & ab ea non recedendum. De
communi etiam teſtatur Horat. Mandoſ. ad Romanum *d.
conſ. 299.* ubi amplius allegat Ruin. *conſ. 66. Quia dubi.
n. 11. lib. 4.* & Felin. *in c. Cùm ſi generale num. 3. infrà de foro
compet.* Et pro hac opinione Hoſt. & Joan. Andr. allegant *c.
prox. ſuprà eod.* Item *hoc cap. & infrà c. penuit. & c. Niſi de
præben.* de cujus veritate patebit etiam infrà ex reſponſio-
nibus ad objecta.

21 Non obſtat igitur primum motivum, quia hæc decre-
talis procedit in arbitrio, prout loquitur, non autem in
arbitratore, ſecundùm Anchr. *d. conſ. 34.* Jo. de Anan. *in c.
Poſt miſerabilem n. 20. verſ. Non obſtat de uſur.* Felin. & Dec.
loc. cit. Ratio differentiæ eſt, quia arbitria ad inſtar judi-
ciorum ſunt redacta, *ut l. 1. ff. eod. & l. Rem non novam. §.
1. C. de judic.* Nam ſecundùm Innoc. *in cap. Quintavallis*
22 *num. 4.* & Hoſt. poſt eum *n. 8. infr. de jurejur.* arbiter dicitur
qui eligitur ut Judex, ſcilicet ut procedat in ſubſtantialibus
ſervato ordine judiciali, & litem dirimat coram ſe cœptam,
vel coram alio, *l. 1. l. Qualem, & l. Diem, §. Stari, ff. de arbitr.*
Unde arbitrium diffinitur trium actus perſonarum ſicut in
23 judicio confligentium, vel cauſa in dicendo jure voluntariè
24 poſita, ſecundùm eos, & Bellam. *in c. 2. n. 8. ſup. eod.* Atque
ita quamvis arbitrari de re ſpirituali non ſit actus ſpiritua-
lis, ut dictum eſt ſuprà. *n. 10.* tamen ab eo removetur laicus
propter decentiam, & authoritatem judiciorum, & arbi-
triorum, ſecundùm Martinum de Salva, & Bellam. ibi
citatos. Et hanc rationem ponderat textus noſter, dum
dicit, quia non decet, ut in talibus laicus arbitretur; ideſt
cùm arbiter procedat inſtar judicis; ſi laicus poſſet eſſe
arbiter, videretur quodammodò ſibi cognitionem aſſumere
de cauſa ſpirituali, quod laicis non eſt permiſſum, *ut in cap.*
25 *Quanto de judic.* cum concordant. At hæc ratio indecen-
tiæ ceſſat in arbitratore, quia eligitur, ut aliquid æſtimet &
ſine ordine judiciario dicat, & arbitretur quid ſibi videa-
tur, & amicabiliter componat, *ut Inſtitut. de empt. & ven-
dit. §. Pretium, l. Si ſocietatem, la prima, ff. Pro ſocio, l. Si quis
arbitratu, ff. de verb. obligat. & l. Fideicommiſſa, §. Sic fidei-
commiſſum, ff. de leg. 3.* ſecundùm Innoc. *in d. cap. Quinta-
vallis, n. 5.* cum quo Hoſtien. Joan. Andr. & cæteri tranſe-
26 unt. Nec arbitramentum dicitur propriè ſententia, nec
quaſi ſententia, ſed implementum compromiſſi; ideòque
actio oritur ex compromiſſo, non ex arbitramento, ut per
Cardin. *conſ. 139. num. 6. verſ. Et ſi hæc vera ſunt.* Quod eſt
Salyceti, ut Jo. de Anan. *conſ. 16. Viſo puncto n. 3.* Et com-
plures alias differentias inter arbitros, & arbitratores re-
cenſent Innoc. Hoſtienſ. & Bellam. *loc. citatis.* Non igitur
mirum, ſi de re ſpirituali in laicum compromitti non poſſit
ut in arbitratorem. Simile in Authen. *Si verò contigerit,
de Jud.* ubi patet in judicem poſſe compromitti, ut in arbi-
tratorem, non ut in arbitrum.

27 Non obſtat ſecundùm motivum, quia non videtur ve-
rum, cùm laicus etiam in ſpiritualibus Procurator eſſe
poſſit, *cap. 1. de Procurator. in 6.* Item laicus acceptare po-
teſt beneficium pro Clerico abſente, ut notat Joan. Andr.
in c. Accedens de præben. quem cæteri communiter ſequun-
tur, ut teſtatur Dec. *in d. c. 2. n. 6. de Iudic.* & conſuluit Cal-
derin. *in conſ. 222. incip. An acceptatio, aliàs 1. de præben.*
28 Item laico cauſa civilis Eccleſiaſtica ab Epiſcopo delegari
poteſt, ut tenet gloſ. *in d. cap. 2. in ver. non præſumant*, quæ
communiter approbatur, teſte Decio *ibid. n. 7.* & conferunt
quæ dixi ſupr. *nu. 12.* Ergo laici non prohibentur negotia
29 Eccleſiaſtica ſpiritualia tractare tamquam miniſtri. Nec
refragatur textus *in d. c. 2.* quia verbum, *tractare*, ibi acci-
pitur non ita generaliter, ſed prout congruit *Rubricæ de ju-
dic.* ſub qua collatur *l. Imperator, ff. de in diem addict.* nota-
tur *in l. Si vero, §. Si uno, ff. Locati*; & ita laici prohibentur
ibi tractare negotia Eccleſiæ, ſcilicet judicando, & diſpo-
nendo. Et hoc ſuadent verba ibi in medio poſita, videli-
cet, *Prælati de negotiis Eccleſiaſticis laicorum judicio non
diſponant.* Atque ita quod ſupra dixit immediatè, videlicet
Laici Eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant, intel-
ligi debet judicando, & diſponendo, non autem ut nudi
miniſtri. Quod confirmant etiam ſubſequentia verba,
ideſt, *propter eorum prohibitionem juſtitiam exercere non di-
mittant.* Quæ indicant prohibitionem illam de admini-
ſtratione juſtitiæ eſſe intelligendam, ut benè ibi Dec. *n. 7.*

Non obſtat ultimum: quia etſi de his ſpiritualibus non 30
poſſit fieri tranſactio, ut in contrariis, poteſt tamen fieri
amicabilis compoſitio. Ita Petr. de Anchar. *d. conſ. 34. n. 7.
verſ. Sed tunc dices, & verſ. Si eſt ita*, Joan. de Anan. *in dict.
cap. Poſt miſerabilem n. 20. verſ. Collige tamen de Uſur.* &
Felin. *in d. cap. Cum ſit num. 3. de foro compet.* Ratio diverſi- 31
tatis eſt, quia tranſactio ex ſui natura requirit, ut aliquid
detur, promittatur, vel retineatur, *l. 1.* & ibi gloſ. *1. ff. de
tranſact. l. 3. C. de repud. hæred.* gloſ. *in l. Tutores, §. Ab eo,
in ver. Tranſactum, ff. de adminiſtr. tutor.* Angel. *conſ. 240.
Punctus eſt quolibet.* Unde fieri non poteſt in ſpirituali-
bus ſine labe ſimoniæ, *d. cap. Super eo, de tranſaction.* gloſ.
in c. fin. in ver. Temporalia, infrà de rer. permut. Item tran- 32
ſactio dicitur ſpecies alienationis, *l. Si profundo, C. de tran-
ſaction.* notat Bald. *in cap. Vaſſallus de beneficio ſuo in fine.
Si de feudo controv. fuer. inter domin. & agn. & in cap. 1. de
controverſ. inter Vaſſallum, & alium de beneficio*, Roman.
conſ. 196. Viſa diligenter nu. 1. Tiraquel. *de utroque retract.
tit. 1. §. 1. gloſ. 14. num. 66. & ſequen. & poſt num. 55.* meritò de
ſpiritualibus, quæ alienari prohibentur, non poteſt tranſi-
gi. Et ob has rationes in *cap. 2. num. 10. ſuprà eod.* dixi
non valere compromiſſum in his ſpiritualibus de jure, &
de facto. At hæc omnia ceſſant in amicabili compoſitione,
ut patet in prædicta Decretali *Super eo*.

Sed numquid ſuſtineatur compromiſſum factum in lai- 33
cum de re ſpirituali tamquam in arbitrum, arbitratorem,
ſeu amicabilem compoſitorem pœna adjecta, ut communi-
ter fieri ſolet.

Breviter reſpondeo ſuſtineri, ut ſic res magis valeat,
quàm pareat, *cap. Abbate, de verbor. ſignificat.* & utile per
inutile non vitietur, ut in regula Sexti, *Utile*, Ad hoc *l. 2.
§. 1. verſ. Proinde, de judic.* & quod dixi *in cap. Cum tempore
in 2. quæſt. ſuprà eodem*, & tenet Joan. de Anan. *in d. c. Poſt
miſerabilem num. 20. in fin. verſ. Collige tamen de Uſur.* & eſt
ex mente Collectarii poſt Hoſt. *in c. 2. num. 4. ſuprà eod. per
cap. Niſi de præben.* ubi compromiſſarii fuerunt aſſumpti ut
arbitri; & tamen ordinatio valet ut arbitratoris, quia ut ar-
bitri valere non poſſet. Confert quod notat Specul. *in tit.
de Arbitr. §. penult. aliàs ult. verſ. Sed pone*, ubi tenet; ſi 34
compromiſſum fuerit in aliquem ut arbitrum arbitrato-
rem, nec appareat quo jure pronuntiaverit, dictum ejus
ſuſtineri eo jure, quo melius valere poteſt. Et quamvis
Specul. ibi concludat valere jure arbitri; hoc tamen dixit,
quia in ſuo caſu utroque jure valere potuit. Ergo ex men-
te ipſius ſi ut arbitrium valere non potuiſſet; debuiſſet va-
lere ut arbitramentum, ne partes cenſerentur elegiſſe viam,
per quàm judicium ſuum infringeretur, *l. Miles, ff. de te-
ſtam. milit. & l. Claudius, ff. de acquiren. hæred.* & ita de-
clarat Bald. *in l. Non Codicillum, n. 7. C. de teſtam.* & ſcripſi
plenius *in d. cap. Cùm tempore, ſuprà eod.* Et nihilominus
etiamſi utroque jure valere poſſit, tamen ſuſtineri ut arbi-
tramentum, cùm hoc ſit humanius propter reductionem
ad arbitrium boni viri, contra Specul. tenet Collectar. poſt
Hoſtienſ. *in d. cap. 2. num. 5.* & Bellam. *ibid. num. 18. in 3.
quæſt. ſuprà eod.* Similiter ſecundùm Innoc. *in c. Quinta-
vallis, de jurejur.* & Collectar. *ubi ſuprà in fin.* propter na-
turam negotii intelliguntur electi ut arbitratores, ubi aliàs
de mente non apparet. Et hoc caſu ſecundùm Jo. de Anan.
loc. cit. cautela eſt, ut in laudo arbitrator declaret ſe procede-
re tamquam amicabilem compoſitorem juxta plenè notata
in d. cap. Quintavallis.

DE

DE ARBITRIS.

Honorius III. Archiepiſcopo Colonien.

CAPUT X.

EX parte tua noſtris eſt auribus intimatum, quòd vacante præpoſitura ſancti Cuneberti in Colonia, Canonici ejuſdem Eccleſiæ vota ſua diviſerunt in duos, videlicet H. de Iuliaco, & C. de Lombardia: & infrà. Cùmque poſtmodum tractaretur ſuper electione hujuſmodi, & partes eſſent in tua præſentia conſtitutæ, in te demum ſuper hoc fide præſtita compromittere curaverunt: qui cauſæ meritis diligenter inſpectis, ad proferendam diffinitivam ſententiam, diem ipſis conſentientibus præfixiſti. Interim verò præfato H. ab una parte electo ſublato de medio, ſupradictis Canonicis inhibere curaſti, ne tua pendente ſententia, procederetur ad electionem aliam faciendam, quorum quidam nihilominus B. Colonien. Canonicum elegerunt. Die igitur quo ſententia proferri debuit, in tua præſentia partibus conſtitutis, dictus B. allegavit, quòd procedere ulterius non deberes. Quapropter tibi edoceri à nobis humiliter poſtulanti, breviter reſpondemus, quòd licèt arbitrium ſit finitum per mortem ipſius H. prius tamen de primæ electionis meritis debuiſti cognoſcere, quàm proceſſus fieret ad ſecundam: nam ſi dictus C. ſuperſtes in electione jus habet, ſecundam conſtat penitùs non valere.

SUMMARIUM.

1 *COmpromiſſum expirat morte alterius compromittentium.*
Etiamſi ante mortem fuerit concluſum in cauſa, & præfixus terminus ad ſententiam, num. 25.
2 *Ordinarius mortuo uno ex duobus electis, qui in eum compromiſſerunt, procedit ex poteſtate ordinaria ſuper jure ſuperſtitis antequam fiat nova electio.*
3 *Compromitti poteſt ſuper electione, & matrimonio ſpirituali.*
4 *Secus ſuper matrimonio carnali.*
5 *Cauſa Matrimonii majores Judices requirit, nec compoſitionem admittit.*
6 *Compromitti non poteſt de libertate hominis; Secus de libertate Eccleſiæ in præjudicium compromittentium.*
7 *Laudum arbitri appellari poteſt ſententia diffinitiva.*
9 *Arbiter citare debet partes, & præfigere illis terminum ad audiendam ſententiam.*
Electio ſecunda eſt attentata, ſi lite pendente inter duos electos alter moriatur.
10 *Etiamſi ſuperſtes nullum jus habeat.*
11 *Duos ſimul in eodem beneficio jus habere impoſſibile eſt, & num. ſeqq.*
12 *Electiones duæ de eodem ad eamdem non valent.*
13 *Incluſio juris unius in beneficio eſt excluſio juris alterius.*
14 *Dominium, vel poſſeſſio non poſſunt eſſe in ſolidum apud plures.*
15 *Terminus ad ſententiam præfixus à Judice, vel Arbitro extinguitur per mortem citati, & ſententia poſtea lata non tenet.*
16 *Inſtantia cauſæ in judicio non perimitur per mortem alterius collitigantium, ſed in hæredem continuatur.*
17 *Secus in arbitrio.*
18 *Compromiſſum eſt ſtricti juris, nec extenditur ad hæredes, vel alios, de quibus expreſsè non eſt cautum.*
19 *Arbitrium, & judicium in quibus differant, remiſſivè.*
20 *Ordinarius an poſſit eſſe arbiter tam de jure civili, quàm de jure canonico, & num. ſeq. uſque ad num.* 34.
21 *Compromiſſum fieri poteſt in Iudicem ut in arbitratorem tam ſecundum Leges, quàm ſecundum Canones.*
22 *Sive ſit Iudex ordinarius, ſive delegatus.*
23 *Intellectus hujus Capituli, & num. ſeq.*
24 *Arbitrator non fert ſententiam, nec coram ipſo, judicium vertitur.*
25 *Intellectus cap.* Cùm tempore, *ſuprà eodem.*
26 *Intellectus l.* Sed & ſi in ſervum, §. Si quis judex ff. de arbitr. *& num. ſeq. uſque ad num.* 34.
27 *Judex non poteſt partes cogere ut in ſeipſum compromittant.*
28 *Dictio*, ve, *quandoque ſtat copulativè.*
29 *Lex non debet eſſe de indubitabili.*
30 *Lex civilis dubia intelligi debet ſecundùm determinationem legis Canonicæ.*
31 *Jus Canonicum majoris eſt authoritatis, quàm conſuetudo.*
32 *Differentia non eſt conſtituenda inter jus Canonicum, & jus civile, niſi ubi clarè id reperitur expreſſum.*
33 *Jus civile ubi eſt dubium, & jus Canonicum clarum, ſervari debet ubique jus Canonicum.*
34 *Judex, in quem initum eſt compromiſſum, an in dubio cenſeatur procedere ut judex, an verò ut arbiter, & num. ſeq. uſque in finem.*
35 *Poteſtatem duplicem habens in dubio cenſetur ea uſus, per quem actus ſuſtinetur.*
36 *Arbitri, & arbitratores habent ſolam notionem, nec pœnam, vel mulctam poſſunt partibus infligere.*
37 *Clauſula*, omni meliori modo, *operatur ut quis cenſetur uſus ea validiori poteſtate, qua uti poterat.*
38 *Commiſſio facta ab habente duplicem dignitatem cenſetur facta nomine, ejus dignitatis, quæ facit actum valere; etiamſi illa expreſſa fuerit per dictionem*, &c.
39 *Judex ordinarius ſi dicat ſe procedere authoritate delegata, quam non habet, an ſententia ſuſtineatur. Et quid in caſu converſo.*
40 *Laudum latum ab arbitro, & arbitratore, ſi utroque modo poſſit valere, valet fortiori modo; Sin minus, ut valere poteſt.*
41 *Judicis, & arbitri, ſeu arbitratoris poteſtas poſſunt ſimul concurrere.*
42 *Sententia contra Capitulum lata præjudicat etiam Succeſſoribus.*
43 *Compromiſſum cenſetur factum ut in arbitratorem, ſi data ſit poteſtas procedendi de jure, & de facto, & renunciatum reductioni ad arbitrium boni viri.*
44 *Compromiſſum ſub nomine dignitatis factum an tranſeat in Succeſſorem.*

45 *Di-*

45 *Dignitas quæ jure hæreditario defertur, non compre-
henditur in c. Quoniam Abbas, de offic. deleg.*
46 *Laudi effectus per arbitrum lati contra compromitten-
tem tranſit ad illius hæredem.*

1 **E**X*parte*. Morte altarius compromittentium expirat
compromiſſum. Hoc dicit ſecundùm Abb. Antiq.
Joan. Andr. Butr. Anchar. & Imol. Vel plenium ſequen-
do intellectum Innocentii, quod compromiſſum hìc fa-
ctum fuerit per electos, Decretalis ſecundùm Card. &
2 Abb. Siculum hoc intendit. Si per duos electos ad eam-
dem Prælaturam in diſcordia compromittitur in Ordina-
rium, morte alterius compromittentium expirat com-
promiſſum. Ordinarius tamen ex poteſtate ordinaria
procedit ſuper jure ſuperſtitis, antequam fiat tranſitus ad
aliam electionem. Communis diviſio. Conſultatio, &
reſponſio, Secunda ibi, *Quapropter*.
Nota primò ex textu juncta ſupraſcriptione, Com-
promiſſum fieri poſſe in Ordinarium tamquam in arbi-
trum; ut hic probatur efficaciter, & latius dicam in pri-
ma quæſtione.
3 Secundò nota ſuper electione, & ſic ſuper matrimo-
nio ſpirituali poſſe compromitti, ut hic patet, *& in cap.*
4 *Cum inter Canonicos*, *ſuprà de elect.* Et hinc collige unam
differentiam inter conjungium carnale, & ſpirituale:
nam de carnali compromitti non poteſt, *cap. ult. ſuprà de
tranſact. & cap. penult. in fin. de in integr. reſtitut.* Secus de
ſpirituali, ut hìc eſt caſus. Et quamvis gloſ. *in ver. Alle-
gavit*, ſentiat nec de matrimonio ſpirituali poſſe com-
promiſſum fieri, & Archiepiſcopum Colonienſem hìc
non proceſſiſſe ut Arbitrum; tamen eam reprobant Joan.
Andr. *d. cap. penult. num.* 8. & ibi etiam Cardin. *in §. Ma-
trimoniali*, *in* 1. *oppoſit.* Abb. *in* 1. *notab.* & omnes Do-
ctores, ut inquit Joan. de Anan. *num.* 7. per id quod ha-
betur *in cap. Cauſam*, *ſuprà de elect. & in cap, Si Com-
promiſſarius*, *eod. tit. lib.* 6. Nec urget conſideratio gloſſæ,
& Hoſtienſis, quod Archiepiſcopus hìc proceſſerit non
tamquam arbiter, ſed tamquam Ordinarius: nam oppo-
ſitum colligitur ex littera, dum ponderat arbitrium eſſe
finitum per mortem alterius compromittentium, quaſi
ſit ſenſus: Quamvis poſt mortem compromittentis tu
Archiepiſcope non putueris cognoſcere tamquam arbi-
ter, quia arbitrium jam erat finitum; debuiſti tamen
cognoſcere ut judex Ordinarius de jure ſuperſtitis, priuſ-
5 quam fieret tranſitus ad ſecundam electionem. Ratio
autem differentiæ cur de matrimonio ſpirituali poſſit
compromitti, non autem de carnali, ea eſt, quia cauſa
matrimonialis majores judices requirit, *d. cap. pen. de in
integr. reſtit. cap.* 1. *de conſangu. & affinit. & cap. Acceden-
tibus*, *de exceſſ. Prælat.* Et quoniam Sacramentum con-
jugi compoſitionem non admittit, *d. cap. fin. de tranſact.*
6 Similem differentiam ponunt Doctores *in cap. Cùm tem-
pore*, *ſuprà eod.* dicentes de libertate hominis non poſſe
fieri compromiſſum, cùm cauſa ſtatus majores judices
requirat, *ut in d. cap. pen. & in l. Non diſtinguemus*, *§. Ju-
lianus*, *& §. De liberali*, *ff. de arbitr.* & tamen de liberta-
te Eccleſiæ compromitti poſſe quoad præjudicium com-
promittentium. Ita Petr. de Sampſone, & Abb. Antiqu.
in d. cap. Cùm tempore in fin. Hoſt. *num.* 6. *in ver. Liber-
tatis*, Bellam. *num.* 10. *in* 3. *oppoſit.* Henrich. Boich. *col.* 2.
verſ. Super gloſſa finali, qui latius proſequitur rationem
diverſitatis, Card. *in* 6. *oppoſit.* & Abb. *nu.* 3. *verſ. Quar-
ta ratio*. Aliàs differentias inter carnale, & ſpirituale
conjugium indicavi *in cap. Quantò*, *num.* 3. *&* 4. *ſuprà de
tranſlat. Epiſcop.*
7 Tertio nota ibi, *ad proferendam diffinitionem ſenten-
tiam terminum præfixiſti*. Laudum arbitri, poſſe appellari
ſententiam diffinitivam: *concordat cap.* 1. *ſuprà eod.* Quod
tamen eſt verum in lata ſignificatione, & largo modo ſe-
cundùm Anton. de Butr. *num.* 4. & Abb. *in* 4. *notab.*
nam propriè, & ſtricte intelligendo non dicitur ſenten-
tia, ſed arbitrium, ſeu laudum, *ut in cap. Per tuas*,
8 *& in cap. Cum tempore*, *ſuprà eod.* Item nota ex præ-
dictis verbis arbitrium inſtar judicis debere partes citare,
eiſque terminum præfigere ad audiendam ſententiam,
ut per Butr. *dict. num.* 4. & poterit citare per nuncium,
vel per Epiſtolam, *ut in l. Sed & interpellatur*, *§. Arbi-
ter*, *ff. eod.*

Quartò nota ibi, *priùs tamen de primæ electionis meri-* 9
tis debuiſti cognoſcere: defuncto altero ex duobus in di-
ſcordia electis, ad novam electionem deveniendum
non eſſe, niſi priùs cognitum, & diſcuſſum fuerit de
jure ſuperſtitis; & judicem poſſe inhibere electoribus,
ne ad novam electionem procedant, ut hìc eſt caſus, &
notant Butr. *num.* 5. Abb. *in* 6. *notab.* & Joan. de Anan.
num. 6. Hodie tamen ſecundùm Joan. Andr. *num.* 13. *in
ver. Inhibere*, & Cardin. *in* 7. *notab.* non eſt neceſſaria
inhibitio; ſed ſi lite pendente inter duos electos alter mo-
riatur, ſecunda electio eſt attentata, & ipſo jure nulla,
ut deciditur *in cap.* 1. *Ut lite penden. lib.* 6. Quod procedit 10
etiamſi ſuperſtes nullum jus habeat: nam etſi Innocent.
num. 6. *in ver. Jus habet*, oppoſitum ſenſerit; tamen ho-
die expeditum eſt abſolutè ſecundam electionem non va-
lere, *ut in d. cap.* 1. ſecundùm Joan. Andr. *hic num.* 16.
Quintò nota ex fine Capituli, de jure impoſſibile 11
eſſe ut duo eodem tempore jus habeant in eodem benefi-
cio ſecundùm Joan. Andr. *num.* 17. *in ver. Non valere*,
Petr. de Anchar. *num.* 4. *in* 8. *notab.* & Joan. de Anan. 12
num. 4. Nec mirum, quia etiam impoſſibile eſt ut va-
leant duæ electiones de eodem ad eamdem, *cap. Ut quis
duas*, *de elect. lib.* 6. Unde ſtatim atque pronunciatur jus 13
uni competere, ſimul etiam tacitè pronunciatur jus alte-
ri non competere, ut hìc in littera, & eſt ſimile in domi- 14
nio, *ut in leg. Pomponius*, *§. Sed & his qui in fine*, ibi,
nam cùm judicatur rem meam eſſe, *ſimul judicatur illius
non eſſe*, *ff. de Procurat.* non enim poteſt eſſe inſolidum
apud plures, *ut l. Si ut certo*, *§. Si duobus*, *ff. commod.* Et
idem in poſſeſſione, ut ibi eſt textus, *& in l. Duo*, *ff. de
precar.* Itaque ſicut in matrimonio carnali non eſt poſſibi-
le ut unus ſimul habeat plures conjuges, *cap.* 2. *infrà de
eo qui dux. in matrim.* ita nec in matrimonio ſpirituali
eſt poſſibile ut una Eccleſia, vel beneficium ſimul habeat
plures Sponſos, ſeu Rectores, *cap. Sicut alterius*, *&
cap. Sicut vir*, 7. *quæſt.* 1. *cap. Cùm non ignores*, *infrà*, *de
præb.* Joan. Andr. *in cap. Super inordinata*, *num.* 2. *in ver.
Eccleſiis*, *eod. tit.*
Ultimò nota textum ad hoc ſingularem, quod per 15
mortem alterius compromittentium ſolvitur compro-
miſſum, etiamſi ante mortem fuerit concluſum in cauſa,
& præfixus terminus ad audiendam ſententiam. Et ad
hoc multum extollit hunc textum Abbas *num.* 2. nam alibi
non ita clarè hoc probatur. Alia enim jura ſimpliciter di-
cunt compromiſſum extingui morte alterius ex compro-
mittentibus, *ut in l. Diem proferre*, *§.* 1. *& l. Sed & inter-
pellatur*, *ff. eod. & in cap. fin. infrà eod.* Sed non expri-
munt an hoc vendicet ſibi locum in caſu, in quo omnia
erant expedita, ita ut non ſupereſſet niſi ſententiam pro-
ferre. Quod notabiliter probatur hìc; Et ita per hanc
litteram firmat Bald. *in d. leg. Diem proferre*, ubi allegat
Innocentium *hic*. Sed ut Abb. inquit, non oportuit
allegare Innocentium, cùm habeamus textum hoc deci-
dentem. Et hinc collige unam differentiam inter arbi-
trium, & judicium: nam etſi etiam in judicio termi-
nus præfixus ad ſententiam audiendam extinguatur per
mortem citati; adeò ut ſententia poſteà lata vigore illius
citationis non valeat, *ut l. In ſumma*, *§. fin. ff. de re ju-
dic.* & notat *hic* Innocen. *in ver. Sublato*. Atque ita 16
in hoc pari paſſu ambulent judicium, & arbitrium, ut
hìc patet: tamen in hoc differunt, quod in judicio in-
ſtantia cauſæ non perimitur per mortem alterius colliti-
gantium, ſed in hæredem continuatur, *ut l. Tam ex con-
tractibus*, *ff. de judic.* Auth. *Principales*, *C. de juram. ca-
lumn.* & notat gloſ. *un. in cap. fin. infrà eod.* Et ſic quam-
vis citatio expiret mortuo citato, & ſit opus nova cita-
tione; tamen in judicio extat perſona hæredis, quæ ci-
tari poteſt, meritò judicium non extinguitur. At verò 17
compromiſſum ſolvitur omnino per obitum citati, quia 18
cùm ſit opus nova citatione, non ſupereſt perſona, quæ
poſſit citari, cùm compromiſſum non extendatur ad hæ-
redes, niſi de illis cautum fuerit, ut eſt caſus *in d. cap.
fin. infr. eod. & in l. Sed & interpellatur*, *§. Si ab altera*,
ff. codem, notat Bald. *conſ.* 102. *Omnes poteſtas*, *& conſ.*
103. *Lex compromiſſi*, *in fine lib.* 3. arbitria enim ſtricti
juris ſunt, nec compromiſſum extenditur niſi ad ea tan-
tùm. de quibus in ipſo expreſsè cavetur, *cap. Cùm dile-
ctus*, *ſuprà eod. d. l. Non diſtinguemus*, *§. De officio*, *ff. de*
ar-

arbit. & notat gloſ. & DD. *in d. cap. fin.* Dyn. *conſ.* 45.
Quæſtio quæ vertitur. Bald. *conſ.* 101. *Nobiles viri, num.* 8.
19 *verſ. Videtur concludendum lib.* 3. Socin, *conſ.* 20. *Viſis actis*
in princ. lib. 1. Alias differentias inter judicium, & arbitrium congerit Socin. *in reg.* 27. Arbitria ut judicia tractantur: ubi ad dictam regulam ponit 31. limitationes.

20 QUÆRO, An Ordinarius poſſit eſſe arbiter. Doctores non conveniunt. Prima opinio eſt Innocentii *hic nu.*6. *in ver. Ut Ordinarius vellet*, qui dicit Ordinarium poſſe eſſe arbitrum ſecundum Canones, *ut in cap. Cùm tempore, ſuprà eod.* ſecundùm leges autem ſecus, per textum *in l. Sed etſi in ſervum*, §. *Si quis judex*, *ff. de arbit.* Eodem modo diſtinguit Bart. *in d.* §. *Si quis judex*: ubi per illum textum tenet compromiſſum, ut in arbitrum fieri non poſſe, ut in judicem ordinarium de jure civili. Et eſt communis opinio Legiſtarum, *ut in d. cap. Cùm tempore*, teſtatur Joan. de Imola *num.* 5. *in gloſſ.* 1. & Joan. de Anan. *num.* 3. Secus de jure Canonico, ut hic, *& in cap. Innotuit, infr. eod. qui tamen ultimus textus per Bartolum allegatus ad rem non pertinet.* Et ita tenent communiter Canoniſtæ, ut inquit idem Imola in præallegato *cap. Cùm tempore num.* 5. *verſ. Canoniſta autem*, *& num.* 6. *verſ. Sed de jure Canonico.*

21 Secunda opinio eſt, gloſ. 1. *in d. l. Sed etſi in ſervum*, §. *Si quis judex*, *ff. eod.* & Hoſt. *hic num.* 2. *& in d. cap. Cùm tempore num.* 1. Item Hugon. & Lauren. *in cap. Infames*, §. *Si quis verò*, 3. *quæſt.* 7. exiſtimantium nec de jure civili, nec de jure Canonico compromitti poſſe in judicem ordinarium tamquam in arbitrum, ſed tantummodò tamquam in arbitratorem, & amicabilem compoſitorem. Secunda pars, id eſt compromitti poſſe in Ordinarium ut in arbitratorem utroque jure eſt clara: nam de jure civili hoc eſt expreſſum in auth. *Si vero contigerit*: & in corpore unde ſumitur, *Cod. de judic.* ubi gloſſ. *in ver. Compoſitionem*, tenet illam Authenticam non loqui de arbitro ex compromiſſo, ſed de arbitratore, & in hoc gloſſ. *in d.* §. *Si quis judex*, communiter approbatur, ut ibi teſtatur Bartol. *ſub num.* 1. *verſ. Sed hæc gloſſa.* Idque veriſſimum eſſe, & communiter teneri affirmat etiam Abbas *in d. cap. Cùm tempore num.* 5. *verſ. Hæc opinio.* De communi etiam teſtatur Imola *num.* 5. in gloſ. 1. & non re-
22 peri contradictorem. De jure Canonico ſimiliter dubium non eſt, quin judex poſſit eſſe arbitrator ſive ſit ordinarius *ut in cap. Cauſam de elect.* *ſive delegatus*, *ut in cap. Niſi eſſent de præben.* Prima autem pars, id eſt compromitti poſſe ut in arbitrum ſecundùm eos probatur de jure civili *in d.* §. *Si quis judex*, intelligentes illum textum prohibere duos caſus, juxta ſecundùm intellectum, quem ponit ibi gloſ. 1. Et in hoc conveniunt cum prima opinione Innocentii, & Bartoli. De jure autem Canonico dicunt hoc probari *in cap. Infames*, §. *Si quis verò*, 3. *quæſt.* 7. qui Canon de ſumptus eſt ex *d.* §. *Si quis judex*. Atque ita lex civilis, & Canonica in hoc pari paſſu ambulant.

Nec obſtat *cap. Cùm tempore*, *ſupr. eod. cap. Litteras de præſumpt.* & alia jura, quæ in contrarium allegantur: quia ſecundum eos loquuntur in arbitratore, non autem in arbitro. Et ad hanc Decretalem reſpondent Archiepiſcopum hìc non proceſſiſſe tamquam arbitrum. ſed jure ſuo ordinario, juxta intellectum gloſſæ *in ver. Allegavit*, *verſ. Sed licèt ſit finitum.* Cur autem judex non poſſit eſſe arbiter, tres rationes aſſignat gloſ. *in d.* §. *Si quis verò*, *in ver. Judex*, 3. *quæſt.* 7. & tres alias magis tamen plauſibiles quam concludentes reddit Hoſt. in prædict. Decretali. *Cùm tempore num.* 1. & Joan. Andr. *num.* 10.

Tertia, & ultima opinio ex diametro ſecundæ oppoſita eſt gloſ. 1. *in eod. cap. Cùm tempore ſuprà eod.* quæ tenet in hoc non eſſe differentiam inter jus Canonicum, & civile. Sed utroque jure compromitti poſſe in judicem ordinarium non ſolum ut in arbitratorem, in quo omnes conveniunt, ſed etiam ut in arbitrum. Idem firmat gloſ. *in d. cap. Infames*, §. *Si quis vero in ver. Judex*, 3. *quæſt.* 7. Item Joan. Tancred. Vincen. Philipp. & Goff. *in cap. fin. de rer. permut.* quos hìc refert, & ſequitur Joan. Andr. in gloſ. 1. *num.* 9. *&* 10. & eſt quaſi communis opinio Canoniſtarum, ut teſtatur Abb. *in d. cap. Cùm tempore n.* 5. *ver. Et concludendo.*

23 Hæc tertia opinio complectitur duo membra. Alterum eſt Ordinarium poſſe eſſe arbitrum de jure Canonico. Alterum poſſe itidem eſſe arbitrum de jure civili. Primum membrum, in quo concordant prima, & tertia opinio, probatur primò irrefragabiliter in hac Decretali juncta ſuprafcriptione: nam Archiepiſcopus Colonien. erat hìc Ordinarius partium; & tamen in eum fuit initum compromiſſum tamquam in arbitrum. Quod con-
vincitur ex eo quod tamquam arbiter præfixit terminum 24
ad audiendam ſententiam. Quod non congruit arbitratori, qui non fert ſententiam, nec coram ipſo judicium vertitur, vel quaſi, ut notat Innocen. *in cap. Quinta vallis*, *num.* 5. *verſ. Item non facio de jurejur.* Sed arbiter ſententiam profert, quia arbitria ad inſtar judiciorum redacta ſunt, *ut leg.* 1. *ff. de arbitr. & l. Rem non novam*, §. 1. *C. de jud.* confert textus *in cap. Cùm dilectus ſup. eod.* ubi arbiter dicitur judicare. Nec refragatur quod Archiepiſcopus reſervaverit ſibi poteſtatem ordinariam, & ſic proceſſerit utraque poteſtate, ſcilicèt judicis, & arbitri. Quoniam hoc non colligitur ex hoc Capitulo; quin potius contrarium, cùm allegaretur Archiepiſcopum non debere ulterius procedere, eò quòd compromiſſum eſſet finitum. Quæ allegatio inepta fuiſſet, ſi non ut verus arbiter, ſed ut Ordinarius proceſſiſſet. Itaque ut formaliter hìc dicit Abb. Antiq. *num.* 2. Nota luce clarius ex iſta decretali, quod poteſt in Ordinarium compromitti, & alibi non ita inveniens; licèt ſubdat textum calumniari poſſe ex eo quòd unus non erat immediatè ſubjectus Archiepiſcopo, in quem factum fuerat compromiſſum. Similiter Abb. Sicul. *num.* 1. *in* 2. *notab.* dicit hunc textum optimè probare in Ordinarium compromitti poſſe tamquam in arbitrum, & alibi non ita benè hoc probari.
Deinde hoc ipſum probatur *in d. cap. Cùm tempore ſupr.* 25
eod. ſi intelligamus Epiſcopum Merſburgenſem fuiſſe reum; hoc enim caſu Archiepiſcopus, in quem factum fuerat compromiſſum, fuiſſet judex ordinarius ipſius. Secùs ſi fuiſſet Actor, *ut in cap. Si Clericus* 11. *quæſt.* 1. & ibi advertunt Joan. Andr. *num.* 9. gloſ. 1. Bellam. *num.* 10. *in* 1. *oppoſit.* Card. *num.* 2. Imol. *num.* 3. & Anch. *in* 3. *notab.* Nec verum eſt illum textum loqui in arbitratore. Imò enim loquitur in arbitro, ut patet ibi, *arbitrium Magdeburgen. Archiepiſcopi ſervaturum*: & ibi, *Nos arbitrium ab ipſo prolatum.* Et infrà ibi, *In arbitrio.* Hoc ipſum de judice delegato probatur *in cap. Litteras de præſumpt.*

Secundum verò membrum, in quo hæc tertia opinio 26
diſcreptat à prima, & ſecunda, id eſt Ordinarium poſſe arbitrum eſſe de jure civili, pendet ab intellectu *l. Sed etſi in ſervum*, §. *Si quis judex*, *ff. de arbitr.* nam cùm textus dicat prohiberi lege Julia, ne judex arbitrium recipiat ejus rei, de qua judex eſt, *inve ſe compromitti jubeat*; difficultas ad hoc reſtringitur, videlicet an illa 27
dictio, *ve*, ſtet ibi copulativè, ita ut ſit unus tantùm caſus, quando ſcilicet judex vellet arbitrium recipere cogendo partes ut in ſe ipſum compromitterent: An verò ſtet disjunctivè, ita ut ſint duo caſus, & lex prohibeat non ſolùm ne judex vim faciat nolentibus, ſed etiam ne recipiat in ſe compromiſſum à volentibus initum. Et gloſſa noſtra, ut prædixi, approbat primum intellectum, id eſt prohiberi unum tantùm caſum, cùm judex vult partes cogere ad compromittendum in ſe. Et hunc intellectum de jure puto veriorem ex conſiderationibus infraſcriptis.

Prima quia *in d. cap. Infames*, §. *Si quis verò*, 3. *quæſt.* 7. 28
refertur ad litteram integer ille §. *Si quis Judex*, & loco illius dictionis, *ve*, ponitur copula, *&*: Atque ita ubi lex civilis dicit, *inve ſe compromitti.* lex canonica quaſi jus civile exponendo dicit, *& in ſe compromitti.* Ergo dictio, *ve*, *in d.* §. *Si quis Judex*, eſt accipienda copulativè ut ſic prohibeat unum caſum dumtaxat. Quod etiam advertit juris Pontificii illuminator Joan. Andr. licèt valdè ſuccinctè *in d. cap. Cùm tempore num.* 10. *verſ. Facit quia ſuprà eod.* Secundò, quia non eſt novum ut dictio illa, *ve*, ſtet copulativè, *ut in l. Sæpè*, *ff. de verbor. ſignif.* & notat Joan. Andr. *loc. cit.* Tertiò quia lex non fertur niſi in caſu dubio, *l. Labeo*, *ff. de carbon. edicto.* At ſi dictus 29
§. *Si quis Judex*, duos caſus prohiberet, ſecundus caſus eſſet de indubitabili, & ſupervacaneus, quia ſi judex ſimpliciter, & abſolutè prohibetur in ſe arbitrium recipere etiam à volentibus, quod minus eſt, ut in primo caſu;

extra

extra dubium eſt eum non poſſe partes compellere ut in
ſe compromittant, quod plus eſt, *faciat cap. Cui licet*, *&*
c. Plus ſemper, cum utrobique notatis per Dyn. & Joan.
30 Andr. *de regul. jur. lib. 6.* Quartò quia cùm de jure Ca-
nonico clarè ſit cautum, ut Ordinarius poſſit eſſe arbiter,
ut oſtenſum eſt ſuprà *num.* 23. lex civilis dubia intelligi de-
bet ſecundùm determinationem juris Canonici. nam
ut in propoſito arguit Abb. *in d. cap. Cum tempore*, *num.*5.
31 *in fine*, *verſ. De jure civili*, *ſupra eod.* ſi in dubio pro
interpretatione legis recurrimus ad conſuetudinem,
ut in cap. Cum dilectus, *de conſuetud. & in l. Si de interpre-*
tatione, *ff. de legib.* longè magis recurrendum eſt ad Jus
Pontificium, quod eſt majoris authoritatis, quàm con-
ſuetudo, arg. à ſimili *in cap. Quis neſciat*, 11. *diſt.* Con-
32 fert textus *in cap. Per venerabilem*, *qui fil. ſint legit.* Ulti-
mò aliis omiſſis, non eſt conſtituenda differentia inter
jus Canonicum, & jus civile, niſi ubi clarè id reperitur
expreſſum, *arg. cap.* 1. cum ibi notatis, *infr. de nov. oper.*
nunciat. Ergo cùm habeamus legem Canonicam hunc ar-
ticulum expreſsè decidentem; lex civilis habens varios
intellectus accipienda eſt in eo ſenſu, in quo magis con-
venit cum lege Canonica, ut ſic jura juribus concorden-
33 tur, *cap. Cum expediat de elect. lib. 6.* facit quia ubi jus ci-
vile eſt dubium, & jus Canonicum eſt clarum, ſeu decla-
rativum ejus quod de jure civili non eſt expreſsè deci-
ſum; ſervari debet ubique locorum, & in utroque foro
jus Canonicum, ut notabiliter voluit Angelus *conſ.* 217.
In cauſa num. 3. *verſ. Non obſtat*, Abb. *in d. cap.* 1. *num.*6.
de nov. oper. nunciat. & Marant. *in Praxi in* 3. *part. n.*73.

34 Secundò QUÆRO, An Judex in quem initum eſt
compromiſſum, in dubio cenſeatur in cauſa procedere ut
Judex, an verò ut Arbiter.

Pendente lite inter Decanum, & Capitulum Eccleſiæ
Audomaren. ex una, & Abbatem, & Conventum Mo-
naſterii S. Bertini Ordinis S. Benedicti immediate Sedi
Apoſtolicæ ſubjecti ex parte altera ſuper præcedentia,
Epiſcopus Vercellen. tunc Nuncius Apoſtolicus in Bel-
gio, in quem partes hanc differentiam compromiſerunt,
diffinivit ut Decanus, & Capitulum à latere dextro; ipſi
verò Religioſi dicti Monaſterii à ſiniſtro ſemper, & ubi-
que incederent. Ut die Sanctiſſimi Sacramenti dicti Re-
ligioſi convenirent ad Cathedralem Eccleſiam, unde
proceſſio initium ſumeret, Canonicis eos, ut moris eſt,
excipientibus, proceſſionemque ad eamdem Eccleſiam
comitarentur, & Epiſcopo Sacramentum geſtante,
Abbas ſolus clauderet proceſſionem ante umbellam. In
iis verò proceſſionibus, quæ juſſu Summi Pontificis, vel
regia Majeſtate inſtante indicerentur; tunc ſervaretur in
omnibus antiqua alternativa conſuetudo, & viciſſitudo,
non autem id quod de latere dextro, & ſiniſtro conſtitu-
tum eſt: dictaque conſuetudo, & viciſſitudo etiam ſer-
varetur quando Corpora Sanctorum Audomari, & Ber-
tini in proceſſionibus ſunt deferenda. Utque Sanctiſſi-
mum Sacramentum ſemper à digniori, videlicet ab Epi-
ſcopo, ſi præſens eſſet; ſin minus ab Abbate, & eo ab-
ſente à Decano, tum à Priore dicti Monaſterii deferre-
tur. Et quando Abbas in Eccleſia ſua Epiſcopo præſente
celebraret, tunc antequam benedictionem impertiretur,
eidem Epiſcopo cum Mitra reverentiam facere deberet,
& abſente Epiſcopo, in Cathedrali Eccleſia ipſo die San-
ctiſſimi Sacramenti celebrare deberet requiſitus. Cùm
autem habendæ ſunt proceſſiones, quibus certus dies non
eſt præſcriptus, tunc ex humanitate Decanus, & Capi-
tulum cum Religioſis ipſis convenirent ad deliberandum
quo die, & qua ratione haberi deberent. Indictio au-
tem earum omninò ad Epiſcopum, Decanum, & Capi-
tulum prædictum pertineret, & prædicta obſervari man-
davit ſub pœna 500. ſcutorum, adjecta clauſula, *& omni*
meliori modo.

Quæ quidem ſententia cum ab utraque parte, & Sixto
tunc Epiſcopo Audomaren. approbata, & obſervata fue-
rit; ſupplicatur pro illius confirmatione.

35 Viſum eſt confirmationem poſſe concedi; quia Nun-
tius videtur uſus utraque poteſtate; imo illa, quæ facit
actum magis valere, & perpetuam roboris firmitatem
habere, *text. eſt in l.* 2. §. 1. *verſ. Perinde*, *ff. de Judic.* &
ſcripſit Roman. *conſ.* 143. *Ex propoſita numer.* 9. *& conſ.*
446. *Primus n.* 3. *& ſeqq.* & ſic judiciaria, cum ſub pœna
quingentorum ſcutorum præceperit partibus obſervan-
tiam contentorum in ſententia prædicta. Quæ omnia 36
clarum eſt aſſumenti tantùm partes judicis convenire, &
non arbitris, & arbitratoribus, qui juriſdictionem non
habent, *ut l. Ait Prætor*, cùm ibi not. *ff. de re judic.* Abb.
hic in 4. *notab.* Sed habent ſolam notionem, nec pœnam,
vel mulctam poſſunt partibus infligere, gloſſ. ult. & ibi
DD. *in cap. Cum dilectus ſuprà eod.* Et ultimo loco appo- 37
ſuit etiam clauſulam, *& omni meliori modo*, per quam
actus dicitur factus ea validiori poteſtate, qua uti pote-
rat; & ſic judiciaria, *gloſſ. in l.* 1. *in ver. Conſentiant in*
fin. ff. de Jud. Bald. *conſ.* 478. *n.*3. *lib.*3. Alexand. *conſil.* 112.
num. 1. *& ſeqq. lib.* 3. Dec. *in cap. Si per quæſtionum nu.* 59.
ubi etiam alii *de offic. deleg.* Achill. de Graſſ. *deciſion.* 1. *tit.*
de clauſulis. Confert quod tradit Roman. *conſ.* 343. *Ex* 38
propoſito, ubi latè conſuluit valere commiſſionem ab Ar-
chiepiſcopo Colonienſi, qui eſt etiam Epiſcopus Badæ,
ſeu adminiſtrator, factam ſuper adminiſtratione Epiſco-
patus Badenſis per hæc verba: *Theodoricus Archiepiſco-*
pus Colonienſis, *Beſſaliæ Dux &c.* Et vigore illius clau-
ſulæ, *&c.* cenſeri omnes dignitates expreſſiſſe, & ſic
valere actum tamquam factum à Badæ adminiſtratore,
quia expreſſio non eſt reſtricta. Et illa verba, *Archiepi-*
ſcopus Colonienſis, *Dux Beſſalliæ*, *&c.* ſtant cauſa de-
monſtrationis. Et quæ abundant non vitiant actum, ut
ibi per eum, qui pluribus hanc partem confirmat, & ab
objectis tuetur. Si ergo duplicem habens poteſtatem
cenſetur ea uſus, per quam actus ſuſtinetur, etiamſi
illam non expreſſerit, niſi per dictionem cæteratam;
quantò magis idem dicendum erit hoc caſu, in quo Nun-
tius utramque poteſtatem expreſſit nominatim. Imò ſe- 39
cundùm unam opinionem, de qua per Innocentium *in*
cap. Cum ex officii, *de præſcript.* quem refert Bald. *in l.*
Falſus, *circa finem*, *C. de furtis*, *& in l. Non Codicillum*,
C. de teſtament. & Angel. *in l. Si per errorem*, *ff. de juriſd.*
omn. Judic. valida eſt ſententia judicis, licèt dicat ſe nolle
procedere ex capite juriſdictionis ordinariæ, ſecundùm
quam in veritate procedere poteſt, ſed ex capite delega-
tæ, quam putat ſe habere, licèt verè non habeat: cùm
enim adſit poteſtas procedendi, & voluntas, quamvis
erret in ſpecie juriſdictionis; valebit quod agitur, quia
principalis voluntas non deficit, nec in genere poteſtas,
& ſequitur Roman. *conſil.* 446. *Primus propoſitæ conſulta-*
tionis num. 3. 4. *&* 5. de quo tamen articulo dic ut per Si-
giſmundum Loffred. *conſ.* 45. *Magnificus Federicus poſt*
numero 5. & eumdem Roman. *conſil.* 343. *Ex propoſito*
numero 5.

Et in terminis ferè noſtris ſi judex pronunciet ut arbi- 40
ter, & arbitrator; Siquidem actus utroque modo poſſit
valere, valet fortiori modo, quo poteſt, *arg. l. Si do-*
mus, *ff. de ſervitut. urban. præb. l. Si non lex*, *ff. de hæred.*
inſtituen. Sin autem valere non poſſit niſi uno modo;
tunc quia actus in dubio debet valere, judex cenſetur pro-
ceſſiſſe eo modo, quo potuit. Hæc eſt theorica Baldi *in*
*d. l. Non Codicillum num.*7. adjicientis hanc opinionem eſſe
æquiorem, & ſervari de conſuetudine. De quo dic ple-
nius ut ſcripſi *in cap. Contingit num.* 34. *&* 35. *infrà eod.*
Quippè hoc caſu Nuntius cenſeri non debet elegiſſe viam,
per quam ejus judicium poſſit ſubverti, *l.*3. *de milit. te-*
ſtam. Facit Regula Sexti, *utile per inutile*: necnon re-
gula *ſi non valet quod ago*, *ut ago*, *valet ut valere poteſt. d.*
l. Si tam anguſti, *ff. de ſervitut.* cum notatis per Bart. *in l.*
1. §. *Si quis ita*, *ff. de verbor. obligation.*

Neque verò in præſentia dubitandum eſt de poteſtate, 41
quia etſi de jure civili res habeat aliquam difficultatem an
utraque poteſtas concurrere poſſit, ut dixi latè in præce-
denti quæſtione, tamen de jure Canonico, quod attendi
debet inter perſonas Eccleſiaſticas, res eſt expedita, ut eſt
textus rotundus hic ponderatus ut ſuprà *num.* 23. *& ſeq.*
in cap. Cum tempore ſuprà eod. & cap. Litteras, *de præ-*
ſumption.

Suppoſita igitur poteſtate, & voluntate, ſequitur con- 42
ſequentia neceſſaria, ut ſententia ſit valida, & præjudi-
cet nedum illiſmet Canonicis, qui tunc temporis inter-
venerunt, ſed etiam Succeſſoribus eorum, *l. Ex contra-*
ctu, *ff. de re judic.* Ripa *in l. Sæpè*, *num.* 69. *de re judic.*
Rot. deciſ. 17. *ſub num.* 1. *&* 4. *eod. tit. in antiqu.*

Quod etiam dicendum eſt quatenus dicta ſententia dici 43
ei-

poſſet aliquo modo arbitramentum propter poteſtatem eidem Nuntio traditam à partibus decidendi cauſam de jure, & de facto, cùm renuntiatione cuicumque appellationi, & reductioni ad arbitrium boni viri, quæ operantur, ut in eum cenſeantur compromiſiſſe ut in Arbitratorem, ex tradit. per Bart. *in l. Si Societatem*, §. *Arbitratorem, ff. pro Soc.* & per Canoniſtas *in cap. Quintavallis*, *de
44 jurejur.* quia etiam dicto caſu cum in compromiſſo, & laudo per arbitratorem lato intervenerit præſentia, & conſenſus Ordinarii præmiſſo tractatu cum his ſolemnitatibus, licitè compromitti potuit, & tranſigi etiam in præjudicium Succeſſorum, *cap. Præſentia*, ubi Abb. & Felin. *num.* 1. *de teſtibus*.

Idque eò magis recipiendum videtur ex eo quod compromiſſum nomine dignitatis factum fuit, ut patet ex illis verbis, *Decanum, & Capitulum Eccleſiæ Audomaren. ex una, & Abbatem, & Monachus S. Bertini ejuſdem civitatis ex altera*. Compromiſſum autem factum ſub nomine dignitatis quamvis non tranſeat in hæredes, *cap. fin. infrà eod.* tamen tranſit in Succeſſorem in eadem dignitate, ut probatur in *cap. Quoniam Abbas ſuprà de off. deleg.* ubi Dec. *col. penult. verſ. Poſtremò num.* 86. *& ſeqq.* latè hanc partem tuetur. Idem probatur *in l. Quod principi, ff. de leg.* 2. Et formant Alex Aretin. & Raphael. Cuman. *in l. Qui liberis, §. Hæc verba ff. de vulg. & pupill.* Bald. *in l. fin. §. Sed ſi quis col. fin. C. Communia de legat.* Marſ. *in rubr. de fidejuſſor. num.* 135. & Bertach. *de Epiſcop. in* 4. *part. de poteſt. Epiſcop. in temporal. quæſt.* 54. *num.* 290. Et quamvis Bart. *in d. §. Hæc. verba in verſ. Ultimo hanc legem*, dixerit compromiſſum ſicut non tranſit in hæredem, *ut in l. Diem proferre*, §. 1. *ff. eod.* pari ratione non tranſire in Succeſſorem; Et ejus opinio communis ſit, ut teſtatur Dec. alios cumulans loco citato, & Jaſ. *in d. §. Hæc verba*: tamen primam opinionem contra Bartol. dicunt veriorem in puncto juris Alexand. & Dec. *ubi ſuprà*. Præſertim ſi dignitas ſit talis 45
ut non deferatur jure hæreditario, ut in caſu noſtro. In his enim dignitatibus, & non in hæreditariis procedit text. *in d. cap. Quoniam Abbas*, ut ibi per Dec. *num.* 88. Præte- 46
reà quidquid ſit de veritate harum opinionum, vitari poteſt hoc caſu hujuſmodi controverſia, quia eſto compromiſſum expiraverit per mortem compromittentium, nec tranſiverit in Succeſſorem; tamen effectus laudi per arbitrum lati contra compromittenten durat, & tranſit non tantùm in Succeſſores, ſed etiam in hæredem, textus eſt *in d. l. Diem proferre*, §. 1. *ff. eod.* & hìc notat Abb. *num.* 2. *verſ. Effectus tamen ſententiæ*.

Finis Primi Libri Decretalium.

BINDING SECT. JUL 24 1969

BX 1935 F3 t.1
Fagnanus, Prosper
Commentaria in primum ⌐-quintum⌐ librum Decretalium

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 03 21 03 028 9